ACTA
SANCTORUM
SEPTEMBRIS.
TOMUS PRIMUS.

IMPRESSION ANASTALTIQUE
CULTURE ET CIVILISATION
115, AVENUE GABRIEL LEBON
BRUXELLES
1970


De diu illi scientiarum
Sanctorum Sapo
in plenitudine Sanctorum detentio
SEPTEMBER
ACTA
SANCTORUM.
MENSIS
SEPTEMBER
ERVDITIO
VERITAS
ANTIQVA REDVCO
OBSCVRA REVELO
P. B. Boutats fecit

SANCTVS AGRICOLVS AVENIONENSIVM PATRONVS



Ave decus pietatis, Præsul miræ sanctitatis,
Agricole venerande, Toto orbe collaudande
Qui præbes lapsis solamen, Et infirmis medicamẽ
Apud Deum intercede: Vt cœlesti nos mercede
In regno perennitatis, Dei gaudere cum beatis.

℣. *Ora pro nobis Beate Agricole.* ℟. *Vt digni efficiamur.*

Oratio

Deus amator omnium bonorum, qui hunc sanctissimum confessorem tuum atq; pontificem Agricolum, nobis tribuisti Patronum: da nobis eius intercessione, te semper diligere et ad tuam misericordiam pervenire. Per Chrīum Dn̄um nostrum.

ACTA SANCTORUM SEPTEMBRIS

Ex Latinis & Græcis, aliarumque gentium Monumentis, ſervatâ primigeniâ veterum Scriptorum phraſi,

COLLECTA, DIGESTA,

Commentariiſque & Obſervationibus

ILLUSTRATA

A

JOANNE PINIO,
JOANNE STILTINGO,
JOANNE LIMPENO,
JOANNE VELDIO,

E SOCIETATE JESU PRESBYTERIS THEOLOGIS.

TOMUS I


Quo dies primus, ſecundus & tertius continentur, cum tractatu præliminari

DE DIACONISSIS

AUCTORE JOANNE PINIO.



ANTVERPIÆ,
Apud BERNARDUM ALBERTUM VANDER PLASSCHE.
M D C C X L V I.



MARIÆ ANNÆ

REGIÆ PRINCIPI HUNGARIÆ, BOHEMIÆ, HIEROSOLYMÆ &c. ARCHIDUCI MAGNÆ DUCI ETRURIÆ; DUCI BURGUNDIÆ, LOTHARINGIÆ, BRABANTIÆ, STYRIÆ, CARINTHIÆ, CARNIOLIÆ, MEDIOLANI, &c.; COMITI TYROLIS, FLANDRIÆ, NAMURCI, GORITIÆ &c. &c.



Oſtquam Auguſtiſſimus Proavus Tuus, Leopoldus Romanorum Imperator, patrocinium Operis noſtri de Actis Sanctorum clementer ſuſcipere, & illius progreſſum piâ munificentiâ urgere dignatus eſt, SERENISSIMA ARCHIDUX;

menſes Junius, Julius & Auguſtus, viginti voluminibus comprehenſi, Auſtriacis auſpiciis in lucem prodierunt. Ex hiſce tomos poſteriores Auguſti, ac Septembrem inchoatum Auguſtiſſimæ Matri Tuæ MARIÆ TERESIÆ, Romanorum Imperatrici, Hungariæ & Bohemiæ Reginæ, Dominæ noſtræ Clementiſſimæ, perpetuâ munificentiâ Opus noſtrum foventi ac protegenti, debemus & demiſſiſſimè offerimus. Ad nutum verò illius primum Septembris tomum tantò majori cum voluptate Nomini Tuo dicamus, quantò manifeſtiùs perſpicimus, Te more Majorum Tuorum à teneris annis ad imitanda Sanctorum exempla provocari. Ita omnino ſe res habet, REGIA PRINCEPS: non modò artibus & ſcientiis Auguſtâ Familiâ dignis Te excultam volunt Religioſiſſimi Genitores; ſed moribus etiam AUSTRIACIS, pietate, inquam, & ſanctitate, omniumque virtutum ornamentis condecoratam videre deſiderant. Hunc in finem proprium Tibi vixdum ſexenni dederunt conſcientiæ moderatorem, qui Tenellam doctrinâ Chriſtianâ accuratè imbueret, eâdemque operâ ad inſignem pietatem ac ſanctimoniam erudiret. Nôrunt enim, quanti ſit momenti à teneris aſſueſcere virtutum exercitio; & vehementer gaudent, Te jam ab infantia pietati mirum in modum fuiſſe addictam. Qua de cauſa patieris, DOMINA MEA SERENISSIMA, me breviter declarare, quos Tibi Sanctos ex oblato volumine ad imitationem proponere poſſis, ut & laudabili Auguſtiſſimorum Parentum deſiderio ſatisfacias, & avitam Majorum

rum Tuorum pietatem moribus exprimas. Invenies imprimis ſanctiſſimam Mulierem cognominem, Patronam Tuam ſaltem ſecundariam, Annam Prophetiſſam, *quæ*, teſte ſacra Scriptura, *non diſcedebat de templo, jejuniis & obſecrationibus ſerviens nocte ac die.* Illuſtre enimvero elogium, quodque ad æmulationem excitare poſſit Principem ad piè precandum propenſam; præſertim ſi attentè conſideraverit, quantam ſancta Prophetiſſa piarum precum mercedem fuerit conſecuta. Meruit nimirum pietate ſua Chriſtum Puerulum cognoſcere, atque aliis annuntiare in templo, & coronâ æternæ gloriæ poſt mortem redimiri in cælo. Si aliarum quoque Sanctarum Vitas, quas idem tomus complectitur, maturè expenderis, plurima ſanctè vivendi exempla deeſſe non poterunt. Si verò à ſancto Rege diſcere malueris, PRINCEPS REGIA; ſi exempla quaſi domeſtica Te efficaciùs ad virtutem impellant, præclaram adibis Vitam ſanctiſſimi Regis Stephani, qui Maternam Hungariam primus Regio nomine adminiſtravit, Hungaroſque ſuos è tenebris gentilitiæ ſuperſtitionis ad lumen veræ fidei perduxit, gentis nimirum ſuæ Rex ſimul & Apoſtolus, atque idcirco APOSTOLICI REGIS nomen & inſignia ſibi poſteriſque ſuis Hungariæ Regibus conſecutus. Dabit vel ſola hæc Vita tam multa tamque illuſtria quarumlibet virtutum ſpecimina, ut ad bene ſanctéque vivendum nihil deſiderare poſſis. Unam ex hiſce ſancti Regis virtutibus expendam, tum quia plurimùm conducit ad reliquas animo inferendas, tum quia Ma-

joribus

joribus Tuis tam uſitata ſemper fuit & familiaris, ut dubitare nequeam, quin ad Te etiam jure quaſi hæreditario ſit tranſmiſſa. De pietate loquor erga Sanctiſſimam Dei Genitricem Mariam, quam Religioſiſſima Domus Auſtriaca perpetuò profeſſa eſt, & etiamnum luculenter profitetur. Nolim quidem multa accumulare, quæ de eximia S. Stephani pietate in Glorioſiſſimam hanc Sanctorum Reginam Vita ſparſim commemorat; at ſolùm huc transfero, quæ Officio Eccleſiaſtico ſancti Regis breviter ad propoſitum noſtrum ſunt inſerta. *Dei Genitricem, quam ardentiſſimè venerabatur, ampliſſimo in ejus honorem conſtructo templo, Hungariæ Patronam inſtituit: ab eadem viciſſim Virgine receptus in cælum ipſo ſuæ Aſſumptionis die, quem Hungari è ſancti Regis inſtituto MAGNÆ DOMINÆ DIEM appellant.* Præterea in Vita S. Gerardi martyris legitur: *Pannonia à ſuo ſancto Stephano Rege FAMILIA SANCTÆ MARIÆ appellata eſt.* Gratulor illuſtri Hungarorum nationi appellationem tam honorificam; magis etiam gratulor inſignem, quam à ſancto Rege ſuo acceperunt & hactenus conſervarunt, Magnæ Dei Matris venerationem. Verùm mecum, opinor, agnoſcent, nullam magis congruè *Familiam Sanctæ Mariæ* nominari poſſe, quàm Familiam ſuam Regiam, ſeu Tuam, SERENISSIMA PRINCEPS, Mariæ cultu eximio non minùs quàm Regia & Cæſarea dignitate conſpicuam. Quidni enim Domus Tua dicatur *Familia Sanctæ Mariæ*, in qua nulla reperitur Princeps, quæ *Mariæ* nomen non gerat, quæ Mariam ſingularem non habeat

beat Patronam, quæ pro ſtatu & conditione ſua non conetur Mariam moribus ac virtutibus imitari. Veteres taceo Chriſtianæ vitæ Heroïdes, quas Aula Viennenſis mundo feliciter dedit & educavit. Eas dumtaxat commemoro Archiduces, quas noſtra & Tua quoque, SERENISSIMA ARCHIDUX, vidit & mirata eſt ætas. Vehementer me mea fallit opinio, niſi omnes & ſingulæ fuerint perfecta Chriſtianarum Principum exemplaria; niſi omnes Mariæ mores moribus ſuis adumbrârint. Teſtor provincias ac regna omnia, quæ aliquam aut plures ex laudatiſſimis iſtis Principibus aliquando coràm intueri meruerunt. Duas ex iſtis, modò defunctas, Belgium noſtrum Gubernatrices habere meruit, videlicet Mariam Eliſabetham Leopoldi filiam, & Mariam Annam Materteram Tuam, morte heu! nimis immatura ſublatam, ac necdum ſine lacrymis & ſingultibus à Belgis memorandam. Vidit Vienna defunctam item Mariam Magdalenam Leopoldi filiam. Vidit illa reliquas omnes, quas ætas adulta ad alias tranſmiſit provincias. Vidit eadem atque etiamnum videre meretur Auguſtiſſimam Matrem Tuam, felici Sobole, regnis & Imperio gloriosè auctam. Habet Luſitania Mariam Annam Auſtriacam, Reginam ſuam; Polonia & Saxonia Mariam Joſepham Auſtriacam, Poloniæ Reginam; Bavaria demum Mariam Amaliam Auſtriacam, Imperatricem Viduam. Si quis modò tot nationum ac gentium diverſarum ſententiam exquirere voluerit, rogaveritque quamlibet, quid de Principe ſua Auſtriaca cenſue-

rit ac cenſeat ; nulla reperietur natio , gens nulla , quæ ſuam eximiis laudibus in cælum non tollat. Clamabunt unanimi voce Luſitani , Poloni , Saxones , Bavari , de ſua ſinguli Principe Auſtriaca ; clamabunt Belgæ de utraque Gubernatrice ſua ; clamabunt Viennenſes de omnibus , quæ de Sanctiſſima Dei Genitrice protulit S. Ambroſius : *Nihil torvum in oculis , nihil in verbis procax , nihil in actu inverecundum : non geſtus fractior , non inceſſus ſolutior , non vox petulantior ; ut ipſa corporis ſpecies ſimulacrum fuerit mentis , figura probitatis.* Teſtabuntur omnes indubitanter , ſingulas aut eſſe aut fuiſſe tam inſigni religione , pietate , gravitate , modeſtiâ , liberalitate , miſericordiâ , lenitate ac ſuavitate , ut moribus dulciſſimis & ſanctiſſimis ſe Deo hominibuſque reddiderint amabiles , ſubditiſque ſuis ſemper præluxerint , tamquam perfecta religionis ac morum exemplaria. Quidni igitur affirmare liceat , Auſtriacas Principes Sanctiſſimæ Patronæ ſuæ egregias eſſe imitatrices , Domumque Tuam , SERENISSIMA DOMINA MEA , poſſe rectiſſimè nominari *Familiam Sanctæ Mariæ ?* Quidni adjungere liceat , eximiam hanc Auguſtiſſimæ Familiæ Tuæ pietatem vel ipſa dignitate Cæſarea , quâ diutiſſimè gaviſa eſt , tantò eſſe præſtantiorem excellentioremque , quantò mundanis præſtant cæleſtia , perituris æterna ? Quidni augurari liceat , Te pari ſtudio illuſtria Dei Genitricis exempla æmulaturam , virtuteſque ipſius ac mores ſanctiſſimos præclarè imitaturam ? Quæ enim in moribus Tuis jam à teneris unguiculis elucere cœpit

pit gratia, modeſtia, affabilitas, gravitas; tenera illa pietas, quâ in Deum ejuſque Matrem benigniſſimam Te ferri accepimus; perſpicacia ingenii Tui ætatem longè ſuperans, quâ virtutis pulchritudinem ac vitiorum turpitudinem probè perſpicis; feliciſſima demum memoria Tua, quâ audita vel lecta virtutum exempla facilè retines aptéque enarras; nequaquam dubitare ſinunt, quin maturiore ætate inter Domûs Auſtriacæ Heroïdes pietate ac moribus illuſtres, inter nobiles illas Magnæ Matris imitatrices, inter perfecta illa Chriſtianarum virtutum exemplaria locum non infimum ſis conſecutura. Ad tantæ perfectionis culmen ut faciliùs pervenire valeas, PIISSIMA PRINCEPS, multa faciunt adjumenta, quæ præbet Aula Viennenſis, feliciſſima Chriſtianorum Principum educatrix. Vehementer quoque ad virtutem exſtimulant præclara Auguſtiſſimorum Genitorum Tuorum exempla, quæ quotidie Tibi ante oculos verſantur. Hi mutua dilectione, intimaque animorum conjunctione, Te præclarè docent, quantâ concordiâ cum æqualibus vivere debeas. Hi pulchra contentione de ſola pietatis palma tamquam in ſpeculo oſtendunt, quàm laudabiliter cum Sereniſſimis Fratribus & Sororibus contendere poſſis ſine ulla animorum diſſenſione. Hi demum virtutes quaſlibet Regias, quibus ad ſummum Imperium aſcendere meruerunt, moribus ſuis eleganter repræſentant, eaſdemque animo Tuo prudentibus monitis ſuaviter inſtillant. Sive igitur oculos convertam ad inſignes corporis animique dotes, quibus

bus ornata es ; ſive ad ſolida pietatis virtutumque fundamenta , quæ feliciter jacere cœpiſti ; ſive ad ſollicitam Auguſtiſſimorum Parentum curam , quâ perfectionem Tuam modis omnibus ſtudent promovere ; ſive ad eximias virtutes Principum Auſtriacarum , quas in Religioſiſſima Matre coràm intuêris ; ſive demum ad Aulam ipſam Viennenſem , quæ nullam ad ætatem adultam perducit Archiducem , niſi artibus , ſcientiis , moribuſque & virtutibus perpolitam ; omnia inſinuant , omniaque promittunt , Te ætate maturiore non minùs illuſtrem fore morum ſuavitate & ſanctitate quàm Auguſtis Natalibus. Quapropter SERENISSIMA DOMINA NOSTRA , cùm tanta ſpe excitati , tum plurimis titulis obſtricti , votis precibuſque Deum Optimum Maximum rogare non deſinemus , ut , patrocinante cum Sanctis omnibus Sanctiſſima Virgine Maria , Te cum Auguſtiſſimis Parentibus , cum Sereniſſimis Fratribus & Sororibus , cum tota denique Auguſta Familia , diutiſſimè incolumem ſervare , clementer protegere , ac cæleſtibus favoribus replere dignetur.

SERENISSIMA ARCHIDUX

SERENITATIS TUÆ ARCHIDUCALIS

Devotiſſimi clientes
JOANNES PINIUS
JOANNES STILTINGUS
JOANNES LIMPENUS
JOANNES VELDIUS
SOCIETATIS JESU.

SYNOPSIS
TOMI PRIMI
DE ACTIS SANCTORUM
SEPTEMBRIS.

PRogredimur ad menſem Septembrem, cujus primus tomus totius Operis eſt trigeſimus nonus. Hic autem dies dumtaxat tres, Sanctos verò nominatim expreſſos centum quadraginta & quatuor continet, præter manipulos anonymorum, qui ad ſeptem millia & centenos aliquot martyres extenduntur. Tomo præfigitur Tractatus præliminaris de antiquato Diaconiſſarum officio, in quo multa ad eam materiam ſpectantia, ex variis ſcriptoribus collecta ſunt ac diſcuſſa. Porrò Sanctis novi Teſtamenti, ſecundum quatuor claſſes de more recenſendis, præmittimus cælites, qui in veteri Lege ſanctitate claruerunt. Primus eſt inclytus Iſraëlitarum dux *Joſue*, de cujus natalibus, virtutibus, geſtis bellicis, prodigioſis victoriis, vita demum tota ac morte fusè atque operosè differitur. Sequitur *Gedeon*, alter ejuſdem populi dux, ſeu judex, prodigioſo triumpho celeber, cujus geſta pari diligentia diſcutiuntur. Hiſce accedit præclariſſima vidua, *Anna* Prophetiſſa, quæ Chriſtum Dominum in templo oblatum cognoſcere, atque aliis annuntiare meruit.

EX STATU ECCLESIASTICO.

Primum locum damus *Priſco*, utpote reliquis antiquiori, qui Chriſti dicitur fuiſſe diſcipulus, & primus fuit Capuanæ eccleſiæ epiſcopus, martyrio etiam clarus. Alium quoque *Priſcum* epiſcopum, cum undecim Sociis ex Africa pulſum in perſecutione Wandalorum, ſibi vindicare nituntur Capuani. At certius eſt, omnes duodecim fuiſſe periculo ſubmerſionis expoſitos in carioſa navi, ac deinde in variis regni Neapolitani locis vitam finiviſſe, quàm *Priſcum* præfuiſſe Capuanæ eccleſiæ. Nomina aliorum ſunt *Caſtrenſis*, *Tammarus*, *Roſius*, *Heraclius*, *Secundinus*, *Adjutor*, *Marcus*, *Auguſtus*, *Elpidius*, *Canion*, *Vindonius*. Primus epiſcopus Tudertinus in Umbria fuit *Terentianus*, martyr cum ſocio *Flacco*; non verò agnoſcimus *Terentianum* alterum Dertonenſem: nam qui Dertonæ colitur *Terentianus*, non alius eſt à Tudertino. Accedunt ex eadem Italia epiſcopi *Regulus* Africanus, martyrio in Tuſcia coronatus; *Felix* item martyr, ut creditur, in Tuſcia; *Conſtantius* Aquinenſis præſul, *Manius* Veronenſis, *Auxanus* Mediolanenſis, *Martinianus* Comenſis, ac *Guala* Brixienſis, qui & Apoſtolica legatione inclaruit. Ornant quoque Italiam duodecim fratres, *martyres Beneventani* à tranſlatione corporum dicti, qui origine Africani varias regni Neapolitani civitates morte ſua honorarunt. At duo tantùm ex iis ad ſtatum eccleſiaſticum ſpectant, videlicet *Donatus* presbyter & *Felix* diaconus.

Gallia non paucos etiam dedit Sanctos epiſcopos, in hoc tomo illuſtratos. *Sixtum* & *Sinicium* celebrant Remenſes, ut miſſos à S. Petro, ſed perperam; cùm Galliam non attigerint ante imperium Diocletiani; de *Nivardo* item Remenſi diſſeruimus. *Firminum* antiſtitem ſuum confeſſorem, ab alio ejuſdem nominis martyre diſtinctum, colunt Ambianenſes, qui nuper de corpore ipſius acriter diſputarunt. *Ambroſinianum* habent Fontanenſes prope Divionem in Burgundia, *Victorium* Cenomanenſes, *Lupum* Senonenſes, *Juſtum* relicto epiſcopatu & vitâ eremiticâ mirandum, & *Elpidium* Lugdunenſes; *Juſtum* quoque ſuum ſeu *Juſtinum* Argentoratenſes, & *Juſtum* tertium Claromontani, *Agricolum* verò Avenionenſes. Tullenſes *Manſuetum* antiſtitem ſuum ad tempora S. Petri referunt; at nos multo tempore poſteriorem credimus. *Godegrando* aut *Chrodogango* Sagienſi martyrii laureola vindicatur. Gallis quoque debetur *Vincentius* epiſcopus, cum *Læto* presbytero martyr, Aquis Tarbellicis in Novempopulania; uti & *Placidus* acolythus in provincia Bituricenſi.

Ex aliis provinciis ad ſtatum eccleſiaſticum pertinent, *Neophytus* epiſc. Leontinis in Sicilia, *Remaclus* Trajectenſis ad Moſam, rebus geſtis & miraculis illuſtriſſimus apud Belgas; *Macniſcius* Connerenſis apud Hibernos, *Ariſtion* vel *Ariſteus* Alexandriæ ad Iſſum apud Orientales, qui *Ammonem* quoque diaconum martyrem

cum quadraginta Virginibus habent Heracleæ in Thracia ; ac tandem *Vincentius* presbyter martyr colitur Biſulduni in Catalonia.

EX STATU MONASTICO.

Primus occurrit *Ægidius*, origine Græcus, qui in Provinciam peregrinus advenit, & in Septimania vitam finivit ſeculo VIII, non VI, ut plurimi voluerunt neoterici, quorum ſententiam operoſa diſputatione refutavimus. Vita utcumque antiqua, ſed minùs exactè ſcripta, occaſionem dedit dubitandi de Sancti ætate. Geſta *S. Aigulphi* abbatis Lerinenſis & martyris cum aliquot ſociis Monachis, variis item diſquiſitionibus locum præbuerunt. Guardia Pratorum in Catalonia habet *Petrum Armengol*, ex Ordine B M. V. de Mercede redemptionis captivorum martyrem, cujus Acta certa magis ſunt quàm prolixa. Hiſpanus quoque eſt *Ægidius* abbas S. Martini de Caſtañeda in regno Legionenſi, ſed minùs notus. Nec multo notior *Theoctiſtus* hegumenus in territorio Hieroſolymitano. Celebriores in Palæſtina ſunt *Brocardus*, ſecundus Prior generalis Ordinis S. Mariæ de Monte Carmelo ; & *Elpidius* abbas à Palladio celebratus. Hunc præcipuè nunc colunt Elpidiani in Piceno, quorum oppidum à *S. Elpidio* denominatum. Inveſtigandum fuit, an abbas ille Palæſtinus vivus in Italiam pervenerit, uti facilè crediderunt Elpidiani. Vivum eò non perveniſſe, certum exiſtimamus ; at mortui corpus in Picenum fuiſſe tranſlatum haud difficulter credemus. Vivum & prodigiis inclytum, teſte S. Gregorio Magno, Italia habuit *Nonnoſum*, præpoſitum monaſterii in monte Soracte : at defuncti corpus à multis ſeculis poſſederunt Friſingenſes in Bavaria, qui tamen nonnullas reliquias Italis remiſerunt, & partem corporis præcipuam, diu latentem, feliciter hoc ſeculo repererunt. Alii in Italia minùs cogniti ſunt *Arcanus* & *Ægidius* eremitæ, apud quorum habitationem eremiticam creditur paulatim coaluiſſe oppidum, *Burgum ſancti Sepulcri* dictum. *Octavianus* prope Volaterras in Tuſcia, *Coſmas* apud Venetos, & *Albertus Beſutius* in ducatu Mediolanenſi item eremitæ vixerunt : *Jacobus* verò & *Philippus* ex Ordine Minorum Mevaniæ in Umbria martyrii coronam ſunt adepti.

EX STATU SECULARI.

Solis Martyrologiis noti ſunt martyres Africani *Taſcius*, *Dubitatus*, *Valentus* & *Donatus*, uti & alii quidam Antiochiæ, Adrianopoli, Arimino, & Siciliæ attributi, ſuiſque locis memorati. Pluſculum innotuit de *Arealdo* martyre Brixiæ paſſo, & Cremonæ culto. Æquè obſcura ſunt geſta *Boſſiani*, qui utrùm ad hanc, an ad aliam claſſem pertineat, non definimus, cùm ſolus ferè cultus ipſius in diœceſi Laudunenſi nobis innotuerit. *Antoninus* martyr Apameæ in Syria paſſus eſt ; nec credimus alium eſſe paſſum apud Apamienſes in Occitania, neque in Hiſpania alium. *Concordii*, *Theodori*, aliorumque plurimorum martyrum Nicomedienſium brevia dantur Acta. De *Sandalio* martyre apud Cordubenſes in Hiſpania breviter actum. Verùm uberrimam ſcribendi materiam ſuggeſſit *S. Stephanus* Hungarorum rex primus, & gentis ſuæ apoſtolus. Vita ejus non malè ſcripta à Carthuitio epiſcopo, auctore ſuppare. Hanc eruditi hactenus legerunt, qualis à Surio edita eſt, turpi mendo fœdatam : Giſela enim *Stephani* conjux, ibi dicebatur *filia* S. Henrici imperatoris, qui liberos numquam genuit. Eadem tamen Vita correctior edita fuit Cracoviæ anno 1511, atque illius editionis geminum exemplar, unà cum exemplari Ms., nobis ad manum fuit, in quibus Giſela non filia, ſed *ſoror* Henrici rectè dicitur. Porrò non ſolùm enarranda, ſed defendenda etiam fuêre hujus Sancti geſta ; quia ſcriptor, quidam heterodoxus anno 1740 ſolâ ferè audaciâ armatus, atque exundanti bile in Romanam Eccleſiam excitatus, non pauca ex iis, eaque certiſſima negare ſuſtinuit.

EX FEMINEO SEXU.

Poſt *Annam* prophetiſſam, antiquiſſima eſt *Phœbe* diaconiſſa, ab Apoſtolo laudata. Antiquæ etiam, ſed parùm cognitæ, ſunt martyres Aquileienſes, *Euphemia*, *Dorothea*, *Thecla*, *Eraſma*. Acta qualiacumque dantur de *Baſiliſſa* Virgine & martyre Nicomedienſi. Prolixiora ſunt Acta *Verenæ* virginis, Zurzachi in Helvetia defunctæ ; at non omnia æquè certa. Illuſtris apud Venetos eſt memoria *Julianæ* virginis, & abbatiſſæ Ordinis S. Benedicti, cujus Vita ſcripta. Lovanii in Brabantia *Margareta* celebratur virgo & martyr ; de cujus cultu, geſtis & miraculis lectorem inſtruimus. Accedunt *Roſa* cum *Platano*, illius forſan filio, Sulci in Sardinia ; *Martha* vel *Marthana* in territorio Antiocheno ; *Maxima* martyr Romæ ; ac tandem *Taraſia* Ourenii in Luſitania defuncta. Hi ſunt præcipui Sancti, de quibus in hoc tomo agitur, omiſſis tamen nonnullis, quorum ſola ferè nota ſunt nomina.

FACULTAS R. P. PROVINCIALIS

SOCIETATIS JESU FLANDRO-BELGICÆ,

ET SUMMA PRIVILEGII CÆSAREI.

CUm Edictis Philippi II Hiſpaniarum Regis, deinde Sereniſſimorum Archiducum Alberti & Iſabellæ, Belgii Principum, rurſumque Philippi III, ac noviſſimè Caroli II Regum, confirmatis 2° Decembris 1692, *&* 19 *Julii* 1694, *Provincialibus Societatis Jeſu, per Flandrobelgicam pro tempore futuris, poteſtas facta ſit eligendi typographos & bibliopolas, qui, ad aliorum quorumcumque excluſionem, ſoli imprimere ac reimprimere, & vendere poſſint libros & Opera qualibet, ritè approbata, curantibuſque ejuſdem Societatis Patribus edita aut porrò edenda, ſub conſueto ſuæ Majeſtatis Privilegio, non aliter impetrando, quàm in ſcriptis obtentâ & præexhibitâ licentiâ prædicti Provincialis; idque ſub gravibus pœnis, in contraventores aut aliter impreſſa importantes ſtatutis, ut latiùs in ipſis patentibus litteris apparet: cùm etiam ſua Cæſarea Majeſtas idem valere voluerit in ditionibus, S. R. Imperio ſubjectis;*

Ego infraſcriptus Societatis Jeſu per Flandrobelgicam Præpoſitus Provincialis, poteſtate ad hoc mihi facta ab Adm. R. P. N. Præpoſito Generali Franciſco Retz, concedo Bernardo Alberto vander Plaſſche *facultatem ſic imprimendi, & per ſe alioſque vendendi infraſcriptum Opus, ex more noſtræ Societatis (quod hiſce atteſtor) recognitum & approbatum; videlicet, Tomum primum de Actis Sanctorum Septembris, collectis & illuſtratis per Joannem Pinium, Joannem Stiltingum, Joannem Limpenum, Joannem Veldium, Societatis noſtræ presbyteros Theologos. In quorum fidem haſce, manu propria ſubſcriptas, conſuetoque noſtri officii ſigillo munitas, dedi Ipris* XVII *Martii* MDCCXLVI.

PETRUS DOLMANS.

SUMMA

PRIVILEGII REGII.

CÆſareæ & Regiæ Catholicæ Majeſtatis diplomate ſancitum eſt, ne quis, præter voluntatem Joannis Pinii è Societate Jeſu, ejuſve ad illuſtranda Sanctorum Acta Adjutorum & Succeſſorum, ullo modo imprimat vel recudi faciat, ex parte vel in totum, Tomos eorumdem, de argumento illo vel jam editos vel porrò edendos; aut alibi excuſos excudendoſve invehat, venaleſve habeat: qui ſecus faxit, confiſcatione exemplarium, & aliis gravibus pœnis mulctabitur; ut latiùs patet ex litteris, Bruxellæ datis die v Octobris anno MDCCXXXV.

Signat P. VAN CUTSHEM.

Et ego Joannes Pinius Societatis Jeſu, permitto Bernardo Alberto vander Plaſſche, ut Tomum primum de Actis Sanctorum Septembris, meo permiſſu apud ipſum impreſſum publicet. Datum Antverpiæ XXI *Martii* MDCCXLVI.

APPRO-

APPROBATIO ORDINARII.

TOmum primum menſis Septembris de Actis Sanctorum cum Tractatu præliminari ad eumdem de Eccleſiæ Diaconiſſis, ſolidè ac eruditè elucubratum à RR. PP. Joanne Pinio, Joanne Stiltingo, Joanne Limpeno, & Joanne Veldio, Societatis Jeſu Presbyteris ac Hagiographis Antverpienſibus, pervolutavi attentiùs, nec in eo reperi, niſi quod ædificet, quodque ad majorem Dei ac Sanctorum ejus gloriam. nec non ad Reipublicæ Litterariæ pleniorem de Actis Sanctorum inſtructionem plurimùm conducat; proinde prelo dignum cenſeo. Datum Antverpiæ VIII *Martii* MDCCXLVI.

G. A. J. DE BEZERRA
eccleſiæ cathed. Antverp. Presbyt. Can. Grad., Sede vacante Vicarius generalis, Scholaſt., ejuſdem diœceſis Officialis, Judex Synodalis, Decanus Chriſtianitatis, Librorum Cenſor.

PROTESTATIO AUCTORUM.

QUod identidem proteſtati ſunt deceſſores noſtri, in hoc de Actis Sanctorum Opere ſe ſervatas velle Urbani Papæ VIII Conſtitutiones; neque ſuis, aliorumve huc relatis Commentariis aliud pondus tribui, quàm ſit hiſtoriæ, ab hominibus errori obnoxiis ſcriptæ: idem ante hunc primum Tomum Septembris denuo proteſtamur.

NOTITIA FIGURARUM.

PRæfigitur ſolitum Operis frontiſpicium.
Effigies Sereniſſimæ Archiducis Mariæ Annæ dedicationi præponitur.
Figura ſtatuæ dimidiatæ S. Agricoli epiſcopi pag. 446.
Ceteræ figuræ minores ſuis locis ſunt affixæ.

JOAN-

JOANNIS PINII

AD TOMUM I SEPTEMBRIS

TRACTATUS PRÆLIMINARIS

DE

ECCLESIÆ DIACONISSIS.

PRÆFATIO AD LECTOREM.

SAncta Phœbe Diaconiſſa, quæ die III hujus menſis Septembris laudatur, præſentis Tractatus elaborandi cogitationem mihi injecit. Quippe cùm conſiderarem multa ac varia contineri in iſto ſanctiſſimæ hujus Mulieris officio, quæ à primævis Eccleſiæ temporibus inchoata, ac deinceps labentibus ſeculis continuata & amplificata, elucidari poſſent; viſum mihi eſt materiem illam à primis exordiis repetere atque ad ulteriora tempora deducere, tamquam argumentum lectoris antiquitatem amantis attentione non indignum. Nec verò ab iſto me labore abſterruit, quòd non ignorarem, plures auctores de Diaconiſſis ſcripſiſſe. Etenim etiamſi illorum lucubrationes copioſam mihi materiem præbuerunt in colligendo hoc Tractatu; tamen operæ pretium me facturum exiſtimavi, ſi, quæ multi ſparſim dumtaxat memorant, ſub uno quaſi aſpectu hîc ponerem. Porrò non ita uſus ſum lucubrationibus alienis, ut non varia de meo iis adjecerim, prout perſpicuum fiet lectori præſentem hiſtoriam evolventi. Non infrequens in ea occurrit mentio Conſtitutionum Apoſtolicarum, ut vocantur. Quamquam eruditi varios in illis errores detexerint, atque apud omnes in confeſſo ſit eaſdem, prout jam circumferuntur, neque ab Apoſtolis, neque à Clemente I Pontifice compoſitas fuiſſe; non eſt tamen quòd quis miretur, nedum mihi vitio vertat, ſæpe à me proferri prædictas Conſtitutiones, ubi agunt de Diaconiſſis: cùm illæ & à viris doctis afferantur, & non probentur in hac materia eſſe corruptæ, & antiquæ admodùm ſint, qualemcumque habeant auctorem. Certè Joannes Morinus in Præfatione, quæ partem 2 Commentarii de ſacris Eccleſiæ Ordinationibus proximè præcedit, tantam Conſtitutionibus Apoſtolicis antiquitatem adſcribit, ut non vereatur affirmare *illas, quà ſpectant Ordinationes ſacras*, inter quas etiam agitur de Ordinatione Diaconiſſæ, *non præcisè ut ab Apoſtolis editas, ſed ut ante* MCD *annos in Oriente uſurpatas* fuiſſe. Plura eruditum lectorem præmonere, non neceſſarium eſſe judicavi.

CAPUT I.

Diaconiſſarum antiquitas; requiſita; veſtitus; officia.

In Diaconiſſis, à tempore Apoſtolorum inſtitutis, requirebatur virginitas, vel viduitas unius viri.

TAm antiqua eſt Diaconiſſarum in Eccleſia inſtitutio, ut earumdem origo ad tempora Apoſtolorum referenda ſit, ſicut pluribus probatur ad diem III *hujus Menſis in S. Phœbe Diaconiſſa. Adde, quòd Plinius Junior lib.* 10 *epiſtolâ* 97 *ad Traianum imperatorem datâ* miniſtras, *id eſt Diaconiſſas, memoret ſeculo 2 ineunte. Epiſtola iſta habetur tomo* 1 *Februarii, die* 1 *à pag.* 19, *& ſic enuntiat:* Quò magis neceſſarium credidi, ex duabus ancillis, quæ miniſtræ dicebantur, quid eſſet veri & per tormenta quærere. Sed nihil aliud inveni *&c. Varia autem in ſexu femineo erant requiſita, antequam ad hoc munus promoveretur: nam non mulieres conjugatæ, ſed viduæ dumtaxat vel virgines ad illud aſſumebantur, ſicut invenies in Commentario S. Phœbes dicto jam die: quibus addi poſſunt iſta ad pleniorem rei declarationem. Auctor Conſtitutionum Apoſtolicarum lib.* 6, *cap.* 17, *pag.* 348 *editionis Coteleriana ſic ſcribit:* Diaconiſſa .. eligatur virgo pudica; ſin minùs, ſaltem vidua; *& non quælibet vidua, ſed* unius quondam viri uxor. *Quæ verò tales non erant, excludebantur à munere Diaconiſſarum, cùm juberentur illis obedire, ut ibidem dicitur lib.* 3, *cap.* 7, *pag.* 281: Itaque oportet viduas honeſtè ætatem agere, obedientes epiſcopis, presbyteris & diaconis, inſuperque & Diaconiſſis

AUCTORE J. P.

coniſſis. *Solis itaque viduis unius viri, & virginibus patebat illud officium.*

ut probatur ex concilio Carthaginenſi, & ex Patribus:

2 *Apud S. Epiphanium in Expoſitione fidei Catholicæ tomo* 1 *Operum à Petavio editorum pag.* 1104 *leguntur iſta de Diaconiſſis:* Illæ quidem univiræ, & continentes eſſe debent, vel poſt unas nuptias viduæ, vel perpetuæ virgines. *Concilium* IV *Carthaginenſe apud Labbeum tomo* 2 *Conciliorum columnâ* 1201, *capitulo* 12 *utraſque etiam admittit:* Viduæ vel ſanctimoniales, quæ ad miniſterium baptizandarum mulierum eliguntur *&c. In viduis autem poterat vitæ integritas ſupplere id, quod ætati deerat. Exemplum affert Sozomenus lib.* 8 *Hiſtoriæ eccleſiaſticæ, cap.* 9 *de Olympiade loquens:* Hanc, *inquit*, cùm nobiliſſimo genere orta eſſet, quamvis juvenili ætate viduam; tamen quia juxta leges eccleſiaſticas egregiè philoſophabatur, Nectarius (*patriarcha Conſtantinopolitanus*) Diaconiſſam ordinaverat. *De ætate porrò in Diaconiſſis requiſita mox dicam. S. Joannes Chryſoſtomus in Homilia* XI *in illud* 1 *Timoth. cap.* 3 ℣. 12: Diaconi ſint unius uxoris viri, *Diaconiſſas in hoc fuiſſe ſimiles diaconis affirmat, & laudat his verbis tomo* XI *Operum pag.* 605 *noviſſimæ editionis:* Hæc Diaconiſſis, *inquit*, etiam mulieribus competunt. Valde enim neceſſarium hoc in Eccleſia erat, & utile atque honeſtum. *Audiamus inſuper Tertullianum à Ludovico de la Cerda illuſtratum, tomo* 1 *lib.* 1, *ſive lib.* 13 *ad uxorem, pag.* 621 *ita loquentem:* Præſcriptio Apoſtoli .. digamos non ſinit præſidere, .. viduam adlegi in ordinationem niſi univiram non concedit.

B

item ſcientia,

3 *Inter alia verò requiſita in Diaconiſſis debebat eſſe ſcientia ad exercendum ſuum miniſterium accommodata: vult enim concilium Carthaginenſe modò aſſignatum, ut* tam inſtructæ ſint ad officium, ut poſſint apto & ſano ſermone docere imperitas & ruſticas mulieres, tempore quo baptizandæ ſunt, qualiter baptizatori interrogatæ reſpondeant, & qualiter, accepto baptiſmate vivant. *Neque dubitandum eſt, quin præ reliquis ad Diaconiſſarum officium requiſitis potiſſimum in eis locum habere deberit ſolidarum virtutum exercitatio. Ecquid enim aliud ſpectavit Doctor gentium* 1 *Timoth.* 5, ℣ 9 &

C

10 *dicens:* Vidua eligatur non minùs ſexaginta annorum, quæ fuerit unius viri uxor. In operibus bonis teſtimonium habens, ſi filios educavit, ſi hoſpitio recepit, ſi ſanctorum pedes lavit *&c. Vitæ itaque virtutibus præditæ merita requirebat Apoſtolus ad muliebre hoc in Eccleſia miniſterium. Audiatur de hac re S. Joannes Chryſoſtomus, qui in Homilia* XI *modò citata ad verſum S. Pauli* XI Mulieres ſimiliter, *hæc obſervat:* Miniſtras ſeu Diaconiſſas dicit (*Apoſtolus*) ” pudicas, non bilingues, ſobrias, fideles in „ omnibus „. Quidam volunt hoc de mulieribus ſimpliciter dici; ſed non ita res ſe habet. Quid enim ſibi vellet, ſi inter hæc dicta aliquid de mulieribus omnibus inſereret? ſed hîc loquitur de iis, quæ in Diaconiſſarum dignitatem adlectæ fuerant. *Concilium Chalcedonenſe ſtatim citandum virtutis ac ſcientiæ in Diaconiſſa ſine dubio rationem haberi voluit, dum* ordinandam *dixit* cum accurata examinatione.

ætas annorum 60, *quæ deinde*

4 *Ad ætatem verò Diaconiſſarum, de qua num.* 2 *mentio eſt facta, quod attinet; debebat illa eſſe, ex præſcripto S. Pauli* non minùs ſexaginta annorum. *Concilium verò Chalcedonenſe,* D *quod eſt œcumenicum* IV, *anno* 451 *celebratum, annum dumtaxat quadrageſimum requiſivit, canone* 15 *apud Labbeum tom.* 4 *Conciliorum columnâ* 764 *ſtatuens*, Diaconiſſam non eſſe mulierem ordinandam ante annum quadrageſimum. *Seculo autem quarto Theodoſius imperator decreto Apoſtoli inhærens*, Nulla, *inquit de Diaconiſſis agens loco inferiùs deſignando cap.* 3, § 1, niſi emenſis ſexaginta annis .. ad Diaconiſſarum conſortium transferatur. *Contrà verò Juſtinianus imperator ſeculo* VI *ætatem quamdam mediam eiſdem præſcripſit, annos ab Apoſtolo pro illis conſtitutos reſtringens ad quinquaginta circitèr, prout licet videre infrà cap.* 3 § 2, *idque ſive ſint* virgines, *ſive* unius viri quæ fuerant uxores.

ad minorem reſtricta eſt, & qua de cauſa.

5 *Morinus in Commentario de ſacris Eccleſiæ ordinationibus parte* 3 *Exercitatione* 10 *cap.* 2, *num.* 5, Zonaras, *ait*, in XV can. Chalcedonenſem rationem petit conciliandi quoſdam canones cum Apoſtolo. Nam Apoſtolus vult Diaconiſſas eligi è viduis, quæ ſexageſimum annum attigerunt. At canon Chalcedonenſis citatus, & E alii, ſtatuunt quadrageſimum annum ſufficere. Zonarâs cum nonnullis aliis, quos refert, ait, Apoſtolum eſſe de viduis intelligendum; canones verò de virginibus ad eamdem dignitatem electis: virgines, eo quòd virum paſſæ non fuerint, nuptiarum deſiderio viduis minùs accendi. *Hæc Apoſtolum cum canonibus conciliandi ratio viſa eſt quibuſdam ſatis plauſibilis; quia virgines quadragenariæ plerumque minori tenentur nuptiarum deſiderio, quàm id ætatis vidua. Verùm quoniam canon Chalcedonenſis concilii modò recitatus, & ſanctiones imperatorum, quas dedi, ita videntur loqui, ut diſtinctio jam dicta non tam commodè elici ex eis poſſit; imò verò Juſtiniani ſanctio eamdem clarè excludat: magis mihi arridet alia ratio Patrum concilii Quiniſexti anno* 692 *habiti, apud Labbeum tomo* 6 *col.* 1161, *qui Apoſtolum cum conciliis componunt hoc modo:* In divino .. Apoſtolo ſcriptum eſt, ſexaginta annorum viduam in eccleſia eligendam; ſacri autem canones quadraginta annorum Diaconiſſam ordinandam eſſe ſtatuerunt: cùm Dei Eccleſiam Dei gratiâ potentiorem ac robuſtiorem evaſiſſe, & ulteriùs pro- F cedere vidiſſent, fideliumque ad divinorum mandatorum obſervationem firmitatem ac ſtabilitatem.

An veſtitus earum

6 *Quæri etiam poteſt, an Diaconiſſæ geſtarent habitum à ſeculari diſtinctum. Apud Arcudium de Concordia Eccleſiæ Occidentalis & Orientalis in ſeptem Sacramentorum adminiſtratione lib.* 6, *cap.* 10, *pag.* 472 *ex Nomocanone Matthæi Blaſtarii (qui an hactenus editus ſit, non novi) litterâ* Γ *reſpondentur iſta:* Vetuſti ſanè libri, qui cerimonias omnium ordinationum diligenter complectuntur, .. Diaconiſſæ præſcribunt .. habitum monachalem, & eum quidem perfectum. *Hinc colligo, uſum veli conceſſum etiam fuiſſe Diaconiſſis in Oriente. An verò idem fuerit factum in Occidente, non habeo exploratum. Gelaſius PP. I viduas non debere velari indicat, ac velari etiam prohibet. Sic enim ſcribit in epiſtola* 9 *ad epiſcopos per Lucaniam & Brutios ac Siciliam conſtitutos cap.* 13, *apud Labbeum tomo* 4 *col.* 1191: Viduas autem velare pontificum nullus attentet, quod nec auctoritas divina delegat, nec canonum forma præſti-

A præſtituit. Non eſt ergo penitus uſurpandum ; eiſque ſic eccleſiaſtica ſunt ferenda præſidia, ut nihil committatur illicitum.

à ſeculari diverſus ?

7 *Cabaſſutius in Notitia eccleſiaſticâ conciliorum pag.* 26 Viduas, *ait ex hoc Gelaſii loco*, quales erant Diaconiſſæ, velari omnino prohibet Gelaſius. *Verumtamen conſici hinc neutiquam poteſt, Diaconiſſas in Occidente velatas non fuiſſe. De viduis enim agit Gelaſius ; de Diaconiſſis tacet. Jam verò cùm in Eccleſia fuerint viduæ Diaconiſſæ, ſive in miniſterio ejuſdem Eccleſiæ conſtitutæ ; & viduæ tantùm, ſive viduitati ſuæ adjunctam Diaconiſſarum dignitatem non habentes ; non video ſatis, cur dicta Pontificis Cabaſſutius referat ad viduas Diaconiſſas. Probabilius autem mihi eſt, Gelaſium loqui de ſolis viduis, non verò de viduis Diaconiſſis. An autem mirum videri debeat, ſi Diaconiſſæ etiam Occidentales veſtitæ fuiſſent quodam ſingulari indumento unà cum velamine capitis, de quo hîc diſputatur, cùm, peracta ſua conſecratione, Diaconiſſa* imponat velamen capiti ſuo, palam omnibus de altari acceptum ? *Hoc autem præſcribit Ordo Romanus in Bibliotheca Patrum editus, qui ritum exhibet & Miſſam peculiarem Ordinationis, ut vocant, Diaconiſſæ, prout videbitur poſtea.*

B

Multa erant

8 *Ad Diaconiſſarum officia jam progredior. Erant ea multa & varia : de quibus conſule Commentarium hiſtoricum S. Phœbes. Majoris autem declarationis gratiâ appono hîc ſequentia* 1°. *Ruſticis & imperitis mulieribus exponebant fidei Catholicæ principia, vel ritus ad baptiſmum accommodatos, ut ex dictis antea num.* 3 *conſicitur.* 2°. *In communem quodammodo unà cum diacono veniebant partem curarum circa viduas : unde hæ jubentur illis obedire lib.* 3 *cap.* 7 *Conſtitutionum Apoſtolicarum, ut vocantur :* Itaque oportet viduas honeſtè ætatem agere, obedientes epiſcopis, presbyteris & diaconis, inſuperque & Diaconiſſis. 3°. *Mulieres eccleſiam ingreſſas, & quo ſederent loco neſcias, ſuo quaſque ſtatuebant loco Diaconiſſæ, in hoc diaconis etiam ſimiles, prout ibidem lib.* 2, *cap.* 58 *dicitur his verbis :* Cùm autem pauper, vel ignobilis vel peregrinus, iſque ſenex & juvenis, intervenerit, ſedibus occupatis, iis quoque diaconus ex toto corde locum faciet : ut non gratificatio ejus homines ſpectet, ſed Deo acceptum fiat miniſterium ejus. Idem & ſervet Diaconiſſa in advenientibus mulieribus ſive pauperibus ſive divitibus.

C

& varia

9 4°. *Dum virgo Deo ſacrata veniebat in ſuſpicionem amiſſæ integritatis, Eccleſiæ Prælati, fidem habentes teſtimonio Diaconiſſarum, illam relinquebant examini ac ſententiæ earum explorandam. Tametſi enim Cyprianus in epiſtola ad Pomponium* 52, *col.* 220 *editionis Operum noviſſimæ Venetæ, de hujuſmodi virginibus ſcribens, dicat :* Nec aliqua putet, ſe poſſe hac excuſatione defendi, quòd inſpici & probari poſſit, an virgo ſit, cùm & manus obſtetricum & oculi ſæpe fallantur *&c. Ac paullo pòſt :* Inſpiciantur interim virgines ab obſtetricibus diligenter, & ſi virgines inventæ fuerint, accepta communicatione ad Eccleſiam admittantur. *Tametſi, inquam, Cyprianus ita ſcripſerit ; id tamen negotii concreditum fuiſſe Diaconiſſis ſuo tempore S. Epiphanius non obſcurè teſtatur in Expoſitione fidei Catholicæ tomo* 1 *Operum à Petavio editorum pag.* 1104 : Diaconiſſæ . . adhibentur, ut mulierum decoris & honeſtatis causâ ſint adminiſtræ, ſi id fortè neceſſe fuerit, ſive dum baptiſmo initiandæ ſunt, ſive dum earum corpora perſcrutanda. AUCTORE J. P.

Diaconiſſarum

10 *Quintò, aliud inſuper Diaconiſſarum munus memorat Joſeph Simonius Aſſemanus tomo* 3 *Bibliothecæ Orientalis parte* 2, *pag.* 848, *in eo videlicet poſitum*, ut chriſmate vel oleo nuda *mulierum* corpora tam in baptiſmo & confirmatione, quàm in extrema Unctione ungerent ; *nempe unctione merè cæremoniali.* 6°. *Totam ſupellectilem ſacram, præſertim in monialium cœnobiis, commiſſam fuiſſe earumdem curæ indicat idem auctor. Credibile porrò eſt, propter iſta vel nonnulla ex iſtis officia, in agapis Eccleſiæ ſepoſitam pro Diaconiſſis fuiſſe partem aliquam, uti dicitur Conſtitutionum Apoſtolicarum lib.* 8, *cap.* 31 : Eulogias, quæ in myſticis oblationibus ſuperſunt, diaconi ex voluntate epiſcopi aut presbyterorum diſtribuant clero : epiſcopo partes quatuor ; presbytero partes tres ; Diacono partes duas : cæteris verò, ſubdiaconis, vel lectoribus, vel cantoribus, vel Diaconiſſis, partem unam : id enim pulcrum, & coram Deo acceptum eſt, unumquemque ſecundum ſuam dignitatem honorari : nam Eccleſia non confuſionis, ſed ordinis eſt ſchola. *Obſerva hîc duo : quorum alterum eſt, officio Diaconiſſarum annexam fuiſſe aliquam in Eccleſia dignitatem : alterum, per* eulogias, *inter varias alias ſignificationes huic voci ſubjectas, intelligi hoc loco panem à populo oblatum, & à ſacerdote benedictum, non conſecratum. Apud Cotelerium in notis ad locum citatum præter panem ponitur etiam vinum. Plura de dicta voce dat Cangius in Gloſſario.* E

officia.

11 *Singulare eſt, quod de Diaconiſſis narratur apud Mabillonium tom.* 2 *Muſei Italici in Ordine Romano, qui de gradibus Romanæ Eccleſiæ inſcribitur, ubi pag.* 91 *occaſione neomyſtarum ſunt iſta :* Expletis omnibus, Miſſâ rite completâ, ſtant regiones paratæ ad ſingulos titulos pertinentes, cum candelis & thuribulis, ut proprium ſuſcipiant ſacerdotem. Pontifex autem dat ei ſacerdotalia indumenta . . Egredientes autem de baſilica ſancti Petri, præcedent * unumquemque vel triginta candelabra cum thuribulis. Ipſe ſedet ſuper equum album : præcedens & ſubſequens populus canit ei laudem. Similiter etiam feminæ Diaconiſſæ . . , quæ eodem die benedicuntur. *Librum autem iſtum ſeu Ordinem tempore fortaſſis Leonis PP. III conſcriptum eſſe, obſervatur ibidem pag.* 39 *in notula. Sedit iſte Pontifex ab anno* 795 *ad* 816. F

* *f.* præcedunt

AUCTORE J. P.

D

CAPUT II.

De Diaconiſſarum ordinatione.

§ I. Diaconiſſarum ordinatio ex antiquis documentis probata ; cujuſmodi illa eſſet ; earumdem dignitas ; error hæreticorum.

Ordo Diaconiſſarum

PRiuſquam de Diaconiſſarum ordinatione ſermonem inſtituo, monitum volo lectorem, non agi hîc de ordinatione ſtricti nominis ſeu ſacramentali ; ſed de ea, quæ ſit cæremonialis & impropria, ſicut latiùs poſtea dicam. Nota autem eſt Diaconiſſarum ordinatio ex Patribus, conciliis, ſanctionibus imperatorum, ac libris ritualibus apud Orientales. Non repetam quæ de Patribus & conciliis modò dixi cap. 1, *ſed hæc addo. S. Epiphanius hæreſi* 79 *pag.* 1060, Quamquam verò, *inquit*, Diaconiſſarum in Eccleſia

B ordo ſit *&c. Et ibidem ita loquitur :* Illud verò diligenter obſervandum eſt, ſolum Diaconiſſarum officium ad eccleſiaſticum ordinem neceſſarium fuiſſe. *S. Baſilius à monachis Benedictinis anno* 1730 *vulgatus, tomo* 3 *Operum in epiſtola canonica ad Amphilochium* 199 *al.* 2, *quæ notatur ſcripta anno* 375, *canone* 24 *pag.* 293 *dicit iſta :* Viduam, quæ in viduarum numerum.

* *Græcè* ἡ διακονημένη ὑπὸ τῆς ἐκκλησίας relata eſt, hoc eſt, quæ ab Eccleſia alitur *, judicavit Apoſtolus (1 *Timoth.* 7, 11) nubentem contemni debere. *Interpres ad vocem* διακονημένη *obſervat, ſe in illa interpretatione ſecutum eſſe Zonaram, minuſque commodè hanc verti ab aliis interpretibus,* Quæ ab Eccleſia in diaconatum ſuſcepta eſt.

ab aliarum feminarum conditione

13 *Verùm non ſatis ego video, cur à vulgata aliorum interpretatione ſit recedendum, præſertim cùm hîc agat ſanctus Pater de viduis, de quibus agit Paulus Apoſtolus, quaſque non vult tranſire ad ſecundas nuptias : erant autem viduæ ſimul illæ & Diaconiſſæ. Conſuli poſſunt, quæ dicentur die* III *hujus in S. Phœbe Diaconiſſa. Spectabant itaque Diaconiſſæ, ordinabantur, &*

C *eligebantur ad ſacrum quoddam in Eccleſia Dei miniſterium, quod fiebat per aliquam cæremoniam externam, adeo ut illarum ordo diſtingueretur ab aliarum mulierum Deo ſacrarum conditione. Patribus modò allegatis ſuperaddere liceat auctorem Conſtitutionum Apoſtolicarum, qui Diaconiſſarum inaugurationem, ſeu ordinationem, manuum impoſitione factam affirmat lib.* 8, *cap.* 19 *his verbis :* De Diaconiſſis verò Bartholomæus conſtituo : Epiſcope, impones ei manus, adſtante presbyterio unà cum diaconis ac Diaconiſſis. *Porrò ordinatio Diaconiſſarum ex antiquis imperatorum decretis etiam innoteſcit :*

diſtinctus : 14 *Theodoſius imperator hujus nominis I ordinem aliquem ſingularem in Diaconiſſis agnovit ſeculo* IV, *in ſuo decreto poſtea recitando dicens :* Nulla, niſi emenſis ſexaginta annis .. ad Diaconiſſarum conſortium transferatur. *Deinde verò Juſtinianus imperator ſeculo* VI *ſic ſcribit inter alia de Diaconiſſis loco pluribus infrà referendo :* Dudum quidem .. ſcripta de ordinatione venerabilium epiſcoporum, & reverendiſſ. clericorum, nec non mulierum Diaconiſſarum *&c. Alibi autem, ut poſtea videbimus, imperator idem ſæpiſſime meminit de earumdem ordinatione, uti docent ſequentia :* Volumus, *inquit*, & ipſas, quæ ad ordinationem perducuntur, Diaconiſſas *&c.* Si dicatur tale aliquid de aliqua earum, quæ in Diaconiſſarum ordinationem ingredi vult. *Plures hujuſmodi expreſſiones occurrent in textu legis inferiùs afferendo. De Euchologiis autem ſeu libris ritualibus Græcorum quid dicam ? Tam multa in his occurrent de Diaconiſſarum ordinatione per decurſum hujus Commentarii, ut ſatius ſit lectorem eò mittere, quàm plura coacervare hoc loco ſingillatim.*

E *earum inauguratio fiebat per manûs impoſitionem,*

15 *Quamquam Diaconiſſarum ordinatio in Occidente apud Latinos non fuerit tam frequenter memorata, quàm in Oriente apud Græcos, ſufficiens tamen ejuſdem notitia ad poſteros tranſmiſſa eſt. Tertullianus enim lib.* 1 *ad Uxorem cap.* 7 *antiquiſſimam Diaconiſſarum ordinationis memoriam eſſe oſtendit, dum iſta memorat :* Quantum fidei detrahant, quantum obſtrepant ſanctitati nuptiæ ſecundæ diſciplina Eccleſiæ & Apoſtoli præſcriptio declarat, cùm digamos non ſinit præſidere, cùm viduam adlegi in ordinationem niſi univiram non concedit. *Præter dictæ ordinationis memoriam, uſum inſuper ejuſdem perſpicuè teſtatur concilium Wormatienſe anni* 868 *apud Labbeum tomo* 8 *conciliorum canone* 73 *columnâ* 958, *dum ſtatuit* Diaconiſſam non ordinandam ante annum quadrageſimum, & hoc cum ſummo libramine. Si verò ſuſcipiens manûs impoſitionem, & aliquantum temporis in miniſterio permanens ſemetipſam tradat nuptiis, gratiæ Dei contumeliam faciens, .. anathematizetur *&c. Inter titulos autem canonum col.* 943 *indicantur iſta :* De Diaconiſſis mulieribus, ex

F concilio Calchedonenſi, cap. 15. *Unde patet canonem hunc propagatum eſſe ex Oriente ad Occidentem. Canon verò ille* 15 *Concilii Chalcedonenſis apud Labbeum tom.* 4, *col.* 783 *ita ſonat Latinè :* Diaconiſſam non debere ante quadraginta ... annos ordinari ; ſi verò ſuſceperit ordinationem *&c. Alia autem lectio ibidem habet :* Suſcepta manûs impoſitione. *Vide infrà num.* 19.

ſicut probatur ab exemplo S. Radegundis Francorum reginæ,

16 *Conſecratas itaque fuiſſe Diaconiſſas per manûs impoſitionem cùm in Oriente tum in Occidente, conficitur partim ex auctore Conſtitutionum Apoſtolicarum, quas vocant, partim ex modò dictis. An verò paſſim & ubique id fieret, & an in quibuſdam dumtaxat locis, non habeo exploratum. Hoc ſanè ritu S. Radegundis, Francorum regina, quæ claruit ſeculo* VI, *à S. Medardo Noviomenſi epiſcopo conſecrata fuit Diaconiſſa. Res geſta ſic narratur à S. Fortunato Pictavienſi epiſcopo ac Sanctæ ſynchrono, in Vita ejus apud nos tomo* III *Auguſti ad diem* XIII *ejuſdem menſis pag.* 70 : Directa igitur à rege (*Clotario*,) veniens ad beatum Medardum Noviomi, ſupplicat inſtanter, ut ipſam mutata veſte

A veſte Domino conſecraret. Sed memor Apoſtoli dicentis : Si qua ligata ſit conjugi , non quærat diſſolvi , differebat reginam , ne veſte tegeret monacham. Ad hoc etiam beatum virum perturbabant proceres , & per baſilicam ab altari graviter retrahebant , ne velaret regi conjunctam ; ne videretur ſacerdoti , ut præſumeret principi ſubducere reginam , non publicanam ſed publicam.

quæ à S. Medardo conſecrata eſt Diaconiſſa.

17 Quo ſanctiſſima cognito , intrans in ſacrarium , monachica veſte induitur , & procedens ad altare , beatiſſimum Medardum his verbis alloquitur , dicens : Si me conſecrare diſtuleris , & plus hominem , quam Deum timueris ; de manu tua à paſtore ovis anima requiratur. Qua ille conteſtatione concuſſus , manu ſuperpoſita conſecravit Diaconam. *Hactenus S. Fortunatus : è quo irrefragabili teſte luculenter confirmantur, quæ dicebam modò de ordinatione Diaconiſſarum in Occidente per impoſitionem manûs cognita & uſitata. Quomodo autem laudatus ille præſul veroſimiliter conſecrare Diaconam potuerit hanc Sanctam reginam , necdum quadragenariam ,*

B *contra canones conciliorum , indicatur in Commentario eidem Vitæ prævio pag.* 54. *Inauguratio verò iſta Diaconalis accidit anno Chriſti* 544 , *prout ibidem legi poteſt. Sicut autem hæc conſecratio facta eſt per impoſitionem manûs epiſcopalem , ſic etiam fiebat in aliis , ſicut inferiùs videre dabitur.*

Plus dignitatis habebant Diaconiſſæ,

18 *Ex præmiſſis etiam intelligitur , dignitati Diaconiſſarum aliquid annexum fuiſſe , quo mulieres alias non Diaconiſſas ſuperabant , & ſuo modo ſpectabant ad clerum. Concilium quippe Nicænum apud Labbeum tomo* 2 *Conciliorum col.* 246 , *canone* 19 *illas clero annumerat : etenim poſtquam fecerat mentionem de iis* , qui antehac in clero numerati ſunt ; *ac deinde* de diaconis , & aliis omnibus eccleſiaſticis * , *ſubdit iſta :* Mentionem .. fecimus de Diaconiſſis , quæ in eodem ordine numerantur. *Nec obeſt , quòd in eodem canone ſtatim dejici videantur ad claſſem laïcorum* , quia manûs impoſitionem non habent , ut omnino inter laïcos cenſeantur. *Hoc etenim ſpectat ad ſolas Diaconiſſas hæreticorum Paulianiſtarum ſeu Pauli Samoſateni , quæ ad Eccleſiæ Catholicæ fidem erant converſæ , &*

** Græcè ἐν τῷ ἀπῷ κανόνι*

C *de quibus agit prædictus canon ; ne alioquin ipſe ſecum pugnet , & ſit contrarius canoni Chalcedonenſi. Juverit quoque aliam canonis Nicæni diſtinctionem afferre , eumque ita explicare , ut excludat quidem Diaconiſſas à ſacramentali manûs impoſitione , qualis erat illa , quæ adhibebatur in conſecratione diaconorum ; non item à merè cæremoniali , quam concilia prædicta diſertè in Diaconiſſis requirunt , ut jam vidimus , præſertim verò Chalcedonenſe , tam perſpicuè ſæpe memoratam manûs impoſitionem exprimens , ut in alium ſenſum detorqueri non poſſit.*

quàm mulieres laïcæ,

19 *Recurramus itaque ad primigenium fontem , ſeu textum Græcum canonis* 15 , *tomo* 4 *ſuprà indicato , columnâ* 763 , *ubi ſic dicit :* Εἰ δέ γε δεξαμβὴ ἢ χειροτεσίαν , *id eſt* , Si verò ſuſcepta manûs impoſitione. . *Quid clariùs ? Poſſet quidem res eſſe æquivoca vel ambigua , ſi uteretur voce* χειροτονία , *quæ nunc ordinationem , nunc ſuffragium , nunc electionem ſignificat ; ſed cùm utatur voce* χειροτεσία , *ſublato omni dubio , ſolam manûs impoſitionem deſignat. Porrò in hac merè cæremoniali ſuper Diaconiſſas impoſitione manuum non diſſentit à nobis Baronius ad annum Chriſti* 34 , *ubi recitato ex verbis Epi-*

phanii hæreſi 79 *earumdem miniſterio , ſcribit iſta num.* 288 : Quantumlibet prædicta Diaconiſſæ curarent , non tamen erant ejuſmodi , ut , ſicut diaconi , manûs impoſitionem acciperent , vel aliquo ſacramento initiatæ eſſent : *ſolam enim negat manûs impoſitionem ſacramentalem* , ſicut diaconi *accipiebant. Quod ſubdit* , nam ſacroſancta Nicæna ſynodus (*canone* 19) ea ex cauſa eaſdem inter laïcas adnumerat ; *de Paulianiſtis intelligendum ad Eccleſiam catholicam redeuntibus : cùm de iis ſolis canon agat. Juſtinianus imp. ſec.* VI *Diaconiſſas annumeravit beneficiariis eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, ut infrà videbitur.*

AUCTORE J. P.

etiamſi earumdem conſecratio eſſet merè cæremonialis, non autem ſacramentalis.

20 *Ex jam dictis ſequitur , ut Diaconiſſæ ordinem quemdam in Eccleſia conſtituerint , non quidem ſtricti nominis ſeu ſacramentalem , ſed merè cæremonialem. Audiatur de hac re S. Epiphanius hæreſi* 79 , *pag.* 1060 : Quamquam verò , *ait* , Diaconiſſarum in Eccleſia ordo ſit , non tamen ad ſacerdotii functionem , aut ullam ejuſmodi adminiſtrationem inſtitutus eſt ; ſed ut muliebris ſexus honeſtati conſulatur , ſive ut baptiſmi tempore adſit ; ſive ut inſpiciat , ſi quid paſſa ſit , aut moleſtiæ pertulerit ; ſive ut , cùm nudandum eſt mulieris corpus , interveniat , ne

E virorum , qui ſacris operantur , aſpectui ſit expoſita ; ſed à ſola Diaconiſſa videatur , quæ ſacerdotis mandato mulieris curam gerit , quo tempore veſtibus exuitur. Qua in re cùm ordinis illius modeſtiæ , tum eccleſiaſticæ diſciplinæ prudenter admodùm ex canonis præſcripto eſt ac regula conſultum. Propterea ne loqui quidem in eccleſia mulieri , aut in viros auctoritatem habere ſacræ Litteræ permittunt 1 *Cor.* 14 ℣ 34. *Ludovicus de la Cerda in notis ad hunc Tertulliani locum* Viduam adlegi in ordinationem *antea recitatum , rectè obſervat iſta pag.* 623 : Ne verò puta feminis datum aliquem ſacrum ordinem , neque id vult Tertullianus ; cùm enim nomen ORDINIS in feminis videris , impropriè capias neceſſe eſt.

Errores Cataphrygarum mulieres altiùs promovere volentium.

21 *Dignitas itaque Diaconiſſarum , eo modo intellecta , quem jam expoſui , gradus ſummus erat , ad quem femineus ſexus elevatus fuit in Eccleſia Dei. Qui ſublimiorem eis tribuerunt ,*

F *in errorem inciderunt à veritate Catholica alienum. Tales ſunt Cataphrygæ hæretici , qui volebant mulieres ad diaconorum ordinem propriè dictum promovendas : adverſus quos S. Ambroſius in illud* 1 *ad Timoth. cap.* 3 ℣ XI Mulieres ſimiliter pudicas *&c. hæc ſcribit :* Cataphrygæ occaſionem erroris captantes , propter quod poſt diaconos mulieres alloquitur (*S. Paulus* ,) etiam ipſas Diaconas ordinari debere vana præſumptione defendunt ; cùm ſciant , Apoſtolum ſeptem diaconos elegiſſe. Numquid nulla mulier tunc idonea inventa eſt , cùm inter undecim Apoſtolos ſanctas mulieres fuiſſe legamus ? Sed ut hæretici animum ſuum verbis , non ſenſu legis adſtruere videantur , Apoſtoli verbis contra ſenſum nituntur Apoſtoli ; ut cùm ille mulierem in Eccleſia in ſilentio eſſe debere præcipiat ; illi è contra etiam auctoritatem in Eccleſia vindicent miniſterii.

Diaconiſſæ præerant monialibus in divinis officiis.

22 *Conſecrationi tamen Diaconiſſarum in Oriente hæc alicubi dignitas erat annexa , ut monialibus præeſſent in divinis officiis. Inter alios quippe Rabulæ canones , qui habentur in Diſſertatione Aſſemani de Monophyſitis ſub num.* 10 , *exſtat unus Rabulæ , qui ſic habet :* Monachi abſque presbytero , & moniales abſque Diaconiſſa ne pergant ad ſynaxes : ut enim presbyter

AUCTORE J. P.

monachis, ita & Diaconiſſa monialibus præeſt in divinis officiis, *quemadmodum addit ejuſdem Diſſertationis auctor. Rabulam autem epiſcopum Edeſſenum cathedræ iſtius regimen iniiſſe anno Chriſti* 412; *è vita autem exceſſiſſe die* VIII *Auguſti, anni* 435, *jam dictus auctor memorat tomi* 3 *parte* 1 *in notis pag.* 376. *Plura verò de illo habet tomo* 1 *à pag.* 197; *ubi inter alia narratur*, canones in Edeſſena ſynodo *ab illo* ſancitos.

§ II. Tempus, ritus & verborum forma initiandi Diaconiſſas apud Orientales; alia earum ordinatio, ad moniales ſpectans, è Pontificali Neſtorianorum.

B *Tempus, locus ac ritus conſecrationis Diaconiſſarum*

QUo ordine, *& quo ſacrificii tempore conſecrarentur Diaconiſſæ apud Orientales, commemorat Gaſpar Juenin in Commentario hiſtorico & dogmatico de Sacramentis diſſertatione* 9, *quæſtione* 5, *cap.* 3: Antiquiſſima Euchologia in ordine enarrationis rituum, quibus ordinatio peragitur, fidem faciunt, priùs apud Græcos ordinari epiſcopos, cantato ſcilicet hymno Triſagio, hoc eſt, ante epiſtolæ lectionem; poſtea presbyteros, cantato hymno Cherubico, hoc eſt, poſt lectum Euangelium, preceſque fidelium dictas, & ſacra munera altari repoſita, hoc eſt juxta Latinos, poſt Offertorium, ſecretas orationes & præfationem: deinde diaconos, & Diaconiſſas poſt Conſecrationem, & lecta diptycha tam vivorum quàm mortuorum, id eſt, juxta Latinos poſt ſecundum Memento, ſeu preces pro mortuis ſecretò peractas. Ex eo capite nonnihil pretii accreſcebat Diaconiſſis: reliquæ enim ordinationes apud Græcos fiunt extra Miſſarum ſolemnia, vel in ſecretario, vel extra non modò ſanctuarium, ſed etiam extra chorum cantorum & monachorum ad portam ſpecioſam. *De numero, ordine ac nominibus portarum eccleſiæ tractat Goar pag.* 24.

C *erat eis honorificus, quia erat ſimilis ordinationi diaconorum.*

24 *Ex conſecrationis itaque tempore & loco, quæ Diaconiſſis ac diaconis erant communia, non parva eiſdem Diaconiſſis conciliabatur dignitas & auctoritas, quibus inſuper accedebat ſingulare æſtimationis pondus ex eo, quòd ſumma ſimilitudo intercederet inter diaconorum ac Diaconiſſarum inaugurationem; prout conficitur è parallelo utriuſque ritûs, quod deſignatus modò ſcriptor ſic inſtituit diſſertationè* 8, *quæſt.* 5, *cap.* 1, *pag.* 568: Utraque ordinatio CHIROTONIA dicebatur: (*immò etiam χειροθεσία* *, *teſte Morino part.* 3 *Exercitatione* 10, *cap.* 1, *pag.* 182) utraque ad altare, & quidem ab epiſcopo (*& eodem liturgiæ tempore*) celebrabatur: in utraque imponebatur manus ab epiſcopo, qui oratione Spiritum ſanctum advocaret: in utraque collo apponebatur ſtola: in altari tum ordinatus tum ordinata Euchariſtiam recipiebant: utrique calix Sanguine Chriſti plenus, ut ex eo deguſtarent, tradebatur in manus.

* *i. e.* manûs impoſitio

Profertur

25 *Capite autem* 3 *jam citato idem Juninus profert ex Euchologio Arcudii ſequentem diaconiſſæ inaugurationem, quæ ibi hoc titulo prænotatur*: Precatio in ordinatione Diaconiſſæ, *& ſic habet*: Poſtquam facta eſt ſancta oblatio, & apertæ ſunt portæ, antequam dicat diaconus iſtud: OMNIUM SANCTORUM, &c., adducitur ordinanda aliaque voce * effert illud: DIVINA GRATIA, &c. Ordinandæ verò inclinanti caput imponit ei manum ſuam, actiſque * tribus crucibus ſic precatur: " Deus ſancte & omnipo-„ tens, qui per nativitatem Filii tui unigeniti & „ Dei noſtri ex Virgine ſecundum carnem ſan-„ ctificaſti ſexum muliebrem, & largiris non ſo-„ lùm viris, ſed etiam mulieribus gratiam & ad-„ ventum ſancti Spiritûs; ipſe nunc, Domine, „ reſpice ſuper hanc tuam ancillam, & advoca „ eam ad opus miniſterii tui, & mitte dives ſan-„ cti tui Spiritûs donum, conſerva eam in or-„ thodoxa fide, in converſatione irreprehenſibi-„ li, miniſterium ſuum ſemper juxta id quod ti-„ bi placitum eſt implentem, quia te decet o-„ mnis gloria & honor, &c. „

D

* *mendoſa hæc ſic corrigi poſſunt*: ad Pontificem, qui alta voce * *f.* factiſque

26 Dicto, AMEN, diaconorum unus facit ſolitas preces. Dum autem iſtæ fiunt, archiepiſcopus manum habens ſuper ordinandæ caput, precatur: " Here Domine, qui non repuliſti mu-„ lieres conſecrantes ſe ipſas, & volentes ut de-„ cet, miniſtrare ſanctis domibus tuis, ſed eas „ in ordinem miniſtrorum recepiſti; largire gra-„ tiam ſancti tui Spiritus huic ancillæ tuæ, quæ „ vult ſe ipſam tibi conſecrare, & diaconici mi-„ niſterii tui Phœbæ contuliſti, quam vocaſti ad „ opus hujus miniſterii; da illi, Deus, ſine cul-„ pa in domibus tuis ſanctis perſeverare, curam „ gerere propriæ converſationis, prudentiæ po-„ tiſſimùm & temperantiæ, redde illam & effice „ miniſtram tuam perfectam, & ipſa ſanctuario „ tuo adſiſtens dignam bonæ converſationis mer-„ cedem conſequatur miſericordiâ & clementiâ „ unigeniti Filii tui, &c „. Dicto AMEN, circomponit collo ejus ſubtus maphorium diaconicum orarium, ſive ſtolam, ferens ab interiori parte duas ipſius extremitates. Poſtea diaconus ſtans in ambone, alta voce dicit iſtud: COMPLEAMUS PRECES *. Poſtquam autem particeps facta eſt venerandi Corporis, dat ei archiepiſcopus ſanctum Sanguinis poculum, quod accipiens aliis non tradit, ſed ſuper ſanctam menſam illud reponit.

forma ac ritus

E

* *Goar.* omnium Sanctorum memoriam agentes &c.

27 *Huic inaugurationi ſatis in ſubſtantia conformis eſt illa, quam edidit Goar in ſuo Euchologio ſeu Rituali Græcorum à pag.* 262: *ſed quæ ſuprà dicebantur poſt* Amen, *abſoluta precatione*, Deus ſancte & omnipotens, *generatim & confusè expreſſa*: Diaconorum unus facit ſolitas preces. Dum autem iſtæ fiunt *&c. Hæc, inquam, ita referuntur apud Goar*: Et reſponſo, AMEN, unus diaconorum precatur hoc pacto: " In pace Dominum precemur. Pro ſuper-„ na pace, & bono ſtatu totius univerſi: Do-„ minum precemur. Pro pace totius orbis: Do-„ minum precemur. Pro archiepiſcopo noſtro „ N., ſacerdotio, opitulatione, perſeverantia, „ pace, ſanitate, ſalute ejus, & pro opere ma-„ nuum illius: Dominum precemur. Pro N. Dia-„ coniſſa nunc ordinata, & pro ſalute ejus: „ Dominum precemur. Ut clementiſſimus Deus „ immaculatum & inculpatum ei miniſterium lar-„ giatur: Dominum precemur. Pro pientiſſimo, „ & Deo amabile imperatore noſtro N. &c. Ut „ liberemur. Suſcipe, Salva „.

earumdem conſecrationis:

F

28 *Sed diverſus admodùm eſt* ordo chirotoniæ mulierum Diaconiſſarum, *quem edidit Aſſemanus in Bibliotheca Orientali Clementino-Vaticana tom.* 3 *parte* 2, *à pag.* 852, *è Pontificali Neſto-*

quæ multùm

A *Neſtorianorum depromptum. Hæc verò clariorem lucem accipient ex horum hæreticorum erroribus quos recenſebo cap. 4, § 1, & nonnulla etiam obſervabo de Diaconiſſarum apud ipſos inauguratione; & quamvis ibi commodè de eadem agi poterat, hîc tamen non videtur etiam importunus de ea tractandi locus, ut cum antecedentibus ordinationibus conferri ſimul poſſit. Sic ergo ſonat:* Eligitur ſoror ex monaſteriis, quæ ſit provectæ ætatis, & monaſtica exercitatione commendata, bonorumque operum teſtimonia habeat. Jubente autem Pontifice in diaconicum introducitur tempore Sacramentorum; & offert eam archidiaconus coram epiſcopo, junctas manus habentem & caput inclinatum, & adorantem uſque ad medium lumborum ſuorum, non tamen genua flectentem: hoc enim indecorum eſt. Archidiaconus intonat, PAX. Epiſcopus orat & incipit, " Pater noſter, qui es in cælis ,,. Tum dicit: " Ad te, Domine, levavi animam meam ,, tono PEREGRINUS, uſque ad " Oculi mei ſem- ,, per ,,. Deinde dicunt, GLORIA.

B *differt ab ea,* 29 Et incipit præſul canonem " Doce me, ,, Domine. Virtutem tuam, Domine, in famu- ,, lam tuam infunde &c ,,. Et orat, & incipit, " Ad te levavi. Effunde gratiam tuam Domine ,, ſuper ancillam tuam ,,. Quumque abſolutum fuerit, intonat archidiaconus, PAX. Epiſcopus verò orat, " Deus noſter bone &c ,,. Archidiaconus proclamat, PAX. Præſul orat: " Do- ,, mine Deus fortis omnipotens, qui omnia vir- ,, tute verbi tui feciſti, juſſuque tuo univerſa ,, contines, quæ tuo nutu creaſti: qui in viris ,, ſimul & mulieribus tibi complacuiſti, ut do- ,, num Spiritus ſancti illis dares. Tu, Domine, ,, etiam nunc per miſericordiam tuam elige pau- ,, perem hanc ancillam tuam ad bonum opus ,, diaconatûs, & da ei, ut ſine macula hoc ma- ,, gnum & ſublime miniſterium coram te perfi- ,, ciat, & in omnibus virtutis operibus ſine no- ,, xa cuſtodiatur; utque muliebrem cœtum eru- ,, diat doceatque caſtimoniam & opera juſta & ,, recta: mereatque bonorum operum retribu- ,, tionem à te recipere in magno & glorioſo die ,, revelationis Unigeniti tui: quoniam tibi, & ,, illi, & Spiritui ſancto convenit gloria, honor, ,, gratiarum actio, & adoratio ,,.

C *quâ initiantur moniales.* 30 Attollit vocem: " NUNC ET SEMPER &c ,,. Reſpondent, AMEN. Imponit epiſcopus manum ſuper caput ejus non per modum chirotoniæ, ſed benedictionem ei impertitur, & recitat ſuper illa precationem ſecretam pro viribus ſuis. Tum incipiunt hunc pſalmum, tono PEREGRINUS. " Qui paſcis Iſraël intende &c ,,. Et orant. " Adjuva, Domine, ancillam tuam propter gra- ,, tiam tuam, & auxiliare ei pro miſerationibus ,, tuis, ut voluntatem dominationis tuæ perficiat ,, ſemper, Domine univerſorum ,,. Alia oratio. " Dignam, Domine, pro gratia tua effice fa- ,, mulam tuam, ut timeat verbum tuum, & ,, judicium tuum formidet, & fiat habitaculum ,, glorioſæ Trinitati tuæ ſemper, Domine uni- ,, verſorum ,,. Et abſolvit dicens, " Gloria & ,, gratiarum actio ,,. Et præcipit ei, ut ſuperbiam devitet.

AUCTORE J. P.

§ III. Aliquot ad ritum, quo moniales apud Neſtorianos initiantur Diaconiſſæ, obſervationes.

P *Ræcedentem ritum variis obſervationibus illuſtrat Aſſemanus pag. 853 & ſequentibus; quæ ne nimis longè nos abducant, utar compendio, & nonnullas è pluribus delibabo:* Eligitur ſoror ex monaſteriis. *Aſſemanus*, Conſuetudo, *inquit*, in ditione Antiochena obtinuit, ut abbatiſſa monialium Diaconiſſa fiat. 2o. In diaconicum introducitur. *Aſſemanus*, Hoc eſt, *ait*, intra cancellos altaris, ubi ordinari ſolent diaconi & presbyteri. *Diaconiſſa quoque in Græca ordinatione deducitur ad ſacram menſam in Euchologio ſive Rituali Græcorum apud Goarum pag. 262, ubi ſunt iſta:* Poſtquam ſacra peracta oblatione, ſancti tribunalis apertæ fuerint fores, antequam dicat diaconus: OMNIUM SANCTORUM, Diaconiſſa ordinanda pontifici præſentatur. *Deindè Aſſemanus ſubdit:* Hinc patet, canones illos, quibus mulierum ad altare acceſſus interdicitur, de Diaconiſſis non eſſe intelligendos, niſi quum menſtrua patiuntur, aut quum nullum illis apud ſacram menſam officium eſt peragendum. 3o. Non tamen genua flectentem. *In Euchologio Græco apud Goarum pag. 262,* ipſaque caput inclinante, ſuper caput ejus pontifex manum imponit. *Adde hæc ex Matthæo Blaſtare apud eumdem Goarum pag. 263:* Poſtquam verò dictum fuerit: " Divina gratia, quæ ,, infirma curat ,, nullum ipſa inflectit genu, ſed caput ſolum. *E variis* E

32 *Quartò*, Deus noſter bone. *Aſſemanus*, Hæc eadem, *ait*, precatio dicitur in ordinatione diaconi, ut ſuprà pag. 807. Reſpondet autem decreto electivo Græcorum, cujus initium. " Divina gratia, quæ infirma curat ,,. Sicut enim Græcus pontifex ſuper electam Diaconiſſam pronuntiat, *inquit Goarum citans pag. 262:* " Divina gratia, quæ ſemper infirma curat, & ,, ea, quæ deſunt, ſupplet, promove N. in F ,, Diaconiſſam: oremus pro ea, ut veniat ſuper ,, eam gratia ſanctiſſimi Spiritus ,, ita & epiſcopus Neſtorianus dicit, *uti Aſſemanus præmiſerat pag. 807,* " Deus noſter bone &c. & juxta ,, traditionem, Domine, Apoſtolicam, quæ ad ,, nos per impoſitionem manûs miniſterii eccle- ,, ſiaſtici delata eſt, ecce præſentamus coram te ,, hanc ancillam tuam, ut ſit Diaconiſſa electa ,, in Eccleſia tua ſancta: & oramus pro ea o- ,, mnes, ut adveniat ſuper eam gratia Spiritus ,, ſancti, perficiatque & conſummet eam ad o- ,, pus miniſterii hujus, ad quod præſentatur, per ,, gratiam & miſericordiam Unigeniti tui &c ,,. *Decretum hoc tamquam erroneum & hæreticum incuſat Arcudius; cui poſtea reſpondebitur.* *ac multis*

33 *Quintò*, Domine Deus fortis. *Hîc obſervat Aſſemanus:* In hac precatione conſiſtit benedictio Diaconiſſæ apud Syros Neſtorianos, in qua & munia ejus enumerantur his verbis: " E- ,, lige hanc ancillam tuam ad bonum opus dia- ,, conatûs, & da ei, ut ſine macula hoc mini- ,, ſterium coram te perficiat, utque muliebrem ,, cœtum erudiat doceatque ,,. *Precatio huic ferè ſimilis in ordinatione Diaconiſſæ recitatur apud Mori-* *obſervationibus,*

AUCTORE J. P. *Morinum de Sacris ordinationibus parte 2 pag.* 25 *è Conſtitutionibus apoſtolicis, de quibus fuerat præfatus pag.* 20. *Sic autem ab eo recitatur dicta precatio :* Deus æterne, Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui viri & mulieris author es; qui Mariam, Deboram, Annam, & Oldam Spiritu ſancto impleviſti; qui non dedignatus es Filium tuum Unigenitum ex muliere naſci, qui in tabernaculo teſtimonii, & in templo cuſtodes fœminas januis tuis Sanctis præfeciſti: ipſe etiam nunc reſpice hanc ancillam electam ad miniſterium, & da ei Spiritum ſanctum, illamque emunda ab omni inquinatione carnis, & ſpiritus, ut opus ſibi impoſitum dignè perficiat ad gloriam & laudem Chriſti tui, cum quo tibi gloria & adoratio, & ſancto Spiritu in ſecula. Amen.

quas in hunc ritum confecit Aſſemanus,

34 *Huic ſenſu conſonat prima precatio, quæ habetur apud Goarum pag.* 262 : Deus ſanctus omnipotens, qui per unigeniti Filii tui Dei noſtri nativitatem ex Virgine, fœminam ſanctificaſti, & non hominibus ſolùm, ſed & mulieribus Spiritus tui gratiam & adventum largitus es. *Redeamus ad Aſſemanum :* In Rituali Syrorum Jacobitarum, *ut teſtatur pag.* 855, binæ quoque preces in benedictione abbatiſſæ, quæ in Diaconiſſarum locum, ut ſuprà obſervatum eſt, ſucceſſit, recitantur, quarum prima incipit : " Deus largitor bonorum munerum „ ut in benedictione chorepiſcopi, mutatis mutandis; *quam præmiſerat idem auctor pag.* 833 *in hæc verba :* Deus largitor bonorum munerum, qui omnia hominum opera intelligis, cunctaſque eorum vias reſpicis : qui providentiâ tuâ eos, qui tui indigent, comprehendis; adjuva, quæſumus, hunc famulum tuum, & da ei gratiam, diligentiam, vigilantiam, prudentiam, virtutem, vireſque, ut tibi in hoc ſibi commiſſo miniſterio placeat; dignumque effice, ut purè & ſine labe in illo ſe gerat, ut dirigat in via recta, juſtum judicium proferat, & ab iis, qui ſibi ſubjecti ſunt, amputet omnem rationi prudentiæque & orthodoxæ fidei adverſantem impetum : ita ut hæc omnia faciens ad gloriam tuam, Deus Pater, & ad ædificationem Eccleſiæ tuæ, & ad incrementum populi tui, inveniat gratiam & miſericordiam coram te, & hæres fiat ſortis œconomorum fidelium & prudentium, per miſerationes

B

C Unigeniti Filii tui, per quem & cum quo tibi convenit gloria & honor ac poteſtas cum Spiritu ſancto nunc. *Fortè ſcribendum* cum Spiritu ſancto, nunc &c., *ac ſubintelligendum*, & ſemper, & in ſecula ſeculorum. Amen.

nonnullas huc tranſcribimus, aliis aliunde

35 *Alia, quæ poſt* Deus largitor bonorum munerum, *ab Aſſemano ſubditur pag.* 855, *precatio ſic habet :* Da ei, Domine, intellectum, ut adoleſcentulas diligenter reprehendat, corripiat, dirigat, & cum fiducia & lenitate arguat : ut peregrinos recipiat, & myſteria tua exponat, ut ancillæ tuæ cum modeſtia & caſtimonia vivant, ut omnia ad gloriam Dei, ſororumque profectum faciens, inveniat gratiam per miſericordiam unigeniti Filii tui : cum quo tibi & Spiritui ſancto gloria nunc &c. *Sextò, ad illa :* Imponit epiſcopus manum ſuper caput ejus, non per modum chirotoniæ (*propriè videlicet dicta, ſeu ſtricti nominis*) ſed benedictionem ei impertitur, *animadvertit ſequentia Aſſemanus pag.* 856 : Hæc verba ſatis declarant, non ordinem ſacrum, ſed miniſterium eccleſiaſticum Diaconiſſæ convenire. Quia tamen ei aceeſſus ad altare apud Neſtorianos non patet; videtur ex ritu ordinationis ejus duplex cerimonia expuncta : prima ſcilicet collo ipſius ſtolam Diaconicam imponendi; altera calicem de manu pontificis accipiendi : quo ſignificatur poteſtas, Euchariſtiam in abſentia presbyterorum & diaconorum porrigendi mulieribus atque infantibus, ut ſuprà dictum eſt. *Hæc ille, utrumque mox ritum proferens ex Euchologio Græcorum apud Goarum pag.* 263; *quem & nos ſuprà ex Arcudio dedimus.* D

ſuperadjectis

36 *Quæ de hac cæremonia ſcribit Matthæus Blaſtares, ibidemque recitat ex eo Goarus pag.* 263 *& proximè ſequente : ab his aliquantulùm diſcrepant, & his expreſſa ſunt verbis :* Impoſita verò illi manu precatur pontifex, ut miniſterii opus inculpatè abſolvat, continentiam & honeſtam converſationem obeat, atque ita ſanctis in ædibus perſeveret : non tamen ipſam illibatis myſteriis miniſtrare permittit, aut flabellum attrectandum more diaconi illi committit. Collo deinde ipſius ſub maphorte ſtolam diaconicam imponit pontifex, & in partem anteriorem ejus extrema reducit. Communionis autem tempore, poſt diaconos ſanctorum myſteriorum ipſam participem facit, & ex ejus manu illa calicem accipit; nulli tamen diſtribuit, ſed confeſtim traditum in ſancta menſa reponit. *En tibi iſta ad voces quaſdam ſuperiores. Aſſemanus pag.* 844 *per* maphorium *intelligit* flammeum, *uti vocat*, ſive velum longum mulieris Deo conſecratæ. *Conſuli etiam poteſt auctum Cangii Gloſſarium ad ſcriptores mediæ & infimæ latinitatis ad voces* maphorium *&* mafors. *Goarus in notis ad Miſſam S. Joannis Chryſoſtomi à pag.* 136, *num.* 128 flabellis *uſos diaconos in canone Miſſæ tum apud Græcos tum apud Latinos ſcribit, ut abigerent parva animalia volantia, ne in calicem inciderent. Alii uſum myſticum flabellis tribuunt. Plura loco citato.* E

§ IV. An ritus initiandi olim Diaconiſſas apud Orientales ſit erroneus & hæreticus.

F

Proponitur & elucidatur

UTramque hanc cenſuram impingit Græcorum Euchologus Petrus Arcudius *lib.* 6, *cap.* 10, *pag.* 474 *ita ſcribens :* Quod refert Blaſtarius ex quibuſdam antiquis, ſeu potiùs apocryphis Euchologiis de ſtola Diaconæ, &, quod ampliùs, de forma illa enuncianda, DIVINA GRATIA, QUÆ INFIRMA SANAT, &c., erroneum eſſe judico, immò hæreticum, per conſequens improbandum, atque omnino rejiciendum. Non enim dignoſceretur varia impoſitió, immò eadem planè exiſtimaretur, quando & eadem forma conſecrationis recitatur. *Dura enimverò cenſura, & quam ex ore ſacræ theologiæ doctoris, qualis fuit Arcudius, excidiſſe, mirari non immeritò quis poſſit. Poſtquam ergo dicto cap.* 10 *ſcripſerat, Diaconiſſarum ordinationem peragi per veram manûs impoſitionem, nullum tamen per hanc illis conferri ordinem ſacrum; nec probari è concilio Nicæno, Diaconiſſas eſſe laïcas; item manûs impoſitionem ſuper eas eſſe alterius generis, quæ videlicet, ſicut ego ipſum hîc interpretor, nullum conferat ſacramentum, ſed quæ ſit merè cæremonialis; poſtquam, inquam, de his ſuam præmiſerat ſententiam, ſuprà à me diſputatis*

A *tatis conſentientem ; invehitur deinde in orarium ſeu ſtolam Diaconiſſæ applicari ſolitam , nec non in formam verborum* Divinâ gratia , quæ infirma ſanat *&c. , quæ ſuper illa recitatur.*

cenſura Arcudii

38 *Forma , quæ legitur apud Goarum in ritu conſecrandi diaconum pag. 250 , pontifice impoſitam capiti illius , qui ordinatur , dexteram habente , & exclamante , ſic habet :* Divina gratia, quæ ſemper infirma curat , & ea , quæ deſunt , adimplet , promovet N. piiſſimum ſubdiaconum , in diaconum : Oremus pro eo , ut veniat ſuper eum gratia ſanctiſſimi Spiritus. *Precatio itaque hæc , ſecundum dicta num. 30 , erat cum proportione , ſeu mutatis mutandis , Diaconiſſis etiam communis , præter alia plura , quæ cum diaconis communia habebant. Quandoquidem verò haſce inter & diaconos omnino erat diverſa manûs impoſitio , horum utique ſacramentalis , illarum autem merè cæremonialis ; Arcudius ſuæ accuſationis argumentum deſumit ex eo , quòd* non dignoſceretur varia *illa* impoſitio , immò eadem planè exiſtimaretur , quando & eadem forma conſecrationis recitatur. *Hæc , ſi Arcudii ſenſum rectè aſſequor , voluerit dicere.*

B *contra quam*

39 *Sed ſeverum hoc Arcudii adverſus Diaconiſſas & Euchologia effatum Goarus in notationibus ad ordinationem Diaconiſſæ pag. 265 confutat his verbis :* Perflacta nimis fronte , ut mihi quidem tum Euchologia Ms. attentiùs conſideranti , & * Matthæi Blaſtaris ſcripta diligentiùs legenti videtur , negat Arcudius , verbis hujuſcemodi Diaconiſſarum conſecrationem non eſſe perficiendam . . . , zelo potiùs , quàm ratione in ſuos , quos piè exponere debuiſſet , invectus. Apocrypha namque non ſunt cuncta , quibus Græci utuntur , Euchologia , ſicut nec cryptof. * , quo Beſſarion eſt uſus , vel Barberinum S. Marci , quod priùs alterius patris Græci , in concilio Florentino vocem habentis , proprium fuit ; quæ tamen διάχων ὁ χειροτονίας ὁ διακονίσσης * continent , & verba ἡ θεία χάρις * &c. in ea pronunciari præſcribunt , hæretica ſunt aut hæreſim ſapiunt.

** f.* tum

** id eſt , monaſterii Cryptæ-Ferratæ in Latio*

** i. e.* precationem ordinationis Diaconiſſæ

** i. e.* Divina gratia *ſcribit*

40 Quis enim error aut hæreſis eſt , ſi quædam ſacramentalis formæ diaconatûs verba verbis conſecrandæ Diaconiſſæ neceſſariis adjungantur aut adaptentur ? An ignorat formas , ſicut & rerum definitiones , numeris eſſe ſimiles , quibus ſi unitatem addas aut detrahas , priorem numerum perdi , & alium exurgere neceſſe eſt ? Diaconi autem inſtituendi forma , quàm diverſa ſit ab ea , quæ Diaconiſſæ pariter creandæ convenit , Arcudius attendat. In illa ſiquidem ſubdiaconum , virum Ordini ſuſcipiendo ſubjectum idoneum, reperiet ; in hac nedum ſubdiaconiſſam, ſed mulierem ſacræ germanæque ordinationis ſuppoſitum incapax , contemplabitur. In illa rurſus diaconum Sacramento inſtructum & promotum ; in hac mulierem benedictioni , non autem gratiæ vel characteri ſubjacentem mirabitur.

C *Goarus :*

41 In illa poteſtas ad Sacramentum ſaltem ex parte diſtribuendum ; in hac ad miniſteria quædam ſolùm obeunda facultas traditur. Ibi Sacramentum conferre ; hîc cærimonialem tantùm conſecrationem perficere Pontifex intendit. Quâ igitur ratione eadem eſt diaconi Diaconiſſæque creandorum forma , ubi nec ſomniari poteſt una & eadem miniſtri intentio , & ubi verbis diverſum ordinationis ſubjectum , immutatuſque etiam ordinationis ejuſdem effectus & finis , exprimitur ? Nihil itaque , quod hæreſim aut abuſum redoleat , conſecrationis hujus verba complectuntur ; niſi fortè abuſum hæreſimque Eccleſiæ Latinæ audeat Arcudius impingere , quæ non minùs ac Græca Diaconiſſas verbis ſolemnibus antiquitus conſecrare ſolebat.

AUCTORE J. P.

ritus autem conſecrandi olim Diaconiſſas

42 *Porrò Arcudius loco citato improbat , etiam in ritu conſecrationis Diaconiſſarum apud Græcos , quòd ille perageretur intra ſanctuarium vel ſacram menſam. Verba ejus accipe :* Omnium verò minimè fas erat accedere ad ſacram aram intra ſanctuarium , & ibi ſacris initiari. Nam hoc totum diacono , presbytero & epiſcopo permiſſum eſt , eo quòd ipſi ſoli circa altare ſe occupent in adminiſtranda re divina. *Verùm Arcudio reclamat uſus Græcorum , qui ſine gravi cauſa caſtigari ab eo nec debet nec poteſt tamquam abuſus.* Poſtremò , *ſicut pergit* , non minùs abſurdum erat , imponere collo ejus ſtolam diaconi quam non ſine ratione Græci vocant ὠράριον , ὅτι δείκνυσιν ὁ διάκονος τῇ τοιαύτῃ φλῇ τὰς ὥρας, ἢ τὸν καιρὸν τοῦ ψάλλειν , τοῦ προσεύχεσθαι , τοῦ ἐναρξασθαι τὴν λειτουργίαν , quòd diaconus , accepta extremitate ſtolæ tribus digitis invitat populum ad orandum , cantores ad pſallendum , pontificem ad incipiendum Sacrum , & in ſumma oſtendit horas atque indicat tempus , quo aliquid eſt faciendum.

E

iſtam cenſuram

43 At Diaconiſſæ nihil tale aggredi poterant. Nec moveat aliquem ipſum nomen διακόνισσα ſeu διάκονος , Diaconiſſa vel Diacona. Nam , ut rectè obſervavit Angelicus Doctor in 4. d. 25. q. 2. a. 2. q. 1 appellatur hoc nomine , non quia habeat ſacrum Ordinem , ſed propter aliquod miniſterium Eccleſiæ , ſicut in Græco dicitur diaconus quilibet miniſter , ut propterea Græci addant ἱερὸς διάκονος , ſeu ἱερὰ διάκονος , ad ſacrum & verum diaconum ſignificandum. *Audiſti , lector , argumenta Arcudii. At correctorem hunc denùo convenit , & ita corrigit Goarus modò citatus pag. 267 :* Abſurdum dicit Arcudius lib. 6 cap. 10 ex grammatica vocis notatione , orarium Diaconiſſæ collo circumdare. At ſi nomen gerit Ordinis , cur non inſignia ſaltem ſemel ferat ? An abſurdum eſt Arcudio , quòd Eccleſia Romana quondam inſtituit , & deinceps obſervavit ? Obſervaſſe autem Diaconiſſæ conſecrandæ morem , ejus Ordo antiquus manifeſtat : &, quod Arcudio diſplicet , etiam orarium manu epiſcopi , ejus collo circumdatum clariſſimis , imò & repetitis verbis enarrat.

F

neutiquam meretur !

44 Orientalem autem portionem ritum hunc cuſtodiviſſe , dum ſana foret , & in communione cum Occidentali perſeveraret , neque ipſe Arcudius inficias ibit : quamvis ab antiquo ejus Ordo vel conſecratio utrobique perierit penitus , & vix jam de nomine cognoſcatur. Adde , quod non ad altaris miniſterium , uni tantum humero (de cujus ſignificatione alibi diximus ;) ſed ad ornatum tantùm , & ad corporeæ integritatis animæque munditiem ordinatæ commendandam , & ad ſpiritualem corporeamque exercitationem illam provocandam , orarium Diaconicum , ejus utroque humero dependens , à Pontifice imponitur.

nec carpit Arcudius ,

45 *Mirum eſt , verba illa* , Dat ei archiepiſcopus ſanctum Sanguinis poculum , quod accipiens *&c. tam facilè decocta fuiſſe ab Arcudio , qui alios levioris digeſtionis bolos deglutire non poterat. Hoc jure merito in illo reprehendit Goarus pag. 267 jam deſignata , his verbis uſus :* Tacet Arcudius , quòd Diaconiſſa ſacrum calicem ſibi traditum à Pontifice , contingere audeat , qui ſtolæ Diaconicæ ornatum , illi brevi

AUCTORE J. P.

tempore conceſſum, ſugillare non erat veritus. An quia ritum perantiquum eſſe noverat, & ab eo jam tempore introductum in Eccleſiam, quo etiam mulieribus Chriſti corpus in Dominicali ſuſcipere eccleſiaſtica conſuetudine fas erat? An, quia legerat Gorgoniam, Gregorii Theologi ſororem, ad ſacrum uſque altare progreſſam, preces obtuliſſe, & erectam deinde, capitéque eidem altari innixam, ferventiores in preces erupiſſe? &, quod ad nos tandem attinet, quod ſibi manus ejus proviſerat & reſervaverat ex memoria pretioſi Corporis aut Sanguinis Chriſti Domini, ſuis lachrymis commiſcuiſſe, & proinde ex privilegio poſſe etiam Diaconiſſam calicem ſacrum, in dignitatis, ad quam evehitur, argumentum, contingere?

quæ in earum ritu majoris erant momenti.

46 Nec proinde Soteris Papæ edicti habendam hîc eſſe rationem, cùm ſanxit, nullam Diaconiſſam monacham *, pallam ſacram attrectare, neque incenſum ponere in ſancta Eccleſia: quandoquidem de palla pro ſacrificio ab ipſa peragendo explicanda, vel de oblatione thuris à muliere in ſacrificio facienda, cavet ſanctus Pontifex contra Montaniſtas, qui fœminas æquè ac viros Ordinis capaces aſſerebant temere, atque etiam altari Sacrificium oblaturas ſacrilegè admovere non verebantur. *Factum S. Gorgoniæ, de quo agebat Goarus, vide apud S. Gregorium Nazianzenum oratione* XI.

** Apud Labb. tom. 1 Concil. col. 586 ſacratas Deo feminas vel monachas &c.*

B

§ V. Ritus antiquus conſecrandi Diaconiſſas apud Latinos; qui ex aliqua parte perſeverat in monialibus Ordinis Cartuſiani.

Ordo hic

C

Antiquum appello ritum illum, etiamſi non poſſim certò definire, quo primùm ſeculo conditus ſit. Si divinare liceat, ſpectare forſitan poterit ad ſeculum octavum. Tunc autem exſtitiſſe aliquem, in quo de Diaconiſſis agebatur, ordinem Romanum affirmat Chriſtianus Lupus tomo 1 in Scholio ad canonem 15 concilii Chalcedonenſis, pag. 581, ubi ſic dicit, ſed nullo citato auctore, Ordo Romanus Carolo Magno ab Adriano I miſſus inſigni variorum rituum veſte ornat Diaconiſſæ ordinationem. *Ritus autem Diaconiſſarum deinceps continuari potuerit uſque ad tempus, quo hæ unà cum illo in deſuetudinem abierunt. Æquè incertum eſt, an fuerit communis paſſim apud Latinos; an in aliquibus dumtaxat locis vel provinciis uſitatus. Valde autem diſcrepat à Græco, ſicuti utrumque conſideranti patebit. Habet eam* Ordo Romanus *in Bibliotheca Patrum, Coloniæ Agrippinæ edita, tomo* 8, *pag.* 471 *& ſequentibus, in hæc verba:* Ordo ad Diaconam faciendam. Epiſcopus cùm Diaconam benedicit, orarium in collo ejus ponit. Quando autem ad eccleſiam procedit, portat illud ſuper collum ſuum, ſic verò, ut ſummitas orarii ex utraque parte ſub tunica ſit. Item Miſſa ad Diaconam conſecrandam. Antiphona. " Deus in nomine tuo „. Pſalm. " Deus exaudi orationem „. Oremus. " Deus „ caſtitatis amator & continentiæ conſervator, „ ſupplicationem noſtram benignus exaudi, & „ hanc famulam tuam propitius intuere, ut quæ „ pro timore tuo continentiæ pudicitiam vovit, „ tuo auxilio conſervet, & ſexageſimum fru„ ctum continentiæ, & vitam æternam te lar„ giente percipiat. Per „.

D

48 Ad Corinthios: " Fratres, neſcitis, quo- *conſecrandi* „niam corpora veſtra „. Require in Dominica XII poſt Pentecoſten. Feria IV. Graduale. " De „ neceſſitatibus meis „. Verſus. " Ad te, Do„mine, levavi. Allel. Amavit eam Dominus „. Deinde proſtratâ illâ ante altare, imponatur litania. Quâ finitâ, dicat epiſcopus ſuper illam hanc orationem: " Exaudi Domine preces no„ſtras, & ſuper hanc famulam tuam N ſpiri„tum tuæ benedictionis emitte, ut cœleſti mu„nere ditata, & tuæ gratiam poſſit majeſtatis „acquirere, & bene vivendi aliis exemplum „ præbere. Per „.

49 Sequitur conſecratio in modum præfatio- *Diaconiſſas apud Latino, unde deſumptus?* nis: " Deus qui Annam filiam Phanuelis vix per „annos ſeptem ſortitam jugale conjugium, ita „in annos octoginta quatuor in ſancta & inte„merata viduitate ſervâſti, ut noctibus ac die„bus orationes jejuniaque miſcentem, uſque ad „prophetiæ gratiam ſub circumciſione Chriſti „tui, juſtus remunerator adduceres; quique „deinceps per Apoſtolicam intentionem, ſan„ctarum hujus ordinationis manibus fœminarum „ſexus ipſius adoleſcentulas ac juniores inſtrui „cum ſancti chriſmatis viſitatione juſſiſti, ſuſ„cipere dignare, omnipotens piiſſime rerum o„mnium Deus, hujus famulæ tuæ arduum & „laborioſum, nec ſatis diſcrepans a perfecta „virginitate propoſitum, quia tu creaturarum „omnium conditor, probè noſti mundiales il„lecebras non poſſe vitari: ſed cùm ad te ve„nitur per te, numquam animas ſemel vivifica„tas vel terribiles paſſiones, vel deliciarum „blandimenta ſolicitant.

E

50 „ Nam ſenſibus, quibus ipſe dignaris in- *in eo ſiola,* „fundi, nihil eſt deſiderabilius, quàm regnum „tuum: nihil terribilius, quàm judicium tuum. „Da ergo, Domine, ad petitionem noſtram „huic famulæ tuæ inter conjugatas trigeſimum, „cum viduis ſexageſimum fructum. Sit in ea cu„ra, miſericordia, diſtrictio; cum humilitate „largitas, cum libertate honeſtas, cum huma„nitate ſobrietas. Opus tuum die ac nocte me„ditetur, ut die vocationis ſuæ talis eſſe merea„tur, quales per ſpiritum prophetiæ eſſe vo„luiſti. Per „. Tunc ponat epiſcopus orarium in collo ejus, dicens: " Stolâ jocunditatis induat „te Dominus „. Ipſa autem imponat velamen capiti ſuo palam omnibus de altari acceptum, cum antiphona: " Ipſi deſponſata, cui angeli „. Oratio: " Preces famulæ tuæ, quæſumus, „Domine, benignus exaudi, ut aſſumptam ca„ſtitatis gratiam, te auxiliante, cuſtodiat. Per „.

F

51 Ad annulum dandum: " Accipe annulum *annulus & torques inter pias preces* „fidei, ſignaculum Spiritûs ſancti, ut ſponſa „Chriſti voceris, ſi ei fideliter ſervieris. Per „. Ad torquem: " Accipe ſignum Chriſti in capite, „ut uxor ejus efficiaris: & ſi in eo permanſeris, „in perpetuum coroneris „. Deinde dicat antiphonam: " Annulo ſuo ſubarrhavit me Domi„nus „. Sequitur oratio: " Famulam tuam, „quæſumus Domine, pia devotio, te adjuvan„te, perducat ad veniam, quatenus mereatur „à cunctis mundari ſordibus delictorum, & re„conciliatam tibi per Chriſtum ſereno vultu re„ſpicias, & omnia ejus peccata dimittas, ſe„veritatem quoque judicii tui ab ea clementer „ſuſpendas, & miſerationis tuæ clementiam ſu„per

A „ per eam benignus infundas. Per eumdem „. Tunc imponat Euangelium ſecundum Joannem: " In illo tempore, reſpondit Jeſus, & dixit: „ Non poteſt homo accipere „. Poſt Euangelium in ordine velatarum ad manus epiſcopi oferat, choro imponente, Offert. " Miſerere mei „ Domine „.

ab epiſcopo ipſis datur,

52 Secret. " Munera, quæſumus, Domine, „ famulæ & ſacratæ tuæ, quæ tibi ob conſe- „ crationem ſui corporis offert, ſimul ad ejus „ animæ medelam proficiant. Per „. Infra agenda: " Hanc ergo oblationem ſervitutis noſtræ, „ ſed & cunctæ familiæ tuæ, quæſumus Domi- „ ne, quam tibi offero pro incolumitate famu- „ læ tuæ, ob devotionem mentis ſuæ pius ac „ propitius clementi vultu ſuſcipias, tibi verò „ ſupplicantes libens protege, dignanter exaudi; „ dieſque noſtros „. Benedictio: " Benedic, „ Domine, hanc famulam tuam, pretioſi Filii „ tui ſanguine comparatam. Amen. Benedictio- „ nis tuæ gratiam, quam deſiderat, conſequa- „ tur, & ſine ulla offenſione, majeſtati tuæ di- „ gnum exhibeat famulatum. Amen.

B *& poſt ſacram ſynaxim earum ſecuritati conſulitur.*

53 „ Curſum vitæ ſuæ impleat ſine ullis ma- „ culis delictorum, & ſuperet in bonis actibus „ inimicum. Quod ipſe præſtare digneris „. Communio: " Servite Domino in timore „. Poſt communio: " Bonorum, Deus, operum „ inſtitutor famulæ tuæ cor purifica, ut nihil in „ ea, quod punire, ſed quod coronare poſſis, „ invenias Per „. Diacona verò illa inter myſteria ſacra communicet, & poſt Miſſam epiſcopus ei paſtorali banno * pacem confirmet, ut ſua cum ſecuritate & quiete poſſideat. *Atque hic quidem eſt ritus olim apud Latinos adhibitus & in Ordine Romano expreſſus pro conſecratione Diaconiſſarum: è quo ritu quænam hoc etiam tempore perſeverent in conſecratione monialium Ordinis Cartuſiani, non erit, ut arbitror, à propoſito noſtro alienum. nec lectori ingratum, cognoſcere.*

* *i. e.* edicto

Referuntur ea,

54 *Hippolytus Helyot in Hiſtoria Ordinum Monaſticorum, Religioſorum ac Militarium tomo 7, cap. 53, pag.* 402 *& ſequentibus Cartuſianarum Religioſarum hiſtoriam texens, quinque dumtaxat earum monaſteria hoc tempore ſupereſſe affirmat: ſunt autem iſta;*

C *Premolienſe in territorio Gratianopolitano; Melanienſe in Fuſſeniacenſi tractu Sabaudiæ, ac diœceſis Genevenſis; Salettenſe ad ripam Rhodani, in dynaſtia vulgò de la Tour; Goſnenſe in diœceſi Atrebatenſi, ac Brugenſe. Hæc dedi monaſteria ex Helyoto, qui ſingulis addit annos fundationis. Deinde pag.* 404 *refert, ſicut Cartuſiani ſemper conſervarunt antiquas Eccleſiæ conſuetudines, ſic etiam hujus Ordinis Religioſas conſervâſſe hactenus antiquam virginum conſecrationem, quæ fit modo in veteribus Pontificalibus præſcripto: hanc verò ab illis non ſuſcipi, niſi ſint ætatis viginti quinque annorum, ad hoc uſque tempus velo albo ſemper utentes: item conſecrationem hanc fieri per epiſcopum, qui illis dat ſtolam, manipulum, ac velum nigrum. Addit inſuper prædictus auctor, manipulum accommodari manui dexteræ; & epiſcopum, dum hanc eis dat ſtolam & manipulum, pronuntiare verba eadem, quæ recitat in ordinatione Diaconi & ſubdiaconi: hæc item ab iſtis monialibus geſtari ornamenta die conſecrationis ſuæ, & anno jubilæi, id eſt, quando quinquaginta habent annos Religionis, iiſdemque cum ornamentis illas ſepeliri. Hæc, quæ ex Gallico Helyoti Latinè reddidi; magis*

declaro, explico & confirmo, non actlurus tamen de velo, annulo, & torque ſeu corona, quia in conſecratione aliarum etiam virginum, benedictione & conſecratione adhibentur. AUCTORE J. P.

in quibus conſecratio

55 *Habemus ſuperiùs in antiquo Ordine Romano conſecrandi Diaconam ſeu Diaconiſſam, ornamentum ſeu ſignum externum proprium, ſtolam videlicet, ſeu* orarium *de quo multa invenies apud Macros in Hierolexico. Hoc etiam perſeverat in conſecratione Religioſarum Cartuſianarum; quibus tamen ſuperadditur manipulus. Vides itaque, lector, ſatis convenientem ritum externum inter has moniales, quæ, etiamſi nec ſint, nec vocentur Diaconiſſæ, conſtituunt tamen inter Diaconiſſas Eccleſiæ Romanæ parallelum. At de his plura elucidanda ſuperſunt, atque ex hodierno uſu apud virgines Ordinis Cartuſiani perſeverante ſunt confirmanda. Et verò poſtquam ſuperiora, quæ ex Helyoto recitabam, non ſine admiratione legiſſem, & vidiſſem uſui ea eſſe poſſe huic meæ Diſſertationi; cupido me inceſſit ſcribendi ad R. P. D. Procuratorem monialium Brugenſium laudati Ordinis, ut de re tota certiores notitias nanciſcerer. Verùm cùm Pater ille, ad quem litteras dederam de hac re, aliquot antè menſibus vitâ functus eſſet; ipſius vices ſupplevit R. P. ac Domnus Petrus Orlemans, ejuſdem Ordinis, ac monialium dictarum vicarius, & die* XVII *Junii anni labentis* 1744 *unà cum humaniſſimis litteris direxit ad me Brugis libellum, anno* 1716 *ibidem typis editum, cujus inſcriptio ex Gallico ſic ſonat:* Praxis benedictionis & conſecrationis Virginum ſecundum Pontificale Romanum, & uſum Ordinis Cartuſiani, cum conſiderationibus & animadverſionibus rectè ad eaſdem ſe præparandi. E

monialium Ordinis Cartuſiani

56 *Fit autem harum virginum, uti & aliarum benedictio & conſecratio ſub Miſſa epiſcopi pontificalibus ornamentis induti: verba autem ac cæremoniæ in Pontificali Romano poſſunt videri. His verò, quæ in prædicto libello notantur tamquam monialibus ſolis Cartuſianis hoc tempore propria, præmittuntur ſequentia pag.* 62, *quæ ex Gallico ſic ſonant:* Etiamſi id quod ſequitur de traditione manipuli & ſtolæ non inveniatur in Pontificali Romano moderno, antiqua tamen Ordinis Cartuſiani conſuetudo habet, ut epiſcopus hanc & illum det virginibus Cartuſianis. Oratione autem " Da, quæſumus, ut „ hæ famulæ tuæ „ *quæ in eodem Pontificali habetur*, abſolutâ, epiſcopus vocat virgines, inchoans antiphonam ſequentem, quam chorus proſequitur: " Tranſite ad me omnes, qui con- „ cupiſcitis me, & à generationibus meis im- „ plemini „ *pag.* 63. *Deinde, ſicut pag.* 64 *dicitur*, Hâc antiphonâ cantatâ, duæ primæ virgines præſentantur epiſcopo, ſicut notatum eſt hîc ſuprà pro velo & aliis rebus, flexiſque ante illum genibus, manipulum imponit ſingulis ad manum dexteram, dicens: " Expecta Domi- „ num, viriliter age, & confortetur cor tuum, „ & ſuſtine Dominum „. Deinde imponit illarum collo ſtolam, dicens: " Tolle jugum Do- „ mini ſuper te, & diſce ab eo, quia mitis eſt, „ & humilis corde „. F

ſimilis eſt antiquo ritui diaconiſſarum.

57 Poſt hæc epiſcopus dat illis crucem, & inclinat eam ſupra ſiniſtrum humerum virginum, dicens: " Abnega temetipſam, & tolle crucem „ tuam quotidie, & ſequere Dominum „. Deinde directrices reducunt duas primas, & epiſcopo præſentant alias duas, qui eadem facit hiſce,

AUCTORE J. P.

quæ fecerat primis. Virgines omnes ad locum ſuum reverſæ flectunt genua, & ſimul canunt hanc antiphonam: " Dexteram meam & collum „ meum cinxit lapidibus pretioſis, tradidit ma„ nibus meis inæſtimabiles margaritas „. Hic reſumitur Pontificale: *in quo, ut obiter hoc obſervem, non invenio ab epiſcopo dante hiſce virginibus manipulum & ſtolam, pronuntiari verba eadem, quæ recitantur ab eo in conſecratione Diaconi & ſubdiaconi, prout aſſerebat ſuprà Helyotus. Denique* Religioſæ, *ſicut lego in ſæpe dicto libello*, reliquo diei conſecrationis ſuæ tempore geſtant coronam, manipulum & ſtolam, quæ acceperunt in cæremonia ... Sepeliuntur cum iiſdem ornamentis, quæ componuntur ex picta charta, vel ex tela colorata; additurque eiſdem crux, quæ manui illarum imponitur. Quod attinet ad monile vel annulum; hunc geſtant ſemper.

§ VI. Mulieres, quæ propriè non ſunt Diaconiſſæ, quia ad hoc munus non conſecratæ; quænam ex his ad veri nominis Diaconiſſas aſſumptæ; an canonicæ à Diaconiſſis diſtinctæ.

B

Ex Diaconiſſis impropriis, quæ hîc deſcribuntur,

DE Diaconiſſis propriè dictis, & ſingulari conſecratione ad obeunda muneri ſuo annexa miniſteria ab epiſcopo deſtinatis, ſatis jam actum eſt. Sed præter has erant aliæ, quæ per catachreſin ſive abuſionem nominis ita vocabantur. De his, poſtquam proprii nominis Diaconiſſas deſignaſſet Aſſemanus in Diſſertatione de Syris Neſtorianis cap. 13. § 10, *ita ibidem diſſerit à pag.* 849: Aliæ impropriè dictæ, uxores ſcilicet diaconorum, quæ non ſecus Diaconiſſæ ſeu Diaconæ dicebantur, ac uxores epiſcoporum epiſcopæ, presbyterorum presbyteræ, & ſubdiaconorum ſubdiaconæ. De his ſi

C

concilia conſulamus, ut Antiſiodorenſe can. 21. 22; Arauſicanum 1 can. 26; Aurelianenſe 1 can. 15, & 11 can. 17; Epaonenſe can. 32; Toletanum 1 can. 18; Turonenſe 11 can. 14. 20; Romanum ſub Gregorio II can. 1; & ſub Zacharia can. 5, DIACONÆ ſicut & EPISCOPÆ, PRESBYTERÆ & SUBDIACONÆ apud Latinos erant, quæ, maritis ordines illos ſuſcipientibus, EPISCOPI, PRESBYTERI, DIACONI & SUBDIACONI RELICTÆ dicuntur: quibus eorumdem conciliorum legibus cælibatus perpetuò colendus præcipitur in Occidente, ſecus in Oriente: ubi presbyteri, diaconi & ſubdiaconi uxoribus poſt ordinationem utuntur, & ſolæ epiſcoporum electorum uxores apud Orientales, quum mariti ordinantur (prævio tamen earum conſenſu) caſtitatem promittunt, & monaſteria ingrediuntur, eiſque ſpeciatim hoc conceditur can. 48 concilii Trullani, " ut ſi dignæ fuerint, etiam „ ad Diaconiſſarum dignitatem provehi poſſint „: quum reliquæ presbyterorum, diaconorum, & ſubdiaconorum uxores abuſivè tantùm ex mariti nomine dicantur presbyteræ, Diaconæ & ſubdiaconæ.

59 *Hujuſmodi autem Diaconiſſas ad veri nominis Diaconiſſarum officium aliquando provectas fuiſſe, ſuadet exemplum Theoſebiæ, S. Gregorii Nyſſeni ante epiſcopatum uxoris, de qua S. Gregorius Nazianzenus in epiſtola* 95, *quæ eſt conſolatoria in ejuſdem obitu, ad laudatum præſulem Nyſſenum ſcribit iſta:* Sed quid faciemus, *ait*, adverſus Dei legem .., quæ Theoſebiam meam habet (meam enim eam voco, quæ, ut Dei legibus conſentaneum erat, vixit: quandoquidem ſpiritualis cognatio corpoream antecellit:) Theoſebiam, Eccleſiæ decus, Chriſti ornamentum; Theoſebiam verè ſacram, & ſacerdotis conjugem, & honore parem, magniſque myſteriis dignam: Theoſebiam, quam futurum quoque tempus excepturum eſt, in immortalibus columnis, hoc eſt, omnium, tam eorum, qui eam nunc norunt, quàm qui poſthac futuri ſunt, animis ſitam. Nec verò mirum tibi videatur, quòd eam ſæpe appellem. Nam etiam beatæ illius fœminæ memoriam pro deliciis habeo. *Hactenus Gregorius:* qui eam ſacram, *ſicut rectè obſervat Baronius ad annum* 369, *num.* 64, & honore parem ſacerdoti (quantùm fas eſt feminæ ſacris officiis mancipari) ideo appellat, quòd fungeretur in Eccleſia munere Diaconiſſæ. *Dum verò eam vocat* magnis myſteriis dignam, *non intelligi poſſe dignitatem aliam, quàm merè caremonialem, ſatis oſtendimus ſuperiùs. Acta autem S. Gregorii Nyſſeni illuſtrata ſunt à nobis ad diem* IX *Martii.*

D

factas fuiſſe veri nominis Diaconiſſas, probatur exemplo Theoſebiæ.

E

60 *Dominicus Macer in Hierolexico ad vocem* Diaconiſſa *ſic ſcribit:* In eccleſia metropolitana Mediolanenſi adhuc durat hoc Diaconiſſarum officium, & ſunt matronæ aliquæ, quas Vetulones vocant, quæ in Miſſa cantata juxta Ambroſianum ritum, ad offertorium ferunt panem & vinum pro Sacrificio. *Hiſce mulieres alias addit Carolus Macer, Dominici fratres ibidem in hunc modum:* In Arciſprioræ caſtro Tuſculanæ diœceſis vidi aliquas ſimiles, quas ibi Sancteſas dicunt: hæ in Quadrageſima per domos comeſtibilia pro concionatore, & in autumno pro parocho ejuſque vicario oblationes fructuum colligunt. *Hæc illi occaſione antiquarum ac proprii nominis Diaconiſſarum, de quibus ibi agunt. Sed in harum miniſteriis, quæ multa erant & varia, nullum invenio, quo* Vetulones *illæ ac* Sancteſæ, *ut vocant, fungi modò dicebantur, adeo ut nihil habeant, quo antiquis proprii nominis Diaconiſſis accenſeri queant. Simile tamen quidpiam lego in Attonis epiſcopi Vercellenſis epiſtolâ, tomo* 8 *Spicilegii Acheriani editâ, ubi à pag.* 124 *ſunt hæc:* In his, quæ per mulieres adhuc diſpenſari videntur, illas Diaconas putaremus, quæ ætate ſenili devictæ religioſam vitam cum caſtitate ſervantes, oblationes ſacerdotibus offerendas fideliter præparant, ad eccleſiarum limina excubant, pavimenta detergunt. *Laudatur Atto Vercellenſis epiſcopus anno* 945 *apud Ughellum tom.* 4 *Italiæ ſacræ col.* 1060.

F

Diaconiſſarum nomen non merentur quædam feminæ in Italia:

61 *Porrò non ſemper eſt facile, ab aliis mulieribus Deo ſacris Diaconiſſas ſecernere: niſi vel hoc nomen ipſis apponatur, vel notatio officii, quod obeunt in Eccleſia Dei, tamquam peculiares ejuſdem miniſtræ. Quia verò id non ſit apud Prudentium in hiſce de martyrio S. Laurentii verſiculis* ὡς ὲ στεφάνων *Hymno* 2, *ubi proponit poëta ſacer tres feminarum claſſes diverſas, tamquam totidem Eccleſiæ ornamenta; ecquis facilè ac tutò definiat, an inter illas reſpexerit ad Diaconiſſas,*

an Prudentius meminerit de Diaconiſſis:

A *coniſſas, quales tamen exſtitiſſe Romæ ſub S. Levita Laurentio, veroſimile eſt. Sic itaque canit:*

Cernis ſacratas virgines,
Mireris intactas anus,
Primique poſt damnum thori
Ignis ſecundi neſcias.
Hoc eſt monile Eccleſiæ,
His illa gemmis comitur
Dotata ſic Chriſto placet,
Sic ornat altum verticem.

Virgines Deo conſecratæ, & anus innuptæ, ibi ſiſtendo, non erant Diaconiſſæ, ſed hæ ex illis eligi poterant: idem etiam de monogamis mulieribus dicendum eſt. Quandoquidem tamen Prudentius ante oculos ponit præcipua Eccleſiæ Dei decora, atque inter iſta haberetur dignitas Diaconiſſarum maxima, ultra quam muliebri ſexui non patebat ſublimior; fieri poſſet, ut Poëta ſacer per viduas monogamas intellexerit Diaconiſſas; quandoquidem hæ ex ejuſmodi viduis, ſub primis Eccleſiæ ſeculis, prout memini me legere, eligebantur. Ceterùm de variis mulierum Deo ſacrarum generibus ſcribunt Morinus Exercitatione 10, *cap.* 1, *&* Thomaſſinus *tomo* 1, *lib.* 3, *cap.* 42 *& ſequentibus. Sufficit nobis hìc monere lectorem, proprii nominis Diaconiſſas per peculiarem electionem, miniſterium proprium, ac ordinationem ſingularem diſtingui ab aliis feminis Deo dicatis, quæ tales non erant. Diſtinctio autem variarum mulierum à Diaconiſſis antiqua admodùm eſt, ut jam viſuri ſumus.*

B

quarum ab aliis muliebribus diſtinctio eſt antiqua.

62 *In ſeptem ordinibus, quibus conſtitit Litania ſeptiformis ſub S. Gregorio M. Papa, tertius fuit* omnium abbatiſſarum cum congregationibus ſuis: *ſextus* univerſarum viduarum, *ut auctor eſt Paulus Warnefridus, qui vixit ſeculo* 8, *libro* 3 *de Geſtis Langobardorum, cap.* 24, *pag.* 448 *editionis noviſſimæ Mediolanenſis tomo* 1. *Sanctimoniales verò ſecernuntur à Diaconiſſis apud Anaſtaſium Bibliothecarium de Vitis Romanorum Pontificum, anno* 1602 *Moguntiæ excuſis, in Leone III, pag.* 182 *his verbis:* Tunc Romani, præ nimio gaudio ſuum recipientes paſtorem, omnes generaliter . . . tam proceres clericorum cum omnibus clericis, quámque optimates & ſenatus, cunctáque militia, & C univerſus populus Romanus cum ſanctimonialibus & Diaconiſſis, ac nobiliſſimis matronis, ſeu univerſis feminis . . , cum ſignis & bandis *, & canticis ſpiritualibus ſuſceperunt. *Præfuit Petri cathedræ ab anno* 795.

* *i. e.* vexillis

Putat Cangius

63 *Priuſquam verò hinc ad alia abeam, conveniendus mihi eſt Cangius, qui Diaconiſſas perperam, meo quidem judicio, cum canonicis mulieribus confundit. Ponam in medio argumenta, quibus ſententiam ſuam ſtabilire conatur. In Notis itaque ad Annæ Comnenæ Alexiadem, poſt Hiſtoriarum libros Joannis Cynnami vulgatis, à pag.* 419 *ita diſſerit:* Porrò videntur eædem fuiſſe cum Diaconiſſis mulieres, quas canonicas vocat. . Ordo Romanus, qui eas diſtinguit à ſanctimonialibus: " Inter virginem & fœmi-„ nam; inter canonicam & ſanctimonialem „ &c. Harum mentio eſt apud S. Antiochum Homil. 18, ubi ait, monachos non debere cum mulieribus converſari. *Textum Græcum ſic ſubjungit:* Ὁμοίως ἢ κανονικαῖς ἀναρμοστόν ἐστι συνδιαξῆν μὴ ἀνδρῶν, πρὸς τὸ μηδένα σκανδαλίζεσθαι. *Quæ Latinè ita ſonant:* Similiter canonicis (*mulieribus*) indecorum eſt, cum viris converſari, ut nemo ſcandalizetur.

64 *Ad etymon autem nominis quod attinet;* AUCTORE J. P. ſic, *ait Cangius*, appellabantur viduæ ſeu canoniſſæ, quòd eſſent ἐν τῷ κανόνι *, & ἐπὶ τῷ κανόνι *, ut loquuntur concilium Antiochenum can. 2, 6, 11: Chalcedonenſe can. 2, & ſynodus Trullana can. 6; ſeu, quod SUB CANONE ECCLESIASTICO JACERENT, *vel* ESSENT CONSTITUTÆ; ut eſt in concilio Toletano III, can. 5 & 6, & Forojulienſi an. DCCXCI, can. 1; id eſt, quòd certum & quemdam in Eccleſia ordinem conficerent, & regulis Eccleſiæ voti emiſſi religione obſtringerentur. Nam & inde primitus, quos hodiè canonicos dicimus, ea de cauſa ſic nuncupatos; par eſt credere, quòd ſcilicet ſub canone eccleſiaſtico conſtituti eſſent, & eccleſiaſticis muniis inſervirent. *Hæc Cangius.*

canonicas non diſtingui à Diaconiſſis;

* *i. e.* in canone

* ex canone

65 *Sed nulla in iſtis mulieribus canonicis relucet ſpecies Diaconiſſarum. Nam* 1°. *Non video in his aliquid, quod cum illis ſit commune; non conſecrationem, non miniſterium, non dignitatem, non antiquitatem.* 2°. *Dixiſſet aliquid Cangius, ſi inſtituere potuiſſet parallelam inter duas haſce feminarum claſſes, vi cujus, unâ dictarum mulierum ad alteram comparatâ, eædem in utriſque reluxiſſent. Hoc verò cùm neutiquam tentaverit laudatus auctor, quiſnam ei ſatis fundatè ſuffragari poterit, utrumque hoc feminarum genus non diſtingui.* 3°. *Miniſterium Canonicarum ſitum erat præſertim, ſi non unicè, in eo, ut congruè ac decenter perageretur ſepultura mortuorum. Hujuſmodi autem munus non inveni hactenus inter officia Diaconiſſarum, quæ ſat multis enumeravi ſuprà cap.* 1. *Unde ergo videri potuit Cangio canonicas à Diaconiſſis non diſtingui?* 4°. *Adde, quòd tam multa & varia Diaconiſſis incumberent negotia viventium, ut iſtâ mortuorum curâ ſupersedere debuiſſe videantur, cùm onera, quæ ſuſcipiebant, totam facilè mulierem requirerent.*

ſed ipſiſmet opinio

E

66 *Verùm diverſitas ſæpè dicta probatur nervosè ex Codice Juſtiniani imperatoris Novellâ* 59, *cap.* 2 *&* 3, *ubi conſtituit, quænam debeant eſſe expenſæ in exſequiis defunctorum, in quibus canonicæ ac monialeſ Hoſpitalariæ operam ſuam collocabant. Diſtributiones itaque menſtruas, quas acceptura eſſent ab iſtis Eccleſiæ œconomis, quibus commiſſa fuerat adminiſtratio terrarum, quarum reditus impendebantur in ſepulturas; ita definit laudatus imperator cap.* 1: Quod . . hactenus datum eſt laborantibus circa funerum exequias, & deinceps detur, *hoc eſt*, per ſingulum menſem quadringentos ſolidos dividendos decanis & acolythis, & aſcetriis & canonicis *. *Suberant autem aſcetriæ ſeu ſanctimoniales illæ diacono xenodochii rectori: nec deerat ſuus canonicis mulieribus præpoſitus. His autem præfectis pendebantur pecuniæ ad illarum alimenta:* Oportet autem, *ſicut præcipit Juſtinianus cap.* 3, competentem quidem auri partem reverendiſſimis aſcetriis * dari per Deo amabiles œconomos. . Eugenio Deo amabili diacono, & xenodocho Sampſonis ſanctæ memoriæ Xenonis, & ejus, qui per nos conſtitutus eſt, & his, qui erunt poſt eum memoratorum xenodochiorum xenodochi, eo quòd aſcetriæ, ad hoc miniſtrantes opus, ſub xenodochis . . conſtitutæ ſint.

variis argumentis

F

* ἡ ἀσκητρίας ἢ καλογραίας

* ἀσκητρίαις: *malè in meo textu Latino aſſiſteriis; quod hìc correxi, uti & infrà.*

67 Quod autem contingit acolythos & reverendiſſimas canonicas, eis ſimiliter dari ab eiſdem Deo amabilibus œconomis, & qui nunc præſunt eis. *Deinde præſcribit imperator cap.* 4. *ut in exſequiis ſingulis ante ſarcophagum præce-*

refellitur.

AUCTORE J. P. *dant octo saltem harum monialium vel canonicarum, unáque cum acolythis tribus decantent psalmos &c. Possumus hîc observare.* 10. *Thomassinus in Veteri & nova Ecclesiæ disciplina parte* 1, *lib.* 3, *cap.* 51, *pag.* 808, *rectè memorat, præter Diaconissas, de quibus antea ibidem egerat è Codice Justiniani (& nos ex eodem de illis statim etiam scribemus) & præter sanctimoniales Hospitalarias*, fuisse & canonicas, quæ cum his sanctimonialibus ad exequias fidelium ministrarent, & ad psalmodiam exequiis semper conjunctissimam. Canonicæ vocabantur à canone distributionum, quibus donabantur. Distinguuntur autem à monialibus Hospitalariis, quòd hæ sacro collegio suo & congregationi alligatæ essent unde & ASCETRIÆ hîc vocantur: ASCETERIA quippe monasteria Græci appellabant. At canonicæ nullo ejusmodi vinculo tenebantur; sed continentiæ tantùm, ut apparet. 20. *Justinianus tam noverat apprime Diaconissas, ut illas cum canonissis confundere non potuerit. sicut patebit è sequentibus.* D

CAPUT III.

Variæ de Diaconissis sanctiones ex jure civili imperatorum.

§ I. Decretum Theodosii I imperatoris contra Diaconissas, auctoritate S. Ambrosii, ut fertur, ex parte abrogatum.

B *Theodosius imperator legem edit* *Varia sunt & lectu curiosa, quæ circa Diaconissas statuit Theodosius I imperator, cognomento magnus, qui floruit seculo* IV, *in suo Codice. Utar autem illo Codice, qui perpetuis Jacobi Gothofredi commentariis illustratus est, quique anno* 1665 *Lugduni prænotatur editus, & sex tomis constat. Ibidem igitur tomo* 6, *lib.* 16, *titulo* 2, *lege* 27, *pag.* 60 *de Diaconissis hæc sancit, atque ista in eisdem requirit:* Nulla, nisi emensis sexaginta annis, cui votiva domi proles sit, secundum præceptum Apostoli ad Diaconissarum consortium transferatur. Cùm filiis suis curatore (si id ætas poscit) petito, bona sua idoneis sedula religione gerenda committat: ipsa tantùm prædiorum suorum reditus consequatur, de quibus servandi, abalienandi, donandi, distrahendi, relinquendi, vel quoad supersit, vel cùm in fata concedit, & libera ei voluntas est, integra sit potestas. Nihil de monilibus, & supellectili, nihil de auro, argento, ceterisque claræ domus insignibus, sub religionis defensione consumat; sed universa integra in liberos, proximos, vel in quoscumque alios arbitrii sui existimatione transcribat: ac si quando diem obierit, nullam ecclesiam, nullum clericum, nullum pauperem scribat heredes.

C *contra Diaconissas:* 69 Careat namque necesse est viribus, si quid contra vetitum circa personas specialiter comprehensas fuerit à moriente confectum. Immò, si quid ab his morienti fuerit extortum, nec tacito fideicommisso aliquid clericis in fraudem venerabilis sanctionis callida arte, aut probrosâ cujuspiam conhibentiâ * deferatur; extorres sint ab omnibus, quibus inhiaverant, bonis. Et si quid fortè per epistolam, codicillum, donationem, testamentum, quolibet denique detegitur genere conscriptum erga eos, quos hac sanctione submovimus, id nec in judicium devocetur: sed vel ex intestato is, qui sibi competere intelligit, statuti hujus definitione succedat: si quis se agnoscit filium, si quis probat propinquum, si quis denique vel casu vel judicio, pro solido, pro portione, hæres, legatarius, fideicommissarius apertis deprehenditur codicillis, fruatur fortunæ munere, conscientiæ suæ fructu: &, submotis his atque dejectis, in hæreditariis corporibus potestate utatur hæredis. *Atque hoc quidem primum est legis Theodosianæ caput: secundum*, de crine non abscindendo à fœminis, devotionis alicujus obtentu, *prætermittimus. Utrique subscribitur* Dat. XI Kalend. Jul. Med. Valentiniano A. IV. & Neotherio coss., *id est, anno Christi* 390. E

* *i. e.* conniventiâ

70 *Sozomenus lib.* 7 *cap.* 16 *Historiæ ecclesiasticæ à Valesio editæ pag.* 727 *arbitratur hanc à Theodosio imperatore latam fuisse legem propter crimen sacrilegum in ecclesia Constantinopolitana perpetratum, quod ibidem describit in hunc modum:* In Constantinopolitana .. ecclesia certus presbyter constitutus erat, qui pœnitentibus præesset: donec matrona quædam nobilis, ob peccata, quæ confessa fuerat, jussa ab hoc presbytero jejunare, ac Deum supplicite orare, dum hujus rei causâ in ecclesia moraretur, à diacono se stupratam esse prodidit. Quo cognito plebs omnis vehementer succensuit, eo quòd contumelia illata esset ecclesiæ, nec mediocri probro expositi erant sacri ordinis viri. Nectarius verò (*dictæ urbis patriarcha*) cùm diu multúmque dubitasset, quidnam in hoc negotio agendum esset, eum, qui stuprum admiserat, diaconatu exuit. Cúmque nonnulli consilium ei dedissent, ut unicuique, prout sibi conscius esset, ac fiduciam sui haberet, ad sacrorum mysteriorum communionem accedendi liberam faceret potestatem, presbyterum, qui agendæ pœnitentiæ præpositus erat, abolevit... Atque hac de causa arbitror Theodosium imperatorem, cùm ecclesiarum honestati & existimationi prospiceret, lege lata caviisse, ne mulieres ad sacrum ministerium admitterentur, nisi liberos haberent, & sexagesimum ætatis annum impleffent, juxta expressum mandatum Apostoli Pauli &c. *quænam causa* F

71 *Socrates lib.* 5 *Ecclesiasticæ historiæ cap.* 19 *hoc etiam factum narrat; sed quod edictum Theodosii ea de causa adversus Diaconissas prodierit, prout arbitrari se dicebat Sozomenus, ibidem non habet. Et verò de Sozomeni opinione dubitari meritò posse videtur: cùm nec ab ipso, nec à Socrate mulier ista memoretur fuisse Diaconissa: nam ab hoc vocatur γυνή τις τῶν ἐυγενῶν, id est,* mulier quædam nobilis; *ab illo autem γυνή τις τῶν ἐπαρχικῶν, quod idem est, vel, si hoc malis,* mulier quædam generis patricii. *Nec favet ratio temporis, ut satis probabiliter statuatur, dictum jam crimen in causa fuisse,* *illum ad hoc moverit, examinatur:*

A *fuiſſe ; cur Imperator hanc conſtitutionem ediderit. Ea namque lata eſt anno Chriſti* 390 ; *illud verò an hoc anno , an proximè ſequenti commiſſum ſit , non conſtat ; quandoquidem Sozomenus nulli id determinato anno aſſignat ; Socrates autem reſpicit ad annum Chriſti* 391 , *cui refragatur Baronius. Audiamus itaque Socratem lib. citato cap.* 18 , *ubi de Theodoſio imperatore hæc ſcribit :* Valentinianum . . juniorem Romæ imperatorem reliquit : ipſe verò unà cùm filio ſuo Honorio Conſtantinopolim reverſus , conſulatu Tatiani & Symmachi in eam ingreſſus eſt die quarto Idus Novembris , *id eſt , anno Chriſti* 391. *Et mox cap.* 19 ſub idem tempus *accidiſſe memorat abrogationem presbyterorum , qui pœnitentiæ agendæ præerant , cauſamque ſubdit ſacrilegum mulieris abuſum. Baronius ad annum* 390, *num.* 66 , Hoc ipſo anno , *inquit* , non autem ſequenti ſub conſulatu Tatiani & Symmachi , ut à Socrate ponitur , accidit Conſtantinopoli ſcelus illud immane *&c.* ; *ſed nullam apponit rationem , cur à Socrate diſſentiat in notatione anni.*

B *lex eadem pauco poſt tempore revocatur ex parte , annitente , ut creditur ,*

72 *Verùm quæcumque cauſa impulerit Theodoſium ad ſanciendam legem adverſus Diaconiſſas ; non din poſt lex eadem revocata ab illo eſt ex parte per legem* 28 *his verbis :* Legem , quæ Diaconiſſis vel viduis nuper eſt promulgata. " Ne „ quis videlicet clericus , neve ſub eccleſiæ no„ mine mancipia , ſupellectilem , prædam (ve„ lut infirmi ſexus diſpoliator) invaderet , & , re„ motis adfinibus ac propinquis , ipſe ſub prætex„ tu Catholicæ diſciplinæ ſe ageret viventis hæ„ redem „ eatenus animadvertat eſſe revocatam, ut de omnium chartis , ſi jam nota eſt , auferatur : neque quiſquam aut litigator eâ ſibi utendum , aut judex noverit exequendum. Dat. x Kalend. Septemb. Veronæ , Valentiniano A. IV , & Neotherio Coſſ. , *id eſt , anno Chriſti* 390. *Ad hanc verò condendam conſtitutionem fuiſſe Theodoſio auctorem S. Ambroſium epiſcopum Mediolanenſem citatus Baronius affirmat num.* 70 , *& poſt recitata legis prioris ejuſdem imperatoris verba , ſic loquitur :* Cùm autem Mediolani hæc ſancierit imperator , ex cauſis (ut ſibi videbatur) legitimis perſuaſus , quoniam dum ultor ſceleris exſurrexit , compreſſit etiam innocentes, occurrit quamprimùm vindex eccleſiaſticæ libertatis , ſeverus regum cenſor S. Ambroſius ; qui editam ſanctionem ea ex parte compulit abrogari , quâ periclitabatur fidelium erga Deum religio , & erga pauperes miſericordia : alia verò ex parte , quâ Apoſtolica inſtitutio conſervabatur immunis (nam Pauli præceptio eſt , ne vidua eligatur minor ſexaginta annorum) ſivit in ſuo robore perdurare.

C *S. Ambroſio.*

73 Theodoſius igitur , Dei obtemperans ſacerdoti , adverſantem pietati à ſe editam ſanctionem contraria lege promulgata abolevit , cùm poſt duos fermè menſes ad eumdem Tatianum *iſta* reſcripſit , *quæ ſuprà dedimus. Hactenus eminentiſſimus Baronius. Hujus autem legis promulgationem , interponente S. Ambroſio ſuam auctoritatem , prodiiſſe , credibile eſt , quantumvis idem Cardinalis hoc non magis probet è ſcriptorum tabulis , quàm* quòd exhauſiſſet vidua illa , *ſeu nobilis mulier iſta , quacum peccaverat diaconus* , bona ſua ditando *eumdem* diaconum, *uti præmiſerat num.* 66 , inde factum *eſſe addens* , ut idem imperator eadem lege caverit , ne viduæ quovis titulo vel Eccleſiæ vel ejus miniſtris bona relinquerent.

AUCTORE J. P.

§ II. Decreta ſub Juſtiniano & Heraclio imperatoribus ; ædes Deiparæ ſacra Conſtantinopoli , tempore imperatoris Mauritii conſtructa ſub nomine Diaconiſſæ.

Juſtinianus numerum beneficiariorum eccleſiæ Conſtantinopol.

JUſtinianus *imperator , qui claruit ſeculo ſexto , numerum ſacrorum miniſtrorum eccleſiis Conſtantinopolitanis ſervientium determinare aggreſſus , annuiſque earumdem reditibus aptare , quatenus fundatorum voluntati erat conveniens ; in Præfatione ad Novellam* 3 , *inter alia quæ dirigit ad Epiphanium patriarcham Conſtantinopolitanum , hæc ſcribit :* Dudum quidem communi & generali lege ad tuam beatitudinem & ad reliquos ſanctiſſimos patriarchas ſcripta de ordinatione venerabilium epiſcoporum , & reverendiſſ. clericorum , nec non mulierum Diaconiſſarum , ut non ampliùs ſint ab antiqua menſura , qui ordinantur , diſpoſuimus. . Præſentem verò legem ſpecialem ad tuam beatitudinem ſcribimus de numero reverendiſſimorum clericorum, qui in hac urbe ſunt , diſponentes. Quia .. competens eſt , neque ordinationes , quæ ſuper reverendiſſimis clericis fiunt , aut ſuper reverendiſſimis Diaconiſſis , fieri tantas , ut illorum expenſis ſanctiſſima eccleſia incidat in cauſam mutuorum maximorum , & paulatim ad noviſſimam inopiam deponatur.

E

ac ibidem Diaconiſſarum minuit, ac varia de illis ſancit :

75 *Deinde autem cap.* 1 , Sancimus *, inquit,* non ultra ſexaginta quidem presbyteros in ſanctiſſima majore eccleſia eſſe , diaconos autem maſculos centum , & quadraginta fœminas , ſubdiaconos verò nonaginta. *Hinc obſervare licet.* 1°. *quo ordine Diaconiſſæ accenſerentur ſacris eccleſiæ Conſtantinopolitanæ miniſtris , qui ex ejuſdem ſumptibus vivebant : cùm hîc ageretur de illis ad certum numerum contrahendis , ne ultra modum excreſceret penſio annuorum proventuum.* 2°. *Cùm autem tunc daretur opera numero Diaconiſſarum minuendo* in majore eccleſia , *inde colligere poſſumus , illas ibidem antea numero plures fuiſſe : nec pauca veriſimiliter erant in aliis ejuſdem urbis eccleſiis. In Novella verò* 6 , *cap.* 6 *videbimus annos ætatis ſexaginta completos , quos ad Diaconiſſarum ordinationem requirebat ſuperiùs Theodoſius imperator poſt Apoſtolum Paulum , reſtrictos à Juſtiniano fuiſſe ad annos quinquaginta , variaque alia ab eodem imperatore in illis fuiſſe requiſita , quæ ad ſacrum hoc miniſterium promoverentur.*

F

vult enim eas eſſe ætatis 50 circiter annorum , & optimi exempli &c. ;

76 *Conſtitutio itaque modò deſignata præſcribit ſequentia :* Quanta igitur ſuper venerabiles clericos à nobis dicta ſunt , hæc etiam ſuper Deo amabilibus Diaconiſſis agi volumus : ut neque ipſæ citra obſervantiam fiant. Sed primùm quidem eis ætatem neque novellam eſſe , neque creſcentem , neque ex hac ad delinquendum ſalientem ; ſed ſuper mediam conſtitutas ætatem , & circa quinquaginta annos ſecundum divinas regulas agentes : ſicque ſacram promereri ordinationem , & aut virgines conſtitutas , aut unius viri quæ fuerant uxores : non enim permittimus neque ſecundas contrahentibus nuptias , neque vitam non habentibus , ut diximus , irreprehenſibilem ,

AUCTORE J. P.

sibilem, sed nec suspectam omnino ad sacrum venire ministerium, & adorandis ministrare baptismatibus, & aliis adesse secretis, quæ in venerabilibus ministeriis per eas ritè aguntur. *Ita Justinianus imperator prospectum esse voluit dignissimo Diaconissarum officio, ut vel ex immaturæ ætatis levitate, sexûsque inconstantia nihil in illud irreperet, quod sacri hujus ministerii gravitatem dedeceret, nihilque esset in hujusmodi feminarum moribus, quod non esset ab omni parte perfectum. Si verò contingeret, ante præscriptam modò ætatem justis de causis alicui conferri hoc ministerium; cautum esse voluit laudatus Justinianus, ut defectus ætatis aliunde suppleretur. Sic enim pergit in sua constitutione:* Si verò quædam necessitas fiat, & minorem hac ætate, quam dicimus, ordinari Diaconissam contigerit; liceat eam in aliquo venerabilium asceteriorum ordinari, & in illo habitare. Nequaquam viris admixta constituta sit, neque suo arbitrio habitans: sed vitæ separatæ & mediocris, & à conveniente multitudine bonum testimonium habens.

B *ab immoderato in consanguineos affectu alienas,*

77 *Voluit præterea Justinianus Diaconissas ab immoderato consanguineorum affectu alienas esse, nec aliis adhærere cum dispendio famæ aut bonæ existimationis. Hæc enim superioribus adjungit in eadem sanctione:* Volumus autem & ipsas, quæ ad ordinationem perducuntur, Diaconissas sive ex viduitate sive ex virginitate, non cum aliquo cohærentes, aut cognatorum, aut eorum, quos appellant dilectos * : (talibus enim nominibus utentes maligna suspicione suam replent vitam:) sed aut solæ habitent, aut cum parentibus solis & filiis, aut verè fratribus: aut iis cohærere, de quibus si quis suspicari aliquid præsumpserit malignum, ipse insipiens simul & impius forsan putabitur. Et si dicatur tale aliquid de aliqua earum, quæ in Diaconissarum ordinationem ingredi vult, quòd alicui cohæserit sub imagine quidem bonæ appellationis, maligna verò suspicione; non oportet hujusmodi mulierem perduci omnino ad ordinationem diaconiæ. Nam si ordinetur, & tale aliquid egerit, & cohæserit alicui cum prædicto nomine aut schemate; cadet quidem à diaconia, & ipsa & ille subjecti erunt huic legi, & reliquis, quæ corruptores puniunt.

* ἢ ἀγαπητῶν

C *Deum timentes, in officio constantes, pudicas; & excitans illas*

78 *Hisce varias subjungit pœnas, ut in officio contineantur:* Oportet enim, *inquit*, omnes, quæ ordinantur, venerabiles Diaconissas, tempore ordinationis & moneri, & sacrorum audire mandatorum præcepta coram reliquis, quæ dudum sunt venerabiles Diaconissæ, ut & ipsæ Dei timorem habeant, & adhærentem sacris mandatis fiduciam: timere autem & confundi sacro cadere ordine, scituras, quòd si præsumpserint aut erubescentes ordinationem, aut derelinquentes sacrum ministerium ad nuptias venerint, aut aliam omnino elegerint vitam; ipsæ quidem obligatæ efficientur mortis, & substantia earum applicabitur sanctissimis ecclesiis aut monasteriis, in quibus sunt: qui verò eas aut uxores accipere aut corrumpere præsumpserint; obnoxii quidem & ipsi gladio erunt: substantia autem eorum applicabitur fisco. Si enim in antiquis legibus, virginibus illis, quæ in eorum errorem vocabantur, mortis incumbebat damnum corruptis; quomodo non magis nos in iis, quæ à Deo glorificantur, definimus, pudicitiam (quæ quàm maximè mulieres exornat) conservari volentes quàm diligentissimè à venerabilibus Diaconissis, ut quod decet naturæ, custodiant, & D quod debetur sacerdotio conferventⁿ? *Ex his liquet, magna tunc temporis in veneratione fuisse cùm sacrum hoc munus, tum mulieres, quæ ad illud eligebantur.*

79 *Appositè autem laudatus imperator Justi-* *exemplo* *nianus Diaconissas ad conservandam pudicitiam excitat superiùs in memoriam revocatis* virginibus illis, *quibus* incumbebat mortis damnum corruptis: *respicit enim legis lator ad virgines Vestales, apud gentiles Romanos olim notissimas; quarum historia tametsi è variorum auctorum scriptis sit abunde pervulgata, sequentia tamen è pluribus, quæ de eisdem circumferuntur, in memoriam revocare visum est. Illarum originem altiùs haud repetam. Ordo istarum virginum apud Romanos fuit institutus à Numa Pompilio rege in honorem deæ Vestæ, & ad conservandum in ejusdem templo ignem sacrum. Nulla assumebatur ad hunc ordinem, nisi quæ esset annorum sex; nulla quæ excederet annos decem. Prima electa fuit à Numa: alia deinde à summo pontifice ducta sorte. Possent hîc multa addi, si operæ pretium esset, quæ ad earum parentes, con-* E *secrationem, numerum, votum virginitatis, vestitum, officia, infinitam penè venerationem apud præcipuos reipublicæ Romanæ moderatores, variasque cæcæ gentilium superstitionis observationes pertinent.*

80 *Si verò aliqua ex illis peccasset contra casti-* *virginum Vestalium* *tatem, sepeliebatur viva, servatis quibusdam ceremoniis: qui verò eâ fuerat abusus, cædebatur usque ad mortem. Vestalium porrò aliorumque gentilium sacerdotia exstinxit Theodosius imperator, invito senatu. Consuli possunt quæ scribit Baronius ad annum 392, num. 26, ubi profertur Theodosii constitutio adversus idolorum cultores, Relatio Symmachi Urbis præfecti, senatûs nomine Valentiniano & Theodosio imperatoribus oblata, quæ habetur inter opera S. Ambrosii à Benedictinis vulgata tomo 2 columnâ 828 & seqq.; nec non epistola ejusdem sancti Doctoris 17 col. 824, & epistola 18 col. 833 & sequentibus, quâ Relationi Symmachi respondet, ac de Vestalibus virginibus meminit. Sed nunc ad institutum nostrum redeamus.*

F

81 *Laudatus imperator Justinianus novellâ* *sancit insuper Justinianus, ut sint remotæ à suspecta cum viris habitatione.* 123, *cap.* 30 *cautum etiam esse voluit, ne quidquam Diaconissis moveretur obloquii è suspecta cum viro habitatione. Hæc enim sanxit:* Diaconissam verò nullo modo cum viro, ex quo potest inhonestæ vitæ emergere suspicio, habitare permittimus. Si verò hæc non observet; sacerdos, sub quo subjacet, admoneat eam, ut omnibus modis talem virum ejiciat è sua domo: si verò hoc distulerit agere, ecclesiastico ministerio & propriis emolumentis alienata, monasterio tradatur, & ibi omni suæ vitæ tempore degat: rebus ejus, si quidem filios habeat, inter se & illos secundum numerum personarum dividendis: ut competentem ipsi mulieri partem monasterium accipiens, eam alat & regat. Si autem non habuerit filios, omnis ejus substantia inter monasterium, ubi mittitur, & ecclesiam, in qua priùs erat constituta, æquâ portione dividatur. *Diaconissæ seculo* VII *in jure civili etiam notæ fuerunt, ut planum fiet ex his, quæ subdo.*

82 Heraclii imperatoris novella, quæ habe- *Acta sub imperatore Heraclio.* tur Juris Occident. lib. 2, eumdem, *de quo suprà* Diaconissarum numerum in eadem ecclesia confirmat. In ecclesia autem Sanctæ Mariæ Virginis in eadem urbe Diaconorum masculorum nume-

A numerum definit octodecim, fœminarum ſex, ſubdiaconorum octo *&c., teſte Morino part.* 3, *Exercitatione* 10, *cap.* 2, *pag.* 187. *Librum ipſum, quem citat, apud nos non vidi. Floruit Heraclius imperator ſeculo* VII. *Ex quo intelligimus primò, eò etiam Seculo non exiguum Diaconiſſarum fuiſſe numerum, etiamſi definiri nequeat, an quædam in ſingulis fuerint eccleſiis. Secundò colligere ex dictis licet, dignitatem earum eo tempore fuiſſe ſatis notabilem, cùm toties Diaconiſſarum ratio habeatur in legibus imperatorum.*

Ædes Deiparæ ſacra Conſtantinopoli

83 *Neque ex imperatorum legibus dumtaxat commendatur antiqua Diaconiſſarum dignitas & ſucceſſio tunc perſeverans, verùm etiam ex æde Deiparæ ſacra, Mauritio imperante, ſub nomine* Διακονίσσης, Diaconiſſæ, *à Cyriaco patriarcha Conſtantinopolitano conſtructa. Zonaras in Annalibus à Cangio editis tomo* 2, *lib.* 14, *num.* 13, *de Cyriaco, Joannis Jejunatoris in cathedra Conſtantinopolitana ſucceſſore, refert iſta :* Cyriacus presbyter & œconomus magnæ eccleſiæ, à quo ſacroſanctæ Deiparæ ædes, quæ
B Diaconiſſæ dicitur, extructa eſt. *Zonaræ ſuffragatur S. Theophanes in Chronographia pag.* 233 *editionis regiæ :* Ad Diaconiſſæ pariter compitum, *inquit*, Cyriacus patriarcha ſanctæ Deiparæ eccleſiam poſuit. *Tempus notat Cedrenus ad annum* XVI *Mauritii imperatoris, tunc conditam affirmans. Annus autem iſte concurrit cum* 598 *æræ vulgaris. Etymon ejuſdem ædis ſacræ affertur in Codini Excerptis è libro chronico de Originibus Conſtantinopolitanis pag.* 53 : Ita, *aiunt*, denominata eſt, quòd patriarcha (*Cyriacus*) adhuc diaconus ibi habitaret, & ſoror ejus ibidem eſſet Diaconiſſa. *Hic autem Joanni Jejunatori ſucceſſit probabiliùs circa finem anni* 595 ; *obiit* 606, *ut dictum eſt in Hiſtoria chronologica Patriarcharum Conſtantinopolitanorum ante tomum* 1 *Auguſti pag.* 74 *&* 76.

Diaconiſſæ etiam dictæ.

84 *Cangius lib.* 4 *Conſtantinopolis Chriſtianæ pag.* 87 *in eam ſe propendere conjecturam fatetur, quòd videlicet ſacra ædes Diaconiſſæ non fuerit alia, quàm illa, quæ à ſancta femina Olympiade, ſub Theodoſii magni imperio ædificata fuit inter ædem* Εἰρήνης * *& Sophianam, inſtituto in ea monacharum cœnobio : ædes autem illa, ſeditionem moventibus Victoriatis, unà cum eccleſiâ magnâ fuit paſſa incendium. Audiamus Nicephorum Calliſtum Eccleſiaſticæ hiſtoriæ lib.* 13, *cap.* 24, *in quo celeberrimæ hujus feminæ elogium contexens*, Monaſterium, *ait*, quod Conſtantinopoli conſtituit, Marinæ cognatæ ſuæ relinquens, eam monaſterii regulam inviolatam conſervare juſſit. Fuit id prope ſanctæ Pacis & Verbi Dei Sapientiæ priſtinum templum, & uſque ad ſeditionem eam, quæ Νίκα, hoc eſt, Vince, dicebatur, duravit. Tum verò Sapientiæ templo exuſto, & ipſum conflagravit. Cæterùm maximo eo longè pòſt templo reſtituto, monaſterium hoc priſtinam quoque recepit venuſtatem, atque ad veterem reſtitutum eſt dignitatem, Sergia ei præſidente, quæ etiam beatæ hujus fœminæ Vitam conſcriptam reliquit. *Templum porrò illud ſacram etiam quamdam quotannis celebritatem habuit apud Græcos die* XXVIII *Julii : in Menæis enim magnis excuſis tunc refertur* Memoria *encæniorum ædis ſanctiſſimæ Deiparæ* ἐν τοῖς Διακονείων, *id eſt*, in compito Diacconiorum. *Plura de celeberrima hac Diaconiſſa Olym-*

* *i.e.* Pacis
C

piade dicentur ſub finem præſentis Tractatus præliminaris, ubi de hac & de pluribus aliis ejuſdem inſtituti mulieribus illuſtribus erit agendum. AUCTORE J. P.

§ III. An temporibus imperatorum Juſtiniani & Heraclii, vel poſtea, locum in ædibus ſacris digniorem, quàm mulieres aliæ, occuparint Diaconiſſæ.

Etiamſi tempore Juſtiniani imp.

A *Ntiquum in Eccleſia viguiſſe morem, ut mulieres in ædibus ſacris orarent loco à viris ſeparato, notum magis eſt, quàm ut probari debeat. Procopius Cæſarienſis lib.* 1 *de Ædificiis Juſtiniani imperatoris cap.* 1 *agens de eccleſia S. Sophiæ*, Utrumque, *ait*, latus duæ porticus ambiunt, adeo non diſſepientes ſtructuram templi, ut potiùs latitudinem ejus amplient, pari quidem cum ipſo longitudine ad extrema porrectæ ; ſed altitudine inferiores. Cameratæ atque auro decoræ ſunt : altera precantibus viris aſſignata ; altera fœminis. Nihil habent diſparile, nihil diverſum. *Cangius lib.* 3 *Conſtantinopolis Chriſtianæ pag.* 32 *rem magis explicat, & memorat, quænam ex his porticibus ad feminas pertineret :* In ipſa, *inquit*, æde Sophiana ad Meridiem & Septentrionem binæ procurrunt porticus duplices, inferiores ſcilicet & ſuperiores, ſecundum ipſius longitudinem, columnis marmoreis prægrandibus ſuſtentatæ ; quæ ædis latitudini nihil officiunt . . Cameratæ atque auro decoratæ ſunt, alteráque precantibus viris aſſignata, inferior nempe : altera, quæ eſt ſuperior, fœminis.

mulieres haberent locum orandi à viris ſeparatum

86 *Idem auctor ibidem pag.* 33 *ſcribit iſta :* Porticus ſuperiores fœminis precantibus addictæ, ut plurimùm Catechumeniorum vel Catachumenorum nomine donantur à ſcriptoribus : non quòd in iis umquam catechumeni conſtiterint, ſed quòd divinos, qui à ſacerdotibus & cantoribus concinebantur, hymnos, ibi auditu exciperent mulieres : unde Κατηχούμενα, " loca „ Dei verbo, Officiiſque eccleſiaſticis audiendis „ ſupernè extructa „ rectè viri docti interpretantur, *ſicut pluribus exemplis oſtendit ibidem memoratus auctor, qui prædictas illas porticus ſuperiores* Gynæconitides *etiam appellat. Idem Cangius in Diſſertatione de Diaconiſſis antè citata conſuli poteſt pag.* 420. *Nomen autem* Γυναικωνίτις, *trahens originem* ἀπὸ τῆς γυναικὸς, *id eſt*, à mulliere, *ſumitur hìc pro loco vel parte ædis ſacræ mulieribus aſſignata & uſitata.*

ſub illo tamen imperatore & ſub Heraclio

87 *Patebant itaque tunc iſta loca ſolis mulieribus : unde quæri poteſt an promiſcuè & ſine diſtinctione dignitatis ibidem inter alias non Diaconiſſas ſederent etiam Diaconiſſæ. Cangio in dicta Diſſertatione pag.* 420 id non videtur verosimile, cùm presbyteris, Diaconiſſis, ſubdiaconis, lectoribus certas quibuſque aſſignatas ϛάσεις, ſeu ſedes in eccleſia Sophiana, ſatis innuat Heraclius, *prout ſtatim dicetur. Ibidem præmiſerat iſta :* Balſamon lib. 5 Juris Græcorum pag. 381 ait, Diaconiſſarum Ordinem canonibus olim cognitum, ſedem habuiſſe in bemate : ſua

AUCTORE J. P. verò ætate, etsi ἐπικληρικάζουσι, id est, in ecclesia Constantinopolitana locum & stationem haberent, non tamen in bemate sediſſe. Discimus etiam ex Novella 3 Justiniani, & alia Heraclii imperatoris, quæ extat lib. 2 Juris Græcorum, definitum fuisse numerum Diaconissarum in Majore ecclesia Constantinopolitana ad quadraginta. *Videri possunt quæ de his dixi paragrapho 2 proximè præcedente; ubi tamen numerus presbyterorum, diaconorum, ac subdiaconorum discrepat ab editione Cangii:* quibus singulis Ordinibus, *sicut pergit*, assignatæ erant in eadem ecclesia κέλλαι, seu stationes: ita enim vocantur loca ecclesiæ iis adscripta, in eadem Heraclii Novella, in qua etiam clericorum Blachernianæ ecclesiæ numerus definitur, atque adeo Diaconissarum ad sex; *ut suprà indicatum est loco mox citato.*

videntur Diaconissæ occupasse locum digniorem, quàm vulgus mulierum:

88 *Ex dictis fit mihi verosimile, Diaconissas habuisse in ædibus sacris locum à mulieribus merè laicis distinctum. Videtur quippe mihi admodùm conveniens, ut, quæ singulari electione, consecratione, officio, multisque privilegiis dignitatem quamdam eximiam, quâ feminis non patebat altior in Ecclesia Dei, erant consecutæ, par etiam locus earum meritis & auctoritati responderet.* At quo in loco, *ut rectè observat Cangius*, ædis Sophianæ, aut alterius, fuerit Diaconissarum statio, non est promptum asserere. *Deinde ad conjecturam se convertens, earumdem sedem fortasse illam fuisse memorat, quam scriptores ecclesiastici* Matroneum *nuncupant. Anastasius Bibliothecarius in Symmacho PP., qui sedit sec.* VI, *pag. mihi* 45: Et cameram fecit & matroneum. *Idem in Gregorio PP. IV, qui præfuit sec.* IX, *pag.* 243 *indicat, matroneum presbyterio adjunctum fuisse:* Presbyterium, *ait*, amplum.. funditus construxit: cui.. lapidibus circa septum matroneum adposuit.

qui tamen qualis fuerit,

89 *Animadvertit tamen Cangius pag.* 421, *non deesse, qui* Matroneum *memorent illud fuisse, quòd ab eodem scriptore dictum sit* pars mulierum; *in qua utique mulieres tempore liturgiæ sacræ degerent. Citat deinde pro illa sententia Ordinem Romanum, in quo dicta mulierum pars vocata sit* pars matronarum, *hæc ejusdem Ordinis verba proferens:* Similiter transiens Pontifex in partem matronarum, explet omnia, ut suprà. *Ex quibus videre licet, ut concludit, quòd* matroneum *non distingueretur* à parte *seu loco* matronarum. *Hanc verò haud procul exstitisse à presbyterio conficitur è verbis prædicti Anastasii in S. Paschale PP., anno* 824 *vitâ functo, apud nos die* XIV *Maii, pag.* 399: Præterea idem Summus Pontifex.. ecclesiam sanctæ & intemeratæ Virginis Mariæ Dominæ nostræ ad Præsepe, cernens quondam tali more constructam, ut post sedem Pontificis mulieres ad sacra Missarum solennia stantes prope assistere juxta Pontificem viderentur; ita ut, si aliquid colloqui Pontifex cum sibi assistentibus voluisset, ex propinqua valde mulierum frequentatione nequaquam ei sine illarum interventione liceret; largum ibidem locum inesse, qualiter inde sedem mutare valeret, cùm cerneret, dato operis studio cœpit indesinenter agere, sedem inferiùs positam sursum ponere, ut eo familiariùs preces Domino fundere posset, quo consortia populorum modestè declinare potuissent. *Hæc ibi.*

non constat.

90 Quo loco, *inquit Cangius pag.* 424, mulieres istæ, quæ haud procul à sede Pontificis stationem suam habebant in ecclesia, videntur fuisse Diaconissæ: nam cæteræ in narthece stabant, aut in ea parte, quæ mulierum dicebatur. *Atque hæc quidem sunt, quæ per conjecturas in re incerta afferri possunt, de qua apud antiquos scriptores nihil legisse me recordor, quòd ulteriùs procedat. Neque dicas, unum aliquem Diaconissis convenisse locum ex infimis, propterea quòd, quamdiu duravit mulierum in orando à viris separatio, sanctarum portarum custodia Diaconissis committeretur, teste auctore epistolæ ad Antiochenos, S. Ignatio martyri adscriptæ:* Saluto sanctarum portarum custodes Diaconissas. *Etenim per portas, de quibus hîc est sermo, non sunt intelligenda ecclesiæ vestibula vel atria; sicut confici videtur ex adjectivo* sanctarum, *quod verosimiliter significat portas in ipso templo, per quas à narthece ad sanctuarium aditus patebat.*

CAPUT IV.

Status Diaconissarum apud hæreticos Orientales.

§ I. De Nestorianis, & qualis Diaconissarum apud illos fuerit conditio; qualis sub Monophysitis vel Jacobitis.

Variæ de Nestorianis

DE Nestorianis hæreticis, eorumque erroribus visum est hîc præmittere sequentes notitias. Assemanus Bibliothecæ Clementino-Vaticanæ tomo 3 parte 2 Dissertationem de Syris Nestorianis conscripsit, per totum modò dictum tomum extensam: è qua excerpam nonnulla, quæ à meo instituto non videbuntur aliena. De Chaldæorum seu Assyriorum, quos appellat Orientales & Nestorianos, religione Christiana à temporibus Apostolicis susceptâ, tractat cap. 1: *qualis autem eorum fuerit status post hanc acceptam usque ad initia Nestorianæ hæreseos, exponit cap.* 2. *Ejusdem verò sectarios nomen traxisse à Nestorio hæresiarcha, notum est: sed quo pacto pestiferum ejus virus, propagatum ab ipso per urbem Constantinopolitanam, infecerit Orientem, non convenit inter auctores, sicut videre licet in dicta Bibliotheca cap.* 3, *ubi & veram Nestorianismi originem exponere conatur ejusdem auctor. Progressiones memorat cap.* 4; *Nestorianorum statum sub regibus Romanorum, Persarum, Arabum, Tartarorum & Turcarum dat cap.* 5; *Nestorianorum schismata & synodos cap.* 6; *veterum autem ac recentiorum hujus sectæ asseclarum errores cap.* 7.

eorumque dogmatibus impiis

92 *Nestorius duas in Christo personas statuebat, alteram Verbi Dei; alteram Jesu hominis. Hominem quippe in utero Virginis formatum volebat*

A *volebat alium esse ab Unigenito Dei Verbo : tenebat etiam incarnationem non esse veram & hypostaticam Verbi cum humanitate unionem ; sed meram inhabitationem Dei Verbi in homine, id est , in humana natura per se subsistente , velut in suo templo : idque , ut notant Patres quintæ synodi œcumenicæ can.* 4 , secundum gratiam , vel secundum operationem , vel secundum dignitatem , vel secundum æqualitatem honoris , vel secundum auctoritatem , aut relationem , aut affectum , aut virtutem . . vel secundum bonam voluntatem , quasi quod placuit Deo Verbo homo , . . vel secundum homonymiam *&c.*

præmittuntur notitiæ , 93 *Ne plura addam de re abunde ex theologis nota , solam Verbi affectivam & moralem unionem impiissimus ille hæreticus in Christo agnoscebat. Vide jam , quàm multa & quàm blasphema inde deducantur consectaria. Sequitur enim primò , ut Deus non sit natus , passus ac mortuus ; ut Christus non sit Deus , sed templum Dei dumtaxat ; ut nulla sit in Christo idiomatum , ut theologi appellant , communicatio , quæ fundatur in eo , quòd vera , & hypo-*

B *statica ùnio sit Verbi Dei cum natura humana Sequitur* 20 , *ut sanctissima Virgo Maria non sit* Θεοτόκος , *id est* , Deipara , *sed* Χριστοτόκος , Christipara , *vel* ἀνθρωποτόκος , hominis mater , *quæ videlicet , ut blasphemabat Nestorius , hominem dumtaxat genuerit Dei Verbo affectivè ac moraliter conjunctum ; non autem Dei Verbum humanæ naturæ hypostaticè ac verè unitum.*

& declaratur Diaconissarum sub ipsis status. 94 *Nunc , qualis fuerit apud Nestorianos Diaconissarum status , intellige. Earum consecrationem præmisi alia occasione cap.* 2 , § 2. *Assemanus pag.* 851 *citat Pontificale Nestorianorum , à Josepho Indorum metropolitano descriptum anno Christi* 1559 , *in eoque exstare indicat hunc ritum ordinationis Diaconissarum, ad ea usque tempora peragi consuetum. Huc spectant , quæ annotari asserit ad ejusdem calcem : sunt autem ista :* Atque ita perficitur ordo de filiabus fœderis (monialibus) quæ ad opus diaconatûs segregantur. Ad altare autem non accedit , quoniam mulier est , sed ad oleum Chrismatis dumtaxat. Hoc verò illius officium est ,

C ut corde oret in capite monialium tempore ministerii , & in fine orationis dicat , Amen : utque ungat mulieres ad baptismum accedentes , easque ad sacerdotes admoveat : non enim fas est sacerdotibus ungere mulieres : etsi nostris temporibus id faciunt , quum sacerdotes in feminam oculos nequaquam intendant. *Observo , restrictam hîc admodùm Diaconissis concedi potestatem à Nestorianis , si comparetur cum illâ, quam habebant olim apud Monophysitas seu Jacobitas , qui privilegia , suprà ferè quàm credi possit , in easdem conferebant , prout planum fiet inferiùs.*

Monophysitarum exordia 95 *Idem , qui suprà , memoratæ Bibliothecæ auctor , tomo* 2 , *qui est de scriptoribus Syris Monophysitis , præmittit Dissertationem de istis hæreticis. Licèt autem illi ex historicis ac Theologis abunde innotescant ; audire tamen juverit eorum exordia , atque alia plura. Monophysitæ sic dicti sunt , quod unam in Christo Domino naturam esse assererent. Sub hoc nomine Jacobitas Syros , & Ægyptios seu Coptas , nec non Æthiopas Armenosque hodie intelligi , observat Assemanus num.* 1. *Origo autem hæreseos Monophysitarum spectat ad medium circitèr seculum quintum. Eutyches archimandrita fuit eorum parens. Animadvertit autem dictus auctor , à majore ac saniore sectariorum ipsius parte in iis , quæ statuebat de confusione & permixtione naturarum , desertum fuisse vel in ipso initio hæreseos exortæ, neque dubitare ejusdem asseclas , quin verbo ac scriptis ipsum subjiciant anathemati ad hunc usque diem , Dioscoro tamen Ægyptiorum & Barsuma , Syrorum corruptoribus & sectæ istius primipilis , doctrinam ejus disertè approbantibus , ipsumque defendentibus tamquam orthodoxæ fidei propugnatorem.*

progressus per varias Orientis regiones : quales sint 96 *Auctor idem num.* 2 *describit progressus Monophysismi in Ægypto , Syria , Mesopotamia , Armenia , Arabia , Nubia & Æthiopia ; concordiam & discordiam recentiorum Monophysitarum num.* 3. Quod spectat , *inquit* , ad communionem Jacobitarum cum Catholicis , hæreticis vel schismaticis , Orientalibus & Occidentalibus ; jam observavi (pag. 291) primatem ejus sectæ Gregorium Barhebræum in eo fuisse Politicorum errore , ut crederet , controversias Orientales inter & Occidentales , & inter Orientales ipsos circa Incarnationem Verbi agitatas , meras esse theologorum opiniones , non hæresim E constituere.

Jacobitæ. 97 *Veterum porrò Monophysitarum sectas enumerat num.* 4 ; *Syrorum Jacobitarum errores de Christo , de Trinitate , de Sacramentis Ecclesiæ , de Eucharistia , de invocatione Spiritûs sancti in Liturgia , de statu animarum corporibus exutarum , de purgatorio &c. exponit num.* 5. *Jacobitarum quoque politiam ecclesiasticam & secularem num.* 6 *declarat ; sub cujus finem tractat etiam de quinque metropolitis , episcopis autem sex , patriarchæ Jacobitarum subjectis , præter illos , qui ibidem dicuntur in regione Turabdin exstare. Hoc verò de statu ecclesiæ Jacobitarum hodierno intelligendum monet Assemanus num.* 7. *Mitto plura.*

Status Diaconissarum 98 *His prænotatis , perveniamus ad Diaconissas Monophysitarum vel Jacobitarum , qui illorum hæresim profitebantur. Qualis sub his fuerit earum status , quæ potestas , quæ privilegia , commemorat Assemanus in Dissertatione de Monophysitis num.* 10 , *hunc de illis canonem referens , quem affirmat exstare in Pontificali Jacobitarum pag.* 144 : Potestatem intra altare F Diaconissa nullam omnino habet : quoniam & quando ordinatur , in ecclesia tantùm adstat *(extra cancellos videlicet altaris.)* Hæc est autem ejus potestas , ut scilicet altare verrat , & lampades in sanctuario accendat ; idque tum , quum presbyter aut diaconus absunt.

sub istis hæreticis. 99 Permissum est quoque ei in absentia presbyteri & diaconi , Sacramenta ex theca in sanctuario positâ accipere , mulieribusque & pueris tradere *(qui* scilicet annum ætatis quintum non excesserint , ut exponit Joannes Telensis apud Bar-Hebræum Nomocan. cap. 7 sect. 7 , *parentesis est Assemani)* non tamen ea ex altari accipere , aut altari superimponere , aut mensam vitæ quoquo modo tangere. Quando autem ad susciendum baptismum mulieres adultæ accedunt , ipsa ungat illas jussu sacerdotis : item visitet , & ungat gratiâ mulieres ægrotantes. Hæc ejus potestas est , & res hujusmodi administrat : & hac de causa ordinatur , ut in sancta Ecclesia Dei coram sacerdotibus & pontificibus ministret. *Hæc è canone Pontificalis Jacobitarum , de quo suprà.*

AUCTORE J. P.

§ II. Alia de ſtatu Diaconiſſarum ſub Jacobitis ; qua occaſione diſſeritur an communi aliqua lege Diaconiſſis interdictus fuerit acceſſus ad altare.

Mira Diaconiſſarum privilegia

POſt hæc pergit auctor ſuprà dictæ Diſſertationis, & indicat, *Bar-Hebræum fusè de Diaconiſſis tractare in Nomocane cap. 7, ſect. 7 jam citatis, ibique, præter conſtitutiones Apoſtolorum, citari etiam canones conciliorum Laodicæni & Nicæni, Baſilii Magni, & Severi, Joannis Telenſis, & Jacobi Edeſſeni. Accipe eorum, quam ſubjicit ex Bar-Hebræo, ſummam :* Diaconiſſa ante annum ætatis quadrageſimum ne ordinetur. Si poſt ordinationem nupſerit, excommunicetur. Conſuetudo in ditione Anthiochena obtinuit, ut abbatiſſa monialium

B Diaconiſſa fiat, ſubditiſque monialibus Euchariſtiam porrigat ; idque presbytero & diacono abſentibus dumtaxat. In eadem Antiochena ditione quum Diaconiſſa ordinatur, orarium humero ejus inſtar diaconorum imponitur. Quum menſtrua patitur, ingreſſu ſanctuarii prohibetur ob reverentiam altaris. Ad cujus titulum ordinata eſt, in eo ſanctuario dumtaxat miniſtrat.

ſub dictis Jacobitis in ditione Antiochena, ubi ad hoc munus aſſumebant abbatiſſas :

101 Ungit mulieres oleo catechumenorum, quum baptizantur. Ægrotas viſitat ungitque (quo oleo *ait Aſſemanus*, non explicat Jacobus Edeſſenus. Sed de oleo benedicto, non de oleo infirmorum loqui videtur.) Quum ipſa ægrotat, vices ſuas cuidam ſorori in monaſterio monialium committere poteſt, ut ſcilicet ſanctuarii curam gerat, non ut ſacra myſteria contingat. Partem Euchariſtiæ, ut facere ſolent diaconi, in calicem immittere nequit : permiſſu tamen epiſcopi vinum & aquam in calicem miſcere poteſt, & calicem etiam conſecratum miniſtrare, quum id neceſſitas poſtulat. *Mirabilia enimverò & penè incredibilia nonnulla hìc ſunt privilegia Diaconiſſis conceſſa apud hæreticos Jacobitas in ditione Antiochena. Quod autem inter illa memorabatur de conſuetudine, ut monialium abbatiſſæ ad dignitatem Diaconiſſarum aſſumerentur, mirum non eſt, cùm idem fieret apud orthodoxos in Oriente.*

C

quod etiam fecerunt in Oriente

102 *Cujus rei duo in promptu habemus exempla. Tomo 2 Martii, die* XXIII *ejuſdem menſis, in Vita S. Eupraxiæ virginis cap. 2, num. 7, pag. 267 referuntur iſta :* Eupraxia, *ſynonyma videlicet iſtius ſanctæ virginis mater*, diligens monaſterium ſanctarum mulierum . . , rogabat Diaconiſſam, & priores monaſterii, dicens eis : Parvam benedictionem volo monaſterio veſtro præbere, redditum auri viginti & triginta librarum, ut oretis pro iſta orphana (*Eupraxia videlicet filia*) & pro Antigono patre ejus. *Aurum recuſavit admittere illa abbatiſſa, dicens tamen :* ſed ne te contriſtem, aut ſine fructu dimittam, paucum oleum, & candelas, & thymiama in oratorium confer . . , & his oblatis rogabat Eupraxia Diaconiſſam, ut omnes ſorores orarent pro Antigono, & filia ejus Eupraxia. *Et ibidem num.* 10 : Tunc & Eupraxia mater ejus orans dixit : Filia mea, amas hoc ſchemate veſtiri ? Cui Eupraxia dixit : Utique, mater mea: quia (ſicut agnovi) Diaconiſſa & dominæ ſorores dixerunt *&c. Hæc ibi. Sancta autem virgo iſta tomo citato pag. 264 annuntiatur in Thebaïde, & ſcribitur obiiſſe poſt annum Chriſti 410 : ex quo prædictæ conſuetudinis antiquitas eluceſcit.*

D

orthodoxi

103 *Aliud factum, quo iſta conſuetudo confirmatur, ſuggerit Vita S. Irenes virginis & hegumenæ ſeu abbatiſſæ Conſtantinopoli in monaſterio Chryſobalantho, cujus Vitam illuſtravi tomo* VI *Julii, die* XXVIII *: floruit autem ſeculo* IX. *Ibidem autem pag. 610 narrat biographus anonymus, Sanctæ iſtius præfecturæ abbatiali præmiſſam fuiſſe dignitatem diaconalem, S. Methodio patriarcha Conſtantinopolitano eam conferente. Audiatur biographus :* Mox itaque nihil moratus patriarcha, ſurrexit è ſolio, thuribulum petiit, thus adolevit, Deo benedixit, primuſque convenientem auſpicatus hymnodiam, Diaconiſſam magnæ eccleſiæ (*id eſt, S. Sophiæ, ſeu Divinæ Sapientiæ*) primùm ordinat Irenen (ſpiritu quippe, qui in ipſo erat, viderat ipſius puritatem, *ad illud utique officium requiſitam :*) & poſt hæc præfecturæ ſignaculum ſuperaddidit.

E

abolitæ apud Jacobitas Diaconiſſæ ; non tamen omnino exſtinctæ.

104 *Nunc redeamus ad Jacobitas, quorum patriarchæ Michaëlis canon de Diaconiſſis ex Pontificali Syriaco, auctoritate ejus publicato, profertur apud Aſſemanum dicto num.* 10 *: in quo canone ſermo eſt de ordinatione Diaconiſſæ tamquam de re, quæ jam diu deſierat in Eccleſia ; additur tamen hæc clauſula :* Si quis autem pontifex Diaconiſſam propter urgentem neceſſitatem aliquando ordinare voluerit, mulierem ordinet, cujus de caſtitate teſtimonium habeatur, quæque ad ſenectutem proximè accedat : quoniam & ſancti Apoſtoli, Patreſque talem ordinari decreverunt : *ubi vides, à memorato Michaële Jacobitarum patriarcha poteſtatem fieri epiſcopis ordinandi Diaconiſſas propter urgentem neceſſitatem. De Michaële patriarcha, cui Magni nomen fuit inditum, ſcribit Aſſemanus tom. 2 cap. 31, claruiſſe eum dicens anno circiter* 1190, *& Pontificale ac Rituale Syrorum Jacobitarum ordinaſſe.*

Diſſeritur an, ſicut apud illos,

105 *Verba illa è Pontificali Jacobitarum ſuperiùs recitata*, Poteſtatem intra altare Diaconiſſa nullam omnino habet : quoniam & quando ordinatur, in eccleſia tantùm adſtat, *non admiſſa videlicet intra cancellos altaris ; hæc, inquam, movere poſſunt quæſtionem, an ſicut acceſſus ad altare, aut illius contactus Diaconiſſis omnino fuit interdictus apud Jacobitas ; ita etiam olim ſtata aliqua communi lege hoc eis vetitum fuerit. Si quis illud affirmat, incumbit ipſi legem hujuſmodi producere. Aſſemanus in Diſſertatione de Syris Neſtorianis pag. 849 affirmat non conſtare, quòd id olim interdictum fuerit ; immò verò Diaconiſſas aliquod obiiſſe officium circa altare, probat è Theodoro Balſamone in Reſponſione ad 35 interrogationem, Juris Orientalis lib. 3, ubi cauſam inſuper refert, cur privilegio iſto privatæ fuerint, his verbis, quæ in ipſo fonte non vidi, ſed quæ Aſſemanus ſic recitat loco citato :* Olim aliquando Diaconiſſarum ordines cogniti fuêre canonibus, habebantque ipſæ gradum & officium circa altare. Menſtruorum autem inquinatio miniſterium earum à divino & ſancto altari expulit.

F

ita etiam communi aliqua lege

106 *Quid, quòd non ab altari dumtaxat, verùm etiam à templo ac Sacramentis excludatur menſtruata apud Orientales, prout obſervat idem Aſſemanus ex ſequenti canone S. Dionyſii Ale-*

A *Alexandrini :* De mulieribus, quæ ſunt in abſceſſu, an eas ſic affectas oporteat in Dei domum ingredi, ſupervacaneum vel interrogare exiſtimo : neque enim reor, ſi tamen fideles ſint & piæ, ſic affectas, auſuras vel ad ſanctam menſam accedere, vel corpus & ſanguinem Domini attingere. *Huic canoni idem auctor attexit interrogationem ſeptimam ex epiſtola canonica Timothei Alexandrini :* Si mulier ſibi accidiſſe viderit, quod ſolet mulieribus, debetne ad ſancta myſteria accedere, an non ? *Et reſpondetur :* Non.

apud Orientales 107 *Tomo* 2 *Conciliorum apud Labbeum col.* 287 *& ſequentibus dantur canones concilii Nicæni octoginta, ex Arabico in Latinum converſi, qui à Nicolino, Binio, regioque collectore tomis Conciliorum inſerti memorantur in notula marginali col.* 287. *Deinde à col.* 359 *ſequuntur ſanctorum Patrum, ut fertur, concilii Nicæni ſanctiones & decreta. Conſtitutiones vocat Aſſemanus loco citato, & quamvis ſcribat, eaſdem* in patriarchatu Antiocheno, & maximè apud Syros & Chaldæos vigere, *affirmat tamen perperam illas tribui concilio Nicæno. Tomo itaque*
B *Conciliorum, quem modò deſignabam, col.* 368 *ſunt iſta de muliere menſtrua patiente :* Omnes fideles, & Chriſtianæ mulieres continere ſe debent ab ingreſſu ædium Dei, quæ ſunt ejus templa, quamdiu menſtrua patiuntur : item à communionis ſumptione, quouſque adimpleatur earum dies. *An igitur mirum cuiquam videri debet, ſi ab eccleſia, ab altari, à Sacramentorum participatione removeantur Diaconiſſæ menſtruorum tempore, una eademque lege, quæ conſtringebat alias mulieres, comprehenſæ propter convenientem ſacrorum myſteriorum reverentiam ?*

prohibitus 108 *Ex allatis itaque jam conſtitutionibus nulla eſt, quæ ſimpliciter & abſolutè Diaconiſſas arceat ab altari ; ſed reſtrictè ad tempus menſtruorum, & per accidens. Sicut ergo nemo dixerit, mulieribus non Diaconiſſis vi alicujus canonis ingreſſum in eccleſiam & participationem ſanctiſſimæ Euchariſtiæ interdictâ fuiſſe ſimpliciter & abſolutè ; ita ratiocinetur neceſſe eſt de acceſſu Diaconiſſarum ad altare, & contactu ejus. Superiora ſic confirmari poſſunt ex Aſſemano pag.* 850 : Nullus, *inquit*, canon prohibet
C Diaconiſſas, urgente ſaltem neceſſitate, in ſanctum tribunal ingredi ; imò plures canones apud Syros exſtant, qui etſi poteſtatem ordinariam omnem Diaconiſſis intra altare denegant, concedunt tamen iis, ut in abſentia presbyterorum & Diaconorum verrant altare, & lampades in ſanctuario accendant, & ex theca ibi poſita Euchariſtiam accipiant, mulieribuſque ac pueris tradant. Quæ omnia ut præſtare poſſint, altare illas ingredi oportet. *Hæc ille, de quibus conſule præmiſſa in præcedenti paragrapho num.* 99, *& cap.* 2.

AUCTORE J. P. *ipſis fuerit* 109 *Sententia noſtra etiam confirmatur ex antiquis Euchologiis, in quibus Diaconiſſarum ordinatio peragi dicitur intra ſanctum tribunal, id eſt, circa altare, prout indicato jam cap.* 2 *licet videre. Quæ cùm ita ſint, Balſamoni in hunc canonem* 15 *concilii Chalcedonenſis* Diaconiſſam non eſſe mulierem ordinandam ante annum quadrageſimum *&c., ſcribenti non omnino aſſentior :* Quæ in præſenti, *ait*, canone tractantur, omnino exolevêre. Diaconiſſa enim hodie non ordinatur. Etiamſi quædam aſcetriæ abuſivè Diaconiſſæ dicantur. Eſt enim canon, qui ſtatuit, mulieres in ſanctum tribunal non debere ingredi. Quæ ergo ad ſanctum altare accedere non poteſt, quomodo diaconatûs officium exercebit ? *In his, inquam, Balſamoni non aſſentior. Nam primò, cùm ipſa iſtius canonis verba non proferat, non videtur ſatis conſtare, an à ſancto tribunali arceat mulieres laïcas dumtaxat, an etiam Diaconiſſas.*

acceſſus 110 *Secundò, jam dictum eſt num.* 108 *licuiſſe Diaconiſſis, urgente neceſſitate, ingredi ad ſanctum tribunal ; & num.* 109 *indicatum eſt, earum ordinationem in iſto loco peragi. Tertiò,* quædam aſcetriæ, *id eſt*, moniales quædam *Græcorum* abuſivè Diaconiſſæ dicuntur *ſecundum Balſamonem : quæ dictio nimiùm eſt univerſalis, cùm reſtringi debeat, uti oſtendit Aſſemanus, ad patriarchatum Antiochenum Græcorum, in cujus cathedra veriſimiliter ſedebat ſeculo Chriſti* XI (*vide Hiſtoriam Patriarcharum Antiochenorum ante tomum* IV *Junii :*) *tunc enim ibi ordinari deſierant Diaconiſſæ : cùm in eodem patriarchatu apud Syros Maronitas, Jacobitas, & Neſtorianos aliter ſe res habuerit, ſicut monet Aſſemanus pag.* 850, *probatque ex Bar-Hebræo, cujus verba recitata ſunt ſuperiùs num.* 100.

ad altare. 111 *Quartò, inepta mihi omnino apparet hæc Balſamonis concluſio :* Quæ ad ſanctum altare accedere non poteſt, quomodo diaconatûs officium exercebit ? *Quippe præterquam quòd interrogatio iſta probabiliùs ſupponat falſum, cùm jam videatur ſatis probatum, Diaconiſſis communi aliqua lege interdictum non fuiſſe acceſſum ad altare ; quot & quàm diverſa erant earum officia, quæ extra altare exercebant, quæque ad illud neutiquam pertinebant, prout invenies* F *ſuprà cap.* 1, *ubi ea enumeravi ? Enimverò Diaconiſſarum tale erat inſtitutum, ut externis charitatis erga femineum ſexum obſequiis intenta, nihil haberent commune jure ordinario cum ſacris myſteriis, quæ ad aram peragebantur ab Eccleſiæ miniſtris. Quamvis autem earumdem inauguratio valde ſimilis eſſet conſecrationi diaconorum ; horum tamen miniſterium ab illarum occupationibus omnino diſcrepabat, quia ferè totum, vel maxima ſaltem ex parte, referebatur ad altare.*

AUCTORE J. P.

D

CAPUT V.

Diaconiſſæ quædam memorabiles in Oriente & Occidente.

§ I. Variæ de illis notitiæ ex ſcriptoribus.

Timo,

PRæter *S. Phœben Diaconiſſam, quæ claruit ſeculo primo, apud Surium ad diem* XIX *Februarii in Vita S. Auxibii, & apud nos in ejuſdem Sancti Vita eodem die memoratur pag.* 127 *Timo Diaconiſſa, Beatæ titulo inſignita. Ibidem pag.* 124 *indicatum eſt, vitâ functum fuiſſe eumdem ſanctum epiſcopum anno circiter* 102 *: unde conficitur, quo tempore ipſa vixerit, videlicet ſeculo primo, & fortè etiam ſecundo. Hæc autem de illa leguntur apud nos in dicta Vita :* Poſt hæc famâ permotus S. Auxibii frater Themiſtagoras Solos (*in Cypro*) pervenit, unà cum conjuge B. Timo : quæ ipſa quoque erat & admiratione digna, & virtute prædita. Hi cùm in eccleſiam ſe contuliſſent, complexu ſe invicem ſalutarunt, ex eaque amborum congreſſione magna lætitia provenit. Et fuêre deinceps in ædibus epiſcopi, ubi à pontifice erudiebantur : ſuntque baptiſmo ab eodem initiati in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti. Ordinavit autem B. Themiſtagoram Eccleſiæ diaconum S. Auxibius, uxoremque ejus inibi ſimiliter Diaconiſſam. Nam ex quo ſacrum baptiſma ſuſcepêre, ſe ipſi à peccandi occaſione ſejunxerunt, & ambo deinceps fratrum inſtar erant. *Per occaſionem peccandi ſcriptor crudiori phraſi intelligit uſum matrimonii, ut ex ſequentibus verbis ſatis innoteſcit. Videmus hîc circa finem ſeculi primi mulierem, vivente marito, ad Diaconiſſarum officium fuiſſe promotam, ſicut factum de Theoſebia uxore S. Gregorii Nyſſeni dictum eſt num.* 59 *: idque licitum fuiſſe, patet ex verbis S. Epiphanii num.* 2 *datis.*

B

S. Martina V & M., & alia

113 *Tertio Chriſti ſeculo claruit S. Martina virgo & martyr Romana, ſub Alexandro imperatore paſſa, quæ* per donum Dei Diacona *fuiſſe ſcribitur in Vita à nobis data ad diem* 1 *Januarii pag.* XI *num.* 3. *Ad quartum æræ Chriſtianæ ſeculum pertinet memorabile ſtudium Diaconiſſæ anonymæ, quod contulit ad convertendum filium gentilis ſacerdotis à paterna ſuperſtitione ad orthodoxam fidem. Factum narrat Theodoretus lib.* 3 *Eccleſiaſticæ hiſtoriæ à Sirmondo edita tomi* 3 *parte* 2 *; ubi cap.* 9 *relatis pœnis, quas impietatis ſuæ dederunt Julianus avunculus imperatoris & Felix, ita pergit cap.* 10 *:* Per idem verò tempus adoleſcens quidam, filius ſacerdotis, in falſa religione educatus, ad piorum cœtum aggregatus eſt. Femina enim quædam pietate inſignis, & Ordine Diaconiſſa, hujus matri familiaris cùm eſſet, cum matre venientem (nam tenellæ admodùm erat ætatis) amanter illum excipiebat, hortabaturque ad amplexandam pietatem.

C

Diaconiſſa anonyma,

114 Matre verò mortua ; frequentabat illam adoleſcens, & conſuetâ doctrinâ erudiebatur, conſiliiſque ejus in animo defixis, rogabat magiſtram, quâ viâ poſſet tum patris ſuperſtitionem effugere, tum veritatem aſſequi, quam prædicabat. Cui illa, fugiendum eſſe patrem, reſpondit, eiteram urbem petendam, in qua latêre poſſit, & impii regis manus evadere ; atque hoc curæ ſibi futurum pollicebatur. Tum adoleſcens, Veniam ad te, inquit, deinceps & apud te animam meam deponam. Paucis poſt hæc diebus, Julianus publicum epulum celebraturus Daphnem aſcendit : aſcenditque cum illo hujus pater, utpote ſacerdos, & imperatorem aſſectari ſolitus.

miro gentilem quemdam ad Chriſtum convertendi deſiderio

115 Cum patre autem & hic erat, & frater ejus : ambo enim neocori erant, imperatoriſque dapes aſperſione luſtrabant. Septem diebus apud Daphnem feſtum agi mos eſt. Prima igitur die adſtans adoleſcens lectulo imperatoris, cùm epulas de more luſtraſſet, ac piaculo polluiſſet, curriculo contendit Antiochiam, & admirandam adiens feminam, Ego quidem ad te venio, inquit, ſicut promiſeram : tu vide, ut utrique ſaluti proſpicias, & promiſſa præſtes. Illa mox conſurgens adoleſcentem deducit ad virum Dei Meletium, qui juſſit eum in ſuperiore hoſpitii parte interim conſiſtere. At pater filium quærens, totâm Daphnem circumibat, reverſuſque in urbem vicos & angiportus perluſtrabat, oculos quoquoverſum conjiciens, hujus inveniendi deſiderio. Tandem cùm ad eum locum perveniſſet, ubi diverſorium erat Meletii, ſublatis oculis vidit illum proſpicientem per cancellos, & accurrens corripuit & abſtraxit, domumque reductum verberibus primùm acerrimè cecidit : deinde candentes acus manibus pedibuſque & dorſo infixit : poſtremò concluſit in cubiculo, foribuſque obſeratis, Daphnem rediit. Hæc ego illum jam provecta ſenem ætate narrantem audivi. Addebatque præterea, ſe Numine afflatum, & divina plenum gratiâ, patris idola omnia contriviſſe, atque illorum imbecillitatem deriſiſſe.

E

nobilis :

116 Poſtea verò, cùm animo agitaret quòd fecerat, patris reditum extimuiſſe, Chriſtumque Dominum orâſſe, ut annueret, ut feras confringeret, oſtiaque patefaceret. Tua enim, inquit, causâ hæc pertuli & feci. Hæc, aiebat, cùm dicerem, reſiluerunt feræ, & apertæ ſunt fores. Ego verò ad magiſtram denuo feſtinanter recurri : quæ me veſte induens muliebri, ſecumque ſtatuens in conclavi, iterum deduxit ad divinum Meletium : is autem Cyrillo, Hieroſolymorum tunc epiſcopo, me tradidit, atque ita nocte profecti ſumus in Palæſtinam. Poſt mortem porrò Juliani, patrem quoque ſuum ad veram religionem perduxit. Nam & hoc etiam nobis inter cetera narravit. Sic igitur iſti ad Dei cognitionem delati ſalutis participes facti ſunt.

F

alia

117 *Præclara quoque eſt hiſtoria, quam ſubdit Theodoretus libro citato cap.* 14 *de Publia Diaconiſſa.* Ego verò, *inquit*, præſtantiſſimæ quoque feminæ præclaram hiſtoriam hoc loco adjiciam. Iſtius enim rabiem etiam mulieres divino zelo ſuccenſæ contempſerunt. Publia erat iis temporibus nobiliſſima, & eximiorum virtutis operum famâ celeberrima. Hæc modico tem-

pore

AUCTORE J. P.

pore matrimonii jugo adſtricta, Deo fructum obtulit ſanè admirandum. Joannes ſiquidem is, qui presbyterorum Antiochiæ princeps fuit diutiſſimè, ac ſæpe electus, ut Apoſtolicam Sedem capeſſeret, dignitatem illam perpetuò recuſavit, de hoc admirabili ſolo ènatus eſt. Hæc ſecum habens cœtum virginum perpetuam caſtimoniam profeſſarum, creatori ſervatorique Deo laudes aſſiduè canere cùm ſoleret, tum verò præter-eunte imperatore clariùs omnes unà pſallebant, deſpicatu & irriſione dignam furiam illam ducentes. Concinebant autem illa maximè, in quibus idolorum infirmitas deridetur, & cum Davide inſonabant: Simulacra gentium argentum & aurum, opera manuum hominum.

in profitendo coram Juliano imperatore Chriſti fidem imperterrita:

118 Et poſt cetera, quibus illorum ſtupiditas deſcribitur, addebant: Similes illis fiant, qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis. Quæ gravi cum dolore audiens Julianus, ſilere illas deinceps, dum tranſiret, imperavit. At Publia, ejus leges parvi pendens, fiduciam choro majorem addidit: & prætereunte illo rurſus, canere juſſit: Exurgat Deus, & diſſipentur inimici ejus. Qua ex re graviter commotus, chori magiſtram adduci præcepit, & ſenectam cernens reverentiâ digniſſimam, nec corporis canos miſertus eſt, nec animi virtutem honore proſecutus: ſed aliquos de ſatellitibus utramque illi malam cædere, genaſque manibus cruentare juſſit. Illa verò ſummi honoris loco habens contumeliam, domum rediit, unde ſpiritualibus illum cantibus de more impetebat, quemadmodum cantuum ipſorum auctor & magiſter malum illum ſpiritum repreſſit, qui Saülem divexabat.

S. Olympias ſplendor Orientis.

119 *Seculo quarto, & ineunte quinto claruit S. Joannes Chryſoſtomus, epiſcopus Conſtantinopolitanus, ejuſque tempore illuſtres quædam in eadem eccleſia Diaconiſſæ floruerunt. Tunc quippe ibidem egregiè excelluit, virtutumque ac ſanctimoniæ ſuæ radiis Orientem illuſtravit S. Olympias, ad quam ille ſanctus Pater tomo 3 Operum, quæ Montfauconius edidit, multas dedit epiſtolas, quarum prima prænotatur hoc titulo, venerationem ſingularem ſpirante:* Dominæ meæ ſummopere venerandæ, ac religioſiſſimæ Olympiadi, Diaconiſſæ, Joannes epiſcopus ſalutem in Domino. *S. Gregorius Nazianzenus, aliud in Oriente præſulum lumen, de illa etiam meminit epiſtolâ* 57 *al.* 44. *Adde Sozomenum Hiſtoriæ eccleſiaſticæ lib.* 8, *cap.* 24. *Annuntiatur apud Græcos in Menologio Sirleti & laudatur die* XXV *Julii: in Martyrologio autem Romano refertur* XXVII *Decembris; quæ nominis quoque celebritatem apud Jacobitas adepta eſt, memoriâ cultûs ejus notatâ in Kalendario Sanctorum, quod Saliba presbyter deſcripſit, teſte Aſſemano tomo* 2 *in Diſſertatione de Monophyſitis inter ea, quæ habet ſub num.* x. *De hac ſancta Diaconiſſa pluribus agendum erit cum Martyrologio Romano ad* XXVII *Decembris. Legi interim poteſt longum pariter & honorificum ipſius elogium, quod habetur apud Nicephorum Calliſtum Hiſtoriæ eccleſiaſticæ tomo* 2, *lib.* 13, *cap.* 24; *ubi generis ſplendor, divitiæ, munificentia, venuſtas formæ, præclara vitæ ornamenta ſolidis virtutibus conjuncta, rerum caducarum contemptus, ac prodigia in hac magna Diaconiſſa laudantur.*

§ II. Aliæ clari nominis Diaconiſſæ.

Pentadia fortiſſimè ſe geſſit

A *Ltera, quæ tempore S. Joannis Chryſoſtomi floruit, occurrit, nomine Pentadia, clari nominis Diaconiſſis etiam annumerari merita. Huic reſcribit idem ſanctus Pater epiſtolâ* 94, *tom.* 3 *pag.* 643 *editionis Montfanconianæ, ubi ſignatur exarata anno* 404 *vel* 405; *in qua egregiè eam commendat, hortaturque, ut forti ſit animo contra adverſarios.* Gaudeo, *inquit*, & exſulto, maximamque, etiam in tam deſerto loco degens, conſolationem mihi poſitam eſſe duco in ea, quam in omnibus rebus adhibes, fortitudine, conſtanti ſententia, ingenti prudentia, linguæ libertate, ac ſublimi fiducia, per quam & adverſarios ignominiâ perfudiſti, & mortiferam diabolo plagam inflixiſti, & eos, qui pro veritate decertabant, ad dimicandum acuiſti, ac fortiſſimi militis inſtar præclarum in bello tropæum erexiſti, luculentamque victoriam adepta es.. Ecquod enim inſidiarum genus prætermiſerunt? Ecquod machinarum genus non moverunt, dum ſolidæ tuæ ac Deo fideli, generoſæque & fortiſſimæ animæ inſidias ſtruere conantur? In forum te, quæ præter eccleſiam & cubiculum nihil noras, pertraxerunt, à foro ad tribunalia, à tribunalibus ad carcerem.

in cauſa

121 Falſorum teſtium linguas acuerunt, impudentem calumniam concinnarunt, cædes perpetrarunt, cruoris torrentes profuderunt, igni ac ferro juvenum corpora conſumſerunt, multis ac præclaris viris innumeras plagas & cruciatus intulerunt, nullum denique lapidem non moverunt, quo te metu perterritam huc adigerent, ut iis, quæ videras, contraria diceres. At tu inſtar aquilæ ſublimè volantis, eorum retibus fractis, ad libertatis faſtigium virtuti tuæ conſentaneum aſcendiſti.. Quoniam autem de nobis quoque aliquid audire cupis; vivimus, valemus, morbo omni liberati ſumus. Quod ſi etiam ægrotamus, idoneum nobis ad recuperandam ſanitatem remedium eſt ſincera & fervens, ac firma & conſtans tua erga me caritas.

S. Joannis Chryſoſtomi

122 *Scripta eſt hac epiſtola dum Vir ſanctus in exſilium diſceſſerat: qua de cauſa turbæ Conſtantinopoli ſunt concitatæ, & eccleſia patriarchalis incendio conſumpta: quod dum hoſtes ejus imputarent civibus Conſtantinopolitanis, qui optimum paſtorem ſuum tenerrimè diligebant, diris modis illos exercebant, ut hujus atrocis calumniæ tamquam veræ accuſationis confeſſionem ex eo extorquerent. Porrò laudatæ Pentadiæ idem ſanctus Doctor ſcribit epiſtolam* 104 *pag.* 649, *& epiſtolam* 185, *pag.* 704: *in hac autem inter alia* Tuorum, *ait*, nuncia rectè factorum ad extremos uſque fines orbis terrarum fama pervenit, & omnium ore laudaris, quòd, cùm in uno conſtituta ſis loco, longè diſſitos excites tua pietate, atque alacriores efficias.

Ampructa, Dionyſia,

123 *Jam verò de Ampructa Diaconiſſa quid dicam? Exſtat S. Joannis Chryſoſtomi ad illam, ejuſque comites epiſtola* 103, *pag.* 648, *quæ* Cucuſo (*Armeniæ oppido, ubi exſulabat Sanctus*) *anno* 404 *ſcripta notatur: & in qua illas corroborat ad ferendas fortiter perſecutiones.* Comites *ejus ſuſpicor fuiſſe virgines, quibus ipſa præerat. Ad diem* XX *Januarii noſtri in Vita S. Euthymii*

AUCTORE J. P.

Euthymii Magni, qui obiit ſeculo 5, *pag.* 302 *narratur Dionyſia, ejuſdem Sancti mater, ab Otreio Melitenſi epiſcopo ordinata fuiſſe Diaconiſſa, & ſic laudatur :* Cùm verò de matris ſterilitate audiviſſet, & de divina operatione, & quemadmodum opus precationis fuerat ejus conceptio, & quòd, antequam naſceretur, parentes eum Deo dedicaverant, fuit futuri verus propheta &: Revera, inquit, requieſcet Spiritus Dei ſuper hunc puerum. Deinde cùm eum baptizaſſet, & pilos, qui ex lege tondentur pueris, totondiſſet, in gradum lectorum eum cooptat, atque matrem quidem Dionyſiam, ut quæ divinis vacaret aſſiduè, Diaconiſſam ordinat ſuæ eccleſiæ.

S. Radegundis Francorum regina : quibus adde

124 *Seculo ſexto claruit S. Radegundis, illuſtris Francorum regina, quæ à S. Medardo Noviomenſi epiſcopo Diaconiſſa fuit conſecrata, ut dictum eſt pluribus ſuprà cap.* 2, *à num.* 15. *Cur autem hîc omittam Baſilinam, quam vera pietas in conſanguineo tuo ab hæreſi ad orthodoxam Chriſti fidem convertendo, nec non apparitio quædam ſingularis memorabilem fecit ? Rem geſtam narrat Baronius ad annum* 513, *num.* 30 *&* 31 *è Vita S. Joannis Silentiarii apud Lipomanum. En tibi compendium ex ejuſdem Sancti Vita, quam dedimus die* XIII *Maii pag.* 237 : Mulier quædam genere quidem Cappadox, Baſſina * nomine, Diaconiſſa magnæ eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, venit Hieroſolymam, habens ſecum conſobrinum, qui locum obtinebat præfecti : qui . . . Catholicæ minimè communicabat Eccleſiæ, ut qui Severi à recta diverſam ſuſcepiſſet opinionem. Atque Diaconiſſa quidem multùm ponebat ſtudii, ut mens illius mutaretur, & eum Catholicæ uniret Eccleſiæ : & ideo unumquemque virum juſtum rogabat, ut pro eo oraret.

* *l.* Baſilina, *ut infrà : apud Baronium minùs aptè* Regina, *tranſlato Latinè nomine, vocatur.*

Baſilinam,

125 Rogavit *etiam prædicti ſancti Joannis diſcipulum, nomine Theodorum*, ut eum ad ſanctum ſenem deduceret, credens fore, ut per ejus orationem *converteretur : quod & miro modo factum eſt.* Hæc cùm didiciſſet Baſilina, venit in majus deſiderium ſenem videndi ſuis oculis, & in animo habuit ſe virili amictu induere; & ad eum venire in Lauram, ſuaque ei exponere. *Quod cùm intellexiſſet ſanctus in viſione per angelum*, ei ſignificavit dicens : Scias quòd, ſi venias, futurum ſit, ut me non videas. Noli ergo vexari, ſed potiùs mane, &, ubicumque degeris, apparebo tibi in ſomnis, & tua à te audiam, & quæ mihi Deus in mentem immiſerit, ea tibi renuntiabo. *Dictis reſpondit eventus, ſicut in dicta Vita narratur.*

Manaridem, & S. Irenem.

126 *Manaridem Diaconiſſam aliquid etiam habuiſſe, quo ſuperioribus accenſeri poſſit, confido ex eo, quod S. Porphyrius epiſcopus Gazenſis in Palæſtina puellam Salaphtham, quæ ad fidem Chriſti converſa erat, vitæque ſanctimoniâ emicabat, prædictæ Diaconiſſæ commiſerit poſt mortem aviæ ejus. Factum breviter ſic narratur in Vita iſtius Sancti tomo* III *Februarii, die* XVI, *cap.* 2, *num.* 102, *pag.* 660 : Contigit autem in ipſis diebus anum requieſcere, & migrare ad Dominum. Tunc advocatâ puellâ, accerſivit Beatus piam Manaridem Diaconiſſam, quæ interpretatur ipſa quoque Græcâ linguâ φωτεινὴ, id eſt, lucida, & commiſit Salaphtham, ipſo * dato habitu regulari. Et cùm eas Deo commendaſſet, dimiſit in pace. *Ut aliquid ſaltem ſtatuas de tempore hujus Diaconiſſæ, pag.* 643 *à nobis ſignatur iſte ſanctus præſul obiiſſe anno* 421. *Supereſt S. Irene abbatiſſa & Diaconiſſa Conſtantinopoli : quæ de illa præmiſi ſuperiùs num.* 103, *pro inſertis hîc accipe. Claruit autem hæc ſancta Diaconiſſa ſeculo* IX, *& ad illam dignitatem evecta eſt à S. Methodio patriarcha Conſtantinopolitano non poſt annum Chriſti* 846, *quo probabiliùs eum è vita migraſſe diximus in Hiſtoria patriarcharum iſtius ſedis, quæ habetur ante tomum primum menſis Auguſti, pag.* 108*. Die* XIV *Auguſti egimus de B. Alberto epiſcopo Ferrarienſi, eademque occaſione indicavimus ibidem pag.* 178 *in Additione ad Commentarium de ipſo hiſtoricum, à noſtro P. Petro Breſcianini inſtrumenta varia, quæ R. A. D. Joſephus Antenor Scalabrinus operosè collegerat, huc miſſa fuiſſe. Inter plurima autem illa documenta Ferrarienſia, quæ ante me habeo, dicitur*, à fodientibus arenam, inter laterum & diſjecti muri ruinas, lapis . . inventus, reliquias martyris deſignans, imperito inventori ignotus, ita ut lipſana penes eumdem humata deperdita negligantur : à C. V. Scipione marchione Maffei Veronam delatus eſt, ut ipſe in Collationibus Caſſiodori teſtatur. *His præmiſſa erant iſta de tempore & loco inventi lapidis :* Anno MDCCXXI in hortibus * penes * eccleſiam Sanctæ Crucis PP. Minimorum S. Franciſci de Paula, ubi olim ſuburbano in burgo S. Barnabæ eccleſia & cœnobium ſanctimonialium aderat . . , ibique antiquum caſtrum inventum. *Lapidi autem ibi reperto hanc fuiſſe inſculptam inſcriptionem lego in eiſdem documentis :*

* *f.* ipſi

* *l.* hortis
* *f.* apud

✠ DACIANA. DIACONISSA, QUE V. AN. XXXXV M. III. E. FUIT. F. PALMATI. COS. E. SOROR VICTORINI. PSBRI. E. MULTA PPETRAVIT. CUM FLACCA ALUMNA V. A. XV. DEP. IN. PACE. III. ID. AUG.

Deinde ſubditur Chriſti monogramma, & duo alia ſigna. Die X *Maii pag.* 498 *inter martyres Romanos dedimus S. Palmatium conſulem, cum uxore & filiis, nec non aliis è ſua familia quadraginta duobus, anno* 222 *ſub Alexandro imperatore paſſum. Sed hic non videtur eſſe, qui ſuprà ſignatur in inſcriptione. Primò enim non vocatur ibi martyr.* 2°. *nomina filiorum ibidem non invenio.* 3°. *nihil ibidem lego de* Daciana, *nihil de* Victorino presbytero. *Apparet tamen inſcriptio eſſe antiqua ; etiamſi non liqueat ad quod tempus referenda ſit.*

A

AUCTORE J. P.

CAPUT VI.

Dissertatio de tempore ac modo, quibus Diaconissæ exoleverunt.

§ I. In plerisque, non tamen in omnibus Orientis ditionibus desierunt Diaconissæ seculo circitèr XII; nullæ, quantùm scimus, tunc in Occidente superstites.

Diaconissæ in Oriente & Occidente exolevêrant sec. circ. 12:

RECentiores duo scriptores, *Morinus in Commentario de sacris Ecclesiæ ordinationibus parte 3, Exercitatione 10, cap. 3, num. 5, & Jueninus in Commentario de Sacramentis dissertatione 9, quæstione 5, cap. 2, aliquam fixerunt ætatem, quâ Diaconissæ exoleverint. Morinus quippe affirmat, totam Diaconissarum disciplinam, ipsasque etiam Diaconissas esse abolitas & exstinctas in Ecclesia cùm Græca tum Latina* abhinc annos quingentos, & quid ampliùs. *Jueninus autem eas desiisse memorat in utraque ista Ecclesia* sexcentis abhinc annis. *Probat sententiam suam Morinus ex Balsamone in canonem* 15 *concilii Chalcedonensis scribente: item ex omnibus Euchologiis, quæ* ab annis, *ait*, quadringentis Diaconissarum ordinationes non ampliùs nobis exhibent: *deindè è silentio Symeonis Thessalonicensis*, licèt, *prout observat*, ordinationum ritus & mysteria satis fusè explicet: *denique è Græcorum Euchologiorum editionibus, nec non è Ritualibus apud Latinos eamdem præteruntibus. Jueninus ætatem, quam dixerat, probat* 1°. *ex silentio Euchologiorum Græcorum, & Ritualium apud Latinos.* 2°. *ex non usu Diaconissarum ab isto tempore. Hæc illi, plura addentes de hoc argumento in Occidente, de quibus infrà: tametsi autem superiora videantur mihi probabilia, si intelligantur de longè maxima Diaconissarum parte in Oriente & Occidente abrogata, subdo tamen sequentia, ut disputatio præsens magis illustretur, & nonnulla ex modò dictis vel meliorem lucem accipiant, vel corrigantur.*

B

C

in Oriente etsi tunc fuerint infrequentiores, non omnes tamen

128 *Ut verò res dispescatur in suas partes, incipio ab Oriente. Theodorus Balsamon, patriarcha Antiochenus, qui antea in hoc Commentario sæpiùs occurrit, loco apud Morinum & superiùs apud nos citato habet ista:* Quæ in præsenti canone tractantur (*de Diaconissarum videlicet ætate, accurato delectu &c.*) omnino exolevêre. *Item* Diaconissa non ordinatur, etsi quædam ascetriæ, abusivè Diaconissæ dicantur. *Consule quæ præmisi superiùs num.* 109. *Unde conficitur, Diaconissas in ecclesia Antiochena apud Græcos in desuetudinem abiisse tempore Balsamonis, qui cathedræ isti præerat anno Christi* 1057, *secundum dicta in Historia chronologica patriarcharum Antiochenorum ante tomum nostrum* IV *Julii pag.* 131. *Hinc tamen non sequitur, ut in dicto jam patriarchatu apud gentes reliquas Christum colentes, teste Assemano in Dissertatione de Syris Nestorianis pag.* 850, *idem acciderit: nam aliter rem se habuisse apud* Syros Maronitas, Jacobitas & Nestorianos *asserit ex his Bar-Hebræi verbis:* Consuetudo in ditione Antiochena obtinuit, ut abbatissæ monialium Diaconissæ fiant.

129 *Jam verò Diaconissarum officium non ubique apud Orientales eodem tempore cessasse,* *ibidem tunc indicat Assemanus pag.* 851 *his verbis:* Duravit tamen Diaconissarum officium in ecclesia *Syriaca diutius, quàm in Græca:* nam .. Michaël Jacobitarum patriarcha, *cujus obitum affigit* anno Christi MCXCIX, in Pontificali à se edito, in quo *eas* in Ecclesia desiisse testatur, episcopis .. potestatem facit *eas* propter urgentem necessitatem ordinandi. *Auctor idem in Dissertatione de Monophysitis ante tomum 2 suæ Bibliothecæ sub numero* 10 *testatur exstare in Pontificali Syriaco canonem Michaëlis patriarchæ, auctoritate ipsius publicatum, è quo refert ista Latinè reddita, quibus jam dicta confirmantur:* Quia verò Diaconissæ jam diu in Ecclesia cessasse comperimus, eo nimirum quòd in tenera ætate constitutis baptisma jam confertur, nec ampliùs Diaconissis opus est, quum nullæ sint mulieres, quæ baptizentur, his aliisque de causis, quas referre supersedemus, hunc ordinem hîc minimè descripsimus, tametsi in pluribus exactisque voluminibus perfectè accuratèque exaratus occurrat.

E

desierant,

130 Si quis autem pontifex Diaconissam propter urgentem necessitatem aliquando ordinare voluerit; mulierem ordinet, cujus de castitate testimonium habeatur, quæque ad senectutem proximè accedat: quoniam & sancti Apostoli Patresque talem ordinari decreverunt. *Michaël hic I, cognomento Magnus, fuit patriarcha Jacobitarum, claruitque circa annum Christi* 1190 *ex Assemano tomo 2 pag.* 154: *& ibidem pag.* 369 *dicitur sedisse annos* 33. *Plura de illo assignat index ad dictum tomum. An verò è Michaëlis facultate perrexerint apud Jacobitas ordinari Diaconissæ, & quousque, compertum non habeo: rariores certè apud eosdem tunc fuerunt, quàm olim, prout conficitur ex urgente necessitate ad illarum ordinationem ab ipso requisita. Non video autem cur suspicari non liceat, seculo saltem decimo tertio Diaconissas aliquas exstitisse apud Jacobitas.*

F

sed multæ supererant post medium seculi 16.

131 *Mirabile autem prorsus est ac singulare, priscam Diaconissarum antiquitatem tanto fuisse in pretio apud Nestorianos Syros, ut comparere perrexerint apud istam nationem, & inaugurari post medium seculi decimi sexti, sicut testatur Assemanus in Dissertatione de Syris Nestorianis pag.* 851 *ita scribens:* In Pontificali Nestorianorum, quod Josephus Indorum metropolitanus anno Christi MDLIX descripsit, exstat Diaconissarum ordinationis ritus, ad ea usque tempora peragi solitus. *Ex his concludo, nimis universaliter locutos fuisse Morinum & Jueninum, quos paullo antè allegabam, de ætate, quâ desiisse Diaconissas definiebant. Porrò ritum inaugurandi Diaconissas apud Nestorianos dedi num.* 26 *& sequentibus; quæ verò post illum annotantur,*

AUCTORE J. P.

tantur, num. 94. Reliquum est, ut videamus, quænam sint dicenda de usu Diaconissarum exoleto in Occidente.

Argumenta pro consecratione earum abrogata sec. 12 in Occidente:

132 *Morinus, postquam Diaconissarum abrogationem affixerat ætati superiùs à se memoratæ, sententiam suam sic confirmat num. 6:* Eodem tempore in Occidente omnino evanuerunt Diaconissæ. Sed antiquitus multo infrequentiores fuerunt in Occidente, quàm in Oriente. Vix enim antiqui Rituales seu Sacramentaria earum mentionem faciunt. Deinde Petrus Pictavienſis, primus Lombardi commentator in gloſſa ſuper ſententias lib. 4 diſt. 20 lit. f, ſeptem velorum genera diſtinguit, unum Diaconiſſis tribuit, ſed deſiiſſe ſcribit: " Eſt, *inquit*, „ velum ordinationis in Diaconiſſis quadrageſimo „ anno, ſed abiit in deſuetudinem „. *Hinc duo concludit idem ſcriptor*, ordinationem *videlicet* Diaconiſſarum ante Petrum in Occidente viguiſſe, & Petri ſeculo jam deſiiſſe. Longè ante Petrum deſuetudinem illam contigiſſe, aut ſaltem incelebrem fuiſſe conſuetudinem illam, ex Lombardi & Hugonis Victorini ſcriptis manifeſtum

B eſt, qui de Sacramento Ordinis, & omnibus ejus partibus & adjunctis ante Petrum ſcribentes, nihil tamen de Diaconiſſis tradiderunt. *Scripſerunt auctores illi ſeculo* XII. *Tunc autem nullas ampliùs in Occidente comparuiſſe Diaconiſſas, probabilius etiam mihi eſt.*

Sed alicubi in Italia multo citiùs non erant ampliùs notæ.

133 *Sed hiſce adjungere quædam juverit peculiaria de tempore & loco, quibus alicubi apud Occidentales ſuperfuiſſe ac intercidiſſe leguntur Diaconiſſæ. Tomo* 8 *Spicilegii Acheriani profertur epiſtola Attonis epiſcopi Vercellenſis ad Ambroſium Mediolanenſem ſacerdotem: inter alia autem plura, quæ in ea refert de Diaconiſſis, ſcribit iſta pag.* 124 *prioris editionis:* Diaconam verò nihil quàm miniſtram intelligimus. Quapropter ſi hujus officii nomen nunc etiam quoquomodo perduraret, in his, quæ per mulieres adhuc diſpenſari videntur, illas Diaconas putaremus, quæ ætate ſenili devictæ religioſam vitam cum caſtitate ſervantes, oblationes ſacerdotibus offerendas fideliter præparant, ad eccleſiarum limina excubant, pavimenta detergunt. *In tractu itaque Inſubriæ tranſpadanæ adeo exoleverant Diaconiſſæ ſeculo decimo, ut ne illarum quidem nomen Vercellis ampliùs perduraret tempore Attonis, qui ab Ughello tom.* 4 *Italiæ ſacræ columnâ* 1060 *ſcribitur Vercellenſi cathedræ præfuiſſe anno* 945, *laudaturque tamquam* doctiſſimus theologus, & canoniſta præ-

C clarus.

Peculiare documentum de illarum conſecratione

134 *Diu autem poſtea, ſeculo nimirum undecimo, nomen & inauguratio Diaconiſſarum nota erat Romæ, & in eccleſia Silvæ candidæ perſeveravit, ſicut conficitur è Joannis PP. XIX diplomate, in quo præter alia indulta conceditur ab eo facultas Petro epiſcopo Silvæ-candidæ eccleſiæ celebrandi certis diebus divina officia in eccleſia S. Petri in Vaticano. Profert illud diploma Mabillonius tomo* 2 *Muſei Italici pag.* 154 *& ſequentibus, è quo delibo iſta:* Conſecrationes verò altarium eccleſiæ ſancti Petri, & aliorum monaſteriorum, nec non conſecrationes eccleſiarum, altarium, ſacerdotum, clericorum, diaconorum, ſeu Diaconiſſarum totius civitatis Leonianæ, vobis veſtriſque ſucceſſoribus .. in perpetuum concedimus. *Diploma autem* ſcriptum *notatur* .. in menſe Decembris, Indictione .. x.

135 *Et poſt nominum ſubſcriptionem ſequitur:* Datum XVI Kal. Januarii per manum Boſonis epiſcopi ſanctæ Tiburtinæ eccleſiæ, & bibliothecarii ſanctæ Apoſtolicæ Sedis. *Et mox ſubditur:* Datum pridie Kal. Januarii per manus Benedicti epiſcopi Portuenſis .. anno Pontificatûs Domini noſtri Joannis .. XIX Papæ, in ſacratiſſima ſede beati Petri Apoſtoli ſedentis ill. menſe Decembris, Indict. x. *Pontifex hic ſedere cœpit anno Chriſti* 1024, *tertius autem ejuſdem annus incidit in annum* 1026, *Indictione* 10, *more Græcorum, à Septembri incepta. De Silva-candida, ſeu SS. Ruſinæ & Secundæ, ejuſdemque loci epiſcopis conſuli poteſt Italia ſacra Ughelli recuſa tomo* 1, *à columnâ* 89, *ubi & ſupradictum diploma invenies.* Viâ *autem* Aureliâ Sylva Candida eſt, olim ad Sylvam Nigram ab urbe Româ 10 milliaribus diſtans, *ut ſcribitur col.* 89. Urbs *vero* ſancti Leonis, olim Leonia nuncupata, à Saracenis funditus deleta, ſita erat inter urbes Crotonenſem, & ſanctæ Severinæ, *ut refertur apud citatum Ughellum tomo* 9 *à columna* 512.

D *ſeculo* XI *apud Italos uſitata.*

§ II. Diaconiſſæ non lege lata, ſed deſuetudine probabiliùs abrogatæ; in Gallia tamen earum ordinatio per varios canones videtur prohibita.

E

Non ſcitur exſtare legem aliquam in Oriente,

QUi tenent, *Diaconiſſas poſitivo aliquo decreto ſuppreſſas atque exſtinctas fuiſſe, debent illud afferre. Tale autem non eſt, ut ab Oriente incipiamus, in* XI *canone concilii Laodicenſis, ſeculo* IV *celebrati, qui ſic habet:* Quòd non oporteat eas, quæ dicuntur presbyteræ vel præſidentes, in Eccleſiis ordinari. *Nam hîc Diaconiſſæ non nominantur; nec verò de illis intelligendum ſynodi canonem, illud argumento eſt, quòd multis poſt eam ſeculis conſpicuus fuerit in Oriente ſacer Diaconiſſarum ſtatus, prout evincitur ex capite* 5, *ubi multas enumeravi Diaconiſſas poſt illud tempus in Oriente memorabiles. Accedit eò, quòd ſupra num.* 128 *ex Balſamone retulerim* omnino exoleviſſe *Diaconiſſas,* & non ordinari; *ſed nullam ab illo fieri mentionem decreti, vi cujus exſtinctæ fuerint. Fueninus canonem hunc, qui habetur apud Labbeum tomo* 1 *columnâ* 1510, *intelligit ex interpretatione Zonaræ & Balſamonis, quos citat, non de Diaconiſſis, ſed de mulieribus quibuſdam vetulis, quæ tunc temporis præfuerint mulieribus ceteris, ordinis & conſeßûs earum causâ. Neque objicias in canone haberi verbum* ordinari *ex interpretatione Dionyſii Exigui: cùm pro qualibet inſtitutione, ſive ea fiat aliquo ritu ſacro, ſive non fiat,* plerumque, *uti addit,* ſumatur.

F

quæ Diaconiſſas exſtinxerit:

137 *Ibidem apud Labbeum in alia dicti canonis interpretatione columnâ* 1517 *leguntur iſta:* Mulieres, quæ apud Græcos presbyteræ appellantur, apud nos autem viduæ ſeniores, univiræ & matricullariæ nominantur, in eccleſia, tamquam ordinatas, conſtitui non debere. *Morinus cap.* 3, *num.* 13 *appoſitè animadvertit,* malè interpretes omnes πρεσβύτιδας interpretari Latinè presbyteras; pejuſque antiquam verſionem paraphraſticè hoc nomen ſic explicare: " Mu-

„ lieres,

A „ lieres, quæ apud Græcos presbyteræ „ &c., *Vide quæ modò citabam.* Nullæ enim sunt apud Græcos mulieres presbyteræ, πρεσβυτερίδες, ut disertè negat S. Epiphanius .. sed tantùm πρεσβύτιδες, quo nomine in quibusdam regionibus vocabantur è Diaconissis ætate provectiores. *Audiatur ille sanctus Pater hæresi* 79 *pag.* 1060 : Illud verò, *inquit*, diligenter observandum est, solum Diaconissarum officium ad ecclesiasticum ordinem necessarium fuisse, ac viduas quidem nominatim expressas, & inter illas, quæ anus essent, presbytidas vocatas; numquam presbyteridas seu sacerdotissas esse factas. *Ibidem etiam Morinus observat, uti Patres verbo* καθίσασθαι, *quod significat* constituere & stabilire, *non* ordinare per manûs impositionem, sive χειροτονεῖσθαι. *Nec verò S. Basilius prædicto seculo* IV *adeo fuit in lapsas Diaconissas severus, ut earum ordinem exstinctum vellet; sed puniri & admitti illas jubebat. Sic enim scribit ad Amphilochium canone* 44*: Diaconissa, quæ cum Græco fornicata est, ad pœnitentiam admittenda est : ad oblationem verò admittetur anno septimo, si videlicet in castitate vitam agat. . . Nos porrò

B Diaconissæ corpus, utpote consecratum, non ampliùs permittimus in usu esse carnali.

idem dic de Occidente : at in Gallia

138 *Nunc dispiciamus, quid de Diaconissis in Occidente dicendum videatur. Nullum imprimis novi exstare decretum canonicum, quo omnes omnino Diaconissæ ibidem exstirpatæ sint. Immò verò contrarium evincitur ex eo, quòd illarum consecratio nota esset Romæ, & in ecclesia Silvæ-candidæ usitata seculo* XI, *sicut probavi suprà num.* 134 *ex diplomate Joannis PP. XIX. Ibidem autem loci, nec non in aliis Occidentis regionibus sensim sine sensu Diaconissas desiisse per desuetudinem vel non usum, intelligi potest ex præmissis cap.* 6 § 1, *quamdiu non affertur lex in contrarium. Sed magna hîc se offert controversia, an idem contigerit in Gallia; de qua re jam pluribus disputandum est. Varii quippe canones ibidem conditi sunt, è quibus confici videtur, Diaconissas ibidem fuisse exstinctas expressa aliqua lege, quæ adversus earum ordinationem pronuntiata sit.*

varii canones

C 139 *Nam si canonum istorum sensus expendatur, judicium lectoris requiro, ut consideret ex iis, quæ subjicio, utrùm ex canonum verbis in alienum sensum non detortis neque corruptis, aliud confici possit, quàm Diaconissarum abrogationem è scriptis conciliorum tabulis sufficienter evinci. Concilium Arausicanum* 1, *anno* 441 *habitum, canone* 26 *hæc statuit apud Labbeum tomo* 3 *columnâ* 1451 : Diaconæ omnimodis non ordinandæ : si quæ jam sunt, benedictioni, quæ populo impenditur, capita submittant. *Vox* omnimodis *videtur omnem ordinationem Diaconissarum prohibere : nec intelligi potest, hoc dumtaxat per illam prohiberi, ne omni seu quolibet modo ordinentur, id est, sine examine prævio, sine quadraginta annorum ætate, sine conditionibus denique, quas requirunt canones; illis, quæ alio modo fuerint ordinatæ, inflictâ pœnâ, ut* benedictioni, quæ populo impenditur, capita submittant, *ut canonem illum explicare nititur Morinus suprà laudatus.*

conditi sunt,

140 *Ad canonem* 21 *concilii Epaonensis, anno* 517 *celebrati :* Viduarum consecrationem, quas Diaconas vocitant, ab omni regione nostra penitus abrogamus, solam eis pœnitentiæ benedictionem, si converti ambiunt, imponendo; *nihilo rectiùs, meo judicio, respondet Morinus, necesse esse, ut aliquid in eo subaudiatur.* AUCTORE J. P. *Nam illam necessitatem prorsus non video : neque illam rectè probat, ita differens :* Quamobrem enim jubent Patres Diaconas illas ad pœnitentiam publicam relegari, si convertantur? *Quippe pœnitentiæ benedictio non suscipiebatur solùm ob gravia crimina, ut infrà dicetur, ideoque ex illa non rectè colligit, decretum illud non esse extendendum ad Diaconissas omnes : etsi facilè credamus Diaconissas omnes non fuisse lapsas.*

quos beniginiùs

141 *At canon ille, ait Morinus, forsitan lucis aliquid accipiet è canone* 17 *concilii Aurelianensis* 2 *anno* 533 : Fœminæ, quæ benedictionem diaconatûs hactenus contra interdicta canonum acceperunt, si ad conjugium iterum probantur devolutæ, à communione pellantur. Quòd si hujusmodi contubernium admonitæ ab episcopo cognito errore dissolverint, in communionis gratiam actâ pœnitentiâ revertantur. *Ex hoc canone infert, per Patres Epaonenses Diaconissas omnes contra canonum præscripta inauguratas deponi (tales autem, ut colligit è verbis concilii Aurelianensis* 2, *plures erant eo tempore) non verò omnes prorsus Diaconissas amoveri, neque* E *earumdem ordinationem omnino prohiberi. At dici solùm debet, velle canonem Aurelianensem, ut feminæ, quæ contra canonum præscripta ad diaconatûs officium promotæ fuerint, non sint liberæ à castitate servanda, quam voverunt. Synodus Turonensis* 2, *quæ annis quinquaginta post concilium Epaonense, id est, anno* 567 *fuit celebrata, aliud effugium Morino suggerit : loquitur enim de viduarum benedictione, non verò de Diaconissarum ordinatione, atque hoc sensu canonem Epaonensem interpretatur. Constat enim benedictionem viduarum, dum velamen accipiunt, per canones prohiberi.*

explicare

142 *Turonensis autem canon* 20 *sic habet :* Illud verò, quod aliqui dicunt; Vidua, quæ benedicta non fuit, quare non debet maritum accipere? cùm omnes sciant, quòd nunquam in canonicis libris legatur benedictio vidualis, quia solum propositum illi sufficere debet, sicut in Epaunensibus canonibus à papa * Avito, vel omnibus episcopis conscriptum est. *Et mox ipse canon Epaonensis subditur :* Viduarum consecrationem, quas diaconas vocant, ab omni regione nostra penitus abrogamus. *Mentem itaquè Epaonensium patrum Morinus ita interpretatur secundum canonem Turonensem jam citatum, ut non egerint de Diaconissis, sed de viduis dumtaxat non benedicendis, quæ à vulgo impropriè vocabantur Diaconissæ. Speciosa quidem est hæc observatio. Verùm si omnia accuratè expendantur, nihilo solidior apparebit quàm præcedentes. Respondent enim Patres illis, qui volebant viduas, voto nimirum obstrictas, ad nuptias pertrahere, quia non erant benedictæ; aiuntque* solum propositum, *id est votum, sufficere, quia benedictio viduarum, etiam Diaconissarum erat abrogata, & postremum istud probant ex concilio Epaonensi.*

* *i. e.* episcopo

F

frustra

143 *Hanc autem esse intentionem Patrum Turonensium probatur ex canone* 46 *concilii Arelatensis* 2, *qui à dicta Turonensi synodo mox subditur, ut ostendat, viduis castitatem professis, tametsi non benedicantur, non licere ad secundas nuptias transire. Sic enim in canone* 20 *Turonensi mox pergunt :* Et expressius decretum est in synodo Arelatensi " professas viduas, si in „ continentia perstiterint *, cùm raptoribus esse „ damnandas „. *Itaque agunt quidem Patres Turonenses*

* *in concil. Arelat.* si conniventiam præstiterint

AUCTORE J. P.

ronenſes de ſolis viduis ; at non indicant de iis ſolis actum fuiſſe in concilio Epaonenſi ; ſed Diaconiſſarum ordinationis abrogationem ibi decretam potiùs confirmant , dum dicunt ordinationem illam neceſſariam non eſſe ad obligationem caſtitatis viduis voto adſtrictis inducendam. Porrò quàm ineptè canonem 17 *concilii Aurelianenſis* 2 *in ſubſidium advocaverit Morinus , patet ex canone* 18 *ejuſdem concilii , qui ſic habet :* Placuit etiam , ut nulli poſtmodùm fœminæ diaconalis benedictio pro conditione hujus fragilitatis credatur. *Hæc verba tam clara ſunt , ut nullum videantur relinquere dubium de generali abrogatione dictæ ordinationis.*

conantur aliqui ;

144 *Prohibitionem tamen illam non eſſe generaliter accipiendam , probare vult Morinus è reddita ratione* , pro conditionis hujus fragilitate. *Nam ex eo ſequi ait , ut nulli virgini virginitas , viduæ nulli caſtitas eſſet credenda. Contendit igitur in allato canone unum hoc videri præſcriptum , conformiter ad antiquorum canonum decreta , ut conſecratio diaconalis nulli poſthac credatur feminæ , quæ non habuerit annos quadraginta , vel , ut jubent ſacræ Litteræ &*

B *antiquiſſimæ canonum ſanctiones , ſexaginta. Rationem , inquit , dat S. Baſilius ad Amphilochium canone* 24 *, quem ſuprà citavi cap.* 2 § 1 *ſub initium , ſic ſcribens :* Porrò vidua ſexaginta annos nata ſi rurſus unà cum viro habitare voluerit , boni communione non dignabitur , donec ab impuritatis vitio deſtiterit : ſed ſi ante ſexaginta annos eam adſcripſerimus ; noſtra eſt , non mulieris culpa. *Rectè quidem hæc Baſilius à Morino allegatus : ſed verba illa non docent , voces* nulli fœminæ *ullam pati reſtrictionem : ſicut nec ratio ex fragilitate feminarum petita evincit , ſic nulli virgini virginitatem aut viduæ caſtitatem credi ; cùm ipſis crederetur virginitatis aut caſtitatis profeſſio , non verò ordinatio diaconalis , quòd ex lapſu Diaconiſſarum majus oriretur dedecus ob majorem harum dignitatem ; quódque hæ ob vitam activam plures haberent peccandi occaſiones.*

cùm non ampliùs neceſſariarum

145 *Jueninus iiſdem effugiis utitur cum Morino , uti videri poteſt apud illum diſſert.* 9 *quæſt.* 5 *cap.* 2 *, ubi diſputationem concludit verbis hiſce partim veris , ſed nimis generalibus :* Dicendum eſt , Diaconiſſas non ſpeciali alicujus concilii decreto , ſed ſenſim ſine ſenſu poſt annum milleſimum deſiiſſe apud Occidentales. Nec mirum : cùm enim poſt illud tempus baptiſmi ſtati dies

C


Paſchatis & Pentecoſtes non ſint ampliùs obſervati ; cùm infantes tantùm baptizari cœperint , adulti quàm rariſſimè ; cùm baptiſmus per immerſionem (exceptis paucis provinciis) conferri deſierit ; cùm virorum in eccleſia ſedes à mulierum ſedibus non fuerint ampliùs diſtinctæ ; opus non fuit Diaconiſſis , quæ tum baptiſmi , tum aliorum rituum officiis perfungerentur. D

Diaconiſſarum ordinationem

146 *Natalis Alexander in ſua Hiſtoria eccleſiaſtica , anno* 1714 *recusâ , tomo* 5 *, ſeculo* V *, cap.* 5 *variis locis allegat canones jam datos , quibus abrogatam Diaconiſſarum ordinationem docet. Pœnitentiæ verò benedictionem , ex qua contra canonem Epaonenſem diſputat Morinus , ſic explicat art.* 5 *:* Hîc autem pœnitentiæ benedictio , non eſt intelligenda manuum impoſitio , quæ fiebat publicis pœnitentibus , ſed propoſitum continentiæ , quod ratum habebat , & precibus ſuis Deo commendabat Eccleſia. Quæ interpretatio colligitur ex canone vigeſimo concilii 11 Turonenſis , hunc canonem laudante. *Conſentit Thomaſſinus part.* 1 *lib.* 3 *cap.* 51 *, ubi num.* XI *benedictionem illam vocat* benedictionem religioſæ pœnitentiæ. *Chriſtianus Lupus tomo* 1 *in Scholio ad canonem* 15 *ſynodi Chalcedonenſis pag.* 581 , Exſtinguere , *inquit* , cœpit *Diaconiſſas* eccleſia Gallicana in prima ſynodo Arauſicenſi. .. Exſtinguere cœpit , non planè exſtinxit. Eas namque contra Arauſicenſe decretum perrexiſſe ordinari & profiteri , teſtatur ſecunda ſynodus Aurelianenſis , ejuſmodique ordinationem aut profeſſionem exſufflare non audet : denuo dumtaxat interdicit , earumque licèt contra canonem factarum prævaricatrices privat communione. Epaonenſis ſynodus , ſuaviter & fortiter agere volens , diaconalem conſecrationem mutat in benedictionem pœnitentialem , atque ita fæmineo ſexui dignitatis avido conatur ſatisfacere. E

videantur abrogare.

147 Pœnitentialis enim benedictio non tantùm prævaricatoribus ignominiosè imponebatur , ſed & ab innoxiis & integris ſpontaneè & gloriosè ſuſcipi olim conſuevit. Exſtinctionis cauſam ſecunda ſynodus Aurelianenſis fuiſſe dicit fæmineæ CONDITIONIS FRAGILITATEM. Diaconiſſa enim ducebat vitam activam , cui conſtat fæminas non eſſe capaces. Exſtinctio longo tempore fuit intra ſolam Gallam circumſcripta. *Hæc Lupus , cujus verbis huic de Diaconiſſis tractatui finem impono.* F



INDEX

INDEX SANCTORUM

AD TOMUM I SEPTEMBRIS.

A

1 AEgidius abbas in Fano S. Ægidii Occitaniæ. COMMENT. PRÆV. § 1. Veneratio Sancti longè latéque propagata 284. § 11. Sacri corporis tranſlationes & reliquiæ 288. § III. Acta S. Ægidii antiqua utcumque, ſed fabulis conſperſa: ortæ hinc controverſiæ de tempore, quo vixit Sanctus, aliiſque cum illo tempore connexis 289. § IV. Præmittuntur quædam de abbatia S. Ægidii; tum decidunturcontroverſiæ mox propoſitæ 291. § V. Inquiritur, quo tempore floruerit Sanctus, & qualiſcumque vitæ ejus chronologia texitur 294. § VI. Examinantur aliqua de Sancto aſſerta partim in Vita partim ab aliis ſcriptoribus 297. VITA auctore anonymo. *Ex codicibus Mss. ſex, aliiſque apographis inter ſe collatis.* PRÆFATIO. CAP. 1. Sancti patria & parentes: egreſſus è patria & adventus in Galliam: mora Arelatenſis & vita ſolitaria cum Veredemo eremita 299. CAP. II. Seceſſus ad locum magis deſertum, in quo cervæ paſcitur lacte: invenitur à Flavio Gothorum rege, & locum accipit condendo monaſterio, quod conſtruit & regere incipit 301. CAP. III. Regimen monaſterii; acceſſus ad Carolum regem & reditus ad monaſterium, quod brevi ſubvertendum prædicit: iter Romam, ubi monaſterium offert Pontifici, à quo exemptionis privilegium & dona impetrat, dein redit ad ſuos: beata Sancti mors, & ſepultura 302

1 Ægidius abbas in diœceſi Aſturicenſi in Hiſpania, SYLLOGE. Beati cultus, diſtinctio ab aliis ſynonymis & elogium 308

2 Agricolus ep. & patronus Avenionenſis in Gallia, COMM. PRÆV, § 1. Legitimus ac celeber Sancti cultus apud Avenionenſes 444. § II. Vita Sancti recentiori calamo exarata, ſed veroſimiliter ex antiquioribus monumentis: geſtorum qualiſcumque chronologia 446. § III. Sepultura Sancti; ſacellum prope Rupem Mauram, aliaque Sancto dicata: corporis tranſlationes, miracula 448. VITA, auctore anonymo. *Ex editione Barralis & Surii.* CAP. 1. Sancti natales, vita monaſtica, geſta in epiſcopatu, obitus & ſepultura 450. CAP. II. Sacella Sancto dicata eccleſiaque; corporis tranſlationes, miracula, protectio urbis Avenionenſis 454

3 Aigulphus abbas & Socii MM., inter quos nominantur Trucharius & Frongentius, in Inſula Capraſia inter Corſicam & Etruriam. COMM. PRÆV, § 1. Acta S. Aigulphi & Sociorum diverſa, partim edita, partim hactenus inedita: Vitæ editæ auctor Adrevaldus monachus Floriacenſis; ineditæ auctor anonymus: horum aliorumque auctoritas examinatur 728. § II. S. Aigulphi patria, parentes, ætas, vita monaſtica: tranſlatio corporis S. Benedicti eidem attributa 730. § III. Dubitationes circa tranſlationem SS. Benedicti & Scholaſticæ: probabiliùs ſolùm pars corporum tranſlata. An id factum per S. Aigulphum 733? § IV. An Sanctus fuerit abbas S. Aniani? de tempore, quo factus eſt abbas Lerinenſis: an Arlucenſe virginum cœnobium inſtaurârit, eique abbatiſſam præfecerit Angariſmam 736? § V. Conſpiratio pſeudo-monachorum contra ſanctum Abbatem elucidatur: tempus & locus martyrii, uti & numerus Sociorum inveſtigatur 738. § VI. Corporum tranſlationes diſcuſſæ: cultus antiquus, & memoria in Faſtis ſacris 741. VITA auctore incerto. *Ex Ms. bibliothecæ Conſtantini Cajetani.* PRÆFATIO. Martyres etiam rectè vocari, qui pro veritate aut juſtitia occumbunt, oſtenditur 743. CAP. 1. S. Aigulphi patria, parentes, inſtitutio, vita monaſtica, dignitas abbatialis, & felices in ea labores 744. CAP. II. Conſpiratio quorumdam rebellium, qui Mummoli ſubſidio S. Aigulphum cum aliquot Sociis captum ad inſulam Capraſiam abducunt, variiſque affectos cruciatibus Martyres tandem occidunt 746. VITA ALTERA auctore Adrevaldo monacho Floriacenſi. *Ex Ms. Rubeæ-Vallis & editione Mabillonii.* PRÆFATIO. Utilitas in ſcribendo Vitas Sanctorum: martyrium S. Aigulphi aſſertum 747. CAP. 1. Aigulphi patria & parentes: inſtitutio, ſtudia, vita monaſtica, virtutes: corpus S. Benedicti tranſlatum: ſuſcepta præfectura abbatiæ Lerinenſis 748. CAP. II. Reſtituta diſciplina cœnobii Lerinenſis: quorumdam perverſorum in ſanctum Abbatem conſpiratio 749. CAP. III. Seditioſi, pertracto in partes ſuas Mummolo, per milites ab eo acceptos capiunt S. Aigulphum cum aliquot ſociis, & carceri includunt 750. CAP. IV. Abducuntur Sancti in inſulam Capraſiam, multiſque priùs cruciatibus affecti occiduntur 752. CAP. V. Martyrium Sanctorum cognitum Lerini, ac corpora eò tranſlata 753. CAP. VI. Miracula nonnulla, & pœna ſacrilegi Columbi 754. INVENTIO RELIQUIARUM S. AIGULPHI auctore anonymo. *Ex antiquis membranis Herovallii, collatis cum editione Mabillonii* 755. MIRACULA auctore anonymo. *Ex codice Ms. D. Herovallii, collato cum editione Mabillonii.* CAP. 1. Corpus tranſlatum in thecam argenteam: contractus ſanatus & cæcus; grandinis & ignis periculum ſublatum, invocato Sancto 758. CAP. II. Furtum in eccleſia S. Aigulphi commiſſum,

quo monachorum fama periclitabatur, mirabiliter detectum: beneficia duabus mulieribus collata 760. CAP. III. Vita & translationes S. Aigulphi compendio enarratæ: mulier in festivitate Sancti laborans & blasphemans gravi infirmitate punita, & post triennium sanata 761. CAP. IV. Beneficia quædam diversis personis concessa 762

2 Aithala & Ammun MM. Adrianopoli in Thracia 358

3 Albertus Besutius eremita apud Lacum Verbanum in ducatu Mediolanensi. COMM. PRÆV. Locus, veneratio publica, corpus, Vitæ chronologia 787. VITA. *Ex Ferrarii Catalogo Sanctorum Italiæ* 789

1 Ambrosinianus ep. M., ut fertur, patronus Parœciæ Fontanensis prope Divionem in Burgundia. SYLLOGE HIST. CRIT. De cultu, Actis fabulosis, ac reliquiis Sancti 207

3 Ambrosius ep. conf. Senonis in Gallia. SYLLOGE. De cultu, ætate & gestis 660

1 Ammon diacon. & XL Virgines MM. Heracleæ in Thracia. Cultus, martyrium, & alia ad hos Sanctos spectantia 156

1 Anna prophetissa Hierosolymis. SYLLOGE HIST. § 1. Cultus; elogia; genus; conjugium; Viduæ continentia & pietas 96. § II. An Sancta habitavit in templo? An dono prophetiæ claruit ante diem Purificationis Deiparæ? Jesum agnoscit in templo & aliis annuntiat, quo ætatis anno, incertum 97

2 Antoninus M. Apameæ in Syria. COMMENT. PRÆV. § 1. Variæ urbes, quibus sanctus aliquis Antoninus adscribitur hoc die aut sequenti: nec Caputæ, nec Palentiæ passus Antoninus: Apameæ in Syria attribuendus aliquis Antoninus, cujus cultus antiquus ostenditur 340. § II. Cultus sancti Antonini in variis Galliæ locis 342. § III. Acta translati corporis anno DCCCLXXXVII prorsus fabulosa: cultus S. Antonini in Hispania, qui verosimiliter non est inchoatus ante irruptionem Saracenorum, seculo VIII factam 345. § IV. Examinatur & confirmatur sententia eorum, qui suspicantur S. Antoninum Apamiensem Syrum & Gallum eumdem esse 347. § V. Respondetur ad argumenta contra sententiam nostram prolata in Historia Occitaniæ 349. § VI. Examinantur sententiæ aliquorum, qui crediderunt S. Antoninum passum esse Apamiis in Gallia 352. ACTA PRIMA, auctore anonymo. *Ex codice Ms. 33 Reginæ Sueciæ* 354. ACTA ALIA. *Ex Speculo Historiali Vincentii Bellovacensis lib. 13 cap. 35* 355

1 Arcanus & Ægidius eremitæ confessores, Burgi S. Sepulcri in Umbria. COMM. HIST. § 1. Origo Burgi S. Sepulcri per Sanctos ejusdem fundatores & protectores 305. § II. Sanctorum locus natalis, peregrinatio, tempus mortis, cultus; Ægidius à synonymis distinctus 306

1 Arealdus M. Brixiæ in Italia. SYLLOGE. De cultu Sancti, loco & tempore martyrii 246

3 Aristion vel Aristeus ep. M. SYLLOGE CRITICA. § 1. S. Aristion sub nomine Aristæi vel Aristei annuntiatus apud Latinos cum S. Antonino, quocum passus non videtur 611. § II. Unus est Aristion, qui vicinis nominibus multiplicatur in variis Martyrologiis: episcopus is fuit Alexandrinus ad Issum in confinio Ciliciæ & Syriæ: varia ejus elogia ex Menologiis 613

1 Austregildis vel Agia S. Lupi mater, Aurelianis in Gallia 266

3 Auxanus ep. Mediolani in Insubria. SYLLOGE. Cultus; illustre genus; elogium; tempus; translatio corporis 666

B

3 BAsilissa Virg. & M. Nicomediæ in Bithynia. Cultus, elogia, Acta 609

1 Bossianus conf. in diœcesi Laudunensi in Gallia. Cultus; an Sanctus hic ab alio ferè synonymo distinctus? 304

2 Brocardus secundus prior generalis Ordinis S. Mariæ de monte Carmelo in Palæstina. COMM. PRÆV. De Beati cultu & gestis 576. VITA auctore anonymo. *Ex Ms. conventûs Claromontani PP. Carmelitarum discalceatorum* 578

C

COnstantius ep. & conf. Aquini in regno Neapolitano, SYLLOGE HIST. De cultu Sancti, tempore episcopatus & anno mortis 243. ELOGIUM. *Ex Ms. Ughelli, & S. Gregorio Magno* 245

2 Cosmas erem. conf. Venetiis § 1. Recentiorum annuntiationes; antiquus cultus; locus, in quo asservatur corpus; scriptores; tempus vitæ 440. § II. Corpus ex insula Cretensi Venetias translatum; ejusdem status; translationis tempus; exemplar, è quo hæc, & Sancti Vita datur 441. VITA auctore Fortunato Ulmo, monacho Casinensi, Venetiis edita. CAP. I. Sanctus variis in solitudine virtutibus illustris 442. CAP. II. Translatio corporis Venetias 443

D

2 DIomedes, Julianus, Philippus, Eutychianus, Hesychius, Leonides, Philadelphus, Menalippus, Pantagapa & Eutychius, MM. Ex Martyrologio Romano & Fastis Græcis 358

1 Donatus, Felix, Arontius, Honoratus, Fortunatus, Savinianus, Septiminus, Januarius, Felix, Vitalis, Sator & Repositus MM. Beneventi in Italia. COMM. PRÆV. § 1. Memoria horum Sanctorum in Martyrologiis, ac veneratio antiqua 129. § II. Acta varia partim edita, partim inedita, & eorum discussio 131. § III. Inquiritur sub quo imperatore, & quo tempore passi sint Sancti; eaque occasione improbantur aliqua in Actis prolixioribus 133. § IV. Ordine discutiuntur, quæ in Actis habentur minùs certa, & obscuriora elucidantur 134. § V. Translatio corporum, ceteraque ad gloriam Sanctorum posthumam spectantia 136. ACTA PRIMA auctore anonymo. *Ex Ms. Nicolai Belfortii.* ACTA ALTERA prolixiora & minus sincera auctore anonymo. *Ex editione Jovardi* 138. TRANSLATIO CORPORUM BENEVENTUM. *Ex Officio edito per Jovardum* 142. VITA METRICA. Auctore Alfano archiepiscopo Salernitano. *Ex editionibus Surii, Lipomani & Jovardi.* PRÆFATIO. CAP. I. Patria & parentes Sanctorum: eorumdem pia educatio, zelus contra idololatriam, gesta Carthagine; pleraque minùs certa aut fictitia 144. CAP. II. Victor missus Adrumetum ad sanctos Fratres ducendos Carthaginem, eorum

rum disputatione conversus dicitur : capiuntur Sancti 147. Cap. III. Sancti ad præfectum ducti, interrogati, cruciati, in carcerem detrusi, vinculisque ab angelo soluti : iter ex Africa in Siciliam, ac tempestas Sanctorum precibus sedata 150, Cap. IV. Iter reliquum : martyrium Sanctorum variis locis consummatum 152. Translatio, auctore incerto. *Ex editione Jovardi* 154

E

2 Elpidius seu Helpidius ep. conf. Lugduni in Gallia, Syll. hist. 388

2 Elpidius abb. patronus oppidi S. Elpidii in Piceno. Comm. præv. § 1. Oppidum S. Elpidii, ubi servatum Sancti corpus : cultus ejus & memoria in Fastis sacris 378. § II. Beneficia & miracula impetrata Sancti intercessione & reliquiis 380. § III. Memoria S. Elpidii in Martyrologiis : inquiritur utrùm sit S. Elpidius abbas à Palladio laudatus, qui apud Elpidianos colitur : hic certò vivus in Picenum non venit, sed mortui corpus verosimiliter eò delatum 382. § IV. Gesta Elpidii à Palladio descripta discutiuntur ; inquiriturque, an hic idem sit cum Elpidio laudato in Vita S. Charitonis, & cum diacono S. Basilii 384. Acta Græca. *Ex editione Meursii, interprete J. S.* 386

3 Euphemia, Dorothea, Thecla, Erasma MM. Comm. hist. § 1. Cultus ; inventio S. Euphemiæ, quæ Ravennæ accidit, hujusne an alterius synonymæ 605 ? § II. Lectiones propriæ ; Acta 607

2 Euplus, Josephus, Felix, Secundulus, Julius MM. in Sicilia. *Ex apographis Hieronymianis* 359

F

2 Facundinus, Juventinus, Peregrinus & Felicitas MM. Arimini in Italia 360

1 Felix ep. &, ut fertur, M. Pisis in Tuscia, Sylloge hist. Sancti annuntiatio sub corrupto nomine ; pauca ejus gesta ex SS. Reguli & Cerbonii Actis ; cultus ; martyrium incertum ; corporis translatio Pisas 241

1 Firminus ep. conf. Ambiani in Gallia. Comm. præv. Geminus Ambiani Firminus, martyr alter, alter confessor : hujus Acta anachronismis fœdata : elogia aliunde deprompta, tempus vitæ discussum 175. Acta anachronismis conspersa, auctore anonymo. *Ex Ms. Nicolai Belfortii, collato cum Ambianensi* 178. Gloria Sancti posthuma. § 1. Sanctus sepultus in ecclesia B. Mariæ Virginis, quam ipse construxerat, ibidem miraculis claret, & colitur à seculo saltem VI : exponitur controversia nuper agitata de hodierna sacri corporis possessione 181. § II. Prima corporis translatio : ecclesia, in quam translatum, & tempus hujusce translationis inquiruntur 183. § III. Solvuntur argumenta contra testimonium ex Vita S. Salvii allata : & confirmatur translatio ex aliis monumentis 187. § IV. Alia argumenta pro translatione corporis ; idem anno MCCLXXIX novæ thecæ impositum, ac deinde quotannis circumferri cœptum 189. § V. Quibus rationibus dubitatum fuerit de translatione corporis 191. § VI. Thecâ apertâ, sacrum corpus reperitur cum authentico depositionis testimonio, uti intelligitur ex relatione episcopi hîc data : declaratio abbatis S. Acheoli 194. § VII. Edictum episcopi Ambianensis, quo ratio redditur apertæ thecæ, & festivitas translationis restituitur 197

G

1 Gedeon Israëlitarum Judex in Palæstina. Comm. hist. § 1. Sancti elogia ; cultus ; nomen varium ; familia : pater Ololatra, at dein conversus à Filio judice : hic semper veri Dei cultor : an ante principatum tribunus 77. § II. S. Gedeonem, ut Israëlitas è servitute liberet, excitat angelus ; hic se à Deo missum probat, igne prodigioso consumens carnes & panes, quæ Sanctus ad corporis refectionem ei probabiliùs obtulerat 80. § III. Cum luco aram Baal destruit ; aliam Deo erigit & sacrificat ; accipit nomen Jerobaal, & Spiritum Domini ; copias convocat contra Madian ; duplex in vellere signum petit, in quo non peccâsse ostenditur 83. § IV. Jussu Dei exercitum minuit ad CCC ; castra hostium lustrat : ab infidelitate vindicatur : audita somnii interpretatione confirmatus, miro strategemate Madianitas in mutuam cædem & fugam adigit, quos & persequitur 86. § V. Ephraimitas placat ; hostium reliquias delet ; Soccothæos & Phanuëlitas ob negatum commeatum punit ; interficit Zebee & Salmana ; regnum à suis sibi delatum recusat 89. § VI. Ephod conficit Sanctus & ponit in Ephra : defenditur contrà multos, qui hoc facto eum peccasse asserunt : ejus familia & mors sancta 92

3 Godegrandus seu Chrodogangus ep. Sagiensis mart. apud Nonantum in Normannia. Comm. præv. § 1. Antiquissimus Sancti cultus, & reliquiæ : memoria in Fastis recentioribus : Vita scripta ab Herardo antistite Turonensi ; multa quoque de Sancto in Vita S. Opportunæ fororis 763. § II. De tempore, quo floruit Sanctus : gesta ordine relata & examinata 765. Vita auctore Herardo archiepiscopo Turonensi. *Ex Ms. abbatiæ S. Ebrulfi in Normannia.* Prologus. Cap. 1. Gesta & martyrium Sancti 768. Cap. II. Elevatio corporis incorrupti : translationes & miracula 770

3 Guala ep. Brixiensis & conf. ex Ord. FF. Prædicatorum, in Astinensi S. Sepulcri abbatia prope Bergomum in Italia, Comm. hist. § 1. Notitia loci ; confusæ recentiorum annuntiationes ; veneratio publica examinata 773. § II. Natales ; ingressus in religionem, præfectura conventûs Brixiensis ; visio de beata S. Dominici morte ; & alia, quæ ad vitam ante episcopatum actam spectant 775. § III. Inquiritur tempus, quo episcopus esse cœpit : legatur à Pontifice ad Longobardos & imperatorem ; Patavinos inter & Tarvisinos pacem componit 778. § IV. Altera legatio ad Longobardos : Bononienses cum Mutinensibus ejus operâ inducias pacisciuntur ; imperatorem inducit, ut Ecclesiæ satisfaciat : alia beati Præsulis gesta 781. § V. Episcopatûs abdicatio ; vita & mors in cœnobio Astinensi : an ibi habitum monachorum Ord. Vallis Umbrosæ susceperit ? 784

a Jaco-

I

2 JAcobus & Philippus MM. ex Ordine FF. Minorum, Mevaniæ in Umbria 595
1 Josue Iſraëlitarum dux in Palæſtina. COMM. HIST. § 1. Scribendi methodus ; nominis Joſue etymon & varia lectio ; Sancti pater & majores 6. § 11. Ejus nativitas : an Moyſi è Madianitide nondum reduci notus ? Quando factus hujus miniſter ; quale ejus miniſterium ; quis ex eo fructus perceptus 8. § 111. Amalecitas cædit : oraculum de futuro ejus principatu : in montem Sinai & nubem, in qua erat Dominus, cum legiſlatore aſcendit. An ibi XL diebus jejunus ? 10. § IV. Tabernaculi curam gerit ; intereſt familiaribus Dei cum Moyſe colloquiis : æmulatio ejus Numer. CAP. XI. Ex invidia non proceſſit ; oſtenditur illam aliunde vel leviter tantùm, vel non malam, imò laude dignam fuiſſe 12. § V. Mittitur ad explorandam Chananæam : ejus nomen mutatur : non modò poſtridie, ſed & ipſo reditûs die murmurantibus fortiter obſtitiſſe probatur : lapidationis periculo eripitur : ejus conſtantiam remunerat Deus 15, § VI. Legiſlator ſucceſſorem petit à Domino, à quo nominatur S. Joſue ; principatu inauguratur ; accipit Spiritum ſapientiæ ; ſuam ei poteſtatem communicat Moyſes ; tempus & ritus, quibus inauguratio peracta 19. § VII. Inſignis Iſraëlitarum de Madianitis victoria, duce probabiliùs Joſue ; diviſio terræ Chanaan ejus & Eleazari curæ commiſſa 22. § VIII. Moyſes ſucceſſorem Iſraëlitis commendat ; ejus principatum Deus palàm prodigio confirmat ; è columna nubis confortat Sanctum & materiam Cantici docet, quod ipſe & Moyſes ſcribunt & concinunt 24. § IX. Cum morituro Moyſe montem conſcendit ; huic morienti adeſt, & alia de Sancto adferuntur, quæ veriſimilia putamus : ratio temporis eorum, quæ poſt ſcriptum Deuteronomium facta ſunt 25. § X. Excitatur à Domino ad Chananæos invadendos ; mittit exploratores in Jericho : apparatus ad Jordanis tranſitum ; prompta eorum voluntas, quos officii monuerat : ordo temporis, quo hæc & alia contigerint 27. § XI. Prodigioſus per ſiccum Jordanis alveum tranſitus ; monumenta in memoriam tanti miraculi erecta, quod nimiùm extenuat infidelis Joſephi narratio 30. § XII. Jubetur ſecundò populum circumcidere ; Paſchate celebrato, apparet ei probabiliùs S. Michaël archangelus, ex quo diſcit modum mirabilem, quo Jericho expugnanda ſit 33. § XIII. Mira Hierichuntis obſidio & expugnatio, mœnibus ad tubarum ſonum populique clamorem corruentibus : urbs anathemati ſubjecta deletur : ſola Rahab cum ſuis vitâ donatur ; hanc uxorem non duxit Joſue, qui cælebs vixit & virgo obiit 35. § XIV. Imprecatio Sancti prophetica ; expugnatio Haï ob ſacrilegium Achan infeliciter tentata ; S. Principis dolor & pia ad Deum oratio, qui jubet ſorte in reum inquiri ; deprehenſus Achan ſupplicio afficitur 38. § XV. Hortante Deo, Haï iterum oppugnat ; fugam ſimulans, præſidium longiùs ab urbe abducit ; vacuam occupant in inſidiis poſiti, dein à tergo hoſtes adoriuntur, aliis à fronte urgentibus : cæſis incolis, Haï diripitur & incendio vaſtatur 40. § XVI. In montibus Garizim & Hebal populum inter ac Deum fœdus ſolenni ritu Joſue inſtaurat : Chananæorum adverſus eum conſpiratio 42. § XVII. Gabaonitarum fraus : Joſue cum eis fœdus init, quod juramento confirmat : probatur variis argumentis, Sanctum nec temerè illis credidiſſe, nec peccaſſe, quod Dominum præviè non conſuluerit 44. § XVIII. Argumentis ex Scriptura petitis ſtabilitur mitior ſententia : Gabaonitæ, fraude detecta, perpetuo famulitio addicuntur 47. § XIX. Gabaoni à V regum exercitu obſeſſæ opem fert Joſue ; hoſtes in fugam agit ; è quibus multi prodigioſo lapidum imbre conteruntur ; quo ceſſante, ne reliqui elaberentur, ſolis & lunæ curſum ſuo ſiſtit imperio 50. § XX. Teſtimonia de ſolis ac lunæ ſtatione & Sancti fide ; miraculi vindicatio, duratio & magnitudo ; V regum captivitas ; clades hoſtium ; Iſraëlitarum vires probabiliùs divinitus ſuſtentatæ 53. § XXI. Supplicium V regum ; expugnatio Maceda, Lebna, Lachis, Eglon, Hebron, & Dabir ; clades internecina regis Gazer : an Hebron & Dabir ſub S. Imperatore ſæpius captæ ? Alias urbes in Chananæa Auſtrali occupat mira celeritate 55. § XXII. Jabin aliique Aquilonares reges ingentem cogunt exercitum : Sanctus victoriâ à Deo prænuntiatâ potitur ; munitiſſimam Aſor, aliaſque capit urbes ; prædam dividit : Deus voluit, ut aliquæ terræ in Chananæa ſub Joſue non expugnarentur 58. § XXIII. Catalogus regum à Joſue debellatorum ; jubetur à Deo terram partiri ; Calebo promiſſam Hebron concedit, tribum Ephraim & mediam Manaſſe de ſorte ſua conquerentes monet, ut armis quærant ampliora ad habitandum ſpatia 61. § XXIV. Oſſa patriarchæ Joſeph humari, tabernaculum in Siluntem transferri, &, increpitâ VII tribuum ignaviâ, ſortitionem intermiſſam expediri curat : notæ in Joſephi narrationem 63. § XXV. Conſtantiæ adverſus ſeditioſos præmium accipit : Sancti animus à cupiditate alienus : ejus vice numquam alii rempublicam adminiſtrarunt 65. § XXVI. Rubenitis & ſociis, ad ſua redituris, ſalutaria dat monita ; legatos mittit cognituros, quo animo illi altare erexiſſent ; auditâ eorumdem innocentiâ, turbæ ceſſant : urbem Thamnath-Saraa reædificat 66. § XXVII. Angeli Iſraëlitas objurgantis apparitio, de qua Judicum cap. II, probabiliùs non contigit ſub Joſue ; comitiis convocatis, populum ad officium Deique cultum excitat 68. § XXVIII. Altera Sancti oratio ad populum in Sichem convocatum, quem inducit ad fœdus cum Deo ſolenniter renovandum ; librum ſuo nomine inſcriptum cum ultimo Deuteronomii capite probabiliùs conſcripſit 70. § XXIX. Moritur Joſue, cùm probabiliùs XVII circitèr annis præfuiſſet : præcipuorum ejus geſtorum chronotaxis ; elogia ex ſacris Litteris : illo vivente publici inter Iſraëlitas non fuere idololatræ : Sancti virtutes præcipuæ 72. § XXX. Sepultura Joſue : mira aliqua, quæ de eo traduntur : febribus & podagræ doloribus afflictum ſanat : Sancti cultus, qui verè propheta fuit 75
1 Juliana virgo & abbatiſſa Ord. S. Benedicti, Venetiis in Italia, COMM. PRÆV. § 1. Notitiæ de Beata ad nos miſſæ ; genealogia majorum ; cultus publicus 309. § 11. Beneficia Beatæ patrocinio impetrata ; ſcriptores, qui de illa memi-

meminerunt ; Vitæ 310. VITA, auctore anonymo. *E Ms. membraneo monaſterii SS. Blaſii & Cataldi Venetiis.* CAP. I. Illuſtres Beatæ natales ; vita monaſtica 312. CAP. II. Vitæ monaſticæ perfectio ; conſtans patiendi deſiderium ; facta Beatæ apparitio ; miracula 315. CAP. III. Pia mors ; corpus mirificè incorruptum ; ejuſdem tranſlatio ; cultus 316

2 Juſtus ep. Lugdunenſis conf. in Ægypti eremo. COMM. PRÆV. § I. Antiquiſſimus S. Juſti cultus : memoria ejus variis diebus annuntiata in Martyrologiis & quas ob cauſas 365. § II. Quæ & qualia Sancti Acta : an eorum auctor Conſtantius presbyter. Diverſa horum Actorum exemplaria, quorum aliqua interpolata. Acta duplicia edenda 368. § III. Fabuloſa videntur, quæ de natalibus ac pueritia Sancti ſcripſerunt quidam neoterici : ſub Paſchaſio Viennenſi natus, ſub Claudio diaconus eſſe potuit ; non item monachus Lerini : reliqua geſta diſcuſſa, epitaphium, reliquiæ 370. VITA, auctore anonymo. *Ex codice 33 Reginæ Sueciæ* 373. VITA PROLIXIOR. *Ex Ms. S. Juſti Lugdunenſis, collato cum Mss. Accinctino, Ultrajectino, Rubea-Vallis, & editione Surii* 374

2 Juſtus ep. Claromontanus. Cultus Sancti ; Synonymus ab eodem diverſus 439

2 Juſtus ſive Juſtinus ep. Argentoratenſis in Alſatia. Ætas, elogia, incerta de Sancto narrantur : cultus 377

L

1 LUpus archiep. Senonenſis, Brienone in Campania Galliæ. COMM. PRÆV. § I. Sancti veneratio in diverſis locis ; Officia propria : Actorum ætas & fides 248. § II. Nobilis proſapia ; quo anno natus, factus clericus, & epiſcopus ; tempus exſilii ; fabula de eo confutata 249. § III. Annus mortis, Sancti ſucceſſor, aliqua notatu digna de concilio Remenſi 251. § IV. Corporis tranſlatio, inventio, recognitio : controverſia de Sancti capite & reliquiis judicio Pontificio dirempta : reliquiæ locis variis 253. VITA, auctore anonymo. *Ex Ms. Rubea-Vallis, collato cum Ms. S. Maximini Treviris, codice Ms. Valcellenſi à pag. 6, aliiſque editis.* PROLOGUS 255. CAP. I. Illuſtres S. Lupi parentes, quibus divinitus promittitur ; clericatus, educatio & indoles : virtutes, epiſcopatus 256. CAP. II. Obſeratam S. Aniani eccleſiam precibus ſuis aperit ; inimicis & detractoribus benefacit : fidens Deo magnam vini copiam accipit 257. CAP. III. Siniſtra de ſe judicia & obtrectationes contemnit ; hoſtes ab urbe fugat : novis traductus calumniis in exilium relegatur 258. CAP. IV. Agente S. Winebaudo, honorificè ab exſilio revocatur ; ſupplex ab eo veniam petit Clotarius : prodigia Andeſaginæ & in itinere facta 260. CAP. V. Aliis à Deo honoratur miraculis : confundit dæmonem, libidinis ardorem precibus exſtinguit 262. CAP. VI. Cæleſti muſica in itinere recreatur ; S. Winebaudum ad convivium pertrahit : ſanat ægros, & ſanctè moritur ; miraculis item ab obitu clarus 264

M

3 MAcniſcius ep. Connerenſis in Ultonia Hiberniæ provincia. COMM. PRÆV. Sancti cultus, diſtinctio ab homonymis, locus & tempus epiſcopatûs, annus emortualis & Acta 662. VITA, auctore incerto. *Ex Codice noſtro Salmanticenſi Ms.* 664

3 Manlus ep. Veronenſis. SYLLOGE. Veneratio publica, corpus ubi conditum, tempus vitæ 661

3 Manſuetus ep. & conf. Tulli Leucorum in Gallia. COMM. PRÆV. § I. Tulli, quò à Petro Apoſtolo miſſus creditur, ſitus, antiquitas, decora ; Vita & miracula, auctore Adſone ; duo antiqui codices Mss., varia de Sancto continentes ; Acta breviora ; aliquorum figmenta 615. § II. Variis rationibus perſuadetur, Sanctum ad Leucorum converſionem non priùs miſſum fuiſſe, quàm Conſtantini Magni vel filiorum ejus temporibus 620. § III. Antiquus cultus ex Adſone & vetuſtis Martyrologiis : an S. Martinus Turonenſis oravit apud ſepulcrum S. Manſueti 624. § IV. Gloria poſthuma ſub Tullenſibus ſeculi X epiſcopis SS. Gauzlino & Gerardo, abbatiæ S. Manſueti fundatore, ex variis documentis collecta 627. § V. Sancti gloria ſeculis XI & XII illuſtrata miraculis, venerationis incremento, & ſolemni corporis elevatione 631. § VI. Memoria in Faſtis minùs antiquis ; feſtivitas præcipua ; dies ſecundæ corporis elevationi ſacra ; Trevirenſium Manſuetus idem cum noſtro ; altaria ac templa ei dicata ; cultus ad alias eccleſias extenſus 633. VITA BREVIOR, auctore anonymo. *Ex editionibus Martenii tom. 3 Theſ. anecdotorum à col. 991, & Calmeti tom. 1 Hiſt. Lotharingicæ in Monumentis à col.* LXXXIII, 636. VITA PROLIXIOR FABULOSA, ET MIRACULA, Auctore Adſone abbate Dervenſi. *Ex variis exemplaribus tum manuſcriptis tum editis, inter ſe collatis.* PRÆFATIO ad S. Gerardum epiſcopum Tullenſem 637. LIBER. I. Acta fide indigna, cultus & miracula biographi ætate priora. CAP. I. Natales ; adoleſcentia ; iter Romanum ad S. Petrum, cujus fit diſcipulus : mittitur in Galliam ; Tullenſibus Chriſtum annuntiat ; rex fidei Præconem ſpernit, at credit regina 639. CAP. II. Sancti virtutes : regis filium ſubmerſum vitæ reſtituit : fidem & baptiſma ſuſcipit familia regia cum omni populo 641. CAP. III. Edictum regium ; pia Sancti opera ; idololatriâ exſtirpatâ, multas ædificat eccleſias : ejus mors ; ſolemnes exſequiæ 642. CAP. IV. Cultus antiquus & miracula 644. LIB. II. MIRACULA ſeculo X facta ſub SS. Gauzlino & Gerardo epiſcopis Tullenſibus. CAP. I. Sanctus, poſtquam ruinoſa eccleſia, in qua ejus corpus jacebat, abbatiæ S. Apri donata eſſet, cæcam, à dæmonibus vexatam, & leproſum ſanat 645. CAP. II. Febricitantes valetudini reſtituit ; feſtum ſuum colere contemnentes punit ; vaccam à fure abductam domino reddit 647. CAP. III. Sub epiſcopo Gerardo, abbatiæ S. Manſueti fundatore, pluviâ agros recreat ; manum uſui aptam reddit, puerum contractum curat ; Gerardum excitat, ut Officio nocturno interſit 648. CAP. IV. Peſtem ſævientem ſedat ; Gerardum epiſcopum gravi morbo liberat 650. MIRACULUM, quod contigit

git anno MIX, auctore anonymo, *editum à Martenio tom.* 3 *Theſ. anecdotorum à colum.* 1024, *& Calmeto tom.* 1 *Hiſt. Lotharingicæ in Monumentis à col.* CIV, 651. MIRACULUM alterum anni MXLIX, auctore Petro S. Romanæ Eccleſiæ diacono. *Ex editione Martenii laudati à col.* 1041, *collata cum impreſſo Calmeti exemplari, atque altero Ms.* 653. ELEVATIO CORPORIS Facta an. MCIV, auctore anonymo. *Ex editione ſæpe laudati Martenii à col.* 1088, *collata cum Ms. è codice Manſuetino ſeculi* XII, 655. MIRACULA ab anno circiter MCXXV uſque ad MCXXXVI, auctore anonymo. *Ex codice Manſuetino ſeculi* XII 656

Marcianus ep., Siſinnius, Amauſus: ac Primus ac Maternus MM. *Ex apographis Hieronymianis* 206

2 Margareta virg. & mart. Lovanii in Brabantia. COMM. PRÆV. § 1. Beatæ cultus à ſeculo XIII inchoatus, auctuſque ac continuatus ad noſtra uſque tempora 582. § II. Memoria Beatæ in Faſtis recentioribus: cur ab aliis Beata vocetur, ab aliis ſolùm Venerabilis? Corpus aliæque reliquiæ 585. § III. Beneficia recentiora ex Vita Belgica Latinè reddita 587. § IV. Quæ & qualia ſint Acta inferiùs danda: inquiritur tempus, quo Beata vixit, aliaque ad geſta ipſius ſpectantia diſcutiuntur 590. ACTA, auctore Cæſario Heiſterbacenſi. *Ex lib.* 6 *Dialogorum ipſius cap.* 34. ACTA ALTERA, auctore anonymo. *Ex Ms. Rubeæ Vallis, collato cum alio.* PRÆFATIO 592. CAP. 1. Virginis habitatio, conditio & pietas: cædes conſanguineorum ipſius, poſt quam ipſa abducta occiditur: mirabilia ſecuta, & corpus tranſlatum 593. CAP. II. Mirabilia, quæ facta dicuntur in tranſlatione corporis: ſepultura, & ſacellum ſupra corpus fabricatum, revelatio de gloria Beatæ, de cujus martyrio diſſeritur 594

1 Martha vel Marthana, mater S. Symeonis Stylitæ ſenioris, in Tractu Syriæ Antiocheno 203

3 Martinianus ep. Comi in Italia. Locus, cultus, & pauca alia de Sancto collecta 668

2 Martyres Sex mille ſexcenti viginti octo Nicomedienſes. Item Aithala, Junius, Philippus, Theodotus MM. *Ex variis Faſtis Græcis* 356

2 Maxima M. Romæ. Cultus, martyrium, variæ obſervationes 357

N

1 NEophytus ep. & conf. Leontinis in Sicilia. Cultus ex officio proprio; Acta fabuloſa; an à S. Andrea apoſtolo epiſcopus conſecratus? Tempus vitæ & mortis 116

1 Nivardus archiep. Remenſis, in cœnobio Altivillarenſi prope Sparnacum in Campania Galliæ. COMM. PRÆV. § 1. Antiquus Sancti cultus: memoratus à quibuſdam ut monachus, ſed perperam: Vita à quo & quomodo ſcripta 267. § II. Stirps Sancti illuſtris: initium epiſcopatûs ejus figendum ſub regno S. Sigiberti, ac circa medium ſeculi VII, 268. § III. Præclara Sancti geſta in epiſcopatu, obtentaque privilegia & donationes pro eccleſia Remenſi 270. § IV. Fundatio cœnobii Altivillarenſis fusè deſcripta 272. § V. Inſtitutio S. Reoli, quem ſibi optat ſucceſſorem: tempus obitûs inquiritur & locus ſepulturæ: reliquiæ in eccleſia Altivillarenſi ſervatæ, cultus ibidem, aliaque ad poſthumam gloriam ſpectantia 275. VITA. Auctore Almanno monacho Altivillarenſi. *Ex tribus Mss. inter ſe collatis.* CAP. 1. Illuſtre Sancti genus, adoleſcentiæ ſtudia & virtutes; ſacri Ordines ſuſcepti 278. CAP. II. Epiſcopus creatus, ſuorum liberaliter curam habet, & redituum epiſcopalium 279. CAP. III. Deſiderium conſtruendi cœnobium: viſio, quâ Sanctus docetur locum, in quo fundat monaſterium Altivillarenſe 281. CAP. IV. Beneficia abbatiæ Altivillarenſi præſtita, quidam nobiles ibidem facti monachi: obitus beatus Sancti 282

2 Nonnoſus præpoſitus monaſterii Montis Soractis in Etruria eccleſiæ. COMM. PRÆV. Memoria Sancti in Faſtis ſacris: ſcriptor Actorum S. Gregorius: locus & tempus, quibus floruit Sanctus 409. ACTA, Auctore S. Gregorio Magno *lib.* 1 *Dialog. cap.* VII, 410. GLORIA SANCTI POSTHUMA, Seu appendix de tranſlationibus reliquiarum, de cultu & miraculis. § 1. Corpus S. Nonnoſi Friſingam tranſlatum: auctor tranſlationis & tempus inveſtigatur, aliaque huc ſpectantia elucidantur: inventio corporis Friſingæ ſeculo XII, 412. § II. Reſtitutus præterito ſeculo cultus S. Nonnoſi in monte Soracte; reliquiæ Friſingâ eò miſſæ; impetrata ibidem beneficia 415. § III. Ulterior promotio cultûs in Italia: beneficia varia diverſis perſonis conceſſa 417. § IV. Cultus magis propagatus: aliæ à Friſingenſibus in montem Soractem miſſæ reliquiæ 420. § V. Pars major corporis, quæ diu latuerat, inventa Friſingæ, ac deinde ſolemniter tranſlata 421. § VI. Reliqua ad prædictam tranſlationem ſpectantia: varia in laudem Sancti impreſſa: reliquiæ variis donatæ: quædam jam olim ſervatæ Bambergæ; Miracula edenda 424. MIRACULA GERMANICE IMPRESSA anno MDCCXI, & Latinè reddita, interprete aliquo è Societate Jeſu. PRÆFATIO 426. CAP. 1. Beneficia anno 1709 variis perſonis collata 427. CAP. II. Beneficia & miracula anni 1710, 428. CAP. III. Miracula anni 1711 priora 431. CAP. IV. Proſecutio miraculorum ejuſdem anni 1711, 432. CAP. V. Eorumdem miraculorum proſecutio 434. CAP. VI. Reliqua miracula impreſſa 436. MIRACULA, facta à ab anno 1711 uſque ad annum 1744. *Ex Ms. Germanico Latinè reddita interprete R. P. M. C.* 437

O

2 OCtavianus erem. conf. prope Volaterras in Tuſcia COMM. PRÆV. § 1. Memoria in Faſtis recentioribus; cultûs antiquitas; Officium proprium 389. § II. Oſtenditur requiſitæ antiquitatis defectus & temporum confuſio, quibus laborant ea, quæ de Sancto ſcriptor anonymus & Blaſius monachus tradiderunt 391. § III. Acta S. Octaviani, immixta Vitæ SS. Juſti & Clementis, quam Auguſtinus Florentinus Latinè & alii Italicè ediderunt, ex nullius penè fidei documentis collecta eſſe probantur 393. § IV. Seligmtur, quæ de Sancto ceteris credibiliora ſunt: veriſimiliùs cum SS. Juſto & Clemente ſeculo V ex Africa in Tuſciam exſul advenit, & Volaterranos à Wandalis obſeſſos liberavit: an ſacerdos? 397. § V. Venerationis initium & pro-

progreſſus, corporis tranſlatio Volaterras & miracula ex variis: obſervationes in eorum narrationem, contra quos tranſlatio ſub medium ſec. IX facta probatur; feſtum ejus 401. RELATIO RECOGNITIONIS RELIQUIARUM S. OCTAVIANI, in cathedrali Volaterrana ſervatarum, notitiæ de Sancti cultu & miracula; *excerpta ex inſtrumento authentico Volaterris ad P. Bollandum tranſmiſſo, quod inter muſei noſtri manuſcripta ſervatur notatum* ✠ *Ms.* 164, 405

P

1 PEtrus Armengol M. ex Ordine B. M. V. de Mercede Redemptionis captivorum, Guardiæ Pratorum in diœceſi Tarraconenſi in Catalonia. COMM. PRÆV. § I. Nobilitas; ætas juvenilis perditè traducta; converſio; Religioſa vita, & ejuſdem tempus 317. § II. Beati in Ordine veſtitus; an ſacerdos; ejuſdem virtutes; expeditiones apoſtolicæ; cultus ab immemorabili tempore ex variis proceſſibus probatus 320. § III. Immemorabilis Beati cultus ex multis teſtium depoſitionibus 322. § IV. Depoſitiones teſtium ſingulatim referuntur è Summario proceſſûs, quod confectum eſt ad probandum cultum Beati ab immemorabili tempore 323. § V. Alia venerationis ſigna è dicto Summario; cultus ab Urbano PP. VIII promotus 325. § VI. Publicus ab immemorabili tempore Beati cultus à Sede Apoſtolica confirmatus; deinde verò egregiè illuſtratus 326. § VII. Diſſertatio, an Beati nomen Martyrologio Romano inſcribendum 328. § VIII. Diſſertationis prædictæ continuatio, in qua ſolvuntur aliæ adverſus eamdem inſcriptionem objectiones; obtinetur illa, Officium proprium ad Tarraconenſem diœceſim extenſum 330. § IX. Scriptores Beati memores; Acta; aliud de cultu & miraculis documentum; vitæ chronotaxis 332. ACTA ex oculatis & juratis teſtibus, *edita à Marco Salmerone, Ordinis B. V. M. de Mercede Magiſtro Generali, quæ cum alia editione contulimus* 333

3 Phœbe Diaconiſſa Cenchris apud Corinthum. COMM. HIST. § I. Locus, cultus, elogium; Sancta non fuit uxor S. Pauli apoſtoli 602. § II. Sanctæ virtutes, officium diaconiſſæ, laudes ex S. Joanne Chryſoſtomo; an fuerit vidua, an virgo, tempus vitæ 604

1 Placidius acolythus in Provincia Bituricenſi 207

1 Priſcus ep. M. Capuæ in Italia. SYLLOGE HIST. § I. Sancti antiqua veneratio: creditur unus è Chriſti diſcipulis, & primus epiſcopus Capuanus 99. § II. Geſta Sancti & ejus martyrium, prout referuntur è Breviario Capuano 101. § III. Corporis variæ inventiones & tranſlationes 102. § IV. Duo inſtrumenta Capuana; quibus enarratur inventio S. Priſci, & aliorum quorumdam Sanctorum, & recognitio & depoſitio oſſium S. Priſci 104

1 Priſcus, Caſtrenſis, Tammarus, Roſius, Heraclius, Secundinus, Adjutor, Marcus, Auguſtus, Elpidius, Canion, & Vindonius, Africani confeſſores & epiſcopi ſaltem ex parte, in regno Neapolitano. COMM. PRÆV. § I. Memoria S. Priſci in Martyrologio cum undecim Sociis, qui ſinguli ſeorſum etiam colunſur diebus variis 209. § II. Inquiritur, quanti valeat Vita S. Caſtrenſis, quæ agit de Sanctis duodecim; quo tempore hi mari ſint expoſiti, & an omnes fuerint epiſcopi 211. ACTA, auctore anonymo. *Ex Vita S. Caſtrenſis edita* 213. APPENDIX De inventione corporis S. Priſci confeſſoris, qui forſan idem eſt cum S. Priſco Africano 215. RELATIO INVENTIONIS, auctore, ut dicitur, coævo. *Ex editione Ughelli tom.* 8 *Italiæ ſacræ col.* 290, 216

R

1 REgulus ep. Africanus mart., Lucæ in Tuſcia. COMM. HISTORICO-CRITICUS. § I. Diverſa S. Reguli annuntiatio: demonſtratur ejus corpus Lucam tranſlatum eſſe Waldo, cujus loci ſitus detegitur: varia documenta de Sancti cultu: reliquiæ 223. § II. Antiquitas & fides Actorum examinatur: notantur, quæ in iis falſa aut ſuſpecta; his accenſetur miraculum corporis, abſciſſum caput geſtantis 227. § III. Sancti Acta longioribus interpolationibus reſectis; aliqua ad ejus vitam ſpectantia ex aliis inſtrumentis 229. § IV. Inquiritur tempus, quo Arianorum perſecutio S. Regulum exſulare coëgit; qui veriſimiliùs in Africa primæ ſedis antiſtes fuit: refellitur Tillemontius ejus à grege abſentiam ſubaccuſans: fugæ & ſolitariæ vitæ ſocii 232. § V. Oſtenditur Sancti martyrium probabiliùs contigiſſe anno DXLII: vindicantur Acta tranſlationis, ab Ughello typis vulgata 236. TRANSLATIO, auctore anonymo. *Edita ab Ughello tom.* I *Italiæ ſacræ col.* 847 *ex membrana Ms. bibliothecæ Vaticanæ* 238

3 Remaclus conf. & ep. Trajectenſis, ac dein abbas Stabulenſis, Stabuleti in Germania. COMM. PRÆV. § I. Publicus Sancti cultus ex variis Martyrologiis, Breviariis & Miſſalibus 669. § II. Annus natalis, patria, genus, educatio ſub S. Sulpitio 671. § III. Fit primus abbas Solemniacenſis, dein Caſæ-congiduneuſis ac tandem epiſcopus 673. § IV. Utrùm Tungris an verò Trajecti ad Moſam ſedem epiſcopalem habuerit 675. § V. Sancti Epiſcopi virtutes & geſta cum S. Trudone ex Vita à Notgero ſcripta 678. § VI. Malmundarienſe & Stabulenſe monaſteria hortante & curante Sancto exſtructa 680. § VII. Epiſcopatum abdicat & Stabuletum ſecedit, ſubſtituto ſibi S. Theodardo; quo tempore id contigerit: donationes pro monaſteriis factæ Sancto: utrùm Romam adierit 682. § VIII. Felix obitus ejuſque tempus, ætas Sancti & ſucceſſores: Vita & miracula à quibus & quando ſcripta 685. § IX. Templa Sancto dicata, ſepulcri inventio, cultus ad Fanum S. Galli propagatus: oſſa Leodium portata miraculis inclareſcunt 687. § X. Ejus ſolemnitas aliis locis inſtituta, brachium Solemniacenſibus conceſſum; vindicata clades Stabulenſium, dicata altaria, lis de corpore, forma habitûs 690. VITA, auctore monacho Stabulenſi anonymo. *Ex Ms. vetuſtiſſimo abbatiæ S. Pauli Ultrajecti atque aliis ſex Mss. inter ſe & cum editione Mabillonii collatis.* PROLOGUS. CAP. I. Sancti patria, parentes, educatio: in aulam evocatur, fit epiſcopus, excipit S. Trudonem & agenda edocet 692. CAP. II. Virtutes Sancti & cura paſtoralis: condita ipſo auctore duo monaſteria, in quorum alterum, abdicato epiſcopatu, ſe recipit; pius obitus & ſepultura 694. MIRACULA. *Ex Ms. Colonienſi collato*

collato cum aliis quinque Mss. & editione Mabillonii. Lib. I. auctore eodem anonymo Stabulensi. Prologus 696. Cap. I. Contracti sanati, disrupta ferrea vincula, cæcis lumen redditum & mutæ loquela; pejerans punitus 697. Cap. II. Pœna alteri inflicta, qui votum fregerat; restitutus cæcis visus & surdis auditus: surripiens linteum altaris punitur, at dein pœnitens sanatur: suavis odor è Sancti tumulo 699. Cap. III. Piscis prodigiosè captus: curata hydropisis invadit denuo voti violatorem, qui postea, redintegrato voto, sanatur; item surdus & mutus à nativitate: fur nequit discedere donec Sancti cupam reddat, quæ dein honorificè conservata 701. Lib. II. auctoribus tribus aliis monachis Stabulensibus anonymis. *Ex eodem Ms. Colonienſi collato cum Mss. Bambergenſi & Foillanenſi.* Prologus 704. Cap. I. Metu Normannorum aliò delatum Sancti corpus miro fulgore colluſtratur: exstincta pestis; paralytica, mente capta, contracta sanatæ: cerei divinitus accensi 705. Cap. II. Lux cælitus emissa super feretrum Sancti: sanata infans contracta; punitus leprâ & morte impurus, Stabulensium vexator contractione membrorum; sed hic postea erigitur 708. Cap. III. Sacrilegi furis horrenda pœna; item alterius, qui postea precibus monachorum liberatur 711. Cap. IV. Læsum brachium, contracta manus, & cæcitas curata: punitus rusticus, qui laboraverat die Rogationum; at postea liberatus: sanatæ duæ mulieres contractæ 714. Cap. V. Sanationes aliæ & beneficia per Sanctum impetrata 718. Alia miracula, auctore item anonymo Stabulensi monacho. *Ex editione Chapeavilli tom. 2 de gestis pontificum Leodienſium à pag.* DXLVII, 721. Homilia incerti auctoris, *quam ex vetusto codice Bambergæ descripsit Gamansius noster anno* MDCLIV 725

1 Rosa, fortasse M., ac Platanus M. ejus, ut fertur, filius, Sulci in Sardinia. Topographia, cultus, varia de hisce Sanctis incerta 107

S

3 Sandalius M. Cordubæ in Hispania. Cultus ex Martyrologio Romano & documentis Cordubensibus 610

1 Sixtus & Sinicius episcopi conff. Remis in Campania Gallica. Comm. præv. § 1. Cultus utriusque Sancti & reliquiarum translatio: Officia eorum & elogia 118. § II. Quæ & qualia sint Acta inferiùs edenda: inquiritur tempus, quo Sancti missi sunt in Galliam 120 § III. An Sancti dicendi sint martyres, an confessores: nullus ante ipsos Remis episcopus 124. Vita, auctore anonymo. *Ex codice nostro Ms. & monasterii Boni fontis, collatis cum Ms. Ultrajectino* 125

2 Stephanus primus Hungarorum rex Albæ Regalis in Hungaria. Comm. præv. § 1. Acta Sancti à Carthuitio episcopo scripta; quæ defenduntur contra iniquas criminationes scriptoris heterodoxi 456. § II. Judicium de Actis à Carthuitio scriptis, & varia illorum exemplaria: Acta alia incompleta; scriptores antiquiores, qui de S. Stephano egerunt 460. § III. De prædicatione fidei in hodierna Hungaria, variisque ejus vicissitudinibus per varias incursiones barbarorum, qui eam occuparunt usque ad Hungarorum adventum 462. § IV. An iidem sint Hunni ac Hungari? varia eorumdem olim nomina 464. § V. Duces Hungarorum ante S. Stephanum, eorumque gesta breviter perstricta: termini regni Hungarici eo tempore, & clades ab ipsis illatæ Christianis 467. § VI. Si per baptismum aliquorum fuerit spes aliqua conversionis Hungarorum ante medium seculi X; ea brevi concidit 469. § VII. Cœpta conversio Hungarorum, regnante Geysa patre S. Stephani, occasione pacis inter Ottonem & Geysam initæ: Piligrinus Laureacensis præsul facultatem petit erigendi episcopatus in Hungaria 475. § VIII. Inter primos prædicatores in Hungariam missus S. Wolfgangus: cur hic revocatus sit, & Piligrinus cum suis cœpta abrumpere debuerit 480. § IX. S. Adalbertus Hungarorum conversioni intentus: conversus & baptizatus Geysa, uti & S. Stephanus 481. § X. Utrùm rejiciendæ sint visiones, quæ parentibus S. Stephani oblatæ dicuntur 482? § XI. Baptismus Sancto per S. Adalbertum probabiliùs collatus: tempus collati baptismi, uti & annus natalis inquiritur 485. § XII. Mors Geysæ; cui succedit S. Stephanus: mater hujus non satis nota: quantùm promota religio sub Geysa, & quo in statu inventa à S. Stephano 487. § XIII. Utrùm S. Stephanus, obtento principatu, conversus sit occasione nuptiarum cum Gisela? Scriptores, qui id videntur asserere, explicandi de conversione totius regni 489. § XIV. Bellum cum Cupa duce Simigiensi, qui regnum occupare & fidem Christianam exscindere moliebatur: victoria Regis post vota S. Martino facta 492. § XV. Fundatio monasterii S. Martini, & duorum aliorum 494. § XVI. Fundati episcopatus per totam Hungariam, eorumque metropolis Strigonii constituta: hæc facta interveniente auctoritate Romani Pontificis 497. § XVII. Nuptiæ quo ferè anno contractæ: uxor Sancti Gisela, soror S. Henrici imperatoris: de Giselæ genere errores quorumdam 499. § XVIII. Nomen & dignitas regia obtenta, corona missa à summo Pontifice Silvestro II, qui & alia Regi confert privilegia 502. § XIX. Præcipua capita, quæ in relatione Carthuitii Bonfiniique & in Litteris Pontificiis asseruntur, aliis auctoritatibus & rationibus confirmantur 504. § XX. Excutiuntur rationes, quibus Schwartzius probare nititur, coronam Hungarorum regis datam esse ab imperatore Græco 507. § XXI. Excutiuntur ea, quæ objecit Schwartzius contra alia quædam in litteris Silvestri, aut in Vita asserta 510. § XXII. Refutantur ea, quæ ratiocinatur Schwartzius contra oblationem regni S. Petro 513. § XXIII. Litteræ Silvestri II defenduntur contra objectiones Schwartzii 517. § XXIV. Statuti per Hungariam episcopi, ex quibus nonnulli recensentur: quantâ in eorum delectu diligentiâ uteretur Sanctus, quantâque curâ cum regina Gisela Dei ministris necessaria provideret: natus filius Emericus 521. § XXV. Bellum S. Stephani cum principe Transilvaniæ, quam subjicit & Christianam facit: bellum Bulgaricum: condita ditataque ecclesia Albæ Regalis, ac pietas Regis in beatam Virginem 524. § XXVI. Misericordia Sancti & liberalitas in pauperes: ipsius gesta cum SS. Gunthero & Gerardo, fundatumque monasterium Beel 528. § XXVII. Alia

Alia geſta Sancti cum Gerardo, quem ad erectum epiſcopatum Moriſenum, nunc Chanadienſem promovet: fundatum monaſterium in agro Ravennate 530. § XXVIII. Benevolentia Regis in peregrinantes: ſtructum Hieroſolymis monaſterium, eccleſia item Conſtantinopoli; ac canonicorum collegium Romæ: an ipſe ad loca ſacra etiam ſit peregrinatus 532? § XXIX. Munera variis miſſa: cœnobium cum eccleſia in veteri Buda conditum: varia miſericordiæ opera: fundationes quædam minùs cognitæ 535. § XXX. Beſſorum incurſio in Tranſilvaniam, quam Rex divinitus dicitur edoctus: inſigne ſeveritatis exemplum 537. § XXXI. Bellum cum imperatore Conrado, & pax mirabili modo obtenta: virtutes Sancti, contemplatio & ecſtaſis 539. § XXXII. An Emerico filio uxorem dederit? An regnum eidem abdicare cogitaverit? mors ſancti Emerici: an morbus, quo triennio laboravit Rex, ex morte filii contractus 541? § XXXIII. Monita, quibus Stephanus filium Emericum inſtruxit, ut regnum rectè piéque adminiſtraret 543. § XXXIV. Leges Hungaris datæ 546. § XXXV. Ultimus Sancti morbus: conſpiratio in vitam ipſius detecta: poſtrema monita, pius obitus & ſepultura 551. § XXXVI. Succeſſor Stephani Petrus, ipſius ex ſorore nepos: excutiuntur calumniæ hac occaſione conjectæ in Giſelam reginam, & reliqua de Giſela inveſtigantur 553. § XXXVII. Elevatio corporis, regnante S. Ladiſlao facta; multaque miracula circa idem tempus patrata 555. § XXXVIII. S. Stephanus in Sanctorum numerum relatus tempore prædictæ corporis elevationis: cultus ab eo tempore celeberrimus per totam Hungariam: feſtivitas Inventionis dextræ 557. § XXXIX. Cultus Sancti in Suecia receptus, ac tandem per totam Eccleſiam Romanam primò ritu ſimplici, deinde ſemiduplici cum Officio proprio, ex quo dantur lectiones ſecundi nocturni 559. § XL. Reliqua de Sancti miraculis 561. VITA, auctore Carthuito aut Carthuitio epiſcopo. *Ex editione Cracovienſi, collata cum Ms. Corſendoncano & editione Surii.* PRÆFATIO 562. CAP. I. Sancti pater, natales viſionibus præviis illuſtrati, baptiſmus, regni initia & cura religionis propagandæ: victoria de rebellibus & hinc monaſterium S. Martini ex voto fundatum 563. CAP. II. Cura promovendæ religionis, & multorum acceſſus in Hungariam: conſtructum monaſterium, erecti epiſcopatus: miſſus Romam legatus, qui coronam regiam multaque privilegia à Pontifice obtinet: nuptiæ cum Giſela ac pia utriuſque opera 565. CAP. III. Pietas in beatam Virginem: ſtructa ornataque donis & privilegiis eccleſia Albæ Regalis: fundationes piæ Hieroſolymis, Romæ, Conſtantinopoli: miſericordia & liberalitas Regis, ejuſdemque mirabilia 568. CAP. IV. Bellum à Conrado imperatore illatum mirâ Dei providentiâ citò finitum: crebra Sancti oratio & raptus: inſigne ſeveritatis exemplum: morbus Regis & obitus filiorum: virtutes variæ 570. CAP. V. Morbus, & in eo detecta conſpiratio quorumdam: beatus obitus, ſepultura, decreta corporis elevatio, ac mirabilia in aperitione ſepulcri facta 572. CAP. VI. Elevatio corporis & miracula: mira dextræ inventio, & integritas 573

T

3 TArafia Ourenii in Luſitania. Locus, tempus mortis, mira patrata, cultus publicus 786

1 Taſcius, Dubitatus, Valentus, Donatus MM. in Africa. *Ex apographis Hieronymianis apud Florentinium* 205

1 Terentianus ep. M., & Flaccus M. Tuderti in Umbria. COMM. PRÆV. § 1. Locus martyrii, cultus & reliquiæ: Terentianus Dertonenſis à Tudertino non diſtinctus 108. § II. Acta varia, ſed nulla ſatis fidelia: Actorum compendium ex Breviario Capuano: tempus, quo paſſi ſunt Sancti III. ACTA, auctore anonymo. *Ex Ms. Emin. Card. Franc. Barberini collato cum tribus aliis Mss. & editione Mombritii.* CAP. I. S. Terentianus defertur ad Adrianum, ejuſque occaſione perſecutio excitatur: Sanctus apprehenſus ſiſtitur Lætiano proconſuli, multiſque cum eo diſputat de fide Chriſtiana 112. CAP. II. S. Terentianus variis torquetur cruciatibus: Flaccus idolorum ſacerdos ſubitò fit cæcus; proconſul verò, præcisâ S. Terentiano linguâ, obmuteſcit & moritur: convertitur baptizaturque Flaccus, & cum S. Terentiano obit martyrium 114

3 Theoctiſtus monachus Hegumenus in territorio-Hieroſolymitano. Publica ejus veneratio; annus mortis; locus habitationis; Theoctiſtus alter ab hodierno diverſus 659

2 Timotheus M. Antiochiæ 358

V

1 VErena Virgo, Zurzachi diœceſis Conſtantienſis in Helvetia. COMM. PRÆV. § 1. Memoria Sanctæ in Faſtis ſacris: locus, ubi præcipuè colitur: elogia: Acta quæ & qualia 157. § II. Diſcutiuntur & exponuntur facta in Actis, Vitiſque Germanicis relata 159. § III. Sepulchrum Sanctæ; miracula, aliaque ad gloriam poſthumam ſpectantia 161. VITA, auctore anonymo. *Ex Mss. duobus, collatis cum Trevirenſi.* PRÆFATIO. CAP. I. Sanctæ patria: iter in Italiam atque Helvetiam, ubi in ſpelunca prope Solodorum virtutibus & miraculis inclareſcit: inde profecta habitat in inſula prope Confluentes Rheni & Arolæ 164. CAP. II. Geſta Zurzachi, quæ pleraque fictitia, aut figmentis corrupta: mors Sanctæ & ſepultura 166. MIRACULA, auctore eodem, ut appareat. *Ex Ms. Elmenhorſtiano.* CAP. I. Vindicata libertas eccleſiæ S. Verenæ; Sanctæ invocatione viſus cæco redditus, & liberi à variis impetrati 168. CAP. II. Beneficia ope Sanctæ impetrata: laborantes in feſtivitate ejus, blaſphemi, fures, raptorque puniti, & aliqui ex iis pœnitentes deinde, invocatâ Sanctâ, ſanati 170. CAP. III. Reliqua miracula & beneficia medii ævi 172. APPENDIX. *Ex Vita Germanica, interprete Winando Peſcher* 174

1 Victorius ſeu Victurius ep. Cenomanenſis in Gallia, SYLLOGE HISTORICO-CRITICA. Educatio ſancti & inſtitutio per S. Martinum: virtutes: miracula: epiſcopatus: cura paſtoralis &c. 220

1 Vincentius ep. & Lætus presb. martyres Aquis Tarbellicis in Novempopulania, COMM.

CRIT: § 1. Cultus Sanctorum in Hiſpania & Novempopulania : locus martyrii 200. § 11. An alii ab Aquenſibus Vincentius & Lætus, quos venerantur Hiſpani? 202
1 Vincentius presb. M. Biſulduni in Catalonia 206

Z

2 ZEno, Concordius, Theodorus, Paternus tribunus, Theodote, milites LXVIII, mater cum duobus filiis, Serapion cum DXXII militibus. Cuſconus, Monolappus, Joſephus MM. COMM. PRÆV. Cultus è Martyrologiis & Actis, tempus, Paſſionis exemplaria. 360. PASSIO, auctore anonymo. *Ex Ms. eccleſiæ Atinenſis cum aliis collato.* CAP. 1. S. Zenonis ac filiorum ejus pro fide Chriſti certamen; horum martyrium; ipſius conſtantia tormentis non expugnata 362. CAP. 11. Aliis tormentis Martyr cruciatus ſub Paterno tribuno; hujus ac Serapionis, & plurimorum aliorum converſio ac martyrium: mulier cum duobus infantulis martyr: S. Zeno capite plexus 363
3 Zeno & Chariton MM. Cultus è Faſtis Græcis ac Martyrologio Romano 615

INDEX CHRONOLOGICUS

ANTE CHRISTUM.

JOſue dux Iſraëlitarum deſignatur 19 & ſeq.
Idem, defuncto Moyſe, imperium capeſſit 26
Jordanem tranſit, & Terram promiſſam ingreſſus, multis victoriis & prodigiis inclareſcit *&c.* 30 & ſeq.
Moritur Joſue natus annos CX, 72
Gedeon prodigioſam de Madianitis victoriam conſequitur 86 & ſeq.
Moritur Gedeon Iſraëlitarum judex 95 e f

SECULO I.

Anno 1 Chriſtum in templo oblatum agnoſcit Anna Prophetiſſa, & aliis annuntiat 98 & 99
Sec. 1 *poſt medium* S. Priſcus, creditus Chriſti diſcipulus, primus epiſcopus Capuanus martyr 102 b
S. Phœbe diaconiſſa, ab Apoſtolo laudata, obit 605 e
SS. Euphemia, Dorothea, Thecla, Eraſina martyres Aquileienſes ſub Nerone 608

SECULO II.

Circa initium ſeculi 2 *ſub Trajano, ut fertur,* SS. Roſa & Platanus Sulci in Sardinia.
Circa annum 118 S. Terentianus martyr Tuderti in Umbria cum ſocio Flacco 112 b c
Sec. 2 *aut* 4 S. Antoninus martyr Apameæ in Syria 340 & ſeq.

SECULO III.

Sub finem ſeculi 111 Obit Leontinis in Sicilia S. Neophytus epiſcopus 117 e f
Circa annum 288 SS. Sixtus & Sinicius Româ in Galliam miſſi Remos pervenerunt 122 c & ſeq.
Circa annum 300 defunctus S. Sixtus Remenſis epiſcopus, & ſucceſſor ipſius S. Sinicius uno anno ſeriùs 122 f
Circa idem tempus Defuncta S. Verena virgo Zurzachi in Helvetia 157 & ſeq.

SECULO IV.

Sub hujus ſeculi initium aut finem præcedentis ſub Maximiano Herculio In variis Italiæ locis martyrio coronantur duodecim fratres Donatus, Felix & ceteri 133 c d
Circa idem tempus ſub Diocletiano S. Baſiliſſa virgo & Martyr Nicomediæ 609
S. Sandalius martyr Cordubæ in Hiſpania 610 b
S. Maxima martyr Romæ 357 c
Sub Maximiano Galerio Plurimi martyres Nicomedienſes 356 c & ſeq.
Sub Licinio S. Ammon Diaconus & quadraginta virgines martyres Heracleæ 156
Sub Juliano Martyres Nicomedienſes Zeno, Concordius plurimique alii 360 c & ſeq.
Circa annum 370 Hunni priſtinas ſedes deſerunt 462 d
Circa annum 370 *aut* 380 S. Firminus epiſcopus Ambianenſis confeſſor defunctus 178 a b c
Circa annum 375 S. Manſuetus epiſcopus Tullenſis defunctus 612 b c
Circa annum 384 *aut* 386 S. Martinus orare potuit apud ſepulcrum S. Manſueti Tullenſis epiſcopi, ut feciſſe traditur 625 c
Circa annum 390 Moritur S. Juſtus epiſcopus Lugdunenſis in eremo, quam petierat, relicto epiſcopatu 372 c
Aliquot annis ſeriùs Corpus ipſius ex Ægypto Lugdunum delatum 372 c & ſeq.
Sec. 4 Obit S. Juſtus vel Juſtinus epiſcopus Argentoratenſis 377 a & ſeq.
Circa annum 400 Hunni Daciam & Pannoniam prima vice occupant 462 d e

SECULO V.

Sec. 5 *ante annum* 420 Obit S. Elpidius abbas 388 a

Circa

Circa annum 428 Moritur S. Martha vel Marthana, mater S. Symeonis Stylitæ in tractu Antiocheno Syriæ 204 c d e f
Sec. 5 SS. Priſcus, Caſtrenſis, Tammarus, aliique novem in Africa carioſæ navi impoſiti, ut perirent; ſed in Italiam delati, ibidem variis locis obierunt 209 & ſeq.
Circa medium ſeculi 5 Celebrata feſtivitas S. Juſti Lugdunenſis epiſcopi 365 b
Anno 453 *aut* 454 Attila Hunnorum rex moritur, & Hunni deinde mutuis cædibus attriti Pannoniâ expelluntur à Gothis 462 f & ſeq.
Anno 490, *aut citiùs*, Obit S. Victorius aut Victurius Cenomanenſis epiſcopus 223 a b
Ante ſeculum 6 veriſimiliter Moritur S. Octavianus eremita prope Volaterras in Tuſcia 397 & ſeq.

SECULO VI.

Circa annum 514 Moritur S. Macniſcius epiſcopus Connerenſis in Ultonia Hiberniæ provincia 663 e f
Circa annum 527 Longobardi occupant Pannoniam 463 b c
Anno 542 Videtur S. Regulus Africanus epiſcopus Lucæ in Tuſcia martyr obiiſſe 236 a b & ſeq.
Poſt eumdem annum S. Felix epiſcopus Piſis in Tuſcia 242 e
Sec. 6 circa medium S. Nonnoſus præpoſitus monaſterii montis Soractis obiit 410 b
Inter annum 560 & 573 Moritur S. Conſtantius epiſcopus Aquinas 244
Anno 568 S. Auxanus epiſcopus Mediolanenſis 667 d e
Circa annum 568 Hunni, aliàs Avari dicti, ſeu Hunno-Avari, Pannoniam rurſus occupant, proficiſcentibus in Italiam Longobardis 463 c d
Fortè anno 576 S. Arealdus fit martyr Brixiæ 246 & 247
Sec. 6 S. Radegundis reliquias accipit ex Oriente 350 a b

SECULO VII.

Poſt annum 608 Obit S. Auſtregildis vel Agia, mater S. Lupi 266 c
Anno 609 S. Lupus fit epiſcopus Senonenſis 250 a b
Anno 614 Revocatur ab exſilio 250 d e f
Anno 623 Moritur S. Lupus 251 e & ſeq.
Anno 628 Obit S. Martinianus epiſcopus Comenſis in Italia 669 a b
Sec. 7 ante annum 630 Moritur S. Juſtus epiſcopus Claromontanus 439 f
Anno probabiliùs 648 S. Remaclus conſecratur epiſcopus 675 a b
Circa annum 658 S. Coſmas eremita obit 441 b
Anno 660 *aut* 661 Remaclus Epiſcopatu ſe abdicat, & ſucceſſorem in cathedra Trajectenſi conſtituit S. Theodardum 682 e f, 683 a b c
Inter annum 667 & 671 Moritur S Remaclus, olim Trajectenſis epiſcopus 686 b c d
Circa annum 673 Obit S. Nivardus archiepiſcopus Remenſis 276 a b c
Inter annum 675 & 681 Martyrio coronatur S. Aigulphus abbas Lerinenſis cum Sociis 740 b c
Anno 700, *ut dicitur*, Defunctus S. Agricolus epiſcopus Avenionenſis 448 d

SECULO VIII.

Circa initium ſeculi 8 Floret in Gallia S. Ægidius abbas, ab aliis perperam ducentis ferè annis citiùs collocatus 290 & ſeq.
Inter annum 720 & 725 Mors S. Ægidii abbatis veriſimiliter locata 296 e f
Anno 760 Corpora SS. duodecim Fratrum martyrum tranſlata Beneventum per Arechem principem Beneventanum 136 d e
Circa annum 770, *ut fertur*, Martyr fit S. Grodegandus ſeu Chrodogangus, epiſcopus Sagienſis in Normannia 765 c d e
Anno 799 Carolus Magnus, poſt diuturnum bellum, Hunno-Avaros funditus ferè exſcindit, & fidem utcumque reſtituendam curat in Pannonia 463 d e f

SECULO IX.

Sec. 9 variæ tranſlationes reliquiarum per S. Anſcharium & alios 119 d e f
Circa medium ſeculi 9 Tranſlatio corporis S. Octaviani Volaterras 404 e f
Non poſt annum 886 S. Boſſianus confeſſor obit 364
Anno 889 Hunni tertia vice, ſeu hodierni Hungari, verſus Pannoniam progrediuntur, eamque occupant paucis annis 464 a b, 468 c & ſeq.
Anno 893 Arnulphus Germaniæ rex operâ Hurgarorum utitur contra Zwentiboldum Moraviæ regem 464 c

SECULO X.

Seculo 10 Floruiſſe dicuntur SS. Arcanus & Ægidius eremitæ in Italia 307 b c
Anno 904, *ut dicitur*, tranſlatæ reliquiæ Sixti & Sinicii epiſcoporum Remenſium 119 b c
Circa medium ſeculi 10 Duo principes Hungari baptizati dicuntur Conſtantinopoli; nec tamen id fuit initium converſionis Hungarorum 469 e & ſeq.
Anno 949 *vel* 950 Conſtantinus Porphyrogenitus librum de Adminiſtrando imperio ſcribit 473 d e f
Circa annum 972 Fides hodiernis Hungaris cœpta eſt promulgari, Hungaros regente Geyſa, patre S. Stephani 475 b & ſeq.
Anno 973 S. Wolfgangus, à prædicatione fidei in Hungaria revocatus, fit epiſcopus Ratiſbonenſis 480
Circa annum 975 *aut ſeriùs* Geyſa, Hungarorum dux baptizatus; at progreſſus religionis in Hungaria novis bellorum motibus impeditus 482 d e, & 480 f
Inter annum 983 & 997 S. Adalbertus Hungarorum converſioni intentus, Hungariam adit variis vicibus, non magno tamen cum fructu 481 b c d e f, & 485 c & ſeq.
Circa annum 984 Natus S. Stephanus & baptizatus 487 a b c d
Anno 997 Mortuo Geyſa patre, S. Stephanus fit dux Hungarorum 487 e f & ſeq.
Paulo poſt S. Stephanus promovens religionem Catholicam, bello hac de cauſa impetitur à Cupa duce Simigienſi, quem vincit & in pugna occidit 492 b & ſeq.
Circa annum 1000 Epiſcopatus varii cum metropoli

tropoli Strigonienſi in Hungaria erecti per S. Stephanum 497 e & ſeq.
Anno 1000 Corona & nomen regium S. Stephano conceſſa à Silveſtro Papa II 502 & ſeq.

SECULO XI.

Inter annum 1000 & 1003 Nuptias contrahit S. Stephanus Hungariæ rex cum Giſela Bavariæ ducis filia, & ſorore S. Henrici imperatoris 499 f & ſeq.
Anno 1002 *aut* 1003 S. Stephanus bello impetitus ab avunculo ſuo principe Tranſilvaniæ cauſâ fidei Catholicæ, eum vincit & capit, totamque Tranſilvaniam religione Chriſtiana imbuendam curat 524 e & ſeq.
Anno 1038 Moritur S. Stephanus Hungariæ rex 552 a b c
Sec. XI S. Antoninus martyr miraculis coruſcat in Gallia 342 f
Sec. XI, *ſecundum alios* IX, Corpus S. Nonnoſi tranſlatum ex Italia Friſingam 412 & ſeq.
Anno 1058 Tranſlatum Venetias corpus S. Coſmæ eremitæ 441 e f
Circa annum 1083 Corpus S. Stephani juſſu Romani Pontificis ſolemniter elevatum; & eodem tempore Stephanus in album Sanctorum formali canonizatione relatus 555 & ſeq.

SECULO XII.

Circa initium ſeculi 12 Scripta Vita S. Stephani Hungariæ regis à Carthuitio epiſcopo 457 f & ſeq.
Anno 1104 Elevatio corporis S. Manſueti epiſcopi 653
Anno 1161 Corpus S. Nonnoſi inventum & depoſitum in crypta eccleſiæ cathedralis Friſingenſis 414 e f, 415 a b

SECULO XIII.

Circa annum 1203 Moritur in Hiſpania B. Ægidius Ordinis Ciſtercienſis abbas 308 e f
Sec. 13 *ante annum* 1221 Occiditur B. Margareta Lovanienſis virgo & martyr 590 e f
Anno circiter 1221 B. Brocardus ſecundus Prior generalis Ordinis S. Mariæ de monte Carmelo vitam finit in Palæſtina 577 d e
Anno 1244 Moritur B. Guala ex Ordine Prædicatorum epiſcopus Brixienſis & legatus Apoſtolicus in cœnobio Aſtinenſi, in quod, relicto epiſcopatu, ſe receperat 785 d
Anno 1262 B. Juliana abbatiſſa Ordinis S. Benedicti vitâ defungitur 316 b & 317 d
Anno 1266 Qurenii in Luſitania obit B. Taraſia 786 c
Anno 1295 eccleſia Apamienſis S. Antonini facta cathedralis 343 d e

SECULO XIV.

Anno 1304 B. Petrus Armengol Ordinis B. Mariæ Virginis de Mercede, martyrio coronatus, obit 333 c
Anno 1359 B. Albertus Beſutius eremita moritur apud lacum Verbanum in ducatu Mediolanenſi 788 d
Anno 1377 BB. Jacobus & Philippus Ordinis Minorum martyres occiduntur 595 c e f

SECULO XVII.

Anno 1647 Recognitio corporis S. Octaviani eremitæ 405 & ſeq.
Anno 1655 Reſtitui cœptus in monte Soracte S. Nonnoſi cultus, quem ſecuta ſunt multa miracula 415 d e f & ſeq.
Anno 1676 tranſlatum corpus S. Elpidii abbatis 379 b

SECULO XVIII.

Anno 1708 Præcipua pars corporis S. Nonnoſi, quæ diu latuerat, Friſingæ feliciter inventa, & plurima deinde ſecuta miracula 421 & ſeq.
Anno 1709 S. Nonnoſi corpus tranſlatum magna ſolemnitate 422 & ſeq.
Anno 1711 & 1712 inventa varia Sanctorum corpora Neapoli 104 & ſeq.
Anno 1715 Luſtratum corpus S. Firmini epiſcopi Ambianenſis occaſione diuturnæ diſputationis de eodem 194
Eodem anno Feſtivitas tranſlationis S. Firmini reſtituta 199 a b

ACTA SANCTORUM
SEPTEMBRIS.

TOMUS PRIMUS.

PRIMA DIES.

SANCTI, QUI KALEND. SEPTEMBRIS COLUNTUR.

SAnctus Josue Israëlitarum dux, in Palæstina.

S. Gedeon Israëlitarum judex, in Palæstina.

B S. Anna prophetissa, Hierosolymis.

S. Priscus ep. M., Capuæ in Italia.

S. Rosa forte M. } Sulci in
S. Platanus M., ejus, ut fertur, filius } Sardinia.

S. Terentianus epis. & M. } Tuderti in
S. Flaccus M. } Umbria.

S. Neophytus episc. conf., Leontinis in Sicilia.

S. Sixtus episc. conf. } Remis in
S. Sinicius episcopus confessor } Campania Gall.

C S. Donatus
S. Felix
S. Arontius
S. Honoratus
S. Fortunatus
S. Savinianus
S. Septiminus
S. Januarius
S. Felix alter
S. Vitalis
S. Sator
S. Repositus } martyres fratres Beneventi in Italia.

S. Ammon diaconus } martyres Heracleæ in
SS. XL Virgines } Thracia.

S. Verena V., Zurzachi dioc-

S. Firminus episc. conf., Ambiani in Gallia.

S. Vincentius epis. M. } Aquis Tarbellicis in Novempopulania.
S. Lætus presb. M. }

S. Martha vel Mathana, in tractu Syriæ Antiocheno.

S. Tascius
S. Dubitatus
S. Valentus
S. Donatus } martyres Africani.

S. Marcianus epis. M.

S. Sisinnius M.

S. Amausus M.

Item

S. Primus M.

S. Maternus M.

S. Vincentius presb. M., Bisulduni in Catalonia.

S. Placidius acolythus, in provincia Bituricensi.

S. Ambrosinianus ep. & M., ut fertur, patronus parœciæ Fontanensis prope Divionem in Burgundia.

S. Priscus
S. Castrensis
S. Tammarus
S. Rosius
S. Heraclius
S. Secundinus } confessores Africani, & episcopi, saltem

A S. Adjutor
S. Marcus
S. Auguſtus
S. Elpidius
S. Canion
S. Vindonius
ex parte, in regno Neapolitano.

S. Victorius aut Victurius epiſc. conf., Cenomannis in Gallia.

S. Regulus epiſc. Africanus M., Lucæ in Tuſcia.

S. Felix ep., &, ut fertur, M., Piſis in Tuſcia.

S. Conſtantius ep. conf., Aquini in regno Neapolitano.

B S. Arealdus M., Cremonæ in Italia.

S. Lupus epiſc. Senon., Brienno-ne in Campania Galliæ. Item S. Auſtregildis vel Agia ejuſdem S. Lupi mater, Aurelianis.

S. Nivardus epiſc. Remenſis, in cœnobio Altivillarenſi prope Sparnacum in Campania Galliæ. D

S. Ægidius abbas, in Fano ſancti Ægidii in Occitania.

S. Boſſianus conf., in diœceſi Laudunenſi in Gallia.

S. Arcanus ? eremitæ, Burgi S.
S. Ægidius ? Sepulcri in Umbria.

B. Ægidius abbas S. Martini de Caſtañeda in regno Legionenſi.

B. Juliana virgo & abbatiſſa Venetiis in Italia.

B. Petrus Armengol. M., ex Ordine B. M. V. de Mercede redemptionis captivorum, Guardiæ Pratorum in diœceſi Tarraconenſi in Catalonia. E

PRÆTERMISSI ET IN ALIOS DIES DILATI.

Anctus Symeon Stylita *colitur hac die à Græcis, ut patet è Menais magnis typo editis, Anthologio, ac Menologio Latinè reddito à Cardinale Sirleto. Vide diem* v Januar.

Glaſcianus ep. & conf. in Morauia Scotiæ provincia *ponitur apud Camerarium in Menologio Scotico cum titulo* ſancti. *Alibi eum vocari* Makglaſtianum *indicavimus in Prætermiſſis ad diem* xxx Januarii. C

Salinis relevatio beati Anatolii confeſſoris atque pontificis, per manus domini Nicolai archiepiſcopi Biſuntini *exſtat apud Chiffletium in Veſontione, quam edidit, part.* 2, *pag.* 268. *Miræus in Faſtis illum Sanctum refert die, quo & apud nos eſt,* III Februarii.

Ordo Gilbertinorum in Anglia ſub inſtituto Ciſtercienſi, per B. Gilbertum ſumpſit exordium anno MCXLVIII. *Ita Kalendarium Ordinis Ciſtercienſis Divione excuſum anno* 1617. *Mittimus lectorem ad ea, quæ dicta ſunt apud nos* IV Februarii.

S. Manſuetus epiſcopus Mediolanenſis *notatur in Breviario Mediolanenſi. Egimus de illo* XIX Februarii.

S. Mathiæ apoſtoli tranſlatio & inventio *ſignantur in Auctariis ad Uſuardum à nobis editum. Vide apud nos diem, quo Sanctus colitur,* XXIV Februarii.

Tranſlatio ſacrorum pignorum S. Roſendi epiſc. & ... abbatis *notatur* apud Cellam-Novam *à Tamayo, quem &* Rodeſindum *vocat. De illo nos ad diem* I Martii.

S. Elphegi epiſcopi Wintonienſis in Anglia *meminit Ferrarius in Catalogo generali, cui adde Menardum, & Martyrologium Anglicanum Wilſoni. Scripſimus de hoc Sancto* XII Martii.

Longini militis & martyris, qui latus Domini lanceâ aperuit.. *Annuntiatio eſt Greveni ex Adone; deinde*, Cum ipſo, *inquit*, ſimul coronatus eſt Afrodiſius commentarienſis *&c. Vide quæ diximus ad diem* XV Martii.

S. Connonis monachi in oppido Neſi in Sicilia *annuntiatur à Ferrario in Catalogo generali, & ab Octavio Caietano in Idea Operis de Vitis Siculorum Sanctorum. Habetur apud nos* XXVIII Martii. F

Sara, Maria ſoror Moyſis, Debbora, Olda, Anna Samuëlis mater, Abigaïl & Eſther *memorantur in Caniſiano Martyrologio, quod anno* 1599 *editum eſt. Vide ſacras Litteras variis locis.* Sara *laudatur à fide in Epiſt. S. Pauli ad Hebr.* 11. 11. *Has, & plures alias lego in Menais magnis impreſſis ad diem* 19 *Decembris, addito ſingulis titulo* juſtæ, *ac duobus verſiculis, ſi* Oldam *&* Abigaëlem *excipias, quas ibi non invenio. De* S. Holda *vel* Olda prophetiſſa *legi poſſunt dicta ad diem* X Aprilis.

Sancti Mamertini abbatis, apud monaſterium ſancti Germani, ubi poſt ſanctum Alodium abbas fuit, ibique laudabiliter vivens tam Deo quàm hominibus, quievit in pace. *Annuntiatio eſt inter auctaria ad Uſuardum noſtrum hac die. Sed apud nos à die* XXX *Martii remiſſus eſt ad diem, quo conſuli poſſunt quæ de illo monachi titulo à nobis inſignito dicta ſunt*, XX Aprilis.

S. marty-

A S. martyris Aithalæ *meminit Molanus anno* 1573 *editus. Adi apud nos* XXII Aprilis.

S. Danielis martyris apud Gerundam in Hiſpania *meminit Ferrarius in Catalogo generali. De illo egimus* XXIV Aprilis.

Sanctorum martyrum Calliſtes, Euodi & Hermogenis fratrum *annuntiatio exſtat apud Molanum in editione anni* 1573. *De illis Græci hac die. Conſuli inſuper poſſunt apographa Hieronymiana apud Florentinium. Vide quæ diximus* XXV Aprilis.

S. Honoratus epiſc. Ambianenſis & conf. *refertur apud Withfordum. Eſt in Martyrologio Romano, & apud nos* XVI Maii.

S. Maximiliani diaconi Petenenſis *memoriam annuntiat Ferrarii Catalogus* Humagi in Iſtria. *Conſule de illo diem* XXVIII Maii.

Rothildis (*immo* Clothildis) reginæ Franciæ *mentionem facit Grevenus cum Martyrologio Caniſiano. Lege de illa, quæ dedimus die* III Junii.

Prope Aſtygem in Hiſpania, obitus venerabilis Florentinæ, ſororis S. Leandri & S. Iſidori
B Hiſpalenſis. *Annuntiatio eſt Caſtellani. Nos de illa tamquam Sancta tractavimus* XXII Junii.

Tranſlatio apud Venetos in parochiali eccleſia, titulo ejus inſignita, corporis beatæ virginis Marinæ, de qua in Vitis Patrum, *refertur in Additionibus Bruxellenſibus Mss. ad Uſuardum Greveni. De tranſlatione hujus Sanctæ meminerunt etiam Galeſinius (ſed corrupto nomine* Mariæ) *Maurolycus, & Ferrarius in Catalogo generali. Vide apud nos diem* XVII Julii.

S. Calminius *à Savarone in Originibus Claromontanis pag.* 50 *prioris editionis refertur ex hiſtoriæ ejus Ms. lectione* 5. *De illo ſcripſimus ad diem* XIX Auguſti.

Adelaïs, mater S. Bernardi, *annuntiatur* Fontanis apud Divionem *cum titulo* venerabilis *à Caſtellano. Laudatur apud nos in Commentario prævio de S. Bernardo ad diem* XX Auguſti.

Pictavii, S. Juſtini epiſcopi *meminit hoc die Caſtellanus, ut indicavimus in Prætermiſſis ad* XXVI *Auguſti, aliaque tunc ibi protulimus de publico ejus cultu. Verùm cùm plus aliquid de ipſo, ſicut tunc deſideravimus, interea temporis non pervenerit ad noſtram notitiam, nec proinde plura nunc de hoc Sancto dicere poſſimus, quàm ibi diximus; acquieſcat lector de ſola veneratione ejus publica productis ad eumdem diem* XXVI Auguſti.
C

Orontius & Juſtus MM. Aletii patroni *inſcribuntur Catalogo Sanctorum Italiæ à Ferrario. Vide diem, quo illos dedimus,* XXVI Auguſti.

B. Agili abbatis, tempore Clodovei regis. *Annuntiatio eſt Maurolyci. Adi quæ dedimus* XXX Auguſti.

Othoniel, Haiot (*al.* Aod) Barach Eufratæus, Gedeon, Thola, Jahir, Jephte, Abeſan, Hailon Zabulonites, Abdon Thecnites, Sampſon *memorantur in Martyrologio Caniſiano anni* 1573 *tamquam judices populi Iſraelitici*, quos etiam omnes *indicat pro Sanctis habitos, & hic poni ſimul, ſicut addit, cùm lateat emortualis eorum dies.* S. Gedeon *datur hac die, quo notatur in Martyrologio Romano. Hic & alii è jam memoratis inter Sanctos veteris Teſtamenti fidei merito inſignes à S. Paulo recenſentur ad Hebræos* XI. 32: Et quid adhuc dicam? Deficiet enim me tempus enarrantem de Gedeon, Barac, Sampſon, Jephte, David, Samuel, & Prophetis. *Quia vero in more poſitum nobis non eſt, illos è veteri Teſtamento Sanctos Operi noſtro intexere, qui non annuntiantur in Martyrologio Romano; ſufficiant hæc pauca de ſuprà memoratis ex Caniſio. De* Othoniele *videri poteſt liber Joſue* 15. 17; *Judicum* 1. 13, *item* 3. 9 *&* 11: *de* Aod *Judic.* 3. 15 *& alibi: de* Thola *Judic.* 10. 1: *de* Jahir *Judic.* 10. 3: *de* Abeſan *Judic.* 12. 8: *de* Hailon, *al.* Ahialon *Judic.* 12. 11: *de* Abdon *ibidem* ℣. 13. *Porrò* Sampſon *&* Jephte; *quos ſupra nominabam, in ſacris Litteris notiſſimi ſunt. De illis liber Judicum identidem citatus conſuli poteſt variis locis.* D

Raab mulier *occurrit in dicto Martyrologio. Videri de illa poſſunt ſacræ Litteræ variis locis.*

S. Ruth *ibi etiam annuntiatur: de qua Scriptura ſacra.*

Fortis ac ſanctus vir Caleb *laudatur in eodem Martyrologio, qui in divinis Eloquiis notiſſimus eſt.*

Venerabilis Ereſvitha, mater Alduſphi Weſtſaxonum regis, Religioſa ſub regula S. Colombani, à venerabili Beda memorata, in diœceſi Meldenſi mortua *refertur à Caſtellano.* E

Ἀνάβληψις (*immò* Ἀνάβλεψις) τοῦ ἁγίου Παύλου τοῦ ἀποστόλου, *id eſt*, Recuperatio viſûs ſancti Pauli apoſtoli *annuntiatur hac die in Ms. Synaxario Sirmondi, & additur:* ὡς εἰς Λυκάς ὁ θεῖος ἐν ταῖς Πεφάξεσιν τῶν Ἀποστόλων διέξεισι. *Id eſt*; de qua divinus Lucas narrat in Actibus Apoſtolorum *cap.* 9 ℣. 18.

S. Scellanus Leproſus *ponitur apud Colganum in Appendice ad Acta S. Patricii pag.* 311. Colitur, *uti addit*, Ardmachæ 1 Septembris, juxta Marianum Gormanum, & Martyrologium Dungallenſe. *Plura de illo neſcimus.*

S. Euantiæ *meminerunt Menæa magna Græca, & Menologium Sirleti. Mulier ſynonyma occurrit apud nos die* 2 *Februarii in Cornelio cap.* 2, *nec non* XXVII *Aprilis pag.* 488 *inter Martyres Nicomedienſes. Quò ſpectet hodierna, è ſolo nomine definiri non poteſt.*

Acaſius, *ſeptem circiter annorum puer, cum titulo* ſancti martyris *refertur à Dionyſio Bonfant in Triumpho Sanctorum regni Sardiniæ lib.* 3, *cap.* 36, *ubi & de ſepulcro ejus ſcribit, nec non de inventione ac epitaphio, quod producit. Obiiſſe in eodem dicitur hac die* 1 *Septembris; additque Bonfantus, illum è ſepulcro extractum fuiſſe, & à vicario generali, ſede vacante, ad eccleſiam cathedralem delatum, atque in ſanctuario collocatum, nec non coli dicta die. Tomo* V *Maii, die* XX *ejuſdem menſis in Appendice pag.* 219* *ſcripſimus de refoſſis in agro Calaritano epitaphiis. Propter illa autem, quæ ibidem dicta ſunt, cenſeo hunc* Acaſium *non referendum inter alios hujus diei Sanctos, donec major confirmatio aliunde accedat de legitimo, certo ac publico ejus cultu.* F

Commemoratio ſuperbenedictæ Dei Genitricis in Maſinis *refertur à Molano in editione anni* 1573. *In Menæis magnis Græcis ad hunc diem vocatur* σωάξις, ſolennitas, *& pro nomine* Maſinis *ſcribitur* ἐν τῇ μονῇ τῶν Μησιανῶν, in monaſterio Meſianorum. *De hoc loco vel æde ſacrâ nihil invenio apud Cangium inter alias plurimas Deiparæ Virginis lib.* 4 *Conſtantinopolis Chriſtianæ pag.* 82 *& ſeqq. Memoria autem celebratur à Græcis imaginis Deiparæ, quæ*

A *in lacum ob metum Iconomachorum projecta, diu pòst ſine ulla labe aut nota luti recepta eſt.*

Solennitas Recollectionis feſtorum beatiſſimæ Virginis, Dei Genitricis Mariæ *annuntiatur à Molano in editione anni* 1573 Dominica die prima menſis Septembris, Lovanii in baſilica ſancti Petri, *& addit:* Quæ cum totius urbis lætitiâ feſtivè celebratur, *ob cauſas, quas Molanus explicat in Natalibus Sanctorum Belgii. Quotannis eadem ſolennitas* Recollectionis feſtivitatum *&c. Antuerpiæ celebratur Dominicâ poſt Octavam Aſſumptionis ejuſdem beatiſſimæ Virginis.*

Principium Indictionis, novique anni, *quem Græci tunc inchoant, ponitur à Molano in ſecunda editione. Celebratur apud Græcos Officio, uti liquet ex Menæis magnis impreſſis.*

Novocomi extra urbis mœnia in eccleſia S. Crucis S. Anæ parvuli martyris, qui Romæ pro Chriſti nomine, ejuſque religione captus, pro ea mori non formidavit: cujus corpus ibidem humatum, & poſtea noviſſimo hoc tempore è tumulo eductum ac tranſlatum Novocomum, in ſacello Deiparæ gladio transfixæ .. colitur, B *uti habemus è Sanctuario ſeu Martyrologio eccleſiæ Novocomenſis, quod edidit Aloyſius de Tattis, dicens in notis*, neque annum, neque diem, neque martyrii genus, aut perſecutorem *reſciri potuiſſe, ejuſque feſtivitati dicatam eſſe Dominicam primam Septembris. Eſt autem* Novocomum *vel* Comum *urbs Italiæ in Inſubria, vulgò* Como. *Nos hodiernum Martyrem extractum credimus è cryptis Romanis.*

S. Columba V. Romæ *hac die in noſtra collectione Ms. Sanctorum notatur ex ſancti Martini Turonæi Ms. Beda, at vocant. Plura nos latent.*

Theodardus monachus Caræſilvæ in Dania *tamquam* beatus *ponitur ab Henriquezio & Chalemoto, ac laudatur. De cultu ejus publico nihil ſcimus.*

Hadriani PP. IV natalis *refertur à Joanne Chryſoſtomo vander Sterre* Anagniæ *cum elogio.*

Agnes abbatiſſa Benedictina *apud Arturum in Gynæceo annuntiatur hac die* Venuſiæ in Apulia *cum titulo* beatæ. *Apud Ferrarium in Nova topographia ad Martyrologium Romanum, verbo* Venuſia, *nominatur* Agnes abb. C *Paulus Regius de Sanctis regni Neapolitani parte 2 in Vita S. Guilielmi confeſſoris ac fundatoris Ordinis monaſtici Montis-virginum cap. 8 narrat, viſitatas ab eo moniales, &* Agnetem, *è ſuo partheuone Venuſino illuc profectam, viri de ſe bene meriti reviſendi gratiâ, quaſi mortis ejus præſagam, ab illo factam monaſterii S. Salvatoris abbatiſſam. Præmiſerat cap. 7* Agnetem *ab ipſo converſam, factam è meretrice monialem, tantaque ſanctitate poſtmodum ornatam fuiſſe in Religione, ut à multis tamquam ſancta ſit habita. De laudato S. Guilielmo abbate ac fundatore Eremitarum Montis-Virginis ſub regula S. Benedicti, egimus die* XXV *Junii; ubi pag.* 113, 128, *&* 131 *videri poſſunt, quæ de hac* Agnete *memorantur. Sed nihil in his de ejus cultu. Apud Wionem lib. 3 in Appendice pag.* 409 *cum titulo* ſanctæ *ſignatur* Agnes abbatiſſa miraculis clara, quæ obiit anno Domini MCCXLI. Ejus corpus requieſcit in eccleſia ſuo nomini dicata Romæ. *Citantur autem* monumenta Italiæ. *Verùm dies annuntiationibus non apponitur in iſta Appendice. Hanc recenſuit ac edidit Menardus poſt* D *ſuum Martyrologium Benedictinum; ſed his omiſſis*, miraculis clara, *&* Romæ. *Ignota porro nobis eſt hac abbatiſſa, qua qualiſcumque ſit, non poteſt confundi cum ſynonyma ſuperiore, ſynchrona S. Guilielmo, qui anno* 1142 *obiit, uti dicitur apud nos in Vita ejus pag.* 131 *citatâ.*

S. Rufinæ corpus *ſolenniſſimè colitur quotannis menſe Septembri in abbatia monialium dicta Marquette in territorio Inſulenſi in Flandria, quod eò fuerat tranſmiſſum à R. P. Carolo de Noyelle Belga, Societatis Jeſu poſtea Præpoſito Generali, cujus cognata dictæ abbatiæ præerat anno* 1681, *ex litteris P. Conradi Janningi noſtri, quæ eodem anno ad Danielem Papebrochium Inſulis ab eo ſcriptæ ſunt. Crediderim illud corpus deſumptum fuiſſe è cryptis Romanis.*

D. V. Ruræmundenſis *memoriam invenio in noſtra collectione Ms. Sanctorum hujus diei, deſumptam à Kalendariis, qua non nominantur.*

Diva Virgo Hallenſis Dominicâ primâ Septembris *ſignatur in Faſtis, quos Miræus edidit, Belgicis & Burgundicis, cùm hanc Deiparæ imaginem, tum varias alias eadem occaſione laudans.* E

Commemoratio Deiparæ imaginis non manu factæ *notatur* Tauromenii *ab Octavio Caetano in Idea Operis de Sanctis Siculis.*

S. Sewalli epiſcopi Eboraci in Anglia *memoria indicatur à Ferraria in Catalogo generali,* ex Martyrologio Anglico, *ſicut dicit in notis.* De eo Matthæus Weſtmonaſt. ad annum MCCLVI. Diverſus eſt à Sewallo epiſcopo Hiberno: de quo vide ad XVIII Maii; *ubi nos eum poſuimus inter Prætermiſſos. In quo autem Martyrologio Anglico hodiernum* Sewallum *invenerit, ignoro: quem in Wilſoniano non reperio. Matthæus Weſtmonaſterienſis in Floribus hiſtoriarum ad annum prædictum* 1256 *agit de epiſcopatu ejus, non de cultu.* Sewallus, *inquit*, electus Eborum, in archiepiſcopum conſecratur ab epiſcopo Wigorniæ.

Antonius cognomento Abbas, *ab hæreticis occiſus Montis-Guiſcardi in Occitania*
Venantius conf., *Lutetiæ Pariſiorum*
Martinus à Roccha conf., *Bibliæ in Corſica inſula*
Ignatius Aſpirenſis conf., *Caneæ in Creta inſula*
Catharina Alvarez virgo, *Alcarazii in territorio Toletano*

} *primus tamquam martyr, omnes cum titulo* beati *referuntur ab Arturo in Martyrologio Franciſcano.* F

Plures habet Hueberus in ſuo Menologio Franciſcano.

Joannes de Novaria *hoc menſe mortuus, & tamquam* beatus *ponitur cum elogio à Thoma de Herrera in Alphabeto Auguſtiniano tom.* 1 *pag.* 386. *Probari deſideramus publicum Viri cultum.*

Geroldus confeſſor *tamquam* beatus *annuntiatur à Ferrario in Catalogo generali,* ex Annalibus Bavariæ, *uti perhibet in notis,* in qua is prætor fuit circa an. DCCLXXX. *Lagius de Gentium migrationibus pag.* 273 *de illo agit, ubi vocatur* comes & præfectus ducatûs Boiariæ *&c. Elogium ejus habet Matthæus Raderus in Bavaria ſancta volumine primo à fol.* 76. *Cupimus edoceri publicum ejus cultum.*

S. Godinus confeſſor *annuntiatur à Caſtellano* in Lemovi-

A Lemovicinis (en Limouſin) *tamquam* peculiariter honoratus Caſtelleti (à Caſtelet.) *Apud Labbeum Novæ bibliothecæ manuſcriptorum librorum tomo* I, *pag.* 635 *notantur iſta*: S. Godinus cum ſociis ſuis quieſcere fertur apud Caſtelletum. Feſtum ejus recolitur in Kalend. Septembris. *Si paullo plura de hoc Sancto perveniſſent ad noſtram notitiam, dediſſemus ei locum inter alios hujus diei Cælites propter cultum, quem habere affirmatur. Sed quia præter hunc non ſcimus quidquam de iſto Sancto hactenus, ponimus eum hîc, donec pluribus nobis innotuerit: quod ſi fiat, notari poterit in Operis noſtri ſupplemento.*

In Caſſino, Conſtantii & Feliciani. *Ita Martyrologium Richenovienſe; quos etiam nominat Grevenus. De primo vide hac die dicenda in ſynonymo epiſcopo Aquinate; ſecundum non novimus.*

Ægidii à ſancto Audomaro, Ordinis Prædicatorum, bitus dies Gandavi *ponitur à Rayſſio in Auctario ad Natales Sanctorum Belgii, ubi & Ægidius ille vocatur* beatus, *laudaturque ex* B *Thoma Cantipratano; ſed de cultu publico ibidem nihil.*

V Margaretula Lovanienſis, *cognomento* iere Margeteke, *laudatur à Miræo in libro, qui inſcribitur Faſti Belgici & Burgundici. Plura exſpectet lector ad diem* 11 Septembris.

Alberti, primi abbatis Pontidenſis *memoria tamquam* ſancti *ſignatur* apud Bergomum *à Ferrario in Catalogo generali Sanctorum, qui in Romano Martyrologio non ſunt. De illo etiam ſcribit in Catalogo Sanctorum Italiæ, quem & Caſtellanus annuntiat. Sed Ferrarius in dicto Catalogo generali eum denuo refert die* v *Septembris, ubi & affirmat in notis, abiiſſe quidem die prima iſtius menſis, ſed quintâ celebrari memoriam ipſius; ad quam diem nos etiam illum differimus* v Septembris.

Joannes epiſcopus Eugubinus *ſignatur hoc die in Catalogo noſtro Mſ. Sanctorum; ſed ex quo documento, non habeo unde determinem, cùm citatio ita apponatur, ut non ſit mihi explorata. Agetur de illo ſancto Præſule ad diem, quo habetur in utroque Ferrarii Catalogo,* VII Sept.

In Bavaria S. Remedii (al. Romadii) abbatis *memoriam facit Ferrarius* ex Martyrol. Caniſ. C *hac die. Ab aliis ponitur die* 1 Octobris, *ſicut dicit in notis. Sed ego in duabus Caniſii editionibus illum non reperio hac die, ſed primâ Octobris, ubi datur ei titulus* confeſſoris, *adjunctis ipſi* Abre (*è quo fortaſſe* abbatem *fecerit Ferrarius*) ac Davide. *Et verò idem Ferrarius die* XV *Januarii* Romedium confeſſorem *annuntiat* Tridenti. *Vide Prætermiſſos ad eumdem diem, quo ex aliis aſſignavimus ipſi diem* 1 Octobris.

S. Muredachus epiſcopus Aladenſis *indicatur apud Hibernos à Caſtellano. Inter Miſſas proprias ſanctorum patronorum ac titularium Franciæ & Hiberniæ, anno* 1734 *Pariſiis editas, exſtat una ad diem* XI *Julii* in feſto ſancti Muredachi ep. & conf. Alladenſis patroni generalis. *Ferrarius eum habet die, quo & apud nos videri de illo poterit,* V Octobris. D

S. Bercharii abbatis & mart. *meminit cum elogio Grevenus. De hoc Sancto etiam agunt Martyrologium, quod Camiſianum vocamus, & Maurolycus. Signatur in Martyrologio Romano, quocum de illo ſcribemus,* XVI Octobris.

S. Hedwigis tranſlatio *memoratur à Wione, Dorganio, Menardo. De hac Sancta tractabitur cum Martyrologio Romano ad diem* XVII Oct.

Chariton, presbyter apud Leontinos *inter Prætermiſſos ad diem* VI *Junii ex variis apud nos refertur, dicturque de illo agi poſſe, ſi cultus S. Donati ſufficienter probetur, hoſpitis ibidem aſſignato. Verùm quoniam S. Donatus* Officio colitur eccleſiaſtico, atque ſtrictu ad ſex lectiones, *ut teſtatur Converſanus in Ætherea Leontinorum gloria ad* XIII *Novembris diſpici poterit, quisnam debeatur* Chariton, E *ejuſdem, ut ibidem vocatur, filio, ad eumdem diem, qua S. Donatus ibi refertur* XIII Novemb.

Tranſlatio S. Columbani abbatis *refertur* Bobii *à Ferrario. Colitur Sanctus iſte die* XXI Nov.

S. Petrus epiſcopus Alexandrinus & martyr *hac die ponitur in Auctariis ad Uſuardum noſtrum. Eſt in Martyrologio Romano* XXVI Nov.

SS. Lazarus & Priſcus MM. *hac die ſunt in Breviario Biſuntino anni* 1590., *additâ ſuâ cuique orationi propriâ.* Lazarus *autem eſt, quem Chriſtus* quatriduanum mortuum *ad vitam revocavit, ex oratione prima. Ex ſecunda de* S. Priſco *elici non poteſt, quiſnam ſit. Belinus* S. Lazari martyris *etiam meminit, ſed non addit qualis ſit. Ferrarius in Catalogo generali* Veſontione in Gallia SS. martyrum Lazari & Priſci, *ex dicto Breviario. Spectat primò nominatus ad* XVII *Decembris, quo habetur in Martyrologio Romano. Quiſnam verò ſit* Priſcus *iſte, non conſtat. Fortaſſe erit unus e ſynonymis, qui hodie dabuntur. De* S. Lazaro *itaque agetur* XVII Decembris.

De S. Columba *ſolitaria in Aprutio, &* SS. Nicolao *&* Ægidio *fratribus ejus tranſmiſſa olim ſunt obſervationes pauca, in quibus Berardus epiſcopus Interamnas frater eorum vocatur; dicitur quoque* S. Columba *coli* 1 *Septembris. Verum, quia obſervationes illæ minùs accuratæ ſunt, quàm ut aliquid certi ex iis eruere poſſimus, & quia mentionem de illis Sanctis alibi non reperimus, eos differimus, donec eruditus aliquis Italus doceat certiora. Colitur S. Berardus* XIX Decembris. F

A D

DE S. JOSUE ISRAËLITARUM DUCE

IN PALÆSTINA

J. L

COMMENTARIUS HISTORICUS.

§ I. Scribendi methodus: nominis Josue etymon & varia lectio; Sancti pater & majores.

De electa

Sanctorum, quos mense Septembri colit Ecclesia, agmen ducunt pietate in Deum non minùs quàm virtute bellica insignes populi Hebraici imperatores Josue *ac Gedeon: Baronius enim,* B *eaque antiquiores martyrologi Latini ferè omnes nobile illud Heroum par in suis ad Calendas Septembris Fastis conjungunt. Utrumque suo populo ipse præfecit Deus; Gedeonem angeli ministerio judicem;* Josue *divinâ vocis oraculo Moysis successorem designavit: hunc, ut Israelitas in terram divinitùs promissam, exterminatis Chananæis introduceret; illum, ut eosdem afflictos & Madianitarum servitute oppressos ab horum injuriis vindicaret, & pristinæ libertati restitueret. Ac primo quidem loco de supremo populi Dei post legislatorem moderatore* Josue *agemus. Cum majores nostri in Actis Sanctorum veteris Testamenti scribendis certum modum nec præscripserint, nec tenuerint, ego eum servandum mihi proposui, quo lectorum commodo maximè consulerem. Sancti res gestæ, antequam supremum principatum obtinebat ex variis libri Exodi, Numerorum & Deuteronomii capitibus petenda sunt. Si nuda Scripturæ verba ad Sanctum spectantia exscriberem, & dein ad eorum intelligentiam interpretes & Annalium antiqui Fœderis scriptores ellorem adire juberem, nihil in ejus gratiam me fecisse existimarem. Num quoniam in nominatis Pentateuchi libris Vita Moysis aliaque sub ejus regimine facta fusè enarrantur, Acta* S. Josue, *quæ eisdem sparsim immixta sunt, avidus lector nec apud interpretes, qui capitum versuumque seriei, nec apud Annalium scriptores, qui temporis ordini se adstringunt, invenire potcrit, nisi longis & impertinentibus digressionibus interpolata, quibus plurimum distineatur necesse est. Quæ Sanctus, Moyse mortuo, summus Hebræorum dux præclarè egit, in unum quidem sunt contracta librum, qui ejus nomine inscribitur: verum cum hic agat de exsecutione eorum, quæ Deus antea de Chananææ acquisitione & divisione promiserat, quæque post introitum in eamdem observanda per se vel per Moysen præscripserat; qui res omnes e Sancto in reipublicæ Hebraïcæ administratione gestas rectè intelligere cupit, ad Pentateuchi libros sæpius recurrat oportet. Ex his modo elucidandus, cum iisdem modò conciliandus est liber Josue, idque pluribus in locis.*

C

Scriptionis methodo

2 *Præterea Vita* S. Josue, *prout in Scripturis exstat, frequentibus obnoxia est difficultatibus, in quibus de Sancti gloria agitur. In iis enodandis tanta est sententiarum varietas & perplexitas, ut nullum Annalium veteris Testamenti scriptorem, interpretem nullum assignare possim, cui in omnibus tutò, meo saltem judicio, adhærescas. His potissimum inductus rationibus constitui dispersa hinc inde per tot Libros sacros Sancti Acta colligere, unumque veluti sub spectum producere,* E *Sanctos Patres, historicos, & interpretes, qui de iis agunt, quotquot nancisci potui, consulere, & ex collatis illorum inter se opinionibus ac commentationibus eas seligere, quæ Scripturæ ac rationi magis conformes mihi viderentur. Continget quidem aliquando, ut vix vel a paucis vel à nullo fortè trita me commissurus sim. verùm id temere nunquam audebo, nisi ratione & auctoritate sacra me securum faciente, quod à vero vel magis verisimili non deflectam. Utcumque prolixus hic appareat Commentarius, æquus æstimator, ut spero, non judicabit, me illi importuna inseruisse. Quæ faciunt ad historiam ejusque contextum, in Scriptura confusum hinc inde & perturbatum, illustranda, ad miraculorum à Sancto patratorum magnitudinem declarandam, ad ejus virtutes manifestandas ad vitæ ejus integritatem contra magnæ etiam auctoritatis accusatores defendendam; hæc, inquam, mihi persuadeo superflua non esse, atque eo modo esse proponenda, ex quo quisque intelligat me nihil prætermisisse, quod ad Sancti* Josue *commendationem spectet, vel ad lectorum commodum institutionemque conducere possit.*

F

lector præmonetur

3 *Ne verò quæ clara sunt vel certa studiosè involvere atque obscura facere velle videamur, ea, quæ ex interpretibus aliisque auctoribus hausimus, nulla citatione interpolabimus, nisi vel controversa sint vel controverti possint. A provinciarum, urbium, aliorumque locorum, quibus plenus est liber Josue, situatione examinanda, quantum poterimus, etiam abstinebimus: uti & ab iis omnibus quæstionibus, quæ ad Sanctum remotiùs spectant. Nec Commentarii contextum interrumpendum censuimus refellendis Rabbinorum nonnullorum commentis, qui de Sancto varia ridicula, & supra omnem fidem mirabilia, imò impia fabulati sunt. Ne quidem ullum eorum nominabimus, nisi rarò, ubi ex Christianis aliquos patronos nacti sunt. Videri potest Antonii Possevini Apparatus sacer ad vocem* Rabbini. *Maximam inter Judæos auctoritatem habent Philo & Flavius Josephus. Pauca illa, quæ uterque habet de Sancti Vita, in deserto sub Moyse acta, suo loco allegabimus. Quæ piè fortiterque Israëlitarum Princeps in Chananitide egit, solus describit Josephus libro 5 Antiquitatum capite primo, quod ferè totum Commentario nostro opportunis*

locis

AUCTORE J. L.

A *locis inseremus. Quæ in eo falsa vel non verisimilia occurrent, adjectæ notationes à veris & verisimilibus distinguent: ex his lucem accipiet narratio sacra; ex illis colliget lector, quanta fides & auctoritas Josepho sit tribuenda. Porrò hujus, uti & Philonis, verba dabimus, prout ea Latina fecit Sigismundus Gelenius, cujus versionem plerique sequuntur. Atque hæc potissimùm sunt, de quibus lectorem præmonendum judicavi. Nunc rem ipsam aggrediamur.*

Sanctus primò Osee, dein Josue vocatus est; utriusque nominis etymon:

4 *Sancto in circumcisione sua inditum fuit nomen* Osee *vel* Hosee, *pro quo Septuaginta, quique hos secuti sunt Patres aliqui,* Ause *vel* Auses *habent. S. Hieronymus in Commentariis ad caput* 1 *Oseæ prophetæ, cumque illo passim omnes suspicantur vetus mendum esse, quòd pro* Ὡσηὲ *apud Septuaginta legatur* Ἀυσή. *Fortè* ω *depravatum fuit in* ωυ, *quod charactere ei est affine. Sanctus nomen* Osee *retinuit, donec ad explorandam Chananæorum terram anno secundo ab egressu de Ægypto cum sociis missus est: nam tum primùm, ut verisimilius esse infrà dicemus num.* 40, *Moyses Sancti nomen mutavit,* Vocavitque Osee, filium Nun, Josue. *Numerorum cap.* 13 ℣. 17. *Utriusque nominis etymologiam dat S. Hieronymus citatus:* Osee, *inquit*, in lingua nostra Salvatorem sonat: quod nomen habuit etiam Josue, filius Nun, antequam ei à Deo vocabulum mutaretur. Non enim (ut malè in Græcis codicibus legitur & Latinis) Ause dictus est, quod nihil omnino intelligitur; sed Osee, id est, Salvator: & additum est ejus nomini Dominus (*id est, littera* Jod, *quæ prima est nominis tetragrammati & subinde pro ipso Deo accipitur,*) ut Salvator Domini diceretur, *id est, per quem Dominus populum suum salvaturus esset.* A Deo, *inquit S. Doctor, vel à Moyse Dei instinctu, hæc nominis facta est mutatio; nimirum ut sic typus per omnia congrueret veritati, &* Josue *non tantum rebus gestis, sed & ipso nomine expressius referret* Jesum *mundi Salvatorem.*

Jesu Filii Dei typus fuit ipso suo nomine, cujus varia est lectio.

C 5 *Interpretes aliqui negant, mundi & Israëlis Salvatorem idem nomen gessisse, & cum Epiphanio Hæresi* 29, *Basilio in Asceticis, & Cyrillo Hierosolymitano Catechesi* 10 Ἰησοῦς *deducunt ab* ἰάομαι, *id est,* mederi, *adeo ut idem sit quod* medicus. *Verùm non credo ego, Patres illos veram etymologiam docere voluisse, sed tantum indicare, quæ ei significatio rectè adaptari & accommodari possit. Veram nominis rationem dat Matthæus cap* 1 ℣. 21: Vocabis nomen ejus Jesum. *Quid ita?* Ipse enim salvum faciet populum suum. Jesus *itaque idem est quod* Salvator, *adeoque ab eadem radice Hebraïca derivatur, à qua* Josue, *quod teste S. Hieronymo citato idem significat: confirmaturque ex Ecclesiastici cap.* 46 ℣. 1: Fortis in bello Jesus Nave, successor Moysi in prophetis, qui fuit magnus secundùm nomen suum, maximus in salutem electorum Dei. *Præterea nomina* Josue *&* Jesus *non distingui, patet ex eo, quod Septuaginta, Philo & Josephus pro* Josue *ubique scribant* Ἰησοῦς. *Sacræ etiam Paginæ sanctum* Josue *Ecclesiastici capite citato, & libro* 1 *Machabæorum cap.* 2 ℣. 55 Jesum *vocant. Sanctus itaque vel ipso nomine, ut statim dicebam, Jesu Christi typus fuit. Sicut* Josue *ita* Jesus *est ab Hebraïco* יהושע, *quod multi* Jehoscuah, *aliqui* Jehosuah, *alii aliter pronuntiant. In Patribus Græcis vix alio quàm* Jesu *nomine Sanctum vocatum invenies. E Latinis aliqui* Jesus, *aliqui* Josue *scripserunt. S. Hieronymi & Vulgatæ auctoritas effecit, ut hodie appellatio* Josue *vel* Josua *usitatissima sit. Sunt tamen, qui ut ad lectionem Hebraïcam magis accedant* Jehosua *scribere malint. Qui de Sancti nomine ejusque etymo plura desiderat, consulat Cornelium à Lapide & Bonfrerium in Numerorum cap.* 13 ℣. 17, *aliosque.*

Sancti majores de tribu Ephraïm:

6 *Magnos inter, quos tribus Ephraïm Israëli viros dedit, primum sibi vindicat locum Moysis divina electione successor* Josue. *Ejus genealogiam dat liber* 1 *Paralip. cap.* 7 *à* ℣. 23: Ingressusque est (*Ephraïm Josephi patriarchæ filius*) ad uxorem suam, quæ concepit, & peperit filium, & vocavit nomen ejus Beria, eò quòd in malis domûs ejus ortus esset. Filia autem ejus fuit Sara, quæ ædificavit Bethoron inferiorem & superiorem, & Ozensara. Porrò filius ejus Rapha, & Reseph, & Thale, de quo natus est Thaan, qui genuit Laadan: hujus quoque filius Ammiud, qui genuit Elisama, de quo ortus est Nun, qui habuit filium Josue. *Quot ab Ephraïm usque ad* Josue *statuendæ sint generationes valdè incertum est. Sancti patrem fuisse Nun, avum Elisama, proavum Ammiud, abavum Laadan, extra controversiam est. Neque etiam, ut puto, à veritate* E *aberrant illi, qui ejusdem atavum Thaan, tritavum verò Thale fuisse statuunt: Vulgatæ textui eorum conformior est opinio; nec Hebraïcæ aut Græcæ lectioni manifestè repugnat. Verùm an Thale fuerit ex filiis, an verò ex nepotibus Ephraïm magis ambiguum est. Scriptura hoc loco non magis favet illis, qui primum, quàm qui secundum affirmant. Nec video in alterutram partem aliunde quidquam adferri posse, quod quæstionem dirimat.*

avus Elisama summus Ephraïmitarum dux; patris nomen variè legitur:

7 *Elisama, Sancti avus, fuit unus ex duodecim tribunis, qui Numer. cap.* 1 ℣. 4 *& seqq. nominatim recensentur, & ibidem* ℣. 16 nobilissimi principes, & capita exercitûs Israël *vocantur: fuit, inquam, Ephraïmitarum omnium dux, inter quos, cùm Moyses Dei jussu filiorum Israel à vigesimo anno & suprà numerum iniisset, inventi sunt quingenti supra quadraginta pugnatorum millia. Ibid.* ℣. 32 *&* 33, *& cap.* 2 ℣. 19. *Nobilissimi itaque principis & tribûs Ephraïm supremi ducis nepos fuit* S. Josue, *filius verò Nun, quem patri suo Elisama in eadem dignitate successisse, verisimile putat Salianus in Annalibus ad annum mundi* 2491. *Porrò pro* Nun *Septuaginta interpretes habent* Ναυῆ. *Hinc factum ut non modò Græci, sed & multi è Patribus Latinis* Josue *vocarint* Jesum, filium Nave. *Apud Josephum libro* 3 *Antiquit. cap.* 2 Ναύηος, *& cap.* 13 Ναύηχος *legitur. At undè hæc tanta lectionis varietas? Audi S. Hieronymum in caput* 40 *Ezechielis prophetæ:* Et diligentem & studiosum lectorem admonendum puto, si tamen scientiâ Scripturarum & non vanis oratorum declamationibus ducitur, ut sciat omnia propè verba Hebraïca & nomina, quæ in Græca & Latina translatione sunt posita, nimia vetustate corrupta, scriptorumque vitio depravata, & dum de inemendatis scribuntur inemendatiora, de verbis Hebraïcis facta esse Sarmatica, imò nullius gentis; dum & Hebræa esse desierint, & aliena esse non cœperint. *Inter nomina propria, quæ exscribentes depravarunt, existimo fuisse* Nun. *Characterum affinitas, fortè non sat distinctè in autographo exaratorum, potuit esse occasio ut pro* Ναυῆ, Ναῦν, *dein* Ναυῆ *scriptum fuerit. In solo libro primo Paralipomenon cap.* 7 ℣. 27 *adhuc* Νῆν *incorruptè legitur.*

F

8 *Harduinus in Chronologia veteris Testamenti*

AUCTORE J. L.

Jesus Nave idem non est ac Jesus propheta.

ti pag. 529 verbis Ecclesiastici cap. 46 ℣. 1, quæ num. 5. dedimus, hanc eorum subdit interpretationem: Jesus Nave est Jesus propheta, נבא. Unde dicitur hoc loco " successor Moysi in pro„ phetis „: quasi diceret scriptor sacer: Jesus cognominatus apud suos Nave, quia " successor „ Moysi in prophetis „; & idem " magnus secun„dùm nomen suum „ quia " in salutem electo„rum Dei „. Est enim Jesus, Salvator. *Itaque secundum Harduinum per vocem* Nave *significatur ipsum Sanctum prophetam fuisse. Codices sacri, qui modò Græcè exstant & dicto Ecclesiastici loco* Ἰησοῦς ὁ τοῦ Ναυῆ *habent, exiguæ apud ipsum sunt auctoritatis:* Cùm, *inquit*, legatur dumtaxat Ἰησοῦς Ναυῆ in Græco Vaticano Romæ edito, & in Londinensi ad illud exemplar excuso, editiones ceteras nihil moramur. *Fateor, quòd in vetustissimo codice Bibliothecæ Vaticanæ, quem præ manibus habeo Romæ anno 1587 typis Græcis excusum, non exprimatur ὁ τοῦ, quod in aliis additur. Verùm an inde sequitur, ut in Vaticano* Ναυῆ *idem sit quod* propheta, *adeoque ab hoc aliæ editiones sensu differant, adjectione arti*B *culi τοῦ corruptæ? Librum Ecclesiastici à Jesu filio Sirach Hebraïcè conscriptum non vidit Harduinus, cùm non exstet. In eo igitur non legit vocem illam, quam suprà characteribus Hebraïcis expressit; adeoque nec scire potuit, nepotem Jesu filii Sirach, qui librum Ecclesiastici ex Hebræo Græcè reddidit, vocem* Ναυῆ *usurpasse ad significandum* Josue *prophetam esse. Rationes quidem aliquas adfert, cur ita opinetur: Sed si lector eas examinare velit & conferre cum verbis S. Hieronymi mox datis, atque iis, quæ statim subjungam, non dubito quin mecum judicet, eas minimè sufficere ad sacros Codices inter se committendos; ubi sensu non differunt, si dicatur* Ναυῆ *positum esse pro* Νουῆ, *Sancti patres. Certè pro* Νουῆ *in omnibus aliis Libris sacris usurpatur. In Pentateucho, libris Josue, Judicum, tertio Regum, & secunda Esdræ vigesies & novies textus Hebræus nomini* Josue *subjungit* filius Nun; *pro quo in Vaticano decies & novies est* υἱὸς Ναυῆ *per varios casus inflexum, decies verò* ὁ τοῦ Ναυῆ. *Ad hæc dicere non potest Harduinus, quod* υἱὸς *&* ὁ τοῦ *ab interpolatore ubique in memorata codice addita fuerint, quoniam ad hunc tamquam emendatissimum nos ultrò provocavit. Præterea hæc interpolatio minus habet verisimilitudinis, quàm* Ναυῆ *exscribentium vitio irrepsisse pro* Νουῆ, *ut considerantì patet. Itaque illud Ecclesiastici*, Jesus Nave . . . qui fuit magnus secundum nomen suum, maximus in salutem electo*C* rum Dei, *hunc sensum habere puto* Jesus, *filius* Nave, fuit magnus *nomine*, maximus *re*, *vel executione rei per nomen significatæ, nimirum quia fuit* in Salutem electorum Dei.



D

§ II. Ejus nativitas: an Moysi è Madianitide nondum reduci notus? Quando factus hujus minister; quale ejus ministerium; quis ex eo fructus perceptus.

Sancti annus natalis:

Secundum Saliani calculos filii Israël anno mundi 2544 à Moyse ex Ægypto educti fuerunt. Num rectè huic anno liberationem de servitute Ægyptiâca annectat, examinent ii, ad quos id propius spectat. Posito igitur quòd data ab illò temporis ratio accurata sit, jam facilè nobis erit invenire, quotus circiter annus ab orbe condito Sancto natalis fuerit. Ex Numer. cap. 32 ℣. 13. & Deuter. cap. 2 ℣. 7 constat, quòd ab egressu Israëlitarum ex Ægypto usque ad mortem Moysis effluxerint ferè 40 anni His adde 17 annos gubernationis post obitum legislatoris, quos ei probabiliùs dandos esse infrà num. 270 & seqq. dicemus, habebis 57. Junge & his 53, quibus in Ægypto vixit, totam explebis vitæ ejus periodum, quam centum & decem annis circumscribit liber Josue cap. 24 ℣. 29. Jam verò si Sanctus 53 annis vixerit ante Hebræorum exitum, factum anno mundi 2544, huic numero illum subtrahe, deprehendes eum in Ægypto natum fuisse 2491. Si annos principatûs Josue *incompletos, vitæ verò completos fuisse supponas, diutius in Ægypto vixerit oportet quàm 53 annis; adeoque ejus nativitatem anno 2490 rectiùs affiges.*

ratio, cur post 53 circiter vitæ annos puer vel juvenis vocetur:

10 *Obiici potest illud Exodi cap. 33 ℣. 11,* Minister ejus (*Moysis*) Josue filius Nun, puer, non recedebat de tabernaculo. *Hic vox* puer, *ut sæpe alibi in Scriptura, non significat* ministrum *aut* famulum, *alioquì bis idem diceretur: sed pro* adolescente *vel* juvene *ponitur, pro quo etiam in sacris Litteris sæpe usurpatur: unde & hoc loco Hebraïcum* naar *Septuaginta* νέος, *id est,* juvenis *vertunt, paraphrastes verò Chaldæus* hallema, *de qua voce mox Jam autem, si* Josue *aliquot mensibus ab egressu de Ægypto, dum ei tabernaculi custodiendi cura à Moyse commissa fuit, adhuc adolescens vel juvenis erat, quomodo verum potest esse, eum 53 circiter annis in Ægypto vixisse? Ad hæc dicimus, quòd priscis illis temporibus, quando homines ad 120 annos vitam protrahebant, 53 vel 54 annos nati adhuc juvenes censerentur & vocarentur. Responsionem hanc pluribus expositam & stabilitam vide apud interpretes. Quò verò facilius eidem acquiescat lector, addo ex Bonfrerio hîc,* Hanc pueri vel juvenis appellationem longè faciliùs accommodari solitam iis (*etiam sexagenariis: nam Sanctum hoc tempore ætate tam provectum fuisse Bonfrerius hîc admittit*) qui necdum matrimonii vinculis essent irretiti: at verò & tum & deinceps etiam postea cælibem mansisse Josue rectè probat ex Patribus Serarius in caput ultimum Josue quæst. XIV. Et verò ut Hebræa vox HALMA virginem absconditam vel incognitam viro significat Isaiæ cap. VII ℣. XIV, ubi interpres noster " Ecce „ virgo concipiet „ vertit, & variis locis probat Hieronymus; ita HULLEMA Chaldaïcum ab eadem radice HALAM juvenem significabit, sed cælibem & uxorio consortio impollutum. *De cælibatu,*

batu, & Sancti caſtimonia nos infrà agemus num. 136 & ſeqq.

11 *De Sancti Vita, in ſolo natali Ægypto tradu*cta, *Scriptura altùm ſilet. Philo libro de Charitate ſub initium ſcribit,* Joſue *Moyſi amicum & familiarem fuiſſe* ἐκ πεώτης σχεδὸν ἡλικίας à prima ferè ætate, *vel, ut Geleníus vertit,* penè à puero. *Si id verum ſit, de quo maximè dubitamus; ut ſtatim indicabimus, amicitia illa inter utrumque cœperit oportet antè vel certè non diu poſtquam* 13 *ætatis annum Sanctus expleverat. Nam cùm Moyſes in Madianitide* 40 *annis apud ſocerum Jethro moràtus fuerit,* Joſue *verò ante ejus ex illa reditum* 53 *circitèr annis tantùm vixerit, hic* 13 *dumtaxat annos natus erat, vel decimum quartum modò inchoarat, quando ille à Pharaone ob cæſum Ægyptium ad ſupplicium quæſitus fugâ ſibi conſuluit. Potuit quidem fieri, ut Sanctus, abeundi facultate obtenta, Ægyptum reliquerit, in terram alienam Madianitidem migrarit, in eas regionis iſtius partes advenerit, ubi Jethro habitabat, ibidem cum opilione Moyſe amicitiam vel inierit, vel antè initam foverit: verùm quis prudens hæc omnia ita revera facta eſſe credat? Mihi certè id parùm veriſimile videtur. Imò & illud, quòd ſcilicet Moyſes ante fugam ſuam* Joſue *adhuc puero familiariter uſus fuerit, facilem apud pleroſque, ut puto, fidem non inveniet. Quamdiu in Ægypto vixit legiſlator, in Pharaonis palatio verſatus eſt, exceptis paucis diebus, quibus egreſſio è domo regia, Ægyptiù cædes, & fuga in terram Madian contigerunt, uti ex Hiſtoria ſacra Exodi cap.* 2 *& Actorum cap.* 7 *colligitur. Hæc adjuncta ſi attentiùs lector conſideret, non pauca ſtatim ei occurrent, quæ creditu difficile faciant, quòd tum temporis familiaritatem inter ſe contraxerint, imò quòd alter alterum noverit.*

Familiaritas ejus cum Moyſe, è Madianitide nondum reduce, vix fidem meretur:

12 *Conſtat ex libro Exodi cap.* 24 ℣. 13, *quòd jam inde Moyſis miniſter fuerit noſter* Joſue, *cùm Illum quintùm aſcendentem in montem Sinaï comitaretur; quod factum anno ab orbe condito* 2544, *ſecundo ab egreſſu menſe nondum evoluto. Itaque in magni illius prophetæ familiam cooptatus eſt eo temporis ſpatio, quòd medium fuit hunc inter aſcenſum in montem; & Moyſis reditum ex terra Madian, qui anno præcedente contigit: nam veriſimile non eſt Sanctum extra patriam in Madianitide famulatum fuiſſe Moyſi, qui per* 40 *annos ſoceri ſui Jethro opilionem egit. Quis credat, eum à* Joſue *adjutum fuiſſe in ovibus paſcendis? Vide num. præcedentem. At quando ergo legiſlator, redux in Ægyptum,* Joſue *ſibi miniſtrum elegit? Valde veriſimile mihi apparet quod Maſius in Præfatione ad Commentarios in librum Joſue ſcribit, Moyſen ſcilicet, ubi è terra Madian reverſus ſenioribus filiorum Iſraël, ad id convocatis, per Aaronem perſuaſiſſet, ſe à Deo miſſum ad populum ex ſervitute liberandum, omneſque illi ſe ſubmiſiſſent, tamquam ſuo duci & moderatori divinitùs conſtituto (Exodi cap.* 4 *à ℣.* 29,) *ſtatim pro neceſſitate & dignitate ſuæ perſonæ miniſtros ſibi comparaſſe, interque eos Sanctum noſtrum, qui tunc circiter* 53 *annorum erat, non ſine cæleſti inſtinctu aſſumpſiſſe; nimirum ut qui Dei populum aliquando recturus eſſet, ipſe priùs ab omnium mortalium ea ætate optimo ſanctiſſimoque imperatore regeretur. Qui enim bene imperaturus eſt, ut bene aliquando paruerit eſt neceſſe.*

a quo tempore,

13 S. Joſue *miniſterium ejuſmodi non fuit, & qualem, quale eſſe ſolet eorum, quos generis vel conditio-*

nis neceſſitas ad famulandum cogit, ſed liberale, ingenuum, ac valde honorificum. Ex iis, quæ in Exodi, Numerorum & Deuteronomii libris de eo tradit narratio ſacra, patebit, quòd legiſlatori omnium fuerit præcipuus, intimus, chariſſimus, familiariſſimus. In negotiis graviſſimis Moyſes Sancti operâ potiſſimùm utebatur, hic ſecretorum ejus erat particeps, ejus vice Iſraelitarum exercitui præerat, eumque in hoſtes ducebat, familiaribus ejus cum Deo colloquiis ſæpe intererat, ejuſdemque lateri ubique ferè adhærebat. Unde Exodi cap. 24 ℣. 13 *& alibi, ubi à Vulgata noſtra Moyſis* Miniſter, *à Septuaginta ὁ παρεσηκὼς, id eſt,* aſſiſtens, *appellatur. Hinc & Numerorum cap.* XI ℣. 28 *dicitur* Miniſter Moyſi, & ELECTUS E PLURIBUS. *Audi Philonem libro de Charitate:* Erat ei (*Moyſi*) amicus & familiaris penè à puero (*vide num.* XI) Jeſus nomine, non vulgaribus conciliatus artibus, ſed amore integro cæleſtique, ex quo omnes virtutes proveniunt: is etiam convictor contubernaliſque prophetæ fuit, niſi, ſiquando ille ſeceſſum quæſivit propter divina eloquia; idem adminiſtrationis reipublicæ particeps & tantùm non principis vicarius, multa pro poteſtate ſolitus erat gerere.

AUCTORE J. L.

quantoque cum fructu famulatum legiſlatori præſiterit.

14 *Porrò quòd Sanctus cum maximo tum temporis Dei amico convixerit, & adeo familiariter egerit, non tantùm ſummam ejus in gloriam cedit, ſed & argumentum eſt evidens, ſingularibus illum gratiæ & naturæ dotibus fuiſſe ornatum; utpote quibus ſapientiſſimus legiſlator perſpectis eum è tot millibus elegit. Quantùm verò deinde animam excoluerit omni virtutum genere, quas præſens in Moyſe admirabatur, ex S. Ambroſio cognoſce, à Benedictinis è congregatione S. Mauri edito Pariſiis anno* 1690. *Pulcrè in rem noſtram lib.* 2 *de Officiis miniſtrorum cap.* 20 *ita ſcribit S. Doctor:* Oſtendunt adoleſcentes eorum ſe imitatores eſſe, quibus adhærent; & ea convaleſcit opinio, quòd ab his vivendi acceperint ſimilitudinem, cum quibus converſandi hauſerint cupiditatem. Inde tantus Jeſus Nave, quòd eum non ſolùm erudivit ad legis ſcientiam Moyſi copula, verùm etiam ſanctificavit ad gratiam. Denique cùm in ejus tabernaculo divinâ refulgere præſentiâ videretur majeſtas Domini, ſolus erat in tabernaculo Jeſus Nave. Moyſes cum Deo loquebatur, Jeſus pariter nube ſacra tegebatur. Presbyteri & populus deorſum ſtabant, Jeſus cum Moyſe ad accipiendam legem aſcendebat. Omnis populus intra caſtra erat, Jeſus extra caſtra in tabernaculo teſtimonii. Cùm columna nubis deſcenderet, & loqueretur cum Moyſe, quaſi fidus adſtabat miniſter: nec exibat de tabernaculo juvenis, cùm ſeniores longè poſiti divina trepidarent miracula. Ubique igitur inter admiranda opera & reverenda ſecreta ſancto Moyſi individuus adhærebat. Unde factum eſt ut qui fuerat ſocius converſationis, fieret ſucceſſor poteſtatis. Merito igitur vir hujuſmodi evaſit, ut ſiſteret fluminum curſus; diceret: Stet ſol, & ſtaret ſol; quaſi ejus ſpectator victoriæ noctem differret, diem produceret. Quid * (quod Moyſi negatum eſt) ſolus eligeretur, ut populum introduceret, in terram repromiſſionis. Magnus Vir fidei miraculis, magnus triumphis. Illius auguſtiora opera, hujus proſperiora. Uterque igitur divinâ ſubnixus gratiâ, ultra humanam proceſſit conditionem: ille mari, hic cælo imperavit. Pulcra itaque copula ſeniorum atque adoleſcentium. Alii teſtimonio, alii ſolatio ſunt: alii magiſterio; alii delectationi. *Nunc Sancti Acta ſecundum methodum,*

* *editio Colon melius,* produceret & (quod &c.

AUCTORE J. L. *quam initio nobis propoſuimus, ex ſacris Litteris recenſere aggredimur.*

§ III. Amalecitas cædit: oraculum de futuro ejus principatu: in montem Sinaï & nubem, in qua erat Dominus, cum legiſlatore aſcendit. An ibi XL diebus jejunus?

Amalecitas cædit, orante Moyſe:

EX Joſue *noſtri geſtis, quæ legiſlatoris mortem anteceſſerunt, primum eſt, primum Iſraelitarum bellum contra primos, qui iis ex Ægypto egreſſis, vaſtaſque inter illam & promiſſam terram ſolitudines perambulantibus occurrerunt hoſtes, Amalecitas ſcilicet, de quibus fortiſſimus Heros noſter & Moyſes, hic orando, ille pugnando, inſignem victoriam retulere. Contigit hæc die*

B *tertia menſis* Sivan, *qui ferè noſtro Maio reſpondet, currente hebdomade ſeptima poſt egreſſum de Ægypto; & Exodi cap.* 17 ℣. 8 *& ſeqq. ita deſcribitur:* Venit autem Amalec, & pugnabat contra Iſraël in Raphidim. Dixitque Moyſes ad Joſue: Elige viros, & egreſſus pugna contra Amalec: cras ego ſtabo in vertice collis, habens virgam Dei in manu mea. Fecit Joſue, ut locutus erat Moyſes, & pugnavit contra Amalec. Moyſes autem & Aaron, & Hur aſcenderunt ſuper verticem collis. Cumque levaret Moyſes manus, vincebat Iſraël: ſin autem paululùm remiſiſſet, ſuperabat Amalec. Manus autem Moyſi erant graves: ſumentes igitur lapidem, poſuerunt ſubter eum, in quo ſedit: Aaron autem & Hur ſuſtentabant manus ejus ex utraque parte. Et factum eſt, ut manus illius non laſſarentur uſque ad occaſum ſolis. Fugavitque Joſue Amalec, & populum ejus in ore gladii. Dixit autem Dominus ad Moyſen: Scribe hoc ob monimentum in libro, & trade auribus Joſue: delebo enim memoriam Amalec ſub cælo. *De belli hujus cauſis, hoſtium viribus, & prælii exitu prater Deut. cap.* 25 *in fine, & Judith cap.* 4 ℣. 13, *videri*

C *etiam poteſt Philo Judæus lib.* 1 *de Vita Moyſis, & Joſephus Antiquitatum lib.* 3, *cap.* 2; *ex quo pauca, quæ ad Sanctum proximè ſpectant, delibabimus num.* 17.

oraculum divinum futuri ejus principatûs prænuntium:

16 *Tantùm* 53 *ætatis annum compleverat* Joſue, *cùm præficeretur exercitui contra hoſtes potentiſſimos dimicaturo. Erant eo tempore in Iſraëlitarum caſtris ejus avus Eliſama & reliqui, qui Numer. cap.* 1 ℣. 5 *& ſeqq. enumerantur, nobiliſſimi tribuum principes magnæ apud populum auctoritatis. Quid cauſæ Moyſi fuit, ut, illis præteritis, noſtrum* Joſue, *ætate inferiorem, ſupremi ducis vices gereret, voluerit? Joſephus citatus hanc inſinuat, quòd conſtaret, eum eſſe* virum manu ac conſilio juxtà promptum, & pietate inſignem, & à Moyſe præceptore hac parte non degenerantem. *Aliam huic addo ex Maſio citato num.* 12, *ſcilicet ut Moyſes Dei conſilium de futuro feliciſſimo ejus imperio jam tum quadamtenus populo patefaceret, & ad ſpem meliorem in rebus adverſis cùm ceteram multitudinem, tum inprimis ipſum* Joſue *excitaret. Certè Deus, dum mox poſt prælium jubet Moyſen relatam victoriam litteris conſignare, & ſingulariter in* Joſue *aures indere, delendam penitus Amalecitarum memo-*

D *riam, tantùm non digito, ut ita loquar, oſtendit, illum ipſum eſſe, quem poſt Moyſen ad reipublicæ Hebraïcæ gubernacula deſtinaviſſet. Ad quid enim aliud hæc Sancti auribus tradi voluiſſet Deus, niſi ut ipſe poſtea populi dux factus, recordaretur, non eſſe jungenda cum Amalecitis fœdera, & ad ſucceſſores ejus divinum propagaretur oraculum de illorum excidio; quod tandem ſub Saüle contigiſſe legimus lib.* 1 *Regum cap.* 15.

quid de Sancti victoria Philo & Joſephus:

17 *Sanctus noſter ſummus imperator conſtitutus, ſicut juſſus erat, ex omni multitudine ad pugnam maximè idoneos elegit. Uterque ſcriptor Judæus hunc virorum fortium delectum à Moyſe factum ſcribit. Si ambo velint, hunc per ſe ipſum id præſtitiſſe, ſacræ Scripturæ apertè contradicunt: nam ejus textus clariſſimus eſt:* Dixitque Moyſes ad Joſue: Elige tibi viros *&c. Et paulò infrà:* Fecit Joſue, ut locutus erat Moyſes. *Pridie certaminis contigit hæc militum electio. Quis dein factus apparatus ad prælium poſtridie committendum, narratione valde veriſimili tradit Joſephus citatus:* Per noctem deinde ad prælium

E ſe expediunt, & armis ſimul ac corporibus curatis, intenti ſignum claſſico per Moyſen dari exſpectant: qui & ipſe pernox cum Jeſu conſultabat, eumque de inſtruendis ordinibus admonebat; appetente verò jam die, hortatur Ducem, ut ſpei de ſe conceptæ reſpondere ſtudeat, & re feliciter geſta exiſtimationem ſibi apud milites comparare. Similiter Hebræorum optimum quemque privatim, ac mox omnes armatos verbis ad fortitudinem accendit: atque ita inſtructos & animatos Jeſu & Deo committit, ipſe montem aſcendit *&c. Dein pugnam deſcribit fideliùs quam Philo, clademque hoſtium* 3 *enumeratiſque ſpoliis, quibus Judæi ditati fuerunt, ſubdit:* Sequenti verò die Moyſes cæſorum cadavera ſpoliavit, arma, quæ fugientes abjecerant, collegit, & illis quorum opera inſignior fuerat, præmia diſtribuit, Jeſumque ducem pro concione collaudavit, milite per acclamationes laudem Viri comprobante.

Moyſen fœderis tabulas à Deo accepturum

18 *Biduo poſt Pentecoſten, id eſt, diem, quâ decem Decalogi præcepta de monte Sinaï promulgata fuêre, eumdem repetere juſſus eſt legiſlator, ut præcepta illa in duas tabulas relata acciperet, populoque deferret. Quintùm itaque montem conſcendit, dilectiſſimumque Miniſtrum ſuum non*

F *ſine divino, ut credibile eſt, inſtinctu comitem ſibi adjunxit, eumque ad Deum propiùs atque altiùs in montem duxit, quàm Aaron aut quiſquam ex ejus filiis & 70 ſenioribus populi pridie adſcenderat: his enim non niſi procul adorare Deum conceſſum erat, ut legimus Exodi cap.* 24 ℣. 1 *& ſeqq. Oportebat nimirum, ut is, cujus imperio populum ſuum regendum Deus decreverat, magna apud illum eſſet in veneratione, quam certè ei conciliavit tam propinqua ad Deum acceſſio. Præterea legem divinam maximi facere, ejuſque eſſe obſervantiſſimum, eum præcipuè decebat, qui poſtmodum ejus cuſtodiam in populo univerſo urgere debebat. Quanam verò ratione præceptorum divinorum amor ſtudiumque meliùs menti* Joſue *imprimi poterat, quàm ſi oculis ipſe ſuis cerneret, quomodo ad ea accipienda per ſex dies ſanctiſſimis precibus ac meditationibus ſe Moyſes paraverit, quomodo die ſeptimo in ſublimiorem veluti arcem ſanctiuſque adytum nominatim à Domino evocatus, in eoque tamdiu retentus fuerit ac inſtitutus.*

comitatur in montem Sinaï:

19 *Sed ad horum, eorumque, quæ infrà dicemus, notitiam pleniorem, ipſam demus narrationem*

A *rationem ſacram Exodi cap.* 24 ℣. 12 *& ſeqq.* Dixit autem Dominus ad Moyſen : Aſcende ad me in montem, & eſto ibi : daboque tibi tabulas lapideas, & legem ac mandata quæ ſcripſi, ut doceas eos. Surrexerunt Moyſes & Joſue miniſter ejus : aſcendenſque Moyſes in montem Dei, ſenioribus ait : Exſpectate hîc, donec revertamur ad vos. Habetis Aaron & Hur vobiſcum : ſiquid natum fuerit quæſtionis, referetis ad eos. Cúmque aſcendiſſet Moyſes, operuit nubes montem, & habitavit gloria Domini ſuper Sinaï, tegens illum nube ſex diebus : ſeptimo autem die vocavit eum de medio caliginis. Erat autem ſpecies gloriæ Domini, quaſi ignis ardens ſuper verticem montis in conſpectu filiorum Iſraël. Ingreſſuſque Moyſes medium nebulæ, aſcendit in montem ; & fuit ibi quadraginta diebus & quadraginta noctibus. *Quibus evolutis, ei datæ à Domino lapideæ duæ fœderis tabulæ, ſimulque indicatum, Iſraëlitas in caſtris peccaſſe ; reverteretur ergo quàm citiſſimè, remque totam cognoſceret :* Et reverſus eſt (*Exodi cap.* 32 *à* ℣. 15) Moyſes de monte, portans duas tabulas teſtimonii in manu ſua.... Audiens autem Joſue tumultum populi vociferantis, dixit ad Moyſen : Ululatus pugnæ auditur in caſtris. Qui reſpondit : Non eſt clamor adhortantium ad pugnam, neque vociferatio compellentium ad fugam : ſed vocem cantantium ego audio. Cúmque appropinquaſſet ad caſtra, vidit vitulum *&c.*

nubem ſacram, in qua erat Dominus, cum eodem ingreditur :

20 *Quòd* Joſue *Moyſen comitatus ſit in partem montis ſublimiorem, quàm Aaron, ejus filii, & 70 ſeniores ex Iſrael, nemo in dubium vocat. Quòd alicubi in declivi montis, puta paulò ſupra ejus medium, ſex diebus uterque ſubſtiterint, atque eadem nube involuti fuerint & ab aſpectu populi abſtracti, nullus non quoque è ſacris Litteris eruit ; quamvis Exodi cap.* 24 ℣. 16 *ſolus Moyſes nube tectus fuiſſe exprimatur. Imò in nobiliſſimam illam Deoque proximam nubis partem, e qua die ſeptimo Dominus legiſlatorem ad colloquium evocavit, hujus Miniſtrum admiſſum fuiſſe exiſtimant Abulenſis, Serarius, Salianus & alii : nec alterius ſententiæ fuiſſe videtur S. Ambroſius lib.* 2 *de Officiis miniſtrorum cap.* 20 *dicens :* Ubique inter admiranda opera

C & reverenda ſecreta ſancto Moyſi individuus adhærebat. *Idem ſanctus Doctor Enarratione in Pſalmum* 47 *num.* 21 Moyſes ille (*inquit*) peritus in omni ſapientia Ægyptiorum, in montem aſcendit, atque in nubem intravit, ut aperta & occulta cognoſceret, adhærente ſibi ſocio Jeſu.

levia diſſentientium argumenta expenduntur.

21 *Magnus quidem auctorum numerus negat, legiſlatoris Miniſtrum nubem illam, in qua erat Dominus, ingreſſum fuiſſe ; ſed eorum rationes non adeo efficaces ſunt, ut opinionem affirmantem minùs veriſimilem eſſe mihi perſuadeant. Eas expendamus. Exodi cap.* 24 ℣. 16 *dicitur :* Septimo autem die vocavit eum (*Moyſen Dominus*) de medio caliginis : *&* ℣. 18 : Ingreſſuſque Moyſes medium nebulæ, aſcendit in montem. *Ecce, inquiunt, ſolus evocatur Moyſes, ſolus nubem ingreditur mediam, ſolus in editiſſimum conſcendit verticem, non* Joſue. *At numquid &* ℣. 12 *ſoli Moyſi dictum legitur,* Aſcende ad me in montem, & eſto ibi ; *& tamen ſubjungitur* ℣. 13 *unà cum illo ad adſcendendum ſurrexiſſe* Joſue ? *Numquid & verſus* 16 *ſolum Moyſen memorat ſex diebus infra montis verticem nube obtectum fuiſſe, & tamen nemo hactenus docuiſſe legitur,* Joſue *eâdem non fuiſſe involutum ? Urgent ulteriùs : ſi receptus fuerit in intimum nubis ſumma montis occupantis, ergo audire potuit Dominum Exodi cap.* 32 ℣. 7 *Moyſi dicentem, populum peccaſſe, vel ſaltem vocem Moyſis (*℣. 11*) pro eo pœnas deprecantis ; quod repugnat verſui* 17, *qui ejus idololatriam à* Joſue *ignoratam indicat. Sed ad hæc facilis quoque eſt reſponſio. Nam locutio Dei & Moyſis preces potuerunt fieri ſine ſono vel voce exteriori. Præterea, etiamſi ambo erant in nubis medio, non tamen alter alterius lateri ita ſemper adhærebat, ut numquam ab ſe mutuo divellerentur. In eadem ipſa nube concipi poteſt à Socio ſuo receſſiſſe Moyſes, ut divinis vacaret ; eodem planè modo, quo Chriſtus Patrem cæleſtem oraturus à chariſſimis ſuis diſcipulis in horto receſſit, in quem eos aſſumpſerat. Et ſic optimè cum opinione affirmante conciliari poteſt illud Philonis citati num.* 11 : Convictor contubernaliſque prophetæ fuit, niſi ſiquando ille receſſum quæſivit propter divina colloquia. *Cùm difficultates, quæ objiciuntur, tam facili negotio ſolvantur, à ſententia S. Ambroſii, Sancto noſtro magis honorifica, hîc mihi non recedendum eſſe judicavi.*

E *In monte manſit, quamdiu legiſlator ?*

22 *Volunt quidam,* Joſue *non ſemper perſtitiſſe in monte, ſed ſubindè deſcendiſſe, ut cibos caperet, aliiſve naturæ neceſſitatibus ſatisfaceret. Verùm his Exodi verbis cap.* 24 ℣. 14, Exſpectate hîc, donec revertamur ad vos, *quæ ad Hebræorum ſeniores locutus eſt, ſatis ſignificavit Moyſes, Miniſtrum ſuum ſecum in Sinaï manſurum, & cum eodem ſe ex illo deſcenſurum, uti & factum eſſe ex capite* 32 ℣. 17 *manifeſtum eſt. Sed ſi à domini ſui latere ſe ſubduxit Miniſter & in caſtra rediit (nam quónam aliò potiùs iviſſet ?) certè innotuiſſet aliquid ipſi de populi murmuratione contra ducem ſuum longas nimis moras trahentem, de vituli fabricatione, feſtæ celebritatis indictione, aliiſque ſimilibus, quæ paucis diebus non videntur peracta fuiſſe. Horum verò nihil ſciviſſe, fit ex eo perſpicuum, quòd Moyſi haud quidquam eorum indicarit : imò cùm ſaltantium, canentiumque clamores audiret, ſiniſtri nihil omnino ſuſpicatus ſit, ſed bellicam potiùs vociferationem edi arbitratus fuerit. Denique, quos ibid.* ℣. 1 *dixiſſe legimus,* Moyſi huic viro, qui nos eduxit de terra Ægypti, ignoramus quid acciderit, *illi certè redeuntem* Joſue F *de eo interrogaſſent, ab ipſo petiiſſent, montem iteratò conſcenderet moræ cauſam exploraturus &c. Hæc abunde probant, tamdiu omnino illum in Sinaï fuiſſe commoratum, quamdiu ibidem manſit Moyſes.*

quidni & 40 dies cum eo ibidem jejunarit ?

23 *Legiſlatorem quadraginta dierum ſpatio cibo omni potuque abſtinuiſſe, antequam legis tabulas acciperet, ex Deut. cap.* 9 ℣. 9 *certum eſt. Verùm an quadraginta tantum diebus cum Diſcipulo in monte perdurarit, acriter controvertitur. Sunt, qui putant, illum præter ſex dies, quibus extra illud nebulæ medium in Sinaï fuit, alios quadraginta integros dies in medio nebulæ conſtitiſſe. Multi id negant contendentes inter hos quadraginta, ſex illos dies comprehendi. Utra ſententia ſit probabilior, examinare propiùs ad eum ſpectat, qui magni prophetæ vitam daturus eſt ad* IV *Septembris. Huc ſolùm pertinet, an jejunante* 40 *diebus magiſtro, tamdiu etiam jejunarit Diſcipulus. Aliqui volunt, hunc in monte illo comediſſe manna divinitus ſibi datum. Verùm illis non neceſſariò aſſentiendum : ſi enim Moyſi ſemper adhæſit, cumque illo in montis faſtigium & ſacratiſſimum illud nubis domicilium penetravit, cur etiam cum illo quadraginta die-*

AUCTORE J. L.

bus jejunasse non putemus ? Quod solum Moysen id feciſſe memorent ſacræ Paginæ, non verò ipſum Joſue, *nihil obſtat, ut colligi poteſt ex jam dictis ſuprà num. 21. Quid Sanctus noſter tot in monte diebus egerit, conjecturâ aſſequi facillimum eſt. Nulla ambigendi cauſa eſt, quin pius Diſcipulus magiſtrum ſuum imitatus fuerit, quin, inquam, ab omni terrena cogitatione & cura abſtractus, precationi & rerum divinarum meditationi ſe totum dederit. Sciebat nimirum, quem ad finem in Sinaï ductus eſſet, & qua mentis præparatione, ut legis tabulæ acciperentur, Deique adventus & ſermo exciperetur, opus eſſet.*

§ IV. Tabernaculi curam gerit; intereſt familiaribus Dei cum Moyſe colloquiis: æmulatio ejus Numer. cap. XI ex invidia non proceſſit; oſtenditur illam aliunde vel leviter tantùm, vel non malam, imò laude dignam fuiſſe.

Cuſtodia tabernaculi de caſtris tranſlati,

A Lia, quæ hoc eodem primo anno liberationis ex ſervitute Ægyptiaca contigerunt, de Sancto noſtro non habemus, quam hæc Exodi cap. 33. ℣. 7 & ſeqq.: Moyſes quoque tollens tabernaculum, tetendit extra caſtra procul, vocavitque nomen ejus Tabernaculum fœderis. Et omnis populus, qui habebat aliquam quæſtionem, egrediebatur ad tabernaculum fœderis extra caſtra. Cumque egrederetur Moyſes ad tabernaculum, ſurgebat univerſa plebs, & ſtabat unuſquiſque in oſtio papilionis ſui, aſpiciebantque tergum Moyſi, donec ingrederetur tentorium. Ingreſſo autem illo tabernaculum fœderis, deſcendebat columna nubis, & ſtabat ad oſtium, loquebaturque cum Moyſe, cernentibus univerſis, quòd columna nubis ſtaret ad oſtium tabernaculi. Stabantque ipſi & adorabant per fores tabernaculorum ſuorum. Loquebatur autem Dominus ad Moyſen facie ad faciem, ſicut ſolet loqui homo ad amicum ſuum. Cumque ille reverteretur in caſtra, miniſter ejus Joſue, filius Nun, puer, non recedebat de tabernaculo. *Quod & quale fuerit tabernaculum illud, de quo hic, quiſve ejus uſus, vide apud Salianum ad annum 2544 num. 665 & ſeqq., necnon Serarium lib. 1 Joſua cap. 6 quæſt. 2.*

ubi familiaribus Dei cum Moyſe colloquiis intereſt,

25 *Quamvis in ſacro textu allato non niſi ſemel Sancti nomen occurrat, tamen nil in ea traditur, quod in ejus gloriam non redundet, quemadmodum ex ſequentibus patebit. Ad puniendam populi idololatriam, tabernaculum è medio ejus, atque adeo è caſtris efferri voluit Dominus, ut oſtenderet ſe inter tam infami crimine contaminatos nolle diutiùs habitare. Tabernaculi tranſlati curam Aaroni committere minùs decorum, nec Deo gratum fore arbitrabatur Moyſes, utpote qui eodem, quo populus, ſcelere implicitus fuerat. Digniorem ad id neminem reperit legiſlator, quàm miniſtrum ſuum fideliſſimum & ob vitæ innocentiam ſibi chariſſimum* Joſue. *Ei igitur Dei domicilium cuſtodiendum tradidit. Interpretes omnes fatentur id ſignificari per verba hæc ℣. XI:* Cumque ille reverteretur in caſtra, miniſter ejus Joſue, filius Nun, puer, non recedebat de tabernaculo. *Hinc recte deduci mihi poſſe videtur Sanctum noſtrum, familiaribus Dei cum Moyſe colloquiis interfuiſſe. Nec niſi ineptè quis diceret, quotieſcumque ille Deum oraturus vel conſulturus ad tabernaculum veniebat (veniebat autem ſapiſſimè) illinc quàm mox abire debuiſſe* Joſue. *In cæleſte illud nubis adytum cum eo admiſſus fuit in monte Sinaï, illique proximus adſtitit in ſacro colloquio ibidem habito, cur dicamus, hîc eum procul abeſſe debuiſſe? Verſus ultimò citatus pulcre ſic explanari mihi videtur: Moyſe abſente à tabernaculo, ab eo non recedebat* Joſue; *recedere tamen poterat, illo præſente; quamquam eo tempore, quo Deus in columna nubis cum magiſtro loquebatur, ad eum adorandum manere ſolitus eſſet pius. Diſcipulus. imò textum ſic explanandum eſſe, noſtrumque Sanctum Deo cum amico ſuo colloquenti fuiſſe proximum S. Ambroſius citatus num. 20 teſtimonio ſuo confirmat:* Denique, *inquit*, cùm in ejus tabernaculo divinâ refulgere præſentia videretur majeſtas Domini, ſolus erat in tabernaculo Jeſus Nave. Moyſes cum Deo loquebatur, Jeſus pariter nube ſacra tegebatur.... Omnis populus intra caſtra erat: Jeſus extra caſtra in tabernaculo teſtimonii. Cùm columna nubis deſcenderet, & loqueretur cum Moyſe, quaſi fidus adſtabat miniſter: nec exibat de tabernaculo Juvenis, cùm ſeniores longè poſiti divina trepidarent miracula. Ubique igitur inter admiranda opera, & reverenda ſecreta, ſancto Moyſi individuus adhærebat.

Sancto commiſſa uſque ad erectionem novi.

26 *Apud hiſtoricos & interpretes celebriores duo potiſſimùm in tabernaculo* Joſue *egiſſe lego: Primo curam gerebat, ut ejus nihil à quoquam violaretur, mundâ in eo & nitida eſſent omnia; adeo ut quaſi æditui officio functus fuerit. Non tamen in ipſo tabernaculo pernoctabat; hoc enim nec Moyſes fecit, ſed prope illud in tentorio ſuo. Secundo, ſanctis cogitationibus mentem excolebat, precibuſque ſe populumque Deo commendabat. Ex aſſiduo cum Moyſe convictu & nuperrimè in monte Sinaï didicerat, noctes & dies in his aliiſque pietatis exercitationibus verſari. Sunt etiam qui putent, eos, qui ad tabernaculum e caſtris veniebant Dominum conſulturi, in abſentia Moyſis noſtro* Joſue *apud Deum interprete atque internuntio uſos fuiſſe. Tabernaculi cuſtodiendi provincia ei demandata fuit à Moyſe, antequam hîc ſub finem menſis quinti, Hebræis* Ab *dicti, montem Sinaï cum novis tabulis repeteret: tunc enim Iſraëlitarum caſtra illo privata fuerunt. Stetit autem extra caſtra ſub Sancti noſtri cuſtodia uſque ad diem primum anni ſecundi commorationis in deſerto, quando nobile illud & ſplendidum tabernaculum erectum fuit, de quo Exodi cap. 40. Hinc ſequitur ſanctum* Joſue *eius curam geſſiſſe pluſquam ſeptem menſibus. Ita pleriique ſentiunt contra à Lapide alioſque, qui tabernaculi tranſlationem factam volunt poſt deſcenſum legiſlatoris de monte cum novis tabulis. Verùm eam antè contigiſſe, ſententia veriſimilior & Narrationi ſacræ conformior mihi videtur. Operæ pretium non eſt hanc multis confirmare, cùm ad Sancti noſtri gloriam nihil faciat, an aliquot hebdomadibus citiùs an ſeriùs tabernaculi cura ei impoſita fuerit. Lector conſulere poteſt auctores paſſim obvios.*

Lucidam Moyſis faciem ſolus intueri poteſt.

27 *Cùm Moyſes de monte cum novis tabulis rediret ad populum, tanto fulgore facies illius reſplendebat,*

A *ſplendebat, ut Aaron & filii Iſraël ad ejus conſpectum timerent & aufugerent, nec niſi velato vultu legiſlator eos propiùs accedere atque alloqui poſſet. Vide Exodi cap. 34 à ℣. 30. Solus* Joſue, *teſte Origene Homilia 1 in librum Jeſu Nave num. 6, oculo irretorto magiſtri ſui faciem poterat aſpicere:* Illud etiam, *inquit*, intuentes magnitudinem ejus pervidemus, quòd, cùm in transfiguratione vultus Moyſei omnis filiorum Iſraël hebetaret aſpectus, nec aliquis poſſet intueri faciem vultûs ejus, Jeſus non ſolùm faciem ejus contuetur, verùm etiam in interioribus tabernaculi myſteriorum conſcius perſeverat. *Licèt hæc præter Scripturam aſſerat Origenes, vix dubito tamen quin verè. Nam ſi cum legiſlatore nuper adſcenderit in ipſum verticem montis Sinaï, ſuper quem* erat ſpecies gloriæ Domini, quaſi ignis ardens: *Exodi cap. 24 ℣. 17; ſi inſuper in tabernaculo magiſtro ſuo proximè aderat, cùm Dominus hunc allocuturus in fulgidiſſima columna nubis deſcenderet, an ejus oculi caligarint ad aſpectum faciei Moyſis, minore lumine coruſcantis, quàm illud fuerit, in quo Dominum*

B *apparentem toties vidit?*

Æmulatio, ex qua petiit prophetantes in caſtris cohiberi,

28 *Annus ab exitu agebatur ſecundus, menſisque ſecundus, cùm die hujus vigeſimo ex ſolitudine Sinaï progreſſi Iſraëlitæ venerunt in deſertum Pharan, caſtraque metati ſunt in eo loco, qui infami* Sepulcrorum concupiſcentiæ *nomine vocatus fuit. Contigit hîc quod Numer. cap.* XI *de Sancto noſtro narratur. Hiſtoria altiùs repetenda mihi viſa eſt ad majorem dicendis lucem adferendam. Poſtquam Deo conqueſtus eſſet Moyſes, in ſe ſolum difficillimi imperii curam incumbere, ſeque oneri ferendo imparem eſſe, partem ejus in alios transferri petiit. Exaudit eum Dominus dicens Numer. cap.* XI ℣. 16: Congrega mihi ſeptuaginta viros de ſenibus Iſraël, quos tu noſti quòd ſenes populi ſint, ac magiſtri: & duces eos ad oſtium tabernaculi fœderis, faciesque ibi ſtare tecum, ut deſcendam & loquar tibi: & auferam de ſpiritu tuo, tradamque eis, ut ſuſtentent tecum onus populi, & non tu ſolus graveris. *Juſſa lætus exſequitur Moyſes,* congregans (*ibid. à ℣. 24.*) ſeptuaginta viros de ſenibus Iſraël, quos ſtare fecit circa tabernaculum. Deſcenditque Dominus per nubem, & locutus eſt ad eum,

C auferens de ſpiritu, qui erat in Moyſe, & dans ſeptuaginta viris. Cumque requieviſſet in eis ſpiritus, prophetaverunt, nec ultrà ceſſaverunt. Remanſerant autem in caſtris duo viri, quorum unus vocabatur Eldad, & alter Medad, ſuper quos requievit Spiritus: nam & ipſi deſcripti fuerant, & non exierant ad tabernaculum. Cumque prophetarent in caſtris, cucurrit puer, & nuntiavit Moyſi, dicens: Eldad & Medad prophetant in caſtris. Statim Joſue, filius Nun, miniſter Moyſi, & electus è pluribus, ait: Domine mi Moyſes, prohibe eos. At ille. Quid, inquit, æmularis pro me? Quis tribuat ut omnis populus prophetet, & det eis Dominus Spiritum ſuum? *Egregium hîc Sanctus noſter amoris erga dominum ſuum ſpecimen dedit. Eò proceſſit obſequii & amoris ſtudium erga Moyſen, ut nihil, quod gloriæ aut dignitati ejus obeſſe videretur, ferre potuerit.*

ex invidia non proceſſit.

29 *Duriùs loqui mihi videntur interpretes non pauci, qui æmulationem* Joſue *ex invidia aliqua profectam fuiſſe dicunt: non etenim optabat, ut donum prophetiæ duobus ſenioribus collatum non fuiſſet, neque dolebat, ſe ab iis hac ex parte ſuperari, nec etiam apprehendebat illorum vaticinia ut mala Moyſi, ſeu ut diminuentia gloriam ejus. Si hæc æmulationis cauſa fuiſſet, profectò ægriùs tuliſſet, reliquos 68, vel ut alii, 70 ſeniores, qui ad tabernaculum convenerant, prophetico ſpiritu afflatos fuiſſe: nam invidus animus eò magis pungitur & triſtatur, quo plures ſe in aliqua re ſuperiores habet: dein apprehendiſſet legiſlatoris gloriam magis obſcurandam tot prophetarum vaticiniis, quàm illorum duorum. Nec in Scripturis verbum ullum eſt, ex quo invidiæ crimen legitimè deducas. Æmulatio ſeu zelus ille, ex quo ℣. 28 petiit,* Domine mi Moyſes, prohibe eos, *qui in caſtris prophetant; ex alia animi affectione, quàm invidiâ proficiſci potuit: adeòque legiſlatoris reſponſione ℣. 29,* Quid æmularis pro me? quis tribuat *&c. ob invidiæ culpam reprehenſus fuiſſe dicendus non eſt. Imò ejus æmulationem ex invido animo ortum ſuum non habuiſſe, ipſæ circumſtantiæ perſuadent. Nam cùm magiſtrum ſuum vero amore proſequeretur, ſciretque illum ferventibus adeo precibus à Domino petiiſſe, moleſtiſſimo gubernandi onere allevari Numer. cap.* XI *℣. 14 & 15; quomodo ægrè* E *ferre potuit, illum voti compotem à Deo factum, ejuſque Spiritum propheticum in Eldad & Medad & reliquos ſeniores transfuſum, ut ab iis in populi rebellis gubernatione adjuvaretur. Ex invidia igitur non proceſſit, quòd duobus illis ſilentium imponendum exiſtimaret. Apertè nobis favet Theodoretus quæſt. 21 in librum Numerorum. Plura in rem noſtram legi poſſunt apud Nicolaum Serarium libro 1 Joſuæ capite 7, quæſtione 6.*

Probabilior proponitur ſententia,

30 *Verùm quid ergo ægrè tulit* Joſue? *Cur petiit ut Moyſes prophetantes cohiberet? Reſpondeo, quia Sanctus putabat eos dono prophetiæ carere & fictè prophetare, populo imponentes. Hæc reſponſio invidiæ culpam à Sancto removet, & priore ſententia mihi videtur probabilior: quod quia prima fronte non ſatis apparet, eam fuſiùs explanatam accipe. Eldad & Medad cum reliquis electis ſenioribus à Moyſe conſcripti erant & ad tabernaculi oſtium accerſiti, ut ibidem eis Spiritus propheticus communicaretur: illi autem duo nuſquam comparuerunt.* Joſue *verò audito, quòd in caſtris manſiſſent ibique prophetarent, ſuſpicabatur eos legiſlatori obedire vel noluiſſe vel neglexiſſe, hâc contumaciâ vel negligentiâ* F *prophetiæ dono indignos ſe reddidiſſe, adeòque illos non verè prophetare, ſed fictè, acſi revera Spiritu divino afflati eſſent. Hinc petebat, eis ſilentium imponeretur, ut magiſtri ſui auctoritas ſarta tecta maneret, quam contemni & minui exiſtimabat illorum contumaciâ & fictione.*

in qua intelligi poteſt, Sancti æmulationem nulla ex parte malam,

31 *At dum illum ab invidiâ excuſamus, an non temerariæ ſuſpicionis reum facimus? Affirmat Serarius lib. 1 Joſuæ cap. 7, quæſt. 6, & alii. Negat Bonfrerius in ℣. 29 capitis citati num. 28. Ego verò diſtinguendum puto. Præceptum divinum ℣. 16 Moyſi datum,* Congrega mihi ſeptuaginta viros de ſenibus Iſraël, quos tu noſti quòd ſenes populi ſint, ac magiſtri: & duces eos ad tabernaculum fœderis, faciesque ibi ſtare tecum, ut deſcendam, & auferam de ſpiritu tuo tradamque eis; *hoc, inquam, præceptum vel* Joſue *ita intellexit, ut ſpiritum propheticum nulli communicare decreviſſet Deus, niſi prope tabernaculum & Moyſe præſente; vel illud ita non intellexit. Si primum; dico cum Bonfrerio eum nihil temere ſuſpicatum fuiſſe: nam ſuppoſito illo errore intellectûs, quid aliud cogitare poterat, quàm quòd Eldad & Medad fingerent ſe*

AUCTORE J. L.

AUCTORE J. L.

Spiritu divino agi, quòd populo imponerent &c. Cum illa autem fictione doni prophetici, quo ſe præditos in caſtris coram omni multitudine jactitabant, non poteſt componi ſubmiſſio animi & honoris fuga, ex qua fortè ad tabernaculum non veniſſe alioqui credi potuiſſent: adeoque etiam ſine temeritatis culpa judicare potuit, eos ſine juſta cauſa abeſſe à tabernaculo, & legiſlatoris mandatum contempſiſſe vel neglexiſſe. Ex quibus omnibus quoniam meritò timeri poterat, ne auctoritatis Moyſis imminutio aliaque gravia mala orirentur, non modò nulla ex parte malo, ſed & laudabili zelo à magiſtro petiit, ut illos cohiberet.

imò optimam & laude dignam fuiſſe;

32 *Quod ut clariùs innoteſcat, conſideranda ſunt temporis circumſtantiæ, in quibus id fecit* Joſue. *Dum Eldad & Medad in caſtris vaticinabantur, fervebat in eiſdem murmuratio populi, cepas & ollas Ægypti deſiderantis, adeo ut ducem ſuum, quòd poſtulatas carnes dare non poſſet, diutiùs ſequi nolle videretur, reditumque in Ægyptum cogitare. Timebat* Joſue, *ne turbæ creſcerent, & ſeditioſum vulgus magis excitaretur exemplo duorum ſeniorum magnæ auctoritatis, qui in caſtris remanſerant, contempto vel neglecto, ut putabat, legiſlatoris imperio. Hunc metum augere poterat, quòd neſciret, quid illi duo, quos fictè prophetare exiſtimabat, in caſtris ad populum tumultuantem effutirent. Timor itaque, ne in caſtris obmurmurantium tumultus augeretur, magiſtri verò ſui auctoritas minueretur, Sancti zelum accendit, quo impulſus à Moyſe petiit, ut illos à ficta vaticinatione cohiberet. Quoniam autem hujus petitionis finis optimus erat, ut ſcilicet conſuleretur auctoritati Moyſis &c., & ipſa petitio fuit optima & laude digna, quique ipſum ad hanc impulit zelus, ex timore dictorum malorum natus. Hic certè inanis non fuit: experientiâ ferè quotidianâ didicerat, quàm prona in murmurationes & ſeditiones eſſent Hebræorum ingenia.*

B

33 *At, inquies, Moyſis reſponſio,* Quid æmularis pro me? Quis tribuat ut omnis populus prophetet, & det eis Dominus Spiritum ſuum ℣. 29, *videtur aliquam reprehenſionem continere. Fateor, Moyſes ſuum hîc corrigit Diſcipulum; at correctio non eſt reprehenſio, ſaltem ea, quæ eſt de ſolo errore intellectûs: hunc in Sancto corrigit legiſlator, non verò aliquam in ejus voluntate malitiam. Verba enim legiſlatoris ſic rectè exponi poſſunt:* Quid æmularis pro me? *Quid meæ gloriæ & auctoritatis conſervandæ cauſâ tanto zelo accenderis? Putas Deum è ſenioribus neminem prophetam facere voluiſſe, niſi ſe mihi præſentem ſiſteret prope tabernaculum, atque adeo Eldad & Medad non verè prophetare. Erras: iſtis Dominus conditionibus doni prophetici collationem non voluit adſtringere:* Quis tribuat ut omnis populus *ita* prophetet, & det eis Dominus Spiritum ſuum, *ſicut duobus illis ſenioribus. Neque dicas, judicium ejus erroneum fuiſſe temerarium: nam cùm legiſlator* ℣. 24, *fido Miniſtro ſuo adſtante, ſeptuaginta ſenioribus retulerit mandatum divinum,* ℣. 16 *datum;* Duces eos ad tabernaculum fœderis, facieſque IBI ſtare TECUM, ut deſcendam *&c., an non meritò* Joſue *exiſtimare potuit, ſtationem coram Moyſe & apud tabernaculum eſſe conditiones, ſine quibus Deus non communicaturus eſſet Spiritum propheticum? Porrò Sanctus errorem ſuum à Moyſe dedoctus, mox acquievit. Metum autem illum, qui fortè ſuboriri potuiſſet ex eo, quòd Eldad & Medad poſſent populo videri legiſlatoris auctoritatem & imperium contemnere, quia ad tabernaculi oſtium ſe non ſtiterant, ſuſtulit ejus in divinam providentiam fiducia; unde fluere potuit hæc cogitatio, exercitium doni prophetici à Deo petiti & conceſſi in hunc finem, ut populus in officio facilius contineretur, non futurum majorum turbarum occaſionem. Nunc tandem ad alterum diſtinctionis membrum tranſeamus.*

Moyſes ℣. 29 *tantùm corrigit judicium erroneum, quod temerarium non fuit:*

C

D

34 *Si Sanctus præceptum divinum eum ſenſum habere putarit, ut ſtatio prope tabernaculum & præſentia Moyſis eſſent tantùm conditiones, quibus poſitis ſeniores Spiritu prophetiæ donandi eſſent; non verò conditiones, ſine quibus eumdem accipere non poſſent; videtur dicendum cum Serario laudato, Sanctum minùs prudentem fuiſſe in ſuſpicando vel judicando, Eldad & Medad fictè prophetare, vel aliquo crimine ſe Spiritu prophetico indignos reddidiſſe: nam ſi putarit* Joſue, *donum prophetiæ poſſe accipere etiam ſeniores illos, qui juſta de cauſa à tabernaculo abeſſent; ſimul atque intellexit abſentiam & vaticinia Eldad & Medad, an non potiùs judicare debebat viros illos, quos norat ab ipſo Moyſe ob probitatem dignos habitos fuiſſe, qui ejus in populi regimine ſocii eſſent ac adjutores, non ſine ratione aliqua Deo probata in caſtris remanſiſſe? Numquid ita ſecum cogitare,* Duo remanent Eldad & Medad non imperii negligentes, ſed humilitate ſubmiſſi, dum ſe honore arbitrantur indignos; unde & in caſtris prophetant? *Verba ſunt S. Hieronymi in epiſtola ad Fabiolam de 42 Manſionibus Iſraëlitarum in deſerto, Manſione 13. Verùmtamen ſiniſtræ hujus ſuſpicionis culpam, ut conſideranti patet, plurimùm minuit ingens Sancti amor erga Moyſen & zelus ejus dignitatis & gloriæ defendendæ, ex quo ortus ſubitus ille animi motus, quo incitatus, ſimul atque ex puero percepit,* Eldad & Medad prophetant in caſtris, STATIM Joſue . . . ait: Domine mi Moyſes, prohibe eos. At ille, Quid, *inquit,* æmularis pro me? *&c. Quo audito, mox conticuit.*

Siniſtræ ſuſpicionis nævum contraxit in alia hypotheſi,

E

35 *Præter eam, quam ingreſſi ſumus, varias alias monſtrat vias Serarius laudatus. Unam alteramve, quæ mihi ſub initium planior videbatur, jam iniveram; verùm cùm occurrentibus dein gravibus difficultatibus memet magno labore expedire non poſſem, regreſſus ſum, eamque elegi, quam num.* 30 *propoſui. Monſtravit & hanc nobis Serarius necnon Bonfrerius: at cùm hi in viæ medio varias abeant in partes, & lectorem in bivio relinquant dubium, quem ducem ſecuriùs ſequatur, viſum mihi fuit eum monere, alterutrius veſtigiis ſat tutò inſiſti non poſſe, niſi facta aliqua hypotheſi vel adhibita diſtinctione. Quoniam uterque hanc reticet, nos eam dedimus, obſcuraſque, quas illi ſemitas ingrediuntur, quantùm potuimus, illuſtravimus. Ex hypotheſi, de qua numero præcedente, mihi videtur ſequi id, quod Serarius aſſerit, nempe Sanctum nimis ſuſpicioſum fuiſſe: ex illa verò, de qua num.* 31, *rectè concludi poteſt, quod Bonfrerius affirmat, nimirum Sancti æmulationem omni planè culpa vacaſſe: addo ego, optimam & laude dignam fuiſſe, ut oſtenſum eſt num.* 32 *& ſeq. Non diu deliberandum hîc eſt, quæ via tenenda ſit: quæ ſanctis Viris maximè favet, tutiſſima eſt. Qui ab ea recedentes, illos accuſant, gravantur onere culpam probandi, quæ non præſumitur.*

quæ cùm probari non poſſit, Sanctum excuſamus & laudamus.

F

§ V.

A

§ V. Mittitur ad explorandam Chananæam : ejus nomen mutatur : non modò poſtridie , ſed & ipſo reditûs die murmurantibus fortiter obſtitiſſe probatur : lapidationis periculo eripitur : ejus conſtantiam remunerat Deus.

Mittitur ad explorandam terram Chanaan ;

EOdem anno Joſue *ad explorandam Chananaam cum undecim aliis viris miſſus fuit , non quidem ut Moyſis miniſter , ſed ut inter tribules ſuos princeps , nec tam legiſlatoris quàm populi ſuffragio ad id munus delectus. Totius rei geſtæ deſcriptionem dat liber Numerorum capite* 13 *&* 14. *Ut diſtinctiùs procedamus , quæ ad Sanctum pertinent in tres partes dividemus : & primò quæ ante iter , ſecundò quæ in itinere & ipſo reditus die , tertiò quæ poſtridie reditûs facta ſunt , proponemus. De iis , quæ iter præceſſerunt , hac habeto. Cùm tentoria fixiſſent Iſraëlitæ in Cadesbarne , qui deſerti Pharan locus eſt , annique tempus adveniſſet* , quando jam præcoquæ uvæ veſci poſſunt , *Numer. cap.* 13 ℣. 21 ; *dixit Moyſi populus , Deuter. cap.* 1 ℣. 22 : Mittamus viros qui conſiderent terram , & renuntient , per quod iter debeamus aſcendere & ad quas pergere civitates. *Retulit hoc populi poſtulatum ad Dominum Moyſes , cui ita ab illo reſponſum eſt , Numer. cap.* 13 ℣. 3 : Mitte viros , qui conſiderent terram Chanaan , quam daturus ſum filiis Iſraël , ſingulos de ſingulis tribubus , ex principibus. Fecit Moyſes quod Dominus imperaverat , de deſerto Pharan mittens principes viros *duodecim. Cujuſque nomen & tribus aſſignatur ibidem à* ℣. 5 : *Et* ℣. 9 de tribu Ephraïm Oſee , filium Nun , *miſſum fuiſſe legimus. Exploratorum enumeratione facta ſic pergit Scriptura* ℣. 17 : Hæc ſunt nomina virorum , quos miſit Moyſes ad conſiderandam terram : vocavitque Oſee , filium Nun , Joſue. *Dein ſubditur* ℣. 18 *& ſeqq. Moyſis oratio ad ſpeculatores , quâ proponit , quæ potiſſimùm exploranda ipſe judicaret.*

B

quo tempore ex præcipuis erat principibus in tribu Ephraïm.

37 *Data Scripturæ verba nos docent inprimis , electos exploratores omnes , adeoque & noſtrum* Joſue *in tribu ſua principem fuiſſe. Verùm quis princeps ? Si duodecim tribuum ſupremi præfecti mittendi eſſent , nullo opus fuiſſet delectu ; hi enim ſatis noti erant : ergo , cùm delectus factus ſit , Sanctus Ephraïmitarum omnium ſummus princeps non erat. Vivebat proculdubio etiamnum ejus avus Eliſæma , qui hoc eodem anno ſecundo ab exitu ,* 20 *die menſis ſecundi , paulò ante ſpeculatorum miſſionem , adhuc toti tribui Ephraïm præerat , ut conſtat ex Numerorum cap.* 10 ℣. 22. *Quamquam incertum ſit , an ceteri exploratores aliquem in ſua tribu magiſtratum geſſerint , nam juxta interpretes hîc principes forte appellati ſunt , quia ſupremorum erant filii aut nepotes , vel quia inter tribules ſuos magnæ erant auctoritatis ; tamen de ſancto noſtro Principe confidentiùs aſſeri poteſt , eum præterea Ephraïmitarum chiliadi præfuiſſe vel alium ex præcipuis in tribu ſua eo tempore magiſtratum geſſiſſe , utpote qui bello Amalecitico ex omnibus tribubus collecto exercitui jam præfectus fuerat. Ceterùm Maſius in Præfatione , Commentariis in Joſuam præfixa , putat divinam providentiam ita Moyſis & populi animos comparaviſſe , ut* Joſue *inter alios eligeret & mitteret ad hoſtilis terræ ſitum , ſoli naturam , incolarum atque urbium vires ac propugnacula exploranda ; nempe ut per regionem antè perſpectam , exercitum ipſe dein cautiùs ducere , & terræ ubertate bonorumque omnium copiâ ſubinde verbis propoſitâ , ſuos animare milites ſciret : atque adverſus conſideratos ſemel hoſtes audacia majore procedere. Nihil enim eſt quod æquè vel præſtantiſſimorum imperatorum expeditiones impediat , atque locorum & hoſtium ignoratio.*

AUCTORE J. L.

Ex inſtinctu divino Moyſes ei nomen Joſue vel Jeſu imponit

38 *De immutatione nominis* Oſee *in* Joſue *nemo dubitat , quin à legiſlatore non ſine inſtinctu cæleſti facta fuerit , ut nimirum Sanctus non ſolùm feliciſſimâ populi electi in terram promiſſam deductione , aliiſque factis Jeſum Chriſtum adumbraret , ſed ipſo etiam nomine clarè referret. E multis Patribus ſuo id teſtimonio confirmantibus ; quos citat A Lapide hîc , unum dabo Euſebium Cæſarienſem , Latinè à Joanne Dadræo editum. Hîc ita loquitur libro* 1 *Hiſtoriæ eccleſiaſticæ cap.* 3. Ipſum nomen Jeſu , atque adeo Chriſti , etiam apud illos veteres prophetas , quos Deus charos habebat , magno in honore & reverentia fuiſſe , jam explanandi ſe offert occaſio. *Dein Aaronem pontificem à Moyſe Chriſtum vocatum eſſe ſcribit , quia typus erat ſacerdotii Chriſti. Tum ad nomen* Jeſu *dilabitur , illudque* Joſue *impoſitum fuiſſe , quia typus futurus erat principatûs Chriſti , his verbis docet :* Idem Moyſes præterea nomen Jeſu divino Spiritûs afflatu pro certo prævidens , privilegio quodam & ſingulari planè præ ceteris præſtantiâ dignum exiſtimavit. Ac cùm hæc ſacroſancta Jeſu appellatio numquam inter homines ante tempora Moyſis divulgata fuiſſet , Moyſes eam dedit illi ſoli ac primo , quem ſpecie & ſymbolo Chriſtum Jeſum præfiguraturum , & poſt ſuum è vita diſceſſum in omnium Iſraëlitarum regnum ſucceſſurum præſciverat. Nam cùm ſucceſſor ejus hoc nomine Jeſu eſſet antea minimè appellatus , ſed alio , quod parentes ei impoſuerant , Auſe videlicet vocaretur , Moyſes illum Jeſum nuncupavit ; atque iſto adeo nomine , tantique eximio & præclaro honore (qui omni regio facilè antecellit diademati) propterea donavit , quod idem Jeſus filius Nave , effigiem Servatoris noſtri , qui ſolus poſt Moyſen , poſtque figurati adumbratique cultûs ab eo traditi expletionem , in veræ & ſinceræ religionis ac pietatis imperium ſuccederet , ritè expreſſit. Atque Moyſes hoc modo his duobus hominibus alteri ſummi ſacerdotis officio jam perfungenti , alteri poſt ipſum gentis Iſraëliticæ gubernacula ſuſcepturo (qui præ reliqua univerſa hominum illius ætatis multitudine virtutis & gloriæ claritate nituerunt) hanc Servatoris noſtri Jeſu Chriſti appellationem , quo ſummus illis honos haberetur , impoſuit. *Eadem ferè habet lib.* 4 *de Demonſtratione euangelica cap.* 27 , *ubi vitiosè* Nauſes *pro* Auſes *legitur. Merentur hîc quoque expendi verba ſancti Auguſtini lib.* 16 *contra Fauſtum cap.* 19.

C

E

F

non alio probabiliùs tempore ,

39 *Non convenit inter Patres de tempore , quo Sancti nomen* Oſee *in* Joſue *à legiſlatore immutatum fuit. In tres diverſas abeunt ſententias. Prima eſt Lactantii lib.* 4 , *cap.* 17 , *qui putat id eum nominis ſortitum , cùm adverſus Amaleci-*

AUCTORE J. L.

Amalecitas bellum geſturus mitteretur. Secunda eſt Auguſtini citati & Juſtini martyris contra Tryphonem, docentium factam eſſe hanc mutationem nominis, cùm exploratorum in Chananitidem legatio inſtitueretur. Tertia eſt Origenis hom. 1 *in lib. Jeſu Nave, qui poſt reditum de terra exploratâ eum ita vocatum fuiſſe exiſtimat, cùm mœrentes & tumultuantes, exhortando & monendo erigeret atque compeſceret. Ab omnibus Origenes deſeritur. Lactantio adhærent inter alios Bonfrerius hîc & Serarius cit. cap.* 2 *quæſt.* 6. *Fallitur uterque, dum opinionem Lactantii approbatam putat ab Origene hom.* XI *in Exodum, ab Auguſtino ſermone* 93 *de Tempore, & Theodoreto quæſt.* 34 *in Exodum. Sancti hi Patres locis citatis nil aliud dicunt, quàm quòd in bello contra Amalecitas nomen* Joſue *in Scriptura primùm uſurpatum fuerit. Sed ex eo nullo modo ſequitur, quòd tunc reîpſa nominis mutatio facta fuerit: nam* per prolepſin (*verba ſunt ipſius Auguſtini quæſt.* 103 *ſuper Exodum*) hoc eſt, per præoccupationem, anticipat Scriptura, quod poſtea factum eſt. Omnia quippe iſta poſteaquam facta

B ſunt, ſcripta ſunt, ac per hoc quando factum eſt quomodo commemoratur, nondum vocabatur Jeſus; ſed quando ſcriptum eſt jam hoc vocabatur.

quàm cùm jam iter in Chananitidem inſtaret.

40 *Sacro textui conformior mihi videtur ſententia ſecunda, quæ eam nominis mutationem factam eſſe dicit, quando hiſtoria illa contigit, cujus narrationi inſeritur; id eſt, co-tempore, quo actum eſt de ſpeculatoribus in Chanaan mittendis. Temporum confuſio in Scripturæ ſacræ narrationibus admittenda non eſt, niſi ſolida aliqua ratio hanc probat. Præterea ipſe textus Numer. cap.* 13 ℣. 9 *dicens*, de tribu Ephraïm, Oſee, filium Nun, *exploratorum in numero fuiſſe, &* dein ℣. 17 *ſubdens*, Vocavitque (*Moyſes*) Oſee, filium Nun, Joſue, *non obſcurè innuit, Sanctum non alio tempore inditum fuiſſe nomen* Joſue, *quam cùm Chananeam exploraturus mitteretur. Quod Sanctus noſter antequam de terræ promiſſæ exploratione agi cœptum, ſemper* Joſue, *nuſquam* Oſee *in ſacris Libris vocetur, nihil evincit, ut patet ex verbis ſancti Auguſtini numero præcedente allatis.*

C

Redit cum ſociis, qui omnes, excepto Caleb, terræ exploratæ detraxerunt:

41 *Quæ in Chananitidis exploratione, ipſoque reditûs die à ſpeculatoribus in caſtris peracta fuerunt; ita deſcribit liber Numer. cap.* 13 à ℣. 22: Cúmque aſcendiſſent, exploraverunt terram à deſerto Sin uſque Rohob intrantibus Emath ... pergentesque uſque ad torrentem botri abſciderunt palmitem cum uva ſua, quem portaverunt in vecte duo viri. De malis quoque granatis & de ficis loci illius tulerunt. *Hos autem, qui botrum tulerunt fuiſſe* Joſue *& Caleb ſignificat Chryſoſtomus hom.* 24 *in Epiſt. ad Epheſios, cùm ait verè cæleſtem fructum allatum à Chriſto, non à Caleb & Joſue, qui terrenum olim tulerant:* Reverſique (*ibid. à* ℣. 26) exploratores terræ poſt quadraginta dies omni regione circuita, venerunt ad Moyſen & Aaron & ad omnem cœtum filiorum Iſraël, *terramque inſpectam ab ubertate & rerum omnium abundantia laudarunt quidem, & præſenti allatorum fructuum teſtimonio commendarunt, ſed eamdem aliunde vituperarunt maximè, ita ut omnem illuc tendendi animum univerſo populo ademerint, gravemque ſeditionem concitarint:* Cultores, *aiebant*, fortiſſimos habet, & urbes grandes atque muratas. Stirpem Enac vidimus ibi. Amalec habitat in meridie, Hethæus & Jebuſæus & Amorrhæus in montanis: Chananæus verò moratur juxta mare & D circa fluenta Jordanis. *Quibus verbis de terra illa occupanda planè deſperandum eſſe, nimiùm credulo populo perſuadebant:* Inter hæc Caleb (*ibid. à* ℣. 31) compeſcens murmur populi, qui oriebatur contra Moyſen, ait: Aſcendamus & poſſideamus terram, quoniam poterimus obtinere eam. Alii verò, qui fuerant cum eo, dicebant: Nequaquam ad hunc populum valemus aſcendere, quia fortior nobis eſt. Detraxeruntque terræ, quam inſpexerant, apud filios Iſraël dicentes: Terra, quam luſtravimus, devorat habitatores ſuos: populus, quem aſpeximus, proceræ ſtaturæ eſt. Ibi vidimus monſtra quædam filiorum Enac de genere giganteo: quibus comparati, quaſi locuſtæ videbamur.

ad eorum mendacia, populum ad ſeditionem concitantia,

42 *Mendacibus hiſce ac ſeditioſis exploratorum orationibus Sanctum obſtitiſſe affirmant Philo lib.* 1 *de Vita Moyſis, Serarius lib.* 1 *Joſuæ cap.* 8 *quæſt.* 6, *Torniellus ad annum mundi* 2545 *num.* 63, *Bonfrerius & Tirinus hic &c. Negant Abulenſis, A Lapide aliique. Negandi cauſa, quam adferunt, eſt quòd Numerorum cap.* 13 ℣. 31 *Caleb legatur compeſcuiſſe tumultum populi, & cap.* 14 ℣. 24 *ob id laudetur, utrobique nulla facta mentione de* Joſue. *Sed ſi hiſce fluctibus ſe non oppoſuit, quid igitur fecit? An & ipſe fluctuatus? Imò verò etiam aliquid amplius dicendum videbitur, eum fluctus illos tempeſtateſque concitaſſe. Nam ſi unus Caleb omnibus ſe oppoſuit, murmurque ſedare conatus eſt,* Joſue *igitur unus ex aliis illis fuit, de quibus ibidem cap.* 13 ℣. 32: Alii verò, qui fuerant cum eo (*Calebo*) dicebant: Nequaquam ad hunc populum valemus aſcendere *&c. Nam ſi hæc argumentatio ſit legitima: Caleb ibid.* ℣. 31 *legitur compeſcuiſſe populi murmur; ergo non compeſcuit* Joſue: *profectò non minùs valet hæc: Alii qui fuerant cum Calebo* ℣. 32 *leguntur populum ad ſeditionem concitaſſe; ergo &* Joſue *concitavit. Si dicas, eum inter illos alios non comprehendi, quia* ℣. 32 *non dicitur* omnes alii, *dicam ego pariter,* ℣. 31 *Sanctum noſtrum non excludi, quia ibi non dicitur* ſolus Caleb.

non tacuit, id enim fuiſſet ea approbare: locis ſacris,

43 *Ex iis, qui diſſentiunt à nobis, nullos offendi, qui admittant hanc ſequelam, quòd ſcilicet* Joſue *populum contra Moyſen inſtigarit: horruerunt procul dubio Sanctum tam enormis criminis apertè reum facere. Aliud igitur invenerunt, nempe eum primo illo ſeditionis die nec murmuraſſe nec murmurantibus obſtitiſſe, ſed* medium *fuiſſe, ut ait Abulenſis, vel, ut Cornelius A Lapide cum aliis, ad mendaces exploratorum querulaſque obmurmurantis populi voces* tacuiſſe, *ſolo Calebo omnibus ſe fortiter opponente. Verùm ſi circumſtantiæ, quæ hîc concurrunt, attendantur, non apparet, quo pacto medius ille ſtatus vel ſilentium* Joſue *à graviſſima culpa excuſari poſſit. In principem divinitus ſibi datum populus inſurgebat, defectionem ab eo cogitabat, aliaque nefaria contra illum conſilia agitabat, falſis ſpeculatorum narrationibus excitatus: nec ipſi Deo parcebat, eum in promiſſis fallacem incuſabat, cùm terram quam tantopere commendarat & ſe daturum ſpoponderat, devorare ſuos habitatores, nec occupari poſſe mentirentur exploratores, & conquereretur populus nimiùm credulus nec ſatis fidens providentiæ divinæ. Medium tunc eſſe, vel tacere, erat approbare ſpeculatorum mendacia, conſentire populi murmurationibus, & Moyſis Deique cauſam prodere, quæ, ut conſideranti patet, linguæ officium*

F

exigebat

A *exigebat ab eo præcipuè, qui tanta apud populum auctoritate pollebat. Quis verò in Scripturis locus, qui fundamentum præbeat talem ſententiam adſtruendi, ex qua ſequatur, piiſſimum fortiſſimumque Heroëm noſtrum ignavo & importuno ſilentio gravem culpam contraxiſſe? Aliud nihil allegant, quàm quod legimus cap.* 13 ℣. 31 : Inter hæc Caleb compeſcens murmur populi, qui oriebatur contra Moyſen *&c., & cap.* 14 ℣. 24, Servum meum Caleb, qui plenus alio Spiritu ſecutus eſt me, inducam in terram hanc, quam circuivit : & ſemen ejus poſſidebit eam. *His locis, quia ſolum Calebum nominant, innituntur adverſæ opinionis patroni. Quæ in ipſos fieri poſſit retorſio, dictum eſt numero præcedente. Sequente probabitur, quod ex reticentia nominis* Joſue *non rectè inferatur vel colligatur, eum in his populi tumultuantis motibus quietum ac otioſum fuiſſe.*

è quibus id malè deduxit pars adverſa, opponuntur

B 44 *Scriptura in ſuis narrationibus non omnes ſemper uno loco perſonas recenſet, à quibus res facta fuerit. Modò hîc ſilet, quas alibi poſtea ſupplet : modò hîc exprimit, quas dein eamdem hiſtoriam repetens vel attingens prætermittit. Pauca accipe è multis exempla. Exodi cap.* 24 ℣. 15 *ſolus Moyſes memoratur montem Sinai aſcendiſſe : at* ℣. 13 *Diſcipulus magiſtrum comitatus legitur, & cap.* 32 ℣. 17 *cum eodem de monte deſcendiſſe. Deuteronomii cap.* 31 ℣. 22 *dicitur Moyſes ſcripſiſſe,* ℣. 30 *cecinisse Canticum, tacito nomine* Joſue *: verùm & hunc quoque idem feciſſe manifeſtè patet ex* ℣. 19, *& cap.* 32 ℣. 44. *Vide infrà num.* 75. *Capite* 18 *libri Joſue* ℣. 10 *Sanctus narratur in Silunte diviſiſſe terram ſeptem tribubus, quæ portiones ſuas nondum acceperant : capite* 19 ℣. 51 *idem repetitur, ſed additur nomen Eleazari ſacerdotis, antea præteritum ; ex quo intelligitur & hunc & illum, uti Galgalæ, ita & Siluntinæ diſtributioni præfuiſſe ſecundum præceptum Domini Numer. cap.* 34 ℣. 17. *Eodem planè modo Scriptura locis objectis ſolius laudat Calebi zelum in compeſcenda populi murmuratione : at Sanctum quoque noſtrum in ſedando tumultu partes ſuas fortiter egiſſe, alibi ſatis indicatur. Numerorum cap.* 14 *à* ℣. 29 *oraculum divinum pronuntiat,* Joſue *cum Calebo terram promiſſam ingreſſurum, murmuratores vero omnes eâdem excludendos ; nimirum quia illi duo, uti à culpa, ita & à pœna ceteris irrogata immunes fuerunt. Si Sanctus noſter ipſo die reditûs exploratorum, cùm fortitudine & conſtantiâ maximè opus erat, Moyſis Deique cauſam non defendiſſet, ſed in tanto populi tumultu contra officium quietus ac mutus fuiſſet ; eodem quo murmuratores crimine implicitus fuiſſet, ut dictum numero præcedente, adeoque & eodem ſupplicio involvendus : itaque muneri ſuo non defuit, turbarumque principiis fortiter obſtitit.*

alii, è quibus ſolidè probatur, eum ipſo die reditûs

45 *Luculento id teſtimonio confirmant duo præcipuè in Scripturis loci. Alter eſt apud Eccleſiaſticum cap.* 46 *à* ℣. 9 : In diebus Moyſi MISERICORDIAM FECIT IPSE (Joſue) & Caleb filius Jephone, STARE CONTRA HOSTEM ET PROHIBERE GENTEM A PECCATIS, ET PERFRINGERE MURMUR MALITIÆ : & (*propter hoc*) ipſi duo conſtituti, à periculo liberati ſunt à numero ſexcentorum millium peditum, inducere illos in hereditatem, in terram, quæ manat lac & mel. *Alter Numerorum cap.* 32 *à* ℣. 10 *ſic habet :* Iratus (*Dominus*) juravit, dicens : Si videbunt homines iſti, qui aſcenderunt ex Ægypto à viginti annis & ſuprà terram, quam ſub juramento pollicitus ſum Abraham, Iſaac & Jacob : & noluerunt ſequi me, præter Caleb filium Jephone Cenezæum, ET JOSUE FILIUM NUN : ISTI IMPLEVERUNT VOLUNTATEM MEAM. *Uterque hîc (verba ſequuntur Bonfrerii in Numer. cap.* 13 ℣. 31) dicuntur impleviſſe in hoc negotio Dei voluntatem ; apud 70, ſecuti eſſe Dominum ; in Hebræo, impleviſſe poſt Dominum, hoc eſt, per omnia plenè Deum eſſe ſecuti & ejus partes defendiſſe. Et verò eadem eſt phraſis, quâ ibi Scriptura utitur loquens de utroque, & quâ utitur cap. 14 ſequenti ℣. 24, & Joſue 14 ℣. 8, cùm de ſolo Caleb ſermo eſt, ubi is dicitur ſecutus Dominum. Denique hoc ipſum indicat præclarum elogium quod de utroque habetur Eccli 46.

tumultûs auctoribus fortiter obſtitiſſe ;

46 *Dein ita proſequitur laudatus interpres :* Neque ſatis eſt dicere, initio quidem Joſue deliquiſſe, at poſtea pœnituiſſe, fortiterque ſe geſſiſſe in illa veſtium ſciſſione capite ſeq. ℣. 6, ob idque & illi priorem culpam Deum ignoviſſe. At ſi antè deliquiſſet, numquid ob ſupervenientem pœnitentiam omni omnino pœnâ immunis eſſe debuit? Numquid qui reſipuerunt poſt murmurationem ac ſeditionem illam capite ſequenti ℣. 39, ob id conſtitutam à Deo pœnam non ſuſtinuerunt? Numquid ipſe tot laudibus ornari in Eccleſiaſtico debuit? Numquid ipſe impleviſſe poſt Dominum, ſeu Deum plenè ſecutus eſſe dicendus fuit? Numquid ſaltem totius populi principatum planè illo ſuo facto demeritus fuiſſet? Itaque crediderim, neque Calebum ſolum, neque Calebum meliùs ac fortiùs ſe in hoc negotio geſſiſſe præ Joſue ; ſed de Calebo expreſſum, de Joſue tacitum, quòd de hoc dubitari non deberet. *Quòd Deus Sanctum etiam pœnitentem, impunitum non reliquiſſet, ſi criminis iſtius reus fuiſſet quod ipſi malè à multis affingitur, valde etiam veriſimile fit ex verbis Moyſis Deuter. cap.* 1 *à* ℣. 34 : Cùmque audiſſet Dominus vocem ſermonum veſtrorum, iratus juravit & ait : Non videbit quiſpiam de hominibus generationis hujus peſſimæ terram bonam, quam ſub juramento pollicitus ſum patribus veſtris : præter Caleb filium Jephone ..... Nec miranda indignatio in populum, cùm mihi quoque iratus Dominus propter vos (*id eſt, propter peccatum occaſione veſtræ ob aquæ penuriam murmurationis commiſſum, Numer. cap.* 20) dixerit : Nec tu ingredieris illuc : Sed Joſue filius Nun miniſter tuus, ipſe intrabit pro te. *Moyſes leviùs peccarat ad Aquas contradictionis, quàm Iſraëlitæ in Cadeſbarne. Peccati ipſum ſine dubio pœnituit, tamen introitus in terram promiſſam, quem Deut. cap.* 3 *à* ℣. 23 *tam ardentibus precibus à Deo poſtulabat, ei negatus eſt. An hic ejus Miniſtro pœnitenti conceſſus fuiſſet, qui graviùs deliquerat, ut ex opinione noſtra oppoſita ſequitur, adeoque majori pœna dignum ſe reddiderat?*

C F E

imò ex Scriptura ne quidem evinci poteſt, Calebum.

47 *Sunt, qui ex Numer. capitis* 14 *verſu* 24 *nobis ſuprà objecto aliud forment argumentum : Singulare, inquiunt, ibi conſtantiæ & fidelitatis præmium Calebo promittitur, nimirum illum poſſeſſurum terram, quam circuivit in exploratione Chananitidis : illam autem fuiſſe Hebron ex cap.* 14 *libri Joſue* ℣. 13 *&* 14 *fit manifeſtum. At* Joſue *nulla ibidem facta legitur promiſſio. Hinc inferunt, Calebum ſaltem illo fortiùs ac animoſiùs in ſeditione ſe geſſiſſe. Sed ne hoc quidem concedi debet : nam quòd Deus Sancto noſtro & Calebo ſua cuique præmia pollicitus ſit*

AUCTORE J. L.

eodem tempore, ex libro Josue satis erruitur. Supplet hic, quod antè suo loco prætermissum erat. Cap. 19 ℣. 50 dicitur Sanctus accepisse JUXTA PRÆCEPTUM DOMINI urbem, quam postulavit Thamnath-Saraa in monte Ephraïm. *Præceptum autem illud tunc datum fuisse, quando Numer. cap. 14 Calebo decreta fuit merces ob Moysis Deique causam, contra seditiosos tam fortiter defensam, declaratur cap. 14 ℣. 6, ubi Caleb Sanctum ita alloquitur :* Nosti quid locutus sit Dominus ad Moysen hominem Dei de me ET TE IN CADESBARNE. *Israëlitarum Principem hic memorem reddit promissionum divinarum ibidem loci sibi & illi factarum, ut patet ex adjecta petitione ℣. 12 :* Da ergo mihi montem istum (*Hebron*) quem pollicitus est Dominus, te quoque audiente. *Verùm quæ merces præcepta vel Sancto nostro dari jussa fuit? Ut videlicet quemcumque vellet & eligeret locum ad habitandum, ei Eleazar sacerdos, quem divisioni terræ unà cum Sancto Deus præfecerat, & tribuum principes concederent electionem Ducis sui ratam habentes. Hoc præmio Sanctum donatum fuisse docet Bonfrerius, scribens in lib. Josue cap. 19 ℣. 50, cujus verba infrà num 243 daturi sumus.*

B

48 *Verùm esto : nihil illi promiserit Deus, cùm in Cadesbarne Israëlitarum erat mansio : inde necdum sequitur ut minùs zelosus ac fortis fuerit in tumultuantibus ad officium reducendis. Nam dici potest Sanctum præteritum fuisse, tum quia successor Moysi in imperio, adeoque supremum in Chananæa principatum obtenturus erat, tum quia cælibem erat vitam acturus, adeoque nec liberos relicturus, qui portionis in præmium ei donatæ heredes esse possent. Nunc judicet lector, an illi, qui affirmant Sanctum tacuisse, neque ullam in seditione componenda operam dedisse, vel, si tumultui obstiterit, id segniùs ac frigidiùs feciſſe quàm Caleb ; judicet, inquam, an opinionis suæ solidum in Scripturis fundamentum habeant. Certè quæ ex eisdem petita argumenta illis opposui, qui dicunt Sanctum medium fuisse vel siluisse, adeo mihi videntur convincentia, ut censeam dubitandum non esse, quin rebellibus primo die fortiter restiterit : primo, inquam, die, quo redierunt exploratores ex Chananitide : nam postridie tanto in murmuratores zelo exarsit, ut vestes sciderit, rei indignitate commotus Numer. cap. 14 ℣. 6. Verba sacra mox dabuntur.*

C

49 *Nox prima à reditu tota transacta fuit murmurando & fundendis lacrymis querelarum sociis. Postero die populi insania in furorem versa est, adeo ut, Moysse deserto vel interfecto & abjecta Domini lege, in Ægyptum regredi, quàm in Chananæam infeliciter progredi malle se conclamarint castra tota :* Quo audito (*Numer. cap. 14 à ℣. 5*) Moyses & Aaron ceciderunt proni in terram coram omni multitudine filiorum Israël. At verò Josue filius Nun, & Caleb filius Jephone ... sciderunt vestimenta sua, *ad indignationem suam super injuria Deo illata declarandam ;* Et ad omnem multitudinem filiorum Israël locuti sunt : Terra, quam circuivimus, valde bona est. Si propitius fuerit Dominus, inducet nos in eam, & tradet humum lacte & melle manantem. Nolite rebelles esse contra Dominum : neque timeatis populum terræ hujus, quia sicut panem ita possumus eos devorare. Recessit ab eis omne præsidium : Dominus nobiscum est, nolite metuere.

50 *Sed irrita omnis monitio apud frementem irâ populum & magna cum vociferatione obstrepentem, ut audiri non possent, & saxis etiam manus armantem :* Vix temperatum est à manibus, *ait Philo libro 1 de Vita Moysis*, quin duos diversum sentientes lapidibus obruerent, malentes audire jucunda quàm utilia & veris falsa præferentes, aut furori suo potiùs & impotentibus doloris facibus indulgentes. *Josephus lib. 3 Antiquitatum cap. 13 de periculo* Josue *& Calebi nihil dicit, & illud malè in solos Moysen & Aaronem transfert.* Cúmque clamaret, *inquit Scriptura capite citato* ℣. 10, omnis multitudo, & lapidibus eos vellet opprimere, apparuit gloria Domini super tectum fœderis cunctis filiis Israël. *Interpretes per* gloriam Domini *intelligunt columnam nubis majori fulgore coruscantem, per quem Deus gloriam suam manifestabat. Tabernaculum luce augustiore circumdedit Deus, ut, eâ visâ, horrore percelleretur furens populus, ex hujus conspectu* Josue *& Caleb, qui prope tabernaculum, vel, ut nonnulli, in illo erant, subducerentur, atque ita lapidationis periculo eriperentur. Cæleste hoc prodigium divinumque beneficium evidens argumentum est, quantùm Domino placuerit utriusque zelus & constantia.*

D

lapidare eum vult populus, sed periculo prodigiosè liberatur ;

E

constantiam ejus remunerat Deus.

51 *Neque hîc stetit remunerantis Dei beneficentia. Calebo ejusque posteritati certa pars terræ Chanaan, post introitum in eamdem possidenda, promittitur. Ibid. ℣. 24. Eodem tempore Sancto quoque nostro fortitudinis præmium probabiliùs decretum fuit. Vide dicta num. 47, & dicenda num. 243 & seqq. In murmuratores dein mortis in solitudine obeunda sententiam Dominus pronuntiat. At* Josue *ejusque socium de vita diutius protrahenda, quàm duraturi sint peregrinationis anni, deque introitu in terram promissam certos facit :* Omnes, *inquit ibid. à ℣. 29*, qui numerati estis à viginti annis & suprà, & murmurastis contra me, non intrabitis terram, super quam levavi manum meam, ut habitare vos facerem, præter Caleb filium Jephone, & Josue filium Nun. *Idem repetitur locis num. 42 & 43 citatis. Facta omnia, uti Deus pranuntiavit. Utrumque singulari beneficio à morte præservavit, donec Chananæam ingressi essent, in eaque promissam mercedem retulissent : seditiosi verò in deserto mortui sunt. Et primò quidem decem exploratores, tumultûs auctores, postridie reditûs morte repentina exstincti sunt. De his ita textus sacer à ℣. 36 :* Igitur omnes viri, quos miserat Moyses ad contemplandam terram, & qui reversi murmurare fecerunt contra eum omnem multitudinem, detrahentes terræ quòd esset mala, mortui sunt atque percussi in conspectu Domini. Josue autem filius Nun, & Caleb filius Jephone vixerunt ex omnibus, qui perrexerunt ad considerandam terram. *De aliis verò eodem libro Numerorum capite 26, cùm eorum catalogus, qui terram ingressuri essent, recensitus fuisset, additur ℣. 64 & seq. :* Inter quos nullus fuit eorum, qui antè numerati sunt à Moyse & Aaron in deserto Sinaï Prædixerat enim Dominus, quòd omnes morerentur in solitudine. Nullusque remansit ex eis, nisi Caleb filius Jephone, & Josue filius Nun. *Atque hæc sunt, quæ circa terram exploratam ad* S. Josue *pertinent.*

F

Sancto fortiùs in seditione componenda se gessisse :

postridie reditûs Dei & Moysis causam magno zelo defendit :

§ VI.

A

§ VI. Legiſlator ſucceſſorem petit à Domino, à quo nominatur S. Joſue; principatu inauguratur; accipit Spiritum ſapientiæ; ſuam ei poteſtatem communicat Moyſes; tempus & ritus, quibus inauguratio peracta.

Ferè 40 annis legiſlatoris miniſter & virtutum imitator fuit:

S*Anctus noſter, uti duobus prioribus, ita & reliquis triginta octo annis, quibus in deſerto morati ſunt filii Iſraël, magno prophetæ Moyſi non modò fidelem operam præſtitit, ſed & intima ejus familiaritate uſus fuit. Hinc facilè intelligere eſt, unde tantus evaſerit, quantum evaſiſſe ſtatim dicemus. Vidit tot annorum ſpatio*

B *legiſlatoris, cui convivebat, in precibus aſſiduitatem & ardorem: vidit in rebus dijudicandis ſolertiam & æquitatem, in conficiendis negotiis curam & induſtriam, in reſponſis dandis hominumque animis tractandis prudentiam & lenitatem, optimum denique, quem domi foriſque in verbis & actionibus omnibus modum ſervabat, oculis ipſe ſuis perpetuò aſpexit atque admiratus eſt. Nec exemplis modò incitatus, ſed etiam dictarum virtutum præceptis à magiſtro ſuo imbutus fuit docilis Diſcipulus tanto cum fructu, ut electione divina populo Hebræo præfici meruerit. Teſtatur id liber 1 Machabæorum cap. 2 ℣. 55:* Jeſus dum implevit verbum *Dei, à Moyſe exemplo vel ſermone ſibi propoſitum*, factus eſt dux in Iſraël. *Conſonat Ambroſius citatus num. 14:* Ubique (Joſue) inter admiranda opera & reverenda ſecreta ſancto Moyſi individuus adhærebat. Unde factum eſt, ut qui fuerat ſocius converſationis, fieret ſucceſſor poteſtatis. *Et ſanctus Ephræm libro de Virtute cap. 2:* Jeſus Nave filius perfectâ ſuâ obedientiâ tantum donum promeruit, ut Moyſis ſucceſſor fieret. *Rei geſtæ ſeriem accipe.*

C *Moyſi ſua mors annuntiatur, qui ſucceſſorem à Deo petit;*

53 *Declinante ad finem anno quadrageſimo exitûs de Ægypto (an menſe ejuſdem nono an potiùs decimo, incertum eſt) in campeſtribus Moab Jordani proximis, in ultima Iſraëlitarum manſione, quæ à Bethſemoth erat uſque ad Abelſatim, Numerorum cap. 33 ℣. 48 & 49, precatus eſt Dominum Moyſes ſibi ab illius benignitate concedi, ut Jordanem tranſire, terramque promiſſam oculis propiùs cernere liceret, Deuteronomii cap. 3 ℣. 25: ſed propter ejus peccatum, commiſſum occaſione populi ob aquæ penuriam murmurantis, ei hoc negatum, & tantummodo conceſſum, ut è Phaſga (ſic vocatur cacumen montis Nebo, qui unus eſt ex ſerie montium, Abarim dictâ) terram illam procul aſpiceret, ſicque ſtatim moreretur, Numerorum cap. 27 ℣. 12 &c. Tum audito decretæ ac impendentis jam mortis tempore, reſpondet Moyſes Domino ibidem ℣. 16* Provideat Dominus Deus ſpirituum omnis carnis, hominem, qui ſit ſuper multitudinem hanc: & poſſit exire & intrare ante eos, & educere eos vel introducere: ne ſit populus Domini ſicut oves abſque paſtore. *Sed dices, Moyſes ducem à Deo flagitans nullo verbulo chariſſimum ſuum Diſcipulum commendat: non igitur conſcius antè fuiſſe videtur, quod priùs dicebamus, conſi-*

lii Dei de Joſue *ſufficiendo. At Moyſes prudenter nomen ejus tacet, tum ne per humanam gratiam ea ille auctus dignitate videri poſſit, tum ut, quando ipſius Dei judicio electus intelligitur, & populus ejus imperia magis veneretur, & ipſe apud animum ſuum, à quo ad principatum evectus ſit, ſemper reputet, eóque majore cùm ſedulitate & cautione officio ſuo fungatur. Ita Maſius Præfatione ad Commentarios in Joſuam, & Serarius libro 1 Joſuæ cap. 9, quæſt. 4: ubi de modeſtia & prudentia Moyſis in ſucceſſore petendo pulcra adfert teſtimonia Philonis libro de Charitate, Hieronymi in caput 1 ad Titum, & Origenis homiliâ 22 in Numeros.*

AUCTORE J. L.

nominat hic Joſue, ritumque inaugurationis præſcribit:

54 *Voti compotem legiſlatorem facit Deus, ſucceſſoremque nominat rerum gerendarum peritiſſimum, iiſque, quas diximus, virtutibus populo ſpectatum probatumque* Joſue: *nec nominat tantùm, ſed & modum adjungit, quo principatu inaugurari debeat:* Tolle, *inquit Numerorum cap. 27 à ℣. 18 uſque ad ℣. 22,* Joſue filium Nun virum, in quo eſt Spiritus, & pone manum tuam ſuper eum. Qui ſtabit coram Eleazaro ſacerdote & omni multitudine: & dabis ei præcepta cunctis videntibus, & partem gloriæ tuæ, ut audiat eum omnis ſynagoga filiorum Iſraël. Pro hoc, ſiquid agendum erit, Eleazar ſacerdos conſulet Dominum. Ad verbum ejus egredietur & ingredietur ipſe, & omnes filii Iſraël cum eo, & cetera multitudo *Liber Deuteronomii, qui undecimo menſe anni quadrageſimi conſcriptus fuit, & rerum in libris Exodi, Levitici, & Numerorum comprehenſarum ſummam tradit, cap. 3 ℣. 27 & 28 jam factam* Joſue *electionem his quoque verbis inſinuat:* Aſcende, *inquit Deus Moyſi*, cacumen Phaſgæ, & oculos tuos circumfer ad occidentem, & ad aquilonem, auſtrumque & orientem, & aſpice. Nec enim tranſibis Jordanem iſtum. Præcipe Joſue, & corrobora eum atque conforta: quia ipſe præcedet populum iſtum, & dividet eis terram, quam viſurus es. *Item cap. 1 ℣. 37 & 38:* Nec miranda indignatio in populum, cùm mihi quoque iratus Dominus propter vos (*ob peccatum ad Aquas contradictionis*) dixerit: Nec tu ingredieris illuc: ſed Joſue filius Nun miniſter tuus, ipſe intrabit pro te. Hunc exhortare & robora, & ipſe ſorte terram dividet Iſraëli. *Utroque loco repetit Moyſes oracula divina antè facta de ſe ſuoque Diſcipulo. Protulit hæc Dominus, cùm Numer. cap. 27 legiſlatori negaret petitum Jordanis tranſitum,* Joſue *ejus ſucceſſorem nominaret, modumque doceret quo inaugurandus eſſet. Ita ſentit Theodoretus quæſt. 1 in Deuteronomium; nec puto id ab ullo in dubium vocari.*

D

E

F

Sanctus, quem conſilio ſapientiæ pleno elegerat Deus,

55 *Huc transcribi merentur verba Saliani in ſuo Annalium Compendio ad annum 2583 num. 42, ubi oraculo divino, quo* Joſue *Iſraelitarum princeps deſignatur, hæc ſubjungit:* Ecce judicium Dei in ſupremi magiſtratus populi ſui electione. Primò non eligit aliquem de filiis Moyſi, ne putarent Hebræi principatum hunc eſſe hereditarium, quem ipſe volebat hoc tempore ex ſua electione pendere. Non eligit ætate florentem, tertium enim ac nonageſimum agebat annum, ut minùs bellis, quæ imminebant, idoneus videri poſſet: quæ nihilominus ſapienter geſſit ac fortiter, ut tanto magis Dominus res per ipſum gerere intelligeretur. Tertiò eligitur vir Spiritu Dei plenus: qui ſcilicet Deum ſpiraret, & ex ejus Spiritu omnia moderari vellet. Quartò Joſue hactenus miniſter & quaſi vicarius Moyſi,

AUCTORE J. L.

ejusque passim socius & comes, ne ad hoc officium planè novus, & insolens rerum gerendarum accederet. Quintò vir eligitur magnæ in populo existimationis, ut qui in bello contra Amalecitas dux creatus, illud egregiè, Deo opitulante, confecerat; & rectè munus exploratoris, Deo ipso approbante obierat. Denique electus est Josue qui & nomine & gestis Jesum Christum referret, qui solus populum Dei in terram viventium potuit introducere.

principatu à Moyse initiatur :

56 *Novi Ducis renuntiationem inauguratio, ut in fine paragraphi probare conabimur, mox secuta est. Quæ ad eam spectant, priùs hîc simul colligemus, ut cum testimoniis, quæ num.* 54 *de Sancti electione dedimus, facilius conferri possint, & ex eorum accurata collatione distinctiùs cognosci, quis fuerit modus & ordo actionum, quibus* Josue *populi Dei rector & dux consecratus fuit. Cùm Dominus Numerorum cap.* 27 *à* ℣. 18 *successorem Moysis designasset, & ritus in ejus creatione servandos, ut diximus, præscripsisset, statim subditur* ℣. 22 : Fecit Moyses, ut præceperat Dominus. Cúmque tulisset Josue,

B

statuit eum coram Eleazaro sacerdote & omni frequentia populi. Et impositis capiti ejus manibus, cuncta replicavit, quæ mandaverat Dominus. *Huc pertinet illud, quod Deuteronomii cap.* 34 ℣. 9 *legimus :* Josue verò filius Nun repletus est Spiritu sapientiæ, quia Moyses imposuit super eum manus suas. *Principis nostri inaugurationem respicere quoque videtur illud Deut. cap.* 3 ℣. 21 *&* 22 : Josue quoque in tempore illo (*quo scilicet eum mihi successorem inauguravi, secundum mandatum Domini Numer. cap. cit.* ℣. 20) præcepi, dicens : Oculi tui viderunt quæ fecit Dominus Deus vester duobus his regibus (*Amorrhæorum Og & Sehon :*) sic faciat omnibus regnis ad quæ transiturus es. Ne timeas eos : Dominus enim Deus vester pugnabit pro vobis. *Vide infrà num.* 62.

inauguratio à Philone narrata :

57 *Philo libro de Charitate Sanctum hoc modo ducem constitutum narrat :* Postquam optimus ejus Discipulus imitatorque Jesus propter mores amabiles princeps à Deo confirmatus fuit, Moyses haudquaquam tristis ob fratrem filiosque præteritos, sed plenus inenarrabili gaudio, quòd prospectum esset genti de rectore modis omnibus incomparabili, apprehensâ ejus dexterâ, produxit

C

eum ad concionem, nihil de imminente obitu suo solicitus : sed ad familiarem sibi hilaritatem accedente recenti lætitia, alacriter affatus est populum his verbis : Mihi jam instat tempus discedendi ex hac vita corporea : succedet autem in meam curam hic electus à Deo. Simulque protulit oraculum, cui mox creditum est. Tum ad Jesum versus, hortatur ut rem gerat strenuè, utque bene consulat reipublicæ, ac constanter in bene consultis perseveret. . . . Nec omnino fuit supervacanea monitio, ne fortasse ille gravaretur subire tantum oneris : utque exemplum atque regula proderetur ceteris communicandi bona consilia cum suis successoribus, & instruendi eos præceptis optimis *Hîc scriptor, ut apparet, quæ Numer. cap.* 27, *& Deut. cap.* 31 *à* ℣. 1 *usque ad* 9 *legerat, confudit, & ex illis narrationem suam contexuit. Putavit fortè citatum Deuteronomii locum agere de initiatione* Josue, *sed in hoc eum fefellit opinio, ut num.* 62 *probabimus. Interim quæ aliunde mutuatus est, vel etiam de suo addidit, ejusmodi sunt, quæ historiam suam veri specie non destituant ; si excipias hæc :* Moyses haudquaquam tristis ob fratrem filiosque præteritos *&c. : nam frater ejus Aaron, quem unicum Scriptura memorat, à quinque circiter mensibus defunctus erat.* D

58 *Ex variis locis, quos num.* 54 *&* 56 *ex sacra Scriptura allegavimus, in Sancti nostri initiatione hunc actionum ordinem & modum servatum fuisse colligimus. Primò Moyses Eleazarum & tribuum principes cum omni populo ad comitia convenire jubet. Secundò designatum Principem producit ad concionem, & (ut dicitur Numer. cap.* 27 ℣. 22) statuit eum coram Eleazaro sacerdote & omni frequentia populi. *Ibidem* ℣. 18 *&* 19 *priùs quidem recensetur manuum impositio, quàm illa ante pontificem & populum constitutio : sed hîc tantùm præcipit Deus, quid facere debeat Moyses, non verò quo ordine : nam* ℣. 22 *&* 23, *ubi narratur executio eorum, quæ* ℣. 18 *&* 19 *Deus servanda præscripserat, inaugurandus priùs statuitur coram Eleazaro & populo, quàm manus eidem imponantur. Tertiò ante Principis initiationem verisimiliter quoque factum est, quod habet Philo citatus, nimirum Moysen convocato cœtui oraculum divinum indicasse, huic omnem populum credidisse, tacitoque consensu electionem* Josue *approbasse.* E

ritus omnis, quo peracta fuerit, distinctiùs proponitur : ad manuum impositionem accipit Spiritum sapientiæ,

59 *Quarto Successoris sui capiti manus imponit. Salianus in sua Annalium epitome ad annum* 2583 *num* 43 : Dominus, *inquit*, requirit impositionem manuum, quâ jurisdictio & populi regendi potestas per legitimam auctoritatem ei collata intelligeretur. Id munus recte Movi conveniebat, tamquam principi populi, suam in illum auctoritatem transferenti, tamquam sacerdoti ac prophetæ, quibus id munus sæpè commissum est. Sed rectum etiam fuit, magistrum ac parentem Discipulum Filiumque charissimum quàm faustissima precatione benedicere. Deinde vult eum statui coram Eleazaro sacerdote, ut ab eo consecretur & benedicatur : sicque tam ab ecclesiastico quàm à politico magistratu, Dei locum in republica & Ecclesia tenentibus inauguretur. *Hoc ultimum planè incertum est, negaturque à Serario, qui libro 1 Josuæ cap.* 9 *quæst.* 15 *&* 16 *opinatur, Sanctum nostrum coram Eleazaro, pontifice ordinario, jussu Dei statutum fuisse, ut is auctoritate sua comprobaret & ratam haberet ejus inaugurationem à solo Moyse factam, qui non modò principis politici, sed & sacerdotis ac pontificis, licet extraordinarii, personam gerebat. Ceterùm hac manuum impositione non sola populum gubernandi potestas Sancto collata fuit, ut patet ex Deut. cap.* 34 ℣. 9 : Josue verò filius Nun repletus est Spiritu sapientiæ, quia Moyses posuit super eum manus suas. *Hæc verba Domini Numerorum cap.* 27 ℣. 18, Tolle Josue filium Nun, in quo est Spiritus, *quibus Israëlitarum dux nominatus fuit, significant, inquit sanctus Augustinus quæstione* 54 *super Numeros, eum Spiritum sanctum antea habuisse ; quem copiosiùs largitus est Deus, cùm manus eidem imponeret & benediceret legislator. Impetrarunt merita precesque manus imponentis Moysis, ut* Josue *repleretur Spiritu sapientiæ, quo antè vacuus non erat. Vide infrà num.* 83. *Neque hîc per Spiritum sapientiæ intelligunt auctores peculiare Spiritûs sancti donum, sed idem quod Salomon libro 2 Paralip. cap.* 1 ℣. 10, *cum sapientiam à Deo peteret ad populum sibi commissum rectè gubernandum, nimirum omnia dona cœlestia, quæ talem constituunt principem, qualem Moyses sibi successorem Numer. cap.* 27 ℣. 16 *&* 17 *flagitarat.*

imponitur Spiritus

F

60 *Quin-*

AUCTORE J. L.

cum principatûs insignibus suam ei Moyses communicat potestatem,

60 *Quintò novo Principi dat præcepta ad munus recte obeundum spectantia, ut populum in officio & Dei cultu contineat, ut strenuè adversus hostem rem gerat, Deo fretus nihil metuat, & alia, quæ collige ex textibus num.* 54 *&* 56 *datis. Sextò dat ei* partem gloriæ, ut audiat eum omnis synagoga filiorum Israël ℣. 20. *Salianus laudatus numero præcedente per* partem gloriæ *intelligit*, externa quædam magistratûs insignia, quæ ad ejus gloriam coram populo dignitatemque facerent, quemadmodum datæ sunt vestes Aaroni in gloriam & decorem (*Exodi cap.* 28 ℣. 2) ut facilùs ei populus tamquam legitimo principi obtemperet. *Serarius per* partem gloriæ *novo Principi communicatam præterea intelligit* partem potestatis & dignitatis. *Ita mentem suam exponit lib.* 1 *Josuæ cap.* 9, *quæst.* 20: Ejus (*Moysis*) dignitatis . . . . consors erat Josue, sive partem accipiebat, id est, particeps fiebat: ut jam non tamquam minister, prout olim, sed tamquam dignitate proximus, princeps alter, novus Moyses, Moysi semper vel adstaret vel assideret; multa jam responsa daret, multa multis cum imperio præciperet, principatûs *suprema* auctoritate Moysi ipsi semper conservata. *Huic opinioni favet S. Augustinus quæst.* 55 *super librum Numerorum. Putem ego cum Bonfrerio aliisque, quos citat, legislatorem utroque sensu* partem gloriæ *Successori suo communicasse, neque tantùm concessisse illi numerosiorem famulorum manum, in comitiis honoratiorem locum supra ipsos tribuum principes, aliaque similia exteriora principatûs insignia, verùm etiam potestatis suæ eum multis & magnis in rebus participem fecisse ut nimirum major hac via ipsi conciliaretur auctoritas apud populum: & omnes paulatim, etiam Moyse vivente, illi parère discerent. Quod nobis objecit Salianus, solvemus ex S. Augustino infrà num.* 63.

à quo monetur de Domino per Pontificem in rebus dubiis consulendo:

61 *Septimò Moyses, ut jussus erat, Sancto refert illud præceptum Domini Numerorum cap.* 27 ℣. 21: Pro hoc, inquit, agendum erit, Eleazar sacerdos consulet Dominum. Ad verbum ejus egredietur & ingredietur ipse, & omnes filii Israël cum eo, & cetera multitudo. *Quibus prohibetur illi, ne post mortem Moysis rempublicam administrans sibi usurpet sacerdotis officium, sed per eum in rebus dubiis & difficilibus Dominum consulat, eum ut Dei interpretem & ministrum veneretur, & in omnibus obediat. Atque hic est ordo pulcherrimus, ut populus principi, princeps pontifici, pontifex Deo obtemperet. Dionysius tamen Cartusianus ex hoc ipso loco deducit, Sanctum Eleazaro fuisse majorem, atque hunc illi debuisse obedire in omnibus quæ juberet, sicut ceteri de populo. Dionysium sequitur Abulensis hîc quæst.* 47, *contenditque, vò* ejus *referri debere ad* Josue: *verum si Eleazar consulere debet oraculum Domini, ut sciat* Josue, *quid sibi faciendum sit, & ad hunc Pontifex responsum Dei referre; manifestum est vocem* ejus *Eleazarum respicere, ita ut hic sit sensus: Ad verbum Eleazari, quod ei à Domino consulto responsum fuerit, egredietur & ingredietur* Josue, *id est, aget quod agendum erit.*

facta hæc fuere ante scriptum librum Deuteronomii;

62 *Modum inaugurationis vidimus, nunc quo tempore peracta fuerit, examinemus. Doctissimus Annalium scriptor Salianus, Liranum secutus, ad annum* 2583 *num.* 108 *&* 287 *eam Numer. cap.* 27 ℣. 22 *per anticipationem narrari putat, factamque esse paulò ante obitum legislatoris, postquam legem repetiisset & clarius explicatam in volumen redegisset, quod triginta Deuteronomii capita complectitur. Theodoretus quæst.* 1 *in Deuteronomium, Dionysius Cartusianus hîc, Torniellus num.* 23 *ad annum* 2583 *aliique sentiunt, initiationem novi Ducis suo loco relatam esse, eamque mortem Moysis duobus circiter mensibus, repetitionem Legis mense uno, & victoriam de Madianitis paucis aliquot diebus præcessisse. Horum opinio mihi videtur multò probabilior: nam si post scriptum Deuteronomium inauguratus sit* Josue, *quomodo id factum legitur in libro Numerorum, quem absolvit Moyses, antequam Deuteronomio conscribendo manum admoveret, ut colligitur ex hujus cap.* 1 ℣. 3? *Potest quidem dici, Moysen paulò ante mortem suam capiti* 27 *libri Numerorum, quem jam a mense absolverat, duos ultimos versus addidisse, vel eosdem scripsisse statim atque intellexit voluntatem Dei de* Josue *inaugurando principe, quod se id postea executioni mandaturum sciret; at quis hæc effugia ut verisimilia admittat? Sed neque etiam omnis difficultas hac viâ declinatur, nam liber Deuteronomii rerum præteritarum recapitulationem continens de Sancti initiatione mentionem facere videtur cap.* 3 ℣. 21: *ubi Moyses ita de se loquitur:* Josue quoque in illo tempore præcepi dicens: Oculi tui viderunt *&c. Vide num.* 56. *Legislator hîc non obscurè indicat se impleviisse, quod jusserat Dominus Numer. cap.* 27 ℣. 20: Et (*successorem inaugurans*) dabis ei præcepta, cunctis videntibus *&c. Unde sequitur, cùm Moyses hæc proferret, inaugurationem* Josue *jam peractam fuisse, adeoque falli eos, qui putant illam post scriptum recitatumque Deuteronomium contigisse. Audi Theodoretum in rem nostram loquentem quæst.* 1 *in Deuteronomium:* Porro has leges refricat *Moyses in dicto libro* propterea quòd CONSTITUERAT Josue filium Nave in ducendo populo SUCCESSOREM; ostendens quòd superstes adhuc aliis præfecturam credidérat, & quòd ei libenter parendum erat, jussaque peragenda. *Et infra:* Hujus solius (*Calebi*) mentionem fecit (*Deut. cap.* 1 ℣. 36) Josue verò velut PRINCIPEM, DUCEM AC PROPHETAM ORDINAVIT: quod ex sequentibus satis constat.

quod Salianus objicit; solvitur ex S. Augustino.

63 *Sententia Saliani hoc unico nititur argumento:* Conveniebat, *inquit num.* 287, Moysen non tam citò privare se dignitate sua, præsertim cùm totam legem deberet majore cum auctoritate universo populo severè graviterque commendare; eos reprehendere & objurgare; denique severissimas minas & pœnas intentare. *Verùm non dicimus quòd potestatem suam restrinxerit, multo minùs, quòd se dignitate privarit, vel principatu exuerit: sed tantùm quòd principatûs insignia Sancto communicarit, & potestatis suæ eum participem fecerit. Pulcrè sanctus Augustinus quæstione* 55 *super Numeros:* Quid est, quod, cùm Deus præciperet Moysi de Jesu Nave, ait inter cetera: " Et dabis de gloria tua su„ per eum „ . . . . . Nec quia dixit de gloria, ideo minutum est quod habebat. Sic enim accipiendum est ac si diceret: Facies eum socium gloriæ tuæ: non autem hujusmodi res, quasi particulariter divisæ minuuntur; sed totæ sunt omnibus, totæ singulis, qui earum habent societatem. *Cùm sanctus Doctor per vocem* gloriæ *hîc non intelligere possit interna animi bona, ut patet consideranti, non video, quid apud illum:* Facies eum socium gloriæ tuæ, *rectiùs significare possit; quàm* Facies eum socium dignitatis & potestatis

AUCTORIS J. L.

tuæ *in administratione reipublicæ* : Potestas & dignitas, *ut notissimum est, bona sunt ejusmodi naturæ, ut communicentur alteri, in communicante maneant integra, si velit voluntas, à qua dependent. Itaque supremæ Moysis dignitati & potestati ne tantillum quidem detrahimus, dum dicimus, sanctum* Josue *statim à sua inauguratione usque ad mortem illius, id est, duobus circiter mensibus, ampliore cum potestate res civiles & bellicas administrasse, eumque in regimine populi legislatori socium, & velut alterum principem fuisse; ita tamen ut ejus potestas absoluta non fuerit & independens; quam solum Moysen usque ad mortem suam habuisse asserimus.*

§ VII. Insignis Israëlitarum de Madianitis victoria, duce probabiliùs Josue; divisio terræ Chanaan ejus & Eleazari curæ commissa.

B

Successorem suum instruit Moyses:

STatim à Josue *initiatione dedit Dominus per Moysen aliqua præcepta cæremonialia, quæ in Levitico præterita vel non adeo clarè explicata fuerant. Dilucidè hæc traduntur Numerorum cap.* 28 *&* 29. *Adduntur cap.* 30 *nonnulla de votis & juramentis, quando ea rata vel irrita censeri debeant Sanctus Hieronymus, qui in epistola ad Fabiolam de* 42 *Mansionibus compendio tradit, quid in qualibet mansione factum sit, eumque studiosè rerum gestarum ordinem servat, quem Scriptura, in Mansione* 42 *capita* 28, 29 *&* 30 *in hanc synopsim contrahit:* Jesus Moysi in montem succedit, & discit à lege, quæ spiritualiter offerre debeat in Ecclesia. Primùm quid per singulos dies, deinde quid in Sabbatho, quid in Calendis, quid in Pascha, quid in Pentecoste: quid in Neomenia mensis septimi, quid in jejunio ejusdem mensis, die decimo: quid in Scenopegia, quando figuntur tabernacula, decima quinta die suprà dicti mensis. Uxorum & filiarum vota absque auctoritate patrum & virorum cassa memorantur *&c. In dictis capitibus, uti & in fine Numerorum, nec non in Deuteronomio usque ad caput* 31, *varia Israëlitis præcepta explicantur. His sine dubio Sanctus non modò publicè, cùm ad concionem dicerentur, verùm etiam privatim à Moyse instructus fuit, adeo ut legum divinarum, tam post quàm ante suam inaugurationem latarum scientissimus ad reipublicæ gubernacula accesserit. Earumdem verò observantiam, quâ curâ in se & in subdito sibi populo urserit, res ejus post Moysis mortem gestæ docebunt.*

C

insignem de Madianitis victoriam refert

65 *Post promulgata præcepta illa, de quibus Numerorum cap.* 28, 29 *&* 30, *jam se (ut credibile est) accingebat legislator ad ascensum montis, ut Dei jussionem impleret, ibique moreretur. At monuit eum Dominus, ut prius vindictam sumeret de Madianitis, qui filias suas prostituendo ad fornicationem & idololatriam Israëlitas pellexerant:* Ulciscere priùs, *inquit Numerorum cap.* 31 *à* ℣. 2, filios Israël de Madianitis, & sic colligêris ad populum tuum. Statimque Moyses, Armate, inquit, ex vobis viros ad pugnam, qui possint ultionem Domini expetere de Madianitis. Mille viri de singulis tribubus eligantur ex Israël, qui mittantur ad bellum. Dederuntque millenos de singulis tribubus, id est, duodecim millia expeditorum ad pugnam: quos misit Moyses cum Phinees filio Eleazari sacerdotis, vasa quoque sancta & tubas ad clangendum tradidit ei. Cúmque pugnassent contra Madianitas atque vicissent, omnes mares occiderunt, & reges eorum Evi, & Recem, & Sur, & Hur, & Rebe, quinque principes gentis: Balaam quoque filium Beor interfecerunt gladio. *Hostibus ad internecionem deletis, eorumque agris magna vastitate illatâ, ingentem abduxerunt Israëlitæ parvulorum, mulierum, pecorumque multitudinem; magno insuper auri pondere & factâ rerum aliarum prædâ onusti, ad castra redierunt. Quo intellecto,* Egressi sunt (℣. 13) Moyses & Eleazar sacerdos & omnes principes synagogæ in occursum eorum extra castra, *& ex victoris exercitûs ducibus intellexerunt tam feliciter pugnatum fuisse ab Hebræis, ut ne eorum unus quidem desideratus fuerit* ℣. 49. *Dein milites in gratiarum actionem, quòd omnes è bello incolumes rediissent, supremi aliorumque inferiorum ducum exempla secuti, omne aurum aliaque hostium corporibus detracta spolia Domino sponte obtulerunt à* ℣. 50. *Distributionem animantium aliaque victoriam secuta eodem capite tradita invenies.*

D

Israëlitarum exercitus, cui non Phinees

66 *Maxima ex parte tam insignis victoria post Deum adscribenda est fortitudini, & prudenti summi præfecti exercitûs imperio. Fuit is noster* Josue, *licèt nomen ejus in Scriptura non exprimatur. Sententia hæc est Abulensis, Cajetani, Cornelii à Lapide, Saliani, Tirini, Bonfrerii aliorumque, quam oppositâ probabiliorem putamus. Nam quis alius præter nostrum Heroem exercitum in hostes duxisset? An Moyses? Sed hunc pugnæ non interfuisse manifestum facit versus* 12 *&* 13 *capitis citati. An Phinees? Multis hæc de eo placet opinio: imprimis Philon. libro* 1 *de Vita Moysis, & Josepho lib.* 4. *Antiquitatum cap.* 7. *His subscribit Comestor, Lirinus, Dionysius, Adrichomius, Ferus, Zonaras, qui Josephum studiosè sequitur, & Torniellus. Nituntur hi auctores versu* 6, *ubi electa duodecim virorum millia à Moyse contra Madianitas missa fuisse leguntur* cum Phinees, *quo significari contendunt, eum illis imperatorem præpositum fuisse. Verùm si singula dicti versûs verba, & hæc præcipuè,* Vasa quoque sancta & tubas ad clangendum tradidit ei, *penitiùs inspiciantur, & simul in memoriam revocetur Hebræorum sacerdotum officium, quo cùm ex consuetudine tum ex præcepto divino eos in bello functos fuisse Scriptura testatur, magis verisimile esse apparebit, exercitûs imperium non Phinees, sed nostro* Josue *adjudicandum esse. Dictis lucem & pondus dabunt sequentia.*

E

F

non Phinees

67 *Primò consueverant Israëlitæ arcam, in qua præsentem Dominum venerabantur, in expeditiones bellicas deferre, ut pugnaturi firmum haberent adversus hostes præsidium, & certam spem victoriæ conciperent. Hinc Numerorum cap.* 14 ℣. 44 *dicit Scriptura, arcam Testamenti Domini de loco suo motam non fuisse, quando Israëlitæ, post mortem exploratorum Chananitidis, injussu Dei ad bellum perrexerunt;* insinuans ab oppósito, *inquit Cajetanus,* quòd si bellum Dei voluntate factum fuisset, arca fuisset in prælium delata. *Idque confirmatur ex cap.* 6 *libri Josue* ℣. 6: *ubi susceptâ expeditione contra Jerichuntem, jubentur sacerdotes tollere septem buccinas, quarum*

usus

A *uſus eſt in Jubilæo, & præcedere arcam fœderis. Arcam Dei quoque ad bellum aſportaſſe leguntur filii Heli libro* 1 *Regum cap.* 4 ℣. 4. *Fuit hæc etiam in exercitu Saülis lib.* 1 *Regum cap.* 14 ℣. 18: *uti & in caſtris Joab pugnantis contra Ammonitas; unde Urias dicebat lib.* 2 *Regum cap.* XI ℣. XI: Arca Dei, & Iſraël, & Juda habitant in papilionibus. *Moyſes ſecundum hanc conſuetudinem, jam antea à ſe introductam, & deinceps à poſteris ſervatam, cùm ſacerdotem Phinees ad bellum Madianiticum mitteret,* vaſa quoque ſancta... tradidit ei, *id eſt, arcam cum tabulis legis, Cherubim & propitiatorium. Id nomine* vaſorum ſanctorum *intelligunt Hebræi, ut ait Oleaſter, Serarius, Liranus, Dionyſius, Cajetanus, Vatablus, Sa, à Lapide, Tirinus & alii. Sacerdotes itaque & Levitæ Phinees ad bellum comitati ſunt, qui arcam Dei geſtarent atque cuſtodirent. Secundò Deus Numerorum cap.* 10 ℣. 2 *duas tubas argenteas ductiles fieri juſſit, de quarum uſu in rem noſtram hæc lego ibid.* ℣. 8 & 9: Filii autem Aaron ſacerdotes clangent tubis: eritque hoc legitimum ſempiternum in generationibus veſtris. Si exieritis ad prælium de terra veſtra contra hoſtes, qui dimicant adverſum vos, clangetis ululantibus tubis, & erit recordatio veſtri coram Domino Deo veſtro, ut eruamini de manibus inimicorum veſtrorum. *Ut hoc Domini præceptum impleretur, legiſlator ſacerdotem Phinees cum exercitu ad pugnam ire juſſit,* & tubas ad clangendum tradidit ei.

B

ſacerdos, ſed

68 *Ex his omnibus quæ conjectura rationi & veritati magis conſentanea formari poteſt, quàm quòd Phinees ad bellum profectus fuerit, ut tamquam primus ſub patre ſuo pontifice ſacerdos, ſacerdotibus & Levitis cum ſupellectile ſacra exercitum comitantibus præeſſet, ut tubas à ſacerdotibus inflandas curaret ad animos dimicantibus addendos, & pro bellatorum incolumitate atque victoria juxta arcam Deum precaretur. Atque hoc ſacerdoti proprium in bello officium erat, non verò profanam principis militiæ perſonam gerere, atque arma tractare. Fateor quidem Judam Machabæum & nonnullos alios pontifices imperatores exercituum fuiſſe; ſed hi ſummi ſacerdotes ſimul & populi duces erant, quemadmodum Moyſes; cujus in principatu tantùm politico ſanctus* Joſue *ſucceſſit: Phinees autem non niſi ſacerdos erat, quem non ſecus ac ceteros omnes de tribu Levi non ad militiam, ſed ad res ſacras Deus deſtinaverat.*

C

probabiliùs S. Joſue imperator præfectus fuit:

69 *Nunc ſi iis, quæ contra ſacerdotis Phinees præfecturam exercitus faciunt, adjungantur illa, quæ ſuadent eam Sancto noſtro delatam fuiſſe, manifeſtiùs ſe prodet major opinionis noſtræ veriſimilitudo. Jam in bello Amalecutico induſtriam ſuam & fortitudinem omnibus abundè probaverat* Joſue, *& à paucis diebus ipſius Dei ſuffragio renuntiatus erat ſucceſſor Moyſis, non tantùm ut negotiis Iſraelitarum civilibus præeſſet, ſed vel maxime ut eorum in bello ductor foret. Hinc factum ut in illum omnium militum oculi atque ora converſa fuerint, eumdemque ſine dubio imperatorem ſibi deſiderarint. Quem enim ſibi præ reliquis præfici optaſſent, quàm eum, quem ab ipſo Deo ducem electum, & aliunde rei militaris peritiſſimum noverant? Præterea cùm non electus modò, ſed & jam inauguratus eſſet Hebræorum princeps, ipſi ex officio incumbebat exercitui præeſſe: cur id ei à legiſlatore negatum dicamus & præter conſuetudinem alteri delatum, idque eo tempore, quo maximè concilianda illi erat apud populum auctoritas? Adde quòd non* AUCTORE J. L. *nominetur* ℣. 13 *cum Moyſe & Eleazaro inter obviam procedentes victori exercitui. Poteſt quidem dici, quòd* Joſue *involvatur turbæ reliquorum principum, qui illos comitabantur, ſed in ſcriptis ſuis decori obſervantior erat Moyſes, quàm ut totius populi jam initiatum principem ab inferioribus ducibus non diſtingueret. Veriſimiliùs itaque ſub noſtri Heroïs imperio contra Madianitas tam feliciter pugnatum fuit; illi victoria ejuſque fructus poſt Deum tribuenda, & ut Salianus aliique putant; illius hortatu & religione militum excitata eſt tanta illa in Deum pietas & munificentia, ut è ſuis manubiis tam opima illius tabernaculo ſpolia dedicarint, ut in fine capitis narratur.*

diviſio terræ promiſſæ ejus & Eleazari curæ demandata.

70 *Poſt inſignem illam de Madianitis victoriam tribus Ruben & Gad cùm advertiſſent terram duorum regum Og & Sehon, paulò ante initiationem* Joſue *debellatorum, valde eſſe aptam pecoribus alendis, quibus ipſæ abundabant, petierunt à Moyſe, illam ſibi in poſſeſſionem dari: quod ut impetrarent faciliùs, addiderant ſe renuntiaturas omni terræ trans Jordanem acquirendæ, ſeque depoſitis in tuto familiis ac gregibus ſuis Jordanem contra Chananæos tranſituras eſſe, neque arma poſituras, donec omnis eorum terra reliquis tribubus ſubjecta eſſet:* Præcepit ergo Moyſes (*Numer. cap.* 32 ℣. 28) Eleazaro ſacerdoti, & Joſue filio Nun, & principibus familiarum per tribus Iſraël, *ut, ſi promiſſis ſtarent, dictæ terræ eis relinquerentur: verumtamen partem ex iis ſecrevit, & dimidiæ tribui Manaſſe ſub iiſdem conditionibus aſſignavit: majores enim erant, quàm ut totæ duabus illis tribubus concederentur. Vide caput citatum & 1 libri Joſue. Numerorum cap.* 34 *deſcribuntur terræ promiſſæ termini trans Jordanem, deſtinatæ novem reliquis tribubus cum dimidia Manaſſe. Qui autem huic diviſioni præfuturi eſſent, Dominus ipſe eligit* ℣. 17: Hæc ſunt nomina virorum, qui terram vobis dividunt, Eleazar ſacerdos, & Joſue filius Nun. *Dein enumerantur tribuum principes, qui ſub illis diviſioni præpoſiti fuere. Quæ hoc paragrapho attigimus, menſe decimo anni quadrageſimi ab exitu facta fuerunt. Prima autem die menſis undecimi, Hebræis* Sebet *dicti, qui noſtro Januario reſpondet, cœpit Moyſes explanare legem, ut habetur in Deuteronomio uſque ad caput* 31, *perſeveravitque in ejus expoſitione & ſcriptione integro illo menſe, detractis tamen ab eodem paucis diebus aliquot, quibus commodè fieri potuerint ea, quæ capite* 31 & *ſequentibus mortem Moyſis proxime præceſſiſſe leguntur. Hanc contigiſſe ultimo die ejuſdem menſis undecimi vel initio duodecimi probabilior habet ſententia, ut infrà num.* 84 & 85 *videbitur.*

E

F

§ VIII.

AUCTORE J. L.

§ VIII. Moyſes Succeſſorem Iſraëlitis commendat; ejus principatum Deus palàm prodigio confirmat; è columna nubis confortat Sanctum & materiam Cantici docet, quod ipſe & Moyſes ſcribunt & concinunt.

Moyſes populo prænuntiat Dei opem contra hoſtes ſub Joſue.

Paucis ante obitum diebus legiſlator omnem rurſus populum convocavit, illique Joſue *præſentem ſtitit, quem denuo ſucceſſorem ſuum publicè declaravit. Solennem ac iteratam hanc declarationem conducere arbitrabatur ad auctoritatem ei apud ſubditos conciliandam: ut verò eoſdem ad fiduciam erga Deum, & ſimul ad amorem erga novum Principem obedientiamque ei præſtandam excitaret, ſub ejus regimine Deum Iſraelitis ſingulari auxilio adfuturum, & de omnibus inimicis victoriam largiturum vaticinabatur. His autem uſus eſt verbis Deut. cap. 31 à ℣. 2:* Centum viginti annorum ſum hodie, non poſſum ultrà egredi & ingredi, præſertim cùm & Dominus dixerit mihi: Non tranſibis Jordanem iſtum. Dominus ergo Deus tuus tranſibit ante te: ipſe delebit omnes gentes has in conſpectu tuo, & poſſidebis eas: & Joſue iſte tranſibit ante te, ſicut locutus eſt Dominus. Faciet-
B que Dominus eis, ſicut fecit Sehon & Og regibus Amorrhæorum, & terræ eorum, delebitque eos. Cùm ergo & hos tradiderit vobis, ſimiliter facietis eis ſicut præcepi vobis. Viriliter agite, & confortamini: nolite timere, nec paveatis ad conſpectum eorum: quia Dominus Deus tuus ipſe eſt ductor tuus, & non dimittet, nec derelinquet te.

cui etiam omnia fauſta ominatur;

72 Vocavitque Moyſes Joſue, *qui non procul aberat, & ad ſe propius accedere juſſit,* & dixit ei coram omni Iſraël: Confortare & eſto robuſtus: tu enim introduces populum iſtum in
C terram, quam daturum ſe patribus eorum juravit Dominus, & tu eam ſorte divides. Et Dominus qui ductor eſt veſter, ipſe erit tecum: non dimittet, nec derelinquet te: noli timere nec paveas. *Inter hæc verba, inquit Salianus, impoſuit Moyſes manum ſuper eum. Verùm id factum eſſe ante menſem undecimum, ſeu antequam Deuteronomium ad populum recitare inchoaret legiſlator, ſufficienter ſuprà num. 62 oſtenſum eſt. Numerorum cap. 27 Sanctus eligitur princeps & inauguratur: hîc verò Deut. cap. 31 principatus ipſius populo iterum declaratur, commendaturque.*

ejus principatum prodigio palàm confirmat Dominus,

73 *Voluit quoque Deus à ſe electo & initiari juſſo Principi collatam dignitatem palàm approbare, cæleſtique prodigio illuſtrem reddere, de quo ibidem ℣. 14 & 15:* Et ait Dominus ad Moyſen: Ecce propè ſunt dies mortis tuæ: voca Joſue, & ſtate in tabernaculo teſtimonii, ut præcipiam ei. Abierunt ergo Moyſes & Joſue, & ſteterunt in tabernaculo teſtimonii: apparuitque Dominus ibi in columna nubis, quæ ſtetit in introitu tabernaculi. *Celebrem hîc habes Ducis inſtituti confirmationem, Deo in nube præſentiam ſuam oſtentante, factam. Agnoſcitur hinc ſuavis Dei erga populum hunc rudiorem providentia, cui omnia manibus ipſis, ut ita dicam, palpanda proponebantur, ne facilè jugum legitimi moderatoris excuterent, quem viderent à Deo manifeſtis adeo indiciis approbatum.* D

à quo è columna nubis confortatur & docetur materiem Cantici,

74 *Quid Dominus de columna nubis Moyſi & Joſue denuntiarit in eadem capite deſcribitur. Ac primò quidem ita Moyſen alloquitur ℣. 16:* Ecce tu dormies cum patribus tuis, & populus iſte conſurgens fornicabitur poſt deos alienos in terra, ad quam ingreditur, ut habitet in ea. *Verſu 17 & 18 calamitates prædicit, populo ob defectionis & idololatriæ crimen infligendas. Dein ℣ 19 ad utrumque ſermonem convertens,* Nunc ita que, *inquit,* ſcribite vobis Canticum iſtud, & docete filios Iſraël, ut memoriter teneant & ore decantent, & ſit mihi carmen iſtud pro teſtimonio inter filios Iſraël. Introducam enim eum in terram, pro qua juravi patribus ejus, lacte & melle manantem. Cumque comederint, & ſaturati, craſſique fuerint, avertentur ad deos alienos, & ſervient eis: detrahentque mihi, & irritum facient pactum meum. Poſtquam invenerint eum mala multa & afflictiones, reſpondebit ei Can-
E ticum iſtud pro teſtimonio, quod nulla delebit oblivio ex ore ſeminis ſui. Scio enim cogitationes ejus, quæ facturus ſit hodie, antequam introducam eum in terram, quam ei pollicitus ſum. *Demum ſolum* Joſue *ſuo alloquio dignatur Deus, ut eum legitimum Moyſis, quocum uno loqui conſueverat, ſucceſſorem indicet, & jam quodammodo parem oſtendat:* Præcepitque Dominus (℣. 23) Joſue filio Nun, & ait: Confortare, & eſto robuſtus: tu enim introduces filios Iſraël in terram, quam pollicitus ſum, & ego ero tecum.

quod ipſe & Moyſes, ut juſſi erant, ſcripſerunt & cecinerunt.

75 *Deuteronomii caput 32 dat celebre illud Canticum coram omni populo recitatum, cui perſcribendo capite præcedente materiam ſuggeſſerat Deus. Quamquam vulgò Canticum Moyſis appelletur, tamen illud* Joſue *quoque ſcripſiſſe & cecinisse tam apertè Scriptura teſtatur, ut mirum mihi videatur, Pagninum & alios nonnullos id negaſſe vel in dubium vocaſſe. Scripſit imprimis: nam illud cap. 31 ℣. 19,* Nunc itaque ſcribite vobis Canticum iſtud, & docete filios Iſraël, *ad utrumque dirigitur. Quòd verò etiam cecinerit, caput 32 ℣. 44 clariſſimis verbis docet:* F Venit ergo Moyſes, & locutus eſt omnia verba Cantici hujus in auribus populi, ipſe & Joſue filius Nun. *De modo, quo ambo hymnum illum concinuerint, nihil affirmare poſſum niſi non liquere. Dicam tamen, quid conjiciam. Carmen illud omnino totum, ab utroque conſcriptum, ad omnem Iſraëlem recitavit primò ſolus legiſlator, unde fortè factum, ut Canticum Moyſis appellatum fuerit: quia tamen ex tot hominum millibus aliqui, à 120 annorum ſene remotiores, ſenſum cygneæ ejus vocis ſatis percipere non potuerunt,* Joſue *illis totum hymnum repetiit, non poſt mortem Moyſis, vel ut Salianus Abulenſem ſecutus, cùm ipſe* Joſue *moriturus eſſet (nam quæ ratio urget, cur hîc ℣. 44 præteritum poſitum pro futuro dicamus?) ſed ſtatim repetiit, ſimul ac legiſlator finem loquendi fecerat. Ita cum Cajetano ſuſpicor. Sunt qui putent Sanctum noſtrum cecinisse Canticum illud hoc ſenſu, quod teſtatus fuerit ſe ea, quæ Moyſes annuntiarat, à Deo quoque audiviſſe, cùm ſimul ſtarent ante Dominum ad oſtium tabernaculi. Hos ſequerer, ſi* loqui omnia verba Cantici hujus in auribus populi, *non videretur mihi plus ſignifi-*

AUCTORE J. L.

§ IX. Cum morituro Moyſe montem conſcendit, huic morienti adeſt, & alia de Sancto adferuntur, quæ veriſimilia putamus: ratio temporis eorum, quæ poſt ſcriptum Deuteronomium facta ſunt.

Moyſen, cùm moriturus montem aſcenderet,

EOdem die, *ut conſtat ex Deuteronomii cap.* 32 ℣. 48, *quo ſæpe memoratum hymnum cecinit Moyſes, à Deo juſſus eſt adire montes Abarim, atque unum ex iis conſcendere ceteris excelſiorem, Nebo dictum, ut poſt Chananitidem oculis luſtratam in eo moreretur. Poſtrema hac accepta mortis ſuæ denuntiatione, in ſequentem diem, qui ei vitæ poſtremus fuit, conventum indixit. Poſtridie itaque congregata eſt univerſa multitudo, cui tributim bene precatus eſt. S. Athanaſius Alexandrinus in Synopſi ſacræ Scripturæ ad librum Deuteronomii ſcribit, quòd legiſlator non niſi poſt benedictionem populo impertitam Succeſſorem ſuum manuum impoſitione inaugurarit:* Poſtquam verò, *inquit*, ſingulis tribubus benedixit, benedictionemque illarum litteris mandavit, ac manus ſuas ſuper Jeſum Nave, ut ſibi ſecundum mandatum Dei ſuocederet, poſuit, in montem Abarim conſcendit. *Verùm id antè factum fuiſſe, ſupra num.* 62 *probavimus.*

veriſimiliter comitatus eſt Sanctus,

79 *Caietanus, Serarius, Salianus, aliique tam hiſtorici quàm interpretes fatentur, omnia, qua ex Joſepho citato huc tranſcribemus, valde veriſimilia eſſe, ſi paucula in fine verba excipias;* Quantus autem fuerit populi ploratus & querimoniæ (*cùm Moyſes in montem morituru abiret,*) conjecturam capere licet ex eo quod tum prophetæ accidit. Quamvis enim perſuaſiſſimum ſemper habuit, non eſſe inſtante morte dolendum; ut quæ præter Dei voluntatem & naturæ leges non veniat, viſo tamen affectu populi, à lacrymis temperare non valuit: dum verò eò proficiſcitur, ubi diſpariturus erat, omnes cum fletu ſequebantur. Tum Moyſes his, qui longiùs aberant, manu mota ſignificavit, ut conſiſterent: propiores autem rogabat, ne exceſſum ſuum lacrymabilem facere pergerent, cum fletu proſequendo. Illi verò & hanc extremam gratiam ei referendam exiſtimantes, ut, quemadmodum cupiebat, ſeorſum ſecederet, continuerunt ſe inter ſe lacrymantes. Solus autem ſenatus eum deduxit, & pontifex Eleazarus, & imperator Jeſus. Ut verò in monte, Abari vocato, conſtitit, qui celſus è regione Hierichuntis attollitur, & conſcendentibus latè Chananææ terræ proſpectum exhibet, ſenatum dimiſit. Cumque poſt mutuos complexus Eleazaro ac Jeſu ultimum vale diceret, inter loquendum repentina nube circumdatus, in vallem quamdam eſt ablatus.

illi morienti adfuit, mortuumque vidit

80 *Saliano in Annalibus ad annum* 2583 *num.* 329 *minùs placent hæc ultima Joſephi verba:* Inter loquendum repentina *&c.; ex quibus conficitur, quòd ſanctus Princeps & Eleazarus pontifex non viderint Moyſen morientem. Rectiùs locutum putat Caietanum in Deut. cap.*

A *ſignificare, quàm nudum ejuſmodi teſtimonium ferre. Alias interpretum conjecturas vide apud Lorinum in Deut. cap.* 31 ℣. 30, *& cap.* 32 ℣. 44.

Vaticinium Joſue, & Moyſis ad ipſum populumque oratio

76 *Joſephus, qui de Sancti electione & inauguratione altùm ſilet, libro* 4 *Antiquitatum cap.* 8 *hæc habet:* Sed & Jeſus, ſuperſtite etiam tum & præſente Moyſe, vaticinatus eſt quidquid pro ſalute populi geſturus erat, vel foris bello adminiſtrando, vel domi ferendis legibus: & ad vivendi rationem recèns inſtitutam eos præparans, divino monitu ſe præſagire aiebat, quòd, ſi patriam religionem violarent, clades non effugerent. Nam & regionem ipſorum armis exterorum oppletidam, & urbes diruendas, & templum incendendum, & ipſos ſub haſta victoris venumdandos, ſerviturosque gentibus, quæ afflictorum nulla miſeratione tangerentur, ac tum demum ſeram atque inutilem erratorum pœnitentiam acturos. Deum tamen ipſorum conditorem & urbes ſuis civibus, & templum populo redditurum. Hæc autem fore, ut non ſemel tantùm amittant, ſed ſæpius. Deinde Moyſes exhortatus

B Jeſum, ut in Chananæos exercitum duceret, aſſuturumque cœptis ejus Deum pollicitus, & populo omnia fauſta ominatus, Quoniam, inquit, ad Patres abeo, & Deus hanc mihi diem abitûs præfinivit *&c. Sequitur oratio, in qua poſt gratias, Deo pro collatis beneficiis actas, populum ad Dei cultum hortatur, legumque obſervantiam. Orationi mox ſubdit:* Hæc poſtrema verba Moyſe loquente & ſingulis tribuous ſua rata aperiente, univerſa multitudo in lacrymas erupit. *Paulò infra narrat, quòd populus legiſlatorem moriturum ad montem uſque ſecutus fuerit.*

à Joſepho narrata expenduntur.

77 *Dum Joſephus noſtrum* Joſue *hæc vaticinatum fuiſſe ſcripſit, reſpexiſſe eum puto ad Deut. caput* 31 *a* ℣. 19 *uſque ad* ℣. 24, *ubi narratur Sanctus divinitus cognoviſſe, ſe filios Iſrael introducturum in terram promiſſam; hos autem, deſerto poſtmodum veri Dei cultu, gravia mala in idololatriæ pœnam incurſuros. Sed ſive hunc locum auctor ille attenderit, ſive Canticum Moyſis, quod fortè* Joſue *quoque recitatum putavit; aliter verba Scripturæ expoſuit, quàm textus ferat. Futura, quæ* ℣. 19 *Deus Sanctum conſcribere juſſit, populoque annuntiare, dicto Cantico continentur. Alia ipſum, vivo Moyſe, prædixiſſe, ſola non perſuadet mihi Joſephi auctoritas. De exhortatione verò Moyſis, quam ſubdit, ad* Joſue *populumque facta, quid dicam? Capite citato à* ℣. 1 *uſque ad* ℣. 9 *utrumque quidem animat legiſlator ab adfuturo Dei auxilio, felicique ſucceſſu expeditionum, contra Chananæos ſuſcipiendarum; ſed hanc exhortationem aliquot ante mortem ſuam diebus habuit, ut ex* ℣. 14 *num.* 85 *probabimus. Joſephus autem ſuam affigere videtur diei, quo Moyſes tribubus benedixit, & ad Patres migravit. An ergo hic ultimo vitæ ſuæ die ſimili oratione Sanctum noſtrum & filios Iſrael confortavit, addita illa gratiarum actione & monitione, de qua ſuprà? Ita quidem, ut ex narrationis contextu apparet, ſentit dictus auctor; verùm ex quo fonte id hauſerit, ipſe viderit: ejus certè Moyſen auctorem vel teſtem proferre non poteſt.*

C

* * * *
* * *
* *
*

E *Moyſes his, qui longiùs aberant, manu mota ſignificavit, ut conſiſterent:*

F *propiores autem rogabat, ne exceſſum ſuum lacrymabilem facere pergerent, cum fletu proſequendo.*

AUCTORE J. L.

34 ℣. 6 ; *ubi asserit, quòd non morientem modò, sed & mortuum ab angelis in vallem terræ Moab transferri conspexerint. Caietani conjectura mihi quoque verisimilior apparet : nam si Moyses inter loquendum cum Successore suo & Pontifice, repentina nube circumdatus fuit, & utriusque oculis subductus, ut narrat Josephus, neuter de ejus morte testimonium ferre potuit. Dubium non est, quin Israëlitæ* Josue *& Eleazarum de illa interrogaverint, tunc saltem, postquam dicti montis Nebo cacumen, Phasga vocatum, adierant, nec mortui corpus repererant. Nullum dubium etiam est, quin, sancti Principis & Pontificis relatione audita, vallem, versus quam Moysen nube involutum transferri viderant, diligenter perscrutati fuerint. Jam autem quid Israëlitis, nusquam legislatoris corpus invenientibus & edoctis eam, cùm ultimum vale diceret, subitò è conspectu nube sublatum fuisse ; quid, inquam illis in mentem venisse credibilius est, quàm Moysen non revera obiisse, sed vivum nube susceptum atque instar Enoch in paradisum à Deo translatum fuisse ? Fortè etiam, ut erant eorum ingenia in idololatriam prona, illum tamquam deum adorassent, quemadmodum apud Epiphanium hæresi 55, & Cyrillum Alexandrinum libro 1 contra Julianum nonnullos feciſse legimus. Hinc mihi probabilius apparet, Deum voluisse, ut mortis ejus testes adessent.*

B

ab angelis transferri ad vallem Moab, non tamen in sepulcro deponi :

81 *Cùm autem ne sic quidem omne idololatriæ periculum esset sublatum, voluit insuper, teste Caietano, ut, licèt cerneretur corpus illius ad vallem terræ Moab sepeliendum deferri, oculis tamen notari non posset certus vallis istius locus, in quo deponeretur. Rem autem hoc modo fuisse transactam, aliquo modo insinuare videtur Deuteronomii caput ultimum, quod* Josue *probabiliùs conscripsit, ut posteà dicemus :* Mortuusque est, *inquit* ℣. 5 & 6, ibi Moyses servus Domini, in terra Moab, jubente Domino : & sepelivit eum *Dominus angelorum ministerio* in valle terræ Moab contra Phogor : & non cognovit homo sepulcrum ejus usque in præsentem diem. *Unde innotuêre sancto nostro Hagiographo, quæ hìc narrat ? An ex sola inspiratione divina ? Putem ego, eum ista humanâ quoque viâ sciviſse, & litteris mandasse quæ vidit ; vidisse autem morientem Moysen, eumque per angelos deferri ad sepulturam in valle terræ Moab contra Phogor, ita tamen, ut certus sepulturæ locus distingui non potuerit : unde intelligitur, quomodo nec ipse nec quisquam alius sepulcrum ejus umquam cognoverit. Quòd autem Deus illud populo suo incognitum esse voluerit, hæc passim creditur fuisse ratio, ne corpori ejus vel divinum honorem tribueret, vel ad superstitionem abuteretur, cui erat addictissimus. Epistola S. Judæ apostoli* ℣. 9 *meminit altercationis Michaëlem inter & diabolum* de Moysi corpore. *Putant multi diabolum contendisse, ut illud publico funere sepeliretur, atque ita Hebræi ad idololatriam pellicerentur ; at ut hujus occasio tolleretur, Archangelum populi Hebraïci præsidem ei restitisse, & à Domino impetrasse, ut corpus legislatoris clàm sepulcro conderetur, quod nemo umquam detecturus esset. Quæ hoc & duobus prioribus numeris de* S. Josue *narravimus, incerta quidem sunt ; non adeo tamen à verò abhorrent, ut nullam fidem historicam mereantur.*

C

statim à morte Moysis supremam potestatem

82 *Defuncto Moyse, cœpit* Josue *ea potestate, quam ille habuerat, populum gubernare ; quod ut rectè faceret & interius divinâ gratiâ, & exteriùs frequentibus decessoris exhortationibus, ipsiusque Dei colloquio jam antè roboratus fuerat, ut numeris præcedentibus dictum est. Cœpit, inquam, illico ; non enim verisimile est, tam numerosum tamque turbulentum populum aliquanto tempore nec Principis sui imperio directum, nec exercitio supremæ ejus auctoritatis in officio contentum fuisse. Sancti igitur jussioni tribuendum videtur, quòd totus populus triginta dies in luctu Moysis posuerit, in quo obedierunt ei filii Israël, sicut obedierant legislatori in fratris Aaronis exsequiis celebrandis. Etsi enim utrobique Principis imperium in Litteris sacris non sit expressum, in tantâ tamen personarum, & judiciorum, & voluntatum varietate credibilius est, ejus decretum interveniſse, qui universis præerat cum legitima potestate.*

D

exercere cœpit, Spiritu sapientiæ jam antè donatus.

83 *Sunt, qui cum Thalmudicis existiment, sanctum Ducem in cogitationem imperii sibi traditi non incubuisse, nisi postquam acceperat Spiritum sapientiæ, de quo Deut. cap.* 34 ℣. 9. *Negant autem hoc eum afflatum fuisse in ipsa manuum Moysis inaugurantis impositione, sed tantùm post justa legislatori persoluta. Patrocinatur illis Abulensis in caput* 1 *Josue quæst.* 4, *eisdemque favere putat caput citatum* ℣. 8 & 9 : Fleveruntque eum filii Israël in campestribus Moab triginta diebus : & completi sunt dies planctûs lugentium Moysen. Josue verò filius Nun repletus est Spiritu sapientiæ, quia Moyses posuit super eum manus suas. Et obedierunt ei filii Israël, fecerunntque, sicut præcepit Dominus Moysi. *Hæc verba doctissimus præsul ita intelligit : Postquam completi sunt dies planctûs,* Josue, *quia ipse manuum impositione princeps initiatus erat, repletus est Spiritu sapientiæ, quando ad eum facta est illa exhortatio, de qua Josue cap.* 1 *à* ℣. 1 : *& ab illo tempore obedierunt ei filii Israël. Verùm hic sensus nimium contortus mihi videtur : nam, particula* quia *significat, manuum impositionem eique adjunctas Moysis precationes aliquo modo causam fuisse Spiritûs sapientiæ. Jam verò si morali quadam efficientiæ (alius enim causandi modus hìc admitti nequit) illum contulerit, rectè concluditur, quòd rò* repletus est *respiciat idem tempus præteritum ac rò* posuit super eum manus, *id est, quòd Sanctus acceperit Spiritum sapientiæ, ad rectè gubernandum necessariæ, in ipsa manuum Moysis impositione, non in exhortatione à Deo post triginta dierum luctum ad ipsum facta. Sacer itaque textus hìc tantùm repetit, quod antè factum est, ponitque* repletus est, *pro* repletus erat. *Cùm lingua sacra careat illa distinctione perfecti & plusquam perfecti, hinc non rarò fit, ut in Scripturis sacris per hoc illud explicandum sit.*

E

F

Ratio temporis eorum, quæ

84 *Non supervacaneum fore arbitramur, si hìc lectorem quoque conemur instruere, quo circiter die & mense omnia contigerint, quæ à num.* 71 *huc usque de Sancto nostro narrata sunt. Hoc nostro conatu & præcedentia elucidabimus, & ad sequentia Sancti facta, quæ liber Josue describit, viam sternemus. Ad rei propositæ notitiam examinandum priùs est tempus, quo facta est exhortatio illa Dei ad* Josue, *à qua librum suum ipse exorditur. Imprimis auctores conveniunt in eo, quòd Dominus Sanctum alloquio suo animarit non seriùs, quàm postridie luctûs funebris. Sed advertat lector, eos omnes supponere idem quòd nos, nempe annum legislatoris emortualem fuisse communem, non embolimæum seu tredecim mensium. Secundò, probabilius est, quòd hortatoria*

A *ria illa Dei oratio contigerit prima vel ſecunda die menſis Niſan ; quemadmodum paragrapho ſequente videbitur. Tertiò, probabilius etiam eſt, eamdem habitam eſſe poſt expletos triginta dies funeris Moyſaïci. Ita Abulenſis, Caietanus, Serarius, Hugo cardinalis, Menochius, Bonfrerius, aliique multi contra Maſium hìc, & Salianum in Annalibus ad annum 2584. Hìc ſecutus auctorem Calendarii Hebraïci, & Chronologiæ majoris, quæ Seder Olam Rabba inſcribitur, legiſlatorem ſeptimo die menſis Adar obiiſſe putat. Hac ſemel admiſſa Hebræorum traditione, poſtea non potuit non aſſerere, Iſraëlitarum Ducem, durante adhuc exſequiarum celebritate, à Deo confirmatum fuiſſe : nam ſi Moyſes mortuus ſit die ſeptima menſis duodecimi, eumque triginta diebus Iſraëlitæ fleverint ; à fine luctûs uſque ad Jordanis tranſitum, qui decima die proximi menſis Niſan contigit, non fuit tempus ſufficiens, quo exhortatio Dei ad* Joſue, *exploratorum miſſio & reditus, necnon præparatio ad fluvii tranſitum fieri potuerint. Hæc omnia ad minimum 6 vel 7, & probabiliùs 8 vel 9 dies requirunt. Quòd*

B *autem hæc acciderint, poſtquam Moyſi parentatum eſſet, probamus ex ultimo Deuteronomii capite* ℣. 8 : Fleveruntque eum filii Iſraël in campeſtribus Moab triginta diebus : & COMPLETI ſunt dies planctûs lugentium Moyſen. *Dein mox initio libri Joſue Dei Sanctum excitantis ſermo refertur. Nec ratio eſt, cur hìc dicamus, narrationem ſacram temporis ordinem perturbaſſe. Hinc eruditiſſimus Torniellus ad annum 2583 num. 35 manifeſtum putat, à dicta Hebræorum traditione recedendum eſſe, niſi annus, quo magnus propheta obiit, intercalaris fuerit. Vide auctorem citatum, quoſque ſuprà nominavi interpretes.*

poſt ſcriptum Deuteronomium contigerunt.

85 *Cùm itaque probabiliùs non niſi poſt juſta legiſlatori perſoluta Dominus alloquio ſuo Sanctum confortarit, cúmque illud prima vel ſecunda die menſis Niſan veriſimiliùs factum ſit, ut infrà dicemus ; ſequitur, Moyſen è vita migraſſe poſtremo die menſis undecimi vel primo duodecimi, ſi hic cavus ſeu 29 dierum fuerit, ut eſt in Sigoniano Judæorum Calendario ; ſin verò plenus fuerit, id eſt 30 dies numeraverit, ut contendit Torniellus ad annum 2545 num. 38, ipſius obitus incidit in primum vel ſecundum ejuſdem menſis duodecimi. Quod incertum eſt, tantiſper ut certum ſupponamus, & cum Joſepho lib. 4. Antiquitatum cap. ultimo, aliiſque ſtatuamus, legiſlatorem unà cum Succeſſore ſuo montem Nebo aſcendiſſe, ibique mortuum eſſe primo die menſis Adar. Hoc poſito, Canticum, de quo num.*

C *75, cum Moyſe Sanctus concinuit ultimo die menſis undecimi, penultimo verò illud conſcribere & ad populum recitare à Deo juſſus eſt, cæleſti prodigio dignitas ejus confirmata eſt, & reliqua contigerunt, quæ Deut. cap. 31 à* ℣. 14 *de* Joſue *narrantur. Hebræi in ſua Chronologia majore illa omnia contigiſſe aiunt die mortem Moyſis proximè præcedente ; verùm neque hæc eorum traditio conformis eſt verbis Domini, quæ illo ipſo die ibidem* ℣. 14 *ad Moyſen fecit :* Ecce propè ſunt dies mortis tuæ : voca Joſue ; & ſtate in tabernaculo teſtimonii. *Si poſtridie moriturus erat Moyſes, non dixiſſet Dominus,* Propè ſunt dies, *ſed,* Propè eſt dies mortis tuæ. *Triduo vel quatriduo ante ſuum obitum Moyſes Sanctum coram omni populo ſolenniter ſucceſſorem ſuum declaravit. Reliquis ejuſdem menſis diebus explicatione & ſcriptione Secundæ legis occupatus fuit. Temporis ille ordo rebus, quæ legiſlatoris obitum præceſſerunt, attributus, incertus licèt ſit, valde tamen veriſimilis mihi appareret : nec video, quid illi efficaciter opponi poſſit.*

AUCTORE J. L.

§ X. Excitatur à Domino ad Chananæos invadendos ; mittit exploratores in Jericho : apparatus ad Jordanis tranſitum ; prompta eorum voluntas, quos officii monuerat : ordo temporis, quo hæc & alia contigerint.

Joſue rebus in principatu geſtis typus Chriſti.

QUæ Sanctus egit uſque ad trigeſimum primum à morte Moyſis diem, ex variis pluriùm ſacrorum Librorum locis collegimus. Pervenimus nunc ad librum, ſancti Joſue *nomen præferentem, & Acta deſcribentem, quæ non modò virtutes omnes, quæ principem bellique ducem magnum faciunt, repræſentant ; verùm etiam præcipuas Jeſu Chriſti actiones adumbrant. Hinc Origenes homilia* 1 *in librum Jeſu Nave dicit,* quòd liber hic non tam geſta nobis filii Nave indicet, quàm Jeſu Domini ſacramenta depingat. *S. Hieronymus in epiſtola ad Paulinum hanc ejuſdem dat ſynopſim :* Jeſus Nave typum Domini non tantùm geſtis, ſed & nomine præfert : Jordanem tranſit, hoſtium regna ſubvertit, dividit terram victori populo, & per ſingulas urbes, viculos, montes, flumina, torrentes atque confinia Eccleſiæ cæleſtiſque Jeruſalem ſpiritualia regna deſcribit. *Viginti quatuor Origenis Homiliæ, necnon Theodoreti Quæſtiones in Jeſum Filium Nave, ſingula ferè Principis noſtri facta Chriſto adaptant. In his multa inveniet lector, quæ ad Sancti commendationem plurimùm faciunt. Salianus ad annum mundi 2600 à num. 26 pulcrè quoque oſtendit, quàm perfectus Hebræorum Salvator Salvatoris mundi typus fuerit.*

jubet eum Dominus Jordanem tranſire, & ad ſpem victoriæ

87 *Poſtquam populus Moyſen eluxiſſet, Deus quàm mox hujus Succeſſorem Chananitidem invadere juſſit, & quamvis ſapientiæ Spiritu afflatus, & Domini verbis de columna nubis ad ſe factis bene animatus eſſet, novis tamen divini auxilii ſui promiſſis novos illi animos addidit, & in certiorem ſpem victoriæ erexit :* Et factum eſt, *inquit textus ſacer capite* 1 *à* ℣. 1, poſt mortem Moyſis ſervi Domini, ut loqueretur Dominus ad Joſue filium Nun, miniſtrum Moyſi, & diceret ei : Moyſes ſervus meus mortuus eſt : ſurge & tranſi Jordanem iſtum tu & omnis populus tecum, in terram, quam ego dabo filiis Iſraël. Omnem locum, quem calcaverit veſtigium pedis veſtri, vobis tradam, ſicut locutus ſum Moyſi (*Deut. cap.* XI ℣. 24.) A deſerto & Libano uſque ad fluvium magnum Euphraten, omnis terra Hethæorum uſque ad mare magnum contra ſolis occaſum erit terminus veſter. Nullus poterit vobis reſiſtere cunctis diebus vitæ tuæ : ſicut fui cum Moyſe, ità ero tecum : non dimittam, nec derelinquam te. Confortare, & eſto robuſtus : tu enim ſorte divides populo huic terram, pro qua juravi patribus ſuis, ut traderem eam illis.

88 *Cùm autem ſpes divinæ protectionis & auxilii*

AUCTORE J. L.

legumque cuſtodiam excitat.

xilii innitatur divinarum legum obſervatione, ad hanc quoque populi Ducem ita hortatur à ℣. 7: Confortare igitur, & eſto robuſtus valde, ut cuſtodias, & facias omnem legem, quam præcepit tibi Moyſes ſervus meus: ne declines ab ea ad dexteram vel ad ſiniſtram, ut intelligas cuncta quæ agis. Non recedat volumen legis hujus ab ore tuo: ſed meditaberis in eo diebus ac noctibus, ut cuſtodias & facias omnia quæ ſcripta ſunt in eo: tunc diriges viam tuam, & intelliges eam. Ecce præcipio tibi, confortare, & eſto robuſtus. Noli metuere, & noli timere: quoniam tecum eſt Dominus Deus tuus in omnibus ad quæcumque perrexeris. *Exhortatio hæc facta eſt prima, ut mox videbitur, vel ſecunda die menſis Niſan, currente anno mundi 2584, quando ſanctus Princeps 94 ætatis ſuæ annum ingreſſus erat.*

Quæ dein facta ſunt, Scriptura non refert

89 *Verbis Domini ℣. 10 ſtatim ſubditur,* Joſue *principibus populi imperaſſe, ut caſtra obeuntes juberent exercitum omnem parare ſibi cibaria, quoniam* poſt diem tertium *Jordanem tranſiturus erat. Sed quomodo id verum eſſe potuit? Nam cap. 2 ℣. 1* Joſue *exploratores Hierichuntem miſit, qui præter tempus itûs & reditûs per triduum latuerunt in montanis, ibid. ℣. 22. Illis ad Ducem ſuum regreſſis, tres alii dies elapſi ſunt, antequam flumen trajiceretur, ut patet ex cap. 3 ℣. 1. Ejus igitur tranſitum plures quam tres dies juſſio de cibis parandis anteceſſit. Quomodo ergo dicitur* poſt diem tertium? *S. Auguſtinus hîc quæſt. 2, triduum illud à Sancto prædictum putat, non ex revelatione & certitudine divina, ſed ex diſpoſitione humana: ſperabat enim poſt triduum tranſitum fieri poſſe, ſi exploratores citò revertiſſent; ſed iis tardantibus nec ſperato tempore redeuntibus, conſilia eum mutaſſe. Verùm Torniellus ad annum mundi 2584 num. 8, Bonfrerius, aliique multi aſſerere malunt, ſacram Scripturam temporis ordinem hîc non ſervaſſe, quàm admittere S. Doctoris opinionem; ex qua manifeſtò deducitur, quòd humano ductus conſilio erraverit, ſpe falſus fuerit, alioſque fefellerit* Joſue, *qui & propheta erat, & quem Dominus paulò antè (cap. 1 ℣. 9) certum reddiderat de divina ſua ope in omnibus, quæ aggreſſurus eſſet.*

B

C

ordine temporis:

90 *Auctoribus illis ſubſcribimus, dicimuſque, tantùm poſt Hierichuntinorum exploratorum reditum indictam fuiſſe cibariorum præparationem, adeo ut hæc toti capiti ſecundo poſtponenda ſit; tres verò dies illos, de quibus cap. 1 ℣. 11 ſit mentio, eoſdem eſſe cum iſtis, de quibus cap. 3 ℣. 1. Et ſanè hæc ſententia meliùs reſpondet promiſſioni Dei, cap. 1 ℣. 5 & 9 factæ, novoque Duci integram conſervat auctoritatem & gratiam apud ſuos, quæ multùm imminuta fuiſſet, ſi in ipſo principatûs initio eum ſpe ſua fruſtratum vidiſſent. Textus verò ſacer verbis Domini voluit proximè ſubnectere præparationem ad Jordanis tranſitum, ut promptam oſtenderet Sancti obedientiam & exſecutionem præcepti divini, cap. 1 ℣. 2 dati:* Surge, & tranſi Jordanem *&c.*

quis hic probabiliùs ſit, proponitur.

91 *Hunc igitur rerum geſtarum ordinem ſtatuimus: in menſis initio, puta tantiſper primo ejus die, ſermone Domini excitatus eſt* Joſue, *qui mox felici omine duos hoſtilem regionem proximè invadendam luſtraturos ablegavit. Hi eodem die Hierichuntem venerunt, & à Rahab benignè hoſpitio excepti ſunt. Vide num. 93. Poſtridie urbem perluſtrarunt, ſed proditi & quæſiti à regiis ſatellitibus ab eadem occultè noctu dimiſſi ſunt. Tertio, quarto & quinto menſis die in montanis latuerunt. Sexto denique, ut vult Salianus, ad ſuos reverſi ſunt. Si cum aliis dicere mâlis, eos ultimo latebrarum die ſub veſperam vel noctu ad caſtra rediiſſe, divina exhortatio & exploratorum miſſio ſecundo diei menſis Niſan affigenda eſt. De die, quo poſt Hierichuntinam luſtrationem exploratores rediere, nihil auſim affirmare: verùm de tribus diebus, poſt quos* Joſue *populum Jordanem tranſiturum cap. 1 ℣. 11 prædixerat, confidenter aſſero, hoſce à ſeptimo die menſis Niſan inchoandos eſſe, cùm decimo ejuſdem ſuvii tranſitum contigiſſe legamus cap. 4 ℣. 19. Unde ulteriùs deduco, cibariorum præparationem & exercitûs profectionem indictam fuiſſe die ſexto menſis veſperi, vel die ſeptimo manè; idque poſt exploratorum reditum: prudentes enim imperatores hos audire ſolent, antequam de profectione aliquid ſtatuant. Tricis hiſce chronologicis me non immiſcuiſſem, niſi harum examen neceſſarium fuiſſet ad Sancti acta ordine ſuo collocanda.*

D

Conſulto, ut credibile eſt, Domini oraculo,

E

92 *Antequam ad caput ſecundum pergo, verſui 10 & ſeqq. capitis primi præponendum, in memoriam revoco præceptum divinum, de quo Numer. cap. 27 ℣. 21:* Pro hoc (Joſue, *quando ad reipublicæ Hebraïcæ clavum ſedebit*) ſiquid agendum erit, Eleazar ſacerdos conſulet Dominum. Ad verbum ejus egredietur & ingredietur ipſe, & omnes filii Iſraël cum eo & cetera multitudo. *Hinc colligunt non pauci, pium Principem non adornaſſe Hierichuntinorum ſpeculatorum miſſionem, niſi poſtquam eam Deo gratam eſſe intellexerat ex Pontifice, per quem Dominum conſuluerat. Nunc ad Scripturæ narrationem redeamus.*

mittit exploratores in Jericho,

93 Miſit igitur (*cap. 2 à ℣. 1*) Joſue filius Nun de Setim (*ultima Iſraëlitarum manſione*) duos viros exploratores in abſcondito: & dixit eis: Ite, & conſiderate terram, urbemque Jericho. Qui pergentes ingreſſi ſunt domum mulieris meretricis, nomine Rahab, & quieverunt apud eam. Nuntiatumque eſt regi Jericho, & dictum: Ecce viri ingreſſi ſunt huc per noctem de filiis Iſraël, ut explorarent terram. *Dein narratur, quomodo eos Rahab ſub noctem occultarit in domûs ſolario, apparitoreſque regios eluſerit, eis perſuadens, ut Iſraëlitas civitate jamjam egreſſos perſequerentur.* Necdum obdormierant (℣. 8) qui latebant, & ecce mulier aſcendit ad eos, *& poſtquam de metu civitatis & communi animorum conſternatione exploratores edocuiſſet, pro ſua ſuorumque ſalute jusjurandum ab eis exegit: quod cùm mulieri præſtitiſſent, eique dediſſent funiculum coccineum, ad domûs feneſtram pro ſigno appendendum, occultè per urbis muros ejus domui adhærentes dimiſſi ſunt. Ad ſtabiliendam rationem temporis, datam num. 91, ex Bonfrerio, priora verba versûs 1 exponente, hæc pauca excerpo:* Uno die advenerunt *Hierichuntem ſpeculatores*, altero receſſerunt. Quod probo: quia cùm adveniſſent, quieverunt apud Rahab meretricem, ſive, ut Hebræa vox ſonat, dormiverunt: ergo iſta nocte ibi permanſerunt, maximè cùm verſu 8 dicantur necdum obdormîſſe, cùm ad eos Rahab aſcendit, ut eos dimitteret; quomodo enim, ſi de eadem nocte ſermo ſit, dici poſſunt ibi dormîſſe, & poſtmodùm necdum obdormîſſe, cùm de fuga & latebris agi cœptum eſt? *Vide etiam, quæ infrà habet in illud:* Et quieverunt apud eam.

F

ex quibus cùm incolarum trepidationem aliaque audiiſſet,

94 *Exploratores hoc periculo defuncti conſilium, quod Rahab ſuggeſſerat, ſequuntur atque ad montana confugiunt:* Et manſerunt ibi tres dies,

A dies, donec reverterentur qui fuerant perſecuti: quærentes enim per omnem viam, non repererunt eos. Quibus urbem ingreſſis, reverſi ſunt, & deſcenderunt exploratores de monte: &, tranſmiſſo Jordane, venerunt ad Joſue filium Nun, narraveruntque ei omnia quæ acciderant ſibi, atque dixerunt: Tradidit Dominus omnem terram hanc in manus noſtras, & timore proſtrati ſunt cuncti habitatores ejus, ℣. 22 *& ſeqq.* Tunc Jeſus, *addit Joſephus lib.* 5 *Antiquitatum cap.* 1, pontifici Eleazaro cum ſenatu indicat, quid exploratores Rachabæ juraverint; eorumque auctoritate jusjurandum ratum eſt habitum.

ſuis indici jubet, ad Jordanis tranſitum ſe parent:

95 *Reverſis exploratoribus; ſecundum rerum geſtarum ordinem jam conſtitutum indicta eſt præparatio ad tranſitum Jordanis, ut habetur cap.* 1 *à* ℣. 10: Præcepitque Joſue principibus populi, dicens: Tranſite per medium caſtrorum, & imperate populo, ac dicite: Præparate vobis cibaria, quoniam poſt diem tertium tranſibitis Jordanem, & intrabitis ad poſſidendam terram, quam Dominus Deus veſter daturus eſt vobis. *Per* cibaria *hîc cum pleriſque intelligimus quemvis cibum à manna diſtinctum: etſi hoc quotidie cælo depluere necdum ceſſaret, aliis tamen cibis licitè veſci poterant Iſraëlitæ. Præter pauperiores, quibus alia eſca deerat, Sanctus noſter & ejus exemplo religioſiores ex Hebræis ſolo, ut credere par eſt, manna victitabant. Hinc collige, Principem noſtrum non ſtrictè vel abſolutè præcepiſſe, ſed potiùs monuiſſe tantùm vel permiſiſſe, ut ſiqui vellent, alios cibos pararent, ne poſtea conqueri poſſent ſe, quia non præmonitos, fruſtratos fuiſſe carnium aliorumque ciborum uſu, quibus manna faſtidientes inhiabant. Quòd hoc tempore vetiti non fuerint cibi à manna diſtincti, patet ex ipſius Dei verbis ad Moyſen Deuteronomii cap.* 2 ℣. 4 *&* 6: Et populo præcipe dicens: Tranſibitis per terminos fratrum veſtrorum filiorum Eſau .... Cibos emetis ab eis pecuniâ, & comedetis. *Ibid.* ℣. 27 *&* 28 *nuntii à Moyſe miſſi dicunt regi Sehon, petentes ab eo tranſitum:* Tranſibimus per terram tuam: publicâ gradiemur viâ ... Alimenta pretio vende nobis, ut veſcamur.

de promiſſione Moyſi data implenda monet Rubenitas, Gaditas,

C 96 *Tribubus omnibus de commeatu parando monitis, nominatim Rubenitas, Gaditas & dimidiam tribum Manaſſe memores facit officii ſui, fideique Moyſi datæ, Numer. cap.* 32 *à* ℣. 25: Mementote, *inquit hîc à* ℣. 13, ſermonis, quem præcepit vobis Moyſes famulus Domini, dicens: Dominus Deus veſter dedit vobis requiem, & omnem terram. Uxores veſtræ, & filii, ac jumenta manebunt in terra, quam tradidit vobis Moyſes trans Jordanem: vos autem tranſite armati ante fratres veſtros, omnes fortes manu, & pugnate pro eis, donec det Dominus requiem fratribus veſtris ſicut & vobis dedit, & poſſideant ipſi quoque terram, quam Dominus Deus veſter daturus eſt eis: & ſic revertemini in terram poſſeſſionis veſtræ, & habitabitis in ea, quam vobis dedit Moyſes famulus Domini trans Jordanem contra ſolis ortum.

& mediam tribum Manaſſe: prompta horum voluntas, & reliquorum;

97 Reſponderuntque (*duæ illæ tribus cum media*) ad Joſue, atque dixerunt: Omnia, quæ præcepiſti nobis, faciemus: & quocumque miſeris, ibimus. Sicut obedivimus in cunctis Moyſi, ita obediemus & tibi. *Per verba hæc non tam præteritam jactare volunt obedientiam, quàm ſpondere futuram, & paris in utroque Imperatore auctoritatis agnitionem. Dein amantiſſimo Duci ſuo bene precantur, & mortis pœnam in non obedientes ultro depoſcunt:* Tantùm, *inquiunt*; ſit Dominus Deus tuus tecum, ſicut fuit cum Moyſe. Qui contradixerit ori tuo, & non obedierit cunctis ſermonibus, quos præceperis ei, moriatur. Tu tantùm confortare, & viriliter age. *Rubenitarum & ſociorum verbis facta reſponderunt, ſanctoque Principi, quamdiu vixit, obſequentes in omnibus fuerunt. Nec ſegniùs reliqua multitudo ejus imperiis paruit, teſte Deuteronomio cap.* 34 ℣. 9: Et obedierunt ei filii Iſraël, feceruntque, ſicut præcepit Dominus Moyſi. *Sub legiſlatoris regimine contumaces erant & ad rebellionem prompti: ſub Duce noſtro dociles fuere, & ad omne obſequium parati. In libro Joſue rara occurrit reprehenſio ob inobedientiam; ubi contrà Moyſis libri querelarum pleni ſunt de populi pervicacia. Mirari hîc licet ſingularem Sancti in tractandis hominum animis prudentiam, induſtriam, moderationem, fortitudinem juxtà ac ſuavitatem, quibus duræ cervicis populum ad debitam ſibi obedientiam præſtandam induxit.*

quot ex illis, & cur non plures ad bellum evocarit:

E 98 *Potuiſſet* Joſue, *ſi ipſi ita viſum fuiſſet & neceſſitas poſtulaſſet, compellere omnes viros tribuum Ruben, Gad, & dimidiæ Manaſſe, ut Jordanem tranſirent, reliquaſque tribus in hoſtem pergentes præcederent: id enim ſe facturos omnes ſponponderant; & ſub iſta conditione terrarum cis Jordanem ſitarum poſſeſſionem adire, conceſſerat eis legiſlator: attamen Sanctus id non fecit, ſed ex centum & decem circitèr bellatorum millibus (tot enim in memoratis tribubus à Moyſe & Eleazaro nuper recenſita erant Numer. cap.* 26) *non quinquaginta, ut malè Joſephus lib.* 5 *Antiquit. cap.* 1, *ſed quadraginta tantùm millia elegit, uti patet ex cap.* 4 ℣. 13. *Neque in ea re peccavit* Joſue, *aut ab eo, quod ſibi Numer. cap.* 32 ℣. 28 *& ſeqq. Moyſes præſcripſerat, receſſit: probè enim noverat ejus mentem fuiſſe, ut ſibi relinqueretur libertas evocandi ex iis, quot neceſſarios judicaret. Satis erat prudenti belli Duci dictas tribus datæ fidei memores reddere, viroſque ex iis omnes, armis ferendis aptos, ad manum paratos habere, ita ut quocumque tempore plures accerſere vellet, mox obtemperaturi eſſent.*

ad Jordanem caſtra metatur.

F 99 *Secundum antè dicta poſterior pars capitis primi connectenda eſt cum capite tertio, quod* ℣. 1 *& 2 in Vulgata ita habet:* Igitur Joſue de nocte conſurgens movit caſtra: egredienteſque de Setim, venerunt ad Jordanem ipſe, & omnes filii Iſraël, & morati ſunt ibi tres dies. Quibus evolutis, tranſierunt præcones per caſtrorum medium *&c. Triduum illud de quo cap.* 1 ℣. 11: Præparate vobis cibaria: quoniam poſt diem tertium tranſibitis Jordanem, *idem eſt cum illo, de quo hîc: nam ſi ut ſupra monuimus, ad Jordanem aliis tribus diebus morati ſunt Iſraëlitæ, falsò dixiſſet S. Princeps* poſt diem tertium *eos fluvium tranſituros. Itaque ſi verba Vulgatæ, prout ſonant, accipiantur, commeatûs præparatio indicta fuit in Setim ſub veſperam diei ſextæ, vel die ſeptima manè, cùm ad Jordanem jam perventum eſſet. Vide Bonfrerium in cap.* 1 ℣. 11. *Pro* Et morati ſunt ibi tres dies. Quibus evolutis tranſierunt præcones *&c. Septuaginta, Pagninus, Vatablus, aliique ex Hebræo vertunt:* Et pernoctarunt ibi antequam tranſirent. Et fuit in fine trium dierum, tranſierunt præfecti *&c. His verbis laudati Saliani aliorumque ſententia nititur, quæ aſſerit, ciborum præparationem ex* Joſue *mandato promulgatam fuiſſe in Setim, ibidemque caſtra manſiſſe die ſeptima & octava; adeo ut capitis tertii verſus primus tantùm narret ea,*

AUCTORE J. L.

quæ die nona menſis Niſan geſta fuerunt, nimirum quòd de nocte ſeu ſummo mane diei nonæ caſtra ad Jordanem Hebræi tranſtulerint, & nocte ſequente ibi pernoctarint, die decima flumen tranſituri. Ambæ hæ ſententiæ probabiles ſunt; alterutram lector eligere poteſt. In eo utraque convenit, quòd tertium diem ab indicto ciborum apparatu eumdem eſſe ſtatuat cum tertio die commorationis apud Jordanem, adeoque triduum de quo hîc, non diſtinguat ab illo, de quo cap. 1 ℣. XI.

§ XI. Prodigioſus per ſiccum Jordanis alveum tranſitus; monumenta in memoriam tanti miraculi erecta, quod nimiùm extenuat infidelis Joſephi narratio.

B *Sacerdotes arcæ bajulos populumque inſtruit Joſue*

TRibus diebus à promulgata commeatûs præparatione evolutis, id eſt, die menſis nono ſub veſperam Sancti juſſu Tranſierunt præcones (*cap.* 3 *à* ℣. 2) per caſtrorum medium, & clamare cœperunt: Quando videritis arcam fœderis Domini Dei veſtri, & ſacerdotes ſtirpis Leviticæ portantes eam, vos quoque conſurgite, & ſequimini præcedentes: ſitque inter vos & arcam ſpatium cubitorum duûm millium: ut procul videre poſſitis, & noſſe per quam viam ingrediamini: quia priùs non ambulaſtis per eam: & cavete ne appropinquetis ad arcam. *Propheta ſuo futurum miraculum jam revelaverat Deus, ut patet ex* ℣. 5. *Nunc ejuſdem juſſu vel inſtinctu populum de intervallo, inter ſe & arcam præeuntem relinquendo, per præcones commonefacit, tum ut omnes intelligant, quanta rebus perſonisque ſacris debeatur reverentia, tum maximè ut commodè & per otium cum admiratione eminus conſpiciant prodigioſam viam, per medias Jordanis undas ad arcæ præſentiam poſtridie aperiendam. Deinde populo imperat pius Princeps, ut ad mirabilem illùm tranſitum religioſè ſe præparet:* Sanctificamini, *inquit* ℣. 5; cras enim faciet Dominus mirabilia. *Non modò externa corporis ſanctitas, id eſt, lotio veſtium & ſecubitus ab uxoribus Exodi cap.* 19 ℣. 10 *&* 15, *ſed, ut credere licet, interna etiam animi à* Joſue *hîc præcipitur.*

C *de rebus in Jordanis tranſitu,*

101 *His nono die confectis, ſecutus eſt decimus, ad quem cum Lirano contra Salianum putamus, differendum eſſe Sancti ſermonem ad ſacerdotes, de quo ita* ℣ 6: Et ait ad ſacerdotes: Tollite arcam fœderis, & præcedite populum. Qui juſſa complentes tulerunt, & ambulaverunt ante eos. *Hæc* Joſue *non ut princeps, ſed ut propheta, voluntatem Dei referens, ſacerdotibus præcepit. Sequitur* ℣. 7: Dixitque Dominus ad Joſue: Hodie incipiam exaltare te coram omni Iſraël, *principatumque tuum mirabilibus operibus illuſtrem facere, ut omnes te ut prophetam, ut principem à me conſtitutum, & velut alterum Moyſen ſuſpiciant atque revereantur. Hoc verba ſequentia non obſcurè ſignificant:* Ut ſciant, quòd, ſicut cum Moyſe fui, ita & tecum ſim. *Pergit Dominus* ℣. 8: Tu autem præcipe ſacerdotibus, qui portant arcam fœderis, & dic eis: Cùm ingreſſi fueritis partem aquæ Jordanis, ſtate in ea. *Vult ſcilicet Deus, ut ſacerdotes cum arca in citeriore ripa, ubi aquam pedibus attigerint, conſiſtant, donec aquæ* D *hinc inde tranſitum præbeant, ſuperioribus, quæ ad dexteram erant conſiſtentibus & intumeſcentibus; inferioribus autem, quæ ad ſiniſtram, meridiem verſus decurrentibus atque deficientibus: tum ut ſacerdotes progrediantur cum arca uſque ad medium Jordanem, ibique ſubſiſtant, quaſi prohibentes arcæ præſentiâ decurſum fluminis, & ſecurum populo ſiccumque tranſitum præſtantes. Quamvis ultimum hîc* ℣. 8 *non exprimatur, ſine dubio tamen illud quoque Sanctum Dominus ſacerdotibus denuntiare juſſit, populo verò ea, quæ à* ℣. 10 *uſque ad* ℣. 14 *referuntur, ut ex* ℣. 9 *patet. Imò omnia & ſingula, quæ in mirabili Jordanis tranſitu obſervata fuiſſe Scripturæ memorant, Deus* Joſue, *hic verò ſacerdotibus populoque explicuit. Nihil in ſacra hac occurrit hiſtoria, quod ex humano conſilio profectum fuiſſe, ſit veriſimile.*

obſervandis, cujus totam rationem divinitus edoctus erat: E

102 *Sanctus igitur de tota ratione tranſitûs & futuri miraculi eventu plenè inſtructus ad ſacerdotes ſtatim retulit, quod* ℣. 8 *Deus illis obſervandum præſcripſerat.* Dixitque *dein* Joſue ad filios Iſraël ℣. 9: Accedite huc, & audite verbum Domini Dei veſtri. Et rurſum, *cùm ſcilicet propiùs acceſſiſſent:* In hoc, inquit *à* ℣. 10, ſcietis, quòd Dominus Deus vivens in medio veſtri eſt, & diſperdet in conſpectu veſtro Chananæum & Hethæum, Hevæum & Pherezæum, Gergeſæum quoque & Jebuſæum, & Amorrhæum. Ecce, arca fœderis Domini omnis terræ antecedet vos per Jordanem. Parate duodecim viros de tribubus Iſraël, ſingulos per ſingulas tribus. Et cùm poſuerint veſtigia pedum ſuorum ſacerdotes, qui portant arcam Domini Dei univerſæ terræ, in aquis Jordanis, aquæ, quæ inferiores ſunt, decurrent atque deficient: quæ autem deſuper veniunt, in una mole conſiſtent. *Ubi Sanctus dicendi finem fecerat, viri duodecim mox electi fuere ex ſingulis tribubus. Hos Cajetanus, Salianus & Magalianus cenſent diverſos fuiſſe ab iis, qui poſtea cap.* 4 ℣. 2 *lecti ſunt bajuli duodecim lapidum, in perpetuam prodigioſi per Jordanem tranſitûs memoriam in Galgalis collocandorum. Finem verò electionis eorum, de quibus hîc, putant fuiſſe, ut honoris causâ arcæ Dei & ſacerdotibus adſtarent vice duodecim tribuum, & propiùs modum miraculi notarent ejuſdemque teſtimonium ferrent.*

F *tranſit populus per ſiccatum alveum*

103 *Duodecim viris illis electis:* Egreſſus eſt populus (*à* ℣. 14) de tabernaculis ſuis, ut tranſiret Jordanem: & ſacerdotes, qui portabant arcam fœderis, pergebant ante eum. Ingreſſiſque eis Jordanem, & pedibus eorum in parte aquæ, tinctis (Jordanis autem ripas alvei ſui tempore meſſis impleverat) ſteterunt aquæ deſcendentes *ex mari Galilææ & Libano monte, ex quo Jordanis originem ſuam ducit*, in loco uno, & ad inſtar montis, *ſecundum fluvii latitudinem porrecti*, intumeſcentes apparebant procul ab urbe, quæ vocatur Adom, uſque ad locum Sarthan. *Factus eſt primò tumor, qui à longè appareret, dein retroceſſio, quam celebrat David pſalmo* 113 ℣. 3, Jordanis converſus eſt retrorſum, *aquis ab illo tumore, quaſi ab objecto monte repercuſſis & retroactis:* Quæ autem inferiores erant, in mare Solitudinis (quod nunc vocatur Mortuum) deſcenderunt, uſquequo omnino deficerent. *Quod prodigium eò fit illuſtrius, quò major fuit eo tempore aquarum copia, qualis ſolet tempore meſſis in Jordane contingere, ut legimus lib.* 1 *Paralip. cap.* 12 ℣. 15, *& Eccleſiaſtici*

A *ſtici cap. 24 ℣. 36. Porrò ad contactum ſacerdotalium pedum, angelo Domini aquas ſubmovente & ſolum exſiccante, ſacerdotes cum arca ad medium fluminis progreſſi ſunt, ibique ſubſtiterunt, quaſi prohibentes arcæ præſentiâ decurſum fluminis, donec totus populus majore cum fiducia tranſiviſſet; hoc enim ſequens verſus 17 ſignificat:* Populus autem incedebat contra Jericho, & ſacerdotes, qui portabant arcam fœderis Domini, ſtabant ſuper ſiccam humum in medio Jordanis accincti, omniſque populus per arentem alveum tranſibat.

104 *Cùm populus in oppoſitam ripam perveniſſet, ſacerdotes, ut ex ſacra narrationis contextu colligitur, in medio Jordanis adhuc conſiſtebant, ſancti Prophetæ, auctoritate divina totam rem dirigentis, imperium ut ſubſequerentur exſpectantes. Interea temporis* Dixit Dominus ad Joſue *cap. 4 à ℣. 1 :*) Elige duodecim viros ſingulos per ſingulas tribus: & præcipe eis ut tollant de medio Jordanis alveo, ubi ſteterunt pedes ſacerdotum, duodecim duriſſimos lapides, quos ponetis in loco caſtrorum, ubi fixeritis hac

B nocte tentoria (*fixuri autem erant in Galgalis, ut mox dicetur.*) Vocavitque Joſue duodecim viros, quos elegerat de filiis Iſraël ſingulos de ſingulis tribubus, & ait ad eos: Ite ante arcam Domini Dei veſtri ad Jordanis medium, & portate inde ſinguli ſingulos lapides in humeris veſtris, juxta numerum filiorum Iſraël, ut ſit ſignum inter vos, *& quaſi trophæum de ſuperato à vobis Jordane:* & quando interrogaverint vos filii veſtri cras, dicentes: Quid ſibi volunt iſti lapides? Reſpondebitis eis: Defecerunt aquæ Jordanis ante arcam fœderis Domini, cùm tranſiret eum: idcirco poſiti ſunt lapides iſti in monumentum filiorum Iſraël uſque in æternum. *Præter hanc aliæ duæ cauſæ erecti monumenti adferuntur infrà ℣. 25.* Fecerunt ergo filii Iſraël, ſicut præcepit eis Joſue, portantes de medio Jordanis alveo, *in quem de Hierichuntina fluminis ripa redierant,* duodecim lapides, ut Dominus ei imperarat, juxta numerum filiorum Iſraël, uſque ad locum, *Galgala dictum,* in quo caſtra metati ſunt; ibique poſuerunt eos, *poſtquam jam Jordani ſolitus curſus redditus erat.*

105 *Ad perpetuam tanti miraculi memoriam poſteris relinquendam,* Alios quoque, *ut narratur ℣. 9,* duodecim lapides, *de ripa ulteriore delatos,* poſuit Joſue in medio Jordanis alveo, ubi ſteterunt ſacerdotes, qui portabant arcam fœderis. *Vide à Lapide hic. Addit Scriptura:* Et ſunt ibi uſque in præſentem diem, *ut denotet, inquit Torniellus ad annum 2584 num. 10, aliud miraculum à Deo factum, quòd neque poſtea maximus ille aquarum in aere pendularum cumulus in priſtinum alveum delapſus, neque aliarum inundationum impetus dimovere illos potuerit. Albertus magnus, Anſelmus, Remigius in cap. 3 Matthæi, Rupertus, Abulenſis, & Liranus hic ſcribunt S. Joannem Baptiſtam in Bethabara, ubi Hebræi Jordanem tranſierant, baptizantem duodecim hos lapides demonſtraſſe, cum diceret Matt. cap. 3 ℣. 9:* Potens eſt Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ. *In Vitis patrum Joannis Moſchi cap. 11 hæc lego:* Idem abbas Agiodulus, cùm tranſiret juxta Jordanis ripas, ſecum animo & cogitatione volvebat, quid actum fuiſſet de lapidibus injectis à Jeſu Nave pro his, quos inde ſuſtulerat. Cùmque iſta cogitaret, confeſtim hinc & inde diviſæ ſunt aquæ. Tunc vidit illos duodecim lapides, proſtratuſque humi Deo gratias egit & receſſit. *Imò Magalianus noſter,* Et quidem hodie, *inquit hic,* quando Jordanes, caſtigato alveo, labitur in mare, hi duodecim lapides diſtinctè conſpiciuntur: interdum verò refluentibus è Libano nivibus reſolutis ita occultantur, ut tamen è propinquo appareant. *Qualeſcumque illi fuerint lapides, quos S. Joannes Baptiſta demonſtrarit, & Agiodulus abbas in Jordanis alveo conſpexerit, Magaliano certè nullam ego fidem habeo. Non nego quidem in fundo fluminis, ubi illud Iſraëlitæ tranſierunt, grandiores fortè lapides jacere; ſed unde dignoſci potuit, illos eſſe eoſdem, quos* Joſue *olim ibidem poni juſſit?*

106 *Quamdiu autem in medio Jordanis alveo manſerint ſacerdotes cum arca, explicatur ℣. 10:* Sacerdotes autem, qui portabant arcam, ſtabant in Jordanis medio, donec omnia complerentur, quæ Joſue, ut loqueretur ad populum, præceperat Dominus, & dixerat ei Moyſes. *Arias Montanus, à Lapide, & Tirinus ex hoc verſu colligunt, ducem* Joſue *intra Jordanis alveum juxta arcam & ſacerdotes conſtitiſſe, tranſeuntique multitudini memoriam tum præſentis beneficii tum præteritorum omnium, unàque legis divinæ cuſtodiam inculcaſſe, eaque ex præcepto Domini populo repetiſſe, quæ potiſſimùm in Deuteronomio ei commendata voluit legiſlator, qualia ſunt, quæ cap. 4 ℣. 1 & ſeqq. leguntur. Alii volunt, quòd hujuſmodi exhortationem habuerit ad circumfuſum populum in ulteriore Jordanis ripa, unde prodigium adhuc perſeverans cum admiratione contemplabatur. Alii denique dictum locum aliter intelligunt, atque ita exponunt: Arca, ſacerdotum humeris innixa, in diviſo flumine ſubſtitit, donec exſecutio eorum omnium, quæ* Joſue *juſſu Domini cap. 3 & initio capitis 4 ad populum locutus erat, eo modo, eaque obedientiâ & alacritate à S. Principe compleretur, quam Moyſes ei commendarat. Quidquid ſit de verborum ſacrorum ſenſu; hoc certum eſt, ſacerdotes cum arca ex medio Jordane non receſſiſſe, niſi poſtquam omnis multitudo tranſiiſſet, & ex illius alveo duodecim lapides elati, & totidem in eumdem illati eſſent.*

107 *Verſum 10 claudit hæc anacephulæôſis,* Feſtinavitque populus & tranſiit: *nam tranſitus præceſſiſſe videtur præceptum Domini de tollendis è Jordane exſiccato duodecim lapidibus. Subdit ſacra narratio ℣. 11:* Cumque tranſiſſent omnes, tranſivit & arca Domini. *Arcæ tranſitus plenius enarratur infrà à ℣. 15:* Dixitque ad eum (*Dominus ad* Joſue:) Præcipe ſacerdotibus, qui portant arcam fœderis, ut aſcendant de Jordane. Qui præcepit eis, dicens: Aſcendite de Jordane. Cùmque aſcendiſſent portantes arcam fœderis Domini, & ſiccam humum *ripæ ulterioris* calcare cœpiſſent, reverſæ ſunt aquæ in alveum ſuum, & fluebant ſicut antè conſueverant. Populus autem aſcendit de Jordane decimo die menſis primi. *Redeo ad ℣. 11, cujus poſteriora verba, uti & ℣. 12 ac 13, per anticipationem perſtringunt ea, quæ contigere, poſtquam Jordanis ſolitum curſum reſumere cœpit:* Sacerdoteſque pergebant ante populum. Filii quoque Ruben, & Gad, & dimidia tribus Manaſſe, armati præcedebant filios Iſraël, ſicut eis præceperat Moyſes (*Numer. cap. 32 ℣. 29.*) & quadraginta pugnatorum millia per turmas & cuneos incedebant per plana atque campeſtria urbis Jericho. *His annecto verba verſûs 19:* Et caſtra metati ſunt in Galgalis contra Orientalem plagam urbis Jericho.

108 *Ad horum clariorem intelligentiam ſubjungo*

ex quo 12 lapides in prodigii memoriam elati in Galgala, &

ſacerdotibus interim cum arca in diviſo flumine ſubſiſtentibus:

C *alii 12 in eum illati, qui Chriſti tempore & poſt adhuc exſtitiſſe traduntur,*

his alveo egreſſis, quæ eum repetunt:

F

AUCTORE J. L.

arca dûce, progrediuntur Israëlitæ in Galgala,

jungo doctissimi antiqui Testamenti Annalium conditoris expositionem, quam dat in sua Epitome num. 14: Non est autem existimandum, ut quique de populo primi ulteriorem ripam attigissent, ita fuisse progressos ad locum stationi destinatum. Sed in ea potiùs primi exspectavere postremos, tumque omnes simul, signo ab Imperatore dato, ita progressi sunt, ut primùm arca Domini, quæ ultimùm ex Jordane fuerat egressa, universum populum cubitis bis mille anteiret (*sicut Dominus antè præceperat cap.* 3 ℣. 4,) ut esset itineris dux, populi propugnatrix, hostium territatrix. Tum sequerentur Rubenitæ cum sociis: deinceps reliquæ tribus, donec veniretur in locum, qui postea (*cap.* 5 ℣. 9) Galgala dictus est, locum stativis idoneum, si ibi diutius, ut contigit, consistendum esset: ibique primùm arcæ ac tabernaculo attributo loco, eadem videtur Levitarum & tribuum descriptio circumquaque servata, quæ fuerat à Moyse (*Numer. cap.* 2) jussu Domini in deserto præscripta.

B *ubi in monumentum miraculi eriguntur 12 lapides ex alveo sublati;*

109 Duodecim quoque lapides, *ut cap.* 4 *à* ℣. 20 *narratur*, quos *totidem viri ad id electi* de Jordanis alveo sumpserant, posuit Josue in Galgalis, & dixit ad filios Israël: Quando interrogaverint filii vestri cras patres suos, & dixerint eis: Quid sibi volunt lapides isti? Docebitis eos atque dicetis: per arentem alveum transivit Israël Jordanem istum, siccante Domino Deo vestro aquas ejus in conspectu vestro donec transiretis; sicut fecerat priùs in mari Rubro, quod siccavit, donec transiremus: ut discant omnes terrarum populi fortissimam Domini manum, ut & vos timeatis Dominum Deum vestrum omni tempore. *Vide quæ supra diximus numero* 104.

hos à S. Paula visos testatur S. Hieronymus; alii eosdem in templo,

110 *Hos lapides usque ad sua tempora in Galgalis permansisse asserit sanctus Hieronymus in epistola ad Eustochium virginem, quam* Epitaphium Paulæ matris *inscripsit, & ab ipsamet Paula ibidem visos fuisse testatur. Trecentis circiter annis post, nempe sub finem seculi septimi, illos quoque conspexit Arculphus quidam, ut ex ejus relatione narrat sanctus Adamnanus abbas libro* 2 *de Locis sanctis cap.* 12, *cujus verba hîc placet exscribere, prout sunt in editione Gretseri nostri:* Arculfus memoratus grandem ecclesiam in Galgalis fundatam vidit, in eo loco constructam in quo filii Israël, Jordane transgresso, castra metati primam in terra Chanaan mansionem habuere. In qua videlicet ecclesia idem Arculfus illos consideravit duodenos lapides, de quibus ad Josue Dominus, post transitum Jordanis locutus est, dicens: Elige duodecim viros, &c. Hos, innuam, Arculfus viderat; è quibus senos in dextra parte ecclesiæ, in pavimento jacentes, & alios ejusdem numeri in aquilonari, omnes impolitos & viles conspexit; quorum unumquemque, ut ipse refert Arculfus, hujus temporis duo juvenes viri fortes vix possent de terra sublevare. Ex quibus unus, quo casu accidente nescitur, in duas confractus partes, iterum ferro condensatus manu artificis conjunctus est. Galgal itaque, ubi suprà memorata fundata ecclesia, ad orientalem antiquæ Jericho plagam cis Jordanem est, in sorte tribûs Juda, in quinto milliario ab Jericho, ubi & tabernaculum fixum multo tempore fuit. In quo loco, ut traditur, constructa suprà dicta ecclesia, in qua illi duodeni suprà memorati habentur lapides, ab illius regionis mortalibus miro cultu & honorificentiâ habita honorificatur. *Ita ille. Quis fuerit Arculfus ille, de quo hîc, incompertum. Ex Præfatione Adamnani in libros suos de Situ locorum sanctorum tantùm scitur, quòd fuerit* episcopus gente Gallus. *Sæpissime in memorato Opere eum* Sanctum *appellat, verùm in Fastis sacris ejus nomen reperire non potui.* D

ibidem postea condito, depositos fuisse memorant.

111 *Templum aliquod in Galgalis exstitisse, in quo duodecim illi lapides asservati fuere, testatur quoque Hodœporicon sancti Willibaldi circa medium, quod exstat in tomo* 2 *Lectionum antiquarum Henrici Canisii à Basnagio editarum. Sed ejus auctor, Willibaldi consanguinea sanctimonialis, à sancto Adamnano dissentit in eo, quòd hic ecclesiam illam* grandem, *illa verò* ligneam *& non magnam fuisse scribat. Si Arculphus & sanctus Willibaldus, de quo actum* VII *Julii, revera templum aliquod exstructum, in eoque lapides illos depositos viderint, dicendum est, vel alterutrum ex iis, qui horum relationem litteris mandarunt, memoriâ lapsum fuisse circa templi amplitudinem, vel post Arculphi peregrinationem grande illud destructum fuisse, & ante adventum Willibaldi, qui seculo octavo ferè ineunte, ligneum & parvum ibi erectum fuisse. Itinerarium Antonini Placentini, quod majores nostri tomo* 2 *Maii præfixerunt, & in fine Annotatorum decimo vel undecimo seculo scriptum esse putant, de templo in Galgalis ædificato, testisque in eo dictis lapidibus num.* 13 *mentionem quoque facit.* E

Chananæi terrore exanimati ad famam tanti prodigii,

112 *Porrò transitus per arentem fluminis alveum, lapidumque duodecim erectio in hujus miraculi perpetuum posteritati monumentum non diversis, ut contra Torniellum optimè probat Bellarminus & à Lapide ad* ℣. 19, *sed eodem die contigit, decimo scilicet mensis Nisan:* In die illo, *inquit sacer textus* ℣. 14, magnificavit Dominus Josue coram omni Israël, ut timerent eum, sicut timuerant Moysen, dum adviveret. *Chananæi verò, ubi prodigium illud intellexere, quasi hostilem gladium jam in suis grassantem visceribus haberent, exanimati sunt. Id ita narratur cap.* 5 ℣. 1: Postquam ergo audierunt omnes reges Amorrhæorum, qui habitabant trans Jordanem ad occidentalem plagam, & cuncti reges Chanaan, qui propinqua possidebant magni maris loca, quòd siccasset Dominus fluenta Jordanis coram filiis Israël, donec transirent, dissolutum est cor eorum, & non remansit in eis spiritus, timentium introïtum filiorum Israël.

F *quod infidelis Josephi narratio adeo*

113 *Antequam ulteriùs progrediamur, lubet Josephum audire, qui fortè timens, ne mirabilia Dei opera Græcis parùm probabilia viderentur, majori curæ studuit fidem facere, quàm narrare veritatem. Sic enim ait lib.* 5, *cap.* 1: Imperatore autem solicito de trajectu, amnis enim auctus aquis fluebat, & cùm pontem non haberet (ne fabricari quidem hostis passurus videbatur, nec naves ullæ præstò aderant) Deus se illis transitum procuraturum promisit, fluentis ejus imminutis. Itaque Jesus postquam duos dies expectassèt, copias omnes ad hunc modum in ulteriorem ripam traduxit. Sacerdotes cum arca agmen præcedebant, post eos ibant Levitæ portantes tabernaculum, & vasa sacrificiis destinata; sequebatur deinde totum agmen in suas tribus distinctum, receptis in medium mulieribus ac pueris, quo tutiores essent ab impetu fluminis. Ut verò sacerdotibus primis vadabile est visum, quòd & aqua decrevisset, & glarea non ampliùs vi undarum volveretur, sed stabile solum exciperet vestigia, omnes jam intrepidè vadum transibant, tale redditum cernentes, quale Deus promiserat, steteruntque in alvei medio sacerdotes, donec

A donec tranſiret multitudo, & in tuto conſiſteret: quod ubi factum eſt, & ipſi egreſſi fluvium, liberum ei ſolitum curſum reliquerunt; qui confeſtim auctus, ad priſtinam aquarum molem rediit. Exercitus autem quinquaginta ſtadia progreſſus, ad decimum à Hierichunte ſtadium caſtra metatus eſt. Porrò Jeſus, arâ exſtructâ è lapidibus, quos ſinguli tribuum principes ex alveo, Propheta jubente, ſuſtulerant, ut monumentum eſſet prodigiòsè refrænati fluminis, ſacrum in eâ Deo fecit.

extenuat, ut nullum videatur:

114 *Hæc Joſephus, in quibus varia minùs veriſimilia vel falſa, contra vel præter Scripturam in ſuo fabricata cerebro adjecit: qualia ſunt, quòd Prophetam noſtrum de trajectu ſollicitum faciat, quòd hoſtem non paſſurum fuiſſe dicat, ut pontem Iſraelitæ fabricarentur, quòd in Jordanis tranſitu pueros & mulieres in medium receptos fuiſſe fingat, quò tutiores eſſent ab impetu fluminis, quòd ex duodecim lapidibus de Jordane in Galgala tranſlatis aram à Sancto exſtructam ſcribat. Hæc & nonnulla alia, quæ hiſtoriæ ſuæ inſeruit, in ſacris Litteris non fundata vel*

B *eis non conſentanea eſſe probant Saliani Annales num. 53 & ſeqq. Sed leviora ſunt illa. Totum miraculum enervare penitus atque infringere ipſi lubuit, dum ſacerdotes populumque vado flumen tranſiiſſe dicit, aquis ſcilicet diminutis, neque nimiùm profundis, à quibus tamen mulieres & pueri periclitarentur. Hæc manifeſtè Scripturæ repugnant, quæ ſemel, iterum, tertiò & ſæpius diſertè affirmat,* SICCASSE *Dominum Jordanis aquas cap. 4 ℣. 23 & 24, cap. 5 ℣. 1; ſtetiſſe ſacerdotes in medio fluminis ſuper* SICCAM HUMUM, *omnemque populum per* ARENTEM ALVEUM *tranſiviſſe cap. 3. ℣. 17, & cap. 4 ℣. 22.*

vanitatis & impoſturæ convincitur.

115 *In Proœmio ad libros Antiquitatum ſponderat Joſephus, ſe nihil Scripturæ adjecturum vel è rebus in ea narratis omiſſurum eſſe. Caput verò ultimum ejuſdem Operis ita concludit:* Tradidimus Antiquitates Judaïcas, per omnia ſecuti auctoritatem ſacrorum Voluminum. Auſimque addere, quòd nemo alius ſcriptor Judæus externuſve potuiſſet hoc argumentum tanta fide Græcis hominibus prodere. Ego enim tribùlium meorum confeſſione diſciplinas patrias egregiè calleo.

C *Si in ulla alia, in hac certè ejus narratione de Jordanis tranſitu manifeſtum fit, quòd cum Græcis Græca fide agat, magnifica dans promiſſa, & data fideliter ſe impleviſſe falsò jactitans; Græca, inquam, fide: nam ſi populariorum ſuorum teſtimonio, quo gloriatur, diſciplinis patriis egregiè fuerit eruditus, non igitur ignoratione, ſed ſciens volenſque hiſtoriam ſacram corrupit, corruptamque gentilibus obtruſit. Neque hoc tantùm loco convincitur Joſephus vanus eſſe promiſſor, ſed & pluribus aliis vel in ſolo capite 1 libri 5, ubi S. Joſue geſta deſcribit. Vide infrà num. 146, 222, 240, & 242.*

AUCTORE J. L.

§ XII. Jubetur ſecundò populum circumcidere; Paſchate celebrato, apparet ei probabiliùs S. Michaël archangelus, ex quo diſcit modum mirabilem, quo Jericho expugnanda ſit.

Inſtaurat intermiſſam in deſerto

Dum attoniti Chananæi quieſcunt, neque Iſraëlitas, qui in Galgalis tabernaculum Domini & tentoria ſua erexerant, invadere audent, tempore Paſchatis imminente, mandat Dominus populi ſui Gubernatori, ut ſecundò eum circumcidat, id eſt, ut circumcidendi revocet conſuetudinem, in deſerto per quadraginta annos intermiſſam. Textum ipſum demus cap. 5 ℣. 2 & ſeqq.: Eo tempore (*undecimo ſcilicet primi menſis die*) ait Dominus ad Joſue: Fac tibi cultros lapideos, & circumcide ſecundò filios Iſraël. Fecit quod juſſerat Dominus, & circumcidit filios Iſraël in colle præputiorum. Hæc autem cauſa eſt ſecundæ circumciſionis: Omnis populus, qui egreſſus eſt de Ægypto generis maſculini, univerſi bellatores viri, mortui ſunt in deſerto per longiſſimos viæ circuitus; qui omnes circumciſi erant. Populus autem, qui natus eſt in deſerto, per quadraginta annos itineris latiſſimæ ſolitudinis incircumciſus fuit: donec conſumerentur qui non audierant vocem Domini, & quibus antè juraverat, ut non oſtenderet eis terram lacte & melle manantem. Horum filii in locum ſucceſſerunt patrum, & circumciſi ſunt à Joſue: quia ſicut nati fuerant, in præputio erant, nec eos in via aliquis circumciderat. Poſtquam autem omnes circumciſi ſunt, manſerunt in eodem caſtrorum loco, donec ſanarentur.

circumciſionem:

117 *Veriſimilis & rationi conſentanea mihi videtur Saliani conjectura in Annalibus num. 78, nimirum* Joſue *manu propria circumcidiſſe omnes tribuum principes, Calebo excepto, qui in Ægypto circumciſus erat, necnon domeſticos ſuos exemplo Abrahami Geneſios cap. 17 ℣. 23; reliquæ verò multitudini veteris Legis ſacramentum illud per alios adminiſtraſſe. Quamquam autem ſacer textus eorum tantùm meminerit, qui, Jordane ſuperato, in colle præputiorum ſeu in Galgalis circumciſi ſunt, cum nominato tamen Annalium conditore num. 77 exiſtimo, viros quoque tribuum Ruben, Gad, & dimidiæ Manaſſe Jordanem non tranſgreſſos, quos inter pluſquam ſeptuaginta millia ſupra annum vigeſimum numerabantur, mandato* Joſue *circumciſos fuiſſe. A circumciſione excuſari potiùs poterant, qui in hoſtili ſolo verſabantur, quàm qui in propriis ſedibus quiete fruebantur. Peracta circumciſione* Dixit Dominus (℣. 9) ad Joſue, *quaſi ei congratulans & toti populo:* Hodie abſtuli opprobrium Ægypti à vobis. Vocatumque eſt nomen loci illius Galgala uſque in præſentem diem.

Paſcha celebratur; manna deficit:

118 Manſeruntque filii Iſraël in Galgalis, & fecerunt Phaſe, quartadecima die menſis ad veſperum in campeſtribus Jericho: & comederunt de frugibus terræ die altero, azymos panes, & polentam ejuſdem anni. Defecitque manna poſtquam comederunt de frugibus terræ, nec uſi ſunt

AUCTORE J. L.

ultrà cibo illo filii Iſraël ; ſed comederunt de frugibus præſentis anni terræ Chanaan ℣. 10 *& ſeqq. De ſecunda circumciſione, Paſchæ celebratione, & mannæ defectione ſtudioſus lector interpretum explanationes conſulere poteſt.*

Sancto apparet

119 Cùm autem eſſet Joſue (*ut* ℣. 13 *& ſeq. narratur*) in agro urbis Jericho, levavit oculos, & vidit virum ſtantem contra ſe, evaginatum tenentem gladium ; perrexitque ad eum, & ait : Noſter es, an adverſariorum ? Qui reſpondit : Nequaquam : ſed ſum princeps exercitûs Domini *&c. Seceſſerat videlicet* Joſue *aliquantùm è caſtris, vel urbis inſpiciendæ vel orationis faciendæ causâ. Interpretum communis hæc conjectura eſt. Cùm itaque vel in oratione totus eſſet, ut Serarius, Magalianus, aliique, vel ut à Lapide, Maſius, Arias Montanus &c. exiſtimant, de Hierichunte primò obvia ſubigenda, deque expugnationis ejus ratione conſilia animo verſaret ; mirabilis & opportuna ei objecta eſt viſio, quâ modum omnem urbis capiendæ edoctus fuit. Joſephus citatus, qui in Proœmio Antiquitatum ſe nihil, quod in divinis Libris refertur,*

B *prætermiſſurum ſpoponderat, non tantùm de ſecunda circumciſione, ſed de hac celeberrima etiam apparitione, ſancto Duci facta, ne verbo quidem meminit.*

non ipſe Dei Filius, ſed probabiliùs angelorum quiſpiam ;

120 *Apparuiſſe Sancto Deum aut ſecundam è ſanctiſſima Trinitate Perſonam plerique antiquorum affirmare videntur. Communiſſimè tamen hodie docent eruditi, præſertim theologi, dum bonus aliquis ſpiritus in Scripturis apparuiſſe legitur, per eum repræſentatum fuiſſe vel Deum, vel angelum, vel hominem, ut res ipſa tulerit ; perſonam autem repræſentantem & ſub forma corporea apparentem numquam fuiſſe Deum. Hanc ſententiam ſecuti, angelorum quempiam Sancto ſe videndum præbuiſſe aſſerimus : idque vel ipſa apparentis ad* Joſue *interrogationem reſponſio ſatis indicat :* Sum, *inquit* ℣. 14, princeps exercitûs Domini ; *quibus verbis ſignificat, ſe Domino ſubjectum ejuſque miniſtrum eſſe. Neque obſtat, quòd hîc* ℣. 15, *& cap.* 6 ℣. 2 Dominus *appelletur : nam qui Moyſi in rubo apparuit Exodi cap.* 3, *de ſe dicit* ℣. 6 *:* Ego ſum Deus patris tui, Deus Abraham *&c. : tamen ſanctus Stephanus Actuum*

C *cap.* 7 ℣. 30 *eum angelum fuiſſe diſertè profitetur. Qui legem de monte Sinaï populo promulgat, ſe quoque* Dominum Deum *vocat, & tamen hoc ipſum ab angelo factum eſſe idem ſanctus ibid.* ℣. 38 *teſtatur. Ad veteres Patres, è quibus Serarius lib.* 2 *Joſuæ cap.* 5 *quæſt.* 40 *ſexdecim citat, qui Deum vel Jeſum Chriſtum ſancto Duci conſpiciendum ſe præbuiſſe dicunt, reſpondeo, eos fortè nihil aliud velle, quàm quòd Deus vel Chriſtus S. Principi apparuerit ut perſona repræſentata, repræſentans autem fuerit angelus, ſive quia hic Dei vel Filii Dei vices gerebat, ſive etiam quia Jeſu quodammodo typus erat, qui auxilio divinæ gratiæ, quam nobis humana carne aſſumpta meruit, in regni cæleſtis poſſeſſionem nos introducit, quemadmodum angeli hujus ſub humana ſpecie apparentis auxilio Iſraëlitæ terræ promiſſæ poſſeſſionem, deleta Hierichunte, inchoarunt. Conſequitur ex dictis, quoties Deus familiarem ſuum Amicum allocutus fuiſſe memoratur in libro Joſue, id per angelum feciſſe. An per eumdem, qui hîc Sancto apparuit, incertum eſt.*

fortè idem, qui de rubo ardente ad Moyſen locutus fuit ;

121 *Cum noſtro à Lapide in Exodi cap.* 3 ℣. 2, *necnon Bonfrerio hîc, aliiſque veriſimile putamus, angelum eumdem, qui olim ad Moyſen de rubo ardente locutus eſt, nunc ejus Succeſſori apparuiſſe ; nam ambobus injunctum fuiſſe legitur, ut calceamenta de pedibus ob ſanctitatem loci ſolverent, eumdemque ad finem, videlicet ad animandum populi Hebræi Ducem & Iſraëlitas introducendos in terræ promiſſæ poſſeſſionem, utraque facta eſt viſio. Diverſum tamen utrobique viſionis ſchema fuit, nam à legiſlatore viſus eſt rubus in ipſis flammis incombuſtus, quo ſignificabat angelus, quòd Hebræi in afflictione & dura ſervitute Ægyptiaca incolumes perſtituri, deque illa omnes ſalvi educendi eſſent. At hîc viri ſpecie, nudato gladio armati, ſe conſpiciendum præbet, quia belli contra Chananæos inchoandi ducem, & ad Hierichuntinos oppugnandos delendoſque adjutorem ſe exhibebat.* D

credimus utrique apparuiſſe S. Michaëlem archangelum :

122 *Sed quis ille angelorum fuit, qui ſancto Principi apparuit ? Quandoquidem ipſe apparens* ℣. 14 *ſe fatetur eſſe* principem exercitûs Domini, *cum Theodoreto quæſt.* 4, *& celebrioribus pleriſque interpretibus probabiliùs illum Michaëlem archangelum fuiſſe affirmamus. Huic non cæleſtis modò exercitûs, angelorum ſcilicet contra rebellem Deo Luciferum, ejuſque aſſeclas præliantium, principatus defertur Apocal. cap.* 12 ℣. 7 *: verùm etiam Eccleſiæ, in terris ſive contra dæmones ſive contra homines Dei hoſtes militantis, præſes & dux divinitus creditur conſtitutus. Et de Eccleſia quidem veteri luculento id Scripturæ teſtimonio confirmatur Danielis cap.* 12 ℣. 1 *:* Michaël princeps magnus, qui ſtat pro filiis populi tui, *nempe Iſraëlitici. Angelo quidem Gabrieli populi Hebræi cura quoque commiſſa fuit, ut patet ex Danielis cap.* 9 ℣. 21, *& cap.* 10 *: verumtamen principatum angelorum Iſraëlis tutelarium non obtinebat ; ſub Michaële ejus curam gerebat, à quo confligens cum angelo Perſarum, ut Judæi fideles è captivitate Babylonica liberarentur, opem accipiebat, uti ipſemet confitetur cap.* 10 ℣. 21, *ubi eum Iſraëlitarum principem appellat. Verùm an ergo Archangelus Michaël etiam Moyſi in rubo apparuit ? Affirmans ſententia mihi probabilior apparet, quia ſicuti nunc, ita & olim finis legationis ſpectabat bonum commune totius populi Hebraïci, cui S. Michaël ſecundum Deum protector erat. Vide dicta numero præcedente.* E

F *Joſue reverentia erga legatum cæleſtem ; depoſitis calceamentis,*

123 *Archangelum itaque Michaëlem ſibi apparentem ſimulatque conſpexit* Joſue, *perrexit ad eum, ignotumque ita compellat* ℣. 13 *:* Noſter es, an adverſariorum ? *Mirari hîc licet intrepidos fortiſſimi Heroïs animos, quibus ſolus pergit contra nudo gladio armatum, auguſtaque, ut credibile eſt, ſpecie inſignem ; atque iis affatur verbis, quæ pugnam aut amicitiam decernant. Primo enim intuitu hominem putabat eſſe, quemadmodum ſimplicior & proximæ reſponſioni congruentior fert explicatio. Reſpondet divinus legatus* ℣. 14 *:* Nequaquam : *nec Hebræus ſum, nec Chananæus :* ſed ſum princeps exercitûs Domini, & nunc venio. Cecidit *ad hæc verba venerabundus* Joſue pronus in terram, & adorans ait : Quid Dominus meus loquitur ad ſervum ſuum ? *Cui ſtatim angelorum princeps,* Solve, inquit (℣. 16,) calceamentum tuum de pedibus tuis : locus enim, in quo ſtas, *Dei per me apparentis præſentiâ* ſanctus eſt. Fecitque Joſue ut ſibi fuerat imperatum.

ex illo diſcit modum

124 *Calceos cùm depoſuiſſet religioſus Princeps, archangelus modum pandit, quo Deus velit Hierichuntem expugnari :* Jericho autem *tum temporis* clauſa erat atque munita, timore filiorum Iſraël, & nullus egredi audebat aut ingredi,

ut

A *ut per parentheſim inſeritur cap. 6 ℣. 1 : dein à ℣. 2 ſubditur oraculum divinum :* Dixitque Dominus *per legatum ſuum Michaëlem* ad Joſue : Ecce dedi in manu tua Jericho , & regem ejus , omneſque fortes viros. Circuite urbem cuncti bellatores ſemel per diem : ſic facietis ſex diebus. Septimo autem die ſacerdotes tollant ſeptem buccinas , quarum uſus eſt in jubileo , & præcedant arcam fœderis : ſeptieſque circuibitis civitatem , & ſacerdotes clangent buccinis. Cumque inſonuerit vox tubæ longior atque conciſior , & in auribus veſtris increpuerit , conclamabit omnis populus vociferatione maxima , & muri funditus corruent civitatis , ingredienturque ſinguli per locum , contra quem ſteterint. *Hæc eſt ſumma rei, & victoriæ intra ſeptem dies obtinendæ. His dictis archangelum diſparuiſſe exiſtimo : neque enim ultrà fit ejus mentio. Non tamen auxilio ſuo præſens deſiit adeſſe Imperatori ac toti populo , & in eorum gratiam prodigia divina perficere.*

omnem , quo Jericho expugnanda ſit.

125 *Quamquam hiſtoria ſacra in oratione archangeli ad* Joſue *non exprimat , quòd ſacerdotes cum arca & buccinis , ſicuti ſeptimo die ſepties , ita reliquis quoque ſex diebus ſemel civitatem circuire debuerint , aliaque ad modum & ordinem, in urbis circuitione deinde ſervatum , ſpectantia reticeat ; quin tamen de his omnibus & ſingulis cæleſtis princeps exercitûs Domini , in Chananæa militantis , Sanctum inſtruxerit , non dubito. Tam mirabilem verò & inſolitam urbis oppugnandæ rationem præſcripſit , tum ut liqueret non humana arte vel induſtriâ , ſed unius Dei potentiâ urbem expugnari , tum ut Iſraëlitarum fides exerceretur. Huic tribuit Apoſtolus ad Hebræos cap. XI ℣. 30 , quòd mœnia Hierichuntina dein collapſa fuerint :* Fide , *inquit* , muri Jericho corruerunt , circuitu dierum ſeptem. *Fide , quâ ſcilicet* Joſue *ejuſque exemplo vel hortatu populus omnis crediderunt , umbratili & alioquin nil profutura obſidione urbem intercipiendam eſſe.*

§ XIII. Mira Hierichuntis obſidio & expugnatio , mœnibus ad tubarum ſonum populique clamorem corruentibus : urbs anathemati ſubjecta deletur : ſola Rahab cum ſuis vitâ donatur ; hanc uxorem non duxit Joſue , qui cælebs vixit & virgo obiit.

C

Exponit ſuis Joſue , quæ ab archangelo didicerat :

Poſteaquam modum omnem capiendæ urbis ex legato divino Joſue *intellexerat , ad caſtra ſpe plenus regreditur , omnique convocatæ multitudini oraculum Dei reddidit , de quo ita ℣. 6:* Vocavit ergo Joſue filius Nun ſacerdotes , & dixit ad eos : Tollite arcam fœderis : & ſeptem alii ſacerdotes tollant ſeptem jubileorum buccinas , & incedant ante aream Domini. Ad populum quoque ait (℣. 7 :) Ite , & circuite civitatem armati , præcedentes arcam Domini. *Verſus* 8 *& 9 exſecutionem eorum , quæ præſcripta erant , narrare incipiunt. Verſus* 10 *interruptam Sancti orationem reſumit :* Præceperat autem Joſue populo , *priuſquam circuitionem inchoarat* , dicens : Non clamabitis , nec audietur vox veſtra , neque ullus ſermo ex ore veſtro egredietur : donec veniat dies , in quo dicam vobis : Clamate & vociferamini. *Neque hæc tantùm , ſed & illa, quæ in ſermone archangeli à ℣. 3 adferuntur de modo circuitionis adornandæ , & hîc non exprimuntur , populo expoſuit* Joſue. *Auctor ſacer noluit ſæpe eadem repetere , quæ facilè ſubintelliguntur. Everſionem murorum Hierichuntinorum , quæ clamorem ſubſecutura erat , incolarum cædem & reliqua , quæ ℣. 17 & ſeqq. traduntur , nunc quoque populo à Propheta noſtro prædicta fuiſſe , putat Serarius lib. 2 Joſuæ cap. 6 quæſt. 18. Sed de eis nil certi ſtatui poteſt. Vide infrà num. 130 & 131 in fine.* AUCTORE J. L.

mira urbis obſidio ;

127 *De prompta rerum omnium imperatarum exſecutione hæc habet Scripturæ narratio à ℣. 8 :* Cumque Joſue verba finiſſet , & ſeptem ſacerdotes ſeptem buccinis clangerent ante arcam fœderis Domini , omniſque præcederet armatus exercitus , reliquum vulgus arcam ſequebatur , ac buccinis omnia concrepabant. *Quæ ℣. 10 ſubjunguntur , tempore priora ſunt. Rei geſtæ ſeriem proſequitur ℣. 11 :* Circuivit ergo arca Domini civitatem ſemel per diem , & reverſa in caſtra , manſit ibi. *Secundo die repetita circuitio eiſdem ferè repetitis verbis refertur à ℣. 12 :* Igitur Joſue de nocte conſurgente , tulerunt ſacerdotes arcam Domini , & ſeptem ex eis ſeptem buccinas , quarum in jubileo uſus eſt : præcedebantque arcam Domini ambulantes atque clangentes : & armatus populus ibat ante eos , vulgus autem reliquum ſequebatur arcam , & buccinis perſonabat , *Hierichuntinis interea metu , ſtupore , & rerum exſpectatione defixis :* Circuieruntque civitatem ſecundo die ſemel , & reverſi ſunt in caſtra. Sic fecerunt ſex diebus. Die autem ſeptimo , diluculò conſurgentes , circuierunt urbem , ſicut diſpoſitum erat ſepties. *Joſephus aſſerit , primo die ſolemnitatis Paſchalis ſeu 15 menſis Niſan civitatem ab Iſraëlitis circuiri cœptam eſſe ; ſed celeberrimum illum ſanctiſſimumque diem feſtivæ quieti conceſſum eſſe , credibilius eſt. Cùm verò dies ſeptimus azymorum , excepto primo , reliquis celebrior & ſanctior eſſet , uti conſtat ex Levitici cap. 23 ℣ 8 ; hinc Genebrardus , Serarius , Bonfrerius , & Salianus num. 95 & 96 putant , eum quoque quieti datum fuiſſe , adeo ut tantùm poſtridie ſeu 22 menſis primi , cùm jam plenius convaluiſſent qui nuper circumciſi fuerant , circuitio inchoata fuerit , & 28 ejuſdem finita. In re planè incerta auctores hi veriſimiliora conjectant , quàm Joſephus.* E F

mœnia ejus corruunt ad tubarum

128 *Ruinam murorum Hierichuntinorum , quæque eam proximè præceſſerunt , ita enarrare pergunt Eloquia divina ℣. 16 & ſeqq.:* Cumque ſeptimo circuitu clangerent buccinis ſacerdotes , *& longum conciſumque ſonitum , vociferationis indicem , ederent , ut præſcriptum erat ℣. 5 ,* Dixit Joſue ad omnem Iſraël : Vociferamini : tradidit enim vobis Dominus civitatem : ſitque civitas hæc anathema , & omnia quæ in ea ſunt Domino , *id eſt , ſint omnia ſoli Deo conſecrata , & ob incolarum idololatriam aliaque flagitia omne animal tamquam victima Domino mactetur , res verò inanimatæ , quaſi in holocauſtum, igne deſtruantur. Vide interpretum commentationes in hunc locum , & in Levit. cap. 27 ℣. 21 & 29 , in Deut. cap. 13 ℣. 17. Ab interitu tamen Rahab , & à deſtructione voluntatis*

AUCTORE J. L.

divinæ interpres Josue *exemit metalla, in tabernaculi gazophylacio reponenda :* Sola, *inquit* ℣. 17 *& seqq.*, Rahab meretrix vivat cum universis, qui cum ea in domo sunt : abscondit enim nuntios, quos direximus. Vos autem cavete ne de his, quæ præcepta sunt *igne consumi*, quidpiam contingatis, *& vobis in proprium usum reservetis*, & sitis prævaricationis rei, & omnia castra Israël sub peccato sint atque turbentur. Quidquid autem auri & argenti fuerit, & vasorum æneorum ac ferri, Domino consecretur, repositum in thesauris ejus. *Hæc, Deo auctore, Sanctum præcepisse num.* 134 *dicetur.* Igitur omni populo vociferante, & clangentibus tubis *inusitato illo modo, ad quem Israëlitæ clamorem sustollere jussi erant*, postquam in aures multitudinis vox sonitusque increpuit, muri illico corruerunt, *Deo illos angelico ministerio dejiciente.*

sonum populique clamorem,

129 *Quæ die septimo peracta sunt ita narrat Josephus :* Cumque per sex continuos dies idem fecissent, septima Jesus contractis in unum copiis, reliquo populo convocato, lætum illis adfert nuntium, urbem ea die sine labore capiendam, Deo hanc in potestatem ipsorum tradente, & ruentibus sua sponte mœnibus, facilem aditum aperiente : jussitque omnes occidi, quotquot in manus militum devenirent, & neque lassitudine neque miseratione, neque prædæ cupiditate à cædibus avocari, aut effugium ullum hostibus permittere ; sed quidquid spiritum vitalem habet exstinguere, nihil in prædam, aut proprium emolumentum cessurum reservando. Quidquid autem auri ac argenti, *necnon æris & ferri* repertum fuerit, in unum comportari voluit, ut primitiæ ob rem feliciter gestam spolia de primùm capta urbe Deo dedicarentur : solam autem Rachaben cum sua cognatione servari propter jusjúrandum ab exploratoribus acceptum. Hæc locutus, instructum exercitum ad muros admovet. Urbem deinde rursum circumambulant, præcedentibus cum arca sacerdotibus, & cornuum classico militem ad aggrediendum opus incitantibus. *Fallitur hîc Josephus, si velit omnem omnino populum sacerdotesque cum buccinis arcam subsecutos esse, ejusque bajulos tubas inflasse, ut patet ex* ℣. 6 *& seqq.* Cúmque septies lustrata urbe paulisper constitissent, *& ad signum tubis datum clamorem sustulissent*, collapsa sunt mœnia, nec machinis admotis, nec ulla alia vi ab exercitu illata.

B

C

quem præcesserat anathematis denuntiatio :

130 *Josephi relatio à sacra quoque discrepat in eo, quòd hæc monitionem Imperatoris de urbe delenda, conservandâ familiâ Rahab, & manibus à spoliis continendis collocet post Sancti mandatum de vociferatione edenda ; historicus verò Judæus scribat, quòd eadem populum monuerit die septimo, antequam prima vice civitatem circuiret. Quidquid sit de die, quo primò denuntiatum anathema Hierichuntinum, aberrare non putem Salianum num.* 103, *Torniellum num.* 13, *Serarium lib.* 2 *Josuæ cap.* 6 *quæst.* 18, *Bonfrerium & Calmetum hîc, alioſque, qui in ordine narrationis sacræ hîc perturbationem aliquam admittunt, & quæ* ℣. 17 *& seqq. leguntur monita, antea ad populum data esse arbitrantur. Ut cum illis sentiam, me movet hæc ratio : Si Sanctus orationem suam inchoarit à jussione clamoris tollendi, isque mox subsecutus fuerit, & adhuc unà cum buccinarum clangoribus duraverit, postquam jam dictionem suam finiisset ; quomodo à populo audiri & intelligi potuit ? Itaque de urbis anathemate citiùs ad suos verba feciſſe credo, vel ante primam circuitionem diei septimæ, ut scribit Josephus, vel ut alii putant, antequam primo die urbs obambularetur. Ut verò res tanti momenti eorum memoriâ non excideret, cùm, muris dejectis, ad invadendam urbem jam provolarent Hebræi, eadem iterum præcepta illis inculcasse* Josue *vel per se vel per alios, quibus id injunxerat, existimat Salianus laudatus. Vide numerum sequentem in fine.*

D

ordo moduſque totius rei gestæ :

131 *Totius rei gestæ seriem ex sacris Litteris hausturus subjungo, quæ distinctiorem lectori ingerat cognitionem tanti prodigii, quo Sancti principatus adeo illustratus fuit. E castris, quæ erant in Galgalis, septem dierum spatio adierunt urbem Israëlitæ, eamque obambulaverunt, moxque in sua quotidie castra reversi sunt. Progredientium autem hic ordo fuit. In fronte armatorum agmen incedebat, tum septem sacerdotes quotidie tubas inflantes, dein arcæ bajuli, hos verò reliqua multitudo sequebatur. Hic autem adhibitus est modus. Sex prioribus diebus semel tantùm urbem circumibant, die autem septimo septies. Præterea illis diebus altum ab omnibus silentium servabatur, adeo ut nihil nisi buccinarum strepitus audiretur. Die autem septimo post circuitionem septimam, vel sub finem ejus, à sancto totius negotii Moderatore jussi sunt sacerdotes tubicines strepitum, clamoris signum edere, cui ille & ejus jussu fortè alii inferiores duces, quorum turmæ à Sancto remotiores erant, hanc mox adjunxere vocem,* Vociferamini. *His auditis, omnes contentissimis vocibus conclamaverunt. Consecuta statim est murorum ruina, ad quam cùm pergerent Hebræi, Hierichuntem invasuri, anathematis, cui urbs subjecta erat, tota ratio rursus eis verisimiliter proposita fuit. Quamquam, ut dictum est suprà, id procul dubio priùs factum fuerit, nihilominus ratio postulat, prudentem Imperatorem rem ita disposuisse, ut sub ipsum civitatis ingressum Israëlita memores redderentur eorum præceptorum, quorum violatio tam gravi, ut postea videbitur, supplicio puniendæ esset.*

E

urbs invaditur ; tota cum rebus omnibus incendio perit ; omne animal

132 *Porrò, muris dejectis,* Ascendit unusquisque per locum, qui contra se erat : ceperuntque civitatem, & interfecerunt omnia quæ erant in ea, à viro usque ad mulierem, ab infante usque ad senem. Boves quoque, & oves, & asinos in ore gladii percusserunt. *Ita* ℣. 20 *&* 21. *Additur* ℣. 24 : Urbem autem & omnia, quæ erant in ea, succenderunt ; absque auro & argento, & vasis æneis, ac ferro, quæ in ærarium Domini consecrarunt. *Hæc Josephus sic explicat :* Hebræi verò nullo negotio per ruinam irrumpentes in Hierichuntem, omnes promiscuè cædunt, inopinato mœnium casu consternatos, & subitaneo pavore ad pugnam inútiles : passimque cadaveribus viæ sternebantur, nullum nec præsidium nec effugium incolis invenientibus, ita ut ne feminis quidem parceretur ac pueris : repletaque trucidatis urbs, & postremò incensa rogum defunctis præbuit, in agros quoque pari sæviente incendio. *Hoc ultimum de suo adjecit. Paulò infrà ita pergit :* E direptione autem ingens vis argenti ac auri atque etiam æris in unum acervum est redacta, nemine edictum non observante, aut sibi prædam ac lucrum inde quærente, *excepto Achan.* Eas manubias Jesus sacerdotibus in thesauros reponendas tradidit.

F

interimitur ; rex Jericho suspenditur è patibulo :

133 *Quid de rege Hierichuntis factum fuerit, hîc reticet Scriptura ; sed alibi id manifestum facit. Cap.* 8 ℣. 2 *inter alia Sancto præcipit Dominus :* Faciesque urbi Hai & regi ejus, sicut feciſti

A feciſti Jericho, & regi illius. *Hujus exſecutio ibid.* ℣. 29 *ita narratur :* Regem quoque ejus ſuſpendit (Joſue) in patibulo uſque ad veſperam & ſolis occaſum. *Itaque rex Hierichuntinus è furca ſuſpenſus fuit, non ſecus ac alii dein reges prælio victi & capti. Cap.* 24 ℣. XI *ex ore Domini de capta Hierichunte ſic loquitur S. Princeps :* Tranſiſtiſque Jordanem, & veniſtis ad Jericho. Pugnaveruntque contra vos viri civitatis ejus, Amorrhæus, & Pherezæus, & Chananæus, & Hethæus, & Gergezæus, & Hevæus, & Jebuzæus; & tradidi illos in manus veſtras. *His verbis ſignificari putat Salianus in Epitome num.* 25, *quòd omnes iſtæ nationes præſidiarios milites miſerint ad urbem defendendam, & cum ejus civibus trucidati fuerint. Sed credo ego, Hierichuntis propugnatores diſtinguendos eſſe à ſeptem aliis enumeratis Chananæa populis : adeo ut ante vocem* Amorrhæus *ſubintelligenda ſit copula* & *, non quæ diſtribuat illud quod anteceſſit* viri civitatis ejus *, ſed conjungat diſtinctos hoſtes diſtinctis bellis ſuperatos. Vide Bonfrerium nobis faventem hîc.*

B *jusſerat hæc omnia Deus per archangelum, ſola metalla à deſtructione,*

134 *Quòd* Joſue *juſſerit urbis incolas cum jumentis, ædificia cum omni eorum ſupellectile ferro flammâque deleri, exceptis metallis, quæ in tabernaculo Domino oblata fuere, non propria ex auctoritate fecit, ſed ex præcepto divino, quod per cæleſtem ejus legatum acceperat. Eruitur hoc ex capite ſequente* ℣. 1, XI & 15, & *cap.* 22 ℣. 20, *ubi Achan pacti & mandati divini prævaricator appellatur, quòd pallium coccineum incendio, ac argenteos ſiclos necnon regulam auream, Dei tabernaculo devota, in privatos profanoſque uſus ſibi abſtuliſſet. Dici nequit Sanctum hîc obedîſſe juſſioni divinæ, de qua Deut. cap.* 13 ℣. 12 & *ſeqq. : nam loquitur ibi Deus de anathemate, quo urbes amicæ & ab Iſraëlitis idololatriæ fautoribus inhabitatæ damnandæ eſſent. Capite quidem* 20 *à* ℣. 16 *præſcribit Dominus, quid victoribus Hebræis faciendum, cùm urbes hoſtiles in Chananæa occuparent; ſed ibidem ſola hominum non verò pecudum cædes aut urbis incendium præſcribitur. Itaque præceptum divinum, quod tranſgreſſus fuit Achan, à duobus prioribus diſtinctum fuit, & Sancto noſtro probabilius datum miniſterio angelorum principis, cùm hic illi apparens mirabilem iſtum urbis expugnandæ modum exponeret. Quòd verò præter legem Deuteronomii cap.* 20 *latam, divinæ voluntatis exſecutor* Joſue *jumentorum cædem, & urbis conflagrationem juſſerit, hæc potiſſimùm cauſa fuit, quòd Deus Hierichuntem primam hoſtilem urbem ſibi quaſi primitias Chananitidis depoſceret : primitiæ autem integræ perſolvendæ erant. Tota ergo Jericho ſoli Deo cedere debebat : ceſſitque hoc modo; aurum argentum æs & ferrum per oblationem in tabernaculo, reliquæ res inanimæ cum tota civitate per incendium; animalia verò omnia per mortem, exceptâ Rahab ejuſque conſanguineis, qui per mortem quaſi civilem Deo dicati fuere. Vide à Lapide & Bonfrerium hîc ad* ℣. 19 & *ſeqq., qui & alias aſſignant cauſas, cur Jericho tam diro anathemati devota fuerit, non multùm diſſimili ab eo, de quo Deut. cap.* 13.

& Rahab cum ſuis à morte eximi voluit : illam uxorem non duxit

135 *De liberatione Rahab & univerſæ cognationis ejus ita verſus* 22 & 23 *:* Duobus autem viris, qui exploratores miſſi fuerant, dixit Joſue *in ipſo, ut credibile eſt, civitatis ingreſſu :* Ingredimini domum mulieris meretricis, & producite eam, & omnia quæ illius ſunt, ſicut illi juramento firmaſtis. Ingreſſique juvenes, eduxerunt Rahab, & parentes ejus, fratres quoque, & cunctam ſupellectilem ac cognationem illius, & extra caſtra Iſraël manere fecerunt : & ℣. 25 : Rahab verò meretricem, & domum patris ejus, fecit Joſue vivere; & *poſtquam, gentiliſmo ejurato, ad fidem cultumque veri Dei converſi eſſent, in Hebræorum caſtra, tamquam proſelyti, admiſſi ſunt,* & habitaverunt in medio Iſraël uſque in præſentem diem : eo quòd Rahab abſconderit nuntios, quos miſerat ut explorarent Jericho. *Addit Joſephus, quòd Rahab, periculo erepta, ad Imperatorem ſtatim fuerit adducta, quòd hic ob ſervatos ſpeculatores illi gratias egerit, promiſeritque ſe meritis eam præmiis remuneraturum, dein agris eam donaverit, & in honore poſtea ſemper habuerit. Hæc veriſimilia mihi apparent ex eo, quòd Salmon vir in tribu Juda clariſſimus, filius Nahaſſon principis ejuſdem tribûs, ut patet ex Numer. cap.* 1 ℣. 7, *uxorem illam duxerit, è qua genitum eſſe Booz teſtatur Matthæus in Chriſti genealogia cap.* 1 ℣. 5. *Rabbini aliqui apud Genebrardum in Chronicis & Serarium quæſt.* 49 *in caput* 6, *& quæſt.* 14 *in cap.* 24 *Joſuæ aſſerunt, eam primò nupſiſſe ipſi Iſraëlis Imperatori. Illorum commentum opportunam nobis hic occaſionem præbet agendi de Sancti noſtri cælibatu & virginitate, ad finem vitæ conſervata.*

AUCTORE J. L.

E

Joſue : ratione ex ſilentio Scripturæ deducta, & Patrum

136 *Rabbinos ita refutat Serarius quæſtione ultimo loco citata :* Si (Joſue) liberos aliquos aut uxorem habuiſſet umquam, quomodo id reticuiſſet Scriptura ? Cur quæ Moyſis nuptias, conjugem, filios, nepotes; quæ Calebi, Eleazari pontificis, aliorumque tam multorum & æqualium connubia & proles recenſet, adeo in Joſuæ conjugio & ſobole infans ac muta prorſus eſſet ? Majores ipſius eadem recenſet *lib.* 1 *Paralip. cap.* 7 *à* ℣. 23, ejus poſteros cur ne uno quidem vocabulo afficeret ? Sed nimirum iis prorſus caruit, conjugii expers, omninoque cælebs vitam totam egit, [ut] in hoc etiam veri Jeſu, qui uxorem duxit numquam, & ab uxore innumerabiles conſilio & hortatu ſuo eunuchos avocavit Matth. 19, typum nobis figuramque præferret pulcherrimam. *Dein adfert auctoritatem ſancti Hieronymi libro* 1 *adversus Jovinianum, qui eodem, quo ipſe, argumento uſus Sanctum cælibem & virginem facit :* Verùm, *inquit ſanctus Doctor,* jam tempus eſt, ut caſtitatis Jeſu vexillum levemus. Moyſes ſcribitur habuiſſe uxorem .... Oſtende mihi Jeſum Nave vel uxorem habuiſſe vel filios. Si potueris monſtrare, victum me eſſe fatebor. *Et infrà :* Moyſes moriens plangitur à populo Iſraël, Jeſus autem quaſi victurus non plangitur. Nuptiæ enim finiuntur in morte, virginitas poſt mortem incipit coronari.

F

auctoritate probatur, quòd duxerit cælibem vitam & virgo obierit.

137 *Præter ſanctum Hieronymum caſti Principis virginitati quoque favet S. Ignatius martyr in epiſtola ad Philadelphienſes :* Virgines, *inquit,* ſolum Chriſtum præ oculis habete, & ejus Patrem in animabus veſtris, illuminatæ à Spiritu ſancto. Memor ſum ſanctitatis veſtræ, ſicut Heliæ, ſicut Jeſu Nave, ſicut Melchiſedech .. qui in caſtitate de vita exierunt. *Septima die infra Octavam omnium Sanctorum, Lectione* V, *hæc legit Eccleſia ex ſermone S. Chryſoſtomi de Martyribus :* Ab origine mundi innocens Abel occiditur, Henoch Deo placens transfertur, juſtus Noë invenitur, Abraham fidelis probatur, Moyſes manſuetus dignoſcitur, Jeſus caſtus, David lenis, Helias acceptus, Daniel ſanctus, tres pueri victores

AUCTORE J. L.

redduntur. *Venerabilis Guibertus abbas Opuſculo de Virginitate cap. 6 ait :* Et Joſue, qui in Dei tabernaculo, id eſt, militiâ manſitans, ſub quadam virginali reverentia Moſaïcæ diſciplinæ indiviſus ſemper inhæſit, & nulli obligatus conjugio cœlebs manſit, horum, qui integritate corporis & animi pollent, geſtare mihi creditur formam. *Hæc Patrum teſtimonia, altumque de Sancti nuptiis & prole ſilentium in Scriptura, quæ ſupremi Iſraelitarum capitis conjugium ſobolemve tacita præterire non ſolet, hæc, inquam, nullum nobis relinquunt dubium, quin* Joſue *præter morem illius ævi cœlebs vixerit, imò ante Eliam ceteroſque omnes Abrahæ filios primum erexerit ſanctæ virginitatis vexillum. Dixi, ante Abrahæ filios, nam S. Ignatius citatus Melchiſedech quoque à caſtitate laudat.*

§ XIV. Imprecatio Sancti prophetica; expugnatio Haï ob ſacrilegium Achan infeliciter tentata; S. Principis dolor & pia ad Deum oratio, qui jubet ſorte in reum inquiri; deprehenſus Achan ſupplicio afficitur.

B

Imprecatur Joſue Hierichuntem ædificaturo :

EXciſa *Hierichunte*, Imprecatus eſt Joſue, dicens : Maledictus vir coram Domino, qui ſuſcitaverit & ædificaverit civitatem Jericho. In primogenito ſuo fundamenta illius jaciat, & in noviſſimo liberorum ponat portas ejus. ℣. 25 & 26. *Quæ ſic explicat Joſephus :* Reliquias autem urbis, quæ incendio ſupererant, ferro diruit, diris exſecratus, quiſquis ſemel vaſtatam inſtaurare aggrederetur : nimirum ut prima fundamenta jaciens orbaretur filio primogenito, & abſoluto opere natu minimum è liberis amitteret. *Sancti imprecatio prophetica fuit : nam poſt quingentos & triginta ſeptem circiter annos, tempore Achabi regis Iſraël, has diras reipſa incurrit inobediens Hiel, qui Hierichuntem ædificans filios amiſit, ut eſt in libro 3 Regum cap.* 16 ℣. 34 : In diebus ejus ædificavit Hiel de Bethel Jericho : in Abiram primitivo ſuo fundavit eam, & in Segub noviſſimo ſuo poſuit portas ejus, juxta verbum Domini, quod locutus fuerat in manu Joſue filii Nun. *Poſtremæ hæ voces non obſcurè innuunt, ſanctum Prophetam hæc imprecatum fuiſſe ex juſſione divina, ſibi paulo ante per legatum illum cæleſtem annuntiata, de quo jam ſæpe meminimus. Unde plurimum confirmantur dicta num.* 134. *Voluit autem Dominus hanc urbem in tumulum ſempiternum deſtructam manere non ſecus ac urbes Iſraëlitarum, ad idololatriam fidelem populum ſeducentium Deut. cap.* 13 ℣. 16, *illiuſque reſtauratoribus maledici, ut in ruderibus ſuis perpetuum exſtaret monumentum divini in murorum everſione prodigii, vindictæ in impios cives, benignitatis in ſuum populum. Caput ſextum hoc quaſi epiphonemate finit ſacer Auctor :* Fuit ergo Dominus cum Joſue, & nomen ejus vulgatum eſt in omni terra.

C

139 *Quamquam tam ſeriò ſuos monuerat ſolicitus Princeps, ſibi caverent, ne quidquam ex urbe anathemati ſubjecta in ſuos uſus auferrent, Achan tamen ſacrilegas cohibere manus non potuit à ſpoliis Domino conſecratis, ob quod crimen* ſuper omnem Iſraël ira ejus incubuit, *ut dicitur cap.* 22 ℣. 20. *Unde prima expeditio contra urbem Haï Hebræis infelix fuit. Res tota fusè narratur cap.* 7 à ℣. 1 : Filii autem Iſraël prævaricati ſunt mandatum, & uſurpaverunt de anathemate. Nam Achan filius Charmi, filii Zabdi, filii Zare de tribu Juda, tulit aliquid de anathemate. (*Vide num.* 128 & 134.) Iratuſque eſt Dominus contra filios Iſraël. Cumque mitteret Joſue de Jericho viros contra Haï, quæ eſt juxta Bethaven, ad Orientalem plagam oppidi Bethel, dixit eis : Aſcendite & explorate terram. Qui præcepta complentes exploraverunt Haï. Et reverſi dixerunt ei : Non aſcendat omnis populus, ſed duo vel tria millia virorum pergant, & deleant civitatem : quare omnis populus fruſtra vexabitur contra hoſtes pauciſſimos ? Aſcenderunt ergo tria millia pugnatorum. Qui ſtatim terga vertentes, percuſſi ſunt à viris urbis Haï ; & corruerunt ex eis triginta ſex homines : perſecutique ſunt eos adverſarii de porta uſque ad Sabarim, & ceciderunt per prona fugientes. *Si Sanctus, ut habet verſus* 2, *exploratores miſerit* de Jericho, *adeoque antequam ad caſtra in Galgalis exercitum reduxiſſet, ſequi videtur, hanc cladem Iſraëlitas accepiſſe ſub initium menſis ſecundi, id eſt paulo poſt Hierichuntis vaſtationem, quæ veriſimiliùs cœpta eſt* 28 *menſis Niſan, ut num.* 127 *diximus.*

D

Violato ab Achan anathemate, infeliciter tentatur expugnatio Haï :

E

S. Principis dolor, & oratio ad Dominum,

140 *Suorum cæde fugâque perceptâ*, Pertimuit (℣. 5 & ſeqq.) cor populi, & inſtar aquæ liquefactum eſt. Joſue vero ſcidit veſtimenta ſua *ex publico calamitatis ſenſu & dolore, quem ipſe, velut omnium Dux, præ omnibus acerrimum ſentiebat*, & pronus cecidit in terram coram arca Domini uſque ad veſperam, tam ipſe, quàm *pii Principis exemplo vel hortatu* omnes ſenes Iſraël : miſeruntque pulverem ſuper capita ſua. *Sed virtus & pietas Principis ex ipſius oratione ſe imprimis prodit :* Heu Domine Deus, *inquit* ℣. 7, quid voluiſti traducere populum iſtum Jordanem fluvium, ut traderes nos in manus Amorrhæi, & perderes ? Utinam, ut cœpimus, manſiſſemus trans Jordanem ! Mi Domine Deus ! quid dicam, videns Iſraëlem hoſtibus ſuis terga vertentem ? Audient Chananæi, & omnes habitatores terræ, & pariter conglobati circumdabunt nos, atque delebunt nomen noſtrum de terra : & quid facies magno nomini tuo ?

F

quam contra aliquos piis verbis conceptam

141 *Liranus ſentire videtur has orantis voces*, Utinam, ut cœpimus, manſiſſemus trans Jordanem ! *non ſine aliqua culpa ſaltem veniali prolatas fuiſſe :* Hoc, *inquit*, dixit Joſue ex paſſione doloris, licèt malè : nec dixiſſet extra paſſionem poſitus, propter quod indulſit ei Dominus. *Abulenſis quæſt.* 17 *ita loquitur :* Dicendum eſt, quod verbum Joſue fuit malum, fuit tamen toleratum : quia ex amaritudine magna cordis dicebat. *Verùm d. Viro ſanctiſſimo, quòd malè vel malum locutus fuerit, malè adſtruitur, ubi intelligi poſſunt verba ejus & bona & ex bono animo dicta fuiſſe. Fidem habebat ſanctus Princeps Dei promiſſionibus de tradenda Iſraelitis terra Chanaan ; optimè tamen noverat, eas ſub illa conditione factas, ſi leges vel præcepta ejus obſervarent. Ubi verò jam intellexit cladem ſuis ab Haïenſi præſidio illatam, ſuſpicatus eſt id quod erat, in Deum ſcilicet grave crimen eſſe commiſſum, ideoque illum offenſum pœnas ab Iſraëlitis repetere jam velle : cúmque memoriâ*

A *moriâ teneret, populum omnem, qui murmurarat apud Cadesbarne, ipſumque Moyſen ob peccatum ad Aquas contradictionis terrâ promiſſâ excluſos fuiſſe, meritò formidare potuit, ne ſeverus criminum ultor Deus, ut in prima Haienſi, ita & in reliquis adverſus hoſtes expeditionibus auxilio ſuo Iſraëlitas deſtitueret. Quod malum ut averteretur ad Numen divinum placandum ardentiſſimas preces concepit & ad movendum maximè appoſitas, utpote in quibus gloriam divini nominis ante omnia præ oculis habebat.*

142 *Hoc ſi fuerit orationis argumentum, uti revera fuiſſe verſus 9 clarè indicat, ſique, ut præſumi debet, eo quo dixi animo fuerit conſtitutus* Joſue, *ejus deſiderium*, Utinam, ut cœpimus, manſiſſemus trans Jordanem *non alium, quàm hunc admittit ſenſum: Si tuæ promiſſiones ob ſcelera noſtra fruſtra forent, ut omnino erunt fruſtra, niſi te placari ſinas; an non ſatius fuiſſet, nos trans Jordanem manſiſſe, quàm hîc per delicta noſtra cauſam dediſſe, ut nomen tuum à gentibus rideatur & blaſphemetur? Id certò eveniet, ſi nos, ut meruimus, punire pergas: nam* audient Chananæi & omnes habitatores terræ, *quòd hodie terga hoſtibus dederimus, animiſque clade noſtra reſumptis* pariter conglobati circumdabunt nos, atque delebunt nomen noſtrum de terra: & quid facies magno nomini tuo? *Si Iſraëlem perdis, quis nomen tuum celebrabit ac colet? Noſtro deleto nomine, tui quoque cultus delebitur; imò illud blaſphemabunt gentes & dicent te promiſſa præſtare non potuiſſe, itáque adiment tibi nomen & titulum Omnipotentis, vel certè noluiſſe, itáque tibi tollent nomen Sancti & Fidelis in promiſſis. Si igitur nobis juſtè iraſceris ob ſcelera noſtra, conſule ſaltem gloriæ & ſanctificationi nominis tui &c. Si hoc ſenſu Sancti precantis verba explanentur, evidens eſt, nec malè nec malum eum locutum fuiſſe, imò piam & ad miſericordiam impetrandam efficacem orationem inſtituiſſe, quæ magnam ejus cum Deo familiaritatem & fiduciam, necnon divinæ gloriæ zelum manifeſtat. Similis argumenti preces fundere didicerat à Moyſe Exodi cap. 32 ℣. 12, & Numer. cap. 14 ℣. 13, bonus Diſcipulus à bono præceptore.*

& ex gloriæ divinæ zelo profectam aſſerimus:

B

C 143 *Cùm hæc Sanctus, ex ſumma reverentia humi coram arca proſtratus, precatus eſſet, dixit ad eum Dominus à ℣.* 10: Surge, cur jaces pronus in terra? Peccavit Iſraël, & prævaricatus eſt pactum meum: tuleruntque de anathemate, & furati ſunt atque mentiti, & abſconderunt inter vaſa ſua. Nec poterit Iſraël ſtare ante hoſtes ſuos, eoſque fugiet: quia pollutus eſt anathemate. Non ero ultrà vobiſcum, donec conteratis eum, qui hujus ſceleris reus eſt. Surge, ſanctifica populum, & dic eis: Sanctificamini in craſtinum: hæc enim dicit Dominus Deus Iſraël: Anathema in medio tui eſt Iſraël: non poteris ſtare coram hoſtibus tuis, donec deleatur ex te, qui hoc contaminatus eſt ſcelere. Accedetiſque manè *ad arcam* ſinguli per tribus veſtras: & quamcumque tribum ſors invenerit, accedet per cognationes ſuas, & cognatio per domos, domuſque per viros. Et quicumque ille in hoc facinore fuerit deprehenſus, comburetur igni cum omni ſubſtantia ſua: quoniam prævaricatus eſt pactum Domini, & fecit nefas in Iſraël. *Juſſa divina mox exſequitur* Joſue, *comitia celebrat, oraculumque divinum populo exponit.*

revelat Deus ſacrilegium admiſſum, & ſortitione in reum inquiri jubet,

144 Surgens itaque *poſtridie* Joſue manè, applicuit Iſraël *ad arcam* per tribus ſuas, &, *ducta ſorte*, inventa eſt tribus Juda. Quæ cùm juxta familias ſuas effet oblata, inventa eſt familia Zare. Illam quoque per domos offerens, reperit Zabdi: cujus domum in ſingulos dividens viros, invenit Achan, filium Charmi, filii Zabdi, filii Zare de tribu Juda. *Sacrilegum hunc ad ſe advocatum comiter ita compellat manſuetus Princeps:* Fili mi, da gloriam Domino Deo Iſraël, & confitere, atque indica mihi quid feceris, ne abſcondas. Reſponditque Achan Joſue, & dixit ei: Verè ego peccavi Domino Deo Iſraël, & ſic & ſic feci. Vidi enim inter ſpolia pallium coccineum valde bonum, & ducentos ſiclos argenti, regulamque auream quinquaginta ſiclorum: & concupiſcens abſtuli, & abſcondi in terra contra medium tabernaculi mei, argentumque foſſa humo operui.

AUCTORE J. L. *Achan ſorte deprehenſus examinatur; crimen fatetur;*

145 Miſit ergo Joſue miniſtros: qui currentes ad tabernaculum illius, repererunt cuncta abſcondita in eodem loco, & argentum ſimul. Auferenteſque de tentorio tulerunt ea ad Joſue, & ad omnes filios Iſraël, projeceruntque ante Dominum. Tollens itaque Joſue Achan filium Zare, argentumque & pallium, & auream regulam, filios quoque & filias ejus, boves & aſinos & oves, ipſumque tabernaculum, & cunctam ſupellectilem, (& omnis Iſraël cum eo) duxerunt eos ad vallem Achor: ubi dixit Joſue: Quia turbaſti nos, exturbet te Dominus in die hac. Lapidavitque eum omnis Iſraël; & cuncta, quæ illius erant, igne conſumpta ſunt. Congregaveruntque ſuper eum magnum acervum lapidum, *in vindicati ſacrilegii monumentum*, qui permanet uſque in præſentem diem. Et averſus eſt furor Domini ab eis. Vocatumque eſt nomen loci illius, vallis Achor, uſque hodie. *Quæri hîc ſolet, quomodo ℣. 25 dicatur Achan ab Hebræis lapidatus, cùm ℣. 15 Deus Sancto præcepiſſet, ut igne combureretur. Hos locos varii variè conciliant. Nonnulli ſacrilegum priùs lapidatum, dein poſt mortem cum omnibus rebus ſuis igne crematum fuiſſe putant. Alii priùs vivum combuſtum, ac dein à populo in facinoris deteſtationem cadaver ejus lapidibus obrutum fuiſſe opinantur. Sunt & alii, qui eum viventem adhuc utriuſque ſupplicii pœnas ſimul ſubiiſſe credunt. Omnes hæ ſententiæ probabiles ſunt, ſuoſque patronos habent: quas operoſiùs diſcutere neceſſe non eſt. Sufficit nobis, apud omnes in confeſſo eſſe, quod Sanctus præcepto divino obtemperaverit, reumque combuſſerit cum omni ſubſtantia ſua. Quod ad filios filiaſque ejus, fortè innocentes, eadem tamen morte Dei juſſu affectos, ſpectat, conſulantur interpretes.*

ſupplicio, uti Deus juſſerat, afficitur.

E

F

146 *Ubi hanc hiſtoriam in Joſepho releges, miraberis haud dubiè hominis vel incuriam in ſacro textu conſulendo, vel temeritatem ipſum pro ſuo arbitrio pervertendi. Imprimis, Scriptura teſte ℣. 1 & 18, Achan fuit nepos Zabdi; Joſephus autem ejus filium fuiſſe ſcribit. Illa ℣. 21 pallium coccineum Achan furatum fuiſſe dicit; hic pallium illud ſcribit fuiſſe chlamydem regiam, & totam quidem ex auro contextam. Illa ibidem auream regulam, à ſacrilego ablatam, tantùm quinquaginta ſiclis valuiſſe teſtatur; hic, magnificentiæ quàm veritatis ſtudioſior, inde fabricat maſſam auream ducentorum ſiclorum. Illa ℣. 23 à miniſtris* Joſue *res furtivas humo defoſſas & in medium prolatas fuiſſe narrat; hic id ab ipſo Achan factum eſſe commi-*

Notantur aliqui Joſephi errores.

AUCTORE J. L.

comminiſcitur. Præter hos errores alia etiam in ipſo carpit Salianus num. 116, 129 *&* 130 : *quibus addo, quòd Sanctum malè inducat iis orantem verbis, quæ indicent eum de Dei in promiſſis ſolvendis fidelitate dubitaſſe. Hæc de auctore illo hîc ſubjunxi, ut intelligat lector, quanta cum cautela legendus ſit. Vide num.* 115.

§ XV. Hortante Deo, Haï iterum oppugnat; fugam ſimulans, præſidium longiùs ab urbe abducit; vacuam occupant in inſidiis poſiti, dein à tergo hoſtes adoriuntur, aliis à fronte urgentibus: cæſis incolis, Haï diripitur & incendio vaſtatur.

B

Sanctus oppugnationem Haï repetit auctore Deo,

CUm *Achani ſupplicio averſus eſſet ab Iſraëlitis Numinis furor*, Joſue *modicè interruptum victoriæ curſum, auctore atque hortatore Deo repetiit :* Dixit *enim cap.* 8 *à* ℣. 1, Dominus ad Joſue : Ne timeas, neque formides : tolle tecum omnem multitudinem pugnatorum, & conſurgens aſcende in oppidum Haï. *Præcepto additur ſpes certa victoriæ ab eo, qui exercituum eſt Dominus :* Ecce tradidi in manu tua regem ejus & populum, urbemque & terram. Facieſque urbi Haï & regi ejus, ſicut feciſti Jericho & regi illius : prædam verò & omnia animantia diripietis vobis. *Jubet hîc Deus regem Haï cum incolis omnibus occidi ſecundum legem, quam tulerat Deut. cap.* 20, ℣. 16 *&* 17; *atque inſuper civitatem incendio deleri, ut oppidanorum ſcelera, quemadmodum credibile eſt, puniret, Iſraëlitarumque, qui fugati & caſi erant, opprobrium ulciſceretur. Eamdem tamen non vult anathemati ſubjici, ſicut Hierichuntem; nam jumenta omnemque ſupellectilem militibus in prædam permittit, quæ alioquin enſe vel igne perdi, vel Dei theſauris cedere debebant. His non contentus Dominus modum etiam capiendæ civitatis ſuggerit* ℣. 2 : Pone inſidias urbi poſt eam. *Poſuit has ſanctus Imperator verum occultando, non verò mendaciis aut falſis promiſſis hoſtes decipiendo, ut ex ſequentibus patebit.*

C

& ſtrategema adornat, cujus

148 Surrexitque Joſue & omnis exercitus bellatorum cum eo, ut aſcenderent in Haï : & electa triginta millia virorum fortium miſit nocte, *ſeu ſero veſpere, cùm jam tenebræ ingruiſſent*, præcepitque eis dicens : Ponite inſidias poſt civitatem, *quà Occidentem ſpectat :* nec longiùs recedatis *ab ea* : & eritis omnes parati. Ego autem & reliqua multitudo, quæ mecum eſt, *cras ſummo mane* accedemus ex adverſo contra urbem, *quà Orientem reſpicit.* Cúmque exierint contra nos, ſicut antè fecimus, fugiemus & terga vertemus; donec perſequentes ab urbe longiùs protrahantur : putabunt enim nos fugere ſicut priùs. Nobis ergo fugientibus, & illis perſequentibus, conſurgetis de inſidiis & vaſtabitis civitatem : tradetque eam Dominus Deus veſter in manus veſtras. Cúmque ceperitis, ſuccendite eam, & ſic omnia facietis, ut juſſi. Dimiſitque eos, & perrexerunt ad locum inſidiarum, ſederuntque inter Bethel & Haï, ad Occidentalem plagam urbis Haï. Joſue autem nocte illa, *quâ inſidias præmiſerat*, in medio manſit populi. D

tota ratio deſcribitur:

149 Surgenſque diluculò, *cùm adhuc tenebræ eſſent*, recenſuit ſocios, & aſcendit cum ſenioribus in fronte exercitûs, vallatus auxilio pugnatorum, *majorem verò partem exercitûs longiuſculè ſubſequi juſſit.* Cúmque veniſſent *paucæ illæ militum turmæ, quas Imperator noſter ducebat*, & aſcendiſſent ex adverſo civitatis, *ab Orientali civitatis parte ad Aquilonarem deflexerunt*, & ſteterunt ad Septentrionalem urbis plagam, inter quam & eos erat vallis media. Quinque autem millia viros elegerat, & poſuerat in inſidiis inter Bethel & Haï ex Occidentali parte ejuſdem civitatis. Omnis verò reliquus exercitus, *quem è longinquo ſequi juſſerat*, ad Aquilonem aciem dirigebat, ita ut noviſſimi illius multitudinis, *ſeu ultimum ejus agmen*, Occidentalem plagam urbis attingerent, *ubi inſidiæ latebant. Cùm omnes copiæ in hanc expeditionem eductæ loca ſibi aſſignata jam occupaſſent*, abiit Joſue *eadem* nocte illa *ſub auroræ crepuſculum cum paucis, quos ſibi delegerat, ſociis, urbemque propiùs acceſſit*, & ſtetit in vallis medio, *ut oppidanos, in quorum conſpectum ſe reddiderat, foras proliceret. Inſidiæ pridie veſpere præmiſſæ & reliqua pars exercitûs, collibus, foſſis vel ſilvis ſe occultarant, ne cives manè ad tantæ multitudinis conſpectum territi, ab eruptione facienda inhiberentur. Atque hæc una eademque nocte peracta ſunt. Quòd Scriptura* ℣. 3 *dicat, ſanctum Ducem inſidias* nocte *præmiſiſſe*, ℣. 9 *ipſum* nocte illa *in populi medio manſiſſe*, ℣. 10 diluculò *ſurrexiſſe*, ℣. 13 *abiiſſe* nocte illa *in vallis medium, de diverſis ejuſdem noctis temporibus explicui eo modo, quo Bonfrerius hîc ad* ℣. 13.

E

duplices poſitæ inſidiæ, unæ 30, *alteræ* 5 *millium:*

150 *At tota ſtrategematis, à Sancto adhibiti, ratio necdum diſtinctè cognoſci poteſt, niſi tollatur è medio difficultas, quæ eſt in* ℣. 3 *&* 12. *Narratur* ℣. 3, Joſue *triginta virorum millia noctu miſiſſe, ut ponerent inſidias poſt civitatem, qui* ℣. 9 inter Bethel & Haï ad Occidentalem plagam urbis Haï *latitaſſe dicuntur : verſus autem* 12 *ita habet :* Quinque autem millia viros elegerat, & poſuerat in inſidiis inter Bethel & Haï ex Occidentali parte ejuſdem civitatis. *Salianus in Annalibus num.* 132, *Maſium ſecutus, negat ullum alium ad expeditionem profectum fuiſſe, præter* 30 *bellatorum millia, è quibus quinque millia in inſidiis fuerint collocata, reliqua* 25 *millia ſecum* Joſue *retinuerit. Verùm Scripturæ contradicit, quod ita probo : Sanctus* electa triginta millia virorum fortium miſit nocte, præcepitque eis, dicens : Ponite inſidias poſt civitatem ℣. 3, *&* 4 : *atqui Sanctus* nocte illa manſit in medio populi ℣. 9, *& tantùm poſtridie diluculò urbem verſus ſe itineri dedit, ut dicitur* ℣. 10 *&* 11 : *ergo* 25 *ex illis* 30 *millibus non retinuit ſecum : ergo quos ſecum retinuit & quibuſcum ſummo mane ad Haï profectus eſt, diſtinguuntur à* 30 *millibus noctu præmiſſis : ergo præter* 30 *millia multitudo reliqua, de qua* ℣. 5, 10 *&* 11, *ad urbem hoſtilem perrexit. At quomodo igitur verſus tertius, qui* 30 *millia, conciliandus cum duodecimo, qui quinque millia dumtaxat in inſidiis poſita eſſe narrat ? Reſpondeo cum Bonfrerio hîc in* ℣. 12, *duplices inſidias à ſancto Imperatore poſitas fuiſſe, unas* 30 *millium de quibus* ℣. 3, *alteras* 5 *millium de quibus* ℣. 12 : Neque obſtat (*verba ſunt laudati interpretis*) quòd utræque ab eadem

A eadem Occidentali parte fuerint collocatæ inter Bethel & Haï ; nam & iſta Occidentalis plaga latitudinem habebat , ut duplices haſce inſidias caperet , illas quidem juxta Auſtralis plagæ angulum , has juxta angulum plagæ Borealis & viciniores Joſue turmis. Addo verò diverſo fine , ut mihi quidem fit veriſimile , inſtructas duplices haſce inſidias ; priores quidem illas ut in urbem jam exutam præſidio militum irrumperent , *eamque occupatam ſociis , igne domibus aliquibus injecto, ſignificarent* ; poſteriores verò , ut diverticula & loca tutiora occuparent , quà fortè poterat patere fuga per vallem illam , ſi contingeret Haïenſes refugere , & exitum ad fugam reſpectare. *Ex variis interpretum conjecturis hæc mihi veriſimilior apparet.*

Joſue per fugæ ſimulationem hoſtes longiùs ab urbe abducit ;

151 *Strategema exitum , quem ejus auctor & director Deus promiſerat , felicem habuit : nam cùm rex Haï , ut narratur à ℣. 14 , è mœnibus vel ſpecula vidiſſet illum Iſraëlitarum manipulum , qui ad vallis medium , Sancto ductore , progreſſus fuerat ;* Feſtinavit manè , & egreſſus eſt cum omni exercitu civitatis , direxit-

B que aciem contra deſertum , ignorans quòd poſt tergum laterent inſidiæ. Joſue verò & omnis Iſraël ceſſerunt loco , ſimulantes metum , & fugientes per ſolitudinis viam. *Hanc fugæ ſimulationem non fuiſſe mendacium pulcrè oſtendit à Lapide in ℣. 6.* At illi vociferantes pariter , & ſe mutuò cohortantes , perſecuti ſunt eos. Cúmque receſſiſſent à civitate , & ne unus quidem , *armatus vel armis ferendis aptus , ut ex ℣. 24 patet* , in urbe Haï & Bethel remanſiſſet , qui non perſequeretur Iſraël (ſicut eruperant aperta oppida relinquentes ,) dixit Dominus ad Joſue *&c. Bonfrerius hîc exiſtimat , Bethelitas omne ſuum præſidium ante Iſraëlitarum adventum miſiſſe ad propugnandam vicinam urbem Haï , illoſque ſimul cum hujus incolis fugientem Iſraëlem fuiſſe perſecutos. Favent ipſi Septuaginta , Chaldæus paraphraſtes , Pagninus & Vatablus , qui legunt* oppidum *(in numero ſingulari) incautos hoſtes apertum reliquiſſe. Objicit Calmetus verſum 25 , ubi illo die duodecies mille homines interfecti fuiſſe dicuntur* , omnes urbis Haï. *Sed hinc inferri nequit , Bethelitas Haïenſibus*

C *non fuiſſe conjunctos : nam dici poteſt cum eodem Bonfrerio ad ℣. 25 , eo loco tantùm recenſeri , quot ex habitatoribus urbis Haï cæſi fuerint. Hujus certè opinatio plus veriſimilitudinis habet , quàm Calmeti aliorumque , qui volunt , Bethelitas Hebræorum fugam ex urbe ſua , quæ ab Haï non procul aberat , conſpexiſſe , omneſque ut victoriæ & prædæ participes fierent , nullo ſervato ordine , ex civitate erupiſſe ; verumtamen Haïenſibus ſe non junxiſſe , ſed , cùm captam & incenſam Haï viderent , ejuſque cives , qui Iſraëlitas perſecuti erant , fundi & cædi , inopinata hac rei mutatione conſternatos ad ſua rediiſſe. Hæc conjectura priore magis à ſacra narratione recedit : nam ſi Bethelitæ ſe Haïenſibus non junxerint , ſed , eorum viſa clade , fugâ ſibi conſulnerint ; quomodo fugientem Iſraëlem perſecuti ſunt, ut dicitur ℣. 17 ? Si cum aliis dicas , quòd illo die , quo capta fuit Haï , urbe ſua egreſſi ſint , Haïenſibuſque ſe revera junxerint ad Hebræos perſequendos ; quomodo non inciderunt in inſidias inter Bethel & Haï collocatas ? Illæ enim tempore , quo fugiebant Iſraëlitæ , de loco ſe non moverunt , donec clypeum Dei juſſu in altum elevaſſet* Joſue. *Credibilior itaque eſt ſententia Bonfrerii , cui adhæremus.*

152 *Cùm igitur Haïenſes permixti Bethelitis, qui aliquo tempore ante poſitas inſidias illis opem laturi advenerant , urbe egreſſi Iſraëlem fugientem longiùs inſequerentur* , Dixit Dominus ad Joſue (℣. 18 :) Leva clypeum , (*alii vertunt* lanceam) qui in manu tua eſt , contra urbem Haï , quoniam tibi tradam eam. *Paruit Sanctus ; nec , ut ℣. 26 dicitur , elatum in ſublime clypeum demiſit , donec Haïenſes ad unum omnes interfecti eſſent :* Ut intelligamus , *inquit Caietanus hîc* , quòd quemadmodum , pugnante Iſraële contra Amalecitas , erectio manuum Moyſis continuata erat ratio vincendi , ita , pugnante Iſraële contra Haï , perſeverantia extenſæ manus ac lanceæ Joſuæ contra civitatem fuit ratio vincendi. Diſpoſuit autem Deus , intercedentibus hujuſmodi ſignis ſenſibilibus , victorias iſtas , ad clariùs manifeſtandum , quòd ipſe Deus eſt auctor victoriæ ; tenſa enim manus Joſuæ cum lancea verſus Haï , ſignum erat divinum divinæ pugnæ contra civitatem illam.

AUCTORE J. L. *clypeo in altum levato ;*

153 *Quamquam cum Caietano Maſius & Bonfrerius velint , elevationem clypei vel lanceæ tantummodo ſignum fuiſſe præſentis auxilii divini & victoriæ ab hoſtibus referendæ ; non video tamen , cur dici nequeat , idem ſignum ad aliud quoque deſtinatum fuiſſe , nempe ad monendos in inſidiis poſitos , ut in urbem apertam & propugnatoribus vacuam irruerent. Ita ſentiunt Arias , à Lapide , Tirinus & Calmetus hîc , necnon Salianus num. 135 & 138 ; adduntque , ſanctum Ducem ſuper haſtam clypeum ſuſtuliſſe , ut hujus fulgor fieret conſpicuus vel inſidiatoribus , vel aliis ad id conſtitutis , qui illos de hoc indicio ſtatim admonerent. Favere etiam videtur ipſe textus ℣. 19 , ubi , clypeo ſublato , inſidiæ è latebris mox prodiiſſe commemorantur :* Cúmque , *inquit* , elevaſſet clypeum ex adverſo civitatis , inſidiæ quæ latebant , ſurrexerunt confeſtim : & pergentes ad civitatem , ceperunt & ſuccenderunt eam , *ut Imperatori & reliquo ejus exercitui capta civitatis ſignum darent. Vide infrà num. 155.*

in inſidiis poſiti urbem præſidio vacuam occupant ;

E

154 Viri autem civitatis , qui perſequebantur Joſue , reſpicientes & videntes , fumum urbis ad cælum uſque conſcendere , non potuerunt ultrà huc illucque diffugere : præſertim cùm hi , qui ſimulaverant fugam , & tendebant ad ſolitudinem , contra perſequentes fortiſſimè reſtitiſſent. Videnſque Joſue & omnis Iſraël , quòd capta eſſet civitas , & fumus urbis aſcenderet , reverſus percuſſit viros Haï. *Tribuitur hic Duci , quod ejus imperio factum eſt ; nam ipſe tum clypeum in aëre ſublimem tenebat.* Siquidem & illi , qui ceperant & ſuccenderant civitatem , egreſſi ex urbe contra ſuos , medios hoſtium ferire cœperunt. *Qui urbem Haï propugnatoribus vacuam occuparunt , fuerunt triginta illa inſidiatorum millia , de quibus ℣. 3 ; his enim illud injunxerat Imperator ℣. 4 & ſeqq. Urbe capta , major eorum pars egreſſa eſt ad hoſtes à tergo aggrediendos , qui Iſraëlitas fugam ſimulantes hactenus perſecuti erant. Dixi , major eorum pars ; nam credibile non eſt , quòd urbem , licèt incolæ qui in ea remanſerant imbelles vel inermes eſſent , omni planè præſidio nudatam reliquerint. Sed quid interea temporis illa quinque inſidiatorum millia fecerunt , de quibus ℣. 12 ? Putamus , ab illis vias interclusas fuiſſe , per quas hoſtes , à fronte & à tergo invaſi , alioquin fugâ elabi potuiſſent. Vide dicta num. 150 :* Cùm ergo ex utraque parte adverſarii cæderentur , ita ut nullus de tan-

hoſtes à tergo & à fronte invaſi internecione delentur ;

F

AUCTORE J. L.

ta multitudine ſalvaretur, regem quoque Haï apprehenderunt viventem, & obtulerunt Joſue.

urbs, qui in ea remanſerant interfectis, diripitur & incenditur.

155 Igitur omnibus interfectis, qui Iſraëlem ad deſerta tendentem fuerant perſecuti, & in eodem loco gladio corruentibus, reverſi filii Iſraël percuſſerunt civitatem, *nulli ætati aut ſexui parcentes; contra omnes enim mortis ſententiam Dominus pronuntiaverat* ℣. 2. Erant autem, qui in eodem die conciderant à viro uſque ad mulierem, duodecim millia hominum, omnes urbis Haï. *De Bethelitis vide num.* 151. Joſue verò non contraxit manum, quam in ſublime porrexerat, tenens clypeum, donec interficerentur omnes habitatores Haï. Jumenta autem & prædam civitatis diviſerunt ſibi filii Iſraël, ſicut præceperat Dominus Joſue. Qui ſuccendit urbem & fecit eam tumulum ſempiternum. *Incendium ante commiſſam pugnam excitatum, de quo verſus* 19, *non fuit totius urbis, ne præda omnis exercitui periret; ſed alicujus tantùm loci, ut viſo fumo captam eſſe urbem intelligerent Iſraëlitæ, & à ſimulata fuga deſiſterent. Tota urbs nunc tantùm in cineres redacta eſt, poſtquam habitatoribus interfectis, ſpolia omnia Hebræi tollegiſſent, ut Dominus juſſerat* ℣. 2. *Porrò* Joſue *urbis regem, qui vivus in ejus poteſtatem venerat*, ſuſpendit in patibulo uſque ad veſperam & ſolis occaſum. Præcepitque Joſue (*id nempe, quod præſcribitur Deut. cap.* 21 ℣. 23,) & depoſuerunt cadaver ejus de cruce: projeceruntque in ipſo introïtu civitatis, congeſto ſuper eum magno acervo lapidum, qui permanet uſque in præſentem diem. *Rex tamen Haï vivus ſuſpenſus non fuit, uti neque rex Jericho, de quo num.* 133. *Utrumque priùs interfectum fuiſſe, manifeſtum eſt ex cap.* 10 ℣. 1, 26 & 28.

B

Joſephi narratio.

156 *Haïenſibus illatam cladem paucis ita perſtringit Joſephus:* Jeſus autem luſtratum exercitum ad Aïnam ducit, & noctu diſpoſitis circa urbem inſidiis, diluculò hoſtem ad certamen prolicit. Illis verò audacter ob proximam victoriam irruentibus, ſimulatâ fugâ procul eos ab oppido abſtrahit, fuſum hoſtem exiſtimantes, & quaſi victoriâ jam partâ inſolescentes. Poſtquam autem ſubitò converſis copiis in faciem illis obſtitit, & aliis, qui in inſidiis latebant, ex compoſito ſignum datum eſt, coorti celeri curſu ad Aïnam feruntur, & averſam ejus portam occupant, pleriſque civium (*imbellium*) è muris ſuorum, ut tum putabant, victoriam ſpectantibus: urbemque ingreſſi ſine diſcrimine cædem ingentem edunt. Interim alia parte Jeſus obvios in fugam vertit; qui urbem petentes integram adhuc rati, ubi hanc quoque ab hoſte captam ac cum uxoribus ac liberis incenſam animadverterunt, per agros diſpalati, cùm ſibi invicem præſidio non poſſent eſſe, *& neque in urbem redire neque huc illucque diffugere*, alii aliis in locis ſunt oppreſſi. Poſt hanc Aïnitarum cladem magna multitudo puerorum & mulierum atque mancipiorum capta eſt, & ſupellex ſine numero: pecudum item greges non modici, & inſuper ſignata pecunia multa; erat enim ea regio prædives. Atque hæc omnia Jeſus inter milites partitus eſt in eis caſtris, quæ habuit ad Galgala. *Minutiis neglectis, in eo potiſſimùm arguo Joſephum, quòd Iſraëlitas ingentem feminarum, puerorum & mancipiorum multitudinem captivam abduxiſſe ſcribat, contradicens verſui* 25, *aſſerenti omnes urbis incolas* à viro ad mulierem *fuiſſe occiſos. Fortè Sancti famæ conſulere voluit, ne nimiùm crudelis apud gentes audiret: ſed ſatis conſuluiſſet, ſi dixiſſet, Deum ipſum civium internecionem præcepiſſe, juſtaſque, cùm inſigniter ſe in lege peritum fateatur, hujus præcepti cauſas addidiſſet. Verùm oraculum divinum de Haïenſibus cum ſua urbe delendis tacitus præteriit; nec quidquam etiam meminit de Dei ſermone, quo Sancto elevatio clypei mandata fuit; ad quam actionem Deus populo ſuo victoriam de Haïenſibus largitus eſt, ſicut olim de Amalecitis ad extenſionem manuum Moyſis.*

C

D

§ XVI. In montibus Garizim & Hebal populum inter ac Deum fœdus ſolenni ritu Joſue inſtaurat: Chananæorum adverſus eum conſpiratio.

Occupat urbem Bethel & regionem, in qua ſiti montes Garizim & Hebal:

Quoniam ab Haï non procul aberat urbs Bethel, & in hac, uti capitis 8 *verſus* 17 *teſtatur, nullus miles præſidiarius remanſerat, omnibus ad ſuppetias Haïenſibus ferendas miſſis; neutiquam veriſimile eſt Imperatorem vigilantiſſimum neglexiſſe tam opportunam urbis hujus ſubigendæ occaſionem. Capitis* 12 *verſus* 16, *ubi inter debellatos à fortiſſimo Duce noſtro reges rex Bethel quoque nominatur, nullum dubio locum relinquit, quin civitas illa ab Iſraëlitis occupata fuerit. Quonam autem tempore id potiùs factum eſſe dicere poſſumus, niſi paulò poſt deletam atque exuſtam Haï, à qua teſte Adrichomio unâ tantùm leucâ diſtabat. Scriptura de ejus occupatione fortè ideo non meminit, quòd facili negotio ſine pugna, utpote quæ propugnatoribus deſtituta erat, in poteſtatem Hebræorum venerit. Ad Judicum caput* 1, *ubi à* ℣. 22 *Bethel poſt mortem* Joſue *obſeſſa & capta legitur, dicendum, vel geminam fuiſſe Bethel cum Adrichomio, vel, ſi unica fuerit, eam ab hoſtibus recuperatam fuiſſe aut vi, aut potiùs fraude Benjaminitarumque imprudentiâ, quibus in diviſione terræ promiſſæ obtigerat. His victoriis de rege Jericho, Haï, & Bethel potitus nihil antiquius habuit ſanctus Princeps, quàm primo quoque tempore exſequi in montibus Hebal & Garizim ea, quæ dudum à Moyſe habuerat in mandatis. Ut verò ſecurè id præſtare poſſet, proculdubiò priùs terram, in qua iſti montes ſiti ſunt, atque omnem regionem, quæ hos inter & Haï media interjacet, in Hebræorum poteſtatem, nemine victoriam morante, redegit. Mappa topographica terræ promiſſionis, quam Adrichomius Operi ſuo præfixit, dictos montes collocat prope Sichem novem circitèr horarum itinere ab Haï. Quòd ab urbe Sichem, quæ poſtea tribui Ephraïm obtigit, non procul abfuerint, docet etiam S. Hieronymus in Epitaphio ſanctæ Paulæ; & ſatis ex ipſa Scriptura Judicum cap.* 9 ℣. 7 *oſtendi poteſt contra Euſebium in Locis Hebraïcis ab eodem S. Hieronymo Latinè redditis, & Salianum num.* 140.

E

F

ad hos populum ducit, ædificatoque altari & ſacrificiis Deo oblatis,

158 *Quid in utroque illo monte actum fuerit, deſcribitur cap.* 8 *à* ℣. 30, *ubi compendioſa narratione traditur exſecutio eorum, quæ Deut. cap.* 11 ℣. 29 *& cap.* 27 *præſcripta erant. Ex his locis inter ſe collatis hanc totius rei peractæ deſcriptionem concinnamus, Scripturæ, ut exiſtimamus, conformem.* Joſue *memor mandati, quod acceperat populus à Moyſe, de altari, lapidibuſque*

A *que cum inſcriptione Deuteronomii in Hebal erigendis, & de divinæ legis acceptatione ſolenniter confirmanda in eodem monte Hebal & Garizim, cum proclamatione coram populo, benedictionum illam obſervantibus & maledictionum eamdem tranſgredientibus; ſimulque advertens populum bene affectum eſſe erga Deum, quòd tot tantaque in ejus gratiam prodigia ad Jordanem, in Jericho, & Hai nuperrimè operatus eſſet; hoc, inquam, advertens S. Imperator, dictum præceptum quam mox implendum curavit. Omnem itaque convocavit multitudinem tam Hebræorum quam advenarum* (*Joſue cap.* 8 ℣. 33;) *puta Hierichuntinorum, qui cum Rahab in domo ejus ſalvati fuerant, aliorumque proſelytorum, qui ad Judaïſmum converſi inter Iſraëlitas morabantur; omnes, inquam, viros ac mulieres, imò & parvulos* (*ibidem* ℣. 35) *advocavit* Joſue *de Galgalis ad montes Hebal & Garizim. Ac primò quidem, quod Deut. cap.* 27 ℣. 5, 6 *&* 7 *præceptum erat, mandat exſecutioni, de qua hîc* ℣. 30 *&* 31: Tunc ædificavit Joſue altare Domino Deo Iſraël in monte Hebal: ſicut præceperat Moyſes famulus Domini filiis Iſ-

B raël, & ſcriptum eſt in volumine legis Moyſi: altare verò de lapidibus impolitis, quos ferrum non tetigit: & obtulit (*per ſacerdotes*) ſuper eo holocauſta Domino, immolavitque pacificas victimas.

12 probabiliùs lapides erigit, quibus Deuteronomium inſcribit;

159 *Dein impletum eſt quod memoratum Deuteronomii caput* ℣. 4 *injungit:* Quando ergo tranſieritis Jordanem, erigite lapides, quos ego hodie præcipio vobis in monte Hebal, & levigabis eos calce. *Et* ℣. 8: Et ſcribes ſuper lapides omnia verba legis hujus clarè & dilucidè. *De quo hîc* ℣. 32: Et ſcripſit (Joſue) ſuper lapides Deuteronomium legis Moyſi, quod ille digeſſerat coram filiis Iſraël. *Lapides hos diſtinctos fuiſſe ab iis, ex quibus exſtructum fuit altare, contra Joſephum communis interpretum eſt ſententia. Quid Sanctus ſuper eos exaraverit, magis controvertitur. Maſius ſolas benedictiones & maledictiones, de quibus infrà, illis inſcriptas fuiſſe putat: Cajetanus tantùm decem præcepta decalogi Deut. cap.* 5 *repetita: Liranus ea ſolum præcepta, quæ ibidem cap.* 6 *explicantur de unitate Dei, deque eo amando ſuper omnia: Abulenſis & Serarius hîc, à Lapide, Bonfrerius & Tirinus in Deut. cap.* 27 ℣. 2 *totum librum quintum Pentateuchi. His malo adhærere quàm illis: nam per* Deuteronomium, *& per* omnia verba legis hujus *potiùs intelligendus videtur ipſe liber Deuteronomii ſeu Legis ſecundò latæ, quàm valde exigua ejus pars. Nec me deterret hujus libri prolixitas: nam dici poteſt Sanctum aliorum operâ in ſcribendo uſum fuiſſe, lapides fuiſſe ingentes, numero duodecim; atque hoc ſatis probabiliter Maſius, Serarius aliique hîc conjiciunt ex eo, quòd Moyſes hujus cæremoniæ præmonſtrator totidem lapides pro numero tribuum Iſraël in titulos erexerit ad radices montis Sinai, quando legem ſcriptam populo erat recitaturus Exodi cap.* 24 ℣. 4.

C

dein ſex tribubus in Hebal & totidem in Garizim ſtantibus benedicit:

160 *His peractis, Dux noſter duodecim tribus in duas diviſit partes, & ſex earum in Hebal manere, reliquas verò ad vicinum montem Garizim ſe conferre juſſit ſecundum illud Deut.* 27 ℣. XI *& ſeqq.:* Præcepitque Moyſes populo in die illo, dicens: Hi ſtabunt ad benedicendum populo ſuper montem Garizim, Jordane tranſmiſſo: Simeon, Levi, Judas, Iſſachar, Joſeph, *id eſt, tribus Ephraïm & Manaſſe*, &

Benjamin. Et è regione iſti ſtabunt ad maledicendum in monte Hebal: Ruben, Gad, & Aſer, & Zabulon, Dan, & Nephthali. *His ſubjungo, quæ hîc* ℣. 33 *Sancti imperio Iſraëlitæ exſecuti fuiſſe leguntur:* Omnis autem populus, & majores natu, duceſque, ac judices ſtabant ex utraque parte arcæ, in conſpectu ſacerdotum, qui portabant arcam fœderis Domini, ut advena ita & indigena. Media pars eorum juxta montem Garizim, & media juxta montem Hebal, ſicut præceperat Moyſes famulus Domini. *Ex utroque loco colligitur, univerſum Iſraëlem à ſancto totius rei Directore hoc pulcro ordine fuiſſe diſpoſitum. In valle ipſa inter duos montes, Garizim ſcilicet & Hebal, ſtabant ſacerdotes illi, qui arcam fœderis geſtabant. His proximè aderant alii ſacerdotes ac Levitæ omnes. Circum hos ſtabant majores natu duces, ac judices populi; dein reliqua multitudo, ita ſcilicet ut ſex tribus deſignatæ ſtarent verſus Garizim, ſex aliæ verſus Hebal, facie ad arcam converſa, & ab illa remotioribus altiora montium loca occupantibus. Advenæ ſeu proſelyti, ut putat Torniellus ad annum* 2584 *num.* 17, *inter auctores ſuæ converſionis hinc inde exiſtebant. His ita ordinatis, ſe-* E *cuta eſt benedictionum ac maledictionum cæremonia:* Et primùm quidem Joſue *vel per ſacerdotes, vel per ſe tamquam propheta* benedixit populo Iſraël ℣. 33, *ea probabiliter benedictione, ut exiſtimat Torniellus laudatus, quam Dominus Aaroni & filiis ejus per Moyſen præſcripſerat Numer. cap.* 6 *in fine:* Sic benedicetis filiis Iſraël, & dicetis eis: Benedicat tibi Dominus, & cuſtodiat te: oſtendat Dominus faciem ſuam tibi, & miſereatur tui: convertat Dominus vultum ſuum ad te, & det tibi pacem.

benedictionibus & maledictionibus proclamatis,

161 Poſt hæc (℣. 34) legit, *id eſt, legi juſſit à Levitis*, omnia verba benedictionis & maledictionis, *de quibus Deut. capite* 27 *à* ℣. 14: Et pronuntiabunt Levitæ ad omnes viros Iſraël excelſa voce: Maledictus homo, qui facit ſculptile & conflatile, abominationem Domini, opus manuum artificum, ponetque illud in abſcondito. Et reſpondebit omnis populus & dicet: Amen. Maledictus qui non honorat patrem ſuum & matrem, & dicet omnis populus: Amen. *Præter has duas aliæ decem maledictiones ibidem leguntur. Levitæ itaque ad ſignum, a ſancto totius cæremoniæ Moderatore datum*, Inſtar fecialium (*verba ſunt Tirini in hunc locum*) ad innovandum firmandumque fœdus Deum inter & Iſraëlitas, primò verſus montem Garizim converſi voce excelſa intonabant conceptis verbis benedictiones ſeorſim ſingulas: ad quas reſponſabant AMEN, ſeu FIAT, omnes ii, qui ad montem Garizim ſtabant. Deinde converſi ad Hebal, ſimili modo pronuntiabant ſingulas maledictiones ſeu exſecrationes, quibus reſponſabant, qui erant in & circum Hebal. Et quidem maledictiones ſigillatim hîc exprimuntur numero duodecim, forſan primariæ & præcipuæ, ſed benedictiones nuſquam diſertis verbis expreſſas habes: facilè tamen ex maledictionibus colligere eſt, quales illæ benedictiones fuerint, nempe quæ contrariis virtutum actionibus bona & præmia decernerent. *Alios modos, quibus illa benedictionum & maledictionum proclamatio fieri potuit & fortè facta fuit, invenies apud alios interpretes.*

F

Deuteronium prælegit; atque ita fœdus,

162 *Fauſtis precationibus imprecationibuſque finitis, & ab omni Iſraële*, Amen *acclamante, approbatis, tota lex ſeu Deuteronomium; uti lapidibus*

AUCTORE J. L.

pidibus inſcriptum, ita & omni populo prælectum fuit; nam circà legem verſabatur fœdus illud, quod erat hîc cum Deo inſtaurandum. Id indicare videtur verſus 34: Poſt hæc legit omnia verba benedictionis & maledictionis, & cuncta quæ ſcripta erant in legis volumine. *Multi verba hæc:* Et cuncta *&c. reſtringunt ad maledictiones & benedictiones, vel ad earumdem explicationem, quæ datur Deut. cap. 28: ſed contra eorum ſenſum obvium, qui exigit, ut dicamus particulam* & *hîc ſuo munere fungi, quod eſt res diſtinctas conjungere, benedictionum verò & maledictionum explicationem non eſſe* cuncta, quæ ſcripta erant in legis volumine. *Præterea cùm leges & præcepta Deuteronomio comprehenſa, quæ adeo omnibus inculcata voluit Deus & legiſlator, poſt hujus mortem integrè & ſolemniter Iſraëlitis nondum propoſita eſſent, ſupremo eorum Principi incumbebat efficere, ut quamprimum id fieret. Quonam autem tempore commodiùs ac opportuniùs fieri potuit, quam nunc? Populo igitur probabiliùs jam prælecta ſunt* cuncta *de verbo ad verbum*, quæ ſcripta erant in legis volumine. Nihil ex his, (℣. 35) quæ Moyſes juſſerat *in toto Deuteronomio, Sanctus* reliquit intactum, ſed univerſa replicavit, coram omni multitudine Iſraël, mulieribus ac parvulis & advenis, qui inter eos morabantur.

B

de quo Deut. cap. 27, populum inter ac Deum inſtaurat.

163 *Atque ita ad amuſſim, pii Principis curâ, denuo inſtaurata, ſtabilita, confirmataque fuit ab univerſa multitudine Moyſaïcæ legis acceptatio; quæ inſuper in monte Hebal ad totius populi commodum dilucidè patenterque in lapidibus deſcripta fuit. His expletis,* Joſue *cum omni populo rediit ad caſtra in Galgalis, ut patet ex cap. 9 ℣. 6, & cap. 10 ℣. 6 & 43. Quo tempore hæc omnia facta fuerint ſatis innuit contextus narrationis ſacræ, quæ poſtquam cap. 8 ℣. 29 retuliſſet ſupplicium regis Haï, mox ſubdit ℣. 30:* Tunc ædificavit Joſue altare Domino Deo Iſraël in monte Hebal; *ſcilicet ſtatim poſt deletam civitatem Haï, quæ oppugnari cœpta eſt ſub initium menſis ſecundi, ut dictum eſt num. 139 & colligi poteſt ex num. 127. Joſephus Sanctum ſuos ad illos montes duxiſſe narrat, poſtquam jam tota Chananæa ſubacta, & ſacrum tabernaculum in Siluntem tranſlatum eſſet, ſed ab omnibus ferè deſeritur.*

C

Chananæorum contra Joſue conſpiratio.

164 *Interea temporis Hierichuntis & Haï excidium, incolarumque omnium cædem per totam Chananæam nuntius rumor detulerat:* Quibus auditis, cuncti reges trans Jordanem, qui verſabantur in montanis & campeſtribus, in maritimis ac littore magni maris, hi quoque qui habitabant juxta Libanum, Hethæus, & Amorrhæus, Chananæus, Pherezæus, & Hevæus, & Jebuſæus congregati ſunt pariter *bellique ſocietatem inierunt*, ut pugnarent contra Joſue & Iſraël uno animo eademque ſententia *cap. 9 ℣. 1 & 2. Verùm conſpirationis hujus exſecutionem ſecundo tantùm anno principatûs* Joſue *ad aquas Merom ſuſceptam eſſe exiſtimat Salianus num. 145: neque improbabilis eſt ejus opinio; nam caput* XI *narrans multos populos ad iſtas aquas confluxiſſe, ut pugnarent contra Iſraël, de eiſdem agere videtur, quorum hîc fit mentio. Reliquo autem anni primi tempore initum eſt cum Gabaonitis fœdus, pugnatum contra Adoniſedec & quatuor alios reges, qui Gabaonem obſidione cinxerant, bellumque in Chananæa auſtrali geſtum eſt. De fœdere cum Gabaonitis paragrapho ſequente agere incipiemus.*

D

§ XVII. Gabaonitarum fraus: Joſue cum eis fœdus init, quod juramento confirmat: probatur variis argumentis, Sanctum nec temerè illis credidiſſe, nec peccaſſe, quòd Dominum præviè non conſuluerit.

Gabaonitæ rebus ſuis metuentes fraudulenter agunt cum Joſue:

Gabaonitæ, *qui, quòd Iſraëli viciniores eſſent, meritò ſibi magis timebant, rebus ſuis quoquo modo conſulere ſtatuerunt. Cùm enim ſe armis quidquam effecturos deſperarent, ut ipſi poſtea faſſi ſunt cap. 9 ℣. 24, ad fraudem animos intenderunt, legatoſque fœderis cum Iſraëlitis ſanciendi causâ miſerunt, qui de terra longinqua ſe venire falsò dicerent, & ad hoc mendacium confirmandum cibaria, veſtes, ceteraque accommodarent. Res ita narratur cap. 9 à ℣. 3:* At hi, qui habitabant in Gabaon, audientes cuncta quæ fecerat Joſue Jericho & Haï: & callidè cogitantes tulerunt ſibi cibaria, ſaccos veteres aſinis imponentes, & utres vinarios ſciſſos atque conſutos, calceamentaque perantiqua, quæ ad indicium vetuſtatis pittaciis conſuta erant, induti veteribus veſtimentis: panes quoque, quos portabant ob viaticum, duri erant & in fruſta comminuti: perrexeruntque ad Joſue, qui tunc morabatur in caſtris Galgalæ, & dixerunt ei, atque ſimul omni Iſraëli: De terra longinqua venimus, pacem vobiſcum facere cupientes. Reſponderuntque viri Iſraël ad eos atque dixerunt: Ne fortè in terra, quæ nobis ſorte debetur, habitetis, & non poſſimus fœdus inire vobiſcum. At illi ad Joſue, Servi, inquiunt, tui ſumus. Quibus Joſue ait: Quinam eſtis vos, & unde veniſtis? Reſponderunt: De terra longinqua valde venerunt ſervi tui in nomine Domini Dei tui. Audivimus enim famam potentiæ ejus, cuncta quæ fecit in Ægypto, & duobus regibus Amorrhæorum, qui fuerunt trans Jordanem, Sehon regi Heſebon, & Og regi Baſan, qui erat in Aſtaroth: dixeruntque nobis ſeniores & omnes habitatores terræ noſtræ: Tollite in manibus cibaria ob longiſſimam viam, & occurrite eis, & dicite: Servi veſtri ſumus; fœdus inite nobiſcum. En panes quando egreſſi ſumus de domibus noſtris, ut veniremus ad vos; calidos ſumpſimus, nunc ſicci facti ſunt, & vetuſtate nimia comminuti. Utres vini novos implevimus, nunc rupti ſunt & ſoluti. Veſtes & calceamenta quibus induimur, & quæ habemus in pedibus, ob longitudinem longioris viæ trita ſunt, & penè conſumpta.

E

pacem juratam impetrant: ſincerus Princeps

166 Suſceperunt igitur *Iſraëlitæ, Gabaonitarum dictis fidem habentes*, de cibariis eorum, & os Domini non interrogaverunt. Fecitque Joſue cum eis pacem, & inito fœdere pollicitus eſt quòd non occiderentur: principes quoque multitudinis juraverunt eis. *Ex Deuter. cap. 20 à ℣. 10 patet, Iſraëlitis vetitum non fuiſſe, amicitiam paciſci ac vitæ ſecuritatem cum populis, qui Chananæi non erant. Fœdera quæ Exodi cap. 23 ℣. 32, cap. 34 à ℣. 12, & alibi Hebræis interdicuntur, ad alios ſe non extendunt, quàm ad habitatores*

F

A *bitatores terræ Chanaan, quam Dominus populo ſuo poſſidendam tradiderat. Unde manifeſtum eſt, S. Principem neque imprudenter neque contra præceptum divinum feciſſe, quando cum Gabaonitis, terræ promiſſæ incolis, fœdus percuſſit, & juramento confirmavit, modò prudenter crediderit illos extra Chananitidis fines habitare, neque ullo ex capite debuerit prævie oraculum Domini conſulere. An ex verbis ſacris mox datis rectè deducatur, quòd Sanctus omittendo oraculi conſultationem peccarit, adeoque ad eam obligatus fuerit, à numero* 168 *examinare incipiemus. Pactionem fœderis cum Gabaonitis fides præceſſit, quâ* Joſue *credidit eos non eſſe Chananæa, ſed procul diſſitarum regionum incolas. An hæc levis & imprudens fuerit, primo loco diſcutiamus. Recentiorum ferè omnium, qui de hac quæſtione judicium ſuum tulerunt, conſentiens opinio eſt; quòd* Joſue *à prudentiæ regula receſſerit nimia ſua facilitate, quâ Gabaonitarum, incognitorum ſibi hominum, dictis fidem habuit: ſed rationes non adferunt, quibus id ſatis evincant. Fatetur quidem etiam S. Ambroſius lib.* 3 *de Offi-*

B *ciis cap.* 10, *quod Sanctus citò & facilè crediderit; ſed in eo non modò nihil reprehenſione dignum, verùm etiam materiem invenit ſincerum Principem laudandi. S. Doctoris verba accipe:* Gabaonitæ metuentes validam manum, venerunt cum verſutia ... & cœperunt ab Jeſu Nave poſcere, ut ſecum firmaret ſocietatem. Et quia adhuc erat ignarus locorum atque incolarum inſcius, non cognovit fraudes eorum, neque Deum interrogavit; ſed citò credidit. Adeo ſancta erat illis temporibus fides eorum, ut fallere aliquos poſſe non crederetur. Quis hoc reprehendat in ſanctis, qui ceteros de ſuo affectu æſtimant; & quia ipſis amica eſt veritas, mentiri neminem putant, fallere quid ſit ignorant, libenter credunt quod ipſi ſunt, nec poſſunt ſuſpectum habere quod non ſunt? Hinc Salomon ait: " Inno-„ cens credit omni verbo „. Non vituperanda facilitas, ſed laudanda bonitas. Hoc eſt innocentem eſſe, ignorare quod noceat: & ſi circumſcribitur ab aliquo, de omnibus tamen be-

C ne judicat, qui fidem eſſe in omnibus arbitratur. Hac igitur mentis ſuæ devotione inclinatus ut crederet, teſtamentum diſpoſuit, pacem dedit, confirmavit ſocietatem.

nec illis imprudenter credidiſſe, neque nobis

167 *Cum eccleſiæ Doctore agnoſcimus in ſancto noſtro Principe & laudamus virtutes illas, ex quibus profluxiſſe dicit, quòd Gabaonitas potiùs ſinceros ac veraces crediderit, quàm fraudulentos ac mendaces, ſinceritatem ſcilicet, veracitatem, mentemque à ſiniſtris ſuſpicionibus concipiendis alienam; dicimuſque, dictas virtutes in* Joſue *pulcro nexu conjunctas fuiſſe cum prudentia, in exercitûs duce requiſita; & ad hujus leges ſemper & ubique ſua illum conſilia actioneſque exegiſſe, atque hunc etiam fidei aſſenſum, impoſtoribus Gabaonitis præſtitum. Et verò quid, obſecro, in eo imprudentiæ, quòd legatos nomine totius populi miſſos, qui hactenus Iſraëlitas dolo circumveniſſe deprehenſus non erat, de mendaciis ſuſpectos non habuerit? An ergo ſuſpicari debuit Gabaonitas tam incautos fuiſſe, quàm revera fuerunt, tam incautos, inquam, tamque inſipientes, ut fraudibus uterentur poſt paucos dies manifeſtandis, ob quas meritò timere poterant, ne contra ſe tamquam impoſtores ingens exardeſceret Iſraëlitarum indignatio, ipſique morte crudeliori afficerentur, quàm reliqui Chananæa populi? Nonne veſtes attritæ, panes indurati, aliaque adjuncta, quæ in ſacra narratione leguntur, nonne uſus fraudis mox detegendæ, à quo majora mala quàm ab ejus omiſſione timere ſibi poterat, prudenter credibile faciebant, gentem iſtam extra Chananæam ſuas habere ſedes? Verùm, inquies, legatos miſerat dolo inſtructos, ut* Joſue *deceptus pacem ſecum iniret eamque juramento firmaret; adeoque pro rei gravitate diligentiùs examinare debebat, num fraus ſubeſſet. Ad hoc reſpondebo infrà num.* 171 *& ſeq., ubi ſufficienter probabo, eum nihil præcipitanter egiſſe, neque minorem, quàm debuit, diligentiam adhibuiſſe.* AUCTORE J. L.

peccaſſe videtur, quòd Dominum non conſuluerit:

168 *Sed an temeritatis aut imprudentiæ culpam aliunde non contraxit; quòd ſcilicet inconſulto Dei oraculo fœdus inierit cum Gabaonitis? Contra Sanctum ita argui poteſt: Licèt prudenter crediderit, Gabaonitas eſſe exteros; tamen de eo non erat certus, adeoque oraculi divini conſultatione certum ſe reddere debebat, quemadmodum Dominus ei præceperat Numer. cap.* 27 ℣. 21. *Ex auctoribus, qui ad manum fuere, nullum offendi, qui Sanctum hîc excuſet. Omnes paſſim aſſerunt, eum imprudenter & contra præ-* E *ceptum divinum pacem cum Gabaonitis iniiſſe; contenduntque Scripturam* ℣. 14, Suſceperunt igitur de cibariis eorum, & os Domini non conſuluerunt; *tam ſupremum quàm reliquos populi principes reprehendere, quòd priùs Dominum non conſuluerint per ſacerdotem Rationali, in quo erat Urim & Thummim, indutum. Nihilominus Sancti cauſam non poſſum non defendendam ſuſcipere; quia verſus* 14 *benignam interpretationem, quam num.* 175 *dabimus, non admittit modò; verùm etiam varii loci ſacri, quos ſequente paragrapho adferemus, eamdem omnino exigunt: imò, quod ſummopere miror, interpretes paſſim omnes, uti ad verſum* 14 *S. Principi adverſantur, ita alibi eum vel excuſant, vel ſaltem talia nobis argumenta ſubminiſtrant, ex quibus legitimè ſequi videtur, oraculum divinum ante fœderis pactionem à* Joſue *conſuli non debuiſſe, quamvis incerto, an Gabaonitæ Chananitidis incolæ eſſent, necne; adeoque eum non peccaſſe omittendo oraculi conſultationem, ad quam non tenebatur. Verebitur haud dubiè lector, ne hîc temerè plus dixerim, quàm probare poſſim. At, obſecro, judicium tantiſper ſuſpendat,* F *donec hunc & ſequentem paragraphum attentè perlegerit.*

ex doctrinâ multorum, qui Sanctum accuſant;

169 *Exordium ducam à duabus legibus divinis, & ſenſu, quo illas interpretes intelligunt. Prima fertur Exodi cap.* 23 *à* ℣. 32: Non inibis cum eis (*Chananæis*) fœdus, nec cum diis eorum. Non habitent in terra tua; ne fortè peccare te faciant in me, ſi ſervieris diis eorum, quod tibi certè erit in ſcandalum. *Cap.* 34 ℣. 15: Ne ineas pactum cum hominibus illarum regionum, ne, cùm fornicati fuerint cum diis ſuis, & adoraverint ſimulacra eorum, vocet te quiſpiam ut comedas de immolatis. *Deuter. cap.* 7 ℣. 2: Percuties eas *gentes* uſque ad internecionem Non inibis cum eis fœdus, nec miſereberis earum *&c. Eadem lex Deuter. cap.* 20 ℣. 16 *& alibi repetitur. Hæc ſe non extendit ad omnes omnino terræ Chananææ habitatores; alioquin peccaſſet* Joſue *non modò dum fœdus cum Gabaonitis iniit; verùm etiam, quod nemo aſſerit, dum initùm ſervavit, & Rahab ejuſque familiæ vitam conceſſit. Ad ſolos Chananæos lex iſta ſpectat in falſorum deorum cultu pertinaces, adeo ut Hebræis non prohibeatur pactio fœderis*

AUCTORE J. L.

cum illa gente, ſi, abjuratâ idololatriâ, ſe eis ſubmittat. Ita paſſim omnes. Lex altera eſt, quam Dominus tulit Deuter. cap. 20 à ℣. 10: Siquando acceſſeris ad expugnandam civitatem, offeres ei primùm pacem. Si receperit & aperuerit tibi portas, cunctus populus, qui in ea eſt, ſalvabitur, & ſerviet tibi ſub tributo *&c. Hîc interpretes duas dividuntur in partes. Multis videntur verba legis hujus de ſolis exteris nationibus agere, de Chananæis verò nihil decernere: at contrà alii non pauci putant hoc loco Iſraëlitis præcipi, ut parcant quibuſcumque gentibus, etiam Chananæis, modò pacem petant, vel eamdem ſub certis conditionibus oblatam acceptent. Conditiones, quæ à Chananæis exigebantur, ſecundum omnes erant hæ: primò, ut ſuas urbes, agros, & ditiones cederent Hebræis; his enim à Deo datæ erant. Secundò, ut, relictis idolis ſuis, fidem cultumque veri Dei ſuſciperent, atque in unam cum Iſraëlitis Eccleſiam ac rempublicam transirent. Cauſa enim, cur Deus Chananæos juſſerat occidi, erat, quòd ipſi deos alienos adorarent, periculumque eſſet, ne Hebræos ad ſua idola &* B *ſcelera pertraherent. Illo autem periculo ceſſante, pax & vita ſub dictis conditionibus ex præcepto divino concedi debebat.*

probatur, eum ſine culpa oraculi conſultationem omiſiſſe,

170 *Ex hac plurimorum interpretum doctrina, in fine numeri præcedentis allata, ad Sancti defenſionem hoc argumentum deduco. Ex præcepto Domini Deut. cap. 20 ℣. 10 & ſeq. parcendum erat omnibus gentibus, ſive Chananæa, ſive aliarum regionum eſſent incolæ, modò propoſitas pacis conditiones acceptarent: at Gabaonitæ eas acceptarunt, & tales quidem, quibus admiſſis, ne Chananæi quidem à fœdere rejici poterant: ergo ex præcepto Domini eis parcere debebat* Joſue. *Minor negari non poteſt: nam niſi id feciſſent Gabaonitæ, ſuaſque terras Hebræis cedere & idolorum cultum deſerere noluiſſent, peccaſſet S. Princeps, detecta fraude fœdus & juramentum ſervando: nulla enim promiſſio etiam jurata, ſi ſit de re à Deo prohibita, validè aut licitè fieri vel impleri poteſt. Jam infero: Ergo* Joſue *fœdus cum Gabaonitis percuſſurus non tenebatur priùs Dominum conſulere. Quod ſic probo. Facturus id, quod ſcit divino oraculo præceptum eſſe, non tenetur priùs Deum denuo conſulere,* C *an id liceat: atqui, ut fatentur dicti auctores, qui Sanctum peccati reum faciunt, præceptum erat à Moyſe ex ipſo ore Domini, ut parceretur quibuſcumque gentibus etiam Chananæis, ſi pacem ejuſque leges non reſpuerent; & hoc præceptum eſſe non ignorabat ſanctus Imperator,* repletus Spiritu ſapientiæ *Deut. cap. 34 ℣. 9, adeoque legum divinarum ſcientiſſimus: ergo non tenebatur rurſus Deum conſulere, an licitè paciſceretur cum Gabaonitis.*

neque etiam temerè Gabaonitis credidiſſe,

171 *Cum eorumdem interpretum doctrina etiam non ſatis cohærere mihi videtur ea ipſorum ſententia, quæ aſſerit Sanctum temerè & præcipitanter egiſſe, quòd cum Gabaonitis fœdus inierit, incertus de eorum patria. Debuerat, inquiunt, meliùs examinare, num fraus ſubeſſet &c. Sed unde probant, eum in examinando minùs diligentem fuiſſe, quàm debebat? Si Gabaonitæ pacis conditiones obtulerint, ſub quibus, ut ipſi aiunt, vita juſſu Dei concedenda erat omnibus gentibus, etiam terræ promiſſæ habitatoribus, quid tam multùm tamque diu deliberandum erat? Cur non potuit cum illo populo priùs paciſci, & in aliud tempus differre ulteriorem inquiſitionem de ejus patria? Quid ſi pauci alii qui Chananæi, ſe Ægyptios fingentes, ad Imperatorem noſtrum acceſſiſſent, petiiſſentque proſelytorum numero adſcribi, an temerè & præcipitanter egiſſet, ſi eos priùs admiſiſſet quàm operosè indagaſſet, cujates eſſent? Atqui Gabaonitæ cupiebant fieri proſelyti, cùm ſe ſuaque omnia ei ſubjicerent, & ad Hebræorum fidem amplectendam paratos ſe offerrent: ergo &c.* D

ſi, ut præſumi debet, certa cautione uti ſtatuerit:

172 *At, inquies, numeroſus erat Gabaonitarum populus & ſceleſtus, adeoque licèt idololatriæ renuntiarent, quia tamen id metu mortis faciebant, metuere debebat Iſraëlitarum Princeps, ne in priſtinam relaberentur impietatem, unde majus periculum erat perverſionis fidelium Hebræorum. Verùm nec inde ſequitur, ut ſanctio fœderis cum illa gente differenda fuerit, donec certò de patria conſtitiſſet: nam dici poteſt prudentem Imperatorem ita apud ſe ſtatuiſſe: Si Gabaonitæ, quos exteros credo, deprehendantur ſuas in terra promiſſa ſedes habere, illorum ego mentem & conſtantiam probabo, eis dabo magiſtros, à quibus Hebræa ſacra doceantur, conſtituam nonnullos, qui omnes eorum actiones obſervent, & ad me referant, num quis ad idola* E *revertatur; quod ubi deprehendero, ſecundum legem Deut. cap. 7 ℣. 2 eos morte puniam. Si, ut præſumi debet, decreverit Vir ſanctus hanc cautelam adhibere poſt fraudem detectam, in paciſcendo nulla ex parte imprudens fuiſſe videtur. Edic, amabo, ubi jam innotuit Gabaonitas Chananæos eſſe, an periculum perverſionis minus erat? Iſta certè notitia illud minuere non poterat: atqui tamen ſecundum omnes licitè & ſine imprudentiæ culpa datam fidem juramentumque præſtitit: ergo etiam ſine ulla culpa fidem dedit eamque juramento confirmavit. Quemadmodum à Lapide hîc ad ℣. 19 in fine aſſerit, Sanctum ſine dubio, fraude comperta, ea cautione uſum fuiſſe, de qua ſtatim meminimus: ſic nos pariter dicimus eum ſine dubio, antequam paciſceretur, ſtatuiſſe eadem cautione uti, ſi fortè dolus ſubeſſe poſtea deprehenderetur.*

eadem in aliorum principiis

173 *Nunc ad alios interpretes tranſeamus, qui cum prioribus concedunt quidem, fœdera per legem primam, quam dedi initio numeri* 169, *populo Hebræo interdicta, pertinere dumtaxat ad Chananæos in idololatria obſtinatos; at negant certum eſſe, an Deus per legem alteram Deut. cap.* F *20 ℣. 10 & ſeq. jubeat eiſdem pacem & vitam concedi, licèt eam petant, ſuarum terrarum poſſeſſioni & idolorum cultui renuntiare parati. Hæc lex videtur illis de ſolis exteris agere nationibus, de Chananæis verò nihil ſtatuere. Docent inſuper cum aliis in caput 9 libri Joſue, quòd Sanctus fidem Gabaonitis datam juratamque licitè præſtiterit, imò aliqui, quod eam ex juſtitia & religione præſtare debuerit. Nunc quæro ego ex illis, cur etiam à ſancto Principe fides licitè data & jurata non fuerit? In ſuis principiis reſpondere debent, quia Gabaonitæ, qui ſe exteros dicebant, poterant eſſe Chananæi; quoniam autem Deus de pace cum Chananæis ineunda voluntatem ſuam non declararat, obligabatur* Joſue *de hac certum ſe reddere oraculi conſultatione. Sed in ipſos hæc ita retorqueo & infero: ergo etiam illicitè ictum fœdus & juramentum ſervavit; quia, ubi, comperto dolo, Gabaonitas jam noverat revera eſſe Chananæos, non minùs ac antea ſe certum reddere tenebatur de divina voluntate. Dici nequit Imperatorem pacem feciſſe, Deo inconſulto, ſed, comperta fraude, ejus voluntatem per ſacerdotem exploraſſe, antequam fidem datam*

A *tam præſtare decerneret : nam contrarium colligitur ex ℣. 18 :* Et non percuſſerunt eos *Iſraëlitæ*, eò quòd juraſſent eis principes multitudinis in nomine Domini Dei Iſraël. Murmuravit itaque omne vulgus contra principes. *An murmuraſſet militum vulgus, cùm à cædibus inhiberetur, contra duces ſuos, ſi Deus conſultus præcepiſſet Gabaonitis parcendum eſſe ? An principes ad ſedandos murmurantium animos ſtatim non indicaſſent Dominum locutum fuiſſe & ita juſſiſſe fieri ? Nulla reſponſio eos efficaciùs placare poterat. Hanc tamen non dederunt : aliâ non uſi ſunt quàm hac ℣. 19 :* Juravimus illis in nomine Domini Dei Iſraël, & idcirco non poſſumus eos contingere. Sed hoc faciemus eis *&c. Quid multa ? Satis apparet effugium iſtud, quod paucis placet, ideo à nonnullis excogitatum eſſe, ut objecta difficultate faciliùs ſe extricarent. Itaque ſi Sanctus oraculum Domini non conſuluit, dum pactum implevit, de divina voluntate tunc non magis certus fuit, quàm dum pactum iniit ; adeoque ſi hoc iniens peccavit, quia priùs voluntatem Dei non exploravit, peccavit etiam idem implens ob eamdem rationem.*

B 174 *Sed inquies cum Suarez libro 2 de Juramento cap. 18 num. 12,* non ita dubitaſſe *ſanctum Principem & reliquos, dum inconſulto oraculo jurata promiſſa præſtiterunt,* quin definitè judicarent, factum illud non fuiſſe contra legem rectè intellectam ; & ſuprà poſitam interpretationem legis (*apud Suarez ibid. num. 8 & 9, apud nos ſuprà num. 169*) eſſe adeo conſentaneam intentioni Dei, & verbis legis, ac rationi, ut ſine ullo dubio practico (quidquid ſit de ſpeculativo) judicaverint obſervantiam juramenti fuiſſe licitam, & conſequenter neceſſariam. *Verùm ſi ſine oraculi conſultatione ſe practicè, ut loquuntur theologi, certos reddere potuerint, quòd licitè juratum fœdus implerent, cur etiam ſine illa non potuerunt ita certi eſſe, quòd licitè illud inirent ? Qui cum Suarez primum aſſerunt, favere deberent ſancto Principi & ſecundum etiam admittere, & conſequenter omnia, quæ pro Sancto num. 171 & 172 diximus. Nam cùm ex illo,* Os Domini non interrogaverunt, *legitimè, ut mox dicetur, non ſequatur : Ergo aliunde de actionis ſuæ honeſtate certi non fuerunt ; non rectè hoc ſolo textu nixa concludit pars adverſa, quòd pacem fecerint incerti, an bene agerent. Hæc contra interpretes, quorum doctrinam num. 173 propoſui, retorſiſſe hactenus ſufficiat. Paragrapho ſequente eos fortioribus argumentis ſtringam, ex Scriptura ſacra probaturus, Deum voluiſſe ut Gabaonitis parceretur, Sanctumque de hac illius voluntate tantam habuiſſe certitudinem, ut ad oraculi conſultationem obligatus non fuerit, adeoque ejus omiſſione non peccarit.*

admitti debent, maximè

C 175 *Verùm quid ergo Scriptura ſignificare vult per illud :* Os Domini *&c. ? Reſpondeo nihil aliud velle, quam cauſam adferre, cur* Joſue *& alii duces decepti fuerint. Si oraculum divinum conſultum fuiſſet, intellexiſſent ex eo, an Gabaonitæ Chananæi eſſent, necne. Hinc tamen ne inferas, quòd ſaltem peccarint, quia neſcientiam illam non ſuſtulerunt, antequam fœdus cum illis percuterent ; nam ſi certi fuerint ſe omni cum natione licitè paciſci ſub talibus conditionibus, quas Gabaonitæ offerebant, non tenebantur differre pactionem fœderis ; donec ſcirent, an in hac potiùs quàm in illa regione habitarent, uti num. 172 oſtendere conatus ſum : atqui de illo certi fuerunt ; nam imprimis non dubitarunt, quin liceret ad fœdus & amicitiam admittere extra terram promiſſam habitantes ; id enim ſecundum omnes juſſerat Deus Deuter. cap. 20 à ℣. 10 : ſed neque etiam dubitarunt, quin liceret paciſci cum terræ promiſſæ incolis : id imprimis negare non poſſunt auctores, quos convenimus num. 170 ; contra reliquos autem id ſolidè, ut ſperamus, infrà num. 178 & ſeqq. probabimus : itaque licèt ignorarent, an Gabaonitæ intra vel extra terminos terræ, à Domino Iſraëlitis conceſſæ, habitarent, non peccarunt, quòd inconſulto oraculo fœdus cum illis iniverint, ſaltem ſi prævièſtatuerint in eorum patriam opportuno tempore inquirere eaſque adhibere cautiones, de quibus num. 172. In hac hypotheſi ignorantia ad breve tempus de populi iſtius habitatione non poterat eſſe cauſa ullius mali vel incommodi. Ignorantia autem, quæ comitatur opus, & ex cujus comitatu nil mali naſci poteſt, numquam ſub culpa aliqua tolli debet, licèt poſſit. Porrò benignam quam dedi interpretationem ego ipſe non inveni, ſuggeſſit mihi eam S. Auguſtinus, dum quæſt. 13 ſuper librum Joſue ita loquitur :* Nec ſuccenſuit Dominus jurantibus aut parcentibus, quamvis eum non interrogaſſent, quinam illi eſſent, & ideo eos illi (*Gabaonitæ*) fallere valuiſſent ; *& quæſt. 14 :* Sic ergo poſſet (*Deus,*) quamvis non conſultus, de ipſis Gabaonitis admonere, qui eſſent, cùm ſe longinquos eſſe mentirentur, niſi ei placuiſſet illa juratio, quæ ſubjectis parcere cogitet. *Si juramentum, quo pax firmata eſt, Deo placuit ; ergo* Joſue *& alios principes Scriptura de aliqua culpa non reprehendit, ſed tantùm ſignificat, quòd Gabaonitæ* ideo eos fallere valuiſſent, *ut ait ſanctus Doctor, quia os Domini non interrogaverunt. Ne hic paragraphus nimiùm prolixus ſit, reliqua, quibus noſtram mitiorem interpretationem ſtabiliemus, ſequente producemus.*

quia verſus 14 benigniorem interpretationem non reſpuit.

§ XVIII. Argumentis ex Scriptura petitis ſtabilitur mitior ſententia : Gabaonitæ, fraude detecta, perpetuo famulitio addicuntur.

E QUò lectori manifeſtiùs appareat nos non temerè contra communiſſimam ſententiam Sanctum defendere, aliquot Scripturæ locos adferemus, qui, prout gravium interpretum explicationi ſubſtant, benignam illam omnino exigunt interpretationem verſus 14, quam dedimus numero & paragrapho præcedente. Exigit illam imprimis honorificum illud Spiritus ſancti de Joſue teſtimonium cap. XI ℣. 15 : Sicut præceperat Dominus Moyſi ſervo ſuo, ita præcepit Moyſes Joſue, & ille UNIVERSA COMPLEVIT : non PRÆTERIIT de univerſis mandatis, NEC UNUM QUIDEM VERBUM, quod juſſerat Dominus Moyſi. *Arias Montanus, Abulenſis, Magalianus aliique ſentiunt, hoc loco ſignificari, quod Sanctus ab ipſo principatus ſui primordio ex Dei & Moyſis præſcripto omnia adminiſtraverit. Si ab eo tempore* NON PRÆTERIIT de univerſis mandatis, NEC UNUM QUIDEM VERBUM *&c. Ergo nec illud præteriit Numer. cap. 27 ℣. 21 :* Pro hoc, ſiquid agendum erit, Eleazar ſacerdos conſulet Dominum

Mitiorem, quam ſuprà dedimus, interpretationem exigunt verba ſacra cap. XI ℣. 15.

AUCTORE J. L.

num &c., *dum pactus est cum Gabaonitis sine prævia oraculi consultatione ; quia scilicet ad hanc non tenebatur. Sicut Natalis Alexander in Historia Ecclesiastica veteris Testamenti dissert.* 12 *ex dicto loco infert*, Josue *Dei legem non violasse fœdus cum Gabaonitis initum servando, sic nos ex eodem contra ipsum inferimus, illum legem Dei non violasse fœdus ineundo.*

prout à plerisque exponuntur ;

177 *Studiosè pervolvi interpretum commentationes, num quos invenirem, qui istud Sancti elogium restringerent ad tempus, quo in Septemtrionali Chananæa bellatum fuit. Tantùm unum reperi Masium, qui id faciat : reliqui vel tacent, fortè ne sibi contradicant, vel allatum Sancti elogium ad omnem ejus principatum extendunt, fortè obliti quòd antè asseruissent, eum deliquisse os Domini non consulendo ; fortè etiam priorem sententiam retractare voluerunt. Vix dubito, quin id studiosè fecerit Arias Montanus. Scribens in capitis* 9 *versum* 14 *imprudentiæ accusat, quotquot oraculum Domini non interrogaverunt, adeoque & Sanctum nostrum : at in suprà allegatum capitis* XI *versum* 15 *in* Josue *laudes ita excurrit :* Adnotatio hæc non ea tantùm quæ præcesserunt, sed ea etiam, quæ subsequentur, atque adeo omne Josue ducis munus & officium spectat. Igitur quidquid vel ad privatam animi, consilii, morumque suorum rationem, vel ad publicam curam, vel ad belli ac PACIS MUNUS, vel ad terræ etiam partitionem pertineret, fideliter, sedulò, diligenter & studiosè, atque etiam SAPIENTER à Josue observatum habitumque hoc sacro testimonio asseritur ; ita ut NIHIL TEMERE, NIHIL INCONSULTE, nihil crudeliter, nihil stultè, ambitiosè aut avarè, contentiosè aut invidè nihil, ab illo summo Duce atque imperatore tot tantisque rerum & locorum occasionibus, opportunitatibus, varietatibus & felicitatibus actum gestumve fuerit ; sed OMNIA EX DIVINI JUSSI PRÆSCRIPTO OBSERVATA, curata, procurata & expedita constiterint, præscripto, inquam, Moysi Dei famulo divinitus facto & mandato, quod summâ observantiâ ab hoc præstantissimo Viro acceptum, cultum, & curatum atque effectum fuerit in neutram partem declinando, neque ad dexteram, neque ad sinistram, ita ut quidquid privatè ac sigillatim dubitari inquirique de Josue officiis & muneribus possit, hoc uno testimonio exceptum absolvatur, nempe Josue acceptas à Deo per Mosen officii sui leges magnâ curâ didicisse, observasse, coluisse, atque facessisse, in illustre vivumque omnium principum atque imperatorum piorum exemplum. *An Arias apertiùs nobis favere & retractare potuisset, quæ antea docuerat ?*

exigit eamdem versus 19, *ex quo*

178 *Mitiori etiam expositioni nostræ, num.* 175 *datæ, favet capitis* XI *versus* 19 *&* 20 : Non fuit civitas, quæ se traderet filiis Israël, præter Hevæum, qui habitabat in Gabaon : omnes enim bellando cepit. Domini enim sententia fuerat, ut indurarentur corda eorum, & pugnarent contra Israël & caderent, ET NON MERERENTUR ULLAM CLEMENTIAM, ac perirent, sicut præceperat Dominus Moysi. *Cornelius à Lapide in cap.* 9 ℣. 19 *probans Sanctum obligatum fuisse ad juratum cum Gabaonitis fœdus servandum, hunc textum allegat atque ita explanat :* Ideo jussit Deus deleri Chananæos, quia ipsi obstinatè restiterunt Hebræis, quia verò id non fecere Gabaonitæ, qui erant Hevæi, sed pacem petierunt, idcirco illam eis dari VOLUIT Deus. *Ibidem paulò infrà in rem nostram ita loquitur :* Josue potuisset & DEBUISSET, ac proinde voluisset eis parcere, si ipsi sine dolo, fatendo se Chananæos, se ipsi subjecissent, & in servos addixissent. HÆC enim ERAT MENS DEI, uti jam ostendi. Ergo cùm ipsi idem nunc faciant, eis PARCERE DEBUIT, esto dolus aliquis interveniat : unde & de facto, dolo cognito pepercit. *Itaque secundum à Lapide* VOLUIT *Deus Gabaonitis parci ;* HÆC ERAT *ipsius* MENS ; *& quia eam noverat* Josue, *parcere illis* DEBUIT : *non tenebatur igitur per oraculum ejus mentem explorare aliunde notam. Aliorum commentationes adferre necesse non est. Omnes fateri debent ex textu sacro rectè deduci, quòd Chananæi, si animum in sceleribus suis inque pace rejicienda non obdurassent, clementiam meriti fuissent ; atqui Gabaonitæ id non fecerunt ; ergo clementiam meriti sunt. An debuit* Josue *Dei oraculum consulere, ut clemens esset erga clementiâ dignos ; ut vitam concederet, vitam suppliciter & pacem ultro petentibus & se paratos præbentibus ad omnes pacis conditiones implendas ? Sciebat Sanctus, legem naturæ præscribere ejusmodi homines non occidendos, nisi Deus solus vitæ humanæ Dominus id jubeat : sciebat etiam legum divinarum intelligentissimus Imperator, præceptum illud de Chananæis ad internecionem delendis intelligendum esse non de iis, qui idololatriæ abdicatione, Hebraïcæ religionis amplexu, spontaneaque deditione urbium suarum obsidionem & Israëlitarum impetum anteverterent ; sed de illis tantùm, qui hoc præstare nollent. Quomodo ergo dubitare potuit, an liceret sibi pacem & vitam supplicibus Gabaonitis concedere ? Si certus fuerit de honestate suæ actionis, ad quid oraculum consulendum erat ? Sanè ego non video, quomodo interpretes datos Scripturæ locos, prout ipsi eos exponunt, conciliare possint cum iis, quæ asserunt ad cap.* 9 ℣. 14 Os Domini *&c. Neque etiam video, quomodo se difficultatibus expedire possit pars adversa, quæ ex ipsa ejus doctrina paragrapho præcedente objeci.*

& ex ratione legis, à Domino de interficiendis Chananæis latæ,

179 *Verùm, inquies, unde* Josue *ita certus esse potuit, legem divinam de Chananæis occidendis se ad supplices Gabaonitas non extendere, ut nullum ipsi dubium fuerit, ad quod eximendum responsum divinum petere debuerit ? Respondeo ex ipsis verbis legis, quibus Dominus eam concepit. Variis illa locis repetitur & ubique ferè adjungitur ratio, ob quam data fuerit. Exodi cap.* 23 ℣. 33 : Non habitent in terra tua, ne fortè peccare te faciant in me, si servieris diis eorum. *Cap.* 34 ℣. 15 : Ne ineas pactum cum hominibus illarum regionum, ne cùm fornicati fuerint cum diis suis, & adoraverint simulacra eorum, vocet te quispiam ut comedas de immolatis. *Deut. cap.* 20 *à* ℣. 17 : Sed interficies in ore gladii Hethæum .... ne fortè doceant vos facere cunctas abominationes, quas ipsi operati sunt diis suis. *Itaque legis latæ ratio, cur terræ promissæ habitatores ab omni fœdere excludendi erant, fuit, ne Dei populus à vera religione abduceretur ad eorum superstitiones, si cum illis vitâ donatis habitaret. Quis ergo non intelligat, ubi nullum erat à tali contagione periculum, ibi neque illi sanctioni divinæ locum fuisse ? Quæ autem metuenda erat contagio à Gabaonitis, qui, abnegatâ idololatriâ, adscriptitii Israëlitæ facti vel fieri parati erant, præcipuè ubi prudens Princeps ea cautione uti statuerit, de qua num.* 172 ? *Subdo & aliud argumentum, quo fortè lector plenius convincetur, Sanctum nullo modo dubitasse*

A *dubitaſſe, quin licitè cum ſupplicibus neophytis fœdus iniret, & conſequenter ad oraculum confugere non debuiſſe.*

necnon vaticinio Noë rectè deducitur benignior ſententia,

180 *Sciebat* Joſue, *patriarcham Noë vaticinatione ex arcanis Dei conſiliis profecta exſecratum eſſe filii ſui Cham progeniem eam, quæ ex Chanaan eſſet naſcitura: de quo ita Geneſ. cap. 9 à ℣. 24:* Evigilans autem Noë ... ait: Maledictus Chanaan ſervus ſervorum erit fratribus ſuis. Dixitque: Benedictus Dominus Deus Sem; ſit Chanaan ſervus ejus. *Poſteri autem Chanaan illi fuerunt, qui terras Iſraëlitis à Deo hereditatis loco aſſignatas occuparant: quam gentem Hiſtoria ſacra ſæpe Chananæos, interdum Amorrhæos, nonnumquam diverſis ſeptem nominibus, aliquando pluribus, aliquando paucioribus vocat. Cùm ergo Iſraëlitæ progeniti eſſent ex Sem, cujus olim nepotibus poſteros Chanaan ſervituros prædixerat Noë, ſcivit profectò Propheta noſter Dei voluntatem eſſe, ut ne omnes omnino Chananæi internecione delerentur: nam ſi ſupplices omneſque pacis conditiones implere paratos, æquè ac obſtinatos occidiſſet, quibus tandem Iſraëlitæ, Semi*

B *progenies, potuiſſent pro ſervis uti? Conficitur ex his, Sanctum quoque non ignoraſſe legem illam, quæ jubet nationem iſtam bello internecino exſcindi, neque ulli ætati aut ſexui parci, non univerſim poſſe accipi; ſed æquitate aliqua temperandam eſſe. Quæ æquitas qualis ſit, ipſa ratio dictat, & ex fine legis, expreſſis verbis additо, manifeſta eſt; nimirum potius veniam dandam eſſe pacem petentibus & ad veram religionem ſe convertentibus, quàm pertinacibus, idololatris, Dei hoſtibus, Deique populum oppugnantibus. Judicet modo æquus lector, an allati Scripturæ loci, quæque ex iis & ex ipſa diſſentientium doctrina argumenta deduxi, non ſufficiant, ut licuerit mihi Sancti cauſam defendendam ſuſcipere. Ut verò etiam intelligat, ſacræ narrationis contextum capitis 9 mitiori ſententiæ non adverſari, hanc ejus commentationem ſubjicio.*

conformis narrationi

181 *Ubi Gabaonitæ, de procul remotis terris ſe venire ſimulantes, pacem petiiſſent, reſponderunt Iſraëlitæ* ℣. 7: Ne fortè in terra, quæ nobis ſorte debetur, habitetis, & non poſſimus fœdus inire vobiſcum, *quale ſcilicet nobis inire licet*

C *cum exteris nationibus, quo urbium agrorumque omnium poſſeſſio & plena religionis libertas relinquitur. Ita inter alios Calmetus, & notæ in Bibliis du Hamel, Lovanii anno 1740 poſt accuratiſſimam recognitionem editis. Hoc audito, Gabaonitæ ita ad Joſue,* Servi, *inquiunt* ℣. 8, tui ſumus. *Et rurſus* ℣. 9: De terra longinqua valde venerunt ſervi tui in nomine Domini Dei tui. Audivimus enim famam potentiæ ejus, cuncta, quæ fecit in Ægypto *&c. His verbis, teſte S. Auguſtino quæſt.* 14, *Lirano, Menochio, Tirino & pleriſque aliis, ſe ſuaſque terras & urbes Hebræis ſubjiciunt, in Deum Iſraëlis ſe credere profitentur, vel ſaltem, ut in ipſum credant eumque colunt, promptos ſe paratoſque oſtendunt. Deinde à* ℣. 11 *fidem facere conantur ſe verè, ut antè aſſeverarant, de remotis regionibus venire, in ejus confirmationem ruptos utres vinarios, panes duros, & veſtimenta attrita oſtendentes: quibus* Joſue *& reliqui principes fidem habuerunt. Hanc nec levem nec nimium præcipitem fuiſſe, oſtenſum eſt numeris* 169, 171 *&* 172. Suſceperunt igitur de cibariis eorum, & os Domini non conſuluerunt ℣. 14. *Hæc verba ſenſu benigniore poſſe intelligi & intelligenda eſſe, ſatis, ut mihi videtur, perſuadent argumenta hoc & paragrapho præcedente allata, quæ interpretes, locum illum contra Sanctum exponentes, non modò non ſolvunt, ſed ne attingunt quidem.* Fecitque Joſue cum eis pacem, & inito fœdere pollicitus eſt, quòd non occiderentur: principes quoque multitudinis juraverunt eis ℣. 15.

ſacræ: fraude detecta, murmurat populus; Joſue ac alii principes

182 Poſt dies autem tres initi fœderis, audierunt *fortè ab exploratoribus à ſupremo Duce miſſis*, quòd in vicino habitarent, & inter eos futuri eſſent. Moveruntque caſtra filii Iſraël, & venerunt in civitates eorum die tertio, quarum hæc vocabula ſunt, Gabaon, & Caphira, & Beroth, & Cariathiarim. Et non percuſſerunt eos, eò quòd juraſſent eis principes multitudinis in nomine Domini Dei Iſraël. Murmuravit itaque omnis vulgus contra principes ℣. 16 *& ſeqq. Putant multi, plebem ægrè tuliſſe principum in paciſcendo temeritatem & præcipitantiam. Sed id neceſſe non eſt dicere: potuit enim tumultûs cauſa fuiſſe, quòd duces parcerent iis, quos milites gregarii, rei bellicæ quàm juris peritiores, nulla juramenti ratione habita, in fraudis pœnam trucidandos judicabant; vel quòd hi timerent, ne, Gabaonitis vivere permiſſis, parte terræ divinitus promiſſæ fraudarentur. Suſpicari id poterant ex eo, quòd exteri crediti eſſent, quibus bonorum poſſeſſio relinquebatur. Fortè etiam de pace, jurejurando firmata, nihil hactenus reſciverant; unde ſe à gente illa delenda ejuſque terris occupandis prohiberi non poſſe arbitrabantur.*

fœdus juratum ſervant;

183 *Principes ad tumultum comprimendum* reſponderunt eis: Juravimus illis in nomine Domini Dei Iſraël, & idcirco non poſſumus eos contingere. Sed hoc faciemus eis: Reſerventur quidem ut vivant, ne contra nos ira Domini concitetur, ſi pejeraverimus: ſed ſic vivant, ut *ſecundum pacis leges terris ſuis privati & ad Hebræa ſacra converſi, inſuper frandis pœnas luant, &* in uſus univerſæ multitudinis ligna cædant, aquaſque comportent ℣. 19 *& ſeqq. Populus ſuarum principum audita oratione acquievit. Celebrem hîc agitant quæſtionem interpretes circa obligationem implendi fœdus juratum. Maſius, Arias, Serarius, aliique negant,* Joſue *alioſque populi principes illud ſervare debuiſſe: at meliùs affirmant cum S. Ambroſio lib. 3 de Officiis cap.* 10 *Caietanus, Bonfrerius multique alii. Horum ſententiæ ſubſcribimus, licèt dolus interverierit: hic etenim (ſequuntur verba Cornelii à Lapide in* ℣. 19) non erat circa ſubſtantiam rei, aut circa id, quod juramentum requirebat ut eſſet validum; ſed circa accidens dumtaxat, ſcilicet circa proximitatem vel longinquitatem habitationis eorum (*Gabaonitarum:*) ergo non vitiabat nec irritabat juramentum, nec fœdus juratum. Fuiſſet circa ſubſtantiam, ſi ipſi voluiſſent ſuas urbes ſuamque idololatriam retinere, itaque fœdus inire cum Hebræis, hoc enim erat à Deo vetitum; ideoque Hebræi nullo ad hoc juramento ſe obligare poterant. Jam autem cùm offerant ſua prædia Hebræis, & eorum religionem cupiant amplecti; ſubſtantiam fœderis à Deo permiſſi, imò juſſi præſtant: nec dolus illam violat* aut elidit. Quare non fuit hic error perſonæ, ſed alicujus accidentis perſonæ. Volebant enim Hebræi cum præſentibus Gabaonitis contrahere fœdus, ſed errabant in accidente, putantes eos remotè non propinquè habitare, quod fœdus non vitiat. *Hæc plurimùm confirmantur iis, quæ legimus lib. 8 Regum cap. 21 à* ℣. 1: Facta eſt

* *fortè* vitiat

AUCTORE J. L.

quoque fames in diebus David tribus annis jugiter : & conſuluit David oraculum Domini. Dixitque Dominus : Propter Saul , & domum ejus ſanguinum , quia occidit Gabaonitas . . . Porrò Gabaonitæ non erant de filiis Iſraël , ſed reliquiæ Amorrhæorum : filii quippe Iſraël juraverant eis, & voluit Saul percutere eos zelo , quaſi pro filiis Iſraël & Juda. *Ex his patet trium annorum famem immiſſam fuiſſe , quia Saul ejuſque familia occidendo Gabaonitas fœdus juratum violarant , quod* Joſue *& populi principes cum illis quondam inierant. Si illius violatione peccarunt, ergo irritum non fuit , nec Gabaonitarum dolus fuit circa ſubſtantiam rei aut circa id , quod fœdus & juramentum ad ſui valorem requirebant. Ad hunc probandum ea tantùm hîc proferre volui , quæ mihi viſa ſunt lucem aliquam adferre argumentis , quibus hoc & præcedente paragrapho oſtendere conatus ſum juratam cum Gabaonitis pacem nec imprudentem nec contra præceptum Domini fuiſſe. Ceterùm qui de ejus valore & nata inde obligatione plura deſiderat , adeat noſtrum Franciſcum Suarez lib. 2 de Juramento cap. 18 , & à Lapide hic.*

B

Sed impoſtores perpetuo famulitio addicunt.

184 *Supremus populi judex ac princeps* Joſue *inferiorum principum ſententiam , quâ impoſtores perpetuo famulitio addixerunt , approbavit : de quo ita ℣. 21 & ſeqq. :* Quibus, *principibus nempe* , hæc loquentibus , vocavit Gabaonitas Joſue , & dixit eis : Cur nos decipere fraude voluiſtis , ut diceretis : Procul valde habitamus à vobis , cùm in medio noſtrî ſitis ? Itaque ſub maledictione eritis *perpetuæ ſervitutis* , & non deficiet de ſtirpe veſtra ligna cædens , aquaſque comportans in Domum Dei mei. Qui reſponderunt : Nuntiatum eſt nobis ſervis tuis , quòd promiſiſſet Dominus Deus tuus Moyſi ſervo ſuo , ut traderet vobis omnem terram , & diſperderet cunctos habitatores ejus. Timuimus igitur valde , & providimus animabus noſtris , veſtro terrore compulſi , & hoc conſilium inivimus. Nunc autem in manu tua ſumus : quod tibi bonum & rectum videtur , fac nobis. Fecit ergo Joſue , ut dixerat ; & liberavit eos de manu filiorum Iſraël , ut non occiderentur. Decrevitque in illo die eos eſſe in miniſterio cuncti populi & altaris Domini , cædentes ligna & aquas

C

comportantes , uſque in præſens tempus , in loco , quem Dominus elegiſſet. *Et ſic impletum eſt, quod prædixerat Noë Geneſ. cap. 9 ℣. 25 :* Maledictus Chanaan ; ſervus ſervorum erit fratribus ſuis. *Vide ſuprà num. 180. De Gabaonitarum, qui poſtea Nathinæi dicti ſunt , famulatu legi meretur Bonfrerius.*

Ejuſdem hiſtoriæ narratio ex Joſepho.

185 *Videamus porro , quid Joſephus de icta cum Gabaonitis fœdere tradiderit :* Cæterùm Gabaonitæ , qui non longè à Hieroſolymis habitant , cognito Hierichuntinorum & Aïnitarum caſu , jamque in ſe iturum hoſtem ſuſpicati , Jeſum quidem precibus flectere non tentaverunt , fruſtra eas fore putantes apud eum , qui internecinum bellum cum Chananæis gereret : ſed maluerunt vicinos Cepheritas & Cathieremitas (*hæc & quæ ſequuntur non ſatis conveniunt verſui 17 , qui illos Gabaonitis ſubditos facit*) in ſocietatem aſciſcere , dicentes , nec ipſos poſſe evadere periculum niſi maturè providerent : quod ſi ſuum conſilium ſequantur , non deeſſe remedium. Quod ubi perſuaſerunt , mittunt legatos ad Jeſum de fœdere , quos maximè credebant ad negotium conficiendum idoneos. Qui periculoſum rati , ſi ſe Chananæos faterentur , & multo tutius , ſi nihil ſibi cum illis commune dicerent , ſed longè

D

diverſas ſedes habere ; aiunt ſe famâ Viri excitos multorum dierum iter feciſſe , & hoc eſſe verum ex habitu comprobabant : veſtes enim , quas viam ingreſſuri novas induiſſent , longo itinere detritas ; ſumpſerant enim tritas datâ operâ , ut veriſimilia dicere viderentur. Hoc habitu in concionem ingreſſi dicunt , ſe miſſos à Gabaonitis & vicinis urbibus , ut , ſalvis patriis inſtitutis , in amicitiam eorum venirent. Comperto enim , quòd Deus gratuito munere Chananæorum terram illis conceſſiſſet , gratulari ſe eis & jus civitatis petere. *De ſuo malè addit Joſephus, quòd* , ſalvis patriis inſtitutis , *amicitiam petierint. Si pacis conditio fuerit , ut avita religio , quæ in patriis inſtitutis apud omnes populos primas tenet , idololatris Gabaonitis permitteretur ;* Joſue , *ubi eos Chananæos cognovit , invalidum juramentum ſervando graviter peccavit contra legem Exodi cap. 23 in fine : hoc dici nequit ; ergo nec illud.* His dictis , & oſtentatis veſtibus in ſignum longi itineris , orabant , ut in fœdus & amicitiam admitterentur. Jeſus autem credens eorum verbis , quòd Chananæi non eſſent , re-

E

cipit eos in fidem & amicitiam : & Eleazarus pontifex cum ſenatu juravit , habituros ſe eos pro amicis ac ſociis , & nihil contra eos injuſtum molituros , approbante id fœdus univerſo populo. Hoc aſtu voti compotes , domum ad ſuos ſunt reverſi. Jeſus autem exercitu ducto in ſubmontanum Chananææ tractum , cùm audiſſet Gabaonitas non longè à Hieroſolymis habitare , & eſſe Chananæorum generis , evocatis eorum honoratioribus , fraudem eorum incuſabat. Illis verò excuſantibus , non alium ſe modum ſalutis quærendæ habuiſſe , & ideo ad dolum verſos neceſſitate cogente , Eleazarum pontificem & ſenatum convocat. Cúmque decretum eſſet , non violandam fidem jurejurando ſancitam , ſed publicis miniſteriis deputandos , in hac conditione poſtea ſunt habiti : atque hoc pacto imminenti periculo ſe ſubtraxerunt.

§ XIX. Gabaoni à v regum exercitu obſeſſæ opem fert Joſue ; hoſtes in fugam agit ; è quibus multi prodigioſo lapidum imbre conteruntur ; quo ceſſante , ne reliqui elaberentur , ſolis & lunæ curſum ſuo ſiſtit imperio.

F

Quinque reges Gabaonem obſident , cui rogatum

EX fœdere cum Gabaonitis nata ſunt bella , quæ cum rege Jeruſalem & aliis quatuor regibus ei confœderatis geſſit Joſue , *feliciſſiméque confecit , cælis ipſis pro eo ejuſque exercitu pugnantibus. Ea ſic cap. 10 à ℣. 1 exponere incipit Scriptura ſacra :* Quæ cùm audiſſet Adoniſedec rex Jeruſalem , quòd ſcilicet cepiſſet Joſue Hai , & ſubvertiſſet eam (ſicut enim fecerat Jericho & regi ejus , ſic fecit Hai & regi illius) & quòd transfugiſſent Gabaonitæ ad Iſraël, & eſſent fœderati eorum , timuit valde. Urbs enim magna erat Gabaon , & una civitatum regalium , & major oppido Hai , omneſque bellatores ejus fortiſſimi. Miſit ergo Adoniſedec rex Jeruſa-

A Jeruſalem ad Oham regem Hebron, & ad Pharam regem Jerimoth, ad Japhia quoque regem Lachis, & ad Dabir regem Eglon, dicens: Ad me aſcendite & ferte præſidium, ut expugnemus Gabaon, quare transfugerit ad Joſue, & ad filios Iſraël. Congregati igitur aſcenderunt quinque reges Amorrhæorum, rex Jeruſalem, rex Hebron, rex Jerimoth, rex Lachis, rex Eglon ſimul cum exercitibus ſuis; & caſtra metati ſunt circa Gabaon, oppugnantes eam. Habitatores autem Gabaon urbis obſeſſæ miſerunt ad Joſue, qui tunc morabatur in caſtris apud Galgalam, & dixerunt ei: Ne retrahas manus tuas ab auxilio ſervorum tuorum; aſcende citò, & libera nos, ferque præſidium: convenerunt enim adverſum nos omnes reges Amorrhæorum, qui habitant in montanis.

fert auxilium Joſue; terrorem hoſtibus Deus incutit, & in fugam

187 *S. Princeps, audito ſuorum clientium periculo, illico obſeſſis opem ferre decrevit:* Aſcenditque Joſue (℣. 7) de Galgalis, & omnis exercitus bellatorum cum eo, viri fortiſſimi; *exceptis tamen, qui ad propugnationem caſtrorum neceſſarii erant:* Dixitque Dominus (℣. 8) ad Joſue: Ne timeas eos: in manus enim tuas tradidi illos: nullus ex eis tibi reſiſtere poterit. *S. Auguſtinus quæſt.* 14 *non petitum à Deo, ſed datum ultro eſſe hoc oraculum cenſet. Quamquam ſi Eleazarum pontificem expoſuiſſe Imperatori reſponſa Dei, cum Saliano aliiſque exiſtimare velis, non refragabor. Verùm tum rectiùs diceres, Dominum conſultum fuiſſe, antequam ſuos* Joſue *in expeditionem caſtris educeret. Utut ſit, Sanctus hac tanta ſpe animatus, ad Gabaonitas obſidione liberandos properat, nec humanæ induſtriæ præſidia negligit: nam intelligens optimus belli Dux victoriam ſæpe in celeritate poſitam eſſe, hoſtemque numquam faciliùs opprimi, quàm ſi metu vacuus atque ex improviſo invadatur, tota nocte iter faciens è Galgalis ad obſeſſam Gabaonem ſummo mane pervenit; exercituque inſtructo, ſubitò in hoſtes irruit: qui ad inopinatum Hebræorum impetum divinitus ita conturbati fuere, ut poſt ingentem ſuorum cædem, ab Iſraëlitis editam, ſe præcipitem in fugam, ſoluta obſidione, conjecerint per viam, quâ aſcenditur in Bethhoron. Inde verſus Azeca & Maceda fugerunt, victore exercitu perſequente, & eorum terga feriente. Hæc verſus* 9 *&* 10 *paucis comprehendit:* Irruit itaque Joſue ſuper eos repentè, tota nocte aſcendens de Galgalis: & conturbavit eos Dominus à facie Iſraël: contrivitque plagâ magnâ in Gabaon, ac perſecutus eſt eos per viam aſcensûs Beth-horon, & percuſſit uſque Azeca & Maceda. *Neque ad hanc urbem à fuga deſtiterunt hoſtes, neque Iſraelitæ ab iis ulteriùs perſequendis; nam* ℣. 21 *dicuntur reverſi in Maceda, ubi erat* Joſue *cum reliquo exercitu, qui eò confluxerat. Quanta verò fugientium cædes tanto tempore, totque locis facta ſit, ſequentia docebunt.*

B

actos lapidum imbre conterit, Sancti precibus impetrato:

188 *Ad Gabaon feliciter pugnatum fuit contra quinque regum agmina, quod horum animos ordineſque terror divinitus incuſſus conturbaſſet. Manifeſtiore Dominus beneficio Hebræis favit, cùm hoſtes perſequerentur Azeca inter & Bethhoron: nam fugientes hunc locum vix prætergreſſi erant, cùm Deus exercituum in illis cædendis Iſraëli ſocium ſe adjunxit, immittens in eos tempeſtatem, inuſitatæ magnitudinis grandine horribilem; quæ angelorum operâ in aëris regione facta, & eorum veluti manibus vibrata certo ac deſtinato ictu Chananæos peteret, illæſis &*

C

intactis Iſraëlitis. De hac mirabili lapidum pluvia ita verſus 11: Cùmque fugerent filios Iſraël, & eſſent in deſcenſu Beth-horon, *(loco edito hæc ſita erat, adeo ut hinc aſcenſus, illinc deſcenſus eſſet)* Dominus miſit ſuper eos lapides magnos de cælo uſque ad Azeca, *ita ut ab Iſraëlitis tergo imminentibus ferirentur, & lapidibus ex alto cum impetu devolutis contererentur. Quantam autem hi lapides cladem intulerint, ſtatim explicatur, dum dicitur:* Et mortui ſunt multò plures lapidibus grandinis, quàm quos gladio percuſſerant filii Iſraël. *Sancti* Joſue *precibus hanc ſaxorum procellam à Deo impetratam fuiſſe, non aſſerit quidem hujus capitis contextus, ſed Eccleſiaſticus cap.* 46 ℣. 6: Invocavit Altiſſimum potentem in oppugnando inimicos undique, & audivit illum magnus & ſanctus Deus in ſaxis grandinis, virtutis valde fortis. *An lapides in hoſtes immiſſi ejuſdem cum grandine vulgari fuerint naturæ, an verò propriè ſaxa fuerint, quæ copiosè inſtar grandinis ceciderint, incertum eſt. Calmetus in Diſſertatione de lapidum imbre, Commentariis in librum Joſue præmiſſa, poſtremum credit ad litteram magis & ad mentem ſacri Scriptoris accedere. Idem & mihi videtur. Favet S. Auguſtinus lib.* 3 *de Civitate Dei cap.* 31: Cùm pluit terrâ, cùm pluit cretâ, cùm pluit lapidibus, non ut grando appellari ſolet hoc nomine, ſed omnino lapidibus. Hæc profectò etiàm graviter lædere potuerunt.

AUCTORE J. L.

E

hujus imperio ſol & luna curſum ſiſtunt, ut tempus

189 *Eodem die ſingularem de populo ſuo providentiam teſtatam reliquit Deus alio evidentiore & longè illuſtriore prodigio, quàm fuerint lapidum imbres in hoſtem immiſſi. Traditur illud à* ℣. 12: Tunc locutus eſt Joſue Domino in die, quâ tradidit Amorrhæum in conſpectu filiorum Iſraël, dixitque coram eis: Sol contra Gabaon ne movearis, & luna contra vallem Aialon. Steteruntque ſol & luna, donec ulciſceretur ſe gens de inimicis ſuis. Nonne ſcriptum eſt hoc in libro Juſtorum? Stetit itaque ſol in medio cæli, & non feſtinavit occumbere ſpatio unius diei. Non fuit antea nec poſtea tam longa dies, obediente Domino voci hominis, & pugnante pro Iſraël. *Arias Montanus clariſſimi nominis interpres in librum Joſue, hujus loci expoſitionem ſic orditur:* Joſue fidei præſtantiam & prudentiam hiſtoria nobis obſervandam, admirandam, imitandamque oſtendit; qui cùm ex Dei reſponſo cognoviſſet, illos quinque regum exercitus ſibi in manus traditum iri, nulloſque ex illis reſtituros, intellexit prudentiſſimus Vir, potiùs cælum ac terram & naturam omnem mutari poſſe, quàm ut Dei dictum mutaretur iis, quibus firma conſtantique fide exciperetur. Hoc eſt, quod lectio illa indicat (℣. 12:) TUNC ... IN DIE, QUA TRADIDIT AMORRHÆUM IN CONSPECTU FILIORUM ISRAEL. Qua die Joſue, accepto jam illo reſponſo, IN MANUS TUAS TRADIDI ILLOS, & NULLUS EX EIS TIBI RESISTERE POTERIT (℣. 8,) promiſſum hoc inceptum vidit, hoc eſt, Amorrhæos à facie filiorum Iſraël conturbatos, ac magnam cædem in illis factam; deinde etiam multo plures grandine, quàm gladio interfectos, grandinemque ad Azecha uſque duraſſe; & tamen multos adhuc ſupereſſe, qui contentâ fugâ & protracto ulteriùs curſu evadere cogitarent. nihilominus promiſſi illius fide confirmatus, IN MANUS TUAS TRADIDI ILLOS, prævidit fore ut, qui reliqui erant, Iſraëlitarum manibus & armis conficerentur, ut impleretur promiſſum. IN MANUS TUAS TRADIDI ILLOS: qui totius reſponſi finis

F

AUCTORE J. L.

nis erat. Jam inde illud præſtitum viderat, NULLUS TIBI RESISTERE POTERIT, ſive nullus ante faciem tuam ſtabit: nam conturbaverat eos Dominus à facie Iſraël, & magna edita ſtrage in plurimos, ceteros ad fugam coëgerat, in ipſaque fuga magnam copiam occiderat: ſupererant verò alii, qui, Azechâ prætermiſsâ, Macedam verſus fugiebant: hos in manus ſuas traditos credebat, & occidere ſperabat.

hoſtibus penitus delendis ſufficeret: eum ceſſante

190 Verum enim verò & locorum natura & temporis brevitas, quo minùs id per Iſraëlitas conficeretur, impedimento eſſe poterant: atque per Iſraëlitas rem confectum iri intellexerat, quippe hoc divini prontiſſi veritatem & conſtantiam, & Iſraëlitarum ipſorum, quos Deus amplificare voluerat, auctoritatem ac dignitatem ſpectabat: ut ceteræ intelligerent gentes, Iſraëlitas non ſolùm miraculis cælitus editis adjutos & promotos, ſed viribus etiam atque robore auctos ad rem manu armiſque gerendam; atque ita in reliquis pugnis & præliis formidarent. Sed cùm reliquum tempus breve eſſet poſt longæ illius fugæ ſpacium, jamque ſol ad occaſum tenderet,

B ſupereſſetque magnus tractus, & commoda hoſtibus ad evadendum vallis Aialon, hoſpitibus ut ignota, ita incommoda; conſtantiſſimus fide Joſue cum Deo primùm prece de illius diei expeditione abſolvenda egit; deinde cælum ipſum ad promiſſi dictique Dei veritatem & conſtantiam obſervandam obſequioque proſequendam vocavit. Duplicem itaque allocutionem hoc verſu diſtinguimus: alteram, quâ Deus exoratus eſt, ut dictum ſuum ſecundo eventu firmaret: hoc eſt, TUNC LOCUTUS EST JOSUE DOMINO (℣. 12:) alteram verò, quâ luminaria ſtare juſſa fuere. Locutionis ſive precis argumentum erat, illam diem eſſe, quâ ipſe Amorrhæum in conſpectum filiorum Iſraël tradidiſſet: vellet itaque eadem die id omnino confici, ut Iſraëlitæ traditum ſibi Amorrhæum cæderent. Id cùm brevi, quod ſupererat, diurnæ lucis tempore humanis viribus effici non poſſet, atque ex Dei promiſſo hominum manu efficiendum eſſet, ſupererat unum, ut dies potiùs ille produceretur, quàm ut humana manus conficere deſineret: namque hoc pacto divini dicti promiſſique efficientiæ & conſtantiæ

C naturæ, cælorum, temporum rationes omnes obſequi & obtemperare, manifeſtè tam ab iis, qui pietatem colerent, quàm ab aliis Deo averſis gentibus cognoſcebatur. Igitur poſt precem Deo factam, iiſdem Iſraëlitis præſentibus & audientibus, converſo in cælum vultu, ſoli ac lunæ cæliſque imperare non dubitat. *Hæc ille: quibus addo ex Saliano aliiſque, Sanctum poſt fuſas preces cognoviſſe Domini eſſe voluntatem, ut coram populo aſtris efficaciter imperaret, ut tam inaudito prodigio agnoſceret, cujus præſidio niteretur, infideles autem intelligerent, ſe in cælum arma moviſſe.*

lapidum grandine, ſtationem ſoli & lunæ imperaſſe putamus:

191 *Interpretes plerique exiſtimant, Thaumaturgum noſtrum necdum in Azeca perveniſſe, cùm ſoli ac lunæ quietem imperaret. Si hos ſequi velis, etiam admittere debes, ſolem & lunam ad imperium* Joſue *immota ſtetiſſe, priore necdum ceſſante miraculo: nam cùm lapidum de cælo delapſus in deſcenſu Beth-horon cœperit, & uſque ad Azeca perdurarit, ſol & luna jam ſteterint neceſſe eſt, antequam lapidum deſineret tempeſtas. Arias utriuſque prodigii eventum diverſo tempori & loco annectit, atque hujuſmodi rei geſtæ ordinem ſtatuit, nimirum, lapides de cælo miſſos fuiſſe de Beth-horon uſque ad Azeca, dein Sanctum, cùm videret è numeroſiſſimis quinque regum exercitibus multos adhuc ſupereſſe à grandine illæſos, & celeri fuga elabi Maceda verſus, prope Azeca ſubſtitiſſe, ibidemque poſt preces ad Deum magna cum fiducia fuſas curſum ſolis imperio ſuo inhibuiſſe. Ariæ conjectura narrationi ſacræ conformior mihi videtur. Miror, ab hac illos recedere, qui credunt, grandinem è denſis nubibus cecidiſſe, tempeſtatemque in Chananæos immiſſam, fuiſſe ſimilem Ægyptiacæ, de qua Exodi cap. 9 à ℣. 23. Hi concedant oportet, uſque ad Azeca ſolem conſpici non potuiſſe. Jam verò anno credibile eſt,* Joſue, *omni populo audiente, ſtationem ſolis imperaſſe, eum immotum mox ſubſtitiſſe, nec interim à deſcenſu Beth-horon, ubi grandinare incepit, ad Azeca uſque prodigium ab ullo obſervari potuiſſe? Hæc notare viſum eſt, ut diſtinctiùs cognoſcatur ordo rerum hiſtoricus. Quæ contra hunc difficultates objici poſſunt, graviores non ſunt illis, quos ſolvere debent, quicumque Sanctum, cùm ſolem imperio ſiſteret, alibi quàm prope Azeca ſubſtitiſſe affirmant.*

D

Joſephi narratio.

E

192 *Reliqua, quæ de hoc inſigni prodigio memoratu digna judicavimus, adferemus paragrapho ſequente. Hunc claudet Joſephi hiſtoria, quæ narrata hactenus ita deſcribit:* Ceterùm cùm rex Hieroſolymitarum indigne ferret Gabaonitas ad Jeſum defeciſſe, & quatuor proximarum gentium reges ad bellum contra eos gerendum acciviſſet, Gabaonitæ videntes ſe peti, & hoſtes caſtris circa fontem (*de quo ſcriptor ſacer ſiluit,*) non longè ab urbe poſitis, ad expugnationem expediri, Jeſum in auxilium advocant. Nam eò tum res devenerat, ut ab his perniciem expectarent, in illis verò qui ad excidium Chananæorum venerant, propter novam amicitiam unicam ſpem ſalutis reponerent. Tum Jeſus cum toto exercitu in ſuccurſum properans, die & nocte itinere facto, diluculò parantes oppugnationem adoritur. *Si ſanctus Imperator per diem, ut ſcribit Joſephus, iter feciſſet, ejus adventus hoſtibus facilè innotuiſſet; quod non ſatis coharet cum verſu 9:* Irruit itaque Joſue ſuper eos repentè, *ſeu improviſo impetu,* tota nocte aſcendens de Galgalis. *Dein ita pergit:* Cúmque terga vertiſſent, per declive fugientes eſt perſecutus. Be-

F thora is locus dicitur. Interfuiſſe huic prælio divinum auxilium evidentibus prodigiis apparuit, cælo tonante & crebris fulminum ictibus, grandine inſuper majore ſolito ruente. Acceſſit & illud numquam antea viſum, quòd dies factus eſt longior, ne interventu noctis Victori hoſtis eriperetur. Quo factum eſt, ut Jeſus reges iſtos caperet in ſpelunca quadam latebras quærentes juxta Macchida, de omnibuſque ſupplicium ſumeret. Creviſſe autem eam diem ultra conſuetum exſtat relatum in ſacra volumina, quæ in templo ſunt aſſervata. *De ſtrage, quam lapides grandinis edidere, nihil meminit Joſephus; uti nec de imperio* Joſue, *quo ſolem & lunam ſtitit* ſpatio unius diei. *Satis ipſi fuit dicere grandinem ſolito majorem cecidiſſe, diemque iſtum ceteris longiorem fuiſſe. Fortè ſuſpicabatur prodigia illa, ſi ea deſcripta fuiſſent, ut in Litteris ſacris exſtant, plus admirationis apud gentes habitura fuiſſe quàm fidei.*

§ XX.

A

§ XX. Teſtimonia de ſolis ac lunæ ſtatione & Sancti fide ; miraculi vindicatio, duratio & magnitudo ; v regum captivitas ; clades hoſtium ; Iſraëlitarum vires probabilius divinitus ſuſtentatæ.

Scriptorum ſacrorum de prodigioſa ſolis ac lunæ ſtatione,

T *Extus ſacer verſu* 13 *enarrans ſtantis ſolis & lunæ prodigium, producit notum priſcis temporibus librum, in quem illud relatum fuerit :* Nonne ſcriptum eſt hoc in libro Juſtorum ? *Quiſnam ille qualiſque fuerit, ignoratur. Prater interpretes hîc, videri de eo poteſt Scipio Sgambatus in Archivis veteris Teſtamenti pag.* 164. *Cur liber ille hîc citetur, explicat Theodoretus quæſt.* 13 : Volens auctor docere nos hujus Prophetæ virtutem, nempe quòd ſolo verbo progreſſum luminarium magnorum cohibuiſſet, donec viciſſet pro dignitate imperii : ſuſpicatus nequis verbis non adhiberet fidem, dixit hoc inveniri in antiquo commentario. *Propheta Habacuc inter alia divina miracula, quæ orans enumerat cap.* 3, *Joſuanum quoque commemorat* ℣. xi : Sol & luna ſteterunt in habitaculo ſuo. *Eccleſiaſticus quoque ſtantis ſolis prodigium celebrat cap.* 46 ℣. 5 : An non in iracundia ejus impeditus eſt ſol, & una dies facta eſt quaſi duo ? *Hic locus nos docet, Sanctum ex zelo & juſta ira contra hoſtes populi Dei ſolis curſum ſua juſſione impediviſſe, ut tempus ad eos penitus delendos ſufficeret.*

& SS. Patrum de fide & ſanctitate Joſue teſtimonia :

194 *Quantùm autem divinæ virtuti benignitatique conſideret, quando, Spiritu ſancto impellente, hoc imperium cælis dedit, ex Patrum teſtimoniis intellige. S. Hieronymus in cap.* 28 *Iſaïæ :* Fiduciâ habitantis in ſe Dei, locutus eſt Jeſus : Stet ſol. *S. Ambroſius lib.* 1 *de Officiis cap.* 40 : Jeſus Nave, cùm adverſum Gabaonitas ſurgeret prælium, & vereretur, ne nox impediret victoriam, magnitudine mentis & fidei clamavit : Stet ſol ; & ſtetit, dum hæc victoria conſummaretur. *S. Sulpitius Severus lib.* 1 *Hiſtoriæ ſacræ :* Cùm dies cædentes deficeret, noxque victis futura præſidio videretur, merito fidei Dux Hebræus noctem avertit, dies perſeveravit ; ita nullum hoſtibus effugium fuit. *S. Bernardus apud ejus Vitæ auctorem lib.* 2, *cap.* 7, *cùm adverſus Leoninos ſchiſmaticos conſtanter agendum ardenterque precandum ſu.eret,* Joſue, *ait,* pugnat, & ut ad conſummat.onem victoriæ dies ſufficiat protelata, ſoli, ut ſtet, non tam orat quàm imperat, & meretur fides tam ſolis obedientiam, quàm de hoſte proſtrato victoriam. *S. Chryſoſtomus dilecti Deo Principis ſanctitati & meritis attribuit, quòd ejus voci Dominus obediverit, & planetæ utriuſque motum interruperit :* Cogita, *inquit Homiliâ* 27 *in Epiſtolam ad Hebræos,* quanta res ſit vir juſtus. Dixit Jeſus Nave : Stet ſol contra Gabaon, & luna contra vallem Elom : & factum eſt. Veniat ergo univerſus orbis terræ, imò verò duo, & tres etiam, & quatuor, & viginti orbes terræ, & dicant, & hoc faciant. Sed non poterunt. Dei autem Amicus, Amici imperabat creaturis : imò verò Amicum ſuum rogavit, & cedebant quæ ſerviebant, & inferior imperabat ſupernis. Vides quòd ea facta ſint in ſervitutem, curſum conſtitutum implentia ? Hoc eſt majus quàm quæ facta ſunt à Moyſe. Quare ? Non ſunt enim paria imperare mari, & iis quæ ſunt in cælo. Nam illud quoque eſt magnum & valde magnum, ſed non par. Audi verò cur talis ſit effectus. Quare ? Jeſu nomen erat typus Chriſti. Propterea ergo, & propter ipſam in typo appellationem verita eſt creatura. Quid verò, alius non vocatus fuit Jeſus ? Sed iſte propterea vocatus eſt in figura.

AUCTORE J. L.

vindicatio,

195 *Quamquam hujus miraculi memoriam non ſolùm hac libri Joſue hiſtoriâ, ſed aliis etiam ſacrarum Litterarum monumentis conſecraverit Spiritus ſanctus, Maimonides tamen aliique Hebræi apud Maſium, negant conſuetum ſolis & lunæ motum re ipſa fuiſſe interruptum aut impeditum ; ſed ideo in cælo mutationem apparuiſſe aſſerunt, quòd* Joſue *in terris tantas res tanta celeritate geſſerit, ut dies potiùs productus & ſol ac luna ſtetiſſe viſa fuerint, quàm magnus ille Dux tam celeriter illas geſſiſſe. Hoc itaque* Joſue *votum fuiſſe putant, ut unicus ille dies profligandis hoſtibus ſatis eſſet : perinde acſi his verbis uſus eſſet : Da Domine, ut priuſquam ſol & luna occidant, populus tuus à ſuis hoſtibus pœnas ſumere poſſit : hocque miraculi ſolùm habuiſſe eum diem, quòd ad hominis preces tantam ſtragem tam exiguo temporis ſpatio Deus ediderit. David Kimhi & alii volunt, Deum poſt ſolis occaſum novi generis corpus in cælo condidiſſe, quod ſolem repræſentaret & ejus vice orbem terrarum illuſtraret, dum hoſtium ſtrages ab Iſraelitis confecta eſſet, plenaque reportata victoria. Quis credidiſſet umquam, ubi Spiritus ſanctus hoc ſtantis ſolis & lunæ miraculum tam apertè teſtatur, inter Chriſtianos aliquos futuros fuiſſe, qui his Rabbinorum commentis patrocinarentur : fuerunt tamen aliqui è recentioribus. Imprimis Grotius, qui in Annotationibus ad librum Joſue Maimonidis figmenta probabilia eſſe dicit. Dominus le Clerc apud Calmetum in diſſertatione ſuper Statione ſolis & lunæ, præfixa Commentariis in librum Joſue, aperte negat, ſolito diutiùs eo die ſolem ſupra horizontem viſum fuiſſe, ſed radios ejus, poſtquam occidiſſet, inſolita quadam refractione emicuiſſe ; vel aliud lumen ſolis vicarium apparuiſſe, quod Deus in cælo crearit, & Iſraëlitæ ipſum ſolem eſſe exiſtimarint. Novum criticus ille fingit miraculum, quòd fortè acciderit, dum illud imprudenter ac temerè negat, quod Scriptura diſertè commemorat. Alios duos profert idem Calmetus, qui nullum planè hîc miraculum agnoſcunt, ſed fortuitum parhelion tam diuturnæ lucis cauſam fuiſſe impudenter effutiunt. Inepta eorum argumenta hîc non refutabo, tum quia operosè id præſtitit Calmetus & Natalis Alexander in Hiſtoria eccleſiaſtica veteris Teſtamenti diſſertatione* 13, *tum quia tam clarè tamque manifeſtè hoc portentum Scriptura locis citatis exprimit, ut nullo modo verba ſacra flecti poſſint ad figuratum loquendi modum, illum ſcilicet, quem ipſi iis affingunt. Hoc addo, ne tangere videar ſyſtematis Copernicani defenſores, qui ſolem quieſcere, terram verò moveri docent. Quamquam ab his ego diſſentiam, fateor tamen intelligi utcumque adhuc poſſe, quomodo ſecundum philoſophos iſtos vera ſit locutio Scripturæ ſacræ, quæ res ita exprimere ſolet, ut homines vulgò loquuntur & mente concipiunt, teſte*

B C E F

AUCTORE J. L.

S. Auguſtino in caput 9 Geneſios. Verùm an vulgaris hominum ſermo umquam fuit, ut dum alicujus imperatoris celeritatem in expeditionibus bellicis ſignificare, vel dum parhelion aut aliud ſpecie diverſum corpus luminoſum poſt ſolis occaſum in cælo apparuiſſe exprimere volunt, dicant: Sol ſtetit in medio cæli, & non feſtinavit occumbere *&c. ? Quis auctor ſacer aut profanus ejuſmodi metaphorâ vel hyperbole umquam uſus eſt ?*

duratio

196 *Auctores plurimùm laborant, ut aſſequantur, quo anni menſe, quo menſis die, quaque diei parte ſol ſtare inceperit. His diſputationibus me non interpono, quòd ha temporum circumſtantiæ ad miraculi magnitudinem Sanctive commendationem nihil conferant. Vide interpretes obvios, quorum plures conjiciunt,* Joſue *ſoli quietem imperaſſe, cùm ejus occubitus inſtaret, ideoque vereretur, ne hoſtes per tenebras effugerent. Juſtinus martyr in Dialogo cum Tryphone Judæo ſcribit, diem hunc Joſuanum fuiſſe 36 horarum. Solis motum ſupra horizontem duodecim, ejus verò ſtationem 24 horis duraſſe exiſtimavit. Nimirum illud* ℣. 13, Et non feſtinavit *ſol* occumbere ſpatio unius diei, *ipſe intellexit de civili 24 horarum die, quem philoſophi naturalem vocant. Veriùs id accipias de die artificiali, ut iidem loquuntur, id eſt, de tempore quo ſol lucem præbere ſolet : nam Eccleſiaſtici cap. 46* ℣. 5 *dicitur :* Una dies facta eſt quaſi duo; *quæ verba hunc ſenſum habere mihi videntur : Dies artificialis, quæ ſolet eſſe, puta 12 vel 14 horarum, facta eſt horarum 24 vel 28. Si cum Lirano, Genebrardo aliiſque dicas mixaculum hoc contigiſſe in ſolſtitio æſtivo, quod cadit in diem tertium quarti menſis anni Hebræorum eccleſiaſtici, luxit ſol 28 horis; nam ex elevatione poli Hieroſolymorum conſtat, illum tum lucem ſuam præbere 14 horarum ſpatio. Verùm ſecundum multos alios ſol tot horis eo die ſupra Judæa horizontem non apparuit, quòd prodigium hoc accidiſſe contendant aliquot diebus ante ſolſtitium. Serarius quæſt. 22 inter hos & illud integrum interceſſiſſe menſem putat. Verſus 14 :* Non fuit antea nec poſtea tam longa dies *alteri quæſtioni materiem præbuit, an ſcilicet dies Joſuanus longior fuerit die Ezechiæ regis, quo ſol retroceſſit decem gradibus : de quo præter interpretes videri poteſt Natalis Alexander laudatus.*

B

C

& magnitudo miraculi ;

197 *Auctor epiſtolæ 7 ad Polycarpum, quem multi S. Dionyſium Areopagitam fuiſſe credunt, duplicem hujus prodigii modum ponit, utrumque eximium divinæ potentiæ argumentum ; vel ut ſimul cum ſole & luna univerſa cæleſtium globorum machina conſtiterit, vel ut, ſole dumtaxat & luna ſubſiſtente, reliqui orbes tam ſuperiores quàm interjecti ordinarium curſum peregerint : quod admirabilius eſſe idem ſcriptor profitetur ; ſed ſuam ſententiam in alterutram partem non aperit. Prior tamen modus omnibus recentioribus apparet veriſimilior, idque ideo quia non expediebat, ut conſtitutus à Deo in creatione mundi perpetuus inter cælos ac ſidera ordo, tenor, ac conſenſus inæquabili planetarum duorum progreſſione turbaretur. Unà igitur cum ſole & luna reliqua aſtra ſtare cœperunt, jubente Deo angelos eorum motores tantiſper ab officio deſiſtere. Communiter quoque docent auctores, ceſſante cælorum motu, ceſſaſſe etiam in mundo ſublunari ea omnia, quorum is motus eſt cauſa particularis, verbi causâ æſtum marinum, qui à luna dependet. Atque hæc expreſſa eſt ſententia auctoris Mirabilium ſacræ Scripturæ lib. 2 cap. 4:* Quoniam, *inquit,* & maris curſum lunari convenientem eſſe in omnibus monſtravimus, & illum tunc requieviſſe, etſi Scripturæ vocibus reticetur, nonne ipſa illarum rerum pronuntiat obſervabilis commeatus ? Luna verò non tantùm in hac ſtatione requievit, ſed & incrementi vel detrimenti ſui interim conſuetudinem agere non potuit *&c. Non tamen ceſſante cælorum motu, ceſſarunt tunc alia omnia ſublunaria, quorum is motus ſolùm eſt cauſa univerſalis : quia inter cælorum influxum univerſalem, & hæc inferiora non eſt connexio neceſſaria, ut copiosè & ſubtiliter exponit Suarez tomo 1 Metaphyſicorum, diſputatione 22 de Cauſa prima, ſectione 5.*

D

in hoc Moyſe major fuit Joſue:

198 *Quamquam, ſi divinam conſideremus omnipotentiam, miracula omnia ſint æqualia ; unum tamen altero maius eſt, ſi ſpectemus admirationem, quam gignit in mentibus humanis. Quid homini mirabilius atque obſtupeſcendum magis apparere poteſt, quàm quòd homo cælis imperet, illis leges figat, ſolem & lunam cum reliquis planetis ſtelliſque omnibus ſola voce, tamquam habenis detineat ac frænet ? Poſtremo* E *quidem Deuteronomii capite legimus, non ſurrexiſſe prophetam majorem in Iſraël, quàm Moyſen* in omnibus ſignis atque portentis quæ miſit per eum (*Dominus,*) ut faceret in terra Ægypti *&c. Verùm hic locus ita intelligendus eſt, ut nempe legiſlator reliquos prophetas antecelluerit in operandis miraculis, ſi hæc omnia ſimul & cumulatim ſumantur ; nam ſi ea ſigillatim accipias, Diſcipulus magiſtro ſuo major fuit, quoad hoc ſaltem mirabile ſolis & lunæ quieſcentis prodigium. Vide ſanctum Thomam 2 2 q. 174 a. 4.*

5 reges in ſpelunca capti; eorum copiæ ad internecionem ferè

199 *Prater jam recenſita aliud quoque inſigne miraculum memorabili hoc die factum eſſe credimus. De hoc infrà num. 201 agendi locus erit opportunior, poſtquam ea, quæ poſt imperatam ſoli quietem contigerunt, narraverimus. Cùm itaque* Joſue *prope Azeca ſubſiſtens, ut diximus num. 191, coram omni multitudine cælis imperaſſet, atque hac advertiſſet Dominum obediviſſe voci hominis & pugnare pro Iſraël, aucta animis, hoſtium verſus Maceda fugientium tergis acriùs inſiſtit. Quinque autem reges videntes omnem exercitum diſſipatum eſſe, ſeque non cum* F *hominibus ſolùm, ſed cum Deo ipſo rem gerere, ad interitum ſuum evitandum in unum locum conveniunt, ignari ſe divinitus ad vindictam congregari ; ipſique ſe nec opinantes in carcerem conjiciunt, dum ſpelunca latebris juxta urbem Maceda ſe includunt :* Fugerant enim, *inquit Scriptura à* ℣. 16, quinque reges, & ſe abſconderant in ſpelunca urbis Maceda. Nuntiatumque eſt Joſue, quòd inventi eſſent quinque reges latentes in ſpelunca urbis Maceda. Qui præcepit ſociis, & ait : Volvite ſaxa ingentia ad os ſpeluncæ, & ponite viros induſtrios, qui clauſos cuſtodiant. Vos autem nolite ſtare, ſed *ulterius* perſequimini hoſtes, & extremos quoſque fugientium cædite : nec dimittatis eos urbium ſuarum intrare præſidia, quos tradidit Dominus Deus in manus veſtras.

deletæ, nemine ex Iſraëlitis deſiderato ;

200 Cæſis ergo adverſariis plagâ magnâ & uſque ad internecionem penè conſumptis, hi qui Iſraël effugere potuerunt, ingreſſi ſunt civitates munitas. *Plenâ de hoſtibus victoriâ relatâ, cælorum machina motu priſtino circumvolvi, & ſol occumbere cœpit ;* Reverſuſque eſt omnis exercitus ad Joſue in Maceda, ubi tunc erant caſtra.

Horum

AUCTORE J. L.

§ XXI. Supplicium v regum ; expugnatio Maceda, Lebna, Lachis, Eglon, Hebron, & Dabir ; clades internecina regis Gazer : an Hebron & Dabir ſub S. Imperatore ſæpius captæ ? Alias urbes in Chananæa Auſtrali occupat mira celeritate.

A *Horum locum non aſſignarat Imperator intra ipſa urbis mœnia (nondum enim in ejus poteſtatem venerat, ut ex ſequentibus patet ;) ſed in campeſtribus ejus, & fortè juxta ſpeluncam, in qua capti reges tenebantur. Verſu quidem* 15 *dictum eſt :* Reverſuſque eſt Joſue cum omni Iſraël in caſtra Galgalæ, *ſed hæc, ut interpretes notant, per anticipationem inſerta ſunt. Priùs enim confluxit omnis exercitus prope Maceda, ubi erat* Joſue, *& ſumptum eſt ſupplicium de regibus, & alia peracta fuerunt, quæ reliquo capite decimo continentur ; in cujus fine repetitur proprio loco & ſuo, rediiſſe S. Principem* cum omni Iſraël ad locum caſtrorum in Galgala ; *ubi ad hiberna conceſſit, re bene geſta toto tempore ad bellandum idoneo. Illo igitur die reverſi ſunt Iſraëlitæ non in Galgala ſed in locum, urbi Maceda vicinum,* ſani & integro numero, *ut additur* ℣. 21, *adeo ut ex iis nemo deſideratus fuerit. Subditur :* Nulluſque contra filios Iſraël mutire auſus eſt. *Continebant ſe videlicet mœnibus & portis incluſos, nec in recedentes Hebræos impetum facere, aut tela vibrare, imò ne*

B *linguam quidem contra eos movere auſi ſunt, non minùs confecti plagis quàm ſtupore defixi.*

Quinque regum colla Iſraëlitarum pedibus calcantur, E

201 *Verùm tam longi diei pondus & æſtum ferre quomodo potuit* Joſue *totuſque populus ? Ecce tota nocte è Galgalis ad obſeſſam Gabaonem armati iter fecerunt : manè in hoſtem irruerunt, fugatumque ad Maceda uſque & longiùs inſecuti ſunt (nam illò* ℣. 21 *rediiſſe leguntur,) adeo ut una nocte & die* 16 *circiter horarum iter confecerint, uti ex Adrichomii charta terræ promiſſæ topographica colligi poteſt. Itineris longitudini acceſſit continuus pugnandi & cædendi labor, qui à diei initio uſque ad veſperum duravit, ad veſperum, inquam, qui non poſt* 13 *vel* 14, *ut aliàs in Palæſtina tempore ſolſtitii vel aliquantò antè fieri ſolet ; ſed poſt* 26, 27 *vel* 28 *horas tandem advenit. Quis verò tam ferreis manibus & pedibus, tam robuſto corpore, qui præliandi, currendi, mactandi tam diuturnum laborem ferre poſſit ? Præſertim cùm nulla quies interpoſita, imò nulla fortè corporis refectio. Imperatorem noſtrum cum toto exercitu longum hunc diem jejunum traduxiſſe ſcribit S. Hieronymus libro* 2 *contra Jovinianum :* Jeſus filius Nave ſta-

C tionem imperavit ſoli & lunæ, & inediam pluſquam unius diei Victoris exercitus protelavit : *& Tertullianus libro de jejuniis cap.* 10 : Jeſum Nave debellantem Amorrhæos prandiſſe illa die exiſtimamus, quâ ipſis elementis ſtationem imperavit ? *Poteſt quidem in magna multitudine fortè unus & alter eſſe tam robuſtus tamque laborum patiens, qui tanto temporis intervallo vigilias, æſtum, corporiſque contentionem omnem toleret ; verùm tam multos, corporum viribus tam differentes in iis tamdiu perſeverare moleſtiis & laboribus, atque ita perſeverare, ut* ſani & integro numero *maneant ; id, inquam, mihi videtur ſine miraculo fieri non poſſe. Dico itaque, Deum Imperatoris cæterorumque ſub ipſo militantium vires naturales per divinum influxum ſuum ſuſtentaſſe, adeo ut neque motûs organa laſſarentur, neque ſpiritus vitales deficerent. Hoc miraculum admitti debet ſaltem in ſententia dictorum Patrum, qui Iſraëlitas eo die cibo corpora refeciſſe negant.*

qui non videntur ſine miraculo tot labores longo illo die perferre potuiſſe.

Poſtridie initium gerendæ rei à quinque regum ſupplicio ſumptum eſt : id enim, ut Caietanus rectè animadvertit, non illa celeberrima prodigiis die factum eſt ; ſed ſequente, ut ipſe textus non obſcurè ſignificat, affirmans primùm illos eductos è ſpelunca, tum ad contumeliam pedibus conculcatos, dein in crucem actos in patibulis manſiſſe uſque ad veſperam : atqui ad veſperam tantùm in caſtra pridie reverſus erat exercitus, beneficio diuturnæ lucis bene uſus ; ergo dicti reges non eodem, ſed poſtero die ſupplicio affecti ſunt. Poſtridie itaque juſſit Joſue *aperiri os ſpelunca, revolutis ingentibus ſaxis, quæ pridie milites advolverant ad prohibendam eorum fugam :* Præcepitque, *inquit ſacra Lectio à* ℣. 22, Joſue, dicens : Aperite os ſpeluncæ & producite ad me quinque reges, qui in ea latitant. Feceruntque miniſtri, ut ſibi fuerat imperatum : & eduxerunt ad eum quinque reges de ſpelunca, regem Jeruſalem, regem Hebron, regem Jerimoth, regem Lachis, regem Eglon. Cúmque adducti eſſent ad eum, vocavit omnes viros Iſraël ; & ait ad principes exercitûs, qui ſecum erant : Ite, & ponite pedes ſuper colla regum iſtorum. Qui cùm perrexiſſent, & ſubjectorum colla pedibus calcarent ; rurſum ait ad eos : Nolite timere, nec paveatis, confortamini & eſtote robuſti : ſic enim faciet Dominus cunctis hoſtibus veſtris, adverſum quos dimicatis. ℣n *hunc locum inter alia hæc lego apud Maſium :* F Quòd Joſua ſuos tribunos inſultare cervicibus regum jubet, qui victi, capti, proſtrati, ſupplices ante ipſius pedes jacebant, magnam profectò crudeliter exercentis victoriam imperatoris ſpeciem habere exiſtimet aliquis. Sed quis credat eum Virum, qui fuerat in Moſis ſchola eruditus, quo nemo omnium mortalium vixit omnibus in terris mitior, ut eſt in ſacris Litteris *Numer. cap.* 12 ℣. 3, ſic ſupra modum inſoleſcere potuiſſe ? Planè ergo eſt exiſtimandum, hac in re Joſuam, ut in ceteris quoque, nihil feciſſe niſi cæleſti inſtinctu . . . Quin hanc triumphandi ſpeciem . . . . Moſes ſub exceſſum ſuum vaticinans non ſolùm prædixit, verùm etiam ut maximum dignitatis & felicitatis populi Iſraëlitici argumentum mirificè extulit, cùm ſic caneret (*Deut. cap.* 33 ℣. *ultimo :*) " Beatus es tu Iſraël ! „ quis ſimilis tibi, populе ſervate per Dominum ; „ qui eſt clypeus tibi auxiliaris & gladius digni„ tatis tuæ ? Subjicientur enim tibi hoſtes tui, „ & tu illorum excelſa (*alii vertunt* colla) cal„ cabis „.

203 *Poſt hæc impii illi tyranni, non tam Principis noſtri quàm Dei vindicis ſententiâ condemnati,*

AUCTORE J. L.

nati, meritas mortis pœnas luunt, ut narratur à ℣. 26: Percuſſitque Joſue & interfecit eos, atque ſuſpendit ſuper quinque ſtipites: fueruntque ſuſpenſi uſque ad veſperum. Cumque occumberet ſol, præcepit ſociis, ut deponerent eos de patibulis *ſecundum legem Deut. cap. 21 ℣. 23.* Qui depoſitos projecerunt in ſpeluncam, in qua latuerant; & poſuerunt ſuper os ejus ſaxa ingentia, quæ permanent uſque in præſens. Eodem quoque die Macedam cepit Joſue, & percuſſit eam in ore gladii, regemque illius interfecit & omnes habitatores ejus: non dimiſit in ea ſaltem parvas reliquias. Fecitque regi Maceda, ſicut fecerat regi Jericho. *Hunc verſum* 28, *qui agit de expugnatione Maceda, ita explanat Salianus in ſua Epitome num.* 46: Dum iſti reguli in patibulis penderent, non ſe dedit quieti Joſue; eodem quippe die Macedam cepit, indéque ad circùm poſitas iſtorum regum urbes victorem exercitum circumtulit, nonnullis etiam aliis ex itinere occupatis. Prima autem Maceda cladem accepit, vicinitate loci exercitum invitante: Imperatori etiam victoriâ utendum fuit, cùm ſuorum animos proſpero ſucceſſu rerum accenſos vidit, hoſtium autem tanta clade debilitatos. Occupavit ergo Macedam, regemque illius cum omnibus ejus habitatoribus internecione delevit, idque intra unum atque eumdem diem. Nec tamen abſurdum eſt dicere, regem Maceda vivum in alterum diem ſervatum eſſe, ut uno die ſuſpenſus ad exemplum, & humanæ inconſtantiæ documentum maneret, ad veſperam autem ex decreto legis deponeretur, & mandaretur ſepulturæ. Qui etiam dies & fortaſſe non unicus in deprædatione civitatis conſumptus eſt, & in aliqua quiete; quandoquidem Iſraëlitæ tam propitium ſibi experiebantur Deum, ut ſinguli propemodum dies, ſingulis civitatibus capiendis ſufficerent. Itaque non definitur dies progreſſionis ad urbem Lebna ſive Lobna, ut alibi vocatur.

interficiuntur & ſuſpenduntur: expugnantur Maceda,

B

204 Tranſivit autem (*Verba ſacra ſunt à ℣. 29*) cum omni Iſraël de Maceda in Lebna, & pugnabat contra eam: quam tradidit Dominus cum rege ſuo in manus Iſraël: percuſſeruntque urbem in ore gladii, & omnes habitatores ejus. Non dimiſerunt in ea ullas reliquias. Feceruntque regi Lebna, ſicut fecerant regi Jericho. *Hæc ita elucidat idem Annalium conditor num.* 47:

Lebna,

C

Tranſivit autem Joſue cum omni Iſraël, exceptis tamen iis, qui erant in Galgalis, de Maceda in Lebna, inter quas non ampliùs quàm unius horæ iter conſtituit Adrichomius. Eademque vel ingenio loci, vel arte ita firma & munita fuit, ut etiam Sennacherib regi Aſſyriorum poſterioribus ſeculis reſtiterit *lib. 4 Regum cap. 19 ℣. 8.* Et videtur aliquanto tempore reſtitiſſe Joſue; id enim innuit illa vox, ET PUGNABAT CONTRA EAM. Cùm enim certiſſimè ſibi pereundum eſſe viderent, proinde putabant, ſive reſiſtendo mori ſive cedendo. Reſtiterint ergo fortaſſis diebus aliquot, mox tamen Iſraëlitæ irruperunt in eam; eodemque ſe modo geſſerunt contra regem Lebna, populumque ejus, quo adverſus Maceda. Omnes enim deleti ſunt, nec ullus reliquus factus eſt, nulli ſcilicet ſexui aut ætati parcitum fuit.

& Lachis; clades internecina regis Gazer,

205 *Invicti Heroïs victorias recenſere pergit Hiſtoricus ſacer à ℣. 31:* De Lebna tranſivit in Lachis, *quæ ab illa duabus horis aberat teſte Adrichomio*, cum omni Iſraël: & exercitu per gyrum diſpoſito oppugnabat eam. Tradiditque Dominus Lachis in manus Iſraël, & cepit eam die altero atque percuſſit in ore gladii, omnemque animam, quæ fuerat in ea, ſicut fecerat Lebna. *Facilior autem expugnatu fuit Lachis, quòd rex ejus Japhia cum præcipua populi parte, qui contra Gabaon venerant, paulò antè cecidiſſent. Subditur ℣. 33:* Eo tempore aſcendit Horam rex Gazer, ut auxiliaretur Lachis *obſeſſæ. Hîc rex ſive fœdere aliquo devinctus, ſive precibus a deſolata urbe evocatus, ſive periculi vicinitate permotus cum omni populo ſuo Lachitis ſuppetias laturus accurrit. Sed ſi, urbe expugnata, tardiùs venit, maturè certè in ſuam ſuorumque perniciem venit; eum enim* percuſſit Joſue cum omni populo ejus uſque ad internecionem.

D

atque urbium Eglon,

206 *Unius circiter diei itinere à Lachis Auſtrum verſus in tribu Juda ſita eſt Eglon, cujus rex Dabir unus quoque fuit ex quinque illis, qui Principis juſſu ſuſpenſi fuerant. Ad hanc perrexere victores Iſraëlitæ, atque illa ipſa die, quâ obſidione cingi cœpta eſt, expugnata fuit: propugnatoribus ſcilicet ferè deſtituta erat, ejus enim incolæ paucis fortè exceptis, qui in præſidio relicti erant, ad Gabaonem obſidendam cum rege ſuo profecti fuerant, & maxima ex parte celebri illo die ceciderant. De hac expeditione ita paucis verſus 34 & 35:* Tranſivitque (Joſue) de Lachis in Eglon, & circumdedit, atque expugnavit eam eadem die: percuſſitque in ore gladii omnes animas, quæ erant in ea juxta omnia, quæ fecerat Lachis.

E

Hebron,

207 *Captâ Eglon, exercitum duxit ad interiora tribûs Judæ, meridiem verſus, ad montana illius. In iis enim ſita erat Hebron, incolarum fortitudine, agrorum ſibi ſubjectorum amplitudine, municipiorumque frequentiâ una de potentiſſimis Chananæa urbibus. De hujus expugnatione agitur à ℣. 36:* Aſcendit quoque cum omni Iſraël de Eglon in Hebron, & pugnavit contra eam: cepit eam, & percuſſit in ore gladii, regem quoque ejus & omnia oppida regionis illius, univerſaſque animas, quæ in ea fuerant commoratæ: non reliquit in ea ullas reliquias: ſicut fecerat Eglon, ſic fecit & Hebron, cuncta, quæ in ea reperit, conſumens gladio. *At nonne rex ejus jam fuerat occiſus ac ſuſpenſus ad Maceda? Alterutrum dicendum, vel novum in ea regem, illius fortaſſe filium, aut alium à populo fuiſſe electum, ne difficillimis illis temporibus urbs diu rectore careret, vel hîc iterari mentionem regis Oham, ad ſpeluncam interfecti.*

F

& Dabir:

208 *Sequitur in textu ſacro à ℣. 38:* Inde reverſus in Dabir, cepit eam atque vaſtavit: regem quoque ejus atque omnia per circuitum oppida percuſſit in ore gladii: non dimiſit in ea ullas reliquias: ſicut fecerat Hebron & Lebna & regibus earum, ſic fecit Dabir & regi illius. *Conjicit Maſius, imperatorem* Joſue *ab expugnata Hebrone ulteriùs nonnihil ad Idumæorum ac Philiſthinorum fines excurriſſe; nam mox ℣. 41 dicitur, eum uſque ad Cadesbarne & Gazam armis graſſatum fuiſſe; indéque ad urbem Dabir Hebroni viciniorem fuiſſe reverſum. Conjecturam hanc approbat Salianus in Annalibus num.* 193, *quem conſule, ſi lubet.*

ſanctò Imperatore vivente, Hebron & Dabir

209 *Bellum, quod magno illo die contra quinque reges geſtum & confectum eſt, interpretes & Annalium ſcriptores Gabaoniticum, quòd Gabaonitarum causâ ſuſceptum; vel Adoniſedechianum vocant, quòd ejus auctor & dux præcipuus fuerit Adoniſedec. Hujus verò proſecutionem iidem bellum Auſtrale appellare ſolent, quòd ſanctus*

A *ctus Imperator ad Auſtrum progreſſus illud geſſerit. Quod dictum eſt de expugnatione Hebron & Dabir viciniſque municipiis, cum Torniello, Tirino & Calmeto repetitum credimus cap.* XI ℣. 21 & 22, *ubi nonnullæ circumſtantiæ, cap.* 10 *præteritæ, adduntur;* In illo tempore venit Joſue, & interfecit Enacim de montanis Hebron, & Dabir, & Anab, & de omni monte Juda & Iſraël, urbeſque eorum delevit. Non reliquit ullum de ſtirpe Enacim, in terra filiorum Iſraël: abſque civitatibus Gaza, & Geth, & Azoto, in quibus ſolis relicti ſunt. *Ex quo intelligitur, habitatores regnorum Hebron & Dabir fuiſſe illâ hominum monſtra de ſtirpe gigantea, quorum ab exploratoribus narrata fortitudo & crudelitas tantum horrorem Iſraëlitis incuſſerat, ut deſperantes ſe hoſtem tam formidabilem poſſe vincere, reditum in Ægyptum ſeditiosè cogitarint Numer. cap.* 13 *à* ℣. 29. *Quotquot è gigantibus illis in proximiores Philiſthinorum urbes Gazam, Geth & Azotum fugâ elabi non potuerunt, à victore exercitu interfecti ſunt. Qui ad has urbes ſe receperant, in iiſdem* relicti ſunt;

B *ſanctus enim Princeps illas non expugnavit. Unde factum, ut, cùm totus Iſraël occuparetur in debellandis Aquilonaris Chananæa regibus, ad priſtinas ſedes remigrarint, urbeſque ſuas in Chananæa Auſtrali ſitas refecerint & munierint, ac præſertim ipſam Hebron & Dabir. Quòd id contigerit eo tempore, quo Aquilonem verſus quinque circiter annis bellatum fuit, manifeſtum eſt ex eo, quòd, antequam* Joſue *terram duodecim tribubus divideret, Hebron cap.* 14 ℣. 12 *dicatur ſub poteſtate hoſtium fuiſſe, ſub qua manſit reliquo tempore vitæ ſancti Principis, ut dicemus numero ſequente.*

ſemel tantùm ab Iſraëlitis expugnatas credimus:

210 *Bonfrerius & alii volunt allegatos capitis* XI *verſus non repetere, quæ hìc cap.* 10 *de Hebron & Dabir referuntur; ſed ſanctum Imperatorem, confecto bello Aquilonari, rediiſſe ad Auſtralem Chananæam ad gigantes Enacim, qui terras ſuas repetierant, debellandos: verùm quomòdo id conciliabis cum verbis Calebi ad* Joſue *cap.* 14 ℣. 12: Da ergo mihi montem iſtum (*Hebron,*) quem pollicitus eſt Dominus, te quoque audiente, in quo Enacim ſunt, & urbes magnæ atque munitæ; ſi fortè ſit Dominus mecum, &

C potuero delere eos, ſicut promiſit mihi. *Ex his patet, Calebum petere terram ab hoſtibus occupatam. Petitio autem hæc facta eſt ante inchoatam terræ partitionem, inter quam & finem belli Borealis exiguum ſecundum omnes tempus interceſſit. Itaque Hebron & Dabir veriſimiliùs non niſi ſemel ante terræ diſtributionem occupatæ fuere, idque cùm Meridionalis Chananæa plaga belli ſedes eſſet; quâ ad Aquilonares ejuſdem partes tranſlatâ, ab hoſtibus receptæ ſunt, & ſub illorum poteſtate manſerunt, donec Sanctus vixit. Caput quidem* 15 *à* ℣. 14 *narrat, Calebum & Othonielem utramque urbem expugnaſſe; ſed id ſecundùm S. Auguſtinum quæſt.* 3 *in Judices & pleroſque alios poſt obitum* Joſue *contigit; cùm idem eiſdem penè verbis Judicum cap.* 1 *à* ℣. 10 *referatur. At, inquies, cap.* 14 *petitioni Calebi ſubditur:* Benedixitque ei Joſue, & tradidit ei Hebron in poſſeſſionem. Atque ex eo fuit Hebron Caleb filio Jephone Cenezæo uſque in præſentem diem: *ſed inde non ſequitur, ut poſſeſſio ſtatim à Calebo adita fuerit, hoſtibus cæſis vèl expulſis. Conſule interpretes obvios in locos, hoc & præcedente numero citatos. Omnium ſententiis examinatis, hæc mihi probabilior videtur, quæ ſtatuit, capite* XI ℣. 21 & 22 *repeti, quæ capite* 10 *à* ℣. 36 *referuntur; at capite* 15 *à* ℣. 14 *præoccupari Calebi & Othonielis victorias, quas narrat Judicum caput* 1 *à* ℣. 10; *capite verò* 14 ℣. 14 *agi de poſſeſſione juris: ex quibus conſequens eſt, ut Hebron & Dabir non niſi ſemel ſub ſancto Imperatore captæ fuerint.*

AUCTORE J. L.

præter ſex nominatas, alias urbes in

211 *De ſex tantùm urbibus regiis, bello Auſtrali occupatis, Maceda, Lebna, Lachis, Eglon, Hebron & Dabir Scriptura meminit. Etſi ad Jeruſalem, Jerimoth & Gazer ſubigendas proceſſiſſe non legatur; quoniam tamen earum reges cum exercitu ſuo cæſos fuiſſe conſtat ex cap.* 10 ℣. 3, 26 & 33, *non dubito quin Dux noſter, victoriâ utendum ratus, dictas urbes regum ſuorum interitu conſternatas hoc quoque anno ceperit, quo Auſtrum verſus bellatum fuit. Capite* 12 *à* ℣. 9 *reges triginta & unus enumerantur à Sancto debellati, inter quos præter novem illos, quorum ſedes regias jamjam nominavimus, recenſentur alii quatuor, qui in terris illis regnarunt, quæ poſtmodum tribui Juda ſortitò obtigerunt, videlicet reges Gader, Herma, Hered & Odullàm. Hos etiam bello Auſtrali ſubactos fuiſſe puto.*

Chananæa Auſtrali capit Joſue

212 *Quòd autem præter ſex urbes capite* 10 *nominatas, ſanctus Dux etiam alias bello Auſtrali ceperit, manifeſtum eſt ex* ℣. 40 & *ſeqq.:* Percuſſit itaque Joſue omnem terram montanam, & meridianam, atque campeſtrem, & Aſedoth (*plerique per hanc vocem intelligunt loca devia & convalles*) cum regibus ſuis: non dimiſit in ea ullas reliquias; ſed omne, quod ſpirare poterat *generis humani*, interfecit, ſicut præceperat ei Dominus Deus Iſraël, à Cadesbarne uſque Gazam. Omnem terram Gozen uſque Gabaon, univerſoſque reges, & regiones eorum uno impetu cepit atque vaſtavit: Dominus enim Deus Iſraël pugnavit pro eo. *Panit hîc ob oculos Scriptura magnum locorum ſpatium, quæ* uno impetu, *id eſt, unica excurſione ſeu expeditione continuata, ſinè ulla ullo in loco longioris moræ interpolatione fulminis inſtar percurrit, ac Iſraëli ſubjecit. Ne verò ſingula, ad quæ victricia arma circumtulit, urbium & regionum nomina ſigillatim recenſeat, generatim dicit; cum omnes Chananææ Meridionalis terras, quæ intra Cadeſbarne & Gazam, Gabaonem & terram Gozen ſitæ ſunt, in poteſtatem redegiſſe. Jam autem omnes ſuprà memoratæ urbes regiæ intra quatuor illa loca in Calmeti aliorumque geographorum chartis topographicis collocantur: unde ſequitur id, quod ſtatim aſſeruimus. Cap.* 12 ℣. 17 & 18 *in debellatorum regum catalogo quoque ponuntur reges Taphua, Opher, & Aphec. Si Scriptura hìc loquatur de Taphua & Aphec, quæ cap.* 15 ℣. 34 & 53 *tribui Juda aſſignantur, & de Opher, quæ cap.* 18 ℣. 23 *Benjaminitis obtigit; illarum reges in eadem, quâ ceteri antè dicti, expeditione cum ſuis periiſſe exiſtimo. Sin verò agat de Taphua, quam cap.* 16 ℣. 8 & *cap.* 17 ℣. 8 *locat in confinibus tribuum Ephraim & Manaſſe, de Aphec, quæ cap.* 19 ℣. 30 *ceſſit filiis Aſer, de Opher in tribu Zabulon ſita; annumerandi ſunt regibus bello Aquilonari victis, de quo paragrapho ſequente. Qui locorum horum, aliorumque, de quibus hactenus facta mentio, pleniorem cupit notitiam, adeat Dictionarium Biblicum Calmeti ac ejuſdem Commentarios in Joſue cap.* 10 *a* ℣. 28, & *cap.* 12 *à* ℣. 9, *Adrichomium, alioſque.*

213 *Sanctum Ducem celeritate penè incredibili intra primum imperii ſui annum tot urbes obſediſſe &*

AUCTORE J. L. celeritate penè incredibili ; redit cum exercitu in Galgala.

& expugnaſſe , tot profligaſſe exercitus , tot reges interemiſſe , tot itinera confeciſſe, Saliani doctiſſimi conjectura eſt valde probabilis , quam ſequimur. Favet verſus 42 : Univerſoſque reges , & regiones eorum uno impetu , *id eſt , unica continuata excurſione* , cepit atque vaſtavit. *Tantæ felicitatis ac celeritatis cauſa additur :* Dominus enim Deus Iſraël pugnavit pro eo. *Quod non ſolùm referas ad vibratum in hoſtes lapidum imbrem , & ad ſolis lunæque curſum inhibitum ; ſed etiam ad terrorem hoſtium animis injectum , & ad fortitudinem atque alacritatem Hebræis ſubminiſtratam :* Sicut autem (*verba ſunt ejuſdem Saliani in Epitome num.* 51) hoc Dei auxilium valet ad minuendam admirationem & faciendam fidem , ita illa juſſio ejuſdem , *cujus meminit capitis* 10 *verſus* 40 , incredibilem atque inuſitatam illam ſeveritatem , quâ in Chananæos nulla ætatis ſexuſve differentiâ *ab Hebræis* ſævitum eſt, non excuſat ſolùm aut mitigat ; ſed juſtam etiam & laudabilem facit. Dei enim ſententiam in hanc gentem pluribus antè ſeculis latam , utique juſtiſſimam & immaniſſimis eorum ſceleribus imparem,

B hoc denique tempore , ſupremo illo Judice imperante , ſunt executi. E contrario juſtam illi reprehenſionem non effugerunt , qui ſive deſidiâ , ſive perverſâ clementiâ , pleriſque Chananæis , Deo repugnante , in ſuam ipſorum perniciem pepercerunt. *Non putem Salianum velle , quòd Dominus in omnes omnino Chananæos mortis ſententiam tulerit ; ſed loqui tantùm de iis , quibus ſanctus Imperator non pepercit , quòd paci bellum prætulerint , terras ſuas Iſraëlitis cedere & idololatriam deſerere recuſantes. Si lex Dei fuit , ut etiam ſe ſuaque Hebræis ſubjicientes & veram religionem amplectentes occiderentur* , perverſâ clementiâ & Deo repugnante *juratum cum Gabaonitis fœdus ſervavit. Vide ſuprà num.* 178 *& ſeqq. , & infrà num.* 225. *Porrò Chananitide Auſtrali ſubactâ , Imperator Gabaonem verſus iter reflexit* , Reverſuſque eſt cum omni Iſraël ad locum caſtrorum in Galgala ℣. 43 ; *ubi ſcilicet arca Domini erat. Quæ Scriptura de bello Auſtrali habet ita contraxit Joſephus , feſtinans ſcilicet ad alia :* Debellatis in hunc modum regibus , qui Gabaonitas invaſerant , Jeſus in Chananææ montana ducit exercitum : & magna in

C ea regione cæde edita prædâque abactâ , exercitum reducit in Galgala.

§ XXII. Jabin aliique Aquilonares reges ingentem cogunt exercitum : Sanctus victoriâ à Deo prænuntiatâ potitur ; munitiſſimam Aſor , aliaſque capit urbes ; prædam dividit : Deus voluit , ut aliquæ terræ in Chananæa ſub Joſue non expugnarentur.

Rex Aſor cum aliis fœderatis Chananæa Aquilonaris regibus

DUm Joſue *in hibernis ad Galgala commoratur , ſuumque exercitum aliqua quiete reficit , ſecundus ejus imperii annus illuceſcit , Iſraëlitica verò libertatis quadrageſimus ſecundus. Interea temporis reges , qui priore anno in Hebræorum perniciem conſpirarant (iſtos enim cum Saliano eoſdem eſſe putamus cum illis , de quibus* D *hîc , ut num.* 164 *diximus) innumerabiles penè in unum contraxerunt copias , ut communem hoſtem communi marte exterminarent , & in una eademque omnium cauſa unum eſſet idemque periculum. Rex Aſor , nomine Jabin , regum in Aquilonari Chananæa dominantium potentiſſimus, auctorem ſe belli contra Iſraëlitas , atque ducem præbuit. Qui reges ſocia arma junxerint , quibuſque ex populis conflatus fuerit immenſa multitudinis exercitus , ex Scriptura diſcimus cap.* XI *à ℣.* 1 : Quæ cùm audiſſet Jabin rex Aſor , miſit ad Jobab regem Madon , & ad regem Semeron , atque ad regem Achſaph : ad reges quoque Aquilonis , qui habitabant in montanis & in planitie contra meridiem Ceneroth , in campeſtribus quoque & in regionibus Dor juxta mare : Chananæum quoque ab Oriente & Occidente , & Amorrhæum , atque Hethæum , ac Pherezæum , & Jebuſæum in montanis ; Hevæum quoque , qui habitabat ad radices Hermon in terra Maſpha. Egreſſique ſunt omnes cum turmis ſuis, populus multus nimis ſicut arena , quæ eſt in lit-

E tore maris ; equi quoque & currus immenſæ multitudinis. *Propria gentium & locorum nomina , de quibus hîc mentio fit & infrà fiet , examinata vide apud Salianum ad annum mundi* 2585 , *Calmetum , Bonfrerium alioſque hîc.*

numeroſiſſimum cogit exercitum contra Joſue ,

215 *Si Lirano , Dionyſio Carthuſiano , Adrichomio aliiſque credimus , reges viginti quatuor contra Iſraëlitas conſpirarunt. Verùm cùm reges omnes à Sancto ad hoc uſque tempus debellati tantùm fuerint triginta & unus , ut dicitur cap.* 12 *verſu ultimo , cùmque jam ante bellum contra Jabin ejuſque ſocios Scriptura cladem & necem exprimat undecim regum , bello Hierichuntino , Haïenſi , Gabaonitico & Auſtrali ſuperatorum ; viginti tantùm ſuperſint oportet : è quibus probabiliùs quinque alii & fortè plures ſubtrahendi ſunt , qui non hoc bello Aquilonari, ſed prioribus illis quoque victi ſunt. Itaque reges in Chananæa Septemtrionali debellati numero pauciores fuerunt quàm* 24. *Vide infrà num.* 227. *Quatuor ex illis tantùm hoc capite* XI ℣. 1 *nominantur : reliqui* ℣. 2 *& alibi generalibus vocibus comprehenduntur. Joſephus in exercitu ab illis coacto* trecenta peditum millia , equitum decem millia , & curruum viginti millia *fuiſſe ſcribit. Verùm Scriptura numerum nullum determinat. Numeroſiſſimis tot regum copiis , quia non modò ex diverſis , ſed admodùm etiam disjunctis locis egrediebantur , certus aſſignatus eſt locus , ad quem omnes confluerent :* Conveneruntque

F omnes reges in unum ad aquas Merom , ut pugnarent contra Iſraël ℣. 5.

cui hoſtibus obviam procedenti Dominus victoriam denuntiat :

216 *Quæ cùm provido Imperatori innotuiſſent , non exſpectavit , dum tantus exercitus eum obſideret in Galgalis ; ſed præveniendum ratus , maluit in hoſtili , quàm in propria regione pugnare. Valebat id ad terrorem hoſtium & confirmationem ſuorum. Cum ſuis itaque itineri ſe dedit , in quo Dominus ei victoriam denuntiavit ; unáque juſſit captis equis crurum nervos incîdi, hoſtileſque currus comburi , ne fortè poſtmodùm in præliis his vel illis uterentur Iſraëlitæ ; quos volebat , ut non in curribus & in equis , ſed in ſolo Deo fiduciam omnem ponerent. De hoc præcepto ita* ℣. 6 : Dixitque Dominus ad Joſue : Ne timeas eos ; cras enim hac eadem hora ego tradam omnes iſtos vulnerandos in conſpectu Iſraël : equos eorum ſubnervabis , & currus igne combures. *Dominus hæc pridie pugnæ eſt locutus ,*

A *tus, uti conſtat ex voce* cras; *non in Galgalis, ſed in ipſo itinere, ut dictum eſt: omnes enim interpretes aquas Merom remotiores à caſtris collocant, quàm ut iter ex his ad illas uno die confici potuerit.*

pugna, cædes & fuga hoſtium:

217 *Sequitur pugna, cædes & fuga hoſtium à* ℣. 7: Venitque Joſue, & omnis exercitus cum eo adverſus illos ad aquas Merom ſubitò; *jam enim didicerat experientiâ, quantum momenti poſitum eſſet in diligentia & celeritate:* Et irruerunt ſuper eos, *cùm fortè nondum parati ac diſpoſiti forent ad prælium.* Tradiditque illos Dominus in manus Iſraël. Qui percuſſerunt eos, & perſecuti ſunt uſque ad Sidonem magnam, & aquas Maſerephoth, campumque Maſphe, qui eſt ad Orientalem illius partem. Ita percuſſit omnes, ut nullas dimitteret ex eis reliquias: Fecitque ſicut præceperat ei Dominus, equos eorum ſubnervavit, currusque combuſſit igni ℣. 8 *& ſeqq. Quòd autem Victor dicatur neminem adverſariorum reliquum feciſſe, non repugnat quo minùs multi in civitates munitas fugâ elapſi fuerint. Id enim de rege Aſor certum eſt ex verſu* 10.

B *Itaque nullas dimiſiſſe reliquias, idem hîc eſt ac nulli vitam dediſſe, qui in ejus poteſtatem veniſſet. Eodem modo eaſdem voces intelligo, capite decimo in urbium enumeratione, bello Auſtrali captarum, ſæpe repetitas.*

munitiſſimam Aſor

218 *Poſtquam infelici prælio res Chananæorum acciſæ ſunt, &* Joſue *exercitum ſuum ab hoſte perſequendo cædendoque ad ſua ſigna revocavit, contra Aſor urbium hoſtilium caput infeſta arma mox convertit, occupatamque, cæſis omnibus cum rege ſuo habitatoribus, incendit. Res in Scriptura ita narratur à* ℣. 10: Reverſuſque ſtatim cepit Aſor: & regem ejus percuſſit gladio. Aſor enim antiquitus inter omnia regna hæc principatum tenebat. Percuſſitque omnes animas, quæ ibidem morabantur: non dimiſit in ea ullas reliquias; ſed uſque ad internecionem univerſa vaſtavit, ipſamque urbem peremit incendio.

aliaſque urbes capit; omnium incolas interficit; aliquas incendio vaſtat;

C 219 *Quæ dein ſecutæ ſunt plurimarum urbium expugnationes hoc capite Scriptura ſigillatim non perſequitur, in genere omnia paucis verbis ſignificare contenta:* Et omnes, *inquit* ℣. 12, per circuitum civitates, regeſque earum cepit, percuſſit atque delevit, ſicut præceperat ei Moyſes famulus Domini *Deut. cap.* 7 ℣. 2, *& cap.* 20 ℣. 16. *Quod autem de incenſis urbibus ſubdit, nonnullam habet difficultatem;* Abſque urbibus, *inquit* ℣. 13, quæ erant in collibus & in tumulis ſitæ, ceteras ſuccendit Iſraël: unam tantùm Aſor munitiſſimam flamma conſumpſit. *Videtur Scriptura hîc pugnantia loqui:* Verùm ponenda ſunt, *inquit Salianus in Epitome ad annum* 2586 *num.* 2, duo genera urbium, aliæ fuerunt tumulis & aggeribus cinctæ, & expugnatu difficiles; aliæ contrà captu faciles & opportunæ injuriæ: & has quidem ſuccenderunt Iſraëlitæ, illas autem in proprium uſum atque habitationem conſervarunt, neque incenderunt, exceptâ Aſorâ, quæ ad aliarum terrorem flammis abſumpta eſt. *Conſentiunt Abulenſis, à Lapide &c. Hoc capite, ut ſtatim dixi, urbium bello Aquilonari captarum nomina reticentur; præcipuæ tamen civitates, quæ regum ſedes erant, nominántur capite ſequente ſub finem.*

prædam diſtribuit: in bellis aliiſque rebus

220 Omnemque prædam iſtarum urbium ac jumenta diviſerunt ſibi filii Iſraël, cunctis hominibus interfectis ℣. 14. *Rurſus ſubdo verba Saliani laudati num.* 3: Ejus prædæ magnitudinem Scriptura tacuit: ſiquis tamen eam ex Madianitica præda, *Numer. cap.* 31, quæ fuit modica apud Moabitas provincia, æſtimare voluerit; facilè intelliget immenſas opes, infinitamque vim pecorum ex tot provinciarum agris urbibuſque fuiſſe congeſtam. Facta porrò eſt diviſio non inter eos tantùm bellatores, qui cum Joſue militabant; ſed ejus etiam participes fuerunt, qui in Galgalis remanſerant, & qui in urbibus debellatis præſidio relinquebantur. Apparet enim Joſue Moſis exemplum in diſtributione prædæ Madianiticæ fuiſſe ſecutum, neque oblitum eſſe ſacerdotum atque Levitarum. *Inter ſpolia tamen ab Imperatore diſtributa non fuerunt aurum, argentum, aliave materia, ex qua idola confecta fuiſſent: hæc enim tota igne conſumi debebant ſecundum legem Domini Deut. cap.* 7 ℣. 25. *Quòd autem, ſicut ibidem cap.* 12 ℣. 3 *præcipitur, idola omnia eorumque aras & lucos ubique everterit, &, ut verbo abſolvam, omnes impleverit leges divinas, quarum exſecutionem in ſe ſubditiſque ex officio urgere debebat, inſigni & luculento teſtimonio Scriptura confirmat hîc* ℣. 15: Sicut præceperat Dominus Moyſi ſervo E ſuo, præcepit Moyſes Joſue; & ille univerſa complevit: non præteriit de univerſis mandatis, nec unum quidem verbum, quod juſſerat Dominus Moyſi. *Vide ſuprà num.* 176 *&* 177.

AUCTORE J. L.

geſtis à Dei lege non receſſit.

Bellum Aquilonare ex Joſepho, qui, illo imminente,

221 *In Scriptura deinceps nulla amplius referuntur bella, quæ communibus Iſraëlitarum armis, duce* Joſue, *geſta fuerint. Reliquum caput undecimum & duodecimum priùs facta repetit atque ſummatim perſtringit, additis nonnullis adjunctis, quæ anteà prætérita fuerant. Antequam ad illa cum Scriptura pergamus, quid de bello Aquilonari ſcripſerit Joſephus, expendamus:* Cúmque, *inquit*, latè per circumquaque ſitas regiones rumor de rebus Hebræorum forà titer geſtis ſpargeretur, deque ſtupenda multitudine cæſorum; excitati ſunt in eos reges Libani accolæ, & ipſi Chananæi generis, & quántum Chananæorum campeſtria colit, aſcitis Palæſtinis, caſtra poſuerunt ad urbem Galilææ Berotham, non longè à ſuperiore Cædeſa, quæ etiam in Galilæorum agro ſita eſt. *Sunt hæc loca vicina lacui Semeſchon in tribu Nephthali, quem multi volunt eſſe aquas Merom, de quibus* ℣. 5. Erantque omnes hæ copiæ peditum trecenta mil- F lia, equitum decem millia, currúum viginti millia. Quæ tanta hoſtium multitudo adeo tàm ipſum Jeſum quàm ceteros Iſraëlitas terruit, ut præ metu minimùm à deſperatione abeſſent. Sed cùm Deus exprobraſſet eis formidinem, & quòd ejus præſidio ſe non tam tutos putarent; pollicituſque victoriam, equos captivos enervari, & currus incendi juſſiſſet: conceptâ ex his promiſſis fiduciâ [ſuos Joſue] ducit in hoſtem: quem die quinto adeptus, pugnandi copiam facit, fitque conflictus validus, & ſtrages major, quàm ut facilè credi poſſit, eſt edita. In fuga quoque plurimi ceciderunt, ut præter paucos totus hoſtilis exercitus interierit. Reges etiam ad unum omnes ſunt cæſi, adeoque ſævitum eſt in victos, ut, hominibus ſublatis, in equos ferrum exercerent, & currus exurerent. Totam denique regionem pervagatus eſt, nemineque audente congredi, expugnabat oppida & quotquot ad manus ſuas pervenirent, interficiebat.

Sancto proximum deſperationi metum malè affingit:

222 *Diſcedit à Scriptura hiſtoricus Judæus, quòd, cùm Deus* ℣. 6 *pridie certaminis ſancto Principi victoriam denuntiarit, id ante quintum diem factum ſcribat. Diſcedit præterea, quòd omnes*

AUCTORE J. L.

omnes ad unum reges in eo conflictu cæsos dicat, cùm ex versu 10 *constet, regem Asor è prælio elapsum postea cum urbe sua periisse. Alio errore prioribus minùs tolerabili suam vitiat narrationem. Tot regum victori exercitui, atque adeo fortissimo Heroï nostro proximum desperationi metam impingere non erubescit, & asserere hunc illi a Domino fuisse exprobratum; illi, inquam, qui tam insigni nuper in Deum fiducia fuit, ut solis & lunæ stationem sperare, imò & præcipere non dubitaverit, qui Deum exercituum secum præliantem ita erat expertus, ut hostes lapidibus grandinis longè latèque videret à descensu Beth-horon usque ad Azeca trucidatos. Quodnam in Scriptura ostendi potest hujus tanti timoris vestigium? Quid enim, si dixit ei Dominus,* Ne timeas, *ideone minimùm à desperatione aberat? Idem utique dici posset de Abrahamo, cui reduci ac victori dixit Dominus Genes. cap.* 15 ℣. 1 : Noli timere Abram, ego protector tuus sum.

Josue Chananæos oppugnavit sex circitèr annorum spatio:

223 *A versu* 16 *compendio traditur, quidquid à primo principatus sui anno Sanctus subjecit;* Cepit itaque Josue omnem terram montanam, & meridianam, terramque Gosen, & planitiem, & Occidentalem plagam, montemque Israël, & campestria ejus : & partem montis quæ ascendit Seïr, usque Baalgad per planitiem Libani subter montem Hermon : omnesque reges eorum cepit, percussit, & occidit. Multo tempore pugnavit Josue contra reges istos. *Terra Gosen & mons Seïr ab Austro, planities verò Libani & montes Baalgad ac Hermon ab Aquilone Chananæam terminant. Salianus tempus, quo S. Princeps post transitum Jordanis contra terræ promissæ habitatores bellum gessit, quinquennio definit. Verius est, illud duravisse sex integris annis; uti satis colligitur ex ætate Calebi cap.* 14. *Vide num.* 230. *Primo anno bella omnia confecta sunt, quæ describuntur in libro Josue usque ad caput* XI : *secundo rex Jabin cum confœderatis sibi regibus Septemtrionalibus victum, atque urbem Asor captam fuisse putamus : reliquos verò quatuor annos in persequendis belli reliquiis, in obsidendis capiendisque civitatibus munitis positos fuisse.*

B

Deus ob rationes voluit, ut aliquas eorum terras Sanctus non expugnaret;

224 *Priusquam ad alia pergamus, lectorem monendum censemus, verba sacra capitis* XI *numero præcedente data, ejusdemque versum* 23, Cepit ergo Josue omnem terram *&c.*, *aliasque similes locutiones, quæ deinceps in libro Josue sæpe occurrunt, sensu accommodo intelligenda esse, ita ut componi possint cum cap.* XI ℣. 22, *cap.* 13 ℣. 2 *& seqq., aliisque locis ejusdem libri Josue; ex quibus certum est, quòd Sanctus aliquas Chananæa urbes & regiones Israëli numquam subjecerit. Duplici autem modo textus apparenter inter se pugnantes ab interpretibus passim conciliantur. Aliqui dicunt,* Josue *omnem Chananitidem cepisse, quòd quasi omnem seu longè majorem ejus partem vicisset, nèque eum bello lacessere auderent incolæ, ad quorum ditiones subjiciendas progressus non fuerat. Alii ipsum omnem terram subegisse aiunt, scilicet quam pedibus calcarat seu oppugnatum adiverat, uti Dominus illi promiserat Josue cap.* 1 ℣. 3 : Omnem locum, quem calcaverit vestigium pedis vestri, vobis tradam, sicut locutus sum Moysi *Deut. cap.* XI ℣. 24. *Quòd autem divinum consilium fuerit, ut sub principatu* Josue *non tota omnino Chananæa in Israëlitarum potestatem redigeretur, patet ex Deut. cap.* 7 ℣. 22 : Ipse (*Deus*) consumet nationes has in conspectu tuo paulatim atque per partes. Non poteris eas delere pariter, ne fortè multiplicentur contra te bestiæ. *Eadem ratio datur Exodi cap.* 23 *à* ℣. 29; *quam expositam vide apud interpretes. Aliam lego Judicum cap.* 2 *versu ultimo & cap.* 3 *à* ℣. 1 : Dimisit ergo Dominus omnes nationes has, & citò subvertere noluit, nec tradidit in manus Josue. Hæ sunt gentes, quas Dominus dereliquit, ut erudiret in eis Israëlem, & omnes, qui non noverant bella Chananæorum; ut postea discerent filii eorum certare cum hostibus, & habere consuetudinem præliandi : quinque satrapas Philisthinorum, omnemque Chananæum, & Sidonium atque Hevæum, qui habitabat in monte Libano, de monte Baal Hermon usque ad introitum Emath. Dimisitque eos, ut in ipsis experiretur Israëlem, utrùm audiret mandata Domini, quæ præceperat patribus eorum per manum Moysi, an non. *Ratio altera adfertur Sapientiæ cap.* 12 *à* ℣. 3 : Illos enim antiquos inhabitatores terræ sanctæ tuæ, quos exhorruisti, quoniam odibilia opera tibi faciebant, perdere voluisti per manus parentum nostrorum . . . Sed & his tamquam hominibus pepercisti, & misisti antecessores exercitus tui vespas, ut illos paulatim exterminarent : non quia impotens eras in bello subjicere impios justis, aut bestiis sævis aut verbo duro simul exterminare : sed partibus judicans dabas locum pœnitentiæ, non ignorans, quoniam nequam est natio eorum, & naturalis malitia ipsorum, & quoniam non poterat mutari cogitatio illorum in perpetuum. *Et infrà* ℣. 19 : Docuisti autem populum tuum per talia opera, quoniam oportet justum esse & humanum; & bonæ spei fecisti filios tuos : quoniam judicans das locum in peccatis pœnitentiæ.

C

D

E

quos subjecit, bello vicit, Gabaonitis exceptis;

225 *Quamquam Chananæi crabronibus seu vespis aliisque malis divinitus immissis ante Hebræorum adventum afflictarentur Exodi cap.* 23 *à* ℣. 27, *post Israëlitarum verò in terras eorum ingressum continuis cladibus afficerentur, & eorumdem supremum exitium tot annis differret Deus, ut tandem ad sui cognitionem & ad pœnitentiam convertereutur; nihilominus in idololatria aliisque sceleribus tam obstinati perstitere, ut nemo pacem cum Israëlitis inire voluerit, præter Hevæum, Gabaonis incolam. Quamobrem gentes istas, quæ peccatorum mensuram complerant, Deus exsecutore* Josue *perdi & exscindi voluit :* Non fuit civitas, *dicitur in textu hîc à* ℣. 19, quæ, *relicto idolorum cultu aliisque sceleribus,* se traderet filiis Israël, præter Hevæum, qui habitabat in Gabaon : omnes enim, *quæ in potestatem Israëlis venerunt,* bellando cepit. Domini enim sententia fuerat, ut indurarentur corda eorum, *seu ut permitteret illorum indurationem, ex perversa voluntatis propriæ pertinacia ortam,* &, *repudiata pace,* pugnarent contra Israël, & caderent, & non mererentur ullam clementiam, ac perirent, sicut præceperat Dominus Moysi. *Ex hoc loco manifestè sequi videtur, si Chananæi animos in sceleribus suis inque pace rejicienda non obdurassent, Israëlitas clementiâ erga illos usuros fuisse, præceptumque divinum de Chananæis ad internecionem delendis non extendi ad pœnitentes Gabaonitas veramque religionem ac ceteras pacis conditiones amplexos. De his sat multa disseruimus paragraphis* 17 *&* 18.

F

conclusio rerum gestarum & occupatio gerendarum.

226 *Versibus* 21 *&* 22 *credimus repeti ea, quæ capite præcedente à* ℣. 36 *narrantur. Verba dedimus*

A *dedimus num.* 209. *Denique* ℣. 23 *datur breve compendium rerum omnium, à* Josue *tam bello quàm pace gestarum, in hæc verba:* Cepit ergo Josue omnem terram, sicut locutus est Dominus ad Moysen; *& hæc hactenus expositâ sunt:* Et tradidit eam in possessionem filiis Israël, secundum partes & tribus suas; *& hoc est argumentum omnium ferè, quæ deinceps toto libro traduntur: adeo ut sit quasi transitio ad alteram partem negotii, ad quod Dominus assumpserat* Josue. *Subditur:* Quievitque terra à præliis.

§ XXIII. Catalogus regum à Josue debellatorum; jubetur à Deo terram partiri; Calebo promissam Hebron concedit; tribum Ephraïm & mediam Manasse de sorte sua conquerentes monet, ut armis quærant ampliora ad habitandum spatia.

B

Elenchus regum à S. Imperatore debellatorum;

Capite 12 *terræ promissæ divisioni præmittitur enumeratio regum, sub Moyse & ejus Successore debellatorum, quorum ditiones inter Israëlitas distributæ fuerunt. In catalogo regum, à S. Imperatore nostro victorum, aliqui recensentur, quorum nulla in victoriis memoratis facta est mentio: ex quo intelligas rerum, bello Australi & Aquilonari gestarum, veluti capita dumtaxat esse narrata. Ità autem texitur à* ℣. 7: Hi sunt reges terræ, quos percussit Josue & filii Israël trans Jordanem ad Occidentalem plagam, à Baalgad in campo Libani usque ad montem, cujus pars ascendit in Seir: tradiditque eam Josue in possessionem tribubus Israël, singulis partes suas, tam in montanis quàm in planis atque campestribus. In Asedoth, & in solitudine, ac in meridie Hethæus fuit & Amorrhæus, Chananæus & Pherezæus, Hevæus & Jebusæus. Rex Jericho unus, Rex Haï, quæ est ex latere Bethel, unus, rex Jerusalem unus, rex Hebron unus, rex Jerimoth unus, rex Lachis unus, rex Eglon unus, rex Gazer unus, rex Dabir unus, rex Gader unus, rex Herma unus, rex Hered unus, rex Lebna unus, rex Odullam unus, rex Maceda unus, rex Bethel unus. *Hi omnes bello Gabaonitico & Australi victi sunt, præter reges Jericho, Haï & Bethel. Hunc ultimum in bello Haïensi cum suis casum putamus. Vide num.* 157. *Sequuntur:* Rex Taphua unus, rex Opher unus, rex Aphec unus. *Diximus num.* 212 *incertum esse, an hi reges Septemtrionales fuerint, an Australes. Masius his annumerat primum, illis duos posteriores. Quos dein recenset catalogus, omnes in Aquilonari Chananæa regnarunt & victi sunt:* Rex Saron unus, rex Madon unus, rex Asor unus, rex Semeron unus, rex Acsaph unus, rex Thenac unus, rex Mageddo unus, rex Cades unus, rex Jachanan Carmeli unus, rex Dor & provinciæ Dor unus, rex gentium Galgal unus, rex Thersa unus: omnes reges triginta unus.

C

228 *At, inquies, si catalogus hic accuratus sit, quomodo cap.* 15 ℣. 63 *Jerusalem, cap.* 16 ℣. 10 *Gazer, cap.* 17 ℣. 11 *Dor, Thenac & Mageddo ab hostibus adhuc occupatæ leguntur? Existimo, harum multos incolas præcipiti fuga* Josue *gladium evasisse, & dein, sicut filios Enacim fecisse diximus num.* 209, *urbes suas repetiisse & muniisse. Quo tempore id fecerint, an ante Chananæa divisionem; cùm belli sedem transtulerant Hebræi ad loca à dictis urbibus remotiora, an ipso divisionis tempore, an post illam vel etiam post mortem* Josue, *non inquiro. Aliquid horum de aliqua civitate probabiliter asseri potest: nam certum est, libro Josue varia hinc inde inseri, præcipuè à cap.* 13 *usque ad* 22, *quæ post terræ promissæ distributionem, imò & Sancti mortem facta sunt. Unde multi inferunt,* Josue *libri hujus non fuisse auctorem contra alios, qui illa ab Esdra vel alio scriptore sacro addita fuisse volunt. Adi numerum* 267 *& seqq.*

AUCTORE J. L. *pauca tamen aliqua ex regiis eorum sedibus ab hoste deinde recuperata.*

229 *Plurimi ex Chananæis, quos timor internecini belli, quod Israëlitæ contra eos gerebant, sedibus suis expulerat, in alias terras migrarunt. Rem memoratu dignam narrat Procopius libro* 2 *de bello Wandalico cap.* 10. *Verba dabo, prout ea Claudius Maltretus noster Latinè reddita edidit Parisiis anno* 1662: Cùm Hebræi, ex Ægypto egressi, non longè à Palæstinæ finibus abessent, dux viæ Moyses, vir sapiens, è vita migravit. Ducatum suscepit Jesus Nave filius: qui gente hac in Palæstinam inducta, regionem obtinuit, virtutem in bello promens humanâ majorem; ac debellatis indigenis omnibus, urbium facilè potitus est, auditque planè invictus. Tunc temporis maritima omnis regio, à Sidone ad Ægypti fines, Phœnice dicebatur, nec nisi unum ibi quondam fuisse regem confessione omnium constat, qui de Phœnicum antiquitatibus scripsere. Illic gentes numero abundantes degebant, Gergesæi, Jebusæi, aliæque aliis discretæ nominibus in Hebræorum Historia. At ubi Ducem advenam vinci non posse intellexerunt, relictâ patriâ, in Ægyptum conterminam commigrarunt. Hîc loco non invento, qui sedes ipsis satis laxas præberet, quòd jam ab ævo longinquo frequens populis Ægyptus esset, in Africam concesserunt: quam totam usque ad Columnas Herculeas obtinuerunt, multisque urbibus conditis frequentarunt. Phœnicum linguâ etiamnum utuntur incolæ. Castellum quoque struxerunt in urbe Numidia: ubi est urbs jam dicta Tigisis. Ibi ad fontem uberrimum columnæ è lapide candido visuntur duæ, quæ incisam Phœnicum literis & verbis sententiam hanc servant: NOS II SUMUS, QUI FUGIMUS A FACIE JESU LATRONIS, FILII NAVE. *Quidquid sit de hac inscriptione, & nonnullis narrationis adjunctis, quæ hîc examinare non vacat, Chananæorum in Africam migrationem confirmant hæc S. Augustini testimonia; in Expositione inchoata Epistolæ ad Romanos,* Interrogati, *inquit,* rustici nostri quid sint, Punicè respondentes Chanani, corruptâ scilicet, sicut in talibus solet, unâ litterâ, quid aliud respondent quàm Chananæi? *Et quæst.* 16 *in Judices,* Istæ, *ait,* linguæ Punica & Chananæa, *seu Hebræa,* non multùm inter se differunt. *Videri potest Calmetus, qui de Chananæorum in alias terras migratione longam dissertationem præfixit suis Commentariis in librum Josue.*

Chananæorum fugâ elapsorum migratio in Africam.

E

F

230 *Anno septimo ab introitu Israëlitarum in Chananitidem verisimiliùs inchoata est terræ istius distributio cis Jordanem novem tribubus & dimidiæ tribui Manasse. Colligitur id ex annis Calebi cap.* 14 *à* ℣. 7, *ubi ita loquitur:* Quadraginta

Anno principatus sui septimo Josue

AUCTORE J. L.

draginta annorum eram, quando misit me Moyses famulus Domini de Cadesbarne, ut considerarem terram; nuntiavique ei, quod mihi verum videbatur.... Juravitque Moyses in die illo, dicens: Terra, quam calcavit pes tuus, erit possessio tua, & filiorum tuorum in æternum, quia secutus es Dominum Deum meum... Quadraginta & quinque anni sunt, ex quo locutus est Dominus verbum istud ad Moysen, quando ambulabat Israël per solitudinem: hodie octoginta quinque annorum sum. *Lector in memoriam revocet ab exitu de Ægypto usque ad Jordanis transitum fluxisse annos quadraginta; secundo verò ab exitu anno missos fuisse exploratores, & reliquis* 38 *Israelitas in deserto vagatos fuisse, & mox calculos subducenti apparebit, eo, quo diximus, anno divisionem probabiliùs cœptam esse. Hanc temporis rationem contra nonnullos dissentientes stabilitam vide apud Torniellum ad annum* 2590 *num.* 1, *& Natalem Alexandrum in Historia ecclesiastica veteris Testamenti tomo* 1, *pag.* 301 *col.* 2.

B *centenarius jubetur à Domino sorte dividere Chananæam:*

231 *Itaque* Josue *anno septimo à transitu Jordanis, qui & septimus fuit principatus ejus, ætatis verò circiter centesimus, monetur à Domino, ut alteram muneris sui partem implere aggrediatur, partitionem scilicet terræ promissæ. Jam, ut credibile est, accingebat se Imperator, ut reliquos Chananæa reges debellaret; nam præter illos triginta & unum, regno vitâque bellis superioribus privatos, etiam alii in fertilissima illa populosissimaque regione regna obtinebant: at Deus priùs distributionem fieri voluit, & terrarum reliquarum expugnationem particularibus cujusque tribûs armis committerè ob rationes, quas ex Scriptura transcripsi num.* 224. *De terra tam subacta quam deinceps subigendæ divisione à Deo imperata agit caput* 13 *à* ℣. 1: Josue senex provectæque ætatis erat, & dixit Dominus ad eum: Senuisti & longævus es, terraque latissima derelicta est, quæ necdum sorte divisa est. *Dein enumerat Deus partes Chananitidis nondum debellatas, quæ in sortem Israëlitis cedere debeant. De quibus:* Ego sum, *inquit Dominus* ℣. 6, qui delebo eos à facie filiorum Israël. Veniat ergo in partem hereditatis Israël, sicut præcepi tibi. Et nunc divide terram in possessionem novem tribubus & dimidiæ tribui Manasse, cum qua, *id est, cum cujus altera parte*, Ruben & Gad possederunt terram, quam tradidit eis Moyses famulus Domini trans fluenta Jordanis, ad Orientalem plagam. *Cujus deinde terræ, distributæ duabus tribubus & mediæ, amplitudinem generatim à* ℣. 9 *persequitur. Tum à* ℣. 15 *sigillatim recensetlimites, quibus portio tribûs Ruben; à* ℣. 24, *quibus sors tribûs Gad; à* ℣. 29, *quibus hereditas dimidiæ tribûs Manasse terminabantur.*

C *Calebo benedicit, promissamque Hebron tradit:*

232 *Initio capitis* 14 *proponitur in genere divisio terræ facta reliquis tribubus cis Jordanem, hisce verbis:* Hoc est, quod possederunt filii Israël in terra Chanaan, quam dederunt eis Eleazar sacerdos, & Josue filius Nun, & principes familiarum per tribus Israël: sorte omnia dividentes, sicut præceperat Dominus in manu Moysi (*Numer. cap.* 34 ℣. 13,) novem tribubus & dimidiæ tribui *&c. Hæc divisio non priùs absoluta est, quàm castra è Galgalis translata essent in Siluntem, ut ex sequentibus intelligetur. Cœpta autem est hoc anno, cùm* Josue *adhuc moraretur in Galgalis. Porrò imminente sortitione terra cis Jordanem*, Accesserunt (*à* ℣. 6) filii Juda ad Josue in Galgala, locutusque est ad eum Caleb filius Jephone Cenezæus: Nosti quid locutus sit Dominus ad Moysen hominem Dei de me & te in Cadesbarne. Quadraginta annorum eram, quando misit me Moyses famulus Domici de Cadesbarne, ut considerarem terram; nuntiavique ei, quod mihi verum videbatur. Fratres autem mei, qui ascenderant mecum, dissolverunt cor populi: & nihilominus ego secutus sum Dominum Deum meum. Juravitque Moyses in die illo, dicens: Terra, quam calcavit pes tuus, erit possessio tua, & filiorum tuorum in æternum; quia secutus es Dominum Deum meum. Concessit ergo Dominus vitam mihi, sicut pollicitus est usque in præsentem diem.... Da mihi ergo montem istum, quem pollicitus est Dominus, te quoque audiente, in quo Enacim sunt, & urbes magnæ atque munitæ: si fortè sit Dominus mecum, & potuero delere eos: sicut promisit mihi. Benedixitque ei Josue & tradidit ei Hebron in possessionem. D

E *sors tribuum Juda, Ephraim & mediæ Manasse; portio filiarum Salphaad:*

233 *Postquam Caleb terræ portionem, quam ipsi ob constantiam adversus seditiosos olim Deus per Moysen decreverat, impetrasset, tribui Judæ sua sors assignatur, de qua toto ferè capite* 15 *agitur, generatim quidem primò omnibus circumcirca descriptis terminis, speciatim deinde illius tribûs urbibus nominatim recensitis. A versu* 13 *usque ad* 20 *per prolepsim inseritur, quomodo post mortem* Josue *Caleb ea, quæ sibi extrà sortem in ea tribu obvenerant, occuparit. Capite* 16 *describuntur fines regionis, quæ tribui Ephraïm obtigit. Capite* 17 *designatur sors dimidiæ tribus Manasse, & filiarum Salphaad. De his hæc versus* 4: Veneruntque in conspectu Eleazari sacerdotis, & Josue filii Nun, & principum, dicentes: Dominus præcepit per manum Moysi (*Numer. cap.* 27 *à* ℣. 1,) ut daretur nobis possessio in medio fratrum nostrorum. Deditque eis (Josue) juxta imperium Domini possessionem in medio fratrum patris earum.

querela filiorum Joseph de sua sorte,

234 *Manasseenses & Ephraïmitæ, audita sua sorte, contenti non fuerunt: nam Scriptura subdit à* ℣. 14: Locutique sunt filii Joseph ad Josue, & dixerunt: Quare dedisti mihi, *id est nobis, qui facimus duas tribus*, possessionem sortis & funiculi unius, cùm sim tantæ multitudinis, & benedixerit mihi Dominus? *Dicunt hoc, ut ex sequentibus apparet, non quia regiones eis sorte assignatæ utrique tribui non sufficerent; sed quia bona earum pars silvestris esset, atque à Chananæis adhuc possideretur, quos ipsi expellere se posse diffidebant; quòd ferreis curribus uterentur, quòdque arces & urbes in montibus & rupibus occuparent, situ & arte munitas. Sperabant ipsi, se à supremo Duce, utpote ejusdem patriarchæ Josephi nepote (erat enim* Josue *ex tribu Ephraïm,) obtenturos, ut ex vicina regione, Israëli subdita atque alteri tribui obventura, pars aliqua concederetur. Ita ferè à Lapide.* F

quos Josue hortatur ad laxanda habitationis suæ spatia excisis Chananæis.

235 *At optimus Princeps, nihil his commotus querimoniis, fortis stetit, noluitque ulli alteri tribui adimere, quod Manasseensibus vel suis tribulibus Ephraïmitis tribueret. Nihil dedit propinquitati sanguinis, sed totum justitiæ, ut sequens versus* 15 *indicat:* Ad quos Josue, ait: Si populus multus es, *& ampliora quæris ad habitandum spatia, noli ea postulare cum aliorum injuria; sed* ascende in silvam, & succide tibi spatia in *assignata* terra Pherezæi & Raphaïm: quia angusta est tibi possessio montis Ephraïm.

Cui

A Cui reſponderunt filii Joſeph (℣. 16 :) Non poterimus ad montana conſcendere , cùm ferreis curribus utantur Chananæi , qui habitant in terra campeſtri ; in qua ſitæ ſunt Bethſan cum viculis ſuis , & Jezraël mediam poſſidens vallem. *Hæc eâdem animi firmitudine excipit Imperator, eodemque reſponſo , quo antè , contra ipſos retorquet , quod in cauſa ſua patrocinium objecerant :* Dixitque Joſue *à* ℣. 17 ad domum Joſeph , Ephraïm , & Manaſſe : Populus multus es & magnæ fortitudinis , non habebis ſortem unam ; ſed tranſibis ad montem , & ſuccides tibi atque purgabis ad habitandum ſpatia : & poteris ultrà procedere , cùm ſubverteris Chananæum , quem dicis ferreos habere currus , & eſſe fortiſſimum.

§ XXIV. Oſſa patriarchæ Joſeph humari , tabernaculum in Siluntem transferri , & increpitâ VII tribuum ignavia , ſortitionem intermiſſam expediri curat : notæ in Joſephi narrationem.

B

Humatio oſſium patriarchæ Joſeph ;

C *Patriarcha Joſeph morti proximus Iſraëlitas jurejurando obſtrinxerat Geneſios cap.* 50 *à* ℣. 23 , *ut oſſa ſua ex Ægypto in terram Chanaan olim migraturi ſecum deferrent. Id factum fuiſſe legimus Exodi cap.* 13 ℣. 19 : Tulit quoque Moyſes oſſa Joſeph ſecum , eò quòd adjuraſſet filios Iſraël , dicens : Viſitabit vos Deus ; efferte oſſa mea hinc vobiſcum. *Ea verò terræ mandata narrantur libro Joſue cap.* 24 ℣. 32 : Oſſa quoque Joſeph , quæ tulerant filii Iſraël de Ægypto , ſepelierunt in Sichem , in parte agri , quem emerat Jacob à filiis Hemor patris Sichem, centum novellis ovibus , & fuit in poſſeſſionem filiorum Joſeph , *Ephraïmitarum ſcilicet. Licèt uſquam dictæ humationis tempus inveniatur , veriſimile tamen non eſt , ſanctum Principem hujuſcemodi pietatis officium diu diſtuliſſe : haud dubiè prima oblata opportunitate illud præſtitit , ſolemnemque exſequiarum celebrationem fieri curavit. Primum autem tempus ad id opportunum fuit , quando , Chananæa majori ex parte ſubactâ , belloque omni ceſſante , eam regionem pacificè poſſidebant Iſraëlitæ , in qua erat* prædium *illud prope Sichem ,* quod dedit Jacob Joſeph filio ſuo *Joannis cap.* 4 ℣. 5 : *ſolebant enim veteres ſuorum cadavera in ſuiſmet poſſeſſionibus humare. An Joſephi lipſanâ ſepulta fuerint ante inchoatam terræ diviſionem cis Jordanem , an verò poſtquam jam Ephraïmitæ hereditatem ſuam , in qua ſepulturæ ejus locus jacebat , ſortitò nacti eſſent , examinant Torniellus ad annum* 2589 *& ad eumdem Salianus in Annalibus num.* 25. *Hic ſecundum , ille primum conjicit. Patris & fratrum Joſephi lipſana , quæ pariter à filiis Iſraël de Ægypto aſportata creduntur , eodem loco honorificè à* Joſue *tumulata fuiſſe , colligitur ex Actuum cap.* 7 ℣. 15 , *& S. Hieronymi epiſtola* 33 , *aliàs* 101 , *ad Pammachium de Optimo genere interpretandi.*

237 *Octavo tam principatûs* Joſue *quàm tranſmiſſi Jordanis anno cum Torniello & Bonfrerio credimus , caſtra è Galgalis cum tabernaculo fœderis Siluntem tranſlata fuiſſe. De quo cap.* 18 ℣. 1 : Congregatique ſunt omnes filii Iſraël in Silo , ibique fixerunt tabernaculum teſtimonii , & fuit eis terra ſubjecta. *Salianus ad annum* 2590 *in ſua Epitome ,* Licèt , *inquit ,* videri poſſit Silo in ſedem Sanctuarii electam , quòd ea eſſet in ſorte Ephraïm , quæ erat Imperatoris tribus , & videretur rationi conſentaneum , ſacrarium ſedemque pontificis apud Ephraïmitas collocari , quando tunc apud eos erat principatus : & quidem in ejus Viri poteſtate , cui religio & pietas erat antiquiſſima : videtur tamen Joſue divinum in hac tranſlatione conſilium exquiſiſſe apud Eleazarum pontificem , & ſecutus potiùs , quàm propriam conſolationem adamaſſe : Deum autem tam Principem , quam filios Joſephi honorare voluiſſe. *Quidquid ſit de oraculi conſultatione , vix dubito , quin tabernaculum divino monitu in Silunte collocatum fuerit : ſiquidem Dei electione locum illi conſtituendum fuiſſe iterum & ſæpius indicatur Deut. cap.* 12.

AUCTORE J. L.

tranſlatio tabernaculi in Siluntem ,

tibi intermiſſa ſortitio hortatu Sancti reſumitur ;

238 *Conſtituto in Siluntе non ſine varia ſacrificiorum ſolemnitate Sanctuario (id enim de tanta celebritate , ad quam omnes filii Iſraël congregati fuerant , meritò exiſtimandum eſt ,) cœptam in Galgalis partitionem* Joſue *quamprimùm ad exitum deduci curat :* Remanſerant autem , *inquit Scriptura à* ℣. 2 , filiorum Iſraël ſeptem tribus , quæ necdum acceperant poſſeſſiones ſuas. Ad quos Joſue ait : Uſquequo marcetis ignaviâ , & non intratis ad poſſidendam terram , quam Dominus Deus patrum veſtrorum dedit vobis ? Eligite de ſingulis tribubus ternos viros , ut mittam eos , & pergant atque circumeant terram , & deſcribant eam juxta numerum uniuſcujuſque multitudinis : referantque ad me quod deſcripſerint. Dividite vobis terram in ſeptem partes : Judas ſit in terminis ſuis ab Auſtrali plaga ; & domus Joſeph ab Aquilone. Mediam inter hos terram in ſeptem partes deſcribite : & huc venietis ad me , ut coram Domino Deo veſtro mittam vobis hîc ſortem : quia non eſt inter vos pars Levitarum , ſed ſacerdotium Domini eſt eorum hereditas. Gad autem , & Ruben , & dimidia tribus Manaſſe jam acceperant poſſeſſiones ſuas trans Jordanem ad Orientalem plagam : quas dedit eis Moyſes famulus Domini. Cumque ſurrexiſſent viri , ut pergerent ad deſcribendam terram , præcepit eis Joſue , dicens : Circuite terram & deſcribite eam , ac revertimini ad me : ut hîc coram Domino in Silo mittam vobis ſortem. *Qua de cauſa partitio , Dei ipſius juſſu in Galgalis inchoata , fuerit interrupta , Scriptura non exprimit. Conjectura Bonfrerii mihi videtur magis ad verum accedere quàm reliquorum. Hic conſuli poteſt , & qui non multùm ab eo diſcrepat Salianus in Epitome ad annum* 2590.

E

F

reliquæ tribus ſuas ſortitò portiones accipiunt.

239 Itaque perrexerunt *geometræ (verba ſacra ſunt à* ℣. 8 :) & luſtrantes eam in ſeptem partes diviſerunt , ſcribentes in volumine. Reverſique ſunt ad Joſue in caſtra Silo. Qui miſit ſortes coram Domino in Silo , diviſitque terram filiis Iſraël in ſeptem partes. Et aſcendit ſors prima filiorum Benjamin per familias ſuas *&c. Hujus tribus termini atque oppida recenſentur reliquo capite* 18. *Sors ſecunda obtigit tribui Simeon ; tertia tribui Zabulon ; quarta tribui Iſſachar ; quinta tribui Aſer ; ſexta tribui Nephthali ; ſeptima tribui Dan : de quarum limitibus urbibuſque agitur uſque ad* ℣. 49 *capitis* 19, *in cujus fine repetitur , à quibus & quo in loco hæc diviſio facta fuerit :* Hæ ſunt poſſeſſiones , quas

AUCTORE J. L.

quas ſorte diviſerunt Eleazar ſacerdos & Joſue filius Nun, & principes familiarum ac tribuum filiorum Iſraël in Silo, coram Domino ad oſtium tabernaculi teſtimonii, partitique ſunt terram.

Nota

240 *Narrata regum Aquilonarium clade, Joſephus ita ſuam continuat hiſtoriam:* Jamque quinto hujus belli anno exacto, Chananæorum nemo ſupererat, niſi ſiqui in loca munitiſſima confugerant. *Aberrat, niſi illud quinquennium ad bellum Septemtrionale referat: nam à Jordanis tranſitu ſex annis circiter bellatum fuit, & ſeptimo Galgalæa ſortitio inchoata. Adi num.* 230: Jeſus autem, caſtris è Galgalis in montana tranſlatis, ſacrum tabernaculum in urbe Silunte fixit; quòd is locus propter pulchritudinem viſus ſit idoneus (*veriùs dixiſſet, quòd eſſet à Deo ad id electus; ut colligitur ex Deut. cap.* 12) in quo tantiſper maneret, dum major commoditas ædificandi templi ſe præberet. Inde cum omni populo profectus verſus Sicima, altare ita ut Moyſes præceperat ſtatuit: & diviſo exercitu, in Garizæo monte dimidium ejus collocavit, & in Gibale alterum dimidium, in quo altare erat,

B cum Levitis ac ſacerdotibus. Ubi mactatis victimis, execrationibuſque peractis, & in altari inſculptis, in Siluntem ſunt reverſi. *Liber Deuteronomii fuit inſculptus duodecim lapidibus, diſtinctis ab iis, è quibus altare exſtructum fuit: nec è Silunte* Joſue *ad duos illos montes profectus eſt, ſed è Galgalis anno primo ſui principatûs. Vide dicta numero* 159 *&* 163. Jeſus autem jam ſenex, cùm videret Chananæorum urbes penè inexpugnabiles, tum propter ſitum naturâ tutum, tum propter munitiones ad fruſtrandos hoſtium conatus arte additas: nam cognito Iſraëlitarum ex Ægypto exitu, & quòd ad ſuum excidium properarent, toto illo tempore in muniendis oppidis occupati fuerant: conventu populi in Siluntem indicto, concionem advocat. *Videtur hîc Joſephus innuere, Sanctum progreſſum fuiſſe ad Chananæam, licèt nondum omnino ſubactam, ſorte dividendam, quòd diffideret ſe reliquas ejus urbes naturâ & arte munitiſſimas expugnare poſſe. Verùm quis id credat de eo Viro, qui tam inſigni hactenus in Deum fiducia fuit, quique opem divinam in graviſſimis ac difficillimis expeditionibus numquam ſibi hactenus defuiſſe expertus eſt? Aliam ego maturatæ partitionis cauſam non agnoſco, quam præceptum divinum, quod Deus ipſi dedit ob rationes in Scriptura expreſſas, quas dedi num.* 224.

C

in Joſephi

241 Cùmque frequens concurſus factus eſſet, res hactenus fortiter ac feliciter geſtas recenſuit, quales par erat Dei auſpiciis à populo religioſiſſimo geri: reges triginta & unum auſos manus conſerere devictos, exercituſque potentiſſimos prælio ſuperatos, internecione cæſos, ut ne reliquiæ quidem generis ſupereſſent. Cæterùm quoniam ex urbibus aliæ captæ eſſent, aliæ munitiores & ob hoc obſtinatiores longa oppugnatione opus haberent; cenſuit eos, qui ex regione, ultra Jordanem ſita, in communem expeditionem profecti fuerant, & propter cognationem ſocios periculorum ſe adjunxerant, gratiis priùs actis ad proprias ſedes remittendos. Deinde ex ſingulis tribubus ſingulos teſtatæ probitatis viros eligendos, qui regionem totam permenſi bona fide & abſque dolo magnitudinem ejus renunciarent. In eam ſententiam itum eſt ab univerſo populo: moxque eos viros miſit ad metiendam terram, adjunctis ad eos quibuſdam geometriæ peritis, qui propter hanc ſcientiam errare ac falli non poterant: hiſque mandata dedit, ut æſtimationem agrorum juxta bonitatem terræ facerent... Decemviri autem huic negotio deſtinati, perluſtrata regione & æſtimatione terræ peracta, ſeptimo menſe reverſi ſunt ad eum in Siluntem, ubi tum tabernaculi ſedes erat. Tum Jeſus, aſſumpto Eleazaro cum ſenatu ac tribuum principibus, diviſit regionem novem tribubus & Manaſſitarum dimidiæ parti, cuique tribui pro ejus magnitudine agrum admetiens. *Dein ſubjicit, quæ cuique tribui ſors obtigerit alio quàm Scriptura ordine. Poſt quæ*, Ad hunc, *inquit*, modum ſex gentium à filiis Chananæi denominatarum regionem Jeſus diviſit, & novem cum dimidia tribubus habitandam dedit. Amoræam enim, & ipſam ab uno ex filiis ejus dictam, Moyſes jam antè duabus cum dimidia tribubus diviſerat, ut ſuprà diximus. Sidoniorum autem, Arucæorum, Amathæorum & Arithæorum agri nihil ad hanc diviſionem pertinuerunt.

D

narratio-nem

242 *Joſephus terram promiſſam novem tribubus & dimidiæ in Silunte diſtributam ſcribens iterum Scripturæ contradicit, quæ duas tribus & mediam in Galgalis, reliquas verò ſeptem in Silunte portionem ſuam accepiſſe diſerte affirmat. Oratio autem, quam ante partitionem Imperatorem ad populum habuiſſe narrat, toto, ut aiunt, cælo differt ab allocutione, quam Sanctus capite* 18 *ante Siluntinam diviſionem ad ignavos Iſraëlitas fecit. Ante eamdem, ut habemus ex textu ſacro ibidem, terni è ſingulis tribubus electi fuerunt, qui terram deſcriberent: at Joſephus ſingulos è ſingulis tribubus miſſos fuiſſe dicit, quibus tamen periti aliquot geometræ fuerint adjuncti. Verùm cùm ſortitionem Galgalæam ac Siluntinam confuderit, ac ex utraque permixta unam conflaverit, cúmque ante Galgalæam dimenſores terræ dividundæ quoque ablegatos fuiſſe, multorum ferat opinio, & veriſimiliter etiam aliqua oratio à ſancto totius negotii Directore præmiſſa fuerit; dici poteſt, quòd illa oratio, ac decemvirorum & geometrarum miſſio, de quibus hîc Joſephus, præceſſerit Galgalæam diſtributionem. In orationis tamen argumento aliquid diſplicet, quòd ſcilicet dicatur* Joſue *conſilium cepiſſe dimittendi tribus Ruben, Gad, & mediam Manaſſe, quia capiendæ reſtabant urbes* munitiores, & ob hoc obſtinatiores longa oppugnatione opus haberent. *Cur non eam, quam Scriptura ſuggerit, dat rationem, nempe quia Deus imperarat terræ diviſionem, & ceſſationem à bello communibus armis gerendo? Septem illæ gentes, quarum terras inter filios Iſraël diviſas fuiſſe ſcribit Joſephus, aliique, quos nominat populi, omnes fuerunt de ſtirpe Chanaan, cui maledixerat Noë. Curioſus lector de iis videre poteſt Torniellum ad annum* 1931 *num.* 34 *& ſeqq., &* 2584 *num.* 23.

E

F

§ XXV.

A

§ XXV. Conſtantiæ adverſus ſeditioſos præmium accipit : Sancti animus à cupiditate alienus : ejus vice numquam alii rempublicam adminiſtrarunt.

Præceptum Domini ut Sancto concederetur urbs, quam ipſe eligeret,

CUmque compleſſet *ſanctus Princeps* ſorte dividere terram ſingulis per tribus ſuas, dederunt filii Iſraël poſſeſſionem Joſuë filio Nun in medio ſui, juxta præceptum Domini urbem, quam poſtulavit, Thamnath-Saraa in monte Ephraïm : & ædificavit civitatem, habitavitque in ea *cap.* 19 ℣. 49 *&* 50. *Itaque* juxta præceptum Domini *portionem ſuam accepit S. Imperator. At quando præceptum illud datum? Veriſimile eſt, Deum eodem tempore, quo Numer. cap.* 14 ℣. 24 *Calebo ob cauſam ſuam, contra ſeditioſos tam fortiter actam, præmium decrevit, noſtro quoque Sancto ſuum decreviſſe. Cur enim, qui eadem in Deum fide fuerat, eodem zelo & fortitudine, ut ſuprà num.* 42 *& ſeqq. probavimus, exploratorum mendaciis, credulique populi murmurationibus obſtiterat, præteritus eſſet* Joſue *? Cur ſecus quàm alter nullum ſuæ hujus fidelitatis, zeli & conſtantiæ præmium referret?*

verisimiliùs datum eſt in præmium ejus conſtantiæ adverſus ſeditioſos :

244 Neque obſtat (*verba ſunt Bonfrerii hîc*) quòd nihil tale commemoret Scriptura Num. 14 : neque enim omnia Scriptura exprimit ; ſed multa etiam ſilet, quæ ex alio ſimili poſſunt colligi, & probabiliter relinquuntur colligenda. Adde alio loco ſubinde ſupplere Scripturam, quod ſuo loco prætermiſſum fuit ; quod in hac re hîc factum : nam & hîc id ſuppletur, & ſuprà cap. 14 ℣. 6 non obſcurè indicatur, tantumdem promiſſum fuiſſe Joſue, quantum Calebo ; cùm Caleb Joſuam allocutus ita ait : " Noſti quid locu„ tus ſit Dominus ad Moyſen hominem Dei de „ me & te in Cadesbarne „. Verùm quidnam illud eſt, quod promiſit Deus vel præcepit fieri ipſi Joſue ? Nimirum id, quod verbis ſequentibus ſignificatur, ut videlicet, quem vellet ipſe locum & eligeret ad habitandum ; is ei hæreditatis nomine conſignaretur. Itaque Calebo certi alicujus loci jam tum Num. 14 aſſignata eſt à Deo poſſeſſio ; Joſue verò nullus certus locus aſſignatus, ſed ei relicta optio, ut quem ipſe eligeret, hunc populus, cæterique populi principes ratum haberent.

B

urbem vilem eligens inſigne continentiæ dat exemplum :

245 *Poterat* Joſue, *utpote qui etiamnum imperii clavum tenebat, agros fertiles, urbemque aliquam amplam & auguſtam ſibi eligere, in qua præ ceteris popularibus ſplendidè pro dignitate habitaret ; poterat hæc, inquam, eligere, præcipuè cùm iis, ob quæ Deus illi præmium ſingulare ſtatuerat, tot alia egregia acceſſiſſent in rempublicam Hebraïcam merita, ut nemo non electionem ut æquiſſimam approbaſſet. Verumtamen id non fecit : cùm meliorem poſſet, deteriorem ſibi hereditatem elegit, inſigne continentiæ animique ab omni cupiditate alieni principibus ac magiſtratibus exemplum relinquens. Unicam inter tribules ſuos Ephraïmitas urbem Thamnath-Saraa, eamque ruinoſam ac penè dirutam, quæ ipſi reſtauranda vel reædificanda fuerit, ut ex* ℣. 50 *colligitur, ſibi dari poſtulavit. Neque hæc in fertili & amœno ſolo ſita erat, ſed in aridо & infœcundo : nam urbs hæc* Thamnath *agnominata fuit* Saraa, *inquit Arias Montanus, à Lapide, aliique hîc, à ſterilitate & inutilitate loci. Hanc tanti Imperatoris animi modeſtiam non ſat mirari potuit ſancta Paula, teſte S. Hieronymo in ejus Epitaphio, cùm ſacra Palæſtinæ loca viſeret ; videretque, tam præclarum Ducem, tot & tantis victoriis inſignem, tam modeſtè ac demiſsè ſe ipſum in diviſione terræ tam fœcundæ geſſiſſe, nec ſibi niſi locum vilem, aſperum, ruinoſum vel potiùs dirutum delegiſſe.*

AUCTORE J. L.

C

246 *Suis Imperatori, Calebo, atque unicuique tribui poſſeſſionibus conſtitutis,* Locutus eſt Dominus ad Joſue, dicens : Loquere filiis Iſraël, & dic eis : Separate urbes fugitivorum, de quibus locutus ſum ad vos per manum Moyſi *Numer. cap.* 35 *à* ℣. 11, ut confugiat ad eas, quicumque animam percuſſerit neſcius *&c. Oraculum divinum ad populum refert* Joſue : *ſtatutæque ſunt ſex refugii civitates, tres cis & totidem trans Jordanem :* Acceſſeruntque, *his peractis,* principes familiarum Levi ad Eleazarum ſacerdotem, & Joſue filium Nun, & ad duces cognationum per ſingulas tribus filiorum Iſraël : locutique ſunt ad eos in Silo terræ Chanaan, atque dixerunt : Dominus præcepit per manum Moyſi *Numer. cap.* 35 *à* ℣. 1, ut darentur nobis urbes ad habitandum, & ſuburbana earum ad alenda jumenta. Dederuntque filii Iſraël de poſſeſſionibus ſuis juxta imperium Domini, civitates & ſuburbana earum. *Caput* 21 *poſt hæc verba nominatim recenſet quadraginta octo urbes Levitis aſſignatas. De ſex refugii civitatibus agit caput præcedens.*

6 profugis, 48 Levitis civitates aſſignantur :

E

247 *Memorat Joſephus, Sanctum concionem ad omnem Iſraël priùs inſtituiſſe, quàm urbes è quaque tribu eligerentur, à Levitis hereditario jure poſſidendæ. Ejus argumentum, & reliqua deinde facta uſque ad duarum tribuum & mediæ dimiſſionem, de qua mox, ſic deſcribit :* Cæterùm Jeſus ætate jam defecta, cùm non valeret conſilia ſua per ſe exequi, & qui vicem ejus gerebant, negligentiùs rempublicam adminiſtrarent, præcepit unicuique tribui, ut ex ſua ſorte Chananæorum reliquias tolleret. In hoc enim conſiſtere & ipſorum ſecuritatem, & diſciplinæ ac religionis incolumitatem : idque eos non ex Moyſi tantùm monitis, ſed ſuomet experimento didiciſſe : deinde ut Levitis triginta octo deſtinatas urbes redderent, jam enim decem in Amoræa trans flumen acceperant. Ex his in tribus profugis receptacula ſunt inſtituta. Nihil enim magis erat curæ, quàm ut nuſquam à Moyſis præſcriptis recederetur. Hæ fuerunt in Tribu Judæ Hebron, in Ephræmi Sicima, in Nephthalitide Cedeſis, quæ eſt in ſuperiore Galilæa. Poſt hæc quod de præda in reliquum erat, diviſit : ſuperat enim permultum. Unde non mediocris divitiarum acceſſio & publicè & privatim facta eſt. Tantum erat auri & veſtimentorum ac reliquæ ſupellectilis, tantum etiam jumentorum ac pecudum, ut numero comprehendi non poſſent.

verisimile quidem eſt, quòd Sanctus de iis, quæ refert Joſephus, populum priùs

F

248 *Certum eſt, quòd comitia adhuc duraverint, antequam Levitarum civitates in quaque tribu ab aliis ſepararentur : nam cap.* 21 ℣. 1 *principes familiarum Levi ea de cauſa acceſſiſſe leguntur pontificem, Imperatorem & tribuum duces in Siluntе cum populo congregatos. Quòd dicat Joſephus, hoc tempore Sanctum Iſraëlitis præcepiſſe, non modò ut ſuas Levitis civitates concederent ; verùm etiam ſuperſtites in ſua ſorte*

monuerit ; at ejus vicè alios rempublicam adminiſtraſſe, falſum putamus.

AUCTORE J. L.

Chananæos delerent, ut tam ipſi quàm Levitæ hereditatem ſuam pacificè poſſidere poſſent, ſatis veriſimile eſt. Verùm Joſue *hoc eodem tempore, ob grandævam ſenectutem non potuiſſe conſilia ſua per ſe exſequi, conſtitutos jam fuiſſe, qui ejus vice rempublicam adminiſtrarent, eoſque hoc negligentiùs feciſſe; hæc, inquam, omnia nullam veri ſpeciem habent, nec in Scripturis fundamentum. Dico ego, quòd ſanctus Imperator jam non minùs per ſe exſequi potuerit conſilia ſua, quàm initio ſui regiminis. Veneranda Sancti meritiſque gravis ſenectus nec auctoritatem ipſius in ſubditos, nec horum erga ipſum reverentiam, amorem, obſequendique ſtudium imminuit. Neque ad hoc uſque tempus ulli ſubſtituti fuere, qui Sancti vices gererent in republica adminiſtranda: imò poſtquam jam, conventu Siluntino diſſoluto, domicilium in Thamnath-Saraa fixiſſet, ſupremam poteſtatem, non ſecus ac antea, exercuit. Ad extremum vitæ ad reipublicæ clavum ſedit, eumque direxit, nec umquam illum vicariorum curæ commiſit. Toto ejus vitæ tempore tribuum principes vel ſeniores populi tantùm inſtrumenta fuerunt, quorum ope imperia ſua,* B *vel per ſe vel per legatos eiſdem communicata, exſequeretur. Horum veritas ex poſtremis libri Joſue capitibus manifeſtè eruitur. Quòd autem Joſephus hoc tempore tantùm triginta octo urbes Levitis datas ſcribat, cùm jam decem in Amorrhæa trans flumen accepiſſent, id opinor ex Litteris ſacris probari non poſſe: nam Numer. cap. 35 præcipitur iſta diſtributio facienda inpoſterum, nec uſquam inchoata ſignificatur niſi hujus libri cap. 21, ubi 48 civitates illis attributæ leguntur. Falsò quoque ſupponit idem auctor, tres refugii civitates trans Jordanem antea à Moyſe determinatas fuiſſe; hinc trium aliarum cis Jordanem aſſignatarum tantùm meminit. Omnes ſex ſub* Joſue *cap. 20 conſtitutæ ſunt, & cap. 21 Levitarum habitationi datæ ſunt. De ſpoliorum diviſione egimus poſt bellum Aquilonare: ſiquis hanc partim ante, partim vel etiam totam poſt terræ diſtributionem factam velit, ei me non opponam.*

C § XXVI. Rubenitis & ſociis, ad ſua redituris, ſalutaria dat monita; legatos mittit cognituros, quo animo illi altare erexiſſent; auditâ eorumdem innocentiâ, turbæ ceſſant: urbem Thamnath-Saraa reædificat.

Ad ſuas trans Jordanem terras abituris Rubenitis & ſociis

Diſtributionibus finitis, cùm jam ſolvenda viderentur comitia, *inquit Salianus ad annum 2590 num. 33*, exiſtimavit quoque Joſue, cæteros qui trans Jordanem habitabant æquè dimitti poſſe. Cùm ergo non ultrà neceſſarius Rubenitarum & ſociorum exercitus videretur, & communia prælia, communibuſque peragenda viribus expedita eſſent, & ſinguli deinceps hoſtes, cum ſingulis tribubus pugnaturi eſſent, & quidem jam non parum debilitati prioribus bellis, eis deinceps vacationem militiæ concedendam cenſuit. *Res cap. 22 à ℣. 1 ita deſcribitur:* Eodem tempore, *quo ſcilicet diviſioni terræ opera data eſt*, vocavit Joſue Rubenitas, & Gaditas, & dimidiam tribum Manaſſe, dixitque ad eos: Feciſtis omnia, quæ præcepit vobis Moyſes famulus Domini: mihi quoque in omnibus obedîſtis, nec reliquiſtis fratres veſtros longo tempore, uſque in præſentem diem, cuſtodientes imperium Domini Dei veſtri. *Plena humanitatis eſt iſta allocutio, quæ à laude eorum exorſa, primùm obedientiam Deo, Moyſi & ſibi præſtitam commendat; deinde & charitatem erga reliquas tribus, quarum commodis tot annis ſervierant.* D

S. Princeps amorem Dei & legum cuſtodiam commendat;

250 *Sequitur ℣. 4 ipſa dimiſſio:* Quia igitur dedit Dominus Deus veſter fratribus veſtris quietem & pacem, ſicut pollicitus eſt; revertimini, & ite in tabernacula veſtra, & in terram poſſeſſionis, quam tradidit vobis Moyſes famulus Domini trans Jordanem. *Non obliviſcitur autem optimus Princeps abeuntibus commendare, quòd altè infixum gerebat in pectore, quodque vult eſſe inſtar omnium admonitionum, ut ſcilicet Deum ament ejuſque mandata cuſtodiant:* Ita dumtaxat, *inquit ℣. 5*, ut cuſtodiatis attentè & opere compleatis mandatum & legem, quam præcepit vobis Moyſes famulus Domini, ut diligatis Dominum Deum veſtrum, & ambuletis in omnibus viis ejus, & obſervetis mandata illius, adhæreatiſque ei, ac ſerviatis in omni corde & in omni anima veſtra. *In paucis his verbis prodit ſe fervida boni Senis pietas, & ſolicitudo pro ſuorum ſalute.* E

cis benedicit, monitoſque de præda cum fratribus dividenda dimittit: ob aram

251 Benedixitque eis Joſue, & dimiſit eos. Qui reverſi ſunt in tabernacula ſua. Dimidiæ autem tribui Manaſſe poſſeſſionem Moyſes dederat in Baſan: & idcirco mediæ, quæ ſuperfuit, dedit Joſue ſortem inter ceteros fratres ſuos trans Jordanem ad Occidentalem plagam. Cúmque dimitteret eos in tabernacula ſua, & benedixiſſet eis, dixit ad eos: In multa ſubſtantia atque divitiis revertimini ad ſedes veſtras, cum argento & auro, ære ac ferro & veſte multiplici. *Dein præcepti Divini, Numerorum cap. 31 ℣. 27, eos memores faciens,* Dividite, *inquit*, prædam hoſtium cum fratribus veſtris, *qui trans Jordanem remanſerunt.* Reverſique ſunt, & abierunt filii Ruben, & filii Gad, & dimidia tribus Manaſſe, à filiis Iſraël de Silo, quæ ſita eſt in Chanaan, ut intrarent Galaad terram poſſeſſionis ſuæ, F quam obtinuerant juxta imperium Domini in manu Moyſi. Cúmque veniſſent ad tumulos Jordanis in terram Chanaan, ædificaverunt juxta Jordanem altare infinitæ magnitudinis. *Verba ſacra ſunt à ℣. 6.*

propè Jordanem erectam, in ſuſpicionem impietatis veniunt: bellum contra eos meditantur reliquæ tribus:

252 *Quod reliquo capite Scriptura fusè narrat, intellige ex Theodoreto quæſtione 18, ubi illius hanc dat ſynopſim:* Finito autem bello, factaque diviſione diſceſſerunt, qui trans flumen ſortes acceperant: ſed priuſquam fluvium trajicerent, conſtruxerunt ingens altare: cujus ædificationis intentionem cùm ignorarent, qui de novem reliquis erant tribubus & media, ſuſpicantes talem ſtructuram ad impietatem tendere, ſtatuerunt planè, antepoſita cognationi religione, contra illos bellum inire. Verùm ſapientiſſimus Joſue & Eleazar miſerunt Phinees (*& decem principes tribuum cum eo, ut dicitur ℣. 14*) velut eum, qui zelo vehementi ultus erat impietatem in deſerto, ut reduceret eis in memoriam majores illorum, & beneficia divina; admiſſæque iniquitatis admoneret. At ubi audierunt, illud altare pio animo ſtructum eſſe, vocarique Monimentum diviſionis recèns factæ, nimirum ut poſteri

A steri exhibere posſent illud in argumentum adverſus eos, qui vellent illos à divinis comitiis & ſolennitatibus excludere, admodùm læti receſſerunt, laudantes Deum ob fraternam pietatem, & communem omnium tranquillitatem. *Legati reduces Pontifici, Imperatori ac filiis Iſraël, qui, ut ℣. 12 refertur, bellum ſuſcepturi in Siluntem convenerant, Rubenitarum ac ſociorum innocentiam exponunt :* Placuitque ſermo cunctis audientibus. Et laudaverunt Deum filii Iſraël, & nequaquam ultrà dixerunt, ut adſcenderent contra eos, atque pugnarent, & delerent terram poſſeſſionis eorum ℣. 33.

at priùs legatos, qui rem totam cognoſcant, prudens mittit

253 *Joſephus hiſtoriam hanc fuſa narratione proſequitur, ex qua excerpimus, quæ ad Sanctum propiùs ſpectant :* Poſt hæc, *inquit*, advocato in concionem exercitu, ad eos, qui ex regione ultra Jordanem ſita unà militabant numero quinquaginta millia, in hanc ſententiam locutus eſt. *Sequitur oratio, à S. Imperatore ad Rubenitas & ſocios abituros habita : ſed hi non fuere* numero quinquaginta, *ſed quadraginta tantùm millia ; plures enim ex duabus tribubus & media copiæ auxiliares Jordanem non tranſierant, ut patet ex capitis 4 verſu 13. Poſt Sancti orationem ita pergit :* Hæc locutus & ſingillatim primatibus populoque in commune dicto vale, ipſe quidem eodem loco reſtitit : reliqua autem multitudo univerſa cum lacrymis eos deducebat, & ægrè à ſe invicem divellebantur. Itaque trajecto fluvio, Rubelis tribus, & Gadis, & quotquot Manaſſitarum eos ſunt ſecuti, altare ſuper ripam Jordanis erigunt, monumentum poſteris & ſignum conjunctionis cum reliquis, qui ultra Jordanem incolunt. Quo audito apud cæteros Iſraëlitas, cùm altare exſtructum ſcirent, non etiam quo animo ; putabant eos, novata religione alienorum numinum cultum velle introducere : & temerè hac ſuſpicione violatæ religionis moti, arma corripuerant vindicaturi patrios ritus, & pœnas à violatoribus exacturi. Exiſtimabant enim non tam cognationis ac dignitatis eorum, qui in hoc erant crimine, quàm divinæ voluntatis rationem habendam. Atque ita irati ad expeditionem ſe accinxerunt.

B

C

Imperator ; illis aram bono ex fine erectam nuntiantibus, turbæ ceſſant.

254 Jeſus verò & pontifex Eleazarus cum ſenatu cohibebant eos, dicentes, verbis priùs quàm armis rem aggrediendam, & ſcitandum, qua mente id fecerint : & ſi fortè malo animo factum deprehenſum ſit, tum demum armis impetendos. Mittunt igitur eò legatos, Phineeſem filium Eleazari, & cum eo decem honoratos in populo, qui cognoſcant quia ſibi volentes altare in ripa conſtruxiſſent. *Sequitur legatorum diſceſſus, oratio Phinees ad Rubenitas ſocioſque, & horum reſponſio, quâ ſe purgant. Poſt quæ ſubdit :* His auditis, Phineeſes, collaudatâque eorum conſtantiâ, reverſus ad Jeſum, rem totam apud populum expoſuit. Qui lætus quòd nec delectu opus eſſet nec civili ſanguine, gratias egit Deo per ſacrificia : moxque ſoluto conventu, reverſis ad ſua ſingulis, ipſe apud Sicima elegit domicilium. *In Thamnath-Saraa Sancto locus habitationis fuit, qui ſecundum omnes geographos remotior eſt à Sichem, quàm ut apud hanc domicilium elegiſſe dici poſſit. Licèt omnia, quæ de S.* Joſue *ex Theodoreto & Joſepho hîc inſerui, in Scripturis non exprimantur ; de eorum tamen veritate ego non dubito ; ſi tamen excipias panca illa, quæ in hiſtorico Judæo notavimus.*

255 *Cùm anno principatûs* Joſue *octavo Siluntina diviſio probabiliùs cœpta fuerit, duarum tribuum & mediæ dimiſſio non ſeriùs, quàm eodem octavo vel ad ſummum nono anno facta fuit : hæc enim terræ diviſionem ſtatim ſecuta eſt. Sanctus autem exhortationem ad Iſraëlitas, de qua capite 23, decimo ſexto vel ſeptimo imperii, id eſt, ultimo vel penultimo vitæ ſuæ anno habuit, quemadmodum ex ℣. 1 & 14 non obſcurè colligitur. Quid toto illo tempore intermedio egerit, latêre nos voluit Scriptura. Non niſi unicum hoc nobis reliquit capitis 19 verſus 50 :* Et ædificavit civitatem (*Thamnath-Saraa*) habitavitque in ea. *Idem Septuaginta in codicibus Romanis repetunt cap. 21 ante verſum 41, adduntque :* Et accepit Jeſus cultros petrinos, in quibus circumciderat filios Iſraël, qui nati fuerant in via in deſerto, & poſuit eos in Thamnathſachar. *Non exiſtimo autem, hanc civitatem totam à fundamentis à Sancto excitatam fuiſſe, cùm Scriptura cap. 19 ℣. 50 dicat, datam illi fuiſſe* urbem, quam poſtulavit Thamnath-Saraa : *erat ergo quæ poſtulabatur urbs, ſed vel belli incurſibus vel vetuſtate collapſa. Hanc itaque in ſuam ſuorumque habitationem reſtauravit Imperator, ædificiis ornavit ac mœnibus cinxit. Poſterioribus temporibus civitas fuit una ex celeberrimis totius Palæſtinæ : nam legimus apud Plinium libro 5 cap. 4, ex decem toparchiis, in quas Judæam diviſerant Romani, unam* Thamniticam *nominatam fuiſſe.* Thamnæ *toparchiæ quoque meminit Joſephus lib. 5 de Bello Judaico cap. 4, & alibi.* Thamnam *autem fuiſſe illam ipſam urbem* Thamnath-Saraa, *à* S. Joſue *readificatam, teſtatur Adrichomius in Theatro terræ ſanctæ, ubi agit de locis Tribûs Ephraïm :* Thamnathſara, *inquit*, Thamnathſare, & Thamna, Thamnata ſub Romano imperio dicta eſt Thamnatica ſeu Thamnitica, una ex undecim (*Plinius citatus tantùm decem nominat*) Judææ toparchiis, ordine quarta, regio, præfectura, & urbs maxima, ſita in montanis Ephraïm. Data eſt ab Iſraëlitis Joſue duci hæreditaria, qui in ea habitavit, & ſepultus eſt à Septentrionali parte montis Gaas.

AUCTORE J. L. *Inſtaurat ruinoſam urbem Thamnath-Saraa :*

E

annus Sabbaticus ſub Sancto primùm celebratus.

256 *Unde annorum Sabbaticorum epocha deducenda ſit, an ab adita poſſeſſione terræ promiſſæ, an à tempore quo primùm ejus agri coli cœperunt, an ab ipſo ingreſſu in eamdem, celebris controverſia eſt ; de qua curioſus lector videre poteſt Natalem Alexandrum in Hiſtoria Eccleſiaſtica veteris Teſtamenti diſſert. 14, Salianum & Torniellum, ad annum 2590 alioſque. Id certum eſt ex ſeptemdecim annis, quibus probabiliùs imperaſſe* Joſue *infrà dicemus, ſaltem unum fuiſſe Sabbaticum. Vide Exodi cap. 23 à ℣. 10, & Levitici cap. 25 à ℣. 2 ; & interpretes in utrumque locum. Non dubitandum eſt, quin religioſiſſimus & vigilantiſſimus Princeps cum Eleazaro omnem operam contulerit, ut annus Sabbaticus, quieti & remiſſioni à Deo deſtinatus, ritè celebraretur, univerſus populus in feſto tabernaculorum cogeretur, illi lex Deuteronomii prælegeretur, ut Deut. cap. 31 ℣. 10 præcipitur ; ceteraque obſervarentur quæ Dominus præſcripſerat. Eâdem curâ & ſedulitate legum cæremonialium, à Deo per Moyſen datarum, uſum introduxit, earumque cuſtodiam urſit. Illis enim Iſraëlitæ jam obligabantur, ſicut ex Deut. cap. 12 ℣. 5 & ſeqq. intelligitur, à tempore, quo tabernaculum fixam cœpit in Silunte ſedem habere. Hunc locum elegerat Dominus in terra promiſſionis, in quo ſacrificia aliaque ad divinum cultum pertinentia exercerentur.*

F

AUCTORE J. L.

§ XXVII. Angeli Iſraëlitas objurgantis apparitio, de qua Judicum cap. II, probabiliùs non contigit ſub Joſue; comitiis convocatis, populum ad officium Deique cultum excitat.

Crimina, ob quæ Iſraëlitæ ab angelo reprehenduntur Judicum cap. 2,

Scriptura mirabilem narrat angeli Iſraëlitas objurgantis apparitionem lib. Judicum cap. 2 à ℣. 1: Aſcenditque angelus Domini de Galgalis ad Locum flentium, & ait: Eduxi vos de Ægypto, & introduxi in terram, pro qua juravi patribus veſtris; & pollicitus ſum, ut non facerem irritum pactum meum vobiſcum in ſempiternum: ita dumtaxat ut non feriretis fœdus cum habitatoribus terræ hujus; ſed aras eorum ſubverteretis: & noluiſtis audire vocem meam. Cur hoc feciſtis? Quam ob rem nolui delere eos à facie veſtra, ut habeatis hoſtes, & dii eorum ſint vobis in ruinam. Cumque loqueretur angelus Domini hæc verba ad omnes filios Iſraël, elevaverunt ipſi vocem ſuam & fleverunt. Et vocatum eſt nomen loci illius, Locus flentium, ſive lacrymarum: immolaveruntque ibi hoſtias Domino. Dimiſit ergo Joſue populum, & abierunt filii Iſraël unuſquiſque in poſſeſſionem ſuam, ut obtinerent eam. *Reprehenduntur hîc Iſraëlitæ ob fœdera cum Chananæis inita, & ob aras non everſas, falſis illorum diis ſacras. Unde patet, gentes iſtas veram religionem non ſuſcepiſſe, quemadmodum Rahab & Gabaonitæ fecerant; ſed ad fœdera admiſſas fuiſſe, relicta eis libertate idola publicè colendi: hoc autem locis num. 179 citatis ſeveriſſimè prohibuerat Deus.*

probabiliùs

258 *Theodoretus, Abulenſis, Torniellus ad annum 2593 num. 1, & Salianus ad annum 2599 num. 10 & ſeqq., aliique affirmant, angelum illum apparuiſſe, vivente S. Principe noſtro. Negant Procopius, Caietanus, Cornelius à Lapide, Calmetus & alii. Horum ſententiæ ſubſcribimus, aſſerimuſque* S. Joſue *rempublicam adminiſtrantis vigilantiâ magis floruiſſe Iſraëlitarum pietatem, divinorumque mandatorum obſervantiam, quàm ut angelus de cælo mittendus fuerit, qui eos tam acriter tamque gravi addita comminatione reprehenderet. Faventem nobis habemus S. Auguſtinum quæſt. 12 ſuper Judices:* Credibilius eſt, *inquit*, nihil tale, *ob quod Hebræos objurgavit angelus*, fieri cœptum, vivente Jeſu Nave; tantumque terrarum ſub illo tenuiſſe filios Iſraël, quantum eis ad conſidendum ſufficeret, quamvis in ſortibus ſuis haberent, unde creſcendo & convaleſcendo adhuc adverſarios exterminarent. Proinde poſt mortem Jeſu, poſtquam prævaluerunt, ut hoc poſſent facere, maluerunt eos, *ad veram fidem non converſos*, habere tributarios ſecundum voluntatem ſuam, quàm interimere & perdere ſecundum voluntatem Dei. Propter hoc ad eos corripiendos angelus miſſus eſt. Quod verò commemoratum eſt in libro Jeſu Nave (*cap. 16 ℣. 10 & cap. 17 ℣. 13 de filiis Ephraïm & Manaſſe, qui Chananæos, armis ſubactos, integra ſuperſtitioſa religione vectigales fecerunt*) magis exiſtimo præoccupando commemoratum, quòd poſt ejus mortem futurum eſſe jam ipſe noverat prophetico ſpiritu, ſi ab illo liber conſcriptus eſt, qui appellatur Jeſu Nave. *Si lectori minùs veriſimile videatur, S. Prophetam noſtrum litteris mandaſſe, quæ poſt ejus obitum acciderunt; mecum exiſtimare poteſt, illicita Ephraimitarum & Manaſſenſium fœdera à recentiore Scriptore hagiographo libro Joſue inſerta fuiſſe. Certè in eo non aberrat S. Doctor, quòd dicat illa contigiſſe, Sancto vitâ defuncto. Qui id negant, non modò à veritate longiùs recedere mihi videntur; verùm etiam religioſiſſimum Imperatorem eiſdem criminibus involvere, ob quæ Iſraëlitæ gravem Dei iram, pœnaſque ab angelo annuntiatas incurrerunt: nam quoniam domicilium ſuum* Joſue *habebat in ipſa tribu Ephraïm, in cujus vicinia Manaſſenſes habitabant; quomodo hi & ejus tribules Ephraïmitæ potuerunt bellum Chananæis inferre, eos ſibi ſubjicere & tributarios facere; araſque publicas, idolis erectas, integras relinquere, inſcio vigilantiſſimo Principe? Si eorum conſcius fuerit, quid tandem excogitabis, ut eum excuſes? Difficulter ſanè in adverſæ partis ſententia intelligi poteſt, quomodo eodem, quo ceteri, crimine implicitus non fuerit.*

poſt mortem Joſue

259 *Crimina, ob quæ Deus Iſraëlitas per cæleſtem legatum ſuum reprehendit, Ephraimitæ & Manaſſenſes etiam commiſerunt, fuerunique illa ipſa, quæ Joſue cap. 16 ℣. 10 & cap. 17 ℣. 13, necnon Judicum cap. 1 à ℣. 27 narrantur. Nunc ſi evicero, in libro Judicum, cujus initium eſt,* Poſt mortem Joſue, *ea ſuo loco referri, in libro verò Joſue præoccupari, neque etiam ullam aliam tribum, vivente Sancto, angelicæ apparitioni & increpationi cauſam dediſſe, Sanctum ab omni culpæ ſuſpicione liberavero. Poſtquam Scriptura Joſuæ cap. 16 ℣. 10 & cap. 17 ℣. 13 narraſſet, quòd filii Ephraim & Manaſſe idololatras Chananæos in tribubus ſuis habitantes ſibi ſubjeciſſent, & vitâ donatos vectigales feciſſent, ſtatim ſubdit eorumdem querelam ad* Joſue, *quòd ſorte accepiſſent terram etiam tum à Chananæis ex parte occupatam, quos ferreis curribus utentes bello vincere ſe poſſe diffidebant. Unde imprimis evidens eſt, locis citatis anticipari, quod poſtea tantùm contigit. Nunc Judicum caput 1 à ℣. 27 nihil referre, quod ante Sancti mortem factum fuerit, ita probo. Nemo dubitat, quin exhortationem, quam dat Joſue caput 23, S. Princeps ad Iſraelitas inſtituerit, ultimo vel penultimo vitæ ſuæ anno. In hac autem non modò duæ jam ſæpe nominatæ, ſed & reliquæ tribus omnes laudantur ℣. 8:* Sed adhæreatis Domino Deo veſtro: quod feciſtis uſque in hanc diem. *Si ſcelera jam admiſſa fuiſſent, ob quæ angelus Iſraëlitis increpitis annuntiavit, Chananæorum deos illis futuros* in ruinam; *an Sanctus eos laudaſſet, quod Domino fideliter adhæſiſſent? An ibidem verſu 15 dixiſſet, hactenus Iſraëli* proſpera cuncta *veniſſe? An denique in eadem exhortatione vel alia, quam paulò poſt ſub finem vitæ habuiſſe legimus capite 24, ne verbo quidem angeli apparitionem hujuſve cauſam attigiſſet, neque populum monuiſſet, ut pœnitentiam ageret ad iram divinam placandam vel mitigandam? In poſtrema quidem oratione cap. 24 ℣. 23 hortatur populum, ut de medio ſui auferat deos alienos: verùm hi non erant Chananæorum dii, ob quorum aras non ſubverſas ab angelo objurgati ſunt Iſraëlitæ; ſed dii alieni, quibus in Meſopotamia ſervierant* Thare pater

A pater Abraham, & Nachor *ibidem* ℣. 2. *Extra omne dubium hoc ponit verſus* 14 *ibidem* : Auferte deos, quibus ſervierunt patres veſtri in Meſopotamia. *Noli tamen hinc inferre, quòd Iſraëlitæ ſub imperio* Joſue *ſaltem majorum ſuorum idolis aras erexerint, publicumque cultum eis exhibuerint; nam ibid.* ℣. 31 *legitur* : Servivitque Iſraël Domino cunctis diebus Joſue. *Quomodo autem hic locus componendus ſit cum Sancti monitione de auferendis diis, ex Meſopotamia & ex Ægypto in Chananæam aſportatis, dicetur num.* 276. *Satis ſit hìc oſtendiſſe illam non agere de diis alienis incolarum terræ promiſſæ, & conſequenter nihil inde contra nos deduci poſſe.*

260 *Argumentum, quo nititur pars adverſa, eſt, quòd Judicum capite* 2 *angeli apparentis & Iſraëlitas objurgantis hiſtoriæ ſtatim ſubjungatur* ℣. 6 : Dimiſit ergo Joſue populum. *Sed hujus infirmitatem ſtatim agnoſces, ſi ad ſacræ narrationis contextum attendas. Ut clariùs, quis ille ſit, intelligas, priùs proponere juvat quæ proximè ſequuntur* : Et abierunt filii Iſraël unuſquiſque in poſſeſſionem ſuam, ut obtinerent

B eam : ſervieruntque Domino cunctis diebus ejus (Joſue) & ſeniorum, qui longo poſt eum vixerunt tempore, & noverant omnia opera Domini, quæ fecerat cum Iſraël .... Omniſque illa generatio congregata eſt ad patres ſuos : & ſurrexerunt alii, qui non noverant Dominum, & opera, quæ fecerat cum Iſraël. Feceruntque filii Iſraël malum in conſpectu Domini, & ſervierunt Baalim. *Nunc Bonfrerii explanationem accipe* : Quo fine iſta, *quæ de* Joſue *memorantur*, Scriptura hìc intexat extra narrationis ſeriem, partim ex antecedentibus, partim ex ſequentibus peti debet. Dixerat angelus fore, ut, quia Dei mandatum contempſerant, aras & idola Chananæorum non exterminarant, eorum dii ipſis eſſent in ruinam, eos videlicet in idololatriam pertrahendo; qua ex re ruinam & exitium ſibi accerſerent : nunc intendit Scriptura declarare, quomodo reipſa ita factum ſit. Quod ut faciat, altiùs rem repetit, & declarat, quando & quamdiu in officio & divino cultu conſtantes Iſraëlitæ permanſerint, & quibus auxiliis id factum ſit. Senſus itaque eſt : Cùm bellis confectis & facta ſortitione, Joſue unumquemque in ſuas ſortes &

C poſſeſſiones dimiſiſſet, illique poſſeſſiones adiiſſent; conſtantes in Dei cultu permanſerunt, quamdiu vixit Joſue, qui eos auctoritate ſua in officio continebat; & rurſum, quamdiu ſeniores illi vixerunt, qui admiranda Dei opera in eductione populi ex Ægypto viderant, cujuſmodi erant Calebus, Eleazarus & nonnulli Levitæ, populumque exemplo, adhortationibus, auctoritate in Dei cultu fovebant. At Joſue mortuo & ſeniotibus illis, cùm iſtis præſidiis & ſtimulis Iſraëlitæ carerent, neque ea pietas in iis, qui ipſis ſucceſſerant, vigeret; facilè paſſi ſunt ſe in idololatriam pertrahi, accedente præſertim illecebra illa idololatrarum & idolorum, intra fines ſuos relictorum : ex quo ruinam illam & extremam perniciem, quam angelus prædixerat, ſibi accerſiverunt. Quàm aptè tota illa de dimiſſione, facta à Joſue, & morte narratio ſic explicata antecedentibus & conſequentibus congruat, nemo non videt ... Itaque DIMISIT ERGO, idem eſt, quod DIMISERAT AUTEM, vel FACTUM EST IGITUR, CUM DIMISISSET JOSUE; in qua explicatione liquet nihil violentum nihil contortum eſſe, & noſtræ opinioni atque explicationi nihil officere. *Alia mihi in promptu ſunt argumenta, quibus diſſentientium objectionem enervem, & noſtram ſententiam confirmem : ſed illa non adfero, quòd dicta hactenus utrumque ſufficienter præſtitiſſe mihi videantur. Itaque ad caput* 23 *libri Joſue pergamus.* AUCTORE J. L.

261 Evoluto autem multò tempore, poſtquàm pacem dederat Dominus Iſraëli, ſubjectis in gyro nationibus univerſis, & Joſue jam longævo & perſenilis ætatis : vocavit Joſue omnem Iſraëlem, majoreſque natu, & principes ac duces, & magiſtros *cap.* 23 *à* ℣. 1. *Hanc comitiorum convocationem, Sanctique, quæ ſubditur, exhortationem factam fuiſſe, cùm ageret annum ætatis centeſimumu nonum vel fortè decimum, qui principatûs & vitæ ejus fuit poſtremus, paſſim omnes deducunt ex capitis initio mox dato, ejuſque verſu* 14. *Ubi convocati vel in Thamnath-Sarua, vel, ut alii volunt, in huic vicinam Siluntem, quòd res tota ad Dei cultum commendandum pertineret, confluxiſſent; exorſus eſt à commemoratione beneficiorum recèns à Deo acceptorum, quâ auditorum animos ad Dei amorem & cultum ſuaviter inflecteret* : Dixitque ad eos, ℣. 2 *& ſeqq.* : Ego ſenui & progreſſioris ætatis ſum. Voſque cernitis omnia, quæ fecerit Dominus Deus veſter cunctis per circuitum nationibus, quomodo pro vobis ipſe pugnaverit : & nunc quia vobis forte diviſit omnem terram ab Orientali parte Jordanis uſque ad mare magnum. *Verùm quia iſta beneficia, juſtiſſimis de cauſis, quas ex Scriptura dedimus num.* 224, *nondum erant ad coronidem perducta, perfectæ victoriæ ſpem certiſſimam facit, ut quæ ex ipſorum alacritate, & in Deum amore, ejuſque mandatorum obſervatione pendeat* : Multæque adhuc, *inquit*, ſuperſunt nationes : Dominus Deus veſter diſperdet eas, & auferet à facie veſtra; & poſſidebitis terram, ſicut vobis pollicitus eſt. Tantùm confortamini, & eſtote ſoliciti, ut cuſtodiatis cuncta, quæ ſcripta ſunt in volumine legis Moyſi : & non declinetis ab eis neque ad dexteram neque ad ſiniſtram : ne poſtquam intraveritis ad gentes, quæ inter vos futuræ ſunt, juretis in nomine deorum earum, & ſervietis eis, & adoretis illos : ſed adhæreatis Domino Deo veſtro, quod feciſtis uſque in diem hanc. Et tunc auferet Dominus Deus in conſpectu veſtro F gentes magnas & robuſtiſſimas, & nullus vobis reſiſtere poterit. Unus è vobis perſequetur hoſtium mille viros : quia Dominus Deus veſter pro vobis ipſe pugnabit, ſicut pollicitus eſt. Hoc tantùm diligentiſſimè præcavete, ut diligatis Dominum Deum veſtrum. *populum hortatur pius Senex, ut legem ſervent, Deumque colant,*

262 *Quoniam verò totus rei cardo in eo vertebatur, ut à cultu idolorum abſterrerentur Iſraëlitæ, & eam ipſam ob cauſam à conſuetudine & affinitate populi idolis dediti; in eo inſiſtit acriùs pius Senex, addita comminatione divinæ ultionis, expetendæ per illas ipſas gentes, quibuſcum familiaritatem vel illicita fœdera contraxerint* : Quod ſi volueritis, *inquit*, gentium harum, quæ inter vos habitant, erroribus adhærere, & cum eis miſcere connubia, atque amicitias copulare : jam nunc ſcitote, quòd Dominus Deus veſter non eas deleat ante faciem veſtram; ſed ſint vobis in foveam ac laqueum, & offendiculum ex latere veſtro, & ſudes in oculis veſtris; donec vos auferat atque diſperdat de terra hac optima, quam tradidit vobis. En ego hodie ingredior viam univerſæ terræ, & toto animo cognoſcetis, quòd de omnibus verbis, quæ ſe Dominus præſtiturum vobis eſſe pollici- *neque cum idololatris fœdera amicitiamve contrahant.*

AUCTORE J. L.

tus est, unum non præterierit incassum. Sicut ergo implevit opere quod promisit, & prospera cuncta venerunt: sic adducet super vos quidquid malorum comminatus est, donec vos auferat atque disperdat de terra hac optima, quam tradidit vobis; eò quòd præterieritis pactum Domini Dei vestri, quod pepigit vobiscum, & servieritis diis alienis, & adoraveritis eos: citò atque velociter consurget in vos furor Domini, & auferemini ab hac terra optima, quam tradidit vobis.

§ XXVIII. Altera Sancti oratio ad populum in Sichem convocatum, quem inducit ad fœdus cum Deo solenniter renovandum; librum suo nomine inscriptum cum ultimo Deuteronomii capite probabiliùs conscripsit.

B

Brevi moriturus populum congregat in Sichem, & ad timorem

POstrema exhortatio, quam pius Princeps ad populum instituit, haud ita diu ejus mortem antecessit. Cùm se non diu supervicturum sentiret, vel fortasse etiam ex revelatione divina instantem suum obitum cognosceret; rursum Israëlitas unum in locum cogit, omnesque se, ut ita dicam, in partes versat, ut illorum animos accendat, ad constantem Dei cultum ejusque mandatorum observationem excitet, tandemque eos inducat ad fœdus cum Deo solemni ritu renovandum. Capite 24 à ℣. 1 res ita narratur: Congregavitque Josue omnes tribus Israël in Sichem, & vocavit majores natu, ac principes, & judices, ac magistros; steteruntque in conspectu Domini; & ad populum sic locutus est: Hæc dicit Dominus Deus Israël: Trans fluvium habitaverunt patres vestri ab initio *&c. Incipit hìc repetere ab origine eductionem Abrahæ de terra Chaldæorum, & multiplicationem seminis ejus ex Isaac & Jacob. Dein recensèt plurima potioraque beneficia Domini, per singulas temporum successiones facta. Denique enumerationem collatorum beneficiorum ita concludit ℣. 13, in persona Domini dicens:* Dedique vobis terram, in qua non laborastis, & urbes, quas non ædificastis; ut habitaretis in eis: vineas & oliveta; quæ non plantastis. *Inde ad ea transit, de quibus populum monere sibi proposuerat.* Nunc ergo timete Dominum, *à quo tot & tanta accepistis beneficia*; & servite ei perfecto corde atque verissimo: & auferte deos, quibus servierunt patres vestri in Mesopotamia & in Ægypto, ac servite Domino.

C

cultumque Dei rursus hortatur; omnium animos mirifico dicendi

264 Sin autem malum vobis videtur, ut Domino serviatis, optio vobis datur: eligite hodie quod placet, cui servire potissimùm debeatis, utrùm diis, quibus servierunt patres vestri in Mesopotamia, an diis Amorrhæorum, in quorum terra habitatis: ego autem & domus mea serviemus Domino. Respondítque populus & ait: Absit à nobis, ut relinquamus Dominum, & serviamus diis alienis. Dominus Deus noster ipse eduxit nos & patres nostros de terra Ægypti, de domo servitutis: fecitque videntibus nobis signa ingentia, & custodivit nos in omni via, per quam ambulavimus, & in cunctis populis, per quos transivimus. Et ejecit universas gentes, Amorrhæum habitatorem terræ, quam nos intravimus. Serviemus igitur Domino, quia ipse est Deus noster. Dixitque Josue ad populum: Non poteritis servire Domino: Deus enim sanctus, & fortis æmulator est; nec ignoscet sceleribus vestris atque peccatis. Si dimiseritis Dominum, & servieritis diis alienis, convertet se, & affliget vos, atque subvertet, postquam vobis præstiterit bona. Dixitque populus ad Josue: Nequaquam ita, ut loqueris, erit; sed Domino serviemus. Et Josue ad populum, Testes, inquit, vos estis, quia ipsi elegeritis vobis Dominum, ut serviatis ei. Responderuntque: Testes. Nunc ergo, ait, auferte deos alienos de medio vestri, & inclinate corda vestra ad Dominum Deum Israël. Dixitque populus ad Josue: Domino Deo nostro serviemus, & obedientes erimus præceptis ejus.

D

artificio accendit & inducit ad fœdus cum Domino renovandum:

265 *In omni sapientissimi Senis dictione mirificum elucet artificium necnon efficacia ad constantiam in veri Dei cultu populo persuadendam. Ac primò optio illa, Israëlitis oblata, serviendi diis Amorrhaorum vel patrum in Mesopotamia,* dissimulatio quædam est, ad accendendum affectum comparata, quod ex sequentibus clariùs agnoscitur. Nam statim eos exemplo suo provocat ad sequendum Deum. Cur enim non statuant ejus Imperatoris religionem imitari, cujus eximiam in rebus agendis prudentiam, in exequendis felicitatem, in omni vita sanctitatem adhuc experti essent? Ergo ita statuunt ac decernunt servire Domino, à quo tot beneficia, quæ enumerant, ad hanc diem acceperint. Quia tamen, ut ait ille, Nitimur in vetitum semper, cupimusque negata, perseverans in dissimulatione sua Josue, quem non latebat populi hujus in bono proposito inconstantia, & insignis in cultum idolorum propensio, NON POTERITIS, inquit, SERVIRE DOMINO; sicque magis accensa eorum voluntate, proponit quæ difficilia futura sint in Dei cultu, qui sit severus ultor injuriarum suarum, & in primis defectionis à se ad idola, ut ea nunc animosè perrumpere statuant, & constanter in bono tam ardenter electo perseverent. Postquam autem sapiens Imperator quadam quasi tergiversatione populi voluntatem magis magisque accendit, testem appellat eorum conscientiam, ut se ipsi postea, si perfidi fuerint, sine alio teste vel judice condemnent. Sicque acceptatur universi populi voluntas à Domino, interventu Josue principis populi. In cujus rei probationem, NUNC ERGO, AIT, AUFERTE DEOS ALIENOS ... Respondit iterum populus se Domino serviturum. *Ex Epitome Saliani ad annum 2600 hæc excerpsimus, quia verbis sacris non parum lucis adferunt. Quòd hæc Sancti monitio;* Nunc ergo auferte deos alienos, *non supponat inter Israëlita publicos fuisse idolorum cultores, opportuno loco dicemus infrà num. 276.*

E

solemni illud ritu populum inter & Deum

266 *Quæ dein acta fuerint, ita perstringit auctor sacer à ℣. 25:* Percussit ergo Josue in die illo fœdus, & proposuit populo præcepta atque judicia in Sichem. Scripsit quoque omnia verba hæc in volumine Legis Domini: & tulit lapidem pergrandem, posuitque eum subter quercum, quæ erat in Sanctuario Domini: & dixit ad omnem populum. En lapis iste erit vobis in testimonium quòd audierit omnia verba Domini, quæ locutus est vobis: ne postea negare velitis, & mentiri Domino Deo vestro. *Singulas Sancti actiones aliqua commentatione elucidabimus. Primò* Percussit fœdus: *illud in eo consistebat, aiunt inter-*

F

A *interpretes, quòd populus promitteret, ſe unum Deum culturum ejuſque leges à Moyſe latas ſervaturum*; Joſue *verò viciſſim Dei nomine promitteret populo, quòd Dominus ipſi futurus eſſet protector & auxiliator. Populus ex ſuâ parte jam promiſſa hac iterata proteſtatione dederat; Imperatorem ex parte Dei id quoque nunc feciſſe, ſignificant hæc verba ſacra*, Percuſſit ergo Joſue *&c. An autem ad eam rem fuerint adhibita ſacrificia, ſolenneſque aliæ cæremoniæ, quæ Exodi cap.* 24 *in fœderis percuſſione, Deum inter & populum per Moyſen facta, leguntur adhibitæ eſſe, incertum eſt:* Veriſimillimum *tamen* eſt, *inquit Maſius hîc*, nullum eſſe ſolennem ritum omiſſum, ut eſſet omnibus modis ſanctiſſimum fœdus; & quia iſta pactione rurſus veluti initiabatur populus ſacra religione, non ſolùm ſacrificatum eſſe, verùm etiam, tamquam nexu quodam, victimæ ſanguine partim aram Dei, quaſi Deum ipſum, partim populum eſſe inſperſum, ſolenni ritu: quando à Moyſe ſic factum eſſe conſtat, cùm illud fœdus pangeret primùm, cujus nunc renovatio agitur.

B *inſtauratur; fœderis monimenta.*

267 *Secundò*, Propoſuit populo præcepta atque judicia in Sichem; *id eſt, inquit à Lapide, curavit per ſacerdotes prælegi ex Deuteronomio præcepta Dei tam moralia & cæremonialia, quàm judicialia, ut populo refricaret & inculcaret eorum memoriam, quorum obſervationem ſpoponderat. Alii dicunt, Sanctum ad morituri Moyſis imitationem totum Deuteronomium populo recitaſſe. Dein ad perpetuam rei memoriam duo ſigna inſtituit, quæ poſteritatem omnem hujus fœderis, cum Deo ſub mortem* Joſue *renovati, admonerent. Primum eſt, quòd monitiones ac ſtipulationes à ſuâ, à populi verò parte teſtationes & ſponſiones factas, aliaque ad fœdus ſpectantia in ſcripta retulerit, quæ à peritis perpetuò conſuli poſſent:* Scripſit quoque omnia verba hæc in volumine Legis Domini, *id eſt, ut multi loquuntur, ad calcem libri Deuteronomii adjecit, vel ut alii; adſcripſit hæc libro Joſue, quo tamquam appendice volumen Legis Domini, ſeu liber Deuteronomii auctus fuit. Alterum ſignum pro illiteratis fuit, pergrandis ſcilicet lapidis erectio, cujus quoties cauſa requireretur, toties fœderis hujus memoria renovaretur:* Et tulit lapidem pergrandem *&c. His peractis, comitia ſoluta ſunt*; Dimiſitque *Imperator* populum, ſingulos in poſſeſſionem ſuam ℣. 28. *Joſephus de fœdere renovato ne verbo quidem meminit.*

C *S. Joſue veriſimiliùs conſcripſit librum, qui ejus nomen præfert;*

268 *Sanctum poſtremi ſaltem capitis libri Joſue uſque ad verſum* 29 *auctorem eſſe, numero præcedente diximus. Tam pauci ſunt qui id in dubium vocent, ut vix numerum faciant. Major inter eruditos diſſenſio eſt, quis reliquum librum Joſue conſcripſerit. Alii Eleazarum pontificem, alii Samuelem, Iſaiam prophetam alii, alii Eſdram; at plerique tam antiqui quàm recentiores, ipſum* Joſue *hujus ſcriptorem eſſe, ſentiunt. His potiùs putamus adhærendum quàm illis. Suadet id Eccleſiaſticus cap.* 46 ℣. 1 Fortis, *inquit*, in bello Jeſus Nave, ſucceſſor Moyſi in prophetis, *vel ut Græca habent*, in prophetiis. *Quibus verò in rebus propheta vel in prophetiis ſucceſſor, niſi in iis, quæ Dominus revelarat, voce ſcriptoque populo communicandis? Dici quidem poteſt ex hoc loco tantùm probari poſſe, eum ſola voce prophetaſſe. Verùm an non potiùs credendum eſt, revelationes & divina oracula, quæ in libro Joſue occurrunt frequentiſſima, ab illo, cui ſoli facta ſunt, quàm ab aliquo alio, litteris mandata eſſe? Vix ullus dubitat, quin Sanctus ſcripſerit caput vigeſimum quartum, id enim conſtat ex ejus verſu* 29. Scripſit quoque omnia verba hæc in volumine Legis Domini. *Si hoc caput auctori Joſue tribuamus, cur non & alia? Quis Dei mandata arcanaque ejus conſilia ſibi revelata, quis & bella expeditioneſque contra Chananæos ſuſcepta, aliaque in hoc libro contenta, meliùs noſſe & accuratiùs deſcribere poterat? Præterea viderat Moyſen omnia, quæ per Iſraëlitas & circa eos Deus admiranda geſſerat, tam ſtudiosè conſcripſiſſe, ne poſteritas horum memoriam amitteret: quis non meritò cenſeat, quòd Diſcipulus, neque in imperio tantùm ſed & in munere prophetico ſucceſſor, magiſtrum & deceſſorem ſuum imitatus fuerit; maximè cùm illa in terram promiſſam introductio, bellaque ibi prodigioſo modo geſta non minùs gratam memoriam expoſcerent, & ad Dei gloriam facerent. Fateor, hæ rationes omnes non adeo efficaces ſunt, quin maneat adhuc incertum, an Sanctus ſcripſerit librum, qui ejus nomine inſcribitur. Hoc tamen ponderis habent, ut plerorumque eruditorum judicia inclinarint ad aſſerendum, id probabilius eſſe. Quòd in libro Joſue aliqua legantur, quæ poſt Sancti mortem facta ſunt, nihil aliud evincit, quàm Acta S. Principis ab aliquo recentiore ſcriptore, ſive is Eſdras ſive alius fuerit, recognita eſſe, interjectis hinc inde aliquot vocibus vel periodis connexionis aut explicationis gratiâ. Pentateuchum, cujus auctor Moyſes ab omnibus agnoſcitur, multis locis interpolatum eſſe nullus non fatetur. Quid hoc objicienti reponent alii, niſi idem quod nos ipſis? Pluribus hanc quæſtionem agitare neceſſe non eſt: cuilibet ad manum ſunt, vel facillimè eſſe poſſunt interpretes aliique ſcriptores, qui eam ex profeſſo tractant.*

E

F *uti & ultimum caput Deuteronomii.*

269 *Qui à Sancto librum ſcriptum eſſe dicunt, qui ipſius acta enarrat, illum etiam auctorem faciunt ultimi capitis Deuteronomii, ſaltem à verſu 5, qui Moyſis mortem narrat. Colligunt id paſſim ex initio libri Joſue*, Et factum eſt poſt mortem Moyſi, *quòd ſtudiosè connexum videtur cum fine Deuteronomii. Dein ſucceſſerat Moyſi in prophetarum officio populique gubernatione; fueratque ipſius miniſter & diſcipulus; ejus igitur potiſſimum partes erant, legiſlatoris exitum plane admirabilem poſteritati tradere, quem ipſe ſuis probabiliter oculis conſpexerat, ut diximus num.* 81. *Imò etiam quatuor priores verſus ejuſdem capitis, qui agunt de Moyſis in montem aſcenſu, terræque promiſſæ, quam Deus ei moriturò monſtrabat, contemplatione, Sanctum ſcripſiſſe puto: non enim veriſimile eſt, in ipſo ferè mortis articulo id ipſum legiſlatorem feciſſe. Totum igitur caput ultimum Deuteronomii Pentateucho à* Joſue *additum fuiſſe exiſtimo. Bonfrerius in Appendice ad caput 7 Præloquiorum in ſacram Scripturam ſect.* 5, *quam ſubdit Commentariis in Pentateuchum, putat illud ab eo ſcriptum eſſe, durante adhuc Hebræorum luctu ob mortem Moyſis; ſed illud Deut. cap. ultimo* ℣. 8 Completi ſunt dies planctûs lugentium Moyſen *ſatis manifeſtat, ſcriptionem poſt luctum factam fuiſſe. Quantum verò temporis inter hunc & illam interceſſerit, quis determinet? Id unum* dici poteſt, *quòd* Joſue *veriſimiliùs ſubjecerit coronidem illam hiſtoriæ Moyſaicæ, antequam ſuam inchoaret: ſuam autem inchoaſſe exiſtimo poſt terræ diſtributionem, cùm jam in Thamnath-Saraa domicilium fixiſſet, atque admodùm ſenex eſſet.*

AUCTORE J. L.

esset. Colligitur id ex frequenti illa notatione temporis usque in præsentem diem : *cui simile apud Matthæum cap.* 27 ℣. 18 *de agro Haceldama legimus. Duo ultima libri sui capita, exceptis quinque circiter ultimis versibus, sub finem vitæ conscripsit.*

§ XXIX. Moritur Josue, cùm probabiliùs XVII circitèr annis præfuisset : præcipuorum ejus gestorum chronotaxis ; elogia ex sacris Litteris : illo vivente publici inter Israëlitas non fuere idololatræ : Sancti virtutes præcipuæ.

Moritur S. Josue, cùm probabiliùs Israëli

B

ET post hæc, *ait capitis ultimi versus* 29, *id est, post fœdus in Sichem renovatum, populumque in possessiones suas dimissum*, mortuus est Josue filius Nun servus Domini, centum & decem annorum. *Solos vitæ annos tradit Scriptura ; de principatûs autem duratione quia tacuit, latam Chronologis patefecit aream disputandi. Sed omissa opinionum variarum longa enumeratione, ab iis omnibus nos recedimus, quæ Sancto* 14 *vel pauciores,* 25 *vel plures gubernationis annos tribuunt. Qui principatum ejus longiore tempore quàm* 14, *& breviore quàm* 25 *annis duravisse asserunt, eum* 17 *circiter annis definiunt. Horum sententia propiùs ad verum accedit, quàm illorum. Imprimis ejus magistratûs durationem ad* 25 *vel plures annos extendi non posse, sic ostendo : Ex libro* 3 *Regum cap.* 6 ℣. 1 *constat, ab Exodo usque ad jacta templi Salomonici fundamenta annos quadringentos octoginta numerari ; annumque quadringentesimum octogesimum esse annum quartum regni Salomonis :* Factum est ergo quadringentesimo & octogesimo anno egressionis filiorum Israël de terra Ægypti, in anno quarto, mense Zio, (ipse est mensis secundus) regni Salomonis super Israël, ædificari cœpit domus Domino. *Atqui illa series annorum constare non potest, deductâ chronologiâ per annos Judicum, prout in Hebraico textu & in Vulgata nostra definiuntur, si* Josue 25 *vel plures regiminis anni assignentur : ergo tam diu Hebræorum rempublicam moderatus non est.*

C

nec pluribus

271 *Minoris propositionis veritas oculis subjicitur sequenti schemate. Moyses ab egressu rexit populum annis* 40, *Deut. cap.* 2 ℣. 7 ; *Othoniel primus Judicum post mortem* Josue 40, *Judicum cap.* 3 ℣. 11 ; *Aod* 80, *ibid.* ℣. 30 ; *Samgar paucis mensibus ; Barac & Debbora annis* 40, *Jud. cap.* 5 ℣. 32 ; *Gedeon* 40, *Jud. cap.* 8 ℣. 28 ; *Abimelech* 3, *Jud. cap.* 9 ℣. 22 ; *Thola* 23, *Jud. cap.* 10 ℣. 2 ; *Jaïr* 22, *ibid.* ℣. 3 ; *Jephte* 6, *Jud. cap.* 12 ℣. 7 ; *Abesan* 7, *ibid.* ℣. 9 ; *Ahialon* 10, *ibid.* ℣. 11 ; *Abdon* 8, *ibid.* ℣. 14 ; *Samson* 20, *Jud. cap.* 15 ℣. 20 ; *Heli pontifex* 40, *lib.* 1 *Regum cap.* 4 ℣. 18 ; *Samuël & Saül rex* 40, *Actuum cap.* 13 ℣. 21 ; *David rex* 40, *lib.* 2 *Regum cap.* 5 ℣. 5 ; *Salomon jecit fundamenta templi anno sui regni* 4, *lib.* 3 *Regum cap.* 6 ℣. 1. *Positorum annorum additionem si feceris, resultabunt anni* 463. *Huic numero si adjunxeris* 25 *vel plures annos principatûs* Josue, *summam annorum* 488, *vel eâ majorem invenies ; & consequenter vitiosus erit annus fundationis templi, quam Scriptura inchoatam fuisse affirmat anno* 4 *regis Salomonis, &* 480 *ab egressu de Ægypto : hunc autem numerum aquabis, si tempori, quo Moyses, nominati judices & reges Israëli præfuerunt, conjungas* 17 *annos : relinquitur itaque, ut* Josue *tam diu circitèr principatum gesserit.*

D

nec pauciores quàm 17 *circiter annis præfuisset :*

272 *Qui imperium* Josue *ad* 14 *vel pauciores annos restringunt, seorsum numerant vel tempus alicujus servitutis, vel illud, quod concedunt gubernationi seniorum, de quibus meminit versus* 31 : Servivitque Israël Domino cunctis diebus Josue & seniorum, qui longo vixerunt tempore post Josue. *Verùm cum Scriptura nusquam dicat seniores illos rempublicam administrasse post sancti Principis obitum, rectè intelliguntur dumtaxat exemplo pietatis & constantis in Deum fidei toti populo præluxisse, eumque auctoritate sua, quam ipsa senectus, diuturna rerum experientia vitæque probitas illis conciliarat, in officio continuisse, ne aliqui saltem publicè ad idola deficerent. Suos igitur Sancto nostro* 17 *circitèr principatûs annos relinquimus ; illos verò, quibus Israëlitæ Domino sub senioribus servierunt, ad Othonielis initia referimus. Nullius etiam servitutis annos seorsum computandos esse asserimus, dicimusque omne interregni spatium comprehendi judicum annis, nec separatam facere chronologiam ; verbi gratiâ, decem & octo anni servitutis, quæ contigit sub rege Moabitarum continentur in* 80 *annis judicis Aod, & ita de ceteris. Itaque anni singulorum judicum sunt spatia temporis interjecti inter duos judices, verbi causâ, à morte* Josue *ad mortem Othonielis, à morte Othonielis ad mortem Aod &c. Ex quibus omnibus concludimus, nec plures nec pauciores annos Sanctum imperasse, quàm circitèr* 17. *Judicium meum hîc tuli in quæstione plurimùm controversa, & cum variis aliis arctè connexa ; quæ proin multiplicibus objectionibus impeti potest. His ego dissolvendis lectorem non detineo, ei libertatem relinquens aliam sententiam eligendi, & se immergendi difficultatibus, longè gravioribus, quàm eæ sint, quæ nobis objici possunt.*

E

F

præcipuorum ejus

273 *Si* 17 *circitèr anni, quibus supremum in Chananitide Israëlitarum ducem, &* 40, *quibus in deserto magni prophetæ Moysis ministrum egit, auferantur ex* 110 *vitæ annis ; supererunt circitèr* 53, *quibus vixerit in servitute Ægyptiaca. Sub hujus finem Moyses eum ministrum suum eligit. Anno primo ab egressu, ætatis suæ circitèr* 54 *Amalecitas debellat, cum legislatore in montem Sinai ascendit, in quo* 40 *dies jejunus, deliciis spiritualibus pastus, verisimiliter angelis supparem vitam duxit ; post descensum è monte tabernaculi custodiendi cura ei committitur. Anno ab exitu secundo, quem ipsius vitæ* 55 *fuisse credimus, contigit quod Scriptura de ejus æmulatione pro Moyse memorat ; mittitur ad explorandam Chananitidem ; redux insignia fortitudinis & zeli in compescenda seditione dat specimina ; lapidationis periculo prodigiosè eripitur. Anno* 40 *commorationis in deserto, ætatis circitèr* 93 *à Domino successor Moysis nominatur, Israëlitarum Princeps inauguratur, Madianitæ, illo probabiliùs duce, profligantur, collatæ ei dignitas coram populo à legislatore, Deoque ipso, cœlesti prodigio confirmatur. Moyse defuncto*

A *defuncto, ſupremam poteſtatem exercere incipit; cujus primum annum, ut multa alia prætermittam, præcipuè illuſtrarunt familiaritas cum Deo, cujus alloquio ſæpe dignatus eſt, mirabilis exſiccati Jordanis tranſitus, archangeli Michaëlis apparitio, prodigioſa murorum Hierichuntinorum everſio, Haï miro ſtrategemate capta, Adoniſedec cum aliis quatuor regibus ad Gabaonem victus, lapidea grando de cælis immiſſa, in fugâ elapſas eorum copias, ſolis & lunæ curſus ejus imperio inhibitus, donec hoſtes omnino cæſi eſſent, Iſraëlitarum corporibus laſſitudo probabiliùs divinitus depulſa, regis Gazer exercitus deletus, tota denique auſtralis Chananæa mira celeritate ſubacta.*

geſtorum chronotaxis:

274 *Anno imperii ejus ſecundo, vitæ 95, numeroſiſſimus regum Aquilonarium exercitus ad internecionem cæſus eſt, atque Aſor expugnata. Quatuor anni ſequentes in conficiendis belli reliquiis poſiti ſunt. Reges primo regiminis ſui ſexennio devicit triginta & unum, quos interfectos, ita volente Deo, è patibulis ſuſpendit. Anno principatûs ſeptimo monetur à Domino centenarius*

B Joſue, *ut Chananæam per ſortes dividat. Anno ſequente fit tabernaculi tranſlatio de Galgalis in Siluntem, ubi interrupta terræ promiſſæ partitio, urgente Sancto, continuatur. Cùm meliorem poſſet, deteriorem modeſtus Princeps ſibi portionem eligit. Reliquos novem vitæ annos in ædificanda Thamnath-Saraa, atque republica ordinanda exigit. In extrema ſenectute duo comitia celebrat, in quibus populum ferventi oratione ad amorem cultumque veri Dei exhortatur: in poſtremis fœdus Deum inter & populum ritu ſolemni renovat. Paulò pòſt, omnibus muneris ſui partibus ex voluntate Dei & totius populi optimè expletis, appoſitus eſt ad Patres ſuos in ſenectute bona, cùm eſſet* 110 *annorum. Præcipua tantùm rerum capita huic chronotaxi inſerui, reliquis prætermiſſis. Menſem etiam ac diem, quo quælibet res geſta fuerit, quantùm potui, ſuis locis aſſignavi.*

elogia ex ſacris

275 *Pauca, ex ſacris Litteris deprompta, Sancti elogia, quæ illuſtrium epitaphiorum inſtar ſint, hîc ſubnectemus. Moyſes, cùm introïtum in terram promiſſam ob peccatum ad Aquas contradictionis ei negaſſet Dominus, ita eum precatus eſt Numer. cap. 27 à ℣. 16:* Provideat Dominus Deus ſpirituum omnis carnis hominem,

C qui ſit ſuper multitudinem hanc; & poſſit exire & intrare ante eos, & educere eos vel introducere: ne ſit populus Domini ſicut oves abſque paſtore. Dixitque Dominus: Tolle Joſue filium Nun VIRUM, IN QUO EST SPIRITUS, & pone manum tuam ſuper eum ... & dabis ei præcepta cunctis videntibus, & partem gloriæ tuæ, ut audiat eum omnis ſynagoga filiorum Iſraël. *Et Deuter. cap. ultimo ℣. 9:* Joſue verò IMPLETUS EST SPIRITU SAPIENTIÆ, quia Moyſes poſuit ſuper eum manus ſuas. *Igitur præ omnibus maximi principis & prophetæ Moyſis in populi regimine ſucceſſorem* Joſue *Deus ipſe eligit. Veritas æterna in eo Spiritum ſanctum eſſe teſtatur, ipſumque omnium ejus donorum plenitudinem, cùm inauguraretur, accepiſſe. Quid amplius in S. Viri laudem adferri poteſt? Joſue cap.* XI ℣. 15 *ab exacta præceptorum ſibi datorum obſervatione ita extollitur:* Sicut præceperat Dominus Moyſi ſervo ſuo, ita præcepit Moyſes Joſue, & ILLE UNIVERSA COMPLEVIT: NON PRÆTERIIT DE UNIVERSIS MANDATIS, NEC UNUM QUIDEM VERBUM, QUOD JUSSERAT DOMINUS MOYSI.

Quamvis breve, non minùs tamen honorificum eſt illud cap. 24 ℣. 29: Et poſt hæc mortuus eſt Joſue filius Nun, SERVUS DOMINI. *Et vivens Deo ſervivit, & ſe ad mortem uſque Deo ſerviturum profeſſus eſt* (Ego, *inquit ibid. ℣. 15*, & domus mea ſerviemus Domino;) *& mortuus præclarum illud cognomentum* SERVUS DOMINI *meruit, quo præceptor ejus Moyſes poſt mortem decoratus fuit Deut. cap. ultimo ℣. 5:* Mortuuſque eſt ibi Moyſes, SERVUS DOMINI. AUCTORE J. L.

Litteris: vivente S. Principe publicus idolis cultus exhibitus non fuit:

276 *Poſt narratam Sancti ſepulturam ſubdit Scriptura Joſue cap. 24 ℣. 31:* SERVIVITQUE ISRAEL DOMINO CUNCTIS DIEBUS JOSUE. *Idem repetitur Judicum cap. 2 ℣. 7. Verbo & exemplo, vigilantiâ atque auctoritate ſua Princeps optimus Iſraëlitas in idololatriam pronos in veri Dei cultu & pietate ita continuit, ut nemo, quamdiu vixit, publicè alienos deos coluerit; publicè, inquam, nam aliquos privatum illis cultum exhibuiſſe evincere videntur ipſa Sancti verba ibid. ℣. 23:* Nunc ergo auferte deos alienos de medio veſtri. *S. Auguſtinus tamen quæſt. 29 negat, ullum in Iſraële ſub principatu* Joſue *idolum exſtitiſſe; & per præceptam ablationem deorum alienorum putat intelligendam eſſe depoſitionem vanorum phantaſmatum, quæ quis ſibi de Deo fingit, dum eum alium eſſe imaginatur, quàm re ipſa ſit: adfertque in eam rem varia argumenta. Salianus ad annum 2600 Sancti verbis* Auferte deos *&c. conditionem aliquam ſubintelligit; ut ſcilicet ſimulacra eorum, ſi qua fortè ſecretò inter ſpolia à quibuſdam detineantur, quamvis non ad cultum, penitus auferantur. In Scholiis, quæ ad eumdem annum ſubdit, hanc defendit opinionem ſuam, exempliſque probat particulam* ſi *in ſacro textu aliquando deſiderari. Verùm hujus & S. Auguſtini ſententia pleriſque diſplicet. Fuerint itaque occulti aliqui inter Iſraëlitas idololatræ, quales & ſub Moyſe in deſerto fuiſſe patet ex Amos cap. 5 à ℣. 25, & Actuum cap. 7 à ℣. 42, nihil inde laudis perfectiſſimo Duci detrahitur. Quis princeps humanâ induſtriâ & prudentiâ præcaveat, nequis ſubditorum occultè delinquat? Muneris ſui partes optimè explevit, ſi impediverit, quo minùs crimina aliqua publicè commiſſa fuerint. Vigilantiſſimus Princeps noſter id effecit, ut idololatriæ publicæ veſtigium in Iſraële non exſtiterit.* F *Teſtatur id ipſe in concione penultima, ſub finem vitæ habita, cap. 23 ℣. 8; ubi ſuos laudat à conſtantia in veri Dei cultu: eos certè corripuiſſet, ſi ab illo defeciſſe cognoviſſet. In poſtrema quidem exhortatione non diu pòſt facta, populum monuit, ut auferret deos alienos de medio ſui; at hanc ut propheta dixit ex ore Domini, revelantis latêre quoſdam in Iſraële, qui idola clàm colerent. Patet id ex orationis exordio cap. 24 ℣. 2:* Hæc dicit Dominus Deus Iſraël. *Ex his ſatis intelligitur, monitionem Sancti de idolis è medio tollendis non obſtare, quo minùs verum ſit, Iſraëlem, quamdiu Sanctus vixit, Domino ſerviiſſe; & hoc quidem ſenſu verum, qui principatum ejus mirificè commendet. Porrò idola, quibus aliquos Iſraëlitas privatum cultum exhibuiſſe credimus, non fuerunt Chananæorum dii; ſed quibus illorum majores ſervierunt in Meſopotamia, ut patet ex ℣. 15. Vide num. 259.*

ejus ex Eccleſiaſtico elogium:

277 *Eccleſiaſticus cap. 46 ℣. 1 & ſeqq. his laudibus Sanctum proſequitur:* Fortis in bello Jeſus Nave, ſucceſſor Moyſi in prophetis, qui fuit magnus ſecundum nomen ſuum, maximus

AUCTORE J. L.

in ſalutem electorum Dei, expugnare inſurgentes hoſtes, ut conſequeretur hereditatem Iſraël. Quam gloriam adeptus eſt in tollendo manus ſuas, & jactando contra civitates romphæas? Quis ante illum ſic reſtitit? Nam hoſtes ipſe Dominus perduxit *in manus ejus*. An non iracundiâ ejus impeditus eſt ſol, & una dies facta eſt quaſi duo? Invocavit Altiſſimum potentem in oppugnando inimicos undique, & audivit illum magnus & ſanctus Deus in ſaxis grandinis virtutis valde fortis. Impetum fecit contra gentem hoſtilem, & in deſcenſu perdidit contrarios, ut cognoſcant gentes potentiam ejus, quia contra Deum pugnare non eſt facile. Et ſecutus eſt à tergo Potentis: & in diebus Moyſi miſericordiam fecit ipſe, & Caleb filius Jephone, ſtare contra hoſtem, & prohibere gentem à peccatis, & perfringere murmur malitiæ. Et ipſi duo conſtituti, à periculo liberati ſunt à numero ſexcentorum millium peditum, inducere illos in hereditatem, in terram, quæ manat lac & mel. *Addo Joſephi de Sancto noſtro teſtimonium:* Naturæ, *inquit*, debitum exolvit anno vitæ centeſimo decimo: quorum XL ſub Moyſe magiſtro miniſter ipſius exegit, & poſt
B ejus obitum viginti quinque (*id minùs veriſimile eſſe probavi ſuprà num.* 270 *& ſeq.*) reipublicæ præfuit, vir incomparabili tum prudentia tum eloquentia, ad hæc in re imperatoria fortis & impiger, nec minùs in pace bonus & utilis: denique in quavis virtute eximius.

vitæ integritas & virginitas,

278 *Virtutes, quæ his elogiis ſummatim continentur, & ex Actis ejus quæ dedimus eluceſcunt, ſigillatim omnes non enumerabimus: præcipuas tantùm proponemus ex Bellarmino libro 2 de Officiis principis cap.* 3 *ante medium:* Venio nunc, *inquit*, ad virtutes & privilegia ſancti Joſue. Primum, fuit Joſue duci innocentia communis cum patriarcha Joſepho, à quo ipſe deſcendit: & in hac parte ſuperavit etiam Moſem ipſum. Moſes enim reprehenſus fuit à Domino, quòd offenderit, & non ſanctificaverit ipſum Dominum ad Aquas contradictionis; & ideo punitus fuit eâ pœnâ, ut non intraret in terram promiſſionis, quam tanto tempore deſideraverat & tanto labore quæſiverat. At de Joſue nihil omnino legitur, quod reprehenſum fuerit in Scripturis ſacris: & tamen, ut ſuprà diximus, Scripturæ non
C ſolent omittere lapſus eorum, quorum res geſtas narrant. Ea igitur innocentia decebat eum, qui Jeſu Chriſti typum gerebat " qui peccatum non „ fecit, nec inventus eſt dolus in ore ejus „, *epiſt. 1 Petri cap.* 2 ℣. 22. Altera virtus eaque ferè ſingularis fuit in noſtro Joſue, caſtitas virginalis, in qua ſuperavit caſtitatem patriarchæ Joſeph, & domini ſui Moſis. Iſti enim, quamvis alioqui viri caſtiſſimi, uxorem unam duxerunt & filios procrearunt. Fuiſſe autem noſtrum Joſue, ut verum typum Jeſu Chriſti Domini noſtri, virginem caſtiſſimum, ex eo poteſt intelligi, quòd in Scripturis nulla fiat mentio filiorum ejus: cùm tamen in Scriptura veteris Teſtamenti accuratiſſimè deſcribantur generationes omnium tribuum filiorum Iſraël. *Dein adfert Bellarminus SS. Ignatii martyris, Chryſoſtomi & Hieronymi de Sancti virginitate teſtimonia, quæ & nos dedimus num.* 136 *& ſeq.*

fides,

279 Jam verò, *pergit idem Bellarminus*, ut ad virtutes theologicas veniamus, fides in Deum, neſcio an in ullo major unquam enituerit. Fides in miraculorum patratione maximè cernitur, Apoſtolo dicente *epiſt. 1 ad Cor. cap.* 13 ℣. 2. " Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil D „ ſum „. Porrò in miraculorum patratione præter cæteros ſanctos Teſtamenti veteris Moſes maximè claruit; quippe qui mare diviſit, ex petra aquas eduxit, manna de cælo deſcendere fecit, & alia id genus multa patravit. Joſue noſter diviſit Jordanem, de cælo lapides ſuper hoſtes populi ſui deſcendere fecit: ſed quod eſt omnium maximum, ſolem & lunam in cælo imperio ſuo à curſu cohibuit. Moſes juſſus virgâ petram percutere, & ea percuſſione aquam elicere tam copioſam, ut homines & jumenta bibere poſſent, nonnihil in fide hæſitavit. Joſue noſter magnitudine fidei ſine ulla hæſitatione imperavit ſoli & lunæ, dicens: " Sol contra Gabaon ne movea„ris & luna contra vallem Ajalon „ .... Hîc planè enituit fides maxima & eminentiſſima ſancti Joſue, qui ſine hæſitatione credidit ſibi Deum adfuturum & effecturum, ut ſolem & lunam ſiſteret: nam ideo non timidè & ſubmiſſa voce, ſed audacter atque altiſſimè clamavit, Sol ne moveaeris, & tu luna pariter ſiſte curſum tuum; certus videlicet, omnino futurum, quod ipſe Dei amiciſſimus fieri juberet. Nam quod ſubjungitur " Obediente Deo voci hominis „, non ſignificat, E Deum propriè paruiſſe voci hominis; ſed per metaphoram dici obediviſſe, quia fecit ut ſol & luna obedirent voci hominis, Servi, & amici ſui fideliſſimi. Itaque prævenit Jeſus Nave promiſſionem illam Jeſu Chriſti, cujus ille figuram gerebat: Amen dico vobis ſi habueritis fidem, & non hæſitaveritis, & dixeritis monti huic; " Tol„le & jacta te in mare, fiet. Et omnia quæ„cumque petieritis in oratione credentes acci„pietis „. *Matt. cap.* 21 ℣. 21. *Sancti fidem à Patribus laudatam vide num.* 194.

ſpes,

780 Nec minor fuit in Joſue ſpes in Deum quàm fides. Siquidem in ipſo primo capite libri Joſue, Deus ipſe non ſemel, ſed ſecundò ac tertiò dixit ad Joſue: " Confortare & eſto robuſtus „ noli metuere, & noli timere, quoniam tecum „ eſt Dominus Deus tuus in omnibus ad quæ„cumque perrexeris „. Hæc enim verba Dei non ſolùm ſignificantia, ſed etiam efficientia ſine dubitatione fuerunt. Itaque abſtulerunt ab eo omnem pavorem, & timorem; & induerunt eum fiducia incredibili, & fortitudine admirabili, ut facilè victor evaſerit adverſus reges plurimos, & F expugnaverit omnes urbes eorum.

charitas in Deum

281 Quid jam de charitate ipſius erga Deum & proximum dicam? Juſſerat Joſue ut, cùm caperetur prima civitas, quæ dicebatur Jericho, omne aurum & argentum, quod in ea repertum fuiſſet, conſervaretur in theſauros Dei; reliqua omnia deſtruerentur in honorem Dei, & nemo quidquam attingere auderet. Sed cùm quidam vir, nomine * Charmi, clam abſtuliſſet aliquid auri & argenti & neſcio quæ alia Deo dicata; hîc Joſue exarſit in zelum honoris Dei quamvis alioqui mitiſſimus eſſet, & magnâ diligentiâ invento reo, ipſum lapidari juſſit, & omnia bona ejus, id eſt, tabernaculum, oves, boves, aſinos & omnem ſubſtantiam flammis cremanda tradidit. Apparuit quoque zelus religionis & charitatis in Deum in fine vitæ ejus, ubi incredibili ardore hortatus eſt populum ad perſiſtendum in vera religione unius veri Dei; & ita infixit in cordibus audientium zelum religionis, ut Scriptura dicat: " Servivit Iſraël Domino cunctis diebus Joſue & „ ſeniorum, qui longo vixerunt tempore poſt „ Joſue „.

** adde Achan filius*

& proximos,

282 De amore ejus & charitate in proximos, duæ

AUCTORE J. L.

§ XXX. Sepultura Joſue : mira aliqua , quæ de eo traduntur : febribus & podagræ doloribus afflictum ſanat : Sancti cultus , qui verè prophetа fuit.

Joſue ſepulcrum , quod tempore S. Hieronymi venerata eſt ſancta Paula :

SEpelieruntque eum , *inquit Scriptura cap.* 24 ℣. 30 , in finibus poſſeſſionis ſuæ in Thamnathſare , quæ eſt ſita in monte Ephraïm , à Septemtrionali parte montis Gaas. *Addunt Septuaginta in editione Romana :* Illic poſuerunt cum eo in monumento , in quo ſepelierunt eum , gladiolos ſaxeos , quibus circumciderat filios Iſraël in Galgalis Jeſus , cùm educeret eos ex Ægypto , ſicut mandarat Dominus ; & illic ſunt uſque ad hodiernam diem. *Dubium non eſt , quin ab univerſo populo cohoneſtatum fuerit ejus funus , & publicus de more luctus indictus , ſicut in morte Aaronis & Moyſis. Sancti certè meritis id negari non potuit. Sub finem ſeculi quarti adhuc exſtitiſſe* Joſue *ſepulcrum teſtatur ſanctus Hieronymus in Epitaphio Paulæ his verbis :* Sepulcra quoque in monte Ephraïm Jeſu filii Nave , & Eleazari filii Aaron ſacerdotis è regione , venerata eſt Paula ; quorum alter conditus eſt in Thamnathſare à Septemtrionali parte montis Gaas , alter in Gabaa filii ſui Phinees : ſatiſque mirata eſt , quòd Diſtributor poſſeſſionum ſibi montana & aſpera delegiſſet. *Apud eumdem S. Doctorem in libro de Locis Hebraicis , quem ab Euſebio Pamphilo conſcriptum ipſe Latinè reddidit , hæc lego :* Gaas , mons in tribu Ephraïm, in cujus Septemtrionali plaga ſepultus eſt Jeſus Nave : & uſque hodie juxta vicum Thamna ſepulcrum ejus inſigne monſtratur.

terræ tremor , poſita ſolis imago ſuper Sancti tumulo ,

285 *Serarius in caput* 24 *Joſuæ quæſt.* 12 *ex Rabbinis refert* , fuiſſe ſuper Joſue ſepulcro collocatam ſolis imaginem , vel potiùs ſtatuam , quâ in poſteritatem omnem celebris perennaret admirandæ illius ſolaris inſtitionis * ab ipſo Joſue divinitus impetratæ , de qua ſuprà c. IX * , memoria. Idque judicat Maſius probabile , ut putet inde Joſuanam urbem THAMNATHSARACH , litteris tranſpoſitis , appellatam , quæ Jud. 11 ℣. X * integrè ac rectè in textu Hebræo THAMNATCHERES appellatur , id eſt URBS SOLIS. *Calmetus hanc traditionem reliquis Rabbinorum fabulis accenſet : at Arias , Maſius , Caietanus aliique ut credibilem hiſtoriam admittunt. Mea autem ſententia eſt , litterarum tranſpoſitionem ſeu Metatheſim , quâ textus Hebræus in nominibus propriis ſæpe utitur , tam facilè potuiſſe fabulæ occaſionem dare , quàm veram hiſtoriam metatheſi. Serarius laudatus aliam refert Hebræorum traditionem , nimirum* magnum , cùm ſepeliretur Joſue , in monte Ephraïm terræ motum extitiſſe , ex eoque montem vocatum GAAS , id eſt , COMMOTIONIS ac TREMORIS : verbum enim GAHAS , COMMOVERI ac TREMERE ſignificat. Vaniſſima eſt hoc anilis fabula Maſio : ſed abſque argumento , & nulla de cauſa negare vanum fortaſſe ac anile potiùs eſt. Nam fieri hoc potuit , & factum eſſe veteres aſſerunt , qui Midras ſeu Explicationem libri Ruth antiquitus ſcripſerunt , & qui Seder Holam. Neque eſt , quod repugnet quid-

ſortè inhibitionis


* *l.* X

* *l.* IX

A duæ res in teſtimonium adduci poſſunt : una , quòd nulla unquam ei contentio fuit cum Eleazaro ſummo pontifice , neque cum ullo ex principibus populi , ſed incredibili concordia cum illis omnibus ſemper vixit. Altera , quòd cùm ventum eſt ad diviſionem oppidorum , & agrorum , ac vinearum , atque adeo rerum omnium , vi & armis acquiſitarum , ille non elegit primus , ut par erat , optima quæque : ſed poſteaquam omnibus tribubus filiorum Iſraël regiones aſſignatæ fuerant , tunc ipſe petiit à populo locum aliquem , ubi habitare poſſet *Thamnath-Saraa* . . . Fuiſſe autem locum illum horridum & aſperum, teſtatur ſanctus Hieronymus in Vita S. Paulæ matronæ Romanæ . . . Sed non eſt hoc admirandum , cùm Joſue non eſſet de hoc mundo , ſed vir ſanctiſſimus , & æmulator virtutum Moſis magiſtri ſui , qui non quærebat quæ ſua erant , ſed quæ aliorum : nec ſolum Moſem imitari volebat , ſed multò magis Jeſum Chriſtum , quem ſpiritu venturum noverat , & ſe illius figuram gerere , Deo revelante , non ignorabat. Itaque quod poſtea philoſophus ſcripſit , hoc eſſe diſcrimen B inter regem & tyrannum , quòd rex non ſuam , ſed populi utilitatem quærat , tyrannus contrà ſuam non populi ; multò antea noſter Joſue reipſa & factis demonſtravit , exemplo ſuo reges informans & tyrannos deteſtans.

aliæque virtutes.

283 Omitto quæ dici poterant de prudentia & fortitudine in bellis gerendis , quemadmodum videlicet exercitus ſuos ſemper [in] officio continuerit , à ſceleribus compeſcuerit , in timore Domini erudierit : & quibus artibus hoſtes averterit vel proſtraverit , ac denique tam multas provincias brevi domuerit ; & habitatoribus interemptis vel fugatis , filiis Iſraël habitandas poſſidendaſque tradiderit. Hæc enim ex libro Joſue peti poſſunt. *Ita Bellarminus Sanctum noſtrum , principem undequaque perfectiſſimum , aliis in eadem dignitate conſtitutis imitandum proponens. Tertullianus libro* 3 *contra Marcionem cap.* 16 *cenſuit* S. Joſue *eſſe angelum illum ac ducem , quem promiſit Deus Exodi* 23 , *dicens :* " Ecce „ ego mitto angelum meum ante faciem tuam , „ qui te cuſtodiat in via , & introducat in ter„ ram , quam paravi tibi : intende illi & exau„ di eum , ne inobaudieris eum : non enim ce- C „ lavit te , quoniam nomen meum ſuper illum „ eſt „. Angelum quidem eum dixit , ob magnitudinem virtutum quas erat editurus , & ob officium prophetæ , nuntiantis ſcilicet divinam voluntatem : Jeſum autem ob nominis ſui futurum ſacramentum. *Idem alii Patres putarunt apud à Lapide in Exodi cap.* 23 ℣. 20.



AUCTORE J. L.

quidquam ; quin verò eſt hoc valde ad veri Jeſu Chriſti Domini mortem ac ſepulturam ſignificandam idoneum : in hac enim TERRA MOTA EST ET PETRÆ SCISSÆ SUNT Matth. XXVI ℣. XV *. *Ita ille ; at ego , ut iſte terræ motus prudenter credi poſſit , majorem quàm Rabbinorum auctoritatem requiro.*

* *l.* XXVII ℣. LI

286 *Mira ſunt , quæ libro* I *de Gloria Martyrum capite* 18 *refert S. Gregorius Turonenſis per Ruinartium editus :* Sunt autem , *inquit* , & ad Levidam civitatem aquæ calidæ , in quibus Jeſus Nave lavare ſolitus erat : ubi ſimiliter leproſi mundantur : eſt autem ab Hiericho duodecim millia. Prope autem Hiericho habentur arbores , quæ lanas gignunt. Exhibent enim poma in modum cucurbitarum , teſtas in circuitu habentes duras , intrinſecus autem plena ſunt lanâ. Et de his etiam ferunt ipſi Jeſu Nave ſolere fieri indumenta. Sed & hodieque tales exhibent lanas , ex quibus nos à quibuſdam delatas vidimus , & admirati ſumus vel candorem , vel ſubtilitatem earum. *Meminit & harum aquarum urbis Levidæ capite ſequenti , ubi ſe multos vidiſſe ait , qui iis tincti à lepra mundati fuerant.*

& alia mira , quæ de eo traduntur :

B *Porrò Levida , de qua S. Gregorius , ſecundum Ruinartium in Notis celebris eſt illa Livias vel Libias , in tribu Ruben , quam Herodes in honorem Liviæ auguſtæ , matris Tiberii Cæſaris , exſtruxit.*

287 *Idem S. Gregorius libro de Gloria Confeſſorum cap.* 40 *narrat , patrem ſuum , febribus & podagræ doloribus afflictum , ſubitò ſanitatem per Sanctum recuperaſſe :* Sed nec illud , *inquit* , abſurdum eſt credere , quod ſæpius per viſiones expertas Dominus revelare dignatur , qualiter aut honorentur Sancti , aut infirmi medicamina conſequantur. Nam recolo geſtum in infantia , cùm pater meus ab infirmitate humoris podagrici laboraret , & ardore febrium ac doloribus multis adtenuatus , lectulo decubaret , vidiſſe me in viſu noctis perſonam , dicentem mihi : Legiſti , ait , librum Jeſu Nave ? Cui ego : Nihil aliud litterarum præter notas agnovi , in quarum nunc ſtudio conſtrictus adfligor. Nam hic liber prorſus an ſit ignoro. Et ait : Vade , inquit, facitoque haſtulam parvam ex ligno , quod hoc nomen recipere poſſit , ſcriptumque ex atramento ſub paterni capitis fulcrum conloca : erit enim ei præſidium , ſi quod loquor impleveris. Mane autem facto , matri quæ videram indicavi : jubet impleri viſionis præcepta. Quod cùm feciſſem , ſtatim genitor ab infirmitate convaluit.

febribus & podagræ doloribus afflictum ſanat :

C 288 *Hebræi , ut præcipitur in eorum Calendario apud Genebrardum , ad* XXVI *diem menſis Niſan jejunabant , quòd is , ut putabant , eſſet emortualis* Joſue. *Martyrologium Arabico-Ægyptiacum Ms. , à Gratia Simonio Maronita Latinè redditum & ab Athanaſio Kirchero majoribus noſtris Româ tranſmiſſum , Sanctum annuntiat* I *Septembris. Huic reſpondèt dies quarta menſis* Toth , *quâ apud Jobum Ludolfum pag.* 389 *Calendario Coptitarum Ægypti inſcribitur. Iidem apud eumdem pag.* 419 *ad* XXV *menſis* Baune , *uti & Æthiopes ad* XXV *menſis* Sene *nomen* Joſue *rubricâ diſtinguunt , quod indicium eſt , eum ſolenniore cultu ab illis populis honorari. Dies* XXV *menſis , qui à Coptitis* Baune *& ab Æthiopibus* Sene *dicitur , apud nos eſt* XIX *Junii. At mirum eſt in illorum Calendariis , à Ludolfo editis , diem* XXVII *menſium* Baune & Sene *nullius Sancti memoriâ celebrari , ubi vix ullus alius anni dies vacuus reperitur. Hinc ſuſpicari quis poſſet vitio impreſſorum factum eſſe , ut ad Sanctum* Joſue *vel ad proximè præcedentem in margine dies* XXVI *appoſitus non ſit , & ad hunc relati ſint , qui* XXVII *affigendi erant. Certè Papebrochius Ludolfi editionem hoc loco corrigendam eſſe putavit , Sanctique annuntiationi in margine calamo præfixit diem* XXVI. *An rectè ultrà inquirere operæ pretium non eſt. Brocardus in Deſcriptione terræ ſanctæ , Baſileæ anno* 1537 *edita ,* A Tripoli , *inquit* , per duas leucas eſt mons Leopardorum rotundus & aſtus , unâ leucâ à Libano diſtans. Habet hic mons in pede Aquilonari ſpeluncam , in qua monumentum cernitur viginti ſex pedum longitudinis , frequentaturque devotè à Saracenis , qui putant illic Joſue ſepultum. *Dominus d' Herbelot in ſua Bibliotheca Orientali ad nomen* Joſchova *ſcribit , à nonnullis ſuperſtitioſis Judæis Sanctum creditum eſſe perſonam , quæ conditionem humanam exceſſerit , & ex natura divina quiddam participarit. Addit Mahometanos aliquos eidem commento fidem habuiſſe.*

Sancti cultus apud varios populos

D

289 *Typicum S. Sabæ , Menæa Patrum Dominicanorum conventûs S. Marci Florentiæ , quorum apographum habemus , aliique omnes Græcorum Faſti ſacri , qui eum referunt , primam Septembris ejus memoriæ conſecrarunt. Menæa magna , excuſa Venetiis anno* 1595 *, poſt hanc ejus annuntiationem* Dormitio Jeſu Nave , *hos ei verſiculos accinunt.*

in Oriente ,

E

Οὗτος τέλεχεν ἔστησεν ἠλιον πάλαι ,
Λιπὼν Ἰησοῦς , Ἥλιον δόξης βλέπει.
Quem ſtare vidit ſolem ad imperium ſuum
Jeſus relinquens , gloriæ Solem videt.

Subditur Sancti elogium , vix differens ab eo , quod habet Synaxarium Baſilii imperatoris. Hoc nuper curâ eminentiſſimi Cardinalis Hannibalis Albani Græcè ac Latinè typis elegantibus prodiit , Sanctumque ita annuntiat ac laudat : Eodem die Dormitio Joſue filii Nave. Hic Joſue filius quidem Nave fuit , ſucceſſor autem Moyſis Hebræorum legiſlatoris , vir fortis , reique militaris peritus. Nam Hierico munitam alienigenarum urbem expugnavit , Jordanemque fluvium per ſiccum tranſivit unà cum populo & arca Dei. Michaëlem etiam cæleſtis exercitûs principem , enſem præ manibus tenentem , vidit : quo ſtatim cognito , abjectis propriis armis , illius pedibus advolutus , Quid , inquit , imperas ſervo tuo ? Ad hæc , cùm prælio dimicaret cum alienigenis , ſolque ad occaſum appropinquaret , ipſe verò vincendi deſiderio teneretur , maximam in Deo ſpem habens , imperavit ſoli , ut ſtaret : ſtetitque ſol ; neque priùs occidit , quàm hoſtes fortiſſimè in fugam vertit. Cùm igitur exercitui præfuiſſet , populumque Iſraëliticum ex eremo rectè eductum , in terram promiſſionis , quæ eſt Hieroſolyma , duxiſſet , perque annos viginti ſeptem judicaſſet , mortuus eſt , atque honorificè in eadem terra à populo ſuo ſepultus. *De miraculoſo Jordanis tranſitu nihil in elogio , quod exſtat in Menæis : quoad cetera cum his Baſilianum Synaxarium ferè convenit. Quòd utrobique dicatur* Joſue , abjectis propriis armis , *Archangeli pedibus ſe advolviſſe , præter Scripturam eſt , quæ tantùm de calceorum depoſitione meminit. Neque mihi verum videtur , Sanctum præfuiſſe* 27 *annis , ut dictum eſt à num.* 270.

F

290 *Georgius Wicelius ſenior in Exercitamentis veræ pietatis anno* 1555 *editis , paginâ infernè ſignatâ* P III , *ex vetuſtiſſimo codice bibliothecæ Fuldenſis adfert Miſſam , in qua poſt Comme-*

& Latinos :

A *Commemorationem pro defunctis inter alios veteris Testamenti sanctos invocatur* S. Josue. *In Kalendario antiquo, quod Julianum nominatur apud Calvisium in Isagoge chronologica ad Opus chronologicum, Sanctus refertur die* xxx *Aprilis. Verùm Calendis Septembris annuntiat eum cum S. Gedeone Romanum vetus, Ado & Usuardus hoc modo:* Jesu Nave & Gedeon prophetarum. *Wandelbertus de Sancto sic canit:*

Legifer heredem proprii quem liquit honoris,
Promissam populo terram, qui sorte per astra,
Per loca, per celsos montes distinxit & urbes,
Septembres Josue tenet orditurque Kalendas.

291 *Titulum* prophetarum, *quo sanctos* Josue *& Gedeonem honorarunt antiqui Martyrologi, primus suppressit Notkerus, quem inter alios recentiores secutus est Baronius in Martyrologio Romano novo. Ne tamen ideo suspiceris, titulum illum Sancto nostro minùs convenire: etenim licèt non æquè magnus, æquè tamen verus propheta fuit, quàm Moyses. Cum utroque Deus mira familiaritate egit, utrique plurima revelavit; Pentateuchus & liber Josue oraculorum divinorum ad utrumque factorum pleni sunt; uterque occulta varia tam præsentia quàm futura à Domino accepta ad populum retulerunt eo modo, quo ea referenda esse divinitus intellexerunt; uterque etiam scripto posteris tradiderunt res à se gestas, eaque omnia, in quibus Deus illis internuntiis, seu voluntatis suæ apud populum interpretibus, uti voluit. Denique ipsius Spiritus sancti testimonio* S. Josue *verè propheta fuit non secus ac Moyses: nam Ecclesiastici cap.* 46 ℣. 1 Successor Moysi in prophetis, *vel ut Græca habent,* in prophetiis, *appellatur. Baronius in Nota ad Sancti annuntiationem,* Adnumerabatur, *inquit,* olim Josue inter prophetas secundum Epiphanium in Panar. hæres. LXVI prope finem. *Per prophetam hic sanctus pater intelligit scriptorem sacrum, cujus liber prophetarum libris accensetur: & hoc sensu verum est, quòd* S. Josue *propheta non sit; nam liber ejus nomen ferens, qui apud Judæos olim, teste S. Hieronymo in Prologo galeato, primus prophetarum erat, nunc ab Ecclesia sacrorum Historicorum libris annumeratur. Itaque Baronius, qui ex mente S. Epiphanii loquitur, non negat, neque negare potest eum prophetam fuisse, sicut Moyses, Samuel & David fuere, quorum libri inter libros prophetarum jam quoque non habentur. Masinus in Bononia perlustrata ad* 1 *Septembris scribit,* B *ibidem in Ecclesia Omnium Sanctorum servari duos dentes & alias Sancti reliquias. Vereor, ut lector facilè credat, eas verè sancti* Josue *esse.*

S. Josue verè propheta fuit æquè ac Moyses.

AUCTORE J. L.

DE S. GEDEONE ISRAËLITARUM JUDICE

IN PALÆSTINA

COMMENTARIUS HISTORICUS. J. L.

§ I. Sancti elogia; cultus; nomen varium; familia: pater idololatra, at dein conversus à Filio judice: hic semper veri Dei cultor: an ante principatum tribunus?

C

S. Gedeonis,

Sanctus Gedeon, *virorum, angelo teste, fortissimus, quintus fuit Israëlitarum in rebus civilibus judex & in bello imperator; si Samgar, qui paucis mensibus præfuit, ejus decessoribus annumeres. Quàm Deo charus fuerit vel inde colligas, quòd ipse eum elegerit ad populum suum judicandum, & è Madianitarum servitute liberandum; angelumque miserit, qui divinum hoc consilium ei annuntiaret. Dein Domini oraculis instructus, ejusdemque Spiritu animatus aram Baal subvertit, lucumque succidit, & Hebræi nominis hostes inusitata & mirabili præliandi ratione debellavit. Pace libertateque Israëli restituta, subditos in veri Numinis cultu continuit, donec magistratu, quem insignibus Dominus illustravit prodigiis, necnon vitâ defunctus est, quam fide & pietate in Deum, submissione animi, aliisque virtutibus dignam reddidit perpetuâ in Sanctorum Fastis memoriâ. Hæc summa quædam est eorum, quæ in libro Judicum capite sexto, septimo & octavo Scriptura, & Josephus lib.* 5 *Antiquitatum cap.* 8 *de Sancto narrant. In verbis sacris & Josephi referendis eamdem, quam in Vita S. Josue, scribendi rationem servabimus.*

2 *Apostolus ad Hebræos cap.* XI *à* ℣. 32 Gedeonem *collocat in eorum catalogo, qui in Lege veteri fide eximia & operibus fidei heroïcis excelluerunt:* Et quid, *inquit,* adhuc dicam? Deficiet enim me tempus enarrantem de Gedeon, Barac, Samson, Jephte, David, Samuel, & Prophetis: qui per fidem vicerunt regna, operati sunt justitiam, adepti sunt repromissiones, obturaverunt ora leonum, exstinxerunt impetum ignis, effugerunt aciem gladii, convaluerunt de infirmitate, fortes facti sunt in bello, castra verterunt exterorum *&c. Ecclesiasticus cap.* 46 *à* ℣. 13 *Israëlitarum judices his laudibus prosequitur:* Et judices singuli suo nomine, quorum non est corruptum cor: qui non aversi sunt à Domino, ut sit memoria illorum in benedictione, & ossa eorum pullulent de loco suo, & nomen eorum permaneat in æternum, permanens ad filios illorum, sanctorum virorum gloria. *Non*

quem laudant

AUCTORE J. L. *loquitur hîc Hagiographus de judicibus, qui vel Dei vel libera populi electione creati non fuerunt : hinc ejus verba non extendenda ad impium Abimelechum, qui, 70 fratribus occisis, vi principatum invasit, adeo ut tyranni potiùs quàm judicis appellationem mereatur. An, & quo sensu de reliquis judicibus Scriptura hæc affirmet :* Quorum non est corruptum cor ; Qui non aversi sunt à Domino, *examinare huc non spectat. De* Gedeone *suis locis ostendemus, ex historia sacra probari non posse, quòd vel levi etiam peccato rectè factorum gloriam obscurarit, adeoque nihil obstare, quo minùs dicta Ecclesiastici verba etiam in rigore & secundum omnem suam latitudinem sumpta de Sancto nostro verè prædicentur.*

Scripturæ & Patres,

3 *Liber Judicum cap.* 8 ℣. 32 *de ejus obitu hoc fert testimonium :* Mortuusque est Gedeon, filius Joas, in senectute bona. *Præter* S. Gedeonis, *Litteræ sacræ nullius alterius senectutem* bonam *appellant, nisi Abrahami Genes. cap.* 15 ℣. 15 *& cap.* 25 ℣. 8, *Davidis lib.* 1 *Paralip. cap.* 29 ℣. 28, *Tobiæ junioris, vel, ut aliqui volunt, socerorum ejus Tob. cap.* 14 ℣. 15. *Unde colligitur, hanc Scripturæ phrasim plus significare quàm ætatem annis valde provectam. Audiamus Salianum in Annalium Epitome ad annum* 2800. *Textus sacer* Gedeonem mortuum dicit IN SENECTUTE BONA, elogio, quod in optimos quosque Patriarcharum cadit, ut aliquorum opiniones interpretationesque refelleret, qui Gedeonem (*Jud. cap.* 8 ℣. 27) idem cum populo nefas admisisse arbitrantur, imò quale & quantum in idololatria & totius populi scandalo reperitur. Moritur potiùs IN SENECTUTE BONA, quæ bonam ætatem anteactam coronat, moritur meritis & virtutibus insignis, & jucundissimo gaudens bonæ conscientiæ testimonio. *Ita ille, communem interpretum explanationem secutus. Quamquam S. Augustinus in Heptateucho super Judices quæst.* 41 *&* 42 *in Sanctum valde severus sit ; tamen sermone* 108 *de Tempore ipsum* electum ad gratiam *&* sanctum *vocat. Ab aliis etiam antiquis Patribus* Viri justi, Deo chari, sancti, *imò* sanctissimi, *atque aliis ejusmodi titulis honoratur. Quàm pulcrè Jesum Christum multis & magnis in rebus adumbrarit, docent S. Augustinus loco postremùm citato, S. Ambrosius in Prologo ad librum* 1 *in Spiritum sanctum, S. Gregorius magnus lib.* 30 *Moralium cap.* 25 *in caput* 39 *beati Job, S. Isidorus Hispalensis in Comment. ad librum Judicum à cap.* 3, *& Salianus in Annalibus ad annum* 2800.

memoria in Fastis sacris,

4 *Calvisius Operi suo chronologico præmittit Isagogen chronologicam, cujus capiti* 2 *intexitur vetus Calendarium Julianum, quod S. Gedeonem notat* XXVIII *Martii. At rèliqui omnes Ecclesiæ Latinæ Fasti, in quibus Sanctus notus est, eum in suis annuntiationibus ad Calendas Septembris conjungunt cum S. Josue. Auctor Martyrologii Romani parvi utrumque Heroëm ita refert :* Jesu Nave & Gedeon prophetarum. *Addein & Usuardus, hisque juniores non pauci eamdem adoptarunt annuntiationem. Sed Notkerus* prophetarum *titulum omisit ; quem inter ceteros recentiores etiam in Romano novo secutus est Baronius, utrumque sic annuntians :* In Palæstina sanctorum Josue & Gedeonis. *In Fastis Ecclesiæ Græcæ Sancti nostri nomen non invenio. Æthiopes apud Jobum Ludolfum pag.* 402 *eum colunt* XVI *mensis quarti* Tachsas. *Tria in Musæo nostro servamus Martyrologia Coptorum Mss., Româ accepta, in quibus eodem die,* D *nempe* XVI *mensis quarti, quem ipsi* Chiahac *vocant, sancti Judicis memoria signatur. Dies autem* XVI *mensis* Tachsas *seu* Chiahac, XII *est nostri Decembris. Ad hunc* S. Gedeon *remittendus censetur à Castellano. Qua de causa non perspicio. Sancti diem emortualem nec Scriptura, nec antiqua & fide digna docet traditio : quilibet igitur anni dies pro arbitrio ejus cultui destinari potuit. Sicut Orientales illi* XII *Decembris elegerunt ; sic* 1 *Septembris Ecclesia Latina. Huic, non illis, nos conformemus oportet.*

Sancti nomina varia, eorumque ratio & etymologia ;

5 *Sancti nomen in Scripturis varium est. Primum & usitatissimum est* Gedeon, *quod apud interpretes idem est ac* succidens, evertens, confringens. *Nomini facta responderunt : nam* evertit *aram Baal, nemus, quod circa eam erat,* succidit, *Madianitas & auxiliares eorum copias* confregit, *& impios cum spinis deserti, ut dicitur Jud. cap.* 8 ℣. 16, *tribulisque contrivit atque comminuit. Alterum ejus nomen, in Litteris sacris sat frequens, est* Jerobaal. *Accepit illud hac occasione. Cùm aram Baal destruxisset, incolæ urbis Ephra idololatræ à Joas ejus patre postularunt, ut Filium suum produceret, ob in-* E *juriam deo illatam morte puniendum :* Quibus ille respondit : Numquid ultores estis Baal, ut pugnetis pro eo ? Qui adversarius est ejus, moriatur antequam lux crastina veniat. Si Deus est, vindicet se de eo, qui suffodit aram ejus. Ex illo die vocatus est Gedeon, JEROBAAL, eo quòd dixisset Joas : ULCISCATUR SE DE EO BAAL, qui suffodit aram ejus. *Quid* Jerobaal *significet docet hic locus & Osee caput* 10 ℣. 14 ; *ubi pro* à domo ejus, qui judicavit Baal, *in Hebræo legitur* à Domo Arbel, *id est*, Jerobaal, *teste sancto Hieronymo lib.* 3 *Comment. in citatum prophetam :* Vastatus est, *inquit*, Salmana . . . ut in Hebræo continetur, ab Arbel, id ipsum significante, quod & Jerobaal, sed breviori disertiorique sermone. *Itaque* Jerobaal *utrumque hoc significat*, Ulciscatur se de eo Baal, *&*, Qui judicavit Baal. *Nominis etymologiam aliis vocibus, at significatione affinibus explicatam invenies apud interpretes. Est & aliud* S. Gedeonis *nomen lib.* 2 *Regum cap.* XI ℣. 21, *ubi textus Hebræus pro* Jerobaal, *ut est in Vulgata, habet* Jerubbescheth *vel* Jeruboseth. Bescheth *autem* F *vel* Boseth, *id est*, confusio, *Hebræis etiam est* idolum : *atque ita nomen hoc significatione coincidit cum* Jerobaal *&* Arbel. *Similis mutatio facta est in nominibus filii Saülis, & ejusdem nepotis ex Jonatha : hi enim ante* Esbaal *&* Meribbaal *dicti (ut patet ex lib.* 1 *Paralip. cap.* 8 ℣. 33 *&* 34, *& cap.* 9 ℣. 39 *&* 40) *postea* Isboseth *&* Miphiboseth *appellati fuere. Nimirum religioni sibi ducebant Hebræi nomen* Baal *pronuntiare, ut notat Calmetus in Dictionario Biblico ad vocem* Gedeon.

majores & familia ;

6 *Sancti nostri pater fuit Joas Judicum cap.* 6 ℣. 29 : *Joas ex familia Ezri ibid.* ℣. XI : *hæc ex tribu Manasse ibid.* ℣. 15 : *eadem hæc familia Ezri vocatur domus Abiezer ibid.* ℣. 34. *Ezri vel Abiezer idem fuit cum Jezer, cujus genealogia datur Numer. cap.* 26 *à* ℣. 28 : Filii Joseph per cognationes suas, Manasse & Ephraïm. De Manasse ortus est Machir, à quo familia Machiritarum. Machir genuit Galaad, à quo familia Galaaditarum. Galaad habuit filios : Jezer, à quo familia Jezeritarum *&c. Relinquitur itaque, ut Ezri, à quo Sanctus descendit, patrem habuerit Galaad, avum Machir, proavum Manasse,*

AUCTORE J. L.

A *nasse, abavum patriarcham Joseph. Quòd autem iste Ezri non distinguendus sit à Jezer, cujus patrem & majores ex Scriptura mox recensui, hæ rationes mihi persuadent. Prima est, quòd uterque fuerit ex tribu Manasse. Secunda, quòd Jezer, de quo in libro Numerorum, vocetur Abiezer Josue cap.* 17 ℣. 2, *idemque etiam nomen tulerit Ezri patriarcha familiæ* S. Gedeonis. *Tertia, quòd alioquin catalogus familiarum tribûs Manasse, quem dant libri Josue & Numerorum citati, non esset accuratus. Quarta denique, quòd, uti patet ex Josue cap.* 17, *Jezer vel Abiezer suam in Chananæa portionem acceperit cis Jordanem; & ad eamdem quoque fluminis partem Ezri vel Abiezer ille, qui fuit è Sancti majoribus, possessionem suam habuerit, urbem scilicet Ephra. Hanc pertinuisse ad familiam Abiezer, id est, patris Jezer vel per metathesim Ezri, è qua Sanctus natus est, constat ex Judicum cap.* 6 ℣. 24. *Eamdem urbem sitam fuisse in tribu Manasse cis Jordanem ex iis, quæ de Sancto è sacris Litteris referemus, manifestò patebit. Porrò in Ephra natus & educatus fuit*

B S. Gedeon, *uti eruitur ex cap.* 6 ℣. xi, 24 *& seqq.; in eadem Israëlitarum Judex suum habuit domicilium cap.* 8 ℣. 29, *& sepultus est ibid.* ℣. 32.

7 *S. Hieronymus & Vulgata cap.* 6 ℣. xi *Joas vocant* patrem familiæ Ezri, *quæ* ℣. 15 infima in Manasse *dicitur. Obvius illorum verborum sensus est, quòd Sancti pater totius familiæ primas vel princeps fuerit:* Vocatur, *inquit Abulensis hîc quæst.* 9, Joas pater, id est, princeps; quia erat vir honorabilior in tota familia Ezritarum: & fortè descendebat directè ab Ezri per primogenitorum lineam, & ob hoc principatus familiæ pertinebat ad eum. *Certè eum ex præcipuis Jezeritarum vel Ezritarum fuisse, vel inde deducas, quòd iniquis istis temporibus, quo Israëlitæ Madianitica servitute opprimebantur, magnam servorum manum haberet ibid.* ℣. 27, *lucumque & aram idolo Baal dicatam possideret ibid.* ℣. 25. *Sanctus aram illam cum luco ex præcepto Domini destructurus, ibid.* ℣. 27 *scribitur domum patris sui timuisse, adeo ut pium illud opus non nisi noctu aggredi ausus fuerit. Ex hoc Sancti metu atque arâ falso deo erectâ,*

C *abundè colligitur, Joas fuisse idololatram, remissiorem tamen; utpote cui potior fuit Filii vita, quàm idoli violati honos. Vide versum* 31. *Quamquam de ejus conversione sileat Scriptura, non dubito tamen, quin pii Filii exemplis monitisque inductus veram religionem amplexus fuerit. Nec par est credere, Israëlitarum Judicem, qui ex universâ regione idololatriam exterminarat, in paterna illam domo reliquisse, à qua ejusdem exstirpandæ initium duxerat, quando ea maximè vigebat.*

qui verisimiliùs semper verum Deum coluit.

8 *De Sancti vita in adolescentia & juventute nihil nos docet historia sacra. Testatur hæc cap.* 8 ℣. 28, *eum Israëli quadraginta annis judicem præfuisse, quibus cùm probabiliùs annumerandi sint septem anni servitutis Madianiticæ, ut dictum est in Vita S. Josue num.* 272, *triginta tribus circiter annis ante mortem suam, quam in senectute bona obiit, ex angelo divinum intellexit consilium de Hebræis, se duce ac judice, in libertatem asserendis. Hinc eruitur, Sanctum ætate virum fuisse in eo, quod habuit cum angelo, colloquio. A Josepho quidem tum temporis juvenis fuisse dicitur; sed id verisimile non est, nisi juvenem latè pro florentis ætatis homine accipiat. Quoniam post Debboræ Baracique mortem gens Hebræa more suo ad vomitum, id est, sacrilegam falsorum deorum superstitionem, redierat, atque ipse Sancti pater aram idolo Baal erexerat; suspicio esse posset,* S. Gedeonem *vel parentis idololatræ imperio compulsum, vel ejusdem & reliquorum impiorum Israëlitarum exemplo inductum, falso deo aliquando cultum exhibuisse. At potiùs existimandum est, eum communem & domesticam impietatem semper exsecratum fuisse, vero Deo constanti fide & pietate serviisse, atque ideo ab eo dignum habitum fuisse, qui ex angelo intelligeret, se præ omnibus electum esse, ut Israëlitarum sub Madianitarum jugo miserè afflictorum ac pœnitentium salvator esset ac judex. Antequam hoc munere fungi inciperet, natus ei jam inde erat Jether, septuaginta fratrum primogenitus, ut patet ex cap.* 8 ℣. 20. *Verùm quoniam is tum adhuc puer erat, major reliquorum filiorum pars post victoriam Madianiticam nata fuerit oportet. Igitur infrà erit opportunior de ejus uxoribus & liberis agendi locus.*

E *Eum ante principatum tribunum fuisse*

9 *S. Augustinus in Heptateucho quæst.* 34 *super librum Judicum, & Procopius in ejusdem caput* 6 ℣. 15 *asserunt,* S. Gedeonem, *cùm ab angelo juberetur belli contra Madianitas præfecturam assumere, fuisse tribunum seu mille hominibus præfuisse. Nimirum modestam Sancti responsionem* ℣. 15, *quâ se ad Israëlitas è servitute liberandos inidoneum profitetur, aliter intellexerunt, quàm S. Hieronymus. In Hebræo ad litteram est:* Ecce chilias mea; *per quod ipse intellexit familiam, quæ mille, id est, multis hominibus constat: unde ita vertit:* Ecce familia mea infima est in Manasse, & ego minimus in domo patris mei. *Vide Bonfrerium alioquè hîc. Sanctus verò Augustinus cum Procopio illud* Ecce chilias mea, *uti apud Septuaginta legerunt, ita explicant acsi* S. Gedeon *chiliarchus seu mille viris dux præfectus esset. Verba utriusque dabo. Sancti Doctoris hæc sunt:* Ubi respondet Gedeon ad angelum... Ecce mille mei humiliores in Manasse, intelligitur præpositus fuisse mille hominum, quos Græcè χιλιάρχας appellat Scriptura. *Procopius verbis sacris, eodem modo intellectis, hanc subdit expositionem:* Permanserunt enim *Israëlitæ* in tribunos & centuriones F divisi, ex quo Jethro Moysi consuluit *Exodi cap.* 18. Tribunus igitur, cùm esset, subditos suos infirmos esse conquestus est.

seu chiliarchum, probabiliter docent S. Augustinus & Procopius.

10 *Quamquam Sancti verba,* Ecce familia mea infima est in Manasse, *sicut ea vertit & intellexit S. Hieronymus, nullo modò significent, ipsum ullo tum temporis magistratu functum esse; tamen S. Augustini & Procopii explicatio Hieronymianæ interpretationi non repugnat. Nam si ante* 184 *circiter annos octo familiæ tribus Manasse* 52700 *viros armis ferendis aptos numerarint Numer. cap.* 26 *à* ℣. 28, *Jezeritarum familia in eadem tribu* S. Gedeonis *temporibus reliquis septem inferior esse potuit viribus & bellatorum numero; & tamen tres vel etiam plures chiliadas comprehendere, ac proin sub Joas supremo familiæ capite totidem chiliarchos habere, è quibus unus fuerit Sanctus noster. Bonfrerius aliique huic sententiæ exiguam tribuunt verisimilitudinem: at qua de causa equidem non video. Dubium non est, quin apud Israëlitas in honoribus & dignitatibus conferendis fortitudinis & natalium ratio habita fuerit. At* S. Gedeon *teste angelo* virorum fortissimus *erat, & filius Joas,*

omnium

AUCTORE J. L.

omnium Jezeritarum principis. Cur ergo ſententia, quæ ipſum chiliarchum vel tribunum facit, magis à veritate aliena ſit, quàm quæ eum centurionem ſtatuit, vel aliam inferiorem aut etiam nullam eidem præfecturam defert? Certè non minùs veriſimile eſt, quod dicti Patres aſſeruerunt, quàm quidvis aliud. Favet etiam Joſephus lib. 5 Antiquit. capite 8, quòd ita incipit: Per idem tempus Gedeon Jaſi filius, unus ex primatibus tribus Manaſſetidis. *Neque obſtat primò, quòd de ſe dicat Sanctus:* Ego minimus in domo patris mei: *nam ex eò, quòd adeo modeſtè de ſe ſenſerit, ut ſibi videretur omnium minimè idoneus ad Iſraëlitas è ſervitute potentiſſimorum hoſtium liberandos, non ſequitur, ut re ipſa omnium minimè idoneus fuerit. Verba illa ad angelum modeſtiam ipſius produnt atque animi ſubmiſſionem; at angeli eum in primo acceſſu* virorum fortiſſimum *compellantis ſalutatio ſatis declarat, quàm aptus eſſet ad Iſraëlem in libertatem aſſerendum. Neque obſtat ſecundò, quòd, dum venit ad eum angelus, excuteret ipſemet & purgaret frumenta in torculari, quod opus famulare & ruſticanum eſt. Id enim urgenti neceſſitati tribuendum eſt, quæ communem omnium domeſticorum laborem & diligentiam poſtulabat, ut hoſtium adventus, à quibus diripiebantur omnia, præverteretur.*

B

§ II. S. Gedeonem, ut Iſraëlitas è ſervitute liberet, excitat angelus; hic ſe à Deo miſſum probat, igne prodigioſo conſumens carnes & panes, quæ Sanctus ad corporis refectionem ei probabiliùs obtulerat.

Iſraëlitas è ſervitute Madianitica per S. Gedeonem liberaturus Deus

C

Defunctis Debbora & Barac, Iſraëlitæ in idololatriam relapſi ſunt. Perfidiæ pœnas non diſtulit iratus Deus. Quæ & quantæ quámque diuturnæ hæ fuerint, docet Judicum caput 6 à ℣. 1: Fecerunt autem filii Iſraël malum in conſpectu Domini: qui tradidit illos in manu Madian ſeptem annis, & oppreſſi ſunt valde ab eis. Feceruntque ſibi antra & ſpeluncas in montibus, & munitiſſima ad repugnandum loca. Cúmque ſeviſſet Iſraël, aſcendebat Madian & Amalec, ceterique Orientalium nationum; & apud eos figentes tentoria, ſicut erant in herbis cuncta vaſtabant uſque ad introïtum Gazæ: nihilque omnino ad vitam pertinens relinquebant in Iſraël, non oves, non boves, non aſinos. Ipſi enim & univerſi greges eorum veniebant cum tabernaculis ſuis, & inſtar locuſtarum univerſa complebant, innumera multitudo hominum & camelorum, quidquid tetigerant devaſtantes. Humiliatuſque eſt Iſraël valde in conſpectu Madian. *His calamitatibus ſeptem annis populus Hebræus afflictus fuit. Tandem cùm nullum in ſe præſidium contra hoſtem reperiret, miſericordiam divinam imploravit*, Et clamavit ad Dominum poſtulans auxilium contra Madianitas. Qui miſit ad eos virum prophetam, & locutus eſt: Hæc dicit Dominus Deus Iſraël: Ego vos feci conſcendere de Ægypto, & eduxi vos de domo ſervitutis, & liberavi de manu Ægyptiorum, & omnium inimicorum, qui affligebant vos; ejeciique eos ad introitum veſtrum, & tradidi vobis terram eorum. Et dixi: Ego Dominus Deus veſter, ne timeatis deos Amorrhæorum, in quorum terra habitatis. Et noluiſtis audire vocem meam ℣. 7 *& ſeqq. Deus Iſraëlitas à ſervitute Madianitica per* S. Gedeonem *liberaturus prophetam præmiſerat, qui acceptorum beneficiorum commemoratione illorum ingratum animum, idololatriam, aliaque ſcelera perſtringeret, atque ita eos ad pœnitentiam magis incitaret. Nec dubium eſt, quin plerique ad cor redierint, ſerióque Domino promiſerint, fore ut deinceps ipſi ſoli ſervirent. Sancti tamen concives, incolæ urbis Ephra, ante victoriam Madianiticam converſi non fuere, ut patet ex* ℣. 28 *& ſeqq.*

D

angelum mittit, qui ei Domini

12 *Iſraëlitarum animis prophetæ oratione ita præparatis, Dominus ad* S. Gedeonem, *quem deſtinarat ad populum ſuum tot calamitatibus eripiendum, angelum de cælis miſit. Suſpicantur plerique, hunc fuiſſe Michaëlem archangelum, nec immeritò; agebatur enim de incolumitate ac ſalute totius populi Hebraïci, cujus ille præſes & ſecundum Deum protector erat. Eum quidem nonnulli Filium Dei fuiſſe putant, quòd* ℣. 14 & 16 Dominus, *appelletur. Verùm nomen hoc ei tribuitur, tamquam Dei legato & illius perſonam ſuſtinenti. Vide dicta in Vita S. Joſue num.* 120 *& ſeqq.* Venit autem angelus Domini, & ſedit ſub quercu, quæ erat in Ephra, & pertinebat ad Joas patrem familiæ Ezri. Cúmque Gedeon filius ejus excuteret atque purgaret frumenta in torculari, ut fugeret Madian, apparuit ei angelus Domini, & ait: Dominus tecum, virorum fortiſſime. Dixitque ei Gedeon, *non tam laudem ſuam in ſalutatione quàm bene precandi formulam attendens*, Obſecro, mi Domine, ſi Dominus nobiſcum eſt, cur apprehenderunt nos hæc omnia? Ubi ſunt mirabilia ejus, quæ narraverunt patres noſtri, atque dixerunt: De Ægypto eduxit nos Dominus? Nunc autem dereliquit nos Dominus & tradidit in manu Madian. ℣. 11 *& ſeqq. Hæc verba non ſunt conquerentis de Deo, ut vult Abulenſis quæſt.* 12 *in cap.* 6, *vel de ejus poteſtate dubitantis; ſed admirantis ab angelo, quem hominem putabat, dici præſentem Dominum, quem præſentes calamitates, ob peccata populo inflictas, abſentem infenſumque ſignificabant.*

E

conſilium aperit, ejuſque auxilium contra hoſtes promittit:

F

13 Reſpexitque ad eum Dominus, *id eſt, angelus ejus perſonam repræſentans*, & ait: Vade in hac fortitudine tua, & liberabis Iſraël de manu Madian: ſcito quòd miſerim te ℣. 14. *Cæleſtis legatus his verbis* S. Gedeoni *annuntiat, quòd Hebræorum ſalvator ac judex divinitus ſit conſtitutus, ſimulque eum excitat, ut, oblato munere acceptato, cum fiducia atque alacritate liberationem Iſraëlis aggrediatur. At Sanctus præ ſubmiſſione animi tantæ rei peragendæ imparem ſe exiſtimabat ob ſuam ſuæque familiæ tenuitatem. De quo ita verſus ſequens:* Qui reſpondens ait: Obſecro, mi Domine, in quo liberabo Iſraël? Ecce familia mea infima eſt in Manaſſe, & ego minimus in domo patris mei. *Vide ſuprà num.* 9 *& ſeq.* Dixitque ei Dominus: Ego ero tecum; & percuties Madian quaſi unum virum ℣. 16. *Theodoretus quæſt.* 12 *in librum Judicum verſum hunc cum præcedentibus ita explanat, Sancti fidem & modeſtiam commendans:* Quoniam, *inquit*, memor erat mirabilium Dei, firmamque de Deo tenebat opinionem, illum, ſi vellet, eos facilè liberare poſſe à calamitatibus,

A bus, quibus detinebantur; meruit ut audiret ab angelo: " Proficiſcere in robore fidei hujus, & „ vinces „. Neque damnet quiſquam ea, quæ ſequuntur: non enim velut diffidens de Deo dixit: " Familia mea humillima eſt in tribu Manaſ- „ ſe, & ego minimus *&c.* „: ſed ut de ſe modeſtè ſentiens. Quapropter angelus gratam habens hanc reſponſionem, ait: " Dominus tecum erit; „ & interficies Madian ſicut virum unum „.

neſciens Sanctus ſe loqui cum angelo, ſignum ab eo petit, quo probet ſe à Deo miſſum;

14 *Neſciebat Sanctus, ut manifeſtum eſt ex* ℣. 22, *angelum eſſe eum, qui tam facilem de tot Madianitarum millibus victoriam pollicebatur: ſed neque an propheta eſſet, certò ipſi conſtabat. Ea quidem, ut credibile eſt, erat angeli apparentis ſpecies externa, quæ ſincerum ſanctumque hominem referret; ſentiebat etiam haud dubiè miram ex ejus præſentia & alloquio conſolationem & alacritatem, & ad fidem ejus promiſſis habendam interiùs excitabatur: quia tamen fraus latêre poterat, prudenter ſignum aliquod petiit, quo majorem ſibi certitudinem compararet.* Si inveni, *inquit* ℣. 17, gratiam coram te, da mihi ſignum, quòd tu ſis, qui loqueris ad me *ex parte Domini; ut tibi credere poſſim promittenti, quòd numeroſum hoſtium exercitum profligaturus ſim, acſi cum uno homine certandum eſſet. Præſtitit id angelus* ℣. 21, *cùm ignem virgâ de petra elicuit, quo carnes hœdinæ earumque jus & panes azymi conſumpta fuerunt.*

B

panes azymos & hœdum coctum adfert,

15 *Huic petitioni aliam mox ſubjungit Sanctus* ℣. 18: Nec recedas hinc, donec revertar ad te, portans ſacrificium & offerens tibi. *Per* ſacrificium *hîc intelligo prandium ſeu munus convivale, quod, quia poſtea ab angelo præter Sancti opinionem in ſacrificium converſum eſt, hîc ab eventu ſecuto per prolepſim* ſacrificium *vocatur. Scripturam probabiliùs hîc uti figurata locutione, mox oſtendam, ſimulque à Sancto ſuſpicionem omnis peccati removebo; quod difficulter facere poſſunt, qui aliter hunc locum exponunt. Itaque ſecundum dicenda verſus* 18 *ſic intelligendus videtur, ut voluerit* S. Gedeon *tantùm cibos, qui poſtea in ſacrificium ceſſerunt, portare & offerre angelo.* Qui reſpondit: Ego præſtolabor adventum tuum. Ingreſſus eſt (℣. 19) itaque Gedeon, & coxit hœdum, & de fa- C rinæ modio azymos panes: carneſque ponens in caniſtro, & jus carnium mittens in ollam, tulit omnia ſub quercu, & obtulit ei, *angelo videlicet, quem hominem putabat, ut iis veſceretur, & tum ſigno aliquo probaret, ſe prophetam eſſe à Deo miſſum.*

non eo fine, ut illa Deo ſacrificaret

16 *An ego verba ſacra rectè expoſuerim, id eſt, an Sanctus dixerit,* Nec recedas hinc, donec revertar ad te, portans ſacrificium, *& dein coctum hœdum paneſque angelo obtulerit ea ex intentione, ut hoſpitem ſuum prandio exciperet, quæſtio eſt multum controverſa. S. Auguſtinus quæſt.* 35 *ſuper librum Judicum docet,* S. Gedeonem *hæc dixiſſe & feciſſe, eo ſibi fine propoſito, ut ipſemet ſacrificium Deo offerret: ita enim loquitur:* Animadvertendum eſt, quòd Gedeon non ait angelo: " Offeram tibi ſacrificium „, ſed ait: " Offeram ſacrificium meum, & ponam „ in conſpectu tuo „ (*in Vulgata eſt*, Portans ſacrificium & offerens tibi.) Unde intelligendum eſt, non eum angelo, ſed per angelum offerre voluiſſe, *id eſt, ejus miniſterio uti. Nam Paulò infrà habet:* Angelus in ſacrificio, quod obtulit Gedeon, officium miniſtrantis implevit. *Et mox:* Priùs tamquam cum homine loquebatur, quem tamen hominem Dei credidit, ut coram ipſo ſacrificium vellet offerre, velut adjuvandus præſentiâ ejus ſanctitatis. *Ex recentioribus, qui* S. Gedeonem *ſacrificium intendiſſe ſtatuunt, Eſtius & nonnulli alii cum S. Auguſtino ſentiunt. Major tamen illorum pars cum Lirano exiſtimat, Sanctum, angelo ſub quercu exſpectare juſſo, domum abiiſſe, & coctas carnes paneſque attuliſſe, non ut ipſe, ſed ut angelus ea offerret, & inter offerendum miraculo aliquo declararet, ſe à Deo miſſum eſſe.*

AUCTORE J. L.

17 *Duabus his ſententiis aliqua opponemus argumenta, quorum ſolutionem exſpectamus: dein noſtram opinionem ſtabiliemus. Imprimis non decrevit Vir ſanctus ipſemet ſacrificium offerre: id enim impium fuiſſet, quia nec ſacerdos erat, utpote ex tribu Manaſſe, neque Siluntem, locum ſacrificiis offerendis deſtinatum, adire conſtituerat. At inquies cum S. Doctore ibid. quæſt.* 36, Sed intelligendum eſt, quòd illum angelum primò prophetam putaverat, & tamquam Deum, qui in iſtis omnibus diſpenſare poteſt, in illo conſuluerat de offerendo ſacrificio. Quod ille ſi prohibuiſſet, non utique fieret. Sed quoniam approbavit, & ut fieret, annuit, Dei diſpenſantis auctoritatem Gedeon in faciendo ſecutus eſt. Ita quippe Deus legitima illa conſtituit, ut leges non ſibi, ſed hominibus daret. Unde quodcumque præter illa ipſe præcepit, non à tranſgreſſoribus, ſed potiùs à piis & obedientibus impletum intelligendum eſt: ſicut Abraham de immolando filio. *Liceat mihi rationem adferre, ob quam S. Doctori, cujus auctoritatem plurimùm veneror, hîc acquieſcere non poſſim. Sit ita: declaraverit angelus, Deum cum Sancto diſpenſaſſe. Diſpenſatione illa licitè uti non potuit: nam cùm certus non eſſet, eum eſſe talem, cui fides tutò habenda eſſet, ideoque ſignum petiiſſet, quo ſe à Domino miſſum manifeſtaret, certus etiam eſſe non potuit de diſpenſatione divina.*

vel ipſemet,

vel angelus;

18 *Neque ſecundò* S. Gedeon *intentionem habuit, ut materiam, quam præpararat, angelus ſacrificaret; nam quoniam, ut ſtatim dixi, ita certus non fuit eum, quocum loquebatur, à Deo miſſum eſſe, quin formidaret, ne fortè ab impoſtore homine deciperetur; quomodo ſine culpa voluit, ut is ſacerdotem ageret & ſacrificaret,* de F *quo ei non conſtabat, an revera eſſet ſacerdos vel ordinarius, vel per diſpenſationem divinam extraordinarius. Præterea ſi ab angelo receſſerit eo fine, ut hœdum mactaret Deo ſacrificandum, ſequitur, eum à victimæ mactatione ſacrificium inchoare, adeoque ſaltem partem officii ſacerdotalis illicitè ſibi aſſumere voluiſſe: hoſtiæ enim jugulatio pars ſacrificii eſt, vetita cuivis profano homini extra locum tabernaculi. Si dicas, Sanctum non ſciviſſe quidem, an is, quocum agebat, propheta Dei eſſet, an verò angelus ſub humana ſpecie; non dubitaſſe tamen quin eſſet alteruter; difficultates objectas facilè quidem evitabis, ſed in alias impinges. Nam ſi ipſi nullum dubium fuit, quin verè à Deo miſſus eſſet; cur, eo promittente victoriam de Madianitis, dubitavit an vera prænuntiaret? Vel ſi non dubitavit, quæ ſigni poſtulandi fuit neceſſitas? Quem ſenſum dabis verbis ſacris* ℣. 17: Da mihi ſignum, quòd tu ſis, qui loqueris ad me? *Hic locus manifeſtè innuit, Sanctum dubitaſſe, an is, quocum loquebatur, conſilia divina annuntiaret, & ad hoc ſuum dubium tollendum ſignum aliquod*

AUCTORE J. L.

quod petiisse. Satis, ut opinor, videt lector, Sanctum in sententiis hactenus propositis difficulter ab omni culpa excusari posse.

sed probabiliùs ut hic, quem ille hominem putabat, iis vesceretur:

19 *Nunc rationes accipe, cur ego cum Cajetano, Aria Montano, Bonfrerio aliisque judicem*, S. Gedeonem *verisimiliùs dumtaxat cogitasse de cibis parandis, nullo verò modo de sacrificio vel per se vel per angelum offerendo. Primò, si sacrificium intendisset, ad carnes panesque concremandos ignem & ligna attulisset: nam quî scire poterat, ignem de petra eliciendum ab eo, quocum loquebatur. Sed, inquies, prodigiosus ignis, hostiam absumpturus, fuit ipsum signum, quod* S. Gedeon *exspectabat ab illo edendum, si verè à Deo missus esset. Verùm si hoc exspectasset, priùs altare aliquod erexisset, neque hœdum coxisset; nam ad sacrificium animal vivum debebat adferri. Secundò, angelus specie viatoris se ei videndum præbuit: nam virgam seu baculum gestabat manu* ℣. 21. *Videtur igitur* S. Gedeon, *qui eum hominem viatorem credebat, hospitale officium exhibere, ac cibos ad corpus reficiendum adferre voluisse. Tertiò illa carnium hœdinarum*

B *coctio & elixatio, & cum carnibus earumque jure azymorum panum conjunctio satis indicant, hæc omnia ad comestionem destinata fuisse. Ex his omnibus satis patere arbitror, verisimiliùs Sanctum eo tantùm animo fuisse, ut hospiti suo cibos daret; eosque versu* 18 *vocari* sacrificium, *quòd in hoc postea conversi fuerint. Audi Procopium:* Sacrificium id dicit *Sanctus*, quod ad epulum destinatum erat. Victima enim non coquebatur juxta legem. Ceterùm sub quercu ponit, Abrahamum imitatus (*Genes. cap.* 18,) ac ratus hunc fercula absumpturum. *Unde & hîc Chaldæus paraphrastes in Bibliis Regiis pro* sacrificium *Latinè habet* donum; *textus verò Arabicus in Bibliis Maximis* prandium. *Qui plura in rem nostram desiderat, adeat inter alios Bonfrerium & Cornelium à Lapide hîc, qui operosè quæstionem hanc discusserunt. Quæ hactenus attuli, sufficere mihi videntur ad omnem culpæ suspicionem à Sancto amovendam.*

petitum signum dat angelus, cibos igne prodigioso in holocaustum Deo absumens;

20 *Quemadmodum itaque Abraham Genes. cap.* 18 ℣. 8 butyrum, lac & vitulum, quem coxerat, *comedenda proposuit tribus angelis, & Manuë Judicum cap.* 13 ℣. 15 *coquere voluit* hœdum de capris, *ut eo vesceretur angelus, qui nasciturum sibi Samsonem annuntiarat; sic &* S. Gedeon *panes azymos & coctas carnes hœdinas in canistro, earumque jus in olla tulit ad angelum eo consilio, ut ipsum convivio exciperet. Hic & illi se cum hominibus agere credebant. Porrò, cibis allatis*, Dixit angelus Domini: Tolle carnes & azymos panes, & pone supra petram illam, & jus desuper funde ℣. 20. *Angelo, petitum signum edituro & paratum sibi prandium prodigiosa crematione in honorem Dei absumpturo, morem gerit Sanctus, admirans quidem, quem in finem hæc omnia, & maximè illa juris effusio, præciperentur; repugnare tamen non audens ei, quem licèt certò non sciret, suspicabatur tamen hominem sanctum & prophetam Dei esse.* Cúmque fecisset ita, extendit angelus Domini summitatem virgæ, quam tenebat in manu, & tetigit carnes & panes azymos: ascenditque ignis de petra & carnes, azymosque panes consumpsit.

subitò evanescens Sancto metum mortis incutit, quo sublato

21 Angelus autem Domini evanuit ex oculis ejus. Videnque Gedeon, quòd esset angelus Domini, *quem hactenus hominem crediderat*, ait: Heu mi Domine Deus! quia vidi angelum Domini de facie ad faciem. Dixitque ei Dominus: Pax tecum: ne timeas, non morieris ℣. 21 & *seqq. Ex ista Sancti exclamatione colligitur, communem istis temporibus opinionem fuisse, moriturum eum, qui angelum Dei vidisset. Unde hæc opinio orta sit, discite ex interpretibus. Porrò postquam angelus* S. Gedeonem *à metu mortis liberasset, & insigni illo miraculo, quo cibos in holocaustum Deo concremaverat, ostendisset, se à Deo missum esse; nullum ampliùs Sancto dubium fuit, quin à Domino electus esset ad populum suum è servitute eripiendum: firmamque spem concepit futurum ut eâ, quam promiserat angelus, facilitate victoriam de hostibus auxilio divino obtineret.* D

altare Domino ædificat.

22 Ædificavit ergo ibi Gedeon altare Domino, vocavitque illud, Domini pax, usque in præsentem diem ℣. 24. *Si altare, de quo hîc, distinguatur ab eo, cujus mox meminit versus* 26, *dico cum à Lapide, quòd illud non erexerit ad sacrificia offerenda, hæc enim vetita erant extra locum tabernaculi, quod tunc in Silunte fixum erat; sed ad perpetuam memoriam incolumitatis ac pacis sibi ab angelo viso præstitæ, &* E *liberationis Israëlitarum è servitute Madianitica, ab eodem sibi promissæ. Unde & vocavit illud*, Domini pax. *Altaria autem hujusmodi, quæ essent ad rei alicujus monumentum, ubique poterant licitè excitari, ut patet ex Libro Josue cap.* 22; *ubi leguntur tribus Ruben, Gad, & media Manasse similem aram exstruxisse juxta Jordanem, toto Israële factum approbante. Dixi suprà: Si altare, de quo versus* 24, *distinguatur ab eo, cujus meminit versus* 26. *Nam si idem sit, quemadmodum plerique suspicantur, erectum quidem etiam illud fuit ad sacrificandum, sed non nisi postquam Sancto id præceperat Deus* ℣. 26, Et ædificabis altare Domino Deo tuo *&c.: adeo ut hujus præcepti exsecutio, quam narrat versus* 27, *præoccupetur versu* 24. *Quid verò nobis videatur verisimilius, unumne an duo altaria* S. Gedeon *ædificarit, dicemus infrà num.* 25.

Quæ Philo Byblius narrat prodigia angelum edidisse, ab ipso conficta sunt.

23 *Philo Byblius apud Natalem Alexandrum in Historia ecclesiastica veteris Testamenti quartæ mundi ætatis cap.* 6 *art.* 3 S. Gedeoni *signum petenti angelum respondisse scribit:* Curre; & accipe mihi aquam de lacu illo, & funde super terram istam; dabo tibi signum. Et abiens accepit, sicut præceperat ei. Et dixit ad eum angelus: Antequam fundas supra petram aquam, pete quid velis fieri de ea, sive sanguinem, sive ignem, sive ut nusquam compareat. Et dixit Gedeon: Fiat medium sanguis, & medium ignis. Et effudit Gedeon aquam supra terram. Et factum est cùm effudisset, ut fieret media pars flamma, media autem pars sanguis, & commixta sunt utraque: & non extinxit ignem sanguis, nec sanguinem ignis excussit. Et hæc videns Gedeon petiit alia signa, & data sunt ei. Nonne hæc scripta sunt in libro Judicum? *Ita quidem miraculum ignis è petra subitò erumpentis ciboque consumentis; at quæ nugator pseudo-Philo adfert, in vano ejus cerebro conficta sunt.* F



A

§ III. Cum luco aram Baal deſtruit; aliam Deo erigit & ſacrificat; accipit nomen Jerobaal, & Spiritum Domini; copias convocat contra Madian; duplex in vellere ſignum petit, in quo non peccaſſe oſtenditur.

Juſſu Domini,

CUm dies abiiſſet, *quo contigit angeli appa*ritio, *de qua paragrapho præcedente, proxima nocte ab eodem, ut arbitror, angelo monetur* S. Gedeon, *ut à deſtructione luci & aræ Baal, ab erectione altaris vero Numini, & holocauſti oblatione divinitus delatum ſibi principatum auſpicetur. Rem ita narrat ſacer auctor*

P ℣. 24 *& ſeqq.:* Cúmque adhuc eſſet in Ephra, quæ eſt familiæ Ezri, nocte illa dixit Dominus ad eum: Tolle taurum patris tui, & alterum taurum annorum ſeptem, deſtrueſque aram Baal, quæ eſt patris tui: & nemus, quod circa aram eſt, ſuccide: & ædificabis altare Domino Deo tuo in ſummitate petræ hujus, ſuper quam ante ſacrificium poſuiſti: tolleſque taurum ſecundum, & offeres holocauſtum ſuper ſtruem lignorum, quæ de nemore ſuccideris. *Ex his intelligitur, Deum hîc cum Sancto diſpenſaſſe, ut ſacerdotii munere fungeretur, offerretque holocauſtum procul à loco tabernaculi.*

aræ lucoque Baal everſis, altare Deo erigit & ſacrificat:

25 Aſſumptis ergo Gedeon decem viris de ſervis ſuis, fecit ſicut præceperat ei Dominus. Timens autem domum patris ſui, & homines illius civitatis, per diem noluit id facere, ſed omnia nocte complevit ℣. 27. *Itaque aræ Baal everſâ ejuſque luco ſucciſo, Sanctus, ut juſſus erat,* ſuper ſummitatem petræ, *in qua cibos antea poſuerat, ab angelo dein in ſacrificium converſos, altare Domino nocte ædificavit, & in illo holocauſtum obtulit ſacerdos Dei extraordinarius. Altare, de quo hîc, veriſimiliùs idem fuit*

C *cùm illo, cujus meminit verſus* 24: *ubi dicitur* S. Gedeon *aram exſtruxiſſe* ibi: *qua voce deſignatur locus, ubi angelus ſacrificarat, vel eum à metu mortis liberarat, aut certè alius vicinus circa quercum. In exiguo autem locorum ſpatio duplex altare Domino ædificatum fuiſſe, difficulter credo; magiſque in eam inclino ſententiam, quæ ſtatuit hagiographum* ℣. 24 *uſum eſſe figurâ prolepſios, eumque voluiſſe vocibus angelicis* Pax tecum *&c., quæ mortis timorem Sancto ademerant, proximè ſubjungere mentionem aliquam de altari ſequente nocte erecto, quod ab eiſdem* Domini pax *vocatum eſt. Si quis tamen ſuſpicetur à Sancto aram erectam fuiſſe aſſerere malit, ei non refragabor; modò admittat, eum in ædificatione prioris, de qua* ℣. 24, *alium finem intendiſſe, quàm ut in ea ſacrificaret. Vide ſuprà dicta num.* 22.

querela oppidanorum: accipit nomen Jerobaal,

26 *Cùm ſanctus Judex pium ſibi ab angelo imperatum opus fuiſſet exſecutus,* Cumque ſurrexiſſent viri oppidi ejus manè, viderunt deſtructam aram Baal, lucumque ſuccifum & taurum alterum impoſitum ſuper altare, quod tunc ædificatum erat. Dixeruntque ad invicem: Quis hoc fecit? Cúmque perquirerent auctorem facti, di-

ctum eſt: Gedeon filius Joas fecit hæc omnia. Et dixerunt ad Joas: Produc filium tuum huc, ut moriatur: quia deſtruxit aram Baal, & ſuccidit nemus. Quibus ille reſpondit: Numquid ultores eſtis Baal, ut pugnetis pro eo? Qui adverſarius eſt ejus, moriatur antequam lux craſtina veniat: ſi Deus eſt, vindicet ſe de eo, qui ſuffodit aram ejus. Ex illo die vocatus eſt Gedeon, Jerobaal, eò quòd dixiſſet Joas: Ulciſcatur ſe de eo Baal, qui ſuffodit aram ejus ℣. 28 *& ſeqq. Vide num.* 5.

AUCTORE J. L.

Madianitæ tranſeunt Jordanem Spiritu Domini afflatus S. Gedeon, exercitum congregat;

27 *Interea temporis* Omnis Madian, & Amalec, & Orientales populi congregati ſunt, *ut eamdem Hebræorum terris, quam ſeptem prioribus annis, vaſtitatem inferrent;* Et tranſeuntes Jordanem, caſtra metati ſunt in valle Jezraël ℣. 33. *Confluxerant eò centum triginta quinque bellatorum millia, uti ex cap.* 8. ℣. 10 *intelligitur. Eorum duces erant Oreb, Zeb, Zebee, & Salmana cap.* 7 ℣. 25; *& cap.* 8 ℣. 5. *Cùm hæc fierent, tempus vernum erat; nam ut nos docet caput* 6 ℣. 3 *& ſeqq., Madianitæ ceteriique auxiliares populi cum gregibus ſuis, quando ſata* in herbis erant, inſtar locuſtarum *advolare ſolebant, omnem anni ſpem & proventum depaſturi. Subdit verſus* 34: Spiritus autem Domini induit Gedeon; qui clangens buccinâ convocavit domum Abiezer, ut ſequeretur ſe *contra hoſtes, ad imminentem calamitatem avertendam. Accurrerunt Abiezritæ, urbis Ephræ habitatores, armis inſtructi; interque hos proculdubiò etiam ex iis ſaltem aliqui, qui nuperrimè Sanctum ad mortem poſtularant. Quem paulò antè è medio ſublatum volebant, nunc ſuum agnoſcunt ducem & ſequuntur. Mirabilis ſanè eſt hæc tanta mutatio in eorum animis tam ſubitò facta. An Spiritus ille divinus, quo Sanctus agebatur, forìs ita ſe prodebat, ut ejus ſignis exterioribus* E *perceptis quivis excitarentur ad illum cum ſpe victoriæ ſequendum? Ceterùm non modò populares ſuos & cognatos ad bellum excivit; ſed inſuper* Miſit nuntios in univerſum Manaſſen, qui & ipſe ſecutus eſt eum; & alios nuntios in Aſer, & Zabulon, & Nephthali, qui occurrerunt ei ℣. 35. *Horum acceſſione facta, in ſancti Ducis exercitu triginta duo pugnatorum millia numerabantur, ut patet ex cap.* 7 ℣. 3.

F *duplex in vellere & area miraculum petit & impetrat:*

28 Dixitque Gedeon ad Deum: Si ſalvum facis per manum meam Iſraël, ſicut locutus es, ponam hoc vellus lanæ in area: ſi ros in ſolo vellere fuerit, & in omni terra ſiccitas, ſciam quòd per manum meam, ſicut locutus es, liberabis Iſraël. Factumque eſt ita. Et de nocte conſurgens, expreſſo vellere, concham rore implevit. Dixitque rurſus ad Deum: Ne iraſcatur furor tuus contra me, ſi adhuc ſemel tentavero, ſignum quærens in vellere. Oro ut ſolum vellus ſiccum ſit, & omnis terra rore madens. Fecitque Deus nocte illa ut poſtulaverat: & fuit ſiccitas in ſolo vellere, & ros in omni terra ℣. 36 *&* ſeqq.

petitio hæc facta non eſt ex fidei defectu,

29 *Circa hæc miracula, à S. Judice petita, movetur quæſtio ſat gravis, deliqueritne Sanctus illa poſtulando. Eſt contra eum argumentum non leve: ſiquidem ex manifeſtis indiciis jam ſatis cognoverat, fuiſſe angelum à Domino miſſum, è quo intellexerat, ſe duce Iſraëlem victoriâ de Madianitis potiturum: contra fidem ergo peccavit, ſi dubitavit, an reipſa Deus facturus eſſet, quod per angelum pollicitus erat; at verò ſi certus fuit de implenda divina promiſſione, in Deum irreverens fuit ſine neceſſitate miracula poſtulando. Imò*

AUCTORE J. L.

mo ipſe S. Gedeon, *cùm* ℣. 39 *ait :* Ne iraſcatur furor tuus contra me, ſi adhuc ſemel tentavero, ſignum quærens in vellere, *ſatis videtur agnoſcere, magnam ſe in Deum irreverentiam committere iterata miraculi poſtulatione. Sancto etiam adverſa eſt nonnullorum auctoritas. A Ruperto in librum Judicum, Commentariorum lib.* 1 *cap.* 10 *accuſatur, quòd Deum tentarit, dum ſigna petiit : an autem id fecerit ex defectu fidei, quâ credere tenebatur promiſſiones divinas ſibi ſufficienter propoſitas ; an verò peccatum tentationis Dei commiſerit, quia, licèt incredulus non eſſet, ſine cauſa tamen Deo probata miraculorum petitio facta eſt, non explicat. At Abulenſis quæſt.* 47 *totus eſt in eo, ut ſanctum Virum in infidelitatem lapſum probet. Faventem ſibi habet S. Thomam* 2 2 *q.* 97 *a.* 2 *ad* 3, *ubi ait :* Abraham autem (*Geneſ. cap.* 15 ℣. 8) ſignum petiit ex inſtinctu divino, & ideo non peccavit. Gedeon verò ex debilitate fidei ſignum petiiſſe videtur, & ideo à peccato non excuſatur, ſicut ibidem Gloſſ. dicit.

B *neque conjunctam habuit ullam in Deum irreverentiam :*

30 *At meliùs alii Sanctum ab omni peccato immunem faciunt. Imprimis ſigna non petiit, quòd certam divinis promiſſis fidem non haberet. Nam quis credat eum, qui ab Apoſtolo ad Hebræos* XI ℣. 32 *à fide laudatur, interque eos omnium primus recenſetur,* qui per fidem vicerunt regna, operati ſunt juſtitiam, adepti ſunt repromiſſiones, ... fortes facti ſunt in bello, caſtra verterunt exterorum *&c., quem paulò antè, quàm ſigna peteret, Spiritus Domini induerat, ut dicitur* ℣. 34 ; *quis, inquam, credat eum infidelem fuiſſe ? Illa profectò alacritas, quâ aram Baal atque ei conſecratum nemus evertit, Deoque vero altare erexit, non ignorans rem eſſe periculi pleniſſimam, quâ contra tot hoſtes pugnaturus ſuos ad arma clangore buccinæ convocavit, ingentis argumentum eſt fiduciæ ac ſpei de felici rerum eventu, fundatæ ſuper firma illa fide, quâ credebat Deum præſtiturum, quæ per angelum promiſerat. Neque ſi Sanctum nobiſcum ab infidelitatis peccato liberas, miraculorum petitionem aliunde vitioſam fuiſſe ſuſpiceris. Fieri hæc potuit ſine ulla in Deum irreverentia, licèt certus fuerit ſe victoriam obtenturum, ab angelo pronuntiatam. Dum Deus rogata miracula operatus eſt, manifeſtis ipſe indiciis ſatis oſtendit,*

C *ſe approbaſſe non tantùm rationem, ob quam, ſed etiam modum, quo Sanctus illa poſtulavit. Si ulla ex parte ſignorum petitio mala fuiſſet, nec Deo placens, an hic illum exandiviſſet ? Audi S. Ambroſium libro de Viduis cap.* 3 : Oſtenditur (S. Gedeonis) exemplo, non omnium eſſe divinæ mereri miracula poteſtatis ; ſed eorum, quibus religioſæ devotionis ſtudia ſuffragentur : & divini eos fructu operis abdicari, qui reverentiæ ſunt cæleſtis exſortes. *Unde idem ſanctus Doctor, uti quamvis aliam, ita & infidelitatis culpam à Sancto removet in Proœmio ad librum* 1 *de Spiritu ſancto :* Quærit fortaſſe aliquis, utrumnam quaſi incredulus eſſe videatur, qui frequentibus informatus indiciis adhuc plura poſcebat ? Sed quemadmodum poteſt videri quaſi ambiguus incertuſque tentaſſe, qui, *in vellere & area rorem & ſiccitatem petens,* myſteria loquebatur ? Non ergo ille ambiguus, ſed providus, ne nos ambigeremus. Nam quomodo ille ambiguus, cujus precatio habebat effectum ? *Origenes in librum Judicum Homilia* 8 : Fortaſſis, *inquit,* dicit aliquis ex iis, qui attentiùs audiunt, quæ leguntur *de S. Gedeone, geminum miraculum poſtulante* ; quia non videntur convenire hæc ad iſtud, quod ſcriptum eſt : " Non ,, tentabis Dominum Deum tuum ,, quod lex præcepit. Sed exitus rei docet non eſſe contra mandatum factum. Neque enim exaudiret Deus petitionem, contra legem aliquid depoſcentem. D

bono ex fine, nimirum ut populus in fide confirmaretur,

31 *Franciſcus Suarez lib.* 1 *de Irreligioſitate cap.* 2 *num.* 10, *Bonfrerius hîc, aliique, qui* S. Gedeonem *ab omni culpa abſolvunt, varias allegant rationes, ob quas duplicis miraculi petitio licitè fieri potuerit. Inter alias mihi valde placet ea, quam Caietanus & Salianus adferunt. S. Judicem ſigna petiiſſe aiunt non ad ſuam, ſed ad ſociorum ſuorum, quos ad bellum convocaverat, confirmationem ; nimirum ut de Sancti miſſione ad liberandum Iſraëlem deque divinis promiſſis illi factis firmam fidem haberent, & ad certam victoriæ ſpem erigerentur. Quòd Sanctus hunc ſibi in ſignorum poſtulatione finem propoſuerit, aliquo modo colligi poteſt ex ipſo contextu narrationis ſacræ. Hæc* ℣. 35 *quatuor tribus ad* S. Gedeonem *concurriſſe refert ; mox ſubdit* ℣. 36 *miraculorum petitionem ; horum verò conceſſione narrata, ſtatim iterum ſubjungit, S. Ducem omnemque cum eo populum ſurrexiſſe & ad hoſtes perrexiſſe. Unde veriſimile eſt, Sanctum ſigna flagitaſſe coram ipſo exercitu, huncque totum vel aliquos ad id ſtatutos manè vellus & aream inſpectaſſe, ut de miraculis conſtaret. Utriuſque verba rem totam magis elucidabunt. Caietani hæc ſunt :* Quòd non pro ſe ipſo ſed pro populo petiit Gedeon hujuſmodi ſignum (& propterea non peccavit, nec tentavit Deum, ſed pro utilitate populi, ut ſecurus ſequeretur illum ad bellum, petiit ſignum,) inſinuatur in primis ex eo, quòd fuit petitio ſigni, congregato jam exercitu. Deinde quòd ipſe Gedeon repetit indubiè, Deum hoc dixiſſe : non ergo ut ipſe noſſet (qui jam noverat,) ſed ut populus ſciret, ſignum petiit. E

S. Gedeonem ſigna,

32 *Salianus in Annalibus ad annum* 2768 *num.* 27 *& ſeqq. narrationem ſacram à* ℣. 35 *ita hiſtoricè deducit :* Reliqua item tribus Manaſſe nunciis accita, alacris ad Gedeonem, Deo animos ſuggerente, convenit. Miſit & alios nuncios in Aſer, & Zabulon, & Nephthalim ; quæ tribus cis Jordanem ad Septentrionem Manaſſe ſitæ erant, quæ reliquis ſeſe adjunxerunt : imò cùm jam adverſus hoſtem progredi inciperet, occurrerunt ei. Quibus congregatis, petiit Gedeon à Deo miracula duo circa vellus. Qua in re varii variè loquuntur, ut videbis apud Serarium, mihi in primis placet Caiet., qui negat ea petita aut exhibita Gedeoni, ſed exercitui ejus. ... Idque ex eo inſinuatur in primis, quòd jam congregato exercitu petiit, ut ſcilicet ille crederet, quæ Gedeon de ſua vocatione & promiſſa divinitus victoria & libertate eis enarraverat. Sed nequa in verbis ipſis hæreat difficultas, petitio & exhibitio miraculi ſic habet : " Dixitque ,, Gedeon ad Deum : Si ſalvum facis per ma- ,, num meam Iſraël, ſicut locutus es ,, per angelum ſcilicet, cujus fuerat illa vox : " Vade in ,, hac fortitudine tua, & liberabis Iſraël de ma- ,, nu Madian ,,. Et promiſſionem memorat coram populo, ut conſtet, neque de poteſtate neque de voluntate [divina ſe] dubitare ... Pergit autem : " Ponam hoc vellus lanæ in area : ſi ,, ros in ſolo vellere fuerit, & in omni terra ſic- ,, citas, ſciam, quòd per manum meam, ſicut ,, locutus F

A „ locutus es, liberabis Iſraël „. Cùm ait, SCIAM, idem eſt acſi diceret, SCIET populus hic, qui mecum eſt. Sic S. Joan. cùm miſit diſcipulos ſuos ad Jeſum, ut interrogarent eum: " Tu es qui ven- „ turus es, an alium expectamus? „ dubitationem diſcipulorum ſuorum ad ſe tranſtulit, cùm ſuo non diſcipulorum nomine Chriſtum interrogari voluit." Factumque eſt ita (ut petierat Gedeon,) „ qui de nocte conſurgens concham rore imple- „ vit „ tota ſcilicet area ſicca atque arida remanente. Cùm autem nondum fortaſſe incredulo iſti populo ſatisfactum eſſet, & ſignum quærere pergeret, ſignum alterum & petitum & datum eſt ei. Illius enim nomine, " Dixit rurſus ad Deum: „ Ne iraſcatur furor tuus contra me ſi adhuc ſe- „ mel tentavero „ *&c. Verùm, inquiet aliquis, in Caietani & Saliani ſententia facilè quidem intelligitur*, S. Gedeoni *licitam fuiſſe miraculorum petitionem; ſed necdum apparet, quomodo Deum non tentarit determinata ſigna flagitando. Diſpoſitioni ſapientiæ divinæ illorum determinatio relinquenda erat. Hanc difficultatem è medio tollent dicenda numero ſequente.*

B *à Deo inſpirata,* 33 *Origenes in lib. Judicum Homiliâ* 8 *verbis, quæ dedi num.* 30, *ſubdit:* Videnda eſt hujus myſterii ratio, de qua memini etiam quemdam ex prædeceſſoribus noſtris in libellis ſuis vellus lanæ populum dixiſſe Iſraël, reliquam autem terram reliquas gentes poſuiſſe: & rorem, qui cecidit ſuper vellus, verbum Dei eſſe, quòd illi ſoli populo cælitus fuiſſet indultum. Supra ſolum namque Iſraël ros divinæ legis advenerat. Siccitatem autem habebant omnes gentes; quia nullus eis humor divini infundebatur eloquii. Secundi verò ratio ſigni in contrarium permutatur; in quo ait, ut ſupra omnem terram ros deſcendat, ſupra vellus autem maneat ſiccitas. *Quod deinceps fuſiùs interpretatur de ariditate Judæorum, & de adventu Chriſti Domini ac rore divinæ gratiæ cæleſtiſque doctrinæ, per ipſum ſupra ceteras nationes diffuſæ. Unde concludit:* Hunc igitur myſterii ordinem Gedeon ſanctus prophetico ſpiritu contuens, non ſolùm primum ſignum poposcit à Deo, ſed & ſecundum converſo ordine repetit. Sciebat enim rorem divinum, qui eſt adventus Filii Dei, non ſolùm Judæis; ſed & poſtmodùm etiam gentibus eſſe venturum, quoniam

C quidem ex incredulitate Iſraël ſalus ſit gentibus. Et hoc eſt, quòd pro ariditate velleris univerſa terra gratiâ divini roris infunditur. *Serarius quæſt.* 24 *& à Lapide hîc multos dant ſanctos Patres, qui idem myſterium, prodigioſo roris in vellus & aream delapſu adumbratum, eodem ferè modo explicant. SS. Ambroſius, Hieronymus, Ephrem, Sophronius, Bernardus & alii apud eoſdem etiam docent, per rorem hic ſignificari Chriſtum, per vellus beatiſſimam virginem Mariam, in cujus uterum ille humanam naturam aſſumens deſcendit. Unde & nunc devoti Catholici Dei ſuamque Matrem vocant & invocant* Vellus Gedeonis. *S. Ambroſius lib. de Viduis cap.* 3 *& in Proœmio ad librum* 1 *de Spiritu ſancto cum Origene diſertè affirmat, quòd* S. Gedeon *primum myſterium cognoverit, atque hunc in finem ſigna petierit, ut ejus inſignis aliqua figura daretur. Idem credidit S. Iſidorus Hiſpalenſis & è recentioribus Villaroël, dictorum Patrum auctoritate inductus. Si tamen hoc videatur facilem adeo fidem non mereri; alia ſecurior via poteſt iniri, dicique, Deum utrumque, quod Patres hîc agnoſcunt, myſterium, vel unum ex illis ſpectaſſe, atque, ut ejus figuram daret,* S. Gedeoni *inſpiraſſe, ut in vellere & area prodigioſum rorem & ſiccitatem poſtularet; determinata autem hæc miracula à Sancto petita eſſe, cognoſcente quidem voluntatem Dei eſſe ut peterentur, non tamen myſterium, ad quod figurandum deſtinabantur.* AUCTORE J. L.

34 *Alias, quas alii adferunt cauſas, ob quas* S. Gedeon *licitè ſigna petierit, non refero. Duas propoſui, quarum poſtrema manifeſtum facit, Sanctum ſine ulla in Deum irreverentia rorem in vellere & area potiùs, quàm aliud miraculum poſtulaſſe. Nunc ita meam ſententiam expono. Sanctus Judex ſigna petiit ad Iſraëlitas, qui ad ſe confluxerant, in fide confirmandos: determinata ſigna petiit ex inſtinctu divino, quem hîc admittendum cenſent Suarez citatus num.* 10 *&* 13, *Leſſius lib.* 2 *de Virtutibus card. cap.* 45 *dub.* 1, *Bonfrerius hîc, & alii. Finem, à Deo determinata ſigna inſpirante intentum, fuiſſe utrumque vel alterutrum myſterium, de quo numero præcedente, Patrum ſuadet auctoritas;* S. Gedeonem *eum ſibi propoſuiſſe, de quo num.* 31, *ſuadet ratio, atque etiam, ut mihi videtur, ipſe hiſtoriæ ſacræ contextus. Ad argumentum quod peti poteſt ex verſu* 37, Si ros in ſolo vellere fuerit, & in omni terra ſiccitas, ſciam, quòd per manum meum liberabis Iſraël, *reſpondit Salianus ſuprà numero* 33. *Neque quidquam contra nos inferri poteſt ex verbis Sancti iteratò ſignum petentis* ℣. 39: Ne iraſcatur furor tuus contra me, ſi adhuc ſemel tentavero, ſignum quærens in vellere. *Hæc enim non ſignificant, Sanctum in hac ſua petitione culpam aliquam agnoſcere, ideoque veniam à Deo petere; ſed indicant potiùs ejus modeſtiam, ſubmiſſionem animi, ſummam in Deum reverentiam & ex hac ortam formidinem, ne fortè liberiùs atque audaciùs cum Deo agat, & minùs, quàm conveniat, propria vilitate & divina majeſtate conſiderata. Cùm Dei inſpiratio hujuſmodi formidinem non tollat, hanc in Sancto agnoſcimus & laudamus.* *petiiſſe credimus.*

35 *Porrò utrumque prodigium in vellere à Deo editum, cibos prodigioſo igne ab angelo in holocauſtum Deo conſumptos, aram Baal dirutam, nemus ſucciſum, altare Domino erectum, ſacrificium in eo oblatum; hæc, inquam, & alia de quibus hoc & præcedente paragrapho egimus, mirâ Joſephus taciturnitate ſuppreſſit; ob quam, ut meretur, reprehenditur à Saliano in Annal. num.* 30. *Pauca verò, quæ ex capite* 7 *in ſuam tranſtulit hiſtoriam, non uno in loco depravavit:* Per idem tempus, *inquit initio capitis* 8, Gedeon Jaſi filius, unus ex primatibus tribûs Manaſſetidis, manipulos frugum clàm in torcular comportatos flagellabat: non enim auſus eſt propter hoſtem propalàm hoc in area facere. Cúmque ſpectrum (*in Scriptura quinquies eſt* angelus Domini) ei adoleſcentis ſpecie ſe obtuliſſet, & felicem ac Deo charum appellaviſſet, reſpondens, Hoc, inquit, meæ felicitatis argumentum eſt maximum, quòd torculari nunc utor pro area. Illo contrà jubente, ut bono eſſet animo & de libertate vindicanda cogitaret, negabat fieri poſſe; nam & tribum ſuam cuivis alteri cedere numero, (℣. 15 *non dicit Sanctus* tribum, *ſed* familiam, *vel ut eſt in Hebræo & Græco textu*, chiliadem *ſuam infimam eſſe in Manaſſe*) & ſe juvenem eſſe, & tam arduis negotiis imparem. Deus autem, quidquid deeſſet, ſe ſuppleturum pollicebatur, & victoriam Iſraëlitis daturum, modò ipſe imperium aſſumere non gravaretur. Hanc rem Gedeon cum quibuſdam juvenibus communicavit, *Silet Joſephus, quæ ſancto honorifica: pauca, quæ narrat, expenduntur.*

AUCTORE J. L.

nicavit, qui libenter credentes oraculo, ſine mora effecerunt, ut præſto eſſent decem millia militum, ad quidvis pro libertate audendum paratiſſima. *Poſtrema hæc non conveniunt cum verſu* 34 *& ſeq., ubi dicitur ipſe* S. Gedeon, *Spiritu Domini actus, clangore buccinæ & per nuntios ad bellum evocaſſe non decem, ſed triginta duo millia, uti patet ex* ℣. 3 *capitis ſequentis.*

§ IV. Juſſu Dei exercitum minuit ad ccc; caſtra hoſtium luſtrat: ab infidelitate vindicatur: audita ſomnii interpretatione confirmatus, miro ſtrategemate Madianitas in mutuam cædem & fugam adigit, quos & perſequitur.

B

Præcipit S. Gedeoni Deus, ut timidos dimittat: recedunt 22000:

Poſtridie cùm animadverſum eſt alterum circa vellus miraculum, populus, ut credibile eſt, non dubitavit ampliùs de S. Gedeonis *miſſione ad Iſraëlem ſalvandum, deque victoria eo duce referenda.* Igitur Jerobaal, qui & Gedeon, de nocte conſurgens & omnis populus cum eo, vénit ad fontem, qui vocatur Harad. Erant autem caſtra Madian in valle ad Septentrionalem plagam collis excelſi *cap.* 7 ℣. 1. *Locorum ſitum, de quibus hîc fit mentio & deinceps fiet, diſce ex interpretibus.* Dixitque Dominus ad Gedeon: Multus tecum eſt populus, nec tradetur Madian in manus ejus: ne glorietur contra me Iſraël & dicat: Meis viribus liberatus ſum. Loquere ad populum, & cunctis audientibus prædica: Qui formidoloſus & timidus eſt, revertatur. Receſſeruntque de monte Galaad, & reverſi ſunt de populo viginti duo millia virorum, & tantùm decem millia remanſerunt ℣. 2 & 3. *Mirum eſt in S. Ducis exercitu tantum timidorum numerum fuiſſe, præſertim cùm gemino prodigio de felici belli eventu certi facti eſſent:* Verùm, *inquit Salianus num.* 33, potuerunt certò credere ſe fore victores, timere tamen ne victoriam & libertatem populi ſua morte redimerent, Deo videlicet, qui eos dimiſſos volebat, eis animi vigorem & præſentiam ſubtrahente.

C

ex reliquis 10000 *trecenti electi, qui genu non flexo aquam è manu biberant:*

37 *Neque una diminutione contentus Dominus præſcribit alteram, quò clariùs agnoſcerent Iſraëlitæ, ſe non humanis viribus, ſed ſolius Dei auxilio priſtinam libertatem recepiſſe. Res ita deſcribitur à* ℣. 4: Dixitque Dominus ad Gedeon: Adhuc populus multus eſt, duc eos ad aquas, & ibi probabo illos: & de quo dixero tibi ut tecum vadat, ipſe pergat: quem ire prohibuero, revertatur. Cúmque deſcendiſſet populus ad aquas, dixit Dominus ad Gedeon: Qui linguâ lambuerint aquas, ſicut ſolent canes lambere, ſeparabis eos ſeorſum: qui autem curvatis genibus biberint, in altera parte erunt. Fuit itaque numerus eorum, qui manu ad os projiciente lambuerant aquas, trecenti viri: omnis autem reliqua multitudo flexo poplite biberat. Et ait Dominus ad Gedeon: In trecentis viris, qui lambuerunt aquas, liberabo vos, & tradam in manu tua Madian: omnis autem reliqua multitudo revertatur in locum ſuum. *Trecenti illi, qui ex decem millibus ad hoc bellum conficiendum aſſumpti fuerunt, erectis pedibus, aquam volâ manus hauſtam lambuerant inſtar canum, os ipſis aquis non immergentium: ceteri, qui flexo poplite atque ore fonti immerſo biberant, dimiſſi ſunt. Ita Tirinus rectiùs quàm Salianus, & Bonfrerius, qui in genuum flexione nullam diſcriminis rationem poſitam fuiſſe volunt. Verùm de diverſo bibentium modo aliiſque huc ſpectantibus plura, ſi lubet, lege apud interpretes.*

D

38 Sumptis itaque pro numero cibariis & tubis, omnem reliquam multitudinem abire præcepit ad tabernacula ſua: & ipſe cum ceteris trecentis viris ſe certamini dedit. Caſtra autem Madian erant ſubter valle ℣. 8. *Placet hîc Abulenſis conjectura quæſt.* 12, *ubi ait hanc tubarum copiam, quæ ſingulis trecentis militibus infrà* ℣. 16 *diſtributa leguntur, à recedente multitudine ſancti* Gedeonis *juſſu relictas fuiſſe; additque laudatus præſul, ipſi eo jam tempore à Deo revelatum fuiſſe mirabilem illum pugnandi modum, quo paulò pòſt victoria relata eſt: quamquam non minùs veriſimile ſit, ſanctum Ducem eas ex præcepto Domini ſibi tradi juſſiſſe, adhuc inſcium ad quid neceſſariæ eſſent; nec dubitaſſe tamen de earum neceſſitate, quarum traditionem Dominus imperaſſet.* Eadem nocte, *quâ ſcilicet* S. Gedeon, *ceterorum dimiſſione facta, cum trecentis viris ſe certamini accinxerat,* dixit Dominus ad eum: Surge, & deſcende in caſtra *inimicorum:* quia tradidi eos in manu tua. Sin autem ſolus ire formidas, deſcendat tecum Phara puer tuus. Et cùm audieris quid loquantur, tunc confortabuntur manus tuæ, & ſecurior ad hoſtium caſtra deſcendes ℣. 9 *& ſeqq.*

cum his Dux ſanctus ſe ad certamen parans, jubetur caſtra hoſtium explorare.

E

39 *Abulenſis quæſt.* 47 *in caput præcedens operosè probare conatus eſt, Sanctum ex infidelitate Deum tentaſſe, quando dubitans de victoria, ab angelo Domini prænuntiata, duplex ſignum petiit, ut de illa certitudinem acquireret. Quæſtione* 13, *quam ſuper hoc caput ad verba mox data inſtituit, in Sanctum ſeverior eſt; nam eum poſt utrumque humidi ſiccique velleris prodigium, auditumque inſuper hoc capite* ℣. 7 *oraculum divinum,* Tradam in manu tua Madian, *necdum tamen credidiſſe aſſerit, ſed* valde dubium *permanſiſſe. Audi loquentem:* Reſpondendum, quòd Gedeon erat vir imperfectus, & dubitans de victoria ſibi danda: & quamquam Deus certificaſſet eum, tamen poſtea bis ſignum petiit. Nunc igitur quamquam ipſe non peteret ſignum, Deus certificavit ipſum in enarratione ſomnii, cui valde aſſenſit Gedeon; & hoc fecit, ut condeſcenderet conditioni ejus, quia valde dubius erat ſuper hoc. *Mirum eſt, quòd immiti huic Abulenſis cenſuræ interpretes ſe non opponant. Quæ de cauſa præter morem ſileant vel diſſimulent, me latet. Certè verba ſacra adeo plana & aperta non ſunt, ut benigna commentatione non indigeant contra doctiſſimum, ſed nimis ſeverum præſulem. Huic minimè aſſentiendum eſt. Nam quem Apoſtolus primum è judicibus à fide laudat, quem Eccleſia Latina unicum è judicibus, de quibus agit liber eorum nomine inſcriptus, ob vitæ ſanctitatem æternâ in ſacris Faſtis memoriâ & cultu dignum judicat; iſne, inquam, ubi excuſari poteſt, dicendus eſt pertinaci infidelitate ſanctitatem amiſiſſe? Pertinaci, inquam, infidelitate; nam quomodo poſt tot viſa prodigia & accepta oracula ſine pertinacia & gravi contra fidem culpa* valde dubius *eſſe potuit? At, num id ex Scripturis evinci poſſit, expendamus.*

Ex ℣. 10 *& ſeq. malè Abulenſis infert Sancti infidelitatem;*

F

40 *Imprimis* Gedeonis *infidelitas probari non poteſt*

A *nam versus* 10 *explicari potest de formidine*, *potest ex verbis Domini*, Sin autem solus ire formidas, descendat tecum *&c. Argumentum, quod inde contra Sanctum deduci potest, est hoc: missus ad castra hostium exploranda timuit incomitatus ire, ne fortè ab hostibus caperetur vel occideretur: quoniam verò tot prodigiis & oraculis Deus testatus fuerat, quòd* Gedeon *liberaturus esset Israëlem, & in ipsius manus hostis tradendus esset, quomodo periculum vitæ vel captivitatis timere potuit, & simul credere victoriam, se duce referendam? Fides divina non compatitur ullam formidinem de oppositio. Respondeo verum id esse de formidine, quæ ex suspicione deliberata & dubitatione voluntaria nascitur vel nasci potest. At nego, Sanctum hujusmodi formidinem habuisse. Quemadmodum in credentibus possunt esse & sæpe sunt suspiciones & dubitationis motus, quos nec voluntatis imperium nec ulla deliberatio præcessit, proindéque nihil aliud sunt quàm meræ apprehensiones, quòd fortè res aliter sit ac Deus revelavit; sic etiam in eisdem potest esse formido seu horror aliquis, ex illis animi motibus non liberis naturaliter pro-*

B *fluens; præsertim si materia fidei objecta, quæ necessariò obscura est, sit res, secundum se spectata, valde periculosa & terribilis. Sicut fides, quæ est assensus de re obscurè cognita, dictas apprehensiones non excludit, ita neque formidinem, quam hæ excitant.*

quæ stat cum fide; 41 *Nunc de Sancto ita statuo. Firma fide credebat, se de* 135 *hostium millibus victoriam obtenturum, licèt videret exercitum suum ad trecentos redactum, adeo ut singulis* 450 *Madianitæ vincendi essent; credidit, inquam, se duce, illos victores fore, & consequenter se à castris hostium exploratis incolumem ad suos rediturum, quamvis ea tam propè accedere jussus esset, ut colloquentes excubias audire & intelligere posset. Verumtamen quoniam Sancti fides erat de re, quæ ex novis adjunctis magis obscura, ardua, & periculosa apparebat, in ejus intellectu subortæ sunt apprehensiones non liberæ discriminis, quod adiret; unde & formido seu horror aliquis ejus animo obrepsit, quam ipsa solitudo & noctis tenebræ augere poterant. De hac formidine intelligenda sunt verba Domini* ℣. 10, Sin autem solus

C ire formidas. *Vel ex eo hoc colligitur, quòd subdat:* Descendat tecum Phara puer tuus. *Si* S. Gedeonis *ad inimica castra descendentis timor, ortus fuisset ex fidei defectu, illum depellere non potuisset unius pueri, id est, famuli vel armigeri, neque etiam trecentorum societas. At multò facilius intelligitur, quomodo horrorem illum, quo animus percelli solet ad meram rei alicujus terribilis apprehensionem, vel unius etiam socii præsentia minuere possit, imò aliquando adimere. Cùm nullus interpretum neget, Sanctum formidasse, nec nisi ineptè dici possit virorum fortissimum ad solas noctis umbras exhorruisse; ac proin dicendum videatur, eum timuisse, ne in nocturna hostilium castrorum exploratione sibi aliquid mali eveniret; non video, quid ad Sanctum de infidelitate excusandum melius adferri possit.*

versus XI *de fidei ac fortitudinis augmento,* 42 *Secundò contra Sanctum nihil evincitur ex versu* XI, Et cùm audieris quid loquantur, tunc confortabuntur manus tuæ. *Hinc deducit laudatus præsul, quòd tunc tantùm crediderit, & cum fide robur animi acceperit, quando hostium pavorem intellexit ex somnii interpretatione; sed malè: non enim legitimè sequitur: tunc confortabitur* Gedeon; *ergo jam caret fortitudine: nam qui fortitudinis augmentum accipit, verè confortatur. Itaque verba Domini ad Sanctum benignam hanc admittunt interpretationem:* Cùm audieris quid loquantur, tunc confortabuntur manus tuæ, *id est, auctior intensiorque erit fides ac fortitudo tua. Huic expositioni consentanea sunt, quæ proximè sequuntur,* Et SECURIOR ad hostium castra *oppugnanda cum trecentis viris* descendes. AUCTORE J. L.

quod accepit, Madianitæ somnio ejusque interpretatione audita: 43 Descendit ergo (℣. XI *& seqq.*) ipse & Phara puer ejus in partem castrorum, ubi erant armatorum vigiliæ. Madian autem & Amalec, & omnes Orientales populi fusi jacebant in valle (*Jezraël*,) ut locustarum multitudo: cameli quoque innumerabiles erant, sicut arena, quæ jacet in littore maris. Cumque venisset Gedeon, narrabat aliquis somnium proximo suo: & in hunc modum referebat, quod viderat: Vidi somnium, & videbatur mihi quasi subcinericius panis ex hordeo volvi, & in castra Madian descendere: cúmque perveniset ad tabernaculum, percussit illud atque subvertit, & terræ funditus coæquavit. Respondit is, cui loquebatur. Non est hoc aliud, nisi gladius Gedeonis, filii Joas viri E Israëlitæ: tradidit enim Dominus in manus ejus Madian, & omnia castra ejus. Cúmque audisset Gedeon somnium & interpretationem ejus, adoravit, *Deum scilicet, gratiasque ei egit de tam fausto omine. Agnovit enim tam somnium quàm interpretationem ejus, in quibus alioqui posset esse fallacia, à Deo esse. Hac nova confirmatione Sanctus accepit fidei animique fortitudinis augmentum, quo promptior alacriorque ad rem conficiendam factus est.* Et reversus est ad castra Israël, & ait: Surgite, tradidit enim Dominus in manus nostras castra Madian ℣. 15.

trecentos miris armis instruit: 44 *Dein, somno ejusque interpretatione enarrata, bene animatum ad rem gerendam trecentorum virorum manipulum tripartitò dividit, ut tribus simul ex partibus Madianitarum castra pervadens, totum eorum turbaret exercitum. Sed inusitatis in bello armis, auctore Deo, suos instruxit; de quo ita versus sequens:* Divisitque trecentos viros in tres partes, & dedit tubas in manibus eorum, lagenasque vacuas ac lampades in medio lagenarum. *Quales fuerint istæ lagenæ, lampades ac tubæ, ad quem usum & finem distributæ, docet Saliani Epitome num.* 10: Singulis singulas dedit tubas ad perterrendos Madianitas, ratos tot sibi hostium turmas, manipulosque imminere, quot exaudiebant tubas, nocte præsertim, cùm etiam propinqua ægrè cerni possunt. Nam admotæ oculis faces plus ad perstringendam oculorum aciem, quàm ad illustrandam valebant. Dedit secundò militibus lagenas, sive hydrias fictiles geminum in usum, prior, ad abscondendam intus ardentem facem, quæ ex improviso rutilans, oculos perstringeret nocturnis tenebris, & somnolentis vaporibus occupatos, animosque turbaret; posterior, ut dum ex composito confringerentur omnes, majorem ex vacuitate sonitum ederent, & dum aures crepitanti fragore undique quaterent, tabernaculorum suorum, & omnis unà supellectilis ruinam & confractionem phantasiæ ipsorum ingererent. Denique faces militibus dedit ex concreta solidaque materia, licèt lampades à splendore appellentur, sicque & ab incendio incutiebatur timor, & ab æstimata ingenti multitudine hostium, quibus trecenti viri prælucerent. F

45 *Ubi suos armarat Dux sanctus*, Dixit ad eos: Quod me facere videritis, hoc facite. Ingrediar

AUCTORE J. L. *modumque docet, quo iis utendum & hoſtes invadendi eſſent ;*

grediar partem caſtrorum, & quod fecero, ſectamini. Quando perſonuerit tuba in manu mea, vos quoque per caſtrorum circuitum clangite & conclamate Domino & Gedeoni ℣. 17 & 18. *Dubium non eſt, quin Imperator ante prælium ſigillatim explicuerit ceterum pugnandi modum & ordinem, quem paulò infrà in illo obſervatum fuiſſe legimus. Quemadmodum hunc omnem Deus Sancto inſpiravit, vel per angelum præcepit, ita & proculdubiò militarem hanc teſſeram,* Gladius Domini & Gedeonis ; *quibus verbis utrique acclamatum fuiſſe dicitur* ℣. 20. Voluit autem Deus, *inquit Salianus in Annalibus num.* 45, ita conclamari, accommodando ſe præſenti hoſtium diſpoſitioni, quibus Gedeonis nomen formidoloſum erat, ut ex prædicto ſomnio æſtimari poteſt. Voluit & Gedeonis fortitudinem, fidem, obedientiam honorare, ſimulque docere Deum miniſterio hominum, qui talibus ſunt virtutibus præditi, libenter uti ad mirabilia opera ſua perpetranda, & iis quodammodo gloriari.

B *qui, caſtris turbatis, in mutuas cædes*

46 *Madianitarum cædes & fuga ita deſcribitur à* ℣. 19 : Ingreſſuſque eſt Gedeon, & trecenti viri, qui erant cum eo in partem caſtrorum, incipientibus vigiliis noctis mediæ *ſeu tertiis*, & cuſtodibus ſuſcitatis, *quibus à media nocte uſque ad quartas vigilias excubandum erat*, cœperunt buccinis clangere, & complodere inter ſe lagenas. Cúmque per gyrum caſtrorum in tribus perſonarent locis, & hydrias confregiſſent, tenuerunt ſiniſtris manibus lampades, & dextris ſonantes tubas, clamaveruntque, Gladius Domini & Gedeonis, ſtantes ſinguli in loco ſuo per circuitum caſtrorum hoſtilium. Omnia itaque caſtra turbata ſunt, & vociferantes, ululanteſque fugerunt : & nihilominus inſiſtebant trecenti viri buccinis perſonantes. Immiſitque Dominus gladium in omnibus caſtris, & mutua ſe cæde truncabant ; fugientes uſque ad Bethſetta, & crepidinem Abelmehula in Tebbath. *Hæc loca ſita erant cis Jordanem, verſus quem hoſtes fugiebant.*

ruunt & in fugam conjiciuntur ;

47 *Mirabilem iſtum pugnandi modum, ad quem tam inſignem de hoſte victoriam Iſraëlitis largitus eſt Deus, ita exponit jam ſæpe nominatus Annalium ſcriptor in ſua Epitome à num.* 11 : Ergo, *inquit*, terni duces cum ſua quiſque centuria, incipientibus vigiliis noctis mediæ, cùm ſcilicet profundior mortales ſomnus occupat, &

C diurna lux longiùs adhuc abeſt, tribus ex locis caſtra adierunt. Commodum etiam id fuit, ut propter tenebras hoſtes inter ſe non noſcerent, & diutius mutuis ſeſe vulneribus truncarent : dum lux paulatim ſuperveniens commoditatem præberet Hebræis, hoſtium reliquias ſuis ipſorum armis conficiendi. Cœpit Gedeon perſonare buccinâ, ſocii exemplum Ducis alacriter ſequuntur, eo fragore excubitorio præſidio primùm ſuſcitato, reliquus exercitus cum tumultu ad arma concurrit ; cúmque per gyrum caſtrorum tribus in locis tubæ perſonarent, neſciebant, quam primùm ad partem accurrerent. Cùm autem illi teſtacea vaſa confregiſſent, tenuerunt ſiniſtris manibus faces, & dextris tubas, & alternatim tubis ululabant, & clamabant, " Gla-
„ dius Domini & Gedeonis „. Nec pugnabant tamen, ſed Dominus pugnavit pro eis. " Immi-
„ ſit enim gladium in omnibus caſtris, & mutua
„ ſe cæde truncabant „, dum ſcilicet mente confuſa ſuos pro hoſtibus habent, & efferati obvios quoſque invadunt. Alii autem nihil ſpei in armis ponentes, neque exercitum conſtitui aut reparari poſſe exiſtimantes propter repentinam rerum omnium confuſionem : cúmque propter trecentarum tubarum ſonos, ipſi ſe mutuò exaudire non poſſent, nullo ordine effuſam ſeſe in fugam conjiciunt, ſi quà locus daretur à flammiferis & buccinatoribus vacuus : à quibus elapſi beneficio tenebrarum, alii aliò, quò quemque ſors tulit, proripuere ſeſe, futuri nuncii & cladis ſuæ, & victoriæ Gedeonis. D

eos perſequuntur Iſraëlitæ ; interficiuntur Oreb & Zeb : clades Madianitarum.

48 *Sequitur* ℣. 23 ; Conclamantes autem viri Iſraël de Nephthali, & Aſer, & omni Manaſſe perſequebantur Madian. *Videntur hi iidem fuiſſe cum illis, qui pridie ſponte ex metu abierant* ℣. 3, *& ad aquas dimiſſi fuerant* ℣. 8. *De Aſeritis & Nephthalitis non dubito ; nam cùm in extremis Chananææ Aquilonaris partibus habitarent, tam citò adeſſe non poterant. Hi itaque cum ceteris, de quibus hîc & cap.* 6 ℣. 35, *quibus & fortè alii ſe conjunxerunt, accurrentes, hoſtis jam in fugam verſi tergis inſtiterunt. Veriſimile eſt, eos ab Iſraëlitarum Duce per nuntios accerſitos fuiſſe, ut qui ex hoſtibus tenebrarum beneficio elapſi, mutuis non ceciderant armis, ab Iſraëlitis interficerentur.* Miſitque Gedeon, *ut omnis fuga via eis intercluderetur*, E nuntios in omnem montem Ephraïm, dicens : Deſcendite in occurſum, & occupate aquas uſque Bethbera atque Jordanem. Clamavitque omnis Ephraïm, & præoccupavit aquas atque Jordanem uſque Bethbera. Apprehenſoſque duos viros Madian, Oreb & Zeb, interfecit Oreb in petra Oreb, Zeb verò in torculari Zeb ℣. 24 & 25. *De his Madianitarum regibus vel ducibus, à quorum nominibus locus uterque, ubi occiſi ſunt, nomina acceperunt, mentio fit Pſalmo* 82 ℣. 12, *necnon Iſaïæ cap.* 10 ℣. 26. *Verùm Ephraïmitæ non omnia fluminis vada ita occupare potuerunt, quin Zebee & Salmana, acceleratâ fugâ, in alteram ejus ripam pervenerint. Quo illi cognito flumen quoque tranſiverunt,* Et perſecuti ſunt Madian, capita Oreb & Zeb portantes ad Gedeon, trans fluenta Jordanis ℣. 25. *Quot hoſtium millia tam propriis in valle Jezraël, quàm Hebræorum armis in fuga ad hoc uſque tempus occiſa fuerint, docet caput ſequens* ℣. 10 : Quindecim enim millia viri remanſerant ex omnibus turmis Orientalium populorum, cæſis centum viginti millibus bellatorum educentium gladium. *At neque hæ Madianitarum reliquiæ, neque earum duces Zebee & Salmana fugâ* F *ſalutem invenerunt ; nam eas aſſecutus eſt* S. Gedeon, *penituſque delevit, ut infrà narrabitur.*

Eadem hiſtoria

49 *Antequam ad paragraphum ſequentem tranſeamus, Joſephum de more inviſamus. Ejus verba iis, quæ capite ſeptimo narrat Scriptura, lucem aliquam dabunt : ſed ab hac quoque illa arguentur. Sic ergo habet :* Gedeoni autem Deus in ſomnis apparens, dixit, homines tali eſſe ingenio, ut ſibi placentes nemini velint virtute cedere, & victoriam ſibi potiùs quàm Deo tribuant, nimirum magnis copiis freti. Ut igitur ſciant, rem totam pendêre ab ipſius auxilio, juſſit ut circa meridiem, cùm æſtus fervet maximè, exercitum ducat ad fluvium, & quotquot procumbentes biberent, eos viros fortes crederet ; quotquot autem trepidè ac tumultuariè potum ſumerent, ſic exiſtimaret, eos metu hoſtium hoc facere. Quod poſteaquam ita, ut juſſus eſt, fecit, trecenti inventi ſunt cum perturbatione aquam ſumere, cavis manibus ori admovendo. Imperavitque Deus ut, his aſſumptis, hoſtem invaderet. *Dominum Sancto apparuiſſe* in ſomnis, *juſſiſſe exercitum duci ad fluvium* circa meridiem

A ridiem, *in Scriptura non legitur. Quòd verò ſcribat, eidem Deum præcepiſſe* ut quotquot procumbentes biberent, eos viros fortes crederet, *alios verò meticuloſos exiſtimaret, & retineret, illis dimiſſis; hoc, inquam, parùm veriſimilitudinis habet. Nam quoniam Deus paulò antè toti exercitui edici juſſerat:* Qui formidoloſus & timidus eſt revertatur ℣. 3; *an veriſimile eſt, enm timidos retineri voluiſſe? Itaque credendum potiùs, trecentos illos ob fortitudinem bello conficiendo maximè idoneos fuiſſe. Præterea cur Joſephus tantùm decem Iſraëlitarum millia ad Sanctum confluxiſſe ſcribit (verba dedi num. 35,) ubi in Scriptura 32000 numerantur? Cur tacet de prima hujus numeri diminutione, quâ ad 10000 redactus fuit? An fortè 22000 ſuo maluit exauctorare ſilentio, quàm ſuæ gentis ignaviam & formidinem, ex qua tam multi domum reverterunt, Græcis prodere? Redeamus ad ejus narrationem.*

ex Joſepho datur,

50 Gedeone verò ſolicito, quia mandatum acceperat à Deo, noctú illos adoriri, volens ei metum omnem eximere, juſſit ut, aſſumpto uno milite, clàm accederet ad Madianitarum tentoria: ab illis enim accepturum occaſionem fiduciæ. *Quem timorem Deus Sancto tollere voluerit, dixi num.* 41. Vadit ille, quò juſſus eſt, uno tantùm comitante famulo. Cúmque ad quoddam tabernaculum adrepſiſſet, offendit inſomnes in eo milites, & quemdam commilitoni narrantem ſomnium, ita ut à Gedeone quoque exaudiri poſſet. Erat autem tale: Viſus erat ſibi videre maſſam hordeaceam, *ſub cinere coctam*, prævilitate homini faſtidiendam, per caſtra provolvi, & primò regis tentorium, mox ceterorum omnium proſternere. Qui reſpondit interitum exercitûs ſignificari, addens, unde hoc ita colligeret. Inter omnes, inquit, fruges hordeum eſt ſine controverſia viliſſimum: & inter omnes Aſiaticas gentes non facilè reperias viliorem quàm hodie ſunt Iſraëlitæ, ut meritò conferri poſſint hordeo. Hi nunc, auctore Gedeone, contraxerunt copias, & res novas moliuntur. Ergo quia dicis te vidiſſe illam maſſam, tentoria noſtra ſubvertentem, vereor ne Deus Gedeoni triumphum de nobis concedat. Gedeon autem, audito hoc ſomnio, plenus bona ſpe & fiducia, edicit ſuis, ut omnes in armis eſſent, edoctis de viſione, quam in caſtris hoſtium audiverat. Fecerunt illi quod imperatum eſt, accenſi hoc ſigno ad quidvis laboris aut periculi ſubeundum.

B

C

notatis iis,

51 Tum Gedeon circa quartam fermè vigiliam ſuos in hoſtem ducit, trifariàm in tres cohortes diviſos. Erant autem centenariæ; gerebantque ſinguli amphoras vacuas, & in eis faces ardentes, ut clàm poſſent hoſtem invadere nihil tale expectantem: & in dextris cornu arietinum vice tubæ. (*Vulgata habet* tubas, *quas quidem apud Septuaginta ex cornu fuiſſe lego, ſed non ex cornu* arietino.) Hoſtium caſtra latè patebant, eò quòd camelorum magnum numerum haberent: & cùm juxta gentilitates diſtributi tenderent, omnes tamen intra eumdem ambitum continebantur. Hebræi verò à Duce antè præmoniti, cùm jam non longè ab hoſte abeſſent, dato inter ſe ſigno cornibus ſonantes, & confractis amphoris, ſublatoque militari clamore, certi Deum adeſſe Gedeoni, cum facibus in caſtra impetum faciunt. Qua arte, accedentibus divinitus nocturnis terroribus, tanta inter ſemiſomnes conſternatio exoritur, ut incomparabiliter plures mutuis vulneribus, quàm hoſtili ferro caderent, quòd diverſæ linguæ homines eadem caſtra haberent: ſemel enim pavore confuſi, omnes obvios pro hoſtibus trucidabant. Tantæ cædis & Gedeonis victoriæ rumor ubi ad ceteros Iſraëlitas pervenit, correptis armis, fugientem hoſtem inſequuntur: quem adepti circa loca torrentibus impedita hærentem circumveniunt, & quotquot ad manus venêre, occidunt, interque ceteros reges etiam duos Oribum & Zibum.

AUCTORE J. L.

in quibus potiſſimùm emendanda.

52 *Duo numero præcedente narrat Joſephus, quæ cum Scriptura conciliari non poſſunt. Primò* ſanctum Ducem ſuos *in hoſtem duxiſſe ait* circa quartam fermè vigiliam. *At verſus* 19 *eum id feciſſe dicit*, incipientibus vigiliis noctis mediæ, *à qua tertiæ initium ducunt, non quartæ. Secundò in prodigioſa illa pugna* plures mutuis vulneribus, quàm hoſtili ferro, *Hebræorum ſcilicet, cecidiſſe affirmat. Sed quomodo hi Madianitas cædere poterant, qui ſiniſtras manus lampadibus ſeu facibus, dextras tubis, quas inflabant, habebant impeditas? Non dico, nullis eos armis accinctos fuiſſe; nam veriſimile non eſt, quòd inermes hoſtem jam undequaque in fugam conjectum inſecuti fuerint. Certè tunc arma eis non defuiſſe, cùm Madianitarum reliquias trans Jordanem* E aſſequerentur, *manifeſtum eſt ex cap.* 8 ℣. 11: *verùm in valle Jezraël Hebræi nullis armis uſi ſunt: ad ſolum tubarum cantum, teſtaceorum vaſorum ſtrepitum, lampadumque fulgorem victi ſunt Madianitæ, victores facti ſunt Iſraëlitæ, Deo pro his contra illos pugnante. Unde S. Sidonius Apollinaris in Panegyrico ſuo Spiritum ſanctum ita alloquitur:*

Firmaſti Gedeona tubis inſerte canoris
Spiritus, & ſolo venit victoria cantu.

Alias in Joſephi narrationem animadverſiones lege apud Salianum in Annalibus num. 54 *&* 56.

§ V. Ephraïmitas placat; hoſtium reliquias delet; Soccothæos & Phanuëlitas ob negatum commeatum punit; interficit Zebee & Salmana; regnum à ſuis ſibi delatum recuſat.

F

Sanctus Ephraïmitas contra ſe jurgantes placat:

VErſu *ultimo capitis ſeptimi dicuntur Ephraïmitæ hoſtem perſecuti fuiſſe*, capita Oreb & Zeb portantes ad Gedeon trans fluenta Jordanis; *nimirum exiſtimabant, S. Ducem flumen cum ſuis tranſiiſſe: at, ubi intellexerunt ipſum adhuc cis Jordanem verſari, regreſſi ſunt,* Dixeruntque ad eum viri Ephraïm: Quid eſt hoc quod facere voluiſti, ut nos non vocares, cùm ad pugnam pergeres contra Madian? jurgantes fortiter, & propè vim inferentes. Quibus ille reſpondit: Quid enim tale facere potui, quale vos feciſtis? Nonne melior eſt racemus Ephraïm vindemiis Abiezer? *De metaphoricæ locutionis ſignificatione conſule interpretes. Pergit Sanctus:* In manus veſtras Dominus tradidit principes Madian Oreb & Zeb: quid tale facere potui, quale vos feciſtis? Quod cùm locutus eſſet, requievit ſpiritus eorum, quo tumebant contra eum *cap.* 8 ℣. 1 *& ſeqq. Conabatur dæmon tantam à* S. Gedeone *acceptam plagam ulciſci, bellumque civile excitare, atque ideo ſuperbis Ephraïmitis ſug-*

AUCTORE J. L.

geſſit, quòd à Sancto, aliis tribubus in belli ſocietatem advocatis, præteriti fuiſſent, nequa pars gloriæ rerum bene geſtarum ad ipſos derivaretur. Sed funeſtum illius conſilium fregit atque irritum reddidit prudentiſſimi Ducis blanda & modeſta reſponſio, quâ, Ephraïmitas extollendo & ſe ſuamque familiam deprimendo, jurgia compeſcuit, omnemque compoſuit tumultum. Poſt hæc verſu 4 ſubdit Scriptura, Sanctum cum ſuis Jordanem tranſiviſſe: unde credo ego, eis fluvium has turbas motas fuiſſe, meque in hujus numeri initio rectè dixiſſe, quòd Epraïmitæ, quos ex fine capitis præcedentis Jordanem trajeciſſe certum eſt, in citeriorem fluminis partem regreſſi fuerint, ut S. Gedeonem *convenirent. Multi quidem diſſentiunt interpretes, affirmantes, ordinem hiſtoricum in Scriptura hîc perturbatum eſſe; ſed quæ id aſſerendi neceſſitas?*

ob negatum commeatum Soccothæis

B

54 *Oppreſſo hoc civili bello, ſanctus Dux hoſtilis exercitûs reliquias perſequitur:* Cùmque veniſſet Gedeon ad Jordanem, tranſivit eum cum trecentis viris, qui ſecum erant. *Ita protectus à Deo fuit ille trecentorum Iſraëlitarum manipulus, ut ne unus quidem ex iis deſideratus fuerit. Verùm qui tota propemodum nocte vigiles in armis ſteterant, & diuturna vociferatione ac tubarum inflatione ſpiritus exhauſerant, hoſteſque inſuper infeſtis armis magno labore inſecuti fuerant, ulteriùs præ fame* & præ laſſitudine fugientes perſequi non poterant ℣. 4. *Itaque acceſſit Sanctus ad oppidum Soccoth, quod non longè ultra Jordanem ſitum erat in tribu Gad, per quam ſuperſtites Madianitarum copiæ in patriam fugiebant:* Dixitque ad viros Soccoth: Date, obſecro, panes populo, qui mecum eſt, quia valde defecerunt: ut poſſimus perſequi Zebee & Salmana reges Madian. Reſponderunt principes Soccoth: Forſitan palmæ manuum Zebee & Salmana in manu tua ſunt, & idcirco poſtulas ut demus exercitui tuo panes ℣. 5 *&* 6. *Dux Sanctus ob panes per amarum hunc ſarcaſmum negatos, juſta indignatione commotus, gravem ultionem Soccothæis comminatur:* Quibus ille ait: Cùm ergo tradiderit Dominus Zebee & Salmana in manus meas, conteram carnes veſtras cum ſpinis tribuliſque deſerti ℣. 7.

C

& Phanuëlitis graves pœnas minatur:

55 Et inde conſcendens, venit in Phanuël: locutuſque eſt ad viros loci illius ſimilia. Cui & illi reſponderunt, ſicut reſponderant viri Soccoth. Dixit itaque & eis: Cùm reverſus fuero victor in pace, deſtruam turrim hanc ℣ 8 *&* ſeq. *Dubium non eſt, quin Soccothæi & Phanuëlitæ, incolæ tribûs Gad, graviter & in Deum, & in rempublicam, & in trecentos fratres Iſraëlitas peccarint, quòd tam inſignis victoriæ ſuæque ipſorum libertatis ſecundum Deum auctoribus, præ fame & laſſitudine deficientibus, acerbam reddiderint pro panum commeatu irriſionem, idque eo tempore, quo adhuc communi Hebræorum bono procurando occupabantur, jamque in itinere erant ad omnium ſalutem ſuperſtitum hoſtium internecione certam faciendam. Unde &* S. Gedeoni, *quem Deus populi ſui ducem & judicem conſtituerat, licuit graves inhumanis & immiſericordibus illis Gaditis pœnas decernere & infligere, uti poſtea factum eſſe legimus.*

delet hoſtium reliquias, capitque Zebee & Salmana:

56 *Poſt geminam hanc repulſam Dux ſanctus cum ſuis, inediâ & labore debilitatis, generoſo tamen animo vel fortè divino auxilio corporum infirmitatem ſuſtentante, ad opus bene inchoatum feliciter perficiendum perrexit.* Zebee autem & Salmana requieſcebant cum omni exercitu ſuo. *In Hebræo & Chaldæo textu, & apud Septuaginta hîc additur,* in Carcar, *qua voce deſignatur locus, in quem exiguæ hoſtium reliquiæ confluxerant.* Quindecim enim millia viri remanſerant ex omnibus turmis Orientalium populorum, cæſis centum viginti millibus bellatorum educentium gladium. Aſcendenſque Gedeon per viam eorum, qui in tabernaculis morabantur, ad Orientalem partem Nobe & Jegbaa, percuſſit caſtra hoſtium, qui ſecuri erant, & nihil adverſi ſuſpicabantur. Fugeruntque Zebee & Salmana, quos perſequens Gedeon comprehendit, turbato omni exercitu eorum ℣. 10 *& ſeqq. Subjicio verba Saliani in Annalibus num.* 66: Diſſipato ergo contritoque hoſtili exercitu & regulis in vincula conjectis, corpora, penè fame enecta, *Iſraëlitæ trecenti* ex præda reficiunt, & nonnulla etiam quiete capta, albeſcente cælo, reditum parant. Hæc enim omnia nocte facta ſunt; unde ſtatim (℣. 13) ſequitur, reverſum de bello ante ſolis ortum. Non quidem eadem ipſa nocte, quâ in valle Jezraël conturbati divinitus devictique mutuis ſeſe vulneribus confecere, ut quidam putavere; ſed ſequenti. Intermedio enim die perfecta ſunt, quæ hactenus cap. VIII ſunt relata; quæ in unam eandemque noctem conjici profectò non poſſunt.

D

E

punit Soccothæos & Phanuelitas, horum turre deſtructa:

57 *Sequitur ſupplicium Soccothæorum & Phanuëlitarum, quod à* ℣. 13 *ita narratur:* Revertenſque *Dux ſanctus* de bello ante ſolis ortum, apprehendit puerum de viris Soccoth, *famulum ſcilicet aliquem Soccothæum, qui ſummo mane urbe egreſſus erat:* interrogavitque eum nomina principum & ſeniorum Soccoth, *quos nimirum in culpa fuiſſe conſtaret; clemens enim Imperator inſontes cum ſontibus perdere noluit;* & deſcripſit ſeptuaginta ſeptem viros. Venitque ad Soccoth, *urbemque improviſus occupavit; & ſeptuaginta ſeptem viris, quos deſcripſerat, comprehenſis, duos Madianitarum reges vinctos in ipſorum conſpectum adduxit;* & dixit eis: En Zebee & Salmana, ſuper quibus exprobraſtis mihi, dicentes: Forſitan manus Zebee & Salmana in manibus tuis ſunt, & idcirco poſtulas, ut demus viris, qui laſſi ſunt & defecerunt, panes. Tulit ergo ſeniores civitatis & ſpinas deſerti ac tribulos, & contrivit cum eis atque comminuit viros Soccoth. *De hoc ſupplicio conſule interpretes.* Turrim quoque Phanuel ſubvertit, occiſis habitatoribus civitatis, *qui fortè omnes ad hanc turrim confugerant, eamque adverſus* S. Gedeonem *propugnarant. Si Duci ſuo non reſtiterint oppidani vel ſponte ſe dediderint, putem ego ſolos negati commeatûs auctores pœnas dediſſe, innocentibuſque parcitum fuiſſe, uti in Soccoth factum fuerat. Malim tamen credere primum, nimirum omnes Phanuëlitas interfectos fuiſſe, quòd reos ſe reddidiſſent pertinaci turris defenſione.*

F

interficit Zebee & Salmana

58 *His peractis, Sancto in memoriam rediit miſerabilis fratrum ſuorum uterinorum interitus. Hi aliquo è ſeptem prioribus, ut exiſtimo, ſervitutis annis, ad montem Thabor confugerant, ut in ejus latebris ſua præda, vel ſe morti ſubducerent: quos Zebee & Salmana comprehenſos, nullâ erga innocentes miſericordiâ uſi, barbara ferocitate mactarant.* S. Gedeon *ſuſpicatus id quod erat, quos vinctos tenebat regulos crimen patraſſe, eos interrogat: facinus confitentes morti adjudicat, quos alioqui ejus clementia vitâ donaſſet. Ergo & injuriam ulturus, & ſimul regium faſtum calcaturus, jubet filium ſuum adhuc puerum*

A *rum illos occidere, ut injuſtam patruorum ſuorum necem ulciſceretur: ſed, timente puero, & rogantibus reis, quòd lentam carnificinam fortè vererentur, irruit in eos Sanctus atque interfecit. Hæc ita referuntur à* ℣. 18. Dixitque (Gedeon) ad Zebee & Salmana: Quales fuerunt viri, quos occidiſtis in Thabor? Qui reſponderunt: Similes tui, & unus ex eis quaſi filius regis. *Obliquè hîc Victori blandiuntur, dum fatentur eum regiâ formâ decorum.* Quibus ille reſpondit: Fratres mei fuerunt, filii matris meæ. Vivit Dominus, quia ſi ſervaſſetis eos, non vos occiderem. Dixitque Jether primogenito ſuo: Surge & interfice eos. Qui non eduxit gladium: timebat enim, quia adhuc puer erat. Dixeruntque Zebee & Salmana: Tu ſurge, & irrue in nos: quia juxta ætatem robur eſt hominis. Surrexit Gedeon, & interfecit Zebee & Salmana: & tulit ornamenta ac bullas, quibus colla regalium camelorum decorari ſolent.

regnum ſibi à populo delatum

59 *Jam Ephraïmitarum invidia & ira reſederat, rixæ & querelæ contra Sanctum ceſſaverant; ſucceſſerant amor, gratiarum actio, &* B *liberalis voluntas eas referendi de Iſraële tam bene merito* Gedeoni. *Hanc teſtatam reliquerunt ipſi & ceteri Hebræi, dum Sancto ejuſque poſteris ſupremum in Iſraële dominatum detulerunt:* Dixeruntque omnes viri Iſraël ad Gedeon: Dominare noſtri tu, & filius tuus, & filius filii tui: quia liberaſti nos de manu Madian ℣. 22. *At quam hic deferunt* S. Gedeoni *poteſtatem? Non judiciariam; hanc enim jam habebat, à Deo ſibi collatam: imò vel hoc ipſo titulo eadem ipſi quodammodo debebatur, quòd populum in libertatem aſſeruiſſet. Certè hactenus nemo alius hunc magiſtratum geſſerat, quàm qui ſalutem Iſraëli attuliſſet. Num Iſraëlita publica rei curam deponere volentem à propoſito avertere conantur? At nullum eſt hujus voluntatis in textu ſacro veſtigium, quem de judicis munere non agere, mox oſtendemus.*

magno animo repudiat.

60 *Communis opinio eſt, quòd ei oblatus fuerit dominatus regius. De quo alio potiùs intelligas hanc Hebræorum poſtulationem*, Dominare noſtri tu, & filius tuus, & filius filii tui *&c. Verba iſta hanc reſpuunt interpretationem: Judicis præfecturam aſſume, vel aſſumptam gerere* C *perge; nam judices propriè in populum non dominabantur; quoniam nec novas leges condere, uti reges, poterant, neque quidquam in rebus gravioribus ſine ſynedrii conſenſu agere aut decernere. Præterea hîc Sancti filio ac nepoti eadem, quæ ipſi, defertur poteſtas; judiciaria autem non tranſmittebatur ad poſteros, uti regia, ſed morte finiebatur. Sed verbum* dominandi *hîc ſtrictè ſumi, adeo ut non extendatur ad minùs perfectum illud juriſdictionis dominium, quale judices olim exercebant, etiam colligitur ex Sancti reſponſione ad Iſraëlitas:* Quibus ille ait: Non dominabor veſtri, nec dominabitur in vos filius meus; ſed dominabitur vobis Dominus ℣. 23. *Senſus iterum hîc eſſe non poteſt: Non ero judex veſter &c.: nam jam eum magiſtratum ſibi à Domino delatum acceptaverat, & quadraginta annis ad mortem uſque geſſit. Præterea hîc* S. Gedeon *eam, quam populus offerebat, poteſtatem vult Domini eſſe, non ſuam: at non vult Domini eſſe judiciariam, ſed regiam, hæc igitur ei oblata fuit. Apud Iſraëlitas Deus regium nomen & poteſtatem habere & exercere ipſe voluit; judices autem alioſque inferiores magiſtratus inſtituit, ut ejus nomine & ſecundum leges, quas*

tulerat, rempublicam adminiſtrarent. Hinc cum Iſraëlitæ poſtmodùm regem ſibi peterent, ait ad Samuelem lib. 1 Regum cap. 8 ℣. 7: Audi vocem populi in omnibus, quæ loquuntur tibi. Non enim te abjecerunt, ſed me, ne regnem ſuper eos. *Ex his ſatis liquet, quòd populus ſanctum Judicem regem creare voluerit. At hic dignitatem iſtam magno excelſoque animo repudiavit: majorem ſanè hinc laudem & gloriam meritus, quàm ex regia poteſtate ejuſque exercitio ei obvenire potuiſſet.* AUCTORE J. L.

61 *Joſephus narrata morte Oreb & Zeb, hiſtoriam ſuam ita proſequitur, graviſſimis erroribus plenam.* Qui verò ſuperfuere duces cum reliquiis exercitûs, fermè decem & octo millia hominum (*Scriptura* ℣. 10 *tantùm quindecim millia numerat*;) quantùm potuerunt procul ab hoſte caſtris locum ceperunt. Nec Gedeon defeſſus cum totis copiis (℣. 4 *dicitur* cum trecentis viris) eò properat, & iterum congreſſus, poſtremo hoc conflictu ad unum omnes trucidat, & reliquos duos duces capit Zebim & Hezarbunim (℣. 12 *legimus captos fuiſſe* Zebee & Salmana, turbato omni exercitu eorum.) His præliis cæſa ſunt Madianitarum & ceterorum Arabum, qui eis auxilio venerant, circiter centum viginti millia. *Jam ante ultimum prælium tot cæſos fuiſſe ſcribitur* ℣. 10. Prædâ etiam magnâ auri, argenti, textilium, camelorum & jumentorum Hebræi ſunt potiti. Gedeon verò reverſus in patriam ſuam Ephram, ſupplicium ſumpſit de Madianitarum regibus. *Veriſimiliùs trans Jordanem hi puniti fuere, paulò poſt ſupplicium de Soccothæis & Phanuëlitis ſumptum; de quibus altùm ſilet.* *In multis corrigitur*

62 *Quæ ſubdit de Ephraïmitarum jurgio contra Ducem ſuum, loco narrat alieno, cùm ex Scriptura certum ſit, poſt deletas Madianitarum reliquias omnem populum tam propenſo in illum animo fuiſſe, ut regnum ipſi ejuſque poſteris obtulerint:* Ceterùm, *inquit*, Ephræmi tribus, iniquo animo ferens Gedeonis bonam fortunam, bello eum petere decrevit, eò quòd inſciis ipſis hoſtem eſſet aggreſſus. Gedeon verò, vir in omni virtute ſummus, modeſtè reſpondit, ſe non ſuo arbitratu hoſtem abſque illis aggreſſum, ſed juſſu divino: victoriam tamen nihilo minùs illorum eſſe, quàm ſuam ipſorum qui militaſſent: F atque his verbis (*cum ſacris* ℣. 2 *&* 3 *non ſatis convenientibus,*) ſedatâ eorum irâ, non minùs profuit Hebræis, quàm rebus proſperè geſtis; obſtitit enim, ne civile bellum exoriretur. Hujus tamen ſuperbiæ tribus hæc pœnas dedit, ſicut ſuo loco dicemus. *Innuit cladem, quæ tempore Jephte illata eſt huic tribui Judicum cap. 12* ℣. 6, *ubi quadraginta duo Ephraïmitarum millia à Galaaditis cæſa narrantur.* Porrò Gedeon (*quod ſequitur numero* 59 *&* 60 *refutatum eſt*) cùm vellet imperium deponere, compulſus eſt id retinere per annos quadraginta, dicendo jus & litibus finiendis occupatus, populo ratum habente, quidquid ille in cauſis controverſis pronuntiaret. In ſenecta deinde mortuus, apud Ephram in patria ſepelitur. *Sed & alia mortem ejus præceſſerunt, de quibus paragrapho ſequente.* *Joſephi narratio.*

AUCTORE J. L.

§ VI. Ephod conficit Sanctus & ponit in Ephra : defenditur contra multos, qui hoc facto eum peccasse asserunt : ejus familia & mors sancta.

Ephod conficit & collocat in Ephra, ob quod varii de variis eum peccatis accusant :

UBi dignitatem regiam, ab Israëlitis sibi delatam, fortiter repudiarat sanctus Judex, rogavit illos, ut suam benevolentiam promptamque gratificandi voluntatem in alia potiùs re manifestarent : Dixitque ad eos : Unam petitionem postulo à vobis : Date mihi inaures ex præda vestra. Inaures enim aureas Ismaëlitæ habere consueverant. Qui responderunt : Libentissimè dabimus. Expandentesque super terram pallium, projecerunt in eo inaures de præda. Et fuit pondus postulatarum inaurium, mille septingenti auri sicli, absque ornamentis, & monilibus, & veste purpurea, quibus reges Madian uti soliti erant,
B & præter torques aureas camelorum. Fecitque ex eo Gedeon Ephod, & posuit illud in civitate sua Ephra. Fornicatusque est omnis Israël in eo, & factum est Gedeoni, & omni domui ejus in ruinam ℣. 24 *& seqq. Postrema hæc verba multis iterum & gravibus auctoribus videntur Sanctum aperte peccati reum facere. S. Augustinus quæst.* 41 *&* 42, *Theodoretus, Procopius, Dionysius Cartusianus, Caietanus, Liranus, Estius & multi alii eum deliquisse asserunt. Multiplicia sunt crimina, de quibus Vir sanctus reus agitur : reducuntur ferè ad sequentia : quòd Ephod ipse ut idolum coluerit, vel alium in eo superstitiosum cultum exercuerit ; quòd Israëlitas divinum ei honorem tribuentes, vel aliter eodem abutentes non impedierit ; vel si ipso vivente nil tale commissum fuerit, quòd Ephod fabricarit, prævidens, post mortem suam illud futurum occasionem idololatriæ, aut in alios impios usus convertendum esse. Multi eum ab istis peccatis absolvunt ; sed in eo ejus culpam constituunt, quòd Ephod & alium fortè divini cultus apparatum extra locum tabernaculi confecerit ; vel quòd ipse Ephod*
C *indutus Dominum consuluerit, quod laïcis non licebat ; vel denique quòd illud ad sacrificia vel per se vel per alios extra Siluntem offerenda adhibuerit.*

fundamentum, quo potissimùm nituntur,

64 *Ex antiquis neminem inveni, qui Sanctum defendat : at recentiores multi eum ab omni peccato liberant. Toti ferè sunt in eo, ut ostendant, quomodo confectio Ephod, positio in Ephra, ejusdemque post Sancti mortem abusus fieri potuerint sine ulla hujus culpa. Illud autem,* Et factum est Gedeoni, & omni domui ejus in ruinam, *ita explicant, ut Sancti nomen non pro ejus persona, sed per tropum pro ejus familia ponatur ; dicunt, voculam* & *hîc officio suo non fungi, quod est distincta conjungere ; sed esse exegeticum, ut idem sit, quod* id est. *Verùm hæc ipsum nodum non solvunt ; in quo potissimùm hæret difficultas : nam quoniam dubium non est, quin magis proprius & obvius dictorum verborum sensus sit,* Et factum est personæ Gedeonis, & omni domui ejus in ruinam, *priùs probari debet ab eo recedendum esse. Non satis est dicere, Ephod potuit licitè fabricari : ideoque de Viro sancto præsumi debet, eum non peccasse, donec contrarium demonstretur. Sequelam negabit pars adversa : pro alicujus, inquiet, innocentia prudens non stat præsumptio, ubi obvius Scripturæ sensus eum manifestè peccati arguit. Contendet huic inhærendum esse, donec alibnde probetur aliquid obstare ; onus autem id probandi incumbere in Sancti defensores, qui figuratam & impropriam Scripturæ locutionem adstruunt. Itaque fundamentum ipsum, quo potissimùm aliorum censura nititur, priùs subruendum est, ostendendumque, Sancti nomen hîc ipsam ejus personam non significare, nec particulam* & *hîc duo distincta conjungere. Argumenta accipe, quæ mihi id sufficienter evincere videntur.*

D

argumentis

65 *Sat multa imprimis obsunt, quo minùs illud,* Et factum est Gedeoni, & omni domui ejus in ruinam, *intelligi possit de ruina animæ, quam* Gedeon *incurrerit ob peccatum grave. Nam si in infidelitatem vel idololatriam lapsus sit, quomodo ab Apostolo ad Hebræos cap.* XI *ejus fides laudatur ? Quomodo verum erit illud Ecclesiastici testimonium cap.* 46 *à ℣.* 13, Et judices singuli suo nomine, quorum non est corruptum cor *per idololatriam*, qui non aversi sunt à Domino, ut sit memoria illorum in benedictione *&c. ? Neque dicas has laudes de* Gedeone *non prædicari. Si ad ipsum, quem solum è judicibus, de quibus agit liber eorum nomen ferens, Ecclesia Sanctorum Fastis inscripsit, ea non extendantur, quos tandem judices Ecclesiasticum laudare credam ? Si Israëlitis, Ephod ad idololatriam vel superstitionem abutentibus, tempestivè obviam non iverit, vel præviderit, illos post mortem suam in eo fornicaturos ; quomodo hîc ℣. 25 ipsum de Israële tam bene meritum Scriptura testatur, ut ipsius etiam familiam omnem misericordiâ dignam asserat* juxta omnia bona, quæ fecerat Israëli ? *An quia populum in libertatem asseruerat ? At majus malum est animabus ruina & æterna damnationis causam vel occasionem cum gravi culpa præbuisse, quàm bonum, corporibus fuisse libertatis auctorem. Si denique nullo alio gravi delicto sanctitatem amisisset, an Ecclesia eum fidelium cultu dignum judicasset ? An apostolus citatus eum illorum numero adscripsisset,* qui per fidem . . . operati sunt justitiam, adepti sunt repromissiones *&c. ? An Scriptura senectutem ejus, in qua mortuus est, bonam dixisset ;* Mortuusque est Gedeon, filius
E Joas, in senectute bona ℣. 32 ?

ex sacra

66 *Verùm, inquies, hæc nihil urgent, quoniam ante mortem pœnitentiam egit. Si id verum sit, sui vel alieni gravis peccati occasionem, causam, vel materiem, uti debuit, destruxit vel sustulit : secundum non factum est, ergo neque primum. Ephod post Sancti mortem adhuc exstitisse passim fatentur omnes, nemine id in dubium vocante ; & satis ex Scriptura probari potest :* Fornicatusque est, *inquit* ℣. 27, omnis Israël in eo (*Ephod.*) *Ex vocibus* omnis Israël *intelligitur, fornicationem in Ephod fuisse publicam : at hæc non contigit* S. Gedeone *vivente, nam paulò infrà* ℣. 33 *manifestè indicatur, Israëlitas in publicam idololatriam non relapsos fuisse, nisi sancto Judice vitâ functo :* Postquam autem mortuus est Gedeon, aversi sunt filii Israël, & fornicati sunt cum Baalim, *id est, cum idolis, è quibus unum fortè fuit Ephod ; vel si illud non adorarint, certè ad honorem vel cultum alicujus idoli eo abusi fuerunt. Vide interpretes obvios. Nunc autem si Ephod à* Gedeone *destructum vel sublatum non fuerit, quomodo ejus pœnitentia intelligi potest ? Effugium aliquod excogitavit Liranus :* Ad illud autem,

A autem, *inquit*, quod contra hoc arguitur, quòd talia non deſtruxit, poteſt dici, quòd pœnituit circa mortem, cùm jam erat ita debilis, quòd hoc facere per ſe non poterat: præcepit tamen filiis ſuis hoc fieri, vel ſaltem veſtes dictas ad locum divini cultûs portari: quod quia factum non fuit, non ſibi imputandum eſt, ſed magis illis, qui ad idololatriam, ad quam proni erant, abuſi ſunt. *Itane vero? An ad ipſum ferè mortis articulum, cùm præ corporis debilitate ſui vel alieni criminis occaſionem jam ampliùs tollere non poterat, pœnitentiam agere tot annis diſtulit? Ergo ſaltem ejus ſenectus fœdo flagitio contaminata fuit, extremis vitæ diebus exceptis. Sed ejuſmodi hominum ſenectutem Scriptura* bonam *appellare non ſolet. Vide ſuprà num.* 3. *Neque illi eas merentur laudes, quibus Apoſtolus* Gedeonem *proſequitur: neque Eccleſia, ſi gravem culpam commiſiſſe & in ea tamdiu perſeveraſſe judicaret, eum ob vitæ ſanctitatem fidelibus colendum proponeret; maximè cùm Scriptura de ejus pœnitentia taceat.*

Scriptura

B 67 *Dici etiam non poteſt, quòd ſtatim ab admiſſo crimine Ephod è medio auferre voluerit; ſed Iſraëlitas bonæ hujus voluntatis exſecutionem impediiſſe: nam poſt victoriam de Madianitis eos ſibi adeo addictos nactus eſt, ut ipſi poſteriſque regnum obtulerint, poſtulatas ex præda inaures aureas prompti tradiderint, quibus & alia multa pretioſa dona ultro adjecerunt; eos, inquam, ita ſibi obſequentes habuit, ut idolorum cultum, ob quem ſeptem annis dura ſervitute puniti fuerant, deſeruerint, & in vera religione perſeverarint, quamdiu Sanctus præfuit. Hoc paſſim omnes deducunt ex verſu* 33, *cujus verba mox dedi. Si populum, in ſuperſtitiones adeo proclivem, ad veri Dei cultum convertere potuerit, an jam converſum legumque divinarum obſervantiorem nullo modo ad id inducere potuit ſupremum reipublicæ Caput, ut ille non impediret iſtius rei ablationem, quæ jam gravis offenſæ divinæ occaſio fuerat? Et quomodo impedire potuit populus, quo minùs* Gedeon *Ephod, ſicut nuper aram lucumque Baal, nocte deſtrueret, vel clàm de domo ſua vel civitate Ephra illud aliò transferret, ſi tranſlatione periculum relabendi tolli poterat? Jam ego adverſam partem ita con-*

C *venio:* Gedeon *potuit & debuit auferre vel deſtruere erectum Ephod, quia noverat illud ſuæ aut alienæ idololatriæ, vel alterius gravis peccati cauſam occaſionemve dediſſe: quamdiu vixit, illud nec ſuſtulit, nec deſtruxit: igitur pœnitentiam non egit. Nihil hîc juvant effugia, ad quæ hoc & præcedente numero reſpondi. An autem melius ſis excogitaturus, plurimùm dubito. Sed ſi intelligi nequit* Gedeonem, *quem* in ſenectute bona *mortuum fuiſſe Spiritus ſanctus teſtatur, de gravi crimine pœnitentiam egiſſe; quid aliud relinquitur, quàm ut illud non commiſerit? Itaque hic locus,* Et factum eſt Gedeoni, & omni domui ejus in ruinam, *exponi non poteſt de ruina animæ, ſeu mortifera culpa ſancti Judicis; & conſequenter erga eum nimiùm ſeverus eſt S. Auguſtinus, dum quæſt.* 42 *ita loquitur:* Non prætereunda oritur quæſtio, quomodo quieverit terra quadraginta annos in diebus Gedeon, cùm poſt victoriam, quâ liberavit Hebræos, ex auro ſpoliorum fecerit abominationem, & poſt illam fornicatus ſit omnis Iſraël, & fuerit illi & domui ejus in ſcandalum. Quomodo ergo poſt hoc tantum nefas, quod & Gedeon & populus admiſit, requievit terra quadraginta annos? *Quæſtioni hoc modo inſtitutæ reſponſionem ſubjungit, quæ Sancto noſtro & Scripturæ ſacræ mihi tam adverſa videtur, ut eam probare non poſſim. Quæ illa ſit, opportunè dicetur numero ſequente; ubi & alio argumento hactenus dicta ſtabiliemus.*

AUCTORE J. L.

68 *Verba ſacra, de quorum ſenſu eſt controverſia, ita etiam intelligi non poſſunt, ut Sanctus occaſione Ephod ruinam ſeu jacturam gravem in re aliqua temporali poſt victoriam Madianiticam paſſus fuerit. Sive jactura gravis à Domino in pœnam delicti gravis vel levis, ſive etiam illi innocenti ab hoſtibus aut ab ipſis Iſraëlitis illata fuiſſe ſupponatur; Scriptura, ſaltem prout ſubſtat interpretationi paſſim receptæ, ſatis declarat, ejus regimen undequaque felix fuiſſe. Ex* ℣. 28 *diſcimus, terram quieviſſe à præliis, quamdiu* S. Gedeon *præfuit; ex* ℣. 30, *Deum ei benedixiſſe numeroſa prole; ex* ℣. 32, *mortuum eſſe in ſenectute à meritis & ab annorum numero bona; ex* ℣. 33, *non niſi poſt mortem ejus Iſraëlitas fornicatos fuiſſe cum idolis, & proin eos in veri Dei cultu ab ipſo vivente contentos fuiſſe. Si illos inhibere potuit, ne committerent id, in quod maximè proni erant; dubium non eſt, quin etiam in reliquis ſibi obedientes habuerit. Ex his confirmantur dicta numeris proximè præcedentibus, nimirum* Gedeonem *nec idololatram vel ſacrilegum, nec idololatriæ alienæ vel ſacrilegii auctorem fuiſſe: crimina enim gravia, de quibus accuſatur, ad hæc reducuntur. Quàm ſeverè idololatriam ultus ſit Deus, docet Numerorum caput* 25, *& ingenti ſuo malo experti ſunt Hebræi, jam toties in iſtius criminis pœnam exterarum gentium ſervitute oppreſſi. Nec impunitos reliquit eos, qui irreverenter res ſacras tractarunt. Exempla dat liber Levit. cap.* 10 *in Nadab & Abiu, cæleſti igne percuſſis, & liber* 2 *Regum caput* 6 *in Oza, ſubita morte extincto. Si* Gedeon *idololatriæ, vel gravis ſacrilegii culpam contraxiſſet, tam diuturna & proſpera gubernatione Dominus ipſum non beaſſet, eo majoribus dignum pœnis, quo plura beneficia ab illo acceperat. Argumentum, petitum à proſpero & pacifico* 40 *annorum Sancti regimine, ita urgens viſum fuit S. Auguſtino, ut ad quæſtionem, cujus verba numero præcedente ex ipſo retuli, reſpondendum cenſuerit, S. Judicem* in fine dierum *ſuorum Ephod contra legem Dei* F *exiſſe. An ergo ſub finem vitæ gravi peccato ſanctitatem amiſit? Ita, ut ex ejus verbis ſuprà datis ſatis apparet, ſentit ſanctus Doctor; ſed à quo recedere nos cogunt divina Eloquia, quæ ſenectutem, in qua ad Patres migravit,* bonam *fuiſſe pronuntiant. Nunc tandem ita concludo: Sanctus graviter non peccavit, ut ſufficienter jam probatum eſt; neque etiam à Deo, ab exteris, vel à ſuis grave aliquod malum temporale, cùm judex præeſſet, paſſus eſt, ut ſtatim vidimus: ergo Ephod non ceſſit ipſi perſonæ* Gedeonis *in ruinam: ergo illud,* Et factum eſt Gedeoni, & omni domui ejus in ruinam, *in proprio ſenſu accipi non poteſt.*

de promptis

69 *Multi, qui* Gedeonis *factum improbant, peccatum quidem ſecundum ſe grave ei imponunt; ſed ejus malitiam à defectu plenæ advertentiæ, ab ignorantia, & aliunde extenuare conantur. Sed hi, meo ſaltem judicio, ab obvia ſignificatione textus ſacri longiùs recedunt, quàm qui nomen* Gedeonis *non pro ipſa Sancti perſona, ſed pro ejus familia uſurpant, & particulam & exegeticam eſſe dicunt. Hanc in Scripturis aliquando ita ſumi, exemplis probat Salia-*

ſubvertitur:

AUCTORE J. L.

nius num. 77 : *caput verò familiæ pro ipſa familia poni , uſitatiſſimum eſſe nemo negare poteſt. Jam peto mihi aliquem in ſacris Litteris locum aſſignari , ubi vox* ruina *non ſignificet mortem animæ humanæ , ſi de hac ſit ſermo. Proverb. cap.* 18 ℣. 7 *dicitur* , Et labia ipſius ruina animæ ejus : *& alibi tum in hoc libro ſæpe , tum in aliis , ubi de damno animæ agitur , recurrit eadem vox , quæ ubique ineptè exponetur , ſi per eam mors animæ non intelligatur. Et verò ſicut leve damnum in bonis fortunæ ſimpliciter dici nequit ruina hominis divitis : ſic neque damnum animæ , ex levi peccato ortum , ſimpliciter dici poteſt ruina illius. Si igitur Ephod occaſio vel cauſa fuerit levis tantùm culpæ , ſimpliciter vera non eſt hæc propoſitio* , Et factum eſt Gedeoni in ruinam *animæ : erit quidem vera ſecundum aliquid, ſeu gratiæ diminutionem ; at Scriptura per ruinam animæ illam ſolam nuſquam intelligit : ſic neque per ruinam regionum , populorum , urbium , adium , nihil umquam leve , ſed illorum vaſtationem , cædem , everſionem & deſtructionem ſignificat. Ex his omnibus ſatis liquere arbitror,*

B *illud* , Et factum eſt Gedeoni , & omni domui ejus in ruinam , *meliùs exponi non poſſe quàm hoc modo,* Et factum eſt Gedeoni , id eſt , domui *&c. Cùm textus ita explicatus nullam Sancti culpam affirmet , jam onus eam probandi omne tranſlatum eſt in ipſius accuſatores.*

proponuntur mitiores ſententiæ Saliani

70 *Tota itaque quæſtio ſoluta eſt , ſi oſtendatur, quomodo fabricatio Ephod & poſitio ejus in Ephra ſine ulla culpa fieri potuerit , quamvis occaſio fuerit , ut in eo poſtea fornicati ſint Iſraëlitæ. Id facilè intelliges ex ſequentibus. Imprimis tutò inſiſti poteſt viæ , quam elegit Salianus , qui in ſua Annalium Epitome num.* 19 *ita habet :* Verùm hæc omnia (*inaures ſcilicet aureæ & cetera pretioſa dona*) Vir ſanctus non in rem ſuam, ſed in Dei cultum convertit. Fecit enim ex eo Gedeon Ephod , qua voce ornamentum pontificale intelligitur , in quo Pontifex Dominum conſulere ſolebat , & poſuit illud in civitate ſua Ephra. Cùm enim ibi juſſu Domini per angelum loquentis , exſtructum fuiſſet altare , ibique ſacrificatum Deo ab angelo ipſo & Gedeone , profano ejus loci cultu , qui jam dudum idolis exhibitus fuerat , in Dei cultum tranſlato ; ibidem

C etiam totum apparatum ſacrorum ab eo comparatum rectè dici poteſt. Neque enim ad unam veſtem ſacerdotalem , aut potiùs amiculum ſuperhumerale , tanta vis auri potuiſſet impendi. Voluit ergo Gedeon , qui difficillimis temporibus factus erat populi princeps , quibus ſæpe Dei voluntas exquirenda erat , habere penes ſe pontificale ornamentum , per quod Zaraïas pontifex Deum conſuleret , qui in illo quoque altari ſacrificaret : potuit autem meritò credere , id fore gratum Deo , cujus mandato ibi altare jam excitatum fuerat , & ſacrificatum , ut diximus. *Per Ephod hîc intelligendum eſſe non idolum , ut vult Procopius , nec etiam veſtem ſacerdotalem , Leviticam aut politicam ; nam earum materia dumtaxat linum erat ; ſed pontificalem ex auro aliaque materia pretioſa , cui annexum erat Rationale cum Urim & Thummim , per quod Deus conſultus oracula reddebat , opinio eſt longè communior , quam defendit Bonfrerius hîc. Multi etiam graves auctores cum Saliano exiſtimant , quòd præter Ephod reliquam omnem ſacram ſupellectilem , ad ſacrificium neceſſariam ,* Gedeon *confecerit : ſed hos inter Liranus & Eſtius , quibus favet S. Auguſtinus quæſt.* 41 *addunt , eum peccaſſe , quòd extra tabernaculum ſacrificiorum apparatum inſtituerit , ibique vel per ſe vel per alios contra præceptum divinum ſacrificarit. Verùm ſicut illi hoc affirmant , ita id Salianus negat , & rectè ; nam quoniam cap.* 6 ℣. 26 *Deus Sanctum juſſerat in Ephra altare erigere , & in eo tauros immolare , prudenter judicare potuit , quòd diſpenſatio divina adhuc duraret , ſaltem quoad locum , in quo altare haud ita pridem exſtructum erat. Ad quid enim altare , niſi ut in eo ſacrificetur ? Quoniam adverſæ parti incumbit probatio criminis , evincere debent Dei voluntatem fuiſſe , ut non niſi ſemel in altari , quod erigi juſſerat , ſacrificium offerretur , eamque ſancto Judici innotuiſſe ; quod numquam præſtare poterunt.* D

& Bonfrerii , quarum alterutram tutò quis amplecti poteſt ;

71 *Bonfrerius aliam init viam. Nullam ſacram ſupellectilem præter pontificale Ephod cum Rationali à* S. Gedeone *confectum putat ; idque in hunc ſolum finem , ut in negotiis majoris momenti Dominum conſuleret non per ſe , ut vult Theodoretus quæſt.* 16 , *ſed per Pontificem : additque in fine ſuæ diſſertationis ,* Manaſſeam tribum conterminam fuiſſe Ephraïmiticæ , in qua Silo erat & tabernaculum , atque adeo exiguo intervallo Ephram Silunte & domo pontificia abfuiſſe : qua ex re credi poteſt , Pontificem ad Gedeonem , principem ſanctum , frequenter commeare ſolitum , vel in negotiis gravioribus à Gedeone advocari ſolitum ad Deum conſulendum. Porrò extra tabernaculum quolibet loco potuiſſe Deum per Ephod à Pontifice conſuli , Exodi xxviii diximus , & iſtiuſmodi oracula variis in locis captata , quæ Scriptura commemorat , indicant. Quod ſi captare oracula extra tabernaculi locum licuit , potuit & extra tabernaculum Ephodis ad eam rem uſus eſſe , atque adeo & Ephod extra locum tabernaculi confici & retineri. *Argumento hoc refellit opinionem S. Auguſtini , qui quæſt.* 41 *ait , confectionem Ephod ejuſque poſitionem in Ephra fuiſſe contra præceptum divinum. Objici poteſt : Pro* Fecitque ex eo Ephod *in Hebræo eſt* Fecitque illud (*omne ſcilicet aurum , de quo cap.* 8 ℣. 26) in Ephod. *At non videtur tantum auri pondus inſumptum fuiſſe in ornamentum ſuperhumerale , cui copulabatur Rationale; ergo ſub Ephod , quaſi primaria ſupellectile ſacra , reliquus etiam apparatus ad ſacrificandum neceſſarius intelligitur. Reſponderi poteſt , non adeo incredibile videri , quòd duodecim illi in Rationali lapides pretioſi , & duo in humeris grandes onyches & reliquus ornatus tanti auri pretium adæquarint , ut neceſſariò aſſeri debeat , alia ex illo confecta fuiſſe inſtrumenta ſacra. Plura vide apud Bonfrerium. Duæ relatæ ſententiæ veriſimilitudine ſe mutuò non multùm excedunt. In nulla manifeſtò apparet , Sanctum vel leviſſimè peccaſſe ; atqui etiam nulla ejus culpa inferri poteſt ex verbis illis ,* Factumque eſt Gedeoni *&c. , ut ſuprà probatum eſt : ergo Vir ſanctus ab omni abſolvendus eſt.* E F

fornicatio Iſraëlitarum in Ephod Sancto non imputanda.

72 *Porrò Ephod cùm eſſet eximiæ pulchritudinis , & ab auro gemmiſque omnique textura pretioſiſſimum , Hebræi & ingenio rudes , & moribus in idololatriam proni honorem divinum iſti tribuerunt ; reſque in idololatriam verſa eſt , haud aliter ac æneus ſerpens à Moyſe in deſerto erectus lib.* 4 *Regum cap.* 18 ℣. 4. Fornicatuſque eſt , *inquit textus hîc* , omnis Iſraël in eo. *Credunt nonnulli ideo dici , Iſraëlitas fornicatos fuiſſe in Ephod ; quòd illud tranſtulerint ad Baal eo exornandum , vel impiis iſtius idoli miniſtris ad cultus*

A *cultus ſacrilegos tradiderint. Conjecturæ huic aliquid veriſimilitudinis dant verba, quæ ſubduntur* ℣. 33 : Percuſſeruntque cum Baal fœdus, ut eſſet eis in deum. *At qualiſcumque fuerit illa Iſraëlitarum fornicatio in Ephod, Vir ſanctus illorum culpæ particeps fuiſſe dicendus non eſt : tota hæret in populo, qui re ex ſe non mala atque optimo ex fine conſtituta impiè abuſus fuit. Sicut Hebræis ſcandalum datum non eſt in ſerpentis, ita neque in erectione Ephod : omne ſcelus occaſione utriuſque rei commiſſum originem ſuam debet illorum propriæ malitiæ, eique ſoli imputandum eſt. Neque etiam, ſancto Judice vivente, omnis Iſraël in Ephod fornicatus eſt : ſemper ſuos in officio & vera religione ita continuit, ut ſaltem publicè à Dei cultu non defecerint. Id paſſim eruunt omnes ex* ℣. 33, Poſtquam autem mortuus &c. *Dixi publice. non enim neceſſe eſt, ut negem paucos aliquos fortaſſe Ephod aut Baal occultè adoraſſe, cùm adhuc Sanctus viveret. Nihil inde contra eum inferri poteſt, niſi priùs probetur ſuorum impietatem ſciviſſe.*

B *Porrò libertate ac pace Iſraëli reddita,* 73 *Poſt verſum* 27, *qui diu nos detinuit, ſequitur :* Humiliatus eſt autem Madian, nec potuerunt ultrà cervices elevare : ſed quievit terra per quadraginta annos, quibus Gedeon præfuit. *Madianitarum vires ita hoc anno attritæ fuerant, ut ab his nihil ampliùs timendum eſſet. Sed neque reliqui populi Iſraëlem bello appetere auſi fuerunt. Magnum quippe erat apud gentes circumquaque poſitas* S. Gedeonis *nomen, qui tantulis copiis quatuor reges eorumque ingentes exercitus fundere ac diſperdere potuiſſet ; & quidem eo tempore, quo res Hebræorum octavum jam annum perpetuis vaſtationibus planè acciſæ videbantur. Porrò pace ac libertate Iſraëlitis reddita, res eorum refloreſcere cœperunt : nec minùs Dei cultus, ex quo felicitas iſta pendebat, ſancto annitente Judice inſtauratus eſt.*

domicilium figit in Ephra ; ejus liberi 74 Abiit itaque Jerobaal filius Joas, & habitavit in domo ſua, *paterna ſcilicet, quæ erat in Ephra :* habuitque ſeptuaginta filios, qui egreſſi ſunt de femore ejus, eò quòd plures haberet uxores. Concubina autem illius, quam habebat in Sichem, genuit ei filium, nomine Abimelech ℣. 29 *& ſeqq. De Sancti familia ita Joſephus lib.* 5 *Antiquit. cap.* 9 : Habuit autem filios legitimos quidem ſeptuaginta, non ex uno matrimonio ſuſceptos, nothum verò unum ex concubina Druma, cui nomen Abimelechus. *Hallucinatur Joſephus, dum Abimelech* nothum *reliquos verò Sancti filios* legitimos *appellat. Horum multi nati erant ex ſecundariis uxoribus, de quarum numero erat & mater Abimelech ; cur ergo hunc* legitimum *filium non vocat æquè ac illos ? Quod ad numerum filiorum ſpectat, multi conjectant, non plures Sancto fuiſſe nec pauciores quàm ſeptuaginta, adeo ut Abimelech huic numero non ſuperaddi debeat, ut ſit à Joſepho, ſed includi. Legitur quidem Judicum cap.* 9 ℣. 5, *quòd Abimelech occiderit ſeptuaginta fratres, Joatham autem natu minimus mortem evaſerit ; verùm, inquiunt, pro* 68 *ibi ponitur numerus rotundus* 70, *quem complent Abimelech & Joatham, ſi addantur occiſis. Præter hos duos alium non nominat Scriptura niſi Jether primogenitum, ante victoriam Madianiticam natum, de quo cap.* 8 ℣. 20. *Ceterùm hic* 70 *filiorum numerus non videtur totam exactè progeniem* S. Gedeonis *complecti, ſexus enim femineus non defuiſſe videtur.* AUCTORE J. L.

C 75 *Quòd autem Sanctus plures uxores habuerit, vitio ei verti nequit, quia polygamia tum licita erat. Uxor inferioris ordinis, è qua natus degener Abimelech, Sancto in Ephra non cohabitabat ; ſed in Siehem morabatur, ut dicitur* ℣. 31. *Rationes veriſimiles dat Tirinus in capitis* 9 *verſum* 1 : Cùm, *inquit*, Gedeon, tamquam judex & princeps totius populi, ſæpius ab urbe ſua Ephra . . . abeſſe, & in Sichimis adeſſe cogeretur, delegit & in Sichimis ſibi uxorem ; ſed, ut dixi, ſecundàriam ſeu concubinam, quam Joſephus Drumam vocat : quæ quia ex ea urbe oriunda erat, ibique . . . ſuos propinquos habebat, & reliquis uxoribus non æquè cara futura eſſet, relicta eſt à Gedeone in Sichimis in domo paterna. Ex hac matre natus Abimelech, [qui] maxima crudelitate & tyrannide jugulatis 70 fratribus ſuis principatum vi rapuit : neque contentus titulo judicis, etiam rex audire voluit ℣. VI, XVIII & XXII. *& uxores :* E

tempus, quo præfuit ; mors ſancta & ſepultura. 76 *Iſraëlem Judicavit* S. Gedeon *annis quadraginta, quibus ſeptem ſervitutis Madianiticæ includi putamus. Annus, quo Sanctus à Domino per angelum conſtitutus fuit dux ad populum in libertatem aſſerendum, primus quidem fuit, quo judicis munus exercere cœpit ; attamen octavus fuit, ſi modum ſpectes, quo Scriptura annos judicum computare ſolet. Illos incipit numerare à morte deceſſoris, non verò à creatione ſucceſſoris. Lege dicta num.* 270 *& ſeqq. in Vita S. Joſue. Quamquam nos latêre voluit hiſtoria ſacra, quid poſtremis triginta duobus vitæ annis egerit ſanctus Judex ; nam fabricatio Ephod probabilius contigit eodem anno, quo Iſraël in libertatem reſtitutus eſt ; dubitare tamen non licet, quin reliqua vita reſponderit ejus ſenectuti & morti : utramque bonam & ſanctam fuiſſe teſtatur Scriptura, dum dicit* ℣. 32 : Mortuuſque eſt Gedeon, filius Joas, in ſenectute bona. *Vide ſuprà num.* 3. Et ſepultus eſt in ſepulcro Joas patris ſui in Ephra de familia Ezri. F

DE

A D

DE S. ANNA PROPHETISSA

HIEROSOLYMIS,

J. I. SYLLOGE HISTORICA.

§ I. Cultus; elogia; genus; conjugium; Viduæ continentia & pietas.

SUB INITIUM SECULI I. *Sanctæ cultus ex Fastis Græcis*

B

GRæci, *aliique Orientis populi* S. Annam, *Phanuëlis filiam, quæ* Euangelica & Prophetissa *agnominatur, alio quidem ac Latini die, non omnes tamen eodem annuntiant. In Menais magnis Græcis editionis Venetæ tertia Februarii ejus memoriæ consecratur, additurque eam coli Constantinopoli in Ecclesia S. Jacobi fratris Domini: de qua videri potest Cangius libro 4 Constantinopolis Christianæ § 5 num. 9. Sanctæ elogium, quod dein subditur, hîc non transcribo, cùm desumptum sit ex S. Lucæ Euangelio, cujus verba mox dabuntur. In iisdem Menais* XXVIII *Augusti Sanctæ etiam fit annuntiatio, quam excipiunt hi versiculi:*

Οὐ γῆς ἀπῆρεν ἡ Φανουὴλ θυγάτηρ,
Ἕως ἐπ' αὐτὴ εἶδε τὴ Θεὸν βρέφος.

Phanuële nata non humum liquit priùs,
Quàm natum in illa vidit infantem Deum.

Eodem die XXVIII *Augusti sanctam Viduam refert Menologium Sirletianum; at Synaxarium Basilii imperatoris, Calendarium Syriacum & Chaldaïcum Romæ anno* 1624 *impressum, Menologium Slavo-Russicum Sparwenfeldianum, aliique Orientalium Fasti ecclesiastici* S. Annam *una cum S. Simeone sene* III *Februarii memorant.*

atque Latinis: C

2 *In sacris Ecclesiæ Latinæ Fastis prima Septembris ejus cultui destinatur. Ab Adone primùm hoc die inter Festivitates Apostolorum consignata fuit, dein suo eam inseruit Martyrologio; quod & Usuardus fecit, his utens vocibus;* Natalis beatissimæ Annæ prophetissæ, cujus sanctitatem Euangelicus sermo prodit. *Verba posteriora ex dictis Festivitatibus accepta sunt. Præter alios recentiores eadem adoptavit Baronius, auctor Martyrologii Romani, quo nunc utitur Ecclesia:* Jerosolymis, *inquit*, beatæ Annæ prophetissæ, cujus sanctitatem *&c. In Calendario festorum propriorum ecclesiæ Hierosolymitanæ, quod exstat apud Waddingum in Annalibus FF. Minorum ad annum* 1342 *num.* 48, *notatur sancta Prophetis* 1 *Septembris, præscribiturque ritus semiduplex, sub quo Officium de ea recitandum sit & Missa celebranda. Carolus Bartholomæus Piazza in Hemerologio sacro Romæ Christianæ & gentili ad* 1 *Septembris scribit, ejus reliquias servari in templo S. Pauli* della Regola, *sed quales eæ sint, non exprimit.*

laudatur ab Euangelista & S. Ambrosio:

3 *Ecclesia* S. Annam *fidelium cultu dignam censuit ob insigne & luculentum de sanctitate ejus testimonium, quod dat Euangelium Lucæ cap.* 2 ℣. 36 *& seqq.:* Et erat Anna prophetissa, filia Phanuel, de tribu Aser: hæc processerat in diebus multis, & vixerat cum viro suo annis septem à virginitate sua. Et hæc vidua usque ad annos octoginta quatuor: quæ non discedebat de templo, jejuniis & obsecrationibus serviens nocte ac die. Et hæc ipsâ horâ superveniens confitebatur Domino: & loquebatur de illo omnibus, qui exspectabant redemptionem Israël. *Virtutes, à quibus eam laudat Euangelista, explicatiùs proponit S. Ambrosius libro de Viduis cap.* 4: Docet, *inquit*, Anna, quales deceat esse viduas; quæ immaturo mariti obitu destituta, maturæ tamen adoream laudis invenit, non minùs religionis officio, quàm studio castitatis intenta. Vidua, inquit (*S. Lucas citatus*,) octoginta & quatuor annorum; vidua, quæ non discederet de templo; vidua, quæ jejuniis & obsecrationibus die ac nocte serviret. Vides qualis vidua prædicetur; unius viri uxor, ætatis quoque jam probata processu, vivida religioni & effœto jam corpore; cui diversorium in templo, colloquium in prece, vita in jejunio. Quæ dierum noctiumque temporibus indefesso devotionis obsequio, cùm corporis agnosceret senectutem, pietatis tamen nesciret ætatem. Sic instituitur à juventute vidua, sic prædicatur in senectute veterana: quæ viduitatem non occasione temporis, non imbecillitate corporis, sed virtutis magnanimitate servaverit. Etenim cùm dicit (*Euangelista*,) septem annis eam cum viro fuisse à virginitate sua, ab adolescentiæ utique studiis inchoata prædicat subsidia senectutis. *Similibus ferè elogiis, ex S. Luca hausti, eam exornat S. Hieronymus Parisiis editus epistolâ* 47 (*aliàs* 10) *ad Furiam, S. Fulgentius in epistola* 2 *ad Probam cap.* 15, *S. Amphilochius sermone de Occursu Domini, B. Petrus Damianus lib.* 8 *epist.* 14, *aliique sancti Patres, quorum verba infrà opportunius dabuntur. Nunc historicas aliquot quæstiones examinemus, quibus verba Euangelistæ, à variis variè intellecta, materiem præbuere.* F

ejus nobilitas ex Scripturis deduci nequit:

4 *Angelus Del Pas Ordinis FF. Minorum in Commentariis supra Lucam, à L. Waddingo & A. Hiquæo collectis & revisis, lib.* 3 *cap.* 36 *ex eo, quòd* S. Anna *ab Euangelista dicatur* filia Phanuel, *deducit hunc, illius patrem, fuisse virum* nobilissimum, qui penes suos de tribu Aser contribunos principatum obtinebat, *ut initio capitis loquitur; vel ut circa medium habet, fuisse* ob probitatem & actuum ejus excellentiam inter suæ tribus viros facilè principem. *Hoc, inquit*, indicat Euangelista, dum illum velut notissimum ex factis & nomine introducit, more Scripturarum; quæ hujusmodi viros sic narrationi intexunt, ut & nos, cùm apud notos de excellentibus loquimur, solemus dicere filium esse hunc Joannis,

AUCTORE J. L.

A Joannis, Petri aut alterius, qui vel ob divitias, aut imperium, seu vitæ integritatem singularis ac princeps inter alios habetur. *Licèt verum fortè sit, quòd Phanuel vel virtutis vel sanguinis nobilitate inter suos excelluerit, ratione tamen probabili id lectori non persuadet laudatus auctor. S. Petrus Joan. cap. 21 à Christo vocatur* Simon Joannis. *Quis dicat, ibi significari Joannem illius patrem fuisse nobilem? Non dubito ego, quin Christus patris nomen addiderit, ut Simonem, Apostolorum principem, distingueret ab alio Apostolo synonymo, videlicet Simone Chananæo. Idem de* S. Anna *sentit S. Gregorius Nyssenus sermone de Occursu Domini:* Quantum autem assequi possumus, etiam alias isto tempore hnic Sanctæ cognominas exstitisse dicimus, iisdemque cum hac sacris studiis deditas, jejuniis ac orationibus insistentes. Ut igitur ejus persona facilè discerni posset, patris illius meminit, ac tribùs proprietatem adscripsit. *Necesse non est, ut plura ex Scripturis adferam exempla. Lector eruditus dubitare non potest, quin sufficientia mihi in promptu sint, vel facilè esse possint. Venerabilis P.*
B *Petrus Canisius noster lib. 4 de Maria Virgine Deipara cap. 12 circa medium, & nonnulli alii, Sancta quoque generis nobilitatem tribuunt; sed quo fundamento nixi, ignoro: Euangelista certè isti opinioni nullum præbet.*

probabiliùs nubit anno ætatis 12 completo:

5 *De ejus vita, antequam vidua esset, nihil in sacris Litteris occurrit, nisi illud Lucæ* ℣. 36: Et vixerat cum viro suo annis septem à virginitate sua. *Ad quem locum ita noster Maldonatus:* Quod autem ait *Euangelista*, A VIRGINITATE SUA, sic interpretor, quasi diceret, à prima sua pubertate, à prima virginitate, id est, ab eo tempore, quo virgo esse cœpit... Tunc enim femina incipit propriè virgo dici, cùm nubilis esse incipit: nec enim propriè virgo est, quæ capax non est corruptionis. Voluit ergo Euangelista significare, Annam à prima sua pubertate, id est, ab anno duodecimo aut circiter nuptui datam esse.... Scio alios exponere, vixisse cum viro à virginitate sua, id est, ex quo tempore nupsit, ex quo virgo esse desiit; sed minimè probo. *Si secundum Maldonati interpretationem, quam omni alii præfero,* S. Anna *nupserit anno*
C *ætatis duodecimo, completo scilicet (nam pubertas in feminis priùs incipere non censetur;) vigesimum dumtaxat vitæ annum agebat, cùm maritum, cui septem tantùm annis convixerat, amitteret. Quis, qualisve is fuerit, an Sancta ex eo liberos susceperit, sacræ Paginæ non memorant.*

Viduæ castitas, & vitæ sanctimonia.

6 *In ætatis flore viro superstes, quod vitæ tempus ei reliquum erat, vidua peregit. S. Ambrosius citatus num.* 3, Viduitatem, *inquit*, non occasione temporis, non imbecillitate corporis; sed virtutis magnanimitate *servavit. Audi & S. Augustinum libro de Bono viduitatis cap.* 13: Meritum porrò Annæ illius eo maximè commendatur, quia, cùm tam citò extulisset virum, per prolixam ætatem suam diu cum carne conflixit, & vicit. Sic enim scriptum est: ET ERAT ANNA PROPHETISSA *&c. Textui sacro subjungit:* Vides, quemadmodum sancta Vidua non solùm eo prædicatur, quòd univira; verùm etiam quòd paucos annos cum marito vixerit à virginitate sua, & vidualis continentiæ munus usque ad tantam senectutem tanta pietatis servitute perduxerit. *Quænam illa fuerit servitus, quam Deo ad extremam usque senectutem servivit, & cujus præsidio continentiam servavit;*

breviter docet S. Lucas ℣. 37. *Verba iterum accipe:* Et hæc vidua usque ad annos octoginta quatuor, quæ non discedebat de templo, jejuniis & obsecrationibus serviens nocte ac die.

§ II. An Sancta habitavit in templo? An dono prophetiæ claruit ante diem Purificationis Deiparæ? Jesum agnoscit in templo & aliis annuntiat, quo ætatis anno, incertum.

Habitatio Sanctæ in templo Hierosolymitano planè incerta:

V*Arii graves auctores per illud Euangelistæ,* Et non discedebat de templo, *significari putant, quòd sancta Vidua in templo Hierosolymitano habitarit. Venerabilis P. Petrus Canisius libro* 1 *de Maria Virgine Deipara cap.* 12 *paulò ante medium ita scribit:* Adde, quòd in veteri Judæorum synagoga receptum fuerit ac solenne, ut quædam virgines ac viduæ nuptum non elocarentur; sed quibusdam in locis templi recluderentur: ubi precibus, & jejuniis, aliisque pietatis officiis commodè operam darent, suamque continentiam minore negotio tuerentur. In harum viduarum catalogum & ordinem, sicut eruditi judicant, cooptata fuit Anna, Phanuëlis filia, quæ, Luca teste, suam in templo sedem fixerat, ut inde sibi discedendum non putaret, vitâ interim & moribus tam religiosa, ut jejuniis ac orationibus vacans, & humana negligens, divino cultu noctes ac dies esset occupata. *Paulo infrà Tostatum citat sibi faventem in Comment. ad caput* 38 *Exodi. Eadem sententia placuit Baronio in Annalibus ad annum Christi primum num.* 41, *nostro Francisco Suarez tomo* 2 *in* 3 *partem S. Thomæ disp.* 7 *sect.* 1, *Torniello ad annum mundi* 4032 *num.* 16, *Calmeto, aliisque. Feminas olim verè habitasse in templo, variis exemplis & testimoniis solidè probat laudatus P. Canisius, & Baronius in Apparatu ad Annales Ecclesiasticos num.* 49 *& seqq. De templi loco, habitationi mulierum destinato, præter Baronium jamjam citatum, curiosus lector etiam consulere potest Torniellum ad annum* 4032 *num.* 14, *aliosque. A memoratis auctoribus dissentiunt Liranus, Jansenius Gandavensis, Toletus, Estius, Maldonatus & multi alii interpretes. His non videtur illud S. Lucæ,* Quæ non discedebat de templo, *significare, quòd Sancta in templo stabile habuerit domicilium. Euangelistam nihil aliud velle aiunt, quàm quòd illa in templo esset frequens in eoque diu perduraret, uti & hodie aliquæ devotæ faciunt. Quoniam neque excogitare, neque apud utriusque partis defensores invenire possum rationem ullam, quæ mihi sufficere videatur, ut opinionem, seu pôtiùs conjecturam, alteram alterâ verisimiliorem esse statuam; ego quæstionem indecisam relinquo.*

S. Cyrillus Hierosol. non favet iis, qui S. Viduam monialem faciunt.

8 *Lezana in Annalibus ad annum mundi* 4040 *num.* 4, *& nonnulli alii fidem facere conantur, non modò quòd sancta Vidua in templo Hierosolymitano, sed etiam quòd ibidem vixerit aliquo castitatis voto obstricta, & certam quamdam vitæ religiosæ regulam professa. Favere sibi putant S. Cyrillum Hierosolymitanum Catechesi* 10; *ubi, ut aiunt,* religiosissima monialis *vocatur. Lezana etiàm Baronium citat ad annum*

AUCTORE J. L.

Christi primum num. 41 ; *ubi hæc lego :* Quomodo autem numquam è templo discessisse dicatur, ut meritò eamdem S. Cyrillus Hierosolymitanus RELIGIOSISSIMAM MONIALEM appellet, consule quæ superiùs dicta sunt *&c. Fontem Græcum inspexi, & apud sanctum Patrem loco citato hæc verba inveni :* Καὶ Ἄννα προφῆτις, ἐγκρατὴς δὲ λαβεσάτη, ἡ ἀσκήτρια μαρτυρεῖ περὶ αὐτῆς. *Antonius Augustinus Touttée Ordinis Benedictini, qui S. Cyrillum Parisiis anno* 1720 *Græcè & Latinè edidit, hæc ita vertit :* Et anna prophetissa, continens (seu vidua) religiosissima, & asceticam vitam agens, de ipso testimonium reddit. *Sed antiquiorem interpretem Latinum pro* ἀσκήτρια *deprehendi posuisse* monialis. *Putem ego eruditissimum Baronium, textu Græco non inspecto, bona fide secutum fuisse Latinam hanc versionem, quam fortè præ manibus habebat. Utut sit, hoc certum est, quòd, sicut* ἀσκεῖν, *id est, exercere, ita & hinc deducta* ἀσκητὴς *&* ἀσκήτρια *dicantur de quovis mare & femina cujuslibet status, qui mentem oratione rerumve divinarum contemplatione, vel corpus voluntariis afflictationibus exercent. Itaque ex eo, quòd Sancta*

B *fuerit* ἀσκήτρια, *nullo modo inferri potest, eamdem fuisse monialem, qualem scilicet fuisse nonnulli volunt. Qui de genuina Græca istius vocis significatione plura cupit, legat Serarium nostrum in caput* 16 *libri Judith quæstiunculâ* 4, *ubi fusè de eadem in rem nostram disserit.*

9 *Inter dona cælestia, quibus Deus sanctam Viduam ob continentiam, orandi studium & vitæ austeritatem cumulavit, fuit donum prophetiæ :* Ob hoc enim, *inquit Euthymius hìc*, propheticâ etiam gratiâ dotata fuit, quia non discedebat de templo *&c. Origenes Homilia* 17 *in Lucam*, Et justè, *inquit*, mulier spiritum prophetandi meruit accipere, quia longa castitate, longisque jejuniis ad hoc culmen ascenderat. *Idem testatur S. Cyprianus de Oratione Domini. Patres hi agunt de spiritu prophetico, quo mundi Salvatorem, humana in carne sibi præsentem, in templo agnovit atque aliis annuntiavit. At sanctus Augustinus libro de Bono viduitatis etiam credendum esse ait, quòd divinitus illustrata Messiæ adventum in hunc mundum prænoverit : ita enim loquitur :* Hâc itaque bis conjugatâ (*Ruth*)

C ideo Anna, uno viro viduata, beatior fuit, quia & prophetissa Christi esse meruit ; quam credendum est, etiamsi filios nullos habuit, quod quidem Scriptura reticendo reliquit incertum, eo spiritu prævidisse Christum ex virgine proximè esse venturum, quo potuit agnoscere & parvulum. Unde meritò etiam sine filiis, si tamen eos non habuit, secundas nuptias recusavit, quia noverat jam tempus esse, quo Christo non officio pariendi, sed studio continendi, nec conjugalibus fœtandis visceribus, sed castificandis vidualibus moribus meliùs serviretur. *In Menologio Basilii imperatoris ad* 111 *Februarii lego, quòd* S. Annæ *in templo oranti apparuerit angelus, cujus oraculo edocta fuerit, se non priùs morituram, quàm conspexisset promissum Messiam. Sed ejus auctoritas, qui jussu Basilii Menologium istud conscripsit, tanta non est, ut probabile faciat, quod præter Scripturam de Sanctis, in ea notis, asserit. Licèt etiam præter Scripturam sit, quod ex S. Augustino mox transcripsi, ea tamen est sancti Doctoris in Ecclesia auctoritas, ut illud improbabile dicere non ausim.*

Spiritu prophetico à Domino donata fuit :

10 *Interpretes non pauci exponentes illud Lucæ,* Et erat Anna prophetissa, filia Phanuël *&c.*, *putant, Sanctam ideo tantùm prophetissam vocari, quia in templo prophetavit, cùm Domino occurreret. Sed non pauci etiam affirmant, Evangelistam hîc non modò indicare voluisse, quòd aliquando prophetarit, sed etiam quòd illud nomen publicè obtinuerit. Sanctæ prænomini, inquiunt, vocem* Prophetissa *adjunxit tamquam cognomen, quod ei inditum fuerit ob frequens doni prophetici exercitium. Sed redit quæstio, an* Prophetissa *vulgò agnominata fuerit ab usu spiritus prophetici, quo Dominum, cùm in templo offerretur, agnovit : an verò à prophetiis, quæ istam agnitionem præcesserunt. Multi censent, quòd istud agnomentum ei datum fuerit ob illud Evangelii* ℣. 38, Et loquebatur de illo (*Christo, quem divinitus illustrata promissum esse Messiam cognoverat,*) omnibus, qui exspectabant redemptionem Israël : *nam occultum, non modò futurum, sed etiam præsens aut præteritum, divinitus cognitum, aliis manifestare, prophetare est. Sunt tamen pauci aliqui, qui putent, quòd* Prophetissa *audierit ante diem Purificationis Virginis Deiparæ. Sacra autem narrationis contextum ita ferè exponunt : Ut Evangelista ostenderet,* S. Annæ *de Christo nato testimonium omni exceptione majus fuisse, voluit præmittere ea, quæ testimonio ejus auctoritatem conciliarant : hinc eam priùs commendavit à grandæva ætate, à continentia, quam vidua servavit, ab assiduitate in templo, à vitæ austeritate, & à nomine* Prophetissæ, *quod propter frequentem & celebrem prophetandi usum ei inditum fuerit. Cùm eam ita laudasset, statim subdit* ℣. 38 : Et hæc, *nempe* Anna, *quæ erat prophetissa, quæ non discedebat de templo &c.*, ipsâ horâ superveniens confitebatur Domino.

nomine & re prophetissa fuit ?

11 *Secundum hanc explanationem, quæ narrationi sacræ consentanea & probabilis mihi apparet, sancta Vidua nomine & re prophetis fuit ante Præsentationem Domini in templo. Favent illi verba S. Augustini numero præcedente citati :* Anna .... prophetissa Christi esse meruit, quam credendum est, ... eo spiritu prævidisse Christum ex virgine proximè esse venturum, quo potuit agnoscere & parvulum. *Si à Spiritu sancto edocta prænoverit Christum brevi nasciturum, haud dubiè etiam redemptionem Israëlis atque alia, quæ de eo prophetæ vaticinati fuerant, brevi implenda esse, prædixit ; nimirum ut aliorum*

F *fidem de ejus adventu vel excitaret vel confirmaret : nam teste Apostolo* 1 *Cor. cap.* 12 *à* ℣. 7 : Unicuique autem datur manifestatio Spiritûs ad utilitatem *proximi scilicet, quæ illius finis est primarius ;* alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ, alii autem sermo scientiæ secundum eumdem Spiritum, ... alii prophetia *&c. Sed quoniam, ut passim notum est, vox* prophetare *in Scripturis non modò futura prænuntiare, sed & multa alia significat, de sensu, quo Sancta ante* 40 *à Christi nativitate diem prophetis antonomasticè dicta fuerit, nihil affirmari potest. Ceterùm sententia, quæ eam id nominis ante illud tempus obtinuisse statuit, probabilis est ; non ita tamen, ut hanc opinioni neganti præferendam judicem.*

Infantem Jesum, à S. Spiritu edocta, cognoscit esse promissum Messiam, atque aliis annuntiat,

12 *Fuerit itaque, non fuerit prophetis, antequam Domino in templo occurreret ; satis magnam apud Judæos existimationem atque auctoritatem ei conciliarant venerabili senectuti conjuncta vitæ sanctimonia & virtutum exercitia, à quibus in Euangelio laudatur. Tantæ Mulieris testimonio Deus quoque voluit Christi nativitatem divulgari :* Prophetaverat Symeon, *inquit S. Ambrosius*

D *sed an etiam ante* 40 *à Christi nativitate diem*

E

A *Ambroſius hîc*, prophetaverat virgo *Maria*, prophetaverat copulata conjugio *Elizabeth*; prophetare etiam debuit vidua, nequa aut profeſſio deeſſet aut ſexus. Et ideo Anna & ſtipendiis viduitatis & moribus talis inducitur, ut digna planè fuiſſe credatur, quæ Redemptorem omnium veniſſe nuntiaret. *De ſpiritu prophetico, quo donata hunc Infantem, qui hâc horâ ſecundum legem in templo redimebatur, cognovit eſſe mundi Salvatorem, cognitumque aliis annuntiavit; Scriptura hæc pauca tradit:* Et hæc ipsâ horâ ſuperveniens confitebatur Domino: & loquebatur de illo omnibus, qui exſpectabant redemptionem Iſraël, *Lucæ cap.* 2 ℣. 38. *Textum hunc expoſitione elucidat Toletus noſter:* Hæc, inquit, nempe Mulier, qualis & quanta deſcripta jam eſt, hâc eâdem horâ, quando Simeon in ulnis habebat Chriſtum & hymnum decantabat, ſuperveniens quaſi eodem Spiritu, quo Simeon, ducta, ut ejus teſtimonio ſuum etiam adjungeret, confitebatur Domino, id eſt, laudibus proſequebatur Chriſtum ipſum. Habet autem verbum Græcum (ἀνθωμολογεῖτο) majorem impreſſionem, quaſi dictum eſſet, viciſſim confitebatur, id eſt, B Simeoni ſuccinebat, & ſicut ille confitebatur, confitebatur & ipſa. Particula enim ἀντὶ in compoſitione viciſſitudinem indicat ejus rei, quam verbum, cui adjungitur, ſignificat; ſicque Anna viciſſim confitebatur cum Simeone. *Annotatione aliqua interjecta, ita pergit:* Non ſolùm Domino confitebatur, ſed & iis, qui adſtabant fideles, qui exſpectabant redemptionem Iſraël per Chriſtum futuram, loquebatur de illo, annuntians eum eſſe Chriſtum & promiſſum Meſſiam, per quem exſpectata redemptio & ſalus efficienda erat.

13 *Grandæva erat ſancta Vidua, cùm in templo prophetaret, ut patet ex Euangeliſta* ℣. 36 & 37: Hæc proceſſerat in diebus multis; & vixerat cum viro ſuo annis ſeptem à virginitate ſua. Et hæc vidua uſque ad annos octoginta quatuor *&c. Sed quoniam valde ambiguum eſt, an ille* 84 *annorum numerus intelligendus ſit de viduitate, an verò de Sanctæ ætate, determinari nequit, quàm provecta ejus ſenectus fuerit. S. Ambroſius hîc, Eraſmus, & Didacus Stella cenſent, quòd* 84 *annis vidua fuerit: atque hoc ita probat Henricus Rampen S. T. D. Lovanienſis:* Videtur veriſimiliùs ſignificari annus viduitatis: nam ſi intelligendi forent anni ætatis, non erat ratio cur præmitteret, quòd proceſſerat in diebus multis: deinde cùm explicuerit tempus durationis conjugii iſtis verbis, "Vixerat cum viro ſuo an-„nis ſeptem à virginitate ſua„, reſtabat ut conſequenter explicaret Euangeliſta tempus viduitatis. *Secundum hanc opinionem Sancta ad minimum* 104 *circiter annorum erat eo tempore, quo Deipara in templum venit ſubitura puerperarum legem, à qua eximebatur. Nupſerit enim anno ætatis decimo tertio inchoato, adde 7 annos, quibus conjugata, &* 84, *quibus vidua vixit; habebis* 104. *Plerique tamen alii interpretes, ducem Euthymium ſecuti, aiunt S. Lucam his verbis,* Et hæc vidua uſque ad annos octoginta quatuor, *non viduitatis, ſed vitæ tempus exprimere* E *voluiſſe. Cur ita judicent, hanc multi rationem addunt; quia de* 104 *vel plurium annorum muliere non ſatis commodè intelligi poſſunt ea, quæ ſubdit Euangeliſta:* Quæ non diſcedebat de templo, jejuniis ac obſecrationibus ſerviens nocte ac die. *Tam annoſam feminam in templo adeo frequentem & aſſiduam fuiſſe, vel tam diu multúmque iſtis pietatis operibus vacaſſe, illis minùs credibile apparet. Hæc ſententia ſi non magis, ſaltem æquè probabilis eſt ac prior. Quamdiu, viſo Chriſto, ſupervixerit, neſcitur. Non exiſtimem tamen me aberraſſe, dum ſuprà notavi, ejus tranſitum ad Patres in limbo ſub initium ſeculi primi contigiſſe.*

AUCTORE J. L.

an viduitatis ſuæ, an verò ætatis anno 84, *controvertitur.*

DE S. PRISCO EPISCOPO MARTYRE

CAPUÆ IN ITALIA.

C SYLLOGE HISTORICA. F J. S.

§ I. Sancti antiqua veneratio: creditur unus è Chriſti diſcipulis, & primus epiſcopus Capuanus.

SEC. I, FORTE SUB NERONE. *Martyrologia annuntiant S. Priſcum, ut antiquum Chriſti diſcipulum,*

Martyrologium Romanum geminos hac die Capuæ annuntiat Priſcos, epiſcopos ambos, alterum martyrem, alterum verò confeſſorem. Martyrem, de quo hîc agimus, memorat his verbis: Capuæ via Aquariâ ſancti Priſci martyris, qui fuit unus de antiquis Chriſti diſcipulis. *Eadem prorſus Martyrologiis ſuis inſeruerunt Ado & Uſuardus, & vetus Romanum illis antiquius ſic habet:* Capuæ, Priſci martyris, de illis antiquis Chriſti diſcipulis. *Similia leguntur in auctariis Bedæ apud nos ante tomum 2 Martii pag.* xxx *in hunc modum:* In Capua natale S. Priſci, qui fuit unus de antiquis Chriſti diſcipulis. *Aliàs,* qui unus dicitur fuiſſe ex ſeptuaginta duobus diſcipulis. *In omnibus etiam apographis Hieronymianis ejuſdem Sancti reperitur memoria, ſed breviter. Addunt aliqua titulum martyris & locum, alia vel alterutrum, vel utrumque omittunt. In Corbeienſi etiam videtur addi ſocius* Magnilis, *qui in aliis omnibus omittitur. Verba accipe:* In Capua Aquiria natalis S. Priſci martyris, Magnilis. *Hinc ita notat Florentinius:* Magnilium ſocium S. Priſci omnino Corbeienſi Ms. debemus, alibi enim mihi non comparet. *Verùm non auſim aſſerere hac voce ſocium* S. Priſci *deſignari, aut alium quempiam Sanctum, de quo nullibi quidquam reperio: nam apographa illa nimis corrupta ſunt & mendoſa. Kalendaria omnia antiqua eccleſiæ Capuanæ, quæ edidit Michaël Monachus in Sanctuario, ſimiliter celebrant*

AUCTORE J. S.

brant memoriam S. Priſci *martyris. Ejuſdem Sancti feſtivitas notatur Kalendis Septembris in Codice Sacramentorum edito per Thomaſium, cum titulo* Martyris. *Hinc abundè conſtat de antiquo* S. Priſci *cultu.*

eumque Chriſti hoſpitem facit Petrus de Natalibus:

2 *Petrus de Natalibus epiſcopus Equilinus lib.* 8, *cap.* 17 *de Sancto noſtro habet ſequentia:* Priſcus diſcipulus fuit unus ex antiquis diſcipulis Chriſti; licèt inter nomina 72 diſcipulorum, qui à Dorotheo abbate conſcripti ſunt, non reperiatur. Hic enim ille paterfamilias fuiſſe aſſeritur, in cujus domo Chriſtus paſcha ſibi parari fecit, & in ejus cœnaculo cum diſcipulis diſcubuit, & eorum pedes lavit, ut Damaſus. Hic poſt Aſcenſionem Domini veniens Romam cum apoſtolo Petro, in partibus Campaniæ Euangelium prædicavit. Qui & apud Capuam viâ Aquariâ depoſitus eſt Kal. Septembris, ut dicit Ado. *Hactenus laudatus Equilinus, nec plura de* S. Priſco *hoc loco. Verùm lib.* XI, *cap.* 130, *num.* 233 *eumdem clarè deſignat ſub nomine Sixti hiſce verbis:* Sixtus epiſcopus Capuanus, primus ejuſdem urbis antiſtes, apud ipſam civitatem viâ

B Aquariâ dormivit Calendis Septembris. *Martyrem non vocat, & potiùs mortem naturalem quam violentam inſinuat vox* dormivit. *Sed aliorum, qui Martyrem aſſeruerunt, longè major eſt auctoritas.*

at hoc omnino incertum;

3 *Michaël Monachus in Sanctuario Capuano priora verba recitat, & pag.* 64 *&* 65 *ex illis probabiliter concludit,* Priſcum *genere fuiſſe Judæum, cùm Chriſtus Dominus non elegerit diſcipulos niſi Judæos. Probabilius quoque eſſe exiſtimat, Chriſtum in domo* S. Priſci *ultimam cœnam ſumpſiſſe cum Apoſtolis, quia is honor nec Joanni apoſtolo, nec Joanni Marco, nec Simoni Leproſo, quibus adſcribitur ab aliis, probabiliter attribui poteſt. Verùm incertius eſt, quis fuerit ille paterfamilias, apud quem cœnam poſtremam dignatus eſt ſumere Dominus, quàm ut iis immorari oporteat. Sanè ſola auctoritas Petri de Natalibus non ſufficit, ut probabiliùs attribui poſſit dictus honor* S. Priſco, *quàm adſcriptus ſit aliis.*

diſcipulus verò Chriſti fuiſſe & epiſcopus Capuanus paſſim creditur:

4 *Quod ſpectat ad Chriſti diſcipulatum, Capuani paſſim aliique ſcriptores illum* S. Priſco *attribuunt cum Martyrologiis, adduntque primum fuiſſe Capuanæ eccleſiæ epiſcopum à S. Petro conſtitutum. Monachus pag.* 67 *varios adducit ſcriptores, qui utrumque uno ore affirmant, videlicet eminentiſſimos Cardinales Sanctorium, Baronium & Bellarminum, uti & Maurolycum & Galeſinium in Martyrologiis. Inter hos Bellarminus, qui Ms. Catalogum Capuanorum antiſtitum texuit, dum eidem præſidebat eccleſiæ, ſic habet:* Priſtus epiſcopus & martyr, unus ex antiquis Chriſti diſcipulis, à ſancto Petro apoſtolo

C Capuam miſſus fuit. *Huic alii plerique conſentiunt. Objici quidem poteſt contra epiſcopatum* S. Priſci, *quòd in Martyrologiis antiquis nullibi vocetur* epiſcopus. *Verùm conſtat titulum illum non rarò omiſſum eſſe in antiquis Martyrologiis, ideoque ex omiſſione iſtius tituli efficax non deſumitur argumentum contra epiſcopalem Sancti dignitatem, quæ aliunde ſatis probari poteſt. Audi laudatum Monachum pag.* 66 *hac de re diſſerentem:* Etſi nec in Martyrologio, nec in Petri Catalogo Priſcus nominatur epiſcopus, tamen dum legimus ipſum prædicâſſe Euangelium, cogimur affirmare fuiſſe epiſcopum: nam ſi ſanctus Priſcus non fuiſſet epiſcopus, non potuiſſet eccleſiam conſtituere, nec Sacramentorum miniſtros ordinare ... Et profectò in via Aquaria hoc D nomine perpetuò cultus fuit: & inter Acta beatæ Matronæ in parietibus picta repræſentabatur inventio ſancti Priſci, eratque imago viri ſenis epiſcopalibus induti, quæ præſente beata Matrona è refoſſo puteo extrahebatur. *Acta illa S. Matronæ infrà adducemus latiùs, cùm dicatur inveniſſe corpus* S. Priſci, *eidemque eccleſiam edificâſſe. Demum cùm dicatur Chriſti diſcipulus, & Capuæ martyrio coronatus, dubitare vix poſſumus, quin eo profectus fuerit ad prædicandum Euangelium, & epiſcopali dignitate ornatus fuerit, ut eccleſiam conſtitueret, quemadmodum obſervavit Monachus.*

primus Capuanæ eccleſiæ epiſcopus dicendus eſt Priſcus, non Rufus;

5 *Orlendius in Orbe ſacro & profano part.* 2, *lib.* 4, *cap.* 5, *num.* 8 *epiſcopatum Capuanum* S. Priſci *agnoſcit, ſed dubitat utrùm hic, an* S. Rufus, *de quo egi ad* XXVII *Auguſti, primus fuerit illius eccleſiæ epiſcopus:* Prima, *inquit,* ejus eccleſiæ fundamenta fuiſſe jacta ſub ipſo adventu divi Petri in urbem Romam tradunt, quotquot de Capuanis rebus ſcripſere. Duo autem ſunt, quibus prima Capuanæ eccleſiæ inſtitutio tribui poſſe videtur, Priſcus nimirum & Rufus. E Ambos fuiſſe ex ſeptuaginta duobus Chriſti diſcipulis; ambos à divo Petro Capuæ epiſcopos ordinatos, Baronius ad ann. 44 & 46 aſſerit. Rufum quidem unum fuiſſe ex divi Petri ſociis, cùm Antiochiâ Romam adiit, eumdemque ab Apoſtolorum Principe epiſcopum Capuanis datum, priore loco affirmat: " Rufum, inquit, „ Capuæ factum epiſcopum „: idque ex Metaphraſte, ad diem XXIX Junii confirmat. Hunc ipſum Rufum unum extitiſſe ex ſeptuaginta duobus diſcipulis, jam antea ad ann. 33 num. 41 ex ſancto Epiphanio in Panar. lib. 1 dixerat. Infrà verò ad ann. 46 Priſcum pariter à divo Petro epiſcopum Capuæ præfectum ſcripſit: " Ha„ buit à Petro inſtitutum epiſcopum Capua Pri„ ſcum „. Sed uter iſtorum primus Capuanæ eccleſiæ initium dederit, adhuc mihi incompertum eſt. *Sic ille dubitanter. Verùm ex iis, quæ de S. Rufo diſputavi ad* XXVII *Auguſti à pag.* 9, *ſatis colliget ſtudioſus lector Rufum ſeriùs præfuiſſe Capuanæ eccleſiæ, cùm fuerit diſcipulus S. Apollinaris, ideoque Rufum Capuanum diſtingui à Rufo, qui inter Chriſti diſcipulos à quibuſdam numeratur. Nec Baronius ullibi dixit Rufum primum fuiſſe Capuanorum epiſcopum, aut ordinatum fuiſſe Capuamque miſſum à S. Petro, uti vult Orlendius.* F

cùm hic alius ſit ab illo Rufo, qui numeratur inter diſcipulos Chriſti.

6 *Rectiùs hac de re diſputavit Antonius Caracciolus in Opere de Sacris eccleſiæ Neapolitanæ monumentis cap.* 3, *ſect.* 10, *ubi ſic habet:* Venio ad Priſcum noſtræ Campaniæ epiſcopum: quem unum è ſeptuaginta duobus Chriſti diſcipulis extitiſſe tradunt, quotquot de eo ſcribunt, videlicet Beda (*auctus,*) Uſuardus, Ado, .. Petrus Equilinus ... Hunc verò à Petro ab Oriente ductum, & Capuæ datum epiſcopum, non autem, ut nonnemo recentiorum ſcribit, Rufum, patet tum ex jam dictis Martyrologiorum ſcriptoribus, qui cùm Priſcum antiquum Chriſti diſcipulum fuiſſe aſſerant, utique ſignificant, non poſt Rufum, ſed multo antè, hoc eſt, in prima illa Chriſtianæ fidei in Campania prædicatione, Capuanæ urbi præfectum: tum etiam, quòd Rufus ille, qui Capuæ fuit epiſcopus, non ad hæc, ſed ad multo poſteriora tempora pertineat. Nam diu poſt B. Petri acceſſum ad urbem Romam, imò etiam poſt ejuſdem obitum, Rufus à B. Apollinari ex patricio Ravennate Chriſti ſervus effectus,

A fectus, Capuam miſſus eſt circa annum Domini octogeſimum. *Hactenus Caracciolus, cujus ſententiæ cum Ughello, cunctiſque paſſim Capuanis ſcriptoribus, lubens acquieſco; quandoquidem nihil occurrit probabilius, & id ipſum inſinuant antiquæ imagines, datæ à Monacho pag.* 132, *inter quas* S. Priſcus *S. Rufo præponitur.*

§ II. Geſta Sancti & ejus martyrium, prout referuntur è Breviario Capuano.

Geſtâ S. Priſci in Breviario Capuano confuſa cum geſtis alterius Priſci:

DE *geſtis* S. Priſci *quadam memorantur in antiquo Breviario Capuano, ſed non ſine confuſione. Habentur quidem ad* 1 *Septembris lectiones novem, quarum tres primæ agunt de* S. Priſco *epiſcopo Africano, cujus geſta infrà examinabimus, tres ſequentes de duodecim Fratribus Martyribus, quorum Acta ad hunc etiam diem illuſtrabimus, ac demum tres poſteriores agunt de* Priſco *epiſcopo martyre, quem Breviarium clarè non diſtinguit ab eo, de quo antè egerat; ſed potiùs videtur utrumque confundere. Fatetur eam confuſionem laudatus ſæpè Monachus pag.* 68, *ubi obſervat ſequentia:* Martyrologium Romanum die primo Septembris de duobus Priſcis agit: at narratio Breviarii Capuani ex duobus unum effinxit. Sed, ut Cardinalis Bellarminus advertit, in tribus primis lectionibus ſancti Priſci, qui ex Africa venit, res geſtas Breviarium narrat; in tribus verò ultimis ſancti Priſci prioris, qui ad Capuanos paganorum erroribus implicatos miſſus fuit, paſſionem attingit: & ideo nos ſeptimam & octavam & nonam lectiones, ut pertinentes ad hunc Priſcum exſcripſimus. *Sanè Priſco Africano, qui vixiſſe videtur ſeculo* V, *convenire nequeunt, quæ de* S. Priſci *martyrio referuntur, ideoque intelligenda ſunt de* Priſco, *quem Chriſti diſcipulum vocant martyrologi antiqui. Mira forſan cuiquam videbitur hæc confuſio, magiſque mirandum, quòd ipſi Capuani eo tempore non agnoverint* Priſcum *antiquiorem; ſed id attribuendum temporum illorum ignorantiæ, quâ etiam laboravit illarum lectionum collector, qui uni* Priſco *attribuit, quod de duobus invenit.*

B

C

dantur ea, quæ pertinere videntur ad Priſcum I:

8 *Accipe interim ea, quæ de* Priſco *noſtro videntur dicta:* Beatus autem Priſcus epiſcopus Capuæ eſt donatus à Domino, ut populum, qui ibi adhuc Dianæ vana ſacrificia offerebat, liberaret, & ad veram Dei cognitionem atque credulitatem perduceret. Qui ante civitatem non longè à porta, quæ Albana nuncupatur, in via, quæ ducit Beneventum, cum duobus miniſtris ſuis habitabat. Cui tantam Deus contulit gratiam, ut quotidie infinita populi multitudo ad ſanctam ejus prædicationem concurrerent. Sed cùm Deus per eum multa ibidem oſtenderet mirabilia, ſanando infirmos, ſuſcitando mortuos, illuminando cæcos, dæmones ab obſeſſis corporibus effugando; atque multitudinem populi ad fidem Domini convertiſſet, concitata eſt ſeditio non minima paganorum à ſacerdotibus ſuis, quòd quæſtum magnum perdiderant non recipientes ſolita reſponſa dæmonum. Adierunt itaque proconſulem, clamantes, per Priſcum everſum eſſe populum, relicto templo Dianæ, prædicantem eis neſcio quam ſuperſtitioſam ſectam. Tunc proconſul juſſit ſanctum Priſcum teneri, & à carnificibus ad ſacrificandum compelli. Cùm autem carnifices eum interficere volentes, pugionibus & lignorum fuſtibus ſacrificare compellerent, & eorum brachia adverſus Sanctum Dei defeciſſent; beatus Priſcus, aſtantibus eis, extenſis manibus ad cælum orabat, dicens: Domine Jeſu Chriſte, gratias tibi ago, quia me non fraudâſti de numero Sanctorum tuorum, ſed ad deſiderium meum me perducere dignatus es: ſit nomen tuum benedictum in ſecula, & ſuſcipe modò ſpiritum meum, Domine Deus meus. Cúmque complêſſet orationem ſtatim emiſit ſpiritum, gaudenſque & lætus perrexit ad Dominum. Inimici autem ſtupefacti & confuſi reverſi ſunt, non prævalentes adverſus Sanctum Dei: multi verò ex eis crediderunt in Dominum Chriſtum.

AUCTORE J. S.

eadem leguntur in antiquo Ms. æquè confuſa. Ex his autem & Martyrologiis

9 *Hæc etiam leguntur in apographo gemino Caſinenſi Majoribus noſtris tranſmiſſo, quorum alterum notatur* ex tom. 147 Ms. bibliothecæ Caſinenſis in litteris Longobardicis; *alterum* ex veteriſſimo codice Ms. characteribus Longobardis in bibliotheca Caſinenſi. *Eadem in illis Mſs. regnat confuſio: nam omnia attribuuntur* S. Priſco *Africano, ſicuti fit in Breviario. Verumtamen certum eſt,* S. Priſco *Africano tribui rectè non poſſe, quæ dicuntur de querelis paganorum, eorumque ſacerdotum, dicentium relictum eſſe templum Dianæ, & prædicari ſectam ſuperſtitioſam: illo enim tempore, etiamſi ſupererant non paucæ gentilitatis reliquiæ, altiores egerat radices fides Chriſtiana, quàm ut querelis ejuſmodi publicè proferendis eſſet locus. Minùs eidem tempori congruunt, quæ de proconſule, inflictiſque Sancto tormentis referuntur. Hinc, cùm omnia ſatis congruant temporibus Neronis, quo imperante creditur contigiſſe martyrium* S. Priſci *primi Capuanorum epiſcopi, probabiliter exiſtimant Capuani aliique ſcriptores, ea omnia de hoc Sancto primùm fuiſſe relata, ac deinde ex errore alteri attributa. Hac de cauſa Lectiones proprias de* S. Priſco *primo, anno* 1669 *à ſacra Rituum congregatione recognitas & approbatas, eodemque anno cum aliis Neapoli impreſſas, ex tribus lectionibus recitatis concinnarunt, adjunctis tantùm paucis ex antiquis Martyrologiis & Petri Equilini Catalogo Sanctorum.*

B

F

noviæ concinnatæ ſunt lectiones,

10 *Has igitur lectiones, tamquam probabile Vitæ* S. Priſci *compendium, lectorum oculis hîc exhibeo:* Priſcus unus ex ſeptuaginta duobus Chriſti diſcipulis, ille fuiſſe creditur, in cujus domo Chriſtus Dominus ultimam cænam cum diſcipulis ſuis fecit, & ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum inſtituit. Cùm verò poſt ejuſdem Salvatoris noſtri Aſcenſionem unà cum B. Petro apoſtolorum principe Romam pergeret, primus Capuæ epiſcopus ab eodem ordinatus eſt, ut in hac civitate Euangelium prædicaret, quod munus & alacriter ſuſcepit, & feliciter adimplevit. Ut enim erat Spiritu Dei plenus, & apoſtolico zelo ſuccenſus, animarum ſaluti tantâ curâ & ſolicitudine incubuit, ut perditam gentem, Dianæ cultui magnopere deditam, ab idolorum ſervitute ad Chriſtianam religionem magna ex parte revocarit.

quæ recitantur,

11 Divini itaque verbi prædicationi intentus non longè ab Albana porta in via, quâ Beneventum itur, unà cum duobus miniſtris domicilium fixit, atque ibi frequentes ad populum conciones habebat tantâ dicendi gratiâ & efficaciâ præditus, ut infinita gentium multitudo ad eum audiendum conflueret, non ſine uberrimo

AUCTORE J. S.

Christiani nominis, & religionis augmento. Neque animabus dumtaxat, verùm etiam corporibus medebatur; nam & infirmos curabat, cœcis visum, surdis auditum reddebat; dæmones expellebat, mortuos suscitabat, Deo sermonem & sanctitatem Servi sui confirmante sequentibus signis.

ut probabile vitæ compendium;

12 Quibus omnibus cùm idolis cultum subtraxisset, & maximam Christianæ religioni reverentiam conciliasset, deorum sacerdotes in rabiem acti, sanctum Virum apud proconsulem accusarunt, à quo tentus & vinctus, ac variis tormentorum generibus excruciatus est, ut eum idolis sacrificare compelleret. Sed fortissimus Christi Athleta fidem, quam verbis & moribus prædicaverat, proprio sanguine firmare desiderans, minas impiorum & supplicia eâ constantiâ pertulit, ut omnibus fuerit admirationi, multis verò saluti: nam relicto idolorum cultu, Christianæ fidei nomen dederunt. Priscus autem oculis & manibus in cælum sublatis, Gratias, inquit, ago tibi, Domine Jesu Christe, quia me Sanctorum tuorum numero sociare dignatus es, nec me fraudasti à desiderio meo. Sit Nomen tuum benedictum in sæcula, & suscipe spiritum meum. Quibus dictis, pugionibus confossus est viâ Aquariâ, sedemque episcopalem, quam primus Capuæ tenuit, illustri martyrio exornavit. *Observet hîc lector, ea, quæ dicuntur de via Albana, & de idololatrico cultu Dianæ, optimè convenire antiquæ Capuæ, quæ non fuit eo loco, ubi nunc est Capua hodierna, uti explicat Camillus Peregrinus in Opere Italico, quod deinde Latinè redditum est, de Campania Felice dissert. 2, cap. 29, aliique scriptores, qui situm veteris Capuæ descripserunt.*

B

de via Albana, templo Dianæ Tifatinæ,

13 *Certè de via Albana meminerunt antiqui scriptores, Cicero, Valerius Maximus, aliique apud neotericos Capuæ veteris historicos commemorati. Plures etiam commemorarunt montem Tifata Capuæ antiquæ imminentem, in quo famosum erat Dianæ templum. Laudatus Peregrinus cap. 28 de utroque sic scribit:* Tifata mons ex illis est, qui maximè noti sunt in Campania nostra; & licèt naturæ beneficio nulla sit insigni dote ornatus, quæ illi majus aliquod pretium addat, fuit ille nihilominus temporibus antiquis satis celeber; nec poterit facilè in oblivionem abire nomen ejus, dum facta Pœni ducis * istius, qui in eo sæpiùs castra posuit, vivent in ejusdem Livii Historia. Ab ejus nomine Tifatini cognomen accepit nobile templum istud, quod olim ad radices ejus Occidentem hybernum versus exstructum fuit, paucis passuum millibus à Capua vetere, & Dianæ dedicatum. Notum est non tantùm hoc templum ex quibusdam nostris inscriptionibus antiquis, sed etiam celebre est per elogia, quæ de eo occurrunt apud Vellejum nostrum lib. 11, Pausaniam lib. v, Athenæum lib. xi semel atque iterum, & Itinerarium Peutingerianum, ut taceam Leonem Ostiensem lib. 1 cap. LVI. *Hactenus Peregrinus, prout nuper Latinè redditus est à Sigeberto Havercampo, edituſque Lugduni Batavorum in Thesauro antiquitatum & historiarum Italiæ tom. 9, part. 2, col. 264.*

C

* Annibalis

& via Aquaria observantur quædam:

14 *Illustrissimus Cæsar Costa archiepiscopus Capuanus, aliique in descriptione antiquæ Capuæ viam Aquariam, in qua Sanctus martyrio coronatus, distinguunt à via Albana, Aquariamque dictam volunt ab aquæductu in ejus vicinia posito. Audi Monachum in Sanctuario pag.* 72: Via Aquaria, *inquit*, quænam est? Non longè à latere meridiano ecclesiæ S. Prisci (*ubi nunc est pagus* S. Prisco *dictus*) apparent aquæductûs non pauca vestigia, quibus adhæret via per medium pagum descendens. Possumus opinari illo antiquissimo etiam tempore eamdem ibi fuisse viam, quæ aquæductui adhærens, ab ipso aquæductu ad murum civitatis usque descenderet. Seu (quod descriptioni domini archiepiscopi Costæ conforme videtur) illa via cava, quæ non longè à latere aquilonari ipsius ecclesiæ descendit in longitudinem mille fere passuum, & pervenit ad quadrivium illud, quod est prope angulum inferiorem campi sancti Martini: (dicitur ibi ALLA GROTTELLA, antiquiùs dicebatur A BAGNUOLO: ibi, vel ibi propè erat porta Jovis.) Illa via potest censeri Aquaria, quia à porta civitatis rectà ad Orientem excurrens, aquæductui non longè à tergo ecclesiæ S. Prisci sese jungebat.

D

traditiones aliquæ populares de S. Prisco.

15 *Joannes Petrus Paschalis in Historiâ primæ ecclesiæ Capuanæ pag.* 23 *&* 24 *hæc scribit:* Majoribus acceptum, beatissimum Apostolorum Principem, cùm Capuâ Romam pergeret via, quæ ducit ad flumen (*Volturnum*;) eumque Priscus ab urbe passuum ferè millia comitaretur; ipsique gradum jam ulteriùs efferre prohiberet, in ipsa Tifatæ monti (*subjectâ*) camporum planitie constitisse. Cùmque invicem exosculati, lacrymis hinc inde dimitterentur; ac suspicienti Petro sub ipso monte celeberrimum Tifatinæ Dianæ fanum occurreret, commonstrâsse, commonuisseque, ut in id vehementiùs inveheretur; eoque protensæ manûs indicio corruisse falsi numinis simulacrum. Huic verò loco pia fidelium mens, sacra erecta æde, hujusmodi titulum posuit. Postea verò vetustate collapsa, ac iterum instaurata anno Domini MCDXX, penitus tamen postea abolita, non nisi sancti Petri vulgò APOSTEA retento nomine perhibetur. *Hæc ille, ut notat*, ex traditione Nicolai Vitellei, ex cimiliarcha Campano Cabeni episcopi; atque ex chirographo membranaceo, in thesauro Capuano asservato, edito anno Domini MCDXX, in quo de hac æde sic habetur: " Et est ad transitum & usum publicum singulis viatoribus illac transire „ volentibus „. *At vereor, ne factum, seu eversio illa simulacri Dianæ sola nitatur traditione populari; quemadmodum & istud, quod Monachus refert pag.* 70 *hisce verbis:* S. Priscum inter cætera docuisse cultum & observantiam diei Dominicæ ab Apostolis institutæ, persuadeo mihi ex eo, quod in ejus pago non semel audivi. Ut narrant ibi, jumenta, quæ primo die hebdomadæ onerata ante domum S. Prisci transibant, frequentissimè cadebant. De qua re cùm agasones partim admirarentur, partim dolerent, Sanctus inde accipiebat occasionem patefaciendi mysteria fidei, & monebat illos, ne illo die onerarent jumenta, sed solitis ab operibus abstinerent: ideo parochiani simplices & idiotæ dicunt aliquando, diem Dominicam institutam à S. Prisco.

E

F

§ III. Corporis variæ inventiones & translationes.

Antiquum Sancti sepulcrum, ubi pagus S. Prisco dictus:

DUbitandum non videtur, quin corpus S. Prisci *sepultum fuerit extra antiquam Capuam circa locum martyrii. Laudatus jam Camillus Peregrinus diss. 2, cap. 26 occasione partis istius viæ Appiæ, quæ Capuâ Beneventum ducebat, de sepulcro Sancti nostri meminit hisce verbis:*

A *verbis :* Nec plus fortè proderit adducere locum ex Actis S. Priſci, primi noſtri epiſcopi, & ex Servatoris diſcipulis, qui ante civitatem in via, quæ ducit Beneventum, cum duobus miniſtris ſuis habitabat. Et juxta hunc locum deinde ille morte affectus eſt à gentilium carnificibus, & ſepultus ibidem; cúmque iſtic antiquiſſimum conſtitutum eſſet cœmiterium, pagus inde effectus eſt, qui hodieque ab ipſo nomen habet, & eſt ab iſto latere Capuæ veteris, per quod relictis ad dextram ruderibus Sueſſulanis aliquantum extra viam, primùm ad Arpajam, inde ad Beneventum iter eſt. *Pagus* S. Priſco, *ubi antiquum Sancti ſepulcrum, in tabulis quibuſdam geographicis notatur inter Maceratam, cui vicinus eſt, & hodiernam Capuam, à qua diſtat paſſibus circitèr* 2500, *ut olim Papebrochio noſtro perſcripſit Petrus Paſchalis Societatis noſtræ.*

prima ſacri corporis inventio miro magis quàm vero modo narrata,

17 *Mira ſunt, quæ de prima inventione corporis* S. Priſci *narravit Michael Monachus in Sanctuario pag.* 143 *& ſeqq., in Vita S. Matronæ, quam compoſuit ex picturis eccleſiæ* S. Priſci. *Bollandus eamdem hiſtoriam inſeruit tom.* 2 *Martii à pag.* 398, *quia S. Matrona, quæ corpus* S. Priſci *divina revelatione inveniſſe dicitur, Capuæ die* XV *Martii colitur, atque in ipſa* S. Priſci *eccleſia creditur ſepulta, ubi & miraculis inclaruit. Fateor tamen totam hanc inventionis hiſtoriam, prout relata eſt à Monacho, magis apparere mirabilem quàm credibilem, ita ut non dubitem, quin multis erroribus inquinata ſit. Petrus Paſchalis in laudato Opere hanc corporis inventionem prorſus repudiavit, & pag.* 42 *aliiſque locis S. Matronam cum* S. Priſco *vixiſſe dicit, huncque ab illâ hoſpitio receptum, ac poſt mortem ſepultum affirmat. Verùm eò delapſus eſt ſcriptor ille nulla alia ratione ductus, quàm quòd crederet id magis veriſimile eſſe, quàm ſint ea, quæ de corporis inventione dicebantur : adeoque nova illa opinio, cùm nullo nitatur fundamento, rejicienda eſt eadem facilitate, quâ fuit aſſerta. Baronius in annotatis ad Martyrologium die* XV *Martii, Matronam Capuanam ex Africa poſt mortem eò advectam ſuſpicatur, adjungens talem Actorum S. Matronæ Capuanæ cenſuram :* Ad ejuſmodi conjecturam quidem libentiùs in re obſcura nos adduci patimur, quàm fidem præſtare Actis quibuſdam nulla ex parte ſubſiſtentibus, quibus dicitur Matrona ex Luſitania Capuam conceſſiſſe. *Capuani quoque ipſi videntur hiſtoriam inventi* S. Priſci *corporis per S. Matronam de fictione ſuſpectam habuiſſe, cùm in lectionibus novis* S. Priſci *de ea nihil prorſus attigerint. Verumtamen Monachus pag.* 144 *hiſtoriam ſic defendere conatus eſt, ut nolit totam dici fictitiam, & Bollandus rationes ejus non omnino improbavit ; ſed partim correxit, partim alias adjunxit, & conjecturam Baronii uberiùs refutavit.*

B

quæ aliter narratur ex antiquo Ms.,

18 *Porrò quam pictam habuit Monachus inventionis* S. Priſci *hiſtoriam, quámque vel pictura deformavit, vel illi, qui pictam hiſtoriam ſcripto interpretati ſunt, reperi in Ms. Caſinenſi jam memorato, ubi poſt* S. Priſci *martyrium adjuncta legitur in hunc modum :* Poſt aliquantum verò temporis, quando Chriſti eccleſiæ patuerunt, quædam Matrona in provincia Hiſpaniæ ventris fluxum jam per annos aliquot patiebatur, & à medicis curari non poterat. Huic ergo in revelatione venit angelica viſio, dicens : Si vis ab infirmitate tua liberari, vade in Campaniæ civitatem Capuam, ante portam ejuſdem civitatis in via, quæ ducit Beneventum. Illic in monumento invenies corpus Priſci hominis Dei, qui ibi pro Chriſto paſſus eſt. Hunc tu mox cum honore ſepelieris, ubi tibi demonſtratum fuerit, ſtatim recipies corporis tui ſanitatem. Quæ veniens Capuam, & diligenter requirens, ubi ei dictum fuerat, reperit corpus B. Priſci : quo poſito in vehiculo, pergebat, exſpectans oſtenſionem loci, ſicut ei fuerat revelatum. Cùm veniſſent autem ad locum, ubi nunc requieſcit, animalia, quæ tantum vas portabant, juſſu divino ſteterunt, ubi illud conditum aromatibus ſepelivit, fabricans ei cubiculum. Quæ mox ut fideliter ſibi juſſa complevit, infirmitatis ſuæ ſanitatem recepit, & omnium petitionum ſuarum effectum promeruit, intercedente B. Priſco, cujus dies natalis celebratur die Kalendarum Septembrium. Ad laudem Domini noſtri Jeſu Chriſti, cui eſt honor & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen. *Hactenus apographum Caſinenſe geminum, ſive illa ex diverſis codicibus ſumpta ſint, ſive ex eodem per diverſos, quod mihi eſt incertum.*

AUCTORE J. S.

E

& ſic minùs recedit à veriſimilitudine :

19 *Jam verò hæc relatio multò minoribus obnoxia eſt difficultatibus longéque credibilior, quàm ſit eâ, quam ex picturis adornavit Monachus. Quippe ibi Matrona duodennis puella dicitur & filia regis Portugalliæ : inducuntur ibidem duo juvenci indomiti, quorum capitibus funiculum imponere debebat Matrona : ac tandem eccleſiam exſtruxiſſe ac dotaſſe fertur. Contrà in Ms. omnia minùs mirabilia, & credibilia magis. Quapropter liceat mihi huic ſcriptæ narrationi non omnem detrahere fidem, ſed potiùs cum Bollando pag.* 400 *dubitanter dicere :* An ergo ut certum indubitatumque eſt, hæc ita eveniſſe ? Non id aſſerimus. Sed qui aſſereret, quo is teſtimonio ſcriptoris veteris revinci poſſet ? Nunc ergo cùm ſuffragentur huic narrationi reliquiæ *ſepulcri ſeu ſacelli à Matrona* ædificati, miracula illic patrata quàm plurima, feſtum anniverſarium Matronæ in ea æde Idibus Martii ab omni retro memoria celebratum, frequens eò accurſus populorum, nonne ſatius eſt opinionem retinere, aut pati, ut, quibus placet, retineant, quæ omnium animis pridem altè inhæſit ; quàm alterius Matronæ comminiſci allatas huc reliquias, de quibus nulla exſtat uſpiam ſcriptura, aliudve monumentum ? *Demum, quidquid ſit de veritate mirabilis hujuſce inventionis, corpus* S. Priſci *magno fuiſſe in honore prope antiquam Capuam, ſatis colligitur ex ſtructa eidem eccleſia, & pago, qui hodieque Sancti nomen gerit.*

C

F

corpus deinde tranſlatum ad metropolitanam Capuanam, relictis in veteri eccleſia particulis,

20 *Conſtat etiam corpus* S. Priſci *deinde tranſlatum eſſe Capuam, ibique ſeculo noſtro inventum, ſicut narrabimus. At non ſatis certò invenio, quo anno facta ſit iſta tranſlatio. Monachus quidem pag.* 539 *tranſlationem contigiſſe ſuſpicatur anno milleſimo, ſed rationem allegat dubiam. Verba ejus accipe :* Anno MDIIC Lucas Piſanus rector parochiæ ſancti Priſci, pertentans antiquum altare, poſitum ſub hemicyclo tribunæ, invenit vas parvum & vitreum cum pulvere, & dente, & fragmentis oſſium. Vas habebat operculum plumbeum, & in operculo ab anteriori parte per girum exaratæ litteræ RELIQUIÆ SANCTI PRISCI MARTYRIS, & deinde propter anguſtiam ſpatii a parvum & ſuper a parvum m ſed cùm aurifex vellet operculum novo & argenteo vaſi aptare, ex incuria ictu mallei iſtud m ſuper a poſitum obtudit. Nos A & M interpretati ſumus ANNO MILLESIMO ; & conjectavimus eo anno corpus S. Priſci tranſlatum eſſe Capuam ; ſed

AUCTORE J. S.

ſed fragmenta & pulverem oſſium tranſlatorum relicta illo in altari, ne antiqua ſancti Priſci baſilica propriis pignoribus omnino privata remaneret. *Uti corporis ſacri particulas in antiqua eccleſia remanſiſſe, ex dictis facilè credimus, ita conjecturam de tranſlationis anno milleſimo parùm firmam exiſtimamus.*

ibique inventum anno 1712 cum aliis corporibus Sanctorum,

21 *Anno 1712 Nicolaus Caracciolus archiepiſcopus Capuanus ac deinde S. R. E. Cardinalis feliciter in eccleſia cathedrali invenit corpus* S. Priſci *unà cum corporibus quinque aliorum Sanctorum. Memoravit eam inventionem Nicolaus Coletus in Italia ſacra Ughelli recuſa tom.* 8 *col.* 366 *his verbis* - Ignota priùs, quia diu abſcondita, corpora SS. Priſci primi Capuani epiſcopi, Quarti & Quinti clericorum, Rufi diaconi, & Carponii martyrum (*imò & Decoroſi epiſcopi*) nuper inventa, thecis argenteis incluſa in theſauro repoſuit eccleſiæ, cujus antiquam ſtructuram recentiori & elegantiori jam nobilitat. *Hæc inventionis relatio non caret confuſione & errore; nam præter omiſſum S. Decoroſum epiſcopum, corpora SS. Quarti & Quinti clericorum jam inventa erant ſeorſum anno* 1711; *& corpora SS. Quarti & Quinti epiſcoporum inventa ſunt ſimul cum corporibus* SS. Priſci, *Rufi, Carponii & Decoroſi, prout manifeſtum eſt ex inſtrumentis, quæ mox recitabimus. Inſtrumenta autem illa confecta ſunt ſuis quæque temporibus, ac deinde omnia ſimul impreſſa, nobiſque tranſmiſſa per Cl. virum Dominum Dominicum de Georgio, frequenter in hoc Opere laudatum.*

uti docent inſtrumenta nobis tranſmiſſa.

22 *Ex ſeptem inſtrumentis primum & ſecundum ſpectant ad SS. Quartum & Quintum clericos & martyres, de quibus apud nos actum eſt ad diem* x *Maii. Horum corpora inventa ſunt die* IX *Maii anni* 1711, *ſicut ibidem enarratur. Verùm, cùm de his non agam hoc loco, omiſſis duobus iſtis inſtrumentis, breviter tantùm obſervo, ſententiam Michaëlis Monachi, qui in Sanctuario pag.* 35 *oſtendere conatur, fuiſſe Capuæ Quartum & Quintum epiſcopos, eoſque alios à duobus prædictis clericis, inventione horum corporum multò fieri probabiliorem: nam alio loco reperta ſunt corpora SS. Quarti & Quinti clericorum, alio SS. Quarti & Quinti epiſcoporum, & debita inſcriptiones ſupra arcas ſingulorum. Porrò tertium, ex dictis inſtrumentis agit de* S. Priſco *aliiſque Sanctis cum eo inventis. Quartum verò totum eſt de recognitione & depoſitione oſſium* S. Priſci. *Hæc igitur duo integra mox recitabo. Quintum pertinet ad SS. Quartum & Quintum epiſcopos, nec hujus eſt loci, ſed alterius. Sextum jam totum dedi tom.* VI *Auguſti pag.* 17 *in SS. Rufo & Carponio, de quorum, uti & S. Decoroſi, elevatione & depoſitione ſolùm agit. Septimum demum tractat de inventione reliquiarum Sanctorum, quorum ignota ſunt nomina.*

B

C

§ IV. Duo inſtrumenta Capuana; quibus enarratur inventio S. Priſci, & aliorum quorumdam Sanctorum, & recognitio & depoſitio oſſium S. Priſci.

Dum archiepiſcopus Capuanus in eccleſia Capuana quærit corpus S. Rufi epiſcopi,

IN Dei nomine. Amen. Præſenti hoc publico inſtrumento cunctis ubique pateat evidenter, ac notum ſit, qualiter cùm illuſtriſſ. & reverendiſſimus in Chriſto pater & dominus D. Nicolaus Caracciolus, Dei & Apoſtolicæ Sedis gratiâ archiepiſcopus Capuanus, ex antiquis ſuæ metropolitanæ eccleſiæ monumentis accepiſſet, ſacrum corpus S. Rufi epiſcopi Capuani quieſcere in eadem eccleſia, & propriè in ſinu cujuſdam altaris prope ſacriſtiæ januam, de illo effodiendo & inveniendo cogitavit, quare hodie XXVII Junii MDCCXII de mane, horâ quindecimâ circitèr, aſſociatus à reverendiſſimis canonicis, nempe Baltaſſare Stellato decano, Roberto de Azzia theſaurario, Carolo della Ratta, Joſepho de Roſa, Andrea Salerno, Matthia Joccia, Dominico Forgillo pœnitentiario, Philippo Roſſi, canonicalibus inſigniis indutis unà mecum &c., ad ſacrum depoſitum ſui S. prædeceſſoris effodiendum acceſſit, & ante præfatum altare genuflexus, litaniis beatæ Mariæ Virginis, aliiſque precibus priùs recitatis, amovere fecit per fabros murarios à ſummitate præfati altaris menſam lapideam; quâ amotâ, apparuit alia menſa lapidea minoris longitudinis & latitudinis, firmè inhærens fabricæ ipſius altaris; quâ elevatâ, repertum fuit quoddam vacuum ex cruſtulis marmoreis in modum arcæ diſpoſitum, & in ſex manſiunculas diviſum, & in unaquaque illarum erat repoſita quædam arcula lignea.

D

E

invenit ſex arcas cum inſcriptionibus ſingulis impoſitis;

24 Et ulteriùs obſervatum fuit, in plano inferiori præfatæ menſæ lapideæ, quæ ad inſtar operculi dictum vacuum muniebat, adeſſe inciſæ * characterе ſemigothico ſex inſcriptiones, & unamquamque illarum correſpondere ſupra ſingulas præfatas manſiunculas, in quibus extabant repoſitæ ſupradictæ arculæ ligneæ; & ſupra ipſarum operculum apparebant etiam inciſæ aliæ inſcriptiones, quæ alta & intelligibili voce fuerunt lectæ à præfato illuſtriſſimo & reverendiſſimo domino archiepiſcopo, & à me, una poſt aliam, & eodem ordine, quo in ſupradictis manſiunculis erant repoſitæ, & in lapide ſupradicto inciſæ, hic regiſtratæ:

* inciſas

F

✠ Hic quieſcit Corpus Sancti Rufi Martyris.
✠ Hic jacet Corpus S. Carponii M.
✠ Hic S. Priſci Martyris Corpus jacet.
✠ Hic jacet Corpus S. Decoroſi Epiſcopi *a.*
✠ Hic jacet Corpus S. Quinti Epiſcopi.

a

Aliæ Inſcriptiones, quæ ſupra operculum ſingularum ſex arcularum reperiuntur ineleganter inciſæ, ſunt ſequentes:

✠ Rel. S. Rufi Martyris.
✠ Rel. S. Carponii Martyris.
✠ Rel. S. Priſci Martyris.
✠ Rel. S. Decoroſi Epiſcopi.
✠ Rel. S. Quarti Epiſcopi.
✠ Rel. S. Quinti Epiſcopi.

25 Quas ſex arculas illuſtriſſimus & reverendiſſimus

A *arcarum forma,*

dissimus dominus archiepiscopus propriis manibus à præfato loco extraxit, & supra mensam nuceam, stragulo holoserico rubei coloris coopertam apposuit, interim fundens præ gaudio lacrymas, hymnum TE DEUM præintonuit; quo cantato per dictos canonicos, & rebus sic stantibus, idem illustrissimus dominus jussit per me, & eosdem canonicos, prædictas arculas observari ad finem, & cæt. Quæ bene observatæ, repertæ fuerunt esse ex ligno populeo, & unaquæque ipsarum in extremitate operculi munita sigillo impresso supra ceram, cujus color præ antiquitate dignosci non potuit: latitudo verò illius est ad formam semiplastræ * Romanæ, & habet impressam dimidiatam figuram cujusdam levitæ, dalmaticâ induti, & in gyrum, inscriptione SANCTUS STEPHANUS *b*.

* *nummus est argenteus.*

b

26 Capsula verò, in qua adest inscriptio: REL. S. PRISCI MART., habebat operculum elevatum, & sigillum ruptum in duas partes, erant verò in eâdem arculâ reposita nonnulla ossa humana, & illustrissimus dominus operculum supra illius os adaptavit. Insuper de ordine ejusdem

& quantitas descripta:

B illustrissimi & reverendissimi domini præfatæ arculæ ligneæ fuerunt commensuratæ per excellentem virum Sebastianum Cyprianum Romanum reverendæ cameræ Apostolicæ architectum, & quinque ex illis inventæ fuerunt longitudinis palmi unius, unciarum novem, latitudinis unciarum septem; altera S. Prisci longitudinis palmi unius, & unciarum quatuor cum dimidio, latitudinis unciarum sex; altitudinis verò erant disparatæ. Nam prima in ordine, prout suprà descripto, unciarum undecim cum dimidio, secunda unciarum decem cum dimidio, tertia unciarum novem cum dimidio, quarta unciarum decem, quinta unciarum novem, sexta unciarum septem. Fuit quoque commensuratum vacuum in forma arcæ dispositum, in quo extabant præfatæ sex arculæ, & suprà descriptum, & repertum fuit longitudinis palmorum quatuor, & unciarum sex, latitudinis palmi unius & unciarum decem, altitudinis palmi unius, & unciarum duarum.

deponuntur arcæ in sacello custodiendæ,

C 27 Quibus omnibus absolutis, prædictæ arculæ clausæ & sigillatæ, prout erant, per illustriss. & reverendissimum D. archiepiscopum fuerunt repositæ in quadam arca lignea, corio rubro cooperta, vulgò baullo appellata, quæ fuit sua clavi obserata in duabus seris, quibus erat munita, & deinde obsignata fuit octo sigillis parvis illustrissimi domini archiepiscopi impressis, & cerâ Hispanicâ super quatuor vittas lineas albi coloris. Sic igitur dicta arca clausa, munita, & obsignata in cappellam thesauri fuit asportata, & præfato domino canonico de Azzia thesaurario per modum provisionis ad custodiendum concredita: nam illustrissimus dominus archiepiscopus, ne tam pretiosus thesaurus in futurum absconditus permaneat, decrevit sacra ossa & cineres, quæ in dictis arculis inveniuntur, honorificentiùs & nobiliùs in thecis aut statuis argenteis; prout melius visum fuerit, collocare, & publicæ fidelium venerationi exponere. Quæ omnia & singula fuerunt acta coram præfatis reverendissimis canonicis, & illustriss. magistratu civitatis Capuæ, nempe D. Cæsare de Thomasiis, D. Nicolao de Capua, Joanne Baptista Sarzuto, & Dominico Gianfrosca. Super quibus, &c. & in fidem hoc præsens instrumentum licèt aliena, mihi tamen fida manu, scriptum confeci, subscripsi, publicavi, meoque solito signo signavi

requisitus. Ego Alexius de Abusso sacerdos Capuanus, publicus Apostolica authoritate notarius, & curiæ archiepiscopalis Capuanæ cancellarius &c. *c*.

AUCTORE J. S.

c

28 In Dei nomine, amen. Præsenti hoc publico instrumento cunctis ubique pateat evidenter, & notum sit, qualiter cùm sub die vigesima septima mensis Junii millesimi septingentesimi duodecimi in S. metropolitana ecclesia Capuana, & in sinu cujusdam altaris, inventa fuerint sacra ossa sex Sanctorum, nempe S. Prisci M. primi Capuæ episcopi, SS. Rufi & Carponii MM., SS. Decorosi, Quarti, & Quinti Capuæ antistitum, quæ illustrissimus & reverendissimus dominus in Christo pater & dominus, D. Nicolaus Caracciolus Dei & Apostolicæ sedis gratiâ archiepiscopus Capuanus reposita & inclusa in suis distinctis arculis ligneis, prout fuerunt inventa, in quadam arca lignea corio cooperta, clavi & sigillis munita, in capella ejusdem S. metropolitanæ ecclesiæ Thesauri nuncupata, per modum provisionis asservari mandavit, ad finem illa decentiùs ac nobiliùs collocandi, & publicæ fidelium venerationi exponendi, prout (*liquet*) ex instrumento inventionis præfata die, & anno, manu mei rogato.

ut locentur honorificentiùs.

E

Ossa S. Prisci feruntur ad sacellum archiepiscopi,

29 Et cùm mera pietate illustriss. & reverendissimi domini archiepiscopi prædicti jam constructa reperiatur quædam magnifica statua argentea, effigiem præfati S. Prisci episcopi & M. repræsentans; & volens idem illustrissimus & reverendissimus dominus archiepiscopus pro fine prædicto sacra ossa ejusdem S. Prisci, ut suprà inventa, in basi antedictæ statuæ collocare; hodie trigesima mensis Augusti MDCCXII, horâ circitèr decimâ tertiâ, advocato ad sacram functionem honestandam illustrissimo & reverendissimo domino Joseph Schinosi episcopo Casertano, per Canonicos eorum insigniis indutos, & statuto ritu, præfata arca, in qua dicta sacra ossa claudebantur, fuit asportata in cappellam hujus archiepiscopalis palatii, & supra mensam stragulo ex auro & holoserico coopertam, & candelabris argenteis circumdata, fuit apposita.

ubi extracta ab arca,

F 30 Quibus sic stantibus, præfatus illustrissimus & reverendissimus dominus archiepiscopus arcam ostendit mihi notario, & reverendissimis dominis Baltassar Stellato decano, Roberto de Azzia thesaurario, Joseph de Rosa, Dominico Forgillo, Matthiæ Joccia, Carolo della Ratta, Philippo Rossi, canonicis S. metropolitanæ ecclesiæ testibus, qui sigillationi factæ ipsius arcæ sub dicta die XXVII Junii interfuerunt, ut recognoscerent sigilla impressa in cera Hispanica, & vittas lineas, quibus ligata fuit in quatuor partes, an bene se haberent: & illâ observatâ per ipsosmet testes instrumentarios, dixerunt sigilla impressa sub die XXVII Junii in eadem arca, non esse amota, vittasque lineas, quibus ligata fuit in quatuor partes, non esse violatas, sed omnia bene se habere, & manere in eo statu, prout apposita fuerunt. Unde jussum fuit, sigilla ipsa amoveri, & vittas lineas incidi, prout fuerunt per dictum canonicum D. Philippum Rossi amota, & respectivè incisa: & tunc illustrissimus & reverendissimus dominus archiepiscopus, accepta clavi arcæ prædictæ, quam penes se retinuerat, illam aperuit, & cantato per præfatos canonicos hymno CHRISTO PROFUSUM SANGUINEM, & benedictâ per illustrissimum & reverendissimum episcopum Casertanum, mitrâ & pluviali indutum, statuâ argenteâ, illustrissimus do-

AUCTORE J. S.

minus archiepiſcopus extraxit ab arca prædicta aliam arculam ligneam, in qua recondita reperiebantur oſſa S. Priſci epiſcopi, & M. : & illam in manibus illuſtriſſimi domini epiſcopi Caſertani conſignavit; qui dominus epiſcopus præfata oſſa ab arcula extraxit, & appoſuit ſuper quaſdam largas papyros in extremitatibus plicatas, & elevatas pro cautela, ne oſſa dilaberentur.

ſingula recognoſcuntur & enumerantur,

31 Et deinde advocati fuerunt teſtes in anatomia periti, nempe Franciſcus Borrelli, Andreas Sapio artis medicinæ, Joannes Tuppone chirurgiæ doctores, ad eadem ſacra oſſa recognoſcenda, & deſcribenda; quibus per prædictum epiſcopum Caſertanum fuit præſtitum juramentum de fideliter ſe gerendo, & de veritate dicenda, prout juraverunt tactis Scripturis : & juſſum fuit, ut prædicta ſacra oſſa recognoſcerentur, & minutatim deſcriberentur; & deinde ſupradicti periti ſeparaverunt oſſa, & poſtea adamuſſim illorum partes ſpecificaverunt per nomina propria cujuſcumque oſſis, & cujuſcumque partis ipſorum, & fuit factus ſequens catalogus :

B

Os tibiæ in duas partes ruptum, palmi unius cum dimidio circitèr.

Os brachii, vulgò dicti ULNA, unius palmi, & unius unciæ.

Os ſpinæ medullæ, vertebra una, & probabiliter quinta cervicis.

Os tali trium unciarum circitèr latitudinis, duarum circitèr longitudinis.

Aliud os tibiæ, dictum ACETABULUM, prout ex ejus figura apparet.

Aliud os ex coxendice, itidem trium unciarum latitudinis, & duarum longitudinis.

Aliud os ex coxendice trium unciarum.

Quatuor oſſa media pedis, integra.

Duo petiola ex coſtulis.

Alia tria petiola oſſium coxendicis.

Os parvum dimidiatum digiti manûs.

Quindecim fruſtula oſſium, quæ ob minutiem ſpecificari non potuerunt.

*recognitaque novæ ſtatuæ argenteæ includuntur. * fortè adaptata*

C

32 Quæ oſſa ſic recognita, ſpecificata, deſcripta, & numerata per prædictum illuſtriſſimum dominum epiſcopum Caſertanum, adjuvantibus quoque canonico Philippo Roſſi, & patre Nicolao Roſano Societatis Jeſu, ſupra quoddam pulvinar ex tela ſerica confectum adactata *, & filis ſericis firmata, atque in vacuo præfatæ ſtatuæ repoſita fuerunt; quindecim verò fragmenta oſſium, quæ ob minutiem ſpecificari non potuerunt, unà cum cineribus ipſorum in fundo arculæ ligneæ repertis, in quadam ampulla vitrea fuerunt recondita, quæ pariter in eodem vacuo baſis fuit repoſita. Baſis verò ultra foramina cryſtallis munita à parte anteriori, & à lateribus, habet quoque à parte poſteriori oſtiolum cum ſua clavi & ſerâ ferreâ, quod ab eodem canonico Philippo Roſſi de ordine illuſtriſſimi domini archiepiſcopi fuit clauſum, & in quatuor partes impreſſione ſigilli parvi ejuſdem domini archiepiſcopi cerâ Hiſpanicâ ſupra vittas ſericas rubei coloris fuit munitum, atque obſignatum.

Cùm aliqui dicerent totum S. Priſci M. corpus ſervari in alia arca,

33 At cùm nonnulli aſſererent, præfata ſacra oſſa eſſe potiùs S. Priſci confeſſoris Capuæ epiſcopi, hìc Junioris vulgò appellati, moti ex eo, quòd in eccleſia Capuana ſemper viguerit, & adhuc vigeat famâ, & firma traditio, ſacrum ſancti Priſci M. primi Capuæ epiſcopi integrum aſſervari in quadam arca argentea, & in theſauro reliquiarum templi metropolitani cuſtodiri, quæ quotannis recurrente die prima Septembris, natalitio præfati S. Martyris celebrando, in ara maxima ejuſdem templi fuerit ſolita exponi : & licèt clarè conſtaret ex inſcriptione, tam in operculo ſupradictæ arculæ ligneæ, quàm in lapide inciſa, prout fuerunt ambæ regiſtratæ in inſtrumento inventionis, die XXVII Junii currentis anni manu mei rogato, quibus inſcriptionibus plena fides ſit adhibenda, cùm ſimus in antiquiſſimis, præfata ſacra oſſa eſſe ſancti Priſci primi Capuæ epiſcopi, & martyris; tamen illuſtriſſimus & reverendiſſimus dominus archiepiſcopus, ad tollendam omnem ambiguitatem, decrevit aperiri præfatam arcam argenteam, & oſſa, quæ in illa forſan reperirentur, elevari, & per præfatos in anatomia peritos numerari, recognoſci, & deſcribi, ad finem videndi, an inter illa haberentur alia oſſa conſimilia, & ejuſdem partis corporis humani, oſſibus repertis in præfata arcula ligneа, ſuprà deſcriptis & numeratis. Ideoque idem illuſtriſſimus & reverendiſſimus dominus archiepiſcopus ipſam arcam argenteam ſtatuto ritu per præfatos canonicos in cappellam hujus archiepiſcopalis palatii aſportari fecit, ubi ea appoſita ſuper menſam, ut ſuprà paratam, juſſit mihi notario, ut illam diſtinctè deſcriberem in hoc inſtrumento, prout deſcripſi.

D

E

illam aperiri jubet archiepiſcopus,

34 Arca verò hujuſmodi eſt ex laminis argenteis formæ oblongæ, longitudinis palmorum trium, latitudinis palmi unius : è lateribus habet manubria pariter argentea, à parte anteriori eſt inciſa imago Salvatoris D. N. I. ſedentis, & manu elevata in modum benedicentis, necnon à dextris imago ejuſdem S. Priſci, mitrâ & epiſcopali caſula antiqui ritus induti, à ſiniſtris imago S. Stephani Protom.; & in hac parte duabus ſeris ad modum capſæ, quam vulgò baullum appellamus, munitur : nec aperiri potuit, quia claves numquam viſæ vel repertæ fuerunt, & ab hominum memoria nullus umquam recordatur, illam apertam fuiſſe. A parte poſteriori adeſt inciſa imago B. Mariæ V. pariter ſedentis cum puero Jeſu in ulnis; à dextris ejuſdem, imago S. Agathæ V., & M., à ſiniſtris S. Blaſii epiſcopi, & M. : quæ imagines habent eorum nomen prope caput, characteribus Gothicis inciſum. Et perfecta inſcriptione * prædicta, illuſtriſſimus & reverendiſſimus dominus archiepiſcopus hymnum, VENI SANCTE SPIRITUS, præintonuit; quo cantato per prædictos canonicos, auditis votis eorumdem canonicorum, nec non illuſtriſſimi & reverendiſſimi domini epiſcopi Caſertani, ad hoc ſpecialiter accerſiti, ut arca argentea aperiretur, per Andream de Blaſio, Neapolitanum argenti fabrum, illam aperiri juſſit.

* *fortè inſpectione*

F

oſſaque extracta,

35 Quâ per prædictum inſtrumentis aptis apertâ, primo aſpectu apparuit quædam crates ferrea oſſibus ſuprapoſita; quâ elevatâ per prædictum illuſtriſſimum epiſcopum Caſertanum, apparuit alia arca cypreſſina, quæ in duabus manſiunculis diviſa, nec non telâ holoſericâ interiùs extructa, continebat oſſa, quæ omnia præfatus illuſtriſſimus & reverendiſſimus epiſcopus Caſertanus foràs extraxit, & ſupra largas papyros ad id paratas diſtinctè repoſuit. Et in fundo dexteræ manſiunculæ prædictæ arcæ cypreſſinæ inventa fuit ſchedula, his verbis Gothico charactere inſcripta : RELIQUIÆ PRIMO INVENTÆ; & nonnullæ monetulæ rameæ ad formam ejus rotunditatis, quæ in margine hujus inſtrumenti apparet delineata *d*. In fundo verò ſiniſtræ manſiunculæ altera ſchedula, Gothico item charactere his verbis inſcripta : RELIQUIÆ SECUNDO INVENTÆ, cum nonnullis monetulis ejuſdem generis, quæ numera-

d

A numeratæ à præfato illuſtriſſimo & reverendiſſimo domino epiſcopo Caſertano coram illuſtriſſimo & reverendiſſimo domino archiepiſcopo, canonicis, & aliis præſentibus, conficiebant numerum quinquaginta, & ex una parte habebant impreſſam imaginem vultûs regis coronati, & in gyro hæc verba: KAROLUS D. G. R.; ex altera verò parte crux ex quatuor liliis compacta, &
e in gyro hæc verba: JERUSALEM, ET SICILIÆ e.

inſpici & numerari: ex qua inſpectione cognoſcitur, utraque ſimul eſſe totum corpus:

36 Deinde præſtito iterum per illuſtriſſimum & reverendiſſimum dominum archiepiſcopum juramento præfatis tribus in anatomia peritis, qui adhuc erant præſentes, de bene & fideliter ſe gerendo, prout tactis Scripturis, &c.; juſſum fuit oſſa prædicta recognoſci, & numerari, prout ſummo ſtudio recognita, & numerata fuerunt à peritis, qui ſub eodem juramento faſſi ſunt, oſſa reperta in dicta arca cypreſſina, & ab ipſis recognita, & numerata, non integrè conſtituere corpus humanum, licèt pauca deeſſent ad integram conſtitutionem, & deinde collocata recognitione, & numeratione antea facta de oſſibus recenter inventis, jam collocatis in baſi ſtatuæ,
B ut ſuprà, faſſi ſunt, ea oſſa eſſe reliquorum oſſium, quæ integrè conſtituerent corpus humanum: ex qua confeſſione & relatione peritorum ablata fuit omnis ambiguitas circa præfata oſſa de recenti inventa, & omnes faſſi ſunt eſſe oſſa S. Priſci Mar. primi Capuæ epiſcopi.

quod deponitur in ſacello Theſauri.

37 His peractis, idem illuſtriſſimus & reverendiſſimus epiſcopus Caſertanus oſſa omnia in ſuis priſtinis manſiunculis ejuſdem arcæ cypreſſinæ repoſuit, & aptavit inter ea goſſipium, ne invicem poſſent moveri & frangi, fruſtulis verò oſſium & cineribus illorum in fundo arcæ inventis, in quatuor ampullis vitreis repoſitis, illas in angulis arcæ collocavit, unà cum ſequenti inſcriptione: " Die XXX Auguſti MDCCXII. Nicolaus „ Caracciolus archiepiſcopus Capuanus arcam „ aperuit, corpus S. Priſci epiſcopi, & M. ele„ vavit, & recognovit interventu & præſentiâ „ Joſephi Schinoſi epiſcopi Caſertani, nec non „ Baltaſſar Stellati decani, Nicolai de Baucio, „ Matthiæ Joccia, Joſephi de Roſa, Philippi „ Roſſi, & Alexii Mazzoccolo canonicorum; „ interfuit quoque abbas Jacobus Falconius Ci- AUCTORE
„ vitatis Ducalis V. J. D. prothonotarius apo- J. S.
„ ſtolicus, & vicarius generalis Capuæ „. Tandem arca argentea per prædictum Andream de Blaſio, argenteis vectibus & priſtinis ſeris benè aptatis recluſa, in eadem cappella hujus palatii per ſequentem noctem cuſtodita remanſit; arca verò lignea, in qua extabant aliæ quinque arculæ ligneæ, prout ſuprà, fuit ſua clavi iterum clauſa, & ſigillis parvis in cera Hiſpanica ſuper quatuor vittas lineas albi coloris munita, & privatim in dictam cappellam theſauri tranſlata: ſuper quibus &c. Actum ubi ſuprà &c. præſentibus enunciatis, & ſupraſcriptis teſtibus, mihi bene cognitis ad prædicta omnia, & ſingula ſpecialiter habitis, atque vocatis; & in fidem hoc præſens inſtrumentum, licèt aliena, mihi tamen fida manu ſcriptum, ſubſcripſi, confeci, publicavi, meoque ſolito ſigno ſignavi requiſitus: Ego Alexius de Abuſſo ſacerdos Capuanus, publicus Apoſtolica authoritate notarius, & curiæ archiepiſcopalis Capuanæ cancellarius &c.

ANNOTATA. E

a *Quinta inſcriptio de S. Quarto in impreſſo nobis tranſmiſſo omiſſa eſt. At dubitari non poteſt, quin adfuerit, cùm antè dicatur, repertas eſſe* ſex inſcriptiones, *& mox quinto loco ponatur*, Rel. S. Quarti epiſcopi.

b *Eccleſia metropolitana, in qua inventæ reliquiæ, S. Stephano protomartyri dicata eſt. Hæc hujus videtur inſcriptionis cauſa.*

c *Hactenus tertium inſtrumentum, ſeu primum de* S. Priſco *repertiſque cum eo Sanctis. Infrà ponitur* Locus ſigni, *uti & ſub ceteris.*

d *Delineatio illa non habetur in impreſſo.*

e *Nummuli illi videntur fuiſſe Caroli Andegavenſis Siciliæ regis, qui titulum regis Hieroſolymitani cum urbe Ptolemaïde adeptus eſt anno 1277, ut refert ad eumdem annum Raynaldus num. 17. Hinc ſuſpicari poſſumus illius tempore, & poſt dictum annum, reliquias illas fuiſſe inventas atque in illa arca depoſitas.*

c DE SS. ROSA, FORTASSE M., AC PLATANO M., EJUS, UT FERTUR, FILIO, F

SULCI IN SARDINIA.

Topographia, cultus, varia de hiſce Sanctis incerta.

J. P.

SUB TRAIANO, UT FERTUR, IMPERATORE.

Locus ac probatio publicæ eorum venerationis:

SUlci, *urbs quondam epiſcopalis in parte meridionali inſulæ Sardiniæ, & archiepiſcopo Calaritano ſuffraganea, jam prorſus exciſa jacet, ita tamen ut locus nunc etiam* Sulci *dicatur in Sulſitana inſula prope Palmam caſtrum, vulgò* Palma de Solz *ex eo dictum, teſte Baudrando, qui addit, Eccleſiæ urbem eidem in viciniis ſucceſſiſſe, ſedemque epiſcopalem eò fuiſſe tranſlatam anno* 1504 *à Julio PP. II. In hac Eccle-*

ſienſi civitate coluntur duo iſti Martyres, quos in ſuo Catalogo generali ſic annuntiat Ferrarius: Hac etiam die *(1 Septembris)* Sulci in Sardinia S. Roſæ matris, & S. Platani martyris, fratris S. Antiochi. *Hæc verò ſe proferre in notis affirmat* ex Tab. eccleſiæ Calaritanæ, cui Sulcitana juncta eſt, Villa Eccleſiæ dicta. *Dionyſius Bonfant in Triumpho Sanctorum regni Sardiniæ Hiſpanicè edito, lib.* 3 *cap.* 38 S. Roſæ *cultum confirmat, dicens ædificatum ipſi à Chriſtianis fuiſſe templum in loco martyrii, ac poſtquam ſe-*

AUCTORE J. P.

pulta esset, celebratum in regno festum ejus, cum titulo matris S. Antiochi. Refert insuper, in loco Celarios, *ut vocat, antiquitus exstitisse hujus Sanctæ ecclesiam, ejusque sola superesse fundamenta: in* Barumini *autem loco aliam esse ecclesiam antiquam, & quia perdidit istius sanctæ Martyris memoriam, celebrari in ea festivitatem S. Virginis de Rosario, sed ecclesiam hactenus nomine* S. Rosæ *nuncupari. Asserit denique in territorio loci S. Victoris prope ruinas alterius loci, cui nomen* Orri *antiquis temporibus, exstitisse ædem sacram istius Sanctæ, sed destructam esse, in eaque fuisse picturam, quæ eo modo Matrem cum duobus filiis repræsentaret, quo ibidem legitur.*

de variis rebus,

2 *Bonfantus citatus memorat Sanctam hanc in civitate Sulcitana natales habuisse, ac exstitisse è primis fructibus, quos cura, diligentia, ac prædicatio Melitonis produxit: conjugatam fuisse, duosque peperisse filios, quorum unus Antiochus, alter* Platanus *sit nuncupatus, utrumque maternæ sanctimoniæ ac virtutis heredem. Quòd duo isti fratres fuerint ejus filii, testari asserit antiquissimam, uti vocat, traditionem à patribus ad filios propagatam, antiquasque picturas, quæ Sanctam exhibent unà cum duobus filiis. Narrat præterea idem auctor, Traiani persecutione separatos fuisse, apprehendi illam jubente præside ejus, & postquam variis*

B

eam tormentis tamquam aurum probasset, è vitâ tolli jussisse. Hæc, quæ ex Hispanico Bonfanti excerpta huc transtuli, vellem videre aliunde confirmata, afferrique aliquid majoris momenti, quam traditionem ac picturas incerti temporis, ac auctoritatis non satis probatæ: præsertim ubi agitur de seculo 1 vel 2, quo Traianus vixit.

D

quæ hisce Martyribus attribuuntur, non satis constat.

3 *Martyrologium Romanum ad diem* XIII *Decembris agit de dicto Antiocho sub Hadriano imperatore passo, citatque Baronius in Notationibus* Acta *ejus* pleniùs scripta, atque (prout in ejus solemnitate recitari solent) per lectiones distincta, *hoc exordio:* Sicut Sanctorum omnium &c. *Exordium idem habent Acta nostra, in lectiones etiam distributa, quæ asservamus pro die* XIII *Decembris; sed in quibus characteristicas melioris historiæ notas desiderarem. At qualiacumque sint, neque enim præmaturè quid statuo, cùm ad dictum diem spectent; nihil omnino narrant, quo probari possit* S. Rosam *fuisse matrem Antiochi. Ad* Platanum *quod attinet; referunt lectione nona hæc inter alia petiisse à Deo S. Antiochum:* Exaudi orationem servi tui, exaudi me propitius, &, sicut suscepisti fratrem meum Platanum in pace, & dinumerasti eum cum sanctis Martyribus tuis . . . in regnum cæleste, sic suscipe nunc spiritum meum. *An verò* S. Rosa *martyrio coronata sit, non satis constat, nec quo tempore obierit.*

E

DE S. TERENTIANO EPISCOPO MART., ET FLACCO MART.

TUDERTI IN UMBRIA

J. S.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§ I. Locus martyrii, cultus & reliquiæ: Terentianus Dertonensis à Tudertino non distinctus.

C

F

CIRCA AN. CXVIII. *Tuderti in Umbria ut patronus colitur S. Terentianus,*

TUder *antiqua est Umbriæ civitas, quam recentiores* Tudertum *vocarunt, Itali verò* Todi *nominant. Orlendius part. 2 lib. 3, cap. 10, ejus situm describit his verbis:* Tuder, nunc Tudertum, Umbriæ civitas est, ad Tiberim fluvium in colle posita, media inter Perusiam & Narniam. *Addit deinde sequentia:* Initio Christiani nominis per Latium & Umbriam propagati Tuder Christi fidem suscepit, quam postea sanctus Terentianus primus ejus episcopus, consecratus circa annum CXXII, confirmavit, pro qua & martyrium subiit anno CXXXVIII Kalendis Septembris, Hadriano imperante. Ejus exstat memoria in Martyrologio Romano. *Audi ipsa Martyrologii verba:* Tuderti in Umbria sancti Terentiani episcopi & martyris, qui sub Hadriano imperatore, Lætiani proconsulis jussu, equuleo & scorpionibus cruciatus, demum abscisâ linguâ, capitis damnatus, martyrium complevit. *Non aliam quærendam esse hujus Sancti palæstram martyrii, mox ostendemus contra scrupulos quorumdam ex apographis Hieronymianis ortos. Audiamus interim, quid de cultu ipsius subjungat laudatus Orlendius:* Dertonæ (*Dertonam*) sacrum Terentiani corpus translatum fertur, ubi ejusdem celebris memoria habetur. Theani tamen ejusdem Sancti brachium, & Parmæ reliquiarum pars asservatur. Ceterùm à Tudertinis sancti Terentiani, tamquam divi tutelaris, natalis dies solemni pompa colitur.

cujus memoria in Martyrologiis antiquis:

2 *Antiquum esse* S. Terentiani *cultum, abunde patebit ex apographis Hieronymianis, in quibus ipsius memoria celebratur, sed variè admodùm, ut solet fieri in apographis istis mendosis. Apud Florentinium sic legitur:* In Tuturtina Tusciæ natalis sanctorum Terrentiani episcopi *&c. Pro* Sanctorum *legendum haud dubiè* Sancti.: *nam sequitur* Felicis, Donati. *Hi autem non pertinent ad* Terentianum, *sed duo sunt ex duodecim Fratribus, de quibus hac ipsa die agemus. Ad prima verba sic commentatur Florentinius:* In Tudertina civitate Tusciæ, legendum esse

A esse omnino existimo, facem præcipuè præbente M. Corbeiense. *Quippe Corbeiense apud nos editum post tomum* VII *Junii pag.* 35 *ita habet:* In Tutertina Tusciæ *&c. Addit Florentinius:* Tuderti in Umbria, legit Romanum Martyrologium, uti re vera oppidum nunc est in Umbria, sed Antonino Tudernum oppidum est Tusciæ, aliis Sudernum, in agro Viterbiensi. *Hinc illustrissimus Franciscus Maria de Aste in Disceptationibus in Martyrologium Romanum pag.* 403 *dubitat, an* S. Terentianus *noster Umbriæ adscribi debeat, an Tusciæ, vultque in Martyrologio Romano omitti hæc verba,* in Umbria, *ac solum scribi,* Tuderti S. Terentiani episcopi *&c. Ratio illius est eadem, namque, inquit,* Antonino Tudertum, sive Tudernum, oppidum est Tusciæ, aliis Tudernum dictum, in agro Viterbiensi: aliunde Acta Tudertum efferunt sine alio addito. *Amovere conabor hunc scrupulum, qui nullo ferè nititur fundamento.*

non in Tuscia passus est Sanctus, sed in Umbria,

B 3 *Ptolemæus lib.* 3 *Geographiæ inter Tuscorum mediterraneas civitates numerat* Sudernum, *aliis* Sudertum, *de quo agit Cellarius in Geographia antiqua lib.* 2 *cap.* 9, *pag.* 456; *& Cluverius lib.* 2 *Italiæ antiquæ. cap.* 3, *pag.* 516. *Verùm neuter asserit* Sudernum *in Itinerario Antonini vocari* Tudertum, *neque ego id in Itinerario Antonini reperire potui. Dicit tamen Cluverius* Tudertum *legi in Itinerario Viterbiensis Annii, ita ut dubitet, an ipse id forsan in suo aliquo exemplari invenerit. Itaque primò verisimile non est, illud Tusciæ oppidum* Tudertum *fuisse dictum, cùm Ptolemæus, Plinius & Livius, citati apud Cluverium & Cellarium,* Sudertum *dixerint vel* Sudernum, *incolasque illius* Sudertanos. *Secundò, Sudertini numquam habuerunt episcopum, quantùm scimus; neque illi umquam coluisse videntur* S. Terentianum, *tamquam patronum aut episcopum suum. Contra* Tuder *civitas Umbriæ antiquis est satis nota, episcoposque habuit à primis Ecclesiæ seculis. Præterea* S. Terentianum *dudum coluit ut patronum, neque ullus umquam ante Florentinium dubitasse videtur, quin* S. Terentianus *re vera Tudertinus in Umbria fuisset episcopus. Unica igitur hîc difficultas amovenda est eaque non magna, videlicet quòd* Tudertum *Tusciæ adscribatur in apographis laudatis. Addi potest, quòd proconsul Tusciæ torqueri jusserit Sanctum nostrum. Respondeo utrumque contingere hac de causa. In Libello provinciarum Romanarum inter Italiæ provincias est* Tuscia cum Umbria. *Idem igitur, qui Tusciæ præerat, regebat etiam Umbriam sub Tuscia comprehensam. Hinc primò intelligimus, cur* Tusciæ proconsul *ubique in Actis nominetur: deinde etiam, cur vel auctor vel interpolator istorum apographorum Tusciæ adscripserit Tudertum, nimirum aut quia, cùm Tusciæ proconsulem ubique in Actis reperiret, putavit re vera in Tuscia esse, à cujus limitibus non longè distat, aut quia ex Tuscia & Umbria unam tantùm fecit provinciam. Non video igitur, cur de palæstra* S. Terentiani *dubitari debeat, aut voces* in Umbria *eradi ex Martyrologio.*

& cum eo S. Flaccus, qui alio die Tuderti colitur:

4 *In aliis apographis Hieronymianis etiam annuntiatur* S. Terentiani *memoria sine ulla mentione Tusciæ. Richenovience apud nos editum post tomum* VII *Junii sic habet:* Et in Tuderto Ferrentiani (*lege* Terrentiani) episcopi. *Augustanum sine loco:* Terentini episcopi. *Labbeanum:* Terentiani episcopi. *Sic & Gellonense apud Acherium tom.* 2 *Spicilegii recusi pag.* 34; *&*

AUCTORE J. S.

Antiquissimum, ut vocat, apud Martenium tom. 3 *Anecdotorum col.* 1559. *Usuardus aliique martyrologi istius temporis non memorarunt* S. Terentianum. *Ejus tamen memoria occurrit in variis Usuardi codicibus deinde auctis, prout videre est in Usuardo Sollerii nostri curâ edito ad* 1 *Septembris. Quin & illic reperitur etiam* XXX *Augusti &* XXVIII *Septembris. Audi elogium Greveni ad* XXX *Augusti:* Ipso die, secundum Catalogum Sanctorum, sancti Therentiani episcopi & martyris. Qui tempore Adriani apud Tudertum Tusciæ sacrificare nolens, in equuleo levatus, scorpionibus cæditur, ignique lateribus apponitur. Deinde linguâ præcisâ, cùm nihilominus Christum clarè confiteretur, decollatus est unà cum Flacco sacerdote idolorum à se converso & baptizato. *De* S. Flacco *apud antiquos nihil invenio. Colitur tamen in ecclesia Tudertina, uti asserunt Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ, & Joannes Baptista Possevinus in Vitis Sanctorum Tudertinorum, uterque ad diem* XVIII *Septembris, quo eum coli testantur, ut sic majori solemnitate festivitas* S. Terentiani *solius peragatur cum Octava. Nos autem de* S. Flacco *hîc simul agimus, quia de eo nihil innotuit, nisi ex Actis* S. Terentiani.

E

hymnus, quo utriusque martyrium describitur.

5 *Ferrarius ad* 1 *Septembris hymnum recitat ex Officio ecclesiæ Tudertinæ, in quo utriusque Martyris certamen sic describitur:*

Laudes pangimus martyri
Terentiano præsuli,
Omnes venite supplices
Senes, simulque juvenes.
Quem in annis senilibus
Lecianus nequissimus
Pœnis afflixit plurimis,
Deum rogantem precibus.
Hic Hadriani tempore
Retrusus est in carcere
A sævissimo Tusciæ
Leciano proconsule.
Quo compellente Martyrem
Christum negare Dominum,
Statim miser obmutuit,
Vita cum voce caruit.
Sacerdos Flaccus cæcus est:
Orante Sancto, sanus est:
Eo jubente, lotus est,
Sacro fonte renatus est.
Ambo truncati gladio
Pari fruuntur gaudio,
Cæli tenentes ostia
Ac paradisi præmia.

F

Reliquiæ amborum: ossa quædam S. Terentiani etiam Dertonæ,

6 *Præter ea, quæ de reliquiis* S. Terentiani *dicta sunt num.* 1, *scribit laudatus jam Possevinus pag.* 65 *Italicè, quæ reddo Latinè:* Corpora utriusque hujus Sancti sunt in castello S. Terentiani, in ecclesia ejus nomini dedicata. *Jacobillus in Vitis Sanctorum Umbriæ tom.* 1, *pag.* 721 *de iisdem sic loquitur:* In civitate Dertonensi servari dicitur pars corporis S. Terentiani, ubi festivitas ejus celebratur die prima Septembris. Verùm creditur alius esse à Tudertino, cùm dicatur episcopus fuisse istius civitatis Dertonensis, in qua martyrio coronatus fuit eadem die prima Septembris, sed anno CLXXXVII, id est, annis XLIX post Tudertinum. *Ughellus tom.* 1 *in episcopis Tudertinis, col.* 1350 *Dertonensem non distinguit à Tudertino: hujus enim reliquias sic enumerat:* Tortonæ etiam hujus Sancti celebris memoria habetur, ubi illius corpus conditum fuisse affirmant; item Theani, ubi

AUCTORE J. S.

ejuſdem Sancti brachium incolæ venerantur ; Parmæ etiam, quæ civitas non temnendam ejus Sancti reliquiarum partem honorificentiſſimè aſſervat. Cæterùm ſplendidiori ſolemnitatis pompa S. Terentiano Tudertini tamquam tutelari Divo juſta perſolvunt. *Hæc ibi.*

aliqui putant hæc alterius eſſe Terentiani epiſcopi Dertonenſis :

7 *Verùm tom.* 4, *col.* 626 Terentianum *inſerit catalogo epiſcoporum Dertonenſium his verbis :* S. Terentianus poſt Ammonium inter præſules Derthonenſis eccleſiæ numeratur, in cujus eccleſiæ publicis tabulis, adlectus circa annum Domini CLXXVI, coronatuſque martyrio anno CLXXXVII habetur. Ejus feſtum celebratur I die Septembris. Cæterùm Martyrologium Romanum hac ipſa die meminit alterius Terentiani Tudertini epiſcopi & martyris, Derthonenſi hoc Terentiano ſuppreſſo. Suſpicatus ſum unum eumdemque eſſe Terentianum, qui hiſce ambabus eccleſiis ex errore ſcriptorum attribuatur ; vel revera duos eſſe, ſed diverſis temporibus floruiſſe, ac Derthonenſes ſui Terentiani hac ipſa die celebrare feſtum (*quòd ignota ſit*) apud illos germana dies, quâ per martyrium conſummatus cælituum numerum auxit. Sic noſtra conjectura eſt. Cæteri cordatiores providebunt, quid hac in re magis conſonum veritati ſit dicendum. *Vides, lector, dubitantem Ughellum. Et ſanè ex iis, quæ hactenus attulimus, res ſatis videtur ambigua.*

B

verùm ipſi olim Dertonenſes crediderunt oſſa eſſe S. Terentiani Tudertini,

8 *Verumtamen omnino mihi perſuadeo* Terentianum, *qui colitur Dertonæ, alium non eſſe à ſancto Epiſcopo Tudertino. Colligo iſtud ex monumentis, quæ anno* 1662 *Majoribus noſtris perhumaniter tranſmiſit Joannes Baptiſta Chapuis, canonicus eccleſiæ cathedralis Dertonenſis. Hic in brevi collectione de Sanctis eccleſiæ ſuæ ad diem* 1 *Septembris memorat iſta :* Menſe Septembri, die prima in omnibus Calendariis antiquis ſignatur Officium duplex S. Terentiani epiſcopi & martyris, & hujus reliquiæ in cathedrali. In ſynodo Dertonenſi anni MDXCV inter ſacras reliquias cathedralis ponitur : De oſſibus S. Terentiani epiſcopi & martyris cum quatuor dentibus. In libro Antiphonario ex pergameno eccleſiæ cathedralis adeſt Officium proprium S. Terentiani, in cujus antiphonis & reſponſoriis cùm fiat mentio de Adriano imperatore & de Læciano proconſule, neque umquam vocetur epiſcopus Terdonenſis, ſignum eſt hoc eſſe Officium S. Terentiani epiſcopi Tudertini, qui ſub hac die in Martyrologio enunciatur, & hîc Terdonæ coli propter ejus reliquias, quæ fuerant olim inventæ ſimul cum corpore S. Martiani, & repoſitæ ſub altari, ut hîc dictum fuit ſub die XVII Julii, quo notatur ſolemnitas reconditionis SS. martyrum Martiani, Terentiani, Vitalis & Agricolæ. *Notat ibi in rem noſtram de Officio iſtius feſti ſequentia :* Terentianus porrò, de quo hîc, à compoſitore Officii creditus fuit S. Terentianus Tuderti epiſcopus, de quo Martyrologium ſub die prima Septembris : & hoc arguitur ex tertio reſponſorio primi nocturni dicti Officii, ubi ſic habetur : " Tu„ dertinæ civitatis præſul, cultor Trinitatis, mar„ tyr ſummæ ſanctitatis, præſens eſt Terentia„ nus „. Cujus proinde Sancti reliquiæ neceſſe eſt ut aliàs Terdonam tranſlatæ fuerint, & poſtea repertæ cum reliquiis S. Martiani.

C

ita ut negligenda ſit opinio de Terentiano Dertonenſi,

9 *Hæc ſatis clarè innuunt, quænam olim fuerit ſententia ipſorum Dertonenſium de ſancto ſuo* Terentiano. *Alia quidem deinde ibidem invaluit opinio, ſed hæc nos morari non debet. Audi tamen, quid poſt priora ſubdat laudatus Canonicus :* Nihilominus inter ſanctos epiſcopos Terdonenſes in tabella epiſcoporum ſynodi anni MDCLIX numeratur quarto loco S. Terentianus ſub hoc tenore verborum : S. Terentianus cleri populique ſuffragiis cathedræ Dertonenſi admotus eſt. Perditi tum erant clericorum hominumque mores. Publica Chriſti res peſſum ferè ibat : innumeræ obortæ corruptelæ : ſacerdotes in fugam acti ; ipſaque eccleſia longo ævo viduata ſponſo tenebras dolebat. Novi Præſulis conatibus reſtituta eſt, quantùm patiebatur ea temporum inclinatio, Chriſtianæ reipublicæ fides, ſacris ritibus decus, ſacerdotibus ac Deo religio. Tandem poſt multa tormenta, Marco Aurelio imperante, martyrio coronatus eſt. Sedit circitèr XI annos. De eo meminit ſynodus Dertonenſis anno MDXCV celebrata, ubi in ſacrarum reliquiarum indice habentur hæc verba : De oſſibus S. Terentiani epiſc. Derton. & martyris inſignibus in cathedrali præpoſituræ titulo. De S. Terentiano ſcribit Ferrarius in ſua Topographia.

D

quæ orta videtur ex conjecturis malè fundatis :

10 *Ex hiſce obſervemus pauca. Primò nullibi dicitur totum corpus* S. Terentiani *Dertonæ ſervari, ſed ſolùm quædam illic habentur reliquiæ. Secundò Synodus Dertonenſis anni* 1595 *non vocat epiſcopum* Dertonenſem, *ita ut ſynodus anni* 1659 *illud videatur addidiſſe ex conjectura malè fundata. Ex ſimili conjectura profectum crediderim, quod aſſerunt, martyrio coronatum ſub imperio Marci Aurelii ; non alia fortaſſe de cauſa, quàm quòd aptiorem locum ipſi non reperirent in catalogo epiſcoporum Dertonenſium Certè credi non poteſt, ulla ad manum fuiſſe antiqua monumenta, ex quibus id poterat colligi, cùm nulla ejuſmodi monumentorum fiat mentio, & tamen adducatur auctoritas ſynodi anni* 1595, *& Ferrarii, in quibus nihil ſimile legitur. Quapropter, cùm auctor antiqui Officii* Terentianum *illum Tudertinæ eccleſiæ faciat epiſcopum, nec veriſimile ſit, id eum feciſſe ſine rationibus, dubitare vix poſſum, quin revera Tudertinus ſit Epiſcopus, qui colitur Dertonæ, uti & colligitur ex eodem die, quo colitur utroque loco.*

E

S. Terentianus Capuæ etiam olim cultus.

11 *Eccleſia Capuana etiam coluit* S. Terentianum, *uti intelligimus ex antiquo Breviario Capuano, in quo tres de eo habentur lectiones. Ejuſdem memoria reperitur in antiquis Kalendariis, quæ edidit Michaël Monachus in Sanctuario Capuano. Idem pag.* 540 *teſtatur in Lectionario Ms. legi hanc orationem de SS. Priſco & Terentiano ſimul :* Propitiare, quæſumus, Domine, nobis famulis tuis per horum ſanctorum martyrum tuorum Priſci & Terentiani, qui in præſenti requieſcunt eccleſia, merita glorioſa, & eorum pia interceſſione ab omnibus ſemper protegamur adverſis, per Dominum &c. *Hinc ita proſequitur Monachus :* Igitur eccleſia Capuana habuit reliquias ſancti Terentiani. Cæterùm ſanctus Terentianus habuit eccleſiam in ſuburbio à porta Pontis, & hodie durat nuncupatio loci ab ipſo Sancto. *Porrò idem hic eſt* S. Terentianus, *ut colligitur ex lectionibus. Fuerunt itaque hujus Sancti reliquiæ variis locis ſervatæ, nec ullibi totum corpus. Hæc de cultu & reliquiis ſufficiant.*

F

* * * * *
* * * *
* * *
* *
*

§ II.

A

§ II. Acta varia, ſed nulla ſatis fidelia : Actorum compendium ex Breviario Capuano : tempus, quo paſſi ſunt Sancti.

Acta varia, ex quibus omnium deterrima edidit Mombritius :

ACta S. Terentiani *habemus varia cùm impreſſa tum manuſcripta, quorum alia aliis ſunt minùs vitioſa, ſed nulla prorſus reperire potui, quæ ſuis non laborant defectibus. Baronius vidit Acta Ms. eccleſiæ Tudertinæ, ut teſtatur in annotatis ad Martyrologium ; eaque nullâ inurit cenſurâ ; quin potiùs, ex parte ſaltem, approbâſſe videtur, cum elogium ex iis concinnatum Martyrologio inſeruit. Tillemontius verò tom. 2 Monument., in Perſecutione Adriani art. 3 Acta* S. Terentiani, *prout edita vidit apud Mombritium tom. 2 à fol. 327, gravi perſtringit cenſura, affirmans illa nihil prorſus valere. Porrò nulla Actorum, quæ habemus, exemplaria magis vitioſa ſunt quàm Mombritiana. Audi quid initio iſtorum dicatur de Adriano imperatore :* Adrianus itaque imperator, qui & Helios dictus eſt, id eſt, ſol, dum Orientales partes adiret, à quibuſdam Chriſtum colentibus intimatum eſt de Jeſu Chriſto Filio Dei, quòd multas illic virtutes operatus ſit. Illico credidit, & cœpit reædificare domum Domini, & mirabili opere conſtruxit, nec non & donaria multa contulit ibi, & civitatem Hieruſalem ab imo reparavit ; nec non & per omnes mundi partes edictum propoſuit, ut nullus Chriſtianus pro Chriſto, niſi causâ alius criminis, inventus puniretur. *Primò prænomen Adriani non erat* Helios, *ſed* Ælius. *Deinde nec Chriſtianus fuit Adrianus, nec templum Hieroſolymitanum reædificavit, adeoque nec dona eidem contulit. Hieroſolymam quidem inſtauravit ſub nomine* Æliæ Capitolinæ, *at id non fecit amore Chriſtianorum, cùm idola poſuerit in locis ſacris. Reſcripſit etiam ad Minutium Fundanum Aſiæ proconſulem in gratiam Chriſtianorum, quos nolebat damnari ſolis populi clamoribus, ut videre eſt apud Euſebium lib.* 4, *cap.* 8 : *at tale non dedit edictum, quale hîc deſcribitur. Hæc igitur diſplicuerunt haud dubiè Tillemontio, & cum aliis mox memorandis cauſam præbere potuerunt Acta prorſus reprobandi.*

B

enumerantur alia exemplaria minùs fabuloſa ;

13 *Verùm hæc omnia non leguntur in aliis Actorum exemplaribus, ita ut neceſſariò dicendum ſit, fabuloſam illam præfationem Actis adjectam eſſe ab homine audace & imperito. Quippe præter unum exemplar Ms., ex cœnobio Bodecenſi olim ſubmiſſum, quod Actis Mombritianis ferè conſonat, quatuor alia habemus apographa, ex variis Italiæ locis tranſmiſſa, quorum nullum iſtud habet initium. Primum ex illis apographis deſumptum eſt* ex antiquo Legendario Urbevetano, *in quo ſine ulla præfatione Acta inchoantur à reditu Adriani ex partibus Hieroſolymitanis. Alterum notatur* ex Ms. 2061 Emin. Card. Franciſci Barberini in 4°. ; *tertium* ex Actis antiquitus impreſſis eccleſiæ Theanenſis. *Hæc autem duo apographa aliam habent præfationem de tempore, quo paſſus eſt* Terentianus ; *diviſaque ſunt in novem lectiones ; ac demum ſubditur in his apographis Tranſlatio brachii Teanum, quæ ſimiliter in novem lectiones diviſa eſt. Ex omnibus verò apographis nulla melius invicem conſentiunt quàm hæc duo. Quartum apographum accepimus* ex Ms. RR. PP. Oratorii Romæ. *Huic etiam initio aliquid adjectum eſt, quod non habetur in reliquis. Accipe breve iſtud auctarium :* Adhuc gravis erat perſecutio Chriſtianorum per totam provinciam, ut ſi quis non proſtratus idolis immolaret, pœnis cruciaretur. Eo namque tempore Adriani imperatoris fuit quidam vir vitæ venerabilis Terentianus epiſcopus in civitate Tudertina, verus Dei cultor. Hic omnibus diebus vitæ ſuæ ſerviens Domino, & piis operibus inſiſtens, ac faciens mandatum Domini cum eleemoſynis charitatis, jejuniis, & vigiliis & orationibus ſemper inſiſtebat, & multas animas ad fidem Chriſti convertebat.

AUCTORE J. S.

verùm nec illa navis carent : quodnam exemplar edendum & quomodo.

14 *Ex dictis colligo, diverſas iſtas præfationes Actis adjectas eſſe, adeoque ex illarum vitiis contra ipſa Acta non ſatis efficax deſumi poſſe argumentum. Verumtamen timendum eſt, ne Acta aliis etiam locis interpolata ſint, idque præcipuè patet in Mombritianis, quæ magis ab aliis diſſentiunt : nam reliqua minùs frequenter diſſonant ; & ſolùm in verbis, quæ non mutant hiſtoriam. Præterea quædam leguntur in omnibus exemplaribus, quibus fides Actorum diminuitur. Primò videtur dici Adrianus legem tuliſſe, ut Chriſtiani compellerentur ad ſacrificandum idolis, renuenteſque diverſis affligerentur tormentis. At ejuſmodi lex Adriano paſſim abjudicatur ab eruditis. Certè Tertullianus in Apologetico cap.* 5 *Adrianum inter illos recenſet imperatores, qui legem contra Chriſtianos non tulerunt. Deinde multa diſputat* Terentianus *cum Lætiano proconſule de myſteriis fidei Chriſtianæ, quæ non ſunt admodùm veriſimilia, cùm Chriſtiani non facilè detegerent gentilibus arcana fidei noſtræ myſteria. Addi poſſunt dicta quædam* Terentiani *juſto duriora. Verùm neque lex Adriani in Mss. tam clarè aſſeritur, ut nequeant explicari de ſolo imperatoris mandato perſequendi Chriſtianos, quod Adrianus revera fecit, neque alii nævi in Mss. tam notabiles ſunt, aut tam frequentes, ut omnem prorſus fidem etiam factis abrogatam velimus, aut pronuntiemus cum Tillemontio, Acta nihil prorſus valere. Dabimus igitur hæc Acta, non quidem ut primigenia & certa, ſed ut fide non prorſus indigna quoad omnia illa, quibus gravior non reſiſtit auctoritas. Porrò quia apographa omnia aliquot mendis deturpata ſunt, nullum ex illis tam preſſè ſequar, ut ex aliis non ſim correcturus, cùm in illis reperiam phraſim correctiorem, ita tamen, ut Ms. Eminentiſſimi Barberini, quod reliquis præplacet, paſſim ſim editurus, & lectorem ſim moniturus, dum illud ex aliis videbitur corrigendum.*

C

Hiſtoria tranſlationis brachii fabuloſa eſt & omittenda :

15 *Jam dixi in duobus apographis etiam legi Tranſlationem brachii Teanum. Civitas hæc eſt Campaniæ Felicis quæ nunc* Terra Laboris *vulgò dicitur, epiſcopalis ſub archiepiſcopo Capuano, diciturque* Teanum Sedicinum *ad diſtinctionem alterius Teani nunc ferè exciſi, quod* Apulum *cognominatur. Verùm illa tranſlationis hiſtoria minùs etiam fide digna eſt, quàm ſint Acta martyrii. Etenim non modò omnia, quæ ibi narrantur, ſupra fidem ſunt mirabilia, ſed aliqua ipſis quoque Teanenſis eccleſiæ traditionibus contraria. Dicitur enim tranſlatio facta duodecim tantùm annis poſt Sancti martyrium ſub Adriano, adeoque ante medium ſeculi ſecundi. Deinde verò producitur epiſcopus Teanenſis, qui mulieri reliquias.*

F

AUCTORE J. S.

quias ferenti proceſſerit obviam. Attamen ex traditionibus eccleſiæ Teanenſis primus civitatis illius epiſcopus tempore Conſtantini Magni, id eſt, ſeculo IV, ab omnibus ſtatuitur S. Paris, cujus Acta dedimus tom. 2 Auguſti à pag. 73. Itaque manifeſtus hic eſt parachroniſmus. Quapropter ſcripti illius compendium paucis accipe. Dicitur S. Terentianus duodecimo poſt martyrium anno apparuiſſe Laurentiæ, quæ ejus ſepulturæ adſuetat, eamque docuiſſe ſepulcri ſui locum, cujus ſe oblitam dicebat. Hæc, ut juſſa erat, eò ſe confert cum alia muliere, corpus invenit, brachium tollit ac tribus menſibus in domo ſua retinet. Febribus correptæ mulieres itineri ignoto ſe committunt, poſt menſem Romam perveniunt, inde poſt octiduum Teanum, ubi monitus terræ motu epiſcopus occurrit venientibus. Introducuntur reliquiæ in civitatem, ac porta, per quam inferuntur, nulli deinde exitum permittit aut introïtum. Hæc retuliſſe ſatis eſt, nec ulteriori opus eſt refutatione, etiamſi memorati antè Joannes Baptiſta Poſſevinus, & Jacobillus fabuloſam illam hiſtoriam Operibus ſuis inſeruerint. Nos verò non negabimus brachium S. Terentiani aliquando tranſlatum fuiſſe Teanum; at non credemus id contigiſſe modo prædicto; nec ſcriptum iſtud edemus.

B

tempus, circa quod paſſi ſunt Sancti.

16 Tandem, priuſquam Acta ſubjungam, pauca diſſerenda ſunt de tempore martyrii. Paſſum cum Flacco S. Terentianum ſub imperio Adriani omnes conſentiunt; ſed anni deſignantur varii. Poſſevinus ſtatuit annum 123, Jacobillus & Orlendius 138, Ughellus circa annum CXXXVIII. Verùm ſuſpicor martyrium Sanctorum noſtrorum contigiſſe ſub initium imperii Adriani, ſeu dum prima vice reverſus eſt ex Oriente: nam omnia Actorum apographa habent, S. Terentianum delatum fuiſſe ad Adrianum, dum hic ex partibus Hieroſolymitanis Romam eſt reverſus. Præterea in duabus præfationibus, uti & in Breviario Capuano hæc ſtatuitur epocha: A paſſione verò Domini annus volvebatur ferè octogeſimus quintus, quando paſſus eſt ſanctus Terentianus epiſcopus. Nolim hîc examinare, an hæc epocha omnino ſit juſta; nam id fieri non poteſt, niſi diſcutiatur intricata controverſia de anno æræ vulgaris, quo paſſus eſt Chriſtus. Juſta eſt prorſus, ſi Sanctus coronatus eſt anno 118, quo Adrianus rediit ex Oriente, ut vult Tillemontius, & ſi vera eſt eorum opinio, qui Chriſtum mortuum ſtatuunt anno æræ vulgaris trigeſimo tertio, vel etiam trigeſimo quarto. Verùm quidquid ſit de anno mortis Domini noſtri, quem alii alium ſtatuunt, martyrium SS. Terentiani & Flacci collocabo circa annum 118, quo prima vice rediit ex Oriente Adrianus: nam, licèt inde redierit ſæpiùs, annus octogeſimus quintus poſt mortem Chriſti in omnium opinione anno 118 magis favet, quàm annis poſterioribus.

C



D

ACTA

auctore anonymo

Ex Ms. Emin. Card. Franc. Barberini collato cum tribus aliis Mss. & editione Mombritii.

CAPUT I.

S. Terentianus defertur ad Adrianum, ejuſque occaſione perſecutio excitatur: Sanctus apprehenſus ſiſtitur Latiano proconſuli, multiſque cum eo diſputat de fide Chriſtiana.

E

Tempus, quo paſſus S. Terentianus cum S. Flacco:

ANno cæſaris Auguſti quadrageſimo ſecundo, expletis ſecundum Hebraïcam veritatem ab initio mundi annis tribus millibus nongentis quinquaginta duobus, Jeſus Chriſtus Dei Filius mundum ſuo ſacravit adventu, Tiberii autem cæſaris octavo decimo anno paſſione ſua mundum redemit. S. Joannes Apoſtolus ſexageſimo nono anno poſt paſſionem Domini, ætatis autem ſuæ nonageſimo ſeptimo, temporibus Traiani, Epheſi placida morte quievit. A paſſione verò Domini annus numeratur ferè octogeſimus quintus, quando paſſus eſt S. Terentianus *a* epiſcopus temporibus Adriani imperatoris: qui ad palmam martyrii taliter pervenit.

a

Accuſatur S. Terentianus apud imperatorem, b c

2 Regnante Adriano imperatore in urbe Roma, & revertente eo à partibus Hieroſolymis *b*, occurrit ei Marianus præfectus *c*, & ſuggerens gloriæ ejus dixit ad eum: O imperator, poſtulationem meam auguſtalis pietas veſtra audire non dedignetur, ut ſicut clara eſt ſerenitas veſtra toto orbe terrarum, ita reſpublica per deorum noſtrorum gubernetur ſemper honorem. Notum facio pietati veſtræ, quia eſt in quodam oppido non longè ab urbe Roma vir Chriſtum colens, nomine Terentianus, epiſcopus ætate jam ſenex, qui vanis jugiter ſuaſionibus Chriſtianis docet populum, ne credat diis immortalibus, prædicans neſcio quem Chriſtum. Unde dignum eſt, ut aut ſacrificia offerat diis immortalibus, aut ſi non velit, acerrimis affligatur tormentis. Hoc verò audiens Adrianus imperator quarto Kalendarum Auguſtarum ante templum *d* urbis Romæ conſiſtens, tale dedit reſponſum: Verè gaudens ſuſcepi petitionem tuam. Et locutus eſt ei, dicens: Dignum eſt, ut poſtulatio veſtra non denegetur, ut omnium pandatur voluntas. Tunc irato vultu talem legem indixit, ut, ubicumque inventus fuerit Chriſtianus, univerſali judicio condemnetur, ſi diis immortalibus non ſubmiſerit colla.

F

3 Lecianus verò proconſul Tuſciæ & Andreas togatus, dum ſtarent in conſpectu Adriani auguſti

A *qui Chriſtianos jubet cogi ad ſacrificia, aut nolentes occidi:*

auguſti Marianus præfectus dixit: Suggeſtionem meam nunciavi ſerenitati veſtræ, dominorum noſtrorum tantummodo auguſtorum *e* valeat juſſio. Adrianus imperator dixit. Lætetur petitio tua, & communi juſſione omnia impleantur. Adrianus imperator tale denique dedit reſponſum: Victor Adrianus *f*, auguſtus inclitus, triumphator perpetuus, generali honore & pietate præcelſus toto orbe Romano, ſacriſque diis immortalibus decus honoris. Juſtum eſt enim diis ſacratiſſimis jugiter deſervire, per quos Romana felicitas floret, & reſpublica gubernatur, & dignum eſt, ut ſecundum ſuggeſtionem magnifici viri Mariani præfecti juſta poſtulatio non denegetur. Ideo volo, ut ubicumque inventus fuerit Chriſtianus, priùs ad ſacrificandum compellatur, & ſi hoc adimplere renuerit, variis affligatur tormentis, ut diis noſtris per libationem ſacrificiorum in omnibus honor augeatur. Propoſita eſt denique hæc juſſio *g* quarto Kalendarum Auguſtarum in foro Traiani *h*.

B *captus S. Terentianus ſiſtitur proconſuli,*

4 Lecianus proconſul Tuſciæ ſecundum juſſionem Adriani imperatoris veniens in oppidum Tudertinum, expandens coram omnibus ſacram juſſionem imperialem, convocavit majores natu & magiſtratus Lucium & Gabinum *i*: & ſedens in foro coram omnibus, locutus eſt, dicens: Viri patres & amici principum, cognoſcite beatiſſimam ſacramque juſſionem *k*. Et relecta eſt vulgo ſermone, ſicut ſuperiùs declaratum eſt *l*. Et clamaverunt omnes: Auguſte ſemper vincas. Hoc dictum eſt decies ſepties *m*. Lecianus proconſul dixit: Propitii dii floreant, & religioſitas deorum noſtrorum clareſcat, & Chriſtiani modò occurrere non morentur. Quod ſi non occurrerint, rei pœnâ feriantur. Et diſceſſerunt omnes. Alia die inimici Chriſtianorum tenuerunt beatiſſimum Terentianum epiſcopum *n*, & perduxerunt eum ad Lecianum proconſulem, dicentes: Vir magnifice, de iſto ſacrilego mentio facta eſt domino Adriano imperatori in urbe Roma. Hic *o* ſeducit populum, & prædicat neſcimus quem Chriſtum: & ſacrificia idcirco non offerunt, & thura non incendunt. Ideo reſponſa non accipimus à diis noſtris ſecundum ſacram conſuetudinem.

C *quocum diſputat*

5 Lecianus verò proconſul dixit ad beatum Terentianum epiſcopum: Senex, rogamus magnitudinem tuam, ut non abſcondas artis tuæ prudentiam nobis, ut amicitiis fruaris auguſtorum noſtrorum, & nobis præſtes præclaris facultatibus dona promiſſa *p*. S. Terentianus epiſcopus dixit: Si verè deſideras omnia bona accipere, & regna cæleſtia poſſidere, require priùs, quod juſtum eſt, Deum verum cognoſcere, qui eſt in cælis, & tunc poteris veræ ſalutis cognoſcere veritatem, & bonis omnibus exultare. Lecianus proconſul juſſit S. Terentianum epiſcopum intra palatium introire, ut ſecretiùs cum eo de his loqueretur: & dum introiiſſet, Lecianus proconſul dixit ad eum: Ejice hanc ſuperſtitionem vaniſſimam, & audi monita mea, ut per te multi gaudeant, & floreant, & tu pariter omnibus gaudeas bonis. S. Terentianus epiſcopus dixit: Verè magis defleo, ſi audire monita tua non contemno. Sed tu magis audi me, & crede in Deum omnipotentem, qui regnat in cælis, & florebis cum omnibus bonis in æternum. Lecianus proconſul dixit: Rogo ut dicas mihi arcanum artis tuæ, & ne abſcondas, quare dii immortales nil valeant vobis prædicantibus, & ſacerdotes noſtri, & virgines conſueta incendentes thura, reſponſa non accipiant, & ſacrificiorum ignis extinguatur. S. Terentianus epiſcopus dixit: Si cognoſcere vis, diſce priùs veritatem, & oſtendam tibi hujus rei rationem. Lecianus dixit: Clarifica mihi ipſam veritatem. A. ANONYMO.

6 S. Terentianus epiſcopus dixit: Veritas eſt, ut credas Chriſtum Dei Filium unà cum Spiritu ſancto in Trinitate & in unitate perſiſtentem, & ſalvus eris. Lecianus proconſul dixit: Hoc enim non intelligo: quomodo mihi proponis Chriſtum Dei Filium, & Spiritum ſanctum in Trinitate & in unitate manentem? S. Terentianus epiſcopus dixit: Ego humilis ſervus Chriſti ſenio jam defectûs fiducialiter dico Dominum Jeſum Chriſtum Dei Filium, & Spiritum ſanctum in unitate ſemper & Trinitate manere. Lecianus proconſul dixit: Regulam hujus rei & proprietatem tanti nominis mihi deſigna. S. Terentianus epiſcopus dixit: Si hoc deſideras ſcire, priùs proprietatem tanti myſterii diſce, & ſic poteris ad clarum tanti luminis venire decorem. Nam *q* Deus eſt omnipotens creator omnium viſibilium & inviſibilium, omniumque creaturarum in cælo ſurſum & in terra deorſum. Per quem omnia facta ſunt, ipſe eſt Jeſus Chriſtus Dei Filius, qui cum ſancto Spiritu univerſa creans & regens per ſæcula regnat & vivit in æternum. *de fide Chriſtiana,* *q* E

7 Lecianus proconſul dixit: Ergo nihil ſunt dii, & nec præſtant reipublicæ aliquam veritatem *? Quomodo enim vaticiniis vera narrant, & reſponſis futura pronunciant? S. Terentianus epiſcopus dixit: Dæmonibus hoc conceſſum *r* eſt, ut pro ſuperbia humani generis, & non credentibus in verum Deum vana loquantur, falſa pronunciantes, ut infidelium decipiant mentes. Lecianus proconſul dixit: O magica ars Chriſtianorum! quæ, quod verum eſt, non firmat, &, quod nec audiendum eſt, oſtendit ad decipiendum populorum omnium mentes. S. Terentianus epiſcopus dixit: Ergo non eſt verum prædicare veritatem & vacuare falſitatem? Hoc te commoneo, Leciane, ut avertas oculos mentis ab idolorum cultura, & ſic poteris veram, quæ in Deo eſt, cognoſcere pleniſſimam veritatem. Lecianus proconſul dixit: Depone hanc pertinaciam falſam, & ſacrifica diis immortalibus: quod ſi non ſacrificaveris, per deos variis pœnis te faciam interire. S. Terentianus epiſcopus dixit: A die, quo ſuſcepi Deo annuente epiſcopalem honorem, non ceſſavi ſacrificare Deo omnipotenti hoſtiam laudis Corporis & Sanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti. Lecianus proconſul dixit: Ergo frequenter occiditur Chriſtus veſter, ut corpus & ſanguinem ejus jugiter ſacrificetis? S. Terentianus epiſcopus dixit: Verè confuſus eſt ſenſus tuus, ô diabole, & obduratus omni iniquitate. Veriſſimè cognoſce, quia ſemel occiſus eſt pro omnium ſalute Jeſus Chriſtus Dei Filius, & ſepultus eſt, & tertia die reſurrexit à mortuis, & aſcendit in cœlos, inde venturus eſt judicare vivos & mortuos, & patrem tuum diabolum, qui te retinet, ne credas & cognoſcas tuæ ſalutis veritatem.* *& de vanitate idolorum.* ** al.* firmitatem *r* F

ANNOTATA.

a *Cùm hæc præfatio in duobus tantùm habeatur Mss., non dubito, quin adjecta ſit, poſteaquam Acta fuerant ab alio ſcripta, ut monui in Commentario num.* 14, *ubi & num.* 16 *oſtendi ex hac epocha, martyrium Sanctorum noſtrorum ſtatui probabiliùs non poſſe, quàm circa annum*

A. ANONYMO.

æræ vulgaris 118. *Quod ſpectat ad epochas Chriſti nati & mortui, uti & S. Joannis, eas hìc diſcutere non lubet, cùm multis difficultatibus ſint involutæ.*

b *Adrianus imperium aſſumpſit Antiochiæ in Syria anno* 117, *muliaque ordinavit in Oriente, antequam Romam revertereiur, quò rediit anno* 118, *quemadmodum oſtendit Tillemontius tom.* 2 *Imperatorum in Adriano art.* 5. *Addit ille etiam in Ægyptum eſſe profectum, & Hieroſolymam pertranſiviſſe in reditu, ſi ſtandum ſit auctoritate S. Epiphanii, qui lib. de Ponderibus & Menſuris num.* 14 *ait, Adrianum veniſſe Hieroſolymam anno quadrageſimo ſeptimo poſt ejus everſionem. Hæc optimè congruunt cum epocha à nobis data, & auctoritatem Actorum utcumque tuentur.*

c *Apud Mombritium*, Tudertinæ urbis præfectus.

d *Apud eumdem*, In templo Jovis Capitolini. *Verba quoque Mariani ibidem alia ſunt, & de loco, ubi erat Sanctus, ſic habet:* Quidam enim Senex in quodam pago extra Tudertinam civitatem manens *&c. Reliqua quoad ſenſum ſatis conſonant.*

B

e *Solus Adrianus erat eo tempore auguſtus. Excuſari tamen poteſt expreſſio, quia varii imperatores defuncti legem tulerant contra Chriſtianos, aut eam juſſerant obſervari.*

f *Adrianus legem non tulit contra Chriſtianos, quemadmodum monui in Commentario num.* 14. *Hinc non miror diverſimode exprimi in Mss. Apud Mombritium ſuccinctius ſic legitur:* Adrianus auguſtus, inclytus triumphator. Ratum & juſtum eſt diis ſervire omnipotentibus, per quos & noſtra felicitas floret, & reſpublica gubernatur. Ubicumque inventus fuerit Chriſtianus ſacrilegus, aut diis ſacrificia offerat, aut tormentis diverſis intereat.

g *Si ſolùm conſideremus exemplaria Mss., poſſunt hæc utcumque accipi pro ſola juſſione perſequendi Chriſtianos ſecundum leges antea latas. Hæc autem juſſio vera eſſe poteſt, cùm conſtet, Adrianum initio imperii ſui perſecutum eſſe Chriſtianos. Verùm apud Mombritium juſſio Adriani hoc ſenſu intelligi vix poteſt, cùm poſtulent accuſatores, ut edictum* per totum orbem promulgetur, *iiſque annuat imperator. Hinc rurſum patet, Acta Mombritiana reliquis tanto deteriora eſſe, quanto aliàs apparent nitidiora. Verùm interpolata hæc editio Actis Mss. obeſſe non debet.*

C

h *In Mss. PP. Oratorii additur*, ipſo Auguſto conſule. *Fuit Adrianus conſul anno æræ vulgaris* 118 *& rurſum* 119, *nec deinde conſulatum geſſit, ita ut verba illa optimè congruant cum epocha martyrii à nobis data.*

i *Mombritius*, Lucidium & Gabinium; *Ms. Urbevetanum*, Lucidum & Gabinum: *alia omnia, prout edidimus.*

k *Mombritius*, provulgatum à cæſare auguſto edictum.

l *Hæc poſteriora verba deſumpſi ex Mss. PP. Oratorii, quia phraſis mendoſa erat in Ms., quod aliàs ſequor.*

m *Acclamatio prædicta in omnibus non habetur, ſed in duobus Mss. juſſio dicitur relecta* decies ſepties, *mendosè, opinor.*

n *Apud Mombritium, & in duobus Mss. additur*, & aliquas ſanctimoniales virgines. *Verùm de his deinde nulla fit mentio, nec quidquam habetur in duobus Mss., quæ ſequor.*

o *Audi & Ms. PP. Oratorii, cui Urbevetanum & editio Mombritii ferè conſonant:* Hic ſeducit populum, & à die, quo prædicat Chriſtum neſcio quem, nos & ſacrificia offerimus & thura incendimus, & reſponſa non accipimus ſecundùm morem antiquum. D

p *Rectius forſan Mss. mox memorata. Audi primum:* Miræ magnitudinis tuæ non abſcondas prudentiam, ut amicitiâ fruaris auguſtorum per ſuggeſtionem noſtram, & nobis præſtes facultatem intimare, quod poſcimus. *Mombritius ſic habet:* Non abſcondas prudentiam tuam à nobis, ut amicitiis auguſti per veſtram ſuggeſtionem fruaris, & nobis veritatem, quam precamur, oſtendas. *Ex hac perpetua diverſitate in dictis exponendis colliget ſtudioſus lector, hac ab nonnoquoque expreſſa eſſe, prout judicavit perſonis congruere. Hoc ſemel monuiſſe ſufficiat. Reſponſum Terentiani, quod ſequitur, vario item modo eſt expoſitum; ut & reliqua dicta utriuſque, licèt alioqui ſatis congruant quoad ſubſtantiam.*

q *Hæc latiùs exponuntur apud Mombritium. Accipe verba illius:* Pater omnipotens ante omnia ſæcula genuit ex ſe Filium per omnia ſibi æqualem, per quem & cum quo cuncta, quæ in cælo ſurſum & quæ in terra deorſum ſunt, creavit ex nihilo: quem in fine ſæculorum ex Virgine naſci, & carnem ſumere voluit propter hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam creatum, quem diabolus fraude decepit, ut, qui antè immortalis erat, mortalis efficeretur. Spiritum quoque ſanctum ex utroque procedentem, æqualem Patri & Filio exiſtentem, ſi credideris, ſalvus eris. *Non crediderim tam ſublimia homini pagano ſtatim propoſita. Alia Mss. magis conſonant editioni noſtræ.* E

r *Apud Mombritium ineptè & falsò reſpondet:* Dæmonibus à Deo hoc datum eſt pro ſua ſuperbia, ut aliquando vera reſpondeant. Vera itaque reſpondere, niſi ſanctis angelis nuntiantibus nequeunt *&c. Etenim non ab angelis diſcunt dæmones, ſi aliquando futura ſic pronuntiant, uti poſtea eveniunt; ſed divinando multa dicere poſſunt, quorum aliqua vera erunt, falſa alia.*

F

CAPUT II.

S. Terentianus variis torquetur cruciatibus: Flaccus idolorum ſacerdos ſubitò fit cæcus; proconſul verò, præciſâ S. Terentiano linguâ, obmuteſcit & moritur: convertitur baptizaturque Flaccus, & cum S. Terentiano obit martyrium.

Flaccus idolorum ſacerdos fit cæcus;

LEcianus proconſul iracundiâ plenus juſſit miniſtris ſuis, dicens: Confringite cum lapide os ejus, quia locutus eſt ſuperbè contra deos & contra natales noſtros. S. Terentianus epiſcopus dixit: Confringat te Dominus noſter & patrem tuum diabolum, cum quo in igne ſupplicium ſine fine

A fine habiturus es in æternum *a*. Lecianus proconsul dixit: Depone jam amentiam cordis tui, & sacrifica diis. S. Terentianus episcopus dixit: Chirographum mortis & diaboli, ô infelix, percepisti. Idcirco profers blasphemiam ex ore tuo, & quæ non conveniunt. Lecianus proconsul præcepit in conspectu suo denudari sanctum Terentianum episcopum vestimentis suis; & jussit vocari sacerdotes idolorum, ut portarent ante eum sacrificiorum omnium apparatus, Herculem & Jovem, dicens ad eum: Sacrifica diis nostris immortalibus. S. Terentianus episcopus nudus stans in conspectu Leciani proconsulis, elevans oculos suos ad cælum dixit: Domine Deus omnium rerum, confundantur omnes, qui adorant sculptilia, & qui gloriantur in simulacris suis, & ne tradas bestiis animas confitentium tibi. Tunc Flaccus sacerdos idolorum *b* cæcatus est, & cecidit in faciem suam, & omnis apparatus sacrificiorum comminutus est, & Herculis Jovisque simulacra confracta sunt, & comminuta in pulverem redacta sunt.

a

b

B *Sanctus variis afficitur tormentis:*

9 Lecianus verò proconsul hoc videns, præcepit levari eum in eculeo in conspectu suo, & dixit ei: Edissere nobis magicam artem tuam *c*, & vives: nam si non feceris, per deos igni te tradam. S. Terentianus episcopus subridens, voce clara dixit: Perimat te Christus Filius Dei. Lecianus proconsul jussit eum affligi scorpionibus, & trahentes eum, laniabant gravissimè corpus ejus. Ille autem voce magna clamabat: Gloriâ tibi, benedicte Jesu Christe Fili Dei, qui benedicis omnes sperantes in te. Ecce modò cognosco benedictionem & misericordiam tuam. Lecianus proconsul nimiùm iratus jussit, ut applicarent ignem ad latera ejus, dicens: Videamus, si eum liberat ars sua magica, quâ cæcavit sacerdotem & cultorem deorum nostrorum immortalium. Eâdem horâ allati sunt ignes ad latera ejus. Lecianus proconsul dixit ad beatum Terentianum episcopum: Ubi est Christus tuus? S. Terentianus episcopus respondit: Mecum est; & si vis credere in eum, misericordiam promereberis à Domino Jesu Christo *d*.

c

d

C *linguâ præcisâ loquitur, obmutescit verò proconsul & moritur:*

10 Lecianus proconsul dixit: Si mihi eum cognoscere feceris, credo te non esse magum, sed perfectum virum amicumque meum, & relaxaberis à tormentis. B. Terentianus episcopus dixit: Fac, quod cœpisti: nam si cessaveris facere, quod cœpisti, nihil mihi beneficii præstas, sed quod tibi præcepit pater tuus diabolus, instanter perage. Lecianus proconsul jussit linguam ejus præcidi: & in conspectu ejus præcisa est lingua ejus, & coram omnibus fecit conculcari eam pedibus. Tunc Lecianus proconsul obmutuit: sanctus verò Terentianus cœpit clamare dicens: Gloria tibi, Deus: gloria tibi, Deus. Et innuens Lecianus proconsul manibus, quia obmutuerat & non poterat loqui, jussit eum vestiri vestimentis suis. Tunc Lucius & Gabinus jusserunt eum in carcerem recludi, & Lecianus proconsul subitò expiravit.

Flaccus sacerdos visum recipit & Christum confitetur,

e

11 Alia autem die Celsus & Leontius ex augustalibus *e* eduxerunt S. Terentianum episcopum de carcere, jusseruntque adduci ad forum: & dum veniisset, occurrit ei Flaccus sacerdos idolorum, qui cæcus effectus fuerat, & misit se ad pedes ejus, dicens: Adjuro te per Deum vivum, quem prædicas, ut illumines oculos meos, quia hodie per visum vidi hominem pulcherrimum, qui me commonuit, dicens: Vade ad Terentianum episcopum, & ipse te illuminabit. Omnes verò, qui aderant ad hoc spectaculum, audientes verba Flacci, Dominum collaudabant. S. Terentianus episcopus catenatus vinculis collo & manibus genua flectens, Dominum precabatur. Flaccus verò cæcus nil pertimescens, statim misit se, & tenuit manus ejus vinculis obligatas, & posuit super oculos suos, deprecans, ut eum illuminaret. S. verò Terentianus episcopus confidens in Domino dixit: Illuminet te Jesus Christus Dominus noster, qui est vera lux, qui & illuminavit abscondita tenebrarum. Tunc aperti sunt oculi Flacci, & statim cœpit clamare: Credo in Dominum Jesum Christum Filium Dei, qui me illuminavit, & quem vidi protegentem S. Terentianum episcopum.

A. ANONYMO.

baptizatusque ad mortem damnatur cum S. Terentiano.

12 Et dixit ad eos, qui eum vinctum ducebant, modicum, rogo, state expectantes me. Et cùm stetissent, dixit ad S. Terentianum episcopum: Per Christum te rogo, ut, quod scis, citiùs facias in me, ut salves animam meam. Dixit ei S. Terentianus episcopus: Si vis salvus esse, baptizare in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti. Dixit ei Flaccus: Modicùm sustine me, & pro me ora: & currens attulit aquam in doliolo vitreo. Illi autem existimaverunt, ut potum ei daret. S. verò Terentianus accepit aquam, & secundum Christianorum consuetudinem benedixit eam, & baptizavit eum in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti. Et secutus est eum Flaccus, usque dum veniret in conspectum Celsi & Leontii in civitate Tudertina. Et dum vidisset Leontius togatus augustorum currentem Flaccum cum gaudio post S. Terentianum episcopum, dixit voce clara: Ecce quod facit ars magica Christianorum, ut derelinquantur dii immortales, & monita audiant sacrilegi Terentiani. Et jusserunt ambo, dicentes: Secundum sacram Dominorum nostrorum augustorum jussionem pœna feriantur capitali.

B

Sancti utriusque martyrium & sepultura.

13 Ducti sunt denique ambo, S. Terentianus episcopus & Flaccus Christianus, ad locum passionis, & decollati sunt sub die Kalendarum Septembrium secus murum civitatis juxta flumen: & confestim mandatum est hoc Adriano augusto. Eadem nocte quidam Exuperantius presbyter & Laurentia somno commoniti, collegerunt corpora eorum, & sepelierunt eos octavo milliario à civitate Tudertina loco, qui dicitur Petrosus *f*, & appellatur Colonia, & multa ibidem mirabilia operantur usque in præsentem diem, regnante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Deo Patre vivit & regnat Deus in unitate Spiritus sancti per omnia sæcula sæculorum. Amen *g*.

E

f

g

ANNOTATA.

a *Duriora hæc sunt, quàm ut congruant sancto Episcopo, uti & alia quædam.*

b *Apud solum Mombritium vocatur*, princeps sacerdotum.

c *In duobus Mss.*, magica carmina tua.

d *In iisdem Mss.*, &, si vis, videbis eum.

e Augustales, teste Vegetio lib. 2 Rei militaris, appellabantur, qui primos in bello ordines ducebant, ita dicti, quòd ab Augusto ad id munus essent delecti, *inquit Calepinus in Dictionario suo.*

f *Duo Mss. cum Mombritio:* In loco petroso, qui appellatur Colonia.

g *Hic*

A. ANONYMO. g *Hic demum observet lector studiosus, facta eadem referri in omnibus exemplaribus, sed verbis non rarò diversis. Porrò editio Mombritii verbis concinnior est, quàm sint Mss., quæ minùs invicem dissentiunt. Verùm eadem editio quædam habet, quæ prorsus repudianda sunt, quæque, cùm non reperiantur in Mss., attribuenda sunt interpolatori, qui omnia corrigere voluit, idque fecit majori libertate quàm judicio.* D

DE S. NEOPHYTO EPISC. ET CONF.

LEONTINIS IN SICILIA.

J. L. Cultus ex Officio proprio; Acta fabulosa; an à S. Andrea apostolo episcopus consecratus? Tempus vitæ & mortis.

SUB FINEM SECULI III, UT CREDITUR. *Sancti Neophyti Leontinorum episcopi cultus*

B *Antiqui scriptores, tam Græci quam Latini, non modò incolas, sed & ipsam Siciliæ urbem, quæ hodie* Lentini *dicitur,* Leontinos *appellant; ut videre est apud Cluverium Siciliæ antiquæ lib.* I *cap.* 10. *Fuit olim episcopalis; at nunc tantùm habet Canonicorum collegium, & ecclesiæ Syracusanæ subjicitur. Priscæ sedis antistes vel primus, vel certè, quo prior nominari non potest, ab omnibus scriptoribus Siculis statuitur* S. Neophytus. *Agathinus Castilionius, protonotarius apostolicus & canonicus Leontinus, teste Antonino Mongitore in Bibliotheca Sicula, Romæ anno* 1612 *edidit* Acta SS. Leontinorum ac Officia cujusque Sancti Leontini, à Paulo V Pontifice approbata. *Quamquam Officia illa in Museo nostro desiderentur, neque ullos martyrologos, Philippo Ferrario antiquiores, inveniam, qui Sanctum nostrum annuntient; de ejus tamen legitimo cultu dubium non relinquunt variorum recentiorum testimonia: quibus doceor, inter alios plurimos Sanctos Leontinorum Patronos Officio ecclesiastico quoque coli* S. Neophytum *episcopum & confessorem. Ferrarius in Catalogo generali Sanctorum, qui in Martyrologio Romano non sunt, ita eum refert ad* 1 *Septembris:* Leontinis
C in Sicilia S. Neophyti episcopi. *In Notis addit inter alia:* De eo in Offic. ejusdem ecclesiæ Romæ nuper approbatis. *Apud Octavium Caietanum nostrum, in Idea Operis de Sanctis Siciliæ, hæc legitur annuntiatio:* Leontinis Festivitas S. Neophyti episcopi & confessoris. *Ad marginem prater tabulas Leontinas notantur* Lectiones à Paulo PP. V probatæ; *quæ, ut affirmat Carolus Antonius Conversanus in Ætherea Leontinorum gloria,* sub ritu duplici *recitantur. Quæ ad secundum Nocturnum leguntur & Sancto propriæ sunt, exstant apud Rocchum Pirrum in Notitiis ecclesiarum Siciliæ lib.* 2, *Notitiâ tertiâ, ubi illas iis dicit se referre verbis, quibus conceptas sacra rituum Congregatio sub Paulo V^o^ approbavit. Ita autem se habent.*

ex Officio proprio,

2 Neophytus Leontinus, S. Neophytæ martyris (*quam dedimus* XVII *Aprilis*) filius, olim Alexander dictus, Tertylli Siciliæ præsidis consiliarius fuit. Is SS. Alphii, Philadelphi & Cyrini (*quorum Acta examinavimus ad* X *Maii*) miraculis, Epiphaniæ uxoris (*Martyrologio Romano ad* XII *Julii inscriptæ*) pia consuetudine, & Andreæ apostoli, urbis Leontinorum patroni, conspectu permotus, Christianam pietatem amplexus est. Quare opibus in pauperum stipem distractis, in solitudinem secessit; ubi de martyrio cogitavit: sed Deo aliter disponente, à S. Agathone episcopo Lyparensi (*quem ad* XVII *Junii* E *inter prætermissos posuimus, de ejus cultu non satis edocti,*) baptizatus, sacrâ Scripturâ instructus, & sacerdotio initiatus est. Quatuor annorum spatio, quibus delituit, in precibus recitandis Sacrisque faciendis episcopo inserviens, carnium vinique usu penitùs repudiato, quotidiano usu corpus afflixit; quod institutum ad extremum usque spiritum servavit.

à sacra Congregatione rituum sub Paulo V

3 Quadam nocte, quæ creditur fuisse XXVIII Decembris anni CCLVIII, sub Valeriano & Gallieno impp. divinis laudibus [ad] sanctorum Fratrum sepulchra recitatis, visus est apostolus Andræas, qui assumptum Neophytum in Leontinorum episcopum consecravit; jussitque ut Romam ad recipiendam summi Pontificis benedictionem proficisceretur, asserens, non posse episcopum sine Episcopi Romani auctoritate consecrari. Festinus igitur urbem adiit, ubi cùm Pontifex eum consecrare statuisset, à sanctis apostolis Petro & Paulo per somnum accepit, fuisse illum à B. Andræa Leontinis speciali Dei gratia consecratum. Quod manè referens episcopis, qui ad consecrationem pervenerant, vidit laminam F auream manu apostolica detentam, è cælo prolapsam, in qua privilegium episcopatûs descriptum ita legebatur: DIVINA GRATIA JESU CHRISTI DIGNATUR VIRUM HUNC A SACERDOTIO PROMOVERE AD EPISCOPATUM: UT SEDEAT IN APOSTOLICO THRONO MESOPOLI LEONTINORUM. Demum Pontifex Apostolicam, planetæ genus, & pallium sacrum episcoporum indumentum, in Sancto sanctorum divinitus reperta, Neophyto concessit.

approbato:

4 Post tres annos rediens Româ Neophytus cum corporibus SS. Erasmi, Cleonici & Stratonici MM. divina revelatione præmonstratis (*de primo actum est* XXXI *Julii, de duobus aliis* XXIV *ejusdem*;) cùm pro concione se esse Alexandrum proderet, non mediocrem civibus timorem incussit, ita ut vix tandem longa oratione populum tumultuantem sedarit. Inde universo ferè populo baptizato totum se instituendæ regendæque ecclesiæ addixit: cui cùm septem & triginta annis, ac mensibus quinque præfuisset, jam octogenario major, virtute ac sanctitate clarissimus, ad cælestem beatitudinem evocatus est XVII Aprilis

A prilis anno humanæ ſalutis CCXCVI, Diocletiano & Maximiano imperatoribus. *Lectionibus propriis ſubdit Pirrus :* Leontina eccleſia ſancti Neophyti feſtum ad Kal. Septembris tranſlatum celebrat: *ad quas proinde & nos eum à* XVII *Aprilis diſtulimus. Miræ iſtius conſecrationis, à S. Andrea apoſtolo peractæ, de qua numero* 3, *annuam quoque memoriam ſervat Leontinorum eccleſia* XXVIII *Decembris, ut teſtantur ejus Tabulæ, & ex his, præter Ferrarium alioſque, Caietanus in Idea Operis ſui; ubi ad dictum menſis Decembris diem ita habet :* Leontinis Ordinatio S. Neophyti, primi Leontinorum epiſcopi, qui divinitus à S. Andrea apoſtolo conſecratus eſt, Valeriano & Gallieno impp.

Acta fabuloſa edita & examinata ad diem 10 *Maii :*

5 *Sancti cultum abundè probavimus. Reliquum eſt, ut de ejus Vita lectorem pauca moneamus. Diffusè illa deſcribitur in Actis SS. martyrum Alphii, Philadelphi & Cyrini, Operi noſtro ad diem* X *Maii à Papebrochio inſertis. Neque propriæ, quas dedimus, lectiones, neque Octavius Caietanus in Vita* S. Neophyti, *quæ exſtat pag.* 98 *tomi* I *de Sanctis Siciliæ, neque*

B *ulli alii ſcriptores quidquam producunt, quod ex prædictis Actis acceptum vel deductum non ſit; ſi aliqua excipias, quæ ipſi in illis corrigere voluerunt, ut credibiliora apparerent. Ea autem omnia, quæ in iiſdem de Sancto noſtro referuntur, excerpere & hoc loco inſerere, planè ſupervacaneum cenſeo; idque ideo vel maximè, quia tota illa dictorum trium SS. Martyrum hiſtoria, quæ & de aliis plurimis Sanctis Leontinis agit, anachroniſmis, fabulis, aliiſque ineptiis tam plena eſt, ut neſcias, quid in ea ut verum credas, cùm à falſo dignoſci nequeat. Sufficiat igitur, lectorem ad* X *Maii remittere, ubi in Commentario prævio & Notis, ad ſingula dictæ hiſtoriæ capita ſubjectis, ſatis oſtenditur, quid ſtatuendum ſit de iis, quæ de* S. Neophyto *in Officio proprio & alibi leguntur, ex eodem omnia vitiato fonte hauſta.*

Sanctum à S. Andrea apoſtolo epiſcopum Leontinum

6 *Quia tamen in mirabilem illam magis quàm credibilem ſancti Epiſcopi ordinationem, quam ex fabuloſis illis Actis datarum Lectionum auctor Caſtilionius tranſcripſit, nulla peculiaris annotatio in Opere noſtro legitur; eam hîc inſerendam putavi, quæ exſtat in Papebrochii Reſponſionibus ad Exhibitionem errorum art.* XI *num.*

C *167, alibi* 207 : Conſtat quidem inter theologos, quòd, ſicut Deus ſuo arbitrio poteſt per ſe, quacumque ratione voluerit, conferre omnem effectum ſacramenti cujuſcumque; ita poteſt quemcumque ſtatuere ejus miniſtrum, etiam angelum, etiam ſanctum vitâ functum; licèt ordinarius miniſter inſtitutus à Chriſto ſit homo mortali in corpore vivens : ſed extraordinario ejuſmodi miniſterio uſum aliquando ad epiſcopum ordinandum, credere non debemus abſque auctoritate moraliter certa. Tale non eſt exemplum S. Amphilochii, Iconienſis in Lycaonia epiſcopi XXIII Novembris, à noſtro P. Ægidio de Koninck adductum in Opere de Sacramentis qu. LXIV art. VII. Nam licèt Sanctum iſtum ſua apud Surium Vita dicat ſic ordinatum in viſu ab angelis, idque ſub ipſius ſimplici teſtimonio ferantur ratum habuiſſe comprovinciales epiſcopi, ad ejuſdem ordinationem congregati; is tamen, qui Vitam hanc, unà cum Operibus Sancti, Græco-Latinè edidit Combefiſius, in Notis præfatur, STUDIO à ſe REJECTAM Vitam POST OPERA, UT MINUS PROBATAM, FORTEQUE DIGNIOREM METAPHRASTIS INGENIO ET FACILITATE, NON USQUE ADEO HISTORICA, UT PLERIQUE DOCTI QUERUNTUR. AUCTORE J. L.

consecratum fuiſſe. facilem fidem non meretur :

7 Ex Metaphraſte ordinationem eamdem tranſcribit, quatuor ferè ſeculis illâ junior, Nicephorus lib. XII cap. XX; ſed ſolùm ut rem ſimplici traditione narratam, non ut certa auctoritate ſubnixam : uterque autem caviſſet ei fidem tantillam habere, ſi ſcrutati fuiſſent ſanctorum Baſilii atque Nazianzeni, Amphilochio familiariſſimorum, loca ad ipſum atque de ipſo ſcripta, cum Actis Concilii I Conſtantinopolitani : inde enim valde diverſas & certiſſimas notitias accepiſſent de prædicto S. Amphilochio, ejuſque ætate & actis, tam cauſidici in foro, quàm epiſcopi in eccleſia. Combefiſius in Notis recordatur, in Patrum Vitis apud Roſweydum legi, UT MONACHUS SIT IN ORDINEM REDACTUS A PATRIBUS, QUI SIBI VIDEBATUR SIC MIRACULOSE ORDINATUS IN PRESBYTERUM : &, MAGNA CERTE CAUTIONE, inquit, IN REBUS TANTI MOMENTI OPUS : quia NULLUM APUD ANTIQUIOREM Metaphraſte OCCURRIT ORDINATIONIS TAM SINGULARIS MONUMENTUM. Idem ſine dubio notaſſet Combefiſius ad Sanctorum Leontinorum Acta præfata, ſi de iis judicandum ipſi fuiſſet, tantoque id fidentiùs feciſſet, quanto plures in iis fabulas reperiſſet. *Ita doctè Papebrochius; qui verbis relatis non pauca præmittit & ſubjungit ad* S. Neophytum *ſpectantia, ab accuſationibus admodùm R. P. Sebaſtiani à S. Paulo cenſuras vindicans, ad quas in Opere noſtro ferendas veritatis amor ipſum compulerat.* E

creditur obiiſſe anno epiſcopatûs 38, *ſeculo* III *ad finem vergente.*

8 *De tempore, quo Sanctus ad vitam felicioremtranſiit, hæc habeto. Laudatus Papebrochius & Octavius Caietanus tomo* I *de Sanctis Siciliæ, in Animadverſionibus pag.* 51, *oſtendunt, SS. Alphium, Philadelphum & Cyrinum probabiliùs paſſos fuiſſe in perſecutione Decii, quæ anno* 250 *&* 251 *in Chriſtianos ſæviit. Sanctum autem* Neophytum *poſt illorum martyrium quadriennio in ſolitudine vixiſſe, atque annis* 37 *&* 5 *menſibus eccleſiæ Leontinæ præfuiſſe aſſerit Caſtilionius in Lectionibus ſuprà datis. Hæc ſi vera ſint, Sanctus obierit oportet ſeculo* III *ad finem vergente. Certè uſque ad ſequentis initium vitam non protraxit; nam ſi credamus ſæpe memoratæ Sanctorum Leontinorum hiſtoriæ, tem-* F *poris intervallum, quod medium fuit inter* S. Neophyti *reditum ex ſolitudine, & initium epiſcopatûs, unum alterumve annum non exceſſit. Si annum Chriſti* 293 *vel* 294, *Sancti emortualem ſtatuere velis, propiùs ad veritatem accedes, quàm Caietanus mox citatus pag.* 75; *ubi illius obitum affigit anno* 295. *Hic ſcriptor S. Alphii & Fratrum ejus martyrium malè innexuit* anno II perſecutionis Decii, Chriſti Domini CCLIII; *nam imperator ille in prælio adverſus Gothos ſub finem anni* 251 *cæſus fuit, uti Pagius probat contra Baronium : cujus errorem chronologicum ſi Caietanus detexiſſet, Sancti mortem ad annum* 293 *retraxiſſet. Caſtilionius in Lectionibus eam innectit anno* 296 *: ſed hîc, ut opinor, ſecutus eſt aberrantes Baronii calculos, ſecundum quos annus* 253 *Decii imperatoris primus fuit. Alio anachroniſmo Lectiones vitiat, dum non modò annum, ſed etiam diem prodigioſæ conſecrationis & mortis* S. Neophyti *determinat. Scribit, ipſum* quadam nocte, quæ creditur fuiſſe XXVIII Decembris anni CCLVIII *epiſcopum ab Andrea apoſtolo conſecratum fuiſſe,*

AUCTORE J. L.

obiisse verò XVII Aprilis anno humanæ salutis CCXCVI ; *& simul affirmat, quòd episcopatum gesserit* septem & triginta annis ac mensibus quinque : *cùm tamen inter prodigiosam Sancti ordinationem atque ejus mortem ultra* 37 *annos medii tantùm sint menses tres & dies viginti. Ubi error lateat, Leontinis indagandum relinquo.* D

DE SS. SIXTO ET SINICIO EPISCOPIS CONFESSORIBUS

REMIS IN CAMPANIA GALLICA

J. S.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§ I. Cultus utriusque Sancti & reliquiarum translatio : Officia eorum & elogia.

B E

CIRCA AN. CCC. *S. Sixtus inscriptus Fastis sacris,*

Ecclesia Remensis eodem die I *Septembris dudum coluit tres sanctos Antistites*, Sixtum *videlicet*, Sinicium, *ac* Nivardum. *De duobus primis, cùm Acta habeant communia, hîc simul agemus, de Nivardo inferiùs. Martyrologium Romanum cum Usuardo* Sixtum, *quem aliqui* Xystum *nominant, annuntiat sine* Sinicio, *sed elogio multùm diverso, nec sine erroribus, quantum apparebit ex disputandis. Verba accipe :* Rhemis in Gallia sancti Xisti, discipuli beati Petri apostoli, qui ab eo primus ejusdem civitatis episcopus consecratus, sub Nerone martyrii coronam accepit. *Ad hæc Baronius notavit sequentia :* Usuardus & Ado de eodem hac die. Hunc fuisse primum Rhemensis sedis episcopum, tabulæ ejus ecclesiæ, quas descripsit Demochares, planè significant ; testantur id ipsum Usuardus & alii. Suessionensis quoque ecclesiæ ponitur primus episcopus Xistus tempore Neronis, in tabulis ejusdem ecclesiæ apud Democharem. *Quòd discipulum S. Petri, & martyrem sub Nerone vocet Baronius, ex Demochare se accepisse innuit. Hac de causa etiam subjungere placet, quomodo id habeat Demochares, & unde acceperit. Tradit hic catalogum antistitum Remensium tom.* 2 *de Missæ sacrificio cap.* 14, *eumque sic orditur :* S. Sixtus, S. Sinicius, S. Amansius, beati Petri apostoli discipuli, sub Nerone martyres. *Præmiserat testem suum hisce verbis :* Quorum (*episcoporum*) nomina insignis doctor theologus Sorbonicæ societatis Jacobus Bridou, canonicus & pœnitentiarius ecclesiæ Remensis, ex archivis descripsit, & ad nos misit. *Verùm infrà patebit, hæc consona non esse monumentis Remensibus.*

C

uti & Sinicius, aliàs cum Sixto, aliàs seorsum :

2 *Genuinum Adonis Martyrologium non habet* S. Sixtum *Remensem, at facilè crediderim eum à Baronio inventum in quodam ejusdem exemplari interpolato. Usuardus verò eumdem Sanctum rectè sic annuntiat :* Remis, depositio sancti Sixti, episcopi primi civitatis ipsius. *Varii codices Usuardi additum deinde* Sinicium *cum* Sixto *simul, aut seorsum memorant. Codex Herinensis seculo* XI *scriptus sic habet :* Remis, depositio sancti Sixti episcopi primi civitatis ipsius, & beati Sinicii ejusdem successoris. *Centulensis adjungit Nivardum hoc modo :* Remis Francorum metropoli, sanctorum confessorum pontificumque Sixti, Sinicii atque Nivardi. *Remensis SS. Timothei & Apollinaris :* Remis, depositio BB. confessorum, pariterque ejusdem urbis pontificum, Sixti, Sinicii atque Nivardi. *Grevenus & Molanus in suis editionibus singulos seorsum annuntiant, ut confessores, quemadmodum videri potest in Usuardo Sollerii. Wandelbertus in Martyrologio metrico tres sanctos Antistites conjunxit in hunc modum :*

Pontifices Remis insigni nomine fulgent
Sixtus, Sinicius, meritis, vitâque Nivardus.

Florarium Ms. Sanctorum duos priores, Nivardo seorsum memorato, tali celebrat elogio : Remis depositio sanctorum episcoporum & confessorum Sixti & Sinicii. Hic Sixtus Remensis primus episcopus, & Sinicius, ejus successor, secundus, viri magnarum scientiarum & mira sanctitate fuerunt, qui magnam populi utriusque sexûs cohortem ad veram Christi fidem converterunt, & eumdem doctrinâ & exemplo instruxerunt. *Mitto martyrologos recentiores, & ad Sanctorum ecclesiam, ac reliquiarum translationes accedo : nam ex his facilè perspiciet studiosus lector, Sanctos hosce duos à seculo saltem* VI *cultos fuisse.* F

eorum ecclesia Remis jam ante seculum VII *Sixto sacra.*

3 *Vita edenda, Flodoardus Historiæ Remensis lib.* 1 *cap.* 3, *& Guilielmus Marlot in Historia metropolis Remensis lib.* 1 *cap.* 14 *referunt*, S. Sinicium *sepultum fuisse in eadem ecclesia eodemque sepulcro, in quo conditus erat* S. Sixtus, *uno anno citiùs defunctus. Addit Marlotus, ecclesiam illam postmodum* S. Sixto *dicatam*, quæ nunc, *inquit*, illius ac Successoris nomine decoratur. *De hac ecclesia Flodoardus lib.* 1 *cap.* 3 *scribit sequentia :* Ubi pro animarum salute fideliter elaborans (Sinicius,) bonumque certamen decertans, cum decessore (Sixto,) ut in cælis, ita etiam meruit in terris habere consortium, unius ejusdemque templi tumbæque sortitus cum beato Sixto sepulcrum. Quorum postmodum meritis basilicæ domus ipsorum claris illustrata miraculis, nonnullis dotata ditatur muneribus : agris quoque domibusque ac vineis locupletata, clericorum pariter enituit ministeriis decorata. Quorum nonnumquam duodecim, nonnumquam decem, ut domni Sonnatii præsulis tempore, ibidem

A dem reperitur congregationem fuiſſe, donec moderno tempore, abundante iniquitate, & refrigeſcente caritate, deficere Deo inibi militantium chorus, & unius ipſum cœpit eſſe templum presbyteri *-titulus. Quocirca etiam ipſorum nuper abinde oſſa tranſlata, in eccleſia beati Remigii poſt altare ſancti Petri, eorumdem præceptoris (*ex opinione Flodoardi*) ſervantur recondita. *Hæc ſatis innuunt, eccleſiam illam* S. Sixto *ſacram fuiſſe à multis ante Flodoardum ſeculis. Sonnatius, qui eccleſiæ Remenſi præfuit initio ſeculi* VII, *in teſtamento apud Flodoardum lib.* 2 *cap.* 5 *legat*, ad baſilicam ſancti Sixti ſimiliter in auro ſolidos tres. *Hinc colligo, jam ante Sonnatium, id eſt, ante ſeculum* VII, *eccleſiam prædictam nomine* S. Sixti *inſignitam fuiſſe.*

* *al.* presbyterii

4 *Marlotus lib.* 1 *cap.* 19 *opinatur eccleſiam, quæ hodieque* SS. Sixti *&* Sinicii *nomine Remis conſpicitur, eamdem eſſe cum prædicta, hancque à primis ſeculis (à quarto forſan aut quinto) ad noſtram ætatem permanſiſſe. Primò* in Remenſi ſuburbio multos annos *ſtetiſſe*, nunc verò intra urbis pomærium incluſam, *antè monuerat. Attamen ſub finem capitis objectionem quamdam ſibi movet, eamque ſolvere conatur hiſce verbis:* Hic inquirere poſſet aliquis, an vetus eccleſia S. Xyſti, trium confeſſorum (*nimirum* Sixti, Sinicii *& Amantii, tertii Remenſis epiſcopi*) pridem nobilitata reliquiis, ea omnino ſit, quæ ſtat adhuc prope ſanctum Timotheum; nam præter ſectos in quadrum lapides, quibus exteriùs parietes compacti ſunt, nihil ferè antiquitatis præ ſe fert. At cùm B. Remigius diſertè eam deſignet in ſuo teſtamento, non eſt, quòd ſcrupulum hîc moveamus. *Sic ille. At teſtamentum prolixius S. Remigii, in quo illius eccleſiæ fit mentio, paſſim ab eruditis rejicitur, ut ſuppoſititium. S. Amantium mox laudatum in eadem quoque ſepultum ait cap.* 27, *ſed* ex *eodem* prolixiori teſtamento S. Remigii, *quod tradit Flodoardus lib.* 1 *cap.* 18. *Ceterùm ex his, quæ de eccleſia* S. Sixti *diximus, manifeſtè conſequitur, Sanctum hunc cultum fuiſſe à ſeculo ſaltem* VI, *& veroſimiliter etiam citiùs.*

quam eamdem cum hodierna vult Marlotus.

B

5 *Corpora utriuſque Sancti ab eccleſia propria fuiſſe tranſlata ad eccleſiam S. Remigii, ſuprà aſſerit Flodoardus; cùmque dicat* nuper, *innuit id contigiſſe eodem, quo ſcribebat, ſeculo* X, *aut certè præcedenti. Bailletus ad* 1 *Septembris in* Sixto *&* Sinicio *ſcribit tranſlationem hanc factam ab Heriveo antiſtite anno* 904, *ſed ignoro, ubi illud tempus didicerit. Marlotus de iiſdem reliquiis plura memorat cap.* 19 *hiſce verbis:* Quo fit, ut oſſa ſanctorum Xyſti & Sinicii ab inde tranſlata fuerint, ac primùm in eccleſia ſancti Remigii poſt altare ſancti Petri, eorum præceptoris, poſita; deinde verò, diſtractis iiſdem oſſibus, pars horum notabilior matrici eccleſiæ data eſt, quædam alia Anſchario Bremenſi ab Ebbone pariter conceſſa, ex Alberto Crantio in ſua Metropoli; caput verò B. Xyſti Nicaſianæ baſilicæ, ubi hodieque cum Sinicii brachio religiosè conſervatur. *De capite* S. Sixti, *&* S. Sinicii *brachio, agit etiam pag.* 640, *deſcribens ſacrarium eccleſiæ S. Nicaſii, ubi habet iſta:* Conſervant etiam in ciſta argento cooperta caput ſanctiſſimi Xyſti confeſſoris Belgarum apoſtoli, ac primi Remorum archiepiſcopi, qui à beato Petro miſſus, idololatriæ nebulis involutos ad lucem euangelicæ prædicationis attraxit.. .. Os brachii ſancti Sinicii confeſſoris, B. Xyſti in ſede Remenſi digniſſimi ſucceſſoris, argenteo brachio condecoratum. *Hæc de capite* S. Sixti *ſervato in eccleſia S. Nicaſii non videntur cohærere cum iis, quæ allegavit Henſchenius noſter in S. Anſchario tom.* 1 *Februarii pag.* 403 *in hunc modum:* Anonymus quidam presbyter Bremenſis in Ms. Hiſtoria Helmoldi continuata apud Adolphum Cypræum lib. 1 Hiſtoriæ Sleſvicenſis cap. 3 tradit, S. Anſcharium prope Idzehoe, Holſatiæ oppidum, in Welna parvum oratorium in honorem S. Sixti, cujus caput ſemper ſecum deferebat, conſecraviſſe. *Verùm, uti veriſimile non eſt, S. Anſcharium ſecum ſemper habuiſſe totum* S. Sixti *caput, ſic fieri facilè poteſt, ut partem habuerit ſecum, ac pars alia ſervetur Remis in memorata eccleſia.*

AUCTORE J. S.

Eorum reliquiæ tranſlatæ, ac variis locis diviſæ,

C

6 *Eodem ferè modo ratiocinandum erit de corporibus, quæ S. Anſchario archiepiſcopo Hamburgenſi tradita ab Ebbone Remenſi, ſcribunt varii; nam horum partem notabiliorem eccleſiæ matrici, ſeu metropolitanæ Remenſi beatiſſimæ Virginis datam, affirmat citatus modò Marlotus. Adamus Bremenſis lib.* 1 *Hiſtoriæ eccleſiaſticæ cap.* 19, *alias* 15, *ſic habet:* Eodem tempore beatus Anſgarius corpora Sanctorum, quæ dono Ebonis archiepiſcopi ſuſceperat, trans Albiam fertur deportaſſe, & corpus quidem S. Materniani apud Heiliganſtad * repoſuit, Xiſti verò & Sinnicii, cum aliorum martyrum patrociniis, in urbe Hammaburg * collocavit *&c. Eadem plane habet Albertus Stadenſis in Chronico ad annum* 833; *& Krantzius, mutatis verbis, in Metropoli lib.* 1 *cap.* 30. *Deinde verò, direpto incenſoque per Danos Hamburgo, quod anno* 845 *contigiſſe vult Henſchenius, profugus inde S. Anſcharius, dictas Sanctorum reliquias ſecum portavit in Ramſolam. Audi Adamum cap.* 23, (*aliàs* 19:) Unde contigit, ut prædium, quod Ramſolam dicitur, à quadam venerabili matrona ſuſceperit, nomine Ikia. Qui locus in epiſcopatu Ferdenſi poſitus, ab Hammaburg, niſi * tribus diſparatur raſtis *. Ibi Sanctus Dei cœnobium conſtituens, reliquias ſanctorum Xiſti & Sinnicii locavit confeſſorum, & alia patrocinia, quæ ab Hammaburg fugiens portavit *&c. Conſonat Stadenſis ad annum* 841. *Krantzius autem loco aſſignato rem narrat hoc modo:* Magna fuit inter Anſgarium & Ebonem ex antiquo familiaritas, quòd dono Ebonis de eccleſia Remenſi venerandas reliquias ſanctorum Sixti & Sinnitii epiſcoporum acceperit, quas in Hamburgum contulit: & pòſt inde (quod dicemus) à Danis fugatus, tranſportavit ſecum in Ramſolam ultra Albim, locum quidem Verdenſis parochiæ, ſed qui etiam propter memoriam divi Anſgarii, ibi diu commorantis, Bremenſi diœceſi reputatur: ibique ſervantur in hodiernum. *Jam monui non integra corpora videri tranſlata à S. Anſchario. An verò Ebbo reliquias illas Anſchario dederit, antequam tranſlata fuerunt ex propria eccleſia ad S. Remigii, an poſt hanc tranſlationem, incertum mihi eſt. Forſan eodem tempore pars data Anſchario, pars ad eccleſiam S. Remigii delata.*

quæ Hamburgum delatæ, deinde de Ramſolam in diœceſi Bremenſi.

E

* *al.* Heligenſtad *ad Sturium in Holſatia*

* Hamburgi

* *id eſt* non niſi

* *id eſt*, milliaribus Germanicis

F.

7 *Eodem ſeculo* IX *reliquias quaſdam* SS. Sixti *&* Sinicii *aliorumque Sanctorum Remenſium etiam habuit abbatia Fuldenſis, ab eodem forſan Ebbone acceptas. Vita B. Rabani Mauri, qui ex abbate Fuldenſi factus eſt archiepiſcopus Moguntinus, data tom.* 1 *Februarii, pag.* 521 *de iis ſic habet:* Sequenti autem die (*Rabanus*) per manum prædicti corepiſcopi (*Reginbaldi*) collocavit reliquias ſanctorum epiſcoporum, Cornelii, Calixti, Sixti, Sinitii, Nicaſii & Felicis.. in

aliæ Fuldam.

AUCTORE J. S.

in ecclesia B. Bonifacii martyris, in loco, quo priùs sanctum corpus illius quiescebat. Ædificavit enim ibi turrem lapideam post altare, in cujus turris summitate media condidit prædictorum ossa Sanctorum, arcæ saxeæ diligenter inclusa, super quam culmen columnis quatuor sustentatum erigens, auro ornavit & argento. Intra quod arcam oblongam quadrangulo schemate factam posuit, quam etiam auro & argento atque lapidibus ornans, singulorum Sanctorum imaginibus decenter expressis decoravit, versusque quasi ex persona ejusdem arcæ prolatos in circuitu conscripsit. *Versus hi ibidem legi possunt.*

Breviarii anni 1543 lectiones Actis conformes: aliæ dantur ex Breviario anni 1630,

8 *Breviarium Remense anni* 1543 *continet de* SS. Sixto, Sinicio *& Nivardo Officium novem lectionum, quæ omnes ex Vita* SS. Sixti *&* Sinicii *depromptæ sunt, atque in omnibus concordant cum Actis edendis, licèt aliàs multo sint breviores, quia posteriora omnia aliaque multa sunt prætermissa in Officio, quæ leguntur in Actis; at nihil occurrit in lectionibus, quod non sit ex Actis descriptum vel contractum. Aliud Officium habet Breviarium anni* 1630: *nam ex novem illius lectionibus solùm tres mediæ habent Vitæ compendium, illudque expressum verbis multùm diversis. Lubet lectiones illas hìc exhibere, ut pateat, quænam fuerit tunc Remensium de primis suis Episcopis sententia. Verba accipe:* Peractis olim ad Euangelii prædicationem Apostolorum pro Christo legationibus, cùm felici successu Christiana religio magnum in dies susciperet incrementum, viris apostolicis fidem Euangelicam per universum orbem annunciantibus: non longo pòst temporum intervallo, ex urbe Romana prodierunt invicti Christianæ fidei propugnatores, atque professores constantissimi: qui per omnes terrarum provincias verbum salutis æternæ hominibus intrepidè prædicarent. Inter quos inventi sunt viri sanctissimæ vitæ Sixtus & Sinicius: quos Pontifex Romanus, ut electos Christi milites, in lege divina instructos, cælesti providentia cum Memmio in Galliam destinavit.

B

quæ etiam repugnant opinioni recentiorum quorumdam,

9 Hi ferventi studio hunc laborem pro Christi nomine subire cupientes, per longi itineris diverticula Christi fidem promulgantes, tandem divina ope Sixtus & Sinicius Remos appulerunt. In urbis porta, quæ Martis dicitur, historiam suæ gentis lapidibus insculptam videntes, quasi familiaritate quadam invitati, in ea urbe aliquamdiu commorati sunt. Ubi cum Euangelica prædicatione parùm se proficere viderent, propter pertinacem idolorum culturam; Suessionem proficiscuntur. In qua permultis eorum curâ ad verum Dei cultum conversis, cœpit illico Christianorum numerus mirum in modum adaugeri. Cumque fama sanctitatis illorum apud vicinos populos undequaque vigeret, Sixtus divino instinctu Remorum Metropolim repetiit. In qua primus cathedram archiepiscopalem obtinuit: Sinicium verò Suessionensi ecclesiæ præfecit. Uterque eâ diligentiâ commissum sibi gregem rexit, ut talentum sibi à Deo concreditum, multo cum fœnore reddiderit. Sixtus tandem post suæ peregrinationis cursum feliciter consummatum, Calendis Septembris diem extremum (quem antè præviderat) clausit. Cujus corpus in quadam ecclesia à se constructa, quæ adhuc hodie extat, à beato Sinicio sepultum est. Sinicius verò Remensis ecclesiæ unà cum Suessionensi regimen suscepit: & annuo cursu feliciter expleto, eodem die mortem obiit: & juxta beati Sixti tumulum sepultus est.

C

10 *Huic elogio, quod Actis ferè est consonum, conjungo elogium Saussayi in Martyrologio Gallicano ad* 1 *Septembris, enim illud exprimat recentiorum quorumdam de Sanctis nostris opinionem, mox examinandam:* Ipso die, *inquit*, Remis natalis sanctorum martyrum pariterque Pontificum Sixti & Sinicii, Galliæ Belgicæ secundæ apostolorum. Qui patriâ Romani, cum beato Memmio Româ à sancto Petro has in partes ablegati: hancque metropolim auspice Christo adeuntes, trophæa ipsius Redemptoris illic prima collocaverunt. Hinc ad Suessiones digressi, populum hunc fidei etiam sacramentis initiarunt. Cui civitati episcopus primus Sinicius à Sixto, apostolici muneris coryphæo, præfectus est. Tum Sixtus ipse Remos reversus, civitatem hanc ethnicis spurcitiis prorsus expurgare instituit, fana destruxit, ædiculam divinis officiis consecravit, clerum constituit, populumque plurimùm Christo acquisivit. Cùm autem decennium Apostolus operi impendisset, cupidus extremi pro Domino subeundi agonis, cœlitus imminentis excessûs admonitus, post glorioſum certamen, quo martyr occubuit, ad præmium destinatum feliciter migravit. Cujus funus religiosè curavit Sinicius: qui & vertente anno, eodem die, quo Sixtus, inita pro fidei assertione suprema collucutatione, Remis, ubi resederat jussu decessoris, ut orbam ecclesiam curaret tutaretque, laureâ itidem martyrii redimitus æternam abiit ad gloriam. Eodem verò tumulo cum Sixto illatus, basilicæ, quæ in utriusque honorem subinde constructa est, initium nuncupationemque indidit: tamdiu verò ibi uterque quievit, quousque ad ampliorem honorificationem, intra urbem ab Heriveo archiepiscopo delata amborum pretiosa spolia in ecclesia sancti Remigii pone altare Petri eorum præceptoris, cultu condigno recondita sunt, hactenusque in sacrario illius ædis sacris monilibus ditissimæ, eâ, quâ decet, religione observantur.

D

quorum sententiam exprimit Saussayus.

E

§ II. Quæ & qualia sint Acta inferiùs edenda: inquiritur tempus, quo Sancti missi sunt in Galliam.

F

Acta in variis Mss. reperta placent quibusdam,

ACta SS. Sixti *&* Sinicii *habemus in tribus Mss., quorum duo tam exactè sibi consonant, ut nulla appareat diversitas, ne in vocalis quidem minoris momenti, nisi rarissimè. Primus est codex noster, notatus* P. Ms. 154, *non admodùm antiquus; alterum est apographum* ex Ms. monasterii Boni fontis, *quod est Ordinis Cistercienſis in diœcesi Remensi. Cum hisce etiam satis congruunt codices, quos vidit Marlotus, cujus verba mox dabo. Verumtamen in fragmento, quod ex suis codicibus recitavit Marlotus, voces quædam minoris momenti omissæ sunt, aut aliter expressæ, quàm leguntur in dictis Mss. nostris. Tertium nostrum est descriptum ex codice* Ultrajectino S. Salvatoris. *In hoc omissa sunt plura, quæ ad gesta Sanctorum enarranda non conducebant, uti præfatio tota, aliaque deinde, quæ magis ad mores spectant quàm ad historiam. Facta verò historica iisdem plerumque verbis hìc narrantur, quibus referuntur in aliis Mss., ita ut suspicer aliqua ab hoc Ms. abrasa esse brevitatis studio,*

AUCTORE J. S.

A *ſtudio, quòd viderentur ſuperflua. De codice ſuo Marlotus, qui aliàs ab ejus auctoritate recedit, ſic loquitur cap.* 13: Quòd prædicti codicis ſtylus planus ſit & ſimplex; nec multùm abhorrens à modo loquendi veterum diaconorum, quibus naſcentis eccleſiæ res geſtas, & martyrum certamina conſcribendi cura fuit: character quoque & codicis tegmentum antiquitatem præ ſe ferant quingentorum vel ſexcentorum annorum; extetque tam Remis in bibliotheca matricis eccleſiæ, & apud S. Nicaſium, quàm Sueſſionis. *Hæc ille ſibi objicit ex judicio aliorum, quos apprimè doctos fatetur & veritatis amantes.*

diſplicent Marloto, cujus opinioni ſunt contraria:

12 *Verumtamen Marlotus ipſe Acta hæc non magni facere videtur, cùm ei adaptet verba Hincmari, alia occaſione dicta:* Nos ſcilicet habere eum ad lectionem, non verò ad proferendam auctoritatem. *Verùm hæc verba ſunt hominis partium ſtudio præventi, quòd Acta* SS. Sixti & Sinicii *repugnarent Remenſium traditioni, quam ſuſceperat defendendam, de miſſione eorum per S. Petrum apoſtolum. Etenim nullum aſſignat Actorum vitium: nihilque directè Actis objicit,*

B *niſi ſequentia:* Deinde, cùm Frodoardus prædicti codicis non meminerit, admodùm probabile eſt, poſt ipſius obitum confectum fuiſſe ab auctore, qui geſtis Sanctorum ſeu Legendariis texendis dabat operam, quorum geſtorum cùm apud nos ob vetuſtatem nulla reſtaret memoria, eiſdem Sanctis Apoſtolicas virtutes attribuit, quò celebriores apparerent, & ab hiſtoriarum avidis prædicta eorum geſta legerentur. *Ignota veriſimiliter Flodoardo fuit hac Vita, ſi credimus Marloto, quia eam non nominat. At mihi idem non apparet, cùm omnia, qua Flodoardus de Sanctis noſtris ſcribit, ex hac Vita videatur ſumpſiſſe; & nullibi ab ea recedat, niſi in aſſignando tempore ipſorum miſſionis. Deinde, etiamſi conſtaret ignotam fuiſſe Flodoardo, ne ſic quidem fieret veriſimile, ſcriptam fuiſſe poſt ejus Hiſtoriam. Quis enim credat, ſcriptorem hujus Vitæ voluiſſe, lectâ Flodoardi Hiſtoriâ, ab eo ducentis annis recedere, tantoque ſpatio juniores facere Sanctos, quos celebrabat? Quod deinde dicit* in eodem codice *haberi Vitam* SS. Memmii confeſſoris & Mauri martyris ejuſdem ſtyli, *nihil facit contra Vitam Sanctorum noſtrorum, licèt revera*

C *dubitem, an ejuſdem ſint ſtyli. Certè cùm, ut ſubdit, alter ibi dicatur* à B. Petro directus, *alter* verò à S. Clemente; *non ſunt hæ poſteriores Vitæ ejuſdem auctoris, qui S. Memmium Catalaunenſem non retuliſſet ad tempora Apoſtolorum,* Sixtum *verò &* Sinicium *ad imperium Diocletiani; cùm paſſim eodem ferè tempore trium illorum adventus in Galliam figatur, aliis eumdem ad Apoſtolorum ætatem referentibus, aliis ad ſeculum* III *ferè adultum.*

ſcriptoris videntur antiqui, non tamen coævi: nec fabuloſa ſunt, ſed jejuna.

13 *Tillemontius tom.* 4 *Monumentorum in S. Dionyſio Pariſienſi art.* 21 *ſuſpicatur Acta* SS. Sixti & Sinicii *antiquiora eſſe Hincmaro, qui Remenſem rexit eccleſiam circa medium ſeculi* IX, *idque affirmat Bailletus in Tabula critica ad* 1 *Septembris. Neuter tamen multum auctoritatis Vitæ huic tribuit, neuter eamdem vehementer accuſat, aut ullam ſententiæ ſuæ rationem allegat. Uterque etiam hanc Vitam ſequi maluit quàm Hincmarum aut Flodoardum, ad ſtatuendam epocham adventûs eorum in Galliam. Eruditi Benedictini, qui componunt Hiſtoriam litterariam Franciæ, tom.* 3 *pag.* 646 *ſimiliter credunt Vitam hanc Hincmaro anteriorem, addunt-que non videri ſcriptam ante finem ſeculi* VII, *at nulla ratione addita. Porrò nullas invenio rationes, cur Vita* SS. Sixti & Sinicii *nequeat eſſe ſcripta multò citiùs. Certè nihil occurrit in hiſce Actis, ex quibus oſtendi poſſit, ſcriptorem illorum neceſſariò amovendum à ſeculo* V *aut* VI, *cùm & ſtylus ſatis ſit ſimplex, & nullibi oſtendat Sanctis ipſis ſe longè poſteriorem. Verumtamen coævum fuiſſe aut ſupparem nequaquam crediderim, quia Acta magis ſunt jejuna, quàm ſoleant eſſe ſcriptorum, qui facta per ſe aut per teſtes contemporaneos didicerunt. At id ipſum, quod pauca de Sanctis memoraverit, oſtendit, eum noluiſſe Heroës ſuos commentitiis fabulis exornare.*

Sententia Flodoardi de miſſis per S. Petrum Sixto & Sinicio,

14 *De tempore, quo Sancti noſtri miſſi ſunt in Galliam, tres reperiuntur ſententiæ, quæ ſuos ſingulæ habent patronos. Prima eſt Flodoardi, qui lib.* 1 *cap.* 3 *ſic ſcribit:* Nec ſolùm apud Ethnicos tunc temporis tanti habitum Remorum populum, quin & apud primos Eccleſiæ Dei propagatores, atque per Euangelium in Chriſto patres, primæ hujus provinciæ noſtræ ſedis pontifices conſtat ſemper honore decoratos; adeo ut ipſe beatiſſimus Eccleſiæ Chriſti princeps, Petrus apoſtolus, urbi noſtræ beatum Sixtum à E ſe archiepiſcopum ordinatum cum ſuffraganeorum auxilio cenſuerit delegandum, idoneos ei ac neceſſarios in eadem provincia deſtinans ſocios, S. Sinicium videlicet, Sueſſonicæ ſedis primò, noſtrum poſtea præſulem, ac beatum Memmium Catalaunicæ urbis rectorem. *Marlotus lib.* 1 *cap.* 13, *ubi hanc ſententiam, quam traditionem eccleſiæ Remenſis perperam nominat, ſtabilire conatus eſt, Flodoardi teſtimonium commendat hiſce verbis:* Veriſimile non eſt eum, vetuſtioribus neglectis codicibus, fictam ac de novo excogitatam opinionem evulgaſſe, cùm apud omnes diligens & ſincerus ſcriptor habeatur. Nec, ſi monimentum aliquod vetuſtatis in provincia extiterit, credendum eſt eum latuiſſe; ſed ei tamquam principis eccleſiæ canonico, ac fidei noſtræ primordia deditâ operâ inveſtiganti, quotquot erant bibliothecæ facilè patuerunt. *Sic ille de Flodoardo.*

quam propugnat Marlotus:

15 *Hujus verò opinionem mox confirmare nititur in hunc modum:* Ac ne quis exiſtimet hunc honorem (*accepti à S. Petro epiſcopi*) de induſtria Remenſi eccleſiæ quæſitum, quò illuſtrior potiorque ob vetuſtatem evadat, Frodoardi ſententia veterum teſtimoniis comprobanda eſt, Lotharii præſertim imperatoris, cujus epiſtolæ fragmentum ad Leonem Papam idem Frodoardus citat lib. 3 cap. 10, quâ Remenſis ſedis B. Sixtus primus epiſcopus Apoſtolorum diſcipulus prædicatur, quod Fulco Hincmari ſucceſſor clariùs explicat aliâ epiſtolâ ad Stephanum V his verbis: „ Sedem verò Remenſem notum habeat ab ante„ceſſoribus præ Gallicanis omnibus eccleſiis ſem„per fuiſſe honoratam, utpote cùm primus Apo„ſtolorum beatus Petrus primum deſtinaverit huic „ urbi beatum Sixtum epiſcopum, & totius Galli„canæ regionis dederit ei primatum „. *Habet hæc quoque Flodoardus lib.* 4 *cap.* 1. *Porrò hiſce argumentis, quæ non prorſus contemnenda ſunt, alia minoris momenti addit Marlotus, videlicet Chronicon Senonenſe S. Petri Vivi, Chronicon Virdunenſe, Chronicon Autiſſiodorenſe, Martyrologium Romanum, Ms. codicem citatum à Vincentio Bellovacenſi, Vitam S. Memmii Catalaunenſis à Boſqueto editam, ac demum cum paucis neotericis Democharem & Baronium ad annum* 463 *hiſque recenſitis ſic concludit:* Stet igi-

F

AUCTORE J. S.

tur tamquam certum, à Chriſti natalibus anno XLVI, imperante Tiberio, orientem Chriſtianæ fidei ſolem in Xyſto, Sinicio & Memmio, Remos ac circumjectas Belgarum gentes ſuſpexiſſe ſuſcepiſſeque. *Habes, lector, momenta hujus opinionis, quæ ad aſſenſum movere poſſent, niſi gravioribus eliderentur. Ex concluſione verò facilè agnoſcas hominem eccleſiæ ſuæ amantem, qui non modo miſſionis ſeculum, ſed annum etiam certum vult haberi ob auctoritatem ſolius Baronii, licèt revera Baronius non aſſerat, eo anno miſſos* Sixtum & Sinicium, *ſed ſolùm ad illum annum referat, multos à S. Petro miſſos, ſed diverſis temporibus.*

hujus rationes enervat auctoritas Hincmari, qui ſcripſit miſſos à Sixto Papa:

16 *Altera ſententia eſt Hincmari Remenſis archiepiſcopi, qui in Opuſculo* 55 *capitulorum cap.* 16 *de miſſo* S. Sixto *ſic loquitur:* Et poſtquam beatus Sixtus à Sixto Sedis Romanæ Pontifice primus ad Remenſem metropolim fuit directus epiſcopus, in Chriſtianiſmo per quindecim archiepiſcoporum tempora .... in Remenſi parrochia (*ſeu diœceſi*) *manſit eccleſia Laudunenſis, quæ primum à S. Remigio accepit epiſcopum, ut pluribus exponit. Non explicat Hincmarus, an velit* S. Sixtum *miſſum fuiſſe à Sixto I, qui ante medium ſeculi ſecundi pontificatum adminiſtravit, an verò à Sixto II, qui brevem pontificatum glorioſo martyrio finivit anno* 258, *quique alios quoſdam viros apoſtolicos in Gallias miſiſſe ſcribitur apud nos tom.* 2 *Auguſti pag.* 128 *&* 129. *De Sixto II probabiliùs certè id dici potuit quàm de Sixto I, uti patebit ex ordine epiſcoporum Remenſium, qui Hincmarum non latuit, ideoque exiſtimo ipſum de Sixto II locutum. Porrò hæc opinio Hincmari vehementer enervat rationes pro opinione prima expoſitas. Nam Hincmarus vir fuit eruditus & retinens admodùm prærogativarum eccleſiæ ſuæ; nec fautores primæ opinionis ullum habent teſtem Hincmaro antiquiorem, cui Lotharius imperator contemporaneus, Fulco ſuppar, Flodoardus longè poſterior. Vidit hoc incommodum Marlotus atque ita reſpondet:* Nam cùm ei ſit Fulco ſuppar, æqualem cum eo habet auctoritatem, cui cùm accedat Frodoardi Fulconi ſupparis auctoritas, duo præponderabunt uni, præſertim cùm Frodoardus (ut dixi) deditâ operâ eccleſiæ Remenſis Hiſtoriam ſcripſerit, ac diligenter, antequam publici juris fieret, inveſtigatis accuratè prædictæ eccleſiæ monumentis Hincmaro antiquioribus, eam emendaverit, ut ipſe teſtatur in proœmio *Oſtendit hæc reſponſio, non adhærendum neceſſariò ſcriptoribus Remenſibus ſeculi noni & decimi, cùm ipſi in diverſas abierint ſententias. Progredior igitur ad tertiam ſententiam, quæ ſolidioribus niti videtur fundamentis.*

B

Acta habent Sanctos in Galliam miſſos tempore Diocletiani,

17 *Acta habent Sanctos Româ miſſos ſub Diocletiani & Maximiani imperio, poſtquam SS. Criſpinus & Criſpinianus martyrio coronati erant circa annum* 287 *aut* 288, *ut vult Tillemontius tom.* 5 *in Perſecutione Diocletiani art.* 2, *tempus illud probans ex morte Rictii Vari, ſub quo dicuntur paſſi. Itaque ſecundum Acta* Sixtus & Sinicius *miſſi videntur circa annum* 288. *Actis conſonat Breviarium Remenſe anni* 1543, *cujus verba ſubjungo, omiſſis non neceſſariis:* Sancti Sixtus atque Sinicius Romæ oriundi, ibi ſanctè & religiosè à ſucceſſoribus beatorum Apoſtolorum à cunabulis in Lege educati divina, præclaræ ſuæ indolis, juſtè ac ſine querela converſando, ibidem monſtravêre ſanctitatem .... Qualiter lux ſanctitatis eorum in has partes emicuerit, paucis intimare curabimus. Igitur eo tempore, quo Diocletianus & Maximianus imperatores tyrannica dominatione perſecutionem in Chriſtianos excitaverant, ... ſancti Dei Criſpinus & Criſpinianus ... in urbe Sueſſionica verbum vitæ populis annunciantes morabantur. Sed quia nonnulli in eadem urbe per ipſorum prædicationem ad fidem Chriſti converſi fuerant, & propter ſupradictam perſecutionem admodùm rari eſſent in Galliarum partibus Chriſti relicti miniſtri .., denique oſtenderunt ſe per viſum Pontifici Romanæ tunc temporis Sedis, aſſerentes & ſe per martyrii gloriam ad regna aſſumptos cæleſtia, & oves, pro quibus ipſi exemplo Domini ſui ſanguinem fuderant, paſtoris abſentiâ deſolatas manere in terris.... Poſt hanc itaque beatorum martyrum viſionem atque ammonitionem; certior factus idem Pontifex, divinitus ſe per Sanctos Dei ammonitum, convocato clero, ordinavit ſanctum Sixtum epiſcopum; & ad ſolatium ei procuratur beatus Sinicius, tunc quoque ab eodem Pontifice presbyter conſecratus, qui & ipſe magnarum virtutum vir univerſorum teſtimonio comprobatus habebatur. *Hæc eodem modo in Actis relata oſtendunt, qualis fuerit Remenſium traditio uſquè ad medium ſeculi* XVI *de primis ſuis Epiſcopis, evincuntque, Flodoardi opinionem non invaluiſſe, ſed potiùs neglectam fuiſſe apud Remenſes. Breviarium anni* 1630, *ex quo elogium dedi num.* 8, *ſimiliter repugnat opinioni Marloti, cùm Sancti dicantur miſſi, non à S. Petro, ſed à Romano Pontifice,* peractis olim ... Apoſtolorum pro Chriſto legationibus.

C

quæ ſententia convenit cum ordine primorum epiſcoporum;

18 *Sententia noſtra de miſſis circa annum* 288 Sixto & Sinicio *optimè concordat cum catalogo epiſcoporum Remenſium, uti & Sueſſionenſium, idemque catalogus opinionem Marloti prorſus reddit improbabilem. Quindecim numerantur epiſcopi uſque ad S. Remigium in eccleſia Remenſi, nec plures numeravit Hincmarus, cujus verba dedi num.* 16, *cùm ait Laudunum, quod primum epiſcopum accepit à S. Remigio,* per quindecim archiepiſcoporum tempora *ſpectâſſe ad diœceſim Remenſem. Inter epiſcopos autem Remenſes quartus ab omnibus collocatur* Betauſius *ſeu* Imbetauſius, *atque hic anno* 314 *interfuit concilio Arelatenſi, cui ſubſcriptus legitur apud Labbeum tom.* 1 *col.* 1430 *hoc modo:* Imbetauſius epiſcopus, Primigenius diaconus, de civitate Remorum. *Hinc facilè in ſententia noſtra texi poteſt chronotaxis aliqua quatuor primorum antiſtitum eccleſiæ Remenſis. Spatium enim, quod reperitur inter annum* 288 *&* 314, *ſufficiens eſt, ut credi poſſit tres eo tempore ſediſſe epiſcopos, ex quibus ſecundus non niſi annuum tenuit epiſcopatum, etiamſi velimus ſuſpicari, Betauſium jam aliquot annis ſediſſe ante concilium. Demochares habet eum conſecratum à Melchiade Papa anno* 312, ſed ſine certo auctore, *inquit Marlotus cap.* 25. *Itaque credamus* S. Sixtum, *poſtquam in Galliam pervenerat, decennio circiter laborâſſe ad converſionem Remenſium & Sueſſionenſium, obiiſſe verò circa annum* 300, *ac* Sinicium *uno anno ſeriùs, uti in Actis dicitur; potuit ſic Amantius ad decennium quoque ſedere ante Betauſium. Verùm uti in hac chronotaxi nihil eſt abſoni, ita nihil certi: nam* S. Sixtus *etiam diutiùs ſupervivere potuit, tantoque brevior fiet Amantii epiſcopatus, quanto* Sixtus *ſuperfuerit diutiùs. Porrò ordo primorum epiſcoporum Remenſium ſatis etiam conciliari poteſt cum ſententia Hincmari, ſi velit* S. Sixtum *miſſum eſſe à Sixto*

D

E

F

A *Sixto II, ſed tunc multo prolixior fiet* Sixti *& Amantii epiſcopatus.*

at idem ordo edertit opinionem primam;

19 *Quam malè cum opinione ſua cohæreat expoſitus ordo epiſcoporum Remenſium, vidit probè Marlotus, ſed omnes intendit nervos, ut amoliretur incommodum. Verſat hunc lapidem toto capite* 18, *& veriſimilia facere conatur, quæ omni prorſus veriſimilitudine carent. Agnoſcit tres primos ſerie continuata Remenſi cathedræ præfuiſſe, eoſque defunctos vult ſeculo primo. Poſt hos nullos fuiſſe Remis epiſcopos uſque ad tempora Conſtantini Magni, ſub quo quartus occurrit Betauſius, ſcripſerat Flodoardus lib.* 1 *cap.* 5. Quod an conſultè & veraciter dictum ab eo, *inquit Marlotus*, aut temporis edacitate ab eccleſiaſticis potiùs tabulis horum nomina penitùs exciderint, meritò quis dubitare poſſet. *Verùm id veraciter dictum à Flodoardo, ſatis eſt certum ex teſtimonio Hincmari ſuprà dato, & omnium conſenſu. Audi, quid de quatuor primis ſcripſerit Albericus monachus in Chronico ad annum* 336: Antequam ulterius procedamus, hîc attingenda eſt breviter hiſtoria Remenſis. Legitur quòd poſt mortem Criſpini & Criſpiniani

B miſſi ſunt à Roma ſancti iſti Sixtus & Sinicius, primi Remenſium archiepiſcopi, cum nepote Divitiano, qui fuit ſecundus poſt Sinicium Sueſſionenſem epiſcopum. Tertius Remenſis archiepiſcopus Amaufius, quartus Bethauſius, in iſto tempore Magni Conſtantini, & interfuit concilio Arelatenſi primo, quod per Mauritium * ejuſdem urbis epiſcopum relatum eſt ad beatum Silveſtrum, Voluſiano & Aniano conſulibus. Iſti quatuor primi Remenſes epiſcopi tumulati fuerunt in eccleſia beati Sixti. *Hæc igitur dubitatio Marloti fundamento caret, uti ipſe ſatis advertit, cùm illi non ampliùs inſiſtat.*

* Marinum

cùm prorſus incredibile ſit, eccleſias Remenſem & Sueſſionenſem vacaviſſe duobus ſeculis,

20 *Hinc omnes recenſet perſecutiones gentilium, ut oſtendat ſedem Remenſem potuiſſe epiſcopo carere toto ſeculo ſecundo & tertio, idque non eſſe improbabile. Audi rationem ejus præcipuam, quam exprimit his verbis:* Etenim cùm

C electio, genuina paſtorum matrix, libertatem in eligentibus ſupponat, ſi hæc opprimatur præfectorum tyrannide, frequenti Cæſarum per Remos tranſitu, bellis inteſtinis aut tumultibus populorum, quid mirum ſi pontificiæ ſedes tamdiu orbitate langueſcant? *Poſt hæc perſecutiones enumerat; at non oſtendit has acerbiores Remis fuiſſe, quàm in aliis orbis partibus. Cur igitur hæ perſecutiones magis Remis electionem impediviſſent quàm in aliis urbibus, quibus epiſcopos præfuiſſe ſeculo ſecundo & tertio, certiſſimè novimus? In Italia certè magis continuæ fuerunt perſecutiones quàm in Gallia, neque ideo tamen eccleſiæ præcipuæ, de quarum antiquitate certò conſtat, tam diuturno tempore epiſcopis caruerunt, uti nec in Oriente nec in Africa, ubi tyrannorum crudelitas non minùs deſæviit. Certè nulla umquam tam diuturna eodem in loco fuit perſecutio, ut electionem epiſcopi multis annis impedierit, nedum duobus ſeculis. Deinde ſi Remis eligi non potuiſſet epiſcopus, numquid Eccleſiæ Romanæ erat epiſcopum mittere ad eccleſiam tot turbinibus agitatam, cœptaque per tres epiſcopos promovere per alios? Numquid à tempore Decii ad Diocletianum uſque varii in Galliam miſſi virorum Apoſtolicorum manipuli, qui non paucas ibidem fundaverunt eccleſias? Cur igitur neglectæ fuiſſent Remenſis & Sueſſionenſis, ſi jam à primo ſeculo fuiſſent fundatæ? Hæc ſanè mihi maximè miranda viderentur, ſi dicerentur à ſcriptore, cujus auctoritati non liceret refragari: at incredibilia prorſus ſunt, dum ſolùm nituntur auctoritate ſcriptorum noni & decimi ſeculi, quos amor antiquitatis eccleſiæ ſuæ facilè impellere potuit, ut, relictis melioribus, fabuloſas notitias ſequerentur.*

& aliunde colligatur, eccleſiam Remenſem non diu vacâſſe;

21 *Etenim alia etiam perſuadent, eccleſiam Remenſem non diu vacâſſe poſt mortem S. Amantii. Primò Amantius ſine martyrio finiviſſe vitam viaetur, æquè ac* Sixtus & Sinicius, *omnes in eadem eccleſia ſepulti, quam etiamnum ſupereſſe vult Marlotus. Tres ergo epiſcopi in pace obierant, ut quartus facilè poſſet ſuccedere. Secundò cùm Betauſius in eadem cum ipſis eccleſia dicatur ſepultus, vix dubitari poteſt, quin ipſis continuò ſucceſſerit. Tertiò multæ Galliarum eccleſiæ epiſcopos habebant ſub Diocletiano, cujus perſecutio ibidem minùs ſæviit, præſertim eo tempore, quo in aliis Romani imperii partibus erat vehementior: nam Conſtantius tunc Galliis præerat, & Chriſtianos aut protegebat, aut certè non vexabat; cur igitur nec Remenſis nec Sueſſionenſis eccleſiæ ſuos habuiſſent antiſtites? Stabat Remis eccleſia à* S. Sixto *edificata; tres in ea reſederant antiſtites, omnes ſine martyrio defuncti, nulla oſtendi poteſt perſecutio, quæ Remenſes afflixit acriùs, niſi ſola forſan ſub præſide Rictio Varo; aliena ergo à propoſito tractat Marlotus, cùm non ſine exaggeratione enumerat gentilium imperatorum perſecutiones, quæ modò in una, modò in alia orbis Romani parte magis ſævierunt. Quis enim hujuſmodi ferat ratiocinia?* Chriſtiani perſecutionem paſſi ſunt in Africa, non potuit igitur eligi Remenſis epiſcopus.. Italia perpetuis ferè perſecutionum procellis agitata eſt à Nerone uſque ad Conſtantinum; ergo nullus per ducentos & plures annos haberi potuit in urbe Remenſi antiſtes. *Quis, inquam, ſic ratiocinanti aures præbeat? Attamen non alia eſt ratiocinatio Marloti, ſi rectè expendatur.*

Actis igitur inhærendum, quæ etiam per ſe majorem hac in re fidem merentur.

22 *Hiſce accedere poſſent aliæ rationes, atque auctoritas Sulpitii Severi ac S. Gregorii Turonenſis, ſed eas prætermitto, quòd nolim hîc diſputare de promulgata primum fide in Galliis. Nam etſi aliæ deeſſent rationes, una ſolùm conſideratione facilè videbimus auctoritatem Actorum præponderare auctoritati Flodoardi. Rariſſimè invenimus initium alicujus eccleſiæ, aut ætatem alicujus Sancti, referri à ſcriptore quodam ad ſecula poſteriora. Contrà experimur, amorem antiquitatis effeciſſe apud multos medii ævi ſcriptores, ut initia urbium, eccleſiarum, Ordinum, aliarumque rerum, referrent ad tempora longè anteriora. Itaque ſuſpicari non poſſumus, auctorem Actorum alia de cauſa adventum* SS. Sixti *&* Sinicii *fixiſſe ſub imperio Diocletiani & Maximiani quam amore veritatis, quam diſcere poterat ex monumentis eccleſiæ Remenſis. At de Flodoardo non immeritò ſuſpicio oriri poteſt, nimio antiquitatis amore ad falſam opinionem fuiſſe abreptum. Neque idcirco dicendum neceſſario eſt, eum* fictam ac de novo excogitatam opinionem evulgaſſe, *aut non vidiſſe monumenta antiqua eccleſiæ Remenſis: nam contrarium mihi prorſus perſuadeo. Viderat, ut opinor, Acta edenda, cùm iis conſentiat, excepto miſſionis tempore; viderat certè Hincmarum, cujus verba adducit: viderat etiam Lotharii imperatoris & Fulconis epiſcopi verba, ex eo data num.* 15. *Viderat ergo Flodoardus tres diverſas opiniones de miſſione* SS. Sixti *&* Sinicii, *ex iiſque elegit eam, quæ antiquitatem eccleſiæ ſuæ magis commendabat,*

AUCTORE J. S.

mendabat, eamque sine ulla probatione ut veram proposuit. Idem fecit Marlotus, adhibita longa disputatione, quæ nihil magis videtur docere, quam imperium voluntatis in intellectum, quo fit, ut ea facilè vera credamus, quæ vera esse nimis volumus.

§ III. An Sancti dicendi sint martyres, an confessores: nullus ante ipsos Remis episcopus.

Martyres qua occasione vocari cœpti, exponitur,

B

Laudatus Marlotus cap. 15 *inquirit, utrùm Sancti nostri habendi sint martyres, an confessores. Martyrologium Romanum Baronii* martyres *vocavit, Acta verò clarè martyrium negant. Andreas Saussayus Tullensis episcopus martyrium eorum probare conatus est dissertatione hunc in finem edita, quam refutat Marlotus. Porrò occasionem asserti primum à Democharè martyrii explicat Marlotus his verbis:* Cùm ad ornatum sui Operis de sacrificio Missæ primos cujusque civitatis episcopos summâ diligentiâ perquireret Democharès, ad Jacobum Bridou Remensis ecclesiæ pœnitentiarium sibi amicissimum pro Remensibus literas mittit. Hic nescius forsan aut anceps, quid rescriberet de Xysto & Sinicio, cùm Frodoardus satis obscurè loquatur de genere mortis, quod prædicti Archiepiscopi obierunt, proprio genio martyres fecit schedulâ ad Democharem transmissâ, quam nullo examine, sed ex fide auctoris, ut sæpe fit, suis operibus intexuit. Baronius hunc secutus est in Martyrologio, tamquam rerum Gallicanarum callentissimum, cui subscripsere, quotquot postmodùm conficiendis Martyrologiis studium impenderunt, ob reconditam prædicti Cardinalis eruditionem, honoremque Romano Martyrologio (ut par est) ab omnibus exhibitum, quod ex incorruptis Ecclesiæ monumentis se confeciſſe testatur. *Hactenus de occasione, qua nata est opinio de martyrio.*

C

ostenditurque, quibus argumentis martyrium propugnaverit Saussayus;

24 *Refert deinde argumenta, quibus Saussayus opinionem suam probare nititur:* Primaria ratio, *inquit*, petitur ex circumstantia temporis: ... putant enim quotquot sub Nerone & Domitiano claruerunt, sanguine fuisse purpuratos. *Verùm neque eo tempore vixerunt Sancti nostri, neque verum est, omnes fuisse martyres, qui tunc floruerunt. Deinde* Illustrissimus Saussseyus Tullensis episcopus in Martyrologio Gallicano, & in Apologetico libello adversus archiepiscopum Lugdunensem, contendit errorem irrepsisse in Breviarium Remense reformatum, & in Litanias, ubi S. Xistus cum Sinicio inter confessores recensetur, putatque Remenses traditionem suam ejurasse, eo quòd Galesinus, Ferrarius in Topographia, Democharès, Colvenerius, Chanarius & Robertus cum Baronio conspirent, multúmque exaggerat Martyrologii Romani, editi sub Gregorio XIII, anno MDLXXXIV auctoritatem, quasi indubitata fide hoc esset tenendum. *Hæc ex Marloto recitavi, quòd Opusculum Saussayi mihi non sit ad manum. Jam verò ad istas auctoritates neotericorum dixisse sufficiat, omnes à Democharè, quem Baronius in Romano Martyrologio secutus est, in eam opinionem deductos, sed eorum auctoritatem non suffi-*

cere, cùm antiquiora monumenta, ipsaque Remensis traditio repugnet.

D

sed martyres non fuisse probant Acta, Flodoardus, ipsa Remensium traditio.

25 *Flodoardum etiam opinioni suæ adaptare voluit Saussayus, licèt ei clarè sit contrarius. Gesta utriusque in episcopatu & obitum breviter narrat lib.* 1 *cap.* 3 *hisce verbis:* Sanctus verò Sixtus Remorum primus episcopus, etiam Suessionicam fundasse fertur ecclesiam, & B. Sinicium collaboratorem & cooperatorem suum ibi constituisse; quique post ejusdem S. Sixti decessum, nepote suo, ut ferunt, sancto Divitiano Suessoni à se pontifice ordinato, quoniam noviter institutæ Remensis ecclesia lacte adhuc tenera fortè fovebat pignera, necdum ad onus pontificale perferendum robusta, Remis archiepiscopalem (ea cogente necessitate) subiit cathedram. Ubi pro animarum salute fideliter elaborans, bonumque certamen decertans, cum Decessore, ut in cælis, ita etiam meruit in terris habere consortium, unius ejusdemque templi tumbæque fortitus cum beato Sixto sepulcrum. *Nullum hìc verbum de martyrio Sanctorum nostrorum, nec alibi in Flodoardo. Acta verò clarissimè habent, utrumque Sanctum in pace obiisse. Traditionem ecclesiæ Remensis accipe ex laudato Marloto:* Quod si divini Officii, Missalis, Litaniarum, vetustiorumque inscriptionum in capsis & imaginibus habenda sit ratio, tanta nobis horum vis suppetit, ut sine lectoris tædio vix media pars hìc posset adferri. Mss. codices, Antiphonalia, Gradualia, id etiam apertè testantur. Unde satis mirari non possum, quomodo Sap. & illust. Tullensis episcopus dicat, Remenses patrum traditionem reliquisse, cùm hujusce traditionis nullum extet vestigium, nec in Missalibus, nec in Martyrologiis, quæ cùm vetustatem spirent, ut ex charactere patet inspicientibus, majoris aut certè æqualis sunt auctoritatis cum ipsis, quæ ab illo fidenter nobis opponuntur. *Non autem, ut antè advertit, verisimile est, ecclesiam Remensem sic se ingratam erga Tutelares suos exhibuisse, ut lauream martyrii ab iis sciens abstulerit, si à veteribus delata fuisset. Rectè quidem hæc Marlotus. Verùm eodem modo ratiocinari debuisset contra antiquitatem nimiam* SS. Sixti & Sinicii, *quæ æquè est contraria traditioni Remensium, in Breviariis eorum, aliisque monumentis expositæ.*

E

F

Alius à quibusdam confictus Remensis episcopus tempore Apostolorum:

26 *Theodoricus Pauli Gorcomiensis seculo* XV *compilavit Chronicon universale apud nos Ms. In eo à fol.* 248 *dat catalogum antistitum Remensium, qui passim satis consonat aliis catalogis vulgatis, gestaque* SS. Sixti & Sinicii *compendio recitat. Verùm scriptor iste alium statuit episcopum Remensem ante* S. Sixtum, *eumque &* Petrum *nominat & à S. Petro missum affirmat. Accipe breve, quod Petro suo ille texuit elogium:* Petrus sanctus discipulus sancti Petri apostoli, ab eodem apostolo Remis missus, prædicando multos convertebat, & fidem Christi ibidem primus dilatavit. Quo defuncto, non reperitur, aliquem sibi successisse in ecclesia Remensi, nisi anno Domini CCXCV. *Non opinor hunc habendum à Remensibus pro episcopo; sed fictitium haud dubiè credent hunc Petrum. Attamen neutiquam crediderim primò confictum esse à laudato scriptore, qui satis videtur sincerus, sed nimis credulus. Hinc itaque colligimus, antiquitatem Remensi ecclesiæ quæsitam fuisse modis variis, nec mirandum esse, si qui tantæ antiquitatis amore* SS. Sixtum & Sinicium *ad Apostolorum tempora*

A *tempora retulerint, cùm etiam fuerint inventi, qui fictitium episcopum obtruserunt.*

Sanctorum elogium aliud,

27 *Rectiùs de* Sixto & Sinicio *scripsit laudatus Theodoricus, cujus elogium subjungo :* Sixtus sanctus successit hoc ordine. Sancti enim martyres Crispinus & Crispinianus sub Diocletiano & Maximiano imperatoribus anno Domini CCXCI martyrizati à Rictiovaro in urbe Suessonica, ostenderunt se per visum S. Caio Papæ, asserentes & se per martyrii palmam assumptos ad regna cælestia, & oves, pro quibus ipsi exemplo sui Domini sanguinem fuderant, pastoris absentiâ desolatas manere in terris. Qua de re, inquiunt, tibi eas commendamus. Tunc sanctus Papa Caius de consilio cleri elegit mittere sanctum Sixtum, qui fatebatur se indignum tali dignitate, paratum tamen ad omnem obedientiam. Ordinatur ergo ab eodem sancto Papa episcopus, & Sinicius presbyter consecratus ei associatur. Venerunt igitur ad urbem Remensem, ... prædicaverunt Euangelium Christi, & multos converterunt. (*Hæc multorum conversio Actis est contraria.*) Tandem venerunt Suessionem, sicut sancti martyres prædicti Crispinus & Crispinianus

B petierant : ubi à Catholicis benignè recepti constanter prædicabant, & per gratiam Dei cotidie fideles augebantur. Et cùm ecclesia ibi dilataretur, & fama sanctitatis eorum, sanctus Sixtus visitavit Remenses, scire cupiens, si fortè per gratiam Christi converterentur. Et ecce qui priùs eum, ut superstitiosum spreverant, auditâ famâ sanctitatis ejus & miraculorum, ut patrem susceperunt, ubi prædicando populum multum acquisivit.

Actis & dictis nostris conforme.

28 Sanctum autem Sinicium Suessionicæ ecclesiæ consecravit episcopum : ipse autem in ecclesia Remensi priùs resedit, quia populosior & magis idololatriæ dedita videbatur : sicque duo hæc luminaria in utroque loco effulserunt miraculis & doctrinis. Destruuntur fana, construuntur ecclesiæ ; ministri consecrantur, fideles augentur. Interea sanctus Sixtus plura prædixit, & diem obitus sui longè antè præsciens, coëpiscopo beato Sinicio denuntiavit. Flebat igitur sanctus Sinicius, orans Deum, ut ipse pariter cum sancto Sixto assumeretur ex hac vita. Flebant & discipuli, ne relinquerentur desolati ; ita quòd

C sanctus Sixtus compatiens etiam flebat, & consolabatur eos, prædicens sancto Sinicio, quòd post unum annum eodem die, quo ipse migraret, sequeretur, commendans ei curam utriusque ecclesiæ. Et hortatus est omnes, ut bonum certamen certarent, cursum in charitate non ficta consummarent, fidem servarent. Post hæc febre correptus, accepto Corpore Christi, in Kalendis Septembris migravit ad Dominum. Quem sanctus Sinicius sepelivit in ecclesia, quam ipse in suburbio ejusdem civitatis construxerat. Cujus festum colitur Kalendis Septembris. *Hisce de* S. Sinicio *addit sequentia :* Sinicius sanctus missus à præfato Papa S. Caio cum S. Sixto, cùm post obitum sancti Sixti per unum annum rexisset utrasque ecclesias, circa diem prædictum venit ad urbem Remensem, & fecit sibi fieri sepulcrum juxta sarcophagum beati Sixti, & mortuus est eodem die, quo prædixerat sanctus Sixtus, & sepultus est juxta eum, ut, sicut in vita sua dilexerant se, sic in morte non essent separati. Ubi clarent infinitis miraculis ad laudem & gloriam Domini nostri Jesu Christi.

D

VITA

auctore anonymo.

Ex codice nostro Ms., & monasterii Boni fontis, collatis cum Ms. Ultrajectino.

Utile est Sanctorum gesta narrare. Hi autem Sancti Romæ nati,

SAnctorum laudes atque actus enarrare magnæ creditur esse utilitatis, scilicet quia & honor ipsis major inde impenditur, & legentibus per hoc sive audientibus exemplum sanctæ conversationis exhibetur. Multi enim sunt ad intelligenda, quæ sunt divina, minùs capaces, & tamen quod ex præceptis non intelligunt, exemplis Sanctorum addiscere non ignaviter concupiscunt. Hac igitur de re necessarium duximus sanctissimorum patrum Sixti ac Sinicii vitam describere, quatinus, quia per ipsos Euangelicæ prædicationis Christianæque religionis initium nostras in partes advenit, eorum etiam exemplis, æquè ut patrociniis, futura ætas institutionis sacræ suscipiat emolumenta. Nam jure ipsi de nobis fateri possunt : Etsi aliis non sumus apostoli, vobis sumus. Sancti itaque supradicti Romæ oriundi, ibique sanctè & religiosè à successoribus beatorum Apostolorum nobiliter à cunabulis in lege educati divina, præclaræ suæ indolis, justè ac sine querela conversando, ibidem monstravêre sanctitatem.

E

postquam SS. Crispinus & Crispinianus martyrio coronati

a

F

2 Sed quia juxta veritatis testimonium civitas in monte posita abscondi non potest, nec lucerna accensa sub modio latere debet, qualiter lux sanctitatis eorum in has partes emicuerit, paucis intimare curabimus. Igitur eo *a* tempore, quo Diocletianus & Maximianus imperatores tyrannica dominatione persecutionem in Christianos excitaverant, multosque Sanctorum diversis afflictos passionibus * martyres Deo dignos peremerant, sancti Dei Crispinus & Crispinianus *b*, qui quondam cum multis aliis ab urbe Roma Gallias pro Dei amore & Euangelicæ prædicationis institutione adierant, in urbe Suessionica *c* verbum vitæ populis annuntiantes morabantur : ubi cùm diu in studio euangelizandi commanerent, Rictiovarus, prædictorum augustorum crudelissimus carnifex, illuc adveniens, tormentis eos variis à fide Christi avertere elaboravit, sed, Domino suos protegente & adjuvante, non valuit : sicque glorioso martyrio consummati regna cælestia viri sancti feliciter petierunt.

* *Ms. Ultraject.* supplicii

b

c

apparuerant Romano Pontifici, ut prædicatores mitteret in Galliam,

3 Sed quia nonnulli in eadem urbe per ipsorum prædicationem ad fidem Christi conversi fuerant, & propter supradictam persecutionem admodùm rari essent in Galliarum partibus Christi relicti ministri, curæ fuit jam dictis Sanctis, licèt in requie beata assumptis, ne eorum labor imperfectus remaneret in terris, alios sibi in idem opus vicarios procurare. Denique ostenderunt se per visum Pontifici Romanæ tunc temporis Sedis *d*, asserentes, & se per martyrii gloriam ad regna assumptos cælestia, & oves, pro quibus ipsi exemplo sui Domini sanguinem fuderant, pastoris absentiâ desolatas manere in terris. Quâ de re, inquiunt, tibi eas commendamus, tuæ-

d

A. ANONYMO.

que *e* curæ committimus, quas Deo acquisivimus animas: tu enim Sedem tenes Apostolicam, & ad te jure pertinet omnium cura ecclesiarum. Nos quoque justè tali pro necessitate ad hanc Sedem recurrimus, à quâ missi sumus. Tuum ergò erit jam ex hinc providere aliquos non segnes neque tepidos, verùm strenuos atque industrios, Christi videlicet ministros, qui nostra vice pastoris officio oves, quas Deo lucrati sumus regendas atque augmentandas suscipiant, quatinus, quos sibi Christianos cælorum Rex per nos nuper acquisiverat, maligni insidiatoris versutia à fide recta non subvertat.

e

consecrantur à Pontifice, Sixtus episcopus, Sinicius presbyter,

4 Post hanc itaque beatorum martyrum visionem atque admonitionem certus * factus idem Pontifex divinitus se per Sanctos Dei ammonitum, convocato clero, cœpit quærere, quos in Gallias euangelizandi gratiâ destinare potuisset. Denique omnium penè, qui aderant, confonans fuit testimonium, præfatum sanctum Sixtum huic operi esse aptissimum: quippe *f* quia esset vir totius prudentiæ ac mansuetudinis, juxta Salvatoris præceptum, dicentis: Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ. Qui etiam, ut ipsorum testimonium ratum & adeo præordinatum non dubitaretur *, semetipsum, licèt indignum clamitans, tamen spontaneum ad omnia, quæ ei causâ obedientiæ à Sede injungerentur apostolicâ, promptissimâ voluntate esse fatetur. Ardebat *g* enim non mediocri desiderio labores pro Christo subire; quatinus hac occasione quandoque etiam ad martyrii gloriam posset pertingere. Quid plura? Ordinatur episcopus, & ad solatium ei procuratur beatus Sinicius, tunc quoque ab eodem Pontifice presbyter consecratus. Qui & ipse magnarum virtutum vir universorum testimonio comprobatus habebatur.

* *al.* certior

f

B

al. dubitaret

g

missique in Galliam perveniunt Remos, ubi prædicant sine magno fructu;

5 Destinantur *h* itaque ad Gallias boni & electi Milites Christi, velut agni inter lupos, comitante pariter cum eis ipso, qui suis pollicitus est, dicens: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi. Cujus adjutorio suffulti, per longi itineris diverticula verbum vitæ quibuslibet audire cupientibus disseminantes, tandem intra Gallias urbem adiere Remensem. Cujus portam intrantes, statumque loci considerantes, vident historiam suæ gentis in foribus ejusdem civitatis sculptam esse: siquidem hæc civitas à Romanis constructa ex nomine Remi, fratris videlicet Romuli, Remis *i* fertur nuncupata. Memoriam itaque suæ gentis inibi sculptam contuentes, quasi aliquâ invitante familiaritate, ibi aliquandiu habitare delegerunt, probandi scilicet gratiâ, si Christus in ea urbe per ipsos fidei suæ aliquos aggregare dignaretur. Commorantes ergò ibidem aliquanto tempore, verbum Dei populis cottidie prædicabant; sed perpaucos invenire potuerunt, qui salubria eorum monita percipere cum cordis aviditate mallent. Erat enim civitas hæc nimium adhuc idolatriæ & superstitioni gentilium dedita.

h

C

i

Suessiones tendunt, ubi excepti à Christianis

6 Ipsi quoque non immemores eorum, quæ sibi specialiùs injuncta fuerant, quæque martyres jam dicti per visum cælitus commonuerant, hac relicta urbe, Suessionem ire contendunt. Quò ingressi, quia nonnullos eorum, quos martyres Christi ad fidem imbuerant Catholicam, ibidem viventes repererunt, gratanter & liberalissimè ab eis sunt suscepti. Denique *k* & ipsi, post longi itineris gravia & laboriosa certamina, tamquam marinis erepti periculis, optata jam pace, acsi tranquillissimo portu, frui in Christo cepêre. Cum magna itaque constantia verbum vitæ civibus prædicabant, Domini quoque gratia tribuente, augebantur cotidiè qui salvi fierent in Christo. Castissima enim ipsorum & sobria vita causa eis erat salutis.

k

D

ecclesiam multorum conversione augent:

7 Miracula quoque & sanitates, quas per eos Dominus facere dignabatur, non minimam in corde eorum credulitatem pariebant. Nihil quippè in ipsis defuisse cognoscitur eorum, quæ Domini pietas fidelibus suis promiserat, dicens: Signa autem eos, qui in me crediderint, hæc sequentur. In nomine meo dæmonia ejicient, linguis loquentur novis, serpentes tollent. Et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit. Super ægros manus imponent, & benè habebunt. His itaque miraculis attestantibus, longè latéque fides Christi à quàm plurimis magnificabatur, & gloria nominis ejus passim diffundebatur, ita ut etiam isti, qui paulò antè in Christianos persecutores extiterant acerbissimi, jam in melius conversi, aut ex toto crederent, aut certè benignitatis favore molliti, mitiores erga Dei cultores existerent. Qui affectione donati, plurimum in eodem loco simul peregerunt temporis, doctrinæ & actioni virtutum studiosissimè operam dantes.

E

Sixtus Remos regressus, multos ibi quoque convertit,

8 Cùm verò ecclesia Christi jam in eâ urbe cepisset dilatari, ac fama sanctitatis eorum celebris apud quoslibet vicinos haberi, memoratus pontifex beatissimus Sixtus divini amoris instinctu iterum visitationis gratiâ urbem adire studuit Remensem, cupiens perquirere sollicitiùs, si tandem divina pietas, ad fidei suæ percipienda insignia, corda ibi degentium aliquo suæ accenderit lumine caritatis. Cujus laborem miseratus Dominus, etiam apud eos ostium fidei ipsi aperire dignatus est, ita ut, qui antea illum tamquam vana ac superstitiosa docentem abominati sunt, auditâ famâ sanctitatis ejus, miraculorumque signis, eum jam quasi patrem atque institutorem totis ambirent suscipere viribus. Cepit igitur Vir Deo plenus ibi quoque doctrinæ insistere, & adjuvante superna clementia, multus per prædicationem ejus populus ad fidem conversus est Catholicam.

F

& Sinicium ad se vocatum consecrat Suessionensem episcopum:

l

9 Qui comperto, quòd ibi quoque locus prædicandi sibi à Domino præparatus esset, convocato ad se jam fato sacerdote atque commilitone suo Sinicio, tractare cepit, qualiter per eos utraque civitas in religione posset cepta proficere, & *l* uterque simul populus cotidianæ institutionis ac ministerii divini pariter solatio frueretur. Quid multa? Elegit ipse in hac eadem urbe divinitus inspiratus residere, quia & populosior, & magis idolatriæ dedita videbatur. Beatum verò Sinicium, ut Suessionensi præesset ecclesiæ, consecravit episcopum, atque abhinc quilibet eorum suam specialiùs regere cepit ecclesiam; sicque contigit ut primus episcoporum cathedram Remensis ecclesiæ beatus Sixtus obtinuerit.

auctis multùm utroque loco fidelibus, Sixtus mortem suam prædicit Sinicio,

10 His ita dispositis, ceperunt hi duo Præsules Christi in utroque loco, veluti magna duo cæli luminaria, doctrinâ & miraculorum effulgere signis. Denique destruuntur fana, construuntur ecclesiæ, plebs fidelis augetur; multi quoque ab eis lege instituuntur divina. Crescente etiam discipulorum numero, ministri ecclesiæ consecrantur, atque omnia in divinis cultibus ritè perficiunt. Cùm ergò talibus hisque similibus multo essent intenti tempore, divisi quoque mutuò viderentur loco non animo, vultu non affectu, carne

A carne non ſpiritu, cepit beatiſſimus Sixtus inter cætera virtutum opera prophetiæ etiam pollere ſpiritu, & plura, quæ erant ventura, familiaribus quibuſque & concivibus prædicere. Unde contigit etiam, ut obitum ſuum longè antè præſcierit, beatiſſimoque præſuli & coëpiſcopo Sinicio diem ſui exitus denuntiaverit.

qui multùm de ea dolet, uti & fideles, quibus innotuerat:

11 Qui charitatis ſtimulatus affectu, multo cepit anxiari tædio, ſi beato Viro ſuperſtes in hac vita fore cogeretur. Deſiderabat enim, ut ſicut hîc in Chriſti extiterant ſervitio comites, ita quoque & in morte individui permanerent. Flebat igitur amaris lacrymis, & ut cum ſancto Viro pariter aſſumeretur, queſtuoſis precibus exorabat. Diſcipulorum quoque ac ſubjectorum, quibus hoc ipſum ſcire licuit, planctus erat non minimus, conquerentium ac dicentium, ſe paſtoris deſolatos abſentiâ, luporum patêre morſibus, implorantes etiam ſe non deſtitui, congeminando preces & luctus, voces dabant in cælum, in tantum ut vix quoque Vir Dei temperaret a lacrymis, cupiens & eis adhuc in præſenti ſolatio non deeſſe, & tamen ſciens multò melius diſſolvi & cum Chriſto eſſe.

B

prædicit etiam Sinicio Sixtus, eum poſt annum eodem die moriturum,

12 Plurimis itaque eos verbis & exhortationibus conſolatus, cepit beato Sinicio vaticinando ſecretiùs prædicare, eum quoque ſe non multò pòſt ſecuturum; verùm anni dimenſo ſpatio, eodem, quo ipſe defungeretur, die illum quoque ad regna adſumendum cæleſtia; hoc videlicet ſpatio in terris ad hoc relinquendum, ut oves, quas ipſi pro Chriſto acquiſiverant, non funditus utriuſque deſtituerentur abſentiâ, ſed ejus tuitione atque regimine utraque conſiſteret eccleſia, donec Dominus aliquos ſibi præelectos decerneret, qui paſtoralem jure quiviſſent ipſorum vice ſuſcipere curam. Denique plebe convocata fidelium, multis eos cohortationibus allocutus, aſſignavit curam utriuſque eccleſiæ beato Sinicio, committens ejus providentiæ greges, quos ipſi vel ſimul vel ſegregati, Domino in ſupradictis lucrati fuerant locis.

eumque & fideles hortatus ad conſtantiam,

C

13 Quo audito, plebs aſſiſtens, acſi inopinatè cælitus ictu perculſa fulminis, ex intimo ſpiritum trahens, amariſſimis cepit deflere vocibus. Innovatur & luctus diſcipulorum, & beatus Sinicius pontifex dolore non minimo mœſtus efficitur. Quos blandè beatus Sixtus conſolans, multis admonuit ſermonibus, uti bonum certamen & ipſi certarent, curſum in caritate non ficta conſummarent, fidem inviolabiliter ſervarent Catholicam; ſicque poſt ipſum ad coronam juſtitiæ benè agonizando corde properarent avido. Itaque poſt hæc appropinquante die, quem Vir ſanctus jam dudum præſcierat, languoris febre corripitur; tamen, tabeſcente licèt corpore, ſpiritu cæleſtibus inhiabat, ſemper cælum intendens, ſemper ad alta ſuſpirans, ſemperque per horam venire deſiderans, quando in gaudium Domini ſui fidelis diſpenſator & prudens aſſumeretur; hoc ſolum moleſtiæ in corde perferens, quòd Commilitonem ſuum, memoratum beatum Sinicium, pro ſeparatione ſui mœſtitiâ affici conſpiceret. Cui quoque ſæpiſſimè inter conſolationis verba ipſum, quod & ſuprà dixerat, replicabat, ſcilicet non eum multo poſt ipſius abſceſſum ſpatio peregrinum in terra futurum, ſed annuo expleto curſu, illum ſe procul dubio ſecuturum. Unà, inquit, peregrinari cepimus; unà labore deſudavimus, uno ſpiritu viximus: uno quoque intermiſſo anno, in una eademque die cæleſti in gloria denuò ſociabimur, tuæ verò erit prudentiæ, ut & corpora quoque noſtra indiviſa *m* terræ pulvis contineat.

A. ANONYMO.

m moritur, & honorificè ſepelitur. Sinicius utriuſque eccleſiæ curam ſuſcipit,

14 Demum graveſcente indies valetudine cùm jam horam ſuæ ereptionis adeſſe ſenſiſſet, valefaciens tam memorato beato præſuli Sinicio, quàm & clero cæteriſque fidelibus, accepto viatico, in ipſis Kalendis Septembris glorioſo tranſitu Vir beatus curſum ſuæ peregrinationis feliciter conſummavit. Cujus exequiis dignè celebratis, ſanctus Sinicius corpus ipſius in eccleſia, quam ipſe in ſuburbio ejuſdem civitatis conſtruxerat, cum laudibus & hymnis honorificè collocavit. Quibus peractis, regimen utriuſque *n* eccleſiæ beatus Sinicius, ut ſibi fuerat injunctum, religioſo ſuſcepit affectu. Quod ſtrenuè ac viriliter toto anni ſtuduit peragere ſpatio, eccleſias ſcilicet fabricando, plebes docendo, miniſtros quoque eccleſiæ, prout oportunum erat, & facultas novellæ adhuc plantationis ſinebat, conſtituendo.

n

& poſt annum obit eodem die,

E

15 Quique etiam, curſu laboris ſui benè conſummato, cùm jam diem vocationis ſuæ, quem Vir ſanctus prædixerat, imminere cerneret, omnibus idoneè diſpoſitis, ad urbem repedavit Remenſem, hoc ſcilicet animo intendens, ut obedientiæ bonum, quod vivens jugiter exercuerat, in mortis quoque termino fideliter conſummaret, plebemque ipſius urbis ſecundum juſſionem beati Sixti rectè diſponeret, ac præſentis vitæ labores ibidem etiam ipſe felici terminaret obitu. Præparari itaque ſibi ſepulchrum fecit juxta ſarcophagum beati Viri, & imminente die olim ſibi prædicto, infirmitatis cepit angi valetudine. Qui commonitione ſalubri plebem edocendo, & oratione ſupplici ſemetipſum ſollicitiùs Domino commendando, cum magno cordis deſiderio diem præſtolabatur optatum. Quo adveniente, ut verax in omnibus beati Sixti vaticinatio probaretur, die ſupradicta, videlicet Kalendis Septembris, etiam ipſe beatam animam carne ſolutam, cælorum gaudiis angelico inferendam miniſterio, ſocioque jungendam deſiderato, in Chriſti gloria gaudens repræſentavit *o*.

o & ſepelitur juxta S. Sixtum.

16 Cujus exceſſum plebs Chriſto dicata graviter ferens, luctu lacrymiſque repleta, Patris deplorabat abſentiam: quos tamen admodum fides conſolabatur, quia & illi gaudendum cognoverant, propter quòd aſſumptus eſſet in gloriam, & ſibi nihilominus dolendum, quòd deſolati utroque eſſent Paſtore. Corpus ergò ipſius in ſepulchro, quod ipſe ſibi parari fecerat, cum honore & debitâ laude collocatum ſepelierunt. Sicque factum eſt, ut quomodo in vita ſua mutuâ ſe dilexerunt caritate, ita quoque & in requie corporum, ſicuti & animarum, inſeparabiles jungerentur. Quo in loco memoria ſanctitatis eorum miraculis & virtutibus exinde ad laudem nominis Chriſti inſignis haberi evidentibus comprobatur indiciis. Nec putandum eſt coronam illis defuiſſe martyrii *p*, quoniam, licèt perſecutor defuerit, ipſi tamen crucem Chriſti in corpore ſuo jugiter circumferentes, quòd animo propoſuerant, non ſegniter executi ſunt, & ad palmam victoriæ, Chriſto in eis & per eos triumphante, feliciter pervenire meruerunt. Cui eſt honor & gloria, laus & magnificentia & tunc & nunc & per infinita ſecula ſeculorum. Amen.

F

p

ANNOTATA.

a *Ab hiſce vocibus inchoatur Mſ. Ultrajectinum, omiſſis præcedentibus. Variantes lectiones in*

A. ANONYMO.

in margine ex eodem sunt Ms.

b *Colunter hi Sancti* 25 *Octobris. Passi sunt circa annum* 287 *aut* 288, *quando & plures alii in Gallia martyrio coronati sunt sub crudelissimo præside Rictio Varo, quem Rictiovarum una voce passim nominatum reperias. Vide Commentarium num.* 17, *ubi etiam exposuimus, quo tempore* Sixtus *&* Sinicius *sint missi in Gallias.*

c *Nota est & antiqua Galliæ civitas episcopalis sub archiepiscopo Remensi, vulgò* Soissons *dicta, Latine vero* Sueſſiones *vel* Augusta Sueſſionum.

d *S. Caium nominatim designat Theodoricus Pauli in Commentario citatus num.* 27 : *quod cum dictis de tempore martyrii SS. Crispini & Crispiniani rectè convenit, uti etiam congruit anno* 291, *quo ille prædictos martyres coronatos scribit.*

e *Hæc usque ad finem numeri non sunt in Ms. Ultrajectino; & revera abesse possunt sine perturbatione historiæ.*

f *Hoc prudentiæ & mansuetudinis elogium rursum abest in Ultrajectino.*

B

g *Uti & hæc de laborum desiderio.*

h *Quæ toto hoc numero habentur, sic breviter leguntur in Ms. Ultrajectino :* Destinantur igitur ad Gallias electi Milites Christi, velut agni inter lupos. Tandem intra Gallias urbem adierunt Remensem. Hæc civitas à Romanis constructa ex nomine Remi, fratris videlicet Romuli, Remis fertur nuncupata.

i *Si cui non placet hæc nominis ratio, quæ re vera parùm est probabilis, etiamsi non displicuerit Flodoardo, non poterit tamen irasci scriptori nostro, modò cogitet opinionem istius temporis ab eo dubitanter expositam per vocem* fertur. *Quod ait historiam Romanorum ibidem sculptam tunc fuisse in foribus ejusdem civitatis, fabulosum fortasse multis videretur, nisi id paululum hîc elucidarem. Accipe igitur, quæ scribit Flodoardus lib.* 1 *cap.* 1 : Probabilius ergo videtur, quòd à militibus Remi patriâ profugis urbs nostra condita, vel Remorum gens instituta putatur : cùm & mœnia Romanis auspiciis insignita, & editior porta Martis (Romanæ stirpis, veterum opinione, propagatoris) ex nomine vocitata, priscum

C

ad hæc quoque nostra cognomen reservaverit tempora; cujus etiam fornicem, prodeuntibus dexterum, lupæ, Remo Romuloque parvis ubera præbentis, fabulâ cernimus innotatum. Medius autem duodecim mensium, juxta Romanorum dispositionem, panditur ordinatione desculptus. Tertius, qui & siniſter, cygnorum vel anserum figuratus auspicio. *Hæc monumenta anno* 1557 *cum porta antiqua Martis terrâ fuisse obruta, conditaque sub mœnibus prope novam Martis portam; at rursum detecta partim anno* 1595, *partim anno* 1677, *scribitur in Dictionario Historico Ludovici Moreri. Dicitur ibi esse arcus triumphalis constans tribus fornicibus, quorum medius & dexter eodem ferè modo describuntur, sicut descripti sunt à Flodoardo : tertius verò cum aliqua diversitate, prout ibi videri poterit. Porrò arcum ille erectum suspicatur in honorem Julii Cæsaris, qui annum in duodecim menses divisit, in medio fornice expressos, quod satis est verisimile. Itaque credibile est, hæc ipsa esse Romanæ gentis signa, quæ visa à Sanctis, dum urbem intrabant, affirmat biographus noster. Verùm ex iis nullo modo colligi potest, Remi milites urbem condidisse, eamve à Remo nomen accepisse.*

k *Ex his omnibus usque ad num.* 8 *tantùm legitur in Ultrajectino :* Cum magna itaque constantia verbum vitæ civibus prædicabant; Domini quoque gratia tribuente, augebantur quotidie, qui salvi fierent. D

l *Hæc absunt ab Ultrajectino usque ad sequens punctum. Simili modo quædam minoris momenti deinde in Ultrajectino omissa sunt; sed id deinceps non notabo, cum pauca passim sint verba, quæ ibidem resecta videntur solius brevitatis grâtiâ.*

m *Hoc mandatum non legitur in Ms. Ultrajectino, ubi omnia, quæ hoc & præcedenti numero leguntur, brevius sunt exposita.*

n *Ecclesia Sueſſionensis, æque ac Remensis, in catalogo episcoporum suorum primum ponit* S. Sixtum, *secundum verò* S. Sinicium. *Observat id Colvenerius in Scholiis ad cap.* 3 *Flodoardi ex Demochare, additque sequentia :* Atque ob eam causam, teste eodem Demochare, episcopus Sueſſionensis primum locum obtinet inter suffraganeos episcopos provinciæ Remensis, & inter eos decanus appellatur, primamque vocem obtinet in deliberationibus &c. Quia videlicet iidem fuerunt primi episcopi Sueſſionenses & Remenses. *Si præsè insistendum esset verbis Flodoardi cap.* 3 *dicentis,* Beatum Sixtum *à S. Petro* urbi *Remensi* archiepiscopum ordinatum, *delegatumque* cum suffraganeorum auxilio, *dicendum esset necessariò,* S. Sixtum *numquam Sueſſionensem fuisse episcopum;* Sinicium *verò à Sueſſionensi ecclesia translatum fuisse ad Remensem. Verum archiepiscopalis illa dignitas & suffraganeorum subsidium ambitiosiùs asserta videntur quam verius; uti & primatus per Fulconem citatum num.* 15 S. Sixto *adscriptus. Porrò si solùm hisce Actis, quæ multo sunt simpliciora, stare velimus, dicendum erit,* S. Sixtum *initio utramque indivisè rexisse ecclesiam; deinde sibi sumpsisse Remensem,* Sinicioque *attribuisse Sueſſionensem; tandem post mortem* Sixti *utramque ecclesiam rursus conjunctam, idque factum cogente necessitate, quòd nullus adhuc ibi reperiretur idoneus ad onus episcopale suscipiendum.* E

o *Flodoardus cap.* 3 *scribit Divitianum à S.* Sinicio *constitutum ecclesiæ Sueſſionensis episcopum post mortem* S. Sixti, *addens tamen,* ut terunt, *quo indicat id se non habere ex monumentis vetustis. Certè hæc Acta videntur repugnare, cùm insinuent utramque ecclesiam administratam fuisse à* S. Sinicio. *Longuevallius in Historia ecclesiæ Gallicanæ lib.* 1 *pag.* 155 *existimat, Divitianum primum creatum fuisse à* S. Sinicio *Sueſsionensem episcopum, putatque civitatem Sueſsionensem antea fuisse sub episcopatu Remensi. Ratio illius est, quòd translationes episcoporum ab una cathedra ad alteram rarissimæ essent istis temporibus, ideoque credere nequit* Sinicium *à Sueſsionensi transiisse ad Remensem. Verùm hæc ratio non urget vehementer. Nam quod fecit S. Medardus sæculo* 6, *dum leges ecclesiasticæ magis erant firmatæ, id facere potuit circa initium sæculi* 4 S. Sinicius. *Duas simul ecclesias, Noviomensem & Tornacensem, regendas suscepit S. Medardus, ut narrat ipse Longuevallius tom.* 2 *pag.* 450 *&* 451; *cur igitur* S. Sinicius *Remensem & Sueſsionensem simul administrare non potuisset ? Certè major erat penuria ministrorum ecclesiæ tempore* Sinicii, *adeoque major necessitas, quam tempore Medardi. Itaque non est propriè ab una ecclesia ad alteram translatus* Sinicius, *si Actis inhæremus, sed secundam adjunxit primæ,* F

A *mæ, donec idonei reperirentur ministri, qui singulas post mortem ipsius separatim regerent. Ceterùm, etiamsi translatus diceretur* Sinicius, *isque Divitianum suo loco Suessionibus præfecisset, non feciſſet contra canones, cùm id suaderet major ecclesiæ utilitas: nam necdum latus erat ejus tempore rigidus ille canon Antiochenus, qui omnem prorsus episcoporum transmigrationem improbat. Vide de hisce Thomassinum in Veteri & nova Ecclesiæ disciplina part. 2 lib. 2 cap. 61.* A. ANONYMO.

p *Hic clarè dicitur, Sanctos non fuisse stricti nominis martyres, Actisque omnino standum existimo, cùm de Sanctis hisce nulla habeamus monumenta meliora.*

DE SS. DUODECIM FRATRIBUS MARTYRIBUS,

DONATO, FELICE, ARONTIO, HONORATO, FORTUNATO, SAVINIANO, SEPTIMINO, JANUARIO, FELICE, VITALE, SATORE ET REPOSITO

B E

BENEVENTI IN ITALIA,

COMMENTARIUS PRÆVIUS. J. S.

§ I. Memoria horum Sanctorum in Martyrologiis, ac veneratio antiqua.

SUB MAXIMIANO. *Memoria Sanctorum duodecim Fratrum in Fastis sacris;*

C *Martyrologium Romanum hodie annuntiat duodecim martyres Fratres, qui omnes simul coluntur Beneventi, licèt variis diebus & locis martyrii palmam sint adepti. Breve eorum elogium accipe:* Beneventi sanctorum Martyrum duodecim fratrum. *Baronius hanc adjicit annotationem:* De his agitur in veteri Romano Martyrologio, cui adstipulantur etiam antiqua manuscripta ... Fuerunt hi omnes Afri, patriâ Adrumetini, qui illic primùm cruciati, inde in Italiam ducti, diversis diebus martyrium consummarunt. *Per vetus Martyrologium Romanum designat, opinor, codicem Vaticanum Usuardinum, qui Sanctos nostros eodem ferè modo memorat apud Sollerium hisce verbis:* Beneventi, natalis sanctorum Martyrum duodecim fratrum. *Simul etiam annuntiantur in aliis codicibus Usuardinis cùm Mss. tum editis, in aliis quidem sine nominibus propriis, in aliis verò nominibus adjunctis, uti videri potest in Usuardo Solleriano. Ultrajectenſis & Leydenſis ibidem hoc texunt elogium:* Apud Beneventum, natale sanctorum Martyrum duodecim fratrum, Donati & Felicis, Aruntii & Honorati, Fortunaciani & Saviniani, Septimini & Januarii, Felicis & Vitalis, Saturnini & Repositi. Hi cùm sua prædicatione plurimos convertissent, sub imperatore Maximiano, judice Valeriano, capitalem sententiam sustinuerunt. *Hæc omnia ad Martyrologium Usuardi addita sunt; nam ipse Usuardus Martyres hosce non inseruit Opusculo suo: nec alii martyrologi Usuardo antiquiores, aut suppares, illos omnes videntur cognovisse. Verumtamen Martyres hosce deinde annuntiavit auctor Florarii nostri Ms., in quo expressi leguntur hoc modo:* Apud Beneventum natale sanctorum martyrum duodecim Fratrum, Donati & Felicis, Aruntii & Honorati, Fortunatiani & Saviniani, Septimini & Januarii, Felicis & Vitalis, Saturi & Repositi. Hi cùm sua prædicatione ad fidem plurimos convertissent, sub imperatore Maximiano, judice Valeriano, capitalem sententiam susceperunt anno salutis CCXCV. F

qui Beneventi annuntiantur; etsi ibidem non sint passi:

2 *Porrò hîc observandum est, hosce duodecim Fratres non annuntiari* Beneventi, *quia ibidem passi sunt, sed quia omnium corpora eò demum fuere translata, sicut enarrabimus. Non advertit ad id Galesinius, eaque occasione duodecim Fratres perperam geminavit, alteros attribuens Venusiæ, ubi aliquos ex nostris passos videbimus, alteros verò Benevento, ubi nullus eorum occubuit. Elogium utrumque, quo eos exornavit, nostris convenit, si excipiamus martyrii palæstram, & aucta tormentorum genera, quæ unde acceperit hic scriptor, non satis perspicio:* Venusiæ, *inquit*, in Apulia, sanctorum duodecim Martyrum. Ii germani fratres, Maximiano cæsare rem Christianam oppugnante, forti animo dimicationem subeuntes, nulla suppliciorum acerbitate fracti, egregiè cursu pugnæ confecto, ad palmam perveniunt. Beneventi, sanctorum etiam duodecim Martyrum Donati, Felicis, Acontii, Honorati, Fortunati, Saviniani, Septiminii, Januarii, Felicis, Vitalis, Satyri & Repositi: qui germani item fratres, nobili genere nati, vitæ sanctitate illustres, sacris doctrinis eruditi, hominum multitudinem prædicationibus suis Chri-

AUCTORE J. S.

sto Domino adjunxerunt. Quam ob causam accusati, in carcerem detruduntur; ubi cùm multos quoque ad martyrium animassent, primùm cruciatibus torti, pòst clavis confixi, in rogum injecti, flammis semiustulati, tum in conspectu judicis iterum verberibus cæsi, demum superatis cælesti constantia divinoque præsidio cruciamentis omnibus, securi percussi, corona insigni donantur.

iidem Martyres etiam memorati illis diebus,

3 *Etiamsi omnes hi Martyres simul non commemorentur ab antiquioribus martyrologis, varii tamen ex iis seorsum annuntiantur illis diebus, quibus coronam sunt consecuti. Quatuor passi leguntur* XXVII *Augusti, quos Hieronymiana apud Florentinium eodem die memorant his verbis:* In Lucania, Potentia civitate, sanctorum Felicis, Aronti, Sabiniani, Honorati. *Adducit ibidem Florentinius in annotatis Ms. Corbeiense, Antverpiense, & Reginæ Suecie, in quibus eorumdem occurrit memoria, uti etiam contingit in variis auctariis Usuardi, apud Sollerium citatis ad eumdem diem. Verba codicis Vaticani subjungo:* Natalis sanctorum Arontii, Honorati, Fortunatiani & Sabiniani. *Hinc breviter de iis actum*

B

est apud nos tom. VI *Augusti pag.* 21; *sed remisso Actorum examine ad hunc locum. Die* XXVIII *Augusti Venusiæ leguntur martyrium adepti tres alii, videlicet* Septiminus, Januarius & Felix, *quos laudatus mox codex Vaticanus eodem die apud Sollerium hisce annuntiat verbis:* Et sanctorum martyrum Septimini, Januarii & Felicis. *Locus martyrii prætermittitur: neque enim Salernum, ubi tres alii antea erant commemorati, pro palæstra Martyrum assignatur, uti ex modo loquendi satis colligitur, & quia aliunde constat Salerni passos non esse. Id insuper confirmatur ex eo, quòd tres sequentes item sine loco ibidem annuntientur. In apographo ecclesiæ Bovinensis, citato tom.* VI *Augusti pag.* 166, *locus additur, nimirum* Venusia, *& judex* Valerianus. *Porrò laudatus codex Vaticanus die sequenti tres alios, qui illo die* XXIX *Augusti dicuntur coronati, memorat hoc modo:* Natale sanctorum Vitalis, Satoris & Repositi. *Itaque laudatus codex singulos hos Martyres retulit ad dies singulis proprios, exceptis duobus ultimis,* Donato *nimirum*

C

& Felice *altero, qui Kalendis Septembris coronati sunt, ideoque non videntur seorsum ibidem memorati, quia illo die omnes simul memorantur, sicuti coluntur eodem die omnes.*

quibus per partes fuere coronati:

4 *Quos autem Martyres ex his ad* XXIX *Augusti habet codex Vaticanus, eosdem exprimunt Mss. additiones Cartusiæ Bruxellensis hoc modo:* In Affrica sanctorum martyrum Vitalis, Satiris & Repositi. *Haud dubiè in Africa annuntiantur, quia ibidem certamen inchoarunt, & quia martyrii completi locus auctori non satis erat perspectus, quem forsan esse putabat in Africa. Demum duo posteriores ex hisce Duodecim in variis apographis Hieronymianis memorantur ad* 1 *Septembris, quo palmam obtinuerunt; at in plerisque non sine confusione cum aliis. Nitidè tamen ab aliis distinguuntur in vetustissimo codice Antverpiensi apud Florentinium in annotatis ad hunc diem, ubi eorum memoria sic exprimitur:* Kal. Septembris, in Apulia Felicis & Donati. *Hasce Martyrologiorum annuntiationes, quibus Sancti memorantur seorsum, afferre volui, ut inde colligat studiosus lector, omnes verosimiliter olim celebratos fuisse quatuor diebus diversis, quibus passi fuerant, nimirum quatuor* XXVII *Augusti, tres alios postridie, rursum alios tres die* XXIX *ejusdem mensis, ac demum duos ultimos* 1 *Septembris, ita ut videantur jam in veneratione fuisse, priusquam corpora omnium Beneventum fuere translata, quod factum seculo* VIII, *ut infrà videbimus.*

D

festivitas omnium Beneventi, uti & translationis altera:

5 *Dubitari non potest, quin festivitas sanctorum duodecim Fratrum Beneventi instituta sit, simulatque eorum corpora eò fuere delata, seu seculo* VIII. *Eodem forsan tempore cœpta est festivitas translationis, quæ in manuscriptis additionibus Cartusiæ Bruxellensis ad Grevenum* XV *Maii indicatur his verbis:* Sanctorum XII Fratrum martyrum Beneventi translatio. *At in Ms. Antverpiensi S. Michaëlis* XVI *ejusdem mensis sic notatur:* Duodecim Fratrum martyrum translatio. *Utrumque apud nos observatum est in prætermissis ad dictos dies. Hæc unius diei differentia orta forsan fuerit ex metrica translationis Historia, in qua num.* 39 *dies hoc modo exprimitur:* Tempore, quo Maii mensis sibi jam mediante à populo cuncto colitur translatio. *Hæc autem verba æquè intelligi possunt de die* XVI *Maii quàm de* XV. *Verùm dubium illud tollitur ex Officio translationis, seu Actis styli soluti, quæ sub finem clarè exprimunt diem* XV *Maii.*

E

orationes ex Missa eorum,

6 *Victorius Giovardi, qui varia horum Sanctorum Acta nuper collegit, in appendice Opusculi sui varia ex Breviario & Sacramentario ecclesiæ Beneventanæ S. Sophiæ edidit, quæ pertinent ad Officium & Missam in festivitate eorum legi solitam. Tres Missæ orationes pag.* 151 *sic recitat. Prima:* Deus, qui nobis per singulos annos natalicia sanctorum Donati, Felicis, Oronti *, atque Onorati *, Fratrumque eorum celebrare donasti; concede, quæsumus, ut ipsorum quoque meritis nos famulos tuos ad gaudia æterna perducere digneris. Per Dominum &c. *Altera:* Deus, qui in numero Apostolorum uno ex utero patreque editos, dignos martyrio ex Afris triumphantes Italicis finibus contulisti, tribue nobis, quæsumus, eorum muniri suffragiis, quorum apud te credimus meritis adjuvari. Per &c. *Tertia:* Germana nos, quæsumus, Domine, sanctorum martyrum tuorum duodecim Fratrum precibus turba præcedat, qui ob tui nominis confessionem passi sunt, & nos à cunctis adversis, te propitiante, defendat. Per &c. *Hæc* ex Sacramentario pag. 285.

* Arontii
* Honorati

F

hymnus ex Officio antiquo,

7 *Deinde pag.* 152 *post alia quædam subjungit hymnum ad Vesperas & Matutinum, hisce verbis conceptum:*

Christi caterva pervigil
Suavi modulamine
Ymnum * canamus Domino,
Qui est corona martyrum.
Deus, virtus, potentia,
Et triumphator optimus,
Cælorum regna tribuens,
Quos suas proles efficit.
Hinc aula sacra resonet
Cunctorum Fratrum vocibus,
Mixtis choris angelicis,
Ferventùm sancto Spiritu.
Ex quo Fratres duodecim
Ritè succensi cælitus,
Spreverunt mundi copias,
Et dæmonum contagia.
Quorum cernit insignia
Dum supplex mater, postulat,
Persolvat filii atrox

* hymnum

Quem

A Quem dæmon vinxerat.
(Locus haud dubiè mendoſus eſt, quem ſic reſtituas :
Quorum cernens inſignia
Dum ſupplex mater, poſtulat
Ut ſolvant vincla filii,
Atrox quem dæmon vinxerat :)
* *fortè* exorantes — Orantes * Fratres Patrem,
Diſrumpunt vincla dæmonum,
Et matri reddunt unicum,
Quæ credit Chriſto Domino.
Hoc videntes ſacrilegi
Chriſto depromunt munia
Peruncti ſacro chriſmate
Fonte perenni rutilant.
in quo geſta varia narrantur, 8 Quos mox miniſter dæmonum
Catenis vinxit fortiter,
Quibus in imo carceris
Lux divina * ſplenduit.
* *deeſt una ſyllaba.* Angelus Sanctos * veniens
* *forte* Sanctis Diſrupit ferri vincula ;
Me, inquit, miſit Dominus,
Qui eſt Redemptor omnium.
B Judex, poſtquam hæc viderat,
Ferro perſtringens iterum,
Et in maris tunc pelago
Cœpit cum ipſis pergere.
Mox tempeſtas exoritur,
Judex iniquus flagitat,
Ut ſancti Dei Martyres
Chriſti depoſcant munera.
Exorant Fratres ſupplices,
Facta maris tranquillitas,
Multi mox ex militibus
Chriſtum credendo flagitant.
Hoc cernens mœſtus carnifex,
Hos multa poſt ſupplicia,
Mucronis ictu feriens
Ad Cœli miſit gaudia.
Horum te, Chriſte, meritis
Nunc deprecamur cernui ;
Quo mereamur veniam,
Et paradiſi gaudia.
Deo Patri ſit &c.
9 *Hymnus ad Laudes hic recitandus proponitur :*
alter ejuſdem Officii hymnus : Splendor diei rutilat
Dicatus Fratrum ſanguine,
C In quo Donatus emicat,
* *fortè &* Felix — Felix *, & Orontius * :
* Arontius — Hinc Honoratus radiat,
Chriſtum fatendo prædicat :
Mixti turmis angelicis
Jam reddunt laudes Domino.
* *redundat una ſyllaba* Fortunatianus * jubilat
Gerens ſerta martyrii,
Nexus ſacris virginibus
Depromit Chriſto cantica.
Sabinianus inclytus,
Septiminus ſimiliter,
Simulque Januarius
Concives beatiſſimi.
Felix, Vitalis concinunt,
Saturus, & Repoſitus,
Micantes aulâ regiâ
Semper felices jubilant.
Unde nos omnes ſupplices
Vos flagitamus, Martyres,
Per Regem regum Dominum,
* donet — Ut cæli donat * gaudia.
Deo Patri ſit &c.
10 *Obſervabit ſtudioſus lector, unum ex SS. Septembris Tomus I. Fratribus hîc vocari* Orontium, *qui aliàs ubique* Arontius *vel* Aruntius *dicitur. At ſuſpicor merdosè ſic in Breviario Beneventano nominari, aut certè exiſtimo nomen* Arontius *præferendum propter auctoritatem aliorum omnium monumentorum. Non deſunt in recitatis hymnis menda alia, quæ tamen difficulter poſſunt corrigi per ſolas conjecturas. Porrò Officium, quod pro feſtivitate recitandum proponitur, præſcribitur etiam pro Octava ; & aliud præmittitur pro Vigilia feſtivitatis. Hinc diſcimus diem feſtum Sanctorum duodecim Fratrum Beneventi celebratum fuiſſe ritu maximè ſolemni, nimirum cum Vigilia & Octava. Laudatus Jovardus pag.* 154 *aliam edidit Miſſam* in commemoratione ſanctorum duodecim Fratrum ex vetuſtiſſimo Miſſali bibliothecæ Vaticanæ ſignato num. 4770, & ſeculo circitèr x conſcripto, *ut notat. In hac Miſſa Fratrum omnium nomina exprimuntur, ſed locis diverſis, atque hoc modo, & ordine :* Donatus, Felix, Arontius, Honoratus, Fortunatus, Savinianus, Septiminus, Januarius, Felix, Vitalis, Sator, & Repoſitus. *Hæc de antiquo horum Sanctorum cultu ſufficiant : atque ex hiſce etiam numerus & fraternitas horum Sanctorum confirmantur.*

AUCTORE J. S. *feſtivitas Sanctorum celebrata cum vigilia & octava.*

E

§ II. Acta varia partim edita, partim inedita, & eorum diſcuſſio.

Acta conſcripta ſtylo ſoluto & ligato ; F *Acta ſanctorum duodecim Fratrum varia nobis ad manum ſunt, quorum alia aliis videntur meliora, aut certè minùs corrupta. Victorius Giovardi clericus Verulanus diligenter conquiſivit omnia, quæ reperire potuit de his Sanctis, eaque typis Romanis edidit anno* 1730, *unà cum Actis S. Mercurii martyris, qui in Romano Martyrologio habetur* XXV *Novembris, ideoque huc non ſpectat. In dicta collectione Jovardus à pag.* 77 *edidit Acta ab incerto & anonymo auctore ſoluta oratione pro lectionibus Officii conſcripta, ſub hoc titulo :* Paſſio SS. martyrum Donati, Felicis & Fratrum eorum. *Deinde à pag.* 90 *ſubdidit Acta prolixiora & metrica, quibus hic præfigitur titulus :* Metrum heroicum exametrum domni Alphani Salernitani archiepiſcopi in honorem ſanctorum martyrum duodecim Fratrum ad domnum Roffridum monachum. *De utraque hac lucubratione ſic loquitur Baronius in obſervationibus ad Martyrologium :* Scripſit horum (*duodecim Fratrum*) Acta carmine heroïco Alfanus epiſcopus Salernitanus, quæ in ſeptimo tomo addito ad Surium deſcripta habentur. Habemus eadem ſolutâ oratione charactere Longobardo ſcripta. In quibus omnibus corrigenda ſunt, quæ in eis de ſancto Cypriano martyre narrantur : longè enim ante tempora Maximiani, quibus hi paſſi dicuntur, vixit ſanctiſſimus Cyprianus : niſi fortè in liſdem Actis in nomen imperatoris error irrepſit, & pro Valeriano ſit poſitus Maximianus.

ſed utraque continent aliqua, quæ nequeunt componi cum aliis. 12 *Hanc Baronii cenſuram laudat Jovardus in Monito prævio pag.* 72, *ſimulque eamdem emollit, hæc ſubjungens :* Hoc doctiſſimi Cardinalis judicio admonemur ea fabuloſa non eſſe, ſed mendis aſperſa, quæ ſi reſecentur, ſincera omnino & genuina evadent. Quare ſi clariſſimo

AUCTORE J. S.

Cardinali fidem oppignoraverimus, eorum paſſionem poſt medium ſeculi III accidiſſe fatendum eſt, *ſeu ſub Valeriano, qui poſt medium ſeculi* III *imperavit. Verùm ea non eſt opinio Baronii, cùm magis apertè innuat, fabuloſa eſſe, quæ in Actis leguntur de S. Cypriano, & conjecturam de Valeriano timidè tantùm inſinuet, ut alius quiſpiam indagare poſſit, an eo modo in Actis retineri valeant, quæ narrantur de S. Cypriano. Tillemontius tom. 5 Monument. eccleſiaſt. in Perſecutione Diocletiani art.* 51 *examinat hæc Acta breviter, aſſeritque corrigi non poſſe modo per Baronium aſſignato, ſed probationem nullam profert. Addit etiam Opuſculum metricum Alfani aliis laborare defectibus, quos non aſſignat, quoſque tam notabiles non exiſtimo, ut ex iis ſolis Opuſculi auctoritas multùm diminueretur. Verùm quæ in Actis narrantur de S. Cypriano, nullo modo ſatis veriſimili conſiſtere poſſunt, uti oſtendam infrà, dum examinabo, ſub quo imperatore Martyres ſint paſſi. Præter hunc defectum alius reperitur in ſolis Actis anonymi de imperatore mortuo Aquileiæ, quod item fabuloſum videtur, cùm oſtenſuri ſimus Martyres non eſſe paſſos ſub Maximino, de quo ſolo locus poſſet intelligi. Leviores quoſdam defectus, qui poſſent excuſari, ſi Acta auctorem haberent contemporaneum aut ſupparem, aſſignabo in Annotatis.*

B

Soluta oratione ſcripta videntur poſt annum 760 *ante finem ejuſdem ſeculi;*

13 *Ætas, quâ conſcripta ſunt hæc Acta, eorumdem auctoritati non favet. Vix poſſim dubitare, quin anonymus ſoluta oratione ſcripſerit ante Alfanum, qui eum veroſimiliter pra oculis habuit, & paſſim ſecutus eſt.: at non omnino conſtat, quanto ante Alfanum floruerit tempore. Jovardus pag.* 75 *ſuſpicatur ſcripta eſſe* ſeculo VII exeunte (*ſeculum* VIII, *opinor, intelligit.*) Nam, *inquit*, ſtylus in antiphonis & reſponſoriis (*Officii*) adhibitus bene huic cohæret, quæ tamen ea ſeculo eodem conſcripta ſunt, cùm antea in ejus aſceterii uſu fuerint compoſita. *Admodùm probabilis eſt hæc conjectura de ſeculo* VIII *ad finem vergente: Acta enim compoſita ſunt pro Officio, atque in duodecim lectiones diviſa; veriſimile autem eſt Officium compoſitum eſſe, non diu poſtquam ſacra eorum corpora Beneventum fuerant tranſlata, quod contigiſſe dicitur anno* 760. *Porrò Acta non eſſe ſcripta ante tranſlationem illam, certum eſt ex iis, quæ ſub finem de eadem tranſlatione memorantur. Ex iiſdem veriſimile quoque eſt, ſcripta eſſe vivente adhuc principe Areche tranſlationis auctore, cùm de eo ut vivente loquatur auctor, aut certè mortuum tunc fuiſſe non innuat. Verba accipe:* Nam dum diverſis ſquallentioribus inhoneſtè loculis tenerentur, vir ſapientiſſimus Arechis, Langobardorum gentis celeberrimus princeps, collegit eorum pretioſiſſima corpora, & quos Germanos ſanguine & fide legendo repererat, cum ingenti honore Beneventi ſub uno tegmine collocavit. Qui indeſinenter manifeſtis pollent miraculis. *Ex hiſce, inquam, veriſimile eſt, Acta exarata eſſe, intra annum* 760 *& finem ſeculi* VIII; *namque ut certum id affirmare non auſim: neque ſanè multùm refert, ſcriptáne ſint ſeculo* VIII, *an ſerìùs, cùm illa ætas Actis auctoritatem nequeat conciliare. Idem auctor ſcripſiſſe videtur Hiſtoriam tranſlationis in Officio tranſlationis recitandam, atque in duodecim item lectiones diviſam: idem enim utriuſque ſcripti ſtylus atque eadem lectionum forma. Edita quoque hæc eſt apud Jovardum a pag.* 118, *ſed principio & fine mutilata.*

C

14 *Vita metrica quo tempore ſit compoſita, habemus ſatis perſpectum ex ætate auctoris Alfani. Quippe Alfanus floruit ſeculo* XI, *ac primùm clericus, ex clerico monachus Caſinenſis, deinde abbas monaſterii Benedictini apud Salernum, ac demum anno* 1058 *creatus eſt archiepiſcopus Salernitanus, uti latiùs exponit Ughellus tom.* 7 *Italiæ ſacræ à col.* 380, *qui & mortem ejus affigit anno* 1085, *ſcriptaque ejus varia recenſet ex Petro diacono Caſinenſi; interque ea hæc, qua de agimus, Vita metrica SS. duodecim Fratrum recenſetur his verbis:* Paſſio ſanctorum martyrum duodecim Fratrum Beneventanorum, ad fratrem Rofridum Caſin. monachum. Habetur apud Lipomanum tom. 4, & Surium tom. 7 ſub die prima Septembris. *Suſpicor Opuſculum compoſitum fuiſſe ante epiſcopatum, ac fortaſſe ante dignitatem abbatialem, cùm ſcriptum ſit ad Roffridum monachum, eumque ſic alloquatur in præfatione:* Præcipis Hiſtoriam duodenûm ſcribere Fratrum. *Et mox:* Parebo: juſſio tanta excuſabit opus, *aliaque habet ſimilia, quæ monacho non videtur ſcripturus abbas, nedum archiepiſcopus. Exiſtimo itaque monachum fuiſſe Alfanum, dum hæc ſcripſit, Opuſculumque exaratum circa medium ſeculi* XI, *aut aliquot annis citiùs. Edidêre quidem Surius & Lipomanus hanc Vitam metricam, ſed abſque tranſlationis Hiſtoria, quam primus vulgavit laudatus antè Jovardus. Tranſlationis verò Hiſtoriam ab eodem fuiſſe ſcriptam probare conatur pag.* 88, *ex hiſce præfationis verbis:* Præcipis Hiſtoriam .. ſcribere &c. *quibus deinde ſubjungit:*

Poſtque quod Arechis magnus princeps Beneventum

Corpora .... tranſtulerit *&c.*

Fateòr ex hiſce rectè colligi Alphanum etiam ſcribere voluiſſe tranſlationem. Dubito tamen, an Alphani ſint carmina, quæ de tranſlatione edidit Jovardus. Ratio eſt, quod alius in illis appareat ſtylus, iſque multo obſcurior, minúſque Latinus. Præterea in fine tranſlationis Matthæus abbas *dicitur juſſiſſe id opus, ſeu ea carmina componi; at Alphanus ſua compoſuit, rogante Roffrido monacho. Magis igitur crediderim, alterius poëtæ eam tranſlationem eſſe, quam Jovardus edidit.*

D

metro ſcripta ſunt circa medium ſeculi XI;

E

15 *Porrò non modò Vita metrica, ſed etiam Acta alia ſeu lectiones Officii Beneventani compoſita ſunt ex monumentis antiquioribus. Quin & Acta exſtitiſſe horum Martyrum ante tranſlationem corporum Beneventum, colligi poteſt ex dictis quibuſdam, quæ Officio ſunt inſerta. Nam in Lectione poſtrema de Vita num.* XI *de Areche principe dicitur,* Quos Germanos ſanguine & fide LEGENDO (*antiquam, opinor, martyrii hiſtoriam*) repererat *&c. Clariùs idem colligitur ex Officio tranſlationis lect.* 4, *num.* 1, *ubi Arechis ſic loquens inducitur:* Hi pretioſiſſimi Domini Teſtes .. Nam, ut in eorum legitur Paſſione *&c. Hæc Arechis ante tranſlationem dixiſſe fertur: ante tranſlationem igitur Paſſio duodecim Fratrum deſcripta erat, ſed incertum, quo tempore. Hinc quoque ſatis certum videtur, Officium iſtud, ſeu Acta, quæ edituri ſumus, ex antiquioribus compoſita; ſed rurſus incertum, quanti valoris fuerint Acta illa antiquiora, quámque exactè illa ſecutus ſit auctor horum Actorum, ſeu lectionum Officii. Verumtamen non video, cur ut vera admitti nequeant, quæ in Actis de locis & tempore martyrii narrantur, omniaque demum, quibus gravior ratio aut auctoritas non repu-*

F

utraque tamen ex antiquioribus monumentis:

A repugnat. Idem ſtatuendum eſt de Vita metrica, quæ ex hiſce Actis videtur compoſita.

Acta alia breviora & meliora :

16 Præter Acta edita, de quibus hactenus diſputavi, geminum habemus exemplar Ms., ineditum hactenus, ut exiſtimo. Primum apographum Majoribus noſtris tranſmiſit R. D. Nicolaus Belfortius Canonicus Regularis Gallus, ſapiùs in hoc Opere laudatus ex quodam ſuo Ms., de quo nihil præterea notatum invenio. Brevia ſunt hæc Acta, nihilque continent, quod convinci poſſit erroris aut falſitatis. Nihil quoque in hiſce occurrit, quod non legatur in Actis prolixioribus : at contrà non pauca in hiſce brevioribus ſunt omiſſa, quæ in aliis difficultatem habent, aut magis ſunt ſuſpecta. Hac de cauſa ſatis veriſimile apparet, hæc Acta eſſe antiquiora illa, quæ ante tranſlationem exſtitiſſe dixi, præſertim cùm ne vel verbum quidem de tranſlatione, aut de Benevento habeant. Quippe alterutrum neceſſariò dicendum, vel breviora hæc ex prolixioribus contracta eſſe, omiſſis iis, quæ diſplicebant ; vel ſcripta hæc eſſe ante prolixiora. Primum minùs eſt probabile, quia nulla dari poteſt ratio,

B cur auctor corporum tranſlationem omittere voluiſſet, quâ nihil in Actis prolixioribus erat certius. Secundum igitur probabilius apparet, idque omnino exiſtimarem, ſi ſatis mihi conſtaret de antiquitate codicis, ex quo deſumptum eſt apographum noſtrum.

quænam, & quo ordine edenda.

17 Quidquid ſit, breviora hæc Acta, ut ceteris meliora, & veroſimiliter antiquiora, primo loco edam ; ſecundo utrumque Officium Beneventanum, ſeu hiſtoriam martyrii & tranſlationis ſtylo ſoluto conſcriptam ; ac demum, ne quid lector deſiderare poſſit, totam Hiſtoriam metricam Alphani ſubjungam. Alterum verò exemplar Ms., quod nobis ad manum eſſe dixi, edendum non cenſui. Tranſcripſit illud nobis ſæpè laudatus Gamanſius noſter ex Paſſionali pergameno cœnobii Bodecenſis, atque huc olim tranſmiſit. Verùm non admodùm antiquum eſt, & compoſitum ex memoratis Actis prolixioribus, uti ubique clarè patet, ita ut ſuperfluum eſſet, & nihil adderet ad Acta à nobis edenda. In annotatis tamen illud ſubinde conſulam, & adducam, ubi videbitur operæ pretium.

C

§ III. Inquiritur ſub quo imperatore, & quo tempore paſſi ſint Sancti ; eaque occaſione improbantur aliqua in Actis prolixioribus.

Martyres paſſi ſunt ſub Maximiano Herculio ;

Acta omnia, quæ ad manus noſtras pervenerunt, conſtanter aſſerunt SS. duodecim Fratres martyrio coronatos eſſe ſub Maximiano imperatore, qui anno 286 à Diocletiano ad imperii ſocietatem fuit adlectus. Annum verò martyrii Acta nullibi exprimunt. Franciſcus Maria de Aſte in notula marginali ad 1 Septembris Martyrologii Romani Martyres hoſce collocat circa annum 298, citatque monumenta eccleſiæ Beneventanæ. At ſuſpicor non alia deſignari quàm quæ habuit Marius de Vipera archidiaconus Beneventanus infrà citandus, qui ſub Maximiano aſſignat annum circiter 238, forſan errore typothetæ pro 298, aut 288. In Florario noſtro Ms., cujus verba dedi num. 1, ponitur annus 295. Crediderim annos illos ex mera conjectura electos, ita ut malim annum relinquere incertum, quàm unum aliquem divinando eligere. Verumtamen ſub Maximiano Herculio paſſos eſſe hoſce Fratres, perſuadet omnium Actorum conſenſus. Quapropter breviter oſtendere conabor, hac in parte Actis inhærendum eſſe, nec recurrendum eſſe ad alios imperatores, prout fecêre aliqui, ut quædam in Actis malè aſſerta excuſari poſſent : nam ne ſic quidem oſtendi poterit, Acta prolixiora omni alio errore carere, & cum iis tot ſimul admitterentur errores, quot vicibus nomen Maximiani in Actis repetitur, aut certè error graviſſimus toties recurreret.

AUCTORE J. S.

alii volunt id contigiſſe ſub Valeriano, vel Decio, aut Maximino :

19 Conjecturam de ſubſtituendo Valeriano primus videtur ſuggeſſiſſe Baronius, quia Valeriani ætas & imperium concurrit cum ætate & epiſcopatu S. Cypriani Carthaginenſis epiſcopi, qui in Actis prolixioribus dicitur ordinaſſe presbyterum Donatum, duodecim Fratrum natu maximum, & Felicem ſubdiaconum. At conjecturam illam timidè tantùm ſubindicavit Eminentiſſimus ſcriptor, non firmiter aſſeruit. Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ ad 1 Septembris hæc æquè dubitanter notat : Sunt, qui hos (*duodecim Fratres*) paſſos fuiſſe (*putant*) anno Domini CCLVIII, Valeriano imperatore. Quod ſi ita eſt, pro Diocletiano & Maximiano (*ſub quibus paſſos antè dixerat*) Valerianus imperator reponendus eſt. Jovardus in Monito Actis prævio ſubinde ad hanc conjecturam recurrit, ſubinde ad Decium, ac tandem ad Maximinum imperatorem reſpexit, quem Maximiano ſubſtituendum monet in Annotatis ad Acta locis variis. Expendamus omnes haſce conjecturas.

E

verùm ratio idonea non adfertur, cur paſſos dicamus ſub Valeriano,

20 Pro Valeriani imperio hæc ſolùm afferri poteſt ratio. In Actis prolixioribus num. 3 dicitur : Eodem tempore Cyprianus vir ſapientiſſimus, ſanctis moribus ſacerdos, Cartaginenſem regebat eccleſiam. At S. Cyprianus epiſcopus fuit, martyrque occubuit, imperante & Eccleſiam perſequente Valeriano. Sub illo igitur imperatore paſſi ſunt duodecim Fratres, qui non diu pòſt capti leguntur, ductique in Italiam, ac martyrio coronati. Verùm ratio illa planè infirma eſt, quia ea, quæ S. Cyprianus cum Martyribus noſtris geſſiſſe dicitur, non ſatis veriſimilia eſſent, etiamſi minùs diſtaret S. Cyprianus ab imperio Diocletiani & Maximiani. Poſt ſuperiora enim ſubjunguntur : Qui (*Cyprianus*) audiens ſanctorum Fratrum (*hi Adrumeti erant, in provincia Byzacena, cujus metropolis erat Adrumetum*) celeberrimam famam, ad ſe eos accerſiri rogavit. Et dum perveniſſent, . . . unum ex eis Donatum presbyterum ordinavit : Felicem poſt ipſum genitum ſubdiaconum fecit &c. Primò veriſimile non eſt duodecim Fratres ex urbe ſatis longè diſſita Carthaginem evocatos à S. Cypriano, præſertim cùm id factum fuiſſet, vigente jam perſecutione. Nihilo magis veriſimile eſt, Donatum à ſancto illo antiſtite presbyterum conſecratum, Felicem verò ſubdiaconum : Adrumetum enim Polycarpum habebat epiſcopum, qui concilio Carthaginenſi III adfuit, ſententiamque ſuam dixit de baptiſmate hæreticorum, prout videri poteſt apud Labbeum tom. 1 Conciliorum col. 787. Habitum fuit concilium iſtud 1 Septembris anni 256, atque eodem ferè tempore, aut anno ſequenti inchoata eſt Valeriani perſecutio triennalis, uti oſtendit Tillemontius tom. 4 Monumentorum art. 2 perſecutionis Valeriani.

F

21 Hoc argumentum coëgit Jovardum, ut

aut ſub Decium Decio

AUCTORE J. S.

Decium præferret Valeriano, aut potiùs nullam sequeretur sententiam constanter, sed ab uno imperatore ad alium resiliret pro variis difficultatibus, quæ se offerebant. Ait pag. 74, potuisse Adrumetum episcopo carere, non quidem Valeriani tempore, quo episcopum Polycarpum agnoscit, sed tempore persecutionis Decianæ. Audi ejus ratiocinium: Cùm ergo ipsius (*Cypriani*) mentio primùm in Cyprianæa epistola XLIV * occurrat de eodem Polycarpo, conscripta Cornelio summo Pontifici, ad sancti Petri sedem anno CCLI, Decii ultimo, evecto, sequitur ut Decianæ persecutionis initio Polycarpi decessorem occubuisse, & eadem persecutione perurgente successoris electione protracta eo tempore, quo duodecim hi Fratres Adrumeti ethnicos de idololatria notarunt, pastore ecclesia Adrumetina viduata fuerit, donec anno CCLI exeunte, & persecutione quasi cum Deciorum internecione, quæ in Oriente eo anno contigit, exstinctâ, Polycarpus Adrumetinæ ecclesiæ electus fuerit. *Verùm, etiamsi mentio non habeatur de Polycarpo ante annum 251, divinat sine fundamento, qui hinc concludit, electum non fuisse ante exeuntem*

B *annum 251. Imò ex eadem epistola Cypriani 45 liquet, Polycarpum scripsisse ad Cornelium Papam paulò postquam hic fuerat electus, quod contigit die 4 Junii anni 251, ut vult Tillemontius & Pagius uterque. In illa etiam epistola nihil occurrit, cur dicamus eodem anno electum episcopum. Verisimile igitur non est, ecclesiam Adrumetinam sub biennali persecutione Decii episcopo caruisse. At, etiamsi episcopo tunc caruisset Adrumetum, ne sic quidem verisimile foret, duodecim Fratres Carthaginem evocatos à S. Cypriano, ibique duos ex ipsis initiatos sacris ordinibus. Nequidquam ergo ad tempora Valeriani aut Decii respicitur, ut vera apparere possint, quæ de S. Cypriano narrantur in prolixioribus sanctorum Fratrum Actis.*

* est 45

22 *Præterea num. 9 in Actis prolixioribus dicitur imperator, cujus jussu capti erant Sancti, exstinctus Aquileiæ, quod haud dubiè ex errore profectum, & soli secundæ Vitæ insertum. Sive enim Decium eligamus aut Valerianum, sive Maximianum Herculium retineamus cum Actis, nullus eorum defunctus est Aquileiæ. Maximinus quidem prope Aquileiam occisus est,*

C *atque ea de causa inconstans Jovardus hanc annotationem posuit pag. 77, quam & deinde repetit:* Sub Maximino, & non Maximiano, ut in monito adnotavimus, passi sunt hi sancti duodecim Fratres. *At si passi essent sub Maximino, qui anno 237 occubuit, rursus servari ut vera nequeunt, quæ in Actis narrantur de S. Cypriano: attamen, ut hæc defenderet, ad Valerianum vel Decium recurrebat Jovardus. Deinde variis Actorum locis imperator dicitur Romæ fuisse, quod non potest consistere cum Maximino, qui Romæ nunquam fuit tempore imperii sui, ac ne in Italia quidem, quam dum armata manu ingredi voluit, prope Aquileiam cum imperio vitam amisit. Quapropter corrigenda potiùs in Actis prolixioribus omnia illa, quæ non congruunt Maximiani temporibus, & dicendum cum Actis omnibus, Sanctos hosce sub Maximiani Herculii imperio martyrii coronam adeptos esse, præsertim cùm in Actis brevioribus nihil asseratur, quod huic epochæ repugnet.*

vel Maximino;

23 *Hîc quærere posset aliquis, cur solus Maximianus nominetur in Actis, cùm eodem tempore imperaret Diocletianus, & cæsares verosi-*

militer essent Constantius & Galerius Maximianus. Respondeo idem observari posse in Actis aliorum Martyrum; nec aliam occurrere rationem, quàm quòd hæc omnia peracta sint jussu Maximiani Herculii, cui Italia parebat & Africa, postquam orbis Romanus divisus est in partes quatuor, & quatuor prædictis principibus attributus. De hac Romani imperii divisione, quæ facta est, ubi cæsares creati erant Constantius & Galerius, consuli potest Tillemontius tom. 4 Imperatorum in Diocletiano art. 9, & notâ 12. Scrupulum quoque sibi movet Jovardus pag. 73, ex eo, quòd Sancti nostri ex Africa in Italiam perducti dicantur, & ad urbes tam varias. Verùm id difficultatem non habet, nam & alii Martyres non pauci ad varias urbes sunt circumducti. Exemplum habemus in Felice episcopo Africano, qui sub eodem passus est Maximiano, & XXIV *Octobris memoratur in Martyrologio Romano. De hoc ex Actis sinceris apud Ruinartium editis pag. 355 sic loquitur Jovardus:* Enimvero sanctus Felix Afer episcopus vinculis oneratus Carthagine Agrigentum, & Agrigento Cataniam, inde Messanam, hinc Taurominum, unde in Lucaniæ urbem Rulo, tandem Venusiam Apuliæ civitatem perductus fuit, ibique capite animadversus. *At hæc discutiemus suo tempore, cùm de loco martyrii non omnes consentiant.*

D

retinendus igitur Maximianus, qui solus in Actis ponitur, quia ejus jussu peracta omnia.

E

§ IV. Ordine discutiuntur, quæ in Actis habentur minùs certa, & obscuriora elucidantur.

EX gestis sanctorum Fratrum ea videntur certiora, quæ asseruntur in Actis brevioribus primo loco edendis. Quæ verò in prolixioribus Actis leguntur adjuncta, alia sunt aliis magis verisimilia, alia ne verisimilia quidem, sed prorsus reprobanda, ut jam monui. Hoc igitur loco singula discutere aggredior, ut, quantùm fieri potest, falsa secernantur à veris, & dubia à certis. De parentibus horum Sanctorum in Actis brevioribus nihil legitur. Verùm Acta omnia prolixiora patrem assignant Bonifacium, *matrem* Theclam. *Hos sanctos parentes cum Martyrologio Romano dedimus* XXX *Augusti, seu tom.* VI *istius mensis à pag.* 551, *ubi etiam breviter descriptum est* Adrumetum *horum Sanctorum patria. Hæc urbs in Actis prolixioribus ubique vocatur* Drumentum *vel* urbs Drumentina, *at omnes de Adrumeto intelligunt, &* Adrumetina civitas *revera in Actis brevioribus nominatur.* Mahometta *nunc dicitur ab Europæis,* Hamametha *ab Africanis, jacetque ad mare Mediterraneum in regno Tunetano. Non video, cur hæc de parentibus & patria Sanctorum meritò quis in dubium revocaret. Verùm, quæ subjunguntur in Actis de gestis eorum Adrumeti cum idololatris, non æquè videntur certa, licèt alioquin probabile sit laborasse Sanctos ad conversionem Gentilium. Certè quòd ex Africa ducti sint in Italiam, idque, ut fertur, jussu Maximiani, insinuat homines non fuisse plebeios, sed vel natalibus suis insignes, vel fidei propagandæ ardore.*

Patria Sanctorum & parentes: gesta eorum Adrumeti incerta;

25 *Gesta Sanctorum cum S. Cypriano Carthagine jam improbavimus. Subduntur his alia multa, quæ facta dicuntur cum* relicta *seu vidua* cujus-

quæ verò ab illis patrata dicuntur Carthagine, ne quidem sunt probabilia:

AUCTORE J. S.

A cujusdam senatoris Restituta ; *at ea relata sunt modo parùm verisimili , nec admitti possunt ut probabilia , nedum ut certa. Fieri quidem potest, ut miracula quædam à Sanctis patrata sint Carthagine , & filius nobilis cujusdam mulieris sit liberatus à dæmone , sed omnia facti istius adjuncta prudenter credi non possunt , præsertim quia conjuncta sunt cum aliis , quæ tempori non congruunt , cumque sunt repudianda. Parùm quoque fidei merentur , quæ deinde narrantur gesta Adrumeti cum Victore , qui missus dicitur ad sanctos Fratres ibidem comprehendendos , quique Sanctorum disputationibus ad fidem fuisset conversus cum militibus itineris sui sociis. Nihil de hac conversione habent Acta breviora , etiamsi referant Sanctos Adrumeti captos , ductosque Carthaginem ad Valerianum. Clarum est , longiores istas ratiocinationes , quibus carent Acta breviora , meditationes esse scriptorum , qui licitum sibi credebant , Sanctos sic loquentes inducere , prout eis loquendum fuisse censebant.*

B *Sancti fustibus cæsi carcereque reclusi vinculis solvuntur ab angelo :*

26 *Sancti Carthaginem ducti , fidemque suam constanter professi coram judice Valeriano , ejus jussu fustibus cæsi sunt , ac deinde ad carcerem missi , uti omnia habent Acta , etiam breviora. Addunt miraculum in carcere factum , quod severioribus criticis fortasse non magis placebit , quàm alia in Actis narrata ; at alia hîc mea est sententia. Rem paucis accipe. Noctu carcer divino lumine ita illustratus dicitur , ut unus custodum , qui accedebat propiùs , visum amiserit : apparente interim angelo , ad cujus vocem disrupta sunt omnium vincula. Cur huic uni miraculo fidem potiùs adhibendam judicem , quàm reliquis omnibus , faciunt Acta breviora , quæ hoc solum referunt , omissis aliis omnibus. Tanto autem majorem hæc Acta fidem merentur , quanto sunt breviora , quòdque nihil contineant , quod meritò improbari possit. Porrò miraculum istud occasionem maturandi itineris in Italiam præbuit Valeriano , ne Carthagine plures converterentur , seu , ut habent Acta breviora ,* ne populus ultrà crederet. *Ex his verbis suspicio esse potest , non modò motam fuisse civitatem* Sanctorum miraculis , *uti loquuntur Acta , sed aliquos etiam fuisse conversos , eamque conversionem ad tempora non sua relatam fuisse in Actis prolixioribus.*

C *iter eorum in Siciliam & Italiam, in quo tempestas descripta modo non verisimili :*

27 *Verùm quidquid sit de illa quorumdam conversione , sanctos Fratres secum navi imposuit Valerianus , ut eos transveheret in Italiam. Qualis fuerit ista navigatio , non exprimunt Acta breviora ; ac ne indicant quidem , in quo portu navi sint egressi. Acta verò prolixiora ingentem describunt tempestatem , Valerianum inducunt falsa numina frustra invocantem , Sanctos demum orantes , eorumque precibus sedatam tempestatem , multosque inde conversos. Prorsus hæc videntur fictitia , nec verisimili modo exposita : nam Valerianus dicitur primùm rogasse Sanctos , ut rogarent Deum suum ; ac deinde Jovi attribuisse acceptam maris tranquillitatem. Porrò iter ex Actis prolixioribus sic institutum. Ex Africa navigarunt in Siciliam , ac Syracusam pervenerunt , inde post biduum Catanam navigarunt , Catanæ aliquo tempore morati Messanam eadem navi sunt vecti. Mutata hîc navi transmiserunt fretum Siculum , atque ex navi egressi sunt Rhegii. Deinde terrestri itinere per agrum Brutiorum profecti sunt Locros. Hinc Acta edita eos deducunt Consentiam , Consentiâque Scylaceum , ordine verosimiliter inverso : nam Scylaceum situm est inter Locros & Consentiam medio ferè itinere , ita ut verisimiliter Scylaceo profecti sint Consentiam. Dicuntur deinde iisse Grumentum , oppidum nunc excisum , quod situm erat in Lucania , ubi hodie castrum* Agromento , *uti vocant Baudrandus & Orlendius. Grumento profecti dicuntur Marcilianum , quo designari videtur Marsicum vetus in Lucanis item positum. Hinc tandem Sancti duodecim deducuntur Potentiam , ubi ex illis quatuor martyrii palmam sunt adepti. Totum hoc iter in Actis brevioribus omittitur , ideoque ambiguum est , an ex antiquioribus monumentis sit acceptum , an ex solis conjecturis confictum.*

Potentiam ducuntur Sancti , ubi ex illis quatuor coronantur XXVII *Augusti ,*

28 *Potentia , ubi passi sunt* XXVII *Augusti quatuor è Fratribus , in Lucania passim statuitur non procul à limitibus Apuliæ. Civitas fuit episcopalis admodùm antiqua , uti docet Ughellus tom.* 7 *col.* 132 , *sed funditus deleta est seculo* XIII , *si credimus Ughello , aliaque in ejus vicinia ejusdem nominis erecta , quæ hodieque exstat in regno Neapolitano in planitie supra Apennini juga , gaudetque episcopatu sub archiepiscopo Acheruntino. Laudatus Ughellus eumque secutus Orlendius Orbis sacri part.* 2 , *lib.* 4 , *num.* 14 *Potentiam * latiùs describunt , aiuntque* SS. Aurontium , Honoratum , Fortunatum & Sabinianum *ibidem martyrio coronatos* VIII Kalendas Septembris , *seu* XXV *Augusti , sed res contigit biduo seriùs , seu* XXVII *ejusdem mensis , uti cum Actis habent citata antè Martyrologia. Alphanus in Vita metrica num.* 31 *occisos dicit* V *Kalendas Septembris , eumque secutus est Tillemontius tom.* 5 *Monument. in Persecutione Diocletiani art.* 51 , *quòd alia Acta non vidisset. Verùm majorem fidem merentur Acta stylo soluto scripta , præsertim quia hisce consonant antiqua Martyrologia.*

* *vulgo* Potenza E

tres alii Venusiæ palmam consequuntur postridie ,

29 *Potentiâ Venusiam profectus est Valerianus cum reliquis octo Fratribus , ibique coronati sunt ex illis* Septimus , *aliàs* Septiminus , Januarius & Felix. *Porro* Venusia , *aliis* Venusium , *& vulgò* Venosa , *civitas item episcopalis est sub eodem archiepiscopo Acherunino. De ea sic loquitur Ughellus pag.* 165 : Venusium civitas Apulorum , non procul à confinibus Lucaniæ , nunc inter urbes Basilicatæ non infimum sibi locum vendicans , non admodùm ampla est , sed vetustissima & amœna , apud Aufidum fluvium inter Melphim Acheruntiamque metropolim sita. F *In omnibus Actis tres memorati Fratres passi dicuntur uno die post quatuor præcedentes , ita ut dicendum sit eos casos fuisse* XXVIII *Augusti , quem cum Martyrologiis designant Acta meliora, licèt Acta metrica sequentem diem assignent , & eodem cum tribus sequentibus die coronatos velint. Porrò laudatus mox Tillemontius , qui passos dixerat* XXIX *Augusti , aliquam hîc movet difficultatem ,* Quia , *inquit ,* reperiuntur SS. Felix , Septiminus & Januarius martyrio coronati Venusiæ XXX Augusti ; illique etiam erant Afri , sed eorum historia nullam pro reliquis cum hac habet similitudinem. *Eos hîc indicat Martyres Tillemontius , qui in Martyrologio Romano* XXIV *Octobris annuntiantur primo loco cum duobus aliis , Felix nimirum ut episcopus , Januarius ut presbyter , & Septimus ut lector , cum Audacto presbytero & Fortunato lectore. Horum Acta, ut agnoscit , planè diversa sunt : nec difficultas, si qua est , propriè spectat ad Fratres duodecim , sed ad S. Felicem episcopum , cui in omnibus Actorum exemplaribus non iidem assignantur socii , nec eadem martyrii dies , aut locus. Hanc ergo difficultatem ad* XXIV *Octobris remitto.*

31 *Occi-*

AUCTORE J. S. alii tres

30 *Occiſis tribus prædictis Fratribus, cum quinque reliquis* Velinianum *contendit Valerianus. Hic locus, ſeu oppidum fuerit ſeu vicus, præcedentibus minùs eſt cognitus. Velinianum nullibi inveni apud hodiernos geographos, nec invenit Tillemontius. Attamen Jovardus pag.* 85 *hæc notat:* Velinianum, antea Velia, ſive Helia, aſpiratione in V mutata, Velia dicta, & inde Velianum. De ea Plinius lib. 3, cap. 5, Strabo & Ptolomæus, ac Aulus Gellius lib. 10, cap. 16. *Nota quidem Velia, quam inter ſinum Paſtanum Palinurumque promontorium collocavit laudatus Plinius, nimirum in Lucania ad mare Tyrrhenum. Verùm, dum ex qualicumque nominis ſimilitudine Veliam pro Veliniano ſuggeſſit Jovardus, non ſatis conſideravit locorum diſtantiam, nec rationem itineris, quo pergebat Valerianus, qui ex Apulia reverſus non eſt ad maritimas Lucaniæ partes, ſed perrexit rectò itinere per confinia Apulorum & Hirpinorum Sentianum verſus, quod oppidum ſitum erat non longè ab Æcis, ſeu hodierna Troia, ut probabimus. Porrò quod hîc* Velinianum *dicitur, in Itinerario Antonini vocatur* Velleianum, *ſtatuiturque Velleianum ibidem inter Sentianum & Venuſiam, ita ut vehementer mirer nec* Velleianum *nec Sentianum in tabulis Cluverii & Cellarii reperiri expreſſa. Utrùm Velleianum, uti & Sentianum, in Apulia fuerit, an verò in Hirpinis, non definio, ſuſpicor tamen utrumque fuiſſe in Hirpinis, idque probabilius eſſe oſtendam infrà. Hîc interim dico tres Fratres, nimirum* Vitalem, Satorem & Repoſitum *Velleiani* XXIX *Auguſti ad finem certaminis feliciter perveniſſe.*

B

31 *Soli ex Fratribus ſupererant* Donatus *presbyter &* Felix *veroſimiliter ſubdiaconus, quos tyrannus magis torquere voluit, quàm torſerat alios Fratres. Hoſce ad alium Apuliæ locum nihilo notiorem duxit. Locum illum* Sentianum *vocant Acta, & Apuliæ attribuunt. Hinc rurſum Jovardus, ſola nominis ſimilitudine contentus, locum ſic exponit:* Sentianum ita corrupto vocabulo Olim Sontia, unde Sontini, & Sontianum à Plinio memoratum: urbs Lucaniæ inter Policaſtrum & Tanarum fluvium. *At non eo loco quærendum erat Sentianum, ſed in Apulia, aut certè in Apuliæ vicinia, prope* Æcas, *nunc* Troiam, *quandoquidem illius civitatis epiſcopus corpora* SS. Donati & Felicis *in urbe ſua ſepeliviſſe dicitur. Porrò* Æcas, *aliis* Ecanam & Ecanam *eodem loco exſtitiſſe, ubi nunc Troia eſt, paſſim cenſent eruditi, etiamſi Cluverius in alia fuerit opinione, Æcas collocans, ubi nunc vicus* Accadia. *Accipe locorum ſitum ex Itinerario Antonini. Equus Tuticus oppidum erat in Hirpinis inter Beneventum & Æcas, (nunc Troiam.) Porrò deſcribitur iter ab Equotutico Rhegium, atque in illo itinere* 10. *occurrit* Sentianum, *diſtans Equotutico* M. P. XXXIII. *Sequitur* Velleianum *Sentiano diſtans* M. P. XXIV. *Deinde* Venuſia *Velleiano diſtans* M. P. XII. *Itaque utrumque oppidum in illo itinere occurrit, & Velleianum quidem non potuit multùm abeſſe ab Auſido flumine, nec à confiniis Hirpinorum & Apulorum. Dicerem deſignari Labellum, vulgo* Laviello, *niſi nimis videretur Venuſiæ vicinum; nam oppidum iſtud antiquitatem oſtentat, & aliquid in nomine congruit. Sentianum autem non longè potuit diſtare ab hodierno Bovino, uti ex Itinerario facilè colligitur. Verùm hæc de variis Martyrum noſtrorum palæſtris dicta ſufficiant. Ceterùm veriſimile eſt, ad oppida tam varia ductos, diverſiſque locis occiſos, ut terror incuteretur Chriſtianis, ac latiùs ſpargeretur.*

ac demum Donatus & Felix 1 Septembris Sentiani.

C

D

§ V. Tranſlatio corporum, ceteraque ad gloriam Sanctorum poſthumam ſpectantia.

Corpora SS. Fratrum tranſlata ab Areche Beneventano principe,

Marius de Vipera archidiaconus Beneventanus in Catalogo antiſtitum Beneventanorum in Joanne II pag. 38 *tranſlationem duodecim Fratrum Beneventum memorat hiſce verbis:* Anno DCCLX corpora ſanctorum duodecim Fratrum ex diverſis Apuliæ locis diligentiâ piiſſimi principis Arrechi tranſlata, & in auguſto templo S. Sophiæ à Giſulpho duce incepto, & ab ipſo Arrecho mirificè perfecto, & ampliſſimis prædiis opibuſque ditato, honorifico ſepulchro contecta fuere... Ipſorumque tranſlatio Beneventum fuit die XV Maii, & in eorum Geſtis ii verſus leguntur:

Bis ſenos tegit urna fratres, quos una creavit
Thecla, Deo fortes innocuoſque duces.
Par pietas fuerat, par mors, par vitaque; Arrechus *
Princeps tranſlatos ornat honore pari.

E

* *lege* Arechus *vel* Arechis

Eadem habet Ughellus in archiepiſcopis Beneventanis tom. 8 *Italiæ ſacræ, col.* 33, *niſi quòd mendum irrepſerit in diem tranſlationis, & in verſibus vox* tegit *ſit omiſſa. Annus* 760 *in Actis metricis etiam exprimitur, idemque in utriſque Actis dicitur fuiſſe annus ſecundus principatûs Arechis II. Additur in Actis metricis Indictio* 13, *quæ currebat anno* 760. *Hinc Jovardus pag.* 115 *rectè obſervat ſequentia:* Rectè annus Arichis ſecundus cum anno æræ vulgaris DCCLX conjungitur, ut ex pluribus monumentis probari poteſt. In eo anno XIII currebat Indictio. Atqui cùm XV die menſis Maii ejuſdem anni tranſlationem contigiſſe ſcribat à populo celebratam; ſequitur, ut ejus regni initia ante menſem Mali in an. DCCLIX illigentur, ut ex Hiſtoria ſoluta oratione mox danda comprobabitur.

poſitaque in eccleſia S. Sophiæ,

F

33 *Hæc quidem rectè ſibi conſonant. At non ſatis intelligo, quid velit Jovardus, dum. pag.* 117 *hæc ſcribit:* Tranſlata ab Arichi magna cum ſolennitate Beneventum ſanctorum duodecim Fratrum lipſana in S. Sophiæ aſceterio, à ſe anno DCCLXXIV conſtructo, recondita fuere. Hoc aſceterium, imò parthenon archimonaſterii Caſſinenſis abbati & monachis ſubjecit eodem anno DCCLXXIV. *Quomodo ſacra corpora anno* 760 *tranſlata fuere ad monaſterium, ſi illud tantùm fuerit conſtructum anno* 774? *Exiſtimare poſſimus primùm anno* 760 *depoſita fuiſſe in alia eccleſia, ac deinde ad eccleſiam ſanctæ Sophiæ delata: ſed Acta conſtructionem eccleſiæ præmittunt tranſlationi, & cum tranſlatione ſic conjungunt depoſitionem in eccleſia ſanctæ Sophiæ, ut neceſſariò dicendum ſit eccleſiam ſtructam fuiſſe ante tranſlationem. Exiſtimo igitur Jovardum longè aberrare à vera epocha conſtructæ eccleſiæ: nam pro omni ratione ad marginem allegat Angelum de Nuce in notis ad Chronicon Caſſinenſe lib.* 1 *cap.* 9, *ubi hæc habet laudatus de Nuce:* Diploma ipſius traditionis (*quo monaſterium S. Sophiæ ſubjicitur Caſinenſi*) in regeſto Petri num. 175 actum dicitur in anno XVII principatûs Arichis, menſe Novembri, Indictione XIII, hoc eſt, anno Chriſti DCCLXXIV. *Verùm tum hoc diploma,*

A *ploma, tum alia apud Ughellum eodem anno data, non designant annum conditæ ecclesiæ, quam ante corporum translationem primo aut certè secundo Arechis anno, seu æræ vulgaris 759 aut 760, perfectam fuisse prorsus mihi persuadeo.*

quam initio principatus sui perfecerat, anno 760:

34 *Etenim Gisulfus dux Beneventanus antecessor Arechis memoratam ecclesiam jam struere cœperat, ita ut dubium non videatur, quin Arechis opus inchoatum initio principatûs statim promoverit ac perfecerit. Audi Leonem Ostiensem lib. 1 Chronici Casinensis, cap. 6:* Iste Gisulfus cœpit ædificare ecclesiam sanctæ Sophiæ in Benevento, quam cùm morte præventus explere non posset, Arichis, qui ei successit, mirificè illam perfecit; ibique sanctimonialium cœnobium statuens, monasterio sancti Benedicti hîc in Casino concessit, sicut in sequentibus ostendemus. *Deinde cap. 9 rem ulteriùs narrat ex Erchemperto hisce verbis:* Hic (*Arechis*) intra mœnia Beneventi templum Domino opulentissimum ac decentissimum condidit, quod Græco vocabulo ΑΓΗΑΝ ΣΩΦΗΑΝ *, id est, Sanctam Sapientiam, nominavit. Ditatumque ampliſſimis

* *l.* ἁγίαν σοφίαν

B prædiis & variis opibus, ac sanctimonialium cœnobium statuens, germanamque suam ibidem abbatissam efficiens, cum omnibus omnino pertinentiis & possessionibus ejus, id sub jure beati Benedicti in monte Casino tradidit in perpetuum permansurum. In quo videlicet templo sanctorum martyrum duodecim Fratrum corpora, diversis in locis per Apuliam, in quibus & decollati fuerant, quiescentia, honorabiliter allata, ad tutelam & honorem patriæ in singulis capsis pariter sub uno altare recondidit. *Notat de Nuce hæc omnia* de templo S. Sophiæ constructo ab Arichi *legi* in codicibus omnibus *Erchemperti* tam scriptis quàm impressis. *Ex hisce concludimus, perfectam videri ecclesiam anno 759 vel 760, & eodem anno 760 recondita ibidem sanctorum Fratrum sacra lipsana, uti habent Acta.*

visio, quæ principi Arechi apud corpora Sanctorum oranti

35 *Post quædam de translatione aliarum reliquiarum ad eamdem ecclesiam, rursum ad propositum nostrum Leo Ostiensis subjungit ista:* Ubi dum maxima devotione, quoniam vicinum loco illi palatium erat, frequentem consuetudinem in oratione pernoctandi haberet (*Arechis*;) fer-

C tur, quadam nocte oranti illi sanctos duodecim Fratres apparuisse, eumque pariter inclinatis amicabiliter vultibus salutavisse. Quos dum torvo nimis aspectu, exteros quoslibet esse existimans, quinam illi essent, qui nocturno tempore sanctimonialium claustra sic audacter ingredi præsumpsissent, inquireret; illi leniter arridentes; Nos, inquiunt, sumus, ô princeps, quos tua devotio per diversa repertos loca summo huc studio detulit. Quod nobis quidem quàm bonum & quàm jucundum, tibi autem quàm sit divina pietate proficuum, ultima dies ostendet. Et his dictis, subitò principi vilio, quæ videbatur, disparuit. *Idem refert seu Alfanus seu alius sub finem carminis edendi, sed paulo breviùs; prætermissa nimirum interrogatione Arechis, quæ minùs est verisimilis. Eadem quoque visio, præmissa breviter translatione, narratur in lectionibus Officii Sanctorum nostrorum, quas Jovardus ex codice Ms. edidit primo loco à pag. 69, quasque in vigilia recitatas fuisse existimat.*

oblata fuisse dicitur:

36 *Cùm verò nihil præterea in lectionibus istis habeatur ad propositum nostrum, placet ea huic loco innectere:* Duodecim autem sanctorum Fratrum corpora, sicut majorum relatu didicimus, felicis memoriæ Arechis Langobardorum princeps, diversis tumulata locis, sollicitudine pia discutiens, & sacra aviditate repperiens, frequentis populi turbâ, cleri occursu, pontificum comitatu, apparatu solemni Beneventum transtulit, & in basilica sanctæ Sophiæ, quam ipse construxerat, cum summa reverentia sub uno altari collocavit: ne eos divideret sepultura, quos una mater effuderat, eadem fides sociarat, passio fecerat socios, & non dissimilis corona germanos. Collocatis itaque cum summa veneratione sacris Martyribus; collatis eidem monasterio multis prædiis, & multis regia liberalitate ornamentis, præfatus princeps nocturnas horas prævenions, sanctorum Martyrum suffragiis se cœpit attentiùs commendare. Contigit autem, quòd dum quadam nocte loca sacra, nullo contentus comite, ex more reviseret, dùm orationi prolixiùs institit, sanctos duodecim Fratres secundum ordinem nativitatis sibi videt propter assistere, & pariter cum orante orare, & pia supplicatione salutationis sibi obsequium exhibere. Princeps verò nova visione exterritus, quoslibet alios homines

E suspicatus, cœpit in eos acriter indignari, quòd in monasterium ancillarum Dei tempore indecenti quadam temeritate ausi sunt ingredi. Cui sacratissimi Martyres vultu placido, voce jocunda dixerunt: Nos sumus duodecim Fratres, quos variis pœnis diversis locis expositos colligens, decenter satis in hoc domicilio in una ara collocasti: qui dum locum istum incolimus, tam corpore, quàm opitulatione custodimus. Missi ergo sumus tuæ devotioni occurrere, & prompta benignitate favere. Et quia in præsenti memoriam nostri pia sollicitudine, & sedula visitatione geris, & in præsenti peccatorum veniam, & in futuro æterna præmia consequêris. Hac itaque visione glorioſissimus princeps animatus, tanto devotiùs sanctorum Martyrum cœpit corpora venerari, quanto de visione sacra nullatenus poterat ambigi.

icones Sanctorum, ut pictæ sunt in codice Ms.

37 *Demum icones duodecim Fratrum ex Jovardo subjungo. De illis sic scribit pag. 74:* Horum sanctorum Martyrum icones depictæ in nostro codice visuntur, quorum duo, Donatus, scilicet, casulâ, antiquo more, & mappulâ in

F sinistro brachio ornatus, expansisque ante pectus manibus, & Felix rubeâ tunicâ, codicem ambabus manibus ante pectus tenens, violatiâ itidem mappulâ in sinistro brachio insignitus: reliqui porrò decem Fratres tunicati, & capillati, tum pallio, & diadematibus, seu sphæris decorati conspiciuntur. Donatus siquidem, & Felix, quorum alterum presbyterum, hypodiaconum alterum fuisse Acta referunt, clericali tonsura, sive coronâ detonso capite desuper sunt depicti ad instar clericalis coronæ, quæ in antiquissimis Romanorum Pontificum imaginibus ex sancti Pauli basilica à CL. Blanchino & μακαρίτῃ delineatis visuntur. Ego verò icones has non ad rei historico-ritualis veritatem, sed ad sæculi VIII vel XI * ecclesiasticam disciplinam depictas arbitror, quum sæculo Ecclesiæ IV tunicis hypodiacones altari minimè inservîsse, sed tantùm Albâ indutos ministrasse certum sit. Tum rursus non satis perspicuum est, an III Ecclesiæ sæculo casulæ usus invaluerit, aliorumque sacrorum indumentorum, saltem in Africana ecclesia: tum sanctum Fulgentium Ruspensem in Africa episcopum consuetâ indutum tunicâ mysteria celebras-

* *fortè* IX

AUCTORE J. S.

se ejus vitæ auctor coævus refert. Ut ut sit, hoc monumentum, quod Actorum fidei respondet, ut ab interitu vindicaremus, æri adhuc incidi curavimus.



Ista sancta. Passio sanctorum duodecim fratrum Donatus Felix &c. Potentiam.

ACTA PRIMA

auctore anonymo

Ex Ms. Nicolai Belfortii.

Capti Sancti & ad præfectum ducti,

MAximianus *a* cæsar crudelissimus, audiens famam sanctorum duodecim Fratrum, misit Valerianum Carthaginem, ut adduceret eos. Valerianus itaque cùm Carthaginem perveniſſet, & Sanctos non inveniſſet; misit ad civitatem Adrumetinam *b*, qui eos ad se adducerent. Venientes autem milites, Carthaginem cum injuriis beatos Fratres deduxerunt. Alia ergo die, sedens pro tribunali Valerianus, duodecim Fratres sisti præcepit; quibus dixit: Nisi confitentes ad thurificandum veneritis, diversis vos faciam supplicüs interire. Beatus Donatus unus eorum dixit: Servi sumus Domini nostri Jesu Christi: si unum extinguas, alii magis roborabuntur in Christo.

a

b

C

fustibus cæsi ac in carcerem detrusi, ubi eorum vincula ab angelo soluta: iter Potentiam,

2 Accensus Valerianus furore, jussit singulos fustibus cædi, & verberatos retrudi in carcerem. Medio autem noctis tempore, adeo immensum lumen refulsit in carcere, ut oculi humani ferre non possent. Ad quem unus ex custodibus accedens propiùs, dum divinum vidit, sui corporis lumen amisit. In medio verò luminis venit angelus Domini, dicens ad eos: Misit me Dominus Jesus Christus solvere vincula vestra. Ad cujus vocem, disrupta sunt omnia vincula eorum. Mota ergo civitate Sanctorum miraculis, Valerianus, ne populus ultrà crederet, duodecim Germanorum colla manusque catenis constringi, eosque ad mare vinctos duci præcepit. Cùm quibus ipse & milites navigio profecti sunt, cúmque navigantes applicuissent remum, relicto navigio tandem venerunt in civitatem Potentiam.

D

ubi ex Fratribus quatuor, tres Venusiæ, & tres Velitiani martyrio coronantur:

3 Tunc sedens pro tribunali Valerianus, quatuor sibi ex Fratribus, Arontium, Honoratum, Fortunatum, & Sabinianum adduci præcepit: quos sacrificare nolentes, capitalem jussit subire sententiam in eadem civitate sexto Calendas Septembris. Alia die abiit in civitatem Venusiam, Sanctos secum deferens, & sanctissimos Septimum, Januarium & Felicem, post interrogationem Christum confitentes, jussit in eadem civitate quinto Calendas Septembris decollari. Die autem altero, Velinianum advenit: & cùm recubuisset in prandio, insatiatus scelere, exitiali officio, tres sanctissimos Vitalem, Satorem & Repositum sibi præsentari jussit, qui permanentes in confessionibus suis, pertulerunt mortis sententiam quarto Calendas Septembris.

E

postremi Donatus & Felix, rursum torti, capite minuuntur Sentiani.

4 Valerianus verò iter agens, in Sententianum * venit partem Apuliæ. Interea sanctissimi Donatus & Felix, Germanorum superstites, Fratrum suorum videntes constantiam, amore fervebant martyrii, & gratias agebant Deo, qui Fratribus suis, forti agone præliantibus, coronam justis promissam largiri dignatus est. Mittens verò Valerianus adduci illos ad se præcepit: quos sic alloquitur: Sacrificate diis immortalibus, ne Fratrum vestrorum sententiâ mancipemini. Cui beatissimi Felix & Donatus dixerunt: Christiani sumus, fac tantùm, quod tibi videtur. Inflatus Valerianus, jussit eos in equuleo suspendi & torqueri: dehinc laceratos diversis plagis, semivivos retrudi in carcerem. Postremò die alia præcepit spiculatori, ut capita eorum incideret. Qui beatissimi athletæ Jesu Christi Donatus & Felix, decollati sunt in eodem loco, die Calendarum Septembrium.

* *lege* Sentianum

ANNOTATA.

a *Figendum sanctorum Fratrum martyrium sub Maximiano Herculio, probavi in Commentario* § 3.

b *De Adrumeto horum Sanctorum patria breviter actum ibidem num.* 24, *& jam antè num.* 20 *&* 21 *de illius civitatis episcopo. Reliqua,* F *quæ difficultatem in his Actis parere possent, discussa sunt* § 4.

ACTA ALTERA

PROLIXIORA ET MINUS SINCERA

auctore anonymo

Ex editione Jovardi.

Patria, parentes, & nomina sanctorum Fratrum:

a

DUm fervor Maximiani diversis pœnis Christianos perimeret, Africa tunc regio Christi militum occultabat cohortem. Inter quam vir Christianissimus Bonifacius cum conjuge, Thecla nomine, Drumentinâ *a* urbe morabatur, prudentissimi Christianitatis ingenio, & fœcundissimi filiorum affectu. Habebant autem duodecim filios, quos fidei devotè documentis educabant cotidie.

A cotidie. Nolebant eos ſcire velle, præter, quem didicerant, Chriſtum; indeſinenter pro filiis Chriſto fideliter preces effundunt: Jeſu bone, Agne immaculate, qui mundum perditum tuæ nativitatis novo lumine reparaſti; fac miſericordiam cum filiis noſtris, ut non ſciant alium Deum, præter te Dominum Jeſum Chriſtum, qui cum Patre, & Spiritu ſancto in unitate vivis & regnas in omnia ſecula. Et dum his nutrimentis & precibus Bonifacius cum conjuge filios in fide ſolidarent, nichil horum de his, quæ à parentibus audierunt, obliti ſunt; ſed, ſicut terra bona, ſemina receperunt, & multiplicatum fidei fructum parentum moribus reddiderunt. Et ad firmandam veritatis vocem ſe ipſos abnegantes, Chriſtianos licèt, ob Dei tamen amorem, parentes derelinquunt. Nondum omiſsâ patriâ, Africanis aſſiduè verbum veritatis, & baptiſmum Jeſu Chriſti prædicabant. Et multi per eos errore relicto ad baptiſmi gratiam pertinxerunt *. Quorum nomina non immemor Africa, & merita memoratur. Erant, ut diximus, Fratres duodecim, Donatus, & Felix, Arontius, & Honoratus, Fortunatianus, & Sabinianus, Septiminus,

* *i. e.* pertigerunt

B & Januarius, Felix, & Vitalis, Satorus, & Repoſitus.

eorum zelus contra idololatras:

2 Lectio II. Interea Drumentini cives, in eâdem urbe Jovi ſacrificabant, & Herculi, ad quorum templa Duodecim properantes, infidelium turbas exprobrabant. Nolite, inquiunt, hæc, Fratres, agere, ſed potiùs Creatori, quàm creaturæ humilia ſubdite colla, & Deo vivo perſolvite vota, quæ mortuis, & manufactis ſimulacris perſolvitis. Audientes hæc ſimulacrorum

b pontifices *b* unanimiter in eos ſævire cœperunt, è quibus unus, Florentius nomine, miniſter Herculis, in medium ſe objiciens dixit, Cujus religionis eſtis? aut quo genere orti? Tunc beatiſſimi Fratres dixerunt: Chriſtiani ſumus & genere, & doctrinis inſtructi. Florentius dixit: Ergo ad hoc veniſtis, ut culturam deorum noſtrorum perturbetis? An neſcitis Maximianum rebelles deorum innumerabilibus cruciatibus diſſipare? Sancti verò dixerunt: Crede, dubium non eſt Maximianum veſtrum ſimili pœnâ vobiſcum in æternum condemnandum, quia, niſi qui crediderit in Dominum Jeſum Chriſtum, non poteſt pœnam ſempiternam evadere. Florentius dixit: Jeſum

C Chriſtum, quem dicitis Deum eſſe, multi hunc confitentes malè perierunt. Beatiſſimi Fratres reſponderunt, dicentes: Noli dicere malè perierunt, qui Dominum Jeſum Chriſtum crediderunt, ſed ab oculis lacerantium ablati tranſeunt, ut in perpetuum cum Domino glorioſi permaneant, quia niſi priùs aurum igne probetur, non ante efficitur manu artificis aptum. Hæc & his ſimilia Sanctis proſequentibus, non modica turba credidit in Dominum Jeſum Chriſtum.

dicuntur Carthaginem vocati à S. Cypriano, ibique miraculis claruiſſe, c

3 Lect. III. Eodem tempore Cyprianus *c* vir ſapientiſſimus ſanctis moribus ſacerdos, Carthaginenſem regebat eccleſiam. Qui audiens ſanctorum Fratrum celeberrimam famam, ad ſe eos accerſiri rogavit. Et dum perveniſſent, officioſiſſimè eos ſuſcipiens, gaudenſque ſuper eos dixit: Benedicti vos à Domino Deo cæli, Fratres, & Filii, quia bona fama de vobis, ut nunc cerno, in omni loco perſonuit. Bona tamen arbor, dicente Domino, bonos fructus affert; & vos de dignis parentibus digna proles eſtis effecti. Tunc unum ex eis Donatum presbyterum ordinavit. Felicem poſt ipſum genitum ſubdiaconem fecit, augens illis fidem Jeſu Chriſti, ut intrepidanter paganis ſalutaria conſilia miniſtrarent, & inſidiantis hoſtis jacula armati fide, robuſto pectore ſuperarent: & oſculatus eſt ſingulos, & ſecurè perexerunt. Multa tamen mirabilia in eâdem Carthagine per eos eſt dignatus Dominus operari: quum quicumque qualibet valitudine tenebantur, adducti Sanctorum veſtigiis, protinus ſanabantur. Et ita creſcebant miraculis, ut eos etiam profiterentur dæmonia. Nam in prædictâ civitate erat relicta *d* cujuſdam ſenatoris, Reſtituta nomine, habens unicum filium, quem crebrò dæmon acriter vexabat, & per os pueri diabolus clamabat; Niſi venerint Donatus & Felix, ſervi Jeſu Chriſti cum ceteris Fratribus, numquam à vaſe iſto recedam. Reſtituta hæc audiens, quatuor miſſis militibus, præcipiens eis dixit; Ubicumque hos inveneritis, dignè eos ad nos obſecrantes deducite. Illis autem euntibus, nondum urbem exierant, & in plateâ novâ eos aggregatim invenerunt. Quos interrogantes dixerunt: Quis veſtrûm, obſecramus, ſcit Donatum, & Felicem? Sancti verò; Quid, inquiunt, ad vos pertinent? Cognoverunt milites ſtatim, quòd ipſi eſſent, ſupplicantes aiunt ad eos: Filium ſenatricis hujus civitatis diabolus vexare non ceſſat, & per os ejus loquitur: Niſi venerint Donatus & Felix, non exeo: quapropter venite, oramus, antequam moriatur. Factâ illic oratione abierunt, & cum omni gaudio à Reſtitutâ, licèt paganâ, tamen fideliſſimè ſuſcepti ſunt.

A. Anonymo.

d

F

ductique ad puerum energumenum:

4 Lect. IV. Reſtituta flens graviter ait ad eos: Succurrite, piiſſimi, unico filio meo, ne tam gravi pereat cruciatu. Beatiſſimi famuli Jeſu Chriſti Donatus & Felix dixerunt: Cur non à magnis diis veſtris hic infirmus convaluit? Reſtituta verò pedibus provoluta Sanctorum, ſanitatem unici poſtulabat. Tribunus quidam Adeodatus nomine dixit ad Sanctos: O utinam veſtris beneficiis hic convaleſceret, ut immenſis donati muneribus proficiſceremini. Sancti verò ſubridentes, dixerunt: Munus Dei eſt, ipſum toto corde diligere, & nihil eſt melius, nichilque perfectius, quàm ut animas, quas error profundus detinet, eruamus, & ad lucis æternæ gloriam, relictis ſimulacrorum cultibus, recto tramite perducamus; & converſi ad Reſtitutam dixerunt: Age conſtanter, Reſtituta, & crede Dominum Jeſum Chriſtum te poſſe ab errore redimere, & ne hunc puerum prohibeas ſequi, quem voluerit, confeſtim videbis virtutem Domini noſtri Jeſu Chriſti in puero eſſe manifeſtam. Reſtituta dixit ad eos: Hoc tantùm videam, ut puer ab hac vexatione liberetur, nec illum prohibeo, & me ipſam cum omni domo meâ fieri Chriſtianam promitto.

E

dæmonem precibus fugant, converſâ ejus matre cum tota domo. Valerianus mittitur Carthaginem,

5 Lect. V. Beatiſſimi verò Athletæ Dei duodecim Fratres circà vexati lectulum, in quo conſtrictus jacebat, corruentes orabant. Et dum diutiùs ſinguli ſingulas preces effunderent, erigens ſe beatus Donatus dixit: Deus omnipotens æternorum rector & conditor, qui filium reguli, & puerum centurionis, & Cananææ filiam fide interveniente verbo ſanaſti, reſpice propitius fidem hujus mulieris, & hunc puerum libera, ut cognoſcant omnes, quia potens es, & Deus deorum in ſecula ſeculorum. Cúmque ab illis dictum fuiſſet, Amen, eâdem horâ diabolus, tamquam leo rugiens, cunctis videntibus, terribiliter abſceſſit. Puer verò ad pedes provolutus Sanctorum glorificabat Deum cæli, dicens: Nunc cognovi unum Deum in cælo & in terrâ, quem miſeri pagani non ſciunt. Mater verò pueri læta

A. ANONYMO.

efficitur, & promiſſum, quod dederat fidei, cum filio & omni domo ſuâ baptizata implevit. Sed & multi ex paganis, hæc videntes, baptizati ſunt credentes in Chriſtum. Maximianus *e* cæſar interea crudeliſſimus audiens Romæ famam ſanctorum Fratrum, Valeriano præcipiens, dixit: Proficiſcere Carthaginem, & rebelles deorum noſtrorum noſtris tribunalibus appræſenta. Datâ itaque auctoritate, Valerianus cum exercitu perrexit Carthaginem.

e

multaque minatur Reſtitutæ ac tribunum mittit ad Sanctos capiendos,

6 LECT. VI. Sancti verò valefacientes Reſtitutæ, ad roborandas mentes fidelium civitatem ſuam iterum viſitarunt. Beata igitur Reſtituta audivit Valerianum intraſſe Carthaginem, & cymbalorum cythararumque audiens ſonitus, clauſit fores domus ſuæ, & cum Chriſtianis Chriſto ſedulum exhibebat officium. Et dum hæc circa Dei feminam peraguntur, Valerianus intravit domum ejus, & cum jurgiis ait: Quis te, demens, alienavit à culturâ deorum immortalium, quibus & Maximianus ſubjectus eſt? Niſi mihi ſanguine juncta fuiſſes, abſque ulla interrogatione crudeli te necaſſem ſupplicio. Beata Reſtituta reſpondit:

B

Sperans eram & ego aliquando, ut noſti, in idolis, ſed niſi certiùs, & citiùs virtutem cognoviſſem domini mei Jeſu Chriſti, funditus domus mea imminentibus malis periiſſet. Sed & unicus filius meus jam morti proximus, & à dæmonio vexatus per famulos Dei Donatum & Felicem redditus eſt mihi incolumis. Valerianus autem irâ repletus, Ubi ſunt, inquit, de quibus loqueris. Beata Reſtituta reſpondit: In Drumentinâ civitate ſuâ eos reperies. Qui ſtatim vocavit tribunum ſuum, nomine Victorem, & ait ad eum: Perge feſtinanter cum militibus ad inquirendos deorum noſtrorum ferentes injuriam, & dum inveneris, adduc eos vinctos noſtris obtutibus. Et egreſſus Victor tribunus cum militibus, invenit eos orationi vacantes, quos protervè alloquitur dicens: Voſne eſtis populi ſeductores, & deorum noſtrorum reſpuentes libamina? Beatus Donatus & Felix dixerunt: Servi ſumus Domini noſtri Jeſu Chriſti, ſeducentes omnino populum, ne relicto Deo, qui in cælis eſt, vana ſequatur, & dæmoniis ampliùs ſe ſerviturum exhibeat, quem Deus proprio ſanguine liberavit.

converſo autem tribuno ad fidem, Sancti per alios ſiſtuntur coram præfecto ſuo.

C

7 LECT. VII. Victor tribunus dixit: Ergo ſi omnes hunc, quem Deum aſſeritis, ſequantur, à quibus Jupiter veneratur, & Hercules? Beatiſſimi famuli Jeſu Chriſti Donatus & Felix dixerunt: Audi, obſecramus, Victor tribune, attentiùs, & oſtendimus tibi; quomodo non debeant venerari. Deus eſt ante ſecula creans omnia, qui & hos, quos colitis, naturâ homines condidit, ſed libero perdiderunt veritatem arbitrio. Sic & diabolus angelus eſt conditus priùs, ſed ſuperbiendo beatitudinem perdens ad ima corruit, humano generi tantùm invidet, & ne perditum locum homines adeant, hunc errorem propoſuit, ut mortuis hominibus honorem exhibeant, & ipſe per eos diabolus errorem multiplicans, etiam futura pronuntiet. Sed ne te, Victor, hic cæcus error dilaniet, crede in Dominum Jeſum Chriſtum, & renaſcere undâ purificationis, ut æternum poſſis effugere ſupplicium. Cúmque hæc, & his ſimilia à ſingulis Fratribus percepiſſet, amor eum accendit fidei ita, ut ab eo baptiſma peteretur. Qui inſtructus in fide Jeſu Chriſti baptizatus eſt unà cum militibus in nomine ſanctæ Trinitatis *f*. Illis autem moram facientibus, ſupervenerunt à Valeriano miſſi milites, & cum injuriis capti ſunt, deductique Carthaginem. Aliâ die ſedens pro tribunali Valerianus, duodecim ante ſe Fratres ſiſti præcepit, & hoc initium ſermonis perfidus ſanctis Martyribus dixit: Dicite, ſeductores nequiſſimi, unde vobis tanta audacia, tantaque ſupervenit veſania, ut contra decreta principum leges patrias ſpernatis, & Crucifixum præponatis immortalibus diis? Per ſalutem Maximiani, niſi confitentes diis ad thurificandum veneritis, inenarrabilibus vos faciam perire ſuppliciis. Tunc beatiſſimi duodecim Germani vultu placido, mente robuſtâ aſtabant. Beatus Donatus ait Valeriano: Ad ſatisfactionem gloriæ veſtræ quidquid impoſterum reſonabit, præſenter exponimus: reverâ duodecim ſumus ſervi Domini noſtri Jeſu Chriſti, & in tantùm ferventes igne martyrii, ut ſi unum extinguas, alius magis roboretur in Chriſto.

D

fuſtibus cæſi includuntur carceri, ubi angelus earum rumpit vincula. Navi imponuntur,

E

8 LECT. VIII. Accenſus igitur Valerianus furore magno, ſingulos juſſit fuſtibus cædi, & verberatos cæcum retrudi in carcerem, cogitans quomodò Maximiani eos præſentaret obtutui. Medio autem noctis tempore immenſum lumen refulſit cælitus in carcere, tantæque magnitudinis, ut cuſtodes carceris oculis ferre non poſſent. Unus tamen accedens propiùs, dum divinum vidit, ſuum corporis lumen amiſit. In medio verò luminis venit angelus Domini, dicens ad eos: Miſit me Dominus Jeſus Chriſtus ſolvere vincula veſtra. Ad cujus vocem, quibus tenebantur, diſrupta ſunt omnia vincula eorum. Mota itaque civitas eſt Sanctorum miraculis. Valerianus autem, ne populus Chriſto ampliùs crederet, catenarum vinculis duodecim Germanorum colla manuſque conſtringens, ad mare vinctos duci præcepit, cum quibus ipſe & milites ſunt profecti navigio. Navigantibus interea pariter tempeſtas facta eſt valida, ita ut navis fluctibus mergeretur. Nautæ verò turbati dixerunt: Væ nobis, pariter perimùr. Valerianus autem deorum ſuorum numina invocat, ut ſibi miniſtrarent præſidia. Quo vociferante, ventorum flamina centuplùm & fluctus creſcebant.

exortamque tempeſtatem precibus ſedant: veniunt Potentiam,

F

9 LECT. X. Convocatis autem duodecim Fratribus ait Valerianus: Invocate Deum veſtrum, ſi fortè à nobis hæc recedat turbatio. Beatiſſimi Athletæ Chriſti Donatus & Felix dixerunt: Promitte te abrenuntiare idolis & pompis eorum, & ſtatim videbis in Jeſu Chriſti nomine eſſe mare placabile. Valerianus dixit ad eos: Si hoc, quod dicitis, factis probaveritis, faciam, quod hortamini. Tunc Duodecim vincti catenis in faciem cecidere, & orantes dixerunt: Dominator Domine, omnium elementorum rector & conditor, ne ad perfidiam Valeriani reſpicias, ſed exaltare ſuper omnes deos, & impera huic mari, ſicut imperaſti, dum paventium Diſcipulorum fidem roboraſti, ut exaltetur nomen tuum ab omnibus, ſicut exaltatum eſt ante omnia ſecula. Orantibus illis facta eſt tranquillitas magna, ita ut oblivioni tradita eſſet perturbatio mentis. Valerianus inſipiens non ferens nomen Chriſti, deos ſuos tranquillitatem feciſſe comprobabat. Multi tamen ex militibus in Chriſtum crediderunt. Navigantes verò litus Siracuſanum *g* Siciliæ deſcenderunt, & manſerunt ibi duobus diebus, deinde Cathenam *h* pervenerunt. Ubi ad tertam Chriſti Milites Valerianus juſſit deponi; blanditiis amplecti. Martyres cogitans, ſacrificare idolis ſubdolâ voce monebat. Sed Athletæ Dei, ut terroribus non ſunt moti, ita nec blanditiis ſunt mente concuſſi. Aſcendentes iterum navim, Meſſanam *i* deducti ſunt, in qua parumper morati, aliâ acceptâ navi transfretantes

g
h

f

A fretantes Regium *k* deſcenderunt. Dimiſſo itaque navigio terram Britianorum *l* luſtrantes, Lucren applicuerunt, deinde iter agentes, venerunt Coſentiam. Poſt hæc inde ſunt profecti Scylacium. Ibi igitur Valerianus juſſit militibus, ut humanè cum Martyribus agerent, quatinus eos poſſet Maximiano Romam perducere. Moventes inde Grumentum *m* profecti ſunt, & die altero Marcilianum properantes, deinde ad civitatem venerunt Potentiam. Ubi audiens, quòd imperator Aquileiâ *n* eſſet extinctus; qualiter eos in præſenti perderet, cœpit excogitare.

k *l* *m* *n*

ubi quatuor ex Fratribus, tres alii Venuſiæ & tres Veliniani conſequuntur palmam,

10 LECT. XI. Sedens igitur Valerianus pro tribunali, quatuor ſibi ex Fratribus, Arontium, & Honoratum, Fortunatianum, & Sabinianum adduci præcepit. Quibus & dixit: Uſque modò inſaniam veſtram æquanimiter toleravi, nunc autem ſacrificate diis, ut cæſaris amici efficiamini. Tunc ſanctiſſimus Arontius dixit: Quemcumque noſtrûm ſacrificare idolis preſſeris, potiùs in Chriſto mori eliget, quàm dæmoniis obedire. Valerianus alios reſpicit, ſed antequam interrogarentur, beatiſſimi athletæ Chriſti Honoratus,

B & Fortunatianus, & Sabinianus dixerunt: Nihil à nobis requiras, nihil dicimus, niſi quæ à Fratre audiſti. Iratus Valerianus, hos quatuor capitalem juſſit ſubire ſententiam in eâdem civitate ſexto Kalendas Septembris. Aliâ die abiit in civitatem Venuſiam, Sanctos ſecum deferens, ubi beatiſſimos Septiminum, & Januarium, & Felicem, poſt interrogationem Chriſtum confitentes, juſſit decollari in eâdem civitate quinto Kalendarum Septembrium. Die verò altero Velinianum advenit Valerianus, & dum recubuiſſet in prandium inſatiatus adhuc ſcelere exeniali * officio jugulandos tres ſibi afferri ſanctiſſimos Vitalem, Satorum, & Repoſitum juſſit. Sancti verò permanentes in confeſſionibus ſuis pertulerunt martyrium quarto Kalendarum Septembrium. Deinde iter agens Valerianus in Sentianum pervenit partem Apuliæ. Beatiſſimi Donatus, & Felix, qui erant Germanorum ſuperſtites, videntes tantam Fratrum conſtantiam, velut ſitiens clara fluenta deſiderat, ita amore fervebant martyrii, gratias agentes Deo, qui Fratribus ſuis, forti agone præliantibus, promiſſam juſtorum coronam largiri dignatus eſt. Suorum autem exitum,

C qui ei perpetuè in confeſſionibus perdurantes commendabant, dicentes: Deus æterne, amator juſtitiæ, palma Martyrum, certantium fortitudo, reſpice laborem noſtrum, & ne nos patiaris paſſionibus ſeparari, qui confeſſione tui nominis ſumus pares. Hæc illis orantibus, miſit Valerianus, & ad ſe eos duci præcepit. Stabant autem ambo immobiles, ut magnilòqui tyranni aciem debellarent. Sic eos Valerianus alloquitur: Nonne vos eſtis magiſtri ſcelerum, & Fratrum veſtrorum funera concitantes? Tempus adhuc videtur congruum pœnitendi, reſipiſcite ab hac ſtultitiâ, & ſacrificate immortalibus diis, ne Fratrum veſtrorum ſententiâ mancipemini.

* *lege* exitiali

poſtremi verò duo Septiani in Apulia: omnium deinde tranſlata corpora.

11 LECT. XII. Beatiſſimi viri Donatus & Felix dixerunt: Fratres à nobis moniti tuam jam vicerunt perfidiam, & turpe eſt, ut, qui docuimus hoſtes vincere, victas manus hoſtibus demus. Jam & illi, & nos tuam crudelitatem decepimus, & Chriſtiani ſumus, fac tantùm, quod tibi videtur. Inflatus Valerianus juſſit eos in eculeo ſuſpendi, & torqueri. Et dum diutiùs torquerentur ſanctiſſimi viri Donatus & Felix, voce conſtanti hilarique vultu dixerunt: Gratias tibi agimus, Domine Jeſu Chriſte, qui inter tormenta ſervis tuis virtutem præbes, & perſeverantiam confeſſionis adauges. Tunc laceratos diverſis plagis, ſemivivos juſſit retrudi in carcerem. Aliâ die præcepit ſpiculatori, ut capita eorum incideret. Decollati ſunt autem beatiſſimi athletæ Jeſu Chriſti Donatus & Felix in eodem loco Sentiano die Kalendarum Septembrium. Marcus *o* itaque Ecanæ urbis epiſcopus venit nocte cum clericis ſuis, & rapuit corpora Sanctorum, & in civitate ſuâ cum omni gaudio ſepelivit. Poſt multa verò licèt annorum curricula non eſt paſſus eos Dominus ſeparari corporibus, qui & fide, & paſſionibus indiſſolubiles extiterunt. Nam dum diverſis ſquallentioribus inhoneſtè loculis tenerentur, vir ſapientiſſimus Arechis *p*, Langobardorum gentis celeberrimus Princeps, collegit eorum pretioſiſſima corpora, & quos Germanos ſanguine & fide legendo repererat, cum ingenti honore Beneventi ſub uno tegmine collocavit. Qui indefinenter manifeſtis pollent miraculis. Quamobrem eorum patrociniis ſubjacemus, qui languidis, quacumque detinentur infirmitate, gratiâ protegente divinâ, ſuis beneficiis proſunt, præſtante Domino noſtro Jeſu Chriſto, E qui cum Deo Patre vivit & Spiritu ſancto in unitate, in ſecula ſeculorum. Amen.

o *p*

A. ANONYMO.

ANNOTATA.

a Drumentina urbe *Adrumetum ſignificatur, de quo actum in Commentario num.* 24, *ubi etiam de parentibus Sanctorum. Porrò quæ ſequuntur de eorum geſtis in Africa, in Actis prioribus omiſſa ſunt & incerta, uti ibidem diximus.*

b *Audi obſervationem Jovardi:* Pontifices præerant ſacerdotibus, aris, & ſacrificiis, quorum curæ hæc omnia erant contradita ... Horum enim erat religiones & cæremonias publicas privataſque, ſacra, & res divinas ſanctiſſimè tueri & interpretari, illaque omnia exſcripta ſignataque habere, ut quibus aris, quibus diis, quibuſque hoſtiis, quibus diebus, & ad quæ templa, ſacra fierent, perſpectum haberent; ne qui Romana ſacra negligerent peregrinoſque ritus adſciſcerent, aut deorum cæremonias turbarent.

c *S. Cyprianus colitur ab Eccleſia* 14 *Septembris, ubi geſta ejus diſcutiemus. Epiſcopus creatus eſt anno* 248 *aut* 249, *martyrio coronatus anno* 258, *uti vult Pagius in Critica ad eoſdem annos. Hinc colligitur geſta S. Cypriani cum Martyribus noſtris, quæ aliunde etiam veriſimilia non eſſe oſtendimus in Comm.* § 3, *repudianda eſſe, cùm nequeant cum epocha Martyrum, qui ſub imperio Maximiani paſſi ſunt, ſatis cohærere, etiamſi ſuſpicari vellemus hæc contigiſſe, dum Fratres erant juvenes, multumque temporis interceſſiſſe inter hæc geſta & eorum martyrium.*

d *Ad hanc vocem Jovardus ſic habet:* Relicta eſt illa, quam nos indiſtinctè viduam vocamus. Viduæ enim propriè dicuntur, quæ nec filios, nec nepotes, nec alios habent conſanguineos; de quibus locutum fuiſſe Apoſtolum in prima ad Timotheum Epiſtola haud dubito: " Quæ verè vidua eſt & deſolata, ſperet in „ Deum „. Relictæ verò dicebantur, quæ, licèt viro carerent, filium tamen vel nepotem ſuperſtitem habebant. *Dubito, an hæc diſtinctio inter viduam & relictam uſitata fuerit. Sed* relicta *certè ſumitur non rarò pro vidua. Pro facto ipſo conſule Comm. num.* 26.

e *Hîc tantùm inchoantur Acta breviora.*

f *Jovar-*

A. ANONYMO.

f *Jovardus editor rectè observat sequentia :* Sanctæ Trinitatis, scilicet cum expressa & distincta invocatione trium Personarum SS. Trinitatis, ut jam Ecclesiam universalem præscripsisse, & in illis partibus in usu fuisse, ex Epistola S. Cypriani ad Jubajanum 73 edit. Pamelii edocemur : " Denique (inquit) ubi post resurrectio-„ nem Domini Apostoli ad gentes mittuntur, in „ nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti ba-„ ptizari jubentur „. *Invalidum esse baptismum, in quo non exprimuntur tres Personæ, docent theologi. Porrò jam observavi in Commentario num.* 26 *harum conversionem parùm esse verisimilem.*

g Syracusæ *urbs est maritima Siciliæ olim amplissima & satis etiamnum nota cum portu capaci ad latus insulæ orientale.*

h Catana *alia est urbs Siciliæ maritima ad idem insulæ latus, sed Italiæ propinquior.*

i Messana *in eadem Siciliæ ora sita est ad fretum Siculum, quo ab Italia separatur Sicilia, estque urbs celebris & notissima.*

k Rhegium *in oppositâ Italiæ ora ad dictum*
B *fretum urbs est Brutiorum non ignobilis.*

l Brutii, *vel* Bruttii *indicantur, quorum terra inter fretum Siculum & Lucaniam sita erat,* ager Bruttiorum *vel* ager Bruttius *dicta ab antiquis. Nunc* Calabria *vocatur, in citeriorem & ulteriorem divisa. Porrò in hac provincia sunt* Locri *civitas, quam* Lucren *mox vocat,* Consentia, *quam* Cosentiam *nominat à vulgari nomine* Cosenza, *&* Scylacium, *vulgo* Squillace *dictum; sed jam observavi in Comm. num.* 27 *priùs perveniri debuisse Scylacium quàm Consentiam.*

m *De Grumento & Marciliano oppidis olim Lucaniæ consule locum Commentarii mox assignatum. De Potentia quoque, Venusia, Velino, Sentiano & Ecana differui eodem §.*

n *Cùm Maximinus non fuerit imperator ille, sub quo passi sunt Sancti, uti probavi num.* 22, *locus hic resecandus est, qui repugnat omnibus aliis.*

o Marcus Ecanæ urbis episcopus *ignotus fuit Ughello; qui tom.* 1, *col.* 1336 *in catalogo Trojanorum episcoporum nullum profert episcopum Æcanensem, nisi S. Secundinum, de quo Majores nostri disseruerunt tom.* 2 *Februarii à pag.*
C *529. Præterea tom.* 2 *Aprilis à pag.* 528 *egerunt de S. Eleutherio Æcanensi episcopo & martyre. Ex dictis de utroque abundè intelligitur, episcopos Æcanensibus fuisse admodùm antiquos, adeoque repudianda non esse, quæ hîc dicuntur de Marco illius civitatis episcopo, etiamsi is aliunde parùm notus sit. Michaël Monachus in Sanctuario Capuano pag.* 70 *ex Martyrologio Ms. adducit hæc verba :* Nonis Octobris civitate Ecanæ S. Marci episcopi & confessoris. *Quæ optimè convenire videntur Marco hîc memorato. Porrò in Opere nostro tom.* 2 *Junii à pag.* 800 *dantur Acta S. Marci episcopi, qui eodem tempore floruit, quique cap.* 1 *natus dicitur patre Constantino,* in civitate Ecana, quæ erat in Apuliæ finibus. *Alii hunc faciunt episcopum* Luceriæ Saracenorum, *alii* Bovini, *ubi sacrum ejus corpus servatur. Inter duas hasce civitates media jacet Troja, ubi olim erat Æcana. Hinc nonnulla mihi oritur suspicio, eumdem esse Marcum illum cum eo, qui corpora Sanctorum nostrorum sepeliisse dicitur. Certè Vita ibi data tantæ auctoritatis non videtur, ut indubitanter statuendus sit Lucerinus episcopus, aut ut necessariò credendum sit solius Luceriæ fuisse episcopum : poterat enim utramque civitatem cum pluribus aliis diœcesi suæ habere inclusam. Imò cùm natus Æcanæ, ac sacerdos ordinatus à Joanne episcopo Lucerino sic dicatur in Vita laudata, ut post ordinationem suam videatur habitasse Æcanæ, ac demum Joanni successisse referatur; ex Vita sequi videtur, Æcanam & Luceriam sub eodem fuisse episcopo. Idem verisimile est de Bovino, quia ibi sepeliri voluit. Hinc suspicor Marcum, quem ad se trahunt Lucerini & Bovinenses, Æcanensibus æquè deberi, & forsan omnium illarum civitatum fuisse episcopum. Hæc ex conjectura.*
D

p *De Areche principe, ac corporum translatione egimus in Comm.* § 5, *& uberiorem relationem mox subjungimus.*

TRANSLATIO

Corporum Beneventum
E

Ex Officio edito per Jovardum.

Arechis princeps Beneventanus

COrpora *a* quoque sanctorum duodecim Fratrum cùm in Apuliâ *b* requiescerent, & sicut in eorum legitur passione, per diversas civitates & loca inhonestis loculis tenerentur inclusa, sæpefatus dominus Arechis celeberrimus dux, cum honore assiduè repetendus, sancti Spiritus gratiâ inflammatus, mentis acumine cœpit obnixiùs pertractare, qualiter præscriptorum corpora beatorum Duodenorum glorioſam *c* in civitatibus Beneventum proprio sumptu & studio transportaret. Conventis igitur proceribus suis & magnatibus universis, habuit cum eis consilium oportunum, & quomodo sui desiderii compos effici posset, diligenti studio perquisivit. Dixit ad eos : Noveritis desiderium meo cordi cunctipotentem Dominum inspirasse, ut corpora sanctorum duodecim Germanorum, quæ in quatuor civitatibus Apuliæ divisa quiescunt, diligenti curâ perquiram, ac Beneventum perducam. Et illi principi inquiunt : Et quæ sunt illæ civitates, in
F quibus tam pretiosus continetur thesaurus ? Quibus confestim princeps respondit : Sicut audivimus, & in veritate comperimus, Potentia, Venusia, & aliæ civitates Apuliæ sunt, in quibus reperiemus eos. Et subdens, ait : Hij pretiosissimi Domini Testes, sicut novellæ olivæ plantationes, in fide & amore Domini stabiliti, ex se ipsis fructum Domino gratissimum reddiderunt. Nam, ut in eorum legitur Passione, dum gratiam Jesu Christi Domini per plures populos disseminarent, eosque ad Altissimi fidem perducerent, sub Maximiano cæsare à Valeriano præfecto pœnis gravissimis attrectati, & ad ultimum decollati, per sacrum martyrium ad regna siderea convolarunt.

a
b
c

in Apuliam proficiscitur ad transferenda sanctorum Fratrum corpora,

2 Corpora verò eorum in urbibus, in quibus & passi sunt, per longa annorum curricula adhuc sepulta tenentur. Nam glorioſissimi athletæ Christi, Arontius, Honoratus, Fortunatianus, & Sabinianus, cùm in civitate Potentiâ sacrum martyrium compleviſſent, ibidem eorum veneranda corpora à viris religioſis sunt tumulata. Sancti quoque Septiminus, Januarius, & Felix, cùm in urbe Venusiâ gladii animadversione optatum

A tum finem compleſſent, illic hactenus requietionis locum à Domino meruerunt. Corpora etiam beatorum Vitalis, Sàtoris, & Repoſiti Veliniani, ubi & paſſi ſunt, repoſita à Chriſtianis noſcuntur. Marcus ad ultimum Ecanæ urbis epiſcopus, poſtquam glorioſiſſimi Martyres, & Agonithetæ *d* Jeſu Chriſti Donatus & Felix in loco Sentiano partis Apuliæ glorioſo martyrio ſunt coronati, nocte cum clericis ſuis eorum ſacratiſſima corpora rapiens, in civitate ſuâ officioſiſſimè ſepelivit. Quia igitur diviſa eorum corpora uſque modò tumulata noſcuntur, vellem, ut quemadmodum uno ventre portati, unâ fide conjuncti, unoque martyrio coronati, ſic ſub uno altario collocentur. His igitur à principe taliter prælibatis, protinus magnates conſulunt, eum Apuliam petere, tantum theſaurum perquiſiturum.

d

Pergit in Apuliam, quo noverat eſſe locatas
Reliquias ſanctas, ſuperantes omne tributum.

Redditus expoſcit, quantum provincia debet. Maturans igitur princeps, in Apuliam cum optimatibus ſuis perrexit, omneſque majores natu, primores, & proceres illius provinciæ coram ſe

B congregari præcepit, eiſque ſecretum ſui animi de Sanctorum corporibus revelavit. At illi ſe priùs emori velle dixerunt, quàm tam pretioſiſſimo theſauro modo quolibet defraudari.

eaque conſentientibus tandem locorum magnatibus impetrata,

3 Quod princeps perpendens, & videns ſe quaſi in nihilum profeciſſe, habito conſilio cum ſuis magnatibus & ſapientibus, ſtatim à civitatibus eiſdem tributum cœpit exigere conſuetum. Illi autem, veluti jam conſueverant, hujuſmodi exactiones atque tributa ſe poſſe præſtare principi penitus denegabant. Dux verò illuſtris animadvertens eos in utraque petitione deficere, manus ſuas miſit ad fortia: cœpit eis vim facere, eoſque ad petitionem ſuam minis & terroribus propulſare. At illi duci reſiſtere non valentes, omnes uno conſilio & pari conſenſu corpora ſanctorum Duodenorum de civitatibus prædictis tollentes, locellis incluſa, mœrentes atque gementes ſuis manibus offerunt & exponunt. Tunc glorioſiſſimus princeps potitus deſiderio ſuo, ſanctorum corpora duodenorum Fratrum de illis ſqualidis & inhoneſtis loculis, quibus incongruè tumulata jacebant, omni cum reverentiâ elevavit, loculiſque pretioſis incluſit, ac feſtivo obſequio cum frequentia venerabilium epiſcoporum, & numeroſitate honeſtiſſimorum clericorum, comitante infinitâ catervâ populorum, frequentiſſimo ac celeberrimo apparatu ſolemni, cum ſanctæ devotionis officio multorum religioſorum Beneventum properabat.

C

ſolemni ritu Beneventum tranſfert ;

4 Cúmque Beneventanis mœnibus propinquaſſent, audito ejus adventu, exiit ei obviam Sampnia *e* tota, & tam propè quàm longè poſiti huic laudabili obſequio ſatagunt intereſſe, ita ut ab omni parte mundi concurſus fieri putaretur. Denſantur viæ, camporum planities populorum turbis replentur: monachi & ſanctimoniales, clerici ac laïci, ſenex & anus, juvenes & virgines, pueri & puellæ, pauperes ac divites, plebei & illuſtres principi obviam animo lætanti procedunt cum gloriâ, & totius patriæ exultatione gratiarum actiones ei uberes exhibentes, ac dicentes: Tu gloria & exultatio noſtra, & totius Beneventanæ civitatis: tu amator Dei, & Sanctorum ejus aſſiduus obſecundator: tu totius patriæ tam animarum quàm corporum protector exiſtis. Benedictus itaque tu à Deo excelſo, & benedicti ſancti Martyres, qui venerunt in nomine Domini: qui dignati ſunt in noſtrâ urbe ſibi habitaculum præparare, ut nos ſecum ducant in cæleſtis gloriæ manſionem. Cúmque hæc & his ſimilia populus proclamaret, unuſquiſque eorum pro modulo ſuo Sanctis munera elargitur: nonnulli poſſeſſiones & patrimonia tribuunt, & privilegia *f* ſecundùm jura legum, ſicut atque hodie in ſcriptis apparet, inde componunt. Arechis verò princeps eximius gliſcens, & ambiens ſuorum heroum ac nobilium largioribus muneribus vincere munera, glorioſis Fratribus tam ſe quàm totum populum devotè ſupponit: urbem *g*, & reditus magnos concedit: inſuper in cunctis ſibi ſubjectis regionibus, ut in privilegiis ipſius conſpicitur, vicos, fundos, & prædia largiſſuè donat.

A. ANONYMO.

f

g

ac ibidem deponi in eccleſia.

h

5 Aurea inſuper pulcerrima vaſa, lapides pretioſos, & veſtes purpureas Fucayco *h* pectine deauratas tribuit affluenter. Poſt hæc Deo devotiſſimi, ac nobiliſſimi viri almo flamine illuſtrati, pioque deſiderio Sanctorum amore ſuccenſi, unuſquiſque, prout anticipare licentiam à pio principe poterat, propriis humeris ſuum levando Sanctum in lecticis, ad hoc ipſum ſpecialiter præparatis, nimis gaudendo pedeſter ferebat. Princeps verò egregius, & in Domino timoratus, utpote major & glorioſior cunctis, Sanctorum primorum, Donati videlicet atque Felicis bina & pia corpora, tam læto corde quàm devoto corpore ferens, præcedentibus quidem pontificibus cum clero, ac monachorum togato agmine ſancto, & tota plebe ſecundum ætatis tempora ordinatim, major ante minorem corpora ſanctorum duodecim Fratrum cum hymnis & laudibus, cum thymiamatibus & innumeris coruſcis lampadibus, cum crucibus & vexillis, à partibus auroræ per portam, quæ dicitur Summa *i*, ſitam prope principis aulam, urbem inducit, quam ſibi glorioſi Martyres ad requiem elegerunt, dicentes: Hæc requies noſtra in ſeculum: hîc habitamus, quoniam præelegimus eam. Ubi monaſterium, quod dudum, ceu dictum eſt, princeps ædificari juſſerat, infra cujus ambitum eccleſiam ædificarat, quam Græco nomine appellavit Sophiam, hoc eſt, Dei Sapientiam, & in honorem ſanctæ & individuæ Trinitatis tribunalibus adornaverat tribus, ſub magno altari ad hoc ipſum in medio tribunali *k* parato, biſſena pretioſiſſima corpora honorificè collocavit anno ſui principatus ſecundo.

E

i

k

F

ANNOTATA.

a *Ex Officio tranſlationis, quod edidit Jovardus initio mutilatum à pag.* 118, *ſolùm hîc recitabo lectiones* 4, 5, 6, 7 *&* 8; *nam lectiones præcedentes & ſequentes nihil habent, quod ſpectet ad hiſtoriam hujuſce tranſlationis. Panca dabo annotata, cùm pleraque elucidata ſint in Commentario prævio* § 5.

b *In Apulia ſaltem pleraque requieſcebant; & Potentia, quæ ex illis habebat quatuor, erat non longè ab Apuliæ limitibus. De tempore, quo floruit Arechis, tranſlationis auctor, egimus in Comm.* § 5.

c *Fortè legendum*, glorioſa è civitatibus, *niſi malimus ſubintelligere* civitatem, *ut ſenſus ſit* ad glorioſam in civitatibus civitatem.

d Agonotheta *vox Græca, Latinis etiam uſitata, ſignificat illum, qui ludis aut certaminibus præerat, ita ut Martyrum Agonotheta propriè ſit ipſe Deus. Attamen hi duo ſic vocantur, quia*

A. ANONYMO.

quia inter Fratres erant præcipui, alter nimirum presbyter, alter ſubdiaconus, adeoque quaſi duces ad martyrium.

e Samnites *populus Italiæ, &* Samnium *eorum provincia, quæ hîc* Samnia *ſeu* Sampnia *vocatur, inclaruerunt diuturnis bellis dubiâ ſæpe fortunâ geſtis cum populo Romano. Ex præcipuis iſtius provinciæ civitatibus erat* Maleventum, *quod Romani* Beneventum *vocarunt, dum eò duxerunt coloniam. Beneventum autem hodieque eſt notiſſimum.*

f Privilegia, *id eſt, inſtrumenta donationum.*

g *Plurima, quæ Arechis donavit eccleſiæ S. Sophiæ, exhibet Chronicon Beneventani monaſterii S. Sophiæ, quod Ughellus edidit poſt tomum* 8 *Italiæ ſacræ, quodque in altera Operis editione recuſum eſt inter Anecdota poſt tomum* 10, *à col.* 420. *Pleraque etiam dedit Ughellus in catalogo antiſtitum Beneventanorum tom.* 8 *à col.* 26. *Porrò urbem conceſſam populumque Sanctis ſubjectum dici ſuſpicor, quia urbis patronis ſunt adnumerati.*

h Fucayco, *in metro* phocaico pectine, *ubi hæc obſervat Jovardus.* Phocaicus à vituli marini (*qui* phoca) humore, ſicut & à muricis ſanguine color fit purpureus; qui & phocaïcus, & murex, ſive conchylium dicitur. Sicque telas auro, ac purpureo ſtamine compoſitas, quas aulæum dicimus, Arichis ſanctis Martyribus obtulit. Harum elegantiſſimè ditiſſiméque elaboratarum uſus noſtra ætate frequentiſſimus & ad nauſeam uſque videtur.

i *Audi obſervationem Jovardi:* Ab accolis nunc Porta di Caſtello nuncupatur, quia haud longè ab ipſa ex aulæ ruderibus, terræ motibus ſepultis, caſtrum ac palatium pro præſulis gubernatoris commodo ac reſidentia ædificatum conſpicitur.

k Tribunal *varia ſignificat: at hîc ſumi videtur pro loco, in quo conſiſtunt ſacerdotes, aliique miniſtri, ante altare; ſive pro loco, in quo conditum eſt altare.*

VITA METRICA

Auctore Alfano archiepiſcopo Salernitano,

Ex editionibus Surii, Lipomani & Jovardi.

PRÆFATIO.

Auctor explicat occaſionem ſcribendi. a

UNde *a* nimis ſtuduit tua nos revocare voluntas,
Res levis hæc, Roffride, fuit contenta meoque
Et paucorum judicio, quos noſtra jocoſo
Sæpe levare ſolent multúmque poëmata riſu:
In quibus eſſe quidem valet omnis idoneus author,
Et facili poterit, quod dicere convenit, arte.
At quod ferre jubes, non eſt tolerabile pondus,
Viribus & noſtris æquum: nam ſi dabit auſum
Improbitas tua, mox facundia noſtra videbis
Quòd cadat in vitium; tibi nec fortaſſe placebit,
Quod tanto ſtudio deſiderioque requiris.
Præcipis hiſtoriam duodenûm ſcribere Fratrum
Verſibus herois veterem; ſint unde creati,
Et generis titulos, fideique celebria facta:
Inde tyrannorum cum quo fortiſſima bella
Conſeruere, quibuſque locis, quo tempore palmam
Martyrii, dignas & ſuſcepêre coronas:
Poſtque quòd Arechis *b* magnus princeps Beneventum
Corpora, diverſis ſparſimque jacentia terris,
Tranſtulerit, nunc & quâ ſunt, ſepeliverit æde.
Hæc magni repetis quàm ſi mihi creditor eſſes
Æris; & es *c* certè, tibi nos debere negamus
Numquam: ſed vellem non his parêre rogatis,
Si poſſem. Non is tamen es, qui cœpta relinquas,
Teque ſinas vinci. Parebo: juſſio tanta
Excuſabit opus, vel ſi non diſtet ab illis,
Uni quæ tantùm Cicero vult eſſe legenda.
Tu prece continua multo ſtudioſiùs inſta,
Ut qui Martyribus fuerat dux Spiritus, idem
Horum me faciat tandem pro laude diſertum.

ANNOTATA.

a *Apud Jovardum inſtar tituli præmittitur hic verſus:* Incipit en ſancti per carmina Vita Donati. *Apud Surium pro titulo præfationis habetur:* Epiſtola auctoris ad Roffridum. *Additur apud Jovardum,* monachum. *At de Roffrido monacho illo nihil mihi aliunde ſe offert.*

b *Apud Surium & Lipomanum* Arethis *ſcribitur minùs rectè, cùm plerumque* Arechis *aut* Arichis *nominatus reperiatur, quandoque etiam* Arechus. *De illo principe ſatis diximus in Commentario § 5.*

c *Jovardus minùs rectè,* eſt *pro* es *ſubſtituit.*

CAPUT I.

Patria & parentes Sanctorum: eorumdem pia educatio, zelus contra idololatriam, geſta Carthagine; pleraque minus certa aut fictitia.

Sanctorum patria, parentes, & nomina: a

AFrica poſt Latium terrarum maxima *a* quondam
Egregios habuiſſe viros virtute probatos,
Viribus & ſummis præclaros pace vel armis,
Artibus inſignes, terrâque marique potentes,
Fertur, quos in Cannenſi *b* certamine victi
Romani ſenſêre duces, quod mundus iniquum
Extimuit facinus. Juxta, propiúſque perennem
Tum fuit & miſeram caput orbis Roma ruinam.
Hæc regio, poſtquam Deus immortalis ab alto
Virginis in gremium deſcenderat, unde ſalutem
Humani generis decrevit ſumere carnem,
Sacra Redemptoris ſervantem jura Cohortem,
Cujus & antiquis præſtabant facta triumphis *c*,
Occultabat ob immites ſine fine tyrannos.
Hîc urbs extabat Drumentum *d* nomine dicta,
In qua magnus & illuſtris cum conjuge Tecla
Vir Bonifacius à Feſcenninis *e* erat, armis
Indutus fidei, ſimplex & juſtus uterque.

b

c

d

e

His

A His tot erant nati numero, quot habent duo luſtra
Annos, adjunctis annis ſuper illa duobus.
Dictus Donatus prior eſt, Felixque ſecundus,
Tertius (ut perhibent) Arontius eſt vocitatus,
Quartus Honoratus, quintus Fortunatianus.
Hic, & de reliquis duo ſunt, quos poſſe venire
Lex pedis in carmen prohibet: nam tertia quintum
Primaque poſtremum, ſic hunc, qui ſeptimus extat,
Syllaba de versûs pellit ſtatione ſecunda.
Hæc tamen his pedibus decurrere nomina fas ſit,
Et liceat ſolitum jus ſolvere carminis hujus:
Non erit hoc vitium. Sextus quoque Sabinianus,
Septiminus ſeptimus, octavus Januari *f*:
f Eſt * nonus Felix, decimus Vitalis habetur,
* *al.* & Undecimus Satorus, Repoſitus duodenus.
3 Hos ſimul aſſiduè ſanctam docuêre parentes
pia eorumdem educatio: deſerunt bona ſua temporalia, Obſervare fidem, nec eos, niſi quod didicerunt,
Scire volebant, te natum de lumine, Chriſte,
Juſtitiæ vel virtutis quem ſemper amare
Eſt: cui ſæpe parens hac voce locutus uterque
Accipitur: Jeſu bone, qui ſine labe vocaris
B Agnus, quique novo reparaſti lumine mundum
Affectum tenebris, ſcelerum ſub nube latentem *,
* *al.* jacentem Fac ſis Natorum ſolita pietate miſertus,
Quos monui ſervire tibi, proprioſque dicavi:
Effice, ne pereant, nec quemquam ſcire deorum
Fas ſit eis præter te, qui ſuper omnia regnas.
Jamque probis ætas pueriles actibus annos
Sanctorum ſuperare ſuo pro poſſe parabat.
Seminibus patriis erat illis fertile pectus,
Frugibus ut ſegetum campus ſolet ingenioſus.
Inſtabat ſuprema dies, fundique lariſque
Spernere quæque placet, quibus in præcordia Chriſtus
Spem dederat, quàm ſit mundus potiora ferendi.
Non ſocii, non cognati, non ille parentum
Qui ſolet affectus naturæ lege valere,
Plus reliquis retinere valent, primumque fideli
Multos Pœnorum cœtus munimine verbi
A ſimulacrorum defendunt ignibus atris.
4 Inde velut totidem præclara micantibus horis
ac laborant ad converſionem gentilium, Illa * dies, quam tunc nitidiſſimus exhibet annus,
Cùm ſol octipedis ſub tempore ſolſtitiali
Prima tenet Cancri veſtigia, noctis opacas
* *al.* Tanta Summis auxiliis radiorum ſummovet umbras *g*;
g C Sic ſtatuunt propriis à civibus exitialem
Pellere culturam * celeri ratione, vel omni
* *i. e.* idololatriam Signorum virtute; Jovem nam quiſque prophanus,
h Et ſimul Alcidem *h* veſana mente colebat,
Pontifices & eis ſolenni jure litabant:
i Thure, quod Euphrates mandarat nave, Sabæo *i*
Omne domicilium fumabat dæmonis. Huc ſe
Proripiunt Fratres. Cæco quid pectora, dicunt,
Turbine veſtra nimis miſeri confunditis uſque?
* *al.* Quis Num * Deus Alcides natus Jove? Surdus uterque
Non habet, orantes quâ vos exaudiat, aurem.
Diſce Creatori, non te, factura, creatis
Subdere, ſupremoque Deo perſolvere vota,
Quæ tantis ſtudiis das infernalibus umbris.
quibus vanitatem deorum ſuorum exprobrant, pœnas inferni minantur, 5 Non valet opprobrium tantum ſufferre ſacerdos
k Herculis, in medium veniens Florentius *k* irâ
Valde commotus, magna comitante caterva
Pontificum, dixit: Cujus vos relligionis,
Edite, vel quibus eſtis vos natalibus orti?

Cœtus ad hæc Fratrum: Noſtrum cultumque genuſque
Vera fides Chriſti decorat. Florentius inquit: A. ALFANO ARCHIEPISC.
Ergone veniſtis cultus reprobare deorum?
Nota nec Herculei ſunt vobis Maximiani,
Alcidæ * atque Jovi quæ perdunt juſſa rebelles? * *al.* Alcidi
Hunc, quem conſtanter fertis vos credere, Chriſtum
Innumerabilibus pœnis periêre profeſſi.
Talia dicentem Fratrum ſic turba refellit:
Nulla fides, & nulla ſalus eſt prorſus in orbe
Præter quam colimus. Quis nam * Tirinthius iſte, * *al.* quiſquam
Et Jovis * hic vobis poterit præſtare ſalutem? *l*
Quos etiam baratri ſtygialis *m* pœna tenebit, * *i. e.* Jupiter
Fervida Plutonis comburet flamma peruſti, *m*
Victima Vulcani fabricantis fulmina. Veſter
Hic erit auguſtus, quem Minos, vel Radamanthus
Omni judicio condemnat *. Vana quidem hæc eſt * *al.* contemnat
Fabula veſtrorum nugis comperta deorum.
At peiora ſatis veſtros artus, animaſque
Debita nequitiis tantis tormenta manebunt, E
Quorum nullus erit poſt omnia ſecula finis:
Quoſque putatis ut inſanos vincique, morique
Tormentis actos, cæleſtis curia ſertis
Uſque coronabit * non deficientibus unquam: * *al.* coronavit
Hos Deus in mundo, velut in fornacibus aurum
Artifices docti, probat: horum ſpectat agones,
Et vincentibus his habitis meliora rependet,
Pro terra cælum, modico pro tempore vitæ
Vivere perpetuum, pro natis * cuncta polorum * *al.* caris
Agmina, pro rebus paradiſi gaudia ſumma.
Non ſitient, non eſurient, non percutientur
Sole, vel æſtu; clamor, luctus, non dolor ullus
Ampliùs ex illis quenquam turbare valebit:
Cumque dies totum concuſſerit ultimus orbem,
Cenſores * mundi Chriſto cum principe fient. * *i. e.* judices
6 Maxima pars plebis, Sanctis dicentibus iſta, *rurſum impugnatur vana Herculis divinitas.*
Grande ſacramentum fidei baptiſma recepit.
Dic age, Florenti *n*, dat donativa miniſtris *n*
Alcides propriis, tantis æquanda triumphis: * *al.* contriverat
Qui ſibi, nec tibi defunctus valet auxiliari,
Utque ſuis verbis utar, qui dura Leonis
Contrierat * facili, dum viveret, ora labore, F
Perculit & Cacum proflantem fortiùs Ætnâ,
Atque renaſcentem toties proſtraverat Hydram,
Fregerat Anthæum procul à tellure retentum,
Quique ſuis omnem ſubjecit viribus orbem,
Non potuit veſtis Centauri ſanguine tinctæ,
Pellicis invectæ quam Deianira *o* furore
Texuerat, ſolita virtute levare dolorem.
Sic ait: O varios, validos & paſſe labores;
Non te Centauri, non Cerberus atque gigantes,
Non, quæ fudiſti, moverunt monſtra, ſed arte,
Fœmineaque manu moreris, furialis amictus
Viſcera dilacerat, flatum pulmonibus haurit.
Juppiter, in me nunc fulmen jace, quæſo, coruſcum,
Paſcere, Juno, meis, quas condis, cladibus. Hæc ſunt
Quæ nimis inviſo decuit donare novercam:
Eripe me vitæ, corpuſque laboribus aptum
Confice, non tibi jam de me ſperare licebit.
S. Cyprianus dicitur Fratres vocaſſe Carthaginem, 7 Interea rhetor præclarus philoſophuſque, *p*
Poſt martyr, Cyprianus *p* fungebatur honore
Pontificatûs eccleſiæ Carthaginienſis.
Hic ubi tot Fratrum ſenſit mirabile factum,
Orantem direxit eos ad ſe properare
Quantocyus, patrio quos ſic animavit amore:
Si reſpondendum vobis certantibus eſſet

A. ALPANO ARCHIEPISC.

Humana re, non etiamſi cuncta darentur,
Quæ ſunt in mundo, morientes illa juvarent.
Muneribus quis enim poſt mortem à talibus uſum
Expetat? Hæc quamvis ſe plus utentibus ipſa
Durent, intereunt tamen omnia: gloria veſtra
Chriſtus erit, Jeſus merces, Deus ipſe corona,
Quem jam confeſſi primordia relligioſa
Feciſtis: conſtanter & hoc *, quod reſtat, inite
Certamen: corpus, crucis eſt quod morte redemptum,
Non timeat fuſtes: quod ſi mortalia membra
Stringuntur nexu, non ſpiritus ille ligatur,
Qui cælum ſcandit, carnis ſtatione relicta.
Pœna brevis, gladius ſi guttur fregerit, omnes
Mœroris curas in gaudia longa remutat.
Vos dignæ proles, digniſque parentibus ortæ
Eſtis, ſicut in exemplo perpenditur almo,
Fructus namque bonos bona ſemper germinat arbor.

8 Poſtquam ſic dixit, cunctis ætate priorem
Presbyterum fecit Donatum. Nec mora, Felix
Hyppodiaconus eſt factus: quos intrepidanter
Ut tribuant ægris animis conſulta ſalutis,
Accumulans fidei cultum cum pace ſuprema
Dimiſit. Fratrum mox concio docta fidelis
Cunctorum morbos expellere cœpit ab urbe,
Non medicinali ferro, nec melle, nec herbis,
Unde ſit antidotum: ſed eis medicina probata
Chriſti nomen erat. Vim verbi non feret hujus
Languor: ad hoc teter, tenuit quos, ſpiritus artus
Effugit obſeſſos, Sanctiſque dicata poteſtas
Se quoque pellendi quòd ſit ſermone, fatetur.
Hoc probat eventus. Quædam matrona ſenatrix
Nomine Reſtituta q, domo plus triſtia multo
Signa ferens erat in vidua: ſpes unica cujus
Filius immanes motuſque ferebat acerbos
Dæmonis. Hic pueri clamabat ab ore furentis:
Huc niſi Donatus, Felix, & cætera Fratrum
Concio conveniat, non hoc à vaſe recedam.

9 Eſt ad eos miſſum: nam ſupplicium tolerare
Nati non poterat mater. Carthagine nondum
Exierant miſſi, ſubitò cùm ſtare gregatim
Inveniunt Sanctos: dicunt mandata, precantur *
Ut placeat pueri tormenta videre, parentem
Solari propè caſuram de limine vitæ.
Dat pietatis amor legatos eſſe ſequendos.
Convenêre domus * fiducia maxima Fratres,
Ducentes ſecum pellentes dæmona curas.
Reſtituta ſuis complens clamoribus æthra,
Ante pedes horum lachrymando corruit, orat
Donatum, potiùs quem nomine prodit iniquus,
Felicemque ſibi miſereri, reddere natum,
Hoſtis quem veſanus habet, quem nocte dieque
Afficit, & lacerat, ſuffocat, territat, arctat.
Cui Sancti dixere: Deos quid poſſe putatis
Veſtros? Cur non ſubveniunt pueroque tibique?
Nonne Jovem decuit ſuccurrere caſibus iſtis?
Cur hoc tale malum nec Apollinis arte levatur?
Pauca Deodatus reſpondit ad iſta tribunus
Pacificis dictis: Utinam medicamina veſtra
Prodeſſent, ut magnificè donis pretioſis
Donatos hodie vos urbs Carthago videret.

10 Sancta cohors riſum tunc ſignificando moveſtum
Talia ſpondentem ſic eſt affata tribunum:
Omnia quæ tellus, quæ pontus præſtat, & * aër,
Vilia ſunt valde, nobis inhoneſta putamus,
Et cunctis mortalibus: eſt hoc munere majus
Scilicet id, quo * vera Dei titulatur imago:
Hic fuit ejus naturæ, quo vivere ſemper
Deberet felix, ea ſed vitiata prioris
Fecerat hunc miſerum vitio natura parentis:
Quod fuit, eſt & idem, ſolumque manere beatè
Deſiit, & meritò pœnas hinc & cruciatûs
Suſtinet æternos tandem mens, carne relicta:
Cui niſi morte ſua mundi ſpes unica Chriſtus,
Amiſſam nullus potuit reparare ſalutem,
Ad quam credentes ducit, reliquoſque perenni
Concremat igne. Parumne videtur, ab exitiali
Hos revocare via? Re nos certamus in iſta,
Hic labor incumbit, plus omni munere nobis
Iſta placent, pluris facimus, quàm corpora, mentes.
Vos hac, quæ cinis eſt, tantùm de carne timetis,
Eſt quæ gemma, nihil pueri de mente doletis.
Spondeat hunc mater ſimulacra nefanda relictum
Ire, Creatori ſerviturumque, videbis
Quod dæmon fugiat, puerum nec torqueat ultrà.

11 Mater ſic, potuit quàm feſtinantiùs, inquit:
Ex vobis quoniàm pendet mea vita ſaluſque,
Spondeo facturam me jam quodcumque jubetis:
Confiteor Chriſtum veſtrum, quod protinus omnis
Noſtra domus faciet, tantùm mihi filius eſto
Sanus. Nonne ſatis paucis dixiſſe videtur?
Itur ad auxilium pueri, precibuſque ſeorſum
Atque diutiùs inſtatur. Promiſſa manentes
Intenti ſunt concives hinc, inde clientes,
Mater & illa ſui nati confecta ruinis,
Sat tempeſtivam ſeram putat eſſe medelam.
Surgit Donatus, ſit lecto proximus ægri,
Et dicit: Deus * æternorum Chriſte creator,
Qui prolem Chananææ pœnis eripuiſti
Talibus, iſtius miſeræ miſerare * dolores.
A te ſolamen quod puro corde requirit,
Annue: progeniem, proprium columenque decuſque
Dæmonis à laqueo tetri diſſolve maligno.
Finierat. Subitò rugiens ferus exilit hoſtis,
Indiciumque ſuî nullum fugiendo relinquit.
Inſonuit lætata domus clamoribus: illuc
Undique concurſum fuerat: memorabile factum
Sanctorum populi tollunt ad ſydera plures.
Tale nihil quemquam dicunt feciſſe deorum.
Sanatus * terræ proſtratus ſemina vitæ
Poſtulat æternæ, quæ mox data ſuſcipit ipſe.
Tunc mater Chriſto (Quid enim dubitaret) adhæſit,
Et quod promiſit, complevit mente fideli.
Tum magnam populi divina potentia partem
Traxit ad immenſum patriæ cæleſtis amorem.
Hincque ſuam Fratrum repedat conventus ad urbem,
Robore quaſſatas mentes firmare virili,
Neve labent, fidei fortes opponere muros.

B *Unde ſit antidotum:* Unde fit antidotum:
q *Nomine Reſtituta q,* Nomine Reſtituta q,
C *ad quem vocati Sancti juſſu matris Reſtitutæ,* ad quem vocati Sancti juſſu matris Reſtitutæ,
& Donatum presbyterum, Felicem ſubdiaconum conſecrâſſe: puer energumenus & Donatum presbyterum, Felicem ſubdiaconum conſecrâſſe: puer energumenus
priùs expoſita vanitate rerum terrenarum, priùs expoſita vanitate rerum terrenarum,
ab ipſis dæmone liberatur. & tota familia ad fidem convertitur. ab ipſis dæmone liberatur. & tota familia ad fidem convertitur.
D E F

* *al.* precanter
* *al.* domos
* *al.* ut
* *al.* quod
* *al.* ut hæc
* *al.* O Deus
* *al.* miſerere
* *al.* ſanus

ANNOTATA.

a *Bellica ſcilicet fortitudine & armorum gloriâ, quâ diu certarunt cum Romanis Carthaginenſes.*

b *Indicat cladem Romanorum in ſecundo bello Punico acceptam apud Cannas Apuliæ vicum prope Aufidum fluvium. Hæc ſtrages tanta fuit, ut multi putent Romam capi potuiſſe, ſi eò rectà exercitum duxiſſet Hannibal poſt victoriam.*

c *Hic verſus omiſſus eſt in editionibus Surii & Lipomani.*

d Drumentum *pro* Adrumeto. *De hac urbe conſule Commentarium num.* 24, *ubi etiam actum de parentibus Sanctorum.*

e Feſcennia *urbs fuit Etruriæ, de qua Cellarius in Geographia antiqua tom.* 1 *pag.* 460, *eam cello-*

A. ALFANO ARCHIEPISC.

CAPUT II.

Victor missus Adrumetum ad sanctos Fratres ducendos Carthaginem, eorum disputatione conversus dicitur: capiuntur Sancti.

Valerianus ad persequendos Christianos ingreditur Carthaginem, a

A Uribus hoc jam Roma suis, quibus omnia, sentit
Et scelus approbat, atque nefas contemnere sacra
Tarpeii *a* Jovis, & magni jus cæsaris ipsum:
Hostiles animo motus, & jurgia captat.
Non odii veteris, non cædis, non aliquantum
Abstinet irarum, tamquam Barchina * propago *b*
Pullulet, & portâ modò sit cernenda Latinâ:
Disponit gladios, Sanctorum viscera ferro
Præcipitem præceps scrutatum Valerianum
Dirigit. Implent ut Carthaginis omnia plausu
Mœnia, tympana cum citharis, & barbitus, Urbis
Præfectum *c* venisse docent. Is tristis ad ædes
It Restitutæ, nam linea sanguinis alti
Regibus ex * atavis inerat communis utrique.
Clauserat illa domum sonitu concussa senatrix,
Officiumque Deo gratum, præconia laudis
Christicolis conjuncta choris immensa ferebat.
13 Hanc ita præfectus verbis affatur ineptis:
Ni consanguinitas, quâ jungimur, ipsa vetaret,
Sacrilegam noster gladius te jure feriret,
Et fieres canibus, truncato vertice, pastus.
Evacuas leges, quibus est & subditus idem
Terrarum dominus cæsar: libamina spernis,
Quæ teretem stabili conservant fœdere mundum.
Quis tua vipereo cordis penetralia virus
Infecit? Quis & illustrem natalibus, atque
Formâ, divitiis, & sensu præcipitavit
Crimen in obscenum? Veneris plus luce coruscâ
Ora quis obduxit tenebris? Ubi vestis & illa,
Quæ solet aurato plumata nitescere cocco?
Quove laborabas, ubi sunt gestamina cultûs?
Non video digitos solito radiare hyacintho;
Ulla nec in flavos rutilantia serta capillos:
Te tam dejectam, tam vilem, tam tenebrosam
Numina fecerunt, hæc numina * spreta rependunt.
14 Dixerat. Illa refert: Noras, præfecte fuisse
Me patris atque viri cum divitiis opulentam
Exoticarum rerum, tum fundis domibusque:
Omnia penè dedi pro dulci prole tuenda,
Atrox quam dæmon vexabat. Non ego Janum *d*,
Qui nunc Clusius est, nunc ipse Patulcius idem,
Ridendum numen, donavi cum sale farre?
Et caricis Aristeum *e*, bove culta Priapum *f*?
Herbiferique rudi servantem *g* ruris asello?
Semicaprum capro Faunum? Titanaque *h* tauro?
Alciden raptis? causis immanibus Orcum *i*?
Mille Jovem * vitulis? totidem te falcifer *k* agnis?
Nonne racemifero feci solennia Baccho *l*?
Multoties etiam Veneri *m*, Cererique litavi?
Sed mihi poscenti non affuit ullus eorum.
Proh pudor! A quibus auxilium decepta petebam,
Quorum pars stupris, pars cladibus antè vacabat,
Et furtis: alios regno terrisque repulsos;

a

* *al.* Brachina *b*

E

c

* *al.* & *Et accedit Restitutam, quam minis aggreditur,*

F

* *al.* munera *ea verò liberè ridet inanes gentilium deos:*

d

e f

h i

* *al.* Jovi *k l m*

Exustos

A *collocans* supra Falerios. *Forsan indicare voluit ex illa urbe originem traxisse Bonifacium.*

f *Jovardus*, neglecta *lege carminis*, *totum nomen expressit* Januarius. *Nomina autem aliorum quorumdam apud alios scriptores leviter sunt mutata.*

g *Comparat poëta Sanctos cum sole, qui tunc longissimos efficit dies, seu tenebras maximè pellit, cùm ingreditur Cancrum tempore solstitii æstivi, insinuans eos, cùm jam erant adulti, sic pepulisse tenebras idololatriæ.*

h *Jovem, quem præcipuum deorum habebant, & Herculem, qui alio nomine* Alcides *dicitur, ut vulgo notum est.*

i *Sabæa est regio Arabiæ Felicis, in qua thus nascitur: inde rectè* thus Sabæum. *Verum Euphrates notissimus Mesopotamiæ fluvius non bene inducitur, acsi per illum ex Sabæa Africam versùs navigaretur.*

k *Nomen sacerdotis verum, an fictitium?*

l *Aliud nomen Herculis ab urbe Tirynthia, in qua nutritus dicitur.*

m *Hoc & sequentibus versibus secundum gentilium poëtarum fabulas exponit variis modis Maximianum augustum torquendum inferni pœnis. Styx enim fluvius inferni,* Pluto *deus inferni,* Vulcanus *deus ignis, qui damnatos cruciat in inferno,* Minos & Rhadamanthus *judices inferni.*

B

n *Rursus hic inducit Sanctos contra divinitatem Herculis disputantes ex ipsis ejus gestis fictitiis, quæ decantantur à poëtis. Quippe, si poëtis credimus, Hercules in Nemæa silva juxta Cleonas inusitatæ magnitudinis leonem jugulavit; Cacum latronem famosissimum, quem Vulcani filium dicunt, in spelunca Aventini montis necavit; in Lerna palude hydram multicipitem, cujus capita renascebantur, face simul & ferro tandem exstinxit; Antæum gigantem, Neptuni & terræ filium, qui prostratus à terra vires semper resumebat, elatum à terra suffocavit; Centauros, Thessaliæ populum, ex quibus monstra quædam partim humanis partim equinis membris constantia formarunt poëtæ, perdomuit; Cerberum, tricipitem inferni canem, triplici catenâ vinctum ad superos traxit; multaque alia Herculi attribuuntur æquè laboriosa & difficilia. Porrò ad tanta pericula missum dicunt Herculem odio Junonis dearum reginæ, sororisque & conjugis Jovis, quæ noverca vocatur ab Hercule Jovis ex alia filio.*

C

o *Deianira, filia Oënei Ætoliæ regis ac uxor Herculis, cùm audisset eum teneri amore Ioles, quam pellicem invectam vocat, misit Herculi vestem Nessi Centauri sanguine infectam. Hac veste indutus cùm sacrificare vellet, tantis doloribus cruciatus est, ut in furorem actus se ipse in ardentem pyram injecerit & combusserit. Hæc sufficiunt, ut intelligantur illa, quæ ex fabulis poëticis hoc loco perstringuntur.*

p *S. Cyprianum perperam conjunctum cum his Sanctis, probavi in Commentario § 3. Pauca de eo observata sunt ad Acta præcedentia lit.* c.

q *Hæc, quæ cum Restituta gessisse dicuntur Sancti, improbavimus in Commentario num.* 25.



A. ALFANO ARCHIEPISC.

Exuſtos alios, omnes & morte retentos
Novimus. Eſt ſed vera ſalus medicinaque Chriſtus,
Qui me ſervavit, natum ſalvavit, averni
Faucibus abſtraxit, meritis precibuſque ſuorum
Sanctorum, dæmon quos peſſimus omnibus horis
Nomine clamabat, quos & virtute ferebat
Præcipuos. His auditis, Præfectus iniquus
Inquit: Dic ubi ſunt hi, quave morentur in urbe.
Cui ſic illa refert: Drumentinis potiuntur
Hoſpitiis. Victorem mox accire tribunum
Præfectus jubet, & Drumentum dirigit, iſta
* *fortè* ſævo Mandans: Perge celer ſtipatus milite ſævos *
Et fratres blaſphemantes decreta deorum
Omnimodis inquire, repertos colla catenis
Nexos, fac noſtrum præſentes ante tribunal.
15 Victor ad hoc animo faciendum tendit eodem,
Victor à Valeriano miſſus, ut apprehenderet Sanctos,
Quo directus erat: ſed talibus excidit auſis
Ætherea virtute repreſſus, repperit omnes
Orantes, vultum quibus intulit ipſe minacem,
Hæc referens: O turba deis inviſa ſupremis,
Vos hominum crimen quo certiùs omne piatur,
B Spernere libamen populos ſuadendo docetis.
Donatus reſpondit: Avarum ſpero putares
Plenum divitiis, ſi nil conferret egenis:
Rebus abundamus, quas vos & habere deceret:
Hæ ſunt cæleſtes, damus has cupientibus omnes,
Sponte Deo vivo qui colla tumentia flectunt.
Victor ad hæc: Poſt ergo Jovem qui credat & acrem
Non erit Alciden, ſi cuncti credimus iſtum
Eſſe Deum ſolum, quem dicitis. Inde beatus
Donatus dixit: Ratione probabimus apta,
Hos, Victor, non eſſe Deos. Hominum prior ætas,
Antè pererrato quàm Cœli filius orbe
n Saturnus navi Tuſcum veniſſet in amnem *n*,
Montibus & ſylvis vitam ducebat agreſtem,
Moribus & tectis, potuque ciboque ferarum.
Hic docuit tam diſperſos & legibus uti,
Et ratione frui. Latium meritóque vocari
Italiam, cujus tutus latuiſſet in oris.
16 Inde rudis regem divino cœpit honore
eorum rationibus contra fictitios deos auditis,
Laudibus & ſummis extollere concio, vel quòd
Struxerat huic animos humanis cultibus ipſe,
Vel quòd adulanti ſibi præmia grata ferebat.
Denique ſic charus propriis cùm civibus eſſet,
C Mortuus effigie quò donaretur acerna,
Eſt viſum populo, quæ teſtaretur amorem,
Imperiumque ſuî: quem poſteritas coluiſſe
Dicitur, ut cupidos faceret de more ſequentes
Ad bene regnandum. Sic India maxima Bacchum *o*,
p q r Creta *p* Jovem, Venerem Cyprus *q*, plebs Delphica *r* Phœbum,
ſ t Nobilis atque Samus *ſ* Junonem, Troiaque *t* Martem,
u x Alciden Lindus *u*, ſacravit Roma Quirinum *x*.
Ut reliquos taceam, Saturnum pectore ſano
Eſſe Deum cenſes, qui nati ceſſerat iræ,
Qui pulſus regno fugit, latuitque tot annis?
Quove modo credis non vim mortemque timere,
Qui fugit, ut lateat? qui nullam ſperat habere,
Ad pelagi fluctus niſi confugiendo? ſalutem?
Quis Deus hic erat? Hinc ſequitur, quòd celſa poteſtas
Natorum non ſit, cùm non fuit ulla parentis.
Ergo nec Alcides Deus eſt, nec Jupiter ipſe.
17 At verè Deus eſt, cui nulla ſuperflua, nulla
expoſitâque veri Dei potentiâ,
Imperfecta valent, aut extera prorſus ineſſe.
Hic de materia nulla, nec pondere quovis D
Mundanam molem tam mira condidit arte,
Caſibus addictam * nullis; ſed creditur ejus * *al.* adjectam
Perpetua ratione regi, virtute tueri.
Hunc homines infelices cognoſcere nolunt,
In ſimulacrorum dum corda ſuperſtitione
Deponunt, & ſublimem, quem Conditor idem
His dederat vultum, quo poſſent cernere cælum,
In terram flectunt potiùs, quæruntque deorſum,
Quod debent ſurſum. Quantùm ſit mente minutus,
Dicere quis poterit, ſtatuas qui poſcit & orat?
Atque die toto ſuſpirat, ſupplicat, adſtat?
Aſſidet illis, ſive ſtipem jacit, aut litat? Et cùm
Suſpiciat tanto ſtudio, qui fecerat illas,
Contemnit fabrum. Quæ res perverſior iſtâ,
Si ſtatuarius ejicitur, ſtatuæ venerantur,
Quique deos fecit, votis non poſcitur ullis?
Quamve poteſtatem, quam vim retinere valebunt,
Cùm qui fecerit, haud habeat? Sed nec faber illis
Quos habuit ſenſus, audire, videre, alioſque E
Ferre quidem potuit. Vivum, qui vivere quæris,
Eſſe Deum credat: moriatur namque neceſſe eſt,
Qui ſe defunctis adjudicat. Eſt tibi, Victor,
De Jove, vel reliquis dubitatio quælibet? Una,
Victor ait, tantùm: Cur effigies dare poſſunt * * *al.* poſſint
Supplicibus reſponſa ſuis? Nam quod deſtatis
Nil habeant penitus, facili ratione probaſti.
18 Donatus dixit: Res, de qua conſulis, *præcipuiſque*
hæc eſt
Humani generis deceptio, perniciesque.
Unde quòd emergat, rationes ſi cupis *, edam. * *al.* capis
Has priùs in ſpecies quàm pontus, terra, poluſque
Exiſſent *, opifex rerum Deus arte ſuprema * * *al.* extarent
Compoſuit Cherubim, Seraphim, necnon aliorum * *al.* ſuperna
Agmina ſpirituum: quos inter condecoravit
Sic mirabiliùs, ſic & pretioſiùs unum,
Ejus ad ornatum reliqui quaſi veſtis ut eſſent,
Quæ pretioſa nimis tantorum gloria longè
Præcipuum faceret, cui non æquabilis eſſet.
Qui cùm ſic inter ſociorum caſtra niteret
Perſpicuè, ſtellas velut inter luna minores, F
Mox Majeſtati divinæ, quâ fuerat tunc
Inferior tantùm, ſimilem ſe poſſe putavit
Atque parem fieri. Sed quid latet Omnipotentem?
Dum cupit hæc, cecidit, ſecum dejectus & ordo
Nequitiæ fuit ejuſdem: genus unde Creator
Protinus humanum finxit rellure madenti,
Cui patriam, decus, & lucem præberet eorum:
Id quoque militiæ bonitatis amore ligatæ
Æquandum numero decrevit prole futura.
Principioque virum cum conjuge protulit orbi,
Et poſuit mediis paradiſi in fructibus, illi * * *al.* illis
Mandans: Ex omni paradiſi veſcere ligno,
De ligno verò ne mande bonique malique,
In quo conſiſtit nocitura ſcientia vitæ;
Mortis & intentans pœnam, ſi fortè fuiſſet
Hæc tranſgreſſus homo. Sed apoſtata ſpiritus ille
Vidit, & invidit, doluitque, quòd unde ſuperbus
Decidit, humano generi locus ille daretur.
19 Tunc oculis Evæ dirum ſe vertit in anguem, *fidei Chriſtianæ capitibus,*
Arboris & vetitæ jejunia ſolvere fructu,
(Res erat hæc etenim pulcherrima) ſuaſit; & illa
Decepit decepta virum: mox deliciarum
Cum conſorte loco caruit, vitamque perennem,
Qui

A Qui * fruiturus erat felix, niſi culpa fuiſſet
*al. quâ Præcepti, pœnæ, vel muneris immemor, idem
Perdidit, & mundo regioni mortis adhæſit.
Hoc ita confuſo, lamentum, mœror, & angor,
Et dolor, obtrectatio, deſperatio, luctus,
Ærumna, angor, ſollicitudo, moleſtia, languor,
Et metus, atque pudor, pavor, exanimatio, terror,
Ira, libido, odium, diſcordia, ſi qua vel hujus
Sunt generis, genus omne ſuum cepêre: priuſque
Poſt protoplaſti delictum peſtifer egit
Angelus immenſum facinus livoris iniqui,
Perderet ut frater fratrem. Scelus inde nefaſque,
Crimen, & omne malum Domino cælique ſolique
Inviſum docuit populos, tantumque ſubegit
Hos, ut adorarent, ſpreto Factore, creata,
Aëra ſcilicet, & terram, pontumque, polumque,
Ignem, ſydera, ſtellas, fontes, flumina, ventos,
Et nemora, & lapides, immania monſtra ferarum,
B Vel quidquid ſolvi poterat: ſtatuaſque deorum,
Per quas deceptis reſponſa nociva referret,
Inſtituit, juſſitque coli, ſic impulit illos
In barathrum mortis, quo ſe miſer excruciandum
Noverat æternùm. Fuit hoc miſerabile cunctis
Jus mortalibus impoſitum, dum Cunctipotentis
Filius, humanæ ſumma pietate ruinæ
Compatiens, mirabiliter de Virgine carnem
Sumpſit, & effuſo precioſo ſanguine priſcum
Solvit delictum, culmen credentibus atque
Præbuit, unde priùs primi cecidêre parentes.
20 Hinc eſt, quod ſathanas doctiſſimus arte nocendi,
ad fidem convertitur: capiuntur Sancti ab aliis. Nam nec momento deſiſtit perditus uno
Exercere nefas: regeſque, duceſque, tribunos
Chriſtum confeſſis multos facit eſſe tyrannos,
Ut pereat ſecura fides, quam ſæpe doloris
Interituſque ſui cauſam videt eſſe ſecundi.
Hic tuus, ô Victor, Jovis eſt, Saturnus, Apollo,
*al. Cyrthæa Hic Cirrhæa * y quidem ſecreta retexit, & iſte
*al. ignavum Anſeris horrendâ Capitolia voce tuentis
*al. ſervire Ignarum numen, peiores utpote cunctis
Gentibus, edocuit dominos ſervare * Quirites z.
Nunc age, ne cæcus furor hic te perdat & error
Tantis ſuppliciis, ex toto corde fatere
y Eſſe Deum Chriſtum, ſacroque renaſcere fonte.
z C Victor ut à cuncto Fratrum pia dicta ſenatu
Hæc ſenſit, cum militibus divina ſalutis
Perpetuæ lætus ſuſcepit munera. Longo
Cúmque moram vetitam feciſſent tempore, plures,
Qui caperent illos, præfectus miſit, & omnes
Compedibus nexos Carthaginis arce retruſit.

ANNOTATA.

a *Capitolium, arx Romana, ſtructum erat in monte Tarpeio. Hinc Jupiter, qui templum ibi habebat, à Romanis vocabatur* Tarpeius *& Capitolinus.*

b Barcha *cognomen erat nobiliſſimæ apud Carthaginenſes familiæ, ex qua* Annibal *oriundus fuit. Hinc* Barchina propago *Annibalem deſignat, qui viâ Latinâ cum agmine ad Urbem acceſſit, dum Romani obſidebant Capuam, prout Livius narrat lib. 6 Decadis 3.*

c Præfectus Urbis *impropriè vocatur; nam ſub imperio Diocletiani & Maximiani nullus inter Urbis præfectos recenſetur Valerianus; nec præfectus dicitur in Actis præcedentibus.* A. ALFANO ARCHIEPISC. E

d Janus *antiquiſſimus fuit Italiæ rex, inter deos cultus à Romanis, qui bifrontem pingebant:* Templum habuit Romæ ad infimum Argileium à Numa Pompilio poſitum, quod tempore belli patebat, tempore pacis claudebatur: unde Patuleius (*à patendo*) & Cluſius (*à claudendo*) cognominabatur, *inquit Carolus Stephanus in Dictionario.*

e Ariſteus *filius dicitur Apollinis & Cyrenes, & educatus à nymphis. Minùs quidem famoſus eſt inter fictitia gentilium numina, iis tamen eſt adſcriptus, cultuſque ut talis à variis. Multa de Ariſteo dabit Dictionarium Morerii recuſum auctumque anno* 1740, *ubi dicitur etiam vocari* Nomius, Agreus, *& apud Virgilium* Arcadius.

f Priapus *filius dicitur Liberi patris & Veneris, hortorumque habitus eſt deus,*

g Sylvanum *aut* Pana *deſignat, campeſtres gentilium deos; qualis etiam eſt* Faunus, *qui* ſemicaper *vocatur, quia depingitur parte inferiore ut caper. Hi ſemi-dei aliàs* Satyri *dicuntur à Latinis.*

h Titan *Cœli & Veſtæ filius, ac frater Saturni, inter gentilium deos numeratus fuit. Aliquando pro ſole ſumitur à poëtis.*

i Orcus *inferorum deus erat paganis, & pro ipſo etiam inferno ſumitur.*

k Falcifer *Saturnum deſignat, Cœli filium, Jovis, Neptuni & Plutonis patrem. De eo multa finxerunt poëtæ, ex quibus aliqua perſtringit inferiùs.*

l Bacchus *vini inventor dicitur & deus ebrietatis habebatur.*

m Venus *dea erat amorum & voluptatum;* Ceres *verò frugum inventrix & dea. De his omnibus ferè diis turpiſſima ſcelera narrarunt ipſi gentiles.*

n Tuſcus amnis *Tiberim deſignat:* Hic non Latium ſolùm, ſed Sabinorum etiam agrum, & Umbriam cis Apenninum, ab Etruria, quam dexterâ ripâ tangit, ſeparat; *inquit Cellarius tom. 1 pag.* 399. *Idem de Latio pag.* 497 *hæc ſcribit:* Latium Latinorum regionem ſonat; quæ initio anguſtis admodùm finibus circumſcripta erat, acceſſionibus poſtea ex variis gentibus ſucceſſu crevit temporis. A latendo nomen deducunt, quòd Saturnus, arma Jovis fugiens, in has oras delatus, & hominibus in reipublicæ formam compoſitis, Latium eam regionem, ut Virgilius lib. VIII, verſ. 322 tradit, voluerit vocari; F

. . . his quoniam latuiſſet tutus in oris.

o *Bacchus Indos perdomuit, indeque inter deos gentilium relatus videtur. An autem omnes hîc enumerati dii fictitii çoli ſint cœpti locis aſſignatis, non inquiro. Id certum, omnes fœda adulatione ad fictitiam divinitatem evectos, multiſque locis aliis ſic cultos.*

p Creta, *nunc vulgò* Candia, *inſula eſt maris Mediterranei in introitu Ægei maris, quod modò* Archipelagus *paſſim dicitur. Jupiter in illa inſula natus illiuſque rex fuiſſe dicitur: quin & ſepulcrum ejus ibidem oſtenditur.*

q *Altera hæc eſt inſula Mediterranei in ſinu Iſſico inter Ciliciam & Syriam ſita, in qua Venus potiſſimùm colebatur à paganis.*

r Delphi *civitas erat in Phocide Græciæ provincia juxta montem Parnaſſum. Famoſiſſimum ibi templum habebat Apollo, ſeu Phœbus, qui inde* Delphicus *cognominabatur.*

A. ALFANO ARCHIEPISC.

s Samus, *aliàs* Same, *& jam olim, ut nunc* Cephalenia, *insula est mediocris Græciæ in mari Ionio. Verùm alia* Samus *hîc designatur hodieque* Samo *dicta, quæ est insula Asiæ Minoris Epheso objecta, ubi Juno præcipuè colebatur.*

t Troia, *aliàs* Ilium, *urbs est decennali obsidione celebris in Troade seu Phrygia minore Asiæ minoris provincia. At non invenio Martem ibi præcipuo in honore fuisse, sed Minervam potiùs, ita ut suspicio esse possit auctorem dixisse*, Troia Minervam.

u Lindus *urbs est in insula Rhodo, quæ nomen suum huc usque retinuit. Herculem miro modo,* nempe maledictis & execrationibus *ibi cultum fuisse. Scribit Lactantius lib. 1 cap. 21, num. 31, sacrilegique istius cultûs rationem subdit.*

x *Audi eumdem Lactantium lib. 1, cap. 15 de Romulo & Julio Cæsare inter deos relatis :* Apud Romanos deus Julius, quia hoc scelerato homini placuit Antonio; deus Quirinus, quia hoc pastoribus visum est; cùm alter gemini fratris (*Remi*) exstiterit, alter patriæ parricida. *Plura addit de his, multaque similiter scribit de*
B *aliorum sceleribus fictitiaque divinitate, quæ videri ibi possunt.*

y Cirrha *urbs est Phocidis vicina Delphis, adeoque & templo Apollinis, in quo dæmon oracula dabat. Hinc per* Cirrhea secreta *haud dubiè intelligit Delphica oracula.*

z *Perstringit poëta historiam, relatam à Livio lib. 5 decadis 1, aliisque scriptoribus, quam paucis accipe. Cùm Galli urbem Romanam cepissent, ad arcem seu Capitolium se receperat juventus Romana, ibique cingebatur Gallorum obsidione. Dum verò negligentiùs custodias agerent Romani, Galli* tanto silentio in summum evasêre, ut non custodes solùm fallerent, sed ne canes quidem, solicitum animal ad nocturnos strepitus, excitarent. Anseres non fefellêre, quibus sacris Junoni in summa inopia cibi tamen abstinebant (*Romani.*) Quæ res saluti fuit: namque clangore eorum alarumque crepitu excitus M. Manlius, ... armis arreptis, simul ad arma ceteros ciens, vadit, & dum ceteri trepidant, Gallum, qui jam in summo constiterat, umbone ictum deturbat, *ut habet Livius, aliorum, qui ascenderant, cladem subnectens. Ait*
C *ergo poëta, à dæmone doctos voce anseris Romanos servare deum, Jovem, opinor, qui templum habebat in Capitolio.*

CAPUT III.

Sancti ad præfectum ducti, interrogati, cruciati, in carcerem detrusi, vinculisque ab angelo soluti: iter ex Africa in Siciliam, ac tempestas Sanctorum precibus sedata.

Valerianus rationibus & minis Sanctos aggreditur;

JAmque dies alius comitantes ocia somnos
Expulerat, roseis solaris stella quadrigis
Ibat in excelsum, sibi cùm jubet ante tribunal
Adduci Sanctos acer præfectus, eosque
Increpat his verbis: Summosque hominesque deosque
Jure quidem rebar studiis huc usque colendos D
Omnibus, irrita nec digitis incendere thura,
Vana nec orantem me solvere vota putabam.
Vos (ut comperimus) nisu quocumque valetis,
Exhibitos superis tot relligionis honores
Temporibus cunctis contemnitis, effeque nusquam,
Nescio quo pacto tamen, hos impunè probatis.
O quoties quoties esset mihi cultus inanis
Victima perniciem, sed non latura salutem!
Talibus ipse fidem forsan nugis adhiberem
Ni Jovis auxiliis mundus confideret omnis
Illius & nutu Romana potentia semper
Mitteret indomitas sub fortia fœdera gentes.
Sed vos obtestor per cæli numina, qui nunc
Orbis ad exitium scelus hoc defenditis, unde
Improba tam dirum primùm mens ista venenum
Hausit, & Herculei fœdum plus sanguine monstri?
O pietas innata deis, quæ sola furentes
Blasphemosque reos non mortis damna ferendo
Perdit, sed patria tantùm bonitate monendo
Suffert: nam meritò vos jam palus illa teneret, E
Quæ negat ascensus inferna petentibus umbris,
Si quemquam superis hæc ob maledicta placeret
Perdere. Denique nos, quibus est injuria nulla
Auribus iratis non admittenda deorum,
Dignos suppliciis decernimus omnibus illos,
Qui contra patrias leges pia sacra refutant.
Sacrificate deis, cesset vesania vestra
Ultrà divinos animis audacibus, auxit
Quos dominus cæsar terrarum, solvere * cultus. * *i. e.* abolere
Sin aliter, per cæsaream tormenta salutem
Præcipites acerrima vos sub tartara mergent.
Maximus hic furor est, insania maxima, crimen
Grande, sceluisque novum, cælestia numina cuidam
In cruce crudeli postponere morte perempto.
22 Finierat. Retulit Donatus verba quieto *illi constanter & libere respondet pro cunctis Donatus:*
Pectore, corde pio, facie vultuque sereno,
Fratribus adnitentibus; O Præfecte, refelli
Quàm facilè possis, conflictus hic ipse docebit.
Sacra deis vestris numquam facimus, neque thura
His incendimus: hunc propriis infundat amorem
Supplicibus, quibus auxilium Tarpeius opemque
Fert Jovis ille suam, solito qui fulmine rupem
Terret: non odium nobis valet ejus obesse,
Non amor ipse quidem, non trux valet ira timorem F
Addere: si qua tibi vis est, licet experiaris,
Utrùm dæmonibus possit plebs cedere * Christi. * *al.* credere
Sed volumus te nosse, quòd hoc certamine cuncti
Possumus occidi, vinci non possumus; & quòd
Defunctus nostrûm fuerit quicumque, superstes
Fortior apparebit, erit victoria nostra,
Virtus nostra, vigor noster, nostrumque tropeum
Crux Christi, quod polluto scelus ore vocasti.
23 Infremuit præfectus ad hæc. Tunc mandat *Sancti fustibus cæsi includuntur carceri, ubi eorum vincula rumpit angelus:*
in omnes
Fustibus hos animadverti. Constanter ad ictus
Corpora multiplices tenduntur sacra, cutisque
Scinditur, atteritur caro, sanguis defluit, ossa
Franguntur, nudantur viscera; spesque, fidesque;
Et dilectio sola manent, quæ tam cruciatus
Immanes superant. Tantùm sunt dulcia Christi
Præmia militibus. Post ista pericula tetro
Carceris & diro Sancti religantur in antro,
Ut regi, si res sinat, omnes Maximiano
Repræsententur: media cùm nocte repentè

Cælesti

A Cæleſti fulſit cuſtodia lumine, quod non
Lumina cuſtodum valuerunt ferre, ſed unus
Ex his, dum ſtudioſiùs intendit, profitetur
Amiſiſſe ſuum: factumque ſtupentibus ipſis;
Angelus in tantis fulgens ſplendoribus inquit:
Miſit me Dominus diſſolvere vincula veſtra.
Dixerat, & ſubitò, quibus arctabantur eorum
Colla manuſque, pedes, ruptæ cecidêre catenæ.
24 His mirabilibus Carthago ſuperba movetur,
Valerianus ſtatuit Sanctos tranſvehere in Italiam,
Exultat populus, collaudat & omnipotentis
Chriſti virtutem, Sanctos veneratur: iniquum,
Immanem, fævum, violentum, carnificemque
Dicit præfectum, cujus furor impietatum
Tranſcendit metas, humanæ rupit & ipſa
Fœdera naturæ, quem mentis non pudor ullus
A ſcelerum tanto valuit revocare reatu.
Senſerat attonitus populari voce tyrannus
Civibus execrabile factum diſplicuiſſe,
* *al.* mentibus Mœnibus * atque viris illuſtrem fortibus urbem
Conjurare timet *a*, vel, quod ſolet ipſa, rebellis
a Ne fiat, ne plus noceat, ne denique contrà
Arma furor reparet: timido tum pectore curas
B Colligit ingentes, & ſecum mente volutat,
Quid ſit opus facto, nec eum ſuffragia poſſunt
Ulla fugam præter causâ quâcumque tueri.
25 Noctis ad ingreſſum navem de littore ſolvi
eoſque navi imponit: dum autem gravis orta eſſet tempeſtas,
Secretò jubet; & * trucius dubium variumque
Carpit iter pelagi, nocturna ſilentia rixæ
Eripuêre metus, & cujus luce potiri
Non potuit, tandem tenebroſo * tempore ſumpſit
* *al.* at
* *al.* ex tenebroſo
Noctis amicus opem: nullum formidinis ultra
Stare locum reputavit amens; ſed perdere facta
Intrepidus ſævis devovit corpora pœnis.
Proſpera gaviſi, ſicut rebantur, in altum
Vela dabant nautæ, procul & Carthaginis altæ
Mœnibus abducti gratam tribuêre quietem
Corporibus feſſis: ſubitò cùm turbidus auſter
Aëra concutiens rutilantia luce ſerenâ
Sydera condenſis & nubibus abdidit atris:
Flatibus horriſonis vaſti maris unda procellis
Intumuit. Trepidæ navis tunc rector in omnes
Clamat, ut evigilent, pelagique protervia, monſtrat,
Quanta paret, totumque polum zephyriſque nothiſque,
C Et mare confuſum, neſcit qua parte carinam
Obvertat: ferit hanc contrarius undique ventus.
b Enſifer Orion *b*, ſidus trepidabile nautis,
Solus habet cœlum, dux quæ ſolet eſſe viarum
c Congrua, temonis *c* non lucet ſtella minoris.
Omnibus efficitur momentis fævior ira
Ponti: puppe, ſimul prorâ dextrâque ſiniſtrâ
Intrat parte fretum, deſperat quiſque ſalutis
Auxilium. Jam præfectum ſuprema minantem
Pœnitet aufugii, ſuperos acherontaque poſcit;
Votaque decernit non proficientia quidquam.
26 Vertitur ad Sanctos, ſi fortè juvamina ferre
opem Sanctorum implorat Valerianus,
Poſſent in tanto caſu: tandem vocat omnes
Nominibus Fratres, rogat hos; oratque ſuperna,
Quam profitebantur, virtute fugare procellas.
Cui mox arcano ſic reddunt pectore voces
Donatus Felixque ſacras: Præfecte, nocentem
Si te numinibus, quæ cunctis excolis horis,
Omne ſcelus faceret, non plus irata nocere
Deberent meritò tibi, quàm tot mortibus ultrà:
Nec dici fas eſt, ut juſti quidlibet in ſe
Obtineant, operantibus illis ſi modò credas
Eveniſſe nefas tantum: ſed credere quemquam
Mente quidem ſanum nequaquam poſſe putamus,
Ut bona vel mala, quæ non ſunt, tua numina præſtent. A. ALFANÖ ARCHIEPISC.
Ergo ſuperſtitioſa nimis cultura recedat
Prorſus, & à ſolito læſum libamine pectus
Fac cures, Chriſtumque colas; ſimulacra refutes,
Ut quòd te pudeat quæ dæmonis arte maligna
Feceris, hinc certè maris indignatio ceſſet.
27 Et præfectus ad hæc: Mihi res hæc juſta videtur, *promittens ſe convertendum; Sanctiſque orantibus*
Numen adorari, quod tanta pericula ſolvit:
Nec tam prava mihi mens eſt, nec dira voluntas,
Ut cujus fuero liber virtutibus; illi
Ingratus fiam. Tantùm ne corpora noſtra
In tumulis tumulare ſuis mare poſſit iniquum,
Scilicet horrendo ne bellua quælibet ore
Sorbeat, efficito precibus. Sic fatur: at illi
Protinus incipiunt aures pulſare Tonantis
Vocibus his: Elementorum dominator & author
Chriſte Deus, cui tam pelagi, quàm cætera rerum
Inclinat natura caput, quæ prodere numquam
Præter te potuit, proprias nec condere vires, E
Has ponti depelle minas, non juſta tyrannum
Ultio, tot miſeros non inſipientia mergat,
Quamvis hoc meruiſſe ſuo pro crimine certum
Sit, tamen his emptis pretio majore cruoris
Ut faveas inſtare licet, tu fons pietatis,
Spes ſolaminis, auxilii fiducia, vitæ
Subſidium, portus requiëi, ſemita pacis;
Irradia miſeris, pereuntibus auxiliare,
Erige labentes, mergentes excipe, ſicut
Quondam diſcipulos his caſibus interituros.
28 Talibus in dictis condentia nubila cœlum *placatur mare, ſed non convertitur tyrannus, qui in Sicilia novis eos tentat blandiiis.*
Diſcedunt, ultrà nec tangere fluctibus audet
Æquoris ira ratem: leni componitur aura
Tunc facies pelagi, tumidi maris unda paludis
Efficitur ſtagnum. Jam fletus omnis amaros
Navita compeſcit, gaudetque timore fugato,
Se nimis horrendæ mortis fugiſſe ruinam
Sanctorum meritis, multique repentè ſecuti
Sunt Chriſtum: ſolus mendaci * clamitat ore
* *al.* mordaci
Præfectus, virtute Jovis pacata videri
Æquora, ſeque Jovis tantùm munimine tutum,
Atque reſervatum patriæ, concivibus, aris.
Acta ratis velo, juvenum validiſque lacertis,
Felici curſu Siculis allabitur oris: F
Præcipitis memores fluctûs, mirabile ducunt
Heſperiæ *d* tetigiſſe ſolum, littuſque tenentes *d*
Optata potiuntur humo, ſpatiantur arenâ.
Inde venenatis tentat configere telis
Alloquii præfectus amens penetralia caſta
Sanctorum, ſtabili promittens fœdere, tantùm
Sacrificare Jovi placeat, fore ſemper amicos
Cæſaris, auctos divitiis, & honoribus illis,
Quos novit patribus Romanis ferre ſenatus.
Nil agis, ô præfecte, putas corrumpere verbis,
Quos nôris pœnis nullis potuiſſe moveri.
Inconcuſſa fides non excutietur ab illis
Verborum phaleris, quàm nec mucro removebit,
Cùm cervicibus inſtiterit vibratus eorum.

ANNOTATA.

a *Non eſt veriſimile, Sanctos in Italiam ductos, quia conjurationem timebat Valerianus; quod alia Acta non habent; ſed dicunt id factum, ne plures converterentur Carthagine. Cauſa præcipua tranſvehendi Sanctos in Italiam videtur fuiſſe mandatum imperatoris. Potuit tamen converſio quorumdam occaſionem præbere, ut id fieret citius.*

b De

A. ALFANO ARCHIEPISC.

b *De Orione in Dictionario ſuo ait Carolus Stephanus:* Creditur hoc ſidus ex ortu ſuo maximas concitare tempeſtates.

c *Stellam polarem deſignat, quæ nautas ſolet dirigere. Sidus autem, cujus eſt hæc ſtella, dicitur* Urſa minor, *vel* plauſtrum minus, *poſitaque ſtella polaris in cauda urſæ, ſeu in temone plauſtri.*

d *Jovardus hæc notat ad vocem Heſperiæ:* Promiſcuè pro Hiſpania & Italia à poëtis accipitur, ut apud Virgilium. Hîc verò Italiam ſignificare certum eſt, & Alphanus noſter Græcos imitari voluit, qui ſic Italiam vocant, eo quòd illis ſit ad Occaſum. *Imò* Siciliam *ſic vocavit Alfanus, niſi illam ſub Italia comprehendat.*

CAPUT IV.

Iter reliquum: martyrium Sanctorum variis locis conſummatum.

B

Iter ex Sicilia in Italiam:

Viribus hinc iterum nautæ pro tempore ſumptis,
Altiùs æquoreas trepidantes ire per undas
Proponunt, littus remis pulſare ſiniſtrum,
a Perque Syracuſios *a* portus, Catinoſque meando,
Meſſanos tandem, ventis ſpirantibus, intrant.
b Hincque renaſcenti tenebris Phaëthonte *b* repulſis,
c Regia *c* Lucanis urbs nobilitata colonis
Hos recipit: nec jam præfecto, credere ponto
Seque ſuoſque placet; via quæritur altera nulli
d Cognita navigio, tunc in Britiamque *d* Lucroſque *,
* *al.* Locroſque Quaque Cuſentinus ſuaves ager efflat odores
* *lege* itur Igitur * *e* præcipiti curſu: Scyllatia rura *f*,
e f Et mare Tyrrhenum, Calabroſque notantia *g*
g fines
Sanctorum ſenſêre pedes, ſenſêre catenas
Colla recurvantes gemmis meliora vel auro.

C

30 Extimuitque *h* duces Afrorum nomine priſco
Arontius cum tribus Fratribus Potentiæ, Drumentina Phalanx, forteſque Potentia *i* vidit
Atque triumphantes, diſtinguens Apula rura
A Calabris & Lucanis. Ubi verba tyrannus
h In faſto recitanda die, reticenda nefaſto *k*,
i Sede tribunali dicturus, quatuor ex his
k Officio citare jubet, qui ſic vocitati
Sunt, Arontius, Honoratus, Sabinianus,
Et Fortunatianus, quos convenit amicis
Dictis: O quoties monui vos cultibus uti,
Quos, ſua poſt ſuperos qui dat moderamina mundo,
Magnus amat Cæſar: ſi non inſania veſtram
Confundit mentem, vel nunc parete ſupremis
Thura cremando deis. Cui ſic Arontius inquit:
Ut diis ſacrificet noſtrûm quem torſeris, optat
Pro Chriſto plecti, quàm vivere pro ſimulacris.
31 Vix bene deſierat, reliqui cùm torva minanti
tres alii Venuſiæ, & tres Veliniani martyrio coronantur: Præfecto referunt: Aliud nil dicimus ultrà,
Nec facimus, quàm quod Fratris vox ſacra probavit.
Indignatus ad hæc veſana mente tyrannus;
l Hos jubet occidi quintæ *l* ſub luce diei
Ante Kalendas Septembris. Pòſt in Venuſinam Urbem, alia redeunte die, venit: hîc quoque D
fratres
Hi, Septiminus, Felix, Januariuſque,
Conſolidata ſibi fidei documenta tenentes,
Et manifeſtantes virtutum præmia Chriſti,
Cæduntur gladio ſub eadem luce. Recedens
Inde tyrannus Velinianum * tendit: ibique * *al.* Velimanum
Plenus quæſitis epulis terrâque marique,
Et vino, quod gemma capax aurumque ferebat,
Plus ſed adhuc ſitiens humani ſanguinis hauſtum,
Ante recumbentes allatos decapitari
Juſſit Vitalem, Satorum, Repoſitumque,
Virgine ſub quarto ſolem referente Kalendas.
32 Ultima lux magno finem poſitura labori, *Donatus & Felix adhuc ſuperſtites,*
Magnanimos ſummoſque Duces, & robora belli,
Ad quæſita diu poſcebat præmia, cæli
Regia ſigniferi reliquos exceperat omnes.
Congaudete polo celebres, quos celſa triumphis
Curia ſupremis inter ſua ſceptra locavit,
Patritios fecit, dictatoreſque creavit,
Non, Capitolina velut eſt in rupe ſtatutum,
Semeſtri ſpatio *m*, ſed tempore perpetuali. *m*
Nam neque divinis humana potentia rebus,
Nec honor æterno brevis eſt æquandus honori. E
Conſulis ad culmen tendentem cura ſenatûs,
Plebis & aſſenſus magnis, majoribus inde
Erigit officiis, intercurrentibus annis,
Et majeſtatis tantæ ſic præbet honorem,
Ut tamen hic ſolo non ampliùs imperet anno.
Egregius Chriſti miles ſemel omnia ſumit,
Omnia ſemper habet, prætoria jura, curules
Sedes, & ſummos apices: non temporis illi,
Non alius caſus, non jus, non ulla poteſtas
Auferet imperium, tanti ſunt quippe vigoris
Præmia perpetuis non deficientia gazis.
33 Evolat interea præfectus verſus Ecanam *Sentiani prope Ecanam in Apulia,*
Urbem, quam vulgus mutato nomine Troiam
Dicit, & in fundo quodam remoratur eundo.
Hujus erat fundi perpaucis auribus uſa
Fama priùs, ſed martyrio præſtante decorem,
Terrarum, quâ geſta ſonant, Sentianus ubique
Fertur, & eſt multis monumentum relligionis.
Hîc Donatus & alter Felix ſiſtere juſſi,
Hoſtiles bello confringere vindice * vires, * *al.* judice
Atque coronari, ſed non niſi ſanguine fuſo,
Exoptant: non terret eos crudele tyranni
Judicium, non & Phalaris *n* miſerabilis illa *n*
Pœna, nec ungula diſcerpens penetralia, ſed nec F
Anceps in jugulum gladius condendus: inane
Ducunt certamen, ſi ſeſe corpore nudo
Hoſtibus objectent: orbem quàm vincere, plus
eſt
His in agone mori: nôrunt ita namque coronas
Germanos meruiſſe ſuas. His inclyta Fratrum
Portio, quæ ſupereſt, Dominum firmata precatur:
Juſtitiæ, Deus omnipotens, & amator & author,
Conſcie votorum, pariles attende labores,
Fraterni placuêre tibi, placeant quoque noſtri,
Nec patiare tuo ſumpti pro nomine belli
Victores non eſſe: duces, te remige, Fratres
Quòd gratæ portum primi ſubiêre quietis,
Innumeras tibi nos agimus grates & habemus.
Hoc ſolum pietate tua concede, rogamus,
Ut quos una fides, affectus, ſanguis & uſus
Germanos fecit, meritum non ſeparet ullum.
34 Hæc inter præfectus eos accerſit, & ante *minis rurſum tentati,*
Armatas acies ſic increpat ore minaci:
Anne duces ſcelerum vos eſtis, ſollicitantes
Fraternos animos mortem præferre ſaluti?
Ergone tam dirum putat improba veſtra voluntas
Tot populos ſervire deis? Cenſetis & eſſe

Cæli-

A Cælicolis libare nefas, quod regna, quod urbes
Innumeræ faciunt? Jam nunc primordia veſtra
Quæ fuerint, res ipſa docet: peiora probabit
Infelicior eventus: mutate malignam
Mentem, perverſum ſimul & reprobabile ſcite
Præferri polluta ſacris: deſiſtite cœptis,
Pœniteatque negâſſe deos, dum tempus habetis
Mutandi votum: ſacros celebrate penates,
Si dici fas eſt, quos cæſar & orbis adorat,
Eſſe ſacros: aliter ſententia vos capitalis,
Ut reliquos, feriet. Sic fato fatur uterque,
Fiſus nulla ſibi contraria poſſe nocere:
A nobis monitî Fratres felicibus armis
Perfidiam vicêre tuam: nos turpe putamus
Cedere, qui ſemper ſocios inſtruximus hoſtem
Vincere: pro nihilo tua ducimus omnia dicta,
Teque tuoſque deos contemnimus, eſſe retruſos
Quos ſcimus barathro, non cœli ſede locatos.
Cæca tibi rabies obtutus cordis ademit,
Nec verum ſpectare ſinit: mendacia tantum,
Quæ ſemel admiſit tunc in puerilibus annis,
Servat adhuc pectus, quem non fortuna ſaporem,
Non valet ingenium, non immutare ſenectus.

B 35 Sed tamen hoc animi ſtudio, quòd * jura tueris
liberèque reſpondentes, In præfecturæ commiſſo munere, poſſes
* *forsè* quo Vel modicè tecum reputare *, ſceleſta deorum
* *al.* reputâſſe Geſta quid exhibeant. An non ibi furta leguntur?
Non & adulteriis maculata cubilia, ſcorta,
Jurgia, conflictus, perjuria, damna, rapinæ,
Inceſtus, rixæ? Pellex ibi filia matris;
Et pater eſt natæ conjux, fraterque ſororis.
Hi poſſent habitare polum, quos vilis inopſque
Urbs excluderet? Adde domicilium quibus ipſum
Dicuntur decorâſſe modis immanibus, omnis
* belluis *rectiùs* monſtris Atque feris plenus beluis * oſtenditur æther.
O decus occultum Tarpeium, qua ratione
Monſtrorum ſedes divina putabitur ædes?
o p Quis pecudis vellus *o*, quis taurum *p* parte latentem
q r ſ Dimidia, quis Tyndaridas *q*, Cancrumque *r*, Leonem *ſ*,
t u x Virginis & thalamum *t*, Chelas *u*, & Scorpion *x* atrum,
y Arcum *y* non umquam vacuum ſtridente ſagitta,
z aa Illic impoſuit? Capricornus *z*, Aquarius *aa*,
C atque
bb Piſces *bb* ſunt ibi: Serpens cum geminis micat Arctis:
Pegaſus, Eridanus, Centaurus, & Hydrus, & Argo
Illuſtrant cælum. Sunt hæc credenda peritis,
Et dominis terræ? Non vos fidei pudet hujus?
Cornigeros tua Roma deos, fallens ſecus undam
cc Fontis Aventini quos Numa *cc* ligavit *, adorat:
* *al.* nunc religavit Semicanemque virum colit, & phantaſmata cælo
Credit & eſſe docet, nolentes credere multis
Suppliciis lacerat: quàm perdita, quàm furioſa
Sit, præfecte, patet. Cur non reminiſcitur ejus,
Qui mare, qui terras ſibi contulit atque ſubegit,
Arbitrio curanda ſuo, qui principiorum
Eſt ortus ſine fine manens, qui protegit omnes
Invicta virtute ſuos, qui fortibus aulam
Cæleſtem confert, nox non ibi lumina condit,
* *lege* ſunt Non ſol iſte diem facit: at lua * omnia plena
Luce Creatoris, cujus recreantur odore,
Affectu gaudent, paſcuntur amore fideles.
36 Tunc præfectus eos, ferventi concitus ira,
torti denuò coronam adipiſcuntur. Suſpendi manibus juſſit poſt terga ligatis,
Torquerique diu clamantes: Sint tibi grates,
O Jeſu pie, qui nobis tormenta ferendi
Virtutem præbes. Inſtanti tempore noctis

Diſtulit immitis pœnis certare tyrannus,
Semineces nox una levat. Redeunte diei
Luce, cruenta deis libamina ferre jubentur.
Nolunt, nolentes deflectunt: colla minaci
Truncantur gladio, corpus mortale repellunt,
Mercedem ſumunt æternam. Taliter ambo
Septembris primo, cum ſole ruente ruerunt,
Victuri cum rege Deo, cum ſole perenni.
Tunc Marcus præſul venerabilis urbis Ecanæ *dd*, *dd*
Cum clero veniens, Sanctorum corpora noctu
Detulit, & pretii fundens opobalſama magni,
Atque peregrino peregrinis rebus odori
Permixtis ſtudio, ſolennibus & celebratis
Exequiis, eadem veluti res tanta petebat,
Mœnibus in propriis ſummo tumulavit honore *ee*. *ee*

A. ALFANO ARCHIEPISC.

ANNOTATA.

a *De urbibus Siciliæ hîc memoratis egimus aa Vitam præcedentem, totumque Sanctorum iter diſcuſſimus in Commentario* § 4.

b *Phaëton, qui Phœbi filius, pro Phœbo aut ſole ponitur ab Alfano, uti etiam apud Virgilium:* Auroram Phaëtontis equi jam luce vehebant. *Jovardus hîc edidit* Fetonte.

c Regia urbs *Rhegium denotat. Lucanis dicitur nobilitata colonis, opinor, quia Brutii omnes ex Lucanis originem traxerunt, ut probat Orlendius part.* 2 *Orbis ſacri & profani, lib.* 4, *cap.* 34 *num.* 4.

d *Apud Surium & Lipomanum*, Imbritiamque. *Hinc Baudrandus Geographiæ ſuæ inſeruit ſequentia:* IMBRITIA, locus Italiæ in magna Græcia, cujus fit mentio apud Alphanum Salernitanum in Vita duodecim Fratrum martyrum. *Verum exiſtimo nullibi exſtitiſſe* Imbritiam, *legendumque cum Jovardo* in Britiam *vel* Brutiam: *nam Brutiorum ager medio ævo etiam* Brutia *reperitur dictus, uti etiamnum vocatur ab Orlendio. Sic in Vita præcedenti* terram Britianorum *ingreſſi dicuntur.*

e *Surius & Lipomanus* linquunt, *Jovardus* igitur *ediderunt, omnes mendosè, quantum conjicio.* Igitur *pro* itur *poſitum exiſtimo errore typographico, cùm carmini congruat.* Linquunt *verò ſenſum reddit imperfectum, niſi* Imbritiam *pro loco accipias, quod fieri veriſimiliter nequit, cùm Alfanus in locis itineris deſignandis ſecutus ſit Vitam præcedentem.*

f *Scyllacium pertranſierant, priuſquam venirent Conſentiam, ſeu in agrum Cuſentinum. Porrò interpunctiones omnium editionum hîc mutandæ fuerunt, ut ſenſus cohæreret.*

g *Per rura* notantia *mare Tyrrhenum & fines Calabros, deſignat poëta Lucaniam, quæ partim ad Occidentem, partim ad Auſtrum habet mare Tyrrhenum, ad Orientem verò etiam antiquam Calabriam, prout ea ab hoc ſcriptore extenditur in Apuliam Peucetiam. Sic autem antiquam Calabriam, quæ etiam* Meſſapia *dicebatur, extendi ab Alfano, patet ex verſibus mox ſequentibus, ubi ait:* Potentia . . . diſtinguens Apula rura à Calabris & Lucanis. *Sic Frontinus, teſte Cellario in Geographia antiqua tom.* 1 *pag.* 570, *extremo libello de Coloniis agrum Genuſinum, qui aliàs in Apulia collocatur, Calabriæ attribuit, uti & Egnatiam, ita ut poëta noſter facilè excuſari poſſit, ſi nimis protulerit antiquæ Calabriæ fines. De hiſce conſuli poteſt laudatus Cellarius à pag.* 571, *ubi videbis eam vehementer differre à Calabria hodierna, & nihil cum ea habere commune.*

A. ALFANO ARCHIEPISC.

h Extimuit *reperitur in omnibus editionibus, at mendosè, opinor, cum phrasis non satis cohæreat. Suspicor ergo poëtam scripsisse*, Exhibuitque, *id est, repræsentavit* Drumentina Phalanx (*Fratres duodecim Adrumetini*) *duces antiquos Afrorum.*

i *Potentia erit ferè in confiniis Lucaniæ, cui includitur, Apuliæ & Calabriæ, si Calabria eò usque extendatur in Peucetios, ut & agrum Genusinum includat, uti extendi à Frontino jam diximus.*

k Dies fasti *erant Romanis, quibus judicia administrabantur*, nefasti *vero, quibus id erat vetitum.*

l *Omnia alia Acta notant 6 Kalendas Septembris, ut notavimus in Comm. num. 28, ubi & aliorum deinde dies emortualis assignatus est.*

m *Dictatores in republica Romana, uti solùm solebant creari in magnis periculis, sic dictaturam continuare non sinebantur ultra sex menses, ne suprema, quâ erant insigniti, abuterentur potestate. Consules verò, qui duo creabantur quotannis, & prætores his inferiores, per annum continuabant imperium, ut mox dicet.*

B n *Phalaris fuit sævissimus Agrigentinorum tyrannus, qui taurum habebat aneum, in quo inclusos homines subjecto igne torrebat, ut bovis mugitum ederent, suo demum supplicio affectus à populo.*

o *Hìc enumerare incipit præcipua sidera, quæ cælo illata fabulantur poëtæ, ac primò quidem duodecim Zodiaci signa, quæ sunt* Aries, *designatus per voces* pecudis vellus, *quia aureo vellere insignis ad cælum translatus fingitur.*

p Taurus *secundum est Zodiaci signum. Fingitur item à Jove cælo illatus.*

q Gemini *tertium est signum, Castor nimirum & Pollux, aliàs* Tyndaridæ *dicti, de quibus multa fabulantur.*

r *Quartum signum est* Cancer, *quem occisum ab Hercule, à Junone verò in cælo collocatum commenti sunt.*

s Leo *quintum signum. Leonem ab Hercule quoque cæsum, & cælo adscriptum à Jove finxerunt.*

C t Virgo *sextum signum. Alii hanc Erigonen Icari filiam dixerunt, alii Astræam justitiæ deam, utrique fabulosè.*

u *Septimum signum olim* Chelæ *dictum fuit, nunc* Libra *passim vocatur, fingunt libram hanc esse Astrææ.*

x Scorpius *signum est octavum. In cælo locatum à Jove fabulati sunt, quia Orionem occiderat.*

y Sagittarius *indicatur nonum signum. Hunc alii Chironem centaurum, alii Crocum filium Euphemes nutricis Musarum putaverunt, aut potiùs credi voluerunt, atque à Jove in cælo constitutum.*

z Capricornus *decimum est signum.* Hunc, *inquit Carolus Stephanus*, Pana fuisse nonnulli existimant, qui in Ægypto repentino adventu Typhonis gigantis perterritus, posteriorem sui partem in piscis caudam, priorem in formam hirci commutavit: cujus ingenium admiratus Jupiter figuram in cælum dicitur transtulisse.

aa Aquarius *undecimum est signum. Ganymedem hunc esse fabulantur, quem Jupiter raptum per aquilam ad cælum transtulerit.*

bb Pisces *demum duodecimum est signum Zodiaci. Hosce cælo illatos fingunt à Venere, quam illi scilicet cum Cupidine trans Euphratem vexerant, dum fugiebant Typhonem gigantem. Hæc duodecim signa comprehenduntur istis versiculis:* D

Sunt Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo,
Libraque, Scorpius, Arcitenens *, caper *, Amphora *, Pisces.

* *i. e.* Sagittarius
* *i. e.* Capricornus
* *i. e.* Aquarius

Sidera item sunt, sed extra Zodiacum posita, quæ mox sequuntur, nimirum Serpens, & Ursa major & minor (*Græcis* Arcti) Pegasus, Eridanus, Centaurus, Hydrus & Argo, *de quibus similia fabulati sunt poetæ. At abunde de his fabulis egimus, ut earum absurditas pateat.*

cc Numa Pompilius *secundus fuit rex Romanorum, quos multis superstitionibus ac ritibus idololatricis erudivit. De eo agit Plutarchus in Viris illustribus, & Livius Decadis 1 lib. 1 impostura Numæ satis clare fatetur, dum hæc scribit:* Omnium primùm rem ad multitudinem imperitam, & illis seculis rudem, efficacissimam, deorum metum injiciendum ratus est: qui cum descendere ad animos sine aliquo commento miraculi non posset, simulat sibi cum dea Ægeria congressus nocturnos esse: ejus se monitu, quæ acceptissima diis essent, sacra instituere *&c. Locum assignat Alexander Donatus lib. 3 de Urbe Roma, cap. 13, ubi agit de monte Aventino, scribens sequentia:* Porro Elicii Jovis ara (*quam Numa condidit ad auguria* elicienda, *teste Livio citato*) ad radices Aventini non longè a Tiberi fortasse fuit; ubi fons in antro, & circumposita silva. Fons Egeriæ nymphæ credebatur esse; cum qua sermones nocturnos, ut rudi ac bellico populo religionem injiceret, simulavit. E

dd *Consule dicta ad Acta præcedentia lit. o.*

ee *Huc usque Surius & Lipomanus, qui corporum translationem non ediderunt. Jovardus solus hanc edidit ex eodem codice, sed præmittit duos hosce versiculos:*

Explicit hìc ista Sanctorum Passio scripta;
Metrica completur, prosayca jure sequetur.

Hi versus ejusdem auctoris non sunt, uti nec duo hi, quos translationi postposuit.

Hìc bis senorum patefit translatio Fratrum:
Metrica completur: prosayca jure sequetur.

Alfani non esse, satis patet ex diversitate litterarum, quibus erant scripti. Audi observationem Jovardi: Hi duo versus afteriscо notati rubris minio litteris leguntur, sicut & alii, quos in fine carminis rejecimus, . . . licèt in codice carminis secundi initio præponantur. F

TRANSLATIO

auctore incerto

Ex editione Jovardi.

NAm * sacra temporibus Sanctorum corpora multis
Diversis jacuere locis, ubi cuique severi
Judicii censura modum, finemque laboris
Imposuit, mansitque diu celata talenti
Gratia divini: latuit quoque maxima parvis
Hostia sub tumulis habilis cælestibus aris.
Munus opima tuo Benevento Sampnia *a* tantum
Principis ingenium, ducis & sollertia summi
Contulit Arechis radiis, quibus ipsa diei
Maternam stabili fuscat modò lumine lucem:

* *Arechis princeps piissimus,* * *al. rectiùs* sic

a

Nunc

A Nunc veræ virtutis iter, cùm prima rigoris
Obice pubertas puerilis ſiſteret actus
Aggreſſum : non ſplendor opum, non illa retraxit
Regia libertas, tantæ cui nulla timenti
Res etiam vitio : ſcilicet ſervator honeſti
Juſtitiæque fuit, quibus haud modò relligionem
Artibus obtinuit, verùm decoravit & auxit
Res Beneventanas, ut ad utraque commoda natum
Planè conſtaret. Concivem denique cives
Non dominum ſenſêre ſui, quem corporis ingens
* *l.* vis Vix * animique novo fario *b* titulaverat hoſti.
b His igitur patriam, cumulandi cujus honoris *c*
c Sæpe laborabat, ne gentis gemma Latinæ
Quolibet impulſu rueret concuſſa, dicare
Martyribus ſtatuit ; multumque referre putavit
Illius, atque ſuâ, ſi talibus ipſa patronis
Commiſſi veteris lapſus commiſſa piaret,
Atque futura feri ſecurâ mente draconis
Illita mortifero vitaret tela veneno.

B *Sanctorum corpora, exultante multaque munera donante populo,* 38 Quærit ab Apuliâ, quâ noverat eſſe legendo,
Relliquias Procerum *, ſuperet quod & omne tributum,
Expoſcit cenſus, quantùm provincia poſſet,
Hæc perrare *d*, ſuis ſi viribus uſa negaret
* *i. e.* Sanctorum Has merces, ferretque duci quodcumque juberet.
d Id præter mœrens Sanctos exponit, & offert
Omnes invitis manibus, claudente locello
Unumquemque ſuo. Sonat altis vocibus omne,
Unde feruntur, iter : ruit obvia Sampnia tota,
Et Beneventanis quæcumque ſubacta triumphis
Senſerat, ut mundi fieri concurſus ab omni
Parte putaretur, ſpatium nec grande viarum
Decurſum potuit populum avertere votis,
Et ſegni laſſare morâ, ne prætereuntes
Heroas comitarentur, donec ſpecioſæ
Jureque felicis ſtarent pro mœnibus urbis,
Unde ſenes, & anus, juvenes, puerique, puellæ
Procedunt ſimul, ingentes his ad referendum
Principibus grates ; ibi laus, ibi gloria, regni
Denique totius exultatio : quiſque ſuarum
Pro modulo rerum largitur munera ; multi
e Teſtibus inſcriptis legali more tabellis *e*,
Ulnis ut liceat patriæ deferre Patronos,
Dant patrimonia, promittunt ſua quæque futura.

C *Beneventum transfert, locatque in eccleſia S. Sophiæ, quam ædificaverat :* 39 Arechis princeps aliorum vincere munus,
Jus quod erat, cupiens, deſcriptis brevibus *f* urbem
Concedit, vicos, fundos, & prædia donat
In cunctis ſibi ſubjectis regionibus, offert
Aurum, gemmarum ſpecies, telaſque pavitas
Pectine phocaïco, quas lento flamen obrizo *g*.
Inde magiſtratus ſummi, majorque poteſtas
f Arechis, læto pia lipſana corde ferentes,
g Præcedente quidem clero cum plebe ſecundùm
Ætatis tempus, majores ante minores,
Ordine continuo Fratres cum laudibus urbem
Inducunt ; & habere duces, & habere patronos
Gaudent, quos ſuperis junxit victoria caſtris.
Eſt, quà per medium rectè via tenditur urbis
Partibus auroræ, quam janua condita probet
Digna quiete loci facies prope principis aulam.
Hîc dux Arechis pario de marmore templum
Conſtruxit, (ſpeciem cui tunc ſine mole ferebat
Juſtiniana *h* tuus labor omni pulcrior arte)
Sub quo biſſenos unâ tumulavit in arâ.
(Principis hoc anno factum fore credo ſecundo ; *h*
Septingenteno, conjuncto biſque triceno *i*, *i*
Virginis à partu felicis : ſic manet annus,
Tertia tunc decima nobis Indictio currens,
Tempore quo Maii menſis ſibi jam mediante
A populo cuncto colitur tranſlatio) quorum
Nomina, quos ſignant, ibi ſcripta jacere ſeorſum
Juſſit, &, aſſiduè quæ ferrent laudis honorem
Martyribus, Chriſti ſervantes corpore ſanctum
Cordeque propoſitum, caſtas habitare puellas
Intra firmatum tali munimine clauſtrum.

viſio deinde Arechi oblata. 40 Ipſe piè, quâ doctus erat, ſe relligioni
Ex toto tribuens, nocturno tempore ſolus
Oratum Sanctos hanc deſcendebat in ædem :
Securum faciebat amor, tum ſpeſque, fideſque,
Securum faciebat idem, quos junxerat, agmen.
Hîc intempeſtâ noctis cùm pſalleret horâ,
Tot ſubitò dominos, veluti ſocios & amicos,
Inclinare ſibi, nitidos & flectere vultus
Vidit corporeis oculis, hæc verba ferentes :
Nos ſumus, ô princeps, tua quos devotio ſummo
Contulit huc ſtudio, loca per diverſa repertos. E
Quantùm proficias ex hoc pietatis amore,
Oſtendet ſuprema dies. His denique dictis ;
Viſio tanta ducem ſpe non titubante reliquit.
Hoc tibi, Chriſte Deus, fieri juſſitque Mathæus
Abbas. Ob lumen fidei faciendo volumen,
Præmia quo multa ſibi des per ſecula cuncta.

A. INCERTO.

ANNOTATA.

a *Beneventum in antiquo Samnio ſitum eſt, ut diximus ad Hiſtoriam tranſlationis præcedentem. Vide ibi annotata, & § 5 Commentarii, ubi omnia ferè expoſita. Verùm mendoſa hîc quædam occurrunt, nec facilè corrigenda.*

b *Phraſis obſcura eſt, & forſan mendoſa. Vox quidem* farius *invenitur apud Martenium tom. 1 Collect. ampl. col. 26, ſed in inſtrumento admodùm barbaro, & cum ſignificatione æquè obſcura : reperitur etiam* equus farius *pro equo Arabico ſeu generoſo ; ſed Arechis armare ſe non debuit contra Arabes aut Saracenos. Suſpicor hoſtem communem humani generis, ut infrà, inſinuare voluiſſe.*

c *Aliud fortaſſe mendum. Legi interim poteſt,* cumulando cujus honore.

d *Lege* donare, *aut quid ſimile, quod ſenſui & carmini congruat.*

e *Id eſt, ſcriptis donationis inſtrumentis.*

f *Id eſt, litteris, quibus donatio firmaretur.*

g *Senſus rurſum hæret. At locum expoſui ad Acta præcedentia.*

h *Scriptum, opinor,* Juſtiniane. *Eccleſiam celeberrimam S. Sophiæ, quam combuſtam inſtauravit Juſtinianus imperator, latè deſcribit Procopius lib. 1 de Ædificiis cap. 1. Ad exemplar hujus Conſtantinopolitanæ ſuam Beneventi minori mole conſtruxit Arechis, & ſanctam Sophiam nominavit.*

i *Deſignat annum 760, quo erat Indictio 13, & diem Maii 15.*

A D

DE SS. AMMONE DIACONO ET XL VIRGINIBUS MM.

HERACLEÆ IN THRACIA.

J. P. Cultus, martyrium, & alia ad hos Sanctos ſpectantia.

SUB LICINIO. *Cultus apud Græcos & Latinos:*

PUblicus horum ſanctorum Martyrum cultus à Græcis ad Latinos derivatus eſt. *In Martyrologio Romano ſic annuntiantur:* Heracleæ ſancti Ammonis diaconi, & ſanctarum quadraginta Virginum, quas ille erudivit in fide, & ſub Licinio tyranno ad martyrii gloriam ſecum perduxit. *Eoſdem refert Galeſinius cum elogio ſeu narratione martyrii à Græco reddita. Nec indictos reliquit Molanus in Additionibus ad Uſuardum anno 1573 excuſum. Menologium Græcorum, tomo 6 Italiæ ſacræ ab Ughello editum, ac nomine Baſilii imperatoris Conſtantinopolitani junioris prænotatum, hoc etiam die ita illos annuntiat columnâ 1056 prioris editionis:* Certamen ſanctarum XL Virginum, & Ammonis diaconi, earumque magiſtri. *Aliquantulùm ab his diſcrepat Menologium Græcorum, quod ex interpretatione Cardinalis Sirleti edidit Henricus Caniſius. Textum accipe:* Eodem die natalis ſanctarum quadraginta Mulierum martyrum, virginum & monialium, & Ammun diaconi earum magiſtri. *Similia ſunt in Menæis magnis, quæ hoc epigramma Virginibus accinunt:*

Δυσσεβεῖθμοις Παρθένοις πῦρ καὶ ξίφος
Θεῷ προσέπεμψαν Τὸν νυμφίον.

Quæ reddo Latinè in hanc ſententiam:

Numero bis hæc vicena turba Virginum
Sibi igne & enſe Filium ſponſat Dei.

De Ammone *autem ſubjunguntur ſequentia:*

Ἄμμωνι καλύπτραν ἔμπυρον δεδεγμένος
Τὸ σαρκικὸν κάλυμμα χαίρων ἐξέδυ. *Id eſt:*

C Dum tegmine Ammon igneo caput induit,
Carnale tegmen morte gaudens exuit.

martyrium: 2 *Martyrium his verbis exponitur in dicto Menologio Baſilii imperatoris:* Quadraginta Virginum & martyrum cœtus patriam habuit Adrianopolim Macedoniæ; doctorem autem fidei, eorumque omnium, quæ ad cæleſte regnum pertinent, Ammonem diaconum: ob eam autem cauſam in carcerem conjectæ multaque ſupplicíorum genera perpeſſæ ſunt, cùm idolis ſacrificare pertinaciſſimè recuſarent: imò cùm ſacrificare compellerentur, oraverunt Deum, quarum precibus ſublatus in aëra ſacerdos idolorum, concidit, & exſtinctus ſtatim eſt. Quare Ammoni ſublimè arrepto ſcalpebantur latera, caſſiſque candens indutus * capiti eſt: qui poſtea miſſus unà cum Virginibus ad Licinium præfectum, cum iiſdem damnatus eſt, ut diverſis ſupplíciorum generibus morte omnes mulctarentur. Nam decem igni conſumptæ ſunt: octo cum Doctore ſuo capite damnatæ, decem aliis os earum pugione trajectum eſt: ſex minutatim conciſæ: reliquæ injecto in fauces candenti ferro exſtinctæ ſunt. *Similia memorantur in Menæis ac Menologio Sirleti.*

* *immò* induta

3 *Inter alia, quæ de hiſce Martyribus obſervari poſſunt, dicamus primò nonnulla de cauſa martyrii à Licinio eiſdem inflicti. Euſebius in Vita Conſtantini lib. 1, cap. 52, interprete Valeſio, hæc ſcribit de eodem Licinio:* Porrò cùm in omnem libidinem ac laſciviam effuſus eſſet multaque adulteria, aliáque deteſtandæ obſcenitatis flagitia committeret, pudicitiæ & continentiæ honeſtatem ab hominibus præſtari neutiquam poſſe cenſuit, de communi hominum natura ex ſuomet ipſius morbo peſſimè judicans. *Et mox cap. 53 ita pergens,* Idcirco, *inquit,* alteram legem tulit, quâ jubebat, ne viri orandi cauſâ in eccleſiam Dei ſimul cum mulieribus convenirent; néve mulieres ad venerandas virtutis ſcholas diſcendi cauſâ ventitarent: poſtremò ne epiſcopi divinæ religionis præcepta mulieribus traderent; ſed ut mulieres ad id electæ docendis mulieribus præficerentur. *Atque hanc quidem legem ab eo latam in cauſa fuiſſe, cur ſævierit in ſanctas Virgines hodiernas ac earumdem Magiſtrum, cenſemus admodùm eſſe probabile. Etenim* ſicut fuit legum iniquarum injuſtiſſimus promulgator, ita pariter ſe earumdem ſeveriſſimum cuſtodem exhibuit, *prout obſervat Baronius ad annum 316 num. 12:* Unde, *uti pergit,* accidit, ut Ammonem diaconum, & quadraginta Virgines, quas ille inſtituebat, diverſis mortis generibus affecerit: quorum omnium natalis dies Kalendis Septembris fuit perpetuâ memoriâ conſecratus. F

de hiſce Sanctis 4 *Obſervanda 2° ſe offerunt aliqua de Licinio, qui mortem illis intulit. Menologium Baſilii ſolum* præfecti *titulum ei dabat ſuprà; Menæa verò magna* tyrannum *vocant. Nicephori Calliſti Eccleſiaſtica hiſtoria, anno 1630 Lutetiæ Pariſiorum edita, tomo 1, lib. 7, cap. 44 rem geſtam memorat ſub regno Licinii, quam opinionem ſecutus eſt Baronius, ſicut modo præmiſimus. 3°. Meritò autem fabulam hanc à Nicephoro adjectam explodit ad annum prædictum:* Sed hallucinatus eſt planè Nicephorus, dum, quas omnes atteſtantur virgines, ipſe tradit uxores fuiſſe illorum quadraginta militum, qui Sebaſte in Armenia paſſi ſunt ſub eodem Licinio imperatore... Unde autem ejuſmodi commentum acceperit, non apparet: quod potiùs ignari vulgi rumore ex paritate numeri jactatum putatur. *4°. Baſilii Menologium patriam quadraginta hiſce Virginibus ac martyribus aſſignabat* Adrianopolim Macedoniæ, *ſuffragantibus Menologio Sirletiano ac Menæis magnis; ubi nullam hactenus id nominis urbem notatam comperi à geographis, quos conſului.*

5 *Obſer-*

A *observationes.* 5 *Observat insuper Tillemontius Monumentorum eccl. tomo* 5, *notâ* 2 *super persecutione Licinii, hanc ab eo non fuisse motam adversus Christianos quamdiu Macedoniam possedit, id est, ab anno* 312 *usque ad* 314. *Pro patria autem Sanctarum superiùs indicata substituendam censeo Adrianopolim in Thracia ad Hebrum fluvium, ubi cursum flectit in Austrum: in qua etiam regione inveniuntur* Berrhœa & Heraclea, *de quibus in narratione martyrii mentionem faciunt Menologium Sirleti ac Menæa Græca. In isto quippe Menologio sunt hæc:* Sanctus Ammun . . missus est cum Virginibus à Beroë Heracleam Thraciæ ad Licinium tyrannum: ille verò sententiam tulit &c. *Consentiunt Menæa. Hinc colligo, dictam Heracleam illis fuisse martyrii palæstram. Sita autem est ad oram Propontidis, & plura de illa collegit Cellarius in Notitia orbis antiqui lib.* 2, *cap.* 15. *Occasione autem S.* Ammonis *habet ista Baronius in Notationibus ad Martyrologium Romanum:* Fuit ejusdem nominis egregia sanctitate monachus, de quo Græci agunt quarto Nonas Octobris: cujus animam in cælum deferri vidit Antonius, ut scribit Athanas. in Vita Anton. Plura de eo in Vitis Patrum ca. 30, Suidas & alii. Alius ab eo est diversus, qui fuit Origenista: de quo Hieron. ad Ctesiphontem. AUCTORE J. P.

DE SANCTA VERENA VIRGINE

ZURZACHI DIOECESIS CONSTANTIENSIS IN HELVETIA

B

COMMENTARIUS PRÆVIUS. J. S.

§ I. Memoria Sanctæ in Fastis sacris: locus, ubi præcipuè colitur: elogia: Acta quæ & qualia.

CIRCA ANNUM CCC. *Memoria Sancta in Fastis hodiernis,*

C *Martyrologium Romanum ad hunc diem annuntiat* S. Verenam *virginem in Helvetia celebrem brevibus hisce verbis:* In territorio Constantiensi ad Aquas duras sanctæ Verenæ Virginis. *Iisdem verbis utitur Arturus in Gynæceo, & auctor Martyrologii Parisiensis, qui tamen addit* apud Helvetios. *Ferrarius in Catalogo Generali sic habet:* Ad Aquas duras in Germania sanctæ Veronæ (*lege* Verenæ, *ut habet in annotatis*) virginis & martyris. *Aquas duras ibidem sic exponit:* Oppidum est Helvetiorum apud Rhenum inter Constantiam & Basileam in Constantiensi diœcesi, quod ab indigenis Zurzach appellatur. *Addit in Martyrologio Romano* virginem *tantùm appellari*, cùm *inquit*, in diœcesi Constantiensi uti virgo & martyr celebretur ritu duplici. *An satis rectè martyrem vocaverit deinde videbitur. At rectè hìc corrigit ea, quæ in Topographia scripserat ad vocem* Aquæ duræ, *ubi fluvium interpretatur* Anderthur *incolis dictum, & ad vocem* Constantia, *ubi ad Constantiam Normannicam* S. Verenam *perperam relegaverat. Castellanus in Martyrologio universali Bedæ attribuerat* S. Verenam, *sic interpretatus* Aquas duras; *sed Beda vocatur* Aquæ Helvetiæ, *uti ipse agnovit, errorem corrigens in Addendis pag.* 738, *ubi* Zurzachum *substituit. Et sanè nullum est dubium, quin Zurzachi annuntianda sit* S. Verena, *non Bedæ, non Constantiæ in Normannia, neque etiam Constantiæ Juliæ in Bætica, quò eam pertrahere voluit in Martyrologio Hispano Tamayus.*

& antiquioribus annuntiata: 2 *Hinc optimè memoratur in codice Usuardino Hagenoyensi apud Sollerium hisce verbis:* In territorio Constantiensi ad locum, qui dicitur Aquæ duræ, id est Zurziatum, depositio sanctæ Verenæ virginis, miraculorum gloriâ & sanctitate illustris. *Multi alii codices Usuardini habent memoriam* S. Verenæ virginis, *sed nullus* martyrem *vocat: eamque plerique annuntiant* ad Aquas duras *sine ulteriori expositione loci, nisi quòd eam attribuant territorio Constantiensi. Grevenus sic habet:* In diœcesi Constantiensi, sanctæ Verenæ virginis ex societate Sanctorum Thebæorum. *Sanctam* Verenam *Usuardus ipse prætermisit uti & Ado: at eamdem Wandelbertus apud nos Ms. hoc carmine celebrat:* His * & Verenæ rutilant solempnia sanctæ. *Actorum compendium eidem contexuit in Martyrologio suo Notkerus, illudque infrà recitabimus. Illud porrò concludit his verbis:* Sepulta est autem beata Virgo in loco, qui Zurzacha vocatur. *Eadem etiam nominant varii, acsi* S. Verena *ab eo esset memorata; sed viderunt illi aucta Bedæ Martyrologia, cùm in puro non habeatur. Demum* S. Verenam *celebrant auctor Florarii nostri Ms., Canisius in Martyrologio Germanico, multique alii martyrologi neoterici. Mureras verò in Helvetia sancta a pag.* 41 *Vitam fusè enarrat, prout relata est à scriptoribus recentioribus, contenditque* martyrem *dicendam esse, quia caruerit pro religione dicitur perpessa, licet vitam in pace finierit.* * *in editis mendosè* has F

cõlitur præcipuè Zurzachi, quod describitur §

3 Zurzachum, *quod* Aquas duras *olim dictum fuisse vidimus, describit Josias Simlerus in Republica Helvetiorum lib.* 2 *in Bada sive Aquensi præfectura fol.* 191, *paucis præmissis de duobus oppidis, quibus interjacet:* Pertinent etiam ad comitatum & præfecturam Badensem, *inquit*, duo oppidula, Clingenovium, & alterum; vulgò dictum Keyserstül . . . Verùm his episcopus Constantiensis præfectos imponit . . . Præterea inter utrumque oppidum jacet Zurzachum vicus ingens ad Rhenum fluvium, oppidi in morem excultus, subjectus episcopo Constantiensi, & ad Clingenoviam præfecturam pertinens, de cujus politia propter loci celebritatem quædam addam.

AUCTORE J. S.

Etenim celeberrimæ nundinæ bis quotannis in hoc loco habentur, ad quas mercatores non tantùm ex Helvetia & Germania, sed ex Gallia quoque & Italia confluunt, cùm tamen nundinæ, quod mirum est, uno die peragantur. *Nundinæ hæ habentur Kalendis Septembris, id est, ipso die, quo occurrit* S. Verenæ *festivitas; & feriâ secundâ post festivitatem sanctissimæ Trinitatis. Hisce idem scriptor varia addit de jurisdictione episcopi Constantiensis & præfecti Badensis, quæ ibidem legi poterunt.*

Officium antiquum ex Breviario Constantiensi,

4 *Colitur* S. Verena *non modò Zurzachi, ubi ecclesia ei erecta olim est, quæ nunc parochialis est & collegiata, sed aliis etiam locis. In Breviariis diœcesis Constantiensis anni* 1561 *&* 1575, *quæ habemus, de ea præscribitur ritu duplici recitandum Officium novem lectionum, quarum sex priores ex Vita sunt desumptæ. Attamen lectiones illæ non continent totius vitæ compendium, sed & mors & gesta posteriora planè omittuntur. Crediderim olim omnes novem lectiones de vita fuisse recitatas, ac tres posteriores deinde commutatas cum tribus communibus de Virginibus. Præ-*

B *placent hæ lectiones Actis longioribus, aut certè minùs displicent, ideoque eas huc transfero:* Virgo beatissima Verena Thebæa, ex Thebæorum genere, honestissimis parentibus orta, primùm sancto cuidam episcopo baptisanda, & in fide rectiùs informanda traditur. Quo postmodum per martyrium coronato (erat enim senex Cheremon nomine) ipsa Virgo cum aliquibus Christianis ad inferiorem Ægyptum pervenit: ubi tunc maxima multitudo fidelium, in castris Diocletiani & Maximiani imperatorum militatura describebatur.

cujus lectiones

5 LECTIO II. Eo tempore legio Thebæa Mauricii ibi tenebatur. Cui Christi virgo Verena in Italiam venire, & sacra loca invisere desiderans, eum aliis fidelibus jungitur. Mediolanum itaque perveniens, & martyrii gloriam toto animo appetens, martyrum loca, & carceres sanctorum solicitè requirens, eisque pietatis officium impendens, per aliquot annos à quodam sancto viro, nomine Maximo, retenta ibi perstitit. Audiens denique sanctam legionem beatissimi Mauritii ab impiissimo imperatore pro fide Christi peremptam, atque sanctum Victorem sibi itinere junctum pariter in ipsa legione coronatum, per Al-

C pina juga ad Agaunum Rhodani ardenter contendit.

continent

6 LECT. III. Inde cum ultra Ararim fluvium perveniſſet, apud sanctum quemdam virum, qui ex legione Thebæa evaserat, non longè à castro Solodoro habitavit, jejuniis & orationibus penè noctes diesque vacans, psalmis intenta, librumque beati Cypriani de Habitu virginum præ manibus habens; deinde in maxima, & vix credibili vitæ austeritate in arctissima quadam specu, quò magis mundi vanitates evitare, Deoque securiùs servire posset, aliquanto tempore macerandam se reclusit. A qua quidem specu haud longè anus quædam habitabat, quæ quidquid operari manibus sancta Virgo poterat, ipsa vendens sufficientem victum ei ministrabat.

compendium vitæ

7 LECT. IV. Quia verò omnis profectus virtutum diabolo semper est contrarius, quidam tyrannus, sub potestate Romani nominis, immanis, sacrilegus, adversus Virginem Dei inflammatus, variis injuriis affectam, aliquot diebus in publica custodia vinctam tenuit: ubi psalmis & orationibus Deo se commendans, à quodam juvene, ultrà quàm dici potest splendido, nocte visitatur. A quo valde consolata, & ne D minis cujusquam cederet, ac veritatis viam relinqueret, admonita fuit. Quæ cùm requireret, quis esset, qui eam visitare dignatus esset, à Deo se missum respondit, & quòd inter martyres in regno vitæ annumeratus, Mauricius diceretur.

posteriori parte

8 LECT. V. Illa talia audiens ad orandum prosternitur, atque ut memor ejus fieret apud Dominum, sanctum illum martyrem precibus exorat. Subitò multitudo purpuratorum juvenum cum candidissimo chlamydis ornamento circumdedit sanctum martyrem, & sic ab oculis sanctæ Virginis ablatus discessit. Eadem verò nocte idem tyrannus gravissima febre correptus, instante jam vicina morte, ad Dei Famulam mittit festinanter, ut cum magna celeritate ei exhiberetur. Exhibita itaque judici, facta oratione, vehementem febrim à corpore ipsius tyranni submovit, sicque magna cum laude ad locum priorem, sibi aliisque virginibus destinatum, remeavit.

mutilè:

9 LECT. VI. Crescente autem fama illius, eaque longè latéque diffusa, secretè fugiens laudem hominum, ne perderet æternæ retributionis præmium, E ad quandam insulam non magnam, parvumque ibi à Christianis ædificatum tugurium veniebat, & illic aliquod tempus vitæ, semper orationi vacans, permansit. Ubi verò ibidem quoque, præstante Domino, à populo dignis colebatur honoribus, tandem post multa signa & miracula, quæ Dominus tam in cellula, quæ juxta Solodorum est, quàm alibi per eam operabatur, cœpit Virgo Christi iter inde agere ad Confluentiam Rheni, secus ripam fluminis, quod Aran vocatur.

aliud elogium hiſtoricum

10 *Truncato huic Vitæ compendio satis consonat elogium, quod B. Notkerus Balbulus Martyrologio suo inserut ad* 1 *Septembris in hunc modum:* Eodem die natalis sanctissimæ virginis Verenæ, Thebææ genere, quæ à parentibus suis cuidam episcopo Chæremoni, qui & postmodum martyrio coronatus est, ad imbuendum commendatur: deinceps ad inferiorem Ægyptum cum aliis fidelibus profecta, beatæ se legioni, id est, Mauricio & sociis suis, qui tunc temporis, quasi Diocletiano & Maximiano militaturi, ibidem commanebant, Christi Virgo Italiam venire desiderans, conjunxit. Mediolanum ergo perveniens, F locaque, in quibus sancti martyres continebantur, inquirens, eis quoque pietatis opera, ipsa etiam martyrium optando subministrans, à quodam sancto viro Maximo ibi detenta subsistit. Audiens denique sanctam Thebæorum legionem, eumque, quem unicè diligebat, Victorem, martyrio consummari, per Alpina juga ad Acaunum rem experitura pertendit. Inde juxta Ararim fluvium, non longè à castro Solodoro, sub districtione mirabili jejuniorum, vigiliarum, orationum, dies & noctes continuans, habitavit. In quodam igitur specu arctissimo, tempore se aliquanto carnem maceratura includit. Unde non longè anus quædam Christiana habitabat, & quidquid sacra Virgo operari poterat, mulier prædicta vendidit, ac de hoc Sanctæ Dei victum exhibuit. Nam sacrilegus adhuc paganorum cultus Alamannos obtinuit.

ex Martyrologio Notkeri:

11 Signa igitur quàm plurima Domino per Famulam suam operante, Alamanni ad fidem Christi commoveri cœperunt. Virginis itaque fama in tantum, miraculis prodentibus, excrevit, ut mater virginum effecta, discretione pietatis omni populo venerabilis existeret. Cujus laudabili

A bili vitæ diabolus invidens, quemdam tyrannum sub potestate Romani nominis inflammavit, qui Virginem Dei multipliciter affectam, publicæ custodiæ mancipavit. In quo ei ergastuo juvenis quidam eximii splendoris apparuit, quem, quis esset, interrogat. Ille cùm se Mauritium esse responderet, ilico purpuratorum septus multitudine, ab oculis Virginis orationem implorantis eximitur: & eadem nocte tyrannus validissima febre correptus, sed Virginem ad se vocans, per ejus orationem continuò sanatur, sicque cum laude omnium ad locum virginum remittitur: in quo cùm die quodam panis defecisset, querimonia de hoc exoritur: illa sorores de divina commonens largitate confidere, in orationem pro imminentis necessitatis causa prosternitur, & ecce inopinatò quadraginta facci, mundissimæ pleni farinæ ad ostium cellulæ reperiuntur, ex quibus per annos aliquot congregatio illa sustentabatur. Cúmque jam finis sibi vitæ appropinquaret, infirmata corpore, non autem propositi sui rigorem deponens, lectulo decubuit: & dum obitus sui terminum præstolatur, adest Dei Genitrix Virgo
B Maria, innumerabiles virginum choros præcedens * quam Verena tota devotione intendens, & unde hoc mereretur, interrogans, ab eadem Dei Genitrice audivit: Veni, inquit, ut ab eo, cui fideliter servisti, remunereris: quo dicto, beata illa anima corpus reliquit: sepulta est autem beata Virgo in loco, qui Zurzacha vocatur.

Acta posteriùs scripta

12 *Acta* S. Verenæ *varia sunt, alia paulò productiora, compendiosa alia. Hæc in re omnino consonant cum elogio Notkeri, cui nihil adjiciunt, nisi quòd multa ad ejus sepulcrum fiant miracula. Tria hujusmodi exemplaria Mss. ad manum sunt, quæ diversitate styli ostendunt tres fuisse scriptores diversos, sed omnes ex eodem fonte hausisse, Notkeri videlicet Martyrologio. De hisce igitur plura non adjiciam. Vita prolixior ex breviori videtur composita à scriptore quodam seculi* x *aut* xi, *prout colligo ex miraculis, quæ Vitæ subjunxit. Horum Actorum apographum habemus* ex Passionali Ms. Cartusiæ Herbipolensis anni MCDLXXXIII, *uti notatum est ad marginem. Nulla hîc præfatio; nulla etiam subjuncta miracula. Alterum Ms. missum huc est* ab Elmenhorstio *scriptis suis noto; at non additur, unde ille acceperit. Eorumdem Actorum exemplaria Mss. exstare Colonia, in abbatia Bodecensi, & Treviris ad Sanctum Maximinum, annotarunt Majores nostri. At Acta ipsa tanti non sunt facienda, ut iis omnibus egeamus. Nostrum tamen exemplar collatum est cum Trevirensi. Porrò auctor hujus Vitæ varia narrat facta, quæ non leguntur in Notkero, ita ut aliunde ea hausisse debuerit, nisi suspicari malueri-*
C *mus ex traditionibus popularibus aut incertis conjecturis ab ipso narrata esse, quæ ad præcedens elogium adjecit facta. Certè modus incongruus, quo referuntur aliqua, discursusque Actis inserti, exiguam ei auctoritatem conciliare possunt. Aliqua etiam inserta leguntur, quæ prorsus habenda sunt pro fabulis. Verumtamen Acta hæc edum observationibus illustrata & castigata, ut intelligat studiosus lector, qualia monumenta secuti sint recentiores scriptores, qui Vitam Sanctæ Germanicè ediderunt. Miracula ab eodem, ut apparet, scriptore exarata plus fidei merentur, cùm hisce ferè convixerit, & unius etiam testem oculatum se profiteatur.*

13 *Vitam Germanicam, anno* 1616 *impressam Augustæ Vindelicorum, scripsit Mauritius Adler decanus Zurzachensis, eamdemque anno* 1652 *Latinè reddidit Joannes Vianden, tunc sacræ theologiæ studiosus Coloniæ. Auctor ille Acta, quæ edituri sumus, satis fideliter imitatus est, nisi quòd aliqua narraverit modo magis verisimili. Mallem potiùs reprobasset, quæ verisimilia non erant. Præterea hic scriptor relata in Actis exornavit variis sacræ Scripturæ textibus, atque ita Vitam reddidit multo prolixiorem. Miracula etiam ex Actis narravit, sed aliqua recentiora sub finem adjecit. Transtulit hæc nobis eodem tempore in sermonem Latinum Winandus Pescher, alter sacræ theologiæ alumnus Coloniæ. Recentiora hæc miracula post Acta pro appendice subjiciam. Altera Vita Germanica, quam præ manibus habeo, eaque præcedente prolixior multo & auctior, edita est anno* 1736, *auctore R. P. Hieronymo Richter Ordinis Præmonstratensis. Hic autem libellus in approbatione collectus dicitur*, partim ex priscis authenticis auctoribus, partim è vetustis documentis Zurzachio communicatis. *Titulum* virginis & martyris S. Verenæ *hic auctor attribuit, rationesque allegat cap.* 30, *cur martyrem credat nominandam: has infrà examinabimus.* AUCTORE J. S. *duplex Vita Germanica.*

E

§ II. Discutiuntur & exponuntur facta in Actis, Vitisque Germanicis relata.

Sancta origine Thebæa dicitur, profectaque in Italiam cum legione Thebæa,

IN *Ægypto superiori ad Nilum amplissima erat olim urbs, Thebe dicta, quæ Thebaïdi nomen dedit. Ex hac urbe, aut certè ex Thebaïde regione oriundam* S. Verenam *Acta* miro consensu *tradunt: nam omnia* Thebæam *vocant, sive ab urbe, sive à provincia. Ab eadem provincia nomen traxit Thebæa legio, quæ cum S. Mauritio tribuno suo martyrio coronata est sub Maximiano, verosimiliter quia in Thebaïde erat conscripta. Vita Germanica, quam nobis Latinam redditam dixi, natam ibidem affirmat non modò* ex nobili genere & sanguine, *sed etiam*, ut firmissima aliquorum opinio est, *inquit*, ex cognatione sancti Mauritii. *At cognatam S. Mauritii Acta nullibi vocant. Quin potiùs Notkerus ait, S. Victorem* unicè *dilectum fuisse à* Verena. *Si igitur revera ex Thebaïde fuerit* S. Verena, *legionemque Thebæam in Italiam secuta, verisimilius est eam fuisse sub protectione S. Victoris, ejusque fuisse consanguineam. S. Eucherius in Passione Agaunensium martyrum, quam Chifletius edidit in Paulino illustrato, duos memorat Victores, alterum legionis Thebæa, alterum eidem legioni sancta adjunctum per martyrium. Prior esse potuit amicus & consanguineus* S. Verenæ: *nam de eo sic habet Eucherius pag.* 91: Ex hac eadem legione fuisse dicuntur etiam illi martyres, Ursus & Victor, quos Salodoro passos fama confirmat. Salodorum verò castrum est supra Arulam flumen, neque longè à Rheno positum. *Hosce cum aliis martyrologis Notkerus ad* xxx *Septembris sic annuntiat:* In castro Galliæ Solodoro pallio sanctorum martyrum Victoris & Ursi ex legione Thebæorum: qui jussu Maximiani ab Hirtaco diris suppliciis cruciati, deinde in ignem missi, postremò gladio consummati sunt.

F

15 *Hunc designari à Notkero Victorem, insinuant*

AUCTORE J. S. *in qua erat Victor ejus amicus: cujus cauſa videtur Solodorum veniſſe:* * *i. e.* Arolam

ſinuant utcumque ipſa ejus verba, quibus martyrium Victoris ſeparare videtur ab aliorum cade, dum ſic loquitur: Audiens denique (*S. Verena*) ſanctam Thebæorum legionem, eumque, quem unicè diligebat, Victorem martyrio conſummari, per Alpina juga ad Acaunum, rem experitura, pertendit. Inde juxta Ararim * fluvium, non longè à caſtro Solodoro . . . habitavit. *Deinde non alia de cauſa Solodorum veniſſe Sanctam, niſi ut Victorem aut vivum aut mortuum ſequeretur, ſatis eſt veriſimile. Itaque, ſi Actis fides habenda, nihil dici poteſt veriſimilius, quàm* Verenam *S. Victoris causâ egreſſam eſſe patriâ ſuâ, fortaſſe quòd ſub ejus quaſi tutela eſſet conſtituta, aliiſque careret amicis. Fateor quidem mirabile eſſe, & parùm credibile videri, quòd puella ex ſuperiori Ægypto in Helvetiam uſque ſecuta dicatur turmam militarem: attamen id tam incredibile non eſt, ut repudiari debeat hac ſola ratione, præſertim cùm omnes ſcriptores Helveti, omniaque eorum monumenta affirment in Helvetia natam non eſſe, eóque veniſſe occaſione legionis Thebææ.*

B *legio Thebæa undè venerit in Italiam.*

16 *Verùm dubitari poteſt, an legio Thebæa ex Ægypto venerit in Italiam, prout dicitur in hiſce Actis; an verò ex alia regni Orientalis provincia. S. Eucherius apud Chiffletium laudatum pag.* 86 *de legione Thebæa ſic habet:* Erat eo tempore in exercitu legio militum, qui Thebæi appellabantur *. Hi in auxilium Maximiano ab Orientis partibus accíti venerant. *Acta S. Mauritii & ſociorum apud Surium ad* XXII *Septembris addunt de hiſce militibus:* Hi igitur milites Chriſtianæ religionis ritum orientali traditione à Hieroſolymitanæ urbis epiſcopo ſuſceperant. *Hinc Baronius ad annum* 297 *num.* 5, *& Tillemontius tom.* 4 *Monumentorum in S. Mauritio credunt, legionem Thebæam ex Syria veniſſe in Italiam, ut inde cum Maximiano in Galliam tranſiret. Verumtamen non tam certum id exiſtimo, ut Notkerum, qui ait ex inferiori Ægypto veniſſe in Italiam, erroris manifeſti arguendum putem. Etiamſi enim operâ antiſtitis Hieroſolymitani legionem factam Catholicam conſtaret, quod non habet Eucherius, prout genuinè editus eſt à Chiffletio, potuerat deinde remitti in Ægyptum. Jam verò* Orientis *partes, ex quibus dicuntur veniſſe, Ægyptum non excludunt, quæ pars erat imperii Orientalis. Demum, ſi tempus perpendamus, quo in Occidentem vocata eſt hæc legio, veriſimilius eſt, vocatam ex Ægypto quàm ex Syriâ aut Ciliciâ, è qua accerſitam volunt alii. Nam dum legio Thebæa ſubſidio veniebat Maximiano in Occidentem, Diocletianus ſe parabat ad bellum inferendum Perſis, qui Meſopotamiam occupaverant, ut refert Tillemontius tom.* 4 *Imperatorum in Diocletiano art.* 2 *ad annum* 285. *Hinc minùs veroſimile eſt, ullam eo tempore è Syria Ciliciave eductam legionem, cùm hæ provinciæ nimis ſint vicinæ Meſopotamiæ. At id minùs mirandum de Ægypto, quæ multo longiùs à Meſopotamia eſt remota.*

C

17 *Ex dictis concludere liceat, nec incredibile eſſe Virginem aliquam ex Ægypto in Italiam, indéque in Helvetiam veniſſe cum manu militari, cùm potuerit ſequi conſanguineum aut amicum ſuum; nec verba Notkeri, aſſerentis legionem Thebæam ex Ægypto in Italiam veniſſe, falſitatis convinci. Verumtamen contendere nolim, hæc omnino eſſe certa; nam ætas Notkeri tantam ei in hiſce non tribuit auctoritatem, nec ſcimus, qualia fuerint documenta, quæ ipſe eſt ſecutus. Nihilo magis dicere poſſumus, quis ſit Charemon epiſcopus, cui Virginem affirmat commendatam à ſuis parentibus. Euſebius quidem in Hiſtoria eccleſiaſtica lib.* 6 *cap.* 42 *memorat quemdam Charemonem in ſuperiori Ægypto Nilipolitanum epiſcopum tempore Deciana perſecutionis; ſed cùm nomen* Charemon *ſatis ſæpe reperiatur in Ægypto, neſcimus an hunc deſignare voluerit Notkerus, qui ſimiliter Charemonem epiſcopum in antiquioribus reperit monumentis ſine ulteriori de eo notitia. Accipe tamen quid de illo Charemone ſcribat S. Dionyſius Alexandrinus, cujus epiſtolam de perſecutione Decii in Ægypto recitat laudatus Euſebius:* Charemon erat quidam grandævus Nili urbis epiſcopus. Hic unà cum conjuge in Arabicum monitem fugâ delatus, non ulteriùs reverſus eſt. Et fratres, quamvis accuratè omnia perſcrutati, nec ipſos poſthac, nec ipſorum cadavera reperire potuerunt. *Habuit idem S. Dionyſius Charemonem quemdam inter diaconos ſuos, iſque multa paſſus eſt pro fidei confeſſione in Valeriani perſecutione. Porrò, ſi ſenior Charemon epiſcopus præfuiſſet inſtitutioni S.* Verenæ, *fuiſſet, ut minimùm, quinquagenaria, quando legio Thebæa martyrio coronata eſt; cùm Decii perſecutio triginta & quatuor aut quinque annis illorum martyrium præceſſerit. Si verò Charemon S. Dionyſii diſcipulus, deinde epiſcopus factus eſſet, uti Euſebius & Fauſtus, qui ibidem cum eo memorantur diaconi; potuiſſet is ſanctam Virginem inſtituere circa tempus, quo ex Ægypto profecta dicitur. Verùm hæc omnino incerta ſunt, ac ſolùm à me commemorata, ut intelligat æquus lector facta hujuſmodi, quæ ideo minùs apparent veriſimilia, quòd ſine adjunctis ſuis referantur, ſtatim repudianda non eſſe ut fictitia aut falſa. Ceterùm libenter fatemur Charemonem Verenæ inſtitutorem, ſi revera ab epiſcopo Charemone inſtituta eſt, nobis eſſe ignotum.*

D

Licèt varii fuerint Charemones in Ægypto, ignotum, à quo inſtituta ſit Sancta:

Sanctæ iter ab Ægypto Solodorum uſque:

18 *Totum Sanctæ iter ſic ordinandum ex Notkero & Actis. Ex Thebaide ad inferiorem Ægyptum profecta ſe conjunxit legioni Thebææ, quicum navibus impoſita in Italiam tranſfretavit. Cùm legio Thebæa per Alpes in Helvetiam pergebat, ipſa ſubſtitit Mediolani apud Maximum virum ſanctum, ſed nobis ignotum, donec audiret eadem legionis Thebææ, atque unius ex ea amici ſui Victoris, quem ſuſpicamur Solodori paſſum, quamvis & alius quidam Victor cum ipſa legione pati potuerit, cum veriſimiliter plures in ea eſſent ejuſdem nominis. Sanctam* per aliquot annos *ſubſtitiſſe Mediolani, habent Acta num.* 2, *ſed parùm probabiliter, cùm videatur ſtatim diſceſſiſſe poſt auditum militum Thebæorum martyrium, illudque contigerit non diu poſt eorum diſceſſum ex Italia. Mediolano profecta dicitur Acaunum vel Agaunum Valleſiæ locum ad Rhodanum, ubi nunc monaſterium celebre, quod nomen habet à S. Mauritio. Situm loci ſic deſcribit S. Eucherius apud Chiffletium pag.* 87: Acaunus ſexaginta fermè millibus à Genavenſi urbe abeſt, quatuordecim verò millibus diſtat à capite Lemanni lacus, quem influit Rhodanus. *Agauno mox diſceſſiſſe videtur Solodorum, veriſimiliter quia audiverat eò fugiſſe amicum ſuum Victorem. Porrò Acta dicunt num.* 3 *eam prope Solodorum habitaſſe apud Sanctum quemdam, qui ex legione Thebæa evaſerat. Id intelligi poſſet de S. Victore, ſi conſtaret ipſum diu ſuperfuiſſe poſt cædem aliorum. At ſi Victor cum Urſo* XXX *Septembris, quo coluntur, eodem anno paſſus ſit,*

E

F

A *ſit, id eſt octiduo poſt alios, ut veriſimilius apparet, non reperit ipſum Solodori vivum* Verena, *niſi ante aliorum martyrium auditum Mediolano abierit. Notkerus de eo Solodori invento nihil habet; & Acta forſan explicari debebunt de invento Sancto ibidem coronato, poſtquam fugâ evaſerat; adeo ut potiùs ſepulcrum inveniſſe videatur, quàm Sanctum ipſum. At dubia hæc magis ſunt, quàm ut aliquid ex his certi poſſit erui.*

habitat prope Solodorum in ſpelunca, ubi nunc ſacellum:

19 *Certius eſt prope Solodorum habitaviſſe Sanctam in ſpelunca, quæ etiamnum venerationi eſt fidelibus. Speluncam illam anno* 1741, XXII *Martii luſtraverunt R. P. Matthæus Wider, Rector collegii Societatis Jeſu Solodori, & R. P. Joannes Baptiſta Gachet ejuſdem Societatis, ipſoque illo die tales de ea dedêre litteras:* Diſtat Solodoro, antiquiſſimâ Romanorum coloniâ, dein nobili Galliarum urbe, nunc verò munito Helvetiæ oppido, horæ dimidiæ ſpatio Septemtrionem verſus prope radices montis Juræ, ſpecus in lunæ decreſcentis modum, longa pedes ferè ſeptemdecim, lata ſeptem, ubi eſt latiſſima, natura vivam petram in hanc ſpecûs formam excavante. Tempore perſecutionis à Diocletiano imperatore excitatæ, & in Valeſia Agauni in legionem Thebæam ſævientis, à profuga S. Verena hanc ſpecum aliquando habitatam fuiſſe, fidem facit cùm antiquiſſima & conſtans omnium jam inde ſeculorum traditio, tum perpetuus accolarum & religioſus cultus, eum locum non alio quàm AD S. VERENAM nomine appellantium. Labente tempore clientum religio ſacellum ſpecui impoſuit, hoc diſticho ad parietem adſcripto:

Pectore dum Chriſto, dum pectine ſervit egenis,
Hoc latuit quondam ſancta Verena cavo.

1555
renovat. 1575

Inſpeximus, præſente R. D. Bonaventura Gerber ſacellano ad S. Crucem in Jeruſalem, locum cum induſtria nos infraſcripti hodie XXII Martii 1741. *Eorum nomina dedi ſuprà.*

quæ ibi geſtiſſe dicitur, non omnia ſunt veriſimilia:

20 *Solodorum, quod antiquis* Salodorum, *incolis* Solothurn, *ſitum eſt ad ripas Arolæ* **fluminis, quod* Ararim *vocavit Notkerus cum Actis & aliis quibuſdam, ut videre eſt apud Valeſium in Notitia Galliarum pag.* 496, *ubi item invenies illorum locorum incolas Alamannis annumeratos fuiſſe à variis, prout hîc vocantur. Quæ verò de geſtis Sanctæ ibidem referunt Acta, non omnia æquè ſunt veriſimilia. Nam Virginem initio ferè incognitam, miraculis paulatim inclaruiſſe, eaque occaſione non paucos ad fidem converſos, facilè credi poteſt, uti etiam ea de cauſa carceri mancipatam fuiſſe. Quæ verò dicuntur de lectione libri S. Cypriani, inſtitutiſque ex eo virginibus, parùm ſunt veriſimilia. Namſi, licèt crederemus Opuſculum S. Cypriani in manus ejus incidere potuiſſe in Italia, ſcriptum illud erat ſermone Latino, quem ignoraſſe videtur Sancta, ſi Thebæa erat origine, cùm lingua Latina in Ægypto parùm uſitata eſſet. Eadem ratio facit, ut minùs veriſimilem exiſtimemus virginum inſtitutionem, præſertim cùm eam non memoret Notkerus, nec ulla nominetur, quæ à* Verena *fuiſſet inſtituta.*

* Aar

dein profecta fertur in inſulam ad confluentes Rheni & Arolæ,

21 *Poſtquam aliquot annis prope Solodorum in ſpelunca ſua habitaverat Virgo, profecta dicitur ad inſulam prope confluentes Rheni & Arolæ. Sic Acta cum Officio Conſtantienſi; at de his nihil habet Notkerus, ex cujus ſilentio habi-*

B

C

tatio illa minùs redditur certa. Adjuncta verò iſtius itineris atque habitationis in inſula prope Confluentiam Helveticam tam mirabilia ſunt, ut fidem non mereantur, certè prout referuntur in Actis, ac minùs etiam, prout exornata ſunt à biographis neotericis. Primò enim fuga ſerpentum, etiamſi per ſe non ſit incredibilis, ex ſola auctoritate Actorum tutò credi nequit; nedum oratio Virginis & promiſſio ei divinitus data de precibus ejus ſemper exaudiendis: nam illa conficta ſunt modo minimè veriſimili. Addunt Murerus & Richterus, Sanctam ſaxo grandi pro navi uſam, ſicque per Arolam navigaſſe ad dictam inſulam, illumque lapidem hodieque ſervari ad latus ſacelli Confluentiæ. Enimverò lapis aliquis ibidem ſervari poteſt, illumque oſtendi non negamus, ſed aliæ multæ eſſe poſſunt cauſæ, cur lapis iſte cuſtodiatur ad Sanctæ memoriam, ideoque non credimus traditioni populari, quâ ſolâ nititur mirabilis illa navigatio. Nihilo magis placet, quod cap. 33 *præcedenti ſubjungit Richterus de parte montis avulſa per dæmonem, qui Sanctam ingenti illo ſaxo molitus fuiſſet conterere. Non ignorabat fabellam illam laudatus antè Rector collegii noſtri Solodorenſis, R. P. Matthæus Wider, dum hæc nobis ſcripſit:* Feruntur & nonnulla alia, verbi gratiâ, de prægrandi ſaxo à diabolo in Sanctam jacto, quod adhuc juxta viam jacens oſtendunt: item de fonte quodam ægrotis ſalutari &c. Verùm, cùm iſta non ſatis ſint certa; nos verò maluerimus referre, quæ certa ſunt, de his ultrà addere quidquam noluimus.

AUCTORE J. S.

E

ac demum Zurzachum, ubi defuncta eſt.

22 *Ex dicta inſula, prope vicum Confluentiam, profecta dicitur Zurzachum, ubi demum ad beatum vitæ finem perducta eſt. Primum habitaſſe fertur in domo cujuſdam presbyteri, deinde in cella per eumdem presbyterum exſtructa. Geſta illo loco omittuntur à Notkero, exceptâ ſolum beatâ morte, quam ibi contigiſſe veriſimile eſt, cùm affirmet Zurzachi ſepultam. Vita verò multa habet facta Zurzachi, ſed tam inconcinnè relata, ut fabulis annumerari pleraque debeant, uti in annotatis dicam. Ceterùm, ut breviter mentem meam de omnibus univerſim declarem, illa omnia, quæ Notkerus narrat, ex antiquioribus haud dubiè monumentis, admitti poſſe videntur, ut probabilia ſaltem. Omnia verò quæ in Actis ſuperadduntur; minorem merentur fidem, pleraque etiam nullam, præſertim in ſingulis factorum adjunctis, quæ incongruè ſunt enarrata. Reſtat ut de gloria poſthuma Sanctæ dicamus aliqua.*

F

§ III. Sepulcrum Sanctæ, miracula, aliaque ad gloriam poſthumam ſpectantia.


Sepulcrum Sanctæ hodiernum,

SAnctam ſepultam eſſe Zurzachi aſſerit Notkerus, ac neoterici addunt depoſitum corpus ejus in illa ipſa domuncula, quam ei presbyter inhabitandam exſtruxerat. Eccleſiam ei eodem loco fabricatam habent Acta. Certè ſepulcrum ejus hodieque viſitur in eccleſia collegiata ejuſdem loci. *Illud exhibet & Germanicè deſcribit Richterus cap.* 33 *in hunc ferè modum:* Ingredienti Zurzachi in eccleſiam collegiatam juxta navem eccleſiæ & chorum offerunt ſe ſcalæ rectè compoſitæ ſub choro. Ubi per ſcalas illas deſcendiſti, patet ad Orientem introitus in venerabile ſacellum,

AUCTORE J. S.

lum, vetuſtum & concameratum, quod columnis abundè inſtructum, mediocri eſt latitudine & longitudine. Prope introitum ſacelli eſt ſepulcrum S. Verenæ à fundo elevatum, ab omni parte liberum, atque in medio ſupernè contectum vetuſto lapide, in quo jacet ſtatua S. Verenæ, more antiquo, pendente capillitio. Caput impoſitum eſt pulvino è lapide ſecto: manu altera pectinem, altera tenet cantharum, (*inſtrumenta videlicet, quibus creditur ſerviviſſe pauperibus.*) Sanctum iſtud ſepulcrum clathris & prælatis contis ferreis ab omni parte circumdatum eſt à fundo ſupra altitudinem humanæ ſtaturæ, talique modo conſtructum, ut candelabris exornari, candelæque in ipſis accendi poſſint. Lampas quoque vitrea perpetuum ibidem præſtat lumen. Supra ſepulcrum S. Verenæ ad partem orientalem duæ ſunt feneſtræ, quæ ſacello huic ſubterraneo ſufficiens lumen communicant. Juxta idem ſepulcrum eſt altare, in quo offertur ſacroſanctum Miſſæ ſacrificium. Fornix ſacelli non admodùm ſublimis: idem tamen ſacellum tum conſtitutione ſua ſubterranea, tum venerabili ſua antiquitate valde movet ad pietatem, aptumque per ſe eſt atque ordinatum ad excitandam veram attentionem. *Totius ſepulcri figuram dedit Richterus, qualem hîc exhibeo; at dubitans an accuratè expreſſum ſit, quod dextra manu tenet Sancta, cùm canthari figuram minùs referat, cantharum tamen ipſe nominet.*

B



ejuſque eccleſia collegiata:

24 ***De eccleſia ipſa**, cujus hæc crypta eſt, ſeu ſacellum ſubterraneum, hæc ſubdit laudatus Richterus:* Magna eccleſia collegiata, quæ Zurzachi eſt ædificata ſupra S. Verenæ ſepulcrum, ſplendida eſt aſpectabili latitudine, altitudine & longitudine, recentiori opere inſtaurata ac dealbata, tota demum magnifica aſpectu tam interno quàm externo. *Quanta in veneratione à multis ſeculis fuerit collegiata hæc* S. Verenæ *eccleſia, oſtendit idem ſcriptor cap.* 31 *&* 32 *ex variis donationibus eidem factis per principes ſeculares & eccleſiaſticos, ex privilegiis & indulgentiis conceſſis per antiſtites Conſtantienſes & ſummos Pontifices, ex confraternitate anno* 1613 *in eadem eccleſia inſtituta, aut potiùs inſtaurata in honorem* S. Verenæ *& S. Mauritii martyris, per Jacobum Conſtantienſem epiſcopum, ditatâque indulgentiis per Urbanum VIII anno* 1625; *ex ſupplicationibus, quarum una quotannis repetitur die Martis in hebdomada Paſchali & ſæpe cum reliquiis* S. Verenæ; *denique ex aliis multis, quæ ibidem legi poterunt. Præterea patebit ex miraculis, ſepulcrum eccleſiamque* S. Verenæ *magna in veneratione fuiſſe, populumque devotione multa ad ejuſdem Sanctæ patrocinium concurriſſe. Hanc verò populi devotionem etiam hoc tempore perſeverare non modò Zurzachi, ſed aliis quoque Helvetiæ locis, teſtatur in litteris ad nos datis R. P. Mauritius Chardon, Rector collegii Societatis Jeſu Conſtantienſis, qui humaniſſimè nos juvit tranſmittendis iis, quæ ad illuſtranda Sancta Acta conducere exiſtimavit.*

D

corpus ibidem ſervatum

25 *Corpus* S. Verenæ *Zurzachi in ſepulcro ſuo ſervari, frequenter repetitur in miraculorum hiſtoria; nec aliquid uſpiam inveni de ejus tranſlatione. Quapropter corrigendus eſt Ferrarius in Topographia ad vocem* Aquæ duræ, *ubi ait:* Cujus (S. Verenæ) corpus nunc in Rothenſi monaſterio, quod à Conſtantia quatuor milliaribus Germanicis diſtat, quieſcit & colitur. *In topographia monaſterii Rothenſis multùm aberrat, cùm illud ab urbe Conſtantienſi longè diſtet, ut videbimus. Sic* Aquas duras *eodem loco malè expoſuit per fluvium* Ander Thur. *Et demum ſic erat in deſignando loco, ubi quieſcit* S. Verena. *Quippe ne Richterus quidem, etiamſi Rothenſis ſit abbatiæ, ei corpus* S. Verenæ *attribuit; quin potiùs, relatâ cap.* 30 *ſepulturâ, teſtatur Sanctam uſque in hodiernum diem Zurzachi magno hominum concurſu celebrari, beneficiiſque ibidem & miraculis clarere. Unde illum errorem hauſerit Ferrarius, planè ignoro, niſi forſan crediderit corpus in Rothenſi abbatia eſſe, quia ejuſdem abbatiæ patrona eſt* Verena.

E

caput aliquando tranſlatum, ſed deinde relatum:

26 *Caput tamen Sanctæ aliò delatum fuit, ſed deinde Zurzachum relatum, teſte Richtero, qui cap.* 22 *habet, magnâ populi lætitiâ inſignique celebritate idem caput anno* 1658, *die* IV *Auguſti, relatum eſſe Zurzachum:* A quo tempore, *inquit*, quotannis feſtum tranſlationis capitis S. Verenæ ſub ritu duplici conſtanter celebratur. *Affirmat ſacrum caput antea veroſimiliter Zurzacho amotum fuiſſe poſt combuſtam eccleſiam collegiatam, appoſitumque theſauro ſacro Hallenſi (in comitatu Tirolenſi, opinor) per Agnetem Auſtriacam, Alberti I imperatoris filiam, quæ nupta fuit Andreæ Hungariæ regi, ac diu poſt ejus mortem vidua, frequens in Helvetia fuit, teſte Simlero fol.* 39, *qui etiam fol.* 46 *narrat, arbitram fuiſſe electam pacis conciliandæ inter fratrem ſuum Albertum & fœderatos Helvetiæ pagos. Si vera ſit hæc tranſlatio, contigit ſeculo* XIV; *nam obiit Agnes Auſtriaca anno* 1364, *uti ſcribit coævus ei Thomas Ebendorfferus de Haſelbach, tom.* 2 *Scriptorum rerum Auſtriacarum, col.* 748, *ubi ejus pietatem mirificè laudat.*

F

reliquiæ in ſacello ſpeluncæ prope Solodorum, ſtatua Badæ,

27 *Oſtenduntur & aliæ quædam reliquiæ* S. Verenæ *aliis locis eidem ſacris. Richterus hæc teſtatur cap.* 35, *ubi oſtendit Sanctam variis locis celebrari. Deſcribit primò ſpeluncam prope Solodorum, de qua egimus num.* 19; *dictiſque noſtris addit, eremitam quemdam præſenti tempore ibi degere ad miniſterium ſacelli in honorem Sanctæ erecti, Miſſæ ſacrificium frequenter in eodem ſacello offerri, feſtivitatemque Sanctæ celebrari magno*

A *magno populi concurſu* ; Et ſanè, *inquit*, ea majoris fit, eo quòd ibi in pretioſa ſtatua, aut effigie argentea, publicæ atque attentæ venerationi exponantur reliquiæ brachii S. Verenæ, aliæque Zurzacho illuc miſſæ. *Deinde idem ſcriptor ad alia loca ſic procedit* : Præterea ſilentio involvendum non eſt, quòd ad honorem ſæpè laudandæ virginis ac martyris Verenæ in balneo PAUPERUM nominato notiſſimæ civitatis Badenſis in Helvetia, erecta ſit columna lapidea, ſupra quam poſita eſt ſanctæ ipſius ſtatua. Ante ſanctam hanc ſtatuam Badenſes, priuſquam ſe immergant, atque etiam aliàs, attentas fundunt preces, ut potenti interceſſione magnæ hujus Patronæ deſideratam valetudinem tanto citiùs conſequantur.. Non procul ab hoc balneo conſpicitur ſacellum, in quo ſacroſancta feſtivitas S. Verenæ quotannis divino cultu celebratur. *Addit alibi etiam tali modo coli* S. Verenam, *quin & magna in veneratione eſſe omnibus locis Catholicis per totam Helvetiam.*

B *ei ſacra inſignis abbatia Rothenſis in Suevia,*

28 *Progreditur idem auctor ad Abbatiam Rothenſem in Suevia, eamque fundatam aſſerit anno* 1126. *Carolus Ludovicus Hugo in Annalibus Ordinis Præmonſtratenſis part.* 1, *tom.* 2, *col.* 697 *de Rotho ſic ſcribit* : Imperialis & exempta Rothenſis abbatia, duplici cincta fluviolo, altero Haſlac, alio Rotha dicto, unde & nomen abbatia ſumpſit ſitum, B. Verenæ virgini & martyri dicata, inſigne Ordinis noſtri in Suevia eſt monaſterium, ſplendens ædificiis, micans privilegiis, juriſdictione regali potens; ſolum Papam in ſpiritualibus, ſolum imperatorem agnoſcens in temporalibus ſuperiores, votum habens ac ſeſſionem in Sueviæ circulo ac dieeta imperiali. Tot præeminentiis decorata domus, fulget aliunde ſplendidiùs diſciplinæ regularis obſervantiâ, aſſiduitate divini cultûs, morum modeſtiâ, ſcientiarum amore, profeſſione virtutum. *Antiquitatem deinde dubiis exammat, docetque fundatricem fuiſſe* Hennam (*aliàs* Emmam,) Henrici baronis de Wildenberg in Freidenberg *viduam*, aſſentientibus filiis Rhenigeno & Chunone. *In bulla confirmationis Eugenii III, quam inter inſtrumenta recitat col.* 446, *eccleſia Rothenſis conſtructa dicitur* à venerabili matrona & vidua nomine Hemma & filio ejus Chunone, liberis hominibus in proprio ſuo allodio, *dicitur*que ſanctæ Dei Genitricis Mariæ & beatæ Verenæ virginis, *omiſſo* martyris *titulo. Plura de prædicta abbatia dabit laudatus Hugo : nam hæc ego tantùm recitavi, ut oſtenderem quàm latè jàm à ſeculo* XII *propagata fuerit Sanctæ veneratio.*

C *uti multa alia loca in Suevia & Helvetia.*

29 Præterea S. Verena patrona eſt in eccleſia paroeciali oppidi Wurtzach (*in Suevia, ſeu illa ejus parte, quæ* Algovia *dicitur*,) & in eccleſia paroeciali vici Steinbach (*Sueviæ item in marchionatu Badenſi.*) *Demum adjungit ejuſdem Sanctæ imaginem conſpici in Illerbeyren & in Ilgenbuchen, atque altare eidem ſacrum in abbatia Ordinis Ciſtercienſis, quam* Salem, Salemium, & Salomonis Villam *nominant Latinè hîc* Salmannſweyl *Germanicè. Sita hæc eſt in Suevia, diſtans Uberlingâ & à lacu Conſtantienſi uno circiter milliari Germanico. Altare quoque* S. Verenæ *& aliis ſimul Sanctis dedicatum eſt in Monte Angelorum, abbatia Helvetica, quæ vulgò* Engelberg *dicitur, prout intelligo ex inſtrumento dedicationis iſtius eccleſiæ, factæ anno* 1325 ad petitionem illuſtris Agnetis quondam reginæ Hungariæ, *ut habet inſtrumentum ex abbatia miſſum, in quo etiam de feſtivitate* S. Verenæ vir-

ginis *fit mentio. Hæc ſufficiunt, ut oſtendamus, memoriam & venerationem* S. Verenæ *latè per Helvetiam & Sueviam celebrari; atque ex hiſce ſtudioſus lector mirabitur impudentiam Tamayi in Martyrologio Hiſpanico ad* 1 *Septembris, ubi hanc Sanctam ex fictitiis monumentis conatus eſt Hiſpaniæ ſuæ aſſerere, eamdemque multis fabulis exornare, ratus fortaſſe nullibi ſatis eſſe notam.* AUCTORE J. S.

30 *Ex dictis etiam, edendaque Vita & Miraculis perſpicimus*, S. Verenam *olim ſemper cultam fuiſſe ut virginem ſine martyrii titulo. Hinc miror, cur ei hunc titulum tribuere atque aſſerere conati ſint neoterici Vitæ ſcriptores : nam rationes, quæ afferuntur, tantùm evincunt martyrem dici poſſe modo valde improprio, ita ut facilè & rectè acquieſcere potuiſſent Martyrologio Romano, quod martyris titulum* Verenæ *non attribuit. Richterus part.* 1, *cap.* 30 *martyrem nominandam contendit hiſce rationibus, quòd pro fide in carcerem ſit conjecta, quòd martyrium deſideraverit, morique pro fide parata fuerit, ac demum quòd martyr nominata fuerit à quibuſdam ſcriptoribus, inter quos ait eſſe Urbanum* VIII *in bulla, quâ confirmat confraternitatem in honorem* S. Verenæ *& S. Mauritii erectam. Primam rationem confirmat exemplo S. Joannis apoſtoli & Euangeliſtæ, quem martyrem haberi dicit, quia bullienti oleo injectus eſt, etiamſi illæſus permanſerit, oleoque ſanus exierit : nam cùm morbus tyranno immiſſus ſublatuſque Sanctæ precibus, indeque ſecuta ejus è carcere liberatio dicatur in Vita, exiſtimat* S. Verenam *morte liberatam eſſe per miraculum, ſicuti S. Joannes morti naturaliter imminenti divinitus ereptus eſt.* *Sancta ab antiquis culta ſine martyrii titulo, quem levibus ratiunculis*

31 *Verum in hac ſimilitudine multa ſunt diſſimilia. Primò non tam certus eſt carcer* S. Verenæ, *quàm ſit S. Joannis in oleum immiſſio; nec tam certum Virginis liberationem contigiſſe eo, quo refertur, modo; quàm liberationem S. Joannis. Deinde (etiamſi omnia æquè certa crederemus) necdum ad mortem condemnata erat Virgo, dum carcere liberata eſt; ac ne quidem dicitur, an ad mortem fuiſſet condemnanda, ſi ſanatio tyranni non interveniſſet. Multò minùs iis affecta eſt cruciatibus, qui mortem naturaliter inferunt. Attamen hæc ſola ratio eſt, ob quam S. Joannes inter martyres habeatur : nam nec exſilium, nec carcer, nec cruciatus aliquem verè & propriè martyrem facit, niſi ex iis mors ſequatur, vel niſi tam atrocia ſint, ut mortis cauſam naturalem ſtatuant, mortemque certò intuliſſent, ſi ea miraculo non fuiſſet prohibita. Sic martyr S. Joannes, quia ferventi pleo pro fide impoſitus; martyres tres pueri juſſu Nabuchodonozoris in caminum ardentem immiſſi, martyr Daniel, quia in lacu leonibus objectus; nimirum quia hi omnes mortem oppetiviſſent, niſi eos divina potentia prodigioſè ſervaſſet.* ei vindicare conatur Richterus,

32 *Qui verò carcerem, exſilium, aut tormenta leviora paſſi ſunt pro Chriſti fide, inſigni quidem laude ſunt digni; at martyres propriè non ſunt, ſi iis ſuperſtites deinde ex morbo aut infirmitate aliunde contracta vitam finierint. Hæc latiùs proſequitur atque eruditè oſtendit Eminentiſſimus Lambertinus, nunc toti Eccleſiæ feliciter præſidens Benedictus XIV, in Opere de Servorum Dei beatificatione & canonizatione lib.* 3 *cap.* 12. *Itaque hæc prima ratio* S. Verenam *propriè non facit martyrem neque etiam ſecunda, cùm ſola voluntas ad martyrium non ſufficiat. Si verò Urbanus VIII in bulla ſua* martyrem *nominaverit,* quemque nos ei non attribuimus.

AUCTORE J. S. *verit, id verosimiliter fecit repetendo supplicantium verba. At ea, quæ summi Pontifices rescriptis suis sic inserunt, adferri nequeunt pro legitima probatione. Deinde consultus non erat Pontifex, an sancta* Verena *martyr esset, an solùm virgo; sed petita erat confirmatio confraternitatis. Exigui igitur momenti est bulla Urbani, cujus verba ne quidem recitat, ad probandum* S. Verenæ *martyrium, præsertim cùm martyr non vocetur in Martyrologio. Hisce de causis malui cum antiquioribus omnibus martyrii titulum prætermittere.*

VITA

auctore anonymo.

Ex Mss. duobus, collatis cum Trevirensi

B

PRÆFATIO.

Auctor hortatur Fratres & Sorores ad imitationem Sanctæ.

VItam gloriosæ virginis Verenæ, secundum quod relatu quorumdam didicimus, scripturi, Dei omnipotentis gratiam imploramus, ut Fratribus & Sororibus nostris gratum & utile in hoc opere explere valeamus. Nihil enim valet Vitam virtutum legere, nisi studeamus vitam virtutum habere. Ad hoc enim memoriam Sanctorum pius animus recalit *, ut exemplis eorum ferventior fiat, & ærumpnam suæ peregrinationis, iter eorum sectando, faciliùs superet. In singulis enim factis Sanctorum, unde magis Deo placuerint *, oculo cordis intentissimè considerat *; & quidquid ipse sedulus agere debeat, flammanter investigat. Hæc, Fratres karissimi & Sorores, subinde legentes, ut de merito professionis & castitatis vestræ pariter cum beatissima Verena coronam æternæ remunerationis reportare possitis, studiosissimè peragite; vitamque ipsius non modò in verbis, sed etiam in moribus vigilanter, ut sic vivatis, pertractate. Habebitis enim illam tunc pro vobis oratricem, si vestigia illius subsequentes, habebitis semper præ oculis imitabilem, ut quanto illustriores estis genere, tanto præclariores sitis sanctitate *a*.

* *al.* recolat

* *al.* placuerit

* *al.* contempletur

C

a

ANNOTATIO.

a *Hæc præfatio in solo Ms. Elmenhorstii integra habetur; in Trevirensi abest ultima adhortatio ad Fratres & Sorores; in Herbipolensi vero tota est resecta, aut certè in eo non legitur. Unum hîc lectorem moneo, videlicet legi ubique in primo Ms. e vocalem, ubi scribitur æ diphthongus, prout claritatis causa edendum judicavi.*



D

CAPUT I.

Sanctæ patria: iter in Italiam atque Helvetiam, ubi in spelunca prope Solodorum virtutibus & miraculis inclaruit: inde profecta habitat in insula prope confluentes Rheni & Arolæ.

VIrgo beatissima Verena Thebæa *a* extitit genere, honestissimis parentibus orta, primùm quidem cuidam sancto episcopo ad baptizandum, & fide informandum traditur. Quo postmodum per martyrium coronato, erat enim senex, Cheremon *b* nomine, ipsa Virgo cum aliquibus Christianis ad inferiorem Ægyptum pervenit, ubi tunc maxima fidelium multitudo in castris Diocletiani & Maximiani imperatorum militatura describebatur. Tunc temporis ibi illa legio Thebæa Mauritii *c* tenebatur, cui virgo Christi Verena ad Italiam desiderans venire, cum reliquis aliisque fidelibus conjungitur. Mediolanum *d* itaque perveniens, si possibile sibi esset, martyrii gloriam toto animo concupiscens, martyrum loca & carceres * Sanctorum solicitè requirens, eisque officium pietatis impendens, per aliquot annos *e* à quodam Sancto, nomine Maximo, retenta ibi perstitit. Audiens denique legionem sanctam beatissimi Mauritii ab impiissimo imperatore pro fide Christi gladiis peremptam; atque sanctum Victorem *f*, sibi unicè * junctum, pariter in ipsa legione coronatum, ardenter per Alpina juga ad Agaunum, rem expertura pertendit.

Verenæ patria, iter in Italiam,

a

b

E

c

d

* *al.* reliquias

e

f

* *al.* in itinere

3 Inde ultra Ararim *g* fluvium apud Sanctum quemdam, qui ex legione Thebæa evaserat, non longè à castro Solodoro habitavit, districtione mirabili jejuniis & orationibus penè noctes diesque continuans, psalmis intenta, librumque maximè B. Cypriani *h* de Habitu virginum præ manibus habens, ubi isdem beatus martyr docet esse disciplinam, custodem spei, retinaculum fidei, ducem itineris salutaris, fomentum ac nutrimentum bonæ indolis. Intentissima igitur Verena virgo sacra in remuneratione castissimæ virtutis & palma incomparabilis retributionis, in quodam specu *i* arctissimo tempore aliquo * se macerandam recluſit: ubi haud longè quædam anus Christiana habitabat. Nam Alamannorum *k* gens diabolo subdita diversa portenta idolorum in deos sibi statuerat. Quidquid operari manibus potuerat sacra Virgo, ipsa anus prædicta vendens, sufficientem victum ei ministrabat. Signa quoque plurima Dominus per famulam suam Verenam operabatur, ita ut quidam energumeni, antequam ad specum illum, in quo Ancilla Dei commanebat, perveniissent, ab infestatione dæmonum orationibus illius sanarentur; quidam etiam cæci tactu ipsius illuminarentur. Excrescentibus itaque miraculis, multitudo Alamannorum ad fidem Christi moveri cœpit, & petente sancta Virgine, à quodam presbytero sancto Italici generis, pro fide Christi exultantes baptizati sunt *l*.

habitatio prope Solodorum,

g

h

F

i

* *al.* aliquanto

k

l

4 Inde

A *conversio Alamannorum; virginibus data præcepta.*

4 Inde nomen Christi dilatari in fines Alamannorum exorditur. Cœpit igitur fama Virginis ubique per totam illam terram vulgari, & in tantum diffundi, ut Mater virginum & præposita sub discretione pietatis omni populo ubique venerabilis polleret, hanc formam pietatis omnibus virginibus proponens *m*, ut quanto excellentior atque divinior hujus muneris esset magnitudo, plus necessaria & ad custodiendum * tutissima esset humilitas, ut periculosam superbiam, quæ altioribus ampliùs insidiatur, & invidentiam tamquam filiam ejus & pedissequam, ubique caventes; (quippe cùm superbia non sit sine tali prole aut comite, quibus duobus malis, hoc est superbiæ & invidiæ, diabolus auctor esset) sequerentur Agnum, quocumque iret, non solùm integritate virginitatis, sed etiam gratiâ sinceriſſimæ humilitatis: & quæ se Christo dicaverant, & à carnali concupiscentia recedentes, fideliter tàm carne quàm mente se Deo voverant, consummarent opus suum magno præmio destinatum; nec ornari aut placere cuiquam, nisi Domino suo studerent, à quo & mercedem virginitatis expectarent; virgines non esse tantùm, sed & intelligi & credi debere parem se integritatem in omnibus præstare, ne bonum corporis & mentis cultus infamaret, si crinitæ & comptæ incederent, quasi viris placere cupientes; cùm nec fas esset virginem ad speciem suæ formæ comi, aut de carne & de ejus pulchritudine gloriari; præsertim cùm nulla sit ei magis quàm adversus carnem colluctatio, & vincendi corporis ac domandi obstinata certatio. Esset enim minoris culpæ deliquisse ante innocentiæ legem, cùm nondum nosceretur disciplina; & gravioris pœnæ culpa lapsus carnis *n*. Virginibus denique quo sublimior gloria, eo major cura deberet esse de integritatis observantia; quippe cùm dos sit virginitas ecclesiastici germinis, decus & ornamentum gratiæ spiritalis, læta indoles, mundis & honoris opus integrum atque incorruptum, Dei imago respondens per sanctimoniam Domino, illustrior portio gregis Christi *o*.

m

* *al.* custodiam

n

o

C *Sancta carceri mancipata, visitatur à S. Mauritio, sanatoque tyranno liberatur:*

5 Quia igitur omnis profectus virtutum contrarius semper est diabolo, quidam tyrannus *p* sub potestate Romani nominis immanè * sacrilegus, adversus Dei Virginem inflammatus, variis injustis affectam aliquot diebus in publicam custodiam eam revinxit ubi psalmis & orationibus se Deo commendans, à quodam juvene, ultrà quàm dici potest splendido, nocte visitatur; & ab eodem valdè consolata, ne minis cujusquam cederet, ac viam veritatis relinqueret, audivit. Quem cùm inquireret, quis esset, qui eam visitare dignatus fuisset, à Deo se missum respondit, & quòd inter martyres in regno vitæ annumeratus Mauritius diceretur. Illa audiens ad orandum prosternitur, atque ut ejus memor fieret apud Dominum, sanctum illum martyrem luce splendidum prius exoravit. Subitò multitudo purpuratorum juvenum cum candidissimo chlamydis ornatu circumdederunt sanctum martyrem; & sic ab oculis sanctæ Virginis ablatus discessit. Eadem verò nocte tyrannus idem febri validissima corripitur, & instante jam vicina morte, ad Dei Famulam festinanter misit, ut cum maximo honore * ei exhibeatur. Exhibita itaque judici, facta oratione validam illam febrem à corpore ipsius tyranni fugavit; sicque cum laude magna ad locum virginum rediit.

p

* *al.* immanis,

* *al.* festinantia

6 Quadam die, cùm victus panis deesset, & hoc ipsum molestissimè ferrent, qui cum illa habitabant, ipsa Dei pietatem adesse suis necessitatibus non dubitans, conversa ad Dominum, sic dixisse fertur: Domine, qui das escam creaturæ tuæ tempore opportuno, tu vides, quid ancillis tuis expediat, apud te est dispositum, quo modo vita nostra sustentetur. Vix verba complevit, & ecce quadraginta sacci, pleni farinâ optimâ, ad ostium cellulæ ipsarum reperti sunt, ac omnibus incertum erat, quis hominum eos ibi posuisset. Conversæ itaque omnes ad laudes Dei, sufficienter ex ipsis farinis per aliquot annos pastæ sunt. Mirum in modum in dentibus earum crescebant, easque ad plenum satiaverunt. Crescente autem illius fama & longè latéque diffusa, secretò fugiens laudes hominum, ne perderet æternæ retributionis præmium, veniebat quamdam insulam *q* non magnam, ibique parvo tugurio à Christianis ædificato, mansit illic aliquod tempus vitæ, semper vacans in oratione; nec minùs, signis prodentibus, à populo dignis colebatur honoribus, præstante Domino nostro Jesu Christo.

A. ANONYMO. *in penuria victûs, farinam sufficientem precibus mirabiliter impetrat:*

q

E *profecta ad insulam prope confluentes Rheni & Arolæ, ex ea serpentes fugat:*

7 Post multa signa & miracula *, quæ Deus per famulam suam Verenam operabatur in cellula, quæ juxta Solodorum est, cœpit Virgo Christi iter inde agere usque ad Confluentiam *r* Rheni, secus ripam fluminis, quod vocatur Arola *s*. Invenit ibi, ut prædictum est, unam insulam speciosam, ubi confluunt antè nominata flumina: & fuerunt in ea innumerabiles serpentes, ita ut non posset caput suum reclinare in terram. Tunc cœpit sanctissima virgo Christi Verena orare Dominum, dicens: Domine rex omnipotens, in ditione tua cuncta sunt posita; & non est, qui possit resistere tuæ voluntati, tu præcepisti serpentibus, ut gradiantur super pectora sua; tu præcipe istis serpentibus, ut in hac insula nulli hominum noceant, nec ulli pecudi. Audivit autem beata Verena vocem de cælo dicentem: Verena, exaudivit Dominus vocem tuam pro serpentibus istis, & deprecationem tuam; & quotidie audiet orationes tuas, & omnes *, quas petieris, petitiones tuas. Fac crucis signum contra serpentes, & præcipe ipsis in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, ut exeant & recedant de loco isto: & omnis homo, in quacumque die invocaverit te in auxilium sui, liberabitur de tribulatione, in qua detentus est. Sancta autem Dei virgo Verena extendit manum suam, & fecit signum crucis contra serpentes; & sic versi sunt in fugam, & inde fugerunt omnes, nec unus quidem ibidem postea usque in hodiernum diem apparuit. Beata autem Verena videns fugam serpentium, dixit: Laudo & glorifico nomen tuum, Deus; gaudeo & exulto, quia dignatus es exaudire vocem meæ orationis, & nunc *u* scio, quia non derelinquis quærentes te.

r

s

F

* *al.* mirabilia

u

cæcum & claudum sanat.

8 Et post hæc venerunt ad eam multi infirmi, cæci & claudi, & curavit eos: & venit ad eam mulier una paupercula portans filium suum cæcum & claudum, & jactavit eum ante pedes sanctæ Virginis, & dixit: O sanctissima Christi virgo Verena, pro amore Dei tui peto, ut adjuves filium meum, quia cæcus & claudus est. Virgo Christi respondit? Quid vis, ut faciam illi. Respondit mulier, & dixit: Sanctissima Virgo, fac videre eum & ambulare, quia non possum eum portare. Tunc expandit se Virgo Christi in terram in similitudinem crucis, & adoravit Dominum, dicens: Domine Deus, qui fecisti hominem de limo terræ, & creasti oculos videre *, aures audire, & pedes ambulare, fac istum cæcum

* *al.* ad videndum &c.

A. ANONYMO. cum & claudum videre & ambulare : & ſtatim ſurrexit, vidit & ambulavit ſanus. Exinde divulgabantur ſigna hæc in illis regionibus ; & multi infirmi veniebant ad eam, & per ſanctas orationes ſuas curavit omnes.

ANNOTATA.

a *Ms. Eimenhorſtii addit*, ut ferunt. *Conſule Commentarium num.* 14 *& ſeqq., ubi de patria Sancta egimus, ſed ut omnino certam non aſſeruimus.*

b *De Cheræmone item in Comm. num.* 17.

c *In Comm. num.* 16 *diximus id non eſſe improbabile. Si ex Palæſtina in Occidentem venerit Thebæa legio, ut alii volunt, error non eſt magni momenti, cùm ibidem etiam ipſi ſe jungere potuerit Virgo.*

d *Navigarunt haud dubie ex Oriente in Italiam ; deinde terreſtri itinere Mediolanum pervenerunt, ut in Valeſiam pergerent.*

e *Non tamdiu ſubſtitiſſe videtur Mediolani, ſi Actis ipſis & Notkero credimus eam diſceſſiſſe, ubi audierat Thebæorum cædem.*

B

f *Quis ille fuiſſe videatur, diſcuſſimus in Comment. num.* 14 *&* 15.

g *Sic etiam vocatur ab aliis, ut obſervatum num.* 20. *In Ms. Herbipolenſi* Ara *ubique ſcribitur, veroſimiliter mendosè.* Arola *nunc dicitur, uti infrà etiam habetur in Ms. uno.*

h *Notus eſt liber S. Cypriani Carthaginenſis epiſcopi de Habitu virginum, cujus prima verba hîc dantur. At veriſimile non eſt, hunc lectum fuiſſe à Sancta, ſi illa in Ægypto ſit educata, ut obſervavi in Comm. num.* 20.

i *Specum hunc illuſtravi in Comm. num.* 19.

k *Aliud Ms.* Alemannorum. *Ex Alamannis, etiamſi gens ſit Germana, non paucos intra fines Galliarum, & maximè in Helvetia reſediſſe, intelliges ex Valeſio in Notitia Galliarum pag.* 7 *&* 8.

l *Ms. Elmenhorſtii*, pro fide Chriſti exultante baptizata eſt. *Uterque ſenſus eſt legitimus.*

m *Hæc præcepta* Verenæ *non ſunt, ſed biographi, qui pleraque collegit ex laudato Opuſculo S. Cypriani, pauca vero aliunde addidit.*

n *Phraſis hîc luxata eſt in utroque Ms. Voluit compendio exprimere mentem S. Cypriani, explicantis verba Chriſti Joan.* 5 : Ecce ſanus factus, jam noli peccare, ne quid tibi deterius fiat, *ubi ſic habet :* Dat vivendi tenorem, dat innocentiæ legem, poſtquam contulit ſanitatem ; nec habenis liberis & ſolutis vagari poſtmodum patitur, ſed ipſis potius, quibus ſanatus fuerat, mancipato gravius comminatur, quòd ſit ſcilicet minor culpa deliquiſſe antè, cùm necdum noſſes diſciplinam Dei, nulla ſit venia ultrà delinquere, poſtquam Deum noſſe cœpiſti. *Per* innocentiæ legem *igitur intelligit* legem innocenter vivendi.

C

o *Ultima ſunt ipſa ferè S. Cypriani verba.*

p Hirtacum *vocat Murerus, haud dubiè ex Actis SS. Victoris & Urſi, qui ſub Hirtaco Solodori dicuntur paſſi in Actis Mss. At, licèt illa Acta ſatis eſſent genuina, quod hîc non diſcutio, incertum eſt, an idem ſit, qui* S. Verenam *carceri mancipavit, cum antiqui nomen non exprimant.*

q *Hæc ipſa eſt inſula, de qua mox latius.*

r Confluentia, ſive Confluentes, *inquit Hofmannus in Lexico univerſali*, viculus *eſt* haud procul oppido Clingnow ditionis epiſcopi Conſtantienſis, ad quam tria Helvetiorum flumina, Limagus, Urſa atque Arola in Rhenum exonerantur ; *ſic tamen, ut Arola duo priora ad aliquot milliaria habeat conjuncta.* D

s *Antè* Araris *nomine idem flumen fuit deſignatum ;* Aar *vulgò dicitur.*

t *Hæc promiſſio veriſimilis non eſt, & res tota modo improbabili eſt expoſita.*

u *Illud* nunc ſcio *cum multis aliis, & nominatim ſequens miraculum de ceco & claudo, incongruè ex ſacris Litteris deſumpſit auctor, qui Sancta non pauca attribuit humilitati Sanctorum aliiſque virtutibus contraria.*

CAPUT II.

Geſta Zurzachi, quæ pleraque fictitia, aut figmentis corrupta : mors Sanctæ & ſepultura.

E

ET beata Verena veniens inde in caſtrum, quod ab antiquis Zurziaca * vocabatur, & eccleſiam ibi conſtructam in honore glorioſæ Virginis Mariæ invenit, & cœpit ibi orare Dominum Deum, dicens : Jeſu inviſibilis, quem abyſſi & theſaurus abyſſi contremiſcunt, quinfundaſti paradyſum indeficientem, & mari terminum poſuiſti, & non tranſibit præceptum tuum, & infernum devaſtâſti, diabolum ligâſti, qui exſtinxiſti poteſtatem maligni draconis ; tu ſcis, quia hîc ſum ſola orphana & peregrina, fac me propter tuam magnam miſericordiam hîc expectare diem finis mei * in hoc ſeculo. Et dum compleſſet orationem ſuam, intravit presbyter eccleſiam, Miſſam celebrare : & tulit Verena ampullam vini inter ſacras manus ſuas, & afferebat ad altare ad manus ſacerdotis *a*. Et dum compleſſet Miſſam, ad eam dixit : Unde es ? Reſpondit ei Verena, dicens : Ego ſum de genere Thebæorum, & fui in comitatu ſancti Mauritii martyris Chriſti, & ſum Chriſtiana, & volo hîc permanere uſque in finem vitæ meæ in ſervitute Dei & ſanctæ Matris ejus Mariæ. Reſpondit presbyter, & ait ei : Si vis hîc nobiſcum eſſe, mane in domo mea, & utere bonis meis ; commendavitque ei clavem cellarii ſui, & omnia, quæ habebat.

Venit Zurzachum, ubi excipitur à presbytero ;
* Zurzach
* *al.* finem meum
a
F

10 Et erat beata Verena ſerviens Domino noſtro Jeſu Chriſto die ac nocte in vigiliis, jejuniis & ſanctis orationibus, & omnia, quæ poterat, in eleemoſyna erogavit pauperibus. Et erat ibi juxta ripam Rheni oppidum *b*, in quo erant multi leproſi ; & alii pauperes Chriſti. Sanctiſſima virgo Chriſti Verena quotidie ivit ad eos, & dedit eis manducare & bibere, & lavabat capita eorum, & ungebat eos. Tunc venit unus ſervus presbyteri, dicens ei : Domine, hæc mulier, quæ hîc tecum eſt, & tuas habet claves, tollit quotidie vinum tuum & omnia bona tua, & portat ea leproſis, & eis, qui in hoc oppido ſunt. Et ille reſpondens, dixit : Quomodo poſſunt hæc fieri, quia numquam talia de ea comperi, qualia jam de te audivi ? Et ille reſpondit : Si vis experiri, ſequere me ; & ducam te in viam, per quam quotidie ſolet ambulare, & ubi poſſis videre omnia, quæ dixeram tibi. Et dum pariter irent, venerunt in viam, ubi occurrit eis virgo Verena portans panem & vinum in vaſculo ſuo ; dixitque

ſervit leproſis, excuſatur.
b

A dixitque ad eam presbyter : Ubi vis ambulare , & quid eſt , quod portas in vaſculo tuo ? Virgo Dei Verena reſpondit : Volo ambulare ad iſtos
c pauperes , & in iſto vaſe eſt aqua *c* ; & volo eis lavare pedes & capita. Ait ei presbyter : Volo probare, utrum ſit vinum aut aqua. Et cùm accepiſſet vaſculum in manus ſuas , vidit in eo carbones vivos jacentes , & ſtatim in illa hora verſus eſt vini rubor in pallorem aquæ.

cupit degere in cella ſeparata ,

11 Tunc presbyter reddidit ei vaſculum , & procidens ad pedes ejus , oravit & dixit : O ſanctiſſima Chriſti virgo Verena , ne memineris peccatorum meorum , quæ feci coram te : iſte enim, qui mecum eſt , duxit me huc coram te. Sancta Virgo reſpondit : Ille , pro cujus amore ego cœpi huc ambulare , ille dignetur tibi indulgere peccata tua , & * ei , qui te huc duxit , non dimittat *d* , & non moriatur priùs , donec aliqua ſigna in corpore ſuo ſuſtineat ; & omnis generatio ejus, antequam exierint de hoc mundo , aliqua ſigna in eis fiant. Et cùm ipſe presbyter veniſſet in domum ſuam , & in cellarium ſuum , vidit omnia vaſa plena vino : & ipſe ſervus, cùm reverſus fuiſſet in domum ſuam , fuit cæcus & paralyticus , ac
B omnis generatio ejus uſque in hodiernum diem, antequam diem hujus vitæ finierint , aliquam læſionem ſui corporis ſuſtinent , alius cæcus , alius ſurdus , alius claudus , alius paralyticus , alius contractus , alius epilepticus ; alius in aqua moritur , alius in igne comburitur. Beata igitur Dei virgo Verena perrexit ad leproſos , & dedit eis manducare & bibere , & lavabat eos in toto corpore. Et dum revertiſſet Dei Virgo ad capellam ſanctæ Mariæ Virginis , petiit presbyterum , ut ei conſtrueret cellulam , ut in ea ſola poſſet habitare uſque ad finem vitæ ſuæ.

* *al.* ſed *d*

rurſum falsò accuſatur ,

12 Sed taceamus interim de iſtis , donec Deo adjuvante & ejus Sanctis , veniamus ad ea , quæ adhuc dicenda ſunt de illius miraculis glorioſis : quia illud non letargiæ morbo tradere , ſed ſanctæ memoriæ dignum fore putamus commendare , quòd ſanctus presbyter beatæ virginis Verenæ proviſor & magiſter , tempore Quadrageſimæ ante Reſurrectionem Domini incipiente , deponens anulum aureum , commendavit fidelitati Virginis reſervandum. Illa benignè ſuſcipiens , ſcrinio ſuo imponebat. Conſervus autem , illius proC ditoris nepos * hoc videns , quia ſemper invidebat ejus felicibus operibus , furatus eſt anulum , & recedendo abſcondit. Cùm autem prima inquiſitio facta eſſet de anulo , ſecretè perrexit ad Rhenum , jactavitque eum in medium profundum. Illa autem quotidie flevit amarè , & longa ſuſpiria trahebat in pectore , ac jugiter pro anulo Deum non ceſſabat precari. Piſcatores autem navem aſcenderant , & retia trahentes , comprehenderunt copiam piſcium , inter quos magnum attraxerunt ad litus. Piſcem ipſum quoque cum ceteris obtulerunt ſancto presbytero. Qui repletus non modico gaudio , & hilari vultu munus oblatum accipiens , dividi piſcem juſſit in partes. Viſceribus erutis , invenerunt anulum in inteſtinis ejus. Quod videns presbyter curſu agili cum anulo ad cellulam Virginis pervenit. Illa autem multùm læta pro anulo , ſed lætior fuit pro Dei miraculo , & laudes non ceſſavit reddere Chriſto. O mirum modum ! Quis umquam vidit iſta , aut quis audivit talia ? O fidelis piſcis , qui mavult mori , quàm quòd non redderetur theſaurus Virgini ! O animal irrationale multo fidelius animali rationali , videlicet homine !

* *al.* pronepos

13 Nunc nos libet redire , & ad explananda priora ſtylum vertere , ne illius facta glorioſa ſub ſilentio evaneſcant inaudita. Sancta etenim Virgo in ſuis petitionibus ſemper incumbens , rogavit ut beatus presbyter cellam modicam conſtrueret, & ipſam ſolam ad ſervitutem Dei includeret. Tunc demum quamvis ægrè conſenſit , & cellam fabricavit , convocatiſque omnibus clericis *e* regionis illius , atque timoratis viris & feminis , introduxit eam in diu deſideratam manſiunculam cum omni magnificentia honoris ; ubi diſtrictè vivens ſeculum reliquit. Dum autem incluſa eſſet Verena Chriſti virgo , cœpit orare Dominum Deum , dicens : Deus , qui judicium ſapientiæ decreviſti , quem contremiſcunt omnia ſecula , & in eis habitantes , quem expaveſcunt omnes poteſtates , deſperatorum ſpes , conſolator orphanorum , & judex verus , lumen de lumine , reſpice in me : ne derelinquas me , Domine Deus meus , quia in te eſt ſpes mea , & tu es benedictus in ſecula ſeculorum. Et fuit ibi ſex annis in ſervitute Dei. Venit autem ad eam unus homo cæcus , qui cum lacrymis rogavit eam , dicens : Pone manum tuam ſuper oculos meos , ut videam faciem tuam. Tunc beata Verena lacrymas oculis diſtillans , dixit : Dominus Jeſus Chri- E ſtus , qui aperuit oculos cæci nati , ipſe te illuminet. Et facto ſigno crucis ſuper oculos ejus , ipsâ horâ lumen recepit. Et venerunt ad eam multi cæci & claudi & variis detenti morbis , & curavit eos omnes.

A. ANONYMO. *degit in cellula ſeparata :*

e

pius Sanctæ obitus & ſepultura.

14 Cúmque inſtaret jam tempus remunerationis & finis laboris ejus , corpore infirmato , lecto decubuit. Cumque ægrotare cœpiſſet ſancta virgo Verena , totam ſpem ſuam Domino commendans , in ſacris vigiliis & orationibus , quantùm infirmitatem ſuperare valuit , animo invictiſſimo ſe Deo ſemper junxit. Et cùm inſtaret dies ejus ſolutionis , Virgo Dei genitrix Maria *f* eum virginibus ſacris choros incomparabiles præcedens, in cellula , quâ virgo Verena decubuerat , aſfuit. Verena devotiſſima toto deſiderio obviam ire , ac ſimul inter ipſas manere deſiderans ; Quale , inquit , mihi meritum , ut Mater Domini mei & Dei mei pervenire digneris ad me ancillam tuam. Cui Dei Genitrix Maria , Ut integritas , inquit , tua , fideliter hactenus ſerviens Domino , remuneretur , ſequere nos , cum quibus F in æternum lætaberis. Sicque à corpore ſancta ipſius anima ſolvitur , & odore immenſo cella repletur. Deinde officioſiſſimè à ſacris virginibus humata eſt in eodem loco , qui Zurziaca dicitur, multis miraculis claram ſe in conſpectu Dei vivere , ubique manifeſtans. Et in eodem loco fabricata eſt ſanctitati ejus eccleſia , in qua orationes ejus florent , & miracula varia & beneficia multa præſtantur attingentibus ejus ſepulcrum , præſtante Domino noſtro Jeſu Chriſto , qui cum Patre in unitate Spiritus ſancti Deus vivit & regnat per omnia ſecula ſeculorum *g*.

f

g

ANNOTATA.

a *Sanctam Zurzachi vixiſſe , & demum obiiſſe facilè credimus , quia ibidem ſepulturam nacta eſt. Verùm omnia , quæ ibi geſſiſſe narratur , modo tam inveriſimili ſunt expoſita , ut nullam fere fidem mereantur. Certè hic acceſſus ad presbyterum non eſt credibilis , præcedenſque oratio haud dubiè commentitia eſt.*

b *Oppidum illud , ſi veritatis aliquid habet narratio ſequens , non aliud eſt ab ipſo Zurzacho , cùm incredibile ſit Sanctam quotidie ab uno oppido*

A. ANONYMO.

oppido ad aliud iviſſe. Forſan Valetudinarium iſtud erat extra oppidum in ejus ſuburbio. Porrò totam relationem facti hauſtam ſuſpicor ex iis, quæ referuntur inter Miracula infrà num. 22, *ubi* S. Verena *mulierem cæcam ſic allocuta dicitur his verbis :* Eſt vas lapideum, in quo infundens aquam calidam cum cinere mixtam, lavi capita leproſorum, aliorumque veſtimenta infirmorum. Si ex illo laveris, procul dubio viſum habebis. *Deinde vas inventum narratur, viſuſque mulieri redditus. Inde colligi quidem poteſt, Sanctam pauperibus ægrotis ſerviiſſe ; at adjuncta, quibus hîc factum exornatur, aut potiùs deturpatur, nequaquam fiunt credibilia.*

c *Etiamſi fieri poſſit, ut Sancta injuſtè fuerit accuſata apud presbyterum, cum ſimilia frequenter contigerint ; id tamen factum pro certo haberi non debet, cùm melioribus non nitatur monumentis. At non vereor mendacem dicere ſcriptorem, qui Sanctam ut aliena largientem ac mentientem ineptè nobis depingit.*

d *Imprudens auctor Sanctam Virginem inducit, acſi vindictæ eſſet cupida, non modò aberrans*
B *à legibus hiſtoricis, ſed etiam theologicis. Scimus ſimilia quandoque facta ab Elia, aliiſque Spiritus ſancti inſpiratione ſingulari permotis, dum gravis erat ratio. Verùm illa miranda ſunt, non imitanda Chriſti diſcipulis. Hæc igitur omniaque alia facti adjuncta prorſus fictitia eſſe credimus ; ideoque nec hanc, nec ſequentem accuſationem inter facta hiſtorica reponendam putamus.*

e *Illa convocatio omnium, & paulò infrà curatio omnium infirmorum, conficta ſunt à ſcriptore, qui Sanctam ſic exornare malè ſtuduit.*

f *Apparitio beatæ Virginis in obitu* S. Verenæ *etiam relata eſt à Notkero, cujus verba dedi in Comm. num.* 11.

g *Habes hîc, lector ſtudioſe, Acta medii ævi, quæ præluxerunt recentioribus ſcriptoribus Vitæ* S. Verenæ. *Facilè hinc colliges, quantam Vitis iſtis auctoritatem tribuere debeamus, cùm illarum ſcriptores fabellas horum Actorum liberaliter adoptaverint & ſubinde etiam auxerint. Verumtamen nihil hac de cauſa Sanctæ detractum*
C *volumus : nam ejus ſanctitatem declaraverunt plurima miracula, illamque confirmat antiqua veneratio fidelium.*

MIRACULA

Auctore eodem, ut apparet,

Ex Ms. Elmenhorſtiano.

CAPUT I.

Vindicata libertas eccleſiæ S. Verenæ ; Sanctæ invocatione viſus cæco redditus, & liberi à variis impetrati.

TEmpore, quo Burchardus *a* vir illuſtriſſimus totius Alamanniæ ducatum obtinuit, auſteritatem ejus multi averſantes, exoſum eum habuerunt, & ipſius voluntati per omnia contradixerunt. Quos ut debellaret, copioſam multitudinem militum ſibi ſociavit, quibus non ſolùm ſuas, verùm etiam eccleſiaſticas poſſeſſiones, non conſideratè id pertractans, in beneficia donavit. Inter quæ etiam locum, Zurziaca nuncupatum, theſauro corporis ſanctiſſimæ virginis Verenæ amplificè ditatum, cuidam ſatelliti ſuo, Dietpoldo nomine, tradidit poſſidendum. Sed quia ſumma libertas creditur, quòd Deo ſpecialiter ſervitur *b*, non poſt multos dies cælitus claruit, non eſſe ſani conſilii locum, divinis ſervitiis aptum, humanis ſervilibuſque obſequiis mancipari. Nam, ſicut à fidelibus, qui tunc temporis intererant, probatiſſima relatione compertum eſt, quadam perpulchra viſione divinitus oſtenſa patenter innotuit, quòd Domini virtus ad comprobanda beatæ virginis Verenæ merita non defuit.

D *Cùm Burchardus Sueviæ dux ſeculari viro ſubjeciſſet eccleſiam S. Verenæ,* *a*

b

2 Cùm igitur prænominatus dux quadam die quemdam ſibi adverſantem perſequi & capere voluiſſet, contigit ut cum multo comitatu alveum Rheni, ubi ipſum oppidum Zurziaca præterfluit, tranſvadaret, omneſque ſuperato flumine in unum conglobati ſimul ire incipientes, viderunt ſuper capita ſua per denſitatem aëris duos ſplendidiſſimos viros, duas cruces duaſque albatas candelas in manibus portantes, & quatuor dehinc cum ſarcophago humeris impoſito, quaſi in deducendis reliquiis Sanctorum ſubſequentes, quas cum magna lucis claritate & dulciſſima hymnorum ſuavitate copioſus, & veluti paſſu pedum incedens comitabatur exercitus. Qui etiam, ut ipſi poſtea referebant, viſus eſt eis ſe levare à platea, quæ uſque hodie dicitur Wihegaz, quod eſt, ſanctitatis via, in qua ipſa virgo Chriſti Verena, quoadusque in corpore vixit, pauperibus ſæpiſſimè miniſtravit : & inde per altum euntes, ſubita dimiſſione per orientalem feneſtram eccleſiæ, in honore beatæ Virginis dicatæ, ſe pariter intromittentes, nuſquam ampliùs comparuerunt.

mira viſione docetur id Deo gratum non eſſe,

E

3 Quo viſo dux & omnes, qui cum eo erant nimiùm attoniti, diſcalceatis pedibus oratorium ſunt ingreſſi, devotione humillima veniam roganturi. Deinde ab oratione ſurgentes, propiúſque ad altare accedentes, eam, per quam priùs tantæ multitudinis videbatur introïtus, diligenter circumquaque contemplabantur feneſtram. Quæ ſic inventa eſt ſolida atque perfecta, ut in iis vitreis marginibus nullius fracturæ viderentur veſtigia. Tunc ipſe dux unà cum ſatellitibus ſuis pœnitentiâ ductus, omnium conſenſu voto ſe obligavit, ut quamdiu ipſe viveret, numquam eumdem locum à ſecularibus perſonis poſſideri conſentiret ; ſicque uſque in hodiernum diem ibidem Deo ſervientes ob merita ſanctæ Verenæ nequaquam ſecularis perſonæ ſibi dominantis moleſtiam pertulêre.

eamque deinceps relinquit liberam ;

F

4 Inſuper ad recordationem mentis noſtræ pervenit, qualiter prædictus heros Dietpoldus *c*, cùm adhuc ipſum locum Zurziaca à prædicto duce haberet in beneficium, juxta Ararim *d* fluvium munitionem cœpit ædificare, & turrim in ea miræ altitudinis conſtruere, totamque familiam venerandæ Virginis operibus innumeris, fame & ſiti, flagelliſque multis oppreſſit in tantum, ut natando ſæpe Ararim fluvium manus illius effugeret, &, ut ita dicam, nudo corpore limina ipſius Virginis adiret, & ejus auxilium poſtularet, ut eam liberaret, & ad ſerviendum ſibi concederet. Quod & ita factum eſt. Quadam die illius

pœna Dietpoldi eamdem vexantis eccleſiam : *c* *d*

illius progenie cum ſuis intus manentibus, turris contremere ruereque cœpit, atque vitam præſentem miſerabiliter finivit. Jam tunc prædicta familia eſt liberata, & ad ſerviendum ſanctæ Virgini promptiſſima. Unde contigit ut cives loci illius eam Werinam *e* vocitarent, quia omnia, quæ ab ea fideliter poſtulantur, ſine dubio impetrantur. Sic fit, niſi adſit gratia Spiritus ſancti, Deo & Sanctis ſuis adverſantibus periculum ad pernicionem * interitûs imminere.

e

perniciem

5 Cujuſdam hominis domum quidam malignitatis fraude decepti nocte irrumpentes, furati ſunt equum. Poſſeſſor autem ejus concito curſu perſequens fugientes, ſtatim eos comprehendit, & duobus ex eis, erant enim tres, oculos eruit. Tertius autem erat de familia *f* beatiſſimæ Verenæ virginis; qui captus, invocato nomine ſancto ipſius, veniam poſtulabat pacis, dicens, in omni vita ſua numquam ſe quid tale commiſiſſe; nec poſtea Domini gratiâ adjutus * committere velle, ſi per ipſius voluntatem dimitteretur in pace. Ille autem, cui hæc calumnia deprædationis facta fuerat, propter hæc vota minimè parcens, projecit in terram, lumen oculorum abſtulit, & abſceſſit. Item in ſemet ipſo cogitans ſe aliquid ſegniùs egiſſe, & hominem, quem reliquerat excæcatum, adhuc vel modicum luminis habere, iterum atque iterum rediit, & orbes per palpebras tam funditus inanes fodit, ut ex ejus cæcitate non eſſet opus ampliùs quemquam dubitare. Poſt hoc corpore penitus excæcatus tandem ſurrexit, &, prout potuit palpitando *, ambulare cœpit, ſpem tamen firmam & fidem plenam habens ſuæ illuminationis in Deum & ad ſanctæ Verenæ patrocinium. Laudabilis res & per divinam miſerationem mirifica, quòd hominis malitiâ excæcatur, ſtatim divinitus illuminatur, & poſt excæcationem majorem adeptus eſt videndi claritatem. Permanet etiam adhuc vivens, & ſerviens in miniſterio ſanctæ Zurziacenſis eccleſiæ, teſtis cæleſtium beneficiorum, quæ Dominus per beatiſſimam Verenam clementer operatus eſt in illum.

excæcatus ob furtum, invocatâ Sanctâ, viſum recipit:

f

* adjutum

B

* palpando

6 Conradus *g* Burgundinorum rex inclytus cùm ex legitima uxore liberos non haberet, æſtuanti animo cogitans, quem regni ſui relinqueret heredem, dixit ad conjugem: Eſt locus in Alemannia Deo & ſanctæ Virgini conſecratus. Eamus & ejus clementiam exoremus, ut filios habere poſſimus. Venerunt, devotiſſimè adoraverunt, munera obtulerunt; vota voverunt, quæ poſtquam impleverunt, largiſque eleemoſynis ritè peractis, domum reverſi ſunt, eadem nocte regina intravit ad regem, concepit & peperit filium. Quo audito *h*, vivente patre, ſuſcepit regni gubernacula, & adhuc ordinato regimine principatur.

Conradus Burgundiæ rex ejus interceſſione filium impetrat;

g

C

h

7 Hermannus *i* Alamannorum dux Reginlindam *k* nobiliſſimam matronam accepit uxorem. Cúmque filios non haberent, ſimili modo venerunt adorare ſanctam virginem Verenam, & in ipſo loco pernoctaverunt. Prædicta autem matrona vidit per ſomnum quaſi deſcendere in ſinum ſuum, & in eo latitantem, narravitque viro ſuo. Ipſe autem ſciebat, quia vir ſapiens erat, quòd filiam procrearent. Quæ concepit & peperit filiam. Ipſa autem eorum filia *l* innumeris honoribus creſcebat in ſeculo, ſed majoribus apud Deum, ut credimus, pollebat in cælo.

Hermannus verò Sueviæ dux filiam;

i

k

l

8 Iis etiam addatur tertium, quod dignum eſt ut memoriæ tradatur. Nobilis quædam matrona habitabat in regione Alſatia, quæ longo tempore conjuncta viro ſuo, infœcunda erat tamen in utero. Hæc jugiter cœpit invocare nomen ſanctæ Odiliæ *m*, quatenus per illius pietatem mereretur habere progeniem. Alvo tumeſcente ex conceptu, filiam protulit in partu. Hunc parvipendens femineum, cupiens habere virilem ſexum, non deſinit Virginis implorare auxilium. Denuo concipiens, peperit alteram, ipſamque multùm habuit exoſam. Nec tamen minùs ſanctæ Odiliæ implorabat gratiam. Tertiò verò concipiens, peperit tertiam. Quam ut cognovit, in lectum mœroris decidit, & à nullo potuit conſolari: & quia non eſt exaudita, jacebat in lecto ſemiviva.

matrona alia invocans S. Othiliam pro filio,

A. ANONYMO.

m

9 Veniens autem ſancta Odilia, ejus infirmitatis miſerta, blandis ſermonibus conſolata eſt eam, dicens: Quare ſic agis? Quare irrationabiliter meditaris? Quod à me petiſti, feci, prout potui. Sed, ſi vis habere filios, pete ſanctam venerandamque virginem Verenam: ipſa enim, non ego, habet gratiam donandi filios & filias *n*, & hæc dicens evanuit ex oculis ejus. Prædicta autem matrona, collectis viribus, convocatiſque loci illius presbyteris, ſciſcitabatur ab eis, ubi requieſceret corpus ſanctæ virginis Verenæ. Facta autem inſinuatione ab illis, erat ſerviens ſanctæ Verenæ omnibus diebus vitæ ſuæ. Tunc jugiter & ſine intermiſſione cœpit ſanctum nomen virginis Verenæ pro virili ſexu implorare. Quæ poſtea concipiens, diu adoptato partu ejus miſeratione obtulit geminos filios. Multorum nomina *o* ſcirem nominare; ſed opus non eſt ea ſingula deſcribere, quia adhuc ſunt multi eamdem gratiam petituri. O virgo Verena omni laude digniſſima, ora pro noſtri omnium ſalute, ne pereamus in hac peregrinatione.

monetur ab ea, ut roget S. Verenam, cujus ope geminos impetrat.

*

E

ANNOTATA.

a *Andreas du Cheſne in Hiſtoria Burgundiæ lib. 2 cap. 51 tres recenſet Burchardos, Alamanniæ ſeu Sueviæ duces. Primum ait occiſum anno 911: atque hic idem haud dubiè eſt, qui apud Marcum Velſerum pag. 589 in Stemmate Kiburgenſium comitum ſimiliter ponitur obiiſſe anno 911. Fuit hic per filiam Ditpergam avus maternus S. Udalrici Auguſtani epiſcopi; at hunc non videtur ſpectare. Burchardus II, qui à quibuſdam primus vocatur, ducatum Sueviæ adeptus eſt per Conradum regem, ſeu imperatorem, circa annum 915 aut 916, cæſuſque eſt in Italia anno 926, ut vult Cheſnius. Hunc deſignari Burchardum, ſuadet ordo miraculorum; nam mox ſequitur Conradus Burgundiæ rex, & Hermannus Burchardi ſucceſſor, qui ambo juniores ſunt Burchardo II, & ſeniores Burchardo III ejus filio.*

F

b *Hoc in recentiore Vita Germanica clarius ſic exponitur:* Quoniam autem id, quod Deo eſt conſecratum, nec poſſit, nec debeat ſeculari imperio eſſe ſubjectum.

c *In Stemmate laudato Kiburgenſium comitum apud Velſerum aliquis reperitur* Diopoldus, *filius Hupaldi vel Hugobaldi nepoſque Hartmanni, qui Burchardi I Sueviæ ducis erat frater. Verùm an hunc Burchardi conſanguineum, an alium Diepoldum deſignet auctor, me latet.*

d *Per* Ararim *intelligit rurſus* Arolam, *à quo uno circiter milliari diſtat Zurzachum, ſi non fallunt tabulæ geographicæ.*

e *Nimirum à voce Germanica* wehren *ducta agnominatione, quam prætermiſerunt neoterici; ſicuti omiſſa eſt in apographo noſtro Ms. collegii noſtri*

A. ANONYMO.

noſtri Molſeimenſis in Alſatia, in quo Acta cum miraculis contracta leguntur.

f *Vita Germanica*, Tertius, S. Verenæ mancipium

g *Conradus Burgundiæ Transjuranæ rex, cognomento Pacificus, filius fuit Rudolphi II, & pater Rudolphi III. Uxorem habuit Mathildem filiam Ludovici Tranſmarini Francorum regis. Laudatus Cheſnius de eo latiùs agit lib. 2 cap. 14, aitque unicum ei fuiſſe filium Rudolphum & quatuor filias; defunctum verò anno 994.*

h *Locus hic obſcurior ſic exponitur in Ms. Molſeimenſi*, Genuit filium, qui patre vivente & ordinante rex inceſſit coronatus. *Non quidem invenio Rodulphum III, vivente patre Conrado, coronatum eſſe regem; at res non eſt incredibilis: nec video, cur auctori ſynchrono in eo fidem abrogare debeamus.*

i *Hermannus I Suevia dux deſignatur, ut patet ex uxore. Nullum hic legitur habuiſſe filium; at filiam, quam mox memorabo. Cheſnius cap. 51 Hermannum dicit filium Gebhardi Franconiæ comitis, qui occiſus eſt in prælio contra*
B *Hungaros anno 910, ut ex variis refert Joannes Georgius ab Eckhart Commentariorum de Rebus Franciæ Orientalis lib. 33 num. 6, ubi* Herimannum *vocat. Mortuus eſt Hermannus ipſe anno 948, ſi non fallitur Cheſnius.*

k Reginlinda, *vel* Regulinda *apud Cheſnium*, & Reginilda *apud neotericos, vidua erat Burchardi II, de quo egimus; eoque defuncto nupſit Hermanno, qui Burchardo ſucceſſit in ducatum Suevia, uti habet Cheſnius.*

l *Non dubito, quin hæc filia ſit Itha, quam nuptam Luitolpho Ottonis I imperatoris filio tradit Cheſnius. Factus hic Luitolphus Sueviæ dux poſt Hermannum ſocerum ſuum. Audi de hiſce omnibus Cruſium Annalium Suevicorum part. 2, lib. 4, cap. 9:* Anno CMLVII Luitolfus, dum bellum magno ardore proſequitur, repentina morte perit... Fuit Luitolfus natione Saxo, factus à patre Othone dux Sueviæ... Luitolfo ſucceſſit quartus (*imò quintus ſaltem à Burchardo primo, quem omittit*) Burchardus II (*revera III*) qui erat primi (*rectiùs ſecundi*) Burchardi & Dietbergæ, vel, ut alibi reperitur (*& verius*) Regelindæ filius; ac ſecundi (*tertii*) ducis Her-
C manni privignus. Ipſe & anteceſſoris Luitolfi uxor Itha erant... eadem matre nati, *Regelindâ videlicet. Hæc omnia ſatis nobis conſentirent, ſi Burchardum I agnoviſſet Cruſius: quem dum omittit, ducum numerum neceſſariò minuit.*

m *Colitur S. Odilia vel Othilia virgo in diœceſi Argentoratenſi in Alſatia, inſcriptaque eſt Martyrologio Romano ad 13 Decembris, ubi de ea agetur latiùs.*

n *Non quidem inuſitatum eſt, quòd aliquis impetret unius Sancti interceſſione illa, quæ fruſtra roguit ab alio; quódque etiam moneatur à primo, ut alterum accedat. Hæc tamen verba prorſus ſingularia ſunt, ideoque dubitari poteſt, an ſic prolata fuerint à Sancta apparente, ut ſibi poteſtatem ſimilia impetrandi generatim abjudicaret, alterique attribueret. In Molſeimenſi Ms. verba hæc ſunt:* Cur contriſtaris? Quid mihi iraſceris? Feci, quod potui. Verenam roga. Ipſa habet poteſtatem dandi filios & filias. *Auctor contemporaneus cùm ſit, facilè credo, matronam fuiſſe monitam à S. Othilia, ut* S. Verenam *rogaret, cujus interceſſione filium aut filios impetraret. At exiſtimo verba, quæ Sanctæ attribuit, non habenda pro certis, cùm idem ſcriptor juſto liberior ſit in exponendis aliorum dictis.*

o *Videtur ſcriptor nomina variorum prætermiſiſſe, quòd adhuc viverent, idque præcipuè facit, dum honori illorum nocuiſſet relatio.* D

CAPUT II.

Beneficia ope Sanctæ impetrata: laborantes in feſtivitate ejus, blaſphemi, fures, raptorque puniti, & aliqui ex iis pœnitentes deinde, invocatâ Sanctâ, ſanati.

Lapides ad inſtaurandam eccleſiam ex fluvio facilè elevati?

IGitur quodam tempore magna pars templi venerandæ Virginis ex fragilitate aquoſæ terræ à ſummo uſque ad fundamentum cecidit, populoque ingreſſum negavit. Tunc juſſum eſt ab abbate *a*, ut tales fundamenti lapides acquirerent, ut ultrà opus reſtaurandi non haberent. Statim ſe congregaverunt cives, ubi ſciebant eſſe cumulum lapidum ſubmerſorum in locum, qui dicitur Confluentia, ubi Araris fluvius Rheno conſociatus decurrit; & bonum conſilium inierunt, ut, quamvis evellere non poſſent, tamen incipere ſtuderent: KYRIE ELEYSON cantantes more fidelium militum, properantium ad bellum, ſaliendo ingreſſi ſunt Rhenum. Deus enim, qui eſt totius boni auctor, per merita ſanctæ Virginis firmam voluntatem illis dedit, frigus abſtulit, (hyemis enim tempore fuit) audaciam præſtitit, vigorem talem intulit, ut, quos viginti homines in terra non poſſent portare, à quinque vel ſex in aqua uſque ad terram perducti ſunt *b*. Quos intuentes, figuras litterarum & imagines hominum viderunt in eis ſculptas; & ideo cognoverunt, eos dudum naufragio ſubmerſos. Manus enim ſcribentis in aquarum ſubſtantia inutilis eſt. Tunc magna proſperitate fundamento impoſiti, & bene ſunt ſuperædificati. Laudemus venerandam virginem Verenam, quæ nobis Chriſtum faciat eſſe complacatum.

E

a

b

F

inundatio aquarum repreſſa poſt Sanctam invocatam:

11 Æſtivo igitur anni prioris tempore ſub cujuſdam, neſcimus quâ, noctis quiete accidit grande miraculum, quod nobis eſt bene cognitum, quia oculis noſtris vidimus: ideo teſtes veritatis ſumus. Rheno enim ex abundantia aquarum egreſſo ſuprà modum & immaniter amplificato, totum penè ſegetis tegebat fructum, ſpem vivendi abſtulit, atque cives deſperantes fecit. Hoc intelligentes, ante lucem ad monaſterium *c* venerunt, lacrymabiliter veniam Virginis deprecantes, ne ſe deſereret, & ab importunis æquoribus eos liberaret. Et ſurgentes ab oratione, tollentes cruces, ſanctitatemque *d* portantes, venerunt uſque ad campum, ſed tamen propter metum æquoris non auſi ſunt intrare planitiem ſegetis. Tunc ſubitò in articulo unius momenti felici recurſu Rhenus proprium alveum ingreſſus eſt, nulla læſione comitante; & ſegetes, quæ erant proclives in mane, ſtatim erigebant ſe in meridie. Tunc omnes effecti ſunt læti, cantantes atque laudantes ſanctam Verenam, & dicentes: Laudemus Virginem venerandam, quæ flore caſtitatis laudem promeruit in excelſis.

c

d

12 Nec hoc prætereundum putamus, quòd quædam

A *mulier in festo laborans subito malo percussa, & ad altare sanata:*

quædam mulier incauta nimis diem dedicationis ecclesiæ noluit servare ejusdem Virginis gloriosæ; sed arripiens fusum & cōlum penso involutum, insistebat operibus manuum. Cùm autem à vicinis mulieribus fuisset ammonita, ne hoc ageret, sed secum ad ecclesiam pergeret, noluit illis consentire, sed magis cœptum opus adimplere. Illis abeuntibus *e*, facta oratione, acceptaque benedictione, gaudentes remearunt ad sua. Intrantibus autem illis prædictæ mulieris mansionem, invenerunt eam in terra jacentem, ore spumantem, dentibus stridentem, colum lævæ, dexteræ autem fusum, destrictè adhærentem, omniumque membrorum officio carentem. Nec mora, vehiculo imponentes *f*, ante sanctum altare corpus inane deferentes; diu clerici cum omnibus, qui aderant, deprecationes facientes, per merita sanctæ Virginis mulieri incautæ subvenit gratia Salvatoris. Illa, quæ in manibus tenebantur, divinitus transiliendo super altare venerunt, & membra debilia mulieris sana surrexerunt. Tunc omnis clerus laudes Deo psallentes, ad propria reversi sunt gaudentes. Stellas

e

f

B in cacumine cæli videmus, arenam in litore maris novimus, sed dinumerare non valemus. Ita nec describere possumus miracula, quæ fiunt semper per Virginis gloriosa merita, præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre in unitate Spiritus sancti vivit & regnat Deus in secula seculorum. Amen.

blasphemia in Sanctam graviter punita,

g

h

13 Huc usque audistis blandimenta pietatis; nunc audite hujus Virginis sententiam potestatis. In regione igitur Francorum *g* fuit quidam comes, multùm per omnia dives. Hic totum tempus vitæ suæ vixerat sine filiis cum conjuge sua. Cúmque à nobis sæpe foret ammonefactus, ut Zurziacum locum causâ orationis adiret, veniam Virginis imploraret, & aliquam portiunculam suæ hereditatis, quamvis parvulam, illi donaret, ut filios habere potuisset; nostræ autem ammonitioni non consentiens, sed in ridiculum prorumpens, Hi tales *h*, dicebat, in virtutibus sunt fragiles, in rebus bellicis semper inutiles. Postmodùm autem ipsa ejus uxor, quia nolebat credere spem suam in Virginem sanctam habere, ex ictu fulminis est percussa, atque miserabiliter vitam præsentem finivit, ipse autem

C sine filiis permansit.

furantes in festo Sanctæ impediti ac puniti, deinde sanati;

** reliquias*

** tempus quieti destinatum*

14 Cùm dies festus adesset venerandæ virginis Verenæ, dies annuæ exspectationis nostræ, de regionibus multis populis congregatis, fures etiam, quasi ad adorandum hujus Virginis sanctitatem *, eamdem cum illis viam locum Zurziacum ingressi sunt. In crepusculo autem cujusdam noctis equos furati sunt, recedentesque erraverunt per montes & silvas, per campos & paludes, & per multa incommoda duxerunt totam quietem * noctis, vix crepusculum diei exspectantes. Unus autem eorum venit equitando in atrium ecclesiæ scissis vestibus, corrupta facie, sine sensu & intellectu corruens in terram quasi mortuus. Equus Domino suo redditur, fur autem à populorum manibus ad sanctum altare portatur; factaque oratione ab omnibus, surrexit sanus, spondens se ultrà tale non facturum, & sub censu sanctæ Virginis proprium *i* servitu-

i

rum. Quod ita fideliter fecit, ut promisit. Alter autem sine sensu venit nescius cum caballo ad

k l scenoniam *k* proprii senioris *l*. Similiter per merita sanctæ Verenæ est liberatus, recessitque illæsus: & sine crimine ambo vitam finierunt.

15 Rusticus quidam, cùm in dedicationis die ejusdem ecclesiæ ad colligenda ligna abscindendo silvam intraret, manubrium, quod tenebat manu, firmiter adhærebat. Ad altare ductus, oravit prostratus coram populo. Recessit sanus. Vir quidam pro redemptione animæ partem hereditatis suæ dedit Fratribus, Deo & sanctæ Verenæ servientibus, additque molendinum congregationi *m* valde necessarium. Cui potentior aliqua persona resistens, quòd iste bene contradidit, ille malè detrahere voluit, commutans cursum justum rivuli, ducens in alium locum injustum viri proprii *. Quodam autem tempore rivulus ille inauditâ abundantiâ magnificatus erumpens, totamque structuram clausuræ frangens, sine pluviarum guttis, nulloque juvamine hominis, sed solâ potentiâ Dei majestatis pervenit ad locum cursûs prioris. Ille autem homo multùm perterritus advenit, veniam Virginis deprecaturus, & quod incautè abstulit, diligenter reddidit atque emendavit.

A. ANONYMO. *aliud in festo laborans, percutitur & sanatur; mola Sanctæ congregationi vindicata:*

m

* servi

E 16 Memoratus *n* quidam cum comitatu magnæ multitudinis per oppidum Zurziacum iter agendo tempus unius noctis mansitavit in ædificiis sanctæ Virginis. Unus autem ex illis, qui in ministerio ceteris præfuit, nobis contrarius, & nostrarum rerum malignus dispensator in distribuendo extitit: quod postea rerum eventus probavit. Nam ab ædituo ecclesiæ ceram ministerialem *o* cum magna austeritate quæsivit: ipse autem, prout habuit, dedit. Contrà ille magis ac magis accipere voluit; ipse verò, quia non habuit, minimè dedit. Tunc ille furore repletus candelas circa sanctum altare ad se traxit, protinusque recessit. Mane autem facto, ire cœperunt; sed subitò iste anxius cecidit de caballo planâ terrâ, quasi in basilicæ pavimento, fractisque cruribus jacebat quasi mortuus, manibusque suorum ad mansionem reportatus, diu manens in hac infirmitate detentus; nec priùs meliùs habuit, donec se redimere studuit. Laudemus Verenam sanctam, quæ dat pœnitentibus misericordiam, ad se venientibus gratiam præstat, terrorem delinquentibus incutit, petentibus veniam distribuit, præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre in unitate Spiritus sancti vivit & regnat. Amen.

quidam ob raptas ex ecclesia Sanctæ candelas subito morbo percussus, & dein sanatus.

n

o

ANNOTATA.

F a *Varia in hisce miraculis sic referuntur, acsi ecclesia* S. Verenæ *monachis fuisset subjecta: quod tamen nullibi clarè dicitur. Hìc abbatis fit mentio, postea Fratrum & Congregationis. Verùm scriptores neoterici hæc rectè videntur explicare de præposito ecclesiæ, & de fratribus antiquæ confraternitatis, quæ congregatio vocatur, ideoque eorum insistam vestigiis. Accipe, quomodo eum, qui hìc* abbas *dicitur, vocet Vita prior Germanica:* Mandavit præpositus, decanus, sive præses sacerdotum in Zurzach. *Quidni etiam* abbas ecclesiæ S. Verenæ *dici possit? Nam abbas non necessariò monachorum superior est, cùm olim non modò monachorum abbates essent, sed etiam abbates canonicorum, idemque titulus Canonicorum præpositis hodieque detur quibusdam locis. Quin imò paræciæ rectores subinde* abbates *nominati leguntur, atque idem titulus multis aliis fuit attributus. Consule Cangium in Glossario auctо ad vocem* abbas.

b *Hoc miraculum, si revera miraculum vocari debet, & res peracta non est modo naturali, prætermissum est in Ms. Molseimensi.*

A. ANONYMO.

c *Per* monaſterium *intellige eccleſiam, ſicut vox* monaſterium *non rarò ſumitur. Vita Germanica :* Currunt homines afflicti ad ſepulcrum, ſive locum S. Verenæ *&c.*

d *Id eſt*, reliquias *aut* thecam reliquiariam, *ſicuti vox* ſanctuarium *ſubinde ſumpta fuit. Formata eſt vox à voce Germanica* heiligthum, *quæ reliquias ſignificat, & ab eadem oritur radice cum voce* heiligkeyt, *quæ* ſanctitatem. *Pro reliquiis vocem ſumi, clariùs patet num.* 14, *ubi repetitur.*

e *Solœciſmus hic aliquoties recurrit. Lege :* Illæ abeuntes *&c.*, *& paulo inferiùs :* Intrantes autem illæ *&c.*

f *Hic alius eſt Solœciſmus prædicto oppoſitus. Lege :* Illis imponentibus ... deferentibus, .. & clericis deprecationes facientibus *&c. Porrò cùm ſimilia orationis vitia non reperiantur in aliis miraculis, ſuſpicari poſſumus hoc deſcriptum fuiſſe ab alio quopiam, & ceteris adjectum. Legitur tamen etiam in Molſeimenſi ſine ſolœciſmis, ſed ultimo loco.*

g *In Vita Germanica dicitur*, ex Francia Orientali.

B h *Ibidem*, mulieres *&c.*, *additurque uxorem comitis non minùs blaſphema verba dixiſſe, & peiora etiam, quàm comitem.*

i Proprius *ſumitur pro cliente, ſervo, mancipio.*

k *Vocem hanc non reperio. Sed haud dubiè locus deſignatur.*

l Senior *hîc dominum ſignificat, uti alibi ſæpe.*

m *Jam dixi, hîc poſſe intelligi confraternitatem, cui bona illa fuerint data, niſi quis malit intelligere clericos, qui divina officia obibant in eccleſia Sanctæ, & forſan in communi vivebant.*

n *Vox ſic legenda videtur, ſed ambiguè ſcripta eſt. In Molſeimenſi habetur :* Quidam nobilis cum exercitu *&c.*

o *In dicto Ms.*, Ceram petiit ad lumina facienda.

CAPUT III.

C

Reliqua miracula & beneficia medii ævi.

Quidam nobilis ex gravi infirmitate reſtitutus ;

a

b

c

FRater quidam erat in congregatione *a*, nobilis quidem genere, ſed nobilior dignitate. Hic vias juſtitiæ ſemper habebat in corde, &, prout potuit, Fratribus ſervitium impendebat. Diligebat autem omnes & ab omnibus diligebatur. Creſcebat autem eo tempore juventutis infirmitas magnæ ponderoſitatis, & à nullo medicorum *b* induſtria potuit ſuperare incommoda. Cœperat ejuſdem Virginis ſanctæ jugiter juvamen implorare, ac ſæpiùs ejus requiem *c* viſitare, ut ab ea mereretur liberari. Cúmque quadam die adveniret, & humiliter orando proſtratus jaceret, ut dicunt homines, obdormivit, ſanuſque ſurrexit, & cum magno gaudio ad propria remeavit, ac uſque ad finem vitæ illæſus permanſit. Hæc ideo, Fratres, deſcripſimus, & pauca de multis expreſſimus, veluti quoſdam flores de pratis, ut in die ſolemnitatis ſanctæ Verenæ virginis habeat dilectio veſtra ſuper nocturnos in nocte ad legendum, & in die ſuper menſam refectionis Fratribus ſufficienter ad intelligendum, & in omni loco ſemper reſonet laus Dei in auribus noſtris, qui in Trinitate vivit & regnat Deus unus in ſecula ſeculorum. Amen *d*.

D

d candelæ in eccleſia Sanctæ vento exſtinctæ, rurſumque ſæpius ſponte accenſæ ;

18 Igitur in die Purificationis ſanctæ Mariæ cum oblatione cives univerſi ad eccleſiam ſunt congregati, Miſſarum ſolemnia proceſſionemque ſanctæ crucis exſpectantes. Cumque divinæ laudis tempus adveniret, officio candelarum ritè peracto, accenſiſque omnibus, ad eccleſiæ januam venimus, ſinguli ſingulas candelas in manibus portantes ; ſed tamen nulla ardens præ valetudine venti ingrediebatur. Et dum quaſi centum paſſus ab eccleſia digreſſi ſumus, ſubitò cum magna impetûs tempeſtate, irruit ventus vehemens ab aquilone ; multa ædificia in villulis fregit, magnaſque in ſilvis arbores radicitus erutas in terram projecit. Cúmque ardentem flammam in candela vidiſſemus, manum ad defendendum appoſuimus, jamque mox extinctam cernebamus. Illico retraximus manum ad corpus, cum celeriter ardentem invenimus ; omnibuſque populis hoc factum ſimiliter inſpicientibus, quod nos latuit, qui poſt tergum noſtri fuit Iterum atque iterum manum ardenti candelæ appoſuimus : nutu divino extinguitur, atque rurſum divinitus accenditur. Quotiens manum flammæ ad protectionem præbuimus, totiens Deo inſpirante * extinguitur, atque iterum inflammatur. Quarta autem vice ad noſmetipſos revertimur, cognoſcentes verè in nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis hoc factum eſſe. Nam trina & unum quatuor faciunt. Trina pertinent ad ſanctæ Trinitatis majeſtatem ; unum ad ſanctæ Unitatis Deitatem *e*. Sine autem defenſione manuum, & cum immobili flamma pervenimus ad templum Domini : cum ſumma lætitia reverſi ſumus ad propria.

E

* *i. e.* agente *vel* diſponente

e

laborans in Sanctæ feſto, morbo percuſſus diuturno ;

19 Villanus *f* quidam diem ſolemnem ſanctæ Verenæ dignis feriis noluit obſervare, ſed abiit ad proprium pratulum, volens fœnum aridum evertere de loco in locum. Dixerunt ei presbyteri boni : Eſt hodie feſtivitas ſanctæ Virginis. Non licet tibi hodie quidquam operis ſervilis facere. Ille autem pro nihilo habuit, nec omnino opus dereliquit. Maledixerunt ei presbyteri, dicentes : O ſancta Verena, redde illi mercedem *g*. Ille autem miſer ſex vicibus cecidit, lunaticè in terram cadens. Stomachari cœpit, & longum malum longo tempore habuit, donec Virginis gratia illum ſanavit.

f

g

F

punitus cum uxore, quæ renuebat ſolvere tributum Sanctæ debitum ;

20 Tributarius *h* quidam copulavit ſibi in conjugem ſimilem ſibi tributariam. Etenim illius ſubſtantiæ per partes plurimas ditatus, non poſt multum temporis factus eſt vir inclytus. Cúmque filios & filias haberet, erubeſcens ſe ſanctæ Virgini tributum ſolvere, quod ex hereditate debuit reddere, abduxit ſe ſuamque progeniem cum Virginis maledictione : quod poſtmodum rerum eventus oſtendit in actione. Nam ipſe & ejus conjugata defuncti ſunt ambo morte inſpirata *i*. Procreatio autem ejus, quæ nunc ſupereſt, patitur paralyſim, cunctorum carens officio membrorum, niſi tantùm habens viſum oculorum. Sic fiat *k* detrahentibus beatæ Verenæ ſanctis virtutibus.

h

i

k

mulier in aqua mirabiliter ſervata :

21 Igitur quodam tempore familia *l* ſanctæ virginis Verenæ juſſa eſt ex ipſa ripa, quâ monaſterium eſt conſtructum, in alteram convenire ad metendum. Perrexerunt quidam, eccleſiam præterierunt ; alii autem humiliter adoraverunt. Muliercula autem proſtrata intentiſſimè ſe Deo & beatæ Virgini commendabat : & ita ventum eſt

l

A **eſt uſque ad naviculam** navigationis. Sed quia navicula parva erat, plures portare non poterat. Pauci, qui eccleſiam præterierunt, naufragio perierunt. Qui autem proni adoraverunt, ex gratia Virginis evaſerunt. Muliercula autem illa uſque ad ima Rheni eſt ſubmerſa, atque ambulando mirabiliter eſt tranſducta. Cives autem hæc videntes, occurrerunt ei obſtupefacti, mirando dicentes: Unde venis, aut quò vadis, aut qualiter habes? Illa dixit: Pretioſa femina ponens in imo manum ſuam ſuper os meum, & alteram ſuper capitis mei cincinnum, produxit me ad medium veſtrûm. Tunc omnes læti, prout potuerunt, laudes Deo & ſanctæ virgini Verenæ in altum cantaverunt.

cæcæ viſus redditus invento vaſculo, quo uſa erat Sancta, inde ſacellum ædificatum:

22 Vas itaque lapideum in urbe antiqua juxta Rhenum à paſtoribus gregum fuerat repertum *m*, de quo poſt paululum dicemus, cùm ad illius loca congrua ſcribendo perveniemus. Nam quædam fidelis femina vidua lacrymando maritum perdidit viſum oculorum: ac jugiter veniam Virginis implorabat cum lacrymis. Nocte igitur veniens ſancta Virgo, ſuſcitavit eam, dicens *n*: Eſt vas lapideum, in quo infundens aquam calidam cum cinere mixtam, lavi capita leproſorum, aliorumque veſtimenta infirmorum. Si ex illo laveris, procul dubio viſum habebis. Surrexit concita, ducatum petiit à vicina muliere, vas invenit, lavit oculos, & vidit. Poſt *o* hæc autem Almitati ejus & ſanctorum Thebæorum martyrum pulchra eccleſia in eodem loco eſt fabricata, in qua Chriſti miracula viſa ſunt & audita. Nam cùm ex aliqua negligentia nocturnale lumen deeſſet, totus locus prædictæ urbis magno redundans ſplendore luminis, ſicut viſum eſt cuidam beato presbytero, in adjacenti juxta Rhenum oppido habitanti, manenſque * in totius noctis ſpatio. Simili autem modo, privatâ eccleſiâ officio clericorum, audita eſt vox pſallentium angelorum, & tam dulcis in auribus audientium, veluti mel eſt in dentibus manducantium. Cuſtodes autem volentes accedere, non potuerunt pedem ante pedem levare.

m
n
B
o
* *lege* manebat

filius impetratus.

23 Secundus igitur Hermannus *p* Alamannorum dux, dum eſſet præcipuus omnibuſque virtutibus vir præclarus, Conradi prædicti regis filiam duxit uxorem. Cúmque ex ea filias ſatis procrearet, filios autem non haberet, ambo venerunt, gratiam Virginis pro filio poſtulaverunt: quod ſtatim poſtea impetraverunt. Quo nato, xenia non parva obtulerunt cum puero: & cum benedictione Virginis & gratia recedentes, læti venerunt ad propria. De quo plurima in alio loco ſcripturi ſumus, ſi Deus permittit, qui omnia ex nihilo creavit: cui honor & gloria per omnia ſecula ſeculorum. Amen.

p
C

ANNOTATA.

a *Hæc ſecundum antè dicta ſic exprimuntur in Vita Germanica:* Erat ex confraternitate S. virginis Verenæ ſtemmate quidam nobilis, virtutibus verò & auctoritate nobilior. *Non habetur hoc beneficium in Molſeimenſi.*

b *Phraſis luxata eſt. Lege:* Nullus medicorum induſtriâ *&c.*; *vel:* Nulla medicorum induſtria.

c *Id eſt, ſepulcrum, uti habent neoterici.*

d *Clauſula hæc, & phraſis vitioſa alium rurſus auctorem inſinuare videtur.*

e *Frigida hæc eſt ratiocinatio. Factum ipſum nec in Molſeimenſi, nec in Vita Germanica habetur; forſan quia minùs videtur ſpectare ad* S. Verenam. *Nolui tamen illud omittere, quia reperitur in noſtro Ms., & in eccleſia* S. Verenæ *contigit.*

A. ANONYMO.

f Villanus *ruſticum, ſeu ruricolam ſignificat.*

g *Zelus hic quidem erat imprudens; ſed idcirco factum falſitatis non arguendum, cùm numquam non reperiantur imprudentes. In Molſeimenſi habetur:* Qui maledixerunt ei, orantes Verenam, ut ſe vindicaret. *Ex miraculis, quæ ſequuntur, nullum amplius legitur in Molſeimenſi.*

h *Hoc in Vita Germanica ſic exprimitur.* Servus quidam & cultor S. Verenæ duxit in uxorem ſimiliter ejuſdem Virginis famulam. *Verùm hæc minùs rectè; nam tributarius ille eſt, qui tributum ſolvere alicui debet, & alius eſt à ſervo, ſive mancipio, multo minùs* cultor *Sanctæ dici debebat. Illud autem tributum ſolvebat* ex hereditate, *id eſt, quia hereditatem adeptus erat cum onere tributum aliquod ſolvendi eccleſiæ* S. Verenæ.

i *Id eſt, divinitus illata: nam ſic illa voce antè uſus eſt auctor.*

k *Et hîc ſcriptor ille oſtendit zelum ſine ſcientia.* E

l *In Vita Germanica,* feudales & mancipales eccleſiæ S. Verenæ.

m *In Vita Germanica dicitur vas rurſus abjectum fuiſſe à paſtoribus.*

n *Sequentia ſic narrantur in eadem Vita Germanica:* Quære vaſculum à paſtoribus inventum, ex quo ego pauperum capita abluere & mundare fui ſolita. Si itaque illi aquam impoſueris, eâque te laveris, priorem tuum viſum planè recipies. Quo dicto, mulier læta ſurrexit, ſeſeque à paſtoribus ad locum illum, quo ſacrum vaſculum abjecerant, duci curavit *&c.*

o *Rurſum Vita Germanica:* Propter hoc magnum & notabile miraculum, ad honorem Dei & hujus ſanctæ Virginis, etiam ad laudem totius ſanctæ Thebeienſis Societatis, in ſacro illo loco capellam aliquam ædificarunt, quæ hodierno adhuc die capella S. Mauritii apellatur, & etiam ſingulis annis à magna hominum turba publica proceſſione & ſupplicatione viſitatur, *&c.*

p *Hæc optimè congruunt cum dictis laudati ſuprà Cheſnii, qui lib. 2 cap. 51 de Hermanno II Sueviæ duce Gallicè hæc habet:* Tunc (*anno* 997) Otto III ducatum dedit Hermanno II, illuſtri ac potenti domino: nam nuptiis ſibi conjunxerat Gerbergam ſeu Guepam filiam Conradi regis Burgundiæ, ... ex qua genuit filium unum & tres filias, videlicet Hermannum ſucceſſorem ſuum *&c. Miror hoc beneficium omiſſum eſſe in Vitis Germanicis, niſi forſan ſcriptores illi putaverint Hermannum hunc eumdem eſſe cum memorato antè Hermanno I, cui ſimile obtigit beneficium. Hiſce demum ſubjungam appendicem miraculorum aliquot, quæ narrantur in Vita Germanica, prout illa nobis Latinè reddita eſt.* F

A. ANONYMO.

APPENDIX

Ex Vita Germanica, interprete Winando Peſcher.

Obtentus ope Sanctæ filius, *a*

SEreniſſima regina Agneta *a* regio ſanguine ex Ungaria nata, potentiſſimi imperatoris Romani Rodolphi conjux, tempore quodam ſe celebre S. Virginis ſepulchrum viſitaturam vovit, ut Deus ſibi hæredem dare dignaretur, quo facto fuit exaudita, Filiumque impetravit, quem Joannem *b* appellavit. Qui poſtea anno MCCXCIV fundationem S. Verenæ in tutelam ſuam & patrocinium ſuſcepit. Quæ litteræ præter cætera veriſimilia teſtimonia tam de donatione & confirmatione hujus eccleſiæ, quàm etiam de narratis aliiſque miraculis adhuc conſervantur, & exhiberi poſſunt.

b

B

cæcæ viſus reſtitutus,

25 Anno MDCVI contigit, poſtquam pii quidam conjuges filiolam longo tempore cæcam haberent, quòd illam S. Verenæ in Zurzach voverent. Et ecce, cùm votum ſuum ibidem impleviſſent, Dominus Deus gratiam ſuam oſtendit, cæcamque filiolam rurſus illuminavit, ut ipſi nos præſentes ex utroque parente percepimus.

ſcabies ſublata, *c*

26 Non ignota perſona in loco, vulgo Thienger dicto, comitatui Sultzenſi *c* ſubjecta, filiolam habebat in tota facie nocivâ & mortiferâ ſcabie ita defœdatam, ut nullus medicorum mederi potuerit. Quare hæc ſyncera & pia perſona hanc filiolam S. Verenæ offerre vovit. Cùm jam puellam ad ſepulchrum anno MDCXIII perduxiſſet, omnis ſcabies quantocius defecit, puellaque planè fuit ſanata. Quare Deum in dilectis ſuis Sanctis ſummè laudavit, & gratias egit.

uti & ſurditas & oculorum dolor, *d*

C

27 Anno MDCXVI contigit, quòd duo viri ex imperio Zurchenſi *d* XIV Junii in Zurzach venirent, ibidem ſuo voto, quod ex conſilio piorum hominum ſuſceperant, ſatisfacturi, ex cauſis, quia uxores earum valde ægrotarent, una ex ſurditate, altera verò ex glaucomate, ſeu oculorum dolore. Quamprimum autem preces ſuas perſolverant, eorum petitionibus per interceſſionem S. Verenæ fuit ſatisfactum. Quemadmodum uterque cum gratiarum actione reverſus exitum ſui voti indicavit.

mulier inviſens ſepulcrum, *e*

28 Margaretha *e* femina ex Pfullendorff anno MDXCIX magno & terribili tumore in pede erat affecta, ingenteſque longo tempore dolores patiebatur: & quamvis ubicumque auxilium & conſilium imploraret, multa etiam remedia adhiberet, nihil tamen juvabant, ſed tumor & dolores quò diutiùs, quò plus proficiebant. Interea occurrunt ei multiplices gratiæ & favores, quos S. virgo & martyr Verena apud omnipotentem & miſericordem Deum ſuâ fideli interceſſione multis hominibus in omnibus eorum difficultatibus & neceſſitatibus conſecuta eſt & impetravit. Quare ſe munus aliquod ſive ſacrificium, piamque peregrinationem ſanctæ ejus eccleſiæ & ſepulchro exhibituram vovit: mox ſe ad iter accingit, & quidem tempore hyemali in Januario, in magno frigore, & profunda multaque nive: cùm jam totaliter languida & defeſſa, etiam aliquantulum debilis & infirma in Zurzach veniret, ſtatim & ſine mora eccleſiam, & ſepulchrum S. Verenæ virginis & martyris inviſit, offert munera ſua & preces, quem in finem (quia illa, ut dictum, aliquantulùm defeſſa, debilis & infirma fuerat) ſubſidit, & inter orandum etiam indormivit. D

ſanatur ex tumore & dolore pedis.

29 Poſt mediam circitèr horam rurſus evigilat, reperitque non ſolùm dolores pedis, infirmitatemque cordis unà cum defatigatione membrorum, verùm etiam tumores pedis defeciſſe. Quare ſurgit, gratias ferventiſſimè primò agit omnipotenti & miſericordi Deo, deinde etiam S. virgini Verenæ pro fideli illius interceſſione. Porrò ſe confert ad reverendum admodum & doctiſſimum virum ac dominum D. decanum illius eccleſiæ, eique in præſentia reverendi domini Galli, cellarii ſacræ eccleſiæ S. Blaſii, decani in Klingenaw *f*, uti etiam honeſtiſſimi viri, & domini Pelagii Artzlin, ſecretarii urbici & memoratæ eccleſiæ S. Blaſii præfecti in Keyſerſtull, hoc expreſſum & notabile miraculum narrat, quod ſibi per gratiam & bonitatem Dei, & per interceſſionem S. virginis & martyris Verenæ paternè fuit communicatum. E

f

ANNOTATA.

a *Hoc beneficium variè narrant hic auctor Mauritius Adler (modò verba ejus fideliter reddita; nam Vitam ipſam Germanicam non vidi) & recentior Hieronymus Richter, cujus Vitam Germanicam præ manibus habeo. Omnis tamen varietas eſt in perſonis. Prior certò errat, cùm Rudolfus I imperator uxorem non habuerit filiam regis Hungariæ, nec filium Joannem. Richterus meliùs dicit Agnetem fuiſſe filiam Ottocari Bohemiæ regis: nam hæc nupta fuit Rudolfo Sueviæ duci, Rudolfi imperatoris filio, quem* archiducem Auſtriæ *nominat minùs rectè, cùm Auſtria eo tempore* ducatûs *tantùm titulo gauderet; atque hic Rudolfus ex Agnete genuit filium Joannem, ut multi tradunt ſcriptores.*

b *Vitus Arenpeckius in Chronico Auſtriaco de Joanne ejuſque parentibus ſic habet tom.* I *Scriptorum rerum Auſtriacarum col.* 1229: Rudolfo filio regis Rudolfi Agnes, ſoror ſexti regis Bohemiæ Wenceſlai, filia Othocari, nupſit, ... & ex ea natus eſt Johannes, qui Albertum regem circa flumen Rhenum, non longè ab oppido Schaffhuſn, dum ſimul amicè iter agerent, ſua manu interfecit: deinde pœnitentiâ ductus Clementem V Pontificem maximum, qui ſibi purgationem indulgeret, apud Avinionem adiit. Pontifex cæſaris occiſionem ab imperatore judicandam ait. Venit igitur Piſas, ubi cùm * cæſar Hainricus VII ejus nominis imperator conſidebat; à quo juſſus religionem ingredi Eremitarum S. Auguſtini, in eaque perpetuò pœnitêre, non recuſavit: mortuus eſt in eadem urbe & in æde ſui Ordinis ſepultus. *Idem repetit auctor col.* 1236, *eademque Alberti imperatoris affigit anno* 1308, *& contigiſſe dicit* juxta civitatem Baden, .. in quo loco monaſterium ædificatum eſt & dictum Kunigsfelden. F

* *fortè* tum

c Sultz, *quod aliqui* Solicinium *vocant, oppidum eſt Sueviæ ad Nicrum flumen in ducatu Wurtembergico. Illud olim ſuos habuiſſe comites patet ex Cruſio, qui ſubinde de iis meminit.*

d Ex pago Tigurino, *ſeu* ditione Tigurina *voluit dicere, uti habent Richterus & Murerus. Tigurinus autem pagus, cujus caput* Tigurum, *Germanicè* Zurich, *notiſſimus eſt & primum locum obtinens in Helvetia.*

e *Apud*

A ē *Apud Richterum vocatur* Margarita Waiblin, nata in Pfullendorff.

f Clingenovium, *vulgò* Klingenau, *eſt oppidulum ad Arolam*; Kayſerſtul, *quod mox ſequitur, ad Rhenum*; *utrumque eſt in præfectura Badenſi, & epiſcopo Conſtantienſi ſubjectum, ſicuti Zurzachum ipſum, quod utrique ferè interjacet. Ex hiſce demum colliget lector, miracula & beneficia haud dubiè plura contigiſſe, cùm videantur continuata à ſeculo decimo, quo anteriora facta ſunt, uſque ad ſeculum decimum ſeptimum, quo aliqua adjunxit Germanus Vitæ ſcriptor, ſed ea tantùm, uno excepto, quæ ſuo tempore noverat facta.* A. ANONYMO.

DE S. FIRMINO EPISCOPO CONF.

AMBIANI IN GALLIA

COMMENTARIUS PRÆVIUS. J. S.

Geminus Ambiani Firminus, martyr alter, alter confeſſor: hujus Acta anachroniſmis fœdata: elogia aliunde deprompta, tempus vitæ diſcuſſum.

B F

CIRCA AN. CCCLXX AUT CCCLXXX. *Ambianum olim Samarobriva, & Somonobria dictum;*

Ambiani, vetuſta gens Galliæ in Belgica ſecunda Bellovacos inter & Atrebates Somonam flumen accolunt, quod Latini olim Samaram *vocabant, uti videtur ex antiquo urbis primariæ nomine. Quippe urbem gentis primariam* Samarobrivam *nominavit Cicero cum antiquis, alii* Somonobriam *&* Somanobriam *recentius vocarunt, ut videre eſt apud Valeſium in Notitia Galliarum pag.* 15 *&* 539. *Nunc verò urbs ipſa à gentis vocabulo* Ambianum *paſſim dicitur, Gallis* Amiens. *Porrò urbs Ambianenſis, uti primaria erat, vetuſto gaudet epiſcopatu, atque inter epiſcopos ſuos colit* Firminum *geminum, alterum martyrem, qui* XXV *Septembris celebratur, alterum Confeſſorem, cujus feſtivitas in hunc diem incidit. Celebritatem antiquitatemque cultûs* S. Firmini *confeſſoris infrà commodiùs oſtendemus occaſione controverſiæ, de poſſeſſione corporis ejus exortæ. Hîc verò de Actis, atque ætate ipſius breviter diſſeremus: nam, etiamſi egregia Viri ſanctitas ſatis ſe manifeſtet, pauca tamen de geſtis ejus exarata ſunt, pauciora ſunt de eo monumenta, quæ plenam mereantur fidem.*

C

Acta S. Firmini confeſſoris anachroniſmis fœdata:

2 *Acta quædam* S. Firmini *confeſſoris ſcripta ſunt, quorum duo habemus exemplaria Mſs. Primum majoribus noſtris ſubmiſit Nicolaus Belfortius frequenter in hoc opere laudatus, alterum R. P. Joannes de S. Martino huc Ambiano miſit anno* 1660. *Conſonant invicem hæc exemplaria, ſi ſolùm reſpiciamus ad facta, quæ in iis referuntur: ſed Ambianenſe hinc inde interpolatum eſt, adjectis phraſibus verbiſque ſubinde mutatis, ut ſtylus eſſet elegantior. Porrò non conſentiunt ſibi Acta ipſa, ſed variis fœdata ſunt anachroniſmis. Quippe Fauſtinianum Sancti patrem aiunt floruiſſe imperante Gratiano, id eſt, circa annum Chriſti* 370 *aut* 380, *deinde verò ætatem* S. Firmini *confeſſoris producunt poſt tempora Attilæ Hunnorum regis, qui circa medium ſeculi* V *Gallias miſerè vaſtavit, quin & Sanctum noſtrum ad Vigilium Papam deducunt, ita ut vivere debuiſſet uſque ad medium ferè ſeculi* VI, *quo pontificatum geſſit Vigilius. Hæc non cohærere, per ſe patet, tantoque minùs cohærere poſſunt, quòd Fauſtinianus dicatur converſus à S. Firmino martyre, qui paſſus eſt ſub Diocletiano & Maximiano. Omnia indicant, Acta illa collecta eſſe ab homine imperito, qui multa miſcuit & confudit, ideoque certam fidem non mereri. Præterea & alia quædam in iiſdem Actis occurrunt, quæ vel dubia apparent vel prorſus reprobanda, uti in annotatis oſtendam.*

varia compendia iis carentia: elogium ejuſdem in Actis S. Firmini martyris:

3 *Breviaria eccleſiæ Ambianenſis, quæ nobis ad manum ſunt, impreſſa ſeculo* XVI, *nimirum anno* 1550 *&* 1555, *novem in Officio Sancti exhibent lectiones, in quibus relati anachroniſmi non reperiuntur, licèt aliàs Actis ubique conſonent. Vincentius Bellovacenſis in ſpeculo recitat compendium vitæ* S. Firmini *confeſſoris: aliud ſimile Petrus de Natalibus in Catalogo Sanctorum. Et demum, ut omittam recentiores, quædam etiam de* S. Firmino *confeſſore habentur in Actis S. Firmini martyris, quæ gravitatem habent & antiquitatem, ut fatetur Tillemontius, etiamſi hiſce etiam Actis fidem detrahere conetur.*

F

hæc ipſa Tillemontius oppugnat, ſed præcipuum ejus argumentum nihil evincit,

4 *Porrò, cùm nihil habeamus de* S. Firmino *confeſſore, quod antiquius ſit Actis S. Firmini martyris, breviter diſcutiam præcipuum argumentum Tillemontii, quo Acta illa impugnat tom.* 3 *Monument., notâ* 2 *in S. Saturninum. Primò ait mortem S. Firmini martyris aliquando in Actis collocari ſub Diocletiano, aliquando ſub Decio & Valeriano. Rationem aliam hujus aſſerti non allegat, niſi Acta ipſa apud Boſquetum pag.* 146 *&* 152 *inſpicienda. Verumtamen de Decio & Valeriano non tam clarè id habetur, ut aliam explicationem verba non patiantur, ideoque alio modo explicari debeant, cùm non ſit veriſimile ſcriptorem, cui gravitatem attribuit ipſe Tillemontius in Saturnino pag.* 304, *ſibi tam apertè contradixiſſe in re tam clara. Ipſa igitur auctoris verba accipe:* Præſes data juſſione præcepit, ut curiales & templorum ſacerdotes in ejus præſentia convenirent, ipſiſque aſſiſtentibus Sebaſtianus præſes dixit: Sacratiſſimi imperatores Decius & Valerianus decreverunt, ut honor & cultura deorum in omnibus finibus orbis à populis & gentibus conſervetur, & thure altaria ſecundum veteres & antiquas principum conſuetudines venerentur, & ſi quis contra decreta

AUCTORE J. S.

creta ſacratiſſimorum imperatorum venire tentaverit, aut conſervare minimè voluerit, diverſis tormentorum generibus affligatur, eumque capitalem ſubire ſententiam ex decreto ſenatûs & principum Romanorum ſtatutum eſt. *Ex his colligi nequit, martyrium S. Firmini ſub Decio & Valeriano ſtatui, cùm eadem dici poſſent ſub Diocletiano, præſertim priuſquam hic ſub finem regni feralia decreta contra Chriſtianos promulgaverat. Etenim, cùm non abrogarentur defunctorum imperatorum decreta in Chriſtianos lata, ſed eorum exſecutio ſolùm intermitteretur, poterant provinciarum præſides iis decretis uti, iiſque revera ſubinde utebantur ad Chriſtianos perſequendos. Locus igitur exponendus eſt de edictis Decii & Valeriani dudum defunctorum, nec de utroque vivente imperatore exponi poteſt, cùm ſimul non imperaverint. Qua de cauſa non debebat Tillemontius aſſerere, mortem S. Firmini martyris modò in Actis collocari ſub Diocletiano & Maximiano, modò ſub Decio & Valeriano, acſi id clarum eſſet; ſed probare debuerat id ſequi ex verbis allegatis, ne inconſequentias ſuas lectoribus obtruderet pro verbis Actorum.*

B

aliæ leviores objectiones diſcutientur ſuo loco: elogium

5 *Objicit præterea, veriſimilia non eſſe, quæ in Actis leguntur de quadraginta hominum millibus Pompeiopoli converſis a S. Saturnino, multiſque aliis in Gallia à S. Firmino ad fidem adductis. Ac demum multa alia ait in Actis occurrere, quæ eorum minuunt auctoritatem. An numerus converſorum nimiùm ſit exaggeratus, aliiſque nævis laborent Acta, examinari latiùs poterit ad* xxv *Septembris, quo colitur S. Firminus martyr. Nos interim leviuſculis hiſce objectionibus non abſterremur, quo minùs huc transferamus omnia, quæ de* S. Firmino *confeſſore in Actis prædictis leguntur. Ubi auctor narraverat corpus S. Firmini martyris ſepultum eſſe à Fauſtiniano, quem Sanctus antea converterat, hæc deinde ad propoſitum noſtrum ſubjungit:* Fauſtinianus autem, quem antea memoravimus, qui & corpus beati Firmini martyris condidit, in amore & memoria beati Firmini martyris & confeſſoris, unicum filium ſuum, nomine Firminum nuncupavit, eumque ſacris litteris imbutum, viris religioſis ad inſtruendum tradidit: qui poſtmodum

C

ſapientiâ, & doctrinâ in Galliarum partibus, velut clariſſimus ſolis radius, omnibus enituit. Nam dum eſſet decorus eloquio, certiſſimus moribus, & caſtitate probus, omnibus Europæ eccleſiis pater & magiſter effectus eſt; & cum virtutum gradibus ad culmina eccleſiæ conſcenderet, à Joanne Lugdunenſis eccleſiæ antiſtite, ad epiſcopatûs officium rapitur, per quem divina miſericordia in ſancta Eccleſia multa miracula oſtendere dignatus eſt.

S. Firmini confeſſoris ex Actis Martyris,

6 Nam & ipſe paralyticos multos ad priſtinam ſanitatem reſtituit, & filium Caliſti patricii à febribus orationis virtute liberavit, vexatos à dæmonibus multoties per ſingula loca expurgavit, ſicut ipſe hodie meritis ipſius ſingulis ſe invocantibus, & in ſe ſperantibus longè, latéque coruſcat, qui & eccleſiam in honore ſanctæ Mariæ Virginis conſtruxit, in qua ſanctus Firminus martyr & pontifex conditus eſſe traditur, & in qua Firminus epiſcopus ſuam ſepulturam elegerat fieri. Sed cùm dubium ſit propter perſecutionem, quæ tunc illic inundaverat, ubi ſanctus Firminus martyr à Fauſtiniano claro depoſitus ſit: dubium tamen non eſt ubi ſanctus Firminus confeſſor & epiſcopus poſt multas virtutes oſtenſas, conditus eſt, ubi & ſine dubio requieſcere credendus eſt. Vixit autem annis quadraginta ſeptem *, & ſub die Kalendarum Septembrium feliciter à ſæculo migravit, regnante Domino noſtro Jeſu Chriſto, qui cùm Patre ſimul & Spiritu ſancto vivit, & regnat per immortalia ſæcula ſæculorum. Amen. Explicit paſſio ſancti Firmini epiſcopi & martyris. *Præcipua hujus elogii difficultas eſt, quòd inter epiſcopos metropolis Lugdunenſis nullus reperiatur Joannes ante ſeculum* XII. *Nec ad Lugdunum Clavatum ſeu Laudunum recurrere licet, quod ſeriùs accepit epiſcopum. Lugdunum Convenarum jam tunc fortaſſe habuit epiſcopatum, ſed ignoti ſunt primi illius urbis epiſcopi. Verumtamen Joannes Lugdunenſis epiſcopus Sanctum noſtrum ordinaſſe dicitur etiam in Actis edendis. Fieri poteſt, ut Joannes prætermiſſus ſit in catalogis antiſtitum Lugdunenſium, niſi malimus ſuſpicari errorem in epiſcopi illius aut ejus eccleſiæ nomen irrepſiſſe.*

D

* *in Ms. uno rectiùs* ſexaginta ſeptem

7 *Aliud elogium Bellovacenſis lib.* 16, *cap.* 89 *tradit his verbis:* Per idem tempus (*id eſt, imperante Gratiano, de quo egerat*) Fauſtianus vir genere nobilis, non ſolùm Ambianis, ſed totius Galliæ præfectus erat. Hic unicum filium habuit, quem in honore & memoria ſancti Firmini martyris Firminum nuncupavit. Qui bonæ indolis puerulus eſſe incipiens, ætatulam ſuam Domino conſecravit. Cumque virtutum gradibus ad culmina eccleſiæ conſcendere videretur, Ambianicis plebibus gratus epiſcopus ordinatur. Ubi qualem, quantumque ſe præſtiterit, quis dignè valeat explicare. Quis tantorum verborum copiâ inſtructus ſit, ut cuncta ejus bona, ut decet, proſequi queat? Ab omni errore infidelitatis vanæ gentilium ſuperſtitionis urbe purgata, in loco, ubi corpus beati Firmini martyris tumulatum, eccleſiam ſanctæ Dei Genitricis ſemperque Virginis Mariæ conſtruxit, quam populorum confluxus ſupremis honoribus muneravit. In qua dum in Paſchali feſtivitate ſacra pertractaret myſteria, cælis apertis, palmam Domini noſtri Jeſu Chriſti aſpexit, quæ ejus vitæ ſacroſancta chriſmata beavit, qui de ſacroſancti muneris viſione, imò perceptione ſacrificatus, ab omni inquinamento carnis & ſpiritûs poſtmodum manſit illæſus. O quoties ob veritatis aſſertionem paratam habuit mortem, ſed licèt ei ſors temporis præſtare martyrium non potuerit, gloriam tamen martyrii non amiſit, quia pro ſpe æternitatis jugiter laboravit. Inſignis itaque virentibus miraculis coruſcus Cal. Septembris migravit ad Chriſtum.

alterum ex Bellovacenſi,

E

F

8 *Accipe & tertium elogium ex Catalogo Sanctorum Petri de Natalibus, qui lib.* 7 *cap.* 137 *ſic habet:* Firminus epiſcopus Ambianenſis (*urbis,*) quæ ab ambitu fluminis Ambianum dicitur, ipſius civitatis oriundus, filius fuit Fauſtiani nobiliſſimi viri, qui in honorem ſancti Firmini martyris filium ſuum Firminum vocavit... Hic bonæ indolis puer ætate procedente per incrementa virtutum creſcens, factus eſt epiſcopus civitatis: qui populum verbo & exemplo in viam ſalutis direxit; & ab omni gentilitatis errore urbem purgavit; atque ſupra ſepulcrum ſancti Firmini martyris eccleſiam Dei Genitricis conſtruxit & conſecravit: in qua dum in die ſancto Paſchæ celebraret, cælis apertis, palmam ſibi de ſupernis illapſam aſpexit: & ab eo die ab omni carnis inquinamento & motu mundus permanſit. Quievit in pace III Calen. Septembris, ſepultus in eccleſia ſupradicta. Cui ſucceſſerunt ſancti Honoratus ... & Salvius. *Simile elogium contexuit*

tertium ex Petro de Natalibus:

A *xuit Sauſſayus ad* 1 *Septembris. Addit tamen duo, primum quòd in epiſcopatum ſucceſſerit Eulogio ſecundo Ambianenſium epiſcopo, uti omnes habent catalogi; alterum, quòd præter eccleſiam ſupra ſepulcrum S. Firmini martyris ſtructam, quam cathedralem ab eo conſtitutam affirmat, aliam ab eodem ædificatam aſſerat his verbis:* Beatæ inſuper Virginis ædiculam condidit, ad quam ſuccedente tempore ſedes pontificia, ſenatuſque eccleſiaſticus tranſlatus eſt. *Verùm ſecundæ hujus eccleſiæ cathedralis auctorem fuiſſe* S. Firminum, *nullibi lego apud antiquiores.*

9 *Demum ſubjungo indicatas antè lectiones ex Breviario anni* 1550, *cùm omnia ferè videantur continere, quæ de Sancto vivente ſunt ceteris probabiliora. Quæ verò de urbe Ambianenſi non rectè dicuntur, corrigentur in annotatis ad Acta:* Regnante Deo & Salvatore noſtro Jeſu Chriſto per ſecula, anno ab Urbe condita octuageſimo ſexageſimo ſeptimo Antonius * Pius cum filio ſuo Aurelio urbem condidit, quam ab adjacente flumine Somonobriam appellavit. Hanc divinis ſacravit muneribus, muneravit opibus, viris no-

B bilitavit belligeris. His verò fultam munificentiis Gratianus, magni quondam Valentiniani filius, ſuo eam poſt annorum multorum curricula præfecit dominio, imperialemque inibi ſibi ſortitus eſt dignitatem. Cui & nomen mutando indidit, & ab ambitu fluminum Ambianum eam nominare præcepit.

10 Per idem tempus Fauſtinianus vir nobilis genere præfectoriam Ambianorum non ſolùm adminiſtrabat dignitatem; verùm etiam hierarchico totius Galliæ ordini præerat ſummus. Huic unicus erat Filius, quem in amore & memoria B. martyris Chriſti Firmini, documentis cujus & prædicationibus ſanctis longè antè baptiſmatis gratiam perceperat, Firminum nomine nuncupavit. Qui puerulus erga parentes degens, & bonæ indolis eſſe incipiens, ætatulam ſuam Chriſto Domino conſecravit. Traditus verò viris ſapientibus & religioſis quotidie creſcebat in bonis operibus. Perfectus itaque in Dei ſapientia & doctrina, in Galliarum partibus velut ſolis radius omnibus enituit. Firminus igitur Dei cultor à beato viro Joanne Lugdunenſis eccleſiæ antiſtite

C Ambianicis plebibus conſecratus eſt epiſcopus. Sic ergo epiſcopatu ſuſcepto, ad ſedem Ambianicam remeavit, ſemper ad virtutum inſtantiam perſeverans. Eamdem pauperibus curam, ut priùs, ſolicitus gerebat. Semper enim in obſequiis pauperum, in diligentia peregrinorum, infatigabiliter perdurabat.

11 In loco enim, qui ab antiquis dicitur Abladana, ubi corpus B. Firmini martyris à Fauſtiniano ſenatore tumulatum fuerat, eccleſiam B. Virginis Mariæ conſtruxit: in qua dum in Paſchali ſolennitate divinum perageret Officium, palmam Domini ejus vice chariſmata beantis aſpexit. Dum verò appropinquare profectionis ſalutarem diem ſentiret, convocatis diſcipulis ſuis, dixit ad eos: Si me diligitis, Jeſum ſemper amate, & præcepta ejus veſtris mentibus figite: ego enim gradior viam carnis univerſæ. Commendo ergo in manus veſtras hodie ſalutem animarum veſtrarum. Hæc inter verba, ſupplicibus oculis cum manibus ad cælum elevatis, diu tacitam precem fudit. Deinde in vocem prorumpens, ait: In manus tuas, Domine, commendo ſpiritum meum. Sic enim ejus anima, farcinâ carnis abjectâ, atque à terrenis preſſionibus liberata, hoc ordine ad ſuum læta devolavit Auctorem. Vixit autem beatus Firminus annos ſexaginta ſeptem; qui miraculis coruſcans, ſub die Calendarum Septembris feliciter migravit ad Chriſtum. Sepultuſque eſt honorificè in eccleſia beatæ Mariæ Virginis, quam ipſe conſtruxit, præſtante Domino Jeſu Chriſto, cui eſt cum æterno Patre & Spiritu ſancto honor & gloria per infinita ſeculorum ſecula. Amen.

AUCTORE J. S.

12 *Præcedentia elogia aliquot continent notas chronologicas, ſed vagas & vix ſibi cohærentes, imò in ſpeciem contrarias. Hinc ætas Sancti certò determinari nequit. Primò Fauſtinianus ſancti Confeſſoris pater converſus dicitur à S. Firmino martyre, ita ut ætas* S. Firmini *confeſſoris non debeat nimis amoveri à S. Firmino martyre. Hæc nota ceteris certior, cùm habeatur ex Actis S. Firmini martyris.* 2°. *Bellovacenſis & Petrus de Natalibus cum Breviario ita loquuntur, acſi Fauſtinianus adhuc vixiſſet imperante Gratiano, quod veriſimile non eſt, ſi ſepelierit S. Firminum martyrem. Hinc quod dicitur* per idem tempus, *non tam preſsè videtur ſumendum.* 3°. *S. Honoratus tum hîc à Petro, tum in elogio proprio, aliiſque ibidem in Actis ejus citatis tom.* III *Maii pag.* 612 *&* 613, *dicitur* S. Firmini *confeſſoris ſucceſſor. At S. Horonatus videtur floruiſſe circa finem ſeculi* VI, *aliis ſeculo* VII *jam provecto, ita ut illud intelligi non debeat de ſucceſſione immediata, cùm plures inter utrumque interceſſerint, non nominati in catalogis antiquioribus, ut ibidem advertit Henſchenius:* Etenim, *ait*, ejuſmodi catalogi videntur magna ex parte deſumpti è litaniis & Martyrologiis eccleſiæ Ambianenſis, in quibus notati erant epiſcopi, qui ſanctitate floruèrant, ceteris omiſſis quorum memoria injuriâ bellorum aut negligentiâ majorum videtur intercidiſſe. Horum autem aliqui, ab aliis poſtea in notitiam revocati, ita indicantur: Leodardus, Audoënus, Edibius & Beatus, qui interfuit concilio Aurelianenſi V, anno DXLVII habito. *Hi omnes etiam reperiuntur eodem ordine apud Sammarthanos tom.* 2 *Galliæ Chriſtianæ pag.* 92, *& apud Adrianum de la Morliere in Antiquitatibus Ambianenſibus lib.* 2. *Subdit Henſchenius:* Memoratur ex vetuſtiſſimo Martyrologio eccleſiæ Ambianenſis Deodatus epiſcopus, ſed quando præfuerit, ignoratur. *Hic igitur etiam inter* S. Firminum *& Honoratum ſedere potuit, aliique etiamnum ignoti. Porrò S. Honoratum & S. Salvium collocarùnt Majores noſtri cum Morlierio ante Berecundum, mortemque Honorati figunt circa annum* 600, *Salvii circa* 615, *nec paucas hujuſce chronotaxis rationes allegant, quas vide tom.* I *Januarii pag.* 704, *& tom.* III *Maii pag.* 612 *&* 613.

Notæ chronologicæ, quæ habentur in elogiis, explicantur,

E

F

13 *Quarìo difficultatem parit, quòd ætas Sancti diverſo modo notetur in Actis. Namque Acta S. Firmini martyris edita tantùm attribuunt* Firmino *confeſſori annos* quadraginta ſeptem. *Acta propria annos numerant* ſexaginta ſeptem. *Dubium non eſt, quin Acta Martyris ſint meliora; ſed nec dubitare poſſum, quin alia hoc loco ſint præferenda, cùm certum ſit, tranſcribentium incuriâ mendum irrepſiſſe in numeros. Deprehendi id in Mss. noſtris: nam in uno notantur anni* quadraginta ſeptem, *ſicut apud Boſquetum; in alio verò Audomarenſi* ſexaginta ſeptem. *Deinde Breviaria Ambianenſia etiam notant* annos ſexaginta ſeptem, *eaque videtur communis olim fuiſſe opinio, quæ & rectiùs cohærere poterit cum chronotaxi danda. Laudatus mox Morlierius pag.* 160 *cum aliis quibuſdam, quos nominat, longiſſimam*

vixit probabiliùs Sanctus annis 67, *& S. Firminus martyr paſſus eſt ſub Diocletiano.*

ex Breviario

Ambianenſi.

compendium vitæ

* Antoninus

AUCTORE J. S.

giſſimam Sancto noſtro Vitam adſcribit, non alia, opinor, de cauſa, quàm ut meliùs impleret tempus omne, nec ullum in catalogo epiſcoporum relinqueret vacuum. Verùm hæc ratio non ſufficit. Malim ergo opinionem de ætate ſexaginta ſeptem annorum ut probabiliorem amplecti, donec quis inveniat certiora monumenta. 5°. ſtatuenda eſt mors S. Firmini martyris ſub Diocletiano & Maximiano ſecundum Acta, & ante perſecutionem generalem, quia in iiſdem Actis mentio non fit edictorum Diocletiani, ſed Decii & Valeriani. His prænotatis, neglectiſque erroribus, qui de Attilæ & Vigilii temporibus leguntur in Actis, breviter oſtendam, quid de ætate S. Firmini *confeſſoris videatur probabilius ſtatuendum.*

ex dictis qualiſcumque vitæ datur chronotaxis,

14 *Sanctus natus eſſe poteſt circa annum* 310, *aut etiam annis aliquot ſeriùs, quia Fauſtinianus pater ei dediſſe nomen* Firmini *dicitur in amorem & memoriam B. martyris Chriſti Firmini, cujus documentis longè antè baptiſmatis gratiam perceperat. Non igitur natus eſt Sanctus noſter, vivente S. Firmino martyre, ſed diu poſt ejus obitum, imperante veroſimiliter Conſtantino, idque etiam ſuadet tempus initi epiſcopatus. Etenim Epiſcopus factus eſt poſt annum* 347: *nam inter utrumque Firminum ab omnibus medius ſtatuitur Eulogius, qui fuit in concilio Colonienſi anno* 346, *in Sardicenſi anno* 347. *Scio quidem non eamdem omnium ſententiam eſſe de concilio Colonienſi ſeu Agrippinenſi, illudque fictitium haberi ab aliquibus, ſed nec eorum opinioni aſſentior, nec ex ea pendet aſſertio, cum Sardicenſe concilium ſaltem ſubſiſtat, ibique inter epiſcopos Galliæ ſubſcripſerit* Eulogius, *non alius utique ab Ambianenſi. Porrò Eulogius ſecundus epiſcopus Ambianenſis ſtatuitur paſſim, quia inter ipſum & S. Firminum martyrem nullus reperitur medius. Hinc veriſimile eſt jam ſenem fuiſſe tempore Sardicenſis concilii, ipſique non multis poſt annis ſucceſſiſſe* S. Firminum *confeſſorem, forſan inter* 350 *&* 360. *Demum quot annis epiſcopatum geſſerit, quóve anno obierit Sanctus, antiqui non exprimunt. Martyrologium novum Pariſienſe ad marginem notat circa annum* 390: *Morlierius vitam ejus vellet producere uſque ad* 430, *ſed parùm probabiliter.*

B

C

& rejicitur opinio Sigeberti.

15 *Si Sigebertus audiendus videretur, vitam Sancti producere deberemus uſque ad medium ferè ſeculi* V: *ſic enim habet ad annum* 382: Eo tempore præfecturam Gallicam miniſtrabat vir illuſtris Fauſtinianus, qui genuit Filium, quem ob amorem & memoriam beati Firmini martyris Firminum vocavit, (*eccleſiæ*) Ambianenſis poſteriori tempore epiſcopum. *Verùm clarum eſt, hæc ex Actis* S. Firmini *confeſſoris deſumpta eſſe cum aliis, quæ præmittit de urbe Ambianenſi, ideoque referri ad imperium Gratiani, quia de Gratiano Acta meminerunt, & mox ſubdunt:* Per idem tempus Fauſtinianus *&c. Credimus autem in Actis illius non alia de cauſa Gratiani imperatoris mentionem eſſe factam, quàm quia imperio aſſociatus eſt Ambiani anno* 367, *ejuſdemque urbis, in quam beneficus fuit, nomen mutaſſe fertur. Verba verò illa Actorum:* Per idem tempus Fauſtinianus ... præfectoriam Ambianorum ... adminiſtrabat dignitatem, *quæ preſſè ſecutus eſt Sigebertus, non alio loco habemus, quàm verba hominis tempora ubique perturbantis, ſibique apertiſſimè contradicentis, uti antea probavi. Hinc mortem* S. Firmini *circa imperium Gratiani collocandam cenſeo, nimirum circa annum* 370 *aut* 380 *aut etiam paulò ſeriùs: nam ætas* 67 *annorum & tempus obitûs S. Firmini martyris non ſinunt, ut ad tempora multò poſteriora vitam ſancti Confeſſoris producamus. Hiſce Acta qualiacumque ſubjungo, ut deinde de cultu & reliquiis Sancti uberius diſſeramus.*

D

ACTA

ANACHRONISMIS CONSPERSA

auctore anonymo

Ex Ms. Nicolai Belfortii, collato cum Ambianenſi.

Varia de urbe Ambianenſi,

REgnante Domino & Salvatore noſtro Jeſu Chriſto in ſecula, anno ab urbe condita octingenteſimo ſexageſimo ſeptimo Antoninus Pius *a* cum filio ſuo Aurelio urbem condidit, quam ab adjacente flumine Somena, Somonobriam appellavit, eamdemque divis ſacravit numinibus, muneravit opibus, viris nobilitavit belligeris. Erat quippe fœcunda terris, arboribus nemoroſa, trapezetum *b* referta commerciis, ac memorato fluvio per diverſos rivulorum flexus uno latere munita, qui piſcium copiam civibus abunde miniſtrat, & muris non parvum noſcitur præſtare munimen. Hanc denique Gratianus, magni quondam Valentiniani *c* regis filius ſuo præfecit dominio, imperialemque inibi fortitus eſt ſibi dignitatem, & nomine mutato ab ambitu fluminum Ambianum nominari illam præcepit.

a

E

b

c

ac Fauſtiniano Sancti patre: pia S. Firmini pueritia & adoleſcentia:

2 Per idem tempus, Fauſtinianus, vir nobilis genere, præfectoriam Ambianorum non ſolùm adminiſtrabat dignitatem, verùm etiam hierarchico totius Galliæ ordini præerat ſummus *d*. Huic unicus erat filius, quem in amorem & memoriam B. martyris Chriſti Firmini *e* (cujus longè antè documentis & prædicationibus, priſtinis eliminatis piaculis, perfectionem baptiſmatis gratiæ, cum magno Chriſtianorum gaudio percecerat) Firminum nuncupavit. Hic puerulus bonæ indolis, ætatulam ſuam Domino conſecravit, atque viris ſapientibus & religioſis à primæva ætate traditus, lectioni aſſiduè adhærebat: & ſagaci induſtria excedens pueriles annos, ævum adoleſcentiæ cum magna ſollicitudine exercebat: & ſpiritus ſapientiæ cum humilitatis gratia in ejus vultu reſplendebat. Eccleſiarum conventiculis frequens intererat, & quæcumque ex divis * Scripturis recitabantur, avidiſſimè hauriebat, & in corde ſuo recondita, cùm abſens eſſet, intentiſſimè ruminabat. Perfectus denique ſapientiâ & doctrinâ, velut clariſſimus ſolis radius, in Galliarum partibus enituit: ferebat enim ſimplicitatem columbæ, ne cuiquam machinaretur dolos, habebat & ſerpentis aſtutiam, ne aliorum ſupplantaretur inſidiis *f*.

d

e

F

**al.* divinis

f

ordinatio epiſcopalis,

3 Interea cùm virtutum gradibus ad culmina eccleſiæ conſcendere videretur, Gallicanis convocatis epiſcopis, communi decretum eſt conſenſu, quatenus Vir Domini, divino plenus ſpiritu, propter perſecutiones *g*, quæ tunc Chriſtiano populo imminebant, occiduas in partes ordinaretur epiſcopus. Firminus igitur inter catervas populi, inter agmina clericorum, inter cho-

g

ros

A ros pſallentium à domino beatiſſimo viro Joanne epiſcopo Lugdunenſi *h*, Ambianicis plebibus conſecratus eſt epiſcopus. Qui, epiſcopatu ſuſcepto, ad ſedem Ambianenſem remeans *i*, ad virtutis inſtantiam ſe exercens, conſtantiſſimè in cœpto propoſito perſeverabat. Eadem in corde humilitas, eadem in vultu gravitas erat *k*, eadem dilectio fraterna, eadem mentis conſtantia permanebat; niſi quod epiſcopalis honor, qui cæteris pompæ fomentum ſubminiſtrare ſolet, ei majus ſtudium ad humilitatis virtutem exhibuit.

h *i* *k*

virtutes variæ:

4 Erat itaque doctrinâ præcipuus, devotione ſemper armatus, opere docens, in corrigendo vehemens, in diligendo ardens, in adverſis patiens, protervos non armis, ſed patientiâ vincens, & Chriſti jugo ſuaviſſimo ſubdens: in diſciplinis manſuetus, ad ignoſcendum paratus, in ſtudiis aſſiduus, metu mortis ſollicitus: in exequiis devotus, in miſericordia glorioſus: excellenti ingenio præditus, paſtor eccleſiæ providus, delictum proprium cavens, alienum ut ſuum lugens: in obſequiis erga pauperes & peregrinos infatigabiliter perſeverans. Habebat enim ſequeſtratum

B locum, in quem certis diebus egenos ac debiles intromittens, ipſe, ut dudum conſueverat, famulorum more ſatagens, ſatis eis devotè ſerviebat. Singulis tamen diebus conſtitutum duodenarium numerum reficiebat, plerumque etiam cum eis pariter ad unam menſam convivans, ita dumtaxat, ut priùs ſingulorum manibus aquam funderet, vinumque & panem manu propria præberet. Agebat hoc aſſiduè: nam quod primum Deo vovit, nullis mundi negotiis obligavit.

iter Romanum ad limina Apoſtolorum,

5 Hic idem Vir beatus, tantis operibus mirificè ſemper intentus, divino fultus præſidio, Romam petiit. Ad quam cùm perveniſſet, ſancto ſatiatus deſiderio, dulcia liminibus Apoſtolorum imprimens oſcula, diebus eccleſiarum circuibat loca, noctibus verò ad ſacroſancta B. Petri redibat habitacula. Ejus interim famâ ſanctitatis auditâ à B. Vigilio *l*, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Apoſtolico, viro prudentiſſimo, honorificè eſt ſuſceptus: mutuóque ſe ambo cum magna dulcedine charitatis ſancti Pontifices ſunt oſculati. Gaudebat enim ſummus Pontifex de tanto Hoſpite; beatus verò Firminus de tali ſuſceptore: atque inter hujuſmodi gaudia, mox pro gratiarum actione divinis conſpectibus obtulerunt Sacrificium. Miſſarum quoque ſolemnia celebrantes, ſanctis precibus pariter diutiſſimè inſiſtebant.

l

C

unde dicitur rediiſſe cum poteſtate legati apoſtolici:

m

6 Facto autem apud illum triennio, ſanctus Firminus ſibi augere labores pro Chriſto deſiderans, confeſſus eſt B. Vigilio Papæ, ſe velle regredi ad occiduas partes. Qui cernens in eo omne ſanctitatis ſtudium, tradidit ei omnem poteſtatem Apoſtolicæ dignitatis: quatenus eccleſiæ, quæ longè latéque ab Attila *m* Hunorum rege ferociſſimo per Europam everſæ fuerant, ejus ſagaci ingenio ad divinum repararentur cultum. Valedicens itaque B. Firminus ſummo Pontifici, omnibuſque jam dictæ urbis præſulibus, regreditur ad beatum Joannem ordinatorem ſuum. Cui cùm retuliſſet, quomodo ſummus Pontifex tradidiſſet ſibi arcem ſummi pontificii Europæ eccleſiarum, quæ ab Attila dirutæ fuerant, B. Joannes: Perge, inquit, frater chariſſime, lux decuſque eccleſiæ, & ut prudens ſpeculator à Domino conſtitutus, prædica verbum, inſta opportunè, importunè, arguens, obſecrans, increpans, in omni patientia & doctrina, ſuavem ſemper habens de iis, quæ Dei ſunt, vel allo-

cutionem plebis, vel collationem fraternæ familiaritatis, ut gentis ferociſſimæ pacem teneas, & copioſum populum ad fidem convertas. A. ANONYMO.

eccleſiam conſtruit ſupra corpus S. Firmini martyris;

7 His verbis B. Firminus in Chriſti confortatus gratia, Europeas *n* peragrans eccleſias, ordinavit epiſcopos, presbyteros, diaconos: inſuperque eliminata omni ſpurcitia, ſancta reparavit loca, docens populum ad eccleſiam coire, monaſteria inſtruere, atque in bonis actibus Deo ſedulò ſervire. His omnibus ritè perfectis, Ambianicam poſtremò aggreſſus eſt urbem. Qua ab omni infidelitate & gentilium ſuperſtitione purgata, in loco, qui ab antiquis dicitur Bladana *o* (ubi corpus B. martyris Firmini à Fauſtiniano ſenatore pariterque ordinario tumulatum fuerat) eccleſiam B. Dei Genitricis ſemperque Virginis Mariæ conſtruxit, populorum quam confluxus ſupremis muneravit honoribus.

n

o

miraculis coruſcat,

8 In quæ dum Paſchali ſolennitate feſtivum perageret Officium, ſacraque pertractaret Myſteria, cœlis apertis, palmam *p* Domini & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti aſpexit, quæ ejus vice ſacroſancta beavit chariſmata. Ipſeque tanti muneris viſione, imò perceptione ſanctitatis, ab

E omni inquinamento carnis & ſpiritûs, poſtmodum manſit illæſus: & in eadem civitate per eum Deus multa oſtendere dignatus eſt miracula *q*. Nam paralyticos plurimos ſanitati reſtituit, & filium Calliſti patritii à febribus orationis virtute liberavit. Vexatos à dæmonibus multoties per loca ſingula expiavit: ſicut uſque hodie merita ipſius ſingulis eum invocantibus & per eum ſperantibus, longè latéque coruſcant.

p

q

verbum Dei prædicat gentibus finitimis r ſ t u

9 Cæterùm paſtoris curâ ſollicitus, luſtrabat urbes & municipia ſibi commiſſa: quem Morinenſes *r*, Pontinenſes, Vinniacenſes *ſ* Talaonenſes *t* quoque, atque Caldenſes *u*, & barbari quique circa maris littora degentes (quos velut in extremis remotos nullus adhuc prædicationis vomer ſulcaverat) primùm cum hoſtili animo & perverſa mente ſuſceperunt. Poſtmodum verò, cùm paulatim verbum Dei inſinuare cœpiſſet, pars maxima trucis & barbari populi, relictis idolis, Chriſto ſubjecta eſt. Sicque fana eorum nonnulla deſtruxit, idola quoque diverſi generis, ubicumque invenit, funditus ſubruit. Inter hæc autem cùm ſemper ſobriam ac religioſam teneret diſciplinam, frequenter nihilominus ab ingrato & perfido populo laceſſitus eſt, & penè

F uſque ad contumeliam provocatus: ſed acceptâ doctrinâ minimè quieſcens, ſubtilitate inenarrabili, blandè atque compoſitè, animos barbarorum, de ſpe futura nihil ſollicitos, ad amorem Dei ſtimulabat.

magno cum fructu:

x

10 Unde ipſi, qui eum primò, ceu ferociſſimæ beſtiæ, diſcerpere cupiebant, poſtmodum ejus attendentes bonitatem ac manſuetudinem, imitatores ejus fieri cupiebant *x*. Nec erat ejus fama contenta circumjectas tantùm Gallias illuſtrare: ſed exteras utique provincias implebat, meritorum gratia præcurrente. O quoties ob veritatis aſſertionem, paratam habuit mortem, feciſſetque ſatis votis, ſi contuliſſet ſors temporis. Sed licèt ei ratio temporis non potuit præſtare martyrium, gloriam tamen martyris non amiſit, qui pro ſpe æternitatis jugiter laboravit.

ægrotus poſtrema dat ſuis monita,

11 Cùm jam propinquare profectionis ſalutarem diem ſentiret: convocatis diſcipulis, quos jam, etſi non ſpiritu, corpore tamen incipiebat relinquere orphanos, ſic ad eos exorſus eſt: Ultimam, dilectiſſimi, parvitatis meæ ſententiam, ultima amatoris veſtri ſuſcipite verba. Si me vi-

A. ANONYMO. caria dilectione amatis, divina juſſa adimplere contendite, Jeſum ſemper ſuſpirate, præcepta ejus veſtris mentibus figite. Si verè mei amatores eſtis, Chriſti nomen, ſicut & ego, amate, Dei tremenda judicia jugiter formidate, & quales eritis in die judicii præſentandi, ſollicitè penſate. Ego enim ſecundum eloquia Scripturarum viam univerſæ carnis ingredior. Commendo ergo hodie in manus veſtras ſalutem animarum veſtrarum: mementote admonitionum mearum, & cogitate ſinguli de vobiſmet ipſis.

ac piè moritur. 12 Hæc inter verba, ſupplicibus oculis cum manibus ad cœlum elevatis, diu tacitam precem fudit, deinde prorumpens in vocem, ait: Memento mei, qui ſolus ſine peccato es, Chriſte redemptor mundi. Tu ſemper fuiſti protector meus, adjutor meus: in manus tuas, Domine Jeſu, commendo ſpiritum meum. Sancta ergo ejus anima, ſarcinâ carnis abjectâ, hoc ordine ad ſuum læta revolavit Auctorem. Vixit venerandus & magnificus præſul B. Firminus annos ſexaginta ſeptem, inſignis virtutibus & miraculis. Sub die Calendarum Septembris migravit ad Chriſtum, ſepultuſque eſt cum magnifico honore in
B eccleſia S. Dei Genitricis, quam ipſe conſtruxit; ubi recta fide petentibus beneficia illius clareſcunt, præſtante Domino & Salvatore noſtro Jeſu Chriſto, cui eſt cum æterno Patre & Spiritu ſancto virtus, honor, gloria & imperium per infinita ſecula ſeculorum. Amen.

ANNOTATA.

a *Longè ante Antoninum Pium ejuſque filium adoptivum Marcum Aurelium condita erat urbs Ambianorum, quæ modò* Ambianum *ac Gallis* Amiens *vulgò vocatur. Antiquum urbis nomen erat* Samarobriva, *eoque uſi ſunt Cicero, Cæſar, Ptolemæus, aliique, quorum verba videre eſt apud Cellarium in Notitia orbis antiqui lib. 2, cap. 3, pag. 171, ubi tamen corruptè habet* Samarobrina, *& pag. 244, ubi rectè ſcribit* Samarobriva, *vocis etymon ſic exponens:* Nomen urbis à Samara amne eſt, medio ævo SOMENA vel SUMINA, nunc SOMME dicto; & briva vel briga, quod pontem Celtis ſignificabat. *Nomen urbis initio mutatum eſt cum nomine fluvii. Hinc in Actis* Somonobria, *& in alio Ms.* Somano-
C bria. *Verùm gentis nomen urbi deinde datum, urbſque* Ambiani *dicta apud Ammianum Marcellinum lib. 15 cap. XI. Ex dictis liquet, ab Antonino Pio urbem illam non conditam. Et verò non imperabat Antoninus anno Urbis conditæ 867, ſed Traianus. Nihilo certiora ſunt, quæ de mutato per Gratianum nomine deinde ſequuntur, cùm* Ambianos *urbem jam vocaverit Marcellinus, qui nihil habet de nomine mutato. Recentiores quidem volunt Ambianenſem urbem ab Antonino auctam, beneficiiſque affectam à Gratiano, ſed nihil adducunt niſi verba Sigeberti ad annum 382, quæ ex hiſce Actis videntur deſumpta, & ſunt talia:* Civitatem, quam Antoninus Pius cum filio Aurelio condidit, & Sommonobriam ab adjacente flumine appellavit, Gratianus imperator ſuo dominio mancipatam, mutato nomine, Ambianis ab ambitu fluminum fecit vocari. *Futilis eſt etymi ratio, cùm flumina undique non circumdent Ambianos, ſed gentis nomen urbi impoſitum.*

b Trapezita *dicitur aliàs* menſarius *aut* numularius, *Gallis* banquier. *Ab hac voce Græca, Plauto etiam uſitata, vox mendosè deducitur acſi aiceretur* trapezitarum. D

c *Valentinianus I Gratianum filium imperio aſſociavit Ambiani anno 367.*

d *Hoc rurſum non modò videtur incertum, ſed etiam parùm probabile. Certè titulos tantos non habet Fauſtinianus in Actis S. Firmini martyris.*

e *Varia de S. Firmino martyre diximus in Commentario. Ejus Acta dabuntur ad 25 Septembris.*

f *Additur in alio Ms.:* Dignum quoque in cunctis habebat ingenium, & facilè loquebatur & purè.

g *Non aliæ videntur deſignari perſecutiones quàm Arianorum: nam Conſtantius imperator Arianus, defuncto Conſtante fratre Catholico, victiſque tyrannis, acriùs cœpit perſequi epiſcopos Catholicos. Hinc anno 356 ex concilio Biterrenſi in exſilium miſſus eſt S. Hilarius Pictavienſis epiſcopus. Deinde epiſcopi Galliæ convenerunt anno ſequenti ad ſynodum loci incerti, in eaque rejecerunt tranſmiſſam ſibi formulam Sirmienſem. Colliguntur hæc ex S. Hilarii libro de Synodis, quem ad epiſcopos variarum Galliæ provinciarum ſcripſit anno 358; nam inter alia num. 2 ſic habet:* Beatæ fidei veſtræ litteris ſumptis, .. gratulatus ſum in Domino incontaminatos vos & illæſos ab omni contagio deteſtandæ hæreſeos perſtitiſſe, ... & miſſam proximè vobis ex Sirmienſi oppido infidelis fidei impietatem non modò non ſuſcepiſſe, ſed nuntiatam etiam ſignificatamque damnaſſe. *Tempus horum omnium probat Tillemontius tom. 7 Monument. notâ 5, 6, 7 & 8 in S. Hilarium. Porrò, ſi* S. Firminus *conſecratus eſt* propter perſecutiones, *&* Gallicanis convocatis epiſcopis, *ut dicunt Acta, non videtur ulli tempori ejus conſecratio probabiliùs alligari poſſe, quàm tempori hujuſce concilii. Verumtamen, quia & alii circa idem tempus epiſcoporum Galliæ congreſſus contingere potuerunt, res manet incerta.* E

k *Inter antiſtites Lugdunenſes nullus circa hæc tempora notus eſt Joannes; uti antea monui. Veriſſimus præerat iſti eccleſiæ anno 347, quando ſubſcripſit concilio Sardicenſi; S. Juſtus eamdem eccleſiam regebat anno 374, quo fuit in concilio Valentino. Inter hos Joannes medius eſſe debuit, niſi error ſit tum in hiſce, tum etiam in Actis S. Firmini martyris. Certè cùm nulla poſt annum* F *347 ſit Veriſſimi mentio, nulla Juſti ante annum 374, nihil obſtat, quo minùs Joannes aliquis in cathedra Lugdunenſi ſedere potuerit ad annos non paucos; eoque præcisè tempore, quo ordinatus eſt* S. Firminus.

i *In alio Ms. hæc adduntur:* Qualem ſe demum quantumque præſtiterit, quis dignè valet explicare? *aliaque ſimilia, quæ recenſere omnia non eſt neceſſe.*

k *Ibidem rurſum hæc interpoſita:* Eamdem pauperibus curam, eamdem, ut priùs, ſollicitudinem gerebat. *Alia quædam mox ſequuntur leviter mutata aut addita, ſed operæ pretium non eſt notare tam levia.*

l *Si verè Romam profectus eſt* Firminus, *non invenit ibi Vigilium Papam, ſed vel Liberium vel Damaſum, qui præfuerunt eo tempore Romanæ Eccleſiæ: ſed ipſum iter Romanum incertum videtur; & ne probabile quidem eſt, quod poſtea dicitur, triennio Romæ manſiſſe, & tanta cum poteſtate, quanta deſcribitur, reverſum eſſe.*

m *Alius hic anachroniſmus, ut jam dictum in Commentario.*

n *Vehe-*

A n *Vehementer ſuſpicor, omnia illa, quæ hic biographus narrat de poteſtate Sancti accepta à ſummo Pontifice, de peragratione eccleſiarum Europæ, de ordinatione epiſcoporum, aliaque ſimilia, quæ ſunt incredibilia, per conjecturam malè fundatam ex Actis S. Firmini martyris fuiſſe conficta. Etenim in dictis Actis hæc leguntur verba de Sancto Confeſſore :* Nam dum eſſet decorus eloquio, certiſſimus moribus, & caſtitate probus, omnibus Europæ eccleſiis pater & magiſter effectus eſt. *Hæc non ſine exaggeratione aliqua dicuntur de auctoritate Sancti, ſcientiâ virtutibuſque parta, quæ ad varias Europæ partes ſe poterat extendere litterarum commercio. Verùm ſcriptor inconſideratus eadem tranſtulit ad poteſtatem in alienas eccleſias, indéque videtur deduxiſſe Sanctum noſtrum ad ſummum Pontificem, a quo ejuſmodi poteſtatem obtinuiſſet.*

o *Locus in Actis S. Firmini martyris & in aliis monumentis vocatur* Abladana. *Tot autem monumenta teſtantur, hanc eccleſiam à* S. Firmino *confeſſore edificatam, ut ea res nullum patiatur dubium, ut probabimus in Gloria poſthuma.*

B p *Hoc miraculum minùs eſt certum, quia de eo nihil legitur in Actis S. Firmini martyris, imò ab alio ad Sanctum noſtrum tranſlatum videtur, niſi duobus contigerit, ut voluerunt aliqui. Certè in Vita S. Honorati Ambianenſis epiſcopi apud nos tom. 3 Maii pag. 613 de eo Sancto ſic habetur :* Quadam enim die, cùm vir Dei tractaret in altari Dominici Corporis Sacramentum, videre meruit palmam Domini conſecrantis. *Quod ibi in annotatis lit.* b *de S. Honorato etiam dicitur ex Vita S. Salvii, & ex gemina Hiſtoria inventionis S. Firmini martyris, in quarum altera item additur :* Ab omni inquinamento carnis ac Spiritûs poſtmodùm manſit illæſus.

q *Plus fidei merentur ſequentia miracula, cùm eodem modo referantur in Actis S. Firmini martyris, adductis in Comm. num. 5.*

r *Populi enumerati videntur revera fuiſſe ſub epiſcopatu Ambianenſi tempore* S. Firmini. *Certè Morini, qui partes maritimas incolebant inter Scaldim & Samaram ſeu Somonam flumina, necdum eo tempore habuiſſe leguntur epiſcopum. Pontivus comitatus,* Pontium *quandoque dictus, &* Pontiu, *nunc vulgò le* Pontieu, *à quo* Pontinenſes *vocat, in alio Ms.* Pontinienſes, *hodie etiam eſt ſub Ambianenſi epiſcopo.*

C ſ Vinniacenſes, *in alio Ms.* Vimacenſes. *Populi indicantur pagi Vinemaci, de quo agit Valeſius in Notitia Galliarum pag. 612. Pagus variis nominibus vulgò* Vimau, Vitmau, Vitnau *&* Wimnau, *nunc* le Vimeu, *dictus reperitur. Latinè quoque variatur nomen : nam* Uſuardus, *inquit,* & Ado in Martyrologiis pagum Vimnacenſem ſuper Somnam fluvium appellant in finibus Ambianorum, aliàs pagum Vimacenſem. *Situm hujus pagi idem indicat his verbis :* Inter Auſciam & Suminam fluvios jacet, ſeu inter Tellau & Pontiu pagos.

t Taraonenſes, *in alio Ms. mendosè, ut videtur,* Thalaonenſes, *ſunt pars Morinorum, quorum urbs primaria* Taruanna, Teruanna *&* Tarvenna, *Gallis* Teroüanne, *ſedem epiſcopalem deinde habuit, donec penitus excideretur.*

u *Per* Caldenſes, *uti in utroque eſt Ms., deſignati videntur incolæ pagi Caletenſis corrupto nonnihil nomine. Habebat quidem jam epiſcopum ſuum urbs Rotomagenſis, cui pagus Caletenſis, nunc vulgò* le Pais de Caux, *ſi totus conſideretur, erat vicinior ; ſed, cùm illi fortaſſe pagani adhuc eſſent, potuit in partem laboris venire* S. Firminus, *& excolere Caletenſes Ambianis viciniores.* AUCTORE J. S.

x *Accipe quædam in alio Ms. addita hoc loco ; qualia & aliis locis dixi inſerta à quodam, qui phraſim pleniorem facere conatus eſt :* Quis enim eſſet tam obſtinatus, qui ejus modeſtiam intuens, non confeſtim admirando obſtupeſceret ? Aut quis arrogans ſobriam ejus vitam conſiderans, non illico ad æquitatem ſemetipſum converteret ? Creſcebat in eo nimirum quotidie opinio familiarium virtutum : ſeminabat in plebem verba veritatis fructu fidei redundantia, ſufficienti ſale condîta, & velut aromaticis unguentis infuſa.

GLORIA
SANCTI POSTHUMA.

§ I. Sanctus ſepultus in eccleſia B. Mariæ Virginis, quam ipſe conſtruxerat, ibidem miraculis claret, & colitur à ſeculo ſaltem VI : exponitur controverſia nuper agitata de hodierna ſacri corporis poſſeſſione. E

Sanctus ſepultus in eccleſia à ſe conſtructa, ibique cultus ante ſeculum VII ;

Sanctum Firminum *confeſſorem ſepultum eſſe* cum magnifico honore in eccleſia ſanctæ Dei Genitricis, quam ipſe conſtruxit, *habent Acta mox data ſub finem. Idem aſſeritur in Actis S. Firmini martyris, quorum verba dedi in Commentario num. 5, ubi additur :* Dubium . . non eſt, ubi S. Firminus confeſſor & epiſcopus poſt multas virtutes oſtenſas conditus eſt, ubi & ſine dubio requieſcere credendus eſt. *Fulgebat quoque miraculis Sanctus : hæc enim de eo præmittuntur verba :* Sicut ipſe hodie meritis ipſius ſingulis ſe invocantibus & in ſe ſperantibus longè latéque coruſcat. *Præterea ex vocibus,* invocantibus & in ſe ſperantibus, *colligitur ſanctum Confeſſorem jam venerationi fuiſſe fidelibus, dum hæc auctor ſcribebat ; & veroſimiliter jam cultus ille diu viguerat, cùm de eo non loquatur, ut de re nova. Porrò clarum eſt, Acta illa exarata eſſe ante tranſlationem corporum utriuſque Firmini, quam contigiſſe circa annum 613, infrà oſtendemus. Non videtur igitur dubitandum, quin ante ſeculum* VII *coleretur Sanctus ab Ambianenſi populo. Sed revertamur ad locum ſepulturæ.* F

nec de loco ſepulturæ videtur dubitandum ;

2 *Inventio corporis S. Firmini martyris apud Cointium ad annum 687 num. 17 de loco ſepulturæ utriuſque Firmini ſic habet :* Sciebat verò (*S. Salvius*) quòd (*S. Firmini martyris corpus*) in eccleſia beatæ Mariæ Virginis requieſcebat, quam beatus Firminus confeſſor Chriſti conſtruxerat : qui & pro ſorte nominis & pro merito dignitatis in hac civitate clariſſimus extitit paſtor, & in ipſa eccleſia ſuam elegerat fieri ſepulturam. *Porrò non nemo dubitationem movit,*

AUCTORE J. S.

an revera in eadem eccleſia ſepultus ſit Sanctus Confeſſor, quia tum hîc, tum in Actis S. Firmini martyris, ſolùm dicitur in ipſa eccleſia ſuam elegerat fieri ſepulturam, *& non clarè*, in ipſa ſepultus eſt. *Verùm frivola eſt hæc vitilitigatio: nam addidiſſent iidem ſcriptores, alio loco ſepultum eſſe, ſi id factum fuiſſet. Quin imò ſuſpicor, ſcriptores illos non aliunde ſciviſſe, electam ibi à Sancto ſepulturam, quàm quia ibidem noverant ſepultum. Hinc in Actis propriis, à Petro de Natalibus, & in variis Breviariis Ambianenſibus clarè dicitur ſepultus in eccleſia, quam ipſe conſtruxit ſupra corpus S. Firmini martyris, in cœmeterio videlicet patris ſui Fauſtiniani extra urbem Ambianenſem: Fauſtinianus enim ſepeliverat S. Firminum martyrem, ut hujus Acta*, in ſuo cœmiterio, quod Abladana dicitur.

eccleſia illa primùm B. Mariæ Virgini ſacra, nunc S. Acheoli dicitur:

3 *Hanc eccleſiam B. Mariæ Virginis nomen deinde mutaſſe, ac dici cœpiſſe* S. Acheoli, *vulgò* S. Acheul, *cujus corpus forſan eò tranſlatum fuerat, abundè oſtendi poteſt. Rorico epiſcopus Ambianenſis eccleſiam illam anno* 1085 *conceſſit Canonicis Regularibus S. Auguſtini, qui illam etiamnum poſſident cum celebri ejuſdem nominis abbatia prope Ambianum. Inſtrumentum donationis, quod editum eſt apud Labbeum tom.* 10 *Conciliorum col.* 407, *apud Acherium tom.* 2 *Spicilegii pag.* 60, *& apud Sammarthanos tom.* 4 *pag.* 7, *ſic habet:* Rorico ... humilis præſul Ambianenſis ... Eccleſiam quamdam, quam B. Firminus confeſſor, dum primitus hanc urbem à cultu dæmoniacæ ſervitutis erueret, & per ſalutis lavacrum idem ipſe paranymphus cæleſtis virginem caſtam, maculam non habentem aut rugam, uni viro Chriſto copularet, in honore ſanctæ & perpetuæ Virginis fundavit; poſtea verò à ſanctis martyribus Aceo & Acheolo antiquitatis noſtræ tempore ſibi nomen optavit, ... ab omni reditu epiſcopi miniſtrorumque ejus liberam eſſe decernimus, & in ea clericos, qui canonicè & regulariter Deo ſerviant, deputamus *&c. Primò ergo eccleſia illa B. Mariæ Virgini dicata fuit, deinde* SS. Achei *&* Acheoli *nomen aſſumpſit, ac demum* Acheoli *nomen prævaluit. Porrò dubitatio hîc aliqua eſſe poſſet propter ea, quæ de* S. Firmino *adduntur, utrùm per vocem* confeſſor *non eſſet intelligendus S. Firminus martyr, qui primus fuit epiſcopus Ambianenſis, & deinde* confeſſor & martyr *in eodem diplomate vocatur, niſi ex ipſis ſancti Martyris Actis oſtenderetur, eccleſiam antiquam B. Mariæ Virginis non à Firmino martyre, ſed à* Firmino *confeſſore eſſe conditam. Hactenus de loco Sancti ſepulturæ, quæ acri controverſiæ occaſionem præbuit. Verùm priuſquam ſacri corporis tranſlationes diſcutiamus, de memoria ejus in Martyrologiis breviter agemus.*

memoria Sancti in Faſtis ſacris 1 *Septembris,*

4 *Non invenio Sanctum noſtrum commemoratum ab ullo ex antiquioribus martyrologis. Variis tamen antiquiorum Martyrologiis memoria ipſius addita reperitur. Imprimis Hieronymianum tom.* 2 *Spicilegii recuſi ad* 1 *Septembris ſic habet:* Ambianis civitate, depoſitio ſancti Firmini epiſcopi & confeſſoris. *Corbeienſe apud Martenium tom.* 3 *Anecdotorum col.* 1582 *recentiore manu ad eumdem diem:* Et ſancti Firmini confeſſoris & epiſcopi. *Kalendarium Corbeienſe ibidem col.* 1601: Ambianis Firmini epiſcopi. *Pluribus codicibus Uſuardinis adjuncta eſt ejuſdem Sancti memoria. Pauca è multis, quæ in Uſuardo noſtro videri poſſunt, accipe elogia. Codex Ambianenſis:* Ambianis tranſitus beati Firmini epiſcopi & confeſſoris, qui inter cetera bonitatis ſuæ inſignia, dum Corpus Domini ſacraret in terris, manum illius meruit videre in cælis. *Editio Lubeco-Colonienſis:* Civitate Ambianenſium, depoſitio ſancti Firmini epiſcopi & confeſſoris. Hic tantâ ſcientiâ & ſanctitate floruit, quòd omnium Europæ eccleſiarum doctor & rector efficeretur; deinde epiſcopus eccleſiæ Ambianenſis: & completis annis ætatis ſuæ quadraginta ſeptem, ad Chriſtum tranſiens, ſancto fine quievit. Qui ſepultus in eccleſia beatæ Mariæ Virginis juxta corpus prædeceſſoris ſui, ſancti martyris & antiſtitis Firmini, cujus nomen ipſe ſortitus eſt. *Quæ in hiſce elogiis dubia ſunt aut falſa, jam antè diſcuſſimus. Grevenus rectiùs hoc dedit elogium:* Ambianis, ſancti Firmini epiſcopi & confeſſoris, qui à patre Fauſtiniano, viro nobili, ad honorem ſancti Firmini Ambianenſis epiſcopi martyriſque glorioſi, quem ipſe ſepelierat, Firmini nomine vocatus eſt. S. Firminum *etiam commemorat Florarium noſtrum Ms. his paucis verbis:* Ambianis ſancti Firmini epiſcopi & confeſſoris. *Hæc omnia ad* 1 *Septembris, quo celebratur Ambiani feſtivitas ſancti Confeſſoris magna cum ſolemnitate, ut patebit per decurſum.*

& aliis etiam diebus; tranſlatio 10 *Januarii, &* 21 *Martii memorata.*

5 *Aliis quoque diebus annuntiatur Sancti memoria, videlicet* XVIII *&* XXX *Auguſti, prout apud nos declaratum eſt in Prætermiſſis ad eoſdem die. Ghinius eumdem amplo elogio exornat ad* XXIII *Octobris; ſed hiſce non immoror:* Conſecratio ejus & ordinatio in Martyrologiis Ambianenſibus notatur XIX Auguſti, *ut annotavit Bollandus ad Vitam Ms., ſed ignoro, quo dies ille conſecrationis nitatur fundamento. Variis etiam diebus annuntiatur* S. Firmini *confeſſoris tranſlatio. Hæc ex Martyrologiis Ambianenſibus notavit Bollandus:* IV Idus Januarii Ambianis tranſlatio corporis S. Firmini epiſcopi & confeſſoris. *Tranſlationem die hoc* X *Januarii diu celebratam fuiſſe videbimus. Additur die* XXI *Martii his verbis:* XII Cal. Aprilis tranſlatio S. Firmini epiſcopi & confeſſoris. *Tranſlationem ad diem poſteriorem in Uſuardino codice Ambianenſi item invenit Sollerius hiſce verbis memoratam:* Ipſo die, tranſlatio S. Firmini epiſcopi & confeſſoris. *Ad diem verò* X *Januarii non quidem reperit eam in ſuo Ambianenſi, ſed in Remenſi eccleſiæ SS. Timothei & Apollinaris, ubi hæc ſuni verba:* Ambianis, tranſlatio corporis ſancti Firmini epiſcopi & confeſſoris. *Addit editionem Molani, quæ ſic habet:* Ambianis, tranſlationis ſancti Firmini epiſcopi & confeſſoris. *Tranſlationem die* X *Januarii commemorarunt plures alii, qui in Prætermiſſis ad eumdem diem breviter ſic indicantur:* S. Firmini confeſſoris, epiſcopi Ambianorum tertii, tranſlatio celebratur hoc die, ut ex Sauſſaio, Galeſinio, Ms. Florario, aliiſque Martyrologiis conſtat. *Hinc colligo, duas ſaltem tranſlationes ab Ambianenſibus celebratas fuiſſe, uti bis tranſlatum fuiſſe Sancti corpus infrà probabimus. Reperitur demum memoratus* Adventus reliquiarum in baſilica S. Quintini *non ſolùm* S. Firmini *confeſſoris, ſed & multorum Sanctorum, quorum reliquiæ fuere Ambiani, ut videre eſt in Prætermiſſis ad* XXI *Maii: verùm hæc intelligenda ſunt de oſſibus quibuſdam, non de totis corporibus. Hiſce expeditis, occaſionem obortæ controverſiæ de poſſeſſione corporis* S. Firmini *confeſſoris breviter explicabo.*

6 *Nullus à multis ſeculis dubitaverat, quin hujus Sancti corpus tranſlatum eſſet, ac ſervaretur*

A *retur in ecclesia cathedrali Ambianensi : idque & monumenta plurima testabantur , & festivitas translationis longo tempore celebrata , & lipsanotheca quotannis circumferri solita , omnium animis altè impresserant. Verùm translatio illa & possessio ecclesiæ cathedralis , etiamsi certa videantur , & pro indubitata fuerit habita usque ad finem ferè præcedentis seculi , graviter oppugnari cœpta est anno 1697. Occasionem controversiæ præbuerunt inventa anno 1697 , x Januarii in ecclesia S. Acheoli sepulcra , de quibus Mabillonius in Opusculo de Cultu Sanctorum ignotorum , recuso inter Opera posthuma tom. 1 pag. 279 , sic loquitur :* At longè venerabilior est alia inscriptio , quæ cum aliis ferè obliteratis , anno MDCXCVIII (*lege* 1697) ineunte , detecta est Ambianis in suburbana sancti Acheoli martyris basilica , quam occupant Canonici Regulares reformatæ congregationis Gallicanæ. Illic , dum ad novi altaris fundamentum humus erueretur , detecta sunt quinque sepulcra prope tumulum sancti Firmini episcopi & martyris , qui pone vetus altare positus erat. Duo ex illis hinc & inde

B posita : unum ad latus Euangelii absque inscriptione , & alterum ad latus epistolæ cum inscriptione , quæ Eulogii Ambianorum secundi episcopi , & proximi ejus successoris S. Firmini confessoris esse creduntur. Ante altare tres alii tumuli reperti , unicus cum inscriptione , nempe Eaustiniani , ut ex inscriptionis ferè deletæ relictis vestigiis non sine fundamento conjiciunt. *Deinde post relata quædam ex Actis de Faustiniano, & utroque Firmino in eadem ecclesia sepulto , hæc addit :* Prædicta monumenta cum magno pietatis sensu lustravi ; at Faustiniani , ut creditur , tumuli inscriptionem vix legere potui.

Translatio corporis , quæ pro certa fuerat habita , ob inventa quædam sepulcra ,

negari cœpta est anno 1697 : hinc gravis exorta controversia ,

7 *Inventis hisce tumulis , cùm in uno ex illis aliqui putarent sè legere nomen* Firminus , *illeque tumulus ossa contineret humana , facilè crediderunt , ossa illa esse* S. Firmini *confessoris. Accessit rumor falsus , qui opinioni isti pondus addidit : nam sparsum fuit in vulgus , lipsanothecam , in qua corpus Sancti servabatur in ecclesia cathedrali, apertam fuisse, vacuamque prorsus repertam. Apparuit igitur eodem anno dissertatio Gallicè ab auctore anonymo scripta ; cujus erat titulus :* Epistola ad curiosum de anti-

C quis tumulis , repertis x Januarii anni MDCXCVII sub altari principe cujusdam ecclesiæ , quæ olim erat cathedralis Ambianensis. *Conabatur anonymus iste ostendere , unum ex quinque tumulis esse* S. Firmini *confessoris , ossaque ejus numquam ex eo sepulcro fuisse amota. Verùm , cùm non modò malam defenderet causam , sed etiam non satis se continuisset intra modestiæ limites , dissertatio seu Epistola illa eodem anno prohibita est ab illustrissimo Ambianensi episcopo Henrico Feydeau de Brou , qui decreto dato* XX *Julii illam gravi censura perstringit , & simul breviter refutat. Attamen non tam citò litibus hisce finis est impositus : nam causam Canonicorum Regularium S. Acheoli propugnandam suscepit Joannes Baptista Thiers , vir scriptis suis orbi litterario non ignotus. Edidit ille anno 1699 Dissertationem item Gallicam, quam mox suppressit Consilium statûs publici , decreto hunc in finem dato* XXVII *Aprilis ejusdem anni. At , cùm hujusce Dissertationis exemplar perveniisset Leodium , ibidem eodem anno recusa est Dissertatio , eodemque anno huc missa , nescimus à quo. Titulus hic præfixus :* Dissertatio de loco , ubi nunc quiescit corpus S. Firmini confessoris , tertii Ambianensis episcopi.

AUCTORE J. S.

variaque contra translationem scripta, sed eadem solidè propugnata.

8 *Dissertationi huic , quæ plenior est affectata eruditione , mirâque sui auctoris fiduciâ , quàm argumentis solidis , nullus respondit usque ad annum* 1711. *Eo demum anno causam ecclesiæ cathedralis Ambianensis uberiùs defendere aggressus est Nicolaus de Lestocq doctor Sorbonicus ac canonicus Ambianensis Theologicis præfectus. Hic Gallicè edidit Opusculum sub hoc titulo ,* Dissertatio de translatione corporis S. Firmini confessoris *&c. , in quo prefè ac solidè probat , corpus* S. Firmini *translatum fuisse , servarique in ecclesia cathedrali Ambianensi , & sic ad argumenta adversariorum suorum respondet , ut nullum videatur relinquere dubium , quin corpus Sancti possideat ecclesia cathedralis. Quievissent hîc defensores inventi recenter sepulcri , si quiescere posset assumptum semel patrocinium opinionis præconceptæ. Obierat interim Thiersius, ejusque æquè ac Anonymi arma , quæ numquam satis cohæserant , penitus erant confracta. Anonymus tamen , etiamsi nihil solidæ rationis in rem suam proferre posset , silere omnino noluit ; sed* E *responsionem ad Dissertationem Lestoquii adornavit , eamque inscripsit* Umbram Thiersii. *Verba inania , quæ personata illa Umbra profuderat , altera dissertatione facilè refutavit Lestoquius. Opposuit rursum Anonymus* Observationes criticas , *quas similiter Lestoquius confutavit. Demum aperta est arca , quâ claudebatur sacrum* S. Firmini *confessoris corpus , cúmque illud in arca repertum fuisset cum instrumento translationis postremæ , finis diuturnæ liti fuit impositus. Hæc præmittere visum est , antequam narrarem sacri corporis translationes : nam sic eas referre statui , ut præcipua Lestoquii argumenta sim allaturus , & cavillationes ejus adversariorum breviter refuturus.*

§ II. Prima corporis translatio : ecclesia , in quam translatum , & tempus hujusce translationis inquiruntur.

F

S. Salvius corpus transtulit in ecclesiam à se conditam : quâ combustâ anno 1218,

V*ita S. Salvii Ambianensis episcopi apud nos tom.* 1 *Januarii pag.* 706 , *relata priùs inventione & translatione S. Firmini martyris , ad propositum nostrum subjungit ista :* Sed & sanctos Dei Firminum episcopum & confessorem , Aceum quoque & Aceolum martyres Christi , in crypta Orientali verenter condidit , & decenter exornavit. *Ad quam ecclesiam translatæ sint sacra hæc corpora , idem scriptor innuit paulò antè , ubi hæc habet :* Ecclesiam denique , quæ necdum in loco erat , digno opere construxit , & in principis Apostolorum B. Petri honorem , nec non & doctoris gentium S. Pauli verenter beavit. *Nam mox dicit corpus S. Firmini martyris collocatum esse* in ecclesia , quam ipse beatissimus præsul Salvius construxerat , in crypta Orientali , *in qua & aliorum corpora condita deinde affirmat. Non supereſt hoc tempore ecclesia illa SS. Petri & Pauli à Salvio exstructa : neque id mirum , cùm eamdem subierint sortem omnes ferè antiquiores ecclesiæ Ambianenses , testante Morlierio lib.* 1 *pag.* 90 , *nullam ferè superesse , quæ quingen-*

AUCTORE J. S.

quingentis aut ſexcentis annis antiquior erat, dum ille ſcribebat. Leſtoquius in Diſſertatione 1 cap. 1 affirmat dictam eccleſiam incendio conſumptam fuiſſe anno 1218, fundamentaque novæ eccleſiæ cathedralis, quæ hodieque magnifica ſubſiſtit, jacta fuiſſe anno 1220 per Everardum Ambianenſem epiſcopum. De conſumpta per incendium eccleſia cathedrali, inchoatâque per Everardum alterius ſtructurâ conſentit Morlierius pag. 90, citans etiam hæc verba Gaufridi vel Godefridi II antiſtitis Ambianenſis, quibus prioris cathedralis combuſtio indicatur: Nam ſi peccatis noſtris exigentibus, permiſerit Dominus eccleſiam noſtram concremari, ad noſtrum profectum hoc eveniſſe credamus.

nova eaque amplior exſtruitur,

10 *Proxima aut contigua antiquæ huic eccleſiæ cathedrali erat eccleſia* S. Firmini *confeſſoris, quæ forſan eòdem incendio deſtructa fuit, aut certè locum cedere debuit ampliandæ cathedrali, inſtauarataque fuit eo loco, quo nunc cernitur. Hæc ſimul cum antiqua cathedralis combuſtione colliguntur ex fragmentis litterarum Godefridi II ejuſque ſucceſſoris Arnulfi, quæ protulit Leſtoquius pag. 234. Fragmentum Godefridi ſic habet:* Quoniam per claræ memoriæ epiſcopum Everardum fuerat ordinatum, accedente conſenſu Ambianenſis cleri & populi, tamquam eis fuiſ-

B

ſet à Domino inſpiratum, quatenus fundamenta eccleſiæ ampliaret & mundaret ſancta; . . oportebat eccleſiam B. Firmini confeſſoris matris ſuæ cedere fundamentis. *Arnulfus verò loquitur in hunc modum:* In litteris bonæ memoriæ prædeceſſoris noſtri Gaudefridi epiſcopi Ambianenſis, nobis oblatis, vidimus contineri, quòd eam (*lege* cùm) eccleſiam Ambianenſem tempore piæ recordationis Everardi epiſcopi Ambianenſis, tunc eidem præſidentis, contigiſſet incendio corruiſſe, per eumdem Everardum epiſcopum, accedente conſenſu cleri & populi Ambianenſis, fuerat ordinatum, & erat neceſſe, quatenus fundamentum dictæ eccleſiæ ampliaret, ad quas ampliationes eccleſiam B. Firmini confeſſoris retrò ſitam cedere oportebat. *Thierſius in Diſſertatione ſua cap. 9, pag. 79 præſentem cathedralem anno 1220 per Everardum epiſcopum inchoatam fuiſſe ſimiliter affirmat, adducens hoſce ex ejus epitaphio verſiculos:*

C

Qui populum pavit, qui fundamenta locavit
Hujus ſtructuræ, cujus fuit urbs data curæ.

utraque fuit cathedralis; prima veroſimiliter SS. Petro & Paulo, hodierna verò B. Mariæ Virgini ſacra.

11 *Verùm idem Criticus diſſimulat combuſtionem eccleſiæ illius cathedralis, in cujus locum hodierna fuit exſtructa. Opus ſanè ei erat diſſimulatione illa, ut ex epocha conditæ cathedralis, per ſequelam neſcio quam, concluderet, ſacrum* S. Firmini *corpus à S. Salvio delatum non fuiſſe ad eccleſiam cathedralem, acſi nulla fuiſſet cathedralis ante hanc conditam. Cointius in Annalibus Francorum ad annum 689, num. 13, agens de hac tranſlatione, ſcribit ſequentia:* Salvius duas Ambiani baſilicas erexit, alteram nomine Principum Apoſtolorum, in qua reliquias ſancti Firmini confeſſoris collocavit, unde & illa S. Firmini nomen accepit, alteram beatiſſimæ Virginis, in qua poſuit corpus ſancti Firmini martyris. Vetus enim Breviarium Ambianenſe quarto Kalendas Novembris hæc habet in feſto ſancti Salvii: " Duas Ambiani baſilicas conſtruxit; „ alteram nomine ſanctorum Petri & Pauli, quæ „ nunc ſancti Firmini confeſſoris dicitur, alte„ ram ſanctæ Mariæ Virginis, in quam beati Fir„ mini martyris corpus ſuo tempore inventum „ tranſtulit „. *Breviarium illud ſatis fideliter ſecutus eſt Cointius; ſed parum vetuſtatis habet, cùm tantùm ſit anni 1607. Porrò huic opinioni repugnare videtur Vita S. Salvii, quæ innuit eccleſiam illam SS. Petri & Pauli cathedralem fuiſſe. Præterea duo antiquiora Breviaria ad manum habeo, in quibus nihil legitur de ſtructis duabus eccleſiis à S. Salvio, nihil de eccleſia* S. Firmini *confeſſoris. Deinde clarè indicat Vita S. Salvii, corpora utriuſque* Firmini *ad eamdem delata fuiſſe eccleſiam. Quapropter, etſi nihil interſit ad præſentem corporis poſſeſſionem probandam, probabilius exiſtimo cathedralem exſtructam à S. Salvio ſub nomine Sanctorum Petri & Pauli, in eamque delata dictorum Sanctorum corpora; ſed eamdem, poſtquam combuſta fuerat, ſub nomine B. Mariæ Virginis ab Everardo inſtauratam.*

D

De ætate S. Salvii, qui corpus tranſtulit, nihil certi habetur ex ſola ejus Vita;

12 *Quo tempore vixerit S. Salvius, qui tranſtulit corpus* S. Firmini, *difficulter oſtendi poteſt, quia in ſententias admodùm diverſas abierunt ſcriptores. Vita quidem iſtius Sancti, ad* XI *Januarii edita, aliquot habet notas chronologicas, ſed ea non ſufficiunt, ad ejus ætatem certò ſtabiliendam, cùm variè exponantur à variis. Accedit quòd Vitæ illius ſcriptor Salvios diverſos confuderit, eaque de cauſa non multùm illius auctoritate niti debeamus. Bollandus in Commentario Vitæ prævio aliqua adduxit argumenta, ut oſtenderet Salvium floruiſſe ſub initium ſeculi* VII, *mortemque ejus fixit circa annum 615. Argumenta aliqua Bollandi rectè refutavit Cointius ad annum 686, quo Salvium epiſcopum creatum voluit, ſed nihilo meliora adduxit pro ſua opinione, nec ſolidè ad omnia reſpondit. Vita Salvii num. 8 ſic habet:* Eodemque tempore Theudericus glorioſus rex Francorum monarchiam regiæ poteſtatis exercebat: qui audiens ſanctum Honoratum migrâſſe epiſcopum à ſeculo, legatos ſuos direxit ad urbem Ambianicam, ſanctum ſcilicet Hautcarium, Noviomenſis eccleſiæ pontificem, intimans urbanis, ut dignum Deo ſibique ſalutiferum eligerent epiſcopum. *Poſt quæ electio S. Salvii mox ſubjicitur. Theodoricum regem, ſub quo electus narratur Salvius, Theodoricum Burgundiæ regem, Childeberti II filium, intelligit Bollandus. Verùm Cointius rem contigiſſe contendit ſub Theodorico III, quia Theodoricus in Vita Salvii deſcribitur ut Franciæ monarcha. Fateor lubens, quòd cenſerem Cointii opinionem potiùs ſequendam quàm Bollandi, ſi ſolus ad ordinandam chronotaxim occurreret Theodoricus, maximè quia nec Ambianum nec Noviomum fuit in ditionibus Theodorici Burgundiæ regis; ſed quantùm favet Cointio Theodoricus, tantùm adverſatur Honoratus Salvii anteceſſor; & Bollando præterea favet.* Hautcarius *Noviomenſis antiſtes, qui aliàs* Haudgarius, Acarius *&* Achârius *ſcribitur, uti in annotatis obſervat.*

E

F

etſi notæ chronologicæ in illa expreſſæ,

13 *Vidit Cointius* Honoratum *non cohærere cum opinione ſua; at facilem adhibet ſolutionem num. 8, inquiens:* Error eſt in Honorati nomine, cujus loco reſtituendus eſt Dado. *Si Theodoricus cum ſententia noſtra non magis conciliari poſſet, quàm Honoratus cum Cointiana, cur mihi non liceret eadem facilitate reponere,* Error eſt in Theodorici nomine, cujus loco reſtituendus eſt Clotarius II? *Imò hic error multo erit veriſimilior, quia Theodoricus II & Clotarius II eodem tempore in diverſis Galliæ partibus regnaverunt, ita ut ſcriptor, qui illis diu fuit poſterior, facilè uni attribuere potuerit, quod factum*

A *factum erat ab altero, invento forsan in monumentis antiquioribus solo facto sine expresso regis nomine. At idem ille scriptor non tam facilè errare poterat in ordine episcoporum Ambianensium, quorum haud dubiè exstabant catalogi; nec verisimile est, ab eo Honoratum Salvio fuisse proximè præponendum, si toto seculo fuisset prior, ut contendit Cointius. Non minùs facilè se expedit Cointius num. 10 ab Hautcario, qui S. Salvii electioni præfuisse dicitur. Nullus dubitat, quin S. Acharius Noviomensi & Tornacensi ecclesiæ præfuerit ante S. Eligium, qui ei successit circa annum 640, nec ulla dari potest idonea ratio, cur episcopus esse non potuerit ab initio seculi VII, etiamsi ignoretur episcopatûs ipsius initium. Alius in antiquis episcoporum Noviomensium catalogis Hautcarius non reperitur, nec in ullis conciliis aut aliis quibuscumque monumentis antiquis: primi Sammarthani tom. 3 Gallia Christiana pag. 812 Hautgarium ab Achario distinctum inseruerunt catalogo episcoporum Noviomensium ex hoc loco, sine ulla alia probatione, & quidem ante S. Mommolenum, qui cerìò successit S. Eligio, ut error sit manifestus.*

B 14 *Laudatus Cointius distinctionem sine fundamento assertam amplectitur, sed eumdem non servat ordinem: nam Hautgarium Mummoleno subjiciens, sic scribit:* Nihil vetat, quo minùs Acarius, qui sanctum Eligium in episcopatu antecessit, distinguatur ab Hautcario, qui post sanctum Mummolenum sancti Eligii successorem sedere cœpit. Addè quòd Theodoricus Childeberti filius, qui post patrem in Burgundia regnavit, Acarium Noviomensem episcopum ad urbem Ambianicam dirigere non potuit, obiit etsim priusquam Acarius ad episcopatum promoveretur. *Verùm distinctioni obstat silentium catalogorum Noviomensium, & defectus sufficientis rationis pro asserenda distinctione. Quod ait, Theodoricum II obiisse ante episcopatum S. Acharii, eadem facilitate negatur, quâ asseritur. Mabillonius in Annalibus Benedictinis tom. 1 pag. 604 ad annum 695 inter episcopos, qui sine sedis nomine subscripserunt privilegio cuidam ibi relato, recenset* Hectarium *quemdam, quem credit fuisse* Hautcarium *Noviomensem. Incerta mihi videtur hæc conjectura, quam nullis rationibus fulcivit: at si re vera Hectarius aliquis tunc Noviomensis fuisset, necdum constaret, an ille potiùs designatus esset in Vita S. Salvii quàm S. Acharius, qui S. Eligium præcessit. Hinc concludo, nullam temporis notam reperiri in Vita S. Salvii, quæ satis sit certa ad ætatem illius assignandam; illas tamen, quas recensuimus, magis favere Bollando quàm Cointio.*

magis innuant eum sedisse sub initium seculi VII, quàm sub finem ejusdem.

15 *Videamus igitur, utrùm ex ipsis catalogis episcoporum Ambianensium attentè consideratis ætas S. Salvii utcumque inveniri non possit. In septem primis episcopis consentiunt Claudius Robertus, Morlierius, & Sammarthani. Ex his septimus ab omnibus statuitur Beatus, qui concilio Aurelianensi V interfuit anno 549. Robertus & Morlierius octavo loco ponunt S. Honoratum, nono S. Salvium. Sammarthani verò duos hosce integro seculo collocant seriùs, & Bercundum, quem alii decimum habent, octavo loco inserunt prorsus improbabiliter. Quippe vixit Beatus anno 549, Bercundus episcopus erat tempore S. Walarici abbatis, de quo egimus ad 1 Aprilis, eique defuncto circa annum 622 supervixit Bercundus, qui defuncti corpus transferre voluit. Advertat igitur lector studiosus, quantus inter Beatum anno 549 sedentem & Bercundum post annum 622 superstitem relinquatur hiatus, nisi Honoratus interponatur & Salvius. Hic autem hiatus tanto magis est improbabilis, quòd Honoratus & Salvius deinde eo loco inserantur, ubi catalogus sine hiatu continuari potest, etiamsi duo hi præmittantur, imò ubi locum non relinquunt S. Theodefrido, qui necessariò inseri debet, quemadmodum ostendemus.*

Nisi SS. Honoratus & Salvius statuantur octavo & nono loco, improbabilis relinquitur hiatus in catalogo,

C

16 *Accedit ad hasce rationes quòd varia monumenta, partim citata in S. Salvio ad XI Januarii, partim in S. Honorato ad XVI Maii, testentur, S. Honoratum sedisse tempore Childeberti regis, adeoque seculo VI, sive Childebertus primus intelligatur, sive secundus: nam tertius nequit intelligi, ut facilè admittent adversarii. Vidit hæc Cointius, atque ut hiatum supradictum expleret, & Honoratum à tempore Childeberti non amoveret, eum reliquit loco suo octavum, & pro Salvio, quem contra omnes catalogos ab Honorato distraxit, substituit nono loco Deodatum, quem alii duodecimum faciunt aut decimum tertium. Sic totum ferè ordinem mutat sine ulla ratione solida. Rectiùs implebitur tempus inter Beatum & Bercundum, si loco suo relinquantur Honoratus & Salvius; nec alium eis locum probabiliter assignari posse, nunc ostendere aggredior.*

& ab aliis monumentis receditur,

E

17 *Decimus nobis episcopus est Bercundus, S. Walarico coævus, eique superstes. Huic successit Bertefridus, ut fatentur omnes, qui nobis est undecimus, uti & Roberto & Morlierio. Bertefridus adhuc vivebat anno 666, quando Drausius episcopus Suessionensis ad ipsum aliosque episcopos direxit privilegium datum monasterio puellari beatæ Mariæ, ut videre est apud Mabillonium tom. 1 Annalium pag. 482. Cointius idem privilegium affigit anno 668. Tempore hujus Bertefridi condidit S. Bathildis monasterium Corbeiense, cui primus præfuit S. Theodefridus. Huic monasterio immunitatis privilegium anno 663 concessit Bertefridus, petentibus rege Clotario & regina Bathilde, in quo apud Mabillonium tom. 1 pag. 470 inter alia de electione abbatis hæc leguntur:* Ad hæc, mortuo abbate, ejus successorem, à monachis unanimiter electum, accepto à principe mandato, ordinet (*episcopus Ambianensis.*) *Verba hæc recitanda duxi, ut ex iis clarè ostendam, Theodefridum abbatem Corbeiensem Ambianensibus episcopis annumerandum. Admittunt id Sammarthani & Cointius, contra quos aliàs disputo: sed dubitat Mabillonius, & Bollandus ad XXVI Januarii eumdem perperam annumeravit episcopis Albiensibus, inter quos locum habere nequit. De episcopatu nullum est dubium, sed dubitat Mabillonius pag. 502, an Ambianensis fuerit episcopus, nec alia de causa dubitare videtur, quàm quòd eum componere nequeat cum sententia Sammarthanorum, quam refutamus.*

cumque S. Theodefridus ex abbate Corbeiensi

F

18 *Audi Mabillonium ipsum, qui, ubi probaverat Theodefridum non esse creatum episcopum ante principatum Theodorici III, sic prosequitur:* Eo certè regnante Theodefredus ex abbate episcopus evasit, eamque dignitatem etiam retinebat eo tempore, quo scriptor ille anonymus libellum de vita sanctæ Balthildis scribebat, id est, paullo post ipsius reginæ obitum, quam auctor ille meritò laudat à condito monasterio Corbeiensi, " Ubi, inquit, venerabilis vir dom„ nus Teudofredus, nunc jam episcopus, tunc „ verò abbas, magno gregi Fratrum præfuit „. Episcopus ergo fuit Theudofredus toto ferè

factus episcopus, non Cameracensis,

AUCTORE J. S. Theoderici principatu : at cujus loci, non convenit inter auctores, quorum alii eum Ambianenſem, alii Cameracenſem faciunt. Verùm, ut Cameracenſis fuerit, tametſi huic opinioni favent quædam ſchedæ recentiorum temporum, non facilè aſſenſerim : tum quia Theodefredi nomen deeſt apud Baldericum in Chronico Cameracenſi : tum quia toto ferè Theoderici regis principatu hanc eccleſiam rexit Vindicianus, qui eam poſt ſanctum Autbertum Chlotario ſuperſtite obtinuit. *Ut hæc vera eſſe lector intelligat, tantùm opus eſt inſpicere catalogum epiſcoporum Cameracenſium tom.* 3 *Galliæ Chriſtianæ recuſæ. Pergit Mabillonius :* An autem Ambianenſis antiſtes fuerit Theodefredus, affirmare nolim, etſi locum habet in vulgatis indicibus (*apud Sammarthanos*) poſt ſanctos Honoratum & Salvium, qui, ſi tempore Theoderici tertii eam ſedem tenuerint, nullum Theodefredo vacuum relinquunt locum ſub hoc rege, quo tamen regnante eum epiſcopum factum eſſe, conſtat ex diplomate ejuſdem regis, confirmantis, ut jam diximus, electionem Eremberti abbatis poſt Theodefredi promotionem epiſcopalem, qui eum ſibi ſucceſſorem ſuggeſſerat, *videlicet poſt Chrodegarium, qui primus ſucceſſit Theodefredo.*

B

ſed Ambianenſis, 19 *Hæc quidem Mabillonius dubitanter. At omne dubium amovere videtur laudatum mox Theodorici diploma, quod ediderunt Sammarthani tom.* 4 *Galliæ Chriſtianæ pag.* 293, *& in quo hæc leguntur :* De ſacroſancto monaſterio nuncupato Corbeia, in pago Ambianenſe conſtructo, ad regalem noſtram præſentiam monachi & viri Dei venientes, ſerenitatis noſtræ clementiæ auribus ſuggeſſerunt, ut dum & venerabilis vir Chrodegarius abba, ſecundum conſuetudinem humanæ fragilitatis, de hac luce ad Dominum migraſſe dignoſcitur ; quem apoſtolicus vir domnus & pater noſter Theodefredus epiſcopus, dum & ille onus pontificale meruit accipere, per noſtram voluntatem & præceptionem ad regendum ac dominandum monaſterio ſuprà ſcripto conſtituit ; cum relatione & conſenſu totius congregationis ipſius monaſterii petierunt, ut liceret eis ſecundum eorum electionem, & ſecundum ſanctum privilegium, quod ſupra * loco ſancto ex regali munificentia & ſacerdotum conceſſione indultum eſt, de ſemetipſis eligere rectorem. Et dum eorum petitio noſtræ ſerenitati congrua eſſe, & rationabilis in omnibus videretur, venerabilem virum Erembertum, qui in ipſo monaſterio fuit nutritus, ipſi homines cum voluntate ſuprà ſcripti pontificis, domini Theodefredi epiſcopi elegerunt *&c. Ex hiſce, modò animum advertamus, clarè conſequitur, Theodefredum fuiſſe epiſcopum Ambianenſem. Quippe, ut habent verba privilegii num.* 17 *data, monachi debebant abbatem eligere, epiſcopus Ambianenſis, accepto regis mandato, ordinare. At Theodefredus* per præceptionem *Theodorici abbatem conſtituit Chrodegarium. Erat igitur Ambianenſis epiſcopus, eamdemque regebat eccleſiam, dum electus eſt Erembertus, qui idcirco* cum voluntate *ipſius electus dicitur. Hæc clariora videntur, quàm ut magis elucidari debeant. Hinc ex ſententia Mabillonii Theodefredus locum non reliquit Honorato & Salvio ſub principatu Theodorici III. At id paulò magis exponendum.*

* *fortè ſupradicto*

C

20 *Bertefridus adhuc ſedebat anno* 666, *& veroſimiliter aliquot annis ſeriùs, donec ſucceſſerit Theodefredus, qui ſub principatu Theodorici epiſcopatum ſuſcepit. Certè nullo modo Bertefrido & Theodefredo interponi poſſunt. Honoratus & Salvius, ac ne Salvius quidem ſolus, cùm hic diutiùs præfuerit quàm ſit ſpatium, quod illis reperiri poſſet intermedium. Accedit quòd Mummolenus præfuerit ſedi Noviomenſi uſque ad annum circiter* 684, *ita ut nullus eo tempore Noviomi ſedere potuerit Acharius vel Haudgarius, qui Salvii præfuiſſet electioni. Nullus igitur ſedit inter Bertefridum & Theodefredum, vel, ſi quis fuit intermedius, fuit unus ex illis, qui circa idem tempus reperiuntur in catalogo epiſcoporum Ambianenſium ſine temporis nota. Porrò ſupererat adhuc Theodefredus, dum ſcripta eſt Vita S. Bathildis reginæ, cujus obitum circa annum* 680 *locat Mabillonius ; ſcriptam autem eſſe Vitam illam aliquot annis poſt mortem Beatæ, ſatis colligi poteſt ex miraculis ultimo capite relatis. Idem in vivis erat, dum electus eſt tertius abbas Corbeienſis Erembertus, quod circa annum* 681 *contigiſſe credit Mabillonius tom.* 1 *pag.* 565. *Nec video, cur ſupereſſe non potuerit uſque ad finem regni Theodorici : nam annus emortualis eſt incertus. Poſt Theodefredum à nullo Salvium hactenus collocatum vidi : nec probabilititer ibi collocaretur, cùm Deodatus, Dado & Bertmannus in catalogis reperiantur ante Dominicum, qui anno* 720 *vel* 721 *interfuiſſe dicitur tranſlationi S. Lamberti. Itaque locus non eſt S. Salvio : nam tres inveniuntur ad explendum intervallum temporis, quod unus implere poſſet. Ex dictis hactenus concludo, retinquendum ordinem epiſcoporum, prout concinnatus eſt à Claudio Roberto & Morlierio, ſed inſerendum Theodefredum loco duodecimo aut decimo tertio, uti rectè inſeruerunt Sammarthani & Cointius.*

D

alius in catalogo locus non eſt Honorato & Salvio, ac ne ſoli quidem Salvio,

qui ſedit ſub initium ſeculi VII, *& corpus tranſtulit*

21 *Salvius igitur ſedit inter Honoratum & Bercundum ſub initium ſeculi* VII, *uti etiam præbare conatus eſt Thierſius in Diſſertatione memorata cap.* 16, *affigens tranſlationem S. Firmini martyris anno* 613. *Affert ille pag.* 202 *inſcriptionem, quam adhuc ſupereſſe dicit in eccleſia S. Acheoli ſub antiquo altari. Inſcriptio autem illa notat annum* 613, *ex eaque infert, eodem anno corpus S. Firmini martyris tranſlatum. Porrò non modò Thierſius, ſed etiam Leſtoquius noſtræ favet ſententiæ : nam licèt ille dictam epocham ſtabiliret, ut oſtenderet potuiſſe corpus S. Firmini ſub Dagoberto rurſum transferri ad abbatiam S. Dionyſii, quò illud deinde tranſlatum contendebat contra Leſtoquium ; tamen Leſtoquius, qui ſecundam illam tranſlationem refutat Diſſert.* 1 *cap. ultimo, pag.* 201, *negare noluit ſtabilitam epocham tranſlationis primæ, etiamſi tota ſecundæ tranſlationis hiſtoria collabatur, ſi corpus à Salvio tranſlatum ſit ſeculo* VII *ad finem vergente. Cur, obſecro, ea de re diſputare noluit Leſtoquius, qui monumenta omnia Ambianenſia diligenter luſtraverat ? Noverat Cointium eo argumento uſum : videbat Cointium non rectè refutatum à Thierſio, qui ſine ulla probatione ſupponebat Salvium ſediſſe ante Bercundum, quod negaverat Cointius. Non alia haud dubie de cauſa Leſtoquius impugnare noluit epocham S. Salvii à nobis probatam, quàm quòd veram crederet & monumentis eccleſiæ ſuæ conſonam. Ceterùm an eodem anno* 613, *quo corpus S. Firmini martyris inventum creditur, etiam tranſlatum ſit corpus* S. Firmini *confeſſoris, non inquiro. Sufficit mihi oſtendiſſe, id factum eſſe ſub initium ſeculi* VII.

E

F

§ III.

A

§ III. Solvuntur argumenta contra teſtimonium ex Vita S. Salvii allata : & confirmatur tranſlatio ex aliis monumentis.

Varia contra auctoritatem Vitæ S. Salvii objecta,

Tranſlationem, cujus locum & tempus inquiſivimus, in dubium vocatam fuiſſe jam monui. Qui eam impugnarunt, multa objecerunt contra Vitam S. Salvii, quæ primum tranſlationis hujuſce ſuggerit teſtimonium. Thierſius cap. 9 Diſſertationis ſuæ hanc Vitam auctoritate carere contendit, primò quia eſt auctoris anonymi, ſecundò quia ſcripta eſt longo tempore poſt mortem S. Salvii, tertiò quia illius ſcriptor idonea criſi uſus non eſt, cùm multa confuderit, & varia attribuerit Salvio Ambianenſi, quæ pertinent ad Salvium Albigenſem. Hæc contra auctoritatem totius Vitæ objecit Thierſius, quæ poſtea ab iis, qui defenſionem malæ cauſæ majori contentione quàm judicio proſecuti ſunt, in plures partes diviſa ſunt, editaque Gallicè ut Critica Vitæ S. Salvii. *Nominatim verò reprehendit locum illum, ubi* S. Firmini *ac SS. Achei & Acheoli tranſlatio aſſeritur his verbis :* Sed & ſanctos Dei Firminum epiſcopum & confeſſorem, Aceum quoque & Aceolum martyres Chriſti, in crypta orientali verenter condidit, & decenter exornavit. *Poſt quæ ſcriptor ad alia progrediens, ait :* Nam & homines *&c. Carpit primò, quod dicitur de tranſlatis Acheo & Acheolo : ait enim ſe non intelligere, an velit ſcriptor corpora eorum tranſlata ab eccleſia S. Acheoli, quod falſum eſſe contendit ; an verò dicat auctor ille, alibi inventa eſſe ea corpora. Nullius momenti eſt illa objectio, cùm ſcriptor ſolùm dicat condita eſſe in eadem crypta cum corpore* S. Firmini *confeſſoris ; nec addat, unde tranſlata ſint : nam ne ipſe quidem Thierſius negare auſus eſt, ſervari ea corpora in cathedrali Ambianenſi. Non opus eſt igitur hic inquirere, utrùm illa corpora primò tranſlata fuerint ad eccleſiam S. Acheoli, indeque Ambianum, an verò aliunde poſt inventionem ſtatim delata ſint Ambianum.*

B

C

aliaque, ut oſtendant interpolatam : at prima interpolationis ratio planè eſt frivola ;

23 *Eumdem locum deinde de interpolatione ſuſpectum facere conatur Thierſius, eamque objectionem continuarunt ejus gregales. Affirmat pag.* 86, *interpolationem apparere ex ipſo contextu, cùm locus ille non cohæreat cum antecedentibus & conſequentibus. Reſpondeo optimè cohærere cum antecedentibus : namque num.* 11 *narrat auctor conſtructionem eccleſiæ SS. Petri & Pauli, mox num.* 12 *ſubjicit inventionem S. Firmini martyris & tranſlationem, ac demum tranſlationem* S. Firmini *confeſſoris atque Achei & Acheoli martyrum. Conſequentia etiam rectè cohærent, licèt fateamur illa non pertinere ad Salvium Ambianenſem, ſed ad Salvium Albigenſem, cujus geſta ad Ambianenſem tranſtulit, ut poſtea dicturi ſumus. Totus Thierſii ſcrupulus conſiſtit in particulis quibuſdam, quas ineptè locatas credidit. Ait auctor num.* 10, eccleſiam denique conſtruxit, *deinde num.* 11, poſtmodum verò *&c., & num.* 12 nam &c., *prout locum ſuprà adduxi. Verùm, ſi forſan ignoravit Thierſius particulam* denique *non ſolùm in fine orationis uſitatam fuiſſe, & particulam* nam *multis modis adhiberi ab ipſis antiquioribus ; certè ignorâſſe non videtur, ſcriptores medii ævi minùs ſcrupuloſos fuiſſe in uſu ſimilium particularum. Frivola igitur eſt objectio & ſcrupulus maximè inanis, nec neceſſe eſt hic grammaticum agere, cùm ſolum ſit inſpiciendum Calepini Dictionarium, ut quis intelligat, neque particulam* denique *ſemper finem orationis inſinuare, aut per conjunctionem* nam *ſemper rationem reddi præcedentium, ut contendit Thierſius.*

AUCTORE J. S.

altera nihilo melior,

24 *Aliam mox rationem allegat Thierſius, ut probet interpolatam Vitam S. Salvii. Andreas du Cheſne tom. 1 Scriptorum hiſtoriæ Francorum pag. 686 & 687 duo ex Vita S. Salvii edidit fragmenta, quæ Thierſius liberaliter* Vitam *vocat. Hinc ita ratiocinatur : Illa omnia uti & alia multa non reperiuntur* in eadem Vita S. Salvii edita à Cheſnio, quod interpolationis eſt argumentum. *Hanc rationem rurſum inculcavit auctor Criticæ Vitæ S. Salvii § 7, etiamſi Leſtoquius Diſſ. 1 cap. 1 jam reſpondiſſet, non niſi fragmenta Vitæ edita eſſe à Cheſnio, non totam Vitam, idque per ſe pateat, cùm illa ediderit poſt multa alia Vitarum fragmenta, atque hunc iiſdem fragmentis præfixerit titulum :* Ex Vita Ms. S. Salvii epiſcopi Ambianenſis. *Verumtamen pergit auctor ille Criticæ futilibus quibuſdam rationibus contendere, integram Vitam S. Salvii editam à Cheſnio. At mihi non lubet ulteriùs probare ea, quæ ſole clariora ſunt ; ſufficiat dixiſſe ſcriptorem illum anonymum ne memorem quidem fuiſſe dicti vulgaris :* Contra ſolem ne loquitor. *Porrò, cùm ejuſmodi fragmenta ediderit Cheſnius, quæ magis conducere judicabat ad hiſtoriam regum Francorum elucidandam, non difficulter divinari poteſt, cur relationem tranſlationis* S. Firmini *confeſſoris æquè, ac inventionis S. Firmini martyris, cum multis aliis prætermiſerit, videlicet quia reges in iis nullam habebant partem. Si laudatus collector alia ſubinde in fragmentis ſuis reliquit, quæ nihilo magis erant neceſſaria ad cognoſcendam regum Francorum hiſtoriam, uti factum non inficiamur, neceſſe non eſt inquirere, cur non eodem modo ubique proceſſerit : nam id videtur feciſſe pro arbitrio.*

nec quidquam evincit tertia.

25 *Menardus in Obſervationibus ad Martyrologium Benedictinum pag.* 449 *compendioſam ſcripſit S. Salvii Vitam, de qua dicit pag.* 451 : Hanc Vitam compoſui ex veteri manuſcripto cœnobii Monaſteriolenſis, ubi ſunt ſancti Salvii reliquiæ in capſa bracteis argenteis obducta, in quibus ejuſmodi Vita inciſa eſt cum characteribus ſingulas hiſtorias explicantibus. *Non refert Menardus tranſlationem corporis* S. Firmini *confeſſoris, ac ne quidem inventionem S. Firmini martyris, niſi breviter in annotatis ex Actis Ambianenſis eccleſiæ. Obſervavit id breviter Thierſius, addens aliquot Breviaria Ambianenſia, Kalendarium unum, Petrum de Natalibus, & Joannem Maldonatum, qui ſimiliter eam tranſlationem ſiluerunt, ut ſuſpicionem interpolationis augeret. Ad Menardum & Breviaria (nam Petrus de Natalibus & Joannes Maldonatus breviores ſunt quàm ut reſponſione indigeant) rectè reſpondit Leſtoquius, Vitam memoratæ capſæ inciſam deſumptam fuiſſe ex Breviariis uſitatis anno 1435, quo capſa eſt compoſita : Breviaria autem iſtius temporis non habuiſſe in lectionibus S. Salvii hiſtoriam tranſlationum utriuſque* Firmini, *quia lectiones, quòd fuiſſent nimis prolixæ, variis vicibus erant truncatæ. Primò, inquit, tota S. Salvii Vita inſerta eſt Breviario, in novem*

F

AUCTORE J. S.

lectiones divisa. Sub finem seculi XIII, *cùm tadium pareret prolixitas, contracta sunt lectiones, relicto tamen articulo Vitæ undecimo, in quo legitur utraque translatio. Circa finem verò seculi* XIV *aut initium* XV *successit altera lectionum contractio, quâ resectus est articulus ille undecimus cum decimo, duodecimo, & maxima parte Vitæ. Ea autem sic contracta est Vita, quam laudat Menardus. Quis igitur hinc inferat, interpolatam esse S. Salvii Vitam, quia continet aliqua, quæ nec in Breviariis sic contractis, nec apud Menardum leguntur?*

licèt auctor Vitæ S. Salvii multa confuderit,

26 *Restat ut inquiramus, an scriptor Vitæ S. Salvii fidem mereatur in translatione asserta: nam verè dixit Thiersius auctorem esse anonymum, esse Salvio longè posteriorem, ac demum confudisse gesta duorum Salviorum, Ambianensis nimirum & Albigensis; eaque confusione ne fragmentum quidem Chesnii caret. Etenim quæ in illo fragmento leguntur, uti in Vita integra, de Mummolo patricio, spectant ad Salvium Albigensem, ad quem similiter spectat caput secundum Vitæ. Deinde vera quidem non sunt, quæ de ætate istius scriptoris dixerunt Thiersius ejusque defensor, cùm diu vixerit ante seculum* XIII, *& Lestoquius velit seculo* IX *scripsisse; attamen verum est S. Salvio longè posteriorem esse. Jacobus le Long in Bibliotheca historica Franciæ pag.* 184, *& Benedictini scriptores Historiæ Litterariæ Franciæ tom.* 4 *pag.* 50 *aiunt, Vitam S. Salvii scriptam sub posterioribus regibus primæ stirpis, seu seculo* VIII, *suspicanturque gesta S. Salvii Albigensis inserta esse huic Vitæ per eos, qui Vitam exscripserunt.* Certè, *inquiunt posteriores*, verum est, illa (*Salvii Albigensis*) non reperiri in quibusdam antiquis Mss. *At suspicor viros eruditos hac in re falli, cùm illa in tribus Bollandi Mss., in omnibus à Lestoquio visis, in antiquis Breviariis Ambianensibus sint reperta; & nè fragmenta quidem Chesnii, aut contracta Vita Menardi, ab iis prorsus sint immunia. Ubi igitur latent illa Mss., in quibus confusio illa non reperitur? Cur asserant sine ulla probatione laudati scriptores, Vitam S. Salvii seculo* VIII *scriptam, nihilo magis perspicio, cùm Lestoquius tantùm seculo* IX *exaratam velit.*

B

C

fidem tamen meretur in asserta translatione S. Firmini confessoris.

27 *Verùm, sive seculo* VIII *sive* IX *aut* X, *composita sit S. Salvii Vita, afferri nequit idonea ratio, cur fidem non mereatur in asserta* S. Firmini *confessoris translatione. Confudit auctor duos Salvios, & duorum gesta uni attribuit, id facilè admittimus, ut verum & certum. Hinc varia narrat de Salvio Ambianensi, quæ pertinent ad Albigensem, & in quosdam incidit errores. Præter hanc confusionem, nullum in ea Vita errorem assignavit Thiersius: & certè nullus assignari poterit ejusmodi error, ut malam auctoris fidem prodat, & fictionis reum ostendat. Censendus igitur est bona fide scripsisse, licèt fuerit deceptus confundendo duorum Salviorum Acta. Porrò hæc ipsa confusio ostendit, biographum ex antiquioribus monumentis hausisse, quæ narravit. Nam Gregorius Turonensis lib.* 7 *Historiæ Francorum cap.* 1 *retulit de Salvio Albigensi, quæ hic per errorem attribuit Ambianensi. Vera ergo ex vetustioribus hausta confudit, non confinxit falsa. Jam verò nullus suspicari audebit, corpus* S. Firminî *confessoris per alium quempiam Salvium fuisse translatum, idque ex confusione Salviorum Ambianensi adscriptum. Restat igitur, ut credamus id verè factum à Salvio Ambianensi, præsertim cùm ea constans omnium fuerit opinio usque ad nostra ferè tempora, nullusque olim laudato scriptori contradixerit; ac demum, quia translatio ipsa tam multis confirmatur argumentis, ut ea nullum relinquant dubium.*

D

Eadem translatio probatur ex translatione reliquiarum per Otgerum facta,

28 *Primò Otgarius seu Otgerus Ambianensis episcopus, qui sedit sub finem seculi* IX *& initium* X, *ecclesiæ S. Quintini dedit varias reliquias Sanctorum, quorum sacra lipsana servabantur eo tempore in ecclesia Ambianensi. Festum istius translationis insertum est Breviario S. Quintini in Veromanduis sub hoc titulo,* Adventus sacrarum reliquiarum Firmini *&c., & in quinta lectione Officii matutini hæc referuntur apud Thiersium cap.* 2 : Illa veteri disciplina Christianorum eruditus Otgerus Ambianensium pontifex, ducentis plus annis ante Godefredum, è copia sanctorum pignorum, quibus Ambianensis ecclesia splendescebat, secrevit partes nonnullas, SS. Firmini, Victorici, Fusciani, Gentiani, Achei, Acheoli martyrum; alterius Firmini, Honorati, Walerici confessorum, & eas ecclesiæ S. Quintini piâ munificentiâ donavit. *Idem festum cum nominibus eorumdem Sanctorum è Ms. Latiensi indicatur apud nos in Prætermissis ad* XXI *Maii. Cùm autem dicatur Otgerus secrevisse* partes nonnullas, *clarè indicatur, majores illorum Sanctorum reliquias quievisse in ecclesia Ambianensi, è qua partes illæ translatæ. At non poterant in illa ecclesia esse reliquiæ* S. Firmini *confessoris, nisi eò antea fuissent translatæ. Vim totam argumenti probè sensit Thiersius, ideoque decem paginas implevit, ut declamaret contra Breviaria, historiasque in iis relatas. Enimvero non tam longa opus erat excursione, ut persuaderet eruditis, breviaria passim immunia non esse ab omni errore; sed potiùs ostendere debuisset, verosimiliter hac in re erratum esse ab auctoribus istius Breviarii. At error hic minimè est verisimilis, cùm festivitas* Adventus reliquiarum *sit instituta, festaque non instituantur temerè.*

E

quam non solidè impugnat Thiersius:

29 *Objicit quidem Thiersius pag.* 27 *verisimile non esse, ossa Sanctorum separata fuisse ab Otgero, affertque exempla Pontificum Romanorum, qui ossa aliqua Sanctorum a reliquo corpore secernere recusarunt, uti & sententiam Guiberti abbatis B. Mariæ de Novigento, qui id improbavit. At vix mihi persuadeo, virum non iguarum antiqui usûs sincerè hæc objicere potuisse, aut speràsse tali objectione dubium de translatione ingerendum erudito lectori, cùm innumera reperiantur exempla ossium à reliquo corpore separatorum, isque usus ex ipsis Guiberti verbis abunde colligatur. Cur enim asserit* plurimis documentis *compertum esse, Sanctas hanc ob rem irasci, si non fuerit factum frequenter? Diversa igitur fuerunt sententiæ. Alii dividebant Sanctorum ossa, ut pluribus locis colerentur. Alii tantâ erant in Sanctos reverentiâ imbuti, ut eorum corpora tangere non præsumerent, nedum dividere. Improbavit Guibertus, quod crebrò fiebat; nec ipsius censura efficere potuit, ut usus ille aboleretur. Objicit secundò Thiersius pag.* 31, *non fuisse in ecclesia Ambianensi omnia corpora Sanctorum superiùs enumeratorum, idque de corpore S. Walarici fatetur Lestoquius pag.* 543 *sed respondet, Otgerum dare potuisse ecclesiæ S. Quintini reliquias S. Walarici, modò aliquæ ejus reliquiæ fuerint in ecclesia Ambianensi. Verùm de reliquiis* S. Firmini *confessoris idem dici potest, ita ut hæc reliquiarum translatio directè non evincat, corpus* S. Firmini *confessoris eo tempore fuisse in ecclesia Ambianensi. Rectè tamen eo argumento*

F

A *gumento utitur Leſtoquius pag.* 47, *& ſic ferè ratiocinatur. Data ſunt reliquiæ* S. Firmini *eccleſiæ S. Quintini; apertum igitur fuit* S. Firmini *ſepulcrum, reliquiæque extractæ, imò & totum corpus inde amotum. Quis enim credat tantum theſaurum in terra relictum fuiſſe, quando pietas fidelium ardenter quærebat ſacras reliquias? Quis ſibi perſuadeat ſepulcrum rurſus terrâ & ſtructurâ cæmentitiâ operiendum fuiſſe, ſi ſacrum corpus in eo fuiſſet relictum? Quo tandem modo ſine ulla veneratione permanſiſſet, ac denique in oblivionem abiiſſet in eccleſia, cujus fundator erat, & in qua clerici ſemper rem peregerunt divinam? Hæc ſanè veriſimilia non ſunt, ac vera non eſſe aliis argumentis oſtendetur.*

eadem probatur ex diplomate Roriconis epiſcopi,

30 *Rorico Ambianenſis epiſcopus in litteris datis anno* 1085 *in favorem canonicorum S. Acheoli, apud Labbeum tom.* 10 *Conciliorum col.* 408 *hanc favoris ſui rationem allegat:* Et quia, ut præfati ſumus, eccleſia hæc Genitrici Dei dicata fuerat, & hujus cathedræ pontificum pulvis ſacer diu in ea latuerat, *&c. Ex verbo* latuerat *rectè colligitur, non ſuperfuiſſe tempore Roricouis in eccleſia S. Acheoli corpora antiſtitum Ambianenſium, qui in ea fuerant ſepulti, inter quos eſt* S. Firminus *confeſſor. Conatur quidem Thierſius cap.* 3 *aliqua reſpondere, ſed vim argumenti non infringit. Primò ait latere diu potuiſſe corpus* S. Firmini *confeſſoris, ac deinde inveniri inventumque ibidem relinqui. Verum id eſt; at nec ſolutum eſt argumentum. Etenim, ſi corpus eo tempore fuiſſet in eccleſia S. Acheoli, Rorico pro ratione favoris ſui non dixiſſet,* quia in ea latuerat, *ſed* quia in ea ſervatur; *cùm hæc ratio multo ſit urgentior. Dicit ſecundò Thierſius, agi tantùm de corpore S. Firmini martyris, quod revera diu latuerat in ea eccleſia, quòdque tranſlatum fatetur. Credit eam expoſitionem ſequi ex vocibus,* ut præfati ſumus, *quia de corpore ſolius Firmini martyris antè fuerat locutus. At mihi veriſimilius eſt, voces illas,* ut præfati ſumus, *tantùm referri ad dedicationem, de qua antea etiam egerat. Certè, quandoquidem Rorico dixerat eccleſiam illam à* S. Firmino *confeſſore conſtructam, non prætermiſiſſet, quòd corpus ejus ibi ſervaretur, ſi id verum fuiſſet; ſicut non omiſit, quod* Pontificum, *utique duorum aut plurium,* ſacer pulvis diu in ea latuerat: *nam honorificentius eſt eccleſiæ poſſidere ſacrum corpus, quam aliquando poſſediſſe. Demum hæ voces* hujus cathedræ pontificum *non poſſunt exponi de uno epiſcopo, niſi violenter.*

B

C

ex Martyrologiis variis,

31 *Leſtoquius cap.* 4 *tranſlationem ulterius probat ex Martyrologiis. Ex tribus Ambianenſibus, quibus hæc tranſlatio reperitur inſerta, antiquiſſimum dit eſſe ſeculi* XI, *ut ex charactere & adjectionibus apparere affirmat. In eo ſic habetur:* Ambianis tranſlatio corporis ſancti Firmini epiſcopi & confeſſoris. *Idem habent duo recentiora, quibus alia non pauca jungi poſſunt, adducta num.* 5. *Reſpondet Thierſius cap.* 6 *primò interrogando, cur Ambianenſis eccleſia non inſeruerit citius Martyrologio ſuo tranſlationem, quàm ſeculo* XIII, *ad quod reducit ætatem primi Ambianenſis modò laudati, ſed ſine probatione. Addit ne in Breviariis quidem Ambianenſibus eam tranſlationem legi; commenditque eam Martyrologiis inſertam eſſe ex Vita S. Salvii. Demum multa congerit de additionibus, quæ reperiuntur in vetuſtis Martyrologiis, indeque eorum auctoritatem elevat. Verùm prima reſponſio inepta eſt, cùm nullum aſſignet antiquius Martyrologium Ambianenſe, quod careat annuntiatione memoratâ tranſlationis. Altera reſponſio non eſt omnino vera: nam teſtatur Leſtoquius cap.* 5 *pag.* 7 *eam tranſlationem memorari in duobus Breviariis Mss., quæ ſervantur in capituli Ambianenſis tabulario: alterum ex his affirmat eſſe ſeculi* XIII, *alterum ſeculi* XV. *Quod verò non legatur in Breviariis recentioribus, factum eſt ex contractione lectionum Officii S. Salvii, in qua cum ceteris reſecta eſt ea tranſlatio. Tertia reſponſio exigui eſt momenti: quippe ea, quæ adjiciuntur Martyrologiis alicujus eccleſiæ, non temere addiuntur, ideoque auctoritate non carent, præſertim ſi additiones fiant in illa eccleſia, in qua addita feſtivitas celebratur, aut Sanctus adjectus colitur.* AUCTORE J. S.

& ex celebrata tranſlationis feſtivitate.

32 *Feſtum tranſlationis celebratum eſt multis ſeculis in eccleſia Ambianenſi* X *Januarii, ut affirmat Leſtoquius cap.* 5, *ſed deinde abrogatum. Utrumque fatetur Thierſius cap.* 7. *Prior ex celebrata feſtivitate tranſlationem rectè confirmat. Poſterior eamdem infirmare nititur ex abrogatione feſtivitatis memoratæ. Nemo, opinor, inſiciabitur ex feſtivitate tranſlationis rectè inferri tranſlationem, cùm feſtivitates inſtitui non ſoleant, niſi ob cauſam certam, aut ſaltem, niſi videatur certa. Cur deinde abrogatum ſit idem feſtum, ſatis bene exponit Leſtoquius, videlicet quia erat intra octavam Epiphaniæ, docetque ſimul abrogatum feſtum ſanctorum Luciani, Maximiani & Juliani martyrum, quod* VIII *Januarii agebatur infra eamdem octavam. Hæc igitur objectio Thierſii nullius eſt momenti. Nec melior eſt alia, quam mox adjungit, videlicet quod in Officio nihil legeretur de tranſlatione: nam ipſe fatetur Officio præfixum fuiſſe hunc titulum:* Sermo in inventione & tranſlatione B. Firmini epiſcopi & confeſſoris. *Itaque tranſlatio erat in titulo, & nihil veriſimiliter de ea lectionibus inſertum fuit, quia tranſlationis circumſtantiæ non erant ſatis cognitæ, ut ex iis lectiones componi poſſent. Eodem modo de multis Sanctis legitur Officium, in quo nihil occurrit de ipſorum geſtis, quia hæc non ſatis diſtinctè ſunt cognita.* E

§ IV. Alia argumenta pro tranſlatione corporis: idem anno MCCLXXIX novæ thecæ impoſitum, ac deinde quotannis circumferi cœptum. F

Oſtenditur corporis tranſlatio ex theca, quæ fuit ante annum 1254,

LEſtoquius *cap.* 6 *probat ex ſtatuto canonicorum Ambianenſium anni* 1254, *corpus* S. Firmini *confeſſoris eo tempore in theca quadam fuiſſe ſervatum, ſuſpicaturque eamdem eſſe arcam, cui veriſimiliter impoſitum erat a ſancto Salvio. Idem ſtatutum docet, qua ſolemnitate tunc celebraretur Sancti feſtivitas. Quapropter fragmentum ab eo datum pag.* 237 *hic ſubjungo:* Anno Domini MCCLIV in capitulo generali, quod incipit in craſtino Magdalenæ, ordinatum fuit, quòd feſtum ſancti Firmini confeſſoris nat magnum duplum ſine cum eo, & pulſetur, & accendantur luminaria, & parentur * tam altare & eccleſia quàm perſonæ, ſicut in magnis duplis. Duo præcentores regant chorum, reſponſorium cantetur ab archidiaconis, canonici legant & in

* *i. e.* ornentur

AUCTORE J. S. fericis ... Nec fit proceſſio, niſi fuerit in Dominica, quod quandoque fiat propter Dominicam, non tamen deferetur capſula, ſed nihilominus fiet in fericis & per clauſtrum *&c. Totum ſtatutum edidit poſt diſſertationem ſecundam, quia adverſarius ipſius aliqua reſponderat ad injiciendam ſuſpicionem de interpolatione; ſed illa minoris ſunt momenti, quàm ut nos morari debeant.*

ex tranſlatione in novam thecam, 34 *Anno* 1279 *corpus* S. Firmini *confeſſoris tranſlatum eſt in thecam novam per Simonem Cardinalem & legatum in Francia, qui deinde ſub nomine Martini IV rexit univerſalem Eccleſiam. Hæc tranſlatio certa eſt, & priorem tam certò confirmat, ut nullum de ea poſſit ſupereſſe dubium homini non litigioſo. Thierſius refutare conatus eſt illud argumentum cap.* 4, *ſed antequam legitimè erat prolatum, ideoque omnia argumenta, quibus utitur, ut oſtendat Acta tranſlationis iſtius non eſſe authentica, ſolùm impugnant quamdam Gallicam iſtius inſtrumenti verſionem, quæ revera mendis non caret, & ſuſpecta eſſe poſſet, niſi prolatum deinde eſſet exemplar inſtrumenti Latini, quod in ipſa arca invenium*

B *eſt anno* 1500. *Produxit illud Leſtoquius pag.* 237 *ex tabulario epiſcopatûs Ambianenſis, ubi ſervari ait ſub hoc titulo:* Copia litteræ authenticæ inventa in capſa ſeu antiqua theca beatiſſimi Firmini confeſſoris Ambianenſis epiſcopi anno Domini milleſimo quingenteſimo. *Aliud exemplar ſervari affirmat in chartulario capituli, ſub tali titulo:* A capſa B. Firmini confeſſoris præſens ſcriptum fuit extractum.

quæ facta eſt anno 1279. 35 *Litteræ autem ipſæ conceptæ ſunt his verbis:* Univerſis præſentes literas inſpecturis Guielmus archiepiſcopus Rothomagenſis, Philippus Ebroicenſis, Reginaldus Belvacenſis, Guido Lingonenſis, Robertus Bathonienſis & Guillelmus Ambianenſis Dei gratiâ epiſcopi, æternam in Domino ſalutem. Noveritis quod anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo nono, XVII Kal. Junii pontificatûs domini Nicolai Papæ III anno ſecundo, reverendiſſimus pater & dominus, dominus Simon etiam Dei gratiâ tituli ſanctæ Cæciliæ presbyter Cardinalis, apoſtolicæ Sedis legatus, excellentiſſimis Philippo Dei gratiâ Franciæ & Eduardo Angliæ regibus, Karolo principe Salerni, filio excellentiſſimi regis Siciliæ, & nobis præſentibus, nec non

C multis aliis principibus regnorum Franciæ & Angliæ, abbatibus, magnatibus, & cleri & populi multitudine copioſa, corpus B. Firmini confeſſoris, & pontificis Ambianenſis quondam, in præſenti theca repoſuit, illa ſolennitate adhibita, quæ conſuevit in talibus. In cujus rei teſtimonium ad perpetuam rei memoriam præſentes literas ſigillorum noſtrorum munimine duximus roborandas. Datum ut ſuprà. *Quid huic inſtrumento ſolidè opponi poſſit, non video. Thierſius jam dixerat pag.* 38 *inſtrumentum illud idoneum eſſe, ut convinceret, modò conſtaret eſſe authenticum. Auctor Umbræ Thierſii cap.* 3 *pag.* 48 *aſſerit neminem fore, qui non det manus, modò aperiretur theca, & inveniretur ibidem ipſum authenticum inſtrumentum. Aperta tandem eſt arca, ut videbimus, inventumque authenticum inſtrumentum cum Sancti corpore, ut dicemus ſuo loco. Superfluum igitur eſſet vana hic recenſere effugia illorum, qui illud antea conabantur reddere ſuſpectum.*

36 *Anno* 1317 *ſtatutum eſt in capitulo cathedrali, ut arca* S. Firmini *confeſſoris circumferretur quotannis in ſupplicatione. Decretum iſtud recitat Leſtoquius pag.* 238 *ex libro, in quo collecta ſunt ſtatuta capituli, quique ejus mandato compoſitus eſt anno* 1412. *Verba accipe:* In capitulo generali, quod fuit in craſtinum B. Firmini martyris anno MCCCXVII, ordinatum fuit, quòd in die B. Firmini confeſſoris, & in die beatorum Fuſciani ſociorumque ejus, fiant proceſſiones ſolennes per clauſtrum, ſi tempus patiatur, & corpora eorum in ſuis proceſſionibus ſolenniter deferantur, & ſimiliter fiat compulſatio ſolennis. *Huic ſtatuto ſubjungit Leſtoquius litteras Roberti de Foüilloy epiſcopi Ambianenſis, quæ etiamnum authenticæ ſervantur cum appenſo epiſcopi ſigillo in tabulario Ambianenſis capituli. Earumdem litterarum exemplar reperitur in ſecundo volumine Martyrologii Ambianenſis, teſte Leſtoquio pag.* 86. *Partem illarum audi:* Cùm dilecti in Chriſto filii decanus & capitulum Ambianenſis eccleſiæ, cui licèt immeriti præſidemus, nobis duxerint humiliter ſupplicandum, ut ad laudem divini nominis & devotionem populi Chriſtiani, venerandum corpus B. Firmini confeſſoris in ſuo feſto, quod in capite Septembris ab incolis celebratur, .. conſentiremus deferri, .. attendentes quia quòd dictus glorioſus Confeſſor, qui eidem eccleſiæ priſcis temporibus laudabiliter præfuit, piè & ſanctè vivendo, ad honorem ſummi ſacerdotii claris pollens virtutibus, & quàm plurimis miraculis, quæ pro eo omnipotens Dominus exſtitit operatus, & quotidie etiam operatur, ipſam eccleſiam mirificè decoravit; ... ſtatuimus, volumus, ordinamus, volentes, ſtatuentes & etiam ordinantes, quòd corpus ipſius beati Firmini confeſſoris inclyti in ſuo feſto, & ipſorum martyrum beata corpora Fuſciani, Victorici atque Gentiani in ſuo paſſionis feſto, ut præmittitur, reverenter & honorificè per ipſam eccleſiam & clauſtrum ejuſdem, ſi temporis patiatur qualitas, perpetuis temporibus, annis ſingulis de cætero deferantur, deponantur, & reponantur in locis ſuis debitis, campanæ pulſentur per gentes noſtras celebriter & ſolemniter noſtris ſumptibus & expenſis, ſicut in eiſdem feſtis & aliis magnis duplis pulſari hactenus conſuevit, & ſolemniùs, ſi fuerit opportunum.

quod ab eo tempore ſolenniter factum, 37 *Noverat Thierſius ſtatutum capituli Ambianenſis, illudque verſavit cap.* 6; *ut ignoràſſe videtur ordinationem epiſcopi, cùm de ea mentionem non faciat. Argumentum hoc adeo conſtrinxit virum, qui operam ſuam malæ cauſæ accommodaverat, ut iratus in omnia capitula inſurrexerit. Verùm non ſic ſolvenda ſunt argumenta, non ſic inquirendum eſt verum. Auſim dicere Thierſium nihil reſpondiſſe, cùm nihil aptè reſponderit, nihil, quod ſit relatu dignum. Qua de cauſa, miſſis iracundi hominis dicteriis, adjungam pauca, quæ ex Ordinario, ut vocant, anni* 1337., *excerpſit Leſtoquius pag.* 243: Capſula B. Firmini confeſſoris in veſpere præparata ſuper magnum altare à canonicis defertur ... Ad proceſſionem, quæ fit per clauſtrum in cappis ſericis, .. defertur capſula B. Firmini confeſſoris ... Poſt ſextam horam refertur & reponitur dicta capſula B. Firmini confeſſoris ſuper majus altare. *Eadem ferè habentur in antiquo Ordinario, ſed ad marginem adjecta, cùm liber eſſet antiquior inſtitutione laudata. Addantur ibidem hæc verba citata à Leſtoquio pag.* 242: Poſt matutinum defertur capſula B Firmini in medio eccleſiæ. *Multa alia hujuſmodi fragmenta, ex variis libris excerpta, brevitatis causâ*

D *ex decreto capituli de circumferendo quotannis corpore,*

E

F

AUCTORE J. S

§ V. Quibus rationibus dubitatum fuerit de tranſlatione corporis.

Occaſionem negatæ ab aliquibus tranſlationis breviter expoſui num. 6 & ſequentibus : at hìc examinanda ſunt eorum argumenta, quæ ad duo reducuntur. Primum eſt tale. Repertum eſt in eccleſia S. Acheoli ſepulcrum S. Firmini *confeſſoris, uti ex inſcriptione patet. At ſepulcrum iſtud vacuum non eſt, ſed inventa in eo humani corporis oſſa, quæ alterius eſſe nequeunt, quàm* S. Firmini *ibidem ſepulti. Oſſa igitur hujus Sancti in primo ſepulcro manent, & numquam alìò ſunt tranſlata. Singulas hujuſce ratiocinationis partes multis probare conati ſunt illius opinionis defenſores. Verùm numquam ſic potuerunt oſtendere ea, ex quibus tota vis ratiocinationis oriri debebat, ut non facilè refutarentur à patrono partis oppoſitæ. Nomen* Firminus *repertum in lapide ſepulcri unius ex quinque detectis aſſeruerunt mirâ fiduciâ auctor Epiſtolæ ad curioſum, ac deinde Thierſius, & figuram repertarum litterarum ari inciſam exhibuerunt in hunc modum.* Primum argumentum eorum, qui negabant tranſlationem, ex invento ſepulcro,



Verùm illuſtriſſimus de Brou epiſcopus Ambianenſis in Cenſura memoratæ Epiſtolæ ad curioſum conqueſtus eſt litterarum figuras exhibitas multùm diſtare ab iis, quæ inventæ ſunt in ſepulcro, & juſſu ſuo delineatæ. Figuras autem in præſentia epiſcopi fideliter delineatas ſic repræſentat Leſtoquius pag. 172.



41 *Porrò priores figuras non eſſe exactè ſimiles inventis ſupra ſepulcrum, ſatis apertè fatetur auctor Umbræ cap.* 10, *ubi ſculptoribus & excuſoribus tribuit, ſi quid fuit repræſentatum minùs exactè. Deinde non negat figuras à Leſtoquio datas exactiores eſſe. Thierſius etiam cap.* 13 *maluit longa diſputatione oſtendere, ſepulcra Sanctorum noſci ex inſcriptionibus, quod nullus poterat negare, quàm de ſimilitudine figurarum multùm agere, & diſſimilitudinem pag.* 156 *ſatis clarè agnoſcit, cùm eam excuſet. Verumtamen tota argumenti ſuprà dati vis & efficacia pendebat ex figuris litterarum. Etenim, ſi figuræ non deſignent eas litteras, ex quibus coaleſcit nomen* Firminus, *unde colligi poteſt* S. Firmini *eſſe ſepulcrum? Si figuræ litterarum ſint dubiæ, quàm inutili & vanâ jactantiâ ex hiſce concluſit Thierſius pag.* 165 *Sceptico deteriorem eſſe, qui auſit dubitare, an corpus* S. Firmini *confeſſoris eo tempore adhuc eſſet in detecto illo ſepulcro? Si figuræ tales ſint, ut nihil certi, aut aliud potiùs nomen exhibeant, numquid totum argumentum planè corruit? Itaque Thierſio ejuſque gregalibus ſolidè probandum fuerat, figuras litterarum tales* cui dicebant inſcriptum eſſe nomen Firminus; at id non probabant;

A *causâ omitto, licèt omnia mentionem faciant de tranſlatione Sancti; & ex omnibus monumentis, quæ ex eccleſia* S. Firmini *confeſſoris adduxit Leſtoquius, unum dumtaxat ſeligo, quia eo ſimul docemur, quo modo in propria eccleſia cultus ſit Sanctus. Antiquum Ordinarium laudatæ eccleſiæ, teſte Leſtoquio pag.* 244, *ſic habet :* Tranſlatio B. Firmini epiſcopi & confeſſoris, IX lectiones, magnum duplum &c. In tranſlatione ſancti Firmini epiſcopi & confeſſoris fit magnum duplum &c. Sciendum eſt, quòd ... in ... tranſlatione B. Firmini confeſſoris altare texatur ex viridi, & utitur ornamentis viridibus.

ac demum ex hujus Sancti reliquiis,

38 *Tranſlationem corporis* S. Firmini *confeſſoris etiam probat Leſtoquius ex variis reliquiis ejus, quæ ſervantur ſeorſum à corpore : reliquiæ enim illæ nequeunt haberi aliis locis, ſi corpus Sancti in ſepulchro ſuo ſemper manſiſſet immotum, uti contenderant adverſarii. Audi laudatum ſcriptorem pag.* 110, *ubi hæc habet Gallicè :* Semper in hac eccleſia (S. Firmini *confeſſoris*) continuata eſt expoſitio reliquiarum S. Firmini confeſſoris, quæ ibi ſervantur à multis ſeculis.

B Reliquiæ hæ duabus thecis ſunt incluſæ. Una repræſentat caput epiſcopi, ubi habetur dens cum inſcriptione antiqua, quæ dicit dentem eſſe hujus Sancti. Altera theca eſt brachium argenteum, cui incluſa ſunt oſſa quædam brachii hujus Sancti. *Cùm hæc non negentur à Thierſio, non eſt neceſſe afferre ſcriptum quoddam anni* 1442, *in quo poſteriorum reliquiarum iterata fit mentio. Videri illud poteſt apud Leſtoquium pag.* 245. *Thomas Greffius canonicus Ambianenſis anno* 1261 *fundavit ſacellum in hoſpitali S. Joannis Baptiſtæ Ambiani, eique varias dedit reliquias, inter quas erant* de juncta B. Firmini confeſſoris in uno vaſe argenteo poſita, *ut habet inſtrumentum adductum à Leſtoquio pag.* 254.

quæ ſervantur locis variis.

39 *Eaſdem reliquias hodieque ſervari in eccleſia hoſpitalis Ambianenſis cum hac inſcriptione Latina,* de juncta S. Firmini confeſſoris, *teſtatur laudatus ſcriptor pag.* 116, *ubi ait eſſe os illius partis manûs, quam* carpum *vocant anatomici. Pergit deinde oſtendere os brachii ejuſdem Sancti aliquando ſervatum fuiſſe in eccleſia cathedrali Noviomenſi : alias* S. Firmini *confeſſoris reliquias memorari in eccleſia Longipratenſi.* * *diœceſis Ambianenſis, alias in loco, qui dicitur* Mentum S. Jacobi, *atque alias Ambiani in eccleſia collegiata S. Nicolai, quæ pertinent ad quamdam Confraternitatem S. Nicolai, in dicta eccleſia inſtitutam à multis ſeculis. Demum pag.* 121 *ſcriptorem adducit neotericum, qui eccleſiæ S. Acheoli aſſignat brachium Sancti noſtri. Verùm illud brachium abbatiæ S. Acheoli abjudicat auctor Umbræ Thierſii pag.* 19. *Hæc colligere placuit, ut lector ſimul intelligat, reliquias* S. Firmini *confeſſoris in veneratione fuiſſe locis variis, licèt alioquin argumentum hinc deſumptum ad probandam tranſlationem tam efficax non ſit, quàm ſint alia quædam antè allata. Breviter nunc diſcutiam argumenta partis contrariæ, quæ tranſlationem negavit, antequam aperta fuit arca, corpuſque repertum.*

C * Notre Dame de Longpré aux Corps ſaints



E

F

AUCTORE J. S.

tales esse, ut ex iis formaretur nomen Firminus. *At, etiamsi hoc sæpissimè affirmaverint tamquam certum, nullibi probaverunt. Lestoquius verò part. 2 Dissertationis suæ cap. 2 clarè ostendit, nomen* Firminus *coalescere non posse ex figuris litterarum supra sepulcrum repertis. Præcipuas ejus rationes breviter exhibebo.*

aliorum verò argumentis

42 *Primò probari nequit litteram illam* F, *quam* F *explicabant adversarii, primam esse litteram nominis sepulcro insculpti: aliæ enim litteræ præcedunt tanto intervallo, ut inter has & illam plures potuerint esse mediæ. Si autem non potest ostendi, quanam ex litteris sit prima nominis sculpti, quo modo probabitur nomen istud esse* Firminus? *Ad hoc argumentum, quo solo omnis certitudo inscriptionis perit, nihil respondit auctor Umbræ. Secundò, etiamsi certum esset litteram illam esse primam nominis, incertum adhuc esset, qualis littera designetur figurâ sepulcro inscriptâ. Nam Mabillonius quidem de Re diplomatica pag.* 347 *in Alphabeto veteris Gallici inter figuras septem, quibus* F *designatur, similem posuit, uti objecerunt adversarii; sed in*

B *eodem Alphabeto similem quoque figuram posuit pro littera* S. *In Epitaphio cujusdam Gordiani (apud Aringhum in Roma subterranea lib.* 3, *cap.* 22) *similis figura variis vicibus ponitur pro* N. *Alius* V *explicuit, legendumque putavit* vikmin. *Quis igitur hîc definiat, quam litteram designet prima illa figura, si tamen prima?*

manifestè ostenditur,

43 *Respondit ad hæc auctor Umbræ pag.* 159, *Alphabetum Mabillonii ex abbatia S. Acheoli desumptum esse per Boterovium, à quo accepit Mabillonius:* Duo, *inquit*, epitaphia Leudelini & Valdolinæ, detecta in hac abbatia, ipsi suggesserunt omnes characteres, è quibus composuit Alphabeta sua: *asseritque in vocibus* defunctus *&* ficit *epitaphii Leudelini* F *expressum esse eâ figura, de qua disputamus. Addit per sequentes litteras satis insinuari,* F *omninò designari illâ figurâ. Verùm quod ait de sequentibus litteris, primam explicantibus, frivolum est & inane, cùm & illæ sint incertæ. De monumentis verò citatis sic respondit Lestoquius Dissert.* 2 *cap.* 1, *postquam adversarii sui verba retulerat:* Monumentum igitur S. Acheoli, cujus expressum

C est exemplar in Boterovio, judex est, quem Umbra adoptat. At judex ille in favorem meum pronuntiat. Quod affirmat Umbra F formatum esse hoc modo *F* in vocibus DEFUNCTUS & FICIT, certissimè falsum est. Certissimum est, F aliâ figurâ expressum esse in his duabus vocibus. Certissimum quoque est, quod sit littera S, quæ sic *Y* expressa est in monumento isto, non semel, sed sexies... Decisum itaque est, secundùm monumentum S. Acheoli, in libro Boterovii expressum, quòd littera, quam examinamus, sit S, & per consequens, quòd nomen Firmini frustra quæratur in hac inscriptione. *Hisce alia rectè adjungit Lestoquius, sed ea brevitatis causâ mittimus.*

ex figuris in sepulcro inventis

44 *Tertiò secunda littera apparet quidem* I, *ut pergit Lestoquius pag.* 176 *Diss.* 1, *sed potest etiam esse pars litteræ, cujus partes reliquæ sunt deletæ. Littera tertia prorsus deleta est, uti fatentur adversarii, qui non alia de causa suspicantur,* R *eo loco fuisse positum, quàm quòd illud necessarium sit ad nomen* Firmini *componendum. Quarta figura non est* M, *ut volunt Religiosi S. Acheoli: neque enim ullo loco littera* M *expressa legitur eo modo, quo data fideliter est illa figura à Lestoquio, qui observat lineas intermedias forsan esse litteram* V, *cùm illa sic formetur in Roma subterranea. Hac observatione incertum fit, an figura illa unam tantùm, an plures designet litteras; neque id dubium abstulit Umbra pag.* 158, *respondens minutiores quosdem litteræ minùs peritè sculptæ defectus non efficere, ut non sit* M, *quia, uti rectè replicat Lestoquius Diss.* 2 *pag.* XI, *minutiæ illæ, quales hæ sunt, id saltem reddunt dubium. Litteram sextam inscriptionis non esse* N, *uti volebant adversarii, satis clarè ostendit laudatus Lestoquius pag.* 178 *hac ratione. Littera* N *tres habet lineas, quarum media utramque lateralem sic connectit, ut obliquè descendat à summitate prima lineæ lateralis ad partem inferiorem lateralis secundæ hoc modo* N. *At figura inscriptionis lineam obliquam sic efformatam habet, ut hæc ab infima parte prioris lineæ lateralis ascendat, quod numquam contingit in littera* N. *Malè igitur divinarunt, cùm dixerunt ultimam lineam lateralem esse deletam: nam, etiamsi adesset altera lateralis, ne sic quidem littera* N *agnosceretur, sed figura exsurgeret ab omnibus characteribus distincta. Probabilius* E *suspicatur Lestoquius* V *designatum esse figurâ illâ, aut fortasse* G, *nam tale* G *reperitur in memorato antè epitaphio Gordiani. Varia ad hæc respondit auctor Umbræ pag.* 162 *&* 163; *at difficultatem non tollit, ideoque & illa & Lestoquii ad illa responsionem prætermitto: vam qui objectiunculas quaslibet minutissimas videre cupit, & earumdem solutiones intelligere, adire potest sæpe memoratas Dissertationes.*

coalescere non posse nomen Firminus; ac argumentum esse nullius ponderis.

45 *Accipe igitur conclusionem ex prædictis rectè deductam à Lestoquio pag.* 179: Nescitur ergo, an prima sex illarum figurarum sit initium nominis: nescitur, an prima illa littera sit F vel S, vel N vel V. Secunda fortasse non est I, sed reliquum cujusdam litteræ. Tertia prorsus est incognita. Quarta non est M. Postrema nequit esse N, uti necesse esset ad componendam vocem Firminus. Litteræ igitur supra sepulcrum, quod est ad latus Epistolæ, repertæ adeo non possunt evincere nomen S. Firmini illic fuisse incisum, ut contrà ostendant, nomen illud ibi notatum esse non potuisse istis litteris; solaquè hæc inscriptio sufficeret ad refutandam opinionem fabulosam Religiosorum S. Acheoli. Mabillonius, qui sepulcrum hoc viderat, nihil dicit de significatione inscriptionis ibi inventæ, haud dubiè quia vir ille eruditus sibi persuaserat legi non posse. *Attamen Mabillonium sententiæ suæ favere jactabat pars opposita, & quædam litterarum fragmenta adduxit auctor Umbræ pag.* 155, *ut ostenderet non dubitasse Mabillonium, quin nomen* Firmini *sculptum esset in sepulcro. Verum non erant Mabillonii illæ epistolæ, sed aliorum, qui id ex ipso se audivisse dicebant. At Lestoquius Diss.* 2 *cap.* 2 *reposuit duas ipsius Mabillonii epistolas, quibus non obscurè innuit, sibi placere sententiam Ambianensium. Parrò, etiamsi ex dictis liqueat sine idoneo fundamento sepulcrum istud attributum fuisse* S. Firmino, *Lestoquius tamen aliis quoque argumentis uti voluit, conatusque est probare ossa in illo sepulcro reperta non posse esse* S. Firmini *confessoris, licèt constaret ipsius fuisse sepulcrum. Verùm cùm tam solida sint argumenta, quibus probatur corpus translatum, ipsaque translatio ex apertione arcæ mox enarranda tam luculenter sit confirmata & manifestata, ut sine pertinaciæ nota negari modò nequeat,*

A *nequeat, operæ pretium mihi non videor facturus, ſi colligendo omnia argumenta diſputationem hanc prolixiorem facerem.*

Alterum eorum argumentum, quod ridicula criſi exornavit Thierſius,

46 *Hac etiam de cauſa alterum adverſariorum argumentum paucis dumtaxat indicabo; nullis enim verbis illud refutari poteſt tam clarè, quàm refutatum eſt, dum, apertâ arcâ,* S. Firmini *corpus cum debita inſcriptione præſentium omnium oculis patuit. Auctor Epiſtolæ ad curioſum & Thierſius pluribus locis aſſerebant thecam, in qua depoſitum credebatur* S. Firmini *confeſſoris corpus, apertam fuiſſe anno* 1696 *coram decano capituli, & quatuor aliis perſonis, nihilque prorſus in arca fuiſſe repertum, ſed eam omnino eſſe vacuam. Tantâ autem confidentiâ id jactabant, ut vix potuiſſent loqui aſſeverantiùs, ſi ipſi luſtraſſent arcam vacuam. Audi, quo fundamento. Dictitabant rem totam ſe habere ex teſtimonio Joannis du Croc fabri ſerarii, qui præſens adfuerat, totamque illius ſeriem narraverat abbati & quibuſdam religioſis S. Acheoli. Fatebantur quidem dictum fabrum ſerarium, dum*

B *rogabatur, ut iſtud teſtimonium ſcripto firmaret, noluiſſe id facere: verùm liberè jactitabant eum retineri ſolo metu damni incurrendi, ſi eo modo indignationem canonicorum provocaret. Itaque omnis eorum certitudo nitebatur dictis unius hominis, quem agnoſcebant tam timidum, ut apertè veritati non auderet patrocinari: vel potiùs, ut eventus docuit, ex verbis quibuſdam hominis forſan ambiguis, & certè perperam intellectis, ſibi vacuitatem illam arcæ confinxerant. Audire lubet, qua criſi hîc utatur Thierſius pag.* 89 : Verum eſt, *inquit*, teſtimonium fabri hujus ſerarii eſſe unicum; ſed æquivalet pluribus, quia ſincerum eſt, & pluribus prævalere debet in hac occaſione, confermiter legi* Ob carmen, *quæ dicit:* "Non ad multitudinem reſpici oportet, „ ſed ad ſinceram teſtimoniorum fidem, & teſti„ monia, quibus potiùs lux veritatis aſſiſtit „. *Teſtimonium unius, etſi id ſcripto firmare non audeat, imò etſi id neget, æquivalet tamen pluribus. ſi credimus Thierſio. Cur illud, obſecro?* Quia ſincerum eſt, *inquit. Sinceritatem autem egregiè probe hoc modo:* Si variavit poſtrema ſua reſponſa, aut potiùs, ſi recuſavit ſcripto confirmare, quod antea non niſi oretenus dixe-

C *rat; ſatis intelligitur, id factum non eſſe, niſi poſt expoſtulationes, quibus impetitus eſt, quòd veritatem faſſus eſſet tam ingenuè, & per timorem excidendi gratiâ capituli & canonicorum Ambianenſium, & præſertim amittendi conſuetudinem elocandi illis operam ſuam. Numquid variatio reſponſorum, recuſatio ſcripti teſtimonii, & metus damni tam efficax, egregia ſunt argumenta, quibus evincitur, unius fabri ſerarii teſtimonium, idque oretenus ſolùm prolatum, multorum aliorum teſtimoniis præferendum eſſe?*

prorſus falſum

47 *Alia enimvero ſinceritatis proferenda ſunt indicia, ſed illa non favebunt cauſæ, quam Thierſius ſuſceperat defendendam. Ubi audita erat voce & ſcripto jactata aſſertio Religioſorum S. Acheoli de teſtimonio Joannis du Croc, comparuit hic coram notariis cum Ludovico Debonnaire presbytero edituoque eccleſiæ cathedralis, & Damiano le Quien aurifabro, qui cum ipſo arcam* S. Firmini *luſtraverant. Hi tres coram duobus notariis regiis declararunt, ſubſcriptoque nomine teſtati ſunt ſequentia, quæ tradam compendio. Affirmant audiviſſe ſe, in urbe Ambianenſi ſpargi ſcriptum impreſſum, in quo aſſerebantur facta varia, ad ſe ſpectantia, de pretenſa quadam a-*

pertione arcæ S. Firmini *confeſſoris, quæ omnia* AUCTORE
æqualiter nata erant ex calumnia. Hinc declarant primò, ſe menſe Auguſto anni 1696 *poſt feſtivitatem Virginis aſſumptæ, juſſu domini Foly canonici Ambianenſis, veniſſe ad inferius ſacrarium eccleſiæ cathedralis, ut examinarent, unde oriretur nimium pondus thecæ* S. Firmini *confeſſoris, & inquirerent, an theca illa non poſſet reddi levior.* 2°. *Hac de cauſa aurifabrum le Quien elevaſſe duas laminas argenteas, quibus tegebatur theca, nec quidquam inter laminas iſtas & lignum thecæ inveniſſe, unde nimia gravitas oriri poſſet.* 3°. *Eadem de cauſa terebrâ perforaſſe duobus locis ligneas thecæ tabulas, ut inveſtigarent an theca lignea incluſa eſſet alia plumbea, quæ tanti ponderis eſſet cauſa; at ſe intellexiſſe per duo illa foramina, nullam incluſam eſſe thecam plumbeam, ſed nimiam illam gravitatem oriri ex craſſitie tabularum lignearum & vectibus quibuſdam ferreis, qui poſſunt in theca eſſe ad connectendas tabulas.* 4°. *Cùm viderent, thecam non poſſe leviorem fieri, foramina facta mox bene clauſiſſe, & laminas argenteas reposuiſſe.* 5°. *Addunt duo teſtes, Debonnaire presbyter, & le Quien aurifaber, ſe, dum thecam in latus inclinabant, ſenſiſſe motum oneris cujuſdam, quod haud dubiè fuerit faſciculus, cui impoſitæ ſunt reliquiæ.* 6°. *Teſtantur, nihil tunc factum præterea.* E

48. 7°. *Adjunxit du Croc faber ſerarius, ſe* *oſtenditur.*
rogatum fuiſſe à procuratore abbatiæ S. Acheoli, ut nomen ſcripto cuidam ſubnotaret, & veritatem faterentur de apertione dictæ thecæ; ſeque reposuiſſe, paratum ſe eſſe jurare tactis ſacroſanctis Evangeliis, dictam apertionem numquam eſſe factam. Hæc paulò latiùs expoſita ſubſcripta nomine firmarunt Ludovicus Debonnaire, Damianus le Quien, Joannes du Croc, Boucher, & de le Warde. Sigillo munitum x Julii an. MDCXCVII & recognitum eodem die. *Tota Declaratio Gallicè edita eſt apud Leſtoquium pag.* 254. *Huic teſtimonio de theca non aperta, conſonat epiſtola Domini de Riencourt, decani capituli cathedralis, qui omnia etiam præſens conſpexerat. Recitat epiſtolam Leſtoquius à pag.* 149, *ex qua nihil deſumo, niſi modum, quo uſi ſunt, ut explorarent, an theca plumbea lignea eſſet incluſa. Factis terebrâ foraminibus, bacillum tenuiſſimum per illa inſeruerunt thecæ, ejuſque ope intellexerunt thecam plumbeam illic non eſſe. Eadem tum hic, tum canonicus Foly, id eſt, omnes, qui adfuerant, aſſerebant ubique viva voce, ut teſtatur Leſtoquius. Verumtamen ne tam authentico quidem teſtimonio acquieverunt contrariæ partis patroni; ſed auctor Umbræ pag.* 132 *contendit, thecam his eodem anno luſtratam, & re vera apertam fuiſſe die* 2 *Novembris in Commemoratione omnium defunctorum, ſeu in viſitatione ſecunda. Hinc iidem tres teſtes, adituus nimirum, aurifaber, & faber ſerarius, rurſum coram notario declararunt anno* 1712, *die* III *Junii, omnia antè declarata vera eſſe, ſeque alteri viſitationi thecæ præſentes non fuiſſe, nec quidquam de altera viſitatione audiviſſe. Conſule totam Declarationem die* IV *Junii ſigillo munitam apud Leſtoquium Diſſert.* 2 *à pag.* 181. *Pudet referre cavillationes omnes, quas pertinacia invenit in hac contentione: & minimè neceſſarium eſt, diſputationem hanc magis extrahere. Quapropter ad ipſam thecæ viſitationem progredior: nam nihil adeo clamabant homines contentioſi, quàm ut theca aperiretur, ſic ceſſaturam demum omnem controverſiam.* F

AUCTORE J. S.

§ VI. Thecâ apertâ, ſacrum corpus reperitur cum authentico depoſitionis teſtimonio, uti intelligitur ex relatione epiſcopi hîc data: declaratio ab batis S. Acheoli.

Epiſcopus Ambianenſis coram præcipuis urbis perſonis in choro eccleſiæ

ANno 1715, x *Januarii*, *Petrus Sabatier antiſtes Ambianenſis, ut diuturnis contentionibus finem imponeret, thecam* S. Firmini *confeſſoris aperuit coram præcipuis urbis Ambianenſis perſonis, cùm eccleſiaſticis tum ſecularibus. Acta hujuſce viſitationis, Gallicè impreſſa, Latinè verſa ſubjicio:* Petrus Dei & apoſtolicæ Sedis gratiâ epiſcopus Ambianenſis. Notum facimus, hoc die Jovis, decimo menſis Januarii anni MDCCXV, (quia promotor noſter ſuggeſſerat
B nobis, quòd per decretum noſtrum die 2 hujus datum, poſt rem communicatam cum venerabilibus fratribus noſtris, decano, canonicis & capitulo eccleſiæ noſtræ, ſtatuerimus procedere hodie ad apertionem thecæ S. Firmini confeſſoris, & quòd conſequenter invitâſſet corpora & præcipuas perſonas urbis, tam eccleſiaſticas quàm laïcas, & quòd nominatim invitandos, & quantùm erat neceſſarium, vocandos & interpellandos IV hujus menſis curaſſet, operâ apparitoris Biberel, abbatem & Religioſos S. Acheoli, ut præſentes eſſent huic apertioni, eo quòd auctor anonymus plurium libellorum, à quibuſdam annis impreſſorum, temere aſſeruiſſet corpus hujus Sancti eſſe etiamnum in eccleſia S. Acheoli, & thecam, quæ ſervatur in eccleſia noſtra, eſſe vacuam;) veniſſe nos circa horam nonam matutinam ad dictam eccleſiam noſtram cum miniſtris noſtris, habituque pontificali indutos intraviſſe in chorum, ubi invenimus dominos capituli, dominum regis vicarium *, dominos præſidialis curiæ ſenatores, dominos majorem civitatis & ſcabinos, omnes ſic collocatos, prout fieri ſolet in cæremoniis publicis, & reliquum choC ri omnino repletum præcipuis urbis perſonis, cùm cleri ſecularis & regularis, tum aliorum ordinum.

* lieutenant du roy

examinat & aperiri jubet thecam, in qua faſcem reliquiarum invenit,

50 Thecâ in medio poſitâ ſuper menſam, ante hanc nos collocati in throno ad hæc præparato, expoſuimus aſſiſtentibus rationes, quas habueramus eos convocandi, diſcurſu hac ſuper materia inſtituto. Quo finito, examinavimus thecam, quæ longa eſt tribus pedibus, quatuor pollicibus & medio, alta duobus pedibus & dimidio, lata ſedecim pollicibus & medio. Capſam è ligno admodùm craſſo diſtinguunt bracteolæ argenteæ inauratæ, quæ dimidiâ eminentiâ repræſentant præcipua Sancti geſta tali opere, ut videatur eſſe ſeculi decimi tertii, ſicut facilè intelligitur ex veſtimentis perſonarum, quæ ibi repræſentantur. Deinde eam curavimus aperiendam per Firminum de Bray, fabrum ferarium conſuetum abbatiæ S. Acheoli, juvantibus eum Joanne du Croc fabro ferario eccleſiæ noſtræ, & Damiano le Quien aurifabro. Invenimus illic pretioſas reliquias hujus Sancti (quæ ſunt partim oſſa integra, partim diverſarum corporis partium oſſium fragmenta, partim cineres) involutas linteo admodùm candido, tectoque An-
glica bombyce textâ ſpiſſiori filo * virgatâque D albo & cæruleo. Totius ſimul molis menſura æquabat formam cylindricam duobus circitèr pedibus longam, & diametro quinque pollicum conſtantem. Hiſce expoſitis ſuper menſam ante nos collocatam, cum omnibus congregatis nos proſtravimus ad eas honorandas, juſſimus in hunc finem cani hymnum ſanctorum Confeſſorum concentu muſico, & recitavimus orationem propriam hujus Sancti.

* moire d'Angleterre

quæ ſingulæ recognoſcuntur & nominantur;

51 Poſt hæc, aſſumptis ſingulis per vices ſacris hiſce oſſibus, ea curavimus nominanda deſignandaque alta voce per dominos Joannem Baptiſtam Mouret medicinæ doctorem, decanum medicorum hujus urbis, & Joannem Baptiſtam Jolibois magiſtrum chirurgum juratum. Hi declararunt in hac theca nos habere oſſa ſequentia, nimirum, partem anteriorem brachii * integram, quæ Latinè humerus * dicitur; alium cubitum; os coxæ, quod femur dicitur; varia fragmenta coſtarum; omoplatam, ſeu humerum; minus os brachii; duo fragmenta femoris; aliud os omoplatarum in fragmentis, fragmentum coſtarum; duo alia fragmenta femoris; fragmentum omoplatæ cum notabili quantitate aliorum fragmentorum, inter quæ habentur totius capitis, maximè cranii, vertebrarum, ſpinæ dorſi, lumborum, oſſis ilium. Porrò conjectura fieri poteſt, fragmenta adeſſe ex omnibus corporis partibus, quod facilè cognoſci nequit, quia fragmenta illa ſunt comminuta, ideoque informia. Hæc denominatio eodem tempore conſcribebatur per dominum Dionyſium la Pierre, canoni-
cum S. Firmini, ſcribam noſtrum; & per dominum Adrianum Dehen ſcribam capituli, in duobus adverſariis diſtinctis, quæ deinde fuere ſubſcripto nomine firmata ab ipſis, & à dictis dominis Mouret & Jolibois. In memorato linteo, in quo erant hæc oſſa, inventi quoque ſunt duo alii faſciculi ex tela, in quorum altero, eoque minori, erant plura fragmenta oſſium humanorum, & faſcia membranea dimidio digito lata cum hac inſcriptione: HEE SUNT RELIQUIÆ SANCTI FIRMINI CONFESSORIS. Alter multo major continebat copiam cineris aut pulveris, & minutorum fragmentorum, cum faſcia membranea præcedentis ſimili, in qua erat hæc inſcriptio: PULVIS S. FIRMINI CONFESSORIS. Hæ duæ
F inſcriptiones erant characteris admodùm antiqui.

* l'avant bras
* *meliùs* cubitus

E

invenit quoque litteras depoſiti in theca corporis teſtes, quibus appenſa erant

52 Demum ibi invenimus faſciculum micarum thuris, quod poni cum reliquiis in conſecratione altarium jubet liber noſter pontificalis: unde collegimus, quàm circumſpectè ſacrum hoc corpus impoſitum fuerit novæ huic thecæ; in qua etiam reperimus pyxidem ex ligno betulæ cum operculo æſculeo, quod ei erat funiculo annexum, in qua erant litteræ membraneæ, illæſæ & integræ, longæ octo pollicibus præter tres lineas, altæ quinque pollicibus & tribus lineis, munitæ ſex ſigillis etiam integris, pendentibus ex nodis ſerici viridis. Haſce legi juſſimus alta voce per ſcribam noſtrum, quarum hoc eſt contentum: " Univerſis preſentes litteras inſpe-
„ cturis: Guillermus archiepûs Rothomagenſis,
„ Philippus Ebroïcenſis, Reginaldus Belvacenſis,
„ Guido Lingonenſis, Robertus Bathonienſis,
„ & Guillermus Ambianenſis Dei gratiâ epiſcopi
„ eternam in Domino ſalutem. Noveritis quòd
„ anno Incarnationis Dominice milleſimo ducen-
„ teſimo ſeptuageſimo nono, decimo ſeptimo Ka-
„ lendas Junii, Pontificatûs domini Nicolai Pa-
„ pe tertii anno ſecundo, reverendiſſimus pater
„ &

A „ & dominus, dominus Simon etiam Dei gratiâ „ tituli ſancte Cecilie presbiter Cardinalis, apo- „ ſtolice Sedis legatus, excellentiſſimis Philippo „ Dei gratiâ Francie & Edouardo Anglie regi- „ bus, Karolo principe Salerni, filio excellen- „ tiſſimi regis Sicilie, & nobis preſentibus, nec „ non multis aliis principibus regnorum Francie „ & Anglie, abbatibus, magnatibus, & cleri & „ populi multitudine copioſa, corpus beati Fir- „ mini confeſſoris atque pontificis Ambianenſis „ quondam, in preſenti theca repoſuit, illa ſo- „ lempnitate adhibita, que conſuevit in talibus „ adhiberi, in cujus rei teſtimonium ad perpe- „ tuam rei memoriam preſentes literas ſigillorum „ noſtrorum munimine duximus roborandas. Da- „ tum ut ſuprà „.

ſex epiſcoporum ſigilla hic deſcripta:

53 Primum memoratorum ſigillorum repræſentabat archiepiſcopum caſulâ indutum, cum pallio, mitrâ & cruce, & cum hac epigraphe: S. GUILLERMI. DEI GRA. ARCHIEPI. ROTHOMAGEN.: & in ſigillo oppoſito, Annuntiationem Virginis cum hac epigraphe: CONTRA SIGILLU. ARCHIEPI. ROTHOMAGEN.

B Secundum repræſentat epiſcopum cum cruce & mitra, ſimiliter caſulâ indutum, cum lilio ad utrumque latus, & hac epigraphe: S. PHILIPPI. DEI GRA. EBROICENSIS EPI.; & in ſigno oppoſito, Virginem tenentem manibus puerum Jeſum cum his vocibus: AVE MARIA GRATIA PLA.

Tertium ſimilem habet epiſcopi figuram cum tribus liliis ad utrumque latus, & hac epigraphe: S. REGINALDI DE NANTOLIO. DI GRA ..... LVACEN.; & in oppoſito ſigillo, ſcutum teſſerarium notatum cruce angulata quatuor clavibus, cum his vocibus: SECRETU. R. EPI. COITIS. BELVACN.

Quartum continet ſimilem figuram epiſcopi, & hanc epigraphen: S. GUIDONIS: DEI GRA EPI. LINGONEN.; & in oppoſito ſigillo epiſcopum orantem flexis genibus, & has voces: SECRETUM. G. EPI: LINGONENSIS.

Quintum repræſentat ſimiliter epiſcopum, appictis duabus clavibus uni lateri, & alteri formâ quâdam crucis S. Andreæ, cum hac epigraphe: ROBERTUS. DEI. GRA. BATHONIENSIS. ET WELIENSIS. * EPS.; nullum hîc ſigillum oppoſitum.

C * Bath & Well *in Anglia*

Poſtremum habet figuram epiſcopi, uti alia, cum lilio ad utrumque latus, & hanc epigraphen: S. GUILL. DEI. GRA. AMBIANENSIS EPI.; & in ſigillo oppoſito B. Virginem, quæ tenet Infantem ſuum, cum hiſce vocibus: CONTRA S. G. AMBIAN. EPI.

deinde oſſa aliaque omnia inſpicienda præbet præſentibus: ſcribitque hanc relationem,

54 Permiſimus deinde aſſiſtentibus, ut appropinquarent, ad examinandum oſſa, ſcripturas, uti & dictam thecam apertam; ac deprehendimus cum ipſis, in illa duo eſſe foramina, facta terebrâ ſuperiùs & inferiùs, quæ deinde ligneis clavis fortiter infixis fuere concluſa. Per illa nihil immitti potuit, niſi exiguus baculus ad explorandam craſſitiem, neque fieri poterat ut per ea quidquam cerneretur, quidquam auferretur, aut quidquam imponeretur. Poſtquam verò abunde erat ſatisfactum devotioni aſſiſtentium & piæ eorumdem curioſitati, curavimus omnia rurſum thecæ imponenda, claudendam aperturam per eumdem fabrum ferarium, atque apponendum ſigillum noſtrum cum ſigillo capituli, illam clauſuri permanenter, ubi ei impoſuerimus novas litteras, à nobis ſubſcripto nomine, additoque ſigillo noſtro firmatas, ut memoriæ poſterorum commendemus, quæ peracta ſunt hoc die, quo Deo placuit oſtendere veritatem reliquiarum hujus Sancti, & confundere temeritatem illorum, qui illas impugnare præſumpſerunt. Ut autem ei hac de re gratias ageremus, cantavimus hymnum TE DEUM, ſonantibus omnibus campanis; & thecam deponi juſſimus prope altare, ut ſatisfieret devotioni populi, uſque ad diem Dominicum, xx hujus menſis, quo eam portandam decrevimus in ſupplicatione generali. Poſt hæc receſſimus, ad concinnandam hanc rei geſtæ relationem, cui nomen noſtrum ſubſcripſimus, & cui ſubſcribere ſivimus omnes, qui ſunt noſtri capituli, curiæ præſidialis, corporis urbis, parochos, ſuperiores communitatum, aliaſque perſonas inſignes, quæ præſentes cùm eſſent cum vicario regis, deſiderarunt ſubnotare. AUCTORE J. S.

55 PETRUS epiſcopus Ambianenſis.

cui ipſe ſubſcribit cum omnibus canonicis,

LE SCELLIER DE RIENCOURT, decanus, abbas Foreſtimonaſterienſis.
JOYEUX, doctor Sorbonicus, præpoſitus.
FORCEDEBRAS, archidiaconus Ambianenſis.
DE FAY GREFFONTAINE, præfecturam Ambianenſem gubernans *
DE HERTE DE HAILLE, ſcutarius nobilis, primus præſes curiæ præſidialis Ambianenſis
PICQUET, archidiaconus Pontivenſis.
GLACHANT, doctor Sorbonicus, cantor.
MOREAU, ſcholaſticus.
LE CARON, pœnitentiarius.
FOURNIER.
T. TROUVAIN.
PINGUET.
BOISTEL, natu maximus.
MOREAU, doctor Sorbonicus.
TRANCART, doctor Sorbonicus.
LALLEMANT.
F. TROUVAIN.
LE MERCIER, doctor Sorbonicus.
BENOISE, abbas S. Salvii.
M. FILLEUX.
HURACHE.
CAIGNART.
PICQUET.
MASCLEF.
L. BOISTEL, doctor Sorbonicus.
N. DE LESTOCQ, doctor domus Sorbonicæ, canonicus theologicis præfectus. F
DE FAY, licentiatus Sorbonicus.
P. CHAUX.
DURAND.
FR. LE CARON, doctor Sorbonicus.
PRIOLO, doctor Sorbonicus.
DE HERTE.
N. FILLEUX, doctor Sorbonicus.
PINGRÉ.
CANON, licentiatus Sorbonicus.
CRETON, ſcutarius nobilis, præſes curiæ præſidialis Ambianenſis.
LE BOUCHER, ſcutarius nobilis, dominus de Famechon, aſſeſſor.
DUCROQUET, decanus ſenatorum.
VACQUETTE DU CARDONNOY, nobilis ſcutarius, ſenator veteranus & ſenator ſcriba regis, atque emeritus civitatis Major.
MOURET, ſenator veteranus.
LE GILLON DU GROTISON.
DAMYENS.
VACQUETTE DE FRECHENCOURY.
HOULON.

E * commendant

AUCTORE J. S.

J. B. Cornet.
De Herte de Haille.
Pingré de Sourdon, nobilis ſcutarius.
Dufresne.
Sentier, ſenator, clericus.
Mouret.
Claudius Ludovicus Vacquette.
Petyst, advocatus regius.
Pingré, ſcutarius nobilis, procurator regius.
Le Boucher.
Forcedebras, omnes canonici eccleſiæ cathedralis.
56 Du Fresne de Fredeval, Major & generalis diſciplinæ politicæ præfectus.

aliiſque pluribus variorum ordinum.

Ducandas, ſcabinus.
Destrées, ſcabinus.
Jacobus Fr. Cornet, ſcabinus.
Damyens, ſcabinus.
Galand natu maximus, ſcabinus.
J. B. Roussel, ſcabinus.
De Bragelongne, prior S. Martini.
Joly, canonicus S. Nicolai.
De Villers, canonicus & præpoſitus capituli S. Firmini confeſſoris.
De Raveny, parochus S. Martini.
Turquet, parochus S. Firmini confeſſoris.
F. J. le Seigne, parochus S. Germani.
Fr. Antonius Emmanuel Brunel, doctor Sorbonicus, prior abbatiæ S. Joannis Ambianenſis, Ordinis Præmonſtratenſis.
Piolé, parochus S. Michaëlis.
Dehangest, doctor Sorbonicus & parochus S. Jacobi.
Demarinne, parochus S. Remigii.
F. J. Patissier, prior PP. Cæleſtinorum.
Sezille, ſuperior ſeminarii Ambianenſis.
Carolus Jameron, rector collegii Societatis Jeſu.
Fr. Nicolaus de Hollandes, prior Dominicanorum Ambianenſium.
Fr. Augustinus Moreau, prior Auguſtinianorum.
Fr. Claudius a Cruce, definitor-provincialis, & prior emeritus Carmelitarum Diſcalceatorum.
Fr. Antonius Elias ab omnibus Sanctis, Carmelita Diſcalceatus.
Fr. Joannes Maria, guardianus Capuccinorum.
Fr. Nicolaus Ambianensis, prædicator Capuccinus.
Fr. Joannes Vacquette, corrector Minimorum.
Baron-de Lamaronde, conſiliarius regius, præfectus aquis & ſilvis Ambiani.
Cattelet, procurator regius de aquis & ſilvis.
Nicolaus Artus, ſcabinus emeritus.
Adrianus Cornet pater, civis Ambianenſis.
Firminus Palyart.
Ducastel, cauſſidicus in ſuprema curia, prætor epiſcopatûs & capituli Ambianenſis.
Dehangest, ex officio notarius & procurator capituli Ambianenſis, uti & epiſcopatûs.
Le Caron, conſiliarius regius, ſubpræfectus pro aquis & ſilvis.
Degrain, præpoſitus capellanorum.
Tavernier, tabularius fori eccleſiaſtici *.

* de l'officialité

57 Præterea die Veneris, decimo octavo ejuſdem menſis, ad ſupplicationem dicti promotoris noſtri, finitis Veſperis, acceſſimus ad chorum eccleſiæ noſtræ cathedralis, induti ſtolâ ſuper humerale * & ſupparum *, nobis aſſiſtentibus dominis Alexandro le Scellier de Riencourt dictæ eccleſiæ decano, Franciſco Moreau canonico ſcholaſtico & officiali, Nicolao de Leſtocq canonico theologicis præfecto & curatore capituli, vicariis noſtris generalibus, & præſentibus dominis Ludovico le Caron pœnitentiario, Joſepho Fournier, Carolo le Mercier, Joanne Baptiſta Pingré, canonicis eccleſiæ noſtræ, & dominis Dionyſio la Pierre canonico S. Firmini, ſcribâ noſtro, Antonio Adriano Vilman canonico S. Nicolai, eleemoſynario noſtro, & adminiſtris ſacri theſauri noſtri: quò poſtquam perveneramus, adorato priùs ſanctiſſimo Sacramento, factaque oratione ante thecam, in qua invenimus ſigillum noſtrum & ſigillum capituli illæſa & integra, juſſimus illam aperiri per eoſdem operarios, qui eamdem antè aperuerant: & ubi exemeramus reliquias, quas poſuimus ſupra menſam in hunc finem præparatam, conſilio venerabilium fratrum noſtrorum, decani & canonicorum præſentium, ſumpſimus partem oſſis, quod vocatur FEMUR, ut illam thecæ particulari deinde includeremus, quò faciliùs exponi poſſet ad devotionem fidelium, qui hac occaſione ſingularem planè oſtenderunt. Sumpſimus quoque unum circitèr cochleare cinerum, quibuſdam oſſium fragmentis permixtorum, ut ex illis aliquid diſtribueremus abbatiæ Corbeienſi, cujus Prior & Religioſi modicam partem nos rogarunt, ut eam theſauro eccleſiæ ſuæ adjungerent; deinde ut ex illis aliquid donaremus paroeciæ S. Firmini confeſſoris hujus urbis, cujus rector & ſubditi petierunt à nobis ſimiliter partem modicam, ut iſtam conjungerent cum ea, quam à multis ſeculis habuerunt.

omnes alias cum teſtimonio viſitationis ſuæ rurſum eâdem thecâ recludit,

58 Poſt hæc omnia oſſa ordine impoſuimus eidem linteo, in quo illa inveneramus: cui quoque inſeruimus omnia fragmenta cum faſcia membranea, in qua ſcriptum eſt: Hæc sunt Reliquiæ S. Firmini confessoris. Eidem inſuper incluſimus faſciculum cinerum cum ſimili faſcia membranea, cui inſcriptum eſt: Pulvis S. Firmini confessoris; uti & faſcem thuris, quem ibi invenimus. Involutis omnibus decenter conſuto omni ex parte velo ex ſerico Damaſceno viridi, quod ſubſtitutum Anglicæ bombyci, quæ nimis erat trita; ea repoſuimus in arcam eodem, quo erant, ſtatu. In eamdem deinde remiſimus litteras authenticas anni MCCLXXIX, in eadem theca, in qua fuerant, clauſa per tæniam ſerici viridis. Hiſce litteris adjecimus alias, ſimiliter thecæ incluſas, quæ ſignatæ à nobis hujus ſunt argumenti: " Petrus, Dei & ſanctæ Sedis „ apoſtolicæ gratiâ Ambianenſis epiſcopus, præ„ ſentibus & futuris ſalutem & benedictionem. „ Notum facimus, quòd nos anno Domini mil„ leſimo ſeptingenteſimo decimo quinto, quar„ to Idus Januarii, ipſa die, quâ factæ primùm „ à deceſſore noſtro beato Salvio ſancti Firmini „ confeſſoris & Ambianenſis epiſcopi, è loco, „ in quo humatus fuerat, in noſtram cathedra„ lem eccleſiam tranſlationis memoria quotannis „ renovatur, hanc capſam, in qua corpus præ„ dicti ſancti Firmini confeſſoris & Ambianenſis „ epiſcopi aſſervatur, quodque abeſſe auſu te„ merario mentita fuerat iniquitas, in choro jam „ nominatæ cathedralis eccleſiæ noſtræ, ut ob„ ſtrueretur os loquentium iniqua, aperuimus, „ ejuſdem Sancti reliquias, quæ ex alia humiliori „ theca extractæ, anno milleſimo ducenteſimo „ ſeptuageſimo nono in hac nobiliori conditæ „ ſunt, debita cum veneratione, ſervatis riti„ bus, primariis hujus urbis ſpectantibus, clero „ &

Epiſcopus, aliquibus reliquiis ſeorſum poſitis,
* camail
* rochet

A „ & populo incredibili gaudio exultante, inſpe-
„ ximus, recognovimus, & in eadem capſa re-
„ poſuimus. Datum ut ſuprà ſub ſigno ſigilloque
„ noſtris. PETRUS EPUS AMBIANENSIS „. Huic apponi juſſimus ſigillum noſtrum ceræ rubræ impreſſum, ſuſpenſumque è vittis ſerici viridis.

& rei geſtæ relationi cum aliis ſubſcribit.

59 Poſt hæc juſſimus eamdem claudi permanenter per eoſdem operarios, ſicut antea erat clauſa, expoſitamque venerationi fidelium adhuc reliquimus, donec finita ſit ſupplicatio. Demum, fuſis rurſum precibus, receſſimus ut componeremus hanc ipſam rei geſtæ relationem, depoſitam in tabulario epiſcopatus noſtri, ut ad illam recurri poſſit, dum erit neceſſarium. Datum dictis die & anno, qui ſuprà exprimuntur.

PETRUS epiſcopus Ambianenſis.
LE SCELLIER DE RIENCOURT, decanus, vicarius generalis.
MOREAU; ſcholaſticus, vicarius generalis.
DE LESTOCQ, canonicus theologicis præfectus, vicarius generalis.
LE CARON, pœnitentiarius.
FOURNIER. LE MERCIER. PINGRÉ, canonici.
B FILLEUX, promotor.
VILMAN, canonicus S. Nicolai, eleemoſynarius.

De mandato illuſtriſſimi ac reverendiſſimi Domini epiſcopi Ambianenſis.

LA PIERRE.

Declaratio abbatis S. Acheoli, dubitationem de corpore deponentis,

60 *Cum hoc inſpecti corporis inſtrumento, impreſſum eſt aliud item Gallicum ſub hoc titulo :* Declaratio domini abbatis S. Acheoli de apertione arcæ S. Firmini confeſſoris, factâ in eccleſia cathedrali Ambianenſi x Januarii anni MDCCXV. *Hanc ſimiliter Latinè verſam ſubjungo :* Coram ſubſcriptis notariis regiis & apoſtolicis comparuit dominus Petrus de l'Etoile, abbas S. Acheoli prope Ambianum, qui declaravit, ſe, occaſione quorumdam antiquorum ſepulcrorum, in abbatia ſua repertorum menſe Januario anni milleſimi ſexcenteſimi nonageſimi ſeptimi, dubitaviſſe, an corpus S. Firmini confeſſoris, tertii Ambianenſis epiſcopi, eſſet in theca, quæ expoſita eſt in eccleſia cathedrali Ambianenſi; ſe longo tempore credidiſſe, dubium ſuum non carere fundamento : verùm poſtquam die decimo præſentis menſis Januarii publicè aperta eſt hæc theca, in qua oſſa hujus Sancti inventa ſunt cum litteris authenticis anni milleſimi ducenteſimi ſeptuageſimi noni, ſigillis ſex epiſcoporum, qui adfuerunt depoſitioni ipſius corporis in hac arca, munitis, quæ illius veritatem demonſtrant) ſibi perſuaſum nunc eſſe, non ſupereſſe rationem dubitandi, quin corpus hujus Sancti ibi ſervetur.

C

& improbantis ea, quæ hac occaſione ſcripta ſunt contra honorem capituli.

61 Idem dominus comparens præterea declaravit, ſe non aſſentiri factis dictiſque, quæ inferta ſunt ſcriptis hac occaſione editis, quæque nocere poſſunt honori dominorum Capituli dictæ eccleſiæ Ambianenſis, & cleri diœceſeos, ſe adeo non approbare illa, ut vellet illa iis non fuiſſe inſerta. De hoc & omnibus ſuprà dictis memoratus dominus abbas comparens litteras publicas petiit à dictis notariis, qui haſce ei dederunt, compoſitas & conceſſas in memorata abbatia S. Acheoli XXIII Januarii anni MDCCXV, ut maneant inter primores tabulas & acta notarii Dehangeſt, unius ex ſubſcriptis : & ſubſcripſit prædictus dominus abbas cum dictis notariis, & cum domino Franciſco du Freſne, equite, domino d'Epagny, in quæſtoria juriſdictione præſide in finibus Ambianenſibus, qui tunc præſens erat in dicta abbatia S. Acheoli. Signatum : De l'Etoile abbas S. Acheoli, du Freſne, Dehangeſt, & Denis cum nota nomini addita.

AUCTORE J. S.

Recognitum Ambiani XXIV Januarii anni MDCCXV per de Ligny, & obſignatum eodem die.

DEHANGEST.

Anno MDCCXV, XXV Januarii, hæc Declaratio monumentis publicis conſignata eſt & relata in Acta fori eccleſiaſtici diœceſis Ambianenſis, recognitaque per me ſubſcriptum. TAVERNIER.

§ VII. Edictum epiſcopi Ambianenſis, quo ratio redditur apertæ thecæ, & feſtivitas tranſlationis reſtituitur.

Declarat epiſcopus ſe non aperuiſſe thecam, quia dubitabat de præſentia corporis

T *Andem placet ſubjicere litteras illuſtriſſimi Ambianenſis epiſcopi, quibus varia allegantur de relata ante controverſia, atque hac occaſione feſtivitas tranſlationis* S. Firmini *confeſſoris inſtauratur. Phraſim Gallicam Latinè reddam eo modo, quo præcedentia reddidi. Impreſſæ etiam fuerunt hæ litteræ eodem anno, atque ita habent :* Petrus Dei & ſanctæ Sedis Apoſtolicæ gratiâ epiſcopus Ambianenſis, clero & populo diœceſis noſtræ ſalutem & benedictionem in Domino. Mirabimini procul dubio, chariſſimi fratres, viſitationem thecæ S. Firmini confeſſoris eſſe à nobis inſtitutam, poſtquam diu dubitaveramus, an videretur facienda. Verùm audite rationes, quæ nos tandem ad eam permoverunt. Numquam dubitavimus vel ad momentum temporis, quin eccleſia noſtra à multis ſeculis poſſideret pretioſas reliquias S. Firmini confeſſoris, tertii Ambianenſis epiſcopi. Videramus in tabulariis epiſcopatûs & capituli exemplar litterarum publicarum, quæ compoſitæ fuerunt anno MCCLXXIX per Simonem Cardinalem, ſanctæ Sedis legatum, præſentibus pluribus epiſcopis, regibus Franciæ & Angliæ, principe Salernitano, & omnibus eorum aulicis, quando tranſlatæ hujus Sancti reliquiæ ex theca vulgaris haud dubiè pretii in hanc, quam nunc cernimus. Mille rationes æquè ſolidæ & convincentes probant traditionem eccleſiæ noſtræ, & fidelium hac de cauſa devotionem.

E

F

ſed, quia negantes tranſlationem, licèt duo prima eorum Opuſcula damnata eſſent, * *al.* debebat

63 Verumtamen auctor Epiſtolæ ad curioſum, ſimulans ignorare ſe veritatem, quam neſcire non poterat *, " ignorans cæcitate mira-
„ bili, (uti ait S. Auguſtinus) vel animoſitate
„ damnabili ſe ſcire diſſimulans „, voluit ab anno MDCXCVII aliquam dubitationem de hac tranſlatione populorum animis ingenerare. Verùm, cùm in hoc ſcripto aſſeruiſſet propoſitiones falſas, temerarias & calumnioſas, mutuatus ſtylum & modum loquendi abjectiſſimorum ſcriptorum, qui reperiuntur inter hæreticos, amplexuſque exiguo judicio locos quoſdam communes, quibus illi ſolent uti ad impugnandum ſacrarum reliquiarum uſum, juſtiſſimè damnatus eſt ab illuſtri anteceſſore noſtro. Auctor hic confuſus, at non converſus, ſubſidio advocavit defunctum dominum Thiers, parochum in Vibray, cujus uſus eſt calamo, ad tuendam cauſam tam malam. At rurſum cum dolore & confuſione vidit hoc Opus ſuppreſſum edicto Conſilii, præſente rege lato.

AUCTORE J. S.

& solidè refutata, tertiumque similiter refutatum,

64 Hæc sufficere debebant ad delendas affectiones, quas duo illa Opuscula animis potuerant ingerere illorum hominum, qui nequeunt per se cognoscere veritatem factorum, quæ fuerant impugnata. Verùm cùm intelligeretur, spargi adhuc inter homines, condemnationes non esse probationes, eosque, quorum mala est causa, solere ad auctoritatem confugere; edita est Dissertatio, non minùs commendanda concinnitate & sinceritate quàm eruditione & eloquentiâ, quæ omnibus communicavit probationes, quæ nequidquam fuerant impugnatæ. Postquam auctoritati adjunctæ erant rationes, satis evidens videri debebat demonstratio, ut dissiparentur tenebræ, quas huic translationi conati erant offundere, atque ut dici posset cum S. Augustino: " Quid ad hæc responderi potest, nisi pertinacia „ pugnaces nervos adversus constantiam perspi„ cuæ veritatis intendat „? At nihil satis est evidens scriptori, qui fugit lucem. Revera ex fictitio tumulo domini Thiers visa citò est egredi Umbra, quæ frustrà laboravit, ut veritatem obscuraret: cùm nihil solidi afferret; continuò dissipata est Umbra Opusculo illo, quod ei reposuit auctor Dissertationis, ut hanc tueretur.

B

quarto rursum opusculo postulabant thecæ apertionem;

65 Ab eo tempore causa prorsus finita fuisset, si posset mendacio & vanitati imponi silentium, ut loquitur S. Augustinus. Verùm, sicut vanitas, simulac cogi nequit ad silendum, sibi semper adulata, fingit ad omnia se respondisse, sibique etiam persuadet, veritati se prævalituram, quia altiùs novit clamare (facilè est cuiquam videri respondisse, si tacere noluerit: quid enim loquacius vanitate, quæ non ideo potest quod veritas, quia, si voluerit, etiam plus potest clamare quàm veritas) credebatur Apologia non diu caritura responso. Nec vanè id creditum: nam non multo pòst tempore prodierunt Animadversiones criticæ ab auctore semper latente, qui ad apertionem thecæ totam studebat reducere controversiam, qui conquerebatur disputari de difficultatibus, quas unico momento enodare poterat visus, qui demum gloriabatur fateri nos, objectionibus suis non posse à nobis responderi, quia recusabamus facere, quod postulabat.

C

licèt iniqua esset postulatio; se consensisse ut augeret fidelium devotionem:

66 Quamquam vanæ hæ Animadversiones vix apparuerant, quin statim fuerint confutatæ, indeque hæc postulatio semper magis reddebatur temeraria, judicavimus tamen, charissimi fratres, expedire, ut illi assentiremur, non ut satisfaceremus morosо judicio istius auctoris, qui, ne cogeretur credere, quod videre renuit, indignum, ut dicitur, sibi præparavit perfugium, spargens in populum, thecæ imponi posse ab hominibus, quæcumque voluerint, neque instrumentum reperiri tam antiquum aut authenticum, quod corrumpi nequit. Sermo hic (si verus esset, quod libenter non credimus; " Solet quip„ pe fama mentiri „, uti aiebat S. Augustinus) æquè esset temerarius, impius & calumniosus, qui fidem numquam in mundo inveniet, modò ibidem modicè cognoscantur probitas, religio, & alienus ab omni cupiditate animus eorum, qui sacri hujus thesauri sunt possessores; tantamque apud probos excitaret indignationem, quantam apud libertinos & hæreticos parere posset lætitiam. Unicè id agimus, ut satisfaciamus devotioni nostræ, non ipsius curiositati; ut augeatur in hac diœcesi amor & veneratio, illi debita Sancto, qui heres fuit nominis, zeli, pietatis, ac cathedræ magni Firmini martyris; ut reparemus, quantùm poterimus, honorem, quem ei tentabant eripere, traducentes, ut cultum superstitiosum, venerationem illam, quâ honoratæ hucusque fuerunt ejus reliquiæ, quæ tam solida ratione inclusæ credebantur thecæ, quam aperuimus.

D

deinde breviter exponit certitudinem corporis inventi,

67 Habetis, charissimi fratres, rationes, quibus fuimus permoti. Legendo nostram rei gestæ Relationem intelligetis, quid peractum fuerit in hac sancta & augusta cæremonia, cujus testes & admiratores esse voluerunt tot homines conditione sua scientiâque insignes, quâque moti fuerunt usque ad lacrymas. Illi ipsi vobis dicent, se magna sua consolatione æquè ac nos vidisse multitudinem illam ossium integrorum, fragmentorum multorum aliorum, & cinerum, quæ extraximus, quæque demonstrant id, quod semper credideramus. Dicent inveniisse nos authenticas tabulas, sex episcoporum sigillis munitas, quæ testantur, huic thecæ ineluctum esse corpus S. Firmini. Et nobis persuasum est, si quis, post argumenta tam evidentia traditionis nostræ, adhuc aliquid dubitationis vellet vobis inspirare, nobis non alia dicenda ad vos, ut illud dissiparemus, quàm quæ S. Augustinus ad populum suum dicebat occasione Donatistarum: Videte, an non malitis credere testibus tam venerandis & judicibus tam eruditis, quàm criticis pertinacibus & litigatoribus sui amantibus, qui, ubi causâ ceciderunt, non nisi obmurmurant. " Eligant ergo, utrùm „ malint credere, quod pronuntiaverint ecclesia„ stici cognitores, quàm quod murmurant victi „ litigatores „; & vos ne ad momentum quidem hæsitaturos, an sequi velitis sententiam patrum vestrorum, qui semper in hac theca venerati sunt hujus sancti Confessoris reliquias.

E

damnat duos libellos à parte contraria scriptos,

68 Hisce de causis, ut amoveantur à vobis omnia, quæ impugnare possent ecclesiæ nostræ traditionem, & turbare vestram in sanctas hasce reliquias devotionem, prohibemus vobis, ne legatis aut servetis libellos, quorum hic est titulus, UMBRA D. THIERS &c., ANIMADVERSIONES CRITICÆ IN APOLOGIAM TRANSLATIONIS &c.; qui prodierunt sine approbatione & privilegio, sine nomine auctoris & bibliopolæ, licèt agant de materiis, quæ spectant ad religionem; quod decretis conciliorum & regni statutis est contrarium. Et postquam illos maturè examinavimus, sententiam doctorum hac de re audivimus, & sanctum Dei nomen invocavimus, eosdem condemnamus, ut continentes facta falsa & calumniosa, ut injuriosos memoriæ antecessorum nostrorum & clero ecclesiæ nostræ, tendentes ad dubitationem ingerendam de omnibus reliquiis, quæ ibi exponuntur venerationi fidelium, & ad diminuendum cultum iis debitum.

F

& hortatur illorum auctorem, ut respiscat.

69 Exhortamur simul horum libellorum auctorem, ut impleat, quod promisit in Umbra sua, se, si inveniremus in theca cum ossibus litteras authenticas, quarum visum erat exemplar, arma depositurum, venturumque, ut ossa ipse nobiscum veneraretur. Obtestamur ipsum, ut meminerit, si antiquus quispiam dixerit turpe esse sententiâ decedere, respondisse ei S. Augustinum, id verum non esse, nisi quisquam tam felix sit, ut bene sentiat, & non habeat nisi sensa recta, pia & orthodoxa; at nihil esse magis salutare magisque glorioſum, quàm mutare sententiam, dum quis infeliciter errorem propugnavit & mendacium: " Turpe est mutare sententiam, „ sed veram & rectam: nam & stultam & no„ xiam (mutare) & laudabile & salubre est „. Speramus ipsum, uti non ignorat prærogativam esse

A esſe ſacrorum auctorum, quorum expreſſiones dictantur aut diriguntur à Spiritu ſancto, quòd nullam in Operibus ſuis patiantur mutationem, non voliturum ſua ad eumdem referre ordinem, & condemnaturum cum S. Auguſtino inſenſatam ſuperbiam iſtius philoſophi, qui ſibi blandiebatur, nihil umquam à ſe dictum, quod ſibi ſenſerit revocandum: " Nullum umquam verbum, quod „ revocare vellet, emiſit „. Deinde ipſi aſſeveramus, etiamſi S. Hieronymus admittat, amori irritato jus eſſe iraſcendi: " Debet amor læſus „ iraſci „: quidcumque potuerit facere ad irritandum noſtrum, charitatem noſtram ſemper fore tranquillam, nec defituram erga ipſum eſſe, veram & ſinceram charitatem: " Recedere ab „ amore etiam charitas læſa neſcit „, ut ait S. Gregorius.

Feſtum tranſlationis reſtituit x Januarii: Miſſam & ſupplicationem indìcit

70 Præcipimus, ut Officium tranſlationis S. Firmini confeſſoris celebretur impoſterum in tota diœceſi, ſicut olim celebratum eſt, die x Januarii, ſecundum ritum, quem præſcribemus in litteris brevibus anni ſequentis. Præterea, ad reparandum honorem, quem huic Sancto eripere tentarunt, ad gratias Deo agendas de gloria, B quam poſſidet, & de inſignibus beneficiis ejus interceſſione obtentis, ſecundum conſilium venerabilium fratrum noſtrorum, decani, canonicorum & capituli eccleſiæ noſtræ decrevimus curare cantandam die Dominico proximo, xx hujus menſis, Miſſam ſolemnem pro gratiarum actione, in qua ritu pontificali ſacrificabimus, & inſtituere finitis Veſperis generalem ſupplicationem, cui intererit clerus ſecularis & regularis, ad quam etiam invitabuntur hujus civitatis corpora, & in qua hujus Sancti theca portabitur more conſueto.

in gratiarum actionem, cui ut piè interſint

71 Hortamur vos toto animo, chariſſimi fratres, ut illic adſitis, non ſicut illi, quibus exprobrabat S. Auguſtinus, quòd accederent ad eccleſiam quaſi ad ſpectaculum, in quo minus eſt religionis, quam curioſitatis, ubi plus eſt diſtractionis & immodeſtiæ, quàm attentionis & devotionis: " Prope theatrica conſuetudine ma„ gis ad ſpectaculum .. quàm ad inſtructionem „: C verùm tam ſanctè religioſéque diſpoſiti, ut cum S. Ambroſio verè dicere poſſitis, vos ſolùm venire ad hoc auguſtum ſanctuarium, in quo pretioſæ hæ ſervantur reliquiæ, quæ, quantumcumque infirmæ appareant, terrori ſunt dæmonibus, & fidelibus veneration: ut in hiſce reliquiis memoriam honoretis ſancti Epiſcopi, quæ æterna erit in benedictione propter virtutes, quibus anima ipſius erat ditata: " Honoro hominis memo„ riam perennitate virtutis „: ut honoretis iſtos cineres, qui conſecrati fuerunt baptiſmatis & ſacerdotii unctione, & magis adhuc confeſſione fidei: " Honoro per Chriſti confeſſionem ſacratos „ cineres „: ut honoretis in hiſce cineribus, quibus tempus & corruptio pepercerunt, ſemina beatæ illius æternitatis, quâ omni temporis diuturnitate erunt ſuperiores: " Honoro in cine„ ribus ſemina æternitatis „; ut honoretis corpus illud, quod prædicationibus exempliſque ſuis Deum amare nos docuit, quod venerabile etiamnum poſt mortem, nos docet non timere mortem pro Magiſtro tam bono: " Honoro corpus, „ quod Dominum meum oſtendit diligere, quod „ me propter Dominum mortem docuit non ti„ mere „; demum ut honoretis glorioſa pignora illius corporis, quod Deum laboribus ſuis honoravit, & quod æternâ gloriâ à Deo honorabitur in cælo: " Honoro corpus quod Chriſtum „ honoravit in ſeculo, quod cum Chriſto regna„ bit in cælo „.

AUCTORE J. S.

omnes hortatur.

72 Verùm oportet nos meminiſſe, quandoquidem rerum terrenarum contemptu meritus eſt E inſignem hanc gloriam, quam poſſidet in cælo, omneſque honores, quos ei exhibemus in terra, ſi eodem modo non eſſemus diſpoſiti, haud dubiè nobis interno alloquio dicturum, quod dicebat S. Auguſtinus ad populum ſuum in Sermone tertio de S. Cypriano: Quomodo fieri poteſt, ut terrena tanti faciatis, tantumque inhietis voluptatibus, honoribus, rebuſque mundanis, dum laudatis, dum admiramini, dum veneramini illos, qui eadem contempſerunt? " Quare vos „ invenio earum rerum amatores, quarum ve„ neramini contemptores? „

Hoc præſens edictum noſtrum legetur & publicabitur in expoſitionibus fidei conſuetis parœciarum, & à prædicatoribus, atque affigetur, ubicumque erit neceſſarium. Datum Ambiani in palatio noſtro epiſcopali XII Januarii, anno MDCCXV.

PETRUS epiſcopus Ambianenſis
De mandato illuſtriſſimi ac reverendiſſimi domini epiſcopi Ambianenſis.
LA PIERRE.

Hæc omnia recitare volui, ut veritas clarius pateat, & unuſquiſque intelligere poſſit, controverſiam demum finitam fuiſſe, aut certè eo uſque deductam, ut prudens quiſlibet finitam credere debuerit. Si qui deinde adhuc reclamaverint, pertinaciam illi ſuam oſtenderunt, ſed neceſſitatem nobis non injecerunt ea ulteriùs demonſtrandi, quæ patuerunt luce clariùs. F

DE

A D

DE SS. VINCENTIO EP. ET LÆTO PRESB. MARTYRIBUS

AQUIS TARBELLICIS IN NOVEMPOPULANIA,

J. S.

COMMENTARIUS CRITICUS.

§ I. Cultus Sanctorum in Hiſpania & Novempopulania : locus martyrii.

SECULO III, IV AUT V. *Vincentius & Lætus culti in Hiſpania;* B

Martyrologium Romanum ad Kalendas Septembris annuntiat hoſce Martyres in Hiſpania ſine ulteriori aſſignatione loci hoc modo : In Hiſpania ſanctorum martyrum Vincentii & Læti. *Baronius in annotatis hæc ſolùm adjungit verba :* Agitur de iiſdem hac die in Breviario Toletano ; *indicans, unde illos Romanis Faſtis inſeruerit. Verba Breviarii Toletani ſeu Mozarabici hæc ſunt :* In feſto ſanctorum Vincentii & Leti martyrum omnia dicuntur plurimorum martyrum. *Miſſa de iiſdem Martyribus habetur in Miſſali Toletano ſecundum ritum Romanum impreſſo anno 1550, in eaque prima oratio hæc legitur :* Omnipotens ſempiterne Deus, qui per glorioſa bella certaminis ad immortales triumphos martyres tuos Vincentium & Lætum extuliſti ; da cordibus noſtris dignam pro eorum veneratione lætitiam ; ut quorum ſolemnia pio amore amplectimur, eorum precibus adjuvemur. Per Dominum *&c. Nicolaus Antonius in ſcriptis poſthumis aliam notitiam de cultu horum Sanctorum in Hiſpania adjungit hiſce verbis :* Cœnobium S. Martini de Ferran indigetatum in Caſtellæ regno, ſub patrocinio erectum fuit ſanctorum Martini, Juliani & Baſiliſſæ, Vincentii & Læti, Juſtæ & Rufinæ, uti in erectionis inſtrumento legi, auctor eſt Prudentius de Sandoval in libro Fundationum aliquot monaſteriorum ſui Benedictini Ordinis in Hiſpania, in fundatione monaſterii S. Æmiliani § 24 fol. 42. *Certum igitur eſt* Vincentium *&* Lætum *à multis ſeculis coli in Hiſpania. Verum an ex eorum hac veneratione rectè colligi poſſit Hiſpanos eſſe, aut in Hiſpaniâ paſſos, infrà examinabimus.*

C

Item Aquis Tarbellicis in Novempopulania;

2 *Andreas Sauſſayus in Supplemento Martyrologii Gallicani ad* XIX *Aprilis annuntiat* S. Vincentium, *quem Kalendis Septembris coli videbimus cum* Læto *ſocio ; ideoque non alium eſſe à precedenti, aliis etiam rationibus ſuadebimus. Verba illius interim accipe :* Aquæ Auguſtæ ſeu Tarbellæ in Novempopulania natalis ſancti Vincentii Aquenſium apoſtoli, hoc eſt, primi ſacerdotis, & martyris, qui origine Santonenſis, divino lumine illuſtratus, totum hunc tractum ad Chriſti cultum convertit, prædicationemque divinæ imitationis actibus confirmatam, fuſo demum pro aſſertione euangelicæ veritatis pretioſo ſanguine obſignavit. In cujus teſtimonii acervum erecta eſt deinde à fidelibus eccleſia, ubi in hunc uſque diem omni cum reverentia quieſcit, coliturque non modò ut ipſius ſuæ baſilicæ tutelaris, at etiam ut patronus univerſæ diœceſis, & auctor pontificalis cathedræ, cui primus inſedit, eamque præcipuè exornavit ; primæque illic eccleſiæ, quam in crypta initiavit in honorem ſanctiſſimæ Deiparæ, conſecrator. *Brevius eumdem Sanctum cum* Læto *annuntiat Martyrologium Pariſienſe hiſce verbis :* Aquis Tarbellicis in provincia Auxitana, ſancti Vincentii, qui ibidem ut primus epiſcopus & martyr colitur cum beato Læto, ejus in euangelica prædicatione ſocio. *Hæc Kalendis Septembris ; ad quem diem & Caſtellanus in Martyrologio univerſali ſic habet :* In Hiſpania S. Vincentius & S. Lætus martyres : *& ad marginem priora corrigens :* Aut potiùs, in Novempopulania, eſt enim S. Vincentius Aquenſis.

E

qui locus elucidatur.

3 *Dionyſius Sammarthanus tom. 1 Galliæ Chriſtianæ epiſcopos Aquenſes, ſeu Aquarum Tarbellicarum, ſub metropoli Auſcienſi conſtitutos recenſet, ac varia præmittit pag. 1035 de civitate ipſa, ex quibus aliqua huc transfero ad elucidationem loci :* Civitas Aquarum Tarbellicarum, Aquenſium dicta in Notitia provinciarum, Aquæ Auguſtæ vocatur à Ptolemæo ; quod nomen à Romanis inditum nemo negaturus eſt. Aquas Tarbellicas nuncupavit auctor Itinerarii Antonino adſcripti ; Auſonius Aquas Tarbellas ; Vibius Sequeſter de fluminibus Tarbellas ; Aquis legitur in Tabula Peutingeri. Nomen verò accepit hæc urbs ab aquis ſalubribus, quæ hoc in loco ſcaturiebant. *Hæc de variis urbis nominibus, quæ hodie etiam varia ſunt apud Gallos : nam communiùs* Dax *ſcribitur, aliàs* d'Acs *aut* Acqs. *Vetuſtatem & celebritatem illius antiquam, uti & ſtatum hodiernum exponit laudatus ſcriptor. Sita eſt civitas Aquenſis ad Aturum * flumen, diſtatque Baionâ decem ferè milliaribus Gallicis, ac quinque ab oceano Aquitanico.*

F

* Adour

Vincentius primus epiſcopus Aquenſium & martyr cum Læto, variis ibidem honoratus eccleſiis :

4 *Primum hujuſce civitatis epiſcopum* S. Vincentium *laudatus Sammarthanus col. 1037 celebrat in hunc modum :* Vincentius martyr creditur fuiſſe primus hujus urbis antiſtes, cujus ædes ſacra viſitur in ſuburbio, magno ſuperioribus ſeculis religionis cultu frequentata : is in proprio officio Sanctorum eccleſiæ Aquenſis dicitur cum Læto ſocio Chriſti fidem Aquenſibus prædicaſſe, quam & glorioſo agone confirmaverit. In monaſterio, ejus poſtea nomine appellato S. Vincentius de Aquis, ſepultus eſt. Ejus meminit vetus hagiologium ſancti Severi Vaſconiæ, his verbis : Kal. Sept. Aquis civitate ſancti Vincentii martyris cum ſociis ſuis. Ejus nomini per totam Aquitaniam dicatæ ſunt baſilicæ, &

A & memoria recolitur die 1 Septembris : qua autem ætate vixerit, silent ecclesiasticæ tabulæ. Post ipsum verò desiderantur plurimi episcopi ; cujus rei incusamus temporum injuriam, bellorum his in locis frequentium casus, persecutiones sub imperatoribus, potissimùm verò in ecclesiasticas res paganorum & barbarorum sævitiam, à quibus basilica sancti Vincentii devastata, res sacræ direptæ, vasculum, in quo pars cinerum S. Vincentii servabatur, in fluvium Atyrim projectum. Tandem seculo v desinente, vel incunte VI, electus est episcopus qui sequitur.

gesta & ætas incerta,

5 *De gestis* SS. Vincentii & Læti *nihil præterea ad nos pervenit, ac ne seculum quidem innotuit, quo hi Sancti floruerunt. Hinc nihil obstare existimo, quo minùs in vitis esse potuerint seculo* III, IV, *atque etiam quinto. Nec satis video, cur necessariò multi episcopi desiderentur post* S. Vincentium, *qui sedere potuit paucis annis ante Gratianum, de quo Sammarthanus hæc subjungit :* Gratianus interfuit concilio Agathensi anno DVI. Breviarium antiquum Aquense notat, redditâ tandem pace Ecclesiæ, Gratianum, pulsis infidelibus, B aut ad fidem conversis, totum se convertisse ad instaurandam B. Vincentii ædem, superstitionibus paganorum fœdatam, quam reconciliavit, & omnibus ad Dei cultum & religionem pertinentibus instruxit. *Si jam initio seculi sexti exstabat ædes* S. Vincentio *sacra, diuque jam exstiterat, ut insinuant verba relata, antiquissimus sane est hujus Sancti cultus. At malim credere agi de ecclesia per ipsum erecta, quæ postea ejus nomini sit dicata. Porrò citata verba vehementem mihi suspicionem ingerunt,* Vincentium *martyrio coronatum esse cum* Læto *seculo quinto, eique successisse dictum Gratianum, dum cessabat persecutio, in quâ illi fuerant coronati. Certè non alia persecutio finiri potuit tempore Gratiani, quàm persecutio Wisigothorum, qui Novempopulaniam eo tempore possidebant. Fuerat hæc gravis admodùm & diuturna sub Evarico circa annum* 470 *& deinceps. Audi Sidonium lib. 7 epist. 6 ad Basilium, ubi de Evarico ejusque persecutione multa conqueritur.* Sed quod fatendum est, *inquit*, præfatum regem Gothorum, quamquam sit ob virium merita terribilis, non tam Romanis mœnibus quàm legibus Christianis insidiaturum pavesco. Tantùm, ut ferunt, ori, tantùm pectori suo Catholici mentio nominis acat, ut ambigas ampliùsne suæ genti, an suæ sectæ teneat principatum. Ad hoc, armis potens, acer animis, alacer annis, hunc solum patitur errorem, quòd putat sibi tractatuum consiliorumque successum tribui pro religione legitima, quem potiùs assequitur pro felicitate terrena.

C

at satis verisimile apparet, floruisse seculo 5,

6 Propter quod discite citò Catholici statûs valetudinem occultam, ut apertam adhibere festinetis medicinam. Burdegala, Petrocorii, Rutheni, Lemovices, Gabalitani, Elusani, Vasates, Convenæ, Auscenses, multoque jam maior numerus civitatum, summis sacerdotibus ipsorum morte truncatis, nec ullis deinceps episcopis in defunctorum officia suffectis, (per quos utique minorum ordinum ministeria subrogabantur) latum spiritualis ruinæ limitem traxit. ... Nulla in desolatis cura diœcesibus parochiisque. Videas in ecclesiis aut putres culminum lapsus, aut valvarum cardinibus avulsis, basilicarum aditus hispidorum veprium fruticibus obstructos. Ipsa proh dolor ! videas armenta non modò semipatentibus jacere vestibulis, sed etiam herbosa viridantium altarium latera depasci. Sed jam nec per rusticas solùm solitudo parochias ; ipsa etiam urbanarum ecclesiarum conventicula rarescunt. *Consonat hisce S. Gregorius Turonensis Historiæ Francorum lib. 2 cap. 25 sic scribens :* Hujus tempore & Evarix rex Gothorum, excedens Hispanum limitem, gravem in Galliis super Christianos intulit persecutionem. Truncabat passim perversitati suæ non consentientes, clericos carceribus subigebat ; sacerdotes verò alios dabat exsilio, alios gladio trucidabat. Nam & ipsos sacrorum templorum aditus spinis jusserat obserari, scilicet ut raritas ingrediendi oblivionem faceret fidei. Maximè tunc Novempopulanæ, geminæque Germaniæ * urbes ab hac tempestate depopulatæ sunt. *Hinc mihi incredibile non videtur, eodem tempore morte sublatum* S. Vincentium *cum* S. Læto *socio, cum Gratianus successor dicatur* totum se convertisse ad instaurandam ædem *sacram. Attamen, ut monui, res est incerta.*

AUCTORE J. S.

* *forsan* Aquitaniæ, *nam hæc intelligenda*

E

nec videtur Vincentius noster interfuisse concilio Valentino anno 374 :

7 *Tillemontius tom.* 8 *Monumentorum in S. Justo Lugdunensi agens de concilio Valentino anni* 374 *inquirit Vincentium episcopum, qui sine urbis nomine dicto concilio interfuisse legitur, eaque occasione de nostro Aquensi hæc Gallicè disserit :* Colitur Aquis Tarbellicis in Novempopulania quidam sanctus Vincentius, ut primus episcopus, apostolus, & patronus urbis ac diœcesis. Ætas ejus ignoratur ; at martyrem esse affirmant : spectat igitur ad tempus persecutionum, nisi dicere malimus occisum esse in quodam paganorum tumultu, aut in depræda-tionibus, quibus barbari vastaverunt Gallias anno CDVII & deinceps. *Hæc suadent,* Vincentium *illum, qui concilio Valentino interfuit, verisimiliùs ab Aquensi distinctum esse, cùm circa finem seculi* IV *non videantur tantæ fuisse persecutiones in Galliis, ut in iis* Vincentius *cum* Læto *martyrio coronatus credi debeat ex sola conjectura. Verum nec martyrium illorum evincit, passos fuisse sub imperatoribus gentilibus. Hâc de causa cogor ætatem horum Sanctorum incertam relinquere ; licèt aliàs mihi appareat verisimilius, Sanctos sub Wisigothis floruisse ob rationes ante dictas.*

F

festivitas Vincentii ex ejus revelatione instituta.

8 *Quæ de Illidio Aquensi episcopo, quem collocat certum, memorat Sammarthanus, ostendunt antiquam admodum esse festivitatem* S. Vincentii. *Nam hæc ejus sunt verba :* Illidius episcopus Aquensis in Novempopulania, si fides Breviario, eximia sanctitate commendatur. Eo sedente, Maxima Aquensis virgo per revelationem B. Vincentio edocta est genus & locum ejus martyrii, & ipsum agonis diem eò usque incognitum : unde Illidius sancivit festum S. Vincentii Cal. Sept. celebrandum in posterum per totam diœcesim, ex eodem Breviario. *Ex instituta tunc festivitate non sequitur, nullam antea Sancto delatam fuisse venerationem ; sed eam non fuisse certæ diei alligatam. Sic S. Germano Autissiodorensi revelata est dies, quâ celebrari debebat festivitas S. Juliani martyris Brivatensis, uti relatum est tom.* VI *Augusti pag.* 172 *&* 183. *Attamen venerabatur populus S. Julianum, atque idem factum existimo de* S. Vincentio.

* * *
* * *
* *
*

AUCTORE J. S.

§ II. An alii ab Aquenſibus Vincentius & Lætus, quos venerantur Hiſpani?

Multa de SS. Vincentio & Læto conficta, per quoſdam fabulatores Hiſpanos,

JOannes Tamayus Salazar *in Martyrologio Hiſpano ad Kalendas Septembris, Sanctos* Vincentium & Lætum *ſic annuntiat:* Libiſoſæ in Arevacis Hiſpaniæ natalis SS. Vincentii & Læti fratrum adelphorum, qui ex urbe Toleto oriundi propter fidei conſtantiam, & idolorum deſpicientiam, variis afflicti cruciatibus ad præmia martyres evolarunt. *Hiſce in annotatis ſubjungit Acta fictitia, in quibus* Vincentius & Lætus, *quos gemellos affirmat, dicuntur habuiſſe* patrem Turibium ex urbe Toletana in Carpetanis oriundum, & Luciam Severam matrem ex Aquenſi ſive Elborenſi civitate progenitam. *Martyrium verò paſſos dicit ſub Decio, illudque variis tormentis ac prodigiis exornat. Adjungit Actis epitaphium metricum, tamquam ab Aulo Halo compoſitum; & Hymnum nomine* domini Cixilani pontificis Toletani, *quem è tenebris ſe eruiſſe aſſerit. Verùm nulla me tenet dubitatio, quin Acta, Epitaphium, Hymnus, omniaque ex Dextro, Juliano, aliiſque fictitiis monumentis, quibus priora firmare nititur, æquè ſint commentitia; imò ne refutatione quidem digna.*

quæ rectè explodit Nicolaus Antonius.

10 *Nicolaus Antonius in ſcriptis poſthumis, quæ jam ſæpiùs in hoc Opere laudata ſunt, in* Vincentio & Læto *adduxit omnia pſeudo-Dextri & Juliani de his commenta, eademque cum additis à Tamayo fusè refutavit. Non tanti nobis ſunt monumenta illa ſuppoſititia, ut omnia ejus argumenta recitare velim; ſufficiet ejus de monumentis ipſis mentem audire, quam candidè his verbis exponit:* Tot ac tantis in ſpeciem hoſtibus, fidei ac vetuſtatis arma quatientibus, pectus nudum, ſed adamantinum & imperforabile opponit fortiſſima eorum omnium, quæ ſub cælo ſunt, veritas. Nihil enim ſolidi, nihil præter conſueta & falſitatis toties accuſata, toties convicta nomina inſtrumentaque proferuntur, quæ adeo ex ſe imbecillia, & præjudicatæ infamiæ, qua fronte ad dicendum pro ſe invicem teſtimonium admittemus? *Hiſce præmiſſis refutat ſingula, atque inter ea aſſignatum à fabulatoribus martyrii locum Libiſoſam (hodie vulgo* Lezuza;*) oſtenditque locum martyrii prorſus eſſe incertum, aliaque omnia, quæ de parentibus, geſtiſque Sanctorum dicuntur, fictitia eſſe. Quapropter omnia illa miſſa facio, & ſolùm inquiram, an credi poſſit ac debeat, Sanctos noſtros in Hiſpania paſſos, aut alios ſynonymos ibidem coli Martyres.*

Ratio, cur Sancti adſcripti ſint Hiſpaniæ;

11 *Laudatus ſcriptor Hiſpanus explicat, qua de cauſa* Vincentius & Lætus *credantur Hiſpani, atque Hiſpaniæ attributi ſint à Baronio; & licet ipſe non neget Hiſpanos eſſe, ea tamen ſubminiſtrat argumenta, quæ cum aliis ſufficientes nobis præbebunt rationes eoſdem Hiſpaniæ probabiliùs abjudicandi:* Hoc certè martyrum par, *inquit,* Vincentium nempe & Lætum, Hiſpaniæ cives ea ſolùm ratione ducti exiſtimamus, quòd nulla de his in communibus Martyrologiis mentio habeatur; Iſidoriano autem Gothorum eccleſiaſtico Officio unicam eorum notitiam feramus acceptam. *Si ea ſola ſit ratio, cur Hiſpania attribuendi videantur* Vincentius & Lætus, *quòd in antiquis aliarum gentium Martyrologiis non reperiatur eorum memoria, uti credidit Nicolaus Antonius; eoſdem Hiſpaniæ non adſcripſiſſet, ſi ſciviſſet ſanctos hoſce Martyres antiquo admodùm gaudere cultu in diœceſi Aquenſi, ibidemque memorari in vetuſto Hagiologio: nam eum non ſumere argumentum ex Officio Iſidoriano, ſequentia docent.*

habetur quidem eorum commemoratio in Iſidoriano rituali,

12 Formaverat rituales Hiſpaniæ hos libros olim Iſidorus Hiſpalenſis antiſtes, uti fama eſt: ſed non omnia, quæ nunc in iis leguntur, Iſidorianæ manûs ſunt. Nempe opus & æquum fuit, à poſterioribus locupletari memoriâ ſupervenientium, quotidieque in album eccleſiaſticum ingredientium Sanctorum vulgares Liturgias; ne recentiorum ſanctitatem, quos neutiquam celebrare potuit antiquior Iſidorus, præjudicio dumtaxat temporis damnaſſe videremur. Et exſtant quidem in duobus libris, quibus Gothicus hic ritus conſtat, nempe Miſſali & Breviario, plures Iſidoro juniores, ut nulli non debeat eſſe certum, quin poſt priorem artificii operam, ſequiores Hiſpaniæ hujus noſtræ eccleſiæ adminiſtratores nonnulla his ſupplendis adjunxerint. Planè in editione unica horum librorum, quæ auſpiciis juſſuque Franciſci Ximenii Toletani præſulis clariſſimi, induſtriâ verò Ildefonſi Ortizii ejuſdem eccleſiæ canonici facta fuit anno MDIII, pars Sanctorum eo Opere comprehenſorum vel Miſſam, vel Officium, ... vel utrumque, pars autem ſimplicem natali die commemorationem ſortita eſt. Hujus poſtremi ordinis ſunt noſtri Martyres, qui primo die Septembris hac tantùm notâ ibi cenſentur. " Sanctorum Vincentii & Læ„ti. Omnia dicantur plurimorum Martyrum „. Quare non ad hoc Gothici ævi, ſed ad recentioris aliquod Miſſale & Breviarium Toletanæ eccleſiæ pertinet oratio illa de his Martyribus, quam Alphonſus Requena, eorum res geſtas commemorans, Breviario & Miſſali antiquo Toletano acceptam refert... Carent enim Miſſâ & proprio Officio, ut alii plures, cùm exteri tum Hiſpani, ita ut fruſtra ſit ex hac nudæ aut plenioris commemorationis differentia pro Hiſpana civitate eorum, qui laudantur, aut contra eam, certioris quidquam argumenti deducere. ...

indeque Baronius eos Hiſpaniæ attribuit;

13 Nec item ex eo argumentabimur, noſtros eſſe cives Vincentium & Lætum, quòd his in libris locum repererint, niſi præſtare ſimul, validiſque rationibus perſuadere valeamus, Julianum & Baſiliſſam VII Januarii, Julianum martyrem XX (qui in Romano eſt VIII) ejuſdem, Agatham V, Dorotheam VII Februarii (*hiſce alios multos jungit hîc brevitatis causâ omiſſos*) qui omnes Officio vel ſaltem hymno proprio celebrantur, domo aut natali die Hiſpanos eſſe. Argumentabimur quidem haud temere Hiſpanos eſſe ex eo, quòd hîc tantùm, non aliàs, hoc eſt, in noſtris, non in veteribus Eccleſiæ univerſalis Romanæ libris, ad poſterorum memoriam duraverint. Quo uno motus Cardinalis Baronius in novè à ſe emendatum & auctum Martyrologium eos admiſit, digitos nempe ad ritum hunc Gothicum, non ad alium aliquem veterem librum in notis intendens, ſic ait: " In Hiſpania ſanctorum „ martyrum Vincentii & Læti „. Quod ex Iſidoriano ſe Breviario hauſiſſe monet. Ceteris, quibus hoc libro, utpote rariſſimo, uti non licuit, ignoti prorſus ſunt Vincentius & Lætus. *Ita vir ille candidus & ſincerus, ac rectè quidem argumentatur pro notitia, quam habebat de hiſce Sanctis,*

A *ctis, ſententiam veroſimiliter mutaturus, ſi noviſſet antiquam eorum venerationem apud Aquenſes.*

14 *Quippe omnia perſuadent eoſdem Sanctos eſſe, qui in Hiſpania coluntur & in Novempopulania. Primò eadem amborum nomina, eadem feſtivitatis dies, tam vehementem ingerunt ſuſpicionem, ut vix ullum relinquant dubium, quin iidem colantur in Hiſpania & Novempopulania: nam ſine gravi fundamento dici non debet duos fuiſſe uno die* Vincentios *martyres, qui ambo* Lætum *habuere ſocium, præſertim cum* Lætus *nomen ſit parùm uſitatum. Id tanto minùs eſt veriſimile ex eo, quòd Novempopulania diu fuerit ſub regibus Gothis, quibus parebat Hiſpania, quódque altera alteri ſit finitima. Sic enim cultus ab una provincia facilè propagari potuit ad aliam, vel per tranſlationem aliquot reliquiarum, vel propter eamdem dominationem. Accedit celebritas cultûs apud Aquenſes, ubi* S. Vincentius *tamquam patronus celebratur cum ſocio* Læto; *contrà nihil de hodierno cultu in Martyrologio ſuo dicit Tamayus, & in Kalendario* B *Miſſalis Toletani anni* 1650, *tantùm commemoratio cum nona lectione præſcribitur de* Vincentio & Læto *cum feſtivitate S. Ægidii abbatis, quæ eſt præcipua. Non video itaque,* SS. Vincentium & Lætum *nullibi hoc tempore in Hiſpania tamquam patronos celebrari. Hinc mihi prorſus perſuadeo,* Vincentium & Lætum *Aquenſibus ſolis deberi, eorumque venerationem ad Hiſpanos olim propagatam, ſicuti cultus S. Ægidii abbatis in Occitania defuncti, aliorumque multorum ad eoſdem extenſus fuit. Cauſam, cur eos Hiſpaniæ attribuerit Baronius, jam vidimus, ita ut ejus auctoritas opinioni noſtræ obeſſe nequeat.*

at omnia perſuadent Aquenſes eſſe, qui coluntur in Hiſpania;

15 *Ipſi Hiſpani, qui fictitiis Actis* SS. Vincentium & Lætum *exornare conati ſunt, aliud agendo inſinuant, ſe loqui de Aquenſibus. Primò enim matrem Sanctis attribuunt Aquenſem, non quidem Aquis Tarbellicis oriundam, ſed* Aquenſi, *inquit Tamayus pag.* 15, ſive Elborenſi civitate, *quam pag.* 17 *aſſignat* prope Toletum in Carpetanis. *Sic S. Verenam, quæ colitur* in territorio Conſtantienſi Helvetiæ ad Aquas Duras, *uti hoc die in ejus Actis diximus, in Hiſpaniam pertrahere niſus eſt Tamayus, ubi mira facilitate mox invenit* Conſtantiam *Juliam, atque* Aquas Duras *in ejus territorio. Secundò idem fabulator legit, quod de revelatione* S. Vincentii *dictum eſt num.* 8, *ubi Maxima virgo Aquenſis dicitur ex ipſo didiciſſe genus, locum, & diem martyrii: nam & ipſe Maximam virginem inducit, cui apparuerit* S. Vincentius. *Tertiò, ſicuti Gratianus Aquenſis epiſcopus eccleſiam* S. Vincentii *inſtauravit, ut dictum eſt num.* 5; *ſic ille adducit Gratianum Carthaginis Spartariæ epiſcopum; qui eccleſiam Sancto dicarit, ejuſque ibidem collocaverit ſacra pignora. Noverat igitur aliqua Tamayus cum ſuis gregalibus de Aquenſibus Sanctis, eoſque eò fidentiùs Hiſpaniæ adſcribere contendit, quòd id jam ante ipſum feciſſet Baronius. Plura de hiſce Sanctis ad notitiam noſtram non pervenerunt.*

ipſique fabulatores Hiſpani aliqua memorant, quæ ad Aquenſes ſpectant.

AUCTORE J. S.

E

DE S. MARTHA VEL MATHANA,

MATRE S. SYMEONIS STYLITÆ SENIORIS,

IN TRACTU SYRIÆ ANTIOCHENO.

J. P.

ANNO CIRCITER CDXXVIII. *Sancta hæc, quæ apud Græcos colitur, eſt mater*

C

Enæa magna Græcorum excuſa agunt hac die de S. Symeone Stylita, cui deinde ſubdunt hanc annuntiationem: Eodem die S. Marthæ matris S. Symeonis, *& ſequentibus eam honorant verſiculis, quos è Græco Latinè reddam:*

Ἐν γῇ ξενίζει Μάρθα τὸν Χριστὸν πάλαι,
Σὲ δὲ ξενίζει, Μάρθα, Χριστὸς ἐν πόλῳ.

Chriſtum ſuâ olim Martha ſuſcepit domo:
Te verò Chriſtus, Martha, ſuſcepit polo.

Clara eſt alluſio in nomine Marthæ *hodiernæ, ac ſynonyma Mariæ ſorore & Chriſti hoſpita, de qua ſcripſimus die* XXIX *Julii. Menologium Græcorum, à Cardinale Sirleto Latinè verſum, illam ſic refert:* Eodem die (1 *Septembris*) commemoratio ſanctæ Marthæ matris beati Simeonis Stylitæ. *Hæc verò cujuſnam Symeonis Stylitæ mater fuit? Ad diem* V *Januarii pag.* 261 *tres ſynonymos exhibuimus è Faſtis eccleſiaſticis: ſeniorem videlicet, primumque ejuſmodi vitæ inſtituti parentem, à Græcis cultum die* 1 *Septembris; à Latinis autem* V *Januarii. Alter ibidem à nobis nominatur Symeon Stylita* in Monte mirabili, *quem Martyrologium Romanum refert die* III *Septembris, appoſito cognomento* junioris, *quique apud Græcos colitur* XXIV *Maii, quo Acta ejus, uti & Marthæ matris ipſius apud nos illuſtrata ſunt. Tertius denique ab eiſdem Græcis celebratur die* XXVI *Julii ſub nomine* presbyteri F & archimandritæ, *de quo plura diximus ad eumdem diem. Ad quæſtionem itaque modò propoſitam, cujuſnam Symeonis mater fuerit Sancta, quæ ſub nomine* Marthæ *hodierna die annuntiatur in dictis Menæis ac Menologio, reſpondeo, indicari matrem S. Symeonis Stylitæ ſenioris.*

S. Symeonis Stylitæ ſenioris: ejuſdem Sanctæ nomen,

2 *Cùm enim de iſto Sancto tractent Græci hac die* 1 *Septembris, & prædicta Menæa cum Menologio poſt breve ipſius elogium ſtatim ponant annuntiationem* S. Marthæ matris S. Symeonis, *non videtur mihi dubium, quin referenda ſit illa ad eumdem Symeonem Stylitam, qui proximè præceſſerat, ſeniorem videlicet. An autem verè* Martha *ſit dicta; an nomen iſtius, quæ Symeonis junioris exſtitit mater, & cujus Vitam cum Vita filii illuſtravimus* XXIV *Maii, aptatum fuerit* Marthæ *hodiernæ, cujus nomen æquè ac dies mortis fortè latuerit poſteros, non definio. Die* V *Januarii apud nos in S. Symeonis Stylitæ Vita prima,* auctore, *ut præfert titulus,* Antonio ejus diſcipulo, *pag.* 264, *mentio ſit* patris *iſtius Sancti: ibidem etiam occurrunt* parentes; *ſed utrobique ſine nomine proprio. Quin immò voluit hic Sanctus occultare nomen parentum: nam*

AUCTORE J. P.

interrogatus ab archimandrita, Atqui parentes . . , *inquit*, quærere noli, domine, *ſicut licet videre loco jam citato : ubi denuo mox comparent anonymi. Mater quoque ſine nomine proprio ibidem occurrit pag.* 266. *Vita ejuſdem S. Symeonis, quæ ſecundo loco à nobis datur, pag.* 269 *patrem vocat* Heſychium, *matrem verò* Mathanam : *quæ nomina an vera ſint, & unde hauſta, non habeo compertum. At de cultu ejus nonnulla ſuperaddo.*

ac confirmatio cultus publici.

3 *Menologium Slavo-Ruſſicum Sparwenfeldianum* Martham *appellat cum Menæis hac die, & de ea poſt filium ipſius ita meminit :* Sancti patris noſtri Simeonis Stolpnici (*id eſt* Stylitæ) & matris ejus Marthæ. *Quibus ſubduntur ibidem ſequentia :* In utriuſque memoriam feria & permiſſio utendi vino combuſto & oleo : *hæc verò permiſſio, quam & alibi in dicto Menologio notatam lego, ſignificat majorem quamdam ſolennitatem Sanctorum, in quorum memoriam hæc aut ſimilia privilegia ibidem conceduntur, quàm aliorum, quibus nulla apponuntur. Synaxarium Ruthenorum peculiare diœceſis Kiovienſis, quod Ms. habemus, interprete R. P. Georgio David, miſſionario Societatis Jeſu, anno* 1688 *Moſcuæ reſidente, hodierna die refert iſta in rem noſtram :* Memoria ven. P. N. & conf. Symeonis Stylitæ, primi archimandritæ Antiocheni, & matris ejus Marthæ.

Martha videndi filii cupida petit mandram ejus,

4 *De S. Symeonis præſertim matre hæc refert Vita ejuſdem Sancti ſuperiùs citata pag.* 264 : At parentes ejus duos annos non deſiterunt eum deflere & perquirere, *poſtquam videlicet clam parentibus ad vitam monaſticam confugerat. Sed poſt annos tandem viginti ſeptem diſceſſus ſui inventus eſt à ſola matre, prout ibidem refertur pag.* 266. Mater ipſius ſeptimo demum & vigeſimo anno cùm reſciviſſet, ubi terrarum degeret, accedens cupiebat eum videre : & cùm ubertim fleret in veſtibulo mandræ ejus, non eſt ei conceſſum, ut illum cerneret ; ſed ſcalis appoſitis ad mandræ parietem in terram corruit ; ſignificavitque ei B. Simeon : Da veniam mihi in præſentia, mater, &, ſi digni erimus, in illo ſæculo nos invicem videbimus. Mater ut hoc audiit, magis videndi ejus deſiderio inflammata eſt. At ſignificavit ipſi Sanctus dicens : Aſſide pauliſper & quieſce : moxque te videbo. Deſeditque in veſtibulo mandræ, & confeſtim ſpiritum tradidit Domino. Juſſitque eam inferri.

ſed non intromiſſa, miro modo moritur.

5 Poſuerunt verò eam ante columnam. Ille eam intuitus, ſic fari cœpit : Domine Deus virtutum, dux errantium, moderator Cherubinorum, qui deduxiſti velut ovem Joſeph ; qui inclyta auxiſti virtute prophetam David, qui Lazarum quatriduanum reſuſcitaſti ; accipe in pace animam Famulæ tuæ. Illo ita precato, matris corpus commotum eſt, ac vultu ſubriſit : omneſque adſtantes id viderunt, & Deum laudarunt. Ceterùm exequiis ejus factis, ſepelierunt eam ante columnam, juſta ibidem ei perſolventes. *De voce* mandra, *quæ ſuprà occurrebat, plura invenies lectis ad diem* XXIV *Maii in S. Symeone Stylita juniore pag.* 298, *unde delibo iſta :* Eſt autem MANDRA, in primo atque originario ſuo ſignificato, locus maceriâ lapideâ circumſeptus, qualem ſibi in Syriæ campis facere ſolebant paſtores, intráque eam pecudes ſuas noctu colligere, ubi à lupis ac furibus tutæ eſſent. Talis, nec alia, fuit mandra, quæ primo Symeoni nomen dedit ; quippe qui, præter unum ſibi miniſtrantem Antonium, nullos ſciatur habuiſſe diſcipulos, & eo tantùm fine, loco, quem columna ſua occupabat, circumduxit maceriam, ne promiſcuus ad ſe acceſſus daretur etiam mulieribus : huic verò adjuncta erat mandra altera, intra quam ſeſe peregrini hoſpiteſque reciperent, donec ad Sanctum admitterentur. Ceterùm quia paulatim uſus obtinuit, ut monachorum cœnobia MANDRÆ, & harum præfecti dicerentur ARCHIMANDRITÆ ; hinc factum, ut ſenior Symeon, qui jam paſſim cognominabatur SYMEON IN MANDRA, in excuſis Græcorum Ritualibus vocetur ARCHIMANDRITA, præter totius hiſtoriæ fidem.

Ex S. Symeonis Stylitæ ſenioris chronologia

6 *Ætas* S. Marthæ *è chronologia S. Symeonis filii ejus ordinanda eſt. Hic autem anno ætatis decimo tertio factus monachus dicitur in Vita ſecunda ſuprà citata, in qua leguntur de illo ſequentia :* Cùm eſſet annorum tredecim, ad ſimilitudinem B. David paſcebat oves patris ſui. Quadam verò die videns eccleſiam fidelium, relictis pecoribus cucurrit ad eam. *Deinde autem, inquiſitâ viâ ſalutis, monaſterium S. Timothei petiiſſe refertur. In alio Ms. pro* annorum tredecim *legitur* viginti ſeptem. *ſicut obſervatur ibidem in Annotatis. Contrà autem in Vita prima dicitur nondum habuiſſe annos octodecim, quando veſte carni agglutinata exui ſe agrè ſinebat, ſic dicens :* Sinite me, fratres, ſinite me ſic mori, canem fœtidum . . Ego enim peccatorum pelagus ſum . . Dixitque ei archimandrites : Nondum duodeviginti annos natus es, & quæ tandem habes peccata ? *Non video tamen, qua de cauſa recedendum ſit à vulgata lectione* annorum tredecim. *His adde annos viginti ſeptem, de quibus dictum jam eſt num.* 4. *Annos totidem etiam numerat Vita tertia, ſub nomine Simeonis Metaphraſta à nobis edita, quæ pag.* 278 *ita memorat :* Septem & viginti jam lapſi erant anni, ex quo naturæ leges, quæque in mundo ſunt, vir hic mundo excelſior abdicaverat : cùm ecce mater . . ad filium ſuum abiit . . cupiens filium intueri, & ejus frui colloquio, quo tanto tempore caruerat. *Sed illa ad filii conſpectum non admiſſa, piè obiiſſe ibidem indicatur.*

ordinatur annus emortualis S. Marthæ,

7 *Mors itaque ejus incidit in annum ætatis S. Symeonis quadrageſimum, ſecundum mox dicta : cui anno ſi accenſeatur tempus ejuſdem matris, quo ante editum filium vixit, potuit ſanè acceſſiſſe ad annum circiter ætatis ſexageſimum ; ſi hunc non tranſcenderit, & annis quidem plurimis non ſupervixerit, quod incertum tamen nobis eſt. Tillemontius Monumentorum eccleſiaſticorum tomo* 15 *plurima collegit de S. Symeone ſeniore, calculis chronologicis eadem intexens. Articulo* 3 *citat è noſtro tomo primo Januarii, die* V, *pag.* 263 *pro nativitate ejuſdem Sancti annum circiter* 391 ; *ſed indicat ſibi præplacere annum* 388. *Sit autem natus anno* 388 : *cui ſi adjungas annorum tredecim ætatem, quâ, relicto paterno grege, vitæ ſolitariæ rudimenta auſpicatus eſt, ex dictis ſuprà num.* 6, *jam pervenies ad annum* 401 : *huic autem ſi annumeres annos viginti ſeptem vitæ monaſticæ, dum acceſſit ad illum Mater, ac videre eum prohibita exceſſit è vita, ſicut dictum eſt num.* 4, *poterit obitus ejuſdem matris innecti anno circiter* 428.

à Baronio cum alia confuſa.

8 *Atque hæc computatio chronologica ſufficiat ad propoſitum noſtrum. Baronius in notationibus ad Martyrologium Romanum die* III *Septembris, ſeniorem Symeonem Stylitam ac matrem ejus confundit cum ſynonymo Sancto juniore, ejuſque matre.* Græci, *inquit*, in Menologio (*quod videlicet è Græco vertit cardinalis Sirletus*) de eodem

A dem agunt, ac matre ejus Martha Kal. Septemb. *Eadem confusiò occurrit in dictis notationibus ad* v *Januarii. Obitus Junioris apud nos die* XXIV *Maii, pag.* 298 *affigitur anno* 596; *Marthæ verò matris ejus ibidem pag.* 402 *anno* 551. *Accipe nunc alia quædam ad Sanctam hodiernam spectantia.*

Notationes quædam de cultu, habitatione

9 *Primò, videtur verosimile, eam à Græcis Sanctorum Fastis adscriptam esse propter tam inusitatum mortis genus, tam conspicua post mortem signa, tamque præclaram Symeonis filii ejus de ipsa opinionem, quam non obscurè manifestàvit, dum mandari eam terræ voluit in sua mandra, ut superiùs indicatum est.* 2°. *Locus, è quo ad eamdem mandram profecta est, ut viseret filium suum, videtur esse pagus* Sesan; *in quo natus est Symeon, & illa sedem habuit stabilem, prout colligi potest ex Theodoreto Cyri episcopo apud Rosweydum in Vitis Patrum lib.* 9 *cap.* 26, *ubi hæc de Sancto referuntur:* Est quidam vicus situs in confinio nostræ regionis & Cilicum: eum autem Sesam nominant. Ex hoc ortus, primò à parentibus docebatur oves pascere, ut in hoc
B conferri possit cum magnis viris Jacob patriarcha, Joseph temperante, & Moyse legislatore, & David rege & propheta, & Michæa propheta, & viris divinis, qui illis fuere similes.

10 *In Excerptis ex libro Ecclesiasticæ historiæ Theodori Lectoris, Valesio interprete editis,* AUCTORE J. P. *pag.* 553 *vicus iste appellatur* Σιοὰν, Sisan. Castellum *vocat Menologium Sirleti citatum. Ulterior loci situs exhibetur post Prolegomena Rosweydi ad Vitas Patrum in Chorographia generali mansionum & expeditionum eremiticarum, in qua ad viginti circiter milliarium, quorum unum sit unius horæ, ab Antiochiâ Syriæ distantiam ponitur* Sisan; *in alia verò ibidem mappa Chorographiæ particularis exhibetur* columna S. Simeonis *in tractu urbis Antiochenæ. Auctor Monumentorum eccles. notâ* 6 *in S. Symeonem Stylitam disputat, an remota fuerit ipsius columna leucis quindecim ab Antiochia; notâ autem septimâ agit de columnis ejus diversis, nec non de tempore, quo in singulis vixerit. Vita prima superiùs allegata pag.* 266 *hæc narrat:* Columnam dein ejus altiorem fecerunt: extulerunt quippe ad cubitos circiter quadraginta. *Unde videtur posse colligi, unam eamdemque illi columnam fuisse, sed per intervalla temporum magis magisque elevatam. Quoniam autem ante ejus mandram, in qua erat columna, obiit* S. Martha, *ut suprà dictum est, locum ipsius emortualem posui* E *in tractu Syriæ Antiocheno, qui* 2 *circiter leucis, non autem* 15 *abest ab ista urbe, secundum mappam Rosweydi.*

ac loco mortis.

DE SANCTIS MARTYRIBUS AFRICANIS

TASCIO, DUBITATO, VALENTO, DONATO.

Ex apographis Hieronymianis apud Florentinium. J. P.

DIE 1 SEPTEMBRIS.

C ANtiquum *Martyrologium, quod sub nomine S. Hieronymi edidit Florentinius, quatuor horum Sanctorum natalem refert hac die* in Africa, civitate Toniza. *Idem locus scribitur apud Acherium tomo* 4 *in Martyrologio, quod S. Hieronymi presbyteri nomine insignitur, pag.* 670; *sed nomina Sanctorum diverso modo ibidem efformantur, videlicet:* Natalis sanctorum Tusciæ, Dubitati, Valentii, Donatæ. *Florentinius in notis hodiernis ista observat:* Tasciam pro Tascio tantùm retinet M. Antverpiense: in reliquis cum libris nostris convenit, prætermisso tamen urbis Tonizæ nomine. *Præmiserat ista proximè Florentinius:* M. Corbeiense pro Tascio Tusciam scribit, & pro Donato Donatam. *De loco autem agens,* Tonizam, *inquit,* urbem in Africa apud geographos huc usque non inveni: nisi forte Toneisa sit Antonini, vel Thinissa Ptolemæi, aut Tunes recentiorum in Africa propria. E

A D

DE SS. MARCIANO EP., SISINNIO, AMAUSO : ITEM DE SS. PRIMO AC MATERNO MM.

J. P. Ex apographis Hieronymianis.

DIE 1 SEPTEMBRIS.

Diversus est in Fastis sacris hos Sanctos annuntiandi modus. Martyrologium quippe à Florentinio vulgatum ita habet : Bellausia Prima natalis sancti Marciani episcopi. Et alibi natalis sanctorum Sisinnii, Amauxi. *Grevenus mutat locum, & omnes tres simul jungit, hæc memorans :* Bethsaïda prima, natalis sanctorum Marcialis episcopi, Sisinnii & Amausi. *Martyrologium Corbeiense apud Florentinium in notis locum non nominat, sic dicens :* Et alibi natalis SS. Martiani episcopi, Sisinni, Amauis, *mendosè, ut suspicor, pro* Amausi. *Quid sibi velit* Bellausia prima, *non equidem intelligo ; & idem est de* Bethsaïda prima *apud Grevenum. Vetustissimum Antverpiense dicit in citatis modò notis :* In Carthagine Primi, Materni, & alibi Sisinni, Amausi. *Quid si ergo superiùs* prima *adjectivè pro nomine proprio* Primi, *& pro* Materno Marcianus *intrusus fuerit in tanta apographorum Hieronymianorum corruptione ? Quòd pro* Bellausia *autem & Bethsaïda legi debeat* In Carthagine, *minùs videtur verosimile. Florentinius in notis rem non explicat, sed magis intricat : nam in textum Martyrologii à se editi scribens, pro* Bellausia Prima, *ut suprà jam legimus, ponit* Bettausia Prima, *quod ibidem non legimus, & addit :* Libri nostri ignotam Bettausiam exhibent. Incertum mihi, an nomen Martyris sit, vel loci. *Quidquid verò sit de* Materno *ac* Primo, *nomina tamen eorum expressi in superiore titulo, quia notantur clarè in dicto Antverpiensi.*

B E

DE S. VINCENTIO PRESB. AC MART.

BISULDUNI IN CATALONIA.

J. P.

Præter cultum publicum,

C

Bisuldunum, *vulgari nomine* Besalu, *situm est in territorio Gerundensi principatus Catalonia ; cujus distinctiorem dans notitiam Baudrandus,* oppidum, *inquit,* ad Fluvianum fluvium, ad radices Montium Pyrenæorum. Aliàs comites proprios habuit magni nominis, antequam comitibus Barcinonensibus parêret : 7 leucis distat ab ora maris Mediterranei in Occasum, uti 8 à Rhodis, & 5 à Gerunda in Septemtrionem, Papirianum versus 12. *Pluribus autem laudatur ab Antonio Domenec in Historia generali Sanctorum ac virorum illustrium sanctitate in dicto Cataloniæ principatu, in qua agit de hoc Sancto presbytero ac martyre ad diem 1 Septembris ; cujus corpus, elapsis multis seculis, eò delatum asserit, atque in paræciali ejus ecclesia synonyma collocatum, ibique Deum, per intercessionem ipsius magnas sine dubio præstare gratias : primâ Dominicâ Septembris celebrari Bisulduni festum ejus, eâque die sacerdotes legere de hoc Sancto. Collectam verò, quæ in Missa ac in Officio diurno recitatur, assignat istam de communi :* Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui beati Vincentii martyris tui translationem colimus, intercessione ejus in tui nominis amore roboremur. Per Dominum &c.

2 *Agricolæ territorii ac paræciæ Bisuldunensis, teste eodem Domenecco, illum habent tamquam patronum suum : sacerdotes verò, qui Sancti hujus viderunt historiam, pauco abhinc tempore, sicut addit, perditam, affirmant memoratum in eadem fuisse, quòd sit patronus contra tempestatem : territorium item illud antiquitus afflictum lapide & grandine, postquam eò perveniisset sacrum illud corpus, hujusmodi mala liberatum fuisse. Ferrarius hunc* S. Vincentium *tamquam presbyterum & martyrem etiam annuntiat in suo Catalogo generali* ex tab. ecclesiæ Gerundensis, *prout indicat in notis ; solitumque eum* celebrari *affirmat* 1 Dominicâ Septembris in op. Bisulduni. *Ex dictis patet, obscura penè esse omnia, quæ ad hunc Sanctum spectant, si solum publicum cultum excipias. Quisnam itaque sit hic* Vincentius, *non magis nunc exploratum habemus, quàm qualis esset ille martyr & presbyter synonymus, qui inter Prætermissos positus à nobis fuit ad diem* XXII *Januarii. Eodem die illustravimus Vincentium apud Gerundam passum, & synonymum martyrem archidiaconum Cæsaraugustanum. An verò notabilis aliqua alterutrius corporis pars ad Bisuldunenses fuerit translata, ne quidem suspicari possum sufficiente cum fundamento, cùm neuter vocetur à nobis* presbyter, *nec norim, unde, quo tempore, à quo sacrum illud depositum obtinuerint Bisuldunenses ; nec sciam, an totum corpus, an minor majorve ejusdem pars apud ipsos asservetur. Huc itaque transcribenda censui, quæ ab aliis jam pridem scripta inveni de hoc Sancto.*

F *nihil ferè scitur de hoc Martyre.*

DE

A D

DE S. PLACIDIO ACOLYTHO
IN PROVINCIA BITURICENSI.

J. P.

Ponitur à Caſtellano, & alibi hac die.

PRimam *hujus Sancti notitiam accepi è Martyrologio Caſtellani hoc die, quo annuntiatur in Bituricenſi Galliæ provincia* (en Berry) *aliunde ſatis nota. Additur vernaculum Sancti nomen* S. Plaiſis, *& officium* acolythi. *Apud Simonem de Peyronet in Notis ad Catalogum Sanctorum & Sanctarum pag.* 332 *vocatur Gallicè* Plaiſir, *Latinè autem* Placidus, *ac publicus ejus cultus ita confirmatur ibidem:* Extat eccleſia parochialis in diœceſi Bituricenſi, ſub archipresbyteratu Borbonii, quæ S. Placidi, vulgò S. Plaiſir, di-
B citur. Cujuſnam verò S. Placidi, an martyris, *qui colitur* v *Octobris*; an Æduenſis antiſtitis; an verò alterius, non liquet. *Titulus* acolythi, *Sancto hodierno appoſitus à Caſtellano, videtur ſufficienter indicare, hunc à duobus iſtis eſſe diverſum. Sed qua auctoritate ſic illum annuntiet idem Martyrologus, ignoro, etiamſi credi poſſit, officium* acolythi *ab eo alicubi repertum fuiſſe, quod & ego ſuperiùs poſui cum ipſo. Occaſione* Æduenſis antiſtitis, *quem memorabat Peyronetus, obſerva, nos egiſſe ad diem* VII *Maii pag.* 138 *de S. Placido ſeu Placito, presbytero Auguſtoduni in Gallia, ſive Æduorum urbe, qui ab aliquibus habetur epiſcopus, ſed meliùs presbyter & abbas S. Symphoriani. Conſuli etiam poteſt Gallia Chriſtiana recuſa tomo* 4, *col.* 337, *ubi inter alia indicat, errare recentiores, qui eum epiſcopis Auguſtodunenſibus accenſent. Catharinus in Sanctuario Bituricenſi pag.* 34 S. Placidum *memorat die* 1 *Septembris; ſed nihil ibi addit, unde diſtinctiùs cognoſci poſſit. Non ſatis intelligo, quid ſibi velit, & an huc ſpectet ſequens hac die annuntiatio in Hagiologio Franco-Gallia, quod Labbeus edidit:* Ab urbe Pampelonenſe territorio Biturico monaſterio Frontonaco depoſitio Placidi confeſſoris, & Valentini martyris. E

DE S. AMBROSINIANO EPISC. ET MART., UT FERTUR,
PATRONO PAROECIÆ FONTANENSIS PROPE DIVIONEM
IN BURGUNDIA.

SYLLOGE HISTORICO-CRITICA.

J. S.

C De Cultu, Actis fabuloſis, ac reliquiis Sancti. F

Colitur Sanctus Fontanis prope Divionem,

LAudius *Caſtellanus in Martyrologio univerſali ad* 1 *Septembris annuntiat* S. Ambroſinianum, *quem aliis martyrologis notum fuiſſe non invenio. Verba ejus reddo Latinè:* Eodem die, S. Ambroſiniani patroni eccleſiæ parœcialis Fontanenſis prope Divionem, ubi de ejus reliquiis habetur in eccleſia collegiata S. Stephani. *Petrus Franciſcus Chiffletius in S. Bernardi genere illuſtri aſſerto cultum* S. Ambroſiniani *magis ſtabilivit, Actaque ejuſdem edidit, de quibus infrà. Pag.* 457 *adducit ex tabulario S. Stephani Divionenſis litteras, in quibus ad propoſitum noſtrum dicitur:* In Kalendis igitur Septembris, die natali ſancti Ambroſiniani, qui ibidem colitur. *Vox* ibidem *refertur ad caſtrum Fontanas, de cujus domino Bartholomæo agitur. Litteræ datæ ſunt tempore Herberti abbatis S. Stephani Divionenſis. Herbertus autem abbas factus eſt anno* 1125, *uti habet Series chronologica abbatum S. Stephani, quæ præmiſſa eſt Officiis propriis ejuſdem eccleſiæ. Joannes Eremita in Vita S. Bernardi apud laudatum Chiffletium pag.* 109 *refert, matrem S. Bernardi, quæ* Aalays *ibi vocatur, devotam fuiſſe erga* S. Ambroſinianum, *in ejuſque feſtivitate obiiſſe, ſed* Ambroſium *vocat.*

eique devota fuit mater S. Bernardi.

2 *Accipe verba Eremitæ, quæ refert ex ore Roberti abbatis:* Mater, inquit, ſancti patris noſtri (*Bernardi*) religioſiſſima extitit. Conſuetudo autem ejus erat per ſingulos annos in ſolennitate ſancti Ambroſii univerſos clericos, quos invenire poterat, congregare, eoſque in eadem die, ad honorem Dei, & beatæ Mariæ, & memorati Sancti, omniumque Sanctorum, cibo & potu ſollemniter reficere. Deus autem honorem, quem illa Sancto ſuo exhibebat annis ſingulis, eidem remunerare volens, mortis ſuæ, quæ in anniverſario ejuſdem feſtivitatis die futura erat, illam præſciam fecit die quadam ante feſtum. *Mortuam revera eſſe in eadem feſtivitate, ſicut prædixerat, ſubjungit auctor. Chiffletius pag.* 413 *oſtendit hîc à multis intellectum S. Ambroſium Mediolanenſem:* At, *inquit pag.* 414, ſanctum hunc

AUCTORE J. S.

hunc Ambrosium nusquam Johannes Eremita vel doctorem dicit, vel Mediolanensem. Alius fuit Ambrosius (frequentiùs Ambrosinianus appellatus) vici & castri Fontanarum patronus, quem sollemnibus officiis à loci domina quotannis coli solitum longè est verisimilius. Hujus Ambrosiniani natale etiamnum agitur, & post omnem memoriam actum est in parochia Fontanensi Kalendis Septembris; quod probant S. Stephani Divionensis quingentis ampliùs abhinc annis confectæ tabulæ. *Deinde ostendit Alaydem S. Bernardi matrem obiisse Kalendis Septembris, ita ut minimè dubitandum videatur, quin* S. Ambrosinianum *designaverit suprà Joannes Eremita, præsertim cum ostensum sit hunc Sanctum jam eodem seculo* XII *cultum fuisse.*

Compendium ejus Actorum,

3 *Vitam* S. Ambrosiniani *Majoribus nostris transmiserat laudatus Chifletius, eamdemque edidit inter probationes dicti Opusculi à pag.* 452, ex Ms. parochiæ Fontanensis prope Divionem, cujus patronus est S. Ambrosinianus, colituque Kalendis Septembris, *ut observat in titulo. Sanctus ibidem dicitur natus in* Sarmatica *urbe Iberiæ Asiaticæ, parentibus primò sterilibus,* Agaro & Sanna, *qui, vigente persecutione, fugerint* Artemitam in finibus Armeniæ *ubi & invenerint* beatissimi Egidii fanum. *Infans, si placeret fidem Actis adhibere, primam vocem emisit* Ambrosinianus, *indeque nomen ei impositum. Litteris instructus,* cùm jam bis senos attigisset annos, domum patris revertitur; ubi paucis moratus diebus, *relictis omnibus,* Sarlatum *tandem* adventavit, ubi à Nicephoro illius urbis episcopo benignè exceptus, eique deinde successor electus est. *Demum, relicto episcopatu,* Sarmaticam *reversus narratur, ibique fidem prædicâsse ac martyr occubuisse. Habes, studiose lector, compendium Actorum, quæ edenda non censui, cùm quia prorsus fabulosa sunt, tum quia jam edita.*

quæ prorsus fabulosa sunt:

4 *Audi censuram Chifletii pag.* 415: Quis porrò fuerit sanctus ille Ambrosinianus, aut ubi terrarum vixerit, non ausim affirmare. Suspecta enim est mihi ejus Vita, quam exhibet codex Fontanensis, vix ante octoginta annos conscriptus, in quo natus legitur in urbe Sarmatica Iberiæ Asiaticæ, episcopus Sarlatensis post Nicephorum, & denique multarum palmarum nobilis martyr. Sarlatensem quidem episcopatum in provincia Burdegalensi institutum lego à Johanne Papa XXII ex anno Christi MCCCXVII (*ut probat Dionysius Sammarthanus tom.* 2 *Galliæ Christianæ recusæ col.* 1512. *At eo tempore dudum ut Sanctus colebatur* Ambrosinianus, *ita ut non potuerit illius ecclesiæ esse episcopus; sicuti nullus ibi notus est Nicephorus, à quo exceptus dicitur.*) Sarlatensem aliam sedem episcopalem in orbe Christiano non reperio; sicut neque urbem nomine Sarmaticam. *Nisi magis verisimile sit, ecclesiam S. Egidii fuisse in Armenia, Artemita urbi, quam Baudrandus eam credit, quæ* Van *aut* Wan *hodieque dicitur in Armenia, ut asserit in Assyria ponitur, aliaque synonyma in Arabia deserta. Cùm igitur Vita hæc adeo sit fabulosa, nec* episcopi *nec* martyris *titulum, ut certum, Sancto attribui: nam æquè incertum existimo, an episcopus unus martyr fuerit, quam incertus sit locus & tempus, quo florum*

Sanctus parochiæ suæ patronus: quædam reliquiæ aliis locis.

5 *Hinc pauca tantum adjungo de cultu & reliquiis Sancti, de quibus Chifletius hæc prævidentibus subdit:* Tantum observo (ut amoveat à coli Fontanis sanctum Ambrosinianum Kalendis Septembris, ut proprium loci patronum, quam vis Fontanensis parochia sub S. Martini, utpote antiquioris patroni, appellatione inscripta legatur catalogis ecclesiarum dioceseos Lingonensis, nimirum ab ædicula S. Martino dedicata, quæ adhuc supereat sub colle Fontanensi, & castri seu vici totius ecclesia matrix olim fuisse dicitur. Ad hæc S. Ambrosiniani quasdam reliquias inclusas fuisse in altari, quod in crypta S. Stephani Divionensis, Idibus Septembris, anno à Christi Incarnatione MCLXXI à Guichardo Lugdunensi archiepiscopo consecratum est. *Monumentum hujus reliquiarum inclusionis recitat pag.* 458. *Ejusdem etiam Sancti reliquiæ fuisse videntur, quæ inclusæ sunt altari Carthusiæ Lugdunensis nam* ex tabulis dictæ Cartusiæ Lugdunensis *hoc fragmentum idem scriptor recitat pag.* 523: Anno MCCIII dedicata est ecclesiæ domus inferioris, & altare consecratum à domino Helduino episcopo Lingonensi pridie Nonas Octobris. Inter reliquias inclusas in ea ecclesia numerantur reliquiæ de sanguine sancti Benigni, & reliquiæ beatorum Medardi & Ambrosiani.

A D

DE SS. PRISCO, CASTRENSE, TAMMARO, ROSIO, HERACLIO, SECUNDINO, ADJUTORE, MARCO, AUGUSTO, ELPIDIO, CANIONE, ET VINDONIO, AFRICANIS CONFESSORIBUS ET EPISCOPIS SALTEM EX PARTE,

IN REGNO NEAPOLITANO,

COMMENTARIUS PRÆVIUS. J. S.

§ I. Memoria S. Priſci in Martyrologio cum undecim ſociis, B qui ſinguli ſeorſum etiam coluntur diebus variis. E

VEROSIMILITER SECULO V. *De Priſco*

DE Priſco primo Capuanæ eccleſiæ epiſcopo jam diſputavimus hac die cum Martyrologio Romano, quod alterum Priſcum *cum undecim ſociis eodem die Capuæ annuntiat hujuſmodi verbis:* Capuæ item alterius Priſci epiſcopi, qui unus fuit ex illis ſacerdotibus, qui in perſecutione Wandalorum ob fidem Catholicam variè afflicti, & vetuſtæ navi impoſiti, ex Africa ad Campaniæ litora pervenerunt, & Chriſtianam diſciplinam, in iis locis diſperſi, diverſiſque eccleſiis præfecti, mirificè propagarunt. Fuerunt autem ejus ſocii, Caſtrenſis, Tammarus, Roſius, Heraclius, Secundinus, Adjutor, Marcus, Auguſtus, Elpidius, Canion & Vindonius. *Hos quidem omnes ſimul occaſione* S. Priſci *recenſuit Baronius: verùm non omnes eodem die colununtur, & non facilè de omnibus aſſignari poteſt* C *dies, quo coluntur ſinguli.* Priſcus, *ut liquet ex antiquo Breviario Capuano, olim ibidem colebatur hoc ipſo die primo Septembris. Nunc verò poſtridie colitur, ut patet ex Lectionibus eccleſiæ Capuanæ anno* 1669 *approbatis, in quibus unica de geſtis ejus ad diem* 2 *Septembris occurrit lectio. Tillemontius tom.* 16 *Monumentorum in S. Eugenio art.* 49 *ait, feſtivitatem* S. Priſci martyris *notari in Miſſali edito per Thomaſium pag.* 170, *ſed ſine titulo epiſcopi, & ſine ullo ſocio. Verùm non agitur ibidem de hoc* Priſco, *ſed de Priſco ſeniore, de quo jam egimus. Si id obſervaſſet ſcriptor ille, non dixiſſet* confeſſorem *potius vocari debuiſſe, quàm* martyrem: *at utrumque* Priſcum *confudit, aut priorem ignoravit Tillemontius. Porrò in lectione mox laudata* Priſcus *Africanus dicitur eccleſiam Capuanam epiſcopus rexiſſe, ibique in pace quieviſſe: eaque eſt opinio communis Capuanorum. At ignoro, quàm ſolido nitatur fundamento.*

Caſtrenſe, Tammaro, Roſio, Heraclio,

2 Caſtrenſis *feſtivitas celebratur* XI *Februarii, quo in Opere noſtro de ejus geſtis diſputatum eſt.* S. Tammarus *aliquis colitur* XVI *Januarii in loco diœceſis Averſanæ, iſque à quibuſdam inter ſocios* S. Priſci *recenſetur, ſed Beneventani* XV *Octobris* S. Tammarum *colunt atque hunc eſſe diſcuut. Hac de cauſa ejus rei examen remiſſum jam pridem eſt ad* XV *Octobris, ut videri poteſt in prætermiſſis ad* XVI *Januarii. De* S. Roſio *actum eſt ad* XVI *Maii, quo memoria ejus occurrit in Faſtis ſacris. De* Heraclio *nihil certi invenio. Henſchenius tamen tom.* 1 *Junii pag.* 437 *ad diem* V *ex vetuſto Martyrologio Caſinenſi memoravit* Heraclium *confeſſorem cum Javino, de quibus nihil invenit præterea. Michaël Monachus pag.* 69 *ait:* Roſii & Heraclii fuiſſe eccleſias in diœceſi Sueſſana, apparet in bulla confirmationis Benedicti epiſcopi Sueſſani, data ab Athenulfo archiepiſcopo anno MXXXII, menſe Martio, die XIX, Ind. XV: cujus bullæ exemplum ſervatur inter Ms. Chiochareli; *& recitatur ab Ughello tom.* 6 *col.* 536. *Probabile eſt eccleſiam iſtam fuiſſe hujus* Heraclii, *maximè quia erat in provincia Capuana. Poteſt & idem eſſe* Heraclius *confeſſor, qui die* V *Junii habetur in dicto Martyrologio Caſinenſi, ſed id magis incertum ob ſocium adjunctum. Memorantur & alii,* Heraclius *&* Eraclius *dicti, variis diebus in additionibus Uſuardi apud Sollerium; at obſcurum eſt, an aliquis eorum ſocius fuerit* S. Priſci. F

Secundino, Adjutore,

3 Heraclium *in Martyrologio ſequitur* Secundinus. *De* Secundino *epiſcopo, qui Troiæ in Apulia* XI *Februarii colitur, & cum hoc* Secundino *idem à multis creditur, egit Henſchenius tom.* 2 *Februarii à pag.* 529: *&* Sollerius *tom.* 1 *Julii pag.* 19 *diſputavit de Secundinis variis; neque aliquid inveni hactenus, quod iis adjungendum cenſeo.* Adjutor *non legitur in Vita S. Caſtrenſis fuiſſe inter Confeſſores Africanos, ſed* Benignus, *cui* Adjutorem *ſubſtituit Martyrologium, neſcio qua de cauſa, niſi forſan Baronius* Adjutorem *in Ms. Vita* S. Caſtrenſis *invenerit pro* Benigno, *quod vix credo; aut duplex nomen habuerit Sanctus, ut ſuſpicantur uliqui. Quidquid fuerit cauſæ, conſtat,* S. Adjutorem *coli menſe Decembri, dicique ab Italis ſcriptoribus unum è duodecim hiſce Sanctis. Monachus pag.* 70: Adjutor, *inquit,* Cavæ die decimo ſexto Decembris (*colitur.*) *Et pag.* 69: Adjutor habuit ſuam (*eccleſiam*) in territorio Cancielli, ex ſæpe citato diplomate Alphani archiepiſcopi

AUCTORE J. S.

piſcopi anni MCLXXIII, & alteram circa Capuam, de qua mentio eſt in quodam inſtrumento Sancti Angeli ad Formam, quod ego legi. *De* S. Adjutore *vel* Adjutorio *Cavæ culto meminerunt quoque Paulus Regius in Sanctis Neapolitanis part. 2 pag.* 419, *David Romæus pag.* 400 *in Divis Neapolitanis*, *Marius de Vipera in Sanctis Beneventanis pag.* 83, *ac demum Ferrarius in utroque Catalogo. Hic autem complexus omnia, quæ dixerunt alii, in Catalogo Sanctorum Italiæ ad* XIX *Decembris tale formavit elogium:* Adjutor, ſive, ut alii legunt, Adjutorius epiſcopus Africanus ex eorum numero, qui in perſecutione Wandalica ſuis ſedibus pulſi ad Campaniæ litora pervenêre, ac diverſa petentes loca, in iis vel functiones epiſcopales prædicando exercuerunt, vel ab urbibus in epiſcopos electi, ibi conſedêre, unus fuit. Qui Beneventi & Cavæ, ob ejus reliquias ibi quieſcentes, vel etiam quòd in iis locis vivens prædicârit, venerationem habet hac die. Ex tab. eccleſ. præd. *Hactenus Ferrarius, cui alii ſatis conſonant, præterquam quòd feſtivitatem celebrari aſſerat Monachus die* XVI *Decembris, ſicut ipſe Ferrarius notat in indice.*

B

Marco,

4 Marcum, *qui ſequitur, Bovinenſem credi epiſcopum ait Monachus pag.* 68. *Verùm ætas S. Marci, qui ab aliis* Bovinenſis, *ab aliis* Lucerinus *epiſcopus vocatur, quique forſan Æcanenſis eodem jure dici poterit, ut obſeruavi ad Acta SS. duodecim Fratrum hac die pag.* 142, *non congruit cum ætate hujus* Marci. *Nam Æcanenſis vixit circa initium ſeculi* IV, *ſeu tempore Diocletiani & Maximiani, eodemque tempore creditur floruiſſe ſeu idem, ſeu alius Marcus, qui Lucerinus aut Bovinenſis colitur* XIV *Junii, ad quem de eo diſputatum eſt. Hactenus igitur nihil certi de* Marco *Africano invenio: nam conjecturam quidem aliquam afferre poſſum, ſed incertam. Laudatus Vipera ad diem* VII *Octobris de Marco, qui eo die Beneventi ritu duplici colitur, ſic habet:* Marcus epiſcopus Bovinenſis, quo tempore eam rexerit eccleſiam, adhuc latet: cujus * verò ſacrum corpus Beneventi in ſacra æde ei dicata, quæ parochialis eſt, magna veneratione ſervatur. Hunc diem tranſlationis eſſe fatemur: nam ejus natalem eccleſia Bovinenſis celebrat octavo (*imò* XVIII) Kal. Julii. Hujus ſancti Epiſcopi Acta deſiderantur: meminit tamen de eo Martyrologium antiquum Ms. in bibliotheca Beneventana exiſtens, & David Romeus in Catalogo Sanctorum regni Neapolitani. Quando hic ſanctus Epiſcopus vixerit, & quando ejus corpus Beneventum delatum fuerit, haud apparet ex prædictis. Prædicta eccleſia extat de jure patronatu * nobilis familiæ de Sabrianis. *Ex his facilè videbit lector, Beneventanis parùm cognitum eſſe hunc S. Marcum: atque id unum forſan innotuiſſe* ex inſcriptione in marmore in ipſa eccleſia exiſtente, *ut habet ad marginem, quòd corpus S. Marci epiſcopi ibi ſervaretur. Cùm autem Bovinenſes ſibi aſſerant corpus S. Marci patroni ſui, fieri poteſt, ut Beneventani alterius Marci corpus poſſideant, uti jam obſervavit Henſchenius in S. Marco Bovinenſium patrono ad* XIV *Junii pag.* 801; *atque hæc ſuſpicio in nullum magis cadit quàm in* Marcum S. Priſci *ſocium. Incerta profero, ut faciliùs inveniri poſſint certiora.*

C

* *fortè* ejus

* *fortè* patronatus

Auguſto, *Elpidio*, *Canione*,

5 Auguſtus, *qui in Vita* S. Caſtrenſis Auguſtinus *nominatur, nihilo notior eſt. Monachus pag.* 69 *hoc ſolum affert:* Auguſtus habet eccleſiam dirutam non longè à pago S. Priſci. Fuit olim ibi pagus & parochia... Nunc eſt beneficium ſimplex opulentum. *Ruinartius in Hiſtoria perſecutionis Wandalicæ, ubi de ſanctis hiſce Confeſſoribus diligenter inquirit, pag.* 538 *memorat Auguſtinum Concordiæ cultum, & Auguſtinum Aquileienſem epiſcopum. Sed illi ab hoc diverſi ſunt, ut fatetur.* Elpidius & Canion, *qui ſequuntur in Martyrologio, pluribus locis memorantur; at æquè obſcurum eſt hinc ſint, de quibus agitur, an alii ſynonymi.* S. Elpidium *Atellanum in Campania epiſcopum ad* XXIV *Maii produxit Henſchenius tom.* V *pag.* 282. *Verùm nihil adduxit aut adducere potuit, ex quo tutò ſtatuatur, an is idem ſit cum Africano noſtro, licèt id credant aliqui, teſte Ughello tom.* 7 *col.* 17. *Certè ſeniorem faciunt, quàm revera fuit, ſi ſit Africanus. At idem de* S. Canione *contigit, in cujus Actis de* Elpidio *Atellano fit mentio, ita ut credendum ſit* Elpidium, *qui ibi* Elvidius *nominatur, eodem vixiſſe tempore. Hinc Papebrochius in* S. Canione *tom.* VI *Maii pag.* 28, *ubi obſervaverat utrumque Sanctum reperiri in Vita S. Caſtrenſis, hæc ſubjungit:* Hæc tam certa notitia Canionis unius, ex Africa in Campaniam delati ſub Wandalis intra cariolam navim; & ætas Elpidii, in ejus, de quo hîc agimus, Canionis Actis qualibuſcumque nominati; collata cum incertitudine & exigua fide ipſorum Actorum vehementer nos inclinant, ut arbitremur, non niſi Elpidium unicum & unicum Canionem habendos pro Sanctis, eoſque ad quintum ſeculum & Wandalorum tempora pertinere: adeo ut, qui vera S. Canionis patroni Acheruntini Acta volet diſcere, ex Actis S. Caſtrenſis haurire ea debeat, quicum habuit communem carcerem exiliumque, & refugii ac ſepulturæ primæ locum in Campania. *Idem de* S. Elpidio *aliiſque ſociis dici debet. de quibus aliunde nihil ferè innotuit.*

D

E

alia de Elpidio,

6 *Hæc conjectura probabilis apparet, eaque de cauſa pro* S. Elpidio *ad* XXIV & XXV, *pro* S. Canione *ad* XXV *Maii lectorem remittimus. De* Elpidio *tamen addam, quæ aliunde ſe offerunt. In Kalendario tertio apud Monachum pag.* 415 *ad* XXVI *Maii annuntiatur his verbis:* S. Elpidii epiſcopi & conf.; *in quarto ad eumdem diem:* S. Elpidii. *Monachus verò ipſe, poſtquam dixerat pag.* 68 Elpidium *epiſcopum præfuiſſe* Atellis; & *pag.* 69 eccleſiam *habere* in pago Caſapulli; *de cultu ſic habet pag.* 70: Elpidius ab Atellanis (*colitur*) Maii vigeſimo quarto. At in citato Kalend.... notatur die Maii vigeſimo ſexto, & hoc ipſo die agitur feſtum in eccleſia propria. *Præterea Theodoricus I Metenſis epiſcopus, cum Ottone I imperatore in Italiam profectus, obtinuit ibidem anno* 970 *multas Sanctorum reliquias, inter quas numeratur corpus ſancti* Elpidii *confeſſoris, qui cum* Elpidio *noſtro idem eſſe poſſet. Res breviter ex Sigeberto relata eſt tom.* 2 *Januarii pag.* 399, & *rurſum pag.* 588 & 589. *Verùm uberior ejuſdem hiſtoriæ relatio edita deinde eſt ab Acherio tom.* 5 *Spicilegii, & correctiùs deinde tom.* 2 *Spicilegii recuſi à pag.* 133. *Sufficiet huc transferre, quæ ibi leguntur de* Elpidii *corpore:* Horum primum ſanctum & venerabilem Chriſti confeſſorem Elpidium ex Marſorum provincia ſumpſit, concedente Albrico ipſius Marſiæ epiſcopo, ex quadam eccleſia ſedi epiſcopali proxima: quæ ſedes ſuper lacum Fucinum ſita, quid olim fuerit, ruina urbis & plurimarum circà eccleſiarum ac monaſteriorum frequentia atteſtatur. Hunc nobis ipſe epiſcopus cæterique incolæ retulerunt fuiſſe ex collegio quo-

rumdam

A rumdam ſervorum Dei, qui tempore antiquiore ex partibus Græciæ, numero 70, in eamdem Marſorum provinciam adventantes, ac diverſis circumquaque locis vel civitatibus univerſis mirabilium ſignorum lumine fulgentes, ubicumque in ſancta converſatione finis vitæ advenerat, venerabili ſepultura reconditi, multâ vicinorum longè latéque reverentiâ, pro aſſidua miraculorum jucunditate coluntur. Horum tres, quorum hic tertius fuit, in eodem cœmiterio quieſcebant, Caliſtratus, Euticius, & hic Elpidius. *Hæc ibi.*

& de Vindonio. 7 *At obſcurum eſt, quis ſit ille* Elpidius, *nec id exponunt ſcriptores rerum Metenſium, quos conſului. Porrò etiamſi noſtro non omnia congruant quæ de ipſo dicuntur; oriri tamen ſuſpicio poſſet, populari traditione veram hiſtoriam eſſe corruptam. Certè quod de Græcia dicitur, intelligi poteſt de Africa. Numerus ſeptuaginta tantam non habet difficultatem, ut tolli nequeat: nam ex Vita* S. Caſtrenſis *num.* 9 *&* 10 *abundè patet, multò plures, quàm duodecim recenſitos, vetuſta navi impoſitos, & divinâ providentiâ in Campaniam delatos. Nihil tamen certi hîc poteſt*
B *ſtatui, præſertim quia Marſorum provincia omnes ſuſcepiſſe hîc dicitur, quod certò falſum eſt de Confeſſoribus noſtris: ſed rurſum id fama populari credi potuit, quia aliqui eò venerunt. Quidquid ſit, mihi ignotus eſt ille* Elpidius, *niſi forſan idem ſit cum noſtro, de quo diſputamus. Poſtremus ex duodecim ſociis recenſetur* Vindonius *minimè omnium natu. Monachus pag.* 69 *de eo incertam hanc affert conjecturam:* Vindonius eſt meo judicio, qui Mendonius legitur. Habebat eccleſiam foris Capuam, ubi dicebant ALIA MURATA, & extebat anno MCCXI, ut legi in inſtrumento monaſterii monialium S. Joannis. *Nihil præterea de eo invenio. Nunc, quædam examinanda ſunt, quæ ſpectant ad omnes duodecim Sanctos.*

§ II. Inquiritur, quanti valeat Vita S. Caſtrenſis, quæ agit de Sanctis duodecim; quo tempore hi mari ſint expoſiti, & an omnes fuerint epiſcopi.

C

Acta S. Caſtrenſis, quæ ſcriptoris ſunt coævi aut ſupparis, interpolata putat Ruinartius,

QUid *in Africa paſſi ſint hi Sancti refertur in aſſignata antè Vita* S. Caſtrenſis; *ſed inquirendum, an Vita illa fidem mereatur, quod in dubium vocarunt aliqui. Henſchenius editor in Commentario prævio, & Papebrochius in* S. Canione *Acta* S. Caſtrenſis *probarunt ut ſcriptoris coævi aut ſupparis, cùm ipſe indicet num.* 16, *ſe quædam audiviſſe* ex relatu quorumdam ſacerdotum, *qui morienti adfuerant. Ruinartius in Hiſtoria perſecutionis Wandalicæ part.* 2, *cap.* 9 *de eadem Vita agit, eamque interpolatam exiſtimat, ita tamen ut omnem ei fidem abrogatam nolit. Verba ejus accipe:* Quamvis enim nævis non careat, atque ſcripta fuerit ab auctore rerum ante ſua tempora geſtarum prorſus ignaro, aut certè ab aliquo poſteriori vitiata, qui Valentis Ariani imperatoris perſecutionem cum Vandalica confudit, non tamen ei omnis prorſus denegan-

dotum, qui Caſtrenſi morti proximo adfuerant, ſe accepiſſe teſtatur. Quæ verba ex antiquo Vitæ ſcriptore fuiſſe crediderim; quæ verò ſequuntur ex interpolatore: " Hæc verò (inquit) quæ „ noſtris ſenſibus pietas perennis Dei per ſancto„ rum Patrum dicta tradidit, idcirco annotare „ ſtuduimus, ut dum aliquis fidelium alicujus „ Sancti (ex Caſtrenſis ſcilicet ſociis, *ait Rui„ nartius*) ſolemnitatem celebrat, pariter de „ cunctorum triumpho lætetur „. Ibi enim rationem reddit, cur in Caſtrenſis Vita aliorum etiam geſta inſeruerit, qui ſimul cum eo ex Africa pulſi, varias in Italiæ urbes & regiones diſperſi, ibique defuncti celebrabantur. *Expendamus objectionis disjunctivæ partem utramque.* AUCTORE J. S.

reſpondetur primæ ejus objectioni, 9 *Prior eſt, quòd ſcriptor hujus Vitæ prorſus fuerit ignarus rerum ante ſua tempora geſtarum, quia confudit perſecutionem Valentis cum Wandalica. Hanc objectionem, quæ rectè prolata erat à Baronio in annotatis ad Martyrologium die* 1 *Septembris, perperam repetit Ruinartius, cùm locum non habeat in editione Henſchenii, quam ſolam citat. Quippe in hac editione nullum verbum de Valentis Ariani perſecutione,* E *nullum verbum, quo probari poſſit, ſcriptorem peccaſſe contra ullam præcedentium temporum hiſtoriam. Hinc in Commentario num.* 8 *ſic loquitur Henſchenius de Ms. ſuo Romano, ex quo cum duobus aliis collato Vitam edidit:* Deeſt huic narrationi, quod alibi exſtat, inſulſum exordium. *Dicebatur in illo exordio exſilium Sanctorum contigiſſe in perſecutione Valentis & Valentiniani. At obſervavit Henſchenius cum Antonio Caracciolo errorem illum non auctori hujus Vitæ tribuendum videri, ſed* alteri cuipiam ſciolo, caput equinum humano corpori ineptè jungenti; *ut loquitur Caracciolus cap.* 26, *ſect.* 3. *Quàm frequenter id contingat, experimur quotidie. Pro exemplo ſint Acta* S. Terentiani *epiſcopi martyris, quibus tria diverſa exordia aſſuta reperi in tribus diverſis Mss., ut ibidem monui in Commentario num.* 13 *pag.* 111. *Quin & occaſionem, quâ id fieri potuit, aſſignavit Henſchenius ex bello iterato, quod fuit Valentiniano III cum Genſerico Wandalorum rege, atque ex iis ſic concluſit:* Quocirca, uti etiam advertit Caracciolus, non videtur ſcriptor adeo antiquus in conſignandis ſui penè temporis imperatoribus tam craſſè hallucinatus, ut pro regibus Wandalorum F Valentinianum & Valentem imperatores obtruderet, qui jam ſexaginta & ampliùs annis ante Wandalorum in Africam incurſionem obierant. *Ad hac nihil hactenus reſponſum invenio.*

uti & ſecundæ. 10 *Vidit tamen haſce rationes Ruinartius, ideoque primam objectionis partem, quàm rectiùs omiſiſſet, noluit vehementer urgere; ſed mox tranſiluit ad interpolationem, quam & probare conatur, adductis verbis ſuprà recitatis. Verùm adeo mihi clarum videtur & manifeſtum, verba allata interpolatori tribui non poſſe, ut mirer id exiſtimaxe potuiſſe Ruinartium. Accipe igitur locum integrum, ex quo mens ſcriptoris magis eluceſcet. Poſtquam narraverat duodecim Sanctos carioſa navi impoſitos à regiis miniſtris, ſic proſequitur num.* 8: Talia dum ſævi diſponunt miniſtri, repentè ſupervenit innumera multitudo Chriſticolarum, permixtim viri ac mulieres, ſeu adoleſcentes & parvuli, omnes pariter clamantes: Miſeremini, miſeremini, concives, &c. ne veſtræ manus polluantur noſtro ſanguine, ſinite nos ſequi veſtigia ſanctorum Patrum. Hanc acclamationem indignè ferentes, & in deriſionem

AUCTORE J. S.

vertentes, cœperunt festinanter cogere eos ascendere navem, atque deridentes dicere: Dignum est, ut simul cum his, quos imitati estis, efficiamini in pastum marinis belluis. Multitudinem verò Sanctorum Sanctarumque idcirco minimè præsumpsimus nominatim nominare, quia nullus sub cœlo invenitur, qui dicere audeat, se cognovisse nomina singulorum, nisi solus ille, qui æqualiter per suæ magnitudinis gloriam semper ubique est, & cui omnia præsentia sunt. Hæc verò, quæ nostris sensibus pietas perennis Dei per sanctorum Patrum dicta tradidit, idcirco annotare studuimus, ut, dum aliquis fidelium alicujus Sancti solennitatem celebrat, pariter de cunctorum triumpho lætetur; quò ab æterno Rege immortalitatis præmia, his omnibus intercedentibus, adipisci dignè valeat. Hi enim sunt, qui relinquentes prædia & divitias, semetipsosque abnegantes, secuti sunt Redemptoris vestigia. *Totus hic locus ne minimum quidem interpolationis habet indicium. Etenim primò nominaverat duodecim Sanctos, quos Ariani imposuerant navi. Deinde refert sponte accurrisse ingentem multitudinem Christianorum, qui ultro Sanctos cupiebant comitari, & revera comitati sunt. Tertio rationem adjungit, cur horum nomina non exprimat. Quarto edidit, cur factum tamen narraverit multitudinis istius non nominatorum. Non igitur* rationem reddit, cur ... aliorum etiam (*quos nominaverat*) gesta inseruerit, *ut vult Ruinartius, sed cur narraverit alacritatem contemptumque vitæ ac rerum omnium illorum, quorum nomina non potuerat exprimere præ multitudine. Ut hæc lector clarè perspiciat, ad oppositionem scriptoris advertat:* Multitudinem, aut, ... minime præsumpsimus .. nominare: *deinde* Hæc vero ... annotare studuimus. *Itaque nulla hic apparet interpolatio, nec ullibi ista deprehendi poterit in Vita, modo exordium expungatur, quod malè assutum agnovit Henschenius.*

Tillemontius contra eadem Acta ex stylo malè disputat,

11 *Tillemontius tom. 16 Monumentorum in S. Eugenio art. 49 objectiones Ruinartii reperit, exceptâ illâ de loci ullius interpolatione; cujus infirmitatem videtur agnovisse. Verùm alia multa addidit, & plura, quam videatur intellexisse. Verba ejus fideliter relata probabunt, an vera sint, quæ affirmo:* Acta illa, *inquit*, obscura sunt & perplexa: multa dicunt, quæ non satis exprimuntur distinctè; nec aliunde idonea videntur, ut multum obtineant auctoritatis: nam vitiosè admodùm scripta sunt, Latinitate barbara, mixta multis carminibus aut carminum exercitationibus sine ratione, sine elegantia. *Hæc scriptor Gallus, qui quam peritus fuerit Latini sermonis, mihi non liquet. Certè hæc magnam styli aut metri Latini peritiam non insinuant. Respondeo igitur stylum horum Actorum non magis obscurum esse aut implexum, nec magis barbarum, quam passim sit stylus aliorum auctorum, qui sub finem seculi quinti, vel initium sexti scripserunt. Floruit eo tempore Victor Vitensis, qui composuit Historiam persecutionis Vandalicæ, laudatam paulo antè à Tillemontio art 45. Siquis peritus Latini sermonis eam conferre voluerit cum Actis* S. Castrensis, *faltor, si illius Historiæ stylum clariorem aut puriorem inveniat, quàm sit stylus, quo Vita* S. Castrensis *conscripta. Quod additur de versibus non modò risum mihi movit, sed & dubitationem, an carminum dimensiones satis noverit Tillemontius. nam multa se reperisse carmina existimavit in Actis, in quibus nullum carmen reperire potui, nullam versiculi partem stu-*

C

dio positam. Numerosa quidem subinde est oratio: at si numeros modosque oratorios fortasse non noverat à versibus distinguere Tillemontius, non debuerat de stylo disputare, ne cæcos inferres ictus. Sufficiat igitur dixisse verbo, omnia illa, quæ mox recitavimus ex Tillemontio, non modo frivola esse, sed planè falsa. Audiamus objectiones reliquas.

D

& objectiones Ruinartii repetit, adjectâ unâ de miraculis, quæ exigui est momenti.

12 Multa, *inquit*, referuntur in iis miracula sine probabilitate & sine decore. In diversis Mss. habent, persecutionem Wandalorum accidisse sub Valentiniano & Valente, quod est ridiculum. Auctor affert, quæ didicerat ab illis, qui morienti Sancto adfuerant; atque ex eo videtur non diu post ipsum vixisse. Verùm, etsi id verum esset, sat multi reperiuntur, qui scribunt etiam facta sui temporis sine cura sufficienter illa investigandi. Certum est hanc Vitam scriptam esse aut interpolatam ab homine, qui historiam seculi quinti prorsus ignorabat. *Hactenus Tillemontius, qui, ut numerum objectionum augeat, semel accusat scriptorem Vitæ, quòd persecutionem Wandalorum collocaverit sub Valentiniano & Valente, ac rursus quòd ignoraverit historiam seculi quinti. Si quis modò quærat, cur ignorasse videatur historiam quinti seculi; respondebitur: Quia persecutionem Wandalorum posuit sub Valentiniano & Valente. Una igitur est objectio diversis verbis bis prolata, eademque jam sibura ab Henschenio, ut suprà ostendi. Hinc fors Supereſt objectio de miraculis, quæ sine probabilitate & decore narrata affirmat, sed non probat. Respondeo ad hanc difficultatem, quæ magna non est, miracula illa non tam improbabili aut indecoro modo relata esse quam vult Tillemontius, quem & in variis Actis critico nostro probatis, & nominatim in Actis S. Theodati, diris apud nos ad diem XVIII Maii, quæ summis laudibus ornantur ab ipso Tillemontio tom. 5 pag. 189 editionis secundæ, occurrere miracula nihilo minùs mirabilia. Constat etiam, non rara fuisse miracula tempore persecutionis Wandalicæ, ex quibus multa retulit Victor Vitensis, amisit haud dubiè plura. Quod ait, scriptores coævos subinde non satis inquirere in veritatem factorum, quæ referunt, non ferit scriptorem nostrum, qui multa satis manifestè narravit, & illius negligentia convinci nequit. Itaque, cum parùm sint solida, quæ contra hanc Vitam objiciuntur, partem illam, quæ de duodecim Sanctis nostris eorumque sociis anonymis agit, subjiciam atque annotationibus quibusdam illustrabo, ubi pauca observavero de iis, quæ magis sunt dubia.*

E

Incertum est, sub quo Wandalorum rege fuerint Confessores nostri.

13 *Primò incertum est, quo anno, imò etiam sub quo Wandalorum rege, Sancti nostri navibus sint impositi. Carcerdolus loco ante indicato existimavit Sanctos nostros duodecim unà cum S. Quodvultdeo Carthaginensi episcopo navi vetustæ impositos esse sub Genserico circa annum 437 vel 438. Verùm non est, cur scriptor Vitæ* S. Castrensis *omisisset S. Quodvultdeum, si hic eidem navi fuisset impositus; atque ideo cum Henschenio Ruinartius & Tillemontius probabiliùs putant, Sanctos nostros seorsum à Quodvultdeo fuisse mari commissos:* Si autem conjecturis indulgere voluerimus, *inquit Ruinartius pag. 532,* nullus fere erit annus sub Vandalica dominatione, ad quem hæc persecutio revocari non possit. *Tillemontius dubitat, an sub Genserico, Hunnerico, aut Trasamundo res contigerit. Henschenius magis propendet in persecutionem Genserici, sub quo persecutio non minus fuit generalis, quàm*

F

notatur

A *notatur fuiſſe illa, de qua agit Vita. Fateor rem eſſe incertam, ideoque obitum horum Confeſſorum latè notavi ſeculo* V, *quod etiam exceſſerunt, ſi ſub Traſamundo ſint relegati. Attamen, cùm ſciamus S. Quotvultdeum cum clericis ſuis eodem modo marinis fluctibus expoſitum fuiſſe ſub Genſerico; cùm etiam conſtet ex Victore Vitenſi lib.* 1 *pag.* 8, *eumdem voluiſſe* vicino mari . . . eâdem horâ demergere *epiſcopos, qui eum ſupplices acceſſerant, ſuſpicor vehementer ejuſdem tyranni juſſu Sanctos noſtros marinis periculis objectos; licèt alioquin non inficier idem contingere potuiſſe ſub Hunnerico, aliiſque ſequentibus regibus.*

14 *Altera dubitatio eſt, an omnes fuerint epiſcopi, uti inſinuare videtur Martyrologium Romanum.* Roſſius, Priſcus, Tammarus & Caſtrenſis *infrà num.* 1 *epiſcopi dicuntur ſatis clarè. De* Heraclio *dicunt tyranni num.* 7, qui jura Chriſti in populis audacter conſparſit; *quod munus propriè eſt epiſcoporum, ſed presbyteris communicatum in Africa à tempore S. Auguſtini. Num.* 5 S. Caſtrenſis . . converſus ad Confratres & Coëpiſcopos, ita eos allocutus eſt: Fratres mei & Domini *&c. Quod videtur inſinuare omnium epiſcopatum. Num.* 8 *multitudo Chriſtianorum accurrens, dicebat:* Sinite nos ſequi veſtigia ſanctorum Patrum. *Quæ verba rurſum ſuſpicionem ingerunt de omnium epiſcopatu. Demum ex num.* 1 *habemus, hos Sanctos ex diverſis provinciis fuiſſe adductos cum ingenti alia multitudine, ita ut veriſimile ſit, eos ſolos juſſu tyranni carioſæ navi impoſitos, quia erant epiſcopi, ac demum, cum ultrò ſe adjunxiſſent alii, horum ſolorum nomina ob dignitatem epiſcopalem ab auctore expreſſa. Verùm, etſi hæc omnia vehementem de omnium epiſcopatu ſuſpicionem injiciant, eaque traditionibus Italorum ſit conformis, rem tamen non conficiunt. Hiſce ſubjungo partem illam Vitæ* S. Caſtrenſis, *quæ ſpectat ad omnes duodecim.*

nec omnino conſtat, an omnes fuerint epiſcopi.

B

ACTA

auctore anonymo

C

Ex Vita S. Caſtrenſis edita.

Captis Sanctis, Priſcus & Caſtrenſis blandis verbis tentati, a

UNde *a* factum eſt, ut catervatim ex unaquaque provincia Sanctos Dei vinctos adduci præciperent. Sed cum ingenti multitudine etiam & ſancti Viri moribus & vitæ honeſtate præfulgentes, etiamque ſummi ſacerdotii honore prædìti, intererant, qui gratantes cum commiſſis gregibus gradiebantur, putantes ſe cum martyrii triumpho vitam conſequi ſempiternam. Ex quibus præcipuè rutilabant meritis & moribus & ſensûs decore Roſſius, Priſcus, Tammarus & ab indole ſanctus enitens Caſtrenſis *b*. Sed ubi ſceleratus tyrannus *c* tam ingentem multitudinem conſpexit, ſævissimis miniſtris eos cuſtodiendos tradidit; donec tractaret, quid de tam præclaro cœtu perageret. Quos dum ſævi, ac nefandiſſimi ſatellites in arctà cuſtodià retruſiſſent, ſeparatimque ab alterutro alterum ſeparaſſent; evenit, ut ſanctos Athletas Dei, præcipuæ ſanctitatis ac auſteritatis nitore præfulgentes, Priſcum & Caſtrenſem clàm ex ergaſtulo educerent; talibuſque eos colloquiis decipere conarentur: Cùm vos & decor & forma corporis, & generoſitatis nobilitas, necnon & regis amicitia, & philoſophiæ decus ceteris præponat, cur voſmetipſos ad hujuſce ignaviæ dedecus trahitis, ut inter hos deputemini, quorum genus, ac patriam ignorari omnino certum eſt?

b

c

A. ANONYMO.

2 Ad hæc conſtanter Sancti dixerunt: Quid, iniqui ſatanæ miniſtri, nobis talia auſi eſtis conferre, ut veſtris ſæviſſimis ſuaſionibus noſtra corda conemini inflectere, quæ divina gratia ita ad copiam divinæ celſitudinis direxit, & ita potenter ab iſtius ſeculi voluptatibus abſtraxit, ut non ſolùm Dei filios, ſed etiam fore deos teſtetur per Prophetam dicens: Ego dixi, dii eſtis & filii excelſi omnes; & alius item vates: Quam ſpecioſi pedes euangelizantium pacem! Tunc iſti nimio furore accenſi, curſim regalia tecta ſubeunt, clamantes: Piiſſime ac humaniſſime rex, ecce virus, quod infundebatur clàm per ſingulorum corda, ne tuis quiſpiam piis obediret præceptis, nunc in patulo per ſuperbos ac contemptores regni tui infunditur: in tantumque eorum exarſit protervia, ut etiam te ipſum ſævum ac crudelem nominent tyrannum *d*.

fortiter reſpondent: hinc rex incenſus a miniſtris,

E

d

Sanctos jubet torqueri graviter, quod exſequuntur ſatellites:

3 Quod audiens ſceleſtus rex, movet cæſariem concuſſo capite, & per ſe ſuique regni magnitudinem terque quaterque jurat, hos non ſinere viros abſque vindictæ pœna abire. Tunc torvis luminibus ad ſuos intendens ſatellites, ait: Ite properè, & quidquid parricidis inferendum fore dignum creditis, his ſceleratis dupliciter inferte, ut per vos dedecus noſtræ celſitudinis auferatur. Hoc audientes crudeliſſimi ſatellites, agminatim pergentes, Sanctos in unum congregari fecerunt locum, & alios virgis, alios alapis, alios cum lapidibus cædebant. Sed Sancti Dei alacri mente in ſuperni Regis amore permanentes, nec ſuſpirium quidem emittere videbantur. Cúmque bracnia cædentium omnino dencerent, & Sancti mente ac corpore ſtabiles permanerent, ſtupefacti ſeparaverunt ſe ab invicem, muſſitantes in ſemetipſis, quo genere mortis Sanctos Dei perderent. Nec multo pòſt in uno congregati agmine, cœperunt alterutrum inter ſe ſuas cogitationes edicere. Sed cùm nihil ex his, quæ loquebantur, eis congruum videretur, unuſquiſque remeavit ad propria, altero die reverſuri ad perficiendum ſcelus: Sanctos verò Dei in ima carceris retrudi fecerunt.

F

incluſos carcere noctu conſolatur angelus.

4 Eadem verò nocte apparuit illis angelus Domini, & ſplendor mirabilis circumfulſit omnes, qui erant in cubiculo carceris, dixitque illis: Ecce Dominus noſter Jeſus Chriſtus miſit me ad vos, ut meis alloquiis corroborentur corda & corpora veſtra, & antequam vos ſæviſſimi perſequutores in vaſti æquoris profundum demergere tentent, omnes ſciatis, quia Rex æternus unicuique veſtrûm præparatum habet locum, in quo & vos ipſi in Chriſto quieſcatis, & multitudinem in illis partibus commorantium populorum ab omni errore abſolvatis. Ad hæc Sancti unanimiter dixerunt: Sit laus in altiſſimis Deo, ſuamque in nobis ſuperna pietas adimpleat voluntatem. Hoc tantùm nobis conferat divina Majeſtas, ut quos ab uno ſolo pro nominis ſui gloria transferre dignatur, infra unius patriæ terminos ſua pietate concedat ut noſtra corpora ſepeliantur. Quibus angelus placido ore reſpondit: Pro certo ſcire vos volo, quia, quidquid peſtulabitis, ſecundum veſtrum votum adimplebitur *e*. Quo dicto, angelus ab eorum oculis abſceſſit; lux vero per

e

A. ANONYMO.

totam noctem exuberavit in carcere, & Sancti per totam noctem hymnis & laudibus exultaverunt.

Stolam S. Caſtrenſis irrevcrenter apprehendentis brachia ſubitò areſcunt, & precibus Sanctorum reſtituuntur :

5 Altera verò die infanda caterva iniquorum cum pugionibus & virgis ſuper Sanctos irruentes, putabant ſe eos ſuo terrore inflectere. Sed Sancti Dei fidenter exſpectantes promiſſionem angelicam, pro nihilo minas eorum ducebant. Tunc S. Caſtrenſis circuminduit ſe ſtolâ ſuâ. Quod ut vidit ex circumſtantibus miniſtris unus, qui ceteris erat audacior, cœpit illum trahere per eam, ac ſi per vilem funem. Quem divina pietas illico percuſſit, ut non ſolùm manus, quâ ſtolam ſancti Viri apprehenderat, verùm etiam utraque brachia ei areſcerent. Qui mox corruens ad pedes ſanctiſſimi Caſtrenſis, ejulando cœpit clamare & dicere : Miſerere, miſerere, ſancte Sacerdos Dei, miſerere mei, & erue me ab hac, quæ mihi meis pro delictis evenit, ariditate. Ad hanc vocem S. Caſtrenſis miſericordiâ motus, converſus ad Confratres & Coëpiſcopos, ita eos alloquutus eſt : Fratres mei & Domini, memores eſſe debemus dicti Domini & Salvatoris noſtri, dicentis ; Orate pro perſequentibus & calumniantibus vos. Unde, Fratres, omnes unanimiter B rogemus Dominum, quo hæc retrograda brachia & has aridas manus ſua pietate ad priſtinam ſanitatem reintegram dignetur. Eâdem horâ oraverunt ſinguli ſigillatim in corde ſuo, & quaſi ex uno ore omnes pariter reſponderunt, Amen. Ad hanc vocem ille angarizator iterum exclamat : Pontifex Dei, miſerere mei. Cúmque juſſu Dei Famuli à terrâ ſeſe erigeret, confeſtim brachia manuſque ejus priſtinæ ſanitati ſunt reddita *f*. Quo viſo, miniſtri impii quidam, nefcio, f quo ſpiritu pleni, magnis cum vocibus cœperunt magnificare Deum, cujus in nomine S. Caſtrenſis oratio tam citò infirmum priſtinæ ſanitati reſtituit.

aliquis ſuadet ut Sancti imponantur vetuſtæ navi omnique ope deſtitutæ,

Sed cùm à ſupervenientibus Chriſtianis redarguerentur ex peractis in Sanctos Dei ſceleribus ; iterum rediviva eorum veſania in iram exarſit, cœperuntque compellere Sanctos Dei, ut regalibus obedirent præceptis. Sed quia ſuperna clementia vigili curâ cuſtodiebat Sanctos ſuos, multo cœperunt deridere ampliùs veſaniam eorum. Tunc unus, in quem corporaliter habitare ſathanam creditum eſt, nomine Ariſtodemus *g*, g C hujuſcemodi voces contra Sanctos Dei cœpit emittere. Hos ſi ignis cremaverit, pulvis, qui ex eis remanſerit, iterum maculat ; ſin verò exſtinxerit, cruor eorum, in quocumque rure ceciderit, inficiet. Nunc ergo acquieſcite conſiliis meis, & hujus ſectæ hos qui tantùm exiſtunt auctores, ut etiam regis animum ad iracundiam provocent, ita funditus perdere ſtudeamus, ut nec veſtigium eorum in terrâ inveniatur. Sint in paſtum marinis belluis, & tumulus eorum imputetur profundum abyſſi. Feratur vetuſtiſſima navis, quæ non ſolùm aliquam navigantibus utilitatem non habeat, verùm etiam nec exiguam partem, ex quo compactæ detinentur tabulæ, bitumen retineat : in qua nec aliqua pars ſolaminis inveniatur, abjectis tropis & antennis, omni ſolatio viduata clavorum : vix per pauciora ſpatia æquoris ambulantes à pelagi abſorbeantur faucibus.

quod cum eorum deriſione faciunt barbari :

7 Talibus alloquiis ut eſt affatus fævæ catervæ multitudinem ille iniquus peſtifer, paſſim hinc illincque confeſtim ſegregati cœperunt diſcurrere, atque cum erectis brachiis vetuſtarum navium cœperunt lora concutere, ne quid in eorum viribus Sancti habere valuiſſent ſolatii. Cúmque multarum abjeciſſent navium copiam, indicio viſa eſt una vetuſtior, quæ per multorum annorum curricula ſolummodo ab avium ſtercoribus putrefacta marcuerat. Hanc unanimiter complexantes, cum læto animo ad oras maris perducere feſtinant, perclamantes : Hæc navis Chriſticolas tranſportabit ad alias oras. Cúmque eam in æquore projeciſſent, ſimulantes ſe nomina Sanctorum ſegregatim cum honore digno vocare, ita exorſi ſunt : Ingrediatur priùs huc reverenda canicie *h* & ſanctitate præditus Roſſius. Poſt hunc fœcundæ * ſobolis proles Secundinus. Tertius, qui jura Chriſti in populis audacter conſparſit, Heraclius. Juxta eum fas eſt ut Benignus & Priſcus reſideant, Elpidius necnon * lateris ultimam ſedeat partem. Ad intra dehinc alterius partis detineat locum Marcus, & Auguſtinus ; Canion, & Vindonius pariter cum eis recumbent. Signifer præceptor Caſtrenſis puppis poſſideat arcem, ab indole qui flatibus imperavit iniquis : Tammarum fas eſt proram gubernare benignè.

h

* *apud Monachum* ſecundæ

* *adde* ad

E

multi Catholici ſponte accurrunt, ut navi imponantur cum Sanctis,

8 Talia dum fævi diſponunt miniſtri, repentè ſupervenit innumera multitudo Chriſticolarum, permixtim viri ac mulieres, ſeu adoleſcentes & parvuli, omnes pariter clamantes : Miſeremini, miſeremini conjuges, &, ne veſtræ manus polluantur noſtro ſanguine ; ſinite nos ſequi veſtigia ſanctorum Patrum. Hanc acclamationem indignè ferentes, & in deriſionem vertentes, cœperunt feſtinanter cogere eos aſcendere navim, atque deridentes dicere : Dignum eſt, ut ſimul cum his, quos imitati eſtis, efficiamini in paſtum marinis belluis. Multitudinem verò Sanctorum Sanctarumque *i* idcirco minimè præſumpſimus nominatim nominare, quia nullus ſub cælo invenitur, qui dicere audeat, ſe cognoviſſe nomina ſingulorum, niſi ſolus ille, qui æqualiter per ſuæ magnitudinis gloriam ſemper ubique eſt, & cui omnia præſentia ſunt. Hæc *k* verò, quæ noſtris ſenſibus pietas perennis Dei per ſanctorum Patrum dicta tradidit, idcirco annotare ſtuduimus, ut, dum aliquis fidelium alicujus Sancti ſolennitatem celebrat, pariter de cujus ſanctorum / triumpho lætetur : quo ab æterno Rege immortalitatis præmia, his omnibus intercedentibus, adipiſci dignè valeat. Hi enim ſunt, qui relinquentes prædia & divitias, ſemetipſoſque abnegantes, ſecuti F ſunt Redemptoris veſtigia. Sed commodum duximus, ut præcurrente ſtylo breviter annotemus, qualiter immenſus Rex noſter Chriſtus ſæva ridiculaque nefandorum tyrannorum ad laudem ſui nominis convertere dignatus eſt.

i

k

l

ad eamdem alius nauibus perducuntur ; navis ziehn. Deo dirigente, Sanctos ad litus Campanum perducit.

9 Cúmque ſæva concio militum unanimiter viros ac mulieres, adoleſcentes & parvulos, agminatim conſpicerent navim velle conſcendere, metuentes, ne vetuſta navis in littore mergeretur, ſtatuerunt, ut hi demum, qui ſe eorum conſortio copulare voluiſſent, uſque ad eos navigio firmioris ratis deducerentur. At omnipotens Deus, cui eſt in mari via & ſemitæ in aquis multis, mutato ordine, eorum verſutiam in Sanctorum gloriam mutavit mirabiliter. Nam, cùm multitudo navium vix uſque ad pelagum Sanctorum deduxiſſent exercitum, permixtimque in vetuſtam navem certarent ejicere, ut pariter interitus Catholicorum veniret, demerſo vetuſto navigio ; tunc virtus ſuperni Regis hoc ſuæ præbuit virtutis indicium, ut ii, qui Sanctos Dei devinctos ad pelagum uſque deduxerant, nequaquam ſuarum navium mutarent *m* remigia, donec ipſi cum ſuis viderent luminibus, qualiter

m

Chriſtus

A Christus Deus noster suis in mari præberet vias, & in aquis semitas. Sicque gaudentes & exultantes, atque Christo Regi seculorum grates referentes, pervenerunt in Campano littore, cùm mensis Maius dies decem compleret à Kalendis. Hinc cùm placidas arenas maris propriis calcarent pedibus, pater sanctus Castrensis è vetusto
n navigio, Christo Deo juvante, confracta *n* solidat, ad locum, ex quo est projectus, redire sategit: quod, aura leni flante, per vastum æquor iter arripuit: qualiterque transmeavit, se-
o quens sermo *o* edocet.

ANNOTATA.

a *Auctor varia præmiserat generatim de artibus, quibus Ariani Wandali pervertere moliebantur Christianos, horumque constantia in fide orthodoxa.*

b *Cùm hi quatuor dicantur ex illis, qui* summi sacerdotii honore præditi *erant, clarum est fuisse episcopos, ut jam monui num.* 14.

c *Gensericus intelligendus, aut Hunnericus,*
B *aliusve rex Wandalorum, secundum dicta in Commentario num.* 13.

d *Hoc nomen regi dedisse Sanctos, antè non dicitur. Neque tamen vehementer mirandum esset, si eo nomine ipsum designassent. At fingere similia etiam poterant ministri, ut regem magis inflammarent.*

e *Non dubito, quin hæc angeli apparitio promissioque displicuerit Tillemontio. At non video, cur mendacem credere debeamus auctoris relationem, cùm nihil contineat, quod hujusmodi mereatur censuram.*

f *Neque in hoc miraculo quidquam occurrit, quod ab eodem credendo nos abstterrere debet.*

g *Aristodemus hic deinde in Vita S. Castrensis num.* 12 Adamas, *& apud Monachum* Adamantius. *Potuit nomen alterutro loco esse mendosum. Certè non placet annotatio Monachi in Recognitione Sanctuarii pag.* 4, Aristodemus *esse nomen damonis, à quo erat obsessus: quin imò non tantum hisce Actis tribuo, ut eorum auctoritate certò credam hominem illum* corporaliter *à damone fuisse obsessum, cùm similia facilè dicantur per*
C *exaggerationem.*

h *Hæc & sequentia, quibus videntur laudare Sanctos, per irrisionem ironicè dicta sunt, verisimiliter quia similia de iis dixerant Catholici.*

i *Eos designat, qui sponte se offerebant comites.*

k Hæc, *id est, accessum ultroneamque oblationem multitudinis non nominatorum, cognitam ex dictis* sanctorum Patrum, *nimirum quorumdam ex duodecim nominatim recensitis,* annotare studuimus.

l Cunctorum *non modò duodecim, sed etiam non nominatorum, qui non colebantur singuli. Hoc scriptorem velle, liquet ex toto contextu, uti ostendimus in Comm. num.* 10.

m *Id est, mutato cursu, non reverterentur ad terram, priusquam viderent vetustam navim non demergi, sed recto cursu ferri per mare.*

n *Forsan legendum,* qui confracta solidat, *ut habuit Ms. Romanum; sed ne sic quidem phrasis est integra. Quocumque autem modo legendum fuerit, indicat auctor navim sponte sua deinde delatam in Africam. Crediderim & alia quædam mendosa esse, sed cùm menda illa minùs sint clara, phrasis satis tutò nequit restitui.*

o *De his, postquam narraverat pœnam illius, qui suggesserat consilium imponendi Sanctos ca-*
rioſæ navi, eumdemque in Italia ſanatum à S. Caſtrenſe dixerat, ſubjungit hæc ſolùm verba: Hoc revertente viro (*in Africam*,) etiam navis, quæ ad dedecus Sanctorum marinis in fluctibus jactata fuerat, auxiliante Deo, in litore, ex quo ejecta fuerat, reperta est. A. ANONYMO.

APPENDIX

De inventione corporis S. Prisci confessoris, qui forsan idem est cum S. Prisco Africano.

Ughellus tom. 8 *Italiæ sacræ à col.* 290 *editionis Venetæ dedit historiam inventionis cujusdam* S. Prisci, *sed non exponit, quis fuerit ille* Priscus. *De loco & tempore inventionis sic ibidem loquitur:* Sed nec silentio obruendum, quòd Joanne hoc pontifice (*Frequentino, qui* E *episcopatus fuit in Principatu Ulteriore sub archiepiscopo Beneventano*) sub Innocentii II pontificatu in veteri civitate, jam diu solo æquata, Quintodecima antiquitus nuncupata, nunc Aquaputrida, Frequentinæ diœcesis inventum est corpus S. Prisci. Inventionis historiam eodem tempore conscriptam hîc exhibemus ab exemplari nobis transmisso. *Porrò ex tota inventionis relatione nullum colligi potest argumentum, quo certò statuatur, an hic* Priscus *idem sit cum Capuano, an ab eo diversus, neque id aliunde colligi posse videtur. Certè Capuani videntur ignorare, ubi* Prisci *Africani corpus quiescat: nec video adduci ullum antiquum monumentum, quo evincant Capuanum fuisse episcopum, aut Capua defunctum. Dicitur quidem* Priscus *ille, cujus inventum est corpus,* natione Græcus, *sed unde id sciverit scriptor ille, non exprimit; neque videtur id scire potuisse, cùm Sanctus ante inventionem esset ignotus, & solum* Prisci *nomen dicatur fuisse scriptum super lapidem sepulcri. Demum hic* Priscus *nominatur* confessor, *nec ullus occurrit* Priscus *confessor, cujus corpus hoc suspicari possumus, nisi forsan* Priscus *Nuceriæ Pa-* F
ganorum * *patronus, qui colitur* IX *Maii, atque ab aliis confessor, ab aliis martyr dicitur. Actum est apud nos de* Prisco *illo Nucerino ad dictum diem, ubi dicitur primus illius civitatis episcopus, sed incertum est, quo tempore sederit; nullusque post ipsum Nucerinus episcopus reperitur ante Gregorii Magni pontificatum, ita ut ne quidem certum sit,* Priscum *Nucerinum alium esse ab Africano nostro. Cùm igitur nec locus Campania vicinus, nec aliud quidquam obstare videatur, quo minùs id corpus possit esse* S. Prisci *Africani, & aliunde ignotum sit, cujus* Prisci *fuerit, relationem istius inventionis ex Ughello subjungam, unicè gavisurus, si ea occasione eruditi Itali certiùs inquisiverint, cujus* Prisci *corpus repertum fuerit.*

* Nocera de pagani

RELATIO

A

RELATIO

INVENTIONIS

auctore, ut dicitur, coævo,

Ex editione Ughelli tom. 8 *Italiæ sacræ col.* 290.

Corpus S. Prisci diu fuit in loco ignoto,

PRiscus natione Græcus, vitâ & moribus per omnia sanctus: quem de partibus Orientalibus *a* ad nostram patriam venientem tamquam novum sydus gratia æterni Largitoris, à quo cuncta bona veniunt, ad nos mandavit. Cujus vitam & miracula, Deo adjuvante, per ordinem manifestare deinceps curabimus. Temporibus itaque Innocentii *b* venerabilis memoriæ Papæ, & Joannis Frequentinæ *c* sedis episcopi, multa signa & miracula per visiones fidelibus hominibus Deus ostendit in suo & beati Prisci honore, qui per multa tempora in veteri civitate, quam Quintumdecimum *d* solent veteres nominare, suo tumulo jacebat incognitus: in qua verò civitate multa corpora Sanctorum inventa fuerunt, & cum summa veneratione Beneventum collata sunt.

super quem agricola quidam videt tres globos igneos,

2 Quodam igitur tempore res valde mira, & stupenda in eodem loco, ubi sanctum corpus beati Prisci jacebat, per gratiam Dei visa est. Quadam namque die, cum quidam agricola in campo suo laboraret in supradicta civitate Quintadecima, quæ quondam fuit, intuens in quemdam angulum ipsius ruris, divina voluntate vidit quasi micantes solis radios, tres speras * de sub prædicti ruris angulo prodeuntes umbrosis nubibus, sole penitus occupato, qui dum eas subtiliter respiceret, statim ipsarum se sensit lumine cæsum, qui ut vidit se hujusmodi ab eis obumbratum, obstupuit, & exterritus effectus est in tantum, quòd in terram ferè semivivus, relicto fossorio *, quod tenebat in manu, cecidit. Cúmque præfatus agricola in se esset reversus, vidit easdem speras ingredi eundem locum, unde prodierant. In illa autem die, quando dictus agricola hoc vidit, tempus erat tenebrosum, & hyems erat, sed agricola ipse in illa ruina, quam ex sperarum coruscatione senserat, perduravit, & se ultrà levare non potuit.

* *id est*, sphæras *seu* globos

* *i. e.* ligone

idque indicatur Alferio archipresbytero:

3 Tunc cuidam suo patruo, qui etiam presbyter bene timoratus erat, Nicolaus nomine, ruinam & malum, quod habebat, nunciando mandavit, qui præstim * ad eum veniens per ordinem interrogare cœpit, qualiter res illa sibi evenisset. Qui omnia, sicut acciderant, manifestare curavit. Presbyter hæc audiens, timorem habere cœpit, & prædictum nepotem suum in asino posuit, & domum suam adduxit. Qui verò presbyter, postquam ad civitatem Aquæ putridæ *e* venit, quæ non longè à memorata urbe Quintadecima sita est, illico ad venerandum archipresbyterum, Alferium nomine, ejusdem civitatis Aquæ putridæ ivit, & rem totam, sicut à suo nepote audierat, patefecit. Quibus archipresbyter auditis, gaudio repletus est magno, dictis tamen ejusdem presbyteri credere noluit; sed ad prædictum agricolam cum eodem presbytero festinavit: qui valde cum lætitia magna ad confratres suos clericos remeavit. Quibus congregatis in majori ecclesia civitatis prædictæ, eis omnia diligentiùs enarravit: qui gratias, & laudes immensas unanimiter omnipotenti Deo. dederunt, & inito consilio, jejunium statuerunt, & post jejunium cum laudibus, & magnâ reverentiâ eundem locum venerabilem, in quo sancta visio visa fuerat, adeundum esse laudaverunt.

* *i. e.* velociter

4 Quibus finitis, piè & devotè ad venerabilem locum perrexerunt, & præfatum agricolam secum duxerunt. Tunc verò idem agricola venerabilem locum prædicto archipresbytero Aquæ putridæ, & suis clericis humiliter ostendit: qui psalmos & litanias in Dei omnipotentis, & S. Prisci honore decantaverunt, & æternum obsecrantes Opificem, devotis cum orationibus ibidem fodere cœperunt. Cúmque in fodiendo desudarent, quemdam invenerunt lapidem, in quo B. Prisci nomen continebatur. Postquam Nicolaus presbyter, cujus memoriam fecimus, supradicti agricolæ patruus, lapidem illum aspexit, statim recordatus est, quomodo sibi in ipso loco de eodem lapide transacto tempore contigerat, & archipresbytero jam dicto omnibusque aliis circumstantibus insinuare illud cœpit, dicens: Noverit paternitas vestra, me tempore illo, quo Leonis Petri filius *f*, qui Papa cognomine dicebatur, in præsenti loco in fodiendo laborasse, & lapidem ipsum invenisse; sed cùm ego, & nostri operarii, qui nobiscum aderant, lapidem ipsum à loco suo, fodiendo per totum diem, removere cuperemus, nequaquam valentes, inremotum dimisimus. Nocte igitur insecuta apparuit beatus Priscus in somnis cuidam nostrorum operariorum bono viro, dicens ei: Hesterna die vos malè voluisse sciatis, quando meam domum quocumque modò frangere tentabatis. Et sciatis me talia non velle isto tempore, neque talia volo, ut modò tentatis; quia donec filius Petri Leonis vixerit, qui Papa dicitur, ego revelatus non fuero. Postquam verò isti defecerint, meam revelationem esse sciatis, & in civitate Aquæ putridæ me mansurum confidite, in qua misericors, & miserator Dominus, fidelibus suis ad laudem sanctam suam, suorumque Sanctorum ostendere dignabitur mirabilia multa. His auditis, idem archipresbyter cum suis clericis videns tunc ipsum lapidem moveri non posse, abscessit.

* *i. e.* existimaverunt

hic ad locum se conferens, invenit lapidem, Prisci nomine notatum, sed eum nequit movere:

f

apparet Sanctus duobus presbyteris, à quibus monitus archipresbyter, rursum quærit; at frustra:

5 Sequenti itaque nocte apparuit B. Priscus cuidam sacerdoti, & cuidam alii sacerdoti per visionem, dicens; Euntes nunciate archipresbytero vestro, quatenus non dimittat opus, quod hesterna die cœpit, sciens quia quod desiderat, inveniet. Qui mane surgentes ad suum archipresbyterum festinanter venerunt, & visionem, quam viderant, unus ignorans de alio, narraverunt. Quod archipresbyter audiens, nimio repletus est gaudio, & cum suis clericis, & aliis bonis viris prædictæ civitatis Aquæ putridæ, devotè ad locum, in quo memoratus lapis erat, venit, ipsumque lapidem divino adjutorio à fovea, in qua stabat, extrahere fecit, in quo beati Prisci nomen scriptum erat. Ubi autem lætantes, beati Viri nomen viderunt, & legerunt, rursus in eodem loco fodere cœperunt, existimantes Sancti corpus ibidem invenire. Sed postquam fodiendo Sancti corpus invenire non potuerunt, dolore pavoreque concussi atque conterriti quodam desperationis jaculo, ut ita dicam,

A eam ; minimè inveniendi percuſſi , ad ſua remearunt.

6 Eo namque tempore ſacerdos quidam , Marcus nomine , in eadem civitate Aquæ putridæ morabatur , qui etiam paramonarii *g* gerebat officium , & prædictam * ejuſdem civitatis cuſtodiebat. Cui B. Priſcus nocte quadam nitido aſpectu , virgam in manu ferens , per viſionem apparuit , dicens : Quare locum iſtum , qui vobis oſtenſus fuit , dimiſiſtis ? Et quare fodere reliquiſtis ? Cui iſdem ſacerdos dixit : Nos quidem, cariſſime Domine , ad ipſum locum jam bis venimus , & devotè cum ſumma diligentia in loco ipſo quæſivimus , & beatum corpus non invenire potuimus Et beatus Vir dixit ei : Veni & docebo te , quo in loco quærere , & fodere debeatis. Ad quem , poſtquam acceſſi * , continuò cum eadem virga , quam in manu ferebat , deſignavit , dicens : Nunc vade ad archipresbyterum veſtrum , & feſtinanter accedite , & in loco iſto , quem eâdem virgâ tibi deſigno , fodientes & perquirentes , ſine dubio , quod optatis , invenietis. Tunc ſequenti die ſacerdos ſurrexit , & ſicut in B ſomno viderat & audierat , archipresbytero manifeſtavit. Quam divinam viſionem archipresbyter audiens , lætitiâ magnâ repletus , libenter ad ipſum locum ſe venire promiſit.

7 Cumque archipresbyter ſequenti nocte ſe ſopori dediſſet , quamdam mirabilem viſionem vidit. Videbat enim ſibi in ſacriſtario * ejuſdem majoris eccleſiæ civitatis Aquæ putridæ adſtare, & quòd paratus albis veſtimentis eſſet , quemadmodum mos illi fuerat in majoribus ſolemnitatibus ; & de ſacriſtia exiens , ad ſanctum adire volens altare , quaſi ſanctarum Miſſarum ordinem humiliter ; utpote decet , vellétque * peragere , in choro aſpiciens , tres venerandos viros ; epiſcoporum more rubeis planetis indutos , infulaſque in capitibus habentes , demumque per omnia , ut epiſcopos decet , ornatos exiſtere , ita in majori atque venerabiliori loco chori vidit conſiſtere : & cùm idem archipresbyter , quaſi ad prædicandum , gradum vellet aſcendere , tota illa ſancta eccleſia bonis viris ſibi plena videbatur. Et intuens juxta illos viros archiepiſcopatûs Beneventani ſacriſtam venientem cum libro , & quadam epiſtola , ad ſe venit. Loquens ſacriſta ; archipresbytero *h* hæc dixit : Pater cariſſime , ſalutem , & benedictionem ex parte ſanctorum Patrum , qui Beneventi conſiſtunt , & noſtri epiſcopi tibi apporto , & hunc librum cum hac epiſtola ex eorum parte accipito.

8 Cui archipresbyter reſpondens , dixit : Hoc nobis , fili , non mittitur , ſed noſtro Frequentino epiſcopo dirigitur. Quod ſacriſta negavit , dicens : Non epiſcopo , ſed tibi mittitur ; & archipresbytero dixit : Accipe hunc librum , quoniam hîc invenies de ipſis bonis viris ; qui epiſcopali more intus morantur , & de illo , qui in veteri civitate Quintadecima eſt. Cumque archipresbyter librum accepiſſet , & idem ſacriſta epiſtolam archipresbytero dare voluit , archipresbyter autem , antequam epiſtolam legeret , quid in ea contineretur , exquiſivit ; cui ſacriſta reſpondit , dicens : Accipe epiſtolam , & tibi legenti epiſtolæ continentia notificabitur. Accipit igitur archipresbyter epiſtolam , & quod in ea continebatur , apertè legendo , intellexit. Mandatum autem & ſeries epiſtolæ hæc erat : Illud , quod vos cœpiſtis in Quintadecima , facite perſeverantes , & ita volò , quatenus vobis perficientibus ; quæ cœpiſtis , omnia veſtro epiſcopo notificetis , atque per notitiam ejus , ea , quæ facere debeatis. Et poſt hæc excitatus à ſomno , evigilare cœpit.

9 Itaque Dominica die , quando clerici & totus populus , more ſolito in ſancta eccleſia ejuſdem civitatis Aquæ putridæ ſimul adeſſent , ad ſacrum ordinem ſanctarum Miſſarum audiendum * agendum , viſionem , quam ipſa nocte viderat , facto ſilentio , omnibus adſtantibus , clara voce narravit. Patefactis ergo omnibus , qualiter viderat , & ſecundum viſionem audierat , omnes rogare cœpit , ut prædictum locum Quintædecimæ civitatis ſecum adirent. Poſtquam verò idem archipresbyter omnia notificavit , omneſque rogavit , ut ſecum ambularent ad civitatem obrutam , quæ fuerat ab antiquo , quàm maxima multitudo hominum bonorum Aquæ putridæ eum ſecuta eſt. Qui cùm piè ac devote ad locum tumuli perveniſſent , accedens ſacerdos Marcus , cuſtos ſanctæ eccleſiæ ejuſdem civitatis Aquæ putridæ , locum oſtendit ; in quo beatus Priſcus circulum faciens cum virga , quam in manu habebat , in ſomnis apparuit , ſicut præſens lectio narrat , & fodere juſſit , ut ſacri corporis reliquias invenirent. E

10 Tunc archipresbyter & alii , qui aderant , ſuppliciter continuò flectentes genua , omnipotentem Dominum enixè rogaverunt , multiplicatis orationibus , cum litaniis & pſalmis , dicentes : Domine Jeſu Chriſte , ante cujus ſanctum conſpectum omnia contremiſcunt , & cuncta huda & aperta ſemper aſſiſtunt , te nos indigni ſervi tui humili prece exoramus , qui dignatus es dicere : Petite & accipietis , quærite & invenietis , pulſate & aperietur vobis ; quatenus nobis petentibus indignis famulis tuis beatum corpus S. Priſci confeſſoris tui in loco iſto oſtendere digneris ad gloriam & laudem ſancti nominis tui , qui cum Patre & Spiritu ſancto inſeparabiliter vivis & regnas æternus Deus per ineffabilia ſecula ſeculorum. Amen. His dictis , humiliter illis fodientibus , omnipotens Deus , qui ſemper præſto eſt juſtis petitionibus ; & non derelinquit ſperantes in ſe , laudabilem tumulum venerabilis patris Priſci revelavit. Qui ingenti exultantes lætitia , omnipotenti Regi laudes debitas reddentes , & devotis mentibus ſanctum tumulum inventum , in quo beatus pater Priſcus jacebat , aperuerunt. Quibus autem aperientibus , tam ſuaviſſimus odor omnes adſtantes replevit , acſi diverſorum pigmentorum balſamique innumerabilia adeſſent vaſcula. Et ſic tandem cantantes & jubilantes in cordibus ſuis Domino , mirificum corpus à loco , ubi erat , extrahentes , in ſancti Petri quadam eccleſia , quæ juxtà erat , illud poſuerunt. F

11 His itaque peractis , archipresbyter ad Frequentinum epiſcopum Joannem convolavit , & geſtæ rei ordinem per omnia intimare curavit. Quæ poſtquam Joannes venerandus epiſcopus auribus percepit , in exſtaſim poſitus , prout potuit ſagacino * ſollertique pectore æterno Deo Patri laudes & gratias præ lætitia decantavit , & eſdem injunxit archipresbytero , quatenus , relictis morulis , in die ſanctæ feriæ proximioris venientis ad eccleſiam S. angeli , quo in loco (Sallenti nuncupatur) eumdem epiſcopum exſpectaret , ac ſi * poſtmodum ad uſque memoratam eccleſiam beati Petri , ubi almificum corpus erat , nudis pedibus ambularent , vacanteſque orationibus & litaniis , tamquam aurum reliquias beati corporis in fornace *i* humiliter approbarent.

*apparet rurſum Sanctus & jubet quæri corpus ſuum , g * adde* eccleſiam

** lege* , accеſſit

ipſe etiam archipresbyter

** i. e.* ſacratio

** lege* , ut decet , vellet

h

miro ſomnio jubetur quærere ;

hinc invitat populum ut ſecum accedat locum :

** addendum & aut* vel

facta oratione , invenitur corpus ſuavem ſpirans odorem , portaturque ad eccleſiam S. Petri :

corporis inventione audita , epiſcopus illud per ignem probare ſtatuit ,

** i. e.* ſagaci

** forte* ac ſic

i

A. ANONYMO.

A ANONYMO.

rent. Archipresbyter verò fidelia monita antistitis sui fideliter accipiens, piè satagere, studioséque peregit.

cumque adesse non posset, probationem committit archipresbytero, k

12 Inter hæc à Beneventana sede, sub cujus diœcesi universa loca, quæ commemoramus in præsenti lectione, consistunt, legatus Frequentino episcopo mittitur, loquens, ut omni sublata occasione, ad Beneventanum archiepiscopum properaret. Qui sui archiepiscopi mandata metuens, omnibus relictis curis, religionis atque obedientiæ studium exercens, Beneventanam adivit sedem. Licèt hoc modo feciſſe legatur, tamen antea archipresbytero Aquæ putridæ accersito mandavit, dicens: Quia tecum venire non possum, qualiter dispositimus, ambulate l & prædictus Nicolaus presbyter cum aliis bonis viris, prout ordinavimus, nudis pedibus ad locum, ubi corpus sancti Prisci esse dignoscitur, & sacris vigiliis, & orationibus, atque assiduis eleemosynis, necnon sanctis jejuniis operam dantes, reliquias almifici corporis devotè probate. Archipresbyter autem monita sui præsulis, prout erat, pectore humiliter accipiens, humiliterque * pro posse complevit.

l

* *redundat* que

B

qui eas igni imponit, sed hic eis exstinguitur:

13 Probationem igitur sanctarum reliquiarum subsequens sermo evidenter manifestat. Archipresbyter post hæc ante altare beati Petri copiosum ignem fecit accendere, & quamdam particulam capitis beati Prisci cum litaniis & sanctis precibus, & laudibus, & orationibus in eodem igne misit coram Nicolao presbytero, & aliis bonis viris. Sed res valde mira in ea actione secuta est: ignis enim, qui valitudine sua, ut ita fatear, cuncta comburere solet, sic tunc exstinctus funditus fuit, tamquam si quilibet amnis violenter influeret. Intuens archipresbyter talia, mirari cœpit, ipsumque ignem acriùs accendere studebat, quatenus sanctas reliquias lucidiùs probaret. Sed ignis non ferens laudabilem fortitudinem almarum reliquiarum, quanto magis accendebatur, eo validiùs extinguebatur, & sanctæ reliquiæ tunc in ipso igne acriter sonare cœperunt, & adstantibus multum pavorem fecerunt. Et postea accipientes talia, maximas laudes, & innumerabiles gratias Deo æterno liberatori omnium unanimes decantaverunt, & sanctas reliquias extraxerunt, & à probatione cessantes, cum aliis sanctis reliquiis sanctas posuerunt reliquias.

C

peracta probatione, reliquiæ deinde jussu episcopi in ecclesia beatæ Virginis collocantur:

14 Post hæc verò archipresbyter Nicolao presbytero tale præceptum dedit, dicens: Vide, ne aliquis ingrediatur ad locum, in quo sanctuaria ista posita sunt, & neque tu, neque alius aliquis, & de ipso loco, ubi modò consistunt, movere præsumat. Ego enim omnia hæc, quæ in isto sancto opere nobis advenerunt, sicut audivimus & vidimus, nostro episcopo manifestare volo. Festinans ergo archipresbyter suum adivit episcopum, & gestæ rei ordinem, quemadmodum viderat & audierat, eidem humiliter notificavit. Quibus auditis, episcopus in sexta feria sanctæ majoris hebdomadæ misit de confratribus suis Aquæ putridæ ad locum, qui vocatur civitas Quintidecimi, ubi sanctum corpus erat, & inde illud ad civitatem Aquæ putridæ afferri præcepit. Quod cùm fratres cœlestibus laudibus fecissent, debitâ reverentiâ suo episcopo nunciaverunt: sicque deinde factum est, quod sanctæ reliquiæ per manus religiosorum hominum intus in ecclesia beatæ Dei Genitricis Mariæ non longè à choro, in psalmis & laudibus collocatæ, in civitate Aquæ putridæ positæ sunt.

D

episcopus noctu à viâ aberrans, invocato Sancto, periculo liberatur.

15 Contigit posthæc, ut episcopus Beneventum iret, & ipsâ viâ eundi & redeundi multa adversa sibi advenerint. Denique cùm ad Frequentinam sedem cum suis accedere vellet, licèt noctis tempore esset, per multa devia ambulantes, rectam obliti sunt viam; tandem nimio perterriti dolore & pavore, talem orationem episcopus dicitur feciſſe: Domine Rex, miserere nobis per gloriosa merita Sanctorum, & sancti Prisci confessoris, cujus sanctum corpus desideramus ponere in sancto altari, cujus sancti corporis negligentiam usque ad præsens habuimus: & nunc, Deus omnipotens libera nos famulos tuos de præsenti angustia, quia confitemur nos multùm offendisse te, & sanctum Priscum; sed pœnitentiam quærimus & volumus, atque emendationem nostrorum peccatorum desideramus, te auxiliante, qui es benedictus in secula seculorum, Amen. Factum est autem post hæc verba; sospes & incolumes invenerunt, & res suas omnes sine damno similiter. Jam clarescente die respecti fuerunt juxtà tumulum, in quo sanctum corpus venerabilis sancti Prisci fuerat antè in civitate Quintadecima; & super tumulum B. Prisci episcopus aspiciens, igneam nebulam vidit, & sic accepta consolatione, Dei omnipotentis magnalia collaudantes, ad suam domum reversi sunt, ac deinde episcopus festinanter ad se archipresbyterum Aquæ putridæ venire fecit, & omnia mala, quæ sibi acciderant, & quomodo fuerunt, & quomodo de equitatura sua cecidérat, & in terra quasi semivivus jacuerat, omnesque, qui secum erant, valido timore exterriti fuerant, & animalia, quæ secum ipse & sui Beneventum duxerant & reduxerant, quasi cæcata fuerant in via, eidem archipresbytero cuncta, quæ superiùs leguntur, manifestavit.

E

F

ANNOTATA.

a *Qua fuerit patriâ & natione* Priscus, *atque unde advenerit in Italiam, ignorasse auctorem existimo, ut jam prævièmonui. Quod ait, enarraturum se* Vitam & miracula, *intellige de inventione corporis, mirabilibusque tunc factis, etiamsi alioquin verba ejus plus insinuent: nam sæpiùs experimur, hujusmodi scriptores* Vitam *vocare, dum narrant aliquam corporis inventionem aut translationem.*

b *Innocentius II electus est anno* 1130, *defunctus verò anno* 1143. *Contra hunc in Sedem pontificiam intrusus est Petrus Leonis filius, seu Anacletus Antipapa, de quo inferiùs fiet mentio.*

c Friquentum, *inquit Ughellus tom.* 8 *Italiæ sacræ col.* 284, seu Frequentum, vulgò Frigento, est Hirpinorum antiquissima civitas Ulterioris Principatûs in summitate montis posita, Abellino finitima; duodecim circitèr milliaria Benevento metropoli distans, olim Æculum dicta; *aut potiùs* Æculanum *seu* Æclanum, *si vera sit Ughelli opinio, quam alii affirmant, negant alii. Episcopatu ornatam censet hanc civitatem tempore S. Leonis I, id est, seculo* v. Deficientibus tamen populis, sub Paulo II, anno MCDLXV, die VII Maii, priscum dignitatis decorem amisit, cùm episcopatus ejus Abellinensi finitimo perpetua unione accessit: unde ab eo anno qui præfuerunt Abellinæ ecclesiæ, Abellinensis & Frequentinensis episcopi titulo se subscripserunt. *Porrò Joannes hîc memoratus reperitur Frequentinensi ecclesiæ præfuisse anno* 1142 *& anno* 1145, *quibus nominatur in documentis ab Ughello recitatis.*

A *tatis. Quo verò anno episcopatum fuerit adeptus, quóque deindè vitam finierit, non exponitur.*

d *Quintodecimum memoratur in Actis translationis S. Mercurii martyris, editis à Victorio Giovardi pag. 56, ubi nomen exponitur hoc modo:* Quæ civitas, sive quòd Quintus Decius eam sibi victricibus armis subjugavit, ob signum victoriæ Quintodecimum ei nomen imposuit; seu, quod oculis patet, eo quòd quindecim millibus passuum à Samnia, quæ nunc Beneventum dicitur, à parte auroræ dinoscitur constituta, Quintodecimum est vocata. *Editor autem existimat Quintodecimum ex Æclani seu Æculani ruderibus surrexisse. Eamdem opinionem cum Holstenio amplexus est Norisius Historiæ Pelagianæ lib. 1 cap. 18, existimans Julianum famosum illum Pelagianorum propugnatorem, quem refutavit S. Augustinus, ejusdem civitatis, quæ antè* Eclanum, *deindè* Quintodecimum, *dicta fuerit, fuisse episcopum. Itaque antiquum Æculanum aliis est Frigentum, aliis Quintodecimum; nec libet hanc litem ulteriùs examinare, cùm non inveniam argumenta satis certa pro alterutra opinione. Cæterùm Acta S. Mercurii pag. 57*

B *Quintodecimum* dirutam *vocant jam à tempore Constantis imperatoris Monotheliræ, seu seculo* VII.

e *Civitatem Aquam Putridam nullibi invenio. Ughellus citatus eam confundit cum Quintodecimo, sed clarè hîc distinguuntur tamquam oppida duo. Fieri tamen potest, ut Aqua Putrida creverit ex prioris ruina.*

f *Schisma Petri Leonis passim refertur ab historicis ecclesiasticis, qui illa attingunt tempora. Franciscus Pagius in Breviario Pontificum Romanorum tom. 2 pag. 646 de ejus electione sic habet:* Cùm Innocentius II die decima quinta mensis Februarii anni MCXXX Honorio II successor datus esset à saniori Cardinalium parte, altera pòst die, scilicet decimâ sextâ ejusdem mensis, in ejusdem Innocentii æmulationem, intrusus est in Sedem Pontificiam Petrus Leonis filius, presbyter Cardinalis tituli sanctæ Mariæ trans Tiberim, qui jam non semel legationibus in Gallia & Anglia perfunctus fuerat. *Nomen Anacleti assumpsit Petrus, & à suis consecratus est* XXIII *ejusdem mensis, ut subdit. Mortuus est hic pseudo-Papa anno* 1138; *at post ejus mortem electus alter, de quo laudatus Pagius pag. 650:* Post

C mortem Anacleti pseudo-Pontificis non statim pax reddita est ecclesiæ; fautores enim ejus jussu Rogerii Siciliæ pseudo-regis in Anacleti locum Gregorium, natione Romanum, presbyterum Cardinalem sanctorum Apostolorum in cathedram sancti Petri intruserunt. *Hic* Victorem *se nominavit, sed eodem anno* 1138 *pseudo-pontificatum deposuit; & Rogerius Siciliæ rex Innocentium II agnovit. Ex hisce colligere possumus, corpus* S. Prisci *inventum inter annum* 1138, *quo finitum schisma, & annum* 1143, *quo defunctus est Innocentius II: nam infrà* S. Priscus *dicit se revelandum*, postquam isti *antipapæ* defecerint. A. ANONYMO.

g *Idem num. 9 dicitur* custos sanctæ ecclesiæ, *idem ergo hic videtur* paramonarius, *uti etiam advertit Cangius in Glossario, licèt eadem vox aliàs etiam designet ecclesiæ vel monasterii œconomum.*

h *Mendosa adeo erat phrasis, ut nullum exhiberet sensum propter corruptas interpunctiones, quas ex conjectura correxi. Accipe verba, prout apud Ughellum in utraque editione leguntur:* Et intuens juxta illos viros, archiepiscopatus Beneventani sacristam venientem cum libro, & quadam epistola ad se venit loquens sacrista archipresbyter hæc dixit. *Legendum certò,* Loquens sacrista archipresbytero hæc dixit. *Si quis alia, quorum minùs certa est correctio, rectiùs formare noverit, per me licet, id faciat.*

i *Examen reliquiarum per ignem variis locis olim usitatum fuit, quando de earum certitudine non satis constabat. Imò concilium Cæsaraugustanum* 11 *sub Reccaredo rege celebratum tempore S. Gregorii Magni hæc decrevit can. 2:* Statuit sancta synodus, ut reliquiæ, in quibuscumque locis de Ariana hæresi inventæ fuerint, prolatæ à sacerdotibus, in quorum ecclesiis reperiuntur, pontificibus præsentatæ igne probentur. Quod si à quibuslibet occultatæ fuerint, & deteguntur, à sacrosanctæ Catholicæ ecclesiæ cœtu segregentur. *Hæc apud Labbeum tom. 5 col. 1600. Exempla non desunt. Unum accipe ex Leone Ostiensi lib. 2 Chronic. Casin. cap. 33, ubi hæc narrat:* His diebus monachi quidam ab Jerusolymis * venientes, particulam lintei, cum quo pedes Discipulorum Salvator exterfit, secum detulerunt; & ob reverentiam sancti hujus loci devotissimè hic optulerunt *, sexto scilicet Idus Decembris: sed cùm à plurimis super hoc nulla fides adhiberetur, illi fide fidentes, protinus prædictam particulam in accensi turibuli igne desuper posuerunt: quæ mox quidem in ignis colorem conversa, post paululum verò, amotis carbonibus, ad pristinam speciem mirabiliter est reversa. * Hierosolymis * obtulerunt

E

F

k *Apud Ughellum mendosè legitur* diœcesis, *quod correxi, non dubitans, quin sit mendum, & verosimiliter typographicum, cùm iis scateat utraque editio.* Diœcesis *autem sumitur pro provincia archiepiscopi, uti olim vox usitata fuit.*

l *In prima editione*, ambulate; *in altera*, ambulare; *forsan rectiùs legeretur*, ambula tu.

DE S. VICTORIO SEU VICTURIO

CENOMANENSI IN GALLIA EPISCOPO,

J. S. SYLLOGE HISTORICO-CRITICA.

Educatio ſancti & inſtitutio per S. Martinum. virtutes: miracula: epiſcopatus: cura paſtoralis &c.

AN. CDXC AUT FORSAN CITIUS. *Quædam de S. Victorio alibi diſputata.*

Acta S. Victoris eccleſiæ Cenomanenſis epiſcopi dedimus ad XXV *Auguſti. Filium hic atque in epiſcopatu ſucceſſorem habuit* S. Victorium, *aliis* Victurium *nominatum, de quo hac die agendum. Varia, quæ ad* S. Victorium *ſpectant, examinanda fuere ad acta S. Victoris, quæ hoc loco breviter tantùm veniunt aſſignanda. Primò itaque probavimus* Victorium *à Victore patre eſſe diſtinctum, patrem* XXV *Auguſti, Filium Kalendis Septembris in eccleſia Cenomanenſi coli oſtendimus, Filium patri in regimen eccleſiæ ſuffectum demonſtravimus, tempus epiſcopatûs utcumque aſſignavimus. Hæc itaque, aliaque, quæ operosè ibidem diſcuſſa ſunt, pro inſertis habebo, quæque de* S. Victorio *dici poſſunt, breviter, ordine ferè temporis ſervato, enarrabo.*

S. Martinus decennem ferè baptizat, & fauſta benedictione imertit:

2 *Natus eſt* S. Victorius *ſeculo* IV *jam ad finem vergente. Baptiſmo ablutus eſt à S. Martino ferè decennis, ut Acta ad* XXV *Auguſti edita deſcribunt his verbis:* Domine (*inquit Martino mater* Victorii) peto ut baptizetur filius meus de manu tua, & ſit ſpiritualis filius tuus, & ſerviat tibi cunctis diebus vitæ ſuæ, quia propè duo luſtra ſunt à nativitate ejus. Tum verò pontifex repletus eſt gaudio magno, eo quòd baptiſmi gratiam poſtulaſſet, & juſſit Puerum venire ad ſe, & ſtetit in medio, & baptizavit eum in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, ac teſtimonium perhibuit, vocavitque nomen ejus Victorium, ut aſſimilaret eum nomini patris ſui Victoris. *Benedictionem ſuam cum fauſta precatione addidit Martinus, ut ſequitur:* Tradito autem in Chriſti nomine baptiſmo, deoſculatus eſt eum, & oravit ad Dominum, dicens: Pater cæli & terræ, da Puero iſti ſignum tale, ut vivat. Da illi, Domine, intellectum, ſcientiam, ſapientiam, moderationem, charitatem, caſtitatem, ſobrietatem, ſubtilitatem, humilitatem: quia tu, Domine, humilibus dabis gratiam, & ſuperbis reſiſtis. Infunde ſuper eum, Domine, cæleſtem benedictionem, ut poſt impletos dies genitoris ſui honorem dignitatis accipiat, & patris ſui ſedem ei judicare permittas. Et dixerunt circumſtantes. Amen. *Non caruiſſe effectu has viri ſancti preces docuit vita deinde ſanctè peracta: quamvis hæc verba non ita videantur à S. Martino prolata, ſed ab auctore eidem tributa.*

ſecumque ductum mittit, ut cæci faciem & oculos lavet,

3 *Diſceſſurus ad propriam eccleſiam Martinus, oblatum à parentibus* Victorium *ſecum duxit, mirabiles in omni virtutum genere ſub tanto magiſtro progreſſus facturum; neque ſolùm virtutibus inſtruendum, ſed & ad patranda miracula mox erudiendum. Docent id acta num.* 9 *verbis ſequentibus:* Vir Dei Martinus pontifex ad ſuam jam deſiderabat iterum pergere civitatem: Puerum verò ſpiritualem filium Victorium, quem relevatum à ſacro ſuſceperat fonte, præcepit ire ſecum. Cumque acceſſiſſent poſt diem tertiam ad littora Ligeris, reſpexit vir Dei, viditque hominem cæcum, ſtantem ſuper ripam fluminis, quærentem tranſire ultrà, ut alimonias quæreret. Tunc præſul dixit ad Puerum: Fili, vade ad hominem, quem vides ſtantem, lava faciem & oculos ejus ab aqua Ligeris, & dic ei: Accede huc uſque ad me. Abiit ergo Puer, & locutus eſt cum eo. Amice, vocat te dominus pater Martinus pontifex ire ad ſe. Qui reſpondit: Quia cæcus ſum, niſi apprehenderis manum meam, non poſſum te ſequi. Cui ait Puer: Priùs lavabo faciem tuam, & oculos ab aqua Ligeris, & poſtea vade. Et intinxit manus ſuas in aquam, tetigitque faciem ſuam, & oculos.

cui viſus redditur: huic deinde triduò ſervit Victorius.

4 Et confeſtim aperti ſunt oculi ejus: & vidit cælum, terram, & aquas; vel quodcumque voluit: & gaudio magno repletus exaltavit vocem ſuam, dicens: Gratias tibi ago, Deus cæli & terræ, quia per Puerum, ad me miſſum, te jubente, illuminati ſunt oculi mei: currenſque, quoad uſque veniret ad ſacerdotem, devolutus cecidit ad pedes ejus, dicens: Domine, tuis orationibus tenebroſi oculi mei meruerunt cernere lucem, quia Puer ille coronatus in albis (*propter baptiſmum paulo antè ſuſceptum, ut notavi ad Acta*) qui mihi denunciavit, ut venirem ad te, lavit oculos meos de manu ſua ſancta, & vidi. *Conjecturâ non difficili aſſequimur hoc miraculo fidem* Victorii *ingenti incremento auctam, obedientiamque, quæ in hoc jam facto mirificè elucet, non mediocriter fuiſſe roboratam. Continuò & in charitatis opere eum exercuit magiſter egregius, dum prædicto pauperi, ſecum Turones ducto, per tres dies miniſtrare juſſit, ut Acta num.* 10 *poſt pauca ſubjiciunt:* Stetit pauper ipſe coram Sancto Domini tribus diebus, & tribus noctibus; & quocumque ad veſcendum delectabatur, per manum Pueri ei miniſtrabatur aſſiduè.

Virtutibus auctum amat, & tonſura clericali initiat S. Martinus,

5 *Poſt hæc num.* 11 *Acta exponunt, quomodo ope orationis, ac divinarum rerum meditationis, bonorum utique omnium fontis, virtutibus auctus, ſanctoque Martino percharus, ab eodem tonſura clericali fuerit initiatus:* Denique, puer Victorius creſcebat in opere Dei, quia inceſſanter Dominum meditabatur quotidie, quin etiam ex hoc, quod à ſenioribus illi fuiſſet injunctum, procul dubio facere non recuſabat. Ergo diligebat eum vir Dei, & paterno provocabat amore, in tantum ut à ſua non liceret illi ullo modo ſequeſtratum eſſe præſentia, ſed ſub regimine & poteſtate prædicti pontificis omni tempore conſiſtebat. Sed ubi cognovit eum apoſtolicus Pater litteris

A litteris eruditum, & in omnibus esse perfectum, & totis viribus Deum sequi, continuò onus clericatûs ei tradere non dubitavit. Etenim suis manibus comam capitis illius præcisam deposuit: sed cùm primum sacerdotale promeruit signum, erat gaudens tam de honore, quàm de gratiâ, & amore pontificis, & magis delectabatur illi amplificare servitium, dum se sentiebat provocatum esse ut filium.

eum eruditens, corripiens, ad miracula etiam & opera apostolica instituens.

6 *Amabat* Victorium *Martinus, sed ut prudens pater, qui, quem diligit, filium erudit, arguit, & castigat:* Tunc Vir Dei, *pergunt Acta*, arguebat, & catechisabat eum suis dogmatibus, corripiebat, castigabat, & docebat eum suis doctrinis, hoc est ut ipse per angustam portam transiret ad cæleste regnum. *Interim ad fidem summam, etiam miraculorum, atque ad opera planè apostolica suo erudiebat & excitabat exemplo, ut sequentia manifestum faciunt:* Idcirco quisquis pro sua, suorumque necessitate, expetisset à viro Dei veniam postulare, ex permisso & ordinatione pontificis illuc Victorius accedere non tardavit, & suis orationibus unumquemque, Dominò præstante, ad suam pristinam
B revocabat protinus uberrimam sanitatem. Sed cùm beatissimus Martinus ad reprimendam hæresim, & sublevandum Christianorum nomen, vel pauperibus alimonias tribuere, sacerdotali affectione ascenso asino per diversas regiones haberet discursum, Victorius famulus Christi sequebatur eum pedibus ad quemcumque voluisset pergere locum, ut & ministeria necessaria procuraret, & vigiliis, orationibusque attentiùs coram Sancto Domini singulis noctibus non piger psallentium minister adesset. Unde etiam suæ provocationis meruit vestigium obtinere; dum vigore firmatus præcepta Domini intentus valuit custodire.

Mortuo S. Martino, cum ejus successore mansit, semper intentus virtutibus.

7 *Quæ hic auctor num.* 14 *subnectit, correctione aut certè explicatione indigent: non enim, ut ille videtur dicere, mansit cum S. Martino* Victorius *usque ad obitum patris sui Victoris, qui Martino vixit superstes; sed defuncto S. Martino, cum ejus successore S. Briccio permansisse credibile est, ad quem proinde referenda sunt, quæ deinceps de antistite Turonensi dicentur. Nunc cum Actis progrediamur:* Fuit igitur com-
C moratus cum magno sacerdote Turonicæ ecclesiæ (*Martino, eoque defuncto, Briccio*) plures quidem annos, hoc est, quousque genitor suus Victor pontifex à seculo transiisset. Sed ipse semper die noctuque intentus Dominum meditabatur, & se in cinere & cilicio prosternens, esse confessorem Domini testabatur, contraque adversantem circumdatus scuto fortiter certavit in palàm. Obtentâ itaque victoriâ fugatoque adversario, ipse sine plagâ illæsus stetit in gratia.

Defuncto patre Victore, Victorius consecratus Cenomanensis episcopus:

8 *Post hæc num.* 15 *referunt Acta quomodo* Victorius, *defuncto patre, Cenomanensis ecclesiæ antistes electus sit & consecratus. Si ejus verbis insistere volumus, dicendum est, consecrationem apud Turonenses esse peractam, quod contingere potuit, quia Cenomanenses, ejus non ignari virtutis, à Turonensi episcopo eum per nuncios petierunt antistitem; nam alioqui ipsis insciis non videtur fuisse ordinandus, quod illo tempore electio & consecratio episcopi cum populi consensu soleret peragi. Audiamus rem ex biographo:* Post hæc verò, *inquit*, cùm accessissent viri festinantes nuntiare ejus genitorem fuisse defunctum, valde contristatus est, ac doluit fortiter, & flevit amarissimè. Cui dixit pontifex urbis: Noli fili contristari, nec conturbetur cor tuum, non enim te oportet angorem animi pati, quia felix dicendus est pater, qui Deo dicatum reliquerit superstitem filium. Tu verò accipe benedictionem tibi repromissam, & servies Domino soli. Paratus te locus expectat, ut glorificeris in seculum. Tunc congregati sunt sacerdotes plerique, & clerus, & plebs populi in unum, stetitque Victorius Christi famulus in medio eorum, & clamaverunt unanimi voce dicentes: Magnus sacerdos, & dignus in opere suo non immeritò benedicitur pontificali honore, qui totis viribus per dies plures pro Christi nomine visus est sustinuisse laborem. Tunc vir Dei impositis manibus appropinquavit cum eo ad sanctum altare, & tradidit illi benedictionem pontificalem. AUCTORE J. S.

ad ecclesiam suam honorificè dimissus, in via ægrum sanat;

9 *Hisce discessum* Victorii *ad ecclesiam suam subjungit auctor, in quo mox agnoscas S. Martini discipulum, & miraculorum heredem. Illius num.* 16 *verba accipe:* Accepto itaque honore dignitatis stetit coram Sancto Domini, & non dimisit eum, priusquam per loca sanctorum orantes accessissent, & cum magno psallentium, ut decuit, choro fluvium Ligeris navigantes pariter transierunt. Post hæc communicantes invicem, E & valedicentes à seniore usque ad parvum, & oscula pacifica inter se conferentes, pontifex Turonicæ urbis permisit eum ire ad locum desideratum. Cùmque abiissent cum suis ministris, transeunte eo per loca, ubi inveniissent infirmum, qui per Christum pro sua necessitate expetisset auxilium, confestim divina potentia per ipsum digna ta est operari virtutem, ut effugato languore, æger ad suam reverteretur pristinam sanitatem.

in urbis ingressu captivi prodigiosè liberati, ab eo moniti & eleemosynâ sublevati dimittuntur:

10 *Honorificè à Cenomanensibus susceptus, captivis adventu suo opem tulit non sine prodigio. Captivi autem illi ob dissidia quædam in carcerem videntur fuisse conjecti, cùm paulo pòst dicantur* cum adversariis *suis* pacificati. *Credibile est ex contentione, & inimicitiis in excessus quosdam fuisse prolapsos. Rem Acta describunt num.* 17 *hoc modo:* Sed cùm accessissent in oppidum civitatis, exeunt plebes populique, & omnis clerus, convocati in unum, occurrentes susceperunt eum, laudantes Dominum cum magno psallentium choro, quoad usque ingressi sunt civitatem, levaveruntque eum in cathedram honorificè, ut consuetudo exposcebat. Cumque transiret, tenebantur plures homines in ergastulo, F quorum reputabatur iniquitas. Cùm quidem insonuit civitas, & cognovissent transire Hominem Dei, clamaverunt ad Dominum cùm tribularentur, ut de eorum necessitatibus liberaret eos. Igitur confractæ sunt catenæ, & argumenta & tormenta, in quibus tenebantur, diminuta sunt, & custodes pavefacti; exeuntes foras, cucurrerunt ad Sacerdotem Domini, clamantes: Miserere nobis. Qui pacificavit cum illis & jussit eos silere. Ipsi verò, ponentes manus ad cathedram, sustinuerunt eum, & deferentes deposuerunt ante altare Domini. Jussit autem eos appropinquare ad se, & dedit illis singulos aureos, & castigavit eos, ut non iterum peccarent. Quin etiam pacificati sunt cum adversariis eorum.

multi ad fidem conversi, & baptizati.

11 *Addit his auctor hæreticos multos ad fidem conversos & baptismo ablutos esse, quod paulatim videtur factum.* Per hæreticos *forsan* paganos *intelligendos, monui in notis ad Acta, idque quia baptismum petiêre, & impetravêre: non enim hæreticos, rectè baptizatos, illo tempore baptizasset* Victorius. *Addidi tamen, non defuisse hæreticos, quorum baptismus, ob formam illegi-*

AUCTORE J. S.

timam, erat invalidus. Tales si fuerint apud Cenomanenses eo tempore, ubi Wisigothi, passim Ariani, obtinebant imperium, potest vox, hæretici *in significatione propria intelligi. Biographum interim audiamus num.* 18 : Sed cùm hæc plebs populi facta esse cognovisset, continuò hæretici, qui non fuerant credentes, petierunt baptismum, & conversi sunt non minima pars populi, & baptizati sunt in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Ipse verò Pontifex stetit juxta altare Domini, &, post consecratum divinum mysterium, communicavit populum, & benedixit eos cælesti benedictione. Illi verò, humiliantes se, adoraverunt eum, dicentes : Vivat pontifex urbis Victorius, & salvet nos manu sua sancta, protegat atque defendat, præstante Domino nostro Jesu Christo, cui est honor, gloria, virtus, & potestas per infinita secula seculorum. Amen. *Hactenus Acta, quibus subjungam, quæ aliunde ad gloriam Sancti se offerent colligenda.*

Urbis incendium signo crucis exstinguit :

B

12 *Gregorius Turonensis lib. de Gloria confessorum cap.* 56 *illustre* S. Victorii *facinus refert, quod quo tempore factum non constat ; at constat factum in episcopatu, adeoque post memorata superiùs :* Victorius, *inquit*, Cenomannorum episcopus, magnis se virtutibus sæpius declaravit. Nam ferunt quadam vice, dum civitas ipsa cremaretur incendio, & validis globis flammæ huc illucque impellente vento propellerentur, hic quasi pastor bonus non perferens ecclesiasticas caulas ab insidiis sathanæ devastari, obviam se turbini obtulit, elevataque manu, facto signo crucis è contra, ilico omne cessavit incendium, liberataque civitas gratias Pastori retulit, eò quòd non permiserit res suas ab imminenti igne vorari. Et ad hujus sepulcrum sæpius infirmi sanantur. *Hoc, tamquam exemplum, ex multis prodigiis unum Gregorius.*

epistolam pro immunitate ecclesiæ cum duobus aliis episcopis scribit :

C

13 *Egregium non modò virtutibus & miraculis, sed & pastorali cura fuisse* Victorium, *declarant concilia, quibus interfuit, vel quæ ad ipsum epistolam synodalem direxerunt. Primò occurrit epistola, scripta pro immunitate ecclesiastica ad episcopos provinciæ tertiæ Lugdunensis, in qua sub gravi pœna prohibetur, ne clerici judicia secularia subeant. Recitat hanc epistolam Labbeus tom.* 3 *Conciliorum à col.* 1420, *in eamque Jacobus Sirmondus ibidem notat sequentia :* Leonis nomen plerosque omnes hactenus induxit, ut hanc epistolam Leoni Papæ adscriberent, atque inter ejus epistolas collocarent numero XCVI, cùm revera sit Leonis Bituricensis episcopi ; qui unà cum Victurio Cenomanensi, & Eustochio Turonensi, eam scribit ad episcopos & presbyteros provinciæ, non Thraciæ, ut inter Leonis epistolas vulgatum est, sed Tertiæ, quo nomine Turonica provincia designatur, quæ est tertia Lugdunensis. *Tillemontius tom.* 16 *pag.* 770 *miratur* Victorium *Cenomanensem præpositum fuisse Eustochio Turonensi archiepiscopo, indeque subdubitat an non alius hîc intelligendus veniat* Victorius *: at in concilio Turonensi ipsum etiam Leonem Bituricensem* Victorio Cenomannicæ civitatis *episcopo postpositum videbimus, contrà Turonensem præpositum, ita ut alium* Victorium *quærere non debeamus. Circa tempus hujus epistolæ rectè notat Tillemontius loco assignato, scriptam videri circa tempus concilii Andegavensis, de quo mox, non tamen in ipso concilio, quòd Chariaton, ad quem cum aliis scripta est epistola, concilio Andegavensi interfuerit. Non est tamen improbabile, quod existimat Longuevallius noster in Historia ecclesiæ Gallicanæ tom.* 2 *pag.* 77, *post concilium à tribus his episcopis scriptam esse.*

D

concilio Andegavensi IV *& Turonensi* I *assistit*

14 *Concilium Andegavense* IV *anno* 453 *innectit Labbeus tom.* 4 *à col.* 1020. *Huic cum aliis episcopis interfuit* S. Victorius, *atque inter episcopos ponitur loco penultimo, post Leonem Bituricensem, & Eustochium Turonensem, aliosque. Exstant duodecim hujus concilii canones, ad disciplinam ecclesiasticam spectantes, quorum primus compendium ferè est memoratæ modò epistolæ. Concilium Turonicum primum anno* 461, *secundùm Labbeum tom.* 4 *col.* 1049, *fuit celebratum. Ex decem, qui huic concilio subscripti leguntur, secundo loco ponitur* Victorius episcopus Cenomannicæ civitatis, *cui succedit* Leo episcopus Bituricæ civitatis, *atque inter alios sexto loco* Germanus episcopus Rothomagensis civitatis. *Quid causæ esse dicemus, cur metropolitani post alios quosdam subscripserint, quod miratum vidimus Tillemontium, atque iterum miratur occasione hujus concilii pag.* 399. *Respondet tamen ex conciliis Galliæ satis perspici, ordinem episcoporum in conciliis fuisse servatum secundùm tempus ordinationis, quod verum videtur* E *cum aliqua tamen exceptione. Nam qui præsidebat concilio vel in sua vel in aliena provincia, haud dubiè reliquos anteibat. Metropolitanus etiam in sua provincia, si fortè alius præsidebat, videtur suffraganeis suis fuisse prælatus, non item in provincia aliena. Hinc explices, cur* Victorius *Eustochio metropolitano suo præponatur in epistola num.* 13 *memorata, hic autem in Turonico duobus aliis metropolitanis ; scilicet quia consecratione prior illis omnibus, illique in aliena tum erant provincia ; nam epistolam dictam in provincia Bituricensi scriptam esse suspicari vel hinc possumus. Bituricensem autem & Rothomagensem concilio Turonico in aliena interfuisse provincia, patet. Deinde intelligimus, cur idem* Victorius *Bituricensi & Turonensi in concilio Andegavensi postpositus legatur, cùm ex dictis modò huic, modò illi legatur præpositus ; quia nempe Bituricensis ibidem præsidebat, Turonensis in sua agebat provincia. Hæc per conjecturam, ut videtur, non incommodam : nisi quis suspicari malit, ordinem subscriptionum fuisse neglectum, vel à librariis confusum.*

F

ad eum scribit concilium Venetum : S. Innocentium instituisse dicitur ;

15 *Concilio Venetico, anno* 465, *ut censet Labbeus laudatus col.* 1054, *celebrato non interfuit* S. Victorius, *senio jam fortasse fractus, aut alio modo impeditus. Episcopi verò ad* Victorium, *& Thalassium Andegavensem epistolam synodalem direxerunt. Dubium est, an diu post hoc concilium superfuerit* Victorius, *cùm nulla ejus deinceps in conciliis recurrat memoria, nulla item alterius cujusdam Cenomanensis episcopi ante annum* 511 *in concilio Aurelianensi* I. *Verùm de ætate ejus satis disputavimus in commentario prævio ad Acta S. Victoris* § 2, *quem lector potest consulere, indeque statuere de epocha episcopatûs, & mortis ejus, pòst subjicienda. Pag.* 74 *in Actis S. Innocentii tom.* 3 *Analect. Mabillonii* S. Victurius *Innocentium de fonte suscepisse atque instituisse dicitur, his verbis :* Qui (*Victurius*) & à fonte eum suscepit ; & eum in filium sibi adoptavit, seu fideliter & piè docuit, & enutrivit, atque eum instruendo & sublevando in aliquibus sacris sacerdotii gradibus (*ordinibus minoribus*) provehendo ordinavit & sublimavit. *Hæc sub finem vitæ* S. Victorius. *Accipe & aliud eodem ferè tempore factum. Ecclesiam S. Mariæ & SS. Apostolorum, quæ deinde SS.*

Gervasii

A *Gervaſii & Protaſii, ut ibidem narratur, amplificare & reſtaurare cœperat; ſed opus, morte ſupervenicnte, imperfectum reliquit, quod demum perfecit Innocentius. Honorificè ibidem depoſuiſſe dicitur reliquias Sanctorum prædictorum, ſed non ſine errore, dum, jubente S. Martino, dudum mortuo, res fertur peracta: unde, quæ ex Innocentii Actis hìc retuli, non admodùm ſunt certa.*

miracula, virtutes, anni epiſcopatûs, tempus mortis.

16 *His ſubjungo, quæ tradunt Acta Victorii tom. 3 Analect. dictorum pag. 70:* Hic ſedit in prædicta ſede annos XLI, menſes VI, dieſque X, omni tempore virtutes innumerabiles faciendo, cæcos illuminando, claudos reſtaurando, infirmos ſanando, dæmonia ejiciendo, & ceteras infirmitates debilium atque ægrotantium ſanando, & Domino Deo noſtro totis niſibus inhærendo, & divina officia condignè ac devotiſſimè ſacrando, & epiſcopale miniſterium, ut decebat, in omnibus, exhortando, & perficiendo, atque complendo, & gratias omnibus famulando. *Quæ de virtutibus, miraculis, cura epiſcopali tradit auctor, aptè congruunt præcedentibus, non ita quæ*

B *ſequuntur de anno mortis cum annis epiſcopatûs conveniunt:* Obiit ergo, *inquit*, prædictus vir, beatus Victurius Kalend. Septembris, plenus dierum, Fauſto Juniore & Longino bis Coſſ. Meruit autem in pace migrare, & ad Chriſtum pervenire, & inter catervas Sanctorum Dei collocari; cujus oratu humiliter, ſupplicamus nos ab omnibus malis eripi, & ad gaudia æterna transferri, & perpetua frui requie, auxiliante Domino Jeſu Chriſto, cui eſt honor & gloria in ſecula ſeculorum, Amen. AUCTORE J. S.

17 *Ubi primùm ſepultus fuerit* S. Victorius, *non tradunt Acta. In eccleſia tamen Apoſtolorum ultra fluvium Sartam ejus deinde ſacrum corpus ab Innocentio fuiſſe honorificè depoſitum, ejuſdem Innocentii Acta mox citata pag. 76 aſſerunt. Audi ipſa à pag. 75:* Eccleſiam quoque Apoſtolorum ultra fluvium Sartæ, in qua prædictus domnus Victurius, & ejus ſucceſſores requieſcunt, exaltavit & exornavit: ſeu in ejus orientali parte abſidem novam conſtruxit, in qua propter honorem & decorem ſanctæ Dei eccleſiæ, atque propter amorem ſanctorum, beati ſancti Victuri, & ſancti Victurii ejus filii corpora honorificè collocavit, & juxta eorum ſepulturam ſuam præparavit requietionem. *Deinde etiam Innocentius ibidem ſepultus narratur. Ad ſepulcrum Sancti infirmos ſæpe fuiſſe ſanatos, ſuprà num.* E *12 refert Gregorius Turonenſis, verùm hæc nobis nondùm innotuerunt.* *Sepulcrum ejus miraculis gloriosum.*

DE S. REGULO EPISC. AFRICANO MARTYRE, LUCÆ IN TUSCIA,

COMMENTARIUS HISTORICO-CRITICUS. J. L

§ I. Diverſa S. Reguli annuntiatio: demonſtratur ejus corpus Lucam tranſlatum eſſe Waldo, cujus loci ſitus detegitur: varia documenta de Sancti cultu: reliquiæ.

C F

PROBABILIUS ANNO DXLII. *Exſules Afri, qui in Tuſcia ſanctitate claruere; ex his duo hodie coluntur:*

Raſulibus Afris, quos Wandalorum rex Traſamundus vel Arianorum ſub ipſo perſecutio exſulare coëgit, veriſimiliùs, ut infrà oſtendemus, accenſendi ſunt SS. Regulus, *Cerbonius & Felix. Hos, ut multi volunt, in exſilium comitati ſunt SS. Juſtus & Clemens, necnon S. Octavianus. In Tuſciam, notiſſimam Italiæ regionem, omnes appulerunt, quam virtutibus & miraculis nobilitarunt:* S. Regulus *etiam fuſo pro Chriſti fide ſanguine eamdem rigavit, quemadmodum & S. Felix, ut fertur. Hi ambo hoc die coluntur. Quæ ad prioris cultum & vitam ſpectant primùm expediemus: proximè ſuccedet S. Felix. De S. Octaviano in hoc quoque tomo agetur ad* 11 *Septembris. S. Cerbonius dabitur ad diem* X *Octobris, quo Martyrologio Romano inſcribitur. De SS. Juſto & Clemente ſcripſit Papebrochius noſter ad* V *Junii. Vide dicenda num.* 45.

2 *In Hieronymiano Lucenſi, quod Florentinius copioſis notis illuſtratum edidit & Vetuſtius Martyrologium inſcripſit, primo loco hæc leguntur:* Sancti Reguli martyris. *Vetuſtiori Martyrologio proximè ſubjecit aliud, quod Parvum Hieronymianum vocat, ex pervetuſto membranaceo libro bibliotheca canonicorum Lucenſium; in quo Sanctus etiam primum locum occupat:* Kal. Septemb. Reguli epiſcopi. *Ad priorem annuntiationem inter alia Florentinius hæc obſervat, quæ poſteriori æquè conveniunt:* Neque negarem, ab iiſdem clericis *Lucenſibus* in fronte hodierni laterculi librorum noſtrorum memoriam S. Reguli ad uſum Lucenſis eccleſiæ ſuperadditam fuiſſe; cùm S. Epiſcopus (ut ex Mss. Actis, & ejus Vitâ apud Cæſarem Franciottum & Silvanum Razzium Italicè ſcriptâ patet,) non ex antiquis martyribus fuerit, ſed ſub Totila coronatus, hoc eſt, circa annum DL. *Probabiliùs octennio citiùs paſſus eſt, ut infrà à num.* 46 *probabitur. In Parvo Hieronymiano* martyris, *in Vetuſtiore Martyrologio* epiſcopi *titulus omittitur. Uterque exprimitur in Uſuardino Greveni:* In Tuſcia civitate Lucana ſancti Reguli epiſcopi & martyris; *& Strozziano:* Apud Africam ſancti Reguli *S. Regulum M., de quo nunc agendi locus, variè referunt Faſti ſacri; epiſcopi titulo donandus*

AUCTORE J. L.

Reguli episcopi & martyris, cujus corpus requiescit in basilica sancti Martini in civitate Lucana. *At rursum in Romano Martyrologio dumtaxat* martyr *vocatur :* Populonii in Tuscia sancti Reguli martyris, qui ex Africa veniens ibi sub Totila martyrium consummavit. *Nos non modò palmam martyrii, sed & dignitatem episcopalem ipsi tribuendam putamus ; quam ei deserunt omnia planè instrumenta paragraphò tertio producenda : nec ullum è recentioribus reperi, qui eam apertè in dubium vocarit. Ejus tamen episcopatus suspectus haberi potest ex eo, quòd ubique ferè in monumentis, quæ de ipso exstant,* archiepiscopus *appelletur : qui titulus non tantùm inusitatus, sed Afris etiam exosus fuit. Sed dubitationem, quæ hinc suboriri potest, si non omnino tollere, plurimùm certè minuere debent ea, quæ dicentur num.* 39 *& seq.*

3 *Sanctus in Martyrologio Romano* Populonii *annuntiatur, quòd, si non in ipsa urbe, saltem in ejus vicinia martyrium subierit : in Strozziano codice* apud Africam ; *fortè ob persecutiones Arianorum ibi toleratas, quæ tandem eum in voluntarium exsilium abire compulerunt. Certè neque in ea martyrium consummavit, neque ullùm scitur unquam cultum habuisse. Quoniam* S. Reguli *corpus jam à seculo* VIII *ad finem vergente Lucæ in ecclesia cathedrali sancti Martini honorificè conditum servatur, atque ipse Sanctus ibidem solenniorem, quàm usquam alibi, venerationem nactus est ; malui ego cum Greveno eum* Lucæ in Tuscia *annuntiare. Nobilis hæc civitas, reipublicæ sui nominis caput, ac nuper etiam à Benedicto XIII titulo archiepiscopatûs aucta, notior est, quàm ut eam describere sit necesse.* Populonium, *vel ut alii* Populonia, *cujus territorium sancto Præsuli nostro virtutum & martyrii palæstra obtigit, inclyta quoque fuit Etruriæ civitas,* In ora, *inquit Baudrandus,* maris Thyrrheni, olim episcopalis ; postea excisa à Nicea duce Constantinopolitani imperatoris, quo tempore Bernardus Caroli magni nepos rex erat Italiæ. Ejus ruinæ hodie ostenduntur, ubi portus, Porto Barato dictus, in Tuscia & in agro Senensi, teste Leandro cum aliis, sub dominio tamen principis Plumbini, 3 milliaribus distans à Plumbino in occasum, 20 à Massa urbe, quæ ei in episcopatu successit, in occasum hybernum, & 10 ab Ilva insula in Septentrionem : media ferè est in ora inter Pisas ad Septemtrionem, & Cosas ad ortum hybernum. *Quoniam* S. Regulus *exsul cum sociis ex Africa Populonium advectus fuit, non dubito, quin portus, ad quem appulit, fuerit ille ipse, qui hodie* Porto Baratto *dicitur : proxime quem in tabulis geographicis notatum invenio* Populonia distrutta. *Confirmatur id ex Cluverio lib. 2 Italiæ antiquæ cap. 2 :* Navale autem Populoniæ hodie vocatur Porto Baratto. *Annales, qui sub Eginhardi nomine citari solent, ad annum* 809 ; *quo & ipse illorum auctor vivebat, & Pippinus Caroli magni filius in Italia regnabat ; hæc habent apud Chesnium tom. 2 pag.* 255 : In Tuscia Populonium, civitas magna *, à Græcis, qui Ὀρεοβιῶται (*id est,* montium incolæ,) vocantur, deprædata est. *Suspicor tunc quoque urbem excisam fuisse, & Baudrandum aberrare, dum ejus eversionem à Græcis factam esse ait,* quo tempore Bernardus Caroli magni nepos rex erat Italiæ, *qui anno* 813 *inauguratus est, &* 817 *obiit. In plerisque quidem lexicis aliisque libris geographicis idem asseritur ; sed nullibi antiqui scriptoris testimonium producitur : unde illis acquiescendum non est.*

& Lucæ potiùs annuntiandus videtur : notitia loci, ubi exsul vixit & martyr obiit : B

* *al.* marittima

4 *Baronius in Notis ad* S. Reguli *annuntiationem scribit, exstare de ejus martyrio Acta Mss. ; in illorum autem fine hæc haberi :* Cujus dignissimam sanctitatem beatus Beda considerans, etiam memoriam facere curavit in Martyrologio suo, quod versibus hexametris composuit, dicens :

Septembris Regulus tenet, orditurque Kalendas,
Regulus antistes, sibi qui caput ense peremptum
Portavit binis Christo stadiis faciente :
Cujus relliquias nunc urbs Lucensis adorat.

Laudatus Florentinius circa versus istos Bedæ afflictos hæc observat : Carmina, quæ in Notationibus ad hanc diem Baronius affert, legi in Martyrologio Wandelberti Hœdino Ms. apud Lucenses Canonicos, ex quo fortasse immutata accepit, qui S. Reguli in Africa episcopi & in Thuscia martyris Acta illa Mss. contexuit ; cujus (*quorum*) Baronius meminit. Quamquàm enim Wandelberti omnino sit metricum illud Martyrologium, nullum tamen auctoris nomen in eo codice præfert ; unde facilè ab illius Vitæ scriptore celeberrimo Martyrol. auctori Bedæ tributum fuit. Ubi autem Wandelbertus habet,

Septembris Josue tenet, orditurque Calendas :

In perantiquo & ante quingentos annos scripto codice illo Lucensi legitur :

Septembris Regulus tenet, orditurque Calendas,
Regulus antistes, qui suum * caput ense peremptum &c.

Quæ pariter carmina iisdem verbis scripta leguntur ad calcem Vitæ seu Passionis S. Reguli in uno ex magnis hœdinis codicibus passionalibus Canonicorum Lucensium. Et, ut verum fatear, suspicor, ab illius ecclesiæ clericis, ubi S. Reguli episcopi corpus quiescit, & solemnis est memoria, hæc Wandelberti carmina ejusdem S. Reguli celebritati fuisse accommodata ; &, quæ Baronius Acta Mss. habuit, ex Lucensi ecclesia defluxisse.

D *carmina è corrupto Wandelberti Martyrologio Lucensi accepta, & Bedæ malè tributa :*

* *apud Baron.* sibi qui

5 *Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ hoc de Sancto elogium texuit ex monumentis ecclesiæ Lucensis :* Regulus archiepiscopus Africanus, in Arianorum adversus Catholicos commota persecutione, ex Africa cum Cerbonio & Felice episcopis in Italiam navigavit, atque inter navigandum ortam tempestatem oratione sedavit. Cùm Populoniam in Tusciam venisset, ibi in proxima solitudine aliquamdiu vixit : quoad famâ sanctitatis ad Totilam Gothorum regem perlatâ, à militibus ab eo missis, ut se ad illum perducerent, à puella capras pascente detectus, captus est, & ad regem idololatram venire nolens capite obtruncatus. De quo illud memorabile fertur, caput suum manibus acceptum ad duo stadia gestasse, resedisseque quasi non occisus esset, ita ut Cerbonius & Felix, ab angelo admoniti, advenientes sedentem invenirent, & ipse ab eis vocatus surgens caput ad lapidis jactum deferret : quo in loco ab illis non sine lacrymis sepultus est, interfectoribus unà cum puella (uno excepto, quem patrati criminis pœnituerat,) à dæmone suffocatis. Ibi templum S. Martyri dicatum ob crebra miracula, quæ ad illius tumulum fiebant, magnam habuit apud accolas venerationem ; donec corpus à Joanne episcopo Lucense Lucam translatum in æde S. Martini honorificè conditum est.

Ferrarii elogium ex S. Reguli Vita desumptum ; F

6 *Com-*

utriusque error circa translationem corporis, quod non è vicinia Populonii,

6 *Compendium hîc habes eorum, quæ in Actis referuntur paragrapho sequente examini subjiciendis. In his tamen non dicitur, quòd puellam, quæ* S. Regulum *Totilæ militibus prodidit, dæmon suffocarit; sed contrà, quòd ea sancti Martyris beneficio incolumis servata fuerit. Ecclesiam supra Sancti sepulcrum ædificatam, eamque, percrebrescente miraculorum fama, à fidelibus magno concursu frequentatam fuisse, in nostris quoque Actis legitur; unde cultûs ejus antiquitas innotescit. Sed an corpus è territorio Populoniensi à Joanne episcopo Lucam asportatum fuit? Accepit id Ferrarius ex Historia translationis iisdem Actis subjuncta, vel ex alia eodem errore inquinata, quæ ipsum fefellit. In nostro apographo hæc ita incipit:* Sancti igitur Reguli venerando corpore intra Populoniæ fines sepulto, & ibidem multo tempore quiescente, omnipotente Domino inibi pro eodem plurima miracula faciente, à multis circumquaque manentibus frequentatus magnæ, sicut dignum erat, reverentiæ habebatur. Sed cùm jam Dominus mirabilis in Sanctis suis eundem in gloria ampliùs, quàm in
B terris, vellet exaltare, fecit prænominatum ejus sanctum corpus à loco, in quo jacebat, in alium, ubi magis frequentaretur & honoraretur, transferri: ductum namque est in civitatem Lucanam .... Erat interea ejusdem civitatis episcopalem tenens cathedram Joannes venerabilis præsul *&c. Plura hîc non transcribo. Sufficerit nunc solùm annotasse, Joannem episcopum, hujus nominis primum, sacrum quidem corpus sub finem seculi* VIII *Lucam transtulisse, sed non è vicinia urbis Populoniensis; illum verò, qui translationem conscripsit, cujus exordium dedi, seculo* X *antiquiorem non esse, ut patebit ex dicendis num.* 15. *Credo quidem, sinceræ eum Acta præ manibus habuisse, in quibus legerit, Joannem* S. Reguli *corpus Lucam deferri curasse è loco maritimo: sed dum hunc territorii Populoniensis esse existimavit, in errorem lapsus est ipse, atque alios pertraxit. Cetera, quæ de translatione à Joanne præsule facta narrat, quoad substantiam & præcipua adjuncta non differunt ab iis, quæ habent ejusdem translationis Acta, ab Ughello edita tomo* I *Italiæ sacræ col.* 847. *Hæc à dicto errore immunia sunt; proferenturque post hunc Commentarium, in cujus paragrapho ultimo à Florentinii aliorumque censuris vindicabuntur.*

Sed Waldo Lucam translatum fuisse, ex vetustis instrumentis demonstratur:

7 *Porrò* S. Regulum *ex urbis Populoniensis vicinia à Joanne episcopo Lucam non fuisse delatum, ita evidentissimè demonstro. Joannes in episcopatu successit Peredeo; de quo ita Ludovicus Antonius Muratorius tomo* 3 *Antiquitatum Italicarum medii ævi col.* 572: Denique visuntur ibidem (*in archivo archiepiscopi Lucensis*) postremæ ejus (*Peredei*) tabulæ scriptæ anno IV Caroli Francorum regis, die XVI Martii, Indictione I, hoc est, anno DCCLXXVIII: quibus positis facilè intelligimus, ipsius vitam protrahi potuisse usque ad annum DCCLXXX, ab Ughello *tomo* 5 *Italiæ sacræ in Appendice col.* 1516 memoratum. *Itaque Joannes cathedram Lucensem non ascendit ante annum* 778 *vel* 780. *At istis temporibus sancti Martyris corpus non quiescebat in Populoniensi territorio. Constat hoc ex instrumento, cujus Florentinius in Opere posthumo, quod Etruscæ pietatis Origines inscribitur, cap.* 9 *ita meminit:* Jam verò fugato Desiderio rege, & Carolo rege Francorum regnante in Italia anno quarto, Indictione prima, nimirum DCC-

LXXXVIII MONASTERIUM B. REGULI MARTYRIS CHRISTI, UBI CORPUS EJUS REQUIESCIT, locupletari, apparet ex instrumento; ACTUM AD IPSAM DEI ECCLESIAM IN WALDO, TERRITORIO LUCENSE. *Ejusdem instrumenti mentio etiam fit tomo* 10 *Italiæ sacræ Ughelli, à Nicolao Coleto auctæ, in Addendis & corrigendis col.* 279: *ubi illud* mense Martio ... anno Christi DCCLXXVIII *scriptum esse dicitur. Mensis Martius Indictionis primæ & anni quarti, quo Carolus magnus in Italia regnavit, à Muratorio laudato eidem anno* 778 *innectitur; & innecti debet, uti examinanti patebit: unde in Florentinii Opere posthumo numerus annorum* 788, *quem vitio typographi irrepsisse credo, minuendus est ad* 778. *Infrà num.* 52 *alia duo producentur monumenta donationum, factarum ecclesiæ* S. Reguli *in Waldo: quorum alterum exaratum est anno* 770, *alterum* 774 *vel* 775. *Utrumque dicti loci nomen exprimens proximè adjungit, sancti Martyris corpus ibi quiescere. Sed si* S. Regulus *in Waldo, territorii Lucensis loco, servabatur, antequam in cathedra Lucensi Peredeo Joannes succesisit, quomodo hic tempore sui episcopatus illum Lucam transferre potuit è vicinia urbis Populoniensis, ubi non ampliùs erat?* E

AUCTORE J. L.

ex aliis eruitur, illud ante medium seculi 8 *Waldi quievisse,*

8 *A quo & quo tempore sacrum pignus in Waldo depositum fuerit, incompertum est: neque etiam constat, an illuc allatum fuerit ex Populoniensi territorio: credibile tamen est. Ex chartis donationum numero præcedente memoratis certum est, Waldum Sancti corpus possedisse ab anno* 770. *Alia duo subjungo instrumenta, è quibus rectè inferes, illud diu antè ibidem conditum fuisse. Tomo* 2 *Antiquitatum Italicarum col.* 611 *hæc scribit Muratorius:* Item in altera *charta*, exarata anno primo, Aistulfi viro excellentissimo rege, Indictione III, id est, anno Christi DCCL, Tanualdus presbyter Walprando episcopo Lucensi pollicetur, se ritè famulaturum ecclesiæ sancti Reguli in Waldo sub pœna centum solidorum bonorum Lucensium. *In eodem tomo col.* 1041 *aliud adfertur instrumentum venditionis, factæ Tanualdo presbytero à Clausulo sive Lucensi anno* 746: *verba in illo ad propositum facientia hæc occurrunt:* Contradedi * tibi, Tanualde, venerabili presbytero de beato sancto Regulu *&c. Ex his satis colligi potest, Waldum sacro thesauro ditatum fuisse ante medium seculi* VIII.

* *i.e.* tradidi

C F

cujus situs detegitur:

9 *Diu apud geographos inutili labore quæsivi locum, sub* Waldi *nomine tot vetustis monumentis celebratum, ex quibus etiam eruitur,* S. Regulum *summa ibidem in veneratione fuisse. Aliquæ tabulæ topographicæ in agro Pisano notant vicum* S. Regolo, *Liburno trium circitèr, Lucâ verò septem ferè horarum itinere distantem, atque ita fortè dictum, quòd Sanctus loci sit patronus. Sed* Waldum, *in cujus ecclesia corpus sancti Martyris seculo octavo quievit, ad diœcesim & territorium urbis Lucensis pertinebat: unde hic locus ab illo diversus sit oportet. In sæpe laudato Muratorii Opere de Antiquitatibus Italicis tomo* 4 *col.* 733 *producitur instrumentum concordiæ anno* 1099 *initæ inter canonicos ecclesiæ Lucensis S. Martini, & Widonem quemdam ejusque partibus addictos. Ex illo discimus,* Waldum *situm fuisse in eo terrarum Lucæ subjectarum tractu, qui ad Occidentem versus mari Tyrrheno adjacet inter fluvium Auserem & diœcesim Lunensem, nunc Sarzanensem. Verba, è quibus hoc deduco, ex ipso instrumento accipe, barbara*

AUCTORE J. L.

latinitate conſcripto : Hi omnes ore proprio juraverunt ad ſancta Dei Euangelia, quòd ab hac ora * in antea, dum vixero, ſtudiosè non offendam, neque offendere faciam, neque de habere, neque de perſona in rebus beati ſancti Martini & canonicorum ejus, ſeo * clericorum, qui ſunt ad ſtrada * Montemagni uſque ad mare, & ad loco, qui dividit res beati ſancti Martini inter Fabianula & Waldum, uſque ad caſtrum, quod dicitur Pedoni. *Qui hac jurarunt ſub inſtrumenti initium dicuntur graves intuliſſe injurias* hominibus de curtibus de canonici * jam dicti ſancti Martini de loco & finibus Maſſagroſi, & Riſcetulo, & Waldo, & Montiſciana. *Tabula geographica Blaviana, tomo* 8 *folio* 161 *verſo rempublicam Lucenſem exhibens intra exiguum terræ ſpatium notat* Maſſaroſa, Pedona, Fabialla : *quæ nomina tantam affinitatem habent cum* Maſſagroſi, Pedoni & Fabianula, *ut dubitandum non ſit, quin iis ſignificentur illa ipſa loca, quæ in adducto inſtrumento memorantur. Hoc autem cùm ſatis apertè innuat, quòd dictis locis* Waldum *fuerit vicinum, in iiſdem, quibus illa, territorii Lucenſis partibus ſtatuendum eſt. At tabula Blaviana, cui & aliorum chartæ topographicæ conſentiunt,* Maſſaroſa, Pedona & Fabialla *ponunt in ditionis Lucenſis maritimo tractu, inter Auſerem & limites diœceſis Sarzanenſis ; igitur &* Waldum *in eodem collocandum eſt. Hujus ſitum ſi Florentinius aliique ſcriptores Itali detexiſſent, atque inſtrumenta hactenus allegata ante Operum ſuorum editionem vidiſſent, non tam graves errores commiſiſſent ; qui infrà à num.* 50 *referentur opportunius & refutabuntur.*

* *i. e.* hora

* *i. e.* ſeu
* *i. e.* ad viam

* *i. e.* de prædiis canonicorum

B

10 *Sancti* Reguli *corpus Waldo Lucam tranſlatum fuit à Joanne epiſcopo, quem ab initio anni* 783 *uſque ad finem Julii anni* 800 *eccleſiæ Lucenſi præfuiſſe demonſtrari poteſt ex monumentis à Muratorio editis tomo* 5 *Antiquitatum col.* 417 *&* 2 *tomo* 6 *col.* 405. *Tranſlationis Acta dabuntur poſt hunc Commentarium. Abs re non erit nonnulla ex illis hoc loco obiter prælibaſſe. Antiſtes Joannes, qui erga Sanctum piiſſimè afficiebatur, ab angelo admonitus, ut ejus corpus honorificentiore tumulo Lucæ exciperet, ad locum, ubi jacebat, cum clero urbis Lucenſis perrexit. Illud incorruptum invenit & ſuavem ſpirans odorem : Lucamque religioſâ pompâ delatum in baſilica S. Martini depoſuit. Cryptam in ea ſubterraneam paulò poſt ædificavit, & in hac ſepulcrum marmoreum, in quo Sanctum condidit : ſupra ſepulcrum verò in crypta altare conſtruxit, &* S. Regulo *conſecravit : cujus apud Deum interceſſione cùm multi corporis ſanitatem aliaque beneficia conſequerentur, ab eodem præſule vel aliquo ex ejus ſucceſſoribus decretum fuit, ut prima Septembris, dies Sancti natalis, per totam diœceſim celebraretur eâ, quantum ex Actis colligo, ſolennitate, qua ad Miſſæ auditionem & ceſſationem à laboribus fideles obligarit.*

à tempore, quo Lucæ in cathedrali honorificè conditus fuit, celebrem

C

11 *Ceſar Franciottus, qui Sanctorum Lucenſium Vitas anno* 1613 *Italicè edidit, pag.* 183 *obſervat, templum urbis primarium, quod antea ſolius* S. Martini *nomen gerebat, poſt eò tranſlatum ſancti Martyris corpus, in multis inſtrumentis vocari eccleſiam* S. Martini & S. Reguli. *Unum alterumve ex illis reperi apud Ughellum. Tomo* 1 *Italiæ ſacræ col.* 850 *adfert diploma Carolomanni Italiæ regis datum anno* 877, *in quo hæc lego :* Gherardus epiſcopus Lucanæ eccleſiæ, quæ conſtructa in honorem ſancti Martini confeſſoris cernitur, & in qua ſanctus Regulus requieſcit in corpore. *Ibidem col.* 853 *Adalberti marchionis, quem circa annum* 917 *obiiſſe ſcribit, inſtrumentum producit ; in quo hæc verba invenio :* De decima portione eccleſiam S. Martini & ſancti Reguli inveſtivimus, ut uſque in finem ſæculi habeat. *Ex his concludo, quòd Sanctus noſter ſecundus à S. Martino fuerit eccleſiæ cathedralis patronus. In Italia ſacra Ughelli, à Nicolao Coleto aucta, tom.* 1 *col.* 819 *exſtat bulla Gelaſii II Pontificis, data anno* 1118, *quâ inter varias principis eccleſiæ conſuetudines etiam hæc confirmatur :* Nulla præterea eccleſiarum Miſſas ſolemnes celebret in feſtivitate B. Martini & S. Reguli. *Hinc colligo, feſto Sancti noſtri die in templo urbis primario, ubi illius corpus quieſcebat, ſumma celebritate ſummoque ſplendore Sacrum ſolenne fieri conſueviſſe : cui ut fideles majori concurſu intereſſent, aliis eccleſiis omnis Miſſa ſolennis interdicebatur. Quæ infrà edentur Acta tranſlationis à Joanne epiſcopo facta, iſtius conſuetudinis originem non obſcurè indicant. Verba accipe :* Inclyto Joanne epiſcopo, quem ſuperiùs commemoravimus, Miſſarum ſolemnia in honorem B. Reguli celebrante, plurimorum miraculorum apparuerunt ſigna per divinam virtutem & B. Reguli honorem .... Ex hac ergo conſuetudine decretum eſt, ut omnes S. Dei eccleſiæ Lucenſium longè latéque ſolemnia B. Reguli devotiſſimè cum gaudio celebrent, & omnes plebes ibi (*in eccleſia cathedrali ad Sancti ſepulcrum*) veniant adorare, & Miſſarum ſolemnitates celebrare in die, quam prædiximus, Kal. Septembris. *Dicebantur olim* Miſſam celebrare *etiam laïci, qui illam audiebant & offerebant Domino, ad beneficium aliquod ſibi vel aliis impetrandum ; uti oſtendit Mabillonius lib.* 1 *de Liturgia Gallicana cap.* 6 *num.* 4.

ibi Sanctus cultum nactus eſt, uti ex variis

D

E

12 *Affirmat Franciottus laudatus, Alexandrum II, qui ab anno* 1061 *Romanam S. Petri Cathedram & Lucenſem ſimul rexit, poſtquam baſilicam SS. Martini &* Reguli *à fundamentis reſeciſſet, ſancti Martyris noſtri corpus locaviſſe in altari, in quo etiam tum aſſervabatur, cùm hæc ſcriberet : additque, altare iſtud anno* 1484 *ornatum fuiſſe pulcherrimis ſtatuis marmoreis à Nicolao Civitale Lucenſi cive & ſculptore celeberrimo, eique hac verba fuiſſe inſcripta :* SANCTI MARTIRIS REGULI CORPUS HIC COLITUR. *Idem Franciottus pag.* 458 *narrat,* S. Reguli *lipſana bis per civitatem Lucenſem in neceſſitatibus publicis circumlata fuiſſe, nimirum menſe Aprili anni* 1527, *& menſe Novembri anni* 1531. *Ex Italia ſacra Ughelli, à Coleto aucta, tom.* 10 *pag.* 279 *diſcimus. ad uſum cleri Lucenſis compoſitos fuiſſe* hymnos, antiphonas, & lectiones Officii, quod ſolebat antiquitus recitari in feſto S. Reguli. *Eminentiſſimus dominus Proſper de Lambertinis archiepiſcopus Bononienſis, qui nunc Eccleſiam univerſam feliciter gubernat, lib.* 4 *de Servorum Dei beatificatione & beatorum canonizatione parte* 2 *cap.* 19 *num.* 2 *ex Aſcanio Arnolfino teſtatur, in duobus antiquis Miſſalibus, anno* 1540 *&* 1560 *Lucæ impreſſis, exſtare Litanias in quibus à clero Lucenſi inter martyres invocabatur* S. Regulus. *Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ elogio* S. Reguli *ſubdit, ab eccleſia Lucenſi illum coli* cum Octava. *Unde patet, eum, ſicut priſcis temporibus, ita & ſeculo præcedente inſigni cultu à Lucenſibus honoratum fuiſſe, qui haud dubiè etiam nunc perſeverat.*

F

documentis intelligitur

13 *Silva-*

AUCTORE J. L.

A *ex Actis visitationis certum est, ejus corpus neque Pisas delatum fuisse,*

13 *Silvanus Razzius in Opere de Sanctis & beatis Tusciæ pag.* 116 *scribit, quòd Pisani contendant se possidere corpus sancti Martyris, quia in eorum ecclesia cathedrali ad manum dexteram intrantis chorum ex adverso sedis archiepiscopi sub antiqua* S. Reguli *pictura hæc verba leguntur:* Sancti Reguli episcopi & martyris, ob cujus reverentiam imago hæc facta est, reliquiæ & ossa ad hoc templum translata sunt summo cum honore, currentibus annis MCDLXXXVIII, die octava Aprilis. *Nunc audi Florentinium in Notis ad Sancti annuntiationem:* Hac etiam die S. Regulum cum Felice episcopo ejus socio Pisis in cathedrali venerari, ubi eorum corpora quiescant, idem Ughellius affirmat. Ferrarius tamen post Razzium aliquas ibi reliquias asservari, non corpus, scripsit, & ubi S. Felix passus sit, ignorari ex tabulis illius ecclesiæ deducit. Equidem si idem S. Regulus Pisis & Lucæ veneratur, ut idem dies, episcopalis dignitas, martyrii titulus suadent, in Pisana ecclesia potiùs S. Felicis corpus quiescere cum aliquibus S. Reguli reliquiis dicendum esset, quàm S. Reguli. Dum enim hæc

B scriberem eminentissimus Cardinalis episcopus Lucensis Hieronymus Bonvisius sacras suæ cathedralis reliquias sedulò perlustrans, adaperto S. Reguli marmoreo tumulo, invenit sancti Martyris ossa candidissima, optimèque servata, & à quibus pro humani corporis integritate vix aliquæ particulæ deficere possint, ut ex Actis illius visitationis constat. Inventa etiam in eadem lapidea arca fuerunt parva ad quadrantis mensuram ænea & vetusta numismata, quorum aliqua penes me reposita malè sculptum Lucæ urbis nomen præferunt, ibidem illa, ut credere par est, tempore translationis inclusa.

neque Valentiam, nec nisi exiguas reliquias extra cathedralem Lucensem servari.

14 *Alfonsus del Castillo in Sacrario Valentiæ paginâ* 153 *versâ asseverat, Benaventi comitem Joannem Pimentel anno* 1606 *ex Italia, ubi tunc morabatur, misisse in Hispaniam ad collegium Valentinum, à Joanne Ribera urbis archiepiscopo & patriarchâ Antiocheno fundatum, corpus* S. Reguli *martyris. Hinc Tamayus eum ad* 1 *Septembris Martyrologio suo Hispano ita inseruit:* Populoni in Tuscia S. Reguli Africani episcopi, qui, sede relicta, Italiam veniens, à Totila Hunnorum (*imò Gothorum*) rege pro-

C vinciam grassante comprehensus, pro Catholicæ veritatis confessione ore gladii martyr occubuit. Cujus sacra lipsana primùm Lucæ postea Valentiæ Hispaniæ translata & in collegio patriarchæ Joannis à Ribera recondita, ibidem honorificè quiescunt. *In Notis Alfonsum citat, cujus testimonio nixus asseruit, sacrum depositum Lucâ Valentiam translatum fuisse. Sed si eminentissimus Cardinalis Hieronymus Bonvisius, qui ab anno* 1657 *usque ad* 1677 *ecclesiam Lucensem rexit, Sancti corpus ferè integrum in sua cathedrali repererit, alterutrum fatendum est, vel quòd collegium Valentinum exiguam tantùm illius partem ex Italia acceperit, vel quòd sub nomine* S. Reguli *honoret transmissum corpus aut notabiles reliquias alicujus martyris à nostro diversi & è cryptis Romanis extracti. Lucæ apud moniales cœnobii Angelorum; & apud religiosos Ordinis Servorum beatæ Mariæ Virginis nonnullæ quoque Sancti nostri reliquiæ servantur, teste Franciotto pag.* 527 *&* 563. *Idem pag.* 580 *scribit, Presbyteros Congregationis Lucensis beatæ Virginis in ecclesia sua venerari unum è Sancti dentibus & frustum maxillæ ejus: sed hoc grande esse non potest, si, ut affirmat Florentinius, ex Actis visitationis certum est, quòd à Sancti ossibus, in cathedrali servatis,* pro humani corporis integritate vix aliquæ particulæ deficere possint.

§ II. Antiquitas & fides Actorum examinatur: notantur, quæ in iis falsa aut suspecta; his accensetur miraculum corporis, abscissum caput gestantis.

Sancti Acta ante sectulum 10 *scripta non sunt:*

NOn *dubito, quin Acta* S. Reguli, *quæ ex nescio quo codice bibliothecæ Vaticanæ descripta ante me habeo, illa ipsa sint, de quibus Baronius loquitur in Notis ad Sancti annuntiationem: etenim non modò quatuor versus Bedæ supposititii* Septembris Regulus *&c., sed verba etiam illos proximè præcedentia, quæ suprà num.* 4 *invenies, in Actis nostris & in iis, quæ Baronius vidit, eadem planè sunt. Nunc lectorem remitto ad observationes Florentinii eodem numero* 4 *à me transcriptas. Illis expensis facilè concedet, Acta à Baronio visa & consequenter ea etiam, quorum apographum habeo, ex Lucensis ecclesiæ cathedralis archivis defluxisse, eorumdemque scriptorem ex Ms. Wandelberti Martyrologio ibidem asservato (quod Bedæ esse putavit) istos versus accepisse, à clericorum fortè aliquo immutatos & Sancto nostro adaptatos. Hinc sequitur, ut auctor Actorum junior sit non tantùm Wandelberto, sed etiam ipsius Martyrologio apographo Lucensi, quod depravatum exstat in codice* ante quingentos annos *exarato, uti affirmat laudatus Florentinius, qui post medium seculi* XVII *scripsit. At licèt codex iste vetustior sit, quàm Florentinius judicarit, antiquitate tamen seculum* X *non multùm excedere potest; nam* 58 *dumtaxat ante illud annis Wandelbertus Martyrologium suum conscripsit, quemadmodum ostendit Bollandus tomo* 1 *Januarii in Præfatione pag.* LII. *Itaque vix credibile est, quæ mihi præ manibus sunt Acta* S. Reguli, *dicto codice recentiora, vetustate superare seculum* X; *cujus inter initium & annum sancti Martyris emortualem plus quàm tria secula cum dimidio intercedunt.*

E

F

vetustiora exciderunt; saltem Lucæ in archivis cathedralis non exstant:

16 *Antiquiora* S. Reguli *Acta, ut patebit ex dicendis num.* 20, *olim quidem exstiterunt; sed quæ nunc excidisse existimo. Certè non servantur in archivis ecclesiæ cathedralis Lucensis, uti nos docent Florentinii litteræ, Lucâ* XVII *Septembris anno* 1664 *ad Papebrochium missæ; quarum fragmentum ad hunc diem sepositum ita incipit:* Canonici cathedralis Lucensis ecclesiæ, penes quos jacet corpus S. Reguli, optarent de eo aliquid vetustioris notitiæ, si penes vos sit, quàm quod exstat in eorum libris Passionariis. *Epistola ita concluditur:* Præter nostra de Sancto monumenta, ex quibus aliqua nos excerpere memini, siquid vetustius aliunde penes vos esset, indicare dignetur humanitas tua. *Sancti Vitam vetustiorem non habemus quàm eam, de cujus antiquitate jam actum est, & in cujus fine leguntur quatuor carmina ex corrupto Wandelberti Martyrologio Lucensi descripta, & Bedæ malè attributa:* quæ pariter, *inquit idem Florentinius citatus num.* 4, iisdem verbis scripta leguntur ad

AUCTORE J. L.

calcem Vitæ seu Passionalis S. Reguli in uno ex magnis hœdinis codicibus Passionalibus canonicorum Lucensium.

recentiorum auctor aliqua ex suo ingenio

17 *Licèt biographus à morte Sancti, cujus gesta describit, plurium seculorum intervallo sit disjunctus, non ideo tamen fides ei abroganda est, si prudenter credi possit, quòd à se vel ab alio conficta non obtrudat. In* S. Reguli *Actis, quæ ejus vitam & corporis translationem enarrant, & multis seculis, ut jam ostensum est, post ejusdem martyrium conscripta sunt, duæ tantùm res occurrunt ad Sanctum propiùs spectantes, quas ex auctoris ingenio profectas esse affirmare ausim. Altera est, quòd Totilam, sub quo Sanctus passus est, in pugna contra Narsetem* gladio *cæsum esse dicat*, quia S. Regulus prophetico ore cum suis dapibus prædixerat periturum. *Procopius lib. 4 de bello Gothico cap. 32 Totilam lanceâ transfossum scribit; aliorum etiam narrationem adferè, secundum quam sagittâ confixus fuerit. Verba autem, ob quæ sanctum Martyrem prophetam facit, ea sunt, quibus regiis ministris respondisse narratur:* Ad illum ire paratus sum, qui servis suis æternas epulas præparare dignatur. Totilam certè cum suis pastionibus respuo, quòd cum perituris dapibus est ipse perfidus periturus. *Antitheſim hîc agnoscò, quâ æternæ æterni Regis epulæ opponuntur perituris perituri regis dapibus, ad quas Sanctus fortè invitatus erat; non verò ullam prædictionem propheticam de morte Totilæ, quem decem ferè annis post* S. Reguli *martyrium regnasse patebit ex dicendis à num. 46. Res altera, quam omnium fortè primus asseruit, est, quòd Sancti corpus Lucam portatum fuerit è vicinia Papulonii. Id falsum esse evici paragrapho præcedente num. 7. Ibidem num. 6 verba dedi, quibus biographus suam translationis narrationem exorditur: reliqua non edam ob rationes, quæ adferentur in fine hujus Commentarii.*

& vulgi traditione falsa aut suspecta refert: his miro modo narratam

18 *Fidem etiam non merentur, quæ biographus refert de puella* hircos, *vel ut ego credere malim, capras pascente, quæ sanctum Martyrem Totilæ ministris prodidit, ideoque hunc sexui feminino tam infensum reddidit, ut nulla olim mulierum in ejus templo dormire, imò ne quidem juxta illud transire ausa fuerit. Sed hæc Vitæ auctor non commentus est: addit enim ita esse* in auribus plebis vulgatum, *quæ nimiùm credula ineptas de Sanctis fabulas circumferre solet. Ex populari traditione fortè etiam accepit, quod mirabili Sancti sepulturæ subjungit, nimirum neminem circa ejus ecclesiam equitare vel venari potuisse, quin ipsi aliquid impedimenti obvenerit. Quæ narrat contigisse, postquam carnifices Sancto caput abscidissent, meritò etiam suspecta haberi possunt. Sunt autem hæc:* S. Regulus *caput manibus acceptum à loco, ubi amputatum fuerat, gestat usque ad lignum quoddam duobus inde stadiis distans: ligno insidet usque ad adventum SS. Cerbonii & Felicis, quibus angelus ejus martyrium annuntiarat: hi Sanctum alloquuntur & ab eo petunt, ut surgat & pergat ad locum, ubi sepeliri velit: mox truncum corpus iterum se in pedes erigit, & cum capite progreditur, quantum est jactus lapidis: tandem illud à SS. Cerbonio & Felice terræ mandatur, in qua gradum stiterat.*

gestationem abscissi capitis annumeramus:

19 *Licèt prodigiosam illam capitis gestationem biographus fortè vestiverit aliquibus adjunctis, ut mirabilior appareret; ipsam tamen miraculi substantiam scripto prior non vulgavit. Præcessit quatuor versuum sæpe memoratorum auctor, quem ille sub nomine Bedæ citavit. Diximus eos legi in depravato Wandelberti Martyrologio, quod Lucæ exstat in codice, quem Florentinius inspexit & ante 500 annos scriptum fuisse judicavit. Sed dicti Martyrologii corruptor, qui intelligi potest sex integris seculis post Sancti martyrium versus istos composuisse, secura fide dignus non est: quia capitis gestatio ab illo asserta vetustiore testimonio non confirmatur. Duplicia mox Acta S. Cerbonii proferentur, quorum scriptores & biographo nostro & versuum auctore, ut putamus, antiquiores de* S. Reguli *martyrio & sepultura agunt: at de dicto miraculo nullam mentionem faciunt. Hinc suspicio esse potest, illud ex erronea vulgi opinione originem suam traxisse. Sancti Martyres capite minuti sæpe olim pingebantur aut sculpebantur, quemadmodum* S. Regulus *exhibetur in imagine, Vitæ ejus præposita apud Franciottum pag. 178, videlicet erecto corpore & capite intra manus ante pectus sublato. Imagines ita pictæ vel sculptæ ad exprimendum mortis genus rude vulgus facilè inducere potuerunt, ut crederet id, quod oculorum sensus menti primò suggerebat, nimirum martyres, quos in illis intuebatur, ambulasse abscissum caput ante pectus ferentes:* Potuit hoc, *inquit Papebrochius tomo* VI *Maii pag.* 38, semel iterumque revera contigisse; sed agnito semel illo, quod tam multos in errorem induxit, fallaci principio; de nullo sancto potest prudenter credi, cujus Acta non sint omnino sinceriſſima: *qualia certè non sunt, quæ* S. Regulum *caput suum gestasse narrant. Ibidem ex S. Chrysostomo rationem aliquam subjungit, in qua fundatur modus sic pingendi martyres capite truncatos. Legi etiam possunt, quæ habet tom.* III *Aprilis pag.* 106, *ubi & de aliis agit erroribus popularibus, quibus pictarum sculptarumve imaginum monumenta occasionem præbuerunt.*

cetera, quia sufficiente auctoritate suffulciuntur, mihi videntur

20 *Quæ Vitæ auctor ex suo ingenio vel ex vulgi traditione falsa aut parùm credibilia de* S. Regulo *scripsit, jam ob oculos posita sunt. Quid de ceteris statuendum sit, ex sequentibus intellige. Nostris antiquiora de sancto Martyre Acta extitisse testatur auctor Vitæ S. Cerbonii episcopi Populoniensis, quam Nicolaus Coletus tomo* 3 *Italiæ sacræ Ughelli col.* 703 *inseruit, quamque ipse scriptam fuisse putat ante tempora Caroli Magni. Licèt hæc sua Coletum fortè fallat opinio, credimus tamen vetustum esse monumentum illud, cujus S. Cerbonii Acta meminerunt, dum* S. Reguli *martyrium & sepulturam his verbis perstringunt:* Illo namque in tempore Totila rex perfidus crudeli examinatione cum satellitibus suis Gothis Italiam devastabat: beatum vero Regulum, sicut in DIGESTIS suis legitur, capitali extraxit * sententia. Cerbonius verò & Felix sanctissimi episcopi cadaver sui Magistri & archiepiscopi mirificè sepelierunt. *Quæ ad* S. Reguli *vitam in Africa & in exsilio actam pertinent, martyrio ejus præmittuntur in iisdem S. Cerbonii Actis. Altera hujus Acta servamus, quæ, ut in fronte nostri apographi notatur, exstant in codice* 6453 *bibliothecæ Vaticanæ, quæque Orlendius in Orbe sacro & profano parte* 2 *lib.* 3 *cap.* 43 *num.* 7 *nondum typis vulgata esse affirmat. In his, si rem ipsam spectes, eadem de Sancto nostro referuntur, quæ in Vita S. Cerbonii à Coleto edita. Quia verò hujus auctor citat antiquius de* S. Regulo *instrumentum, quod* Digesta *appellat, haud dubiè ex illo accepta sunt, quæ de*

* *l.* extinxit

sancto

AUCTORE J. L.

§ III. Sancti Acta, longioribus interpolationibus refectis; aliqua ad ejus vitam ſpectantia ex aliis inſtrumentis.

Sancti Vitam, præmiſſo verboſo Prologo, in quo nil notatu dignum adfert, ita exorditur biographus: Beatiſſimus igitur Regulus, ſicut viri eruditiſſimi tradiderunt, cùm per Africam archiepiſcopali celebraretur culmine ſublimatus, & Catholica fide commiſſam ſibi gubernaret eccleſiam, cœpit ipſius * Arrianorum fons veneno peſtifero toxicoque manare. Docebat namque idem præcipuus Paſtor ſibi attributum populum, quomodo Dei Filius *&c. Inſerit hîc Eccleſiæ doctrinam Arianorum erroribus oppoſitam, ad cujus fidem Sanctus plebem hortatus fuerit. Mox Arianos introducit ſe ejus prædicationi opponentes, & fidelem populum pervertentes; quorum etiam hæretica dogmata allegat. Tandem ita pergit:* Tunc beatus Regulus, pater Africæ & Domini athleta improborum facinus prohibendo cœpit corripere & fortiter repugnare, quatenus Dei populum à ſatanæ dominatione liberaret, & ſuo Creatori, prout decebat, reſtauraret. At verò illi, quos prædicta hæreſis commaculaverat, in tanta furoris face contra eumdem Dei Famulum exarſerunt, ut non ſolùm ſe ab errore nollent compeſcere; verùm etiam verba Dei ab eodem audire non dignabantur: inſuper minas mortis in eum jaculabantur. . . . . Igitur illi, qui prædicatione beati Reguli fuerant offenſi, cœperunt infauſtis jaculis vulnerari; dum projectis boni Paſtoris monitis ſeſe Arrianorum tradiderunt inſaniæ: nimirum itaque inſidiantes ei à ſuis eum finibus expellere conati ſunt.

Solicitudo Sancti pro grege, certamina cum Arianis; qui eum indignis modis vexant,
* *f.* impius

E

23 Interea beatus Archiepiſcopus tantum ſcelus ab Arrianorum auctoribus propaginatum * conſiderans, ſeque etiam ſua repugnatione nihil proficere, . . . convocatis . . . aliquantis ex proprio clero, ſic eos benigna alloquitur voce: Fratres & comparticipes fidei Catholicæ, in quantum perſecutio contra nos malorum increverit, bene videtis: hac igitur relicta terra cum peſſimis hominibus, in aliam ad ſerviendum Deo pergamus. *Sequuntur textus & exempla è ſacris Literis deſumpta, quibus ſanctus Præſul congregato clero oſtenderit, ſe licitè, rebelli grege relicto, in alias terras migrare. Mox ſubdit:* Talibus denique atque aliis multis ad medium ductis exemplis, cœperunt quidam ſuorum dicere, ſe quocumque vellet ire, paratos ſequi, magis cum illo cupientes mori, quàm ſine illo vivere . . . . Tunc S. Regulus in orationem ſe cum ſuis diſcipulis dedit orans ac dicens: Domine Jeſu Chriſte, Fili Dei omnipotentis . . . tu nobiſcum ſemper eſſe digneris, & locum nobis præparare opportunum, & noſtros in viam pacis dirigere pedes, ut ſervire ac quietè ſemper tibi famulari poſſimus, qui cum coæterno Deo Patre *&c.* Cúmque reſponſum fuiſſet, Amen; ſanctus idem Regulus relinquens rura accolis, propriaque dimiſſa ſede, duobus epiſcopis comitibus & tribus presbyteris, duobuſque diaconibus, Tuſciæ terram pacificus novuſque hoſpes pedibus attigit. *Hoc & præcedente numero comprehenſa, quæ paucis lineis abſolvi potuiſſent, textibus ſacris*

& ad voluntarium exſilium cogunt: clero fugæ conſilium proponit; cum ſociis,
* *i. e.* propagatum

F

A *ſancto Martyre narrat tam ipſe, quàm alter, qui S. Cerbonii ejus diſcipuli geſta nondum in lucem edita conſcripſit. Sed præcipua rerum omnium capita, quæ uterque de* S. Regulo *refert, etiam in hujus Actis recentioribus leguntur: igitur ea, in quibus hæc cum illis concordant, fidem merentur, utpote ex eodem vetuſtiore monumento hauſta.*

prudenter credibilia: rationes, ob quas Sancti Acta integra non dabuntur.

21 *An inſtrumentum illud, cujus meminit biographus noſter, dum Sancti martyrium ſecundò enarrare incipit ab his verbis,* Quocirca prout in Geſtis invenimus, declaramus, *idem ſit cum illo, quod citatur in Actis S. Cerbonii editis, manifeſtum mihi non eſt. In narratione, quæ allatis verbis proximè ſubjungitur & num.* 28 *adferetur, ſinceritas & clita, quæ hiſtoriæ fidem conciliant, mihi magis elucere videntur, ut & inſtrumenti antiquitas & biographi in tranſcribendo fidelitas mihi minùs ſuſpecta ſit. Prudenter igitur credi poteſt martyrii deſcriptio, cui præmittitur,* Quocirca prout in Geſtis *&c., uti & illa, quæ in utraque S. Cerbonii Vita leguntur. Sed quid ſentiendum de iis, quæ biographus noſter de* S. Regulo *narrat, & in ejus diſcipuli Actis non inveniuntur? Quæ falſa & ſuſpecta ex ſuo ille ingenio & traditione popolari hiſtoriæ ſuæ immiſcuit, jam ſuprà lectori propoſita ſunt. Cetera, ſi ſano ſenſu intelligantur, pro fictitiis habenda non ſunt, quia modo ſatis credibili referuntur, & ferè non ſunt niſi quædam adjuncta non aliena à rebus, in utraque S. Cerbonii Vita enarratis. Harum veritatem ſi admiſeris, illorum veriſimilitudinem non rectè negabis. Dicta hactenus de rebus & iis, quæ res circumſtant, ita intelligenda ſunt, ut non extendantur ad allocutiones, quas à Sancto, ejus ſociis & Arianis factas eſſe ſcribit biographus. Non nego quidem eos locutos fuiſſe; ſed credibile non eſt, quòd uſi fuerint iis verbis, quibus loquentes inducuntur. Cùm autem ſermones, quos illis biographus attribuit, valde prolixi ſint, cúmque narrationi ſuæ plurimos ſacræ Scripturæ textus intrudat, atque inſuper, ut ceteras ejus evagationes ſileam, etiam deſcribat congreſſum Totilæ cum S. Benedicto, aliaque non pauca de regis iſtius factis & morte commemoret ab inſtituto planè aliena; ego quam ſcripſit de* S. Regulo *hiſtoriam, licèt ex parte fide dignam, ut jam oſtendi, edendam non cenſui niſi longioribus digreſſionibus interpolationibuſque reſectis, quæ ſine faſtidio legi non poſſent. Illud autem fideliter præſtabo, nil prætermiſſurus, quod ad Sancti vitam quoquomodo ſpectet. Dein ex utriſque diſcipuli ejus Actis ea ſubjungam, quæ biographi noſtri hiſtoriam plurimùm confirmant. Ex aliis etiam auctoribus aliqua adferentur, quæ in hactenus memoratis inſtrumentis non reperiuntur. Paragraphus ſequens nihil ferè niſi nudam illorum narrationem continebit, cujus contextus hiſtoricus ne interrumperetur, in paragraphos* 4 *&* 5 *reſervavi obſervationes & diſcuſſiones quæſtionum, quibus vel materiem vel occaſionem præbent ea, quæ nunc tranſcribere aggrediór.*

B

C

AUCTORE J. L.

& longis interpolationibus adeo amplificata ſunt, ut tres ferè folii paginas in apographo noſtro impleant

24 *Narrationem ſuam ita proſequitur biographus :* Et quia Sanctis in hoc ſæculo non deſunt tentationis certamina, dum Tuſciæ partes peteret, ventoſis in fluctibus ſurrexit furibunda tempeſtas ; contra quam nautica ſe ſuccinxit ſolito turba paratu : cœperant enim alta mugire tonitrua, fulguraque micare, cæli quoque facies aëris nubibus permutari, marinus fragor furoris ſui fluctus oſtendere. Omnium animos in navi terror invaſit, & uſque ad deſperationis penè voraginem traxit. Solam verò beati Reguli mentem terror non potuit in deſperationis barathrum immergere, quia erat confidens Domini de pietate ſua. Poſitis autem genibus, mundi deprecatus eſt Conditorem, ut inter tremulas undas navis ejus fieret gubernator, & à tanto periculo ſuos exules liberaret : cujus orationem protinus deſiderabilis eſt ſequutus effectus. Pelago enim data eſt ſtellifera concordia cæli, ita ut nubila metuenda ipſum deſererent, & mare proſperis flatibus

A manſuetudinem priſtinam retineret : factumque eſt in illo aquarum ſpatio, ut mare pacificum fieret, & nautarum animus ab ingenti ſalvaretur timore. Egreſſus igitur ex pelagi fluctibus, elegit eremitico vivere tramite, & remotis finibus loco congruo latitare : quo dùm à ſeculi iſtius vanitate viveret ſequeſtratus, ferarum, multorumque animalium honorabatur quotidie famulatu.

tempeſtate precibus ſedata, in Tuſciam appellit, ubi ſolitariam vitam ducit :

25 Et cùm multa per eum Chriſtus in eodem loco ſigna facere dignaretur, fama eum Totilæ regi perfido nunciavit : qui mittens ex obſequio S. Regulum ſibi accerſiri præcepit. Miſſi quidam juvenes ad ejus hoſpitium perveneruut : ſed ipſum ſedentem atque legentem, dum tribus ante eum vicibus transiſſent, videre minimè potuerunt. Erat autem non longè puella beſtias & hircos paſcens, quæ egregium Virum ſævis carnificibus indicavit ; quæ futuris mulieribus atque hircis non modicum præbuit detrimentum. Nulla ſanè mulierum in ejus atria ſanctiſſima ſopore modico manere præſumat aut refecta poterit inveniri : quia in auribus plebis vulgatum eſt, non

C audere quamlibet mulierem in ejus domo temeraria præſumptione quieſcere, nec juxta eccleſiam ejus licitum eſſe tranſire, agente Domino per ſervum ſuum Regulum. Videntes autem eum miniſtri, qui à rege fuerant deſtinati, hortati ſunt, ut ad regem pergeret, ne, ſi contemneret, pœnis graviſſimis puniretur. Quibus ille reſpondit : Implere quod Totila juſſit, deſpicio, quòd Chriſti, æterni Regis Filii, præcepta conſervo : ad illum ire paratus ſum, qui ſervis ſuis æternas epulas præparare dignatur : Totilam certè cum ſuis paſtionibus reſpuo ; quòd cum perituris dapibus eſt ipſe perfidus periturus. Hæc audientes carnifices vitam illius capitali extinxere ſententia : cujus caput juxta fontem putantes pro nihilo jactaverunt.

à puella Totilæ miniſtris proditur ; ejus martyrium :

26 Sed ut oſtenderet Dominus, quibus meritis fuerit honorandus, caput ſuum, quod miſeri carnifices abſciderunt, ſuis manibus levans duobus ſtadiis ipſo, pro quo paſſus eſt, faciente, portavit ; & reſedit ſuper quoddam lignum acſi ſævorum gladio non fuiſſet occiſus. Angelus autem Domini apparuit duobus ejus coëpiſcopis Felici & Carbonio * eiſque interfectionem beati Præſulis annuntiavit, dicens : Pontifex veſter interfectus eſt. Et cùm hoc dixiſſet, ab oculis eorum evanuit. Illi verò Spiritu ſancto D ductore perrexerunt, ſedentemque eum invenerunt, ubi, priuſquam decollatus eſſet, ſediſſe compertus eſt : qui de morte illius contriſtati, ſed de vitæ perpetuitate gaudentes, dixerunt : Cur nos à tuo conſortio ſegregaſti, ſanctiſſime Pater ? Tecum profundos tranſivimus gurgites *&c. Hi & alii SS. Cerbonio & Felici ſermones attribuuntur, ex quibus pateat, quantum ſui deſiderium apud eos Sanctus reliquerit. Hunc denique illi ita alloquuntur :* Surge, ſurge, ſanctiſſime Pater, ut in loco voluntatis tuæ valeamus tuum ſepelire cadaver. Mox erectus caput ferens in manibus, quantum jactus eſt lapidis, requievit traditus ſepulturæ.

reſectum caput manibus geſtat : ſepelitur à SS. Cerbonio & Felice, ab angelo monitis :

* *l.* Cerbonio

27 Occiſores verò ſtrangulati ſunt à dæmone. *carnifices puniti, miracula ad Sancti ſepulcrum ; templum ei erectum ; fidelium concurſus.* Unus evaſit cum puella hircorum cuſtode ; qui vociferantes ubique clamabant : O ſerve Dei Regule ! Cur nos vinctos cathenis ducis ? Qui cùm ligarentur, rumpebant vincula & currebant ad ſepulchrum : qui venientes ad locum ſalvi facti ſunt, & retulerunt omnia, quæ geſta fuerant. E Illi autem homines videntes miracula, quæ per illum fiebant, ædificaverunt ei domum. Unde factum eſt, ut uſque nunc non audeat reſidens quis equo circa ejuſdem Martyris tranſire eccleſiam ; nec venator in ejus fines feras inſequi poteſt, quòd non ei impedimentum eveniat. Sed & multa alia operatur Deus per eumdem laudabilem Martyrem ſuum : & ex longinquo audientes ejus miracula plurimi adveniunt ; quorum languentes ſua vota ſolventes beneficia multa ſuſcipiunt. Paſſus & ſepultus eſt Calendarum die Septembris ; cujus honorificè eſt celebranda feſtivitas. Multi invalidi expectant ejus beneficia, ut valentes fiant.

Altera martyrii narratio ex antiquiore inſtrumento accepta :

28 Illud præterea in præſenti nobis commemorandum videtur, qualiter omnipotens Deus poſt tranſitum beati Reguli archiepiſcopi vindictam in crudeli & impio rege Totila operatus ſit : non enim decet, ut nos ſcientes mira facta, quæ Dominus in ſuis & pro ſuis Sanctis operari dignatus eſt, ſaltem aliqua opportunè non enarremus. . . . Quocirca prout in Geſtis invenimus, declaramus. Tempore quo Juſtinianus imperator hominibus laudabilis in Conſtantinopolitanis habitans partibus Romanum tenebat imperium, Baduilas, qui alio nomine Totila nuncupabatur, rex videlicet Gothorum undique congregato exercitu totam magna cum ferocitate invaſit Italiam. Nam multas ibidem eccleſias deſtruxit, multoſque Chriſtianos impiè trucidavit. Depræ- F dationes etiam uſquequaque & captivationes faciens, caſtella domuſque multas exuſſit ac diruit. Interea dum in maritimis eſſet finibus inter Populonienſem comitatum *, qui videlicet in partibus Tuſciæ eſt conſtitutus, audivit, quòd beatus Regulus archiepiſcopus Africæ in illis eremiticam ducens vitam habitaret finibus. Miſſo itaque nuncio, ut ad ſe ſub omni celeritate veniret, mandavit. Qui cùm ejus præceptis parêre noluiſſet, ad eum venire contempſit. Quo audito, tyrannus irâ repletus capitalem cædem, ſicut ſuperiùs dictum eſt, juſſit inferri ſancto Pontifici : quam lætus pro Chriſto ſuſcepit, & cæleſtem januam ſecurus intravit.

* *i. e.* territorium

SS. Benedicti & Reguli prædictiones de morte regis Totilæ.

29 Verùm egit hoc Totila non impunè, quòd, ut ſequens lectio edocebit, ipſe poſtea turpiter vitam finivit. Per idem tempus nimia crudelitate ac ferocitate ſuccenſus iter faciens per Campaniam ad beati viri Benedicti, qui tunc temporis vivens erat in corpore, cœnobium venit. Quem audiens

A audiens prophetiæ ſpiritum habere, probare conatus eſt, an verum eſſet. *Inſeritur hìc tota hiſtoria congreſſûs Totilæ cum S. Benedicto : mox varia ejuſdem regis geſta & itinera recenſentur : tandem pervenitur ad pugnam Gothos inter & Romanos ſub duce Narſete commiſſam, in qua Totilas interfectus fuit anno decimo poſt habitum colloquium cum S. Benedicto, qui illum novem annis regnaturum & decimo moriturum prædixerat. Cæde Gothorum regis enarrata, ſubditur :* Sicque factum eſt, ut qui ſanctum Dei Regulum gladio interfici fecerat, ipſe quoque gladio interficeretur. . . Non enim præterire poterat, ut non ipſe Totila periret, quia S. Regulus prophetico ore cum ſuis dapibus prædixerat periturum. *Vult nimirum biographus, uti mortis annum à S. Benedicto, ita & à* S. Regulo *mortis genus prænuntiatum fuiſſe. Deinde poſt varias antitheſes, quibus Sancti Martyris & Gothorum regis facta & mors inter ſe opponuntur, ſequitur tranſlationis hiſtoria, cujus initium dedi num. 6. Ratio, cur eam non edendam judicem, dabitur num. 54.*

B *Sancti Vita brevior ex Actis S. Cerbonii*

30 *Nunc accipe initium Vitæ S. Cerbonii inéditæ, de qua num. 20 ſermo fuit :* Tempore, quo Ariana hæreſis in toto mundo pullularet, maximéque apud gentem Guandalorum, quæ Africanam gentem devaſtabat, quæ eamdem quaſi pro divinitate excolebat ; erat beatus Regulus archiepiſcopus in eadem regione, qui gratiâ ſancti Spiritus afflatus prædicare cœperat populum, ut ab hac hæreſi ſe ſequeſtraret, & Chriſti Dei Filium, qui eſt verus Deus, totis niſibus coleret. Sed dum prædicatio ejus caſſo labore deficeret, cœpit ipſe ſanctus Regulus anxiè dolere, quoniam gens illa cotidie famulos Chriſti laniabant. Illis verò diebus veniens pater beati Cerbonii, cùm videret ipſum Dei Sacerdotem miraculis coruſcantem, & ſanam doctrinam, quæ de Domino Jeſu Chriſto erat, omnibus prædicantem, commendavit eum beato Regulo, ut eum doceret Chriſti doctrinam, quatenus divini cultus ſacras Litteras diſceret. Tunc beatus Regulus docuit beatum Cerbonium omnes ſacras Scripturas, & effectus eſt ejus diſcipulus. Sed dum cerneret beatus Regulus inſaniam pravitatis hæreticæ, relicta ſede, quâ ſacerdotes alios beabat, aſcitis ſibi beato Cerbonio & Felice duobus epiſcopis, quos ipſe ſacraverat, pelagi tramitem, celoce ſibi injuncta, cum tribus presbyteris & duobus diaconibus aliiſque ſociis commeantibus, marinis fluctibus iter arripuit. *Hæc periodus valde contorta eſt, & ab exſcribente fortè corrupta.*

C *ineditis, à quibus vix differunt altera ejuſdem Acta, à Coleto vulgata :*

31 Sed dum alta pelagi peragrarent, marinus fragor eſt perturbatus, & valida tempeſtas contra eos ſurrexit, & omnes in perturbationes dejecit : ſolummodo beatum Regulum nihil perterruit, quia erat fiſus de pietate Domini ſui. Deprecatus eſt namque Dominum, cui purè deſerviebat, cui cuncta obediunt, ut intra procellas ejus navis fieret gubernator. Cujus omnipotens Deus ſtatim preces audivit ; mare verò pacificum extitit & ſuos ſervos quietos abire præcepit. Sed dum Romuleos contingeret fines, ſequeſtratus à ſociis cœpit heremiticam vitam ducere, & à Felice famulatum habere. Qui dum hæc perageret, & multa in eodem loco ſigna faceret, à quibuſdam relatum eſt Totilæ perfido regi : qui miſit ſuos executores, & præcepit ut ad eum pergeret, &, ſi contemneret, capitalem ſubiret ſententiam. Cujus mox dicti verba compleverunt. Sed beatus Cerbonius & Felix ejus corpuſculum ſepulturæ tradiderunt. Poſt mortem verò Antiſtitis ſui cœpit beatus Cerbonius omnes populos docere in eiſdem partibus commorantes, monens eos, ut in orationibus & vigiliis, in jejuniis & eleemoſynis conſiſterent, quemadmodum ipſe beatus Pontifex conſuetus erat agere. *Eadem ferè omnia habentur in alteris Actis S. Cerbonii. Unum ex his decerpo, quod alibi clarè non exprimitur, nimirum* S. Regulum, *uti fugæ, ita & vitæ ſolitariæ ſocios habuiſſe Cerbonium & Felicem :* Venientes autem *tres ſancti Exſules* in Romuleis finibus congruum locum ſibi vendicaverunt, quatenus optimo omnipotenti Deo, ſequeſtratis omnibus, eremiticam duxerunt * vitam. *Cetera non tranſcribo, tum quia legi poſſunt in Italia ſacra Ughelli à Coleto aucta tom. 3 col. 703, tum etiam quia lectori minùs grata eſſet earumdem rerum, etſi aliis verbis enarratarum, longa repetitio. Id tamen in memoriam hìc revocare licet, quòd Actorum typis vulgatorum ſcriptor, uti verba ejus num. 20 relata fidem faciunt, antiquiorem viderit* S. Reguli *Vitam. Hoc ejus teſtimonio, cujus falſitas, cùm probari non poſſit, præſumi non debet, credibiliora redduntur quæ ipſe, quæ auctor Vitæ S. Cerbonii inéditæ, & pleraque, quæ noſter biographus de ſancto Martyre litteris mandarunt. Sed hac ſuper re jam ſatis diſſerui à numero 20.*

AUCTORE J. L.

*f. ducerent

B

32 *Auguſtinus Florentinus, profeſſione monachus Camaldulenſis, anno 1567 Florentiæ edidit Vitam & miracula SS. Juſti & Clementis, quibus etiam* S. Reguli *& aliorum cœlitum Acta inſeruit. Paginâ 16 varia recenſet monumenta Mss., ex quibus hiſtoriam ſuam omnem contexuit. Quamquam hæc in multis rebus mihi valde ſuſpecta ſit, aliqua tamen ad Sanctum ſpectantia ex ejuſdem cap. 5 & 6 excerpere viſum eſt, quia cum novis adjunctis narrantur, quæ fortè in inſtrumentis invenit, quæ citat. Sunt autem hæc :* Poſtremò B. Regulus cum Juſto, Clemente atque Octaviano, cumque reliqua multitudine in portum Hetruriæ delati cum gratiarum actione appulere. Et ubi omnes egreſſi optatâ arenâ potiuntur, B. Archiepiſcopus illis benedixit. Deinde in oſculo ſancto ſe invicem ſalutantes, quocumque eos divina vocabat providentia, diviſa ſocietate alii alia tenuere. B. Regulus Populoniæ fines cum Cerbonio ac Fœlice diſcipulis primùm ingreſſus, mox in remoto nemore abditaque ſylva eremiticam in Domino laudabiliter elegit vitam ducere. Ubi orationibus, vigiliis ac jejuniis vacans, demum ſenio confectus in prædicatione ac defenſione Chriſtianæ fidei martyrii coronam ſibi expetivit Cal. Septembris ad Pontem (quod aiunt) Sacci. Namque ejus ſanctitatis ac prædicationis famâ ad aures impii Totilæ perlatâ, miſſis ſatellitibus capite in eremo truncatus eſt. *S. Octavianus in ſuis Actis, quæ ad diem ſecundam hujus menſis examini ſubjicientur, etiam cum Juſto & Clemente dicitur Sancto noſtro ex Africa fugienti comitem ſe adjunxiſſe.*

alia citat inſtrumenta Auguſtini Camaldulenſis, ex quo nonnulla excerpantur :

F

33 *Sancti* Reguli *Vitam ſuperiore ſeculo Italicè deſcripſerunt Cæſar Franciottus & Silvanus Razzius laudati num. 11 & 13. De eo etiam præter multos alios agunt, quotquot ferè de Sanctis ſcripſerunt, qui illum ducem in exſilium ſecuti fuerunt, vel fuiſſe creduntur. Sed nihil proferunt, quod in allatis documentis non inveniatur. Aliquos tamen reperi, qui ex quo fonte, quod referunt, hauſerint, ignoro. Qui Martyrologium Uſuardi Florentinum auxit ad 2 Septembris in S. Octa-*

aliqua de Sancto apud recentiores legumtur manifeſtò falſa.

AUCTORE J. L.

S. Octaviani elogio ſcribit, hunc ſimul cum Sancto noſtro Volaterras Tuſciæ urbem adveniſſe. At ceteri paſſim omnes, qui dicunt illum fuiſſe ſocium S. Reguli *ex Africana Arianorum perſecutione profugi, affirmant, quòd unà cum Juſto & Clemente Volaterras adierit; ſanctus verò* Regulus *ſolitariam vitam ducturus cum Cerbonio & Felice ſubſtiterit in territorio Populonienſi, in quo etiam martyrii palmam fuit conſecutus. Hæc poſtrema indubia ſunt, uti patet ex allegatis inſtrumentis. Ab horum narratione & à veritate planè aliena etiam ſcribit Ludovicus Zacconi in Compendio Vitarum omnium Sanctorum, dum* S. Regulum *ex Africa Romam profectum eſſe ait ad Sanctorum reliquias ibi honorandas, eumque, cùm Româ in Tuſciam iter faceret, fortè occurriſſe Gothorum regi Totilæ, qui Sanctum, quòd Chriſtianus eſſet, juſſerit occidi.*

§ IV. Inquiritur tempus, quo Arianorum perſecutio S. Regulum exſulare coëgit; qui veriſimiliùs in Africa primæ ſedis antiſtes fuit: refellitur Tillemontius ejus à grege abſentiam ſubaccuſans: fugæ & ſolitariæ vitæ ſocii.

B

Quòd Sanctus nec ſeculo quinto nec octavo, ſed ſexto ex Africa in Tuſciam advenerit,

C

Quæ variis ex documentis paragrapho præcedente collegimus aquè firmam omnia fidem non merentur. Quæ falſa vel non veriſimilia putamus, jam aſſignata ſunt num. 17, 18, 19 *&* 33. *Ex iis, quæ mihi credibilia videntur, aliqua ambiguè, confusè & debitis nudata circumſtantiis enarrantur, adeo ut dubitationibus & quæſtionibus non levibus locum relinquant. Eas nunc diſcutere incipimus: ac primò quidem tempus inquiremus, quo Arianorum perſecutio* S. Regulum *& ſocios ex Africa aufugere compulerit. Raphaël Volaterranus Commentariorum Urbanorum lib.* 5 *poſt medium, & ex eo Leander Albertus in Deſcriptione Italiæ editionis Colonienſis pag.* 79 *affirmant, Sanctum cum Juſto, Clemente & Octaviano ex patria profugum in Tuſciam appuliſſe,* Leone III imperante. *Papebrochius tomo* 1 *Junii pag.* 438 *typographi vitio ob rationes, quas ibidem adfert, tribuendum eſſe putat, quòd apud Volaterranum numerus* III *irrepſerit pro littera* M., *ſignificante* Magnum. *Verùm ſive legas* Leone III *ſive* Leone M. *imperante, ab errore ipſum non vindicabis: cùm ſanctus Exſul ſub neutro in Etruriam venerit. Certum eſt* S. Regulum *paſſum fuiſſe ſub Totila. Hic autem quoniam Gothorum in Italia regnum non ſuſcepit ante annum* 541, *neque illud tenuit ultra annum* 552; *ſancti Martyris exſilium nec differri poteſt ad ſeculum* VIII, *quo Leo III, cognomento Iſaurus, imperavit; neque revocari ad perſecutiones, quas Genſericus Wandalorum rex ſub Leone M., iſtius nominis primo, id eſt intra annum* 457 *&* 474 *in Africa excitavit. Hæc in aperta luce ponentur numero ſequente.*

35 *Sanctus Gregorius Magnus lib.* 2 *Dialogorum cap.* XI *refert, quòd S. Cerbonius Totilæ juſſu urſo devorandus objectus fuerit; verùm ope divina illæſus evaſerit, bellua ad pedes ejus procumbente, eoſdemque oſculante.* Cujus rei, *ſubdit ſanctus Pontifex*, hi, qui tunc præſentes fuerunt, adhuc nonnulli ſuperſunt; eamque cum omni illic populo ſe vidiſſe teſtantur. *Dein præſcitam à Sancto mortem, mirabilemque ejus ſepulturam ita narrare incipit:* In ea namque Populonii eccleſia, cui præerat, ſepulcrum ſibi præparavit. Sed cum Langobardorum gens in Italiam veniens cuncta vaſtaſſet, ad inſulam Ilvam receſſit. Qui ingruente ægritudine ad mortem veniens, clericis ſuis ſibique obſequentibus præcepit, dicens: In ſepulcro meo, quod mihi præparavi Populonii me ponite. Cui illi cùm dicerent: Corpus tuum illic qualiter reducere poſſumus, qui à Langobardis teneri loca eadem, & ubique eos illic diſcurrere ſcimus? Ipſe reſpondit: Reducite me ſecuri *&c. Hæc è S. Pontificis, ſcriptoris coævi, narratione in rem noſtram excerpſiſſe ſufficit. Licèt Papebrochius citatus neget, SS. Juſtum & Clementem unà cum* S. Regulo *ex Africa fugiſſe, atque idem etiam de S. Octaviano haud dubiè cenſuerit: apud omnes tamen certum eſt, quòd SS. Cerbonius & Felix ſimul cum Sancto noſtro in Tuſciam extorres appulerint. Jam verò ſi S. Cerbonius Totilæ temporibus claruerit, ſub quo* S. Regulus *martyrium conſummavit; imò adhuc vixerit, quando Longobardi, qui anno* 568 *in Italiam irruperunt, in eas uſque Etruriæ partes penetrarunt, ubi Populonium ſitum erat; nullum ampliùs relinquitur dubium, quin ipſe &* S. Regulus, *quem ducem in exſilium ſecutus eſt, ſeculo* VI *in Tuſciam adventarint. A vero itaque plurimùm aberrarunt Raphaël Volaterranus & Leander Albertus citati. Ughellus in fœdum etiam lapſus eſt anachroniſmum. Tomo* 1 *Italiæ ſacræ col.* *332 *S. Juſtum in epiſcoporum Volaterranorum ſerie ſtatuit ante Elpidium, quem ſynodo Romanæ ſub Symmacho pontifice anno* 502 *habitæ interfuiſſe ſcribit; tomo autem* 3 *col.* 784 *S. Cerbonii vitam extendit uſque ad* X *Octobris anni* 573: *& tamen utrumque præſulem eodem tempore ſimul cum* S. Regulo *ex Africa fugiſſe affirmat.*

D

ex ætate S. Cerbonii certum eſt:

E

36 *Ex Vita S. Cerbonii inedita diſcimus, quòd cum Felice & aliis ſociis* S. Regulum *ex Arianorum perſecutione profugum ſecutus fuerit, cùm Wandali in Africa adhuc dominarentur. Eorum ibi regnum exſtinctum fuit anno* 534, *quando ultimus gentis iſtius rex Gelimer à Beliſario, imperatoris Juſtiniani duce, victus, captuſque fuit & Conſtantinopolim in triumphum abductus. Unde conſequitur, ut Sancti exſilium differri nequeat ultra dictum annum* 534. *Ad hoc uſque tempus tres ſeculo* VI *Wandalorum in Africa reges fuerunt, Traſamundus, Hildericus, & qui anno* 530, *vel ut alii* 531, *hujus regnum invaſit, Gelimer. Nullo modo veriſimile eſt, Sanctum noſtrum perſecutioni ſe ſubduxiſſe, regnante Hilderico; hic enim orthodoxis præſulibus favit, & rei Catholicæ pacem libertatemque, quam Traſamundus ademerat, reſtituit. Auguſtinus Gamaldulenſis in Actis SS. Juſti & Clementis, Franciottus in Vita* S. Reguli *pag.* 179, *Benedictus Falconcinius epiſcopus Arretinus apud Orlendium in Orbe ſacro & profano parte* 2 *lib.* 3 *cap.* 31 *num.* 9, *& nonnulli alii exiſtimant, perſecutionem Arianorum contra Catholicos ſub Gelimere recruduiſſe, atque in hac ſanctum Præſulem noſtrum & ſocios fugere compulſos fuiſſe. Verùm cùm apud antiquos ſcriptores non inveniam, Catholicos ſub iſto rege fidei causâ ullam perſecutionem paſſos fuiſſe, neque* S. Regulus,

rationes adferuntur, cur eum non ſub Gelimere, ut multi volunt,

F

A Regulus, *ut in ejus Actis legitur, aliam ob rationem ab Arianis exagitatus fuerit, quàm ob eorum hæreticam doctrinam impugnatam & Catholicam defensam; ego recentiorum assertioni acquiescere non possum, fide digno testimonio destituta. Lego quidem apud Procopium lib. 2 de bello Wandalico cap. 9, eum* Arii placitis *adhæsisse, & apud Victorem Tunnonensem in Chronico,* multos nobilium Africæ *ab eodem rege interemptos fuisse, quorum bona per fas & nefas postea diripiebat: sed an in illos sæviit, quòd Orthodoxi essent? Credibilius mihi apparet, quòd, sicut Hildericum solio deturbatum ejusque affines, ita & multos alios nobiles Afros illi faventes occiderit, ut regnum, quod invaserat, sibi stabiliret. Huic nostræ opinioni favet potius, quàm obest auctius Hermanni Contracti Chronicon, à Christiano Urstisio Francofurti anno 1585 editum; quod ad annum 530 hæc habet:* Geilamer regnum invadens in Catholicos & in omnes debacchatur, *quos scilicet ab Hilderici partibus stare sciebat aut suspicabatur, nullo conditionis vel religionis facto discrimine. Confirmatur id ex eo, quòd in Fastis sacris nullum martyrem, confessorem nullum reperire potuerim, qui notetur sub Gelimere pro Christi fide mortem vel exsilium toleravisse.*

B

sed sub Trasamando in exsilium fugisse judicem,

37 *Theodericus Ruinart in Historia persecutionis Wandalicæ parte 2 cap.* XI *num.* 13, S. Regulum *cum sociis in Italiam fugisse asserit sub Hilderici decessore Trasamundo; sed quo circiter tempore id sub illo contigerit, non determinat. Norisius lib. 2 Historiæ Pelagianæ cap. 21 probat, Trasamundum anno* 496 *die* XXIV *Septembris Cuntabundo fratri suo successisse, &* XXVIII *Maii anni* 523 *regno & vitâ defunctum fuisse. Mihi videtur nullum aptius tempus inveniri posse, ad quod Sancti & sociorum exsilium referatur, quàm annus Trasamundi emortualis, vel proximè præcedentes. Rex ille Arianæ sectæ addictissimus, ut auctores coævi & ex his obvii Annalium scriptores referunt, impio edicto vetuerat, ne in episcoporum demortuorum locum alii ordinarentur; quod cùm transgressi essent provinciæ Byzacenæ antistites, statim Catholicorum ecclesias claudi, & cunctos regni sui antistites exsilio mulctari jussit. Victor Tunnonensis in Chronico centum & viginti, alii multo plures sub tyranno illo è sedibus suis ejectos fuisse scribunt. Arianis contra Catholicos præsules omnia tum temporis impunè licita fuisse, vel ex hoc solo satis intelligitur, quòd ipsum Trasamundum quasi invitum adegerint ad S. Fulgentium episcopum Ruspensem rursus in exsilium mittendum, quem paulò antè ex illo revocarat, viri videndi & audiendi desiderio captus. Porrò persecutio ista, paulò post initium seculi* VI *ob regii decreti transgressionem mota, continuata fuit usque ad Trasamundi obitum, vel certè sub finem vitæ ejus recruduit, uti ex auctoribus synchronis & coævis evincit laudatus Ruinartius num.* 23. *Nec modò vivens, sed etiam mortuus, quantum potuit, Catholicos oppressit; nam Victoris Tunnonensis Chronicon testatur, quòd Hildericus fuerit* sacramento à decessore suo Trasamundo obstrictus, ne Catholicis in regno suo aut ecclesias aperiret, aut privilegia restitueret. *Hæc summatim commemorare placuit, ut lector intelligat, fidelium in Africa perversionem, incrementum hæresis Arianæ, hujus sectatorum effrænatam improbitatem, quâ* S. Regulum *ob veræ fidei propugnationem vexare non cessarunt, donec tandem eum exsulare compulerint; ut, inquam, intelligat hæc & alia, quæ suprà num.* 22 *in Sancti Actis narrantur, nullis melius congruere temporibus, quàm quibus Trasamundus & sub eo Ariani Afros fideles ac præcipuè antistites insectati fuerunt.*

AUCTORE J. L.

C

38 *Nunc rationem accipe, cur Sancti nostri & sociorum exsilium differendum censeam ad annos qui Trasamundi obitum proximè præcesserunt. In utraque Vita S. Cerbonii narratur, quòd* S. Regulo, *alicujus in Africa ecclesiæ tunc antistiti, à patre traditus fuerit virtute & Litteris sacris imbuendus, neque in exsilium priùs discesserit, quàm postquam à Magistro suo episcopus ordinatus esset. Jam autem cùm* S. Regulus *martyr obierit sub Totila anno* 542, *ut infrà probabimus, sanctus verò Cerbonius etiam tum vixerit, quando Longobardi, anno* 568 *Italiam ingressi, Populonium usque excurrerant; utriusque Sancti exsilium retrahi non potest ad annos Trasamundi obitum remotè præcedentes: major etenim, quàm ut facilè credi posset, utrique ætas concedenda esset, ut consideranti patebit. Hoc incommodum nos evitamus, qui illorum fugam in Italiam ad postremos vitæ Trasamundi annos differimus. Admissâ verisimili Baronii, Ughelli tom.* 3 *Italiæ sacræ col.* 784, *aliorumque opinione, quæ annum* 573 *S. Cerbonii emortualem statuit, concedere quidem debebimus, eum, qui ante suum exsilium jam episcopus consecratus erat,* 50 *& amplius annis in Tuscia vixisse, & consequenter in senectute valde provecta ad vitam feliciorem transisse: verùm ejus Acta inedita, quorum initium transcripsi num.* 30 *&* 31, *hoc ipsum testantur sub finem:* Erat namque miræ abstinentiæ, piis operibus pollens, suavis & modestus tam clero quàm populo, usque ad decrepitam ætatem pertingens. *In alteris ejus Actis, quæ exstant tom.* 3 *Italiæ sacræ Ughelli, à Nicolao Coleto aucta, col.* 708, *hæc lego:* Ad insulam, quæ Elba vocatur, propter crudelitatem Longobardorum recessit, ibique cum suis clericis latebram fovebat. Jam illi enim ætas decrepita advenerat, quæ illum usque ad finem vitæ protraxit. *Fatemur etiam ex nostra sententia consequi, ut* S. Regulus *in senili ætate passus fuerit: nam si alicui in Africa ecclesiæ præfuerit, cùm S. Cerbonius ejus fieret discipulus, neque priùs exsulaverit, quàm post collatum ipsi episcopatûs Ordinem; satis commodè intelligi non potest, quomodo ad Totilæ tempora vitam protraxerit, nisi dicatur senex fuisse, dum martyrium subiit. Si velis ipsi* 80 *circiter vitæ annos tribuere, non repugno: nam Augustinus Camaldulensis in Vita SS. Justi & Clementis cap.* 6 *de eo hæc scribit:* Demum senio confectus in prædicatione ac defensione Christianæ fidei martyrii coronam sibi expetivit Cal. Septembris. *Licèt auctor mox nominatus in multis nullam fidem mereatur, malo tamen credere ipsum hîc non aberrare, quàm asserere* S. Regulum *cum sociis fugisse Arianorum persecutionem, sub Gelimere excitatam, de qua tota silet antiquitas.*

idque anno 523, *regis hujus emortuali, vel proximè præcedentibus.*

D

39 *Auctores instrumentorum, quæ transcripsi paragrapho præcedente, atque his recentiores scriptores passim omnes Sanctum nostrum* archiepiscopum *vocant, si martyrologos excipias. Hi isto titulo rectiùs abstinuerunt, quem nemo ex præsulibus Africanæ ecclesiæ unquam gessit. Semper ipsis exosum fuit* archiepiscopi *nomen, quòd seculi fastum ac dominationem magis, quàm modestiam, Ecclesiæ ministris dignam, redolere videretur. Proscripsit illud anno* 397 *concilium Carthagi-*

Credibilius mihi videtur, S. Regulum in Africa non quidem nomine,

AUCTORE J. L.

Carthaginnenſe III, *canone* 26 *decernens*, Ut Primæ ſedis epiſcopus non appelletur princeps ſacerdotum, aut ſummus ſacerdos, aut aliquid hujuſmodi; ſed tantùm primæ ſedis epiſcopus. *Nec nomini invidia abſterſa fuit ſeculo* VI, *quo Sanctus floruit; nam ſynodus Carthaginienſis ſub Bonifacio anno* 525 *celebrata eamdem prohibitionem renovavit. Itaque* archiepiſcopi *titulum* S. Regulus *in Africa non geſſit; quem proinde rectiùs cum martyrologis* epiſcopum *agnominabis. Verùm ſi non nomine, an ipſa re & dignitate archiepiſcopus non fuit? Ut affirmem id vero propiùs accedere, ſufficere mihi videntur, quæ nunc ſubjungo. In omnibus Africæ provinciis, Proconſulari excepta, antiſtes conſecratione ſenior, in quacumque civitate reſideret, epiſcopus primæ ſedis erat. Quoniam verò perſecutio contra Catholicos antiſtites non niſi cum morte Traſamundi finem habuit, plurimæ eccleſiæ ſuis paſtoribus viduatæ fuerunt. Unde* S. Regulus, *qui, ut ex antè dictis neceſſariò ſequitur, multis annis in Africa epiſcopus fuit, facilè in ſua provincia præſulum ſenior eſſe potuit, & primæ ſedis epiſcopatum gerere. In antiquiſſimis Sancti Actis, quæ exciderunt, hæc ejus ſuper alios antiſtites præcellentia expreſſa fortè fuit vocibus, apud Afros olim uſitatis; ſed quam junior auctor explicarit per notiorem in Italia* archiepiſcopi *appellationem: qui titulus dein tranſierit in recentiorum biographorum ſcripta, quæ edita vel inedita hodie exſtant.*

ſed re ipſa archiepiſcopum fuiſſe, id eſt, primæ ſedis antiſtitem.

40 *Præterea Cerbonius in Vita ſua inedita dicitur cum Felice epiſcopus à Sancto noſtro ordinatus fuiſſe: unde rurſum intelligitur, hunc primæ ſedis antiſtitem fuiſſe; cujus erat epiſcopos in ſua provincia conſecrare. Verùm,* inquies, S. Regulus *in ſuis Actis narratur* convocatis aliquantis ex proprio clero *ſuum fugiendi ex Africa conſilium propoſuiſſe: ſed ex iiſdem deduci poteſt, quòd Cerbonius & Felix probabiliùs fuerint è numero convocatorum: non videntur igitur epiſcopi fuiſſe, quia erant* ex proprio clero S. Reguli. *Hoc argumentum, ut mihi videtur, parùm urget: nam dici poteſt, biographum vocibus iſtis uſum fuiſſe, ut iis comprehenderet omnes à Sancto advocatos tam epiſcopos quàm presbyteros & diaconos: è quibus hi fuerint* ex proprio *ejus* clero, *ut epiſcopus erat, illi verò, ut erat epiſcopus primæ ſedis; cujus jurisdictioni, quæ ſine aliquo proprietatis jure intelligi non poteſt,* Decreta Nicæna ſive inferioris gradus clericos, ſive ipſos epiſcopos, *qui ſunt ex clero ſupremi gradus,* apertiſſimè commiſerunt. *Verba ſunt Concilii Africani can.* 238 *apud Thomaſſinum de Vetere & nova Eccleſiæ diſciplina parte* 1 *lib.* 1 *cap.* 41 *num.* 18. *Itaque ex eo, quòd Cerbonius & Felix fuerint è clero convocato, inferri nequit, eos epiſcopos non fuiſſe; quam dignitatem eccleſiaſticam illis tribuunt non modò* S. Reguli *& utraque S. Cerbonii Vita, verùm etiam omnes paſſim recentiores biographi conſtanti traditioni acquieſcentes. Neque ab hac ideo recedendum puto, quia nuſquam determinatur eccleſia, quam in Africa rexerint. Non ſolùm res geſtæ, ſed etiam ipſa nomina prorſus ignota ſunt plerorumque antiſtitum, qui ſub Traſamundo in Sardinia, Italia & alibi exſularunt. Ex iis verò, quorum nomina exprimuntur, plures ſunt, de quibus neſcitur, quam cathedram tenuerint, ut videre eſt apud laudatum Ruinartium à num.* XI. *Quidni his accenſeantur Cerbonius & Felix; quos, licèt incertarum ſedium, epiſcopos tamen ubique ferè nominatos invenies. Quidni etiam credere liceat* S. Regulum *primæ ſedis antiſtitem fuiſſe, qui illis epiſcopatûs ordinem contuliſſe legitur in Vita S. Cerbonii inedita, quique in omnibus inſtrumentis de quibus hactenus mentionem feci, archiepiſcopi titulo donatur. Hæc inter duo ſunt, quorum ſcriptores num.* 20 *&* 28 *teſtantur ſe aliqua ad* S. Reguli *martyrium ſpectantia producere ex vetuſtioribus ipſius Actis. Si his illi uſi fuerint, cur potiùs credendi ſunt* archiepiſcopi *titulum de ſuo adjeciſſe, quàm per hunc explicare voluiſſe id, quod revera legerunt, nimirum quòd Sanctus primæ ſedis epiſcopatum geſſerit, qui ſolo nomine, non re, ab archiepiſcopatu differt.*

Ab omni culpæ ſuſpicione liberatur Sancti abſentia à ſuo grege, oſtenditurque

41 *Tillemontius in Monumentis eccleſiaſticis tom.* 16 *pag.* 510 *difficultatem aliquam lectori expendendam proponit, quam ipſi creavit ſancti noſtri Præſulis commoratio in Tuſcia poſt mortem Traſamundi. Nihil,* inquit, *ipſi impedimento fuit, quò minùs potuerit in Africam reverti ſub Hilderico, qui pacem rei Catholicæ ibidem reſtituit: intellectu difficile eſt, quid ipſum ſolverit ab obligatione redeundi ad ſuam ſedem. Hæc objectio nos non magis ferit, quàm illos, qui Sancti exſilium differunt ad tempora Gelimeris. Nam ſi ad cathedram ſuam reverti debuerit ſub Hilderico, debuit etiam illo circitèr octo annorum ſpatio, quo vixit poſt Gelimerem regno exutum atque Africam à Juſtiniano imperatore recuperatam, ſub quo verè in ea religionis ſtatus felicior fuit, quàm ſub ullo Wandalorum rege. Verùm ſive ſub Juſtiniano poſt Africam imperio ſubjectam, ſive ſub Hilderico, ſive ſub utroque* S. Regulus *redire potuerit, mea ſententia eſt, ipſum in exſilio commorantem ſolutum fuiſſe eo vinculo, quo epiſcopi ſuis eccleſiis alligantur, & conſequenter ad ſedem ſuam redire non debuiſſe. Intellectu quidem difficile id eſſe ait Tillemontius: ſed nos hoc facilè probabimus, idque argumentis non longè quæſitis, ſed ex ipſa Sancti Vita depromptis. Ex ea imprimis habemus, quod epiſcopatu ſe abſolutè abdicare voluerit, non verò ad aliquod tempus perſecutioni ſe ſubducere: nam ad clerum congregatum dixiſſe narratur, ſe, ſede ſua relicta, in alias terras ſecedere velle* ad ſerviendum Deo; *dein Dominum oraſſe, ut dignaretur ſibi & ſociis* opportunum locum præparare, & in viam pacis dirigere pedes, ut ſecurè ac quietè ſemper famulari *ipſi poſſent. Mox ſubjungitur, quòd Sanctus* relinquens rura accolis, propriaque dimiſſa ſede, *mari ſe commiſerit, & magnam tempeſtatem eluctatus, in Tuſciam appulerit; ubi* elegit eremitico vivere tramite. *Ex quibus liquet, quòd ſanctus Præſul, cùm in voluntarium exſilium abiret, epiſcopatu ſe abdicarit, tranquillioris & ſanctioris vitæ in remota ſolitudine agendæ deſiderio incenſus.*

contra Tillemontium facilè intelligi poſſe, quòd ſolutus fuerit

42 *Verùm an abdicatione iſta ab eccleſia ſibi deſponſata ita divellere ſe potuit, ut nexus ſublatus fuerit, quo antea illi adſtringebatur? De nexûs iſtius ſolutione dubitandum non eſt, ſi epiſcopatu ceſſerit juſta de cauſa & ceſſionem approbarint illi, quos conſuluiſſe ſatis erat. Sacri iſtius vinculi diſſolvendi tota poteſtas jam dudum devoluta eſt ad Sedem apoſtolicam: ſed temporibus, quibus* S. Regulus *floruit, epiſcopatuum ceſſiones juſtis de cauſis fieri conſueverant, ſummo Pontifice inconſulto. Extra omne dubium id ponit Thomaſſinus in Vetere & nova Eccleſiæ diſciplina parte* 2 *lib.* 2 *cap.* 50 *& ſequentibus. Ibidem cap.* 54 *num.* 6 *ſcribit, ſeculo tantùm duode-*

AUCTORE J. L.

A *duodecimo ſub Alexandro III uſum invaluiſſe, ne præſules ſuæ dignitati & oneri injuſſu Pontificis renuntiarent. An autem olim in Africa ad validam & licitam epiſcopatûs ceſſionem neceſſaria fuerit primatis Carthaginienſis approbatio, an verò ſufficerit primæ ſedis epiſcopi ſeu concilii provincialis, ſive etiam ſolius cleri populique conſenſus, hîc non inquiro: quia ipſe* S. Regulus *veriſimiliùs primæ ſedis antiſtes erat, nec epiſcopum Carthaginienſem conſulere potuit, quia illis temporibus nullus erat. Nam à morte S. Eugenii, id eſt, ab anno 505 uſque ad 523 prima totius Africæ cathedrâ vacua fuit. Satis igitur fuit epiſcopos atque alios, qui commodè adeſſe poterant, ex provinciâ ſuæ clero convocare, iiſque ſuam de epiſcopatu abdicando voluntatem proponere: hoc autem Sanctum feciſſe Acta ipſius teſtantur; ex quibus etiam ſatis manifeſtò colligitur, quòd ejus conſilium approbatum fuerit.*

ab obligatione ex Tuſcia redeundi ad ſuam eccleſiam;

43 *Cauſa, quæ Sanctum movit ad ſacrum magiſtratum deponendum, etiam juſta fuit. Ejus Acta hanc adferunt:* Illi, quos prædicta hæreſis commaculaverat, in tanta furoris face contrà eumdem Dei Famulum exarſerunt, ut non ſolùm ſe ab errore nollent compeſcere; verùm etiam verba Dei ab eodem audire non dignabantur: inſuper minas mortis in eum jaculabantur.. Nimirum itaque inſidiantes ei à ſuis eum finibus expellere conati ſunt. Interea beatus Archiepiſcopus tantum ſcelus ab Arrianorum auctoribus propaginatum * conſiderans, ſeque etiam ſua repugnatione nihil proficere *&c. His verbis expenſis, lector Thomaſſinum citatum adeat, fusè & doctè differentem de epiſcopatuum ceſſionibus & cauſis requiſitis, ut illa canonica cenſeantur. Plurimos apud illum invenies præſules, pietate & vitæ ſanctimoniâ illuſtres, qui ante & poſt* S. Regulum *in variis orbis partibus claruerunt, eaſdemque vel ſimiles, vel etiam, ut mihi videtur, leviores ob cauſas ſacris præfecturis renuntiarunt. Veterum teſtimonia, quæ producit, tam frequentia ſunt, tam certa, atque etiam eruditis paſſim tam nota, ut ego iis tranſcribendis immorandum non cenſeam. Si Afrorum, qui epiſcopatu abierunt vel abire voluerunt, exempla requiris, reperies ea apud laudatum ſcriptorem capite 51: quod ubi unà cum præcedente & ſubſequente capite perlegeris, ſatis apparebit, ipſam Sancti Vitam ſufficientia ſuppeditare argumenta, ex quibus inferri poſſit, eum, cùm ex Africa diſcederet, ſolutum fuiſſe vinculo, quo antiſtites cum ſua eccleſia conjunguntur, & conſequenter nulla conſtrictum fuiſſe obligatione redeundi ad ſuam ſedem. At perſecutio ceſſavit ſub Hilderico, qui Catholicis præſulibus favit. Quid inde? Eo citiùs & tutiùs* S. Reguli *eccleſiæ alterius curæ & adminiſtrationi committi potuit; & haud dubiè commiſſa fuit: nam* Mirabilis, *inquit ſynchronus Vitæ S. Fulgentii ſcriptor cap. 28,* bonitas Hilderici regnare incipientis .... Carthaginienſi plebi proprium donavit antiſtitem, cunctiſque in locis ordinationes pontificum fieri clementiſſima auctoritate mandavit.

B

* *i. e.* propagatum

44 *Sancti Cerbonius & Felix, quos epiſcopos fuiſſe credimus, numquam etiam ad ſedes ſuas reverſi ſunt. Tam facilè excuſari poteſt eorum à grege ſuo abſentia, quàm ſancti Præſulis noſtri. Illos ex Africa diſceſſiſſe, eo ſibi fine propoſito, ut in terris procul diſſitis ſolitariam vitam agerent unà cum* S. Regulo, *ex hujus Actis colligimus. Hoc verò eos re ipſa feciſſe, aſſerit Vita S. Cer-*

idem aſſeritur de ejus vitæ ſolitariæ ſociis SS. Cerbonio & Felice:

C

bonii, quæ exſtat tomo 3 Italiæ ſacræ, à Nicolao Coleto auctæ, pag. 703: Venientes autem *tres ſancti Antiſtites* in Romuleis finibus congruum locum ſibi vendicaverunt, quatenus optimo omnipotenti Deo, ſequeſtratis omnibus, eremiticam duxerunt * vitam. *Si* S. Reguli *ſocios nulla alia ratio moviſſet ad eccleſias ſuas deſerendas, quàm vitæ ſolitariæ deſiderium, eorum ego conſilium culpare non auderem: illis eos annumerarem, de quibus S. Auguſtinus ſcribit lib. 2 contra Creſconium cap. 11:* Denique nonnulli ſancta humilitate prædíti viri propter quædam in ſe offendicula, quibus piè religioſèque movebantur, epiſcopatus officium non ſolùm ſine culpa, verùm etiam cum laude poſuerunt. *Verùm credibilius mihi apparet, utrumque ſanctum eamdem ob cauſam abiiſſe epiſcopatu, ob quam* S. Regulus *id fecit; nimirum ob plebis à fide defectionem, ejus tantam contumaciam, ut eorum labor omnis infructuoſus eſſet, necnon Arianorum indies magis inſoleſcentium vexationes, approbante & patrocinante Traſamundo exercitas, ut in voluntarium exſilium fugere cogerentur, quos tyrannus ille fortè non juſſerat aperta vi in illud detrudi. Conſentanea hæc ſunt iis, quæ leguntur in Bonifacii epiſcopi Carthaginienſis epiſtola, ad Miſſorem Numidiæ primatem ſecundo Hilderici anno ſcripta, cujus hoc eſt initium:* Poſt graviſſimæ tribulationis jugem penè moleſtiam, quam communiter univerſa provinciæ Africanæ toleravit eccleſia, renovatæ libertatis oportebat *&c. Eodem ferè modo loquitur Felix Zactarenſis epiſcopus, Numidiæ legatus ad concilium Carthaginienſe ſub eodem Bonifacio:* Innumeras Deo Domino gratiarum referimus actiones quòd conceſſa exoptati temporis libertate, te, beatiſſime Papa Bonifaci, poſt diſcrimina exitialia, quibus perſtrictim epiſcopalis honor ſubjacebat arctatus, promotionibus ſummis pertribuit hujc ſanctæ ſedi & Carthaginienſi eccleſiæ ſacerdotem, cujus exercitationis inſtantia pontificalem numerum, qui perierat, renovaret.

D

* *forte* durarent

E

45 *Præter duos ſæpe memoratos præſules Sanctum noſtrum, ut ipſius Acta referunt, in exſilium ſecuti ſunt tres presbyteri & duo diaconi. Vita S. Cerbonii inedita, cujus initium tranſcripſi à num. 30, alios addit ſocios. An ex eorum numero fuerint SS. Juſtus, Clemens & Octavianus planè incertum eſt. Affirmat id quidem illorum Vita ab Auguſtino Camaldulenſi ex variis inſtrumentis collecta, uti & Acta S. Octaviani ad diem 2 hujus menſis examinanda: ſed ſimul etiam narrant illos urbem Volaterranam obſidione liberaſſe, quâ eam cinxerant Wandali ex Africa claſſe advecti. Cùm autem gentes illæ nullibi legantur ſeculo ſexto hoſtiliter in Italiam excurriſſe, ſed tantùm ſeculo quinto ſub Genſerico, Papebrochius tomo 1 Junii pag. 458 SS. Juſti & Clementis exſilium ad dicti regis tempora revocandum cenſuit; inter cujus mortem & initium regni Totilæ, ſub quo* SS. Regulus, *Cerbonius & Felix floruerunt, 65 circiter anni medii intercedunt. Sed de hac quæſtione pluribus agetur in Commentario, quem ad 3 Septembris de S. Octaviano dabimus.*

præter hos alii cum in exſilium ſecuti ſunt.

F



AUCTORE J. L.

§ V. Oſtenditur Sancti martyrium probabiliùs contigiſſe anno DXLII : vindicantur Acta tranſlationis, ab Ughello typis vulgata.

Ex Totilæ itineribus

INſtrumentum antiquius, cujus partem S. Reguli *Actis inſertam dedi num.* 28, *teſtatur, quòd Totilas, cùm Sanctum ad ſe accerſeret, eumque venire recuſantem interfici juberet*, in maritimis eſſet finibus inter Populonienſem comitatum * , qui videlicet in partibus Tuſciæ eſt conſtitutus. *Certè Gothorum regem Populonio tunc procul abfuiſſe, minùs veriſimile eſt. Unde non aſſentior Florentinio, qui hoc die in Notis Sanctum coronatum eſſe aſſerit circa annum* 550; *neque Caſtellano, qui martyrium ejus notat circa annum* 546; *neque etiam Franciotto & quibuſvis aliis, qui illud differunt ultra annum* 542 : *nam varias inter urbes, quas ab hyeme annum nonum belli Gothici proximè præcedente, id eſt, ab anno* 543, *uſque ad mortem ſuam, quæ anno* 552 *contigit, Totilam adiiſſe narrat Procopius in libris de Bello Gothico, neque Populonium neque alius locus ei vicinus nominatur. Procopii hiſtoriam pervolvens ſtudiosè obſervavi, quò, quà & unde Totilas omni iſto tempore iter emenſus & remenſus fuerit : nihil invenire potui, ex quo colligi poſſit, quòd vel pedem poſuerit intra limites Etruriæ ſtrictiùs acceptæ, quam nunc Itali* la Toſcana *vocant. Urbes, quas ab anno* 543 *acceſſit, Populonio proximiores non offendi, quam Peruſiam & Centumcellas : ſed ab his antiquæ, non verò hodiernæ, Tuſciæ urbibus longo intervallo Populonium disjungebatur : ab hac octoginta, ab illa nonaginta circiter milliaribus diſtabat. At S. Gregorius Magnus lib.* 2 *Dialogorum cap.* XI *narrat, quòd Totilas S. Cerbonium arſis objiciendum è territorio Populonienſi juſſerit deduci* ad locum, qui ab octavo hujus urbis (*Romanæ*) milliario Merulis dicitur, ubi tunc ipſe cum exercitu ſedebat. *Potuit itaque &* S. Regulum *ad ſe accerſere & in venire detrectantem mortis ſententiam pronuntiare, cùm anno* 545 *moraretur in Umbria, cis montem Apenninum ſita & Etruriæ contermina, vel cùm prope Peruſiam aut Centumcellas ſubſiſteret, quarum urbium hanc anno* 549, *illam biennio antè obſedit. At quoniam ſæpe memoratum antiquius inſtrumentum diſertè affirmat, Totilam non procul ab urbe Populonienſi abfuiſſe, cùm ſanctum Martyrem interfici juberet, & ex Procopii narratione ad annum octavum belli Gothici, Chriſti* 542, *ſatis, ut mox videbitur, colligi poteſt, tunc eum in Tuſciæ partibus fuiſſe Populonio haud ita procul diſſitis*; S. Reguli *martyrium eidem anno* 542 *potiùs illigandum videtur, quàm differendum ad tempora poſteriora, quibus Totilas ſemper verſatus fuit in terris nimiùm remotis à loco, ubi Sanctus ſolitariè vivebat.*

* *id eſt* territorium

B

C

47 *Dies, quâ* S. Regulus *paſſus fuit, a Biographo aſſeritur fuiſſe* 1 *Septembris. Annum non determinat. Sententiæ tamen noſtræ conſona ſunt, quæ de eo ſcribit poſt Sancti martyrium ex vetuſtiore inſtrumento relatum :* Verùm egit hoc Totila non impunè, quòd, ut ſequens lectio docebit, ipſe poſtea turpiter vitam finivit. Per idem tempus nimia crudelitate ac ferocitate ſuccenſus, iter faciens per Campaniam, ad beati viri Benedicti, qui tunc temporis vivens erat in corpore, cœnobium venit. Quem audiens prophetiæ ſpiritum habere, probare conatus eſt, an verum eſſet *&c. Congreſſum Totilæ cum S. Benedicto anno* 542 *affigit Henſchenius tom.* III *Martii pag.* 276, *Pagius ad annum* 543, *& Mabillonius tomo* I *Annalium Benedictinorum lib.* 4 *num.* 24. *Videamus modò, an noſtra & biographi dicta conſentanea ſint iis, quæ narrat Procopius ad annum octavum belli Gothici, quocum annus Domini* 542 *à vere ineunte uſque ad finem componitur.* Exacta hyeme, *inquit lib.* 3 *cap.* 5 *in fine & ſequentis initio*, annus finitur ſeptimus hujus belli, quod Procopius monumentis mandavit. Dein Totilas Cæſenam ac Petram caſtella cepit. Aliquanto pòſt in Tuſciam ſeſe contulit; ac tentatis regionis illius oppidis, cùm ei permittere ſe nemo vellet, trajecto flumine Tiberi, Romæ finibus abſtinuit, & in Campaniam ac Samnium repentè ingreſſus, Beneventum urbem validam, nullo negotio in poteſtatem ſuam redegit .. Deindè Neapolitanos .. obſidere conſtituit. *Verba illa Procopii* Trajecto flumine Tiberi, Romæ finibus abſtinuit, *ſingulariter obſervanda ſunt : ex his enim eruitur, quòd Procopius ita nequeat intelligi, ut Totilas oppida tentarit Umbriæ cis Apenninum ſitæ, quam ſcriptor ille lib.* 3 *cap.* 12, *& lib.* 4 *cap.* 29 *Tuſciæ partem facit; nam ſi Petrâ aut Caſenâ per Umbriam cis Apenninum jacentem ad Campanos & Samnites iter inſtituerit, non Tiberis, ſed fluvius Nar ipſi trajiciendus fuit. Si itaque Tiberim tranſierit, idque loco ab urbe Romana remotiore (ejus enim finibus abſtinuit,) ex ea regione, quæ hodie* la Toſcana *dicitur, Tiberim acceſſiſſe credendus eſt, eoque ſuperato per Umbrorum agros Narniæ viciniores ſuum iter direxiſſe. Nunc, ut res tota magis eluceſcat, Procopii narrationem hac commentatione excipere viſum eſt. Totilas Cæſenam ac Petram cepit menſe Aprili. Aliquanto pòſt, puta menſe Maio, iter arripuerit in Tuſciam, & ſe junxerit ducibus Bledæ, Roderico & Uliari, quos ſub finem anni* 541 *vel ſequentis initium miſerat ad Florentiam obſidione cingendam : quam licèt ipſi ſolverint, adveniente Romanorum exercitu, quia tamen hi, commiſſo prælio, turpem ſe in fugam conjecere; veriſimile non eſt, Gothorum duces Etruriâ exceſſiſſe, in qua hoſtes vicerant. Totilas itaque cum iis ſe junxerit, in loca regionis interiora imò & maritima penetrarit, urbeſque in illis munitiores fruſtra tentarit. Hæc expeditio eum detinuerit intra terminos, quibus Tuſciam hodiè circumſcribunt Itali, uſque ad medium Septembris, cujus menſis prima die ejus juſſu* S. Regulus *occiſus fuerit. Dein ad Samnites & Campanos diverterit, in quorum confiniis, quà Volſcis proximi ſunt, Caſinum jacet : colloquium hìc cum S. Benedicto habuerit menſe Octobri. Reliquum anni tempus poſt captum nullo negotio Beneventum poſuerit in oppugnanda urbe Neapolitana : quam tandem expugnavit ſub finem hyemis anni* 543; *quæ octavum belli Gothici claudit.*

D

E

F

48 *Temporis ordo, quem Totilæ geſtis & itineribus jamjam tribuimus, mihi valde veriſimilis apparet. Mabillonius ſuprà citatus gravem committit errorem chronologicum, dum à nobis diſſentiens Totila cum S. Benedicto colloquium accidiſſe*

& geſtis, à Procopio deſcriptis, eruitur, S. Regulum paſſum fuiſſe anno 542

ante congreſſum Gothorum regis cum S. Benedicto, circa quem errat Mabillonius.

A *accidiſſe ſcribit* menſe admodum Aprili aut Maio ejus anni, *nimirum* 542: Huic, *inquit*, calculo rectè convenit ſancti Benedicti vaticinium, ubi Totilæ prænuntiat fore ut novem annos regnans, decimo moreretur... Numera tempus à Maio anni quadrageſimi ſecundi, quo ejus cum Benedicto congreſſum accidiſſe dicebamus, cum anno quinquageſimo ſecundo ad menſem Auguſtum, *quo in pugna contra Narſetem cæſus eſt*; utique annos integros novem cum tribus menſibus invenies: quod cum prædicto Sancti vaticinio accuratè convenit. *Infeliciter hîc calculos ſubduxit Mabillonius: nam à Maio* 542 *uſque ad Auguſtum* 552 *non novem, ſed decem anni integri cum tribus menſibus effluxere. Præterea incredibile penè eſt, Totilam à vere anni* 542 *Caſenam ac Petram expugnaſſe, aliquanto poſt in Tuſciam iter feciſſe, regionis hujus oppida tentaſſe, inde in Campaniam & Samnium profectum eſſe, nec ſerius ad Caſinenſe S. Benedicti cœnobium adveniſſe, quàm* menſe admodum Aprili aut Maio ejus anni. *Hæc omnia uno alterove menſe commodè fieri non potuerunt; vel ſi*

B *facta ſunt, falſa fuit S. Benedicti prædictio. Hujus autem veritas, uti & eorum, quæ hactenus de die & anno martyrii* S. Reguli *dicta ſunt, facillimè intelligetur, ſi itinera & geſta Gothorum regis ad eum temporis ordinem reducantur, quem nos illis dedimus.*

Palæſtra martyrii, cujus cauſa incerta.

49 *Auguſtinus Canaldulenſis citatus num.* 32 *locum determinat, ubi Sancto noſtro caput abſciſſum fuit, nimirum* ad Pontem Sacci. *Variæ tabulæ geographicæ ponunt vicum vel oppidulum iſtius nominis in agro Piſano* 45 *circiter milliaribus Italicis à Populonio deſtructo: ſed illud ſancti Martyris palæſtra non fuit, cùm conſtet eum in territorio Populonienſi, nunc principatu Plumbinenſi, paſſum fuiſſe, in quo locum ſynonymum nuſquam invenio. De cauſa martyrii id ſolum ſcitur, quòd Vir ſanctus juſſu Totilæ capite plexus fuerit, quia accerſitus illum adire recuſavit. Ex Sancti reſponſione ad regios miniſtros,* Ad illum ire paratus ſum, qui ſervis ſuis æternas epulas præparare dignatur; Totilam certè cum ſuis paſtionibus reſpuo, *judicare quidem pronum eſt, quòd ipſum rex ad epulas invitarit: ſed finis, ob quem id fecerit, & ratio, cur*

C S. Regulus *venire noluerit, non exprimunt inſtrumenta* § 3 *producta. Credendum tamen eſt, eum verè martyrem eſſe, cùm ut talis ſemper habitus & cultus fuerit*

Qui Acta tranſlationis, ab Ughello edita, ſiniſtrè interpretati ſunt

50 *Ughellus tomo* 1 *Italiæ ſacræ col.* 847 *ex membrana Ms. bibliothecæ Vaticanæ hiſtoriam edidit, quâ deſcribitur tranſlatio* S. Reguli *ex Waldo in urbem Lucenſem, facta à Joanne I, qui* 20 *circiter ultimis ſeculi* VIII *annis epiſcopatum adminiſtravit. Si verè ſint ſcriptotum aliquot Italorum interpretationes & cenſuræ, inſtrumentum iſtud non modo errat circa locum ex quo, ſed etiam circa perſonam à qua, & tempus quo tranſlatio facta eſt. Verùm aberrant ipſimet, quotquot aliquem è dictis erroribus illi adſcribunt. Ughellus imprimis Acta tranſlationis à ſe in lucem data malè intellexit, dum ea, ſicuti patet ex verbis, quæ præmittit, agere exiſtimavit de tranſlatione Lucam ex Populonii vicinia. Eam hinc illo factam fuiſſe, etiam ſcribunt Ferrarius in Sancti elogio ad* 1 *Septembris & Franciottus in ejuſdem Vita pag.* 182: *ſed hos decepit hiſtoria tranſlationis, cujus exordium dedi num.* 6. *Florentinius in Notis ad Sancti annuntiationem, & Julius Ambroſius Lucentius tomo* 1 *Italiæ ſacræ col.* 1252 *etiam opinati ſunt, in Actis ab Ughello vulgatis aſſeri, quod Joannes epiſcopus ad eccleſiam ſuam cathedralem Lucenſem* S. Reguli *corpus detulerit ex agro Populonienſi; quod cùm ſcirent verum non eſſe, illorum fidei detraxerunt ob errorem, quem non aſſerunt; nam Populonium ne quidem nominant. Dum autem putatitium errorem correxerunt, contra idem documentum Ughellianum confidentiſſimè aſſeverarunt, ante tempora Joannis epiſcopi ſacra lipſana ex Waldo Lucam tranſlata fuiſſe: in quo à manifeſta veritate longè receſſerunt.* AUCTORE J. L.

51 *Utriuſque ſcriptoris verba accipe. Florentinii hæc ſunt:* In Populoniæ finibus ſepultum, atque ex erecta ibi baſilica ſacrum corpus Lucam tranſlatum docent Acta tranſlationis apud Ferdinandum Ughellum, amicum noſtrum & in Italiæ ſacræ voluminibus clariſſimum, tom. 1 ex Vaticana membrana; quæ licèt cum Lectionibus in ejus celebritate apud Lucenſes legi conſuetis conveniant, multa tamen egere correctione in Dypticis noſtris, Deo favente, oſtendemus. *An Dypticha Florentinii lucem aſpexerint, ignoro. Si promiſſum Opus conſcripſit, certè in illo, ut mox patebit, oſtendere non potuit, Acta tranſlationis Ughelliana ea correctione egere, quam illis adferendam eſſe ſignificavit Papebrochio per litteras* XVII *Septembris anni* 1664 *Lucâ ſcriptas:* Tranſlatum ſacrum pignus fuiſſe circa annum ſeptingenteſimum è loco nuncupato Waldo in territorio Lucenſi ad cathedralem eccleſiam, mihi planè conſtat. Unde homilia de tranſlatione, edita ab Ughellio ex Ms. Vaticano, ſaltem circa tempus vacillat. *Lucentius citatus non minori cum fiducia ita pronuntiat:* Vacillat tamen ejus (*inſtrumenti Ughelliani*) fides. Ex vetuſtis enim documentis in hujus (*Lucenſis*) eccleſiæ archivo aſſervatis conſtans fides eſt, ſuperioris epiſcopi Walprandi tempore corpus S. Reguli ex loco Gualdo, ſeu Valdo tranſlatum Lucam fuiſſe ad eccleſiam S. Martini. Succedens fortè Joannes exornaverat ſacrum depoſitum, ejuſque cultum ſplendidiùs auxerat. *& immeritò reprehenderunt,*

52 *Lucentii cenſuram tranſcripſit, & cùm nihil ei opponat, etiam approbaſſe videri poteſt Orlendius in Orbe ſacro & profano parte* 2 *lib.* 3 *cap.* 30 *num.* 19. *Eamdem refert Coletus tomo* 1 *Italiæ ſacræ à ſe auctæ col.* 796: *ſed tomo* 10 *in Addendis & corrigendis col.* 279, *re meliùs examinata, tranſlationis Acta ita vindicat:* Quænam verò ſint vetuſtà documenta in archivo Lucenſis cathedralis adſervata, ex quibus colligi poſſit tranſlationem B. Reguli non à B. Joanne, ſed Walprandi ejus anteceſſoris tempore factam, ignoro. Sequentia contrarium omnino evincunt. In documento tabularii epiſcopalis Lucen. ✠ C n. 28, dato an. XIV Deſiderii, & XI Adelchis filii ejus, 24 Maii Ind. 8, id eſt, anno Chriſti 770, Talanus & Taupertus filii q. Magnifredi offerunt eccleſiæ S. Reguli in Valdo, UBI EJUS CORPUS CONQUIESCIT &c. Extat in tabulario canonicorum Lucenſium lit. A n. 45 inſtrumentum actum in Valdo menſ. Decembri per Rodibertum notarium anno .... regni Caroli regis Francorum & Longobardorum Ind. XIII, id eſt, anno Chriſti 775, vel ſi mavis 774, donationis bonorum factæ eccleſiæ S. Reguli martyris Chriſti, UBI CORPUS EJUS REQUIESCIT IN VALDO. Et hæc eadem verba repetuntur in documento ejuſdem tabularii epiſcopalis *I n. 55, dato anno quarto Caroli regis Francorum *evidenti demonſtratione* E F

AUCTORE J. L.

rum & Longobardorum menſe Martio Indict. prima, id eſt, anno Chriſti 778. *Adi ſuprà num.* 7. Ex quibus clarè perſpicitur ad dictum ſaltem annum 778, nondum fuiſſe Lucam tranſlatum S. Reguli corpus. Cùm autem Walprandi epiſcopi memoria non excedat annum Chriſti 754 in hujus eccleſiæ documentis, quomodo ex his poteſt edoceri, tranſlationem B. Reguli à Walprando factam? His adde vetuſtiſſimos hujus eccleſiæ in archivo capitulari exiſtentes paſſionarios, hymnos, antiphonas & lectiones Officii, quod ſolebat antiquitus recitari in feſto S. Reguli; omnes denique rerum Lucenſium ſcriptores conſtanter convenire in affirmanda B. Reguli tranſlatione per Joannem epiſcopum facta: adeo ut Vaticanæ Ms. membranæ fides nullatenus vacillare poſſe videatur. *Hac demonſtratione non modò omnino convictus eſt Lucentius, qui tranſlationem contigiſſe ait ſub Walprando, cui Joannes poſt Peredeum ſucceſſit; ſed etiam Florentinius, qui ſcilicet ſibi planè conſtare ſcribit, illam* circa annum ſeptingenteſimum *factam fuiſſe.*

B *convincuntur:*

53 *Jam abundè oſtenſum eſt, Acta tranſlationis neque aberrare circa tempus quo, neque circa epiſcopum, à quo eccleſia cathedralis Lucenſis ſacro theſauro locupletatà fuerit. Quòd eum ex Waldo acceperit, Coleti confutatio etiam certum facit. Unde falluntur, qui Sanctum Lucam tranſlatum credunt ex agro Populonienſi. Falluntur etiam Florentinius & alii, qui hunc deſignari putant in inſtrumento Ughelliano. Scribit hoc quidem de Joanne epiſcopo, ſacri depoſiti tranſlatore:* In ſuo namque tempore per ſingulos annos pergebat locum maritimè, *ubi erat* S. Reguli *ſepulcrum: ſed Waldum ſitum erat in tractu maritimo territorii Lucenſis, non procul à locis Maſſaroſa, Pedona & Fabialla. Id extra dubium ponunt allegata numero* 9: *quibus hìc addo, nullum ex tribus jam dictis locis, ſi accuratè notentur in tabulis geographicis, longiùs à mari quàm duarum, nullum longiùs ab urbe Lucenſi quàm quinque circiter horarum itinere abeſſe. Inſtrumentum autem ab Ughello editum non agere de Populonio vel ejus vicinia, vel inde quodammodo elici poteſt, quòd in illo dicatur Joannes ſingulis annis verſus mare iter inſtituiſſe* S. Regulum *veneraturus, & prope locum, ubi illius corpus jacebat, prædium habuiſſe. Hæc de Waldo, maritimo diœceſis Lucenſis loco, & ab ipſa urbe haud ita procul diſſito, aptiùs intelliguntur & majori cum veriſimilitudine affirmantur, quàm de territorio urbis Populonienſis, quæ ut minimùm* 60 *milliarium Italicorum ſeu* 20 *horarum itinere Lucâ diſtat.*

C

illa nobis videntur luce digniora, quàm quæ Vitæ S. Reguli ſubjiciuntur.

54 *Supereſt, ut de Actis ab Ughello editis, quæ jam vindicata ſunt & mox edentur, lectorem aliqua præmoneamus. In illis æquè ac in alteris, quæ Vitæ* S. Reguli *ſubjiciuntur, occurrunt quatuor verſus Redæ malè adſcripti, quos ex corrupto Wandelberti Martyrologio Lucenſi acceptos eſſe, ſuprà num.* 4 *dictum fuit. Unde fatendum eſt, neutra Acta ſeculum* x *antiquitate ſuperare, uti patet ex num.* 15. *Facilè crediderim, illorum auctoribus non defuiſſe vetuſtiora documenta: ſed his pari fidelitate uſi non ſunt. Qui Acta ab Ughello typis vulgata conſcripſit, aſſerit Sancti corpus Lucam fuiſſe delatum ex loco maritimo: quod veriſſimum eſt, ſi per illum Waldum intelligas, quemadmodum jam ſatis oſtenſum eſt. Aliorum auctor locum maritimum, è quo facta tranſlatio, viciniam Populonii fuiſſe ait: quod eum in nullo documento, ſed in ſuo cerebro levibus conjecturis indulgenti invenisse ſuſpicari licet, quia certò falſum eſt. Præter iſtum errorem, qui ejus ſinceritati & fidei non parùm detrahit, alia ſuæ narrationi immiſcet ad rem nihil facientia; qualia ſunt ea, quæ ſcribit de origine urbis Lucenſis, quam ſummis laudibus extollit, & in cujus nomine, quod verbo* lucere *eſt affine, ludit more ſcriptoribus ſeculi* XI *vel* XII *uſitato. Hujuſmodi ineptias non reperio in Actis Ughellianis, neque etiam dictum errorem; quæ proinde alteris ſinceriora mihi apparent & luce digniora. Hæc tamen non judico undequaque approbanda eſſe: nam in annotandis ad litteram* f *lector monebitur, aliqua in illis non ſatis conſequenter, nec modo, ut mihi videtur, veriſimili referri. Hinc inde etiam ob ſolœciſmos ambigua & valde obſcura eſt eorumdem narratio. Quæ in alia tranſlationis hiſtoria clariùs exponuntur, annotationibus ſuo loco inſerentur.*

D

TRANSLATIO

E

auctore anonymo,

Edita ab Ughello tomo I *Italiæ ſacræ col.* 847 *ex membrana Ms. bibliothecæ Vaticanæ.*

IDeo enim, fratres chariſſimi, diligentiſſimè narremus ac annuntiemus, quali ordine ductum fuit corpus beati Reguli archiepiſcopi *a* & martyris Domini in civitatem Lucenſem. Ibi in ipſa civitate ordinatus erat Joannes epiſcopus *b*, aſpectu angelicus, ſermone nitidus, opere ſanctus, fide Catholicus, conſilio magnus, inter cleros potentiſſimus, charitate diffuſus; quando hoſtiam Deo ſanctificabat, ad prædicationem ejus copioſa turba currebat. In ſuo namque tempore per ſingulos annos pergebat locum maritimè *c*, non tantùm propter foſſionem prædii, ſed tantùm ut adoraret ad ſepulchrum beati Reguli *d*. Et quod etiam in infantia evenit, memorabat ſuis fidelibus: Ego multa infirmitate fui detentus, in ſomno ſanavit me beatus Regulus.

Laudes Joannis epiſcopi; quotannis viſit ſepulcrum S. Reguli, à quo ſanatus fuerat;

a
b
c
F
d

2 Hæc eo narrante, apparuit ei angelus Domini in ipſa nocte *e*, & dixit ei: Oſtendet tibi Deus beati ſui Reguli in hac parte corpus *f*; tolle eum & educ tecum in urbe Lucenſi: & ſicut illa eſt provincia provinciarum *g*, ſic oportet B. Regulum proprium habere ſepulchrum intus in baſilica beati Martini confeſſoris Chriſti, quam beatus epiſcopus Frigidianus *h* à fundamentis ædificavit. De hac die in futurum ibi erit in cuſtodem & defenſorem. Evigilante epiſcopo, referendo univerſa, quæ audivit in ſomnis ab angelo, omnibus qui ibi aderant, diligentiſſimè, placuit. Tunc epiſcopus ſuis fidelibus prædicavit triduanum jejunium, ſimiliter & orationis inſtantiam, & dicebat: Dignetur Dominus noſter Jeſus Chriſtus, qui eſt Salvator omnium, in hoc loco corniferi *i* potentiam demonſtrare ſui Reguli martyris.

monetur ab angelo, ut eum Lucam transferat; triduanum jejunium & preces indicit;

e
f
g
h
i

3 Expleto triduano jejunio & oratione, convocatis presbyteris, diaconibus, clericis, ipſe præſul primus terræ foſſor acceſſit: cæteri clerici proſecuti fodientes pervenerunt ad ſepulchrum *k*;

corpus incorruptum & ſuavem ſpirans odorem religioſâ pompâ

A chrum *k* ; quod aperientes invenerunt corpus beati Reguli martyris, quasi ipsâ horâ fuisset occisum, miro odore flagrans * de sepulchro sicut cinnamomum & balsamum, chrismi arva *l* pretiosa. Episcopus autem cum suis clericis & cum Dei laudibus levavit beatissimum corpus beati Reguli, & involvit in linteaminibus mundis, & posuerunt eum in feretrum novum cum psalmis & hymnis & laudibus : cum omni festinatione duxerunt eum in civitatem Lucensem in basilica beati Martini, sicut angelus Domini episcopum admonuit.

defert ad basilicam S. Martini ; *k* * *l.* fragrans *l*

4 Post hæc autem diligentissimè, & cum omni studio & universo populo Lucensi fabricavit ecclesiam & confessionem similem beati Petri apostoli urbis Romæ *m*. In ipsa verò confessione corpus B. Reguli cum omni diligentia posuit in sepulchro marmoreo novo, & desuper altare construxit ; primum verò honorem B. Martini *n*. Sic legitur in partibus juxta aram B. Martini : Metallo præsul Joannes solutum gradibus portibus fecit *o*, hîc corpus beati Reguli deduxit, & altare sursum erexit & construxit. Ad ejus caput jacet humatus Pascentius archidiaconus suus *p* : ibi namque legitur & cernitur in brevi tabula lapidea. B. Beda in Martyrologio Sanctorum metricæ arti * beatum Regulum commemorans sic ait. September Regulus tenet, orditurque Kal., Regulus antistes, sibi qui caput ense peremptum portavit binis Christo stadiis faciente : cujus reliquias nunc urbs Lucana * adorat *q*.

honorificum sepulcrum & supra hoc aram in nova crypta Sancto construit : *m* *n* *o* B *p* * *l.* artis * *al.* Lucensis *q*

5 Inclyto Joanne episcopo, quem superiùs commemoravimus, Missarum solemnia in honorem B. Reguli celebrante, plurimorum miraculorum apparuerunt signa per divinam virtutem & beati Reguli honorem : cæci receperunt visum, claudi gressum, surdi auditum, homines à dæmonio oppressi liberati sunt, & multi infirmitatibus & languoribus curati atque salvati sunt. Ex hac ergo consuetudine decretum est, ut omnes S. Dei ecclesiæ Lucensium longè latéque solemnia B. Reguli devotissimè cum gaudio celebrent, & omnes plebes ibi veniant adorare & Missarum solennitates celebrare *r* in die, quam prædiximus, Kal. Septembris.

beneficia ad ejus tumulum ; annua solemnitas decreta. *r*

C ANNOTATA.

a *Vide dicta num.* 39 *& seq.*

b *Joannes hujus nominis primus*, filius, *inquit Ughellus*, Teuperti Lucensis, patriam sedem administrandam suscepit anno 781, ejusdemque memoria extat usque ad annum 799, quo ipso anno è vivis potuit excessisse. *Sed non excessit : nam anno* 800 *adhuc vixisse certum est ex duobus instrumentis, quæ Muratorius è tenebris in lucem protraxit tom.* 5 *Antiquitatum Italicarum col.* 415 *&* 417. *Successorem habuit Jacobum, qui anno* 801 *episcopatum gessit, uti rursum constat ex instrumento, quod producitur tom.* 6 *col.* 221. *Ibidem col.* 405 *referuntur litteræ Joannis præsulis, scriptæ sub initium anni* 783. *Antiquiorem de eo memoriam non invenio. Potuit tamen fieri id, quod laudatus Ughellus affirmat, nimirum illum anno* 781 *ad infulas promotum fuisse : nam tom.* 3 *col.* 572 *memorantur postremæ tabulæ, à Peredeo illius decessore exaratæ anno* 778. *Porrò Acta translationis Joannem insigni ornant elogio. Ughellus & alii* beatum *vocant. Franciottus pag.* 513 *scribit, eum sepultum fuisse in ecclesia S. Frigidiani, & in hujus archivo olim extitisse librum, in quo descripta erant ejus miracula, uti, inquit, diserte affirmatur in vetusto dicti archivi codice. De ejus cultu nihil invenio.*

c *Per locum maritimum, de quo hîc, intelligè Waldum, ubi* S. Reguli *corpus paucis annis ante episcopatum Joannis quievisse probatum est num.* 7 *&* 52. *De illius situ actum est num.* 8 *&* 53.

d *Hæc in historia translationis, Sancti Vita subjecta, ita referuntur :* Qui *Joannes* aliquando in maritimam, quò corpus beati Reguli jacebat, ire solitus erat, quatènus de prædiis, quæ illic habebat, curam gereret, & maximè ut ad sepulchrum ejusdem Martyris orationem Domino offerret, eundemque Sanctum in auxilium sibi invocaret.

e *Narratio accepti beneficii & angeli apparitio ad diversa tempora distrahendæ sunt : nam paulò pòst sequitur :* Evigilante episcopo *&c.*

f *Hæc verba angeli supponunt, Joannem ignorasse locum, ubi Sanctus in Waldo depositus fuerit. Numero sequente narratur, eumdem præsulem terram fodere incepisse, dein clericos fossionem prosecutos pervenisse ad Sancti sepulcrum : unde consequens est, ut ejus corpus publicæ venerationi tunc ibidem expositum non fuerit. Sed si hæc vera sunt, quomodo hîc num.* 1 *asseritur Joannes* S. Reguli *sepulcrum adire consuevisse, ut ad illud preces funderet. Ea inter se componi non possunt, nisi dicatur Joannes sanctum Martyrem in ecclesia Waldensi invocasse, quem ex certa traditione & publica fama ibi conditum noverat, ignorato tamen determinato ejus depositionis loco. Verùm id mihi minùs credibile apparet : nam cùm non modò ecclesia* S. Reguli *in Waldo, sed etiam ejus in illa depositio tot vetustis monumentis, num.* 7, 8 *&* 52 *adductis, celebretur, cúmque ex iisdem constet, eamdem ecclesiam paulò ante Joannis antistitis tempora locupletatam fuisse variis donationibus, ex devotione erga* S. Regulum *ibi quiescentem factis ; parùm verisimile est, hujus corpus ibidem loco incognito terrâ obrutum sub ejusdem Joannis episcopatu indecenter jacuisse. Unde potiùs credendum est, angelum jam sæpe nominato præsuli Lucensi apparentem non annuntiasse, quòd Deus ipse ostensurus esset Sancti sepulcrum, sed tantùm eum monuisse, ut ipsius corpus inde Lucam transferret ; neque illud terrâ fuisse effossum, sed levatum è tumulo, qui compositus erat in loco patente, & ad quem Joannes episcopus, ut num.* 1 *legitur, aliique fideles Sancti auxilium in suis necessitatibus efflagitare consueverant. In aliis translationis Actis, etiam Sancti corpus effossum fuisse dicitur ; sed illorum auctor fallitur, dum id putat prope Populonium contigisse.*

g *Qui hæc translationis Acta conscripsit, etiam auctor est honorificæ istius appellationis : nam quis credat eâ angelum usum fuisse ? Apud Muratorium tom.* 1 *Antiquitatum Italicarum col.* 232 *invenies, civitatem Lucensem seculo* XII *atque etiam sub Ottone III, qui sub finem seculi* X *& initium sequentis imperavit, totius Tusciæ caput fuisse. hinc utcumque intelligi potest, cur eadem urbs, cum territorio sibi subjecto accepta,* provincia provinciarum, *Tusciæ videlicet, hîc in Actis vocetur ; quorum scriptorem circa Ottonis imperium, vel seculo* XII, *vel tempore inter hoc & illud medio vixisse existimo.*

h Frigidianus, *vel ut alibi lego* Frigdianus *&* Fridianus, *qui post medium seculi* VI *ecclesiam Lucen-*

A. ANONYMO. E F

A. ANONYMO.

Lucenſem rexit, inſcribitur Martyrologio Romano hodierno ad diem 18 *Martii, quæ ejus natalis fuit. Sancti memoria in eodem Martyrologio repetitur ad* 18 *Novembris, quando corpus ejus tranſlatum fuit. Ad hanc diem majores noſtri eum diſtulerunt, quòd tunc ejus feſtivitas Lucæ potiſſimùm recolatur.*

i *Exodi cap.* 34 ℣. 29 *Moyſis facies metaphoricè dicitur* cornuta, *quòd ex illa radii, velut totidem fulgentia cornua, promicarent. Eâdem metaphorâ auctor hîc uſus videtur, & per vocem* corniferi *nil aliud ſignificare voluiſſe, quàm* ſancti *aut* ſanctitate clari, *cujus indicium, ut notiſſimum eſt, in picturis ſunt radii caput circumdantes.*

k *Relege annotata ad litt.* f.

l *An per* chriſmi arva pretioſa *auctor hîc intellexit* chriſmatis *ſeu* unguenti aromata pretioſa? *Sed nullibi legi nomen* arva *in hac ſignificatione uſurpatum; neque ullam aliam ei attributam inveni, quæ ſenſui hîc aptari poſſit.*

m *Conradus Janningus tom.* VII *Junii ſeu parte* 2 *Supplementi ad quinque priores tomos ejuſdem menſis pag.* 111 *& ſeqq. fusè diſſerit de voce* confeſſio *ejuſque varia acceptione. Hîc cryptam ſubterraneam ſignificat. Ibidem à pagina* 113 *accuratam Janningus dat deſcriptionem confeſſionis antiquæ S. Petri in baſilica Vaticana, à Conſtantino magno condita. Confeſſio in cathedrali Lucenſi, à Joanne epiſcopo ædificata, illi ſimilis fuiſſe aſſeritur. Certè neque in hiſce tranſlationis Actis, neque in aliis, ab auctore Vitæ* S. Reguli *ſcriptis, quorum verba mox referentur, quidquam legitur, ex quo elici poſſit eam diſſimilem fuiſſe.*

n *Si* primum *ad* altare *referas, & præpoſitionem* in *voci* honorem *adjicias, conſtructio erit legitima, cujus ſenſum ita explano: Joannes ſupra ſepulcrum, in quo* S. Reguli *corpus condiderat, altare conſtruxit, in ipſa ſcilicet confeſſione ſeu crypta; primum verò, id eſt, princeps aut majus altare ſupra cryptam in honorem S. Martini erexit. Hæc explicatio conſentanea eſt iis, quæ narrat altera tranſlationis hiſtoria; cujus verba, quia clariùs & diſtinctiùs rem proponunt, hîc deſcribo:* In eccleſia denique beati Martini, quam S. Fridianus ejuſdem civitatis olim epiſcopus ædificaverat, præmemoratus præſul Joannes pulchram faciens ædificationem, ex marmoreis lapidibus totam decoratam, ibi corpus venerandum recondens, duo altaria deſuper conſecravit, unum inferiùs in honorem S. Reguli *in ipſa crypta*, aliud autem ſuperiùs ad honorem S. Martini: quod de medio choro, in quo priùs fuerat, in hunc locum tranſinutavit, *ſub quo ſcilicet erat ſepulcrum & altare* S. Reguli *in ſacello ſubterraneo.*

o *Prior hujus inſcriptionis pars adeo vitioſa eſt, ut ejus ſenſum aſſequi non poſſim, multo minùs reſtituere. Altera tranſlationis Acta tantùm obiter illam memorant:* Fecit & pulchros cancellos *Joannes* in circuitu Sancta ſanctorum, in quibus ea, quæ diximus, ſcribere curavit. *Acta, quæ notis illuſtramus, inſcriptionem illam poſitam fuiſſe dicunt* in partibus juxta aram B. Martini. *Utrobique aliis vocibus idem ſignificatur: nam eccleſiæ locus juxta altare princeps* Sancta ſanctorum *nuncupabatur, uti videre eſt in Gloſſario Cangii auctо. Aliis nominibus dicebatur* ſanctuarium altaris *&* presbyterium. *Janningus laudatus pag.* 126 *veteris baſilicæ Vaticanæ presbyterium ita deſcribit:* Tranſeo ad presbyterium, quod cum altari ſuo ſupra confeſſionem fuit. Confunduntur à multis presbyterium & chorus eccleſiæ ac pro eodem ſumuntur loco. Quod non ita eſt. Nam loca ſunt diverſa intra idem ſeptum ... Erat quippe presbyterium propriè loquendo circa altare, presbyteris ad illud facientibus deſtinatum: ex eoque per aliquot gradus deſcendebatur ad chorum, ubi cantores circumſedebant in utroque latere. *Hanc presbyterii notionem hauſit Janningus ex antiquis ſcriptoribus, quos ibidem adducit. Multos etiam adfert auctius Cangii Gloſſarium, ex quo pauca ad rem facientia hîc addo:* Quod quidem presbyterium cancellis diſtinguebatur à reliqua æde. *Subdit verba ſynodi Romanæ ſub Leone IV cap.* 33: Nec inter ſacros cancellos Ordinibus debitos, niſi permittente epiſcopo, adtentent accedere *ſeculares. Ex hoc ſynodi decreto ſatis erui poteſt, cur presbyterium* Sancta ſanctorum *appellatum fuerit. Alexander II, qui ſupremus Pontifex anno* 1061 *creatus epiſcopatum Lucenſem adminiſtrare perrexit, cathedralem S. Martini eccleſiam à fundamentis reædificavit An & in quo recentior à veteri baſilica differat, ignoro.*

p *Paſcentium, mihi aliunde ignotum, archidiaconum fuiſſe credo Joannis epiſcopi: nam inter* S. Reguli *ſocios nullus nomine Paſcentius, aut dignitate archidiaconus reperitur.*

q *Circa hos verſus varia obſervata ſunt num.* 4, 15 *&* 54.

r *Conſule ea, quæ diximus num.* 10 *&* XI *in fine.*

DE

A D

DE S. FELICE EPISC. ET, UT FERTUR, MARTYRE,

PISIS IN TUSCIA,

SYLLOGE HISTORICA.

J. L.

Sancti annuntiatio ſub corrupto nomine; pauca ejus geſta ex SS. Reguli & Cerbonii Actis; cultus; martyrium incertum; corporis tranſlatio Piſas.

B

POST ANNUM DXLII. *Qui in codice Strozziano ſub nomine Fidelis vel Fidulis refertur, ab eo, quem S. Cerbonii*

APud *Sollerium in Auctariis Uſuardi hoc die ex codice Strozziano proximè ante S. Regulum* Fidelis *quidam ita commemoratur:* Item ſancti Fidelis confeſſoris, qui fuit ſocius S. Cerbonii, epiſcopi Populonienſis, & apud eamdem urbem quieſcit, magnæ ſanctitatis viri. *Ob mendi ſuſpicionem codicis Strozziani apographum, quo uſus eſt Sollerius, inſpexi, & in eo reperi* S. Fidulis. *Sine dubio vitioſa eſt hæc ſcriptio; at quomodo corrigenda? Credo ego ſubſtituendum eſſe nomen* S. Felicis, *cum quia à nullo altero Faſtorum ſacrorum ſcriptore hodie* Fidelis *vel* Fidulis *memoratur, tum vel maximè, quia hujus vel iſtius nominis ſocius S. Cerbonii, de quo ad* x *Octobris agetur, nullibi apud biographos invenitur. Hi omnes* Felicem *conſtanter illum nominant, qui SS. Regulo & Cerbonio, in voluntarium exſilium ex Africa fugientibus & prope Populonium in Tuſcia ſolitariè viventibus, adhæſit. Adeat lector Commentarium, quem de S. Regulo jamjam dedi. Paragrapho* 2 *num.* 20 *gemina laudantur Acta S. Cerbonii, e quorum alteris, ex Vaticano codice* 6453 *acceptis,* § 3 *num.* 30 *& ſeq. inter cetera tranſcripſi, quòd S. Regulus*, aſcitis ſibi Cerbonio & Felice duobus epiſcopis, quos ipſe ſacraverat, *in exſilium migrarit, & in Tuſciam appulſus*, cœperit heremiticam vitam ducere, & à Felice famulatum habere. *Utrique convixit S. Cerbonius; nam in alia hujus Vita, quæ exſtat tomo* 3 *Italiæ ſacræ Ughelli, à Nicolao Caleto auctæ, col.* 703 *de tribus ſanctis Viris hæc referuntur:* Venientes autem in Romuleis finibus, congruum locum ſibi vendicaverunt, quatenus optimo omnipotenti Deo, ſequeſtratis omnibus, eremiticam duxerunt * vitam. *Dein, S. Reguli martyrio paucis enarrato, ſubditur:* Cerbonius verò & Felix, ſanctiſſimi epiſcopi, cadaver ſui magiſtri & archiepiſcopi mirificè ſepelierunt.

C

* *f.* ducerent

& S. Reguli Acta

2 *In Actis S. Reguli, quæ amputatis longioribus interpolationibus & digreſſionibus* § 3 *edita ſunt, ſancti martyris ſepulturæ hæc præmittuntur:* Angelus autem Domini apparuit duobus ejus coëpiſcopis Felici & Cerbonio, eiſque interfectionem beati præſulis nunciavit, dicens: Pontifex veſter interfectus eſt. Et cùm hoc dixiſſet, ab oculis eorum evanuit. Illi verò, Spiritu ſancto ductore, perrexerunt, ſedentemque eum *cum abſciſſo capite, inter manus ante pectus ſublato*, invenerunt, ubi priuſquam decollatus eſſet, ſediſſe compertus eſt. Qui de morte illius contriſtati, ſed de vitæ perpetuitate gaudentes, dixerunt: Cur nos à tuo conſortio ſegregaſti, ſanctiſſime pater? Tecum profundos tranſivimus gurgites, tecum marinas ſuſtinuimus tentationes, ſperanteſque, ubicumque fuiſſes, quòd tecum tuos comites aggregaſſes. Tu nobis abſentibus es martyrio coronatus: nos, te patre ablato, in iſtius ſeculi fatigamur anguſtiis. Quis nos cibo ſpirituali reficiet? Quis nobis ſalutis monita miniſtrabit? Precamur, ut Regem noſtrum, Dei Filium, pro nobis voce ſolita deprecetis, ne nos diu poſt te in hac exilii peregrinatione reſervet. Surge, ſurge ſanctiſſime pater, ut in loco voluntatis tuæ valeamus tuum ſepelire cadaver. Mox erectus, caput ferens in manibus, quantum jactus eſt lapidis, requievit traditus ſepulturæ.

E

Felicem vocant, non videtur diſtinguendus:

3 *Quid de SS. Cerbonii &* Felicis *allocutione ad truncum S. Reguli corpus, & de miraculo geſtati ab illo capitis ſtatuendum ſit, indicavi* § 2 *num.* 19 *&* 21. *Initio* § 4 *oſtendere conatus ſum, illorum exſilium probabiliùs referendum eſſe ad poſteriores annos, quibus Traſamundi vel Arianorum ſub ipſo perſecutio in Catholicos Afros & præcipuè antiſtites ſæviit. Hæc finem non habuit, niſi cum morte dicti Wandalorum regis, quæ anno* 523 *contigit. Martyrium S. Reguli anno* 542 *probabiliùs innectendum eſſe, oſtenſum eſt* § 5. *Unde conſequens eſt, SS. Cerbonium &* Felicem *ut minimum* 19 *circiter annis una cum S. Regulo in ſolitudine prope Populonium vixiſſe, cujus urbis jam dudum deſtructæ notitiam dedi* § 1 *num.* 3. *Poſt ſancti martyris ſepulturam Cerbonius eremum reliquit, Populonium ſe contulit & aliquamdiu commoratus eſt apud S. Florentium, tunc temporis civitatis epiſcopum, de quo* XV *Maii actum eſt. Dein poſt hujus mortem à clero & populo ad cathedram Populonienſem aſſumptus fuit, quemadmodum utraque ejus Acta teſtantur. Etſi in his poſt enarratam S. Reguli ſepulturam nulla amplius mentio fiat de Sancto noſtro, veriſimillimum tamen eſt, eum non fuiſſe divulſum à S. Cerbonio, cujus in fuga comes & in ſolitudine convictor tot annis fuerat; ſed cum ipſo Populonium veniſſe, ibique mortuum ac ſepultum fuiſſe. Ecce quàm pulcrè* S. Felici *conveniant, quæ in apographo codice Strozziano de, neſcio quo,* Fidule, *& apud Sollerium de* Fidele *referuntur. Unde ve-*

F

AUCTORE J. L.

hementer ſuſpicor, Sanctum noſtrum in dicto codice ſub corrupto nomine 1 *Septembris annuntiari. Suſpicionem auget, quòd hoc ipſo die etiam* S. Felix *colatur, uti teſtimonia jamjam producenda fidem faciunt.*

colitur Piſis, ubi corpus quieſcit: epiſcopum fuiſſe credimus;

4 *Piſas, celeberrimam Tuſciæ urbem & potentis olim reipublicæ ſui nominis caput, cujuſdam S. Felicis corpus ſervare & venerari, Orlendius in Orbe ſacro & profana parte* 2. *lib.* 3 *cap.* 26 *num.* 10, *Joſephus Martinius in Theatro baſilicæ Piſanæ cap.* 7, *& alii aſſeverant. Sacrum autem corpus non eſſe alterius quam noſtri* S. Felicis, *atque hujus venerationi primam Septembris deſtinatam eſſe, intelligo ex Florentinii Notis ad S. Reguli annuntiationem:* Hac etiam die S. Regulum cum Felice epiſcopo, ejus ſocio, Piſis in cathedrali venerari, ubi eorum corpora quieſcant, idem Ughellius affirmat. *Hunc quidem mox corrigit Florentinius: ſed in eo tantùm, quòd dicat S. Reguli corpus, cujus poſſeſſione Lucenſes gloriantur, in baſilica Piſana quieſcere, quæ aliquas duntaxat ejus reliquias ſervare dicenda eſt. Philippus Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ jubente S. Reguli hanc ſubjicit Annuntiationem:* Hac die Piſis unà cum S. Regulo etiam Felix epiſcopus & martyr, ejus ſocius, celebratur, ut ex Tab. eccl. Piſanæ apparet; licèt, ubi martyrium paſſus ſit, ignoretur: tametſi Felicem quoque ſub eodem rege Totilâ, & circa Populonium, ſicuti & Cerbonius ejus comes, martyrio affectum probabile eſt. *In Fide Ferrarii, qui baſilicæ Piſanæ Tabulas, & Florentinii, qui Ughellum laudat, in Opere noſtro* Felici *locum conceſſit: quem etiam* ſanctum *vocant, quotquot ferè SS. Regulum & Cerbonium ſcriptis celebrarunt. Ab iiſdem quoque* epiſcopi *titulo honoratur: quem ob rationes, in ſæpe dicto Commentario* § 4 *num.* 40 *allegatas, ipſe relinquendum cenſeo; licèt ignoretur, cui in Africa eccleſiæ præfuerit. Ibidem num.* 44 *eâdem operâ, quâ S. Reguli, etiam SS. Cerbonii &* Felicis *abſentiam à ſuis ſedibus omni, quæ ex difficultate à Tillemontio objecta naſci poteſt, ſuſpicione culpæ liberavi.*

B

C

de martyrio nihil aſſerimus; Ferrarii de eo conjectura infirmatur:

5 *At quid de titulo* martyris, *qui Sancto apud Ferrarium tribuitur?* Confeſſor *agnominatur in codice Strozziano, cujus annuntiatio, niſi mea me fallat opinio, de* S. Felice *agit. Qui credunt eum martyrio coronatum, nullum aliud documentum proferre poſſunt, quam eccleſiæ Piſanæ Tabulas, quarum vetuſtas mihi incognita eſt. Earum tamen auctoritati ſatis me dediſſe exiſtimo, dum Sanctum ſub dubio* martyrem *appellavi; de cujus paſſione & S. Reguli & utraque S. Cerbonii Acta altùm ſilent. Ferrarius Piſanorum traditioni inſiſtens probabile eſſe ait, quòd martyrio affectus fuerit ſub Totila prope Populonium, ſicut & Cerbonius ejus comes. Errat, ſi hunc illud conſummaſſe velit: Totilas quidem eum ad ſe perduci juſſum immani urſo devorandum objecit, ſed bellua feritatem deponens ſancti viri pedes lambit; quo conſpecto, rex illum liberum dimiſit. Neque id prope Populonium contigit, ſed in loca, qui, teſte S. Gregorio magno lib.* 2 *Dialogorum cap.* 11, ab octavo hujus urbis milliario Merulis dicebatur, ubi tunc *Totilas* cum exercitu ſedebat: *vocem autem* hujus *urbem Romanam demonſtrare, ubi ſanctus Pontifex Dialogos ſuos elucubravit, cenſent monachi Benedictini e Congregatione S. Mauri, qui Pariſiis anno* 1705 *illius Opera & Vitam ediderunt, tom.* 4 *pag.* 116 *&* 201. *His ego aſſentior, quia in libris Procopii de bello Gothico nihil occurrit, quod credibile faciat, Totilam poſt annum* 542, *quo S. Regulus paſſus eſt, ad octo milliaria urbem Populonienſem acceſſiſſe; in cujus territorio apud geographos locum,* Merulis *dictum, nullibi invenio. Præterea licèt indubitatum foret, quòd* S. Felix *martyr obierit, facilius ego crederem, eum in urbe Populonienſi vel ejus vicinia a Gothis militibus interfectum eſſe, quam ab Illis ſimul cum S. Cerbonio ductum fuiſſe ad Totilam, cum exercitu Merulis conſideretem nam quoniam S. Gregorius laudatus ex relatione eorum, qui præſentes adfuerant, deſcribit, quo modo ibidem, magna populi aſpectante turba, à Totila urſo objectus & a Deo mirabiliter ſervatus fuerit S. Cerbonius, ſilentio non videtur præteriturus fuiſſe Socii ejus martyrium, ſi illud Merulis conſummaſſet. Haud dubiè fama ad vicinam Romam ejus certamen pertuliſſet.*

D

E

annus mortis incertus: intelligi poteſt, Piſas ejus corpus à multis ſeculis poſſedi-ſſe.

6 *Porrò ſi* S. Felix *ſub Totila coronatus ſit, vitam non protraxit ultra annum* 552, *quo rex iſte in pugna contra Narſetem cæſus eſt. Si ſanctо fine in pace quievit, diutiùs vivere potuit. Quia tamen etiam medium ſeculi* VI *fortè non attigit mortem ejus ſuprà notavi poſt annum* 542, *quo eum adhuc vixiſſe certò conſtat. Quando Sancti corpus Piſas tranſlatum fuerit, ignoro. Apud urbem Populonienſem quieſcere dicitur in codice Strozziano: nam qui in eo refertur S. Cerbonii ſocius, à noſtro* Felice *mihi non videtur diſtinguendus. Hinc tamen non conſequitur, ut admittere debeam id, quod fortè falſum eſt, nimirum Piſanos ſacrum depoſitum ante ſeculum* XV *non accepiſſe: nam licèt is, qui* Felicis *& aliorum Sanctorum additionibus Uſuardi Martyrologium in dicto codice auxit, ſeculum* XV *antiquitate fortaſſis non ſuperet; vetuſtiſſimum tamen potuit eſſe documentum illud, in quo legit Sanctum prope Populonium quieſcere. Quia additionum auctor facilè ignorare potuit, ſacrum corpus dein Piſas fuiſſe delatum, mixtum videri non debet, quòd immutata tranſcripſerit, quæ in antiquiore inſtrumento invenit.*

F

DE

A D

DE S. CONSTANTIO EP. ET CONF.

A Q U I N I

IN REGNO NEAPOLITANO,

SYLLOGE HISTORICA. J. V.

De cultu Sancti, tempore epiſcopatûs & anno mortis.

INTER AN. DIX ET DLXXIII. *Sanctus Aquini colitur ut patronus :*

B

AQuinum urbs ... epiſcopalis ſub archiepiſcopo Capuano, ſed ab ejus juriſdictione immunis, *teſte Baudrando, hodie parva quidem, olim autem ampla civitas fuit & colonia Romanorum. De ea Ferdinandus Ughellus in Italia ſacra novæ editionis* 1717 *tom.* 1 *col.* 395 : Aquini magnitudinem adhuc extantia veſtigia, ipſæque ruinæ produnt, certiſſimi humanæ inſtabilitatis teſtes, atque invidæ vetuſtatis. *Patronus ejus tutelaris eſt* S. Conſtantius, *ab Ughello citato inter Aquinates epiſcopos quartus ordine recenſitus ; qui & feſtum ejus celebrari aſſerit* 1 die Septembris, ut habetur in Romano Martyrol. *his verbis :* Apud Aquinum S. Conſtantii epiſcopi, prophetiæ dono, multiſque virtutibus clari. *Ad quæ Baronius lit.* o *notat ſequentia :* De eo ſcribit S. Greg. lib. 2 Dialog. cap. 16, ubi demonſtrat, eum vixiſſe temporibus S. Benedicti, rurſumque lib. 3 cap. 8 vitâ functum refert temporibus Joannis Papæ. *Verùm de his poſtea pluribus.* Scripſit vitam ejus Petrus diaconus bibliothecarius Caſſinenſis (ut teſtatur *idem* Petrus diac. lib. de Vir. illuſtr. monaſt. Caſſin. c. 45 *) ſed non extat. *Conſtantium quemdam ſine titulo epiſc. hodie* in Caſſino *annuntiant Hieronymiana contracta Rhinovienſe & Richenovienſe tom.* VII *Junii ; & Richenovienſe quidem addit Felicianum, uti etiam Grevenus, ſed is locum non exprimit. An verò iſte Conſtantius ab epiſcopo Aquinate diverſus ſit, an cum eo idem, ſed ob tranſlatas fortè reliquias aliave de cauſa Caſino adſcriptus, aut quis demum qualiſve fuerit, divinare non poſſumus, nedum aſſerere.*

* *imo* 47

C

2 *Eminentiſſimus Proſper de Lambertinis, nunc Benedictus XIV Chriſti Vicarius, libro* 2 *eruditi Operis ſui de Servorum Dei beatificatione & Beatorum canonizatione cap.* 19 *pag.* 155 *meminit* Conſtantii Aquinatis epiſcopi, *eumdem recenſens inter Sanctos, qui* memorati in ſcriptis Patrum & virorum ſanctorum canonizationis honores conſecuti ſunt. *Miramur autem quòd antiquiores martyrologi Beda, Ado, Uſuardus aliique hunc ſanctum Epiſcopum taciti præterierint, quem à S. Gregorio Magno egregiè laudatum reperimus. Quidquid ſit, de cultu ejus dubitari nequit ex jam dictis. Petrus de Natalibus in Catalogo Sanctorum lib.* 8 *cap.* 112, *& Philippus Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ hac die pag.* 561 *verbis ferè Gregorii Papæ elogium Sancti contexunt ; quod nos infrà ex ipſo fonte proferemus. Conſtantinus Ghinius in Natalibus ſanctorum Canonicorum pag.* 60 *Sanctum noſtrum annuntiat* 1 *Septembris cum Romano Martyrologio :* Apud Aquinum S. Conſtantii (al. Conſtantini *ut notat in margine, neſcimus quo auctore*) epiſcopi, prophetiæ dono, multiſque virtutibus clari : inſtante enim ſibi morte, quæſitus à ſuis, prædixit duos poſt ſe futuros epiſcopos. *Additque ex Petro de Natalibus :* Claruit tempore Joannis Papæ primi, *quod infrà examinandum. Brevius Caſtellanus in Martyrologio univerſali :* Aquini, S. Conſtantii, epiſcopi ; quem donum prophetiæ & virtutes plurimæ celebrem reddidere. *His adde quod Orlendius Orbis ſacri & profani parte* 2 *vol.* 3 *pag.* 1515 *habet :* Eximia ſanctitatis laude effulſit S. Conſtantius epiſcopus Aquinas.

& à martyrologis recentioribus celebratur.

E

Circa ejus epiſcopatum aliaque errores

3 *Quamdiu Sanctus epiſcopatum tenuerit, & quot annos vixerit, in obſcuro eſt ; nec certò à nobis inſtrumentorum penuriâ determinari poteſt. In ſerie epiſcoporum Aquinatium tertius ab Ughello numeratur* Joannes, ad quem (*ut ait*) Joannes III literas dedit in c. ex lit. de Pigno. *Hoc ſi verum eſſet, ſequeretur, Sanctum noſtrum, qui ſecundum Ughellum quartus fuit Aquini præſul, & ſub Joanne III defunctus eſt, ut infrà probabitur, annis ad ſummum* 12 *cum aliquot menſibus iſti eccleſiæ præfuiſſe : quandoquidem Joannes III annos Pontificatûs tredecim non explevit. Sed manifeſtè errat Ughellus ; capitulum enim* ex litteris *quod citat, quintum eſt in libro* 3 *Decretalium Gregorii IX titulo* XXI De pignoribus, *datum non à* Joanne III, *ſed ab* Innocentio III, *qui anno* 1198, *id eſt, plus quàm* VI *ſeculis poſt, ſedere cœpit : non ad* Joannem, *ſed ad epiſcopum Aquinatem, cujus nomen ibi non exprimitur. En tibi, lector, capituli epigraphen :* Idem (*Innocentius III*) epiſcopo Aquinati, *fortaſſe Gregorio II, qui ordine decimus quintus, ipſo Ughello teſte,* Gregorio (I) ſucceſſit, .. Innocentio III ſedente, anno MCCVI. *Neque in toto Jure canonico alium canonem aut capitulum* ex lit. de Pigno. *præter aſſignatum invenire eſt.*

F

Ughelli defenduntur

4 *Hallucinatur iterum Ughellus ſcribens* S. Conſtantium ſub Joanne (*utique III*) circa annum Domini DLXVI *S. Benedicto contemporaneum fuiſſe :* Quo etiam tempore S. Benedictus Patriarcha ſanctitate florebat. *Conſentiunt enim plures eruditi hunc ſanctum Patriarcham ad tempora Joannis III minimè perveniſſe : videlicet cùm obierit anno Chriſti* 543, XXI *Martii, ut Tomo* III *ejuſdem menſis pag.* 276 *probatum eſt, & ut habet Mabillonius tomo* 1 *Annalium ad an.* 543 *num.* 8, *ubi num.* 3 *præmiſerat :* Interim jam mæſtos ex Mauri diſceſſu

AUCTORE J. V.

Casinatium animos gemina plaga supra modum afflixit ; mors scilicet Benedicti parentis, sororisque ejus Scholasticæ, quæ fratrem in cælum paucis diebus præcessit. *Imo secundum quosdam obiit anno 536 ; quamquam hæc opinio nobis haud videatur probabilis propter Totilæ cum sancto Patre congressum, qui serius, nempe anno 542 contigit. Atque hæc, ne actum agam, de anno mortis S. Benedicti per transennam dicta sufficiant : nunc ad sanctum nostrum Episcopum revertamur, certiora de illo quantùm licet cogniturí.*

Quo anno federe cœperit, & quamdiu vixerit, incertum :

5 *S. Gregorius Magnus, quem Ughellus citat, libri 2 Dialogor. caput 16 sic exorditur :* Eodem quoque tempore quidam Aquinensis ecclesiæ clericus dæmonio vexabatur, qui à venerabili viro Constantio ejusdem ecclesiæ antistite per multa fuerat Martyrum loca transmissus, ut sanari potuisset ; *verùm conatu irrito.* Ductus itaque est ad omnipotentis Dei famulum Benedictum : qui Jesu Christo Domino preces fundens, antiquum hostem de obsesso homine protinus expulit. *Mabillonius tom. 1 Annalium pag. 60 id factum narrat anno 530 : unde concludere possumus, & Sanctum nostrum anno 530 coævum fuisse S. Benedicto, & jam tum Aquinensem rexisse ecclesiam. A quot autem annis ante illud tempus episcopatum adeptus fuerit, quove anno in lucem editus, nusquam invenimus. Secundum Petrum de Natalibus citatum num. 2*, Constantius episcopus Aquinæ civitatis fuit, & Joannis Papæ primi temporibus claruit ; *quem Ghinius sequens addit :* Fortè anno DXXV. *Cùm aliundè quo hæc infirmem vel confirmem nihil habeam, eatenus Petro de Natalibus Ghinioque assentior : potuisse nempe Sanctum circa hæc tempora creari episcopum, ob insignes virtutes, quibus præfulgebat. Unde oportet natum esse sub finem seculi V, aut certe ineunte seculo VI. Quod si agant (ut verborum ordo videtur innuere) non de Sancti presbyteratu aut initio episcopatûs, sed de fine seu morte sub illud tempus obita, minimè assentiri possum tùm ob dicta superiùs, tùm quòd Gregorius lib. 3 Dialog. cap. 8 scribat :* Vir quoque venerabilis vitæ Constantius Aquinæ civitatis episcopus fuit, qui NUPER prædecessoris mei tempore beatæ memoriæ Johannis Papæ defunctus est. *Ubi editores Benedictini ad vocem* Johannis *notant :* Scilicet Johannis III, qui an. DLXI *(imò 560, ut probat Pagius)* sedere cœpit.

B

C

Sed constat obiisse sub Joanne III,

6 *Sanè à martyrio S. Joannis I, Ravennæ enecti anno 526, XXVII Maii, ad pontificatum Gregorii Magni, quem III Septembris anno 590 auspicatus est, anni fluxerunt 63 ; Joannes II autem obiit itidem XXVII Maii 535, id est, annis 54 ante Gregorium Papam : adeoque Gregorius anno 593 aut 594 Dialogos scribens non dixisset* nuper, *sed* pridem defunctus est, *siquidem sub Joanne I vel II sanctus Episcopus ex hac vita migrasset. Quis enim hominem ab annis plus 63 sive etiam 54 mortuum,* nuper *defunctum dicat ; aut suum prædecessorem appellet obvio sensu* nuperum, *à quo tot annorum spatio distet, intermediis 10 vel 7 Pontificibus ? Voluit ergo S. Doctor indicare proximum suum istius nominis prædecessorem Joannem III anno 573 defunctum ; sub cujus pontificatu, & non antè, Sanctum nostrum obiisse testatur. Confirmat hæc Ferrarius citatus num. 2 sua Annotatione :* Joannes, sub quo S. Constantius vixit, tertius est, qui Pontif. gessit post Gelasium I * circa an. D. DLXI. quo tempore Gothi à Narseta profligati fuerant *anno 552, & iterum 554, qui finis fuit belli Gothici in Italia, teste Pagio. Hinc liquet, si Sanctus noster, ut habet Petrus de Natalibus & ex eo Ghinius,* Joannis Papæ primi temporibus claruit, *& ad cathedram episcopalem evectus est ; illum annis ut minimùm 34 Aquinensem gubernasse ecclesiam. Imò verò annis pluribus eidem præesse potuit, licèt tantùm sub Felice IV Joannis I successore ad episcopatum promotus fuisset.*

D

* *I.* Pelagium I, *nam* Gelasius I *ab anno 496 obierat.*

7 *Ad annum Sancti emortualem quod spectat, illud certi habemus ex S. Gregorio Magno sub finem numeri 5 citato, obiisse illum* tempore beatæ memoriæ Johannis Papæ *nempe tertii, prout ostendimus num. 6 : quoto autem Christi anno non constat. Secundum Ughellum* sub Joanne Pontifice floruit circa annum Domini DLXVI, *an eodem defunctum esse velit, nescimus : Ferrarius annum nullum exprimit ; Castellanus* circa annum DLXXII. *Audiamus & Baronium tomo VII ad an. 572, ubi post narratam Joannis III mortem (quam anno uno anticipat, ut ostendit Pagius in Critica ad eamdem annum) sic habet num. 2 :* Ad hæc tempora ejusdem Joannis Romani Pontificis, antequam tamen Longobardi irrumperent in Italiam, Constantius episcopus Aquinas, qui vivente adhuc S. Benedicto jam sedere cœperat, defunctus est, ut testatur S. Gregorius. *Irruptionem Longobardorum in Italiam idem Baronius, consentiente Pagio, affigit anno 568* ipsis Kalendis Aprilibus *ex Paulo Diacono lib. 2 de Gestis Longobard. cap. 7. Nos, deficiente certiori temporis notâ, Sancti obitum collocamus sub pontificatu Joannis III, id est, inter annum 560 & 573 ; prout suprà posuimus.*

quamvis annum determinare nequeamus.

E

8 *Multis ac insignibus virtutibus meritisque eximium hunc Præsulem eluxisse, extra controversiam est ; prophetiæ quoque dono fuisse præditum, ex Gregorio patet. Id unum dolemus, quòd præclara tanti Viri gesta & decora singulatim enumerare ac illustrare non possimus, cùm Vita ejus, teste Baronio suprà, non exstet :* quam temporum ingluvies, *ait Ughellus,* devoravit. *Scripta illa fuit, eodem Ughello teste col. 396,* circa an. MCXXV *a Petro diacono bibliothecario Casinensi,* ut ipse affirmat *Opusculo de viris illustribus cap. 47, & lib. 4 Chron. Casin. cap. 66 (non 48, ut perperam Ughellus habet)* ad Guarinum episcopum Aquinensem *ordine duodecimum. Speraveram saltem aliquid de Vita ista vel ad Sanctum nostrum pertinens inventurum me fuisse sive in Thesauro antiquitatum & historiarum Italiæ edito Lugduni Batavorum anno 1723, sive apud Rerum Italicarum scriptores tomo VI Muratorii anno 1725 Mediolani impresso, ubi col. 59 & 60 opusculorum anecdotorum Petri diaconi citati catalogus sat longus texitur : sed frustra quæsivi. Quare eruditos Italos, Aquinates imprimis enixè rogatos cupimus, ut, si quid fortè in aliquo bibliothecarum angulo inter blattas lateat, ad gloriam Dei & honorem Sancti Præsulis ac Patroni sui in lucem proferre & nobiscum communicare ne graventur. Edemus interim, quod unicum de Sancto hoc in museo nostro reperimus, exiguum Ms. à Ferdinando Ughello transmissum, continens qualecumque vitæ compendium, & Sancti elogium ex lib. 3 Dialog. cap. 8 Gregorii Magni. Elogium illud ex novâ editione Parisiensi Operum sancti Doctoris tomo 2 col. 293 correctiùs recudemus, & annotatis*

Sancti virtutes & elogium hîc edendum.

F

A *titis quibusdam illustrabimus. Manuscriptum ex quo auctore desumptum sit, non additur: certè non est valde antiquum. Præfigitur autem hic titulus:* Vita vel obitus S. Constantii ep. *Nos illud sub nomine elogii dabimus.*

ELOGIUM

Ex Ms. Ughelli, & S. Gregorio Magno.

Pastoralis cura Sancti, perseverantia in divinis obsequiis, prophetiæ donum:

DUm egregius pontifex Constantius Aquinensem strenuè gubernabat ecclesiam, & dictis atque exemplis ceu lucerna præclara super candelabrum posita sublimiter illustrabat illam, omni virium conamine illud adimplere studens * imitandum exemplum, quod est de Christo scriptum, quæ cœpit Jesus facere & docere: scilicet ut auditoribus suis id exhiberet in opere, quod * eos informaret prædicatione. Et quia nullus de perceptione bravii exultat, nisi qui cursum efficaciter explere conatur, & ipsa per se veritas non incipientibus, sed perseverantibus æternam pollicetur salutem: vir iste Sanctus usque ad extremum vitæ suæ terminum in divinis obsequiis juxta nominis sui præsagium constantissimè perseverare studuit. Unde & post ejus obitum multas ab eo virtutes factas cognovimus: quia Deum omnium virtutum cooperatorem in se promerult habere inhabitantem, de quo Apostolus apertissimè testatur dicens: Hæc omnia operatur unus atque idem spiritus, dividens singulis prout vult. Qui utique inter cetera suarum virtutum insignia, prophetiæ quoque dono refulsit, quemadmodum B. Papa Gregorius vir per omnia sanctissimus in tertio Dialogorum libro (*cap.* 8) ejus memoriam faciens retulit, dicens.

* pro studebat, vel studuit
* l. ad quod

B

prædicit duos post se successores, & moritur.

2 Vir quoque venerabilis vitæ Constantius Aquinæ civitatis episcopus fuit, qui nuper prædecessoris mei tempore beatæ memoriæ Johannis *a* Papæ defunctus est. Hunc prophetiæ habuisse spiritum multi testantur, qui eum familiariter scire potuerunt. Cujus inter multa hoc ferunt *b* religiosi veracesque viri, qui præsentes fuerunt, quòd in die obitûs sui cùm à circumstantibus civibus utpote discessurus Pater tam amabilis amarissimè plangeretur, eum flendo requisierunt, dicentes: Quem post te, Pater *c*, habebimus? Quibus ipse Pater per prophetiæ spiritum respondit, dicens: Post Constantium, mulionem: post mulionem, fullonem *d*. O te, Aquine, & hoc habes *e*. Quibus prophetiæ verbis editis, vitæ spiritum exhalavit extremum. Quo defuncto, ejus ecclesiæ pastoralem suscepit curam Andreas diaconus illius, qui quondam in stabulis itinerum, cursum servaverat equorum. Atque hoc ex hac vita subducto, ad episcopatûs ordinem Jovinus accersitus est *f*, qui in eadem urbe fullo fuerat. Quo adhuc superstite, ita cuncti inhabitatores civitatis illius & barbarorum *g* gladiis & pestilentiæ *h* immanitate vastati sunt, ut post mortem illius nec quis episcopus fieret, nec quibus fieret, inveniri potuisset *i*. Sic itaque completa est Viri Dei sententia: quatenus post decessum duorum se sequentium ejus ecclesia pastorem *k* minimè haberet *l*.

C

a
b
c
d
e
f
g h
i
k l

D

ANNOTATA.

a *Consule Commentarium num.* 5 *&* 6. *Idem* Joannes PP. III *habetur inter Prætermissos ad* 13 *Julii, tomo* III *pag.* 471.

b *Ms. Ughelli* referunt.

c *Idem & Baronius* Patrem, *sensu non dispari.*

d *Sic etiam legitur in Ms.: Petrus de Natalibus adjungit:* post fullonem neminem. Quibus editis, vitæ spiritum exhalavit, *omissis intermediis. Ferrarius & Ughellus:* post Fullonem finem habebit Aquinum. *Eo nempe sensu, quo etiam intelligi debet S. Gregorius, ut post Jovinum episcopo diu caruerit. Vide Ughellum in successione episcoporum Aquinatium.*

e *Baronius:* O tu Aquina, & hos habes.

f *In Ms.* Jovinus adscitus est. *Ceterùm de utroque hoc præsule Andrea & Jovino nihil usquam invenio nisi nomen & officium inter episcopos Aquinates apud Ughellum col.* 396.

g Longobardos *haud dubiè intelligit sanctus Doctor, qui anno* 568, *ut Commentarius habet num.* 7, *cum aliis barbaris Italiam ingressi, occiso ipsorum rege Alboino anno* 574, *itemque interfecto Clepho ejus successore anno* 576, sub Ducibus fuerunt annis decem, *teste Sigeberto in Chronico: Italiam depopulati sunt anno* 578, *Neapolim obsederunt* 581, *& Autharim regem sibi præfecerunt* 586. *Vide Pagium ad annos* 571, 573, 577, 578, 581, 585.

h *Luem inguinariam designat, quam descriptam vide apud Baronium anno Christi* 565 *num.* 25. *Pestilentia ilta gravissima annos quinquaginta & amplius grassata est, cœpitque in Oriente ab anno* 541 *vel sequenti, ut probat Pagius ad an.* 544. *Idem anno* 577 *Marianum Scotum adducit, ad annum Christi* 579 *hæc scribentem:* Gens Longobardorum, comitante fame, mortalitate & peste, omnem invasit Italiam, ipsamque Romam vastatura obsidet. *De lue inguinaria sub finem anni* 589 *& initium* 590 *apud Baronium meminit etiam Gregorius Turonensis & S. Gregorius Papa: quam pestem, inquit Pagius num.* 18; hoc anno (590) non solùm Urbem; sed & alia Italiæ loca afflixisse, suprà ostendimus. *Quoto autem anno barbarorum gladiis & pestilentiæ immanitate Aquinatibus clades ista illata sit, mihi hactenus incompertum. Ceterùm Ferrarius in Annotatione ait:* Aquinum autem bis vastatum est, primò sub Justiniano Imp., secundò sub Conrado. Post quem numquam reædificatum fuit, licèt episcopatus perseveret. *Sed malè vastationem primam sub Justiniano contigisse asserit: nam Justinianus I imperio & vitâ functus est Idibus Novembris anni* 565, *vivente forsan adhuc* S. Constantio, *qui sub altero tantùm successore suo Jovino illam cladem futuram prædixerat. Justinianus verò Junior sive II imperium capessivit anno* 685 *diu post Gregorium Papam, qui hæc se vivente gesta narrat, obiitque anno* 604. *Mendosè itaque Ferrarius avunculum scripserit pro nepote, id est, Justinianum pro Justino juniore seu II, qui cùm imperaverit ab anno* 565 *usque ad* 578, *sub eo vastari Aquinum potuit. Insuper narrat Leo Ostiensis lib.* 1 *Chronicæ Casinensis cap.* 28, *Saracenorum ducem Massar anno* 846 *Aquinum pertransiisse, & arcem ceteraque in circuitu devastasse. Quod ad Conradum spectat, fuit is Conradus Friderici II filius, quem anno* 1253 *in*

E

F

A terra Laboris civitates Aquini, Sueſſæ aliáque loca expugnaſſe, refert ex anonymo auctore Ms. de rebus Manfredi Odoricus Raynaldus Annalium tomo 13 ad dictum annum num. 1; Spondanus autem in Continuatione Baronii ad annum præcedentem 1252. Porrò epiſcopatus quidem, ut Ferrarius ait, perſeverat; ſed reſidére ſolens epiſcopi & pontificalia exercere Ponte Curvo 3 mill. paſſ. ab Aquino in occaſum, in limite ditionis Eccleſiæ, ex dimenſione Baudrandi. Exiſtimant aliqui apud Orlendium Orbis ſacri & profani parte 2 vol. 3 pag. 1516, Pontem Curvum eſſe antiquas Fregellas; ex quarum, inquit, ruinis emerſit poſtmodum Pons Corvus, nobile Latii oppidum, quod tandem nuper Benedictus XIII Pont. Max. civitatis jure, & epiſcopatûs cathedrâ donatum, Aquino univit anno MDCCXXV; ita tamen ut idem & Aquini D & Pontis Corvi epiſcopus appelletur.

i Petrus de Natalibus poſſet. Apud Baronium omittitur nec quibus fieret. Ms. Ughelli mendosè habet fieri.

k Hic Ms. interſerit urbe civibuſque deletis, per multa tempora. Nempe uſque ad Angelum, Jovini ſucceſſorem ſub medium ſeculi XI; nam excommunicatus eſt ob mores utique non angelicos à S. Leone IX, qui anno 1049 S. Petri cathedram conſcendit. Vide Ughellum, & Baronium ad annum 1060 num. 5.

l Nempe cùm hæc ſcribebat ſanctus Doctor. Vide dicta litt. d & k. Ceterùm in Ms. habetur paulò inferiùs: Reliqua deſiderantur. Deſideramus ſanè nos plura de tam inſigni Præſule, ut dictum num. 8.

DE SANCTO AREALDO MARTYRE

BRIXIÆ IN ITALIA

B E

SYLLOGE.

J. V.

De cultu Sancti, loco & tempore martyrii.

FORTE ANNO DLXXVI. *Sanctus, qui Cremonæ colitur,*

PUblico & immemorabili cultu hunc S. Martyrem honorari ſatis certum eſt, ut patebit ex dicendis; de tempore martyrii haud ita conſtat, fatente Ferrario in Catalogo Sanctorum Italiæ pag. 562: Quando, & quo mortis genere hic S. Mart. affectus fuerit, nondum ſciri potuit; cùm nulla extet ejus in Annalib. Brixienſ. memoria. (*quos utinam inſpicere licuiſſet!*) *Et in Catalogo generali pag.* 346: Paſſus Brixiæ fertur. Quando, neſcitur. *Primò itaque quæ ad Sancti cultum ſpectant proferemus, deinde paſſionis tempus indagaturi. Ferrarius in Catalogo proximè citato his verbis eum annuntiat:* Cremonæ S. Arealdi martyris. *In Catalogo Italiæ Sanctorum ad hanc diem ſcripſerat ſequentia:* Arealdus Brixiæ martyrio coronatus, ibidemque ſepultus eſt. Cujus oſſa Gerardus, Brixienſis civis ex nobili Madiorum familia epiſcopus Cremonenſis à Clemente V Pont. Max. anno ſal. MCCCV creatus, à Brixienſibus, apud quos plurimùm valebat auctoritate & gratia, impetrata Cremonam tranſtulit, & in ſacello ei dicato repoſuit; unde poſtea in eccleſiam Cathedralem tranſlata ſunt, ibique piè aſſervata coluntur. *Teſtatur id Joſephus Breſcianus in Diario Cremonenſi pag.* 72: 1 Septembris S. Arealdus martyr. Feſtum in eccleſia cathedrali, ubi ſub confeſſione conſervatur ejus ſanctiſſimum corpus. *Item* in eccleſia ipſius Sancti, quæ regitur à RR. PP. Minimis. *Plura in Sanctuario Cremonenſi pag.* 248 *habet Peregrinus Merula, perperam tamen confundens Arialdum diaconum martyrem Mediolani cum hodierno; ut poſtea videbitur.*

C

Brixiæ paſſus eſt

2 *Laudatus à Papebrochio tom.* 11 *Aprilis pag.* XL *Bernardinus Faynus in Martyrologio Brixiano Kal. Septembris ita ſcribit:* Brixiæ S. Arealdi martyris, in cathedrali Cremonæ tranſlati: qui Longobardorum tempore, cum duobus filiis, Brixianam eccleſiam proprio ſanguine decoravit. *In quæ notat ſequentia:* De eodem habent Tabulæ eccl. Cremonenſis ſub ritu ſemiduplici. Item Tabula dyptica epiſcoporum illius eccleſiæ à Blaſio Roſſio * conſcripta, qui agens memoriam Gherardi Maggii illic epiſcopi, ac conſanguinei Berardi Maggii, in Brixiana ſede etiam titulo principis fulgentis, ſic ſcribit (*pag.* 355 *poſt Decreta Synodi Cremonenſis edita* 1599.) Gerardus de Madiis patritius Brixienſis, ſucceſſit Raynerio de Rubeis Parmenſi, epiſcopo cremonæ, mortuo anno MCCCV Clemente V ſummo Pontifice. Is cùm plurimum gratia & auctoritate apud ſuos valeret, Cremonam oſſa divi Arealdi, Brixiæ martyrio coronati, inde transferri curavit; eaque primò repoſita fuerunt in eccleſia, ad ejus memoriam in vico Omnium Sanctorum conſtructa. Deinde verò (*anno* 1484) in eccleſiæ cathedralis partem illam tranſlata ſunt, ubi nunc eſt altare dicatum SS. Sacramento, operâ Iſacchi Reſtalli canonici Cremonenſis eccleſiæ. Demum (*an.* 1614 VIII *Junii*) in ejus partem ſubterraneam; ibique jacent in arca marmorea, capite in æreo vaſe repoſito. *Tradit Merula citatus, arcæ inſcriptam fuiſſe ſequentem epigraphen:* Anno poſt ortum Chriſti MDCXIV die ſeptimo Junii, huic arculæ mandatum eſt non parvo totius civitatis ſumptu corpus S. Arealdi martyris per illuſtriſſimum & reverendiſſimum D. Joannem Baptiſtam Brivium Cremonæ epiſcopum. *Arcui verò triumphali:* Divis Archelao & Arealdo, ſanguine ob Chriſtum Servatorem profuſo, aureas coronas adeptis, ab æthere ſuos hîc cineres Cremonenſemque rempublicam reſpicientibus, arcas, aras, arcus eadem pia & fidelis hoſpes condidit, dicavit, erexit. *Solenniſſimam hanc tranſlationem à Bollando deſcriptam vide tom.* 11 *Januarii in S. Babyla pag.* 581: *anniverſaria autem ejus memoria annuntiatur tom.* 11 *Junii pag.* 52 *in Prætermiſſis ad diem*

* *Latinè* Rubeo

F

A VIII. *Hactenus de cultu Sancti & palæstra, nunc agendum de tempore.*

probabiliter sub Longobardis.

3 *Ludovicus Cavitellius in Annalibus Cremonensibus, Lugduni Batavorum* 1704 *recusis tom.* 3 *Thesauri antiquit. & historiar. Italiæ col.* 1356, *ad annum* 1305 *scribit* S. Arealdum *martyrio Brixiæ affectum* anno circiter CXXXIV, Adriano imperante: *fortè quia credidit socium fuisse SS. Faustini & Jovitæ, quos tunc passos esse vult Pagius ad annum* 134 *num.* 2. *Verùm id minùs verisimile putamus, & Fayno potiùs assentimur, qui postquam Cavitellium allegaverat, utique à se lectum, hæc subdit:* Hujus S. Martyris cum duobus filiis Carillo & Oderico meminit in Annalibus Brixiæ manuscr. Octavius Rossius, citans antiquas memorias in foliis membraneis exaratas, ex quibus defert*, anno DLXXV Longobardorum regnum (mortuo Clepho rege) per annos decem, decem * quoque ducibus fuisse dispartitum & dominium Brixiæ cum duci Alahisio contigisset; primo ejus anno, qui fuit DLXXVI, adeo (nondum fidelis Christo) in Christianos invexisse: ut S. Honorio tunc Brixiæ episcopo necesse fuerit cum turbâ civium in sylvas aufugere, ut persecutionem evitaret. In qua præcipuè Arealdus & ejus filii Carillus & Odericus, eodem anno currente, pro fide martyrii palmam adepti sunt. *De S. Honorio actum est tom.* III *Aprilis pag.* 276: *Martyris filios, quia de cultu eorum non constat, in titulo omisimus; quod alia sequentes Fayni fidem: nam, quæ habemus tom.* 4 *Thesauri Italiæ, Monumenta Brixiensia Octavii Rubei; nec non Capreolum de rebus Brixianorum tom.* 9 *part.* 7 5 *ut & Chronicon Brixianum Malvecii tom.* 14 *Muratorii, frustra scrutati sumus. Itaque martyrium Sancti sub dubio posuimus anno* fortè DLXXVI.

* *l.* refert

* *imò* 36. *Vide Murator. tom.* 1 *pag.* 436.

B

Merulæ error corrigitur: & disputatur,

4 *Prosequitur Faynus Merula errorem corrigens hoc modo:* Arealdus iste diversus est ab Arealdo diacono & martyre Mediolanensi: nam natalis hujus ad gloriam fuit hac die, eodem anno DLXXVI, Benedicto (I) Sum. Pontif. & Justino juniore imperatore. Illi autem natalis fuit XXVII Junii, *non* anno MLXXVI, sedente Gregorio VII, *ut perperam exscripsit Faynus; sed* 1066, *sedente Alexandro II*, & imperante Henrico IV, ut habet Baronius in Annalibus. Iste

C fuit martyr sine aliquo sacro Ordine: ille verò diaconatûs Ordine initiatus. Iste cum duobus filiis; ille sine filiis. Iste Brixiensis: ille verò Mediolanensis. Sed Peregrinus Merula in Sanctuario Cremonensi, quia hisce relatis caruit monimentis, ideo circa hos duos Arealdos se decepit, unum accipiendo pro alio. *De S. Arialdo diacono martyre actum est tom.* V *Junii à pag.* 279: *Acta verò licet miracula hodiernæ Martyris nulla habemus. Superest nunc haud levis difficultas circa Gerardum de Madiis seu Maggium, à quo superiùs ossa* S. Arealdi *Brixiâ Cremonam translata esse retulimus: utrum scilicet Gerardus iste Cremonensis episcopus fuerit. Negat Ughellus tom.* 4 *novæ editionis col.* 610, *ubi inter alia hæc habet:* Post Raynerium (*de Casulis*) gratis nonnulli affingunt Gerardum quemdam de Madiis Brixiensem, electum Cremonensem episcopum anno MCCCVIII *, voluntque Brixiâ transtulisse Cremonam S. Arealdi martyris reliquias, easdemque intulisse in ecclesiam in honorem ejusdem Sancti exædificatam in Sanctorum viculo, ut vocant, die 1 ineuntis Septembris, qua die festum ejusdem Sancti celebratur Cremonæ. Cæterùm in Regestis Vaticanis nulla de Gerardo habetur memoria.

AUCTORE J. V.

V T

* *imò* 1305

5 *Affirmant verò Ferrarius supra, Josephus Brosianus in Rosis & Violis Cremonensibus, ubi contrà alios Cremonensem facit, adferens pag.* 65 *hoc epitaphium:* Gherardus Maggus episcopus patriæ suæ Cremonæ &c., *& Faynus his verbis annotata concludens:* Dubitant aliqui Gherardum Maggium fuisse antistitem Cremonæ. Alii ex quasi nominis uniformitate cum Berardo; cognominis æqualitate, funerisque tempore, affirmant fuisse ipsummet Berardum episcopum & principem Brixiæ, qui, per mortem Raynerii de Rubeis vacante Cremonensi ecclesia, illam quoque curaret. Sed præter ea, quæ de antistite Gherardo ipsi Ludovicus Cavitellus & Blasius de Rubeis & alii afferunt, apud Brixiam in arbore familiæ Maggiæ in aliisque monimentis ejusdem atque in picturis, uti episcopus tantum Cremonæ scriptus est. *Ex adverso Ughellus Bonvicinum de Nariis, ut eum vocat Rubeus in Diptychis pag.* 355, *seu de Naldis pro episcopo fictitio habet, contenditque Raynerium de Casulis Velaterranum Pontio Ponzono à Bonifacio VIII anno* 1296 *suffectum esse, addens:* Ita habetur in Regesto Vaticano epistola 184 foli 39 anno 2: *ac ætatem protulisse usque ad annum* 1317 *; succedente ipsi an.* 1318 *Ægidio de Madalbertis; adeoque locum inter episcopos Cremonenses Gerardo non esse. Nodum hunc aliosque eruditis Cremonensibus solvendos relinquimus: præsertim quia ad sancti Martyris cultum perinde est sive à Berardo, sive à Gerardo ejus ossa primùm Brixiâ Cremonam translata fuerint.*

quis primùm Sancti reliquias transtulerit.

E

F

DE

A D

DE SANCTO LUPO

ARCHIEPISCOPO SENONENSI,

BRIENNONE IN CAMPANIA GALLIÆ.

J. V. COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§ I. Sancti veneratio in diversis locis; Officia propria: Actorum ætas & fides.

ANNO DCXXIII. *Illustris apud Senones memoria & Sancti-*

B SENONES, *teste Baudrando*, urbs ampla Galliæ Celticæ, Senonum primaria, ... quæ & Agendicum dicta fuit & Senonæ in libris Conciliorum, .. urbs Galliæ antiquissima, quæ ante Romam condita fertur; archiepiscopalis est, in planitie pulcherrima ad Icaunam fluvium, qui ibi ponte jungitur lapideo: caput est Senonensis agri in Campaniæ præfectura generali, cùm antiquis à quibusdam malè Burgundiæ tribueretur. *Gloriari merito hæc civitas potest pluribus sanctis archiepiscopis tunc ante tum post* S. Lupum, *quorum Acta in Opere nostro vel illustrata jam sunt, vel deinceps illustrabuntur. Hugo Mathoud monachus Benedictinus in Catalogo archiepiscoporum Senonensium, quem ad fontes historiæ noviter accuratum edidit Parisiis anno 1688, paginâ 21 insigne* S. Lupo *elogium texit his verbis:* Post beatissimos martyres Savinianum & Potentianum, quibus suæ sedis encænia debet ecclesia Senonensis, ceteris suis præsulibus hic eminet sanctimoniâ morum & signorum magnificentiâ, jugique populorum accursu ad ejus sacrum corpus in cœnobitica S. Columbæ Senonensi basilica. Plures plura de eo, quæ hîc repetita nolumus. Et licèt in omnium tabulis & ecclesiarum pulpitis vigeant ejus præconia, suis tamen laudibus semper major erit. *Martyrologium Parisiense hac die sequentia de ipso memorat:* Briennone in agro Senonensi, S. Lupi episcopi, qui ab occidentalibus Neustriæ partibus, ubi multos infideles exul ad fidem Christi adduxerat, Senonas rediens, Parisiis plurimos vinculis & carcere liberavit. Corpus ejus Senonis ad S. Columbam asservatur. *Quamquam hæc ad probandum sancti Archipræsulis cultum videantur posse sufficere, pro more tamen nostro ea res altiùs repetenda est ex veteribus martyrologiis.*

C

2 S. Lupum *annuntiat Ado:* Apud Senonas B. Lupi episcopi, sanctitate & signis miraculorum illustrissimi. *Usuardus item & Notkerus. Wandelbertus in martyrologio metrico:*

Præsul & his * Senonum Lupus æde coruscat ab alta.

cultus, totâ item Galliâ & in Catalonia receptus.

* Kalendis Septembr.

Martyrologium reginæ Sueciæ, olim Senonensis S. Columbæ, post tom. VII *Junii:* In Galliis, Senonas civitate, depositio B. Lupi episcopi & confessoris. *Romanum denique:* Apud Senonas B. Lupi episcopi & confessoris, de quo refertur, quòd quadam die, dum præsente clero sacris altaribus astaret, lapsa est cælitus gemma in ejus calicem sanctum. *Idem habet Florarium nostrum Ms., additis quibusdam. Elogio historico tum ornat Petrus de Natalibus in Catalogo Sanctorum lib. 8 cap. 20. Molanum, Canisium, Galesinium, Maurolycum, Chinium aliosque recentiores commemorare supervacaneum est. Solus codex Pulsanensis martyrem facit:* Senones, beati Lupi episcopi & martyris; *sed perperam, ut ex Vita constabit. Celebris ejus memoria est apud Aurelianos, teste Chalemato in Serie Sanctorum &c. Ordinis Cisterciensis, hac die:* Aureliis in urbis suburbiis & prioratu sancti Lupi sanctimonialium Ordinis nunc abbatia, festivitas S. Lupi, quondam archiepiscopi Senonensis ibidem nati, paternâ domo postea in cœnobium commutatâ. Ejusdem etiam Sancti festivitas in omnibus cœnobiis diœcesis Senonensis. *Imò per totam Galliam plurima in ipsius honorem exstructa esse templa, tradit Carolus Saussejus lib. 3 Annalium ecclesiæ Aurelianensis num. 39 in Austreno.* Sanctus verò Lupus apud nos celebratur Calendis Septembris (*in tribus Kalendariis Aurelianensibus Mss. ponitur 2 Septembris*) ejusque nomini in loco nativitatis ejus excitata est ecclesia extra muros Aureliæ ad plagam orientalem circa alveum Lygeris, in qua jugiter Deo famulantur sanctimoniales Cisterciensis Ordinis. Alia item parochialis apud Ingreium, & innumeræ per universam Galliam. *Viget quoque Sancti cultus in Hispania; erga* quem multa habetur devotio in Catalonia, & speciatim in conventibus Dominæ nostræ de Mercede, *inquit Domenechus in Historia generali Sanctorum &c. principatûs Catalani fol. 86 verso, ubi & Vitam describit ex variis auctoribus.*

E F

Officia de eo propria diversis locis:

3 *Celebratur Sancti festum in metropolitana ecclesia Senonensi ritu semiduplici & Officio proprio novem Lectionum, ut patet ex Breviario ejusdem ecclesiæ anno 1625 Parisiis impresso. Breviarium item pervetustum ecclesiæ Altissiodorensis,* impressum, *ut Papebrochius annotavit,* initio sæculi XVI aut citiùs, *novem de Sancto nostro Lectiones habet ex Vita desumptas, sed multùm diversas à Senonensibus.* Collecta *seq. oratio propria utrobique ferè eadem est:* Deus, qui nos devotâ beati Lupi confessoris tui atque pontificis instantiâ ad agnitionem tui nominis vocare dignatus es: concede propitius, ut cujus natalitia colimus, etiam patrocinia sentiamus. Per Dominum. *In Parisiensi Breviario anni 1640 fit de eo ritu duplici: omnia de communi confessoris pontificis præter Lectiones secundi Nocturni & orationem, quæ ibidem hoc modo legitur:* Deus, qui devotâ sancti Lupi confessoris tui atque pontificis

A tificis instantiâ, non credentem populum ad tui nominis agnitionem evocasti; da, quæsumus, ut cujus gloriosis adjuvamur præsidiis, sanctissimis provocemur exemplis. Per Dominum nostrum. *Antiphonas & Responsoria, quæ in Senonensi etiam propria sunt, non transcribo: sufficiet novem illius Lectiones* ex pervetusto cod. manuscripto, *ut prænotatur, desumptas, in Vita assignare. Præter jam dicta, invenio apud Castellanum Martyrologii universalis pag.* 749, *à monialibus Benedictinis abbatiæ Jotrensis in Bria Galliæ provincia speciali item festo* 1 *Septembris coli* S. Lupum episcopum Senonensem, dictum, *inquit*, S. Lop in ipsarum Proprio litteris Gothicis. *Utrùm autem Officium, quod de eo recitant, idem sit cum Senonensi, an Parisiensi, an Autissiodorensi, hactenus ignoramus; nec libet operosè inquirere, cùm nihil Sancti gloriæ interfit. Nunc ad Acta progredimur.*

Acta varii excuderant: apographum

4 *Vitam Sancti seu potiùs gestorum compendium, præter citatos num.* 2 *Petrum de Natalibus & Domeneccum, typis evulgarunt Mombritius tom.* 2, *& Saussayus ad hunc diem: integram mutato stylo edidit Surius; mutilam, servatâ phrasi primigeniâ, inter Fragmenta de regum Francorum rebus piè gestis exhibet Chesnius tom.* 1 *Scriptor. Franc. pag.* 562, *ex quo novissimè anno* 1741 *eam recudit Martinus Bouquet tom.* 3 *Scriptorum Gall. pag.* 491. *Duplex præterea Ms. habemus: primum est apographum ex Rubea-Valle, ut videtur, acceptum; alterum est Vita exemplar inscriptum codici membraneo prægrandi, olim abbatiæ Valcellensis in diœcesi Cameracensi, nunc Musei nostri, notato* P Ms. 158. *Apographum cum aliis collatum, sincerum ac integrum dabimus, divisum pro more in capita & numeros, quibus Annotata subdentur. Titulum præfert hujusmodi:* Vita S. Lupi archiepiscopi Senonensis & confessoris: *acceptum autem prænotatur* Ex Ms., ut puto, Rubeæ-Vallis collato cum Ms. S. Maximini Treviris; *additurque alio charactere:* Extat etiam in Ms. S. Mathiæ Treviris. *Quod licèt non viderimus, haud tamen putamus diversum esse à San-Maximinensi; post miracula enim ex hoc adscripta subjungitur:* hic Maximinus in fine habet, *tum alio charactere ut supra:* & Ms. S. Mathiæ. *Eadem miracula habentur etiam in codice Valcellensi.*

B

C

hìc edendum; ætat

5 *In multis at apographo discordat Ms. S. Maximini: nam primo miraculum de patefacto cælitus ostio basilicæ S. Aniani refert contigisse priusquam Sanctus ordinaretur episcopus; apographum verò seu Ms. nostrum num.* 5 *illud attribuit Sancto jam consecrato Senonensi archiepiscopo, item codex Valcellensis & Surius. Utri rectiùs, certò determinare haud possumus: licet enim S. Aniani basilica prope Aurelianum sit, non Senonis; potuit tamen Sanctus post adeptas insulas urbem Aurelianensem revisere, imo videtur eò rediisse: nam in apographo nostro post narratum miraculum mox subditur:* Cumque prædia propria in Aurelianorum tellure ordinatus Pontifex circuiret, *quæ verba in San-Maximinensi non sunt. Omittimus hoc præterea quartam Actorum partem, nisi folium excideric, quod magis verisimile putamus: aliquid hinc inde addita uncis* [ ] *includentur; è reliquis discrepantiis leviores momenti multum negligemus, quædam tamen assignabuntur ad marginem vel in Notis. Nunc Actorum ætas inquirenda est. Biographus nullibi prodit nomen suum aut locum vel tempus, quo scripsit; neque etiam aliunde illud certò a nobis deprehendi potuit. Ex breviori Adonis elogio* facilè colligitur, *inquit Sollerius in Observatione ad Usuardum hac die*, latuisse Viennensem Lupi Acta; quæ Usuardum vidisse, ex relato signo manifestum existimo. *Martyrologium suum scripsit S. Ado circiter annum* 858, *Usuardus verò sunum* 875 *vel sequenti, ut patet ex Præfatione Sollerii num.* 160. *Unde suspicio esse posset, Acta Sancti scripta fuisse post medium seculi noni.*

AUCTORE J. V.

Actorum & fides inquiritur.

6 *Sanè Bailletus in Tabula critica tomo* 3 *præfixa de scriptoris ætate hæc habet:* Auctor apparet esse seculi IX: saltem videtur Usuardus eum legisse, licèt Adoni fortasse notus haud fuerit. *Bouquetus in Notis:* Hanc Vitam, *inquit*, cum duobus Mss. Codd. bibliothecæ Sangermanensis contulimus: hujus auctor floruisse creditur sæculo nono. *Quamquam non video, quid obstet, quo minus Acta longè antè, forsan seculo* VII, *exarata sint, adeoque auctor fuppar fuerit aut synchronus ipsi Sancto. Certè Bailletus ait, fuisse illum* satis bene instructum de pluribus factis; *quæ quidem ita cum omnibus adjunctis recenset, ut visa potiùs vel ab oculatis testibus audita scribere videatur, quam texere historiam de rebus ante ducentos annos gestis: nullibi enim monumentorum meminit, sine quibus tamen ex solâ populari traditione singula tam accuratè enarrare haud potuisset. In Vita num.* 25 *narrat mulierem, adhibito pulvere è Sancti sepulcro, gravi dolore dentium liberatam, quæ* nobiscum, *inquit*, hebdomadâ sine somno & cibo degerat. *Ceterùm Acta sunt bona & digna fide historicâ, quod etiam in titulo Surius annotavit. Bailletum hìc nihil moramur, qui scriptorem* auctoritatis incertæ *appellat vel ob narrata miracula, quæ forsitan ipsi minus placuerint, cùm ex iis nullum singulatim expresserit in Vita à se compilata col.* 12; *vel fortè ob id unum, quòd anonymus sit. Verùm sicut cognitio nominis parùm aut nihil juvat ad conciliandam auctoritatem scriptori, quæcumque pro suo libito aut ex vulgi fama referenti absque delectu, scientia & veracitate; ita, ubi hæc adsunt, ignoratio nominis auctoritatem elevare non debet illius scriptoris, qui gesta alicujus Sancti fideliter, sincere ac integrè ad Dei gloriam & posterorum ædificationem litteris consignavit, suppresso licèt (quando id indicare non tenebatur) suo nomine.*

D

E

F

§. II. Nobilis prosapia; quo anno natus, factus clericus, & episcopus; tempus exsilii; fabula de eo confutata.

Sanctus regiâ stirpe ortus circa an. 573: *factus clericus*

IN *omnibus, quotquot vidimus, Sancti elogiis regali stemmate prognatus asseritur secundum id quod habet Vita num.* 1: S. igitur Lupus parentibus inclytis ex parte regali sanguini contiguus. *Officium Senonense legit* ex patre. *Sanè pater ejus Beto seu Betto affinitatem iniverat cum familiâ regia, ut vult Bailletus: mater Agia seu Austregildis prosapiâ æque ac virtutibus nobilissima erat, imo uterque è sanguine regio, inquit Franciscus le Maire in Historia episcoporum Aurelianensium pag.* 117 & 152. *Ex his itaque*

AUCTORE J. V.

parentibus, de futura prolis magnitudine divinitus admonitis, Sanctus natus est prope Aurelianum in castro, ubi nunc est abbatia & ecclesia S. Lupi, *quam anno* 1249 *mense Julio monialibus de Calceata dedit Guilielmus de Bussiis episcopus Aurelianensis, teste Sausseyo lib.* XI *num.* 47, *& le Maire pag.* 117. *Vide suprà num.* 2. *Annum ejus natalem nusquam expressum invenimus: verumtamen ex dicendis de tempore suscepti clericatûs probabiliter conjici potest in lucem fuisse editum anno circitèr* 573. Parvulum lactis pabulo enutritum, expleto tempore curarum, erudiendum tradiderunt studiis litterarum, *inquit Vita: in quibus felici ingenio & diligentiâ tantopere profecit*, ut cunctos sodales suos in schola præcederet, & flore sapientiæ ac rivo torrentis facundiæ superaret. *Cúmque avunculi ejus* Austrenus Aurelianorum pontifex & Aunarius Antisidiorensium præsul . . cernerent . . . puerum normam religionis amare & Christi præcepta diligere, cum *utique jam duodennem, minorem tamen annis* 17, clericatûs officio studuerunt mancipare. *Quod fieri non potuit ante annum* 587, *quo Austrenus Namatio successit, ex Gregorio Turonensi lib.* 9 *cap.* 18, *contra Sausseyum lib.* 3 *num.* 36 *&* 39, *ubi contendit Austrenum episcopum sedisse*, mortuo Andegavis Namantio anno Domini DXC; *sed perperam: annus enim Childeberti* 12 *concurrit cum anno Christi* 587. *Vide Cointium ad dictum annum num.* 21, *Pagium num.* 12, *Labbeum in Epitome chronologica & Ruinartium in editione Operum S. Gregorii Turonensis col.* 413, 439, 444.

B

virtutibus inclarescit, & archiep. Senonensis eligitur an. 609.

8 *Ætate crescente, insigni pariter incremento augebantur Sancti virtutes: inter quas eminebat rigor abstinentiæ, quâ carnis rebellionem edomabat, orandi studium & assiduitas in visitandis martyrum sepulcris, accuratio in persolvendis divinis officiis, misericordia erga pauperes, mundi contemptus, æternorum desiderium. His aliisque piis exercitiis in clericali munere apud Aurelianenses ita se probavit, ut* fama illius, *teste Vitâ*, longè latéque percurreret, & amor in bonorum præcordiis glomeratus succresceret. *Quare unanimi voto cleri populique Senonensis, defuncto ipsorum antistite Arthemio, ad istius ecclesiæ insulas postulatus, & annuente rege, evectus fuit. Tempus ordinationis ejus, uti & mortis S. Arthemii (de quo vide tom.* III *Aprilis pag.* 578) *incertum est: mendosè tamen citatus le Maire electionem* S. Lupi *differt in annum* 620: *quandoquidem constat tum ex Sigeberto apud Mathoud & chronico Virdunensi apud Labbe tom.* 1 *Bibliotheca Mss. pag.* 400, *tum ex Vita num.* 8, *sedisse Sanctum tempore Theodorici II regis, qui* cum Brunechilde avia regnum gubernabat Burgundiæ. *Theodoricus autem ille jam ab anno* 613 *obierat*, ut narrat *Cointius tom.* 2 *Annalium ecclesiasticorum pag.* 636, *Pagius verò ad annum* 615 *num.* 13. *Nos cum Cointio pag.* 594 *putamus episcopatûs ejus initium probabiliter referri posse ad annum* 609; *quo S. Arthemium obiisse volunt Demochares & Severtius, Castellanus item & Martyrologium Parisiense ad* XXVIII. *Aprilis: quamvis Claudius Robertus & Sammarthani tom.* 1 *Galliæ Christianæ mortem claræ non exprimant, sed tantùm dicant* memorari *ipsum* in Chronico Ms. ad an. DCIX. *Fuit porrò* S. Lupus *in ordine archipræsulum Senonensium vicesimus primus, ut habet Mathoud, cui potiùs assentimur, quam Sammarthani & Catalogo Ms., qui* XIX *statuunt, aut Demochari & Roberto qui* XX, *aut Severtio qui* XXIII.

C

D

Calumniis impetitus pellitur in exsilium, & honorificè an. 614

9 *Ubi Sanctus commissum sibi gregem pastorali solicitudine & paterna benignitate aliquamdiu rexerat potens opere & sermone, ut virtus non minùs quàm veritas odium parit improborum, mendacibus Farulfi seneschalli susurris & Madegisili Remigiani abbatis, Senonensem cathedram ambientis, variis apud Clotarium II accusationibus postulatus est; & ab eo nimis credulo exsul in Neustriam actus. Audi Baronium ad annum* 631 *num.* 2: Fuit autem Clotharius patiens, litteris eruditus, timoris Dei plenus, pauperibus necessaria tribuens, ecclesiarum Domini atque sacerdotum utilitati consulens. Verumtamen subdolâ malignantium versutiâ subreptum est ei, ut B. Lupum præsulem Senonum, à sede propria expulsum, in exilium mitteret. *Generoso ac læto animo illud pertulit Vir sanctus reputans omne solum forti patriam esse, Christiano præsertim, qui Deum ubique invenit. At verò non otiosè aut infructuosè ibi tempus transegit: nam* populum gentilitatis errore cæcutientem ad Christi fidem miraculorum virtute ipsumque Bosonem reduxit. *Hæc Sammarthani: sed falluntur, dum aiunt revocatum in sedem*, exilii septimo anno elapso: *siquidem obstat Mabillonius tom.* 1 *Annalium pag.* 307, *& Pagius ad annum* 631 *num.* 3 *id factum esse ostendit* post annum circitèr exilium, anno scilicet DCXIV, *subdens in fine:* Quæ gesta esse ante mensem Octobrem anni DCXIV, Cointius eo anno num. XVIII ex eo colligit, quòd eo anno mense Octobri Clotarius synodum Parisiis habere curavit. *Accipe Cointii verba:* Ex vitis sanctorum Lupi ac Winebaudi, quas infrà citabimus, Lupus actus est in exilium sub initium Clotariani principatûs in Burgundia, Winebaudusque statim ea de re certior factus iter ad regem quamprimùm suscepit.

E

revocatur à Clotario II.

10 Anno superiori (*613 num.* 4 *in fine*) non omisimus Lupum Senonensem episcopum post mortem Theodorici regis à partibus Sigiberti filii strenuè laudabiliterque stetisse contra Blidebodem, qui Clotarianis copiis præerat. Extincto postea Sigiberto, quid secutum sit, ita declarat vetus author in vita sancti Lupi. *Hic narrat ex Surio, quæ inferiùs Vita exhibebit num.* XI *& seqq. tum subjungit:* Nonnulli apud Jacobum Tavellum in catalogo Senonensium antistitum tradunt Senecium quemdam sive Sevecium (*vide Mathoudum pag.* 22 *&* 23, *ubi Sanctus vocatur*) exulante Lupo, sedisse, eoque reverso, peregrinatum Romam, atque in itinere defunctum & in cœnobio Savigniensi sepultum fuisse; sed ea narratio testimoniis authenticis non subnititur: imò furor, quo Senonenses exarserunt adversus Medegisilum abbatem, qui episcopatum expetebat, palàm ostendit eos Pontificis sui majori desiderio flagrasse, quàm ut alium subrogari paterentur; idque confirmat author vitæ jam laudatus, cùm de Lupi reditu hæc proximè subjungit *num.* 14 *&* 15: Ex hoc textu colligimus exilium Lupi diuturnum haud fuisse, eosque falli, qui producunt illud usque ad annum Christi DCXXII. In Historia sancti Winebaudi, quam Nicolaus Camuzatus in Promptuario Tricassino publicavit, iter illius ad Clotarium regem, diligentia, quâ profectionem suscepit & miracula, quæ in via perogit, ita describuntur *&c. Verba videris possunt tom.* 1 *Aprilis pag.* 574

F

A *pag.* 574 *&* 575, *ex quibus hæc ſola tranſcribo:* Proinde quod petiit (*S. Winebaudus*) habuit obtentum, abſolutis captivis cum B. Lupo pontifice Senonicorum. Vale dicto, iter repetit, Pariſius civitatem advenit.

Fabula de projecto in aquam annulo

11 *Pergit Cointius:* Is qui vitam B. Lupi ſcripſit, ejus adventum in aulam regiam, ac diſceſſum è palatio prolixiùs enarrat, *vide Vitam num.* 16. Hæc autem geſta ſunt ante menſem Octobrem; hoc enim anno menſe Octobri Clotarius, anno regni ſui triceſimo-primo ineunte, ſynodum Pariſiis haberi curavit, ediditque conſtitutionem, quæ non in urbe aut villa, Oceano vel Rotomago vicina, ſed PARISIUS data reperitur, ſub die xv Kalendas Novembris, anno xxxi regni. Ex quo & hujus concilii epocham diſcimus, *inquit Pagius ad an.* 615 *num.* 15; *nam* Clotarius II Chilperico patri ſucceſſit anno DLXXXIV jam provecto, adeoque ſynodus illa menſe Octobri ſuperioris vel currentis anni indicta. *Atque hæc de Sancti relegatione ipſiuſque exſilii tempore; locum aſſignabit Vita num.* 12. *Priuſquam ad alia progrediamur, refutanda eſt fa-*

B *bula, quâ Dictionarium Hiſtoricum Morerii auctum & noviſſimè recuſum anno* 1740, *articulum de* S. Lupo (*Gallicè* Saint LEU) *concludit in hunc modum:* Fertur hic Sanctus, cùm ex urbe Senonenſi egrederetur iturus in exſilium, projeciſſe ſuum annulum paſtoralem in foſſas aquâ plenas, atque edixiſſe non reverſurum ſe, quin iſte annulus repertus foret; & reverâ paulò ante ejus reditum captus fuiſſe prope Melodunum barbus, in cujus corpore repertus fuit ille annulus, qui deportatus eſt in eccleſiam cathedralem, ubi adhuc hodie cernitur. Verſus locum, ubi captus eſt ille piſcis, Ludovicus Craſſus Franciæ rex ædificavit celebrem ſuam abbatiam de Barbeau *, ubi tumulari voluit; & quò corpus ejus delatum fuit anno MCXXXVII. * Baronius. Surius. Petrus de Natalibus. Bailletus.

* de Barbello *aliàs* de Sacroportu

& prædictione reditûs confutatur.

12 *Sed primò, nec Vita, nec ullus ex auctoribus citatis aliiſque, quos vidimus, commenti iſtius meminerunt. Secundò, Melodunum eccleſiam cathedralem non habet, nec unquam habuit; audi Muſſonum in Deſcriptione fluminum Galliæ pag.* 193: Martianus decipitur, cùm ait epiſcopalem in ea ſedem olim fuiſſe. *Et quamvis Morinus lib.* 3 *Hiſtoriæ Vaſtinenſis pag.* 503 *eccleſiam Divæ Virginis à Carolo Magno ædificatam*

C *cathedralem vocet, forte quia primaria eſt, de annulo tamen S. Lupi altùm ſilet. Tertiò denique apertè falſum eſt, quòd celebris illa abbatia à Ludovico Craſſo condita ſit, item quòd ipſe ibidem ſepulturæ locum elegerit: conſtat enim ex eodem Dictionario & Sugerio abbate, quem citat, prædictum regem in S. Dionyſii prope Pariſios, ut in votis ei fuerat, ſepultum eſſe.* BARBELLUS *autem, teſte Claudio Roberto in Abbatiis Galliarum pag.* 529, Barbeau, ſacer vel ſanctus Portus, Ordinis Ciſtercienſis ad Sequanam, tribus paſſuum millibus ſupra Melodunum, diœceſis Senonenſis, fundatur à Ludovico VII, *Craſſi filio; cognomento Juniore & Pio,* fortè poſt impetratum à Deo filium Philippum Auguſtum (*aliàs Adcodatum*) precibus Cleri, ſed præcipuè Ciſtercienſium, natum undecimo Calend. Septembris MCLXV. *Quod confirmat Manrique tom.* 2 *Annalium Ciſterc. pag.* 416; *nec non Ms. Catalogus genealogicus abbatiarum Ordinis Ciſt. pag.* 2: BARBELLUM, Barbeaux, olim PORTUS SANCTUS, in D. Senonenſi, Sens, fundatur MCLXV à Ludovico VII Galliæ rege: *qui anno* 1180 *ibidem honorificè tumulatus eſt,* AUCTORE J. V.
ut habet Guillelmus Armoricus apud Cheſnium tom. 5 *pag.* 72, *& fatetur idem Dictionarium. Ceterùm procudendæ fabulæ occaſionem dediſſe arbitramur, quod ſcribit citatus Maſſonus pag.* 194: Id quoque monaſterium (Barbatulus, *ut ipſe appellat*) opus Ludovici VII fuiſſe narratur ab hiſtoricis propter captum in fluvio barbatulum piſcem, quo exenterato, ac repertâ intus preciosâ gemmâ, templum & monaſterii ſepta cellaſque monachorum conſtruxit: cujus mauſoleum ſive tumulus in eo magnificentiſſimè poſitus eſt. *Niſi quis malit dicere Dictionarii editores, mutatis quibuſdam, factum S. Arnulphi Metenſis epiſcopi, quod narratur tom.* IV *Julii pag.* 446, S. Lupo *perperam attribuiſſe.*

§ III. Annus mortis, Sancti ſucceſſor; aliqua notatu digna de concilio Remenſi.

E

Obiit Sanctus ante celebratum Remis concilium,

ANnum Sancti emortualem Vita nuſquam exprimit: *hinc ſcriptores in varias abierunt ſententias. Martyrologium quod ſub Caniſii nomine citari ſolet, ſignat annum* 610, *circa eumdem claruiſſe ſcribit Mombritius; Domeneccus:* Obiit 1 Septembris circa annum Domini DCX, Pelagio II * Pontifice, imp. Heraclio. *Juxta Florarium noſtrum Ms.* Claruit anno ſalutis DCXVI; *Caſtellanus cum aliis obitum conſignat anno* 623: *Martyrologium Pariſienſe anno* 1727 *editum, an.* 628. *Si Surio & Rayſſio credimus, Sanctus* vixit circa annum Chriſti DCXXX: *Democharès denique & Severtius mortem ejus aſſignant* 631. *Quam opinionem Mathoudus rejicit pag.* 25 *inquiens:* Nullo veterum teſtimonio ſtabilitam invenio cujuſdam recentioris ſententiam, qui Lupum obiiſſe ſcribit anno DCXXXI; quamvis de eo quædam referat Baronius ad illum annum, ſed nullâ temporis notâ certò conſignatâ. *Certum porro eſt ex num.* 9, *Sanctum in vivis fuiſſe anno* 614: *item Clotario regi ſuperſtitem non vixiſſe, probat Pagius ad an.* 631 E *num.* 4; cùm migrarit ad Deum priuſquam celebraretur concilium Rhemenſe, cui ſucceſſor ejus Richerius ſubſcripſit. *Concilium illud, teſte Pagio habitum fuit anno* 624; vel tardiùs ſequenti; *ut Labbeo placet tom.* 5 *Conciliorum col.* 1688, *Cointio ad an.* 625 *num.* 14; *Mabillonio num.* 52, *& Longuevallio in Hiſtoria eccleſiæ Gallicanæ tom.* 3 *pag.* 455. *Clotarius II regnare & vivere deſiit anno* 628 *ex Fredegario aliiſque. Pagio opponit ſe à pag.* 23 *Mathoudus negans ſucceſſorem* S. Lupi *fuiſſe Richerium, quem proinde è Catalogo archiepiſcoporum Senonenſium expungit. Juverit ipſa ejus verba, etſi prolixiora ſint, huc tranſcribere.*

* *imò* Bonifacio IV

cui Richerium interfuiſſe ſolummodo ait coëpiſcopum

14 Huic (*Richerio*) numerum in hac ſerie non affigo; quamvis tutus ſit authoritate Sammarthanorum; qui Tavelli ſilentium improbant, apud quem non invenitur, nec in Chronicis & membranis noſtris omnium vetuſtioribus; nec apud Odoranum, Clarium, Gaufridum Hyron, Robertum S. Mariani, Gaufridum à Collone, &c. Nec apud modernos Buretellum, Coquinum, Cotronium, &c. Certum eſt in Collectione Conciliorum legi ſynodum Remenſem

AUCTORE J. V.

sub Sonnatio ad annum DCXXX, seu potiùs fragmentum Historiæ Flodoardi lib. 2 cap. 5, continens plurium episcoporum nomina Remis congregatorum sub Sonnatio, quos inter scribitur Richerius Senonensis. Verùm respondeo 1°. si qua sit fides Flodoardo in illorum præsulum recensione, quam sanè lubricam mox videbimus; dici debet istum Richerium fuisse tantùm coëpiscopum, vices agentem S. Lupi, forte tum adhuc exulantis, qui post Senecium anno DCXXIII. pia morte defunctum substitutus fuerit Lupi vicarius, & eo modo Sonnatianæ synodo subscripserit, quo Orbatus pro Leone Senonensi in conc. 2 Aurelianensi, Germoaldus in Cabilonensi anni DCXX pro Audoberto Parisiensi, & plures alii passim occurrentes in conciliis. Tales ut plurimùm erant ecclesiarum archidiaconi ex constituto Damasi Papæ, ad quod alludit Robertus Antissiodorensis pag. 56 mei codicis: " Damasus Papa decrevit, ne quid contra episcopos „ præsumant archidiaconi, qui dicuntur etiam „ corepiscopi „. Ab aliis vocantur coëpiscopi.

aut Sancti vicarium. B

15 Respondeo 2°. congeriem illam episcoporum ad synodum Sonnatii convenientium, uti recensentur à Flodoardo, meram esse chronologiæ maculam. Ne lectori tædium pariat censura prolixior, unus inter alios testis sit Auspicius Æduensis episcopus, qui subscripsit cum Richerio. Qualis sit de tempore hujus concilii controversia, quod quidam anno Christi DCXXV, alii DCXXX consignant, certum habet Sirmondus, scriptor eximius, celebratum fuisse tempore Dagoberti, qui patri Chlotario II succesit anno DCXXVIII & jam ab anno DCXXII Austrasiam regebat. Jejuna tamen videtur Sirmondi ratio, quam ex sola Rustici Cadurcensis subscriptione desumit; siquidem plures aliæ vacillant in illa serie, & præsertim Auspicii nostri, quem Æduenses tabulæ & alia antiquitatis monimenta longè superiorem faciunt hujus synodi Remensis chronico charactere. Et ne quis fingat alium Auspicium, sed à matricula præsulum Augustodunensium temere distractum; non est diffitendum eumdem esse, quem Gallia Christiana indigitat ex Flodoardo hujus concilii patres recensente. Sed quî fieri potuit, ut Auspicius iste episcopus Æduensis, inter quem primariò sedentem & Syagrium, Gregorii Magni Papæ literis notissimum (ut ipse notat C. Robert.) sederunt Augustoduni Lesastus, S. Flavianus, & Odalricus; subscripserit concilio anni DCXXV aut DCXXX, cùm Syagrius jam sederet & usum pallii ambiret, vivente Gregorio Magno, cujus obitus viginti ut minimùm annis Sonnatii synodum antecessit?

C

non verò tamquam archiepiscopum & successorem,

16 Certè mirandum quòd tanti viri luce sua meridiana clarissimi Flodoardus, Sirmondus, Binius, C. Robert, doctissimi Sammarthani, Labbeus, Gabr. Cossartius, & qui præcessere aut subsecuti sunt, hos chronologiæ nævos aut non viderint aut non abstersérint. Quid igitur certi de Richerio præsule Senonensi (quod vellent Sammarthani) statui posset, si ipsa nutent historiæ fundamenta, quibus deberet inniti? Opponet contra meam de illius vicariatu qualemcumque conjecturam, nullam hujus vicariæ potestatis aut delegationis notam exhiberi, qualem cernimus in plurium delegatorum subscriptionibus & ipsius Orbati, vice Leonis Senonici, &c. Dico synodi hujus Sonnatianæ nullas legi syngraphas in collectionibus conciliorum, quarum intuitu discerni possint qui præsules, qui legati; sed solam Flodoardi pericopen singulos temere laudantem, qui interfuêre aut quos interfuisse bona fide putavit. Nam ut alios nullibi apud veteres inscriptos taceam; laudat Childoaldum Abrincatensem, Bertegesilum Carnotensem, Galonem Virdun., quos in Elenchis illarum ecclesiarum non agnoscit C. Robert, quin de Godone nobis assentit pag. 509 mei codicis: " Hoc „ tempore florebat S. Godo, qui à Flodoardo l. „ 2 c. 5 recensetur tamquam Virdunensis epi„ scopus in synodo Remensi, habita circa annum „ Christi DCXXXIV, fortasse quia vices episcopi „ sui obiret „. Par de Richerio mihi judicium, quod tamen eruditorum censuræ secus sentientium submitto. *Ita Mathoudus.* D

perperam contendit Mathoudus; vindicantur.

17 *Sed prima hujus auctoris responsio, quæ tota nititur falsâ conjecturâ de protracto exsilio* S. Lupi *usque ad Remense concilium, non subsistit; nam ut vidimus paragrapho præcedente, Sanctus ad cathedram revocatus est opera S. Winebaudi anno 614; nec uspiam legitur secundò expulsus in exsilium. Quomodo igitur* dici debet, *imo quomodo dici potest*, istum Richerium fuisse tantum coëpiscopum, vices agentem S. Lupi, fortè tum (*quando Remensis synodus habebatur*) adhuc exulantis, qui post Senecium anno DCXXIII pia morte defunctum substitutus fuerit Lupi vicarius, *atque ut talis concilio isti subscripserit? Id certè non evincunt aliorum, quos Mathoudus citat, in aliis synodis subscriptiones. Quod ait responsione secunda, congeriem illam episcoporum prout à Flodoardo recensentur, meram esse chronologiæ maculam, vacillare in illa serie plures subscriptiones præsertim Auspicii Augustodunensis, & Galonis seu Godonis Virdunensis; totum nititur auctoritate Claudii Roberti, quæ profectò tanta non est, ut præponderare debeat Flodoardo totque aliis viris eruditissimis. Et Auspicium quidem inter episcopos Augustodunenses tertio loco post Syagrium collocant novissimi editores Galliæ Christianæ tom. 4 col. 347; Godonis Virdunensis episcopatui favet Mabillonius tom. 1 Annalium pag. 349. Videri etiam potest tom. 11 Februarii pag. 171.* E

subscriptiones concilii.

18 *Mathoudum in ea opinione præcessit Jacobus Severtius in Archiepiscopis Lugdunensibus pag. 128 & 129 secundæ editionis; ubi plures enumerat præsules, quos contendit Remensi synodo coævos non fuisse, motus nimirum auctoritate Democharis & Joannis Chenutii, hos enim identidem citat. Sed norunt eruditi parùm esse fidendum mendosis istorum catalogis, quos potiùs corrigere debuerat Severtius ex Flodoardo, quàm hunc ex illis impetere: præsertim cùm nullâ solidâ ratione probet, vitiatas esse apud Flodoardum aut Sirmondum subscriptiones. Quod spectat ad argumentum Severtii petitum ex silentio Baronii & Genebrardi, quo synodum Remensem in dubium vocare, vel à seculo VII videtur velle removere, nullius istud est ponderis: nemo enim hodie dubitat, quin illo seculo verè habita fuerit. Ceterùm Sirmondus apud Labbeum tom. 5 Conciliorum col. 1693 eam collocat* circa annum DCXXX, *Dagoberti 2. Verùm dubius hac addit:* Quòd si de annis Dagoberti sermo sit, quibus ante patris obitum in Austrasia regnabat, citerior aliquantò Christi annus huic synodo conveniet. *Et sanè convenire debet, nempe 624 circiter, ut num. 13 docuimus, & solidè probat Henschenius in Diatriba de 3 Dagobertis lib. 4 cap. 1. Imò canon 3 & 24, in quibus mentio fit Parisiensis synodi, satis videntur innuere concilium celebratum esse, vivente Clotario; si enim* F


ille

A quemdam prioratum ſuum, videlicet ſanctum Lupum de Nando *, per epiſcopatus longè latéque diffuſos faciunt publicè nuntiari: quod ſiquidem eſt à veritate penitus alienum. Quia igitur falſitas tolerari non debet ſub velamine pietatis, diſcretioni veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus memoratos abbatem & monachos, ut ab hujuſmodi præſumptione deſiſtant, auctoritate noſtra moneatis attentiùs & efficaciter inducatis; ipſos ad hoc, ſi neceſſe fuerit, per cenſuram eccleſiaſticam appellatione remotâ, cognita veritate cogentes; cùm nec fa-

* *al.* de Naudo

Duacum ad natale ſolum attulit, atque prædicto xenodochio .. donavit .. Obiit (*Sanctus*) ipſis Kalendis Septembris: ejus tamen natalis dies octavo Kalendas Octobris à populo Duaceno maximo confluxu celebratur: quòd, ut quidem ego exiſtimo, hac die ſacrum illud depoſitum hoc in ſacellum illatum è Gallia fuerit. *Hæc Rayſſius: Buzelinus verò Gallo-Flandriæ libro* 2 *cap.* 8 *pag.* 287 *ait eſſe* ejus divi Lupi caput, qui Trecenſem eccleſiam epiſcopus rexit, *ſeque de eo in veteri monumento Ms. hæc legiſſe:* S. Lupi epiſcopi & confeſſoris, qui caducum morbum habentibus & ipſum requirentibus integrum ſa-

AUCTORE J. V.



A. ANONYMO.

CAPUT I.

Illustres S. Lupi parentes, quibus divinitus promittitur; clericatus, educatio & indoles: virtutes, episcopatus.

Locus Sancti natalis

LECTIO 1. Sanctus igitur Lupus parentibus inclytis [a], ex parte regali sanguini conti-

[redacted]

c Liger, & Ligeris *Baudrando* fluvius percelebris Galliæ Celticæ, *Aurelias alluens. De eo Hadrianus Valesius in Notitia Galliarum*: Liger ... verè nostrorum fluviorum rex, vulgò LA LOIRE, oritur in pago Velauno vel Vellavo ... Latinè in Nominativo LIGER est, nec aliter potest enuntiari. *Quod fusè probat pag.* 277, *contendens* errare recentiores cunctos, qui Adalberonem episcopum Laudunensem, DEL annorum auctorem, aut alios ejus similes & æquales secuti, LIGERIS in recto casu dicere maluerunt. D

d *San-Maxim.*, *codex Valcellensis & Bouquetus habent* Betto, *ut communiter appellatur*; *Surius* Betro, *Breviarium Senonense* Bello. *Le Maire in Historia ecclesiæ Aurelianensis tom.* 2

A quemdam prioratum ſuum, videlicet ſanctum Lupum de Nando *, per epiſcopatus longè latéque diffuſos faciunt publicè nuntiari: quod ſiquidem eſt à veritate penitus alienum. Quia igitur falſitas tolerari non debet ſub velamine pietatis, diſcretioni veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus memoratos abbatem & monachos, ut ab hujuſmodi præſumptione deſiſtant, auctoritate noſtra moneatis attentiùs & efficaciter inducatis; ipſos ad hoc, ſi neceſſe fuerit, per cenſuram eccleſiaſticam appellatione remotâ, cognita veritate cogentes; cùm nec ſaluti nec famæ congruat eorumdem, quæſtum acquirere de prædicatione mendacii. Nullis litteris veritati &c. à Sede Apoſtolica impetratis. Quòd ſi non omnes &c. duo veſtrûm ea &c. Datum Laterani II Idus Martii, Pontificatus noſtri anno decimo quinto. *Id eſt*, XIV *Martii anno Chriſti* 1212.

* *al.* de Naudo

non tamen omnia monachis S. Petri-Vivi abjudicat.

27 *Ex hac epiſtola diſcimus quidem, Hugonem archiepiſcopum Senonenſem viſitaſſe ac integrum reperiſſe Sancti corpus* unà cum capite *in eccleſia monaſterii S. Columbæ*, ipſum corpus ac caput omnibus aſtantibus *ſpectandum exhibuiſſe, & confeciſſe ea de re inſtrumentum* authenticum; *ex quo Pontifex ait conſtare ſacrum illum theſaurum à monachis S. Columbæ poſſideri: item falsò dici à prædicatoribus ſancti Petri-Vivi Senonenſis*, CAPUT ET QUÆDAM MEMBRA Confeſſoris ipſius (S. Lupi) eſſe apud quemdam prioratum ſuum, videlicet ſanctum Lupum de Nando, *quos proinde jubet deſiſtere* ab hujuſmodi præſumptione. *Verùm hinc non ſequitur, falſum eſſe quod ſuprà num.* 23 *& ſeqq. de quibuſdam Sancti reliquiis prioratui de Naudo donatis retulimus: potuerunt enim ibi verè aſſervari exiguæ Sancti capitis & oſſium particulæ, quod Innocentius non negat, & interim falsò à quibuſdam aſſeri, habere ſe illo loco* caput & quædam membra. *Atque hoc ſolùm prædicari vetuit Pontifex; neutiquam autem declaravit, nullas prorſus* S. Lupi *reliquias ad iſtum prioratum tranſlatas fuiſſe. Neque talis declaratio erui poteſt ex his verbis:* Quod ſiquidem eſt à veritate penitus alienum; *nam certè penitus à veritate alienum erat, fruſtulum cranii & aliorum oſſium particulas pro capite & membris venditare, &, quia illa haberent, negare* totum corpus unà cum capite *alibi requieſcere.*

Sancti lipſana in variis eccleſiis honorantur.

C 28 *Reliquiæ Sancti poſt annum* 1212, *vel etiam antè quædam particulæ minores ex iis aut res aliæ, communicatæ fuerunt variis eccleſiis:* Ab illo tempore, *ait Bailletus, nimirum poſt tranſlationem, quæ colitur* XXIII *Aprilis*, factæ ſunt aliquæ diſtributiones reliquiarum ejus, quæ oſtenduntur in diverſis regni eccleſiis ad ipſius (S. Lupi) honorem exſtructis. Quaſdam haberi volunt in eccleſia parochiali, illius & S. Ægidii nomine inſignita Pariſiis. *Certè Rayſſius Hierogazophylacii Belgici pag.* 33, *in cœnobio Elnonenſi honorificentiſſimè recludi aſſerit* os femoris ſancti Lupi Senonenſis . . . archiepiſcopi: *pag.* 195 magnam oſſis partem *eſſe in abbatia Domp-Martini: demum pag.* 553 *ipſum caput ſervari in xenodochio S. Jacobi Majoris Duaci:* Caput, *inquit*, & medietas brachii S. Lupi Senonenſis archiepiſcopi . . . Ultimâ Gallorum cum Hiſpaniarum rege diſſentione obtinuit hoc ſacrum pignus per quemdam Duacenſem, qui prædictum caput à milite inſolenti, ſuo argento & auro denudatum humique projectum, propter S. Quintini fanum ſuis ipſe manibus è terra ſuſtulit, & Duacum ad natale ſolum attulit, atque prædicto xenodochio . . donavit . . Obiit (*Sanctus*) ipſis Kalendis Septembris: ejus tamen natalis dies octavo Kalendas Octobris à populo Duaceno maximo confluxu celebratur: quòd, ut quidem ego exiſtimo, hac die ſacrum illud depoſitum hoc in ſacellum illatum è Gallia fuerit. *Hæc Rayſſius: Buzelinus verò Gallo-Flandriæ libro* 2 *cap.* 8 *pag.* 287 *ait eſſe* ejus divi Lupi caput, qui Trecenſem eccleſiam epiſcopus rexit, *ſeque de eo in veteri monumento Ms. hæc legiſſe:* S. Lupi epiſcopi & confeſſoris, qui caducum morbum habentibus & ipſum requirentibus integram ſanitatem præſtare ſolet. *Vide tom.* VII *Julii pag.* 68. *Sed cùm relata inſcriptio non habeat* Trecenſis, *& Sanctus noſter eodem morbo laborantibus perpetim opituletur ac ſingularis patronus ea in re imploretur, teſte Sauſſayo; determinare non poſſumus, cujus S. Lupi ea reliquiæ ſint. Rayſſius loco proximè citato annotat in margine ſequentia:* Joannes Buzelinus . . . dicit eſſe reliquias S. Lupi Trecenſis epiſcopi, ſed perperàm, ut mihi ex variis archivis Ms. adprimè conſtat. *Fides ſit penes auctorem.*

AUCTORE J. V.

B

VITA

auctore anonymo

Ex Ms. Rubeæ-Vallis, collato cum Ms. S. Maximini Treviris, codice Ms. Valcellenſi à pag. 6, *aliiſque editis.*

PROLOGUS.

Vitæ Sanctorum cur ſcribantur.

SAnctorum geſta calamo pandere per Raphaël docemur archangelum ad Tobiam loquentem: Conſilium, inquit, regis bonum eſt abſcondere: opera [autem] Dei præclarum eſt enarrare. Sed & lucerna mundi Hieronymus ad iſtud nos provocavit exemplum: qui poſtquam vetus Teſtamentum & novum præclaro tranſtulit eloquio, etiam vitas anachoritarum Hilarionis, Pauli, Malchi *a* & aliorum florentiſſimo depinxit ſtilo in memoriam poſteris * profuturum *: & licèt humanis laudibus juſtus non egeat, quem præſentia Chriſti clarificat, & aula paradyſi & * ſocietas angelica jam retentat; tamen fidei propagantur augmenta, cùm Chriſtus per ſuos famulos *b* monſtratur magna populis oſtendiſſe miracula *c*.

F

a

* poſteris *non habet San-Maxim.*

* *fortè* profuturas

* *in aliis Mss.* vel *b c*

ANNOTATA.

a *Vitæ harum trium habentur in nova editione Operum ſancti Doctoris per Martianay tom.* 4 *part.* 2 *col.* 68 *& ſeqq. De S. Paulo primo eremita actum eſt tom.* 1 *Januarii ad diem* 10 *pag.* 602; *de Hilarione & Malcho monacho captivo ad* 21 *Octobris agetur.*

b *Ms. San-Maximinenſe* pro ſuis famulis, *ſed apographi noſtri lectio videtur præferenda.*

c *Prologum & multa alia ſparſim in Vita omittunt Cheſnius & Bouquetus: quæ autem habent ab apographo diverſa, Bouqueti nomine ſuis locis annotabimus.*

CA-

A. ANONYMO.

CAPUT I.

Illustres S. Lupi parentes, quibus divinitus promittitur; clericatus, educatio & indoles: virtutes, episcopatus.

Locus Sancti natalis, educatio &

LECTIO I. Sanctus igitur Lupus parentibus inclytis *a*; ex parte regali sanguini contiguus, oriundus extitit in *b* vicina amnis Ligeris *c* provincia Aurelianensium civitatis: cujus genitor Beto *d*, genitrix Austregildis vocabulo, Aiga *e* avunculi *f* cognomento: qui divina revelatione commoniti, quòd dignum Deo Antistitem funderent mundam *g* prolem, mox editum parvulum lactis pabulo enutritum *h* expleto tempore curarum *i* erudiendum tradiderunt studiis litterarum.

egregiam indolem, quâ perspectâ, ordinatur clericus:

B 2 LECT. II. Mox in eo lampada *k* cælestis gratiæ ita *l* resplenduit, ut cunctos sodales suos in schola præcederet, & flore sapientiæ ac rivo torrentis facundiæ superaret *m*. Erant fratres illius genitricis *n* [venerandi] antistites, Austrenus *o* Aurelianorum *p* pontifex, & *q* Aunarius *r* Autisiodorensium *s* præsul virtutum signis effulgens: qui cùm cernerent prædictum *t* pueruin normam religionis amare, & Christi præcepta diligere, eum clericatûs officio studuerunt mancipare.

dein à Senonensibus ob raras virtutes expetitur episcopus,

3 LECT. III. Qui cùm jam ætate crescente officia divina cœpisset dignè persolvere, & oris melliflui cantu *u* Christi harmoniam insonare, atque abstinentiæ rigore carnis rebellionem domare, non cessabat oratu assiduo Sanctorum sepulchra martyrum frequentare, inopiæ afflictorum *x* compati, sospitalitatem sectari *y*, charitate resplendere, eleemosynis insudare, mundum contemnere & toto desiderio ad aulam paradysi anhelare *z*. Sed [&] cùm fama illius longè latéque percurreret, & amor in bonorum præcordiis glomeratus *aa* succresceret *bb*, mox ut Papa *cc* Arthemius Senonum defunctus est, ut jam dictæ civitatis cathedram S. Lupus percipere *dd*, clerus vel *ee* populus urbis, Senonicæ auribus regis unanimiter suggessit *ff*.

consecratusque miraculis & angelicâ vitâ coruscat.

4 LECT. IV. Divino igitur decreto pontificali locatus in solio *gg* cœpit virtutibus pollere, miraculis coruscare *hh*. Agebant gratias cuncti divinæ clementiæ, qui * talem Senonicis dedisset pontificem, virtutibus egregium, amatum clero vel *ii* populo, justitiâ indutum, virginitate præclarum, jejuniis deditum, eleemosynis largum, vigiliis indefessum, doctrinæ sanctæ tubicinem *kk*: qui corpore tentus in seculo, crederetur meritò jam angelis sociatus in cælo *ll*.

ANNOTATA.

a Proceres Palatinos *seu palatii fuisse, scribit Andreas Saussayus hac die. De Sancti stemmate, anno & loco natali vide Commentarium num.* 7.

b *Alia Mss. & Bouquetus omittunt* in. *San-Maximinense præterea legit* amni *hoc modo:* oriundus extitit vicina amni Ligeris provincia.

c Liger, & Ligeris *Baudrando* fluvius percelebris Galliæ Celticæ, *Aurelias alluens. De eo Hadrianus Valesius in Notitia Galliarum:* Liger ... verè nostrorum fluviorum rex, vulgò LA LOIRE, oritur in pago Velauno vel Vellavo ... Latinè in Nominativo LIGER est, nec aliter potest enuntiari. *Quod fusè probat pag.* 277, *contendens* errare recentiores cunctos, qui Adalberonem episcopum Laudunensem, DEI annorum auctorem, aut alios ejus similes & æquales secuti, LIGERIS in recto casu dicere maluerunt.

d *San-Maxim., codex Valcellensis & Bouquetus habent* Betto, *ut communiter appellatur; Surius* Betro, *Breviarium Senonense* Bello. *Le Maire in Historia ecclesiæ Aurelianensis tom.* 2 *pag.* 119 *Bettonem Beatum appellat:* Nam non solùm, *inquit*, festum S. Lupi solemniter celebrabatur, sed ejus beati patris Bettonis in abbatia S. Lupi Aurelianensi, quod ob tumultus Religionis causâ exortos intermissum fuit. *De hujus cultu nihil alibi invenio.*

e *Sic etiam habet Surius; Valcell., Bouquetus & Breviarium citatum* Aga: *nos cum aliis* Agiam *vocabimus in Appendice de hac sancta vidua post Vitam* S. Lupi.

f *Mendosè San-Maxim.* ab incolis; *nam* avunculi *constanter legunt tum editi tum Mss. Sensus apud Surium clarior est:* Pater ejus Betro, mater Austregildis dicta est, cui ab avunculo Aigæ cognomentum accessit. *Cointius ad an.* 609 *num.* XI Austregildi cognomentum Aigæ vel Agiæ ab avunculo accessit. *Quis iste avunculus fuerit, nos latet.*

g *Valcellensis rectiùs* mundo, *San-Maxim.* gignerent mundo.

h *San-Maxim. genere mutato, sic legit*, editam parvulo lactis pabulo enutritam.

i *Idem omittit* curarum. *Valcellensis meliùs* cunarum, *uti & Surius. Officium Senonense* cunabulorum.

k *In San-Maxim.* lampas: *sed &* lampada *primæ declinationis apud Plautum est. Vide Glossarium Cangii ad vocem* LAMPADÆ.

l *Absunt à San-Maxim. hæ duæ voces*, gratiæ ita, *unde sensus hiulcus est.*

m *Præcedentia sic legit San-Maxim.* florem sapientiæ à rivo torrentis fecundè sumeret. *Minùs clarè.*

n *Adeoque avunculi, non fratres ipsius Sancti ut perperam scribit Democharcs tom.* 2 *fol.* 29 & 32 *versis. Vox sequens hamulis inclusa, non est in San-Maxim.*; *sed illam interserunt Valcellens. & Bouquetus.*

o *Vocatur etiam* Austrinus & Austerius; *à quibusdam* Sancti *titulo exornatus.* Beatissimum *appellat Fredegarius in Chronico apud Ruinartium col.* 605: Bertoaldus .. Aurelianis ingreditur, ibique à viro beatissimo Austrino episcopo suscipitur. *Vide quæ tom.* VI *Augusti pag.* 90 *de eo annotata sunt lit.* g. *Adi & Commentarium prævium hîc num.* 7.

p Aureliæ, & Aureliani, *item* Aurelia, Aurelianum & Genabum (*Orleans*) *urbs ampla Galliæ ad Ligerim fluvium, provinciæ cognominis caput. Episcopalis est sub archiepiscopo olim Senonensi, nunc sub Parisiensi à* 20 *Octobris* 1622, *quando Lutetia archiepiscopali dignitate insignita fuit à Gregorio XV. Vide Baudrandum & le Maire in Historia ecclesiæ Aurelianensis tom.* 2 *pag.* 6.

q *Conjunctio & deest in San-Maxim., Valcellensi, & Bouqueto.*

r *Variè*

A. ANONYMO.

CAPUT II.

Obseratam S. Aniani ecclesiam precibus suis aperit ; inimicis & detractoribus benefacit : fidens Deo magnam vini copiam accipit.

Sancto in oratione vigilanti aperitur divinitus basilica S. Aniani, quam fulgens ingreditur : a b c d e

NOctem quamdam ducens Christo pervigilem, liminibus *a* astitit basilicæ sancti Antistitis Aniani *b* : cumque diligentiâ custodum firmiter ostium obseratum eidem prohiberet ingressum, ipse prostratus limini *c* pias aures Domini dum pulsat intima voce *d*, repentè cælitus avulso repagulo *e*, Sancto patuerunt ostia. Custodum excitata caterva ingredi vident Sanctum facie rosea, fulgentibus oculis claritate superna. Cumque prædia propria in Aurelianorum tellure ordinatus pontifex circuiret *f*, erat [enim] ei erga Sanctorum titulos *g* magna dilectio [& in reliquiis exornandis præclara intentio] præcipuè S. Columbæ *h*, quæ duplicem à Christo meruit coronam accipere ; unam, virginitatem servando, alteram, pro amore fidei palmam martyrii obtinendo *i*.

f
g
E
h
i

mira ejus in obtrectatores & inimicos benignitas : k

6 Fulgebat in eo sancta benignitas, non solùm in benevolos, sed in impios & *k* inimicos. Et quia, dicente Paulo Apostolo : Omnes, qui volunt in Christo piè vivere, persecutionem patiuntur ; quoscumque sibi senserat invidere * peste contrarios, & detractionis aculeo *l* dentes inferre vipereos, in tantum ipsis erat pacificus, ut viliora suis usibus in cibis vel poculis, meliora eorum inferret obtutibus *m*, exemplum Veritatis subsequens, quæ * diligere inimicos suos mandavit discipulis.

* *l.* invidiæ *ut est in aliis*
l
m

firmâ in Deum fiduciâ freto vinum copiosè submittitur.

7 Quadam namque *n* die dum plurimos *o* ad suum convivium convocasset *p*, &, cætero expenso pauperibus, amplius vini in modio *q* non haberet ; cùm crebris succedentibus populis * falernum *r* deficere per pincernam proprium * agnovisset, fidens in Domino coram omnibus dixit : " Credo quia Dominus meus Jesus Chri„ stus, qui nos sancto Euangelio præmonuit con„ siderare volatilia cæli, quia non serunt *s*, „ neque congregant in horrea, & Deus pascit „ illa *t*, ad nostram implendam charitatem citiùs „ tribuet consolationem. „ Mirum in modum mox ut verba complevit, missus * genitricis suæ *u* astitit, qui quingentos *x* vini modios viginti plaustris impositos proximos jam dictæ urbis foribus hunciavit. Tunc ille prophetiæ munere approbatus, robore fidei confortatus, lacrymis compunctus prædicationis verba deprompsit ad socios, & sperare eos in Domino exhortatus est attentiùs, atque circumstantibus offerri pocula mandavit frequentiùs.

n o p q
* *Valcell.* poculis
r
* *Idem* prorsus
s t
* *id est*, legatus, nuntius
u x

F

ANNOTATA.

a Liminibus *non est in San-Maximinensi.*

b S. Anianus *Aurelianensis episcopus Martyrologio Romano inscribitur ad 17 Novembris. Plures in diœcesi Aurelianensi S. Aniano dicatas ecclesias recenset citatus le Maire pag. 74 & 144 : nos à biographo hîc non aliam designari puta-*

A r *Variè nominatur hic sanctus, ut videre licet in Annotatis lit.* f *tom.* VI *Augusti citato. Habetur in Martyrologio Romano 25 Septembris. In ejus Vita, quam Labbeus edidit tom.* I *Bibliothecæ pag.* 529, *abbati cuidam pedum contractione laboranti apparuisse narratur* S. Lupus in extasi dicens, perniciter mittens dirige unum ex fratribus, qui sacri antistitis tibi Aunarii calciamenta deportet *&c. In Mss. autem, quæ ad illum diem edenda servamus, vocatur* S. Lupus episcopus *per prolepsin haud dubiè, quia postea nempe anno 609 episcopus factus est : cum S. Aunarius, quo vivente superiora contigerunt, jam obiisset ab anno 605 secundum Cointii calculum.*

f *Alii editi & Mss.* Autissiodorensis. *Est autem* Altissiodorum, Antissiodorum, Autessiodurum, Autissiodorum (*Auxerre*) *urbs Galliæ ad Icaunam fluvium in Burgundiæ ducatu, episcopalis sub archiepiscopo Senonensi. Addit Baudrandus*, Antricum *dici à quibusdam.* Nullum nomen urbis pejus acceptum aut sæpius mutatum ab auctoribus nostris reperias, *inquit Valesius pag.* 69.

B t Prædictum *omittit San-Maxim.*

u *San-Maxim. & Valcell.* ore mellifluo cantus. *Deinde omittunt* non cessabat : *Valcell.* oratu assiduo cœpit.

x *San-Maxim.* fractorum.

y *Idem* sectare, *sed barbare.*

z *Hîc San-Maximinense interserit prodigiosam patefactionem basilicæ S. Aniani, orante nocte pro foribus Sancto nostro. Apographum & Valcell. illam referunt inferiùs, ubi narrationem utramque conferemus. Consule interim Commentarium num.* 5.

aa *Vitiosè in San-Maxim.* glomerata ; *Bouquetus solus* glomeratè.

bb *Solus Chesnius* accrescerent.

cc *San-Maxim.* episcopus, *dein pro* defunctus est *substituit* diem clausit ultimum, *omisso* Senonum. *Valcell. verò & Bouquetus* : Papa Artemius Senonis defunctus est. *De nomine* PAPA *omnibus olim episcopis, saltem Latinis, communi*, donec Gregorii VII decreto, anno MLXXIII, ad solum Episcopum Romanum . . . restringeretur ; *videri potest tom.* V *Junii pag.* 28*. *Porrò S. Arthemius colitur* 28 *Aprilis.*

C dd *In aliis Mss. & editis* susciperet.

ee *Conjunctio disjunctiva* vel *hîc copulativa est, ut alibi sæpius. Adi Calepinum & Cangium.*

ff *Eodem modo hæc legit Bouquetus, notatque in margine annum* 609 ; *quo probabiliter Sanctus consecratus est episcopus, ut docet Commentarius num.* 8. *Valcell. & Chesnius* aures regis unanimiter postulavit. *San-Maxim.* unanimiter postulavit, *omisso* auribus regis.

gg *Valcell. & Bouquetus* cathedra. *Sanctum ordine vicesimum primum sedisse ; diximus in Comm. num.* 8.

hh *Verbum* pollere *solus omittit Chesnius. Quæ autem sequuntur usque ad cap.* 3 *nec ipse nec Bouquetus habet.*

ii *Valcell.* &. *Vide dicta lit.* ee.

kk *San-Maxim.* doctrinâ sanctâ tubicinum *pro* tubicinem.

ll *Idem* sociatus esset, *omisso* crederetur meritò. *Hîc finiuntur quatuor primæ Lectiones Officii Senonensis. Quinque reliquæ indicabuntur inferiùs.*

A. ANONYMO.

putamus, quàm collegiatam extra muros.

c *San-Maxim.* limine.

d *Idem & Valcell.* prece.

e *Utrumque legit vitiosè*, avulsa repagula: *primum omittit etiam* Sancto. *Miraculum hoc ostendit vim orationis, quæ meritò Clavis cæli appellatur à S. Augustino.*

f *Valcell. transponit* propria *hoc modo:* Cùmque prædia in Aurelianorum propria tellure, ordinatus pontifex circuiret, *quæ San-Maxim. non habet. De præcedentibus vide Annotata ad cap. 1 lit. z.*

g *Id est, ecclesias, monumenta, sacella vel altaria. Vide Cangium.*

h *De eâ Martyrologium Romanum ad 31 Decembris.*

i *Surius hanc periodum cum sequentibus connectit, parenthesi interpositâ:* Cùm ecclesiæ prædia in Aurelianorum territorio perlustraret, (erat enim magna illi erga Sanctorum titulos dilectio, præcipuè verò S Columbæ, quæ duplicem à Christo obtinuit coronam, virginitatis & martyrii) animi sui benevolentiam non solùm in
B amicos, sed in ipsos etiam hostes egregiè declarabat. *Nos apographum secuti, à quo abest* enim, *divisimus. Perperam autem Surius vocat* ecclesiæ prædia, *quæ erant Sancti* propria: *nisi prolepsi usus sit, quia nempe Sanctus bona sua testamento reliquit ecclesiæ. Vide Comment. num. 19.*

k *San-Maxim. & Valcell.* in ipsos etiam.

l *Ambo legunt* aculeis; *sed Valcell. mendosè* detractionibus.

m *Id est, meliora quæque fercula & pocula illis apponeret, retentis sibi vilioribus. Ita ex animo inimicis benefacere heroïcæ virtutis est.*

n Namque *non est in San-Maxim.*

o *Idem legit* plures.

p *Hîc permagnus est hiatus in San-Maximinensi usque ad vocem* [abbas] *num. 14. Putem folium excidisse, ut monui in Comm. num. 5.*

q *Valcell.* amplius quàm vini modium. *Dicitur* modius & modium; *estque* mensura liquidorum, constans XVI sextariis *secundum Cangium, qui ad illam vocem multa habet de mensurarum æstimatione, reductione & diversa* modii *capacitate. Petrus de Natalibus & Mombritius sic*
C *legunt*, cùm vinum ad medium non haberet: *id est, pro media parte convivarum, ut conjicio, addit enim Petrus de Natalibus* pro recumbentibus.

r *Vinum, quod gignitur in Campania Felice, sic dictum à monte vel agro Falerno, qui tractus Italiæ vitiferos habet colles generosissimo vino nobiles. Biographum tamen huc respexisse non puto, sed* falernum *scripsisse simpliciter pro vino.*

s *Valcell. addit* neque metunt, *uti habetur Matth. 6 ℣. 26.*

t *Idem hîc interponit* ut, *& dein legit* tribuat.

u *In Valcell.* illius. *Ex his porrò liquet, fabulosum esse, quod scribit Petrus de Natalibus: vinum* unde aut à quo delatum esset, minimè sciri potuit. *Non dubitamus tamen quin speciali providentia Dei factum sit, ut eo temporis puncto submissum à matre vinum nuntiaretur.*

x Quingentos *habet etiam Valcell. & Surius:* centum *dumtaxat legunt alii citati litterâ* q *& Breviarium Altissiodorense; sed biographo credere malumus, utpote antiquiori. Neque illa quantitas vini tanta est, ut fidem excedat: si enim 16 sextarios in modium computes, 500 modii conficient sextarios* 8000 *id est, cados* 40, *quorum singuli contineant sextarios bis centum; bini autem cadi seu modii 25 singulis plaustris advehi potuere.* D

CAPUT III.

Sinistra de se judicia & obtrectationes contemnit, hostes ab urbe fugat: novis traductus calumniis in exsilium relegatur.

Pravis hominum de se judiciis dictisque non turbatur Sanctus

ILlo itaque tempore rex Theodericus *a* cum Brunechilde avia regnum gubernabat Burgundiæ. Cùm igitur quidam regius aulicus Fulcarius dictus, illustribus *b* natalibus ortus, comes Aurelianensibus datus, qui maximè ob hoc *c* sancto Viro erat amicus, quia Beto * pater ejus de sacris eum susceperat fontibus, ad Virum Dei veniens indicasset, quòd ei *d* in palatio detrahi à quibusdam audisset, quòd ancillam Dei quamdam Verosiam *e* nomine, filiam antecessoris sui Arthemii immoderatè diligeret, Sanctus ad evangelica arma recurrens, contra detrahentium impetum Christi tubâ insonuit: Sancti *f*, inquit, estis cùm maledixerint vobis homines, & dixerint omne malum adversùm vos, mentientes: gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis.

a b c

* *al.* Betto

d

E

e

f

præclaram iis opponens sententiam:

9 Tunc coram prædicto viro ipsam Dei famulam *g* caritatis amore osculans, ait: " Nil no-
„ cent homini aliena verba, quem propria non
„ maculat conscientia: Nam si ego pro amore
„ Regis æterni istam in Christo veraciter diligo,
„ terrenum ex hoc principem non pavesco. „
Sanctus etiam *h* quia ipsam [Dei] virginem
Christum amare ardenter agnovit *, ideo *i* ipsam
mente purissima ante oculos Dei diligebat nec
placere exinde hominibus studebat, quòd * placere Domino intrinsecus satagebat; exemplo usus [Pauli] apostoli, qui ait: Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem. Idem *k*
enim erubescere non poterat, quem testis inviolatæ conscientiæ defendebat.

g

h

* *Valcell.* noverat

i

* *Idem* quia

k

F

hostes urbem invadentes pulsu campanæ in fugam conjicit.

10 Defuncto igitur Theoderico *l* principe, dum rex Francorum Clotarius *m* Burgundiam cœpisset intrare, armatum manu hostili Blidebodem direxit ducem ad Senonicam urbem. Cumque eam cœpissent *n* sui crudeliter jaculis infestare, Sanctus [Lupus] fidens in Domino aulam petiit matris ecclesiæ *o* in honore protho-martyris Stephani constituræ: & dum ad evocandum populum signum *p* prædictæ ecclesiæ tangeret, omnis fortitudo sensûs ab hostium caterva recessit, tantusque terror super eos irruit, ut nullatenus evadere se crederent, [nisi fugæ præsidium expetîssent.] O virum clarissimum, qui exemplo Mosaïco dum ad cœlum porrexit brachium, hostem fugavit protervum. Tua sunt hæc, Christe, opera, cujus in Sanctis [omnibus] est laudanda potentia, qui in te confidentes solâ salvas clementiâ absque clypeo & hasta.

l m n

o

p

Cùm libero responso Farulfi ducis fastum retudisset,

11 Obtento namque *q* Clotarius regno Burgundiæ, præcepit cuidam viro potenti, dignitate sæculi præpollenti in magna gloria *r* Farulfo nomine duci, regalia negotia explicare *: qui progressus à latere regis, cùm in ejus spem *s* decreta

r s

A ta regis peragere ſtuderet, prope Senones veniens exarſit iracundiæ flammis, indignè ferens nimirum; quòd urbis cum muneribus obviàm ſibi non proceſſiſſet Antiſtes prædictus *t*. In civitate namque ſuſceptus cùm contra Sanctum *u* Dei vultu incederet turbido, hoc ab eo accepit reſponſum: " Magis quàm hominibus obedire „ ſemper convenit Deo: ſacerdotem enim ple„ bem regere, & principes ſæculi oportet divi„ na præcepta docere: illos autem [ad ipſum] „ condecet convenire. „

12 Regreſſus igitur Farulphus frendens, eo quòd non fuiſſet à ſancto [Viro] pleniùs muneratus, plura falſiloquutus *x* contra Virum Dei principis intulit auribus, maximè inſtante viro nequiſſimo nomine Medegiſilo *y*, qui S. Remigii in ſuburbio tenens monaſterium ſancti Pontificis cupiebat invidus invadere locum. His itaque nefariis inſiſtentibus quaſi *z* jaculis venenoſis, rex Clotarius felle commotus virum Dei Lupum epiſcopum retruſit in exilium in pago quodam Neuſtriæ *aa* nuncupato *bb* Vinimaco *cc*, traditum duci pagano nomine Boſoni Landegiſilo, quem ille direxit in villam, quæ dicitur B Andeſagina ſuper fluvium Anciam *dd*, ubi erant templa phanatica *ee* à decurionibus culta.

13 LECT. v. Dumque Vir Domini ad eum *ff* perveniſſet locum, fruebatur de peregrinatione ſolatio patriarcharum priorum exemplo, recordans ſancti Joſeph in Ægypto, cujus ſervierunt manus in cophino *gg*. Gaudebat quippe in Domino ſentiens ſe ab eo *hh* miſſum ad populum incredulum inſtruendum, ibique quemdam cæcum illuminans, prædictum ducem ſuperbum ſub ſanctæ Crucis humiliavit ſignaculo, atque vitali tinxit in lavacro: plurimumque Francorum exercitum *ii*, qui adhuc erroris detinebatur [in] laqueo, Sanctus illuminavit *kk* per baptiſmum.

** i. e.* curare

t

u

falsò inſimulatur apud Clotarium, qui malè credulus Sanctum relegat in Neuſtriam;

x y z

aa bb cc

dd

ee

ubi non tam exſulem agens quàm apoſtolum multos convertit.

ff gg hh

ii

kk

ANNOTATA.

a Theudericus, Theodericus *& communiùs* Theodoricus *hujus nominis II, Childeberti II ſecundò genitus* 587, *regnavit in Burgundia ab anno* 596 *uſquè ad* 613, *teſte Cointio ad dictos annos. Quomodo autem Senones ad Burgundiam pertinerent, docet Hadrianus Valeſius in Notitia Galliarum pag.* 513.

C

b *Bouquetus & Valcell.* illuſtris *mendosè.*

c *Valcell.* ob hoc *mutat in* huic.

d *Idem & Bouquetus legunt* eum: *hic verò annum ſignat in margine* 611.

e *Bouquetus* Voloſiam *appellat, Valcell.* Volaſiam, *Mathoudiſs in Catalogo pag.* 20 Euloſiam, *ubi hæc habet:* S. Arthemius nondum Sacris initiatus legitimè conjugatus fuit, & filiam habuit Euloſiam nomine, pudicitiâ & ceteris animi dotibus, quæ Chriſtianam virginem decent, tanto parente dignam. *Deo conſecratam fuiſſe, ſcribunt Sammarthani in Artemio. Sanctiſſimam vocat Sauſſayus in Catalogo Sanctorum &c. poſt Martyrologium Gallicanum pag.* 1236. Euloſia virgo ſanctiſſima, quam paterno amore ob angelicæ mentis indolem & caſtimoniam præcellentem dilexit S. Lupus archiepiſcopus Senonenſis. *Verum de cultu ejus nihil ſcimus.*

f *Valcell. & Bouquetus*, Beati, *prout legitur Matth.* 5 ℣. XI.

g *Valcell.* ancillulam. *Cererùm hoc factum videtur magis mirandum quam imitandum.*

h *Idem:* Nam quia ipſam Dei virginem, o-

miſſo Sanctus etiam.

i Ideo *non eſt in Valcell.*

k *Hîc Valcell.* Idem *mutavit in* Ideo.

l *Theodoricus II anno regni ſui* 18, *Metis profluvio ventris interiit anno* 613. *Vide Cointium ad dictum annum.*

m *Clotarius ſive Chlotharius II Chilperici filius, eodem, quo natus eſt, anno* 584 *patri ſucceſſit in Neuſtriæ regnum; potitus Auſtriâ & Burgundiâ* 613.

n *Bouquetus & Valcell. omiſſo* ſui, *legunt* cœpiſſet.

o *Id eſt*, navem eccleſiæ cathedralis. *Vide Cangium.*

p *Officium Altiſſiodorenſe Lectione* IV: Mox ut cymbalum communitatis pulſavit. *Porrò Baronius ad annum* 615 *num.* 14 *obſervat in hunc locum ſequentia:* Porrò quod air auctor, S. Lupum ad convocandum populum ſignum eccleſiæ tetigiſſe: illud fuiſſe prægrande tintinnabulum, quod vocant campanam, quæ habentur inferiùs declarant. nam poſt multa hæc ibidem: *quæ narrabuntur in Vita num.* 20; *tum ſic proſequitur:* Hæc de campana Senonenſi: quibus E declaratur, jam hoc tempore in uſu frequenti eas eſſe receptas. In Oriente autem adhuc conſuetudo illa perſeverabat pulſandi ligna ad populum convocandum. *Nec Græcia campanas habuit ante annum* 865, *teſte Baronio ibidem num.* 101; *imò Blondus Italiæ Illuſtratæ fol.* 110 *anno primùm* 870 *miſſas fuiſſe ſcribit. Vide Hierolexicon Macri pag.* 105.

q *Valcell. & Bouquet.* itaque. *Clotarium totius Franciæ monarchiam obtinuiſſe anno* 613, *diximus ad litteram* m.

r *Cheſnius & Valcell.* dignitatis ſeculi immani gloria præpollenti. *Bouquetus, omiſſo* potenti, *ſic habet:* Præcepit cuidam viro dignitate ſæculari & immani gloria præpollenti. *Farulfum hîc & Blidebodem ſuprà non exprimit Mombritius, ſed utrumque* architriclynum *vocat, id eſt, Majorem-domûs; Breviarium Altiſſiodorenſe, jacitu item utriuſque nomine,* ſeneſcalcum *miſſum eſſe ait. De vario ſeneſcallorum munere videri poteſt Cangius in Gloſſario.*

F

s *Quid auctor hîc per* ſpem *intelligat, non ſatis aſſequor. Fortaſſe* ad votum *ſeu* ex voto. *Alii legunt* in ſpecie. *Cheſnius.* Cùm in ejus ſpecie decreta regis ſtuderet, *addit Valcell.* explere, *Bouquet.* adimplere; *quod explicari poteſt, cum in ejus perſona ſive ut viceſgerens vel locumtenens regis mandata illius exſequi ſatageret.*

t *Valcell. & Bouquet.* indignè nimium ferens, quòd ſibi cum muneribus obviàm prædictus non proceſſiſſet Antiſtes. *Mutato* nimirum *in* nimium, *& omiſſo* urbis.

u *Idem* Virum; *dein pro* turbido *legunt* torvido, *quod barbarum eſt.*

x *Pro* quòd *alii habent* cur. *Valcell. & Bouq.* falſiloquus; *apud Cheſnium* falſiloquus, *æque barbarè ac in apographo. Deinde Cheſnius & Valcell.* principalibus, *id eſt*, principis *ut Bouq. legit cum apographo noſtro.*

y Madegiſilum *vocat Mabillonius tom.* 1 *Annalium pag.* 307. *De S. Remigio archiepiſcopo Remenſi agetur ad* 1 *Octobris.*

z *Valcell. & Bouq. omittunt* nefariis *&* quaſi: *poſtea habent* exilio *pro* in exilium. *Contigit autem illud anno* 613, *ut Bouquetus emendat pag.* 808. *Vide Comm. num.* 9.

aa Neuſtria *ſive* Neuſtraſia *pars fuit peramplæ regni Francorum, magis ad occaſum exten-*

A. ANONYMO.

A. ANONYMO.

ſa, quæ ideo Francia Occidentalis aliquando dicta fuit. Neuſtria propriè dicta, *de qua hîc ſermo eſt, pars erat regni Neuſtriæ ſive Neuſtraſiæ, protendebaturque tunc à Moſa fluvio ad Ligerim,* & Neuſter *nonnumquam etiam* Neptricum *vel* Neptria *vocabatur. Vide Baudrandum, & Valeſium in Notitia Galliarum. Plura de Neuſtriæ origine &c. qui cupit, adeat tomum 1 Februarii pag.* 208.

bb *Bouquet.* nuncupante.

cc *Valcell. & Bouq.* Vinemaco. *Tomo 1 Januarii pag.* 706 *in Vita S. Salvii epiſcopi Ambianenſis, item apud Bouquetum pag.* 621 Vimmacus & Vinmacus *legitur. Pagus iſte vocatur etiam* Vinemagus, *nunc vulgò* le Vimeu, *eſtque Baudrando* tractus Galliæ in Picardia provincia, inter Normanniam & oſtium Somonæ fluvii extenſus, qui à recentioribus Vimeſium dicitur.

dd *Gallia flumen eſt, Picardiam à Normannia ſeparans. Bouq.* Auciam *legit, Cheſnius* Auciæ, *Breviarium Senonenſe & Altiſſiodorenſe* Altiæ; *Valcell. mendoſe* Autide. *In Vita S. Germani tom. 1 Maii pag.* 268 & 269 *fluvius hic*
B Auda *dicitur; aliis* Aucum, Augum & Auva; *vulgò* Ou: *nunc mutato nomine* la Breſle, *Baudrando* la Breſſelle, *qui contendit eum eſſe* Phrudim *Ptolemæi. Verùm Hadrianus Valeſius pag.* 538 *fluvium Suminam (la Somme)* Φρύδιος *vel* Frudis *nomine à Ptolemæo deſignari vult.* Andeſagina *porrò (Auſene, aliàs Anſene vel Anceſne, & Anſenne) vicus eſt Aucia adjacens;* nunc vulgò oppidum ſancti Lupi dicitur, *teſte Andreæ Sauſſayo pag.* 573. *Audi de his Mabillonium citatum lit.* y: *Farulfi & Madegiſili abbatis* criminationibus commotus Chlotharius, ſanctum Antiſtitem in Vinemacum (*le Vimeux*) Neuſtriæ pagum relegari juſſit ſub cuſtodia Boſonis Landegiſili ducis pagani, qui eum in vico Andeſagina (*Auſene*) ſito ad flumen Auciam ſeu Augum, in actis ſancti Walarici Auvam, (quod modò Breſſam (*la Breſle*) appellant, veteri nomine in opidum Augum (*Eu*) tranſlato) ſtrictè obſervari curavit. Erant adhuc eo in loco profana delubra, quæ à decurionibus colebantur, haud dubiè ipſius Boſonis juſſu: quem Vir ſanctus, reddità cæco homini luce,
C à paganiſmi tenebris ad veram Chriſti lucem adduxit, & cum multis aliis baptizavit *&c.*

ee *Id eſt*, templa Gentilium, *qui per vocem* FANATICI *deſignantur apud Cangium. Mabillonius ſtatim* profana delubra *appellavit.*

ff *Bouquet. initio legit* Cúmque; *idem & Valcell.* ad eundem. *Hoc numero comprehenditur Lectio quinta Officii Senonenſis.*

gg *Verba ſunt Pſal.* 80 ℣. 7 *ſed tranſpoſita. Perperam verò auctor ipſi Joſepho hæc attribuit, quæ de ejus poſteris dumtaxat intelligenda ſunt. Bouquet.* cujus ſervierunt officio manus: *Valcell. autem*, ex Egypto, cujus ſervierunt manus in officio *ſeu ſervitio Putipharis Gen.* 39.

hh *Valcell. & Bouq.* à Deo.

ii *Id eſt*, plurimos è Francorum exercitu; *niſi* aulicorum turbam *aut* proceres *intelligat, quos voce* EXERCITUS *deſignari docet Cangius in Gloſſario.*

kk *Sic etiam legit Bouquet.*, *Cheſnius verò & Valcell.* humiliavit.

D

CAPUT IV.

Agente S. Winebaudo, honorificè ab exſilio revocatur; ſupplex ab eo veniam petit Clotarius: prodigia Andeſaginæ & in itinere facta.

INterim divina ſententia *a* judicante, cives Senonici zelo Dei permoti *b*, dolentes abreptum *c* impia rapacitate Paſtorem, in baſilica S. Remigii prædictum Medegiſilum imitatorem Judæ per proditionem Magiſtri, acerba trucidaverunt morte: ſicque infelix, negato ſibi ſpacio pœnitendi, in cloacam deſcendit inferni. *Senonenſium dolor, & ſtudium recuperandi Paſtoris: a b c*

E

Pollebat eo tempore in Trecaſſina *d* urbe S. Winebaudus *e* ad baſilicam antiquam *f* præſulis Lupi, qui corpore *g* quieſcit juxta eamdem civitatem, fungens ibidem abbatis officio mirabilis ſanctitate *h*. Tunc archidiaconus eccleſiæ Senonicæ, Ravengiſilus *i* nomine, incitatus precibus populi, quin potius amore nominis Chriſti [ſanctum] Winebaudum *k* precibus flagitavit; ut ad regem Clotharium *l* pergeret & intenta prece poſceret, quatenus ſanctum Lupum de exilio revocaret, & ad priſtinam dignitatem remitteret, ne plebs ſine paſtore [poſita, à] lupinis faucibus deperiret. *d e f g h i k l*

15 Qua ſuggeſtione impenſa, ſedata tyrannica ferocitate *m* rex humilitate flectitur; odium in amorem convertitur: miſſus à latere *n* regis vir Dei Winebaudus, devotus pergit *o* ad beatum Antiſtitem: qui videntes [etiam] ſe invicem præ gaudio flere cœperunt, alterutrumque *p* colloquentes etiam beatus Winebaudus condoluit *q* hujus exilii pœnam. Ad hoc *r* beatus Lupus reſpondit divini ſermonis eloquia: Quòd *ſ* non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis, quas hîc patimur, ad perpetuam gloriam, quam Deus electis ſuis revelare dignabitur *t*. Qui volunt, inquit, piè vivere in Chriſto, perſecutionem patiuntur ab hominibus. *S. Winebaudus reditum ejus à Clotario impetrat; m n o p q r ſ t*

F

16 Tunc Winebaudus cum beato Lupo epiſcopo lætus ad palatium *u* remeans, regis obtutibus [ipſum] Antiſtitem repræſentat. Rex [autem] ſeu turba procerum gratulatur Sacerdotis præſentiâ, contemplatuſque [eſt] eum [&] ejus duritia ad pietatem permovetur *x*. Ante Pontificis pedes in terram proſternitur, veniam & indulgentiam ab eo poſtulat: Videns etiam rex beatum Virum *y* afflictum & corpus illius tabefactum, ut erat intonſus barbâ & capite *z* pro abſtinentiæ cumulando rigore, tremens & ejulans ad gemitum *aa* movetur, & pietatis more lacrymis rigatur *bb*, reum ſe eſſe clamans hujus penuriæ, irritationis jacula Sancti accuſatoribus imprecatur *cc*. Juſſit eum cum magno decore reparari, & ſervitium ei *dd* impendi, [comam] & barbam cum honore priſtino detonderi. *hic factì pœnitens ad Sancti pedes ſe abjicit, cumque regio u x y z aa bb cc dd*

17 Recepto itaque decore eccleſiaſtico, ſuo eum *ee* rex præcepit intereſſe convivio. Fit Chriſti ope repentè converſio: efficitur rex ex perſecutore miniſter, ut ſuis ipſe manibus ei partes tribueret *ff*, qui ei plus afflictionis penuriam ingeſſiſſet. Petens ergo iterum veniam pro ſcelere; à Sancto levatur à pulvere *gg*, offerenſque *exceptum convivio & muneribus cumulatum Senones remittit: lætus exſilii ſui aliaque, ee ff gg*

A que ei multorum munerum congeriem miniſteriis profuturam eccleſiæ *hh*, juſſit eum ad propriam civitatem remeare. Sed quamvis *ii* [vir] ſanctus Dei Lupus Senones pergeret, Andeſagenam *kk* locum exilii Chriſtus pro ejus meritis virtutum ſæpius gratiâ illuſtravit, ita ut jam clauſo illo in *ll* paradiſo, adhuc virtus Domini in eodem fulgeret loco. Valedicentes *mm* igitur inclyti ſacerdotes Lupus atque Winebaudus regi & proceribus illius, dum juncti ſocietatis *nn* vinculo pertranſirent Pariſios, multa reorum turba cathenarum vinculis tenta, vel ergaſtularibus *oo* anguſtiis truſi, eorum virtute ſoluta eis obviàm eſt egreſſa.

hh *ii* *kk* *ll* *mm* *nn* *oo*

18 Revertente igitur Sancto ad propria, dum ad Miledunum caſtrum *pp* eveniſſet manſio ei oportuna, repentè immane *qq* horreum uſque ad ſummum plenum [ignis] vallavit incendium, nec poterat expectantium *rr* quiſquam præſtare auxilium. Tunc vir Domini in orationem *ſſ* proſternitur, fulmen immiſſum ſuper incendium cernitur. Illico flamma extinguitur, illæſa apotheca reſervatur, Chriſtus per Pontificem collaudatur, meritum Sacerdotis agnoſcitur *tt*. Obvia deinde Pontifici & S. Winebaudo plebs Senonicæ urbis egreditur cum hymnis & cantibus *, flentibus plurimis præ gaudio *uu*, ſicque propriam ſedem deſideratus introivit Antiſtes: Erat enim hilaris in confabulatione, ſeverus in correctione *xx*, providus in diſcretione. Condolebat merenti, fovebat egentem, confortabat juſtum, requirebat *yy* infirmum, ſublevabat miſerum, nullumque ab opere Dei prætermittebat tempus vacuum.

per quæ tranſit, miraculis illuſtrata. *pp* *qq* *rr* *ſſ*

B *tt*

* *in aliis Mſs.* canticis *uu* *xx* *yy*

ANNOTATA.

a *Bouquet. & Valcell.* dextera.

b *Bouq.* promoti. *Sed non ſecundum ſcientiam; fuit enim zelus ille planè indiſcretus.*

c *Tres alii* arreptum.

d *Bouq.* Tricaſina. Trecæ *ſive* Tricaſſes (*Troyes*) *urbs eſt Galliæ in Campania.*

e *Cheſnius* Winebaldus, *Valcell. & Bouquet.* Winebaudus. *Colitur ille ſanctus 6 Aprilis.*

C f *San-Maximinenſe cum aliis* antiqui. *Cæterùm de S. Lupo Trecenſi epiſcopo egimus 29 Julii.*

g Corpore *non eſt in San-Maxim.*

h *San-Maxim.* fungens officium mirabili ſanctitate. *Alii tres:* Abbatis fungens officio, mirabili ſanctitate.

i *Cheſnius habet* Regnegiſilus, *Bouq. & Valcell.* Ragnegiſilus, *Mabillonius* Ragneſilus: *San-Maxim.* eccleſiæ ſancti Stephani Ragnegiſelus *omiſſo* Senonicæ. *Ragnegiſilus hic cum titulo* ſancti *memoratur apud Baronium ad an. 631 num. 3; nobis de ejus cultu nihil hactenus compertum eſt.*

k *San-Maxim.* Winibaudum, *ut infrà ubique; Cheſnius iterum* Winebaldum.

l *In San-Maxim.* Lotharium, *dein* perceptâ prece depoſceret. *Mombritius* Dotarium *appellat, alibi* Chlothacarius *vocatur. Hîc Bouquet. ſignat in margine* An. DCXIV. *Vide Comm. num.* 9 & 10.

m *Alii omnes*, tyranni ferociâ. *Quod ſequitur*, rex humilitate flectitur, *mendosè vertit San-Maxim.* rex afflictionem vertitur.

n *Valcell. & Bouq.* è latere. *Locus, ubi Clotarium convenit*, Alentum *vocatur tomo* 1 *Apriſis pag.* 575. *De eo Mabillonius citatus:* Fecit vir ſanctus (*Winebaudus*) quod rogatus erat. Regem adiit in villa regali Alento non longè ab urbe Rotomagenſi. Rex facilè à ſancto abbate ſe exorari paſſus eſt, ſanctumque Antiſtitem eccleſiæ ſuæ reſtitui juſſit, datâ etiam ad Winebaudi preces reis libertate, qui in carceribus tenebantur. A. ANONYMO.

o *San-Maxim. legit* pergens *ſenſu imperfecto. Deinde cum aliis omittit* qui.

p *Cheſnius* alterutrum loquentes, *Valcell. præponit* pariter: *San-Maxim.* pariter colloquentes etiam alterutrum beatus Winibaudus.

q *San-Maxim.* condolens jam dicti Antiſtitis hujus exilii penuriam. *Valcell.* condolens hujus exilii penuriæ, *id eſt, miſeriæ.*

r *San-Maxim. & Valcell.* Ad ea.

ſ *In iiſdem* quia; *mediùs* quòd, *ut habetur Rom.* 8 ℣. 18. *Pro* hujus temporis *legunt* iſtius mundi.

t *San-Maxim.* dignatus eſt, *omiſſâ ſequenti ſententiâ. Valcell.* ad perpetuam gloriam, quæ revelabitur in nobis. Qui volunt &c.

u Alentum *intelligo, ubi priùs regem convenerat, ut dixi ad lit.* n; *vel palatium Rothomagenſe: nam de Pariſienſi ſermonem hîc non eſſe, liquet ex Vita S. Winebaudi paginâ cit.* Vale dicto, iter repetit, Pariſius civitatem advenit. *Et patebit inferiùs num.* 17. *Pro* repræſentat, *legunt Valcell. & Bouquet.* præſentat, *San-Maxim.* præſentavit. *Deinde ponitur* ſeu *pro* &, *quod paſſim occurrit, teſte Cangio. Sequentia hoc modo habet San-Maxim.* turba populi gratulans Sacerdotis præſentiam, *ſenſu imperfecto.* E

x *Alii omnes* promovetur, *ſed in ſequentibus diſcrepant: San-Maxim.* Ante Pontificis pedes ſe ad terram proſternens, *reliqui* ſe in terram proſternit, *dein pro* ab eo *habent* illius; *San-Maxim.* illius Pontificis.

y Virum *deeſt in Valcell. & apud Bouquetum; San-Maxim. legit* Epiſcopum.

z *Valcell. & Bouq.* capillo, pro abſtinentia cumulando rigorem. *San-Maxim. habet* cumulanda, &. *Apographi ſenſus eſt clarior.*

aa *San-Maxim.* in gemitu, *alii* in gemitum.

bb *San-Maxim.* erigatur *mendosè. Valcell. & Bouq.* irrigatur; *tum ſubdunt ſenſu imperfecto:* reum ſe eſſe in hujus penuria. F

cc *Vitiosè iterum San-Maxim.* in Sancti accuſatoribus impletur. *Valcell. & Bouq.* in Sancti accuſatores. *Periodum hanc clariùs explicat Surius:* Tremens & ejulans rex cum multo genſitu ejus miſeriæ ſe reum fatetur, & ſancti Viri delatoribus dira imprecatur.

dd *In aliis omnibus* ei *omittitur. Pro* reparari *Valcell. habet* ire parari; *San-Maxim.* reparare & impendere, *utrumque mendosè.*

ee Eum *non eſt apud Cheſnium nec in Valcell.*

ff *Id eſt, cibos porrigeret ſeu miniſtraret:* ei *ab aliis omittitur. Pro* qui ei plus *rectiùs San-Maxim. & reliqui legunt* qui illi priùs.

gg *Præpoſitionem expungit San-Maxim.*; *alii habent* de pulvere, *dein* offerens multorum *&c. ſine conjunctione aut* ei.

hh *Vitiosè denuo San-Maxim* profutura eccleſiæ, *tum interponit* atque, *ut reliqui*; *ſed pro* remeare *legit* redire. *Quæ ſequuntur uſque ad num.* 20, *Cheſnio & Bouquetо prætermiſſa ſunt.* Hactenus de ſancti Lupi ab exilio reſtitutione: ex quo diſcant ſacerdotes, cultores ſe eſſe debere juſtitiæ, & nihil remittere ſacerdotalis

A. ANONYMO.

talis conſtantiæ timore regum. *Hæc & plura lectu digna Baronius ad annum 631 num. 4 ſub finem.*

ii *San-Maxim.* poſtquam. *Idem & Valcell.* Senonas.

kk *Valcell. emendatè* Andeſaginam. *Pro* Andeſaginam locum *corruptè legit San-Maxim.* Andeſa cenaculum ; *poſtea habet* merito. *Jacobus Tavellus* obſervat villam Andeſaginam, apud quam Lupus exulavit, hodie oppidum ſancti Lupi vocari. *Ita Cointius ad annum 623 num. 15. Vide dicta ad cap. 3 litt.* dd.

ll *Ab utroque Ms. abeſt hîc præpoſitio* in, *deinde legunt* fulgeat.

mm *Vitiosè rurſus San-Maxim.* Valedicens.

nn *San-Maxim. & Valcell.* ſanctitatis ; *dein ſcribunt* Pariſius, *cui San-Maxim. perperam poſtponit* cum.

oo *Mendosè iterum San-Maxim.* ergaſtulo lateribus anguſtiis truſorum virtute ſoluta eis obvia eſt egreſſa. *Valcell.* truſa *legit, reliqua verò ut in apographo. Clariùs hæc habentur in Officio Altiſſiodorenſi Lectione* VI : Cúmque tunc ſanctus Lupus per Pariſius tranſiret, multa incarceratorum tûrba, oſtiis per ſe apertis, fractiſque vinculis, ei obviàm cunctis admirantibus venit. *Hinc patet, prodigioſam captivorum liberationem, quæ oratione S. Winebaudi facta narratur in ejus Vita num.* XI, *Sancti quoque noſtri meritis adſcribendam eſſe.*

pp *San-Maxim.* Militone caſtro, *Valcell.* Milidone caſtro (*Melun*) *quod oppidum alii aliter atque aliter appellant, ut videre eſt apud Valeſium in Not. Galliar. Communiter* Melodunum *vocatur*, urbs Galliæ in Bria provincia ad Sequanam fluvium, diſtans leucis 10 à Pariſiis in Meridiem *ex Baudrandi dimenſione. Poſt* manſio *San-Maxim. & Valcell. expunguni* ei.

qq *San-Maxim.* immanem *vitiose.*

rr *Pro* ſpectantium. *Vide Cangii Gloſſarium. San-Maxim. & Valcell. omiſsâ hac voce : legunt* quiſpiam.

ſſ *Corruptè San Maxim.* domini ratione. *Valcell.* in oratione, *qui poſt* cernitur *legit* illud, *omittens* ilico. *Mirabile porrò eſt, quod de exſtinctione Melodunenſis incendii fertur apud Bouquet. pag* 284 *in additione ad Chronic. S. Dionyſii lib.* 5 *cap.* 8 *lit.* k. Poſtquam Sanctus oraſſet Dominum noſtrum ut averteret iſtius incendii periculum, & Dominus exaudiſſet ejus preces ; fluvius Sequana, relicto alveo ſuo, aſcendit ſupra domos, exſtinxitque & avertit incendium ignis.

tt *San-Maxim.* cognoſcitur, *dein cum Valcell.* Obviàm.

uu *Valcell.* & flentibus præ gaudio univerſis, *tum proſequitur cum San-Maxim.* intra ædem propriam deſideratus *&c.*

xx Severus in correctione *abeſt à San-Maxim. ejuſque loco habet*, fortis in exhortatione. *Valcell. autem legit* correptione, *tum ſubdit* fortis in exoratione, providus in diſertione, *quod mendose ſcriptum pro* diſcretione.

yy *San-Maxim.* non relinquebat.

D

CAPUT V.

Aliis à Deo honoratur miraculis : confundit dæmonem, libidinis ardorem precibus exſtinguit.

LECT. VI. Quodam igitur die Dominico dum in Bardone prædio *a* Euchariſtiæ ſacraret myſterium coram ſacerdotali vel *b* Levitico choro, gemmâ de cœlo in calicem deſcendit à Domino inter manus Pontificis, commixtionem corporis & ſanguinis Domini *c* celebrantis ; quæ ſcilicet gemma radio fulgentiſſimo pulcherrima *d* diu Senonis conſervata, regiâ jubente potentiâ inter *e* Sanctorum pignora palatio eſt deportata. Hinc namque apparet, quàm tum *f* Chriſtus eum dilexerit, inter cujus manus tam præclarum miraculum demonſtravit *g*. Addatur *h* paginæ, quæ fuerunt ſubſecuta miracula.

Sancto celebrante, gemma calitus in calicem delabitur : *a b c* *d* *e* *f* E *g h*

20 Audito Clotharius rex de ſigno S. Stephani, quòd miram haberet dulcedinem, juſſit inde Pariſios deportari *i* ubi ipſum ſæpius debuiſſet audire : ſed dum hoc ſancto Viro non placuiſſet *k*, mox ut ſublatum eſt ſignum à Senonica urbe, perdidit dulcedinem ſonitus ſui. Quo rex agnito, ilico juſſit loco priſtino reſtitui *l* ſignum : at ubi pervenit ad pontem Synacum *m*, reddito ſono à Domino in virtute Sancti [Lupi] inſonuit miliario ſeptimo *n*. Vir ſanctus cùm ſederet in urbe, ilicò perrexit obviàm cum pſallentium dignitate, & quod *o* dolens perdiderat, [ſic] gaudendo receptum Domino gratias referebat *p*.

prodigium in campana Senonenſi : dæmon pudefactus : *i k* *l* *m* *n* *o* *p*

Nocte quadam cùm *q* Sanctus vigilans pſalleret, antiquus hoſtis affuit, & ei validam ſitim inflixit ; juſſit *r* ſacer miniſtro aquam frigidam deportaret, & [mox] dolos intelligens inimici, ſignato plumacio ſuo ſubſerrato capite, ſtrictum *ſ* ſuper vaſculum poſuit, ibique veterrimum *t* hoſtem incluſit *u*, & nocte tota uſquequo ſol radians claro * ſe lampade terris infudit *, variis vocibus ululans, quis fuiſſet oſtendit, & qui tentare venerat, confuſus abſceſſit.

q F *ſ* *t u* * *lege* clara * *San-Maxim.* effulſit

21 Erat conſuetudo Sancto vigilandi, dono ſibi à Domino collato, ut unà cum communitate *x* baſilicas circuiret ex more, & pene noctibus ſingulis non ſolùm infra murorum mœnia, ſed etiam circumquaque vicina Sanctorum luſtraret oracula. Et hoc ita animo agebat ſtrenuo, ut horâ, quâ clerum agere matutina ſolennia competeret *y*, ipſe propria manu ſignum eccleſiæ tangeret.

Sanctus loca ſacra obiens clericos duos à libidine revocat. *x* *y*

Quadam [igitur] nocte, dum de baſilica S. Remigii ad domum eccleſiæ pergeret, duos inter ſe clericos rixantes audivit *z* adulterare cum mulieribus volentes : eâdem horâ præſens *aa* noluit [eis] ſe oſtendere, ne iterum in ejus abſentia ad deſtinatum volutabrum feſtinarent. Melius igitur credidit, ut eorum caſum ſanctis orationibus *bb* ſublevaret : [concitus eccleſiam pergit, breviatam pro illis orationem effudit *cc*.] Mox ſignum S. Stephani manu tangit, ut matutinas laudes clerus [vel populus] conveniens *dd* celebraret ; mirum in modum mox [ut] in eorum auribus ſigni ſonitum [ſurgerent] ſanctitas cum dextera perveniſſet *ee*, ilico

z *aa* *bb* *cc* *dd* *ee*

A co ab eorum cordibus ſtimulus ardoris receſſit : tunc ad eccleſiam currunt, debita officia ſolvunt. Expletâ pſalmodiâ, ab eo *ff* correcti veniam petunt, melioris vitæ exordia ſumunt. Sic virtus divina per patientiam Sancti eripuit jam caſuros de fovea inimici. Addantur ſtilo, quæ creſcunt virtutes in cumulum.

ANNOTATA.

a *San-Maxim. corruptè* hoc ordine Præſul *pro* in Bardone prædio, *Valcell.* Quâdam igitur die dominicâ dum Obordone prædio, *Surius* in Obordone : *Officium Senonenſe* Ordone, *Cointius* in Odordone.

b *Pro &c. Vide Annotata ad cap.* 1 *litt.* ee.

c *Valcell.* Chriſti.

d *San-Maxim.* radio fulgente pulcherrimo ; *Valcell.* radio fulgente pulcherrima, diutius *&c.*

e *San-Maxim.* inter reliquias : *Valcell.* inter reliqua ſanctorum pignera palatium eſt deportata. *Melius Officium Senonenſe :* inter reliqua ſanctorum pignora in palatium eſt deportata.

f *Valcell. rectiùs* quantùm, *dein habet* ipſum
B *loco* eum.

g *Idem*, præclarè miraculum monſtravit. *Hîc finitur Lectio ſexta Officii Senonenſis.*

h *San-Maxim. & Valcell.* Addantur.

i *Alii omnes habent* Pariſius, *San-Maxim. & Valcell.* inde *mutant in* eum ; *ſed vitiosè in San-Maxim.* portare : *Bouquet. loco* inde *legit* illud. Signum *autem campana eſt, eâdemque notione* ſignus *dicitur, teſte Cangio.*

k *In aliis omnibus*, ſancto non placuiſſet Pontifici.

l *San-Maxim.* reſtituere ; *antea pro* agnito *habet* cognito.

m *Mendosè ſcriptum opinor pro* Syriacum, *ut legunt Valcell. & Bouquet. omiſſo* ad ; *vitiosè San-Maxim.* ponte Siriaca. *Hadrianus Valeſius in Notitia Galliarum pag.* 541 *de eo notat ſequentia :* Hoc PONS SYRIACUS locus eſt, quem vulgò Pontes Icaunæ vocant, PONS SUR YONNE, ab civitate Senonum VII millibus paſſuum diſtans. Signum autem hoc majoris eccleſiæ Senonicæ in navem imponi juſſerat rex Chlotharius, Chlotharii majoris nepos, Chlodovei pro-
C nepos circa annum DCXX, ut ſecundo flumine Icaunâ, deinde Sequanâ in ſedem urbemque regiam Luteciam deveheretur : quod poſtea eiſdem fluminibus adverſis Agedincum Senonum reportatum eſt. De quo ſigno ibidem hæc referuntur. *Conſule Vitam ſuperiùs num.* 10. *Deinde obſervat quædam ex Gregorio Turonenſi de uſu ſignorum ſeu campanarum in eccleſiis recepto* multò ante hoc tempus, nimirum ætate Sidonii (*Apollinaris*) epiſcopi Arvernorum, qui anno Chriſti CDLXX floruit ante annos MCC. *Verùm antiquiorem eſſe campanarum uſum, diſcimus ex Cangio tom.* 2 *Gloſſarii auctu col.* 94 : Tradunt, *inquit*, campanas à Paulino, Nolano in Campania Italica epiſcopo, primùm inventas, indeque non ſemel ſcriptoribus NOLAS appellatas : vel ſanè (*quod verius putamus*) Paulinum earum uſum in eccleſiam invexiſſe, cùm priſcis Latinis Græciſque longè antea eſſet notus. *Obiit S. Paulinus Nolæ anno* 431. *Dicta Cangii confirmat Sweertius in Notis ad Hieronymum Magium de Tintinnabulis pag.* 81 : Paulinus epiſcopus Nolanus .... primus in ſuam eccleſiam campanæ uſum invexit. *Subdit pag.* 82 : Quo autem tempore cœptum fuerit CAMPANIS uti in eccleſia Catholica, incertum. *Idem fatetur Baronius ad annum* 58 *num.* 104, *ubi hæc habet :* Ceterùm reddita Eccleſiæ pace (quo tamen id fieri cœptum ſit anno, nobis eſt incompertum) ex edito loco publico grandioribus tintinnabulis, quæ poſtea à loco, ubi primò grandiora fieri cœperunt, Campanæ ſunt appellatâ, populus ad eccleſiam vocari ſolitus fuit. *Atque hæc de eccleſia Latina : Græcis enim non niſi diu poſt medium ſeculi* IX *campanas uſui eſſe cœpiſſe, diximus ad cap.* 3 *lit.* p. A. ANONYMO.

n *Hîc deſinit Bouquetus cum Cheſnio. Officium Altiſſiodorenſe Lectione* VII, milliario à Senonis ſeptimo, ſono priſtino reddito, per ſe ſonuit. *Quod ubi audivit* Vir Sanctus .... ilicò perrexit obviàm cum pſallentium dignitate, *id eſt, choro vel comitatu canentium clericorum ſtipatus.*

o *San-Maxim.* quem. *Vide dicta ad lit.* i.

p *Valcell. clariùs :* & quod dolens perdiderat, gratias Domino referens, gaudendo recepit.

q *San-Maxim. & Valcell.* dum.

r *Valcell.* juſſitque ... deportare : *San-Maxim. melius*, juſſit Sacerdos miniſtrum *&c.* de- E
portare, *ſed mendosè legit* dolus.

ſ *Vitioſa & barbara hæc ſunt : multò rectiùs Valcell.* ſignatum plumatium, quod ſuo capiti ſubſternere conſueverat, ſtrictim ſuper vaſculum poſuit. *Eſt autem* plumacium *pulvinar ſeu pulvinus plumis fartus, ut Cangius docet.*

t *San-Maxim.* veteranum, *Valcell.* veternum, *id eſt, veternoſum.*

u *Incluſio illa, ſi verè contigerit, valde mira eſt, & eo ferè modo explicanda, quo Raphaël dæmonium religavit in deſerto. Tob.* 8 ℣. 3. *Dein pro* & *San-Maxim. & Valcell. legunt* qui.

x *Valcell.*, *inſertis quibuſdam & mutatis, ita legit :* Erat autem conſuetudo Viri ſancti, habebat enim vigilandi donum à Domino ſibi collatum, ut uno cum comite *&c. San-Maxim. autem* Sancto *ſubſtituit* Sancti, *dein ut Valcell.* uno cum comite. *Quod ſequitur*, infra murorum mœnia, *id eſt*, intra urbis muros, *ut Surius explicat.*

y *Mendosè San-Maxim.* compereret, *fortè pro* compererat.

z *Iterum* quos *pro* quòd, *deinde* vellent *loco* volentes. *Valcell. autem hoc modo :* Quos ad- F
ulterari cum mulieribus velle audiens.

aa *San-Maxim. rurſus* præſentia.

bb *Idem* per orationes : *Valcell.* per ſanctas orationes.

cc *Valcell.* pro eis orationem fudit.

dd *Vitiosè San-Maxim.* ut matutinis laudibus clericorum mens celebraret.

ee *In San-Maxim.* mox ut eorum auribus ſigni ſonitum ſurgerent *&c. æquè obſcurè & vitiosè ac in apographo. Clariùs Valcell.* mox ut in eorum auribus ſigni ſonitus pervenit, ilico *&c.*

ff *San-Maxim perperam* à quo ; *dein* exordium *pro* exordia. *Aliter hæc legit Valcell.* Expletâque pſalmodiâ, à ſancto correpti Viro veniam petunt *&c.*

CAPUT

A. ANONYMO.

CAPUT VI.

Cæleſti muſica in itinere recreatur; S. Winebaudum ad convivium pertrahit: ſanat ægros, & ſanctè moritur; miraculis item ab obitu clarus.

Orationem Dominicam ab angelis decantari audit: a b c d

LECT. VII. Cùm quidam vir nobilis Helle-
B fredus *a* nomine causà prandii Titiaco *b* villa invitaſſet Dominica die cum *c*, & ipſe devotus offerret Sacrificium, eâ verò horâ dum pergeret vico, auditò in cœlo ſonitu, aſtitit equo inſidenti *d* diu in uno loco, ſicque diutius cælo intentus orationem Dominicam decantari audivit inter angelicos choros. Meritò namque ei patebant ſuperna myſteria, cujus mens aſſiduè erat cœlo intenta. Sufficere itaque * ſibi credidit, quòd ſub præſentia Chriſti laudes ſupernas audiſſet, ac pro * hoc cœpto itinere non perrexit.

* *Valcell.* namque * *in aliis* per

Dei inſtinctu S. Winebaudum invenit & convivio adhibet; pluribus ægris ſanatis, e f g h

23 LECT. VIII. Die quadam dum in urbe Senonica ad prandium ſederet *e*, agnovit per Sanctum Spiritum, quòd vir Domini Winebaudus eccleſiam S. Stephani introiſſet: tunc relicto prandio alacer obviàm [ei] pergit, nemine *f* nunciante, [&] S. Winebaudum inter eccleſiam S. Mariæ & S. Stephani euntem invenit; atque oratione completa, prælato *g* pacis oſculo, ad proprium perduxit convivium. Multa *h* oſtendit in corpore [conſtitutus] quæ longum eſt paginis intimare. Plures languores & morbos ſanavit *i*. Cæcis lumen reddidit, ſurdis auditum reſtituit, infirmitatibus *k* gratiam ſanitatis impendit.

i

k

tandem piè moritur, ſuavem mox odorem ſpirans. l m n o

24 LECT. IX. Senſiens igitur jam corpore
C [ſe] reſolvi, Briennom *l* prædio tactus incommodo, invocato *m* ſacerdotali conventu, ſanctis eos prædicationibus exhortatur *n*, flente choro circumſtantium [Kal. Septembris ſanctum] ad Dominum tranſmiſit *o* ſpiritum. Statim divina virtus affuit, quæ ad demonſtrandam ſancti *p* Pontificis gloriam, odorem ſuavitatis oſtendit: fragrabat *q* de illo odor nectareus, tamquam ſi fuiſſet multis aromatibus delibutus. Corpus impoſitum [in] feretro divinis canticis circumdatum caterva ſequebatur plangentium; atque juxta præceptum ipſius Viri ſancti in ſtillicidio baſilicæ ad pedes S. Columbæ tradiderunt corpuſculum [antro ſepulchri *r*] verentes tranſcendere juſſa magiſtri *ſ*: ubi manus Domini virtutum multiplicavit congeriem *t*.

p

q

r

ſ

t

Multa & varia u

* *l.* contracta, *ut eſt in aliis x*

25 Nam quædam mulier curriculo triginta annorum lumen perditum oculorum, dum ibidem adveniſſet cum *u* fide, ſana receſſit cum lumine. Sed & alia cuncta * membris recepit ibidem præmia ſanitatis. Mulier namque Vetula *x* nomine nobiſcum hebdomadâ ſine ſomno & cibo degerat, & acri dentium torqueretur dolore, cùm ex pulvere ſepulchri ſputo mixtum locum liniviſſet *y* doloris, confeſtim recepit gaudium ſoſpitatis. [Lector] igitur qui ibi deſerviebat *z* deſperatus à medicis, incommodo tenebatur languoris; ita ut ſeptem dierum evoluto curriculo nullatenus *aa* ſumeret alimenta. Sed cùm levatus in grabato ad Sancti fuiſſet deportatus ſepulchrum, qui venerat ex fide, recepit

x

y

z

aa

medicinam de pulvere. *Plura non habet apographum noſtrum: ſequentia, quæ ex Ms. S. Maximini Treviris aliâ manu inferiùs adſcripta ſunt, cum Codice Valcellenſi collata accipe.* D

ad Sancti tumulum

26 Mulier quædam per ſomnium inſtinctu diaboli cædebat ſe colaphis multùm *: ſolummodo ſanctum ut conſpiciat *bb* poliandrum, confeſtim evomuit inimicum fœtidum. Sed & quidam ſurdus à tempore longo ad Sanctum * feſtinans tumulum, recepto auditu, domum perrexit cùm gaudio. Cùm quidam ſtultus vocatus epiſcopus ſepulturam Sancti protervo tetigiſſet de pede, contracto nervorum compagine *cc*, cadacim ſibi confeſtim inflixit dolorem graviſſimè. Sicque humiliter expetitum ad Sanctum recipi *dd* remedium. Oſtendit namque in eo virtus divina vim geminatâ potentiâ, tam vindictâ tam veniâ *ee*. Mulier quædam à nativitate ſoluta tota paralyſi, dum à parentibus deferretur ad locum ſepulchri, mox ut polyandrum Sancti cœpit aſpicere, cœperunt membra inculta vigere, gluttinum ſoliditas reſtaurare *ff*: repentè ſanata per Dominum, incolumis propria reverſa eſt domo.

* *Valcell.* multis *bb*

* *idem* Sancti

cc

dd

ee

ff

E

patrantur miracula.

27 Sed & ſacerdos quidam ad ſepulchrum ſancti Winibaudi deſerviens, cùm per confragoſos ſcalæ gradus validè fuiſſet contritus; ad ſepulchrum ſancti Lupi portatur * ſanitatem priſtinam eſt adeptus. Fiunt ibi plura miracula, quæ ex fide petentibus Chriſti monſtrat clementia. Verè ſacerdos inclitus, qui in corpore [conſtitutus] Chriſto ſervivit attentiùs; cælo clauſus in requie, vernans aulâ paradyſi pro duplicato talento. Ingreſſus in gaudium Domini angelico junctus carmine *gg* victor exiſtens de hoſte: ſociatus martyrum agmine *, roſeo purpurantes * rubore, coronatus à Domino regnat cum gloria in triumpho, expectans diem Domini beata anaſtaſi *hh* ſuſcitandus ab Agno per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum *ii*, qui coronis laudibuſque glorificat Sanctos ſuos; & in modum radiantis criſtalli, ſplendore micantis aſtrifero, odore redolentis nectareo beatiſſimus Confeſſor coronatur triumpho.

* *Valcell.* portatus

gg

* *idem* agmini

* *idem* purpuratus

hh

ii

ANNOTATA.

F

a *In San-Maxim.* Dum quidam vir nobilis Harlefridus: *Valcell. & Breviarium Senonenſe* Herlefredus nomine eum *&c. Surio* Herlefridus.

b *San-Maxim.* Ticiaco, *Valcell.* Treiacum villam, *Breviarium Senonenſe* Tyciacum villam, *Surius* ad Ciciocum villam. *Quinam rectiùs, ignoro: putem pagum fuiſſe prope Senones.*

c *Hæc vox non eſt in San-Maxim.: ſequentia verò Valcell. & Breviarium Senonenſe ita legunt:* Et ipſe devotus offerre ſacrificium Eurora pergeret vicum *&c.* Eurora *nuſquam invenio.*

d *Breviarium Senon.* inſiſtens: *San-Maxim.* & ſedens diu in unum locum. *Valcell. hoc modo legit:* adſtitit equo, diu inſidens in uno loco.

e *In aliis* conſederet.

f *San-Maxim.* nemini, *dein* intra eccleſiæ, *utrumque vitiose.*

g *Idem* prolato, *Valcell. & Breviarium Senon.* dato.

h *San-Maxim.* Multum oſtendit in corpore, quod *&c.*

i *San-Maxim. & Valcell.* à languoris morbo curavit.

k *Rectiùs San-Maxim. & Valcell.* infirmantibus.

l *San-*

A 1 *San-Maxim.*, *omisso* jam, *ineptè legit :* Sentiens igitur se corpore se resolvi ; *dein ex* Briennone *facit* pridie nono. *Est autem Brienno* (Brignon *seu* Brinon, *Sansoni* Brignon l'Archevesque) *oppidulum Galliæ in Campania in agro Senonensi propè Armentionem* (*l'Armanson*) *fluvium distans Senonibus 6 vel 7 leucis, ex Dictionario Historico Morerii auctо. Hadrianus Valesius in Notitia Galliarum pag.* 184 *existimat Brignon esse* Eburobricam, *quam* inter Autesiodorum & Tricasas memorat Æthicus in Itinerario provinciarum, Antoninus Augustus falsò aliis dictus & creditus. *Prædium hoc, quod Sanctus ex patrimonio habuerat, cathedrali ecclesiæ Senonensi legavit, ut ait Bailletus.*

m *San-Maxim. & Valcell.* evocato.

n *Idem corruptè*, ex predi orationibus exhortatus : *Valcell.* sanctis prædicationibus exhortato.

o *San-Maxim.* erans emisit, *fortè* orans.

p Sancti *omittitur ab aliis.*

q *San-Maxim.* flagravit ; *Valcell.* fraglabat ; *utrumque mendosè.*

r *Sic legit Valcell. & Breviarium Senonense ; vitiosè San-Maxim.* claustra sepulchri. *Vide Commentarium num.* 19 *in fine.*

B s *Præcedentia in Valcell. omissa sunt.*

t *Hic terminatur Lectio nona Officii Senonensis.* Cæterùm, *inquit Saussayus Martyrologii Gallicani pag.* 574, hoc in sancto Confessore donum miraculorum fulget perpetuum, quo caduco morbo laborantibus perpetim opitulatur. Unde singularis patronus ea in re imploratur ab utriusque sexus afflictis : quin & medelam fert infantulis viscerum torminibus vexatis. *Idem de epilepsiâ laborantibus diu antè testatus est Robertus monachus Altissiodorensis in Chronologia à Camuzæo edita pag.* 66.

u *San-Maxim.* ex. *Præcedentia minùs barbarè legit Valcell.* per triginta annorum curriculum lumen perdiderat oculorum. Dum ibidem advenisset ex fide *&c.*

x *San-Maxim.* Mulier namque nobilis Betela nomine cùm hebdomadâ *&c. Sic etiam Valcell.*, *sed scribit* Bettola, *& dein* degeret *&c. : apud Surium* Betzela *dicitur. Si vox* nobiscum *rectè in apographo nostro exarata sit, confirmat ea, quæ in Comm. num.* 6 *de biographi ætate diximus : nam hæc miracula videntur contigisse non diu post obitum Sancti.*

C y *San-Maxim.* valde dentium torquente dolore . . . *Item* misisset *pro* liniviſſet. *Valcell. rectius* mixto locum liviſſet.

z *In aliis duobus* Lector igitur ibidem serviens, *sed* qui *redundat in San-Maxim. Voce* Lector *hiatum apographi replevimus. Est autem* Lector *secundus gradus Ordinis ecclesiastici. Vide Cangium & Hierolexicon Macri.* A. ANONYMO.

aa *Vitiosè iterum San-Maxim.* evoluta circula ; *dein cum Valcell.* nulla penitus sume et alimenta.

bb *Valcell. omittit* sanctum, *sed sensum probè restituit, legens :* Solummodo ut conspicata est poliandrum ; *id est, sepulcrum. Cangio teste, dicitur* polyandrum *&* polyandrium ; *Græcè* πολυανδρειον, *cœmeterium, sepulcretum, locus ubi sunt multa sepulcra, ex* πολὺς *multus, &* ἀνὴρ, ἀνδρὸς, ὁ, *vir.* Interdum & sæpius, *ut rectè Cangius observat*, apud ævi inferioris scriptores sumitur pro monumento, aut sepulcro unius hominis, *uti etiam hìc.*

cc *Valcell.* contractâ nervorum compage, cadaeem sibi confestim infixit *pro* inflixit *&c. Id est, illico morbum caducum contraxit ;* CADAX *enim Isidoro in Gloss. est* claudus, qui sæpe cadit : *unde* cadax dolor *seu* passio *epilepsiam significat.* E *Vide Cangium.*

dd *Vitiosa hæc sunt : emendatè Valcell.* à Sancto recepit. *Planior sensus est apud Surium :* Petit igitur humiliter à Sancto remedium, & impetrat.

ee *In Valcell.* vim geminatæ potentiæ, tam vindictæ quàm veniæ.

ff *Melius Valcell.* & glutino soliditatis restaurari : sicque repentè sanata . . . propriam reversa est domum.

gg *Idem omittit* aulâ paradysi, *atque aliter hæc legit :* Cælo clausus in requie vernans, pro duplicato talento ingressus in gaudium Domini angelico junctus agmini.

hh Anastasi *vel* anastasiâ, *nam vox dubiè scripta erat, id est*, resurrectione. *Valcell. legit* beatam anastasim. *Græcè* ἀνάστασις *ab* ἀνίστημι, *excito, suscito.*

ii *Valcell.*, *omisso* per Dominum *&c.*, *sic effert sequentia :* Quo (*fortè* qui) coronis aureis glorificat sanctos suos, & in modum radiantis cristalli splendore micantes astrifero, odore redolentes nectareo beatissimos coronat triumpho. *Tum addit :* Cui est honor & gloria cum Patre & Paraclyto in trinitate perfecta & unitate perhenni per omnia secula seculorum amen. F

A D

APPENDIX

DE S. AUSTREGILDE VEL AGIA S. LUPI MATRE, AURELIANIS IN GALLIA.

J. V.

POST AN. DCVIII. *Elogium Sanctæ,*

Sancto Lupo Senonensi archiepiscopo S. Austregildem *seu* Agiam, *id est, sanctam, prout ipsum nomen* Agia *Græcè significat, sancto filio Matrem adjungimus, secuti Majores nostros, qui in Prætermissis ad* XIV *Junii tomo* II *istius mensis pag.* 783 *censuerunt illustrem hanc* B *Matronam* I *Septembris cum S. Lupo filio suo referri posse: alio tamen die, ut mox videbitur, apud Aurelianenses ejus memoria recolitur. Sequenti elogio illam exornat Andreas Saussayus in Catalogo Sanctorum &c. post Martyrologium Gallicanum pag.* 1233: S. Agia uxor Bettonis viri illustris, ex proceribus palatinis, uti ipse, oriunda genusque suum ad regiam stirpem referens; mater verò sancti Lupi Senonensis archiepiscopi, & duorum sanctissimorum episcoporum Austreni Aurelianensis & Aunarii Autissiodorensis germana: quibus meritis utì natalibus nequaquam impar tanti nati ex divina promissione meruit esse genitrix. Hæc post vitæ piissimæ decursum, Aureliis, ubi sacra ejus lipsana religiosis honoribus (cum beata ejusdem memoria) abhinc observari cœperunt, felicissimo fine in Christo obdormivit. *Sanctam Matrem* divina revelatione *nativitatem filii futuramque dignitatem edoctam fuisse, patet ex Vita S. Lupi num.* 1: *nec dubium est quin eidem à teneris virtutem instillaverit, ejusque piè formandæ juventutis egregios curatores fratres nempe suos elegerit; donec, ipsâ certè non invitâ, in clerum cooptatus* C *est. Vide num.* 2 *ibidem.*

tempus mortis, cultus publicus

2 *Insigne liberalitatis* S. Agiæ *specimen exhibet eadem Vita num.* 7: *cùm enim S. Lupum,* cætero expenso pauperibus, *vinum deficeret,* missus Genitricis suæ astitit, qui quingentos vini modios *ab eadem largâ manu missos* nunciavit, *reficiendis utique Christi pauperibus impendendos; erga quos sanctum filium suum tenerrimè affici non ignorabat. Ex hoc loco & num.* 4 *ibid. constat Sanctam nostram in vivis adhuc fuisse, S. Lupo jam episcopo: cum autem hic ad cathedram Senonensem assumptus sit anno* 609, *uti diximus in Commentario prævio ad ejus Vitam num.* 8, *consequens est, ut Matris obitus ante illum annum collocari nequeat. Unde nimis vagè signatur* circa annum DC. *An verò & quamdiu post annum* 609 *superstes fuerit, in obscuro est. Quare mortem illius notavimus post annum* 8 *seculi* VII. *Ad publicum Sanctæ cultum quod attinet,* Agiam *recenset Peyronetus in Catalogo Sanctorum pag.* 369. *Mothierus ad calcem Martyrologii Romani Gallicè Parisiis editi* 1705, *in Tabula Sanctorum Galliæ, qui in Romano non sunt, locum & diem addit:* Austregildis, Aureliani, IX Octobris. *Eodem die annuntiatur à Castellano:* Aurelianis, sancta Austregildis (Aga) mater S. Lupi; cujus reliquiæ sunt in S. Aniani. *Martyrologium autem Parisiense anni* 1727, *in Addendis & emendandis pag.* XIV, *illam signat octavo Idus Octobris seu* VIII *ejusdem his verbis:* Aurelianis, sanctæ Austregildis viduæ, cui Aga cognomen, matris sancti Lupi postea Senonensis episcopi, cujus corpus in basilica sancti Aniani repertum est tempore Roberti regis: *notatque in margine, uti etiam Castellanus, eam obiisse* circa DC; *sed non satis exactè, ut suprà ostensum est.* Memoria S. Agiæ *in Kalendario Aurelianensi Ms. habetur ad* XIV *Junii.* E

& translatio reliquiarum.

3 *De sacri corporis translatione ad calcem citati Kalendarii leguntur sequentia:* Ex veteri Ms. ecclesiæ S. Aniani Aurelian. . . . . Translatâ sunt in eam ecclesiam per Robertum corpora SS. Aniani. . . . . Agiæ viduæ. *Paulò fusiùs hæc refert aliud Aurelianensium SS. Kalendarium itidem Ms. ad* XIV *Junii:* Robertus Franciæ rex in ejus (*S. Aniani*) honorem ecclesiam constituxit . . . Anno autem regni sui XXXIII temporibus Oldorici * Ep. Aurel. convocatis regni sui præfulibus, corpus ejus cum corporibus sanctorum Eusticii . . . & Agiæ matris S. Lupi illuc transferri . . . curavit. *Andreas Saussayus geminam commemorat translationem* beatæ Agiæ; *primam* XV *Junii, alteram ad* XXVI *Octobris. Ejusdem meminit Carolus Saussayus in Annalibus ecclesiæ Aurelianensis pag.* 141. S. Agia mater S. Lupi in ecclesia S. Aniani celebratur, cujus corpus unà cum corporibus S. Aniani, Eusticii & F aliorum illuc est illatum postea per Robertum regem Francorum, *Hugonis Capeti filium. Solennis illa translatio, quam inferiùs à pag.* 387 *describit ex Helgaudo Floriacensi in Epitome Vitæ Roberti regis, contigit* anno Dominicæ Incarnationis MXXIX, Indictione XII. *Verùm in præcedentibus fallitur Helgaldus, ubi ait* Rotbertum, *ut legit Chesnius tom.* 4 *Scriptorum pag.* 73, suæ ordinationis, benedictionis & assumptionis in regem anno XXXVI *evocasse archipræsules: annus enim Christi* 1029 *Roberti* 42 *fuit, ex quo cum patre cœpit regnare, monarchiæ verò ejus* 33 *dumtaxat, ut liquet ex textu Ms. translationis reliquiarum S. Eusticii apud Chesnium citatum pag.* 147. *Obiit autem* XX *Julii an.* 1031, *teste Labbeo in Epitome chronologica, & Pagio in Critica Baronii ad an.* 1033 *&* 1034, *anno* 34 *ab adita monarchia nondum expleto. Demum, ut Saussayus narrat ad* XVII *Novembris pag.* 898, anno MDLXII qui Galliæ luctuosus in æternum erit, Calviniani hæretici interceptam Aureliam sacrilegiisque repletam, miseranda clade cùm vastarent, *plurium Sanctorum corpora* necnon sanctæ Agiæ matris S. Lupi archiepiscopi Senonensis . . . tragicè habita dissiparunt. *Ne-*

** al.* Odolrici

fandam

A *fandam barbariem, quâ ibidem graſſati ſunt; legere licet apud Odoricum Raynaldum ad dictum annum num.* 145 *& ſeqq. Plura de* S. Auſtregilde *vel* Agia *non invenimus: ſi Vitam ejus aut Acta quædam eruditi Aurelianenſes aliive ſuggeſſerint, pergratum nobis accidet; poterunique ea Operi noſtro inſeri ad* VIII *vel* IX *Octobris.* AUCTORE J. V.

DE S. NIVARDO ARCHIEPISCOPO REMENSI

IN COENOBIO ALTIVILLARENSI PROPE SPARNACUM *IN CAMPANIA GALLIÆ.*

COMMENTARIUS PRÆVIUS. J. S.

§ I. Antiquus Sancti cultus: memoratus à quibuſdam ut monachus, ſed perperam: Vita à quo & quomodo ſcripta.

B E

CIRCA DCLXXIII. *Memoria Sancti in Martyrologiis,*

Præter duos primos eccleſiæ Remenſis antiſtites, Sixtum & Sinicium, quorum geſta anè illuſtravimus, alius hodie colitur Remenſis præſul, Nivardus *&* Nivo *dictus, qui eamdem eccleſiam mira vitæ ſanctitate adminiſtravit ſeculo* VII. *Non inſeruerunt* S. Nivardum *Martyrologiis ſuis Ado & Uſuardus. Verùm Wandelbertus* Nivardum *memorat cùm Sixto & Sinicio, cum quibus dicit* inſigni nomine, meritis vitâque Nivardum *fulgere. Varii etiam aucti codices Uſuardi, cùm Mss., tum impreſſi, ejuſdem Sancti memoriam habent adjectam; ſed in aliquibus* Vivardus *mendosè nominatur. Florarium Ms. Sanctorum hoc ſanctum Antiſtitem ornavit elogio:* In Altovillari ſancti Nivardi epiſcopi & confeſſoris. Hic ſanctus Nivardus Remenſis archiepiſcopus ſanctum Bercharium moribus & ſapientiâ inſtruxit, pluresque alios viam ſalutis edocuit. Monaſticæ converſationis viros religioſos aggregavit, & cuncta, quæ huic ordini commoda judicantur, diligenter implevit. Cui Reolus vir totus apoſtolicus in epiſcopatu ſucceſſit. Claruit anno ſalutis DCLXI. *Locum diſtinctiùs explicat hodiernum Martyrologium Pariſienſe in hoc brevi elogio:* In monaſterio Altovillarenſi in Campania Gallica, ſancti Nivardi Remenſis epiſcopi. *Morti aſſignat in margine annum* 669. *Conſentit ferè Caſtellanus in Martyrologio univerſali, mortuam ſtatuens circa annum* 668. *Andreas Sauſſayus prolixius texuit elogium* S. Nivardi, *ſed erroribus plenum, ut oſtendam in decurſu.*

C

etiam Benedictinis, quæ perperam monachum faciunt:

2. *Martyrologi Benedictini; Menardus, Wion & Bucelinus Sanctum noſtrum etiam annuntiant, & poſteriores quidem ut monachum & abbatem. Bucelini verba ſubjungo:* In monaſterio Altovillarienſi depoſitio ſancti Nivardi Remenſis epiſcopi & confeſſoris. Nivardus Luxovienſis primùm monachus, ob inſignem vitæ integritatem, ad cœnobium quoddam Galliæ abbas poſtulatus, tantâ ſanctitatis famâ longè latéque innotuit, ut ampliſſimi & celeberrimi archiepiſcopatus honore digniſſimus haberetur. Ad Remenſem proin evectus cathedram, tanta in dignitatis ſublimitate ita ſe geſſit, ut non præclarè ſolùm, ſed & miraculosè factis eccleſiam ſuam mirificè exornaret, ſuaque tam eruditione quàm ſanctitate plurimas Chriſto animas lucraretur. Eum Almannus Villarienſis ſcriptor vetuſtiſſimus, ſanctitatis ac religionis magnitudine toto Francorum orbe famoſiſſimum celebrat. Condidit vir ſanctiſſimus Altovillarenſe ampliſſimum cœnobium, ubi & ſacrum ejus corpus religioſiſſimè frequentatur & colitur. *Non dubito, quin Bucelinus ſecutus ſit Trithemium, qui lib.* 4 *de Viris illuſtribus cap.* 62 *idem brevius habet his verbis:* Nivardus abbas & monachus in Francia, archiepiſcopus Remenſis, vir ſanctiſſimæ converſationis, qui vitâ & doctrinâ commiſſam ſibi ſtrenuè gubernavit eccleſiam, multis virtutibus & ſignis clarus effulſit. Claruit anno Domini DCLX. *Luxovienſem fuiſſe monachum credit Wion in Ligno Vitæ ad* 1 *Septembris, quia S. Bercharius, qui certò Luxovii tirocinium habuit,* Nivardi *fuit diſcipulus. At ea frivola eſt ratio, cùm eum diſcipulum habuerit* Nivardus *jam epiſcopus. Doubletius in Hiſtoria abbatiæ S. Dionyſii lib.* 1 *cap.* 25 *aſſerit, monachum fuiſſe in laudata S. Dionyſii abbatia, at ſine probatione idonea. Hinc Mabillonius in prætermiſſis ad ſeculum ſecundum Benedictinum ſic candidè pronuntiat:* Nivardus epiſcopus Remenſis laudatur in Actis S. Bercharii, ... & apud Frodoardum, ... quòd monaſterium Altivillarenſe condiderit; at eum fuiſſe monachum nuſpiam legitur; *videlicet apud ſcriptores, quibus hac in re ſatis fidere poſſumus. Contrà verò ex Vitâ, quæ monachum habet auctorem, ſatis colligitur,* S. Nivardum *monaſticæ profeſſioni numquam fuiſſe adſcriptum.*

D

cultus eſt ſaltem à ſeculo 9.

3 *Porrò à quo tempore* S. Nivardus *venerationem eccleſiaſticam obtinuerit, non omnino clarum eſt, at conſtat cultum ejus admodùm eſſe antiquum. Auctor Vitæ, uti & Flodoardus,* Beatum *ſemper vocant; Wandelbertus verò Martyrologio inſeruit; ita ut à ſeculo* IX *cultum habuerit, & veroſimiliter jam diu antè. In Breviario Remenſi anni* 1553 *Officium habet commune cum SS. Sixto & Sinicio, in quo tamen lectiones nihil continent ex Vita* Nivardi. *Verùm in Breviario anni* 1630 *breve ejus legitur elogium*

AUCTORE J. S.

lect. 6. *Illud hìc ſubjungo* : Horum (*Sixti & Sinicii*) ſedem quintus & viceſimus occupavit beatus Nivardus, genere nobiliſſimus & vitâ religioſiſſimus ; qui Remenſi eccleſiæ * magnis muneribus donata, monaſterium Altivillare conſtrui curavit ; eique Bercharium ſummæ religionis virum, primum abbatem conſtituit. *De cultu Sancti apud Altivillarenſes, agam* § 5, *uti & de reliquiis. Verumtamen in Martyrologio Romano* S. Nivardi *memoria necdum legitur, quod ſanè miratus ſum.*

* eccleſiâ

Vitam ineditam ſcripſit ſeculo 9 Almannus monachus,

4 *Vitam* S. Nivardi *hactenus ineditam ſcripſit Almannus monachus Altivillarenſis ſeculo* IX. *Sigebertus in Scriptoribus eccleſiaſticis cap.* 99 *de eo hæc memorat :* Almannus monachus Altvillarenſis ſcripſit Vitam S. Nivardi archiepiſcopi Remenſis, Vitam Sindulphi, Vitam Helenæ reginæ, & tranſlationem ejuſdem à Roma ad cœnobium Altvillarenſe : & quia ſuo tempore Francia à Nortmannis vaſtabatur, exemplo Hieremiæ prophetæ deſolationem Franciæ & ſui cœnobii quadruplici planxit Alphabeto. *De Almanno ejuſque ſcriptis fuſiùs agunt eruditi Benedictini,* B *qui componunt hoc tempore Hiſtoriam litterariam Franciæ, tom.* 5 *dicti Operis à pag.* 618. *Judicium tale ferunt illi pag.* 625 *de Opuſculis ejus ſtylo ſoluto ſcriptis. Stylum non prorſus neglexit, ſed juſto diffuſior eſt : idque inde eveniſſe videtur, quòd facta hiſtorica ſciret pauca de iis Sanctis, quorum Vitas ſcribendas ſuſceperat. Hæc ſcribendi methodus etiam ſervata eſt in Vita* S. Nivardi, *licèt de eo plura ſcire poſſet, quàm de aliis, quorum etiam Vitas ſcripſit : nam cùm Sanctus noſter fundator eſſet cœnobii Altivillarenſis, in quo degebat Almannus, haud dubiè varia de eo invenit monumenta antiqua. Verùm plura haud dubiè deſiderabat, atque ex eorum defectu, verborum abundantiâ multiſque exclamationibus Vitam protraxit.*

cujus tria habemus exemplaria Mſs.,

5 *Porrò laudati Benedictini pag.* 622 *ſuſpicantur hanc Almanni lucubratiunculam prorſus eſſe deperditam, quia Marlotus in Hiſtoria metropolis Remenſis eam nuſpiam memoravit. Verumtamen dubitare vix poſſum, quin Almanni ſit lucubratio, quam nos habemus* S. Nivardi *Vitam : nam, etiamſi nomen ejus non ſit præfixum, ſtylus planè talis eſt, qualis in aliis Almanni Opuſculis reperitur. Deinde tam multa narrat de fundatione Altivillarenſi, ut inde facilè colligi poſſit, ejuſdem monaſterii fuiſſe monachum. Clarè etiam patet, Flodoardum ex hac Vita hauſiſſe plurima, quæ de* S. Nivardo *ſcripto tradidit, cùm facta pleraque eodem planè modo referantur ab utroque. Hunc verò biographum non hauſiſſe ex Flodoardo colligo vel ex eo, quòd Flodoardus matrem fratreſque aliquot* S. Nivardi *nominet, quos biographus noſter tacet, non taciturus utique, ſi Flodoardum ducem eſſet ſecutus. Hinc nequaquam dubito, quin viri eruditi mecum ſint judicaturi lucubrationem hanc eſſe Almanni. Tria autem hujus Vitæ ad manum ſunt exemplaria, invicem rectè conſentientia, exceptis pauciſſimis mendis, quæ ſic irrepſerunt ſingulis, ut facillimè corrigi poſſint ex aliis. Primum exemplar eſt in codice noſtro* P. Ms. 154 *:* C *alterum apographum eſt ex monaſterio S. Mariæ Bonifontis, Ordinis Ciſtercienſis ; tertium ex monaſterio ejuſdem Ordinis Igniacenſi donavit anno* 1666 *Laurentius Forzy, laudati monaſterii preſbyter.*

6 *Cùm autem dicta apographa cum codice noſtro tam aptè congruant, ut nulla ferè ſit differentia, Vitam hanc edam ex dictis tribus Mſs., inter ſe collatis, notatis ſolùm in margine diverſis lectionibus, ubi reperiuntur. Reſtat ut dicamus pauca de auctoritate hujus Vitæ ; quia Almannus in Opere noſtro tom.* III *Auguſti pag.* 580 *varios errores dicitur inſeruiſſe Vitæ S. Helenæ imperatricis ; at ibidem pag.* 601 *ejuſdem eruditio laudatur à Trithemio. Mabillonius quoque tom.* 3 *Annalium pag.* 149 *&* 150 *de ipſo agens, Vitæ S. Memmii per ipſum ſimiliter ſcriptæ nullam ferè auctoritatem meritò attribuit. Hinc facilè quis exiſtimare poſſet, idem ſtatuendum eſſe de Vita* S. Nivardi. *Verùm conſiderare oportet, unde errores iſti Almanno obrepſerint ; ſic enim videbimus non eamdem ei fuiſſe occaſionem errandi in Vita* S. Nivardi. *Erravit in Vita S. Helenæ vir ſincerus magis quàm criticus, quia ſecutus eſt ſcripta apocrypha ; Vitam fabuloſam S. Memmii fruſtra conatus eſt emendare, quia idoneis carebat inſtrumentis. At non planè eadem hìc eſt ratio : nam* S. Nivardo *vicinior erat loco, habitans in monaſterio, quod ipſe condiderat, quodque haud dubiè multa conſervabat inſtrumenta, ad ſanctum Fundatorem ſuum ſpectantia. Tempore etiam erat huic Sancto vicinior quàm aliis. Remotior quidem erat, utpote ducentis ferè annis Sancto poſterior, quàm ut ſcribere poſſet Vitam, in qua ordine & minutatim exponerentur omnia Sancti geſta ; attamen adeo remotus non erat, ut aliqua ejus geſta ſcire non poſſet ex inſtrumentis aut elogiis quibuſdam ſcriptis, quæ facilè tam diu conſervantur. Sanè tam pauca de* S. Nivardo *expoſuit Almannus, ut non videam, cur ei in factis fidem abrogare debeamus, niſi major repugnaret auctoritas, cùm omnia ferè adoptata fuerint à Flodoardo. Nunc omnia* S. Nivardi *geſta ordine diſcutere aggredior, ut ſuppleantur quæ in Vita ſunt prætermiſſa, quantum fieri poteſt.* D E

Vita hæc majori fide digna, quàm aliæ ab eodem ſcriptæ.

§ II. Stirps Sancti illuſtris : initium epiſcopatûs ejus figendum ſub regno S. Sigiberti, ac circa medium ſeculi VII. F

Nobili ſtirpe natus Nivardus, incertum an regia :

NObiliſſima ſtirpe ortum fuiſſe Sanctum Nivardum, *convenit inter ſcriptores cùm antiquos tum nèotericos ; non aquè conſtat, an regiâ natus ſit proſapiâ, aut regibus fuerit affinitate junctus. In Vita quidem dicitur* cognatus regis Childerici ; *at Flodoardus cognatum regis nullibi vocat, uti nec Vita S. Reoli apud nos Mſs., nec Vita S. Bercharii ſæpiùs memoranda. Biographus dictam cognationem probat hiſce verbis :* Nam ſanctus Reolus, qui poſt ipſum pontificabat ſedem eccleſiæ Remenſis, regis filiam priùs, dum comes eſſet, habebat uxorem, neptem videlicet beati Nivardi. *Neptis* Nivardi *dicitur filia regis ; ipſe igitur* Nivardus *erat cognatus regis, aut ſaltem affinis, ſi illa regis filia* Nivardi *neptis erat ex ſorore. Porrò non deſignat ille, cujus regis eſſet filia. Nam Childericum quidem antea nominaverat ; ſed neque hìc Childericum rectè intelligere potuit, neque paullo antè, ubi dicit Sanctum educatum* in aula regis, *ſicut mox patebit. Itaque, nullus eſt modus conciliandi*

A *ciliandi cum hiſce Actis dicta Flodoardi, niſi utriſque craſſum errorem affingamus, uti fecerunt quidam neoterici. Etenim Flodoardus lib.* 2 *cap.* 7 *neptem* S. Nivardi *Reolo nuptam ſimiliter affirmat, ſed eam nominat* filiam Childerici, *non explicans, utrùm Childerici regis filiam velit, an alterius cujuſdam Childerici. Si autem Childericum regem intelligat, gravi lapſus eſt errore; ſi alium, diſſentit ab Actis.*

ſed craſſè hallucinantur, qui eum aſſerunt fratrem Bilihildis reginæ:

8 *Neoterici varii Childericum regem intellexerunt in Flodoardo, eumque errorem ſecuti, alii aſſeruerunt* Nivardum *fuiſſe Childerici fratrem, alii fratrem fecerunt uxoris Childerici Bilihildis reginæ, æquali utrique fundamento, errore æquè claro & craſſo. Marlotus lib.* 2 *cap.* 40 *utramque opinionem dubitanter proponit, & neptem* Nivardi *Childerici regis filiam deinde vocat cap.* 43. *Blithildem vel Bilihildem reginam* Nivardo *ſororem attribuunt Sauſſayus, Colvenerius, & Bailletus ad* 1 *Septembris, conjecturam ineptè deductam pro certa veritate obtrudentes. Audì mentem eorum ex Colvenerio, qui in Catalogo archiepiſcoporum Remenſium in* Nivardo *ſic habet:* Hujus S. Nivardi ſororem, nomine Blithildem, Childericus rex Auſtraſiorum, & poſtea Francorum, duxerat in uxorem, ex qua ſuſcepit filiam Amalthidem (*aliàs* Mathildis *dicitur*) quam Reolus comes Campaniæ habuit uxorem. *Quàm hæc ſint inepta, breviter accipe. Natus eſt Childericus circa annum* 650, *ut ſcriptores paſſim nunc habent, Reolus verò factus eſt epiſcopus circa* 673 *aut* 674, *quo ferè tempore obiit Childericus ætate* 23 *aut* 24 *circiter annorum (nam hæc omnia exactiùs diſcutere non eſt neceſſe.) Quomodo igitur Reolus filiam Childerici habere uxorem potuit ante epiſcopatum? Quin imo Reolus filium habuit Gedeonem, teſte Flodoardo, iſque jam factus eſt monachus vivente* Nivardo, *ita ut Reolus nuptiis alligatus fuerit, priuſquam matrimonio aptus eſſet Childericus, quem ejus volunt ſocerum. Error igitur hic manifeſtus eſt & certus, ut jam obſervavit Papebrochius ad Acta S. Gundeberti tom.* III *Aprilis pag.* 624 *lit.* a, *ibique exiſtimat alium Childericum à Flodoardo deſignari, non regem.*

nihil certi de ejus genealogia, C

9 *Hinc obſerva, quàm multa ſint incerta in genealogia* S. Nivardi. *Incertum eſt* 1°, *an Flodoardus Childericum regem Reolo ſocerum aſſignet ex errore, an verò alium Childericum à rege diſtinctum.* 2°. *an potiùs credendum ſit Flodoardo, an biographo, ſi neuter Childericum regem velit; prior verò Childericum alium, poſterior alium regem.* 3°. *Si conſtaret, neptem* Nivardi *fuiſſe filiam unius ex præcedentibus regibus, prout revera potuit eſſe Clotarii II, aut Dagoberti, rurſus eſſet dubium, an ex legitima uxore, ac ex concubina eſſet regis filia.* 4°. *Nihilo certius eſſet ex eo, an* Nivardus *natus eſſet regia ſtirpe, an verò tantùm affinis regis per ſororem, cujus neptis illa eſſet filia.* 5°. *Etiamſi biographus* Nivardum *aſſerat regis cognatum, quia tamen de illa cognatione nihil apud Flodoardum, nihil in Vitis Bercharii aut Reoli dicitur, dubium videtur, an intelligendus non ſit de ſola affinitate, cùm neptem inducat ad cognationem probandam; imò magis ambiguum eſt, an cognationem illam ſibi non finxerit ex conjecturis malè fundatis.* 6°. *Demum incertum eſt, quo ſenſu uxorem Reoli, neptem* Nivardi *dixerint Flodoardus & biographus: nam vox illa medio ævo variis modis uſurpata fuit à Gallis ſcriptoribus.*

10 *Hæc ſufficiunt, ut oſtendamus quàm omnia illa ſint incerta, quamque nihil certi ſtatui poſſit de genere* S. Nivardi, *nimirum an ex ſtirpe regia deſcenderit, an affinitate regibus junctus fuerit per ſororem aliquam aut amitam, quæ dicta neptis fuerit mater, & ſic impropriè vocetur* cognatus, *an verò erraverit biographus, & Childericum alium cum rege Childerico confuderit. Quidquid autem de his fuerit verius, nobilem Sancti ſtirpem fuiſſe abunde cognoſcimus. Mater Sancti* Emma *vocatur à Flodoardo lib.* 2 *cap.* 10, *frater verò* Gundebertus, *aliàs* Guntbertus *vel* Gumbertus, *de quo egit Papebrochius, ut de ſancto martyre tom.* III *Aprilis à pag.* 620. *Mabillonius tom.* 1 *Annalium pag.* 467 *quatuor* Nivardo *attribuit fratres:* Erant Nivardo, *inquit*, quatuor germani fratres, nempe Bavo, Theoderamnus, ſuperiùs laudati; Gundebertus & Childericus, cujus filiam in matrimonium duxerat Regulus ſeu Reolus comes, poſtmodum Remorum antiſtes. *At viro erudito neſcio quæ hîc obrepſit hallucinatio: nam Bavo & Theoderamnus fratres ſunt, ſed non ſunt fratres* Nivardi, *ut clarum eſt ex Vita, atque etiam ex Flodoardo lib.* 2 *cap.* 7, *ubi* Bavo, Baldinus & Theoderamnus *fratres aſſeruntur, referunturque ad preces* Nivardi *cum eo commutaſſe locum, quem Sanctus deſtinabat ad condendum monaſterium Altivillarenſe. Quòd autem hi non ſint fratres* Nivardi *clarè innuit Flodoardus, cùm dicit* Nivardum *viſionem ſuam narraſſe* cuidam Dei ſervo, nomine Bavoni. *Sic certò non nominaretur frater. Vix etiam credo* Childericum *inter* Nivardi *fratres numerandum, cùm id non aſſerat Flodoardus; neque idem evinci poſſit ex eo, quòd filia Childerici dicatur* neptis Nivardi, *cùm poſſit eſſe neptis ex ſorore, vel ex amita, patruo aut avunculo: multis enim modis uſitatæ fuerunt voces* nepos & neptis *medio ævo. Unus igitur* S. Nivardi *frater videtur fuiſſe Gundebertus, aut certè de nullo alio id tutò affirmari poteſt.*

AUCTORE J. S.

mater ejus Emma dicta, frater S. Gundebertus; nec alii fratres noti.

Natus videtur ſub initium ſeculi 7, *converſatuſque in aula regum Auſtraſiæ:* F

11 *De loco & tempore natali nihil prorſus commemorant ſcriptores: at conjicere poſſumus, Remis aut certè in Campania natum fuiſſe, quia pleraque ipſius fratriſque ejus Gundeberti bona fuiſſe videntur in Campania, ubi fundarunt ac ditarunt monaſteria varia. Verùm Emma ipſorum mater dicitur bona habuiſſe trans Ligerim, ut veriſimile ſit oriundam fuiſſe ex iſtis partibus. Etenim, cùm poſt mortem Sancti de bonis ipſius lis orta eſſet inter Reolum epiſcopum & Gundebertum,* Nivardi *fratris ſui bona repetentem, ſic concordiam inierunt,* ut Gundebertus ea, quæ ultra Ligerim fuerant Emmæ genitricis ipſorum, abſque repetitione Reoli epiſcopi, vel agentium ſuorum, in ſua reciperet poteſtate. Reliqua verò, quæcumque bonæ memoriæ domnus Nivo ad loca Sanctorum per ſua inſtrumenta delegavit, ad integrum eadem Sanctorum loca perpetualiter abſque repetitione Gundeberti, vel heredum ſuorum cum Dei adjutorio poſſiderent. Unde conventiale quoque ſcriptum digeſtum apud nos adhuc reſervatur, utriuſque partis aſſignatione roboratum, *inquit Flodoardus lib.* 2 *cap.* 10, *ubi antè dixerat* tam de paterna quàm de materna hereditate *litem fuiſſe. Hinc veriſimile eſt, patrem fuiſſe Campanum, matrem verò Aquitanam, ex Aquitania videlicet ad Ligerim uſque producta. Porrò natum crediderim ſeculo* VII *non multùm provecto, educatumque Metis in aula Dagoberti, atque in aula adhuc converſatum fuiſſe ſub S. Sigeberto filio Dagoberti:*

AUCTORE J. S.

nam in aula fuisse regum Austrasiæ, quibus etiam Remi subserant, colligitur ex eis, quæ Nivardo *episcopo dederunt Childebertus Grimoaldi filius, ipseque Grimoaldus, qui regnum Austrasiæ usurparunt post mortem S. Sigeberti. Flodoardus cap. 7 tantùm dicit:* Hic priùs (*quam fieret episcopus*) in aula regis, utpote vir illustrissimus, traditur conversatus.

episcopus factus sub S. Sigeberto,

12 *De tempore, quo Sanctus noster promotus est ad episcopatum, nihil tradit biographus aut Flodoardus, nisi Landoni successisse. Flodoardi verba hæc sunt:* Post prædictos (*Leudegisilum, quem sub Dagoberto floruisse dixerat, Anglebertum, & Landonem*) ad episcopale culmen eligitur beatus Nivo, qui & Nivardus: utroque enim reperitur vocitatus nomine. *De tempore Landonis cap. 6 sic loquitur:* Fuit autem Sigiberti regis tempore. *Hinc colligo,* Nivardum *creatum esse episcopum tempore S. Sigeberti Austrasiæ regis, sub quo defunctus est Lando: nam id confirmatur ex immunitate, quam* Nivardus *impetravit à Childeberto, atque ex villis à Grimoaldo donatis, cùm illi post mortem Sigeberti non*
B *diu sint dominati. Verùm nec convenit inter scriptores de anno emortuali S. Sigeberti, nec constat, quamdiu ante ejus mortem promotus sit* S. Nivardus, *ita ut annus primus ejus episcopatûs exactè nequeat assignari. Colvenerius in catalogo antistitum Remensium, post Historiam Flodoardi edito, ordinatum episcopum dicit mense Septembri, anno 655, præsente Clodoveo II. At id de Clodoveo non crediderim, sed magis de Sigeberto, sub cujus imperio erat urbs Remensis. Cointius verò in Annalibus Francorum promotionem Sancti ad episcopatum affigit anno 649, uti ibi habet num. 10. Neuter tamen firmum chronotaxis suæ tradit fundamentum, licèt Cointius variis locis agat de successione episcoporum Remensium, suosque singulis annos attribuat æquè ac Colvenerius.*

sed anno inserto circa medium seculi 7.

13 *Si conjectura Longuevallii nostri de concilio Namnetensi, cui interfuit* Nivardus, *satis videretur certa, tutò initium episcopatûs statueremus ante annum 650. Etenim laudatus scriptor in Historia ecclesiæ Gallicanæ tom. 4, ad annum 650, recitat canones concilii Namnetensis, cujus tempus ignoratur; suspicaturque idem esse*
C *concilium, de quo Flodoardus lib. 2 cap. 7 ait, congregatum fuisse* Romani jussione Pontificis. *Tum concilium istud, cui adfuit* Nivardus, *collocat circa annum 650,* Quia scimus, *inquit,* Papam anno DCXLIX scripsisse, ut concilia haberentur in Galliis. *Probabilis est hæc ratio, non certa, neque eam pro certa allegat Longuevallius. Marlotus de anno inchoati episcopatus sic loquitur lib. 2 cap. 40:* Opinor Nivardum, Childeberto III Grimoaldi filio necdum è solio armis Clodovei deturbato, ad archiepiscopatum Remensem electum fuisse anno DCLI. *Ut id probet, allegat donationes Childeberti & Grimoaldi. At ea solùm probant, seriùs electum non fuisse, atque adeo non evincunt, non esse electum sub Sigeberto, ut id potiùs insinuent. Quippe intrusio Childeberti per Grimoaldum sic refertur ab antiquis scriptoribus, ut statim Grimoaldi carcerem conjungant, ita ut electio* Nivardi *nequaquam videatur contigisse brevi illo perturbatoque tempore tyrannidis Childeberti; sed donatio Grimoaldi forsan præcesserit, ac immunitas à Childeberto, simulac regnum sibi vindicaverat, concessa videatur, ut sic* Nivardum, *magnæ auctoritatis antistitem, suis partibus faventem redderet. Verumtamen Sanctus, etsi privilegium acceptârit, ita se gessisse videtur, ut Chlodoveum regem non offenderit, cùm ab hoc similiter dona pro ecclesia sua obtinuerit. Itaque cùm hæc innuant* Nivardum *ante tyrannidem Childeberti fuisse episcopum, & Flodoardus dicat antecessorem ejus fuisse tempore Sigeberti, initium episcopatûs* S. Nivardi *collocandum omnino videtur sub Sigeberto, ac circa medium seculi* VII, *annusque relinquendus incertus.* D

§ III. Præclara Sancti gesta in episcopatu, obtentaque privilegia & donationes pro ecclesia Remensi.

Varia à Sancto præstita ad utilitatem ecclesiæ suæ, E

Quæ de gestis S. Nivardi *lib. 2 cap. 7 tradidit Flodoardus, tam exactè congruunt cum Actis edendis, ut dubitarem uter alterum exscripsisset, nisi ea dubitatio tolleretur ex Flodoardi cap. 10, ubi agit de Reolo* Nivardi *successore. Nam, cùm ibi memoret Emmam matrem, Gundebertum fratrem* Nivardi, *atque aliquot donationes cap. 7 omissas, prout omissa sunt in Actis hæc omnia; abundè patet Flodoardum cap. 7 compendium Actorum tradidisse, aliaque quædam de* Nivardo *inveniisse, dum de Reolo agebat, quæ ne quidem curavit inserere loco suo. Almannum Flodoardo præluxisse etiam innuit fusa relatio fundationis Altivillarensis, cùm contrà fundatio monasterii S. Basoli brevissimè sit narrata: ex qua differentia agnoscas primum auctorem fuisse Altivillarensem. Verumtamen, quia aliqui forsan plus auctoritatis tribuunt Flodoardo, quàm Almanno biographo, narrata ab illo inseram huic Commentario. Sic igitur habet Flodoardus cap. 7:* In episcopatu verò positus, emptis per diversa loca tam fundis quàm domibus, nec non mancipiis, dilatasse res invenitur ecclesiæ. Disposuit etiam nonnullas ordinatis coloniis villas episcopii: quasdam quoque res commutasse reperitur cum Attila Laudunensi præsule pro utriusque partis oportunitate .... Sed & cum aliis quibusdam personis, prout congruum visum fuit, res quasdam commutavit. *Hæc omnia ad utilitatem ecclesiæ Remensis præstita eadem modo narrat biographus, qui observat reditus episcopales pro dignitate ecclesiæ nimis eo tempore fuisse tenues.* F

eidemque obtenta à principibus:

15 *Hisce subjungo impetrata per Sanctum à viris principibus. Flodoardus cap. 7:* Hujus etiam tempore tradidit Grimoaldus vir illustris sancto Remigio villas suas Calmiciacum & Victuriacum, pro animæ suæ remedio. *Erat Grimoaldus præfectus palatii, seu major domûs S. Sigeberti, cum eoque haud dubiè in aula Metensi vixerat* S. Nivardus. *Hasce autem donationes obtentas suspicor, vivente adhuc Sigeberto, ideoque primas recensui, licèt postremas posuerit Flodoardus, quia ut opinor, aliæ à regibus factæ:* Præceptum etiam immunitatis à Childeberto rege super teloneis & quibusdam tributis, ecclesiæ Remensi obtinuit. *Childebertus hic erat Grimoaldi filius, post mortem S. Sigeberti in regnum Austrasiæ intrusus à Grimoaldo patre, qui commissum sibi Sigeberti filium Dagobertum clàm in Hiberniam curaverat deportandum, famamque*

AUCTORE J. S.

A *mamque ſparſerat eum obiiſſe, ac filium ſuum à Sigeberto adoptatum. Sed breve fuit Childeberti regnum; ipſe enim à Chlodoveo II, dudum Burgundiæ ac Neuſtriæ rege, deturbatus, paterque ejus necatus eſt in carcere. Subjungit Flodoardus:* Cui Ludovicus (*id eſt, Clodoveus II*) quoque rex, ſub eccleſiæ ſuæ nomine, res quaſdam in Malliaco ſuper fluvium Vidulam, quas, quibuſdam infidelibus ſuis ejectis, receperat, auctoritatis ſuæ præcepto conceſſit. *Infideles illi veroſimiliter adhæſerant Childeberto; cúmque eorum bona rex dederit eccleſiæ Remenſi, ſatis patet* Nivardum *eorum partibus non ſtuduiſſe.*

16 *Varia quoque in commodum monachorum præſtitit* Nivardus. *Audi Flodoardum:* Dedit quoque ſub jure privilegii ad monaſterium S. Baſoli eccleſiam in Virizíaco * in honore ſanctæ Mariæ conſtructam, cum omnibus ad ipſam pertinentibus, ſimulque locellum, qui Waſciacus dicitur. Immunitatem quoque ipſis monachis, ſub Perrone abbate ibidem Deo ſervientibus inſtituit, ut nullus eccleſiaſticorum judicum eos indebitè in aliquo inquietare præſumeret, ſed eis quieto ordine ſub ſancta regula vivere, ac Deo ſervire liceret. *Hoc monaſterium cap.* 10 *numeratur inter loca Sanctorum, quibus* omnem rem ſuam *contulerat, quæque* ipſe domnus Nivo ſuo conſtruxerat, vel reſtruxerat opere. *Conditum erat dudum Viriziacenſe monaſterium*, quod ad radices montis Remorum infra nemus Rigetii * ſitum erat, *teſte Mabillonio tom.* I *Annalium ad annum* 573, *quo circitèr ad illud veniſſe S. Baſolum affirmat. Idem ſcriptor ad annum* 620 *credit S. Baſolum, qui* XXVI *Novembris colitur, eo ferè tempore obiiſſe:* Hic è monacho factus anachoreta, *inquit*, ſupremum diem vitæ mortalis . . . abſolvit in ipſo montis vertice, ubi remotioris habitaculi cellulam cum oratorio ſibi erexerat, & per annos quadraginta Deo militaverat. . . . Cùm verò locus iſte & miraculorum gloriâ, & adventantium frequentiâ illuſtrior evaderet in dies; beatus Nivardus Remorum antiſtes ibidem aliud monaſterium conſtruxit; ſicque paulatim Virziacenſe monaſterium, quod ad montis radices ſitum erat, obſoleſcere cœpit, & ſuperiori monaſterio cedere; monachis inferioris cœnobii iſtuc tranſlatis. Ab eo tempore monaſterium ſancti Baſoli appellari cœptum. *Ex hiſce facilè intelligimus, cur Flodoardus dicat, monaſterium iſtud ſtructum vel reſtructum à* S. Nivardo, *videlicet quia conſtructio ſecundi, erat quaſi reſtauratio prioris. Exſtat etiamnum S. Baſoli monaſterium à* S. Nivardo *conſtructum & ditatum.*

conſtructum S. Baſoli monaſterium:
* Verzy

* de la Roure

B

C

17 *Cointius in Annalibus Francorum ad annum* 627 *num.* 6 *recitat verba Brevarii Remenſis, quibus dicitur, monaſterium Remis ædificatum à Balderico presbytero, eique præfuiſſe abbatiſſam S. Bovam Balderici ſororem. De ejuſdem monaſterii conſecratione hæc ibi dicuntur:* Quod Deo in honorem beatiſſimæ ſemper Virginis Mariæ atque ſancti Petri apoſtoli dicari curavit, ſancto Nivardo pontifice. *Putat Cointius ad annum* 649 *num.* 10 *conſecrationem illam contigiſſe circa initium pontificatûs* Nivardi, *vivente adhuc Sigeberto rege. Mabillonius in Annalibus ad annum* 629 *oſtendere nititur monaſterium iſtud conditum eſſe ante annum* 630, *quo certè necdum epiſcopus erat* Nivardus, *ita ut dubitari poſſit, an conſecratio per* Nivardum *ſit peracta, quod nec Flodoardus aſſeruit, nec Acta habent. Verumtamen conſtat, ſanctum Antiſtitem in idem monaſterium fuiſſe beneficum:*

benefacit monaſterio puellarum, ubi S. Bova præerat abbatiſſa; & eccleſiæ SS. Rufini & Valerii.

nam Flodoardus cap. 7 *hæc habet:* Item (*dedit* Nivardus *bona ſua*) Remis ad monaſterium puellarum, ubi Boba præeſſe videbatur abbatiſſa. *Laudatus Mabillonius de hac donatione ſic loquitur:* Nivardus Remorum antiſtes ſub finem ſeculi ſeptimi quædam largitus eſt monaſterio puellarum Remis, ubi Boba præeſſe videbatur abbatiſſa; quæ diſtinguenda videtur à ſancta Bova ex præmiſſis: aliàs plus quàm centenaria fuiſſet. Si quis verò unam & eamdem eſſe velit, conſequens eſt ut etiam neget, vel ſanctam Bovam fuiſſe primam ſancti Petri parthenonis abbatiſſam, aut Balderici ſororem; vel certè Baldericum non fuiſſe conditorem monaſterii Montis-falconis, quod conditum erat ex dictis ante annum ſexcenteſimum trigeſimum & quidem poſt conſtructionem parthenonis ſancti Petri. *Egerunt majores noſtri de ſanctis Bova & Doda tom.* III *Aprilis à pag.* 283. *De S. Balderico agi poterit ad* XVI *Octobris, quo toli dicitur, ibique inveſtigari, an argumenta Mabillonii ad diſtinctionem utriuſque neceſſariò cogant. Certè ſi monaſterium exſtructum eſt non diu ante annum* 630, *poterat adhuc facilè ſupereſſe S. Bova, cùm iſti monaſterio benefecit* S. Nivardus, *longè à fine ſeculi* VII, *cùm defunctus ſit circa annum* 673. *Eccleſiæ quoque SS. Rufini & Valerii beneficum fuiſſe ſanctum Antiſtitem, ſubdit Flodoardus cap.* 10. *De hiſce ſanctis martyribus apud nos actum eſt ad* XIV *Junii.*

E

Sanctus inviſit parentes S. Bercharii tunc pueri,

18 *Munificentia* S. Nivardi *præcipuè eluxit in fundatione monaſterii Altivillarenſis, cui S. Bercharium primum præfecit abbatem. Res fusè refertur in Actis & eodem ferè modo apud Flodoardum, in Vita verò S. Bercharii narratur mutatis quibuſdam adjunctis. Edidit hanc Vitam Mabillonius inter Acta Sanctorum Ordinis Benedictini ſeculo* 2, *à pag.* 832, *atque in eadem* S. Nivardus *magnis ubique ornatur laudibus. Accipe primò, quæ habet num.* 3: Eo tempore, *inquit*, Francorum imperium rege Childerico feliciſſimè diſponente, . . . B. pontifex Nivardus, ſanctiratis ac religionis magnitudine toto Francorum orbe famoſiſſimus, apoſtolica auctoritate cæleſtem in terris vitam agens, ſanctæ Remorum præſidebat eccleſiæ. Qui quia eſſet plenus auctoritatis & gratiæ, cùm peteretur quoque diverſas terrarum vel nationum, tam pro vitæ merito quàm etiam doctrinæ affluentis eloquio, partes inviſere, fines Aquitaniæ aliquando contigit expetîſſe, atque ad illud uſque prædium traditur perveniſſe, in quo viri Dei (*S. Bercharii*) parentes videbantur propria ſtatione reſedîſſe . . . Cum prædictus Pontifex ſanctus à viri Dei parentibus debitæ venerationis liberalitate, ut par erat, officioſiſſimè ſuſceptus, quamdam futuræ habitudinis ſpeciem miraretur in puero boni operis candidato, divino inſtinctu ſacris myſteriis eum applicandum eſſe præcenſuit. *Hactenus Adſo abbas Dervenſis, qui hanc Vitam ſeculo* X *conſcripſit. Noſter verò biographus num.* 12 *aſſerit S. Bercharium* de ſacris fontibus *ſuſceptum a* Nivardo *quod nec apud Adſonem invenio nec apud Flodoardum, ideoque incertum puto. Si verò id factum eſt, contigiſſe debuit ante epiſcopatum* Nivardi, *cùm Adſo num.* 2 *affirmet Bercharium, ſimulac in lucem prodierat, ſacro fonte renatum. Hoc ipſum quoque iter in Aquitaniam, quod narrat Adſo, contigiſſe videtur ante epiſcopatum Sancti, cùm puer adhuc eſſet Bercharius. Crediderim igitur* Nivardum *di-*

F

ci

AUCTORE J. S.

ci episcopum, quia eam dignitatem postea est consecutus.

qui postea ad eum mittitur instituendus,

19 *Porrò Bercharius litteris institutus; scientiâque & virtute insignis, teste Adsone num.* 4, præfatum sanctissimum Nivardum Remorum pontificem flagrat ardore expetendi. Qui, sicut diximus, apostolicæ institutionis prærogativâ suffultus, nobilitatis honore clarissimus, variis virtutum generibus adornatus, inter Francorum proceres primus in aula regis, vitâ & conversatione dignissimus fulgebat. Per id temporis ea civitas Sanctorum stipata cohortibus, & licèt inter militares alas sub principe suo Childerico, Capiti * tamen suo consona, divini amore cultûs urbs populosa spirabat. Hujus itaque tantæ opinionis gratiâ provocatus felix adolescens Bercharius, ecclesiasticis sacramentis fide, habitu & actu aptissimus, . . . fines ingreditur Franciæ, futurus cum S. Nivardo pontifice civis felicissimus . . . sanctæ Remensis ecclesiæ, in augmentum videlicet operationis divinæ, quam Domini omnipotentia Redemptoris, in lucrandis fidelium animarum quæstibus per hos duos synergos * felicissimos præordinaverat adimplere. Hic igitur beatus Pontifex, ut semper optaverat, tali ac tanto suppare adepto, quoniam ipse exterioribus tractandæ reipublicæ fuerat negotiis implicatus, regiæ dispositionis consiliis & actibus frequenter interesse, pontificalis providentiæ pondus volens nolensve cælesti ordinatione perferre, ministerium sibi injunctum, tum publicè tum privatim increpando, arguendo, obsecrando, ut perfectus agricola, sedulus exercere, gaudio replebatur non modico, familiari potitus adjutore atque in divinis operibus devotissimo consorte.

* Nivardo episcopo

* *i. e.* cooperatores

B

ab eoque missus ad S. Remaclum, inde Luxovium, redit monasticâ disciplinâ instructus ad Nivardum,

20 Quapropter cupiens eum undecumque perfectiùs erudiri, sanctioribus ac religiosioribus divinæ scientiæ viris, quos sibi undique collata familiaritate addiderat, copulandum esse constituit, ut videlicet plurimorum institutentium auctoritate disceret, quod postmodum plurimis ministraret. *Deinde narrat S. Bercharium missum esse ad S. Remaclum in aula versantem; ab eoque postea profectum ad cœnobium Luxoviense, ubi vitam professus est monasticam. Quibus relatis, sic prosequitur num.* 9: Ita verò cùm jam esset regularibus adprimè disciplinis edoctus, divinæ militiæ in utramque partem armis præmunitus, ut videlicet per hæc, quæ longo exercitio didicisset, in lucri Dominici dispensationem jam plurimorum saluti consulere potuisset; in provinciam Remorum ad S. Nivardum pontificem revertitur, qui tam virtutibus quàm rebus, ut diximus, supra gregis sui custodiam vigilans, hostis insidias relidebat, atque ecclesiasticam dignitatem profusis successibus ampliabat; cuique olim volventibus annis, divinæ inspirationis instinctu hic ardor sensibus inerat, uti in quolibet * suæ diœcesis contubernio, eo loci ad serviendum Deo viventi domum construeret, ubi rerum competentia aptiora divinæ servitutis commoda prætulisset. Illa erat in hac deliberatione morarum causa permaxima, quoniam deesset persona voti ad id agendum socia, quæ & desiderium suppleret Pontificis, & strenua in Dei rebus inveniretur instantiâ suscipiendæ tantæ collaborationis. Sed diu in dubio suspensus animus nequaquam frustrari potuit spe jam pridem conceptæ intentionis. Bercharium itaque præripit, voto applicat, consultu præeligit, virum quidem in Dei rebus idoneum, religione præditum, animo efficacem, exteriorum experientiâ non minùs agilem quàm prudentem.

* *i. e.* quodam

C

D

qui monasterium ei exstruere desiderat aliudque instaurare bis frustra tentarat.

21 *Flodoardus cap.* 7 *de conatu condendi monasterii hæc memorat cum Actis nostris:* Hic beatus Nivardus, dum ex communi consensu totius concilii præsulum Galliæ, Namnetis Romani jussione Pontificis exhibiti, rege favente, restruxisset ecclesiam monasterii, super ripam Maternæ fluminis, in loco nuncupato Villari dudum siti, sed à barbaris diruti, & ab eo constructa hæc funditus cecidisset ecclesia, in alio loco rursus ab ipso restructa, rursum traditur corruisse. *Hæc, non memorata ab Adsone, forsan contigerunt antequam Bercharius ex monasterio Luxovienſi rediisset ad* Nivardum. *Tempus autem celebrati istius concilii incertum esse, jam antè monui: neque exactè determinari potest tempus conditi tandem Altivillarensis monasterii; verùm ex omnibus hisce, quæ de Bercharo & de conatu* Nivardi *bis irrito retulimus, satis colligitur, fundationem illam non esse peractam sub initium episcopatûs* Nivardi, *sed potiùs sub finem, seu annis non multis ante beatum ejus obitum. Nunc ipsam fundationem ex Flodoardo & Adsone, qui in adjunctis quibusdam dissonant, accuratè exponere conabimur.*

E

§ IV. Fundatio cœnobii Altivillarensis fusè descripta.

Locus conditi deinde cœnobii:

L*Ocum cum occasione sic describit laudatus Adso apud Mabillonium num.* 9: Prædium est publicum in pago Remensi, octo millibus ab urbe disparatum, cui videlicet ævo præcedenti Sparnacus * nomen fuisse constat impositum, quam olim quidem . . . beatus Remigius. non modicæ quantitatis pretio adquisierat, ac Remensem ecclesiam . . . heredem constituerat. Denique glorioſissimus Dei Pontifex Nivardus, pastoralis solertiæ condignè administrans officium, tum ad alia suæ diœcesis loca invisenda, tum quoque ad hunc sæpe vicum egrediens, non tam propriæ causas agebat utilitatis, quàm cunctis se affabilem quoque exhibens, salutem subjectorum sedulus impendebat. Cumque dies ac noctes ædificandi cœnobium in aliquo prædiorum suorum, quibus nobiliter temporali quoque emolumento pollebat, desidetii continuatione pervigiles duceret, assumpto suo illo, ut sæpe solebat, domestico beato Berchario, causa exstitit, quâ præfatum vicum expetere prò more cogitaret. Hujus processu itineris, quo ad eumdem vicum, Maternæ fluminis litoribus contiguum, tenditur, quidam sui juris locus erat gratissimus, qui paullulum reducto sinu in montis latere amœnissimo herbis virentibus aquarumque rivulis, ex sublimi vertice leniter effluentibus, arboribusque ac vineis in declivi circumquaque constipatus, intuentium oculis oblectamenta præstabat. *Corrigendus scriptor, dum ait locum fuisse* S. Nivardi: *nam Bavonis erat & Theodoramni fratrum, à quibus eum commutatione impetravit* Nivardus, *uti habent Acta, Flodoardus, ipseque* Nivardi *litteræ. Brevius eumdem locum describit Mabillonius tom.* 1 *Annalium pag.* 466 *his verbis:* Locus erat quatuor leucis ab urbe Remorum, in declivi montis latere positus, ad Matronæ fluvii prospectum, haud procul à Sparnaco opido, Altivillare dictus, quæ visa

* Espernay *nunc oppidum*

F

A vîsa eſt apta monaſterii ſedes. Pertinebat hic locus ad Bavonem & Theoderamnum Nivardi fratres. *Rectè cetera, ſed Bavo & Theoderamnus non erant fratres* Nivardi.

per quem tranſiens cum Bercharío Nivardus, ſomno opprimitur,

23 *Cauſam eligendi hunc locum Adſo narrat num.* 10 *hoc modo:* Sanctus igitur Pontifex hoc iter aggreſſus, cùm jam eas partes per clivum montis attigiſſet, qua de contra illa loci gradientis viſibus ſe amœnitas propiùs objeciſſet, ſuper equeſtre, quo ferebatur, vehiculum eo gravi ſopore deprimitur, ut omni protinus eundi facultate proſcriptus, ſymmiſtem ſuum B. Bercharium inclamaret, omnemque illum equeſtrem, qui tunc fortè ſe comitabatur, ordinem ſtare loco præciperet, & quibus ad ſoporem urgeretur ſtimulis, patentiùs indicaret: Ecce, inquit, irruente ſoporis immanitate ſecus ſolito concutior: ita ut hinc greſſum promovere, impotem me eſſe omnino conſiderem. Procuretur ergo feſſis artibus inter hæc virecta amœnitas paullulùm divertendi, ut redeuntibus per ſoporem viribus cœptum reddatur facultas iter peragendi. Inter latè patentia nemora diffuſis frondibus, virentibus foliis inſtanti rei grata fagus eligitur.

B Hæc alias inter tantùm caput extulit alnos,
Quantum lenta ſolent inter viburna cupreſſi.
Huic itaque arbori ociùs ſe ſubter injiciunt gratiâ quieſcendi. Ita individui ſui comitis B. Bercharii ſolo decumbentis feſtinans compoſito vertice gremio recipi, ſternitur hic patulæ recubans ſub tegmine fagi. Quid verò tunc miraculi cælitus ſit oſtenſum, ſtili duxi officio non improbè intimandum, ut ſupernæ illuſtrationis veritas oſtenderet, qui eſſent; quos ſilvarum denſitas obtexiſſet. Interim Pontifice quieſcente, ſanctus vir Bercharius in cælum defixis luminibus adſpicit ſubitò aëre per ſerenum conſpicuo columbam è ſublimibus deſcendere, niveo fulgore radiantem, atque eidem, cui ſubſtrati manſerant, arbori leniter inſidentem. Cúmque in eam oculorum dirigeret aciem, diligenter explorare cupiens, quaſnam in partes ales ille niveus declinare deterneret, repentè alarum ſoluto remigio, ab arbore, cui inſederat, proſilit, & rumpens aëra vacuum, futuræ ſpatium fabricæ circumvolans, locum, in quo cœnobium conſtrui debeat, gyro deſignat, præſentiâ ſanctificat; expleto hoc luſtramine, rurſus nota recipitur arbore. Cúmque eoſdem ſui ambitûs circulos cæli nuntius ad futuræ rei firmitatis indicium tertiò repetiſſet, patenti cælo reconditur, & nihilominus hominibus in terra degentibus divinæ voluntatis præſagium aperitur, & novæ admirationis veſtigium relinquitur.

viſioque dormienti objicitur, quæ ſimiliter vigilanti accidit Bercharío;

24 Intelligit hic vir ſanctus, puro ut erat animo, ſignum eſſe cæleſte, quo & dubitantium animi firmarentur, & diu dilectum opus in Dei ſervitute fundaretur. O beatum virum, cui oſtenditur corporali intuitu angelicæ dignitas viſionis, in ſpecie columbæ rutilantis ad comprobandum teſtimonium innocentiæ & puritatis. Eſt etiam in hac re illud quoque non minùs admirabile, quia quod iſte corporalibus deprehenderat oculis, hoc idem quieſcens ſanctus Pontifex ſenſerat ſopore cæleſtis viſionis. Qui cùm poſt aliquantulum perceptæ quietis ſpatium ſomno excitus, caput ab imis, ſuperna revelatione præedoctus, erigeret, O, inquit, votorum meorum compar fideliſſime, quàm gratum mihi eſt huc paullulùm gratiâ ſoporis pro tempore divertiſſe, quem conſtat per Dei gratiam tantæ revelationis myſterium cælitus agnoviſſe. Ecce enim hinc jam lætus progredior, cælorum ſigna ſequor, quod diu differens corde geſtaveram, mirandæ viſionis arcano maturiùs aggrediendum eſſe compellor: ſed ne longiùs res inopinata te duxerit, quid viderim patenter expedio. Et priùs præſentias hîc eſſe domum Dei, ut felciſſimo quondam antiquo patriarchæ, & portam cæli mihi indigno Chriſti Domini famulo divinitus oſtenſam. Nam mox ſummiſſis artubus, ſubito hic ſopore præceptus, cùm vix in utramlibet partem vis naturæ quieſcentem impelleret, videre mihi videor à ſupernis inſtar nivei candoris ſpeciem adeſſe columbæ, quæ poſt hujus arboris ſeſſum, non incerta, quò tenderet, locum hunc præpeti curſu volando præcingit, trinoque gyro æquè peracto cæli cacumen tendit. Credo equidem hoc ſpei conceptæ proficuum à Deo portentum, ut quod erat voto ſuſceptum, jam cælo prænonente ſit celeriùs exſequendum. Sancto hæc Pontifice perorante; Me, inquit B. Bercharius, qui ſancto Viro gremii ſui reclinatorium fecerat, quidquid, Pater ſanctiſſime, cæleſti prodigio in viſione ſpiritûs divinitus tibi teſtaris illatum, manifeſta Dei virtute noveris etiam corporaliter fuiſſe conſpicatum. His igitur alternis ita conſerentibus, altero quidem, quod in ſomnis ſenſerat, altero verò, quod oculis corporeis adſpexerat, res in proſpectum deducitur, locum illum angelica perluſtratione ſignatum, ad agendum divinæ ſervitutis obſequium mira diſpoſitione à Deo eſſe quàm dignanter electum. Ita verò perceptâ tantæ revelationis de cæleſtibus ſimul & conſolationis gratiâ, certiores utrique facti, &, quod erat ambiguum, loci deſignatione ſpecialiter edocti, inde ambo conſurgunt, ac ſic oculos Antiſtes beatiſſimus in cælum dirigens, illum protinus tota cordis intentione collaudans, gratias egit *, in quem ab æterni Patris ſecreto Spiritus ſanctus corporali ſpecie in columba deſcendit, ac fluenta Jordanis ſacri corporis tinctione in noſtrorum ablutionem ſcelerum cælo patente beavit.

AUCTORE J. S

E

* ei, *id eſt* Chriſto

ex hac uterque concludit cœnobium condendum eſſe eodem loco quem permutatione acquirit Nivardus;

25 *Flodoardus Actis conſentiens, aſſerit viſionem contigiſſe, cùm redirent Sparnaco, docetque locum non fuiſſe* Nivardi. *Verba ejus, quæ vero ſunt magis propinqua, hîc ſubnecto:* Quadam verò die veniens de villa Sparnaco, ſimul comitante ſecum præſato abbate Berecario, viſum ſibi eſt, tranſito flumine, debere paullulùm requieſcere: ſicque caput in ſinum ſedentis reclinans Berecarii, obdormivit, & viſum vidit, ſcilicet columbam locum ſilvæ circumire, & in fago quadam poſt hanc circumitionem reſediſſe: idque tertiò columbam videt eamdem egiſſe, tumque cælos petiſſe. Quam viſionem, ſicut ipſe in ſomnis, ita prædictus quoque Berecarius vigilans fertur aſpexiſſe. Quo viſo compunctus idem cœpit abbas fundere lacrymas. Experrectus autem beatus Præſul à ſomno, ex lacrymis ejus ſibi faciem reperit udam: & interrogans, quæ illi cauſa fletûs exiſteret, accipit eum propter ſui ruinam fleviſſe operis. Invicemque ſibi viſa referentibus, traditur Pontifex, hæc etiam cuidam Dei ſervo, nomine Bavoni, cujus erat ipſa poſſeſſio, viſa narraſſe. Qui oratorium in honore ſanctæ crucis illic habens, ibi converſabatur. Qui etiam poſtquam viſionem Præſulis, & ejus agnovit voluntatem, obtulit illi eandem poſſeſſionem ſuam, partem quoque poſſeſſionis cujuſdam fratris ſui, nomine Baldini. Alterius verò fratris, Theoderamni nomine, cauſam retulit, quòd eſſet ſcilicet in factione

F

AUCTORE J. S.

contra Reolum comitem, qui Remenſis pòſt extitit epiſcopus, pro filiis ejus: quos occiderat in ultione filiorum ſuorum, quos Reolus pro latrocinio, quod exercebant, ſuſpendio necaverat. Unde domnus Nivardus eum cum Reolo, qui neptem ſuam filiam Childerici habebat uxorem, pacificavit, & ſic ipſe Theoderamnus ſimul cum cæteris fratribus ſuis eandem poſſeſſionem ſancto Nivardo, commutatione ab eo ſumpta, tradidit.

atque ibi, cooperante Berchario, cœnobium erigit,

26 *Operis ſtructuram S. Berchario commiſſam fuiſſe ait Adſo, illudque ſatis veriſimile eſt, licèt taceant alii:* Præcedente itaque, *inquit*, in conditionem æterni tabernaculi tanto ac tali auſpicio; Tibi, inquit ad B. Bercharium Præſul eximius, tuæque induſtriæ hoc ſanctum opus diſpono committere . . . Itaque (*Bercharius*) in ſupradicti prædio loci, . . . quod ab antiquo Altum-villare nomen acceperat, angelicæ deſignationis ſpatium, ut cælitus oſtenſum fuerat, murorum ambitu jactis fundamentis complectitur, omneſque illius parietes ædificii, ad modum columbæ in aëre permeantis ſuſpecta dimenſione metatur. Nec antè divini cultoris opera deſtitit, B donec, ſuperna annuente providentia, Childerici etiam regis Francorum ac ſacri Antiſtitis opitulante clementia, opus, quod ad laudem Dei ſuſceperat, optata perfectione compleret. *Breviùs Flodoardus, totum* Nivardo *tribuens cum Actis:* Mox (*ubi locum obtinuerat*) idem Præſul ſuccidi ſilvam jubens, in honore ſancti Petri & omnium Apoſtolorum ibi conſtruxit eccleſiam, & ubi reſediſſe columbam viderat, altare inſtituit, collectiſque ſervis Dei, monaſterium ordinavit. *Hiſce conſentit Adſo, ſic pergens:* Ea verò arbor, quæ quondam opulentiſſima fagus ſteterat, in qua columba cælitus emiſſa pridem reſederat, ac ſuo gyro ſitum monaſterii volando expreſſerat, habita deliberatione, ſuccciditur, & collatis in commune omnium votis, in loco, cui affixa fuerat, aram in veneratione B. Petri Apoſtolorum principis ſtatuit; *truncumque dictæ arboris aræ includit, uti addunt Acta.*

illudque dedicatum red. in domas,

27 *Proſequitur Adſo:* Ad conſecrationem verò baſilicæ cum S. Nivardo metropolitano pontifice alii etiam epiſcopi conveniunt, clerus C omnis & numeroſæ plebes utriúſque ſexus irruunt, proceres quoque Francorum non minori voto concurrunt, & per B. viri Bercharii opus laudabile in Dei laudibus pari omnes magnitudine jucunditatis exſultant. In auſtrali verò ejuſdem montis latere, aliam ſtruxit Vir ſanctus eccleſiam, quam Genitricis Dei & Domini noſtri Jeſu Chriſti ſemper Virginis Mariæ nomine decrevit honorandam. Septa etiam monaſterii & univerſas competentes Ordinis officinas, ad ſectandam vitæ Regularis obſervantiam prudentiſſimè compoſuit, monaſticæ converſationis viros religioſos aggregavit, & cuncta, quæ huic Ordini commoda judicabantur, diligenter implevit. Copioſos verò prædiorum ſumptus ſanctiſſimus Antiſtes, tam ea, quæ ſui juris eſſe videbantur, quàm quæ etiam beato interveniente Berchario ab ipſis Francorum primoribus obtineri poterant, in neceſſarios ſervorum Dei delegavit uſus, ut videlicet in eodem cœnobio & merito & numero populus Deo ſerviens utriuſque laboribus augeretur. *Flodoardus addit quædam, alia omittit, hunc in modum:* Ubi etiam præfatus Theoderamnus (*cujus locus partim fuerat*) monachus efficitur. Sed & Reolus filium ſuum, nomine Gedeonem, de nepte ſancti Nivardi ſuſceptum, ibi monachum fieri petiit, & D rerum ſuarum partem ad idem monaſterium condonavit. Beatus autem Nivardus, conſtituto monaſterio, quidquid poſſeſſionum ante epiſcopatum fuerat viſus habere, ad ipſum locum tradidit, & exhortatus beatum Reolum, religionis ei ſuaſit aſſumere habitum. Privilegium quoque poſcente præfato abbate Berecario, eidem contulit monaſterio; ut ſcilicet ipſe Præſul idem monaſterium in ſui juris dominatione, dum adviveret, conſervaret, & ut poſt ſuum deceſſum Remenſis epiſcopus ipſum cœnobium gubernet, & eoſdem monachos contra omnes adverſantes defendat; ipſi verò monachi poteſtatem habeant prælatum ſibi regulariter eligendi, prout in deſcriptione ipſius privilegii continetur. *Hæc omnia & alia quædam in Actis, ubi etiam dici videtur, Reolum comitem monachum eſſe factum, hortante* Nivardo, *ſed non tam clarè, ut res omnino ſit certa, quemadmodum annotabimus ad Vitam.*

ac privilegiis munit: littera Nivardi,

28 *Privilegium, cujus hîc ſit mentio, partim recitat Marlotus lib. 2 cap. 41, & Mabillonius in Annalibus ad annum 662, ex quo partem illam huc transfero:* Ego Nivo ſive Nivardus, etiamſi peccator, epiſcopus, dum omnes epiſcopi fratres mei, etiam & de viris Chriſtianis & de bonis hominibus, monaſteria ſecundum regulam ſanctorum patrum ædificare non ceſſarent; petiit nos Bercarius abbas cum fratribus ſuis, ut talem locellum perquirere eis deberemus in noſtra proprietate, ubi ipſi ſecundum regulam patrum ſancti Benedicti & ſancti Columbani vivere deberent, & pro nobis die noctuque miſericordiam Domini debeant deprecari, ut in futurum veniam de peccatis merear obtinere. Sed cùm minimè hîc talem locellum in noſtra proprietate inveniremus, qui ipſis monachis ad monaſterium faciendum placuiſſet, repertus eſt nobis unà cum ipſis locellus, qui dicitur Altivillaris, in fine Remenſi ſuper fluvium Maternæ, prope villam Diſiàcum *, quem à Bavone * Diſy & Theoderamno de villis eccleſiæ noſtræ concambivimus, unde & ipſa inſtrumenta in archivis eccleſiæ retinentur; villam quoque Diſiacum cum eccleſia & altari beati Timothei martyris, in cujus parochia ſitus eſt Altivillaris locus, eidem monaſterio legaliter confirmavimus. Sed ſic penſitavit ipſe Bercarius unà cum fratribus ſuis pro noviſſimis temporibus, ut, dum advivimus, ipſum monaſterium, quod dicitur Altivillare, quod ego pro æterna beatitudine, vel pro remedio animæ noſtræ, ad ſanctam regulam conſervandam ædificavi in honore ſanctorum Petri & Pauli, ſeu etiam ſancti Johannis, & ceterorum martyrum & confeſſorum, quorum pignora ibidem venerari noſcuntur, in noſtra poteſtate debeat eſſe: ut ipſos monachos meliùs delectet ſecundum diſciplinæ ordinem, & regulæ vivere, vel quietè reſidere: & taliter nobis conſenſerunt de fratribus meis epiſcopis, etiam & de comitibus noſtris, archidiaconis, ſeu & abbates, vel etiam clerus noſter Remenſis, etiam & de viris illuſtribus, quorum manibus ſubſcriptiones vel ſignacula ſubtèr tenentur inſerta. F

quæ non videntur inſertæ fuiſſe Vitæ S. Nivardi, ſed aliunde acceptæ.

29 *Hoc idem fragmentum recitat Cointius in Annalibus Francorum ad annum 662 num. 7, & ante hos omnes Sammarthani tom. 4 Galliæ Chriſtianæ pag. 33, qui ſubdunt:* Hæc recitat Almannus monachus ejuſdem cœnobii Altivillarenſis, qui Hiſtoriam B. Nivardi contexuit, ducentis annis ab ejus obitu. *Ex hiſce verò verbis Cointius*

A *Colitius & Mabillonius crediderunt hoc fragmentum insertum Vitæ* S. Nivardi *fuisse ab Almanno, & revera hic obvius videtur verborum sensus. Quin & Cointius affirmat Vitam* S. Nivardi *repertam fuisse* inter membranas Altivillarenses à Sammarthanis. *Verùm Sammarthani id non asserunt de Vita* S. Nivardi, *sed de Vita S. Bercharii, de qua sic loquuntur:* Vitam (*Bercharii*) elucubravit Almannus monachus, in membranis abbatiæ repertam. *Porrò, si voluerint Sammarthani totum illud fragmentum recitatum fuisse ab Almanno, verisimilius est, insertum fuisse Vitæ S. Bercharii, cùm in ea non minùs locum habere posset, & magis etiam congruè, quàm in Vita* Nivardi, *in qua idem minimè reperio. At multùm dubito, an illa sit mens laudatorum scriptorum, cùm ipsi præmittant, unde dictum fragmentum excerpserint, nimirum ex* chartophylacio Altivillarensi. *Verba eorum accipe:* Altumvillare .... conditur à sancto Nivardo archiepiscopo Remensi, ... quemadmodum apparet ex fragmento tabulæ fundationis, cujus in chartophylacio Altivillarensi exordium est tale: In nomine &c. *Suspicor igitur nihil aliud velle Sammarthanos, quàm ejusdem fundationis relationem legi apud Almannum.*

B

Varia ad cœnobium Altivillarense translata corpora, non à S. Nivardo, sed serius.

30 *Andreas Saussayus ad* 1 *Septembris fundationi Altivillarensi alia ex errore adjungit, sic scribens:* Laude nominis clarus (Nivardus) morumque sanctimoniâ præstans, à Vitaliano Papa non mediocri honore habitus est; cujus auctoritate Altum-villare cœnobium à barbaris dirutum instauravit, ditavitque pretiosissimis beatorum exuviis; nimirum corpore sanctæ Helenæ augustæ, quod Româ ad se transmissum, unà cum corpore sancti Polycarpi presbyteri, præcipui sancti Sebastiani symmystæ, dono ipsius Pontificis, sacrario illius asceterii perpetim colendum invexit: ad quod etiam transtulit veneranda ossa S. Sindulphi presbyteri & eremitæ, socii B. Basoli abbatis ex villa Alsontia. *Trium horum corporum translationem ad abbatiam Altivillarensem narrat Flodoardus lib.* 2 *cap.* 8 *&* 9, *sed eam non attribuit* S. Nivardo, *nec dicit duo priora corpora à Vitaliano Papa dono data. Verùm Saussayus hæc omnia adjunxit, & ad seculum* VII *retulit, quæ seculo* IX *sunt facta. De translatione S. Helenæ & S. Polycarpi legi potest Almannus synchronus in Gloria posthuma S. Helenæ tom.* III *Augusti à pag.* 601. *Mabillonius eamdem narrat in Annalibus ad annum* 849, *additque* post aliquòt annos *translatas ad idem cœnobium S. Sindulphi reliquias.*

C

§ V. Institutio S. Reoli, quem sibi optat successorem: tempus obitus inquiritur & locus sepulturæ: reliquiæ in ecclesia Altivillarensi servatæ, cultus ibidem, aliaque ad posthumam gloriam spectantia.

INter *discipulos* S. Nivardi *numerandus est S. Reolus ejus successor, quem non modò juvenem docuit, sed post mortuam ipsius uxorem sa-*

AUCTORE J. S.

S. Reolus institutus à Nivardo, eique imposita pars curæ regendi ecclesiam:

cris ordinibus initiavit. Audi illius Vitam Ms., in qua, postquam dictum erat Reolum juvenem Nivardo *& Gundeberto ejus fratri instituendum traditum, sic deinde legitur:* His rebus suo ordine completis, homo Dei Reolus, conjuge jam antè defuncta, & filiâ, ut prædiximus, Deo dicatâ, mundi oblectamenta decrevit respuere; & sic, relicto seculari habitu, S. Nivardi salutaribus monitis informatus, tonsuram clericalem assumpsit. Denique dum ecclesiasticis assuesceret eruditionibus, ac jam nomen ejus fama diffunderet in divinæ servitutis arcem, beatus pontifex Nivardus sacris eum deliberavit ordinibus imbuere, nec multo pòst, præcurrentibus gradatim singulis gradibus, ad sacerdotii dignitatem promovit. *Ejusdem in regimine ecclesiæ usus est consiliis: quin & curam fere totam in Reolum sub finem vitæ transtulit eumque sibi successorem optavit, si vera sunt, quæ sequuntur:* Memoratus pontifex Nivardus secretis ejus alloquiis sedulò utebatur; ut qui esset vir totius prudentiæ & consilii singularis: donec etiam ipsius beati Nivardi consilio, summi pontificis & totius cleri decretum est consensu, ut vir summæ probitatis Reolus sollicitudinem episcopii Remensis acciperet. Jam Spiritu sancto præmonente, præfatus Pontifex dissolutionem sui corporis noverat imminere. Qua de re sibi tradita ecclesiasticæ dispensationis negotia beato viro Dei contradidit Reolo ... Nec multo pòst contigit sanctæ recordationis Nivardum feliciter ad cæli palatium properare. *Hæc favent Altivillarensium traditioni, quam recitabo num.* 40, *videlicet Sanctum ante obitum* majoris perfectionis studio *secessisse ad ædiculam B. Virgini Mariæ ab ipso dicatam, in qua obiisse dicitur. Verumtamen non legitur in Vita Reoli, hunc episcopum consecratum ante obitum* B. Nivardi, *sed electus dicitur post ejus mortem. Verisimile igitur est, Reolum curam ecclesiæ Remensis gessisse pro* S. Nivardo, *dum ille in secessu suo ad mortem sanctè obeundam se præparabat.*

E

Annus sancti emortualis incertus: de eo mentio F

32 *Annus emortualis* S. Nivardi *certò assignari nequit: attamen satis ostendi potest, mortem ejus contigisse circa eumdem annum, quo occisus est rex Childericus: nam mentio de eo habetur usque ad ultimum Childerici annum. Anno* 663 *Bertefridus præsul Ambianensis concessit privilegium abbatiæ Corbeiensi, relatum à Mabillonio tom.* 1 *Annalium pag.* 469 *&* 470, *illudque inscriptum est* Nivoni *nostro aliisque episcopis. Anno* 666 *Drausio seu Drausius Suessionensis privilegium, quod concedebat monasterio Suessionensi beatæ Mariæ, similiter inscripsit* Nivoni seu Nivardo Remensi, *aliisque apud Mabillonium pag.* 482. *Childericus anno* 1 *monarchiæ totius, quam non nisi ad quadriennium tenuit, interventu* S. Nivardi *aliorumque multorum varia donavit Lantberto abbati Fontanellensi, uti narrat laudatus Mabillonius ad annum* 671 *pag.* 506. *Anno* III *Childerici monarchæ notatur præceptum prædicti regis pro monasterio Dervensi, quod S. Bercharius in diœcesi Catalaunensi exstruxit. Huic præcepto post regem cum aliis subscripsit* Nivardus *Remensis, ut vult Mabillonius ad annum* 672 *pag.* 508, *& Cointius ad annum* 671 *num.* 11 *&* 12. *Edidit Childerici privilegium Camuzatus in Promptuario antiquitatum Tricassinarum fol.* 80, *ibique subscriptus legitur* Reolus *successor, sed id tamquam mendosum meritò rejiciunt laudati scriptores; nam &* S. Nivardum *adhuc anno se-*

AUCTORE J. S.

quenti subscripsisse videbimus, nec deest ratio, cur hanc quoque Nivardi *subscriptionem credamus.*

usque ad annum ultimum Childerici, quo forsan obiit.

33 *Adso in memorata sæpe Bercharii Vita num.* 16 *hæc habet:* Auxiliantibus verò sibi per divinam gratiam, ex cujus desiderio ista agebat (*Bercharius*,) S. Leodegario episcopo, .. Nivardo etiam & Atelano episcopis, impetravit sibi dari à rege silvam ex suo fisco, qui vocatur Vassiacus in circuitu præfati loci *&c. Hæc autem ipsa sunt, quæ Childericus prædictis litteris donavit: verisimile igitur est* Nivardum *istis litteris subscripsisse, nisi forsan Reolus subscripserit, ut ejus vicarius. Dubitatio tamen aliqua oritur ex ipso Adsone, qui num.* 13 *jam retulerat mortem* Nivardi. *Hinc Mabillonius sic notat ad verba recitata:* Certè Nivardus suprà num. 13 mortuus dicitur, antequam Bercharius cogitaret de cœnobio Dervensi. *Verùm hanc expositionem in Annalibus correxit, omnibus attentiùs consideratis: nam Adso mortem quidem* Nivardi *narravit, antequam loqueretur de fundatione Dervensi, sed nullibi asserit mortuum esse* Nivardum *ante dictam fundationem. Obitum autem* Nivardi *videtur ea tantùm de causa retulisse post fundationem Altivillarensem, quia cùm illa fundatione erat magis connexa quàm cum Dervensi, tum quòd illius fundationis esset auctor, tum quòd obiisset in eodem monasterio. Hinc credimus* S. Nivardum *anno quarto Childerici adhuc fuisse superstitem, & subscripsisse litteris S. Bercharii, editis apud Camuzatum fol.* 81, *quemadmodum nobiscum asserunt Mabillonius pag.* 509, *& Cointius ad annum* 672 *num.* 2. *Ex hisce omnibus verisimile est,* Nivardum *obiisse eodem anno quarto & postremo Childerici, cùm nulla deinde illius reperiatur mentio, & Reolus successor anno* 2 *Theodorici, qui successit Childerico, subscripserit testamento S. Amandi apud Mabillonium pag.* 528.

Pius ejus obitus circa annum 673,

34 *Verisimile est, inquam, obiisse* S. Nivardum *anno ultimo Childerici regis, sed non certum, cùm illi superstes esse potuerit, at non nisi uno circiter anno. Satis igitur certum apparet* S. Nivardi *mortem non diu ante aut post obitum Childerici contigisse. Porrò annus emortualis Childerici non idem ab omnibus statuitur; attamen plerique eruditi nunc eum defunctum credunt anno* 673 *aut* 674, *nec lubet operosiùs eam examinare sententiam. Hæc de causa mortem* S. Nivardi *statui circa annum* 673. *Flodoardus de morte ejus ac sepultura sic habet:* Post hæc in ecclesiola sanctæ Mariæ, quam in eodem monasterio (*Altivillarensi*) construxerat, obisse fertur, & ad ecclesiam sancti Remigii Remis deportatus, ibidem sepultus est. *Consonat Vita de loco mortis, non item de loco sepultura, quam mox examinabimus. Adso in Vita S. Bercharii num.* 13 *mortem Sancti hoc prosequitur elogio:* At verò cùm in his sanctorum operum studiis quàm gloriosè tenerentur inferti, sanctæ exhortationis gratiam per populos infundentes, & ad æternitatis gloriam quaquaversum animos fidelium incitantes, cùm jam superna clementia antistitis sui Nivardi vitam laudabilem perpetuæ jocunditatis commercio compensare, & pro labore brevi palmam decrevisset permanentis rependere gloriæ; opere perfectus, virtutibus consummatus, adveniente Kalendarum Septembrium die, mortis nexibus absolutus migravit ad Dominum, beatæ immortalitatis stolam consecutus, angelorum agminibus in illa cælestis curiæ dignitate concivis factus, apostolorum particeps, martyrum & confessorum coheres, illius insatiabiliter adspectu fruitur, cujus amor ab ejus pectore numquam recessisse certum tenetur: qui, licèt pro lege carnis debitum solverit humanæ conditionis, vivit tamen in gloria perpetuæ exultationis, nostris autem illic procul dubio miseriis præstantiùs, si ex corde rogatus fuerit, occurrere paratus, quanto nunc potentiùs illi summo atque invisibili Spiritui cernitur esse conjunctus, per virtutem universa scientis ipse scius omnium ac exauditor effectus.

sepulturæ locus ambiguus; at corpus nunc apud Altivillarenses,

35 *Sepulturam idem refert in hunc modum:* Ad cujus exsequias corporis tota Remorum civitas ruit, clerus ac populus utriusque sexûs convenit, ex vicinis etiam urbibus multi adfuerunt, tanti Pastoris excessum admixtis pio mœrore hymnorum solemnibus obsequiis adsignantes. Cujus quidem corpus diversis populorum catervis constipatum usque ad basilicam S. Remigii à S. Berchario, nec non & sanctis pontificibus, qui ea die illuc confluxerant, universa gregis sui multitudine prosequente, condigno honore defertur, ac excellenti mausoleo condendum, decentissimam ibidem accepit sepulturam. *Hæc dubium ingerunt: nam eumdem sepulturæ locum assignat Flodoardus; Vita verò habet sepultum esse in ecclesia Altivillarensi B. Mariæ, in qua obiit. Vita suffragari videtur hodiernæ possessio Altivillarensis, præsertim quia nulla reperitur mentio de corpore Remis ad abbatiam Altivillarensem relato. Verumtamen, si omnia consideremus attentiùs, necesse est, translatio aliqua intervenerit, quia reliquiæ nunc servantur in præcipua abbatiæ ecclesia, non in eadem, in qua dicitur obiisse, quæ prioratus est abbatiæ subjectus. ut videbimus. Suspicor igitur sacrum corpus revera sepultum fuisse in Remensi S. Remigii ecclesia, ac deinde translatum esse ad cœnobium Altivillarense, cùm Marlotus ipse lib.* 2 *cap.* 41 *describens sacrum thesaurum ecclesiæ Altivillarensis, annumeret eidem* corpus sancti Nivardi Remensis archiepiscopi, prædicti cœnobii fundatoris, in longiori capsa inclusum, argenteis imaginibus auro illitis decorata.

ubi servatur in theca eleganti,

36 *Plura de sacro* S. Nivardi *corpore, aliaque ad gloriam posthumam spectantia anno* 1669 *ad Majores nostros perscripsit R. D. Rupertus Reginaldus, abbatiæ Altivillarensis tunc monachus ac sacrarum reliquiarum custos, cujus verba subnecto:* Conveniunt omnes auctores, apud Altivillarense cœnobium asservari hujus Sancti corpus, cujus est fundator. Et revera ostenditur quædam perpulchra capsa ibidem, longa pedes quatuor, alta ferme tres, argenteis laminis obducta, & tota ad solidum cælatis imaginibus cupreis deauratis circumvallata; quæ à latere Euangelii in majori altari, in fornice binis marmoreis columnis sustentata prominet. Super quam hujus Sancti effigies ex Virdunensi lapide, marmori non absimili, super fornicis convexum ad nativam hominis statuam evecta est. *Post alia, quæ infrà recitabo, de translatione harum reliquiarum in thecam prædictam hæc nobis communicavit:* Translatum est hujus Sancti corpus de capsa lignea in argenteam per Rotroduin Catalaunensem episcopum, ut fidem facit quædam cuprea lamina, in capsâ asservata, in qua sic habetur: " Anno ab Incarnatione Domini M-
„ CICIX *, Willelmo Remensi archiepiscopo præ- * 1199
„ sidente, Galtero V Altivillarensem ecclesiam
„ dispensante, reliquiæ S. Nivardi è capsula li-
„ gnea

A „ gnea tranſlatæ ſunt in hanc argenteam, à præ„ dicto Galtero devotiùs præparatam. Facta eſt „ itaque iſta tranſlatio Nonis Septemb. à Rotro„ do Catalaunenſi epiſcopo, præſentibus quàm „ pluribus abbatibus & prælatis, & aſſiſtente po„ pulorum multitudine copioſa „.

quâ apertâ, intelligitur, quaſdam partes corporis abeſſe. Officii

37 Anno MDCXLVII, in religioſorum hujus monaſterii præſentia, capſa B. Nivardi aperta eſt per R. P. Priorem. In qua & arcula clave obſerata inventa eſt, & in arcula B. Nivardi corpus à coſtis ad pedum extremitates, cum quibuſdam brachiorum reliquiis. Oſſa ſunt prægrandia & alba, omniaque triplici circumveſtita ſudario, quorum ſerica ſunt duo & unum lineum. Inventa eſt etiam prædicta lamina. Ubi reliquæ hujus ſancti corporis partes cum capite aſſerventur, neſcimus, aut quomodo nobis perierunt: nam manuſcripta noſtra, paucis admodùm ſervatis, heterodoxorum impietate incendio conſumpta ſunt. *Nihil etiam mihi aliunde occurrit de aliis* S. Nivardi *reliquiis. Feſtivitas Sancti celebratur in abbatia Altivillarenſi ritu duplici primi ordinis cum Octava, uti idem teſtatur, addens ſequentia de Officio:* Præter lectiones ſecundi nocturni, quæ ex ejus Vita brevi ad vos mittenda excerptæ ſunt, & ea, quæ ſequuntur, omnia ſumuntur ex communi Pontificum.

B

Altivillarenſis hymnus & antiphonæ aliquæ:

38 Hymnus ad utraſque Veſperas:

Noſtri Parentis gloriam
Doteſque mentis inclytas
Canentibus cæleſtia
Largire, Chriſte, gaudia.
Nivardus ortu nobilis
Vitæ ſub ipſo limine
Scientiarum culmina
Virtutis ornat lumine.
Aulâ relictâ principis,
Nil læſus aulæ moribus,
Mundi fugit conſortium
Chriſto daturus nomina.
Terræ fugatis gaudiis,
Sacro potitus ordine,
Dulci favente gratia
Totus ſacratur Numini.
Exemplar orbis primitus,
Hinc norma factus aulicis,
Et ſol refulgens clericis,
Fit lumen inde præſulum:
Iſtamque, doctus candidæ
Viſu columbæ cælitus
Locum volatu triplici
Pandentis, ædem conſtruit.
O Præſul invictiſſime,
Hîc vota noſtra ſuſcipe
Ut grata Chriſto cantica
Reddamus omni tempore. Amen.

C

Antiphona ad Magnificat in primis Veſperis *hæc ſequitur:* Dum præſul Nivardus in ſinu Bercharii abbatis dormiret, angelus in columbæ ſpecie monaſterii conſtruendi ſpatia trino volatu deſignavit, & poſtea ſuper arborem ſedit. *Hæc verò* ad Benedictus *ponitur:* Beatus Nivardus erexit lapidem in titulum ad radices arboris, in qua columbam quieviſſe notavit. *Demum* ad Magnificat in ſecundis Veſperis *iſta:* Confeſſor Domini poſt multa præclarè geſta, virtutum meritis coruſcans plenuſque dierum, corpore depoſito, liber migravit in cælum, ubi ipſum Fontem omnium intuetur bonorum.

AUCTORE J. S. locus ubi Sanctus creditur obiiſſe, adhuc venerabilis:

39 *De loco, ubi obiiſſe dicitur Sanctus, ſic ad nos ſcripſit laudatus Reginaldus:* Communis eſt traditio, & in Vita B. Nivardi habetur, ipſum jam ætate provectum majoris perfectionis ſtudio ad quamdam ædiculam beatæ Virgini ſacram, quam ipſe conſtruxerat, ferè in ſuperioris montis vertice ſitam, & monaſterio, quod in ejuſdem montis declivi poſitum eſt, contiguam feceſſiſſe, ibique extremum clauſiſſe diem. De facto nunc etiam in ſuperioris montis parte viſitur capella quædam pervetuſta, quæ modò SANCTI NIVARDI dicitur; de ſub cujus altari, quod unicum eſt, fons emanat, ex quo ægroti, maximè febricitantes, & bibunt & lavantur magno ſuo commodo. Ad hanc capellam ſolent ire monachi proceſſionaliter quotannis feriâ ſecundâ Rogationum, Miſſam ſolemnem decantaturi. Solet & illuc ire theſaurarius in vigiliis Paſchæ & Pentecoſtes, & in B. Helenæ XVII Auguſti, fontem ipſum majori benedictione, quo maleficiatis proſit & aliis ægrotis, benedicturus. *Quod hîc in Vita legi dicitur de ſeceſſu Sancti ad ædiculam beatæ Virginis, in Vita non reperio: nam ibi obiiſſe ſolùm Vita habet cùm longior, quæ edetur, tum etiam brevior, quæ prioris eſt compendium. Attamen, ſi certum foret eo loco mortuum eſſe, etiam admodùm eſſet veriſimile ibidem aliquo tempore ſub finem vitæ vixiſſe, cùm nequaquam credibile appareat, Sanctum eò Remis deportatum, dum ſupremo morbo jam de vita periclitaretur.*

D

E

de miraculis Sancti pauca cognita.

40 *De miraculis ſubdit ſequentia:* Hujus Sancti miracula hactenus non legi, quamvis ſignis & virtutibus effulſiſſe dixerit Trithemius. Sed fortè ad me non pervenerunt: in hoc enim loco miracula B. Helenæ, utpote principali patronæ, potiſſimùm adſcribuntur. Unum ſcio, & pluribus notum eſt, quod accidit anno MCLXVII circa nonnullas ex Remenſis operariæ puellis. Nam cùm ex his duæ, inverſo pede utroque in ſcaurorum ſpeciem ex maleficio, crurum eſſent impotes, nec ambulandi haberent facultatem, ad prædictam delatæ ædiculam 1 Septembris, qui dies Sancto eſt ſacer, protinus pede in nativum reverſo ſtatum, ab hac perclusione ſanatæ ſunt. Solent etiam hujus regionis incolæ ſæpiuſculè pro febricitantibus in hac capella Miſſas fieri petere, quam inſuper inviſunt peregrini. Eſt & aliud, quod ſilentio prætereundum non puto: quod in quodam manuſcripto legi, quamvis quo tempore id acciderit, neſciatur. Cùm enim aliquando pervetuſta ligna, quæ circa S. Nivardi capellam habebantur, auferri curaret & tranſportari quidam hujus loci Prior (nam hæc ædicula prioratûs nomine gaudet, & habet reditus) aurigæ, neſcio qua de cauſa, fortè propter cadentem imbrem, intra capellam ſuos dimiſerunt equos, qui ſubitò in rabiem acti, & brevi furioſi interierunt, aut certè neceſſe fuit eos interimere. *Hæc vir ille diligentiſſimus æquè ac humaniſſimus, ut patet ex litteris, quæ hiſce notitiis fuere adjunctæ. Nunc Acta ipſa ſubjungo, obſervaturus ad ſingula capita, ſi quid occurrerit, quod necdum ſatis ſit expoſitum.*

F

A

VITA

Auctore Almanno monacho Altivillarenſi

Ex tribus Mss. inter ſe collatis.

ANTIQUÆ DIVISIONIS CAPITA.

INcipit Vita beatiſſimi Nivardi confeſſoris Remorum archiepiſcopi.

Cap. II. Quod litterarum ſtudiis traditus ſit.

Cap. III. Qualis tempore tirocinii ſui fuerit.

Cap. IV. Quòd epiſcopatûs culmen Remenſis ſuſceperit urbis.

Cap. V. Quo ordine prædeceſſorum epiſcopatum adeptus ſit, & quantùm Durocordorum plebi profuerit, & de eleemoſyna ejus.

B Cap. VI. Quòd Remenſe epiſcopium, à ſui dignitate collapſum, ad priſtinam dignitatem reduxit.

Cap. VII. Quòd monaſterium in loco, Alvillari * nuncupato, dirutum à barbaris reſtruere voluit, nec potuit * : & de angelico revelatu circa Alvillarem * montem.

Cap. VIII. Explanatio viſionis angelicæ.

Cap. IX. Quòd cœnobium ibidem, ubi angelicam viſionem vidit, quod cognominavit Altum Villare, conſtruxerit.

Cap. X. Qualiter ipſum locum dilexerit & ditaverit, & quòd privilegium de eodem monaſterio fecerit, [& Gedeonem de nepte ſua, filia regis Chilperici ſuſceptum, pro amore loci petente ſancto Reolo, monachus ibidem fuerit.] *Forte* monachum fecerit. *Quæ uncis incluſa ſunt, in apographo Igniacenſi non habentur.*

Cap. XI. De honeſta perſeverantia ſancti Viri, & obitu ejus.

* *al.* Avillari
* *al.* potuerit
* *al.* Avillarem

C

CAPUT I.

Illuſtre Sancti genus; adoleſcentiæ ſtudia & virtutes; ſacri ordines ſuſcepti

CAP. I. *Sanctus illuſtri genere natus,* *a*

PRæclarus igitur atque glorioſus Remorum archipræſul Nivardus, cognomento Nivo, ortum inclitæ nativitatis ex nobiliſſimis ac ditiſſimis parentibus ſortitus eſt. Nam tempore, quo Childericus *a* fortis rex Francorum honeſtè ſceptra gubernabat; extitiſſe cognoſcitur. Erat autem idem beatus Archipræſul nobiliter, ut nobiliſſimum decebat, educatus in aula regis & cognatus *b* ejuſdem præfati glorioſiſſimi regis Childerici. Nam Sanctus Reolus *c*, qui poſt ipſum pontificabat ſedem eccleſiæ Remenſis, regis *d* filiam priùs, dum comes eſſet, habebat uxorem, neptem videlicet beati Nivardi. Erant quoque conſanguinei & nepotes *e* ſancti Pontificis, comites in palatio nobiliſſimi, aulicis diſciplinis inſtructi, ac diſpoſitioni rerum plurimarum mancipati, & majores aulæ regiæ, totuſque beatus Vir clariſſima inſignis natalium emicuit origine. Et ut tam ſplendidæ nobilitatis faciem & clarè micantem lampadem altiùs efferam, non minùs quàm ex carnali proſapia nobilis extitit, eximia floridæ vitæ indole ſe venuſtavit, & multimodi decorus genere dulcis infantiæ incrementa exornare curavit, atque omnem præſentis vitæ pompam ad cœleſtem nobilitatem tranſtulit. D

b
c
d
e

II. *adoleſcens excellenti ingenio inſignem in ſtudiis facit progreſſum,*

2 Cùm verò adhuc eſſet primâ tenerrimæ pueritiæ gratiâ ſponte bonus, & voluntate promptus, Deo ſe totum obtulit devotus. Hinc factum eſt, ut à parentibus traderetur litterarum ſtudiis imbuendus. Cui virtus Dei tam * felix atque excellens inſpiravit ingenium, ut dignum in corde illuſtris pueri ſapientiæ extrueret domicilium. Implevit gratia Chriſti pectus infantis, & dum ornamentis ſcientiæ decoroſitate mirabili ſe illuſtrare contendit, in rebus etiam difficilibus virtutis experimenta fecit, & vaſtæ quoque peritiæ flumen, citra illam ætatulam imbibit. Edita doctrinis ſapientum dulciter excoluit, & legendi ſedulitate, ſcientiæ culmen ſtudiis acquiſivit. Proinde indolem egregii animi * dedit etiam eſſe miraculo. Nam erat illi ita generoſus animus & tanti ingenii decor in mente, ut cuncti ſtuperent in ejus admiratione. Erat illi ex adventicia Dei parte magna virtus intelligere quæ audiret, & magna gratia proferre quæ noſſet. E

* *al.* tanta
* *al.* additur Deus

clero adſcribitur;

3 Ipſe verò expertus Dei magnalia, magnificè illi gratias referebat, & pueritiæ ſuæ decus perfectæ vitæ expreſſione adornabat. Et ut in pictura florum * ſurgit decor auriformis, ſic tota honeſtas etiam in membrorum ſurrexerat lineamentis, donec Deo & hominibus complaceret, & gratiam tranſcendens communem, mereretur inter primos ut nobiliſſimus clericatûs honorem. Hoc gradu potitus, & licèt infra aulam poſitus, ſemper ad cœleſtia intentus, præcepta Dei factis quotidie adimplere ſtudult indefeſſis. Nam magis operibus enituit virtutis, & ſignacula veræ aperuit nobilitatis. Elegit tem ſupernæ vitæ & ſaluti invigilabat æternæ *.

* *al.* fuorum *mendosè*
* *al. abeſt* æternæ

III. *eximiiſque ornatus virtutibus* F

4 Cúmque vir Dei inclitus Nivardus adoleſcentiæ floreret in annis, crevit illi fama & gloria nominis, eratque jam merito ſapientiæ donatus honoratiùs, probis actibus conſpicuus, omni flore virtutum decorus, ac ſanctimoniæ propalator egregius, fide veritatis ſubnixus, in legis Dei meditatione aſſiduus, orationi & compunctioni devotiſſimè intentus; excubiis Domini diurnis & nocturnis vigiliis deditus, in utilitatibus pauperum quotidianâ inſtantiâ ſollicitus, in interventu ſtrenuus, in cuncto ſimul opere circumſpectus, in ſermone ad omnes veridicus, in conſilio prudentiſſimus, & totius vitæ honeſtæ clariſſimus. Qui Deo ſpiritualiter agonizans, inſtar probitatis & exemplar virtutis, illo etiam tempore palmam emeruit ſanctitatis. In quo Deus, qui bonitas ſemper bonis eſt, tantam virtutem multiplicavit, ut ſicut inter populares, quantum ad ſeculum, linea regii ſtemmatis pulchro nitore deſcendit, ac velut ipſos reges purpura monſtrat; ſic idem illuſtriſſimus & præſtantiſſimus Vir optimorum morum & univerſæ vitæ qualitate inter cæteros parili decore clareſceret, & caritatis flamma colore reſculpta purpureo, eundem perfectiſſimum demonſtraret.

ſingulos ſuſcipit ordines ſacros.

5 Hinc extitit dæmonibus terribilis, Deo dulcis, amabilis, & bonis omnibus deſiderabilis. Tamquam patrem colebant eum pauperes, diligebant eum omnes, & pro inſignis gratiæ cultu,

nimio

A nimio venerabantur affectu. O Virum omni præconio digniſſimum, ſummum Dei antiſtitem futurum, qui mundanam nobilitatem & dignitatem ſpernens, aërem ſcandens, ſolemque deſpiciens, ipſa corde ſidera penetravit gaudens ! O mens viris ſanctis imitanda, & omnibus prædicanda, qui ad hoc vixit, ut Deo adhæreret, & Dominus per eum multis fidelibus ſalutis vias aperiret ! Singulis enim gradibus eccleſiaſtici ordinis uſque ad ſacerdotium à beato Viro ritè ſuſceptis, in cœlo exultabant angeli & gaudebant Sancti. Et cùm inferiorem ordinem ſuſcepiſſet, à Deo & ab hominibus ſuperiore ſemper dignus judicabatur. Ita contigit ut vita ejus, quâ nihil dignius, ut ſanctitate, ſic etiam honoris gradu cæteris præferretur.

ANNOTATA.

a *Childericus I primùm Auſtraſiæ, deinde totius Franciæ rex, filius erat Chlodovei II, & S. Bathildis. Succeſſit S. Sigeberto patruo ſuo in regnum Auſtraſiæ, poſt deturbatum Childebertum Grimoaldi filium, circa annum 660; fratri autem Clotario III in regnum Neuſtriæ & Burgundiæ circa 670, defunctus circa 673 aut 674, ut plerique nunc ſtatuunt, & dixi in Commentario.*

B b *Cognatum Childerici aſſerit, ſed non addit in quo gradu.*

c *S. Reolus dicitur coli in monaſterio Orbacenſi. De eo agetur ad 25 Novembris. In Vita propria Ms. dicitur habuiſſe uxorem* genere ſublimem, *&* propinquus *vocatur* S. Nivardus. *At uxor ejus nec filia regis, nec neptis* Nivardi *aſſeritur.*

d *Non indicat, cujus regis eſſet filia neptis illa* Nivardi. *In titulo antiqui capitis* 10 *vocatur filia regis Chilperici. At dubito, an tituli illi ſint ipſius auctoris, an verò poſtea adjecti; nam in Ms. Igniacenſis titulo illæ voces non leguntur, & pars iſtius tituli omiſſa eſt. Porrò, ut nequit illa* Nivardi *neptis filia eſſe Childerici, cùm habuerit filium Gedeonem, monachum factum tempore* Nivardi, *ſic etiam improbabile eſt, filiam fuiſſe Chilperici, cùm ille obierit anno 584, & Reolus ejus maritus ſupervixerit uſque ad finem* C *ferè ſeculi ſeptimi. Si neptis* Nivardi *revera fuerit regis alicujus filia, fuerit filia Clotarii II aut Dagoberti I, ſive ex uxore legitima, ſive ex concubina. Vide de his dicta § 2.*

e *Mirum eſt nihil hîc dici de Gundeberto fratre* Nivardi. *In Ms. Vita S. Reoli de illo dicitur:* Cujus (*Nivardi*) frater germanus, nomine Gundebertus, inter palatinos proceres famoſiſſimus, Theodorici regis erat procurator ſtrenuus, & ab Ebroino, illo ſcilicet majoredomûs venerabiliter ſecundus. *Si Gundebertus revera fuit procurator Theodorici, id contigit poſt mortem* Nivardi, *cui ille ſupervixit.*



A. ALMANNO.

CAPUT II

Epiſcopus creatus, ſuorum liberaliter curam habet, & redituum epiſcopalium.

IV. *Omnium applauſu fit epiſcopus; a*

POſt non multum temporis, cùm archipræſul Remorum Lando *a* ex hâc luce diſceſſiſſet, & beatus Nivardus, ut prædictum eſt, nobili ſtirpe polleret, atque eximiæ converſationis opere tàm regi quam palatinis principibus, necnon & omnibus complaceret, ut erat Franciæ decus purpureum, reipublicæ nutritus, & cunctis ad ſalutis lætitiam conſervatus, roſa meritis lucens, aurum ſplendens, gemma preciosiſſima nitens, volentibus cunctis, rex *b*, qui *b* ſanctum Virum affectuosè dulciterque in ſinu cordis ſemper complectebatur, libens cum honore pontificalis cathedræ impertivit. In qua re E facilis effectus fuit, cùm ipſi affluens opulentiâ meritorum ſuppeteret, & id omni populo voti maximè foret. Surgit in his cunctis amor magnus, tripudiantque fœdere ſancti conſenſus. Alacres lætitiâ cleri populique gradum obvii ferunt, diem lætitiæ tribuentes, & in patris affectu ſanctum Præſulem ſuſcipientes. Exultabat rex totum ſe in lætitiam explicans, & ſuorum procerum multitudo; cuncti, qui aderant, Deo laudes, Deo gratias proclamabant. Crederes id fuiſſe cordi Chriſto cunctipotenti, dum illibatâ lætitiâ gratulabundi ſic exultarent in ſuſceptione tanti Patroni.

ſubditis multùm prodeſt. * *al.* prudentiâ

7 Feliciter itaque in ſede locatus, & à Deo potentificatus, fretus potentiâ *, prædituſque virtute, de die in diem ampliori virtutis luce refulſit: atque idonea ſpe præmiorum æternorum, animos ſuorum relevare ſtuduit. Concipit ingentem curam ſibi commiſſorum Præſul ſanctus, & prono illos fovens amore, ighibat cunctorum pectora Dei dilectione. Succedunt gaudia plebi ſpiritualia, creſcit ardor ſanctæ devotionis, augentur merita Paſtoris. Gaudebant in F commune ſibi doctorem & præſulem datum, cujus imitatione in mores optimos formarentur, & actionis probitatem caritate compellente ſequerentur. O verè beatam ſemper plebem, quæ talem meruit habere Doctorem, per quem magnus juſtorum numerus in cœleſtibus ſedibus pulchro ordine præcollocatur ! O verè beate præſul Nivarde, nivali ſanctitate nitens, ſemper tua gloria felix. Gratias tibi agimus, Chriſte, Deus univerſitatis, regens omnia, ævi perpetuitate indeficientis, quia ſic præhonorificaſti * Sanctum tuum, patrem noſtrum, ut ad cumulum meritorum ſuorum hunc in ſummum ſacerdotem tibi eligeres, teſtamentum illi pacis ſtatuens, principemque populorum dignanter efficiens. Qui pro ſudore laborum materiam ei tribuiſti præmiorum, & talem largitus es pro ſpirituali fervore remunerationem, ut æternæ mercedis reciperet beatitudinem.

* *al.* præhonoraſti

V. *cura eccleſiæ, pietas; c d*

8 Hic autem feliciſſimus præſulum, beatiſſimus Nivardus, viceſimus quintus à beato Sixto, primo Remorum epiſcopo, & undecimus à beato extitit Remigio *c*. Qui Durocordorum *d* plebem, auxiliante gratia Dei, ad fidem, quæ per dilectionem

A. AT-MANNO.

ctionem operatur, emollire potuit, ac reddidit quadraturam mysticam per credita sibi à Deo talenta, sanctoque Remigio per canticum graduum David respondit verbis doctrinæ & exemplo conversationis sanctæ. Sudore quoque laborum temporalium illius ecclesia protecta est, velut hyacintinis quondam figuratum est pellibus per duodecim templi vela.

eleemosynæ largæ, e

9 Hic etiam cum Joanne *e* Alexandrino episcopo pauperibus munificus factus est: in cujus manu inperdibilis sudabat eleemosyna, solitus eam nocturna versare manu & diurna. Et quia erat ei animus prudens rerum, ac sciens maxima ex minimis pensare, & judicium Dei pertimescere, ad hoc se ipsum animavit, ad hoc instruxit, ut, donec ecclesia Dei peregrinaretur in terris, inprætermisse faceret sibi thesaurum non deficientem in cœlis. Fecitque, ut sicut lacrymæ David *f*, dum per ora generationis transeuntis & advenientis decurrunt, nulla temporis prolixitate siccantur, hic & hic venerabilis Pontifex, dum de sua administratione per alternantes vicissitudines sustentantur ecclesiæ status, numquam sit

f

B eleemosynæ suæ sudor exhaustus.

VI. *varia præstita & impetrata*

10 Cùm ad episcopale culmen electus esset beatus Nivardus, erat tunc quidem Remense episcopium rebus & facultatibus ex maxima parte à sui dignitate collapsum: sed hic beatissimus Pastor incessabili labore desudans, non priùs cessavit, quàm religione, & clericorum honore, & emptis per diversa loca tam fundis quàm domibus, necnon mancipiis, ad priorem dignitatem urbem perduceret Remensem. Disposuit etiam nonnullas ordinatis colonis villas episcopii, quasdam quoque res commutasse reperitur cum Attila *g* Laudunensi præsule pro utriusque partis oportunitate. Præceptum etiam immunitatis à Childeberto rege super theloneis & quibusdam tributis ecclesiæ Remensi obtinuit.

g

in favorem ecclesiæ Remensis. h

11 Cui Ludovicus quoque rex sub ecclesiæ suæ nomine res quasdam in Malliaco super fluvium Vidulam *h*, quas, quibusdam infidelibus suis ejectis, receperat, auctoritatis suæ præcepto concessit. Hujus etiam tempore tradidit Grimoaldus vir illustris sancto Remigio villas suas Calmiciacum *i* & Victuriacum *k* pro animæ suæ remedio. Dedit quoque sub jure privilegii ad

i k

C monasterium sancti Basoli ecclesiam in Virisiaco *, in honore sanctæ Mariæ constructam, cum omnibus ad ipsam pertinentibus: simulque locellum, qui Wasciacus *l* dicitur. Immunitatem quoque ipsis monachis sub Perrone abbate ibidem Deo servientibus instituit, ut nullus ecclesiasticorum judicum eos indebitè in aliquo inquietare præsumeret, sed eis quieto ordine sub sancta regula vivere ac Deo servire liceret. O Præsulem per omnia dignissimum, qui pro erectione gregis sui multo se labore affecit, & honestatem ecclesiæ sibi commissæ glorioſa perfectione consummavit.

* *al.* Viriziaco

l

ANNOTATA.

a *Laudo ab omnibus ante* Nivardum *ponitur. Illius gesta breviter narrat Flodoardus lib. 2 cap. 6.*

b *Rex ille verosimiliter fuit S. Sigebertus, ut dictum in Commentario num. 12.*

c *S. Remigius celeberrimus est Remorum antistes, de quo agetur ad 1 Octobris. De S. Sixto disputatum est hoc ipso die.*

d Durocortorum *urbs Remensis à Cæsare aliisque antiquis nominabatur. Æthicus etiam* Durocordorum, Durocordoro, *&* Durocordoros *in quarto casu plurali, dixit, ut observat Valesius in Notitia Galliarum pag.* 181. *Postremum hunc loquendi modum, licet parùm usitatum, imitatus est noster.* D

e *Joannes Alexandrinus episcopus ab eximia in pauperes liberalitate* Eleemosynarius *cognominatus est, de quo ad 23 Januarii.*

f *Per lacrymas David designat psalmos, maximè pœnitentiales, quia illi semper à multis recitantur, & sæpe cum lacrymis.*

g *Attila longo tempore ante & post medium seculi 7 administravit ecclesiam Laudunensem Remensis suffraganeam, ut videre est in vulgatis catalogis. Facta omnia, quæ sequuntur, exposita sunt in Comm. § 3.*

h Vidula, *vulgo* la Véle, *flumen est Campaniæ Remos præterfluens, & priùs Malliacum hîc memoratum, vulgò* Mailly *dictum, qui locus Remis non longè dissitus est. Consule Valesium pag. 603, ubi de his plura.*

i *In Ms. Igniacensi* Calminiacum, *sed minùs rectè. De Calmiciaco Valesius sic scribit pag. 165:* Ab urbe Remorum non procul dilat & Calminiacum, ejusdem ferè nominis locus (*cum Culmisciaco, de quo egerat*) Frodoardo in anno CMXXII memoratus, nunc (ni fallor) Chermizy, literis a in e, & l in r, similiter conversis. E

k *Varia hujus nominis loca memorat laudatus Valesius pag. 602. Inter alia occurrit* Victuriacum *in Partensi pago, quod nunc* Vitriacum incensum *dicitur*, Vitry le Brulé. *Illud unum ex omnibus, quæ recenset, hîc designatum esse potest, sed & istud incertum, quia longiusculè Remis est dissitum, positumque in diœcesi Catalaunensi ad Saltum amuem.*

l *Mabillonius tom. 1 Annalium bis memorat donationem hujus loci; nimirum pag. 317, ubi ad vocem* Wasciacus *notat ad marginem* Vée; *& pag. 467, ubi ponit* Vassy. *Prior locus vicinus est monasterio, notaturque in tabula Remensis diœcesis uno circiter milliari Virziaco dissitus, ferè ad oppositam ripam Vidulæ. Alter remotior est, quàm ut datus videatur monasterio Virziacensi, seu S. Basoli: nam hodieque oppidum est in pago Partensi ad Blesam* * *amnem, qui in Matronam devolvitur. Porrò* Vassiacum, *vulgò* Vassy, *non esse datum monasterio S. Basoli à* Nivardo, *certum est aliunde: nam locus ille à Childerico rege datus est S. Bercharío pro monasterio Dervensi, ut videre est in privilegio Childerici apud Camuzatum fol. 79 & 80, & in Vita S. Bercharii apud Mabillonium in Actis seculo 2 pag. 841, ubi dicitur:* Impetravit (*Bercharius*) sibi dari à rege silvam ex suo fisco, qui vocatur Vassiacus. *Ad hæc Mabillonius observat:* Vassiacus, Vassy, opidum ad Blesam fluvium in Matronam influentem, alius à Wasciaco Frodoardi lib. 3 (*imò* 2) cap. 7. *Hisce Mabillonii dictis non acquievit Valesius; nam pag. 630 sic habet:* Wasiacum Frodoardus in libro III (2) Historiæ ecclesiæ Remensis commemorat: quod à Vassiaco supradicto (*ad Blesam*) cur quidam distinguendum putent, equidem nescio, nec comminisci possum. *At intellexisset haud dubiè, si perpendisset rationes suprà datas.* * la Blaise F

CA-

A

CAPUT III.

Deſiderium conſtruendi cœnobium : viſio, quâ Sanctus docetur locum, in quo fundat monaſterium Altivillarenſe.

VIII. *Sanctus monaſterium conſtruere deſiderans,*

EOdem tempore beatiſſimus atque glorioſiſſimus præſul Nivardus, vitâ moribuſque ornatus, & Dei ſui athleta præcipuus, cùm pro cunctis eſſet ſollicitus, & cuperet prodeſſe generationi venturæ, & populo, qui naſcitur & naſcetur, cœpit in ſancto pectore verſare, & omni intentione volvere, quo in loco unius poſſeſſionis ſuæ monaſterium, & congrua ſecundum regulam ſancti patris Benedicti ſervorum Dei habitacula ædificaret, & de propria hæreditatis ſuæ ampla poſſeſſione ditaret. Hæc eo diuturna cogitatione meditante, beatus Bercharius tunc abbas, nunc etiam martyr, vir magnificus, & ſpiritualis ejus filius, quoniam eum à ſacris fontibus *a* ſuſceperat, hoc idem devotè à beato Præſule petierat, ſcilicet ſibi & fratribus ſuis locum dari pro æternæ remunerationis mercede, ubi ſub regula ſancti patris Benedicti & Columbani vivere poſſet.

B

a

cùm antiquum bis inſtaurare tentaſſet irrito conatu, *b* * *al.* inſtruxiſſet *c*

13 Inde cùm inclytus Pontifex ex hoc, jam inſpirante Deo, majori deſiderio cogitationem ſuam effectu compleri vellet, & ex communi conſenſu totius concilii præſulum Galliæ, Namnetis *b* Romani juſſione Pontificis exhibiti, rege favente, reſtruxiſſet * eccleſiam monaſterii ſuper ripam Maternæ *c* fluminis, in loco, nuncupato Villarii, dudum ſiti, ſed à Barbaris diruti, & ab eo conſtructa hæc funditus ceciderat eccleſia, in alio loco rurſum reſtructa, rurſum traditur corruiſſe. Pontifex verò ſagacis ingenii licèt intelligeret divino nutu aliud diſponi; cogitabat tamen qualiter ſui compos exiſteret voti.

C

tranſiens per montem Altivillarem, ſomno obruitur, fruiturque *d* *e*

14 Unde per gratiam Dei contigit quadam die meridie, ut veniens de villa Sparnaco *d*, ad quam egreſſus fuerat, ſimul comitante ſecum præfato abbate Berchario, cùm ad montem, qui Altvillaris *e* dicitur, perveniſſet, ita divinitus ſomno irruente cœpit opprimi, ut montem illum minimè poſſet prætergredi. Cúmque viſum ſibi fuiſſet debere paululùm requieſcere, divertens ſubter frondes arborum, caput in ſinum reclinans ſedentis Bercharii, obdormivit. Tunc hujuſmodi viſum vidit, ſcilicet aperto cœlo angelum à Deo miſſum de ſupernis in ſpecie niveæ columbæ deſcendiſſe, atque libratis in aëra pennis trino volatu miræ pulchritudinis ambitu ſpacium ſilvæ ac totum montis verticem circumvolâſſe, ac deifico ſplendore omnem locum ſanctificâſſe. Poſt unamquamque verò circuitionem, quam tertiò egit, & mitiſſimo allapſu & quaſi plaudendo volucritans perluſtravit ſpatium * loci conſtruendi: poſt girum ſui volatus, contractis alis, ſuper unam illic inter reliquas arbores altiſſimam fagum manſuetiſſimè viſa eſt conſediſſe.

* *al.* ſpatia

viſione mirabili,

15 Cùm itaque hanc decoram viſionem Dei Pontifex miraretur, quam ſpirituali contemplatione patenter diſtinctèque tertiò pervidiſſet, illa angelicæ gloriæ ſublimitas in eodem columbæ ſpecie ad alta tendens, cœlo patente recepta eſt. Ipſe verò claro lumine per ſpiritum ſecutus; quodam magno lætitiæ jubilo fruebatur. O beati præſulis Nivardi præconia, ad cujus deſiderium complendum hoc à Deo factum eſt inſigne miraculum! O devotio ſanctæ mentis, quæ crebrò converſabatur in cœlis, & idcirco cœleſtia mirificando Sanctum ſuum Chriſtus oſtendit in terris! Qua voce, quibus laudibus te extollam, Præſul beatiſſime? Tu amator vitæ angelicæ ſplendorem meruiſti amœnum angelicæ conſpicere gloriæ animi nimia pulchritudine. Divinorum mirabilium illuminatione completus, divino ſpiritu in tam beatæ ſpeculationis puritatem conſcendiſti, & de cœleſtibus procedentis columbæ pulchrificam ſpeciem conſpexiſti.

A. ALMANNO.

quæ eodem tempore vigilanti objicitur Bercharío :

16 Hanc igitur viſionem ſicut ipſe in ſomnis, ita prædictus quoque Bercharius vigilàns aſpexit. Quo viſo compunctus idem abbas, cœpit fundere lachrymas. Experrectus autem beatus Præſul à ſomnio, ex lachrymis ejus ſibi faciem repperit udam. Et interrogans, quæ illi cauſſa fletûs exiſteret, accipit eum propter ſui ruinam fleviſſe operis. Invicemque ſibi cauſſam referentibus, ambo ineffabiliter exultabant, & Dominum glorificabant, cujus virtute certiſſimi facti erant. Benedictus Deus, qui juſtis ſemper deſideriis præſto eſt, & piè approbat in cœlis, quidquid pro eo fideliter diſponitur in terris.

E

IX. *explicatur viſio de condendo illic monaſterio,*

17 Hujus verò ſpecie triformiter exhibitæ viſionis, & quodammodo per arborem ſimplicatæ, quid aliud innui poteſt, quàm illud Deum diſpoſuiſſe, quatinus ſancti viri illic futuri, bono certamine contendant placere trino & uni Deo, quouſque depoſito carnis onere eleventur ad cœleſtis patriæ habitationem, ubi cum angelica ſocietate & perenni lumine perfruantur unius veri & trini Dei beata jocunditate, ſicque trimoda beentur lætitiæ ubertate. Sive ut evidenter oſtenderet providentia Dei, quàm ſacer eſſet locus ille, quem per angelicam præſentiam conſecrarat illuſtratione divina, & quòd illic operaretur decoris victoribus bravia. Simul quòd hic locus decentis gratioſæque ſpecietatis foret benevolentiæ diviniſſimè, foret amatoriæ bonitatis, & beatificandæ virtutis. Inſuper quoque, ut nemini ambiguum remaneret, ipſum eſſe eumdem locum, ubi ſacræ eccleſiæ templum ædificandum eſſet, quem ſpecialiter Deus per angelum viſitaſſet, quando tertiò cum trino ambitu, hoc eſt, terno giri circuitu, in una ſingulariter electa arbore cœleſtis columba reſediſſet.

F

X. *quod eodem loco condere Nivardus ſtatuit,* * *i. e.* coheres

18 Ergo excellentiſſimus atque apice nobilitatis inſigniſſimus Nivardus archipræſul, nimiùm de angelica revelatione gaviſus, dum quærit in hac vita ſollerter heredes habere miniſtros Chriſti, ut in futura coheredes * Chriſti effici mereretur, tali modo fecit ſibi Chriſtum debitorem, ut hoc opus lætus aggrederetur, & daret illis res ſuæ proprietatis in regione mortuorum, ut eſſet ei Dominus portio in terra viventium, ſicut eſt in æternum. Itaque hilaris in eodem montis loco, ubi obdormiens pro oraculo mirabile ſignum vidit, illico opus diu deſideratum inchoare voluit.

loctumque, conciliata priùs pace inter Regium comitem & Theoderamnum virum nobilem,

19 Sed quoniam cujuſdam Dei ſervi, nomine Bavonis *f*, erat poſſeſſio ipſius montis, qui oratorium illic habens in honore ſanctæ Crucis, ibi converſabatur, hæc etiam ei viſa narravit, commutavitque locum de rebus Remenſis eccleſiæ. Idem quoque Dei ſervus, poſtquam viſionem Præſulis, & ejus agnovit voluntatem, obtu-

A. ALMANNO.

lit illi libentiſſimè eamdem poſſeſſionem ſuam, partem quoque poſſeſſionis cujuſdam fratris ſui, nomine Badini. Alterius verò, Teoderanni nomine, cauſſam retulit, quòd eſſet ſcilicet in factione *g* contra Reolum comitem, qui Remenſis pòſt extitit epiſcopus, pro filiis ejus, quos ceciderat in ultione filiorum ſuorum, quos Reolus pro latrocinio, quod exercebant, ſuſpendio necaverat. Unde domnus Nivardus præſul egregius eum cum Reolo, qui neptem ſuam, ut ſuprà diximus, habebat uxorem, pacificavit.

g

permutatione accipit, ubi monaſterium condit.

20 Et ſic ipſe Teoderannus cum cæteris fratribus ſuis eamdem poſſeſſionem ſancto Nivardo, commutatione ab eo ſumpta, tradidit. Mox idem Præſul exultans in Chriſto, bonorum omnium Inſpiratori grates profudit, & in nomine Domini ſuccidi ſilvam jubens, intra girum, quem angelici circuitus perluſtratione, cœleſtis videlicet columbæ volatu, deſignatum cognovit, fundamenta jecit variis uſibus neceſſaria. Ubi verò ſupra arborem angelum columbina ſpecie requieviſſe notavit, in honore ſancti Petri *h*, & omnium Apoſtolorum conſtruxit eccleſiam; ita quidem, ut truncum ejuſdem abſciſſæ arboris intra altare concluderet. Qui videlicet truncus arboris circumpoſitis lapidibus intra ipſum altare permanet uſque in præſens tempus. Duo quoque alia monaſteria *i*, unum quidem in honore ſanctæ Dei Genitricis Mariæ & perpetuæ Virginis, aliud verò conſtruxit in veneratione ſancti Joannis Baptiſtæ.

h

B

i

i Non hìc intelligenda ſunt alia cœnobia, ſed cellæ ſeparatæ à cœnobio, quibus haud dubiè adjuncta erant ſacella ad uſum illorum, qui anachoreticè in cellis iſtis degebant. Antiquam hanc vocis monaſterium *ſignificationem tradit S. Iſidorus lib. 2 de Officiis eccleſiaſticis cap. 15, ubi docet, quodnam ſit diſcrimen inter cœnobium & monaſterium, ſic ſcribens:* Inter cœnobium autem & monaſterium ita diſtinguit Caſſianus, quòd monaſterium poſſit etiam unius monachi habitatio nuncupari; cœnobium autem non niſi plurimorum. *Curavit igitur* S. Nivardus, *ut conſtrueretur cella ſeparata, eaque dicata eſt ſancto Joanni Baptiſtæ. Hinc illa verba in litteris fundationis,* ſeu etiam ſancti Joannis. *Aliam cellam beatæ Virgini ſacram, in qua Sanctus obiiſſe dicitur, poſt datas fundationis litteras conſtructam exiſtimo, quia in illis non dicitur, cœnobium beatæ Dei Genitrici fuiſſe dicatum.*

D

CAPUT IV.

E

Beneficia abbatiæ Altivillarenſi præſtita; quidam nobiles ibidem facti monachi: obitus beatus Sancti.

HIs ita gratiâ Dei expletis, optabat diligenti ſtudio & pio amore Præſul ſanctus ditare locum ipſum, & inſtar nobilium locorum efficere. Nam quidquid *a* poſſeſſionum ante epiſcopatum fuerat viſus habere, ad ipſum locum tradidit. Contulit multitudinem familiarum & numeroſitatem prædiorum atque poſſeſſiones hæreditatum ſuarum. Eccleſiaſtica etiam ornamenta plurima tribuit, & auro atque argento locum decoravit, & in omnibus ſimilem illum templis honorabilibus reddidit, atque poſt locum ſancti patris Remigii, ſecundam ſedem urbis *b* Remorum fecit. Collectis quoque ſervis Dei, Bercharium filiolum ſuum abbatem præfecit, ubi etiam præfatus Teoderannus monachus efficitur.

XI. *Sanctus cœnobii reditibus ditati abbatem conſtituit Bercharium:*

a

b

F

22 Sed & ſanctus Reolus videns beatum Nivardum ſummum amorem gerere circa locum ipſum, filium ſuum, nomine Gedeonem *c*, de nepte ſancti Nivardi ſuſceptum, ſuadente ſancto Nivardo, ibi monachum fieri petiit, & rerum ſuarum partem ad idem monaſterium condonavit. Cui *d* etiam ſanctus Præſul religionis habitum ſumere adhortatus eſt. Privilegium quoque poſcente præfato abbate Bercharío *e*, ut ſcilicet ipſe Præſul idem monaſterium in ſui juris dominatione, dum adviveret, conſervaret, & ut poſt ſuum diſceſſum Remenſis epiſcopus ipſum cœnobium gubernet, & eoſdem monachos contra omnes adverſantes defendat; ipſi verò monachi poteſtatem habeant prælatum ſibi regulariter eligendi; prout in deſcriptione ipſius privilegii continetur.

illudque privilegio donat,

c

d

e

23 Impetravit quoque & aliud privilegium à Childerico rege, ac manu cancellarii ejuſdem regis ſcribi voluit, quod tam in palatiis, quàm per univerſa mala *f* adverſum comites regni, & diverſas civitates eis ſit ad munimen, ut non ſit illis moleſtus comes quiſquam, ſeu fiſcalis judex, aut centenarius *g*, vel quilibet ullius poteſtatis in ullo negotio, neque in publicis mercatis *h*,

atque immunitatem à variis oneribus eidem impetrat,

f

g

ANNOTATA.

a *Hæc ſuſceptio de ſacro fonte nec apud Flodoardum legitur, nec in Vita S. Bercharii, ideoque minùs eſt certa. Si verò facta eſt, ante epiſcopatum contigit. Multa de Bercharii inſtructione per* S. Nivardum *dicta ſunt in Comment.* § 3.

b *Hoc Namnetenſe concilium incerti eſſe temporis, monui in Comment. num.* 13.

c Matrona, *vulgò* la Marne, *flumen eſt ſatis notum, quod* Maternam *medio ævo vocarunt ſcriptores varii.*

d Sparnacum, *Gallis* Eſpernai, *erat eccleſiæ Remenſis, emptum à S. Remigio. Paſſim eo tempore* villa, prædium, *deinde etiam* caſtrum *nominatum reperitur. Nunc certè oppidum eſt ad Matronam.*

C

e *Locus in Mss.* Alvillaris, *&* Altvillaris, *atque etiam* Avillaris *vocatur, in Vita Bercharii* Altum-Villare. *De loco, viſione, ac fundatione monaſterii conſule etiam Comm.* § 4.

f *De hoc Bavone ejuſque fratribus Badino & Theoderamno aliunde nihil occurrit. Fratres non fuiſſe* Nivardi *monui in Comm. num.* 10.

g *Aliud Ms. habet* fractione. *Deſignatur bellum privatum, quale nobiles in Gallia olim gerebant. Porrò de bellis illis nobilium Gallorum, quæ paulatim abrogare conatus eſt S. Ludovicus, videri poſſunt, quæ dixi in Actis laudati Sancti tom.* 5 *Auguſti pag.* 456 *&* 457. *Hinc colligimus Bavonem ejuſque fratres viros fuiſſe potentes & nobiles; bellumque privatum, quod contra Reolum Theoderamnus cum ſuis gerebat, ope* S. Nivardi *ſublatum fuiſſe.*

h *Hæc primaria fuit cœnobii eccleſia, quæ haud dubiè ſtatim condita eſt cum cœnobio, dedicataque nomini SS. Petri & Pauli apoſtolorum ut habent fundationis litteræ in Comm. datæ num.* 28. *Quod ibi additur,* ſeu etiam ſancti Joannis, *mox exponetur.*

A catis *h*, aut vectigalibus *i*, vel census *k* regiæ
h i k potestatis, aut in suis villis, & prædiis, & ut nulla efficiatur exactio aut inquisitio; nec placi-
l m ta custodiantur *l* ibi per missos *m* regales vel per aliquos duces vel comites, qui post discessum ejus futuri essent, sub servitio filii sui Clotha-
n rii *n*, vel neporis ejus Dagoberti, vel quorumlibet stirpis suæ in generatione reliqua usque in perpetuum, sed maneant liberi cum omni securitate in monasterio suo, & orent semper pro regali sublimitate.

ac demum ibi sepeliri voluit.

24 Quamdiu autem in corpore supervixit: locum illum specialiùs semper amavit, ampliavit, ditavit, & ingenti dilectionis amore honestare studuit. Cùm autem cœlestia sacer ejus spiritus celsa conscenderet, post obitum suum, non alibi se sepeliri velle dixit, sed corpus suum venerabile in eodem loco mandavit tumulandum. Honor autem & religio, quam tunc ipse ibi constituerat, Deo propiciante, per longa tempora permansit, & partim manet meritis ipsius etiam in hodiernum diem.

B *Insignis in virtute constantia,*

25 Igitur Vir Deo plenus, divinus in divina factus, & animo quæ sancta sunt semper cogitans, gerensque intentionem rerum, quæ Dei sunt, post susceptum episcopatûs gradum, sicut cœperat, devotus in Dei servitute permansit. Quæsivit indesinenter preciosissimam margaritam, quæ multis emitur gemmis, vel opum gazis, & dono Dei omnipotentis dignis illam promeruit votis. Quia enim optimus optimè agit, & hic beatus pater Nivardus nobilissimus nobiliter conversatus est; quantúmque propinquabat ad finem vitæ, tantùm se sedulum exhibebat in opere. Dominus quoque, qui servis suis semper præstare consuevit, semper illi in omnibus affuit. Honestavit illum in laboribus, ornavit virtutibus, insignivit sanctimoniâ, erexit in gloria.

desiderium æternæ beatitudinis,

26 Ergo ante transitum suum beatissimus Pater, licèt ita semper consueverit, magis tamen intentionem habebat divinorum cantuum; & psalmicam modulationem crebriùs assumebat. Aiebat ergo cum David: Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est! Reputabat secum in mente, qualis esset illa beata regio & cum qua amœnitate ibi degunt Sancti; & gustum quodammodo desi-
C derandæ dulcedinis, quia necdum corpore poterat, cogitatione sumebat. Recordabatur supernæ sanctorum angelorum & hominum societatis, & eorum optabat interesse choris; recordabatur beatæ visionis Dei, & dicebat: Quando veniam & apparebo ante faciem Dei. Respiciebat mente civitatem gloriosam Syon, & cœlestem Hierusalem, cujus plateæ auro sternentur, ipsaque est de auro mundo, & preciosissimis margaritis, similis vitro mundo, ubi nox non erit, & cujus lucerna est Agnus, & de qua nullus bonus excluditur, sed populus ejus populus Dei, & Dominus erit Deus eorum in perpetuum.

ad quam ardenter aspirat,
o

27 Et ubertim flebat exulem se illius, gloriæque tantæ arrabonem & portiunculam, rorantes lacrymas possidens; jocundo etiam affectu à longè salutabat, in cogitario *o* mentis gerebat hunc cœlestem thesaurum, & in charitate positus & repletus munere Spiritus sancti, contemplabatur emissos radios è speculo Deitatis; & lumen divinæ pulchritudinis. O quàm sæpe in sancti cordis ejus latitudine habebat recubitum suum Dei gratia! Beata pulchritudo ejus animæ, beatum templum mentis illius, ubi Deus habitabat! O glorioſe Præsul, quid dicemus, qua suavitate, quibus opibus, quibus copiis pascebaris?

Denique toto desiderio cupiens in cœlestibus esse, cum maximo affectu cordis loquebatur: O Domine Deus meus omnipotens, lumen verum & perenne gaudium, eripe me de convalle lacrymarum: & dono gratiæ tuæ ad tuum fac desiderabilem pervenire conspectum. A. ALMANNO.

pius obitus & sepultura.

28 Et quoniam dignissimè preces ejus erant præmio compensandæ, ita ut supplicavit, emeruit. Nam viribus destituitur, & in corporalem ægritudinem resolutus, ac tam diu detentus est, donec auro excocto purior, nive candidior, preciosa morte sanctissimam animam, ducibus dextræ partis angelis, transmisit ad regna sydereat ubi semper manet unus hæredum Dei, cùm cohæredibus Christi. Quòd verò Alvillarensem locum jugiter dilexerit, etiam finis ostendit, nam in ecclesia *p* sanctæ Dei Genitricis & perpetuæ Virginis Mariæ, quam ipse beatus Præsul in monte Alvillari * construxerat, ab omnibus penè obiisse dicitur. Sepultus est autem in eadem ecclesia cùm omni honore à civibus suis, & universo clero, & plurima de diversis locis diœcesis suæ monachorum cohorte. Obiit autem glorioſissimus archipræsul Remorum beatissimus E Nivardus Kl. * Septembris, & regnat in gloria cum Christo in perpetuum, qui cum Patre & Spiritu sancto vivit & regnat in secula seculorum. Amen.

p

* Altvillari

* Kalendis

ANNOTATA.

a *Id dictum cum aliqua exaggeratione: nam & alia loca bonis suis ditavit Sanctus, ut patet ex Commentario § 3.*

b *Id est, totius diœcesis urbi Remorum subjecta. De abbatia Remensi S. Remigii, cui uni Altivillarensis à biographo postponitur, fusè tractat Mabillonius tom. 1 Annalium ad annum 533.*

c *Idem habet Flodoardus. Verumtamen de hoc Gedeone alibi nihil reperio; ne quidem in Vita Reoli.*

d *Reolum monachum factum in cœnobio Altivillarensi plerique neoterici scribunt ex hoc loco, quem expressit Flodoardus citatus in Comm. num. 27. Attamen id tam apertè non asseritur, ut non patiatur locus aliam expositionem.* Religionis habitum *sumpsit Reolus, suadente* Nivardo, *id satis certum. Verùm dubito, an per* religionis habitum *aquè intelligi non possit habitus clericorum quàm monachorum, cum uterque habitus opponatur seculari, quem reliquit. Certè apud Cangium in Glossario aucto ad vocem* Religio, *vestes ecclesiasticæ nominantur* vestimenta religiosa. *Præterea in Vita Reoli de ipso dicitur:* Relicto habitu seculari, S. Nivardi salutaribus monitis informatus, tonsuram clericalem assumpsit; *& ne verbum quidem illic reperitur de vita monastica. Hic quoque biographus aliter de Theoderamno & Gedeone loquitur quam de Reolo. Quare ambiguam, imò minùs probabilem, existimo assertam S. Reoli vitam monasticam. Si tamen in monasterio vixit, exiguo tempore in eo manere potuit, quandoquidem* Nivardo *adjunctus est ante episcopatum, atque episcopus factus est paucis annis post conditum cœnobium.* F

e *Addendum hoc loco*, Eidem contulit monasterio, *prout legitur apud Flodoardum, cujus verba dedi in Comm. num. 27. Suspicor voces illas excidisse transcribentium negligentiâ.*

f Mallum *vel* mallus *est* publicus conventus, in quo majores causæ disceptabantur, judicia-

A. ALMANNO. que majoris momenti exercebantur à comitibus, missis dominicis aliisque judicibus, *uti probat Cangius in Glossario ad dictam vocem.*

g Centenarius *hîc significat judicem minorem, qui centenis præerat, iisque jus dicebat de rebus minoribus. Consule laudatum Cangium ad vocem* centenarii.

h *Vox* mercatum & mercatus *variè olim sumebatur. Hic significat nundinas publicas, quantum apparet ex adjunctis.*

i Vectigalia *aliquando etiam designabat* vecturas, *eoque sensu hîc potest intelligi; videlicet quòd nihil exigi posset à monachis, dum aliò vehebant fruges aliave bona sua.*

k Centù *legendum opinor: at nolui mutare apographa invicem consentientia. Est autem census regius, vel regia potestatis, qui regi solvendus.*

l Placita custodire *hîc est*, conventus publicos habere, *quod non poterat fieri in abbatia per privilegium expositum. De placitis fusè rursum Cangius.*

m Missi, *vel* missi regales, *dicebantur apud Francos antiquos, qui è palatio in civitates & provincias mittebantur à principe, ut in omnia inquirerent atque abusus corrigerent. Non modò illi in comites aliosque judices inquirebant, sed in episcopos quoque & abbates, in ecclesias ac monasteria. Adi Cangium ad vocem* missi, *ubi de hisce fusè disputat.*

B n *Clotarius filius & Dagobertus nepos non rectè conveniunt Childerico, qui numquam Clotarium habuit filium, aut nepotem Dagobertum, si nepos sumatur propriè. Fratrem habuit Clotarium III, qui regnum Neustriæ & Burgundiæ administrabat, dum ipse erat rex Austrasiæ; sed ille obiit ante Childericum: patruelem habuit Dagobertum II, qui ei in regnum Austrasiæ successit, saltem ex parte; at hic, vivente Childerico, exulabat in Hibernia. Filium quoque Dagobertum habuisse dicitur, verùm adhuc infans occisus est cum patre. Hæc igitur nomina sic legi non poterant in litteris Childerici genuinis, idque existimo vidisse Flodoardum, qui mentionem non facit hujus privilegii. Qua de causa vel suppositîtium est privilegium istud; vel, si verè datum est, biographus imperitè nomina Clotarii & Dagoberti addidit, ubi posteri fortasse generatim expressi erant sine nomine proprio. Chilpericus I filium habuit Clotarium II, nepotem Dagobertum I. An Chilperici posteros pro successoribus Childerici posuerit scriptor, & sic privilegium credibile fiat, judicent alii.*

o *Per* cogitarium, *si vox rectè scripta est, auctor haud dubiè intelligit facultatem cogitandi. In alio Ms. mendosè* in cogitatio, *forsan legendum*, in cogitatione.

p Ecclesia *significat, opinor, cellam habitationi anachoreticæ destinatam, cui adjunctum erat sacellum ad rem divinam peragendam. Sic ecclesia non rarò sumitur pro cœnobio ecclesia adjuncto. Incertum esse, an ibi sepultus sit Sanctus, observavi in Comm. num.* 35.

DE SANCTO ÆGIDIO ABBATE
IN FANO S. ÆGIDII OCCITANIÆ.

J. S.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§ I. Veneratio Sancti longè latéque propagata.

C FORTE INTER DCCXI ET DCCXXV. *Sanctitas Ægidii agnita à seculo 9: memoria tamen ejus istius temporis*

Sanctitatem Ægidii *abbatis agnitam fuisse à seculo saltem* IX, *seu anno* 817, *colligimus ex Conventu Aquisgranensi ejusdem anni, in quo apud Labbeum tom.* 7 *Concil. col.* 1514 *monasterium Sancti nostri recensetur his verbis:* Monasterium sancti Ægidii in Valle Flaviana. *Hinc ulterius conjicere possumus,* Ægidium *ab illo tempore, & verosimiliter à seculo præcedente honoratum fuisse cultu ecclesiastico in sua ecclesia, & forsan in tota diœcesi Nemausensi, locisque vicinis. Verumtamen memoria* S. Ægidii *non reperitur in genuinis seculi* IX *aut* X *Martyrologiis, quod contigisse suspicamur, quia Vita Sancti necdum erat conscripta. Baronius quidem in annotatis ad Martyrologium Romanum* 1 *Septembris, ubi Sanctum annuntiaverat his verbis,* In provincia Narbonensi sancti Ægidii abbatis & confessoris, *addit hæc verba:* De quo etiam Bedæ & Adonis Martyrologia. *Verùm id intelligi debet de auctis eorum Martyrologiis; cùm in Genuino eorumdem textu* S. Ægidius *non reperiatur. In auctariis Bedæ, prout editum est ejus Martyrologium apud nos ante tomum* 2 *Martii, ad* 1 *Septembris ex variis codicibus auctis leguntur sequentia. Primò*, S. Ægidii abbatis. *Secundò:* In Provincia S. Ægidii confessoris. *Tertiò:* In loco Vallis, quæ dicitur Flaviana, in prospectu maris, natalis S. Ægidii abbatis, apud Athenas orti patre Theodoro, matre Pelasia.

D

2 *Ab Usuardo quoque memoratus non fuit* S. Ægidius, *licèt omnibus ferè codicibus Usuardinis deinde sit additus, phrasi tamen diversa diversoque ejusdem diei loco, ut probat in Usuardo suo Sollerius ad* 1 *Septembris, hæc subdens:* Tanta in codicibus variatio, argumentum, ni fallor, evidens est, ad primigeniam Usuardi lectionem Ægidium non pertinere. *In antiquissimo Usuardi codice Pratensi sic legitur:* Eodem die natalis sancti Egidii abbatis. *At editor illius codicis fatetur non esse ipsius Usuardi verba, dum hæc observat:* Antiqua huic articulo Egidium suppositi manus, & ita antiqua, ut obscurum sit discrimen. Sed tamen aliam à prima esse Sollerius noverat, & nos ultro confitemur. *Codex Centulensis apud Sollerium breve, sed honorificum, Sancti habet elogium, hisce verbis conceptum:* Ipso die depositio S. Egidii abbatis, quem ob meritum sanctitatis omne genus homi-

genuinis Martyrologiis non legitur inserta, licèt plerisque deinde sit addita:

E

F

num

A num quærit & veneratur. *Longiora elogia occurrunt in codicibus aliis ; at illa prætermitto, quia ex Actis sunt desumpta. Annuntiatur etiam* S. Ægidii *memoria in antiquo Hagiologio Franco-Galliæ, quod edidit Labbeus tom.* 2 *Bibliothecæ Mss. pag.* 702, *ubi legitur :* Eodem die (1 *Septembris*) depositio beati Egidii abbatis. *Pleraque apographa Hieronymiana carent* S. Ægidio. *Attamen addita est ejus memoria in codice Corbeiensi, quem edidit Acherius tom.* 2 *Spicilegii recusi pag.* 17, *& in Augustano apud nos post tom.* VII *Junii pag.* 215 *atque ejusdem memoria reperitur in Kalendario antiquo, quod ex Ms. monasterii Lyrensis edidit Martenius tom.* 3 *Thesauri anecdotorum col.* 1613. *At hæc monumenta non sunt antiquiora seculo* XI *aut certè* X. *Recentiores certatim annuntiant* S. Ægidium, *& elogia ex Actis ejus concinnant varia. Verùm necesse non est illa addutere, uti nec Petrum de Natalibus, & auctorem Florarii nostri Ms., qui Acta majori ex parte descripserunt, erroresque in iis asserros novis erroribus cumularunt.*

B 3 *Verumtamen addere juvabit ex Martyrologio Adonis Saussayi aliqua ad veneration*em *Sancti spectantia, prætermisso longissimo ejus de vita elogio, quod partim ex Actis, partim ex conjecturis concinnavit. Relata* S. Ægidii *morte, conventuque angelorum, qui tunc auditus dicitur, sic ille pergit :* Cujus sanctitatem Christus crebris miraculis testatam esse voluit : præconia verò beatus Fulbertus Carnotensis antistes, qui Officium ejus primus texuit, prosâ ac carmine celebravit. Sanctus etiam Godefridus episcopus Ambianensis tanti Opitulatoris virtutem expertus, ejusdem merita plurimùm veneratus est : quæ colenda duplicis festi ritu mandavit Urbanus Papa quartus expressa constitutione. Majores verò multis honorificentiæ testimoniis ejus memoriam exornarunt, quam colendam communi cum sancto Lupo celebritate, avito ex more Gallicana ecclesia consuevit. Ad cujus communis gloriæ perennationem extructa visitur Lutetiæ Parisiorum viâ regiâ ecclesia parœcialis, utriusque sanctissimi Confessoris titulo nobilis, perennique opitulatione conspicua : Cæterùm sacrum ejus corpus, quod in ipsius monasterio per plura sæcula conditum quieverat, tempore hæresis Albigensium de terra levatum, omnino incorruptum repertum fuit. Indeque Tolosam delatum, in basilica S. Saturnini, multorum cum apostolorum, martyrum confessorumque sacratissimis cadaveribus, condigno cultu hinc usque in ara sui nominis arcâque pretiosâ observatur.

elogium Saussayi de gloria Sancti posthuma.

C 4 *Dubitare non possumus, quin cultus Sancti primò cœpit & in monasterio proprio ; ubi fuit sepultus. Verosimile quoque est, venerationem illam non diu post mortem Sancti inchoatam, licèt nulla existent monumenta, quibus certi reddimur, quo cœpta sit tempore. Venerationem hanc publicam secuta sunt votivæ peregrinationes, quibus* S. Ægidii *sepulcrum adeò inclaruit, ut locus tandem excreverit in oppidum, quod hodieque* Ægidii * *nomen retinet. An hæ peregrinationes statim à morte Sancti fuerint inchoatæ, non constat. At certè multum jam usitatæ erant ante mediam seculi* X : *nam apud Mabillonium tom.* 4 *Annalium pag.* 473 *instrumentum laudatur anni* 1046, *in quo loca peregrinationibus maximè inclyta recensentur quatuor, his verbis :* Pergentes ad loca Sanctorum, tam ad beatam Mariam & sanctum Petrum Romæ, quàm ad sanctum Jacobum & sanctum Ægidium *&c. Apud Benedictinum scriptorem nuperæ Historiæ Aquitaniæ inter instrumenta tom.* 3 *col.* 372 *recensentur multa loca peregrinationibus clara, atque inter ea* S. Ægidii in Provincia. *Monumentum autem istud spectare videtur ad seculum* XIII. *In Vita B. Joannis Opilionis apud nos tom.* IV *Junii pag.* 844 *beatus ille dicitur cum aliis peregrinatus ad* S. Ægidium ; *quod factum videtur seculo* XIV *aut* XV. *Ex dictis collige peregrinationes ad* S. Ægidium, *quæ verisimiliter non diu post mortem Sancti initium habuerunt, multis seculis continuatas fuisse.*

Cultus Sancti antiquissimus in monasterio proprio, quod votivis peregrinationibus clarum ;

* *vulgò* Saint Gilles

5 *Interea variis locis constructæ sunt Sancto ecclesiæ, ejusque veneratio latè propagata. Antiqua admodum est Leodii, ubi cœpta dicitur modo mirabili circa annum* 976 *sub Notgero præsule. Audi Fisenium nostrum in Historia ecclesiæ Leodiensis lib.* 7 *ad annum* 976, *ubi rem narrat hoc modo :* In summo ejusdem Publici Montis vertice jacta sunt item, Notgero præsule, S. Ægidii fundamenta. Goderanus quidam autor fuit, ex Gallia Narbonensi oriundus, Oppido S. Ægidii, vir humilis sortis, ut qui circumductis per varias provincias urso simiâque, histrionicam exerceens, victum quæreret. Affecta jam ætate meliorem Deus mentem indidit. Sanctius sui ipsius spectaculum cælitibus exhibere studuit. Theatrum ipsi fuit Publicus Mons, inter silvas, latrociniis infestas : ubi pro vitæ melioris tirocinio, iter facientes, si quando fortè deerrarent, in viam primùm reducere instituit. Quid enim altius aggrederetur ejuscemodi homo conditionis ? Tum casas, & tuguriola cœpit erigere, convehente urso materiam, quo viatoribus, sed maximè pauperibus hospitalitatem exhiberet. Clariores inter hæc divinæ lucis radios in animum sentiebat infundi ; quos & in hospites suos arrepta occasione cœpit immittere. Nec enim sinu facilè quis ignem clauserit. Is porrò fructus exstitit, ut non ex itinere modò, verùm solo audiendi studio confluerent plurimi, sacri æquè ordinis, ac profani homines ; pleriique etiam in ejus disciplinam transirent.

idem cultus miro modo cœptus Leodii,

ubi Sancto struitur ecclesia monasterio deinde aucta ;

6 Ædem ergo sacram exstruxit S. Ægidio, cujus nimirum clientem ortu se meminerat. Casas adjunxit includendis piis mulieribus, quæ sanctis ejus exemplis & hortatu, rejectis humanis omnibus rebus, in unius Dei se tradebant obsequium. Sanctimoniâ, & piæ mentis ardore inter cæteras eminuit Judila quædam ; quam venerabilem mulierem, & Deo dilectam appellat Ægidius. Feliciter, & magnâ sanctitatis opinione vitam clausit Goderanus. Sepultus est ante aram SS. Dionysii & Lamberti. Et Judila proximè posita. Histriones, & citharœdi, qui sodalem à pio instituto primùm revocare tentarant, in demortui memoriam deferendum ad S. Ægidii quotannis susceperunt cereum, proximo Mercurii die post S. Joannis Baptistæ natalem. Hodieque post tot sæcula antiquum tenent. Ista sunt Ægidiani cœnobii incunabula. Veniet tempus, quo progressum dabimus. *Hactenus Fisenius, qui deinde variis locis de eadem agit ecclesia. At illa minùs spectant ad propositum nostrum. Breviter ergo dixisse sufficiat, ecclesiam illam excrevisse in cœnobium, quod seculo* XII *datum Canonicis Regularibus, quorum præpositos & abbates enumerat Dionysius Sammarthanus tom.* 3 *Galliæ Christianæ col.* 1009.

altera ecclesia Sancto dicatur, ejusque reliquiis ditatur :

7 *Post medium seculi* XI *alia Sancto erecta est ecclesia per B. Theodericum abbatem Andaginensem seu S. Huberti in Arduenna silva. Res*

AUCTORE J. S.

narratur in Vita B. Theoderici, apud Mabillonium ſeculo 6 Benedictino part. 2 pag. 573 & 574, & apud nos tom. IV Auguſti pag. 858. Anonymus, at coævus, Vitæ ſcriptor de Theoderico primùm hæc refert: Non longè verò à porta exterioris atrii (*monaſterii Andaginenſis*) ædificatâ ſpatiosâ eccleſiâ, ſancto Ægidio eam voluit dedicare; cúmque deſiderio de Sancti corpore petendarum reliquiarum, ad Sanctum Ægidium pergeret, per urbem, quæ dicitur Trecas *, iter habuit *&c. Ac deinde additur apud Mabillonium:* Tandem reverſus de itinere, inter cetera probitatis opera prudenti admodùm uſus conſilio, ut reliquias, quas attulerat, in duas æquas partes divideret: quarum unam ſibi ſuæque eccleſiæ retinuit, alteram eccleſiæ ſancti Ægidii, ubi ſacerdotem ipſe inſtituerat, impertiit. *Hæc tamen poſteriora non erant in Ms. noſtro, uti dictum eſt in Annotatis ibidem lit. g. Porrò facta hæc dixi poſt medium ſeculi XI, quia Theodericus abbas creatus eſt anno 1055, defunctus verò probabiliùs anno 1087, ut videri poteſt in Obſervationibus præviis. Mabillonii æquè ac in Commentario apud nos Vitæ prævio.*

* Troyes

B

veneratio Sancti in Hungariam propagata ſtructo ibidem cœnobio,

8 *Sub finem ſeculi XI veneratio Sancti noſtri in Hungariam penetravit, ſtructo in ejus honorem cœnobio, quod primario ejus monaſterio fuit ſubjectum. Albericus monachus in Chronico ad annum 1078 rem obſcurè tradit his verbis:* In Ungaria regnavit ſanctus rex Ladiſlaus, Belæ pugilis filius, annis octodecim. Hic in Ungaria fundavit nobiliſſimam abbatiam de Sentgis, in qua non ſolent recipi niſi Franci. *Lucem afferent litteræ Paſchalis Papæ II ad Hugonem abbatem* S. Ægidii *in Septimania, datæ anno 1106, quibus confirmatur ſubjectio abbatis Semichenſis in Hungaria abbati* S. Ægidii. *Edidit has litteras Baluzius tom. 2 Miſcellaneorum à pag. 183 hunc in modum:* Paſchalis Epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecto in Chriſto filio Hugoni abbati monaſterii ſancti Ægidii, quod in valle Flaviana ſitum eſt, ejuſque ſucceſſoribus regulariter promovendis in perpetuum. Religioſis deſideriis dignum eſt facilem præbere conſenſum, ut fidelis devotio celerem fortiatur effectum. Latiſlavus ſiquidem bonæ memoriæ Hungarorum rex

C

ad honorem Dei & ſanctorum apoſtolorum Petri & Pauli, in memoriam ſancti confeſſoris Ægidii Semichenſem fundavit eccleſiam, & eam per manum Odilonis felicis memoriæ prædeceſſoris veſtri monaſterio beati Ægidii, cui auctore Deo præſides, obtulit: ubi & ejus corpus venerabile requieſcit. Hanc nimirum oblationem pro animarum ſalute perpetratam nos largiente Deo Apoſtolicæ Sedis auctoritate firmamus, cui veſtrum Flavianæ vallis cœnobium ab eodem ſancto Ægidio in ſalarium datum agnoſcitur. Igitur ſupradicti regis deliberationem præſenti decreto ſancimus, ut quicumque Semichenſis abbas fuerit, abbati monaſterii veſtri, quod in valle Flaviana à ſancto Ægidio conſtructum diximus, obedientiam profiteatur, & perſeveranter obſervet, negotia, quæ monaſterio acciderint, regis conſilio terminentur, & nullus præter regem ſuper res eccleſiæ judicare præſumat. *Reliqua videri poſſunt loco aſſignato. Datæ autem notantur litteræ* Parmæ ... IV Nonas Novembris, Indictione XV, anno Dominicæ Incarnationis MCVI, pontificatûs autem domini Paſchalis II Papæ VIII. *Mabillonius tom. 5 Annalium pag. 137 hæc etiam refert. Petrus Pazmany in Catalogo abbatiarum Hungariæ hanc recenſet his verbis:* De Simigio S. Ægidii, Veſprimienſis diœceſis. Viguit anno MCCCII.

D

inſtituta ejuſdem feſtivitas in eccleſia Anicienſi:

9 *Anno 1096 inſtitutum eſt feſtum* S. Ægidii *in eccleſia Anicienſi, curante id Raymundo, comite Toloſano, qui multa hunc in finem donavit Anicienſi eccleſiæ. Diploma hujus donationis recitat nuperus ſcriptor Hiſtoriæ Occitaniæ tom. 2 inter inſtrumenta col. 343, ex quo pauca ſubnecto:* Ego Raymundus de ſancto Ægidio tam Toloſanorum quàm Ruthenenſium comes, pro redemptione delictorum meorum & parentum meorum, ob amorem S. Ægidii, quem multis injuriarum modis frequenter offendi; quatenus ejus feſtum in Anicienſi eccleſia, & in cæteris illi ſubditis eccleſiis annuatim celebretur; & ut in omni canonicorum Podienſium conventu, illo feſtivitatis die, de meæ largitionis ſervitio annuus victus, qui tantum feſtum tamque venerabilem conventum deceat, perenniter exhibeatur; & ut candela, dum vixero, inceſſanter die ac nocte pro me ante Dei Genitricis venerandam imaginem ſuper altare ardeat *&c.* ... dono *&c. Subjiciuntur donationes comitiſſæ ad finem nvedictum factæ. Obſervari etiam hîc poteſt, titulum* S. Ægidii *uſitatum fuiſſe huic comiti Toloſano uti & aliis non paucis circa idem tempus. Verumtamen ex hac donatione certò inferri non poteſt, feſtivitatem* S. Ægidii *in Anicienſi eccleſia antè non fuiſſe celebratam: nam donatio Raymundi fieri potuit, ut ejuſdem feſtivitas ſolemniùs deinde celebraretur.*

E

cultus Sancti antiquus in monaſterio S. Quintini de Monte,

10 *Antiqua etiam eſt veneratio Sancti in abbatia S. Quintini de Monte prope Peronam in Picardia. Quippe in Vita S. Godefridi Ambianenſis epiſcopi, qui poſt medium ſeculi XI monachus erat in dicto S. Quintini monaſterio, dicitur ibidem fuiſſe oratorium* S. Ægidii, *miraculumque in altari ejus factum narratur. Audi Nicolaum monachum iſtius Vitæ ſcriptorem apud Surium ad VIII Novembris:* Et quia oratorii beati Ægidii abbatis mentio facta eſt, rem memorabilem, quæ illic contigit, referemus. Ea nocte media, quâ præſepii anguſtia Chriſtum è Matre Virgine naſcentem olim excepit, monachus quidam, Richardus nomine, vir in primis reverendus, qui vitam monaſticam annis ampliùs quinquaginta egiſſe ferebatur, Sacrificium illic offerre voluit. Cúmque expanſis linteis calicem & alia ad Sacrificium adhiberi ſolita impoſuiſſet, incautè ardentem ibi reliquit cereum, & in chorum fratrum pſallentium abſceſſit: ubi cùm ſextam lectionem à præcentore ipſi aſſignatam recitaret, recordatur cerei, ſicque multùm anxius, quòd non poſſet, intermiſſa lectione, eò properare, nec cuiquam indicare, quid ipſum malè haberet. Abſoluta lectione, propè exanimis eò feſtinat: cúmque omnia jam in cineres & favillam redacta putaret; vidit cereum cecidiſſe in lintea, flammarum comas latè diffundi, & tamen illæſa omnia, &, quod credi vix poſſit, ita comparata omnia, ut ignis non in ſtramina aut pannos lineos, ſed in marmoris aut ferri, vel alterius metalli maſſas incidiſſe videretur. Ea re obſtupefactus multos advocat, qui ſint tanti miraculi teſtes oculati: qui cùm omnia curiosè inſpexiſſent, nec veſtigium quidem adûſtionis ullum reperire potuerunt. *Cauſam miraculi ſcriptor attribuit reliquiis in altari repertis. Verùm fortaſſe non minùs probabiliter attribui illa poſſet* S. Ægidio, *cujus erat altare; licet aliàquin*

F

mira-

A *miraculum potiùs narraverim, ut cultum Sancti in illa abbatia probarem, quam ut ejus protectioni miraculum istud adscriberem.*

qui & Bambergæ auctus per reliquias eò delatas:

11 *Bambergæ in Germania auctus est* S. Ægidii *cultus per S. Ottonem Bambergensem episcopum sæculo* XII *non multum provectlo. Testatur id Andreas, qui Vitam S. Ottonis collegit, ex qua fragmentum, seu Supplementum ad Vitas alias, dedimus tom.* I *Julii à pag.* 456. *Laudatus Andreas num.* 3. *sic habet:* Adhuc autem dilectissimum sibi locum amplificare desiderans (*Otto,*) sub monte S. Michaëlis capellam S. Ægidii cum hospitali domo, pauperum & peregrinorum receptionibus aptam constituxit. *Descripto deinde conditi sacelli loco suburbano, qui vulgò* Lugenhubel, *seu* collis mendacii *dicebatur, ad propositum nostrum sic progreditur num.* 4: Hoc ergo spiritualis hic pater in melius commutare desiderans, qui ad hoc se constitutum noverat, ut prava exstirparet, & bona quæque inferret; collem ipsum complanari, & ecclesiam illic B. Ægidii jussit ædificari. Domicilia quoque, pauperibus & peregrinis opportuna construi; ut ubi antea servitus inimici pullulabat, ibi deinceps,

B divino cultu & eleemosynis pauperum, lucra animarum succrescerent. Eo tempore canonicus quidam ecclesiæ S. Jacobi, Wichodo nomine, orationis causâ beatum visitans Ægidium, reliquias magnificas, id est, pollicem ejus, comparavit; quem pius Otto, ab eodem sagaciter impetratum, altario S. Ægidii cum aliis multiplicibus reliquiis inclusit, ecclesiamque solenniter dedicans, memoriam ejus per omnem locum celebriorem, quàm eatenus fuisset, instituit.

eidem varia per Germaniam condita monasteria.

12 *Monasteria quoque non pauca variis Germaniæ locis condita sunt in honorem* S. Ægidii. *Tria ex illis recenset Mabillonius tom.* 5 *Annalium pag.* 614, *sic scribens ad annum* 1115: Eodem anno conditum legitur extra Brunswigam sancti Ægidii monasterium à Gertrude comitissa Northeimensi, uxore quondam Heinrici comitis, qui Bursfeldense cœnobium fundavit. Hæc corpus sancti Auctoris à Brunone Trevirorum episcopo impetravit, reposuitque eo in loco, ubi permagnificum monachorum cœnobium in honorem sancti Ægidii exstruxit, adjuvante Lothario duce, postea imperatore, qui filiam ejus habuit uxorem . . . Aliud per id tempus prænobile sancti Ægidii monasterium puellarum conditum est prope Monasterium * Westfalorum, cujus prima fuit abbatissa beata Adelheidis seu Alheidis. . . . Supereſt etiam nunc hoc monasterium sub congregatione Bursfeldensi. Aliud quoque fuit sancti Ægidii monasterium in diœcesi Halberstadensi, quod modò Lutheranorum est. *Bucelinus in Germania sacra part.* 2 *pag.* 3 S. Ægidii Norimbergæ *monasterium describit his verbis:* Magnificum olim S. Benedicti monasterium, à Conrado III imperatore fundatum anno Christi MCXL, optimèque meritis de re Christiana per Germaniam Patribus Hibernis seu Scotis traditum ad annum usque MCDXVIII, donec his numero & zelo religionis deficientibus Germani substituerentur. Paret hodie magistratui, extinctis post mutatam religionem in urbe monachis, celebraturque summopere amplissimæ basilicæ architectura, egregium prisci splendoris argumentum. *Addere his possum alias Sancto dicatas ecclesias, etiam Romæ: verùm hæc sufficient ad ostendendum, quàm longè sæculo* XII *propagata sit* S. Ægidii *veneratio: nam omnia loca ejus nomini sacra recensere hujus non est loci.*

C

* Munster

AUCTORE J. S.

13 *Demum post medium sæculi* XIII *Urbanus Papa IV de* S. Ægidio *Officium* IX *lectionum Breviario Romano inseri jussit, illudque recitari ritu semiduplici, ut ex Gavanto scribit Bailletus ad* 1 *Septembris in* S. Ægidio *Verum circa medium sæculi* XVI *id Officium ad simplex redactum est, quod deinde confirmatum à S. Pio V, atque hactenus servatum. Nihilominus etiamnum multa diœceses celebriori cultu venerantur* S. Ægidium, *non modò in Gallia, sed in aliis quoque regnis & provinciis, præsertim in Belgio nostro. Hinc factum est, ut lectiones, quæ in festivitate Sancti recitantur, pro varietate ecclesiarum variæ sint. Ad venerationem quoque Sancti nostri, singularemque fidelium de ipsius ope fiduciam spectant ea, quæ Papebrochius noster disputavit tom.* III *Aprilis pag.* 149 *in S. Georgio. Refert ibidem per aliquot sæcula in variis Occidentis ecclesiis viguisse usum invocandi quindecim Sanctos, quos* auxiliatores *vocant. Istius religionis originem & causam ait esse ignotam:* Nec alia (*inquit*) videtur assignari *causa* commodiùs per conjecturam posse, quàm quòd singuli eorum specialiùs soleant pro variis necessitatibus invocari & coli *&c. Inter Sanctos autem illos quindecim reperitur etiam* S. Ægidius, *prout videri ibidem potest ex collecta Missæ* de quindecim sanctissimis Auxiliatoribus. *In aliis antiquis Missalibus invenitur* Missa de quinque Sanctis privilegiatis, *atque inter illos similiter numeratur* S. Ægidius. *Ex quibus liquet, quanta fuerit fidelium in hunc Sanctum pietas, quantaque de ejus intercessione fiducia.*

Vitis Patrum Occidentis lib. 3 *pag.* 155 *in* Ægidio *his verbis:* Sed non est omittendum qualiter hujus Sancti precibus & meritis Boleslaus Poloniæ rex fuit impetratus & natus. Scribit verò totam historiam Joannes Herburtus in hunc modum: Juditha Wladislai regis pii Polonorum uxor, cùm liberos habere non posset, & assiduis precibus, jejuniis, & eleemosynis de prole Deum assiduè fatigaret: à Lamperto Cracovienſi episcopo admonita, oratores in Narbonensem provinciam, ad monasterium divi Ægidii, ubi corpus ejus conditum erat, cum amplissimis & templo & monachis muneribus mittit. Exponunt quid veniant, quidve postulent. Indicitur monachis tridui jejunium, oratur Deus, ut intuitu grati servi sui Ægidii masculam prolem piis principibus concedat. Triduo itaque illo revelatur per visum cuidam seni & pio monacho, quod tanto studio petitum esset. Dimissis autem ac reversis oratoribus, natus est tandem ex Juditha Boleslaus. Qui Boleslaus cùm adoleviſſet, paucis sacerdotibus & aliis piis hominibus comitatus, ad Ægidii tutelaris sui divi sepulchrum peregrinationem privato habitu suscepit, atque id iter magna ex parte nudis pedibus confecit; nullum templum, nullum monasterium, nullum egentium domicilium, neminem denique sacerdotem ac mendicum præterieńs, quin liberalitatis, & munificentiæ quippiam in eum deprómeret. Quindecim dies apud divi sepulchrum jejunus & supplicationibus vacans, commoratus est. Hæc Joannes Herburtus. *Boleslaum, de quo hic agitur, fuit illius nominis Poloniæ rex III, creatus sub initium sæculi* XII.

ejus meritis Boleslaus Poloniæ rex natus creditur.

E

AUCTORE J. S.

§ II. Sacri corporis tranſlationes & reliquiæ.

Corpus Sancti, quod initio ſepultum in eccleſia S. Petri, tranſlatum

CORpus S. Ægidii *diu manſit in eccleſia S. Petro ſacra, quam ab ipſo Sancto conſtructam probabimus. Illud elevatum fuiſſe ſeculo* x *ſcribit Saxius in Pontificio Arelatenſi, citans Breviarium S. Ægidii, quod nobis ad manum non eſt. Audi ſcriptores Galliæ Chriſtianæ tom.* 6 *col.* 483 *in abbatibus S. Ægidii:* Autulphus vel Antulphus præerat (*anno*) CMXXV. . . . Quo ſedente è terra levatæ ſunt ſacræ S. Egidii exuviæ, uti legitur in Pontificio Arelatenſi, auctore Saxio. *Qua occaſione facta ſit hæc elevatio, non invenio. At ſuſpicio eſſe poteſt vel tunc vel alio tempore corpus ſacrum fuiſſe tranſlatum ad eccleſiam majorem, quæ* S. Ægidio *haud dubiè dicata fuit. Certè prater eccleſiam minorem S. Petri alia ibidem fuit eccleſia etiàm antiqua, quæ ſimul cum*
B *priore dejecta fuit anno* 1116, *ut magnificentior exſtrueretur. Colliguntur hæc ex libro Miraculorum, quem Petrus Guilielmus ejus temporis & loci monachus Hugoni abbati ſuo inſcripſit his verbis:* Reverentiſſimo patri domno Hugoni abbati monaſterii S. Egidii, quod in valle Flaviana ſitum eſt, frater Petrus cognomento Guilielmus, ejuſdem loci bibliothecarius, debitum in omnibus ut filius famulatum. *Inſcriptionem hanc profert Mabillonius tom.* 5 *Annalium pag.* 623.

verosimiliter ad eccleſiam, quæ ipſi S. Ægidio dicata fuit:

16 *Ex libro autem mox recitat ſequentia ad propoſitum noſtrum:* Dùm . . . anno Incarnationis Dominicæ MCXVI fundamenta baſilicæ novæ ponereмus, quia eccleſia alia minùs continens erat, & multitudinem adventantium capere non poterat, ſubverſioni eccleſiarum operam dedimus. Cùm autem eccleſiam majorem, quæ cum tribus cryptis, maximis & quadratis lapidibus antiquitus exædificata fuerat, deſtrueremus, nec non & eccleſiam ſancti Petri, quæ octoginta fratres in choro capere poterat; ſimul cum porticu lapidea, quæ ei adhærebat, à parte Septemtrionis & à capite ſuperioris eccleſiæ uſque ad extremitatem eccleſiæ ſancti Petri in longum protendebatur, in qua fratres ad proceſſionem die-
C bus ſolemnibus egredi ſoliti erant, & antiquitus Via ſacra vocabatur, nec non & eccleſiam ſanctæ Mariæ deſtrueremus; mira virtus omnipotentis Dei patefiebat. Inter tot quippe moles ruinarum & ædificiorum corruentium, beato Egidio interveniente & plebem fidelem defendente, numquam aliquis ingredientium & egredientium eccleſias ipſas lapidis unius ictu attaminatus eſt. *Tempus hic aſſignatum condiræ hujus baſilicæ confirmat* inſcriptio ſequens ſculpta in clauſtro juxta parietem eccleſiæ, *quæ habetur tom.* 6 *Galliæ Chriſtianæ col.* 485 *expreſſa his verbis:* Anno Domini MCXVI hoc templum S. Ægidii ædificari cœpit menſe Aprili, feriâ 2 in Octava Paſchæ. *Ibidem de magnificentia ejuſdem eccleſiæ, ipſiuſque deſtructione ſubnectuntur ſequentia:* Hanc autem baſilicam inferior eccleſia & rudera ſuperioris tam eleganti opere exſtructam fuiſſe teſtantur, ut cum Julio Papa II, vix in toto Galliæ regno ſimilem inveniri potuiſſe, quivis audacter poſſit aſſeverare. Verum debacchante hæreſi Calviniana annis MDLXII & MDCXXII, devaſtata & maxima ex parte diruta, hactenus ſub ruinis ſepulta jacet. *In hac autem baſilica depoſitum veroſimiliter Sancti corpus, in eaque ſervatum, donec Toloſam tranſlatum ſit, ut mox dicemus.* D

ſcriptus liber Miraculorum, ex quo pauca narrantur.

17 *At priùs occaſione laudati libri Miraculorum, qui à nobis non eſt viſus, huic loco inſeremus ea miracula, quæ Mabillonius ex illo libro deſcripſit loco Annalium proximè aſſignato:* In illis miraculis, *inquit Mabillonius*, quæ partim à ſe viſa, partim ab aliis accepta commemorat, mentionem facit de duobus viris ab interitu ſervatis, dum nova ſancti Ægidii eccleſia ædificaretur . . . In alio capitulo refertur ſanatio cujuſdam Britonis, cui manus arida facta erat, propterea quòd die feſto ſancti Ægidii terram arâſſet. Id accidiſſe dicitur in Britannia cisteriori, quæ & Britannia Minor dicitur, ubi in epiſcopatu civitatis Namnetis, vicus quidam Bonobria * vocatur, & eſt ibi eccleſia in honore * Boneûvre beati Martini, in qua fratres monaſterii ſancti Florentii Salmurenſis omnipotenti Deo deſerviunt, in quâ etiam & habetur altare in honore beati Egidii conſtructum . . . Denique, ut cetera omittam, in illis ſancti Ægidii miraculum unum te-
E fertur de quodam Teutonico, ex Ciza civitate oriundo, qui ter ſuſpenſus, invocato ſancto Ægidio, nihil mali paſſus eſt. Teſtis vir honeſtus, & per cuncta laudabilis, Guirardus nomine, abbas monaſterii ſanctæ Mariæ, quod ſitum eſt in inſula, quæ Hedoa dicitur. Hæc in ſpecimen ex illo libro miraculorum retuliſſe ſufficiat. *Vellem plura dediſſet, aut liber perveniſſet ad manus noſtras. Verùm ad corporis tranſlationem regrediamur.*

Corpus tranſlatum Toloſam: quod alii tempore Albigenſium,

18 *Omnes ſcriptores conſentiunt corpus* S. Ægidii *tranſlatum eſſe Toloſam, ibique ſervari in eccleſia S. Saturnini. At nullibi explicatum invenio, quo circiter anno, aut quorum operâ, ſacrum corpus eò fuerit deportatum. Sauſſayus quidem, cujus verba dedi num.* , , *aſſerit tranſlationem contigiſſe* tempore hæreſis Albigenſium; *ſed vaga eſt illa temporis ratio & nullum illius adducitur fundamentum. Varii tamen ſcriptores idem deinde aſſeruerunt, eaque opinio, licèt rationibus deſtituatur, inſerta eſt nupero Martyrologio Pariſienſi ad* 1 *Septembris, ubi Sancto noſtro elogium texitur hujuſmodi:* Apud Vallem Flavianam pagi Nemauſenſis in Occitania, beati Ægidii abbatis, cujus tumulus nomen dedit baſilicæ ſuper illum ædificatæ, & poſtmodùm conſtructo circùm oppido, unde corpus ejus propter Albigenſium motus Toloſam tranſlatum, in eccleſia ſancti Saturnini depoſitum eſt. *Si vera eſt hæc ſententia, tranſlatio fieri debuit ſeculo* XII, *vel ante medium ſeculi* XIII; *nam illo tempore viguerunt Albigenſium motus.* F

alii ſeriùs factum volunt.

19 *Verùm ſcriptores hodierni Galliæ Chriſtianæ tom.* 6 *col.* 502 *contendunt tranſlationem illam multo ſeriùs factam, dum hæc ſcribunt:* Antonius I Folquerii præfuit (*abbatiæ S. Ægidii*) ex chartis domeſticis à die XVIII Februarii an. MCDXXI uſque ad annum MCDXLIV. Convenit an. MCDXXIII die 1 Auguſti cum ſuo capitulo de capite S. Egidii in theca ex argento inaurato recondendo, cui operi de piis legatis incertis quadraginta libras Turonenſes Nicolaus epiſcopus Nemauſenſis litteris datis die XXIV Julii conceſſit; aliiſque litteris datis iiſdem die & anno omnibus Chriſti fidelibus, qui pro dicta reparatione manus adjutrices porrigerent, quadraginta dierum indulgentiam elargitus, aſſerit corpus S. Egidii in eodem cœnobio requieſcere: quod quidem variis in bullis Clemens Papa IV teſtatum reli-

reliquit : proindeque ſacrum beati Egidii corpus non Albigenſium tempore, ſed potiùs XVI ſæculo Toloſam tranſlatum eſt. *Hactenus ſcriptores illi, quibus ſecuriùs aſſentiri poſſem, ſi verba ipſa litterarum, quas allegant, protuliſſent. Sanè quod dicitur de tranſlatione facta ſeculo* XVI *non uſquequaque mihi arridet, cùm Nicolaus Bertrandi, qui ſcripſit non diu poſt initium iſtius ſeculi de Geſtis Toloſanorum fol. 5 verſo inter alia Sanctorum corpora, quæ liberaliter Toloſanis attribuit, etiam recenſeat* corpus beati Egidii abbatis. *Rem igitur relinquere cogor incertam.*

Caput olim ſeorſum ſervatum : reliquiæ aliæ

20 *Caput à reliquo corpore ſeparatum fuiſſe liquet ex mox dictis de capite recludendo in theca argentea inaurata. Illud igitur anno* 1423 *erat in monaſterio* S. Ægidii. *In Ms. Kalendario apud Chiffletium invento inſcripta legitur* S. Ægidii inventio capitis, *ut notatum eſt in prætermiſſis ad 2 Junii. At nec de illa inventione, nec de capite ipſo ibi quidquam præterea reperio. Vereor ne forſan non evaſerit ſacrilegas manus Calviniſtarum, à quibus anno* 1562 *occupatum* B *oppidum* S. Ægidii, *ſacræ reliquiæ diſſipatæ, templaque deſtructa, ut teſtantur laudati ſcriptores Galliæ Chriſtianæ col.* 506. *Aliæ* S. Ægidii *reliquiæ variis locis aſſeruntur. De pollice Bambergam portato aliiſque reliquiis ad monaſterium Andaginenſe jam meminimus num.* 7 *&* 12. *Inter reliquias plurimas, quæ anno* 1587 *Ulyſſiponem allatæ ſunt atque inſigni cum apparatu in eccleſia domus profeſſæ Societatis Jeſu locatæ, numerantur etiam reliquiæ* S. Ægidii abbatis, *quæ partim in feretro ſeptimo partim in duodecimo erant circumlatæ, ut videre eſt tom.* 2 *Januarii pag.* 12.

Variis locis

21 *Inter reliquias triginta ſex Sanctorum, quas poſſidet abbatia S. Salvatoris, Ordinis Ciſtercienſis, hîc Antverpiæ, reperiuntur etiam reliquiæ* S. Ægidii *abbatis. Fuerant hæ cum reliquiis S. Hyacinthi, S. Eliſabethæ Hungaricæ, S. Paulini Nolani, & S. Catharinæ virginis & martyris conſervatæ in eccleſia metropolitana Strigonienſi in Hungaria : anno* 1480 *à Caſimiro Poloniæ rege donatæ Alphonſo V Luſitaniæ regi, anno* 1487 *a tribus Cardinalibus examinatæ & approbatæ, atque ex Luſitania allatæ per Antonium regni Luſitanici poſſeſſorem, donec pelleretur à Philippo II Hiſpaniæ rege : Antonius enim è regno Luſitaniæ in Galliam profugus ſecum ſumpſit capſam multis Sanctorum reliquiis refertam, quam anno* 1594 *dedit filio ſuo Emmanueli ; hic verò anno* 1633 *Chriſtophoro Butkens abbati S. Salvatoris Antverpiæ. Hæc omnia fusè oſtenduntur à Franciſco Diericx laudata S. Salvatoris eccleſiæ abbate, in Opuſculo, cui titulus,* Fides & traditio ſacrarum reliquiarum *&c. ; atque etiam apud nos tom.* 1 *Aprilis in Maria Ægyptiaca pag.* 72 *&* 73 *& ulteriùs pag.* 898.

Belgii,

22 *Rayſſius in Hierogazophylacio Belgico varias commemorat Sancti noſtri reliquias. Pag.* 160 *enumerans reliquias collegii Audomaropolitani Anglorum Societatis Jeſu, quæ anno* 1611 *à Jacobo Blaſæo antiſtite approbatæ ſunt,* os ſancti Ægidii abbatis Arelatenſis *inter illas recenſet. Abbatiæ Lætienſi in Hannonia pag.* 281 *adſcribit* dentem ſancti Ægidii abbatis Arelatenſis. *Pag.* 378 *abbatiæ Tornacenſi S. Nicolai de Pratis Canonicorum Regularium aſſignat* brachii notabilem partem *ejuſdem Sancti. Pag.* 330 *teſtatur in eccleſia collegiata Walcurienſi* * *B. Mariæ eſſe* in veneratione magna crucem quamdam in-

* Walcourt

auratam, gemmis ac precioſis lapidibus exornatam, quòd in ea . . precioſæ Sanctorum reliquiæ recondantur, *interque eas numerat* de S. Ægidio abbate Arelatenſi. *Rutilenſi Carthuſiæ ad ripam Moſæ pag.* 454 *attribuit* os magnum ſancti Ægidii Arelatenſis abbatis. *Ac demum pag.* 470 *inter reliquias abbatiæ ſancti Sepulcri Cameraci recenſet* ſancti Ægidii abbatis Arelatenſis aſſulum ſacrum brachii. *Hîc obiter obſervari poteſt Sanctum noſtrum propriè non fuiſſe abbatem Arelatenſem ; at ſic vocari ab hoc ſcriptore, quòd dicatur Arelate aliquo tempore vixiſſe cum S. Cæſario.* AUCTORE J. S.

Germaniæ & Italiæ.

23 *Gelenius in Opere de Coloniæ Agrippinenſis magnitudine ſacra & civili variis ejuſdem urbis eccleſiis reliquias* S. Ægidii *adſcribit : nimirum pag.* 264 *eccleſiæ collegiatæ S. Gereonis, pag.* 289 *collegiatæ S. Cuniberti, pag.* 372 *eccleſiæ S. Pantaleonis, & pag.* 412 *eccleſiæ parochialis S. Lupi ; at non exponit, quidnam reliquiarum illis locis habeatur. Verum pag.* 311 *enumerans ſacrum theſaurum eccleſiæ collegiatæ B. Mariæ Virginis ad Gradum, in eo recenſet* caput S. Ægidii abbatis, illuſtris ex Græcia peregrini pro Chriſto, ut ejus civis & domeſticus fieri mereretur. *An caput idem ſit, quod anno* 1423 *adhuc in eccleſia* S. Ægidii *ſervatum fuiſſe diximus num.* 20, *non inquiro. Forſan pars capitis jam antè fuerat Coloniæ, & pars altera in monaſterio remanſerat : nam pars capitis pro capite non rarò ſumitur. Laudatus ſcriptor pag.* 361 *in eccleſia collegiata S. Cæciliæ* brachium S. Ægidii abbatis *venerationi eſſe affirmat. Pragæ in eccleſia metropolitana S. Viti ſervantur* S. Ægidii abbatis pars de brachio ex Galliis allata anno MCCCLVI, & alia duo fruſtula, *teſte Phoſphoro Pragenſi pag.* 517. *Bononiæ etiam habentur* S. Ægidii *reliquiæ, quas in eccleſia S. Stephani & in eccleſia S. Ignatii Societatis Jeſu venerationi eſſe, ſcribit Maſinus in Bononia perluſtrata pag.* 439. *Demum Piazza in Hemerologio ad* 1 *Septembris reliquias* S. Ægidii *adſcribit eccleſiæ S. Agathæ Romæ. Nec dubito quin ſacra ejuſdem Sancti pignora aliis etiam locis oſtendantur.*

§ III. Acta S. Ægidii antiqua utcumque, ſed fabulis conſperſa : ortæ hinc controverſiæ de tempore, quo vixit Sanctus, aliiſque cum illo tempore connexis.

Acta S. Ægidii modo tam intricato ſcripta ſunt,

ACta S. Ægidii, *etiamſi reperiantur in codicibus plurimis, iiſque admodùm antiquis, ſic conſcripta ſunt, ut fidem indubitatam obtinere nequeant ab iis, qui ſcripta antiqua ſolent diſcutere, dubiaque a certis ac vera à falſis, quantùm fieri poteſt, ſecernere laborant. Hinc recentiores ſcriptores Acta illa vehementer accuſant, ut anachroniſmis fœdata. Audi pro omnibus Mabillonium, qui in Actis Sanctorum Ordinis Benedictini in Catalogo prætermiſſorum ante tom.* 1 *ad vocem* Ægidius *hæc ſcripſit :* Tres Vitæ S. Ægidii ſcriptores nacti ſumus, duos oratione ſoluta, tertium ſtrictâ, nullum non mendoſum, & anachroniſmis non involutum. Illis in Actis dicitur Ægidius regia ſtirpe editus, è Græ-

AUCTORE J. S

cia in Galliæ Provinciam accessisse ad Cæsarium Arelatensem episcopum bonæ memoriæ, ac, transmisso Rhodano, Veredemio eremitæ se adjunxisse, penetrasse deinde in secretiorem locum, ubi cùm cervæ lacte pasceretur, fertur à Flavii Gothorum regis venatoribus fuisse deprehensus, auctorque Flavio extitisse condendi cœnobii, quod postea S. Ægidii dictum, ad sæculares conversum est. Legitur etiam Caroli Franciæ regis jussit Aureliam accitus. Cæsarii episcopi Arelatensis ætas non convenit cum Caroli Martelli principatu, qui Carolus hoc nomine primus Francorum sceptrum tenuit. Deinde ab Amalarico Visigothorum rege sævissimo, ejusque successoribus Arianis aliena res est monasterii constructio. Si quis dicat alterum fuisse Cæsarium episcopum Arelatensem Carolo Martello coævum, ne sic tamen difficultas explanabitur; cùm post Amalaricum omnes Visigothorum reges in Hispania habitaverint, uno excepto Liuva, qui regno Galliæ Narbonensis contentus, Narbone triennio regnavit, uti V. C. Hadrianus Valesius in Rer. Franc. lib. VII, pag. CCCLVII adnotavit.

B

totque difficultates involvunt,

25 *Idem Mabillonius tom.* I *Annalium pag.* 99 *inquirit, an* Ægidius *abbas, qui anno* 514 *cum Messiano notario Romam missus est à S. Cæsario, idem sit cum sancto* Ægidio, *de quo agimus; eaque occasione renovat & augei difficultates in Actis hisce occurrentes. Lubet verba ejus attexere, ut studiosus lector simul intelligat, quàm variæ ex hisce difficultatibus oriantur controversiæ, quas excutere conabimur eo diligentiùs, quòd illarum aliquas à variis scriptoribus inveniamus decisas sine sufficienti examine aut idoneo fundamento:* An verò, *inquit, cum Ægidio Romam misso à Cæsario* idem sit Ægidius abbas ille Græcus & sanctus, qui monasterium in Septimania prope Nemausum in valle Flaviana construxit, ab ejus nomine postea nuncupatum, res non adeo perspicua est. Hic quidem in omnibus ejus Actis, tam editis, quàm ineditis, dicitur ex Græcia, unde oriundus ex regia stirpe erat, tributis in pauperes facultatibus, in Galliam accessisse ad Cæsarium Arelatensem episcopum: sed cùm deinde Aurelianos à Carolo Francorum rege accitus fertur, hoc primum si admiseris, alterum respuendum est, cùm Cæsarius, qui unus Arelatensi ecclesiæ præfuit, ducentis annis præcedat Carolum Martellum, primum eo nomine principem Francorum. Idem itaque fuerit Ægidius Græcus abbas, quem Cæsarius cum Messiano direxit ad Symmachum Papam. Is, si qua vulgatis ejus Actis fides, transmisso Rhodano se adjunxit Veredemio eremitæ. Dein secretiorem in locum penetravit, ubi cùm cervæ lacte pasceretur, à Flavii Gotthorum regis venatoribus, cerva ad eum refugiente, deprehensus fuit, idemque postea Flavio auctor fuit condendi cœnobii, quod ipse rexit.

C

ut nihil de iis statui possit certi:

26 Dicebantur quidem Flavii omnes Gotthorum reges: sed cùm omnes Arianæ sectæ addicti fuerint, quis putet Amalaricum, qui tempore Cæsarii septimaniam obtinuit, aut quemvis alium de condendo monasterio cogitasse? Ad hæc monasterium istud multo pòst tempore conditum dici debet, quàm Ægidius, transmisso Rhodano, discessit à Cæsario; nec Ægidius ante conditum monasterium abbas fuit. Et tamen libellus seu epistola Symmacho Pontifici Cæsarii nomine oblata est ab Ægidio jam abbate, & Messiano notario. Ex his colligitur, quàm intricata sint & nullius pæne momenti hæc Acta, his mendis quidem expurgata à Fulberto episcopo Carnutensi in Officio sacro, quod de sancto Ægidio composuit, sed nullo pæne relato historico facto, nisi quòd eum Græcum fuisse, & in Galliam accessisse dicat. Utcumque sit, antiquum est sancti Ægidii monasterium in valle Flaviana, quod inter Septimaniæ monasteria, quæ regi solas orationes debebant, primum nominatur in Constituto Ludovici augusti, cognomento Pii, de monasteriis regni Francorum. *Sic ille dubitanter in utramque partem disserit; atque unum illud pro certo enuntiat, Acta* S. Ægidii *nullius penè esse momenti, adeoque idonea non esse ad factum aliquod historicum stabiliendum. Huic censuræ libenter subscribo cum eruditis omnibus, quos vidi hac de re scripsisse post Mabillonium. Verùm non soli anachronismi in Actis illis mihi displicent, illi enim conciliari possent, si Acta conscripta essent tanta gravitate, ut tutò ex illarum auctoritate statuere liceret alterum Cæsarium Arelatensem episcopum: sed facta quoque non pauca in iis relata sunt modo parùm verisimili, & ordine, ut videtur, perturbato.*

D

E

Acta tamen utcumque sunt antiqua, nec scripta videntur post seculum 9 aut 10.

27 *Porrò quo tempore scriptor illorum Actorum floruerit, exactè determinari non potest: nullibi enim se coævum Sancto innuit, nec etiam probari potest, ab ejus ætate multùm distare. Verumtamen ex nostris codicibus, in quibus Vita illa legitur, colligi potest non esse scriptam post seculum* IX *aut certè* X, *cùm duo ex illis admodùm antiqui sint. Habemus istius Vitæ exemplaria octo, quinque in codicibus propriis, tria verò apographa aliunde submissa, videlicet unum à Sirmondo nostro, alterum à Chiffletio, tertium ex codice Cameracensi* vetustissimo, *prout adscriptum est in margine. Ex hisce exemplaribus, quæ satis inter se consonant, Acta Sancti inferius edam, notatis Mss. discrepantiis, ubi erit opera pretium. Nunc breviter enumerabimus controversias, quæ ex Actis ortum habuerunt, ut eas illustremus, quantùm possumus, non ex Actis ipsis, quæ eum in finem non satis auctoritatis habent; verùm inquirendo, quænam ex gestis in Vita assertis aliunde firmari possint, & certa aut saltem probabilia reddi.*

Lis de ætate S. Ægidii, quem passim neoterici S. Cæsario Arelatensi

F

28 *Præcipua controversia est de tempore, quo vixit* S. Ægidius. *Plerique scriptores medii ævi tradunt Sanctum vixisse in Gallia seculo* VIII *sub principatu Caroli Martelli, qui Francorum regnum non quidem regio nomine, regia tamen auctoritate administravit ab anno* 715 *usque ad annum* 741, *quo defunctus est. Alii quidam ætatem sancti Abbatis retulerunt ad tempora Caroli Magni imperatoris: at illa opinio est improbabilis, ut patebit. Demum scriptores plurimi, iique doctrinâ præstantes, qui posterioribus hisce seculis floruerunt, omnes præcedentium seculorum scriptores, qui meminerunt de* Ægidio, *erroris arguunt, contenduntque* S. Ægidium *contemporaneum esse S. Cæsario Arelatensi episcopo, viro sanè celeberrimo, qui episcopatum Arelatensem consecutus anno* 502, *eumdem cum vita deposuit anno* 542, *uti ostendimus in Cæsario tom.* VI *Augusti pag.* 61. *Baronius in annotatis ad Martyrologium Romanum* 1 *Septembris sic mentem suam de ætate* S. Ægidii *exponit:* Claruisse testatur Sigebertus in Chron. anno DCCXV; sed errat: nam (ut ex ejus Vita apparet) constat vixisse temporibus Cæsarii episcopi Arelatensis, qui claruit temporibus Clodovei regis Franc., & Theodorici regis Italiæ. *Cointius in Anna-*

A *Annalibus Francorum ad annum 531 eamdem opinionem amplectitur, multique alii, quorum catalogum texere non lubet: sed aliqui eorum postea nominabuntur in aliis controversiis, quæ ex primaria hac duxerunt originem.*

cœvum faciunt, at sine idoneo fundamento:

29 *Miror hanc de ætate S. Ægidii opinionem tam multis placuisse eruditis, cum pro ea non alia afferatur aut afferri possit ratio, quàm quòd in Actis S. Ægidii dicatur venisse ad Cæsarium & biennio apud eum mansisse. Quippe eadem Acta affirmant, Ægidium venisse ad Carolum Francorum regem, qui cum Cæsario illo nequaquam componi potest. Itaque in alterutro erravit Actorum scriptor, nec ullus ostendit hactenus, cur potiùs censeri debeat errasse in Carolo quàm in Cæsario. Istud tamen probari oportebat, ut Cæsario contemporaneus diceretur Ægidius. Similiter si quis fidem velit facere, Carolo convixisse Ægidium, ostendere debebit, cur dicta in Actis de Cæsario falsa potiùs judicari debeant quàm dicta de Carolo rege. Præterea plerique scriptores, qui Ægidium contemporaneum volunt S. Cæsario, Acta illa meritò accusant ut auctoritate carentia. Si autem Acta carent auctoritate* B *ad probandum idonea, illa etiam, quæ in Actis dicuntur de S. Cæsario, firmiora esse non possunt, nisi aliunde firmarentur, quod factum non video. Patet igitur abundè, quàm ruinoso nitatur fundamento tota illa recentiorum de ætate S. Ægidii opinio.*

hinc aliqui negant monasterium S. Ægidii ab ipso Sancto structum:

30 *Verumtamen ex hac opinione deducta sunt alia consectaria, quæ juvabit explicare & deinde refutare, priusquam ætatem Sancti stabilire conemur. Vidit Mabillonius monasterium S. Ægidii tam antiquum non esse, ut S. Cæsarii tempore conditum dici possit, idque indicavit verbis citatis num. 26:* Monasterium istud multo pòst tempore conditum dici debet, *insinuans se dubitare, an monasterium ab ipso* Ægidio *fuerit constructum. Dubitationem illam amplectuntur scriptores hodierni Galliæ Christianæ tom. 6 col. 480 & 481. Longiùs processit Bailletus ad 1 Septembris in* Ægidio, *quem quidem* abbatem in Occitania *statuit, sed sine monasterio, quod asserit ad sepulcrum ejus postea conditum. Idem obscurè innuunt verba Martyrologii Parisiensis, data à nobis num. 18;* cujus (*Ægidii*) tumu-
C lus nomen dedit basilicæ super illum ædificatæ; *maximè quia de ædificato à Sancto monasterio nulla fit mentio. At contrà eruditi Benedictini, qui nostris temporibus scribunt Historiam Occitaniæ, tom. 1 pag. 667 agnoscunt monasterium ab ipso* Ægidio *constructum, licèt ætatem ejus ad tempora Cæsarii referant. Non deerunt, ut confido, rationes ad litem hanc dirimendam, monasteriique constructionem Sancto indubitanter adscribendam, ubi reliquas controversias exposuero.*

dubitatur quis sit Flavius Gothorum rex in Actis memoratus, eumque omittunt aliqui:

31 *Ex ignorantia temporis, quo vixit Sanctus, æquè ignotum est, quis sit ille Flavius Gothorum rex, à quo locum condendo monasterio* Ægidius *accepisse dicitur. Imò non pauci Flavium illum omnino prætermiserunt, & omnia, quæ de Flavio narrantur in Actis, Carolo Martello Francorum principi atribuerunt. Audi Officium, quod de S. Ægidio recitamus in diœcesi Antverpiensi, lectione 6:* Cùm .. Carolus Martellus regni Gallici moderator, post Saracenorum à se edita excidia, venationi insisteret in silva Nemausensi, venatoribus ejus cervam illam, quæ Ægidium pascebat, multa canum vi insequentibus, ea ad Virum Dei profugit, immotis canibus frequentique latratu indicantibus horrorem. Quam ob rem Carolus ferro viam inter spineta aperiens, sanctum Senem in spelunca offendit multo sanguine rubentem ex vulnere, quod incauti jaculatoris sagitta, dum cervam appetit, ei intulerat. A quo veniâ & benedictione petita, princeps summis precibus effecit, ut in loco speluncæ monasterium extrui pateretur. *Eadem opinio traditur in multis aliis Officiis particularium ecclesiarum; eamdemque secutus est Saussayus in elogio, quod de S. Ægidio inseruit Martyrologio Gallicano. Itaque infrà probare conabimur locum revera à Flavio Gothorum rege* S. Ægidio *datum.*

AUCTORE J. S.

variæ de Flavio illo opiniones:

32 *Deinde verò inquiremus, quis inter Gothorum reges probabilius dici debeat Flavius ille monasterii fundator. Quippe Mabillonius Amalaricum suggerit, sed dubitanter. Cointius verò ad annum 531 num. 10,* Cererum, *inquit,* Amalaricum haud alium existimamus ab illo Gothorum rege, in cujus conspectum venit Ægidius. *Bailletus in* Ægidio *assignat* Amalaricum *vel* Theudonem, *Visigothorum regem. Ab his dissentiunt laudati antè scriptores Historiæ Occitaniæ, qui Theodoricum Italiæ regem substituunt.* E *At nos inferiùs ostendemus, nullum ex his omnibus probabili ratione assignari, & recurrendum esse ad ea tempora, quibus reges Visigothorum erant Catholici.*

aliqui Ægidium, quem S. Cæsarius Romam misit, cum S. Ægidio confundunt.

33 *Tandem ex sententiâ, quæ jam quasi communis facta est de ætate* S. Ægidii, *concluserunt scriptores neoterici,* S. Ægidium *eumdem esse cum Ægidio abbate illo, quem anno 514 S. Cæsarius Romam misit, ut cum Messiano notario libellum offerret Symmacho Papæ. Non dubitabat ea de re Mabillonius, dum edebat Analecta vetera, prout videri potest tom. 3 Analectorum pag. 433. Verùm postea, dum Annales Ordinis sui scribebat, difficultates istius sententiæ vidit & exposuit verbis num. 25 & 26 recitatis, quibus dubitationem suam abundè declaravit. Verumtamen scriptores hodierni Historiæ Occitaniæ tom. 1, pag. 666 etiamnum credunt Ægidium illum Cæsarii legatum alium non esse ab* Ægidio, *de quo disputamus, eamdemque opinionem alii plerique asserunt, certè ut probabiliorem. Quapropter, cùm illis assentiri nequeam, illam etiam sententiam refutare conabor, priusquam ætatem* S. Ægidii *stabilire aggrediar. Ignoscet studiosus lector, si fortè hîc videar prolixior: auctoritas eruditorum, quorum opinionem deserere cogor, facit, ut paucis rem absolvere non expediat.* F

§ IV. Præmittuntur quædam de abbatia S. Ægidii; tum deciduntur controversiæ mox propositæ.

Locus exponitur, in quo conditum S. Ægidii monasterium,

LOcus, *in quo conditum monasterium, quod* S. Ægidio *asseremus, notus est ab oppido non ignobili, quod circa monasterium paulatim excrevit, sanctique* Ægidii *nomen huc usque retinuit, dictum Latinè* Fanum S. Ægidii, *Gallis* Saint Gilles. *Porrò Fanum sancti Ægidii in extremo ferè Occitaniæ angulo situm est, uno tantùm milliari à Rhodano, ubi ille in vuria ostia dividitur, ut paulò inferiùs in mare decurrat. Locus antè vocabatur* Vallis Flaviana, *quod nomen verosimiliter accepit a regibus Visigothis, quibus*

AUCTORE J. S.

pranomen Flavius *diu fuit commune. Hinc monaſterium* S. Ægidii *nominabatur initio* S. Petri in Valle Flaviana, *deinde verò* S. Ægidii *ſimiliter* in Valle Flaviana. *Teſtatur etiam Catellus in Hiſtoria Comitum Toloſanorum pag.* 5 *ſe vidiſſe antiqua abbatiæ Ægidianæ monumenta, in quibus ſilva dicti monaſterii vocatur* La ſelva Goteſca, *id eſt*, ſilva Gothica. *Idem ſcriptor exiſtimat, ibidem fuiſſe palatium Gothorum; idque ipſum cum multis aliis affirmant ſcriptores Hiſtoriæ Occitaniæ tom.* 1 *pag.* 257, *qui exiſtimant palatium iſtud à regibus Gothis exſtructum, ut in vicina ſilva venationi commodiùs poſſent inſiſtere. Poſteriora hæc de palatio Gothorum nitantur auctoritate Godefridi Viterbienſis & Ottonis Friſingenſis, quorum verba adducunt. Hæc de loco ſufficiant. At nunc pauca juvabit attexere de varia monaſterii fortuna, ut hinc etiam diſputationi lux affulgeat.*

35 *Monaſterium ſitum eſt in diœceſi Nemauſenſi, & ab initio à jurisdictione epiſcopali fuit exemptum, prout clarè videbimus. Verumtamen epiſcopi Nemauſenſes variis vicibus jurisdictionem acceperunt in abbatiam, nimiamque ſubinde ſibi vindicarunt, ita ut ſæpiùs reprimi debuerint per ſummos Pontifices. Inter inſtrumenta poſt tomum* 6 *Galliæ Chriſtianæ col.* 165 *legi poteſt diploma Ludovici Pii imperatoris, quo omne jus ſuum in cellam*, quæ dicitur Vallis-Flaviana, quæ eſt in honore S. Petri principis Apoſtolorum conſtructa, *concedit Chriſtiano Nemauſenſi epiſcopo. Aliquid etiam conceſſum eſt Iſnardo Chriſtiani in epiſcopatum ſucceſſori per ipſum Nicolaum ſummum Pontificem, ut colligitur ex iis, quæ recitantur tom.* 2 *ſæpiùs laudatæ Hiſtoriæ Occitaniæ inter probationes col.* 10. *Enumerantur enim ibi aliquot epiſcopi Nemauſenſes interque eos*, Iſnardus, cui Nicolaus Papa conceſſit prædicta monaſteria, *id eſt*, abbatiam ſancti Ægidii & Tornacenſem, *quas mox ſcriptor nominaverat. Orta hinc controverſia inter Gilbertum epiſcopum Nemauſenſem & Leonem S. Ægidii abbatem coram ſummo Pontifice Joanne VIII, qui anno* 878 *venerat in Galliam, & Arelate aliquo tempore ſubſiſtebat. Exhibita ſunt Pontifici monumenta abbatiæ, delecti ad litem judicandam epiſcopi virique nobiles complures, ac demum cauſa abbati eſt adjudicata, ut latiùs videri poteſt in Geſtis Joannis VIII, quæ edidit Baluzius tom.* 7 *Miſcellaneorum pag.* 349, *quæque apud nos habentur in Collectione Ms. de Pontificibus, ex qua Papebrochius eadem dedit in Propylæo Maii part.* 1 *Conatus chronico-hiſtorici pag.* 140. *Non diu tamen huic judicio acquievit epiſcopus. Hac de cauſa Pontifex epiſtolam ſuam* 191 *ſcripſit* Roſtagno archiepiſcopo Arelatenſi, Sigibodo archiepiſcopo Narbonenſi & Roberto archiepiſcopo Aquenſi, *quos jubet ſeriò monere epiſcopum Nemauſenſem, ut ſe in officio contineat, eumque excommunicare, ſi id facere recuſet. Epiſtola hæc impreſſa eſt apud Labbeum tom.* 9 *Conciliorum col.* 124. *Sic anno* 1074 *Gregorius VII reprehendit Froterium II Nemauſenſem epiſcopum, quòd nimiam ſibi auctoritatem arrogaret in abbatiam S. Ægidii. Epiſtolam exhibet Labbeus tom.* 10 *col.* 55. *Multæ aliæ ejuſdem monaſterii viciſſitudines videri poſſunt in catalogo abbatum tom.* 6 *Galliæ Chriſtianæ, à col.* 482; *illæ enim minùs ſpectant ad propoſitum noſtrum.*

36 *Hiſce expoſitis, ſubjungo rationes, quæ me dubitare non ſinunt, quin prædictum monaſterium ab ipſo ſancto* Ægidio *fuerit erectum. In Geſtis Joannis VIII jam aſſignatis hæc primò leguntur:* Monaſterium enim S. Petri, in quo quieſcit corpus B. Ægidii in finibus Gothiæ in valle Flaviana, quam vallem Flavius quondam rex B. Ægidio donavit, & S. Ægidius exinde donationem integriter Romanæ Eccleſiæ & domino Papæ Benedicto * fecerat, & ibi in venerationе principum Apoſtolorum Petri & Pauli monaſterium ædificaverat *&c. Deinde relato conatu Gilberti epiſcopi ad jurisdictionem in monaſterium ſibi vindicandam, ſubjungit:* Sed dominus Joannes Papa, cùm monumenta * chartarum ejuſdem monaſterii requireret, privilegium, quod Romæ * venerabilis Papa Benedictus S. Ægidio corporaliter tradiderat, ei oblatum eſt. *Hæc tam clara ſunt, ut nullam reliquam dubitationem, cum Sanctus non modò aſſeratur monaſterium iſtud ſtruxiſſe, ſed etiam exemptionis privilegium* corporaliter *accepiſſe ab ipſo Pontifice. Imo ne quidem id negabat Gilbertus epiſcopus, ſed, ut ſequitur, voluit ſe defendere per illa, quæ impetraverat à Nicolao Papa & quodam Francorum rege, quorum præcepta protulit. Verùm epiſcopi aliique judices,* ſub excommunicationis anathemate *juſſi rectè judicare, monaſterium adjudicarunt Pontifici, contrequе epiſcopum pronuntiarunt.*

37 *Porrò hæc Geſta Joannis VIII* ab auctore veroſimiliter coævo deſcripta *ſunt, judice etiam Papebrochio: nec eſt, cur dubitemus de fide iſtius monumenti. Ad prædictum autem judicium reſpicit Joannes VIII in epiſtola anno ſequenti ſcripta ad archiepiſcopos Arelatenſem, Narbonenſem & Aquenſem, quam ſuprà aſſignavimus. dum ait:* Veracium relatione comperimus, Gilbertum Nemauſenſem venerabilem epiſcopum, quòd quoddam monaſterium noſtrum, quod ſuper eumdem epiſcopum acquiſivimus (*judicio anni præcedentis jam relato*) ipſe Gilbertus temerè invaſerit *&c. Præterea monaſterium prædictum non fuiſſe conditum poſt* S. Ægidii *tempora, rurſum clarè teſtatur Gregorius VII in epiſtola jam laudata ad Froterium II epiſcopum Nemauſenſem, cui hæc ſcribit:* Audivimus . . . te contra juſtitiam monaſterium ſancti Ægidii, quod idem glorioſus Confeſſor juri beati Petri tradidit, uſque adeo affeciſſe injuriis *&c. Gregorio conſentit Urbanus II in bulla anni* 1096, *quâ confirmat ceſſionem Raymundi comitis Toloſani, qui abdicaverat* quidquid juſtè ſive injuſtè *in villa S. Ægidii obtinebat. Quippe Pontifex ibi ſubdit hæc verba:* Poſt hæc divinæ voluntatis diſpoſitione actum eſt, ut apud B. Ægidii monaſterium baſilicæ novæ aram omnipotenti Deo noſtris manibus dicaremus. Sanximus igitur & ſancimus, & ad poſterorum memoriam litteris conſignamus, ne quis ulteriùs archiepiſcopus aut epiſcopus adverſus eamdem eccleſiam audeat excommunicationis aut interdictionis proferre ſententiam, quatinus idem monaſterium, ex ipſius B. Ægidii traditione ſanctæ Romanæ Eccleſiæ juri proprio ſubditum, Romanæ ſemper libertatis gratiâ perfruatur. *Bullam totam invenies tom.* 2 *Spicilegii recuſi pag.* 630. *Idem affirmat Paſchalis II in litteris partim recitatis num.* 8, *ubi hæc leguntur:* Cui (*apoſtolicæ Sedi*) veſtrum Flavianæ vallis cœnobium ab eodem ſancto Ægidio in ſalarium datum agnoſcitur. *Hæc abundè ſtructuram monaſterii ſui S.* Ægidio

D *Ex variis monumentis probatur, monaſterium iſtud*

* *vox* Benedicto *hic omittitur apud Baluzium.*

* *Baluz.* munimenta

* *idem*, Romanus

quod exemptum fuit à jurisdictione epiſcopi, ſed non ſemper eodem modo.

B

C

E

ab ipſo Sancto ædificatum fuiſſe, & ſubjectum ſummo Pontifici

F

A *Ægidio asserunt. Itaque progredior ad secundam controversiam, quâ disceptatur de rege, a quo locum accepit Sanctus.*

locum donavit Flavius Gothorum rex, non Carolus Martellus, qui forsan instauravit cœnobium:

38 *Acta testantur locum* S. Ægidio *donatum esse à Flavio Gothorum rege. Actis consentiunt Laudata modò Gesta Joannis VIII his verbis:* Quam vallem Flavius quondam rex B. Ægidio donavit. *Flavius nomen erat Gothorum regum, non regum Francorum. Rex igitur Gothorum vallem donavit* Ægidio. *Neque ea de re dubitare nunc videntur eruditi; neque ulla mihi dubitatio oriri potest, cùm Gothi in illa Occitaniæ parte dominati fuerint eo tempore, quo ostendemus monasterium fuisse structum. Unum opponi posset ex Gallia Christiana tom. 6, col. 482, ubi primus post* S. Ægidium *abbas memoratur hunc in modum:* Atticus sedisse octavo sæculo, ini-
B bi præfectus à Carolo Martello cœnobii fundatore, dicitur à Stephanotio nostro, laudante codicem Ms. S. Egidii, sed recentiorem. *Respondeo a Carolo Martello instauratum fortasse fuisse monasterium, ideoque fundatorem vocari potuisse, etiamsi nec locum dederit condendo primàm monasterio, nec sumptus tulerit. Hæc conjectura satis videtur probabilis, quia monasterium* S. Ægidii *verosimiliter eversum est à Saracenis circa annum 720, dum illi totam occuparunt Septimaniam, locaque sacra miserandum in modum dejecerunt, prout referunt hodierni scriptores Historiæ Occitaniæ tom. 1 pag. 390 & sequentibus. Certè in Actis refertur, Sanctum prædixisse, monasterium suum brevi evertendum; nec video, cur id falsum credere debeamus. Audi antiquum Chronicon apud Andream du Chesne tom. 3 pag. 349 de Saracenorum, qui* Wandali *vocantur, grassationibus istius temporis in Gallia:* Quo tempore, *inquit*, destructæ ecclesiæ, subversa monasteria, captæ urbes, desolatæ domus, dirutà castra, strages hominum innumeræ factæ, & multus ubique humani generis sanguis effusus est.

Flavius ille non fuit aliquis Visigothorum regum circa tempora S. Cæsarii,
C

39 *Verùm, quidquid sit de instauratione monasterii per Carolum, dubium nullum videtur, quin prima fundatio debeatur Flavio cuidam Gothorum regi, ut cum Actis testantur Gesta Joannis VIII, quæ longè majorem hac in re fidem merentur, quàm recentior ille codex Ms. Restat igitur ut inquiramus, cui Gothorum regi ea fundatio probabiliùs attribui possit. Primò repudiandi sunt omnes Visigothorum reges, qui vixerunt circa tempora S. Cæsarii, seu ante medium sæculi* VI, *quos non alia de causa nominarunt aliqui, quàm quòd putarent* S. Ægidium *eo tempore vixisse. Prima ratio eos repudiandi est eorum hæresis; Ariana enim secta fuerunt addictissimi. Quis ergo credat monasterium eorum liberalitate conditum Catholicis monachis? Quis, inquam, id existimare potest, nisi omnino constringatur auctoritate irrefragabili? At nulla hîc adducitur auctoritas, quæ id asserat; nulla ratio, quæ id persuadeat. Altera ratio est prænomen* Flavius, *quod nulli ex dictis regibus convenit. Hac in re errarunt eruditi plurimi, quia non adverterunt, à quo tempore nomen* Flavius *regibus Visigothis commune sit factum. Porrò nomen* Flavii *primò assumptum à Reccaredo, qui regnavit circa finem sæculi* VI, *rectè observarunt scriptores Historiæ Occitaniæ tom. 1 pag. 643 post Adrianum Valesium. Audiamus posteriorem lib. 14 Rerum Francicarum pag. 351, ubi cum aliqua indignatione de Reccaredo hæc scribit:* Hic est Recearedus, qui Hispanica vanitate & jactantiâ elatus, credo, ne Authario Longobardorum regi cedere videretur, quem tunc sui, ut imperatorem Græci, Flavium appellabant, primus Gothorum (*imo Visigothorum*) regum Flavii prænomen usurpavit.

AUCTORE J. S.

nec Theodoricus Ostrogothorum rex in Italia,

40 *Hac ducti ratione scriptores Historiæ Occitaniæ Visigothorum regibus substituunt Theodoricum Ostrogothorum in Italia regem, quem &* Flavii *nomine usum probant pag. 643, & hunc ipsum fuisse Flavium dicunt pag. 666. Omnis autem eorum ratio eo nititur fundamento, quod credant* S. Ægidium *eumdem esse, quem anno 514 Romam misit* S. Cæsarius. *Primo affirmant Theodoricum tenuisse regnum Visigothorum ab anno 508 usque ad annum 526, videlicet nomine Amalarici, cujus erat tutor, non nomine proprio:* Atqui, *inquiunt*, anno DXIV Sanctus ille jam erat abbas, id est, pater monachorum secundùm modum loquendi sæculi VI; monasterium igitur fundatum esse debebat illo ipso anno 514. *Deinde ex his ulterius inferunt nec ab Amalarico nec à Theudone fundari potuisse, qui non regnarunt, nisi post annum 526. Verum hinc nullo modo concludi potest, monasterium* S. E
Ægidii *fundatum esse à Theodorico, nisi antè probetur,* S. Ægidium *revera eumdem esse cum illo Ægidio, qui anno 514 jam abbas erat. Nihil ergo probationis adfertur, nisi illud, quod maximè in quæstione versatur, quodque falsum esse mox probabimus. Nunc ostendum Theodoricum assignari non posse. Audi primo pauca ex verbis Mabillonii citatis num. 26:* Ad hæc, *inquit*, monasterium istud multo post tempore conditum dici debet quam Ægidius discessit . . . à Cæsario. *Illius quidem asserti rationes non allegat; sed vidit haud dubiè vir eruditus monumenta omnia tantæ repugnare antiquitati, quam libenter aliàs monasterio dedisset, cum in eamdem propenderet opinionem, quâ* S. Ægidius *cum Ægidio Cæsariano idem creditur. Deinde scriptores Galliæ Christianæ tom. 6 à col. 482 texunt catalogum abbatum* S. Ægidii, *at nullum invenerunt Carolo Martello, seu sæculo* VIII *antiquiorem, excepto Sancto ipso, de cujus ætate disputatur. At verò id maximè mirandum foret de monasterio tam celebri, ut oppido dederit originem, si istud ducentis annis Carolo Martello esset vetustius. Hoc argumentum, quod roboratur scriptorum omnium sæculi* VI *&* VII *silentio, tanti quibusdam visum est ponderis, ut maluerint structuram monasterii abjudicare* S. Ægidio, *quàm credere illud à tempore S. Cæsarii esse constructum.*

F

uti clarè ostenditur:

41 *Præterea monasterium* S. Ægidii *conditum est circa tempora Pontificis cujusdam Benedicti, cui & locum Sanctus ipse obtulit, & à quo privilegium exemptionis impetravit. Testantur id Gesta Joannis VIII jam laudata num. 36 his verbis:* Quam vallem Flavius quondam rex B. Ægidio donavit, & S. Ægidius exinde donationem integriter Romanæ Ecclesiæ & domino Papæ Benedicto fecerat, & ibi in veneratione principum Apostolorum Petri & Pauli monasterium ædificaverat. *Rursum inferiùs:* Sed dominus Joannes Papa, cùm monumenta chartarum ejusdem monasterii requireret, privilegium, quod Romæ venerabilis Papa Benedictus S. Ægidio corporaliter tradiderat, ei oblatum est. *Hac opinionem de Theodorico prorsus evertunt, cùm Benedictus I pontificatum adeptus non sit ante annum 573, aut 574, ut vult Pagius. Nullo igitur modo credi potest, monasterium* S. Ægi-

AUCTORE J. S.

dii *conditum fuisse à Theodorico ante annum* 514. *Demum, etiamsi tam firma non haberemus argumenta structi seriùs monasterii, ne sic quidem res de Theodorico esset verisimilis. Quippe & ipse Arianus fuit &* Ægidium *numquam viderat, cùm non fuerit in Gallia. Ad hæc, perpetua bella gessit cum Francis in Provincia atque Septimania, quam propria nomine ne quidem possedit. Fatentur hæc omnia laudati scriptores Historiæ Occitaniæ, contra quos hîc disserimus. Quis igitur credat regem Arianum tam liberalem fuisse in Eremitam Catholicum, quem nunquam viderat, ut ex aliena possessione locum ei concederet condendo monasterio, idque in provincia, quæ continuis bellorum tumultibus perstrepebat?*

Flavius ille videtur fuisse Visigothorum rex Wamba vel Ervigius;

B

42 *Ex hisce concludo* Flavium *illum quærendum non esse seculo* VI, *cùm reges Visigothi illud nomen sumpserint post tempora Benedicti Papæ I, adeoque Flavius ille vixerit circa tempora Benedicti II, quem alii anno* 683 *Pontificem creatum volunt, alii verò anno* 684 *aut etiam* 685. *Erat tunc nomen Flavii longo usu confirmatum, atque usitatum à multis regibus, qui Septimaniam possederant serie non interrupta, ita ut* vallis Flaviana *videatur ab illis nomen traxisse, idemque significare, quod* vallis regia, *seu* vallis regum Gothorum. *Porrò tempore Benedicti II Gothorum regnum in Hispania, illaque Gallia parte, de qua agitur, obtinebat Flavius Ervigius ab anno* 680, *quo Flavius Wamba regnum abdicaverat. Hinc dubitari potest uter ex his duobus fuerit monasterii fundator. Ex Gestis enim Joannis VIII solùm constat, locum Benedicto oblatum ab ipso* Ægidio; *sed ex illis certò colligi nequit, quot annis ante illam oblationem monasterium fuerit ædificatum; imò ne quidem ex illis clarè patet, ædificatione præcesserit loci oblationem, an hæc illam. Si verò Acta* S. Ægidii *consideremus, priùs ædificatum est monasterium, & aliquot annis seriùs Romano Pontifici oblatum. Verùm in Actis illis omnia sunt confusa, adeoque ex illis res determinari non potest.*

at res de Wamba fit magis verisimilis.

C

43 *Occurrunt tamen rationes probabiles, ex quibus conjicere possumus, Wambanum potiùs quàm Ervigium* Ægidio *locum donasse. Primò constat, Wambanum in viros religiosos benignum fuisse & pietate præstantem, aliaque monasteria ab ipso fundata: quæ omnia minùs nota sunt de Ervigio. Secundò, si Actis credimus, Flavius ipse invenit* S. Ægidium, *idque verisimile est ab eximia in ipsum liberalitate. Scimus autem Wambanum anno* 673, *ut plerique tradunt, Nemausi fuisse, ubi rebellantem regiumque nomen usurpantem subjecit Paulum. An etiam Ervigius, aliquando in Septimania fuerit, ignoratur. Præterea verosimile est, non impetratum ab* Ægidio *privilegium exemptionis, nisi postquam monasterium & rectis legibus & monachorum numero jam florebat. At privilegium istud obtinuit à Benedicto circa annum* 684. *Credibile igitur est, structuram monasterii in regnum Wambani incidisse, & decennio ferè præcessisse iter Sancti Romam, præsertim cùm eo tunc loco fuerit Wambanus, ubi* Ægidium *nosse potuit, locumque condendo monasterio donare. Probabiliùs igitur existimo Wambanum fuisse Flavium illum, remque contigisse anno* 673 *occasione modò dicta. Ceterùm de bello Wambæ in Septimania agunt scriptores Historiæ Hispanicæ, & nuperrimi scriptores Historiæ Occitaniæ ad annum* 673, *& nos infrà clarius assignabimus occasionem, quâ tempore istius belli* Ægidium *invenire potuerit Wambanus.*

D

S. Ægidius alius est ab Ægidio abbate, quem Romam misit S. Cæsarius.

44 *Progredimur tandem ad controversiam postremo loco propositam de Ægidio illo abbate, quem S. Cæsarius anno* 514 *misit Romam. Ex dictis de condito S. Ægidii monasterio per ipsum Sanctum, & de Flavio Gothorum rege, qui locum donavit circa annos* 673 *vel* 680, *clarissimè sequitur, illum abbatem S. Cæsarii legatum nihil habere commune cum* S. Ægidio. *Idem manifestum fiet ex ætate* S. Ægidii *mox stabilienda. Hoc igitur loco solùm paucis ostendam, ne quidem per se credibile esse* S. Ægidium *a S. Cæsario Romam legatum. Primo* S. Ægidius, *ut passim creditur, Græcus erat natione & solitudinis amans, nec nisi biennio Arelate mansisse dicitur, ita ut nec sermonis Latini peritus esse potuerit, nec satis nosse jura ecclesiæ Arelatensis. Dum abbas factus erat, pertinebat ad diœcesim Nemausensem, non ad Arelatensem. Credibile ergo non est, S. Cæsarium aut legationem illam Romanam, quâ defendere apud Pontificem satagebat jura ecclesiæ suæ, electurum fuisse sanctum nostrum Abbatem, tum ob imperitiam sermonis Romæ usitati, tum ob ignorantiam privilegiorum, quæ erant defendenda, tum etiam quia aliena erat diœcesis. Atque eædem rationes junctæ cum amore solitudinis & cura novelli monasterii deterruissent Sanctum ab ejusmodi munere suscipiendo. Hisce positis fundamentis, præcipuam controversiam de ætate* S. Ægidii *elucidare conabimur.*

E

§ V. Inquiritur, quo tempore floruerit Sanctus, & qualiscumque vitæ ejus chronologia texitur.

Scriptores medii ævi ætatem S. Ægidii passim referunt ad Carolum Martellum;

F

Quamquam ea jam nunc adduximus argumenta, quæ abundè ostendant ætatem S. Ægidii *referri non posse ad S. Cæsarium, celeberrimum seculo* VI *Arelatensem episcopum, adeoque minùs necessarium videri potest ea de re ulteriùs disputare, tamen quia scriptores plurimi iique gravissimi in eam abierunt sententiam, aliis rursum argumentis in ætatem* S. Ægidii *hîc inquiram, quo fiet, ut & priora his confirmentur, & hæc vicissim ex prioribus robur accipiant. Imprimis scriptores omnes medii ævi, qui meminerunt de* S. Ægidio, *Sanctum hunc retulerunt ad seculum* VIII, *quo eum innotuisse scribunt in Gallia; illique, qui inter laudatos scriptores accuratiores sunt & antiquiores, circa initium principatûs Caroli Martelli, seu annum* 715, Ægidium *commemorant. Verba eorum accipe.*

seu post initium seculi 8;

46 *In Chronico S. Dionysii, quod scriptum antiquo Francorum idiomate, sicque nuper editum à Martino Bouquet tom.* 3 *Rerum Gallicarum scriptorum, inter incidentia tempore Pipini Herstalli, qui Carolum Martellum præcessit, hæc leguntur pag.* 308: Hoc tempore sanctus Ægidius venit ex partibus Græciæ in terram Gothiæ, quæ nunc appellatur Provincia: ibi vixit, ac bonorum operum fructus edidit, ut in Vita ipsius habetur. *Sigebertus Gemblacensis in Chronico ad annum* 715 *de eodem hæc scribit:*

S. Ægi-

A S. Ægidius veniens è Græcia, ſanctitate claret in Provincia. *Breve Chronicon Elnonenſe apud Martenium tom.* 3 *Anecdotorum col.* 1392 *ad annum* 714 *ſic habet:* S. Ægidius veniens è Græcia, claret in Provincia. *Idem tempus aſſignat Vincentius Bellovacenſis in Speculo Hiſtoriali lib.* 23, *cap.* 139, *dum Anaſtaſium imperatorem creatum dicit anno* 715 (*quod alii rectiùs anno* 713 *factum volunt*) *& adjungit:* Hujus anno i ſanctus Ægidius veniens è Græcia, ſanctitate claruit in Provincia. *Hiſce ferè conſentit Joannes Iperius in Chronico S. Bertini apud laudatum mox Martenium tom.* 3 *Anecdotorum col.* 479. *eumdem Sanctum referens ad initium principatûs Caroli Martelli, atque eum memorans his verbis:* Sanctus quoque Ægidius de Græcia venit in Provinciam.

47 *Auctor anonymus Chronici Turonenſis apud eumdem Martenium tom.* 5 *Collectionis amplſſimæ col.* 948 *ad regnum Pipini tranſtulit Sanctum noſtrum, eumque uno anno poſt relatam Pipini coronationem ſic breviter memorat:* Sanctus Ægidius claret in Provincia. *Contra S. Antoninus Hiſtoriarum part.* 2, *tit.* 13, *cap.* 6 § 33 *eumdem citiùs floruiſſe putat his verbis:* Claruit autem (S. Ægidius) circa annos Domini DCC. *Wernerus Rolewink in Faſciculo temporum apud Piſtorium tom.* 2, *fol.* 62 Ægidium *collocat inter annum* 704 *&* 714, *atque ipſum laudat his verbis:* Ægidius abbas ſanctiſſimus clarus habetur, qui ex Græcia in Galliam venit. *Anonymus in Compilatione chronologica apud eumdem Piſtorium tom.* 1, *pag.* 727 *Sanctum refert ad pontificatum Gregorii II, qui illum adeptus eſt anno* 714, *aut* 715, *ut vult Pagius. Verba ejus accipe:* Tunc temporis ſub hoc Gregorio Papa (*II*) beatus Ægidius abbas claruit. *Idem auctor alium* Ægidium, *ſeu verum ſeu fictitium, commemorat ſub Carolo Magno, quem Caroli confeſſarium facit ac morituum ſtatuit anno* 815, *factum aliquod de eo referens, quod in Actis de Sancto noſtro narratur. Audi ipſa ejus verba:* Sanctus Ægidius abbas, confeſſor Caroli, migravit ad Chriſtum. Huic ſancto Ægidio Deus revelavit occultum quoddam peccatum, quod Carolus erubuit confiteri: quo ſibi manifeſtato, mox Carolus confeſſus pœnituit dignè de illo enormi exceſſu. *Veroſimiliter compilator ille duos ex uno finxit Ægidios, ambos abbates & ſanctos, quòd inveniret illum ab aliis commemorari ſub Carolo Martello, ab aliis ſub Carolo Magno.*

aliqui annis aliquot citiùs aut ſeriùs: anonymus quidam alterum Ægidium memorat ſub Carolo Magno,

B

48 *Auctor magni Chronici Belgici apud Piſtorium tom.* 3 *pag.* 43 *Sanctum noſtrum etiam referendum putavit ad Caroli Magni tempora. Sunt & alii, qui idem ſcripſerunt. Quapropter hunc errorem paucis refutabo. Nec Flavius Gothorum rex, qui locum donavit* Ægidio; *nec Benedictus Papa, cui monaſterium obtulit* Ægidius, *componi poſſunt cum Carolo Magno. Quippe Gothi tempore Caroli Martelli Septimaniâ expulſi ſunt per Saracenos, nec illius dominium deinceps ſunt adepti: nec ullus circa tempora Caroli Magni reperitur Benedictus Papa ante annum* 855, *quo electus eſt Benedictus III, id eſt, annis* 41 *poſt mortem Caroli Magni. Deinde Ludovicus Pius in diplomate anni* 814, *jam aſſignato num.* 35, *quo Chriſtiano Nemauſenſi epiſcopo monaſterium S. Petri in valle Flaviana concedit, declarat quòd non modò Carolus, ſed etiam* prædeceſſores ejus reges *illud monaſterium* ob amorem Dei tranquillitatemque fratrum ſemper ſub pleniſſima tuitione & immunitatis defenſione *habuiſſent. Steterat igitur monaſterium, ſeu* cellula, *ut ibi vocatur, ſub anteceſſoribus Caroli Magni, Pipino nimirum & Carolo Martello. Demum in Conſtituto Ludovici Pii de monaſteriis Galliæ, quod Labbeus edidit tom.* 7 *Conciliorum, col.* 1514 *monaſterium iſtud primum ponitur inter monaſteria* Septimaniæ, *& vocatur* monaſterium ſancti Ægidii in valle Flaviana. *Ex quo colligitur monaſterium jam tunc ſatis vetuſtum fuiſſe, quia initio* S. Petri *nomen geſſerat, & jam aliud nomen à ſancto ſuo Conditore acceperat, & inter varia primo loco nominabatur. Itaque verum eſt,* S. Ægidium *floruiſſe ante tempora Caroli Magni.*

AUCTORE J. S.

Prima ratio, quâ probatur Sanctus vixiſſe cum Carolo Martello;

49 *Verùm ex hoc errore paucorum, qui nullius ferè ſunt nominis, non rectè quiſpiam concluderet, exigui etiam momenti eſſe auctoritatem illorum, qui ætatem* S. Ægidii *retulerunt ad principatum Caroli Martelli. Etenim hi non modò plures ſunt numero; verùm & eorum aliqui melioris ſunt notæ, ita ut conglobata eorum auctoritas nec contemnenda videatur, nec deſerenda ſine gravi ratione. Fateor quidem ſingulos* E *frequenter ad annos aliquot aberraſſe à vera chronologia. At nequaquam credibile eſt, omnes illos adeo fuiſſe deceptos, ut Abbatem celeberrimum ducentis annis juniorem finxerint, quam re vera fuerit; præſertim cùm nemo illis ſciatur contradixiſſe eo tempore, quo S. Ægidii monaſterio idonea non defuiſſe videntur monumenta, ex quibus ætas Sancti ipſiuſque abbatiæ oſtendi potuiſſet, majorque probari, ſi revera illorum vetuſtas fuiſſet major. Horum igitur ſcriptorum auctoritas longè præferenda eſſet Actis* S. Ægidii, *etiamſi Acta faverent opinioni contrariæ. Verùm Acta non magis favent adverſariis, dum introducunt S. Cæſarium, quàm nobis, dum nominant Carolum regem. Prima ergo ratio ſtatuendi* S. Ægidium *circa principatum Caroli Martelli eſt ſcriptorum laudatorum auctoritas.*

Sub quo Sanctum noſtrum vixiſſe putarunt alii, quorum opinio refutatur;

C

altera; qua oſtenditur non vixiſſe cum S. Cæſario;

50 *Altera ratio, quæ neotericorum opinionem mihi ab initio ſuſpectam reddidit, eſt altiſſimum ſilentium ſcriptorum omnium ſeculi* VI *&* VII *tam de* S. Ægidio *quam de celeberrimo ejus monaſterio. Conſtat enim ſanctum Abbatem multis poſt obitum fulſiſſe miraculis. Conſtat eccleſiam ipſius tam frequentibus inclaruiſſe peregrinationibus, ut locus antè deſertus tandem in oppidum excreverit. Verumtamen neque S. Gregorius Turonenſis, qui vix ullum Sanctum ſuo tempore in Gallia miraculis celebrem reliquit indictum, neque ullus alius ſeculi* VI *aut* VII *ſcriptor de* S. Ægidio *vel verbum commemoravit. Deinde nullum ex conciliis, principum diplomatis, epiſcoporum aut Pontificum litteris, aliiſve quibuſlibet monumentis, adduci poteſt verbum, quo vel mentio fiat de monaſterio* S. Ægidii, *vel probari poſſit illud extitiſſe ante ſeculum* VII *ad finem decurrens. Demum auctores Galliæ Chriſtianæ, ut jam monuimus, omni ſua diligentia nullum invenerunt abbatem iſtius monaſterii ſeculo* VIII *antiquiorem, excepto ſancto* Ægidio. *Unde hoc omnium ſcriptorum & monumentorum de* S. Ægidio *ſilentium, niſi quia commemorari non potuit, antequam vivebat?*

F

aliæ rationes, quibus prædictæ firmantur.

51 *Hiſce rationibus ſi addamus ea, quæ antè probavimus, non video ullum ſupereſſe dubium, quin ætas* S. Ægidii *longe amovenda ſit ab ætate S. Cæſarii, & retrahenda ad finem ſeculi* VII *& initium* VIII. *Primò ex Geſtis Joannis VIII oſtendimus, ab ipſo* S. Ægidio *monaſterium ſtru-*

AUCTORE J. S.

structum in valle Flaviana, idque edificatum in loco per Flavium regem donato, ac demum Benedicto Papæ oblatum ab ipso Sancto, dedimusque aliorum Pontificum litteras, quibus illa monasterii oblatio, & exemptio à Pontifice obtenta per S. Ægidium solidè confirmantur. Itaque satis certum videtur, monasterium structum, ad eoque vixisse S. Ægidium, tempore cujusdam Flavii regnantis in Septimania & Benedicti Papæ. Ostendimus secundò nullum regnasse in Septimania Flavium tempore cujusdam Benedicti Pontificis, aut pluribus etiam annis ante Benedicti pontificatum, nisi circa & ante pontificatum Benedicti II, quo tempore ibidem regnarunt Flavius Wamba & Flavius Ervigius, ambo Catholici, ambo in ecclesiasticos & monachos satis benigni. Hinc ergo concludere liceat, monasterii constructionem verosimiliter accidisse inter annum 672, quo Wamba regnare cœpit, & pontificatum Benedicti II, quem obtinuit circa annum 684. Hac epochâ vitæ S. Ægidii nulla videtur certior; atque hanc facile conciliabimus cum scriptoribus supra allegatis, qui cum

B *principatu Caroli Martelli vitam Ægidii connectunt, aut cum initio seculi* VIII. *Accipe igitur qualemcumque vitæ Ægidianæ chronologiam ex fundamentis jam positis; exactam enim dare nequimus, cùm nec de anno Sancti emortuali constet, nec de numero annorum totius vitæ, licèt dubium non videatur, quin ad grandævam ætatem pervenerit.*

Chronologia qualiscumque

5.2 *Conjiciamus* Ægidium *mundo datum in Græcia circa annum* 640, *mare transmisisse, dum annos circiter viginti & quinque agebat, ac venisse in Provinciam circa annum* 665 *aut* 666, *Arelate aliisque locis degisse ferè biennio, indeque cum Veredemio eremita vixisse in solitudine prope Gardonem flumen usque ad annum* 670 *vel* 671. *Adierit tum locum magis solitarium, ibique vixerit usque ad annum* 673, *quo inveniri à Wamba rege potuit mense Augusto, dum ille, captâ Magalonâ, præmissaque parte agminis sui ad obsidendum Nemausum, cum reliqua exercitûs parte inter Magalonam & Nemausum subsistebat, forsitan circa locum, in qua Sanctus inventus; vel etiam mense Septembri, postquam Nemausum interceperat.*

C *Quippe Wamba, ubi Magalonam ceperat, Nemausum partem exercitûs misit, & cum alia parte ipse deinde est secutus, ut docet Rodericus Toletanus in Historiæ expeditionis Wambæ, quam Andreas du Chesne edidit tom* 1 *Scriptorum Historiæ Francorum à pag.* 821. *Quin imò suspicio esse potest, ipsum esse* Ægidium *nostrum, cui tunc visionem quamdam oblatam refert Rodericus pag.* 829 *hisce verbis:* Ubi divina protectio evidentis signi ostensione monstrata est. Visum est enim, ut fertur, cuidam externæ gentis homini angelorum excubiis protectus religiosi principis (*Wambæ*) exercitus esse, angelosque ipsos super castra ipsius exercitûs volitatione protectionis suæ signa portendere. *Hæc, inquam, visio optime intelligi potest de* S. Ægidio, *qui &* externæ gentis *erat, & eo tempore fuisse videtur prope locum, quem transibat Wambæ exercitus. Attamen ex hujusmodi conjectura nihil tutò asseri potest.*

vitæ S. Ægidii

5.3 *Verùm, quidquid sit de hac visione, probabile videtur, inventum ea occasione* Ægidium, *cùm Acta inventum doceant, Actisque ea in re nullus contradicat. Hinc monasterii structuram cœptam statuimus anno* 673 *vel* 674. *Monasterium verò legibus rectè institutum, paulatimque* D *numero monachorum impletum, Benedicto II oblatum credimus circa annum* 684. *Eodem tempore privilegium exemptionis pro monasterio suo impetravit; & donasse ei Pontifex dicitur duo ostia cypressina, ex quibus valvæ ecclesiæ sunt compositæ. Rexit deinde, auxitque haud dubiè monasterium sanctus Abbas, ejusque destructionem prædixit, si Actis credimus. Destructum illud per Saracenos suspicamur circa annum* 720, *Sanctumque ad ea usque tempora vitam produxisse, ita ut verosimiliter decrepitæ ætatis fuerit, & tunc octoginta circiter annos numeraverit, si natus est circa annum* 640, *uti antea ex conjectura diximus, cui extensionem tamen additam volumus tantam, ut non renuamus decennium adjicere, si id cupiam magis appareat verisimile.*

5.4 *Porrò circa idem tempus à Carolo Martello Aureliam vocatum putamus Sanctum nostrum. Certè Carolus post victum tertia vice Chilpericum, Neustriæ & Burgundiæ regem, venit Aureliam anno* 719, *ut videre est apud Pagium ad eumdem annum num.* 10, *atque apud* E *alios scriptores. Eodem etiam anno* 719 *Zama Saracenorum in Hispania gubernator ingressus est Septimaniam cum ingenti exercitu, illamque partim illo, partim sequenti anno subjugavit; quemadmodum narrant scriptores Historiæ Occitaniæ tom.* 1, *pag.* 390. *Hinc verisimile est* S. Ægidium *cum monachis suis, vel anno* 719 *vel* 720, *metu Saracenorum fugisse in Galliam Francis subjectam, eaque occasione vocatum esse Aureliam à Carolo, ad quem fama sanctitatis ejus fuerat perlata. Fuga illa* S. Ægidii *verisimilis est non modò à crudelitate Saracenorum, sed etiam ab exemplo monachorum S. Baudelii, qui cum abbate suo S. Romulo istis temporibus Nemauso fugerunt in Burgundiam, uti mox laudati scriptores referunt pag.* 393. *Porrò, si Actis fidem habemus, sanctus Abbas post congressum cum Carolo ad abbatiam suam est regressus. Istud revera contingere potuit anno* 721 *aut* 722, *quando Saraceni, ingenti prope Tolosam clade affecti ab Eudone Aquitaniæ duce, magnam Septimaniæ partem rursus amiserant. Quod si res ita se habeat, obiit verosimiliter* S. Ægidius *ante secundam Saracenorum irruptionem, quâ anno* 725 *totam occuparunt Septimaniam. Quidquid* F *sit, non est verisimile Sanctum multis annis vixisse post congressum cum Carolo, ideo mortem ejus ex conjectura signavi inter annum* 720 & 725.

texitur:

5.5 *Nunc paucis lectorem monendum censeo, quænam ex disputatis certiora videantur, quæ verò minùs certa. Primò dubitandum non putem, quin* S. Ægidius *vixerit diu post S. Cæsarium Arelatensem, seu seculum* VI. *Secundò satis me ostendisse existimo ex monumentis non suspectis, monasterium* S. Ægidii *ab ipso Sancto fundatum, idque factum ex liberalitate Flavii cujusdam Gothorum regis ante aut circa pontificatum Benedicti II, seu annum* 684. *Tertiò vitam Sancti produximus usque ad principatum Caroli Martelli ob auctoritatem scriptorum, à quibus recedendum non est sine gravi ratione, quæ hîc ad repudiandam illorum auctoritatem non occurrit. Quartò certis argumentis probavimus Sanctum vixisse, ejusque monasterium constructum ante tempora Caroli Magni.*

in qua aliquot capita satis apparent certa,

5.6 *Reliqua omnia, quæ ordini chronologico inserui, partim ut explicarem quædam in Actis asserta, ostenderemque ea non esse improbabilia; partim ut certiora elucidarentur per conjecturas proba-*

alia ex conjecturis sunt addita:

A *probabiles, minùs certa ipse existimo, & nequaquam pro certis haberi cupio. Talia sunt, accessus S. Ægidii ad Carolum Martellum, prædictio ejusdem de evertendo monasterio suo, ipsaque monasterii destructio & instauratio. Conjecturæ etiam tantùm sunt, quas attulimus de Wambano monasterii fundatore potiùs quàm Ervigio, & de anno 673 aut sequente. Quippe constructio monasterii aliis etiam annis contingere potuit ex occasione nobis ignota, & locus etiam donari potuit ab Ervigio, quin & ab alio rege ante Wambanum. Æquè incertus est annus Sancti natalis & emortualis, posituſque ex mera conjectura, cùm Sanctus adhuc diu post annum 720 superesse potuerit, & nonagenarius vel centenarius mori. Hæc ut certa separentur ab incertis.*

conciliantur scriptores antè allegati cum aliis monumentis.

57 *Demum respondeo ad illud, quod solum objici posse video. Dicat aliquis, Sigebertum, auctores Chronicorum S. Dionysii & Elnonenses, aliosque laudatos à me scriptores, ita ætatem S.* Ægidii *referre ad tempora Caroli Martelli, aut seculum* VIII *inchoatum, ut videantur dicere, eum isto tempore ex Gracia venisse in Provinciam, ita ut scriptores isti adversentur dictis nostris de condito* S. Ægidii *monasterio circa pontificatum Benedicti II, seu ante annum 684. Fateor lubens eam illorum scriptorum videri sententiam, certè primo intuitu. Verùm gravior obstat auctoritas, quâ fit, ut eis assentiri non possemus, si ita omnino sentirent; & illorum dicta haud difficulter alio sensu exponi possunt. Etenim primum, quod asserunt, est, quòd* S. Ægidius *venerit ex Gracia: alterum, quòd circa annum 715 sanctitate claruerit in Provincia. Nequaquam, opinor, voluerunt referre, quo anno in Provinciam appulerit Sanctus, cùm id verosimiliter ignoraverint. Sed tantùm indicarunt annum seu tempus, quo eum vixisse in Provincia invenerunt & sanctitate claruisse. Videtur* S. Ægidius *scriptoribus istis maximè innotuisse per accessum ad Carolum Martellum, hujusve favorem in Sanctum ipsum aut ejus monasterium. Hæc autem esse potuit ratio, cur* Ægidium *ad ejus potissimùm tempora retulerint.*

B

C § VI. Examinantur aliqua de Sancto asserta partim in Vita, partim ab aliis scriptoribus.

Cæsarium II Arelatensem episcopum non admittimus,

EX *illis, quæ disputavimus, dubitare quis poterit, utrùm non fuerit secundus aliquis Cæsarius Arelatensis, apud quem* S. Ægidius *biennio manserit, sicut in Actis dicitur. Sic enim nullus in Vita* S. Ægidii *ostendi posset anachronismus. Fuit hæc non paucorum olim opinio, uti antea insinuavimus. Andreas Saussayus in Appendice Martyrologii sui pag.* 1220 *non modò secundum asserit Cæsarium, sed amplum quoque ei texit elogium, in quo ex monacho Lerinensi & discipulo S. Porcharii martyris Felici episcopo, qui sedit circa annum 679, in sedem Arelatensem successisse dicit, & de* S. Ægidii *adventu ad ipsum sic loquitur:* Sanctum Ægidium ad se è Græcia venientem paterno affectu excepit, sollicitè erudivit, monasticisque disciplinis egregiè informatum, ad perfectissimæ vitæ fastigium evexit. *Verùm tam præcedentia, quàm ea, quæ addit de scriptis homiliis, à S. Cæsario, qui vixit seculo* VI, *& discipulus fuit Porcharii abbatis Lerinensis, translata sunt ad secundum Cæsarium; quæque de* S. Ægidii *exceptione dicuntur, ex hujus Actis sunt adjuncta. Quapropter, cùm nulla uspiam in idoneis monumentis, nec in catalogis episcoporum Arelatensium, secundi Cæsarii fiat mentio; hunc prorsus fictitium existimamus.*

AUCTORE J. S.

licèt assertus sit a multis, sed credimus ex errore factum, ut S. Cæsarius Actis inseretur.

59 *Scio quidem Vincentium Bellovacensem, Petrum de Natalibus, Jacobum de Voragine, Joannem Trithemium, aliosque ejusdem notæ scriptores cum* S. Ægidio, *quem circa initium seculi* VIII *floruisse nobiscum dicunt, connexuisse S. Cæsarium Arelatensem episcopum. At illi haud dubiè ex Actis* S. Ægidii, *aut ex aliis, qui Acta descripserant, in eum errorem deducti sunt, ita ut illorum auctoritas, quæ exigui in rebus antiquis momenti est, hîc sufficere non possit ad secundum aliquem Cæsarium admittendum. Necesse igitur est repudiare illa omnia, quæ de gestis* Ægidii *cum Cæsario leguntur in Actis, cum contraria sint iis, quæ non tantum ex melioribus monumentis de* Ægidio *probavimus, sed in ipsis quoque Actis leguntur. Porrò credibile est biographum, qui sine sufficienti scientia & nulla ferè crisi hæc Acta collegisse atque omnia arripuisse videtur, quæ undique se offerebant, incidisse in Ægidium illum abbatem, qui revera cum S. Cæsario vixit, & quædam illius gesta Sancto nostro ex errore attribuisse. Norunt eruditi, quàm facilè contingat, ut homo scientia chronologicæ imperitus personas ejusdem nominis confundat, sicque omnia misceat.*

C

D

E

An Veredemus in Actis memoratus distinctus sit ab alio ejusdem nominis:

60 *Dubitari potest secundò, quis sit ille* Veredemus *aut* Veredemius *eremita, qui cur* S. Ægidio *vixisse dicitur in loco deserto prope Wardonem flumen. Nam aliqui duos faciunt Veredemos, alterum ex eremita episcopum Avenionensem, alterum eremitam in agro Ucetiensi. Alii volunt unum eumdemque esse, qui priùs in agro Ucetiensi eremita vixerit, ac deinde ad cathedram Avenionensem fuerit promotus. Benedictus Gononus in Vitis Patrum Occidentis lib.* 3 *à pag.* 160 *dedit Vitam S. Veredemi Avenionensis episcopi, quam se accepisse ait* partim ex antiquis monumentis ecclesiæ Avenionensis, partim etiam ex Raulino Cluniacensi viro doctissimo & erudito. *In illa Vita* S. Ægidium *socium facit Veredemi postea episcopi, quem ait floruisse circa annum* 700, *videlicet in episcopatu. Idem scriptor in notis ad hanc Vitam observat, sanctum aliquem Veredemum eremitam coli in ecclesia Ucetiensi, eumque putat alium à S. Veredemo episcopo. Cointius in Annalibus Francorum ad annum* 531 *num.* XI *pro distinctione duorum Veredemorum vehementer pugnat, ac* S. Ægidii *in solitudine socium fuisse existimat illum, quem colit ecclesia Ucetiensis. Ratio illius præcipua est, quod putaverit* S. Ægidium *vixisse cum S. Cæsario Arelatensi, ideoque duobus seculis vetustiorem esse S. Veredemo episcopo. At illa opinio jam refutata est, atque adeo præcipua ratio Cointii prorsus concidit.*

F

rationes pro duobus Veredemis allatæ

61 *In Opere nostro breviter actum est de Veredemo episcopo ad* XVII *Junii, quo colitur Avenione. Relinquitur ibi controversia indecisa, ita tamen ut videretur propendere Henschenius in relatam Cointii sententiam. Illa magis exposita est ad* XXIII *Augusti, quo Ucetiæ colitur Veredemus eremita, quem à Veredemo episcopo probabilius distinctum putavit Pinius noster, Cointii opinionem subtimidè secutus. Verùm, uti*

AUCTORE J. S.

ne tunc quidem distinctio duorum satis videbatur certa, ita nunc multo magis mihi apparet incerta, quin & minùs probabilis, postquam diligentiore investigatione ætatis S. Ægidii *præcipua dicta distinctionis ratio subversa est. Cùm tamen pro illa distinctione alias etiam rationes attulerit laudatus Gononus, aliique ex ipso, illas paucis discutiam :* Porrò, *inquit Gononus*, in Breviario ecclesiæ Uzetensis agitur de quodam Veredemio eremita omnino ab isto (*episcopo Avenionensi*) diverso. Patet ex hoc, quòd vitam solitariam apud Uzetensem pagum duxerit, quòd officium fit de eo de communi Confessoris non pontificis, quòd festum S. Veredemi episcopi Avenion. in dicta ecclesia XVII Junii agatur, istius verò XXI mensis Augusti, quòd ecclesia Uzetensis corpus istius sancti Veredemii habere dicatur ... Profectò hæ rationes duos omnino esse convincunt. *Ita ille ratiocinatur, nec alias rationes addiderunt alii, nisi unam, quam refutatam diximus.*

prorsus infirmæ sunt, B

62 *Nunc breviter accipe, quàm hæ rationes sint infirmæ. Veredemus eremita vixit in pago Ucetiensi. At ibidem etiam vitam duxit Veredemus postea episcopus, si vel ipsi credimus Gonono, qui de eo sic scribit :* Rhodano transvadato, cùm secus ripam Guardonis fluvii inveniſſet quoddam rupis concavum, in eo suæ habitationis locum delegit. *Quippe diœcesis Ucetiensis juxta Wardonem fluvium se extendit ad Rhodanum usque. Idem ergo locus designatur, sive dicamus ad ripam Wardonis Avenioni obversam habitasse, sive in diœcesi vel agro Ucetiensi. Qua de causa vehementer suspicor eumdem esse Sanctum, cùm eodem loco habitasse dicatur. Altera ratio est ex diversitate tituli, qui attribuitur Veredemo Ucetiæ, ubi colitur ut* non pontifex, *cùm Avenione colatur ut* pontifex. *Hæc si fiunt sine errore, haud dubiè duo sunt Veredemi. Verùm, cùm nihil ferè de Veredemo suo sciant Ucetienses, nisi Sanctum esse, & in territorio urbis suæ habitasse, quis securos nos reddet, ex errore non fieri, quòd Ucetienses* pontificis *titulum suo non tribuant Veredemo ? Certè errores similes non sunt infrequentes in Sanctis, quorum gesta parùm sunt cognita. Tertia ratio, nimirum quòd alio die Sancti festivitas celebretur Avenione,*

C *alio Ucetiæ, nihilo melior est, cùm id ex errore similiter oriri potuerit, vel alia etiam ex causa. Quarta ratio de corpore S. Veredemi servato Ucetiæ, errore non caret. Audi partem epistolæ Claudii Castellani ad Majores nostros, jam adductam ad* XXIII *Augusti in S. Veredemo eremita :* Videmini, *inquit*, die XVII Junii S. Veredemum episcopum Avenionensem distinguere à Veredemo anachoreta Ucetiæ, qui die XXIII Augusti in ista ecclesia colitur. At D. Sanguin canonicus Avenionensis mihi significavit esse unum eumdemque, cujus quædam reliquiæ Ucetiæ conservantur. *Non igitur utroque loco servatur corpus totum.*

ita ut verosimiliter episcopus idem sit qui eremita.

63 *Hæ ergo rationes non satis evincunt, duos esse Veredemos qui ambo fuissent Græci, ambo, relictâ patriâ, venissent in Galliam, ambo vitam solitariam duxissent in diœcesi Ucetiensi, ut probatum est suprà. Quin & ambo eodem tempore floruissent, si dicamus* S. Ægidium *venisse ad Veredemum eremitam non episcopum, quemadmodum Cointius aliique voluêre. Adde, nihil notum esse de Veredemi vita solitaria, nisi ex Actis* S. Ægidii, *in quibus unius tantùm fit mentio. Quapropter, sive considerem rationes, quæ afferuntur pro distinctione, sive distinctioni oppositas, vehementer suspicari cogor, unum esse Veredemum, qui ut pontifex Avenione colitur, & ut non pontifex Ucetiæ. Si tamen diversi sunt, non dubito, quin gesta utriusque sint confusa ; & difficulter statui potest, uter in solitudine sua exceperit* S. Ægidium. *His igitur missis, ad alia progredior.* D

Trithemius asserit Ægidium aliquem scripsisse de arte medica, dubitans an sit noster.

64 *Joannes Trithemius in Opere de Viris illustribus Ordinis S. Benedicti gemino elogio quædam de Sancto nostro commemoravit. Primum habetur lib. 2 cap. 22, ubi hæc scribit :* Ægidius abbas, natione Græcus, vir in divinis Scripturis eruditus, & in secularibus literis valde peritus ; philosophus, poëta, ac medicus insignis, metro excellens & prosâ, scripsit metricè Opus egregium de Pulsibus, librum unum ; de Venis quoque eodem genere dicendi librum unum. Si quid amplius edidit, ad notitiam meam non pervenit. Hunc nonnulli æstimant sanctum illum fuisse abbatem, cujus festum Kalend. Septembris colitur : quod an ita sit, non satis perspicuum habeo. Hoc autem scio, quòd tempus & patria in eum consentiunt, nec duo hujus nominis monachi in Chronicis reperiuntur, sed unus. Et verisimile est quòd sanctus Ægidius ante conversionem suam philosophiæ ac medicinæ operam dederit. Claruit circa annum Domini DCCX. *Audi & aliud elogium lib. 3 cap. 162 :* Ægidius monachus & abbas, natione Græcus, patriâ Athenienſis, venit de Græcia pro Christo peregrinus ad civitatem Arelatensem, ubi cum sancto Cæsario nostri Ordinis episcopo mansit per biennium, & tandem fugiens ad eremum, regis præcepto monasterium construxit, & abbas monachorum efficitur. Multis tam in vita quàm etiam post mortem legitur claruisse miraculis. De hoc sanctissimo Viro mihi etiam in secundo libro videor feciſſe mentionem. Nam & aliqua scripsisse perhibetur. Claruit anno Domini DCCXL *, cujus natale Calendis Septembris agitur. E

* *antè* DCCX

quod & alii affirmant : verùm id parùm verisimile de Sancto nostro F

65 *Unde hauserit Trithemius, quæ tradit de scriptis* S. Ægidii, *non satis perspicio. Attamen eadem brevius habet Jacobus Philippus Bergomensis, ejusdem temporis scriptor in Supplemento chronicarum lib.* 10 *ad annum* 714. *Verba ejus accipe :* Egidius philosophus, Græcus monachus per hos dies scientiâ & religione clarus fuit : qui præter cætera à se edita etiam in medicinis librum de Pulsu metricè composuit, cujus principium est : " Ingenii vires modicis co-
„ natibus impar „. Item alium de venis, qui incipit ; " Dicitur * vena, quando fit renibus
„ una „. *Joannes Jacobus Hofmannus in Lexico universali ad vocem* Ægidius *prædicta amplectitur &* S. Ægidio *nostro satis clarè attribuit, dum scribit sequentia :* Ægidius Athenienſis, Græcus medicus & philosophus ; mox D. Benedicti sectam professus, sub Tiberio secundo, anno Christi DCC, multa scripta posteritati reliquit, ut de Pulsibus librum unum, de Venenis (*imò de Venis*) unum. Vulneratus à venatore sagittâ noluit vulnus sanari, ut assiduis doloribus exerceretur. *Citatque pro his Bergomensem, Volaterranum & Vincentium Bellovacensem : ex quibus duo posteriores certò agunt de* S. Ægidio; *primus verò de* Ægidio *medico aliunde mihi ignoto, quem existimare non possum eumdem esse cum Sancto, tum propter silentium omnium antiquiorum, tum quia lucubrationes de medicorum arte parùm congruunt eremitico aut monastice*

* *Fortè dicetur*

A *naſtico inſtituto, tum demum quia Opuſcula illa ex allegato illorum initio Latinè videntur ſcripta, ita ut auctorem videantur habere Latinum, non abbatem Græcum, qui veroſimiliter linguæ Latinæ non ſatis fuit peritus.*

VITA

auctore anonymo

Ex codicibus Mss. ſex, aliiſque apographis inter ſe collatis.

PRÆFATIO.

Utilitas ſcribendi geſta Sanctorum.

B SAnctorum quidem à propenſiori cultu reverentiæ venerandorum Patrum geſta cautâ diliberatione priſci fideles decreverunt multimoda proſecutione celebrare, celebranteſque tota mentis devotione venerari. Sic enim laus Dei per illos operantis, & in illis regnantis, latiùs diffunditur, atque mentes auditorum, tantæ virtutis opinione perceptâ, ad benè vivendi cultum ardentiùs incitantur. Majorum ſiquidem imagines ſuorum quondam gentiles erigebant, ea videlicet intentione, ut eas ætatis venturæ poſteritas intuens, ad virtutis appetitum gloriæque conſecutionem animum ferventiùs applicare niteretur. Quantò magis ergo Chriſtianorum devotio, præcedentium Patrum facta ſibi ſæpiùs repræſentans, in illis oportet velut quibuſdam ſpeculis, ut ſeſe pervidendo cognoſcat?

ANNOTATIO.

Præfatio hæc in quatuor exemplaribus adjuncta legitur, in reliquis Vita inchoatur ſine præfatione. At particula igitur, *in illis etiam poſita initio Vitæ, oſtendit præfationem adfuiſſe.*

C CAPUT I.

Sancti patria & parentes: egreſſus è patria & adventus in Galliam: mora Arelatenſis & vita ſolitaria cum Veredemo eremita.

Sancti patria, parentes, & pueri ſtudia: a

* *al.* urbis

b

SAnctus igitur Ægidius, natione Græcus, à præclaris parentibus originem duxit. Extitit enim Athenis oriundus, patre videlicet Theodoro *a* nomine, matre verò Pelagia: qui uterque regia ſtirpe progeniti, atque licèt inter primores totius orbis * præclari, Chriſtianiſſimam tamen duxerunt vitam. Prædictus verò Ægidius ævo tener ad liberalia rudimenta diſpoſitus, doctores ſummos Spiritûs ſcientiæ gratiâ perluſtratus *b*, brevi æquiparavit. Docili quoque puero gratia Dei non defuit, ejus vitam omni morum honeſtate perornans. Jam jamque foris ſcintillabat indiciis intus ſuccenſa lampas charitatis.

2 Quadam enim die, dum ad eccleſiam pergeret, accidit, ut quidam æger in urbis mediæ * platea jaceret, à tranſeuntibus alimoniam petens. Cujus vocibus miſerandis ſanctus Puer compunctus, quamvis adhuc pædagogi ſententiam ſibi formidabilem æſtimaret, tamen extractam, quâ induebatur, tunicam, aliud, quod oportuniùs daret, non habens, ægro tribuit. Quâ indutus æger, illico totius corporis ſanitatem ſe recepiſſe gaviſus eſt. At domum reverſus Ægidius, &, ubi tunicam amiſiſſet, ut puer interrogatus, reſpondit quemdam non ſibi ſatis notum illam abſtuliſſe *c*. Cui rei facilè ſibi venia conceditur, quoniam à parentibus, quibus erat unicus, tenerrimè diligebatur.

A. ANONYMO. *tunicam ſuam ægro donat, qui eâ indutus ſanatur:* * *al.* media

c

3 Nec multùm verò pòſt, parentibus ejus in pace defunctis, quorum obitum ipſe parùm antè Spiritu revelante præſciverat, patrimonii ſui, quod ei ſatis magnum remanſerat, Chriſtum fecit hæredem. Mirabili quoque modo pauperando diteſcebat, dum pro temporalium impendiis æterna lucraretur. Interea dum quadam die rediret de eccleſia, obvius ei fuit quidam miſerrima ſpecie, qui nuper à ſerpente percuſſus, tumenti cute fatebatur ſeſe mortiferum recepiſſe virus. Quem Vir ſanctus, oratione fuſa pro illo, priſtinæ ſanitati reſtituit; atque juſſit, ut inde grates Deo, cujus erat clementiâ ſanatus, redderet.

mortuis parentibus, bona ſua diſtribuit pauperibus: ſanat percuſſum à ſerpente:

E

4 Die verò Dominica, dum ſacra myſteria celebrarentur, fortè quidam miſer arreptus à dæmonio, cœpit terribilibus clamare vocibus, donec ferè tota turbaretur eccleſia. Sed Ægidius, qui ibi aderat more ſolito, priùs humi proſtratus breviter oravit, ſtatimque ſurgens Domini pietate fretus, arreptitio huc illucque labanti ſeſe confidenter objecit, & ut ab eo exiret, maligno ſpiritui palàm imperavit. Qui Sancti imperium tranſgredi nequiens, hominem, quem invaſerat, horribiliter clamans ac mugiens, incolumem reliquit.

dæmonem expellit energumeno:

5 Verùm, ubi Viri ſancti virtus præ magnitudine ſua latere non potuit, confluebant ad eum plurimi, corporis animæque remedia poſtulantes. Nec verò, ubi Dator hilaris, & quod daretur abunde aderat, ſpei ſuæ munere fruſtrabantur. Cúmque mira geſta laudum præconia ſequerentur, ejuſque nomen per omnes Græciæ partes magis ac magis innoteſceret, timens ne ſibi vento favoris quantulumcumque minorarentur merita, atque judicans incautum eſſe, levis famæ pretio bonæ conſcientiæ theſaurum venditare, nativitatis ſuæ patriam ſuâ præſentiâ viduaturus, ut liberiùs Deo vacaret, ſolitariam vitam expetens, tranſeundum mare diſpoſuit. Dum verò clam ſuis omnibus ad littus maris ſolus deveniret, utque ſibi ad ſuum propoſitum adimplendum auxiliari dignaretur, ſummo Regi preces funderet, vidit à longè quandam navem inter pelagi procellas tempeſtuoſis fretorum pulſibus jactari, nautaſque jam deſperatos ac totius gubernationis oblitos penè naufragari. Pro quibus mox ut orationis ſuffragium Deo obtulit, ſedata tempeſtate, pervenêre ad portum.

patriam deſerturus venit ad mare, ubi precibus ſuis juvat tempeſtate jactatos;

F

6 Videntes autem nautæ Dei Virum in littore adhuc incumbere orationibus, animadvertêre ſeſe marina per illius orationes evaſiſſe pericula. Interrogantibus autem eis, quis eſſet, vel cujus rei causâ portum maris adiſſet, reſpondit ſe Chriſtianum eſſe, atque Romam velle, ſi ſibi Deus facultatem ſuppeditaret, pergere. At illi pedibus ejus provoluti, Grates, inquiunt, ma-

qui ad littus delati eum navi humaniter imponunt:

A. ANONYMO. ximas referimus * Domino, qui te nobis talem ſocium conferre dignatus eſt, qui nos & à præſenti tempeſtate liberaret, & hinc per alta pelagi remigantes ab omni fluctuum timore tutaret. Nos enim de illis partibus ſumus : & ſi eò pergere cupis, libenter nobiſcum te ſine pretio feremus: inſuper & omnia corporis neceſſaria adminiculabimur ad iter *. Quod Vir ſanctus audiens, lætus Dominum benedixit, & ſuæ ſociorumque * animabus Deo commendatis, hilaris & gaudens exul egregius navem conſcendens, oppanſis velis iter medii pelagi cum ſuis arripuit.

* *al.* referamus

* *al.* ob iter & gratanter

* *al.* ſuorumque

poſt navigationem proſperam quatridui, ad inſulam delati, inveniunt eremitam :

7 Quatuor igitur diebus totidemque noctibus proſperè directumque * navigantes, cuidam inſulæ tandem appliquerunt. Ibi verò nautæ egreſſi, ut apluſtria colligerent, viderunt ſumma veſtigia ſaburræ littoris impreſſa. Quæ diligentiùs indagando ſequentes, pervenerunt ad quandam cellulam, inter veprium denſitates ſitam, propiúſque irrumpentes, quemdam hominem * cernunt pro foribus legentem. Verùm ſanctus Ægidius illum eſſe Dei ſervum cognoſcens, quantùm temporis & quomodo illic degiſſet *, interrogavit. Duodennem, inquit ille, jam hîc peregi pœnitentiam, crudis herbarum tantummodo radicibus & aquâ ſuſtentatus. Quem Vir ſanctus audiens cupitam ſibi jam diu vitam ducere, paululùm priùs oravit, & pòſt in ejus ruit amplexus, ac ſic uterque ſeſe utriuſque * commendaverunt orationibus. Tribus autem diebus ibidem in Dei laudibus peractis, valedicto invicem diſceſſerunt.

* *al.* direque

* *al.* homuncionem

* *al.* deveniſſet

B

* *al.* mutuis

conſcenſa rurſum navi, Maſſiliam appellunt ; hinc Arelatem venit Ægidius :

8 Navem verò ingreſſi, urbi Marſiliæ *d* triduo allabuntur. Tunc itaque temporis pontifex bonæ memoriæ Cæſarius *e* Arelatenſem regebat eccleſiam : cujus ſanctitatis præconio Ægidius audito, Arelatem *f* citiùs properavit, tanti præſulis colloquio atque ædificatione cupiens inſtrui. Hunc autem Arelate vidua quædam divitiis locuples, Teocrita nomine, officioſiſſimè ſuſcepit hoſpicio. Dum verò cœna præpararetur, audiens Sanctus planctus infirmantis in ſecretiori parte domûs, interrogavit, quid hoc eſſet. Domine mi, inquit Teocrita, filia mea eſt, triennio jam febricitans, pro cujus ſalute plurimas opes fruſtra medicis erogando diſtraxi. Tu verò, ſi quid medicinæ ſcires, vellem, ut ei, grandia recepturus præmia, ſubvenires. At ille, nihil terrenæ medicinæ ſeſe ſcire faſſus *, ſolito precum antidoto optatæ reſtituit eam ſoſpitati.

d

e

f

C

* *al.* confeſſus

Arelate, ubi fuiſſe dicitur cum S. Cæſario, venit ad S. Veredemum in ſolitudine degentem :

9 Iſtius autem miraculi fama brevi divulgata ad Cæſarii præſulis aures pervenit. Is quoque per ſpiritum jam & adventum & vitam cognoverat. Mox igitur per archidiaconum, Aurelium nomine, ad præſulem accerſitus Ægidius, cum magna veneratione ſuſcipitur, atque biennio multis obſecrationibus ibidem detinetur. Sed Vir Domini, tranſacto ſcilicet biennio, ſoli Deo cupiens vacare, ſolitarius latenter inde receſſit, tranſitoque Rodano, ſecus ripam Gardonis *g* fluvii aliquod latibulum aptum ſuo propoſito quærens, divino directu invenit quemdam heremitam, Veredemium *h* nomine, ſanctitate & miraculis inſignem. Is in cujuſdam rupis concavo morabatur, quò ſaxorum aſperis anfractibus ſatis erat difficilis aſcenſus. Cujus vitam ſanctus Ægidius videns eſſe divinam, aliquantulùm temporis cum eo ædificationis causâ converſatus eſt. O nulli enarrabilis divina diſpoſitio, quæ de tam longè remotis terrarum partibus hæc duo ſidera in uno congregaſti, ut alterum ab altero perluſtratum ſplendidiùs illuminarent orbem. Et quis umquam verbis explicare valeret, quot * ibidem miraculorum inſignibus ambo claruerint ? Nullus enim æger, pro quo Dominum deprecarentur, cupita ſalute caſſabatur. Sterilitatem etiam terræ fertur ſanctus Ægidius tunc ſuis orationibus fugaſſe.

g

h

D

* *al.* quantum

quocum degens ad tempus claret miraculis.

10 Sed de multis unum ſuccinctè referamus, idcirco maximè, quoniam virorum Dei corporalis ſeparationis cauſa fuit. Enimvero die quadam, abſente Veredemio, quidam ægrotus, totius corporis valetudine carens, ſancto Ægidio curandus *i* præſentatus eſt, delatoribus ejus obnixè jurantibus, quòd nullatenus eum priùs inde deferrent, donec, ut ceteros ſolebat, hunc quoque ſanaſſet. At ille nitens aſſerere, quòd Veredemii meriti fuiſſet, non ſui ; aliorum curatio, hunc etiam illi curandum hortatur offerri. Verùm illis huic ſententiæ non acquieſcentibus, ſed & inſuper objicientibus : Tu, qui ſterilitatem terræ noſtræ pepuliſti, benè potes, ſi vis, ut & hic ſanetur, obtinere. Victus tandem Vir Domini, ut erat manſueti ingenii, peractis orationibus non ſine lachrymis, infirmum, omni corporis invaletudine pulſa, incolumitati diu deſideratæ reddidit.

i

E

ANNOTATA.

a *Sancti parentes nullibi invenio, niſi in Actis tam hiſce quàm amplioribus, & apud eos ſcriptores, qui ſua de S. Ægidio ex hiſce procul dubio Actis ſumpſerunt. Qua de cauſa non ſatis liquet, quàm certa ſint, quæ de regio Sancti genere ſubnectit auctor : idem continget de aliis multis, quod ſemel monuiſſe ſufficiat.*

b *Hîc variant Mss. Antiquiores codices ſecutus ſum. In uno legitur*, Spiritûs ſancti gratiâ perluſtratus ; *in alio*, præ ſcientiæ gratia perluſtrans ; *in alio voces illæ omittuntur.*

c *Auctor Puero ſancto mendacium videtur affingere : neque enim credibile eſt, eum tam multa ſciviſſe de Sancti pueritia. Uti autem mendacium iſtud veriſimile non eſt, ſic nec miracula revelationeſque Juveni mox attributa.*

d *Maſſilia urbs eſt notiſſima Provinciæ cum portu ad mare Mediterraneum.*

e *Quæ de Cæſario hîc dicuntur, prorſus repudianda eſſe probavi in Commentario. Dixi ibidem num.* 59 *forſan ex errore profecta eſſe, & occaſionem, quâ error committi potuit, aſſignavi. Verumtamen improbabile etiam non eſt, ſcriptorem hunc, qui multa finxit prorſus improbabilia, & Sanctum noſtrum ſeptem dierum navigatione ex Græcia Maſſiliam ducere non dubitavit, hac ſola de cauſa Cæſarium finxiſſe* S. Ægidii *magiſtrum, quòd virum celebrem vellet in ſcenam producere, nullumque Cæſario celebriorem reperiret inter antiſtites Arelatenſes.*

f *Plures codices habent* Arelatem, *duo* Arelate, *unus* Arelatum. *Urbs eſt vulgò nota in Provincia ad Rhodanum, quæ Gallis* Arles.

F

g Guardo, *aliis* Vardo *aut* Wardo, *vulgò* le Gardon *& contracto nomine* le Gard, *fluvius eſt Occitaniæ, qui* apud Bellumquadrum * in Rhodanum effluit, *ait Valeſius in Notitia Galliarum pag.* 585, *ubi de illo flumine plura.*

* Beaucaire

h *De S. Veredemio vel Veredemo, egimus in Comm. num.* 60 *& ſeqq.*

i *Ita codex, qui omnium vetuſtiſſimus videtur. Alius habet* ad curandum, *plerique mendoſè* curatum *vel* curaturus.

CA-

A

CAPUT II.

Seceſſus ad locum magis deſertum, in quo cervæ paſcitur lacte: invenitur à Flavio Gothorum rege, & locum accipit condendo monaſterio, quod conſtruit & regere incipit.

Secedit Sanctus in locum deſertum, ubi lacte cervæ paſcitur:

TImens igitur, ne hujus aliorumque miraculorum rumoribus alicujus momenti apud populos æſtimatus, meritum ſuum aliqua enormitate mutilaret, neve ſic præceptoris ſui reverentiæ diſpliceret, ſecretiorem de integro vitam expetens, & ut fugientem proſequens, interiorem heremum, relicto Veredemio, latenter penetravit. Pervenit itaque Dei nutu ad quemdam B locum, haud longè à Rodani fluvii decurſu in mare, cui Septimania *a* vocabulum eſt, frutetis & arboribus obſitum, ſoliſque ferarum luſtris frequentatum. Ibique quoddam reperiens antrum, juxta cujus introitum fonticulus undâ purâ ſcatebat, ita lætus Deo gratias reddidit, acſi regii apparatus aulam repperiſſet. Triennio igitur ibidem pro ſalute populi totius orando manens, ſolis herbis & aquâ vixit, excepto quòd ei Dominus quamdam præparabat cervam, ſatis abundè certis horis reficiendi lactis alimoniam ſibi præbentem.

hanc cervam dum perſequuntur venatores Flavii regis, prece Sancti protegitur; b

12 Contigit ergo familiam regis Flavii *b*, qui tunc temporis Gothorum monarchiam tenebat, prædicti loci viciniam venandi gratiâ intrare. Videntes autem cervam, quæ Dei Virum lacte paſcebat, omnibus aliis corpore ſpecieque præſtantiorem, diſcopulatis canibus hanc, contemptis aliis feris, inſequuntur. Quæ dum huc illuc que diffugiens, magis magiſque clamore latratuque premeretur, jam vitæ diffidens, ad Alumni ſui confugit aſylum. Appropinquans igitur ad introitum ſpeluncæ, querulis mugitibus cœpit à C ſancto Viro quaſi præſidium properanter flagitare. At ille admirans, quid præter ſolitum ita mugiret, foras egreſſus, canes deinde venatores audivit. Ipſam quoque cervam videns, linguam aperto ore trahentem, crebriſque ſingultibus ilia pulſantem, cognita re, flexis genibus Dominum breviter deprecatus eſt, ut quam ſibi tribuerat nutricem, conſervaret. Et ſurgens innuit * cervæ, ut mugitibus parceret. At illa vo- ** al.* imperavit ce repreſſâ juxta illius pedes accubuit. Canum verò nullus infra lapidis unius jactum eò approximavit, ſed cum ululatu longo contra venatores reverſi ſunt. Nox quoque ſuperveniens caſſo labore feſſos domum illos redire compulit.

*hinc rex ipſe cum ſuis ad venandam cervam egreditur, & Sanctus ſagittâ vulneratur: * al.* rem divinam *c*

13 Mane autem facto, omnis familia regis, prædictam cervam venaturi, in ſaltum properant. Quid plura? eodem ordine, quò pridie, caſſati redierunt. Quod dum regi relatum eſſet, rem *, ut erat, ſuſpicatus, accito Nemauſenſis *c* urbis, ubi tunc fortè erat, epiſcopo, cuncta per ordinem narravit. Tunc ſtatuto conſilio, proxima lucescente aurora, cum multitudine venatorum ac canum perrexerunt pariter rex & epiſcopus in ſaltum, prædictam rem probaturi. Motam igitur cervam inſequentes, ſicut heri nudiuſque tertius, uſque ad locum, ubi Sanctus morabatur, canibus retro, ſicut ſolebant, ululando redeuntibus, locum dumorum ac vepri- A. ANO-NYMO.
tum denſitate inacceſſibilem circumdederunt in gyrum. Unus autem incautè dirigens ſagittam, ut inde cervam expelleret, ante ſpeluncæ fores pro nutrice fortè oranti Viro Dei grave vulnus intulit.

invenitur à rege & epiſcopo Sanctus cruore aſperſus, quibus vitam ſuam narrat: d

14 Sed milites acriùs inſiſtentes, atque etiam ferro ſemitas aperientes, ad Dei Servi tandem pervenêre ſpeluncam. Videntes verò Senem *d* habitu monachili veſtitum, canitie autem & ætate venerabilem ſedere (debilitas enim vulneris adhuc cruore ſtillantis eum interim orationi parcere compulerat) cervam quoque admirantes juxta illius jacere genua *. Solus rex cum epiſcopo eum pedites adierunt, cæteris omnibus retro ſtare juſſis. Poſtquam autem illos priùs ſalutatus humiliter reſalutavit; quis & unde & cur tantam heremi ſolitudinem penetraſſet, quiſve illum tam graviter vulnerare præſumpſiſſet, percunctati ſunt. At ille poſtquam nomen ſuum & patriam adventùſque illius eò cauſam, eventum E quoque vulneris expoſuit *; illi pedibus ejus provoluti, tantæ moleſtiæ veniam poſtulabant, medicos & impenſas ſanando vulneri ſpondentes.

* *al.* enarravit

** al.* quod

medicinam curando vulneri & dona oblata reſpuit:

15 Sed Vir ſanctus & ut illis ignoſceretur, flexis genibus oravit, & alicujus medicinæ corporalis remedium ſe ſibi non adhibiturum aſſeruit. Ipſi verò plurima donaria præſentaverunt, à quorum reſpectu, nedum receptu, Ægidius abſtinuit. Admirantes igitur tantæ ſanctitatis Virum, ejus ſe commendaverunt orationibus, & mutuo valedicto diſceſſerunt. Interea ſanctus Confeſſor ſuum exteriorem hominem ſentiens inflicto vulnere aliquantiſper affligi, reminiſcens illico cælicæ reſponſionis; Virtus in infirmitate perficitur, deprecatus eſt Dominum, ut, quoad in hoc ſæculo viveret, priſtinæ ſanitati nullatenus redderetur.

at ſuadet regi conſtructionem monaſterii, quod conſtruitur, ut illud regat Sanctus:

16 Poſtea verò cœpit prædictus rex frequenter eum ædificationis causâ colloquiique voluptate reviſere, & ſanctis ejus monitis erudiri. Cúmque ſibi renuenti ſæpiùs innumeras offerret gazas, tandem monuit eum Vir Dei, ut inde potiùs aliquod cœnobium conſtitueret, in quo ſervos Dei congregaret, qui regulari monachorum profeſſione die noctuque Domino famularentur. Faciam, inquit rex, libenter, quæ * F hortaris, ſi te patrem ſpiritualem illorum rectoremque ſpoponderis. Quod onus ſanctus Ægidius diu multumque renuens, ſeſeque huic negotio plurimorum aſſertionibus argumentorum, ſicut vir theoricus, minimè idoneum præmonſtrare nitens, ad ultimum crebris petitionibus regis, & lacrymoſis etiam ſupplicationibus victus, tandem volens nolens præbuit aſſenſum. Duas igitur rex lætus ibi, Ægidio locum atque quantitatem præmonſtrante, fabricavit eccleſias, unam in honorem ſancti Petri *e*, omniumque Apoſtolorum, alteram in honorem ſancti Privati *f* martyris, juxta Sancti ſpeluncam, in qua *f* ipſe ſolus, quamdiu vixit, crebris intentus vigiliis pernoctabat.

congregatis monachis præſt abbas, & conſecratur ſacerdos.

17 Adunantur ibidem Dei ſervi directionis illius normam ſequendo, regulari monachorum profeſſione Domino famulaturi, quorum uſibus conceditur terra circumcisa monaſterium, quinque miliariorum ſpatio porrecta, eo quòd tantundem ſpatii ſanctus Ægidius, à ſpelunca ſua quadam vice digreſſus, occurrenti ſibi regi Flavio collocuturus, ut fertur, obviavit. Interea

A. ANONYMO. Vir Domini monachorum ſuorum creberrimo ſupplicique precatu, totiuſque regni primorum, nec non populorum devotiſſimo aſſenſu, ſacerdotii diademate cum honore digniſſimo veſtitur. Cujus honoris, ſed ſibi, ut veriùs dicatur, inpræſentiarum oneris, apice ſublimatus, nocturnis vigiliis, diurnis jejuniis, aſſiduiſque orationibus cœpit adeo corpus jam diu ſatis abſtinentiâ tenuatum affligere, ut, ſi cœptam modò illius vitam attenderes, tranſactam dixiſſes voluptuoſam fuiſſe.

ANNOTATA.

a Septimania *nomen eſt provinciæ, in quo locus ille ſitus, non loci illius particularis. Neque enim Acta hæc tanta ſunt auctoritatis, ut dici debeat ex nomine hujus loci ortum eſſe nomen provinciæ toti. Porrò de origine nominis* Septimania *variæ fuerunt opiniones, quæ videri poſſunt apud ſæpe laudatos ſcriptores Hiſtoriæ Occitaniæ tom.* 1 *pag.* 657 *& ſeqq.*

b *De Flavio illo Gothorum rege diſputavimus* B *in Commentario à num.* 38.

c Nemauſus, *vulgò* Niſmes, *urbs eſt antiqua admodùm & olim inter præcipuas Septimaniæ. An ibidem tunc eſſet Flavius ille, an in ejus vicinia, non ſatis definiri poteſt ex hoc ſcriptore. Vide dicta in Comm. num.* 52 *&* 53.

d *Non crediderim* ſenem *tunc fuiſſe* S. Ægidium: *neque id ipſe biographus dixiſſet, ſi magis curâſſet vera & cohærentia ſcribere, quàm mirabilia & Sancto honorifica. Etenim omnia inſinuant juvenem patriâ egreſſum: biennio moratus dicitur apud S. Cæſarium, exiguo tempore apud Veredemium, ſolus triennio. Si igitur circa annum ætatis vigeſimum quintum patriam deſeruerit, ſecundum ea, quæ retulit ſcriptor, annos non multos ſupra trigeſimum eo tempore numerare poterat. Poterat tamen venerabilis eſſe non modò ſanctitate, ſed etiam vitâ ſolitariâ, quâ corpus haud dubiè emaceratum erat, & vigor juventæ non parùm detritus, ita ut ſenior appareret quàm re vera eſſet. Hæc paucis obſervanda cenſui, ne quis ex aſſerta hîc ſenectute litem moveat contra chronologiam in Comment. datam.*

C e *Hæc nomen dedit monaſterio, quod ædificatum curâ* S. Ægidii *abundè probavimus in Comment. num.* 36 *&* 37.

f *De S. Privato epiſcopo Gabalitano & martyre actum eſt tom.* 4 *Auguſti à pag.* 433. *Sed de hac ejus eccleſia nihil invenio.*

D

CAPUT III.

Regimen monaſterii; acceſſus ad Carolum regem & reditus ad monaſterium, quod brevi ſubvertendum prædicit: iter Romam, ubi monaſterium offert Pontifici, à quo exemptionis privilegium & dona impetrat, dein redit ad ſuos: beata Sancti mors, & ſepultura.

E

Suos ſanctè regens, vocatur à Carolo Martello, * *al.* haberetur

SUbjectos quòque ſibi tam diſcreta moderatione tractabat, ut, licèt eis crucem Domini quotidie bajulandam intimaret, amore potiùs quàm timore reverendus omnibus habebatur *. Sed quis illius collegii ſtilo currente poſſet expedire fidei ardorem, ſpei conſtantiam, charitatiſque latitudinem? Igitur tantæ religionis præconium ad Caroli Franciæ *a* regis aures uſque pervenit. Qui nimis eum videre, atque illius colloquio relevari cupiens, miſit ei legatos, mandans & flagitans, ut ſe viſitare non dedignaretur. Quibus acceptis Vir Domini, in aliquo ſe illi profore credens, commodum duxit eum, ſicut mandans & flagitans precabatur, viſere. Diſpoſitis itaque fratribus, atque in itinere ſumptis neceſſariis, pergens ad regem, Aurelianis *b* hoſpitatus eſt. *a* *b*

energumenum liberat, * *al.* baſilica

19 Dum igitur in baſilicam * ſanctæ Crucis cauſâ orationis intraret, cœpit in angulo templi nequam ſpiritus per energumenum quemdam voce terribili clamare: Heu! heu! Ægidi, quanta per te tolero tormenta! quámque tua juſtitia meis eſt contraria legibus! Parce parumper, inquam, orationibus, ut hinc exeundi licentia mihi detur. Hìc enim clauſus per te crucior. Quod Dei Servus audiens, ſuæ fronti ſigno crucis impreſſo, Humani generis, inquit, inimice, diſcede. At ille dans immenſum rugitum, quem diu graviterque vexarat, hominem reliquit incolumem. Quod miraculum ſtatim circumquaque divulgatum ſanctum Ægidium antea celebrem, multo magis celebriorem fecit.

F

à Carolo benignè excipitur, cumque eo ſpiritualia miſcet colloquia, *c* * *al.* exitum

20 Deinde verò ad regem Carolum proficiſcitur *c*, à quo honorificè ſuſceptus eſt. Videns autem rex exitu * rei verum eſſe, quidquid de illo fama præconante acceperat, detinuit eum ſecum multis petitionibus per aliquot dies. Cúmque frequenter invicem de mundi deſpectu atque virtutum appetitu, & hoc genus ſermocinarentur; inter cætera fortè ſalutis colloquia rogavit eum rex ſuppliciter, ut pro ſe dignaretur orare. Fecerat namque quoddam turpe facinus, quod nemini umquam, nec ipſi Sancto fuerat auſus confiteri.

oranſque pro eodem, diſcit peccatum, quod Carolus erubuerat confiteri;

21 Proxima namque die Dominica, dum Vir ſanctus Miſſam de more celebrans, pro jam dicto rege Dominum in canone deprecaretur, apparuit ei angelus Domini, ſuper altare ſcedulam ponens, in qua deſcriptum erat ordine & ipſum regis peccatum, & Ægidii precibus ei eſſe dimiſſum *d*,

A missum *d*, si pœnitens tantùm ab illo desisteret. Adjunctum quoque cernere erat in fine, quòd quisquis sanctum Ægidium pro quolibet invocaret commisso, si tantùm ab illius perpetratione cessaret, remissum * esse sibi à Domino procul dubio crederet. Quam videns Famulus Dei, grates Domino reddidit * & officio peracto regi legendam tradidit. Recognoscens igitur rex scelus, quod fecerat, ad pedes illius procidit, flagitans ut apud Dominum suis precibus patrocinaretur. Quem Vir Domini orationibus Deo commendavit, & ne illud commissum ampliùs iteraret, interminando benignè commonuit.

d Adjunctum quoque cernere erat in fine, quòd quisquis sanctum Ægidium pro quolibet invocaret commisso, si tantùm ab illius perpetratione cessaret, remissum * esse sibi à Domino procul dubio crederet.

* *al.* permissum

* *al.* retulit

22 Evolutis ergo aliquot dierum curriculis, vix impetratâ à rege licentiâ, ad monasterium suum cum maximo honore donariisque rediens plurimis, apud Nemausensem urbem nosocomitatus; filium principis *e*, qui tunc obierat, resuscitavit. Ad monasterium deinde reversus, & ibidem aliquantùm temporis conversatus, spiritu sibi prophetiæ dictante; quibusdam spiritualibus indicavit fratribus monasterii sui ab hostibus eversionem haud longo pòst tempore futuram. Cautum itaque facto ratus cum paucis fratribus Romam perrexit, ut & suum prius adimplens desiderium, Petri & Pauli confessionem adiret, & monasterium suum Apostolico juri manciparet, ne alicujus laïcæ personæ, ecclesiasticæ religionis ignaræ, quandoque subderetur.

in reditu mortuum resuscitat; monasterii sui eversionem prædicit, Romam proficiscitur,

e

B

23 Hujus etiam decreti ab Apostolico præfixum detulit secum privilegium. Duo quoque cypressina ostia præfatorum imaginibus apostolorum insculpta *, quæ petierat ad sui monasterii decus, in pignus caritatis & amicitiæ dedit ei Apostolicus. Hæc Vir Domini divinæ gubernationi commendans, in Tyberim demitti *f* præcepit, dicentibus omnibus, qui aderant, eum delirare. At ille, peractis itineris sui negotiis, Galliam revertitur. Difficultate verò itineris fatigatus apud Cabinonem *g* triduo moratus est; ubi cuidam contracto pristinum reddidit gradum *.

ubi privilegium exemptionis impetrat: redit ad monasterium,

* *al.* imagines.. insculptas habentia

f

g

* *al.* gressum

24 Dum verò ad monasterium suum perveniisset, mox à quibusdam relatum est, duo miræ sculpturæ ostia in portu esse, sine aliquo regimine appulsa. Quod Vir sanctus audiens, lætus efficitur, atque Domino immensas grates retulit, qui illa per tantum æquoris spatium, per tot vadorum vertigines, per tot scopulorum collisiones, per tot etiam portuum applicationes, sibi illæsa gubernare dignatus fuisset. Tunc illa deferri ad monasterium jussit, & in templi liminibus ad decus præsens & necessitatem, & postmodum ad Romanæ Sedis pacti monimentum posteris erexit.

ubi duo ostia cypressina, Romæ Tiberi injecta, appulisse intelligit:

C

25 Confirmatis igitur per aliquanti temporis spatium in Dei militia fratribus, monasteriique rebus convenienter dispositis, volens Dominus emeritum jam Militem pro labore certaminum coronâ redimire præmiorum, innotuit ei per spiritum exitus sui diem imminere. Quod ille quibusdam spiritualibus fratribus indicavit, eos, ut pro se orarent, suppliciter deprecans. O miræ humilitatis, castigatæque mediocritatis * Virum, quem nec terrena depresserunt, ut jam in cælis conversaretur, nec cælestia erexerunt, ut non ab infimis opitulationem peteret. Media ergo Dominica nocte Calendarum * Septembris migravit ad Dominum, corporis absentiâ maximam relinquens mundo mœstitiam, sed felici illius in cælum receptu lætitiam. Affuerunt enim in illius transitu fideles, qui dicerent se choros angelorum audivisse sanctam illius animam in cælum cum laudibus ferentium. Succurrant ergo & auxilientur nobis, petimus, tua sancta merita, pater Ægidi, apud Dominum Deum nostrum, qui cum Filio suo & Spiritu sancto vivit & regnat unus Deus per cuncta sæcula sæculorum. Amen.

Sancti mors beata.

* *al.* Castitatisque mediocritatisque virum

* *al.* Calendas *aut* Calendis

A. ANONYMO.

ANNOTATA.

a *Nullus intelligi potest, nisi Carolus Martellus, de quo multa dicta sunt in Commentario, quem consule num. 54 & alibi.*

b Aureliani, *vel* Aurelia, *vulgò* Orleans, *urbs Galliæ satis nota est ad Ligerim flumen:* Genabum *etiam olim vocabatur.*

c *Hic locus ita exponi potest, ut ad aliam urbem profectus credatur, vel etiam, ut in ipsa urbe Aurelianensi palatium Caroli adierit.*

d *Joannes Hesselius doctor Lovaniensis in Censura historiarum impressa cap. 9 hunc solum locum reprehendit in hisce Actis. Lubet ejus censuram audire:* Vita, *inquit*, sancti Egidii abbatis non placet... Habetur enim in ea, quòd, angelo revelante, regi Francorum ad preces Egidii dimissum sit facinus magnum, quod nulli ausus fuerat confiteri, si tamen deinceps ab illo desisteret: adjunctumque fuisse in fine, quòd quisquis sanctum Egidium pro quolibet commisso invocaret, si tamen ab illius perpetratione cessaret, dimissum sibi esse à Domino procul dubio crederet. Hæc sunt contraria fidei Catholicæ, quæ ex Scripturis & solidis doctoribus docet, extra casum extremæ necessitatis sine confessione & sacerdotis absolutione nulli baptizato crimen pòst baptismum commissum dimitti. *Sic ille. Verumtamen, si nihil in Vita hac occurreret reprehendendum, nisi locus hic, quem solum reprehendit Hesselius, facile esset biographum commoda expositione ad sensum Catholicum perducere. Quippe non dicit peccatum sine confessione dimissum esse Carolo, aut dimittendum aliis, pro quibus oraret* Ægidius: *sed solùm omittit mentionem de confessione, ita tamen ut confessionem tacitè insinuet his verbis,* Si pœnitens tantùm ab illo desisteret: *vera enim pœnitentia nequit excludere voluntatem confitendi. Quin & confessionem satis clarè indicat inferiùs, dum ait:* Recognoscens igitur rex scelus, quod fecerat, ad pedes illius procidit. *Accipe igitur breviter mentem scriptoris benigniori, ut oportet, sensu expositam. Carolus remorsu conscientiæ simul & pudore agitatus rogat* Ægidium, *ut pro se oret. Sanctus Carolo prece sua impetrat spiritum pœnitentiæ, &, ut erubescentia tollatur facilius, edocetur, quodnam sit Caroli delictum, quod confiteri pudebat. Hinc Sanctus per schedulam acceptam ostendit Carolo, se illius peccati non ignarum. Carolus verò, superatâ sic erubescentiâ, & gratiâ pœnitentiæ incitatus confitetur peccatum suum, & graviter monetur à Sancto, ne illud repetat, atque absolutione donatur. Sic omnia sensu Catholico & satis naturali intelliguntur: atque ita factum revera narravit Anonymus in Comm. citatus num. 47, qui illud alteri Ægidio & Carolo Magno adscripsit. Cæterùm nolim pro facto ipso decertare, sed sufficit illud exposuisse sensu Catholico: namque Acta non merentur, ut pro certis admittantur facta quælibet in iis solis relata, aut apud eos tantum, qui Acta descripserunt.*

E

e *Si Acta satis fidei mererentur per principem intelligi posset aliquis ex primoribus vel magistratibus.*

F

f *Mira*

A. ANONYMO.

f *Mira multa narrat, ſed pauca credibilia. Neque hoc magis credibile quàm multa alia.*

g Cabinonem *habent codices plures & antiquiores. Unus habet* Cabilonem: *alter* Cabilionem; *apographa duo* Gabionem, *aliud* Cabionem. *Ratio itineris ſuadet, ut intelligamus* Cabellionem, *vulgo* Cavaillon, *quæ eſt urbs epiſcopalis in Provincia ad Druentiam flumen.* D

DE S. BOSSIANO CONFESSORE

IN DIOECESI LAUDUNENSI IN GALLIA.

J. P. Cultus; an Sanctus hic ab alio ferè ſynonymo diſtinctus.

NON POST AN. DCCCLXXXVI. *Diſtincta loci, in quo colitur, deſcriptio.*

B

Audunum, *cujus nomen Gallicè ſcribitur* Laon, *ſed pronuntiatur* Lan, *urbs epiſcopalis Galliæ in provincia Inſulæ Franciæ, archiepiſcopo Remenſi ſuffraganea, pagum habet in ſua diœceſi, in quo hic Sanctus publica in veneratione eſt, teſte P. Bollando noſtro: qui in ſcheda quadam, inter alias plures de Sanctis ad diem* 1 *Septembris apud nos aſſervatas, manu propria ſcriptam nobis reliquit memoriam* S. Boſſiani ep. *, prænotato menſe* Septemb. *ſine menſis ejuſdem die. Locum verò cultûs ſic deinde deſcribit:* In Reneville, pago diœceſis Laudunenſis ad Serram in Æliam Feræ influentem, præterlabentem Montem-cornutum & Marlam, colitur pro colicæ remedio S. Boſſianus. *Nec plura addit. Apud Caſtellanum in Martyrologio univerſali inter Sanctos ahemeros, id eſt, qui non habent fixum diem, pag.* 765 *ponitur* Botthianus, *& additur ejus* corpus eſſe honoratum ad Sancti-Vincentii Laudunenſis, *quod eſt monaſterium Ordinis S. Benedicti apud eamdem urbem. Idemne hic Bothianus cum* Boſſiano? *Videntur ſuadere ſimilitudo nominis, & loca ejuſdem diœceſis Laudunenſis, duos hîc Sanctos non deſignari.*

S. Bothianus ſeu Botianus, qui apud monachos S. Vincentii Laudunenſis,

C

2 *Mabillonius Annalium Benedictinorum tomo* 3 *ad annum* 886, *num.* 3 *de* S. Bothiani *tranſlatione ſcribens, hæc memorat:* Idem Nortmannorum furor Petræpontis in pago Laudunenſi canonicos cum corpore S. Botthiani ſeu Botiani confugere compulit ad Didonem epiſcopum, qui eos in ſuburbana S. Vincentii baſilica, tunc deſtituta monachis, collocavit. Exſtat hac de re ejuſdem Didonis charta, in qua ipſe ait, ſe cum conſenſu clericorum ac laïcorum, corpus S. Botthiani confeſſoris Chriſti, quod in ſua eccleſia ob prædictam infeſtationem ſtare quietè non poterat, cum ejus canonicis, qui huc illucque diffugiendo deficiebant ac peribant, in eccleſia ſancti Vincentii martyris collocaſſe, ubi perpetuò permanerent; eiſque res omnes, ad ſancti Botthiani pertinentes eccleſiam, aſſignaſſe, ut ex his rebus canonici, numero duodecim, neceſſaria ad victum & veſtitum habeant. " Actum Lauduno Monte-clavato anno Incarna„ tionis Domini noſtri J. C. DCCCLXXXVI, Indi„ ctione IIII, quarto Idus Maii, anno ſecundo „ glorioſiſſimi domini Caroli imperatoris auguſti, „ nepotis magni Caroli imperatoris „ ſcilicet Calvi... Rebus ſerenatis, Petrapontenſes canonici cum ſancti Botthiani corpore ad ſua reverſi ſunt: qua de re poſtea controverſia orta eſt tempore Berlandi abbatis, qui ſacrum depoſitum à Petrapontenſibus canonicis repoſcebat.

3 *Quonam autem pacto controverſia iſta fuerit compoſita, habetur è diplomate apud Marlotum tomo* 2 *Metropolis Remenſis pag.* 31, *è quo loco rem geſtam refert Mabillonius ad annum* 980, *num.* 104: Jam Ludovicus, *ait,* a Lothario patre in Francici principatus conſortionem adſcitus erat; cùm venerabilis Berlandus abbas monaſterii ſancti Vincentii Laudunenſis Alberonem ejus urbis epiſcopum obnixè rogavit, ut, juxta privilegium, quod eidem cœnobio.. Dido epiſcopus.. indulſerat, corpus ſancti Botiani in eodem loco perpetuò permaneret cum canonicis Petrapontenſis eccleſiæ, qui iſtuc cum prædicto ſacro corpore ob infeſtationem paganorum ſe receperant: ſed qui rebus pacatis, ad priſtinam ſedem reverſi erant. Verùm Adalbero.., ratus durum eſſe, ut Petræpontis municipium ſuo patrono orbaretur, nec privilegio conceſſo Vincentinos fruſtrare volens, decrevit, ut ſancti Botiani corpus in eccleſia prædicti caſtri.. remaneret; ipſa verò eccleſia cum ſuis rebus monaſterio S. Vincentii ſubjecta eſſet... His litteris, quæ chronicis notis deſtitutæ ſunt in editis, ſubſcribit Adalbero Remorum archiepiſcopus, & poſt eum ipſe Adalbero epiſcopus Laudunenſis, *prout licet videre apud Marlotum ſuprà citatum.* *ac deinde apud canonicos Petrapontenſes requievit,* E

4 *Habemus itaque ex præmiſſis tria loca diverſa, videlicet Laudunenſe monaſterium ſancti Vincentii, ac Petræ-pontem tribus circiter milliaribus Gallicis inde diſtantem, ſecundum mappam geographicam, quâ utor; adde pagum Reneville in eadem Laudunenſi diœceſi, teſte ſuperiùs Bollando, ſitum, nec non ſex circiter milliaribus Gallicis Petræ-ponte remotum: quæ loca non improbabile mihi præbent argumentum ſuſpicandi, alium in locis adeo vicinis ejuſdem diœceſeos non eſſe quærendum Sanctum, quàm* Boſſianum *al.* Bothianum *vel* Botianum; *quotidiana penè nos docente experientia, Sanctorum nomina eorumdem diverſis modis ſæpiſſime efformari. Et verò nonne fieri facilè potuit, ut publicus ejuſdem Sancti cultus à Petræ-pontanis ad Renevillanos fuerit propagatus, præſertim ſi reliquiæ aliquæ ex ipſius corpore illuc tranſlatæ ſint, vel ſola nominis fama ibidem pervulgata, aucto potiſſimùm religioſo erga eumdem Sanctum incolarum & accolarum affectu, propterea quòd eſſent experti patrocinium illius in mitigandis vel tollendis colicis cruciatibus?* *non videtur eſſe diverſus* F

5 *Neque dicas, Sanctum hunc in allegato diplomate vocari* confeſſorem, *non verò* epiſcopum, *qualem ſuperiùs appellabat Bollandus. Tametſi enim titulum hunc dignitatis epiſcopalis alicunde didicerit Bollandus, cùm Sancto illum apponat ante ſuperiorem ejus annuntiationem; eumdem tamen expreſsè non repetit in annuntiatione* *à S. Boſſiano, qui colitur in pago Renevillæ.*

A *tione ipsâ, sed dumtaxat dicit:* In Reneville .. colitur .. S. Bossianus. *Sed fac eumdem titulum ibi subintelligendum; an satis legitimè ex illo solo per vulgarem fortasse traditionem invecto, deduci potest, duos hîc esse ponendos Sanctos, quando pro unico militant congruentiæ illæ, quas antea protuli? Hoc interim boni ineſt meis conjecturis, ut, si aliquando probetur alterum ab altero distingui, de utroque sit actum in præsentia, numquam postmodùm rediturâ forsitan hoc faciendi occasione. Mense Septembri illum designabat suprà Bollandus sine die: quem quia aliunde non novi, liberum mihi censui de illo agere hoc die. De tempore mortis nihil explorati habeo, unde illud distincte determinem. Vitâ functum ante annum* 886 *colligo è calculis chronologicis num.* 3. AUCTORE J. P.

DE SS. ARCANO ET ÆGIDIO EREMITIS CONFESSORIBUS

BURGI S. SEPULCRI IN UMBRIA,

COMMENTARIUS HISTORICUS. J. V.

§ I. Origo Burgi S. Sepulcri per Sanctos ejusdem fundatores & protectores.

B E

SECULO X, UT VIDETUR. *Burgum S. Sepulcri*

Sanctis hisce suam debet originem Burgus *seu* Burgum S. Sepulchri, urbs parva Italiæ *Baudrando*, in Umbria regione, prope Tiberim fluvium, in ipso limite Tusciæ, & episcopalis sub archiepiscopo Florentino. *Quæ, ait Ughellus in Italia sacra novæ editionis tom.* 3 *col.* 195, tametsi .. hodie inter Hetruriæ civitates numeretur, tamquam quæ magni Ducis imperio pareat, re tamen vera in Umbria (*olim Olumbria, sive Umbria cis Apenninum*) collocanda est sub Apenninis montibus, à Tyberi non plus distans, quàm mille passus (à Tiferno Tiberino *seu Civitate Castelli* VIII, ab Arretio XV mill. pass. *secundum Ferrarium hac die in Notis.*) Apud antiquos scriptores nulla ejus civitatis memoria extat, quòd nulla spectabili antiquitate nobilitetur, licèt nonnulli contendant (*ut Jacobillus in Vita*) hanc ipsam esse Biturgiam, in mediterraneæ Hetruriæ civitatibus à Ptolomæo collocatam. Alii verò affirmant ibi sitam esse, ubi olim Plinii junioris villa narratur fuisse, TUSCI *appellata. Vide Cluverium Italiæ antiquæ lib.* 2 *pag.* 590, *& Flavium Blondum citatum ab Orlendio Orbis sacri & profani parte* 2 *vol.* 1 *pag.* 653. Sunt tamen, *inquit Leander Albertus in Descriptione totius Italiæ anno* 1566 *Latinè impressa pag.* 132, quibus hoc minimè probetur, quasi locorum situs & conditio nequaquam Plinianæ descriptioni conveniat. *His & nos assentimur cum Orlendio part.* 2 *vol.* 2 *pag.* 1327.

C

non est Biturgia;

2 *Perperam quoque hæc civitas cum Biturgia confunditur: Biturgiam enim, teste Baudrando, ponit. Cluverius* ad Tiberim non longè à Perusia in Septemtrionem, ubi nunc forsan CERQUETO castrum agri Perusini, *sat procul Burgo S. Sepulcri dissitum. Imò in tabula Etruriæ antiquæ ante librum* 2, *& pag* 570 *Biturgiam Cluverius collocat ad Ambram fluvium, qui in Arnum influit, inter Aretium & Florentiam.* Ortelio *autem Biturgia* nunc est CITERNA, castrum Hetruriæ, *quod Maginus tabulâ* 43 *exhibet ad fluvium Chersonam inter Aretium & Burgum S. Sepulcri, adeoque ab hoc distinctum. Nec refert, quòd in tabula Italiæ medii ævi Græco-Langobardico-Francici apud Muratorium tomo* 10 *Scriptorum Italiæ ponatur Biturgia trans Tiberim pro Burgo S. Sepulcri, forte ad conciliandam huic urbi antiquitatem: nam præterquam quod aliæ mappæ geographicæ constanter habeant Burgum S. Sepulcri, non Biturgiam, ipse anonymus Mediolanensis, auctor Dissertationis chronographicæ pro usu citatæ tabulæ, col.* CCVI *scribit sequentia:* BITURGIA, quam, cùm varii variè sentiant apud Bodrandum nulla adducta ratione, & nos cum ipso sentimus esse CITERNAM inter Aretium & Burgum S. Sepulchri, ut in Magini tab. 43. Sed cùm Burgus sit trans Tiberim in Umbria, malè sentiunt, qui volunt cum Alberto p. 88 Biturgiam & Burgum eundem esse locum; illa enim juxta Ptolemæum, qui solus ejus meminit lib. 3 c. 1, in Tuscia fuit. *Vide Ferrarii Lexicon geographicum. Cùm itaque Burgum S. Sepulcri nec vetus Biturgia sit, nec è Plinianæ villæ ruinis surrexerit; aliud ejus exordium vestigandum est.* F

sed locus ille, in quo

3 *Nullum autem certius inventum iri putamus, quàm quod Orlendius cit. pag.* 1327 *post Ughellum narrat ex Leone X, à quo primùm civitas Burgensis episcopatûs sede fuit decorata, bullâ* Præexcellenti *hac de re editâ anno* 1515 X *Kal. Octobris. Accipe ipsius Leonis verba apud Ughellum col.* 196: Sanè attendentes, quòd oppidum Burgi S. Sepulchri civitatis Castelli diœcesis, temporalis dominii excelsæ reipublicæ Florentinæ, in cujus loco ante illius constitutionem ingens erat sylva Nivea *, ob nivium frequentiam dicta, & cùm per eam iter facerent duo sancti Peregrini, Arcanus videlicet & Ægidius à sancto Sepulchro Dominico tunc abscedentes, cùm apud limpidissimum fontem, qui inibi tunc erat, aliquantulùm requiescerent, divina visione, ut dicitur, admoniti, quoddam sacellum ibidem construxerunt, & ex tunc nonnulli Christi fideles juxta sacellum ipsum aliquas domos ædificare & burgum domorum facere, & tandem multiplicatis domibus & mœnibus erectis, in * oppi-

* Nisam *vocat Baudrandus*

* *fortè id*

AUCTORE J. V.

oppidum S. Sepulchri appellatum fertur inter alia ipſius dominii oppida admodùm celebre & antiquum, ac magna notabilium & literatarum perſonarum ac incolarum generoſitate, benedicente Domino, refertum, ac in illo unum notabile & inſigne monaſterium Camaldulenſis ordinis, ſub invocatione S. Joannis Euangeliſtæ dicatum, in quo adhuc fons, & ſacellum per dictos ſanctos Peregrinos fabricatum hujuſmodi conſiſtunt, & ad cujus fontis lavacrum aquas haurientes febricitantes, divinâ operante clementiâ, interceſſione ipſorum Sanctorum liberantur *&c. Plura qui cupit de hac urbe, Ughellum conſulat & Orlendium pag.* 1328.

Sancti noſtri

4 *Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ pag.* 563 ex Annalib. Burgenſib. Ms. *Sanctorum noſtrorum peregrinationem, adventum in Italiam, Burgique originem compendio deſcribit hunc in modum:* Arcanus ex Arcadia, & Ægidius Hiſpanus anno ſal. MCDXXX Joanne XI Pont. Max. & Othone I imp. Hieroſolymam voti causâ profecti, inde Romam veniunt ad Apoſtolorum limina; quibus inviſis, ſacris reliquiis onuſti dum
B Venetias pergunt, in locum, in quo nunc Burgum S. Sepulchri civitas eſt, nemoroſum divertere eos contigit. *Sed error vel mendum eſt in tempore: nam, ut nihil dicam de Pontifice & imperatore; ab anno* 1327 *obierat Guido ſeu Vido Tarlatus è Petra mala, qui urbem munitionibus cinxerat. Vide Ughellum hic & in epiſcopis Aretinis tom.* 1 *col.* 424. *Rectiùs ait Jacobillus in Vita Italica tom.* 1 *de Sanctis Umbriæ pag.* 722: Tempore Ottonis I imperatoris & ſummi Pontificis Joannis XI anno Domini CMXXXVI. *Pergit Ferrarius:* Ibi dum tantiſper ad fontem recreantur, Arcanus ſomno correptus, vocem ſibi audire viſus eſt; Locus hic ſanctus eſt, hîc ſiſte gradum, & aram erige. Quòd cæleſte monitum prodigium ſubſequitur: nam pera, in qua erant reliquiæ, arbori alligata, ſponte ſoluta in ſublime volans, haud priùs, quàm voto, ſe ibi eccleſiam conſtructuros, facto, deſcendit. *Utrùm prodigioſus iſte perâ reliquias continentis volatus, quem mirabiliori adhuc modo Jacobillus narrat, dignus fide hiſtorica ab erudito & prudente lectore habendus ſit, vehementer ambigimus: quippe Leo X in bulla ſuperiùs memorata*
C *de eo altùm ſilet, imò nec aſſeveranter loquitur de divina viſione aut voce. Cujus autem quantæve auctoritatis ſint Annales Burgenſes & Codex ant. à Ferrario & Jacobillo citati, hactenus ignoramus; nec apud Muratorium, nec in Theſauro antiquitatum & hiſtoriarum Italiæ invenire eos potuimus: fortè quòd nondum typis excuſi ſint.*

ſacellum exſtruxêre.

5 Sacello itaque in eo loco extructo, (*addit Jacobillus*, in honorem S. Leonardi confeſſoris. *Vide* VI *Novembris*) fama ſanctitatis ipſorum pervagante, tantus cœpit eſſe ex vicinis oppidis & pagis ad eos concurſus, ut brevi nova urbs circum eccleſiam (quam Burgum S. Sepulchri placuit appellare) ædificata ſit; cui B. Arcanus nonnullos præfecit, qui eam adminiſtrarent. *Hos autem adminiſtratores Jacobillus pag.* 723 *facit Camaldulenſes:* Deſiderans, *inquit*, S. Arcanus, ut iſte burgus in ſpirituali regeretur à perſona zelo plena, vocavit P. D. Eſaiam, monachum obſervantem Ordinis Camaldulenſis, conceſſitque eccleſiam illam & habitationem ipſi & monachis ejus, qui velut curiones & rectores gubernarunt Burgi incolas multâ cum charitate & vigilantia. *Verùm quos hîc Camaldulenſes appellet, non ſatis intelligimus, niſi tempora confuderit: nam Ordo ille anno primùm* 1012 *à S. Romualdo inſtitutus eſt ſecundum Hippolytum Helyot in Hiſtoria Ordinum monaſticorum tom.* 5 *pag.* 245 *&* 246; S. Arcanus *autem, ipſo Jacobillo teſte, obiit* circa annum Domini CMLX. *Citat quidem* Hiſt. Camal., *ſed apud Auguſtinum Florentinum lib.* 1 *Hiſtoriarum Camaldulenſium cap.* 68 *pag.* 140 *tantùm legimus:* Creſcente magis indies veneratione & opinione ſacræ eremi, municipes Burgi S. Sepulchri antiquiſſimam baſilicam S. Joanni Euan. dicatam eremitis dilargiti ſunt: *nullâ* S. Arcani, *nullâ* P. D. Eſaiæ *factâ mentione. Certè non vivebat tunc Sanctus, cum eccleſiam ab eo &* S. Ægidio *conſtructam vocet* antiquiſſimam. *Imò pag.* 74 *ait ipſe Jacobillus:* Haud multum temporis effluxit poſt mortem S. Arcani, cùm eccleſia Burgi S. Sepulcri à monachis Camaldulenſibus fuit reædificata factaque abbatia celeberrima & dedicata S. Joanni Euangeliſtæ; auctuſque eſt Burgus incolarum numero, & habitatores ſubjecerunt ſeſe in regimine ſpirituali & temporali ſacræ eremo Camaldulenſi & abbati dicti monaſterii S. Joan- E
nis Euangeliſtæ: Eugenius PP. III anno MCXLVI confirmavit hanc donationem & ſubjectionem.

D

§ II. Sanctorum locus natalis, peregrinatio, tempus mortis, cultus; Ægidius à ſynonymis diſtinctus.

S. Arcanus ex Arcadia oriundus, S. Ægidius verò Hiſpanus fuit:

PAtriam S. Arcani *fuiſſe Arcadiam, tradunt Ferrarius & Jacobillus. Porrò Arcadiæ nomine loca plura appellata invenimus: eſt enim Arcadia regio Peloponneſi (hodie vulgo* la Morea) *Græciæ peninſulæ mediterranea, nuſquam mare attingens, à poëtis decantatiſſima:* Ibi aſbeſtus lapis provenit, qui aquâ accenditur & terrâ extinguitur, *inquit Ferrarius in Lexico geographico. Tum Arcadia urbs Peloponneſi in Meſſenia provincia, & in ejus ora Occidentali, inter Haliartum & Methonem. Arcadia item urbs eſt Cretæ ſeu Candiæ inſulæ, epiſcopalis in* F
ora Occidentali verſus Ciſamum. Hæc Baudrandus. Quartam aſſignat Orlendius part. 1 *pag.* 120 *his verbis:* Poſtrema diœceſeos Ægypti provincia eſt Arcadia; non illa Peloponneſi regio intima... ſed altera in Ægypto poſita, quæ ab Arcadio imperatore ſic appellata eſt. *Quænam ex his quatuor* S. Arcani *natalibus nobilitata ſit, fateri malumus nos ignorare, quàm temere conjicere. Sanctum hunc fuiſſe nobilem, Jacobillus ſcribit:* Arcanus ex Arcadia, vir nobilis; *de nobilitate ſilet Ferrarius. Ad* S. Ægidium *quod attinet, utroque conſenticute,* Ægidius Hiſpanus *fuit: quamquam aliqui* S. Arcano *conterraneum velint apud Jacobillum pag.* 724: Voluit (S. Ægidius) inde diſcedere, & reverti in Hiſpaniam patriam *ſuam*, & ſecundum alios in Arcadiam, ubi dicunt etiam ipſum eſſe natum; *ſed hoc veriſimile non eſt propter ſequentia:* indutuſque monachum Ordinis S. Benedicti, ibi vixit multa cum integritate & obſervantia, factuſque abbas, i lic ſanctè obiit. *Nullum enim Ordinis S. Benedicti monaſterium in Arcadia invenimus.*

varia loca ſacra piè viſitant.

7 *De Sanctorum peregrinatione num.* 4 *aliquid diximus ex Ferrario, nunc Jacobillum audiamus*

A *diamus, qui eamdem paulò fusiùs enarrat*: Duo sancti Peregrini, nominati Arcanus ex Arcadia vir nobilis & Ægidius Hispanus, è sua patria discesserunt & voti causâ visitatum iverunt sanctum Domini nostri Sepulcrum, civitatem Hierosolymitanam aliaque sacra loca Terræ Sanctæ; iisque piè visitatis, adepti sunt sacras aliquot reliquias è sancto Domini nostri Sepulcro & ex sacra urbe Hierosolymitana, secumque religiosè tulerunt; & profecti cum iis ad visitandas Romæ ecclesias, iter intenderunt Anconam versùs & Venetias, alia Italiæ sacra loca invisuri. Cùm perveniſſent ad quemdam locum Umbriæ prope amnem Tiberim & ad radicem Apennini montis non longè à planitie, ubi olim fuit Biturgia (*vide num.* 1 *&* 2) civitas antiquissima & Tuscorum colonia, ibi repererunt sancti Peregrini fontem prope sylvam; sentientesque se lassos & sitibundos, illic subsstiterunt & aquâ istâ se refocillarunt. Arcanus somno correptus obdormivit audivitque vocem sibi dicentem: Hic locus est sanctus & hîc consiste & relinque sacras reliquias, quas attulisti è sancto Sepulcro locisque

B sacris Hierosolymæ, & construe habitationem pro te & tuo socio: quia hoc in loco ædificabitur burgus, qui postea auctus celebris erit civitas. *Vide num.* 3. *Quæ autem suprà memorantur Italiæ urbes*, Ancon *seu* Ancona *in Piceno ad oram maris Adriatici*, *&* Venetiæ, *notiores sunt, quàm ut aliquid de iis annotandum sit.*

Ubi & quando mortui,

8 *Fundato Burgo, quod* propter repositas inibi reliquias è sacro Domini nostri Sepulcro, fuit cognominatum S. SEPULCRI, *Jacobillo teste*; cùm (S. Arcanus) aliquot annos in jejuniis, vigiliis, orationibus & aliis piis exercitationibus vitam solitariam duxisset, migraturus è vita, cùm cives ad divinorum mandatorum observantiam hortatus esset, eisque nonnulla prædixisset, obdormivit in Domino Kal. Septembris; in ea ecclesia, quam cum Ægidio ædificaverat, honorificè sepultus. Ægidius verò orbatus comite, quem loco patris habebat, in patriam (Hispaniam) reversus est: & monasticam vitam ducens factusque abbas, & ipse sancto fine quievit. *Ita Ferrarius: eadem ferè, sed aliquanto verbosiùs habet Jacobillus, mortem* S. Arcani *signans* circa annum Domini CMLX. *Castellanus autem Sanctum obiisse ponit* seculo VII: *verùm hoc cohærere nequit cum notis chronologicis initio vitæ à Ferrario & Jacobillo traditis, nempe* Joanne XI Pont. Max. & Ottone I imp.; *quas non quidem ut certas attulimus, sed tamen præferendas arbitramur, usque dum aliquid certius probetur. Major de* S. Ægidio *difficultas est: illum num.* 6 *aiebat Jacobillus Ordinis S. Benedicti monachum & deinde abbatem fuisse; at Mabillonius & Wion nusquam hujus* S. Ægidii *meminerunt. Monasticam vitam duxisse, factum abbatem & sancto fine quievisse, asserit Ferrarius; sed Ordinem, monasterium & mortis tempus non exprimit: quæ omnia proin valde obscura sunt. Nos* S. Ægidium *putamus verisimiliter defunctum esse seculo* X. *Verisimiliter, inquam, nimirum si notæ chronicæ subsistant.*

C

cultus eorum antiquus; Vita unde desumpta.

9 *Antiquum porro & celebrem esse eorum cultum, ex utroque Ferrarii Catalogo discimus: in priori quidem post Vitam annotat sequentia:* Horum diem festum hac die Burgenses celebrant, ab opere cessantes, uti urbis suæ fundatores*, & patronorum. *In Catalogo verò generali sic habet:* Burgi S. Sepulchri in Umbria Beatorum Ægidii & Arcani eremitarum, *notans pag.*

* *l.* fundatorum

347: Ex monumen. & Chron. Ms. urbis Burgen., ex quibus, cùm illac transiremus, vitam excerpsimus: hos Burgenses velut patronos, suæque urbis auctores venerantur. *Castellanus* S. Arcanum *annuntiat* seculo VII Burgi S. Sepulcri in Italia, S. Arcanus, eremita: *sed socii ejus* Ægidii *non meminit, fortasse quòd eumdem putaverit cum Ægidio Athenienſi, qui sub finem ejusdem seculi* VII *claruit. Ambos in Bulla anno* 1515 *edita, de qua suprà num.* 3, Sanctos *appellat Leo X:* duo sancti Peregrini, Arcanus videlicet, & Ægidius. *Et infrà:* In quo adhuc fons, & sacellum per dictos sanctos Peregrinos fabricatum *&c. Quin & miraculorum gloriâ in pellendis febribus illustres fuisse, haud obscurè innuit:* Ad cujus fontis lavacrum aquas haurientes febricitantes, divina operante clementia, intercessione ipsorum Sanctorum liberantur. *Ex his de immemorabili horum Sanctorum cultu satis constare arbitramur, licèt alia Martyrologia eos non annuntient. Quod attinet ad Vitam, eam sparsim ex Ferrario dedimus, intermixtis nonnullis ex Vita Italica Jacobilli. Utinam verò ipsos fontes, Annales inquam Burgenses, & Officium proprium, aliave monumenta authentica, siqua habent, videre licuisset.*

AUCTORE J. V.

E

10 *Tamayus tom.* 5 *Martyrologii Hispani pag.* 24 *hos Sanctos annuntiat* 2 *Septembris, nescimus quo auctore: in Notis enim lit.* D *solum citat Ferrarium* in Catal. General. SS. die 1 Septembr. *Quamvis autem* S. Ægidius *secundum Ferrarium & Jacobillum fuerit monachus & abbas; nullus tamen arbitretur eumdem esse cum B. Ægidio monacho & abbate S. Martini de Castañeda in diœcesi Asturicensi, de quo infrà hoc die agetur. Siquidem Beatus ille obiit circa an.* 1203, in ipsa adolescentia *monasticam vitam amplexus:* Ægidius *verò, qui cum* Arcano *colitur, post hujus obitum dumtaxat memoratur factus monachus, cùm jam adulta ætate vir esset. Præterea beatus ille non legitur peregrinatus fuisse, sed cum socio, cujus nomen interiit, in eremo degisse:* in proximis cœnobio montibus, *ait Bucelinus Menologii Benedict. pag.* 610, vitam solitariam instituit. *Adde Tamayi citati annotationem pag.* 36: Huc usque hujus S. abbatis (Ægidii) nomen ignoravit Hispania, quia in ejus historiis & chronicis nulla invenitur memoria. *Pag.* 37: De S. Ægidio verò nihil apud nostros. *Si ejus* nomen ignoravit Hispania, *si nihil de eo apud Hispanos invenerit Tamayus; ergo diversum esse oportet ab Ægidio monacho & abbate S. Martini de Castañeda, cujus utique Yepesius, Henriquez & Manriqueus Hispani omnes meminerunt, quosque videre potuit Tamayus, cùm ante ipsum scripserint. Vel si unus idemque fuerit Ægidius, quomodo prædicti auctores uti & Bucelinus citatus & Chalemotus, secessum in solitudinem B. Ægidii Sen-Martinensis narrantes, nihil de ejus in Terram Sanctam peregrinatione, nihil de Burgi S. Sepulcri ædificatione, nihil de* S. Arcano *ipsius socio memoriæ prodiderunt? Quomodo in Annalibus Cisterc. ad annum* 1203 *cap.* 8 *num.* 7 *scripsit Manriqueus, ejusdem socii nomen interiisse, quod in gemino Ferrarii Catalogo exstabat æquè celebre ac ipsiusmet Ægidii? Hac ritè perpensa satis clarè, ni fallor, ostendunt duos illos Ægidios neque in unum confundi, neque alterum in duos distrahi posse. Utriusque autem hujus Ægidii ab alio, de quo superiùs à pag.* 284, *distinctio probatione non indiget.*

S. Ægidius cum synonymis haud confundendus.

F

DE BEATO ÆGIDIO ABBATE

IN DIOECESI ASTURICENSI IN HISPANIA,

SYLLOGE.

J. V.

Beati cultus, diſtinctio ab aliis ſynonymis & elogium.

CIRCA AN. MCCIII. *Beati cultus ex Manriqueo; monaſterium, cui*

TErtius hic abbas Ægidius *eſt, quem hoc die exhibemus, cultum ejus edocti ab Angelo Manrique Annalium Ciſtercienſium tom.* 3 *ad annum* 1203 *cap.* 8 *num.* 7, *ubi hæc habet:* In eodem monaſterio S. Martini (*de Caſtañeda, aliàs de Lacu, in diœceſi Aſturicenſi*) floruiſſe feruntur duo alii viri, Ægidius, alterque, cujus nomen interiit, inſignis ſanctitatis, primùm monachi, mox jam adulti in vita cœnobitica, in eremo degentes; ubi ambo uſque ad mortem perſeverarunt. Et ſocii quidem memoria parva extat; Ægidii celebris, erecto in honorem ejus ſacello ad oppidum Caſaium, & multis illuc infirmis concurrentibus, præcipuè autem ſurdis ſanitatem optatam recepturis. Extant ſervanturque authenticè probata plura miracula, quæ Deus per hunc Sanctum operatur noſtris adhuc temporibus. *Eumdem* Beati *titulo exornant Miræus Originum monaſt. lib.* 5 *cap.* 15, *& Bucelinus in Menologio Benedictino pag.* 609. Venerabilem *dumtaxat appellat Chalemotus in Serie Sanctorum &c. Ordinis Ciſtercienſis pag.* 286: In Hiſpania venerabilis Ægidius, primus de Caſtraneda * abbas in diœceſi Aſturicenſi, vir mirandæ integritatis, qui diu ibidem inſolita ſanctitate floruit: abdicata tamen ſucceſſu temporis dignitate, quaſi emeritus miles vitam privatam & anachoreticam egit: ac tandem felici morte conſumptus, meruit inter Sanctos Ordinis Ciſtercienſis referri ab Henriqueo ad primam Septembris *his verbis:* In Hiſpania beatus Ægidius monachus Ciſtertienſis & primus abbas monaſterii S. Martini de Caſtañeda, qui ea dignitate poſt aliquot annos depoſita, anachoreticam vitam elegit, & plenus dierum, ferax meritorum ac omnium virtutum ornamentis coruſcans vivendi finem fecit, & ad cæleſtem patriam evolavit. *Tum de monaſterio notat ſequentia:* Cœnobium hoc in diœceſi Aſturicenſi conſtructum, à nigris monachis Benedictinis primò inhabitatum fuit; quibus Ciſtertienſes ſucceſſerunt: & tandem reformatis ejuſdem inſtituti Religioſis traditum, ab eiſdem uſque in hodiernum diem poſſidetur. *De ejus antiquitate conſule Mabillonium ad an.* 941, *ſeu tom.* 3 *Annalium pag.* 458.

* *l.* Caſtaneda

abbas præfuit: locus ubi colitur obſcurus eſt.

2 *Errantem Henriquezium ſequitur Chalemotus, dum* Ægidium *abbatem primum nominat, non inſpecto, ut opinor, Manriquei loco citato, ubi præterea hæc habet:* Henriquez Menologio ſuo adſcribit Ægidium prima die Septembris; ſed dum facit abbatem primum domûs, à vera traditione &, quod magis eſt, etiam ab inſtrumentis longè aberrat. *Nam ſecundum Yepeſium in Chronico generali Ordinis S. Benedicti tom.* 5 *fol.* 93 *Petro Chriſtiano, poſtquam triennio abbas fuerat, ad epiſcopatum Aſturicenſem aſſumpto, ſucceſſit in abbatia Martinus; Martino demum* S. Ægidius, qui ut vitam ageret anachoreticam, ſe recepit in ſolitudinem. *Ex quo patet Beatum fuiſſe abbatem, licèt Manriqueus id non exprimat. Idem ſcriptor aſſignabat ſuperiùs locum Beati cultu nobilem*, oppidum Caſaium *vel, ut index habet*, Caſſarum; *ſed neutrum nomen apud geographos reperire eſt. Unde conjicimus annaliſtam deſignare voluiſſe ignobile oppidulum, quod tabulæ chorographicæ non exhibent, ſitum* in proximis cœnobio montibus, *ubi Beatus, teſte Bucelino*, vitam ſolitariam inſtituit: *quod ſatis veriſimile videtur. Si quid certius de* Caſaio *aut* Caſſaro *eruditi Hiſpani ſuggeſſerint, volupe nobis erit ab eis doceri. Petiimus interim, datis ad abbatem dicti monaſterii litteris* 1 *Novembris* 1743, *Beati Vitam ſeu Acta Mss., ſi habeantur, notitiam loci vel locorum, ubi colitur, miracula item per ejus interceſſionem patrata, quæ, teſte Manriqueo citato*, extant ſervanturque authenticè probata plura; *ſed hucuſque nihil accepimus. Quare monitum volumus eruditum lectorem, præcedentia de Beati cultu Manriquei potiſſimùm fide niti.*

Annus mortis & diſtinctio ab aliis Ægidiis; elogium

3 *Annum Beati emortualem à nemine conſignatum invenio præterquam à Sigiſmundo Alberti in Catalogo chronologico-geographico de Sanctis, Beatis, ac Servis Dei Ordinis Ciſtercienſis his verbis:* B. Egidius, nat. Hiſp., mon. Caſtanedæ in diœc. Aſturicen. 1 Septembris circa annum MCCIII. *Ex quo diſtinctionem ejus ab aliis ſynonymis ſat liquidò patêre arbitramur: & quidem de Ægidio abbate in provincia Narbonenſi res per ſe clara eſt, de alio Ægidio S. Arcani ſocio probavimus ſuprà pag.* 307. *Cùm verò Acta authentica Beati noſtri non ſuppetant, elogium ejus ex Bucelino recudemus, quale illud inſeruit Menologio Benedictino pag.* 609 *& ſeq. citans Yepeſium, Auberi. Miræum, Chryſoſtomum Henriquez tom.* 2 *SS. Ord. &c.* In Hiſpania beati Ægidii abbatis beati Martini de Caſtanneda. Hic in ipſa adoleſcentia jugum Domini amplexus, ſanctiſſimo P. N. Benedicto ſub lectiſſima Ciſtercienſium noſtrorum reformatione nomen dedit; non ſolùm pietatis, ſed & eruditionis laude, juvenili etiamnum ætate ſpectatiſſimus. Abbas S. Martini in regno Caſtellæ * conſtitutus, eam dignitatem, ut erat omnibus præſtantioribus animi dotibus inſtructiſſimus, mirabiliter illuſtravit, neque monachos ſolùm ſuos, ſed ad ſe velut medicum expertiſſimum concurrentes peccatorum labe infectiſſimos, mirâ arte & benevolentiâ lucratus, verbis mellitiſſimis, & ſûi maximè exemplo, ad ſaniora revocavit, eorumdemque

* *imò* Legionis

A demque magnum numerum cælo asseruit; quin & plurimos cucullo induit, & monachos absolutissimos formavit.

4 Demum abbatialis dignitatis onere depositò, à Spiritu sancto edoctus, sectatus est ea quæ ædificant, & æmulatus charismata meliora, cum Maria optimam partem eligit, & obtenta à superioribus facultate, ut quietiùs rerum divinarum contemplationi vacaret, in proximis cœnobio montibus, vitam solitariam instituit. Ex quo autem, inquit vitæ auctor, (*nempe Chrysosto-*

ex Bucelino.

mus Henriquez lib. 2 Fasciculi Sanctorum Ordinis Cist. pag. 262) ab omnium conversatione se subtraxit, in tantum cælestium rerum contemplationi se dedit, ut præ excessu consolationis spiritualis, mente cælum conscendere, & quasi contagiis mortalitatis exutis, angelicis choris interesse videretur. Tandem autem, plenus dierum, ferax meritorum, & omnium virtutum ornamentis coruscans, vivendi finem fecit, imò veræ vitæ initium meruit, cùm sanctitatis famâ locis illis haud mediocre decus conciliasset.

AUCTORE J. V.

DE B. JULIANA VIRG ET ABBATISSA

ORDINIS S. BENEDICTI,

VENETIIS IN ITALIA.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

J. P.

B

E

§ I. Notitiæ de Beata ad nos missæ; genealogia majorum; cultus publicus.

ANNO MCCLXII. *Varia documenta ab Excell. domino Cornaro seu Cornelio collecta:*

VEnetiæ, *notissima Italiæ urbs, ac potentissimæ reipublicæ Venetæ caput, meritis ac virtutibus hujus Beatæ, nec non mirifica corporis ejus integritate post plura secula perseverante illustratæ sunt. Ibidem in monasterio SS. Blasii & Cataldi in insula Judaïca piam vitam sancta morte clausit. Quo anno sit nata, & in quibus parthenonibus vixerit, priusquam pervenerit ad dictum monasterium, narratur in Vita, ubi & de parentibus, fratribus ac sorore agitur. P. Hieronymus Lombardi S. J., die* XXVIII *Januarii anni hujus labentis* 1744 *varias de* B. Juliana *notitias Venetiis huc mitti curavit, usum se indicans singulari humanitate & incredibili diligentia,*

C *nec non peritiâ Excellentissimi Domini Flaminii Cornaro, seu Cornelio, cujus benigno ad labores nostros promovendos desiderio easdem notitias debemus, plures fortasse debituri in aliis occasionibus, ad quas se gratiosè obtulit vir nobilissimus, si in aliis Sanctis vel Beatis suppetias nobis ferre potuerit.*

Beatæ 2 *Inter alia autem debemus ei apographum ex pergameno desumptum, quod habetur in dicto monasterio, &* B. Julianæ *progenitorum arborem genealogicam exhibet. Quamquam verò in istiusmodi materiis non rarò contingat plura dici ad splendorem familiarum honorificè, quàm solidè probari possit, & historicè indagari; nobilissimos tamen Beatæ majores hìc enumeramus in fide & relatione memorati apographi. Audiatur textus:* Hæc arbor est sublimior Cedris, habet quas Libanus, Quæ poma nescit noxia, Sed ferre vitæ præmia. Hæc inclyta Teutonicaque familia Colalto * est imperialis, atque Germaniæ non Mantuæ antiquitus traxit originem; quam in multis orbis provinciis ejus meritum dilatavit. Primus venit in Italiam Rambaldus anno CMXXII: cui Berengarius Italiæ rex Lovadinam terram Tarvisio civitati proximam donavit. Rambaldus autem CMXLVIII genuit Rambaldum II, quem Otho III imperator Tarvisii comitem instituit, & Garimbertum, & Viacenum. Rambaldus II CMLXXII genuit Rambaldum III, qui castrum & abbatiam Narvesæ à Methilde uxore obtinuit, castrumque fundavit, quod appellavit Colaltum, & habitavit.

* *al.* Collalto

genealogia:

3 Rambaldus III CMXCVIII genuit Encedisum, Albertum, & Guidam. Encedisus MXXV genuit Schellam, cui Federicus * imperator tribuit piscationem in flumine Silli. Schella I MLII genuit Encedisum II, qui emit montem, super quem ædificatum est castrum S. Salvatoris, & Rambaldum IV, comitem Tarvisii ab Henrico institutum, & Volcerium Aquileyæ patriarcham. Encedisus II MLXXVIII genuit Rambaldum V, qui MCVI genuit Encedisum IV. Encedisus IV MCXXXII genuit Rambaldum VI, qui castrum S. Salvatoris ædificavit & habitavit. Rambaldus VI MCLVI genuit Schellam III comitem Rai & Musestre *, Manfredum II episc. Feltri * ac Cividalis, & Tolbertum equitem D. Scaligeri Veronæ patroni. Tolbertus iste genuit Rambaldum VII, quem senatus Venetus ditavit castro Soligheti, Manfredum III, Claram, & MCLXXXVI nostram præclaram Julianam. Itaque Julianæ nostræ genitores fuere Tolbertus I Colaltus comes Colalti, & Joanna à S. Angelo de Mantua, Ripæ-altæ comitissa in castro S. Salvatoris inter Tarvisium & Conedam civitates collocato. *His itaque à progenitoribus, ut fertur, nobiles traxit natales* B. Juliana, *secundum hanc arborem genealogicam, cujus examen relinquo aliis, ad quos familiarum illustrium eruderationes magis ex professo spectant. Sansovinus sanè in Origine familiarum Italiæ lib. 1, fol. 3 scribit pugnantia cum jam data genealogia. Nos interim ad Beatæ cultum pergamus, quandoquidem de virtutibus morumque sanctimonia, quæ vera & unica apud Deum est nobilitas, sufficienter tractabitur in Vita ejus.*

F

* *f.* Mestre *in territor. Venet*

* *opp. est in confin. Venetorum.*

AUCTORE J. P.

cultus

4 *Excellentiſſimus D. Flaminius Cornelius ſequentia de antiqua & publica hujus Virginis veneratione miſit documenta Latina :* Poſſident moniales vetuſtiſſimum quoddam altare ligneum, in quo ſimulacra plura, inter quæ præcipuè imago Julianæ radiis ac ſplendoribus circumdata, varietate refulget in octo quadratis tabellis, ejus prodigia, dum adhuc viveret, patrata exponentibus . . In primo quadrato Julianam S. Blaſius alloquitur. In ſecundo Juliana inter brachia parvulum Jeſum ſuſcipit. In tertio Juliana per Chriſtum annonam recipit. In quarto Juliana fractum monialis brachium ſignat & ſanat. In quinto Juliana juvenem à vinculis abſolvit, & illæſum abire facit. In ſexto Juliana mortua & ſepulta à populis ad cœmeterium confluentibus invocatur. In ſeptimo Julianæ cælitus per fulgura ſyderaque ſuper ipſius tumulum micantia patefit adoranda. In octavo Juliana effoſſâ terrâ exhumatur, ac integra, incorrupta, ſpecioſa in templo collocatur. His inſignibus ac imaginibus perantiquis peracutè Julianæ vita morſque beata prænarratur.

variis argumentis

B

5 *Non dubito, quin hæc ultima clauſula referenda ſit ad tabulam, cujus inſcriptionem ac narrationem Italicam inter alia documenta huc miſit laudatus D. Cornelius, hoc titulo prænotatam, qui ſic ſonat Latinè :* Ecgraphum inſcriptionis exaratæ in pergameno, affixæ ad tabulam, quæ columnæ appendi ſolet in eccleſia S. Blaſii & Catoldi Venetiis, prope altare, ubi conſervatur corpus B. Julianæ Colaltæ. *Poſt hæc ſubduntur iſta :* Hîc requieſcit glorioſum ac mirabile corpus B. Julianæ Colaltæ virginis, vitâ functæ MCCLXII die prima Septembris. *Vitæ autem ejus mortiſque, nec non mirabilium ab illa patratorum hiſtoria ſummatim exarata in dicto ecgrapho continetur, quæ inferiùs pluribus relata legi poterit in Beatæ Vita, quam dabo. Redeamus ad ſuperiores notitias Latinas :* Præterea, *inquiunt*, ligneus tumulus, qui mortuam Julianam eſt amplexus, quique in terra humida ſeptem luſtris tumulatus fuit, Julianæ mortuæ meritis mortem ſuperavit, unáque cum Juliana incorruptus evaſit, & nunc colitur ſervaturque in capella Deiparæ Mariæ virgini dicata. Præterea prædictæ moniales alterum librum habent, ubi narratur Kalendis Septembris hanc eccleſiam

C

ſolemne feſtum, Miſſam & Officium de Juliana ad altare eidem dicatum celebrare. *Hæc de feſto & Officio confirmantur è Vita Latina, quam pralo dabimus, ſub finem.*

probatus :

6 *Hiſce meritò addi debet extracta ex alio ejuſdem partheuonis pergameno*, oratio ad beatam Julianam, *uti vocatur in memoratis notitiis Cornelianis :*

Jeſu dulcis Juliana merx Chriſte,
Jeſu redemptor, da tuis famulis
Precamur humiles precibus ſolitis:
Tu conculcatis inferni jaculis,
Tu jam deletis culparum maculis,
Et reſolutis pœnarum debitis,
Tuam nobis infunde gratiam,
Fidem, pacem ac indulgentiam,
Julianæ meritis defer clementiam,
Glorioſam nobis præbe victoriam:
Plenariam cunctis largiaris veniam,
Paradiſi condones gloriam.

℣. Juliana Chriſti famula ſuccurre nobis miſeris. ℟. Ne damnemur cum impiis in adventu Judicis. OREMUS. Deus, qui B. Julianam virginem tuam, ſpreto ſæculo, ad almam devoti famuli tui Benedicti Religionem vocare dignatus es, tribue nobis, quæſumus, ut ejus meritis & exemplis dignè tibi ſervientes, cum ipſa in æterna gloria te perfrui mereamur. Per Dominum &c. *Hactenus documenta Veneta.*

D

annuntiatio in Faſtis ſacris.

7 *Rectè igitur hagiologi non pauci Beatam hanc intexuerunt Faſtis ſacris. Arnoldus Wion ita illam annuntiat hoc die :* Venetiis in monaſterio ſanctimonialium S. Blaſii de Catoldo nuncupati, in Judaica, depoſitio ſanctæ Julianæ, primæ ejuſdem loci abbatiſſæ, quem, congregato ibidem virginum collegio, mirabiliter inſtauravit, auxit & ordinavit. *Eamdem quoque tamquam ſanctam memorant Dorganius & Menardus, quibus adde Ferrarium in Catalogo generali Sanctorum, qui in Martyrologio Romano non ſunt. Caſtellanus in Additionibus & correctionibus ſuis pag. 979 addi quidem jubet* Julianam *ad finem diei primæ Septembris; verùm quia illam haud ſatis norat, minùs ei benignus fuit*, venerabilem *dumtaxat appellans. Hagiologi iidem Benedictini Wion, Dorganius & Menardus hujus abbatiſſæ inventionem referunt die* XXII *Julii; de qua etiam Ferrarius ad eumdem diem.*

E

§ II. Beneficia Beatæ patrocinio impetrata; ſcriptores, qui de illa meminerunt; Vitæ.

E pluribus favoribus

Cæleſtes favores, Beatæ noſtræ patrocinio in acerbis præſertim capitis doloribus impetratos, narrat collectio Veneta, & è variis chartis monaſterii ejus tranſcriptos indicat. Invenio autem ante illos in Mss. noſtris Cornelianis hanc præfationem : Præter cæleſtes favores, de quibus monialium antiquarum nimia humilitas non curavit catalogum recenſere, tantùm aliquot argenteæ ligneæque tabellæ ad ejus ſepulchrum affixæ conſpiciuntur, mirabilia & prodigia Domini precibus vocibuſque Julianæ narrantes : plurimæ autem extarent, ſi monialium diligentia & vigilantia adfuiſſet & adeſſet : quam ſpero futuram & profuturam ad Dei gloriam, Julianæ victoriam, & hujus inclyti cœnobii ornamentum

F

ac incrementum. Ad futurorum nihilominus memoriam quoſdam favores, noviſſimè à Deo B. Julianæ meritis (*patratos*) recenſebo.

Beatæ patrocinio

9 MDCXLIII Hieremias filius Pancratii, cognomine Brana de parochia S. Agnetis cecidit, nemine inſpiciente, in dolio aquâ ſulphureâ pleno ad ſaponem conficiendum. Pancratius accedens, videnſque puerum in dolio demerſum, tulit ac flevit illum jam cæcum, penéque mortuum; & invocatis Julianæ precibus Hieremias contra medicorum ſententiam, & vitam & viſum recepit.

MDCXLVI, VI Aprilis reverendus P. Germanus à S. Vincentio, Carmelita excalceatus, habitans tunc in hoſpitio alla Zuecca, pluries à morbo capitis per Julianæ merita liberatus; tandem mortuus, in hac eccleſia ſepultus fuit inter altare B. M. V. & B. Julianæ.

MDCXLVII, XXXI Auguſti in vigilia B. Julianæ, monialis converſa in conventu SS. Blaſii & Cataldi, nomine Bortola de Viduis, ad ſolemne jejunium adhortata, recuſavit; piſcem comedit, & protinus intentiſſimo capitis dolore ingemuit : promiſit in poſterum aquam ſolam panemque comedere

A medere in vigilia Julianæ : gratiam quæſivit, ſalutem invenit.

10 MDCLV Antonius filius nobilis Benedicti Contareno, & Barbaricæ Piſani uxoris, ſecum ipſe ludendo ſemen durum poſuit in auriculam ſuam, ſeque ſurdum reddidit, nulla juvante medicorum peritia. Juliana tamen ſuppliciter invocata integrum præbuit auditum.

impetratis

MDCLVI, XVI Julii Benedicta uxor Petri, de parochia S. Viti, in terram cecidit, caput lethaliter confregit, dicente D. Paſqualino chirurgo, vulnus inſanabile fore; Juliana verò ſanavit.

MDCLX reverendus P. Petrus Galadin dolore capitis quinque menſibus vulneratus Julianam invocavit, & ſalutem invenit.

MDCLXV In ſtatu Mediolani in villa Buſto Carolus Marcheſi, Magdalena & Paula Baſaraſa nimio capitis dolore anguſtiati, cingentes caput cingulo, qui B. Julianæ corpus tetigit, ſanati ſunt. Retulit P. Bernardus Mediolanenſis Capuccinus die XXVII Aprilis.

11 MDCLXX in Muriano Venetiarum inſula Maria Magdalena eâdem chordulâ acerbiſſimos dolores capitis refrenavit.

referuntur nonnulli recentiores :

B MDCLXXII Fr. Franciſcus de Calabria, janitor in conventu S. Franciſci de Aſſiſio, eamdem gratiam eſt conſecutus.

MDCLXXIII Vincentia Menuella, ſerva nobilis Catharini Maripetro in villa Caſal, invocatâ Julianâ dolorem nimium capitis, quo ſæpè ſæpius languebat, ſuperavit, ſedavit.

MDCLXXIII, XXX Novembris Andreas Paulo de parochia S. Nicolai dolore capitis penè deſperatus, reſtitutus, & inſanitus * chordulâ Julianæ præcinctus convaluit. *Nec à propoſito alienum fuerit nonnulla his adjungere de ſcriptoribus, qui lucubrationibus ſuis intexuerunt* B. Julianæ *memoriam; quorum unus, qui proximè hîc ſequitur, illud de ea elogium ad poſteros tranſmiſit, varia ejuſdem decora complexum.*

* *i. e.* mente captus

12 *Bernardinus Scardeonius in Antiquitate urbis Patavinæ lib.* 2 *claſſe* 6, *inter ea, quæ pag.* 119 *&* 120 *memorat de B. Beatrice Ateſtina, quam nos dedimus die* x *Maii pag.* 598 *& ſequentibus, habet iſta in rem noſtram :* Quocirca Gemmulam adire conſtituit (*Beatrix*) monaſterium . . , quod tunc temporis, pullis inde improbis monachis, fortè habitatore vacabat. Hoc igitur ex abbatiſſæ & epiſcopi Patavini conſenſu unà cum decem aliis virginibus, magno matronarum numero comitante, ingreditur : quarum unam fuiſſe legimus beatam Julianam Mantuanam ex nobili familia Rupeſcomitum * : quæ poſtea Beatricis exemplum ſecuta, Venetias profecta, deſtitutum ſimiliter S. Blaſii Catholdi monaſterium in Judaïca, congregato ibidem virginum collegio, mirabiliter inſtauravit, auxit, ornavitque. Hujus ſanctiſſimum corpus adhuc ibidem viſitur ita integrum, ut nihil deſit, non ſecus quàm ſi his proximis diebus è vita migraſſet : dictu certè mirabile, viſu tamen mirabilius. Ibidem in ejus epitaphio eam obiiſſe legitur MCCXXVI *.

* *f.* Rupecomitum

13 Et poſtea, tranſactis aliquot annis, in cœmeterio, ubi ſepulta fuerat, repertam eſſe ita incorruptam, ut quidquid priùs corpori viventis affuit, poſt tot annos ſepultæ integrum manſerit. *Ejuſdem verò mirabilis corporis figuram notitiis Venetis de Beata à ſe collectis adjunxit Excellentiſſimus D. Cornelius, quam ſecundum delineationem ab hoc illuſtri viro ad nos directam in æs incidi curavimus hoc, quo vides, modo.*



Superſunt plures alii auctores, qui de B. Juliana *meminerunt, ad quos progredior.*

ſcriptoribus

14 *Inter hos eſt Franciſcus Sanſovinus in Veneta ſua urbe Italice ibidem edita anno* 1581, *lib.* 6, *fol.* 90. *Wionum jam ſuprà citavimus, qui in notis ad hanc diem* 1 *Septembris habet obſervationes inferiùs nobis uſui futuras. Silvanus Razzi inter Vitas Italicas mulierum ſanctitate illuſtrium anno* 1602 *editas, tomo* 5, *fol.* 32 *& ſeqq. publicavit Vitam* B. Julianæ. *Adde è dictis notitiis Hectorem Belivolum, lectorem publicum Patavinum, qui Italicè Vitam* B. Julianæ *vulgavit Patavii anno* 1616. *Inter alia verò, quæ Excellentiſſimus D. collector deſignat, ex ejuſdem libri dedicatoria, ut vocant, diſcimus, Vitam hujus Beatæ à ſexaginta circiter annis deſcriptam fuiſſe (id eſt, ab anno* 1554) *utque confectum unicum dumtaxat à reverendo iſtius temporis ſacellano exemplar injuria temporum non detereret, datam fuiſſe in lucem anno* 1605; *exem-*

AUCTORE J. P. *B. Juliana*

E * *immo* MCCLXII *à multis*

AUCTORE J. P.

exemplaribus autem jam distractis, procuratam esse novam editionem, ut non frustraretur memoria posterorum tam digno opere.

laudata:

15 *Praterea tres scriptores sequentes, quos allego è dictis notitiis, Angelum videlicet Portinarium, monachum S. Augustini, qui in libro Italico, qui inscribitur Felicitas Patavina, anno 1623 Patavii impresso, lib. 9 cap. 40, fol. 480 de hac Beata etiam meminit; illustrissimum Jacobum Philippum Tomasini, Civita-novensem episcopum, in Vita Italica B. Beatricis anno 1673 Patavii excusa, cap. 13, fol. 31, ac Joannem Bonifacium in Historia Tarvisina, ibidem impressa anno 1591, lib. 6, fol. 293. Ex tot verò scriptoribus, qui Virginis hodiernæ Vitam vulgarunt vel illam laudarunt, conficitur celebritas nominis ejus.*

notitia Vitæ Latinæ, quæ hìc datur:

16 *Vitæ Latinæ, quam damus, apographum perillustris Adjutor noster huc misisse se testatur è Mss. originalibus Latinis, ejusdemque exemplar* extractum *prænotatur* è Ms. in charta pergamena existente in monasterio SS. Blasii & Cataldi Venetiarum. *Auctor est incerti nominis ac temporis. Diu tamen Vitam hanc post Beatæ obitum scriptam vel collectam fuisse, indicio est hæc clausula ad Vitæ finem:* Propterea à seculis elapsis Kalendis Septembris per immemorabilem temporis cursum de B. Juliana celebratur Missa, Officium recitatur, festumque præclarum decantatur.

B

eegraphum imaginis.

17 *Porrò præter integerrimæ mentis ejus imaginem à Vitæ scriptore expressam; in qua tamquam in speculo relucent absoluta monasticarum virtutum perfectio, & omnigenæ probitatis ornamenta; exhibere hìc etiam visum est formam externam corporis in sequenti effigie, quam ab ornatissimo D. Cornelio accepimus, & chalcographus noster ita imitari conatus est.*



Quamquam verò mihi non certò constat è documentis, quæ huc misit, an sit illa, de quâ superiùs facta est mentio num. 4; non possum tamen non cogitare, tantæ illam esse auctoritatis, ut exhiberi à nobis hìc mereatur; neque à Viro isto erudito ac prudente mittendam fuisse sine aliquo merito. En tibi nunc Beatæ Vitam, in capita & numeros à me divisam, ac notationibus illustratam. Quòd autem ejusdem auctor cùm de eadem Beata, tum de lectore fuerit bene meritus, intelligetur, ut opinor, ex narratione, quam subjicio. Etiamsi autem ejusdem Vitæ scriptor Abbatissam nostram liberaliter inducat loquentem verbis Scripturæ sacræ; non ideo tamen historia, quam narrat, substantia censeri debet suspecta fidei: habet enim in hac re antecessores plurimos biographos probatæ etiam fidei, qui Vitis Sanctorum satis frequenter immiscuerunt verba sacra, materiæ suæ ac fovendis in lectore piis affectibus accommodata; quæ dum legit prudens lector, cogitare potest, non tam à Sanctis dicta esse illa omnia, quàm dici potuisse pro argumenti convenientia. D

VITA

auctore anonymo E

è Ms. membraneo monasterii SS. Blasii & Cataldi Venetiis.

CAPUT I.

Illustres Beatæ natales; vita monastica.

Parentes, & annus natalis:

MOnasterium monialium D. Patris Benedicti congregationis Cassinensis, sanctis Blasio & Chattaldo dicatum *a*, fundavit anno MCCXXVI virgo mater monialis Juliana Collalto *b*, orta *c* MCLXXXVI, & interita * MCCLXII, cujus pater fuit Tolbertus primus capitaneus equorum ad nutum prænobilis domini Scaligeri Veronæ patroni *d*: mater verò Joanna à S. Angelo *e*; fratres Mamphredus & Rambaldus VII, cui benemerito sereniſſimus Venetus senatus castrum Soligheti donavit, soror autem unica fuit Clara, quæ virgo vixit & revixit, obiit & abiit. Hæc Juliana Collalto MCLXXXVI nata, duplóque lustro in Religione renata in conventu S. Margaritæ erecto super collem nomine Salarola *f*, Estensi *g* castello proximum, Patavinæ diœcesis *b*, MCXCVI claritate divini luminis, spretâ pompâ mundani culminis, confortata, Puella affabilis, vestem sprevit veteris hominis, sponsum duxit æterni numinis, & divi Benedicti monialis effecta est.

a
b c
* *i. e.* mortua
d e
F
f
g
h

fit monialis Salarolæ,

2 In hoc eodem Salarolæ cœnobio monialem habitum sumpsit MCCXX Beatrix *i* virgo annorum XIV, in castello Estensi nata, domini Azi *k* primi marchionis Este, ac Leonoræ Sabaudiæ comitissæ *l* filia, quæ octo supra decem mensibus elapsis, ex Salarolæ conventu ob strepitus militares relicto, de consensu D. Jordani Mutinæ, episcopi Paduæ, MCCXXII ad conventum, desertum locum, quem monachi reliquerant in Gemola *m*, Euganeo monte plantatum, Este proximum, rumore furoreque spoliatum transivit, consulto D. Azo secundo *o*, Beatricis ejusdem fratre,

i
k
l
m
n
o

A tre, qui conventum ac eccleſiam illam D. Joanni Baptiſtæ dicatam reparavit, exornavit.

3 Inter decem moniales *p* Virginis, verbo & exemplo Beatricis ad antra deſerti Demolæ teneris ſub annis tendentes, una fuit noſtra Juliana. Inter montes uberrimos, ſive colles Euganeos, ad quos antiquitus mare Adriaticum pertingebat *q*, Patavio præclaræ urbi proximos, Demola florida emicat paſcuoſa. Juliana igitur MCCXXII de Salarola in Demolam venit ætate florens, annorum XXXVI, ibique in cælum rapta MCCXXVI venerabili Beatrice, Juliana annis XL ornata, onerata, per divum Blaſium epiſcopum Sebaſte, martyremque *r* monita, de Demola venit Venetias, & ſuper inſulam, tunc Capo de Spina longa *ſ*, nunc autem Ponta della Zuecca *t* vulgò appellatam, monialium conventum, Veneto annuente Senatu, plantavit, ubi eccleſia ſanctis Blaſio & Cathaldo *u* dicata, nec non hoſpitium ad hoſpitum ſolatium, quod Religioſi patres *x* cuſtodiebant, erectum intuebatur.

4 Namque antè milleſimum familia Pianiga, cujus patria extitit Aquileia, & familia Capuana, cujus patria Capua, & familia Agnus Dei, cujus patria Altinum, Venetias venêre, atque patritii Veneti Pianighi anno MLXXXVII; Capuani MXCVII; Agnus Dei verò MLXXXIII electi fuere. Omnes hæ tres familiæ in eadem inſula domicilium habentes, unanimi conſenſu eccleſiam, & hoſpitium prædictum erexêre. Quam eccleſiam Vitalis Michaëlius ep. Caſtellanus *y* MCLXXXVIII *z*, die VI Novembris in feſto S. Leonardi *aa*, ad cultum divi Blaſii martyris ſacravit ac indulgentiis ornavit, regnante Papa Clemente tertio *bb*, & D. Aureo Maſtropetro, inclyto Venetiarum Duce, ac reverendo D. Philippo cum aliis, qui in eodem loco, ſupra canale Dorſi duri poſito, die noctuque Domino famulabantur.

5 Eccleſiam eamdem in anniverſario dedicationis amplioribus indulgentiis ditavit Fortunius patriarcha Gradenſis *cc* MCCCLIII *dd*, ut marmoreum epitaphium in eccleſiæ atrio legendum apparet. " F. H. Dei gratiâ ſanctæ Gradenſis eccleſiæ patriarcha & Dalmatiæ primas, omnibus Chriſti fidelibus ſalutem, & gratiam in Domino. Univerſitati veſtræ notum fieri duximus, quòd venerabilis frater noſter Vitalis Michaëlius, Caſtellanus epiſcopus, ad petitionem dilecti filii admodùm reverendi Philippi presbyteri, & aliorum, qui in hoſpitio poſito ſupra canale Dorſoduri die noctuque Domino deſerviunt, pro ſui officii debito anno Domini MCLXXXVIII menſe Novembris die ſextâ in feſto S. Leonardi tempore D. Aurei Maſtropetri, inclyti Ducis Venetiarum, eccleſiam ibi ôpificatam, invocatâ Spiritûs ſancti gratiâ, ad honorem Domini, & in memoriam B. Blaſii martyris dedicavit, & eis, qui prædictæ eccleſiæ eleemoſynam facerent, vel mitterent, centum dies de injuncta eis pœnitentia relaxavit. Nos verò de miſericordia Jeſu Chriſti, & beatorum martyrum Hermacoræ, & Fortunati *ee* meritis, cuique, qui in anniverſario dedicationis, vel tribus diebus antè, vel tribus pòſt, eamdem eccleſiam contrito animo devotè & humiliter viſitaverit, de injuncta pro criminalibus pœnitentia decem dies duximus indulgendos: & illud indulgentiæ, quod viſitantibus eccleſiam hanc annuatim indulſimus, in poſterum à memoria hominum illibatam remiſſionem, quam fecimus, auctoritate patriarchali confirmamus, eamque ad perpetuam memoriam futurorum in ſcriptis duximus redigendam ".

6 In hoc terreno polo, ſereno ſolo, amœno cælo, favente Deo, favente Blaſio, Cathaldo favente unà cùm prænarratis familiis, vixit Juliana noſtra, ſpeculum caſtitatis, norma probitatis, lucerna lucens ante Deum, & ſuper candelabrum poſita, ut luceret omnibus, qui in domo ſunt: cujus lumine tot virgines in Dei ac proximi charitatem flagrantes, terrea blandimenta, caduca gaudia reſpuentes, ſurſum tollentes corda, percupientes ſummam cæli lætitiam, immenſam Dei gloriam adamantes, vicerunt mundum, vicerunt hoſtes, regna vicerunt, atque lutulentis calcatis prædiis præliantes, lampadem fulgentem inter dæmonis aſtutias, & hominis argutias die diuque tenuêre, retinuêre: cujus ardore tot ancillæ Domini cæleſti gratia imbutæ, indutæ, perenni amore Agnum ſponſum virginum dilexêre: cujus oves tot cælibes humanitatem cum humilitate indiſſolubili nexu copulantes, hominem ab humo derivari, dictiſque factiſque docuêre. Cujus radii tot familiarum corda ardoris ac amoris gladio vulneraverunt, ut filiæ plurimæ, divini roris incendio angelorum vitam æmulantes, vigiliis ac jejuniis, flagellis ac ciliciis, paupertate ac puritate, cunctiſque virtutibus, & urbem, & orbem perluſtravere: cujus aquâ adoleſcentulæ tot novo lavacro mundi oblectamenta dolentes, divitias & delicias fumoſas & famoſas, ſcurilia * bona, dona nobilia depellentes, dixêre Julianæ matri ſuæ: Aſperges me, Domina, hyſſopo & mundabor, lavabis me, & ſuper nivem dealbabor: atque immundi mundi ſpretis pompis, mundanis calcatis opibus, conculcatis operibus, cælibem vitam, arctam vitam, nobilem vitam, albam vitam duxêre, canentes & pſallentes cæleſti Sponſo gloriam, triumphum & victoriam: Agnum ſponſum virginum amemus hilares, adoremus humiles Dominum Jeſum Chriſtum.

A. ANONYMO. *quodque B. Juliana virginibus multis exornat.*

E

* *f.* ſervilia

ANNOTATA.

a *Sanſovinus in Venetâ ſuâ urbe lib. 6 fol.* 87 *ſcribens de ultimo urbis Venetæ tractu, cui nomen* Dorſoduro, *indita eidem appellatione à forma inſulæ, quæ ſcopuli inſtar figuram dorſi referebat, ultimam hanc civitatis partem fuiſſe dicit, quæ inhabitata fuerit: deinde fol.* 90 *ad extremitatem inſulæ Patavinam portam verſus jacere templum SS. Blaſii & Catoldi, vulgò dictum* Catoldo. *Ad hæc, ibidem etiam agit de eccleſia S. Jacobi in inſula* della Judecca, *id eſt,* Judæicæ; *unde intelligitur vulgare loci nomen.*

F

b *Conſuli poſſunt quæ habentur in Comment. prævio num.* 3 *de familia comitum Collaltorum. Wionus in notis ad* 2 *Septembris obſervat iſta:* Res ejus geſtas partim deſcribunt Bernardinus Scardeonius in Hiſtoria Patavina lib. 2 claſſe 6 (*pag.* 119) & Joannes Bonifacius in Hiſtoria Tarviſina lib. 6, fol. 293 (*quem non vidi*) diverſimodè tamen. Ille enim Mantuanam facit ex nobili Rupæcomitum familia: iſte verò in agro Tarviſino ex illuſtri Collaltorum ſtirpe progenitam affirmat: quæ opiniones etſi inter ſe videantur diverſæ, ambæ tamen veræ ſunt, ut ex tabella Ms., quæ ad altare ipſius Sanctæ, *ut Beatam noſtrum vocat Wionus*, liquet. *Apographum noſtrum prædictæ inſcriptionis, de qua memini in Comm. num.* 5, *ex Italico ſic ſonat:* Hic requieſcit glorioſum ac mirabile corpus beatæ Julianæ Collalto . . ., ex Tolberto Collalto, & Joanna Mantuana comite Ripæ-altæ *in lucem edita.*

A. ANONYMO.

c In caſtello S. Salvatoris prope Conogliaanum, *ex inſcriptione Italica, quam indicavi modò.*

d *Dictionarium Morerii auctum, editionis decimæ octavæ & noviſſimæ tomo 3 lit.* E, *à pag.* 122 *varia ſcribit de iſta familia, eamque ultra annos centum ac viginti urbis Veronenſis dominium poſſediſſe memorat. De origine iſtius domus vario modo loqui auctores obſervat, ſed omnes ferè agere vel ex immoderato affectu, vel ex malitia, vel ex proprio emolumento; conſtare, quòd Balduinus Scaliger anno* 1101 *ſpectatæ fuerit ſcientiæ apud Veronenſes; ejuſdemque ſucceſſores ibidem potentiſſimos exſtitiſſe: de quibus plura ſubduntur. Balduinus ille potuit eſſe idem, de quo hîc Vita, ſi tempus ſpectes.*

e *In Comm. num.* 3: Joanna à S. Angelo de Mantua Ripæ-altæ comitiſſa *&c. Hanc non novit Razzius ſuprà citatus, de illa nihil diſtinctè & affirmatè aſſerens ſingillatim, ſed credendum cenſens, è divite ac nobili familiâ natam fuiſſe.*

f Salarola, *parthenon Ordinis S. Benedicti, in agro Patavino erat: de quo loco notitias ulteriores in promptu non habeo.*

g Eſte, *Latinè* Ateſte, *oppidum eſt Venetæ ditionis in agro Patavino, ad Medoacum minorem fluvium, prope Euganeos montes. Hinc dicti principes Ateſtini ſive Eſtenſes, Ferrarienſi Ducatu diu potiti, nunc Mutinenſes & Regienſes duces. Eorum ſeries genealogica datur apud Morerium citatum pag.* 156 *&* 157.

h *Patavio diſtat milliaribus* 12, *ex dimenſione Baudrandi.*

i *Pro ſequentibus conſuli poſſunt quæ ex monacho Patavino & Scardeonio apud nos dicta ſunt de B. Beatrice Ateſtina ad diem* 10 *Maii, tomo* 2 *ejuſdem menſis pag.* 598 *&* 599 *& ſeqq.*

k *Apud ſupra allegatum Morerium à pag.* 155 *ponitur Azo I dominus Eſtenſis, quem nonnulli Albertum nominarunt. Hunc ſub iſto dumtaxat nomine forſan invenit ſcriptor vel collector Vitæ, & ideo* Azonem *vocavit primum, qui eſt ſecundus apud Morerium.*

l *Ibidem dicitur prima Azonis II uxor fuiſſe Leonora, Thomæ I Sabaudiæ comitis, ac Beatricis Genevenſis filia; ex eaque habuiſſe Aldobrandinum, Ferrarienſem & Anconenſem marchionem, veneno ſublatum anno* 1215; *& Beatricem hujus ſororem, de qua nos hîc agimus. Uxor dicti Azonis ſecunda refertur ibidem obiiſſe ante matrimonium conſummatum, nomine* Marcheſellâ; *tertia* Eliſa, *Ludovici comitis ſancti Bonifacii filia. Quomodo itaque B. Beatrix* Accii Eſtenſis ex ſecunda uxore filia *dicitur à Scardeonio apud nos tomo ſuprà citato pag.* 599? *Corrigendus etiam eſt annus, quo apud Morerium ſcribitur obiiſſe Beatrix iſta ſoror, & pro* 1262 *ponendus eſt annus* 1226.

m Jordanus Mutinenſis *laudatur apud Ughellum tomo* 5 *Italiæ ſacræ col.* 423 *&* 424, *& ſcribitur electus epiſcopus anno* 1214, *mortuus* 1228.

n *Al.* Mons-Gemellus, Gemmula: *de cujus ruina apud nos tomo ſuprà deſignato lit.* i *ſunt iſta pag.* 602: Quid autem nunc Gemmulæ? Locus ille prorſus deſertus jam atque ſemirutus, poſt diſceſſum ſacrarum virginum, alienatus ab eis, circa annum MDCL poſſidebatur à mercatore quodam lanario Veneto Dominico Filoſo, cui nulla ejus conſervandi erat cura. Itaque eccleſia, omni ornatu omnique inſtrumento ſacro deſtituta, ſquallet, diſſipatis hàc illac ſedilibus chori, tribuſque altaribus ægrè ſervantibus conſumptarum ferè tabularum reliquias *&c.* D

o *Azo II, ex dictis ſuprà lit.* l, *è primo matrimonio habuit Aldobrandinum & B. Beatricem; ſecundum non fuit conſummatum: ex tertio autem cum Eliſâ, uti refertur apud Morerium pag.* 156, *Azonem III, qui Beatæ jam dictæ frater ſecundus fuit.*

p *Nominantur apud nos tomo* 2 *Maii, pag.* 601.

q Sciendum eſt, *ut obſervat Ughellus tomo* 5 *Italiæ ſacræ columnâ* 1159, æſtuaria longè ampliora initio fuiſſe, quàm poſtea fuerint, aut ſint noſtra tempeſtate. Namque ab urbe Aquileia Ravennam uſque paludes erant, & alibi XXX, alibi XXV aut XX aut XV paſſuum millibus ab inſulis ad continentem ſpatii erat, & Ravenna, Aquileia, Concordia, Opitergium, Altinum, Patavium, maritimæ civitates erant: quæ modò omnes fluviorum adfluentium, atque arenas in declive ex montibus ducentium adaggeratione, mediterraneæ factæ ſunt, ac magis minúſve à mari pro magnitudine vicinorum amnium receſſerunt. *Plura deinde ſubdit idem auctor; ſed hæc in rem noſtram ſufficiant.* E

r *Acta ejus illuſtravimus die* 3 *Februarii pag.* 331 *& ſeqq.*

ſ *Id eſt*, promontorium Spinæ longæ.

t *Id eſt*, cornu Judaïcæ *in mare progrediens.*

u *De S. Cataldo epiſcopo Tarentino vide apud nos ad diem* 10 *Maii.*

x *Quales iſti Religioſi fuerint, hactenus mihi non conſtat.*

y Epiſcopatus (*Venetus*) triplici nomine de cauſa nuncupatus fuerit. Primùm Olivolenſis, ab olivis in hac inſula olim conſitis; poſtea Caſtellanus, & Eccleſia S. Petri in Caſtello, à loci munitione; poſtremò Venetiarum, ab epiſcopi juriſdictione, ac domicilio Venetæ gentis, in hac & vicinis inſulis conſtituto, *ex Ughello ſuperiùs deſignato, col.* 1253.

z Vitalis Michaël Venetus, hujus nominis cognominiſque ſecundus, Vitale Michaëlio Duce Venetiarum, Caſtellanus epiſcopus renuntiatus eſt . . anno . . . MCLXIV . . . Præfuit . . ad annum Chriſti MCLXXXI, quo, teſte Dandulo, hac mortali vita exemptus eſt, *ex Ughello jam citato col.* 1322 *&* 1323. *In Danduli autem Chronico inter Rerum Italicarum ſcriptores, typis Mediolanenſibus in lucem editos, tomo* 12 *col.* 310 *ſunt iſta:* Anno Ducis quarto Vitalis Michaël Caſtellanus epiſcopus vitâ ceſſit. *Quibus præmittuntur hæc col.* 308: Aureus Maſtroperto Dux publicatur anno Domini MCLXXVIII. *Prædictus itaque præſul obiiſſe videtur anno* 1182, *non autem* 1181. *Hoc confirmatur in noviſſima editione Veneta Ughelli col.* 1246. F

aa *De illo agendum erit cum Martyrologio Romano ad diem* 6 *Novembris.*

bb *Repugnat tempus iſtius Pontificis, quo minùs ſub ipſo hæc facta fuerint, ſecundum mox notata lit.* z: *cùm ſedere cœperit Clemens PP. III anno* 1188.

cc Fortunerius Vaſellus *nuncupatur apud Ughellum tom.* 23 *Ital. ſacr., & creatus patriarcha Gradenſis anno* 1351, 3 *Kal. Junii, ſcribitur columnâ* 1217 *&* 1218; *at* XIII Kal. Junii *eodem anno apud Baluzium in Opere Vitarum Pontificum Avenionenſium, Romæ anno* 1700 *proſcripto, ubi varia alia de ipſo notat columnâ* 951 *& ſeqq.*

dd *Hinc*

A dd *Hinc colligitur, Vitam hanc non esse conscriptam ante istum annum; quin immò longè seriùs id factum videtur. Vide Commentarium prævium in fine.*

ee *De his sanctis Martyribus Aquileiensibus actum est die 12 Julii pag. 249 & seqq., ubi & de Aquileiensium vicissitudinibus.*

CAPUT II.

Vitæ monasticæ perfectio; constans patiendi desiderium; facta Beatæ apparitio; miracula.

Eximiæ HÆc igitur fœcunda secunda mater S. Juliana, parens sterilis defectu, affectu fertilis; hæc, inquam, est virgo sapiens, quam
B Dominus vigilantem invenit; quæ, acceptâ lampade, sumpsit oleum, &, veniente Domino, introivit cum eo ad nuptias in æterna clausura, in terreno cælo, sublunari paradiso; ibique mundana respuens, divinis perfruens, terrestria evomens, cælestia devorans, poma nova & vetera in hoc divinæ voluntatis, voluptatis viridario, monasterio plantavit: poma vetera, quia vetustam D. patris Benedicti erga Deum ac proximum charitatem docuit, uti decuit, & habuit, uti patuit: poma nova, quia recentes atque prudentes natalibus & moribus illustrissimas virgines genuit & aluit, docens & dicens: Prudentes virgines aptate lampades vestras, ecce sponsus venit, exite obviam ei. Pangamus etenim Deo nostro gloriam, qui nobis virginibus talem dedit victoriam, ut carnis calcemus desideria, in perenni hæreamus candore, & ad regna cælestia perveniamus: cui quævis filiæ hilari vultu, aspectu alacri, humili corde responsum dedêre: Regnum mundi, & omnem ornatum sæculi contempsi propter amorem Domini mei Jesu Christi; quem vidi, quem amavi, in quem credidi, quem dilexi: ipsi sum desponsata, cui angeli ser-
C viunt, cujus pulchritudinem sol & luna mirantur: ipsi soli servo fidem, ipsi me tota devotione committo: quem cùm amavero casta sum, cùm tetigero munda sum, cùm accepero, virgo sum.

8 Propterea Juliana, vera Christi pedissequa, *virtutes B. Julianæ,* sancto sumpto habitu, ingenti cum fervore Jesu Christo studuit servire in timore, crucemque animo libenti bajulans, patientiam & pœnitentiam, puritatem ac paupertatem, silentium & cilicium, inedias & vigilias; orare ac meditari, semper pati, semper perpeti, docebat Filias, & dicebat: Exemplum dedi vobis, ut, quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis. Propterea humi cubabat, pisces tantùm edebat, rudi panno membra domabat: in gelu ac æstu, in calore ac frigore unicam solamque tunicam induebat, potabat aquam, Deum pro se suisque gentibus impræter-missè gemitibus exorabat. Propterea dieque noctéque jugibus lacrymis deplorans inferni colubrum vexavit, & ad obloquendum excitavit. Mulier quid ploras? quem quæris? Defecerunt præ lacrymis oculi tui, ô incauta fœmina! Et
a responsans *a* Juliana: Intuentibus Deum visio deficere nequit; coluber evanuit delusus, confusus. Propterea tenebrosus draco Julianam

post Matutinum lacrymis plenam intuens, consolabatur & lacrymam in lætitiam, luctumque in gaudium vertere hortabatur: Ne mens perturbetur, ac in insaniam gravata gemitu perducatur. Cui aiebat Virgo: Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum: proinde tribulata acriter tentamentis satanæ, vexata fortiter blandimentis Accaron *b*, Christum clamans dulciter, læsa fuit à nemine. A. Anonymo. *b*

9 Propterea, deficiente pane, conquerebantur moniales flentes, & aientes: Quanti mercenarii in domo Patris mei abundant panibus, ego autem hîc fame pereo: easque solabatur ancilla Christi Juliana, respondens: Surgam, & ibo ad Patrem meum, & dicam ei: Pater, peccavi in cælum, & coram te, jam non sum digna vocari filia tua præ multitudine iniquitatis meæ. Oravit, postulavit, impetravit: & ecce homo, cophinum plenum panibus prompte portans, & pulsans: qui distribuit, & evanuit. Propterea, quoniam tunc insula, super quam monialium conventus intuetur plantatus, undique aquâ circumdabatur, solumque per aquam & cymbam ad earum iter patebat ecclesiam; in illa nocte, in
B qua, toto orbe in pace composito, Verbum caro factum est, & de Virgine Deus nasci dignatus est, canentibus angelis, Gloria in altissimis Deo; canale illud sive colens magnalia Dei, sive celans mirabilia Dei, nescio, Deus scit, nimio furore, rumore nimio repletum, undisque ventisque præcinctum, rugiens & rapiens, nec sacerdoti accessum ad Sacrificium celebrandum, & monialibus Sacramentum conferendum, nec illis recessum, ut alibi cælestia mysteria venerari & meditari * permisit. *celestibus favoribus*

10 Quid interim faciet Juliana virgo, colendi & comedendi parvulum Jesum benedictum desiderio flagrans tôt inter laqueos domesticos pariter ac extraneos? Stare domi minùs devotum; foràs egredi minùs securum. Tot inter dubia ad orationem Virgo confugit, eximium virginitatis florem illi ipsi commendans, cujus mater Virgo est; cujus Pater fœminam nescit. Nec fideli Sponsæ defuit Sponsus ipse fidelis. Angelus enim puerum Jesum deferens apparuit; & ad moniales ait: Annuntio vobis gaudium magnum, quia natus est vobis hodie Salvator mundi: & hoc vobis
F signum: ecce, Juliana, parvulus Filius de Virgine natus, & mundi Redemptor. Quem Abbatissa suscipiens in ulnas suas, benedixit Deum, & dixit: Nunc dimittis, Domine, servam tuam in pace, quia viderunt oculi mei salutare tuum, quod parasti ante faciem omnium populorum, lumen ad revelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Israël: &, Tunc populus gentium, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam: habitantibus in regione umbræ mortis lux orta est eis: & tunc facta est cum angelo multitudo terrestris exercitus laudantium & dicentium: Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.

11 Et tunc omnes cantarunt virgines: Puer natus est nobis, & Filius datus est nobis: apparuit enim gratia Dei, & Salvatoris nostri erudiens nos, ut abnegantes impietatem, & sæculária desideria, sobriè, justè & piè vivamus in hoc monasterio: etenim non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvas nos fecit. Propterea devota fœmina, cujus filius in carcere detentus, & ad interitum per judices innocenter damnatus, enixè Julianæ intercessionem flagitans, & filium con-

* *f. addidum* possent, *à Deo honoratæ.*

A. ANONYMO. cupiens incolumem, intempestivè solutis vinculis, sedato judice, aperto carcere juvenem filium liberum suscepit. Propterea unâ defunctâ moniali conversâ, ceteræ sorores volventes lapidem; ut sepulturæ traderetur cadaver, erraverunt, lapisque cecidit, uniusque monialis brachium confregit. Adstantibus ac lugentibus cunctis inquit Juliana: Constantes estote, videbitis auxilium Domini super vos. Genuflexa, mente stabilis occupatur in Dei laudibus, contemplatur devota & humilis, lacrymosis orationibus deprecatur, & charitate fit exaudibilis: dum precatur curvatis genibus infirmæ brachium tetigit, lacrymis lavit, cruce signavit, protinus sanavit. Excellentem Dominum benedicant singuli, dum Julianæ lacrymis liberantur languidi.

ANNOTATA.

a *Est Nominativus pro Ablativo absoluto, ut vocant.*

b Accaron 1. *urbs & satrapia Philistinorum, ad mare Mediterraneum inter Azoth & Jamniam, in sacris Litteris nota. Primum vero Accaronitarum numen erat idolum Muscæ, seu Beelzebub.* 4 *Regum cap.* 1, ℣ 3: Numquid non est Deus in Israël, ut eatis ad consulendum Beelzebub, Deum Accaron? *Et Lucæ* XI, 15: Quidam autem ex eis dixerunt: In Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia. *Biographus itaque per vocem* Accaron *significat dæmonium, sicut patet ex sensu.*

CAPUT III.

Pia mors; corpus mirificè incorruptum; ejusdem translatio; cultus.

Ad Sponsum a

C PRopterea meritis annisque plenam, ætatis LXXVI, Domini autem MCCLXII *a* ad supernæ vocationis præmium accensam Julianam cælestis Sponsus undique affecit dolore, ac summopere in capite vulneravit, ut cuncta langueſcerent membra (dum caput dolet, omnia membra languent:) & ut lethali vulnere consumpto mortali corpore purior ac splendidior, micans meritis, illustrans exemplis Julianæ spiritus æterna requie frueretur. Nec Juliana tot inter vulnera, tot inter verbera querebatur, quærebat potiùs, & aiebat: Sponse Jesu, veni Christe, dona crucem, transfige me, crucifige me: hîc ure, hîc seca, ut in æternum parcas, tecumque bibam calicem, tecumque vitam cælibem, in solo lugentem, in cælo fulgentem adipiscar. Etenim, Domine, probasti me, & cognovisti me, tu cognovisti sessionem meam, & resurrectionem meam. Quò ibo à spiritu tuo, & quò à facie tua fugiam? Tu possedisti renes meos, suscepisti me de utero matris meæ: proba me, Deus, & scito cor meum, interoga me, & cognosce semitas meas, & vide, si via iniquitatis in me est, & deduc me in via æterna.

cælestem adspirans 13 His viribus armata, virtutibus ornata Juliana lectas cunctas lætificabat Filias, flagitabat veniam, concordiam commendabat: Diligite, Filiolæ, alterutrum, quia præceptum Domini est, & si solùm fiat, sufficit, quia Christus dilexit nos, & lavit nos à peccatis nostris in sanguine D
suo. Ore, corde & opere ejulans, sibique crucem bajulans, exiliens, Sponsique vocem audiens: Veni de Libano, sponsa mea, amica mea, columba mea, formosa mea, veni coronaberis; divinum Christi Corpus, quod sacerdos devotè obtulit, ex tota mente, ex toto corde, ex tota anima, & ex cunctis viribus amavit, adamavit, salutavit dicens: Salve salus mundi, Verbum Patris, Hostia sacra, viva caro, Deitas integra, verus homo. Iterum salve viva Deitas, viva humanitas, æterna bonitas, æterna pietas, summa sapientia, summa potentia.

piè moritur & corpus 14 Iterum salve tu, mea redemptio, portio mea: tu solus es, tu mea consolatio, delectatio mea, tu solus es; tu mea jubilatio, salvatio mea, tu solus es: in te tota fiducia mea, in te tota lætitia mea, in te tota fidentia mea; purifica me & vivifica me, dilige me, & dirige me, sana me, & salva me; quia tu solus virtus mea, vita mea, Deus meus incarnatus, ut detergantur flagitia mea; sacramentatus, ut deleantur facinora mea, salus mea tu solus es. His dictis, Kalendis Septembris in manus Sponsi reddidit spiritum anno milleno ducenteno, duploque sexdeno, ætatis sexto quoque septeno *b*. Propterea, quia moriebatur vivens, vivebat moriens, & viva mortua erat, & viva & mortua singulari amore Deum [diligebat] & à Deo solabatur, consolabatur. Certatim affluebant, catervatim ruebant populi colentes venerabile corpus, cupientes cernere, quæ per Julianam mortuam vivam mirabilia viva fiebant: & clamantibus eunctis: S. Juliana, intercede pro nobis ad Deum, qui te elegit; corpus illud venerandum odore fragrans, flagrans amore, venerandæ moniales venerantes posuerunt in ligneo monumento novo, in quo nondum quisquam positus fuerat. E *b*

translatum & incorruptum; 15 Propterea strepitante cælo, terra crepitante super tot tantosque favores per Julianam mortuam & sepultam incessanter fidelibus tributos, præter piscatores, qui ambulantes in tenebris, horisque nocturnis; ante D. Blasii templum piscando, errantia sidera, fulgura coruscantia super campanile, superque cœmeterium sæpe sæpius cælitus respexerunt, & admirantes timuerunt valde. Divinitus moniales consultæ loculum effoderunt, ligneumque sepulcrum, corpusque Julianæ humidissimo in loco humatum, ubi marmorea intuetur columna erecta, post annos quinque terdenos, milleno nempe, duploque centeno, nongenteno septeno *c* exhumatum, integrum & incorruptum, ne dicam carneum repertum est. Tunc, & nunc reperitur: veneratum est tunc, & nunc veneratur (etenim à planta pedis usque ad verticem capitis est in eo sanitas) & quod magnopere omnibus in hac solemnitate pensandum est, oculorum cartilagines, pellicullæ tam debiles, tam fragiles, hodierna luce integræ conspiciuntur. F *c*

cultus. 16 Propterea fausté mirabilis, fausto * festivè mirabilis festo permoti populi tanto miraculo, gratias quaslibet implorabant, impetrabant. Moniales autem exultim & exultanter exultantes sepulchrum ejus gloriosum intra clausuram venerandum portavêre, posuêre. Corpus verò solemni pompa in arca nunc ornata vitro, auro decorata, super altare *d* virgini eidem Julianæ dicatum in ecclesia videtur, veneratur. Propterea à seculis elapsis Kalendis Septembris per immemorabilem temporis cursum de B. Juliana celebratur Missa, Officium *e* recitatur, festumque præcla-

* *i. e.* faustitate

A præclarum decantatur, canentibus angelis, currentibus populis ad ejus patrocinium ſingulariter contra capitis languorem implorandum.

ANNOTATA.

a *Conveniunt calculi cum anno natali* 1186 *ſuprà num.* 1. *Conſonat eiſdem numeris inſcripcio tabellæ, de qua dixi in Commentario prævio num.* 5. *Razzius in Vita Italica ſignat annum mortis* 1267, *quo fundamento? Scardeonius vero lib.* 2, *claſſe* 6, *pag.* 120, Ibidem, *ait*, in ejus epitaphio eam obiiſſe legitur MCCXXVI; *ſed mendoſè, uti mox dicam.*

b *Obſcura, ſaltem ex parte, hæc chronologica notatio eſt, & modica explicationis indiga.* Sexdeno, *id eſt, ſatis clarè* ſexageſimo; *quod additur* duplo, *accipe pro* ſecundo: *pro* ſepteno *ſcribendum* ſeptuageno.

c *Id eſt, anno* 1297: *pro quo Razzius tranſlationem corporis ponit anno* 1299 *ſine ſufficiente auctoritate: ſibi tamen eſt conformis, dum indicat hoc accidiſſe annis* 32 *poſt mortem Beatæ, quam ſignaverat anno* 1267, *ut ſuprà vidimus. Longiùs receſſit ab anno, in Vita anonymi notato, Ferrarius in Catalogo generali, quando ad diem* 22 *Julii in notis aſſerit, inventionem ejus & tranſlationem accidiſſe anno* 1290. *Præceſſerat Wionus eodem die in ſuis notationibus, è tabula Ms. ad Beatæ noſtræ altare referens iſta, quæ ex Italico reddo Latinè in hunc ſenſum:* Et poſt trigintà quinque annos (à morte ejus ſcilicet, *ut textui Italico interſeris Wionus*) feſto ſanctæ Mariæ Magdalenæ, id eſt, anno MCCXC, inventum fuit ipſius corpus & capſa, in qua erat ſepultum . . ., ac venerabile illud corpus tranſlatum fuit in hoc ſepulcrum, ſupra quod fabricatum eſt altare ejus. *Quæ ſi ſubſiſterent; annus mortis ab anno* 1261 *retrahendus eſſet ad* 1231, *ut patet, quod non admitto, nullâ utique ratione chronologicâ ſuadente, à Vita hîc eſſe diſcedendum. Et verò ſecum pugnat Wionus in notationibus ad* 2 *Septembris; nam ibi admittit, Beatam obiiſſe anno* 1262, *Scardeonium ſuprà à nobis citatum, ac vero mortis anno reſtitutum, ità excuſans:* Bernardinus Scardeonius . . dicit obiiſſe anno Domini 1226; ſed id tranſpoſitione numerorum potiùs accidiſſe puto, quàm ſuo errore: facilis enim eſt lapſus numerorum arithmeticorum, quando unus alteri præponitur aut poſtponitur, ut hîc contigit: ſi enim numerus 6 præponatur numero 2 malè antepoſito, num. 1262 ſuæ integritati reſtituetur. *Hæc ille, & rectè. Et verò annus ille confirmatur è noſtro apographo prædictæ inſcriptionis, quæ, relatâ Beatæ morte* 1262, *narrat ſepultam fuiſſe in cœmeterio; ſed ſupervenientem populi concurſum, ſplendoremque ſepulcri ipſius à populo viſum effeciſſe, ut poſt annos* 35, *id eſt,* 22 *Julii* 1297 *corpus ejus glorioſum fuerit inventum ſine corruptione, & capſa etiam, in qua jacebat, integra, poſtumque fuerit in illo altari, ut fideles eam invocaturi accederent.*

B d *Fanningus noſter piæ memoriæ in ſuo Itinerario Romano-Belgico, quod Ms reliquit, inter notitias Venetas anno* 1686 *hæc de corpore* B. Julianæ *notat:* Conſervatur in altari, quod monaſterium reſpicit, in capſâ lignea perpulcra coloris nigri uti ebeni, variis cryſtallis adornata . . . Prope ab altari pendent in una tabula picturæ aliquot antiquæ, ubi etiam ipſa Beata cum radiis videtur.

e *Fanningus in mox dicto Itinerario* Agunt *inquit*, feſtum moniales 8 Septembris cum Officio de communi virg. *Nec plura novi, quæ ſcire lectoris intereſſet, præter jam dicta, quibus finem impono.*

A. ANONYMO.

B

DE B. PETRO ARMENGOL MART.

EX ORDINE B. M. V. DE MERCEDE REDEMPTIONIS CAPTIVORUM

C

GUARDIÆ PRATORUM IN DIOECESI TARRACONENSI IN CATALONIA

F

COMMENTARIUS PRÆVIUS. J. P.

§ I. Nobilitas; ætas juvenilis perdite tradueta; converſio; Religioſa vita, & ejuſdem tempus.

MCCCIV. *Locus nativitatis ac mortis:*

LOcus idem, *qui* B. Petro Armengol, *ſeu* Armengaudo *natalis obtigit, ipſi etiam emortualis fuit*, Guardia *videlicet* Pratorum, *oppidum Cataloniæ in Tarraconenſi diœceſi*, ac Monti Albo *vicinum, al.* Momblancq *dicto. Alia loca circumjacentia* Barbara, Sanreal Soliuella; Blancafort, Pira *in Summario Proceſſûs Rouſani, qui ad promouendos hujus Servi Dei ho-*

AUCTORE J. P.

2 *Originem traxit Beatus* ex nobili genere Comitum de Urgel, *ut teſtatur Vita. Alfonſus Remon in Hiſtoria generali Ordinis B. M. V. de Mercede redemptionis captivorum tomo* 1, *lib.* 4, *cap.* 15, *fol.* 188 *Comitum Urgellenſium familiam oriundam ſcribit è domo Comitum Barcinonenſium, & nonnullis interjectis, quo pacto utraque familia fuerit unita, illuſtres* S. Petri *progenitores laudat, quos utique in linea paterna deſcendere e regia Comitum Barcinonenſium ſtirpe; in materna autem è regio Francorum genere, ac Comitum Flandria affirmat. De antiquis Comitibus Barcinonenſibus, ac de Urgellenſibus eorum tempore, plura legi poſſunt apud Franciſcum Diago in indice materiarum aliquarum, qui habetur poſt Hiſtoriam antiquorum Comitum Barcinonenſium, tribus libris Hiſpanicè ab illo editam.*

generis

3 *De ſucceſſione chronologica & genealogica Comitum Barcinonenſium nec non antiquorum Comitum Urgellenſium etiam ſcribitur in Dictionario Morerii noviſſimè auctо, tomo* 2 *à pag.* 66: *ubi narratur, Ermengaudum VI hujus nominis, dictum Caſtellanum, Comitem Urgellenſem, vita functum in Caſtella ſine herede* XXVIII *Junii* 1154; *coque mortuo comitatûs Urgellenſis poſſeſſionem perveniſſe ad Comitem Barcinonenſem, ac deinde ad reges Aragoniæ, nec non à Jacobo, Alfonſi IV Aragoniæ regis filio natu minore, propagatam ultimorum Comitum Urgellenſium familiam: de qua re conſuli poteſt Dictionarium modo memoratum tomo* 1, *pag.* 560. *Inter alia verò ibidem dicitur Jacobus Aragonum, hujus nominis primus, è vita migraſſe menſe Novembri anno* 1347, *cui deinde ſubduntur è dicta familia duo alii Comites Urgellenſes. Hæc ſufficiant de claritudine generis, quò prædictorum Comitum origo referenda memoratur, uti &* B. Petri *nobilitas, ſecundum Vitam ejus antiquam & fide dignam. Remondus fol.* 188 *verſo patrem ei fuiſſe aſſerit Arnaldum* Armengol. *Hic verò, tamuſt non memini me legere de illo in documentis, quæ inſpexi de memorata familia, debuerit vixiſſe ſeculo decimo-tertio, prout tolligitur è morte* B. Petri *filii ejus, quæ accidit anno* 1304, *comitatu Urgellenſi ad Barcinonenſem devoluto poſt obitum Ermengaudi VI, uti jam dictum eſt.*

claritudo;

B

C

4 *Remondus eodem fol.* 188 *verſo Beatum fuiſſe educatum affirmat in oppido vel loco Cerbaria, qui Hiſpanicè vocatur* Cervera, *natiſque è nobiliſſima iſta familia fuiſſe ibidem ſemper propinquos conſanguineos, nonnullaſque poſſeſſiones, quemadmodum hodie, inquit, ſunt ac permanent. Baudrandus* Cervariam *ponit* in planitie Urgellenſi.. juxta amnem cognominem, *eamque* decem leucis *abeſſe ſcribit* ab Ilerda in Ortum, Barcinonem verſus, & totidem à Tarracone in Septemtrionem, prope Tarregam. *Fuit autem* B. Petrus *in ætate juvenili perditiſſimis moribus, ſicut teſtatur Vita num.* 2. *Compendium Vitæ citatum breviſſimè rem perſtringens,* poſt elapſam, *ait*, in ſeculo haud recte adoleſcentiam, Ordini noſtro adſcriptus *&c. Longè plura memorat Remondus à dicto fol.* 188 *verſo, è quibus excerpo ſequentia.*

educatio, ætas ejus juvenilis

5 *Præferebat indolem elatam ac ſuperbam: ſtirpe & ſanguine Armengaudico, è quo trahebat originem, immodicè gloriabatur, nobileſque alios juvenes flocci faciebat: unde non tantum ei ſuboriebantur animi dolores, verùm etiam inimici; &, quemadmodum aliud ex alio incommodum naſcitur, & aliud damnum; Juvenis* D *ille, projecta utique audacia, ut de inimicis ſuis ſe ulciſceretur, factioneſque ſuas & partium ſtudia foveret, congregavit hominum perditorum colluviem, omnium vitiorum generi vitæque licentiæ addictorum, quibus tamquam genti perditæ, atque humilibus natæ parentibus, nihil aliud erat in votis, quàm talem habere ducem, qualis erat* Petrus Armengol *(adverſus quem propter nobilitatem generis nihil eſſet auſura juſtitia ordinaria) ut larvam deponerent, & ſub velamine, quòd* Petrus Armengol *præciperet, perpetrarent ipſi & committerent publicè & ſine pudore rapinas, homicidia, & adulteria, quæ antea committebant timidè & clàm. Scelera verò, qua perverſi* Armengaudii *aſſecla perpetrabant ſub umbra ejus quodammodo tecti, adeo invaluerant, ut tota jam civitas tolerare illa non poſſet, nti nec vicina ejuſdem loca: atque adeo* Petro Armengaudio, *ut non deſereret commilitones ſuos, neceſſe fuit ad montem proficiſci, & è nobili inquieto, è juvene vitioſo, divite ac libero fieri graſſatorem, nec non conſortii latrocinantium, & publicarum virarum prædatorum anteſignanum.*

peſſimè

E

6 *Arnaldus pater ejus, ſapiens utique vir,* transacta *ac nobilis Chriſtianus, hanc Filii ſui ruinam ſenſit. Currebat tunc annus* 1258, *quo rex Jacobus in ſuo regno Valentino, quod recèns acquiſierat, pacificandis ac componendis rebus aliquot vacabat, quæ occurrebant inter novos propagatores & expugnatores iſtius regni, & requirebant regiam præſentiam ejus. Videbatur autem Arnaldo, nullâ ex parte poſſe ſe melius obtivioni tradere offenſas & injurias honori ſuo illatas à Filio, quam ſi civitate relicta proficiſceretur ad regnum Valentinum, regiſque & principis ſui curiam ſequeretur. Valentiam itaque ſe contulit, ac curiam ſequi cœpit. Verùm exiguo tempore in hoc regno verſatus eſt: quia rex Jacobus meditabatur iter Montem Peſſolanum verſus, ut regem Franciæ conveniret, & quoniam neceſſe erat ut eò perveniret, tranſire per montis declivitatem, è qua, ut fama erat, prodibat perditorum hominum colluvies, prædonumque viarum publicarum protectores, qui nemini parcentes aggrediebantur de improviſo & ſpoliabant viatores; Arnaldus ad infeſtam hanc latronum terram expurgandam, aliis ſecum aſſumptis, ſe accinxit, ut liberum & ſecurum redderet tranſitum iſtum comitibus regis non armatis, ſicut pluribus Remondus narrat.*

F

mira conversio:

7 *Deinde refert felicem Arnaldi in hac expeditione ſucceſſum, ac certamen ejus cum filio ſuo* Petro *commiſſum: dumque alter alterum noviſſet, ambos eodem tempore iram in affectum commiſerationis commutaſſe, ac* Petrum *ad patris pedes ſe projeciſſe, gladiumque & corpus ipſi obtuliſſe, ut eodem ſimul tempore judex & lictor eſſe poſſet. Atque hic finis fuit profligatiſſimæ vitæ* B. Petri, *exordiumque initæ gratiæ paternæ, melioriſque frugis, ad quam reductus eſt. Habet hîc lector pauca e multis, quibus hanc hiſteriam infarcit, & liberaliter admodùm ac nimium fortaſſis ampliſicat Remondus. Prædictum verò iter Jacobi Aragoniæ regis Montem-Peſſu annum verſus, & acta cum S. Ludovico Francorum rege Corbolii, anno* 1258 *innectuntur à Zurita tom.* 1, *lib.* 3 *Annalium Aragoniæ cap.* 56.

vita Religiosa

8 *De Religioſa vita inſtituto, quod profeſſus eſt* B. Petrus, *varia ſe offerunt obſervanda. Primo, videtur ad illud fuiſſe motus ſingulari inſtinctu*

A *ſtinctu Dei. Dicitur enim in Vita id contigiſſe*, cùm ad hoc, ut ipſum audierunt dicentem *teſtes, qui in ea nominantur, omni exceptione majores*, cælitus eſſet admonitus. *Secundò, tempus, quo illud inſtitutum amplexus eſt, non determinat eadem Vita, ſed refert ſolummodò:* Ad noſtrum Ordinem venit jam ferè juvenis. *Id autem non incongruè credi poteſt accidiſſe anno ætatis ejus circiter vigeſimo, Chriſti autem anno circiter* 1258, *quem ſuprà notabat Remondus occaſione converſionis ejus: à quo ſi retrocedas, interpoſitis viginti, ut dicebam, circiter annis ipſius ætatis, pervenies ad annum ejus natalem, qui potuerit circiter eſſe annus Chriſti* 1238. *Hinc ſequitur, ut Sanctus Religioſam veſtem non induerit ſub Petro Amerio, quarto Ordinis Generali, qui in Catalogo antea indicato Generalium ejuſdem Ordinis pag.* 6 *ſcribitur* Barchinonæ electus, anno MCCLXXII à Gregorio X confirmatus. *Quo fundamento dicat Remondus fol.* 190 *verſo, Generalem iſtum cœpiſſe regimen Ordinis ſui anno* 1080, *fugio quærere, cùm nihil conducat in rem noſtram, & Sancti in Ordinem in-*

B *greſſus neutro anno acciderit. Ponitur autem in memorato Catalogo ſub Guilielmo Bas, magiſtro Generali ſecundo, qui pag.* 4 *dicitur electus anno* 1249, *anno autem* 1269 *mortuus.*

quando inchoata; 9 *Temporibus verò hujus Generalis rectè congruit* B. Petri *ad meliorem frugem converſio, uti etiam Ordinis habitus ab eodem ſuſceptus. Stephanus Corbera in Vita B. Mariæ de Cervellon, al. de Socòs dictæ, Ordinis B. M. V. de Mercede redemptionis captivorum, fol.* 90 *verſo agens de* Petro *noſtro, longè aberravit à vera chronologia, quando ſcripſit aſſumptum fuiſſe ab illo habitum dicti Ordinis anno* 1307: *tunc enim jam à triennio obierat. Hallucinatur etiam ibidem in hiſtoria, quæ, ut jam vidimus, inquinatiſſimæ vitæ eum fuiſſe memorat ante converſionem ſuam; Corbera tamen illum facit ad virtutem propenſum à puero, idque magnum vulti ſignum fuiſſe prognoſticum virtutis, quam habiturus eſſet, quando ad virilem perveniſſet ætatem. Lectiones & oratio propriæ de prædicta Beata, pro die* XXV *Septembris dicto Ordini conceſſæ, habentur in Bullario ejuſdem pag.* 423; *quo die de*

C *ipſa tractandum. erit. Aliquot autem antè annis in Ordine ſolidis vitæ Religioſæ rudimentis exercitatum fuiſſe, & debita veræ ac ſeriæ converſionis ſpecimina edidiſſe, dubitandum non eſt. Interſtitium autem temporis inter annum* 1258 *circiter, cui converſionem ejus affiximus, & annum* 1266, *videtur eſſe ſufficiens, ut ad arduas & apoſtolicas Religionis expeditiones ſe compararet, bis eſſet ſocius Fratribus ad redimendos captivos profectis, ac ipſemet in Africa anno jam dicto* 1266, *in pignus pro captivorum puerorum quorumdam lytro remaneret apud infideles, ſocio Fratre ad illud procurandum dimiſſo, ſicut paullò uberiùs narratur in Vita: cujus verba produco:* Sed jam in Religione anteriorem animi crudelitatem in fervidam charitatem commutavit. Jejuniis & orationibus vivebat . . . anno ſuperiori milleſimo ducenteſimo ſexageſimo ſexto miſſus in Africam *&c. Hæc itaque confirmant ſolidè tempus converſionis & Religionis.*

quæ alicubi 10 *Vitæ Compendium de hac ſacra expeditione tractans, annum ſuprà ſignatum ſic corrigit:* Secundò directus eſt Buxiam redemptor anno MCCLXVI, veriùs MCCXCIII, ubi erutis è catenis, in pignuſque pro XVIII pueris in fide nutantibus remanens, CXXXVII Chriſticolas ad Hiſpaniam cùm Frater * Guillelmo Florentino tranſmiſit. *Verùm ego illam correctionem adoptare non auſim, quia annus prior diſertè & integrè, non autem per numeros Romanos arithmeticos, non per Arabicos, ſeu cyfras, ut vocant, qu. ſcribendi modus perſæpe parachroniſmis ſubjectus eſt, exprimitur, ſed annis ſingulis ſuo quolibet adjectivo temporis deſignatis: ita ut videatur mihi, non poſſe hìc ſatis fundatè præſumi tanta annorum diſcrepantia, quanta in dicto Compendio proponitur, quod illam quidem vult correctionem, ſed non probat. Nec verò eadem mihi ſuadetur ex ipſa* B. Petri *Vita, quæ cùm ſit inſtrumentum, in capitulo Ordinis, juſſu Arnaldi Amerii Generalis ejuſdem Magiſtri, eodem capitulo conſentiente, conſcriptum è teſtimoniis Fratrum Religioſorum, ac juramento eorum firmatis, magnam fidem meretur. Inter illos autem deponens primo loco* Frater Guilielmus Florentinus *comparet, idem qui ſuprà. Actus verò ille publicus ibidem ſignatur habitus ipſo anno, quo Sanctus noſter obiit, videlicet* anno à Nativitate Domini milleſimo tercenteſimo quarto, die, qui computabatur quinta Nonas Maii, *id eſt, tertia* E *ejuſdem menſis. Ex his itaque conſtat ratio temporis ſuperiùs aſſerta. Sed poſt hæc modò allegata offert ſe ibidem difficultas alia jam expendenda, quæ tamen non obeſt, quo minùs Beati converſio, ac Religioſæ ipſius vitæ exordium innecti poſſint anno circiter* 1258.

ſeriùs accidiſſe dicitur, ſed non probatur. 11 Cùm, *inquit Vita*, non poſſet prædictus Guilielmus tum propter difficultatem comparandi pecuniam, tum propter difficilem navigationem intra ſtatutum tempus in Africam redire; quando aliquot elapſis diebus appulit, comperit Fratrem Petrum . . è ligno *per barbaros* collo ſuſpenſum . . Perrexit dictus Guilielmus, ut corpus humaret . . , & ut pervenit ad eum flens, voluit illum deponere, quem vidit viventem; *ſingulari enim erat miraculo Deipara* manibus ſubſtentatus . . Tunc lætus Guillermus ipſum depoſuit . . , *& ambo* læti in patriam redìere, *è qua ad apoſtolicos ejuſmodi labores rediiſſe Beatus non legitur in laudata Vita. An ergo, inquies-, jam tum ab anno* 1266, *qui incidit in annum vicitèr initæ ab eo Religionis octavum, ſecundum præmiſſa, ſe eiſdem ſubtraxit? Reſpondeo, fieri potuiſſe, ut vel à Superioribus domi detentus ſit* F *propter imbecillitatem corporis poſt illud ſuſpendium, vel hoc petierit ipſemet ad arduos hoſce labores non ſatis robuſtus. Audiamus Vitam:* Viderunt autem omnes ſupradicti Fratres, quòd reliquo vitæ ſuæ tempore obtorto collo, & marcido incedebat colore vultûs à tempore ſuſpenſionis prædictæ. Nonnullo decurſo tempore cupiens ab omnibus ſe ſegregare, in prædictum conventum Sanctæ Mariæ de Pratis ſe recepit. *Rectè itaque coharent tempora, ſi meliorem Beati vitam, Religioſum inſtitutum, aſſumptumque ejuſdem habitum innectamus anno circiter* 1258. *Sententiæ noſtræ favet Remondus lib.* 4 *cap.* 16 *contra alios, qui ſeriùs ſub Petro Amerio, & citiùs ſub S. Petro Nolaſco veſtitum volunt.*

§ II.

AUCTORE J. P.

§ II. Beati in Ordine vestitus ; an sacerdos ; ejusdem virtutes ; expeditiones apostolicæ ; cultus ab immemorabili tempore ex variis processibus probatus.

Non tam, quòd Beatus habitum sacerdotalem Ordinis induerit, quàm quòd sacerdos

REmondus *lib.* 4 *cap.* 16 *aliam difficultatem proponit circa vestimentum Ordinis, quod Beatus post conversionem induit, ac disputat idem auctor, an fuerit habitus Equitum istius Ordinis, an verò sacerdotum. Multas à se inveniri opiniones diversas, indicat Remondus fol.* 191 ; *& vestitui quidem equestri contrariam esse traditionem antiquam documentorum Religionis & picti martyrii ejus, in quibus omnibus eum videri asserit sacerdotis veste indutum : nihilominus tamen, quantùm se colligere posse dicit ex iis, quæ legit de conversione ejus, magis constare affirmat, quòd fuerit Religioso Equitum habitu vestitus. Hoc verò sibi persuaderi ait è Ms., è quo ista recitat :* Beatus Petrus Armengol miles, *atque hac voce* miles *strictè loquendo significari Religiosum Ordinis ex Equitibus. Addit tamen id non pugnare cum sacerdotio, quo Equites multi ex Ordine isto insigniti fuerint. Exemplum verò sumit è S. Raymundo Cardinale : cujus gesta & miracula illustravimus ad diem* XXXI *Augusti. Hippolytus Helyot in Historia Ordinum monasticorum, Religiosorum ac Militarium tomo* 3, *pag.* 266 *exhibet in imagine æri incisa antiquum Ordinis B. Mariæ de Mercede redemptionis captivorum Equitem, habitu suo vestitum ; pag. verò* 278 *ejusdem Ordinis professorem repræsentat, habitu prorsus diversum à priore, & cappâ monasticâ indutum. Porrò Ordinis præfecturam à militaribus equitibus ad sacerdotes lapsu temporis transmissam esse, docet Catalogus Magistrorum Generalium pag.* 9 *his verbis :* Octavus Magister Generalis, Equitibus militaribus magistratu depulsis, fuit venerabilissimus P. Fr. Raymundus Albertus . . , anno MCCCXVII electus. *Hæc conducunt ad majorem notitiam argumenti præsentis.*

B

in eodem fuerit, videtur probabile :

C

13 *Jam verò ut ad priora redeamus ; censet Remondus non cohærere cum Beati sacerdotio vitam, quam ante conversionem duxit, ad litteras & studia non admodùm accommodatam, utpotè quæ militaris omnino fuerit, ac exercitationibus litterariis opposita. Ad hæc, illis temporibus, sicut addit, non admittebantur ad sacerdotium, ne vel cum equestri quidem habitu, nisi personæ morum exemplo & doctrinâ præstantes. Verùm, in litteris Apostolicis Innocentii PP. XI inferiùs* § 6 *referendis* sacerdotis *nomine nuncupatur. Quæ autem idem auctor de habitu equestri ipsius dicebat ex traditione & pictura martyrii, parùm vel nihil probant, cùm ignoretur utriusque tempus, nec constet proinde, an non sit traditio & pictura merè popularis.*

laudatur à virtutibus : sacræ expeditiones

14 *Vita paucis verbis multa dicit, & plura cogitanda relinquit de Beati virtutibus, quas primis post conversionem annis exprimebat :* Jam, *inquit*, in Religione anteriorem animi crudelitatem in fervidam charitatem commutavit. Jejuniis & orationibus vivebat. *Plura Remondus fol.* 191 *verso. Catalogus Magistrorum Generalium pag.* 5, Ordini nostro adscriptus, *ait*, in eoque novus Christi miles virtutum omnium stipatus munimine, quater * redemptionem exercuit. Primò Algariæ, ubi dux quindecim Fratrum, qui animarum zelo ad fidelium libertatem, & infidelium conversionem directi, in unum conspiraverant, consumptâ pecuniâ, omnibus Petri hortatu in pignus manere statuentibus, CCCXLVI captivos per eorum unum socium in Hispaniam remittit. In captivitate ergo constitutus Petrus, plurimos Mahometi errore deceptos ad lumen fidei restituit : inter quos regem Algariæ Almohazen Mahomat, qui postea Ordinis nostri verus professor Frater Petrus à Sancta Maria nuncupatus est, sacro fonte lustravit. Regrediente cum pignoris statuta pecunia socio, cæteros, & insuper CLXXX eruit captivos.

D

* *duæ dumtaxat redemptiones ibi nominantur.*

ad redimendos captivos : fama sanctitatis ante & post mortem.

15 *Sequitur alia ibidem expeditio sacra, quâ Bugiam directus est ad redimendos captivos. De tempore ejusdem disputatum suprà ; rei autem gestæ historia dabitur è Vita : quæ breviter iterum deinde, at nervosè perstringit famam sanctitatis ejus, concursum indigorum ; ecstases, elevationes in aëre, verba, quibus roganti Deiparæ Virgini videbatur respondere, pia colloquia, raptus, sanctam mortem ejusque diem ac prædictionem. Succinctè pariter scribit laudata Vita de concursu ad funus, ac de mirabilibus, quæ obitum ipsius subsecuta sunt :* Convenerunt, *inquit*, quamplurimi populi, & mortuum Petrum patrem lugebant. Antea autem quàm humaretur, cùm omnes corpus viderent, & tangerent, inter eos tres viri, & quatuor fœminæ salvi facti sunt ab infirmitatibus, quibus laborabant. Quorum omnium prædicti Fratres testes oculati fuerunt. *Atque hæc quidem, quæ Sancti mortem sine mora sunt subsecuta, viam straverunt ad publicum ejus cultum per varia loca propagatum, & continuatum usque ad hodiernum diem non tantum ab immemorabili tempore, quod requirit Sedes Apostolica, ut in aliquo Servo Dei fiat casus exceptus à decreto Urbani VIII ; sed etiam multò longiore, quàm in rigore ad hoc necesse sit.*

E

Causa Beati

16 *Casus hic exceptus egregiè ac laboriosè in tribunali sacræ Rituum congregationis propositus fuit à patronis hujus causæ, probatusque solidè & evictus. Quamquam verò abunde constet è decretis Sanctæ Sedis legitimus* B. Petri *cultus, non ingratum tamen fore lectori hagiophilo existimo, si ex instrumentis laudatæ congregationi oblatis in hac causa exponam singillatim, quæ in eadem transacta sint non sine summa ejusdem gloria. Quoniam verò longum esset & supervacaneum, documenta omnia hîc recudere, in quibus diversi testes eadem ferè deponunt, & alia occurrunt admodùm prolixa, quæque hic omitti possint, sufficerit sequentia è longè pluribus excerpsisse. Auctores etiam omnes, qui identidem allegantur, huc non transcribam. Collectio itaque documentorum, quam ante me habeo, Romæ excusa est anno* 1686, *& prænotatur hoc titulo :* Sac. Rituum congregatione eminentissimo & reverendissimo D. Card. Azzolino Tarraconen. Canonizatio B. Petri Armengol Religiosi professi Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede redemptionis captivorum. Informatio super dubio, an constet de cultu immemorabili, & casu excepto in decretis fel. rec. Urbani octavi in casu &c

F

resumpta

17 Eminentissime & reverendissime Domine. Cùm hæc causa ad relationem eminentissimi domini

A mini cardinalis de Portocarrero propoſita fuerit die XXIX Novembris MDCLXXV ſuper confirmatione ſententiæ, latæ à reverendiſſimo archiepiſcopo Tarraconenſi, judice ab hac ſacra congregatione delegato, circa cultum immemorabilem, & caſum exceptum, dilata fuit reſolutio ex eo, quòd teſtes examinati anno MDCLXVII, quo proceſſus conſtructus extitit, non habebant ætatem LXXXVII annorum requiſitam, ut reverendiſſimus dominus Fidei promotor oppoſuit, ad probandum cultum per annos quadraginta de viſu ante annum MDCXXXIV, quo emanavit breve confirmatorium decretorum ſanctiſſimæ Inquiſitionis. Sed poſtea compertis antiquiſſimis documentis à centum & pluribus annis ante præfata decreta: die 2 Decembris anni MDCLXXXIV obtinuimus novam audientiam, & die XXVII Januarii MDCLXXXV ad effectum documenta hujuſmodi compulſandi, conceſſæ fuerunt litteræ compulſoriales pro civitate & diœceſi Tarraconenſi, directæ illius reverendiſſimo archiepiſcopo, Summario num. 1, & litteræ particulares pro aliis locis eorumdem epiſcopis, iiſque legitimè impeditis, illorum vicariis generalibus, Summario num. 2: quarum vigore conſtructis quinque proceſſibus, nimirum Tarraconenſi, Valentino, Gerundenſi, Guadicenſi, ac Barchinonenſi, & ſacræ huic congregationi præſentatis, ac, ſervatis ſervandis, apertis, ex iis confecimus novum Summarium à num. 1 uſque ad 16, & in numeris ſubſequentibus perſtrinximus Summarium antiquum. Ex quibus omnibus ſimul junctis abunde patet, in pluribus regni Cathaloniæ locis fuiſſe exhibitum, & exhiberi beato Petro Armengol publicè cultum à centum annis, & amplùs ante prædicta decreta; ideoque ad formam præinſerti dubii reſpondendum fore, conſtare de cultu immemorabili, & caſu excepto, prout ſupplicamus.

à congregatione Rituum

18 Circa validitatem dictorum proceſſuum non videtur immorandum, cùm ſervata appareant omnia ex forma litterarum ſervanda, *ſicut pluribus deinde ibi declarabitur.* Circa relevantiam * ex proceſſu Tarraconen. habentur antiquiſſimæ viſitationes factæ per archiepiſcopum, & vicarium generalem pro tempore; ex quibus apparent corpus, & oſſa beati Petri expoſita publicæ adorationi ſuper altari majori eccleſiæ parochialis, nuncupatæ de Guardia; & prima ex dictis viſitationibus facta fuit anno MCCCLXXXVIII, Summario num. 3, litt. a, & ſic annis CCXLVI ante decreta. Secunda ex dictis viſitationibus facta fuit anno MCDXIV, Summario dicto num. 3, litt. b, & propterea annis CCXX ante eadem decreta. Tertia ex dictis viſitationibus facta fuit anno MDXXXIII, Summar. d. num. 5, litt. c, quæ pariter præceſſit decreta annis duobus ſupra centum. Aliæ verò ſeptem viſitationes ſequutæ annis MDLXX, MDCXVIII, MDCXX, MDCXXXIV, MDCXXXVII, MDCXLVIII, & MDCLXII, Summario dicto num. 3, litt. d. e. f. g. h. i. k., oſtendunt continuationem dictæ exhibitionis publici cultûs, ſcientibus & tolerantibus Ordinariis. Quòd autem ex exiſtentia corporis alicujus ſervi Dei ſuper altari reſultet exhibitio publici cultûs, in dubium revocari non poteſt, cùm ex praxi, & uſu Eccleſiæ ibi collocari non permittantur, niſi reliquiæ Sanctorum; cætera verò quæcumque corpora ſepelienda eſſe ſub humo ſancivit B. Pius V conſt. 5 § 6, de qua agunt Barboſ. de Univerſ. jur. eccleſ. lib. 2, cap. 3, num. 28, & cap. 10, num. 9; Pignattell. conſult. canon. 184, tom. 1, & in præciſis terminis reliquiarum expoſitarum publicæ adorationi Card. Bellarmin. de Sanct. beatitud. lib. 1, cap. 10, verſ. QUANTUM AD SEPTIMUM. AUCTORE J. P.

ad declarandum

19 Ex eodem proceſſu Tarraconenſi habentur tres deliberationes publici conſilii univerſitatis, & villæ de Sarreal: quarum prima facta fuit anno MDXXI, & aliæ duæ anno MDXXIV, & in dictis deliberationibus decretæ & peractæ fuerunt ſolemnes ſupplicationes ad beatum Petrum, cum oblationibus donariorum pro impetranda ejus apud Deum interceſſione in publicis neceſſitatibus, Summar. num. 4, litt. a, b, c. Ex quibus, præcedentibus decreta per CXXIII, & C, reſpectivè annos, reſultat pariter evidens exhibitio publici cultus, cùm hujuſmodi actus, præſertim ex decreto publici conſilii totius Univerſitatis, fieri nequeant niſi in honorem Sanctorum canonizatorum, *ac plures ibidem auctores citantur.* Et quòd in tota ejuſmodi provincia pro certo habeatur, prædicto Beato fuiſſe exhibitum publicum cultum ab immemorabili, aſſeverant ſeptem inſignes epiſcopi in concilio provinciali congregati, Summar. num. 5.

ejus cultum

20 Ex proceſſu Valentino habetur, quòd antiquiſſima ſtatua Beati olim extabat in altero ex altaribus eccleſiæ conventûs beatæ Mariæ de Mercede, & à viginti annis citrà tranſlata fuit ad altare ſacrarii ejuſdem eccleſiæ, & in utroque altari ſemper fuit exhibitus dictæ ſtatuæ publicus cultus, ut affirmant quatuor teſtes loci ſeniores, examinati in facie loci, Summario num. 9, & quatuor periti, adhibiti in recognitione ejuſdem ſtatuæ, teſtantur de ejus antiquitate à centum quinquaginta circitèr annis, optimam rationem reddentes ſecundum artem, Summario num. 7, litt. a, b, c, d. Et hæc quoque collatio * ſtatuæ in altari, quo Miſſa celebrari ſolet, cùm ſit prohibita in decretis generalibus, pag. 17, §. IMAGINES, pernecceſſe denotat exhibitionem publici cultus, ut tradunt Cardinal. Bellarmin. de Sanctor. beatitud. lib. 1, cap. 10, verſic. QUANTUM AD SEXTUM, *aliique ſcriptores, qui hîc allegantur.* Ex eodem proceſſu Valentino habetur, quòd alia vetuſtiſſima imago dicti Beati picta cum ſplendoribus, & diademate, à tempore immemorabili, ſita extitit in altari eccleſiæ conventûs beatæ Mariæ de Mercede in civitate Setabis, & deinde à XXV circitèr annis reſtauratum fuit dictum altare, & præfata picta tabula ob nimiam antiquitatem collocata fuit in ſacrario ejuſdem eccleſiæ, ubi etiam in præſenti retinetur, ut perhibent tres ſenes teſtes in facie loci examinati, Summario num. 8. Et duo periti pro recognoſcenda vetuſtate dictæ imaginis referunt, eam confectam fuiſſe à ducentis circitèr annis, Summario num. 9, litt. a, b, & ſic annis ferme CL ante decreta. Et ex retentione dictæ imaginis cum ſplendoribus, & laureola in altari, & ſacrario reſultat exhibitio publici cultus, ex ſupra allegatis. * collocatio

ab immemorabili tempore,

21 Ex proceſſu Gerundenſi habetur alia picta tabula repræſentans beatum Petrum cum radiis, ſplendoribus, & titulo Sancti, quæ extat in altari majori eccleſiæ Conventûs beatæ Mariæ de Mercede, & hujus antiquitatem quatuor periti aſſeverant ab annis circitèr CCLXX, Summario num. 10, litt. a, c, e, g, & ſic CCXVIII ante decreta; & antiquitatem hujuſmodi tribui non poſſe alicui cauſæ accidentali, rectè probant iidem periti, Summario dicto num. 10, litt. b, d, f, h. Et publicum cultum ex tali imagine reſultare, patet

AUCTORE J. P.

patet ex ſuprà proximè adductis. Ex proceſſu Guadicenſi habetur, quòd altera imago dicti Beati cum diademate in capite, & palma præ manibus, atque inſcriptione Sancti, extat à tempore immemorabili in cappella ſacrarii eccleſiæ collegiatæ in civitate Bazæ; & quòd eadem imago cum alia ſuppellectili donata fuit dictæ cappellæ à quodam nobili viro eo ferme tempore, quo Bazæ civitas è Maurorum manibus dirempta fuit à centum octoginta annis circitèr, aſſerunt plures teſtes in facie loci examinati, Summario num. XI. Quorum dictis concordant tres periti, adhibiti pro illius antiquitate recognoſcenda, qui conteſtantur ab annis ſupra centum quinquaginta dictam imaginem fuiſſe confectam, Summario num. 12, litt. a, c, f, & per conſequens à ſeculo ante decreta; nec vetuſtatem hujuſmodi tribui poſſe humiditati, aut alteri cauſæ accidentali, ibidem litt. b, d, e. Et hinc quoque comprobari exhibitionem publici cultus, innoteſcit ex antedictis.

B *& probandum caſum exceptum a decretis Urbani PP. octavi.*

22 Ex proceſſu Barchinonenſi habetur, quòd in libris Capitulorum generalium Ordinis beatæ Mariæ de Mercede, in dicta civitate extat publicum inſtrumentum, confectum anno MCCCIV, quo quinque Religioſi Ordinis beatæ Mariæ de Mercede, Magiſtri Generalis juſſu, juratam ediderunt atteſtationem de ſancta vita, felici obitu, & admirabilibus dicti Beati, Summario num. 13. Quod inſtrumentum licèt non probet exhibitionem publici cultus in honorem beati Petri, parùm antea defuncti; patefacit tamen, quòd eo, ſucceſſivè præſtito, dignus erat. Ex eodem proceſſu habetur, quòd in dictis libris Capitulorum generalium reperiuntur denominationes antiquiſſimæ beati Petri cum circumſtantiis cultum publicum indicantibus. Etenim anno MCDXLII in comitiis generalibus decretum fuit, ut in conventibus legerentur Vitæ Sanctorum, inter quos nominatur ſanctus Petrus Armengol, Summario num. 14, litt. a, b; eodemque anno in libro viſitationum leguntur inſcriptiunculæ Beati cum titulo Sancti, ibidem litt. c, d, e, f. Inſuper in aliis comitiis generalibus, convocatis anno MCDXC, ſancitum extitit ſub graviſſimis pœnis à Magiſtro Generali, ut Commendatores conventuum Tarraconæ, & Montiſalti deferrent Vitam ſancti Petri Armengol, in Capitulo futuro legendam, dicto num. 14, litt. g, h, i. Et hi quoque actus præcedentes decreta per annos CXCI, & CXLIV, reſpectivè, præſeferunt exhibitionem publici cultus, cùm geſti fuerint ab univerſo Ordine Religioſorum ſolemniter congregatorum.

C

§ III. Immemorabilis Beati cultus ex multis teſtium depoſitionibus.

Cultum à tempore immemorabili probant teſtium depoſitiones

EX prædictis itaque habentur duodecim ſolidiſſima fundamenta, quæ planè comprobant, publicum cultum exhiberi beato Armengol in pluribus, & diverſis locis ab immemorabili, & per ſecula ante decreta; quæ fundamenta per ſe ſola ſufficiunt ad faciendum locum caſui, ab iiſdem decretis excepto: & certè exuberant, ſi addantur cætera documenta, adducta in alia cauſæ propoſitione, ex teſtibus in vim litterarum remiſſorialium examinatis ſuper probatione cultûs immemorabilis, qui, licèt tempore examinis non haberent, nec habere potuerint, ſufficientem ætatem ad deponendum per quadraginta annos de viſu ante præfata decreta, ut reverendiſſimus fidei promotor oppoſuit; attamen cùm hodie eorum dicta comprobata exiſtant ex antiquiſſimis monumentis ſuprà relatis, non eſt ambigendum, quin habenda ſint in conſideratione, prout habita fuerunt pro approbatione cultûs immemorabilis in Januen. beatæ Catharinæ Fliſcæ Adurnæ die XXX Martii MDCLXXV, & in Cracovien. B. Joannis Cantii die XXI Martii MDCLXXVI, & Sabaudiæ beati Amadei die XVI Januarii MDCLXXVII, & in Florentina B. Julianæ Falconeriæ die IX Julii MDCLXXVIII, & in Oxomen. beati Petri Regalati die XXIV Julii MDCLXXXIII: quibus cauſis teſtes pariter ita annoſi non erant; ſed concurrebant alia, ut hìc, monumenta vetuſta, & ſimul omnibus ponderatis ſacra hæc congregatio reſpondit conſtare de cultu immemorabili, & caſu excepto. Quamobrem abs re non erit ſtrictim referre actus publici cultus ab iiſdem teſtibus recenſitos. D

E

de Beati reliquiis, ſepulcro, accenſo lumine,

24 Primò dicti teſtes deponunt de expoſitione reliquiarum Beati publicæ adorationi ſuper altare majori eccleſiæ parochialis de Guardia à tempore immemorabili, cum ſcientia & patientia Ordinariorum, Summario num. 15; quorum dictis reſpondent antiquiſſimæ viſitationes ſuperiùs relatæ ſub §. CIRCA RELEVANTIAM. Et ſubdunt præfati teſtes, quòd eædem reliquiæ exponuntur publicè adorandæ, prout exponi ſolent reliquiæ Sanctorum canonizatorum, cum aliis notabilibus circumſtantiis, Summario num. 16: nec clariùs poteſt dignoſci exhibitio publici cultus ex adductis ſub d. §. CIRCA RELEVANTIAM. Secundò, dicti teſtes deponunt de publica veneratione ſepulchri ejuſdem Beati à tempore pariter immemorabili, ſcientibus & patientibus Ordinariis, cum aſſidua frequentia populi, etiam proceſſionaliter ad illud inviſendum confluentis, & cum aliis circumſtantiis, cultum publicum præſeferentibus, Summar. num. 17. Tertiò, dicti teſtes deponunt, quòd ab eodem tempore immemorabili accenſæ detinentur lampades, & candelæ ſepulchro dicti Beati, non ignorantibus, nec impedientibus Ordinariis, Summar. num. 18. Hujuſmodi autem luminaria, uti expreſſè prohibita à decretis generalibus pag. IX, exhibitionem redolent publici cultus..

F

tabellis votivis, imaginibus, altaribus,

25 Quartò, dicti teſtes deponunt à ſimili tempore immemorabili, & cum ſcientia, & tolerantia Ordinariorum, ſepulchro, & reliquiis Beati appoſitas, & retentas fuiſſe tabellas votivas, donaria, & alia monumenta gratiarum, à Deo exceptarum interceſſione ejuſdem Beati, Summario num. 19: quæ tamquam in præfatis decretis generalibus interdicta pag. 7 in fine, exhibitionem publici cultus præſeferunt.. Quintò, dicti teſtes deponunt ab eodem tempore immemorabili, & cum eadem ſcientia, & patientia Ordinariorum appenſas, & retentas extitiſſe prope dictum ſepulchrum Beati, & in locis ſacris, & publicis imagines, ipſum Beatum repræſentantes cum ſplendoribus, laureolis, & aliis ſignis, cultum publicum patefacientibus, Summario num. 20. Quæ ſigna vetita ſunt in dictis decretis generalibus pag. 7 & 17, & propterea ex eorumdem tolerantia publicus cultus reſultat, ex ſuperiùs adductis ſub §. EX PROCESSU VALENTINO. Hæc enim ſigna Dei Servis adpingi ſolent ad illorum

A lorum ſanctitatem deſignandam .. Sextò, dicti teſtes deponunt ex immemorabili tempore, & cum ſcientia, & tolerantia Ordinariorum de erectione altarium in honorem ipſius Beati, Summar. num. 21. Ex qua erectione maximum inſurgere publici cultus argumentum ex ſe patet ...

Miſſarum celebratione, annua feſtivitate, ſupplicationibus,

26 Septimò, dicti teſtes deponunt de celebratione Miſſarum [in] iiſdem altaribus in honorem dicti Beati, Summar. num. 22. Et hinc potiſſimus actus publici cultus reſultat, cùm, conceſſa etiam facultate erigendi altare in honorem alicujus Beati, non intelligatur data de ibidem celebrando Sacro in honorem ejuſdem, ut declaravit hæc ſacra congregatio die XIII Novembris MDCLVIII, num. 3: adeo ut cæteroquin nec liceret celebrare Miſſam de Sanctiſſima Trinitate in die anniverſario dicti Beati .. Octavò, dicti teſtes deponunt cum ſupradictis requiſitis temporis immemorabilis, & ſcientiæ, & patientiæ Ordinariorum, de annua, & ſolemni feſtivitate in honorem dicti Beati, cum pluribus notabilibus circumſtantiis, Summar. num. 23: quod citra exhibitionem publici cultus fieri non poſſe, ideo-

B que id non licere, tradunt Barboſ. *& alii, qui deſignantur*, & declaravit ſacra hæc congregatio dicta die XIII Novembris MDCLVIII, num. 7. Nonò, dicti teſtes deponunt de delatione corporis Beati in proceſſionibus ad impetrandum divinum auxilium in neceſſitatibus, cum eadem antiquitate temporis immemorabilis, ſcientibus, & patientibus Ordinariis, Summar. num. 24. Id quod expreſſè prohibuit ſacra hæc congregatio antè dicto decreto anni MDCLVIII num. XI.

titulo Sancti, ac nomine pueris impoſito,

27 Decimò, dicti Teſtes ſimili modo deponunt de inſcriptionibus Beati cum titulo Sancti, imaginibus appoſitis in locis ſacris, & publicis, & univerſali denominatione Sancti, Summar. num. 25. Ex his pariter cultus publicus comprobatur ... ex ſupra deductis §. 5. DICTI TESTES. Undecimò, dicti teſtes deponunt, quòd ex publica devotione populi erga Beatum imponitur pueris nomen Petri Armengol, iique morbo affecti induuntur veſtibus votivis ipſius Beati; & hoc pariter ab immemorabili, & cum ſcientia, & tolerantia Ordinariorum, Summario num. 26. Quæ nominis impoſitio, facta in honorem dicti Beati, ad ejus cultum refertur ex can.

C * *adde* in 30 concilii Nicæni, jubente infantibus * baptiſmo imponi nomina Sanctorum. Delatio verò votivarum veſtium, & publicus cum eiſdem inceſſus, præſefert exhibitionem cultus dicto Beato; cùm ex voto aſſumi, & palàm deferri non ſoleant hujuſmodi veſtes, niſi ad honorem Sanctorum canonizatorum, ut ſancti Dominici, ſancti Antonii Patavini, & ſimilium. Duodecimò, dicti teſtes deponunt, quòd ante reliquias dicti Beati recinuntur laudes in honorem ejuſdem ab immemorabili tempore, & ſcientibus, ac patientibus Ordinariis, Summario num. 27: quod exhibitionem publici cultus maximè denotat

nec non aliis cultûs indiciis.

28 Decimò tertiò, dicti teſtes deponunt de aliis ſpeciebus publici cultus Beato præſtiti cum dicta ſcientia, & patientia Ordinariorum, & expreſſis requiſitis ad probationem temporis immemorabilis, Summ. num. 28. Decimò quartò, accedunt antiquiſſimæ, & continuatæ aſſertiones ſcriptorum de beato Petro Armengol tamquam de Sancto, quarum duæ primæ præcedunt decreta per ſecula, & in altera ex eis refertur publicus cultus, Summar. num. 29. Et hæ quoque nuncupationes, quæ non niſi Sanctis conveniunt, important exhibitionem publici cultus ..

Decimò quintò (omiſſis legatis Miſſarum, & aliis pluribus ad honorem Beati geſtis, quæ in præterita poſitione conglobata fuerunt) pro coronide addendum, quòd hujuſmodi publicus cultus à Sancta Sede Apoſtolica approbatus extitit ex eo, quòd fel. rec. Urbanus octavus, decretorum auctor, die III Martii anno MDCXXVI, & ſic poſt annum à prima editione decretorum, quæ emanarunt die XIII ejuſdem menſis MDCXXV, ut ex libello pag. 2, conceſſit ſacerdotibus celebrantibus ad altare ſancti Petri Armengol indulgentiam pro anima cujuſcumque Fidelis, Summario num. 30. Et hæſitandum non eſt, quin ex tali conceſſione oriatur publicus cultus, ad Extravagantem Bonifacii ANTIQUAM de Pœnit. & Remiſſ., ubi elargiendo indulgentiam accedentibus ad baſilicam Principis Apoſtolorum, dicitur: " Ut autem beatiſſimi Petrus, & Paulus „ Apoſtoli, eo ampliùs honorentur, quo ipſo„ rum baſilicæ de Urbe devotiùs fuerint à fideli„ bus frequentatæ &c. „ ibique Gloſ. verb. CONFITEBUNTUR ſub verſ. PEREGRINATIO ... *&c.*, & admiſit reverendiſſimus promotor in ſua doctiſſima Diſſertatione pro cultu publico S. E Job num. 18. His ergo omnibus ſimul junctis plenè conſtat, à tempore immemorabili, hoc eſt, per centum, & plures annos ante decreta fuiſſe exhibitum publicum cultum beato Petro Armengol, & ſic præſentem cauſam verſari in caſu, ab iiſdem decretis excepto. Quare &c. Frigdianus Caſtagnorius è Colleg. Patr. Cauſ. S. P. A. Andreas Pierius ſubpromotor Fidei.

AUCTORE J. P.

§ IV. Depoſitiones teſtium ſingillatim referuntur è Summario proceſſus, quod confectum eſt ad probandum cultum Beati ab immemorabili tempore.

Teſtium E*Tiamſi hæc, quæ jam præmiſſa ſunt, abunde provèent in* B. Petro *eſſe caſum exceptum à decretis Urbani VIII; non abs re tamen erit* F *audire depoſitiones teſtium paucas è pluribus, in eodem Summario ſingillatim relatas, quibus ſuperiora illuſtrentur. Et ſuper cultu quidem reliquiarum* B. Petri Armengol *producuntur iſta in Summario ſub num.* 15. Primus teſtis Franciſcus Montaner ætatis annorum LXVIII .., reſpondit *hæc inter alia Italicè, quæ ſic reddè Latinè:* Scit iſte teſtis, dictum Dei Servum obiiſſe in ſupradicto eremitorio Dominæ noſtræ Pratorum, quod tunc temporis erat conventus beatæ Virginis de Mercede .., & ſacra ejus oſſa ac reliquias hodiedum aſſervari in eccleſia parœciali Guardiæ, ad latus Epiſtolæ, in altari majore eccleſiæ ſupradictæ intra capſam ligneam, ſculptam & deauratam, vitriſque clauſam, per quæ ſpectantur ſanctæ reliquiæ in concavo parietis, ferreis clathris clauſo, rectè cuſtoditæ ſeris tribus & clavibus, palmis viginti paullò plùs vel minùs à terra elevatæ ſine ſcala: & quando dicta capſa ſacrarum reliquiarum aperiri debet, portatilis ponitur ſcala, deditâ operâ in hunc finem confecta, pannis ornata: & quando ſupradicta capſa cum oſſibus ſanctis ſupradictis rediit ad deſtinatum, qui dictus eſt, locum, au-

AUCTORE J. P. fertur *ista* scala. *Hisce superaddit idem testis decentem hujus sacri depositi custodiam, quod magna cum veneratione reconditum asserit in dicta ecclesia oppidi Guardiæ prope Montis Albi oppidum. Plura de hoc argumento ex aliorum testium depositionibus non transcribo.*

depositiones: 30 *Addo tamen pauca è multis, quæ sub num.* 16 *deponit* secundus testis Hieronymus Carbonel ætatis annorum LXVII, *se* scire quòd ante incendium .. jam dictæ ecclesiæ esset digitus manûs supradicti Servi Dei inclusus hierothecæ argenteæ, quem digitum supradictæ ecclesiæ rector adorandum offerebat populo, vel alii ipsius loco sacerdotes, non tantùm festa ipsius luce, & in magno omnis populi circumvicini concursu, quando eum publicis precibus invocabant pro pluvia; verùm etiam in præcipuis anni festivitatibus populo Guardiæ: & quia fractum est, & quasi combustum incendio supradictum lipsanon, servatur *illud* in capsa in sacrario. *Sub citato suprà num.* 16 *continentur plura alia, quæ ad sacras easdem exuvias spectant, quæque inde paucis delibantur: videlicet* 10.

B *fida earumdem custodia per armatas personas, quando exponuntur tempore publicarum precum per dies novem pro obtinenda pluvia, nec non quando per integrum diem patent publicæ venerationi in altari quotannis festiva Sancti luce.* 20. *In conventu S. Francisci Montalbensi inter alias reliquias asseritur esse costula hujus Servi Dei, quæ unà cum illis exponitur publicæ venerationi diversis anni festivitatibus: & quando piè erga Sanctum affecti aliqua laborant necessitate, tendunt ad dictum conventum, ut pignus illud sacrum venerentur, Sanctoque se commendent.*

quibus 31 *Tertiò, mira sunt, quæ eodem num.* 16 Tertius testis Jacobus Balaguer I. U. D. annotum ætatis LVII, *deponit de furto reliquiarum miraculosè prodito per infantem unius circiter anni. Asserit itaque se* audivisse dici à multis personis, & quasi publicum ac notorium esse, haberique per traditionem certam & veram majorum, quòd occasione quadam multis abhinc annis .. infans ætatis anni unius, paullò plùs vel minùs, qui loqui non poterat, dixerit tunc matri suæ, furto auferri reliquias dicti Servi Dei

C Petri Armengol; & tunc à dicto infante manifestatum prodigiosè furtum, dictosque Religiosos (*Ordinis de Mercede*) magna cum sollicitudine currentes pervenisse ad pontem, qui vocatur Tabularum *, tribus quadrantibus distantem à dicto Guardiæ loco, & recuperavisse .. sanctas reliquias, ac retulisse ad locum suum supradictum, in quo semper fuerunt.

* *in editis delle tavole*

dicta superiora 32 *Quæ retulimus suprà num.* 24 *de* frequentia populi etiam processionaliter ad *Beati sepulcrum* invisendum confluentis; *declarantur in Summario num.* 17, *ubi suprà allegatus testis* Franciscus Montaner *deponit inter alia, multos supplicantium ritu illud visitasse ad consequendam pluviam, Sanctumque invocasse, ut hanc sibi à Deo impetraret. Ad hæc, in aliis etiam occasionibus concurrisse populum modo jam dicto ad illud sepulcrum, ac obtinuisse à Beato remedium, quo indigebat. Addit, eodem etiam die, quo celebratur ejus festum, tam frequentem hominum tamque continuam multitudinem concurrere, ut eodem quotannis festo & in occurrentibus, quas testis retulerat, necessitatibus, perrexerint visitare dictum sepulcrum, magna populi multitudine comitante. Asserit insuper doctorem Olaguer, archidiaconum majorem,* nomine archiepiscopi Tarraconensis anno 1662 *ecclesiam Guardiensem & sacras Sancti exuvias visitasse, ac ordinasse, ut novendiales supplicationes ordine suo fierent diebus singulis, suo cuilibet assignato die, ne altera supplicatio alteri occurreret, ac peragi possent magis piè ac quietè.* D

de cultu publico 33 *De appensis ad* B. Petri *reliquias & sepulcrum tabellis ac donariis breviter tractatur superiùs num.* 25: *verùm paullo latiùs & distinctius narrare illa juvat ex Summario num.* 19, *ubi* primus testis Franciscus Montaner, *idem qui suprà, deponit, ante Guardiensis ecclesiæ incendium, quod accidisse dicit tempore belli in Catalonia anno* 1648 *vel* 1649, *circumcirca concavum & sepulcrum, ubi deposita erant & sunt hodie Servi Dei reliquiæ, appensa fuisse multa donaria votiva, & miracula, in quibus depicta erat imago & figura ejusdem Servi Dei, nec non personæ, quibus facti erant favores, flexis genibus ante imaginem ejus jam dictam. Adde crura cerea, brachia, capita, & figuras ex cera omnes; involucra mortuorum, ferramenta, & alia religiosi affectus pignora, quæ implebant* F *& occupabant majorem parietis ecclesiæ valdè sublimis partem. Præter anathemata autem, quæ post restaurationem istius ecclesiæ oblata memorantur, testis idem deponit, post ejusdem restaurationem fuisse tabellam appositam, quæ cujusdam mulieris, è sublimi adificio prolapsa incolumitatem, Sancto patrocinante obtentam, repræsentabat.*

à tempore immemorabili 34 *Paucis etiam eodem num.* 25 *perstringitur argumentum pro cultu publico à tempore immemorabili desumptum è radiatis* B. Petri *picturis. Plura de hoc argumento sunt in Summario sub num.* 20, *unde delibo ista ad majorem rei explicationem. Idem* Franciscus Montaner *testatur, imagines in anathematibus vel tabellis votivis depictas, quæ ante incendium suprà relatum pendebant circumcirca Beati sepulcrum, globum vel nebulam albam, quæ eas circumdabat, repræsentasse sub ejus pedibus; supraque caput aliquot radios & splendares coloris aurei; in manu vero dextra palmum, in sinistra librum; infraque dictas tabulas aut anathemata fuisse inscriptum* ex voto. *Ex alia verò ejusdem testis* F *responsione, quæ sub numero antea designato habetur, discimus tabellas istas fuisse oblatas à fidelibus in gratiarum actionem, expressis personis, quæ illas offerebant, ac declarato etiam in specie miraculo, quod earum singulæ obtinuerant.*

magis 35 *Præmissa summatim de altaribus in Beati honorem erectis, ut indicatum est eodem num.* 25, *ulteriùs illustrari possunt ex responsione testis primi* Francisci Montaner, *qui in Summario sub num.* 21 *deponit, in eremitorio Deiparæ Pratorum esse altare ad cornu Euangelii, in quo inter alios Sanctos in eodem depictos,* Petrus Armengol *coloribus expressus est: & in ecclesia Miraculi, quo nomine vocatur conventus Patrum Mercenariorum supradicti oppidi Montis albi, statuam esse ligneam Beati ad cornu Epistolæ operè sculptorio, pictamque habitu candido, sicut repræsentatur S. Raymundus Nonnatus ex eadem Religione Mercenariorum, qui habetur ad cornu Euangelii ejusdem altaris. Addit, vicarios generales Tarraconensium archiepiscoporum vidisse imagines hasce expositas in istis altaribus, & non tantùm non contradixisse, sed ante illas etiam preces fudisse. Refert etiam,*

A *iam, ipſoſmet præſules Tarraconenſes ante Beati imagines oraſſe, unum videlicet ante illam, quæ eſt in æde ſacrâ Miraculi; alium verò idem feciſſe in eadem æde, & in eremitorio Pratorum.*

confirmantur 36 *Maximè ad hujus Servi Dei cultum illuſtrandum conducit, quòd in ejus honorem celebratæ ſint Miſſæ, ut antea dicebatur num. 26. Hoc argumentum pluribus confirmatur in Summario num. 22. Etenim* Jacobus Balaguer, *de quo ſuprà, deponit, in altari majore parœcialis eccleſiæ Guardienſis, quod valde vicinum eſt concavo, in quo ſunt ipſius reliquiæ, multas celebrari Miſſas cum & ſine cantu in honorem ejus: præſertim verò die 1 Septembris peragi ipſius feſtum, ac ſolenne celebrari Officium, faciente ad aram cum cantu prædictæ parœcialis eccleſiæ rectore cum diacono & ſubdiacono, & in iſta Miſſa ſolere prædicari laudes ac virtutes hujus Servi Dei: item cantari illa ſonorè ac ſolemniſſimè, ſacerdotibus aliquot aliiſque perſonis Officium obeuntibus in choro: Miſſam verò eſſe de uno Martyre, quæ, ut teſti videtur, incipit:* In virtute tua &c.; *hanc à ſe ita cantari audi-*

B *tam, & in oratione vel collecta nominari ſe audiviſſe nomen hujus Servi Dei: hoc autem modo ſemper à tempore immemorabili celebratas eſſe Miſſas in prædicto altari ad honorem ipſius.*

ac illuſtrantur. 37 *Deponit inſuper, multas in dicto altari Miſſas celebrari, quando propter neceſſitatem pluviæ exponuntur dictæ reliquiæ, atque etiam in altari eremitorii Deiparæ Pratorum, quando ibidem ſunt expoſitæ, non officio dumtaxat ſolenni, & concione, verùm etiam multis aliis Sacris, quæ fiunt; nec non poſtmodùm, dum à Deo pluvia obtinetur ipſius interceſſione, in ara majore parœcialis eccleſiæ Guardienſis celebrari Miſſam cum cantu pro gratiarum actione in honorem Domini Dei noſtri.*

§ V. Alia venerationis ſigna è dicto Summario; cultus ab Urbano PP. VIII promotus.

C *Beati feſtum* INformatio, *quam ſuprà dedimus, meminit num. 26 paucis verbis* de annua, & ſolenni feſtivitate in honorem dicti Beati cum plurimis circumſtantiis. *Longa admodùm ſunt teſtium depoſitiones in Summario ſuper hac materia num. 23: unde nonnulla è pluribus delibamus, quæ dicit teſtis primus* Franciſcus Montaner. *Deponit itaque, quotannis die prima Septembris peculiarem celebrari feſtivitatem in honorem ſervi Dei ſupradicti* Petri Armengol *in eccleſia parœciali Guardienſi ſub hac forma: Pridie ad horam Completorii pulſantur æra Campana per ſeſqui-horam & diutiùs, rectorque ejuſdem eccleſiæ ex abbatia uſque ad dictam eccleſiam progreditur, Juratis aliiſque nobilibus oppidi ejuſdem Guardienſis comitantibus: illos præcedit turba muſicorum, qui ordinariè veniunt ex oppido S. Columbæ, epiſcopatûs Vicenſis: rector autem ille eccleſiam ingreſſus, indutus ſtolâ ex panno bombycino operis Damaſceni, ac ſuperpelliceo, in eadem eccleſia Completorium cantat unà cum aliquot viris & junioribus dicti oppidi; omneſque canunt verſiculum, turbâ muſicorum verſiculos comitante, & dicto:* Salva nos &c., *rector induit pluviale rubrum operis Damaſceni, & ſe confert ad altare majus, dum interea temporis cantant* Nunc dimittis &c., *& ibidem canitur à rectore oratio Completorii: & mòx cantatur* Salve, *ac deinde* B. Petri *laudes, & in earumdem fine verſiculus & oratio ipſius, in qua etiam exprimitur nomen ejus. Poſtea datur ſignum ad ſalutationem Angelicam: eâque abſolutâ rector à Juratis & nobilibus præfati oppidi, ac muſicis reducitur ad ſuam abbatiam vel ædes.*

ſolenni ritu colitur apud Guardienſes: 39 *Longior ſim, ſi è Summario prædicto pluribus tranſcribam, quænam fiant in honorem Servi Dei ipſo feſto die. Utor itaque compendio. Pulſantur æra Campana per duas horas & ampliùs: comitatur rectorem prætor, Jurati & alii, ut ſuprà dictum eſt: dum eccleſiam ſunt ingreſſi, rector albâ, ſtolâ & pluviali rubro indutus, comitantibus diacono & ſubdiacono, ſe confert ad concavum, in quo aſſervantur reliquiæ, aperit cancellos ejuſdem ferreos, incipit cantare hymnum de Martyribus ad laudem Beati, &, clero ac populo dicti oppidi canium proſequentibus, thus ante illas adolet; finitiſque verſiculo & oratione de prædicto Dei Servo, iidem* B *rector, diaconus & ſubdiaconus magna cum veneratione capiunt reliquias, &, facta priùs incenſatione, demittunt per ſcalas, imponunt feretro vel tabernaculo, & ſtatim inchoant ſupplicationem generalem ſummâ cum ſolennitate per oppidum Guardienſe, quæ in dicto Summario deſcribitur. Poſt illam reliquiæ exponuntur in ſummo altari multis luminibus, ornamentis, nec non cuſtodibus ab oppido deſignatis: cantantur Beati laudes eodem modo, quo pridie poſt Completorium: inchoatur Sacrum ſolenne de Servo Dei: poſtquam verò recitatum eſt* Credo, *habetur ſermo ſacer ſuper Evangelio Miſſæ de Servo Dei, ut dictum eſt, nec non de magna excellentia ejus ac miraculis, virtutibus, ac rebus ab illo in vita geſtis. Abſoluto Sacro remanent reliquiæ in ara majore ad venerationem publicam tota die, ac tempore ejuſdem matutino audiuntur confeſſiones, & Euchariſtia Sacramentum à variis ſumitur. Ad veſperas autem concurrit frequens populus, & poſt laudes Beati cantatas rector Guardienſis decenter veſtitus reponit hierothecam in dicto concavo, &* F *cantantur hymnus, verſiculus reſponſorii, & oratio, clauduntur que cancelli ferrei tribus clavibus, quæ ſervantur à tribus diverſis perſonis.*

publicæ ſupplicationes in honorem ejus. 40 *Brevia ſunt, quæ informatio habet ſuperiùs num* 26 de delatione corporis .. in proceſſionibus ad impetrandum divinum auxilium in neceſſitatibus. *In Summario num. 24 ex depoſitionibus teſtis primi antea citati, & aliorum deducitur & confirmatur hic articulus. Ne modum excedat narratio, excerpam pauca ex dictis teſtis primi. Præter ſupplicationem ſolennem, quam haberi retulimus modo feſta luce Servi Dei apud Guardienſes; oſſa ipſius ſeu reliquias eâdem pompâ ac ſupplicationis ritu, quando inſtituuntur preces publicæ pro pluvia, deferri affirmat ad eremitorium Deiparæ Pratorum, ibique per dies novem diurno & nocturno tempore eaſdem pietati publicæ patére cum ornamentis, luminaribus, concurſu populi, & cuſtodibus &c: Supplicationi etiam religionem conciliari à mulieribus & puellis, albo veſtitu indutis, capillis paſſis, una manu Crucifixum, alterâ verò candelam accenſam geſtantibus: multus etiam perſonas nudis pedibus incedere: in Litaniis quoque majoribus, uti præmiſerat idem teſtis, quan-*

AUCTORE J. P.

ao deferuntur reliquiæ, invocari Servum Dei inter alios Sanctos: S. Petre Armengaude, ora pro nobis.

titulus Sancti ab immemorabili tempore; nomen Armengol datur infantibus:

41 *Titulum* Sancti *huic Dei Servo datum fuisse, vidimus in informatione superiore num.* 27: *quod diffusè probatur in Summario num.* 25 *ex dictis testium super ista nuncupatione à tempore immemorabili. Pro ea itaque ibidem indicantur publicus & modernus hujus tituli usus, personæ tam ecclesiasticæ quam seculares, nec non visitatores generales, & archiepiscopi Tarraconenses, inscriptiones antiquæ, oratio in Missa, laudes, quæ ante reliquias ejus canuntur continuè, litaniæ publicæ, de quibus modò dictum est.*

Summarium num. 26 *è testium depositionibus confirmat dicta informationis num.* 27 *de nomine hujus Servi Dei infantibus impositio, ac de veste Ordinis ejus, quâ induuntur. Audiatur testis primus* Franciscus Montaner, *qui deponit, se scire, quòd, quando infantes aliqui abluuntur sacro baptismo in ecclesia non tantum Montis albi & Guardiæ, verùm etiam in aliis*
B *circumjacentibus, eorum patrini inter alia nomina Sanctorum, quos Ecclesia honorat, tamquam tale apponant nomen* Armengol *nominibus aliis, quæ communiter habent, illisque adhæreat hoc nomen* Armengol, *dum vocant eos* Armengolet. *Deponit præterea, se scire, quòd, ubi aliquis dictorum locorum infans malè admodùm habet, & versatur in periculo mortis, parentes eorum emittant votum Dei Servo* Petro Armengol, *se curaturos, siquidem dictus infans salutem recuperet per ejus intercessionem; ut incedat vestitus habitu beatæ Mariæ de Mercede, sicut multi patres ac matres in hujusmodi occasione filios suos offerunt S. Augustino, S. Francisco, S. Dominico, aliisque Sanctis; & reipsa postquam infantes isti evaserunt morbum prædictum, incedunt publice vestiti eodem habitu de Mercede, quia idem hîc est, quem dictus Servus Dei gestavit, dum viveret, & cum eo mortuus est.*

Urbanus octavus non solùm non comprehendi Beatum voluit in suo decreto,
C

42 *Sæpe dicta informatio num.* 28 *meminit* de aliis speciebus publici cultûs Beato præstiti cum . . expressis requisitis ad probationem temporis immemorabilis. *Depositiones testium afferuntur in Summario num* 28 *circa varia puncta, de quibus ibidem est sermo. Quòd vero ad eorumdem antiquitatem attinet, de qua potissimum ibi agitur, ex iis, quæ deponuntur ex visu, ex auditu à parentibus, & ab his ex antiquiorum relatione, & ex continuatione venerationis publicæ non interpolata usque ad præsens tempus, quo vivebant testes, concludere licet, huic Servo Dei delatos fuisse honores cultûs publici, quales requiruntur, ut propter immemorabile tempus, quo illos habuisse probatur, excipiatur à decreto Urbani PP. VIII, qui litteris Apostolicis non tantùm gratum & ratum habuit* B. Petri *cultum, sed etiam promovit, prout constat ex indulgentiis, quas idem Pontifex concessit celebrantibus Missam ad ipsius altare. Litteræ autem illæ in Summario referuntur num.* 30, *& sic sonant:* Urbanus PP. VIII. Ad futuram rei memoriam. Animarum saluti paterna charitate intenti sacra interdum loca spiritualibus indulgentiarum muneribus decoramus, ut inde fidelium defunctorum animæ Domini nostri Jesu Christi ejusque Sanctorum suffragia
* *l.* adjutæ meritorum consequi, & illis ad vitæ * ex purgatorii pœnis ad æternam salutem per Dei misericordiam perduci valeant. D

verùm etiam indulgentias concedit celebrantibus ad ejus altare.

43 Volentes igitur ecclesiam domûs Fratrum Ordinis beatæ Mariæ de Mercede redemptionis captivorum oppidi Momblanch Tarraconen. diœcesis simili hucusque privilegio, ut accepimus, minimè decoratam, dummodò in ea decem quotidie Missæ celebrentur, & in ea situm altare sancti Petri Armengaudi nuncupati speciali dono illustrare, auctoritate nobis à Domino tradita, ac de omnipotentis Dei misericortiia, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, ut quandocumque sacerdos aliquis ejusdem ecclesiæ dumtaxat Missam defunctorum in die commemorationis defunctorum, & singulis diebus infra illius octavam, nec non secundâ feriâ cujuslibet hebdomadæ pro anima cujuscumque Fidelis, quæ Deo in charitate conjuncta ab hac luce migravit, ad prædictum altare celebraverit; anima ipsa de thesauro Ecclesiæ per modum suffragii indulgentiam consequatur, ita ut ejusdem Domini nostri Jesu Christi, ac beatissimæ Virginis Mariæ, Sanctorumque omnium meritis sibi suffragantibus à purgatorii pœnis liberetur, concedimus, & indulgemus, in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die tertia Martii anni millesimi sexcentesimi vigesimi sexti, Pontificatûs nostri anno tertio. V. Theatin. Loc. † sigilli. Revisa. Andreas Pierius subpromotor fidei. E

Alia nonnulla hîc omittimus brevitatis causâ.

44 *Catalogus scriptorum & historicorum de Servi Dei sanctimonia & cultu datur in Summario num.* 29: *sed nos illos memorabimus occasione Vitæ postea proferendæ. Animadversiones illustrissimi Bottinii archiepiscopi Myrensis adversus singulos quinque processus, Tarraconensem nimirum, Valentinum, Gerundensem, Guadicensem, ac Barchinonensem ab una parte; ab altera vero responsionem ad illas pro cultu immemorabili ac casu excepto hujus Servi Dei, ante me habeo: verùm quia in nimis longos scripta illa ac rescripta seu responsa me abducerent sermones, sufficiat novisse, post causam* B. Petri *diligenter actam, & accuratè discussam, à Sede Apostolica pronuntiatam esse sententiam in ipsius favorem, confirmato sacræ congregationis decreto per litteras in forma Brevis sanctæ memoriæ Innocentii XI, cultum* B. Petri *immemorabilem approbantes, ut jam videbimus.* F

§ VI. Publicus ab immemorabili tempore Beati cultus à Sede Apostolica confirmatus; deinde verò egregiè illustratus.

Cultus ab immemorabili tempore

IN *Bullario Ordinis B. M. V. de Mercede inter alias Innocentii PP. XI constitutiones profertur ista à pag.* 380: Innocentius Papa XI ad futuram rei memoriam. Nuper in causa Tarraconensi canonizationis B. Petri Armengol sacerdotis, ac Religiosi professi Ordinis Fratrum beatæ Mariæ de Mercede redemptionis captivorum, ad supplicationem dilecti filii Ferdinandi de Carvajal & Ribera vicarii & procuratoris generalis

A ralis ejuſdem Ordinis, à congregatione venerabilium fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium, ſacris Ritibus præpoſitorum, emanavit decretum tenoris, qui ſequitur; videlicet.

46 " Cùm aliàs ſub annum MDCLXXV, ſup-
per ſacram „ plicante R. P. M. Fr. Mathia de Cardona vi-
„ cario, & procuratore generali præfati Ordi-
„ nis, cauſa antedicti beati Petri Armengol, ad
„ relationem eminentiſſimi, & reverendiſſimi D.
„ Cardinalis de Portocarrero Ponentis ter fuerit
„ propoſita ſuper confirmatione ſententiæ latæ à
„ reverendiſſimo archiepiſcopo Tarraconenſi,
„ judice à ſacra Rituum congregatione delega-
„ to, circa cultum ab immemoriali tempore ei-
„ dem Beato exhibitum, & caſum exceptum à
„ decretis fœl. rec. Urbani VIII, in congrega-
„ tione ſanctiſſimæ Inquiſitionis editis, ob gra-
„ ves difficultates, à reverendiſſimo D. promo-
„ tore fidei excitatas, & defectu ſufficientis, &
„ legitimæ probationis dilata fuit reſolutio, ea
„ etiam mente in poſtrema ex dictis tribus pro-
„ poſitionibus, ut in poſterum ampliùs poſtu-
„ lationes non audirentur.

B 47 „ Verùm ad enixas preces R. P. M. Fr.
Rituum congregationem „ Ferdinandi de Carvajal & Ribera vicarii &
„ procuratoris generalis ejuſdem Ordinis, exhi-
„ bentis antiquiſſima documenta comprobantia
„ cultum per centum, & plures annos ante præ-
„ fata decreta, in præteritis propoſitionibus de-
„ ducta, die 2 Decembris anni MDCLXXXIV con-
„ ceſſa fuit nova audientia, & die XXVII Janua-
„ rii anni MDCLXXXV, referente eminentiſſimo
„ & reverendiſſimo D. cardinale Azzolino in Po-
„ nentem, loco dicti eminentiſſimi de Portocar-
„ rero archiepiſcopi Toletani ſubrogato, con-
„ ceſſæ fuerunt litteræ compulſoriales pro civi-
„ tate, & diœceſi Tarraconenſi, directæ illius te-
„ verendiſſimo archiepiſcopo, litteræ particula-
„ res pro aliis locis eorumdem reverendiſſimis
„ epiſcopis, hiſque legitimè impeditis, illorum
„ vicariis generalibus.

48 „ Quarum vigore conſtructis quinque pro-
declaratur, „ ceſſibus, nimirum Tarraconenſi, Valentino,
„ Gerundenſi, Guadicenſi, & Barchinonenſi,
„ ſacræque congregationi præſentatis, & ritè a-
„ pertis, ad ſupplicationem R. P. M. Fr. Ferdi-
„ nandi de Carvajal & Ribera propoſitum per
C „ dictum eminentiſ. & reverendiſ. cardinalem
„ Azzolinum dubium, an conſtet de cultu im-
„ memorabili, & caſu excepto à decretis fœl.
„ rec. Urbani VIII, ad effectum, de quo agi-
„ tur: eoque attentè diſcuſſo, atque audito ſcri-
„ ptis, & ore tenus reverendiſ. Promotore fi-
„ dei, ſac. congregatio unanimi voto cenſuit,
„ & declaravit conſtare de cultu immemorabili,
„ & caſu excepto, ſi Sanctiſſimo D. N. placue-
„ rit. Die XXIII Martii MDCLXXXVI. Et facta de
„ prædictis Sanctiſſimo relatione, Sanctitas ſua
„ benignè annuit die XXVIII Martii MDCLXXXVI.
„ N. Cardinalis Ludoviſius. Loco † ſigilli. Ber-
„ nard. Caſalius Sac. Rit. Cong. Secret. „

49 Cùm autem, ſicut præfatus Ferdinandus
& per Innocentium PP. XI procurator generalis Nobis ſubinde exponi fecit, ipſe decretum hujuſmodi, quo firmius ſubſiſtat, Apoſtolicæ confirmationis noſtræ patrocinio communiri plurimùm deſideret, Nos ipſum Ferdinandum procuratorem generalem ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodoli-bet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium AUCTORE J. P.
conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus ejus nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, decretum præinſertum authoritate Apoſtolica tenore præſentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus; ſalva tamen in præmiſſis authoritate memoratæ congregationis cardinalium.

50 Decernentes eaſdem præſentes litteras *legitimè*
ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere: ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, pleniſſimè ſuffragari: ſicque in præmiſſis per quoſcumque judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum palatii apoſtolici auditores judicari, & diffiniri debere: ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis authoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari: non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

51 Volumus autem, ut earumdem præſen- *confirmatur.*
tium litterarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam E
impreſſis, manu alicujus notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis eadem prorſus fides ubique habeatur, quæ ipſis præſentibus haberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. I. G. Slutius. *Difficultates illæ, de quibus ſuprà fiebat mentio in decreto ſacræ congregationis, conſiſtebant præcipuè in eo, quòd teſtes de immemorabili tempore deponentes non ſufficerent ad probandum cultum ſpatio centum annorum ante decreta. Hæ verò difficultates poſtea ſublatæ fuerunt, & evicta cauſa* B. Petri, *ſicut licet videre ſuprà § 2, num.* 17.

52 *Anno proximè ſequenti* 1687 *publica* Pe- *Ut Officium & Miſſa ſolenni ritu cum Octava*
tri Armengaudi *veneratio ad majorem ſolemnitatem evecta eſt per decretum ſacræ congregationis, ut in univerſo Ordine de Mercede redemptionis captivorum celebretur quotannis Officium & Miſſa de ipſo tamquam* martyre *ſub ritu duplici ſecundæ claſſis cum Octava, quod decretum ab Innocentio PP. XI confirmatum eſt, prout conſtat è dicto Bullario à pag.* 383, *ubi hæc ſunt:* Innocentius Papa XI ad futuram rei memoriam. Nuper ad ſupplicationem dilecti filii F
Bartholomæi de Ribero, vicarii & procuratoris generalis Ordinis Fratrum B. Mariæ de Mercede redemptionis captivorum, emanavit à congregatione venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium, ſacris ritibus præpoſita, decretum tenoris, qui ſequitur, videlicet:

" Cùm ſacra Rit. congregatio die XXIII Mar-
„ tii MDCLXXXVI ad relationem eminentiſſimi &
„ reverendiſſimi D. cardinalis Azzolini declara-
„ verit conſtare de cultu à tempore immemora-
„ bili præſtito dicto Beato, & de caſu excepto
„ à decretis fœl. rec. Urbani VIII, cum appro-
„ batione SS. D. N. ſubſecuta die XXVIII dicti
„ menſis, hodie ad enixas preces R. P. M. Fr.
„ Bartholomæi de Ribero, vicarii ac procura-
„ toris generalis prædicti Ordinis, eadem ſacra
„ congregatio, referente eodem eminentiſſimo
„ Azzolino, audito in voce, & in ſcriptis re-
„ verendiſ. D. fidei promotore, cenſuit concedendam eſſe omnibus Religioſis utriuſque ſexus ex præfato univerſo Ordine Beatæ Mariæ de Mercede tantùm, facultatem recitandi Officium, & celebrandi Miſſam in honorem dicti beati Petri Armengol de communi unius

„ Marty-

AUCTORE J. P.

„ Martyris quotannis die 1 Septembris anniver-
„ saria obitûs ejusdem Beati, cum lectionibus,
„ & oratione pariter de communi sub Ritu du-
„ plici secundæ classis cum Octava, ut in libel-
„ lo impresso Officiorum prædicti Ordinis, seu
„ Religionis, si SS. D. N. placuerit. Hac die
„ XXV Januarii MDCLXXXVII. Et facto de prædi-
„ ctis verbo cum SS., Sanctitas sua benignè an-
„ nuit die III Februarii MDCLXXXVII. N. Cardi-
„ nalis Ludovisius. Loco Sigilli „.

celebrari possint 1 Sept., conceditur toti Ordini de Mercede:

53 Cùm autem, sicut dictus Bartholomæus vicarius, & procurator generalis Nobis humiliter supplicari, & exponi fecit, ipse decretum hujusmodi, quo firmiùs subsistat, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri plurimùm desideret; Nos &c. *Deinde confirmat decretum sacræ congregationis. Verba non transcribo, quia legi possunt in altis ejusdem Sanctissimi litteris modo productis. Clausula est:* Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris, die XVIII Aprilis MDCLXXXVII, Pontificatûs nostri anno XI. I. G. Card. Slutius.

B

quod postea extenditur ad 27 Aprilis cum lectionibus propriis & oratione

54 *Cultus Martyris nostri illustrior evasit, quando sacra Rituum congregatio concessit, ut Religiosi omnes Ordinis B. M. V. de Mercede redemptionis captivorum, & moniales recitare & celebrare possent Officium & Missam cum tribus lectionibus, & oratione propriis, in festo ejusdem Martyris sub ritu duplici secundæ classis cum Octava, die XXVII Aprilis, qui natalis ipsi ad immortalem vitam fuit, & quò inscriptus deinde fuit in Martyrologio Romano. De hoc indulto agitur in Bullario Ordinis ejusdem à pag. 407. Officium ibidem præscribitur dicendum de communi unius Martyris tempore Paschali.* ORATIO: Deus, qui beatum Petrum Armengaudum martyrem tuum virtute constantiæ in passione roborasti; ex ejus nobis imitatione concede, ut tua charitate ferventes nulla sæculi adversa formidemus, & ipsius precibus & meritis tuo semper muniamur auxilio. Per Dominum nostrum &c. *Pro 1 Nocturno lectiones designantur:* Fratres debitores &c. *de communi plurimorum Martyrum. Narratio historica, è Beati gestis inserta secundo Nocturno intelligetur ex Vita, quam dabimus. In tertio Nocturno Homilia S. Augustini episcopi in Euangelium;* Ego sum vitis vera *de eodem communi.* MISSA: Protexisti, *cum oratione propria.*

C

legitimè approbatis.

55 *Post hæc sequitur in dicto Bullario pag.* 408 *hoc decretum:* Sacra Rit. congregatio inhærendo decreto Tarraconensi concessionis Officii & Missæ pro beato Petro Armengol seu Armengaudo Ordinis B. Mariæ de Mercede redemptionis captivorum, edito sub die XXV Januarii MDCLXXXVII, annuente etiam SS. D. N. die III Februarii ejusdem anni, suprascriptas lectiones, & orationem præfati Beati diligenter revisas & correctas per eminentissimum D. cardinalem Casanate, audito pariter reverendis. fidei promotore, approbavit pro Religiosis utriusque sexûs dicti Ordinis beatæ Mariæ de Mercede redemptionis captivorum tantùm, ac imprimi posse concessit, instante P. M. Fr. Bartholomæo de Ribero vicario & procuratore generali ejusdem Ordinis. Die XXIV Januarii MDCLXXXVIII. A. Cardin. Cybo. Locus † sigilli. Bernard. Casalius sac. Rit. Cong. sec. *Porrò nomen Beati Martyrologio Romano inscriptum, ut dicebam; sed post objectiones varias super hac re motas, ut jam patebit.*

D

§ VII. Dissertatio, an Beati nomen Martyrologio Romano inscribendum.

Objectio promotoris fidei

POstquam petitum esset Romæ, ut B. Petrus Armengaudus *inscriberetur Martyrologio Romano multas promotor Fidei ac varias opposuit animadversiones: ad quas edita Romæ prodiit responsio anno 1688 ad eminentissimum D. card. Azzolinum directa. Quia verò erudita hæc dissertatio habet unde curiosum lectorem pascat, illam subjungere hîc visum est:* Eminentissime ac reverendissime Domine. Adversus petitam descriptionem B. Petri Armengaudii in Martyrologio Romano reverendissimus D. Fidei promotor objicit decretum generale die XXX Julii anni MDCXVI, quo sacra hæc congregatio apponi mandavit in dicto Martyrologio Romano solùm Sanctos canonizatos; ac renovationem d. E
decreti factam die XXXII * Augusti MDCLXXX ob * XXXI
rationes ab eodem reverendis. D. promotore congestas in doctissima dissertatione, denuo eminentis. Patribus data; ac simul proponit considerandum, an pro dicto beato Armengaudio concurrant speciales circumstantiæ, quæ suadere valeant petitam concessionem non violare d. decretum generale, sicuti ponderatum fuit in simili descriptione B. Bernardi de Mentone, concessa di IX Augusti MDCLXXXI.

de Sanctis canonizatis tantùm inscribendis Martyrol. Romano

57 Pro removendo autem hujusmodi objecto, præmittendum est, quòd, licèt reverendis. D. promotor in dicta dissertatione plura adduxerit ad demonstrandum, quòd descriptio in Martyrologio Romano importet extensionem cultûs, nihilominùs sacra congregatio anno MDCLXXX hoc declarare minimè voluit; sed solùm jussit in posterum servari decretum anni MDCXVI, ut in fine d. dissertationis. Quapropter decretum anni MDCLXXX nihil plus continet, quàm præmemoratum decretum anni MDCXVI. Præmittendum quoque, quòd d. decretum MDCXVI emanavit, ne typographi in impressione Martyrologii adderent propria auctoritate Beatos, ut F
apertè suadent ipsa verba decreti, nimirum:
" Decretum anni MDCXVI pro Martyrologio im-
„ primen. Cùm illustriss. & reverendiss. D. car-
„ dinalis Bellarminus in congregatione sac. Ri-
„ tuum habita die XXX Julii MDCXVI proposue-
„ rit, nonnullos impressores librorum cupere de
„ novo Martyrologium Romanum imprimere,
„ & in eo addere Sanctos illos, & Beatos, qui
„ post ultimam editionem, seu impressionem d.
„ Martyrologii fuerunt canonizati, & declarati
„ Beati, eadem sac. congr. Rituum juxta men-
„ tem, & ordinem Sanctiss. D. N. Papæ respon-
„ dit, in Martyrologio Romano denuò impri-
„ mendo addendos esse Sanctos illos tantùm,
„ qui fuerunt canonizati, non autem qui decla-
„ rati fuerunt beati, post ultimam impressionem
„ d. Martyrologii, ac ita censuit, & declara-
„ vit „.

expenditur, & in favorem B. Petri

58 Et in hoc dictum decretum est conforme constitutioni Gregorii decimitertii Martyrologio præfixæ, quæ inhibet ecclesiarum præfectis, " ut
„ in peragendo divino Officio in choro, omni
„ alio Martyrologio amoto, hoc tantùm utan-
„ tur, nulla re addita, mutata, vel adempta;
„ &

A „ & ſi quos alios habuerint Sanctos in ſuis ec- „ cleſiis aut locis celebrari ſolitos, eos in hunc „ librum ne inferant, ſed ſeparatim deſcriptos „ habeant: „ quæ verba refert reverendiſſ. D. promotor in dicta diſſertatione ſub §. PAREN-DO IGITUR; ex iis etenim ſolùm inferri poterit, quòd propria auctoritate nemini liceat nomina virorum Dei addere in d. Martyrologio, ut egregiè advertit Caſtellin. de Certitud. glor. Sanctor. cap. 1, pun. 33, §. 6, pag. 61. col. 1, ubi ait: " Ex quibus verbis duo evidenter colliguntur: „ primum &c., ſecundum, quòd nulli liceat, in- „ conſulta Sancta Sede, nomina alicujus viri Dei „ inſerere in Martyrologio: „ & ad explanationem decreti anni MDCXVI, ſic intelligit eamdem conſtitutionem Gregorianam Pignatel. Conſult. canon. 63, num. 20, tom. 4, inquiens: " Pari „ modo ad id, quod dicitur ex Gregorio XIII, „ quòd ſcilicet prohibuerit inferi Martyrologio „ Romano Sanctos illos, de quibus ſpeciatim in „ aliquo loco fit Officium; reſpondetur, quòd „ in ejus litteris prohibetur tantùm horum San- „ ctorum in Martyrologio Romano deſcriptio B „ privata auctoritate, non autem auctoritate ec- „ cleſiaſtica, ut patet in pluribus &c. „. Sancta verò Sede conſulta & approbante, nec dicta conſtitutio, nec præfatum decretum anni MDC-XVI obſiſtunt, ſicuti obſervantiâ comprobatum eſt, dum ſucceſſivis temporibus ſacra congregatio indulſit, ut quamplures viri Dei, qui non fuerunt ſolemniter canonizati, apponerentur in Martyrologio, ex exemplis in Memoriali recenſitis, & obſervant Scacc. de Not. & ſign. Sanctit. ſect. 11, cap. 4 ſub initium pag. 884. Pignatell. d. Conſult. 63, num. 19, verſ. 2. QUIA, Guyet in Heortolog. lib. 2, ſect. 4, cap. 14, quæſt. 7, ad fin. pag. 213.

explicatur 59 His præmiſſis non videtur deneganda petita deſcriptio B. Armengaudii, qui duplici potiſſimùm ex fundamento non comprehenditur ſub dicto decreto anni MDCXVI, renovato anno MDC-LXXX. Primò, quia prohibitio dicti decreti expreſſè reſtringitur ad illos Dei Servos, qui declarati fuerunt beati poſt ultimam impreſſionem Martyrologii, ut ex verbis ſuprà proximè exaratis. Quamobrem dicta prohibitio non extenditur ad beatum Armengaudium, cui à ducentis C annis & ampliùs publicus cultus exhibetur, ut ex poſitione cultûs immemorabilis ab hac ſacra congregatione approbati die XXIII Martii MDC-LXXXVI, & in puncto advertit Pignatell. d. Conſult. 63, num. 19. Secundò, quia prohibitio dicti decreti reſpectu ſervorum Dei, qui titulo beatitatis ſunt inſigniti, loquitur de formiter ac recenter beatificatis, & nullum alium cultum habentibus; quàm qui in Brevi beatificationis limitatè conceditur quoad ſpecies ipſius cultûs, Beatis tantummodò concedi ſolitas, & hic propterea non ſolet extendi ante ſolemnem canonizationem; non autem de iis, qui ex cultu immemorabili venerationem habent per ſpecies cultûs proprias Sanctorum, ut ſunt. expoſitio reliquiarum ſuper altari, earumque delatio in ſolemnibus ſupplicationibus, titulus Sancti, altarium erectio, indulgentiarum elargitio, & ſimilia; quæ ad Sanctorum honorem fieri ab Eccleſia ſolent ex Cardinali Bellarmin. de Sanct. beatitud. lib. 1, cap. 10 per totum; quæ omnia in cultu publico, & immemorabili B. Armengaudii præſtita apparent ex dicta poſitione.

60 Ex hoc enim multiplici cultu à Sancta Se- de approbato potiùs reſultat ſpecies tacitæ & antiquæ canonizationis, quàm recentis beatificationis, & ideo non eſt inconveniens, ut deſcribantur in Martyrologio. Pignatell. cit. Conſult. 63, num. 12, 17, & 19, qui inſuper num. 17 & 19 advertit, quòd in Martyrologio Romano vix reperiuntur ducenti canonizati, inter tot Sanctorum millia, qui in eodem leguntur: & conferunt tradita per Gavant. in Rubric. Breviar. Roman. ſect. 1, cap. 5; tit. 2, num. 12, pag. 7 dicentem: " Strictim eſt accipiendum no- „ men SANCTI, hoc eſt, canonizati ab Eccle- „ ſia, SEU PER IMMEMORABILE TEMPUS HABI- „ TI PRO SANCTO, cui tantùm publicus, & „ univerſalis conceditur cultus à Gloſ. in cap. „ unico de reliq. & vener. Sanct. in 6 „: & deinde ſubdit: " Quod ideo monui, quia licèt in „ Martyrologio recenſeantur, non tamen in ri- „ gore appellantur SANCTI, & ibidem multi di- „ cuntur beati, qui nondum fuerunt canoniza- „ ti „. Ac idem docet Caſtellin. d punct. 33, § 1, pag. 59 aſſerens: " Non omnes equidem, „ de quibus fit mentio in Martyrologio Roma- „ no, univerſaliter loquendo, dici poſſunt ca- „ nonizati per Eccleſiam, cùm evidenter con- E „ ſtet in lectione ejuſdem Martyrologii noviſſi- „ mè editi à Cardinali Baronio, a Petro Gale- „ ſino, & ex aliis probatis auctoribus, multos „ ibidem contineri, qui necdum ſunt in verita- „ te per Eccleſiam Romanam canonizati, ſed „ neque ſimpliciter beatificati: „ idque compro- bat § 5, verſ. ID QUOQUE, pag. 60.

variorum ſcriptorum 61 Nec diſſenſit Sacchus à reverendiſſ. D. promotore citatus § ISTAQUE EST, dum ipſe d. cap. 4, pag. 855 in fin. concludit: " Supereſt „ igitur, ut ex Romano tantùm Martyrologio, „ emendato ſcilicet ſub fel. recor. Gregorio „ XIII, & noviſſimè juſſu Sanctiſſimi D. No- „ ſtri Urbani VIII recognito, ALIQUOD POSSE „ SUMI ARGUMENTUM efficax ad effectum cano- „ nizationis, & ſignanter quidem diximus, ali- „ quod poſſe ſumi argumentum, quia ex libris „ hiſtoricis (quorum auctoritas ab ipſorum ſcri- „ ptoribus pendet, quia aliquando in aliquibus „ decipi poſſunt) quamvis aliquod ſumatur ef- „ ficax argumentum ad id, quod quis ex illis „ probare intendit; non tamen adeo efficax, F „ quin poſſit aliqua ex parte infirmari, in quo „ genere Romanum Martyrologium reponitur, „ quod pluries emendatione indiguit &c „.

auctoritate 62 Et poſteà ſubdit; grave & validum argumentum ad effectum canonizationis ab eodem Martyrologio deſumi, ſi reliqua adſint adminicula juridicè probata de actis Servorum Dei, ut in verbis allatis à reverendiſſimo D. promotore d. § ISTAQUE EST. Quapropter ſola deſcriptio in Martyrologio Romano non præbet efficax argumentum ad effectum canonizationis. Atque idem cenſent P. Franciſcus Bivar in Comment. Marc. Maxim. opuſc. inſcript. S. Joannes Eremita indicatus § 4, num. 22, & P. Joannes Martinez de Prado Theolog. Moral. tom. 2, cap. 30, de Relig. qu. 7, § 2, num. 22. Et hunc decreti intellectum mirificè juvat ratio à reverendiſſ. D. promotore adducta in § 9 MOVEOR, quòd in formula indulgentiarum juſſu Sanctiſſimi Domini Noſtri impreſſa dicitur: " Che „ le imagini de Santi ſiano de canonizati, ô altri „ deſcritti nel Martyrologio Romano „ (*id eſt Latinè, ut ego hîc interſero:* Imagines Sanctorum ſint canonizatorum, vel aliorum deſcripto-

AUCTORE J. P. *allatâ*

AUCTORE J. P.

rum in Martyrologio Romano.) Ex quibus verbis non obſcurè colligitur, Martyrologium admittere alios præter canonizatos.

§ VIII. Diſſertationis prædictæ continuatio, in qua ſolvuntur aliæ adverſus eamdem inſcriptionem objectiones; obtinetur illa; Officium proprium ad Tarraconenſem diœceſim extenſum.

Inſcriptioni huic

NEque obſtare videtur, quòd ex tali deſcriptione in Martyrologio Romano cultus extendatur ad univerſalem Eccleſiam, cùm in omni choro ad Primam legatur idem Martyrologium. Quoniam, quidquid ſit de Servis Dei recenter
B beatificatis à Sede Apoſtolica cum limitata ſpecie cultûs, in quibus terminis intelligendæ ſunt auctoritates à reverendiſſimo D. promotore adductæ, in Servis Dei habentibus pleniſſimum cultum ex immemorabili, in particularibus eccleſiis talis extenſio non eſt prohibita; ut innuunt ipſa verba poſita in fine lectionis Martyrologii: " Et „ alibi aliorum plurimorum ſanctorum Marty„ rum, & Confeſſorum, atque ſanctarum Vir„ ginum. „ Quæ verba referuntur ad eos Sanctos, qui in particularibus eccleſiis coluntur, ſicuti ad rem noſtram ponderat Scacch. d. tract., ſect. 1, cap. 7, pag. 81, litt. a, inquiens: " Com„ munis quoque Eccleſiæ praxis plauſum popu„ lorum de ſanctitate alicujus prædefuncti ro„ borat, atque confirmat, ut nulla indigere bea„ tificatione, aut canonizatione ferè videatur, qui „ communi populorum voto Sanctus cenſetur, „ vel ſi [de] beatificatione, aut alicujus talis Dei „ Servi canonizatione agatur, præſtantiſſimum „ inde argumentum, & validum hauriri conſtat. „ Per totam namque Eccleſiam diverſis in epi„ ſcopalibus civitatibus, oppidis & locis plures „ Dei Servi coluntur, ad eorumdem honorem
C „ Horæ canonicæ celebrantur, & Miſſæ ſacri„ ficium ad illorum memoriam ſupremo Numini „ offertur, de quorum beatificatione & canoni„ zatione nihil certi habetur.

non videtur obeſſe,

64 „ Quia etiam plurimorum talium Servo„ rum Dei nomina ſub titulo ſanctitatis in Mar„ tyrologiis leguntur, quorum quidem tanta eſt „ multitudo, ut propterea in fine lectionis ejuſ„ dem Martyrologii addatur: ET ALIBI ALIO„ RUM PLURIMORUM SANCTORUM MARTYRUM, „ ET CONFESSORUM, ATQUE SANCTARUM VIR„ GINUM. Quibus quidem ſub titulis compre„ henduntur quotque * per orbem ſanctitatis ſub „ titulo à fidelibus venerantur, ut propterea ad „ effectum beatificationis atque canonizationis „ maximum inde hauriatur argumentum, quod „ aliquis Dei Servus pluribus in eccleſiis & diœ„ ceſibus Sanctus appelletur, ac ut Sanctus ve„ neretur „. Et hanc ſententiam confirmat Pappacoda epiſcopus Lycien. in Diſceptatione poſt quæſtiones moral. Juridic., Paſqualig. à reverendiſſimo D. promotore ſub §. ISTAQUE EST allegatus, qui pag. 129, num. 16 ait: " Sub „ cujus verbis (nempe, ET ALIBI ALIORUM &c.) „ legitur implicitè in ſingulis eccleſiis memoria „ cujuſlibet Sancti, qui in aliqua particulari ec- D
„ cleſia tantùm colitur „ ac dictam clauſulam ET ALIBI ALIORUM &c. fuiſſe additam pro Sanctis eccleſiarum particularium, de quorum ſanctitate per legitima documenta non conſtabat, notat ex Philippo Ferrario & aliis reverendiſſ. Matta de Canoniz. Sanct. par. 1, cap. 3, nu. 10, ſub verſ. PORRO &c. pag. 10.

quòd eâ Beati cultus

65 Fortiùs hæc procedunt reſpectu beati Armengaudii, qui poſt approbationem cultûs immemorabilis obtinuit à Sede Apoſtolica pro univerſo Ordine B. Mariæ de Mercede Officium & Miſſam cum lectionibus, & oratione propriis de Martyre. Quamobrem " conceſſo principali, „ concedi quoque cenſetur acceſſorium „ ut in propoſito inquit Guyett. dict. quæſt. 7. Et meritò, quia Miſſæ ſacrificium Deo offertur in honorem Sanctorum nomine totius Eccleſiæ. Auguſtin. Triumph. de poteſt. Eccleſ. qu. 14, art. 5, in corpore, Caſtropal. Oper. moral. tit. 5, tract. 4, diſput. 1, punct. 5, § 5, num. 6, verſ. QUIA EO &c., Panvin. in Relatione canonizationis S. Bonaventuræ in 1, præmiſſo 1, par. QUID SIT CANONIZATIO, poſt opuſcul. ejuſdem Sancti pag. 830, col. 1, ad fin. verſ. ITEM QUIA MISSÆ CE- E
LEBRATIO &c., & eſt cultus maximus quolibet alio, Caſtropal. d. § 5, nu. 7, verſ. ERGO SOLUM &c. tradens: " Eo ipſo, quòd concedit Ro„ mana Eccleſia Miſſam in honorem ipſius ce„ lebrari, illum pro Sancto veneratur, ſiquidem „ exhibet illi ſupremum cultum, quem adhi„ bere poteſt: „ & paulò infrà: " Si ergo Pon„ tifex eum dignum judicavit cultu, qui per Miſ„ ſam & Officium canonicum exhibetur, à for„ tiori dignus judicatus eſt omnibus aliis &c. „.

extendatur

66 Et quòd deſcriptio in Martyrologio Romano minor ſit conceſſione Officii & Miſſæ, eſt patens: nam ex tali deſcriptione non ſequitur, quòd poſſit recitari Officium & celebrari Miſſa, ut docent epiſcopus Ventimilienſis de Canonizat. d. S. Bonaventuræ ad Sixtum IV lib. 1, in reſponſ. ad 2, quæſt. 1, art. QUID SIT CANONIZATIO; Caſtellin. d. punct. 33, § 2 & 3, p. 90; Pignatell. cit. Conſ. 63, num. 14 in fine. Et liquet ex eo, quòd de ipſis Sanctis canonizatis, qui propria auctoritate ab impreſſoribus apponi poſſunt in Martyrologio Romano, ex De- F
creto anni MDCXVI fieri nequit Officium, nec celebrari Miſſa abſque ſpeciali indulto Sedis Apoſtolicæ, ex alio decreto hujus ſacræ congregationis, ut poſt Gavant. Barboſ., & Lezan. refert ad rem noſtram Pignatellus. d. Conſult. 63, num. 18. Quamobrem dum B. Armengaudius habet Officium & Miſſam ex conceſſione Sanctæ Sedis, facilius deſcribendus eſt in Martyrologio Romano ex traditis per eumdem Pignatell. cit. Conſult. 63, num. 9, & ſequen., ac præſertim 15 & 21.

ad univerſam

67 Hinc non obſtat, quòd poſt lectionem Martyrologii in choro ad Primam, ſtatim ab hebdomadario dicatur: Pretioſa in conſpectu Domini, & chorus reſpondeat: Mors Sanctorum ejus; idque fieri ad venerationem omnium Sanctorum, ex Ugon. de Sancto Victore, & ex Gavant. docet reverendiſſimus D. promotor in 6 § MOVEOR. Quoniam hæc verba canuntur ad venerationem in genere omnium Sanctorum, ut inquit idem Ugo de S. Victore loco per reverendiſſimum D. promotorem allegato, non autem ſpecificè referuntur ad eos, qui in Martyrologio lecti ſunt; imò ſolùm per dicta verba commemoratur pretioſa in conſpectu Domini Sanctorum

* *f.* quot-quot

A ctorum mors ; qui pretio ſanguinis emerunt immortalitatem ; omnes verò Sancti generatim invocantur per orationem proximè ſubſequentem : " Sancta Maria & omnes Sancti intercedant pro „ nobis &c. „ ut docet Card. Bona de ſingul. partib. divin. Pſalmo. cap. 16, § 19 ; num. 2 verò POST LECTIONEM pag. mihi 866 ; in qua oratione nulla fit relatio ad Sanctorum nomina recitata in lectione Martyrologii. Hæc igitur lectio continet ſolam memoriam abſque ulla nominum lectorum dulia, eſto quòd dicta memoria aliquam redoleat eorumdem laudem ; quam ex conſtitutione Gregorii XIII Martyrologio præpoſita ponderat reverendiſſimus D. promotor ſub §. PARENDO IGITUR.

68 Verum utcumque ſit ; veneratio, quæ oriri poſſit ex tali memoria, ſemel in anno ab omnibus choris facienda, minor profectò eſt recitatione Officii & celebratione Miſſæ, cujus ſacrificium ſingulis diebus in ſummum honorem B. Armengaudii nomine totius Eccleſiæ Deo offertur ex ſuperiùs dictis. Et ſicuti tot millia virorum Dei in Martyrologio Romano annotata fuerunt in ipſa illius compilatione abſque eo quòd à Sancta Sede canonizati extiterint, ſed ſolùm publicum cultum habuerint in eccleſiis particularibus ſine aliqua Apoſtolica conceſſione Officii & Miſſæ ; ita libentiùs annuendum eſt petitæ deſcriptioni beati Armengaudii, jam ab antiquiſſimo tempore pluribus locis cultu celebris ; dicto indultò Officii & Miſſæ propriæ de Martyre per univerſum Ordinem condecorati.

Eccleſiam :

B

69 At removetur omnis ambiguitas, etiamſi decretum ſac. congregationis editum anno MDCLXXX aliquid plus ſecum ferret, quàm præcedens decretum anni MDCXVI ; licèt ſimpliciter tunc innovatum, eo quòd anno proximè ſubſequenti MDCLXXXI ſacra hæc congregatio ; me ſcribente, conceſſit, ut apponeretur in Martyrologio Romano ſanctus Bernardus de Mentone, licèt non eſſet à Sancta Sede canonizatus ; ut refert reverendiſſimus D. promotor in hodiernis animadverſionibus §. ET IN EFFECTU : & quatenus reverendiſſimus D. promotor IBIDEM ſubdit ; ſed. appoſitionem non impugnaſſe, eo quòd ex adductis in ſupplici libello exiſtimavit, caſum non eſſe comprehenſum in dicto decreto anni MDCLXXX ; ſic comprehenſum quoque non eſſe caſum præſentem dicendum eſt ; nedum ob rationes huc uſque congeſtas, ſed potiſſimè quia eædem circumſtantiæ concurrunt pro B. Petro Armengaudio, immò & majores. Etenim pro ſancto Bernardo de Mentone in ſupplici libello tunc dato demonſtravimus, in nonnullis Pontificiis diplomatibus vocatum incidenter fuiſſe SANCTUM, ex qua huncupatione ſacra congregatio cenſuit ; non comprehendi ſub dicto decreto de Beatis loquente.

nam hoc argumentum ſicut non obfuit alterius Sancti inſcriptioni,

C

70 Pro beato verò Armengaudio non ſolùm adeſt nuncupatio SANCTI in pluribus documentis exhibitis pro dicta approbatione cultûs immemorabilis ; & præſertim in antiquo libello Officii & Miſſæ ad uſum Religionis, ubi dicitur : " In feſto SANCTI PATRIS NOSTRI PETRI AR- „ MENGAUDII martyris dup. 2 Claſſ. „ ut ex Memoriali & Summario pro obtinendis Officio & Miſſa ; ſed, quod magis eſt, ex Brevi indulgentiæ conceſſæ die III Martii anni MDCXXVI à ſel. rec. Urbano VIII ſacerdotibus celebrantibus ad altare ſancti Petri Armengaudii pro anima cujuſcumque Fidelis, Summario ſuper dicto cultu immemorab. num. 30, pag. 125 & 126 : ubi dicitur : " Et in ea (eccleſia) ſitum ALTA- „ RE SANCTI PETRI, ARMENGAUDII nuncupa- „ ti „. Hæc autem ſacri theſauri clargitio in honorem ſancti Petri Armengaudii non eſt ſimplex nuncupatio, ut ſunt enunciativæ Bullarum de ſancto Bernardo de Mentone, ſed diſpoſitiva conceſſio, quæ ſolùm fieri ſolet pro Sanctis, ex traditis in Extravaganti Bonifacii ANTIQUAM de pœnitent. & remiſſion., ibique Gloſſ. verbo CONFITEBUNTUR ſub verſ. PEREGRINATIO, & animadvertunt Card. Bellarm. cit. cap x, Baldell. Oper. moral. tom. 2, lib. 3, diſp. 13, num. 7 & 5 ; Caſtropal. lib. 4, tract. 24, diſp. unica, punct. 7 ſub num. 8 : plenè Pignatell. Conſult. canon. 252 per tot. tom. 1, & optimè omnium eminentiſſ. Lauræa in 3 Sentent. tom 3, par. 1 de fid., diſput. 6 art. 3, nu. 104, pag. 329, ex gratia videndus, & egregiè eminentiſſimus Capiſuccus in celebri cenſura cujuſdam libelli de Cult. Sanct. veter. teſtam. ſub §. IN ERECTIONE, ubi firmat, indulgentiæ conceſſionem tangere univerſalem Eccleſiam, & omnes fideles, quæ cenſura fuit ſacræ congregationi data impreſſa pro cultu S. Jobi die XXXI Auguſti anni MDCLXXX.

ſic multo minùs

AUCTORE J. P.

D

71 Et ex hoc clariùs patet, quàm ſit juri conſentaneum, ut in Martyrologio deſcribantur Sancti, in quorum honorem indulgentiæ à Summis Pontificibus conceſſæ ſunt, dum ad has concedendas Sancti debeant eſſe, vel canonizati, vel deſcripti in Martyrologio Romano, ut ſuperiùs oſtendimus ſub §. ſecundo QUIA ; in fine. Ac magis magiſque etiam ex alio motivo ipſius reverendiſſimi D. promotoris §. ſeptimo MOVEOR, quod nimirum agnoſcens ſel. rec. Alexander ſeptimus quanti ponderis ſit indulgentiarum largitio ad Sanctorum cultum ; eas concedi juſſit ſolùm Sanctis canonizatis, vel ſaltem beatificatis ; in Martyrologio tamen deſcriptis. Quamobrem cùm beatus, aut potiùs ſanctus Armengaudius ſacræ indulgentiæ honore decoratus eſſet, ei convenit annotatio in Martyrologio Romano. Et ex his liquet, hunc quoque caſum non comprehendi ſub dictis decretis annorum MDCXVI & MDCLXXX ex eorumdem germanis interpretationibus, circa quas liceat mihi verba Honorii III in c. IN HIS 30 de privileg. uſurpare : " In his, quæ ad cultum divinum facere di- „ gnoſcuntur &c., benigna potiùs eſſet inter- „ pretatio facienda „. Quare &c. Frigdianus Caſtagnorius, è Coll. Patron. Cauſ. S. P. Apoſt.

obeſſe debet, quò minùs nomen B. Petri in Martyrologium Romanum referatur :

E

F

72 *Quam verò ſuperior diſſertatio ſeverit ſatis animadverſionibus promotoris Fidei, liquet ex eo, quod ſacra Rituum congregatio decretum ediderit, ab Innocentio PP. XI approbatum, quo Beati elogium inſcribendum ſtatuit Martyrologio Romano die* XXVII *Aprilis in hac verba :* Tarracone beati Petri Armengaudi Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede redemptionis captivorum, qui pro Fidelibus redimendis in Africa multa paſſus, tandem in conventu Sanctæ Mariæ Pratorum beato fine quievit. *Decretum autem illud habetur in Bullario laudati Ordinis pag.* 409, *& ſic ſonat :* Cùm ſacra Rituum congregatio habita XXV Septembris MDCLXXXVIII, referente eminentiſſimo & reverendiſſimo D. cardinale Azzolino, audito pariter reverendiſſimo D. Fidei promotore in voce & in ſcriptis, declaraverit beatum Petrum Armengaudum non comprehendi in decretis de non apponendis Beatis in Martyrologio Romano, ideoque prædictum Beatum eſſe deſcribendum in Martyrologio Romano cum

id quod a ſede Apoſtolica

AUCTORE J. P.

verbis tamen pro elogio à sac. Rit. congregatione approbandis, si SS. D. N. placuerit; ad enixas preces R. P. M. Fr. Bartholomæi de Ribero vicarii & procuratoris generalis prædicti Ordinis: & facta de prædictis SS. relatione, Sanctitas sua benignè annuit die XIV Octobris MDCLXXXVIII.

obtinuit hujus causæ postulator.

73 Nunc verò eadem sacra congregatio, Ponente eodem eminentissimo & reverendissimo D. cardinale Azzolino, pariter supplicante R. P. M. vicario & procuratore generali, qui suprà, decrevit, ut eminentissimus & reverendissimus D. cardinalis Casanate pro suo arbitrio & prudentia dictum elogium componat. Vigore autem præfatæ facultatis sacræ congregationis ipse eminentissimus & reverendissimus D. cardin. Casanate suprascriptum elogium, ut jacet, fecit & approbavit, ac in Martyrologio Romano imprimi posse concessit. Die IV Decembris MDCLXXXVIII. A. Cardin. Cybo. Locus † sigilli. Bernardin. Casalius sac. Rit. cong. secr.

B *Lectiones & oratio propriæ ad diœcesim Tarraconensem extenduntur.*

74 *Anno proximè sequenti lectiones & oratio propriæ* B. Petri Armengaudii, *quas antea Ordini B. M. V. de Mercede concessas diximus, ad diœcesim Tarraconensem sunt extensæ per sequens decretum, quod exstat in Bullario ejusdem Ordinis pag.* 410: Sacra Rit. congregatio inhærendo decreto Tarraconensis concessionis Officii & Missæ pro beato Petro Armengol, seu Armengaudo Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede redemptionis captivorum, edito sub die XXV Januarii MDCLXXXVII, annuente etiam SS. D. N. die III Februarii ejusdem anni, lectiones & orationem proprias præfati Beati, diligenter revisas & correctas per eminentissimum & reverendissimum D. cardinalem Casanate, audito pariter reverendissimo Fidei promotore in voce & in scriptis, approbavit pro Religiosis utriusque sexûs dicti Ordinis. Nunc verò eadem sacra congregatio enixis & piis precibus R. P. Mag. Fr. Bartholomæi de Ribero, vicarii & procuratoris generalis prædictæ Religionis, præfatas lectiones & orationem proprias ut suprà approbatas pro dictis Religiosis, in posterum quotannis in cathedrali & diœcesi Tarraconensi, ubi corpus ipsius Beati requiescit, & magna veneratione colitur, liberè & licitè in die ejus festo ab omnibus utriusque sexus Fidelibus tam secularibus quàm Regularibus, qui ad horas canonicas tenentur, recitari posse concessit & indulsit, & ita servari mandavit. Hac die XXX Julii MDCLXXXIX. A. Cardin. Cybo. Locus † sigilli. Bernard. Casalius sac. Rit. cong. secret.

C

§ IX. Scriptores Beati memores; Acta; aliud de cultu & miraculis documentum; vitæ chronotaxis.

Scriptores, qui de Beato agunt,

PRæcedentibus attexere lubet nonnullos scriptores, *qui de Beato nostro tractarunt. Eorum catalogum contexit Summarium suprà identidem citatum, sub num.* 29, *ubi hæc referuntur:* Petrus Zijar inter 5 concl. 3, qui scripsit anno MCDXLIV, relatus ab Ildephonso Remon Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede &c. in Histor. Gen. Ord. Beatæ Mariæ de Mercede, impressa Matriti an. MDCXVIII, in margine fol. 190 terg. col. 2 ait: " In principio hujus Religionis D „ Frater quidam fuit in patibulo latronum sus„ pensus, eo quia infra determinatum tempus „ non potuit solvere pretium cujusdam Chri„ stiani, quem redemerat, & pro illo in pigno„ re captivitatis remanserat „. *Causa suspendii aliter narratur in Vita.* Raphaël Volaterranus lib. 21 Antropologiæ editæ anno MDIII, fol. 770, relatus ab eod. in d. margine col. 1 ait: " Inter hos sanctitate clarus Raymundus Nonat „ Hispanus cardinalis, & Petrus Armengol Ca„ thalanus „. Magister Franciscus Zumel post Constitutiones Ordinis impressas Salmanticæ anno MDLXXXVIII, fol. 77 ait: " Sequutus est rur„ sus institutum Redemptionis Beatæ Mariæ Bea„ tus & insignis ille Frater Petrus de Armen„ gol, qui pro redemptione tuenda gloriosè oc„ cubuit &c. „ Et prosequendo seriem ejusdem martyrii fol. 79 ait: " Nam deinceps B. F. Pe„ trus Armengol semper inclinato capite incessit „ &c., donec in cælestem illam beatitudinem à „ SS. Angelis deportatus est „. E

dantur

76 Philippus Guimera in Historia B. Mariæ de Mercede impressa Valentiæ anno MDXCI, fol. 57 (ex Summar. veter. pag. 317) ait *Italicè, quæ sic reddo Latinè:* " Fuerunt alii, qui vel „ fuerunt reipsa martyres, vel sua voluntate ex„ positi martyrio tales passi sunt cruciatus, ut „ eorum numero accenseri possint. Hi fuêre, „ primus glorioſus sanctus Raymundus Nonna„ tus cardinalis &c. S. Petrus Armengol. &c. „ Carolus Tapia in Authentica INGRESSI, verbo MONASTERIO cap. 37, n. 10. C. de Sacrosc. cult., impress. Neapol. anno MDXCIV, agens de Ordine B. Mariæ de Mercede, relatus in Responsione Juris D. Fatinelli data in sacra congregatione de anno MDCLXXV, ait: " Nec de„ fuere viri illustres doctrina, ac sanctitate &c., „ inter quos mirùm elucent S. Raymundus &c. „ Item Petrus de Armengol, qui etsi pro Chri„ sto martyrium susceperit, coronam tamen ulti„ mam non cepit, qui illæsus miraculosè serva„ tus in Hispaniam rediit, ubi sanctissimam ani„ mam Creatori restituit „. Arnoldus Vion * in libro inscripto Lignum Vitæ, impresso Venetiis anno MDXCV, par. 1, cap. 87, de Sanctis prædicti Ordinis, relatus in d. Responsione D. Fatinelli, ait: " Frater S. Raymundus Nonat. Hi„ spanus &c., S. Petrus Armengol Hispanus „.

* *l.* Wion

F

77 P. Vincentius Domenech, Ordinis Prædicatorum, in Historia generali Sanctorum Cathaloniæ impressa Barchinonæ anno MDCII, fol. 341 (*lib. 2 fol. 71 in ejusdem anni impressione, quam ante me habeo*) latè ex Summar. veter. pag. 314 ait: " Vita beati Fr. Petri Armen„ gol Religiosi Ordinis de Mercede, cujus cor„ pus habet multa cum veneratione locus Guar„ diæ archiepiscopatûs Tarraconensis „. *Ita sonant Latinè, quæ in Summario dicuntur Italicè.* Melchior Rodriguez, episcopus Rossensis, in libro Hispano idiomate inscripto Agricoltura dell' alma *, impresso Burgis anno MDCIII, tract. 1, cap. 6, fol. 49 proponens in exemplum patientiæ D. Petrum Armengol, relatus in d. Responsione Juris, ait: " (*Siquis*) est afflictus, & „ incarceratus, petat patientiam protomartyris „ Armengaudii „. *Reddidi ea ex Hispanico. Plures alios scriptores, qui Beatum nostrum laudant, subdit prædictum Summarium; sed omnibus hîc referendis supersedeo. Nunc de* B. Petri *Vita dicendum superest.*

ex Summario:

* *i. e.* Agricultura animæ

78 *Reverendissimus P. M. Fr. Marcus Salmeron,* *Beati Vita,*

A *meron, Ordinis ſæpe dicti Generalis, in ſuo Opere, quod Hiſpanicè vocatur* Recuerdos Hiſtoricos *&c., id eſt*, Recordationes hiſtoricæ *&c. anno 1646 Valentiæ excuſo, ſec. 1, recordatione 14, § 3, profert inſtrumentum hoc titulo notatum:* Copia inſtrumenti publici antiquiſſimi de vita & geſtis venerabilis Petri Armengol. *Documentum idem in Summario ſub num. 13 citatur* ex libro Capitulorum generalium Religionis B. Mariæ de Mercede redemptionis captivorum, proceſſ. Barchinonen. auctoritate Apoſtolica fabricato fol. 41 ter. *. *Atque hæc eſt Vita, quam ſuperiùs in Commentario citavi præſertim num. 10, ubi & laudavi illam. Et verò meretur æſtimari admodùm tamquam pretioſum, genuinum ac ſincerum antiquitatis monumentum, ſive locum, ſive perſonas, ſive modum, ſive tempus ſpectes, quæ in eodem relucent. Dabo mox Vitam iſtam, Annotatis illuſtratam, ex editis apud memoratum Martum Salmeronem cum exemplari, quod citabam ex Summario, collatam, poſtquam pauca dixero de alio documento.*

* *i. e.* à tergo, *ſeu* fol. 41 verſo.

B *& aliud fide dignum documentum*

79 *Edidit illud documentum laudatus Marcus Salmeron § 4 à pag. 115 hoc titulo:* Copia inſtrumenti publici tredecim teſtium declaratione confirmati, de miraculis venerabilis Fratris Petri-Armengol Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede redemptionis captivorum, & de cultu, qui eidem publicè exhibetur in oppido de la Guardia Tarraconenſis diœceſis. *Exordium ejus eſt:* Noverint univerſi, quòd anno à Nativitate Domini milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo ſexto, die ſeptimo Novembris, quòd * Dominus Michaël Segur presbyter & decanus Montis albi, diœceſis Tarraconenſis locum tenens, conceſſit facultatem, ut per notarium publicum Joannem Meſtre fieret declaratio juxta tenorem interrogatorii propoſiti à Patre Magiſtro Fratre Ludovico de Aparicio, & ferè omnes teſtes unanimiter declararunt, quæ ſequuntur *&c. In fine hujus inſtrumenti ſunt iſta:* Quæ omnia veriſſima, & omnibus nota prædicti teſtes affirmaverunt ſub juramento coram judice, & teſtibus. *Inſtrumentum illud hìc memoraſſe ſufficiat, cùm ſuperiùs de publico ipſius cultu ſatis ſuperque actum ſit, ubi & de miraculis; de quibus nihil vel parùm allatum modò teſtimonium refert; quod ab ibidem dictis diverſum ſit.*

* *redundat* quòd

C *de cultu ac miraculis ejus:*

80 *Audiatur textus:* Præterea certum eſt apud omnes & expertum, dictum ſanctum Petrum Armengol ſua interceſſione ſubvenire tam ægrotis, quàm aliis in tribulatione ad ipſum clamantibus præcipuè in tempore ſiccitatis. Viderunt enim quamplurimi quoties viget neceſſitas pluviæ, & defertur corpus dicti Sancti à parochiali eccleſia proceſſionaliter ad ſacellum beatæ Virginis Mariæ Pratorum, quæ eſt in termino ipſius oppidi, & quò conveniunt quamplurimi incolæ oppidorum circumcircà degentium, ferè in inſtanti pluit abundanter cælum, quamvis antea ſerenum eſſet.

vitæ chronotaxis.

81 *E notis chronologicis § 2 Commentarii prævii inſertis Beati vitam in hæc circiter tempora dividimus, natalem ejus tribuentes anno 1238, converſionem ad meliorem vitam ac inſtituti Religioſi exordium anno 1258, expeditionem ad redimendos in Africa captivos admodùm memorabilem, & inſigni miraculo honoratam, anno 1266, mortem anno 1304, diſertè in Actis authenticis ſignato: è quibus ſequitur, Beatum vixiſſe annis circiter 66. Bernardus de Vargas laboravit in anno mortis ſignando: Summarium enim ſæpiſſimè memoratum ſub num. 29 pag. 125 citat eum in ſua Chronica Ordinis B. M. V. de Mercede, Panormi edita anno 1619, lib. 1, cap. 40, ubi hæc ſcripſiſſe refertur:* Ut invenire poſſem, quo S. Petrus Armengol ſeu Ermengaud obierit anno, magnam per plures dies ſolertiam adhibui &c. *Reliquum eſt, ut proferamus ejus Vitam; cujus genuina & authentica narratio, irrefragabilium teſtium depoſitionibus confirmata, non immeritò dici poteſt ſupplerè ſuccinctam brevitatem, quâ conſtat.*

AUCTORE J. P.

ACTA

Ex oculatis & juratis teſtibus,

Edita à Marco Salmerone, Ordinis B. V. M. de Mercede Magiſtro Generali, quæ cum alia editione contulimus.

E

Teſtimonia omni exceptione majora

IN Dei nomine. Amen. Noverint univerſi, quòd anno à Nativitate Domini milleſimo tercenteſimo, quarto die *a*, qui computabatur quinto Nonas Maii, in Conventu Sanctæ Mariæ del Piug *b* Valentiæ in Capitulo generali Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede captivorum, venerabilis & Religioſus vir Frater Arnaldus Amerio *c*, Magiſter Generalis Ordinis ejuſdem, de conſenſu RR. Patrum vocalium * dicti Capituli mandatum fecit, quatenus omnes dictæ Religionis Fratres in Capitulo, ſive extrà reperti, quæ de quovis prædictæ Religionis Fratre jam defuncto ſcitu digna comperiſſent, coram me infraſcripto notario deponerent, cupiens in hoc laudabiliter continuare ſimile mandatum ſuperiori anno milleſimo ducenteſimo nonageſimo primo in Capitulo generali Ilerdæ *d* factum.

a

b

c

* *i. e.* qui jus habent ferendi in Capitulo ſuffragii

d

de Beati vita

2 Quo dicto mandato in Capitulo lecto, Fratres quidam, quorum nomina hæc ſunt, Frater Guillelmus Florentinus, Frater Petrus de Rochalaura * Commendator *e* domûs Sanctæ Mariæ de Pratis, Frater Guillelmus Poes *, Commendator Sanctæ Mariæ Montis Albi *f*, Frater Dominicus de Rivomajori, & Frater Petrus Dalmatius, dixerunt ſe ſcire non pauca de venerabili Fratre Petro Armengaudio *, receptoque ab ipſis juramento per dictum venerabilem Magiſtrum Generalem, depoſuerunt unuſquiſque, prout noverat: ex quorum depoſitionibus, quæ ſequuntur, ſunt comprobata, quòd dictus venerandus Petrus ex nobili genere Comitum de Urgel *g* natus in Cathalonia ad noſtrum Ordinem venit jam ferè juvenis *h*, cùm ad hoc, ut ipſum audierunt dicentem, cælitus eſſet admonitus.

F

* *al.* Rocalatura

e

* *al.* Poch

f

* *al.* Armengaud

g

h

in ſeculo & in Religione,

3 Erat enim priùs à patris domo fugitans, conſtitutus caput multorum, qui propter delicta erant in montibus, cum quibus, ut ipſe flens confitebatur, non parcens cædibus, viatoribus * & populis damna inferebat *i*, ſed jam in Religione anteriorem animi crudelitatem in fervidam charitatem commutavit: jejuniis & orationibus vivebat. Bis Fratres ad captivos redimendos eun-

* *al.* frequenter viatoribus

i

A tes comitatus est, donec anno superiori millesimo, ducentesimo sexagesimo sexto *k* missus in Africam, consumptâ totâ pecuniâ in redemptione, dolens, quòd non posset quosdam pueros *l* liberare *l*, & misso ejus socio prædicto, scilicet Fratre Guillelmo Florentino, libertatis facta conventione cum Barbaris ad certum tempus, intra quod pecunia ex Hispania portaretur, ille compedibus detinebatur.

miraculosa liberatione à morte

4 Cùm verò non posset prædictus Guillelmus tum propter difficultatem comparandi pecuniam, tum propter difficilem navigationem intra statutum tempus in Africam redire; quando aliquot elapsis diebus appulit, comperit Fratrem Petrum morti fuisse damnatum, & [in] ligno collo suspensum jam aliquot antè diebus, eo quòd propter defectum pactæ pecuniæ, quædam de contemptu sectæ eorum illi impegerant. Perrexit dictus Guillelmus, ut corpus humaret, dolens, tantum Fratrem amissum *: & ut pervenit ad eum flens, voluit illum deponere, quem vidit viventem, & sibi dicentem: Charissime Frater, ne fleveris, ecce enim Sanctissimæ Virginis manibus sustentatus vivus persevero, quæ mihi his diebus semper hilariter adfuit. Tunc lætus Guillelmus illum deposuit, mirantibusque cunctis, & Barbaris non credentibus, aliisque ex adsportata pecunia redemptis, læti in patriam rediêre.

** al. mendosè* amissurum

B

per Deiparam

5 Viderunt autem omnes supradicti Fratres, quòd reliquo vitæ suæ tempore obtorto collo, & marcido incedebat colore vultûs à tempore suspensionis prædictæ. Nonnullo decurso tempore cupiens ab omnibus se segregare *m*, in prædictum Conventum Sanctæ Mariæ de Pratis *n* se recepit, ubi continuis orationibus, & in pane & aqua jejuniis se affligebat. Concurrebant ad eum ex finitimis locis multi sanctitatis famâ permoti, ut eum in necessitatibus invenirent; quibus hilariter succurrebat, eosque curabat. Testati sunt autem prædicti Commendatores Sanctæ Mariæ de Pratis, & Sanctæ Mariæ Montis Albi, se illum pluries vidisse, cùm oraret, extra se factum in extasi, & in aëre elevatum, nihil sentientem, sed dulcissima verba loquentem, quibus, ut videbatur, Sanctissimæ Virgini Mariæ interroganti respondebat.

m
n

C

Virginem,

6 Postea ab ipsis interrogatus, quid sibi visum esset, & alia; semper respondebat: Nescio, Deus scit. Et prædicti Fratres Dominicus de Rivomajori, & Frater Petrus Dalmatius testati sunt, quod cùm sæpe de cælesti gloria loqueretur; recordabatur dierum, quibus in Africa fuit suspensus, & dicebat: Pensate, Fratres charissimi, cælorum regni quanta sint gaudia, si tormentorum pro Christo tantæ sunt deliciæ; & si mors ipsa pro Christo tam dulcis est, & tam jucunda ignominia, qualis erit cum ipso æterna visio, qualis gloria. Ego (credite mihi) nullos reputo me vixisse dies præter felicissimos illos paucos, quibus ligno suspensus mundo putabar jam mortuus. Et hæc dicens, spiritu raptus nihil aliud dicebat, quàm cum lacrymis repetere: Quando veniam, & apparebo ante faciem Domini?

ac pretiosa ejus, quam prædixerat, morte.

7 Postea morbo gravi oppressus, dictum Commendatorem Sanctæ Mariæ de Pratis vocavit, ab eoque sacram Eucharistiam petiit: devotè acceptâ, se postridie moriturum prædixit. Quo audito omnes Fratres Montis Albi advocati fuerunt, & die ab eo prædicto, qui fuit quinto Kalendas Maii *, proximè jam moribundus canebat: Convertere anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi. Postea se signo crucis muniens lætus dixit: Placebo Domino in regione vivorum; & sic sanctam animam Deo dedit. Convenerunt autem quàm plurimi populi, & mortuum Petrum Patrem lugebant. Antè autem, quàm humaretur, cùm omnes corpus viderent, & tangerent, inter eos tres viri, & quatuor fœminæ salvi facti sunt ab infirmitatibus, quibus laborabant. Quorum omnium prædicti Fratres testes oculati fuerunt. In quorum fidem præsens instrumentum à me infrascripto notario confectum jussu prædicti venerabilis Magistri, nominibus suis subscripserunt in dicto conventu, dictis die & anno.

** al.* Madii

D

Testium subscriptiones.

8 Et dictus dominus Magister mandavit, ut hoc instrumentum à me clausum & signatum portaretur in Conventum Barchinonæ, ut ibi in archivo perpetuò servaretur. † Sigillum *o* Fratris Guillelmi Florentin. † Sigillum *p* Fratris Petri de Rochalaura Commendatoris Sanctæ Mariæ de Pratis. † Signum Fratris Guillelmi Poes * Commendatoris Montis Albi. † Signum Fratris Dominici de Rivo Majori *q*. † Signum Fratris Petri Dalmatii laïci. Ego Frater Raymundus Ermengaud in Decretis licentiatus, notarius capituli, præsens fui his omnibus, & hoc instrumentum confeci die & anno præsignatis, & clausi de mandato dicti venerabilis Magistri Generalis in publica forma, & meum signum appposui †.

o

p

** al.* Poch

q

E

ANNOTATA.

a *Lege* quarto, die *&c.*, *sicut suadet sensus. Adi etiam infrà in his Annotatis lit.* m. *Vide Commentarium prævium num.* 10. *Hoc eodem anno, die* 27 *Aprilis obierat Beatus.*

b *Al.* Puig: *apud Marcum Salmeronem pag.* 112 *dicitur Hispanicè*, en el real convento del Puche de Valencia, *id est*, in regio conventu del Puche Valentino. *De templo S. Mariæ* de Podio *Fratrum B. Mariæ de Mercede Valentinæ diœcesis mentio fit in Bullario ejusdem Ordinis pag.* 55.

c *Al.* Amer. *Catalogus Magistrorum Generalium pag.* 8 *illum laudat, electumque scribit anno* 1301 *Podii, & anno* 1308 *ibidem loci obiisse.*

F

d Ilerda, *Hispanis & aliis* Lerida, *urbs Cataloniæ, suffraganea archiepiscopo Tarraconensi, ad Secoris fluvii ripam sita. Memorabilis est obsidionibus, quas sustinuit, ac præliis, quæ committi vidit ante suos muros seculo* 17.

e *Per hanc vocem intelligi officium seu dignitatem in Ordinibus militaribus Religiosis, dixi die* 31 *Augusti in S. Raymundo Nonnato pag.* 756 *lit.* a *in Annotatis. Hîc verò per hanc intelligo conventûs moderatorem seu superiorem.*

f Mons Albus, MONBLANCQ, oppidulum Hispaniæ in Catalonia, ducatûs titulo clarum, ad amnem Francolinum, 5 leucis à Tarracone in septentrionem, *ut observat Baudrandus. Loca quædam eidem vicina nominavi in Commentario num.* 1.

g *Hinc plùs quàm probabile mihi est, Beatum traxisse suam nobilitatem ex hoc illustri genere, de quo plura in Comm. num.* 2 *&* 3.

h *Anno circitèr Christi* 1258, *ætatis circitèr* 20. *Adi Comm. num.* 9.

i *De perditissima ejus vita in seculo agit Comm. num.* 4 *& sequentibus.*

k *Pro hoc anno potiùs* 1293 *ponendum esse, vult*

A *vult Catalogus Magiſtrorum Generalium. At vide præmiſſa in Commentario à num.* 10.

l *In Summario pag.* 30 *adduntur iſta* ; de quorum timebat fide , decrevit pro illis ipſe in carceribus permanere ; *& mox pergit* , & miſſo ejus ſocio *&c. Porrò de expeditionibus ejus ſacris in Africa tractat Commentarius prævius num.* 14. *Ibidem autem num.* 10 *dicitur* directus . . Buxiam (*immò* Bugiam) redemptor. *Eſt verò* Bugia *provincia & urbs Africæ. De utraque agit Thomas Corneille tomo* 1 *Dictionarii univerſalis geographici & hiſtorici pag.* 437 , *multa admodùm & curioſa de illa memorans , ſed valde prolixè. Brevior eſt Baudrandus , qui Bugiam provinciam ponit in regno Algeriano , & in maris Mediterranei ora , inter regnum Conſtantinæ ad Orientem , & Gezairam provinciam ad Occidentem. Bugiam verò urbem , ſynonymæ provinciæ caput , collocat in Barbaria regione , & in regno Algeriano : de cujus urbis portu in Mediterranei maris ora , ſinuque eidem adjacente etiam meminit.*

m *Marcus Salmeron , quem antea citavi ,*
B *dicit* § 5 *aliquem eſſe , cujus nomen non exprimit , qui dicat , anno* 1326 *Jacobum II Aragoniæ regem* Petri Armengaudii *merita magni facientem , & prodigii , quod in Africa illi contigerat , non ignarum , petiiſſe à Summo Pontifice , ut alicujus eccleſiæ Cataloniæ epiſcopatui ipſum præficeret , nec non à Pontifice expeditas fuiſſe Bullas , ut conſecraretur. Addit , hanc ſententiam fundari in eo , quòd in pictura quadam antiquæ eccleſiæ conventûs de Mercede Hiſpali pictus eſſet Beatus cum mitra ad pedes , quódque in capſa , in qua eſt corpus ejus , annu-* D *lus aureus eſſet inventus. At ſententiam hanc refutat ex vita ſolitaria ejus , de qua hîc :* Nonnullo decurſo tempore cupiens ab omnibus ſe ſegregare , in prædictum conventum Sanctæ Mariæ de Pratis ſe recepit , ubi continuis orationibus *&c. Deinde alia ſubjungit idem Salmeron contra hanc aſſertionem. Sed non obſervavit , fabellam hanc pugnare cum tempore. Quomodò enim Beatus noſter conſecrari potuit epiſcopus anno* 1326 , *qui , ut ſuprà diximus , jam ab anno* 1304 *è vita exceſſerat ? Cùm autem obitum ejus illiget Salmeron anno* 1300 *ex mala interpunctione Actorum* , anno milleſimo tercenteſimo , quarto die *&c.* , *ac Hiſpanicè vertat pag.* 112 el año de mil y trecientos , à cinco de las Nonas de Mayo , *dictus anachroniſmus habet etiam locum à fortiori , ut vocant , in iſto anno apud Salmeronem.*

n Conventus *ille (vel , ut ſuprà vocabatur,* domus) *apud Salmeronem* § 5 , *pag.* 117 *deſtructus dicitur injuriâ temporum : dum verò , uti addit , Ordinis Religioſi voluerunt auferre corpus ejus , incolæ oppidi hoc impediverunt , propter magnum erga illud pietatis affectum , capſa deauratæ hoc includentes , ſicut hodie exſtat , vitris circùm adornatæ. Plura de Beati corpore præmiſſa ſunt ſuperiùs in Commentario.* E

o *In Summario :* Signum † Fratris *&c.*

p *Ibidem :* Signum † Fratris *&c.*

q *Non eſt hæc ſubſcriptio apud Marcum Salmeronem , mendosè , ut ſupicor , omiſſa , cùm hic teſtis ſit unus è ſuprà notatis , qui & hîc apponitur in Summario.*

DIES SECUNDA SEPTEMBRIS.

SANCTI , QUI IV NONAS SEPTEMBRIS COLUNTUR.

S Anctus Antoninus martyr Apameæ in Syria.
SS. ſex mille ſexcenti viginti octo Martyres Nicomediæ. F
Item
S. Aithalus, S. Junius, S. Philippus, S. Theodotus } martyres.
S. Maxima M. Romæ.
S. Timotheus M. Antiochiæ.
Item
S. Aithala, S. Ammun } MM. Adrianopoli in Thracia.
S. Diomedes, S. Julianus, S. Philippus, S. Eutychianus
S. Heſychius, S. Leonides, S. Philadelphus, S. Menalippus, S. Pantagapa, S. Eutychius } martyres.
S. Euplus, S. Joſephus, S. Felix, S. Secundulus, S. Julius } martyres in Sicilia.
S. Facundinus, S. Juventinus, S. Peregrinus, S. Felicitas } martyres Ariminì in Italia.
S. Zenon, S. Concordius, S. Theodorus } filii ejus

S. Pa-

A S. Paternus tribunus
S. Theodote, uxor ejus
SS. milites LXVIII MM.
S. mater cum duobus filiis } Nicomediæ.
S. Serapion cum DXXII militibus.
Item
S. Cuſconus
S. Monolappus
S. Joſephus
S. Juſtus ep. Lugdunenſis conf., in Ægypti eremo.
S. Juſtus ſive Juſtinus ep. Argentoratenſis in Alſatia. B
S. Elpidius abbas, patronus oppidi S. Elpidii in Piceno.
S. Elpidius ſeu Helpidius epiſc. conf., Lugduni in Gallia.
S. Octavianus eremita confeſſ., prope Volaterras in Tuſcia.
S. Nonnoſus, præpoſitus monaſterii Montis Soractis, in Etruria Eccleſiæ. D
S. Juſtus epiſc. Claromontanus conf.
S. Coſmas eremita conf., Venetiis.
S. Agricolus conf. epiſc. & patronus Avenionenſis in Gallia.
S. Stephanus primus Hungariæ rex, Albæ regalis in Hungaria.
B. Brocardus, ſecundus Prior Generalis Ordinis S. Mariæ de Monte Carmelo, in Palæſtina. E
B. Margareta V. & M., Lovanii in Brabantia.
B. Jacobus M. } ex Ordine FF. Minorum, Mevaniæ in Umbria.
B. Philippus M. }

PRÆTERMISSI ET IN ALIOS DIES DILATI.

BEatorum martyrum Pontiani & Benigni *reliquiæ, à Baldrico epiſcopo Ultrajectenſi in cathedrali eccleſia collocatæ ad publicam venerationem, indicantur à Sauſſayo. Vide* XIV Januarii & XXVIII Junii.

Tranſlatio Agnetis in Trajectum *inter Auctaria ad Uſuardum noſtrum ſcribitur è Matricula Cartuſiæ Ultrajectinæ. Accedunt Florarium noſtrum Ms., Grevenus, Molanus, Caniſius. Pertinet Sancta hæc ad diem* XXI Januarii. C

S. Manſuetus epiſc. Mediolanenſis *hac die laudatur* in Breviario Ambroſiano aucto & recognito, *ſicut indicavimus ad diem, quo actum de illo eſt,* XIX Februarii.

S. Eucherii ep. Aurelianenſis, & monachi monaſterii ſancti Trudonis *meminit Kalendarium Ms. monaſterii S. Salvatoris Ordinis Ciſtercienſis. Vide apud nos diem, quo ſub ſolo* epiſcopi Aurelianenſis *titulo illum dedimus,* XX Februarii.

Ordinatio S. Gregorii PP., hujus nominis primi, anno ſalutis DXCII (*immo* 590) *memoratur in Florario noſtro Ms. Conſule Martyrologium Romanum die craſtina, &* XII Martii.

Sanctorum Euodii, Hermogenis & Calliſtæ germanorum paſſio *inſcribitur Martyrologio Romano. De his etiam mentio facta heri inter Prætermiſſos. Recurrunt iterum in Romano ad diem, quo nos illos dedimus,* XXV Aprilis.

SS. Alphii, Philadelphii, & Cyrini tranſlatio *notatur* Leontinis in Sicilia, *tamquam* urbis illius patronorum, *in Catalogo generali apud Ferrarium, & apud Octavium Caietanum in Idea Operis de Sanctis Siculis. Habentur iſti Sancti* X Maii.

S. Odulfi presb. & conf., Ordinis Canonicorum Regularium, tranſlatio *ſignatur in Florario noſtro Ms. Hunc Sanctum ſub titulo presbyteri Ultrajectini invenies* XII Junii. F

Eleazari pontificis, ac Phinees memoria *occurrit in Menæis magnis Græcis typo editis. Liber Joſuæ cap.* 24 ℣. *ultimo hæc memorat:* Eleazar quoque filius Aaron mortuus eſt: & ſepelierunt eum in Gabaath Phinees filii ejus, quæ data eſt ei in monte Ephraim. *Laudatur* Phinees *Numerorum cap.* 25. *Plura de his Scriptura ſacra.* Phinees *autem* juſtus, *quem in Menæis laudari diſtichо indicavimus inter Prætermiſſos die* XII *Martii, idem cum hodierno ibidem nobis viſus eſt. Vide* I Julii.

B. Albertani confeſſoris, Ordinis Carmelitarum *mentio fit in Additionibus Bruxellenſibus Mss ad Uſuardum Greveni. Nullum hujus nominis invenio in Actis Philippi à Viſitatione. Credo hic deſignari* S. Albertum *ex eodem Ordine, qui illuſtratus eſt apud nos die* VII *Auguſti, quo habetur in Martyrologio Romano. Vide itaque dicta eodem die* VII Auguſti.

S. Aniceti in Nicomedia. Item Photini cum ſociis ſuis *annuntiatur memoria è codice Roſweydino inter Auctaria ad Uſuardum noſtrum, & ex Greveno. Quibus adde Florarium*

A *rium noſtrum Ms. ac Martyrologium Caniſii, ut vocatur. Dedimus illos* XII Auguſti.

S. Feliciſſimæ virginis & martyris tranſlatio *ponitur* Viterbii *a Ferrario in Catalogo generali. Sanctam hanc habes apud nos* XII Auguſti.

S. Mamantis M. *meminerunt Menæa magna excuſa, laudaturque in Menologio, quod Latine vertit Cardinalis Sirletus. Plura diximus ad diem, quo actum de illo fuit;* XVII Aug.

S. P. N. Pauli junioris archiep. Conſtantinopolitani *annuntiatio exſtat in Menologio Sirletiano, quæ bis ponitur hoc eodem die in Menais magnis. Adi* XX Auguſti.

Auguſtoduno depoſitio beati Fiagri (*immo* Syagrii) epiſcopi *refertur in Martyrologio Ms. S. Maximini Trevirîs, pro qua etiam citari lego Ms. Bedam, ut vocant, S. Martini Tornaci. Martyrologium Gellonenſe tomo* 13 *Spicilegii Acheriani eumdem Præſulem etiam memorat. Adi quæ de hoc Sancto habentur* XXVII Auguſti.

S. Medericus abbas apud Eduenſem civitatem
B *notatur in Kalendario Ms. monaſterii S. Salvatoris Ordinis Ciſtercienſis, Maurolyco; qui* Pariſiis *eum annuntiat, ac Wione, ibidem loci* elevationem *ejus referente. De hoc abbate mentio etiam fit apud Whitfordum. Habetur apud nos* XXIX Auguſti.

SS. Dubitati, Tuſciæ; Valentini, *martyrum* Carthagine, natalis *ſignatur in Martyrologio, quod nomine S. Hieronymi presbyteri inſignitum edidit Acherius in Spicilegio tom.* 4. *Heſternum diem conſule* I Septembris.

S. Verena V. *habetur in Auctariis ad Uſuardum noſtrum. Actum de illa* I Septembris.

Sixti I ep. *Remenſis* depoſitio *ponitur hac die in Martyrologio Ms. S. Maximini Trevîris. Scripſimus de illo* I Septembris.

Geroldus, Sueviæ dux, *annuntiatur* in Germania, *ac* beati *titulo inſignitur à Caſtellano. Heri inter Prætermiſſos poſuimus ſynonymum Bavariæ prætorem, comitem & præfectum, ut ibidem vocatur. Non credo, hodiernum ab illo eſſe diverſum. Adeat itaque lector Prætermiſſos, quos dixi,* I Septembris.

Beati Albi martyris *mentio fit in Additionibus Mss. Bruxellenſibus ad Uſuardum Greveni.*
C *Martyrem hunc non novimus. Fortaſſis ſcribendum* Albini: *cujus nominis plures ſunt in noſtro Opere, ſicut in indice primi ſemeſtris ejuſdem licet videre.*

Joannes Teudriqui; *Magduni in territorio Aurelianenſi* } *primus tamquam* martyr, *omnes tamquam* beati *notantur in Martyrol. Franciſcano Arturi.*
Albertus Piſanus conf., Ordinis Seraphici generalis, *in Italia*
Maximus Zanzalinus conf., *Fabriani in Piceno*
Antonius de Ceriatana conf., *in civitate Pactenſi apud Siciliam*
Joannes Oſorius conf., *in Mexico*
Mentia Veles de Cœlis, virgo, *Conchæ in territorio Gienenſi*

Conſuli etiam de his & aliis poteſt Hueberus in Menologio Franciſcano, ubi ſine titulo beati *illos commemorat, excepto* Alberto.

Sancti patris noſtri Joannis Jejunatoris; patriarchæ Conſtantinopolitani *hac die memoriam celebrat Typicum S. Sabbæ, ut vocant, cui ſuffragantur multi tam impreſſi quàm Mss. Faſti Græci in muſeo noſtro aſſervati, quibus adde ſacras Moſcorum tabulas. Joannes Mola-*

nus eum etiam annuntiat in Additionibus ad D *Uſuardum, Græcos ſecutus. Verùm tametſi Patriarcha ille popularem ſanctitatis famam ſuerit adeptus (quam Baronius aliique ſcriptores Latini explodunt) cùm tamen S. Gregorius Magnus PP. indicet, eum monitis ſuis pertinaciter reſtitiſſe, ac in ſuperba tituli œcumenici uſurpatione perſtitiſſe uſque ad mortem, ex laudati Gregorii verbis concludi poſſe videatur; illum è ſacris Faſtis excludimus, ſecundum dicta de hoc argumento in Hiſtoria chronologica Patriarcharum Conſtantinopolitanorum ante tomum primum menſis Auguſti, parergo* 6, *pag.* 70* *& ſequentibus.*

S. Martini pontificis baſilicæ dedicatio *in* Corbeia monaſterio, *notatur apud Acherium tomo* 4 *Spicilegii in Martyrologio, S. Hieronymi presbyteri nomen præferente, litteris à textu diverſis.*

Coſmas Solimus C. *cum titulo* beati *exſtat in Acie bene ordinata Sanctorum ac Beatorum Ordinis Carmelitarum, ut vocant, per Philippum à Viſitatione: in Annotationibus autem Mss. ad prædictam Aciem annuntiatur alio* E *modo, videlicet:* B. Coſmas Hungarus, S. Bertholdi diſcipulus, Hieroſolymis ſanctiſſimè obiit ad annum MCXCVII. *Nihil de illo invenio hac die in Catalogis Sanctorum tomo* 2 *Speculi Carmelitani præfixis, nec aliunde novi quidpiam de hujus* Coſmæ *publico cultu: nullas item in dictis Annotationibus nominatur auctor, qui de eo agat.*

Maria à Jeſu vidua, Ordinis Dominicani, *laudatur ab Arturo in Gynæceo*, beata *vocatur, ac Toloſæ obiiſſe aſſeritur anno* 1616. *Vitam ejus ſcripſit Joannes à S. Maria Ordinis Prædicatorum parte* 2 *inter alias plures, quas edidit.*

Carpentoracti Oronii Modeſti epiſcopi, ſancti per omnia antiſtitis, *ex Menologio Scotico Dempſteri, quem ſecutus eſt Ferrarius in notis hac die ad* Gallanum. *In Scotorum ſcriptorum Nomenclatura lib.* 14 *ſunt iſta apud Dempſterum:* S. Oronius, cognomento Modeſtus, qui Orentius B; *id eſt, epiſcopus, & apponitur annus* CDXLV. *Titulus idem* ſancti, *& annus idem* Orontio Modeſto *adjungitur in noviſſima editione Galliæ Chriſtianæ tomo* I F *col.* 895; *ubi agitur de epiſcopis Carpentoractenſibus: ſed ibidem additur ignorari,* quibus ex monumentis memoria ejus deprompta ſit.

Alberti abbatis in Anglia *meminit Menardus in Martyrologio ſuo, Sancti titulo eum condecorans, atque præfuiſſe cœnobio Ripponenſi ſeu Rippenſi in diœceſi Eboracenſi indicans. Rogerius de Hoveden parte* I *Annalium;* Anno, *inquit,* DCCLXXXVII ſynodus congregata eſt in Pentecoſte IV Nonas Septembris, in quo tempore Albert abbas Hripenſis deceſſit. *S. Oſwaldus, ep. Wigornienſis & archiep. Eboracenſis, diœceſim ſuam luſtrans, in dicti monaſterii ruinis* divina revelatione didicit ipſo loco Sanctorum corpora condita eſſe . . ; *quæ* deinde cum tabula hæc continente reperta ſunt: Hic requieſcit S. Wilfridus antiſtes Eboracenſis, & reverendi abbates Tilbertus, Botwinus, Albertus, Signedus atque Wildenus. Reliquias autem repertas interim loco apto collocavit. Poſtmodum verò corpus S. Wilfridi in feretro decenter aptato cum reverentia condidit, *ſicuti dicitur apud nos in Vita ſancti Oſwaldi die* XXIX *Februarii pag.* 754.

A *Ex his publicus* Alberti *cultus ſufficienter probari non videtur, de quo deſideramus certiora documenta.*

Clemens Gimenez, monachus Vallis-paradiſi, regularis obſervantiæ Ordinis Ciſtertienſis, *ponitur* in Hiſpania *à Chryſoſtomo Henriquez in Menologio ejuſdem Ordinis, ſolo* venerabilis patris *titulo donatus, ac laudatus. De illo etiam agit Chalemotus.*

SS. epiſcoporum Colmanni & Agricolæ Avennicæ civitatis *meminit Florarium noſtrum Ms. De* S. Agricolo *agemus hoc die.* Colmannus *autem inter epiſcopos Avenionenſes nullus comparet.*

Maneus epiſcopus *titulo* ſancti *inſignitur apud Colganum in notis ad ſecundam partem Vitæ ſeptimæ tripartitæ S. Patricii, pag.* 176, *num.* 71, *ubi ad illud, quod habetur in dicta Vita pag.* 134 *num.* 35 baptizavit Manéum ſanctum, *obſervantur iſta:* Marianus Gormanus & Martyrologium Dungallenſe ponunt natalem ſancti Manei 2 Septembris, & alterius Manei, quem filium Eugenii vocant, XXI Novembris. B Prioris .. genus in eodem Sanctilogio cap. 10 ad Olildam prædicti fratrem (à quo & regio illa Connaciæ, Tirolilda dicta, in qua ſanctus Maneus erat epiſcopus ordinatus, nomen ſumpſit) his verbis refertur: " Sanctus Maneus epiſcopus, filius Cœchani, „ filii Erei, filii Roſſii, filii Olildæ, filii Eo„ chodii Nœmedonii „. *De hoc epiſcopo nihil hactenus reperi in noſtris documentis Mss., quæ aſſervamus de Sanctis Hibernia, ita ut inter hujus diei Sanctos ei locum non dem, donec majores de illo notitiæ affulgeant.*

Blondæ viduæ, tertiariæ, Ordinis Servitarum *memoria* Verruculi in Æmilia, diœceſis Ariminenſis *annuntiatur ab Arturo in Gynæceo, ac* beatæ *titulo donatur.* Biudam *vocat cum eodem titulo Archangelus Gianius in Annalibus Ordinis prædicti centuriâ* 2, *lib.* 4, *cap.* 13 *ad an.* 1411, *ſcribitque de geſtis & obitu ejus, alioſque nominat in ſuis ad idem caput annotationibus auctores. Illam nos venerabilibus annumeramus, donec de publico ipſius cultu conſtiterit.*

C S. Tobias propheta *annuntiatur cum elogio in Florario noſtro Ms., qui in Caniſii ac Greveni Martyrologiis etiam ſignatur.*

Joannis & Almachii martyrum *annuntiatio ponitur in Additionibus Bruxellenſibus Mss. ad Uſuardum Greveni. Inter Auctaria ad Uſuardum noſtrum è codice Victorino referuntur duo iſti diſtinctiùs, & additur tertius:* Civitate Brugdunenſi, paſſio ſancti Antonini levitæ, cum Joanne presbytero, & Almachio puero. *Vide hoc die in S. Antonino.*

S. Ariſtionis, & aliorum Martyrum *meminit Florarium noſtrum Ms. De illo etiam agunt Galeſinius, ac Ferrarius in ſuo Catalogo generali. Vide dicenda* III Septembris.

S. Remacli epiſcopi & conf. *mentio adjicitur in Martyrologio, quod nomine S. Hieronymi prænotatur, & editum eſt in Spicilegio Acherii tomo* 4, *diſtinctis à textu litteris exarata. Dabitur hic Sanctus* III Septembris.

Aigulphi abbatis & martyris, cum ſociis ſuis *memoria habetur è Matricula Carthuſiæ Ultrajectinæ inter Auctaria ad Uſuardum noſtrum. Agetur de illis cum Martyrologio Romano ad diem* III Septembris.

S. Manſuetus epiſc. *Tullenſis refertur inter Auctaria ad Uſuardum à nobis editum. De eo* D *agemus, die, quo eſt in Martyrologio Romano,* III Septembris.

B. Olphini triceſimi epiſcopi *Remenſis meminit noſtrum Martyrologium Ms. S. Maximini Trevir. Voluerit fortaſſis ſcribere* Tilpini (*aliàs* Turpini) *qui habetur in Gallia Chriſtiana apud Sammarthanos, ac Marlotum tom.* 1 *Metropolis Remenſis à pag.* 311 *ſine ulla publici cultûs nota. At Molanus in Additionibus ad Uſuardum anno* 1568 *editum ſic ſcribit:* Remis depoſitio S. Alpini epiſcopi. *Additiones autem Bruxellenſes Mss. ad Uſuardum Greveni ita habent:* Remis ſancti Albani epiſcopi. *Apud Caniſium* Alpinus *vocatur, ut ſuprà; adde Ferrarium, qui in notis,* Cùm, *inquit,* in Tab. epiſcoporum Remenſium apud Democharem non reperiatur, vereor ne is epiſc. Catalaunenſis ſit: de quo infrà die VII hujus. *Verùm ab his omnino diverſa ſunt, quæ in apographo noſtro, manu Petri Franciſci Chiffletii noſtri exarato, lego inter alia, quæ de S. Æmiliano epiſcopo Nanetenſi ac martyre idem Chiffletius tranſcripſit,* E *& de quibus actum eſt ad diem* XXV *Junii in mox dicto præſule à pag.* 79; *in iſto, inquam, apographo hæc lego:* In Ms. codice, poſt Calixtum II de miraculis S. Jacobi, & geſta Karoli magni in Hiſpania, auctore Turpino, de iſto hæc habentur: " Beatus Turpinus Re„ menſis archiepiſcopus, Chriſti martyr, poſt „ Karoli regis mortem modico tempore vi„ vens, apud Viennam doloribus vulnerum „ & laborum ſuorum anguſtiatus, morte mi„ gravit ad Dominum, & ibi juxta urbem, „ ultra Rhodanum ſcilicet, verſus Orientem „ in quadam eccleſia olim ſepultus exſtitit. „ Cujus ſanctiſſimum corpus noſtris tempori„ bus quidam ex noſtris clericis in quodam „ ſarcophago optimo, epiſcopalibus veſtibus „ indutum, pelle etiam propria & oſſibus ad„ huc integrum invenerunt: & ab illa eccle„ ſia, quæ erat vaſtata, detulerunt illud ci„ tra Rhodanum in urbem, & ſepelierunt in „ alia eccleſia, ubi nunc veneratur. Modò „ coronam victoriæ obtinet in cœlis, quam „ multis laboribus acquiſivit in terris „. *Geſta Caroli magni, quæ ſuprà Turpino archiepiſcopo tribuebantur, tamquam apocrypha rejiciuntur à non paucis ſcriptoribus. Vide Sammarthanos in archiepiſcopis Remenſibus pag.* 482, *Marlotum Hiſtoriæ metropolis Remenſis lib.* 3 *pag.* 315, *Cointium Annalium Francorum tomo* 6, *ad an.* 800, *num.* 89, *& Longuevallium tomo* 4 *Hiſtoriæ eccleſiæ Gallicanæ, ad annum* 775 *pag.* 481. *Qualis autem ſit* beatus *iſte* Turpinus martyr, *non novi. Enimverò* B. Turpinus M. archiepiſcopus Remenſis *nuſquam comparet in catalogis iſtorum epiſcoporum. Tomo* 2 *Januarii die* 28 *in Prætermiſſis diximus, ſynonymum referri iſto die &* Sanctum *appellari à Galeſinio & Ghinio; ſed non habere cultum, etiamſi fuerit præclarus antiſtes; obiiſſe verò* 2 *Septembris. Si timor Ferrarii antea citati ſubſiſtat; mittendus eſt lector ad diem, quo de* S. Alpino *Catalaunenſi epiſcopo agetur,* VII Septemb.

Gallani abbatis *mentio fit hac die in Menologio Scotico Dempſteri, Breviarium Scoticum maximè, Aberdonenſe appoſitâ litterâ* B *indicantis. Idem auctor in Scriptorum Scotorum Nomenclatura lib.* 7 *dicit:* S. Gallanus abb. DCVI. *Hiſto-*

A *Hiſtoriæ eccleſiaſticæ gentis Scotorum lib.* 7 *in principio ſcribit de* ſancto, *uti eum vocat*, Gallano, *abbatis titulo etiam illum nuncupans.* Floruit, *ait pag.* 299, anno DCVI: depoſitus eſt anno DCXXIII. Colitur die XI Septemb. *At in dicto Dempſteri Menologio nullus tunc* Gallanus *comparet. Fruſtra quoque in documentis Mss., quæ de Sanctis Scotiæ aſſervamus, illum quæſivi. Hector Boethius in Hiſtoria Scotorum lib.* 9, *fol.* 166 *verſo hæc ſcribit:* Venêre cum eo (*S. Columbâ*) in Albionem viri duodecim Chriſti dogmate inſigniter imbuti, ſed magis longè ſanctiſſimis decorati moribus, *quos deinde nominat, & quibus annumerat fol.* 167 Gallanum. *Et ſic ibi pergit:* Hi viri, Columba in Hiberniam tranſmittente, ſedem ſtatuentes in Jona inſula, Scotorum Pictorumque regiones piis luſtrando ſudoribus; docendo, diſſerendo, ſcribendo, utrumque populum optimis moribus & religione imbuerunt. *Fuit itaque* Gallanus *hic* ſanctiſſimis moribus, *& ſpiritu apoſtolico præditus; ſed an cultu publico honoratus?*

B *Ferrarius quidem in Catalogo generali ſic illum annuntiat:* In Scotia S. Gallani abbatis, *dicens in notis* ex Martyrol. Scotico. Vixit circ. an. ſal. DCVI ex lib. 7 Hiſt. de ſcript. Scot. De eo in Brev. Scotico; *verùm quidquid de illo refert, ex Dempſtero hauſit, fabularum conſarcinatore, atque adeo melioris notæ teſtimonia de publico* Gallani *cultu requirimus: de illo vix audeo plura ſperare citato ſuprà die* XI Septembris.

S. Adamanni (*al.* Adamnani) abbatis Huenſis *memoria ponitur* in Scotia *a Ferrario in Catalogo generali*, ex Martyrologio Angl. Claruit circ. an. DCXX. De eo Beda *lib.* 5, *c.* 16 *Hiſt. Angl.*, *Trit. lib.* 3 *cap.* 153, *Sixtus Senen. in Biblioth. lib.* 4, qui illum ſub Juſtiniano juniore an. DCXC floruiſſe ſcribit, *ſicut obſervat idem Ferrarius in notis. Sanctus hîc in variis Faſtis aliis refertur die, quo & apud nos dari poterit, nec non examinari ea, quæ ad ipſum ſpectant,* XXIII Septembris.

Apud Dononium elevatio corporis ſanctæ Ragenfredis virginis *ponitur in Auctariis ad Uſuardum à Molano editum: de qua etiam Wion ac Menardus, adde Ferrarium in Catalogo generali. In Prætermiſſis die* 1 *Julii dilata eſt ad* VIII Octobris.

C Augariſinæ abbatiſſæ anno ſalutis DCLXV *commemoratio eſt in Florario noſtro Ms. Caſtellanus ad diem* XIV *Octobris mutato paululùm nomine, in hunc illam refert modum:* Oratorii (*in Gallico* A Oroir) in territorio Bellovacenſi S. Angadriſma (S. Angadrême) virginis, abbatiſſæ iſtius loci, patronæ Bellovacenſis: cujus reliquiæ honorantur in iſta urbe in eccleſia collegiata ſancti Michaëlis. *Apponit autem in margine* verſus *annum* DCXCVIII. *In Prætermiſſis die* XXVII *Martii vocata à nobis fuit* S. Andragiſiña, *ex hagiologis monaſticis Benedictinis relata, ac ab eodem die dilata ad* XIV Octobris.

D Omnium Patronorum & reliquiarum diœceſis Oſnabrugenſis feſtum *ritu duplici celebratur hac die cum Officio proprio ac Miſſa, anno* 1652 *editis auctoritate & juſſu illuſtriſſimi D. Franciſci Guilielmi epiſcopi: Sunt autem*

S. Petrus apoſtolus.
SS. Criſpinus & Criſpinianus
S. Hermagoras ep. Aquileienſis
S. Pirmerius ep. Cremonenſis
S. Gosbertus ep. Oſnabrugenſis
S. Procopius
S. Leontius
} martyres.

E
S. Wiho ep. Oſnabrugenſis
S. Adolphus ep. Oſnabrugenſis
S. Carolus M. imperator
} confeſſores.

B. Regina
B. Juliana
B. Cordula
B. Cordua
} virgines & MM. è ſocietate S. Urſulæ.

In Officiis propriis prædictæ eccleſiæ ſeorſim etiam celebrantur Criſpinus & Criſpinianus *die* 25 *Octobris:* Hermagoras *die* 12 *Julii:* Pirmerius *die* 22 *Octobris:* Gosbertus *die* 3 *Februarii:* Procopius *die* 8 *Julii:* Leontius *die* 24 *Aprilis:* Wiho *die* 20 *Aprilis:* Adolphus *die* XI *Februarii:* Carolus *die* 28 *Januarii:* Urſula *cum ſociabus* 21 *Octobris. Spectant itaque hi Sancti ad varios menſes:* Urſula *verò ad* XXI Octobris.

S. Emerii (*immò* Emerici) confeſſoris, filii Stephani, primi Ungariæ regis, *memoria ſignatur* Budæ *apud Maurolycum: in collectione autem Ms. noſtra hodierna Sanctorum indicantur varia etiam Kalendaria. Pertinet ad diem, quo habetur in Martyrologio Romano,* IV Novembris. F

Tranſlatio S. Leonardi conf. in Lemodio *occurrit in Additionibus Bruxellenſibus Mss. ad Uſuardum Greveni. Agendum erit de hoc Sancto cum Martyrologio Romano* VI Novembris.

A D

DE S. ANTONINO MARTYRE

APAMEÆ IN SYRIA

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

J. S.

§ I. Variæ urbes, quibus ſanctus aliquis Antoninus adſcribitur hoc die aut ſequenti : nec Capuæ, nec Palentiæ paſſus Antoninus : Apameæ in Syria attribuendus aliquis Antoninus, cujus cultus antiquus oſtenditur.

B

SECULO II VEL IV. *Variis urbibus Antoninus aliquis aſſignatur : Placentinus ab aliis diſtinctus,*

S*Ollerius in hoc Opere ad diem* IV *Julii dedit Commentarium prodromum, in quo diſputavit de ſanctis* Antoninis, *qui* 2, III *&* XXX *Septembris in variis Martyrologiis variè annuntiantur, non ut geſta illorum omnium ibidem operosè diſcuteret, ſed ut inquireret, an omnes* Antonini, *qui prædictis diebus variis urbibus attribuuntur, invicem ſint diſtincti. Quippe alius* Antoninus *attribuebatur Apameæ in Syria, alius Apamiis in Gallia ; alius Placentiæ, alius Capuæ in Italia, ac demum alius Palentiæ in Hiſpania. Exiſtimabant eruditi aliqui unum eumdemque eſſe* Antoninum, *qui quinque memoratis locis aſſignatur. Verùm oſtendit Sollerius* S. Antoninum, *qui Placentiæ colitur die* IV *Julii, ac in Romano Martyrologio* XXX *Septembris, ab aliis diſtinctum eſſe, geſtaque illius* S. Antonini, *de quo ex profeſſo agebat, ſic examinavit, ut hactenus plura de eo diſſerenda non occurrant. De hoc igitur* Antonino *hìc non agimus.*

Apamienſis Capuæ per errorem atributus :

C

2 *Probavit præterea Sollerius* Antoninum *Capuæ attributum cum Ariſtæo, licèt ab Adone, Uſuardo, ipſaque Romano Martyrologio annuntietur Capuæ, alium non eſſe ab* Antonino, *quem Apameæ in Syria attribuunt martyrologi antiquiores, quemque ibidem obiiſſe conſtat. Errorem hunc irrepſiſſe primò in Martyrologium Adonis, forſan amanuenſium culpâ, indeque derivatum in Uſuardum atque in Martyrologium Romanum, oſtendit num.* 7 *&* 8 *laudati Commentarii, ſeu tom.* 2 *Julii pag.* 8. *Confirmari id poteſt ex ipſo Capuanæ eccleſiæ Breviario anni* 1489, *in quo ad* 2 *Septembris habentur tres lectiones de* S. Antonino *martyre, illarumque tale eſt exordium :* Igitur beatiſſimus puer Antoninus Appamiæ oppido extitit oriundus. *Michaël Monachus in Sanctuario Capuano pag.* 71 *fatetur hunc* Antoninum *Capuanum non eſſe ; nec ullum adducere potuit monumentum Capuanæ eccleſiæ, quo* S. Antoninum *ei vindicaret. Adhæret tamen auctoritati Adonis ac Martyrologii Romani, verbaque adducit Petri de Natalibus lib.* 8 *cap.* 33, *ubi Antoninum & Ariſtæum martyres Capuæ paſſos affirmat. Verùm fontem erroris detexit Sollerius, ita ut plura de hiſce addenda non videantur.*

3 *Tertiò oſtendit* § 4 *laudatus Sollerius, nullum in Hiſpania quærendum* Antoninum, *qui paſſus fuerit Palentiæ hoc aut ſequenti die, cùm ipſi Hiſpani* Antoninum, *quem colunt Palentiæ, Gallum ſemper crediderint, priuſquam ex fictitio Chronico pſeudo-Dextri, non modò* S. Antoninum *Hiſpaniæ aſſerere, ſed etiam urbem Pamiam in Hiſpania confingere auſi ſunt quidam, jam ſatis refutati à Sollerio, & fuſiùs à Nicolao Antonio in Opere hactenus inedito, cujus habemus apographum. Reſtant ergo ſolùm* Antoninus *Apamienſis Syrus, atque* Antoninus *Apamienſis Gallus, de quibus multa quidem diſputavit Sollerius* § 1 *&* 3, *ſic tamen, ut controverſiam magis examinandam ad hunc locum remiſerit. Porrò poſt Sollerium de* Antonino *Apamienſi uno aut gemino diſputarunt eruditi Benedictini, qui nuper Gallice ediderunt Hiſtoriam Occitaniæ, tom.* 1 *laudati Operis à pag* 621, *partimque hi aſſentiuntur Sollerio, partim ab eo recedentes, aliam inſinuant opinionem, aliamque tractant controverſiam, quam nullibi hactenus repereram. Hac de cauſa, ut controverſia magis elucidetur, breviter exponam, quid ſufficienter probatum videatur, quidque etiamnum ſuperſit dubium.*

E

Hiſpanis nullus etiam adſcribendus Antoninus ; examinanda lis de Apamienſi.

F

S. Antoninus, qui in Hieronymianis aliiſque antiquis Faſtis annuntiatur,

4 *Primò certum eſt, Sanctum aliquem* Antoninum *martyrem paſſum eſſe Apameæ, aut potiùs in ditione Apamienſi in Syria. Annuntiatur hic in multis Apographis Hieronymianis die* III *Septembris, cui eumdem etiam innexuit Wandelbertus. Idem ſic commemoratur ab Adone, Uſuardo, Notkero, & à Romano parvo hiſce antiquiore, ſed die* 2 *Septembris, & his verbis :* Apud Apamiam, Antonini martyris. *Omnia hæc latius videri poſſunt apud Sollerium* § 1. *Addo pauca ex Antiquiſſimis Martyrologiis, quæ deinde edidit Edmundus Martene tom.* 3 *Theſauri anecdotorum à col.* 1547. *Primum ibidem nudum* Antonini *nomen memorat die* III *Septembris. Secundum verò* Antonii *nomen habet die* 2 *ejuſdem menſis. Quod ſequitur Corbeienſe die* III *ſic habet :* Natalis SS. Antoni pueri, Ariſti epiſcopi. *Subduntur Fragmentum Martyrologii Turonenſis, & mox Kalendarium Corbeienſe, in quibus* Antoninus *non legitur. Verùm ultimum Kalendarium, ex Ms. monaſterii Lyrenſis editum, die* III *Septembris habet :* Sancti Antonini martyris. *Laudatus Martenius alia Martyrologia & Kalendaria antiqua edidit tom.* 6 *Collectionis ampliſſimæ, ubi col.* 675 *Kalendarium monaſterii Stabulenſis ſic habet ad diem* III *Septembris :* S. Antonini martyris. *Conſentit col.* 682

A col. 682 *Kalendarium Verdinense. Demum Martyrologium Autissiodorense ibidem col.* 719 *cum Usuardo aliisque ad* 2 *Septembris:* Apud Apamiam S. Antonini martyris; *& ad diem sequentem:* Apud Capuam natale SS. martyrum Antonini pueri & Aristei episcopi. *Jam verò illud notandum occurrit in hisce Martyrologiis, quod nullum eorum, excepto ultimo, hisce diebus duos* Antoninos *referat, aut* Antoninum *simul &* Antonium. *Hinc enim magis verisimile fit, quod jam pridem observavit Sollerius, quodque ei assentiuntur laudati Benedictini in Historia Occitaniæ tom.* 1, *notâ* 32, *num.* 1, *non nisi unum* Antoninum *Syrum memorari in apographis Hieronymianis die secunda & tertia Septembris, etiamsi in aliquibus geminetur sub nomine* Antonii *& Antonini die* 2, *& tertiâ rursum* Antonini *nomen repetatur in aliis quibusdam.*

certò est Apamiensis Syrus,

5 *Syrum autem esse* Antoninum, *qui diebus istis annuntiatur, ex variis evincitur tam certò, ut de eo dubitandum non videatur. Primò in variis Martyrologiis, inter quæ est Martyrologium Rabani, Syria provincia exprimitur. Deinde Gallicæ Apamiæ designari non potuerunt in antiquis Martyrologiis Hieronymianis, ac ne quidem in Romano parvo, Adone, Usuardo, Notkero, cùm scripta sint, antequam urbs illa exstaret, aut certè nomine illo innotesceret. Apamiam vel Pamiam Galliæ antiquis geographis ignotam fuisse, jam dixerat Sollerius num.* 21. *Attamen laudati mox Benedictini id dilucidè magis, magisque asseveranter, docent hoc modo:* Ad hanc probationem (*de uno* Antonino *Syro in antiquis Martyrologiis annuntiato*) adjungere possumus, quòd nomen Apamiarum Gallicarum (*Pamiers*) ignotum sit in Galliis ante seculum XII, quódque nullum nobis sit monumentum, quod hujus urbis mentionem facit ante istud tempus. Sanè abbatia S. Antonini Apamiensis, quæ nunc est ecclesia cathedralis, olim dicebatur Fredelacensis (*de Fredelas*) non Appamiensis: quod nomen certò inditum est à castro, quod comites Fuxienses curarunt extrui initio seculi XII, aut sub finem præcedentis, quódque nominaverunt CASTRUM APAMIÆ, ut mox dicemus. Ex hisce colligitur, omnes martyrologos, qui S. Antoninum martyrem annuntiant Apamiæ in Galliis, posteriores esse seculo XI. *Atque hinc ulteriùs consequitur, in Adone, Usuardo, Notkero, aliisque relatis, intelligendum esse* Antoninum *Apamiensem in Syria.*

B

de cujus cultu constat à seculo VI.

6 *Cultum autem fuisse* S. Antoninum *martyrem Apameæ in Syria jam seculo* VI, *& verosimiliter multo citiùs, habemus ex Libello per monachos Apamienses oblato episcopis secundæ Syriæ, in quo hæc leguntur verba:* Quanta verò & qualia differenter in venerabili domo victoris martyris Antonini perpetrata sint, quæ natura ratione prædita sine lacrymis enarrabit? Ita enim in consuetudinem venerat interficiendi monachos, ... ut per sequaces suos, quos iniquè conducebat, interfecerit venerabiles orthodoxos monachos, qui ibidem in honorem peragendæ celebritatis congregabantur. *Accusantur Severus hæreticus & Petrus Apamiensis episcopus, qui huc non spectant. Verùm ecclesia* S. Antonini, *quæ hîc memoratur, docet, Sanctum ab initio seculi* VI, *aut citiùs, venerationi fuisse fidelibus, cùm instrumentum hoc non modò lectum sit in concilio Constantinopolitano sub Menna anno* 536, *ut videri potest apud Labbeum tom.* 5 *col.* 243; *sed diu antè oblatum sit episcopis Syriæ, quemadmodum narrat Baronius ad annum* 518 *num.* 48 *&* 49. *Hinc Tillemontius tom.* 4, *notâ* 15 *in Dionysium Parisiensem hanc ecclesiam anno* 515 *exstitisse, Sanctique festivitatem in ea celebratam, rectè affirmat. At quanto tempore jam tunc exstitisset, planè est incertum.*

AUCTORE J. S.

C

7 *Æquè ignoramus, an festivitas* S. Antonini *Syri olim celebrata fuerit in ecclesia Orientali* 2 *aut* III *die Septembris, sicut memoria ejus annuntiatur in Hieronymianis Apographis, aliisque Martyrologiis relatis. Quippe in Fastis Græcis idem Sanctus nunc reperitur die* IX *Novembris. Accipe elogium ex Menologio Sirletiano ad dictum diem:* Eodem die commemoratio sancti martyris Antonii ex regione Syriæ, qui cùm esset cæsor lapidum, & videret gentiles in idolorum templo immolantes, à vana superstitione illos dehortabatur: postea verò ingressus in eorum templum, idola ipsa contrivit. Quare detentus & graviter verberatus, dimissusque abiit in Apamiam Syriæ, ibique à sancto episcopo obtinuit, ut liceret ei templum ædificare sub nomine sanctæ Trinitatis: quòd cùm cœpisset, & indigenæ cognovissent, nocte irruentes ensibus membratim illum conciderunt. *Hisce ad eumdem diem satis consentiunt Menæa Græca, ac Menologium Basilii imperatoris jussu editum, & non nisi pauca addunt. Sanctus in Menæis vocatur* Antonius, *in Menologio* Antoninus.

Elogium ex Menologio Sirleti;

D

8 *Menologium autem ex interpretatione Arcudii & editione Ughelli in Anecdotis pag.* 290 *Basic habet:* Antoninus genere Syrus lapicidinam faciebat. Hic cùm gentiles in fanum quoddam ingressos, diis operam dare vidisset, auctor illis erat, ut superstitiosam idolorum culturam relinquerent. Sed cùm nihil dicendo efficeret, in solitaria loca profectus, nactusque hominem anachoritam Deo servientem, Theotimum nomine (*in Menæis* Timotheum) biennium apud eum fuit. Hujus postea precibus fretus, atque in patriam ad idem templum, quod variis dæmonum præstigiis transversam mortalium mentem agebat, reversus, offendit, qui festum dæmoniis diem agitarent; ingressusque templum, idola comminuit. Quamobrem correptus gravissimè cæditur. Deinde dimissus Apameam Syriæ concessit, cúmque à sanctissimo ejusdem urbis episcopo impetrasset, ut sanctæ Trinitati templum conderet, jactaque jam essent illius fundamenta, indigenæ hominem aggressi membratim concidêre: cujus spiritus Deo se conjunxit. *Consonant Menæa, ut dixi, quoad rem: & duo ibi adduntur versiculi, quorum interpretationem Latinam subjungam.*

idem uberius ex Basiliano; versiculi Menæorum.

Ἀντώνιον κτείνουσι θεῖον ξύλοις,
Οἱ τὸ ξύλον τιμῶντες ὡς θεὸν πλάνοι.
Divinum lignis occidunt Antonium,
Lignum ut Deum colentes impostores.

Verùm carmina hæc non congruunt elogio, in quo gladiis dicitur concisus, & quidem membratim, nisi forsan fustibus Sanctum occiderint, & gladiis sævierint in corpus inanime. Hactenus de S. Antonino *Syro. Nunc videndum, an alius sit in Gallia* Antoninus, *cujus veneratio celebris est apud Apamienses Gallos.*

E

* * * *
* * *
* *
*

F

AUCTORE J. S.

§ II. Cultus ſancti Antonini in variis Galliæ locis.

Seculo IX *exſtitit monaſterium S. Antonini in Rutenis ;*

QUamvis *martyrologi antiqui annuntient* S. Antoninum *in Syria , ut oſtendimus , certum tamen & indubitatum eſt , ſanctum aliquem* Antonium *aut* Antoninum *ſaltem à ſeculo* IX *in Gallia fuiſſe cultum. Quippe in Notitia de monaſteriis , quæ regi Francorum militiam , dona, vel ſolas orationes debent , ſcripta in conventu Aquiſgranenſi anno* 817 *, imperante Ludovico Pio , inter alia recenſetur in Aquitania* monaſterium S. Antonii. *Baluzius autem , qui hanc Notitiam edidit tom.* 1 *Capitularium à col.* 589, *in notis tom.* 2 *col.* 1098 *obſervat ſequentia :* Legendum ANTONINI. In membrana Conigonenſi ſuprà laudata mentio eſt monaſterii , " ubi „ caput Antonini martyris cum parte corporis „ requieſcit in valle , quæ vocitatur NOBILEN- B „ SE , ubi congregatio clericorum præeſſe vide- „ tur „. Agitur illic de monaſterio ſancti Antonini in diœceſi Ruthenenſi , in quo ejuſdem Martyris venerabile caput ſummo honore repoſitum, ſignis & miraculis longè latéque celebrari reperi in veterrimis memoriis illius monaſterii. Fuit autem illo tempore monaſterium clericorum ſive canonicorum ; extatque bulla Urbani II pro Canonica ſancti Antonini. *Idem ſcriptor col.* 1434 ex archivio monaſterii S. Antonini Ruthenenſis *recitat monumentum antiquum ſub hoc titulo :* Vetus narratio de origine & privilegiis monaſterii ſancti Antonini in diœceſi Ruthenenſi , *in quo referuntur varia à Pipino rege , Carolo Magno , ac Ludovico Pio conceſſa laudato monaſterio.*

imò etiam ſeculo VIII *jam ibi fuiſſe dicitur caput Sancti ,*

10 *Accipe ea , quæ præcipuè ad propoſitum noſtrum conducunt , etiamſi fortè mendoſa ſint :* Talique deſiderio æſtuans (*Pipinus rex*) ad beati martyris ſancti Antonini locum ob ſuorum ſuffragia miniſtrorum perſummè venerandum , quia ejuſdem Martyris venerabile caput , ibidem ſummo honore repoſitum , ſignis & miraculis longè latéque , dum pius rex advenerit, & tanta Martyris præconia perpenſus fuerit ſolerter , . . ob honorem & reverentiam beati martyris Antonini , . . . abbatiam , quæ cognomento dicitur ſancti Audardi * , beati Antonini capiti & altari , quod in Dei honore & gloria requieſcit , & clericis præſentibus & futuris inibi degentibus perpetuo dedit dono *&c. Additur deinde idem fuiſſe firmatum à Carolo Magno & Ludovico Pio , atque aliud ejuſdem Ludovici privilegium ſubnectitur. Laudati ſcriptores Hiſtoriæ Occitaniæ inter probationes col.* 23 *alteram Pipini donationem adducunt factam* eccleſiæ ſancti Antonini martyris , quæ eſt ſita in valle , quæ dicitur Nobilis , ubi terminus eſſe dignoſcitur in pago Rutinico , *in qua dicitur adfuiſſe* Juſtinus epiſcopus morbo regio percuſſus , qui proſtratus coram altare , ubi caput S. Antonini cuſtodiebatur glorioſiſſimi martyris , ſubitò divina protectione munitus , & ejus interventu liberatus eſt. *Et inferiùs :* Omnes (*præſentes*) una voce cenſuêre nec non acclamavêre cum maxima turba populorum , qui ibi aderant , dignum eſſe augmentari caſam Dei ob amorem & reverentiam beati Antonini martyris , qui defenſor & protector ſemper exſtitit regi , & omni exercitui ſuo. Ad quorum acclamationem Pipinus rex ſereniſſimus adquievit augmentari caſam Dei regalibus donationibus. Itaque cum ſuis conſultus magnatibus , monaſterium ſancti Petri apoſtoli , quod dicitur Mormacus , quod eſt ſitum in pago Catucirno * ſuper fluvio Avarionis , in proprium tradidit beati Antonini martyris capiti & altari , in quo Dei honore & benedictione quieſcit , & abbati Fedancio venerabili viro , & monachis & clericis inibi degentibus præſentibus & futuris *&c.* D

* Theodardi. *Nunc eſt cathedralis Montis-Albani*

* *fortè* Caturcino

C

at inſtrumenta hæc poſteriora authentica non ſunt ,

11 *Hæc monumenta omnino probarent cultum* S. Antonini *viguiſſe ſeculo* VIII , *modò talia forent , ut de earum auctoritate nullum eſſet dubium Verùm laudati ſcriptores Hiſtoriæ Occitaniæ tom.* 1 *pag.* 622 *contendunt , hiſce monumentis , quæ perperam nominant* chartas Pipini *aut* Pipino attributas , *propter interpolationes , anachroniſmos , & facta veræ hiſtoriæ contraria, probari non poſſe , reliquias* S. Antonini *ſeculo* VIII *ſervatas fuiſſe in dicta abbatia. Attamen non ſatis perſpicio , cur adeo omnem illis monumentis auctoritatem abrogare debeamus , ut ne quidem crederemus ea , quæ aliunde admodùm veriſimilia ſunt. Certè veriſimile eſt abbatiam* S. Antonini *, quæ exſtabat tempore Ludovici Pii , eo imperatore antiquiorem eſſe , & non aliunde* S. Antonini *nomen eidem fuiſſe datum , quàm quia ejus reliquiæ ibidem ſervabantur. Itaque libenter quidem fateor monumenta illa haberi non poſſe tamquam authenticas Pipini chartas , cùm Baluzianum ſcriptum fuerit tempore Ludovici Pii aut ſerius ; verùm nec edita fuerunt ut chartæ Pipini , ſed prius ut Notitia eorum , quæ Pipinus , Carolus Magnus ac Ludovicus Pius monaſterio* S. Antonini *conceſſerant , alterum de ſolo Pipino agit. Quapropter , cùm Notitia à Baluzio edita antiqua ſit , nec multis ſaltem defectibus apertè laboret , ex ea veriſimile fit , dona quædam per Pipinum , Carolum , Ludovicum data fuiſſe abbatiæ* S. Antonini , *Sanctique caput in eadem abbatia miraculis claruiſſe ; nec ideo dictam Notitiam inter inſtrumenta authentica habendam cenſeo. Imò ipſi Scriptores laudati ad annum* 767 *ex monumento ſuo , quod vitioſius eſt Baluziano , referunt Pipinum ſe contuliſſe ad monaſterium* S. Antonini *, ut de proſperitate expeditionis ſuæ gratias Deo ageret , multaque dediſſe monaſterio. Addunt tamen aliqua in illo inſtrumento haberi , quæ apparent dubia ; ſed non omnia idcirco falſa eſſe , aſſerunt.* E

F

ita ut cultus Sancti ſeculo VIII *probabilis ſit , non certus : Sanctus miraculis fulget ſeculo* XI.

12 *Idem ego de utroque exiſtimo ; atque ideo, quæ in iis leguntur de* S. Antonino *, tantùm adduco ut veriſimilia , non ut planè certa. Attamen certum eſt , monaſterium iſtud ſaltem ab initio ſeculi* XI *votivis peregrinationibus Sanctique miraculis tam celebre fuiſſe , ut locus excreverit in oppidum , & vicecomitatum , cujus vicecomes jam memoratur anno* 1083 *, ut videre eſt in laudata Occitaniæ Hiſtoria tom.* 2 *pag.* 264. *Ademarus Chabannenſis in Chronico , quod perduxit uſque ad annum* 1029 *, apud Labbeum tom.* 2 *Biblioth. pag.* 179 *ſic habet :* Ea tempeſtate S. Leonardus confeſſor in Lemovicino , & S. Antoninus martyr in Cadurcino miraculis cœperunt coruſcare , & undique populi eò confluxerunt. *Hæc ille circa annum* 1015 *aut* 1020 *, nam ſingula ſuis annis non affigit. Inter celebriora Sanctorum loca , quæ Robertus Francorum rex ſub finem vitæ viſitavit , teſte Helgaldo in ejus Vita apud Cheſnium tom.* 4 *pag.* 76 *, recenſetur etiam hæc* S. Antonini *eccleſia.*

A *ſia. De pluribus donationibus eidem factis agunt ſparſim auctores Hiſtoriæ Occitaniæ, qui & de hodierno antiquæ illius abbatiæ ſtatu ſic ſcribunt tom. 1 pag. 622:* Hæc abbatia eadem eſt cum monaſterio S. Antonini, quod etiamnum ſubſiſtit (*ſine titulo abbatiæ*) in limitibus provinciæ Rutenenſis, Cadurcenſis & Albigenſis, quodque adhuc eſt Canonicorum regularium Congregationis Franciæ. *Oppidum, quod alias munitum fuit, cum eccleſia ſpectat ad Rutenenſem provinciam.*

Monaſterium Lezatenſe alterius S. Antonii.

13 *Mabillonius in Annalibus tom. 2 pag.* 438, *aſſignato* S. Antonini *monaſterio in Rutenis, de alio hæc ſubdit:* Eſt & monaſterium ſancti Antonii de Lezato in comitatu Fuxenſi; at medio ſeculo decimo conditum. *Deinde tamen pag. 617 refert primordia ejuſdem monaſterii ad annum ferè* 840. *Rurſum tom. 3 ad annum* 940 *num.* 13 *reſumpſit priorem ſententiam, retulitque primordia Lezatenſis monaſterii,* quod ſancti Antonii & ſancti Petri à poſteris dictum eſt, à corpore ſancti Antonii confeſſoris, ut perhibent, iſtuc tranſlato, *ad annum circiter* 940. *Demum in corrigendis iſtius tomi addit ſequentia:* Alii Lezatenſis monaſterii originem, quæ ſanè obſcuriſſima eſt, ad ſeculum nonum referunt, ut dixi libro XXXII. *Scriptores Hiſtoriæ Occitaniæ monaſterium* S. Antonii *Lezatenſe conditum putant anno ferè* 845, *uti habent tom. 1 pag.* 541, *fundatoremque agnoſcunt Antonium vicecomitem Biterrenſem. Idem in-*
B *ter probationes tom. 2 col.* 161 *recitant chartam anni* 1002, *& col.* 393 *aliam anni* 1114, *in quibus fit mentio de reliquiis S. Antonii in abbatia Lezatenſi ſervatis. Apud nos etiam tom. 2 Januarii pag.* 195 *quædam leguntur de earumdem reliquiarum tranſlatione. Verùm S. Antonius Lezatenſis ubique vocatur confeſſor, ita ut alius videatur à* S. Antonino *martyre. Vehementer itaque deſideramus cognoſcere, cujus ſancti Antonii reliquias Lezatenſes ſe habuiſſe credant. Ab hac digreſſione, cui occaſionem dedit Mabillonii notatio, redeamus ad* S. Antoninum *martyrem.*

Sanctus præcipuè colitur Apamiis in Gallia Narbonenſi,

14 *Hunc Sanctum ſibi præ ceteris vendicat civitas Apamienſis in Gallia Narbonenſi, eique attribuitur à Baronio, qui* S. Antoninum *Martyrologio Romano inſcripſit die 2 Septembris in hunc modum:* Pamiæ in Gallia S. Antonini martyris, cujus reliquiæ in eccleſia Palentina (*in Hiſpania*) magna veneratione aſſervantur. *Hunc Martyrologii textum facilè ab omni errore excuſare poſſemus, etiamſi certum eſſet ſanctum* Antoninum *ibidem non eſſe paſſum, cùm Apamiis in Gallia Narbonenſi annuntiari potuerit ob celeberrimam venerationem, quâ ibidem colitur à multis ſeculis. Hinc in Martyrologio Pariſienſi rectè memoratur his verbis:* Eodem die, natalis ſancti Antonini martyris, Apamiarum in Occitania patroni; cujus nomine extat eccleſia in diœceſi Pariſienſi apud Caſtra Brigenſia. *Verùm non æquè excuſari poteſt annotatio Baronii, niſi revera Apamiis in Occitania paſſus ſit* Antoninus. *Hæc enim obſervat:* Paſſus eſt autem non Apameæ in Syria, ut multi opinati ſunt; ſed Pamiæ apud Toloſam, ut conſtat ex tabulis eccleſiæ Palentinæ, in qua ejus dies natalis ſoleniter agitur, ubi ſacræ corporis ejus reliquiæ requieſcunt. *De reliquiis Palentiæ in Hiſpania ſervatis agetur infrà.*

15 *Civitas Pamienſis, aut Appamienſis, cujus hodie patronus eſt* S. Antoninus, *ad epiſcopalem dignitatem evecta eſt anno* 1295 *aut* 1296, *uti varii narrant ſcriptores. Bernardus Guidonis, qui eodem vivebat tempore, in Vita Bonifacii VIII rem exponit hoc modo:* Item quòd iſte Bonifacius anno ſecundo ſui pontificatus abbatiam ſancti Antonii Canonicorum Regularium tunc villæ Appamiarum in eccleſiam cathedralem de novo erexit, & de ipſa villa conſtituit civitatem, & Bernardum Seichetti tunc ipſius monaſterii abbatem, epiſcopum primum inſtituit in eadem, & ipſam eccleſiam cum certis & pluribus eccleſiis & monaſteriis & reditibus diverſis optimè dotavit & limitavit. *Spondanus, ejuſdem urbis deinde epiſcopus, ad annum* 1296 *num.* 8 *teſtatur, bullam erectionis datam fuiſſe anno* 1295, *ſed anno* 1296 *publicatam. Verumtamen poſſeſſionem erecti epiſcopatûs non ſtatim adivit Bernardus; obſiſtente Philippo IV Francorum rege: verùm S. Ludovicus eodem anno* 1296 *ex Ordine Minorum ad Toloſanum epiſcopatum evectus, ſimul Apamienſem rexit uſque ad mortem, ut rectè exponit laudatus Spondanus. Audi Guillielmum Nangium in Chronico ad annum* 1296, *ubi ſic habet:* Urbs Appamia à Tholoſano epiſcopatu hoc tempore ſeparata proprium epiſcopum per Papam Bonifacium obtinuit; ſed protinus Ludovicus filius regis Siciliæ Frater Minor duos integraliter eſt ab ipſo Papa Bonifacio conſecutus. *Idem ad annum* 1298: Mortuo (XIX *Auguſti præcedentis anni*) Ludovico Tholoſanæ urbis epiſcopo, Appamea à Tholoſa ſeparata proprium ſuſcepit epiſcopum, *eumdem videlicet Bernardum, quem Pontifex ab initio ſtatuerat. Hinc corrigenda ſunt pauca, quæ de his dicta ſunt tom.* III *Auguſti pag.* 783, *in S. Ludovico Toloſano num.* 38, *ubi Spondanus perperam corrigitur.*

AUCTORE J. S. *atque eccleſia, cujus eſt patronus, anno* 1295 *facta eſt cathedratis e*

E

ejus abbatia initio ſeculi XIII *oppidi Apamienſis habebat dominium,*

16 *Quemadmodum ex dictis certò conſtat de tempore, quo abbatia* S. Antonini *ad epiſcopalem dignitatem evecta eſt, ſic prorſus obſcurum eſt & incertum, quo tempore abbatia ipſa fundata fuerit, cultuſque Sancti ibidem inchoatus. Circa initium ſeculi* XIII *abbatia eò uſque excreverat, ut ad eam pertineret oppidum Apamienſe, quod* caſtrum *more illius temporis vocatur. Habebat eodem tempore corpus* S. Antonini, *quod annis ſingulis in ſupplicatione circumferebatur. Utrumque diſcimus ex Hiſtoria Albigenſium Petri Vallium Cernaii monachi, qui Apamiarum frequenter meminit. Refert cap.* 24 *abbatem* S. Antonini *veniſſe ad Simonem Montfortium ducem cruce-ſignatorum contra Albigenſes, ut ei traderet Apamias, ipſamque traditionem hiſce exponit verbis:* Comes (*Montfortius*) recto itinere Appamias pervenit, quem abbas honorificè ſuſcepit, & caſtrum Appamiarum ipſi tradidit, quod comes ab eo recepit, & fecit abbati hominium, ſicut debebat. Caſtrum ſiquidem propriè erat de dominio abbatis & Canonicorum S. Antonini, qui erant Canonici Regulares, & nullus in eo debebat habere aliquid, niſi ab abbate. Sed peſſimus comes Fuxenſis, qui caſtrum illud tenere debebat ab abbate, totum ſibi malitioſè volebat vendicare, ut inferiùs oſtendemus.

F

& corpus Sancti, quod in ſupplicatione quotannis circumferebatur:

17 *Idem auctor cap.* 44 *&* 45 *varia refert, à comite Fuxenſi patrata contra abbatem canonicoſque* S. Antonini. *Ex iſtis tantùm ſeligo ea, quæ de corpore* S. Antonini *mentionem faciunt. Comes Fuxi, ut fuſiùs explicat, voluit ut abbas traderet* ſine mora claves monaſterii, quod abbas facere noluit. Verumtamen timens abbas,

ne

AUCTORE J. S.

ne tyrannus ille eaſdem claves auferret per violentiam, intravit, & claves ſæpè dictas poſuit ſuper corpus S. Antonini martyris, quod erat ſuper altare cum multis aliis Sanctorum reliquiis, in cujus etiam Sancti honorem eccleſia illa erat fundata. Prædictus autem comes ſecutus abbatem, non deferens eccleſiæ, Sanctorum reliquias non attendens, de ſuper corpus ſanctiſſimi Martyris ſacrorum impudentiſſimus violator claves rapuit prænotatas *&c.* *Deinde cap.* 45 : Eſt quædam eccleſia in ſupercilio montis cujuſdam prope dictum monaſterium, quam cùm ſemel, ſicut conſuetum habent, in anno viſitarent Canonici, & cum proceſſione veneranda corpus ſui patroni venerabilis Antonini honorificè deportarent, prædictum comitem ſorte fortuita equitantem contigit pertranſire; qui nec Deo, nec ſancto Martyri, nec religioſæ proceſſioni deferens, ſaltem ſignis extrinſecis humiliari non potuit, nec de equo, cui inſidebat, curavit deſcendere, ſed exerto ſuperbiæ collo, & elatione cervicoſa, quæ ſibi plurima erat domeſtica, pompaticè præterivit. Quod videns quidam vir
B venerabilis, abbas videlicet de Monte S. Mariæ, Ciſtercienſis Ordinis, qui .. tunc temporis proceſſioni illi intererat, exclamavit poſt ipſum : Comes, tu non defers domino tuo ſancto Martyri, ſcias, quòd in villa, in qua ex parte Sancti dominium habes modò, privaberis ipſo dominio, ita ut, Sancto faciente, te vivente, ſentias exhæredatum. Cujus boni viri dicta fides ſequitur, ſicut rei exitu manifeſtiſſimè declaratur. *Hæc omnia abundè oſtendunt, cultum* S. Antonini *celebrem viguiſſe in ipſius abbatia, hancque præpotentem fuiſſe, ac Sancti corpus habuiſſe, aut certè id exiſtimâſſe, circa initium ſeculi* XIII, *quo præcedentia contigerunt. De corpore* S. Antonini *ſervato in prædicta abbatia etiam mentio fit in charta anni* 1228, *recitata in Hiſtoria Occitaniæ tom.* 3 *inter inſtrumenta col.* 217.

18 *Ibidem col.* 216 *edita eſt charta anni* 1209 *de pactis inter abbatem* S. Antonini *& Simonem Montfortium, in qua* Vitalis Fredalenſis eccleſiæ abbas, *id eſt, abbas monaſterii* S. Antonini, *ſic loquitur :* Concedo tibi Simoni comiti .. caſtrum Appamiarum cum forteſa, & forteſas *, quæ ibi ſunt, & in antea erunt, & totam villam tam veterem quàm novam, adjacentem ipſi caſtro Appamiarum, ut fidelis cuſtos de ipſo caſtro & villa maneas, & de villa Fredalenſi, & de omni abbatia, & de toto honore ad ipſam abbatiam pertinente, verus adjutor & deffenſor exiſtas, ad honorem Dei & ſancti Antonini, & clericorum ejus tam præſentium quàm futurorum *&c.* *Vetuſta magis eſt charta alia anni* 1149, *quam laudati ſcriptores ediderunt tom.* 2 *inter inſtrumenta col.* 525. *In hac deſcribitur conventio inter Raymundum epiſcopum Toloſanum, qui ſimul erat abbas* S. Antonini, *& Rogerium-Bernardi comitem Fuxenſem, memoratque comes* totam villam Fredelaci, & caſtrum Appamiæ, & totam villam tam veterem quàm novam adjacentem ipſi caſtro Appamiæ *&c.* *Idem caſtrum Appamiæ memoratur in Charta anni* MCXI *de pactis inter abbatem* S. Antonini *& Rogerium II comitem Fuxenſem, quòd ipſe & patruus ipſius injuſtè poſſediſſent villam Fredelaci &* S. Antonini *abbatiam*, quæ, *inquit*, ab anteceſſoribus noſtris, à comite videlicet Fuxi & Carcaſſonæ juſtè vel injuſtè numquam ablata, vel poſſeſſa fuerunt.

caſtrum Apamiæ & villa Fredelacenſis jam ſeculo XII *erant ſub dominio abbatiæ :*
* *i. e.* caſtella munita
C

19 *Verùm obſervo idem non dici de caſtro Appamiæ, quòd fuerit injuſtè abbatiæ ablatum. Idem tamen caſtrum inter ea recenſet, quæ abbatiæ reſtituit, dum hæc deinde ſubjungit idem comes :* Reddo .... Domino Deo & ſancto Antonino, & abbatibus futuris canonicè electis, & Iſarno priori, & ſucceſſoribus ſuis, & canonicis tam præſentibus quàm futuris totam villam Fredelaci, & caſtrum Appamiæ, & omnem abbatiam S. Antonini, *id eſt, totum abbatiæ territorium. Porrò ex reſtitutione caſtri Apamienſis, quod comes non dicit ſe abbatiæ abſtuliſſe, probabiliter colligi poteſt, caſtrum iſtud conditum fuiſſe in territorio abbatiæ, atque eo quidem tempore, quo Rogerius II ejuſve patruus territorium iſtud injuſtè uſurpabant : nam ſic inter injuſtè ablata numerari non debebat, & tamen aliquo modo reſtitui, cùm in alieno conditum eſſet territorio. Confirmatur hæc conjectura ex eo, quòd antè illud tempus nulla uſpiam de caſtro Apamiarum exſtet memoria, uti teſtantur laudati ſæpe ſcriptores Hiſtoriæ Occitaniæ tom.* 2 *pag.* 358, *ubi conjecturam ſic exponunt :* Credimus iſtud (*caſtrum*) ædificatum in fundo monaſterii juſſu Rogerii II poſt reditum ipſius ex Terra ſancta, eique impoſitum nomen Apameæ vel Apamiæ, in memoriam urbis Apameæ in Syria, ex qua Rogerius reliquias attulerat, forſan etiam S. Antonini, hujuſce urbis martyris. Unde factum fuerit, ut hic ſanctus Antoninus confunderetur cum S. Antonino martyre Aquitano, antiquo abbatiæ Fredelacenſis patrono. *Altera hæc eſt conjectura de Sancto ipſo, de qua poſtmodum. Nunc ſolùm addo, caſtrum comiti mox traditum fuiſſe cuſtodiendum, pactumque firmatum fuiſſe juramento comitis facto* ſuper corpus beati Antonini. *De eo autem corpore nulla quoque antiquior mentio, quæ fidem mereatur, quàm hac anni* MCXI.

at veriſimili ratione oſtenditur non diu antè fuiſſe conditum.
D

20 *Verumtamen abbatia* S. Antonini *Fredelacenſis, quæ deinde Apamienſis nominata eſt, multo eſt antiquior, etiam ſub nomine* S. Antonini. *In Vita S. Raymundi epiſcopi Balbaſtrenſis, editâ tom.* IV *Junii, pag.* 127 *de eo dicitur :* Tandem ad litterarum ſponte rediit ſtudium, atque in beati Antonini Fredalicii religioſa eccleſia oblatus à parentibus, canonicæ normæ devotè ſubiit jugum. *Ex hiſce ſcriptoris coævi verbis certò colligitur, eccleſiam illam* S. Antonini *floruiſſe ſeculo* XI, *cùm Raymundus*, elapſis interea plurimis annis, *epiſcopus electus ſit circa annum* 1104, *poſtquam Prior fuerat S. Saturnini Toloſæ. Alia inſtrumenta ſeculi* XI, *in quibus fit mentio eccleſiæ Fredelacenſis* S. Antonini, *recitantur tom.* 2 *Hiſtoriæ Occitaniæ, ſed neceſſe non eſt omnia huc transferre. Col.* 238 *legitur epiſtola Rogerii comitis Fuxenſis ad S. Hugonem abbatem Cluniacenſem, ſcripta circa annum* 1060, *in qua comes ſic loquitur :* Tibi, Hugo, ſanctè viventi, famoſiſſimo per orbem Cluniacenſi abbati, ego Rodgarius & conjux mea pro adquiſitione vitæ æternæ concedimus, cum omnibus ad ſe pertinentibus, cum aſſenſu & ultroneo conſenſu comitis Toloſani, locum ſancti Antonini, qui vulgò vocatur Fredeleiz, quatenus ibi monaſtici habitus, te ſtatuente, regularis inſeratur ordo *&c.* *At non videtur reformatio facta per Cluniacenſes : nam Fredelacenſes manſerunt Canonici Regulares, uti erant, quemadmodum patet ex verbis mox adductis Vitæ S. Raymundi. Idem obſervarunt auctores laudata Hiſtoriæ pag.* 206, *quia comi-*

Abbatia Fredelacenſis jam S. Antonini nomen habuit ſeculo X,
E

F

tes

A *tes Fuxenſes perrexerunt poſſidere bona monaſterii uſque ad annum* MCXI.

21 *Ediderunt illi etiam poſt Mabillonium tom.* 2 *col.* 107 *& ſeq. teſtamentum Raymundi I comitis Rutenenſis & marchionis Gothiæ, ſeu codicillum anni* 961, *in quo reperitur prima mentio abbatiæ Fredelacenſis* S. Antonini *his verbis:* Et illo alode de Carliago Rogerio filio Arnaldo remaneat: poſt ſuum diſceſſum ſancti Antonini Fredeleſio remaneat. *Deinde duo adhuc legata eccleſiæ* S. Antonini *donantur in eodem codicillo; ſed hiſce locis intelligenda videtur eccleſia* S. Antonini *in Rutenis antè memorata. Porrò laudati ſcriptores pag.* 93 *ſuſpicantur, abbatiam circa idem tempus, aut certè non diu antè fundatam eſſe per Arnaldum comitem Carcaſſonenſem aut Rogerium ipſius filium, cùm in ipſorum eſſet dominio. Itaque ſeculo* X *veroſimiliter condita eſt hæc abbatia, quæ nomen* S. Antonini *videtur ab initio habuiſſe, aut certè habuit circa medium ſeculi* X. *Verùm de reliquiis, aut corpore Sancti ibidem ſervato, nullibi quidquam dicitur ante ſeculum* XII, *præterquam in apocryphis tranſla-*
B *tionis Actis, quæ nunc examinanda veniunt.*

atque etiam ſeculo X, *quo videtur condita.*

§ III. Acta tranſlati corporis anno DCCCLXXXVII prorſus fabuloſa: cultus S. Antonini in Hiſpania, qui veroſimiliter non eſt inchoatus ante irruptionem Saracenorum, ſeculo VIII factam.

Circumfertur aliquod inſtrumentum, in quo corpus tranſlatum dicitur anno 887,

C *Catellus in Hiſtoria Occitaniæ lib.* 4 *pag.* 621 *teſtatur, ſe Acta Ms. tranſlationis* S. Antonini *vidiſſe in bibliotheca Patrum Prædicatorum Toloſæ, eaque exarata eſſe litteris admodùm antiquis. Suſpicor inſinuari Acta illa, quæ recitavit Nicolaus Bertrandi in Opere de Geſtis Toloſanorum fol.* 22 *&* 23, *aut certè illis ſimilia: nam idem annus* 887 *utroque loco aſſignatur tranſlationi, eademque ferè perſonæ dicuntur interfuiſſe. Sollerius in* S. Antonino *num.* 28 *examen illorum Actorum in hunc locum rejecit, ne præmaturè aliquid ſtatueret. Verùm auctores Hiſtoriæ Occitaniæ tom.* 2 *pag.* 528 *abunde probarunt, nullam Actis iſtis fidem deberi, eorumque argumenta huc breviter transferam. Hoc Actorum initium apud Catellum:* Anno ab Incarnatione Domini octingenteſimo octuageſimo ſeptimo, decimo tertio Calendas Junii, tranſlatio corporis beati martyris Antonini, Carolo minore rege Francorum regnante. *Deinde perſonæ, quæ dicuntur adfuiſſe tranſlationi, ſic exprimuntur:* Ad tranſlationem reliquiarum glorioſiſſimi martyris Antonini adfuerunt teſtes idonei, ſcilicet præſules ſanctiſſimi, & diverſæ ſanctitatis viri illuſtriſſimi, quorum nomina hæc ſunt, Theodardus archiepiſcopus Narbonæ, & cum illo Arnulphus epiſcopus Carcaſſonæ, & venerabilis Raymundus Toloſæ epiſcopus, Rogerius epiſcopus Coſeranenſis, *(cum)* Fulcrano Rodonicæ (Ruthenæ *aut* Ruthenicæ *legendum ſuſpicatur Catellus)* & Albienſi epiſcopo nomine Flotardo, & Caturcenſi epiſcopo nomine Geraldo, ex quorum juſſu, & precibus aliorum virorum nobilium, & ex præcepto nobiliſſimi Carcaſſonæ comitis nomine Rogerio (*Rogerii,*) hæc omnia, quæ vidimus (*&*) audivimus, ſcripſimus & teſtificati ſumus. *Apud Bertrandum Albienſis epiſcopus omittitur, & Rutenenſis nominatur* Flotardus. *Sed illa diverſitas exigui eſt momenti.*

AUCTORE J. S.

23 *Verùm majora dicti inſtrumenti vitia obſervant laudati ſcriptores. Primò verba,* Carolo minore rege Francorum regnante, *nec congruunt Carolo Craſſo imperatori, nec Carolo Simplici Francorum regi, multo minùs alteri cuilibet Carolo. Quippe Carolus Craſſus nullibi vocatus reperitur* Carolus Minor, *dicenduſque potiùs erat* imperator *quàm* rex Francorum. *Carolus Simplex necdum regnabat anno* 887, *nec regnum adeptus eſt ante annum* 893. *Neutri igitur congruunt verba epochæ relatæ. Secundò inducitur hîc* Rogerius *comes Carcaſſonenſis. At, inquiunt,* Nullum novimus Rogerium comitem Carcaſſonenſem ante ſeculum X. *Tertiò iidem de epiſcopis, qui præſentes fuiſſe dicuntur, ſic differunt:* Si excipiamus Theodardum archiepiſcopum Narbonenſem, qui revera vivebat (*eique eccleſiæ* E *præerat*) anno DCCCLXXXVII, nullum habemus argumentum, alios antiſtites, qui huic tranſlationi adfuiſſe aſſeruntur, eo tempore præfuiſſe eccleſiis, quæ ipſis attribuuntur. Quin imo de aliquibus eorum argumenta habemus probantia contrarium. Scimus revera Willerannum (*ſeu* Giſlerannum) tunc præfuiſſe eccleſiæ Carcaſſonenſi, illumque anno DCCCLXXXVII cum metropolitano ſuo interfuiſſe concilio Nemauſenſi habito in villa Portu, non verò aſſertum illum Arnulphum. Toloſanus epiſcopus eodem tempore erat Bernardus ſeu Berno, uti & anno DCCCXC; non autem Raymundus. Fulcrannus Lutevenſis epiſcopus (*qui ſuprà omiſſus, reliquis annumeratur, ſeu potiùs ſubſtituitur Fulcranno Rutenenſi, à Catello pag.* 853) electus non eſt ante medium ſeculi X. (*Vide Galliam Chriſtianam tom.* 6 *col.* 532, *ubi electus dicitur anno* 949.) Demum ſecundum Acta laudati concilii Nemauſenſis, menſe Novembri anni DCCCLXXXVII Eligius erat epiſcopus Albienſis, (*uti etiam legitur in Gallia Chriſtiana tom.* 1 *col.* 7) non autem Frotardus; & Adolenus illi jam ſucceſſerat F anno DCCCXCI. Omnes hæ rationes nullum nobis relinquunt dubium, quin Acta hujus tranſlationis prorſus ſint ſuppoſititia.

verùm illud anachroniſmis ſcatet,

24 *Si ipſa tranſlationis Acta apud Bertrandum perlegere quis voluerit attento animo, vix dubitare poterit, quin ejuſdem ſint auctoris, qui Vitam & martyrium Sancti tot fabulis implevit, ut in tota ejus relatione nihil inveniam, quod pro certo amplecti auſim. Porro quàm varia ſint, quàm fabuloſa omnia* S. Antonini *Acta, quæ edita habentur & Mſs., abundè explicuit Sollerius in Commentario ſuo prodromo* § 3, *ita ut neceſſe non ſit de illis aliquid hic ſuperaddere. Jam verò cùm tranſlatio aſſerta anni* 887 *nullo alio nitatur fundamento; quàm Actis modò diſcuſſis & nullam prorſus fidem merentibus, de corpore* S. Antonini *nihil aſſerere tutò poſſumus, niſi ſervatum fuiſſe in abbatia Fredelacenſi à ſeculo ſaltem* XII. *Nunc etiam examinare oportet, a quo tempore reliquiæ* S. Antonini *fuerint in Hiſpania, ac quàm antiqua ibidem ſit ejuſdem Sancti veneratio, ut ex omnibus iſtis lux aliqua affulgeat, quâ diſcernamus, unuſne, an duo, aut plures fuerint* Antonini, *qui à multis ſeculis coluntur locis tam diverſis.*

& prorſus eſt ſuppoſititium.

AUCTORE J. S.

Antiquus Sancti cultus in Hiſpania colligitur ex eccleſia ejus inventa ſeculo XI ;

25 *Venerationem* S. Antonini *martyris antiquam eſſe Palentiæ in Hiſpania, ex variis monumentis diſcimus. Primò enim de hoc Sancto mentio fit in Breviario Toletano, ſeu Mozarabico, ubi ad* 2 *Septembris ejus feſtivitas annuntiatur. Deinde Rodericus Ximenes archiepiſcopus Toletanus lib.* 6 *de Rebus Hiſpaniæ cap.* 6 *hæc narrat ad propoſitum noſtrum de Sancio Majore Navarræ rege, qui floruit ſeculo* XI : Rex Sancius, dictus Major, patriæ finibus dilatatis, & pace inter filios ordinata, contra Veremundum regem Legionis arma commovit, & de regno ejus loca plurima acquiſivit. Hic Sancius dum quadam die ſe in venationis ſtudio recrearet aprum ſecutus, contigit in civitate olim nobili, tunc deſerta, quæ Palentia dicebatur, cryptam in forma eccleſiæ invenire, & altare in honorem ſancti Antonini martyris adhuc exſtans. Ad quam cùm aper fugiens adveniſſet, & rex vibrato venabulo feram in crypta occidere voluiſſet, divino percuſſus miraculo, quod propoſuit, non potuit adimplere. Obriguit enim brachium ejus dextrum, & ſic aper illæſus evaſit. Rex autem

B

* *fortè* reſtitutus

converſus ad preces, beati martyris Antonini ſuffragium imploravit, & illico deſtitutus * juſſit civitatem diruptam reparari, & ſuper cryptam eccleſiam ædificari, & procuravit ibidem epiſcopum conſecrari, & totam civitatem cum omnibus terminis & pleno dominio epiſcopo & eccleſiæ donatione obtulit liberali, villas & poſſeſſiones alias ſuperaddens, quibus adhuc hodiè gaudet eccleſia Palentina. *Hæc ſeculo* XIII *Rodericus. Eadem alii hiſtorici Hiſpani poſt ipſum memorarunt. Ex hac hiſtoria, modò omnia ſatis ſint vera, de quo dubitari poteſt, colligitur, venerationem* S. Antonini *Palentiæ viguiſſe à ſeculo* XI, *& haud dubiè citiùs, cùm eccleſia ejus ſeculo* XI *jaceret deſtructa.*

Hiſpani hanc conditam volunt ante irruptionem Saracenorum, in qua ſeculo VIII *deſtructam dicunt urbem :*

26 *Quin imò ex eadem hiſtoria inferunt Hiſpani, ejuſdem Sancti cultum jam inchoatum fuiſſe tempore Gothorum ante Saracenorum irruptionem in Hiſpaniam, quæ contigit circa annum* 711. *Plerique enim contendunt Palentiam cum eccleſia* S. Antonini *in dicta invaſione Saracenorum fuiſſe vaſtatam, atque in ruinis ſuis jacuiſſe trecentis circiter annis, donec ſeculo* XI *à Sancio ſit inſtaurata. Franciſcus de Sandoval canonicus Palentinus in Diſcurſu apologetico, quo probare nititur* S. Antoninum *in Hiſpania cultum eſſe alium à* S. Antonino *Apamienſium patrono, § 5 id latè oſtendere nititur, & præter auctoritatem variorum ſcriptorum, qui eam opinionem amplexi ſunt, adducit fragmentum litterarum ſub nomine ipſius Sancii regis, quem pag.* 47 *ſic ſcribentem inducit :* Reperimus Palentinam eccleſiam antiquitus ab Agarenis deſtructam, & pluſquam trecentis annis ab epiſcopali regimine, *&c. Addit fragmentum litterarum nomine Ferdinandi Magni, in quibus idem aſſeritur. Sancii litteras datas aſſerit anno* 1037, *alteras anno* 1060. *Sanè res ſatis eſſet certa ex hiſce litteris, ſi hæ ipſæ viderentur authenticæ. Verùm litterarum ſtylus neutiquam congruit ſeculo* XI ; *& vita Sancii Majoris paſſim à ſcriptoribus non producitur uſque ad annum* 1037, *ſed obitus ipſius communiùs affigitur anno* 1035, *hancque mortis ejus epocham variis rationibus confirmat Pagius in Critica ad annum* 1032 *num.* 6.

C

27 *Porrò, cùm dicta inſtrumenta videantur ſuppoſititia, dubia fit ſententia Hiſpanorum de deſtructione Palentiæ, licèt aliunde utcumque probabile appareat, illam civitatem in primo Saracenorum in Hiſpaniam ingreſſu deſolatam fuiſſe : nam nullam illius mentionem invenio in bellis Saracenos inter & Chriſtianos variâ fortunâ deinde geſtis in regno Legionenſi reliquaque Hiſpania. Ambroſius Morales in Chronico univerſali Hiſpaniæ lib.* 17 *cap.* 44 *inſtaurationem Palentiæ atque eccleſiæ* S. Antonini *refert, prout eam dedimus ex Roderico, additque ſequentia ad propoſitum noſtrum :* Cernitur hodieque crypta (*inventa à Sancio*) ſub choro canonicorum, cum altari & lampade intus poſitis ad conſervandam antiquam iſtius loci venerationem. Multùm autem extenſa eſſe debuit veneratio ſancti martyris Antonini per hanc regionem, cùm etiam eccleſia major Metinæ Campenſis * eumdem habeat patronum, exiſtentibus etiam aliis quibuſdam in hac regione eccleſiis, quæ ejuſdem gaudent patrocinio. *Ob dicta, nec certò affirmare auſim, cultum* S. Antonini *inchoatum fuiſſe in Hiſpania initio ſeculi* VIII, *aut citiùs ; nec id contentiosè negare velim. Quippe inventio eccleſiæ* S. Antonini *in diruta urbe Palentina non tam certa apparet ab auctoritate Roderici, qui primus eam retulit hiſtoriam, ut nullum pati poſſit dubium. Rurſus omnino certum non eſt, quòd Palentia ab initio irruptionis Saracenorum fuerit diruta. Certum igitur eſſe nequit, quod ex incertis hiſce colligitur, eccleſiam* S. Antonini *Palentiæ fuiſſe ab initio ſeculi* VIII.

D

verùm nec certis monumentis probatur à ſeculo VIII *deſtructam jacuiſſe Palentiam,*

* Medina del Campo

E

28 *Quin potiùs non admodùm apparet veriſimile, in eccleſia per trecentos annos deſerta ſuperfuiſſe altare, illudque ſtatim agnoſci potuiſſe, ejuſque patronum* Antoninum. *Sanè ſi expendamus relationem Roderici, prout eamdem exponunt Sandovallius, aliique ſcriptores Hiſpani eidem conſentientes, ſimilior videbitur populari traditioni, quàm veræ hiſtoriæ. Sancius, ait Rodericus,* in civitate tunc deſerta (*per trecentos annos, ſi credimus Hiſpanis*) invenit cryptam, .. & altare in honorem ſancti Antonini martyris adhuc exſtans. *Cùm autem volenti* feram in crypta occidere *brachium obriguiſſet,* beati martyris Antonini ſuffragium imploravit, *& ſanatus* eccleſiam *cum urbe ædificavit. Non ſatis hîc percipio, quomodo rex Sancius ſtatim agnoverit altare illud fuiſſe* S. Antonini, *ſi per trecentos annos fuerat locus deſertus. Nihilo magis intelligo, cur idem rex divinitus percuſſus* S. Antonini *potiùs, quàm alterius Sancti, patrocinium imploraverit. Credibile non eſt, in crypta per trecentos annos deſerta altare fuiſſe iis notabile indiciis, ut primo intuitu agnitum fuerit, cui ſacrum eſſet Patrono. Æquè incredibile eſt, regem non imploraturum fuiſſe opem divinam, priuſquam examinari curaſſet, cujus eſſet altare, quod violare voluerat. Mariana lib.* 8 *cap.* 14 *narrat quidem eamdem Sancii hiſtoriam, ſed cautè ſubjungit hæc verba :* Nos fidem neque adjungimus, neque detrahimus : quam res meretur, ex ſe lectores ſtatuant. *Surita eamdem videtur ſuſpectam habuiſſe hiſtoriam, cùm lib.* 1 *Annalium cap.* 13 *referat geſta Sancii Magni, atque de hiſce ne verbo quidem meminerit, ſolùm referens, amplas poſſeſſiones & reditus eccleſiæ cathedrali Palentinæ per Sancium donatos.*

F

nec ipſa inventio eccleſiæ ſatis eſt certa :

29 *Ex dictis collige, totam illam hiſtoriam de invento antiquo* S. Antonini *altari ſatis incertam eſſe, ideoque ex ea certò inferri non poſſe cultum fuiſſe* S. Antoninum *Palentiæ ante deſtructionem iſtius urbis, præſertim ſi illa fuerit deſtru-*

cultus ergo Sancti ſeculo VIII *eſt incertus, iſque forſan tantùm inchoatus ſeculo* XI.

AUCTORE J. S.

§ IV. Examinatur & confirmatur ſententia eorum, qui ſuſpicantur S. Antoninum Apamienſem Syrum & Gallum eumdem eſſe.

Diſputatur, an S. Antoninus Apamienſium patronus ſit idem cum Apamienſi Syro.

PHilippus Ferrarius *in Catalogo generali ad* 2 *Septembris annuntiat* S. Antoninum *his verbis :* In Syria S. Antonini martyris. *Deinde in annotatis obſervat ſequentia :* Is non diverſus videtur ab eo, qui Pamiæ in Aquitania paſſus hac die in Martyrologio Romano refertur : ſuntque, qui pro Pamiæ in Gallia, Apamiæ in Syria legendum putent. Uſuardus enim & cæteri Apamiæ, non Pamiæ, habent. *Tillemontius tom.* 4 *Monument. eccl. notâ* 15 *in S. Dionyſium Pariſienſem diſcutit opinionem illam Ferrarii, eamque ſic verſat, ut eam ceteris omnibus præferre videatur, quemadmodum etiam facit Bailletus ad* 2 *Septembris, ac tandem laudatus ante Sollerius noſter ad diem* IV *Julii in S. Antonino Placentino* § 3. *Verumtamen nullus illorum aliquid certi ſtatuere intendit, & nominatim Sollerius exactius rei examen remiſit ad hunc locum. Quapropter accuratè expendendum, quæ, quámque ſolidæ pro hac opinione reperiantur rationes, atque utrùm præponderent illis, quæ afferri poſſunt in contrarium. Scio rem arduam me ſuſcipere, nec poſſe opinionem alterutram ſtabiliri argumentis planè evidentibus & certis. Nihilominus examen iſtud pro inſtituto noſtro ſuſcipiendum.*

Unus tantùm Syrus annuntiatur in antiquis Martyrologiis, non Gallus;

32 *Prima ratio, quæ inſinuat* S. Antoninum *in Gallia & Hiſpania celebrem, non eſſe alium à* S. Antonino *Syro, de quo egi* § 1 ; *petitur ex antiquis Martyrologiis, in quibus notus non eſt* S. Antoninus *Apamienſis Gallus aut Hiſpanus ; ut eodem loco jam oſtendi ; ubi hæc ratio confirmata eſt ex eo, quòd hodierna urbs Apamienſis in comitatu Fuxenſi necdum exſtaret, quando Uſuardus, Ado, aliique martyrologi antiquiores* S. Antoninum *annuntiarunt Apamiæ aut prope Apamiam. Non itaque poterant Uſuardus, Ado, Notkerus, atque auctor Romani Martyrologii parvi, deſignare Apamiam Gallicam, quæ nullibi erat ; ſed deſignarunt Apamiam in Syria. Sanè Rabanus ad* 2 *Septembris* Antoninum *ſic memorat :* In Syria Antonini pueri annorum viginti. *Dubitandum igitur non eſt, quin & Syrum annuntiaverint alii, qui Rabano ferè erant contemporanei, etiamſi elogium diverſo modo expreſſerint ; ſecuti diverſos codices Hieronymianos, aut diverſa Actorum quorumdem fragmenta. Eruditi ſcriptores Hiſtoriæ Occitaniæ, qui aliàs volunt* S. Antoninum *patronum Apamienſium alium eſſe à Syro, candidè agnoſcunt in omnibus laudatis Martyrologiis annuntiari unicum* S. Antoninum *Syrum.*

qui non videtur a Syro diſtinctus :

33 *Quanti momenti ſit hæc ratio ; paucis accipe. Eodem die, quo Apamiæ, ſeu Apameæ in Syria, annuntiatur* S. Antoninus *ab Uſuardo, Adone, aliiſque laudatis martyrologis,* S. Antoninus *Apamiis in Gallia colitur. Quàm vehementem hæc ſuſpicionem ingerant, unum eumdemque utroque loco coli, unuſquiſque facilè videbit. Deinde jam notum erat monaſterium* S. Anto-

Colitur S. Antoninus Palentiæ ut patronus : celebratur etiam feſtum tranſlationis.

A *deſtructa ſeculo* VIII, *ut volunt Hiſpani. Si quis verò exiſtimaret, deſtructionem Palentiæ contigiſſe ſub finem ſeculi* X, *quando Almanzor Corduba rex Saracenus (aliàs* Alhagib*) præter multa alia Hiſpaniæ loca totum regnum Legionenſe vaſtavit ipſamque urbem Legionem occupavit, ut narrat Rodericus lib.* 5 *cap.* 14 *&* 15, *probabilior redderetur relatio Roderici, qui nullibi dicit, quamdiu deſerta jacuerit Palentia. Verùm ex conjectura illa, etiamſi certior eſſet quàm revera ſit, tantùm ſequeretur eccleſiam* S. Antonini *extitiſſe ſeculo* X, *& inſtauratam fuiſſe à Sancio, poſtquam annis circiter quadraginta fuerat deſolata. Porrò ſi conjecturis agendum, ut in re incerta, mihi veriſimilius apparet, cultum* S. Antonini *cœpiſſe Palentiæ cum urbis inſtauratione, tranſlatis eò per Sancium ejuſve ſucceſſorem laudati Sancti reliquiis. Nam veriſimile non eſt, cultum fuiſſe* S. Antoninum *Palentiæ, aut in aliis Hiſpaniæ locis, priuſquam ibidem ejus reliquiæ haberentur. Nec etiam credibile appareret, reliquias ejuſdem Palentiæ fuiſſe ante urbis deſtructionem, cùm ſic veroſimiliter fuiſſent de-*
B *perditæ. Malim igitur ſuſpicari, Sancti reliquias eò portatas eſſe per ipſum Sancium urbis inſtauratorem, qui eas facilè accipere potuit ex abbatia Fredelacenſi, regno ſuo vicina, ubi ſervabantur ſeculo* XI.

30 *Eccleſia Palentina non modò celebrat feſtum S. patroni ſui* Antonini 2 *Septembris, ſed etiam tranſlationem* XVIII *Maii. Annuntiant eam tranſlationis feſtivitatem Tamayus in Martyrologio Hiſpanico, & Ferrarius in Catalogo generali his verbis :* Palentiæ in Hiſpania tranſlatio S. Antonini martyris ejuſdem urbis patroni. *Tamayus verò in annotatis ex verbis Officii, quod in feſto tranſlationis recitatur, oſtendit non celebrari tranſlationem aliquam corporis ex Gallia in Hiſpaniam ; verùm tranſlationem, quæ in Gallia facta dicitur. Unde patet, Palentinos ſibi non attribuere corpus* S. Antonini, *ſed aliquas tantùm ejuſdem Sancti reliquias. Hæ, ſi Tamayo credimus loco mox citato, ſunt* brachium dexterum cum ejus ſcapula. *Hoc ſenſu rectè exponi poſſunt verba Martyrologii Romani de* S. Antonino *martyre :* Cujus reliquiæ in eccleſia Palentina magna veneratione aſſervantur. *Officium uſitatum in eccleſia Palentina eſt de* S. Antonino, *quem Gallum Apamienſem credunt, nec acquieverunt Palentini pſeudo-Dexteri aut Juliani figmentis, ex quibus Sandovallius, Bivarius, Tamayus, aliique Hiſpanum facere conati ſunt. Alia argumenta, quibus Sandovallius aliique conati ſunt Hiſpaniæ aſſerere* Antoninum, *deducuntur à tempore, quo Apamienſem vixiſſe volunt cum Actis fabuloſis. Verùm, etiamſi Acta illa eſſent vera, etiamſi ſub Pipino vixiſſet in Gallia, ex dictis noſtris de cultu in Hiſpania, corruerent vel ſic Hiſpanorum argumenta. Omnino igitur credendum cum prudentioribus Hiſpanis, eumdem eſſe* Antoninum, *qui in Gallia colitur & in Hiſpania. At nunc demum inquirendum, quis ſit ille* Antoninus, *quóque loco & tempore martyrii lauream adeptus, an idem cum* Antonino *Syro, an ab eodem diſtinctus, aliaque hujuſmodi, quæ ſummis involuta ſunt difficultatibus.*

E

F

AUCTORE J. S.

Antonini *in Rutenis anno* 817, *priusquam Usuardus, Ado, Rabanus & Notkerus Martyrologia sua conscriberent. Quis igitur credat* Antoninum *illius monasterii patronum ab illis omnibus ignoratum fuisse & prorsus omissum. Attamen, nisi idem sit cum* S. Antonino *Syro, ab illis non modò, sed ab aliis etiam omnibus per multa secula secutis, prætermissa fuit ipsius memoria. Si quis ad hæc respondere voluerit, alios etiam Sanctos Martyrologiis prædictis adscriptos non esse, de quorum tamen cultu & patria aliunde constat; ultrò fatebor id verum esse de paucis. Verùm sic verisimile non fit, idem contigisse de* S. Antonino *: nam de eo nullum habemus monumentum authenticum, quo possit certo Gallia loco attribui; nulla quoque civitas eum sibi vindicare nititur, nisi ea sola, quæ tempore ejus martyrii non exstitit, & cui nulla cum verisimilitudine potest adscribi. Unde, quæso, accidere potuit, ut Galli æquè ac Hispani sanctum Martyrem attribuerint urbi, cujus ante seculum* XII *nulla reperiuntur vestigia, nisi quòd monumenta quædam videantur habuisse, ex quibus*
B *didicêre Apamiæ revera martyrio coronatum, aut in ejus vicinia; & Gallicam Apamiam intellexerint pro Syriaca? Hic error facilè obreperè potuit, & ob alias etiam rationes admodùm est verisimilis.*

initium cultûs in Gallia translationi videtur adscribendum;

34 *Vidimus cultum Sancti in Gallia inchoatum fuisse seculo* VIII *aut* IX, *quo exstabat monasterium* S. Antonini *in Valle nobili provinciæ Rutenensis. Nullum ante istud tempus de* S. Antonino *in Gallia monumentum, nullum apud scriptores Gallos reperitur verbum. Attamen verisimile est Sanctum esse passum sub imperatoribus gentilibus, aut certè non diu pòst, cùm adhuc vigebat idololatria. Quæ igitur ratio dari poterit, cur nomen Sancti, qui deinde tantopere inclaruit, tot seculis obscurum adeo fuerit in Gallia; præsertim cùm nulla nota sit occasio, quâ demum inclaruit? Unica, opinor, causa est, quòd procul à Gallia fuerit coronatus martyrio, quódque seculo* VII *aut* VIII *translatæ sint Sancti reliquiæ in Galliam. Sic cultus potuit inchoatus esse, atque accedentibus miraculis nomen paulatim celebre redditum. Accipe, lector studiose,*
C *quomodo in Actis referatur occasio inchoati cultûs in Rutenis, ubi Sancti nomen citiùs inclaruit quàm Apamiis. Duo ex relatione illa, quamvis fabulosa, colligere poterimus; videlicet non alium esse* Antoninum, *aut certè non alium esse creditum, qui colitur in monasterio nominis sui in Rutenis, quàm qui Apamiis celebratur. Alterum est, quòd initium cultûs ibidem adscribatur translationi capitis. Quippe Acta apud Labbeum tom.* I *Bibliothecæ pag.* 688 *sic habent :* Multorum igitur opinione relatum est, quòd, cùm caput sancti Martyris à carnificibus amputaretur, & in gurgite fluminis nefandissimè jactaretur, statim angelica susceptione, opitulante Christo, in parvo est mausoleo collocatum, naviculâque angelico officio receptui paratâ depositum.

sicuti in Actis fabulosis translationi capitis

35 Tum denique per longa terrarum spatia, aquarum flumina decurrentia, per fluvium scilicet, qui Areia nuncupatur, ad Garonnam usque perveniens fluvium, qui videlicet occiduas præterfluens expetit partes, continuatim natando alium, qui Tarnis dicitur, in Garonnam decidentem inveniens fluvium, Domino annuente, illicò subsitit in ipsum *. Deinde occidentales prætermittens decurrere partes, orientalia velociter expetivit climata. Retrogradum igitur arripiens cursum, per Tarnis fluvium introivit in Avarionis alveum. Sicque disponente Christi gratia, & angelica semper assistente custodia, ut fertur, in similitudine duarum aquilarum ad instar navis candidatarum, deducebatur navicula. Jam jamque feliciter properando pervenit ad locum sibi destinatum. Qui videlicet locus tunc temporis VALLIS vocitabatur NOBILIS, in quam denique vallem cujusdam principis magni, qui dicebatur Festus, erat habitatio. Quam scilicet habitationem, ut * relativè fertur, isdem sanctus martyr Antoninus, eamdem regionem prædicando peragrans, eidem principi Festo petierat ad habitandum. Cúmque jam navicula ad littus perveniisset fluminis, contigit ut unus ex supradicti principis famulis venire vellet ad locum littoris. Adpropinquans ergo conspexit naviculam eminus, & in ipsa caput intuitus Antonini martyris, convocatisque ceteris suis commilitonibus, visoque miraculo cum omnibus, domino suo festinavit nunciare quantocius.

D

* *apud Lab.* & E

attribuitur initium venerationis in Rutenis.

36 Cúmque perveniisset ad locum isdem princeps jam denominatus Festus, admiratus valde, intellexit, inspirante gratia Divinitatis, sibi destinatum adesse caput Antonini martyris, rememoratusque petitionem, quam ei supradictus sanctus Martyr pridem postulaverat, tandem rediens ad suam conscientiam, dixit omnibus, qui cum ipso erant, Cernitisne, inquiens, magnum Dei mysterium? Etenim, dum adviveret, habitaculum à me expetierat, nunc in cælo coronatus Deo disponente, pretiosus sibimet ipsi vindicat Martyr. Tunc ergo amovit habitationem suam à loco illo; dedicansque ecclesiam, caput glorioſissimi Martyris cum magna veneratione posuit in ea, gratias agens laudansque Deum, & benedicens Dominum. *Hæc eodem modo referuntur in editis apud Chiffletium & Mss. Actis; nec dubitari potest, quin prorsus fabulosa sint & fictitia.*

Traditio Gallorum est, Sanctum esse, Apamiensem, sed illa paulatim corrupta, F

37 *Porrò ex fabulosa illa capitis translationis historia etiam colligitur, qualis fuerit opinio Rutenensium de* S. Antonino. *Sanè illi non existimabant Sanctum in sua provincia passum, aut in vicina Cadurcensi, sed agnoscebant caput illius aliunde ad se delatum esse; cúmque de ejus translatione non satis essent instructi, ad relatas modò fabulas confugerunt, ut exponerent, quo modo per varia flumina Garumnæ incidentia sacrum illud depositum ab urbe Apamiensi ad monasterium Rutenensis provinciæ deferri potuerit. Sententia igitur Scriptorum Historiæ Occitaniæ, qui* S. Antoninum *Apamiis abjudicant, ut illum attribuant Rutenensi, Cadurcensi, aut alii provinciæ Aquitaniæ, contraria videtur traditioni, quæ* S. Antoninum *à multis seculis Apamiæ adscripsit, sed ita, ut paulatim Syriaca Apameæ substituta sit Gallica ejusdem nominis civitas Apamiensis.*

uti etiam probatur ex Actis,

38 *Acta ipsa, quantumvis fabulosa sint, favent huic opinioni de uno* Antonino *Apamiensi, etiamsi contrariam opinionem in fine contineant. Quippe initio urbem Sancti natalem his verbis assignant apud Labbeum & alibi :* Igitur reverentissimus puer Antoninus Appamiæ oppido extitit oriundus. *Ms. Reginæ Suecia :* Sanctus itaque memorandus Antoninus Apamiæ oriundus *&c. Bellovacensis lib.* 13 *cap.* 35 ex gestis ejus *sic habet :* Sanctus Antoninus Apameæ oppido oriundus *&c. Omnia demum Acta Sanctum Apamiæ vel Apameæ attribuunt, eumdemque Apa-*
miæ

* *in Ms.* aliquantulum

A *miæ aut prope Apamiam martyrio coronatum aſſerunt. Attamen certum eſt Apamius in Gallia conditas multis ſeculis poſt* S. Antoninum. *An igitur exiſtimabimus prorſus fictitia eſſe, quæ de loco illo leguntur in Actis omnibus etiam brevioribus, & minùs apertè fabuloſis? Difficulter id mihi perſuaderi ſinam. At malim ſuſpicari, locum martyrii ex antiquioribus monumentis acceptum, ex iiſdem videlicet, ex quibus martyrologi antiqui* Antoninum *Apamiæ annuntiarunt; ſed per adjuncta deinde figmenta contigiſſe, ut locus in Gallia eſſe crederetur, qui erat in Syria.*

ex Vincentio Bellovacenſi & Petro de Natalibus:

39 *Varia ſunt, quæ hanc meam ſuſpicionem veriſimilem faciunt. Imprimis laudatus Bellovacenſis, qui veroſimiliter Acta habuit Apamiis Gallicis antiquiora, nullum adduxit verbum, quo inſinuat, in Gallia paſſum eſſe Sanctum, ſed potiùs Apameam Syriæ deſignat: nam locum martyrii vocat* Apameam, *ſicuti revera nominata fuit urbs Syriæ ad Orontem fluvium, aliis* Apamia, *& Græcè* Ἀπάμεια. *At Gallica paſſim eo tempore dicebatur* caſtrum Apamiæ, *vel* Apamia, Apamiæ, *vel* Pamia. *Certè editores Speculi Hiſtorialis locum intellexerunt de Apamea Syriæ, cùm in margine hanc addiderint notulam ex Baronio:* Paſſus eſt S. Antoninus non Apameæ, ut Vincentius & multi alii opinati ſunt, ſed Pamiæ apud Toloſam *&c. Petrus de Natalibus lib.* 8 *cap.* 24 *nihil quoque affert, quo debeat intelligi urbs Apamienſis in Gallia. Hinc colligo flumina illa Gallica, quibus civitas Apamienſis Galliæ attribuenda videretur, Actis adjecta eſſe poſt tempora Vincentii Bellovacenſis, cùm hic ea haud dubiè nominaſſet, ſi in Actis tunc fuiſſent reperta: Acta enim tota, etiam capitis tranſlationem, narrat paulò breviùs, cæſumque Sanctum* dicit ad ripam fluminis ad radices Apameæ decurrentis. *At poſteriores addiderunt nomen fluminis non modò hujus, ſed aliorum etiam, per quæ caput ab angelis in cymba vectum fabulati ſunt. Cùm igitur ſola illa fluviorum nomina Gallicas Apamias deſignent, idque pro tempore, quo non exſtabant; alia verò omnia, quæ in Actis Labbeanis aliiſque ſimilibus leguntur, rectè intelligi poſſint de Apamea Syriæ, credibile eſt Apameam ex antiquis monumentis innotuiſſe, & Syriacam Apameam intelligendam.*

B

C

Acta Galli & Syri in multis conſonant: unus igitur videtur,

40 *Huic conjecturæ favet, quòd in memoratis Actis habeantur varia, quæ* S. Antonino *Syro congruunt. Nam dicitur patriâ ſuâ egreſſus atque ad eamdem deinde reverſus: gentilium errores increpuiſſe narratur, ab iiſque apprehenſus ac membratim conciſus. Hæc autem omnia etiam referuntur à Græcis de* S. Antonino *Syro. Fateor quidem plura narrari de* Antonino *in Actis Latinis, quàm referantur in Menologiis Græcis. Verùm ex eo non ſequitur de diverſis agi, cùm Græci potuerint multa prætermittere in Menologiis, plura confingere Latini. Acta omnium fabuloſiſſima, quæ* S. Antoninum *filium faciunt regis Apamiarum, facta mox relata etiam continent, ſed inſulſis fabulis immixta. Unum igitur reſtat, nimirum ut oſtendamus non eſſe improbabile, corpus* S. Antonini *Syri tranſlatum eſſe in Galliam, indeque concludamus ſententiam noſtram tanto eſſe probabiliorem, quanto magis improbabiles apparent omnes aliorum opiniones de tempore, quo* S. Antoninus *paſſus eſſet in Gallia. Haſce autem improbabiles eſſe oſtendam, ſimulac probavero tranſlationem eſſe veriſimilem.*

AUCTORE J. S.

41 *Sammarthani tom.* 2 *Galliæ Chriſtianæ pag.* 161 *ad propoſitum noſtrum hæc habent:* Præcipuus eccleſiæ (*Apamienſis*) ac civitatis patronus ſanctus Antoninus eſt, . . . cujus martyrium ipſa civitas, ſicuti & capitulum cathedrale, inſignium loco gerit: cum quo celebrantur ſancti Joannes & Almachius, Antonini in prædicatione & paſſione ſocii, fitque continua eorum commemoratio in officio divino, ut & Caii & Alexandri martyrum Apameæ Syriæ, quorum ſacræ reliquiæ inde Appamias Galliæ Narbonenſis, quadam expeditione ſacra ab uno ex comitibus Fuxi delatæ, ac thecis argenteis, gemmis ornatis inclusæ, in prædicta eccleſia B. Mariæ de Campo collocatæ fuerant; ſed thecis direptis, reliquiæ ab hæreticis, quemadmodum & ſancti Antonini Sociorumque, nec non ſanctæ Nataliæ virginis & martyris Appamienſis, igne crematæ ſunt. *Videmus hîc, reliquias ſanctorum Caii & Alexandri, ati & S. Nataliæ, martyrum Apamienſium in Syria, æquè ſervatas fuiſſe Apamiis ac corpus* S. Antonini. *Cur ergo non credamus quatuor hæc corpora eodem tempore in Galliam fuiſſe delata? Sanè difficilior non fuit tranſlatio corporis* S. Antonini *quàm aliorum, & rationes tam variæ ſunt, quæ illum eumdem cum* S. Antonino *Syro perſuadent, ut prævalere debeant popularibus ac fabuloſis traditionibus Apamienſium, Sanctum illum urbi ſuæ attribuentium.*

cujus reliquiæ in Galliam cum aliis Apamienſibus fuerint delatæ.

D E

§ V. Reſpondetur ad argumenta contra ſententiam noſtram prolata in Hiſtoria Occitaniæ.

Prima objectio contra tranſlationem corporis ex Syria,

F

Laudati ſcriptores Hiſtoriæ Occitaniæ, qui controverſiam aliò traxerunt, ut jam monui, contendunt tranſlationem S. Antonini *veriſimilem non eſſe in ſententia noſtra, atque ita loquuntur tom.* 1 *pag.* 623: Revera nullo modo veriſimile eſt, corpus S. Antonini martyris Apamienſis in Galliam eſſe tranſlatum ſeculo v aut vi, uti inſinuant Bollandiani (*nimirum Sollerius num.* 27, *ſed dubitanter*) & ne quidem ſeculo viii. Nam, ſi in Gallia habemus reliquias ex Oriente allatas, eæ ferè allatæ non ſunt, niſi à tempore expeditionum cruce ſignatorum, quando domini ad expeditiones illas profecti, aliquas attulerunt in reditu ſuo, poſtquam illas acceperant ex urbibus infidelium dominio ereptis, aut alio modo. *Et mox ſubjiciunt, corpora ſanctorum Caii, Alexandri & Nataliæ martyrum fuiſſe* allata ex Apamea Syriæ in Galliam per Rogerium comitem Fuxenſem, dum revertebatur à prima expeditione cruceſignatorum. Verùm, *inquiunt*, quoniam hæ reliquiæ tranſlatæ non ſunt ad abbatiam Fredelacenſem, niſi ſub finem xi aut initium xii ſeculi, & quoniam jam oſtendimus reliquias cujuſdam ſancti Antonini diu antè honoratas fuiſſe in monaſterio hujus nominis in provincia Rutenenſi, hæc nobis præbent cauſam exiſtimandi, fuiſſe in Galliis quempiam ſanctum Antoninum martyrem, diſtinctum ab Apamienſi *in Syria. Hoc præcipuum eſt argumentum,*

AUCTORE J. S.

quo laudati ſcriptores utuntur, ut probent S. Antoninum *fuiſſe paſſum in Gallia, ita tamen ut locum martyrii relinquant incertum, & recedant à traditione Apamienſium, qui volunt Sanctum eſſe paſſum in urbe ſua.*

cujus antecedens propoſitio nec probata eſt nec vera,

43 *Fateor concluſionem hanc tam bellè eſſe deductam, ut primo intuitu dubitaverim, an illi non deberem aſſentiri. Verùm, diſcuſſis diligenter antecedentibus, multa reperio ſine probatione aſſerta, ita ut concluſio neceſſariò vacillet. Tranſlatio ſeculo* V, VI, *imò &* VIII *& conſequenter etiam* X, nullo modo veriſimilis *eſt laudatis ſcriptoribus. Quid ergo? An S. Radegundis ſeculo* VI *non accepit reliquias ex Oriente, & quidem ex locis diverſis? Audiamus Vitam ejus, à Baudonivia moniali coæva ſcriptam, apud nos tom.* III *Auguſti pag.* 79 : Pervenit tandem ad eam (*S. Radegundem*) de domno Mammete martyre, quòd Hieroſolymis ſua ſancta quieſcerent membra. Hæc audiens, ... tranſmiſit virum venerabilem Reovalem presbyterum, qui tunc ſæcularis erat, & adhuc ſupereſt corpore, ad patriarcham Hieroſolymitanum, poſcens de

B beati Mammetis pignore. *Hic autem presbyter ei, ut latiùs refertur, digitum S. Mammetis reverſus attulit. In eadem Vita mox narratur S. Radegundis nuntios cum litteris commendatitiis Sigeberti regis direxiſſe ad imperatorem Juſtinum, ut partem Crucis Dominicæ aliaſque Sanctorum reliquias ab eo peteret. Impetravit ſancta regina petitas reliquias, teſte non modò hac Vita, ſed etiam Gregorio Turonenſi & Venantio Fortunato, quorum verba recitantur ibidem in Commentario prævio § 5. Hinc laudata Baudonivia plures alias recenſens, ſic generatim loquitur de collectis per S. Radegundem reliquiis :* Poſtquam monaſterium eſt ingreſſa, quantam multitudinem Sanctorum fideliſſimis precibus congregavit! Hoc Oriens teſtatur, Aquilo, Auſter, vel Occidens profitetur: quia undique pretioſas gemmas cæloque reconditas, & quas paradiſus habet, ipſa devota tam muneribus, quàm precibus ſibi obtinuit. *Hoc ſolum S. Radegundis exemplum ſufficere poteſt, ut judicemus non paucas reliquias ex Oriente in Galliam delatas ante expeditiones ſacras ſub finem ſeculi* XI *inchoatas.*

C *ſed potiùs veris factis contraria,*

44 *Verumtamen non deeſſent exempla aliæ tranſlatarum iis temporibus reliquiarum ex Oriente in Galliam, ſi neceſſe eſſet ea hoc loco cùm ex Actis Sanctorum, tum aliunde accumulare. Baronius in Annalibus ad annum* 637 *num.* 1 *prudenter obſervat, pleraſque Orientalium Sanctorum reliquias, quas in Occidente habemus, tranſlatas eſſe poſt occupatas ab infidelibus Ægyptum & Syriam, aliaſque vicinas provincias. Nam relata expugnatione Antiochiæ per Saracenos, hæc ſubjungit.* Planè his temporibus, quibus ſive à Perſis antea, ſive ab Arabibus poſtea iiſdemque Mahometanis & Sarracenis captæ ſunt nobiliſſimæ civitates Orientis Alexandria, Hieroſolyma, & Antiochia, unà cum eiſdem ſubditis regionibus, accidit, ut ſive habitatoribus in Occidentem commigrantibus, ſive mercatoribus cum iiſdem gentilibus tutò verſantibus, ſive aliis fidelibus Chriſtianis id curantibus, complura ſanctorum tum martyrum tum confeſſorum corpora tranſlata fuerint in Occidentem, atque in diverſis locis, ſive Romæ, ſive Venetiis, vel alibi collocata. Romam autem tranſlatas tunc fuiſſe venerandas reliquias Ignatii martyris Antiochiâ, conſtans fama vetuſque traditio potiùs, quàm ſcripta ſignificant. Quod & pariter dicendum de aliis pluribus Sanctorum reliquiis, quas D ex Oriente advectas diverſa Occidentalis orbis loca cuſtodiunt. *Hactenus Baronius, & rectè.*

prorſus evertitur :

45 *Ex hiſce autem non modò veriſimile fit, quaſdam Sanctorum reliquias ex Oriente tranſlatas eſſe in Galliam ſeculo* VI, VII *&* VIII ; *ſed etiam ex tempore occupatæ per Saracenos Antiochiæ, ſub qua erat Apamea, parùm veriſimile apparet, corpora SS. Caii, Alexandri & Nataliæ tranſlata inde eſſe circa finem ſeculi* XI, *ut volunt laudati ſcriptores, ſed ſine probatione idonea. Nam, cùm tota illa provincia ſub Saracenorum dominio permanſerit ab illo tempore uſque ad finem ferè ſeculi* XI, *quis facilè credat tot corpora ſacra ibi per quatuor ſecula & dimidium ſervata fuiſſe ſub tyrannide Mahometanorum, ac demum avecta, quando tutiùs ſervari potuiſſent ſub Chriſtiano principe? Quin imò ne quidem uſque ad annum* 657 *Apameæ permanſiſſe ſacra hæc corpora, mihi veriſimilius eſt : Apamea enim, teſte Evagrio lib.* 5 *cap.* 10, *capta fuit ab Adaarmane ſub Choſdroe Perſarum rege. Captam verò Adaarmanes* totam concremavit, boniſque omnibus contra fidem datam direptis abſceſſit, univerſos cives ac finitimos captivos abducens : inter quos ipſum quoque urbis epiſcopum, & eum, cui adminiſtratio provinciæ commiſſa erat, ſecum aſportavit. *Expugnationem urbis ad annum* 573 *refert Pagius num.* 7. *Hæc omnia perſuadent, prædicta ſacra corpora non permanſiſſe Apameæ uſque ad expeditiones ſacras. Itaque traditio relata à Sammartanis de tranſlatis corporibus* ab uno ex comitibus Fuxi *parùm auctoritatis habere poteſt, & conjecturæ videtur attribuenda. Certè illa traditio, ſi vera eſſet, necdum evinceret id factum eſſe per Rogerium, qui forſan Apameæ numquam fuit. Totum igitur iſtud argumentum collabitur, & veriſimile manet* S. Antonini *corpus cum corporibus aliorum ſanctorum Apamienſium in Galliam delatum eſſe poſt vaſtatam Apameam.*

altera objectio adducit auctoritatem illorum, qui noſtræ favent ſententiæ :

46 *Laudati ſcriptores refutato nunc argumento ſubjungunt auctoritatem Vincentii Bellovacenſis & S. Antonini, quos ſibi faventes credunt. Acta etiam, licèt fabuloſa fateantur, aut ſaltem maximè interpolata, opinioni ſuæ tanto magis favere aſſerunt, quanto magis invicem conſonant in uno hoc articulo, quem traditioni antiquæ conformem dicunt. Verum jam oſtendi Bellovacenſem, cui S. Antoninus titulo* 8 *cap.* 1 § 42 *prorſus conſonat, uti & Petrus de Natalibus, meæ omnino ſententiæ favere, cùm nullus illorum vel verbo inſinuet, Sanctum paſſum eſſe in Gallia, ſed Apameæ paſſum ſcribant, quam in Gallia tunc non fuiſſe. inter nos convenit. Acta verò tanto magis huic adſtipulantur ſententiæ, quanto magis cum dictis ſcriptoribus conſpirant pro Apamea Sancti palæſtra, aliiſque geſtis eodem modo apud omnes relatis. Sola nomina fluviorum, Actis deinde adjecta, Galliam inſinuant, nec quidquam præterea in Actis, ex quo colligas Sanctum Galliæ adſcribendum. Tota ergo hæc probatio auctorum Hiſtoriæ Aquitaniæ pro nobis rectiùs adducitur, cùm illi ipſi velint Sanctum non eſſe martyrio coronatum Apamiis in comitatu Fuxenſi; atque Apamia tamen aut Apamea miro omnium conſenſu aſſignetur, ita ut illa quærenda ſit in Syria. Ne traditio quidem ipſis favet : nam illa habet Apamia paſſum Sanctum, non in alio Galliæ loco. Quis autem non intelligat, faciliùs errari potuiſſe in locis ejuſdem nominis, quam in locis nominis diverſi, atque adeo*

E

F

faciliùs

A *facilius ſubſtitui potuiſſe Apamiam Gallicam pro Apamia Syriaca, quam alia qualibet urbe.*

47 *Tandem laudati ſcriptores adducunt aliquot Martyrologia non admodùm vetuſta. In Martyrologio Centulenſi, ſeu S. Richarii, ſcripto veroſimiliter ſeculo* XIV *hæc leguntur:* In Gallia territorio Catercenſi (*Cadurcenſi, opinor*) ſancti Antonini presbyteri & martyris. Eodem die, ſancti alterius Antonini pueri, martyris. *Ad hæc viri eruditi obſervant ſequentia:* Martyrologium iſtud recenſet 2 Septembris ſanctum quemdam Antoninum presbyterum & martyrem in territorio Cadurcenſi, diſtinctum à Syro, quem puerum vocat, quemque eodem die memorat. *Quæro ego, unde id hauſerit collector iſtius Martyrologii? An ex Actis? An ex Apographis Hieronymianis? An ex Uſuardo, qui alterum eodem die, alterum ſequenti memoravit, quemque malè correxit? Quidquid ſit, junior eſt ſcriptor ille, quàm ut ejus unius auctoritate credamus, quemdam* Antoninum *martyrio coronatum in territorio Cadurcenſi. Sanè crediderim ab iſto martyrologo* S. Antoninum *Cadurcenſi territorio*

B *adſcriptum, quia credidit ejuſdem Sancti monaſterium, in quo colitur, ad dictum ſpectare territorium, cui revera vicinum eſt. Duos verò ab hoc & aliis recenſitos putem, quia in Apographis Hieronymianis modò* puer *vocatur, modò* martyr, *quem presbyteri titulo alii ex Actis condecorarunt: nam Acta ipſa* puerum *initio vocant, deinde* presbyterum *aſſerunt; nec dubium videtur, quin tituli illi ex Actis ſint derivati. Nihil igitur ad rem facit auctoritas iſtius martyrologii.*

48 *Neque plus prodeſſe poteſt codex Victorinus, ſeu S. Victoris Pariſiis, in quo ſic legitur apud Sollerium in Uſuardo ad 2 Septembris:* Civitate Brugdunenſi, paſſio S. Antonini levitæ, cum Joanne presbytero & Almachio puero. *Nihilo, inquam, ſolidius ex his verbis inferunt eruditi adverſarii hunc* Antoninum *alium eſſe à* S. Antonino *Syro. Totum tamen eorum ratiocinium ſubjungo:* Hic autem Antoninus debet eſſe ille Aquitanus, quia in eccleſia Apamienſi * colebantur reliquiæ duorum ipſius ſociorum Joannis & Almachii, quos nullus aſſignat ſocios S. Antonino Apamienſi. Hinc patet novum Martyrologium Romanum, cui Cardinalis Baronius ad

C 2 Septembris inſeruit: " Pamiæ in Gallia S. An-„ tonini martyris &c. „, non eſſe primum Martyrologium, quod memorat ſanctum quemdam Antoninum in Galliis. Laudatus tamen Cardinalis erravit in loco martyrii. *Hactenus illi, qui ad hæc ſolùm addunt, antiquum eſſe Sancti cultum in Gallia & Hiſpania, & præſertim in Aquitania & Arvernia, voluntque non futurum fuiſſe, ut hic cultus tam latè extenderetur, niſi Sanctus in Gallia eſſet paſſus. Verùm, quod ſpectat ad cultum, is ortum habere potuit ex reliquiis in Galliam delatis, ſicuti factum eſt in Hiſpania; nec tam latè umquam extenſus eſt* S. Antonini *cultus per Galliam, ut ex eo probabiliter inferri poſſit locus martyrii. Rectiùs ex cultu ſeriùs inchoato colligitur, Sanctum in Gallia revera non eſſe mortuum.*

49 *Jam verò vellem explicuiſſent eruditi ſcriptores, ubinam in Galliis ſit illa* civitas Brugdunenſis, *cui Martyrologium Victorinum attribuit* S. Antoninum *levitam cum ſociis Joanne & Almachio.* Hic Antoninus, *inquiunt*, debet eſſe ille Aquitanus. *Qua igitur Aquitaniæ parte eſt civitas illa Brugdunenſis? Id ſanè expoſitum oportuerat, priuſquam ex civitate prorſus ignota inferretur regio determinata. At inquiunt, ſocios ejus Joannem & Almachium nullus attribuit* Antonino *Syro. Reſpondeo ſocios illos malè attribui* S. Antonino, *ſicuti in Martyrologio S. Savini de Levitania malè cum* S. Antonino *junguntur* Anicetus & Formus, *qui alibi rectiùs* Photinus. *Porrò, ſi fontem, unde nugas ſuas hauſit hic martyrologus, viri eruditi vidiſſent, prorſus abſtinuiſſent ab hoc argumento. Produxit novam Sancto palæſtram, novos martyrii ſocios, novum levitæ, ſeu diaconi, titulum martyrologus iſte, omnia autem ex eodem fonte, ex Actis nimirum fabuloſiſſimis, quorum habeo apographum ex codice Rebdorffenſi. Conſentiunt hæc in multis cum Ms. Rubeæ-Vallis & cum Actis, quæ ſecutus eſt Bertrandus, ſed in variis etiam ab omnibus diſſentiunt.*

AUCTORE J. S.

respondetur objectioni tertiæ,

uti & quartæ, quæ varia eſt,

* de Pamiers

& nimis vaga,

50 *Accipe pauca pro ſpecimine. Natum dicunt* Antoninum Toloſenſi Apamiæ oppido ... temporibus Pippini regis & Theodorici, cujus & nepos erat. *Profectus* ad limina Apoſtolorum, .. ad civitatem Salernitanam perrexit, *ubi* in eremo *habitavit* per octodecim continuos annos. *Dein* venit rex Pipinus cum ſancto Heleno epiſcopo ... in urbem Romam ſumere ſibi imperium. *Hic accerſitum* Antoninum reduxit ſecum in civitatem Brucdunenſem. *Hinc* Antoninus perrexit in regionem Movitenſem cum ſuprà dicto Heleno epiſcopo. *Reverſum autem* Antoninum *voluit Theodoricus rex* epiſcopum *creare Toloſanum; varia quoque monaſteria eum ſibi* abbatem *cupiebant. Ille verò utramque dignitatem recuſans*, vix tandem ad hoc precibus ſuperatus eſt, ut honorem ſuſciperet diaconatûs. *Poſt hæc à Theodorico incluſus eſt carceri, ubi ab angelo paſtus, & recreatus eſt à puero quodam* Almachio. *Inventum in carcere Almachium*, jubente rege, *ſatellites* ex alto præcipitaverunt. *Verùm puer, angelo protegente, illæſus mox cœpit prædicare. Non diu poſt, occiſo Theodorico per Pipinum in prælio*, Galatianus (*alibi* Gerlacius) *rex variis tormentis* Antoninum *aggreditur, ut fidei renuntiet, ſed hic nec plumbo bulliente occidi, nec aquâ potuit ſuffocari:* Tunc pii populi rapuerunt inde beatum Antoninum de manu regis Galatiani, & miſerunt eum in Frigdelenſem urbem, ubi invenit puerum ſuum Almachium .. Et manſerunt ſimul in loco, qui vocatur Orientalis, ... diebus innumeris.

E

quæque profluxit ex fonte impuriſſimo,

F

51 *Deinde acceſſit ad illos, monente angelo,* Joannes presbyter. *Nec multo poſt capti omnes, ductique ſunt* ante conſpectum Metopii regis. *Fide autem illorum nequidquam tentata, ducuntur* ad ripam cujuſdam fluminis, ubi ſpiculator, arrepto gladio ſanctum Antoninum ab humero dextrâ lævâque in duas partes membratim diviſit, ita ut caput & brachium dextrum in una parte remaneret, corpus verò & læva, quæ eſt manus ſiniſtra, ex alia parte jaceret. Almachius verò & Joannes presbyter ... capitis obtruncatione glorioſum martyrium compleverunt. *Deinde corpora juſſu Effraſiæ, quæ erat* paganiſſima neptis Metopii *regis, flumini injecta ſunt. Caput autem angelorum miniſterio per Areiam* *, *alioſque fluvios ſic vectum ſcribitur ad locum, qui dicitur* Vallis nobilis, *ut locus martyrii ex iis ſtatui deberet circa hodiernas Apamias. Demum trium Martyrum corpora ſepulta dicuntur* in civitate Frigdelenſi, *ac* ibi poſtmodum magnam fabricaverunt eccleſiam. *Hæc porrò omnia multis miraculis, apparitionibus, aliiſque fictitiis adjunctis ſic exornata ſunt, ut Acta illa nullam*

ex Actis nimirum omnium fabuloſiſſimis.

* l'Auriego

AUCTORE J. S.

nullam prorſus mereantur fidem ; nec majorem martyrologus ille , qui ex hiſce civitatem Brugdunenſem , diaconi officium , ac duos martyrii ſocios imprudenter deſcripſit.

Joannes & Almachius, qui ab aliquibus ſocii dantur Antonino, nihil evincunt :

52 *Porrò ſocii illi Joannes & Almachius cum* S. Antonino *etiam junguntur in Ms. Rubea-Vallis , & apud Bertrandum ; at illa Acta nihilo meliora ſunt , cùm eaſdem contineant fabulas , exceptis ignotis iſtis civitatibus , pauciſque aliis, pro quibus alia habent figmenta aquè clara. Gononus quoque de Vitis Patrum Occidentis pag. 256 Joannem & Almachium cum* S. Antonino *memorat , ſed ex iiſdem Actis , qua tradit compendio , omiſſis quibuſdam anachroniſmis , & fabulis apertioribus. Quin & Spondanus eadem breviter perſtrinxit ad annum 1295 num. 12. Quod autem Apamiis fuerint SS. Joannis & Almachii reliquiæ non inficior. At nec inde inferri poteſt , hoſce Sanctos cum* S. Antonino *paſſos , & multo minùs ,* S. Antoninum *in Gallia obiiſſe : neſcimus enim , an reliquiæ illorum duorum allatæ ſint Apamiæ ſimul cum reliquiis* S. Antonini , *an ſeorſum. Neſcimus , an eò delatæ ſint ex alia Galliæ parte , an aliunde. Itaque ex ſervatis olim in civitate Apamienſi reliquiis Joannis & Almachii nihil aptiùs concludi poteſt , quàm haſce recentioribus fabulatoribus occaſionem præbuiſſe comminiſcendi Sanctos illos fuiſſe* S. Antonini *in martyrio ſocios. Quapropter reliquiæ Apamienſes nihilo magis proſunt , ut* S. Antoninus *Galliæ attribui poſſit , quàm adducta obſcuri nominis Martyrologia. Quod verò dicitur de Martyrologio Romano ad rem parùm attinet , niſi forſan eruditi viri contradicere voluerint Sollerio , qui num. 6 dixerat , Baronium procul dubio inductum fuiſſe à recentioribus , Maurolyco , Felicio & Galeſinio ,* Ut 11 Septembris ſignaret " Pamiæ in Gallia , S. Antonini „ martyris „ , alio Apamienſi Syro planè neglecto & prætermiſſo. Hoc certè ab antiquis , imò à nullo prorſus claſſico Martyrologio haurire potuit. *At hæc verba potiùs confirmant , dum conſentiunt non rectè annuntiatum* Pamiæ in Gallia , *& dum Syrum Apamienſem agnoſcunt.*

B

reſpondetur ad alias quaſdam

C

53 *Apertiùs iidem ſcriptores Sollerium carpunt pag. 622 , quia* Aquitanum *vocaverat* S. Antoninum , *quem Galli Apamienſes ſibi attribuunt. Lubet cenſuram audire* : Quapropter , *inquiunt* , erraverunt Bollandiani , dum , ſupponentes , quòd S. Antoninus martyrium ſubiiſſet Apamiis in Gallia , martyrem faciunt Aquitanum : Toloſanum enim territorium conſtituebat partem Galliæ Narbonenſis. *Poterant hanc correctionem omittere laudati hiſtoriographi , cùm inutilis eſſet ad* S. Antoninum *Galliæ vindicandum , quod unum ibi agebant. Imò verò omittenda prorſus erat , cùm rectè locutus ſit Sollerius , qui non ignorabat Toloſam eſſe in Gallia Narbonenſi : nam jam num. 2 locutus fuerat de* Antonino in Gallia Narbonenſi ; *ſed non ignorabat idem Sollerius , ipſam primam Narbonenſem , in qua eſt Toloſana ditio , partem olim fuiſſe Aquitaniæ generatim ſumptæ. Quin imò id ipſi ſæpe in Hiſtoria ſua agnoſcunt laudati ſcriptores. Cur igitur non licuit Sollerio* S. Antoninum , *ſi Apamiis paſſus eſſet ,* Aquitanum *nominare , ſicut ſubinde* Occitanum *vocavit , & ſæpius* Gallum *? Certè etiam hoc tempore in rebus eccleſiaſticis , quidquid inter Oceanum , Pirenæos , Rhodanum & Ligerim interjacet , recepto vocabulo Aquitania nominatur.*

54 *Non opus eſt multis reſpondere ad obſervationem , quam iidem hiſtoriographi fecerunt ad verba Adhemari Chabannenſis :* S. Leonardus in Lemovicino , & S. Antoninus martyr in Cadurcino miraculis cœperunt coruſcare ; *ex quibus inferre nituntur* S. Antoninum *ex ſententia Adhemari paſſum eſſe in Cadurcenſi provincia ,* Quia , *inquiunt ,* eum jungit cum S. Leonardo , qui Sanctus erat ipſius loci , quique certò mortuus eſt in agro Lemovicenſi. *Nihil magis probat hæc obſervatio , quàm laudatos ſcriptores nihil prætermiſiſſe , quod conducere crediderunt ad* S. Antoninum *Galliæ vindicandum. Illum ego Gallis non invideo , ſed pro inſtituto noſtro , quid verum videatur inquiro. Ceterùm , priuſquam hinc diſcedo , duo ſunt obſervanda Primum eſt , quòd nec Tillemontius nec Sollerius in eam inclinaverint opinionem , ut nullum prorſus* Antoninum *Galliæ adjudicandum ſuſpicati ſint , ſed quòd ſolùm tractaverint de eo , qui colitur Apamiis , ita ut illos propriè non refutaverint nuperi Occitanicæ Hiſtoriæ editores , ſed potiùs ſtatum quæſtionis mutaverint , dum probare conati ſunt Sanctum eſſe paſſum in alio Galliæ loco. Alterum eſt , quòd tom. 2 pag. 358 aſſerant , allatas à Rogerio II Fuxenſi comite reliquias Sanctorum Apamienſium in Syria , ac* forſan etiam S. Antonini martyris iſtius urbis , quo factum fuerit , *inquiunt* , ut Sanctus hic confunderetur cum S. Antonino martyre Aquitano , & antiquo patrono abbatiæ Fredelacenſis. *Verùm Aquitanum* Antoninum *nullus hactenus ſatis novit diſtinctum ab Apamienſi ; & Acta omnia affirmant ejuſdem* Antonini *caput fuiſſe in monaſterio apud Rutenos , cujus corpus erat Apamiis , & aliqua reliquiæ in Hiſpania. Praterea jam obſervavi , illam tranſlationem Rogerio tribui ſine probatione , & ſine multa veriſimilitudine.*

D

eorumdem ſcriptorum obſervationes.

E

§ VI. Examinantur ſententiæ aliquorum , qui crediderunt S. Antoninum paſſum eſſe Apamiis in Gallia.

F

Chiffletius vult S. Antoninum Apamienſem ſocium fuiſſe S. Dionyſii ,

PEtrus Franciſcus Chiffletius *in Diſſertatione de uno Dionyſio , ubi edidit Acta* S. Antonini *martyris , exiſtimat* S. Antoninum *fuiſſe ſocium S. Dionyſii Pariſienſis , quem eumdem credit cum Areopagita. Ex hac opinione , ſi verà eſſet , ſequeretur* S. Antoninum *paſſum eſſe in Gallia ſeculo 2. Opinionem autem ſuam probare nititur Chiffletius ex variis ſcriptoribus , quos in Diſſertatione ſua allegat. Audi ejus verba pag. 145 :* Hæ omnes epochæ *(aliorum de ætate* S. Antonini *)* cùm nullo nitantur fundamento , nec ab ejus Vitæ ſcriptore vel leviter attingantur , pronum eſt , illis rejectis , Antoninum martyrem putare S. Dionyſii diſcipulum , quem ille è portu Arelatenſi in Aquitaniam deſtinarit , ut teſtantur Græcus anonymus à Methodio laudatus , Methodius ipſe , Methodii interpres Anaſtaſius , & Hincmarus Remenſis duos Antoninos , ſeniorem & juniorem apertè diſtinguens ; cùm Appamia ſita ſit in Toloſana Aquitaniæ provincia ; neque ſciatur , quid factum ſit illo Antonino S. Dionyſii diſcipulo , niſi ipſe eſt Appamienſis Antoninus , Euangelii prædicatione , martyrio & miraculis clarus. *Tota ratiocinatio huc redit.*

A *redit. Fuit aliquis* Antoninus *ſocius S. Dionyſii, aut etiam duo ejuſdem nominis. Miſſus hic, aut horum alter, fuit in Aquitaniam ad prædicandum Euangelium. Veriſimile autem non eſt, hunc omni carere cultu & prorſus ignotum eſſe. Itaque credibile eſt hunc* Antoninum *eſſe martyrem Apamienſem, in cujus Vita nihil reperitur, quod iſti repugnat conjectura.*

cui duos Antoninos attribuit ſocios ex epiſtola Hincmaro ſuppoſita, & in fine aucta:

56 *Nolim hic negare fuiſſe ſanctum aliquem* Antoninum *inter ſocios S. Dionyſii Pariſienſis, qui an Areopagita ſit, ſuo loco examinabitur. Certè laudatus Methodius apud Chiffletium pag.* 21 *de Dionyſio habet, veniſſe ad portum Arelatenſem,* ex quo, *inquit,* Marcellum ad Hiſpaniam, Antoninum in Aquitaniam, verbum mittit ſeminaturos & roboraturos. *Verùm hunc* Antoninum *Meldenſes ſibi vindicant, & multis eum ſeculis coluerunt, olim quidem Officio ſemiduplici, nunc verò ſimplici commemoratione ad* xxx *Septembris, uti videre eſt in Hiſtoria Meldenſis eccleſiæ Toſſani du Pleſſis tom.* 1 *pag.* 7, *& latiùs notâ* 5 *pag.* 621 *&* 622. *Conſentit facilè Chiffletius Antoninum Dionyſii ſocium Meldenſibus attribuendum, ſed pag.* 97 *ſic loquitur pro opinione ſua:* Hincmarus Remenſis in epiſtola ad Carolum Calvum, duos Antoninos ſancti Dionyſii diſcipulos commemorat; ſeniorem unum in Aquitaniam ab eo deſtinatum; alterum juniorem, qui Romam ad Anacletum Papam ſe contulit cum Sanctino, cujus etiam in epiſcopatu Meldenſi ſucceſſor fuit. Antoninus porrò à S. Dionyſio in Aquitaniam miſſus (quantùm conjecturâ conſequi poſſum) ipſe Apamienſium patronus & martyr. *Verùm epiſtola illa Hincmari eſſe non videtur. Audi Benedictinos ſcriptores Hiſtoriæ litterariæ Franciæ tom.* 5 *pag.* 577 *in Hincmaro, ubi de epiſtola memorata ſic loquuntur:* Verùm eruditis hodie perſuaſum eſt, hanc epiſtolam eſſe ſuppoſititiam. *Deinde obſervant epiſtolam finiri illis verbis* magis ſplendeſcit in lucem, *ſicuti edita eſt apud Mabillonium tom.* 1 *Analectorum pag.* 59, *& tom.* 3 *Annalium pag.* 198: *reliqua verò, quæ ſequuntur apud Surium ad* IX *Octobris, ab alio quopiam adjecta eſſe. Itaque cùm nec epiſtola ſit Hincmari, nec quidquam de Antoninis habeat, ſecundus ille Antoninus ſolùm nititur fabulosâ hiſtoriâ, quæ*

B C *dicta epiſtolæ adjecta eſt, nec ullam meretur fidem.*

verùm opinio ejus fundamento caret idoneo, & aliunde etiam non eſt veriſimilis.

57 *Nihil igitur ex epiſtola illa pro duobus Antoninis inferri poteſt; nihil quoque ex miſſione Antonini in Aquitaniam, etiamſi miſſio illa, quæ incerto nititur fundamento, planè certa eſſet, & indubitata, cùm ex Aquitania idem Meldas concedere potuerit. Quapropter fundamento idoneo caret opinio Chiffletiana, nec ullam ex Actis* S. Antonini *habet ſimilitudinem veri. Viderat hoc ipſe Chiffletius, ideoque argumentum iſtud diluere conatur pag.* 146 *hiſce verbis:* Nec verò ſcrupulum faciat, quòd hujus auctor Hiſtoriæ (qui nullum temporis characterem adhibuit, ex quo vel illius ætas, vel ipſius, de quo ſcribit, Antonini ſeculum agnoſci poſſit) nullam Dionyſii, à quo miſſus fuerit, mentionem facit; immo illum Appamiæ ortum aſſerit. Nihil enim repugnat, quo minùs Antoninus Appamiæ natus, & ad exquirendos veræ fidei doctores, aut captandam martyrii occaſionem (ut habet ejus Vita) peregrè profectus, Dionyſium ejuſve ſocios obvios habuerit, atque ab iis ſacratioribus imbutus myſteriis, & ſacerdotio initiatus Appamiam redierit, ut unde in vitam mortalem eductus fuerat, indidem in cæleſtem patriam naſceretur. *Verùm hæc invicem adverſantur: ſi enim Apamiis natus eſt, ſi in portu Arelatenſi obvium habuit Dionyſium, quomodo mox tam perfectè inſtitutus eſt, ut ex portu Arelatenſi mitteretur in Aquitaniam ad Euangelium prædicandum? Deinde, à quo inſtitutus erat fide Chriſtiana, ut jam ante adventum Dionyſii Areopagitæ, ut vult Chiffletius, amore martyrii patriam deſeruerit? Hiſce adde, quod ſæpe jam diximus, Apamias eo tempore non exſtitiſſe in Gallia, nec dubitabis, quin prorſus repudianda ſit Chiffletii ſententia.*

AUCTORE J. S.

Gononus vult Sanctum floruiſſe ſeculo 5, *multaſque amplectitur fabulas;*

58 *Gononus de Vitis Patrum Occidentis lib.* 4 *pag.* 256 *&* 257 *alia* S. Antonino *attribuit geſta, ac ætatem multùm diverſam. Vult enim filium fuiſſe* Fredelaſii Apameæ regis, *floruiſſe* circa annum Domini CDXLIX tempore Merovei Gallorum regis, *ipſius quoque avunculum fuiſſe Theodoricum Toloſæ regem. Hunc autem ait fuiſſe illum* Viſigothorum *regem,* qui periit in bello, cùm regi Hunnorum Attilæ in Campania Galliæ opem ferret contra Meroveum Francorum regem, qui eumdem interfecit. (*Anno* 451 *pugnavit Theodoricus contra Attilam cum Aetio Romanorum duce & Meroveo Francorum rege, non verò Attilæ opem tulit, ut perperam dicitur.*) *Demum* Antoninum *adſcribit Ordini Eremitarum S. Auguſtini, aſſeritque martyrem fuiſſe ſub pagano rege Galeatio & Metropio. Omnia hîc æque confuſa & falſa. Ignotus enim Fredelaſius Apamiarum rex, & procul dubio fictitius, cùm ipſæ non exſtarent Apamiæ, nec ullus Apamiarum rex apud antiquos ſcriptores ſit cognitus. Nihilo notior, opinor, erat eo tempore in Gallia Ordo Eremitarum S. Auguſtini. Fictitius item rex eſt Galeatius, qui Theodorico ſucceſſiſſe dicitur, uti & Metropius, aut Methopius: nam occiſo Theodorico ſucceſſit filius Thoriſmundus, huic verò Theodoricus II. Denique commentitia eſt tota hæc epocha, cùm in Actis fabuloſis, ex quibus omnia deprompta ſunt, occurrant Pipinus & S. Audoënus, ita ut neceſſariò ad ſeculum* VII *aut* VIII *reſpicere debeat, qui Acta illa fabuloſiſſima tueri contendit.*

Sammarthani S. Antoninum Apamienſem cum Lucenſi confundunt:

59 *Sammarthani tom.* 2 *Galliæ Chriſtianæ pag.* 157 *res geſtas* S. Antonini *eodem fere modo narrant, quo relatas dixi à Gonono, omiſſis tamen aliquot fabulis. Verùm addunt hi aliqua de cultu in Italia, quæ hoc loco diſcutienda ſunt:* Multa, *inquiunt,* loca ſacra viſitavit, varias eremos incoluit, & poſt peragratam multo tempore, & miraculis illuſtratam omnem circà regionem, urbem Romam, quò delatus, cæteramque Italiam, ubi adhuc inſignis eſt ejus memoria in oppido Caſtrinovi, duodecim circiter milliaribus Româ diſtante, ubi uti præcipuus patronus & loci & eccleſiæ magna religione & veneratione colitur *&c. Et quibuſdam interjectis ſic proſequuntur:* Eccleſiamque ad quandam ſylvam Caſtronovo proximam, ubi diutiùs habitavit, miraculis dicti Sancti depictam, vicini ipſi populi magna veneratione frequentant. *Non ſatis mihi conſtat, quodnam oppidum* Caſtronovo, *ſeu* Caſtrum novum *deſignare voluerint laudati ſcriptores, cùm varia iſtius nomina reperiantur in Etruria. Vix dubito, quin illud longiùs ſit Româ diſſitum, quàm duodecim milliaribus. Verùm quidquid ſit de loci ſitu, minimè dubito, quin alius ſit* Antoninus, *qui ibidem eſt patronus. Certè egerunt Majores noſtri ad* XXVII *Aprilis de S. Antonio presbytero & eremita, qui vulgò* An-

D E F

AUCTORE J. S.

toninus *vocatur, quique Lucæ, Senis aliisque Italiæ locis colitur. Hunc, opinor, patronum habent incolæ Castri novi. An autem istud sit Castrum novum Senense, an Volaterranum, an aliud in Etruria; an forsan locus, qui in variis tabulis* S. Antonio *dicitur, notaturque in limite territorii Senensis, hactenus affirmare nequeo. Demum ex hisce verisimile est, quædam gesta hujus etiam* Antonini *presbyteri ac eremitæ attributa esse* S. Antonino *Apamiensi. Talia videri possunt vita eremitica, presbyterium, ac iter Italicum, quæ* S. Antonino *Apamiensi in Actis parùm verisimiliter adscribuntur.*

aliorum sententia, qui Sanctum floruisse volunt seculo 8, etiam improbabilis.

60 *Ultima sententia est illorum, qui* S. Antoninum *connectunt cum Pipino rege, & seculo* VIII. *Si illa opinio melioribus fulciretur Actis, facilius conciliari posset cum initio cultûs in Gallia & Hispania. Verùm Acta illa scatent tot anachronismis & fabulis, quemadmodum jam indicavi, ut epocha etiam totaque sententia, quæ tam ruinoso nititur fundamento, repudiari debeat. Accedit quòd ne illo quidem tempore condita essent Apamiæ Gallicæ, quibus attribuuntur natales & mors Sancti. Præterea prorsus inverisimilis redditur illa opinio, si consideremus præcipuos martyrologos vicinos fuisse istis temporibus; atque ab iis* S. Antoninum *annuntiari Apameæ in Syria, ut probavimus. Itaque cùm omnes opiniones, quæ* S. Antoninum *adscribunt Apamiis Gallicis, prorsus videantur improbabiles, idque nobiscum agnoscant eruditi scriptores Historiæ Occitaniæ; cúmque etiam omnia Acta, præcipui martyrologi, & multorum seculorum traditio asserant, Sanctum Apamiæ natum, ibidemque aut prope eam passum esse; nihil videtur superesse, nisi ut existimemus Apameam in Syria intelligendam, cui facili errore Gallica substituta sit posterioribus seculis, quòd eò delatæ essent reliquiæ, cultusque ibidem dudum inchoatus.*

Conclusio Commentarii, & monitio de Actis edendis.

B

61 *Attamen ideo non contendo nullum esse* S. Antoninum *in Gallia, nec alia intentione refutavi rationes allegatas à scriptoribus Historiæ Occitaniæ, quàm ut ostenderem* S. Antoninum, *qui colitur Apamiis, verosimiliter Gallum non esse, uti illi moliebantur probare. Si alius sit Antoninus Meldis, alius in Arvernia, alii aliis*

C

Gallia locis, de illis hîc non disputo. Si ille etiam, qui in Rutenis colitur, probari possit ab Apamiensi distinctus, de illo rursum alia quæri poterunt. Ceterùm quæ disputavimus veri investigandi causâ, libenter deseremus aut corrigemus, si quis certiora de S. Antonino *invenire potuerit & meliora. Nunc verò, postpositis omnibus Actis prolixioribus, gemina subjungam Acta breviora, altera ex Ms. Reginæ Suecia, altera ex Vincentio Bellovacensi, non quidem ut authentica, sed ut minùs vitiosa. Sanè dubitandum non est, quin prolixiora illa, quæ apud Labbeum & Chiffletium sunt edita, magis sint fabulosa, & omnium deterrima Bertrandiana & Mss. illis similia. Sic tamen breviora illa Acta edemus, ut in Annotatis simus addituri ex variis Mss. omnia illa, quæ Lectori utilia esse judicamus.*

D

ACTA PRIMA

auctore anonymo

Ex codice Ms. 33 Reginæ Suecia.

Sancti patria & fervor religionis,

SAnctus *a* itaque memorandus Antoninus, Apamiæ oriundus, cùm in vico quodam solus inter gentilium tenebras, fidei suæ lumine, velut cujusdam sideris splendore fulgeret, ut sacrilegam eorum vitaret insaniam, juxta sacrarum Scripturarum præcepta, ad alium vicum, in quo nonnullorum Christianorum conversatio erat, transmigravit: eodemque loco in sancti operis studio & sedulitate persistens, numquam tamen ab impiorum increpatione *b* cessavit. Cúmque diabolica versus eum rabies in sacrilegis tortoribus inflammata concresceret, etiam tempus coronæ ejus triumphalis instaret, præsens dixit suum ipse [agonem *c.*]

a

b

E

c

martyrium, quod antè prædixerat: corporis partes fluvio injectæ, d

2 Nam cùm dierum Christianæ legis solemnitas ageretur, esset*que* in ea festivitatis devotio religiosis viris, loca convenire sacris consecrata ministeriis, se proinde paulo longiùs iturum nonnullis ipse dixisset, simulque denunciavit ore prophetico *d*, se inde minimè reverti, impiorum verò manibus comprehendendum & furore feriendum esse. Itaque sicut divino spiritu pronunciaverat informatus, à gentilibus, qui ejus sanctos speculabantur egressus, ita in itineris sui profectione prostratus est, ut pro confessione Dei ac Domini nostri Jesu Christi, dum ei illatam unius mortis pœnam gentilis insania existimat non posse sufficere, in plurimas partes frustra *e* divisus, in aquæductum *f*, qui ad urbem Apamiæ defluebat, sacrilegis impiorum manibus jactaretur.

e f

in eo mirabiliter servantur, uti & sanguis:

F

3 Verùm mox perennem glorioſissimi Martyris sui palmam præsens Divinitas approbavit. Nam sacra venerandi corporis membra, quæ fuerant antè dispersa, velut in unam eamdemque compagem se sponte propria contulerunt: glorioſissimus quoque illius sanguis, pro Domini nostri amore profusus, ita aquæ illius rapido furore conjunctus est, quasi in terram aridam unius loci fuisset statione collectus: nil exinde mobilis elementi vindicans sibi unda dispersit; sed velut quodam fideliſsimo famulatu membris suis integrum iliibatumque conjunxit: itáque quod sacrilega manus furibunda disperserat, velut agnoscens famulum Christi, fidelior aqua servavit: nam coagulati circa corpus cruoris non exiguus quidam cumulus est repertus. Postea fluentum quoque ipsius aquæ-ducti, acsi injuriam sancto corpori inferre metueret, se à cursu solito lapsuque suspendit, & siccum sacris membris locum, tamquam in morem divisi pro Israëlitico transitu maris, aut conversi retrorsum Jordanis, exhibuit.

corporis inventio & translatio ad locum sepulturæ:

4 Deinceps cùm ad levandum sacratiſsimum corpus diversorum populorum agmina numerosa veniſsent, numquam se à pluribus passus est transportari; sed duabus tantùm mulierculis, quæ fuerant fidei ardore succensæ, ut illic, ubi tumulari

A lari voluerat, transferretur, exinde se furtim passus est vehi; nimirum ut & hîc virtus Martyris monstraretur: siquidem quod multis arduum fuerat & impossibile, duabus tantùm fragilissimi sexus personis levissimum redderetur *g*.

g

sepultura, miracula: tempus martyrii.

5 Quod cùm ad quemdam presbyterum, quò beatissimus martyr voluerat manifestè deferri, omni per illas fide fortissimas mulieres fuisset facilitate delatum; priusquam solemnibus tumularetur exequiis, magna virtutum suarum documenta præmisit: nam fugatis dæmonibus & purgatis liberatisque corporibus, multos pristinæ reddidit sanitati. Passus est autem beatissimus martyr Antoninus tempore Antonini imperatoris, cognomento Pii *h*, haud longè extra muros supra dictæ urbis super fluminis ripam, quod Areia *i* vocatur; sepultus verò à religiosissimis Christianis honorificè in loco, ubi à duabus jam dictis mulieribus fuerat delatus, quarto Nonas Septembris *k*.

h

i

k

ANNOTATA.

B a *Acta hunc præfixum habent titulum*: Passio sancti Antonini martyris. *Brevia sunt, & in quibusdam ab omnibus aliis dissonant, atque hac de causa eduntur. Verùm, etiamsi pauciores in hisce Actis sint fabulæ, non carent suis etiam defectibus.*

b *Hæc omnia conciliari utcumque possunt cum elogiis Græcorum, nisi quòd ibi omnia adjuncta distinctiùs explicentur.*

c *Vox* agonem, *quam uncis inclusi, in Ms. non est; sed locus pro hac aut simili voce vacuus.*

d *Hæc martyrii prædictio habetur in omnibus Actis Latinis, non in Græcorum elogiis.*

e *Fortè legendum* frustatim.

f *Aquæductus hic sumitur pro fluvio.*

g *Hæc corporis per duas mulieres translatio in solo hoc Ms. reperitur. In aliis quidem narratur, quo modo corpus & sanguis fuerit conservatus in fluvio, at de inventione & sepultura corporis non nisi brevissimè agitur. Hæc itaque corporis translatio ad locum sepulturæ nihilo certior apparet, quàm sint alia mirabilia Actis inserta.*

C h *Imperavit Antoninus Pius ante & post medium seculi* 2, *ideoque ex hisce mors Sancti figenda esset circa medium ejusdem seculi. Porrò hæc martyrii epocha non in solis hisce Actis legitur, sed etiam in alio quodam Ms. bibliothecæ Mellicensis, in quo sic habetur:* Explicit Passio S. Antonini martyris, quem peregrini (*Hispani videlicet*) Antolinum vocant, qui passus est Apamiæ civitate, sub Antonino in prædicto recognomento Pii, IV Nonas Septembris. *Nolim tamen contendere hanc epocham satis esse certam, cùm duo memorata Mss. ad hoc non satis habeant auctoritatis. In duobus apographis Hieronymianis Sancti martyrium collocatur sub Constantio, idque non displicet Tillemontio. Verùm annuntiationes illæ, cùm longiores sint, quàm passim occurrant in Hieronymianis, videntur interpolatæ. Prior apud Florentinium ad* III *Septembris sic habet:* Et in regione Apamiæ, vico Aprocavito, sub Constantio imperatore, provincia Syriæ, sanctorum Antonini pueri annorum XX, & Aresti episcopi, cujus gesta habentur. *Altera annuntiatio in Codice Reginæ Suecia talis est:* In provincia Syriæ, sub Constantio imperatore, passio S. Antonii, adolescentis XX annorum, & Aresti episcopi, cujus gesta habentur. *Horum etiam codicum auctoritas non sufficit, ad ætatem Sancti certò figendam sub Constantio. Acta alia, exceptis illis, quæ pessime Pipinum regem cum Sancto connectunt, nullum designant tempus. Itaque vel mors Sancti figenda est sub Antonino Pio, vel sub Constantio, vel nullum tempus determinandum, nisi vagum illud, quo adhuc vigebat idololatria, quæ necdum exstincta erat sub Constantio.*

A. ANONYMO

i Areia *flumen antiquis est incognitum, ut opinor; nec exprimitur nomen fluvii apud Bellovacensem, Equilinum aut S. Antoninum, quorum nullus videtur illud omissurus fuisse, si invenisset in Actis. Valesius in Notitia Galliarum pag.* 26 *illud nomen accepit ex Actis* S. Antonini, *& de fluvio ipso hæc scribit:* Areia, qui & in veteribus tabulis Aregia, ut Novientum & Novigentum, Albla & Albiga, fluvius est vulgo dictus Ariege, quibusdam corruptè l'Auriege; à Massono prisci ejus fluvii nominis ignaro Aurigera novo ac ridiculo nomine nuncupatus, qui Apamiam alluit & Garumnâ recipitur, ut & Tarnis, quem auget Avario. *At vehementer dubito, an* Areia *nomen sit tam vetustum, quàm vult Valesius. Certè nullum adducit monumentum, nisi Passionem* S. Antonini, *quàm* multo vetustiorem *vult scriptoribus seculi* XIII; *at ego seculo* XIII *vetustiorem non ausim dicere. Sane difficulter intelligere possum, quo modo scriptor seculo* XIII *vetustior Apamias* S. Antonino *synchronas facere potuerit, cùm hæ natæ sint circa initium seculi* XII. *Ceterùm nomen fluvio, quod antè non erat expressum, dederunt scriptores Actorum, ubi cœpit invalescere opinio de martyrio Sancti apud Apamias.*

E

k *Dubium esset, an hæc intelligenda sint de die emortuali, an de die sepulturæ, nisi alii clarè eumdem diem Sancti martyrio assignarent. At vel sic incertum est, an Sanctus eo die revera sit mortuus.*

ACTA ALIA

Ex Speculo Historiali Vincentii Bellovacensis lib. 13 *cap.* 35.

F

Sanctus Apameæ natus, & de in sacerdotio initiatus,

SAnctus Antoninus Apameæ *a* oppido oriundus, nobilis genere, ab infantia cœpit sanctis pollere virtutibus, & sacris litteris edoctus, salutaria præcepta legebat & implere studebat. Cumque desiderio martyrii æstuaret, ab oppido Apameæ egressus Christianos perquirens, quàm plurimos invenit, inter quos diu commanens ad sacerdotalem *b* dignitatem promotus est. Cúmque prædicando iter ageret, labore itineris siti fortiter æstuans, omnipotentem deprecatus est, ut sibi subveniret. Oratione vero completa terram solùm virgâ fiducialiter percussit, & inde fons *c* erupit, qui Viro sancto ductus à Domino, magnam etiam infirmitatibus præbet salutem.

a

b

c

fidem gentilibus prædicat, martyrioque prædicto coronatur:

2 Reversus itaque Vir sanctus Apameam, illic in religionis studio persistens prædicabat, & gentilium perfidiam increpare non desistebat. Cúmque adversus eum diabolica rabies in sacrilegorum pectoribus inflammata concresceret,

A divino ſpiritu repletus prædixit ipſe paucis (qui tunc aderant) Chriſtianis ſuum, quod divinitus agnoverat, jam imminere martyrium. Itaque cùm Chriſtiani loca ſacra (ubi Sanctorum corpora quieſcebant) orando viſitarent, ipſe cum eis pergens, aliquantiſper longiùs iturum ſe causâ orationis illis innotuit, at inde ſe minimè reverſurum, ſed impiorum gladio feriendum prædixit. Sentiens igitur inſidiantes ſibi appropinquare gentiles, ultro ſe eis objiciens, ab eis tentus eſt; *d* deductuſque cædendo uſque ad ripam fluminis *d*, ad radices Apameæ decurrentis, in confeſſione Domini permanens capite truncatus eſt.

corpus flumini injectum miro modo ſervatur cum ſanguine:

3 Impiiſſimi denique ſatellites, ne à Chriſtianis inventus honoraretur ut martyr, totum corpus crudeliter diſcerptum ſimul cum abciſſo capite demerſerunt in flumine. Viri autem religioſi quæſitum devotè corpus Martyris repererunt ſine capite, & ſepelierunt honorificè. Miro autem modo ſanguis ille pro Chriſto effuſus, & in aquam projectus, inter aquarum colliſiones eſt coagulatus, atque conſtrictus, nihilque ex eo aquarum impulſus diſperſit, ſed velut quodam B fideliſſimo famulatu ad membra corporis, unde manarat, integrum & imminutum conjunxit. Sed & ipſius aqua fluminis Creatori ſuo obediens, & Famulum Chriſti agnoſcens, ita ſe à curſu ſolito, locoque defluenti ſubtraxit, ut injuriam inferre ſe ſancto corpori metuere demonſtraret, & ad requirenda beati Martyris membra fidelibus populis viam congruam præpararet.

traditio popularis de tranſlatione capitis.

4 Multorum quoque opinione relatum *e* eſt, quod cùm caput Martyris amputatum, in flumine jactaretur, ſtatim angelica ſuſceptione parvo eſt mauſoleo collocatum naviculâque impoſitum, aſſiſtente ſemper angelica cuſtodia, (ut fertur) ſimilitudine duarum aquilarum nivearum deducebatur navicula, donec pervenit ad locum ſibi *e* deſtinatum, ſcilicet, ad cujuſdam Feſti *f* principis habitaculum, quòd idem Martyr (ut fertur) eamdem regionem prædicando peragrans *f* ab eodem principe locum petierat ad habitandum. Cùm ergo illuc ad littus perveniſſet; Feſtus princeps admirans, & quid eſſet per ſpiritum intelligens; caput ſanctum devotè ſuſcepit, & habitationem ſuam à loco illo removens, demumque in eccleſiam dedicans, caput in ea cum C honore, & gratiarum actione poſuit. Hujus paſſio recolitur IV Nonas Septembris.

ANNOTATA.

D

a *Intelligendam hîc eſſe Apameam Syriæ ex mente ſcriptoris, probavi in Comm. num.* 38.

b *In elogiis Græcorum de ſacerdotio* S. Antonini *nihil legitur, nec presbyter vocatur apud antiquos martyrologos, uti nec in Actis præcedentibus; ita ut titulus ille parùm ſit probabilis, etiamſi in pleriſque Actis prolixioribus legatur. Obſervavi in Commentario num.* 58, *forſan ab alio Antonino ad Apamienſem fuiſſe tranſlatam hanc dignitatem.*

c *De hoc fonte nihil apud Græcos, nihil in Actis modò datis. In prolixioribus verò omnibus eadem fuſiùs de hoc fonte leguntur, quæ hîc breviùs. At quanto magis conflictus videtur, tanto confidentiùs omnes affirmant beneficia iſtius fontis, nec ullus tamen locum aſſignat, ubi fuerit.*

d *Orontes flumen prætertabitur Apameam Syriæ. Apamienſes Galli flumen vocarunt* Areiam *vel* Aregiam: *at id nomen additum videtur poſt Bellovacenſem. Græci nihil habent de corpore in flumen injecto; at ideo illud certò falſum credere non debemus, cùm in brevi ſuo elogio multa veroſimiliter prætermiſerint, & ne ſepulturàm quidem narraverint.*

e *Vides hîc inſinuari traditionem popularem, quæ mox magis inſinuatur vocibus*, ut fertur.

f *Quis ſit princeps ille* Feſtus, *verumne an fictum ſit nomen, nullus facilè determinaverit. Si luberet audire Acta prolixiora, quæ iter capitis deſcribunt per Aregiam, Garumnam, Tarnim, & Avarionem flumina uſque ad monaſterium* S. Antonini *in Rutenis, ubi nunc ejuſdem nominis eſt oppidum, dicendum eſſet Feſtum habitaſſe circa confinia provinciarum Rutenenſis, Cadurcenſis & Albigenſis; atque exſtruxiſſe primam Sancti eccleſiam in Rutenenſi provincia. Verùm ignoravit Bellovacenſis iter illud; quòd aliàs haud dubiè commemoraſſet, nec ullo modo veriſimile eſt caput eò delatum ſtatim poſt mortem Sancti, dum adhuc vigebat idololatria in Galliis. Suſpicor igitur vel nomen illud Feſti fictitium eſſe, vel eum habitaſſe in Syria. Si verò probari poſſet virum quemdam nobilem, Feſtum nomine, fundatorem eſſe monaſterii* S. Antonini *in Rutenis, exiſtimarem caput* S. Antonini *ad eum fuiſſe tranſlatum, ſed aliquot ſeculis poſt obitum Sancti. Ceterùm hîc repeto, quod antè dixi, nullum verbum in tota hac relatione reperiri, ex quo poſſit inferri, Sanctum in Gallia paſſum eſſe.*

E

F

DE SS. SEX MILLE SEXCENTIS VIGINTI OCTO MARTYRIBUS NICOMEDIENSIBUS. ITEM DE SS. AITHALA, JUNIO, PHILIPPO, THEODOTO MM.

J. P.

Ex variis Faſtis Græcis.

SUB MAXIMIANO. *Ingens hic 6628 Martyrum manipulus notatur*

Numeroſiſſimum hunc Martyrum manipulum annuntiant documenta Græca Mſs., quorum collectionem aſſervamus. Supplementum enim ad Menæa Græcorum excuſa ex Synaxario membranaceo antiquo Ms. patris Sirmondi, ſive collegii Claromontani, quod deinde Ludovici Magni nomen accepit, Societatis Jeſu Pariſiis, ſic illos refert hac die: Τῇ αὐτῇ ἡμ. ἐπέβραψε ἡ μνήμη τ ἑξάκις χιλίων ἑξακοσίων εἰκοσὶ ὀκτὼ ἁγίων Μαρτύρων μαρτυρησάντων ἐπὶ Μαξιμιανῦ βασιλέως. *Quæ ita ſonant Latinè:* Eadem die occurrit memoria ſexies mille ſexcentorum viginti

A viginti octo Martyrum, qui ſub Maximiano imperatore martyrium ſubierunt, *quod ibidem ſubditur in hunc modum:*

in ſynaxario Sirmondiano, & obſervationibus

2 Οὗτοι γὰρ, μετὰ τὸ τελειωθῆναι τὰς ἁγίας δὶς μυριάδας, εὑρέθησαν κρυπτόμενοι ἐν ὄρεσι τραχυτάτοις· Χιλιανὸς γὰρ ἑαυτὸς ἀνακηρύξαντες ἐνώπιον αὐτῶν, καὶ πέντε ἡγεμόνας παρ' αὐτὸς εἰς τὸ τιμωρεῖσθαι ἐκδοθέντες, καὶ πολλὰ παθόντες, ἐκ τῆς προσκαίρου ταύτης ζωῆς πρὸς τὸ αἰώνιον μετεβιβάσθησαν. *Illa verò ſic ſubdo Latinè:* Hi quippe, poſtquam bis decem mille Sancti interempti eſſent, inventi ſunt in montibus aſperrimis abſconditi. Dum autem coram tyranno ſe Chriſtianos, & quinque apud ſe præfectos eſſe faterentur, ad ſupplicium traditi, & multa paſſi, ex temporali hac vita ad æternam tranſlati ſunt. *Si quæras, quinam ſint iſti* bis decem mille Sancti, *de quibus facta mentio, credò eoſdem eſſe, qui in Menologio Sirletiano ad* XXVIII *Decembris ita ſignantur:* Certamen ſanctorum viginti millium Martyrum ſub Maximiano imperatore apud Nicomediam combuſtorum. *Hinc Martyres ſex mille ſexcenti viginti octo hodiernos colligo ſpe-*
B *ctare ad eamdem urbem vel tractum Nicomedienſem.*

noſtris explanatur.

3 *Idem ſuadetur ex Menæis magnis Græcorum impreſſis, ubi dicto die* XXVIII *Decembris pugiles illi viginti mille habentur in hunc modum:* Sanctorum myriades duæ (*Græcè* δισμυριάδων) in Nicomedia combuſtorum. *Narratio autem martyrii ita incipit:* Imperatore Maximiano cum victoria reverſo ex bello contra Æthiopes *&c. Alterum, quod obſervari velim, verſatur circa* 3628 Mart. Nicomed., *qui* III *Septembris ſunt in apographo noſtro ex Menæis Græcis PP. Prædicatorum Florentiæ. Exſtat idem Martyrum numerus die* IV *Septembris in Menæis magnis excuſis, ubi dicuntur* inventi in montibus & ſpeluncis Nicomediæ latentes; quos Maximianus innumeris ſuppliciis ſubjectos, morti tradidit. *Si hos Martyres* 3628 *conferas cum hodiernis* 6628, *duo ſunt quæ conveniunt, videlicet, quòd ſub Maximiano imperatore mortui; quòd* inventi in montibus & ſpeluncis latentes. *Adde, quòd numeri ſint iidem, excepto primo. Hinc ſuſpicari merito quis poſſit, eoſdem utrobique Pugiles occurrere, & in primum numerum arithmeticum irrepere potuiſſe errorem, etiamſi primus iſte numerus in Menæis magnis exprimatur diſertè* τελχιλίων, *id eſt,* trium millium, *non autem littera numerali, quæ eumdem numerum ſignificet. Videtur quidem alicubi error; ſed ubi ſit, ignoro. Martyrium* 6628 *Pugilum, quod ſuprà dicebatur accidiſſe poſtquam* bis decem mille Sancti interempti eſſent; imperatore *videlicet, ſicut indicabant Menæa magna excuſa,* Maximiano cum victoria reverſo ex bello contra Æthiopes; *martyrium, inquam,* 6628 *Pugilum potuit accidiſſe anno* 297, *quo Maximianus Herculius de Mauris triumphaſſe legitur apud Tillemontium tom.* 4 *Imperatorum in Diocletiano articulo* 15.

AUCTORE J. P.

E

4 *In laudato Synaxario Sirmondiano poſt Martyres* 6628 *ſubnectuntur iſti quatuor:* Τούτοις συνεορτάζεται ἡ μνήμη Μαρτύρων Ἀιθαλᾶ, καὶ Ἰουνίου, Φιλίππου, καὶ Θεοδότου. *Id eſt,* Cum hiſce colitur etiam memoria martyrum Aithalæ, ac Junii, Philippi, & Theodoti; *quos & alibi lego in noſtra collectione Græcorum Mss.; ſed non eadem omnium ibi eſt nominum efformatio; nam pro* Junii *ſcribitur* Juliæ, *pro* Theodoti *autem* Theodotæ. *Plura de his Martyribus non novi hactenus.* Aithalam *cum* Ammunte *damus hac die; an verò* Aithalas *ſuperior, qui cum tribus aliis notatur, ſit ab iſto ſynonymo diverſus; affirmare tamquam certum nequeo.*

Quatuor hi Martyres ignoti nobis ſunt.

DE S. MAXIMA MARTYRE

ROMÆ.

C Cultus, martyrium, variæ obſervationes. J. P. F

SUB DIOCLETIANO. *Habetur in Martyrologio Romano: Acta in Petro de Natalibus:*

Martyrologium Romanum Sanctam hanc ita annuntiat hoc die: Romæ ſanctæ Maximæ martyris, quæ unà cùm ſancto Anſano Chriſtum confeſſa, in perſecutione Diocletiani, dum fuſtibus cæditur, reddidit ſpiritum. *Pauca, quæ de hac Sancta habemus, immixta ſunt Actis S. Anſani martyris, qui eſt in dicto Martyrologio ad diem* 1 *Decembris, pro quo illa ſervamus. Petrus de Natalibus in Catalogo Sanctorum lib.* 1 *cap.* 13 *de eo agit, unde tranſcribo iſta:* Anſanus martyr, civis Romanus, filius nobilis tranquillini duodecim annorum, occultè, inſcio patre, à Protaſio presbytero in Chriſti fide doctus & baptizatus eſt, atque à Maxima virgine de territorio Tonagritano de ſacro fonte levatus: qui à patre imperatoribus Diocletiano & Maximiano delatus decimo tertio anno imperii eorum cum ipſa Maxima virgine, ab eiſdem tentus & carceri traditus eſt diebus multis. Quam quidem ſacram Virginem præfati imperatores tamdiu fuſtibus cædi fecerunt, donec ſpiritum exhalaret. *Hæc ibi de* S. Maxima; *paucula verò quæ ſequuntur, ad S. Anſanum ſpectant. Ex hujus Paſſione breve de illa compendium contraxit Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ hac die, in quo narratur lumen cæco ab ipſis reſtitutum. Rem refero ex ipſa S. Anſani Paſſione, quæ apud nos eſt, etiamſi non videatur eſſe magni momenti:* Mane autem facto ſurrexerunt ut irent ad imperatores, qui invenerunt in via hominem cæcum; cui per Dei miſericordiam viſum reſtituerunt.

an virgo & martyr: tempus

2 *En tibi nunc, lector, nonnullas obſervationes. Primò, Petrus de Natalibus loco citato de hac Sancta ſcribit tamquam de* virgine & martyre. *Utrumque etiam illi titulum dat Arturus in Gynæceo: ſed Martyrologium Romanum* martyrem *tantùm; Ferrarius* mulierem Romanam *nuncupant, idque conformiter ad Acta S. Anſani, in quibus hæc lego:* Erat ibi mulier Maxima, Chriſtiana valde *&c. Secundò, Baronius S. Anſanum martyrio coronatum ſcribit ſub perſe-*

AUCTORE J. P.

cutione Diocletiani & Maximiani anno 303, *ſicut apud eum licet videre ibidem num.* 121. *Eumdem annum in notationibus ad S. Anſanum die* 1 *Decembris ſic probat :* Paſſus eſt (ut Acta *Senenſis eccleſiæ, quæ citaverat, ac Mss. accepiſſe ſe dixerat,* profitentur) Diocletiano octavùm, & Maximiano ſeptimùm conſulibus : eſt is annus ſecundum Faſtos Onuphrii, trecenteſimus tertius à Chriſto Domino : *quo famoſa perſecutio decima fuit inchoata.*

paſſionis &c.

3 *Hæc etiam videtur indicari in apographis noſtris martyrii S. Anſani, in quibus vocatur* ſæva perſecutio : *ſed notationem temporis* anno decimo tertio imperii *dictorum imperatorum nec diſtinctè ponunt, nec convenienter anno* 303 *mox deſignato : nam cùm annus* 286 *fuerit Diocletiani imperatoris tertius, Maximiani autem imperatoris primus ; ſequitur, ut hujus annus undecimus incidat in* 296, *qui illius erat decimus tertius. In apographo noſtro ex Ms. Romano etiam ponitur hæc clauſula :* Currebant autem anni Domini . . ccxcvi. *Caſtellanus verò ponit* S. Maximam *anno circitèr* 304 : *quam ego ſuprà num.* 1 *ſignavi ſub Diocletiano, Martyrologium Romanum ſecutus, cùm de anno mihi non conſtet. Tertiò, quid ſibi velit nomen* Tonagritano *apud Petrum de Natalibus, non equidem intelligo, poſtquam ſatis operosè, ſed fruſtra, illud quæſivi. In citatis apographis noſtris ſcribitur* Onacritano, Olimphitano & Olimphinato : *ſed ſuſpicor ubique irrepſiſſe mendum. Quartò, annuntiavi Sanctam noſtram Romæ, & ſine titulo virginis, cum Martyrologio Romano. Quintò,* corpus *ejus* à Chriſtianis ſublatum, ſepultum eſt IV Non. Septembris, *ſecundum Ferrarium antea deſignatum. Quæ tametſi in prædictis Mss. noſtris non memini me legere, hac tamen die* Maximam *damus cum eodem Martyrologio.*

DE S. TIMOTHEO MARTYRE

ANTIOCHIÆ.

J. P.

DIE II SEPTEMBRIS.

Anctus hic, non rebus geſtis, ſed cultu nobis notus, variis Martyrologiis inſcribitur. Antiquum enim, quod vulgavit Florentinius, ſic eum refert : In Antiochia natalis ſancti Timothei. *Ibidem in notis Martyrologium Corbeienſe :* In Antiochia natalis ſancti Timothei martyris. *Breviùs ibidem Martyrologium S. Willibrordi :* In Antiochia Timothei. *Corbeienſi conſonat Martyrologium, quod edidit Acherius tomo* 4 *Spicilegii.*

DE SS. AITHALA ET AMMUNTE MM.

ADRIANOPOLI IN THRACIA.

J. P.

DIE II SEPTEMBRIS.

Enæa magna Græcorum excuſa duos hoſce ſanctos Pugiles memorant, & ſequenti elogio condecorant : Sancti iſti Martyres, præfecturam Thraciæ, quæ erat in Adrianopoli, Rabdò adminiſtrante, tamquam Chriſtiani ſunt accuſati. De ſtatu autem & officio interrogati, Chriſtianos ſe eſſe confeſſi ſunt. Dum verò adduci non poſſent, ut idolis ſacrificarent, tyrannus porrò ad reſponſa hæreret anceps, nervis fidei ipſorum firmitatem labefactare tentabat. Tantis igitur tormentis excarnificati ſunt, ut in eiſdem ſpiritum Deo traderent. *Nec plura de his Sanctis habeo dicere.*

DE SS. DIOMEDE, JULIANO, PHILIPPO, EUTYCHIANO, HESYCHIO, LEONIDE, PHILADELPHO, MENALIPPO, PANTAGAPA, ET EUTYCHIO MM.

J. P.

Ex Martyrologio Romano & Faſtis Græcis.

In Romano ſunt novem,

Omano Martyrologio inſcribuntur hac die ſancti iſti Pugiles præter Eutychium, *addito vario genere mortis, quo curſum conſummarunt pro Chriſti fide : adjungit enim,* quorum alii igne, alii aquâ, enſe alii & cruce martyrium compleverunt. *Menologium Græcorum, quod Latinè reddidit cardinalis Sirletus, ita eos annuntiat :* Eodem die (2 *Septembris*) natalis beati Heſychii, qui ex Chriſti confeſſione necatus eſt. Item ſancti Leonidis igne incenſi, ſancti Eutychii crucifixi, ſancti Philadelphi, qui ſaxo alligato collo, relicto carnis onere levis aſcendit in cœlum. Item ſancti Menalippi igne conſummati, & ſanctæ Parthagapæ (*ſicut ibi vocatur*) quæ

A quæ in mare dejecta, martyrii coronam assecuta, ex hujus mundi fluctibus erecta *, in cœlum translata est. *Pro novem Martyribus, qui sunt in Romano, hîc tantùm notantur sex, & pro* Eutychiano *ponitur* Eutychius: *in Menæis verò magnis Græcorum signatur utrumque hoc nomen: unde fit ut annuntientur Martyres decem: ubi & pro nomine* Pantagapæ *scribitur* Parthagapæ. *Malim legere cum Martyrologio Romano* Pantagapæ.

* *f.* erepta

in Menæis verò decem Pugiles,

2 *In eisdem Menæis suum cuique Martyri mortis genus apponitur cum duobus versiculis. Græca reddo in hunc sensum Latinè:* S. Diomedes ferro concisus obiit.

Σίδηρῳ εἰς σίδηρον ὁ Διομήδης
Πρὸς τὰς παραθισμὰς ἀνδρικῶς ἐπαρτέρει.
Ense Diomedes fortius pectus gerens,
Ad sectiones ensis invictus stetit.

S. Julianus capite fuste confracto interiit.

Ἰούλιανὸς συντριβεὶς κάρηνον ξύλῳ
Τὸν πρὸς Θεὸν νῦν σῷ φρενὶ εἰς τέλος μένει.
Dum Juliano fuste confractum caput,
Apud Deum mente integra ad finem manet.

B S. Philippus gladio consummatur.

Ἵππων ταχὺς Φίλιππος ἦν πρόμολὼ ἔχων
Πρὸς ἡμᾶς φιλοῦντα θᾶττον ἦλθε Δεσπότην.
Celer Philippo quando equus sectio fuit,
Ad nos amantem celeriter Dominum abiit.

Alluditur ad nomen appellativum ἵππος, *id est,* equus, *& ad proprium* Φίλιππος, *quod partim derivatum à verbo* φιλέω *significat* amantem equorum.

3 S. Eutychianus in craticula exustus est.

ubi etiam

Εὐτυχιανὸς πυρπολῆθεὶς ἐχάρᾳ
Εἰς εὐτυχῆ μετῆλθε κλῆρον μαρτύρων.
Craticulæ, Eutychiane, dum impositus flagras;
Hereditatem Martyrum fauste obtines.

Εὐτυχὴς *adjectivum*, & Εὐτυχιανὸς *proprium indicant aliquid beati vel* fausti.

S. Hesychius strangulatus occubuit.

Ποθῶν ἅπαντες Ἡσύχιον Δεσπότην, AUCTORE
Καὶ ἅπαντ' αὐτὸ ἡσύχως φέρει βρόχον. J. P.
Desiderans verè unicum Hesychius Deum,
Laqueum quietè propter ipsum sustinet.

Adverbium ἡσύχως *& proprium* Ἡσύχιος *denotant tranquillitatem vel* quietem.

4 S. Leonides igne absumptus obiit. *laudantur singuli*

Τὸ πρὸς Θεόν σε φλὸξ πόθος, Λεωνίδη,
Εὐπαθῆ ῥᾷσα τὴν φλογὸς φέρειν βίαν.
Divini amoris flamma, Leonide, tibi
Perferre suasit facilè flammarum rogum.

S. Eutychius in crucem actus vivere definit.

Βαίνων κατ' ἴχνος Εὐτύχιος Κυρίου,
Δίκλῳ ἐκείνου καρτερεῖ σαυρῷ πάθος.
Domini sequens vestigia Eutychius fui,
Velut ille moriens sustinet mortem crucis.

S. Philadelphus lapide ad collum gravatus suffocatur

Σαρκὸς βάρος πᾶν ἐκλιπὼν λίθῳ βαρεῖ
Ἀνῆλθε κοῦφος Φιλάδελφος εἰς πόλον.
Quidquid gravat carnem exuens, lapide gravi,
Philadelphe, onustus vadis ad cælum levis.

Allusio est ad βάρος, gravitas, *& ad* κοῦφος, levis. E

5 S. Melanippus igne vitam finivit. *versiculis.*

Εἴπερ τι Μελάνιππος εἶχε τὴν μέλαν
Κάθαρσιν δοῦρεν εἰς τὸ πῦρ βεβλημένος.
Melanippus aliquid si nigræ maculæ habuit,
Hoc expiavit ignis, in quem missus est.

Respicit poeta ad μέλας, niger, *è quo partim constat proprium* Μελάνιππος. *Romanum Martyrologium cum Sirleto vocat* Menalippum.

S. Parthagape in mari moritur.

Θνήσκεις θαλάσσης ἔνδον, ὦ Παρθαγάπη,
Καὶ δωρεῶν θάλασσαν εἰσκεις ἄνω.
Parthagape in imo moreris exposita mari,
Et gratiarum recipis in cælo mare.

Versus hosce etsi multos cum prædictis allusionibus huc transtuli, non quia necessarios, sed quia passim solent intexi Operi nostro. Super nonnullis autem nihil judicavi observandum.

DE SS. EUPLO, JOSEPHO, FELICE, SECUNDULO, JULIO MM.

C F

IN SICILIA.

Ex apographis Hieronymianis. J. P.

Variæ de his, quos damus, Sanctis

Martyres hosce suggerunt nobis Fasti sacri. Martyrologium, quod tamquam vetustissimum, *& S. Hieronymi presbyteri nomine insignitum dicitur apud Acherium tomo 4 Spicilegii, exprimit eorum nomina, ut suprà; non autem Florentinius, qui illos sic memorat:* In Sicilia natalis sanctorum Eupli, Joseph, Felicis, Secundi, *sine* Julio: *sed ibidem in notis additur ex Martyrologio Corbeiensi:* In Sicilia natalis sanctorum Eupli, Josephi, Felicis, Secunduli, Julii. *In eisdem notis signantur hi duo ex Martyrologio S. Willibrordi:* Sicilia Eupli, Joseph: *quibus subditur proximè* In Apulia Felicis, Secundi *annuntiatio. Juvat his attexere sequentes apud Florentinium observationes:* Pro Secundo Secundulum legit M. Corbeiense, & Julium supra codices nostros exhibet. M. vetustissimum, sæpè in locis distinguendis accuratius, Siciliæ non nisi Euplum & Josephum tribuit; Apuliæ verò Felicem & Secundum.

2 De Euplio & Serapione confess. Catanæ in Sicilia agit Ferrarius, *qui consuli potest ad* XI *Septembris.* Sed non idem Euplus videtur ex socio Serapione, non Josepho, & confessoris titulo. Alium Euplum diaconum retulimus ad diem XII Augusti. *Hujus Acta illustrata sunt ad dictum diem apud nos tomo 2 ejusdem mensis à pag.* 710. *Discrepat à superioribus annuntiationibus Martyrologium Richenoviense à nobis editum, quod sic habet:* Et in Sicilia, Eopolo, Josephi. In Appulia; Felicis. *Rhinoviense à nobis etiam vulgatum ab isto differt, dicens:* Et in

observationes.

AUCTORE J. P. in Sicilia, Eopoli: *cui non addit duos alios modo memoratos. Apud Grevenum verò* Joſeph *ſine loco & ſociis ponitur. Ex eo autem quod* SS. Felix *&* Secundulus *vel* Secundus *referantur diverſis locis, non ſequitur eorum numerum eſſe multiplicandum.* D

DE SS. FACUNDINO, JUVENTINO, PEREGRINO ET FELICITATE MM.

J. P.

ARIMINI IN ITALIA.

11 SEPTEMBRIS.

ARiminum, *nunc* Rimini, *urbs Romandiolæ provinciæ, archiepiſcopo Ravennati ſuffraganea, & ad mare Adriaticum ac fluvium Ariminum ſita, hos Sanctos colit. Ferrarius de illis ſcribit in utroque ſuo Catalogo; ſed tam pauca, ut præter nomina & cultum vix quidquam aſſerat,* B *quo lectorem inſtruat, uti patet ex Catalogo Sanctorum Italiæ, in quo ad hunc diem ſic memorat:* Facundinus, Juventinus, Peregrinus fratres, & Felicitas ſoror, apud Ariminum, ut habet traditio, tempore perſecutionis pro Chriſti confeſſione tenti & cruciati, martyrio coronati ſunt IV Nonas Septembris. Quorum corpora in eccleſia cathedrali ſepulta aſſervantur. Eorum verò memoria anniverſaria celebritate hac die Arimini, & per diœceſim recolitur. *Et mox indicat Ferrarius deſumpta hæc eſſe* ex tab. & monum. eccleſ. Ariminen. *In annotatione autem*, Acta, *inquit*, horum SS. Mart. deſiderantur: neque plura, quàm dicta ſint, ſciri de eis potuerunt. *In Directorio Ariminenſis eccleſiæ anni* 1644 *habentur celebrandi ritu duplici. Obiter moneo*, SS. Facundinum & Juventinum *hodiernos omnino diverſos eſſe à duobus ſynonymis, quos dedimus ad diem* XXVIII *Auguſti. De hodiernis Martyribus agit etiam Caſtellanus in ſuo Martyrologio univerſali.* E

DE SANCTIS MARTYRIBUS NICOMEDIENSIBUS

ZENONE, CONCORDIO, THEODORO FILIIS EJUS, PATERNO TRIBUNO, THEODOTE UXORE EJUS, MILITIBUS LXVIII, MATRE CUM DUOBUS FILIIS, SERAPIONE CUM DXXII MILITIBUS. ITEM DE SS. CUSCONO, MONOLAPPO, JOSEPHO,

C F

J. P.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

Cultus è Martyrologiis & Actis; tempus, Paſſionis exemplaria.

SUB JULIANO APOSTATA. *Variant Martyrologia in annuntiationibus*

NOn *idem eſt apud Martyrologos hac die ſanctos Nicomedienſes Pugiles annuntiandi modus. Romanum quippe Martyrologium tres iſtos dumtaxat commemorat:* Nicomediæ ſanctorum martyrum Zenonis, Concordii, & Theodori, *addente Baronio in notationibus:* De his tabulæ eccleſiæ Capuanæ, in cujus veteri Breviario eorum martyrium recenſetur. *Sola horum trium nomina invenio in Breviario Capuano, quod anno* 1489 *excuſum eſt, tribus parvis lectionibus eorum propriis inſerta. Michaël Monachus in Sanctuario Capuano, ac in ſecundo, ut vocat, Kalendario pag.* 409 *hæc habet:* IV Non. Zenonis, & filiorum ejus. *In notis autem pag.* 540, De ſancto, *ait*, Zenone & Filiis Martyrologia & Kalendarium ſecundum. In primo (*ibidem pag.* 400) Zeno ſolus nominatur. In Officio lectiones, quarum initium: "Eo tempore, „ quo Julianus imperator „ & conſonant tres breviſſimæ lectiones in lectionario Ms. *Inter Martyrologia Hieronymiana contracta, quæ edidimus, Richenovienſe iſta refert hoc die:* In Nicomedia Zenonis, Gorgonii, Theodoti. *Conſonat his Rhinovienſe; non verò Reginæ Suecia, quod ſic ibidem apud nos ſcribit:* Nicomedia, natalis ſanctorum Zenonis, Gorgoni, Theodotæ, cum filiis ſuis. *Inter auctaria autem ad Uſuardum à nobis editum hac die codex modò dictæ Reginæ ſignatus num.* 130 *legit:* Sancti Zenonis cum duobus pueris.

2 *Longè*

AUCTORE J. P.

Nicomedienſes ſub Juliano paſſi dicuntur in Actis,

A *Nicomedienſium*

2 *Longè diverſus annuntiandi modus eſt in ecgraphis Hieronymianis apud Florentinium : in ipſo enim textu antiqui Martyrologii, quod notis explanare conatus eſt, leguntur iſta :* In Nicomedia natalis ſanctorum Zenonis, Gorgoni, Monolappi, Theotæ * cum filiis ſuis, & Cuſconi. *Obſcurum hîc eſt iterum, ut paſſim alibi, in apographis illis confuſionis chaos. Florentinius in notis aliam profert annuntiationem è Martyrologio S. Willibrordi, videlicet :* In Nicomedia Zenonis, Theodotæ, & filiorum ejus Gorgoni, Menolappi, Coſconi. *Deinde laudatus Martyrologus obſervat ſequentia :* Gorgonium hîc, Menolappium, & Coſconium veneratur M. vetuſtiſſimum, tamquam Theodotæ filios ; ſed diverſus in libris noſtris ordo tamquam anonymos filios Theodotæ agnoſcere videtur, & alios ante Theodotam, & ſejunctim recenſet, quemadmodum etiam M. Corbeienſe : " In Nicomedia natalis ſanctorum Zenonis, Gorgonii, Monolappi, Theodotæ cum filiis ſuis : & Coſconi ". *Convenit Martyrologium S. Hieronymi nomine inſignitum in Spicilegio Acheriano tomo* 4, *pag.* 670.

* *l.* Theodotæ

B

3 *Hac die* Menalippum, *pro quo nomen* Monolappi, *ut credo, corruptum, damus è Menologio Sirleti, & Menæis Græcis excuſis ; ex his verò eum etiam vocavimus* Melanippum, *nulli loco affixum. Die autem* III *hujus menſis in eodem Menologio notatur ſine loco* Commemoratio ſancti Zenonis, qui in lebetem plumbo ferventi plenum injectus *martyrium conſummavit. Florarium noſtrum Ms. præter* natale ſanctorum Zenonis, Gorgonii, *etiam* Joſephi *addit nomen, a ſuperioribus hagiologis indictum, quos &* In Nicomedia, *& titulo Martyrum annuntiat. Habes hîc, lector, annuntiationes ſatis inter ſe diverſas, nullâ aliorum, qui in Actis infrà dandis exprimuntur, facta mentione. In Actis, inquam ; quæ, licèt non ſint bonæ notæ, ſaltem continuato tractu martyrii hiſtoriam, nec non nomina Martyrum, quæ in illis continentur, referunt. Acta autem non ſunt ordinariè tam ſubjecta mendis, luxationibus, inverſo ordini, quàm apographa multa Hieronymiana ; ideo hodiernorum Pugilum manipulum ſuprà ante hunc Commentarium primo loco recitavi ex eorumdem Actis ; quibus tamen ſubjeci etiam alios Zenoni junctos in Martyrologiis, etiamſi nolim pro certo affirmare hoſce cum aliis paſſos.*

hodiernorum Pugilum, plurimos ex eorum Actis nos proferimus.

C

4 Cuſconus *enim ille quiſnam eſt, & quò ſpectat ? Quis* Monolappus ? *Quis* Joſephus, *quem ex ſolo Florario dabam ?* Theodotus *facilè ſcribi potuit pro* Theodoro, *qui eſt in Actis. An* Zenon *hodiernus à ſynonymo martyre, quem retuli è Menologio Sirleti, diverſus ſit, dubium eſt, quia* capite truncatus *curſum certaminis conſummavit, ex Actis. In Menologio autem Sirleti aliud mortis genus videtur exprimi. Ibidem præterea nulli ſocii Zenonis. Hæc diverſitatem inſinuant ; at non certò evincunt, quia Acta non multum fidei merentur, & Zenon ſine aliis annuntiari potuit, quòd alii diverſis diebus ſint paſſi. Nec mirari debemus, tres dumtaxat Martyres referri à Baronio in Martyrologio Romano ; cùm plures non ſignentur in veteri Breviario Capuano, quod ſecutus eſt, & cujus nos vel idem, quo hic uſus eſt, vel ſimile ſaltem exemplar antea citavimus. Lectiones verò in eodem contentæ non tantùm non memorant alios Martyres, ſed ne vel dictorum quidem trium martyrium totum narrant.*

Nonnulli alii nobis ignoti.

5 *Acta perhibent, hodiernos ſanctos Pugiles,*

quorum martyrium deſcribunt, paſſos eſſe ſub Juliano imperatore, locumque palæſtræ deſignant Nicomediam. Baronius ad annum 362 *num.* 45 *adventum Juliani in hanc urbem eidem anno intexit. Apud Jacobum Gronovium in Ammiani Marcellini hiſtoria ab eo recognita, & anno* 1693 *edita, lib.* 22 *adventus idem innectitur anno jam dicto* 362, *& ſic ibidem loquitur Ammianus cap.* 9 *Juliani itinera deſcribens pag.* 246 *&* 247 : Antiochiam ire contendens reliquit Conſtantinopolim . . . Tranſgreſſus itaque fretum, prætercurſâ Chalcedonâ & Libyſſâ . . inde Nicomediam venit, urbem antehac inclytam, ita magnis retro principum amplificatam impenſis, ut ædium multitudine privatarum & publicarum rectè noſcentibus regio quædam urbis æſtimaretur æternæ. Cujus mœnia cùm vidiſſet in favillas miſerabiles conſediſſe, angorem animi tacitis fletibus indicans, pigriore gradu pergebat ad regiam : hoc maximè ærumnis ejus illacrimans, quòd ordo ſqualens occurrit & populus nimium quantùm antehac florentiſſimus . . . Hic quoque pari modo ad reparanda, quæ terræ ſubverterat tremor, abunde præſtitis plurimis, per Nicæam venit ad Gallogræciæ fines. *Theodericus Ruinartius in Actis primorum Martyrum ſinceris & ſelectis, à pag.* 644 *prioris editionis ſcribens de iis Athletis, qui ſub Juliani Apoſtatæ perſecutione paſſi ſunt, illos intexit anno memorato* 362. *Cum itaque tunc ibidem fuerit Julianus Apoſtata, paſſoſque ibidem ſub ipſo teſtentur & nominent Acta ; non video, cur Caſtellanus* S. Zenonem, & ejus filios S. Concordium & S. Theodorum *ponat anno circiter* 303.

E

6 *Paſſionem ab auctore anonymo ſat diu ſcriptam eſſe poſt conſummatum martyrium, colligo ex his ſub finem Actorum de* S. Zenone *verbis :* Sepelivit eum in Nicomedia civitate, ubi florent orationes ejus uſque in hodiernum. *Quamdiu autem poſt dictum martyrium ſcripſerit, me latet. Tria porrò ejuſdem Paſſionis exemplaria habemus Mss., quorum unum ſequenti titulo prænotatur :* Paſſio ſancti Zenonis, ex noſtræ bibliothecæ veteri manuſcripto, *Vallicellanæ videlicet PP. Oratorii Romæ, ut colligo ex margine, cui adſcribitur* ex tom. C. P. Gallonii. *Incipit :* Eo tempore, quo Julianus perrexit ad Nicomediam civitatem, erat ibi quidam vir Chriſtianus nomine Zeno cum filiis ſuis Concordio & Theodoro. *Apographum aliud ita inſcribitur :* Paſſio ſancti Zenonis & filiorum ejus ex Ms. S. eccleſiæ Atinenſis long. per. lect. diſt., *forte vult dicere* Longobardico pergameno in lectiones diſtributo ; *quod indicatur deſumptum* ex Mss. Conſtantini Caietani. *Duplicem verò* Atinam *in Italia invenio apud Baudrandum ; unam in confinio Campaniæ, olim epiſcopalem, nunc dumtaxat vicum in provincia Terræ laboris ; aliam quondam etiam epiſcopalem, nunc oppidulum regni Neapolitani in provincia Principatûs citerioris.*

F

quorum exemplaria

7 *Papebrochius noſter manu ſua notavit ad marginem apographi Atinenſis :* Collat. cum Cod. S. Petri : Eodem tempore, quo Jul. imperator perrexit ad Nicomediam civitatem. *Multa verò idem Papebrochius in apographo Atinenſi adſcripſit, è quibus non pauca inſeram textui ejuſdem ; quod prælo dabo, apographi, & uncinis includam ; alia ſat multa ponentur ad marginem ; paucula in Annotatis : variantes indicabuntur etiam lectiones non paucæ ex Ms. Gal-*

indicamus.

AUCTORE J. P.

loniano, quod cum Atinenſi à me collatum eſt. Porrò hæc Acta maximè ſuſpecta ſunt, quia ipſe Julianus imperator frequenter inducitur tamquam aperta vi Chriſtianos perſequens, eoſque coram ſe torqueri graviſſimè jubens; quod à callidis ipſius moribus erat alienum: etiamſi nolim affirmare, nullos coram eo tortos eſſe. Verùm cùm alia multa, tum illud præſertim, quod de camino Chriſtianis parato num. 14 dicitur, conciliari nequit cum moribus Juliani. En tibi nunc, lector, eorumdem Acta cum diviſione noſtra & Annotatis.

PASSIO

auctore anonymo,

Ex Ms. eccleſiæ Atinenſis cum aliis collato.

B

CAPUT I.

S. Zenonis ac filiorum ejus pro fide Chriſti certamen; horum martyrium; ipſius conſtantia tormentis non expugnata.

Martyres ſiſtuntur Juliano imperatori, qui eos fame cruciari jubet:

TEmpore, quo Julianus imperator regnabat, pergens ad Nicomediam civitatem, juſſit ibi fieri foveam in pedibus quingentis, & præcepit congregari multitudinem * lignorum per dies triginta, ut carpenta centum ad diem denas veherent * penſiones. Jam expedito * tempore vehendi, prima die invenit quemdam virum [doctiſſimum] Chriſtianum, nomine Zenonem cum duobus filiis ſuis Concordio, & Theodoro, quos præcepit teneri, & aſpectibus ſuis præſentari; quem ita aggreditur dicens: Tu es Zenon, quem ſerenitas noſtra honore fulſit, & dignitatibus ſublimavit *a*? Zenon dixit: Ego ſum infœlix, qui tuis obedivi præceptis, & effudi ſanguinem innocentem & juſtum. Dixit ad eum Julianus: Habes uxorem & filios? Reſpondit Zenon: Uxorem præmiſi Chriſtianam, filios verò habeo Chriſtianos *. Eâdem horâ præcepit eum tradi cuidam Conſtantio exconſuli, cui ita præcepit, ut eum ſacrificiis humiliaret; quod ſi non faceret *, diverſis pœnis * conſumeret eum: quem ſuſcipiens Conſtantius, tradidit viginti militibus [in cuſtodia publica], quibus præcepit, ut modicum panis, & aquæ per diem acciperet cum filiis ſuis, Concordio & Theodoro, & in obſcuro ſederet die noctuque *b*.

C

* congeriem
* per diem deferrent
* expleto

a

* qui mecum ſunt Chriſtiani
* fecerit
* exquiſitis

b

variis tormentis

2 Poſt dies verò decem & octo, juſſit Conſtantius Zenonem cum filiis ſuis noctu præſentari: qui dum præſentatus fuiſſet *, ſic eum aggreditur, dicens: Dic nobis, Zenon, quâ pertinaciâ, vel confidentiâ ſic præſumis, ut * honore fultus, & dignitate clarus, ſic deſeras * deos, quibus principes noſtri humiliantur, & quæras mori magis, quàm vivere [exutus fa-

* præſentati fuiſſent
* quia
* deſeruiſti

cultatibus?] Num eſt melius, ut vivas cum filiis tuis, & poſſideas hæreditatem laboris tui, & filii tui [hîc] fœliciter militent, & florem juventutis ſuæ non amittant? Zenon reſpondit: Ego florem & fructum in eis invenio *c*, ſi contemno dæmonia, & quæro cum eis hæreditatem, id eſt, vitam æternam. Dixit ad eum Conſtantius *d*: Et quæ eſt hæreditas, & vita æterna? Reſpondit Zenon: Chriſtus Dei Filius & Deus ſempiternus. Conſtantius dixit: Audi me, ſacrifica, & vive. Reſpondit Zenon: Jam dixi tibi, non humiliabor dæmonibus, & lapidibus, ſed humiliabor Deo omnipotenti, & Domino Jeſu Chriſto Filio ejus, & Spiritui ſancto, in quem credo à die, quo baptiſatus fui cum filiis meis.

D

c

d

torquentur

3 Conſtantius dixit: Fac quod moneo, ne pereas tu & filii tui *e*. Reſpondit Zenon: Jam dixi tibi, quia non humiliabor dæmoniis. Conſtantius dixit: Extendite filios ejus in conſpectu ipſius, & cædite eos cum fuſtibus. Et dum hoc fieret, vox præconis edicebat: Præcepta principum contemnere nolite. Zeno verò pater eorum, cum gaudio clamabat, dicens eis: Filii mei conſtantes eſtote, ecce coronam, quam deſiderabamus. Hæc cùm dixiſſet Zenon, juſſit Conſtantius mitti ignem in os ejus: & ille gratias agens Deo, dixit: Cognovi favum mellis in ore meo.

e

E

à Conſtantio; Concordius & Theodorus in eculeo mortui;

4 Eâdem horâ præcepit Conſtantius levari Zenonem, & filios ejus in equuleo. Tunc Concordius clamare cœpit dicens: Benedictus Dominus Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, pater miſericordiarum, qui nobis famulis ſuis tales epulas parare dignatus eſt: [& extenſis in equuleo unà cum patre Zenone *f*] Conſtantius dixit: Sacrificatis *, aut peribitis? Reſpondit Zenon: Pereas tu, & princeps tuus *, quia nos hoc numquam facturi ſumus. Reſpondit Concordius: Miſer, fac quod facis, noli ceſſare. Eâdem horâ juſſit cum ungulis radi latera eorum, & lampadas poni ardentes. Zenoni verò nihil juſſit fieri, dicens: Hic ſi vidit * filios ſuos cruciari, & convertetur. Conſtantius dixit: Deponite eum. Et cùm diu in conſpectu patris ſui duo filii ejus cremarentur, Zenon oculos ad cælum elevans cum lacrymis, dixit: Domine Deus, Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, reſpice ſuper opera manuum tuarum, ne dicant gentes: Ubi eſt Deus eorum? Et cùm hoc dixiſſet, ſubitò Concordius & Theodorus filii Zenonis ſic in equuleo emiſerunt ſpiritum: quorum corpora juſſa ſunt * jactari in plateam. Tunc Zenon gratias agens Deo, dixit: Gratias tibi ago, Domine Jeſu Chriſte, quia merui oblationem tibi offerre, quod meritus non eram *; ſed tu, qui benedictus es, benedic ſervos tuos.

f

* ſacrificate diis
* principes tui

* videat

F

* juſſit

* *Gallon.* qui merui oblationem tibi offerre, quam deſiderabam. *Zenon autem novis increpationibus*

5 Eâdem horâ *g* Conſtantius juſſit Zenonem ſecretò duci in domum ſuam. Et dum veniſſet in domum ejus, dicit ei Conſtantius: Audi me, Zenon, quia non eſt juſtum, ut pereas tu ſicut filii tui: Reſpondit Zenon: Filii mei non perierunt, ſed florent in æternum. Conſtantius dixit: Jam depone pertinaciam tuam, & vive ſecundum natales tuos. Zenon reſpondit: Ego, ſi mortuus fuero, tunc meliùs vivo; tu verò vivens mortuus es. Conſtantius dixit: Et de quo præſumis? Zenon reſpondit: De Domino meo Jeſu Chriſto, qui te deſtruat, & blandimenta tua [diſſipet.]

g

ac tormentis vexatur,

6 Eâdem horâ juſſit Conſtantius duci eum in mediam civitatem Nicomediæ, & præcepit ſibi tribunal parari: & dum reſediſſet, offerri ſibi eum

A eum præcepit & tripodem [in conſpectu ejus] & ignem, & vitulum & thus; & vox præconis vociferans clamabat, dicens: Sacrilege Zenon, ſacrifica. Ille autem ſubridens dixit: Obmutesce, quia non vera eſt iſta vox: & ſtatim obmutuit præco in conſpectu Conſtantii. Conſtantius dixit: Extendite eum, & macerate illum cum fuſtibus: & cùm diu cæderetur, clamabat, dicens: Domine, miſerere mihi peccatori, & ne deſeras * me ſervum tuum, quem tu creaſti ad cognoſcendam gloriam tuam. Conſtantius verò furore plenus *h* juſſit laminas ferreas candentes * circa latera ejus poni *: qui dum diu aſſaretur, & voce clara diceret: Gratias tibi ago, Domine Jeſu Chriſte, ſubitò Conſtantius arreptus à dæmonio, cœpit alienari, & manus ſuas comedere *i*.

* deſpicias

h

* ardentes
* ſupponi

i

7 Annuntiatum eſt hoc Juliano imperatori, quòd Conſtantius fuiſſet à dæmonio arreptus, & juſſit imperator beatum Zenonem ſibi præſentari. Tunc veſtitus Zenon veſtimentis ſuis ductus eſt ante conſpectum Juliani. Dixit ad eum imperator: Quare non conſulis tibi, & vivis? Numquid & ego Chriſtianus non fui, & ſerviendo diis & cuſtodiendo cerimonias eorum, ad culmen imperatoris aſcendi? Reſpondit Zenon, & dixit: Verè dixiſti, imperator, quia Chriſtianus non fuiſti *k*, nec tanto nomine dignus eſſe potuiſti: ego autem in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, quem tu negas, verè & ſemper confido.

& intrepidè reſpondens Juliano imperatori,

B

k

8 Iratus Julianus imperator tradidit eum Paterno tribuno *, ut compelleret eum ad ſacrificium. Tunc Paternus juſſit conventum civium fieri ad arcum civitatis Nicomediæ, qui appellatur Arcus Apollinis, & præcepit in eo loco tribunal ſibi parari, & juſſit [omnia genera tormentorum afferri, & fecit ſibi] Zenonem offerri: cui ita dixit: Audiſti, quid juſſerunt principes, & gubernatores reipublicæ, ut quicumque non ſacrificaverit diis, pereat diverſis pœnis: ſacrifica ergo diis & vive. Zenon reſpondit: Locutus es quaſi ſtultus, qui hominibus ſuades, ut deſinquant Creatorem ſuum, & cœli, & terræ, & maris, & omnium, quæ ſunt in eis, & ſequantur *l* muta, & ſurda idola. Paternus dixit: Fac quod præcipiunt principes, & defere vanitatem. Zenon dixit: Verè ſicut amens locutus es.

ab eo traditur Paterno tribuno * conſulari

l

C

Verè tu carminibus extinxiſti Conſtantii exconſulis virtutem. A. ANONYMO.

1 *Ibid.* Quaſi ſtultus loquutus es. Quis hominum tam inſenſatus eſt, ut derelinquat Creatorem cœli & terræ, maris & abyſſi, & ſequatur *&c.*

CAPUT II.

Aliis tormentis Martyr cruciatus ſub Paterno tribuno; hujus ac Serapionis, & plurimorum aliorum converſio ac martyrium: mulier cum duobus infantulis martyr: S. Zenon capite plexus.

E Adem horâ juſſit Paternus extendi eum in cataſta *a*, & attrahi nervis. Zenon verò clamabat, dicens: Gratias tibi, Domine Deus, qui præſtas famulis tuis gratiam tuam * Tunc Paternus juſſit, ut cum ſcorpionibus cæderetur: & cùm diu cæderetur, aperta ſunt viſcera ejus. Zenon verò vultu alacri magis clamabat *, dicens: Gratias tibi ago, Domine, quia mervi intrare januam gloriæ tuæ. Paternus dixit: Date flammas ad latera ejus. Eâdem horâ lampades accenſæ in lateribus ejus poſitæ extinguebantur & nervi de cataſta [rumpebantur.] Paternus, eſt niſi ars magica *b*, ut tormenta non ſentias. Zenon dixit: Si ſcires donum Dei, cognoſceres, quia omnia tormenta creatura Dei ſunt, & Creatori ſuo ſerviunt, non tibi infœlici & principi tuo. Paternus dixit: Date lignum validum, & configite clavos ferreos in pedes ejus, & manus ejus extendite.

E

S. Zenon cataſtam, lampades ardentes,

a

* gloriam competentem
* *Gallon.* vultu alacri gaudebat

b

10 Eâdem verò horâ franguntur * clavi ferrei, & non deſcendebant in pedes ejus. Paternus dixit: Configite clavos in capite ejus: & ipsâ horâ liquefactum eſt ferrum, ſicut cera decurrens. Tunc Paternus clamabat, dicens: O genus magicæ artis! Et iracundiâ plenus dixit: Suſpendatur in pedibus deorſum, & in ligno ligatus incendio concremetur: & factum eſt hoc. In illâ verò horâ incendii, cœpit ſe ignis à beato Zenone ſeparare, & nihil ei nocere poterat, nec veſtimenta illius *c*, nec [etiam] aliquam partem capillorum ejus *d*. Dixit ad eum Paternus: Declara nobis artem iſtam, & vives.

clavos ferreos, & ignem ſuperat.

* *Gal.* confringebantur

F

c

d

11 Zenon reſpondit: Si vis intelligere, poteris videre, & vitâ æternâ perfrui. Reſpondit Paternus: Et quæ eſt vita æterna? Zenon dixit: Dominus Jeſus Chriſtus. Paternus dixit: Si verè Chriſtus omnia iſta vincit, quomodo clementiſſimus imperator deſerendo Chriſtum, ad faſtigium imperii pervenit, & aſcendit? Zenon dixit: Quare non conſideras oculis tuis, & credis, quòd vides mirabilia Domini mei Jeſu Chriſti, Dei omnipotentis? Iſta enim tormenta etſi valeant, ad modicum valent; vita verò æterna perpetua eſt. Paternus dixit: Et quid facturi ſumus, ut integrè, ſicut tu, & nos cognoſcamus? Zenon dixit: Audi me, & omnia cognoſces. Paternus dixit: Dic mihi, quid faciam?

Paternus à Sancto inſtructus

ANNOTATA.

a *Ms. Gallonianum*, & præceptionibus ſacrorum noſtrorum declaravit?

b *Hic deſinunt lectiones Breviarii Capuani.*

c *Gallonian.* Ego floris fructum in eis non amitto.

d *Hæc, quæ ſequuntur, uſque ad* Conſtantius dixit: Fac *&c. non ſunt in Ms. Galloniano.*

e *Gall.* Conſtantius dixit: Fac ne pereas tu, & filii tui.

f *Gall.* Extenſis in equuleo unà cum Zenone, Concordio & Theodoro.

g *Hanc narrationem uſque ad* Conſtantius verò furore plenus *ſub finem numeri 6 infrà, non lego in apographo Galloniano.*

h *Hic ita pergit Ms. Gallonii:* Eâdem horâ Conſtantius furore plenus *&c.*

i Subitò Conſtantius *uſque ad* comedere *incluſivè, non invenio in Galloniano Ms.*

k *Subdit Gall. Ms.* Julianus imperator dixit:

A. ANONYMO.

ciam ? Zeno dixit : Hoc fac, quod Dominus noſter Jeſus Chriſtus dignatus eſt loqui in Euangelio ad Nicodemum.

12 Paternus dixit : Date eum in cuſtodia publica, ut * annunciemus invictiſſimo imperatori : qui datus in cuſtodia, etiam veſtiri juſſus eſt, quia nudus erat, & ambulavit Paternus in domum ſuam. Tunc ſecretò interrogavit Paternus Zenonem, quid locutus eſſet Dominus in Euangelio ? Zenon dixit : Hoc dixit Dominus ad Nicodemum, quando venit ad eum nocte ; Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto, non poterit introire in regnum meum. Paternus dixit : Quid eſt regnum Dei ? Zenon dixit ei : Regnum Dei vita æterna eſt. Paternus dixit : Et quomodo poſſumus baptiſari, qui ſanguinem multorum Chriſtianorum effudimus. Zenon dixit : Omnia peccata in baptiſmo delentur. [Nam ut ſcias hoc ita eſſe, ipſa fides, quæ à ſacerdotibus prædicatur, docet remiſſionem peccatorum, & carnis reſurrectionem & vitam æternam.] Paternus dixit : Fiat cura membrorum tuorum priùs ; quia valde confundar, ut pro malis bona accipiam. Zenon dixit : Ego curatus ſum ; tu tantùm crede, & videbis regnum Dei.

& ad Chriſtum converſus, * Ducite eum in cuſtodiam publicam, &

B

13 Eâdem horâ deduxit eum in cuſtodiam * cum gloria. Veniens autem Zenon ad cuſtodiam *, cœpit orationi vacare. Alia autem nocte juſſit addùci ad ſe quemdam Valentinum presbyterum beatiſſimum, quem in cuſtodia multo tempore cruciaverat * : quo veniente, miſit ſe ad pedes ejus Paternus dicens ei : Ignoſce mihi, quia omnia in incredulitate mea feci : modò tamen redime animam meam, & baptiſa me, ne peream in infidelitate mea : qui catechiſavit eum cum aliis militibus ſuis numero ſexaginta octo, & baptiſavit eos omnes, & uxorem ejus nomine Theodote : & * obtulit ſacrificium pro eis, quos de baptiſmo ſuſcepit B. Zenon, & tranſactis diebus quinque, cœpit Paternus jejuniis & eleemoſynis gloriari *, & pedes Sanctorum lavare.

cum militibus 68 baptizatur, * *bis de cuſtodia* * *reclùſerat*

* in ipſa nocte

14 Hoc audiens Julianus imperator præcepit, ut camino incendium ſupponeretur, & juſſit ad ſe deduci Zenonem, & Paternum auguſtalem * *e*. Quod cùm audiiſſent milites, qui baptiſati fuerunt, cœperunt eos omnes ſequi. Julianus autem imperator dixit ad Zenonem : Suaſionibus invaſiſti auguſtalem ? Et converſus ad Paternum dixit : Sic Stultus factus es, ut pereas ? Et juſſit Paternum cum omni officio ſuo & uxoribus & filiis in caminum præcipitari, & omnes ſimul ſexaginta octo ; Zenonem verò ſervari : & hac præceptione & authoritate ſua omnibus judiciis ſuis divulgavit, dicens, ut, quiſquis inventus fuiſſet Chriſtianus, ibidem in caminum præcipitaretur. Et iratus præcepit, ut jam omnia tormentorum genera ceſſarent, & aut votiva ſacrificia Chriſtiani diis offerrent, aut recuſantes ibidem demergerentur.

& martyrio coronatur. * *confulatem*

e

C

15 Tunc ordinavit Serapionem quemdam auguſtalem, & præcepit ut omni ſtudio perquireret Chriſtianos. Cumque veniſſet Serapion ad locum deſignatum, ubi Chriſtiani incendio cremari juſſi erant, cum omni exercitu officii ſui, vidit quamdam mulierem *f* Chriſtianam, cum duobus infantulis ſuis, quorum unum gerebat in ulnis, & alium trahebat ad manum, quæ cum omni * lætitia pergebat ad caminum. Cui dixit Silvinus quidam major officii : Dic mulier, quò pergis cum tanto gaudio filiorum *? Reſpondit mulier, & dixit : Ego Chriſtiana ſum, & hi filii mei ſunt Chriſtiani, & vado ad caminum : quia ibi ſunt epulæ magnæ. Silvinus itaque cucurrit poſt eam, ut videret exitum rei. Cumque veniſſet ad caminum ardentem, mulier dixit : Vach tibi, imperator infœlix, perdis animam tuam.

uti & mulier cum 2 infantulis

f

* magna

* cum filiis tuis ?

D

16 Eâdem horâ interrogaverunt eam cuſtodes camini : Mulier, quid quæris ? Reſpondit mulier : Mori hîc, ut vivam, & videam cum filiis meis Dominum Jeſum Chriſtum, quem infœlix Julianus auſus eſt negare. Tunc miniſtri præcipitaverunt eam in caminum ignis. Illa autem clamabat, dicens : Gloria tibi, Domine Jeſu Chriſte, quem ego jam video. In ipſa hora vidit Silvinus ſtantes duos homines miræ magnitudinis tenentes ſindonem, & ſuſcipientes mulierem. Quod cum vidiſſet, cœpit currere clamans, & dicens ad Serapionem : Ego vidi majeſtatem ſuſcipientem mulierem cum filiis ſuis in ſindone munda, & quia [verè] vita eſt Chriſtus, Chriſtianus ſum & ego, ſi merear *.

in ignem ita jecta, nec non Serapion

E

* utinam & ego merear Chriſtianus fieri !

17 Audiens hoc Serapion *g*, miſit ad quemdam epiſcopum & baptiſatus eſt cum omni domo ſua, & cum militibus quingentis viginti duobus & dixit : Eamus ad epulas, ubi mulier ivit cum filiis ſuis : & ambulavit uſque ad locum ignis cum omnibus ſuis, & omnes pariter rogabant, ut mergerentur pro amore Chriſti in ignem. Audiens hoc Julianus imperator, præcepit ad ſe Zenonem adduci, cui ita dixit : Non conſideras quia per te multi trucidantur ? Reſpondit Zenon : Si ſcires donum [Dei &] Domini mei Jeſu Chriſti, quem tu negas, veriùs diceres, quia multi coronantur.

cum tota familia ſua, ac militibus 522 : Julianus verò imperator

g

18 Eâdem horâ Julianus imperator juſſit, ut à nervis pedum cum uncinis ferreis appenderetur * in ligno in cubitis triginta. Et cùm appenſus fuiſſet, clamabat, dicens : Gratias tibi ago, Domine Jeſu Chriſte, Fili Dei vivi, qui deſtruis Julianum. Et pependit in ligno tota die, ac nocte, ad quem multi Chriſtiani concurrebant, & non eſt mortuus. Tunc nuntiatum eſt Juliano imperatori, quia adhuc viveret, & mittens milites præcepit, ut caput ejus præcideretur : qui depoſitus de ligno, capite truncatus eſt quarto Nonas Septembris, & corpus ejus jactatum eſt in agrum ad exemplum Chriſtianorum : cujus corpus collegit poſt triduum epiſcopus, qui baptiſaverat Serapionem *, & ſepelivit eum in Nicomedia civitate, ubi florent orationes ejus uſque in hodiernum diem, regnante Domino noſtro Jeſu Chriſto, qui cum Patre & Spiritu ſancto vivit & regnat per infinita ſæcula ſæculorum. Amen.

jubet S Zenonem capite truncari. * pedes ejus in uncinis ferreis appenderentur

F

* *Gall.* qui baptizavit eum & Serapionem

ANNOTATA.

a *Ruinartus antea citatus ſcribit de hac voce ad hunc locum Paſſionis ſanctarum Perpetuæ & Felicitatis cum ſociis earum* : Hoc fiet in illa cataſta quod Deus voluerit, *& ſic eumdem explicat pag.* 88 : Cataſta hîc locum editiorem deſignat, in quo proponebantur ſervi venales. Ibi quoque Martyres torqueri ſolebant aut interrogari. Hinc Cyprian. Epiſt. novæ edit. 38, Pamel. 33 de Lectore, qui Chriſtum in ejuſmodi loco confeſſus fuerat, ait ipſum " è cataſta ad „ pulpitum „ veniſſe. Ut enim prior locus erat in foro editior, ſic alter in eccleſia. *Antonius Gallonius in Tractatu inſtrumentorum martyrii &c. anno* 1591 *Romæ edito Italicè, cap.* 3 *agens de equuleo, varia obſervat eadem occaſione de* cataſta ; *quæ hoc loco ſumuntur pro inſtrumento*,

A *to, quo* S. Zenon *tortus ſit. Exempla dat Cangius in Gloſſario ad vocem* cataſta *: ubi aſſerit hoc inſtrumentum eſſe diverſum ab equuleo. Hunc tamen pro illa aliquando accipi in nonnullis Martyrum Actis, Gallonius modò allegatus indicat pag.* 38.

b *Gall.* Paternus dixit: Verè hoc non eſt niſi ars magica.

c *Adſcripſit Papebrochius:* Aſpendatur ſuper pedes viginti, & ligatus ibidem præcipitetur, & incendio concremetur: & projice thus in ignem. Statim ignis ſegregatus eſt à B. Zenone, & in nullo eum contriſtavit.

d *Senſus eſt vitioſus, niſi apponatur* comburere *vel quid ſimile.*

e *Superiùs vocabatur* tribunus, *al.* conſularis; *hîc verò* auguſtalis. *Cangius ad vocem* auguſtalis, qui, *inquit*, & PRÆFECTUS AUGUSTALIS, cui Ægypti ad ſimilitudinem proconſulis, lege ſub Auguſto lata, imperium datum eſt. Nec enim fáſces conſulares ingredi Alexandriam licuit. *Plura ibidem. At crediderim, voce* auguſtalis *hîc intelligi poſſe præſidem* Auguſtalem Thuſciæ, *teſte Cangio*, habet Paſſio S. Savini, quem alibi PRÆSIDEM VOCAT. A. ANONYMO.

f *Gallonian. Ms.*: Tunc ordinavit Serapionem auguſtalem, & dum proceſſio fieret ad laudem imperatoris Juliani, & Serapio veniret ad locum deſtinatum, ubi Chriſtiani incendio concremabantur, cum omni exercitu officii ſui, vidit quamdam mulierem *&c.*

g *Gall.* Audiens hoc Serapio, credidit & ipſe, & miſit *&c.*

DE S. JUSTO EPISCOPO LUGDUNENSI CONFESSORE

B

IN ÆGYPTI EREMO,

E

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

J. S.

§ I. Antiquiſſimus S. Juſti cultus: memoria ejus variis diebus annuntiata in Martyrologiis, & quas ob cauſas.

CIRCA AN. CCCXC. *Feſtivitas S. Juſti ſolemni ritu celebrata à medio ſeculi V,*

Raclarâ ſanctitatis famâ in Gallia atque Ægypto floruit ſub finem ſeculi IV S. Juſtus *Lugdunenſis epiſcopus, coliique cœptus eſt non longo poſt mortem tempore; certe circa medium ſeculi* V *feſtivitas ejus jam celebrabatur magna ſolemnitate. Idoneum tam antiquæ venerationis teſtimonium habemus ex Sidonio lib.* 5 *epiſt.* 17 *ad Eriphium, in qua ſcribit ſequentia:* Convenieramus ad ſancti Juſti ſepulcrum; ſed tibi infirmitas impedimento, ne tunc adeſſes. Proceſſio fuerat anteluciana, ſolemnitas anniverſaria, populus ingens ſexu ex utroque, quem capaciſſima baſilica non caperet, & quamlibet cincta diffuſis crypta porticibus. Cultu peracto vigiliarum, quas alternante mulcedine monachi, clericique pſalmicines concelebraverant, quiſque in diverſa receſſimus, non procul tamen; utpote ad tertiam præſto futuri, cùm ſacerdotibus res divina facienda. De loci ſanè, turbarumque compreſſu, deque numeroſis luminibus illatis, nimis anheli *&c. Quo anni tempore hæc celebrarentur feſtivitas, inſinuant verba mox ſubjuncta:* Simul & æſtati nox adhuc proxima tacito clauſos vapore torruerat; etſi jam primo frigore tamen autumnalis auroræ detepeſcebat. *Initium autumni, quod hac phraſi deſignat, innixi diem* XIV *Octobris; (quo Sanctum probabilius obiiſſe, infrà probabimus) cùm nulla alia* S. Juſti *feſtivitas initio autumni occurrat. Porrò hæc ante epiſcopatum ſcripſit Sidonius, & veroſimiliter juvenis, circa medium ſeculi* V; *ita ut exiſtimare poſſimus feſtivitatem celebrari cœptam brevi poſt corporis ex Ægypto in Galliam tranſlationem, de qua agemus.*

2 *Eodem ſeculo Sanctum miraculis claruiſſe, intelligimus ex alio monumento, quo & feſtivitatis celebritas confirmatur. Anno* 499 *inſtituta eſt Lugduni diſputatio ſeu collatio Catholicorum epiſcoporum cum Arianis coram Gundebaldo Burgundionum rege. Edita eſt hæc Collatio apud Labbeum tom.* 4 *Conciliorum à vol.* 1318, *atque in ea ad propoſitum noſtrum leguntur iſta:* Dominus Stephanus (*Lugdunenſis epiſcopus*) ſcripſit ad epiſcopos multos, & invitavit illos ad feſtivitatem S. Juſti, quæ inſtabat; in qua ob frequentiam miraculorum fiebat concurſus plurimus populorum. *Deinde, relata diſputatione coram rege habita, in qua victi erant Ariani, hæc ſubjunguntur:* Diſceſſerunt ergo omnes epiſcopi: &, quia adhuc dies non erat inclinata, iverunt ſimul cum ceteris Catholicis ad baſilicam domni Juſti, confitentes Dominum, quoniam bonus, & laudantes eum, qui dederat illis talem victoriam de inimicis. *Videmus hîc eccleſiam, quæ* Machabæorum *alias dicebatur, jam tunc nominatam fuiſſe* S. Juſti, *quod nomen uſque ad everſionem retinuit. Quantam verò de* S. Juſto *fiduciam haberent Catholici, colligitur ex verbis S. Aviti Viennenſis, qui, victis rurſum ſecunda diſputatione Arianis, regem coram ipſis ſic eſt allocutus:* Si rationes noſtræ non poſſunt illos convincere, non dubito quin Deus fidem noſtram miraculo confirmet; jubeat ſublimitas veſtra, ut tam illi, quàm nos, eamus ad ſepulcrum hominis Dei Juſti, & interrogemus illum de noſtra fide, ſimiliter & Bonifacius (*epiſcopus Arianus*) de ſua, & Dominus pronuntiabit per os Servi ſui, in quibus complaceat. *Renuerunt quidem Ariani, ideoque id factum non eſt. Attamen ſcriptor felicem diſputationis exitum interceſſioni* S. Juſti *attribuit his verbis:* Ex ea die plurimi Ariani ad pœnitentiam venerunt, & poſt aliquot dies baptizati fuerunt: & magnificavit Dominus fidem noſtram

eodemque ſeculo miraculis inclaruit Sanctus.

AUCTORE J. S.

noſtram per interceſſionem domni Juſti in conſpectu omnium.

Memoria ejus variis diebus in Faſtis annuntiata, maximè 2 Septembris,

3 *Ex hiſce, quæ antiquiſſimam Sancti venerationem tam luculenter oſtendunt, minimè mirari poſſumus, memoriam ejus vetuſtiſſimis Martyrologiis paſſim adſcriptam legi. At miramur dierum varietatem, cum numquam videatur cultus fuiſſe tot diebus diverſis, quot nomen ipſius ſacris Faſtis habetur inſertum. Primùm die 2 Septembris in pleriſque annuntiatur Sanctus; ſed non convenit inter ſcriptores, an ille ſit dies Sancti emortualis. Hieronymiana apud Florentinium illo die ſic habent:* Lugduno Galliæ depoſitio S. Juſti epiſcopi, & dedicatio baſilicæ ipſius. *Conſonant Corbeienſe in annotatis, Hieronymianum apud Acherium tom. 2 Spicilegii recuſi, & Morbacenſe apud Martenium tom. 3 Anecdotorum col. 1582. Codex Reginæ Sueciæ tantùm habet:* Lugduno Galliæ, depoſitio ſancti Juſt epiſcopi & confeſſoris. *Nec placet Florentinio illa eccleſiæ dedicatio, de qua ait in annotatis:* Sed quæ hìc de eccleſiæ dedicatione apponuntur, antiquarii additionem ſapiunt; *at non video, qua de cauſa. Alia Hieronymiana magis contracta* S. Juſtum *eodem die memorant hiſce aut ſimilibus verbis:* Lugduni Juſti epiſcopi; *aliqua etiam prorſus de eo tacent.*

B

quo obitus Sancti annuntiari videtur apud Rabanum,

4 *Rabanus eodem die Sancto elogium texit hujuſmodi:* Lugduno Galliæ depoſitio Juſti epiſcopi & confeſſoris. Cùm poſt diaconatum antiſtes ordinatus eſt, tanta puritate, modeſtiâ, pietate, patientiâ per multos rexit annos, tantâ circa pauperes curâ, tantâ divinorum mandatorum obſervantiâ, ut etiam magnificos atque præſtantes illos Domini ſacerdotes omni præiret gratia virtutum, ſed (*cùm*) ita ingenti gloria ſuæ plebis, populi Domini eccleſiæ præſideret, uſque ad expulſionem ejus frementis diaboli exarſit invidia. Hunc ergo cùm ſeditio populi perſequebatur, poſt multas tribulationes in peregrinationem perrexit; atque ſolo ſecum comitante puero in Ægyptum pervenit, ibique inter anachoretas ſtrictiſſimam vitam duxit, & nobiliter converſatus eſt. Quem ſanctus Antiochus presbyter Lugdunenſis, pio incitatus officio, uſque ad viſitandum ſuum epiſcopum pergere animo intendit: quem etiam ad ſe venturum ſanctus Juſtus epiſcopus prædixit his, qui ſecum erant. Poſt aliquot verò dies Sanctus Dei migrans de hoc ſæculo, oſſa ſua ad ſedem ſuam divino nutu transferri promeruit, ibique honorificè ſepeliri. *Hoc elogium ex Actis deſumptum eſt; at violenta expulſio ex ſede epiſcopali Actis eſt prorſus contraria.*

C

Notkerum, Uſuardum, Florum:

5 *Eadem etiam die Notkerus brevi atque accurato elogio Sanctum noſtrum ſic celebrat:* Nativitas ſancti Juſti Lugdunenſis epiſcopi: qui clàm epiſcopatum relinquens, ad Ægyptum migravit, comitante ſe quodam lectore, cui nomen erat Viator. Ibidem igitur per aliquot annos monachis aſſociatus, vitam in ſancta converſatione finivit. Corpus ejus à religioſis civibus Lugdunum cum oſſibus ſancti Viatoris miniſtri ipſius delatum in baſilica ſeptem fratrum Machabæorum. *Hiſce conſentire videtur Wandelbertus, cùm Sanctum eodem die annuntiet, breviter tamen, nec aſſerens, eſſe diem emortualem. At Uſuardus cum Rabano & Notkero obitum annuntiare videtur hiſce verbis:* Lugduno Galliæ, natalis ſancti Juſti epiſcopi & confeſſoris, qui in heremum ſecedens, cùm aliquot annis proximam angelis egiſſet vitam, & dignus adeſſet finis tantis laboribus, regnum ſcandere cælorum beato lucro promeruit. Hujus ſanctum corpuſculum cum oſſibus beati Viatoris ejus miniſtri, poſtea Lugdunum relatum eſt. *In eumdem obitûs diem conſpirare etiam videtur Florus apud nos ante tomum 2 Martii, ubi tale habet elogium:* Lugduno depoſitio S. Juſti epiſcopi & confeſſoris: qui pro quodam fugitivo ejuſdem eccleſiæ, petente primario civitatis, reddito, ſupplicioque mortis affecto, ejus ſibi adſcribens ſupplicium; gregem commiſſum, quem magna puritate & modeſtiâ, ac patientiâ multis rexerat annis, derelinquens, ſe eremo dedit, Domino adhærens & cultoribus ejus, ſancto videlicet Macario ſanctoque Paphnutio, quorum vitæ ac mortis particeps extitit. *Tot teſtibus credendum videretur, niſi obſtarent alii, quorum auctoritas minimè eſt contemnenda; & niſi præcedentium mens tam clara non eſſet, quàm primo intuitu quibuſdam videbitur.*

D

verùm Ado cum aliis tres feſtivitates diſtinguens,

6 *Sane Ado clariſſimis verbis alium diem emortualem decernit, dum ad 2 Septembris ſcribit ſequentia:* Natale ſancti Juſti Lugdunenſis epiſcopi, miræ ſanctitatis & prophetici ſpiritus viri. Hic clàm epiſcopatum ſuum relinquens, aſcenſa nave, comitante ſe uno tantùm puero, qui officio lector in eccleſia erat, nomine Viator, pervenit in Ægyptum. Ubi per aliquot annos, ſanctis monachis cælum tantùm ſpectantibus conſociatus, humilitate ac ſanctitate vitæ incomparabilis vixit. Curſu itaque temporis conſummato, ipſe quoque virtutibus conſummatus, repoſitam ſibi coronam juſtitiæ percepturus migravit ad Dominum pridie Idus Octobris. Corpus ejus à religioſis civibus Lugdunum cum oſſibus beati Viatoris miniſtri ejus relatum, & condigno cultu in baſilica beatorum ſeptem fratrum Machabæorum & martyrum glorioſiſſimorum conditum eſt quarto Nonas Septembris. *Idem Ado* XIV *Octobris ſic habet:* Eodem die, tranſitus ſancti Juſti in eremo: qui cùm aliquot annis in eremo angelicam egiſſet vitam, & dignus adeſſet finis, tantis laboribus regnum ſpondens cælorum; atque illis jam extremis ſanctæ commigrantis animæ, flens & conſternatus mente Viator adſtaret, dicens: Cui me, Domine, derelinquis? reſpondiſſe dicitur, ne conturbaretur quaſi deſtitutus ſolatio, quia brevi ſe illò quoque ipſe ſequeretur. Quam utique prophetiam ac revelationem cito tranſitu ſanctiſſimi juvenis miniſtri ejus, qui ſolus ardore fidei eum epiſcopatum fugientem & latere cupientem ſecutus fuerat, conſtat fuiſſe completam. *Idem quoque* S. Juſtum *annuntiat die* IV *Auguſti his verbis:* Apud Lugdunum, adventus corporis S. Juſti de eremo *&c.*

E

F

mortem collocat 14 Octobris, Adventum corporis 4 Auguſti, ejuſdem in eccleſia Depoſitionem 2 Septembris:

7 *Ado igitur tres* S. Juſti *feſtivitates diſtinguit, putatque Sancti mortem contigiſſe* XIV *Octobris, corpus adveniſſe Lugdunum* IV *Auguſti, illudque repoſitum in eccleſia eidem dicata 2 Septembris, quo Sanctus præcipuè celebratur. Hinc facilè credo eccleſiam eodem die dedicatam fuiſſe, prout habent Hieronymiana ſuperiùs citata. Adoni ferè conſentit Martyrologium Autiſſiodorenſe, editum apud Martenium tom. 6 Collectionis ampliſſimæ, ubi col. 719 ad 2 Septembris hæc leguntur:* Lugduno natale S. Juſti epiſcopi & confeſſoris, qui migravit ad Dominum in eremo pridie Idus Octobris, & ejus ſacrum corpus & B. Viatoris miniſtri ejus Lugdunum relatum, cum digno cultu conditum eſt IV Nonas Septembris. *Dies hic poſſet intelligi de adventu Lugdunum,*

A *num, niſi dies adventûs & depoſitionis in eccleſia clariſſimè diſtinguerentur ab Adone, ad cujus mentem hoc Martyrologium videtur exponendum. Nam & Hieronymiana varia Adventum corporis ſignant die* IV *Auguſti. Textus à Florentinio datus illo die ſic habet :* Lugduno Galliæ adventus corporis ſancti Juſti epiſcopi de heremo. *Huic prorſus conſonant codices Corbeienſis & geminus Reginæ Sueciæ ; atque idem innuit vetuſtiſſimus Antverpienſis his verbis :* Tranſlatio S. Juſti epiſcopi. *Quin & Notkerus eodem die ſcripſit :* Apud Lugdunum Galliæ adventus corporis ſancti Juſti epiſcopi de eremo. *Verumtamen hæc non congruunt cum aliis, quæ notat* XIV *Octobris, quæque ut minùs probabilia refutabimus.*

hanc Adonis ſententiam aliorum dictis minùs claris

8 *Porrò ſententia Adonis de triplici feſto* S. Juſti *ob varias rationes præferenda mihi videtur aliorum opinionibus, cùm quòd Ado Viennenſis rem exactiùs examinare potuerit, quàm ullus aliorum, tum quòd revera majorem adhibuiſſe videatur diligentiam ; tria enim feſta clarè ac nitidè exponit, nec ullum de opinione ſua relinquit dubium. Alii verò nec tantâ uſi ſunt diligentiâ, nec mentem ſuam tam clarè explicaverunt. Primò Uſuardus uno ſolùm die Sanctum annuntiat, nec clarè edicit illa die fuiſſe defunctum. Signum id eſt, minùs exactè de ſingulis feſtivitatibus inſtructum fuiſſe, ideoque præcipuam tantùm feſtivitatem annuntiaſſe ſine expreſſa mentione de die emortuali ; veroſimiliter quia videbat Sancti obitum diverſis diebus memorari ab antiquioribus. Eadem de Floro dici debent, cùm & ipſe unam ſolùm feſtivitatem memoret. Non minùs ambigua eſt Rabani, uti & Notkeri ſententia : nam, etiamſi prior per vocem* Depoſitio, *alter per vocem* Nativitas, *videatur obitum Sancti affigere* 2 *Septembris, & uterque* XIV *Octobris tranſlationem corporis commemoret, iidem tamen Sanctum quoque annuntiant* XIV *Julii iis verbis, ut credidiſſe videantur eum fuiſſe diem emortualem. Verba Rabani accipe ad dictum diem :* Lugduno Galliæ natale Juſti epiſcopi & confeſſoris. *Notkerus quidem minùs clarè obitum illo die ſignat ; at cùm tranſlationem memoret* XIV *Octobris, Adventum corporis* IV *Auguſti, atque hìc habeat :* Lugduno Galliæ ſancti Juſti epiſcopi & confeſſoris, *quid intelligere debemus niſi obitum, præſertim cùm Notkerus frequenter ſequatur Rabanum, ex quo hauſiſſe videtur, ut prædictum diem* S. Juſto *aſſignaret.*

B

præferendam eſſe,

9 *Occurrit alia ratio, cur minùs clara videatur prædictorum ſententia. Omnes, excepto Notkero, Sanctum annuntiant* Lugduni. *At Lugduni non obiit* S. Juſtus, *ſed in eremo Ægypti. Si voluerint diem mortis memorare, cur non ſimul commemorarunt & locum ? Cur locum aſſignant, in quo Sanctus non eſt defunctus ? Non alia, opinor, de cauſa, quàm quòd noluerint deſignare diem emortualem, ſed expreſſerint diem, quo maximè celebrabatur Lugduni. Verùm, inquiet aliquis, Uſuardus dicit,* Natalis S. Juſti. *Diem igitur deſignat emortualem, qui per* natalem *intelligitur à Martyrologis. Reſpondeo per* natalem *plerumque deſignari diem mortis ; at non ſemper. Nam & Ado & Martyrologium Autiſſiodorenſe vocant* natale S. Juſti *feſtivitatem* 2 *Septembris celebrari ſolitam ; nec tamen intelligunt diem emortualem, cùm eodem loco affirment, Sanctum obiiſſe pridie Idus Octobris. Adonem ſecutus eſt Uſuardus, & duo ejus elogia in unum contraxit, ideoque nihil aliud per* natalem *deſignaſſe videtur, quàm quod Ado deſignaverat, videlicet feſtivitatem Sancti. Sic dicitur aliquando* natalis reliquiarum *pro tranſlatione,* natalis calicis *pro cœna Domini,* natalis templi *pro dedicatione, atque aliæ etiam feſtivitates* natales *nominantur, quemadmodum videri poteſt in Gloſſario Cangii ad vocem* natalis.

AUCTORE J. S.

variæ rationes perſuadent :

10 *Porrò ſicut natalis non importat neceſſariò diem obitûs, ſic etiam* depoſitio, *qua voce utuntur Rabanus & Florus, intelligi poteſt de depoſitione corporis in eccleſia, in qua Sanctus poſt tranſlationem fuit depoſitus. Corpus autem depoſitum eſſe in eccleſia Machabæorum die* 2 *Septembris teſtatur Ado : eccleſiamque eodem die dedicatam, Hieronymiana habent citata. Hæ rationes eſſe potuerunt, ob quas feſtivitas præcipua eodem die* 2 *Septembris celebrari ſoleat. Idem contigit in S. Serapia, de qua die ſequente ſic habet Martyrologium Romanum ex Adone & aliis :* Paſſa eſt autem quarto Kalendas Auguſti, & à beata Sabina in ſuo monumento juxta aream Vindiciani ſepulta, ſed memoria ipſius martyrii hac die celebrior habetur, quando ambarum ſarcophagum ibi compoſitum & ornatum fuit, & locus orationis condignè dicatus. *Eamdem ob cauſam celebrari feſtivitatem* S. Juſti 2 *Septembris mihi perſuadeo cum Adone, quocum ſimiliter credo, mortuum eſſe Sanctum* XIV *Octobris ; corpuſque Lugdunum adveniſſe* IV *Auguſti ; neque enim videtur Ado hæc tam accuratè diſtincturus fuiſſe, niſi rem probè habuiſſet perſpectam. Alii aliter de hiſce feſtivitatibus ſcripſerunt. Horum opinioni libenter ſubſcribam, ſi meliores quis attulerit rationes, quàm hactenus fuerunt allatæ à Theophilo Raynaudo & aliis.*

E

certè 14 *Octobris non celebratur tranſitus in Ægyptum.*

11 *Illud ſanè ne probabile quidem puto, quod ex Sauſſayo adoptavit Raynaudus in Hagiologio Lugdunenſi pag.* 71, *quódque exponit his verbis :* Feſtum autem, quod celebrabatur pridie Idus Octobris, dicebaturque TRANSITUS S. Juſti, erat feſtum tranſitus in Ægyptum, & receſſionis ab epiſcopatu. *Præceſſerat Sauſſayus ad* XIV *Octobris hoc modo :* Eodem die recolitur Lugduni receſſus in Ægyptum ſancti Juſti, primæ illius ſedis epiſcopi & confeſſoris. *Sic illi nimirum præclarè exponunt verba Adonis,* Tranſitus S. Juſti in eremo ; *quibus mortem Sancti annuntiat. At paulo melior eſt altera ratio Raynaudi, quam ſolam allegare oportuerat, dum ſubdit :* Vel, quod habet appendix ad Adonem (*cum Rabano, Notkero, & quibuſdam apographis Hieronymianis*) ea die erat feſtum alicujus tranſlationis. *Id prorſus improbabile eſſe, non auſim aſſerere propter auctores laudatos. Si autem* XIV *Octobris celebrata fuiſſet tranſlatio corporis, obitus Sancti ſigendus revera eſſet* 2 *Septembris. Verùm probabilior mihi apparet Adonis ſententia, quia illa trium feſtivitatum idoneam ſuggerit cauſam. Alii verò non exponunt, quænam ſit illa tranſlatio* XIV *Octobris ; eademne ſit cum Adventu corporis, qui* IV *Auguſti memoratur, an ab illo diſtincta.*

C

F

Feſtivitas ordinationis antiquis omnibus eſt ignota,

12 *Præter tres memoratas feſtivitates Sancti, Sauſſayus duas inſuper alias annuntiat, alteram* XIV *Julii, alteram* V *Auguſti. De priore ſic habet :* Lugduni ordinatio ſancti Juſti epiſcopi & confeſſoris glorioſiſſimi, cujus felix tranſitus in ſacris Eccleſiæ tabulis inſignis eſt die ſecundo Septembris. *Unde acceperit Sauſſayus eo die celebratam fuiſſe ordinationem Sancti, me prorſus latet ; at vehementer ſuſpicor, meram eſſe conjecturam,*

AUCTORE J. S.

jecturam, non alio nixam fundamento, quam quod videret S. Juſtum *in variis Martyrologiis illo die celebrari. Certè in variis Apographis Hieronymianis* XIV *Julii ſic legitur*: Lugduno in Gallia natalis S. Juſti epiſcopi. *In pluribus additur,* & confeſſoris. *Idem etiam habet Rabanus, & Notkerus longiori elogio eumdem, de quo agimus,* Juſtum *clarè deſignat, ſed non ſine errore aliquo, cùm ita habeat*: Lugduno Galliæ S. Juſti epiſcopi & confeſſoris qui fervore divinæ contemplationis in anachoretica converſatione defunctus, & ad civitatem ſuam gloriosè tranſlatus, ingenii ſui monumenta in Cantica cantiorum reliquit inſignia. *Quod ait de ſcriptis in Cantica, pertinet ad S. Juſtum Urgellenſem in Hiſpania epiſcopum, de quo egimus ad* XXVIII *Maii. Plurima alia recentioris ævi Martyrologia* S. Juſtum *hac die ſignant Lugduni; at ordinationem ejus ſilent. Hæc igitur ordinationis feſtivitas non videtur celebrata fuiſſe; nec eam memoravit Raynaudus. Voluit, opinor, Sauſſayus ſingulis diebus, quibus* S. Juſtum *reperiebat in Martyrologiis, diverſas annuntiare feſtivitates, rectè quidem, ſi illas in idoneis invenit monumentis; peſſimè verò, ſi confinxit.*

B

neque illa aut ulla alia Sancti feſtivitas 14 Julii celebrata; nec alius Juſtus ibidem notus:

13 *Id certum eſt, non ſic annuntiari* S. Juſtum *in Martyrologiis, acſi illa eſſet ordinationis dies; ſed acſi eo die obiiſſet, & quidem in variis cum ſocio* Amico *vel* Amato *aut* Amantio. *Varia de hiſce jam notavit Sollerius noſter tom.* III *Julii in prætermiſſis ad diem* XIV, *ubi oſtendit* Juſtum *illum quandoque ſolum, quandoque cum* Amico, Amato, Amantio, *quibus nominibus idem videtur deſignatus, tranſiiſſe ex auctariis Hieronymianorum in Rabanum & Notkerum, inde in auctaria Bedæ & Uſuardi*: In tanta, *tum ſubdit*, Martyrologiorum concordia, quam auxerunt recentiores cum Petro de Natalibus, quis dubitare poſſet, quin ambo Sancti ad hunc diem pertineant? Interim Lugduni pro hoc die nec Juſtum nec Amicum reperit Raynaudus, & poſtremum quidem fatetur ſibi notum non eſſe, quidquid eum referant Sauſſayus & Caſtellanus. Si conjecturam meam hîc indicare licet, haud verebor ſuſpicari, Amicum iſtum, S. Juſto conjunctum, eſſe ipſiſſimum Viatorem, fideliſſimum ejus aut ſocium aut amicum, qui à Domino ſeparandus non eſt. *Raynaudus* Juſtum

C

illum alium credit ab eo, de quo agimus, & Amicum conſequenter alium à Viatore; at de neutro quidquam invenit, uti jam dictum. Res mihi ſanè videtur ambigua, nec auſim quidquam certò ſtatuere. Verumtamen præplacet conjectura Sollerii. Nec idcirco neceſſe eſt, ut aliquod S. Juſti *feſtum* XIV Julii *olim fuerit. Nam potuit annuntiatio* S. Juſti *facilè per errorem irrepere in unum aliquod Hieronymianum, indeque in alia. Errori occaſionem præbere potuit alius* S. Juſtus *confeſſor ſeculi* III, *qui eodem die in Bituricenſi diœceſi colitur, & antiquis Martyrologiis ignotus eſt. Potuit Martyrologii collector pro Bituricenſi Lugdunenſem notare* Juſtum, *uti magis notum. Quidquid ſit, nullam* S. Juſti *eo die feſtivitatem notavit Raynaudus aut Severtius.*

dedicatio eccleſiæ, relata à Sauſſayo ad 5 Auguſti, veroſimiliter facta eſt 2 Septembris

14 *Altera feſtivitas, quam tribus prædictis ſuperadditam voluit Sauſſayus, ſic ab eo exponitur die* V *Auguſti*: Lugduni dedicatio eccleſiæ ſancti Juſti, in qua ſacratiſſima ejus oſſa religioſo cultu condita ſunt. *Quæro rurſum, quem hujuſce aſſertionis ſuæ habeat auctorem; nec ullum invenio. Petrus de Natalibus lib.* 7 *cap.* 26 *dicit, corpus Sancti* Nonis Auguſti *reconditum in eccleſia ſui nominis; at non ait eccleſiam tunc* D *dedicatam. Dedicationem autem & depoſitionem corporis contigiſſe potiùs* 2 *Septembris, jam diximus. Qua de cauſa & illa feſtivitas fundamento carere videtur, nec nota fuit Raynaudo. Hæc de antiquis Sancti feſtivitatibus diligentiùs diſputare volui ob varias plurimùm de iis hodiernorum ſcriptorum ſententias. Auctor Florarii noſtri Ms. Adonem exactè ſecutus eſt; mortem enim Sancti annuntiat* XIV *Octobris, adventum corporis* XV *Auguſti, depoſitionem verò ejuſdem corporis & præcipuam feſtivitatem* 2 *Septembris his verbis, quibus huic diſputationi finem impono*: Lugduno Galliæ natale ſancti Juſti epiſcopi & confeſſoris, miræ ſanctitatis & prophetici ſpiritus viri. Hic relinquens clàm epiſcopatum ſuum, aſcenſa navi, comitante tantùm ſecum uno puero, qui lectoris in eccleſia officium habebat, nomine Viator, pervenit ad Ægyptum, ubi per aliquot annos ſanctis monachis, zelum ſuum aſpectantibus conſociatus, in ſanctitate & humilitate non mediocriter vixit. Curſu itaque temporis conſummato, ipſe quoque virtutibus conſummatus, repoſitam ſibi coronam juſtitiæ E percepturus migravit ad Dominum pridie Idus Octobris. Corpus ejus à religioſis civibus Lugdunum cum oſſibus beati Viatoris miniſtri ejus relatum, & condigno cultu in baſilica ſanctorum ſeptem Machabæorum martyrum conditum eſt IV Nonas Septembris.

§ II. Quæ & qualia Sancti Acta: an eorum auctor Conſtantius presbyter. Diverſa horum Actorum exemplaria, quorum aliqua interpolata. Acta duplicia edenda.

Tillemontius nimis laudat Vitam S. Juſti, ſuſpicaturque eſſe Conſtantii presbyteri, F

ACta S. Juſti *exſtant typis edita, & manuſcripta in codicibus variis. Tillemontius tom.* 8 *Monumentorum in* S. Juſto *pag.* 546 *tale de iis tulit judicium*: Vita ipſius ſcripta videtur ſatis diu poſt mortem; unde forſan accidit, ut plura contineat elogia generalia quàm facta particularia: verùm ſtylus ejus gravis, ſanctus, majeſtatis atque elegantiæ plenus cauſam præbet judicandi, eam eſſe Conſtantii celebris presbyteri Lugdunenſis, qui ſcripſit Vitam S. Germani Autiſſiodorenſis ſub finem ſeculi V, aut alterius cujuſdam, qui ejuſdem, ut minimum fuerit ætatis. *Ita de Actis Surianis Tillemontius, qui hic more ſuo benignior videtur. Certè, cùm Surium in margine aſſignet, qui ait,* Stylum hinc inde modicè elimavimus, *ex ſtylo elimato judicium fert de ſtylo ſcriptoris antiqui, eumque ex immutato per Surium ſtylo divinat eſſe Conſtantium, aut alium ejuſdem ætatis. Bailletus in Tabula critica ad diem* 2 *Septembris eumdem ſcriptorem hujus Vitæ laudat, ſed anonymum credit,* qui videtur vixiſſe ſeculo VI, aut certè non ſeriùs. *Scriptores Hiſtoriæ litterariæ Franciæ tom.* 2 *in Conſtantio presbytero pag.* 547 *magis aſſeveranter hanc Vitam attribuunt Conſtantio, quàm fecerat ipſe Tillemontius, & rationes quaſdam allegant.*

quod alii magis aſſeverant & probare conantur, ſe fruſtra:

16 *Prima ratio eſt ſtylus gravis, ſanctus, majeſtate ac pietate plenus. Secundam ſic exprimunt:*

AUCTORE J. S.

A *munt :* Pauca facta, quæ continentur illo Opuſculo, inſinuant, ejus auctorem ſatis bene inſtructum fuiſſe de hiſtoria hujus eccleſiæ (*Lugdunenſis.*) *Addunt rationem tertiam his verbis :* Conſtantius declarat, ſe conſcripſiſſe hanc Vitam propter ſollicitationes multas, eodem ferè modo, quo jam vidimus conſcriptam ab eo Vitam S. Germani Autiſſiodorenſis. *Quarto demum affirmant, Vitam hanc* longè meliùs *ſcriptam*, quàm paſſim ſcriberetur ſeculo VI Eccleſiæ. *Verùm hæ rationes neque omni ex parte mihi videntur veræ, neque ſufficientes ad propoſitam quæſtionem dirimendam, etiamſi aliàs eſſent veriſſimæ. Quippe primum, quod de ſtyli gravitate & elegantia dicitur, ne in Surio quidem invenio, & longè minùs apparet in Mss., quàm in Surio, qui ſtylum notabiliter expolivit; neque illa elegantia quidquam probat, cùm multi alii floruerint in Gallia ſcriptores, qui majori elegantia ac majeſtate in ſcriptis ſuis uterentur. Quod ſubditur, ſcriptorem illum bene inſtructum fuiſſe de rebus eccleſiæ Lugdunenſis, nullibi ſanè apparet : nihil enim refert, quod ſpectat ad illam eccleſiam, niſi ejus patronum eſſe* S. Juſtum, B *& Antiochum ei poſtea præfuiſſe antiſtitem. At, ſi vel maximè inſtructus fuiſſet de eccleſia Lugdunenſi, quomodo inde inferri poteſt, eum fuiſſe Conſtantium ? Quod tertiò dicitur de ſollicitationibus, quibus impulſus fuit ad Vitam ſcribendam, ſicuti dicit ſe ſollicitatum ad ſcribendam Vitam S. Germani, tam diſſimile eſt, ut diverſos potiùs auctores exhibeat quàm eumdem : nam in hac Vita breviter dicit :* Vitam beati Juſti Lugdunenſis epiſcopi admiratione (*in alio Ms.* adjuratione, *in alio* admiraturi) compellimur breviter exponere. *Verùm Conſtantius in Vita S. Germani multa præfatur de minori ſua ad ſcribendum capacitate atque argumenti difficultate. Nec rurſum hæc ſimilitudo, ſi vera eſſet, quidquam evinceret; cùm omnes paſſim, aut certè multi, ſimilia præfari ſolerent illo tempore. Quartum denique nihilo verius eſt, cùm varii floruerint ſeculo* VI, *qui elegantiùs & rectiùs ſcriberent, quàm hæc Vita ſit exarata.*

nam variæ rationes perſuadent C

16 *Uti hæ rationes nullo modo perſuadere poſſunt, Vitam* S. Juſti *ſcriptam eſſe à Conſtantio presbytero; ita collatio hujus Vitæ cum Vita S. Germani nullum mihi relinquit dubium, quin ſingulæ diverſum habeant auctorem. Vita S. Germani graviter & hiſtoricè ſcripta eſt cum adjunctis perſonarum, locorum, factorumque ſingularium, à natalibus Sancti uſque ad obitum. Hæc verò Vita nihil ferè continet; niſi elogia quædam generalia, & tam pauca facta particularia, ut omnia ferè hauriri potuerint ex Martyrologiis, ſeculoque decimo conſcribi eodem modo. Nihil de Sancti natalibus, nihil de epiſcopo ipſius deceſſore, nihil de die emortuali, nihil de tranſlatione corporis; niſi generatim, nihil de loco ſepultura, de miraculis, de cultu. Nullum denique uſpiam aſſignatum tempus, quo floruit Sanctus, nullum, quo ſcriptor ipſe vixit. Hæc fatebuntur adverſarii : ſed affirmant id contigiſſe, quia Conſtantius ſcripſit diu poſt* S. Juſti *obitum. Verùm Conſtantius non integro ſeculo poſt* S. Juſtum *floruit : nam jam anno* 473 *provectæ admodum erat ætatis, uti de eo habent laudati ſcriptores Hiſtoriæ litterariæ tom.* 2 *pag.* 545. *Sanctus verò noſter non obiit niſi ſub finem ſeculi* IV, *quomodo igitur vir eruditus & diligens tam jejunè de* S. Juſto *ſcribere potuit in ipſa eccleſia Lugdunenſi, ubi haud dubiè non pauca de epiſcopis Lugdunenſibus, & præſertim de Sancto tam celebri monumenta reperiri poterant ?*

hanc Vitam non eſſe ſcriptam a Conſtantio, ſed ſerius :

17 *Deinde Conſtantius in præfatione ad Vitam S. Germani conqueritur, ſe nimis ſerò ſcribere;* Tanta, *inquiens*, jam temporum fluxêre curricula, ut obſcurata per ſilentium vix colligatur agnitio; *& tamen plurima ibi invenit ac narravit, adjunctis locis, temporibus ac perſonis. Hic verò ſcriptor Vitæ* S. Juſti *nullibi ea de re queritur; at magnificè loquitur, ac ſi omnia haberet perſpecta, atque interim nulla ferè Sancti geſta minutim refert. Credibile igitur non eſt, hanc Vitam eſſe Conſtantii; nec crediderim ſeculo* V *fuiſſe exaratam, certè qualis edita eſt à Surio, atque exſtat in Mss., ejus editioni conſonis. Porrò anonymus noſter Opuſculum ſuum ſic implevit ſententiis ſacræ Scripturæ, moralique doctrina, ut videri poſſit oratio potiùs ad populum habita, quàm vitæ hiſtoria. Hinc incertum mihi eſt, ſeculone quinto, ſexto, ſeptimo, an ſerius hæc Vita fuerit exarata.*

varia Actorum exemplaria Surianis quoad rem conſona;

18 *Exemplaria Mss. hujus Vitæ varia ſunt & aliquot mendis conſperſa, alia pluribus, paucioribus alia; edita verò nitidiora ſunt, ſed minùs genuina. Præterea quædam Mss. exemplaria multum diſcrepant ab editis atque aliis Mss. : alia verò apographa rectè conſonant cum editione Surii ad* 2 *Septembris, ac cum editione Vincentii Barralis in Chronologia Lirinenſi pag.* 316; *quædata eſt ex Surio, modò ſolas excipiamus ſtyli correctiones per Surium factas. Hæc dictionis expolitio ſatis notabilis eſt, & in ſingulis ferè phraſibus occurrit, non ſic quidem, ut ſententia mutetur ſcriptoris, ſic tamen, ut non pauca emendentur, & inepta quædam omittantur. Tria hujuſmodi habemus apographa, quorum primum olim huc miſit Chiffletius noſter* ex Paſſionario S. Juſti Lugdunenſis & veteri Ms. S. Claudii, *illudque collatum eſt cum Ms. Actinctino. Alterum deſumptum eſt* ex Ms. Ultrajectino S. Salvatoris; *tertium* ex Ms. Rubeæ Vallis. *Apographa iſta invicem conſonant, exceptis mendis, quibus laborant ſingula. Hac de cauſa unum ex illis ſic in editione ſequar, ut menda ex aliis, quantùm poſſum, aut ex editis ſim correcturus; & ſimul indicaturus, ubi aliquid in aliis occurret, quod ſit notatu dignum.*

E

F *aliâ ab iis diverſâ, quæ videntur interpolata,*

19 *Exemplaria, quæ ab aliis diſſonare dixi, non in omnibus diſſonant, etiamſi ſola ſpectemus verba, ſed potiùs plerumque ſic conſonant, etiam in verbis, ut unius auctor alterius Opuſculum haud dubiè viderit, ac partim deſcripſerit. Verùm in hiſce omiſſa eſt tota præfatio, quæ ſanè abeſſe poteſt ſine detrimento ullius facti; omiſſa ſunt & alia quædam, ad diſcurſum moralem magis, quàm ad Sancti hiſtoriam, pertinentia. Contrà in hiſce exemplaribus leguntur aliqua, quæ exſulant ab editis & prædictis Mss. Sunt hæc quædam de Sancto in eremo Ægyptiaca verſante, quæ ſcriptor aſſerit ſe didiciſſe ex presbytero nonagenario, qui familiariter cum Sancto fuerat converſatus in eremo. Horum Actorum exemplar unum habemus in codice Ms.,* notato P. Ms. 20 *fol.* 178. *Codex hic admodùm vetuſtus eſt, ſed juſto negligentiùs ſcriptus, cum menda clariſſima habeat non pauca. Alterum exemplar, præcedenti conſentiens, tranſmiſſum eſt ex Ms. S. Maximini Trevirenſis, multis ſimiliter oppletum mendis. Hæc exemplaria habent aliquid, ex quo interpolata, aut ex duobus imperitè conſarcinata credam : nam, ubi de Viatore loquuntur, ſic habent :* Præter Viatorem il-

AUCTORE J. S.

lum, quem suprà diximus &c., *licèt ibidem Viator numquam antea nominetur, aut memoretur. Patet id desumptum esse ex iis, quæ jam edita sunt, ubi idem rectè dicitur, quia Viator in præfatione fuerat nominatus.*

demum alia præcedentibus breviora & meliora.

20 *Eadem rursum Acta, sed contractiora & nitidiora exstant in codice 33 Reginæ Sueciæ, prout colligo ex collatione horum cum illis. Hæc, licèt mihi ad manum non sit ipsum exemplar, ex notatis accuratè diversis lectionibus communicare possum lectori, & revera communicabo, cùm omnibus aliis exemplaribus præplacitura existimem, quòd facta pleraque contineant, & digressionibus inutilibus careant. De hisce meritò dici potest, quod de Surianis nimis liberaliter asseruerunt Tillemontius ejusque sequaces. Horum scriptor suppar fuit* S. Justo, *ac necessariò vivere debuit seculo* V, *cùm dicat num.* 4: Ego autem ipse sanctum quemdam presbyterum, penè jam nonagenariam ætatem agentem, vidi, cujus mihi relatione hæc comperta sunt: *nam, ut sequitur, presbyter ille cum* S. Justo *in eremo vixerat. Neque verò existimare possim, hæc addita esse ab impostore quopiam, ut sic major Actis conciliaretur fides: nam eodem prorsus stylo conscripta sunt, quæ in hisce leguntur Actis, quæque absunt à Surianis, quo relata sunt alia omnia. Quin potiùs existimo, hæc Acta primò scripta esse, ac Suriana ex hisce composita ab aliquo, qui nihil ferè addidit, nisi ratiocinationes quasdam satis frigidas; quibus probare nititur* S. Justum *impleviſſe martyrium; sanctitatem ejus ipso nomine fuisse prævie significatam; Eliæ in quibusdam fuisse similem, & alia minutiora. Hinc meritò dicam, Acta longiora non distingui à brevioribus, sed interpolata esse, breviora verò pura. In factis non dissentit interpolator ab auctore Vitæ, nisi in solo discessu, quem collocat post synodum quamdam, de qua tacet alter, & rectiùs quidem, opinor. Has ob causas non dubito, quin studiosus lector breviorem Vitam, quam primo loco edam, mecum sit prælaturus longiori, quam subjiciam, ne quid videatur prætermissum de* S. Justo. *Nunc gesta Sancti ordine discutere aggrediar, ut chronotaxis aliqua habeatur gestorum, & suppleantur non-panca in Actis prætermissa.*

C

§ III. Fabulosa videntur, quæ de natalibus ac pueritia Sancti scripserunt quidam neoterici: sub Paschasio Viennensi natus, sub Claudio diaconus esse potuit; non item monachus Lerini: reliqua gesta discussa, epitaphium, reliquiæ.

Quæ de natalibus & pueritia Sancti conscripta sunt mirabilia,

A *Uctores Galliæ Christianæ recusæ tom.* 4 *col.* 15 *opinionem quorumdam de natalibus* S. Justi *referunt & rejiciunt, his verbis:* Mira sunt, sed omnino incerta, quæ de S. Justi natalibus referunt Severtius & de la Mure. Eum illustrissimi comitis Andegavensis filium dicit Severtius. Ortum asserit de Mura ex nobili Turnonensium in Delphinatu familia, & natum in castro d' Anton prope Viennam, quod vulgo d' Anjou nuncupatur, & certè illum ut suum decus illustris ea familia sibi vindicat, & ejus nomen sibi assumunt illius natu majores. Addit uterque, cùm præpositus seu præfectus Andegavi matrem ejus accusasset adulterii, ipsum vixdum natum articulata ac virili voce causam innocentis egisse: digito dominum Andegavi præsentem monstrasse, ac dixisse verissimè eum esse patrem suum, & postmodum solito parvulorum more conticuisse. Denique Severtius affirmat, quo instanti undâ sacrâ lotus fuit, columbam nivei coloris accessisse & super eum constitisse. D

22 Si quæras unde hæc habeant; Ex traditione, inquiunt, & veteri tabella in ecclesia sub ejus nomine dicata, in qua hi versus continentur.

idoneo carent fundamento: natus videtur Viennæ aut in Viennensi provincia

Andegavi conjux comitis servatur adusque
Partum, præpositi crimine facta rea.
Infans, non infans vocali nascitur ore,
Liberet ut matrem suspicione suam.
Nomine baptismi Justus, veniente columba;
Dicitur, & comitem nominat esse patrem,
&c.

E

Verum hæc omnia testimonia recentiora sunt, ut fidem faciant. Præter id quod de ejus patria dicitur; ut ex sequentibus patebit. *De patria Sancti nihil dicitur, nisi natum esse* in Delphinatu, *idque sanè admodùm verisimile est, cùm nutritus dicatur sub S. Paschasio Viennensi episcopo, ut videbimus. Hinc, inquam, verisimile est, Viennæ natum esse aut in Viennensi provincia. Porrò ex ætate S. Paschasii, quem Majores nostri tom.* III *Februarii pag.* 290 *mortuum statuunt circa annum* 313, *conjicere possumus Sanctum mundo datum esse sub initium seculi* IV, *quod rectè convenit cum Actis infrà edendis, in quibus senex vocatur, cùm episcopatum reliquit non din post annum* 381.

tempore S. Paschasii Viennensis circa 313 *defuncti, diaconus factus sub Claudio,*

23 S. Justum *nutritum esse sub S. Paschasio & diaconum fuisse sub Claudio, Viennensibus episcopis, testatur Ado in Chronico ad annum* 379 *his verbis:* Constat autem hunc venerabilem episcopum Justum sub Paschasio Viennensi episcopo nutritum, Claudii ejusdem urbis episcopi diaconum, postmodum ad sanctam Lugdunensem ecclesiam regendam translatum. *Verum Tillemontius tom.* 8 *pag.* 798, *seu nota* 1 *in* Justum, *contradictionis arguit Adonem, sic disputans:* Ado sibi contradicit, asserens uno loco S. Justum instructum à Paschasio Viennensi episcopo, & diaconum creatum à Claudio ejus successore, atque alio loco dicens hunc Claudium interfuisse magno concilio Arelatensi anno CCCXIV; cùm S. Justus, qui pluribus annis vixit post annum CCCLXXXI, non esset ætate idonea ad diaconatum anno CCCXIV: & alibi observavimus, quàm parùm oporteat attendere ad omnia, quæ in Chronico Adonis leguntur de episcopis Viennensibus. *Hæc Tillemontius, cujus ratiocinatio non minùs ridicula est, quàm accusatio acerba. Hermantius in Vita S. Ambrosii lib.* 3 *cap.* 1 *pag.* 33 *contendit etiam, non potuisse* Justum *creari diaconum à Claudio, si hic Arelatensi concilio interfuerit; idem & Baillet. habet in* S. Justo. *Verùm nulla hîc contradictio in verbis Adonis, sed crassa hallucinatio in ratiocinio Tillemontii & aliorum. Quæ enim, obsecro, hæc est consecutio:* Claudius anno CCCXIV fuit in concilio Arelatensi: ergo, si S. Justum creavit diaconum, id factum anno CCCXIV, quo

F

A quo Justus ea non erat ætate, ut diaconus esse posset? *Ubinam ostendit Tillemontius, aut ostendere conatus est, Claudium non vixisse post Arelatense concilium, & Justum postea ab eo non creatum diaconum?*

quod contingere potuit circa 336 aut paulo seriùs: & malè à quibusdam negatur:

24 *Sanè, etiamsi Claudius certò interfuisset concilio Arelatensi, quod non discutio, potuit supervivere post concilium ad annos viginti, triginta aut etiam plures. Et revera Ado in Chronico S. Nectarium Claudii successorem refert ad imperium Constantii ejusque fratrum post annum 337, uti agnoscit ipse Tillemontius notâ 3 in S. Irenæum. Vixit igitur Claudius ex mente Adonis saltem usque ad annum 337 aut seriùs. Itaque, si natum credamus* S. Justum *circa annum 306, diaconum consecratum circa 336, omnia dicta Adonis rectè cohærebunt, omnia erunt etiam consona Actis S. Paschasii jam assignatis, atque Actis S. Claudii datis in Opere nostro tom. 1 Junii pag. 2; & sic* S. Justus *fuerit ferè annorum septuaginta sex, quando* senex *episcopatum dereliquit. Itaque neque hîc, neque tom. 3 pag. 625 nota 3 in S. Irenæum, ubi eadem ferè de his dicit, Adonem erroris convincit Tillemontius, sed verba ejus minùs fideliter reddidit, dum ait dici* instructum à Paschasio, *cùm Ado solùm dicat* sub Paschasio nutritum, *idque de puero aut infante intelligi possit, ita ut nihil aliud velle videatur, quam natum esse tempore episcopatûs Paschasii. Quod addit Tillemontius, se ostendisse (nota 3 in S. Irenæum) quam parùm fidere oporteat dictis Adonis de episcopis Viennensibus, huc non spectat. Frequenter quidem Adonem ibidem carpit; at non semper æquè feliciter, nec tot assignat errores, ut reliqua ideo auctoritate carere debeant.*

B

monachus Lerini esse non potuit:

25 *Vincentius Barralis in Chronologia Lerinensi pag.* 320 *de* S. Justo *notat sequentia:* Hunc beatissimum archipræsulem Lugdunensem Justum aliquando monachismum, seu eremiticam vitam, in illa insulæ Lerinensis sacrosancta palæstra, sub ipsius principiis sanctissimi patris nostri Honorati, egisse, etsi ex Actuum præfatorum serie liquidò non constet, tamen Lerinenses diversorum codicum antiquorum manuscriptorum tabulæ, adjunctis modernarum impressionibus,

C

constanter ipsum sanctum Justum & monachum Lerinensem Lugdunensiumque archiepiscopum prædicant. *Addit alia quædam ejusdem generis, & in Vita S. Agricoli Avenionensis episcopi, ad hunc diem edenda, idem dicitur. Verumtamen, cùm S. Honoratus vitam monasticam in insula Lerinensi auspicatus non sit, nisi vergente ad finem seculo* IV, S. Justus *neque ante diaconatum, neque post diaconatum susceptum, ibidem monachus esse potuit, uti palàm fiet ex dicendis, & Tillemontius rectè observavit. Vita S. Agricoli non tanta est auctoritatis, ut nos hîc morari debeat.*

episcopus creatus est non diu, ut apparet, post medium seculi IV: *adest anno* 374 *concilio Valentino,*

26 *Quo autem anno Sanctus noster ex diacono Viennensi promotus sit ad episcopatum Lugdunensem, exactè determinari nequit. In catalogis antistitum Lugdunensium passim ponitur post Verissimum, qui interfuit concilio Sardicensi anno* 347. *Hinc dubium non videtur, quin episcopus sit creatus inter annum* 347 *&* 374, *quo interfuit concilio Valentino; nec alia ulla occurrit temporis nota, quâ initium episcopatûs propiùs assignemus. Verumtamen, cùm episcopatum* per multos *rexisse* annos *dicatur in Actis, suspicio esse potest, non diu post medium seculi* IV *ad cathedram episcopalem fuisse evectum. Quidquid sit de initio episcopatûs, non videtur dubitandum, quin idem sit* Justus, *qui anno* 374 *interfuit concilio Valentino, cui subscripsit hoc modo:* Ego Justus episcopus opto vos, fratres, in Domino bene valere. *Ejusdem quoque nomen occurrit in gemina epistola à Patribus istius concilii scripta, uti videre est apud Labbeum tom. 2 Conciliorum col.* 904 *&* 906.

AUCTORE J. S.

& anno 381 Aquileiensi, ut Gallorum legatus:

27 *Anno* 381 *habita est synodus Aquileiensis, in qua damnati sunt Palladius & Secundianus episcopi Ariani. Huic similiter adfuit* S. Justus *tamquam Gallorum legatus. Sententiam autem suam rogatus à* S. *Ambrosio inter primos exposuit: sic enim habent Acta concilii edita inter Opera S. Ambrosii tom. 2 editionis anni* 1690 *col.* 790: Ambrosius episcopus dixit: Quid etiam dicit dominus meus Justus? Justus episcopus legatus Gallorum dixit: Qui Filium Dei coæternum cum Patre non confitetur, anathema habeatur. Omnes episcopi dixerunt, Anathema. *Deinde rursum col.* 801 *inter primos Palladium condemnat his verbis:* Justus episcopus dixit: Palladium, qui blasphemias Arrii damnare noluit, sed etiam magis has confiteri videtur, censeo ulteriùs sacerdotem dici non posse, nec inter episcopos deputari. *Nomina episcoporum, qui dicto concilio interfuerunt, recensentur col.* 805, *interque eos* S. Justus *hoc modo:* Justus episcopus Lugdunensis, alius legatus Gallorum. *In editionibus Labbei & Harduini non additur* Lugdunensis. *At cùm plerisque episcopis locus etiam ibidem adjungatur, vix dubitari potest, quin voces* episcopus Lugdunensis *illic exciderint, & rectè additus legatur apud S. Ambrosium.* Alius legatus *dicitur, quia jam duo Gallorum legati erant recensiti. Nequaquam igitur dubitandum videtur, quin hîc* Justus *& legatus Gallorum fuerit & episcopus Lugdunensis.*

D

non videtur Sanctus statim post istud concilium in eremum abiisse;

28 *Verùm aliud occurrit dubium hoc loco discutiendum. Acta prolixiora num.* 5 *habent, Sanctum reducem ex synodo quadam Italiæ non venisse Lugdunum, sed mansisse* circa Taurinum, *ut amicis quibusdam valediceret, indeque clanculum discessisse in Ægyptum. Tillemontius, qui alia Acta non viderat, existimat revera statim discessisse post concilium Aquileiense, & quidem suspicatur illum cum S. Ambrosio, aliisque memorati concilii Patribus, communicâsse propositum suum de episcopatu deserendo. Attamen Acta breviora hisce non consonant: nam discessum Sancti num.* 2 *sic referunt, ut inter occasionem discedendi & discessum ipsum nihil relinquant medium. Ex mente igitur horum Actorum necessariò dicendum est, concilium Aquileiense præcessisse, tumultumque illum, qui Sancto exsilium persuasit, deinde secutum esse. Sanè, si rem ipsam expendamus, verisimilius apparet, sanctum Antistitem, qui injustam eadem attribuebat indulgentiæ suæ, mox deseruisse munus episcopale, acsi illo fuisset indignus, quàm abiisse ad concilium, ut ibidem interim episcopale officium exercere pergeret, atque illud deindè relinqueret. Si episcopatum relinquere voluit, ut pœnitentiam ageret, quemadmodum eum fecisse constat; non satis perspicio, cur illud propositum distulisset, & perrexisset obire officia episcopalia usque ad finem concilii Aquileiensis. Nihilo magis mihi persuadere possim, S. Ambrosium aliosque Patres concilii Aquileiensis auctores fuisse sancto Antistiti, ut episcopatum deseret: quod potiùs multis rationibus dissuasissent. Suspicor itaque tumultum illum Lugdunensem,*

E

AUCTORE J. S.

cujus occasione S. Justus *ad eremum abiit, contigisse non diu post Aquileiense concilium, indeque scriptorem Vitæ prolixioris in errorem lapsum esse. Hinc colliget studiosus lector, non certò constare de tempore, quo Sanctus eremum petiit.*

nec ad ipsum scripta videtur gemina S. Ambrosii epistola:

19 *Inter epistolas S. Ambrosii duæ habentur* Justo *inscriptæ, quæ in editione anni* 1690 *sunt septima & octava. Existimat Tillemontius, quem secuti sunt alii non pauci, hasce epistolas fuisse datas ad* S. Justum *Lugdunensem. Prioris initium favet huic conjecturæ, cùm* Justus *ab Ambrosio vocetur* frater, *atque ideo videatur fuisse episcopus:* Pulcrè admones, Frater, ut epistolares fabulas, & sermonem absentium ad interpretationem conferamus oraculi cælestis, interrogans me, quid significet illud didrachmum, cujus dimidium Hebræus præcipitur offerre pro redemptione animæ suæ. Quid enim tam consociabile, quàm de divinis rebus sermonem contexere? *Idem initium* Justi *illius pietatem innuit & studium proficiendi in Scripturis sacris, atque etiam familiaritatem quamdam cum S.*
B *Ambrosio insinuat. Verumtamen ego mihi non persuadeo laudatam epistolam ad* S. Justum *fuisse scriptam: finis enim magis obstare videtur isti conjecturæ, quàm faveat initium. Accipe verba, quibus epistolam suam concluſit Ambrosius:* Et tu ergo ad similitudinem Dei unus esto atque idem: non hodie sobrius, cras ebrius; hodie pacificus, crastina die litigiosus; hodie frugi, crastina die incontinens; mutatur enim unusquisque morum varietate, & fit alter: in quo non agnoscitur, quod fuit, & incipit esse, quod non fuit, sui degener. Grave est enim mutari in peius: sed esto, sicut imago in drachma, immutabilis, eumdem habitum servans quotidie... Vale, &, si non infructuosè didrachmum istud commissum mihi arbitraris, iterum, si quid habes, committere ne dubitaveris. *Hisce sanè carpere videtur inconstantiam Justi, quiscumque is fuerit; &, quamvis minimè dissimulare soleret Ambrosius, nequaquam crediderim hæc eum scripsisse ad sanctum & senem Episcopum, præsertim cùm ipse multo esset junior. Quòd autem Justus ille semel vocatur* frater, *non importat necessariò ejus episcopatum. Nam idem Ambrosius epistolam* 80 *ad Bellicium sic orditur,* Audisti, frater. *Nec tamen ille erat episcopus, ut ex multis clarum est. Itaque nec hanc nec sequentem ad* Justum *Lugdunensem pertinere suspicor.*
C

mors ante aut circa 390 *figenda, sed annus incertus uti & translationis:*

30 *Dixi Sanctum, verosimiliter secessisse in eremum non diu post concilium Aquileiense, seu annum* 381. Aliquot annis *in eremo vixisse, habent Acta. Hinc conjicere possumus, defunctum esse ante aut circa annum* 390; *at certò id scire non possumus, cùm nullam habeamus temporis notam, quæ satis sit certa. Æquè ignotus est annus translati corporis ex Ægypto, cùm nullus ullam assignet temporis notam. Ado in Chronico ad annum* 379 *de episcopatu, morte & translatione hæc soùlm memorat:* Sed & Lugdunensis episcopus Justus, miræ sanctitatis vir, qui postmodum relicta sede sui episcopatus, inter sanctissimos patres anachoritas mira humilitate latens, moritur in Ægypto: cujus ossa pio amore solliciti Lugdunenses ad urbem suam reportant: ossa quoque Viatoris sanctissimi comministri ipsius. *Verisimile est, translationem contigisse paucis annis post obitum Sancti, & ante finem seculi* IV.

31 *Raynaudus loco antè indicato Epitaphium Sancti recitat, hæc præmonens:* In vetusto epitaphiorum codice nuper evulgato per Quercetanum, habetur hoc sancti Viri Epitaphium, quod visum est non omittere. D *epitaphium Sancti, quod vitæ compendium:*

Hìc patris antiqui condigno nomine Justi
In spe perpetuæ requiescunt pignora vitæ:
Membra beata satis, quæ semper dedita Christo
Per varios semet cruce confixêre labores.,
Ut meliùs celeri rapiantur in aëra nube,
Cùm cælo adveniens Judex effulserit ipse.
Hic fuit egregius primùm levita Viennæ.
Inde gregem Domini doctrinâ insignis & actu
Conspicuus Præsul, Lugduni pavit in urbe.
Pòst anachoreticæ vitæ flammatus amore,
Longinqua Ægypti sitiens deserta petivit.
Quo senibus sacris pietatis fœdere junctus,
Cùm miram extremo clausisset lumine vitam,
Plebis amore suæ patriam revocatus ad urbem
Cum Viatore pio, Christi tumulatur ad aram;
Ut quos pervigili vivens pietate nutrivit,
Continuis precibus foveat per secula natos.

corpus servatum in ecclesia S. Justi donec ea versa est a Calvinistis

F

32 *Testantur Acta Sanctum sepultum fuisse in ecclesia septem Machabæorum. Hæc deinde collegiata* S. Justi *nomen gessit, multisque aliis Sanctis sepultura præbuit locum. Anno* 1287 *apertum est Sancti sepulcrum, visitataque reliquiæ, prout legitur in instrumento ejusdem anni, quod dedimus tom.* V *Junii pag.* 345 *in S. Irenæo. Corpus* S. Justi *remansit in eadem ecclesia, donec ea anno* 1562 *funditus eversa est, reliquiæque dissipatæ impio furore Calvinistarum, qui Lugdunum occupaverant. Habemus collectionem Actorum quæ de his conscripta sunt sub Carolo IX, impressam Lugduni anno* 1662, *in quibus describitur magnifica planè Sancti ecclesia cum omnibus ornamentis, qualis fuerat ante eversionem. In hisce pag.* 6 *de corpore* S. Justi *Gallicè hæc memorantur:* In hac etiam ecclesia post summum altare servabatur theca, in qua erat corpus S. Justi, imposita quatuor columnis marmoreis, quæ singulæ crassitiem habebant unius pedis, atque altitudinem decem pedum. Hæc theca erat ex alabastrite. *Ecclesia autem* S. Justi *erat in suburbio Lugdunensi, atque alia deinde ædificata est in ipsa urbe.*

reliquiæ paucæ hæreticorum furori subductæ.

F

33 *Dominicus de Colonia Societatis nostræ in Historia litteraria urbis Lugdunensis tom.* I *pag.* 135 *vult aliquid reliquiarum* S. Justi *subtractum esse sacrilegis hæreticorum manibus; nam hæc scribit:* Statua argentea pectore tenus efformata, quæ etiamnum in nova ecclesia conspicitur, monumentum est pietatis unius è canonicis, nomine Clementis de Belle-Croix. Illi inclusa est Sancti capitis pars, quæ ægrè subducta est furori hæreticorum, qui reliquum corporis combusserunt & dissiparunt. *Bailletus in* S. Justo *asserit, ostendi quasdam* S. Justi *Lugdunensis reliquias Parisiis in ecclesia S. Joannis de Gravia. Gelenius etiam in Colonia sua pag.* 547 *inter reliquias ecclesiæ S. Maximini Colonensis recenset de* S. Justo episcopo, *non addit tamen esse Lugdunensis. An plura alia hujus Sancti pignora aliis locis etiamnum ostendantur, mihi non constat. Miraculis Sanctum coruscâsse, generatim dictum est num.* 2; *at nulla uspiam singillatim conscripta reperio. Verùm S. Gregorius Turonensis in Vitis Patrum cap.* 8 *narrat, S. Nicetium cum* SS. Justo *& Eucherio apparuisse cuidam presbytero, eumque ob blasphema verba graviter corripuisse.*

VITA

A

VITA

auctore anonymo,

Ex codice 33 Reginæ Sueciæ.

Sancti diaconatus ac episcopatus præclarè administratus : occasio,

JUstus itaque Viennensis primùm diaconus *a*, posteà verò Lugdunensis ecclesiæ antistes sacratus est : quam tanta puritate, modestiâ, pietate, patientiâ per multos rexit annos, tantâ circa pauperes curâ, tantâ divinorum mandatorum observantiâ, ut etiàm magnificos atque præstantes illos Domini sacerdotes omni præiret gratia virtutum. Igitur cùm ita ingenti gloriæ suæ ac plebis profectu Domini ecclesiæ præsideret, usque ad expulsionem ejus frementis diaboli exarsit invidia. Nam quodam die in urbe

B eadem quidam per subitum mentis furorem cùm egressus in publicum obviàm ignaros ferro confodisset, ac, pro atrocitate rei excitato tumultu, hinc atque inde multitudine infesta premeretur ; eodem se, quo in scelere usus fuerat, telo tutatus, ad ecclesiam, recuperato paululùm sensu, refugit, obseratisque sacrarum ædium valvis, diu reverentiâ loci insanientis populi furorem removit. Sed cùm seditio procedens jam etiam divinæ domui ignem minaretur, supradictus Antistes necessitate compulsus, accepta à primore quodam sacramentorum fide, nihil huic periculi intentandum, in custodia tantùm, dum populo satisfieret, recipiendum, reum ab ecclesiæ clausstris dimisit. Quem exceptum multitudo, cui in tumultu nihil pensi est, pedibus illigatis tractum, ultimo mortis supplicio affecit.

quâ motus abscedit in eremum,

2 Tunc verò Vir ille Dei, sanctitate memorabilis, admissum facinus *b* adscripsit sibi, non suum crimen, tam severus ultor culpæ, ut putabat, suæ, quàm dissimulator alienæ. Etenim cùm fraus grassantis inimici suo sceleri ministram populi manum sibi suppositi, totum illud delictum beatissimus Justus in se retorsit : nam Justus ille, qui fuerat magnus sacerdotio, factus est major exilio. Itaque officium sacerdotale deserere, & peregrina, quò lateret, expetere decrevit. Nullus enim *c* (se adeo inopinantibus proripuit) vel itineri ejus comes egit, præter Viatorem, egregiæ indolis puerum, qui officium tunc in ecclesia Lectoris gerebat. Hic solus beatissimum Senem latêre cupientem vestigiis insecutus est ; ac jam inter Arelatem *d* atque Massiliam suprà litus maris posito, & navim conscendere parato superveniens, non sine admiratione ei se obtulit : receptoque * in solatium peregrinationis, heremum petens in Ægyptum navigavit.

tibi dignitatem suam abscondit, donec agnoscatur ab aliquo :

3 Ibi ergo Justus merito & nomine, cùm primùm illò advenit, jam inter Sanctos positus, diu se quis esset occultavit, ut suppresso nomine atque honore humilitatis summæ * exerceri posset, non jam clericis tantùm, verùm monachis quoque ac laïcis se inferiorem exhibens. Sed cùm multo jam tempore ita tectus delituisset, accidit aliquando, ut summo monachorum sanctorumque conventu à quodam illic fratre, qui ab his partibus subitò tunc peregrinus advenerat, agnosceretur : atque ad ejus genua provolutus est. Stupentibus cunctis, ac requirentibus, quid hoc esset, sanctum episcopum Justum * esse respondit. Quo facto, admirantes universi tantæ humilitatis Virum, culpantes ignorantiæ suæ præteritam præsumptionem, quòd Pontificis se nescientes præposuissent, veterem erga eum abusionem reverenti honore pœnitebant. Admonitus est tamen jam non absque sui reverentia ab illis virtute eminentibus Sanctis, non oportuisse, eum cum aliorum peccato mercedem suam quærere, neque cæterorum præsentium damno lucrum suæ abjectionis expetere. Unde non immeritò prophetico spiritu jam dudum dictum est : Delicta, quis intelliget *e* ?

A. ANONYMO.

* *in uno Ms.* Justinum

e

sancta ejus vita in eremo, & continuæ preces :

4 Ego autem ipse sanctum quemdam presbyterum, penè jam nonagenariam ætatem agentem, vidi, cujus mihi relatione hæc comperta sunt : nam in sermone ejus quasi sanctæ historiæ fides inerat. Referebat se in illis heremi partibus diu moratum fuisse, nec solùm vidisse beatissimi nominis Justum, sed etiam familiaritate ejus usum fuisse ; ac magnificum apparuisse inter illos, qui tunc in heremo revelationibus atque virtutibus tamquam magna luminaria refulgebant, sanctum Macharium, Pafnutium *f*, cæterosque, quorum sanctitatis fama per Orientem vigebat. Horum itaque particeps vitæ Justus noster, continuans noctes diebus orationibus & jejuniis, in conspectu Domini pervigil Lugdunensium aftabat assertor. Aderat quidem eorum conspectibus, sed utilitati precibus aderat ; neque illos reliquerat, ad quos utique semet intercessione referebat. Expetierat commoda fletibus loca, ut soli Domino vacans, quæ pro suis peteret, efficaciùs impetraret. Illic ergo, velut quondam Moyses, indefessas ad cælum manus tendens, oratione contra Amalech certabat. In illa remota specula, veluti in edito colle residens, operiebatur periculosum illum cum vetusto hoste conflictum. Hujus ad precem intentas semper habens manus Sapientia *g*, ac sic adversus diaboli bellum subsidia semper pugnæ suggerebat, precibus victoriam.

E

f

g

visitur à S. Antiocho, ac moriturus mortem prædicit S. Viatori :

5 Eodem verò tempore, quo ipse in heremo morabatur, sanctus Antiochus *h* tunc presbyter Lugdunensis, pio incitatus officio, usque ad visendum Episcopum suum pergere animo intendit, vir districtione præcipuus, & qui nunc * immeritò tempore interjecto ad idem pontificii culmen assumptus sit. Hic ergo cùm desiderio Antistitis tanti terras ac maria transmitteret, venerandi nominis Justus adventum ejus ita fertur prænuntiasse, ut etiam quibus diebus quæ accederet loca, non taceret, dicens : Carus noster Antiochus hodie illic moratur. Quod adeo manifestè probatum affirmatur, ut etiam die ipso, quo ad eundem venit, venturum esse prædixerit. Cetèrùm cùm aliquot annis in heremo angelis proximam vitam egisset, & dignus adesset finis tantis laboribus regnum spondens cælorum, atque illis jam extremis sanctæ commigrantis animæ flens & consternatus mente Viator adstaret, dicens : Cui me, Domine, relinquas ? respondisse dicitur, Nec * turbaretur, quasi destitutus solatio, quia breve * se illò quoque sequeretur. Quam utique prophetiam ac revelationem cito transitu sanctissimi juvenis constat fuisse completam.

h

* *lege* non

F

* *al.* ne

* brevi, *opinor,*

ossium translatio Lugdunum.

6 Sed in gloriâ ejus neque illam Lugdunensium gratiam tacitus præterierim, quòd in referendo sancto ejus corpusculo usque in Australem plagam venerabilium se civium cura porrexit :

A. ANONYMO. xit : & illa reverenda ſancti Senis oſſa à remotis terræ partibus cum alacritate & religione exhibuerunt, cum lacrymis & gaudio ſuſceperunt; atque laboraverunt, ut qui cum ipſis jam ſpiritu erat, cum ipſis etiam corpore eſſet.

ANNOTATA.

a *Nihil obſtare, quo minùs fuerit diaconus ſub Claudio epiſcopo Viennenſi, licèt hic interfuerit concilio Arelatenſi anno* 314, *probavi in Commentario num.* 23 *&* 24 *contra Tillemontium, Hermantium & Bailletum, qui S. Adonem Viennenſem hac de cauſa contradictionis arguebant.*

b *In codice noſtro additur hîc* attendens, *qua voce addita, phraſis elegantior hæc eſt*; admiſſum facinus attendens, adſcripſit ſibi non ſuum crimen *&c. Non quidèm videtur peccâſſe Sanctus, quia ob timorem gravis mali, & acceptâ priùs cautione debitâ, hominem illum tradiderat; ob eventum tamen eidem funeſtum videtur culpam timuiſſe, ubi non erat, quod bonarum mentium eſt.*

B

c *Phraſim hîc obſcuram per parentheſim juvandam cenſui. Habetur illa in uno tantùm Ms. Lugdunenſi; at prorſus neceſſaria eſt, ut ſenſus cohæreat.*

d *Arelate & Maſſilia urbes Provinciæ ſunt ſatis notæ, prior ad Rhodanum, altera ad Mediterraneum cum portu celebri, ex quo veriſimiliter Sanctus in Ægyptum navigavit.*

e *Non videntur ſancti anachoretæ in eo deliquiſſe, niſi* materialiter, *ut loquuntur theologi, cum ignorantia illos excuſaret. Verùm meritò confundebantur, quòd Virum tam dignum non habuiſſent alio loco, quàm aliquem, qui ſenex ſecularem vitam reliquiſſet. Non leguntur hæc in Vita ſequenti, uti nec ea, quæ ſequuntur.*

f *Non nominantur in alia Vita* Macarius & Paphnutius; *at Florus eoſdem nominavit, tamquam contemporaneos* S. Juſti. *Porrò varii fuerunt illius nominis Anachoretæ. Duo Macarii celebres contemporanei fuere S. Juſto, alter* Ægyptius *cognominatus, alter* Alexandrinus. *De priore actum eſt ad* 15 *Januarii; de altero ad* 2 *ejuſdem menſis. Tillemontius varios Paphnutios recenſuit tom.* 10 *in Paphnutio. Celebris inter illos & Sancto noſtro ſynchronus eſt Paphnutius cognomento* Bubalus, *quem laudat Caſſianus Collat.* 3 *cap.* 1. *Erat hic abbas in Scithi, in qua etiam eremo habitavit Macarius Ægyptius. Dicendum igitur* S. Juſtum *in Scithica ſolitudine habitaſſe; ſi convixit prædictis Sanctis, uti hæc Acta habent.*

C

g *Senſus minus eſt clarus, nec corrigi poteſt ex aliis exemplaribus, in quibus hæc non leguntur.*

h *Sanctus Antiochus colitur & Romano Martyrologio adſcriptus eſt* 15 *Octobris, ubi in ejus geſta inquiretur.*

D

VITA
PROLIXIOR
Ex Ms. S. Juſti Lugdunenſis,
collato cum Mss. Accinctino, Ultrajectino, Rubeæ-Vallis, & editione Surii.

Auctor probare conatur Sanctum eſſe martyrem, etiamſi pro Chriſto non occubuerit; a b

VItam beati Juſti epiſcopi Lugdunenſis admiratione *a* compellimur breviter exponere: qui Lugdunenſis urbis quondam ſacerdos, nunc eſt apud Chriſtum patronus; cujus cùm recolo inexpugnabilem in operibus fidem; præcipuum in victu rigorem; longinquam in ſolitudine commorationem; incunctanter *b* affirmo, hunc, non impletâ paſſione, impleſſe martyrium. Non enim martyrium ſola ſanguinis conſummat effuſio, nec ſola dat fidei palmam exuſtio illa * flammarum, aut contagio funeſta carnificum; contemptu quoque corporis, nec occaſu ſolo, ad coronam venitur; abſque injuria Sanctorum, qui in perſecutionibus ſunt defuncti, dicere liceat, carnem afflixiſſe, de mundo triumphaſſe, diabolum viciſſe, martyrium eſt *c*. Nam ut hæc ipsâ rerum comparatione altrinſecus conferamus; martyr vicit ſubitum tortoris ignem, beatiſſimus Juſtus vicit quotidianam corporis flammam. Martyr habet brevem cum perſecutore conflictum; hic habuit longum adverſus carnis vitia certamen. Ille in gentili * colluctatione, hic ſervavit in diabolica infeſtatione patientiam. Martyr pro Chriſto patitur, quia pati deſiderat *d*, & hic pati voluit. Ille abnegans idola Deum confitetur; hic, quò clariùs Chriſtum * confiteretur, ſeipſum negavit * ſibi. Poſtremò martyris certamen mors conſummat, dum ingeritur, hujus certamen auctum eſt, dum mors negatur. Apoſtolus ex * hoc loquitur & dicit: Mihi enim mundus crucifixus eſt, & ego mundo.

E

* *Ms. Accinct.* illata

c

* *al.* ingenti

d

* *al.* Chriſto

* *al.* abnegavit

* *Acc.* de

F

de nomine ejus & Viatoris ratiocinatur.

2 Ac primùm ut de nomine ejus pauca dicamus, uſitatum eſt in ſacris Litteris, ut nominum enunciatio, jam ſit annuntiatio futurorum. Hinc ergo & Juſtus hic noſter. Inſequentis vitæ gratiam jam inde ab incunabulis nomen expreſſit, dum inſtinctu divino præferens vim futuri accepit nominis vocabulum de teſtimonio meritorum. Unde etiam illud factum arbitror, ut ille ſanctus adoleſcens, tam itineris, quàm virtutis ſuæ particeps, futurus quandoque comes viæ ejus, nomen Viatoris acceperit *e*.

e

Sancta epiſcopatûs ad miniſtrationis occaſio.

3 Juſtus itaque Viennenſis primùm diaconus poſteà verò eccleſiæ Lugdunenſis antiſtes creatus eſt, quam tantâ puritate, modeſtiâ, pietate, patientiâ per multos rexit annos, tantâ pauperum curâ; tantâ divinorum mandatorum obſervantiâ, ut etiam magnificos atque præſtantes illos Domini ſacerdotes omni præiret gratiâ virtutum, ſed cùm ita * ingenti gloriæ ſuæ, ac plebis profectu, Domini Eccleſiæ præſideret, uſque ad expulſionem ejus, frementis diaboli exarſit invidia. Nam quadam die in urbe eâdem quidam

* *Acc.* tam

A quidam per ſubitum mentis furorem cùm egreſſus in publicum, obvios ignaroſque *f* ferro confodiſſet, ac pro atrocitate rei excitato tumultu, hinc atque inde multitudine infeſtâ premeretur; eodem ſe, quo in ſcelere uſus fuerat, telo tutatus, ad eccleſiam recuperato paululùm ſenſu refugit; obſeratiſque ſacratarum ædium valvis, diu reverentia loci inſanientis populi furorem removit. Sed cùm ſeditio procedens jam etiam divinæ domui ignem minaretur; ſupradictus Antiſtes neceſſitate compulſus, acceptâ à primore quodàm ſacramentorum * fide, nihil huic periculi intentandum; in cuſtodiâ tantùm, dum populo ſatis fieret, recipiendum; reum ab eccleſiæ clauſtris dimiſit: quem exceptum multitudo, cui in tumultu nihil penſi eſt, pedibus inligatis tractum, ultimo mortis ſupplicio affecit.

f

* *Surius* ſacramenti

4 Tum verò Vir ille Dei, ſanctitate memorabilis, admiſſum facinus adſcripſit ſibi, non ſuum crimen, tam ſeverus ultor culpæ, ut putabat, ſuæ, quàm diſſimulator alienæ. Etenim cùm fraus graſſantis inimici ſuo ſceleri miniſtram

quæ perſuaſit Sancto ſeceſſum ab epiſcopatu:

B populi manum ſuppoſuit; totum illud delictum beatiſſimus Juſtus in ſe retorſit; abſolvens omnes, non ignoſcens ſibi. Sed quid mirum, ſi Juſtus ſui accuſator eſt in primordio ſermonis, aut in judicio ſuæ diſceptationis. Quàm verecunda eſt ſanctitatis ac pietatis confeſſio! Cùm impudentia in alium ſoleat delictum ſuum vergere *, hic crimen extraneum quaſi proprium interpretatur. Peccavit plebs incondita, peccavit ſathanæ inſtinctu; Juſtus autem quid fecit? Cui, cùm in Domino confideret, dicebatur: Tranſmigra in montem ſicut paſſer. Tetenderat quidem antiquus ille peccator arcum nequitiæ ſuæ, ut in occultis immaculatum calliditatis ſuæ arte configeret, ſed quia manus Domini auxiliabatur ei, nihil profecit inimicus in eo; nam Juſtus ille, qui fuerat magnus ſacerdotio, factus eſt major exilio. Itaque officium ſacerdotale deſerere, & peregrina, quò lateret, expetere decrevit.

* *duo Mſs.* urgere

5 Reverſus autem ex quâdam Italiæ *g* ſynodo, ad quam fuerat evocatus; quod vix abſque lacrymis recolere quiſquam poteſt, non Lugdunum venit, ne obſtrictus totius amore plebis, liberam non haberet diſcedendi facultatem; ſed circa Turonem *h* reſidens, ſi qui charorum ad valedicendum illuc excurrere vellent, expectavit: ubi concurrentibus lacrymantium turbis, veritus ne etiam illic multitudine oppreſſus teneretur; clàm ſolus ac ſubitus abſceſſit. Nullus enim (adeò inopinantibus ſe proripuit;) vel itineri ejus comes adhæſit, præter Viatorem illum, quem ſuprà diximus, egregiæ indolis puerum, qui officium tunc in Eccleſiâ lectoris gerebat. Hic ſolus beatiſſimum Senem latere cupientem, veſtigiis inſecutus eſt. Ac jam inter Arelatem atque Maſſiliam, ſupra littus maris poſito, & navim conſcendere parato ſuperveniens, non ſine admiratione ejus, ſe obtulit. Receptoque puero in ſolatium peregrinationis, eremum petens, in Ægyptum navigavit, jactata omni in Domino cogitatione, ſoli adhærens animo illi, qui eſt ſpes omnium finium terræ, & in mari longè.

reverſus ex ſynodo clàm, uno comitante Viatore, in Ægyptum navigat:

g

h

C

6 Igitur cùm ad longinquam Ægyptum animum deſtinaſſet, à facie diabolicæ iræ, tamquam Elias alter à facie Jezabel reginæ, in deſerta ſeceſſit: ibi Ægyptiis alimoniam ſuggerentibus, dicam planè, & hunc per munus * Do-

in eremum delatus dignitatem ſuam occultat;

mini paſtum miniſterio ſumpſiſſe corvorum. Etenim quoties per manus peccatorum ſanctis victus infertur, toties ſuos Dominus, corvis cibum deferentibus, paſcit: quorum non immeritò iniqui ſumunt atrum illum de tenebris delictorum colorem; denique & peccatorum avaritia poſcentibus quid clamat ſemper, niſi cras, & cras? Unde & divina eloquia adverſus hujuſmodi hominem dicunt: Ne dicas vade, revertere; cras ego dabo, cùm poſſis continuò benefacere. Mirum proinde eſt, & in peccatoribus alentibus, ſicut & in corvis miniſtrantibus, ſi hodie ſe eorum largitas proferat, quorum avaritia niſi procraſtinare non novit *i*. Ibi ergo nomine Juſtus & merito, cùm primùm illò advenit, jam inter Sanctos poſitus, diu ſe quis eſſet occultavit; ut ſuppreſſo nomine, atque honore, humilitatis ſummæ exercere opus poſſet; non jam clericis tantùm, verùm monachis quoque ac laicis ſe inferiorem exhibens.

A. ANONYMO.

* *al.* manus

i

ſed agnoſcitur tandem per peregrinum: continua Sancti oratio:

7 Sed cùm multo jam tempore ita tectus delituiſſet, accidit aliquando, ut in ſummo monachorum ſanctorumque conventu, à quodam illic fratre, qui ab his partibus ſubitò tunc peregrinus advenerat, agnoſceretur; atque ad ejus genua provolutus; ſtupentibus cunctis ac requirentibus quid hoc eſſet; ſanctum epiſcopum Juſtum eſſe reſpondit. Quo facto admirantes univerſi tantæ humilitatis Virum, culpanteſque ignorantiæ ſuæ præteritam præſumptionem, quòd Pontificì ſe neſcii præpoſuiſſent; veterem erga eum abuſionem recenti honore penſabant *k*. Horum itaque particeps vitæ Juſtus noſter, continuans noctes ac dies oratione & jejuniis in conſpectu Domini pervigil Lugdunenſium adſtabat aſſertor. Aberat quidem eorum conſpectibus, ſed precibus aderat, neque illos reliquerat, ad quos utique ſemet interceſſione referebat. Expetierat accommodata fletibus loca, ut ſoli Deo vacans, quæ pro ipſis peteret, efficaciùs impetraret.

E

k

viſitur à S. Antiocho, cujus adventum prædicit:

8 Eodem verò tempore, quo ipſe in eremo morabatur, ſanctus Antiochus, tunc presbyter Lugdunenſis, pio incitatus officio, uſque ad videndum Epiſcopum ſuum peregrè * animo intendit, vir diſcutione * præcipuus, & qui non immeritò, tempore interjecto, ad ejuſdem pontificii culmen aſſumptus ſit. Hic ergo cùm deſiderio tanti Antiſtitis terras & maria tranſmitteret, prænuntiaſſe venerandi nominis Juſtus adventum ejus ita fertur, ut etiam, quibus diebus quæ accederet loca, non taceret, dicens: Charus noſter Antiochus hodie illic moratur. Quod adeò manifeſtè probatum affirmatur, ut etiam die ipſo, quo ad eundem venit, venturum eſſe prædixerit.

* *in Ultraj.* peregrè pergere

* *Accinct.* diſtinctione

F

pius Sancti obitus, & mors Viatori prædicta:

9 Cæterùm cùm aliquot annis in eremo angelis proximam egiſſet vitam, & dignus adeſſet finis tantis laboribus, regnum ſpondens cœlorum, atque illis jam extremis ſanctæ commigrantis animæ, flens & conſternatus mente Viator adſtaret, dicens: Cui me Domine relinquis? reſpondiſſe dicitur, ne conturbaretur quaſi deſtitutus ſolatio, quia brevi ſe illò quoque ipſe ſequeretur: quam utique prophetiam, ac revelationem cito tranſitu *l* ſanctiſſimi juvenis conſtat fuiſſe completam.

l

tranſlatio corporis.

10 Sed in gloriâ ejus neque illàm Lugdunenſium gratiam tacitus præterierim, quòd in referendo ſancto ejus corpuſculo, uſque in Auſtralem plagam venerabilium ſe civium cura porrexit, qui ſcrutati illas penè inacceſſas ardo-

ribus

A. ANONYMO.

ribus ſolitudines, & ab ipſo admodùm ſolis occaſu, propè in vicina ortui loca devotione currentes, totum penè orbem pietatis ſuæ teſtem fecerunt, quantùmque ſe abegerat verecundiſſimi Sacerdotis fuga, in tantùm ſe fidelium ſtudia tetenderunt. Scierunt quia fugerat, deſiderare; & imputare, quia deſeruerat, neſcierunt: neque enim ille deſeruerat deſpectione populi, ſed compunctione delicti. Approbaverunt ſe tam præclaro non indignos Antiſtite; cùm gratiæ ejus magnitudinem officii gloriâ *m* æquiparaverunt: in tanto egregii Sacerdotis exemplo, factum quoque fideliſſimæ plebis exhibitum eſt, quod non minùs mirum videretur *n*: illa reverenda ſancti Senis oſſa à remotis terræ partibus cum alacritate & religione exhibuerunt, cum lacrymis & gaudio ſuſceperunt: atque laboraverunt, ut qui jam cum ipſis ſpiritu erat, cum ipſis etiam corpore eſſet; in honore Domini noſtri Jeſu Chriſti, cui eſt poteſtas & gloria cum Patre & Spiritu ſancto in ſæculâ ſæculorum. Amen.

m

n

B

ANNOTATA.

a *In hac voce omnes codices diſſonant. Ultrajectinus habet* admiraturi, *codex Rubeæ Vallis* adjuratione: *Surius, mutato ſtylo*, cogimur adjurati vel breviter exponere.

b *Conſonant Mss. At audi Surium:* Eò ſanè adducor, ut incunctanter affirmare non dubitem, eum, licèt pro Chriſto martyrium non obierit, tamen complêſſe martyrium. *Nonne ex ſtylo ſic mutato pulcrè de ſtylo auctoris judicavit Tillemontius? Attamen ſimiles ſtyli mutationes ubique reperiet ſtudioſus lector, qui editionem Surii cum noſtra conferre voluerit. At operæ pretium non eſt eas mutationes hîc notare, niſi majoris ſint momenti.*

c *Hæc verba omnibus omnino ſanctis Confeſſoribus coronam martyrii attribuunt: omnes enim carnem afflixerunt, mundumque & diabolum vicerunt. Verùm martyr propriè eſt, qui pro Chriſto mortem oppetiit, aut ea paſſus eſt, quæ mortem inferre nata ſunt. Hoc poſteriori modo martyr eſt S. Joannes apoſtolus, quia ferventi oleo immiſſus.*

C

d *Id neceſſarium non eſt, nec ſemper verum. Sufficit ad martyrium, ſi malit pati, quàm peccato mortem effugere. Sanè Chriſtus ipſe Joan.* 21 *dixit S. Petro:* Amen, amen dico tibi: cùm eſſes junior, cingebas te, & ambulabas, ubi volebas: cùm autem ſenueris, extendes manus tuas, & alius te cinget & ducet, QUÒ TU NON VIS. Hoc autem dixit, ſignificans, quâ morte clarificaturus eſſet Deum. *Ductus eſt Petrus ad mortem, quò non volebat: martyr tamen eſt jure optimo.*

e *Hæc omnia abſunt à priore Vita, ſeu quòd reſecta ſint tamquam inutilia, ſeu (quod magis credo) quia non ſunt primi Vitæ ſcriptoris, ſed alterius, qui Vitam primam hiſce aliiſque ornandam, aut potiùs onerandam, cenſuit.*

f *In Ms. Accinctino* obvium ignarumque, *in Ultrajectino* obvios ignaros.

g *Sicuti ratiocinationes præcedentes abſunt à priore Vita, ita etiam acceſſus ille ad ſynodum, quam Aquileienſem paſſim interpretantur neoterici. Fuit revera in ſynodo Aquileienſi* S. Juſtus, *ut dictum eſt in Commentario num.* 26; *ideoque & ſeceſſus certò contigit poſt ſynodum. Verùm non æquè certa ſunt, quæ hîc dicuntur; videlicet homicidium illud furioſi, quod modò relatum eſt, contigiſſe ante ſynodum. Quin imò probabilius apparet, omnia facta eſſe poſt ſynodum; & Sanctum, qui irregularitatem quamdam ſibi attribuiſſe videtur, ſtatim ab officio epiſcopali abſtinuiſſe, ubi hominem, quem tradiderat, occiſum intellexit. Vide Comm. num.* 27.

D

h Turnonem *habent quinque codices, & duo alii voce paululùm luxata eamdem indicant urbem; nam Ultrajectinus habet* Turonem *omiſſâ litterâ unâ, alter* Tornonem *unâ ſolùm mutatâ. Surius tamen edit* Torrontem *mendosè, opinor; cùm codices omnes* Turnonem *indicent. Porrò de hoc loco Valeſius in Notitia Galliarum pag.* 569 *ſic ſcribit:* Turno (Tournon) locus eſt poſitus ad ripam Rhodani dextram è regione Tegnæ (Tin) nunc celeberrimus, & comitivæ titulo ac ſcholis ſuis, & multitudine habitatorum inſignis: qui in litteris Caroli regis, filii Lotharii auguſti, " CASTRUM TORNO, ſitum „ in pago Lugdunenſi juxta fluvium Rhoda„ num „ dicitur; in litteris Lotharii regis, Caroli ejus fratris, VILLA TURNO. Recentiores TURNONIUM mendosè appellant. *Nullum autem videtur dubium, quin locus hic aſſignetur in Mss. At hinc colligo, interpolationem eſſe factam ſeculo* IX *aut ſeriùs: nulla enim antiquiora hujus oppidi monumenta habemus, uti teſtantur eruditi Benedictini, qui Hiſtoriam Occitaniæ nuper ediderunt, tom.* 3 *pag.* 365. *Nullus quoque ſeculi* IX *martyrologus de concilio meminit, quod ſignum eſt, nihil tunc de eo in Actis fuiſſe. Ex hac obſervatione confirmantur mox dicta de abſceſſu Sancti, non interpoſita ſynodo, ſed ſtatim poſt homicidium furioſi.*

E

i *Quæ toto hoc numero huc uſque leguntur, uti abſunt à Vita præcedenti, ita interpolatoris eſſe videntur. Sanè non video hîc tantam elegantiam tantamque gravitatem ac majeſtatem, quantam in hac Vita ſe reperiſſe dicit Tillemontius, ſed frigidas ineptaſque magis comparationes garruli declamatoris. Vidit hoc etiam Surius, qui partem ex hiſce omiſit.*

F

k *Hîc alter aſſerit, ſe geſta illa didiciſſe ab oculato teſte nonagenario. At interpolator id verè dicere non poterat, ac ne veriſimiliter quidem, cùm multo videatur junior; ideoque id totum omiſit.*

l *Petrus de Natalibus lib.* 9 *cap.* 90 *ait S. Viatorem obiiſſe* poſt dies ſeptem *à Magiſtro ſancto, ſeu* XII Kal. Novemb. *Poterunt hæc examinari ad* XXI *Octobris, quo S. Viator Martyrologio Romano eſt adſcriptus.*

m *In Ultrajectino*, cùm gratiæ ejus magnitudini officii gloriam æquiparaverunt.

n *In hac tranſlationis relatione, quæ multo brevior eſt in prima Vita, interpolator quoque agnoſci poteſt, uti in omnibus, quæ primæ Vitæ ſunt adjecta.*

DE

DE S. JUSTO SIVE JUSTINO EPISC.

ARGENTORATI IN ALSATIA.

Ætas, elogia, incerta de Sancto narrantur, cultus. J. P.

Sec. IV. *Argentoratenſis hic epiſcopus*

ARgentoratum, *quæ & Argentina dicitur, multis laudatur in ultima editione Galliæ Chriſtiana tomo 5, pag. 775, occaſione epiſcoporum ejuſdem urbis, archiepiſcopo Moguntino ſuffraganea. Pauca hæc è pluribus accipe:* Argentoratum Ptolemæo, & Argentoratus Ammiano Marcellino " barbaricis cladibus nota civitas, „ inquit, in Germania prima „ ob inſignem victoriam ab Alamannis in eadem à Juliano Cæſare ſub Conſtantio Auguſto reportatam (*Vide Ammianum lib. 16, cap. 12*) Italis Argentina dicitur; Strasburgum * verò Gregorio Turonice lib. IX Hiſt. cap. 36, & lib. X cap. 19; quaſi diceres burgum ſive urbem in ſtrata publica poſitam: & ſanè ibi quinque erant viæ, ſeu ſtratæ militares, aut publicæ, ut ait Hadrianus Valeſius in Notitia Galliarum.. Urbs eſt ampliſſima .. in Germania ſuperiori, ad fluvium Hellenum *, in quem paulo ſuprà Bruſchius * cadit, & nomen perdit, nec longè à Rheno, qui ibi jungitur ponte ligneo. Inſignis in ea floret academia, anno MDXXXVIII excitata. Totius Alſatiæ præcipua eſt civitas, ſed in inferiori ſedet.. inter Baſileam ad Auſtrum, & Spiram ad Septentrionem. *Deinde ſcribitur de primis fidei in Alſatia ſatoribus, eccleſiis Argentinenſibus, & à pag. 776 de regularibus variorum Ordinum familiis tam in ipſa civitate quàm in diœceſi. Utrique præfuit ac profuit* S. Juſtus *ſive* Juſtinus *epiſcopus.*

B

* Stratæburgum *in editione Ruinartii*

* l'Ill

* la Breuſche

probatur

2 *Editores laudatæ novæ Galliæ Chriſtianæ ſecundo loco* Juſtum *ſive* Juſtinum *præſediſſe Argentoratenſi cathedræ memorantes*, Obſervandum *monent*, ante Henſchenium communem fuiſſe ſcriptorum omnium ſententiam, S. Amandum, primum Argentoratenſem epiſcopum, eumdem eſſe cum Trajectenſi, qui ſeptimo floruit ſeculo. Ea itaque in ſententia optimè ſubjici poterant Juſtus & Maximinus S. Amando; at cùm nunc liquidò conſtet, primum Argentinenſem epiſcopum quarto vixiſſe ſeculo, removendi ab ipſo videntur Juſtus & Maximinus, & Anſoaldo adjungendi, ac immediatè præponendi. Teſtes hujus opinionis, quæ Juſtum atque Maximinum Argentinenſes epiſcopos Gregorianis in Alſatia monachis accenſet, ſunt Herzochius Chronol. lib. 4, Munſterus Coſmogr. Germanicæ lib. 3 cap. 159, Bucelinus; quod etiam ex veteribus Annalibus, ſeu Chronicis monaſterii comprobatur: juxta quæ haud dubiè laudati ſcriptores in hanc ivere ſententiam; ſed in multis fallunt hi Annales, & ſæpe ab erudito viro D. Auguſtino Calmet emendantur. Unde à receptis apud Henſchenium & Sammarthanos catalogis minimè recedendum putamus.

C

vixiſſe ſeculo IV *:*

3 Præterea Juſtinus iſte poteſt eſſe Juſtinianus, qui ſubſcripſit concilio Sardicenſi anno CCCXLVII inter præſules Gallicanos: in ſubſcriptionibus enim legitur AMANDUS AB ARGENTORATO .... JUSTINIANUS AB ARGENTORATO, qui poſt concilium Sardicenſe potuit ſubſcribere, mortuo Amando ſucceſſor datus. *Hæc ibi: quæ conducunt ad duos Amandos ſynonymos præſules diſtinguendos, figendumque* Juſtini, *qui Amando Argentinenſi epiſcopo ſucceſſit, tempus. Sed audiamus ipſiuſmet Henſchenii verba tomo 1 Februarii, die VI in Amando epiſcopo Trajectenſi: quem dum oſtendiſſet perperam confuſum eſſe cum Argentoratenſi, ſic concludit pag. 829:* Amandus ergo, qui primus epiſcopus Argentoratenſis habetur, vixit ſeculo Chriſti quarto. atque, ut diximus, interfuit anno CCCXLVI ſynodo Agrippinenſi. Secuti illum in eadem ſede epiſcopi, II Juſtus ſive Juſtinus, III Maximinus, IV Valentinus: quos " Sanctos adpellari „ pingique cum diadematibus, & credi inter Di„ vos receptos eſſe „ tradunt Wymphelingus & Guillimannus. *Sequuntur ibidem alii ejuſdem cathedræ præſules apud Henſchenium. Wymphelingus, quem citabat, videri poteſt in Catalogo Argentinenſium epiſcoporum, anno 1508 Argentorati edito, in Valentino; & Guillimanni Commentarius de eiſdem epp. pag. 87. Ordo autem iſte primorum quatuor epiſcoporum confirmatur ex Erckenbaldo, de quo infrà.*

E

elogia è

4 *Idem Wymphelingus in* Juſto *ita eum laudat:* Juſtus doctus fuit in ſacris Litteris: fecit enim explanationem in Cantica canticorum: cujus exemplar in monaſterio Canonicorum Regularium in Drutenhuſen invenitur. *Super hoc cœnobio prædicti Galliæ Chriſtianæ editores, de monaſteriis tractantes, quæ ſunt in diœceſi Argentoratenſi, hæc obſervant pag. 777:* Collegium Canonicorum Regul. S. Auguſtini in Truttenhuſen nunc poſſident acatholici nobiles de Landſperg. *Explanationem vero illam in Cantica canticorum ſuſpicor eſſe Juſti Urgellenſis in Hiſpania epiſcopi. Erckenbaldus, epiſcopus Argentinenſis in Carmine de anteceſſoribus ſuis in epiſcopatu, quod unà cum Æneæ Silvii Hiſtoria rerum Friderici III imperatoris, aliiſque Operibus in unum volumen congeſtis prodiit Argentorati anno 1685, hæc cecinit pag. 120 de noſtro Præſule, ordinem inſuper primorum epiſcoporum confirmans:*

F

Alpha nitet dignus pater hujus ſedis Amandus,
Juſtus juſtitiæ pòſt additur aſſecla ſummæ:
Hinc Maximinus baculatur in ordine tritus *:
Et Valentinus paſtori tunc benedictus.

* *i. e.* tertius, *à Græco* τρίτος

De Erckenbaldo ſcribunt iidem, quos ſuprà indicabam, Galliæ Chriſtianæ editores columnâ 789, ubi vitam clauſiſſe refertur an. CMXCI, VI Idus Octobris.

varia de ipſo dicuntur, quæ probatione indigent:

5 *Wymphelingus nihil notavit de anno mortis* S. Juſti; *quem aliundè etiam nondùm didici.* Sedit, *uti vult*, annis duobus. *Ghinius illum annuntiat hac die 2 Septembris in Natalibus ſanctorum Canonicorum:* Argentinori, *inquit*, S. Juſti epiſcopi, ſexti ejuſdem civitatis, qui

AUCTORE J. P. præfuit ibidem ſacerdos & pontifex & virtutum opifex ferè annis duobus. Scripſit Commentaria in Cantica canticorum, & quievit in Chriſto anno Redemptionis DCLXXXI, *qui corrigendus eſt ex jam dictis, uti & quòd fuerit præſul ordine* ſextus. *De* Commentariis *iſtis indicavi meam mentem. Quo autem fundamento compareat inter Canonicos, non ſatis intelligo. Cur denique hoc die eum memoret, non novi. Eodem autem hîc datur, ut aliquo detur in Opere noſtro, cùm videatur ſatis conſtare de publico & antiquo ipſius cultu, dieſque neſciatur, quo coli debeat. Nunc probemus publicam ejus venerationem.*

antiquus cultus.

6 *Tomo* I *Februarii pag.* 828 *refert Henſchenius, auctorem Vitæ S. Deicoli, Lutrenſis in Burgundia abbatis, quam* XVIII *Januarii ex Lutrenſibus membranis edidimus, de S. Amando, aliiſque urbis Argentoratenſis patronis, circa annum* 965 *hæc ſcripſiſſe cap.* I : Civitas Argentina.., quæ vulgarico vocabulo Strazburch vocatur.., exceptis Reliquiis principalibus, proprios ſe gaudet poſſidere Patronos, quos à Domino ſuſcepit veræ fidei fundatores, & divini verbi prodigos ſeminatores, id eſt, Amandum, Juſtinum, Arbogaſtum, Florentium, & alios nonnullos, quorum nomina in beati ordinis albo ſuperna illa regio ſine fine tenet caraxata *, *id eſt,* ſcripta. *In Annotatis ad modò indicatum caput coli dicitur* S. Amandus *Argentorati die* XV *Novembris; in veteri autem Breviario eccleſiæ Argentinenſis conſignari* XXVI *Octobris, aſſeritur in memorata jam ſæpe Galliæ Chriſtiana in S. Amando Argentoratenſi epiſcopo. S. Arbogaſtus habetur apud nos ad* XXI *Julii. Florentius eſt in Martyrologio Romano* VII *Novembris. His adde, quæ ex Wymphelingo & Guillimanno dicta ſunt de cultu Sancti, quem damus hac die.*

* *rectiùs* charaxata

DE SANCTO ELPIDIO ABBATE

PATRONO OPPIDI S. ELPIDII

IN PICENO.

J. S.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§ I. Oppidum S. Elpidii, ubi ſervatum Sancti corpus : cultus ejus & memoria in Faſtis ſacris,

SEC. V ANTE CDXX. *Oppidum S. Elpidii in Piceno, ubi corpus*

C *Picenum, nunc Marchia Anconitana paſſim dictum, provincia Italiæ eſt ad mare Adriaticum ſe extendens, quæ inter civitates ſuas habet Firmum urbem, archiepiſcopali dignitate ornatam. In diœceſi Firmana inter Firmum & Ædem B. Mariæ Lauretanam locus eſt, qui à* S. Elpidio *nominatur* Oppidum S. Elpidii, *vel* S. Elpidius, *vulgò* ſanto Elpidio. *In eccleſiâ collegiata hujus oppidi magna veneratione ſervatur corpus* S. Elpidii, *illudque ſeculo* XVI *viſitatum, ac poſtea tranſlatum fuit, uti infrà narrabimus. Corpus illud ibidem vidit P. Joachimus Papebrochius Societatis noſtræ, dum pœnitentiarius erat Laureti, de eoque ad fratrem ſuum Papebrochium noſtrum* XXII *Auguſti anni* 1683 *ſcripſit in hunc modum :.* Cùm hiſce diebus P. Germanus Firmum deberet excurrere, eidem me ſocium adjunxi. Ea occaſione tranſeuntes oppidum S. Elpidii., perhumaniter excepti ſumus ab illuſtriſſimo domino comite Aſclepi, qui ſuſcepto ſacerdotio ad illud oppidum ſe recepit, à ſecularibus converſationibus ſe abſtinens. Hic, dum nos reduces exſpectaret, egit cum canonicis ac magiſtratu, ut nobis redeuntibus corpus S. Elpidii abbatis oſtenderetur.

Sancti honorificè ſervatum in eccleſia collegiata,

2 Honorificè ſervatur infra ſummum altare, & quatuor diverſis clavibus obſèratur; quarum duas reſervant bini è magiſtratu, & duas alias canonici duo. Hi, ut primùm intellexerunt nos ad dictum illuſtriſſimum dominum rediviſſe, ad templum ſeſe contulerunt, ibidemque nos cum dicto domino exſpectarunt. Advenientibus autem nobis, ſolitum ſignum campanâ datum fuit, quod dari ſolet, quoties ſacræ illæ reliquiæ publicè oſtenduntur. Tum accenſis octo facibus è cera alba, altare reſerarunt, nobiſque copiam fecerunt omnia oſſa cum otio videndi. Deinde oſtenderunt nobis particulares lectiones, quas habent in Officio ejuſdem Sancti, obtuleruntque illas exſcribere. Sed illuſtriſſimus dominus reſpondit feſtinatione opus non eſſe, & priùs diligenter examinanda omnia; ac imprimis, quomodo Sancti illius corpus in Picenum tranſlatum fuerit, de quo in lectionibus nulla habetur mentio, ſed quòd in Cappadocia ultimum diem clauſerit. Recepit dictus illuſtriſſimus dominus in ſe curam illam, &, ſi quid certò invenerit, ad me Lauretum tranſmittet. *Hinc intelligere poſſumus, incognitum eſſe canonicis* S. Elpidii, *quomodo aut quando ſacrum Patroni ſui corpus acceperint.*

intra ſummum altare, & cum eo ſervori dicuntur duo alia corpora,

3 *Steterunt promiſſis Elpidiani, certè prout judicarunt expedire : nam non longo pòſt tempore P. Dominicus Pierantonius Societatis noſtræ tranſmiſit collectionem ſatis amplam de Vita, cultu, & miraculis* S. Elpidii, *quam Italicè conſcripſit dominus Natalis Medaglia, ac Vitam* S. Elpidii *nominavit, prout revera vocari poteſt. Porrò geſta Sancti non ſine erroribus collegit ſcriptor ille, licèt alioquin non parvâ uſus videatur diligentiâ. Quod verò ſpectat ad cultum & miracula, minùs errori fuit obnoxius, cùm iis & loco & tempore eſſet propinquior ; ideoque illa omnia*

A *omnia ex Italico Latina faciam. De corpore habet, ſervari illud in prægrandi arca marmorea, ſeu intra ſummam eccleſiæ collegiatæ aram, quæ marmorea eſt. Ibidem quoque haberi dicit corpora Æneſii & Euſtatii, de quibus agemus, cum examinabimus* S. Elpidii *geſta. Porrò laudatus Medaglia non exponit, quomodo aut quando in Picenum hæc corpora fuerint tranſlata, ſed conatur probare* S. Elpidium *cum ſociis ibidem obiiſſe. Verum, ſi* Elpidius, *cujus corpus poſſident Elpidiani, revera defunctus eſt in Piceno, alius eſt ab* Elpidio *abbate, cujus geſta perſtrinxit Palladius, uti deinde clarè oſtendam.*

quæ viſitata anno 1512; donata tunc aliqua particula caſtello Morico:

4 *Audiamus interim, quid de viſitatione corporis narret Medaglia:* Prædicta Mss. (*quæ in relatione geſtorum antiqua vocat, at quæ non admodùm antiqua ſunt, ut patet ex ſequentibus*) conformiter deinde teſtantur, anno MDXII apertam eſſe prima vice memoratam arcam, ac viſa fuiſſe intregra tria dicta corpora; magna verò concurrentium pietate ſeparata eſſe, atque impoſita omnia alteri thecæ admodùm eleganti, claviſque probè munitæ, quæ poſita fuit in memorata arca marmorea: nihil autem de dicto

B corpore ablatum, niſi unam particulam ex oſſe manûs cum exiguo fruſto panni relicti, dum ſepultus eſt dictus Sanctus: quæ cùm Elpidiani donaſſent Morico Firmanæ diœceſis caſtello, illi ea incluſerunt brachio ex orichalcho inaurato cum manu argentea, magnaque ab illo populo in veneratione habetur. *Caſtellum* Moricum *item eſt in diœceſi Firmana, ac vulgò dicitur* S. Elpidio Morico, *uti invenio in relatione quadam Ms., olim huc miſſa de Sanctis diœceſis Firmanæ. Hac relatio item meminit de reliquiis* S. Elpidii *in caſtello Morico ſervatis.*

tranſlata eadem anno 1676:

5 *Corporum tranſlationem laudatus collector memorat hoc modo:* Corporis demum tranſlatio facta eſt ab illuſtriſſimo ac reverendiſſimo (*Jannotto*) Gualterio archiepiſcopo & principe Firmano die VIII Maii, anno MDCLXXVI, compoſito accommodatoque ſacro hoc corpore cum duobus aliis ſuprà dictis in una theca tota deaurata, quæ exornata eſt lucidiſſimo cryſtallo ex parte ſuperiori & anteriori, ac deinde inſerta eidem memoratæ arcæ marmoreæ, poſteaque portata in longo ſupplicantium agmine per totum oppidum maxima cum pietate. Ante arcam compoſita eſt feneſtra, & clathri inaurati interiùs. Foris in medio eſt porta ferrea, quatuor occluſa ſeris eò modo, ut in feſtivitate Sancti aperiantur dictæ portæ in conſpectu populi, qui annis ſingulis reliquias magna devotione veneratur.

C

feſtivitas Sancti 2 Septembris: duæ aliæ olim celebratæ,

6 Feſtivitas hujus ſancti Abbatis celebratur die 2 Septembris, quo obiit. A ſummo Pontifice Urbano VIII uſque in hodiernum diem ſuſpenſa ſunt duo alia feſta, quæ ad honorem ſancti Protectoris celebrabantur. Alterum eorum ad memoriam adventûs ipſius in Cluello XXIV Novembris agebatur feſtum; alterum VIII Maii propter prodigioſam apparitionem Sancti in forma equitis, qui vexillum manu tenens liberavit patriam ſuam invaſione Longobardorum & Saracenorum, qui in provincia Marchiæ Anconitanæ nullum præteribant locum damno non illato, quod ipſa exeidio ſuo probavit Ancona. Omnia hæc reperiuntur in tabulario Terræ S. Elpidii in antiquis manuſcriptis. Sacerdotes tam ſeculares quàm regulares & moniales Terræ S. Elpidii recitant Officium proprium Sancti cum octava, quod approbavit Gregorius XIII Papa XXVIII Septembris, anno MDLXXX, pontificatus ſui VIII. *Hactenus Medaglia de cultu* S. Elpidii, *addens multa alia veroſimiliter ſcripta fuiſſe, quæ exciderunt vaſtationibus hoſtilibus & temporum injuriâ.*

menſe Maio & Novembri, in quibus ſtibant

7 *Quod verò dixit de duabus Sancti feſtivitatibus olim celebrari ſolitis menſe Maio & Novembri, præter præcipuam, quæ agitur 2 Septembris, aliunde confirmatur. P. Antonius Maria Manfredi Societatis noſtræ pœnitentiarius Laureti anno 1699 huc miſit excerpta quædam ex Statutis Elpidianis, anno 1571 Macerata impreſſis. in quibus lib. 1 pag. 2 ſub titulo.* De veneratione feſti S. Elpidii *ſic legi teſtatur:* Dignum ac juſtum eſſe cenſemus (præcipuè cunctis Elpidianis) honorem & omnimodam reverentiam exhibere glorioſo ac beato Elpidio, advocato noſtro, protectori & defenſori; qui præ ceteris aliis ſua pietate & miſericordiâ ac interceſſione apud Deum Patrem omnipotentem, terram noſtram Elpidianam, ejuſque cives, incolas & habitatores ab omnibus periculis conſervare conſuevit. Idcirco ſolitam & vetuſtiſſimam conſuetudinem approbantes, ſtatuimus & ordinamus, quòd Mag. DD. Priores unà cum omnibus officialibus ſalariatis* *, conſiliariis, & toto populo in feſtivitatibus ſancti Elpidii de menſe Maii & Novembris teneantur & debeant congregari in aula magna palatii communis dictæ Terræ, & inde aſportare & aſportari facere expenſis communis *, candelas cereas magnas & parvas accenſas, ut moris eſt, ad eccleſiam ſancti Elpidii, & offerre altari in manibus ſacerdotum.

E

* *i. e.* quibus datur ſtipendium

* *i. e.* communitatis

variæ oblationes.

8 Quæ oblatio fieri debeat in Veſperis ante feſtum prædictum, & de mane in celebratione Miſſarum, præcedente tamen ante Mag. DD. Poteſtatem & Priores pallio ſerico dicti communis in memoriam antiquiſſimæ obſervationis. Et dominus Poteſtas teneatur ſuis ſumptibus emere, & portare ſeu portari facere, unum cereum ponderis duarum librarum ad dictam eccleſiam, & ſimiliter medicus; cancellarius verò & alii officiales ſalariati unius libræ, & offerre, ut ſuprà, ſub pœna contrà facientibus quinque librarum denariorum, de eorum ſalario retinendarum. Et pro majori veneratione dictæ feſtivitatis ordinamus, quòd perpetuis futuris temporibus de menſe Maii noſtrum commune teneatur & debeat annuatim creare unum Conneſtabilem, & capitaneos contratarum & bubulcorum & aliarum artium & ſocietatum, & facere armatam & monſtram more ſolito & conſuetо, præhabitâ tamen priùs licentiâ à rever. D. Rectore, pro tempore in provincia exiſtente, & ſecundum qualitatem temporum, prout concilio generali dictæ Terræ videbitur & placebit, & ejus feſtum cuſtodiatur & cuſtodiri debeat a Veſperis diei præcedentis ab omnibus & ſingulis terrigenis, incolis & habitatoribus dictæ Terræ & ejus diſtrictûs ſub pœna quadraginta ſolidorum pro quolibet & vice qualiber. *Non modo hinc intelligimus memoratas feſtivitates fuiſſe apud Elpidianos, ſed etiam, quanto ſtudio illas celebres facere ſint conati. Voces barbaræ, quibus officia magiſtratuum deſignantur, facile intelligentur ab Italis præſertim, qualeſ ſunt* Poteſtas, Priores, Officiales ſalariati, Conneſtabilis. *Vox* Capitanei *hic præfectos deſignat minores,* Contratæ *verò, Italis* contrada, *varios oppidi & territorii vicos, quibus ſingulis aliquis è populo erat præficiendus,*

F

AUCTORE J. S.

ficiendus ; ſicuti alii eligendi erant artium ſingularum præfecti. Facere armatam & monſtram, *eſt colligere aliquot armis inſtructos, luſtrare ac recenſere.*

Linteum, cui corpus involutum fuerat, ſeorſum ſervatum.

9 *Martyrologos necdum adduco, quia illi quidem annuntiant* S. Elpidium *abbatem ; ſed eorum aliqui dubitare videntur, an* Elpidius, *cùjus corpus habetur in Piceno, idem ſit cum illo ſancto Abbate, cujus geſta deinde referemus ex Palladio. Hoc dubium priuſquam examinem, recenſere placet miracula plurima, quæ facta narrantur apud Elpidianos in Piceno, ut omnia conjungantur, quæ certè ſpectant ad* S. Elpidium *in Piceno cultum. Medaglia ante laudatus, antequam miracula referre aggrediturus, prævidè obſervat, oſſa ſacra, dum luſtrata ſunt ab illuſtriſſimo Fanotto Gualterio, inventa fuiſſe mappâ ſeu linteo antiquiſſimo involuta, illudque linteum deinde extra thecam, quâ oſſa continentur, ſeorſum ſervatum, ut ægris applicari poſſet. Hoc autem linteum multis ſalutare fuiſſe, docent beneficia plurima, quæ ex Italico Latinè exponam, pronè ea recenſuit Medaglia iis contemporaneus, & vicinus.*

B

§ II. Beneficia & miracula impetrata Sancti interceſſione & reliquiis.

Tactis Sancti reliquiis ; ſanatur puella brachio capta,
** i. e.* os cubiti

IPſo tranſlationis anno & die ; VIII Maii, glorioſo triumphis Sancto devotorum, cùm illuſtriſſimus, antiſtes ſumeret ex theca jam dicta radium * majorem unius brachii ante altare, acceſſit ad eum puella, nomine Martha, filia Antonii Sianella ex Terra S. Elpidii, à multis annis capta brachio dextero, quod ſuſtentaverat gravis inſtar trunci ſine motu ; & ſupplicavit illuſtriſſimo domino, ut ſibi liceret oſculari reliquias, quas tenebat dexterâ, velletque deinde eas inutili brachio ſuo admovere. Poſt uſum brevem orationem, ſacrum illud os admovit loco affecto puellæ ; & extemplo illa ſenſit nativum vigorem redire ad iſtam partem, ſubitóque, videntibus omnibus, cœpit movere brachium iſtud, quod tot annis mortuum geſtaverat ; atque hoc tempore multorum filiorum eſt mater.

C

puer mortuus reſuſcitatur ejus interceſſione ;

11 Eodem die, quo prodigioſæ reliquiæ in theca argentea, comitante ſupplicantium agmine ipſoque domino archiepiſcopo ſuprà dicto, portabantur per totam Terram, voluit adhuc Deus illarum effectum palàm oſtendere in Franciſco filio unico Nicolai Sciavone & Margaritæ matris ſuæ, qui tertium ætatis annum agebat. Hic febribus & vermibus ad vitæ mortiſque confinium adductus, magna fide Sancto commendatus eſt à matre. Tranſiit infans ab hac vita ad alteram, & jam paratum erat ſolita cum veſte candida ſepulcrum ; quando Margarita, concepta majori fiducia illum recipiendi vivum, proſtravit ſe humi coram reliquiis cum ſingultibus & lacrymis. Vix abſolverat mulier preces ſuas affectibus & lacrymis plenas, cùm vegetari incipiunt membra cadaveroſa, deinde cernitur ſe movere Franciſcus, & adſtantes obſtupeſcunt prodigio. Vident oculos ei aperiri, eumque balbutiendo dicere : Vivo, & vivo per gratiam Sancti. Divulgatur per totam Terram fama certa ſingularis hujus gratiæ, impetratæ in die tantæ lætitiæ, multorumque aliorum ſingularium beneficiorum, quæ Sanctus quotidie impertiebatur ſibi devotis, quæ prætermitto, quia non fuerunt ſcripto conſignata.

D

linteo, quo oſſa fuerant involuta, febri liberatur puer.

12 Die VII Auguſti ex maligna febri morituris videbatur Joannes Maria, filius unicus Eleonoræ Sinibaldi, natus annos decem aut undecim in dicto loco. Mater, adhibitis ei omnibus remediis, Sancto ipſum commendavit, curavitque afferri ſibi ſanctum linteum ; quod febricitanti filio vix applicatum, integram eidem ſanitatem reſtituit.

puella ;

13 Jacebat maligna febri oppreſſa anno MDCLXXXI Flora, filia Franciſci Roſſi Elpidienſis. Cùm autem vehementiâ mali deliraret ; mater ipſius effecit, ut deploratæ filiæ ſuæ oſculandum traderetur linteum. Et vix febricitanti ac deliranti erat porrectum, & bis deinde in ſignum veri obſequii labris ipſius admotum ; cùm ſubitò priſtinam ſanitatem integramque recuperavit.

vir, mulier,

14 Dominus Andreas Carlucci ſimiliter Elpidienſis eodem die & anno cùm continua ac maligna febri laboraret, atque ad extrema eſſet adductus, amiſſo jam ſenſu, impoſuerunt capiti E ejus ſanctum linteum, atque omnes adſtantes preces ſuas perſolverunt. Finita oratione, moribundus, obſtupeſcentibus omnibus, ſenſum recepit, atque intrà paucos dies perfectam ſanitatem.

Similis gratia obtigit Franciſcæ Sinibaldi ſeu Roberti die IX Decembris eiuſdem anni. Atque hìc obſervandum eſt, tot vicibus in hoc territorio malignas febres fuiſſe depulſas ſolo tactu ſancti lintei, ut jam videatur res ordinaria & gratia continua, quam Deus illius cauſâ huic populo concedit.

uti & alii duo.

15 Non minùs mirabile fuit, quod die X Julii anni ſequentis accidit Magdalenæ, uxori Joſephi Ciminella ejuſdem loci. Languebat hæc ſimili malo, atque à medico erat derelicta. Tandem, ubi dominus Franciſcus Fani oſculandum ei præbuiſſet prædictum linteum, unico momento ſaluti eſt reſtituta. Cùm autem numquam deſinat divina miſericordia exaltare Sanctos ſuos, ſuprà dictus ſacerdos idem mox portavit ad Hippolytam cognatam ſuam infirmam, ejuſdemque ſubitò obtinuit ſanitatem.

F

Presbyter abſciſſâ furtim lintei particulâ duas ſanat neptes ſuas ;

16 Porrò cum prædictus presbyter ob mirabilia ſancti hujus lintei vehementer obſtupeſceret, cogitatio ei incidit reſecandi ex eo fruſtum magnitudinis unius palmæ ; nec recordabatur pius ſacerdos prohibitionis per illuſtriſſimum antiſtitem factæ ſub pœnâ excommunicationis. Non longo pòſt tempore maligna & mortifera febri laboravit Maria Roſa Elpidia, prædicti neptis natu minor ; atque in idem malum incidit Catharina Antonia, alia ipſius neptis natu major. Ambæ ſe Sancto commendarunt cum oſculo iſtius particulæ ex linteo, ſibi à prædicto patruo ſubminiſtratæ ; atque ambæ per vices ſanitatem recuperaverunt.

at ipſe mortifero malo correptus, particulam reſtituit, & mox convaleſcit.

17 Verùm cùm iſtis diebus ipſe dominus Franciſcus memoratus eodem malo fuiſſet correptus, atque aucto maligno morbo, diminutiſque viribus ac cum iſtis vitæ ſpe, extrema Eccleſiæ Sacramenta ſuſcepiſſet, ſedulò conſcientiam ſuam ſcrutabatur, conſideranſque furtum ſuum, quod forſan Sancto diſplicuerat, ſtatuit illud continuò reſtituere, milleque oſculis, lacrymis, ac ſuſpiriis involutum reddere eccleſiæ ſuæ collegiatæ per dominum Philippum Pelagalli archipresbyterum cum plena delicti ſui confeſſione. Protinus verò,

A verò, dum domo ipsius efferebatur sacrum id pignus, discessit etiam ab eo morbus. Vulgato miraculo, omnes accurrerunt, ut admirarentur factum tàm singulare. Apparet etiamnum sacra hæc particula, rursum cum linteo conjuncta ad æternam facti memoriam.

Alius, eodem adhibito linteo, febri liberatus,

18 Franciscus Mallei Elpidianus prædicto anno, die xx Augusti, incidit in febrem malignam, desperatusque à medicó; ad extrema fuit redùctus. Hinc die 2 Septembris in Sancti festivitate allatum illi est sanctum linteum; quod exósculatus, eodem die liberatus est pertinaci malo.

alius retentione urinæ,

19 Eodem mense & anno efficacissimam glórioſi sancti Elpidii protectionem expertus est faber Adrianus Flaminei ejusdem loci. Hic ex retentione urinæ acerbissimis cruciatus doloribus, ad contactum sancti lintei statim fuit liberatus.

mulier gravida febri aliisque malis,

20 Erat Maria Elpidia Sinibaldi seu Roberti in oppido S. Elpidii octo mensibus gravida, quando correpta est febri ardentissima, quæ paucis diebus evasit maligna, ac partûs dolores acceleravit. Accessit subitum alvi profluvium, malumque adeo auxit, ut viribus destituta desperataque à medico ac morti vicina, suprema Ecclesiæ subsidia acciperet, ad iter è terra ad cælum instituendum. Implorata nihilominus ope sancti Patroni; afferuntur ipsi sanctæ lintei reliquiæ, quas tenerrimo affectu vix erat exosculata, cùm febris remisit, & sine allo remedio convaluit. Pauçis pòst diebus filiolam peperit: & ambæ hodie vivunt gratiæ singularis probatæ testes.

B

monialis febri atque inflatione corporis,

21 Anno MDCLXXXIV, XII Junii, soror Maria Catharina Palombi, religiosa in monasterio S. Joannis prædictæ Terræ, laboravit febri totoque corpore inflato; ità ut se ad mortem præparâsset. Interea tamen devotâ Soror, non desperans de sanitate recuperanda per favorem patroni sui S. Elpidii, ei se efficacissimo affectu commendavit, postulavitque memoratas lintei reliquias. Vix illis labra admoverat, cùm ore suo emisit ingentem puris copiam, & repentè sanata est.

Peregrinus membris captus in Sancti ecclesia sanatur,

22 Fama festivitatis Sancti; sed magis etiam insignium miraculorum, quæ quotidie in gratiam sibi devotorum operabatur, peregrinos infirmosque ex variis partibus attraxerat. Inter hos erat Franciscus di Biagio ex territorio Ripæ Transonis, (*oppidum est in Marchia Anconitana*) qui comparuit ipso die festo Sancti cum certa fiducia consequendi desideratam sanitatem, quâ annis singulis magis orbata erat media pars corporis ipsius inferior, duobus fulcris subalaribus necessariò sustentata. Suscepit ille sacrosancta Sacramenta, oravitque toto tempore matutino in dicta ecclesia. Cùm verò præscripta supplicatio, comitante illustrissimo antistite, redibat in ecclesiam, & prædictus Biagio supplicabundus jacebat ad illius portam; simulac sacratissima urna comparebat, ex oratione vocem elevavit & exclamavit: Miraculum! miraculum! Gloriosus sanctus Elpidius sanitatem mihi reddidit. Et quì vix rependo trahebat afflicta membra, confestim abjecit unum è fulcris subalaribus, atque expeditè incessit: sequenti autem die in testimonium confirmatæ gratiæ reliquit alterum. Hæc ambo, tamquam testes veritatis, pendent affixa parietibus in sacello hujus Sancti.

C

alius sanatur, acceptis fulcris in ecclesia suspensis,

23 Nequeo prætermittere, quo modo, adhibitis fulcris istis subalaribus, patrata sint alia prodigia. Ex malignis pituosisque humoribus totâ vitâ laboraverat Joannes Straccino Elpidiensis. Anno MDCLXXXI, cùm solam linguam habe-

ret liberam, adferri ad se jussit prædicta fulcra. Continuò, ubi illa tetigerat, surgit è lecto, quo ultra octo menses decubuerat, tenditque subitò ad ecclesiam, ut debitas ageret gratias de obtento beneficio, exultante omni populo Elpidiensi. Ab eo tempore hùc usque integra utitur valetudine, peragitque laboriosa sua exercitia. AUCTORE J. S.

eodem modo alius sanitatem recuperat;

24 Non aliter opem divinam expertus est Carolus Roggieri Firmanus, sartor in territorio S. Elpidii, qui totius corporis usu destitutus sub finem mensis Aprilis anni MDCLXXXII, non potuit deserere lectum, & vel unum formare passum toto anni decursu. Itaque, & patiens in morbo, & perseverans in devotione erga Sanctum, cum lacrymis rogavit, ut afferrentur sibi prodigiosa fulcra. Vix ea supra lectum suum acceperat, cùm sentit per corpus suum currere humores salubres, omnemque membris suis redire vigorem & fortitudinem. Hinc è lecto surrexit, & post octiduum ivit, ut instrumenta sanitatis suæ deponeret in ecclesia sancti abbatis Elpidii prodigiis inclyti.

E

canonicus Sancti reliquiis sanatus è spasmo;

25 Testatur plena fide Josephus Massi canonicus Elpidiensis, quòd affectus in brachio dextero per multos dies intensissimis spasmi doloribus, quibus ne momento quidem poterat quiescere, & sibi persuadens se nulla ope humana vitam posse producere, aut tanto dolori resistere, recurrerit ad opem sancti patroni sui Elpidii, tenensque manu fragmentum sacri ipsius corporis, quod penes se summâ veneratione servabat, voce ac corde Deo dixerit; Auge dolorem, sed etiam adauge patientiam; ad Sanctum vero, ejus reliquias exosculatus, dum eos parti afflictæ applicabat; Ora pro me, sancte abbas Elpidi, quódque derepente liberatus fuerit die XVI Julii anni MDCLXXVII. Vivit etiamnum hodie.

conjuges febri liberati, orantibus ad sepulcrum eorum filiabus,

26 Huic accedunt Ludovicus Asclepy & Beatrix Salimbeni ipsius conjux Elpidienses. Horum una ægrotare cœpit XI Augusti, & alter XIX ejusdem mensis & anni; ambo febri maligna. Deinde, aucto morbo, cùm ad portas mortis essent adducti, & suprema Ecclesiæ Sacramenta fuscepissent, miserunt ad Sancti sepulcrum filias supplicaturas. Mox fuerunt liberati, ac de gratiâ tam prodigiosa testimonium reddiderunt in laminis argenteis.

F

mulier ex variis morbis restituta voto & reliquiis,

27 Simile beneficium semper prædicat Maria, uxor Marci Antonii Laurentii. Hæc graviter laborans catarrhis, fluxionibus, & repetitis vicibus tacta apoplexiâ; quæ eam ferè omnino visu privaverat, votum vovit Sancto promittens se curaturam, ut in sacello suo offerrentur aliquot Missæ sacrificiâ in ejus honorem. Mox etiam rogavit, ut sibi portaretur aliquid ex reliquiis sancti sui patroni Elpidii, uti factum est per quemdam sacerdotem. Ubi hic modica quædam fragmenta Sancti applicuerat oculis devotæ; recipit illa liberum totius corporis motum, ac visum perfectum die XI Maii anni MDCLXXVIII; & vivit etiam hoc tempore.

canonicus sola Sancti invocatione,

28 Afflictus jacebat fervidissimis febris ardoribus in calidissima istius anni tempestate, die XVII Julii, Petrus Medaglia canonicus in Terra S. Elpidii; pressusque insuper de improviso anginâ ac difficultate respirandi, jam postrema videbatur ducere suspiria; nec potuerat vel minimum deglutire liquorem per plures dies. Hinc inter tales mortis anhelitus, ac mille cogitationes melancholicas, recurrit ad sanctum suum Protectorem, ejusque opem imploravit ad animæ corporisque salutem: ac tantò majore pro-

AUCTORE J. S.

digio ſubſidium impetravit, quantò evidentius erat propinquiuſque vitæ naufragium. Quapropter ad eccleſiam Sancti ſe contulit, atque ibi in gratiarum actionem de tam inſigni favore Miſſam celebravit.

hujus frater, maligna febri delirans, reliquiis ſanatur:

29 Eodem menſe, ſed non illius anni, efficacem Sancti opem ſenſit Dominicus, frater jam dicti canonici Medaglia. Maligna febri ad poſtremas perductus videbatur vitæ periodos, timebatque ne ad mortis tranſiret articulum. Tanta ab initio fuerat mali vehementia, ut infirmus deliratione nimia ad ſuſcipienda Eccleſiæ Sacramenta non eſſet idoneus; atque hinc geminato dolore cruciaretur ipſius frater. Hic intelligens vana eſſe in hujuſmodi eventibus humana ſubſidia, & memor quid in ſe ipſe eſſet expertus, recepit ſe ad cubiculum, ubi flexis genibus ante imaginem ſancti patroni Elpidii, commendavit ei dilectum fratrem. Cepit deinde particulam corporis Sancti, illamque infirmi applicuit fronti. Ceſſavit deliratio, & ſequenti nocte ſuaviter dormivit; & ſubſecuto tempore matutino ſe ſanum reperit. Qua de cauſa ſurgens è lecto, cum fratre ſuo acceſſit ſepulcrum, ubi magna pietate ſine mora debitas Sancto egerunt gratias.

B

alius difficultate urinæ liberatur,

30 Sine ſtupore non fuit auditum miraculum, quod contigit Natali Bernardino Lilla Elpidienſi XIX Aprilis anni MDCLXXXIII. Hic per octo dies continuos graviſſimis retentæ urinæ doloribus cruciatus, eóque deductus, ut de ejus vita deſperaretur, ſtudebat res ſuas cum Deo componere, & cum mundo. Jam per venas diffuſa erat urina, nec emiſerat vel guttam unicam miſellus toto prædicto tempore. Interea, cùm ei incidiſſet potens interceſſio ſancti abbatis Elpidii, magnâ fide ad eum recurrit, opemque flagitat. Eodem autem tempore, quo ei apportatur aliquid ex Sancti reliquiis, per presbyterum Bonfigli illic præſentem oſculandus ei porrigitur dens ejuſdem Sancti. Vix illum exoſculatus erat infirmus, cùm prodigioſum illius ſenſit effectum: nam eodem momento cœpit urinam emittere, deindeque emiſit tantam copiam, ut intra triduum prorſus fuerit reſtitutus, & apud ſepulcrum Sancti debitas egerit gratias.

C

mulier multis ſimul morbis.

31 Fuit etiam illuſtre miraculum, quod accidit in Thecla Medaglia conjuge Ludovici Andreanelli dicti loci. Longo tempore vexata fuerat febribus, aliiſque malis per totum corpus: membra ejus adeo erant debilitata, ut incedere non poſſet ampliùs præ tremore, quo dejiciebatur. Acceſſerunt IX Januarii anni MDCLXXXIII dolores capitis tam vehementes, taliaque morbi indicia, ut deſperata à medico, crederetur moritura. Quapropter, nullum reperiens, qui opem ferre poſſet, ad unicum, quod ſupererat, recurrit remedium ad miſericordiam videlicet ſancti abbatis Elpidii. Rogavit, ut ſibi afferretur prædictus dens ſacer; quem oſculata, ſubitò è doloribus convaluit; habuitque corpus deinceps tam liberum & ſanum, acſi numquam malo aliquo fuiſſet correpta. Palàm hodieque prædicat obtentam gratiam, omnibuſque narrat miraculum, mille gratiarum actiones reddens ſancto medico Elpidio.

Mulier, facto voto, ex languore reſtituta,

32 Hieronyma Cifola Elpidienſis per tres menſes continuos geſtaverat fulcra ſubalaria ad ſuſtentationem corporis ſui languentis, quia circa finem Novembris anni MDCLXXXIII pituitoſis humoribus vehementer fuerat afflicta. Votum fecit pia mulier glorioſo Abbati, decrevitque curare, ut Miſſæ ſacrificium offerretur ad ejus altare. Sic commendata Sancto atque obligata, XV Februarii anni MDCLXXXIV ab eo gratiam impetravit; integréque ſanata eodem die ivit ad eccleſiam collegiatam, Miſsâque ejus rogatu celebratâ, apud ſepulcrum Liberatoris ſui memorata fulcra reliquit.

D

juvenis ex febri tactu lintei,

33 Juvenis ex oppido S. Juſti, (*locus eſt in Marchia*) nomine Theodorus, operarius abbatiæ ſanctæ Crucis in territorio S. Elpidii, diuturna pertinacique febri appropinquabat ad mortem, acceptis ſanctiſſimis Eccleſiæ Sacramentis XII Aprilis prædicti anni. Verùm ſolo tactu lintei liberatus eſt periculo; ideoque & debitas egit gratias ſancto abbati Elpidio.

hujus frater ex colicis torminibus, hauſto pulvere ſepulcri:

34 Paucis poſt diebus Dominicus, frater germanus prædicti Theodori, correptus ſubitò torminibus colicis, quæ per duos dies & totidem noctes nullam ei relinquebant quietem, nullo obtento per medicamina ſolatio, confugit ad efficacem Sancti opem, monitus à fratre, qui illam paulò antè fuerat expertus. Juſſit ille peti à reverendis ſacerdotibus ſacrum linteum; pro quo datum fuit infirmo aliquid pulveris de ſepulcro Sancti, ut illud bibendo ſumeret. Vix illud ſumpſerat, cùm ſimul expertus eſt miraculoſum effectum, acerbis iſtis doloribus prorſus liberatus.

E

multa alia miracula prætermiſſa.

35 Innumeræ ſunt gratiæ, & ſtupendi favores, quæ in dies ſingulos larga manu famulis ſuis impertitur glorioſus abbas Elpidius, tum per applicationem memorati lintei, ſacrorum ejus oſſium, pulveris ſepulcri ejuſdem, tùm etiam per oleum lampadis, & ſolam nominis invocationem. Prodigioſam ejus interceſſionem luculenter teſtantur anathemata ad parietem ſepulcri ipſius affixa, ac pars eccleſiæ cooperta vili æquè ac pretioſâ materiâ, nimirum veſtibus, catenis, catapultis, ac fulcris ſubalaribus. Verùm, quia hæc beneficia in commentarios relata non ſunt, ſolùm impreſſa ſunt memoriæ eorum, qui digni fuerunt talibus favoribus. Hac de cauſa nequeo illa minutim prolixiori diſputatione exponere. Dicèt alioquin milleni eſſent memorandi, qui febri maligna fuerunt liberati. Itaque lector pius contentus ſit modò relatis; illaque ſint ad majorem Sancti gloriam.

F

§ III. Memoria S. Elpidii in Martyrologiis: inquiritur utrum ſit S. Elpidius abbas à Palladio laudatus, qui apud Elpidianos colitur: hic certò vivus in Picenum non venit, ſed mortui corpus veroſimiliter eò delatum.

Martyrologium Romanum annuntiat S. Elpidium in Piceno;

MArtyrologium Romanum ad 2 Septembris *clarè annuntiat* Elpidium, *de cujus veneratione & miraculis hactenus egimus; verùm geſta ejus nulla commemorans, dubium relinquit, an hic* Elpidius *ſit abbas ille Cappadox, cujus nomine nunc celebratur apud Elpidianos. Verba accipe:* In Piceno item ſancti Elpidii abbatis, cujus nomine oppidum appellatum, ſacrum ejus corpus ſe poſſidere congaudet. *Baronius vero in annotatis obſervat ſequentia:* De quo & Petrus in

in Catalogo lib. VIII, cap. XXVIII, cúmque Cappadocem genere fuiſſe ſcribat, illum eſſe putamus, de quo præclara Palladius narrat cap. XXXVII. Eſt celebris memoria hujus in Piceno: nam præcipuè colitur in oppido, quod ab ejus nomine S. Elpidius appellatur. Fuit præterea alius Elpidius doctrinâ & egregiis operibus nobilis, qui temporibus Conſtantii auguſti functus eſt legatione in Oriente adverſus Arianos, miſſus à Julio Romano Pontifice, ut patet ex ejuſdem litteris, quæ extant apud Athanaſium. *Dubitationem aliquam clarè hìc inſinuat Baronius, ita tamen ut propenſus ſit in ſententiam Elpidianorum.*

Petrus de Natalibus Elpidium abbatem Cappadocem genere,

37 *Verumtamen Petrus de Natalibus, quem adducit Baronius, Abbatem laudatum à Palladio clariſſimis verbis memorat, de eo ſic ſcribens lib.* 8 *cap.* 28: Elpidius abbas genere Cappadox fuit. De quo ſcribit Heraclides, quòd habitavit in ſpeçu, ſtudio abſtinentiæ cunctos vincens. Nam per annos XXV, quos ibi vixit, Dominico tantùm & Jovis diebus ſumebat: aliis diebus nihil omnino guſtabat; ac per totam noctem ſtando & orando pſallebat: quem innumera multitudò Fratrum ſequebatur. Dum autem ſcorpio illum nocte quadam percuſſiſſet; ipſe, eo calcato, ne ſtandi quidem ſpatium, in quo ſteterat, mutavit: in tantum dolorem contempſit. Sarmentum vitis aridum, extra tempus debitum ab eo plantatum, adeo crevit, ut vitis magna facta, infra annum totam eccleſiam operiret. Hic per annos viginti quinque numquam ad Occidentem ſe vertit, nec ſolem declinantem conſpexit. Cujus exemplo diſcipulus ejus Siſinnius, cùm apud eum ſeptem annis fuiſſet, in ſepulcro ſe clauſit, in quo ſtans per triennium ſemper oravit, numquam die vel nocte deambulans, aut ſedens, aut jacens. Elpidius igitur poſt annos prædictos ad Cappadociam regreſſus, & presbyter factus, Fratres & Sorores in unum collegit, & cœnobio conſtructo, in pace quievit. Cujus feſtum agitur IV Nonas Septembris. *Errat in eo hic ſcriptor, quòd* Elpidium *dicat regreſſum in Cappadociam, eumdemque errorem imitati ſunt alii mox citandi. Non enim* Elpidius, *ſed Siſinnius ejus diſcipulus in Cappadociam regreſſus eſt, uti videbimus ex Palladio, quem Petrus citavit ſub nomine Heraclidis, quia* Hiſtoria Lauſiaca Palladii & Paradiſus Heraclidis, *uti aliquando vocatur, idem eſt Opus Palladii.*

neuter certò affirmat an idem ſit Cappadox & Picenorum Elpidius: id tamen aſſerunt alii,

38 *Advertat ſtudioſus lector, non aſſeri à Petro de Natalibus, hunc* S. Elpidium *coli in Piceno, aut corpus ipſius ibidem ſervari. Huic conſenſit Maurolycus, qui eodem die ſic breviter habet:* Item in Cappadocia Elpidii abbatis abſtinentiâ conſpicui. *Verùm Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ ad eumdem diem Elpidianorum ſententiam tradit. Quippe elogium Sancto concinnavit, quale ex Petro mox dedi, ne correcto quidem errore de regreſſu in Cappadociam; & in fine hæc ſubjunxit:* Cujus corpus in Piceno conditum eſt, in oppido præclaro ab eo denominato. *In annotatione autem hanc movet dubitationem:* An S. Elpidius in Piceno in oppido, quod S. Elpidius nominatur, obierit; vel corpus illius ex Cappadocia eò tranſlatum fuerit, mihi incompertum eſt, cùm monumenta eccleſiæ Elpidienſis nondum viderim. *Suſpicor illud dubium ſolvi non poſſe ex monumentis Elpidienſibus, cùm nihil de tranſlatione corporis in Picenum nobis fuerit communicatum. Quin potiùs collector monumentorum Medaglia probare nititur, Sanctum* Elpidium *in Picenum veniſſe, ibique obiiſſe. At iſtud clarè repugnat Palladio, adeo ut ſcriptor ille hoc conamine augeat dubium antè dictum, videlicet, an* Elpidius *in Piceno cultus idem ſit cum Palladiano* Elpidio.

AUCTORE J. S.

Natalis Medaglia probare nititur ex antiquis picturis,

39 *Audiamus tamen, quid afferat laudatus Medaglia. Primò citat Gregorium Lazzarium lib.* 4 *Operis mihi incogniti de Viris ſanctis, ex eoque hæc adducit verba:* Elpidius ſanctus abbas, & vitæ ſanctitate illuſtris, fuit natione Aſiaticus, in civitate Cordilenſi Cappadociæ nobilibus parentibus ortus: qui veniens Romam, poſt viſitationem piorum locorum, petiit Picenum, & divino lumine inſpiratus in loco permanere conſtituit, ubi ex ruinis Cluanæ civitatis fuit factum oppidum. *Hoc* Cluellum *vocat Medaglia, qui dicta Lazzarii ex antiquis picturis confirmare deinde nititur. Verba ejus compendio accipe. Prima pictura exhibet angelum, qui cymbam prope ripam oſtendens* Elpidio, *ingreſſum in cymbam tranſtulit Romam. Altera pictura oſtendit* Elpidium *Româ in Picenum diſcedentem, dum populus illic ædificabat oppidum Cluellum.* E *Ante ingreſſum orans, divinitus docetur, ſe ibi inventurum duos cooperatores Enneſium & Euſtatium, fratres germanos.*

S. Elpidium venìſſe ad Picenos, ibique fidem prædicaſſe,

40 *Tertia habet, convenìſſe tres dictos Sanctos, cùm ſequenti die vix ſol appareret in Oriente; cœpiſſeque prædicare contra idola, atque idcirco citatos ad præfectum oppidi. Quarta docet,* S. Elpidium, *poſt varias diſputationes de religione, juſſu præfecti incluſum carceri. Quinta exhibet Sanctum in carcere. Sexta oſtendit eumdem ope trium angelorum carcere liberatum, mirante id prodigium præfecto. Ex ſeptima præfectus, viſo illo miraculo, baptiſmum flagitat; ſed priùs idola evertere jubetur, illudque præſtat. Octava demum pictura ſignificat baptiſmum præfecto collatum à* S. Elpidio, *aſſiſtentibus Enneſio & Euſtatio:* Hæ omnes octo picturæ, *inquit Medaglia,* ſunt antiquiſſimæ manûs, adjectis infrà deſcriptionibus characteris Gothici. *Obſervat deinde liquere ex hiſce tabulis pictis, ſingularem* S. Elpidii *venerationem viguiſſe apud antiquos. Id enimverò facilè ei aſſentior; nam idem etiam colligitur ex eo, quòd nomen Sancti oppido datum fuit, hodieque perſeverat.* F

allegans etiam Mss., & epitaphium: ea opinio convenire nequit Elpidio Cappadoci.

41 *A pictis tabulis ad antiqua Mss. (ut certè vocat, nam illorum quanta ſit antiquitas, non exponit) tranſit Medaglia, ex iiſque narrat ſeptem hominum millia à* S. Elpidio *baptizata eſſe eodem die, quo præfectus baptiſmum ſuſcepit; & præterea alio die ſex millia: varias quoque eccleſias ab eodem Sancto erectas, populumque ad pietatem eruditum: obiiſſe demum* Elpidium 2 *Septembris, anno* 393, *imperante Theodoſio ſeniore, eaque occaſione oppido Cluello datum* S. Elpidii *nomen; & non diu poſt* Elpidium *defunctos eſſe Enneſium & Euſtatium. Pleraque hæc confirmat epitaphio, quod aſſerit inſculptum fuiſſe lapidi in eccleſia* S. Elpidii, *quæ penitus collapſa eſt anno* 1629. *Verba epitaphii hæc fuiſſe teſtatur:*

Piceni Apoſtolo ac vigilantiſſimo noſtro patriæ Patri,
Quem morientem in terris IV No. Sept.
Suſceperunt in cælis beata agmina;
Et cujus uti præcepta amplexi ad ſalutem,
Ita ſanctitatem venerati ad obſequium,
Hunc lapidem excitarunt ad æternitatem.
Mu. Clu. An. a Chr. na. CCCXCIII.

Hæc

AUCTORE J. S.

Hæc Natalis Medaglia de geſtis & morte S. Elpidii *apud Picenos ; nam geſta in Oriente ex Palladio antè retulerat. Hanc autem ex hiſce omnibus , quæ fideliter referenda cenſui , concluſionem formo. Cùm conſtet* S. Elpidium *in ſpelunca ſua obiiſſe in Aſia , neceſſe eſt aut omnia illa fabuloſa eſſe , aut alium* Elpidium *floruiſſe in Piceno. Utrum ex duobus magis ſit veriſimile , nunc examinabo.*

Verùm , cùm repugnet Officium , aut picturæ non rectè exponuntur,

42 *Primò obſervo probationes ex picturis petitas exigui admodùm eſſe momenti , cùm neſciamus , quo tempore tabulæ iſtæ ſint pictæ , pictoreſque paſſim nimiam ſibi vindicent licentiam pingendi traditiones populares , imò & fabulas. Secundò , non videntur ipſi Elpidiani credere , aut certè diu credidiſſe* , S. Elpidium *in Piceno obiiſſe. Patet id ex epiſtola antè recitata num. 2, ubi illuſtriſſimus comes Aſclepi dicebat , examinandum* imprimis , quomodo Sancti illius corpus in Picenum tranſlatum fuerit , de quo in lectionibus nulla habetur mentio , ſed quòd in Cappadocia ultimum diem clauſerit. *Elpidiani igitur , dum compoſitum fuit iſtud Officium , nondum exiſtimabant apud ſe obiiſſe Sanctum , ſed*

B

corpus aliunde allatum credebant , idemque credidiſſe adhuc videntur , dum anno 1683 ſcripta fuit laudata epiſtola. Hinc credere nequeo , rectè colligi ex picturis ea , quæ collegit Medaglia , aut in ſcriptis antiquis ullius auctoritatis reperta fuiſſe , quæ ille attulit de baptizatis uno die ſeptem hominum millibus , & alio ſex millibus per Elpidium. *Certè illa omnia omni prorſus carent veriſimilitudine , ut oſtendam : cúmque Elpidianorum Officio contraria ſint , atque in Officiis particularium eccleſiarum paſſim exprimatur illarum traditio , ne quidem ex picturis laudatis ea rectè colligi poſſe , vehementer ſuſpicor.*

aut fabuloſa continent, aut alterius Sancti geſta repræſentant.

43 *At ſive in pictis tabulis talia exprimantur , qualia nobis dedit Medaglia , ſive ille putaverit ſe videre in iſtis picturis , quæ minimè illic ſignificantur ; pro fabulis habenda ſunt , ſi intelligi debeant de* S. Elpidio *abbate. Nam , cùm mortem Sancti alliget anno 393 ,* Elpidius *in Picenum non veniſſet , niſi imperante Valentiniano , Gratiano , aut ipſo Theodoſio , ſub quo defunctum ponit. Qua igitur veri ſpecie ob prædicatam fidem carceri dicitur incluſus ? Imò veriſimile non eſt , eo tempore in Piceno multos idololatras fuiſſe , cùm jam Firmani , Aſculani & Anconitani ſuos in Piceno haberent antiſtites. Hac de cauſa ſuſpicio mihi nonnulla oboritur , an non fortaſſe geſta alterius cujuſdam Sancti tabula illæ exhibeant , uti & epitaphium ſuprà recitatum , quod certè non eſt valde antiquum , cùm annos à Chriſti natalibus numeret : nam non abbati , ſed epiſcopo congruunt , quæ iis inſinuantur , ſi vera ſunt. Si ipſa , quæ habentur , antiqua monumenta nobis forent tranſmiſſa cum Officio & tabularum delineatione , certius de hiſce omnibus proferre liceret judicium.*

C

Rationes, quæ inſinuant corpus S. Elpidii Cappadocis ex Paleſtina in Picenum delatum.

44 *Nunc , iis miſſis , rationes quaſdam allegabo , ob quas exiſtimo , corpus* S. Elpidii *abbatis Cappadocis tranſlatum fuiſſe in Picenum , indeque celebrem ejus venerationem , atque oppidi nomen exortum. Præter traditionem Elpidianorum , exiſtimantium ſe poſſidere corpus* S. Elpidii *Cappadocis , de quo agit Palladius , præcipua ratio eſt feſtivitas ex tribus una , quæ ob* S. Elpidii *adventum inſtituta olim fuit & celebrata. Etenim vix dubitare poſſim , quin adventum corporis , ſeu diem tranſlationis intelligere oporteat , non adventum viventis* Elpidii , *uti voluit Medaglia. Primum enim uſitatiſſimum eſt , alterum prorſus inauditum. Cum igitur corpus Sancti aliunde tranſlatum ſit in Picenum , ut ex feſto tranſlationis colligitur , nihil obſtat quo minùs exiſtimare poſſimus , ipſum eſſe corpus* S. Elpidii *Cappadocis in Paleſtina defuncti , cùm multæ Sanctorum reliquiæ inde in alias provincias fuerint tranſlatæ , & ea ſit traditio Elpidianorum. Hanc autem traditionem confirmant corpora Enneſii & Euſtatii , quæ cum corpore* S. Elpidii *conjuncta affirmant : nam duos hoſce Sanctos cum* S. Elpidio *conjungit Palladius his verbis :* Cum hoc ſancto Dei athleta (Elpidio) unà etiam fuit conſummatus inclytus Dei ſervus Æneſius * , vir magnæ exiſtimationis , ... & ejus frater Euſtathius ei honore æqualis *&c. Hiſce conſonant verba , quæ profert Medaglia ex* antiquis ſcripturis , *ut ait :* Erat autem cum hoc Athleta Chriſti Enneſius vir magnus & honeſtus , ac frater ejus Euſtaſius , quibus una vita continentiæ , atque eadem conſummatio in Chriſto. *Itaque , modò certum ſit* Æneſii *vel* Enneſii *& Euſtathii corpora ſervari etiam in Piceno , vix dubitari poteſt , quin ſint corpora eorumdem , de quibus ſcribit Palladius. At dolendum , Acta tranſlationis excidiſſe , aut nobis certè ad manum non eſſe : nam ex hiſce omnia clariùs exponi poſſent , ut nullum ſupereſſet dubium.*

D

* *al.* Enneſius

E

§ IV. Geſta Elpidii à Palladio deſcripta diſcutiuntur ; inquiriturque , an hic idem ſit cum Elpidio laudato in Vita S. Charitonis , & cum diacono S. Baſilii.

Geſta Sancti fideliter à Palladio ſcripta , ſed ejus editiones invicem minùs conſonæ ;

QUamvis *Hiſtoria Lauſiaca Palladii , in qua referuntur geſta* S. Elpidii *abbatis , fide maxima ſit conſcripta , auctorque narret ea , quæ ipſe vidit , aut ab oculatis teſtibus accepit , geſta tamen* S. Elpidii *nonnullam patiuntur difficultatem ob diverſas laudatæ Hiſtoriæ editiones , quæ invicem non conſentiunt. Tres mihi ad manum ſunt , aut , ſi omnes enumerare velim , quatuor editiones Hiſtoriæ Lauſiacæ , una Græca , Latina reliqua. Græcam anno 1616 dedit Joannes Meurſius* ex bibliothecæ Palatinæ codice pervetuſto membranaceo , *uti in præfatione monet ; hæc mox adjiciens :* Primus ego Græcè profero ; cùm Latinam verſionem ante annos ſexaginta vir eruditus , Gentianus Hervetus dederit. Verùm certè aut nimiùm ſibi ille indulſit , aut diverſus multùm codex à Palatino , quo is uſus. Nam quid verſio ipſius differat à Palladii textu Græco , facile cuique animadvertere , ſi conferre modò libebit.

F

Latinæque interpretationes non ſatis exactæ : hinc Acta Græca infrà danda :

46 *Sanè Interpretatio Latina Herveti alio ordine diſpoſita habet capitula quàm textus Græcus à Meurſio editus. Menda etiam non pauca occurrunt in eadem interpretatione , quam Roſweydus recudit in Vitis Patrum , correctis hinc inde aliquot mendis. Laudatus Roſweydus edidit etiam antiquam Palladii interpretationem , quæ paſſim nominatur* Paradiſus Heraclidis , *etiamſi aliud non ſit quàm Hiſtoria Lauſiaca Latinè reddita. Hæc autem antiqua interpretatio rectiùs conſonat textui Græco , certè quoad ordinem capitulorum.*

A *pienlorum. Verùm nec illa interpretatio omnino videtur exacta, melior tamen apparet quàm Hervetiana. Hac de causa* S. Elpidii *Acta Graca dabo ex editione Meursii novamque interpretationem adjiciam cum annotatis prolixioribus.*

Sancti patria, vita monastica ac locus mortis;

47 *Porrò ex his Actis habemus, patriam* S. Elpidii *fuisse Cappadociam, quæ ampla est & satis nota Asiæ Minoris provincia. Urbem nullam nominat Palladius, nec parentum genus nobile aut ignobile. Divinant igitur sine fundamento, qui Cordulæ aut Cordylæ nobilibus parentibus natum dixerunt: nam ne quidem Cordylam in Cappadocia reperio; sed Cordylam portum Ponto, non Cappadociæ, attribuit Cellarius tom. 2 Geographiæ antiquæ pag.* 197. *Insuper ex Actis clarum est, monachum fuisse* S. Elpidium, *ac deinde anachoretarum ducem seu abbatem, ac presbyterum in Palæstina, ubi & vitam finivit. Rursum ergo aberraverunt à vero omnes illi, qui scripserunt,* S. Elpidium *in Cappadociam reversum, ibique defunctum: nam id de ipsius discipulo Sisinnio asserit Palladius; at de* Elpidio *infrà num.* 2 *ait:* Hic magnus Athleta

B patientiæ, ex quo ingressus est speluncam (*prope Hiericho,*) non descendit de monte, donec fuerit sepultus. *Has autem verba nullum relinquunt dubium, quin mortuus sit in Palæstina, ita ut ea, quæ obscuriora sunt, hisce Palladii verbis necessariò sint conciliandæ.*

inquiritur, ubi monachus primò,

48 *Editio Herveti fecit, ut obscurius videatur, ubi primò monasticam Vitam amplexus sit* S. Elpidius, *& cujus monasterii fugerit presbyter. Disputavit de hisce Tillemontius tom.* XI *Monumentorum notâ* 1 *ad Palladium Helenopolitanum, satisque ostendit,* Elpidium *monachum primò fuisse in monasterio Cappadociæ, quod extruxerat Timotheus S. Basilii chorepiscopus. Fatetur tamen interpretationi Latinæ Herveti id consonum non esse, cùm illa videatur habere, primò anachoretam fuisse in Palæstina, deinde abbatem in Cappadocia, conaturque textum varie corrigere, unde verba, quæ difficultatem ingerunt. Herveti editio cap.* 106 *de* Elpidio *sic loqui incipit:* In Amorrhæorum speluncis, quæ sunt in Hiericho, quas olim construxerant fu-

* *i. e.* Josue gientes Jesum Nave *, qui tunc populabatur alienigenas, in monte Luca, fuit quidam Elpi-

C dius Cappadox genere, postea autem dignatus presbyteratu monasterii, factus à Timotheo chorepiscopo Cappadociæ, viro sufficientissimo. Is habitavit in quadam spelunca. *Hic primò describitur locus, in quo vitam anachoreticam duxit* Elpidius, *& mox dicitur,* postea autem dignatus presbyteratu monasterii, *illudque monasterium statuitur in Cappadocia. Videtur igitur ex his verbis concludendum, Sanctum initio anachoretam fuisse in Palæstina, deinde presbyterum monasterii in Cappadocia, uti rectè advertit Tillemontius, qui tamen difficultatem non satis amovit.*

atque ubi dein presbyter & abbas fuerit;

49 *Itaque observandum est, totam descriptionem loci, quam Hervetus dedit in gestis* S. Elpidii, *non spectare ad ejus Vitam, sed ad caput præcedens; prout patet ex editione Græca Meursii, quam recudemus. Vitæ autem* Elpidii *inchoata est à Palladio his verbis:* Elpidius quidam, *ait, ut habet Hervetus;* Fuit quidam Elpidius *&c. Quæ præcedunt ad locum describendum, in textu Græco referuntur ad caput præcedens, eóque necessariò referenda videntur, non quidem ad caput, quod præcedit apud Hervetum; sed ad illud, quod præcedit in editione Græca, &*

antiqua interpretatione Latina apud Rosweydum pag. 975. *Post abscissam loci descriptionem verba Palladii rectè intelligi poterunt, nec priora pugnabunt cum posterioribus. Nam primo dicitur* Cappadox genere. *Secundò* postea presbyterii dignitate ornatus, *illud autem* postea *referri potest ad adventum in Palæstinam, ita ut presbyter factus sit, postquam ibi aliquo tempore vixerat. Tillemontius illud* postea *refert ad Palladii adventum, putatque presbyterum factum, postquam ibi fuerat Palladius. Dicitur tertiò* monasterii *seu* ex monasterio Timothei Cappadocis, *non abbas illius monasterii, ut verosimilius puto, sed monachus ante adventum in Palæstinam. Quartò dicitur:* Hic cùm venisset, (*aut* veniens) habitavit in una speluncarum, *nimirum loci antea in præcedenti capite, aut narratione, descripti. Hinc antiqua interpretatio sic habet:* Hic Elpidius in una de memoratis speluncis habitaculum sibi fecit. *Reliqua in annotatis elucidari poterunt. Verùm priusquam Acta subjiciam, duo adhuc occurrunt discutienda.*

AUCTORE J. S.

E

an idem cum Elpidio laudato in Vita S. Charitonis,

50 *Primò in Vita S. Charitonis apud Surium ad* XXVIII *Septembris mentio fit cujusdam* Elpidii, *quem cum hoc nostro eumdem esse, locus, tempus, aliaque adjuncta prorsus indicare videntur. Quippe scriptor istius Vitæ, ubi narraverat sacram laurum, (sic Græci vocabant habitationem anachoretarum multis cellulis distinctam) ædificatam esse à Charitone, lauri alterius constructionem sic refert:* Et cùm (*Chariton*) peregisset iter unius diei, accedit ad aliam speluncam, quæ sita quidem erat ad partes Hierichuntinas: erat autem deserta, & erat aptissima ad silentium præbendum & quietem. . . Cùm multi ergo ab ipso consecuti essent curationem, & statuissent vitam illius imitari, hic quoque ædificat alterum virtutum habitaculum, quod Elpidius quidem postea amplificavit, vir præclarus rectè factis in exercitatione. *Jam vero anachoretas fuisse prope Hierichuntem, dum eò venit* Elpidius, *insinuat Palladius his verbis infra num.* 1, Hic cùm venisset, habitavit in una speluncarum. *Eorum verò numerum mirificè auctum ejusdem Sancti exempla, docet ibidem dum ait:* Montem illum urbis instar frequentem reddidit. *Cùm ergò hæc rectè congruant, & certum sit, Charitonem floruisse ante* Elpidium, *ac demum locus in utraque Vita statuatur prope urbem Hierichuntinam, non videtur dubitandum, quin idem in utriusque Actis memoretur* Elpidius.

F

an idem cum Elpidio S. Basilii diacono.

51 *S. Basilius epistola* 138 *novæ editionis laudat aliquem* Elpidium *diaconum, de eo sic scribens:* Nam quinquagesimum hunc diem agebam in infirmitate, cùm advenit nobis dilectus ac optimus frater noster, condiaconus Elpidius. *De eodem rursum epist.* 265 *ad Eulogium Alexandrinum hæc scribit:* Quapropter misimus etiam desideratissimum filium nostrum, Elpidium condiaconum, qui & epistolam perferet, & per se ipse potest nuntiare vobis, quæcumque litterarum effugerint documenta. *Meursius in Annotatis suis pag.* 200 *hunc eumdem putat cum abbate nostro* Elpidio. *Sanè, cùm posterior Basilii epistola scripta notetur anno* 377, *tempus non obstat, quominus Elpidius S. Basilii diaconus monasticam atque anachoreticam vitam amplecti deinde potuerit, idemque esse cum* S. Elpidio *abbate, qui vitam finivit in Palæstina. Verumtamen sola temporis & patriæ congruentia non satis certum præbet fundamentum, ut eumdem esse*

AUCTORE J. S.

Elpidium *pro certo affirmemus, quemadmodum fecit Meursius. Nomen* Elpidius *non tam rarum erat in Oriente, ut ex utriusque nomine solida haberi posset ratio, sine qua nihil asserendum ut certum. Hisce expeditis Acta Graca subjungo ex Meursio cum interpretatione Latina, atque annotatis nostris, in quibus discutiam, qua adhuc in Actis occurrent dubia.* D

ACTA GRÆCA

Ex editione Meursii, interprete J S.

Sancti patria, vita anachoretica,

a

b *c*

d

e

f

B

g

ELpidius *a* quidam erat Cappadox genere, postea presbyterii dignitate ornatus, ex monasterio chorepiscopi *b* Timothei *c* Cappadocis, viri dignissimi *d*. Hic cùm venisset, habitavit in una spelunearum *e*: qui tantam in vita ascetica præstitit abstinentiam, ut omnes obscuraret. Vixit enim annos viginti quinque Sabbatis solùm & Dominicis manducans. Noctes verò totas stans psallebat. Similis *f* autem factus regi apum, in medio Fratrum habitans, montem illum urbis instar frequentem reddidit: eratque illic videre apud unumquemque varia vitæ asceticæ instituta. Hunc Elpidium, spe *g* revera gaudentem, ac tribulationem propter Christum sustinentem, dum noctu psalmos cantabat, nobis unà cum ipso canentibus, pupugit aliquando scorpius. Ille, eo calcato, ne habitum quidem, quo stabat, mutavit. Tantopere per tolerantiam contemnebat illatum à scorpio dolorem. Quodam autem die, cùm aliquis Frater frustum palmitis *h* teneret, hoc accipiens Beatus, quando sedebat in * montis tumulo, infodit tamquam plantans. Et sanè, etsi tempore importuno illic positum, tantùm crevit, tantaque evasit vitis, ut totam obumbraret ecclesiam.

h

* *aut* juxta

eaque maximè austera, beatus obitus:

i

k

l

C

m

n

c

2 Cum hoc sancto Christi Athleta simul etiam consecratus *i* est celeber Dei servus Æneisius, vir memorabilis & ascetica vita excellens; atque Eustathius *k* hujus frater honore æqualis; qui & certamina vitæ pro Christo susceptæ alacriter exercuit. Tantum *l* autem beatus Elpidius in affectiones suas consecutus est imperium macerando corpus, donec sol ossium ipsius structuram ostenderet. Porro in relationibus de ejus virtute & hoc dicitur à studiosis ipsius discipulis, quòd totos viginti quinque annos numquam ad Occidentem se convertesit (& quidem ostio speluncæ ipsius in summitate montis posito *m*) neque post horam sextam *n* solem, capiti suo imminentem, umquam viderit declinantem ad Occidentem, neque umquam conspexerit exorientes in Occidente stellas. Hic magnus Athleta patientiæ, ex quo ingressus est speluncam, non descendit de monte, donec fuerit sepultus. Hæc sunt cælestia facinora coronati ac invicti athletæ Elpidii, qui nunc degit in cælo *o* cum sui similibus.

ejus virtutum imitator Sisinnius.

p

3 Hujus immortalis Elpidii discipulus factus est quidam, Sisinnius *p* nomine, ex servili quidem conditione ortus, at fide liber, genere Cappadox. Oportet enim & genera significare ad gloriam Christi, qui nos facit ingenuos, atque ad beatam veramque nobilitatem perducit, nimirum ad regnum cælorum. Cùm ergo fervens ille virtutum vitæ asceticæ amator Sisinnius mansisset apud beatum Elpidium sex aut septem annos, ac Viri virtutes, tolerantiamque laborum vitæ asceticæ didicisset, deinde monumento se ipse inclusit, ac tres annos stans in monumento in precibus perseveravit, nec noctibus nec diebus sedens aut jacens aut foràs egrediens. Hic impetravit gratiam imperii in dæmo-

Ἐλπίδιός τις, Καππαδόκης τῷ γένει, εἰς ὕστερον πρεσβυτερίᾳ ἠξιωμένος, ἐκ μοναστηρίου χωρεπισκόπου Τιμοθέου τοῦ Καππαδοκίου, ἀνδρὸς ἐναρετωτάτου· ἐλθὼν παρώκησεν ἐν ἑνὶ τῶν σπηλαίων, ὃς τοσαύτην ἐγκράτειαν ἀσκήσεως ἐπεδείξατο, ὡς καλύψαι ὅλους πάντας. Ζήσας γὰρ ἔτη πέντε καὶ πέντε ἐτῶν τὰ σάββατα καὶ τὰς κυριακὰς μετελάμβανεν μόνον· τὰς δὲ νύκτας πάσας ἑστὼς ἔψαλλεν καθάπερ βασιλίσκῳ τῷ μελιττῶν ἐπομένῳ, ἐν μέσῳ τῇ ἀδελφότητος συνοικήσας τὸ ὄρος ἐκεῖνο ἐπόλισεν. Καὶ ἦν ἰδεῖν ἐκεῖ παρ' ἑκάστῳ διαφορὰς τῆς ἀσκήσεως πολιτείας. Τοῦτον οὖν τὸν Ἐλπίδιον, τὸν ὄντως τῇ ἐλπίδι χαίροντα, καὶ ὄντα τὸ Χριστοῦ τῇ θλίψει συνομιλοῦντα, ψάλλοντα ἐν νυκτὶ, συμψαλλόντων ἡμῶν αὐτῷ, σκορπίος ἐπάτησεν ὃς ἀποτίσας αὐτὸν ὑδὲ μετέστη τοῦ χνίματος πόσεως, τοσοῦτον τῇ συνομιλῇ ἀλογήσας τὸ κέντρον ὁδυνῆς. Μιᾶς τινων τῶν ἡμερῶν ἀδελφῷ τινος κόμμα κατέχοντος κλήματος, ἔτυχε λαβὼν ὁ Μακάριος ἐν τῇ καθέδρᾳ πλησίον τοῦ ὄχθου τοῦ ὄρους ἔχωσεν ὡς φυτόν, καίτοι ἐν ἀκαίρῳ ὥρᾳ, τοσοῦτον αὐξηθὲν γέγονεν ἄμπελος, ὥστε σκεπάζειν πᾶσαν τὴν ἐκκλησίαν.

2 Τούτῳ τῷ ἁγίῳ ἀθλητῇ Χριστοῦ συνετελειώθη καὶ ὁ ὁσιώτατος θεράπων τοῦ θεοῦ Αἰνείας, ἀνὴρ τὰ αἰξιόλογος, καὶ τῇ ἀσκήσει λαμπρύνας, καὶ Εὐστάθιος ἀδελφὸς τούτου ὁμότιμος, καὶ τοῦ ἀθλεῖν τοῦ Χριστοῦ πολιτείας ἐξανύσας τὸ θρόμους. Ἐπὶ τοσοῦτον δὲ ὁ μακάριος Ἐλπίδιος ἤλασεν ἐν ἀσκήσεως ταλαιπωρίᾳ τὸ σῶμα, ὡς ἥλιον ὀφθαλμῶν αὐτοῦ τὸ ὀστέον τὸ πῆγμα. Φέρεται δὲ καὶ ἔτι ἐν τοῖς τοῦ ὄρους αὐτοῦ διηγήμασιν ὅτι τὸ σκεφάσιν αὐτοῦ μαθητῶν, ὅτι ἐν ὅλαις ἕκοσι πέντε ἔτεσιν ἀδύποτε ἴδη δύσιν ἔστιφον. Καὶ ποτὲ δὲ σκηνοῖς τὸ ὑψος τοῦ ὄρους ἐπεσκόπησε· ἐὰν μὴ ἐξαιφνίας τὸ ἥλιον ἐπὶ τὴν κεφαλὴν τότε γεγενημένον ἴδεν ποτὲ τὴν δύσιν κλίνοντα, ἐὰδὲ οὖν τὴν δυσμὰς ἀνατέλλοντας ἀστέρας ποτὲ ἐθεάσατο ἐν τοῖς ἑκατοντέτεσιν ἔτεσιν. Οὗτος ὁ μέγας ἀθλητὴς ἐκ τομοῦς ἀφ' ἧς εἰσῆλθεν εἰς τὸ σπήλαιον, οὐ κατῆλθεν ἐκ τοῦ ὄρους μέχρις ὅτε ἐτάφη. Ταῦτα τὰ ἐγκώμια ἐγκειμήματα τοῦ σεφανίτου καὶ ἀηττήτου μαρτυρικοῦ Ἐλπιδίου τοῦ νῦν ἐν παραδείσου διαιτωμένου μετὰ τῶν ὁσίων.

3 Τούτου τοῦ ἀοιδίμου Ἐλπιδίου μαθητὴς γέγονεν Σισίννιος ὀνόματι, ἐξ οἰκετικῆς μὲν ὁρμώμενος τυχης, ἐλεύθερος δὲ τῇ τῶν πίστιν, τῇ γένει Καππαδόκης. Δεῖ γὰρ καὶ τὰ γένη σημαίνειν πρὸς δόξαν τοῦ ἐξελομένου ἡμᾶς Χριστοῦ, καὶ εἰς τὴν μακαρίαν καὶ ἀληθινὴν ἀπάγοντος ἡμᾶς εὐγένειαν εἰς τὴν τῶν οὐρανῶν βασιλείαν· χρονίσας οὖν τῷ μακαρίῳ Ἐλπιδίῳ ὁ Ἀσπυρος ἐφεξῆς τῆς τοῦ ἀσκήσεως ἀρετῶν Σισίννιος ἔκτον, ἢ καὶ ἕβδομον ἔτος, καὶ συμμέμαθηκὼς τοῦ ἀνδρὸς τὰς ἀρετὰς, καὶ τὸ καρτερεῖν τῆς ἀσκήσεως πόνων, εἰς ὕστερον ἔτος μνήμασιν ἑαυτὸν ἐγκαθεῖρξεν, ὅπου πέτρα ἔστι σαθεὶς ἐν τῷ μνήματι ἐν προσευχαῖς διετέλει. Μὴ νύκτωρ, μὴ μεθ' ἡμέραν, μὴ καθίσας, μὴ ἀναπεσὼν, μὴ βαδίσας ἔξω.

Οὗτος

A Οὗτος κατηξιώθη χαρίσματος ϗ δαιμόνων. Νυνὶ δ' ἐπανελθὼν ὅπῃ τὴ πατρίδα ἠξιώθη πρεσβυτερίε, συναγαγὼν ἀδελφότητα ἀνδρῶν τε ϗ γυναικῶν, τῇ μαρτυρίᾳ τ ἀπαθείας ἀφ' ἧ στενῆς πολιτείας, ϗ τὸ ἑαυτῦ ἄρρεν τῆς ἐπιθυμίας ἐλάσας, ϗ τὸ τ γυναικῶν θῆλυ τῇ ἐγκρατείᾳ φιμώσας, ὡς πληρωθῇ τὸ γεγραμμένον· Ἐν Χριςῷ Ἰησῦ οὐκ ἔνι ἄρσεν καὶ θῆλυ. Ἐςὶν δ ϗ φιλόξενος καθ' ὑπερβολὴν, καίπερ ὢν ἀκτήμων, εἰς ἔλεγχον τῶν ἀμεταδότων πλουσίων.

nes. Nunc verò reversus in patriam exornatus est presbyteratu, collegitque congregationem virorum ac mulierum, dato testimonio affectuum vacuitatis per honestatem vitæ, & expulsa à se libidine virili, feminarumque cupiditate per continentiam constricta, ut impleatur, quod scriptum est: In Christo Jesu non est masculus neque femina *q*. Est verò & insigniter hospitalis, licèt possessionibus careat, in condemnationem divitum, qui minimè largiuntur. D

q 1

ANNOTATA.

a *Descriptionem loci apud Hervetum præmitti, jam observavi in Commentario num.* 48; *sed num.* 49 *monui eam spectare ad caput præcedens. Nec modò ea annectitur capiti præcedenti apud Meursium, sed etiam in codice Græco Augustano, cujus habemus apographum. In antiqua interpretatione loci descriptio est prætermissa.*

b *De officio & dignitate chorepiscoporum, qui frequentiores erant in ecclesia Orientali quàm in Occidentali, non convenit inter scriptores. Multa de iis collegit Cangius in Glossario: ubi rectè ait:* Primitus institutos ab episcopis chorepiscopos ferè constans est sententia, ut essent eorum vicarii in vicis ac pagis, & episcopalia in iis munera minoris momenti obirent. *Deinde, ut ostendat aliquando presbyteros ordinatos fuisse à chorepiscopis, affert hunc ipsum locum ex interpretatione Herveti, atque ita scribit:* Præterea in Historia Lausiaca apud Palladium cap. 106 legimus
B Elpidium monachum presbyterum ordinatum à Timotheo chorepiscopo. *Verùm consecratus à Timotheo* Elpidius *non dicitur in antiqua interpretatione, sed solùm fuisse ex monasterio Timothei, ac* postea *presbyter factus in Palæstina; eóque trahi debet etiam Herveti phrasis, ne ejus interpretatio contradictionem involvat. Porrò potestatem ordinandi presbyteros non fuisse chorepiscopis, qui hoc solo nomine non erant episcopi, egregiè probat Thomassinus in Opere de Disciplina Ecclesiæ part.* 1 *lib.* 2, *cap.* 1 *&* 2, *ac cap.* 1 *num.* 15 *chorepiscoporum officia sic describit:* Curabant agrorum & presbyteros & ecclesias, quas & in credita sibi regione visitabant. Providebant pauperibus. In ecclesiis suis, accepto presbyterorum & diaconorum testimonio, & episcopi consensu, minores clericos ordinabant. Sine episcopo majoris momenti agebant nihil. Implebant denique vicarii partes, qui levarent episcopum curâ & solicitudine parochiarum ruralium magna saltem ex parte . . . In eo, quod de sua ipsius vita scripsit, Poëmate Gregorius Nazianzenus testatur Basilium Cæsareæ archiepiscopum obnoxios sibi habuisse chorepiscopos quinquaginta. *Ceterum non negat Thomassinus aliquos inter chorepiscopos fuisse, qui dignitate præditi erant episcopali. Verùm id contigit, aut quia gradu suo moti erant judicio canonico, aut ex schismate ad Ecclesiam redierant, aut ordinati ad aliquam ecclesiam ejus possessionem adire vetabantur. Sic enim in inferiori chorepiscoporum gradu servire poterant. Vide laudatum scriptorem.*

c *S. Basilii chorepiscopus erat hic Timotheus. De eo meminit Basilius epistolâ nunc* 24 *(antè* 54, *) ubi eum excusat. Scripsit ad eumdem epistolam* 291 *(olim* 340, *) quâ eum reprehendit, quòd nimiùm esset sollicitus de fama sua apud homines, ac de ipso ait:* Quomodo Timotheus ille, quem à pueritia ita sese ad rectam & asceticam vitam intendisse novimus, ut immoderationis in his rebus accusaretur; nunc ab ea re unicè considerandæ discedens *&c. Hæc verba planè insinuant eumdem esse Timotheum; in cujus monasterio vixit* Elpidius, *cùm nomen, officium, tempus, locus, ac vitæ genus hujus Basiliani Timothei prorsus congruant illi, quem memorat breviter Palladius.*

C d *Vox Græca* ἱκανώτατος *variè exponi potest, uti* maximus, dignissimus, aptissimus. F

e *De hoc initio Actorum consule Comment. num.* 49. *Interpretatio Herveti data num.* 48 *vix intelligi potest. Antiqua eumdem cum nostra exhibet sensum hoc modo:* Elpidius quidam fuit de Cappadocia genus ducens, qui postea & ad presbyteratûs honorem meruit pervenire. Erat autem de monasterio Timothei Cappadocis cujusdam chorepiscopi, viri admodùm magni. Qui Elpidius in una de memoratis speluncis habitaculum sibi fecit.

f *Hervetus sic habet:* Is tamquam regi apum futuro, in medio fraternitatis cohabitans, illum montem ædificavit. *Quam illa verba sententiam idoneè possint exprimere, sanè non perspicio, nec perspiciet lector, opinor. Mendum etiam irrepsit in textum Græcum, illudque mendum videtur esse in voce* ἐσμιλύω, *pro qua substitui potest* εἰκασμιλύος assimilatus, *aut simili ejusdem significationis. Certè antiquus interpres sic habet:* Quem, sicuti apes regem suum, ita innumera multitudo fratrum secuta, fecit quamdam videri in speluncis ipsis ac solitudinibus civitatem. *Eumdem dedi sensum, sed pressiùs adhærere volui textui Græco.*

g *Græcè τῇ ἐλπίδι cum allusione ad nomen. Hinc Hervetus addidit:* Et verè Elpidium.

h *Hervetus* frustum scalarum *mendosè. Antiquus interpres* Sarmenti ex arida vite. *Sed Græcus textus tantùm habet,* frustum palmitis, *aut* sarmenti. *In eo autem solùm videtur factum mirabile, quòd frustum illud sarmenti, importuno tempore plantatum, tam citò creverit.*

i *Utrumque interpretem hîc aberrasse, mihi omninò persuadeo. Hervetus habet:* Cum hoc sancto Dei Athletâ unà etiam fuit consummatus *&c. Antiquus:* Erat autem cum hoc Athleta Christi *&c. Verùm vox Græca* συνετελειώθη *significat* consecratus est simul; *derivaturque à* συντελεόω simul consecro. *Ratio etiam favet huic sententiæ, cùm certò plures vixerint cum* Elpidio *quàm duo hîc relati; sed hi duo cum ipso consecrati sunt. Hinc breviter tantùm de ipsis loquitur occasione* Elpidii. *Ex hoc loco confirmatur, quod diximus in Comment. num.* 49, *Sanctum presbyterum consecratum esse, postquam aliquo tempore in Palæstina vixerat.*

A k *De hiſce nihil alibi reperio, niſi quòd Elpidiani in Piceno aſſerant, ſe eorum etiam corpora habere cum corpore* S. Elpidii. D

l *Tantum in affectiones imperium, quantum antea indicavit, cùm morſum ſcorpii narravit. Nunc enim narrat, quanta corporis maceratione uſus ſit, ut affectiones ſibi tam perfectè haberet ſubditas. Verùm uterque interpres hæc miſcuit: nam antiquus ſic habet:* Uſque adeo autem memoratus Elpidius nullis animi vel corporis paſſionibus ſubjacebat, propriis membris vario abſtinentiæ labore conſumptis, ut ſolis inſtar oſſium ejus junctura luceret. *Hervetus verò hæc dedit:* Eò autem proceſſit beatus Elpidius impatibilitate corpus macerans, ut ſol ejus oſſium fabricam perſpicuè oſtenderet. *Uterque phraſim corrupit, quia voculam ὡς, quæ exprimenda hîc eſt* donec, uſque dum, *aut ſimili modo, per* ut *expreſſit. Primus inſuper erravit, dum oſſa Sancti lucentia dixit: non enim oſſa per maciem lucent, ſed per extremam maciem fit, ut ſtructura oſſium appareat, adhibito lumine.*

m *Conſentit Hervetus quoad ſenſum. Verùm antiquus interpres habet:* Et ſanè ſpeluncæ oſtio mons in altum editus imminebat. *At minus rectè.*

n *Hora ſexta in Palæſtina erat meridies. Sol tunc imminebat capiti, non quidem perpendiculariter, cùm Palæſtina non ſit in Zona torrida, ſed ita tamen, ut non multùm declinaret ad Auſtrum.*

o *Annus emortualis* S. Elpidii *exactè nequit determinari. Natalis Medaglia in Comment. num.* 41 *defunctum vult anno* 393, *loquens de eo, cujus corpus eſt in Piceno, quemque veroſimiliter eumdem cum hoc diximus. At illa auctoritas epitaphii ibi citati nullius eſt valoris. Hæc autem ſatis ſunt certa. Monachus fuit tempore S. Baſilii, aut certè non diu pòſt in monaſterio Timothei chorepiſcopi, & vixit deinde viginti quinque annis in Palæſtina. Defunctus verò erat, dum hanc Hiſtoriam ſcribebat Palladius circa annum* 419 *aut* 420, *ſi credimus Tillemontio. Ex hiſce autem conficitur, obiiſſe eum veroſimiliter ſub initium ſeculi* V, *aut ſaltem ante annum* 420.

B p *In prætermiſſis ad* 12 *Martii notarunt Majores noſtri memorari hunc Siſinnium à Petro de Natalibus cum titulo* Sancti, *uti etiam à Witfordo in Martyrologio Anglico. At ſufficientia cultûs argumenta nec illi invenerunt, nec ego hactenus invenio.* E

q *Poſſunt hæc ſano ſenſu intelligi de eximia puritate, domitiſque inſigniter affectibus. Nam perfecta & omnimoda apathia, ſeu vacuitas affectuum, figmentum eſt Stoicorum, qui de ea falsò gloriabantur, non virtus Chriſtianorum, qui ea voce uſi quidem ſunt, ſed ſenſu minùs proprio.*

DE S. ELPIDIO SEU HELPIDIO EPISCOPO CONFESSORE

LUGDUNI IN GALLIA,

J. S. SYLLOGE HISTORICA.

SECULO V ANTE MEDIUM. *Cultus Sancti in eccleſia Lugdunenſi;*

C *Duos hoc die in Martyrologio Romano annuntiari Elpidios, jam monui in Elpidio abbate, de quo mox diſputavimus. Alterum etiam memorant antiquiores, videlicet Ado, Uſuardus & Notkerus. Primus his utitur verbis poſt annuntiatum S. Juſtum ejuſdem urbis Lugdunenſis epiſcopum:* Eodem die, beati Helpidii epiſcopi apud præfatam urbem venerabilis depoſitio. Cujus ſacrum corpus honorificè ſepultum, in ipſa eademque eccleſia (ſeptem fratrum Machabæorum, *uti antè dixerat, nunc* S. Juſti *dicta,*) *ubi* ſancti confeſſoris Juſti tumulata ſunt ſacratiſſima membra, quieſcit. *Breviùs Uſuardus his verbis:* Eodem die, apud præfatam urbem (*Lugdunum*) ſancti Helpidii epiſcopi & confeſſoris. *Notkerus verò:* Eodem die in præfata urbe (*Lugduno*) Elpidii ejuſdem civitatis epiſcopi. *Auctor Florarii Ms. de eodem ſic habet:* Eodem die apud præfatam urbem ſancti Elpidii epiſcopi & confeſſoris. Hic vir hoſpitalitatis & caritatis, verbo ſalutis plures inſtruxit, & ſtudio abſtinentiæ omne deſiderium carnale devicit. *Sauſſayus demum, ut mittam alios neotericos, Sanctum noſtrum in Martyrologio Gallicano celebrat in hunc modum:* Ipſo die ſancti Helpidii epiſcopi ejuſdem civitatis, & confeſſoris, qui poſt prælibatum Antiochum ſedis hujus nobiliſſimæ gubernacula gerens, ſanctorum ſuorum deceſſorum præclaras actiones pia æmulatione ſectatus, ſanctitate, doctrinâ & miraculis coruſcavit; tandemque rerum divinè geſtarum in felici populi cura, & aſſidua Chriſti ſervitute cumulatus, æternæ remunerationis adeptus eſt præmia. Tumulatus fuit in ſupradicta Machabæorum eccleſia, ubi communi cum ſancto Juſto, (cujus hæres non modò fuit ſedis, ſed & virtutis) honorificentiâ percolitur. F

2 *De geſtis* S. Elpidii *nihil ferè ad poſterorum memoriam pervenit. Neoterici ſcriptores ſolum ferè adducunt Petrum de Natalibus, qui lib.* 8 *cap.* 27 *breve hoc concinnavit elogium:* Elpidius Lugdunenſis epiſcopus fuit, qui multa ſanctitate flagravit & doctrinâ, & miraculis coruſcavit. Qui & populum Dei ſibi commiſſum felici cura gubernans, apud præfatam civitatem IV Nonas Septemb. in pace quievit; ſepultus in eccleſia ſanctorum ſeptem Machabæorum, in qua ſancti Juſti ejus prædeceſſoris epiſcopi membra tumulata requieſcunt. *Theophilus Raynaudus in Hagiologio Lugdunenſi pag.* 45 *relatis hiſce verbis ſubdit ſequentia:* Idem (*de corpore*) habet antiquus Syllabus reliquiarum illius eccleſiæ. Itaque

pauca de geſtis ejus cognita: corpus ſepultum ac deinde inventum

A que hallucinatus est, qui cum Ferrario (*in Topographia ad vocem* Lugdunum) nuper scripsit (*Claudius Robertus*) corpus S. Elpidii Lugdunensis episcopi quiescere apud Picenos in pago, cui à sancto Præsule inditum nomen. Verùm eam appellationem à quiescente ibidem sancto Elpidio abbate dictam, liquet ex tabulis ecclesiasticis 2 Septembris. *Consentit hisce Gallia Christiana recusa tom.* 4, *col.* 18; *uti & Severtius in Chronologica historia archiepiscoporum Lugdunensium pag.* 39, *ubi & de inventione corporis ejus octo doctorum affert testimonium nonnihil mendosum; at menda corrigam ex assignando apud nos instrumento, ubi sic legitur:* Item in alio sepulcro reperimus corpus B. Helpidii, confessoris & archiepiscopi Lugdunensis, cujus sacrarum vestium, quibus induebatur, sicut dictum est de B. Antiocho, adhuc vestigia manifesta demonstrabantur. Cujus etiam sepulcri locum epitaphium suprapositum ostendebat.

3 *Tempus & locum aliaque adjuncta inventi hujus aliorumque corporum describit pag.* 300 *in Rodulpho II* § 2. *Ecclesia, in qua corpus inventum, est* S. Justi, *qua antè erat* Machabæorum. *Annus notatur* 1287, *dies* XXIX *Augusti. Totum verò inventionis instrumentum editum est apud nos in S. Irenæo tom.* V *Junii pag.* 345 *&* 346, *quò & lectorem remittimus, si nosse cupias cujus auctoritate, & per quos res tota fuerit peracta. Demum huic instrumento apud nos præmittuntur verba Chronicæ illius ecclesiæ, in qua sic legitur:* Item (*in ecclesia S. Justi habetur*) corpus beati Elpidii Lugdunensis episcopi XVI. *Nullum igitur est dubium, quin hujus Sancti corpus Lugduni fuerit servatum usque ad annum* 1562, *quo urbs illa occupata fuit ab hæreticis, qui ecclesiam S. Justi everterunt, sacraque omnia impiè profanarunt.* AUCTORE J. S.

in ecclesia septem Machabæorum, nunc S. Justi:

B

4 *Quotus fuerit Lugdunensium episcopus* S. Elpidius, *non convenit inter scriptores. Chronica mox citata statuit antistitem XVI, Gallia Christiana recusa XVII, Severtius XVIII. At omnes illi successorem faciunt S. Antiochi. Annum primum episcopatus nullus assignare exactè potuit, uti nec emortualem. Verùm Severtius sedisse putat circa annum* 424, *Raynaudus circa* 425 *nec ab iis dissentit Gallia Christiana, licèt annum designet nullum, cum ex annis decessorum & successorum colligi possit circa assignatos annos floruisse* S. Elpidium, *non tamen tam exactè, ut aliquot annis citiùs aut seriùs ecclesiam Lugdunensem regere non potuerit. Hinc minimè assentiri possum Severtio, qui credit* Elpidium *hunc forsan eumdem esse cum Elpidio Laodicea Syriæ episcopo, quod aliunde nullo modo est probabile. Adfuit Elpidius Laodicenus concilio contra S. Joannem Chrysostomum congregato anno* 404, *defenditque Chrysostomum, quantùm potuit, jam tunc* senex mente & canitie, *ut habet Palladius in Dialogo. Qua ergo verisimilitudine credit Severtius hunc circa annum* 424 *præfectum ecclesiæ Lugdunensi? Consulat solùm lector quæ de Elpidio Laodiceno scribit Tillemontius tom.* XI *in Chrysostomo art.* 102, *ubi videbit virum egregium episcopatu suo privatum fuisse ob defensionem Chrysostomi, at eidem restitutum circa annum* 414, *ita ut minimè dubium sit, quin Lugdunensis* Elpidius *à Laodiceno sit diversus. Plura de hoc Sancto commemoranda non reperio.* *floruit circa annum* 424, *ac alius est ab Elpidio Laodiceno.*

E

DE S. OCTAVIANO EREMITA CONF.

PROPE VOLATERRAS IN TUSCIA,

COMMENTARIUS PRÆVIUS. J. L.

C § I. Memoria in Fastis recentioribus; cultûs antiquitas; Officium proprium. F

VERISIMILIUS ANTE SEC. VI. *Volaterrarum patronus S. Octavianus à recentioribus, quorum annuntiationes*

Inter Plumbinensem principatum ad Meridiem & Florentiam ad Septemtrionem, inter Senas ad Orientem & Pisas ac Liburnum ad Occidentem, haud procul à dextera Cecinæ & sinistra Eræ ripa, vetustissima jacet Etruriæ civitas, quam antiqui Volaterras, *medii & infimi ævi scriptores non pauci Latinè etiam* Volterras & Vulterras *dixerunt, patrium vulgi idioma secuti, qui* Volaterrarum *nomen in* Volterra *contraxit. Urbs hæc inter Patronos suos retulit* S. Octavianum, *quem* 2 *Septembris Officio clerus invocat ecclesiastico. Antiquiorem in Fastis sacris de hoc Sancto memoriam non invenio, quàm in Martyrologio Usuardi Florentino aucto, quod hoc die ita eum refert:* Apud civitatem Volaterranam sancti Octaviani eremitæ & confessoris, natione Africani, miræ sanctitatis viri & miraculis glorioſi. Hic venit cum sancto Regulo episcopo ad prædictam urbem; qui demum in una arbore ulmi vitam finivit, cujus corpus ibi requiescit in ecclesia cathedrali. *Ex numeris* 28, 31 *&* 33 *Commentarii, quem de S. Regulo ad* 1 *Septembris dedi, satis manifestum est, eum cum discipulis suis Cerbonio & Felice, quibuscum ex Africa in Italiam exsul advenerat, substitisse prope Populonium, urbem olim Tusciæ maritimam, ibidemque reliquam vitam solitariè traduxisse in eremo, in qua martyrio sub Totila anno* 542 *coronatus fuit. Unde non credo ego, quod dictum Martyrologium seculo* XV *non antiquius asserit; nimirum ipsum ulteriùs progressum simul cum* S. Octaviano *Volaterras pervenisse. Imò ne quidem affirmare ausim, hunc fuisse ex sociis S. Reguli ex Africa in voluntarium exsilium abeuntis: nam verisimilius est, ut infrà videbitur, diversis eos seculis in Etruriam extorres adventasse.*

2 *Additiones Mss. Cartusiæ Bruxellensis ad*

AUCTORE J. L. *observationibus excipiuntur, martyrologis tantùm refertur:*

Uſuardum Greveni breviter Sanctum memorant: Eodem die beati Octaviani confeſſoris; *utì & Ferrarius in Catalogo generali Sanctorum:* Volaterris in Thuſcia S. Octaviani confeſſoris. *Addit in Notis:* Ex Tab. eccleſiæ Volaterranæ, à qua præcipuè colitur ut urbis protector hoc die. Comes fuit SS. Juſti epiſc. & Clementis presbyteri; quibuſcum ex Africa in Hetruriam venit, ac vitam apud hanc urbem egit ſolitariam. *Juſtum & Clementem Volaterrani ſuos etiam ut patronos venerantur die* v *Junii, ad quem de illis egit Papebrochius. Quòd Sanctus noſter utrumque ex Africa in Etruriam Volaterras uſque comitatus fuerit, extrà controverſiam eſt. Sed an Juſtus, ut hîc aſſeritur, epiſcopus fuit, Volaterrarum ſcilicet, Clemens verò presbyter? Paſſim id quidem creditur, Papebrochius tamen laudatus in Commentario prævio cenſet, eos veriſimiliter nullo ſacro Ordine initiatos fuiſſe. Caſtellanus in Martyrologio univerſali* S. Octavianum *annuntiat* III *Septembris, ſed perperam: nam pridie ejus feſtivitas in diœceſi Volaterrana agitur. His autem utitur verbis, quæ ex Gallicis Latina feci:* Apud Volaterras in Tuſcia S. Octaviani presbyteri eremitæ, cujus nomen gerit templum in loco, ubi mortuus eſt; & cujus corpus honoratur in cathedrali Volaterrana. *Ego alios Sancto titulos non dedi, quam* eremitæ & confeſſoris, *qui ipſi certò conveniunt. Caſtellanus etiam* presbyterum *agnominat; quam dignitatem, licèt à multis aliis aſſertam, ipſi adſcribere non audeo ob rationes* § 4 *in fine adferendas. Elogia, quibus ipſum ornant Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ, aliique recentiores; huc non tranſcribo, quia quæ continent, majori ex parte valde incerta ſunt, & infrà examini ſubjicienda.*

B

antiquus tamen ejus eſt cultus in loco, ubi obiit, & Volaterris.

3 *Uno milliari ultra rivum Eram, qui Volaterrarum agros verſus Septemtrionem jacentes præterlabitur & ad Occidentem declinans in Arnum ſe exonerat, tribus verò ab ipſa urbe miliaribus locus ſitus eſt, ubi ſanctus Eremita auſteram in cava ulmo vitam mirabiliter duxit & ad feliciorem tranſiit, ſeculone quinto an ſexto,* § 4 *diſcutietur. Seculo* VII, *vel fortè etiam citiùs, utì colligere eſt ex dicendis num.* 59, *modicam accolæ ibidem eccleſiam ſupra ejus tumulum exſtruxerunt: quâ dein bellorum incurſibus dirutâ, Andreas epiſcopus Volaterranus ſub medium ſeculi* IX, *ut inferiùs num.* 63 *demonſtrabitur, ſacrum corpus inde tranſlatum honorificè condidit in eccleſia ſua cathedrali, & antiquo ſanctiſſimæ Virginis Mariæ capitulo novum canonicorum collegium addidit, &* S. Octaviani *nomine nuncupavit. Novam etiam & priore ampliorem eccleſiam ei erexit in loco, ubi antea quieverat. Tranſlatio facta eſſe traditur die Veneris ante Dominicam Palmarum, quo ejus memoria recolitur. Porrò de inſigni cultu, quem dicto die & 2 Septembris ejus natali, ut creditur, tum Volaterris tum in loco emortuali jam à tot ſeculis adeptus eſt, quique ad hæc uſque tempora utrobique viget; de hiſtoria corporis in urbem tranſlati & in templo ejus principe depoſiti, de miraculis aliiſque ad gloriam Sancti poſthumam ſpectantibus varia ad manum ſunt documenta, quæ infrà opportuniùs producentur. Ex illis ſtrictim hoc loco prælibare placuit, quæ cultûs Sancto delati antiquitatem indicent.*

C

4 *De publica veneratione, quâ poſterioribus ſeculis honoratus fuit, nihil etiam nunc adfe-*

ram, niſi Officium, quod anno 1520 *in eccleſia Volaterrana, vetere abrogato, de eo recitari cœptum fuit. Non modò novem ejus lectiones hymnique ad Veſperas, Matutinum & Laudes, ſed etiam, quæ in illis dicuntur antiphonæ, reſponſoria & verſus, de Sancto propria ſunt. In calce libelli, in quo Officium iſtud inter alia exſtat, rubris characteribus additur:* Hæc Officia, ut in univerſali Eccleſia dici poſſint auctoritate apoſtolica per Breve Leonis X die v Novembris MCCCCCXIX conceſſum; in eccleſia verò Volaterrana mandatum. *Illorum auctor in Præfationis titulo, libelli frontem occupante, ſe Raphaëlem vocat, quem Auguſtinus Florentinus citandus num.* 25 *& alii ab iſto Raphaële non diſtinguunt, qui à familia cognomen Maffæi, & à patria agnomen Volaterrani accepit. Hymnus, qui ad Veſperas & Laudes clero Volaterrano recitandus præſcribitur, metro carminis Sapphici, Adonio de more intercalati, illigatur. Ejus initium explanatione aliqua indiget, quam prout hîc præmitto. Volaterrarum, quas alloquitur hymni auctor Raphaël, ille nimirum, ut creditur, qui ab urbe cognomentum gerit,* prima Tyrrhenus poſuiſſe Lydus mœnia ... dicitur. *Idem ſcribit lib.* 5 *Commentariorum urbanorum editionis Baſileenſis fol.* 51: *nam poſtquam aſſeruerat Volaterras fuiſſe inter duodecim principes Etruriæ civitates, mox ſubdit:* Tyrrhenos quoque Græci Hetruſcos vocant à Tyrrheno Lydorum duce, huc applicante ac XII civitates conſtituente annis ante bellum Trojanum ferè centum, ante verò urbem conditam trecentis. *Tyrrhenum ex Lydia Aſiæ provincia in Etruriam colonos duxiſſe, & ab eo regionem* Tyrrheniam *& incolas* Tyrrhenos *fuiſſe vocatos, veteres ſcriptores tradidere quamplurimi apud Cluverium lib.* 2 *Italiæ antiquæ cap.* . *Ab eodem duodecim in Etruria urbes fuiſſe conditas diſertè affirmat Strabo Geographicarum rerum lib.* 5. *Volaterras ex illarum numero fuiſſe præter Raphaëlem cenſent laudatus Cluverius cap.* 3 *& multi alii. Nunc ſacrum poëma Audi.*

D

Officium proprium à Leone X approbatum; hymnus, cujus initium exponitur,

ad Veſperas & Laudes cum oratione:

5 Plaude jam tanto celebris Colono,
Qui tuos fines habitavit, alto
Colle conſiſtens, patriamque liquit,
Hoſpita tellus.
Quo magis longè decoraris, ac quum
Prima Tyrrhenus poſuiſſe Lydus
Mœnia, ac iſtas tenuiſſe ſedes,
Dicitur olim.
Hic feris tantùm ſocius, cubile
Straverat dura nemoris ſub ulmo,
Frondeo nudos cohibens amictu
Corporis artus.
Imbrium, ſolis, famis atque ſomni
Corde dureſcens alacri labores
Pertulit cunctos, quibus ille cœlum
Nunc tenet altum.
Inde tranſlati populo frequenti
Corporis dudum monumenta ſacri
Continent templo ſimul ac adorant
Nunc Volaterræ.
Ergo jam ſexus ſimul omnis ordo,
Dum licet, Patrem lacrymis ciamus,
Ejus ut fiſos meritis clientes
Ducat in aſtra.
Gloria excelſo Domino perennis,
Qui poli celſa reſidens in aula
Totius molem moderatur orbis
Trinus & unus.

E

F

Recitato cantico Magnificat, *repetitâque antiphonâ*

A *nâ de Sancto propriâ, legenda eſt hæc oratio :* Suppliciter clementiam tuam imploramus, omnipotens Deus, ut beati Octaviani confeſſoris tui interceſſio & ab omni hoſtium incurſu nos ſemper muniat, & perpetuæ vitæ adire gaudia continuò nobis adjutor exiſtat. Per Dominum.

alter hymnus ad Matutinum :

6 *Hymnus ad Matutinum conſtat ex verſibus Aſclepiadeis, quorum tertius Glyconio excipitur.*

Nobis jam redeunt ſacra ſolemnia,
Lux fauſta exoritur : pſallite ſinguli,
Altis ingeminet carmina vocibus
Noſter cum populo chorus.
Natalem colimus nobilis Hoſpitis,
Qui linquens patriæ dulcia prædia
Ac hoſtis fugiens impia dogmata,
Noſtrum hoc applicuit mare.
Nunc aram illius innectite floribus,
Trunci relliquias inſuper ulmei.
Quo membra operuit frigida, udula,
Ad ſacrum caput addite.
Salve ſpes patriæ, quam duce credimus
Te ſtare incolumem, nos quoque ad æthera
Tranſmitti vario crimine liberos,
B Diviniſque frui bonis.
Æterno imperium & gloria Principi,
Qui cunctos proprio ſanguine noxios
Patri concilians, reddit idoneos
Cœlum ſcandere fulgidum.

lectiones 1 Nocturni Octavianum cum S. Regulo exſulaſſe aſſerunt : errores circa tempus,

7 *Lectiones primi Nocturni etiam in feſto SS. Juſti & Clementis recitantur, quibuſcum* S. Octavianus *ex Africa fugit & Volaterris aliquamdiu moratus fuit. Prima ita incipit :* Imperante ſiquidem in Oriente Chriſtianiſſimo principe Juſtiniano, Gothis autem Totila duce Romam tenentibus, anno ſalutis viceſimo ſupra quingenteſimum, quum gens perfida Vandalorum Africam annis prope nonaginta occupaſſet; poſtremò rex eorum Gilimer *&c. In lectione ſecunda & tertia dicitur S. Regulus fugiendæ perſecutionis, à Gelimere excitatæ, conſilium cepiſſe, & tempeſtate precibus ſedata in Etruriam appuliſſe :* Comites futurunt, *inquit illarum auctor,* epiſcopi duo Felix & Cerbonius, presbyteri totidem pariterque fratres Juſtus & Clemens, quintus Octavianus. *Turpiſſimè contra chronologiam errat lectionum auctor, dum dicit* anno ſalutis viceſimo ſupra quingenteſimum *in Oriente imperaſſe Juſtinianum, Romam tenuiſſe Gothos ſub Totila, & Gelimerem regnaſſe in Africa atque Catholicos perſecutum fuiſſe : hic enim ante annum* 530 *Hilderici regnum non invaſit; iſti ſub Totila ante annum* 546 *Romam non expugnarunt; ille ante annum* 527 *non imperavit.*

C

quos Volaterrani corrigendos cenſuere; ſed an Sancti exſilium anno 520 *rectè innectunt?*

8 *De Sanctorum Volaterranorum reliquiis, ſub finem anni* 1647 *& ſequentis initium recognitis, inter muſei noſtri manuſcripta inſtrumentum ſervatur notatum* ✠ *Ms.* 164, *ex quo poſt hunc Commentarium de* S. Octaviano *non pauca excerpentur. Ex iis, quæ ſcribuntur folio* 10 *verſo intelligo, clerum Volaterranum anno* 1647 *adhuc legiſſe primam lectionem dictis erroribus chronologicis fœdatam. Verùm cùm idem inſtrumentum ſimul moneat illos corrigendos eſſe, non credo quòd etiam nunc in diœceſi Volaterrana recitentur. Correctio autem, quæ adferenda judicatur, eſt hæc, ut pro Juſtiniano imperatore deceſſor ejus Juſtinus, pro Totila Theodoricus, & pro Gelimere Traſamundus ſubſtituatur, retento anno* 520, *quo principes iſti vixerunt. Hac emendatione tollitur quidem temporum confuſio; ſed an annus rectè definitur, quo SS. Juſtus, Clemens &* Octavianus *Wandalorum perſecutionem declinarunt ? Tantùm abeſt, ut is determinari poſſit, ut ne quidem certum ſit, an ſeculo* VI *cum SS. Regulo, Cerbonio & Felice in exſilium diſceſſerint : eos ſeculo* V, *Catholicos in Africa vexante Genſerico, fugere compulſos fuiſſe, argumenta ſuadent non levia; quæ* § 14 *adferentur. De lectionibus ſecundi & tertii Nocturni conſule* § 5, *ubi integræ edentur.*

AUCTORE J. L.

§ II. Oſtenditur requiſitæ antiquitatis defectus & temporum confuſio, quibus laborant ea, quæ de Sancto ſcriptor anonymus & Blaſius monachus tradiderunt.

Acta S. Octaviani ſincera deſiderantur E

Manifeſtis contradictionibus, anachroniſmis, atque aliis contra hiſtoriæ leges defectibus vitiata atque involuta ſunt pleraque, quæ de S. Octaviano *litteris mandata invenio. Si ſperare auderem, fore ut lector mihi id generatim aſſerenti crederet, de Sancti vita ea tantùm hic obiter perſtringerem, de quibus nullum poteſt eſſe dubium aut controverſia : quæ ſanè admodum pauca ſunt, utì ex ſequentibus intelligetur. Verùm cùm alios ex meo metiar ingenio, qui cenſuras, alienis ſcriptis detrahentes improbo, niſi evincatur vel aliunde conſtet, eas meritò ferri; non potui non id conſilii capere, ut hoc & ſequente paragrapho oculis & judicio legentium ſaltem iſta committerem, quæ poſterorum memoriæ de ſancto Confeſſore tradita ſunt ab iis auctoribus, qui vel ob ſuam vel ob inſtrumentorum, quibus nituntur, antiquitatem minùs ſuſpecti videri poſſent.*

Quæ de eo litteris mandavit F

10 *Inter manus verſatur anonymi lucubratio, quæ potiùs inepta quædam homilia in* S. Octaviani *laudem dicenda eſt, quam Vitæ deſcriptio. In noſtro apographo ei titulus hic præfigitur :* Natale ſancti Octaviani confeſſoris. *Ad marginem notatur :* Ex bibl. Conſt. Cajet. *Initium eſt :* Juſtè & decenter, fratres dilectiſſimi, eſt præpoſitum, commodè & prudenter conſtat ſtatutum, hodie nobis eſſe celebrandum ſanctiſſimi confeſſoris & patroni noſtri Octaviani venerabile feſtum. *Illa, quæ de Sancti geſtis circa medium adferuntur, huc tantùm tranſcribam.* Omnia enim, quæ habuit, ſupplicitet & gratioſè pauperibus diſtribuit, & Chriſti ſecutus veſtigia, qua ortus fuerat, reliquit parentes & patriam .... Cùm enim Africæ Vir cælebs omni mente Chriſtum coleret; adeo in Chriſtianos paganorum atrocitas cœpit ferveſcere; ut omnes præſenſi vitæ ſummo cruciatu & etiam beſtiarum more dilaniando acceleraret auferre. Tali rabie gentilium mentes flagrante; Vir Dei non exinde exterritus, aut ullum tormentum veritus (quia verberari, atrociter affligi, ſuſpendi, etiam mori pro Chriſto erat paratus) receſſit, ut Domini impleret præceptum, quod dicit : Cùm ,, vos perſecuti fuerint in una civitate, fugite in ,, aliam ,,. Idcoque viris ſanctis, ſcilicet beato archiepiſcopo Regulo atque duobus epiſcopis Cerbonio & Felici, necnon Juſto & Clementi compresbyteris confeſſor Dei Octavianus adhæſit, & cum illis maria tranſvectus ad Italas partes venit.

AUCTORE J. L. *auctor anonymus,*

11 Sed post hæc Justum & Clementem solummodo secutus, advenit urbem Antoniam, quo tempore eam obsidendo crudeliter rabies devastabat Vandalorum, quibus impiissimus imperator Totila tyrannica fræna laxabat. Verùm horum trium consilio urbs freta, ab hostium oppressione est liberata: & eorum itaque sacratissimorum corporum præsentiâ & protectione usque in hodiernum diem est munita. *De Sancti vita solitaria, prope Volaterras acta, ita scribit:* Circiter mille passuum spatia citra Eræ fluvium, qui ab Orientali parte præfatæ urbis decurrit, locum petivit desertum, incultum; ubi incolendo eremum imitaretur Christum . . . Eo autem in loco, ubi Vir sanctus persistit *, non sedile, nec lectum aut umbraculum gratum fecit; sed & cavam ulmum reperit, in cujus alvo non congruè sedere vel jacere aut stare valens latuit; ibique crucifigendo se vitiis & concupiscentiis infatigabiliter & desideranter insistebat jejuniis & orationibus atque vigiliis. *De situ loci, ubi sanctus Eremita vixit, vide num.* 58.

* persistit

B

12 *Auctor anonymus Volaterras, à SS. Justo, Clemente & Octaviano obsidione liberatas,* Antoniam *vocat. Nominis originem assignat Raphaël Volaterranus lib.* 5 *Commentariorum urbanorum folio* 51 *versa:* Quo sanè tempore, *cum scilicet Hungari seculo* x *Italiam vastarent,* reperio Volaterras desolatas atque ab eisdem incensas, pauciscque deinde pòst annis ab Otthone primo . . . in eum, qui nunc cernitur, murorum ambitum breviorem restitutas fuisse, missis eò Germanis simul cum antiquis ejus loci familiis ad incolendum; ac ejus nomine OTHONIAM appellatam, quam posteri corrupto vocabulo ANTHONIAM vocavere. *Licèt apud scriptores Raphaële antiquiores invenire non potuerim, Volaterras sub vel ab Ottone I reædificatas fuisse, verisimilitudine tamen non caret, quòd ab eo* Antoniæ *appellationem traxerint. Usi hac sunt auctores variis; sed eorum nullus est, qui dictum imperatorem, anno* 973 *mortuum, vetustate superet. Scriptor Vitæ S. Romuli episcopi tom.* 2 *Julii pag.* 255 *&* 260, *Bliderannus in Actis SS. Justi & Clementis tom.* 1 *Junii pag.* 438, *anonymus qui eorumdem miracula conscripsit ibid. pag.* 443 *videntur esse ex antiquioribus, qui Volaterras* Antoniæ *nomine vocaverunt; sed omnes seculo* x *juniores esse judicantur: unde eruitur novum vocabuli usurpationem non invaluisse ante annum millesimum, & consequenter ea, quæ numero præcedente transcripsi, litteris consignata esse multis post* S. Octavianum *seculis, qui floruit, dominantibus in Africa Wandalis, quam anno* 534 *Justinianus illis eripuit & imperio Romano restituit.*

Seculo 10 *junior, uti colligitur ex nomine Antonia, quo Volaterras appellat,*

C

13 *Sed & aliunde cognoscitur fidem instrumenti, cujus partem dedi, plurimùm vacillare. Dicitur in eo* S. Octavianus *cum Justo & Clemente advenisse* urbem Antoniam, quo tempore eam obsidendo crudeliter rabies devastabat Vandalorum, quibus impiissimus imperator Totila tyrannica fræna laxabat. *Uti per vocem* Antonia *requisitæ antiquitatis defectum, ita fraudem prodit inscientiam, scriptor anonymus, dum Totilam, Gothorum regem, vocat imperatorem Wandalorum Volaterras obsidentium. Si urbs hæc non à Gothis, sed revera à Wandalis oppugnabatur, cùm* S. Octavianus *Justo & Clemente comitantibus, ad eamdem pervenirent; dicendum videtur id contigisse seculo* v *regnante Genserico, sub quo Wandali Italiam frequenter invasisse legantur apud Procopium lib.* 1 *de bello Wandalico cap.* 5, *& alios veteres scriptores, quorum nullus, alicujus meminit irruptionis, à barbaris illis seculo sequente factæ. Sed si Sanctus noster Volaterras adiverit, seculo* v *à Wandalis obsessas, quomodo verum esse potest, quod antea asseruerat scriptor anonymus, nimirum illum se comitem adjunxisse SS. Regulo, Cerbonio & Felici episcopis, quos seculo tantùm sexto in exsilium abiisse certò constat? At Volaterræ obsidione cinctæ erant à Totilæ militibus seu Gothis, quos scriptor inerudituus male Wandalos vocat. Hanc vim si ingroberis, alias impingis in difficultates. Totilas regnare cœpit anno* 542 *septem annis post Wandalicum regnum in Africa exstinctum, octodecim verò post mortuum Trasamundi, sub quo Arianorum persecutio SS Regulum, Cerbonium & Felicem probabilius exsulare coegit, uti in hoc tomo pag.* 233 *ostensum est. Verùm si eorum comes fuerit* S. Octavianus, *& post appulsum ad Tuscia littora ab iisdem se cum Justo & Clemente sejunxerit, & Volaterras perrexerit, ac dein primùm in solitudinem recesserit; an verosimile est, ipsum non citiùs ad urbem istam venisse, quàm cùm à Gothis sub Totila obsidione premebatur?*

anachronismus

D

E

14 *Præterea sub qua seculi* VI *Wandalorum* rege adeo in Christianos paganorum, *vel potiùs Arianorum,* atrocitas cœpit fervescere, ut omnes præsenti vitæ summo cruciatu & etiam bestiarum more dilaniando acceleraret auferre? *Persecutionem tam sævam, quam* S. Octavianus *declinasse dicitur, multo iterum aptiùs referes ad tempora Genserici qui plurimum Christiani sanguinis effudit usque ad annum* 477, *quo obiit. Afri Catholici tam crudelem fidei causâ persecutionem seculo* VI *passi non sunt. Alii tunc Wandalorum in Africa reges non fuerunt, quàm Gelimer, Hildericus & Trasamundus. Sub hoc quidem rege vexati fuerunt ecclesiæ Africanæ antistites & plurimi in exsilium pulsi; sed neque in hos neque in alios Orthodoxos ullus barbarus, quàm scribit anonymus, modo sub Trasamundo unquam sævitum fuit. Hildericus, princeps mansuetissimus, Catholicis favit. Gelimer crudelis quidem fuit; sed in eos, quos sciebat aut suspicabatur ab Hilderici partibus stare, cujus regnum invaserat. Certè in Fastis sacris nullum invenire potui, qui sub ipso videatur pro Christi fide martyrium subiisse.*

involvuntur.

F

15 *Liquet ex dictis, quam perturbata quæque parùm cohærentia sint, quæ anonymus de* S. Octaviano *scripsit. Non minùs confusa sunt atque inter se pugnantia, quæ de ejus exsilii tempore & sociis referuntur in altero instrumento Ms., cui in apographo nostro præmittitur* Vita S. Octaviani confessoris, ex compilatione anonymi, cujus prologum vide post Legendam S. Zenobii ex biblioth. Med. Flor. plut. XIII *Papebrochius tom* VI *Maii pag.* 51 *prologum hùc memoratum edidit unà cum elencho Sanctorum, quorum Acta describuntur in codice membranaceo, qui Florentiæ in bibliotheca Mediceæ Laurentiana pluteo vigesimo asservatur. Inter Sanctos illos ordine decimus-tertius occurrit* S. Octavianus, *vigesimus Si Lucensis, cujus mors ad diem* XXVIII *Aprilis, ad quam ejus Vita illustrata est, affigitur anno* 1260. *Unde cognoscitur, Sancti nostri Vitam conscriptam esse ab auctore, cujus antiquitas seculum* XIV *multùm excedere non potest. In calce codicis, teste laudato Papebrochio, subjungitur:* Scriptum manu pecca-

Sancti Vita à Blasio monacho, qui seculo 14 *multo antiquior esse nequit, conscripta; in cujus initio*

A ris cujuſdam, nomine Blaſii, indigniſſimi ſacerdotis & monachi. *Credere licet, hunc eſſe ſcriptorem totius Operis, ac proinde etiam Actorum* S. Octaviani, *quæ illius partem conſtituunt, atque hunc in modum enarrantur:* Octavianus ex Africana provincia ab honorabili & locupleti proſapia traxit originem. Hic à primario juventutis ſuæ flore Apoſtolorum, tractus divinitus, veſtigiis inhærens, Deo ſervire decrevit, &, quoad vixit, fideliter adimplevit. Nam cuncta, quæ paterna hæreditate poſſidebat, vendidit, & de craſtino nil cogitans, unâ tunicâ veſtitus ſolum & chlamyde, morâ poſtpoſitâ, pauperibus erogavit. Quod dum ad præſidis ibi pro Romano imperatore notitiam deveniſſet, in eum ſuam ſeveritatem exercere propoſuit; ſed divina providentia hæc operari non ſinit: nam cum SS. epiſcopis Regulo, Cerbonio, Felice, Juſto & Clemente commilitonibus ſuis, ſuam patriam dereliquit, & ad civitatem Antoniam, quæ nunc dicitur Vulterrana civitas .... properavit: ubi propter obſidionem, quæ illic erat gentis Wandalicæ, ſolus cum SS. Juſto & Clemente remanſit.

B *turpis detegitur temporum perturbatio:*

16 Enormiter ſanè hallucinatur Blaſius monachus. Præſes quidam in Africa pro Romanorum imperatore ſævire decernit in S. Octavianum *ob cauſam non veriſimilem, quia ſcilicet bona ſua pauperibus elargitus fuerat. Hinc conſequitur, ut perſecutio, cui ſe ſubduxit, contigerit extra tempus, quod fluxit ab anno circiter 417 uſque ad 534: nam intra illud Romani imperatores nullos provinciarum aut urbium præſides præfectoſve in Africa habuerunt; quia univerſa ſub Wandalorum poteſtate erat. Nihilominus intra dictum temporis ſpatium Sancti exſilium accidiſſe ait idem Blaſius, dum eum adhæſiſſe ſcribit SS. Regulo, Cerbonio & Felici epiſcopis, quos certiſſimum eſt ſeculo VI ſuas reliquiſſe ſedes, antequam Africa Romano imperio, deletis Wandalis, reſtituta erat; quod anno 534 factum eſt. At huic contradictioni mox iterum contradicit, dum* S. Octavianum *cum Juſto & Clemente poſt adventum in Tuſciam Volaterris ſubſtitiſſe aſſerit* propter obſidionem, quæ illic erat gentis Wandalicæ: *nam apud antiquos ſcriptores nihil uſpiam occurrit, quod credibile faciat, Wandalos ſeculo VI hoſtiliter in Tuſciam excurriſſe. Imò ex illorum teſtimoniis num. 38 & ſeq. deducemus, barbaros iſtos tunc nullam Italiæ oram infeſtaſſe. Si itaque Wandali Volaterras obſidebant, cùm* S. Octavianus *ibidem exſularet, hujus fuga retrahenda eſt ad regnum Genſerici, qui paulò poſt mortem Valentiniani imperatoris, quæ anno 455 contigit, non modò totam Africam ſibi ſubjecit; verùm etiam ſingulis annis in Italiam trajicere cœpit, cujus varias regiones vaſtavit, atque urbes diripuit: harum aliquas etiam fruſtra tentavit, è quarum numero Volaterræ eſſe potuerunt. Veterum teſtimoniis hæc confirmabuntur num. 41. Intricatam quæſtionem de tempore exſilii ſanctorum Juſti, Clementis & Octaviani pluribus agitare incipiam num. 35.*

C

reliqua Blaſii narratio,

17 Ceteri ferè omnes, qui de Sancto noſtro agunt, Volaterras per ipſum & ſocios obſeſſione liberatas & ab hæreſi Ariana, quâ infectæ erant, converſas fuiſſe dicunt: de quo biographus noſter ſilet. In ſalutem tamen incolarum S. Octavianum *laboraſſe ſcribit tam verbi divini prædicatione, quàm ſanctorum operum morumque exemplo, quo illis præluceBAT:* Erat enim, *inquit,* aſpectu decorus, converſatione benignus, moribus ornatus, abſtinentiâ magnus, pauper- AUCTORE J. L. tate ſummus, habitu abjectus, oratione aſſiduus, fidelibus gratus, & paganis (*vel quod credibilius eſt,* Arianis) inæſtimabiliter ipſorum demeritis odioſus. Quod Vir ſanctus attendens, circa Heræ fluvium prope Antoniam ſeu Vulturnam civitatem non duobus milliariis completis deſertum horribile expetiit; ubi ulmum cavam reperit, [in] qua tametſi niſi flexis genibus caſu aliquo ſtare potuit, eam tamen ſuam domum eſſe perpetuâ Chriſti fultus gratiâ ordinavit. [In] quâ diu incredibili abſtinentia herbis crudis & aquâ more beſtiarum, & veſtium nuditate ſecundum Apoſtolorum dogmata victitavit.

in qua aliis contradicit, dum Sanctum ab aucupe mortuum inventum eſſe ait.

18 Poſt tempus ibidem modicum flexis genibus, clauſiſque manibus, in cælum erectis luminibus, cælica ejus anima penetravit. Quadam die ſuper ulmum prædictam accipiter cujuſdam adoleſcentis aucupis volavit. Poſt eum ex more acceſſit, & contemptâ eâ ſibi offensâ nullo caſu ad ipſum redire curavit: ſed oculis in Sanctum defixis, quantùm in eo fuit, Sanctum oſtendere non ceſſavit. Quem dum nec paſtu nec lapidibus à prædicto intuitu revocare poſſet, iratus ſuper arborem aſcendit, & corpus Sancti ſtantis in oratione flexis genibus, clauſis manibus, elevatis ſurſum oculis, mortuum aci vi- E veret, adinvenit. Ad clamorem ſocii currunt; ut dixit, inveniunt; ſumpto accipitre, in civitatem currunt; factum exprimunt; concives corpus ibidem ſepeliunt. *Quam Blaſius ſubjicit brevem hiſtoriam de Sancti corpore in cathedralem Volaterranam tranſlato ex eccleſia, in loco ſolitudinis ipſi erecta, inferiùs dabitur, poſtquam quæ ejus vitam concernunt, expedita erunt. Paragrapho ſequente Auguſtini Florentini exhibebitur narratio, quam ipſe ex vetuſtiſſimis, ut ait, documentis collectam Latinè, & dein alii Italicè ediderunt. Adoleſcens auceps in ea dicitur* S. Octavianum *non mortuum, quod Blaſius aſſerit, ſed viventem atque orationi intentum inveniſſe.*

§ III. Acta S. Octaviani, immixta Vitæ SS. Juſti & Clementis, quam Auguſtinus Florentinus Latinè & alii Italicè ediderunt, ex nullius penè fidei documentis collecta eſſe probantur.

F

Vitæ SS. Juſti & Clementis, quam varii typis vulgarunt,

Auguſtinus Florentinus, quem alibi invenio ſe Fortunium cognominaſſe, profeſſione monachus Camaldulenſis, anno 1568 typis Florentinis edidit juſtæ molis libellum de Vita & miraculis SS. Juſti & Clementis, in quo etiam de S. Octaviano *illorum ſocio multa narrantur, quæ neque apud anonymum illum, cujus verba dedi à num. 11, neque apud Blaſium monachum leguntur. Ex inſtrumenti Volaterrani relatione poſt hunc Commentarium danda num. 7 intelligo, Euphroſynum Lapinum eodem anno 1568 Auguſtini libellum in Italicum idioma tranſlatum Florentiæ in lucem dediſſe. SS. Juſti, Clementis &* Octaviani *Acta ex eodem Auguſtino accepta Italicè quoque vulgavit Silvanus Raz-*

AUCTORE J. L.

zius in Vitis Sanctorum & Beatorum Etruriæ, anno 1627 Florentiæ excusis, à pag. 116. Sanctorum illorum Vitam ex eodem fonte depromptam Æmilius Fei suo etiam inseruit Operi de Volaterrana urbe ejusque Sanctis, cujus exemplar manuscriptum servamus, notatum ✠ Ms. 164 a. Scriptores hi Augustini historiam ideo proculdubiò luce & fide non indignam censuerunt, quia paginâ 16 illam se desumpsisse ait ex variis instrumentis Mss. quæ ibidem allegat & vetustissima appellat. Papebrochius ad diem v Junii, ubi de SS. Justo & Clemente egit, biographum istum omnino neglexit. Ejus quidem in Commentario prævio num. 12 mentionem facit; sed addit se ex eo nihil, quod ad Sanctorum vitam spectat, in Opus nostrum traducere posse. Verùm Volaterrani pro suo erga sanctos Patronos studio exigere possunt rationes, cur Augustini narratio usque adeo contemnenda sit, in cujus confirmationem producuntur instrumenta Mss. vetustissima, neque à Papebrochio probantur nullius valoris esse: nihil etenim adfert, unde pateat hæc meliora non esse iis, quæ à num. 2 improbat. Opportunè nunc, cùm de S. Octaviano *agimus, Volaterranis plenius satisfaciemus. Documenta, quibus usus est Augustinus, adferentur num. 25; dein probabitur ea idoneæ non esse auctoritatis: prius tamen exhibebuntur gesta & miracula* S. Octaviani, *ex eodem biographo maxima ex parte in synopsim contracta.*

B

20 *Sancti fratres Justus & Clemens, eorumque socius* Octavianus, *omnes presbyteri & natione Afri, ex Gelimeris ultimi Wandalorum regis persecutione in voluntarium fugiunt exsilium una cum sanctis episcopis Regulo, Cerbonio & Felice. Post gravem tempestatem precibus sedatam, Populonium, maritimam Etruriæ urbem, eadem navi advehuntur. Tres sancti præsules solitariè victuri in ejus vicinia consistere, Justus, Clemens &* Octavianus *Volaterras progredi statuunt, cujus incolæ jam biennio à Wandalis obsidione premebantur. Oppidum Ripamarancii medium fermè milliare prætergressi, in loco, ex quo facilis in urbem est prospectus, gradum sistunt, Deumque orant, ut oppidani à secta Ariana ad veram fidem convertantur & ab hostibus liberentur. Finita oratione, sancti Advenæ urbem Volaterranam per medias Wandalorum acies ingrediuntur, incolis cum fructu doctrinam Orthodoxam inculcant, quam etiam miraculis confirmant: nam ad eorum preces cæci visum, surdi auditum, claudi gressum recipiunt & leprosi mundantur: dæmones etiam sine imperio vel ad solam sanctorum Virorum appropinquationem corporibus exeunt. Interea temporis annona deficit: præ fame moriendum est, vel urbs hostibus dedenda: ejus ulteriùs tuendæ nulla spes affulget, nisi à SS. Justo, Clemente &* Octaviano. *Ab his itaque consilium & auxilium in extrema illa calamitate cives efflagitant: quibus hanc facilè propulsari posse Viri sancti persuadent, modò hæreseos abjurationem, veræ religionis amplexum & præceptorum divinorum observantiam promittant. Quod ubi feciſſet civium pars major, Sancti ob bonam illorum melioris vitæ ac fidei amplectendæ voluntatem gratias Deo agunt, eumque precantur, ut afflictæ urbi subveniat.*

& in qua mirabilis historia

C

21 *Inter orandum hanc vocem angelicam è cælis audiunt:* Ego vos elegi, ut fructum afferatis, & fructus vester maneat. Itaque orationi insistite, quia faciet Deus mirabilia super salutem populi hujus. Tum B. Viri Justus, Clemens atque Octavianus Dei numine afflati, populum universum majori spe nutrientes, hæc prophetico protulerunt ore: Nec panis vos conturbet inopia, filioli, nec exterorum terreat gladius; exspectate Dominum, pœnitentiam agentes. Agite viriliter in confessione Orthodoxæ fidei... Mane (inquiunt) annuente Domino, vestra horrea faturitate plena erunt, & adversantium hostium valida audietur egestas. *Hoc oraculo audito, in spem eriguntur Volaterranorum animi, prodigium per Dei servos edendum exspectant, & publicas preces persolvunt, quas illi indixerant per totam urbem faciendas. Dum verò sancti Viri noctu fervidiùs orant,* quasi immobiles in extasim tracti obtinuerunt à Domino, ut per tacitæ silentia noctis tantam excrescere fecerit Deus in civitate Volaterrarum frumenti copiam, tantamque annonæ ubertatem famelicis exhibuerit populis, ut omnes planè, mirabile dictu, superabundare viderentur.

D

urbis Volaterranæ per Sanctos illos & Octavianum

22 *Postero die Wandali summa cum admiratione & animorum consternatione omnem commeatum è castris suis noctu subreptum advertentes, seque ob illius defectum non diu obsidionem protrahere posse, optimum factu judicant, ut postridie summo mane totis viribus urbem aggrediantur & expugnare conentur. At illorum consilium Deus Sanctis revelavit. Hi populo persuadent, ut contra hostes famelicos urbem oppugnaturos non armis utatur, quibus repellantur; sed panes eis objiciat, quibus pascantur. Cives itaque, ut jussi erant, ingentem coquunt panis copiam & ad Sanctos deferunt; qui ei facto Crucis signo benedicunt, & partem noctu extra mœnia projici, partem reservari jubent ad tempus, quo barbari impetum in urbem facere decreverant. Imperata exsequuntur oppidani. Manè hostis Volaterras expugnaturus accurrit; sed ubi mœnibus appropinquans panes conspicit, attonitus consistit; magis obstupescit, dum videt alios panes ab oppidanis certatim ad se jactitari:* Tunc quidam ex militibus barbaris, pugione panem impegit, erectumque ceteris ostentare gratulabundus conabatur, exoptans debilium animos corroborare.. Quo spectaculo Vandalinitæ sanctæ benedictionis haudquaquam capaces pro benedictione maledictionem (juxta prophetæ elogium) induentes, ilico quasi ad unum omnes rei novitate ac pavore incredibili consternati, alienati sensibus, armisque * derelictis, mutuo sese vulnerantes iter ad castra redeundi vix poterant invenire. Quidam ad subterraneas cryptas... confugere, qui utique ruinis ac bestiarum morsibus subinde miserabiliter periere. Pars dicere: Quid hìc continenter vigiles custodivimus, quia pro lapidibus hostes nobis panes porrigunt, & qui gustavimus, perimus. Reliqui, qui non manducaverant, concitare alios, dicentes: Eamus hinc, sine gladio perimus, absque veneno absumimur; quia Deus pro illis dimicat contra nos. Ne multa. Tantus tremor ac tonitrui rumor voxque ignis ac sulphuris illos deterruit, ut irruentibus etiam ex urbe hostibus non solùm sine mora ab obsidione Vandalinitæ destiterint; verùm etiam ut postridie, nisi qui mortem obierant, in castris reliquus inventus sit nemo.

obsidione liberatæ,

E

F

** forte mutisque*

atque alia eorumdem gesta

23 *Ob solutam tam mirabili modo obsidionem publica Volaterrani edunt lætitiæ signa; gratias Deo solemniter agunt; sanctos vero Sospitatores majori reverentia, benevolentia & amore prosequuntur,*

A *quuntur, quorum precibus tantum beneficium acceptum referunt: nam pro urbis incolumitate à Domino impetranda per tres dies illi in oratione perseverarant; quo tempore illorum baculi viatorii super lapidem mirabiliter erecti steterunt; eorumdem etiam genua saxo, super quod oraturi ea inflexerant, impressa fuerunt. Etsi apostolicis sanctorum Advenarum laboribus, & miraculis, quæ Deus per illos operatus erat, plerique civium ad fidem Catholicam ab Ariana hæresi jam traducti essent; hujus tamen erroribus non pauci cum pertinacia adhærebant, qui conversos persequebantur & pervertere conabantur. Fortiter se his opponunt sancti Viri, falsam eorum doctrinam confutantes & fidelem populum in vera confirmantes. Porro ob hæc & alia in urbem Volaterranam merita publico senatûs decreto, civitate donantur. Justum etiam communi cives consensu episcopum eligunt. Postquam hic à summo Pontifice Romæ consecratus esset, & Volaterras ab omni hæresios labe penitus expurgasset, aliisque multis in rebus divinæ gloriæ & oppidanorum saluti consuluisset, ipse & clemens &* Octavianus *urbem relinquere & in solitudine liberiùs ardentiúsque Deo inservire constituunt. Duo priores in habitationem deligunt vallem nemorosam, non procul à civitatis mœnibus sitam: dæmones, lupos & ingentis magnitudinis serpentes, qui magnâ frequentiâ in illa latitabant, armis zaleſtibus victos ejiciunt, limitemque statuunt, quo propiùs accedere expulsa monstra prohibentur.*

B

enarrantur;

24 *Earum rerum, quas de tribus sanctis Confessoribus Augustinus Florentinus 23 prioribus capitulis diffusè narrat, substantiam & præcipua adjuncta quatuor præcedentibus numeris complexus sum. Capitulo* 24 *refert,* S. Octavianum *à sociis secessisse in locum, densâ circumdatum silvâ; quem ponit* citra fluvium Eram passus circitèr mille: ubi, *inquit,* vigiliis ac jejuniis vacans, cellam sibi in ulmi cavo, quo vix totus tegebatur, constituit. Ibique per diem orando centies, ac per noctem itidem centies curvans genua cibo cælesti magis quam humano vescebatur. *Quæ dein scribit de occasione, quâ adolescens auceps Sanctum in eremo invenerit, vix differunt à narratione Blasii monachi,* C *quam dedimus.* 18: *sed sibi apertè contradicunt in re, quæ unicè ad Sanctum spectat. Blasius* S. Octavianum *ab adolescente isto mortuum inventum esse ait: at, si Augustino credimus, hic illum vivum & orationi vacantem reperit, salutaria sibi monita dantem audivit, populo Volaterrano locum commorationis ejus notum fecit; quem ille frequentare cœperit sancti Eremita videndi & audiendi desiderio captus.* Cap. 25 & 47 *Sancti obitus, cultus, translatio & miracula post mortem facta enarrantur. Vide infrà num.* 55.

fidem nullam conciliant documenta, quæ Augustinus Florentinus producit.

25 *In historia Augustini, à me compendio exhibita, SS. Justi, Clementis &* Octaviani *exsilium malè differtur ad tempora Gelimeris, ultimi Wandalorum in Africa regis: hinc etenim consequitur, ut obsidio, quâ barbari illi urbem Volaterranam cinxerunt, quâque eam tres sancti Exsules liberarunt, contigerit regnante eodem Gelimere: quod nullo modo verisimile est, uti ostendetur num.* 39 *paragraphi sequentis; in quo etiam examinabitur, an Sancti cum Regulo, Cerbonio & Felice in Tusciam fugerint, an fuerint presbyteri, ac Justus etiam dein Volaterrarum episcopus creatus. Augustini narrationem maxi-*

mè suspectam reddunt prodigia illa, quæ urbis obsessæ liberationem præcessisse, comitata atque secuta fuisse asserit. Adeo mirabilia ea sunt, ut prudenter credi non possint sine gravissima auctoritate. Hæc certè tribuenda non est documentis, quæ Augustinus paginâ 16 *producit, ut fidem historiæ suæ conciliet. Illorum catalogum ita texit:* Auctores, ex quibus hæc ipsa historia desumpta est: ex Annalibus & monimentis civitatis Volaterrarum; ex libris vetustissimis manuscriptis, quæ habentur ibidem in cœnobio ipsorummet Sanctorum (*Justi & Clementis,*) & ex picturis antiquissimis ejusdem; ex libris manuscriptis ut suprà, quæ habentur apud sacram eremum Camalduli, necnon in monasterio Angelorum Floren. & sparsim alibi variis in locis; ex monimentis ac libris manuscriptis ut suprà, quæ habentur Fæsulis; ex libris historiographiæ compendioque Officiorum optimi doctissimique viri Raphaëlis Maffæi patritii Volater.; auctoritate apostolica approbatorum anno MDXIX, Leone X Pont. max.

AUCTORE J. L.

E

Volaterranus lib. 5 *Comment. urbanorum in multis ab illo dissentit;*

26 *Libros* historiographiæ, *id est, Commentariorum urbanorum Raphaelis Volaterrani, quos Augustinus laudat, lucem aspexere sub Julio II Pontifice, cui auctor illos dedicavit: de Sancto autem nostro ejusque sociis lib.* 5 *ejusdem sui Operis, typis Basileensibus excusi, fol.* 51 *hæc habet:* Irruentibus dein diversam * gentium in Italiam barbaris, nullam eam (*urbem Volaterranam*) injuriam passam simul cum Florentia reperio usque ad Pannonios, quos postea dicam; præterquam brevem admodùm Vandalorum excursionem, quum ad Populoniam, Leone III imperante, applicuere: quo tempore Justus presbyter ex Africa, ubi erat ortus, in Vandalica illa infectatione pulsus unà cum Clemente fratre Octavianoque item presbyteris ac Regulo præsule sociis eadem navi advectis, in proximum Hetruriæ littus applicuit, ac Volaterris consedit, eumque populum sectâ, ut multa Italiæ loca, infectum Arianâ, suâ doctrinâ restituit. Insuper civitatem obsidione Vandalorum liberavit jactis de mœnibus panibus meditatis, qui & hostes adfecerunt & opinione copiæ à spe potiundi terruerunt. *Augustinus à Volaterrano, quem ad narrationem suam confirmandam adducit, in variis dissentit. Ille Sanctorum exsilium annectit temporibus Gelimeris, Volaterras biennium à Wandalis obsessas fuisse scribit, & à SS. Justo, Clemente &* Octaviano *liberatas, panibus in hostes jactis, quos ipsi signo Crucis munierant. Volaterranus verò panes istos* medicatos *fuisse asserit, quæ vox suspicionem injicere potest, eos veneno fuisse infectos; quod nullo modo credibile est. Idem apertè negat obsidionem duobus annis durasse, dum dixit Wandalorum excursionem Volaterras* brevem admodum *fuisse: neque eam sub Gelimere contigisse ait, sed* Leone III imperante, *id est, seculo* VIII, *quo Wandalorum in Africa regnum dudum erat exstinctum. Papebrochius tom.* 1 *Junii pag.* 438 *num.* 4 *typothetæ vitio attribuit, quod numerus III irrepserit pro littera M, significante Magnum. Facile id quidem crediderim: sed si* Leone M. imperante, *id est intra annos* 457 *&* 474, *SS. Justus, Clemens &* Octavianus *in Italiam exsules advenerint, malè dicuntur comites fuisse S. Reguli, quem seculo* VI *exsulasse certum est.*

F

27 *Exiguam fidem Officia à Leone X anno* 1519 *approbata merentur in iis, quæ de SS.*

* *l.* diversarum

AUCTORE J. L.

Officia propria non modica correctione egent, & rem diverso ordine referunt;

Justo, Clemente & Octaviano memorant. Præter crassos contra chronologiam errores § 1 in fine demonstratos alium deprehendi in lectione sexta Officii proprii de S. Octaviano. Dicitur ibi Andreas episcopus Volaterranus supra Sancti corpus, in cathedralem Volaterranam translatum, aram erexisse, anno scilicet secundo & vigesimo supra octingentesimum, ... Ludovico Caroli Magni filio imperante; *quod verum non esse patebit ex dicendis num. 63. Reprobanda etiam sunt hæc verba lectionis quintæ in Officio de SS. Justo & Clemente:* Eodem fermè tempore Vandalos, qui sicut in illorum historia scriptum comperimus, singulis annis ex Africa littora Etruriæ proxima incurrebant, contigit mœnia Volaterrana expugnatum venire. *Officii auctor in lectione prima Sanctorum exsilium distulerat ad annum 520: hic verò ut fidem faceret, post eorum adventum in Etruriam Volaterras à Wandalis fuisse obsessas, se in illorum historia inveniisse ait, quòd, Sanctis in Tuscia exsulantibus, hostiliter in Italiam singulis annis excurrerint. Hoc autem à veritate alienum esse ex scriptoribus synchronis probabitur à num. 38.*

B *Lego quidem apud Procopium & Priscum Rhetorem, quorum verba dabuntur num. 41, gentem Wandalicam quotannis Italiam invasisse; at hoc eum non seculo VI, sed V sub Genserico feciss diserte assirmant. Ceterùm in lectione quarta & sequentibus ejusdem Officii de SS. Justo & Clemente, rerum, quas ex Augustini historia in hunc paragraphum traduxi, substantia quidem enarratur; sed non iisdem adjunctis vestita, atque alio ordine disposita.* S. Octavianus *illic non comparet: beneficia omnia urbi Volaterranæ præstita solis Justo & Clementi adscribuntur. Primum, quo ejus incolas affecerunt, dicitur fuisse infesti serpentis expulsio è vicina silva, in qua Sancti aliquamdiu commorati Volaterranos paulatim ad fidem Catholicam pertraxerint. Sequitur mira urbis liberatio ab obsidione Wandalorum, quam Augustinus primo loco refert.*

ex picturis & vulgi eas malè intelligentis errore fortè accepta est Sanctorum victoria de serpentibus &c.:

C 28 *Suam etiam narrationem confirmat Augustinus ex picturis antiquissimis cœnobii SS. Justi & Clementis prope Volaterras. Ex illis vel aliis similibus primùm accepta esse suspicor, quæ scribit de dæmonibus, lupis & serpentibus à Justo & Clemente ex loco, quem habitare volebant, fugatis. Eorumdem elogium apud Ferrarium in Catalogo Sanctorum Italiæ ad diem* V *Junii* S. Octavianum *illis adfuisse apertè insinuat, cùm inde expellerent* miræ magnitudinis serpentem. *Sive cum Ferrario & aliis unum, sive cum Augustino plures serpentes, ac præterea lupos dæmonesque à Sanctis ejectos fuisse credas, nihil ego opponam, si dicas in eorum imaginibus dæmones formâ corporeâ additos fuisse in signum victoriæ, quam de illis retulerunt, & per appictos serpentes luposque repræsentari eliminata à Sanctis ex urbe Volaterranâ vitiorum monstra atque hæresim Arianam, quæ, uti & omnis alia, serpenti seu hydræ assimilari solet. Justum & Clementem unum vel plures serpentes ex loco, quem habitandum elegerant, expulisse, satis quidem antiqua & pervulgata fert traditio: sed hæc facillimè oriri potuit ex errore simplicis vulgi, qui quod imagines exhibent, crudè accipit, quodque symbolicè considerandum est, eodem modo mente concipit & credit, quo oculis videt. Papebrochius tom.* III *Aprilis pag.* 106 *tam frequentia adfert exempla victoriæ de corporeo serpente vel dracone Sanctis occasione imaginum affictæ, ut nullam non suspectam habenda dam judicem, nisi quæ affirmatur in Actis omnino sinceris: qualia de Justo & Clemente vel* Octaviano *non exstant in libris manuscriptis vetustissimis, quorum meminit Augustinus in speciosò suo instrumentorum Catalogo, ex quibus suam historiam se contexuisse ait. Vel ex ipsis ejus verbis jamjam evincam, monumenta Mss. omnia, quibus usus est, idonea destitui auctoritate.* D

denique ex ipsius Augustini verbis ostenditur, instrumenta Mss. omnia, quæ laudat,

29 *In Præfatione à pag.* 10 *plurima miracula SS. Justi & Clementis strictim recenset, interque hæc etiam illa, quæ duo illi sancti viri simul cum* S. Octaviano *Volaterris patrarint. Facta miraculorum enumeratione ita de iisdem pronuntiat:* Vera hæc quidem certè sunt, de quibus nihil quicquam dubitandum sit. Hæc à pristinæ memoriæ religiosis eruditisque viris lucidiori ampliorique stylo principio perscripta fuere. Hæc mox deperdita post Volaterrarum devastationem à Bliderantio ven. viro, Spiritu sancto inspirante, monimentis literarum præcipuè commendata fuerunt. Hæc deinceps varia Hetruscæ rei agitatione cùm injuriâ temporum, tum nimis crassâ hominum incuriâ rursùs longo tempore hac illac dispersa, neglectaque. Hæc nunc nos ad spirituale solatium eorum, qui ... eadem conjunctæ structuræ serie videndi legendique desiderio tenentur (ut absconditum thesaurum eis expetentibus omnibus patefaciamus) suo priori syntagmati, quantùm Deus donare dignatus est, restituere studuimus. *Ecce ipsemet Augustinus hic satis prodit, nullius fere momenti esse documenta Mss., è quibus pag.* 16 *suam se historiam consarcinasse scribit. Apertè fatetur, vetera Sanctorum Acta interiisse, & nova primùm à Bliderantio, vel potiùs Bliderranno, conscripta fuisse post Volaterrarum vastationem, quam scilicet Hungaros seculo* X *urbi intulisse affirmat cap.* 29; *ubi addit, eam ab Ottone I imperatore, qui anno* 973 *defunctus est, restauratam &* Ottoniam, *dein* Antoniam *vocatam fuisse: quo nomine cùm Bliderannus in Actis SS. Justi & Clementis, quæ ex vetusto codice basilicæ Lateranensis transcripta pra manibus habeo, identidem utatur, inficiari non potest Augustinus, illum seculo* XI *multo antiquiorem esse non posse.* B

à Bliderranno, auctore non satis antiquo & valde inepto,

30 *At unde Bliderannus, auctor tam juvenis hausit, quæ de SS. Justo & Clemente, qui cum* S. Octaviano *verisimiliùs seculo* V *floruerunt, litteris mandavit? Non ex vetustioribus illorum Actis, nam ea jam non amplius exstabant, ut ipse iterum Augustinus diserte profitetur. Igitur ex populari traditione omnia accepit: quæ proin nullus non suspecta habebit nisi is, qui verum esse crediderit, quod Bliderannus de se asserere stultè præsumpsit, nimirum ex divina revelatione se cognovisse veritatem eorum; quæ ex hominum sermonibus assumpta conscripsit:* Quapropter, *inquit*, non est silendum, quod illo tempore à viris Christianis audivimus, quod isti sancti Justus & Clemens operati sunt: & ego equidem Bliderannus, Spiritu sancto revelante cognovi, quæ Dominus operatus est per Sanctos suos. *Verbis illis præmiserat, eos adversus Arianam perfidiam certare zelumque exserere cœpisse* tempore Constantis imperatoris, filii magni Constantini, *id est, ante medium seculi* IV. *Eisdem subdit, Sanctos ex Africa Volaterras adveniisse* tempore iniquitatis & persecutionis, quando pagana gens Wandalorum,

A rum, *quæ non niſi ſeculo* V *jam adulto ex Hiſpania in Africam tranſmigravit*, Antoniam civitatem obſederat. *An tempora ita definire didicit Bliderannus ex revelatione Spiritus ſancti? Quis prudens auctori tam inepto & ab ætate Sanctorum, quorum Acta deſcribit, tot ſeculis remoto, quique non niſi vulgi ſermones poſteritati tradidit, ſecuram fidem dabit?*

& aliis recentioribus conſcripta, non niſi vulgi ſermones continere.

31 *Omnia ferè, quæ Bliderannus SS. Juſtum & Clementem Volaterris egiſſe narrat, in Auguſtini hiſtoriam traducta ſunt; atque etiam illorum ſocio* S. Octaviano *attributa. His ſtilo ad faſtidium verboſo idem Auguſtinus non pauca immiſcuit ex aliis inſtrumentis compilata, quibus narrationem ſuam multo prolixiorem & mirabiliorem reddidit. Verùm ſi, ut jam ſatis oſtenſum eſt, tutò credi non poſſit Blideranni Actis, multo minùs poteſt ceteris inſtrumentis, quia illis recentiora ſunt omnia: vetuſtiora enim neque Papebrochius in Commentario prævio, de SS. Juſto & Clemente num.* 2, *neque ipſe Auguſtinus agnoſcit. At ſi recentiora ſint, unde habent eorum auctores, quæ de Sanctis Volaterranis referunt, & apud Bliderannum non leguntur? Non ex biographis eo antiquioribus, nam horum ſcripta illi videre non potuerunt, quoniam teſte iterum ipſo Auguſtino exciderant ante Bliderannum, qui nova primus conſcripſit ex ſola traditione populari. Relinquitur itaque, ut quæcumque Auguſtinus Blideranni narrationi ſuperaddidit ex monimentis minùs antiquis, vel ab horum auctoribus excogitata, vel accepta etiam fuerint ex ore populi, qui Sanctorum ſuorum geſta eo pluribus involuta fabulis circumferre ſolet, quò longiùs ab illorum ætate abeſt. Id quod num.* 19 *promiſi, ſufficienter me jam perſolviſſe arbitror, & lectorem ſatis docuiſſe hiſtoriam, quam ſæpe memoratus Auguſtinus Latinè, Euphroſynus Lapinus, Silvanus Razzius & Æmilius Feï Italicè conſcripſerunt, & alii fide non indignam cenſuerunt, non ſine rationibus à Papebrochio neglectam fuiſſe. Illas ego nunc adferendas cenſui, ne fortè Volaterrani conqueri poſſent, nos ſanctorum Patronorum Actis fidem abjudicare, nec tamen probare, cur hæc iis abjudicanda ſit. Porrò lector obſervet velim, quam valimus cenſuram ea tantum afficere, quæ*

B

C *Auguſtinus SS. Juſtum, Clementem &* Octavianum *viventes feciſſe narrat; neque illam tam universè accipiendam eſſe, ut ad omnia, quæ ex aliis collegit, ſine ulla exceptione extendatur: aliqua enim, pauca tamen, quoad ſubſtantiam prudenter credibilia ſunt; quæ paragrapho ſequente aſſignabuntur.*

§ IV. Seliguntur, quæ de Sancto ceteris credibiliora ſunt: veriſimiliùs cum SS. Juſto & Clemente ſeculo V ex Africa in Tuſciam exſul advenit, & Volaterranos à Wandalis obſeſſos liberavit: an ſacerdos?

TEmporum confuſione, contradictionum frequentiâ, eventuum fidem penè excedentium & non niſi ex ore populi acceptorum admixtione S. Octaviani Acta, quæ § 2 & 3 exhibui, ita adulterata eſſe demonſtravi, ut pauca ſuperſint, quæ ſecurum aſſenſum mereantur. Scriptores neoterici, qui tradita ab antiquioribus emendatiora reddere conati ſunt, levibus ſuis conjecturis ea magis intricarunt; aliqui etiam erroribus errores novos adjecerunt, quemadmodum ex infrà dicendis patebit. S. Octavianum *natione Afrum fuiſſe, in exſilium fugiſſe tempore, quo Wandali Catholicos in Africa perſequebantur, fugæ ſocios fuiſſe SS. Juſtum & Clementem, cum his in Tuſciam advectum eſſe & Volaterras adiiſſe, dein in ſolitudinem urbi vicinam ſe recepiſſe, ibique in cava ulmo reliquos vitæ dies ſanctè traduxiſſe, maximè credibilia ſunt earum rerum capita, quas de Sancti vita legimus litteris ex traditione commendatas.*

AUCTORE J. L.

Proponuntur fide digniora rerum capita quæ de S. Octaviano traduntur;

33 *Tutò etiam credi poſſe judico, Sanctum noſtrum Volaterris cum Juſto & Clemente operam ſuam contuliſſe ad cives ſectæ Arianæ addictos ad veram fidem convertendos, atque ipſi etiam urbis ab hoſtibus obſeſſæ liberationem eſſe adſcribendam; licet Officia propria eccleſiæ Volaterranæ, à Leone X approbata, Bliderannus & multi recentiores urbis conſervationem & incolarum converſionem ſolis attribuant Juſto & Clementi. His oppono Blaſium monachum, qui primum; ſcriptorem anonymum, qui ſecundum; Auguſtinum Florentinum, qui utrumque beneficium Volaterranos etiam à* S. Octaviano *accepiſſe ſcribunt. Metum, ne fortè, uti in multis aliis, ita etiam in hac re aberrent, removere vel certè plurimùm minuere debet S. Ugonis, epiſcopi Volaterrani, idem aſſerentis auctoritas. Hic ante ſuum epiſcopatum, ad quem promotus eſt anno* 1174, *eccleſiæ Volaterranæ Ritus conſcripſit, quibus ad meliorem formam redegit Officium divinum per totam diœceſim. Inſtrumentum, cujus pars edetur poſt hunc paragraphum folio* 7 *verſo teſtatur Ritus illos Mss. adhuc ſervari in archivo epiſcopali, atque ex iis in rem noſtram hæc verba allegat:* Notandum, quòd pro Reverentia tanti Confeſſoris (Octaviani) à prima die uſque ad octavam novem lectiones facit pro eo Vulterrana eccleſia .... & hoc quia QUASI APOSTOLUS & QUASI DEFENSOR FUIT in Vulterrana civitate. *Hoc teſtimonium S. Præſulis, de quo* VIII *hujus menſis agetur, non obſcurè inſinuat,* S. Octavianum *in terris degentem non modò Volaterris in ſalutem animarum laboraſſe, ſed etiam urbem contra hoſtes defendiſſe, id eſt, ſuo conſilio vel auxilio effeciſſe, ut expugnata non fuerit.*

quibus accenſeri poteſt, quòd Volaterras à ſecta Ariana & Wandalorum obſidione liberarit

E

F

34 *Credi inſuper poteſt, Volaterras fuiſſe liberatas,* panibus in hoſtes jactis, *tum quia paſſim omnes id conſtanter tradunt, tum quia ſatis facilè intelligi poteſt, quomodo projectio panum occaſio fuerit, quâ obſeſſores urbem oppugnare deſiterint, quos probabiliùs Wandalos fuiſſe infrà dicetur. Fuerint hi neceſſario commeatu deſtituti: ſciverint id obſeſſi, rei frumentariæ inopiâ necdum laborantes, ſed diffidentes ſe barbaris omni impetu urbem jamjam aggreſſuris reſiſtere poſſe. Cives ut frangerent hoſtium ferociam, ex SS. Juſti, Clementis & Octaviani conſilio panes illis eſurientibus liberali manu objecerint. Induſtria hæc charitas barbarorum animos ita demulcere & ad miſericordiam flectere potuit, ut urbi parcere & obſidionem ſolvere decreverint. Sed & alio modo projecti panes Wandalos inducere potuerunt ad urbem deſerendam. Hanc illi conſtituerint fame ad deditionem cogere: at*

panibus in hoſtem jactis, uti conſtans neque adeo creditu difficilis fert traditio.

AUCTORE J. L.

cives ſanctorum Advenarum ſuaſu panes extra mœnia oſtentarint, atque etiam in hoſtem projecerint, ut illorum copiam ſimularent. Potuit hoc ſtrategema Wandalis ſpem urbis obtinendæ adimere, ita ut hanc ſatiùs relinquendam eſſe judicarint. Quòd in primo caſu barbari adeo ad miſericordiam erga cives moti fuerint, in ſecundo tanta urbis capiendæ deſperatio eos occuparit, ſanctorum Virorum precibus non incongruè adſcribes. Panes extra mœnia projectos alterutro modo ſolvendæ obſidionis occaſionem dediſſe opinor. Eos confectos fuiſſe ex frumento in urbem Volaterranam è caſtris hoſtilibus angelorum ope tranſlato, barbaros, qui eos guſtarant, periiſſe, ceteros vel ad ſolum eorum conſpectum alienatos fuiſſe ſenſibus & mutuis ſe vulneribus concidiſſe; hæc, inquam, & reliqua, quæ in ipſa urbis liberatione & ante eam à Blideranno, Auguſtino Florentino & aliis facta eſſe narrantur, adeo mirabilia ſunt, ut ad prudentem eorum fidem minimè ſufficiant populi ſermones; gravioribus enim teſtimoniis non ſuffulciuntur, ut probatum eſt num. 30 *& ſeq. Fortè etiam Bliderannus,*

B *ceteris antiquior, ea primus commentus eſt: quod vel ideo magis de vano illo ſcriptore ſuſpicor, quòd jactitet omnia ſe ex revelatione divina didiciſſe, quæ Dominus per Sanctos operatus fuit.*

Papebrochius Sancti ſocios Juſtum & Clementem ſec. 5 floruiſſe aſſeruit;

35 *Jam ſuprà num.* 13 *&* 16 *indicavimus, Wandalos ſeculo* VI *Italiam non invaſiſſe, quod num.* 38 *& ſeq. magis ſtabilietur. Barbaros iſtos ſub Genſerico poſt mortem Valentiniani III imperatoris, quæ in annum* 455 *incidit, frequentibus irruptionibus varias Italiæ regiones miſerè vexaſſe, certum eſt ex veterum teſtimoniis num.* 41 *producendis. Eruditis etiam ſatis notum eſt, eumdem Genſericum uſque ad obitum ſuum ſeu annum* 477, *fidem Catholicam perſecutum fuiſſe, plurimoſque ſub eo confeſſores Afros in exſilium detruſos fuiſſe, vel ita exagitatos, ut ſponte in illud profugere fuerint coacti.* Cùm ergo, *inquit Papebrochius ad* V *Junii in Commentario prævio de SS. Juſto & Clemente num.* 5, antiqua traditio, ab Actorum auctoribus expreſſa, teneat ex Africa adveniſſe Sanctos poſt varia cum Arianis certamina; & Volaterras obſeſſas à Wandalis ſuo conſilio vel auxilio liberaſſe; etſi poſtea pluries Wandalica recruduit perſecutio, plurimoſque Catholicos præſertim epiſcopos ad exſilium ſeu voluntarium ſeu coactum compulerit, vix aliud tamen tempus invenias aptius, quo floruerint Sancti, quàm tempora perſequentis in Africa eccleſiam, & in Italia urbes vaſtantis Genſerici, quibus prædicta contigerint. Nam quòd eos cùm S. Regulo, ſub Totila deinde paſſo, veniſſe dicant lectiones, *ſæpe memorati Officii à Leone X approbati*, id neque ex ſancti illius Vita confirmatur, quam 1 Septembris illuſtrabimus, neque ex iis, quæ habemus, Sanctorum noſtrorum Actis. Novum ergo iſtud commentum eſt nec duobus antiquius ſeculis. *Suum his verbis profert judicium Papebrochius de ſolis Juſto & Clemente: nam in Commentario de hiſce Sanctis* Octavianum *noſtrum, quod miror, ne quidem nominat; qui tamen ſimul cum illis Volaterras liberavit à Wandalis oppugnatas, uti dictum eſt num.* 33. *Unde ſi Juſtus & Clemens ſeculo* V *ſub Genſerico floruerint, Sanctus noſter ſub eodem floruiſſe dicendus eſt, & non ſecus ac illi ſejungendus à ſocietate S. Reguli ſeculo* VI *in exſilium fugientis.*

36 *Sanctos Regulum, Cerbonium, Felicem, Juſtum, Clementem & Octavianum ſimul in Tuſciam exſules adveniſſe, eorum, qui poſt ſeculum* XV *ſcripſerunt, longè communior eſt ſententia. Fallitur Papebrochius, dum hanc opinatur* novum *eſſe* commentum, nec duobus antiquius ſeculis. *Non confirmatur quidem ex Actis SS. Juſti & Clementis, quorum ipſe meminit num.* 2, *neque ex Vita S. Reguli, quæ ad* 1 *Septembris illuſtrata eſt, ex hujus ſociis duos priores aut* S. Octavianum *fuiſſe: ſed ideo id ſtatim pro commento tam novo reputandum non erat. Anonymus, cujus verba attuli à num.* 10, *duobus ſeculis ſcripſit, antequam Papebrochius elucubraret Commentarium de SS. Juſto & Clemente, inſertum tomo* I *Junii, qui anno* 1695 *lucem aſpexit. Duobus quoque ſeculis eo vetuſtior eſt Blaſius monachus, cujus narrationem exhibui à num.* 15. *Fatetur id ipſemet Papebrochius tomo* VI *Maii pag.* 51, *ubi illum ſeculi* XIV *auctorem facit. Uterque ſcriptor SS. Juſtum, Clementem &* Octavianum *cum SS. Regulo, Cerbonio & Felice ex Africa in Etruriam fugiſſe diſertè affirmat. Martyrologium Uſuardi Florentinum auctum ducentis etiam & pluribus annis vetuſtius eſt Papebrochio, dictum Commentarium conſcribente. In annuntiatione, quam ex illo retuli num.* 1, *aſſeritur Sanctus noſter eodem tempore in Tuſcia claruiſſe, quo S. Regulus: hic autem in ſua Vita dicitur fugæ comites habuiſſe præter epiſcopos Cerbonium & Felicem, tres presbyteros & duos diaconos. Alios illis adjungunt ſocios Acta S. Cerbonii, quorum initium editum eſt in hoc tomo pag.* 231. *Ex eorum numero, quorum nomina reticentur, fuiſſe SS. Juſtum, Clementem &* Octavianum *neoterici, ut dixi, paſſim aſſerunt; quorum ſententiam ut improbabilem rejicere non licet, utpote cui ſuffragentur antiquiora documenta, quàm Papebrochius putarat. Hujus quidem opinionem illa multùm infirmant, non ita tamen, quin oppoſitæ adhuc præferri debeat, quemadmodum ex ſequentibus apparebit.*

D *tam novum, ac putarat, commentum non eſt, eos cum S. Regulo in exſilium veniſſe:*

37 *Qui Sanctos, de quibus eſt controverſia, unà cum S. Regulo in Tuſciam veniſſe dicunt, non conveniunt inter ſe circa ſeculum, quo id acciderit. Ughellus tomo* I *Italiæ ſacræ col.* * 332 *S. Juſtum in epiſcoporum Volaterranorum ſerie ponit ante Elpidium, quem ſynodo Romanæ ſub Symmacho pontifice anno* 502 *habitæ interfuiſſe ſcribit. Deinde in ſancti antiſtitis elogio, in Etruria ipſum floruiſſe ait ſimul cum SS. Regulo, Clemente &* Octaviano, *horum igitur in iſtam regionem adventus ante ſeculum* VI, *ſi Ughello credamus, contigerit neceſſe eſt. Raphael Volaterranus laudatus num.* 26 *eorumdem exſtlium innexuit temporibus Leonis I, qui ab anno* 457 *uſque ad* 474 *imperavit, ſi tamen mendum typographicum corrigas, de quo lectorem ibidem monui. Raphaëlem ſequitur Leander Albertus in Deſcriptione totius Italiæ editionis Colonienſis pag.* 79. *Hi auctores à manifeſta veritate recedunt; certiſſimum enim eſt, ſicuti in hoc tomo pag.* 232 *demonſtravi, S. Regulum ſub Totila paſſum, non niſi ſeculo* VI *ex Africa diſceſſiſſe. Theodericus Ruinart in Hiſtoria perſecutionis Wandalicæ cap.* XI *num.* 13, *& plurimi alii, quos hîc nominatim recenſere ſupervacaneum duxi, S. Regulo in exſilium ſeculo* VI *abeunti ſanctos Confeſſores ſæpe memoratos adhæſiſſe affirmant. Illorum nullus in dubium vocat, quin urbs Volaterrana ab iiſdem obſidione liberata fuerit: at concordes non ſunt circa gentem, quæ illas*

etiam aberrant, tam qui ſec. 5, *quàm qui ſec.* 6 *id contigiſſe aiunt & ſimul credunt.*

C

E

F

A *illas oppugnarit. Aliqui Gothicam, ſed plerique Wandalicam fuiſſe volunt. Hos primò convenimus.*

Juſtum, Clementem & Octavianum tunc Volaterras obſidione Wandalorum liberaſſe,

38 *Si Wandali Volaterras obſidione cinxerunt, quâ SS. Juſtus, Clemens &* Octavianus *illas liberarunt, credibile non eſt, eos comitatos fuiſſe S. Regulum, ſeculo* VI *ex Africa profugum: nam veteres non modò nullius meminerunt irruptionis, à barbaris iſtis in Italiam tunc factæ; ſed etiam in ſcriptis ſuis argumenta ſuppeditant ex quibus concludere licet, omni illam veriſimilitudine deſtitui. Anno* 496 *Guntabundo Wandalorum in Africa regi ſucceſſit Traſamundus, qui,* ut regnum, *inquit Procopius lib.* 1 *de Bello Wandalico cap.* 8, optimè ſtabiliret, miſſa ad Theodoricum Gotthorum regem legatione, ſibi uxorem popoſcit ſororem ejus Amalafridam, à recenti viri funere viduam. Sororem ille miſit *&c. Wandali ſub Genſerico omnes Italiæ, ſub ejus ſucceſſoribus Siciliæ oras infeſtare ſolebant uſque ad nuptias Amalafridæ cum Traſamundo, concordiamque initam inter hunc & illius fratrem Theodoricum, ſub cujus poteſtate*

B *tum tota erat Italia. Barbaros huic non ampliùs fuiſſe moleſtos poſt affinitatem & amicitiam inter utrumque regem contractam, teſtatur Ennodius Ticinenſis in Panegyrico Theodorici:* Quid caſtigatas Vandalorum ventis parentibus eloquar deprædationes, quibus pro annua penſione ſatis eſt amicitia tua? Evagari ultra poſſibilitatem neſciunt, duce ſapientia. Affines eſſe meruerunt, quia obedire non abnuunt. *Jacobus Sirmondus in Notis ad Panegyricum, eum ab Ennodio recitatum putat anno* 507 *vel* 508, *quo S. Regulus nondum exſulabat. Extra omne dubium id poſui paginâ* 233 *hujus tomi. Suſpicari non licet, Traſamundum poſtmodùm, amicitiâ Theodorico renuntiatâ, hujus terras hoſtilibus incurſibus iterum vexaſſe: nam Procopius lib.* 1 *de Bello Gothico cap.* 1 *inter alias Theodorici laudes hanc etiam prædicat:* Provincias ſuas à vicinis barbaris intactas cuſtodiit. *Hinc ulteriùs intelligitur, Italiam à Wandalorum invaſionibus fuiſſe immunem non modò regis Traſamundi, qui ab anno* 496 *ad* 523 *in Africa regnavit, ſed etiam Hilderici temporibus uſque ad obitum Theodorici, qui anno* 526 *accidit.*

C *quos veriſimile non eſt, uti ex ſcriptoribus ſynchronis patet, ſec.* 6 *Etruriæ bellum intuliſſe:*

39 *Poſt Theodoricum rex Italiæ fuit Athalaricus, qui quidem apud Caſſiodorum lib.* 9 *Variarum epiſtolâ* 1 *Hilderico minatur, ſe Amalafridæ reginæ mortem, ut credebat, violentam armis brevi vindicaturum, niſi ſibi fiat ſatis: ſed non legimus, eum adverſus Hildericum quidquam tentaſſe, eamdem haud dubiè ob cauſam, ob quam Theodoricus ſub finem vitæ Amalafridam ſororem, in vinculis tunc detentam, ultum non ivit, quia nimirum,* inquit *Procopius lib.* 1 *de Bello Wandalico cap.* 9, *videbat,* ſuas opes non ſufficere comparandæ ingenti claſſi, quâ bellum in Africam portaret. *Nec veriſimile eſt, Hildericum Gothos irritaſſe, eorum in Italia terras invadendo; nam teſte Procopio jamjam citato:* Vir erat totus ad manſuetudinem natus ... at idem valde imbellis, res militares ne auribus quidem admittebat. *Gelimer poſtremus fuit, qui ex gente Wandalica in Africa regnavit. Res ab eo geſtas copiosè deſcripſit idem Procopius à capite* 9 *libri* 1 *uſque ad caput* 10 *libri* 2. *Ex hujus ſcriptoris ſynchroni narratione manifeſtè eruitur, Gelimerem in ſuiſmet provinciis militum ſuorum operâ eguiſſe, neque alibi eâ uſum fuiſſe. Æſtate anni* 530 *Hildericum ſolio deturbatum in vincula conjecit, ejuſque regnum invaſit; à quo paulò poſt Pudentius provinciam Tripolitanam, dein Godas Sardiniam defectione ſejunxerunt:* Interea Gelimer *(verba ſunt Procopii lib.* 1 *cap.* XI *)* cùm ipſius ditioni Pudentius Tripolim, Godas Sardiniam ſubduxiſſent; Tripolim quidem vix ſe recepturum ſperabat, quippe quæ diſtaret longiùs, ac jam Romani rebellibus ſubſidio veniſſent. Quam ob rem optimè ſe facturum putavit, ſi differret exercitum eò ducere & feſtinaret inſulam priùs invadere, quàm adeſſent imperatoris auxilia. *Sardiniâ per Tzazonem vix recuperatâ, Beliſarius Juſtiniani imperatoris dux cum exercitu anno* 533 *ad Africam appulſus eſt, quam totam brevi unà cum Sardinia aliiſque inſulis Romano ſubjecit imperio. Gelimerem ipſum cepit exeunte hyeme anni* 534, *& Conſtantinopolim ad triumphum perduxit. Ex his facilè intelligere eſt, Gelimerem, qui quatuor integris annis non regnavit, in ditionis ſuæ provinciis adeo fuiſſe occupatum, ut credibile non ſit, eum expeditionem ullam in Tuſciam ſuſcipere, Gothoſque, ſub quorum dominatu illa erat, inimicos ſibi reddere voluiſſe.*

E *Sancti itaque vel Reguli ſocii non fuere, vel urbem ab alia gente obſeſſam ſervarunt: Gothos an.* 542.

40 *Satis jam oſtendi, quàm parùm veriſimile ſit, Wandalos ſeculo* VI *Volaterras oppugnaſſe. Igitur aſſentiendum non eſt pleriſque neotericis, qui hoc affirmant, & ſimul admittunt, ſanctos urbis Liberatores eodem ſeculo comites ſe adjunxiſſe S. Regulo in Etruriam fugienti. Vel ab hujus ſocietate illi ſegregandi ſunt, vel negandum urbis obſeſſores fuiſſe Wandalos. Primum elegit Papebrochius, exſilium SS. Juſti & Clementis, quibuſcum* S. Octavianus *conjungendus eſt, referens ad tempora Genſerici: ſecundum Philippus Ferrarius in SS. Juſti & Clementis elogio atque huic ſubjecta annotatione, Catalogo Sanctorum Italiæ ad diem* V *Junii inſertis, necnon Franciſcus Orlendinus in Orbe ſacro & profano parte* 2 *lib.* 3 *cap.* 31, *ubi à pagina* 1043 *uſque ad* 1054 *operose quæſtionem, quam nos modò diſcutimus, atque alias cum ea connexas agitat. Papebrochii opinionem probabilem eſſe non diffitetur: huic tamen & omni alteri pag.* 1051 *eam præferendam cenſet, quæ glorioſos exſules Regulum, Cerbonium, Felicem, Juſtum, Clementem &* Octavianum *ſimul in Tuſciam advectos fuiſſe ſtatuit, urbiſque Volaterranæ oppugnatores non fuiſſe Wandalos, ſed Gothos, qui ſub rege Totila militabant. Non alienum id eſt à narratione Procopii lib.* 3 *de Bello Gothico cap.* 6: Dein Totilas Cæſenam ac Petram caſtella cepit. Aliquantò pòſt in Tuſciam ſeſe contulit, ac tentatis regionis illius oppidis, cùm ei permittere ſe nemo vellet, trajecto flumine Tiberi, Romæ finibus abſtinuit &c. *Facta hæc ſunt vere & æſtate anni* 8 *belli Gothici, Chriſti* 542. *Conſule paragraphum* 5 *Commentarii de S. Regulo. Ex iis, quæ ibi diſſerui de tempore, quo hic ſanctus martyrio coronatus fuit, intelligitur, Totilam dicto anno in eas Etruriæ partes exercitum duxiſſe, in quibus jacet urbs Volaterrana, à qua Populonium, nunc deſtructum, haud ita procul aberat: unde conjicere licet, Volaterras ex earum urbium numero fuiſſe, quas Gothi tunc fruſtra tentarint.*

F *Wandalos verò ſec.* 5 *Volaterras fruſtra tentaſſe veterum teſtimoniis æquè conſonum eſt:*

41 *Nunc lectori expendenda propono veterum teſtimonia, quæ favent Papebrochio, aſſerenti per Sanctos, de quibus agit, liberatas fuiſſe Volaterras, quæ obſidebantur à Wandalis ſub Genſerico, non verò à Gothis ſub Totila. Priſcus Rhetor pag.* 42 *de Genſerico hæc ſcribit apud*

AUCTORE J. L.

Pagium ad annum 465 num. 8 : Ab Orientalibus partem bonorum Valentiniani obtinuerat Honoriæ nomine, quæ Honoricho ejus filio nupserat, atque hanc belli renovandi occasionem singulis annis usurpabat. Itaque simulatque ver appetiit, infesto exercitu Siciliam & Italiam invasit, & urbes quidem Italorum præsidiis firmatas non facilè oppugnavit ; sed oppida militibus, qui reliſterent, destitura circumveniens evertit & diripuit. *Procopius lib. 1 de bello Wandalico cap. 5, Maurorum, inquit,* adeptus obsequia Gizericus à morte Valentiniani, in Siciliam atque Italiam quotannis vere novo se invehebat. Ibi urbibus partim missis in servitutem, partim solo æquatis, cùm & omnia rapuisset, ac regiones non modò pecuniis exhausisset, verùm etiam incolis, in ditionem imperatoris Orientis irrupit. Illyricum, Peloponesi item & Græciæ partem maximam, necnòn adjacentes insulas populatus, in Siciliam denuo atque Italiam exscensu facto, omnes in orbem oras incursans, agebat omnia: ferebatque. *Hîc & suprà ubique secutus sum interpretationem Claudii Maltreti nostri, qui Procopii Opera Parisiis anno 1662 Græco-Latinè edidit.*

B

nec ulla suadet ratio, cur magis ab hîs, quam ab illis barbaris, urbem liberatam asseras,

42 *Ex Prisci Rhetoris & Procopii verbis eruitur, urbis Volaterranæ obsessionem æquè Genserici quam Totilæ temporibus congruere, eamque tam verisimiliter fieri potuisse seculo V à Wandalis, quam VI a Gothis. Si primum verum sit, falsa est traditio à recentioribus passim omnibus recepta, quæ SS. Justum, Clementem & Octavianum socios facit S. Regulo, cujus adventus in Tusciam ad seculum V referri non potest : si secundum, falsa est altera traditio, quæ dicit Volaterranæ urbis obsessores fuisse Wandalos. Fieri quidem potuit, ut Bliderannus barbarorum nomina primus confuderit, & Gothos malè Wandalos votarit, qui error dein in juniorum, auctorum scripta transierit : sed non minùs facilè contingere potuit, ut inter socios S. Reguli ex mera conjectura relati fuerint Justus, Clemens & Octavianus. Hi Sancti natione Afri fuerunt ; ex patria in voluntarium exsilium discesserunt, regnantibus in Africa Wandalis ; in Tuscia reliquos vitæ annos traduxerunt. Cùm hæc etiam S. Regulo conveniant, cùmque varios suæ fugæ comites habuerit, quorum nomina nec in ipsius nec in Cerbonii discipuli Actis exprimuntur, ut dictum est num. 36 ; hinc facilè dictæ conjecturæ capi potuit, quam litteris semel traditam recentiores crediderint, suisque etiam scriptis pervulgarint. Nihil hactenus allegavi, propter quod judices, SS. Justum, Clementem & Octavianum verisimiliùs sub Genserico, quàm sub Totila floruisse. Nunc aliqua subjicio, quæ me inclinant, ut Papebrochio, qui primum tenuit, potiùs assentiar.*

C

nisi quòd antiquior ferat traditio, ejus oppugnatores fuisse Wandalos ; quâ cùm potiùs standum sit.

43 *Ferrarius & Orlendius laudati fatentur, tres Viros sanctos, postquam Populonium cum SS. Regulo, Cerbonio & Felice advecti essent, cum hisce non diu commoratos fuisse ; sed statim Volaterras processisse. Idem passim admittunt, qui credunt illos S. Regulum ducem in exsilium fuisse secutos. Ferrarius omnes simul fugisse scribit ex persecutione Wandalica. Nos in hoc tomo pag. 233 probavimus, S. Regulum probabiliùs in Tusciam adventasse sub finem vitæ Trasamundi, qui Catholicos in Africa persecutus fuit usque ad mortem suam, quam obiit anno 523. Non dissentit à nobis Orlendius, ejusdem exsilium innectens anno 520. Sed si Justus, Clemens* D *& Octavianus Populonium appulsi, statim hinc Volaterras progressi fuerint, easque obsidione priùs non solverint, quam Totilæ temporibus, consequens est, ut 20 circiter annis post Sanctorum in eamdem urbem adventum à Gothis oppugnata fuerit : anno enim 7 belli Gothici, Christi 541, Totilas regnare cœpit, qui ad proximè sequentem à Procopio Tusciæ oppida frustra tentasse narratur. Nunc ego quæro ab adversa parte, siquando traditiones, quarum altera alteram vetustate superat, inter se componi non possint, utra dicenda sit ex errore originem suam traxisse ? Certè antiquiore standum est, si cetera omnia sint paria, uti revera in casu sunt. At Volaterrarum obsessores fuisse Wandalos, & Sanctos urbem ab illis incolumem servasse, non longo tempore ab ipsorum in eamdem ingressu, traditio antiquior est, quam ea, quæ dicit urbis Sospitatores cum S. Regulo ex Africa fugisse : ab hac igitur potiùs recedendum est, si defendi non possit, nisi illi contradicatur ; sicuti faciunt qui Volaterras à Gothis obsessas fuisse aiunt, &* E *à Sanctis liberatas, postquam eorum in urbem adventus jam pluribus annis præteritus esset. Prior traditio litteris consignata est a Bliderano in Vita SS. Justi & Clementis : altera ab auctore anonymo & Blasio monacho, de quibus dubitare licet, an scripserint ante annum 1300. Quantumcumque exiguum fidem mereatur Bliderannus, quia tamen antiquior est, major ipsi haberi debet, quam aliis duobus scriptoribus ; de quorum ætate & hallucinationibus actum est § 2. Sed neque ex illis opinio contraria roborari potest, cùm vetustiorem etiam traditionem referant, quæ alteram evertit.*

Octavianum & socios sec. 5 ante S. Regulum in Tuscia exsulasse statuimus.

44 *Nunc tandem ita concludere licet : si SS. Justus, Clemens & Octavianus seculo VI cum S. Regulo in exsilium venerint, Volaterras liberarunt vel à Wandalis, vel à Gothis oppugnatas : at nullo modo verisimile est, à Wandalis seculo VI id fuisse factum, quemadmodum num. 38 & seq. ostendimus ; & vetustiori traditioni repugnat, Sanctos urbem à Gothis obsessam expugnationis periculo eripuisse, ut jamjam dictum est : Papebrochio igitur potiùs assentiendum est, qui SS. Justum & Clementem, Octaviani socios, cum S. Regulo in Etruriam venisse negat, illosque floruisse censet temporibus* persequentis in Africa Ecclesiam, & in Italia urbes vastantis Geinserici. *Volaterrarum obsidionem aptè referes ad tempus, quod medium fuit inter annum 455, quo Valentinianus III imperator, & annum 477, quo Gensericus primus Wandalorum in Africa rex vitâ defunctus est : etenim ex Procopii & Prisci Rhetoris testimoniis, num. 41 productis, constat, Wandalos sub dicto rege à morte Valentiniani III annuis irruptionibus varias Italiæ regiones afflixisse. Sancti nostri transitum ad vitam feliciorem suprà notavimus ante seculum VI, sub dubio tamen, tum quia ejus initium attingere potuit, tum quia certa non est traditio, quæ me induxit ad Papebrochii sententiam præ ceteris amplectendam. Nihil de Sancto ad nostram notitiam pervenit, de quo minor est dubitandi ratio, quàm quòd vitam solitariam in pace finiverit : nihilominùs Julius Ambrosius Lucentius tom. 1 Italiæ sacræ col. 1642 non modò Confessorem nostrum, sed etiam ejus socios indubitanter martyres facit :* Justus, *inquit,* Clemens atque Octavianus Africani mirabili

F

A rabili confessione Jesu nominis fidem sanguine Volaterris constabilierunt.

Blideranus, cui Papebrochius assentitur, Justum & Clementem laïcos fuisse tradit,

45 *Ughellus tomo* I *Italiæ sacræ col.* *332, *& ex eo Theodericus Ruinart in Historia persecutionis Wandalicæ cap.* XI *num.* 13 *& alii scribunt, S. Justum episcopum Volaterranum in exercendo pastorali munere adjutum fuisse non modò à S. Clemente; sed etiam à* S. Octaviano, *quem tamen multi volunt in eremum se priùs abdidisse, quàm Justus post Volaterras obsidione liberatas episcopus eligeretur. Tantùm abest, ut asseverari possit, Justum Sancti nostri operâ usum fuisse in regimine ecclesiæ Volaterranæ, ut ne quidem certum sit, an ille ejusdem antistes fuerit. Certè cum vita eremitica, quam ab Augustino Florentino & multis aliis egisse dicitur, postquam jam ad Volaterranorum postulationem episcopus consecratus esset, non bene convenit sacer iste magistratus, in quo commissam sibi plebem pascere debuisset potiùs, quàm sibi vivere. Imò sæpe laudatus Papebrochius ipsum & fratrem ejus Clementem verisimiliter nullo umquam sacro Ordine initiatos fuisse censet, quia eos laïcos fuisse expresè dicitur à Blideranno, illorum Vitam ita inchoante:* Ad honorem sanctæ & individuæ Trinitatis, loquendum est de duobus Viris, qui LAICALITER conversantes, pleni gratiâ Spiritus sancti, tamquam perfecti magistri, mirabiliter sanctorum Apostolorum vestigia sequentes, honestis moribus sacerdotes Domini imitantes *&c. Blideranni Actis, quibus vetustius de Justo & Clemente documentum nullum exstitit, contradicunt, quotquot ferè posterioribus seculis utrumque confessorem scriptis suis celebrarunt. Præter Papebrochium, inveni neminem, qui Blideranno fuerit assensus. Volaterrani, quos comperi jam à tribus seculis S. Justi episcopatum, veluti rem indubiam, credidisse, sententiam Papebrochii meritò improbare non possunt: quia pro ea antiquior stat traditio, quàm ipsi pro sua adferre possint.*

nihil vetat, quo minùs nos de utroque & S. Octaviano idem credamus.

46 *Raphaëli Volaterrano, Augustino Florentino, aliisque neotericis, qui* S. Octavianum *sacerdotem faciunt, etiam acquiescendum non est: quia ex instrumentis, quæ de Sancto nactus sum, seculo* XVI *antiquioribus nullum est, quod ipsi sacrum illum Ordinem apertè adscribat: apertè, inquam; nam anonymi scriptoris verba num.* 10 *in fine ambigua sunt. Sed neque in Officio proprio presbyter appellatur, licèt hoc titulo donentur Justus & Clemens: nam in lectione* III *ad Matutinum dicitur:* Comites *S. Reguli* fuere episcopi duo Felix & Cerbonius, presbyteri totidem pariterque fratres Justus & Clemens, quintus Octavianus. *Verùm, inquies, hic Sanctus ante suum in solitudinem secessum unà cum Justo & Clemente Volaterris laboravit ad incolarum ab hæresi Ariana conversionem: satis id confirmatur testimonio S. Ugonis ejusdem urbis episcopi, qui in Ritibus suæ ecclesiæ ante annum* 1174 *conscriptis ad* S. Octaviani *festivitatem notat, eam cum Octava celebrandam esse,* quia quasi apostolus . . . fuit in Vulterrana civitate. *Sed hinc necessariò non infertur, ut sacerdos fuerit: nam ab operibus apostolicis, modo & loco statui suo conveniente exercitis, etiam laïcus non ineptè* quasi apostolus *agnominatur. Dici potest, S. Ugonem non voluisse de* Octaviano *plus asserere, quàm Blideranus de Justo & Clemente; qui illos* laïcaliter conversantes . . . mirabiliter vestigia sanctorum Apostolorum sequentes, honestis moribus sacerdotes Domini imitantes, *honorem Dei & salutem proximi magno zelo promovisse, sectamque Arianam oppugnasse scribit. Habuit Ecclesia seculo* V *laïcos non paucos tam fortes in confitenda, quàm eruditos in vera religione contra varias hæreses propugnanda. Recenset eos Garnerius noster cap.* I *Præfationis generalis in Opera omnia Marii Mercatoris; qui Sancto nostro ejusque sociis coævus, & licèt laïcus, fidei Catholicæ adversus hæresim Cælestianam & Nestorianam fortissimus vindex fuit. Ex iis, quæ in utramque partem attuli, lector deducat, quodcumque placuerit. Mihi interim credere licet* S. Octavianum *non magis presbyterum fuisse, quàm SS. Justum & Clementem; quos Papebrochius censuit* laïcaliter *vixisse, cùm ita testetur Blideranus; qui licèt exiguæ sit auctoritatis, quia tamen reliquos antiquitate superat, majorem his fidem meretur.*

AUCTORE J. L.

§ V. Venerationis initium & progressus, corporis translatio Volaterras & miracula ex variis: observationes in eorum narrationem, contra quos translatio sub medium sec. IX facta probatur; ejus festum.

S. Octaviani veneratio publica in loco emortuali, & corporis ab Andrea præsule

CErtiora distinctioraque sunt pleraque, *quæ de initio & progressu venerationis* S. Octaviano *exhibita, de translatione corporis è loco sepultura ad ecclesiam cathedralem Volaterranam, atque ejus miraculis memoriæ prodita sunt. Postquam Blasius monachus verbis suprà num.* 18 *adductis sancti Eremitæ sepulturam, quâ eum affecerant cives Volaterrani, qui intellecta ejus morte in solitudinem accurrerant, enarrasset; historiam suam ita prosequitur:* Sed processu temporis super ipso corpore clarè reinvento ecclesiam erexerunt *Volaterrani,* & devotione maxima visitare annis singulis die, quo ipsum invenerant, inceperunt. Ad cujus corpus infirmi pergunt & ducuntur, & confestim omni fugata ægritudine ad propria revertuntur. Cùm propter guerrarum * discrimina ecclesia illa combusta esset, Andreas episcopus civitatis illius considerans, quòd illud sanctum corpus minùs debitè servabatur, de reductione ad civitatem cum populo decrevit, & demum, ut ordinaverat, adimplevit. Nam anno D. DCCCXX, tempore Lotharii & Lodovici imperatorum, advocatis convicinis episcopis, cum universo clero & populo ad locum accessit, & corpus, fossorio * priùs sumpto, invenire curavit.

** i. e.* bellorum

** i. e.* ligone

i de Volaterras delati historia ex Blasio monacho,

48 Cùm autem, juvantibus ipsum aliis, repertum fuisset; tanta odoris fragrantia de ipso manavit, quòd sustinere nequibant. Propter quod Dominum laudantes ipsum sumpserunt, & ad civitatem deferre honore maximo curaverunt. Quod facere cùm cœpissent, & ad locum, qui dicitur Podium, delatum foret; stante tempore pulcherrimo, tanta varietas obscuritatis, tonitrui & pluviæ fuit, quòd, corpore depositio, nullus evadere credidit, & solùm de sua salute quilibet per se cogitare curavit. Tunc episcopus ad

AUCTORE J. L.

se rediit, & assensu cleri & populi se facturum numerum clericorum sibi servientium in ecclesia, ad quam eum ferre volebant, devovit: & confestim ad statum pulcherrimum tempus rediit. Quo facto, gaudio magno corpus sumpserunt, &, ubi nunc est, locaverunt, & plenariè, quod devoverunt, servaverunt. *Observationes in ea, quæ jam ex Blasio monacho attuli, & mox ex Officio proprio transcribam, infrà dabuntur à num.* 58.

& ex lectionibus

49 *Officium de* S. Octaviano, *à Leone X anno* 1519 *approbatum, ad Matutinum novem habet lectiones de Sancto proprias. De tribus prioribus vide dicta* § 1 *in fine. Sex reliquas, quæ agunt de Sancti vita solitaria, translatione corporis Volaterras, cultu & miraculis, Commentario hic inseram, quia fide digna sunt tum quoad rerum substantiam, tum quoad adjuncta; si ex hisce tamen pauca excipias, de quibus lector infrà monebitur.* Lect. iv. Octavianus autem locum sibi delegit, citra fluvium Eram passibus mille, densâ circumdatum silvâ, tantúmque calonibus aut caudicariis * adiri consuetâ. Hìc annis plurimis usque ad extremum vitæ finem in rerum omnium abstinentia duravit, tantùm orationibus, vigiliis ac jejuniis vacans. Cellam sibi in ulmi cavo, quo vix totus tegebatur, constituit. Hìc demum extinctus quarto Nonas Septembris, ac tumulatus est; ubi paulò pòst ejus famâ sanctitatis adcolæ permoti, modicum ei templum constituêre. Unde post annos ferè trecentos in basilicam est Volaterranam translatus.

B

* *hìc sumitur pro* iis, qui caudices vel stirpes arborum cædunt:

Officii proprii:

50 Lect. v. Causam verò translationis Andream præsulem Volaterranum, utile in Domino vas, fuisse accepimus. Hic quum sanctissimi Viri corpus neglectum, templumque ab infidelibus iniquisque viris dirutum in solitudine sineque honore jacere conspiceret, cum clero populoque de illo in urbem transferendo egit. Omnis itaque sexus, ætasque cum ordine sacerdotali eò, ubi situs erat, processere; magnâque reverentiâ illum effossum deducere contendunt. Medio ferè itinere, imbre plurimo ac ventis cum magna tempestate exorientibus, cælo insuper nubilo viam oculis eripiente, ulteriùs ferre sunt prohibiti: sed nec bubus admotis aut ullis viribus de loco aliquamdiu amovere potuerunt. Prodigium hoc, omnibus visum, cunctos sanè perterruit.

C

monumenta sacra, quæ in honorem Sancti, in ecclesia cathedrali depositi, ex voto

51 Lect. vi. Ipse quoque præsul, cæteris destitutus remediis, ingemens ad divinum confugit auxilium, Deoque vovit, ut, si Sancti corpus sequeretur ipsiusque digni adventu forent, collegium basilicæ conjunctum cum certo canonicorum numero in ipsius honorem Sancti & ejus nomine nuncupandum construeret: quod & voti compos postmodùm absolvit; ejusque corpori aram in eadem basilica cum elogio, tempus indicante, dedicavit, anno scilicet secundo & vicesimo supra octingentesimum: quod sanè Ludovico Caroli magni filio imperante * fuisse, palàm est.

** adde factum*

vel ex liberali pietate idem Andreas creavit; qui novum etiam templum ultra Eram ei construxit;

52 Lect. vii. Distichum etiam in inferiore monumenti parte ponitur hujuscemodi:

Octavianus adest pugil Vulterræ beatus,
Quem tulit ex ulmo præsul clero sociatus.

Quod, quamquam illorum temporum stilum ostendit opicum alienasque syllabas, hujus confirmandæ historiæ causâ citavi. Post hæc templum ejus, ut suprà memoravi, destructum eâ, quâ nunc cernimus, formâ restituit. Calvariæ item ipsius, ramique ulmei, quo olim tegebatur, reliquias argento inclusas ejusdem basilicæ sanctuario condidit. Quæ palàm factæ maximam hodie populo supplici vitæ securitatem, cunctisque adversis singulare præsidium præstant.

D

quotannis die translationis illud invisendi consuetudo introducta: Sancti beneficia:

53 Lect. viii. Insuper ut tanti accepti beneficii dignæ Deo gratiæ agerentur, & ut translationis hujus dies seculis insequentibus innotesceret, idemne præsul an posteritas, incertum, constituit, ut, quoad possent & liceret, domorum singuli illius templum sextâ Feriâ, quæ sanctam hebdomadam præcedit, supplices adirent. Scribuntur & in Gestis ipsius nonnulla memoranda prodigia: illud imprimis, quod sæpe visum atque observatum, ut in siccitatibus ad imbrem eliciendum ejus per urbem circumlatæ reliquiæ magnopere faciant. Deinde his, qui in animi angustia aut calamitate aliqua versantur, fide fretis ac supplicibus maximum subsidium præstant, mentisque pacem restituunt optatam.

fures adigit ad restitutionem rerum è loco sibi sacro abldtarum.

54 Lect. ix. Fertur & quondam in atrio templi illius congestam ædificandi gratiâ materiam quemdam minimè Deum verentem subripere voluisse, ac clàm ex hac jumenta onerata numquam de loco vel magnis adhibitis viribus amovere potuisse; post longam verò contentionem frustra expertum omnia tandem loco pristino ablata restituisse. Sed & rursus huic simile quoddam evenit. E sepibus olim templum claudentibus quidam sublicas abstulerat; paulòque ultrà procedens quasi divinitus repressus, iter nullo modo perficere valuit, ita ut ei redire, reddereque ablatum fuit necesse. Et hæc quidem de beato Octaviano scripta comperimus, cujus hodie natalem Volaterrana celebrat ecclesia: quemve patronum & rerum suarum adsertorem apud Deum semel recepit, ut ab imminentibus malis tuti ac læti in Domino vivere valeamus, ipsiusque fidei exemplo, spretâ felicitate terrena ad eamdem, ut ille, gloriam pervenire mereamur, gratiâ imprimis ac benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui honor & imperium in secula seculorum.

E

Concursus ad ejus corpus nondum translatum: erga Sanctum irreverens morte punitur:

55 *Lectiones modò datas Augustinus Florentinus inseruit capitulo* 25 *historiæ ex variis instrumentis collectæ, quam* § 3 *examinavi. De Sancti tamen sepultura & veneratione publica, quâ fideles ipsum prosecuti sunt, cùm adhuc quiesceret in loco, ubi solitariè vixerat, aliqua commemorat à veritate non aliena, quæ in lectionibus non referuntur:* Comperta, *inquit*, dormitione in Domino beati Octaviani, fideles populi ad eum (ut par erat) honorificè sepeliendum undique confluxere. Igitur compositò & obvoluto sacro corpore, illud penes ulmum ipsam, quæ ejus habitatio fuerat piè ac religiosè humavere; ibique Deo in ejus honorem templum erexerunt: ubi Dominus multa atque præclara miracula meritis beati Patris est operatus. Etenim omnes quolibet morbi genere correpti, sanitatem recipientes, ejus merita per omnem regionis locum prædicare non cessabant. Quocirca adeo numerosus undecumque populorum concursus ad ejus tumulum studiosissimè accedere visus est, quorum alii collationes & donaria, alii vota Deo emissa solverent, ut sylva, quæ paulò antè invia prorsus & inaccessibilis fuerat, jamjam pervia atque instar tritæ semitæ facta sit. Exacto nec mediocri temporis intervallo, cùm beati Viri corpus neglectum, templumque ab infidelibus dirutum in solitudine ac sine honore jaceret, Andreas præsul Volaterranus cum cle-

ro

A ro populoque de illo in urbem transferendo egit &c. *Quæ sequuntur, ex lectionibus accepta sunt præter ea, quæ de irreverentia in Sanctum, morte punita, in fine ejusdem capituli narrat:* Novissimo belli tempore quidam miles argenteam effigiem, quæ sacri capitis reliquias continebat, è sacrario *basilicæ Volaterranæ* igni fundendam asportabat. Qui quidem dum Viro Dei, quem illa referebat, verbis ineptis non modicam irreverenter injuriam imponeret, protinus justo Dei judicio & gravi ulcere correptus est, & postridie eâdem horâ, quâ facinus indignum patraverat, vitam magnis cruciatibus infelicissimus amisit. *Miraculum hoc, quod anno* 1530 *contigit, plenius describitur, num.* 5 *in Ms. Volaterrano, cujus pars post hunc Commentarium edetur.*

faber festum translationis colere contemnens,

56 *Morte etiam, eaque repentina, punitus fuit faber quidam, quòd colere contempsisset translationis S. Octaviani festum, de quo vide num.* 64. *Rem ita narrat idem Augustinus capitulo* 47: Casus in urbe Volaterrarum circiter annum MDVIII maximè notandus accidit. Cùm Silvester Fæus, inter cives suos non mediocris fortunæ ac dignitatis habitus, ædes suas in vico

B Burgi cuidam Baptistæ Novocomensi ædificandas locasset; hic, quamquam Silvester ab urbe aberat, ædificationem tamen ita urgebat, ut ad primarum fenestrarum anterioris partis fastigium ædificando jam pervenerat. Cumque divi Octaviani solennia, quæ in diem Veneris ante Palmarum Dominicam quotannis incidere consueverunt, jam adessent, & à Petro Covacio Volaterrano cive, Christianæ religionis maximè studioso, qui illac fortè transierat, moneretur, ut ab ædificatione cessaret, cùm diceret, Heu magister Baptista, ecquid tute hodie mane agis? Quin potiùs divi Octaviani protectoris patronique nostri festa colere nobiscum studeas, quàm illa ædificando violare. Cui Baptista, ut est illud agreste hominum genus irreligiosum ac lucri maximè cupidum; Quid mihi cum divo Octaviano? Silvestro potiùs, à quo mercedem accipio, deserviam.

è domo, quam ædificabat, in terram lapsus, statim exstinguitur.

57 Hæc verba vixdum protulerat, cùm una

C tabularum, è quibus pontem construxerat, elocatur; atque ita præceps in terram statutus, diruptus, dilaceratus statim efflavit animam. Qui casus cùm universæ civitati valde molestus fuit, tum Silvestro ipsi ad urbem reverso illiusmodi terrorem injecit, ut ædificationem altiùs erigi, quod ipsum cuivis hominum etiam nunc videre licet, nullo quidem pacto permiserit. Atque hujus rei locupletissimi testes, adhuc extant primarii cives, ac ferè omnes octogenarii, ut Gabriël Ricobaldus, ut Michaël Vintha, ut Mariotus Leonardus, ut alii permulti, qui se, cùm ipsius Baptistæ funus efferretur, dictitant interfuisse. *Hæc ab Augustino anno* 1568 *in lucem edita, etiam Italicè referuntur ab Æmilio Fei in Opere Mss., cujus memini num.* 19, *& è cujus fol.* 38 *verso intelligo, ipsum seculo sequente sub pontificatu Pauli V scripsisse. Ad Augustini narrationem fol.* 40 *adjicit Æmilius, non priùs quàm suis temporibus ab equite Michaële Angelo Lottini ad fastigium perductam fuisse domum, quam ædificare cœperat impius ille Baptista, divinitus punitus, quòd festum* S. Octaviani *diem laborando profanasset. Ut autem rei memoria renovaretur atque conservaretur, ad eam ædificii altitudinem, ad quam imperfectum erat relictum, à nominato equite Sancti effigiem positam fuisse ait, addita inscriptione memorabi-*

AUCTORE J. L.

lem illum eventum exprimente. Alia adfert Æmilius miracula, à Sancto patrata; sed quæ vel ex Officio proprio jam data sunt, vel post hunc Commentarium dabuntur ex instrumento Volaterrano. Nunc aliquas in ea, quæ ex variis transcripsi, animadversiones subjicio.

Situs loci, ubi Octavianus solitariè vixit, & primùm coli cœpit:

58 *Sanctus Eremita eodem in loco, qui viventi virtutum palæstra obtigerat, sepultus fuit; ubi dein pii accolæ supra ejus tumulum ecclesiam exstruxere. Aliqui cum Officio proprio lect.* V *locum illum ponunt uno milliari citra, aliqui uno milliari trans Eram; Blasius monachus circa eumdem rivum in solitudine, Volaterris distante duobus circiter milliaribus: Ferrarius denique & alii locum ab urbe ad tria milliaria removent. Sed nullum in ejus situ determinando aberrare, facilè intelligi potest, si eremus, quam* S. Octavianus *incoluit, attigerit dexteram Eræ ripam, quæ ab illius habitatione unum, duo verò milliaria abfuerit Volaterris, ad sinistram fluvii ripam jacentibus. Ideo autem alii cis, alii trans Eram locum, in quo Sanctus solitariè vixit, statuisse putandi sunt, quia hi à sinistra, illi à dextera rivi parte vel scripserunt vel scripsisse videri voluerunt.*

E

ecclesiæ supra ejus tumulum ibidem, si Volaterrano credimus, condita est circa medium seculi 7:

59 *In Officii proprii lectione* IV *& alibi lego, modicum templum in Sancti honorem ab accolis fuisse conditum paulò post ejus mortem: quod non satis convenit cum verbis Blasii monachi, qui* processu temporis super ipso corpore clarè reinvento *ecclesiam constructam fuisse scribit; neque cum iis, quæ habet Raphaël Volaterranus lib.* 5 *Comment. urbanorum folio* 51 *verso:* Procedente tempore Alcus vir potens in ea civitate *Volaterrana* . . . gemina templa constituit: Maurus verò præsul Senensis alterum Justo dicavit; alterum Clementi . . . Octavianus verò socius procul omni curâ in eremo vixit urbi vicina: ubi ejus nunc cernitur templum eodem ferè tempore constructum. *Ughellus tomo* 3 *Italiæ sacræ col.* 621 *Maurum istum Senensi ecclesiæ præfuisse scribit anno* 565: *sed fallitur; nam* Alcus, *vel ut Bliderannus & alii,* Alchis *nomen est Longobardicum. Itaque templa ab illo constructa consecrari non potuerunt anno* 565, *quo Longobardi necdum in Italiam irruperant. Neque verisimile est, illorum dedicationem factam fuisse ante gentis istius conversionem ad Catholicam fidem, indeque secutam ecclesiarum restaurationem; atque ideo Papebrochius tomo* 1 *Junii pag.* 440 *Mauri episcopatum differendum censet* usque ad tempora Gregorii Magni, aut etiam usque ad seculum VII *Non dubito ego, quin Maurus, qui SS. Justo & Clementi templa Volaterris dedicavit, fuerit ille ipse Senarum episcopus, cujus nomen apud Labbeum tom.* 6 *Conciliorum col.* 366 *subscribitur Concilio Lateranensi, quod à Martino I contra Monothelitas anno* 649 *celebratum fuit. Si* S. Octaviano *ecclesia in eremo ædificata fuerit* eodem ferè tempore, *ut asserit Volaterranus, quo ejus socius Alcus duas Volaterris erexit, factum illud fuerit oportet haud ita diu ante vel post dictum annum* 649. *Idem Volaterranus ecclesiam, quæ ibidem suo tempore conspiciebatur, non distinguit ab antiquissima Alci temporibus erecta. Sed hæc jam destructa erat, cùm Sancti corpus sub medium seculi* IX, *ut num.* 63 *demonstrabitur, inde Volaterras transferretur ab Andrea ejusdem urbis episcopo; qui, facta translatione, ultra Eram in loco, ubi Sanctus primùm quieverat, aliud templum ædificavit.*

F

AUCTORE J. L. *aliquot de Sancto notitiæ ex diplomatis Ludovici II & S. Henrici imperatorum.*

60 *In variis antiquis inſtrumentis, quæ edidit Ludovicus Antonius Muratorius in Antiquitatibus Italicis & Ughellus tomo* I *Italiæ ſacræ, ubi de epiſcopis Volaterranis agit, Sanctus noſter commemoratur. Duo tantum ex illis hic producam, quòd obſervatu digna contineant; nimirum diplomata Ludovici II & S. Henrici imperatorum. Quod Ludovicus anno* 851 *dedit, exſtat apud laudatum Ughellum col.* * 333. *Rerum in eo contentarum ſumma eſt hæc: Lotharius imperator Ludovici pater, conceſſerat Petro epiſcopo, cui Andreas proximè ſucceſſit, ut in eccleſiæ Volaterranæ utilitatem inſtituerentur* duo mercata, *id eſt, nundinæ*, in locis videlicet nuncupantibus ſancti Sylveſtri & ſancti Octaviani. *Ad Andreæ petitionem non modò confirmat Ludovicus conceſſionem, à Lothario patre factam; ſed etiam inſtituit* alia duo mercata, .. unum videlicet in eadem Vulterrenſe civitate in domo ad feſtivitatem beatæ Dei Genitricis Mariæ, ubi beatus Octavianus in corpore requieſcit, quod evenit medio menſe Auguſto, & alius * in caſtro ejùſdem ſedis, quòd dicitur Camporitæ. *Diploma S. Henrici, quo omnia jura & privilegia eccleſiæ Volaterranæ confirmantur, datum eſt anno* 1015, *editumque à Muratorio tom.* 5 *Antiquitatum col.* 237. *In illo aſſeritur, quadraginta tum temporis in cathedrali fuiſſe canonicos, qui* in honore * priſcis temporibus conſtituti fuerunt ſanctæ Dei Genitricis Mariæ ſemperque Virginis, & ſancti Octabiani, hac * Sanctorum aliorum commemorationem. *Paucis interjectis, urbis Volaterranæ templum princeps nominatur* eccleſia ſanctæ Mariæ & ſancti Octabiani. *Paulò poſt memoratur* eccleſia ſancti Octabiani in Collina. *Locum* S. Octaviani *dictum, de quo mentio fit in Ludovici diplomate, eumdem eſſe ſuſpicor cum illa, qui Volaterrarum incolis ultra Eram jacet tribus ab ipſa urbe milliaribus; ubi Andreas epiſcopus ſancto Patrono, oſſibus ejus inde tranſlatis, novum templum conſtruxit. An* eccleſia ſancti Octabiani in Collina, *cujus meminit S. Henricus, ab illo diverſa ſit, mihi incompertum eſt. In diœceſi Volaterrana fruſtra quæſivi oppidum vel vicum* Collina *appellatum. Cetera, quæ ex ſancti imperatoris monumento decerpſi, confirmant id, quod auctor Officii lect.* VI, *Æmilius Fei fol.* 34 *& alii referunt de novo canonicorum collegio, quod in* S. Octaviani *honorem Andreas epiſcopus erexerit, nomine ejuſdem Sancti inſigniverit, & antiquiori S. Mariæ canonicorum collegio conjunxerit, ita ut utrumque unum dumtaxat capitulum conſtitueret. Porrò verba, quæ ex Ludovici diplomate ſuprà attuli, me docent, Sancti oſſa in templo principe, Virgini Deiparæ in cælum aſſumptæ ſacro, jam tum depoſita fuiſſe, cùm Andreas anno* 851 *illud obtineret.*

61 *In lectione* IV *dicitur Sancti corpus in baſilicam Volaterranam tranſlatum fuiſſe trecentis ferè, uti ex antecedentibus colligo, ab ejus obitu annis. Ferrarii Catalogus Sanctorum Italiæ in annotatione, ad* 2 *Septembris* S. Octaviani *elogio ſubjecta, idem aſſerit: ſed nos inter ejus mortem & tranſlationem plurium annorum ſpatium medium conſtituimus: nam Sanctus veriſimiliùs ſeculo* V *ſub Genſerico floruit, uti paragrapho præcedente probatum eſt; nec corpus ejus citiùs Volaterras delatum fuit, quàm paucis annis ante medium ſeculi* IX, *ut mox oſtendetur. Blaſius monachus tranſlationem ab Andrea epiſcopo factam eſſe ait* anno D. DCCCXX, tempore Lotharii & Lodovici *Pii* imperatorum. *Componi hoc poteſt cum eo, quod habet lectio* VI: Ejuſque corpori *Andreas* aram in eadem baſilica *Volaterrana* cum elogio, tempus indicante, dedicavit, anno ſcilicet ſecundo & viceſimo ſupra octingenteſimum: quod ſanè Ludovico Caroli Magni filio imperante * fuiſſe, palàm eſt: *nam altaris erectio & dedicatio contingere potuit biennio poſt Sancti tranſlationem.*

62 *Volaterrani in inſtrumento ſæpe memorato, cujus partem mox edemus, fol.* 4 *ejus corpus in urbem ſuam illatum fuiſſe aiunt anno* 822: *eodem autem folio verſo:* Novum, *inquiunt*, canonicorum collegium, in divi Octaviani honorem inſtitutum, ab epiſcopo Andrea antiquo ſanctæ Mariæ capitulo additum fuit anno DCCCXXIII die VIII Novembris à Ludovico Pio imperatore. *Folio* 5 *hæc leguntur:* Ipſe prædictus epiſcopus in majori ſanctæ Mariæ templo nobile * ſarcophagum, in quo divi Octaviani oſſa laterent, incidendum curavit. Inſuper eccleſiam dicti Sancti jam dirutam ultra flumen Eram ampliori forma reſtauravit. . . . Anno DCCCXXIX caput illius argenteo includitur vultu, auro ſuperinducto. *Ughellus tomo* I *Italiæ ſacræ col.* * 333 *de Andrea epiſcopo ita ſcribit:* Floruit anno DCCCXXXVIII. Hic ſancti Octaviani corpus in Volaterranam baſilicam tranſtulit, ubi etiam canonicos S. Octaviani inſtituit. *Multos alios hìc recenſere poſſem, qui hallucinantur circa tempus, quo Andreas vel epiſcopatum gerere cœpit, vel* S. Octaviani *corpus Volaterras tranſtulit. Numerus ſequens docebit, quomodo eorum errores chronologici ſint corrigendi.*

63 *Anno* 826 *Volaterrarum antiſtes erat Petrus: ſubſcripſit enim ſynodo Romanæ ſub Eugenio II tunc celebratæ. Ejus memoria quoque exſtat in inſtrumento anni* 833, *quod producit Muratorius tom.* 5 *Antiquitatum col.* 923. *Vivebat adhuc anno* 844, *quo Ludovicus, Lotharii filius, rex Longobardorum à Sergio II coronatus fuit: nam inter præſules, qui iſti ſolemnitati Romæ interfuerunt, ab Anaſtaſio Bibliothecario nominatur* Petrus epiſcopus eccleſiæ Vollaterrenſis. *Sed neque ex catalogis antiſtitum ejuſdem eccleſiæ, neque aliunde innoteſcit, ante Petrum Volaterris epiſcopum nomine Andream ſediſſe: dicendum igitur eſt, Andream, qui oſſa* S. Octaviani *tranſtulit, fuiſſe ſucceſſorem Petri. Hic paulò poſt Ludovicum regem anno* 844 *coronatum obiit: nam Scipio Ammiratus junior in Additamentis ad Seriem epiſcoporum Volaterranorum, ab ejuſdem nominis ſeniore collectam, profert diploma quoddam Lotharii imperatoris in favorem Andreæ epiſcopi Volaterrani ejuſque eccleſiæ anno* 845 *conceſſum. Jam autem quoniam conſtat ex ſuprà memorato Ludovici privilegio, quòd Sancti corpus in baſilica Volaterrana anno* 851 *jam depoſitum eſſet, relinquitur, ut ejus tranſlatio nec prius contigerit quàm anno* 844, *nec ſeriùs quàm* 851.

64 *Ferrarius citatus tranſlationem celebratam fuiſſe ait* XVII *Julii: quod unde acceperit, ignoro. Ex auctore Officii lect.* VIII, *cui alii omnes conſentiunt, diſcimus, Andream Sancti lipſana ad cathedralem ſuam tranſtuliſſe* ſextâ feriâ, quæ ſanctam hebdomadam præcedit, *eodemque ſub præſule vel èjus ſucceſſoribus introductam fuiſſe conſuetudinem, ut è qualibet urbis domo aliquis, qui commodè poſſet, ſingulis annis Sancti Patroni templum ultra Eram ſitum inviſeret eâdem illâ feriâ ſextâ, quâ Volaterrani ſacrâ theſauro*

* aliud
B
* honorem
* ac
C
Blaſius, auctor Officii & alii corporis tranſlationem, quæque poſt hanc
D
* adde factum
in S. Octaviani honorem perfecit præſul Andreas, alienis omnia temporibus innectunt:
* nobilem
E
contra illos oſtenditur, Andream ſacra oſſa Volaterras detuliſſe ſub medium ſec. 9
F
die Veneris, ut creditur, ante Dom. Palmarum, qui ſec. 16 *& 17 feſto cultu celebrandus erat.*

A *thesauro ditati fuerunt. Æmilius Feï, seculi præcedentis scriptor, fol.* 34 *testatur, piam illam consuetudinem suis adhuc temporibus viguisse. Suprà num.* 56 *&* 57 *retuli historiam infelicis istius fabri, qui anno* 1508 *ob domûs ædificationem non intermissam* die Veneris ante Dominicam Palmarum *subita morte Volaterris exstinctus fuit. Inter ea, quæ num.* 15 *ex instrumento Volaterrano mox transcribentur, alterius fabri fit mentio, qui anno* 1640 *eodem die à laboribus non abstinens similes pœnas dedit. Unde intelligitur memoriam translationis* S. Octaviani *seculo* XVI *&* XVII *celebratam fuisse ea festivitate, quæ fideles ad cessationem ab operibus servilibus obligarit. Secunda Septembris Sancti cultui consecrata est, quia hæc ejus natalis fuisse creditur.*

RELATIO

RECOGNITIONIS

B

Reliquiarum S. Octaviani, in cathedrali Volaterrana servatarum, notitiæ de Sancti cultu & miracula;

EXCERPTA

a *Ex instrumento authentico* a, *Volaterris ad P. Bollandum transmisso, quod inter musei nostri manuscripta servatur notatum* ✠ *Ms.* 164.

Caput S. Octaviani, in cathedrali honorificè asservatum, lustratur 12 *Dec.* 1647 *b*

De verò *b* XII Decembris MDCXLVII, præsente suprascripto domino provicario, ac D. Ludovico de Minuccis, D. Horatio de Maffæis, & me notario infrascripto & aliis in majoris ecclesiæ sacrario, cùm unà afforent, convenientes, oraverunt D. Bonamicum de Bonamicis, ejusdem ecclesiæ Vulterranæ archipresbyterum, ac D. Bartholomæum Bibonium canonicum, necnon D. Alexandrum de Feis militum ducem, ac D. Julium de Maffæis, omnes Vulterræ patricios, & ad præsens electi sacrarii conservatores; ut insigniores reliquias, quæ sub eorum custodia servabantur, agnoscendas & describendas ostenderent. Ideo pii admodùm prædicti conservatores, tam religiosæ annuentes petitioni, presbyterum Paulum de Cortinovis, alterum è sacristis, reliquiarum tabernaculum aperire jusserunt. Est autem tabernaculum medio in sacrario instar altaris positum, asseribus confectum nuceis, simulacris affabre incisum auratis, seris repagulatum duabus, quæ duabus discordibus tamen clavibus recluduntur; quarum altera apud D. Bartholomæum utì conservatorem ecclesiasticum, altera apud D. Alexandrum utì conservatorem laïcum asservantur. Quo iisdem omnibus conservatoribus præsentibus adaperto, cùm sacrista fericeum coccinei coloris velarium demisisset, caput S. Victoris martyris argento incluſum expoſuit *c* ... Poſtea presbyter Michaël Leonius, è ſacriſtis alter, unam S. Octaviani argenteam è ſacro abaco extulit imaginem *d* ... EX MS. VOLATERRANO.

c d reperiuntur ejus ossa è juncturis suis dimota.

2 Præſentibus igitur omnibus, ſacrà ex capite argenteo educta ſunt oſſa, candido involuta ſerico, quæ omnia totius capitis ſancti Patroni oſſa perſpeximus eſſe clariſſimè; non eſſet licèt, ut olim, integrum caput; cùm oſſium juncturæ ſibi invicem non adhærerent, propter militum ultimis in bellis inſolentiam dimota & elocata. Anno etenim MCDLXXII, quo Vulterrani, civili diſcordia ex infauſtis aluminis fodinis tunc primùm repertis laborantes, reipublicæ Florentinæ arma in ſemet ipſos concitaverunt, quæ ſub comitis Frederici Montis-Feltri, Urbini domini, auſpicio & ductu urbem noſtram obſeſſum & expugnatum venit. Ut verò tam pretioſus divi Octaviani theſaurus ſervaretur illæſus & incolumis, venerabile Senis caput ſimul cum mitris à Calixto II donatis multaque inſigni ſupellectile, in canonicorum ſepulcro, in cathedrali poſito, conditum eſt.

E *Sacrilego, qui vas sacrum cum Christi Corpore rapuerat, cæcitate punito,*

3 Cùm verò multi civitatis Primores ad Florentinorum caſtra ab urbe defeciſſent, & adverſæ partis cives ipſi quoque diſſidentes perſtitiſſent in civitate, copias, honorem & vitam paciſcentes, ſeque & urbem ipſam in victoris poteſtatem tradiderunt: milites autem & à Vulterranis ſtipendio acciti, & à Florentino victore intra mœnia immiſſi, rupto fœdere, domos & ſua templa prædabundi populantur. Quorum nonnulli in majorem irrumpentes eccleſiam, & portis, quæ ad reprimendum eorum impetum occluſæ erant, effractis, cùm nihil pretioſi in ſacrario reperiſſent; unus ex illis tabernaculum, quo Chriſti Corpus aſſervatur, immani auſu, cæcaque impulſus cupidine petiit: quod manu ſacrilega cuſtodiam ablaturus effregit. Deus verò ſui numinis vindex, ne miles à tanto ſcelere impunitus abiret, extemplò ipſius eccleſiæ fores, prædantium violentiâ disjectæ, mirando prodigio ut per ſe ipſæ denuò clauderentur, effecit: ſceleſtus autem utroque lumine captus eſt, qui attonito & ſtupenti ſimilis, huc illuc diſcurrens vehebatur.

F *Sacrilegi caput Sancti ablatum restituunt: illo sacram Hostiam in murum abjiciente, terra movetur:*

4 Quo viſo, comites, qui eodem momento è tumulo adaperto divi Octaviani caput eduxerunt, timore perculſi, in idem buſtum argenteum vultum rejecerunt, monentes eum, ut ſacrum vas, in quo Panis erat angelicus, in tabernaculum reportaret. At ſacrilegus nihilo melior factus, furore inſanus, rabieque infræna provectus, audaci conatu vas in templi muros injecit, qui contritus * in fruſta concidit: Hoſtia verò, quamvis eliſa, integra & intacta permanſit; cùm repentè urbs tota ingenti terræ quatitur motu: quo factum eſt, ut tanto citiùs reſideret militum furor: de quo mentionem faciunt Haldus Haldi, Florentinarum hiſtoriarum illius temporis ſcriptor, lib. IV, & Petrus Franciſcus Roſia, Vulterrani communis * tunc cancellarius, in ejuſdem belli deſcriptione *e*.

* quod contritum

* communitatis

e

5 Majorem ſacra effigies paſſa eſt jacturam anno MDXXX, quando uſque ad dictum tempus calvaria venerabilis, auctore Jovio lib. XXVIII Hiſtoriarum, populo ad oſculandum præbebatur. Cùm verò Franciſcus Ferruceius Vulterram *f* denuò in Florentinorum poteſtatem redegiſſet, cúmque non ſolùm argentea altarium frontalia, abacos, calices & ſacrarii candelabra in cathedrali liquefaciénda curaſſet, ipſorum * quoque divi Octaviani caput & imaginem in publico foro licitan-

blosphemis petèns S. Octaviano illudens sacrilego ulcere percutitur, è quo paulò post miserè moritur.

f

* ipſum

EX MS. VOLATERRANO.

licitantium avaritiæ venalia expoſuiſſet *: quod in tantum Sancti contemptum effectum eſt, ut ſacrum caput atque calvariam tunc temporis confracta fuiſſe, manifeſtò pateat ex dictis Pauli Jovii Hiſtoriis *g*. Tantum verò ſceleris, ultore Deo, fuit juxta ſuperni Numinis ſeveritatem punitum. Leonardus etenim Thebaldus, Bartoli *h* pro Florentino exercitu commiſſarii nepos, qui paulò antè in evertendis Vulterræ domibus graſſatus, odium & iram in rapinas & cædes effuderat; longam canamque ſancti Senis barbam arripuit lætabundus eludens: Quantam, ô barbate ſenex, tua ex imagine mihi pecuniam conflavero! At repentè in illius corpore anthrax *i*, ceu peſtiferum ulcus, intumuit, ut, cùm atroci pœna ac fœtore intolerabili dexterum latus infeciſſet, unius diei noctiſque ſpatio miſerè vitam finierit. Id omne in illorum temporum Diariis liquidò apparet, atque etiam in Vita SS. Juſti & Clementis à D. Auguſtino Fortunio *k* conſcripta cap. XXV, & à Froſino Lapino tranſumpta, & anno MDLXVIII Florentiæ in lucem edita pag. LXX.

* expoſuit

g

h

i

k

B

Recolitur ejus natalis 2 Sept., olim cum Octava, tranſlatio feriá 6 ante Dom. Palmarum.

6 Solemne hujus Sancti feſtum quarto Nonas Septembris, cùm in terris moriens in cælo naſcitur, ſumma devotione à Vulterranis celebratur. Caput ipſius votiva per urbem luſtratione defertur, clero, magiſtratibus, & univerſo populo proſequente: antiquioribus immo ſeculis hujus feſta dies cum Octava colebatur à clericis, ut ſanctus Ugo in Vulterranæ eccleſiæ Ritibus *l* ab eo conſcriptis anno ſalutis noſtræ MCLXI teſtatur, dicens: " Notandum, quòd pro " reverentia tanti Confeſſoris à prima die uſque " ad octavam novem Lectiones facit pro eo " Vulterrana eccleſia, in qua cum corpore re- " quieſcit; & facit ad Miſſam GLORIA IN EX- " CELSIS DEO, & CREDO IN DEUM; & hoc " quia quaſi apoſtolus & defenſor fuit in Vulter- " rana civitate ". Ipſius quoque Sancti tranſlatio die Veneris ante Palmarum Dominicam celebratur: quo die ad viſendum hujus Divi templum trans flumen Eram ingens populi confluit multitudo *m*.

l

m

C

Patroni ſui opem Volaterræ in variis neceſſitatibus ſunt experta.

7 Vetuſtiſſimo eſt obſervatum more, ac re ipſa compertum eſt, Vulterranum populum, dum ſacrum caput per publica viarum circumferretur, opportuno tempore fœcundum imbrem vel aëris ſerenitatem à Deo Octaviani precibus obtinuiſſe: immò ſiquis animi anguſtiis premeretur, ad Sancti confugiens auxilium cordis mœrorem pacatus diſcutiebat. Magiſtra hujus veritatis in nona hujus Sancti Officii lectione eſt Vulterrana eccleſia, & in ejuſdem Vita, è Latino in vernaculam converſa linguam, Froſinus cap. XXV in libro Florentiæ impreſſo anno MDLXVIII pag. LXIX: & Razzius in Sanctorum Hetruſcorum Vita addit pag XXVII *, hæc beneficia nobis à Deo per Octaviani merita pervenire. Cujus imaginem occluſam, ſtanno liquenti extrà fuſam per rimulas *, ſigillis obſignatam, in proprium ſacriſta locum reverenter detulit.

* CXXVII

* *id eſt*, rimulis exteriùs infuſo

8 Inde ulmi partem, in quo uſque ad obitum delituit, conſpicimus, & ubi teſtante Lipomano lib. III de Sanctorum Vita, trium angelorum & ipſius cælorum Regis dignus fuit intuitu *n*. In arca ex ebore deaurata bacilli fragmentum, cui Senex divus innitebatur, oſſeo manubrio inſtar ſuffulcri anulis plumbeis notavimus. De oſſibus omnibus Vulterrana eccleſia in VII ejus Officii lectione, Razzius ut ſuprà pag. CXXVI, D. Auguſtinus cap. XXV de SS. Juſti & Clementis Vitæ apertiſſimam mentionem faciunt. Idque totum diligenter fideliterque de prædictorum DD. mandato deſumpſi & notavi. Quæ arcula poſtea in ſacro promptuario reſtituta fuit *o* . . .

Inſpicitur pars ulmi, in qua vixit, & bacilli, quo uſus fuit.

n

D

o

Volaterras jamjam ab hoſte occupandas SS. Juſtus, Clemens & Octavianus propugnare viſi.

9 Capita poſtea pectore tenus SS. Juſti & Clementis, argento affabrè inciſa, videnda proponuntur *p*. . . . Anno MDXXX, ut Jovius & Ammiratus *q* ſcriptum reliquerunt, cùm Vaſti marchio, feroci niſu Vulterram adortus, per Sancti angeli portam in civitatem irrumpere contendiſſet, & Maramaldus impetum in eam feciſſet ad divi Lini monaſterium, ibique tormentis bellicis muros dejeciſſet, ita ut defenſoribus retrocedentibus locus nudaretur; & Franciſcus Ferruccius, equitum peditumque præfectus, ſaucius atque perterritus ſe recepiſſet in arcem: tunc divi Lini moniales, furentis prædæ victoris mox futuræ, ad ſanctorum Juſti & Clementis ac Octaviani patronorum auxilium confugerunt: qui repentè cum angelorum cohorte virginibus precantibus affuere: & hoſtibus ademptâ victoriâ & audaciâ militum repreſſâ, virgines ſibi metuentes cœperunt certam ſperare ſalutem. Hoſtes retuſi à mœnibus coguntur recedere; murorum ruina Sanctorum virtute defenditur, donec Joannes Broccardus, Vulterræ patricius, multis cum civibus primoribus ſuperveniens, muros dirutos reparavit. Unde non ſolùm moniales ſanctos Patronos, ingenti cum aulæ cæleſtis exercitu pugnantes, & pro ſe ſtantes vidiſſe aſſeruerunt; ſed ipſi quoque milites, è muro profligati & timore correpti, teſtati fuere. Præcipuè verò Amicus Arſula, militum dux, cùm in civitatem ad mœnia ab hoſtibus tuenda cum Ferruccio reverſus eſſet, vehementer admiratus, confirmavit, ſe infinitum incognitorum pugnantium numerum pro urbis incolumitate propriis oculis conſpexiſſe, inter quos tres præcipuè Chiliarchos, virtute formidabiles, ætatis canicie reverendos, quos prædictos Sanctos fuiſſe, qui ſubitò ad tollendum miſerum civitatis caſum de cælo confluxerint, à nemine dubitatum fuit *r*. . .

p

q

10 Inde ad divi Octaviani capellam devenimus. Hæc ad majoris altaris lævam poſita eſt in cathedrali, in qua ſuper altari marmoreo nobilis & ingens è candenti marmore aſſurgit urna, ab illuſtri mirabilis artis ſculptore inciſa, publico ſumptu anno MDXXII erecta. In ea hoc elogium magnificis elementis exaratum cernitur.

r

Urbs Sancti meritis peſte liberata, ejus ſacellum & aram an. 1522 inſigni ornavit ara.

F

DIVO OCTAVIANO

POPULUS VOLATERRANUS ILLIUS MERITIS PESTILENTIA LIBERATUS EX VOTO REFECIT.

& in baſi:

ANNO SALUTIS MDXXII SEXTO CALEN. MARTIAS.

11 Quoniam verò in ipſa D. Octaviani corpus quieſcit, qui uti apoſtolus & defenſor à Vulterrana dicitur eccleſia, ob reverentiam prædicti domini provicarius & deputati idem ſepulchrum non aperiendum exiſtimaverunt; & eo magis, quoniam anno MDCXXXI, cùm tota civitas gravi peſtilentia vexaretur, recluſum fuerat, ibique multi aderant, qui fuerunt teſtes de viſu, quando eædem reliquiæ ex eodem ſarcophago fuerunt eductæ & in eodem reconditæ. Qui teſtes infraſcriptam fidem & atteſtationem in

E

cui inclusum ſacrum corpus an. 1647 non viſitatur,

A in ſcriptis fecerunt ; quæ à me notario & teſtibus infraſcriptis , ab eiſdem infrà nominatis propriis manibus ſubſcribi & confirmari viſa eſt.

quia , ut ſcripto fidem faciunt 4 teſtes , qui adfuerant , recognitum erat an. 1631 ;

12 Die XXIX Decembris MDCXLVII. Fidem facimus & atteſtamur nos omnes infraſcripti , qualiter ſub anno Domini MDCXXXI , die verò XVI Auguſti , inter primam & ſecundam horam noctis , cùm civitas Vulterrana peſtilenti lue laboraret , publico cleri & univerſitatis decreto proviſum fuit , recurrendum ad preces divi Octaviani confeſſoris , hujus civitatis protectoris ; & annuente & præſente illuſtriſſimo ac reverendiſſimo Bernardo Inghiramio antiſtite , reverendiſſimis dominis Lepido de Gabriellis Maſſetano tunc vicario generali , Franciſco Broccardio canonico , Franciſco Incontrio canonico à reverendiſſimo capitulo deputatis , illuſtriſſimis DD. Benedicto Falconcinio præpoſito , equite Carolo Bava , Inghiramo Inghiramio , Joanne Tanio quatuor ex illuſtriſſimis DD. Prioribus , D. equite Paulo Incontrio , Domino equite Franciſco Falconcinio , equite Lino de Liſcis , equite Camillo de Leoneribus , & quamplurimis aliis acceſſum fuit ad ſarcophagum , ubi aſſervatur corpus dicti divi Octaviani ; & piis ad Deum precibus effuſis , ex præcepto prædicti illuſtriſſimi antiſtitis lapide à cæmentariis ſublato , in caſſu-

B

* capſula la * nucea apparuerunt ſanctiſſima oſſa majoris partis corporis dicti Sancti (nam caput in theca argentea cuſtoditur :) & intus erat membrana , & etiam in laminis plumbeis memoria recognitionis corporis prædicti , factæ à reverendiſſimo olim D. Luca Joanninio epiſcopo Anagnino , patritio Vulterrano anno MDXXII , ſimili peſtilentiæ occaſione , & poſtea in dicto ſepulcro repoſiti.

quando per urbem gravi peſtilentia vexatam circumlatum , & in arca repoſitum fuit :

13 Quod corpus ſolemni pompâ die ſecunda Septembris MDCXXXI per civitatem proceſſionaliter delatum , & ipſa die horâ primâ noctis in eodem ſarcophago diligentiſſimè clauſum fuit, & memoria hujus actus appoſita eſt , præſente dicto D. illuſtriſſimo ac reverendiſſimo antiſtite & aliis quamplurimis. In quorum fidem hæc aliena manu ſcripta , noſtra propria manu ſubſcripſimus.

Franciſcus Broccardius canonicus cathedralis eccleſiæ in verbo veritatis atteſtor adfuiſſe dictæ

C functioni , nomine quo ſuprà.

Franciſcus Falconcinius fui præſens , & atteſtor omne quod ſuprà , & in fidem manu propria [ſubſcripſi.]

Cammillus Leonerius fui præſens , & atteſtor omne quod ſuprà , & in fidem manu propria [ſubſcripſi.]

Inghiramus Inghiramius fui præſens , & atteſtor omne quod ſuprà ; & in fidem [manu propria ſubſcripſi] *f.*

f

Quæ atteſtatio veritatis præſentibus teſtibus & me notario infraſcripto , in forma rogato , à prædictis fuit recognita jurejurando , à ſacerdotibus tacto pectore , ab equitibus tacta cruce , ab aliis tactu Scripturarum.

quam uſque ad an. 1647 apertam non fuiſſe teſtantur , qui eam viderant occludi.

14 Poſtea verò à prædicto D. equite Franciſco Falconcinio , domino equite Camillo Leonerio , & D. Inghiramo Inghiramio agnitæ & diligenter perſpectæ ſunt ejuſdem depoſiti junctuiæ ; mihique notario infraſcripto juramento confirmarunt , durare & eodem modo permanere , quo die 11 Septembris MDCXXXI , vergente veſpere , conglutinatæ ac compaginatæ fuerunt , neque idem buſtum exinde ampliùs fuiſſe adapertum ; quod ipſi concordes confirmare poſ-

ſunt : cùm ipſi eadem die adfuerint ; quando divi Octaviani reliquiæ in eodem tumulo denuò fuerunt compoſitæ , & in caſſa * ex nuce confecta , cryſtallis tranſlucidata , clavi unica obſerata , quæ in eadem urna ſervatur ; ſuperducto marmoris operculo , conditæ fuerunt : quæ ut geſta ſunt , affirmarunt iidem clariſſimè apparere , & conſtare ex inſtrumento Michaëlis de Tanis eadem die rogato ; qua die quoque eadem depoſiti urna à Simeone & Joanne Baptiſta Fortini lapicidis modo , quo nunc cernitur ; coagmentata fuit , & prioribus inſerta juncturis. EX MS. VOLATERRANO. * capſa

Sancti miracula ab aliis deſcripta.

15 Plurima ſunt , quæ Deus hujus Sancti interceſſione operatus eſt miracula ; quorum multa in ſanctorum Juſti & Clementis Vita à domino Auguſtino Fortunio deſcripta cap. XXV leguntur ; præſertim contra ſacrilegos & ſui templi prædatores : & in cap. XLVII miraculum de cæmentario , qui tranſlationis ejus feſtum colere contempſit *t* : ſicuti eumdem miraculi eventum magiſter Petrus faber murarius anno MDCXL die ejuſdem Sancti feſtivo in Fugnani villa expertus eſt. Captivi etiam plurimi è Turcarum manibus divinitus Octaviani interceſſione leguntur liberati , quorum cathenæ ad Sancti ſepulcrum viſebantur. *t*

E

ANNOTATA.

a *Bollandus tomo 1 Februarii pag. 330 jure meritiſſimo commendavit ſingulare Volaterranorum ſtudium in colligendis ad noſtram inſtructionem notitiis , Sanctorum ſuorum Acta , cultum , miracula & reliquias ſpectantibus. Quod de hiſce confectum & ad Bollandum miſſum in muſeo noſtro inſtrumentum ſervamus , authenticum eſt ; firmatur enim Franciſci Contii , notarii publici , ſubſcriptione , qui & in margine notariatûs ſui ſignum appoſuit : fidem ei faciunt* Priores populi Volaterrarum *per ſuum cancellarium Thomam Franciſci de Broziis die 13 Maii anno 1648 , qui atteſtationi , propria manu ſcriptæ , civitatis Volaterranæ ſigillum in cera viridi appreſſit. Ad clariorem notitiam vocis* Priores , *quæ infrà num. 12 etiam occurret , Antonii Hyvani verba ſubjicio ex Commentariolo de Bello Volaterrano apud Muratorium tom. 23 Scriptorum Italiæ col. 6 :* Forum publicum *Volaterrarum* hæc præcipuè continet ; ædem cathedralem beatiſſimæ Virgini dedicatam , palatium dominorum Priorum , in quo ipſi magnificè ſatis reſident , & quorum ductu conſilia publica celebrantur *&c. Et col. 9 : Volaterrani* ſummum magiſtratum octo virorum , qui Priores populi appellabantur , in palatio publico non ſine aſſidua dignitate retinebant , quorum ductu reſpublica gerebatur.

F

b *Tomo 1 Junii pag. 447 inſtrumenti editum eſt initium , cujus hæc eſt ſynopſis : Cùm ad Volaterranos fama Operis à Bollando inchoati perveniſſet , Sanctorum ſuorum memorias colligere & reliquias recognoſcere , ipſique collectionis & recognitionis Acta tranſmittere decernunt. Totius cleri nomine 18 Decembris anno 1646 ad illud delecti fuere duo eccleſiæ cathedralis canonici Franciſcus Broccardus & Alexander Riccobaldus Bava J. U. D. & Prior S. Michaëlis ; nomine verò populi 12 Junii anno 1647 Raphaël Maffæus J. U. D. & Curtius Inghiramius. Nicolaus Sacchettus epiſcopus Volaterranus ab iiſdem rogatus , ut tam pio operi præſideret , ſuo in ſpiritualibus provicario generali Frederico*

Ghetto

EX MS. VOLATERRANO.

Ghetto commiſit, ut ordinaria auctoritate illi aſſiſteret. Dein notarius, Acta facienda recognitionis litteris excepturus, adſcitus eſt Franciſcus Contius: quo peracto, inſigniorum reliquiarum, in cathedralis ſacrario ſervatarum, facta eſt viſitatio, quam nominatus notarius ita referre incipit: Die verò XII Decembris MDCXLVII *&c.*

c *Quæ de S. Victore M. Volaterrani annotanda & nos docenda cenſuerunt, examinata ſunt ad* 8 *Maii tomo* 2 *&* 7 *in Appendice.*

d *Poſt hæc verba* S. Octaviani *vita in inſtrumento paucis perſtringitur: dein agitur de corporis ejus tranſlatione in eccleſiam cathedralem, in cujus favorem varia ab imperatoribus aliiſque principibus conceſſa diplomata recenſentur. Antiquiſſimum quod adfertur, à Carolo Magno imperatore anno* 801 *datum fuit; cujus etiam compendium exhibetur. Cùm in eo fiat mentio canonicorum ſanctiſſimæ Virginis Mariæ, cui in cœlos aſſumptæ templum cathedrale dedicatum eſt, hinc infertur, canonicos in honorem* S. Octaviani *poſt hujus tranſlationem ab epiſcopo Andrea inſtitutos, non eſſe omnium antiquiſſimos; ſed vetuſtiori Deiparæ Virginis ab eodem Andrea unitos fuiſſe. Porrò de Sancti vita & tranſlationis hiſtoria nihil in inſtrumento legitur, quod in Commentario prævio à me relatum & diſcuſſum non fuerit.*

B

e *Duo ſcriptores hîc nominati ignoti mihi ſunt: ſed alter ad manum eſt auctor ſynchronus, qui bellum & calamitates, à Florentinis urbi Volaterranæ anno* 1472 *illata, ex profeſſo deſcripſit, nimirum Antonius Hyvanus, qui apud Muratorium, in annotatis ad litteram* a *laudatum, col.* 19 *&* 20 *ſcribit de horrendo illo ſacrilegio & ſubſecuto terræ motu: ſed illud in templo S. Franciſci patratum fuiſſe ait: in quo non concordat cum inſtrumento Volaterrano, quod exſecrandum iſtud facinus in cathedrali commiſſum fuiſſe dicit.* Dum hæc agerentur, *inquit Hyvanus*, & impietate militum etiam templa ſpoliarentur, terræ motus urbem & caſtra concuſſit. Fama eſt, quòd ante terræ motûs initium tiro quidam ex templo divi Franciſci ſacram Euchariſtiam, in parvo tabernaculo ſervatam, impudenter abſtulerat, & exire templum nequiens, velut luce privatus, tabernaculum & alia, quæ rapuerat, iracundus contumeliosè projecit. Sunt piè credenda, quæ ad religionem pertinent. At ſi naturam ſequimur, paucos ante dies aſſiduis imbribus madefacta Volaterrana regio, & mons ille cavernoſus, in quo urbs ædificata eſt, terræ motum edere potuerunt. *Muratorius in Præfatione ad Hyvani Opuſculum notat*, ſatis elucere, illud curâ Florentinorum compoſitum fuiſſe, ut ſpargeretur per Italiam, atque ita ſiniſtræ famæ invaleſcenti de eorumdem tyrannide occurreretur. Certè auctor, quanta poteſt arte, in cives Volaterranos culpam conjicit calamitatis, & acta quæque Florentinorum emollit. *Ne ſcriptor parùm fidelis audiret, negare vel tacitus præterire auſus non eſt, quod conſtans fama de ſacrilego illo milite haud dubiè jam latè pervulgarat: illius tamen impietatem obliquè quodammodo extenuare conatur, dum inſinuat, pro divinæ iræ atque indignationis indicio non neceſſariò accipiendum eſſe, quòd terra ſtatim ab admiſſo ſcelere tremuerit, cùm cauſa naturalis producere tunc potuerit iſtum effectum, Deo ad hunc modo ſingulari non concurrente.*

C

f *Defecerant Volaterrani à Florentinis pro reipublicæ ſuæ libertate tuenda bellantibus contra Clementem VII & Carolum V, fœdere junctos, quo ſancitum erat, ut Margarita Auſtriaca nuptui daretur Alexandro Medices, atque hic Etruriæ principatum obtineret. Cauſam defectionis Volaterranorum dat Paulus Jovius lib.* 28 *Hiſtoriarum Baſileæ editarum pag.* 148. *Vere anni* 1530, *cùm Florentia à pontificio & cæſareo exercitu obſidione premebatur, Franciſcus Ferruccius militum Florentinorum dux Volaterras vi expugnavit, & non minùs crudeliter erga cives, quàm impiè erga res ſacras victoriâ abuſus fuit. Lege omnia fusè deſcribentem Jovium pag.* 149 *& ſeqq.*

D

g *Ad confirmanda atque illuſtranda ea, quæ inſtrumentum Volaterranum de* S. Octaviani *capite & Ferruccii impietate hactenus num.* 4 *retulit, ipſa laudati Jovii verba ſubjungo.* [Cùm] Ferruccius non inſulſa ratione reipub. urbem quoquomodo incolumem ſervare, quàm avaritiæ militum, urbium excidiis vel parvo ſuo lucro gaudentium objicere mallet, aliò ad parandam pecuniam ita vertebatur, ut ſacrilega manu donaria antiquitùs dicata templis, & religiosè uſque in eam diem cuſtodita non cunctanter auferret ... Quod verò ſummo religionis contemptu factum videri poterat, cælata argento altarium frontalia atque abacos cùm candelabris atque calicibus conflari juſſit. Poſtremò divorum urbis tutelarium, Octaviani ſcilicet atque Victoris argentea ſimulacra, quibus vera capita ipſorum Martyrum (S. Octaviano *non convenit hic titulus*) includebantur, ad haſtam venalia in foro propoſuit, ingenti cum luctu civium, mulierciarumque præſertim crebris ejulatibus, quæ pietatis causâ conceptis votis eminentem aperto paululùm vertice ſanctiſſimæ reliquiæ calvam exoſculari conſueverant. Hac in re ipſo duce prudentior & religioſior in univerſum miles eſt inventus. Nam quum à Volaterranis omni pecunia exſpoliatis capita redimi non poſſent, ne conflarentur, ipſi milites tacti religione pecuniam in pretium contulerunt ferme ſeriùs, quòd eorum jam alterum ſimulacrum aureâ barbâ pretioſius & magnitudine auguſtius (*S. Victoris ſcilicet, uti teſtatur inſtrumentum Volaterranum, de Sancto illo agens*) ad quæſtoris officinam delatum, properéque conflatum fuerat.

E

h *Ferruccio civibus Volaterranis infeſtior fuit Bartholus Tedaldus. Quid hic in eorum perniciem egerit diſtinctiùs ex Jovio citato cognoſces pag.* 148, 150 *&* 151. *De Leonardo Tedaldo illius nepote, qui hîc Thebaldus cognominatur, nihil profert.*

F

i Ἄνθραξ, *id eſt carbo, dicitur* ulcus, *inquit Gorræus in Lexico medico*, cruſtoſum à ſanguine in atram bilem converſo & inferveſcente excitatum. *Latini carbunculum vocant.*

k *Quæ Auguſtinus Florentinus, vel ut hîc cognominatur Fortunius, de blaſphemo divinitus punito cap.* 25 *narrat, invenies in Comment. num.* 55. *Quam Latinè edidit Vitam SS. Juſti & Clementis, à Froſino, vel ut alii rectiùs, Euphroſyno Lapino & Silvano Razzio Italicè vulgatam fuiſſe diximus num.* 19. *Ad tres ſcriptores iſtos, & ad lectiones Officii proprii de* S. Octaviano *lector aliquoties mox remittetur: ſed loci citandi nihil habent, quod Commentario* § 5 *inſertum non ſit. Hoc generatim ſemel monuiſſe ſufficiat.*

l *Vide Commentarium num.* 33.

m Con-

A m *Consule dicta num.* 58 & 64.

n *Hæc de Sancto nostro apud laudatum Lipomanum invenire non potui.*

o *Sequitur relatio inspectionis reliquiarum infantis unius ex sanctis Innocentibus, S. Ugonis episcopi Volaterrani, qui dabitur* 8 *Septembris, & S. Candidi M., de quo ad* 3 *Februarii actum fuit.*

p *Quæ hîc de SS. Justi & Clementis vita inseruntur*, S. Octaviano *illorum socio ferè communia sunt; nec quoad rem ipsam differunt ab iis, quæ ex Augustino Florentino retuli* § 3; *ubi etiam ostendi, quàm suspectæ fidei sint documenta, ex quibus illa hausta fuerunt. Dein monemur, lectionem primam, quam ad Matutinum de tribus sanctis Patronis clerus Volaterranus legere consueverat, ab erratis chronologicis purgandam esse. Quænam illa sint, & quomodo eadem Volaterrani corrigenda judicarint, dictum est* § 1 *in fine. Aliquibus notitiis de SS. Justi & Clementis cultu productis, summatim ex Augustino Florentino recensentur miracula ab utroque Sancto patrata & à Papebrochio tom.* 1
B *Junii à pag.* 441 *edita; quibus subjungitur aliud, quod hîc transcripsi, quia etiam S.* Octaviano *attribuitur.*

q *Jovius suprà laudatus lib.* 29 *& Scipio Ammiratus Historiarum Florentinarum lib.* 30 *præsidii Volaterrani constantiæ & virtuti bellicæ adscribunt, quòd Vastius & Maramaldus urbem frustra oppugnarint: sed hîc narrantur ejus patroni SS. Justus, Clemens &* Octavianus *cum cælesti angelorum exercitu obsessis in auxilium venisse. Mirum alicui videbitur Ferruccium, cujus jussu paulò antè sacra templorum supellex direpta, & argentea* S. Octaviani *effigies, cui caput ejus includebatur, in foro venum exposita fuerat, hunc eumdem Sanctum cum Justo & Clemente atque angelis in urbe defendendâ adjutorem habuisse. Sed si Ferruccius tanto beneficio indignus fuerit, impetrare illud potuerunt preces piarum monialium S. Lini, quæ primæ objiciebantur hostium in civitatem irrumpentium furori & effræni licentiæ, quâ tum temporis milites victores in urbibus vi expugnatis impunè passim utebantur.* EX MS. VOLATERRANO.

r *Eodem die* 12 *Decembris, quo Sanctorum hactenus memoratorum reliquiæ in cathedralis sacrario visitatæ sunt, etiam illæ recognitæ fuerunt, quæ de S. Mario M. ibidem asservantur. Die* 13, 14, 16, 17 *&* 19 *Decembris varia in urbe & suburbiis templa lustrata, & quibus hæc ornantur, Sanctorum ossa & exuviæ inspecta fuere. Die* 29 *ejusdem mensis domini deputati ad ecclesiæ cathedralis sacrarium, à quo exorsi fuerant, regressi sunt; peractaque ceterarum, quibus illud ditatur, reliquiarum visitatione, transierunt ad* S. Octaviani *sacellum, quod in eadem est cathedrali. De Sancti nostri corpore ibidem honorificè condito nos ea docuerunt, quæ à num.* 10 *ex instrumento desumpta sunt.* E

f *Tres ultimæ subscriptiones terminantur vocibus, quas ad illarum sensum complendum ipse adjeci atque uncis inclusi. Leonerius & Inghiramius Italicè subsignarant, quorum verba Latinè reddidi.*

t *Relege annotata ad litteram* k.

DE SANCTO NONNOSO

PRÆPOSITO MONASTERII MONTIS SORACTIS

IN ETRURIA ECCLESIÆ,

COMMENTARIUS PRÆVIUS. J. S.

C Memoria Sancti in Fastis sacris: scriptor Actorum S. Gregorius: locus & tempus, quibus floruit Sanctus. F

SECULO VI CIRCA MEDIUM. *Sanctus Martyrologiis adscriptus.*

Quamquam S. Nonnosus *laudum suarum præconem habuit S. Gregorium, ejusque veneratio satis est antiqua, uti deinde ostendetur ex translationibus corporis; nullam tamen ipsius memoriam apud martyrologos antiquiores publici juris factos reperio. Illum tamen ut sanctum memoravit Petrus de Natalibus in Catalogo lib.* XI *cap.* 97, *ubi recitat elogium ex S. Gregorio. Eumdem seculo* XV *annuntiavit auctor Florarii nostri Ms. paucis his verbis ad* 2 *Septembris:* Item sancti Nonnosi monachi. *Editio Usuardi Lubeco-Colonienſis anni* 1490 *adjectam habet eodem die sancti* Nonnosi *memoriam hoc modo:* Eodem die sancti Nonnosi monachi. *Secuta Belini editio:* Nonnosi monachi & confessoris. *Molanus plura de sancto addidit his verbis:* Nonnosi monachi & confessoris, de quo Gregorius scribit lib. Dialogorum 1 cap. 7, quòd inter alia miracula ingentem lapidem precibus movit, lampadem fractam reparavit, & oleum augmentavit. *Consonat ferè Canisius in Martyrologio Germanico. Locum rectè adjecit Baronius in Martyrologio Romano, sed minùs rectè* abbatis *titulum; sic enim habet:* In monte Soracte sancti Nonnosi abbatis, qui oratione sua ingentis molis saxum transtulit, aliisque miraculis coruscavit. *Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ expressit totum elogium Gregorii, seu Acta danda, quibus tamen addit, nescio unde acceptum:* Obdormivit in Domino IV Nonas Septembris. *Castellanus demum* S. Nonnosum *celebrat* XIX *Augusti & 2 Septembris, quòd priori die colatur Bambergæ, uti observatum est apud nos in prætermissis ad eumdem diem* XIX *Augusti.*

AUCTORE J. S. *Acta scripsit S. Gregorius Magnus :*

2 *Aliqua* S. Nonnosi *gesta commemoravit S. Gregorius Magnus Dialogorum lib.* 1 *cap.* 7, *prout ea didicerat ex contemporaneis & fide dignissimis, quos ipse nominat. Unus ex iis erat Maximianus Syracusanus antistes, ad quem hac de causa S. Gregorius scripsit epistolam* 51 *libri tertii editionis novæ, quæ hujusmodi est :* Fratres mei, qui mecum familiariter vivunt, omni modo me compellunt aliqua de miraculis patrum, quæ in Italia facta audivimus, sub brevitate scribere. Ad quam rem solatio vestræ caritatis vehementer indigeo, ut ea, quæ vobis in memoriam redeunt, quæque cognovisse vos contigit, mihi breviter indicetis. De domno enim Nonnoso abbate, qui juxta domnum Anastasium de Pentomis * fuit, aliqua retulisse te memini, quæ oblivioni mandavi. Et hoc igitur, & si qua sunt alia, tuis peto epistolis imprimi, & mihi sub celeritate transmitti, si tamen ad me ipse non properas. *Quod hîc petit Gregorius, præstitum esse à Maximiano, patet ex initio elogii recitandi. Porrò sanctus hic Maximianus, de quo actum est apud nos ad diem* IX *Junii, ante episcopatum abbas fuerat Romæ monasterii Gregoriani, atque eo tempore, aut jam antea, haud dubiè didicerat, quæ noverat de* S. Nonnoso. *Alter testis adductus à Gregorio est Laurio monachus senex vicini monasterii, cujus abbas S. Anastasius familiaris fuerat cum sancto* Nonnoso. *Relatio igitur S. Gregorii fide dignissima est, etiamsi mira contineat.*

* *melius* Suppentoniæ

B

tempus & locus, quo Sanctus vixit :

3 *Scribebat illa Gregorius, vivente adhuc Maximiano, qui obiisse dicitur anno* 594, *ab aliis* 596. *Cùm autem Gregorius solam duorum senum auctoritatem afferat, verisimile est* S. Nonnosum *jam tunc triginta aut quadraginta annis fuisse defunctum. Hac de causa obitum fixi circa medium seculi* VI *cum extensione multorum annorum, quibus serius vivere potuit aut citius mori. Mabillonius in Actis Sanctorum Benedict. tom.* 1 *pag.* 246, *ubi elogium Sancti dat ex Gregorio, ad marginem notat* circa annum DLXXVI, *sed nullas allegat rationes. Illustrissimus de Aste in Annotationibus ad Martyrologium Romanum* circa annum DXX. *Castellanus latè assignat seculum sextum. Locum Majores nostri breviter sic descripserunt in Anastasio* XI *Januarii :* Mons est Italiæ in agro Falisco apud Tiberis ripam, Soractes & Soracte antiquis dictus, vulgo nunc mons S. Silvestri, à cœnobio, quod in honorem S. Silvestri Carolomannus ædificavit, ut lib. 4 cap. 60 testatur Aimoinus, aut certè restauravit : fuit enim antea in Soracte cœnobium, ut infrà ex S. Gregorio patebit. Leander (*uti & alii*) id monti nomen factum ait, quòd in eo S. Silvester Pontifex olim latitârit : *sed illæ Silvestri latebræ hodie passim rejiciuntur ut fictitiæ. Etruriæ montem Soractem adscribit Mabillonius aliique. At id intelligendum de antiqua seu integra Etruria, non de hodierno Etruriæ magno ducatu, cùm sit in illa Etruriæ parte, quæ est summi Pontificis inter oppidum Nepesinum & Tiberim : vulgò dicitur* S. Oreste, *uti locus vocatur à Castellano.*

C

non fuit abbas, sed præpositus cœnobii.

4 *Demum occurrit dubium, an* S. Nonnosus *abbas fuerit monasterii sui, prout vocatur in recitata epistola S. Gregorii ; an verò* præpositus, *quemadmodum infrà vocabitur. Wion in Ligno Vitæ* abbatem *vocat cum Baronio. Menardus verò lib.* 1 *Observationum in Martyrologium Benedictinum pag.* 321 *sic scribit :* S. Nonnosus in hoc Martyrologio abbas appellatur : sed tantùm fuit præpositus in cœnobio montis Soractis, ut ait D. Greg. lib. 1 Dialog. cap. 7, qui & ait eum fuisse sub patre monasterii. *Mabillonius Annalium tom.* 1 *pag.* 170 *hac de re sic habet :* Gregorius in epistola ad Maximianum Syracusanum episcopum ait, se oblitum esse eorum, quæ is de domno Nonnoso abbate, qui juxta domnum Anastasium de Pentumis fuit, sibi retulerat ; eaque rursus ex eo rescire cupit. Hîc duplex error, & quòd Nonnosum abbatem vocet, qui tantùm præpositus fuit ; & quòd Pentumis pro Suppentonia scribat : quod utrumque erratum in libro primo Dialogorum Gregorius emendavit. *Error in titulo* abbatis *facilè obrepere potuit S. Gregorio, dum necdum satis cognoverat gesta Sancti, de quibus idcirco Maximianum interrogat. At hic litteris suis haud dubiè Gregorium docuit,* S. Nonnosum *abbatem non fuisse, sed secundarium monasterii præfectum, qui eo tempore* præpositus, *nunc passim* prior *vocatur. De præposito agit Regula S. Benedicti cap.* 65. *Attamen dubitavit ipse Mabillonius, an Ordinis sui fuerit* Nonnosus, *cùm ejus Acta minoribus expresserit characteribus, uti facere consueverat de iis, de quorum Ordine dubitabat. Hisce Acta subjungo, corporis translationes infrà examinaturus.*

D

E

ACTA

Auctore S. Gregorio Magno lib. 1 *Dialog. cap.* 7.

Sanctus familiaris S. Anastasio abbati Suppentoniæ, ac humilitate insignis,

a

F

b

GREGORIUS. De vicino nunc locô tibi aliquid narrabo, quod & viri venerabilis Maximiani episcopi, & Laurionis, quem nosti, veterani monachi, qui uterque nunc usque supereſt, relatione cognovi : qui scilicet Laurio in illo monasterio, quod juxta Nepesinam urbem Suppentonia *a* vocatur, ab Anastasio viro sanctissimo nutritus est. Qui nimirum Anastasius, vitæ venerabilis viro Nonnoso præposito monasterii *b*, quod in Soractis monte situm est, & propinquitate loci, & morum magnitudine, & virtutum studiis assiduè jungebatur. Idem verò Nonnosus sub asperrimo sui monasterii degebat Patre : sed ejus mores mira semper æquanimitate tolerabat. Sicque Fratribus præerat in mansuetudine, sicut crebrò Patris iracundiam ex humilitate mitigabat.

oratione rupem ingentem loco movet,

2 Quia verò ejus monasterium in summo montis cacumine situm est, ad quemlibet parvum hortum Fratribus excolendum nulla patebat planities : unus autem brevissimus locus in latere montis excreverat, quem ingentis saxi naturaliter egrediens moles occupabat. Quadam die, dum Nonnosus vir venerabilis cogitaret, quòd saltem ad condimenta olerum nutrienda locus idem aptus potuisset existere, si hunc moles saxi illius non teneret ; occurrit animo, quòd eamdem molem quinquaginta boum paria movere non possent. Cúmque de humano labore facta esset desperatio, ad divinum se solatium contulit, seque illic nocturno silentio in orationem dedit. Cúmque mane facto ad eumdem locum Fratres venirent, invenerunt molem tantæ magni-

A magnitudinis ab eodem loco longiùs receſſiſſe, ſuoque receſſu largum Fratribus ſpatium dediſſe.

lampadem fractam reparat,

3 Alio quoque tempore, cùm idem Vir venerabilis lampades vitreas in oratorio lavaret, una ex ejus manibus cecidit, quæ per innumeras partes fracta diſſiluit: qui vehementiſſimum Patris monaſterii furorem timens, lampadis protinus omnia fragmenta collegit, atque ante altare poſuit, ſeque cum gravi gemitu in orationem dedit. Cúmque ab oratione caput levaſſet, ſanam lampadem reperit, quam timens per fragmenta collegerat. Sicque in duobus miraculis duorum Patrum virtutes imitatus eſt: in mole

c ſcilicet ſaxi, factum Gregorii *c*, qui montem movit: in reparatione verò lampadis, virtutem

d Donati *d*, qui fractum calicem priſtinæ incolumitati reſtituit.

e PETRUS *e*. Habemus, ut video, de exemplis veteribus nova miracula.

atque oleum multiplicat.

4 GREGORIUS. Viſne aliquid in operatione Nonnoſi de imitatione quoque Eliſæi cognoſcere?

PETRUS. Volo, atque inhianter cupio.

B GREGORIUS. Dum quadam die in monaſterio vetus oleum deeſſet, jamque colligendæ olivæ tempus incumberet, ſed fructus in oleis nullus appareret, viſum Patri monaſterii fuerat, ut circumquaque Fratres in colligendis olivis ad exhibenda extraneis opera pergerent: quatenus ex mercede ſui operis aliquantulum monaſterio oleum deportarent. Quod Vir Domini Nonnoſus fieri cum magna humilitate prohibuit *f*, ne exeuntes Fratres ex monaſterio, dum lucra olei quærerent, animarum damna paterentur. Sed quia in monaſterii arboribus olivæ paucæ ineſſe videbantur, eas colligi præcepit, & in prælo mitti, & quamlibet parùm olei exire potuiſſet, ſibimet deferri. Factumque eſt, & ſuſceptum in parvo vaſculo oleum Fratres Nonnoſo Dei famulo detulerunt: quod ipſe protinus ante altare poſuit, cunctiſque egredientibus oravit, atque accerſitis poſtmodum Fratribus præcepit, ut hoc quod detulerant oleum levarent, & percuncta vaſa monaſterii exiguè fundendo dividerent, quatenus benedictione ejuſdem olei omnia infuſa viderentur: quæ protinus ut erant vacua claudi fecit. Die verò alterâ aperta, omnia plena *g* reperta ſunt.

C

g

PETRUS. Probamus quotidie impleri verba Veritatis, quæ ait: Pater meus uſque modò operatur, & ego operor.

ANNOTATA.

a Suppentonia *monaſterium fuit inter Nepeſinam civitatem & montem Soractem juxta locum, qui nunc dicitur* Caſtellum S. Eliæ, à Nepeſina civitate duobus milliaribus diſtans, ubi eſt adhuc nobilis ac vetus eccleſia, nomine S. Eliæ atque S. Anaſtaſii Deo dicata, non longè à monte Soracte, illudque ipſum olim Suppentoniam appellatum eſſe, *teſtatur Baronius ſe didiciſſe ex incolis loci. Hæc paulò latiùs in Anaſtaſio apud nos ad* XI *Januarii num.* 1. *Porrò Nepeſina civitas, aliis* Nepet *&* Nepete; *vulgò* Nepi *dicta, epiſcopalis eſt in Etruria Pontificia. De Maximiano conſule Commentarium num.* 2.

b *Monaſterium in monte Soracte ſtructum aut inſtauratum eſt à Carolomanno, qui ibidem aliquo tempore vixit, ut habet Mabillonius tom.* 2 *Annalium pag.* 132. *Fortè præcedens omnino deſtructum erat, cùm illud ſuum in honorem S. Silveſtri ædificavit Carolomannus circa annum* 747. *Citat tamen Mabillonius Chronicon ſeculo* X *ſcriptum, in quo dicitur Carolomannus acceſſiſſe ad monaſterium jam conditum, ita ut veriſimilius appareat, ab eo ſolùm eſſe inſtauratum. Petrus Aldobrandinus, archiepiſcopus Ravennas, & S. R. E. Cardinalis ſub initium ſeculi* XVII *monaſterium in monte Soracte inſtauravit, in eoque poſuit Ciſtercienſes reformatos, ſeu Congregationis Fulienſis. Audi Ughellum tom.* 2 *Italiæ ſacræ col.* 395 *in Petro Aldobrandino:* Inque monte Soracte monachis Ciſtercienſibus ex congregatione Fulienſium antiquum quondam domicilium, elegantiùs reparatum præſtitit incolendum, commodiori adhibito cenſu, qui Numini die noctuque inſervituris ſufficeret. *De inſtaurato ibidem Sancti cultu agemus poſtea.*

c *Deſignat S. Gregorium Neocæſarienſem epiſcopum, cognomento* Thaumaturgum., *cujus ſimile factum paſſim celebratur, & in cujus Vita illud narratur à S. Gregorio Nyſſeno, ut obſervat editor. Colitur ille Sanctus* 17 *Novembris.*

d *S. Donatum epiſcopum Aretinum & martyrem intelligit editor S Gregorii Operum cum Mabillonio. Et revera in Actis S. Donati apud Mombritium miraculoſa fracti calicis reparatio aſſeritur. Verùm Acta illa tam confuſè ſcripta ſunt, ut mixta videantur duorum Donatorum geſta, Aretini videlicet & Euræenſis in Epiro. Conſule dicta in S. Donato Aretino ad* VII *Auguſti, & in Donato Euræenſi ad* XXX *Aprilis.*

e *Petrus hic, qui cum S. Gregorio in Dialogis colloquitur, diaconus fuit, de quo ipſe initio Dialogorum ſic habet:* Dilectiſſimus filius meus Petrus diaconus adfuit, mihi à primævo juventutis flore amicitiis familiariter obſtrictus, atque ad ſacri verbi indagationem ſocius *&c. Hujus Petri elogium hiſtoricum dat Mabillonius tom.* 1 *Actor. Ordinis ſui pag.* 497.

f *Modeſtè perſuadendo abbati id non expedire, ut innuunt voces* magna humilitate.

g *S. Eliſæi prophetæ factum huic ſimile legitur* 4 *Reg.* 4.

A. S. GREGORIO MAGNO.

E

F

AUCTORE J. S.

GLORIA
SANCTI POSTHUMA
Seu appendix de tranſlationibus reliquiarum, cultu & miraculis.

§ I. Corpus S. Nonnoſi Friſingam tranſlatum: auctor tranſlationis & tempus inveſtigatur, aliaque huc ſpectantia elucidantur: inventio corporis Friſingæ ſeculo XII.

B

Corpus S. Nonnoſi olim Friſingam tranſlatum,

Friſinga, urbs epiſcopalis, in media ferè Bavaria ad Iſaram fluvium ſita, atque antiſtiti ſuo ut principi ſubdita, à multis ſeculis poſſedit pretioſiſſimum corpus S. Nonnoſi, *quem ut patronum ſuum magna pietate veneratur. Verùm non omnino conſtat, unde & quo tempore, aut cujus induſtriâ, theſaurum hunc obtinuerint Friſingenſes. Quippe unde Friſingam tranſlatum ſit* S. Nonnoſi *corpus, nullibi ſatis expoſitum reperio; de tempore verò tranſlationis & auctore variæ ſunt variorum ſententiæ, quas mox diſcutere incipiam, ubi pauca notavero de loco, ex quo Friſingam transferri potuit. Dubitare non poſſumus, quin corpus* S. Nonnoſi *ſepultum fuerit in monaſterio montis Soractis, cujus fuerat Præpoſitus, ſeu Prior, uti hac tempore communiùs vocatur ſecundarius abbatiarùm Benedictinarum ſuperior. Attamen ſacrum ipſius corpus in illo monaſterio, quod deſtructum fuit à Longobardis, non videtur permanſiſſe uſque ad Tranſlationem Friſingenſem; ſed ad tutiorem locum fuiſſe tranſlatum. Antonius de Effectis in Opuſculo Italico de Monumentis* S. Nonnoſi, *montis Soractis, & locorum adjacentium, quod editum eſt Romæ anno 1675, part. 1 cap. 4 pag. 27 Italicè ſcribit, quæ reddo Latinè:* Deſtructum fuit dictum monaſterium à Longobardis, & quo modo corpus S. Nonnoſi Friſingam Bavariæ urbem delatum ſit, ſuo loco dicam. Alii credunt, ab eremita quopiam, aut monacho Bavaro vel Flandro, partem corporis delatam eſſe ad dictam civitatem, ubi hodieque inſigni veneratione colitur; partem verò ad Caſtellum S. Eliæ, affirmantibus loci civibus ex traditione antiqua, conſervari in ſua eccleſia iſtas reliquias cum reliquiis S. Anaſtaſii monachi, iiſdem tamen locum determinatum ignorantibus. *Traditio illa incolarum Caſtelli S. Eliæ ſuſpicionem ingerit, corpus eò primùm fuiſſe delatum: ſed ignorantia loci & cultûs intermiſſio magis etiam perſuadent, id ibidem relictum non fuiſſe.*

C

2 *Laudatus ſcriptor mox ſubjicit ſequentia:* Niſi malimus cum Platina dicere, Adrianum I Papam, cùm prævideret ſacrilegam barbariem Longobardorum, ordinaviſſe, ut omnes reliquiæ ex locis ſacris & cœmeteriis ad urbem ferrentur, ne ab impiis profanarentur. Unde ad Caſtellum S. Eliæ munitum, ideoque dictum CASTELLUM, tranſlatæ fuerint hæ S. Nonnoſi, atque aliæ ex vicinis locis. *Non quidem invenio locum Platinæ, quem citat, in Adriano I; at factum ejuſmodi eſt, ut credibile ſit, id actum fuiſſe à pluribus Pontificibus. Idem ſcriptor part. 2 cap. 2 pag. 768, ubi agit de tranſlatione Friſingenſi, alia affert, quæ augent ſuſpicionem de corpore primùm tranſlato ad Caſtellum S. Eliæ, indeque poſtmodum Friſingam: quod furtim contigiſſe aliqui crediderunt. Quippe ſic loquitur de traditione ſeu fama furtivæ tranſlationis:* Eamdem famam vigere hodieque in Caſtello S. Eliæ teſtatur P. Stella in Vita S. Nonnoſi tam impreſſa quàm manuſcripta, cùm credant loci incolæ inveniri etiamnum in ſua eccleſia, S. Anaſtaſio dicata, ſepulcrum S. Nonnoſi ſine reliquiis ſuis, furtim inde ablatis à Religioſis peregrinis. *Cùm ſuprà dixerit, traditionem illorum civium eſſe, ſervari hodieque in loco ignoto eccleſiæ ſuæ reliquias* S. Nonnoſi; *nunc verò ex aliena opinione idem aſſerat de ſepulcro, ſuſpicari licet, diviſas eſſe opiniones incolarum, atque alios velle ſolùm ſupereſſe ſepulcrum vacuum; alios verò haberi etiamnum reliquias* S. Nonnoſi *in eccleſia Caſtelli S. Eliæ. Aſſertio utriuſque partis veriſimile facit, eò aliquando tranſlatum fuiſſe corpus; at ſatis certum aliunde apparet, reliquias ibidem non fuiſſe relictas, uti patebit ex dicendis de tranſlatione Friſingenſi, de qua nunc agere incipiam.*

D

illudque antè veroſimiliter delatum fuerat ad Caſtellum S. Eliæ:

E

3 *Carolus Meichelbeck, Ordinis S. Benedicti, ſeculo noſtro in lucem edidit Hiſtoriam Friſingenſem, duobus tomis comprehenſam, in qua ſcriptor ille eruditus variis locis agit de tranſlatione & inventionibus corporis* S. Nonnoſi. *Ex hoc Opere, collato cum Opuſculo jam laudato Antonii de Effectis, colligi poſſe tranſlationis* S. Nonnoſi *hiſtoriam, ſatis perſpexeram, quando Acta* S. Nonnoſi *elucidanda ſuſcepi; verùm miracula plurima, tempore tranſlationis ac deinde patrata, deeſſe mihi dolebam; cùm humaniſſimè ad ſubſidium noſtrum acceſſit reverendiſſimus dominus Ildephonſus abbas Weihenſtephanenſis, qui non modò deſiderata miracula nobiſcum communicavit, ſed eruditam quoque Collectionem adjunxit, quâ viam mihi monſtraret ad hanc tranſlationis hiſtoriam facilius expediendam. Utar igitur gratus collatâ ab eruditiſſimo abbate operâ: utar etiam laboribus R. P. Mauritii Chardon rectoris collegii noſtri Conſtantienſis, cujus induſtriâ omnia nobis collecta ſunt ac tranſmiſſa, atque inſuper non pauca miracula, quæ dabuntur inferiùs, è Germanico idiomate Latinè reddita. Hæc virorum de Actis* S. Nonnoſi *optimè meritorum commemoratio ad indicium grati animi præmittenda fuit, quâ etiam fiet, ut lector intelligat, quid velim, ubi nominabo Collectionem reverendiſſimi abbatis Weichenſtephanenſis.*

F

monumenta, è quibus petenda tranſlationum hiſtoria;

4 *Alii tranſlationem* S. Nonnoſi *attribuunt Hittoni, qui ſextus eſt inter Friſingenſium antiſtites, quique eccleſiam illam laudabiliter adminiſtravit ab anno ferè 811 uſque ad annum 835, uti oſtendere conatur Meichelbeckius tom. 1, ubi geſta Hittonis fusè pertractat. Hæc ſententia innectit tranſlationem ſeculo* IX. *Alii verò ac plures ſcriptores aſſerunt, corpus tranſlatum fuiſſe Friſingam à Nitgero epiſcopo, cujus initia*

tranſlationem alii Hittoni & ſeculo IX, *alii verò Nitgero attribuunt & ſeculo* XI:

A *tia ad annum* 1039, *finem ad annum ferè* 1052 *retulit Meichelbeckius. Horum igitur ſi vera eſt ſententia, corpus tranſlatum fuit ſeculo* XI. *Utrumque opinionem conciliare utcumque nititur Antonius de Effectis, qui exiſtimat partem corporis ab Hittone primùm Friſingam delatum; aliam verò partem eò tranſlatam eſſe Notgeri epiſcopi tempore. Cùm nulla harum opinionum ſuis deſtituatur rationibus, diligenter inveſtigandum eſt, quanam appareat probabilior.*

referuntur varii, qui Nitgeri tempore corpus tranſlatum dixerunt;

5 *In Proprio Feſtorum, ſeu Breviario diœceſis Friſingenſis, quod impreſſum ſeculo præcedente, ad* 2 *Septembris habentur tres lectiones de* S. Nonnoſo, *ex S. Gregorio deſumptæ, cum hac additione in fine:* Cujus ſacrum corpus per Nitgerum epiſcopum huc Friſingam deportatum, honorificè aſſervatur. *Hundius in Metropoli Salisburgenſi tom.* 3 *pag.* 435 ex vetuſto Ms. libro *recitat elogium Germanicum Nitgeri, in quo eidem adſcribitur tranſlatio. Pro hac ſententia Antonius de Effectis part.* 2 *Opuſculi ſui cap.* 2 *adducit etiam auctoritatem Marci Chingen Societatis Jeſu, qui erat confeſſarius epiſcopi Friſingenſis, ac interrogatus de* S. Nonnoſo

B *ſic reſpondit:* Poſt diligentem inquiſitionem hæc deprehendi. S. Nonnoſi corpus, qui fuit præpoſitus monaſterii in monte Soracte ſiti, Friſingam tranſlatum eſſe à Nitgero epiſcopo Friſingano ... De hoc ſacro corpore poſt geminum incendium, quo eccleſia Friſingana funditus periit, nunc habentur tantùm tria oſſa majora cum paucis quibuſdam reliquiis. *Sic ille, antequam alia pars corporis eſſet inventa. Addit idem ſcriptor verba vicarii generalis Friſingenſis, qui eidem opinioni adſtipulatur. Ægidius Rambekhius in Kalendario Benedictino ad* 2 *Septembris ex S. Gregorio contexuit elogium* S. Nonnoſi, *ejuſque tranſlationem ſimiliter Nitgero adſcripſit, uti diſco ex laudata Collectione abbatis Weichenſtephanenſis Ildephonſi, qui totum illud elogium ibidem recitavit. Eamdem demum opinionem amplexus eſt Hanziſius noſter tom.* 1 *Germaniæ ſacræ corollario* 10 *in fine, ubi memorat inſtitutam Sancti feſtivitatem Pataviæ* * *his verbis:* Noviſſimè inter feſta propria diœceſeos Patavienſis relatus eſt S. Nonnoſus abbas, cujus corpus quondam è monaſterio, quod erat

* Paſſau

C in monte Soracte, deportatum Friſingam per Nitgerum epiſcopum, dein ab Joanne Franciſco Friſingenſium præſule detectum anno MDCCVIII, die XXVII Januarii, publicæque veneration[i] expoſitum anno ſequenti, die 2 Septembris, multis continuò beneficiis inclaruit. Raymundus epiſcopus ejus feſtum eâdem die 2 Septembris ſub ritu ſemiduplici cum lectionibus propriis per diœceſim Patavienſem agi mandavit. *Hæc recitavi, ut illa cultûs extenſio, cui noviſſima corporis inventio occaſionem præbuit, ſimul intelligeretur. Nunc verò præcipua fundamenta ſententiæ prioris, quæ Hittoni tranſlationem attribuit, ſimiliter referamus.*

dantur etiam argumenta Hittoni favens tia,

6 *Meichelbeckius tom.* 1 *pag.* 117 *in Hittone ſic habet:* Lego in quodam vetuſto codice, qui in inclyto monaſterio Andecenſi aſſervatur, ab Hittone epiſcopo Friſingenſi non ſolùm corpora SS. Alexandri & Juſtini, verùm etiam S. Nonnoſi confeſſoris fuiſſe Friſingam allata. Id ut credibile eſſe dicamus, tanto faciliùs movemur, quanto certiùs nobis conſtat, hujus Sancti feſtum jam fuiſſe annotatum in Friſingenſi Liturgia, ante annum Chriſti milleſimum ſcripta, & quidem majuſculis rubricatis literis, ut Gamanſius advertit. Certè tria illa ſacra corpora in reſtauratione cathedralis eccleſiæ, ab Alberto I epiſcopo facta, ſimul fuiſſe inventa, alibi dicemus. *Tria hic argumenta ſimul memorantur, quæ ſingula vim ſuam habent. Primum eſt ab auctoritate vetuſti codicis, cui tamen facilè præponderant allata mox pro contraria ſententia. Secundum vim habet efficaciorem, modò ſatis conſtet de vetuſtate laudatæ liturgiæ: non enim eſt credibile, memoriam* S. Nonnoſi *adſcriptam fuiſſe liturgiæ Friſingenſi, priuſquam eò delatæ eſſent Sancti reliquiæ. Tertium veriſimilitudinem quamdam habet, quia corpora deinde ſimul inventa; non multùm tamen efficacia ad probandum, ut mox patebit.* AUCTORE J. S.

ſed ex illis primum & tertium exigui eſt momenti,

7 *Secundo argumento maximè acquieſcerem, niſi alia afferret ipſe Meichelbeckius, quibus vis illius non parùm enervaretur. Audi laudatum ſcriptorem in Nitgero pag.* 248, *ubi idem argumentum alteri ſic opponit:* Cui etiam domeſtici epiſcoporum catalogi adjungunt aliud encomium, quòd ſcilicet Nitkerus corpus S. Nonnoſi, Soractenſis monaſterii præpoſiti ſeu prioris, miris in miſeros beneficiis indies clarum, ex Italia Friſingam advexerit. Verùm quo minùs huic opinioni tam facilè accedamus, Gamanſius obſtat, qui ſcribit in Kalendario vetuſtiſſimæ, & ante annum Chriſti milleſimum ſcriptæ, liturgiæ Friſingenſis ſe reperiſſe feſtum S. Nonnoſi, & quidem majuſculis rubricatis literis expreſſum; ut adeo corpus illius ſancti Confeſſoris jam multis ante Nitkeri epiſcopatum annis Friſingæ aſſervatum fuiſſe videatur. Unde præſtat aſſentiri iis potiùs membranis, in quibus ea S. Nonnoſi tranſlatio Hittoni epiſcopo aſſeritur, ut alibi monuimus. *Fateor ratiocinium iſtud rectè deductum eſſe; at dubito, an fundamentum, quo nititur, tam ſit ſolidum, ut tantam firmiter ſuſtinere poſſit ſtructuram. Certè monumenta omnia Friſingenſia, nimirum Breviarium, epiſcoporum catalogi, adductum ab Hundio inſtrumentum Germanicum, aliorumque jam memorata judicia, longè præponderant uni codici Andecenſi, cujus vetuſtas non enuntiatur. Præterea quòd corpora ſimul inventa ſint ſeculo* XII, *nihil evincit, cùm corpora SS. Alexandri & Juſtini non manſerint eo loco, quo primùm fuere depoſita, ſed tranſlata ſint ad cathedralem, ibique inventa. Potuerunt igitur tria illa ſacra corpora conjungi, dum ad cathedralem fuere tranſlata.*

E

F

ſecundum verò, quod præcipuum eſt, ita infirmatur

8 *Nunc quærere liceat, unde cognoverit Gamanſius, laudatam Liturgiam fuiſſe ſcriptam ante annum milleſimum? Si certa habuiſſet iſtius vetuſtatis indicia, haud dubiè illa expreſſiſſet. Itaque vix dubito, quin de antiquitate Liturgiæ judicaverit ex characteribus, uti aliqui ſolent facere ſcriptores, qui ſolo intuitu codicis Ms. mox de illius vetuſtate judicium ferunt, certóque definiunt, quo ſeculo codex ſit exaratus. Verùm, ignoſcant mihi velim eruditi illi antiquorum codicum judices, ſi tantam illorum judicio certitudinem non attribuam, quantam ipſi fortaſſe oculorum ſuorum examini tribuendam exiſtimant; ſi, inquam, exiſtimem ipſos facilè aberrare poſſe ad annos plurimos, quin & ſubinde ad ſeculum unum & alterum. Porrò hìc aberratum fuiſſe in ſeculo ſcriptæ Liturgiæ, vehemens mihi ſuſpicio eſt partim ex dictis, partim ex iis, quæ rurſum ipſe ſcripſit Meichelbeckius in Hittone pag.* 116 *in hunc modum:* Ad Hittonis laudes præcipuè pertinet illud, quod

AUCTORE J. S.

nonnemo monachorum Weihenſtephanenſium, ſeculi ſive undecimi, ſive ad ſummum duodecimi ſcriptor, ad IV Idus Decembris Martyrologio venerabilis Bedæ adjecit his verbis: "Hit„to Friſingenſis epiſcopus, qui in iſto loco pri„mus initiavit Dei ſervitium cum uno præpo„ſito & ſex præbendariis; qui & S. Alexandrum „& S. Juſtinum de Roma huc attulit". Lego in alio Weihenſtephanenſi codice, eam collegii illius fundationem contigiſſe anno Chriſti DCCCXXX.... Tranſlationem verò corporum ſanctorum Alexandri Papæ & martyris, & S. Juſtini presbyteri, referri videmus ad annum Chriſti DCCCXXXIV, quo Hittonem Romam veniſſe, & à Gregorio IV PP. benignè exceptum, ac ſacris illis, aliiſque reliquiis in feſto Pentecoſtes donatum fuiſſe ſcribunt.

ex variorum ſilentio, ut cedere debeat argumentis opinionis contrariæ, quæ apparet probabilior: B

9 *Hæc, inquam, verba cum præcedentibus collata ſuſpicionem mihi ingerunt, non ab Hittone, ſed à Nitgero, obtentas eſſe* S. Nonnoſi *reliquias, & laudatam liturgiam ſub eodem Nitgero, aut ſerius, ſcriptam eſſe: nam & monachus ille Weihenſtephanenſis, ſeculi* XI *aut* XII *ſcriptor, & alii memorati, qui annum & diem tranſlatorum corporum SS. Alexandri & Juſtini aſſignarunt, nec ignorare potuiſſe videntur nec tacere* S. Nonnoſi *corpus, ſi iſtud ab eodem Hittone fuiſſet impetratum. Argumentum hoc confirmatur ex donatione, quam inter inſtrumenta ejuſdem tomi pag.* 353 *num.* 709 *edidit Meichelbeckius: in ea enim legitur:* Hoc factum in publico ſynodo in monte S. Stephani, ubi oſſa cùm pulvere ſancti Alexandri & ſancti Juſtini honorabiliter humata cernuntur. *Inſtrumentum eſt anni* 860. *Auctor verò ſubjicit verba quædem Chronici Weihenſtephanenſis, quibus adſtruitur tranſlatio corporum SS. Alexandri & Juſtini ex laudato cœnobio ad cathedralem Friſingenſem, ſed ſimiliter ſine ulla mentione* S. Nonnoſi. *Satis igitur certum apparet, corpus* S. Nonnoſi *non fuiſſe ſeculo* IX *conjunctum cum corporibus SS. Alexandri & Juſtini, & erraſſe illos, qui putarunt tria illa corpora ſimul fuiſſe Friſingam tranſlata. Huic autem errori occaſionem prebere potuit inventio illorum corporum in cathedrali Friſingenſi, ubi ſimul poſtmodum inventa ſunt, ut videbimus. Alii*

C *verò ſcriptores, qui Nitgero attribuunt tranſlationem* S. Nonnoſi, *non inciderunt in errorem illum de tranſlatis cum eo Alexandri & Juſtini corporibus; atque tum hac de cauſa, tum quia plures & antiquiores videntur, illorum ſententiam alterâ probabiliorem ſic exiſtimo, ut tamen in contrariam facilè ſim abiturus, ſi certis rationibus oſtendatur aſſerta vetuſtas Liturgiæ Friſingenſis.*

veriſimile non eſt, ab utroque laudato epiſcopo partem eſſe tranſlatam:

10 *Reſtat breviter examinanda ſententia Antonii de Effectis, qui credidit aliquas* S. Nonnoſi *reliquias ab Hittone tranſlatas eſſe, alias verò poſtea à Nitgero obtentas. Non alia militat ratio pro hac opinione, quàm quòd alii tranſlationem attribuant Hittoni, alii Nitgero, quódque ſcriptores ſic facilè conciliari poſſint. Verùm ætas ſcriptorum illorum non tantam ipſis auctoritatem tribuit, ut ea nos cogat ad conciliationem ejuſmodi. Pro altera ratione allegaverat laudatus ſcriptor varia eccleſiæ Friſingenſis incendia; cumque eo tempore Friſingæ non niſi tria oſſa majora* S. Nonnoſi *nota haberentur, conjiciebat, aliam corporis partem, quam ab Hittone tranſlatam ſuſpicabatur, incendio conſumptam eſſe ante Nitgeri tempora, eamque ſuiſſe cauſam, cur Nitgerus relictam in Italia partem obtinuerit. At hæc ratio prorſus collapſa eſt poſt inventam anno* 1708 *partem corporis majorem, quæ diu latuerat abſcondita. Quippe tria illa oſſa à reliqua parte corporis ſeparata fuiſſe, dum inventæ primùm ſunt reliquiæ ſeculo* XII, *ut venerationi fidelium exponerentur, longè veriſimilius ac credibilius eſt, quàm ſeparationem illam contigiſſe ob geminam tranſlationem, quæ nulla fulcitur auctoritate.* D

occaſio tranſlationis & modus eſt incertus.

11 *Qua occaſione, quove modo reliquiæ* S. Nonnoſi *Friſingenſi eccleſiæ obtigerint per Nitgerum, non poteſt certò definiri. Antonius de Effectis part.* 2 *cap.* 2 *ſcribit, conſtantem eſſe famam ac traditionem eccleſiæ Friſingenſis, clanculùm ablatas ex Italia fuiſſe per monachos Flandros, atque eccleſiæ Friſingenſi traditas. Ipſis Friſingenſibus hujuſce traditionis judicium permitto, cùm id in ipſorum ſcriptis non reperiam, cúmque reliquiæ transferri potuerint multis aliis modis, nimirum per imperatorem, qui Nitgeri tempore Romæ coronatus eſt, ac deinde in Bavariam rediit; per Nitgerum ipſum, quem in Italia fuiſſe conſtat, ac demum per legatos, qui hac de cauſa mitti potuerunt. Ignoro igitur, an multum fidei mereantur, (licet alioquin ſimilia ſubinde contigerint) quæ ſcribit laudatus auctor Italicè, quæque Latinè reddo hoc modo:* Dominus Joannes Carolus Ferruccius, muſicus ſereniſſimi electoris Bavariæ, ad quem fuerat ſcriptum, ut inſtrueret, quo modo reliquiæ iſtæ fuiſſent Friſingam tranſlatæ, reſpondit; per monachos illos Flandros, qui Româ venientes, per illam viam redibant in Flandriam: atque hanc non modò eſſe opinionem vicarii generalis, ſed traditionem antiquam cleri illius civitatis. Eamdem famam vigere hodieque in Caſtello S. Eliæ, teſtatur P. Stella in Vita S. Nonnoſi tam impreſſa quàm manuſcripta, cùm credant loci incolæ inveniri etiamnum in ſua eccleſia; S. Anaſtaſio dicata, ſepulcrum S. Nonnoſi ſine reliquiis ſuis, furtim inde ablatis à Religioſis peregrinis. E

Inventum ſeculo XII *corpus S. Nonnoſi cum duobus aliis,*

12 *Corpus* S. Nonnoſi *inventum deinde eſſe occaſione inſtauratæ eccleſiæ cathedralis, narrat Meichelbeckius in Alberto I pag.* 357 *his verbis:* Jacienda erant, ut modò diximus, fundamenta pro nova cathedralis baſilicæ ſtructura, jamque foſſores operi manus diu adhibuerant, cùm ecce! reperta ſunt tria corpora, quæ viri grandævi contendebant eſſe ſanctorum Alexandri Papæ & martyris, Juſtini confeſſoris, ac Nonnoſi monachi, ab Hittone epiſcopo Româ Friſingam aſportata. Verùm cum teſtibus illis fides non adhiberetur, ſacra illa oſſa non ſolùm ſine veneratione, ſed etiam abſque omni cuſtodia aliquamdiu neglecta jacebant, ac denique jamjam extra templi aditum exportanda erant. At cùm portitores ſacras illas exuvias ad locum januæ eccleſiæ detuliſſent, pedem extra eccleſiæ ambitum efferre minimè potuerunt, adeo, ut re magis perpenſa, maturiúſque diſcuſſa nemo eſſet, qui non intelligeret, vera eſſe, quæ viri ſenio graves aſſeruerant. Hinc ſtatim ad alia conſilia converſis animis, ædicula lignea conſtructa eſt, quâ ſacra illa oſſa tantiſper contegerentur, dum nova eccleſiæ fabrica conſurgeret. Auxêre incredulis fidem multa prodigia, quæ ad illam ædiculam accidêre, dum ex infeſſorum corporibus maligni hoſpites ejiciebantur, cæci oculorum uſum recipiebant, aliiſque variis morborum generibus vexati mortales liberabantur. F

A tur. Ita Deus Sanctorum ſuorum oſſa majori fidelium cultu deinceps honorari voluit. Hæc ex fide Freibergeri. Unde verò is eam narrationem excerpſerit, nobis hactenus manet incognitum: qui interea iterum ſuſpicamur, complures membranas, chartaſque Friſingenſes ſive domeſticorum incuriâ periiſſe, ſive extraneorum fraude fuiſſe amiſſas.

& depoſitum in crypta eccleſiæ cathedralis, ubi diu latuit.

13 Sanè divi Nonnoſi ſacra pignora à ſancto Eberhardo Salisburgenſi archiepiſcopo, & religioſiſſimo antiſtite noſtro Alberto, fuiſſe in tumulo elevato cryptæ cathedralis eccleſiæ poſthac adjectis præclaris ſignis repoſita, apparuit mirâ Dei providentiâ, cùm celſiſſimus ac reverendiſſimus princeps & epiſcopus Friſingenſis Joannes Franciſcus die XXVII Januarii anno MDCCVIII tumulum illum præter omnem exſpectationem detexit & aperuit. Qua de re ſuo loco plena manu agi poterit. *Hactenus laudatus ſcriptor, quocum inventionem & tranſlationem ſacri hujus theſauri, qui poſt expoſitam modò tranſlationem rurſum, paucis oſſibus exceptis, in oblivionem abiit, ſuo loco exponam. Porrò, quod ſpectat*

B *ad tempus depoſiti corporis in crypta, depoſitio illa facta eſt anno 1161, uti liquet ex inſcriptione quæ anno 1708 cum ſacris oſſibus inventa eſt. Legitur hæc inſcriptio in Opuſculo Germanico, quod anno 1709 luci dedit Benedictus Eberſchwang, ibique pag. 29 exprimitur hoc modo:* ANNO. INCAR. DNI. M. CLXI. ANNO. ALBERTI. FRISING. EPI. III. PRÆSENTE. EBERARDO. SALBURG. ARCHEPO. TNSLATU. T CORP. SCT. NONNOSI. CFESO. POST. INCENDIU. IN. HANC. CRIPTA. *Inventum quoque fuit utriuſque antiſtitis ſigillum. Salisburgenſis hanc in circuitu habet inſcriptionem, ab eodem auctore pag. 34 editam:* EBERHARDUS. DEI. GRATIA. SALZEBURGENSIS. ARCHI. EPS. *Hæc verò erat in ſigillo Alberti Friſingenſis:* ADALBERTUS. DEI. GRARIA. FRISINGENSIS. EPS. *Hæc monumenta hullum relinquunt dubium de tempore tranſlationis.*

§ II. Reſtitutus præterito ſeculo cultus S. Nonnoſi in monte Soracte; reliquiæ Friſingâ eò miſſæ; impetrata ibidem beneficia.

C

Cultus in monaſterio montis Soractis inſtaurari cœptus,

Destructo aut deſerto montis Soractis monaſterio, tranſlatiſque Friſingam Sancti Nonnoſi *reliquiis, memoria ipſius, aut certè cultus, prorſus exoleverat in priori loco, donec circa medium ſeculi* XVII *quorumdam monachorum pietate & induſtriâ effectum ſit, ut quaſi ex cineribus reſuſcitaretur. Hiſtoriam hanc fusè narrat Antonius de Effectis rebus geſtis contemporaneus part. 2 cap. 3, cujus relationem huc transferam partim compendio, partim ipſis ejus verbis Latinè reddendis, prout ad inſtitutum noſtrum expedire videbitur. Dixi in Annotatis ad Acta lit.* b *inſtauratum ac Ciſtercienſibus reformatis traditum monaſterium montis Soractis circà initium ſeculi* XVII *per Eminentiſſimum Aldobrandinum. Verùm, uti ob perpetua fulminis pericula antè ſæpe fuerat deſertum, ita rurſum ex hoc monaſterio, fulminibus partim deſtructo, laudati Religioſi conceſſerant in eremitorium S. Mariæ Gratiarum, tamquam in locum fulmini minùs expoſitum. Unus ad cuſtodiendum monaſterium remanſerat P. Andreas à S. Bonaventura, natus Burgi S. Sepulcri, qui magnâ armatus fiduciâ in Deum, vitam ibi ducebat ſolitariam, teneraque in* S. Nonnoſum *ducebatur pietate, cùm noſſet eumdem locum ab eo fuiſſe inhabitatum.* Tantum jam ipſe effecerat, *inquit laudatus de Effectis*, ut anno MDCLV, die VII Auguſti, impetraverit à ſacra Rituum Congregatione facultatem celebrandi Miſſam (*de* S. Nonnoſo) & anno MDCLVIII, die VII Septembris facultatem recitandi Sancti Officium de communi in ipſius feſtivitate. *Hoc inſtaurati cultus initium.* AUCTORE J. S.

15 *Eodem anno 1658, die XX Novembris, Româ in Galliam rediturus, montem Soractem aſcendit P. Petrus Naude, presbyter Gallus ex Ordine S. Pauli primi eremitæ Trecis in Campania, cum ſocio laicò. Hic presbyter, dum luſtraret loca monaſterii, miraculis* S. Nonnoſi *memorabilia, narravit ſe in tranſitu per Bavariam veniſſe ad civitatem quamdam, in qua feſtivitas* S. Nonnoſi *ritu ſolemniſſimo agebatur, vidiſſeque lectiones Officii ex S. Gregorio compoſitas, in quibus referebantur miracula, quorum narrationem in luſtratione locorum audiebat. Cùm nomen civitatis excidiſſet laudato Patri Naude, promiſit ſe omnem diligentiam adhibiturum in reditu per Germaniam, ut docere poſſet, ubi celebraretur Sancti feſtivitas. Stetit promiſſis P. Naude, & die XXIII Januarii anni 1660 litteris ſuis incluſum tranſmiſit ad monachos montis Soractis teſtimonium Joannis Jacobi Guſner, vicarii generalis principis & epiſcopi Friſingenſis, quod erat conceptum his verbis:* Epiſcopatûs Friſingenſis vicarius in ſpiritualibus generalis. Præſentibus notum facimus & atteſtamur S. Nonnoſi confeſſoris, quem in Soractis montis monaſterio aliquando vixiſſe, fide dignis monumentis conſtare tradunt, ſacras venerabilis corporis exuvias, à Nitgero epiſcopo Friſingenſi ad cathedralem hanc eccleſiam tranſlatas, pio ac religioſo Chriſti fidelium cultu in præſens adhuc honorari, ejuſdemque annuam memoriam, tamquam ſingularis patroni, 2 Septembris ſolemni Officio à dictæ diœceſis clero celebrari: in fidem præſentibus officii, quem * gerimus, ſigillo, manuſque ſubſcriptione roboratis, quæ datæ ſunt Friſingæ die XIX Novembris MDCLIX &c. *Hoc teſtimonium unà cum lectionibus propriis ſecundi Nocturni, prout recitantur Friſingæ, acceperunt monachi Soractenſes per ſocium laïcum prædicti Patris Naude die XI Aprilis anni 1660.* *ibique obtenta notitia de feſtivitate & reliquiis Friſingenſibus:* E F * quod

16 *Monachi Soractenſes, accepta hac notitia, ſtudiosè allaboraverunt, ut obtinerent partem aliquam Sancti reliquiarum. Precibus idcirco inſtiterunt apud reverendiſſimum dominum Hyacinthum Fantozzi, & D. Archangelum di Lazzara. Hi autem uſi operâ P. Michaëlis Eſtmor Societatis Jeſu, Romæ pœnitentiarii pro Germanis, litteras dederunt ium ad ſereniſſimum principem Friſingenſem, tum ad ipſius confeſſarium R. P. Marcum Chingen Societatis Jeſu. Hiſce litteris, quâ pars reliquiarum* S. Nonnoſi *flagitabatur, annuit ſereniſſimus princeps Albertus Sigiſmundus, atque os unum cum litteris authenticis, quas mox recitabimus, donavit, curam illud tranſmittendi demandans laudato ſuo confeſſario. Hic autem prima uſus occaſione, illud* *reliquias pro Soractenſibus petitas mittit*

AUCTORE J. S.

illud perferendum commisit R. P. Georgio Moligni Rectori Societatis Jesu Monachii, qui Romam ibat cum R. P. Provinciali ad congregationem generalem; atque ita reliquiæ pervenerunt ad P. Michaëlem Estmor, qui cum aliis eas detulit die III *Julii anni* 1661 *ad Eminentissimum Cardinalem Antonium Barberinum, qui abbas erat Commendatarius monasterii S. Silvestri in monte Soracte. Ostendit etiam Eminentissimo Cardinali litteras R. P. Chingen,* XX *Martii anni* 1661 *datas, in quibus hæc legebantur:* Tandem aliquando mitto reliquias S. Nonnosi cum instrumento authentico per R. P. Rectorem Monacensem *&c.* Serenissimus & reverendissimus meus princeps mihi clementissimè demandavit suo nomine *&c.*

Albertus Sigismundus episcopus Frisingensis cum litteris,

17 *Eminentissimus dominus reliquias decenter involutas, variisque sigillis munitas aperuit & recognovit, uti & instrumentum authenticum iis adjunctum, quod huic loco inseram, cùm eo confirmentur multa ex prædictis. Antonius de Effectis, ex quo omnia hæc desumpsimus, illud recitat pag.* 176 *hoc modo:* Albertus Sigismundus Dei, & Apostolicæ Sedis gratiâ episcopus Frisingensis, comes Palatinus, dux Lantgravius Leuthembergius universis &c. salutem &c. Cum notitia infrascriptorum advenerunt nobis superiore anno MDCLX litteræ reverendissimi D. Hiacinthi Fantozii de Terra Sancti Orestis, antiquitus S. Edisti nuncupata, in spiritualibus & temporalibus vicarii generalis eminentissimi & reverendissimi D. Cardinalis Antonii Barberini, abbatis & perpetui commendatarii abbatiæ Trium Fontium ad Aquas salvias de Urbe, & S. Silvestri de Monte Soracte, dictæ terræ S. Orestis, nullius diœcesis, Provinciæ Senensis: cleri secularis ejusdem terræ, Prioris & monachorum congregationis Reform. S. Bernardi Cistertiensis Ordinis in monasterio sancti Silvestri, & B. Mariæ Gratiarum in dicto Monte Soracte degentium, & communitatis, & hominum dictæ Terræ Sancti Orestis, quibus continebatur, quòd cum dictus clerus sæcularis, & monachi præfati in Martyrologio Romano singulis annis pro secunda die Septembris audirent legere festa Sanctorum, ac præcipuè: " In Monte Soracte „ S. Nonnosi abbatis, qui oratione sua ingentis „ molis saxum transtulit, & aliis miraculis co„ ruscavit „ admirabantur, & sæpè colloquebantur, suspirantes & dolentes, quòd de hujusmodi Sancto in dicto Monte, ubi vitam degit, nullum festum ageretur, nec ejus sacrum corpus, ejusque sanctæ reliquiæ, ubi exstarent, sciretur, & in hoc statu tot annorum secula pertransierunt.

quibus exponitur occasio petitarum & missarum reliquiarum,

18 Tandem præteritis annis, permittente Deo, ne vota suspirantium & supplicantium irrita forent, & ipso inspirante, ut eidem Sancto aliquis honor tribueretur, suppliciter fuit petitum à S. Rituum Congregatione, ut dignaretur concedere licentiam saltem celebrandi Missam dicti Sancti in ejus die festo, quod benignè concessum fuit: & postea supplicatum fuit pro facultate recitandi Officium ejusdem Sancti, & benignè concessa fuit per decretum ejusdem sacræ Congregationis, quod hisce insertum existit. Quibus sic stantibus, ex peculiari providentia Dei, à quo bona cuncta procedunt, quique in sui dispositione non fallitur, accidit, ut in cacumine hujus montis Soractis, in quo dictus S. Nonnosus commoratus fuit, quidam sacerdos Gallus eremita, nomine Petrus Naude, incolis ejus loci indicium fecerit cujusdam Proprii Sanctorum diœcesis Frisingensis, quòd ipse Gallus, dum in peregrinatione Romana illic hospitarentur, viderit, vitamque & miracula hujus sancti Nonnosi in eo legerit, qui eremita insuper in se recepit, quòd in regressu ex Urbe idem antiquum hospitium suum rursus studio quærere, illic divertere, & de proprio illo sancti Nonnosi Officio accuratè inquirere, atque illud descriptum eidem retromittere velit, quod & abunde præstitit collaudantibus & benedicentibus Dominum die XI Aprilis anno MDCLX. Illic invenerunt isti cum gaudio, S. Nonnosi sacrum corpus, per Nitgerum episcopum huc Frisingam deportatum, honorificè asservari. Quapropter omnes prædicti oratores desiderio hujus thesauri acriter incensi, unanimiter & uno ore enixè à nobis, & dilecto capitulo nostro petierunt & rogaverunt; ut dignarentur ipsis concedere aliquam partem sanctarum reliquiarum S. Nonnosi, quas cupiunt pro posse honorari, & in aliquo loco peculiaris altaris erigendi decenter collocare, devotè venerari; orantes etiam genuflexi, eumdem adorantes & deprecantes, ut dignetur ad ejus primævum locum, & antiquam habitationem, unde per sena, & quod amplius secula excedit, absens fuit, reduci, & præsentiâ suarum sanctarum reliquiarum ad petentium consolationem sui memoriam in dicto monasterio renovare dignetur &c.

earumque veritas:

19 Nos igitur Albertus Sigismundus episcopus prædictus, & capitulum cathedrale ecclesiæ Frisingensis, adscitis ad hoc viris theologis doctis & piis, ex camera majoris sacristiæ nostræ, in qua similes thesauri recondi solent, hoc ipsum os de S. abbate Nonnoso depromi decrevimus, quo eosdem oratores libenter in Domino honoramus, certiorando illos, quòd verè sit os de corpore sæpe nominati S. Nonnosi, quod absque omni dubio, & scrupulo rectè & piè Christi fidelibus ad publicam venerationem exponi possit. Pro fine omnipotentem Deum nos quoque humiliter obsecramus, ut quod nostris meritis non valemus hujus S. Abbatis patrocinio utrimque assequamur. Datum Frisingæ in episcopali residentia nostra die X Februarii anno MDCLXI. Albertus Sigismundus episcopus Frisingensis loco † sigilli. *Ex hoc instrumento liquet, translationem corporis Frisingam ab ipsis Frisingensibus indubitanter attributam fuisse Nitgero episcopo, & seculo* XI, *non autem Hittoni, & seculo* IX. *Liquet secundò, non latuisse totum corpus* S. Nonnosi *ante postremam inventionem anni* 1708, *sed partem corporis seorsum fuisse servatam, ex qua particulam suam acceperunt Soractenses. Erant hæc tria ossa majora cum reliquiis minoribus, ut dictum est num.* 5: *nec dubitandum est, quin occasione horum ossium, quæ populo in veneratione erant, paulatim oblivioni data fuerit potior pars corporis, quæ sub terra erat depositа in crypta ecclesiæ cathedralis.*

reliquiæ per Cardinalem Barberinum recognitæ donantur ecclesiæ collegiatæ S. Laurentii;

20 *Porrò Eminentissimus Barberinus, cùm reliquias recognovisset, & omnia rectè se habere perspexisset, transmissam ossis particulam, quæ quinque digitis longa erat, coram omnibus præsentibus involvit, tela eleganti coloris rubri, imposuitque thecæ modicæ ex ebeno, cui varia adjecta erant ornamenta. Hanc thecam, tribus sigillis ex cera Hispanica obsignatam commisit Eminentissimus R. P. Odoni Conti Societatis Jesu, qui visitator erat abbatiarum ejusdem Cardinalis. Demum R. P. Conti hasce reliquias*

mense

AUCTORE J. S.

§ III. Ulterior promotio cultûs in Italia : beneficia varia diversis personis concessa.

A *mense Aprili anni 1663 detulit ad montem Soractem, ubi magna solemnitate fuêre receptæ, & postquam ad varias ecclesias honorificè erant circumlatæ, fuerunt depositæ in ecclesia collegiata S. Laurentii, ubi cum aliis reliquiis honorificè servantur in sacrario. Hæc omnia fusè referuntur in laudata sæpius Vita Italica Antonii de Effectis, qui solemnitates singularum ecclesiarum, ad quas reliquiæ delatæ sunt, eleganter exponit. Brevius res eadem refertur in scripto Italico, quòd Romæ impressum est anno 1684, quódque recudit Meichelbeckius inter instrumenta tomi sui secundi pag. 400 & sequentibus. Scriptum hoc posterius deinceps præcipuè sequar, tum quia ibi omnia succinctius narrantur, tum vel maximè quòd ibi referantur aliqua, quæ contigerunt post Vitam jam scriptam. Ex hac tamen sumam omnia, quæ in scripto Romano fuere prætermissa, & præsertim beneficia, quæ Sancti patrocinio sunt impetrata, ex quibus mox duo subjungam, quæ narrantur in Vita part. 2 cap. 3 occasione prædictarum solemnitatum.*

B *in illorum translatione beneficium unum*

21 Tentavit infernus, *inquit laudatus Antonius pag.* 183, turbare piam solemnitatem, atque ululatu, terrificisque clamoribus energumenorum aliò divertere modestam populi devotionem. Nec defuerunt in tam devota translatione divina prodigia, qualia fuerunt in translatione protomartyris Stephani, relata à S. Augustino, aut in glorioſa crucis inventione, quemadmodum cantat sancta Ecclesia : " Fides roboratur, „ adsunt divina prodigia, & Dei magnalia rese„ rantur „. Quippe, cùm ignes festivi è tormentis ederentur locis variis, ruptum aliquod tormentum explosorem in altero è temporibus percussit ictu mortifero. Unde in terram lapsus est deficientibus viribus, tamque malè exceptus, ut spectatores eum tamquam mortuum lacrymarentur. Verùm ab invocato S. Nonnoso adjutus, se subitò erexit in pedes, cucurrit ad altare, ut ei gratias ageret, atque integer & sanus permansit. Hic post fabricatum altare Sancti, quod ei in ecclesia S. Silvestri erectum est, in signum acceptæ gratiæ tabellam votivam appendit.

& alterum invocantibus opem Sancti concessum.

C

22 *Huic prodigioso beneficio aliud subjungit idem auctor hoc modo* : Inter festa natalitia hujus Sancti, qui in memoria & devotione populi renascebatur, illius experta est effectum mulier, quæ eo die difficultate pariendi laborans, & semiviva languens, admonita est ab assistentibus, ut invocaret Sanctum, cujus reliquiæ illâ ipsâ horâ per plateam portabantur, & peperit feliciter filium, eique, consentiente etiam patre ipsius Dominico Ricciotti, imposuit nomen Nonnosi, tamquam nato ad gloriam illius, & vero filio ipsius favoris. Neque usus hujus nominis perstitit intra muros Soractis, verùm Civitate Castellana, Tibure *, Nepete, Narniæ, Romæ in Urbe & agro vicino, Laureti atque aliis locis, ubi per gratias à multis incolis obtentas nota est virtutis ac sanctitatis ejus fama, frequenti hodie usu & consuetudine receptum est, ut infantes nominent Nonnosi nomine, cùm id nomen gratum sit omnibus, sicut ipse Nonnosus, nec cuiquam fastidio.

* Tivoli

Primum Sancti altare in Monte Soracte, prima festivitas, & Missa prima, quâ dictâ sanatur infirma :

SCriptum Romæ impressum apud Meichelbeckium pag. 402 *de promotione cultûs* S. Nonnosi *in monte Soracte post prædicta sic prosequitur* : Constructum est deinde in ecclesia S. Silvestri (*id est, in ecclesia monasterii, in quo habitavit Sanctus*) primum altare in honorem S. Nonnosi : & anno MDCLXIV, die 2 Septembris celebrata est solemniter prima ipsius festivitas, quæ continuatur singulis annis cum supplicatione cleri, & congregationum S. Oresti, sequenti omni populo cum concentu musico & facibus, cereis & candelis. Feruntur sacræ reliquiæ ad ecclesiam S. Silvestri, eæque ponuntur supra altare S. Nonnosi, decenter compositum & ornatum, cantatoque solemniter Missæ Sacrificio, dataque benedictione exosculantibus reliquias, inde agmen supplicantium ad priorem locum regreditur. *Addit Antonius de Effectis cap.* 4 *pag.* 186 *primam Missam votivam ad prædictum* S. Nonnosi *altare celebratam esse die* XI *Januarii anni* 1664, *id rogante muliere infirma, quæ Sancti patrocinio obtinuit sanitatem, etiamsi medici de vita ipsius desperarent ; quæque deinde mense Aprili ad altare venit cum marito & consanguineis, ut votum suum adimpleret, Sacrumque ad honorem Sancti celebrandum curavit.*

E

cultus extensus, lampas suspensa ante altare, imago excusa :

24 *Idem scriptor post pauca subdit, eodem anno* 1664, XXVI *Januarii à sacra Rituum Congregatione concessum esse, ut licitum esset omnibus sacerdotibus secularibus & regularibus, qui venirent ad ecclesiam S. Silvestri, sacrum dicere votivum de* S. Nonnoso *ad ipsius altare. Eodem anno, ut prosequitur, mense Aprili, accensa est lampas, quæ perpetuò arderet ante altare Sancti. Hujus lampadis oleum à multis tam vicinis quàm longè distantibus frequenter petitur ; nec tamen umquam deest lampadi, quia pii homines illud abundè subministrant. Imago quoque Sancti eodem anno ari incisa est, multaque millia exemplarium sunt impressa, missâque non modò ad vicinas civitates, sed etiam ad remotas provincias. Hæc & similia fusè laudatus scriptor, qui mox subdit, qua occasione inchoata sit annua illa supplicatio, quâ reliquiæ* S. Nonnosi *ex ecclesia collegiata S. Laurentii feruntur ad ecclesiam S. Silvestri : peractaque ibidem solemnitate ad priorem ecclesiam referuntur, ut suprà dictum est ex scripto Romano. Rem accipe compendio.*

F

annua supplicatio instituta occasione beneficii hîc relati : Sanctus patronus electus :

25 *R. P. Stella monasterii Prior rogaverat clerum triduo antè, ut similis supplicatio institueretur in Sancti festivitate die* 2 *Septembris. At excusaverat se clerus, tum ob æstum, tum ne res abiret in consuetudinem. Biduo pòst in ipso* S. Nonnosi *pervigilio cælum, quòd fuerat serenum, subitò obtenebrescere cœpit, tantaque ventorum, fulminum & tonitruum orta est procella, ut metum ingentem incuteret. Fulmine tacta est domus dominorum Catcia, variisque partibus contrita, avulsum marmor, quo fulciebantur domûs anguli. Disruptum fenile calcis rudere implebat lectum ipsum, in quo dormiebat*

AUCTORE J. S.

miebat Joannes Philippus Maria Caccia, ſic tamen, ut ipſe prorſus eſſet illæſus, ſed ita territus incendio vicino & fœtore ſulphureo, ut & opem S. Nonnoſi *flagitaret, & domeſticorum ac vicinorum imploraret ſubſidium. Hi illico accurrerunt magno numero, & viderunt in eodem cubiculo ruptas januas, dejectos parietes, lectum terræ & calcis ruderibus oppletum, aduſtas & fumo decoloratas lecti columnas: ſupra eumdem lectum lapſam viderunt ingentem tabulam, avulſam è corona grandi, quæ ligno fuerat veſtita. Hæc ſola tabula ſine fulmine nata erat mortem inferre, niſi adfuiſſet benigna* S. Nonnoſi *manus. Iſta cùm crederentur fieri vix potuiſſe ſine miraculo, & beneficium attribueretur* S. Nonnoſo, *indicta mox eſt ſupplicatio, atque eodem die inſtituta miro hominum concurſu, nec minori pietate, præſertim conſanguineorum viri prænobilis, qui è tanto illæſus evaſerat periculo, uti latiùs narratur in Vita. Hæc autem ſupplicatio deinde quotannis continuata eſt, & præterea ſequenti anno, die* 1 *Martii, adlectus eſt* S. Nonnoſus *inter patronos iſtius loci, teſte rurſum Antonio pag.* 192.

B

imago collocata in abbatia prope Sermonetam, ubi ſanatus abbas,

26 *Cùm eodem anno* 1664 *imago Sancti honorificè collocata eſſet in abbatia S. Stephani prope oppidum agri Romani, quod Italis* Sermoneta *dicitur, efficax ejuſdem patrocinium expertus eſt. ipſe abbas dicti monaſterii, uti refert idem Antonius de Effectis pag.* 193. *Accipe ipſius verba Latinè reddita:* Die VII Auguſti (*anni* 1664) dominus Rogerius Cajetanus, abbas prædictæ abbatiæ S. Stephani, cùm rediturus Sermonetam, ubi erat dominus princeps Caſertanus, equum aſcendere vellet, ejuſque tergum calcaribus tangeret, priuſquam firmiter conſediſſet, equus impatiens ſubſiliendo excuſſit equitem, qui caput in grandem duramque impegit rupem, multis locis cum mortis periculo ruptum. Jacebat vulneratus voceque & omni ferè ſenſu carebat: at auxilio P. Prioris aliorumque Fratrum portatus fuit in monaſterium, judicantibus omnibus eum moriturum. Ita ſcripſit deinde P. D. Angelus à S. Benedicto in litteris XXVII Auguſti datis, ex quibus eventum commemoravi. Quia verò memineram gratiarum,

C

quas Deus per merita S. Nonnoſi largiebatur infirmis, quantùm poteram eum commendavi; & coram multis perſonis, miſſis ab excellentiſſimo domino principe Caſertano, ut inquirerent de ſtatu dicti domini abbatis, ſumpſi ſanctam ipſius imaginem, quam hunc in finem ſupra pectus geſtabam, fuſaque brevi oratione pro ſalute dicti domini abbatis, illam reverenter exoſculatus ſum, eique eamdem commendavi, ut ſignaret eadem imagine in modum crucis caput, quo ſupra modum dolebat. Præterea excitavi illum ad fiduciam de laudato Sancto concipiendam, ut ſanaretur. Die ſequenti mane aliquantulùm leniùs habuit; & conſilio medicorum ac chirurgorum, juſſuque dicti excellentiſſimi domini principis, qui nunc Sermonetæ habitat, ductus eſt in ſella ad prædictam civitatem, ut faciliùs medicaretur. Tulit ſecum ſanctam imaginem, tenens illam in cubiculo ſuo ut pignus ſacrum, & per gratiam Dei, & merita S. Nonnoſi, ſanatus eſt & dolor ceſſavit. *Addit laudatum abbatem in gratiarum actionem concurriſſe ad ſumptus novi altaris, quod anno ſequenti in honorem* S. Nonnoſi *erectum eſt in eccleſia S. Stephani, ubi & feſtivitas eodem anno celebrari cœpta. Fuit hoc ſecundum altare, quod in honorem* S. Nonnoſi *conſtructum eſt in Italia.*

D

27 *Aliud eodem fere tempore ædificatum eſt Romæ in eccleſia S. Pudentianæ, de quo aliiſque alibi erectis ſic breviter ſcriptum Romanum apud Meichelbeckium pag.* 402: Erecta inſuper deinde fuere circitèr viginti quinque alia altaria ad honorem S. Nonnoſi in locis diverſis, Ventimilii etiam in ditione Genuenſi, in Longobardia, & Romæ in eccleſia S. Pudentianæ laudatorum monachorum reformatorum S. Bernardi, ubi celebratur feſtivitas S. Nonnoſi, inchoata anno MDCLXVI, & ſingulis annis continuata. cum nobili elegantique apparatu altaris & facelli, quem cum oblatione * cereorum eò mittunt dominæ principes de Alteriis, quæ etiam cum multis dominis illuſtribus ad illam feſtivitatem accedunt, ut venerentur & honorent Sanctum. *Ex Vita Italica pag.* 194 *intelligimus, unde ortum habuerit eximia illa pietas erga* S. Nonnoſum *nobiliſſimæ familiæ de Alteriis, è qua eodem tempore toti Eccleſiæ præſidebat Clemens Papa X. Nam narrat illuſtriſſimam principem, conjugem principis Gaſparis de Alteriis, laboraſſe partu difficili, atque, invocato* S. Nonnoſo, *filium feliciter peperiſſe. Eidem quoque altari tabellam votivam appendi juſſit, eadem Vita teſtante, excellentiſſima domina dux Bracciani, quòd, ubi deſperata erat à medicis, unĉta oleo lampadis, quæ ardebat ante altare Sancti, priſtinam ſanitatem feliciter eſſet conſecuta.*

multa erecta Sancti altaria, duo beneficia:

* *in Italico* non offerta *legendum* con offerta

E

28 *Hiſce beneficiis aliud mox ſubjungit laudatæ Vitæ auctor hoc modo:* Continua ſunt beneficia, quæ etiam Romæ ad ſe confugientibus impertitur hic Sanctus. Hinc pauper mulier, quæ vicina erat prædictæ eccleſiæ, cùm ſuperet ſupra domûs feneſtram; hæc avulſa à muro ipſam ſecum tam miſerè præcipitavit in plateam, ut mortua crederetur. Ubi accurrit cum oleo Sancti P. Prior S. Potentianæ, licèt tota eſſet ſanguine oppleta, contuſa & confracta, brevi rediit ſana. *Cùm ubique tam potens* S. Nonnoſi *appareret patrocinium, mirari non poſſumus, ipſius imagines, oleumque ipſius lampadis, à multis fuiſſe expetita, variaſque in partes miſſa, uti revera factum teſtatur laudatus Antonius de Effectis, qui nominatim recenſet inter*

F

illos, qui prædicta petierunt & obtinuerunt, Eminentiſſimum Cardinalem Carpegna. Hic accepta Sancti imagine, oleoque lampadis, teſtatus eſt in litteris, deinde ad monachos datis, ſe morbo quodam liberatum: atque in teſtimonium gratiæ acceptæ tranſmiſit calicem ad monaſterium S. Silveſtri, ut illo uterentur pro altari S. Nonnoſi. *Eodem remedio, ut mox ſubdit, Romæ ſanata eſt in domo Puellarum, quæ vulgò dicitur,* Delle Zitelle, *puella quædam, neptis Fr. Pauli Donati di Cellene, à quo imaginem & oleum acceperat. Huic ſubdit aliud magis mirabile, quod in eadem domo contigit virgini quinquaginta annorum, cujus nomen erat* Paula, *cognomen* Zappata, *quia à Cardinali hujus nominis in domum illam fuerat introducta. Accipe ſcriptoris verba Latinè reddita:*

imago Sancti & oleum lampadis à multis expetitum; tria beneficia:

29 Jacebat infelix (*Paula*) in lecto, quòd nullum inveniſſet remedium paralyſi, quâ novem annis fuerat motûs impotens, adeoque afflicta, ut ne manum quidem ori admovere poſſet, nedum ſibi opem ferre in neceſſariis. Suadente ſociâ, rurſum unĉta (*oleo S. Nonnoſi*) invocatoque Sancto, cujus imaginem habebat penes

prodigium aliud maximè mirandum,

penes sè, nocturno tempore, dum aliæ dormiebant, audivit sibi articulatè dici PAULA, PAULA SURGE. Ad hanc vocem lacrymabunda & tremens inhorruit infirma, credens illam esse cujusdam sociæ suæ ante paucos dies defunctæ, à qua invitaretur ad aliam vitam. Cùm post longum terrorem & planctum rursum indormivisset, iterum vocata atque invitata fuit, ut surgeret, & caperet bacillum, qui ad lecti caput erat positus ... Tribus vicibus iterata erat hæc invitatio. Ad harum postremam se ipsa excitans nocte diei Martis XXVI Februarii, respondit, non posse se ob morbum insanabilem. SURGE, ei fuit repositum, QUIA ES SANATA. Continuò non minùs attonita quàm obediens elevavit se è lecto sine ullo adjutorio; atque ad baculum extendit dexteram, quæ per novem annos motu & actione omni caruerat: cucurrit ad lectum Benedictæ, quæ item à longo tempore erat infirma, & proximo lecto decumbebat. Cùm hæc sono excitata esset, eidem illa narrat miraculum. Persuadet ista, ut gratias Deo agat, & differat usque ad tempus matutinum publicationem miraculi, ne turbaret locum dormientium; & crearet aliquam obmurmurationem horâ tam importunâ. At vix illucebat, quin facto divulgato, prorsus læta conspiceretur Paula liberè ambulare, veroque ac falli nescio testimonio publicare mirabilia S. Nonnosi. Confestim res perlata est ad Antonium Cardinalem protectorem, paulo antè è Francia reducem, qui donatus à P. abbate Stella trium diversarum formarum imaginibus, Sanctum magnopere venerabatur. Abbas Carolus Vaina, superintendens puellarum, collegit legitimè facti veram relationem, testatam juramento earum medici, Joannis Antonii Antonelli, & die XVI Maii à Joanne Carolo Lamperino, notario capitulari, instrumento ac processu publico roboratam, quæ demùm nunc etiam confirmatur grandi tabella votiva, ob gratiam Paulæ concessam ad Soractem transmissa. Quamvis autem libera esset puella, perrexit ob aliquantam debilitatem inniti baculo, sibi commendato per vocem illam nocturnam. Verùm die festo Sancti, 2 Septembris, accensa ante aliquam ipsius imaginem lampade, & duabus candelis supra piam exiguamque aram, ubi orabat, recitatisque more suo litaniis, quando se levabat ab oratione, recusavit imposterum fulcimentum baculi, recuperatis pristinis viribus integraque sanitate.

duo phrenetici ad mentem reducti: cultus rursum extensus:

30 *Post hæc affirmat idem auctor pag.* 198, *Sancti ejusdem invocatione menti restitutos esse duos homines. Prior dicebatur Josephus Quintinus, incola Civitatis Castellanæ, qui tredecim mensibus catenâ ligatus fuerat ob phrenesim. Hic, curante ipsius sorore Prudentia, oleo Sancti unctus est, aliaque adhibita fuerunt pietatis exercitia in honorem* S. Nonnosi, *cujus patrocinium implorabatur. Hoc modo Josephus corporis mentisque sanitatem recepit, tabulaque votiva, in qua factum repræsentabatur, in gratiarum actionem missa est ad ecclesiam. Sanatus est die* IX *Septembris anni* 1666. *Alterius nomen tacet auctor, quia sanatus fuerat, priusquam stultitia ejus vulgo innotuerat. Multa hisce annectit idem scriptor de altaribus erectis, cultuque* S. Nonnosi *ad varia loca extenso, quæ brevitatis causâ prætermitto. Unum referre breviter sufficerit, quod habet pag.* 201, *nimirum anno* 1667 *indultum esse à sacra Rituum Congregatione, ut liceret omnibus monachis Ordinis Cistercienſis reformati Officium proprium de* S. Nonnoso *in ipsius festivitate recitare, ubicumque erectum esset altare Sancto dicatum. Memorat idem auctor pag.* 195 *inscriptionem marmori insculptam in honorem* S. Nonnosi, *& alteram pag.* 199; *item varia de veneratione Sancti apud Benedictinos Casinenses cœpta, aliaque similia, quæ apud ipsum videri possunt. At reliqua beneficia, quæ commemorat, huc transferre pergo.* AUCTORE J. S.

collarum duobus xgris beneficium;

31 *Piergrossi quæstor castelli Nazzano Benedictinorum, in loco angusto post equum pertransiens, calcibus ferientis equi tam graviter cæsus est, ut genu alterum loco motum esset, multisque contusionibus in crure & femore in mortis periculum videretur adductus. Imploratum fuit ab omnibus auxilium* S. Nonnosi. *Adfuit statim chirurgus, cujus ope os genu loco suo est restitutum. Post horam cessavit dolorum vehementia, domumque reductus est equo. Unctus autem oleo salutiferæ lampadis, intra paucos dies sanatus est, reddens gratias Sancto, quòd & majus periculum evasisset, & malo citò esset liberatus. Hæc Antonius de Effectis pag.* 202 *paulò prolixiùs. Aliud beneficium narrat pag.* 206 & 207, *quod similiter compendio accipe. Anno* 1669, *mense Maio Joannes Jacobus Bell-huomo, canonicus Tiburtinus, præ abundantia sanguinis, quem ore emittebat sine intermissione, adhibitis frustra medicorum subsidiis, exsanguis languebat in præsentissimo mortis periculo. Allatum est Sancti oleum, eoque unctus moribundus. Mox cessavit sanguinis fluxus, ægerque sic convalescere cœpit, ut brevi vires atque integram valetudinem recuperaverit; sanusque in gratiarum actionem* S. Nonnosi *cultum in civitate Tiburtina insigniter promoverit.*

mira erga Sanctum devotio, & beneficium febricitanti datum:

32 *Inter hæc laudatus auctor eleganter prosequitur dilatationem venerationis* S. Nonnosi, *mirumque populi concursum ad præcipuam ipsius ecclesiam, in monte Soracte S. Silvestro dicatam. Cùm autem mihi non liceat in hisce esse tam prolixo, pauca solùm memoravi beneficia, quæ ex multis idem scriptor narravit, non dubitans interim, quin multo plura contigerint: nam id innuit velocissima cultûs dilatatio, dona innumera, quæ Sancti altaribus offeruntur, devotioque fervens, quâ oleum lampadis, imagines & numismata Sancti, similiaque alia à multis expetuntur. Narrat pag.* 211 *ad montem Soractem venisse R. P. Michaelem Chiavazzi, visitatorem provincialem Ordinis Clericorum Minorum, qui exhilaratus eximia illa devotione erga* S. Nonnosum, *quam ex loci lustratione discebat, narrabat nuper ad ecclesiam Ordinis sui Marini (oppidum est, exiguæ reipublicæ caput, inter Romandiolam & ducatum Urbinatem) transmissam fuisse tabulam* S. Nonnosi *ex voto Joannis Francisci Duozi, aulæ Romanæ ministri, quòd intercessione* S. Nonnosi *liberatus esset maligna febri, quâ cœperat laborare Marini. Uti hoc beneficium facile latere potuisset scriptorem, sic haud dubiè eumdem multa alia latuerunt: atque ipse variis locis insinuat, multo plura facta esse, quàm memoriæ posterorum commendavit.*

Officium Sancti ploribus permissum.

33 *Priusquam hunc scriptorem omnino dimittam, unum etiamnum ex eo memorandum censui:* Anno MDCLXXII, *inquit pag.* 211, inter ea, quæ de Sanctis novis Breviario Romano adjuncta sunt à præcedentibus Pontificibus, & à sanctissimo Domino nostro Clemente X, inter

AUCTORE J. S. Officia AD LIBITUM etiam admiſſum eſt Officium proprium S. Nonnoſi pro omnibus illis, qui militant ſub regula S. Benedicti, & pro iis eccleſiis, in quibus erectum eſt altare Sancto dicatum. *Hiſce collectis ex Opuſculo Antonii de Effectis, redeo ad ſcriptum Romanum, editum à Meichelbeckio, in quo ſuperſunt quædam poſteriùs facta.*

§ IV. Cultus magis propagatus: aliæ à Friſingenſibus in montem Soractem miſſæ reliquiæ.

Officium & Miſſa S. Nonnoſi in Breviario & Miſſali monaſtico: B

PRæterito anno ſancto MDCLXXV impreſſus eſt liber, cui titulus: Monumenta de S. Nonnoſo, compoſitus ab abbate Antonio de Effectis, & dedicatus eminentiſſimo Cardinali de Alteriis, ſanctæ Sedis camerario, & nunc abbati commendatario S. Silveſtri, *inquit laudatum ſcriptum Romanum, quod pergam Latinè reddere, paucis hinc inde ad elucidationem interjectis:* Eminentiſſimus verò pietatis ſtudio, & devotione erga S. Nonnoſum, honoravit hunc Sanctum Abbatem eodem anno ſancto obtenta à Clemente Papa X felicis memoriæ facultate curandi, ut inſereretur Breviario monaſtico ad preces monachorum Benedictinorum. Ita revera factum eſt, impreſſo Officio Sancti in pulcherrimo Breviario monaſtico in folio, quod anno MDCLXXVII imprimendum in Germania curavit eminentiſſimus princeps, dominus Cardinalis Badenſis; atque etiam in Breviariis & Miſſalibus novis monaſticis, quæ impreſſa ſunt Venetiis anno MDCLXXVIII. Habetur ibi loco ſuo, 2 Septembris, Officium & Miſſa de S. Nonnoſo. Officium autem fit ritu duplici; ac Sanctus honoratur in ſancta Eccleſia ab omnibus Ordinibus monaſticis.

veneratio Sancti latè propagata: C

35 Hæc devotio erga S. Nonnoſum inſtituta eſt ſub patrocinio Jeſu, Mariæ & Joſephi. Deus autem multùm mirabilis eſt in hoc ſuo Sancto, quoniam in omni loco, ubi ipſi eſt altare aliquod erectum, inſignia conceduntur beneficia, præſertim in loco proprio S. Silveſtri in monte S. Oreſtis. *Sic corrupto vocabulo vocatur mons Soracte. Alii volunt corruptam hanc vocem oriri à S. Ediſtio, alii à S. Silveſtro. Antonius de Effectis in laudato Opuſculo part. 1 cap. 5 diſputat hac de re, vultque nomen vulgare* S. Oreſte *eſſe antiquum, non tamen deductum ab aliquo ſancto Oreſte, ſed à ſuperſtitionibus gentilium. Undecumque ortum ſit nomen, vulgare nomen expreſſi, eoque deſignatur oppidum ad montem Soractem. Redeo ad ſcriptum Romanum, quod ſic proſequitur:* Ubi præteritis hiſce annis, currente nunc anno vigeſimo primo ab erecto in illa eccleſia primo altari in honorem S. Nonnoſi, ſufficiens fuit populi concurſus ab omnibus iſtis locis & terris in circuitu, etiam ab Urbe Roma, aliiſque locis longinquis, prout colligitur ex ingenti copia tabularum tabellarumque votivarum, quæ in illa eccleſia S. Silveſtri conſpiciuntur; ſicuti etiam Romæ in eccleſia S. Pudentianæ ad altare dicti Sancti; Sermonetæ in ditione dominorum Caëtanorum, Caprarolæ, Ventimilii, de quo ſuprà, Peruſiæ, Burgi S. Sepulcri, multiſque aliis locis, quæ brevitatis gratiâ prætermittuntur. Itaque Ordo ſupradictorum monachorum S. Bernardi ſe felicem exiſtimet, quòd Deus ſibi ab illo ſerviri voluerit in hac occaſione ad majorem gloriam ſuam ſpectante. D

aliæ reliquiæ Friſingâ Romam miſſæ,

36 Nec prædicti monachi deſiſtunt allaborare, quantùm poſſunt, ut hanc promoveant devotionem & nomen S. Nonnoſi. Ab anno MDCLXXIX impetrarunt alias reliquias S. Nonnoſi pro eccleſia ſua S. Pudentianæ in Urbe per favorem & commendationem eminentiſſimi domini Cardinalis Litta, archiepiſcopi Mediolanenſis felicis memoriæ, qui tunc Ordinis eorum erat protector. Hic initio menſis Auguſti prædicti anni inſtanter & efficaciter hunc in finem ſcripſit ad ſuprà memoratum ſereniſſimum principem Albertum Sigiſmundum epiſcopum Friſingenſem, qui confeſtim generoſiſſimo animo per duos è ſuis canonicis, ſimul Romam ad limina Apoſtolorum venientes, tranſmiſit reliquias S. Nonnoſi, impoſitas thecæ ſigillo clauſæ, quæ longitudine erat unius palmæ. Porrò cùm memorati canonici intellexiſſent, defunctum eſſe prædictum Eminentiſſimum Litta, præfatam thecam tradiderunt eminentiſſimo Cardinali Cybo. Hic, ubi eam ad aliquod tempus penes ſe conſervaſſet, deinde, inſpirante Deo, die XXXI Auguſti anni MDCLXXXII, per manum notarii eamdem tradidit monachis S. Pudentianæ. Ordinante verò & facultatem concedente Eminentiſſimo Carpegna, vicario ſummi Pontificis, aperta eſt theca recognitæque reliquiæ, quæ repertæ ſunt eſſe particula oſſis ex ultima parte eruris, cujus craſſities & magnitudo trium circitèr erat digitorum. Additum erat inſtrumentum authenticum, & epiſtola ſereniſſimi principis epiſcopi Friſingenſis, ſcripta ſuprà dicto Eminentiſſimo Litta, dataque XX Auguſti, anno MDCLXXIX. E

quæ variis eccleſiis diviſæ, datâque etiam particula eccleſiæ S. Silveſtri:

37 Hujus ſacri pignoris particulam modicam pro ſua devotione voluit Eminentiſſimus Carpegna. Pars præcipua data eſt eccleſiæ S. Pudentianæ; pars alia minor, quæ erat mole unius juncturæ minoris digiti, conceſſa eſt dataque juſſu domini Cardinalis Cybo, eccleſiis B. Mariæ Gratiarum, & S. Silveſtri in monte Soracte. Hanc incluſam eleganti honorificæque thecæ ex ebeno, quam varia ornamenta, exigua Sancti ſtatua, modicæque angelorum figuræ ex cupro inaurato decorabant, ad majorem Dei laudem ac gloriam, & honorem S. Nonnoſi, portare voluit ad ſuprà dictum monaſterium in Soractem reverendiſſimus Pater, D. Florentius à S. Catharina Peruſinus, abbas generalis laudati Ordinis reformatorum S. Bernardi, comitantibus multis aliis ejuſdem Ordinis monachis Romanis. Porrò ſervatam per aliquot dies in dicto monaſterio Gratiarum, Dominicâ infra Octavam Epiphaniæ, die IX Januarii currentis anni MDCLXXXIV, tempore matutino, comitantibus in ſolemni ſupplicantium agmine monachis Ordinis Romanis & ejuſdem monaſterii Gratiarum, & duabus ſodalitatibus S. Oreſtis, cum ingenti multitudine ſequentium virorum & mulierum, eamdem portavit ad eccleſiam S. Silveſtri, in ſummo iſtius montis vertice ſitam. Miſſam inſuper cantavit idem reverendiſſimus P. Generalis; eique ut diaconus aſſtitit P. Prior S. Bernardi Romæ, D. Franciſcus à S. Michaële archangelo Ariminenſis, qui poſt cantatum Euangelium eleganter & piè ad concionem dixit in laudem S. Nonnoſi, & de reditu ſacrarum harum F

A rum reliquiarum ad locum ſuum & antiquam habitationem, patrocinantibus Jeſu, Maria & Joſepho. Placuit oratio, laudataque eſt ab omnibus; eccleſia tam erat plena, ut vix ſtare poſſet multitudo, non obſtante tempeſtate frigida & nive, quæ iſtis diebus deciderat. De omnibus hiſce habentur inſtrumenta authentica notariorum manu exarata.

opus Dei eſt, quòd cultus, tot ſeculis intermiſſus, renovatus ſit in Italia.

38 *Hactenus auctor laudati ſcripti, qui demum relationem ſuam ſic concludit:* Manifeſtè perſpicitur (*ex dictis*) voluntatem Dei eſſe, ut poſt tot centenos annos hic Sanctus honoretur in ſancta Eccleſia, & ut hiſce noſtris temporibus memoria ipſius fuerit renovata; ac proinde, de hoc eventu S. Nonnoſi dicendum eſſe: " O-„ pus Dei eſt, manus Domini fecit hoc. A Do-„ mino factum eſt iſtud; & eſt mirabile in ocu-„ lis noſtris „. Divinæ Majeſtati, & ſuprà dictis patronis ac protectoribus, Jeſu, Mariæ & Joſepho, ſemper referatur gratiarum actio, laus, honor & gloria; ſintque ſemper omni tempore ab omnibus laudati ac benedicti *&c. Hactenus monumentum anno* 1684 *Romæ impreſſum, editumque ſine nomine auctoris. Quod ait, renovatam eſſe Sancti memoriam, intelligit de monte Soracte, aliiſque Italiæ locis, non de Germania, ad quam nunc demum regredior, ut poſtremam reliquiarum Sancti inventionem, ſecutaque plurima miracula lectori exhibeam.*

B

§ V. Pars major corporis, quæ diu latuerat, inventa Friſingæ, ac deinde ſolemniter tranſlata.

Locus Friſingæ in veneratione, multiſque ſaluti erat,

C *Etiamſi quædam* S. Nonnoſi *oſſa Friſingenſibus nota ac in veneratione eſſent, uti jam vidimus, major tamen pars corporis diu latuit, donec anno* 1708 *die* XXVII *Januarii, à celſiſſimo principe atque epiſcopo Friſingenſi Joanne Franciſco feliciter fuerit inventa in crypta eccleſiæ cathedralis, quam novis ornamentis condecorare ſtudebat laudatus antiſtes. Occaſionem theſauri inventi, inventionemque ipſam tam exactè narrat Meichelbeckius, qui pleraque luſtrare potuit, ut ipſius relationem hùc transferendam duxerim. Præmiſſis iis, quæ jam retuli, tom. 2 pag.* 440 *rem ipſam ſic exponit:* Statuerat reverendiſſimus & illuſtriſſimus D. Joannes Sigiſmundus Zeller de Leiberſtorff, epiſcopus Bellinenſis, proëpiſcopus Friſingenſis, cathedralis eccleſiæ præpoſitus &c., ... honoribus divi Nonnoſi novam aram in hypogæo ſeu crypta cathedralis eccleſiæ conſtruere. Id ut commodè fieret, placuit celſiſſimo (*Joanni Franciſco*) locum contemplari, ne quid præter animi ſui vota operarii tentarent. Venit igitur ad eum hypogæi locum, ubi tum extabat ara divæ Margaritæ, nulli muro adhærens, niſi quòd ponè cerneretur conditorium quoddam, tribus fetè cubitis altum, & ita ex lapidibus arcuatim edictum, ut ſub ipſo ſuperiùs impoſito conditorio homines poſſent perreptare: quod etiam multis, maximè qui dorſo laborabant, ſaluti fuit, cùm illic Deum piè invocantes manibus pedibuſque perreperent, abſque eo, quòd ipſis certò conſtaret, quis eo in loco lateret Evergeta, cujus accedentibus interceſſionibus ac meritis à dorſi doloribus liberarentur. Imò nemo unus hominum erat, qui, quid ſibi arcus ille muratus vellet, affirmanter recenſere poſſet. Illud unum dumtaxat ſciſcitanti epiſcopo memorabant æditui, quòd annis ſingulis, die 11 Septembris, ibi tempore divini officii lychnos duos cum cereis ardentibus reponere ex antiquiſſima conſuetudine juberentur

AUCTORE J. S.

ubi corpus feliciter inventum,

40 Movit ea narratio epiſcopi animum, ſcire utique perquam cupidum, quid tandem myſterii ibi lateret? Ergo ejus juſſu confeſtim manum admovent cæmentarii, loculumque aperire incipiunt: cum ecce! apparuere mox indicia magni theſauri ibi depoſiti. Itaque ut res totâ circumſpectè ageretur, ceſſare juſſi ſunt cæmentarii, donec notarius publicus advocaretur, qui, quid ageretur, coràm ſpectaret, &, ſi res poſtularet, inſtrumentum publicum conſcriberet. Miſſus itaque confeſtim fuit, qui notarium cito adeſſe juberet. Præſto igitur adfuit vir nobilis & clariſſimus D. Antonius Pockmair, J. U. D celſiſſimi principis conſiliarius aulicus, & reverendiſſimi ac illuſtriſſimi collegii cathedralis ſyndicus, notarius cæſarea authoritate publicus, quem princeps avidè exſpectaverat. Adfuêre viri graves, qui futuri eventus teſtes eſſent. Hi mox fuêre requiſiti, ut id, quod eventurum eſſet, unà cum D. notario in tabulas publicas referrent. Tum juſſu principis extemplo remotum fuit ſaxeum operculum; quo ſublato, conſpecta fuit arcula quædam, quam ſtatim celſiſſimus ſuis ipſe manibus extraxit; & cum inexplicabili cordis jubilo deprehendit, reperiſſe ſe oſſa beatiſſimi Nonnoſi, olim prioris (alii abbatem vocant) monaſterii Soractenſis ſub divi Benedicti regulâ, quem jam ab aliquot centenis annis inter ſuos patronos Friſingenſis eccleſia ac diœceſis recenſuerat, atque coluerat; quod tum ex alibi relatis; tum ex praxi continua conſtat. Id ampliùs indicabant appoſita ſigilla ac ſigna S. Eberhardi, ex monacho & abbate Cradnis S. Benedicti Biburgenſi Salisburgenſis archiepiſcopi, & beati Alberti, eo nomine primi epiſcopi Friſingenſis, qui ſacra illa lipſana anno MCLXI ibi repoſuiſſe ac condidiſſe reperti ſunt.

E

F *quod in ſacellum epiſcopi interim delatum,*

41 Quantum gaudium ea, uti inexſpectatiſſima, ita feliciſſima inventio attulerit tum ſpectatoribus omnibus, tum maximè ipſi fortunatiſſimo inventori, calamo exprimere nemo hominum poteſt; lacrymæ tamen præ cordium jubilo fuſæ ſatis prodiderunt. Ergo ſtatim præſentes omnes corruêre in genua, divum ſuum Evergetam, ceu rurſus in lucem protractum, ſibique reſtitutum devotiſſimè ſalutarunt, Deoque ac eidem divo Nonnoſo pro gratia illa planè cæleſti impenſiſſimas gratias rependerunt. Satiari vix poterat dulciſſimo theſauri ſui aſpectu celſiſſimus princeps, cùm modò è lamina plumbea theſauri ſui inventi deſcriptionem legeret, modò eorum, qui theſaurum ibi abſconderant, inſignia contemplaretur, modò appoſitum numiſma aureum protraheret, ſuiſque exhiberet, eoſque non ſine torrente voluptatis ad gratulandum ſibi de reperta inæſtimabili drachma clementiſſimè invitaret. Itaque ne à corde ſuo procul abeſſet theſaurus ille ſuus, eumdem in ſacellum ſuum aulicum cum ſumma devotione tranſtulit, ubi arcam notarius publicus occluſit, & ſigillo notariatus ſui duplici loco impreſſo obſignavit.

42 Ex eo tempore celſiſſimus princeps diu

AUCTORE J. S.

noctuque in eam curam ferventissimè incubuit, ut sacra illa lipsana, quàm fieri posset, splendidè exornarentur, ac suo tempore pompâ quâdam festivissimâ in basilicam cathedralem reduci possent. Urbs ipsa tota, simulac faustissima inventione fama increbuit, ac propositum principis innotuit, ad exornandam quibusvis possibilibus studiis translationem illam sese præparavit. Porrò medio illo tempore in prædicto sacello aulico ingens devotio fidelium erga divum Nonnosum exarsit, & quàm plurimæ Eucharisticæ hostiæ præter morem ibidem fuêre litatæ. Operam etiam operosissimam dedit celsissimus princeps, ut non solùm aula gymnastica ad desideratam perfectionem beatissimè perduceretur, verùm etiam ut ibidem præpararetur theatrum insigne, ubi anno sequenti comico opere acta divi Nonnosi, à S. nostro Gregorio I Pontifice maximo conscripta, possent spectatoribus exhiberi. Totius negotii curam in se suscepit reverendissimus D. Wolfgangus, sæpe hactenus laudatus Michaëlfeldensium abbas: qua de re inferiùs plura adducemus.

donec omnia ad honorificam translationem essent parata.

B

43 *Translationem factam anno* 1709, *die* 2 *Septembris, narrat idem auctor à pag.* 442 *hisce verbis:* Cæterùm (quod suprà dicere cœpimus) dici pro rei dignitate non potest, quantis ab eo tempore curis ardentissimum principis pectus exæstuarit, ut sacra divi Nonnosi lipsana cum dignissima majestate in ipsius Sancti festo, nempe 11 Septembris, in cathedralem basilicam possent reportari. Inter alia præcipuè hypogæum, seu crypta ejusdem cathedralis ecclesiæ eo tempore mirè fuit exornata. Steterat etiam jamjam in nova aula gymnastica theatrum insigne, dirigente totum opus reverendissimo D. Wolfgango, à duobus Ordinis nostri fratribus laïcis Luca Benedictoburano, & Carolomanno Weihenstephanensi egregiè depictum. Ipsa sancti Nonnosi sacra ossa phrygio pretiosissimo opere fuerant condecorata. Ad festivum conductum omnia erant præparata, ubi nulli labori, nullis sumptibus, nulli cujuscumque rei impendio fuit parcitum.

Apparatu magnifico,

44 Imminente postea festivitate, tot suspiriis exoptata, nempe die 11 Septembris, divo Nonnoso aliàs sacra, celsissimus princeps inter alios illustrissima nobilitate variisque dignitatibus spectatissimos hospites, etiam ex Ordine nostro singulari favore invitavit reverendissimos DD. Quirinum Tegernseensem, congregationis præsidem, Placidum Frauencellensem, Maurum Andecensem, Ildephonsum Weihenstephanensem, Wolfgangum Michaëlfeldensem, Magnum Benedictoburanum, Placidum Ettalensem, & Benedictum Schyrensem: quibus mox accessere reverendissimi DD. abbates Placidus divi Petri Salisburgi, & Bonaventura Reichenbacensis: qui omnes reverendissimi DD. præsules è suis monasteriis religiosos socios secum adduxêre. Quantus verò cæterorum Frisingam properantium advenarum numerus fuerit, ex eo conjiciet lector, quòd intra unius tantùm horæ spatium per unicam urbis portam, plus quàm centum carpenta, aliique id genus currus & quadrigæ advenerint. Porrò universa illa spectatu dignissima festivitas deinceps ordine sequenti fuit peracta, quam scribo testis per totum octiduum oculatus.

multisque præsentibus ecclesiasticis,

C

45 Prima die Septembris, quæ Dominica erat, SS. Angelis custodibus sacra, primum divi Nonnosi vespertinum Officium ritu magnificentissimo decantavit ipsemet celsissimus antistes noster, & festivitati tantis ardoribus exspectatæ initium dedit verè glorioſum: à quo tempore per universum reliquum octiduum Romani Pontificis clementiâ plenam noxarum culparumque condonationem impetrare poterant, qui preces præscriptas & alia pia opera ex more persolvissent. Vesperis deinde ac Completorio ministri ecclesiæ cathedralis statim Officium matutinum cum Laudibus crastini festi jungere jussi fuere, cùm multiplices alii labores crastinam diem sibi integram exposcerent. Interim in universa civitate nullibi cessatum est à laboribus, cùm nemo delicioſissimo erga beatissimum Nonnosum studio satisfeciſſe, ac dispositiones votis suis pares hactenus præmisisse sibi videretur: maximamque noctis partem non pauci insumpsere, ut ad tantæ festivitatis augmentum saltem pro modulo virium suarum quidquam conferre possent. D

ac civibus ipsis festivitatem augentibus,

46 Ipsa magnificæ translationis die illucescente, cùm maximorum æquè ac minimorum corda cælesti quadam & enthea dulcedine jamjam diffluerent, audito campanarum festivo sonitu, horæ canonicæ minores in cathedrali ecclesia fuere persolutæ: quibus finitis, sacratissimæ divi Nonnosi reliquiæ, binis ferculis pretiosis decentissimè impositæ, à presbyteris repositæ fuere in pegmate, itidem splendidè erecto, prope vicinam divi Joannis Baptistæ collegiatam ecclesiam, in qua interim cætera omnia, quæ Frisingæ eousque asservabantur, sanctorum corpora condecorandum à se cælestis civis sui divi Nonnosi triumphum præstolabantur. *die* 2 *Septembris anni* 1709

E

47 Horâ sextâ auditâ, celsissimus antistes noster consueto violacei coloris talari indumento indutus, & promicantibus è clementissimo vultu enthei cujusdam solatii minimè obscuris indiciis suavissimè venerandus, cum aulico suo ministerio universo ad pegma prædictum sese contulit, ubi præsentibus octo Ordinis nostri mitratis præsulibus à reverendissimo & illustrissimo cathedrali collegio, nec non ab utriusque insignis collegiatæ ecclesiæ divorum Andreæ & Viti DD. canonicis, totoque reliquo frequentissimo clero sæculari ac regulari demississimè exceptus fuit. Considente posteà cum aliis celsissimo antistite, musica, in divi Nonnosi honorem singulari ingenio & artificio composita, ejusdem beatissimi tutelaris Patroni laudes suavissimè decantabat, omnis generis instrumentis musicis, ac præcipuè buccinis ac tympanis lætissimè accinentibus; imò æneis quoque machinis ignivomo tonitru è divi Viti monte jucundissimè admugientibus. *ipse princeps Frisingensis,*

F

48 Jam verò ut insecuto celeberrimo triumpho plenè describendo manum apponam, persuaderi non possum, optime lector; sed ad libellum, infrà à nobis allegandum, à P. Benedicto Eberschwang Frauencellensi, tum in hac aula commorante, Frisingæ editum, remissum te humanissimè volo, illudque iterum moneo, ardentissima & piè ambitiosa civium, etiam exterorum studia, devotissimos artificum omnis generis, sacrarumque sodalitatum conatus & merita dignis laudibus hìc paucis æquari non posse. Illud saltem te hìc celare nequeo, eam magnificentissimam hujus sacri agminis partem, quæ numerosum, &, quàm fieri potuit, splendidè excultum equitatum, opificum tribus, piasque sodalitates secuta est, ominosis suis, ut vocant, figuris, labaris, curribusque ingentibus ita fuisse interstinctam, ut secuturæ in theatro comœdiæ per ordinem bellissimè proluserit. Tota ejus pompæ directio ac distributio opus fuit reverendissimi *pompa solemni,*

mi

A mi D. Wolfgangi, qui etiam, ut diximus, actionem comicam ipſam compoſuit.

multis aliis reliquiis agmen cohoneſtantibus,

49 Cùm tanta illa tot hominum ſeries ingentis ſpatii, quod à cathedrali eccleſia uſque ad portam S. Viti; inde recto tramite per totam urbis longitudinem uſque ad xenodochium S. Spiritûs; inde rurſus ſupra montem ad cathedralem eccleſiam emetiendum erat, magnitudinem planè æquaret, ſucceſſêre primùm, quæ maximam ſui venerationem excitatura erant, patronorum ſcilicet Friſingenſium ſacratiſſima corpora & reliquiæ, variis religioſorum & clericorum turmis interſtinctæ, ſequenti ordine. Primo itaque loco portabantur divi Felicis martyris ſacræ exuviæ, comitante venerabili conventu RR. PP. Capucinorum, quos ſacræ devotionis ardor Erdingâ unà cum devotiſſimis ejus loci civibus (qui Friſingenſi equitatui inſigne auctarium addiderant) Friſinga evocaverat: hoſque ponè ſequebantur RR. PP. reformati Ordinis divi Franciſci Friſingenſis conventûs. Proxima fuere ſacra lipſana divi Proſperi martyris, à venerabili collegio Canonicorum Præmonſtratenſium Neocellenſium, cereos ardentes geſtantium, deducta. Tertium locum obtinebat divi Viti pretioſa ſtatua, religioſis fratribus communis ſtudii Benedictino-Bavarici, quod in inclyto monaſterio Weihenſtephanenſi tum erectum erat, devotum comitatum exhibentibus, & cereos itidem ardentes manu portantibus. Divi Bathonis ſacros cineres rurſum è noſtris religioſis quidam, qui ſuos abbates huc ſecuti fuerant, comitabantur, & ipſi candelis accenſis venerationem teſtati. Corpus S. Placidi martyris reverendis patribus Weihenſtephanenſibus præferebatur. Sextus locus obtigit variis diverſorum cælitum inſignibus reliquiis, quas proximi DD. canonici S. Pauli, uti etiam S. Joannis canonici, cum aliis chori officio deſtinatis vicariis, colebant. Secundum hos ibant canonici inſignis eccleſiæ collegiatæ divi Viti, prælatis ſibi divi Sigiſmundi regis & martyris effigie, ac ſacris cineribus. Subière domini canonici inſignis collegiatæ ad divum Andræam eccleſiæ, argenteum divi Corbiniani noſtri ſimulacrum, & oſſa ſacratiſſima ſua ſerie ſtipantes.

B

C

transfert S. Nonnoſi corpus

50 Proxima portabatur beatiſſimæ Virginis Deiparæ vetuſtiſſima imago à divo Luca picta, in ara argentea, gemmis faberrimè exornata, ſublimis, & ſex DD. parochorum humeris innixa, prementibus veſtigia dominis phonaſcis aulicis, qui alternatis cum buccinarum tympanorumque concentu vicibus celebrabant laudes divi Nonnoſi, cujus deinceps ſacrorum lipſanorum pars magna, auro gemmiſque conſpicua, ante reverendiſſimos DD. cathedralis eccleſiæ canonicos, ſacerdotalibus itidem humeris (uti omnes aliæ hactenus recenſitæ reliquiæ) geſtata fuit. Subintrarunt, qui proximis ac præcipuis beatiſſimi Nonnoſi exuviis (inter quos ſacrum illius caput erat) thura perpetuò miniſtrabant, & incendebant. Porrò has ipſas ſacratiſſimas reliquias viginti ex Ordine noſtro religioſi cingebant, octo nimirum reverendiſſimi DD. abbates, pontificio ornatu fulgentes, quorum ſemper quaterni humeros ſanctiſſimo oneri alternatis vicibus ſubmittebant: octo item religioſi patres, totidem illis præſulibus aſſiſtentes: & quatuor patres, SS. theologiæ, ſacrorum canonum ac philoſophiæ in ſtudio ſuprà dicto profeſſores, qui uraniſcum, ſeu umbellam portabant. His decorè intermiſti gradiebantur ephebi epiſcopales, tædis ardentibus conſpicui, ſatellitii epiſcopalis ſerie nonnihil remotiùs utrumque latus contra populi conferta agmina cuſtodiente.

AUCTORE J. S.

ad eccleſiam cathedralem,

51 Veſtigia proxima legebat reverendiſſimus & excellentiſſimus DD. Joannes Sigiſmundus Zeller, liber baro de Leiberſtorff &c. &c. epiſcopus Bellinenſis, & proepiſcopus Friſingenſis; pontificio ornatu cereoque ſpectabilis. Tum poſt crucem epiſcopalem, univerſam ſacram pompam clauſit ipſe celſiſſimus antiſtes noſter, habitu ſuprà memorato ſplendidus, & manu quidem cereum præferens, vultu verò igneos in divum tutelarem ſuum Nonnoſum amores ſpirans. Junxêre ſeſe poſt aliquot paſſus multi alii reverendiſſimi & illuſtriſſimi hoſpites, aula domeſtica, & aliorum ſequacium, in ſacros amores & plauſus, imò in lacrymas quoque ardentium, promiſcua multitudo ferè ſine numero. Interſtrepebant verò variæ feſtiviſſimæ ſalutationes, ſclopetis exoneratis per varia ac deſtinata urbis loca, factæ à civium turmis. Per urbem ſpectabantur picturæ variæ, in pulcherrimas divi Nonnoſi laudes facundæ, quas inter æſtimationem habuere præcipuam, quæ magno numero è gymnaſio noſtro pendebant: quibus tamen vix, & ne vix quidem, ceſſêre illæ, quas RR. PP. reformati S. Franciſci inſigni tum ingenio, tum penicillo extra eccleſiam ſuam in via publica erexerunt, ſeraphicis in Deum ac divum Nonnoſum ardoribus nemini ſecundi. De ſpectantis populi multitudine aliquid repetere ſupervacaneum eſt.

D

E

ubi ritu ſolenni Miſſam cantat.

52 Reportatis in cathedralem baſilicam, atque in ara maxima repoſitis ſacris divi Nonnoſi pignoribus, decantatæ fuere Ambroſianæ laudes inſigni vocum & inſtrumentorum varietate, buccinarum præcipuè tympanorumque, ac bombardarum fragore, minorumque ſcloporum repetito murmure ſæpiùs lætiſſimè interſtrepente. Mox ſuggeſtum conſcendit reverendiſſimus D. Quirinus, Tegernſeenſium abbas, rocchetto, ut vocant, & pretioſa cruce pectorali è collo pendente exornatus, qui, ut divum Nonnoſum ipſi beatiſſimo Benedicto exæquaret, copioſum ſermonem habuit. Subjunxit Officium ſummum, inter innumera ferè aliorum ſacerdotum Sacrificia, ipſe reverendiſſimus Friſingenſium hierarcha, aſſiſtentibus ex ſacro Ordine noſtro octo præſulibus, mitras ſacro vertice geſtantibus: turmis verò civium gratulationes ſuas iterata ſclopetorum exoneratione, & machinarum ænearum fremitu intermiſcentibus non ſine fertili lacrymarum gaudio ſpectantis populi, qui ſolatio plus quàm terreſtri ſeſe diffluere, nec volebat, nec ſi voluiſſet, diffiteri poterat. Fine tantæ illius diei feſtivitati in cathedrali eccleſia impoſito, ad aulam epiſcopalem celſiſſimus inter novos tormentorum curulium & ſclopetorum applauſus rediit, ibique trecentos circiter honoratiſſimos hoſpites (quos inter duodecim mitrata capita eminebant) convivio lautiſſimo adhibuit. *Hactenus Meichelbeckius.*

F

§ VI.

AUCTORE J. S.

§ VI. Reliqua ad prædictam tranſlationem ſpectantia : varia in laudem Sancti impreſſa : reliquiæ variis donatæ : quædam jam olim ſervatæ Bambergæ ; Miracula edenda.

Octiduana feſtivitas tranſlationis, ac varia in laudem Sancti typis edita :

Hæc tranſlationis feſtivitas, quam ex Meichelbeckio dedimus, per octo dies ſolemniter continuata fuit, dlio quotidie oratore in laudem S. Nonnoſi *è cathedra diſſerente, uti videri poteſt apud laudatum ſcriptorem, qui omnia conſpexit, fuséque enarravit : in hiſce enim, cùm ad inſtitutum noſtrum minùs ſpectent, nolim eſſe prolixior. De variis Opuſculis ea occaſione ad laudem Sancti impreſſis ſic habet pag.* 448 : Panegyres, intra hoc octiduum tranſlationis S. Nonnoſi in eccleſia cathedrali facundiſſimè dictas, uti etiam univerſam octiduanam feſtivitatem deinceps P. Benedictus Eberſchwang, profeſſus ad Cellas Marianas inferioris Bavariæ, & celſiſſimi principis noſtri pater domeſticus atque conſiliarius eccleſiaſticus, pro æviterna rei memoria typorum beneficio in publicam lucem protulit : qui ipſe eodem octiduo alium quemdam propriæ induſtriæ ſuæ partum, S. NONNOSUS REDIVIVUS dictum, publicaverat ; in quo ex Italicis æquè ac Latinis autographis redivivi cultûs divi Nonnoſi mirabilis per Italiam & Germaniam facta propagatio eruditè ſolidéque demonſtratur. E profeſſoribus noſtris Friſingenſibus eodem tempore P. Georgius Zöde Benedictoburanus, poëſeos profeſſor, prælo & omnium oculis ſubjecit aliud Opuſculum, cui titulum præfixit : OCCULTUM FRISINGÆ PRÆSIDIUM, TANDEM POST ALIQUOT SECULA MANIFESTATUM : in quo præclaro ingenio, & jucundo ſex metrorum certamine divi Nonnoſi eouſque non agnita beneficia, urbi Friſingenſi præſtita, ſuaviſſimè cecinit, ingentem ſibi laudem inter melioris venæ poëtas magno ſuo merito conſecutus. *Omnia illa Opuſcula ad me humaniter tranſmiſſa fuerunt per R. P. Mauritium Chardon, magnoque fuiſſent auxilio, niſi habuiſſem fontes ipſos, ex quibus illi ſcriptores hauſerunt, fonteſque rivulis præferendos judicâſſem.*

B

C

corpus ubi nunc reconditum, miracula quotannis promulgari ſolita :

54 *De fine prædictæ tranſlationis hæc ſcribit Meichelbeckius pag.* 448 : Sanè reliquiæ divi Nonnoſi, finita illa octiduana feſtivitate, relatæ fuerunt ad aram propriam, in hypogæo cathedralis eccleſiæ venuſtè præparatam, ubi, ſicut deinceps cultores habuerunt, & etiamnum habent plurimos, ita etiamnum diſpenſant beneficia & plurima & ingentia, quæ non ſolùm accuratè ſolent conſcribi à miniſtris cathedralis eccleſiæ, verùm etiam recurrente quotannis Divi feſto ad augendam fidelium devotionem è ſuggeſtu promulgantur. Porrò annua inventionis divi Nonnoſi memoria die XXVII Januarii annis ſingulis ad ſuprà dictam aram Officio (quod ab uno celebrante, & duobus aſſiſtentibus Benedictinis cantari ſolet) accinente muſica aulica, recoli ſolet. *De loco, ubi ſacer theſaurus eſt depoſitus, ita in Collectione laudata ad me ſcripſit reverendiſſimus abbas Ildefonſus :* Sacrum corpus D. Nonnoſi conditum eſt in eccleſiæ cathedralis Friſingenſis crypta meridiem verſus, ubi in aræ ſummitate imago Sancti, radiis deauratis circumcincta, ſpectabilis eſt. Infra eam caput, ſeu calvariam, publico cultui expoſitam in capſa, vitro pellucido obducta, duo angeli ſuſtinent. Ponè legitur hæc inſcriptio : " In honorem S. Nonnoſi, hujus eccleſiæ Friſingenſis patroni, ſolemnis ſacrorum ſuorum ad quingentos & quadraginta ſeptem annos latentium, anno Domini MDCCVIII, die XXVII Januarii, gloriosè inventorum oſſium tranſlatio ". *De loco inventi corporis hæc ſubdit :* Paucis hinc ab ara pedibus ad murum ſtat arcus ille, quem perreptantibus ſalubrem diximus *(de quo ſuprà num.* 39.) Et quoniam ſuprema in ejus parte, in modum tumbæ compoſita, nobiliores Divi reliquiæ conduntur, memoriæ causâ marmori hæc in fronte verba inciſa ſunt : " Tumba, ubi potior pars corporis S. Nonnoſi annis D XLVII delituit, modò inſignis reliquia impoſita Ao. MDCCIX ". Cæterùm ſuſpenſa paſſim anathemata etiam pretioſa ſatis indicant, quo loco ſupplices & olim habuerint, & hodiedum habeant B. Nonnoſi patrocinium.

D

E

oſſa inventa cum cognitis antè collata : dubium eſt, an pars inventa latuerit

55 *Meichelbeckius pag.* 448 *quamdam ſibi format objectionem, eique reſpondet hiſce verbis :* Nolim hìc diſſimulare, fuiſſe aliquos, qui credebant, reliquias divi Nonnoſi ab anno MCLXI uſque ad annum MDCCVIII omnibus fuiſſe incognitas. Verùm eam aſſertionem dubiam nobis facit Joannes Freibergerus Friſingenſis canonicus, quando ſcribit, Philippum, ordine quadrageſimum ſeptimum epiſcopum Friſingenſem, decreviſſe deinceps S. Nonnoſi lipſana ſplendidiori cultu exornare : ex quo apertè conſtat, Philippum & ejus ævi viros aliquam de reliquiis illius notitiam habuiſſe. Verùm, utut hæc ſibi contraria eſſe videantur, conciliari tamen facilè poſſunt. Erant ſeorſum poſitæ quædam è divi Nonnoſi corpore partes, & aſſervabantur in ſacrario cum oſſibus SS. Alexandri & Juſtini. De his omnino conſtabat Philippo, imò etiam poſteris, uti certum eſt. Reliqua verò oſſa, numero abſque comparatione majora ac digniora, quæ in ſuprà memorata arcula celſiſſimus Joannes Franciſcus feliciſſimè invenit, omnino erant incognita. Collatæ fuere partes, quæ extra tumbam erant in ſacrario, cum iis, quæ in tumba fuerant depoſitæ : & ſtatim intellexit medicus, utraſque ad unum corpus pertinere ; ideoque portionem quidem minorem eouſque fuiſſe cognitam, majorem verò reliquiarum partem eouſque fuiſſe theſaurum abſconditum.

F

multis ſeculis, atque hoc minùs eſt veriſimile, cùm deinde ejus memoria excidere potuerit :

56 *Hæc quidem verba clarè oſtendunt, utramque reliquiarum partem eſſe* S. Nonnoſi ; *atque etiam evincunt, Freibergerum loqui potuiſſe de minori parte, quæ ſemper fuit cognita. Attamen, cùm nequeat probari, à quo tempore perierit memoria depoſiti in crypta corporis, cúmque hæc ignorantia æquè potuerit initium habere poſt tempora Philippi antiſtitis, qui floruit ſub initium ſeculi* XVI, *incertum manet, quanto tempore inventa pars corporis latuerit abſcondita, præſertim cùm Freibergerus eodem tempore cum Philippo vixerit, & ſub ejuſdem epiſcopatu Opuſculum ſuum ediderit, adeoque duo ferè ſecula poſt ipſum effluxerint ante inventionem. Sanè non crediderim theſaurum illum latuiſſe à tempore, quo in crypta fuerat depoſitus ; aut brevì pòſt latêre cœpiſſe. At magis ſuſpicor, abiiſſe in oblivionem poſt exortos Lutheranos & Calviniſtas, quorum metu primùm*

A *mùm celari potuit, ne pateret direptioni, ſi quando Friſingæ prævalerent hæretici. Celatus autem & paucis cognitus theſaurus quandoque omnino oblivioni traditur, quòd illi, qui ſoli theſaurum norunt, ſubinde caſu quodam illius cognitionem non tranſmittant ad poſteros. Hæc mea conjectura nititur facto antè narrato, quòd æditui* die 2 Septembris tempore divini officii lychnos duos cum cereis ardentibus reponere *in loco inventi corporis* ex antiquiſſima conſuetudine juberentur. *Non eſt dubium, quin id fieret in honorem* S. Nonnoſi; *nec etiam dubitari poteſt, quin tale mandatum ædituis datum ſit ab iis, qui noverant theſaurum, quique eumdem populo ipſiſque etiam ædituis volebant abſconditum, ut lateret ſecuriùs. Veriſimile autem mihi non apparet, conſuetudinem illam ædituorum, rei cauſam ignorantium, continuatam fuiſſe ad quinque ſecula & annos excurrentes, ſeu à depoſitione corporis in crypta: atque ideo nihilo veriſimilius eſt, reliquias tamdiu latuiſſe. Quin potiùs crediderim celari cœptas poſt tempora Philippi antiſtitis, atque hac occaſione paulatim ob-*

B *livioni traditas, ſic tamen ut locus venerationi eſſet populo & conſuetudo accendendi cereos uſque ad inventionem perſeveraverit.*

recognitæ reliquiæ & enumeratæ: particulæ quædam aliis datæ.

57 *Quidquid autem de hiſce ſit verius, quod lectoris judicio libenter permitto, celſiſſimus princeps & antiſtes inventas reliquias per anatomiæ peritos recognoſci juſſit & enumerari, quemadmodum docet inſtrumentum Germanicè editum in* Nonnoſo redivivo *pag. 32 & ſequentibus, ubi legitur catalogus amplus reliquiarum* S. Nonnoſi, *quæ ſervantur Friſingæ, non modò recenter inventarum, ſed earum ſimul, quæ ſeorſum ſervabantur in ſacrario. Porrò ex hiſce varias particulas hoſpitibus ſuis donavit laudatus princeps, uti in dicto inſtrumento legitur. De hiſce etiam Meichelbeckius pag.* 447 *ſic habet:* Porrò utut finem hodie (IX *Septembris*) habuerit omnibus apud Friſingenſes memoranda ſæculis octiduana feſtivitas, nondum tamen hoſpites ſuos dimiſit clementiſſimus princeps, ſed ſequenti primùm die abeundi copiam fecit reverendiſſimis DD. abbatibus, cùm priùs ſingulis quaſdam è divi Nonnoſi ſacris lipſanis particulas donaſſet. *Anno* 1724 *idem Friſingenſium princeps accepit à principe Fuldenſi partem reliquiarum S. Bonifacii epiſcopi Moguntini, teſte Meichelbeckio pag.* 478, *ubi mox ſubjungit:* Ut gratas vices celſiſſimo Fuldenſi rependeret epiſcopus noſter, paulò pòſt aliquid ex oſſibus ſanctorum Corbiniani & Nonnoſi Fuldam tranſmiſit.

C

Reliquiæ & feſtivitas Bambergæ in monaſterio S. Michaëlis:

58 *Bambergæ jam olim ante poſtremam corporis inventionem oſtenſæ fuerunt* S. Nonnoſi *reliquiæ in eccleſia, ſeu ſacrario monaſterii S. Michaëlis. Certè Papebrochius noſter in Itinere Romano Ms. pag.* 69 *inter reliquias laudatæ abbatiæ, quas ſibi oſtenſas teſtatur, recenſet caput* S. Nonnoſi. *Hoc tamen difficulter componere poſſum cum catalogo reliquiarum Friſingenſium* S. Nonnoſi, *cùm ibidem totum caput dicatur Friſingæ inventum. Caſtellanus in Martyrologio univerſali* S. Nonnoſum *annuntiat ad* XIX *Auguſti, aitque eum Bambergæ præcipuo cultu honorari. Ad eumdem diem apud nos in Prætermiſſis hæc leguntur:* S. Nonnoſus abbas ſeu præpoſitus monaſterii in monte Soracte annuntiatur à Caſtellano & in chartis noſtris, ut qui Bambergæ ob notabiles reliquias XIX Auguſti ſolenniter colatur *&c. Sollerius, qui hæc ſcripſit, per chartas noſtras hîc deſignat Indicem Sanctorum Bollandi, qui notavit ex Mss. Kalendariis Benedictinis, Sanctum coli in monaſterio Bambergenſi S. Michaëlis, ibique haberi reliquias. Crediderim die* XIX *Auguſti tranſlatas ad monaſterium S. Michaëlis dictas reliquias, atque ideo cultum Sancti eidem affixum. Certè in variis Kalendariis Benedictinis Mss. illo die annuntiatum inveni. Ceterùm nolim hîc inquirere, à quo tempore abbatia S. Michaëlis dictas* S. Nonnoſi *reliquias poſſederit: nam potuit illas accipere eodem tempore, quo corpus Friſingam tranſlatum eſt, aut deinde poſt primam illius inventionem, ſed de hiſce nihil certi ſtatuere poſſum. Nihilo magis affirmare auſim, ſine pars capitis, aut alia pars corporis, quam poſſident.*

AUCTORE J. S.

Miracula edenda partim impreſſa Germanicè, partim manuſcripta;

59 *Priuſquam huic Commentario finem imponam, pauca ſuperſunt dicenda de miraculis mox edendis, quæ facta ſunt poſt ultimam corporis tranſlationem. Priora, ſeu facta duobus primis à tranſlatione annis, enarrata ſunt in libello Germanico ſub titulo longiori, quem ſic contractum Latinè reddo:* Beneficia S. Nonnoſi, cathedralis eccleſiæ Friſingenſis patroni, quæ à tempore tranſlationis, ſeu ab anno MDCCIX uſque ad 2 Septembris præſentis anni MDCCXI contigerunt. *Hunc libellum Latinitate donavit quidam è noſtris Germanus, ex cujus interpretatione eumdem edam primo loco. Poſt hanc collectionem ſequentur alia beneficia necdum edita, quæ tranſmiſſa mihi ſunt, hoc præfixo titulo:* Varia beneficia S. Nonnoſi clientibus præſtita, præſertim per oleum lampadis, ad ipſius aram pendentis, ex ipſamet confeſſione ipſorum relata, ab anno MDCCXI uſque ad annum MDCCXLIV. *Hæc ex Ms. Germanico Latina fecit R. P. Mauritius Chardon, rector collegii noſtri Conſtantienſis, jam antè ſæpe laudatus, qui eadem cum reliquis monumentis Friſingenſibus tranſmiſit.*

E

aliud iis non additum.

60 *Reverendiſſimus dominus Ildefonſus, abbas Weihenſtephanenſis, qui omnia illa humaniſſimè communicavit, ſub finem Collectionis ſuæ aliud enarrat, ſic ſcribens:* Interim, cùm multa, quorum publica ſuperſunt teſtimonia, dicto hoc libello non contineantur, hoc præſertim attexere operæ pretium eſt viſum. Reverendiſſimus dominus Antonius de Fraporta, ſacri Romani imperii eques, canonicus eccleſiæ cathedralis Friſingenſis, juris utriuſque doctor, & adhuc in placido ſenio ſuperſtes, quondam ex Tyroli redux, hîc, ubi Iſara (torrens eſt ex Alpibus Tyrolenſibus in Bavariam excurrens) jam navium eſt patiens, iter ſuum Friſingam rate vectus relegit, ſed cum præſentiſſimo vitæ periculo, conclamata etiam ſalute, niſi Divum noſtrum, jam ſæpè ſæpiùs ſubmergendus, cum fiducia invocâſſet. Cernimus in crypta prope aram, ut appellant, tabellam votivam, cujus hæc ſubſcriptio in Vernacula. *In inſcriptione, quam non eſt neceſſe totam exprimere, res contigiſſe dicitur anno* 1718, *die* VIII *Aprilis, prope Monachium, ubi alliſione ratis ad murum excuſſus in Iſaram, interceſſione* S. Nonnoſi *incolumis fuit ſervatus, etiamſi modò aquâ eminens, modò merſus, ad mille facilè paſſus flumine fuerit avectus. Ita inſcriptio paulo latiùs. Nunc reliqua miracula, annotatis illuſtrata, ſubjungo.*

F

EX IMPRESSIS GERMAN.

MIRACULA

Germanicè impreſſa anno MDCCXI, & Latinè reddita.

Interprete aliquo è Societate Jeſu.

PRÆFATIO.

Auctor nec vitæ nec tranſlationis hiſtoriam ſcribit, ſed Miracula, B

QUoniam non ita pridem, & tantùm abhinc annis duobus, tam miraculorum plena Vita, quàm deſcriptio felicitſimæ inventionis, & magnificentiſſimè celebrati feſti tranſlationis glorioſi ſanctique abbatis Nonnoſi, hujus illuſtriſſimi collegii cathedralis Friſingenſis magni patroni tutelaris, cùm in octo Orationibus panegyricis, tempore ſolemnis Octavæ eleganter habitis, tum etiam ſpeciali libello (cui titulus NONNOSUS REDIVIVUS) ad ſatisfactionem cum omnibus circumſtantiis publicis typis mandata eſt; ſupervacaneum judicatur in hoc præſenti libello mentionem de his facere. Verùm unicus ſcopus & finis eſt in hoc inſtituto exiguum quidpiam ex noſtro veteri & recenter invento gratiarum theſauro de glorioſo abbate Nonnoſo adjungere, quid nempe ab illo tempore per ipſum factum fuerit, quámque auxiliarem & thaumaturgum ſe omnibus ſanctus pater Nonnoſus potenti ſuo patrocinio, & immenſarum gratiarum diſtributione præbuerit; ubi nempe divinæ providentiæ placuit eum poſt tot ſæcula, quibus extra omnium hominum memoriam *a* delituit, rurſus mira & feliciſſima inventione, quæ per celſiſſimum ac reverendiſſimum dominum Joannem Franciſcum, ſacri Romani imperii principem, & epiſcopum Friſingenſem, clementiſſimum dominum noſtrum, facta eſt, ſummo ſolatio & maximo gaudio non modò hujus illuſtriſſimæ urbis Friſingenſis, ſed & uniuſcujuſque in lucem proferre.

C

Jaltem aliqua ex iis, quæ non modò Friſingæ, ſed aliis etiam locis, fiunt magno numero,

2 Et profectò videtur potentiſſimus Deus in compenſationem hujus diuturnæ oblivionis jam adeò varia & publica veneratione in ſuo ſancto ſervo Nonnoſo verè glorificari velle; cùm pro ſufficientibus teſtimoniis ſint magna illa beneficia, quæ tam juvenes quàm ſenes, & tum nobilioris tum infimæ conditionis perſonæ, in ſuis internis externiſque gravibus ærumnis atque acerbis afflictionibus quotidie per potentiſſimam interceſſionem mirifici ſancti patris Nonnoſi conſequuntur. Quæ quidem non omnia, ſed tantùm ex illis aliqua hoc parvo Opuſculo ideo comprehenſa ſunt, ut honor & inclytum nomen mirabilium patratoris ſancti Nonnoſi magis divulgetur, atque ita unicuique pateat, quantum omnipotens Deus hiſce afflictis temporibus toti Friſingæ gratiarum theſaurum, & quàm potentem Patronum tutelarem rurſus donaverit. Verum enim verò magnus noſter mirabiliſque pater Nonnoſus ſe præbet ut ſplendidiſſimum ſolem, qui gratiarum radios non modò ſibi non reſervat, nec Friſingam modò ſolam iis illuſtrat, ſed illos mirabiliter quaquaverſum diſpergit, neque alicui opem ſuam negat, quiſcumque demum in qualibet neceſſitate vera cum fiducia ad eum confugiat. D

3 Ubi inſuper quàm breviſſimè obſervandum, quomodo quidem S. Nonnoſus variis modis ſuam gratioſam opem afflictis filiis hominum impertiri ſoleat, & modò oblatione cereæ imaginis, vel promiſſione anathematis, vel aliàs obſervatione certæ alicujus devotionis, & vel præcipuè perreptando in cryptam ad ejus lapideum ſarcophagum, ubi quidem abſconditus mirabiliter ſemper operatus eſt, & quomodocumque demum devotio & internus inſtinctus ad quærendam opem unicuique anſam præbeat: vult tamen potiſſimùm maxima ſua beneficia in oleo, quod perpetuò ante altare ſuum in lampade ardet, præſtare; quemadmodum ejus uſum tot afflicti in periculoſiſſimis calamitatibus ſuis quotidie ſatis ſuperque experiuntur: & videtur propterea ad ſpeciale ſignum magnæ ſuæ liberalitatis & paternæ miſericordiæ ramum olivæ manibus tenere *b*. Quod nobis magnum illud miraculum indicat, quod in monte Soracte patravit, ubi, deficiente omni oleo, paucis tantùm expreſſis olivis, omnia vaſa in toto cœnobio replevit. E

maximè per oleum lampadis, ante Sancti altare ardentis,

4 Imò poſtquam anno MDCLXIII, facta petitione, una particula benedicti corporis ſancti Nonnoſi Friſingâ Romam tranſmiſſa eſt, & inde poſteà inſtituta adeo magnifica ſupplicatione, ut ingentem ejus pompam nullus calamus ſatis poſſit deſcribere, in montem Soractem, ubi ſanctus Nonnoſus in ſumma ſanctitate Deo ſuo ſervivit, tranſlata eſt; ſanctus abbas Nonnoſus ibi, & multis aliis in locis urbibuſque, in quibus ad ipſius honorem erecta erant altaria, & ubique, ut ante illa oleum in lampade arderet, curabatur; omnia ferè & maxima miracula per uſum olei, atque etiam vi potentis ſuæ interceſſionis patravit atque largitus eſt. Quoniam igitur maximus Deus magnum ſuum ſervum Nonnoſum præcipuè virtute olei, veluti unius ei propriè attributi ſigni ſuæ auxiliatricis liberalitatis, erga ſuos devotos amatores vult glorificare, pauca hæc allegata erunt omnibus & cuilibet documento, ut in omni eventu & occurrentibus doloribus confugiant cum fiducia ad noſtrum ſanctum patrem Nonnoſum, & indubitatam opem per uſum ejus miraculoſi olei quærant, ut omnipotens Deus in ſuo magno ſervo, & auxiliari patre Nonnoſo magis etiam laudetur & celebretur. F

cujus uſus commendatur.

ANNOTATA.

a *Non vult auctor indicare, memoriam* S. Nonnoſi *nullam fuiſſe apud Friſingenſes ante inventionem corporis; neque enim ignorabat Sancti feſtivitatem ſingulis annis conſtanter fuiſſe celebratam, & quamdam reliquiarum partem eodem tempore in populi veneratione fuiſſe. At ſolùm ſignificat, præcipuam corporis partem latuiſſe incognitam. Incertum eſſe, à quo tempore hæc prorſus fuerit incognita, obſervavi ſupra num.* 56.

b *Loquitur de picta aut excuſa Sancti imagine, quæ ſiniſtrâ tenet ramum olivæ.*

MONITIO AD LECTOREM

Docet auctor, cur omnia beneficia non

CIrca hîc annotata beneficia obſervandum eſt, quòd illa abſque dubio meliori ordine ſcriptis mandari potuiſſent: at quoniam initio frequen-

A frequentia accepta beneficia planè non fuerunt indicata ; ſed tantùm ſenſim perſonæ eò fuerunt deductæ, ut ea ad majorem gloriam ſancti Nonnoſi annotari curarent : idcirco hoc commodè fieri non potuit, & vel propterea non omnia beneficia referri potuerunt : quòd tamen impoſterum, cùm jam beneficia, patrocinio S. Nonnoſi præſtita, plerumque è publico ſuggeſtu promulgentur, omni cura obſervabitur. Porrò, quamvis deceret ad debitam teſtificationem grati animi de acceptis beneficiis, ut quilibet, qui à S. Nonnoſo beneficium aliquod obtinet, nomen ſuum indicaret ; ſufficiet tamen, ſi talis perſona gravibus de cauſis, & fortè ob latentem aliquam difficultatem, celato nomine, ſaltem ſcripto aut verbo acceptum beneficium notum faciat.

potuerint ordine narrari, aut omnino etiam referri:

6 Benevolus lector etiam inveniet, quòd aliqua inter appoſita beneficia (quamvis hoc de pluribus fieri potuiſſet, vel fortè factum fuiſſet, ſi tempus & circumſtantiæ permiſiſſent) quæ ſanctus Nonnoſus ope & interceſſione ſua largitus eſt, ad ejuſdem honorem & gloriam, tum etiam ad majorem fidem & fiduciam Chriſti fidelium, vi ordinariæ examinationis & juratæ dictionis teſtium approbata huic libello inſerta ſint, quod exiguum dilecto lectori erit pro monito. Ipſe verò interim magnam Dei providentiam, quam in ejus glorioſo ſervo Nonnoſo mirè experimur, humillimè adoret ſeque magnorum beneficiorum, quæ ſuis omni tempore thaumaturgus pater S. Nonnoſus in omnibus neceſſitatibus impertitur, continua veneratione participem faciat.

aliqua ex relatis authenticè probata.

B

CAPUT I.

Beneficia anno 1709 *variis perſonis collata.*

MIRAC. I. *Eremita perreptans ſpeluncam ſepulcri è gravibus lumborum doloribus reſtitutus: a*

C ANno MDCCIX Reverendus Fr. Henricus Maerckl eremita in Viſchbachau *a* ad locum Maria Pirckſtein vulgò dictum, propè Tirolim, prima Septembris, nempe pridie ſubſequentis magnificentiſſimi feſti tranſlationis S. Nonnoſi, Friſingam advenit. At per totam illam noctem (nequidem ſciens, quas ob cauſas) & ſequenti die, tam magnos & intolerabiles dolores in lumbis ſuis ſenſit, ut ei impoſſibile eſſet, quamvis maximum ejus fuerit deſiderium, magnæ ſupplicationi intereſſe : tamen conſiderato ſuo longinquo itinere, & ex ardenti fervore in mirabiliſſimum S. Patrem Nonnoſum, omnes ſuas vires adhibendo, tandem gravi cum labore in perilluſtrem eccleſiam cathedralem ad altare S. Nonnoſi venit, ubi ſummis cum difficultatibus & multis anguſtiis vix ad unum ſacrum Miſſæ ſacrificium perdurare potuit. Et cùm jam in hoc gratiarum loco, novæque feſtivitatis die, ante reliquias S. Nonnoſi, debilibus genibus flexis, ferventes preces funderet, excitat firmam fiduciam, impendit omnes vires, confert ſe ad lapideam ſpeluncam, per quam repere ſolebant, & in quâ tot ſæculis ſine ulla notitia ſacrum corpus abbatis Nonnoſi delituit, eamque ſumma cum devotione perrepit. Poſtquam hoc factum eſt, eum etiam omnis dolor extemplò deſeruit, ut toto corpore ſanus iter ſuum rurſus domum inſtituere potuerit.

EX IMPRESSIS GERMAN. II.

8 Nobilis & pia domina Maria Catharina Renothin, conjux ejus, qui hîc celſiſſimo principi à cubiculis eſt, teſtatur ſe longo tempore perpetuò accreſcente hydrope quàm periculoſiſſimè affectam fuiſſe : &, poſtquam hinc inde variis remediis & medicamentis uſa fuiſſet, nullum tamen in melius verſæ ſanitatis effectum ſubſecutum ; ac tandem die IX Octobris ſpem in thaumaturgo ſancto Nonnoſo poſuiſſe, emiſſoque voto deſideratam ſanitatem impetraviſſe.

voto mulier nobilis ex hydrope ſanata,

III. 9 Eruditus dominus Benno Seitz, celeberrimæ eccleſiæ collegiatæ S. Andreæ hîc cantor & ludimagiſter, propter miſerrimum ſtatum & periculoſos corporis defectus, aſſiduè prægrandes dolores paſſus eſt, & quoniam omnia adhibita humana remedia fruſtra erant, nec iis dolores mitigabantur, IX Octobris, emiſſo voto, ad magnum S. patrem Nonnoſum confugit, à quo etiam quàm mox exauditus fuit, & intolerabili dolore liberatus.

alius ex gravibus doloribus corporis,

IV. 10 Reverendus admodùm dominus Franciſcus Dur patiebatur tantos dolores capitis, ut ſibi videretur propter vehementem ægritudinem ferè mentis impos fieri. Quæcumque demum remedia adhiberet, nulla mitigabant dolores. Tandem internè incitabatur, ut ſpem ſuam in mirifico S. Nonnoſo poneret, quod XII Octobris fecit, votum vovit, & poſtea ſubitò furioſis capitis doloribus liberatus fuit.

alius ex capitis doloribus,

E

V. 11 Laurentius Millbaur ex Niderleern in inferiori Bavaria notum facit, ſe diu vehementem cordis dolorem pertuliſſe ; unde tandem lecto affixus eſt, & in graviſſimum morbum incidit. Deinde, quoniam, adhibitis multis remediis, quæ omnia non profuerunt, ignorabat, quò ſe verteret, ei incidit, quòd haud ita pridem de magno mirificoque S. Nonnoſo audiverat. Animum igitur quàm primùm erigit ac vovet XXV Octobris huic Sancto unum Miſſæ ſacrificium. Ab eo tempore omnis dolor cordis deſiit, & feliciſſimè priſtinam valetudinem recuperavit.

alius ex gravi morbo.

VI. 12 Maria Mechtild magno in metu verſabatur propter tumorem aliquem, qui ipſius pectori accreverat : & quoniam ille veluti vorax cancer ex uno loco corporis in alium ſe extenderat, præ anxietate neſciebat, quid ageret. Cùm autem tanta de mirabili oleo, quod perpetuò in lampade ante altare S. Nonnoſi ardet, audiverat, votum concipit, tendit XXVIII Octobris cum fiducia ad eccleſiam cathedralem, oleum petit ex prædicta lampade, & poſtquam hoc obtinuerat, & poſteà domi afflictam partem perunxerat, cum dolore omnis tumor evanuit.

Oleo lampadis uncta mulier, liberatur adnato pectori tumore,

F

VII. 13 Nicolaus Hupfauer, opilio hîc Friſingæ, aliàs natus in Taufkirchen *b*, fatetur pariter ſumma grati animi ſignificatione benignam opem S. patris Nonnoſi. Quippe planè ex inſperato manui ipſius accreverat tumor magnitudine ovi columbini, qui ei non modò magnos dolores creabat, ſed etiam laborem ejus quotidianum impediebat : cùmque uſu naturalium remediorum talem tumorem unà cum dolore non poſſet avertere, votum facit magno tutelari patrono S. Nonnoſo, petit parùm olei ex ejus lampade, illinit eo tumorem : & hic ſtatim unà cum dolore evaneſcit.

alius tumore ac dolore manûs, b

VIII. 14 Reverendus admodùm ac pius dominus Philippus Hermannus Schabberger, juris utriuſque licentiatus & paſtor in Vilsheim *c*, proprio chirographo fatetur, quòd fortè digitum indicem ſiniſtræ manus parvi pendenda & valde exi-

alius periculoſo carbunculo digitum corrodente,

EX IMPRESSIS GERMAN.

gua Phagedæna *d* invaſerit. Ut eam diſpelleret, unum alterumve malagma applicuit, quæ tamen memoratæ Phagedænæ nullo modo mederi potuerunt: ſed ex eâ ingentis magnitudinis virulentus anthrax, ut vocatur, vel ſecundum relationem chirurgorum perfectus evaſit carbunculus *e*, qui non modò digitum illum totum peredit, totamque manum magno cum ardore tumefecit; verùm etiam totum brachium inexplicabilibus cum doloribus inflammavit, ut etiam medicus ad eum vocatus, etſi optima remedia & maximâ diligentiâ impenderet, domino ægro non aliam ſpem ſanationis dare potuerit, quàm quòd in talibus circumſtantiis neceſſariò contractio digiti & nullus ejus uſus ſubſequi deberet. Cùm igitur præfatus D. paſtor videret, in remediis humanis nullam ſpem eſſe; ad ſacra ſe convertit. Animo afflicto occurrit præ omnibus Friſinga, ut illic in magno thaumaturgo S. Nonnoſo ſpem ſuam collocaret, quod etiam quàm mox ſumma cum fiducia fecit, promittens, ſi hoc periculoſo ſtatu liberaretur, Friſingam ſe profecturum, ibique præterquam quod uſurpaturus eſſet ſacra myſteria, ſe ſancto abbati Nonnoſo in debitam grati animi ſignificationem, votivum Sacrum oblaturum. Ecce autem rem miram. Breviſſimo tempore evanuit unà cum periculo omnis dolor, ita ut digitus, ferè omnino deſperatus & perditus, iterum planè rectus, & ut antè, ad uſum idoneus fieret. Pro hac maxima gratia & beneficio, præter debitam gratiarum actionem, dominus paſtor hodie XXVIII Novembris ad altare S. Nonnoſi votum ſuum implevit.

d *Ulceris ſpecies eſt, quæ carnes exedit.*

e Antrax & carbunculus *idem eſt, ſed prior vox Græca eſt, altera Latina. Gorraus in Definitionibus medicis ad vocem* Ἄνθραξ *malum hoc ita exponit:* Carbunculus eſt ulcus cruttoſum à ſanguine in atram bilem converſo & inferveſcente excitatum, & à puſtula ambuſtis conſimili, vel ſine hac etiam incipiens. Inter initia qui hoc malo laborant, particulam omnino ſcabunt: unde puſtulæ nunc plures nunc una erumpunt, milii ſeminis modo exiles, quibus ruptis cruſta ſuperinducitur, velut à candenti ferro modò cinerea, interdum nigra, ſimulque cum ima radice adhærens & quoddammodo affixa, non ſine roſione. Reliqua autem caro circumpoſita magno fervore prædita eſt & nigreſcit, atque inſtar bituminis & picis reſplendet: id quod exquiſitè atræ bilis indicium eſt. Febris longè vehementior, quàm ab igne ſacro excitatur. *Hæc mali gravitatem abunde indicant. Plura tamen ſubdit auctor, explicans, quo modo vicinas corporis partes inficiat, uti hîc mox ſequitur.*

IX. *ac mulier periculoſo vomitu poſt partum relicto.*

15 Honeſta & lectiſſima femina Maria Thereſia Penckmayr, civis & mercatrix ferri Friſingæ, etiam in maximo mortis periculo benignam opem ſancti patris Nonnoſi experta eſt: nam dum XX Septembris partûs doloribus cruciata fuerat, & filium maſculum in lucem ediderat, paulo pòſt adeo lethalibus debilitatibus affecta fuit, ut propter aſſiduum & continuum vomitum non videretur fieri poſſe, ut longiorem vitæ moram obtineret. Non deſiit quidem Dominus medicus, eò vocatus, omnia idonea remedia præſcribere: at quoniam debilitatam naturam vires omnes defecerant, nullum illorum quidquam profuit, aut ſpem aliquam attulit fanationis. Quare omni temporali auxilio deſtituta, firmam concipit fiduciam de S. Nonnoſo; & vovet, ſi ex hoc ſupremo mortis periculo ipſius interceſſione liberaretur, ſe curaturam Sacrum votivum in ipſius honorem celebrandum, & ceream imaginem B. Virginis ſuper ipſius altare poſituram. Vix ex corde afflicta votum nuncupaverat, cùm quilibet præſentes ſummo cum ſtupore viderunt unico momento periculoſum & lethalem illum vomitum deſinere, ad mortem uſque debilitatam naturam de hora in horam ſe confirmare, & exiguo tempore omnem ſanitatem redire. Pro qua magna gratia & viſibili ope ſtatim Sacrum in debitam gratiarum actionem S. Nonnoſo perſolvi juſſit.

ANNOTATA.

a Viſchpachau *aut* Viſchbachau *in tabulis Bavariæ apud Merianum notatur prope amnem,* Leitzna *dictum, non longè à limitibus comitatûs Tirolenſis inter Iſaram & OEnum. In tabulis recentioribus in vicinia dicti oppidi etiam notatur* Pücknſtain *Tyrolim verſus. An ille ſit locus* Maria Pirckſtein *Germanicè vocatus, an alius in ipſo oppido Viſchpachau, noverint incolæ.*

b *Oppidum eſt quinque aut ſex milliaribus Friſingâ diſſitum ad amnem Quintanicam, quem* Vils *hodiedum nominant Germani.*

c *Oppidum eſt ad aliud brachium ejuſdem fluvii* Vils, *à quo nomen accepit.*

CAPUT II.

Beneficia & miracula anni 1710.

X. *Voto ſanatur puella morti propinqua.*

DIe XXI Decembris *a* nobilis & generoſi Domini Joannis Udalrici Haid *b*, juris utriuſque doctoris, advocati & judicis hujus territorii, propè ſexennis puellula, Catharina nomine, ex convulſionibus præ dentium dolore in tantam incidit debilitatem, ut debilitato capite, & pallido vultu, rigentibus oculis, uti etiam jam rigeſcentibus membris, proximo mortis periculo expoſita eſſet, quemadmodum antea ſecundò propter ſimilem caſum, & inexpectatum malum unus alterve liberorum ipſius intra pauciſſimas horas vitam præmaturâ nimiùm morte finivit. Itaque præfatus dominus Haid, cùm hæc ingrueret afflictio, firmam fiduciam ſecundùm Deum de S. Nonnoſo, ad quem confugit, concepit, & ad obtinendam priſtinam valetudinem dilectæ filiæ, eam ipſi cum uno Sacro & duobus cereis devovit. Nuncupato voto, confeſtim filiam, cum morte jam luctantem, dolor deſeruit, atque eodem die priſtinæ ſanitati reſtituta eſt. Atque hæc ipſa (laus & gratiarum actio ſit Deo omnipotenti, ejuſque thaumaturgo S. Nonnoſo) ad hanc uſque horam ſine ullo ulteriori malo perpetua ſanitate fruitur. Tantum beneficium iteratò dictus dominus Haid, perſoluto voto, propriâ ſyngraphâ ſigillo munitâ x Januarii ſequentis anni MDCCX teſtatus eſt.

a

b

XI. *infans oleo lampadis liberatur viſûs amittendi periculo.*

17 Chriſtophorus Streicher ob dilectum puerum, qui ætatis erat octodecim hebdomadum, non exiguo dolore afficiebatur, quoniam maximum & periculoſum tumorem oculorum patiebatur, ita quidem, ut dilectus puer, cùm varia

A ria adhibita remedia non prodeſſent, in ſummo verſaretur viſûs amittendi diſcrimine. Quapropter in hac neceſſitate pater firmam concipit ſpem, & devovet filium ſuum mirabili S. Nonnoſo, etiam quàm mox eò tendit, & petit parùm olei ex lampade ante altare S. Nonnoſi ardente: & poſtquam eo poſtea ſui filii oculos devotè inunxerat, tumor ſubitò omnino evanuit. Magnum hoc beneficium parens cum debita gratiarum actione ad laudem & gloriam S. patris Nonnoſi XVI Januarii indicavit, & ſcriptis mandandum curavit.

XII. *ſenex animo deficiente ſic affectus, ut mortuo eſſet ſimilis,*

18 Pia mulier Magdalena Schnapper, hîc civis & coriarii conjux, ad majorem honorem ſancti abbatis Nonnoſi fatetur, quòd Melchior Schnapper, conjugis ſui pater, quando mane ex hac civitate ſanus exiverat, & montem propè eccleſiam collegiatam S. Viti aſcendere voluerat, ſubitò præter omnem ſpem lethale animi deliquium paſſus fuerit, atque ita quidem ut, adlito etiam balſamo, nullum vitæ ſignum in eo percipi potuerit. Interea, cùm occurrentes homines ignorarent, quid cum hoc ſene,

B in extremo mortis periculo verſante, facerent; præfatæ Magdalenæ Schnapper, quæ domi in puerperio erat, triſtis hic caſus nuntiatur. Hæc ſine ulla mora aliquos ſuorum domeſticorum extra urbem ablegavit, qui omni modo viderent, ut ſenem, licèt moribundum, ſaltem domum perferrent. Poſtquam hoc juſſerat, illa ipſa Magdalena Schnapper in ſubito hoc terrore mota interno inſtinctu, quàm mox omnem fiduciam ſuam in magno mirabilique viro S. Nonnoſo poſuit, votum vovit cum ferventi junctum oratione, ut potentiſſimâ ſuâ interceſſione, (ſi quidem voluntas Dei eſſet, præfatum Melchiorem Schnapper ex hac temporanea ad æternam vitam evocare) ad minimum tantum impetrare, & vitam tam diu producere vellet, donec extremis Sacramentis munitus domi naturæ debitum ſolvere poſſet. Interim in geſtatoria ſella cum morte luctans Schnapper per urbem ferebatur domum, & nullum dabat vitæ ſignum; neque etiam aliquod à circumſtantibus animadvertebatur: albidam ſpumam ore egerebat, & mortuo ſimilis erat.

C *alieno voto integram ſanitatem recipit:*

19 In tanta miſeria præfata Schnapper ardentes preces ſuas & invocationem ſumma cum fiducia iteratò unà cum voto renovabat, & benignam opem & patrocinium S. Nonnoſi enixiſſimè flagitabat, promittens ſe beneficium hoc è publica cathedra promulgandum curaturam. Audi nunc rem mirabilem. Ad tam ferventes preces ille quaſi vitæ expers Schnapper ſeſe ſubitò confirmat, atque incipit, præſentibus multis aliis, non ſine ſummo omnium ſtupore ſtatim loqui. Poſtea etiam ſine ulteriore dilatione ſummo cum dolore confeſſus eſt, & ſanctiſſimo Sacramento, tamquam extremo ſuo viatico, uti quiſque credebat, munitus eſt. Et quod magis mirandum: poſt mediam horam omninò ſe movere, & poſtmodum eodem die ad Veſperas,

c inter primam & ſecundam *c*, ſolus ſine adminiculo cujuſquam alterius cubitum ire potuit, & ita per potentiſſimam interceſſionem mirabiliſſimi S. Nonnoſi non ſolùm manifeſtæ morti ereptus eſt, ſed etiam valetudinem ſuam mirum in modum obtinuit. Hæc omnia per teſtes legitimos juratoſque examinata ſcriptiſque mandata ſunt. Tantum beneficium ipſa Magdalena Schnapper cum debita laude atque immenſa gratiarum actione ad honorem S. Nonnoſi, voto piè ſoluto, ex cathedra eccleſiæ cathedralis promulgari juſſit.

EX IMPRESSIS GERMAN. XIII. *equus voto domini repente ſanatus:*

20 Reverendiſſimus & illuſtriſſimus Chriſtophorus Henricus, liber baro de Sandizell, eccleſiæ cathedralis Friſingenſis canonicus, &c. habebat unum ex equis ſuis, cui uterque pes quàm maximè intumuerat, & poſtquam eis varia, aliàs uſu recepta, remedia ſine ullo effectu applicata fuerant, præfatus illuſtriſſimus dominus ſpem ſuam omnem in ſancto abbate Nonnoſo poſuit, & in ejus honorem ſacrum Miſſæ ſacrificium, atque argenteam tabulam votivam promiſit. Poſt hæc ſtatim eâdem nocte ſumma cum admiratione omnis tumor, qui periculoſus adeo apparebat, evanuit, & equus, qualis anteà fuerat, ſanus evaſit. Votum poſtea XXI Martii ad debitum Sancti honorem, & in gratiarum actionem, perſolutum eſt.

XIV. *oleo ſancti pulſa febris periculoſa,*

21 Illuſtriſſima nobiliſque femina, comes in Heimhauſen ſecundum Deum ſoli thaumaturgo patri S. Nonnoſo gloriam tribuit, quòd ejus ope & interceſſione gravi & manifeſto vitæ periculo erepta fuerit. Prædictam illuſtriſſimam dominam invaſerat circa XIV Maii febris maligna, cui tam terribilis ex ſtomacho vomitus acceſſerat, ut quilibet putaret, florentem ipſius juventutem, propter deficientes vires & extremum vitæ periculum, crudeli mortis falce demetendam. Et quoniam alia remedia ad obtinendam ſanitatem nihil proderant, convertebat ſe ſumma cum cordis fiducia ad cælum, & ante omnia benignam opem S. patris Nonnoſi implorabat ferventiſſimè: mittebat inſuper quæſitum de oleo, quod in ejus lampade ardet, ſeque eo inungi jubebat. Poſt hæc omnis vomitus, cum periculoſa ad mortem uſque febri, ſubitò ceſſavit.

E

XV. *graviſſimus oculorum dolor,*

22 Mulier quædam ætatis octoginta quinque annorum aliquo tempore tantis oculorum doloribus affecta fuerat, ut omnino crederetur in periculo verſari, ne oculorum jacturam pateretur, & prorſus cæca redderetur. Quoniam igitur nulla planè remedia profuerant, petebat ſumma cum fiducia oleum ex lampade S. Nonnoſi; inungit eodem utrumque oculum, & ſimul atque hoc factum fuerat, ſtatim unico momento omnis dolor evanuit, priſtinumque uſum oculorum feliciſſimè retinuit. Hoc inſigne beneficium poſtea XX Maii peractâ devotione, & debita gratiarum actione, ante altare ſancti patris Nonnoſi teſtata eſt, & indicavit.

F

XVI. *periculoſum pectoris malum,*

23 Eodem ipſo die, nempe XX Maii, mulier quædam ſeptuaginta duorum annorum, poſtquam in crypta apud mirabilem S. Nonnoſum propter magnum beneficium exſolverat votum ſuum, & maximas gratias egerat, publicè teſtata & faſſa eſt, pectori ſuo prægrande accreviſſe tuber, ſeque in eo maximos paſſam eſſe dolores. Omnia adhibita remedia erant fruſtranea, & quoniam nulla ſpes erat ſanationis, credebatur moritura propter ingens periculum. Denique ex inſtinctu interno animum erigit, & magnâ fiduciâ confugit ad magnum ſanctum Nonnoſum, mittit quæſitum de oleo ex ejus lampade, & poſtquam eo affectum locum inunxerat, non modò ſeſe meliùs habere ſenſit, ſed quod maximè admirandum, magnus ille tumor ſubitò evanuit, & ipſa exoptata valetudine potita eſt.

XVII. *oris fœtida ulcera,*

24 Catharina Heillmayr, ex Aeſt, filiam habebat, nomine Annam, quæ propè quadraginta ſeptimanis putredine oris adeò graviter affecta fuerat, ut ad ejus os & labra multa eruperint

EX IMPRESSIS GERMAN.

ulcera. Afflicta mater miseriæ suæ finem desiderans, nesciebat, quid remedii adhiberet, ut dilectam filiam suam hoc malo liberaret. In hisce magnis angustiis constituta meminit magni thaumaturgi S. Nonnosi. Spem igitur quàm mox in hoc sancto Patrono tutelari per votum posuit, ex ejus lampade oleum petiit, eoque filiæ suæ peresum & affectum os inungi jussit. Quo facto, quàm primùm dolor desiit, putredo oris cessavit & brevi exesum os redintegratum est. Quapropter tantum beneficium mater, peracta devotione sua ante altare S. Nonnosi, XXVIII Augusti verbis exposuit, & ad debitum honorem auxiliatoris sui S. Nonnosi annotari desideravit.

XVIII. *rursum febris,*

25 Similiter XXVIII Augusti Maria Heillmayr, præfatæ Catharinæ Heillmayr filia, ad honorem sancti patris Nonnosi, & in maximarum gratiarum actionem, publicè fassa est, se aliquo tempore periculosa febri affectam fuisse, atque ita quidem, ut propter longiorem ejus moram, & magnitudinem dolorum, facies sua livescere cœperit. Et quoniam nullo alio remedio malum hunc hospitem poterat amovere, magna cum fiducia S. Nonnoso promisit, se, si pristinam valetudinem ope ipsius & patrocinio recuperaret, cum aliquibus aliis puellis vestitam albis indumentis Frisingam ad ejus sanctum altare venturam, ibique cum iisdem ardentes preces & grates esse persoluturam. Concepto tali voto, se postmodum oleo ex ejus lampade inungi jussit, & prorsus mirabiliter auxiliatrice gratiarum manu S. Nonnosi confestim pristinam sanitatem recuperavit.

XIX. *acres brachii dolores.*

26 Maria Thallmayr, civis Frisingensis, tanto dolore sinistri brachii afficiebatur, ut illud dudum attollere non posset, adeoque ad subeundum solitum laborem capax non esset. Adhibebat aliqua subinde remedia, sine ullo tamen effectu, donec tandem unicè confugerit ad communem nunc patronum sospitalem & thaumaturgum S. Nonnosum. Fidenti animo votum vovet, & afflictum brachium inungit oleo ex lampade S. Nonnosi. Hoc facto, omni mox dolore liberata est, & brachio, ut antè, sine ullo impedimento uti potuit. Præclaram hanc gratiam & beneficium postmodum XXXI Augusti, oblato cereo brachio, & peractis precibus suis,
C publicè fateri voluit, & ad majorem honorem nostri magni patroni tutelaris S. Nonnosi annotari curavit. Eadem supradicta persona testatur, se aliis etiam temporibus sinistri brachii acres passam esse dolores; at, postquam usa erat oleo ex lampade S. Nonnosi, ejus potenti intercessione perfectæ sanitati restitutam esse

XX. *Nuncupato voto, secreta afflictione quidam liberatur,*

27 Persona quædam, quæ ob graves causas nomen suum indicare noluit, in quodam periculoso statu, à quo alio modo adhibitisve remediis aliis liberari non potuit, magnâ cum fiducia ad sanctum patrem Nonnosum confugit. Votum concepit, & voluit præterea, si ope S. Nonnosi compos desiderii sui redderetur, ut accepta gratia & beneficium ad majorem gloriam Dei & sancti patris Nonnosi è publica cathedra promulgaretur. Nuncupato voto, quàm primùm à magno mirabilium patratore S. Nonnoso benignissimè exaudita est, & magnâ suâ secretâque afflictione ex voto liberata est. Quo obtento, XXX Julii ad ardentes preces & desiderium hujus personæ hoc acceptum beneficium ad majorem gloriam S. Nonnosi, & in gratiarum actionem, non solùm in album relatum est, verùm etiam publicè promulgatum.

28 Honesta & pia mulier Anna Maria Millinger adeò periculosis pectoris doloribus afficiebatur, ut ex iis in mortis periculo versaretur. Cùm igitur in tantis angustiis atque afflictionibus post varia adhibita remedia nullum amplius nosset medicamentum ad obtinendam valetudinem, fiduciam concepit, & vovit sancto patri Nonnoso, promittens etiam se curaturam ad ejus honorem, & ad magnificandum sanctum ipsius nomen, ut gratia accepta è publica cathedra promulgaretur. Cùm votum erat emissum, cessit dolor, & summo cum gaudio pristinæ valetudini restituta est, quemadmodum die X Maii publicè fassa est, & scriptis mandatum.

D XXI. *mulier periculosis pectoris doloribus,*

XXII. *alia gravi malo brachii; d*

29 Agnetis Gehrhauer, quæ Landspergæ *d* nata est, sinistrum brachium invaserat grave malum dolorque tantus, ut longo tempore solitum suum officium peragere non posset. Cùm verò alia medicamina nihil proficerent, non poterat in magna sua necessitate aliam opem quærere, quàm apud auxiliarem patrem S. Nonnosum. Ad hunc avidè confugit: promissaque cerea imagine, usa est oleo ex ejus lampade. Hisce factis, voti sui compos effecta est, omnique brachii dolore liberata. Quam acceptam gratiam postea ad honorem sancti patris Nonnosi XV Januarii indicavit, & annotari jussit.

E

XXIII. *virgo quædam animi quietem impetrat.*

30 Quod magnus noster pater tutelaris S. Nonnosus tamquam recèns inventum gratiarum thesaurum se præbeat, & in omnibus tam internis quàm externis afflictionibus auxiliarem manum impertire possit, liquet ex facto sequenti, quod nominanda persona propriâ manu testatur. Ego Anna Maria Schwarz, hîc aulæ piscatoris filia cælebs, coram Deo & omnibus dilectis Sanctis manifestum unicuique & notum facio, me anno MDCCVII in tantam internam afflictionem incidisse, & in tam misero statu perpetuò usque ad annum MDCCX vivere debuisse, ut existimaverim, me præ mera tristitia rationis usu privandam. Postquàm igitur inventio magni S. Nonnosi contigit, & ejus magna miracula jam ubique celebrabantur, ego præter certam aliquam devotionem ex speciali quadam filialique fiducia in sanctum patrem Nonnosum sanctam confessionem & Communionem cum auditione unius Sacri ad ipsius altare vovi, insuper adhuc promittens, me, si intercessione S. Nonnosi miseriâ meâ liberarer, tantum cæli beneficium publicè declaraturam, & nomine meo adjecto fassuram esse. Nuncupato voto, tam diuturnâ vitæ miseriâ mi liberata, & iursus optatam animi mei quietem obtinui: pro qua inexplicabili gratia sit ante omnia Deo omnipotenti, & tum glorioso sancto patri Nonnoso, laus & gratiarum actio.

F

XXIV. *alia corporis luxati integrationem.*

31 Maria Pichler cælebs tollendo saccum gramine plenum luxaverat adeò membra, ut ultra tres horas erecto corpore stare non potuerit. Quare propter diuturniores dolores, & quia timebat, ne quid fortè in corpore fractum esset, in hac tanta necessitate erecto animo & magnâ fiduciâ ad sanctum Patrem Nonnosum confugit, ad cujus honorem se tabulam votivum suspensuram, & opus aliquod devotionis peracturam promisit. Facta promissione, quam mox omnis dolor desiit, & sine ullo incommodo iursus, ut antè, laborem suum subire potuit. Hoc beneficium, quod intercessione S. Nonnosi obtinuit, postea XIX Novembris ad ejus honorem & in debitam gratiarum actionem indicavit.

ANNO-

A

ANNOTATA.

a *Videlicet anni* 1709, *licèt hîc inchoentur miracula anno* 1710 *facta, ut habet titulus præfixus: nam miraculum in annum* 1710 *revera incidit.*

b *Nomen* Haid *infrà in Germanico ſcriptum erat* Haidt.

c *Veſperas ſubinde in Bavaria cantari inter primam & ſecundam poſt meridiem, intellexi ex aliquo, qui id præſens ſæpe videre potuit.*

d *Landſperga oppidum eſt Bavariæ ad Licum fluvium & in confinio Sueviæ.*

CAPUT III.

Miracula anni 1711 *priora.*

B

xxv. *Unctione olei lampadis vir liberatus doloribus genu & brachii,*

SEbaſtianus Hagn, civis & ligularum artifex hîc Friſingæ, diu in genu dextero, utì etiam in dextero brachio maximos dolores paſſus fuerat. Utebatur variis remediis & cataplaſmatis, ut ſe hoc malo liberaret: verùm nullo horum aliquid lenimenti aut ſolatii ſe obtinuiſſe expertus eſt; donec tandem firma fide & ſolidâ fiduciâ confugit ad ſanctum patrem Nonnoſum, cui quoddam vovit exercitium devotionis, & poſtquam oleo ex ejus lampade uſus fuit, & eo ſe inunxit, utroque loco dolor unà cum tumore evanuit, ut ipſe x Februarii ad gratias humillimè agendas, & ad honorem mirifici S. Nonnoſi indicavit.

xxvi. *ejuſdem filius periculoſa oculi affectione,*

33 Maria Anna Hagn, præfati Sebaſtiani Hagn uxor, pariter filium ſuum, qui ſiniſtri oculi acutos dolores paſſus fuerat, & in periculo verſabatur vitam amittendi, ſummâ cum fiducia mirabili S. Nonnoſo devoverat. Petiit inſuper oleum ex ejus lampade, eoque inunxit filii ſui ægrum oculum: quo facto, brevì omnis dolor evanuit, & filius omni periculo ereptus, rurſus ſanitatem oculi obtinuit. Talem acceptam gratiam ipſa mater, poſtquam ardentes preces ſuas, & ardentiſſimam gratiarum actionem in crypta ad altare S. Nonnoſi perſolverat, x Februarii annotari curavit.

C

xxvii. *mulier ſiniſtri pedis doloribus,*

34 Urſula Mayr, hujus urbis tubicinis uxor, ab aliquo tempore graviſſimos dolores ſiniſtri pedis paſſa fuerat, & quoniam uſu aliorum medicaminum ſe nihilò meliùs habebat, in animo ſuo magnum excitavit dëſiderium quærendi aliquam opem apud auxiliarem patrem S. Nonnoſum; adeoque ſumma cum devotione votum vovit, ſeque inunxit oleo ex ejus lampade: quo facto, mox omnibus doloribus liberata eſt, ut ipſa xv Februarii ad honorem & gloriam S. Nonnoſi teſtata eſt.

xxviii. *puer convulſionibus,* a

35 Pia mulier Anna Maria Schnapper, hîc civis & coriarii uxor, ſummo dolore afficiebatur, quòd neſciret, quibus remediis filiolo ſuo, qui laborabat graviſſimis convulſionibus cum clamore conjunctis *a*, opem ferre poſſet, & ulteriori periculo liberare; tandem filium ſuum devovet mirabili patri S. Nonnoſo. Emiſſo vix voto, ceſſavit morbus, & puer integram ſanitatem recuperavit. Hunc viſibilem favoris effectum mater ad debitum honorem & laudem S. Nonnoſi indicavit.

xxix. 36 Prædictæ Annæ Mariæ Schnapper alio tempore ad mediocre intervallum aures tam vehementer tinniebant, ut timeret ne in periculo verſaretur amittendi auditûs. In tali afflictione cum fiducia confugit ad S. Nonnoſum: vovet aliquod donarium & exercitium quoddam pium: & viſibili interceſſione S. Nonnoſi omnis aurium tinnitus deſiit. EX IMPRESSIS GERMAN. *illius mater aurium tinnitu,*

xxx. *vir oppreſſi pectoris doloribus.*

37 Sigiſmundus Schnapper, hîc civis & coriarius, tantos pectoris dolores patiebatur, ut propter nimiam oppreſſionem in maximas adigeretur anguſtias, præſertim quia nullum ſciebat remedium, quo ſe tantâ moleſtiâ liberare poſſet. Unicum, quod ei ſupererat, refugium, erat S. Nonnoſus, cui ſe ſumma cum fiducia, fuſis precibus, unà cum cereo pectore devovit, & feliciſſimè quoque potenti interceſſione hujus ſancti Patris exauditus, & omni dolore atque oppreſſione liberatus eſt.

xxxi. *Voto & olei unctione ſublatus oculorum dolor;* E

38 Maria Heigl, carpentarii uxor, ex Aettenkirchen, utriuſque oculi adeo intolerabiles dolores patiebatur, ut præ vehementia illorum non ampliùs ſciret, quid ſibi agendum eſſet. Omnia alia adhibita remedia non adferebant lenimen; ſed dolor ſemper magis creſcebat, ita ut etiam timeret, ne fortè omnino viſu privaretur. Denique, quoniam tanta de beneficiis S. Nonnoſi audiverat, ex interno inſtinctu magnam fiduciam de hoc ſancto Patre nuncupatione voti excitat; & poſtea inungit utrumque oculum oleo ex ejus lampade. Quibus peractis, ab illo tempore ipsâque horâ omni dolore liberata eſt, & optatam oculorum ſanitatem omnino obtinuit.

xxxii. *voto & precibus ante altare Sancti dolor pedum,* F

39 Eliſabetha Zwey, hîc civis & fabri lignarii uxor, tantis ſiniſtri pedis doloribus afficiebatur, ut ſine baculo incedere non poſſet. Et quoniam cauſam hujus mali ignorabat, & periculoſius aliquid pertimeſcebat, confugit ad communem auxiliatorem & patronum tutelarem S. Nonnoſum. Vovit illi cereum pedem, & preces quaſdam: omnes deinde vires adhibuit, atque ope baculi contulit ſe, quamvis non ſine ſumma difficultate, ad cryptam & altare S. Nonnoſi: & poſtquàm ibi votum ſuum expleverat preceſque quàm ardentiſſimas fuderat, abſque longiori mora omni pedis dolore liberata eſt.

xxxiii. *uti & diuturna pleuritis;* b

40 Anna Eder totos tres annos laterum dolore *b* laborabat, ita ut durante hoc tempore multos & frequenter inexplicabiles dolores ſuſtinuerit. Multa remedia, ut hac diuturnâ miſeriâ liberaretur, adhibuit; nullum vero ex omnibus efficax erat adeo, ut optatam valetudinem impertiretur; donec tandem ſpem ſuam in magno thaumaturgo, S. Nonnoſo poſuit. Hujus potenti interceſſione manuque auxiliatrice poſt expletum votum, ardenteſque preces ante ſanctum ipſius altare fuſas, eâdem horâ convaluit; acerboque ac tam diu tolerato laterum dolore feliciter liberata eſt.

xxxiv. *illuſtris domina poſt votum feliciter parit;*

41 Illuſtriſſima domina Maria Magdalena Eleonora comes de Haimbhauſen, nata libera baro de Rechling, in extrema neceſſitate potentiſſimam opem & patrocinium mirabilis S. Nonnoſi manifeſtè experta eſt, ad cujus majorem honorem & ad amplificationem ſancti ipſius nominis præfata illuſtriſſima domina comes ſcriptam relationem hac de re tradidit. Nam cùm illa gravida, & tam antè, quàm in ipſo partu, ad mortem uſque periculoſis anguſtiis ſubjecta eſſet; S. Nonnoſo, ejus opem implorans, votum nuncupavit, promiſitque ſe curaturam, ut beneficium, non tacito nomine, publicè promulgaretur. Deinde ipſa partum non modò feliciter

EX IMPRESSIS GERMAN.

citer enixa est, sed & postea in omnibus aliis occasionibus libera permansit. Insigne hoc beneficium ipsa secundùm Deum magno thaumaturgo S. Nonnoso adscribit, & debitas gratias agit.

XXXV. *Sanatus cujusdam filiolus, ac deinde bos:*

42 Nostri magni patroni tutelaris & sancti patris Nonnosi auxiliatricem benignamque manum etiam in necessitatibus suis expertus est vir probus Jacobus Passauer, hîc Frisingæ civis & coriarius, qui varia beneficia, maximas agens S. Nonnoso gratias, ipsemet, ut in sequentibus patebit, scripto testatus est. Ad Dei, & ejus servi S. Nonnosi honorem, publicè hisce notum facio, me abhinc aliquibus hebdomadibus apud memoratum S. Nonnosum in duabus afflictionibus opem quæsivisse, eamque non sine solatio quàm felicissimè inveniisse. Primò in morbum inciderat filiolus meus, cui sæpiùs accessebant convulsiones: ut ergò hac miseria meum filiolum liberarem, omnem spem meam in sancto patre Nonnoso posui: illum ei devovi cum exigua oratione, & vili anathemate: quo facto, non modò omnes convulsiones desierunt, sed
B etiam puerulus alio suo morbo brevi tempore liberatus est. Secundò in morbum inciderat bos, ad rem familiarem mihi perquàm necessarius, & quidem ita periculosè, ut illum quasi jam perditum censêre deberem. Cùm autem post concionem, in ecclesia cathedrali habitam, aliquod intercessione S. Nonnosi impertitum beneficium per publicam denunciationem ex cathedra intellexissem, me statim contuli in cryptam ad altare S. Nonnosi, fudi ibidem ad opem pro ægro bove impetrandam exiles preces meas, & donum addidi exiguum. Tum domum repetii, & inveni suprà memoratum ægrum bovem jam omnino incolumem & sanum. Quod beneficium mihi tanto citiùs obtigisse credo, quòd persolvendo prædictas preces firmiter proposuerim, me curaturum, si hac in re exaudirer, illud ad honorem S. Nonnosi publicè, etiam addito nomine meo, promulgandum. Id itaque grato animo exequor, & magnum S. Nonnosum suam potentem intercessionem ulteriùs pro me meisque humillimè flagito.

XXXVI. *Mulier osse faucibus hærente mirabiliter liberata.*

43 Honesta & pia mulier Haimbperger, hîc Frisingæ civis & phrygionis conjux, cùm post toleratum morbum rursus ad templum ire vellet, sibi antea, quo debilem stomachum & defatigatum corpus confirmaret, jusculum apparari jussit. Cùm autem manducaret, ex improviso osticulum, magnitudine æquans juncturam majoris digiti, sic deglutiit, ut osticulum faucibus inhæserit, & præfata Haimbperger ægrè spiritum trahere, multo minùs loqui posset, adeoque non tantùm toto vultu livescere cœperit, sed etiam sanguinem vomere, & vix non insanire. In hoc magno infortunio & vitæ periculo maritus prædictæ Haimbperger eam ardenter monuit, & adhortatus est, ut in hac necessitate unicam spem suam in mirabili S. Nonnoso poneret, quod etiam quàm mox præstitit, se sancto opifero Patri pio quodam opere devovens. Jam verò audi factum mirabile. Subitò post emissum votum os faucibus hærens evanuit, atque ita quidem, quo res magis appareat miranda, ut nec ipse nec ipsa Haimbperger ad hoc usque tempus sciant, quò illud evaserit: ipsa verò confestim sanata fuit. Præterea hac super re ad majorem securitatem, convocatis testibus juratis, examen institutum *c* est. Deo & ejus mirabili S. Nonnoso sit propterea æterna gratiarum actio, laus, honor & gloria; ad cujus majorem promotionem magnum hoc miraculum postea publicè de cathedra promulgatum est anno MDCCXI, XXIV Maii. D

ANNOTATA.

a *Germanicè malum hoc vocatur* schryenden fraiss.

b *Laterum dolor aliàs* pleuritis *voce Græca dicitur. Gravis & periculosus est morbus, quando vera est pleuritis.* Verùm, *inquit Gorræus ad vocem* πλευῖτις, *ubi veram pleuritidem explicaverat*, aliæ pleuritides ab hac vera discernuntur, vel quòd earum dolor externus sit, & contactu moveatur, vel quòd sine febre sit, vel sine sputo, vel sine tussi, vel sine spirandi difficultate, vel quòd neque tensionem neque duritiem ullam pulsus referat. *Itaque existimem speciem quamdam non vera pleuritidis fuisse, quæ per triennium duraverat.*

c *Licèt auctor expressis verbis non dicat, approbatum esse miraculum in examine, id tamen cùm hîc, tum aliis locis, ubi sic loquitur, satis insinuat.* E

CAPUT IV

Prosecutio miraculorum ejusdem anni 1711.

XXXVII. *Pes cujusdam post votum de promulgando beneficio sanatus,*

SIgismundus Schnapper vir honestus, hîc civis & coriarius, vexatus est anno MDCCX ulcere exorto in altero pedum. Quapropter ob continuos dolores tam in eundo quàm etiam in laborando non modò magnam patiebatur difficultatem, sed erat quoque aliquibus temporibus ad utrumque incapax. Ad abigendum hoc ulcus variis cataplasmatibus & unguentis usus est. Quia verò non sensit, ullo eorum meliùs se habere; confugit ad optimum chirurgum S. Nonnosum, cui se promisso aliquo religionis opere devovit, simulque promisit, si pedis sui sanatio ejus patrocinio subsequeretur, se curaturum, ut beneficium hoc publicè è cathedra promulgaretur. Simulatque nuncupatum erat votum, ejus pes de die in diem convaluit, & brevissimo tempore prorsus est sanatus. F

neglectaque promulgatione recrudescens malum altero voto sublatum:

45 Ob impetratam sanitatem suprà dictus Schnapper gavisus quidem est, sed, nescio quâ negligentiâ & oblivione, hoc à S. Nonnoso acceptum beneficium, nullo modo, ut promiserat, è cathedra promulgandum curavit. Quid tandem contigit? Anno proximè sequente, jam nempe labente MDCCXI, Sigismundi Schnapper pedem veteres dolores rursum invaserunt, ejusque, ut antè, ulcus hiavit. Ille continuò recordatur, se maximè ingratum fuisse erga suum sanctum opitulatorem S. Nonnosum, & non stetisse promissis. Recolligit itaque sese, & dolet de errore, adjectis humillimis precibus: summâque fiduciâ votum iterans, promittit, si sibi rursus auxilium ferretur patrocinio S. Nonnosi, se ad ejus honorem non modò novum beneficium, sed etiam commissam ingratè negligentiam unicuique manifestaturum. Ex illo tempore eâdemque horâ, quâ novum hoc votum nuncupatum, dolores iterum desiêre, & ipse Schnapper perfectam

A fectam ſanationem ſui pedis ſecundò obtinuit. Impetratum hoc beneficium ipſe poſtea quamprimum in debitam gratiarum actionem, & ad magnificandum ſanctum nomen magni thaumaturgi S. Nonnoſi è publica cathedra indicari juſſit.

XXXVIII. *voto item ablata tormina colica,*

46 Vir honeſtus Georgius Nehr, hîc civis & ſutor, anno MDCCX ſubitò correptus eſt tam vehementibus doloribus colicis, ad quinque aut ſex dies continuatis, ut propter nimiam dolorum vehementiam de convaleſcentia ipſius & vitæ conſervatione paſſim omnes deſperarent. In periculoſis hiſce mortiferiſque anguſtiis, cùm omnia, quæ adhibita fuerant, nihil prodeſſent, dejectum animum ſumma cum fiducia erigit ad mirabilem S. Nonnoſum, ut ſibi in tanta ſua miſeria gratioſam atque auxiliatricem manum porrigeret, mortiſque propè inſtantis periculum averteret. Vovet deinde, ſe curaturum in honorem magni hujus Patris, ut ad altare ejus duo Miſſæ ſacrificia celebrarentur: & votivam tabellam appenſurum. Rem ſtupendam! Vix præfatus Georgius Nehr votum ſuum ita nuncupaverat, cùm ſubitò ceſſat intolerabilis cruciatus,

B tormina colica deſinunt, priſtinamque valetudinem æger feliciſſimè conſequitur.

XXXIX. *ac deinde ejuſdem viri morbus articularis, a*

47 Proximè ſubſequenti anno MDCCXI præfatum Georgium Nehr rurſus graviſſimus morbus corripuit: per totum enim ejus corpus ſumma vi arthritis *a* adeo invaluerat, ut nec manibus ſuis uti, nec pedibus poſſet, & ne attollere quidem ea membra valeret. In tanta moleſtia crebriſque doloribus neſciebat rurſus, ubi opem quæreret, quàm apud antiquum opitulatorem ſuum benignumque patrem S. Nonnoſum. Itaque ſumma rurſus cum fiducia ad eum confugit, ac vovet unum Miſſæ ſacrificium, poſt recuperatam valetudinem ad altare ipſius celebrandum: adjunxit, ſe humillimè cum gratiarum actione preces ſuas perſoluturum. Preces ipſius cum fiducia fuſas quamprimum admirabilis ſanctus Nonnoſus exaudiit, ægroque vehementer afflicto perfectam iterum ſanitatem impertitus eſt. Hæc duo majora, quàm explicari valeat, beneficia Georgius Nehr humillima cum gratiarum actione ad majorem honorem S. Nonnoſi nota fieri & ſcriptis mandari voluit.

C

XL. *morbus alius cum graviſſimis doloribus,*

48 Memorandum beneficium, quod inclytus prodigioſâ beneficentiâ S. Nonnoſus præſtitit, ſibi collatum propria manu teſtatur religioſus ac reverendus dominus Franciſcus Antonius Pez, hîc Friſingæ ſacerdos, ut ſequitur. Die x Februarii MDCCXI Omnipotens Deus tam inexplicabile tamque acerbum ſiniſtri pedis mihi immiſit malum, ut totis ſex annis, quibus jam æger decumbo, tantos dolores numquam paſſus ſim, atque ita quidem, ut quoniam media pars corporis ad plantam uſque pedis intumuerat, ne vel pedem movêre poſſem, & integris quatuordecim diebus in linteo tollendus è lecto, itáque in eo reponendus fuerim. Nihil omnia præſcripta & adhibita remedia, quibus abundanter uſus ſum, profuerunt; at ſolùm, quantùm opinor, majores vehementioreſque dolores mihi creabant. Hac de cauſa, quoniam omnia humana auxilia & remedia irrita erant, firmâ conceptâ fiduciâ, S. Nonnoſo promiſi Miſſam ad ejus honorem dicendam, tabellam votivam, duas ex candida cera candelas, & exiguum aliquid, pro tenuitate mea, gazophylacio imponendum. Res mira! Vix votum hoc emiſeram, cùm ſtatim notabilem mutationem dolorumque mitigationem ſenſi, ac paulatim vehementes hi dolores planè diſceſſerunt & evanuerunt.

EX IMPRESSIS GERMAN.

XLI. *vehemens capitis dolor.*

49 Maria Gulder, ex Neuſtift, vehementiſſimos & graviſſimos capitis dolores patiebatur, & nullo modo ſciebat, quibus remediis poſſet hiſce doloribus liberari. Cùm autem perpetuò propter vehementiam doloris mœror accreſceret, confugit tandem magna cum fiducia ad ſanctum patrem Nonnoſum, eique ſe devovet, pio quodam opere promiſſo. Hoc facto omni capitis dolore, uti optabat, liberata eſt.

XLII. *dolor oculorum & dentium.*

50 Vir honeſtus Sebaſtianus Rainalder, ſilicarius in Neuſtift, abhinc aliquibus annis adeo oculis & dentibus laboraverat, ut continui immenſique dolores, quos patiebatur, vix non intolerabiles viderentur: & quamvis multa & varia malo remedia adhibuerit, nullum tamen ex omnibus ei ad ſanationem prodeſſe potuit. Itaque quia naturalia remedia fruſtranea erant, ſtatuit ſpiritualia quærere. Quapropter ſumma cum fiducia ſpem ſuam ponit in thaumaturgo S. Nonnoſo. Vovet, ſe, præter donum aliquod offerendum, etiam curaturum, ut in hujus urbis eccleſia cathedrali ad altare Sancti ſacrum ſolemne in ipſius honorem celebretur. Emiſſo voto, E dolores ſtatim de die in diem ceſſare cœperunt, ac brevi tempore integram ſanitatem recuperavit. Quapropter imprimis Deo omnipotenti, deinde opitulatori ſuo S. Nonnoſo infinitas gratias egit, & magnum hoc beneficium ad amplificationem ſancti ipſius nominis publicè promulgandum curavit.

XLIII. *periculoſa oſſis extuberatio,*

51 Joannes Willhelm, vir honeſtus & ſartor in Wolferſtorff, totis quatuor annis dexteram habebat ingenti oſſis extuberatione deformem non ſine magno incommodo. Hoc malum ut pelleret, toto eo tempore variis uſus eſt remediis, quæ tamen omnia irrita fuerunt, & ſine ullo effectu. Tandem exiguo abhinc tempore vehementibus cum doloribus extuberatio aperta eſt. Cùm ſic in magnas curas & anguſtias adigeretur, non modò propter auctos dolores, verùm etiam quia meritò timendum erat, ne aliud idque magnum periculum ex manu ſua pateretur; in hiſce anguſtiis, quoniam jam multa mirabilia de S. Nonnoſo audierat, excitat in mente ſua magnam fiduciam, quâ confugeret ad S. Nonnoſi patrocinium. Vovet igitur, ſe F ad ipſius honorem hîc Friſingæ ante altare ejus in crypta præter donum offerendum, certum aliquod religionis exercitium obiturum. Accingit ſe ſine mora itineri, ſeque Friſingam confert: & poſtquam in dicta crypta ante reliquias S. Nonnoſi munuſculum obtulerat, opuſque pium ſumma cum devotione peregerat, omnis ſtatim dolor ceſſavit, & hians oſſis extuberatio evanuit. Impetratum hoc beneficium præfatus Joannes Willhelm in debitam gratiarum actionem, & ad perpetuam laudem S. Nonnoſi ſcripto indicavit, & unicuique notum fecit.

XLIV. *grave malum ex laſu ortum,*

52 Sebaſtianus Zänglmayr, vir vitæ honeſtæ, agnoſcit pariter ſcripta relatione thaumaturgam beneficamque manum ſancti Nonnoſi: nam cùm haud ita pridem adeo graviter ac periculosè cecidiſſet, ut ſe non ampliùs movêre, multò minùs incedere poſſet; ſed neceſſe eſſet lecto decumbere; ſumma cum fiducia unicè confugit ad patrem prodigiis inclytum S. Nonnoſum: vovet, ſe in ipſius honorem preces roſarii Mariani ſemel perſoluturum, cereamque imaginem oblaturum, ac demum aliquid gazophylacio impoſiturum. Quamprimum emiſſum erat votum, ipſe extemplò (Deo omnipotenti &

EX IMPRESSIS GERMAN.

magno S. Nonnoſo humillima ſit gratia) meliùs habere cœpit, & ſic pauciſſimis diebus convaluit.

XLV. *dolor oculorum,*

53 Simon Binder, vir honeſtus, hîc civis & ſutor, unà cum uxore ſua teſtatur, filiolam ſuam diu maximos oculorum dolores paſſam eſſe. His ut parentes dilectam filiam liberarent, varia remedia adhibuerunt, quæ tamen nihil profuerunt. Tandem fiduciâ de S. Nonnoſo conceptâ, ad eum confugerunt. Filiam per religioſum aliquod opus, & munuſculum offerendum ipſi devoverunt. Hiſce factis, ſtatim dolores oculorum unà cum omni periculo evanuerunt.

XLVI. *dolor pedum,*

54 Joannes Häbert, vir vitæ honeſtæ, civis hujus urbis & tubicen, longo tempore maximos pedum dolores ac vehementiſſimas punctiones paſſus eſt. Cùm autem jam variis remediis uſus fuiſſet, ſed ſine ſanatione & effectu; ſumma cum fiducia ſancto patri Nonnoſo vovit, ſe ei ceream imaginem oblaturum, certaſque preces perſoluturum. Emiſſo voto, ſtatim potenti patrocinio mirabilis S. Nonnoſi acuta punctio deſiit, & omnis dolor evanuit, de quo beneficio Deo imprimis, dein ſancto patri Nonnoſo debitas gratias agit.

B

XLVII. *dentium dolor imminutus,* b

55 Eva Ober, Landshuti *b* nata, quæ jam multis annis ad hunc uſque diem hîc Friſingæ famulatur, propter dentem infeliciter erutum, novem annis, & quidem aliquibus temporibus adeo vehementes & intolerabiles dentium dolores paſſa eſt, ut ea de cauſa ſæpiſſimè cibum & potum maximè neceſſarium omnemque laborem intermittere debuerit. Tot annis nullum remedium invenire potuit, quo ſe hoc malo liberaret. In diuturna illa afflictione ſe per unum Miſſæ ſacrificium ſtataſque aliquot preces S. Nonnoſo hîc in crypta devovit, atque etiam ſæpiùs oleo ex ejus lampade uſa eſt. Hiſce factis, vehementes dolores, quibuſdam diebus recurrentes, ſic præterierunt, ut ſaltem dolores placidè pati, & opera ſua perficere, & cibo potuque neceſſario frui poſſit. Hoc igitur, ut decenter debitas S. Nonnoſo gratias ageret, publicè promulgari voluit.

C

XLVIII. *corporis animique afflictiones,* c

56 Reverendus in Chriſto ac religioſus dominus Georgius Schnevogl, Paulinus *c* in illuſtriſſima eccleſia cathedrali hîc Friſingæ, teſtatur, ſe præterito menſe Martio anni jam labentis MDCCXI patrocinio S. Nonnoſi, & uſu olei ex ejus lampade, in quibuſdam corporis & animi afflictionibus variis vicibus exauditum fuiſſe. De quo beneficio nomen ſuum publicè indicando ſancto patri Nonnoſo humillimas gratias agere deſideravit.

XLIX. *ac dolores luxati corporis.*

57 Eva Peur, vidua ſtabularii hîc, tollendo quidquam ita partem aliquam corporis luxaverat, ut longo tempore maximos dolores toleraverit: & quia hi non deſinebant, & ipſa ab opere ſuo impediebatur, ſpem ſuam in ſancto patre Nonnoſo poſuit, promiſitque ſe curaturam, ut ad ipſius honorem ſacrum Miſſæ ſacrificium legeretur. Hinc ope & patrocinio thaumaturgi ſancti Nonnoſi ſe meliùs habere cœpit & ſanata eſt.

ANNOTATA.

a Arthritis *Græca voce, Latinâ verò* morbus articularis *dicitur id malum, & propriè quidem* arthritis *vocatur, quando multos ſimul corporis articulos occupavit. Aliàs ab affecta parte nomen accipit,* & podagra *nominatur Græca voce, dum ſolos corripuit pedes,* chiragra *dum manus ſolas,* iſchias *dum in ſola conſiſtit coxa. Quàm porrò vehemens ſit hic dolor, multis experientiâ notiſſimum eſt.* D

b *Landshutum urbs eſt Bavariæ ad Iſaram flumen.*

c *In Germanico litteris Latinis ſcribitur* Pauliner. *Cùm vocem hanc non intelligerem, conſului R. P. Mauritium Chardon, qui me docuit voce* Pauliner *in iſtis provinciis deſignari Religioſos Ordinis S. Pauli primi eremitæ, ſicut voce* Paulaner *ſignificantur Religioſi Ordinis S. Franciſci de Paula.* Verùm, *inquit*, nec iſti nec illi Friſingæ commorantur. *Suſpicatur igitur ab aliquo ſacello S. Pauli, cui deſervierit presbyter ille, vocari* Paulinum, *niſi fuerit fortaſſe ejus cognomen.*

CAPUT V.

Eorumdem miraculorum proſecutio. E

JOannes Polzinger, ex Tuching propè Friſingam, publicè ad honorem & gloriam ſancti patris Nonnoſi teſtatur, ſe longiſſimo tempore vehementiſſimis ſiniſtri oculi doloribus affectum fuiſſe, quibus ipſum varia adhibita remedia nullo modo liberare potuerunt; donec tandem ad thaumaturgum ſanctum Nonnoſum confugerit, & firma cum fiducia ejus potens patrocinium imploraverit, quod etiam manifeſtè expertus eſt: nam, ſimulac magno huic Patrono & opitulatori votum ſuum nuncupaverat, & oleo ex ejus lampade oculum ſuum inunxerat, dolores deſierunt, & perfectam oculi ſui ſanitatem obtinuit. *Sancti ope liberati oculorum dolore,*

LI. *diuturno dolore dentium,*

59 Anna Maria Grebmayr, mulier probæ, ac civis Friſingenſis, anno integro intolerabilibus dentium doloribus adeo graviter affecta erat, ut omnia adhibita remedia eam nullo modo dictis doloribus liberaverint. Poſteà verò omnem ſpem ſuam in magno patre Nonnoſo unicè poſuit: & ſimul atque cereum dentem ipſi promiſerat, eumque in crypta ad ipſius altare, conjungens ardentes preces, obtulerat, potenti patrocinio S. Nonnoſi acerbo illo dentium dolore liberata eſt. F

LII. *laterali dolore,*

60 Urſula Möſſner, mulier hîc labore ſuo victum comparans, longiſſimo tempore maximos dolores laterales patiebatur: & quoniam nulla remedia obtinere poterat, quibus ſimilibus doloribus liberaretur; optima cum fide ad thaumaturgum S. Nonnoſum confugit. Ad cryptam ſe contulit; obtulit cultrum cereum *a* ad ipſius altare, fuſiſque ardentibus precibus, prodigioſa ope & patrocinio S. Nonnoſi omnis dolor laterum deſiit.

LIII. *manifeſto ac præſenti vitæ periculo,* b

61 Joſephus Antonius Grainlehner, ex Eggenfelden *b*, cælebs & pictor, in præſenti vitæ periculo manifeſtam opem glorioſi patris Nonnoſi expertus eſt. Nimirum quando, ingruente jam nocte, eques ad quamdam arcem ſe conferre volebat, pervenit in ſylvam opacam, per quam tamdiu profectus eſt, donec propter nimias & ſpiſſas tenebras à recta via aberrans, ferè ignoraret, ubi eſſet, vel quò ſe verteret. Nolebat tamen per noctem in ſilva manere; ſed equum

A equum ſemper procedere ſinebat, at non ſine magno vitæ ſuæ periculo. Quippe cùm ita perpetuò viâ ſemper magis ac magis incertâ progrederetur, tandem, elapſis jam tribus horis, in ipſum montis cacumen pervenit. Illic quia nullo modo loci ſitum ſibi imaginari poterat, eum magnus horror invaſit; cùm timeret ne in tali obſcuriſſimæ noctis caſu in ſummum periculum ex improviſo incideret. Quapropter equo deſcendit, animumque timore conſternatum ad cælum erexit, internoque inſtinctu firma cum fiducia confugit ad mirificum patris S. Nonnoſi præſidium, eum ardenter invocans, ut in illa neceſſitate auxiliatricem præberet manum, omneque periculum avertendo in viam reduceret: vovet deinde, ſe, ſi evadat periculum, præter preces aliquas perſolvendas, ad honorem S. Nonnoſi altari ejus anathema appenſurum. Factis piis hiſce votis, in genua ſe projecit, rependo tentaturus, num manibus fortè iter aliquod reperire poſſet. Ecce autem! vix duos aut tres ad ſummum paſſus prorepſerat, dum maximo cum horrore & tremore animadvertit, nihil ibidem
B ſupereſſe terræ, niſi præcipitium, Iſaræ, ut ipſi mox in mentem venit, inferiùs præterfluenti imminens, ubi neceſſariò, niſi equo deſcendiſſet, & vota S. Nonnoſo feciſſet, unà cum equo ex ſummo montis cacumine in flumen fuiſſet præcipitatus. Tam manifeſto vitæ periculo liberatus, ſtatim ipſo in loco ex toto corde gratias egit potentiſſimo ſuo opitulatori S. Nonnoſo; deinde totus tremens equum ſuum arripuit, eumque in ſilvam reduxit, donec tandem fugatæ ſunt noctis tenebræ, atque ipſe primâ aurorâ (loco priùs, ubi de vita periclitatus erat, non ſine horrore & tremore conſiderato) à devia rurſus in rectam viam pervenit. Tam inſigne beneficium ipſe Grainlehner altè animo impreſſit, ac deinde, ut debitas thaumaturgo patri S. Nonnoſo ageret gratias, votum ſuum religioſiſſimè implevit.

LIV. *pedis doloribus,*

62 Honeſta & pia virgo Maria Magdalena Schnevogl hîc fatetur, ſe longo tempore magnis dexteri pedis doloribus vexatam fuiſſe. In hac tanta afflictione confugit ad ſanctum patrem Nonnoſum: ideoque ſe confert ad eccleſiam cathedralem, & per cryptam repit ad lapi-
C deum ſarcophagum, ubi modò depoſita eſt particula ex reliquiis S. Nonnoſi, & in quo olim ejus ſacrum corpus tot ſeculis delituerat: fuſiſque ibidem piis precibus, ad altare ſancti patris Nonnoſi obtulit ceream imaginem. Hiſce peractis, ſimulac à precibus ſurrexit, ſe ſtatim integrè ſanatam ſenſit, & abſque ullo dolore potuit domum repetere. De hac gratia Deo imprimis laudem immortalem attribuit: deinde magno thaumaturgo S. Nonnoſo humillimas gratias egit.

LV. *ulcere periculoſo,* *c* *d*

63 Joannes Abraham Zweckſtötter, natus Carroduni *c*, at eo tempore alumnus celebris abbatiæ Weihenſtephanenſis *d*, elapſo vere febri correptus fuit: poſtquam autem febris, adhibitis remediis, eum deſeruerat, paulo pòſt ſub ejus humero ortum eſt ulcus maximum. Cùm verò advocatus eſſet chirurgus, qui ei mederetur; ſimul ac ulcus vidit, ab eo abhorruit; neque præfato adoleſcenti ante quatuor aut quinque menſes ſanationem promittere potuit. Interim aliquo tempore cataplaſmata adhibebantur, quæ adoleſcenti huic adeo vehementes dolores creabant, ut neque neceſſariis cibis frui poſſet neque diu noctuve quietem capere. Cùm autem decem dierum intervallo vix tres horas dormiendo expleviſſet, ideoque ſomni defectu vires corporis deficerent; cúmque inſuper timeretur, ne majus aliquod malum accideret; monitus eſt adoleſcens à Patre directore ſuo, ut confugeret ad ſanctum thaumaturgum Nonnoſum, ejuſque opem imploraret ad valetudinem impetrandam. Itaque probus adoleſcens magna cum fiducia promittit, ſe non modò coronæ Marianæ globulos precando percurſurum & ceream imaginem oblaturum, ſed etiam ter repturum per cryptam prope lapideum Sancti ſarcophagum. Sequenti die, nempe XXX *e*, magno cum deſiderio & ſpe Friſingam tendit ad altare S. Nonnoſi, ibique ſummo cum ardore votum implet. Momento pòſt ſentire videtur ſe meliùs habere, illudque magis expertus eſt domum repetens, quia brachium ſuum jam faciliùs & ſine dolore in altum attollere poterat. Eodem die ſub veſperam, cùm chirurgus recens cataplaſma vellet applicare, & in animo haberet ulcus, quod præcedenti die cataplaſmate mediocriter detectum fuerat, inſtrumento ſuo aperire, ac turundam inſerere, non ſine terrore & maxima admiratione vidit, E ulcus jam totum detumuiſſe; & cùm ſubſequenti die propter rei novitatem videre vellet, utrùm ulcus verè evanuiſſet, nec ipſe nec alii præſentes, aut tumorem aut aliud ulceris indicium repererunt. Adoleſcens verò ex illo tempore, quamvis antea per duos annos ſingulis ſeptimanis eguiſſet medicamentis, ad hanc uſque horam ſanus & incolumis permanſit. Deo maximo, & magno thaumaturgo S. Nonnoſo de tanto beneficio immortales atque immenſæ ſint gratiæ.

LVI. *gravibus corporis doloribus,*

64 Quædam perſona Deo dicata, quæ quibuſdam negotiis occupabatur, ſubitò maximis correpta eſt corporis doloribus, ita ut meritò timeret, ne omninò propter periculum lecto affigeretur, & ita neceſſariò à præfixis negotiis impediretur. In his anguſtiis & curis laudata perſona maximâ cum fiduciâ confugit ad ſanctum patrem Nonnoſum, & promiſit, ſe, præter cereum anathema, & aliquid gazophylacio imponendum, ad lapideum ſarcophagum S. Nonnoſi repturam per cryptam. Voto nuncupato, illo ipſo die periculoſus dolor prorſus deſiit. Ut autem ſe gratam de hoc beneficio exhiberet, vo-
F tum deinde ad honorem & laudem ſancti abbatis Nonnoſi implevit cum humillima gratiarum actione.

LVII. *herniâ,*

65 Honeſtus & ingenuus Joannes Georgius Pöll, hîc civis & alutarius, ac celſiſſimi principis ſtipator, ſimiliter benignam opem ſancti patris Nonnoſi expertus eſt, dum in maxima afflictione verſabatur propter filium ſuum. Quippe ejus filius, etiam Joannes Georgius dictus, anno decimo quinto ætatis ſuæ ſubitò laborare cœperat herniâ, quam ad tempus puer ex verecundia nemini manifeſtare voluerat; ſed tandem propter dolores malum ſuum parentes diutiùs celare non potuit. Parentes tum præ horrore ignorabant, quid agerent, & quomodo filium ſuum hoc malo liberarent. In hiſce anguſtiis omnia humana remedia & auxilia neglexerunt, & ſolùm maxima cum ſpe & firma fiducia ad magnum thaumaturgum S. Nonnoſum confugerunt, eique filium ſuum devoverunt. Hac facto, ibant unà cum filii avia per aliquot dies in cryptam ad S. Nonnoſum, ibique pietati ſuæ inſiſtebant: ipſe puer ibidem aliquot vicibus per lapideum ſarcophagum S. Nonnoſi cum devotione repſit, poſtea ſe inunxit oleo

IX IMPRESSIS GERMAN.

ex ejus lampade. Hiſce peractis, qualibet vice malum diminutum eſt; cúmque nona vice oleo ſe inungeret, prædicta periculoſa hernia omnino evanuit, ut ne vel minimum ejus ſignum ad hanc uſque horam videri poſſit. In debitam gratiarum actionem poſtea hoc magnum beneficium ad amplificandum honorem & gloriam S. Nonnoſi promulgandum è publicâ cathedra curaverunt.

LVIII. *morbo alio,*

66 Mulier, quæ ad dies aliquot continuos paſſa fuerat maximos morbi cujuſdam dolores; in ea afflictione tantùm confugit ad ſanctum patrem Nonnoſum, & promiſit, curaturam ſe, ut ſacrum Miſſæ ſacrificium ſemel celebraretur, atque inſuper aliud quidpiam oblaturam. Hoc facto, dolores deſierunt ipſo etiam die, ipſaque exoptatam valetudinem impetravit: pro quo beneficio Deo & & magno ſancto Nonnoſo æternæ ſint laudes & grates.

LIX. *& ingenti ſiniſtræ tubere.*

67 Perſonæ cuidam duobus circitèr annis ingens in ſiniſtra manu erat tuber, quod ei toto illo tempore durante ſæpiſſimè maximos adferebat dolores. Quoniam igitur nullo alio remedio illud diſpellere potuit, in hac miſeria ſe S. Nonnoſo devovit per donum aliquod offerendum aliaque opera pia. Voto poſtea magna cum devotione expleto, ipſo orationis tempore ita tuber evanuit, ut exiguum tantùm ejus indicium remanſerit. Præclarum hoc beneficium & manifeſtum miraculum ad ſummam Dei laudem, quóque humillimas tam benigno opitulatori ſuo S. Nonnoſo gratias ageret, omnibus tum temporis in crypta præſentibus indicavit. Dum verò paulò pòſt etiam reſiduum illud minimumque tuberis indicium omnino evanuit, hanc gratiam ad majorem honorem ſancti hujus ſui Patroni tutelaris, & amplificationem laudis ejus è publica cathedra promulgari juſſit.

B

ANNOTATA.

a *Cultrum potiùs, opinor, quàm aliud quidpiam obtulit, ut inſinuaret latus ſuum talibus torqueri punctionibus, quaſi cultro ſecaretur aut pungeretur; uti revera contingit pleuritide, ſeu laterali dolore, laborantibus.*

C b *Eggenfelden oppidum eſt Bavariæ ad Rotam amnem,* Rott *Germanis dictum, qui in Oenum devolvitur.*

c *Germanicè dicitur* Craiburg, *quod varii antiquum Carrodunum eſſe exiſtimant. Situm eſt oppidum iſtud in Bavaria ad Oenum fluvium.*

d *Celeberrima hæc abbatia, cujus reverendiſſimi abbatis Iſidori humanitate & induſtriâ hæc* S. Nonnoſi *Acta multùm excreverunt, ſita eſt in editiore prope Friſingam monte.*

e *Menſis nullibi additur.*

CAPUT VI.

Reliqua miracula impreſſa.

IX. *Sanctus medetur periculoſo morbo, gravique capitis dolori,*

PErilluſtris & generoſus dominus Joannes Chriſtophorus Egkher, toparcha in Käpfingh & Liechtenegg, ſupremus ſtabuli celſiſſimi principis præfectus &c., ad laudem & honorem Dei omnipotentis imprimis, ejuſque venerabilis Matris, atque opitulatoris ſui illuſtris S. Nonnoſi, atque in gratiarum actionem ſcripto teſtatur, ſe in graviſſimo morbo ſuo, ſtatuque periculoſiſſimo ſpem ſuam in ſancto patre Nonnoſo poſuiſſe, eique promiſiſſe ſe curaturum, ut in ipſius honorem quædam ſacra Miſſæ ſacrificia celebrarentur, & præterea donum aliquod gazophylacio impoſiturum. Hiſce factis, potens Sancti patrocinium, opemque manifeſtam expertus eſt. Imò etiam, cùm præfatum perilluſtrem dominum ſubitò intolerabilis capitis dolor invaſerat, illudque circumcirca, atque in medio, quàm maximè intumuerat, oleo ex lampade S. Nonnoſi ſe inungi juſſit, & poſt horæ quadrantem omnis ita dolor abſceſſit, ut poſtea ad hoc uſque tempus ſimiles dolores non ampliùs ſenſerit. Inſigne hoc beneficium ſæpiùs memoratus perilluſtris dominus ad perſolvendas grates immortales, & ad honorem S. Nonnoſi unicuique notum fieri voluit, & è publica cathedra denuntiari. D

LXI. *morbo ter repetito,*

69 Ingenioſus dominus Thomas Pfärte, hujus aulæ muſicus, pariter filiolum ſuum in periculoſo quodam morbo S. Nonnoſo devovit, cujus patrocinio, & uſu olei ex ejus lampade, puer hoc morbo etiam ſecundò liberatus eſt. Quoniam verò dictus noxius morbus rurſus tertiò puerum invaſit, iterum majore cum fide & fiducia ad thaumaturgum S. Nonnoſum confugit; &, poſtquam ardentes preces fuderat, oleoque ex lampade Sancti affectam partem inunxerat, promiſit, ſe curaturum, ut accepta gratia è publico ſuggeſtu denuntiaretur. Deinde ejus filiolus rurſus medelam divinitus datam obtinuit, & hactenus plena fruitur valetudine. In debitam gratiarum actionem hoc poſtea pater publica denuntiatione notum fecit. E

LXII. *loquelam mutæ reſtituit:*

70 Catharina Pader, habitans in Neuſtifft *a*, quam ob cauſam neſciens, ad quatuor omnino annos linguæ uſu ſic caruit, ut tandem, quamvis omnes vires adhibuerit, nullum diu verbum ex eâ percipi potuerit. Illo tempore variis hinc & inde datis utebatur remediis atque etiam operâ chirurgi, omnia tamen nihil proderant, ad uſum linguæ reſtituendum. Interea recèns inventum corpus ſancti abbatis Nonnoſi, ſplendidiſſimè celebrato feſto tranſlationis die, in hac illuſtriſſima cathedrali deponebatur, ubi ſupradicta Catharina Pader interiùs incitabatur, ut opem apud novum hunc Patronum quæreret. Vovebat itaque ſumma cum fide & fiducia, ſe ad honorem thaumaturgi S. Nonnoſi certæ quidpiam devotionis perſoluturam, & anathema ad ejus altare appenſuram. Rem accipe mirabilem. Nuncupato voto, ſtatim illâ ipsâ horâ eodemque tempore loquela ei ita reſtituta fuit, ut eam loquentem quiſque percipere potuerit. At, quamvis poſtea promiſſa devotionis opera apud S. Nonnoſum cum debita gratiarum actione peregerit, tamen, uti ipſamet faſſa eſt, ob præſentem paupertatem, & ex oblivione accedente, anathema promiſſum appendere prætermiſit. Loquelâ nihilominus continuâ fruebatur, ſed quæ rauca eſſe audiebatur. Tandem verò poſt crebros inſtinctus, ut grata ſervaret illud, quod magno ſuo Patrono & opitulatori promiſerat, hoc præſenti anno MDCCXI anathema confici juſſit, illudque poſtea, preces ardentes conjungens, ad Sancti altare appendit. Hoc facto, perfectiorem etiam patrocinio S. Nonnoſi loquelam obtinuit, & eâ ad hanc uſque horam ſine incommodo utitur. Eximium hoc beneficium in gratiarum actionem ad laudem perpetuam gloriamque magni abbatis Nonnoſi indicavit, & è publica cathedra promulgandum curavit. F

71 Mu-

A LXIII. *ſanat vulneratam è lapſu,*

71 Mulier quædam primaria, quæ nomen ſuum quibuſdam de cauſis non libenter manifeſtare vellet, ſcripto tamen ad honorem & gloriam S. Nonnoſi fatetur, ex improviſo lapſu ſibi vulnus illatum, quod non modò in dies magis & magis augebatur, ſed etiam maximos ſibi dolores adferebat. In tantis anguſtiis tantaque afflictione non aliò confugit, quàm ad magnum thaumaturgum S. Nonnoſum, in quo ſpem ſuam poſuit, vovens eidem ſe curaturam, ſacrum Miſſæ ſacrificium ad ipſius honorem celebrandum; atque inſuper utens oleo ex ejus lampade, quo ſe quotidie inungebat. Hæc faciens, breviſſimo tempore, nullo alio adhibito remedio, hoc corporis malo vulnereque acerbo liberata eſt. Hunc favorem in debitam gratiarum actionem, atque ad majorem honorem & gloriam ſancti patris Nonnoſi, è publico ſuggeſtu annuntiari voluit.

LXIV. *tuti & vulnus pueri.*

72 In pari afflictione Wilgefordis Kopfeder, habitans in Neuſtift, beneficam auxiliatricemque manum mirabilis S. Nonnoſi experta eſt: cùm enim ejus filiolus, Matthias nomine, novem annos natus, ſubitò corporis aliquod malum *b* incurriſſet, ignorabat miſera, quid cum filio ſuo ageret. Cùm autem mater puerum nollet chirurgo credere, omnia neglexit remedia naturalia, & ſumma cum fiducia ſe convertit, ad communem magnumque patrem & patronum S. Nonnoſum, potens ipſius patrocinium ardentiſſimè implorans, atque oleo ex ejus lampade filii ſui vulnus inungens. Hoc modo quamprimum omnis dolor deſiit, filiuſque malo corporis ſui omnino liberatus eſt, atque ita ſanatus, ut ne vel minimum ejus veſtigium remaneret. Qua de re jurati teſtes auditi ſunt & examinati per officium. Inſigne hoc atque inexplicabile beneficium in gratiarum actionem atque ad perpetuam laudem amplificationemque nominis S. Nonnoſi publicè è cathedra annuntiatum eſt.

b

B

LXV. *Mulier artuum dolore & ſtomachi malo liberata,*

73 Maria Marck, hîc pauper materfamilias, diu tantis membrorum & ſtomachi doloribus affecta erat, ut omni humano auxilio & remediis orbata, nullo modo ſciret, qua ratione ſe tanta afflictione & multiplicibus doloribus liberaret. Tandem in imbecillitate ſua, ſumma cum fiducia ad benignum patrem S. Nonnoſum confugit promiſitque, ſe in ipſius honorem ſtatæ aliquid devotionis perſoluturam, & nonnihil, quantùm per paupertatem ſuam poſſet, gazophylacio impoſituram. His factis, paulò pòſt potenti patrocinio S. Nonnoſi vehementi artuum dolore gravique ſtomachi imbecillitate liberata, & omnino ſanata fuit.

C

LXVI. *vir febri diuturna,*

74 Sebaſtianus Heinrich, faber lignarius in Vötting propè Friſingam, ſummis cum doloribus, & virium fatigatione totas octodecim hebdomadas febri tertiana conflictabatur, quâ eum nec medicorum ſubſidia, nec alia adhibita remedia poterant liberare. Verùm ſimulatque firma fide fiduciâque ad thaumaturgum patrem S. Nonnoſum confugit, eique promiſit præter preces quaſdam, aliudque devotionis exercitium, ſe curaturum, ut ſacrum Miſſæ ſacrificium ad ipſius honorem legeretur, confeſtim diuturna febri liberatus eſt, & priſtinam valetudinem feliciſſimè recuperavit. Excellens hoc beneficium deinde in debitam gratiarum actionem, & ad majorem honorem ſancti patris Nonnoſi indicavit, curavitque promulgari.

LXVII.

75 Laurentius Pals, honeſtus faber ferrarius Friſingenſis, in loco hîc Pichl dicto, teſtatur ſcripto, ſe ultra decem annos tantum in capite tinnitum ſuſtinuiſſe, ut ſiniſtræ auris auditum omnino amiſerit. Tempore tam diuturno plurima & varia remedia adhibuit. Verùm quando nullo eorum meliùs ſe habuit, nedum tali incommodo, gravique illa afflictione liberatus fuit; tandem ſpem ſuam poſuit in magno thaumaturgo S. Nonnoſo, ad quem confugit, vovens unum Miſſæ ſacrificium, atque exiguum quidpiam gazophylacio imponendum. Emiſſo voto, moleſtus ille in capite tinnitus quamprimum ceſſavit, atque amiſſum auditum potenti patrocinio S. Nonnoſi recuperavit.

EX IMPRESSIS GERMAN. *alius tinnitu in capite, quo uſum unius auris amiſerat,*

LXVIII. *ac gravi oculorum dolore.*

76 Alio tempore ſuprà dictus Laurentius Pals iterum manifeſtè in afflictionibus ſuis benignam opem magni S. Nonnoſi expertus eſt. Quippe, cùm ultra octo dies gravibus oculorum doloribus vexatus fuiſſet, iterum confugit ad auxiliatorem ſuum ſanctum patrem Nonnoſum; vovitque, ſe ad ſanationem oculorum impetrandam globulos precatorios coronæ Marianæ ſemel percurſurum, & aliquid gazophylacio impoſiturum. Tendit itaque ad cryptam & altare S. Nonnoſi, & promiſſas preces exorditur. Ecce autem prodigium! Dum ſacram corollam pervolvit, ſtatim ſentit meliùs ſe habere, eodemque momento dolor oculorum evanuit. Hæc duo magna beneficia in humillimam gratiarum actionem & ad laudem perpetuam magni S. Nonnoſi annotavit, & publicè è cathedra nuntiari curavit *c*.

E

ANNOTATA.

a *Locus hic in tabulis notatur prope Friſingam.*

b *Germanicè* Leib-ſchaden, *quod de vulnere aut ulcere intelligi poteſt. At, cùm poſtea vocetur* ruptur, *non dubito quin intelligenda ſit hernia.*

c *Hactenus Miracula Germanicè edita anno* 1711, *quibus ſubjungam alia deinceps patrata, atque ex Ms. Germanico Latinè reddita.*

MIRACULA

Facta a *ab anno* 1711 *uſque ad annum* 1744, *ex Ms. Germanico Latinè reddita interprete R. P. M. C.*

F *a*

Patrocinio S. Nonnoſi capitis collique dolor,

ANna Catharina Schuech Leuttnerim virgo ingenti capitis, collique dolore torquebatur: confugit ad ſanctum & prodigioſum patrem Nonnoſum, inungit ſe oleo ex ejus lampade, certis precibus perſolutis, & modico ære in gazophylacium injecto. Remiſit illico dolor. Deo & S. Nonnoſo infinitæ ſint grates!

febris, b

2 Simon Sämer ex pago Vötting, *b* febre, acutiſque capitis doloribus correptus, ſe S. Nonnoſo devovit, coronamque Marianam, & pecuniam Sancti honoribus impendendam promiſit. Non tam citò promiſit, ac illum febris reliquit. Sint Deo & S. Nonnoſo debitæ grates!

hernia,

3 Georgii Kizes piſtoris vires prominens tuber, accedenſque hernia cum magnis doloribus ita dejecit, ut impar ſuæ artis laboribus futurus crederetur.

EX MS. GERMAN.

deretur. Erexit illum oleum ex lampade S. Nonnoſi, quo ſe inunxit: poſtquam ceream illi imaginem, & monetam parvam ſe allaturum, & tres coronas recitaturum promiſit Sancto.

lateris & dentium dolor,

4 Anna Grafin, murarii & civis Friſingenſis uxor, integro propemodum anno inauditos lateris dolores perpeſſa eſt: momento convaluit; cùm ſe S. Nonnoſo prodigiis pleno nonniſi unico Roſario, & pecuniæ oblatione devovit. Eadem cum quinquenni ſua prole eumdem auxiliatum in acerbis dentium doloribus experta eſt, quamprimum ex voto geminam ceream imaginem ſe oblaturam adpromiſit.

hemiplexia,

5 Joannes Paulus Peibl, murarius in Vötting, ex parte ſiniſtra hemiplexiâ tactus, S. Nonnoſum in vota vocavit: adhibito ex lampade oleo, adjunctiſque certis precibus, vigori priſtino eſt reſtitutus, ſuoſque ad labores rediit.

excitas ex variolis,

6 Joannes Chriſtianus Carolus Immel, typographus aulicus, & ejuſdem uxor filiolum ſuum Joachimum Benedictum, ex variolis jam aliquot dies cæcum, ſancto patri Nonnoſo ex voto commendarunt, promiſſa modica in gazophylacium

B

oblatione, & ſtata oratione. Addidêre, ſi lumen oculorum rediret, curaturos ſe, ut beneficium hoc publicè ex cathedra promulgaretur. Mox inuncti ſunt oleo ex lampade oculi, viſus integer rediit, parenteſque cum ſumma gratiarum actione ſe voto liberarunt.

dolor dorſi,

7 Mariæ Maurerin Weihenſtephanenſi dolores dorſi vehementer incommodârunt. Lenivit hos, penituſque abſterſit oleum ex lampade S. Nonnoſi, quem patronum, promiſſo Miſſæ ſacrificio, geminis cereis, & precum penſo, fiduciæ plena invocaverat.

laterum & capitis dolores,

8 Geminum beneficium Maria Pichlerin ancilla ope S. Nonnoſi accepit. Primò doloribus laterum & cordis, hauſto ex lampade oleo, inunctiſque his partibus, remedium invenit, cultrum cereum cum recitatione Roſarii ex voti religione offerens. Dein vehementes capitis dolores illico ceſſarunt, cùm iteratò ex lampade oleum adhiberet, & oblato cereo capite, recitatâque coronâ Marianâ, ſancto Evergeti gratam ſe ſiſteret.

dolor pedis,

9 Similes in pede dolores unctione olei ex lampade inſtantaneè fuiſſe depulſos Franciſcus

C

Pey in collegiata ad S. Andreæ muſicus teſtatur; & in Sancti honorem cereum pedem, preces, & ſtatam pecuniæ ſummam obtulit.

dentium atriumque dolores,

10 In ſummis dentium auriumque doloribus votum fecit S. Nonnoſo Maria Helena Jacqueminin. Exaudita eſt, & votum exſolvit, dum ſtatas preces, & oblationem perſolvit publicéque beneficium promulgari curavit.

viſcerum tormina,

11 Guilielmo Schueſter ex urbe Landishutana viſcerum tormina prodigioſam S. Nonnoſi opem in memoriam revocârunt. Vovit peregrinationem, & cereum munus: atque illis votis ſanari cœpit.

malum cruris,

12 Maria Urſula Jochartin, cùm crura manuum pedumque vitium feciſſent, nec laborare, nec incedere potis erat; voto ad S. Nonnoſum facto, unico roſario, & certo anathemate valetudinem redemit.

convulſiones,

13 Mariam Annam Schumagerin, aulæ tubicinis conjugem, filiolus Franciſcus Nonnoſus, quem convulſiones ad extrema deduxerant, unicè ſolicitam habuit. Cùm ars omnis, & natura mederi renueret, præſto fuit S. Nonnoſus, cui Sacrum legendum voverat, & proles à funere, quod timebatur, revixit.

D

ulcera,

14 Infans nonniſi tredecim hebdomadas vivendo exegerat, & multis ulceribus ſqualebat. Parentes S. Nonnoſo in tutelam committunt, ungunt oleo ex ejuſdem lampade, & perſolutis pauculis precibus, poſitaque imagine cerea, convaleſcere vident.

convulſiones mortiferæ,

15 Undennis filiola Andreæ Manhart Magdalena, ſubitò convulſionibus obruta, nullum ampliùs vitæ ſignum dederat: cùm in mentem parenti venit S. Nonnoſum ſolicitare: fundit preces, Sacrumque legi curat, & poſtmodum priùs valere filiolam ſenſit, ac putavit. Ut beneficium omnibus innoteſceret, è cathedra publicari juſſit.

malum oculorum,

16 Ægidius Vinderle, qui fabro clavario operam dabat, tres jam menſes utriuſque oculi curandis doloribus remedium inquiſivit: ophthalmicum in S. Nonnoſo reperit, & pro tanto beneficio ſignum cereum, preces, & modicum æris gratus exſolvit.

ulcus,

17 Balthaſar Körnberger, ejuſdem artis, Landishuti natus, ulcere peſſimo, quod nulla arte coaluit, in dextro pede affligebatur: coivit vulnus, quamprimum oleum ex lampade S. Nonnoſi adhibuit, & piè precatus cerei anathematis monumentum, & aliquid ſtipis in gazo-

E

phylacio poſuit. Etiam hoc beneficium, cùm inſolens videretur, è cathedra eſt promulgatum.

febris cum tuſſi & pleuritide

18 Febris maligna, vehemens tuſſis, & inſuper pleuritis in Joannem Michaëlem Berckmann civem & lini textorem Friſingenſem incubuere, ita ut iis jam malis nihil humani remedii videretur ſuperare. Quare triplici hoc morbo feſtinare doctus, ad S. Nonnoſum accurrit, eumque ſtudet Medicum exorare, concepto diverſarum precum, cerei & pecuniarii muneris voto. Ille non difficilis adhuc illa nocte & febrim coëgit cedere, & tuſſis moleſtias, laterumque injurias tacere.

gemina alia neceſſitas,

19 Gemina, & gravis neceſſitas illuſtriſſimam dominam comitem de Trauner natam L. B. de Bodmann, ſupremi aulæ Campidonenſis *c* marſchalli conjugem, ad S. Nonnoſum confugere compulit. Manifeſtam Divi manum experta, ut gratam ſe fiſteret, nuntium miſit, qui aureum annulum adamante coronatum Friſingam ad divi Patroni lipſana deferret, & accepta beneficia palàm deprædicaret.

F

morbus patris & filiæ,

20 Duplicis pariter beneficii reum ſe fitit Henricus Baur, cùm ille gravi infirmitate detentus, invocata Sancti ope, iteratò convaluit, & ejuſdem filia Maria Catharina, in extremum vitæ diſcrimen adducta, feliciter evaſit. Hoc cæli munus, ut omnibus publicum fieret, votum religioſè concepit.

ulcus cum convulſionibus,

21 Maria Barbara Kärpfin, aulici muſici uxor, valetudinem filiæ ſuæ ejuſdem nominis, ſancto Abbati commendare maturavit, cùm geminum infeſtum ulcus, cui ingentes dolores, ipſæque convulſiones acceſſerant, vitam deſperare coëgit. Ruptum eſt illico ulcus, & momento convulſiones cum doloribus quievêre. Hilaris votum exſolvit, anno integro ad Divi aram corollam Marianam cum modico æris munere ſe texere velle pollicita.

aliud corporis malum,

22 Suam etiam ſanitatem diu graviter in quadam corporis parte afflictatam S. Nonnoſi patrocinio debet Joſephus Antonius Teneberger. Statas Divo preces promiſit, & publicam coram univerſa plebe accepti beneficii memoriam: & facilem in ſua vota flexit.

pedis & oculi dolores,

23 Poſtquam Urſula Pointnerin ex Garttezhauſem cum prole ſua in S. Nonnoſi tutelam con-

A conceſſit, adhibitum ex ejuſdem lampade oleum matri peracerbos in pede dolores ſuſtulit: proli ſanitatem oculi reddidit.

dorſi dolores & ventris,

24 Maria Gerblin, civis Friſingenſis uxor, ex graviſſimis dorſi ventriſque injuriis decubuit, promiſſis ſtatis precibus, & oblatione pecuniæ pro Sancti honoribus impendendæ, ægra ex invaletudine mox reſpiravit.

ac gemina filiola claudа ſanantur.

25 Saltu quodam Maria Anna Köglin, Hoſpitæ Underbruggii filiola, pedem graviter læſerat, ita ut multis chirurgorum conſiliis mediiſque infeliciter per aliquot annos adhibitis, mali vis prolixiùs creſceret, omnemque artem eluderet. Tandem mater eam, tutelæ S. Nonnoſi piè traditam, olei ex ejuſdem lampade in malè affecto pede inungit, effectu mirabili; nam & ſola paulò pòſt incedere cœpit, & libera progredi. Voto liberavit ſe mater, dum præter alia, promulgato ex cathedra beneficio, alteram alarem furculam, quâ filiola nitebatur, in grati animi munimentum ad Divi aram ſuſpendit. Crevit poſtmodum in matre fiducia, & altera vice S. Nonnoſum in ſua vota pronum experiri voluit. Prolem parvulam, quæ ſeſquiannum nulli pedi inſiſtere poterat, eodem inungit oleo, & illico firmare greſſus admirabunda conſpicit. EX MS GERMAN.

ANNOTATA.

a *Titulum hiſce Miraculis talem inveni præfixum:* Varia beneficia S. Nonnoſi clientibus præſtita, præſertim per oleum lampadis ad ipſius aram pendentis, ex ipſamet confeſſione ipſorum relata, ab anno MDCCXI uſque ad annum MDCCXLIV.

b *Pagus eſt Friſingæ vicinus.*

c Campodunum *urbs eſt Sueviæ ad Ilarum fluvium, dicta etiam* Campidona, *& vulgo* Kempten. *Habet inſignem abbatiam Ordinis S. Benedicti, cujus abbas eſt princeps imperii, & dominus territorii Campidonenſis.*

B

DE S. JUSTO EP. CLAROMONTANO

Cultus Sancti; ſynonymus ab eodem diverſus.

J. P.

SEC. VII ANTE ANNUM DCXXX. *Veneratio publica Sancti, quem Sammarthanus,*

C



Larus-Mons, *notiſſima Galliarum in Arvernia urbs, ac pluribus laudata apud nos die* XXIII *Auguſti pag.* 597, *& apud Dionyſium Sammarthanum tom.* 2 *Galliæ Chriſtianæ pag.* 221, *aliis ſuis epiſcopis vitæ ſanctimoniâ conſpicuis accenſet* S. Juſtum. *Nomen ejus ſignatur hac die inter feſta propria eccleſiæ Claromontanæ hoc modo:* Juſti ep. 9 l., *& in Ordine divini Officii pro anno* 1656, Juſti ep. & c. 9 l. *Sed nullam de eo lectionem vidi, quæſito apud nos & hactenus non reperto eccleſiæ iſtius Breviario. Apud Dionyſium Sammarthanum col.* 244 *inter ejuſdem eccleſiæ Claromontanæ præſules ſignatur vigeſimus primus* S. Juſtus, *cujus & cultum probat, & à ſynonymo archidiacono ita diſtinguit:* Gregorius Turon. *lib.* 1 *Hiſtoriæ Francorum cap.* 40, meminit S. Juſti archidiaconi his verbis: " Habuit (*S. Illidius*) & archi„ diaconum nomine & merito Juſtum, qui & „ curſum vitæ bonis conſummans operibus, ma„ giſtri tumulo ſociatur „. Unde liquet S. Juſtum epiſcopum, qui ineunte ſeculo VII hîc ſediſſe legitur, alium eſſe ab archidiacono S. Illidii, quarti Arvernorum epiſcopi, qui ab his temporibus adeo diſtabat. In ſacello baſilicæ S. Illidii legitur inſculptum tabulæ marmoreæ: " Ibi „ requieſcit ſanctus Juſtus Arverniæ urbis epi„ ſcopus „. Ibidem prope majus altare ex parte Euangelii viſitur S. Juſti tumulus marmoreus, cujus fornix facilè probat ipſius antiquitatem.

Ruinartius,

2 *Theodericus Ruinart in notis ad Gregorii à ſe editi verba, quæ Sammarthanus retulit, duos hoſce ſynonymos* Juſtos *non ſatis perſpectos habuit, dum iſta ſcripſit de archidiacono:* Memoratur inter Sanctos, qui in eccleſia S. Illidii quieſcebant, lib. 1 de eccleſ. Claromont. cap. 11 (*apud Savaronem*) quamquam epiſcopus mendosè in inſcriptione dicitur. Niſi fortè duo ſint Juſti, unus archidiaconus, & alter epiſcopus. Nam & in eodem libro cap. 14 Juſtus in eccleſia S. Cyrici quieſcere dicitur. V. Sirmond. in ep. 11 lib. 4 Sidonii. Juſti feſtum in Illidianis tabulis die XII Kal. Novembris memoratur. *Sed laudatus editor poſtmodùm inter Addenda & emendanda in notis ad Gregorium Turonenſem col.* 1401 Juſtum *epiſcopum ab archidiacono clarè diſtinguit.* In ſacello, *inquit*, S. Juſti, *quod eſt in baſilica S. Illidii*, ... habetur tabula marmorea cum variis figuris & hac inſcriptione: HIC REQUIESCIT SANCTUS JUSTUS ARVERNICÆ URBIS EPISCOPUS. Hunc porrò Juſtum alium eſſe à Juſto S. Illidii archidiacono, de quo Gregorius lib. 1 Hiſt. cap. 40, præter epiſcopi titulum, qui hîc Juſto attribuitur, ſuadet Hiſtoria tranſlationis S. Illidii, factæ anno MCCCXI; ubi Arbertus epiſcopus dicitur poſt elevatas SS. Illidii & Venerandi reliquias, ceterorum Sanctorum corpora, & potiſſimùm B. Nepotiani epiſcopi, & Juſti archidiaconi & diſcipuli S. Illidii, dimiſiſſe in ſuis locis propter difficultatem quærendi. Certè Juſtos duos habet libellus de Eccleſiis Claromontenſibus. Unde Savaro & poſt eum Sirmondus in lib. 4 epiſt. 11 Apollinaris Sidonii, Juſto inter epiſcopos Claromontenſes locum dederunt inter Avolum & Cæſarium.

F

& Sirmondus diſtinguunt à Juſto S. Illidii archidiacono: hic ſec. 4, *ille* 7 *vixit ante an.* 630.

3 *Sirmondus, quem citat Ruinartius, hæc habet:* Juſtus verò, qui in arca ſepulcrali, quæ in S. Illidii baſilica viſitur, Arvernæ urbis epiſcopus inſcribitur, non eſt Juſtus ille archidiaconus S. Illidii epiſcopi; ſed Juſtus alter, qui re ipſa fuit epiſcopus Arvernorum poſt Avolum, ante Cæſarium. Cujus ſanè nomen apud Gregorium Turonicum in epiſcoporum elencho quæri non debet, quia poſt Gregorium vixit. *Cæſarius, qui Sancto noſtro in epiſcopatu Arvernenſi ſeu Claromontano proximè ſucceſſit, interfuit concilio Remenſi, celebrato circa annum* 630 *vel, ut Labbeo viſum eſt*, 625. *Inter hunc antiſtitem & S. Avitum I, qui anno circiter* 594 *obiit, ſediſſe creduntur S. Deſideratus & Avolus, ac dein* S. Juſtus: *unde deducitur hunc poſtrè-*

AUCTORE J. P. *poſtremum poſt annum 595, qui Gregorio Turonenſi vitæ ultimus fuit, epiſcopatum gerere cœpiſſe, & haud dubiè ſeculo ſequente ad vitam feliciorem tranſiiſſe. At alter Juſtus, quem idem Gregorius laudat, ſeculo* IV *vixit: nam S. Illidius, cujus erat archidiaconus, mortuus eſt ante annum* 389, *uti probat Sammarthanus ſuprà citatus col.* 228. *Sauſſayus hunc Juſtum refert ad diem* XXI *Octobris; de quo videri tunc poterit. Ceteri Sancti, quorum facta eſt mentio, omnes eccleſiæ Arvernenſis antiſtites fuere: è quibus dedimus Venerandum* XVIII *Januarii, Deſideratum* XI *Februarii, Illidium* V *Junii, Avitum I* XXI *Auguſti. Nepotianum annuntiat Caſtellanus ad* XXI *Octobris.* D

DE S. COSMA EREMITA CONFESS.

VENETIIS.

J. P. ## § I. Recentiorum annuntiationes; antiquus cultus: locus, in quo aſſervatur corpus; ſcriptores; tempus vitæ.

B ANNO CIRCITER DCLVIII. *Sanctus refertur meritò ab hagiologis recentioribus,*

Antiquorum Martyrologorum, apud quos non novi mentionem fieri de hoc Sancto, ſilentium ſuppleverunt recentiores hagiologi, nomine ipſius inſcripto Faſtis ſacris, poſtquam ſacrum ejus corpus ex inſula Cretenſi, in qua Sanctus claruit, Venetias tranſlatum fuit. Belinus ad textum Uſuardi à ſe editum ſubdit iſta: Item ſancti Coſmæ, confeſſoris & eremitæ. *Grevenus:* Coſmæ confeſſoris, qui in inſula Cretenſi eremiticam vitam ducens quievit. *Belino conſonat Molanus. Galeſinius ita eum refert:* Venetiis, tranſlatio ſancti Coſmæ heremitæ & confeſſoris: cujus corpus è Creta inſula eò delatum eſt. *Addè Caniſium, Maurolycum, Ferrarium in Catalogo generali, & Caſtellanum. Meritò autem ſanctus ille Solitarius ſacris eorum Faſtis inſcriptus eſt, ut patebit è probatione cultûs publici, quem ſubdo.*

quia verum ac legitimum habet cultum Venetiis: C 2 *Ferrarius ſuprà citatus indicat in notis, eum haberi* in Tabulis eccleſiæ Venetæ die V hujus. *Ordo tamen recitandi divinum Officium ſecundum ritum eccleſiæ patriarchalis & diœceſis Venetiarum, ex decreto illuſtriſſimi D. Joannis Franciſci Mauroceni patriarchæ Veneti pro anno 1657 excuſus, à die 2 Septembris, in quem tunc incidebat dedicatio eccleſiæ patriarchalis, Sancti hujus feſtum transfert ad diem* XXIV *ejuſdem menſis, hoc modo celebrandum:* Coſmi, *ut ibi vocatur*, conf. ſem.. Corpus in E. R. S. Georgii major. (*fuit 2 hu.*) de com. 1. lo. M. Os Juſti. *Fortunatus Ulmus Venetus, & monachus Caſinenſis, qui Vitam* S. Coſmæ *vulgavit typis Venetis anno* 1612, *in ſuis ad eamdem notis pag.* 19 *indicans, ubi jaceat corpus, ſimulque edocens erectam Sancto fuiſſe aram*; Jacet, *inquit*, corpus in altari D. P. N. Benedicto, atque ipſi Eremitæ ſacro. *Cùm itaque ex his de publico ac legitimo Sancti cultu conſtet, plura hoc loco non addo, quæ occurrent in ſequentibus.*

ubi jacet corpus ejus publica veneratione honoratum. 3 *Locus S. Georgii Majoris, in quo ſacrum ejus corpus requieſcere jam diximus, deſcribitur ab Auguſtino Lubin in Abbatiarum Italiæ brevi notitia pag.* 410, *è qua delibo ſequentia:* Venetiis abbatia tit. Sancti Georgii Majoris, Ord. S. Benedicti . . , quæ, propter reliquias S. Stephani in ejus eccleſiam allatas, fuit etiam S. Georgii & S. Stephani nominata. Initium ſumpſit anno CMLXXXII à Joanne Mauroceno, nobili Duce, qui in ea monaſticam vitam duxit & propagavit, atque abbatis officio functus deceſſit. Inſulam, & S. Georgii jam extantem capellam ad cœnobium condendum dedit Memmus Tribunus. Donationis inſtrumentum refert Ughellus tomo 5 pag. 1272 & ſeqq., ubi ejus privilegia recenſentur.. *Eſt* omnium civitatis abbatiarum pulcherrima, ſita in regione S. Crucis. De ea Sanſovinus lib. 5, pag. *166. Hæc dicta ſint occaſione corporis S. Eremitæ noſtri à laudatam modò abbatiam tranſlati, de quæ re dicemus plura, quando egerimus de vita ejus.* E

Dantur notitiæ 4 *Petrus de Natalibus, qui floruit ſeculo* 14, lib. 8 *Catalogi Sanctorum cap.* 26 *pauca de illius geſtis memorat, præfixo illis titulo:* De ſancto Coſma confeſſore. *Deinde*, Coſmas confeſſor, *inquit*, natione Græcus, in inſula Cretenſi eremiticam vitam duxit: qui omnibus diebus vitæ ſuæ jejuniis & orationibus vacans in quodam antro reſedit, ubi & poſt laudabilem vitam in pace quievit IV Non. Septem. Cujus corpus cùm aliquo tempore in eodem ſpecu ſepultum quieviſſet, ab incolis loci intra civitatem tranſlatum eſt, ut honorificentiùs coleretur. Quod Deo & Sancto diſplicuiſſe evidenti ſigno apparuit. Nam, maxima æris ſiccitate ſuperveniente, arefacta eſt terra, & fames valida ſubſecuta: nec priùs, illapſâ de cælo pluviâ, fertilitas abundavit, donec ſanctum corpus ad locum ſui abdita reductum eſt. *Hæc tantilla Vita apud Petrum de Natalibus excuſa eſt.* F

de Vita 5 *Ulmus in annotationibus:* Extat, *inquit*, copioſior in manuſcripto anonymi auctoris, in noſtro cœnobio D. Georgii Majoris antiquitus ſervato; ex quo, & eodem Petro (*de Natalibus*) quicquid ſcripſimus, didicimus. *Hæc ille. Aliud verò apud nos eſt exemplar Ms. hoc titulo prænotatum:* Vita ſancti Coſmæ eremitæ & confeſſoris monachi Cretenſis, *quæ ad marginem deſumpta indicatur manu Henſchenii noſtri* ex cod. Reginæ Sueciæ de SS., quorum reliquiæ ſunt in monaſterio S. Georgii. *Sic incipit:* Dilectiſſimi, Creator & amator noſter nobis providit, qui ſui diadematis pretioſam gemmam Coſmam ſanctiſſimum, quem alteri genti ſubtraxit, nobis licèt immeritis patronum piiſſimum ad honorem & ſalutem totius Venetiæ dedit. *Auctor eſt anonymus, & cum Petro de Natalibus ſimilia*

de

A *de Sancto refert ; verùm , ubi ad tranſlationem corporis Venetias avecti digreditur , parergis indulget de Venetis. En ſpecimen :* Contigit ex negotiandi conſuetudine Venetiis navim exire , & ad eaſdem partes (*Cretenſis videlicet inſulæ*) venire : gens enim hæc amore libertatis paludes maritimas inhabitabat , & penè ſola eſt in mundo , quæ ſuæ nobilitatis antiquæ mores uſque ad hæc tempora ſtudio laudabili retineat.

ſcriptoribus, 6 Quia verò ſemel amore , ut diximus , libertatis acceſſibilia loca relinquentes , maluerunt in remotis paludibus habitare , & pacificè moribus & legibus ſuis contenti vivere , quàm duris exactionibus regum vel principum deſervire. *Hæc pauca è pluribus , quæ ibidem ſubduntur , retuliſſe ſit ſatis. Illud exemplar fortaſſis coincidit cum eo , ex quo partim ſua ſe didiciſſe , quæ de Sancto ſcripſit , indicabat Ulmus. Idem in Annotationibus pag.* 15 *de die mortis ipſius agens , hanc ſuggerit notitiam :* De die obitûs tam Petrus Natalites , quàm Molanus , & alii conſentiunt ; quem eumdem etiam manuſcriptum noſtrum præ ſe fert. *In noſtro quoque exemplari ſunt iſta :* Ideo infatigabiliter , quem præſtolabatur & ſitiebat , termino ſui laboris adhæſit die

B ſecunda menſis Septembris , hoc eſt , ingreſſus eſt viam omnis carnis.

ac de tempore mortis. 7 *Hujuſmodi igitur monumenta ſecutus , opinor , diem & annum mortis ita determinat Ulmus in Vita inferiùs apud nos num.* 5 : Quibus atque aliis innumeris virtutibus micans , ad cœlos .. pervenit IV Nonas Septembris anno poſt Chriſtum natum DCLVIII. *De die emortuali jam dictum : de anno autem obſervat iſta Ulmus in Annotationibus pag.* 15 *citatâ :* Nam tum in Natalite , tum in Ms. ſacrum Coſmæ cadaver quadringentos annos in Creta quieviſſe conſtat. Deportatum autem inde ad nos fuit .. anno MLVIII. Detrahantur itaque CCCC anni ; remanet annus DCLVIII , quo è vita migraſſe poſuimus. *Petrus de Natalibus , ſeu , uti eum Ulmus vocat , Natalites adverbium* ferè *quadringentis illis annis adjungit , quod & facit noſtrum Ms. anonymi ſuprà indicatum : in quorum fide anno* 658 *vò* circitèr *ſuprà appoſuimus.*

C

§ II. Corpus ex inſula Cretenſi Venetias tranſlatum ; ejuſdem ſtatus ; tranſlationis tempus ; exemplar , è quo hæc , & Sancti Vita datur.

Tranſlatio iſta non eodem modo narratur ; S*ancti* Coſmæ *tranſlatio ex inſula Cretenſi ad Venetos apud Petrum de Natalibus breviſſimè perſtringitur :* Poſt annos verò , *ait* , ferè CCCC corpus ipſum à Venetis navigantibus inde ſublatum eſt , & Venetias tranſlatum , atque in monaſterio ſancti Georgii Majoris reconditum , ubi ad præſens quieſcit. *Longè pluribus eam narrat , rerumque adjunctis ſatis miris veſtitam profert Ulmus infrà apud nos num.* 10 *& ſeqq. , indicans in Notationibus pag.* 16 , *unde iſta hauſerit :* Tranſlationis modum , *inquit* , non habet Natalites. Totum nos è manuſcripto prodimus. *Sed majoris auctoritatis eſſet iſta narratio , ſi de fide ac tempore ſcriptoris conſtaret.*

Similia in ſubſtantia etiam memorat noſtrum Ms. anonymi de modo , quo tranſlatio iſta contigit. AUCTORE J. P.

ſtatus corporis . 9 *Ulmus biographus num.* 13 *corpus apud Cretenſes aſſerit inventum eſſe* ita integrum , ut recèns conditum cuique mirum in modum videretur. *Sed idem auctor hæc ſcribit in Annotationibus pag.* 16 *:* Referentibus venerabilibus monachis , quibus , antequam clauderetur , licuit ipſum videre , nunc non eſt prorſus integrum : ſed æquè incorruptione ſanctitatem , atque corruptione aliqua vetuſtatem denotat. Caput à corpore ſeparatur , fractum , inquiunt , atque intrà corpus concluſum : pro quo ſupplebat olim caput ſancti Felicis confeſſoris , quod nunc curâ admodùm reverendi patris domni Michaëlis Alabardi abbatis argenteâ thecâ coopertum , palàm colendum proponitur. De hac re ſcheda olim arcæ ſanctiſ corporis affixa ita habet : " Caput
„ corpori annexum , eſt caput ſancti Felicis con-
„ feſſoris per ſereniſſimum imperatorem Karo-
„ lum (IV) ad has oras apportatum , recon-
„ ditumque in monaſterio hoc S. Georgii Ma-
„ joris Venetiarum , curâ ac diligentiâ R. P. D.
„ Gerardi Pante , abbatis monaſterii ptædicti , E
„ die VIII menſis Octobris anno Domini MCCCLXI.
„ Caput verò hujus S. Coſmæ confeſſoris in i-
„ pſo corpore eſt „.

tranſlationis tempus 10 " Corpus autem ipſum (*uti pergit ſcheda ſuperiùs citata*) prædicti confeſſoris beatiſ-
„ ſimi Coſmæ collocatum fuit in hoc jam dicto
„ monaſterio anno ab Incarnatione domini M-
„ LVIII , menſe Aprilis , Indictione undecima „.
Hinc patet , errare Wionem , qui deceptum ſequutus , & ipſe deceptus eſt. In calce manuſcripti habentur hæc verba non eo , quo manuſcriptum ipſum , exarata charactere , verùm ſubtiliori : " Tranſlatum autem fuit ipſum ſanctiſſi-
„ mum corpus ad hoc noſtrum monaſterium an-
„ no Dni MCCCCIII , menſe Apr. , Indictione
„ XI „. Quæ ſequens Wion , *ſicut obſervat Ulmus* , in Annotationibus ad S. Gerardi Vitam , tranſlationem è Creta eodem anno MCCCCIII ponit. Verùm è ſcheda ſuperiùs adducta liquet , annum MLVIII ponendum eſſe. Nam recèns & temerè manuſcripto addita verba indicantur , dum , uti ea hîc appoſuimus , tum charactere à manuſcripto diverſa ſunt , tum ad marginem F propter quædam alia , quæ in Ms. ſequuntur , deſinere coguntur. Sed quamvis ſtultè addita , libet tamen erroris cauſam conjectare.

perperam alibi ſignatum , 11 Undecima Indictio anno Domini milleſimo quinquageſimo octavo , undecima etiam anno milleſimo quadringenteſimo tertio. Qui ergo ea appoſuit , legerat fortaſſe Coſmam Indictione undecimâ menſe Aprilis Venetias deductum, nullâ habitâ anni memoriâ : quem ex Indictione vaticinari aggreſſus eſt , voto tamen fruſtratus. Nam adductum tempus annorum MCCCCIII refellit primùm ea , quam ſuprà vidimus , ſcheda : tum fortiùs Ms. alterum , quod de tranſlatione D. Pauli martyris agit : ubi hæc inter cætera leguntur : " Poteſt , ſicut credimus , de tali
„ manſione gaudere , ubi conſociatus eſt bea-
„ tiſſimo Stephano Prothomartyri digniſſimo ,
„ Coſmæ atque Damiano martyribus , nec non
„ etiam Coſmæ confeſſori ſanctiſſimo „. Deductio autem B. Pauli martyris Byzantio Venetias evenit anno Domini MCCXXII , ſcriptorque tranſlationis ejuſdem viſa , aut ab aliis audita prodit.

& hîc correctum 12 Inquit enim inter cætera , loquens de Marino Storlato Conſtantinopoli tunc præfecto ,

AUCTORE J. P.

qui religioso operi favit : " Qui dominus Mari-
„ nus pro eo, quòd illius parentes ex antiquo
„ apud monasterium sancti Georgii tumulantur,
„ & ipse credit tumulari, diligit monasterium &
„ confratres „. Contemporaneum Marino Storlato, ac proinde memoratæ Pauli martyris translationi habes auctorem ex eis verbis : " Ipse
„ credit tumulari, diligit monasterium & con-
„ fratres „. Quare si anno MCCXXII Cosmas ex oculato teste in templo nostro jacebat, cui D. Paulus martyr sociatus est ; quomodo ad nos anno postea MCCCCIII deductus ? Falsa itaque ad manuscriptum additio : vera autem sunt, quæ scheda profert : debeturque sanè præcipuus Cosmæ honor ob adventûs primas. Quippe etiam ante Prothomartyris translationem ad nos deductum * fuit.

* *l.* deductus *exhibetur.*

13 *Quisnam sit* Felix *iste* confessor *suprà nominatus, me latet.* Gerardi *verò Vita, seu breve potius Vitæ compendium, & Wionis ad illam annotationes reperiri possunt apud eumdem Wionem in Ligno vitæ. De eodem sæpiùs fiet mentio in Actis S. Stephani Hungariæ regis mox dandis.*

B D. Paulus martyr, *qui dein occurrit, eumdem esse credo cum S. Paulo episcopo Constantinopolitano & martyre, de quo actum est ad diem* VII *Junii. Ex antea deductis corrigendum etiam est apographum nostrum, in quo leguntur hæc verba :* Translatum autem fuit ipsum sanctissimum corpus ad hoc nostrum monasterium anno Domini millesimo quadringentesimo tertio, mense Aprili, Indictione undecima, post obitum sanctissimum anno quadringentesimo ferè. *Dum verò dicit* ad hoc nostrum monasterium, *satis perspicuè indicat, hujus translationis scriptorem S. Gregorii Majoris apud Venetos ascetam fuisse.*

14 *Quoniam præter illa, quæ de* S. Cosmæ *Vita ac translatione jam dicta sunt, à Fortunato Ulmo monacho Casinensi editis, ac F. Alexio Barocio, ex patricio Veneto eremita Camaldulensi, & in curia Romana procuratori generali dedicatis, nihil ferè supereſt prænotandum, ac paucula, quæ restant, habitura sunt locum in Annotatis ; lectoris oculis legenda subjicio, quæ dictus biographus ad posteros transmisit, in capita ac numeros à me divisa, prout hic vides. Prodiit autem exemplar, quod habemus,* ex S.

Acta edenda.

C Georgii Majoris Venetiarum, *datumque* ex dono reverendissimi P. Bonaventuræ Barotii Veneti, abbatis Benedictini congregationis Casinensis . . MDCLX.

VITA

Auctore Fortunato Ulmo, monacho Casinensi, Venetiis edita.

CAPUT I.

Sanctus variis in solitudine virtutibus illustris.

Variæ sunt Sanctorum ad cælum viæ,

SPlendentia Sanctorum agmina potissimùm varietate coruscant. Ita sanè rerum omnium Moderator per distincta itinera electos ad cœlum deducit, ut nulla hîc virtus prætermittatur, nullius ab sacris illis sedibus virtutis præmia procul absint. Neque enim omnes purpureo martyrii decore insignitos voluit ; verùm provido consilio disposuit, ut, quibus sævi deessent carnifices, prompta sufficeret voluntas ; aliáque planè adessent vivendi genera, quibus, si luberet, etiam ingenti laude perpetuam sibi quisque gloriam compararet. D

2 Ut de reliquis sileamus, sacer se nobis offert anachoritarum cœtus, eò magis spectandus, quò, qui in illo adscribuntur, humano prorsus destituti solamine adversùs invisibilia dæmonia soli Deo fidentes, diuturnâ pugnâ bellare noscuntur. Quibus sanè præcipua prærogativa donatur, ut, dum caducis exuti cupiditatibus, diviniſque incensi ardoribus comprobantur ; non homines, sed angeli adhuc in terris positi meritò nuncupentur. Inter hos beatissimus Cosmas, cujus hodie illustris est dies, maximè fulgere conspicitur. Qui in Creta insula *a* incultæ solitudinis cultor egregius angelicæ prorsus vitæ, quoad in humanis extitit, sese conformare studuit. *inter quas est vita solitaria.* *a*

E

3 Cœlestium enim contemplationi, & orationi quotidie vacans, in horrido antro sedebat, promptum omnipotenti Domino famulatum hilaris exhibens. Dilectæ nimirum solitudinis parietibus septus corpus proprium jejuniis, vigiliis, exteriorique opere extenuans, ipsum spiritui servire cogebat. Æstus & frigoris patiens, quietis negligens reluctantem carnem miro quodam studio exercebat. Bellandi porrò cum dæmone apprimè artibus eruditus, intestinis vexationibus, quibus quotidie agitabatur, facillimè obstitit. Quare de virtute transiens in virtutem, profectibus prioribus * oblitus, semper ad altiora conscendebat. *Hanc S. Cosmas*

* *l.* profectus priores

4 Proficiendi namque desiderio succensus, quò magis proficiebat, eò ampliùs Deo appropiare conabatur. Semper de Deo cogitabat semper ad illum anhelabat ; cui ut amabilis fieret, non diebus, non noctibus à probis operibus torpescebat. Mentis autem oculos in æternitatis contemplatione levans, inane prorsus æstimabat omne, quod transit. Cumque te divino favente lumine, intra solitudinis secreta concluſum agnosceret : gratias Deo referebat, qui eum ab sæculi tumultu eduxerat, quò ab humanis perturbationibus divina foret protectione securus. *egregiis virtutibus*

F

5 Sæculum oderat, atque ejus amatoribus mirùm in modum compatiebatur : pro quibus assiduos emittens gemitus piissimus Dei clementiam exposcebat. His Vir sanctissimus in solitudine sese exercebat, circa quæ versans speciosa deserti pinguia reddebat. Quibus, atque aliis innumeris virtutibus micans, ad cœlos demum, quò suos gressus direxerat coronâ redimitus immortalitatis pervenit IV Nonas Septembris anno post Christum natum DCLVIII, atque in eadem spelunca, in qua vivens latuerat, sepultus est. *condecoraſi vit,*

6 Ubi cùm aliquamdiu servaretur, ac frequens ad antrum accessus à vicinis accolis fieret, eis tandem maxima in Eremitam pietate è loco horroris & vastæ solitudinis corpus abducere, atque intra oppidum ornatissimo in loco condere visum est. Ita enim & Sanctum dignius colendum, & sibi ad venerabile sepulchrum faciliùs iter futurum rebantur. Quæ quidem humanis consiliis provisa, ut divinis repugnaverint, sequen- *cælestibus*

A sequentia indicio extitere. Vel enim exin clausum cœlum pluviæ munus retinuit, vel apertum segetes grandinibus consumpsit.

etiam 7 Tum quamdiu intra sæculares tumultus sancti Eremitæ corpus jacuit, tamdiu, ipso Divo precante, diræ siccitates, proinde ingentes rei frumentariæ angustiæ perdurarunt. Quod cùm homines illi infeliciter experirentur, viderenturque Eliæ tempora exsuscitata, quando ad prophetæ preces clausum est cœlum annis tri-
b bus, & mensibus sex *b*; ambigui unde tam gravis animadversio prodiret, flagitiis primùm, pòst deductioni memoratæ causam, Deo inspirante, adscripsere.

favoribus 8 Meliùs itaque, si unde amotum fuerat, sacrum reponeretur corpus, sibi consulturos rati, ad amicum antrum denuo reduxere. Fluxit illicò aquarum larga benedictio, roraruntque cœli desuper, & pluvias emiserunt, cunctas regionis partes inundantes, manifesto placati Numinis indicio, docuitque rudiores homines peractum miraculum, interdum etiam ab iis, quæ honesta, quæque pia censemus, honestiùs, sanctiùsque
B abstinendum. Mansit eò loci ad quadringentos annos eximio gentium cultu: à quibus ad Divi sepulchrum longum atque arduum intercedebat iter, eò gratius Deo, atque ipsi Eremitæ, quò difficiliùs, & laboriosiùs susceptum.

post mortem clarus. 9 Cæterùm, ut valida quæcumque initio, denique spatio languescunt, etiam ingens ille planè ardor fidelium, corruptæ naturæ vitio, temporum postea diuturnitate defecerat. Sed Deus æternus Sanctorum amator, qui perpetuum Cœlitibus cultum à nobis præstari exigit, locum venerationi aptiorem, ad quem tamen juxta beati Eremitæ placitum non omnibus facilè pateret accessus, Venetiis elegerat; angustas scilicet nostras oras, quas tam nobili munere libuit illustrare. Id quando, & quomodo evenerit, sequentia indicabunt.

ANNOTATA.

a *Hæc insula Europæ perampla est in mari Mediterraneo inter Creticum mare ab ea dictum ad Septemtrionem, & Lybicum mare ad Meridiem, aliis quondam nominibus appellata, nunc*
C *autem vulgò* Candia. *Si quis de illa velit plura, adeat geographos.*

b *Consuli potest liber* 3 *Regum cap.* 17 ℣. 1, *& cap.* 18 ℣. 1.

CAPUT II.

Translatio corporis Venetias.

Corpus ex insula Cretensi a CRetæ insula necdum in ditionem Venetam cesserat *a*. Eò tamen exoticarum mercium deducendarum gratiâ onerariæ naves in dies properabant. Quem etiamnum adnavigandi morem Veneti mercatores servant: qui barbaras usque regiones ingentibus ausis pro mercimoniis petere non verentur. Igitur è plurimis, quæ ad memoratam tendebant insulam, fausto omine Venetorum navis eò appulit; in qua non plus divitiarum, quàm religioni studentium virorum caterva vehebatur. Qui quidem Cosmæ famâ illecti, cùm de ejus corporis raptu taciti secum volverent, huc sanè animum, atque ad negotia vires intendebant, inscii fortasse, an propitio, adversove Cosmæ numine rem tantam aggressuri essent. Cui rei etiam Cretensium terror addebatur: quibus, si furtum tentatum esse notum fieret, ad rapientium profectò exitium facilis eorum conversio foret. A. FORTUNATO ULMO.

miro modo 11 His animum quatientibus, ambiguos ipse Divus quoscumque abstulit cogitatus, noctuque per visum uni eorum apparens, tales forsitan somniantem curas, ut tutissimò à Deo datum Corpus Venetias abducerent, pleniùs admonuit. Cujus rei ille somno solutus socios admonens, ut feliciter conceptum explerent propositum, hortatus est. Quamobrem à timore ad spem sese invicem revocantes, statutam diem, quâ ad antrum unà accederent, elegerunt. Ea igitur ut primùm illuxit, alacres quidem singuli properabant, dumetum, ac ferè * ob spinarum densitatem invium iter gradientes. * *f.* ad dumetum, ferè ob spinarum *&c.*

è spelunca tollitur, 12 E quibus religiosiores alii nudatis plantis, pars minùs compunctè tectis pedibus incedebant. Tunc res mira prorsus, quæ & Cosmæ sanctitatem confirmaret, & omni Venetos cunctatione eximeret, contigit. Eos enim, qui detractis pe-
E dulis *b* ad sepulchrum iter habebant, minimè spinarum asperitas læsit: illorum verò pedes, qui calciati * eò properabant, stimulis haud penè ferendis transfigebantur. Itaque re nova excitati, gaudio inenarrabili replebantur, Dominoque, qui prosperam eorum navigationem reddidisset, gratias ardentiores solvebant. Singuli igitur pariter ad speluncam accedentes, flexis poplitibus preces ad Deum & ipsum Eremitam mittunt, raptui religioso avidiùs incumbentes. *b* * *l.* calceati

ac Venetiæ transfertur. 13 Ingressus ad speluncam difficilis planè extitit, ac fenestra arctissima, quâ vix unius hominis corpus transiret, aditum præbuit: per quam ingredientes, preciosum thesaurum ita integrum invenere, ut recèns conditum * cuique mirum in modum videretur. Omni itaque religione illinc extrahentes, atque ad propriam navim cautè ducentes, quamprimum tranquillo mari, cœloque sereno digressi, anno a Virginis partu MLVIII Venetias ad hanc insulam D. Georgii, mense Aprilis, Indictione XI, die XX deduxere, necdum primo transacto sæculo, quo monachi insulam incolere cœperant *c*: quam etiam primus nobili præsentia illustrare dignatus est. * *l.* conditus *c*

F *Laudatur Deus* 14 Res omnes ejus gestas, ut cupimus, recolere, non valemus: secretior enim ab ipso vivendi ratio delecta, soli Deo uti charum, ita cognitum fecit. Hominibus verò non nisi ab ipsius obitu, quanti meriti vivens extiterit, patuit. Vixit Deo dumtaxat, & sibi: hinc soli Deo, sibique notus. Sufficiant nobis itaque vel invitis pauca, quæ de ipso scripsimus, quibus nec ob plura ardentior forsitan religio accresceret. Scilicet quia imitari Sanctos contemnimus, justè agens Dominus reconditas illorum actiones sæpiùs celat, ne frustra nobis exempla ponantur, quibus sectandis nullum prorsus studium adhibemus.

in Sancto, etiamsi vix noto 15 Ab ejusdem igitur piissimi Domini miseratione haud abest, quod geritur: quippe cùm novissimo illo die tot nobis adversantes futuri sint judices, quot ad rectè vivendum habuerimus exempla bonorum. Cæterùm aliàs Dominum collaudemus, cujus sanè providentiâ factum est, ut neutiquam singulæ beati Eremitæ res gestæ obliterarentur: sed eorum ad nos saltem memoria deveniret, quæ de sanctitate ejus certos nos reddere possent.

A. FORTUNATO ULMO. *& patrocinium ejus proponitur.*

16 Quem enim hodie colere ſtudemus, ex operibus juſtificatum miracula poſt mortem, ut audivimus, peracta demonſtrant; ut ſi ad ipſius auxilium confugere vel in hac ſolennitate velimus, ex ſanctitatis ipſius certitudine patrocinium non defuturum ſciamus. Miſericordem igitur Dominum precemur, ut æquè illæ, quas ſcimus, actiones nos excitent, atque ea, quæ ignoramus, ejus præclara merita nos adjuvent; quatenus utriſque mediis ad ſuperna polorum gaudia pervenire valeamus, præſtante D. N. Jeſu Chriſto, qui cum Patre, & Spiritu Sancto vivit, & regnat Deus in ſæcula ſæculorum. Amen.

ANNOTATA.

a Paruit olim hæc inſula imperatoribus Conſtantinopolitanis, ex quibus Balduinus Flandriæ comes eam dedit marchioni Montisferrati: ab iſto autem vendita fuit Venetis magno auri pretio anno MCXCIV *: ſed ab anno MDCXLV bello tentata à Turcis, tandem ipſis tota ceſſit anno MDCLXIX, Venetis ægrè tria fortalitia littoralia ſervantibus, nempe Sudam, Garabuſam, & Spinam longam *, *prout obſervat Baudrandus. Corpus autem* S. Coſmæ *Venetias delatum fuiſſe ſcribitur infrà num.* 13 anno à Virginis partu MLVIII, *de quo anno plura dicuntur in Commentario prævio. Tunc itaque Creta nondum parebat Venetis, ſecundum dicta. His addi poſſunt, quæ alibi lego, inſulam videlicet hanc non fuiſſe* Candiam *appellatam, niſi poſtquam fundata fuit* Candia *urbs ejuſdem primaria, à qua nomen traxit, id eſt, à ſeculo nono; eamque tunc paruiſſe Saracenis; ſeculo autem decimo, anno 962 à Nicephoro Phoca recuperatam.*

D

* *al.* 1204

* *al.* Sudam, & Spinam longam *tantùm*

b Pedules *ſunt* pedum indumenta, tibialia, PEDULI, Italis, *uti habet Cangius, ubi plura.*

c *Nam anno 982 hanc abbatiam ſumpſiſſe exordium, in Commentario habes num.* 3.

B

DE SANCTO AGRICOLO

E

EPISCOPO ET PATRONO AVENIONENSI

IN GALLIA,

J. S.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§ I. Legitimus ac celeber Sancti cultus apud Avenionenſes.

ANNO DCC, UT FERTUR. *Memoria Sancti annuntiata ſeculo* 15,

C

QUamvis *memoria* S. Agricoli *Avenionenſis epiſcopi nec antiquis adſcripta legatur Martyrologiis, nec hodierno Romano hactenus ſit inſerta, conſtat tamen de legitima ejus veneratione ſatis antiqua, eumdemque commemorarunt plerique martyrologi recentiores. Florarium noſtrum Ms. ad* 2 *Septembris ſic habet:* Item ſanctorum epiſcoporum Colmanni & Agricolæ Avennicæ civitatis. *Avenio apud S. Gregorium Turonenſem alioſque* Avennica civitas *vocatur, ita ut nullum videatur dubium, quin ille ſeculi* XV *ſcriptor deſignare voluerit* S. Agricolum *Avenionenſem, de quo agimus. At non ſatis certò perſpicio, quem illi adjunctum velit* Colmannum *epiſcopum Avenionenſem; cùm nullum inter epiſcopos Avenionenſes reperiam iſtius nominis. Suſpicor tamen deſignari S. Magnum* Agricoli *patrem & deceſſorem, quem forſan repererit cum* S. Agricolo *memoratum, cujuſque nomen luxaverit, ut aliàs non raro facit idem ſcriptor. Certè hæc conjectura mihi apparet veriſimilis; tum quia S. Magnum Avenionenſem alibi non annuntiat hagiologus iſte, tum quia utriuſque Sancti corpora ſimul tranſlata ſunt & conjuncta ſeculo* XIV, *ut videbimus: nam hæc ratio eſſe potuit, cur illos ſimul hoc die commemoraverit laudatus ſcriptor.*

2 *Grevenus in Auctariis ad Uſuardum eodem die ſanctum Antiſtitem annuntiat his verbis:* Agricoli epiſcopi Avinionenſis & confeſſoris. *Prolixum ex Actis elogium texuit Sauſſayus, Verùm ex eo huc tantùm transfero poſtremam partem, quæ ſpectat ad cultum Sancti, ejuſque poſthumam gloriam:* Poſtea, *inquit*, ob crebras miraculorum coruſcationes, quibus urbi civibuſque perpetim ſuffragatur, unà cum ſancti Magni ſui parentis pretioſo cadavere, oſſa ejus ad ædem glorioſæ Virginis tranſlata fuerunt veneranda: dehinc ad ſui nominis ſacram ædem, quæ canonicorum ſodalitio inſignitur, delata, ſæpiuſque ornatioribus loculis incluſa: tandem in thecis argenteis ſub majori altare repoſita, eâ, quâ par eſt, religione obſervantur. Experiuntur in dies cives tanti Tutelaris virtutem, cujus patrocinio præpotenti, cùm ſæpe ab excidio, tum maximè ab hæreſis lue, ipſa Avenionenſis civitas ſervata hactenus creditur. *Duo in hiſce corrigenda ſunt, videlicet aſſerta tranſlatio ad ædem beatæ Virginis, in qua Sanctus ab initio ſepultus; quodque de thecis argenteis deinde dicitur. Eumdem Sanctum hodie annuntiant Ferrarius in Catalogo Generali, Martyrologium novum Pariſienſe, Menardus in Martyrologio Benedictino, aliique, quorum verba adferre minimè eſt opus. Coli Sanctum Avenione die* 2 *Septembris ut patronum, confirmant varii, qui de epiſcopis Avenionenſibus ſcripſerunt; ejuſque cultûs antiquitas patebit ex Actis infrà dandis.*

F

& paſſim apud recentiores: cultus ſatis antiquus,

3 *Varias obſervationes in Vitam, reliquias, & cultum* S. Agricoli *nobis nuper humaniſſimè tranſmiſit Reverendus admodum dominus de Brantes theſaurarius & pœnitentiarius eccleſiæ metropolitanæ Avenionenſis. Ex hiſce ad hunc locum transfero obſervata de hodierno Sancti cultu:*

& celeberrimus, ut patroni urbis Avenionenſis:

A *tu : Primò* S. Agricolus *patronus non eſt diœceſis Avenionenſis , ſed ſolius urbis. Feſtivitas ejus celebratur ritu duplici primæ claſſis cum Octava , atque eſt celebranda cum ceſſatione ab opere ſervili :* Excellentiſſimus prolegatus , *inquit Gallicè* , qui eſt vicarius ſummi Pontificis atque urbis gubernator , comitantibus eum omnibus aulicis ac dominis conſulibus , ſolemni cum apparatu aſſiſtit primis Veſperis , poſtridieque Miſſæ ſolemniter decantatæ : populique concurſus ad eccleſiam Sancti maximus eſt. Sub veſperam caput Sancti circumfertur in longo ſupplicantium agmine ; ac reverſis datur benedictio venerabilis Sacramenti. Circa noctis initium ſumptibus urbis exſtruuntur ignes artificioſi , quibus feſtivitas terminatur.

Officium antiquum , cui novum nuper ſubſtitutum :

4 Quod ſpectat ad Officium Sancti , ſola eccleſia ipſius nomine inſignita utitur Officio proprio. In ceteris urbis eccleſiis recitatur Officium commune. Aliæ ex his recitant in ſecundo nocturno tres lectiones ex Vita depromptas , aliæ verò omnes de communi. *Habeo in manibus Officium Sancti , impreſſum Avenione anno* 1671,

B *quod dicebatur in ejus eccleſia. Habet in ſecundo nocturno lectiones de Vita pro tota Octava. Verùm illæ lectiones ſunt ipſa Acta , quæ dabimus , ita ut neceſſe non ſit ex iis quidquam huc transferre. Antiphonæ quidem , hymni , reſponſoria & capitula ad Sancti patrocinium ejuſque beneficia frequenter alludunt , ſed nulla continent facta , quæ in Actis non leguntur. Officium hoc ante paucos annos abrogavit , teſte laudato de Brantes , novumque ſubſtituit Franciſcus Mauritius de Gonteri archiepiſcopus Avenionenſis , anno* 1742 *defunctus. Novum iſtud Officium , mandante archiepiſcopo , concinnavit Franciſcus Anſelme canonicus eccleſiæ* S. Agricoli , *illudque uſui eſſe cœpit anno* 1741. *Hymnos hujuſce Officii nobis communicatos lectorum oculis objiciam , cùm ea Sancti geſta contineant, quæ certiora credunt Avenionenſes.*

5 *Hymnus ad Matutinum :*

ex hoc dantur hymni , in quibus geſta ante epiſcopatum ,

C Umbræ diffugiunt , ſurgimus ociùs ;
Illabens tenebris provehitur dies :
Plaudant Agricolo cantibus angeli ,
Sanctum dum canimus melos.
Magni progenies , Albiadum genus ,
Mundi delicias abjicit , & fugit ,
Virtutum retinens ſemina , quæ patet
Imis cordibus inſerit.
Famâ ſat pelago nobilis inſula ,
Quâ ſanctos aluit Gallia præſules :
Has ſedes habitant relligio , fides ;
Illuc impiger advolat.
Quò te Sancte ? Tuos ſiccine deſeris ?
Votis Avenio te vocat , expetit.
Illuſtras meritis , & precibus foves.
Ad nos tu citiùs redi.
* archidiaconus Clero mox oculus * præficitur redux ,
Theſauros aperit pauperibus ſacros ,
Commiſſas viduas paſcit , & integer
Præludit modò pontifex.
Uni ſit Domino perpetuum decus ,
Qui nunc Agricolum contuitu beat ,
Ut nos cælitibus civibus inferat ,
Cives qui patriæ ſumus.

6 *Ad Laudes :*

in epiſcopatu ,

Nobis lux oritur , ſol micat igneus :
Feſtivum , populi , dicite canticum ;
Aptentur ſociis organa vocibus ,
Et dulci reſonent ſono.
Mox in pontificem Magnus inungitur ,
Et plenus meritis æthereos ſubit :
Sacris induitur Filius infulis ,
Hæres promeritus patris.
Mirum , quo populos imperio regit :
Noſcit Paſtor oves , moribus inſtruit ,
Exemplis revocat , nocte , die vigil
Chriſto filiolos parit.
Creſcit ſancta fides , plebs nova naſcitur ,
Templi tunc Domino mœnia conſecrat ,
Auget redditibus , ditat , & inſcius
Templum jam ſibi præparat.
Proh mœror ! rapitur Præſul amabilis ,
Paſtor deliciæ , paſtor amor gregis :
Cælum mox penetrans , in ſuperûm choros
Felix ſpiritus evolat.
Uni ſit Domino *&c. ut ſuprà.*

AUCTORE J. S.

7 *Ad utraſque Veſperas :* *ac miracula memorantur ;*

Quem cælis celebrant agmina cælitum ,
Quem terris reſonant ora fidelium ,
Felix Avenio , Pontificem tuum ,
Civem noſceque filium.
Jam te ſumma beat gloria Numinis ;
Menti , totus amor , ſe Deus explicat :
Aris relliquiæ lampadibus nitent ,
Sacris eſt honor oſſibus. E
Urbis tu columen rebus in arduis :
Imbres ſponte fluunt arbitrio tui ;
Meſſes terra parit , vinea germinat ,
Cùm tu nubibus imperas.
Vaſtant innumeræ rura ciconiæ ,
Urbem peſtiferis anguibus inquinant :
Has juſſu removes , munere quo Patris
Jam nunc novimus alites.
Sævit , falſa vomens , hæreſis impia ,
Tentat per cuneos gliſcere per gregem :
Nobis tu vigilas , mœnia protegis ,
Miris & facibus fugas.

Hæc omnia lumen accipient ex Actis infrà edendis. Ciconiæ autem vocantur Patris , *ſeu* S. Agricoli , alites , *quia illas pro inſignibus geſtat Sanctus , qui cum ciconia pingitur in imagine nobis tranſmiſſa.*

8 *Hiſce demum addo antiphonas aliquot. Ad* Magnificat *in primis Veſperis hæc occurrit :* Hodie Agricolus cælos aſcendit , hodie ſancta per urbem aguntur ſolemnia : lætetur terra noſtra natalitiis ejus glorioſa. *Ad* Benedictus *in Laudibus :* Super ſpeculam Domini ego ſum , ſtans jugiter per diem : & ſuper cuſtodiam meam ego ſum , ſtans totis noctibus. *Ad* Magnificat *in ſecundis Veſperis :* Hic eſt Sacerdos Altiſſimi , qui pro populo ſuo ſemper orat ad Dominum , & in tempore tribulationis factus eſt reconciliatio. *Demum oratio Officii hæc eſt :* Deus , qui nobis ad gloriam hujuſce urbis manifeſtandam B. Agricolum , confeſſorem tuum atque pontificem , concivem & patronum tribuiſti : concede propitius , ita nos ejus ſemper patrocinio defendi , ut petita efficaciter aſſecuti , ipſius concives eſſe mereamur in cælis. Per *&c. Hactenus de Officio , ex quo plura deſumenda non cenſeo.* *antiphonæ & oratio , quæ indicant patrocinium Sancti ,* F

9 *Sancti patrocinium præcipuè invocari ad impetrandam pluviam , aut aeris ſerenitatem , ejuſque caput hac de cauſa circumferri in ſupplicatione , breviter innuunt Acta num.* 12 , *illudque magis confirmabimus. Verùm obſervandum eſt , varias fuiſſe Sacri corporis tranſlationes , quas ordine chronologico diſcutiemus poſt geſtorum chronologiam. In una autem ex primis tranſlationibus caput Sancti ſeorſum fuit poſitum. De hoc capite ſæpè jam memoratus dominus de Brantes ſic ſcribit :* Quod ſpectat ad ca- *quod præcipuè imploratur ad impetrandam pluviam aut ſerenitatem :*

AUCTORE J. S.

put S. Agricoli, involutum fuit panno aureis filis texto, incluſumque ſtatuæ dimidiatæ ex argento inaurato, quæ venerationi exponitur, atque à ſupplicantibus circumfertur. *Illius dimidiatæ ſtatuæ figuram æri incidendam dedi chalcographo noſtro, ſed contractam in formam minorem, ut tomo commodiùs inſeri poſſet. Sic igitur eam hîc exhibeo.*

ſupplicatio cum capite Sancti hac de cauſa inſtitui ſolita

10 *Accipe nunc, quibus cæremoniis ad impetrandam pluviam aut ſerenitatem utantur Avenionenſes:* In neceſſitatibus publicis, *inquit Dominus de Brantes*, & præſertim ad ſerenitatem aëris, aut magis etiam ad pluviam impetrandam (nam pluvia rara eſt in hac regione, frequenſque ſiccitas) in longo ſupplicantium agmine circumfertur Sancti noſtri caput, aut illud ſolùm in eccleſia ſua venerationi fidelium exponitur. Domini conſules hac de cauſa accedunt illuſtriſſimum dominum archiepiſcopum, eique ſignificant, neceſſitatem exigere, ut exponatur aut circumferatur venerabile caput S. Agricoli. Antiſtes ad preces eorum mandatum conſcribit, quod domini illi exhibendum cu-
B rant decano & canonicis eccleſiæ S. Agricoli, ut hi pareant mandato. Dum ſupplicantium agmen inſtruitur, paſſim ad hanc cæremoniam eligitur dies Dominicus aut feſtus. Confraternitas Pœnitentium alborum & capitulum S. Agricoli præcedunt reliquias, quæ feruntur ſub umbella, quaſque ſubſequitur ingens populi multitudo.

cum cæremoniis hîc deſcriptis,

11 Primùm reliquiæ portantur ad eccleſiam metropolitanam S. Mariæ de Domnis, ubi illuſtriſſimus dominus archiepiſcopus pontificalibus ornamentis indutus, aſſiſtente capitulo metropolitico, eas excipit ad portam, triplicique thuris ſuffitu veneratur. Cùm perventum eſt ad mediam eccleſiam, antiſtes eumdem thuris ſuffitum iterat. Demum, ubi ad ſanctuarium pervenerunt reliquiæ, locantur in ſolio archiepiſcopali, ubi iterato rurſum triplici ſuffitu illas honorat archiepiſcopus. Cantatur deinde antiphona de beata Virgine SANCTA MARIA SUCCURRE MISERIS, aut alia tempori accommodata, cum verſiculo & oratione congruis. Poſtea pro S. Agricolo canitur antiphona, SACERDOS
C ET PONTIFEX, cum verſiculo & oratione, atque huic adjicitur alia congrua neceſſitati, ob quam inſtituitur ſupplicatio. Hiſce cantatis, referuntur reliquiæ, comitante archiepiſcopo, iiſdemque adhibitis ſuffitibus, quibus fuerant acceptæ, nimirum in ſanctuario, in media eccleſia, & ad portam. Poſt hæc ſupplicantes procedunt ad eccleſiam Cæleſtinorum, portaturque caput S. Agricoli in hanc eccleſiam ante altare, & tumulum B. Petri de Luxemburgo, qui alter eſt hujus urbis protector (*de eo actum eſt apud nos ad 2 Julii.*) Caput B. Petri de Luxemburgo expoſitum eſt ſupra altare ipſius, & canonici S. Agricoli ſinguli accedunt, ut eum reverenti honorent oſculo. Iidem fere honores in hac eccleſia S. Agricolo exhibentur, qui in metropolitana. Deinde reliquiæ referuntur ad eccleſiam propriam; & benedictione ſanctiſſimi Sacramenti tota clauditur cæremonia. *Hactenus de Brantes, qui & tranſmiſit hymnum, qui in proceſſu ſupplicantium canitur.*

hymnus, qui cani ſolet à ſupplicantibus,

12 *Hymno hic præfigitur titulus:* Hymnus ad proceſſionem decantandus, tum in die feſto, tum ad impetrandam pluviam vel cæli ſerenitatem. *Hic verò hymni contextus:*

Præſul excelſo reſidens olympo, D
Urbis ô noſtræ columen, decuſque,
Pervigil cuſtos, patriæ vocantis
Accipe vota.
Ecce per totam celebraris urbem,
Oſſibus ſanctum canimus triumphum:
Thura dant cives, facibuſque multis
Theca refulget.
Numinis ſummi, meritis amicus,
Tu graves iras animumque flectis
Tu favens votis, inimica nobis
Tela repellis.

Pro pluvia recitandus ſequitur hic verſiculus:

Sol calet terris, ſitiuntque triſtes:
Stillet è cælo numeroſa nubes:
Prata ridebunt, ſegeteſque ſurgent,
Uva rubeſcet.

Dum pro ſerenitate ſupplicatur, hic dicendus:

Nubilat cælum, redeat ſerenum;
Solis auratam faciem revolve:
Tu potens cælo gravidas aquarum
Pellere nubes.

Deinde verò alterutro dicto, ſic pergitur:

Ad tibi ſacras properamus ædes E
Civium votis faveas benignè:
Dona præſentis tribuas, futuræ
Pignora vitæ. Amen.

Hæc omnia abunde oſtendunt, quanta pietate Avenione colatur S. Agricolus, *quantaque ſit Avenionenſium de ejus patrocinio fiducia. Nunc auctoritatem Actorum geſtorumque ordinem examinare aggrediar.*

§ II. Vita Sancti recentiori calamo exarata, ſed veroſimiliter ex antiquioribus monumentis: geſtorum qualiſcumque chronologia.

Vita Sancti ſcripta ſub finem ſeculi XVI, F

VItam S. Agricoli *primus edidit Vincentius Barralis in Chronologia Sanctorum inſulæ Lerinenſis à pag.* 321, *eique hunc præfixit titulum:* Vita & res geſtæ ſancti Agricolæ epiſcopi Avenionenſis & monachi Lerinenſis ex antiquiſſimo manuſcripto Lerinenſis & Avenionenſis eccleſiæ. *Eadem Vita recuſa eſt apud Surium ad 2 Septembris, idemque titulus præfixus. Eadem quoque per lectiones diviſa legitur in Officio* S. Agricoli, *pro Octava concinnato, editoque Avenione anno* 1671 *ad uſum eccleſiæ laudati Sancti, rurſumque illic initio repetitur* ex antiquiſſimo manuſcripto. *Verumtamen clarum eſt ex ipſa Vita, eam non fuiſſe compoſitam niſi ſub finem ſeculi* XVI, *cùm auctor num.* 13 *meminerit geſtorum anni* 1574, *quæ ſe vidiſſe teſtatur. Dionyſius Sammarthanus tom.* 1 *Galliæ Chriſtianæ col.* 801, *recitatis hujus ſcriptoris verbis de ſepulturæ loco*, qui nunc capella roſarii nuncupatur, *ſic ſubdit:* Quæ verba probant recentem eſſe ſcriptorem Vitæ S. Agricoli à Barrali datæ, quod quidem jam ſubodorabar ex multis loquendi modis, hoc in Opere uſurpatis, quæ ſanè antiquitatem minùs ſapiunt. *Mabillonius tom.* 1 *Annalium pag.* 598 *ſine multa inquiſitione edicit Acta hæc eſſe* recentioris auctoris. *Et ſanè nullum hac de re poteſt eſſe dubium:*

A *bium : auctor enim ætatem ſuam ipſe indicat verbis jam datis, eodemque ſtylo ubique utitur, ita ut exiſtimare nequeamus poſteriora deinde addita eſſe ab alio quopiam, ſed neceſſario ſit dicendum, Vitam hanc ſcriptam eſſe ſub finem ſeculi* XVI.

ideoque exiguæ eſt auctoritatis;

14 *Hæc ſcriptoris ætas exiguam auctoritatem conciliare poteſt Vitæ* S. Agricoli, *præſertim cum nulla habeamus monumenta antiqua, quibus aſſerta ipſius, ordinemque chronologicum, quem compoſuit, confirmare valeamus. Veriſimile quidem eſt, monumenta quædam antiqua de* S. Agricoli *geſtis ſervata fuiſſe in eccleſia Avenionenſi, idque prorſus credendum eſt, ne cogamur dicere, omnia ab impoſtore eſſe conficta. Quin imò improbabile non eſt, aliquam Vitam* S. Agricoli *huic ſcriptori in manibus fuiſſe, eamque ab ipſo auctam & digeſtam eâ, quâ hanc habemus, methodo & ſtylo. Attamen; etiamſi hoc certum eſſet, vel ſic maximè maneret incertum, quàm exactè ſcripta fuerit antiquior Vita, quove tempore auctor ejus floruerit; atque æquè ignoraremus, quid olim fuiſſet*

B *ſcriptum, quid verò adjunctum ab auctore neoterico; ac demum, an hic ſufficienti criſi antiquiora monumenta fuerit ſecutus, an nihil ex incertis levibuſque conjecturis, nihil ex traditionibus popularibus admiſcuerit. Certè multa aſſeruntur in hac Vita, quæ etſi prorſus inuſitata non ſunt, ab uſu tamen ordinario abhorrent: alia verò affirmantur, quæ per ſe parùm ſunt probabilia; alia, quæ aliunde firmari nequeunt, & ex mera conjectura videntur ſcripta. Ordo chronologicus, qui non ſine induſtria concinnatus eſt, totus vexoſimiliter ex conjecturis deſumptus eſt à ſcriptore neoterico, ideoque planè incertus apparet.*

chronotaxis Vitæ oppugnata ex privilegio Graſſelenſi:

15 *Mabillonius loco mox aſſignato chronotaxim hujus Vitæ oppugnat ex Privilegio Graſſelenſis monaſterii, quod edidit in Appendice ejuſdem tomi pag.* 698, *ac ſic ratiocinatur:* Ante annos ab hinc quatuor retulimus primas Graſſelenſis monaſterii litteras, quibus ſubſcribunt epiſcopi omnes metropolis Arelatenſis, cui tunc Avenionenſis eccleſia, nunc metropolitana, ſubtecta erat: ſed nullus inter ſubſcribentes Agri-

C colus, ad cujus nominis ſimilitudinem nullus ex his propiùs accedit quàm Agliacus, *imò in ſubſcriptione* Aghiacus. *Laudatus Dionyſius Sammarthanus argumentum Mabillonii expendit his verbis:* De fide hujus auctoris ſuſpicionem injicit privilegium Graſſelenſis monaſterii, quod edidit Mabillonius tom. 1 Annal. p. 698. Huic privilegio dato à Petroino Vaſionenſi epiſcopo ſubſcribit Arelatenſis metropolitanus cum omnibus ſuis ſuffraganeis, ex quorum numero tunc erat Avenionenſis epiſcopus. Tempus conceſſi privilegii refertur ad annum x Theodorici regis, quo ſedebat S. Agricolus; reſpondet enim hic annus Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo quarto. Attamen nullus Agricolus ſubſcriptus huic privilegio legitur: unde ſuboritur ſuſpicio ſuppoſitionis. At minimè certum eſt nomina epiſcoporum, quæ leguntur ad calcem Graſſelenſis privilegii, eſſe ſuffraganeorum Arelatenſis archiepiſcopi potiùs, quam aliorum vicinorum præſulum; nec id aſſerit Mabillonius, niſi ex mera conjectura. Præterea poſt Wolbertum, quem putamus fuiſſe archiepiſcopum Arelatenſem, quia ſubſcripſit primus, legitur Aglicus (*Aghiacus*) epiſcopus, qui forte idem eſt ac Agricolas Arelatenſis: nam facilè potuit mutari r in l, quæ duæ litteræ ſunt liquidæ & valde affines; & ex Agricus factus eſt Agriculus, Agricolus. *Si ſubſiſteret argumentum Mabillonii, corrueret tota Vitæ chronotaxis. Verùm præter ea, quæ reſpondit Sammarthanus, dici adhuc poteſt, Privilegium iſtud auctoritatis eſſe æque incertæ, quam ſit Vita* S. Agricoli; *cùm mirum ſit ex novem epiſcopis, quorum ſubſcripta ſunt nomina, nullam aliunde notum eſſe eodem ſaltem nomine. Quàpropter non video, cur illud privilegium Vitæ obſtaret, ſi illa antiquior eſſet & melioris notæ.*

AUCTORE J. S.

Scriptores alii, qui egerunt de S. Agricolâ, cujus geſtorum certa chronotaxis dari nequit:

16 *Prædictam Vitam imitati ſunt duo alii ſcriptores, Italus alter, alter Gallus, qui linguâ ſuâ vernaculâ ediderunt Vitam* S. Agricoli. *Italica impreſſa eſt Neapoli anno* 1626, *nihilque præcedenti adjicit, niſi ornatum ſermonis, quem variis ſacræ Scripturæ textibus diſtinxit. Gallica verò edita Avenione anno* 1651 *adjunxit illuſtre miraculum, ipſius ſcriptoris ætate factum, quod ex ipſo infrà referemus. De geſtis* S. Agricoli *etiam diſſeruerunt Franciſcus Nouguier in Hiſtoria eccleſiæ & antiſtitum Avenionenſium à pag.* 23; *Carolus Cointius in Annalibus Francorum; Sebaſtianus Fantoni Caſtrucci in Hiſtoria civitatis Avenionenſis Italice ſcripta pag.* 300, *ac demum, ut omittam alios, Dionyſius Sammarthanus jam laudatus. Hi omnes memoratam Vitam ſecuti ſunt, totamque ferè chronotaxim ex ea ordinarunt, corrigendo tamen aliquot capita. Fateor quidem apertæ falſitatis convinci non poſſe, quæ in ea dicuntur de anno emortuali, aliiſque quibuſdam ad Sanctum ſpectantibus. Verùm ſimul aſſevero, fundamentum id ſolidum non eſſe, ideoque certam non poſſe texi chronologiam, adhibitis etiam quibuſcumque correctionibus. Quis enim ex præmiſſis incertis certam eliciat concluſionem? Quis certo ordine diſponat omnia, ubi annus natalis emortualiſque, tempus epiſcopatûs initi ejuſdemque prolixitas, initium & finis vitæ monaſticæ, atque omnia demum chronologiæ capita æquè videntur incerta, atque à biographo aſſerta ex meris conjecturis? Hac de cauſa hic quærendum, quid vero vicinius appareat, non quid certum ſit atque indubitatum, cùm nihil ferè certi inveniri poſſit.*

E

F

datur tamen qualiſcumque geſtorum & temporum ordo, quem Cointius

17 Divus Agricolus, *inquit biographus num.* 1, circa annum Dominicæ Incarnationis ſexcenteſimum ſupra trigeſimum, Honorio ſummo Pontifice, & Clotario in Gallia regnante, ... Avenione natus eſt. *Congruit aſſignatus Chriſti annus cum pontificatu Honorii I; at non convenit cum regno Clotarii II, cùm hic obierit anno* 628, *ut paſſim tradunt ſcriptores. Erravit igitur ſcriptor, vel aſſignando regnum Clotarii, vel ſtatuendo annum* 630. *Quis nunc definiat, utrùm in anno erraverit, an in regno Clotarii? Cointius ad annum* 627 *num.* 2, *allatis iiſdem Vitæ verbis, dubium faciliùs ſolvit quàm ſotidiès, dum ſubdit ſequentia:* At tres illi characteres ſimul convenire non poſſunt, quia Clotarius diem obiit anno Chriſti ſexcenteſimo duodetriceſimo. Meliùs igitur ortum Agricoli referemus hoc anno, Chriſti ſexcenteſimo viceſimoſeptimo ... Vitam Agricoli, quam alii annorum ſeptuaginta curriculo circumſcribunt, prorogabimus ad annum tertium ſupra ſeptuageſimum, triennalique auctione definiemus tempus ab auctore Vitæ prætermiſſum, quo Agricolus archidiaconatum in eccleſia Avenionenſi geſſit. In ceteris eidem ſcriptori ac Barrali aſſentiemur, pium enim Agricoli receſſum in Lerinenſem inſulam

AUCTORE J. S.

sulam anno ætatis decimo quarto, reditum post annos sexdecim consignabimus, tum archidiaconatum triennalem, postremò episcopatum annorum quadraginta subjiciemus. *Si cui sufficit chronotaxis arbitraria, modò secum non pugnet, potest hanc Cointianam admittere, uti fecit Sebastianus Fantoni Castrucci.*

frustrà conatus est corrigere, cùm omnia nimis sint incerta,

18 *Verum talis tempora ordinandi methodus mihi numquam placuit, numquam placebit. Rationes requiro, cur censeam in uno potiùs erravisse scriptorem quàm in altero. Ubi nullæ occurrunt rationes, nihil definiendum statuo. Hìc autem nulla se offert ratio, quæ faveat Cointio: sed potiùs ei adversatur ætas Sancti, quam annis septuaginta definit biographus num.* 8, *ita ut bis erraverit in opinione Cointiana. At fateor & illam rationem exigui esse momenti, mihique incertum esse, an non multò pluribus annis aberraverit scriptor, quàm tribus à Cointio statutis. Porrò chronotaxim ille texere pergit num.* 2 *hoc modo:* Decimum quartum annum agens *vitam monasticam amplexus est in cœnobio Lerinensi. Id itaque fieri debuit circa annum* 644.

B Annos sedecim *ibidem vixisse, ait num.* 3; *ac deinde sacris Ordinibus initiatum, factumque archidiaconum. Anni illi deducunt ad annum* 660, *circa quem ex supputatione biographi hæc fieri debuerunt. Verumtamen idem scriptor num.* 4 *affirmat Sanctum episcopum declaratum* anno Domini sexcentesimo quinquagesimo inchoante, *id est, toto decennio citiùs, quam exigit chronotaxis, non modò præcedentium, sed sequentium etiam factorum: nam num.* 6 *componit annum ætatis sexagesimum secundum cum trigesimo secundo episcopatûs, & num.* 8 *mortem contigisse dicit* anno Domini septingentesimo, exeunte ætatis suæ septuagesimo, initi pontificatus quadragesimo. *Tota igitur biographi supputatio requirit, ut dicamus ex ejus opinione episcopum creatum circa annum* 660; *atque id affirmant laudati Cointius, Castruccius & Sammarthanus.*

Iapsúsque biographi videri quidem possint;

C 19 *Crediderunt illi verosimiliter in Vita pro anno* quinquagesimo *legendum esse* Sexagesimo, *nec temere, uti ex dictis liquet. At simul hinc patet, quàm ineptè biographus composuerit annos Christi cum annis regum Francorum, quámque incerta sit tota ejus chronotaxis. Nam num.* 4 *sic habet:* Nec mora, Agricolus omnium ore, omnium votis expetitur. Dagobertus ipse ... id habet acceptum. Itaque anno Domini sexcentesimo quinquagesimo inchoante, defuncto interea Dagoberto, atque regnante Clodoveo II, sancto patri ... in episcopali sede successor communi omnium calculo declaratur. *Dagoberti mortem alii alligant anno* 638, *alii* 644. *Quomodo ergo Dagobertus electionem* Agricoli *habuit acceptam? Quomodo hic declaratus est episcopus brevi tempore post ejus mortem, si electus est anno* 660? *Vides, opinor, lector, quàm non sit fidendum scriptori nostro, qui regum tempora minùs exactè novit, & vel sic enarrare voluit, sub quibus regibus singula fuerint peracta. Laudatus Sammarthanus post catalogum proprium episcoporum Avenionensium alterum dedit ex Historia Polycarpi de la Riviere Cartusiani, ubi col.* 869 *inutium episcopatûs* S. Agricoli *innectitur anno* 666. *Eligat prudens lector ex hisce, quod placuerit; aut potiùs nihil ex tota Vitæ chronotaxi pro certo habeat.*

20 *Anno* 690 *monasterium à Sancto exstructum Avenione, tradit biographus num.* 5, *qui & mortuum anno* 700 *affirmat num.* 8. *An hæc meliùs suo tempore ordinata sint quàm præcedentia, ignoro; at nullus in contrariam abivit sententiam. Vincentius Barralis in annotatione post Vitam editam pag.* 327 *totam chronotaxim brevibus hisce verbis complexus est:* Porrò sanctus Agricolus nascitur Avenioni anno Domini DCXXX. Anno verò ætatis suæ quarto decimo, Domini vero DCXLIV fit monachus in insula Lerinensi, in qua permansit per sexdecim annos, & assumptus est ad sedem episcopalem Avenionensem anno ætatis suæ trigesimo, Domini verò DCLX. Rexit itaque episcopatum annis quadraginta, & moritur anno ætatis suæ septuagesimo, Domini verò DCC. *Hæc servari possunt, donec certiora se offerant: nam difficulter corrigi possunt, aut omnino non possunt, nisi firmiori reperto documento.*

D *at non corrigi, nisi certiora reperiantur monumenta.*

§ III. Sepultura Sancti; sacellum prope Rupem Mauram, aliaque Sancto dicata: corporis translationes, miracula.

E

Sepultus Sanctus in ecclesia cathedrali;

Biographus num. 8 *ait Sancti corpus sepultum fuisse in ecclesia cathedrali, quæ vocatur* divæ Mariæ de Dominis, *quæque etiam hoc tempore dicitur* beatæ Mariæ de Domnis. *Locum distinctiùs explicat his verbis:* In sacello sancti Petri, eo in loco, qui nunc capella Rosarii nuncupatur, ... ubi cratis ferrea, quæ nunc invisitur cum inscriptione ejusdem, honorificè conditum est. *De hisce Dominus ae Brantes ad nos perscripsit sequentia:* Sepultus est, uti habet Vita, in ecclesia beatæ Mariæ de Domnis, quæ est metropolitana Avenionensis, in sacello S. Petri, dicto deinde sancti Rosarii. Hìc observandum, idem nomen non esse hodie dicto sacello, sed illud dedicatum esse S. Josepho. Visitur in pavimento crates ferrea, quâ designatur locus, ubi S. Agricolus fuit sepultus. Erat verisimiliter crypta, quæ terrâ fuit repleta post translatas inde Sancti reliquias. Hæc crates est

F

inter altare S. Josephi & mausolæum Joannis Papæ XXII, qui illic sepeliri voluit, motus pio erga S. Agricolum affectu. *Hactenus de sepulcro Sancti.*

dedicatum ei sacellum miraculis celebre;

22 *Antequam corporis translationem narrat Vitæ scriptor, num.* 9 *asserit varia sacella* S. Agricolo *dicata fuisse, atque inter illa unum olim miraculis celebre prope Rupem Mauram, oppidulum Occitaniæ ad Rhodanum, quod duobus circitèr milliaribus distat Avenione, ejusdemque est diœcesis; Gallis vernaculè* Roque Maure *dictum, atque hinc Dionysio Sammarthano in tabula provinciæ Avenionensis* Roca-Maura. Hoc sacellum, seu ecclesia celebris olim miraculis, *inquit laudatus de Brantes,* uno milliari distat Rupe Maura, & pertinet ad Benedictinos Congregationis S. Mauri, nempe ad abbatiam S. Andreæ de Villa nova prope Avenionem. Habent illic presbyterum, qui baptismum & extrema moribundorum Sacramenta administret rusticis in vicinia habitantibus. Verùm illi, si matrimonium contrahere velint, coguntur accedere parochiam Rupis Mauræ, quia hactenus frustra petierunt, ut sacellum istud ad jus parochiale

A chiale promoveretur. Creditur id ſacellum unum ex vetuſtiſſimis, quæ Sancto fuere dicata. *Veriſimile igitur eſt, ſacellum iſtud ſtructum fuiſſe ante corporis tranſlationem, mox examinandam.*

eccleſia Sancto ſacrata & canonicis aucta: corpus ejus & S. Magni eò delatum:

23 *Refert biographus num.* 10 *primam corporis tranſlationem ab eccleſia cathedrali B. Mariæ de Domnis ad eccleſiam* S. Agricoli; *aſſeritque locis variis quædam de illa eccleſia: verùm omnia tam confuſè & perturbatè, ut difficulter ex ipſo ſua ſingulis tempora aſſignari poſſint. Nouguierius pag.* 107 *in Joanne XXII hæc ſcribit:* Idem Pontifex anno MCCCXXI fundavit capitulum S. Agricoli, quale eſt hoc tempore; auxit eccleſiam olim ædificatam per hunc ſanctum Antiſtitem, qui illic locaverat Religioſos monaſterii ſui Lerinenſis, ac ſimul menſæ capitulari adjecit viginti prioratus rurales. Patent hæc ex bulla, ſervatâ in theſauro hujus eccleſiæ. Eſt hæc prima urbis parochia. *Idem auctor pag.* 23 *affirmat, corpora SS. Magni &* Agricoli *per Joannem XXII tranſlata fuiſſe anno* 1321. *Noſter biographus idem dicere videtur, ſed obſcuriùs, nec affirmat omnia eodem anno fuiſſe peracta. Num.* 9 *ait, eccleſiæ* S. Agricoli *aſſignatos eſſe* annuos proventus *per Joannem XXII anno* 1321, *ad erectionem, opinor, capituli, de quo alibi non loquitur. Num.* 10 *dicit tranſlationem factam* juſſu Pontificis, *ejuſdem, ut apparet, Joannis XXII. Paulò infrà ait eccleſiam Sancto conſtructam, eumque patronum & protectorem electum, acſi illa ſeriùs eſſent facta. Verùm reddit ibi potiùs rationem, cur illa ſint facta; quàm aſſignet ordinem, quo ſingula contigerunt. Hinc ſuſpicor & illa contigiſſe tempore Joannis XXII, qui ampliandam curaverit eccleſiam, eamdemque collegiatam inſtituerit, ac demum ad illam tranſtulerit corpora Sanctorum Magni &* Agricoli.

B

eadem corpora deinde ſub majori altari collocata:

24 *Suſpicor, inquam, omnia illa contigiſſe tempore Joannis XXII, tum quia ſcriptor, dum* Pontificem *nominat, eumdem ſemper videtur intelligere, tum quia num.* 10 *videtur eumdem annum* 1321, *quem antè expreſſerat, tranſlationi aſſignare, tum quia nullus aliud tranſlationi aſſignat tempus. Ipſe quidem biographus ſcrupulum movet, dum num.* 10 *narraturus ſecundam tranſlationem, ait,* Ubi aliquot annos honorificentiſſimè aſſervata, *acſi inter primam & ſecundam tranſlationem anni non multi intercurriſſent; cùm tamen pluſquam ſeculo toto ſecunda tranſlatio poſterior ſit Joanne XXII. At ſcriptor nullibi accuratè loquitur, ideoque dicta verba non evincunt, ſecundam tranſlationem brevi ſecutam eſſe poſt primam. Hæc autem ſecunda tranſlatio anno* 1458 *affigitur à biographo, qui affirmat ſacra corpora Magni &* Agricoli *tunc collocata eſſe ſub majori altari ejuſdem eccleſiæ per Pontium Vaſionenſem epiſcopum. Vincentius Barralis poſt editam Vitam de corporum SS. Magni &* Agricoli *tranſlationibus mox obſervat ſequentia:* Corpora ſanctiſſimorum epiſcoporum Avenionenſium Magni & Agricoli, patris & filii, in duabus archis * plumbeis incluſa, uſque ad hæc tempora quatuor vicibus tranſlata leguntur, creſcente ſemper devotione populi Avenionenſis: quarum duæ primæ habentur ſuprà in vitæ Hiſtoria. *De his egimus.*

C

arcis

tertia & quarta tranſlatio ſine loci mutatione:

25 Tertia verò (*tranſlatio*) facta fuit à reverendiſſimo domino Carolo Contamiſſa, epiſcopo Carrotenſi & vicelegato Apoſtolico, quarto Idus Auguſti, anno trigeſimo nono ſupra milleſimum quingenteſimum; & collocata (*corpora*) in eccleſia ſuo nomine dicata ſub majori altare in præfatis archis plumbeis exiſtentia. Præſenti verò anno duodecimo ſupra milleſimum ſexcenteſimum, cupiente capitulo canonicorum præfatæ eccleſiæ parrochialis ampliare chorum, & magnificare altare majus, & in omnibus pro poſſe (maxima ad hæc pulſi devotione) ornare eccleſiam, facta eſt tranſlatio à reverendiſſimo domino Stephano Dulci, archiepiſcopo Avenionenſi, octavo Calendas Maii, & in novo altari quàm honorificè collocata, *ſunt corpora utriuſque Sancti. Diligentiſſimus dominus de Brantes de præſenti corporum ſtatu hæc nobis perſcripſit:* Sacra corpora SS. Magni & Agricoli etiamnum quieſcunt ſub altari principe eccleſiæ S. Agricoli, quæ celebris eſt collegiata & prima parochia Avenionenſis. Servantur autem in thecis plumbeis, quæ arcis ligneis ſunt incluſæ. Ante has arcas ex ligno inaurato conſtructa eſt tumuli ſeu mauſolæi pars anterior, quæ eſt pro ornamento inferiori altaris principis. Diebus communibus tegitur iſtud ornamentum conveniente frontali, quod non ponitur præcipuis anni teſtivitatibus; ſed accenduntur ſub altari duæ lampades, quibus tumba Sanctorum illuſtratur. E

AUCTORE J. S.

non fuere deinde corpora argenteis thecis incluſa:

26 *Barralis poſt prædicta ſic proſequitur:* At non his contenta ſancta Avenionenſium religio, præfatas archas plumbeas, in quibus ſacra pignora incluta aſſervantur, in novas archas argenteas, ſumptu maximo ac ſplendidiſſimè elaboratas, includere laborat, ut ipſi vidimus, & relatu canonicorum, præcipuéque reverendi domini Jacobi Melani viri ſolertis & activi percepimus. *Verùm oportet aliquid impedimenti intervenerit, id enim factum non eſſe, obſervat laudatus de Brantes, obſervationemque ſuam confirmat his verbis:* Nam decanus S. Agricoli mihi aſſeruit, corpora incluſa eſſe thecis plumbeis, uti ſuprà affirmavi. *Caput* S. Agricoli *ſeorſum ſervari, ac circumferri jam dixi. Idem de brachio S. Magni ſcribit Dominus de Brantes in hunc modum:* Brachium S. Magni incluſum eſt brachio argenteo, quod ſacerdos celebrans circumfert manibus ſuis in ſupplicatione, quæ inſtituitur feſto ejus die XIX Auguſti.

quidam maligna febri ad extrema deductus, F

27 *Quod ſpectat ad miracula Sancti, præter ea, quæ in Vita* S. Agricolo *attribuuntur, aliud refertur in Vita Gallica jam memorata anni* 1651, *quod contigit anno* 1643. *Auctor anonymus illud Gallicè narrat tali modò:* Nequeo prætermittere factum recens, quod anno MDCXLIII, die 2 Septembris feſto S. Agricoli, contigit fabro aurario, qui, dictus Raimundus Vinay, etiamnum vivit, gratuſque erga S. Agricolum, ei acceptam fert ſanitatem, quâ fruitur, admirantibus omnibus, qui eum ægrotantem viderunt. Invaſerat eum febris maligna, quæ apparebat per papulas *, varos nigros *, aliaque accidentia mirabilia. Aderat moleſta admodùm urinæ difficultas *, frequens ſanguinis fluxus per nares, ſubinde tamen intermiſſus, ac crurum ardor incredibilis atque intolerabilis. Tandem ſanguis interno illo ardore inflammatus aſcendit cum ebullitione atque eruptione tam violenta, ut fluere per naſum non ceſſaverit totâ hebdomadâ. Quando marmoris applicatione aut unctionibus curſus ejus ſiſtebatur, erumpebat per oculos & per aures, quantumcumque conarentur illum divertere aperiendo venam in utroque brachio, venamque ſaphenam pedis dexteri. Credebatur animam brevi exhalaturus cum ultima ſanguinis gutta. Medici abſceſſerant. U-

* *Gal.* exanthemes
* *Gal.* tac
* *Gal.* diſurie

AUCTORE J. S.

xor ab eo erat avulsa, ne nimio opprimeretur dolore, dum videret morientem.

post votum Deo in honorem Sancti factum, brevi convalescit.

28 Hæc tamen ad maritum suum reversa erat, cùm amore impulsa, tum studio experiendi, an adhuc spiraret. Agonizans sensibus destitutus, excepto auditu, percipiens aliquid strepitûs, rogat, quid id esset. Respondent ei, transire agmen supplicantium, à quibus portabantur reliquiæ S. Agricoli. Hæc vox fiduciam ei ingerit. Vovet Deo, si ipsi placeat vitam sibi ac visum restituere (parùm enim curabat vitam sine visu, quem in morbo amiserat) se ad honorem hujus Sancti victum subministraturum adolescenti pauperi, eique communicaturum omnia, quæ noverat. Vix id votum conceperat, cùm sufficientes recuperavit vires ad sedendum in lecto suo. Cœnam sumpsit cum appetentia, visum recepit clariorem, quàm umquam habuerat, & paulatim rediit ad labores artis suæ, quam hodieque exercet cum honore, agnoscens palàm beneficium optimi Patroni sui, ad cujus honorem plura facere ex grati animi testificatione statuit, quàm tunc promiserat. *Hactenus ille. Ceterùm dubitari non potest, quin intercessione* S. Agricoli *multo plura impetrata sint beneficia, quàm ad posterorum memoriam sint perlata: nam ex us videtur nata insignis illa fiducia, quam de ejus ope conceperunt Avenionenses.*

B

VITA

auctore anonymo

ex editione Barralis & Surii.

CAPUT I.

Sancti natales, vita monastica, gesta in episcopatu, obitus & sepultura.

C

Natales S. Agricoli illustres, *a* *b* *c*

DIvus Agricolus circa annum Dominicæ Incarnationis sexcentesimum supra trigesimum, Honorio *a* summo Pontifice, & Clotario *b* in Gallia regnante, ex illustri Albiensium *c* familia Avenione natus est patre beato Magno, qui hujus civitatis episcopatum postea fortitus est, matre Gandaltruda, sive Austadiala, avo verò Albino magnate. Insignes illi quidem, & eà, quæ secundum carnem est, inter reliquos provinciæ proceres generis claritate, & nobilitate conspicui: sed eà, quæ secundum Deum est, verâ gloriâ, virtute, fide, ac pietate longè illustriores. Sub talium igitur parentum cura Agricolus educatus, tantæ virtutis specimen dabat, ut integritatis ac innocentiæ splendor, & major quædam in illis teneris annis ad virtutem indoles, elucentes significabant, quantæ sanctitatis futura esset maturitas.

vita monastica in cœnobio Lerinensi, *d*

2 Florebat [illa] tempestate celebre illud Lerinense *d* cœnobium, sancti Honorati nuncupatum, in insula maris Gallici prope Antipolim, in quod adolescentes nobiles tamquam ad celeberrimum quoddam litterarum & virtutis emporium confugiebant, ut ætas puerilis ad virtutem, honestatemque informat *, brevi virtutibus digni essent adolescentes, qui honoris & dignitatis nomen possent sustinere. Ibi Deo militaverunt Honoratus, & Cæsarius *e* Arelatenses, Germanus Parisiensis, Eucherius, & Justus Lugdunensis, & Siffredus Carpentoractensis episcopi. Eò etiam se recipit beatus Adolescens, spretisque carnis illecebris, & labentis sæculi oblectamentis, decimum quartum annum agens se totum Patribus commisit, ac omnes animi motus, omnemque ingenii cogitationem in studiis scientiæ & virtutis locavit atque fixit. Vix adolescentiam ingressus, jam ex virtutum omnium religiosæque vitæ fragrantia, monasterium insulamque repleverat, ut in omnium oculis esset, in omnium ore versaretur, amaretur ab omnibus, cùm solus ipse sibi displiceret. Elucebat in eo angelicus quidam nitor, effusa in omnes charitas, singularis modestia, rerum omnium suique contemplatio, atque inter omnia incredibilis in Deum amor, cujus charitate succensus ardentiori indies Christianæ perfectionis fluenta sitiebat.

D

* *Sur.* informata

E

archidiaconatus Avenionensis,

3 Annos sedecim in monasterio Lerinensi summa morum integritate vitæque sanctitate transegerat, proprii cordis agrum strenuus Agricola perpetuò excolens, cùm divinis jam atque humanis apprime imbutus disciplinis, mandato superioris sacris ordinibus ritè & gradatim, non assumens sibi honorem, sed vocatus à Deo tamquam Aaron, jussus est initiari. Paulatimque cùm esset archidiaconatûs officium obire coactus, nardus tantæ sanctitatis odorem dedit, ut jam vulgo haberetur, non qui oculus tantùm esset episcopi, sed qui episcopatu ipso fungeretur.

episcopatus & mors patris Magni, * *Barral.* non *mendosè*

4 Beatus Magnus, Agricoli secundum carnem pater, Avenionensem tunc excolebat ecclesiam magna laude, magnaque opinione sanctitatis. Is senio confectus, cùm * se pascendo gregi dominico jam imparem agnosceret, de successore (quod olim sanctus fecerat Augustinus *f*) cœpit attentiùs cogitare. Advocantur primores urbis unà cum clero, suum ipsius desiderium venerandus præsul aperit, cupere se sarcinam humeris angelicis formidabilem, effœto jam corpore, ætate languente, viribus delabentibus flaccentibusque deponere: eligant unà cum reliquo populo, quemcumque aptiorem in Domino judicaverint sibi successorem. Nec mora Agricolus omnium ore, omnium votis expetitur. Dagobertus ipse, qui Clotario *g* patri in regni administratione successerat, tanta Viri fama increbrescente, id habet acceptum. Itaque anno domini sexcentesimo quinquagesimo inchoante, defuncto interea Dagoberto, atque regnante Clodoveo secundo *h*, sancto patri, sanctus Filius, beato Magno beatus Agricolus in episcopali sede successor communi omnium calculo declaratur. Vidit beatus Magnus suam sponsam Filio desponsatam, vidit & suam vivam imaginem in sua sede collocatam, vidit gregem suum mutasse hominem, nec tamen mutasse pastorem: quicquid enim sanctus senex in se optasset, hoc in Agricolo filio emicare videbat. Quare statuit eidem ecclesiæ sua omnia elargiri, cui se Filiumque devoverat, prædia, possessiones & feuda, quæ illi supererant * in sæculo, templo beatissimæ Virginis Deiparæ liberali donatione, testamento concepto, consecravit. Quibus peractis, non multo interjecto tempore, matura Deo, & mundo beata illa anima miseræ istius vitæ vinculis exoluta, relictisque Avenionensibus,

F

f

g

h

* *Barral.* superant

A nensibus, tum suarum virtutum, tum bonorum omnium, tum suæ sanctissimæ Prolis hæredibus, ad cœleste præmium decimo quarto Calendas Septembris evolavit.

ecclesia cum monasterio structa,

5 In beatum igitur Agricolum pastorali cura transmissa, mirum ac venturis sæculis imitandum exemplum, quo studio, quâ vigilantiâ in id incubuerit verus Agricola, ut ex agro Dominico vepres vitiorum, atque errorum dumeta divelleret, neve inimicus homo in tritico lolium adulterinum infereret. Ex quo brevi factum est, ut agnoscente * fidelium numero, unica jam non posset omnes capere basilica. Quam ob rem pius Pontifex propriis sumptibus aliam intra muros jussit ædificari ecclesiam *i* parœcialem, quasi munitissimam turrim in medio vineæ, ad quam egregios operarios monachos non paucos, ex cœnobio Lerinensi, ubi prima suæ perfectionis jecerat fundamenta, curavit acciri, quòd ex regulari ordine suauissimum quemdam fructum voluptatis acciperet, quibus & abbatem *k* præfecit, & prædia liberaliter assignavit: insuper concesso quartarum *l* privilegio, ut nihil deesset servis Dei necessarium, quod ex annuis redditibus ad illos facilè non perveniret. Peracta sunt hæc Theodorici regis *m* tempore, Sergio summo Pontifice, circa annum domini sexcentesimum nonagesimum.

* *fortè* augescente

i

k

l

B

m

cura de felici morte, variæ consuetudines piæ,

6 Exegerat beatus Agricolus duos circitèr & triginta annos in episcopali cura, ætatis verò suæ duos & sexaginta, ingenti Christianæ plebis fructu & incremento: cùm in futurum præcavens sanctus Antistes, de postrema die patris Magni exemplo cœpit impensiùs cogitare. Ac primùm rogavit abbatem monasterii, quod extruxerat, ut se * in hac vita digressum, & viam patrum ingressum, orationum, Sacrificiorum preciosissimi Corporis & Sanguinis Domini, quæ Deo libantur quotidie, participem faceret. Jussit præterea in sua ecclesia episcopali, datis in eum finem proventibus annuis, quotidie pro anima sua augustissimum Missæ sacrificium solemni ritu decantari. Atque etiam voluit Horas canonicas, & divina officia, mysteria deinceps in eadem ecclesia eodem modo, quo solerent in monasteriis, alternis videlicet cantibus recitari; nondum enim in his partibus invaluerat ille mos, quem aliquot ante annos Damasus *n* Pontifex Maximus invexerat, posteaque Pipinus rex *o*, in intimam Galliam Româ transtulit, cùm Avenione dudum viguisset. Nec verò mirum, Deum voluisse illâ prærogativâ ecclesiam Avenionensem decorare, quo donante, aliquot postea seculis exactis, Avenione à Joanne primùm episcopo Avenionensi *p*, tum summo Pontifice ejus nominis vigesimo secundo & fundatore nostræ ecclesiæ, excogitatus & inventus est salutaris usus, Deiparam Virginem *q*, ter *r* in die ad tintinnabuli sonitum salutandi, quem postea morem universa suscepit Ecclesia. Decennium circitèr interea fluxit, quo numquam destitit prudens Pastor, ad illam se horam comparare, in qua beati sunt servi illi, quos Dominus invenit sic facientes. Mori non timebat, quia bonum noverat se habere Dominum, nec vivere curabat, qui cum Christo esse totis visceribus concupiscebat. Itaque expectans horam, in qua terrestris domus habitationis hujus dissolveretur, assiduè exercebat se iis operibus, quibus viam Domino noverat præparari.

* ex

C

n

o

p

q r

7 Tandemque cùm extremum sibi diem instare sentiret, advocato clero, coactoque populo, de sua ex hoc ergastulo discessione cum illis sermonem habuit, de vitæ hujus periculis, de vanitate infeliciissimi sæculi, de vitandis peccatis, de fœlicitate Sanctorum: postremò de successore deligendo illos admonuit, cooptavitque in suum locum sanctum Veredemum *s*, qui propè urbem in heremo vitam angelicam claramque miraculis agitabat. Sciebat enim prudens Pastor, nihil esse morte certius, nihil incertius tempore ipso moriendi. Quare creber in oratione pervigilabat, corpus jejuniis macerabat, totus in rerum cælestium contemplationem diffundebatur, atque animum diurnis variisque curis distractum, nocturna meditatione collectum refovebat. O Præsulem omni veneratione digniissimum, qui utramque vitam ita complexus est, ut numquam à divinarum rerum contemplatione negotium, aut à negotiis contemplatio læderetur. Nam quanto magis honorificentia celebratur, tanto summissiùs de se existimabat; ac supernæ patriæ accensus desiderio, magis cœlestis, quàm terrenæ patriæ mansionem appetebat. Hæc sunt chariissimi, omni veneratione percolenda, hæc toto animi affectu non solùm retinenda, verùm etiam imitanda. Sanctorum igitur operum plenus divus Agricolus, condito testamento sanctissimam Virginem omnium bonorum suorum in sua æde reliquit hæredem. Servos, quibus de more utebatur, manumitti mandavit, plena libertate donari, atque eum maximè, qui mensæ episcopali administrabat.

A. ANONYMO. *electio successoris, præparatio ad mortem,*

s

E

mors sancta & sepultura.

8 Nec multo pòst venerabilis Senex sensit adventantem Dominum, in cujus beneplacito conquiescens, summa animi corporisque quiete dormienti similis, & placido veluti somno soporatus, animam reddidit Creatori, quæ carnis compage soluta, haud dubiè in æternæ claritatis abyssum absorpta est, & sempiternæ beatitudinis gaudia penetravit, quarto Nonas Septembris, anno Domini septingentesimo, exeunte ætatis suæ septuagesimo, initi pontificatus quadragesimo, Childeberto *t* secundo Francorum rege, Sergio summo Pontifice. Qui tunc sensus animorum, qui motus extiterint, qui populi adventantis concursus, quæ lachrymæ, quæ suspiria, novit qui piarum affectionum omnium auctor est, & parens Deus. O diem illum tibi, Præsul sanctissime, sanctissimum, sed non minùs tristem & acerbum tuis, quàm lætum & jucundum tibi. Quantum detrimentum quarto Nonas Septembris, Avenio, quantam illo die jacturam, civitas, fecisti? Periit Avenicæ civitatis columen, periit, qui periclitantibus salutem, calamitosis opem, laborantibus præbebat quietem. Quare parantur exequiæ, deducitur sacrum pignus ad ædem Deiparæ Virginis, effunditur civitas in basilicam, omnis ætas, sexus omnis, flebili lamentatione parenti optimo, duci, atque æternæ salutis auspici, Agricolo nititur parentare, atque ei publicè supplicare. Tandem frequentissimo conventu maxima cum pompa & veneratione corpus sanctissimum ad sepulcrum delatum fuit, & sicut ante migrationem è corpore obnixè petierat, in sacello sancti Petri, eo in loco, qui nunc capella Rosarii nuncupatur, ad templum divæ Mariæ de Dominis *u*, ubi cratis ferrea, quæ nunc invisitur cum inscriptione ejusdem, honorificè conditum est. Hujus ergo divi Agricoli, cujus patrocinio res nostræ nituntur, imitatores simus ac æmuli, hujus sanctimoniam

F

u

A. ANONYMO. fectemur, & quam pietatem ſin minus imitatione conſequi poſſumus, ſtudio & labore certè ad eam proximè accedamus.

ANNOTATA.

a *Honorium I intelligit. Hunc alii voluerunt Pontificem creatum anno* 626, *alii anno* 625; *defunctumque anno* 638. *Hic igitur character cum anno Chriſti aſſignato rectè congruit.*

b *Clotarius II deſignatur. At eum obiiſſe anno* 628 *jam diximus, & ſcriptorem in anno Chriſti, vel in regno Clotarii erraſſe obſervavimus.*

c *Nobiliſſima ſanè fuit Romana familia Albinorum, multiſque conſulatibus ac præfecturis variis inſignita. Certum etiam eſt, Albinos aliquos in Galliis claruiſſe; verùm non æquè apparet certum, an* S. Agricolus *ex illa familia originem habuerit, tum quia ignotum eſt, unde id hauſerit ſcriptor ille, tum quia ipſe, ejuſque pater, aliud habuerunt nomen. Certè prorſus ignotus mihi eſt* Albinus, *quem* S. Agricoli B *avum aſſerit, &* magnatem *nominat voce eo tempore adhuc inuſitata, quantùm exiſtimo. De* S. Magno *patre actum eſt apud nos ad diem* 19 *Auguſti.*

d Lerinus & Lero *duæ ſunt inſulæ maris Mediterranei, invicem vicinæ, & anguſto freto à continente diviſæ. Prior nunc paſſim vocatur* Inſula S. Honorati *à celeberrimo cœnobio, cujus fundator ac primus abbas fuit S. Honoratus Arelatenſis deinde epiſcopus, de quo actum eſt ad* 16 *Januarii. Altera nunc dicitur* Inſula S. Margaritæ. *Amba ſita ſunt inter Antipolim (Antibes) & Forojulium (Frejus.) Huic autem vicinior eſt Lerinus, Antipoli propior Lero. Plura de hiſce Valeſius in Notitia Galliarum pag.* 272, *& Gallia Chriſtiana recuſa tom.* 3 *col.* 1188.

e *De Cæſario Arelatenſi actum eſt ad* 27 *Auguſti, de Germano Pariſienſi ad* 28 *Maii, de Juſto Lugdunenſi hoc ipſo die. S. Eucherius Lugdunenſis Martyrologio Romano, in quo præcedentes omnes leguntur, adſcriptus eſt die* 16 *Novembris. Demum S. Siffridus monachus Lerinenſis dicitur fuiſſe apud Dionyſium Sammarthanum tom.* 1 *col.* 696. *De eo etiam agi poterit in hoc Opere, ubi conſtabit de cultu ejuſque die. Porrò S. Cæſarius certò fuit monachus Lerinenſis. Verùm id non invenio in Vita S. Germani, nec verum eſſe poteſt de S. Juſto, ut in Commentario ad ejus Acta obſervavi num.* 25. *De S. Eucherio idem examinari poterit in ipſius Actis, cùm minùs videatur certum.*

f *Conſuli poteſt Commentarius ad Acta S. Auguſtini prævius tom.* 6 *Auguſti pag.* 345, *ubi legitur electio ipſius ſucceſſoris, qui tamen conſecratus non eſt epiſcopus ante obitum Sancti Doctoris; licèt ipſe Auguſtinus fuiſſet conſecratus, vivente deceſſore ſuo Valerio, uti habetur ibidem pag.* 271 *& ſeq.*

g *Clotarium II obiiſſe anno* 628 *jam dixi in Commentario. Tunc ei ſucceſſit Dagobertus in Neuſtria & Burgundia: nam Auſtraſiæ regnum jam ab anno* 622 *adminiſtrabat, vivente Clotario.*

h *Clodoveus II patri Dagoberto defuncto, ut dixi, anno* 638 *vel* 644, *ſucceſſit in Neuſtria & Burgundia. Erat igitur ex ſupputatione auctoris hujus* S. Agricolus *annos natus octo, aut quatuordecim, cùm obiit Dagobertus, qui electionem ejus ratam habuiſſe dicitur. Hi anachroniſmi ipſam, vivente patre, electionem dubiam reddunt: nam etſi ſubinde ſucceſſores electi legantur viventibus epiſcopis, id tamen fiebat præter conſuetudinem Eccleſiæ.* D

i *De hac eccleſia redibit ſermo num.* 9, *ubi dicitur populi pietate factum, ut hæc eccleſia* ejus nomini conſecraretur, & haberetur in poſterum prima inſignis parœcia, nomine S. Agricoli tutelaris ornata. *Poſtea verò num.* 10 *dicitur:* Quocirca hinc factum eſt, ut augeſcente in beatum Agricolum populi pietate, baſilica ſit in ejus honorem ſummo ſtudio conſtructa atque conſecrata. *Quæret aliquis, quomodo eccleſia* S. Agricoli *ab ipſo Sancto ſtructa eſt, quomodo deinde à populo? Locum hunc elucidavit laudatus dominus de Brantes, dum hæc ad nos perſcripſit:* Obſervandum eſt, eccleſiam, quam S. Agricolus exſtruendam curavit in vita, non eſſe amplam eccleſiam parœcialem & collegiatam nomine ipſius hodieque inſignitam, ſed ſacellum eidem eccleſiæ nunc incluſum, dedicatumque ſancto Spiritui: nam major eccleſia longo pòſt tempore ædificata eſt, quemadmodum deinde E in Vita narratur *citato num.* 10.

k *Auctor per accitos monachos abbatemque iis præfectum innuit exſtructum fuiſſe cœnobium monachorum, quibus demandata fuerit parœciæ cura. Certè Sammarthanus de eo ſic loquitur col.* 869: Cùm S. Agricolus Avenionenſis epiſcopus eccleſiam urbis anguſtiorem eſſe cerneret, ... aliam conſtrui curavit, cujus adminiſtrationem dedit monachis Lirinenſibus ſuis olim ſodalibus ... Hæc abbatia fundata ſeculo ſeptimo deſinente, quamdiu in hoc ſtatu perſeveraverit, neſcimus. *Non addit, parochiam commiſſam fuiſſe huic monaſterio; at id antè dixerat in* Agricolo. *Verùm auctoritas hujus ſcriptoris mihi tanta non eſt, ut certò credam eccleſiam parochialem & monaſterium fuiſſe ſimul exſtructum, atque huic illius curam fuiſſe demandatam, cùm neſciam, an ille uſus jam cœpiſſet ſeculo* VII. *Præterea dubium redditur iſtud monaſterium, quia nullum alibi de eo exſtat monumentum, nullus illius abbas aut monachus innotuit.*

l *Intelligitur haud dubiè per* quartas *pars quarta quorumdam redituum. At non æquè patet, de quorum redituum quarta parte agatur.* F *Obſervandum itaque reditus eccleſiæ eo tempore in quatuor partes fuiſſe diviſos, unamque partem ceſſiſſe epiſcopo, alteram clericis, tertiam pauperibus, quartam reparandis eccleſiis. De quibus conſuli poteſt Thomaſſinus part.* 3. *lib.* 2 *cap.* 14 *&* 15. *Vult igitur auctor, monachis datum fuiſſe iſtud privilegium, ut etiam aliquid participarent ex hiſce quartis, veroſimiliter ex iſta quarta, quæ in clericos dividebatur: nam clericorum munia obibant, ſi ipſis attributa erat eccleſia parochialis. Eccleſia quoque ipſorum particeps eſſet poterat quartæ reparandis eccleſiis deſtinatæ. Verùm iſtud privilegium certius non eſt, quàm ſit, parochiam eo tempore monachis fuiſſe commiſſam.*

m *Pagius ad annum* 688 *num.* 2 *ſic habet:* De anno emortuali Theodorici III Francorum regis inter eruditos non convenit. Hadrianus Valeſius lib. 22 annum DCXC; Cointius annum DCXCII; Henſchenius in Exegeſi ad Diatribam de tribus Dagobertis, præfixa tomo III Sanctorum menſis Aprilis, eumdem annum vel inſequentem, elegêre. Verùm eum anno ſexcenteſimo nonageſimo primo vivere deſiiſſe, impoſterum

A rum certum esse debet. *Quidquid sit de hac certitudine Pagii, omnes sententiæ consonant scriptori nostro, qui regnum Theodorici rectè composuit cum anno 690; uti & cum pontificatu Sergii I.*

n *Floruit S. Damasus Pontifex tribus circitèr seculis ante S. Agricolum. Quid ergo hìc ait ineptus chronologus*, aliquot ante annos? *Porrò consuetudo recitandi Officium, seu Horas canonicas, antiquior est S. Damaso: verùm hic scriptor agit de recitatione Horarum per alternos cantus, atque hæc institutio non videtur Damaso antiquior, certè in Occidente. Verumtamen non invenio, hanc institutionem ipsi Damaso attribui ab antiquis, sed potiùs S. Ambrosio. De hisce S. Augustinus lib. 9 Confessionum cap. 8 & 9:* Quantùm flevi in hymnis & canticis tuis, suave sonantis ecclesiæ tuæ vocibus commotus acriter .... Non longè cœperat Mediolanensis ecclesia genus hoc consolationis & exhortationis celebrare magno studio fratrum concinentium vocibus & cordibus. Nimirum annus erat, aut non multo amplius, cùm Justina Valentiniani regis pueri mater hominem tuum Ambrosium persequeretur hæresis suæ causâ, quâ fuerat seducta ab Arianis. Excubabat pia plebs in ecclesia, mori parata cum episcopo suo .. Tunc hymni & psalmi ut canerentur secundùm morem Orientalium partium, ne populus mœroris tædio contabesceret, institutum est; & ex illo in hodiernum retentum, multis jam ac penè omnibus gregibus tuis, & per cetera orbis imitantibus. *Tillemontius tom. 10 in Ambrosio art. 45 hanc institutionem refert ad annum 386, quo jam biennio ferè defunctus erat Damasus. De his latiùs Thomassinus part. 1 lib. 2 cap. 73, qui omnia magis exponit.*

o *Fallitur rursum scriptor, cùm ait alternum cantum primò in Galliam adductum à Pipino: nam longè est antiquior. Audi concilium Agatense, quod Labbeus tom. 4 edidit, habitumque est anno 506, can. 30:* Et quia convenit ordinem Ecclesiæ ab omnibus æqualiter custodiri, studendum est, ut, sicut ubique fit, & post antiphonas collectiones per ordinem ab episcopis vel presbyteris dicantur, & hymni matutini vel vespertini diebus omnibus decantentur. *Per* antiphonas *intelligitur cantus alternus. Audi S. Isidorum lib. 1 de Officiis ecclesiasticis cap. 7, ubi & institutionem attribuit S. Ambrosio:* Antiphonas Græci primùm composuerunt, duobus choris alternatim concinentibus, quasi duo Seraphim duoque Testamenta invicem sibi conclamantia. Apud Latinos autem primus idem beatissimus Ambrosius antiphonas constituit, Græcorum exempla imitatus; ex hinc in cunctis occiduis regionibus earum usus increbuit. *Si in cunctis occiduis regionibus tempore S. Isidori increbuerat usus ille; ergo diu ante Pipinum, atque etiam diu ante* S. Agricolum, *cùm utroque antiquior sit Isidorus. Adi rursus laudatum Thomassinum cap. 75. Verumtamen Pipinus rex mutationem aliquam in cantum Gallicarum ecclesiarum invexit: nam cantores Romanos petiit à Stephano Papa, & per eos Romanum cantum in ecclesias Galliarum induxit: quod cœptum à Pipino Carolus Magnus perfecit, sublata, quantùm potuit, diversitate, quæ magna erat in cantu Gallorum. Docet hæc uberius Thomassinus cap. 80.*

p *Joannes XXII primò creatus est episcopus Forojulienſis, tum Avenionensis, deinde Cardinalis episcopus Portuensis, ac demum Pontifex Maximus anno 1316. Nomen ejus ante pontificatum erat* Jacobus de Ossa, *vel potiùs*, de Eusa, *ut vult Dionysius Sammarthanus col. 820.* A. ANONYMO.

q *Piam consuetudinem salutandi beatam Dei Genitricem Mariam non invenit primus, sed promovit Joannes XXII. Quippe Odoricus Raynaldus ad annum 1318 num. 58 sic habet:* Hoc denique anno ad incendendam in Deiparæ cultum fidelium pietatem, cùm pius mos in Xantonensi ecclesia susceptus esset, ut vergente in noctem die, campana ad præmonendos fideles, ut salutatione angelica Virginis suffragia implorarent, pulsaretur; Pontifex (*Joannes XXII*) decem dierum indulgentiam iis, qui piè ter eam orationem flexis genibus funderent, si verè eos criminum pœniteret, concessit. *Idem auctor ad annum 1327 num. 54 recitat epistolam laudati Pontificis ad Angelum Viterbiensem episcopum suumque in Urbe vicarium, in qua ait:* Dudum sanè ad reddendam dictæ Virgini gloriam, ... quòd in quolibet noctis crepusculo campana pulsetur, & ad sonum ejusdem ipsi fideles præmissæ salutationis (*Angelicæ*) verbum dicerent, piè duximus ordinandum. *Videri potest epistola tota, quæ etiam meminit de concessis hac de causa indulgentiis. Verùm jam usus ille aliquibus locis cœperat ante pontificatum Joannis XXII. Certè Octavianus à Martinis in Oratione ad Sixtum IV, quâ petit, ut S. Bonaventura in Sanctorum numerum referatur, apud nos tom. 3 Julii pag. 826 de eo sic habet:* Idem etiam piissimus cultor gloriosæ Virginis matris Jesu instituit, ut Fratres populum hortarentur ad salutandum eamdem signo campanæ, quod post Completorium datur; quòd creditum sit, eamdem eâ horâ ab angelo salutatam. *Obiit autem S. Bonaventura anno 1274, id est, annis 42 ante pontificatum Joannis XXII.*

r *Uti primus auctor non est Joannes XXII salutandi prædicto modo beatam Virginem; sic rursum ab eo ordinatum non est, ut id fieret* ter in die, *sed semel tempore vespertino, uti ex verbis allatis abunde patet. Ter repetita salutatio, mane videlicet, meridie, & vesperi, qualis hodie usitata est, attribuitur Ludovico XI Galliarum regi in Glossario Cangii & Dictionario Trivultiano, quæ ulteriùs consuli possunt, ad vocem* Angelus; *nam hac inchoatur dicta oratio.*

s *Colitur S. Veredemus 17 Junii, ad quem diem de eo breviter actum est. An autem revera successorem suum Sanctus ipse elegerit, ex hac Vita mihi non est satis certum.*

t *Childebertus hic, cognomento* Justus, *ab aliis* secundus *vocatur, ab aliis* tertius; *at tertius revera fuit, dum omnes numerantur Childeberti, qui monarchiam ejusve partem legitimè tenuerunt: non enim numerandus Childebertus Grimoaldi filius, qui potiùs tyrannus fuit quàm rex legitimus. Disputarunt eruditi de primo regni ipsius anno; sed certò regnabat anno 700, quo etiam sedebat Sergius I.*

u *De loco sepulturæ consule Commentarium num. 21.*

A. ANONYMO.

CAPUT II.

Sacella Sancto dicata eccleſiaque ; corporis tranſlationes , miracula , protectio urbis Avenionenſis.

Sacella Sancto ſtructa , & eccleſia ejus nomini dedicata ;

QUare mirum non eſt , quanta fuerit erga hunc divum Agricolum hujus populi olim ſanctimonia , cùm tot tantaque in his partibus extarent ejus nomini dicata ſacella. Extat ſacellum quoddam prope Rupem Mauram *a* huic divo Agricolo dicatum , ad quod ſingulis diebus Sabbati confluit magna multitudo populi , qui ab omni morborum genere , atque ab inſidentium dæmonum agitatione , precibus meritiſque ſancti Agricoli liberentur , quæ quidem res quotidiano miraculo comprobantur , & reverendiſſimi archiepiſcopi viſitationis acta publica *b* autenticè teſtantur. Exinde factum eſt , ſumma populi pietate in beatum Agricolum , ſoboleſcente eccleſia , quam intra urbis mœnia ſuis ſumptibus exigendam curaverat , ejus *c* nomini conſecraretur , & haberetur in poſterum prima inſignis parœcia , nomine ſancti Agricoli tutelaris ornata ; cui Joannes vigeſimus ſecundus , ſummus Chriſti vicarius , annuos proventus aſſignavit *d* , anno Domini milleſimo tricenteſimo vigeſimo primo. Neque tamen jacuit ibi obrutus Avenionenſis theſaurus , nec lapis , qui operuit Agricolum , ſpem pauperum , præſidium inopum , perfugium miſerorum , ſolatiumque contexit. Sed nova ſemper in dies civitas accipit incrementa , cùm illius ope & auxilio ſemper conſervetur. Norunt hujus civitatis cives , quoties , cùm periclitarentur , & magnis undique circumſepti eſſent calamitatibus , erexerit , arcendo quidem hoſtes crudeliſſimos atque potentiſſimos ab hujus urbis mœnibus. Norunt cives , quoties divus Agricolus ab imminenti clade ſuos defenderit. Norunt , quoties tela intenta jugulis civitatis extorſerit. Norunt , quoties jam faces accenſas ad hujus urbis incendium protulerit , comprehenderit , extinxerit. Sensêre cives ejus auxilium , cùm pernicioſa quædam lues graſſaretur , quâ cùm cædem civibus , interitum patriæ , inſidias urbi molirentur hoſtes , ut à quibus non poterat eſſe tuta civitas propter nimiam peſtis graſſationem , ignibus tuti eſſe cœpere cives.

a

B

b

C

tranſlatio corporis prima & ſecunda ,

10 Multa inpoſterum liberalitas pontificia huic loco contulit , ad majus obſequium majoremque gloriam divinæ Majeſtatis : atque ante omnia , cùm ſacroſanctæ reliquiæ ſancti Agricoli , ejuſque glorioſiſſimi patris Magni , in cathedrali Deiparæ templo colerentur , facta Pontificis juſſu ſolemnis lypſanorum permutatio eſt. Annoque eodem *e* tranſlata ab æde ſancti Agricoli ad cathedralem oſſa ſanctorum Donati *f* , Maximi *g* & Veredemi epiſcopi Avenionenſis : viciſſimque a cathedrali ad divi Agricoli corpora ſanctorum Magni parentis ejuſque beatiſſimæ prolis deportata , & ſumma omnium ordinum veneratione recondita in arcula lignea inaurata, ubi aliquot annos honorificentiſſimè aſſervata , tandem ad annum Chriſti milleſimum quadringenteſimum quinquageſimum octavum , die ſeptima menſis Septembris , per Pontium *h* epiſcopum Vaſionenſem vicarium generalem , juſſu Alani *i* Cardinalis ultimi Avenionenſis epiſcopi , ſub majori altari decenter appoſita , inibi maxima omnium civium religione in dies frequentata , haud vulgaria identidem beneficia populo largiuntur , cùm numquam deprecantibus abfuerit , nec ritè petentibus aliquid umquam devexaverit *.

e

f

g

D

h

i

* denegaverit *varia beneficia , electus patronus ,*

11 Nam illis calamitoſis temporibus ſæpe ſæpiùs cœleſtis fax viſa eſt , quæ circùm urbis mœnia errabat , ut ſceleratos civitatis hoſtes ab impugnanda patria illis facibus deterreret. Quod quidem miraculum , licèt de illo nulla monimenta fidem faciant , tamen huic divo Agricolo tota civitas adſcripſit. Cui enim frugum , fructuumque reliquorum perceptio , & conſervatio debetur ? Cui glorioſam Caroli III *k* victoriam contra Albigenſium impetum propulſandum , populus detulit ? Cui ſalubritas civitatis , aëris moderatio adſcribetur ? niſi huic divo Agricolo , cui non ſolùm omnia præclara facinora mandare debemus , verùm etiam ſumma cum gloria prædicare ? Verùm. enimverò quis non credet nos in cœlis habere interceſſorem , quem in terris habuimus Patronum ? Eſt experta ſæpiùs civitas eum vivere in cœlis , quem vitæ & ſalutis æternæ olim moderatorem habebat , & venerabatur in terris. Hujus auxilium ſenſerunt , qui febri æſtuque jactabantur , qui à dæmonibus vexabantur , aliique quàm plurimi , qui ab extremis mundi partibus ad ejus ſepulchrum , tamquam ad portum tutiſſimum confugiebant. Quocirca hinc factum eſt , ut augeſcente in beatum Agricolum populi pietate , baſilica ſit in ejus honorem ſummo ſtudio conſtructa , atque conſecrata. Quare tanta eum animi propenſione populus proſequutus eſt , ut eum in patronum optimum , & protectorem civitas elegerit.

k

E

imbres ejus ope obtenti , lis ejuſdem favore mirabiliter finita ,

12 Tacebone quoties , cùm terra eſſet ariditſima atque ſiccatiſſima , cùm in ſupplicatione ſolemni ſanctiſſimum illius caput efferretur , maximi imbres è cœlo demiſſi ſunt , & redditæ ſunt uberiores ſegetes ? Tacebone illud præclarè factum poſteritati planè memorandum , quod actum fuit anno Domini milleſimo quadringenteſimo octuageſimo (ut illius rei monimenta multis teſtibus conſignata teſtantur) pontificatûs verò ſanctiſſimi in Chriſto patris Sixti *l* , divinâ providentiâ Papæ quarti , anno decimo : lite mota & conteſtata inter capitulum inſignis eccleſiæ ſancti Agricoli ex una parte , ac dominos conſules ejuſdem civitatis ex altera , ſuper quibuſdam territoriis , prædiis ac poſſeſſionibus , exiſtentibus in territorio Avenionenſi , antiquitus dicto de Camino , nunc de Caſſaneis *m* , die octava menſis Julii , cùm ad locum contentioſum veniſſent vicarius urbis , conſules , curia ſancti Petri , officiales , capitulum prædictum , atque alii quàm plurimi viri ſpectatæ fidei. Ecce duas ciconias *n* , quæ territorium adiere , atque huc illuc volitantes , locum , ubi agrorum termini occludebantur , roſtro patefacere , mox reſeratis defoſſes * invenire. Quare acclamantibus omnibus , eo prodigio civitas intellexit , quo ſtudio divus Agricolus animas ſibi creditas è cœlo tueatur , qui de temporibus * ſuæ eccleſiæ bonis fuerit ita ſollicitus , qui , quod ſuum erat , apertè declaraſſet. Ingruit aliquando tanta ciconiarum tempeſtas , ut civitatem Avenionenſem magnis incommodis opprimeret : vaſtabant agros cico-

F

l

m

n

* *forte* foſſis

* *forte* temporalibus

A ciconiæ, urbem peſtiferis ſerpentibus, quibus veſcebantur, inficiebant: quod cùm ſerperet infinitum malum propter tantam ciconiarum vaſtitatem, manaretque in dies latiùs, attoniti cœperunt omnes cives hærere, atque quid conſilii capiendum eſſet, ignorare: quod cùm vidiſſet divus Agricolus *o*, ut hanc civitatem, cui maxima impendebant pericula, liberaret, atque ab imminenti illarum avium clade vindicaret, anathemate ciconiarum illud agmen infeſtiſſimum expulit. Hinc factum eſt, ut in hujus rei recordatione, ciconiam pro inſignibus huic divo Agricolo populus detulerit.

urbs contra hæreticos defenſa:

13 Unde porrò factum arbitramini, cùm univerſa Gallia bellorum civilium incendio conflagrante, hæreticiſque impunè omni barbarie immanitateque graſſantibus, omnes penè civitates regni, vel hæretici * lue inficerentur, vel occuparentur à ſacrilegis, templa Deo dicata everterentur, violarentur ſacra omnia, atque in miſerandam redigerentur ſolitudinem, ſola civitas Avenionenſis incolumis, & ab omni contagione pravitatis hæreticæ, una propemodum inter omnes intacta permanſerit? Senſit patrocinium

* hæretica

B ſanctorum tutelarium afflictiſſima civitas, ſanctique imprimis Agricoli patroni ſui: neque enim aut ſilere debemus, aut obliviſci poſſumus, quæ hoc calamitoſo ſæculo vidimus ipſi, & quæ univerſa Gallia, unius ferè urbis fœlicitatem integritatemque mirata conſpexit. Siquidem anno ſalutis MDLXXIII, die decima atque undecima menſis Julii, in inſula comitatus Venenteſſini *p*, aliiſque in locis quàm plurimis, ſanguineæ pluviæ deciderunt, quæ nos cladium imminentium admonerent. Anno verò ſequenti ſeptuageſimo quarto, cùm jam periculoſiſſimas conſpirationes civitas evaſiſſet impunè; jamque aliam atrociſſimam omnium proditionem machinarentur hæretici, viſa fuit fax ſplendidiſſima *q* ad muros Avenionenſes, quæ totam urbem circuibat, militibus civibuſque primariis permultis, qui tum in vigilia verſabantur, videntibus mirantibuſque: & qui viderunt plerique vivunt adhuc. De quo prodigio, etſi aliud certum non habemus, niſi portendiſſe conſpirationem, quæ paulo pòſt novo miraculo inopinatorum imbrium, inuſitata inundatione decidentium, detecta & clauſa *

p

q

* *fortè eluſa*

C fuit, cùm jam plerique armati in domibus intra urbem conſpirati, alii extra muros comparati, ad portam penè urbis adſtarent, piè tamen arbitramur, eaque vox eſt omnium illa communis, fuiſſe ſanctorum tutelarium urbis, ſanctique potiſſimùm Agricoli opportunè indicium, divina clementia ſui Famuli precibus meritiſque fidelium civium ſaluti & commodis invigilante.

ex quibus concludit auctor, fidendum de protectione Sancti.

14 Quæ nobis ergo ſpes eſſe debet, quæve fiducia, dilectiſſimi, fore ut ſanctus Agricolus, hanc urbem ſibi creditam tueatur & defendat! O Avenio feliciſſima, ô urbs fortunatiſſima, quæ talem præſidem ac protectorem habere meruiſti, & quæ tantis ſeditionum ſcopulis illius ope & auxilio ſis conſervata. Agite nunc, fratres, tanti Patris ſectemur ad immortalem gloriam impreſſa veſtigia: tunc enim nos germanos filios complectetur, cùm virtutum ſuarum delineatam in nobis imaginem recognoſcet. Numquam abfuit invocatus, numquam obſurduit imploratus, ut impetremus ejus orationis ſuffragium, ne deſeramus converſationis exemplum: nemo ipſum ſequens aberrat, ipſum rogans non deſperet, ipſum cogitans non formidet, ipſo tenente non corruit, ipſo proregente non metuit, ipſo ſequente non ſuccumbit. O Paſtor hujus gregis ſanctiſſime; qui jam in montibus Iſraël, in paſcuis uberrimis paſceris, ſis memor ovium tuarum; quæ errant in convallibus, ubi mundi tempeſtatibus & procellis jactantur. Hic ille eſt, dilectiſſimi, fratrum amator, hic qui multùm orat pro populo ſuo, & univerſa civitate ſua peculiari ſibi patrocinio commendata, qui nos in iſtius vitæ agone fideliter decertantes, ſecum in tremendo mortis articulo deducet in cœlum triumphantes, præſtante Domino noſtro Jeſu Chriſto; à quo omne datum optimum & omne donum perfectum, qui ſemper eſt glorioſus in ſanctis ſuis, cum Patre & Spiritu ſancto in ſæcula ſæculorum. Amen.

A. ANONYMO.

ANNOTATA.

a *De hoc ſacello actum eſt in Commentario num.* 22.

b *Hæc Acta ad manus noſtras non pervenerunt.*

c *Phraſis utcumque videtur luxata, aut certè vitioſa eſt. Attamen ſatis clarè affirmat auctor, eccleſiam, quam Sanctus ſtruxerat, ei deinde dicatam.*

E

d *Veriſimiliter ad erigendum capitulum canonicorum. Vide dicta in Comm. num.* 23.

e *Incertum eſt, an hæ voces* annoque eodem *ad anteriora referantur, ita ut velit aſſerere tranſlationem factam anno* 1321 *antè deſignato; an verò ſolùm velit utramque corporum tranſlationem eodem anno peractam. Attamen veriſimile eſt, ſcriptorem reſpexiſſe ad annum* 1321; *quo dixerat proventus eccleſiæ aſſignatos. Adi Comm. num.* 24.

f *Nouguierius pag.* 18 *teſtatur, in omnibus antiquis catalogis epiſcoporum Avenionenſium reperiri* S. Donatum *epiſcopum inter S. Juſtum & Joannem epiſcopos, at ſine temporis nota. Varia deinde adducit argumenta, quibus probabilius credit, Sanctum illum Donatum non fuiſſe epiſcopum; ſed reliquias S. Donati presbyteri, qui eremita fuit in pago Siſtaricenſi, vel Sigiſterico (de Siſteron) eò fuiſſe tranſlatas. Colitur hic ſanctus presbyter & eremita* 19 *Auguſti, quo breviter de eo actum eſt. Ait, oſſa ejus quieſcere in eccleſia metropolitana ſuper altare majus, atque incluſa thecæ argenteæ cum aliis reliquiis; feſtumque ejuſdem celebrari eodem die* 19 *Auguſti, tamquam de Confeſſore non pontifice, & ritu duplici ob reliquias. Hæc ſatis congruunt cum hac Vita, in qua Donatus non dicitur epiſcopus; nec totum corpus, ſed oſſa tranſlata memorantur. Hinc tamen certum non putem, S. Donatum aliquem non fuiſſe epiſcopum Avenionenſem; nam ſeculo* 4 *unus tantùm aut alter recenſetur in Catalogo Dionyſii Sammarthani, ita ut pluribus non deſit locus.*

F

g *S. Maximus, hujus nominis ſecundus, inter epiſcopos Avenionenſes recenſetur à Nouguierio & Sammarthano; nec dubius eſt ejus epiſcopatus, ſed certus, licèt hîc epiſcopus non nominetur, ſaltem aperte. Feſtivitas ejus celebratur* 27 *Novembris, quo etiam colitur S. Maximus Regienſis Martyrologio Romano inſertus. Poterit eo die Sanctitas & cultus ejus exactiùs diſcuti. Interim aſſerit Nouguierius oſſa ejus ſervari cum oſſibus S. Donati. De Veredemo S. Agricoli ſucceſſore jam egimus.*

h *Varia*

A. ANONYMO.

h *Varia de Pontio Vasionensi memorat Dionysius Sammarthanus tom.* 1 *col.* 933; *atque inter alia, quod hic asseritur.*

i *Alanus Cardinalis* ultimus *dicitur Avenionensis episcopus, quia paulo post ejus mortem eadem ecclesia ad metropolitanam dignitatem evecta est. Adfuit electioni Calixti III, à quo varias legationes jussus est obire. Deinde quoque adfuit electioni Pii II. Atque hac ratio fuisse videtur, cur vicarium generalem habuerit Pontium Vasionensem.*

k *Quem hic Carolum III, quam ipsius contra Albigenses victoriam velit biographus, libenter discam: nam id me prorsus ignorare fateor.*

l *Sixtus IV pontificatum adeptus est anno* 1471 *: rectè igitur annus decimus statuitur* 1480.

m *Dominus de Brantes testatur, hunc locum Avenione distare dimidio milliari Gallico.*

n *Hinc forsan contigit, ut ciconiam Sancto appingant Avenionenses, licèt alia mox assignanda sit ratio.*

B o *Sic loquitur auctor, acsi Sanctus adhuc vivens istud miraculum patrâsset. Sanè Vita Gallica edita anno* 1651 *istud factum pag.* 19 *attribuit viventi sancto* Agricolo. *Attamen vix crediderim, tale prodigium à Sancto patratum esse in vita, scriptoque relictum posterorum memoriæ: nam tunc citiùs fuisset à scriptore relatum. Quin potiùs vehemens potest esse suspicio, totum esse fictitium, ortumque ex ciconia, quam pro insignibus habet* S. Agricolus. *Certè non videntur ciconiæ ea damna inferre, quæ hîc describuntur.* D

p Vindascinus comitatus, *Gallis* Venaissin, *Italis* Venesino, *paret summo Pontifici, sicuti urbs Avenio, cui adjacet. Insula hîc nominata est Rhodani, qui comitatum alluit, uti & Druentia.*

q *Castruccius in Historia Avenionensi tom.* 1 *lib.* 3 *cap.* 5 *etiam narrat, facem fuisse visam, quæ muros Avenionenses circuibat, quâque admoniti fuerunt præsidiarii milites, ut diligenter invigilarent: factumque istud confirmat testimonio tunc viventium, qui istud à parentibus oculatis testibus audierant. Idem habet Nouguierius pag.* 213. *Laudatus Castruccius eodem capite varia refert urbis Avenionensis pericula, quòd eam urbem occupare conarentur hæretici Calvinistæ. Consuli igitur tum hic potest, tum alii, qui historiam illorum temporum pertractarunt. Nominatim anno* 1574, *dum mortuus erat Carolus IX Franciæ rex, priusquam ejus successor* E *Henricus III ex Polonia in Galliam advenerat, hæreticorum armis impetitus est comitatus Vindascinus, uti habet laudatus scriptor num.* XI.

DE SANCTO STEPHANO
PRIMO HUNGARORUM REGE
ALBÆ REGALIS IN HUNGARIA,

J. S.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§ I. Acta Sancti à Carthuitio episcopo scripta; quæ defenduntur contra iniquas criminationes scriptoris heterodoxi.

C ANNO MXXXVIII. *Vita Sancti scripta à Carthuitio episcopo ad Colomannum regem;*

Priusquam gloriosa sanctissimi Hungarorum regis Stephani *gesta discutere incipiam, necessariò examinandum censeo, quanta Vitæ ejus, in qua enarrantur præcipua, tribuenda videatur auctoritas: nam varia de hac variorum sunt judicia. Auctor Vitæ nomen & dignitatem suam statim declarat in præfatione his verbis:* Domino suo Calamanno regi præcellentissimo Carthuitus episcopus *&c. Verùm non addit, cujus civitatis fuerit episcopus, neque aliunde id certò constat: quod non mirabimur, modò consideremus paucos ex episcopis Hungariæ istius temporis nobis esse cognitos. Tempus scriptæ Vitæ colligitur ex rege Calamanno, aut Colomanno, ut aliàs vocatur: scriptam enim fuisse ad Colomannum S. Ladislai successorem, omnes olim existimarunt, atque istud satis certum puto, etiamsi nuper se opponere voluerit Godofredus Schwartz scriptor heterodoxus, qui anno* 1740 *libellum edidit sub titulo:* Initia religionis Christianæ inter Hungaros Ecclesiæ Orientali adserta. *Hic scriptor, cùm gloriam conversæ Hungariæ Latinis ereptam vellet, omnem movit lapidem, ut verisimile faceret, Hungaros primò ad fidem adductos esse à Græcis; cumque Vita* S. Stephani *regis cum illo asserto cohærere non posset, omnem auctoritatem prædictæ Vitæ ablatam voluit. Hac de causa contendit, Vitam seriùs exaratam esse, idque ratiunculis quibusdam ostendere nititur. Singula ejus asserta excutiam diligenter.* F

2 *De tempore Vitæ conscriptæ, & de rege, ad quem scripta, Schwartzius pag.* 57 *sic loquitur:* Tertiò, quemadmodum nullius loci episcopum chartaceus noster Chartuitius se dicit, ita Colomanno regi Legendam suam inscribens, insigni iterum alucinatione, cui regi, auctor non prodidit, vel certè editor Surius monstrum utrimque aluit. Colomannus enim Hung. rex anno MCXV vitâ functus, intelligi nequit. Decrepitum siquidem in epistola ad regem scriptor se vocat: cœvus hinc Ladislao fuisset, cujus auspiciis anno MLXXXIV, vel præcedente, Stephani regis corpus elevatum colendumque publicè fuit expositum. Si cœvus erat, absurdè de Ladislao ad Colomannum, successorem illius proximum, *hunc Halitiæ regem exponit Schwartzius, qui vult Vitam justo seriùs exaratam:*

A ximum, ſcripſit: " Ladiſlaus rex, qui tunc ad „ reipublicæ gubernacula ſedebat „: abſurdiuſque multo de rebus ſua ætate geſtis dixiſſet: " Lapidum acervos effecerunt, qui poſtea longo „ illic tempore permanſerunt „: pauciſque interjectis: " Mira quidem res & noſtris tempo„ ribus ſtupenda „. Denique quam hodie Tranſilvaniam vocamus, veteribus Hungaris, etiam in Latinis ſcripturis, dicebatur ERDELY, Andreæ II temporibus ULTRASILVANIA, Bela demum IV regnante, TRANSILVANIA. Sed legendarius noſter TRANSILVANIAM jam vocat. Quartò, ſi recentioris ætatis ſcriptor noſter eſt, quod Timon agnoſcit, pluraque id pronuntiata indicare fatetur: atque adeo ſi Colomannus, non ille antiquior Hungariæ, ſed Haliciæ rex, Belæ IV germanus, eſt intelligendus, cui Legenda noſtra inſcripta ſit; plus quàm duobus ſeculis ab ætate S. Stephani diſtabat. *Hactenus ille de tempore conſcriptæ Vitæ.*

et frivolæ 3 *Verùm rationes ſuas expoſuit Schwartzius ſtylo longè acerbiori quàm ſolidiori, pluraque peccat contra rectam rationem in oppugnando*
B *Carthuitio, quàm hic videatur peccaſſe in ſcribenda Vita. Vidit ille hallucinationes, monſtra, abſurda, ubi nihil hallucinationis, nihil monſtri, nihil abſurdi.* Epiſcopum *ſe nominat Carthuitius, nec addit, cujus civitatis*; regem *vocat Colomannum, nec adjungit cujus regni: ſi id eſt hallucinari, aut monſtra producere judice Schwartzio; rectiùs ut judicare diſcat, legat ſcriptores præſtantiſſimos, antiquos & neotericos, & cùm invenerit, id ipſum à plurimis factitatum, errorem modeſtiùs corrigat. Nos interim expendamus, an alia ſint meliora. Intelligi non poteſt Colomannus S. Ladiſlai ſucceſſor, ſi critico noſtro credimus, quia ſic decrepitus Carthuitius debuiſſet coævus eſſe Ladiſlao. Coævum fuiſſe Ladiſlao Carthuitium prorſus exiſtimamus. Supponamus etiam eumdem adfuiſſe corporis elevationi ſub Ladiſlao factæ, quod eſt incertum; quid inde orietur mali? An auctor non niſi abſurdè ſcribere potuit*, Ladiſlaus rex, qui tunc ad reipublicæ gubernacula ſedebat, *quia Ladiſlao convixerat? Id ſanè mihi minimè apparet. Quin potiùs judicium illius requiro, qui id male additum exiſtimat: neque*
C *enim ſoli Colomanno ſcribebat Carthuitius, ſed poſteris etiam, qui Vitam erant lecturi, quique non omnes ſcituri erant, Ladiſlaum eo tempore regnaſſe. Nihilo plus piaculi in verbis illis, quæ* abſurdiùs *ſcripta vult Schwartzius:* Lapidum acervos effecerunt, qui poſtea longo illic tempore permanſerunt. *Cur, obſecro, iſtud rectè ſcribere non poterat Carthuitius viginti annis poſt rem peractam? An lapides ibi non manſerunt longo tempore, ſi vel ſolo decennio permanſerint?*

ſunt rationes, 4 *Nihil rurſum abſurdi eſt in verbis Carthuitii, quæ ſubjungit:* Mira quidem res, & noſtris temporibus ſtupenda. *Poterat id aptè ſcribere Carthuitius, etiamſi Vitam ſcripſiſſet eodem die, quo miraculum fuerat peractum. Equidem non ineptè me dicturum exiſtimo, ſi iiſdem ferè vocibus Schwartzio reſpondero:* Mira quidem res, & noſtris temporibus ſtupenda, *virum, qui eruditus videri deſiderat, ſperare potuiſſe, ſe hujuſmodi ratiunculis perſuaſurum orbi erudito, Vitam* S. Stephani *ſerius eſſe conſcriptam, quàm hactenus paſſim fuit creditum. Quin imò poſteriora illa Carthuitii verba inſinuant, miraculum mortui reſuſcitati, de quo illa pro-*

nuntiat, ipſius tempore contigiſſe. Accipe verba ex Vita num. 37: Mira quidem res & noſtris ſtupenda temporibus, non priùs orare mulier deſtitit, quàm filium, quem defunctum collocaverat (*apud ſepulcrum Sancti,*) viventem accepit. *Non opponit auctor tempus, quo ſcribebat, tempori, quo factum erat miraculum; ſed tempus ſuum tempori primævæ eccleſiæ, quo minùs rara erat mortuorum reſuſcitatio: aitque rem eſſe cùm per ſe miram, tum etiam planè ſtupendam, quòd contigiſſet ſuo tempore, quo mortuorum reſuſcitatio erat rariſſima. Inſinuat igitur Carthuitius miraculum iſtud, quod factum eſt poſt corpus elevatum ſub Ladiſlao, ſuo tempore contigiſſe, adeoque ex his verbis rectè colligitur, Vitam eſſe ſcriptam ad Colomannum Ladiſlai ſucceſſorem.* AUCTORE J. S.

quibus id probare nititur: 5 *Quod demum objicit Schwartzius de Tranſilvania, quæ veteribus* Erdely *dicebatur, etiam apud ſcriptores Latinos, quæque aliquando* Ultraſilvania *legitur nominata; id ſolum proferri debuerat, cùm ſaltem ſpeciem aliquam difficultatis habeat, licèt difficultas revera non ſit magna. In Vita num. 22 ſic legitur:* Veredarium
E quemdam infra diem & noctem ad Albam tranſſilvanam præcepit feſtinare. *Verùm Surius ubique dictionem immutans, edidit,* ad Albam Tranſſylvaniæ, *atque illa mutatione occaſionem dedit objectioni. Nam ſcriptor revera* Tranſilvaniam *non vocavit; ſed* Albam *cognominavit* tranſſilvanam *ad diſtinctionem alterius, videlicet Albæ regalis. Itaque, ſi nomen* Tranſilvaniæ *nondum uſitatum erat tempore Colomanni, Carthuitius Albam Juliam cognominare potuit* tranſſilvanam, *quia ſita erat trans ſilvas, quæ ipſi tandem provinciæ nomen dederunt. Deinde, ſi ſcriptor* Tranſilvaniam *revera nominâſſet, ſicuti malè edidit Surius, ex hac voce colligi non poſſet ipſius ætas poſterior: nam provincia illa, quæ* Erdély *etiamnum vernaculè dicitur, ab aliis ſcriptoribus Latinis cœpta eſt dici* Tranſilvania, *ab aliis* Ultraſilvania. *Nomen deductum eſt à denſis ſilvis, quibus cingitur. Quis modò, niſi temerè, definiat, à quo ſcriptore primò uſurpatum fuerit nomen* Tranſilvania? *Aliquis certò primus fuit. Cur igitur non æquè Carthuitius, ac alius quiſlibet, primùm uti potuiſſet ea voce, ſi omnino uſus fuiſſet?*

& variis argumentis oſtenditur, Vitam eſſe ſcriptam ad Colomannum Hungariæ regem;
F 6 *Porrò ſicuti allatæ rationes non probant juniorem eſſe Carthuitium, ſic aliæ prorſus perſuadent eumdem ſcripſiſſe ad Colomannum Hungariæ regem. Primam rationem jam dedi num. 4. Alteram deſumo ex verbis Surii à Schwartzio item adductis,* Rex Ladiſlaus, qui tunc ad reipublicæ gubernacula ſedebat, *pro quibus legitur in Ms.,* Rex Ladiſlaus, qui tunc rempublicam adminiſtrabat *&c. Addidiſſet haud dubiè* Hungarorum, *aut quid ſimile, ſi ſcripſiſſet ad alium regem quàm Hungarorum. Verùm quia epiſcopus erat Hungariæ & ad regem Hungariæ ſcribebat,* rempublicam *ſolùm vocat, intelligens Hungaricam. At ſic aptè loqui non poterat ad Colomannum Haliciæ regem, qui Hungaricam rempublicam non adminiſtrabat. Præterea Colomannus ille, ſeu dux, ſeu rex Halicienſis in Ruſſia Nigra, paucis ſolùm annis pacificè regnavit, ita ut veriſimile non ſit, Vitam ad eum fuiſſe conſcriptam, præſertim cùm multa contineat, quæ innuunt ſcriptam eſſe in Hungaria; nihil verò habeat, ex quo colligi poſſit compoſitam eſſe poſt Colomannum Hungariæ regem: nullam enim memorat perſonam, quæ vixit poſt Co-*

AUCTORE J. S.

lemannum; *nullum enarrat factum, quod contigit post ipsum. Verùm elevationem corporis sub Ladislao factam, patrataque eo tempore miracula, sic refert cum adjunctis variis, ut inde colligi possit, vel rei gestæ præsentem fuisse, vel certè eo tempore vixisse scriptorem. Jam verò Vitam hanc esse scriptam ante Colomanni Haliciæ regis tempora, alio argumento sic ostendo. Colomannus Andreæ II Hungariæ regis filius ac deinde Haliciæ rex, necdum natus erat ineunte seculo* XIII. *Ad hunc igitur scribere non potuit Carthuitius, nisi multis annis post canonizationem S. Ladislai, quæ facta est anno* 1192, *secundum antiquæ Vitæ auctorem, vel anno* 1198, *si exactius sit calculus Bonfinii: videri hæc possunt tomo* V *Junii pag.* 319. *Verumtamen Carthuitius num.* 33 *præclaro quidem elogio ornat Ladislaum; at* sanctum *non vocat, nec ullo modo ei attribuit aliquid, quo insinuat eo tempore fuisse canonizatum, aut cultum ut sanctum. Præterea S. Henricus imperator solemni canonizatione Sanctis adscriptus erat ante medium seculi* XII, *ut apud nos ostensum est tom.* III *Julii pag.* 715 *&* 716: *nec tamen Henricum sanctitatis titulo*
B *laudavit Carthuitius num.* 13, *sed solùm pietatis. At nec Ladislaum, nec Henricum nominâsset auctor sine mentione sanctitatis, si post canonizationem eorum scripsisset; cùm sanctitatem aliorum omnium, qui ante Colomannum Hungariæ regem eo donati erant titulo, non reliquerit indictam, ubi de illis meminit: nam aut* sanctos *vocat, aut* beatos, *aut quadam circumlocutione sanctitatem indicat. Manifestum igitur id est indicium, Carthuitium scripsisse diu ante Colomannum Haliciæ regem, nec alium quærendum esse Colomannum, cui Vita fuerit inscripta, quàm Colomannum Hungariæ regem & S. Ladislai successorem.*

sub initium seculi XII, *ita ut auctor fuerit Sancto suppar,*

7 *Ex dictis statui debet epocha Vitæ conscriptæ sub initium seculi* XII, *cùm Colomannus regnum adeptus sit anno* 1095; *obierit autem anno* 1114, *si credimus chronotaxi Joannis de Thwrocz, quam hîc excutere non est necesse. Decrepitum se dicit auctor in epistola ad regem, ita ut jam natus esse potuerit anno* 1038, *quo obiit* S. Stephanus. *Suppar igitur fuit Sancto,*
C *& multa potuisset discere de gestis ipsius ex iis, qui fuerant præsentes, si juvenis conscribendam suscepisset hanc Vitam. Joannes Thuroczius mox laudatus in Chronica Hungarorum cap.* 27 *verisimiliter Vitam hanc laudat hisce verbis:* Geycha verò divino prænonitus oraculo, anno Dominicæ Incarnationis nongentesimo sexagesimo nono, quemadmodum in Legenda sancti Stephani regis scriptum est, genuit sanctum Stephanum regem. *Ranzanus ejusdem meminit, multaque ex ea refert in Epitome rerum Hungaricarum indice* 8. *Verum Schwartzius pag.* 59 *aliam Vitam designatam à Thuroczio dicit, quia* Legenda Chartuitiana nativitatis annum nullum designat. *Respondeo Vitam citari à Thuroczio non pro anno natali, quem ipse addidit, & quidem minùs rectè; sed solùm pro patris nomine, & divino oraculo, quo prænonitum dicit ex Vita Carthuitiana. Monet eodem loco scriptor ille, se non omnia scripturum, quæ de* Stephano *& Emerico ejus filio in Vitis eorum relata sunt. Verùm*, Nos ea, *inquit*, quæ ab aliis scriptoribus prætermissa sunt, breviter ac summatim scribere intendimus.

8 *Porrò, quamvis de ætate Carthuitii non videatur dubitandum, Vita tamen* S. Stephani *ab eo scripta, non caret erroribus, seu navis* D *aliquot: atque hi à Surio editore aucti sunt, dum Gisela Sancti conjux apud ipsum* filia vocatur Henrici imperatoris, *cujus filia non fuit, sed soror, sicuti revera nominatur in Ms. & in editione vetustiore. Error item est in anno emortuali, qui tam in Ms., quàm apud Surium, dicitur* MXXXIV; *sed hic etiam error facilè irrepere potuit vitio transcribentium, qui non rarò numeros corrumpunt. Erratum quoque videtur in nomine ducis Poloniæ, quem narrat coronam regiam petiisse à Pontifice. Verùm errores isti duo posteriores (nam primus certò ejus error non est) tales sunt, ut auctoritatem Actorum non multùm minuant, præsertim cùm multa in iis relata ex scriptoribus synchronis confirmentur, & alia non pauca ex iisdem fiant verisimilia. Hinc mihi non displicet judicium Bailleti de hisce Actis: nam in Tabula critica ad* 2 *Septembris Gallicè habet, quæ reddo Latinè:* Vita ejus conscripta per episcopum Hungarum, nomine Carthuitium, & dedicata regi Colomanno, non est immunis ab erroribus. Aliunde tamen satis auctoritatis habet, licèt auctor abfuerit à tempore Sancti. *Rectè cetera. At quod ait abfuisse à tempore Sancti nimiam insinuat distantiam, cùm tantùm sexaginta aut septuaginta annis post mortem ipsius scripserit. Idem fere fuit aliorum scriptorum judicium de auctoritate hujus Vitæ, & meritò.* E

qui in leves aliquot lapsus est errores; sed auctoritate carere non debet:

Schwartzius Vitam S. Stephani vehementer accusat;

9 *Schwartzius verò, ut bile saltem suppleret, quod rationibus deerat, vix idonea reperit verba, quibus suum in hanc Vitam odium satis declararet. Odio fuisse scriptori heterodoxo Opusculum Carthuitii, quo clarè patet, qualis fuerit Hungarorum religio conversionis initio, nequaquam mirari debeo; at vehementer miror petulantem hominis acerbitatem, cùm hæc scribendi methodus passim improbetur hoc tempore. Audiamus tamen, an tam solidè quam amarè oppugnet Carthuitium:* Quæ autem, *inquit pag.* 58, legendarii nostri fides putanda est, vani ad nauseam usque fabulatoris crassorumque errorum rei? " Labitur, inquit Timon, in qui-
„ busdam, ejus tamen auctoritas non parvi est
„ momenti „. Datur sanè hæc venia permultis aliis, quòd lapsus humanos veritati rerum gestarum subinde admisceant. Sed ita scribentem, F ut totum narrationis argumentum sit una multiplicium portentorum scena, fidem humanam exsuperans, ac nullo penitus coævorum suffragio communita, minimus quisque error suspectum facit. *Si vanus fabulator, si crassorum errorum reus Carthuitius, si relata ab eo humanam fidem superant, nulloque muniuntur coævorum testimonio, rectè ei omnem auctoritatem abrogabimus. Verùm accusationes istas probatas oportuit, cùm dissentiant eruditi.*

at magis clamore incondito, quam recta ratione,

10 Duplex, *inquit*, commentorum ipsius nugacium, quibus, quantus quantus est, lutulentus fluit, specimen suprà dedimus; ex quibus cetera, sibilis subinde explodenda discas. *Vellem pro sibilis rationes allegâsset Schwartzius. Nam revera sibilos potiùs quam rationes attulerat suprà, ubi sic exclamat:* An igitur in his, quæ omnium cordatorum fidem excedunt, firmus satis testis? Quanta & qualia sunt hæc, quòd à rege Stephano exstructum monachorum cœnobium Hierosolymis; duodecim canonicorum collegium, domos quoque & hospitia muro circumdata lapideo peregrinantium Hungarorum causâ Romæ, insignis denique operis templum Constantinopoli, condita

A condita narrat. Tam memoranda facinora adeone coævis omnibus ignota, & oblivione ſepulta manere potuerunt? *Hæ tres fundationes tam incredibiles ſunt Schwartzio, ut ſolæ allegentur pro exemplo. At oſtendam* § 28 *non eſſe incredibiles, ſed prorſus veriſimiles. Quod ait, hæc omnibus coævis ignota fuiſſe, nullius eſt momenti: nam Carthuitius ſuppar eſt, ac primus, qui geſta ſancti* Stephani *uberiùs conſcripſit. Coævi verò, qui ſeculo* XI *brevia ſcripſerunt Chronica, pleraſque alias Sancti fundationes ſimiliter omiſerunt, imò & plurima alia ipſius geſta, le quibus tamen dubitari nequit. Itaque altùm quidem hîc clamat Schwartzius, at immeritò & ſine ratione; uti magis patebit ex dicendis loco jam indicato.*

cùm duos tantùm errores in ea oſtendere potuerit;

11 *De erroribus verò nihilo rectiùs ſubdit iſta:* Duplex item craſſorum errorum exemplum accipe. Silveſtri Pontificis nomen ignorans, Poloniæ tamen regis, qui coronâ jamjam à Pontifice paratâ excidit, dum ſcire vult, MIESCAM appellat antè demortuum, nactumque ſucceſſorem Boleſlaum. Graviore lapſu mortem Stephani ad annum MXXXIV retulit, cùm ſcribendus

B fuiſſet annus MXXXVIII. *Erratum in hiſce eſſe non negaverim. Verùm non tales ſunt hi errores, quibus ignoſci non poſſit: nam ſecundus fortaſſe tranſcribentium potiùs eſt quàm auctoris; & uterque talis eſt, ut facilè obrepere potuerit ſcriptori ſuppari. Alios autem errores aſſignare non potuit, etiamſi & alia carpat ut errori aut fictioni obnoxia; ſed ea examinabimus commodiùs ad loca ſingula per decurſum. Tandem Schwartzius criſim ſuam exercet, & conjecturam hujuſmodi ſubjicit:* Conjecturam his noſtram, ſalvo aliorum judicio, adjungimus octavò, videri Legendam noſtram circa ſeculi XIV tempora, quibus ea Hungaros inter atque Pontificem Romanum controverſia magnis motibus agitata eſt, ab aliquo impoſtore conſarcinatam, & ad curiæ Romanæ cauſam accommodatam eſſe. *Quàm inepta ſit hæc conjectura, facilè oſtendi poteſt. At priùs audiamus omnem iracundi hominis eloquentiam:* Nam, ut lubens admittam, *inquit*, ſcriptorem à Surio, qui eum mutato, ut ipſe de ſe prædicat, ſtilo edidit, ex integro fictum non eſſe, veterem tamen etiam, eumque fide aliqua dignum fore, nec Timon probat, & nos graviſ-

C ſimis, ut puto, argumentis auctoritatem obſcuri, novitii, inſulſi atque erronei Legendarii ſatis evertimus. Ceterùm, ſi cui Surianam editionem, ad quam Bongarſiana excuſa eſt, vel cum vetuſtiore illa, cujus meminit Schœdelius, vel cum codicibus manuſcriptis, conferre liceret, credo equidem tela eum pleniore manu collecturum, quibus utrumque & Chartuitium & Surium

* conficiat *aut* configat conficat *. Interea, dum id fiat, redeat epiſcopus noſter Chartuitius ad legendariorum ſubſellia, in cathedram probæ notæ ſcriptorum tum demum collocetur, cùm legendariorum turba à communi objectione, quâ velut ſuperſtitioſi fabulatores, verarumque hiſtoriarum corruptores, vanorum rumuſculorum aucupes, homines obſcuri, creduli atque infidi, ab emunctioris naris hiſtoricis impeti ſolent ac contemni, liberabuntur. *Hactenus Schwartzius, qui tanto hanc Vitam proſequitur odio, ut præclariſſimos Doctores Eccleſiæ, Græcos pariter ac Latinos, alioſque ſcriptores plurimos ac præſtantiſſimos, qui Sanctorum Vitas conſcripſerunt, fabulatoribus atque hiſtoriarum corruptoribus imprudens annumeret, ut vel ſic Carthuitium magis deprimat.*

12 *Jam verò quàm recte ratiocinetur Schwartzius, paucis accipe. Jactat ſe* graviſſimis argumentis *auctoritatem Carthuitii ſatis everiſſe; ſimul tamen divinat ex antiquiore editione & Mss.* tela *colligi poſſe* pleniore manu, *quibus Carthuitius conficiatur & Surius. Si graviſſimis argumentis rem confecerit, cur alia deſiderat tela? Cur credit ex antiqua editione & Mss. validiùs confici poſſe Carthuitium, quàm ex editione Surii? Nullam equidem rationem invenio, niſi dictum poetæ:* Quod nimis miſeri volunt, id facilè credunt. *Dabo editionem illam cum Ms. collatam; at nullum inde telum, quod validum ſit, colliget Schwartzius. Ipſe interim, dum* tela *deſiderat* pleniore manu *colligenda, abunde inſinuat, non ignotam ſibi eſſe argumentorum ſuorum infirmitatem. Sanè quanto magis totam ipſius diſputationem perſpicio, tanto minùs quidpiam ſolidi in ea reperio, ita ut nihil contineat præter clamores inconditos. Tres fundationes dicit incredibiles, quia omiſſæ ſunt à coævis; at iidem alias pleraſque monaſteriorum & epiſcopatuum Hungariæ fundationes prætermiſerunt, quia breviter tantùm attigerunt res Hungaricas potiùs quàm enarrarunt. Deinde duos aſſignat errores,* E *quos agnoverunt illi ipſi, qui Acta* S. Stephani *vel maximè aliàs probarunt. Addit à Thuroczio & Ranzano ſeculi* XV *ſcriptoribus* multa aliter *relata, quàm narrata ſint à Carthuitio; multa quoque ab iis addita, & contrà multa prætermiſſa ex iis, quæ Carthuitius habet. Verùm oſtendam, laudatos ſcriptores Carthuitio paſſim conſentire, eorumque ſilentium huic non adverſari, cùm brevitatis causâ omiſerint, aut breviter perſtrinxerint plurima. Thuroczius cap.* 27 *remittit ad Vitas* S. Stephani *atque Emerici ejus filii; ſubjungitque:* Nos ea potiùs, quæ ab aliis ſcriptoribus prætermiſſa ſunt, breviter ac ſummatim ſcribere intendimus. *Ranzanus verò brevem rerum Hungaricarum conſcripſit Epitomen, multaque prætermiſit. Horum igitur ſilentium relatis à Carthuitio fidem nequit detrahere, præſertim cùm exigua illorum ſcriptorum ſit auctoritas, & Bonfinius prædictis ſynchronus eadem abunde expoſuerit.*

ſed ineptiſſimam conjecturam de Vita ſeculo XIV *ſcripta.*

13 *Porrò conjectura de ſcripta hac Vita ſeculo* XIV *nullam habet ſimilitudinem veri, nulloque* F *nititur fundamento. Veriſimilem non eſſe, patet ex dedicatione facta Colomanno regi, qui anno* 1095 *coronam adeptus eſt. Antiquiorem longè eſſe Vitam, confirmatur ex aliis, quæ num.* 6 *diſſeruimus. Controverſia quoque, quæ ſeculo* XIV *agitata eſt & compoſita inter Romanum Pontificem & principes Hungariæ, nullum prædictæ ſuſpicioni præbet fundamentum. Gentilis Cardinalis, Sedis apoſtolicæ legatus, convocatis regni comitiis, litem illam cum Hungaris compoſuit. Raynaldus ad annum* 1308 *num.* 22 *rem ſic ſummatim exponit:* Cùm legatus ex ſua concione Sedi apoſtolicæ imponendi Ungaris regis jus tribuere viſus eſſet, proceres publicè ſunt profeſſi, non ſentire ipſos regem à legato conſtituendum; ſed quem ipſi ex veteri more ſtirpe regia procreatum regem agnoviſſent, pontificiarum eſſe partium confirmandi & inungendi. *Hiſce autem cùm acquieſceret legatus, Carolus ab omnibus agnitus eſt rex Hungariæ, prout latiùs enarratur in inſtrumento hac de re conſcripto, quod ſubjungit Raynaldus. Ex eo aliqua adducam, ubi oſtendam in decurſu Commentarii coronam* S. Stephano *miſſam fuiſſe à ſummo Pontifice, quod in illo inſtrumento, uti in pluribus aliis aſſeritur.*

AUCTORE J. S. *& nullum afferat argumentum validum;*

AUCTORE J. S.

asseritur. Verùm de ea re non disputabatur in comitiis, sed de jure, quod Romana Ecclesia habebat in electione novi regis, quódque legatus repetebat ex missa olim S. Stephano *corona. Missam autem fuisse coronam à Pontifice ad* S. Stephanum, *utrimque admittebatur. Itaque, cùm de jure Pontificis in electione novi regis nihil habeatur in Vita, hæc controversia nullam præbere potuit occasionem conscribendæ huic Vitæ, quæ semper agnita fuit pro legitima & minimè supposititia.*

§ II. Judicium de Actis à Carthuitio scriptis, & varia illorum exemplaria: Acta alia incompleta; scriptores antiquiores, qui de S. Stephano egerunt.

B

Bona fide scripsit Carthuitius, sed subinde erravit,

NOn ita contra criminationes Schwartzii defendendam suscepi Vitam Carthuitianam S. Stephani, *ut omnia, quæ scripsit Carthuitius, pro certis haberi velim & indubitatis: nam jam insinuavi aliquot laudato scriptori obrepsisse errores, quos per decursum emendare conabimur. Præter pauculos istos errores, quos dudum agnoverunt scriptores Catholici, alia quædam in eadem Vita occurrunt, quæ quidem erroris aperti nequeunt convinci, talia tamen sunt, ut dubia videri debeant, aut minùs rectè narrata. Sanè, cùm Carthuitius sexaginta aut septuaginta annis post mortem* S. Stephani *Vitam illius scribendam susceperit, atque integro seculo post gesta priora, mirum videri non debet, si in quibusdam factorum circumstantiis hallucinatus fuerit; nec facta ipsa negari meritò possunt, quia illorum adjuncta minùs accuratè sunt exposita: cùm enim ad regem, eoque jubente, scriberet de rebus, quarum memoria superesse poterat saltem confusa; facta ipsa confingere non potuit, nisi & indignationem ejus provocare, & hominum ludibrio se voluisset exponere. Hinc nequaquam dubitandum videtur, quin bona fide scripserit Carthuitius, præsertim cùm nihil in tota Vita occurrat, ex quo colligi possit, eum quidpiam asseruisse, quod verum esse non crederet: quin & existimo, nullum in ea factum narrari, quod verè non contigerit, licèt in quibusdam adjunctis fuerit erratum.*

C

& forsan nimis fuit credulus traditionibus popularibus.

15 *Præterea, satis doctum ac pium fuisse Carthuitium, ipsum ejus Opusculum ostendit. Id solum dubitari potest, an pro more sui temporis non fuerit nimis credulus popularibus traditionibus, & an in factis discutiendis sufficientem adhibuerit diligentiam & crisim. Hic solus defectus causam præbere potuit, ut facta quædam aliter narraverit, quàm contigerunt, & revelationes quasdam minùs certas scriptis suis inseruerit; uti & alii fecerunt scriptores, docti aliàs & fideles. Porrò dubitari non potest quin Carthuitius, cùm mandante rege scriberet, varia de gestis Sancti invenerit monumenta, ex quibus hauserit pleraque. Inter monumenta quoque suspicor fuisse Vitam, de qua mox. Non pauca etiam in juventute sua discere potuit ex senibus, qui Sancto convixerant; sed in iis referendis majus erat errandi periculum. Demum existimo fide optima scripsisse Carthuitium; at* D *hominem fuisse errori obnoxium. Hinc ejus dicta admittenda, ubi gravior ratio aut auctoritas non resistit; deserenda verò aut corrigenda, ubi repugnant ii scriptores, quibus fides minùs abrogari potest.*

Vita edita à Surio mutato stylo; editio prior & exemplar Ms.;

16 *Opusculum Carthuitii edidit Surius in Vitis Sanctorum ad* XX *Augusti, sed stylo non parùm mutato atque elimato. Hæc editio recusa est inter Scriptores rerum Hungaricarum à pag.* 268. *Eamdem quoque recudit Joannes Tomcus in Sanctis Illyricanis pag.* 201, *paucis tamen additis in principio & fine. Scriptores quoque non pauci, qui Carthuitii verba adduxerunt, non alia usi sunt editione quàm Suriana, nec aliam videntur cognovisse. Verumtamen edita fuit Vita hæc Cracoviæ cum aliis Sanctorum Vitis ab anno* 1511, *geminumque istius editionis exemplar mihi ad manum est. In hac autem editione stylus non fuit mutatus, uti colligere est ex collatione cum Ms. exemplari, quod habemus ex codice Canonicorum Regularium in Corsendonc prope Turnhoutum in Brabantia. Codex ille, ut notatum est in apographo,* Secunda pars E *diversarum legendarum* inscribitur. *Titulus verò hic Vitæ præfigitur:* Vita S. Stephani regis Hungariæ, auctore Cartuitio episcopo. *Inter Ms. exemplar & editionem Cracovienſem nulla notabilis est diversitas, nisi quòd præfatio adjuncta sit in edita Vita, quemadmodum etiam apud Surium, omissa verò sit in Ms. Reliqua passim consonant, si excipiamus menda quædam leviora, quibus non caret manuscriptum, nec editio ipsa: sed clarum est, menda illa in manuscriptum irrepsisse negligentiâ transcribentium; prout partim ex ipso Ms., partim incuriâ correctorum quædam satis aperta in Vita impressa leguntur. Itaque hanc antiquam editionem sic recudam, ut eam ubique collaturus sim cum exemplari Ms., & diversas lectiones annotaturus. Ad editionem Surii item respiciam; verùm cùm verba ubique mutata sint, eas solùm notabo diversitates, quæ sunt alicujus momenti.*

alia Vita brevior, quæ Carthuitio videtur præluxisse.

17 *Alia quædam* S. Stephani *Vita Ms. si tamen Vita vocari debet, Majoribus nostris transmissa est ex codice Mellicense:* Codex ille grandis est ex membrana, continetque Sanctos à Kalendis Julii ad Kalendas Septembris, *uti invenio notatum. Titulus huic scripto, quod anonymi est & ignoti auctoris, talis præfigitur:* Residua de sancto Stephano rege. *Videntur hæc verba designare Vitam aliquam imperfectam, aut appendicem aliquam: & sanè, licèt natales Sancti cum gestis quibusdam, mors, sepultura, & secuta corporis elevatio referantur ordine suo, tam multa tamen omissa sunt gesta, ut Vita quidem vocari possit, sed jejuna admodùm & imperfecta. Porrò certum videtur, hoc Vitæ compendium visum esse à Carthuitio, cùm varia utrobique referantur eodem modo verbisque subinde iisdem, cúmque verisimile non sit Vitam Carthuitianam ab alterius auctore visam, ut mox probabo. Itaque existimo hanc Vitam breviorem primò fuisse conscriptam, at nimis jejunam apparuisse, ideoque à rege Colomanno rogatum Carthuitium, ut eamdem uberiùs conscriberet. Ratio hujus conjecturæ est, quod in Vita breviori omissa sint varia facta certissima & relatu digna, quæ scriptor illius saltem breviter retulisset, si vidisset Carthuitii Vitam. Talia sunt bellum à Conrado imperatore illatum, filius Emericus, pleræque fundationes, multaque alia, quorum veritas per decursum*

A *curſum probabitur. Non exiſtimo igitur me operæ pretium facturum, ſi ſcriptum hoc ederem : nam illius auctor ea ſolum cognoviſſe videtur, quæ ſervata fuerant in hominum memoria, uti ait in præfatione :* Quia, quod à fidelibus auditu didicit, recitat. *Ubi verò habebit aliquid, quo vel Carthuitius illuſtrari poterit, aut facta in Commentario hoc referenda elucidari, illud ex ipſo Ms. apographo ad locum ſuum transferam.*

18 *De* S. Stephano *quædam breviter commemorarunt Ditmarus, Hermannus Contractus, Marianus Scotus, Ademarus Chabannenſis, aliique ſeculi* XI *ſcriptores ſuus locus laudandi. De eodem pari brevitate pauca narrarunt, Sigebertus, atque alii, qui ſeculo* XII *&* XIII *floruerunt. Verùm præter laudatos ante biographos nullus mihi innotuit, qui ante ſeculum* XV *res ejus geſtas ex profeſſo conſcripſit. Seculum vero* XV *tres produxit rerum Hungaricarum Scriptores, qui de geſtis* S. Stephani *uberiùs diſputarunt. Hi ſunt Antonius Bonfinius, Joannes Thuroczius, vel de Thwrocz, & Petrus Ranzanus, qui omnes claruerunt regnante Matthia Corvino ſub finem ſeculi* XV. *Bonfinius fusè laudatur apud Davidem Czuittingerum in Specimine Hungariæ litteratæ pag.* 80 *& ſequentibus. Dicitur ibi natione Italus natuſque Aſculi in Piceno, ſed verſatus in aula Matthiæ regis Hungarorum. Scripſit varia ſtylo ſatis eleganti; at ſolæ huc faciunt Decades rerum Hungaricarum, in quarum ſecunda lib.* I *geſta* S. Stephani *fusè enarravit. Turoczius vero ſcripſit Chronicam Hungarorum, in qua cap.* 27 *& ſeqq. breviter ejuſdem Sancti præcipua geſta memorat, multa tamen prætermittens, ut jam antè inſinuavi. De hoc ſcriptore, qui Hungarus natione fuit, latiùs agit laudatus Czuittingerus à pag.* 392. *Ranzanus patriâ fuit Siculus Panormitanus, atque ex Ordine Prædicatorum evectus ad epiſcopatum Lucerinum in regno Neapolitano; ac demum à Ferdinando rege Neapolitano orator miſſus ad Matthiam regem Hungariæ. Scripſit hic auctor varia, &* de S. Stephano *non pauca narravit in Epitome rerum Hungaricarum, edita inter Scriptores rerum Hungaricarum poſt Chronicam laudati mox Turoczii. De Ranzano Czuittingerus pag.* 311, *& fuſiùs Jacobus Echardus in Bibliotheca ſcriptorum Ordinis Prædicatorum tom.* I *pag.* 876.

Alii ſcriptores, qui egerunt de S. Stephano,

B

19 *Porrò ex tribus memoratis ſcriptoribus diligentiſſimus certè fuit Bonfinius, idque indubitanter affirmo, non modò quia duobus aliis plura enarravit, ſed maximè quia ab eo ferè nihil de* Stephano *aut filio ipſius Emerico relatum reperio, quin id etiam aſſignare poſſim in monumentis antiquioribus. Hinc patet, eum longè abfuiſſe à factis confingendis : attamen non æquè alienus fuiſſe videtur à conjecturis; atque ex ea cauſa oritur, ut ſubinde factorum adjuncta ſtylo liberiori fuerit proſecutus, quemadmodum per decurſum oſtendam. Quod ſpectat ad Turocziuum & Ranzanum, fontes ex quibus hi hauſerunt, non ita ſemper detegere potui : nec ætas ipſis multum auctoritatis tribuere poteſt. In chronotaxi verò omnes illi tres minimè ſunt accurati. Hac de cauſa horum ſcriptorum aſſerta ſic allegabimus, ut ſimul examinaturi ſimus, quam rectè congruant cum antiquioribus monumentis, quámque aliunde certa videantur aut probabilia. Nam certum eſt, hoſce ſubinde à vero aberraſſe; ſed non omnia idcirco repudianda ſunt, cùm multa etiam vera narraverint. Præter hos conſulemus etiam hiſtoricos Bohemos, Polonos, Germanos, aliarumque nationum vicinarum, uti & varios neotericos, quos ſuis quoſque locis laudabimus.*

AUCTORE J. S.

20 *Præ ceteris verò frequenter memorandum & non rarò refutandum veniet Opuſculum nuperrimè editum à ſcriptore heterodoxo ſub hoc titulo :* Initia religionis Chriſtianæ inter Hungaros eccleſiæ Orientali adſerta. *Auctor eſt Godofredus Schwartz, qui anno* 1740 *dictum Opuſculum imprimendum curavit Hallæ in Saxonia. Rationem inſtituti ſui cap.* I *reddit hiſce verbis :* Cùm de initiis religionis Chriſtianæ inter Hungaros diſſerere nobis ſit conſtitutum, teſtimonia & exempla omnia omittimus, in quibus non obſcura quidem ſinceri cultus divini veſtigia obvium eſt animadvertere, quæ tamen de Hungaris accipi non poſſunt; verùm ad gentes earum regionum, quas ambitu ſuo Hungaria olim complectebatur, ſunt referenda. Sed nec, quo loco apud Hunnos antiquos atque Avares, quos majoribus Hungarorum plerique omnes noſtratium accenſent, res Chriſtiana ſita fuit, in præſenti diſpiciemus. Id quidem ad liquidum oſtenditur, Hunnos veteres cæleſtis veritatis luce non prorſus orbos, Avares largo illius jubare fuiſſe perfuſos. Quidquid verò de utriſque ſit, Hungari tamen, cùm ſeculo à Chriſto nato IX in Europa inclaruiſſent, ejuſque fines funeſtis paſſim cladibus perculiſſent, idola & profanos barbarorum ritus coluerunt, à Chriſti Euangeliique Chriſtiani doctrina longè alieniſſimi.

Godofredi Schwartz Opuſculum de Initiis religionis Chriſtianæ in Hungaria,

E

21 Seculo demum X atque XI tota gens, abjectâ ſuperſtitione, deſertiſque delubris avitis, ad verum Deum converſa inque gremium Chriſtianæ Eccleſiæ divino munere collecta eſt. Et de hoc ſolemni ac publico Hungarorum ad Chriſtum tranſitu agere inſtituimus : non ut longo omnia ordine enarremus, quæ per vices geſta ſunt, donec aſpera gens diſciplinam Chriſtianam patienter ferret : id maximè operam dabimus, ut genuina ejus initia proferamus, eademque eccleſiæ Orientali adſerta, à dubiis & fabuloſis narrationibus repurgemus. *Laudandum ſanè eſſet ſcriptoris inſtitutum, ſi ſolo veri ſtudio duceretur Schwartzius, ſi modeſtè alios corrigere niteretur, & ſua ſolidè probare. Imò, meâ quidem ſententiâ, Opuſculum ejus utiliſſimum eſſet, ſi tot veritates e tenebris eruiſſet, quot errores illi immiſcuit : nam difficulter pagellas aliquod reperire in toto Opuſculo poſſum, quæ erroribus careant aut certè ineptis ratiociniis. Verùm nec ſtudium veritatis, nec modeſtiam ullam in toto Opuſculo invenio, nec novæ veritatis quidquam erutum; ſed multa temerè aſſerta, nihil ſolidè probatum, niſi pauca quædam ex aliis ſcriptoribus deſumpta. Patebunt hæc ex dicendis, ubi dicta ipſius erunt refutanda. Hæc lectorem monere volui, quia ex ſola Opuſculi lectione non ita pateſcunt, quàm ex collatione cum ipſis monumentis. Nunc cùm Hungarorum converſio* S. Stephani *laboribus maximè debeatur, cùmque fides Chriſtiana nec in Hungaria, nec apud nationem Hungaricam, ſatis firmas umquam radices egerit ante ipſius tempora; & fidei in iis provinciis viciſſitudines, & Hungarorum originem cenſui inveſtigandas, ut ex iis magis pateat, quantam Eccleſiæ utilitatem attulerit Sanctus ſuâ ſuorumque converſione.*

in quo multa temere aſſeruntur ſine idonea probatione.

F

C

inter quos cum delectu adhibendi Bonfinius, Turoczius & Ranzanus.

AUCTORE J. S.

§ III. De prædicatione fidei in hodierna Hungaria, variiſque ejus viciſſitudinibus per varias incurſiones barbarorum, qui eam occuparunt uſque ad Hungarorum adventum.

Fides Chriſtiana in Pannonia aliiſque hodiernæ Hungariæ partibus,

NUllum cuiquam ſuboriri poteſt dubium, *quin fides Chriſtiana in Pannonia, viciniſque provinciis, quæ hodiernum Hungariæ regnum conſtituunt, prædicata fuerit primis Eccleſiæ ſeculis, priuſquam Hunni veteres in Daciam ac Pannoniam ſeſe effunderent, atque illas provincias occuparent. Hinc varii recenſentur epiſcopatus antiqui in utraque Pannonia, quorum metropoles fuere Sirmium, urbs Pannoniæ inferioris ad Savum ſita, ſeu in hodierna Slavonia, exciſa ſeculo* V *per Attilam Hunnorum*
B *regem; & Laureacum ſeu Lauriacum itidem exciſum, quod ſitum erat in Norico Ripenſi, vel in hodierna Auſtria, collocaturque paſſim à geographis ad Danubium, ubi fluvium Aniſum vel Anaſum* * *recipit. Verùm religio Chriſtiana in Pannonia multum paſſa eſt per incurſiones barbarorum, qui eas provincias frequenter vaſtarunt, atque occuparunt.*

* Ens

quæ à variis barbaris per vices occupatæ varia habuerunt nomina.

23 *Porrò, uti variæ gentes per vices in Pannonia conſederunt, ita nomen regionis variis vicibus mutatum eſt. Obſervavit eas variationes Marcus Hanſizius Societatis noſtræ in Germania ſacra tom.* 1, *eaſque commemorat pag. 6 breviter in hunc modum:* Pannoniam ut gentes innumeræ per vices, Hunni, Gothi, Gepidæ, Langobardi, & rurſum Hunni Avares dicti, cum Slavinis; dein Maravi, ac poſtremùm Hungari diſcerpſerunt; ita jam HUNNIA, jam AVARIA, aliquando & MARAVIA MAGNA, ac demum HUNGARIA nomen obtinuit. *Non quidem iiſdem terminis circumſcribitur Hungaria, quibus olim circumſcripta erat Pannonia, cùm nec totam Pannoniam includat cis Danubium, &*
C *contra trans Danubium partem Daciæ & provinciam Jazygum Metanaſtarum complectatur; attamen magna Hungariæ pars olim erat Pannoniæ pars major.*

Lis eſt, an Hunni & Hungari idem ſit populus: antiquæ Hunnorum ſedes in Scythia,

24 *Dubitant eruditi, an Hunni & Hungari idem ſit populus, an diverſus. Alii volunt gentes eſſe diverſas; alii eamdem eſſe gentem, iiſdemque majoribus ortam; ſed cujus variis temporibus pars quædam ſedibus ſuis egreſſa, novas in Europa habitationes quæſiverit, atque in Pannonia viciniſque regionibus conſederit. Origines Hungaricas ſub finem ſeculi præcedentis deſcripſit Franciſcus Foris Otrokocſi, qui Hunnos inter & Hungaros non diſtinguit, ſed triplicem ejuſdem gentis adventum in Pannoniam memorat. Laudatus ſcriptor de antiquis Hunnorum ſedibus hæc compendio tradit cap.* 3 *num.* 2: Hunni proximè ante ſuum in Europam adventum, ſedes ultra Tanaim & Mæotidem in Aſiatica Scythia, procul ad receſſus Aquilonares habuere; quibuſdam eorum ex adverſo, uſque ad Caucaſum & Caſpium mare extenſis: ſic tamen, ut, tamquam natio tunc latè diffuſa & populoſiſſima, non paucos ex ſuis fratribus ejuſdem propaginis & linguæ, cis Tanaim etiam haberet in Scythia Europæa. *Hæc probabiliter dicuntur: nam Ammianus, aliique ſcriptores veteres, quos citat, hiſce ſatis conſentiunt.* D

quas deſcrentes, circa annum 400 *Pannonias occuparunt magnæ Chriſtianæ fidei damno,*

25 *Deinde Otrokocſius primam eorumdem migrationem, quam ex antiquis ſcriptoribus probat, hiſce verbis ſubnectit:* Hunni igitur Aſiatici .... priſtinas ſuas ſedes, unà cum uxoribus, liberis & armentis deferere, melioremque habitandi locum in Europa quærere (illis ſine dubio in patrio ſolo relictis, quibus placuit illic permanere) in animum ſibi induxerunt. Quorum primus hunc in finem motus contigit circa annum Domini CCCLXX. *Hinc, ut ſubdit, victis, ſibique additis Alanis vicinis, unà cum Budinis ſeu Sclavis, pulſiſque Gothis, aliiſque populis interjectis, circa annum* 400 *Daciam & Pannoniam penitus occuparunt. Porrò quantam hæc irruptio Hunnorum aliorumque barbarorum, quos partim ſedibus ſuis Hunni expulerant, partim exemplo excitaverant, Chriſtianæ fidei cladem attulerit, breviter declarat S. Hieronymus, in Epitaphio Nepotiani, ſcripto anno* 396, *in quo habet ſequentia:* Horret animus temporum noſtrorum ruinas perſequi. Viginti & eo ampliùs anni ſunt, quòd inter Conſtantinopolim & Alpes Julias quotidie Romanus ſanguis effunditur. Scythiam (*Europæam ad Pontum Euxinum,*) Thraciam, Macedoniam, Dardaniam, Daciam, Theſſalonicam, Achaiam, Epiros, Dalmatiam, cunctaſque Pannonias, Gothus, Sarmata, Quadus, Alanus, Hunni, Wandali, Marcomanni vaſtant, trahunt, rapiunt. Quot matronæ, quot virgines Dei, & ingenua nobiliaque corpora his belluis fuere ludibrio? Capti epiſcopi, interfecti presbyteri, & diverſorum officia clericorum. Subverſæ eccleſiæ, ad altaria Chriſti ſtabulati equi, martyrum effoſſæ reliquiæ. Ubique luctus, ubique gemitus, & plurima mortis imago. *Ita Hieronymus.* E

quamtamen non penitus exſtinxerunt in Pannonia & Dacia.

26 *Verumtamen non prorſus exſtinctam fuiſſe religionem Catholicam ſub Hunnorum imperio; ſed potiùs Hunnos non paucos ad fidem converſos, aliunde habemus compertum. Docet id ipſe S. Hieronymus in Epiſtola ad Latam his verbis:* Depoſuit pharetras Armenius, Hunni diſcunt Pſalterium, Scythiæ frigora fervent calore fidei: Getarum rutilus & flavus exercitus eccleſiarum circumfert tentoria; & ideo forſitan contra nos æqua pugnant acie, quia pari religione confidunt. *Hæc S. Hieronymus circa annum* 398. *Oroſius etiam ejuſdem temporis ſcriptor lib.* 7 *cap.* 41 *Hunnorum non paucorum converſionem inſinuat hoc modo:* Quamquam ſi ob hoc ſolum barbari Romanis finibus immiſſi forent, quòd vulgò per Orientem & Occidentem eccleſiæ Chriſti Hunnis, Suevis, Vandalis & Burgundionibus, diverſiſque & innumeris credentium populis replentur, laudanda & attollenda Dei miſericordia videretur. *Alia de Hunnorum quorumdam converſione teſtimonia prætermitto.* F

Hunnos expulerunt eodem ſeculo Gothi & Gepidæ,

27 *Porrò, etiamſi Hunni ingentem terrorem & vaſtitatem, ſub Attila præſertim duce, præcipuis Europæ regnis intulerint, non diuturnum tamen in Pannonia habuerunt imperium: nam mortuo Attila anno* 453, *ut vult Pagius ex Caſſiodoro, aut anno* 454, *ut ſcribunt alii, filii ejus inter ſe digladiantes brevi imperium amiſerunt. Otrokocſius ex variis ſcriptoribus rem narrat hoc modo:* Verùm paulatim dehinc, ob contentiones & diviſos Hunnorum animos, Gepidæ & Gothi in partibus Daciæ & in Pannonia, partim

A tim armis, partim ex favore Romanorum, superiores ad tempus evaſerunt; ita ut Gepidæ magnam Daciæ partem ... pro ſe vendicarent; Gothi autem ... Pannoniam occuparent, relictis interim ubique veteribus incolis, imò & Hunnis (ſine dubio,) qui ſubditorum inſtar ſeſe Gepidis & Gothis ſubjicerent. Hunni autem militiæ & armis addicti partim Romanis ſe Græcis adjunxerunt, & quidem multi; partim in Scythiam minorem (ſitam nempe intra Boryſthenem & Tauricam Cherſoneſum) partim etiam, aliqui eorum ... uſque ad initiales oras Scythiæ Aſiaticæ in ulteriorem Mæotidis ripam ſunt reverſi, ... partim in Illyricum ſe contulerunt; partim etiam manſerunt in ipſa parte Hungariæ meridionali, in Dacia Ripenſi, ut loquitur Jornandes; qui ... fatetur Hernacum, juniorem Attilæ filium cum ſuis in extremo minoris Scythiæ ſedes delegiſſe; Emnedzur autem & Ultzindur conſanguineos ejus in Dacia Ripenſi, *videlicet* juxta Temeſum & Danubium, *ubi hodiernus comitatus Temeſvarienſis*, uſque ad Valachiam, *& quidem ab anno 471 ſub ducibus*

B *nationis Bulgaricæ, ut adjungit.*

qui Ariani erant, & minùs infenſi Catholicis. Hos rurſum magis vexarunt Longobardi. Avari,

28 *Minùs turbatæ, ſed non multo feliciores fuerunt res Chriſtianorum ſub Gothis in Pannonia, & Gepidis in Dacia; nam populi illi Ariana hæreſi erant infecti, ſic tamen, ut non videantur perſecuti eſſe Catholicos. Verum qualiſcumque illa quies non fuit admodùm diuturna: nam Longobardi circa annum 527, ut habet Pagius, ingreſſi ſunt Pannoniam, eamque tenuerunt annis quadraginta duobus, teſte Paulo Diacono de Geſtis Langobardorum lib. 2 cap. 7. Cùm autem Longobardi pagani eſſent, dubitari non poteſt, quin Chriſtiana religio multùm ſit paſſa, ipſis ibidem imperium tenentibus. Porro dum Longobardi reſidebant in Pannonia, ingens rurſum Hunnorum, qui ſe* Avaros *vocarunt, multitudo ex Scythia Aſiatica Daciam verſus progreſſa eſt. Docet hæc Evagrius lib. 5 cap. 1 his verbis:* Sunt autem Abari Scytharum gens in plauſtris degentium, qui campos ultra Caucaſum ſitos incolebant. Hi cùm à Turcis finitimis ſuis gravi detrimento affecti eſſent, relictis ſedibus ſuis, univerſi cum uxoribus ac

C liberis ad Boſphorum venerunt. Deinde relictis littoribus Euxini Ponti, ubi multæ quidem barbaræ habitant gentes, ... ulteriùs progreſſi ſunt cum omnibus barbaris, qui in itinere occurrerunt, depugnantes. Tandem verò, cùm ad ripas Danubii perveniſſent, legatos ad Juſtinum (*Juniorem*) miſerunt. *Theophylactus Simocatta lib. 7 cap. 8 hanc Avarorum migrationem ſub Juſtiniano contigiſſe docet, aſſeritque non veros fuiſſe Avaros, ſed nomen illud fraudulenter ab ipſis aſſumptum. Porrò hoſce* Abaros *vel* Avaros, *quos multi ſcriptores revera* Hunnos *vel* Chunos *nominarunt, eamdem eſſe nationem cum antiquis Hunnis, paſſim cenſent eruditi, multiſque probat Otrokocſius cap. 5, ubi & varia Hunnorum nomina recenſet.*

Hunnica natio, item pagani ſucceſſerunt Longobardis;

29 *Hi autem Hunno-Avari, quibus non pauci ex prioribus Hunnis ſe adjunxerant, Pannoniam facilè occuparunt, cedentibus Longobardis, qui properabant in Italiam. Audi Paulum Diaconum lib. 2 cap. 7:* Tunc Alboin (*Longobardorum rex*) ſedes proprias, hoc eſt Pannoniam, amicis ſuis Hunnis contribuit, eo ſcilicet ordine, ut ſi quo tempore Longobardis neceſſe eſſet reverti, ſua rurſus arva repeterent. *Hanc migrationem Longobardorum in Italiam, ubi ſtabiles ſibi ſedes fixerunt, contigiſſe ait,* cùm jam à Domini Incarnatione anni quingenti ſexaginta octo eſſent evoluti, *nec opus eſt ad propoſitum noſtrum hanc epocham ſtudioſiùs diſcutere. Hunni deinde longo tempore rerum potiti ſunt in Pannonia, & vicinis quibuſdam regionibus, multaque cum vicinis ſuis bella geſſerunt, victores plerumque, & gentiles uſque ad imperium Caroli Magni, qui & Hunnos domuit, & fidem Chriſtianam apud populum ſibi ſubjectum prædicandam curavit.*

AUCTORE J. S.

Hunno-Avari devicti & ferè deleti à Carolo Magno,

30 *Hunni Carolum Magnum anno 788, ut ibidem narrat Pagius num. 7, priores laceſſerant, exercitum ducendo in Bavariam contra Francos, atque alium in ditionem Forojulienſem; ſed victi retrocedere coacti ſunt. Vicem retulit Carolus anno 791 invadendo hodiernam Auſtriam, quam poſſidebant uſque ad Aniſum flumen, quemadmodum oſtendit ex Eginhardo Pagius ad annum 791 num. 3. Finem belli Hunnici Pagius affigit anno 799. Illud bellum Eginhardus in Vita Caroli deſcripſit hoc modo:* Maximum omnium, quæ ab illo (*Carolo*) geſta ſunt, bellorum, præter Saxonicum, huic

E bello ſucceſſit, illud videlicet, quod contra Avares ſive Hunos ſuſceptum eſt: quod ille & animoſiùs quàm cetera, & longè majori apparatu adminiſtravit. Unam tamen per ſe in Pannoniam (nam hanc provinciam ea gens tunc incolebat) expeditionem fecit; ceteras filio ſuo Pippino ac præfectis provinciarum, comitibus etiam atque legatis perficiendas commiſit. Quod cùm ab his ſtrenuiſſime fuiſſet adminiſtratum, octavo tandem anno completum eſt. Quot prælia in eo geſta, quantum ſanguinis effuſum ſit, teſtatur vacua omni habitatore Pannonia, & locus, in qua regia Cagani * erat, ita deſertus, ut ne veſtigium quidem in eo humanæ habitationis appareat. Tota in hoc bello Hunnorum nobilitas periit, tota gloria decidit, omnis pecunia, & congeſti ex longo tempore theſauri direpti ſunt *&c.*

** i. e. Hunnorum regis*

qui curavit ſuperſtitibus prædicandam fidem Catholicam,

F 31 *Clades Hunnorum reliquiis eorumdem ſaluti fuit, cùm non pauci videantur fidem Chriſtianam ſuſcepiſſe: neque enim omnis natio ſic deleta eſt, ut non ſuperfuerint aliqui, quos fide Chriſtiana inſtituendos curavit Carolus. Alcuinus epiſtola 7 ad Carolum ei de ſubjectione & converſione Hunnorum gratulatur his verbis:* Tuam tamen, ô veritatis & ſalutis multorum amator, optimam voluntatem majore gloria & laude Chriſto remunerare placuit. Gentes populoſque Hunorum, antiqua feritate & fortitudine formidabiles, tuis ſuo honore militantibus ſubdidit ſceptris; prævenienteque gratia colla diu ſuperbiſſima ſacræ fidei jugo devinxit, & cæcis ab antiquo tempore mentibus lumen veritatis infudit. *Docet deinde, quo modo populus recenter converſus fidei principiis ſit erudiendus. Plura de Hunnorum converſione, quæ Arnoni Salisburgenſi archiepiſcopo commiſſa eſt, refert Joannes Georgius ab Eckhart Rerum Francicarum lib. 25 num. 90. Laudatus ſcriptor lib. 27 num. 28 hæc ad propoſitum noſtrum memorat* Reverſum imperatorem (*anno 865*) Aquiſgrani, omnium Annalium conſenſu, caganus ſive Hunorum princeps, nomine Theodorus, Chriſtianorum ſacris addictus adiit, petiitque locum ſibi ad incolendum dari inter Sabariam & Carnuntum, quia propter Slavorum infeſtationem illi cum ſuis in priſtinis ſedibus tutò commorari non ampliùs liceret. Precibus ejus imperator annuit

AUCTORE J. S.

nuit, & muneratum dimisit. Theodorus verò rex ad suos delatus decessit. Unde novus caganus quemdam ex optimatibus suis ablegavit, qui peteret, ut sibi antiquus ille honor, quem cagani apud Hunnos habere consueverant, restitueretur. Assensus est imperator, & summam totius regni, juxta priscum eorum ritum caganum habere præcepit. *Sabaria & Carnuntum oppida fuere Pannoniæ ab antiquis geographis memorata. Manserunt igitur Hunni in Pannonia, sed imperatori subjecti, & Christianis sacris addicti. Hinc multæ in Pannonia, seu hodierna Hungaria erectæ ecclesiæ.*

quæ utcumque permansit sub Slavis Moravis, dein dominantibus usque ad Hungarorum adventum,

32 *Deinde verò Slavi maximam illarum regionum partem occuparunt, magnamque vocarunt Moraviam. Attamen instaurata utcumque religio Christiana perdurasse videtur usque ad Hungarorum adventum, seu usque ad annum* 889, *quo passim collocatur ingressus Hungarorum, qui omnem Christianæ religionis cultum prorsus eliminarunt. Annalista Metensis apud Chesnium tom.* 3 *pag.* 324 *de eorum adventu sic scribit:* Anno Dominicæ Incarnationis DCCCLXXXIX gens Hungarorum ferocissima & omni belluâ crudelior, retrò antè seculis ideo inaudita, quia nec nominata, à Scithicis regnis, & à paludibus, quas Thanais sua refusione in immensa porrigit, egressa est, *Descriptisque gentibus Scythicis, sic prosequitur:* Ex supradictis igitur locis gens memorata à finitimis sibi populis, qui Pecinaci * vocantur, à propriis sedibus expulsa est, eo quòd numero & virtute præstarent, & genitale, ut præmisimus, rus, exuberante multitudine, non sufficeret ad habitandum. Horum itaque violentiâ effugati, ad exquirendas, quas possent incolere terras, sedesque statuere, valedicentes patriæ, iter arripiunt. Et primò quidem Pannoniorum & Avarum solitudines pererrantes, venatu ac piscatione victum cottidianum quæritant. Deinde Carantanorum, Marahensium, ac Bulgarorum fines crebris impulsionum infestationibus inrumpunt; perpaucos gladio, multa millia sagittis interimunt *&c. In Chronico., seculo* XIII *scripto, apud Menkenium tom.* 1 *Rerum Germanicarum pag.* XI *eorumdem adventus sic memoratur:* His diebus gens Ungarorum ex Sicia (*Scythia*) ingressa in Pannoniam primitus venit, & ejectis inde Avaribus perpetualiter usque hodie permansit. *Hisce alii hodie passim consentiunt.*

B

* *aliis* Patzinacitæ

C

quò eam prorsus exciderunt. Hunnorum vel Hungarorum tres migrationes in Hungariam.

33 *Operâ Hungarorum anno* 893 *usus est Arnulphus Germaniæ rex contra Zwendebaldum Moraviæ regem, quemadmodum varii tradunt historici, qui ideo invecti sunt in Arnulphum, quòd sic ipsis viam aperuisset ad invadendas regiones vicinas, uti deinde fecerunt Hungari, qui non modò vicinas provincias, verùm etiam Italiam, Germaniam ac Galliam ingenti terrore ac vastitate affecerunt. Ceterùm tres diversas Hunnorum aut Hungarorum in hodiernam Hungariam irruptiones ostendere volui, quia historici Hungari eas olim non rectè videntur distinxisse. Nam Bonfinius, Turoczius, aliique ipsos secuti, duas tantùm Hunnorum migrationes recensent, & secundam contigisse aiunt anno* 744. *Verùm epocha illa, ut à vera longissimè abest, sic cum dictis eorum non congruit: nam omnia, quæ de gestis eorum post ingressum narrant, ad finem seculi* IX; *vel ad seculum* X *sunt referenda, uti alii jam ostenderunt. Præterea quatuor tantùm duces ante* S. Stephanum *numerant, quemadmodum in Sancti genealogia ostendam. At illæ quatuor generationes non rectè deducunt ab anno* 744 *usque ad annum natalem* S. Stephani, *quem credunt annum* 969, *quemque nos circa annum* 984 *statuemus. At quatuor generationes rectè ab anno* 889 *usque ad annum assignatum deducere possunt. Volui autem eodem opere utcumque exhibere vicissitudines religionis Christianæ in hodierna Hungaria, ut sic magis innotescat, quàm miser ejus fuerit status. Nunc etiam investigare lubet, an Hunni, Hunno-Avares, & Hungari ex eadem regione & gente ortum duxerint.*

D

§ IV. An iidem sint Hunni ac Hungari? varia eorumdem olim nomina.

E

Hunni antiqui non manserunt in Hungaria: sed disputatur, an Hungari ex eadem gente prodierint.

PRimò *certum est, antiquos Hunnos, qui sub Attila maximè inclaruerunt seculo* V, *non mansisse in Pannonia usque ad tempora* S. Stephani, *paucis forsan exceptis, qui in parte Transilvaniæ dicuntur permansisse, &* se Siculos *nominarunt. Hi certè Siculi se illorum posteros gloriantur. Hinc etiam dicendum videtur, hodiernos Hungaros, saltem pro majori parte, illorum Hunnorum non esse posteros, sed, si ejusdem cum illis sint gentis, posteros esse illorum Hunnorum, qui in Scythia remanserant, cùm primi illi in Europam discesserunt, aut illorum, qui eò deinde redierunt. Secundò certum apparet, Hunnos, qui* Avari *ab aliis fuere nominati, quique post diuturnum imperium à Carolo Magno ferè fuerunt exciti, partim fuisse posteros primorum Hunnorum, partim posteros illorum, quos* Var *&* Chunni *nominatos fuisse ait Simocatta, antequam Scythiâ exirent. Id ergo solùm investigandum est, an eadem fuerit gens Asiatica, à qua primò exiit colonia Hunnorum, secundò Hunno-Avarorum, ac demum tertiò Hungarorum, qui nomen suum Hungariæ imposuerunt, eamque ad nostra usque tempora possederunt.*

F

Eccardus vult Hunnos Slavicæ fuisse originis:

35 *Joannes Georgius Eccardus Rerum Francicarum lib.* 31 *num.* 82 *ostendere nititur, Hungaros gente diversos esse ab antiquis Hunnis, quos Slavicæ vel Sarmaticæ nationis fuisse existimat. Lubet virum eruditum audire differentem, ut controversia magis elucidetur:* Varia, *inquit*, de Hungarorum origine sententia est. Bonfinius & cæteri scriptores Hungarici eos cum Hunnis confundunt, cùm tamen diversi admodùm generis fuerint. Hunni Slavicæ vel Sarmaticæ nationis populi erant, Slavonicâque linguâ utebantur. Priscus testis omni exceptione major est, qui legatus imperatoris Attilam ejusque aulam vidit, & testatur in ea duas tantùm linguas usitatas fuisse, Gothicam & Hunnicam. Gothica est Germanica. Hunnica autem, nisi fuisset Slavonica vel Sarmatica, debuisset etiam tertia illic usurpari, cùm Attila inter medias gentes Slavonicas tunc versaretur. *Vellem ostendisset Eccardus, quo modo inter gentes Slavonicas habitaret Attila: non enim video Sclavos eò usque jam tunc progressos fuisse, ut Pannoniam undique ferè cingerent, quemadmodum postea fecerunt, quando in Illyricum, Moraviam, Bohemiam, atque in partem Pannoniæ, quæ hodie* Slavonia *dicitur, sese effuderunt. Ipse Eccardus de Origine Sclavorum & migrationibus agens lib.* XI *num.* XI

A *num.* XI *primos Slavorum verſus Danubium motus contigiſſe putat eo ferè tempore, quo Gothi Italiam occuparunt, id eſt, ſub finem ſeculi* V, *quando Attila dudum erat defunctus. Itaque primum illud argumentum nullo modo probat linguam Slavonicam uſitatam fuiſſe in aula Attilæ; & ne quidem illud evinceret, etiamſi Slavi undique in vicinia Hungariæ tunc habitaſſent; nam & Græcis & Latinis vicinus fuit Attila, nec tamen eorum lingua in aula ipſius fuit uſitata. Alia argumenta mox ſubdit Eccardus in hunc modum:* Ipſum nomen Hunnorum ſive Conorum linguâ Slavonicâ ſignificat equites, eoſque ſemper in equis egiſſe, non minùs ac Tartaros eorum ſucceſſores, ex veterum relationibus conſtat. Jornandes inferias Attilæ datas deſcribens, ingentis ſtrawæ, id eſt, commeſſationis meminit. *Strawa* autem Slavonicis gentibus adhuc conſumptionem & convivium deſignat; uti Germanis *zehren* eſt conſumere, edere & bibere, & *zehrung* conſumptio, convivium *&c. Quod ſpectat ad vocem* ſtrawa, *illa non exponitur de convivio in annotatis ad Jornandem recuſum inter Scriptores Italiæ tom.* I *pag.* 216, *nec dicitur vox Slavonica, ſed Gothica, eaque ſignificationis incertæ. Verùm etſi vera eſſent, quæ hîc dicuntur de ſignificatione vocum* Hunnorum & Strawa, *quod peritis linguæ Slavonicæ dijudicandum relinquo, nihil tamen ex hiſce aptè concludi poteſt, tum quòd antiqua idiomata pleraque vehementer ſint mutata, tum quòd aliquæ voces utrique genti potuerint poſtea eſſe communes, quas altera ab altera acceperit ex mutuo commercio. Sic Hiſpani non paucas habent voces Arabicas à Mauris mutuatas; nos Belgæ multas habemus, à Gallis & Latinis acceptas, etiamſi lingua Hiſpanica toto cælo differat ab Arabica; nec minùs Belgica à Gallica & Latina. Idem obſervari poteſt in linguis aliis. Hæ igitur obſervationes non magis probant, linguam Slavonicam uſitatam fuiſſe antiquis Hunnis, quàm id evincit præcedens argumentum; atque ideo vim nullam habere poſſunt, quæ de lingua Hungarorum ſubdit Eccardus.*

36 Hungaros verò, *inquit*, dialecto uti, quæ cum una lingua Finnica convenit, Comenius primùm obſervavit. Martinus Fogelius, philoſophus & medicus olim Hamburgenſis, inde occaſionem ſumpſit plurima vocabula Finnica & Hungarica conferendi, & utrorumque convenientiam oſtendendi libello, qui in bibliotheca regia Hanoveræ adhuc manuſcriptus latet. Ego ipſe ſummo ſtudio cum eadem Hungarica lingua contuli dialectos varias, Finnicam, Eſtonicam, Livonicam, Lappicam, Samoiedicam & Oſtiacicam; invenique ubique harmoniam communem. Cùm denique legiſſem in relatione, quam de itinere ſuo Perſico Fabritius, Sueciæ olim regis ad Perſas legatus, conſcribi fecerat, non procul à Volga fluvio, jam ad Caſpium æquor accedente, nationem inventam eſſe, quæ communia cum Finnis nomina numeralia haberet, & à Finno intelligi poſſet; in eam deveni opinionem, omnem Europæ & Aſiæ Septemtrionem à gente olim inhabitatam eſſe, quæ cum Finnica una aut certè cognata fuerit. Nomina fluviorum, quæ ex Finnica lingua pleraque exponi poterant, me in conjectura hac mea multùm confirmarunt. *Quæ hîc diſputat Eccardus de harmonia communi inter linguam Hungaricam & Finnicam, periti utriuſque linguæ forſan non approbabunt, nec communem illam harmoniam invenient. Ego certè conferendo Orationem Dominicam in utraque lingua, nullam inveni utriuſque ſimilitudinem. Verùm, etiamſi tanta revera eſſet ſimilitudo linguæ Hungaricæ & Finnicæ, quantam ſe reperiſſe dicit Eccardus, nihil hæc ſimilitudo evinceret, ut jam monui: cùm probatum non fuerit, antiquos Hunnos aliâ linguâ uſos fuiſſe, quàm utuntur hodierni Hungari.*

AUCTORE J. S.

37 *Ab his argumentis, quæ ad propoſitum videntur ferè inutilia, ad alia tranſit Eccardus his verbis:* Jornandes Rerum Getic. cap. V Hunnos ac Hungaris (*lege* Hungaros, *aut* ab Hungaris) diſtinguit, hoſque, quos HUNUGAROS vocat, ſupra Cherſonneſum Tauricam, Septentrionem verſus, ſuo tempore habitaſſe prodit, atque ab ipſis pellium murinarum commercium venire dicit. Unde Siberiæ proximos fuiſſe conjicias. Geographus Ravennas lib. IV cap. 2, " Item, *aut*, „ juxta mare Ponticum patria, quæ dicitur O- „ nogaria *, quam ſubtiliùs Libavius philoſophus „ vicinam paludis Mæotidis ſummitatis eſſe de- „ cernit, aſſerens multitudinem ex vicinantium „ locorum habere, ſed, ut barbarus mos eſt, „ inſulæ eos perfruere „. Hæc Jornandis & Ravennatis verba ſi conferas invicem, elucet, eos mare Ponticum ſive paludem Mæoticam cum mari Caſpio confudiſſe, atque ad mare Ponticum collocaſſe Hungaros, qui ad Caſpium habitarunt. Rubruckius certè, à Ludovico ſancto Galliæ rege ad Tartaros miſſus, didicit ibi antiquam Hungariam tunc PASCATIR dictam, quæ hodie BASKIRIÆ nomine venit, & trans Volgam ſupra Caſpium mare uſque ad Siberiam extenſa jacet. A Volga paulatim Tanai appropinquarunt, eoque ſuperato, Tartariam minorem implerunt. *Hactenus Eccardus, cujus dicta expendam.*

Aliæ ejus rationes ex Jornande & Geographo Ravennate & Rubruckio,

*Onogoria

B

38 *Primò Jornandes laudatus cap.* 5 *non diſtinguit Hunnos ab Hunugaris, ut clarè oſtendam: ſi igitur Hungari iidem ſint cum Hunugaris, iidem quoque ſunt cum Hunnis. Deſcripſerat Jornandes ibidem partem Scythiæ Occidentalem à Danubio uſque ad Pontum Euxinum, ſupra quem deinde Bulgaros locat, ac poſt Bulgaros pergit ad Hunnos his verbis:* Hinc jam Hunni, quaſi fortiſſimarum gentium fœcundiſſimus ceſpes, in bifariam populorum rabiem pullularunt. Nam alii Aulziagri, alii Aviri nuncupantur (*alia lectio habet*, alii Altziagiri, alii Faviri nuncupantur) qui tamen ſedes habent diverſas. Juxta Cherſonem Aulziagri, quò Aſiæ bona avidus mercator importat, qui æſtate campos pervagantur effuſos, ſedes habentes, prout armentorum invitaverint pabula, hyeme ſupra mare Ponticum ſe referentes. Hunugari autem hinc ſunt noti, quia ab ipſis pellium murinarum venit commercium, quos (*Hunugaros*) tantorum virorum (*Gothorum, de quibus mox pergit,*) formidavit audacia. *Ita Jornandes apud Muratorium tom.* I *Scriptorum Italiæ pag.* 194; *nec plura ibidem de Hunnis aut Hunugaris. Jam verò Hunugaros ibidem non diſtingui ab Hunnis breviter oſtendo. Recenſet ibi Jornandes varias gentes Scythicas, ac earum ſedes aſſignat; at nullam aſſignat Hunugaris, ſi illi ab Hunnis ſint diverſi. Secundò poſtrema verba,* quos tantorum virorum formidavit audacia, *quæ referenda ſunt ad Hunugaros, clarè inſinuant, eoſdem illos eſſe cum Hunnis, quorum metu ſedes ſuas mutarunt Gothi. Hunc Gothorum timorem refert ipſe Jornandes cap.* 25, *ubi, poſt relatos cap.* 24 *Hunnorum primos motus & victorias de Oſtrogothis, ſic ſubjungit:* Veſegothæ, id eſt, alii

at Jornandes Hunnos & Hunugaros non diſtinguit;

F

ſed rationes ipſius id non evincunt.

C

AUCTORE J. S.

alii eorum (*Oſtrogothorum*) ſocii , & occidui ſoli cultores , metu parentum exterriti , quidnam de ſe propter gentem Hunnorum deliberarent , ambigebant ; diuque cogitantes , tandem communi placito legatos ad Romaniam direxêre ad Valentem imperatorem . . . , ut partem Thraciæ ſive Mœſiæ ſi illis traderet ad colendum , ejus legibus viverent , ejuſque imperiis ubderentur. *Id revera factum eſt , annuente Valente. Hunugaros igitur , quos Gothi timuerunt , eoſdem cum Hunnis facit Jornandes.*

nec ipſe , nec alii , Eccardi ſententiæ favent.

39 *Geographus Ravennas aſſerit Onogoriam eſſe juxta mare Ponticum , aut potiùs ex Libunno vicinam eſſe ſummitati Mæotidis. Eodem ferè loco Hunnos cum aliis collocavit Jornandes ; at non erant anguſtis terminis circumſcripti. Itaque ſi ex Onogoria illa venerunt Hungari , haud dubie fuerint ex gente Hunniaca. Vidit Eccardus ſcriptores illos ſibi eſſe contrarios , ſi revera circa mare Ponticum habitaverint Hungari ; ideoque eos longius in Orientem amandare cupit , dicitque Pontum Euxinum cum mari Caſpio fuiſſe confuſum. Verùm id nullo modo veriſimile eſt , nec conſequitur ex dictis Rubruckii , qui Hunnos & Hungaros ex eadem regione* Paſcatir *ortos voluit. Quippe , uti gens Hunnorum latiſſimè extenſa fuit , poterat ab utraque Volgæ parte habitare , ſedeſque inter Volgam & Tanaim habere. Si autem* à Volga paulatim Tanai appropinquarunt , *ut vult ipſe Eccardus ; non video cur Jornandes & Ravennas eos malè collocent ſupra Pontum Euxinum , aut circa lacum Mæotidem. Annales Metenſes hiſce conſonant : nam habent , Hungaros egreſſos eſſe* à Scythicis regnis , & à paludibus , quas Tanais ſua refuſione in immenſum porrigit. *Itaque ſcriptores de Hunnorum & Hungarorum antiquis ſedibus eodem ferè modo loquuntur ; utroſque alii magis , alii minùs ad Septemtrionem & Orientem removent. Nullum igitur argumentum Eccardi obſtare video , quo minus Hunnos & Hungaros ejuſdem Scythicæ gentis coloniis exiſtimem , uti latiſſimè oſtendere conatus eſt Otrokocſius.*

Hunni & Hungari gens eadem videntur , primò quia ex iiſdem regionibus egreſſi , C

40 *Non omnia quidem Otrokocſii aſſerta mihi probantur , nec omnia ejus argumenta huc adducenda cenſeo ; attamen ejus opinio mihi ob varias rationes ſic probatur , ut omnino exiſtimem , Hunnos & Hungaros eamdem eſſe gentem , aut certè Hungaros Hunnicæ gentis partem eſſe , ſeu coloniam à reliquis Hunnis egreſſam. Ratio prima eſt , quia tum Hunni antiquiores tum recentiores Hungari ex eiſdem ferè Scythiæ regionibus venerunt ad Danubium. Hunnos ex regionibus trans Tanaim & paludem Mæoticam veniſſe teſtantur ſcriptores eorum motibus contemporanei. Ammianus lib.* 31 *cap.* 2 *ſic habet :* Hunnorum gens , monumentis veteribus leviter nota , ultra paludes Mæoticas glacialem Oceanum accolens , omnem modum feritatis excedit. *Conſentit S. Hieronymus in Epitaphio Fabiolæ ſic ſcribens :* Ecce ſubitò diſcurrentibus nuntiis Oriens totus intremuit , ab ultima Mæotide inter glacialem Tanaïn & Maſſagetarum immanes populos , ubi Caucaſi rupibus feras gentes Alexandri clauſtra cohibent , erupiſſe Hunnorum examina , quæ pernicibus equis huc illuc que volitantia , cædis pariter ac terroris cuncta complerent. *Plures poſſent adjungi , ſed hi duo mihi ſufficiunt. Rhegino abbas Prumienſis , cum citatis antè Annalibus Metenſibus , ex eadem regione veniſſe Hungaros teſtatur in Chronico ad annum* 889 *his verbis :* Anno Dominicæ Incarnationis DCCCLXXXIX gens Hunnorum ferociſſima , & omni belluâ crudelior , retrò antè ſeculis ideo inaudita , quia nec nominata , à Scythicis regnis , & à paludibus , quas Thanais ſua refuſione in immenſum porrigit , egreſſa eſt. *Ex hiſce liquet , eamdem Scythiæ regionem inhabitatam fuiſſe ab Hunnis & Hungaris , priuſquam migrarent in Pannoniam.* D

nec obſtat , quòd aliqui dicant Hungaros antea fuiſſe ignotos :

41 *Una tamen in hiſce Rheginonis verbis occurrit difficultas , nimirum cur dicat Hungaros antè ignotos fuiſſe : nam cùm Hunnos non ignoraverit , videtur exiſtimare Hungaros ab illis fuiſſe diſtinctos. Certè eo argumento utitur Schonlebenius in Annalibus Carniolia ad annum* 889, *ubi recitatis verbis hanc interponit obſervationem :* Si non nominata vel audita prioribus ſeculis (*gens Hungarorum ,*) igitur ab Hunnorum gente diverſa. *Reſpondeo Hunnos , qui in Europam tranſierant , non fuiſſe ignotos Latinis ſcriptoribus ; at eoſdem ignorare potuiſſe tantam eorum multitudinem etiam tum ſuperaſſe in Aſia , ideoque ſcribere potuiſſe Rheginonem , Hungaros antè nec auditos nec nominatos ; etiamſi poſt adventum Hungarorum revera credidiſſet ; eos gentem eſſe Hunnicam. Sic Luitprandus in Hiſtoria lib.* 1 *cap.* 2 *de Hungaris ſcribit :* Hungarorum gens , cujus omnes penè nationes expertæ ſunt ſævitiam , . . . nobis omnibus tunc temporis habebatur ignota. *Erat itaque ignota ante adventum gens Hungarorum , ſeu pars illa Hunnorum , quæ antiquas ſedes necdum reliquerat , ignotaque fuerat multis ſeculis in Europa , aut certè Latinis pleriſque. At inde non conſequitur , gentem illam ortam non eſſe ex Hunnis antiquis. Poterant quidem in ea opinione eſſe Rhegino , aliique iſtius temporis ſcriptores , quia mores Hungarorum multùm diverſi erant à moribus Hunnorum illorum , qui in Pannonia & Dacia remanſerant , moreſque alios ad mitiorem agendi rationem paulatim aſſumpſerant ; at , ſi revera id illi opinati ſint , quod nobis incertum apparet , eorum auctoritas prævalere non debet rationibus variis , quæ perſuadent eamdem eſſe gentem.* E

ſecundò quia iidem olim fuerunt moribus , tertiò quia ſimilitudo nominis indicat : F

42 *Altera ratio petitur ex moribus Hunnorum antiquorum , & primorum Hungarorum : nam hi ſimiles admodùm repræſentantur à ſcriptoribus coævis. Ammianus loco indicato Hunnos non modò ut vagos deſcribit , ſed etiam ut ædificiis prorſus carentes ; vagi item apud Rheginonem deſcribuntur Scythæ , ex quibus Hungaros profectos dicit. Deinde utrique pellibus veſtiti dicuntur ; utriſque idem ferè victus attribuitur , utriſque perpetuus equorum uſus , eademque pugnandi ratio. Demum tanta eſt ſimilitudo inter ea , quæ Ammianus de Hunnorum , & Rhegino de Hungarorum moribus referunt , ut facilè eamdem gentem agnoſcas. Verùm malim hæc apud ipſos legi , quàm hìc repetere ſine neceſſitate , præſertim cùm Hungari cum fide Chriſtiana alios ſimul aſſumpſerint mores. Tertia ratio ex nomine ipſo deſumi poteſt , eoque argumento maximè utitur Otrokocſius , qui in origines omnium nominum inquirit , an ſatis feliciter , judicent alii. Nobis non eſt neceſſe etymologiam nominum* Hunni *vel* Huni & Chuni *ex radicibus Hebraicis incerto ratiocinio inveſtigare , ut appareat vocem* Hungari *ab iis levi mutatione ortam eſſe , namque id vocum illarum ſimilitudo ipſa innuit. Præterea jam antè Hunni varia habebant nomina , quibus apud antiquos appellabantur ſcriptores , atque aliqua magis vicina erant hodierno Hunga-*

AUCTORE J. S.

§ V. Duces Hungarorum ante S. Stephanum, eorumque gesta breviter perstricta: termini regni Hungarici eo tempore, & clades ab ipsis illatæ Christianis.

Progenitores S. Stephani;

SCriptores rerum Hungaricarum *seculi* XV, *nimirum Bonfinius, Turoczius, Ranzanus, aliique ipsos secuti, ab ingressu Hungarorum quatuor enumerant generationes ante* S. Stephanum, *quem volunt ab eorum ductore primario lineâ rectâ descendisse. Dux ille primarius fuit Arpad filius Almi. Arpadus autem inter filios habuit Zoltan; filius Zoltani fuit Toxus vel Toxun, ac demum Toxi filius fuit Geicha vel Geysa, pater* S. Stephani. *Hæ quatuor generationes satis congruunt cum tempore, quod inter primum Hungariæ ingressum & imperium* S. Stephani *statuitur: nam id centum circiter & decem annorum est. Genealogia hæc ferè tota confirmari potest ex Constantino Porphyrogenito, qui eo tempore vivebat, multaque de Hungaris, quos* Turcas *vocat, memoravit in libro de Administrando imperio. Hic cap.* 40 *quatuor enumerat Arpadi filios his verbis:* Sciendum verò Arpadem magnum Turciæ principem filios genuisse quatuor, quorum primus Tarcatzus, secundus Jelech, tertius Jutotzas, quartus Zaltas. *Hic* Zaltas *haud dubiè est* Zoltan *Hungarorum, de quo mox subdit laudatus scriptor:* Quartus Zaltas filium habuit Taxin, *eumdem rursus procul dubio cum Toxo, quem Hungari tertium inter duces suos collocant. Porrò vivebat Taxis, dum scribebat Constantinus, id est, paulo ante medium seculi* X, *sed necdum erat dux Hungarorum: nam alium ejus temporis asserit ducem, ut mox observabo. Toxum tamen ducem fuisse asserunt Scriptores Hungarici passim, nec est, cur negemus ducem Hungarorum deinde factum; uti etiam constat filium ejus Geysam ducem fuisse, &* S. Stephanum *eidem successisse.*

inter quos Arpadus abavus Stephani, qui post primam Hungarorum migrationem

46 *Porrò hi* S. Stephani *progenitores non omnes videntur eamdem auctoritatem habuisse apud Hungaros. Arpadus eorum princeps electus est, & quidem primus, priusquam Pannoniam ingredi statuerant Hungari. Narrat hæc laudatus Constantinus cap.* 38; *aitque principem electum consilio & impulsu Chazarorum principis, quocum fœderati erant Hungari contra Patzinacitas, utriusque gentis inimicos. Hi autem Patzinacitæ bis Hungaros sedibus suis ejecerunt, easque occuparunt; primò quidem, priusquam principem elegerant, ex regionibus circa Tanaim & paludem Mæoticam, versus hodiernam Moldaviam & Transilvaniam; deinde verò ulteriùs in Hungariam, quam hactenus tenuerunt. Inter geminam hanc migrationem princeps Hungarorum electus est Arpadus, teste Constantino, nimirum dum illi Transilvaniam vicinasque Borystheni regiones implebant. Non lubet hîc inquirere, an Patzinacitæ olim habitaverint in illa Moscoviæ Asiaticæ parte ad Oceanum ferè Septemtrionalem, quæ etiamnum* Petzora *dicitur; at constat eos fuisse semper ad Septemtrionem*

A *Hungarorum quàm antiquo Hunnorum nomini. Sic* Hunugari *semel vocantur apud Jornandem, qui aliàs sæpiùs* Hunnos *vocat:* Onogoria *eorum regio dicitur ab anonymo Ravennate seculi* VII *scriptore:* Unnuguros *inter Hunnos recenset Simocatta lib.* 7 *cap.* 8. *Aliis quoque vicinis nominibus vocaverunt alii Hunnos, donec demum post ultimam migrationem Hungarorum nomen prævaluit.*

& Hungari etiam subinde Hunni *vocantur à Græcis:*

43 *Verumtamen* Hungari *non tam constanter dicti fuere post ea tempora, ut non fuerint alia etiam nomina iisdem data. Pagius ad annum* 896 *de iis observat sequentia:* Continuator iste (*Annalium Francorum Fuldensium apud Freherum tom.* 1 *pag.* 55) Hungaros, seu Ungaros, AVARES appellat (& Ungaros *etiam:*) quod mirum videri non debet; cùm Avares, Turci, & Hungari Hunnicæ nationes essent; & easdem, quas antè Avares ad Danubium sedes occuparant, Hungari incoluerint. Nicetas in lib. 2 modò Ungros, modò Παίονας, seu PANNONIOS à sedibus, quas habitarant, Hungaros dicit: interdum HUNNOS, ut & Suidas, communi gentis nomine vocat. *Videas hinc Græcos inter Hunnos & Hungaros non distinxisse: nam lib.* 3 *ait Nicetas de Pannoniæ incolis:* Pæones, qui & Hunni & Hungari appellantur. *Suidas verò in Lexico vocem* Οὖννοι *explicat per vocem* Οὖγγαροι, *Latinè* Hunni, Hungari. *Cùm autem Græci propinquiores fuerint pristinis Hungarorum sedibus, illorum auctoritas prævalere deberet Germanis Scriptoribus, si hi revera fuissent in alia opinione.*

B

ab iisdem etiam frequenter Turci *vocati.*

44 *Hisce observatis, rursus audiamus Pagium, qui sic prosequitur:* Hepidannus in Annal. ad annum DCCCLXXXIX Ungaros AGARENOS nuncupat, aitque: " In cujus (nempe Arnolfi „ Germaniæ regis) temporibus AGARENI in istas „ regiones primitus venerunt „. Sed non tantùm AVARUM, postquam Pannoniam sibi subdidêre, sed etiam TURCORUM appellatione Hungari ab Historicis designantur. Porphyrogennetus enim Turcas Patzinacitis & Rossiis confines facit, & in cap. XII libri de Administrando imperio dicit, Turcos habere ab Occidente Franciam, à Septemtrione Patzinacitas, seu Transilvanos, à Meridie magnam Moraviam, quam subegerint: Chrobatos (hodie Croatos) etiam ad montes versus finitimos esse. Constat autem hodieque Hungariam Transilvaniâ, Croatiâ, Moraviâ, Russiâ terminari; Savo flumine à Croatia dividi. *Hi termini mox examinabuntur. Audiamus interim reliqua:* Luitprandus, *inquit*, cap. 2 & VIII eosdem nunc HUNGAROS nunc TURCOS appellat. Zonaras in Leone Sapiente meminit TURCORUM ad Istrum, qui & UNGRI dicuntur: ... & denique in Nicephoro Phoca TURCI, qui & UNGRI Thraciam vastasse dicuntur. *Poterant addi Cedrenus, Curopalates, aliique Græci, qui Hungaros vocarunt* Turcos.

C

D

E

F

AUCTORE J. S.

Hungarorum, quos Meridiem versus pepulerunt, quosque sic diviserunt, ut una eorum pars Persidem versus abierit, altera verò tandem in Hungariam pervenerit. Posset hìc inquiri, an pars illa, quæ in Orientem recessit, Turcis hodiernis dederit originem; verùm id hujus non est loci. Audiamus Constantinum prædicta narrantem: Turcarum * gens olim prope Chazariam habitabat, ... & quidem tunc temporis non Turcæ, sed Sabartœasphali quadam de causa dicebantur: erantque gentes eorum septem, & principem vel indigenam vel alienigenam habuerunt numquam, sed erant inter ipsos boëbodi * quidam ... Habitarunt autem cum Chazaris annos tres, omnibus eorum in bellis adjutores. *Ex annis tribus cohabitationis collige, jam antè eo aliunde accessisse Hungaros.*

i. e. Hungarorum

* *sic duces vocabant*

47 *Mox migrationis ex eo loco causam sic refert:* Bello autem inter Turcas & Patzinacitas .. exorto, Turcarum exercitus devictus fuit, atque in partes duas divisus; atque earum una quidem Orientem versus, partem Persidis incoluit, ... altera verò pars Occidentem versus sedes posuit cum boëbodo suo ac duce Lebedia in locis Atelcusu nuncupatis, quæ nunc Patzinacitarum gens incolit. *Patzinacita quidem à Danubio per Moldaviam & Podoliam extendebant se late trans Boryslhenem* *, *dum ea scribebat Constantinus, ut colligitur ex capite* 17, *ubi regionem Patzinacitarum describit. Attamen vix crediderim totam eam regionem tunc occupasse Hungaros, sed solùm partem Hungariæ hodiernæ magis vicinam, Transilvaniam nimirum, & fortasse partem Moldaviæ & vicinæ Podoliæ, aut etiam totum tractum usque ad Boryslhenem. Quidquid sit, narrat mox post præcedentia Constantinus legatos* paulo pòst *missos esse à principe Chazariæ ad Lebediam Hungarorum boebodum, ut ille principatum gentis acceptaret. Recusavit principatum boebodus ille, & alium assignavit boebodum, hìc* Salmutzen *vocatum, Latinis* Almum, *cui ejusve filio Arpado principatus dari posset. Electus præ patre fuit filius Arpadus,* quem etiam, *inquit,* solenni Chazarorum more ac consuetudine in scuto erectum principem fecerunt. Et ante hunc Arpadum Turcæ principem alium nullum umquam habuerunt: ex cujus etiam posteris ad hunc usque diem princeps Turciæ constituitur. *Hic primus Hungarorum princeps abavus fuit* S. Stephani.

eorum princeps est electus,

B

Nieper

C

48 *Electo hoc principe,* post aliquot annos, *uti prosequitur Constantinus,* Turcas invadentes Patzinacitæ, eos cum principe Arpade persecuti sunt. Turcæ itaque profligati fugientes, & terram ad sedes collocandas quærentes, magnam Moraviam ingressi, incolas ejus expulerunt, ibique sedes suas posuerunt, tenentque etiam in hodiernum usque diem: & ex eo tempore bellum cum Patzinacitis Turcæ non habuerunt. *Per Moraviam magnam non intelligit hodiernam Moraviam; sed Hungariam ipsam, aut certè majorem ejus partem, quam post cladem Avarorum occupaverant Slavi, magnamque Moraviam vocabant. Rex Moraviæ tunc erat Zwentibaldus, aliàs* Swantoplucus, *& Constantino* Sphendoplocus *dictus, qui & Hungariam obtinebat Moraviæ nomine. Contra hunc advocati in auxilium fuere Hungari, uti conqueritur Luitprandus lib.* 1 *cap.* 5, *quòd illi hinc occasionem sumpserint regiones illas invadendi, quemadmodum factum est post mortem Zwentibaldi, si Constantino Porphyrogenito credimus: nam is*

& cujus ductu expulsis Slavis Moravis, occuparunt Hungariam.

cap. 41, *descriptâ prius Zwentibaldi potentia,* D *sic prosequitur:* Post hujus autem Sphendoploci mortem, anno uno in pace exacto, orto deinde dissidio & bello civili (*inter Zwentibaldi filios,*) invadentes Turcæ, funditus eos exstirparunt, regionemque eorum occuparunt, quam in hodiernum usque diem incolunt: quæque superarat multitudo, dissipata confugit ad finitimas gentes. *Hæc causa occupandi Hungariam non pugnat cum violentia à Patzinacitis illata, sed utraque concurrit, ut colligitur ex cap.* 40, *ubi narrat, Patzinacitas cum Bulgaris devastasse provincias Hungarorum,* cùm *hi* abissent ad expeditionem bellicam, *cum Arnulfo verosimiliter contra Zwentibaldum. Cùm ergo reduces propriam regionem devastatam invenissent, invaserunt Hungariam, quam paulatim totam occuparunt.*

49 *Terminos regni Hungarici, uti & vicinarum gentium variis locis describit idem auctor Constantinus, qui eos nosse poterat & debebat. Verùm cùm multa repetat modo paululum diverso, dicta ejus diligenter expendenda sunt, & invicem conferenda. Terminos Hungarorum dat cap.* 40 *his verbis:* In hoc autem loco antiqua quædem monumenta supersunt; inter quæ Pons Traiani imperatoris ad initia Turciæ, & Belegrada, quæ trium dierum itinere ab ipso ponte distat, ubi turris est sancti ac magni Constantini imperatoris, & rursus ad cursum fluminis extat Sirmium, quod Belegradâ abest duorum dierum itinere: inde magna Moravia baptismo carens, quam Turcæ devastarunt, cujusque princeps olim fuit Sphendoplocus. Atque hæc quidem juxta Istrum flumen monumenta sunt & cognomina. Ulteriora verò, quæ omnia Turcis habitantur, cognomina nunc habent à fluminibus transcurrentibus. Eorum primum Timeses est; alterum Tutes; tertium Moreses, quartum Crisus; quintum Titza. *Fluvii hi sunt Hungariæ, ubi finitima est Transilvaniæ, in qua aliqui eorum oriuntur. At non memorat omnes Hungariæ fluvios.*

Termini Hungarorum ad Orientem,

E

50 *Gentes Hungaris confines latiori hoc modo enumerat:* Confines autem Turcis sunt Orientem versus Bulgari; ubi eos Ister fluvius, qui & Danubius dicitur, separat. *Hæc verba sic intelligenda existimo, ut velit Hungariam trans Danubium se extendisse in Orientem usque ad limites Occidentales Bulgariæ, sed limites hosce Bulgarorum fuisse cis Danubium. Tales revera etiamnum sunt utriusque provinciæ limites: atque ita Bulgaria est ad Orientem Hungariæ, declinans tamen ad Austrum. Orientales item Hungariæ sunt Valachia & Transilvania: sed eas provincias tunc videntur inhabitasse Patzinacitæ, quos ad Septemtrionem collocat ob alias eorumdem provincias magis Septemtrionales.* Septentrionem versus Patzinacitæ *confines sunt Hungaris, ut prosequitur Constantinus. Verum, ut jam monui, sic illi erant ad Septemtrionem, ut simul partim ad Orientem se extenderent per Moldaviam cerlè & Bessarabiam, ubi Danubium attingebant. Asserit hoc ipse Constantinus cap* 42 *his verbis:* Ab inferioribus verò partibus Danubii ex opposito Distræ procurrit Patzinacia, eaque extenditur ad Sarcel usque, quod Chazarorum oppidum est; *nimirum in Septemtrionem trans Boryslhenem usque ad superiores partes fluminis Tanais, ubi collocat oppidum Sarcel.*

ubi finitimi utcumque erant Bulgari, & Patzinacitæ, alias ad Septemtrionem locati:

F

51 *Patzinacitas etiam fuisse in Transilvania, censent*

A *Patzinacitæ etiam in Transilvania : gentes finitimæ ad Occidentem, & ad Meridiem :*

censent varii scriptores, qui per Patzinacitas intelligunt Transilvanos. Hungari verò scriptores aliquando sic loquuntur, acsi credidissent Transilvaniam tempore S. Stephani *fuisse ab Hungaris inhabitatam. Verùm num.* 60 *& seqq. ostendam, fuisse principem aliquem Patzinacitarum, quem devicit* Stephanus, *& Transilvaniam tunc fuisse Patzinacitarum provinciam. Hungari igitur sedes habuerunt in Transilvania, postquam è provinciis magis Septemtrionalibus pulsi erant, sed hisce sedibus rursum expulsi sunt, & firmas tandem in Hungaria sedes locarunt. Porrò uti Patzinacitæ ex parte tantùm erant Septemtrionales Hungaris, sic poterat & alias gentes nominare ad Septemtrionem, & præsertim Russos. Verùm, quia solùm scribebat ea, quæ filius scire debebat ad imperium administrandum, non attendit ad exactam omnino geographiam, nec memorat omnes gentes, sed eas maximè describit, quæ in bellis prodesse magis poterant aut obesse.* Ad Occidentem Franci, *inquit prædictus scriptor,* ad Meridiem Chrobati; *sub Francis comprehendens regnum Germaniæ seu Bavariæ, ab ipsis fundatum,*

B *quod extendebatur usque ad limites Hungariæ, rectèque collocatur ad ejus Occidentem. Croatia etiamnum jacet cum Bosnia & Servia ad Meridiem Hungariæ. Constantinus autem sub Croatis videtur hodiernam Bosniam comprehendere & forsan partem Serviæ, nam cap.* 31 *Croatis ingentes attribuit vires,* & Belogradum *etiam in eorum urbibus recenset. Croatæ hi erant Christiani, ut ibidem narrat; eratque eodem tempore alia* Croatia magna *non baptizata, in parte nimirum Poloniæ ad montes; at de hac non agitur. Hæc omnia satis ostendunt, Hungariam iisdem ferè terminis eo tempore circumscriptam fuisse, quibus hodie circumscribitur Hungaria propriè dicta: atque hoc ostendisse, sufficit ad propositum nostrum.*

multis cladibus Christianos afficiunt usque ad medium seculi 10,

52 *Stabiliti Hungari eo, quo dictum est, modo in Hungaria religionem Christianam prorsus eliminarunt, & vicinis suis multa attulerunt incommoda & mala, quæ referuntur à variis scriptoribus. Anno* 896 *pacem iniere Hungari cum imperatore Græco, eaque occasione grave bellum intulerunt Bulgaris, à quibus tandem magna clade sunt repulsi. Anno* 900 *Italiam populati sunt,*

C *ac deinde magnam Bavariæ partem, sacra omnia profanantes in Austria, uti habet Pagius ad illum annum num.* 17, *&* 25. *Rursus eosdem Italiam invasisse anno* 902, *vult Pagius num.* 12. *Anno* 907 *& sequentibus varias Germaniæ provincias miserè vastarunt. Rhenum anno* 917 *transgressi, Alsatiam & Lotharingiam invaserunt. Quin & anno* 924, *teste Flodoardo in Chronico, non modò Italiam afflixerunt, sed etiam per Alpes penetrarunt in Galliam. Alias iterum clades Germaniæ & Galliæ intulerunt anno* 925 *&* 926. *Verùm anno* 934 *ingenti clade affecti sunt ab Henrico Germaniæ rege; atque eodem anno Hungari Græcos vexare cœperunt, Constantinopolim usque excurrentes. Rursum anno* 937 *Germaniam & Galliam ferè totam populati sunt usque ad Oceanum, ac per Italiam regressi sunt in Hungariam. Græcos anno* 943 *iteratò aggressi, inito fœdere, recesserunt. Anno* 949 *Galliam rursus per Italiam ingressi, multis affecêre cladibus: uti & anno* 954, *cùm redierunt per Alpes & Italiam. Hæc breviter indicata satis ostendunt, quantum terroris & cladis intulerint Germaniæ, Galliæ & Italiæ: nam, cùm hactenus pagani essent, monasteria, ecclesias aliaque loca sancta incendebant ac destruebant, tamque vagabantur liberè, acsi nullus resistere ausus fuisset.* AUCTORE J. S.

sub variis ducibus, principe tunc carentes.

53 *Verumtamen eo tempore non videntur habuisse principem, cui omnes parêre cogerentur. Colligitur id ex Constantino Porphyrogenito cap.* 40, *ubi de republica Hungarorum sic loquitur:* Octo verò hæ Turcarum gentes principibus suis subjectæ non sunt, sed singulæ pro fluminibus, quibus distinguuntur, mutuo inter se contractu statuerunt, quamcumque partem bello infestari contigerit, ei communiter omni studio & curâ suppetias ferre. Habent autem primum ducem exercitûs principem è prosapia Arpadæ, cum quo duo alii gylas & carchan, qui judicum vicem obtinent. Et habet unaquæque gens peculiarem principem; suntque gylas & carchan non nomina propria, sed dignitates. *Itaque nullus in principatum totius gentis successisse videtur post Arpadum, antequam electus est Toxus ejus nepos & avus* S. Stephani.

§ VI. Si per baptismum aliquorum fuerit spes aliqua conversionis Hungarorum ante medium seculi X; ea brevi concidit.

E

Duo Hungarorum duces baptizati Constantinopoli, ut fertur,

SI *Græcis scriptoribus credimus, ante medium seculi* X *Hungarorum aliqui fidem Christianam susceperunt. Audiamus de hisce Joannem Scylitzen Curopalatam in Historia per Gabium Latinè reddita fol.* 62: Non desistebant autem Turci (*per quos designat Hungaros*) in Romanorum (*id est, Græcorum*) regionem irrumpere, eamque depopulari, quoad Bolesodes ipsorum dux, quum decrevisset Christianorum fidem amplexari, ad Constantinopolim pervenit & baptizatus à Constantino imperatore suscipitur, patriciatûs dignitate decoratus, ac multæ pecuniæ compos effectus, deinde domum reversus est. Paulò pòst item Gylas, ipse quoque Turcorum dux, Constantinopolim ingressus baptizatur, paribusque & ipse affectus muneribus & honoribus discessit. Assumpsit autem & secum adduxit monachum quemdam, Hierotheum nomine, qui habebatur religiosus ac pius, Turciæ episcopum à Theophylacto delectum, qui eò profectus, multos à barbaro errore ad religionem Christianorum traduxit. Verùm Gylas in fide permansit, neque ipse in Romanos invadens, neque captos Christianos negligens, sed redemptos pretio curans in libertatem vindicabat. Bolesodes autem, violato fœdere divino, sæpe omnem exercitum in Romanos adduxit. Quod quum in Francos quoque facere decrevisset, captus ab Otone ipsorum rege in crucem actus est.

F

qui & Hierotheum episcopum duxisse dicuntur in Hungariam:

55 *Eadem narrat Cedrenus in Historiarum compendio tom.* 2 *pag.* 636 *editionis Parisiensis. At ducem Hungarorum, quem* Bolosudem *vocat, ait simulasse se amplecti fidem Christianam: & regem Francorum, per quem designat regem Germaniæ, malè* Joannem *nominat; cùm* Otho *dicendus fuerit cum Curopalata. Zonaras quoque in Annalibus lib.* 16 *num.* 21 *eadem naravit hoc modo:* Turci (Ungaros autem sic vocari suprà diximus) aliàs Romanas provincias

AUCTORE J. S. incurſare ſoliti, ad tempus quieti fuerunt. Nam dux eorum Bologudes, & partis cujuſdam princeps Gylas imperatorem convenerunt, amboque ſacroſancto regenerationis lavacro initiati, & arcanis noſtræ religionis imbuti, ac patricia dignitate ornati, onuſtique pecuniis in ſuas ſedes redierunt, adducto pontifice, per quem multi ad Dei cognitionem pervenerunt. Ac Gylas quidem in fide permanſit pacemque ſervavit. Alter, fœdere, quod cum Deo icerat, rupto, arma Romanis intulit; idemque contra Francos facere aggreſſus, captus eſt & in crucem actus. *Sic ille, nomen epiſcopi Hungarorum ſilentio involvens.*

Illi non erant ſupremi Hungarorum duces, ſed alii,

56 *De* Bologude *vel* Boloſude *notandum eſt, non fuiſſe eum ex poſteris Arpadi, nec ducem Hungarorum, etiamſi dux vocetur à Græcis, ſed tertium tantum dignitatis locum apud Hungaros obtinuiſſe. Conſtantinus imperator, qui ſcripſit circà tempus quo hæc facta dicuntur, cap.* 40 *poſteros Arpadi enumerat, & quoſdam alios præcipuos Hungarorum, inter quos* Bultzus *eſt, quem cum Bologude eumdem eſſe, multa perſuadent. Erat hic Bultzus tertius dignitate in Hungarorum exercitu, ſeu eorum carchas. Accipe Conſtantini verba:* Tebeleſque (*nepos Arpadi*) moriens filium reliquit Termatzum, qui nuper in gratiam rediit cum Bultzo tertio principe & carcha Turciæ. Bultzus autem hic carchas filius eſt Cale carcha; eſtque CALE nomen proprium, cùm CARCHAS ſit dignitas; quem admodum & GYLAS, quæ tamen major eſt quàm carchas. *Principem, ut antè dixerat, non alium habebant eo tempore quàm exercitûs; iſque erat Phalitzis nepos Arpadi, ac ſibi adjunctos habebat gylam, cujus nomen non exprimit Conſtantinus, & carchan, qui* Bultzus *nominabatur. Itaque duo hi principes, qui verè aut fictè baptizati dicuntur Conſtantinopoli tempore Conſtantini Porphorogeniti, videntur fuiſſe dignitate & imperio ſecundus & tertius in exercitu Hungarorum. Quod ait Zonaras Gylam fuiſſe principem cujuſdam partis, non convenit cum dictis Porphyrogeniti, qui bis repetit nomen id fuiſſe dignitatis, non proprium; idque imperator, ad quos illi veniſſe dicuntur, quique ſimilia diligenter inveſtigabat, rectiùs noſſe poterat, quàm alii ſcriptores citati, qui toto ſeculo fuere poſteriores.*

B

C

& eorum converſio non videtur fuiſſe ſincera, aut certè effectu caruit.

57 *Non quidem prafractè negaverim à duobus illis Hungarorum ducibus baptiſmum ſuſceptum eſſe imperante Conſtantino Porphyrogenito. Verumtamen rationes infrà allegandæ de re tota dubitare uſcumque cogent. Si verò omnino credere velimus, baptizatos revera eſſe, major orietur dubitatio, an ſincerè fidem profeſſi ſint, an verò fraudulenter ſimulaverint. Poterant ſimilia fictitiæ facere, ut liberiùs Conſtantinopolim luſtrarent, ipſique coram intuerentur, an illam invadendi nulla ſuppeteret facultas. Certè Bultzus non videtur ſincerè fidem amplexus, cùm illam brevi poſt deſeruerit, Græcoſque omnibus viribus ſæpe aggreſſus ſit, teſte Curopalata, licèt patricia dignitate multâque pecunia donatus abiiſſet. An Gylas fidelior fuerit, æquè dubito; cùm exercitum pro officio ſuo ſequi deberet. Aſſerunt quidem Græci illi toto ſeculo poſteriores, ipſum in fide permanſiſſe: aſſerunt iidem, multos ab Hierotheo ad fidem converſos. Verùm nullam Hierothei uſpiam mentionem apud Hungaros, Germanos, aut ullos ſcriptores Latinos reperio, nulla uſpiam exſtant converſionis per ipſum facta, nulla epiſcopatûs ipſius veſtigia. Quin potiùs omnia perſuadent, Hungaros multis adhuc annis æquè à fide Chriſtiana alienos fuiſſe, quàm antea fuerant. Quapropter vehementer ſuſpicor, Hierotheum illum, ſi revera profectus ſit in Hungariam atque epiſcopus Hungarorum ordinatus, nihil ibidem effeciſſe: nam ſi ipſius labore prima fidei Chriſtianæ ſemina jacta eſſent in Hungaria, non tam ingrata fuiſſet poſteritas, ut nomen ejus altiſſimo ſiviſſet involvi ſilentio. Hæc mea eſt ſententia, quæ pluribus per decurſum firmabitur. At alia eſt Godofredi Schwartzii, aut certè aliam ipſe lectoribus ſuis inſtillare voluit.*

D

Schwartzius Gylam illum malè confundit cum Gyula principe Tranſilvaniæ,

58 *Scriptor ille ab hoc duorum principum baptiſmo totius Hungariæ converſionem repetit. Opinionem ſuam ſic exponit. Gylas ille Conſtantinopoli converſus erat princeps Tranſilvaniæ, filiamque habuit Saroltam, quæ nupſit Geyſæ patri S.* Stephani. *Per Saroltam igitur converſus eſt Geyſa, ejuſque operâ, uti & filii ejus* S. Stephani, *fides per totam Hungariam promulgata. Itaque à converſione Gylæ repetenda eſt totius Hungariæ converſio, ſi lubet credere Schwartzio, qui multa fidenter affirmat; at nihil ex hiſce probat idoneis rationibus vel auctoritatibus. Audiamus igitur primò, quàm ſolidè oſtendat, Gylam fuiſſe ducem Tranſilvaniæ. Peccat primò ille ſcriptor, quia ſine fundamento ſupponit, Gylam Tranſilvaniæ principem, cujus filiam deinde Geyſa duxiſſe dicitur, nationis Hungarum fuiſſe: nam id oſtendere debuerat, antequam probare conaretur, Gylam Hungarum, qui converſus fertur Conſtantinopoli, cum illo eumdem eſſe. Clarum enim eſt, duos eſſe diverſos, ſi alter ſit Hungarus, alter nationis alterius. Deinde falſo hoc ſuppoſito nixus, nihilo rectiùs ratiocinatur hoc modo:* Res tota eò redit, *inquit pag.* 28, ut doceamus, quo ſono Hungari ſuum Gyula pronuntient. *Tum obſervatis quibuſdam de duplici* G *Hungarorum, ait pronunciari* DIU-LA, *ut diſſyllabum, ſcribi verò* GYULA: Atque hæc, *inquit*, de Hungarorum vocabulo, cui GYLAS Græcorum, quantùm per rationem iſtorum ſcribendi licuit, prorſus reſpondet. *Equidem id non video, cùm Græci vocem non expreſſerint, ſicuti illam ſcribunt Hungari, nec ſicut illam pronuntiant. Latini ſcriptores, qui Gylam vocarunt* Julum *magis acceſſerunt ad modum pronuntiandi Hungarorum. Verùm non opus de pronuntiatione diſputare aut ſcriptione vocis, cùm alia ad manum ſint argumenta, quæ gratis aſſertam conjecturam prorſus evertunt. Primo* Gylas, *teſte Conſtantino, qui tunc imperabat, cap.* 41, *nomen eſt dignitatis, non proprium; at Gyula nomen eſt proprium. Itaque nomina illa debent eſſe diverſa, nec Gylas ſignificat principem Tranſilvaniæ, quam ne quidem poſſidebant Hungari, ſed ducem exercitus ſupremo duci ſubordinatum.*

E

F

rationes, quibus nititur probare,

59 *Schwartzius interim ſic pergit num.* 31: Iſque GYLAS Græcorum quin idem ſit ac Gyula Hungarorum, dubitare nos non ſinunt rationes partim chronologicæ, partim regionis, cujus dominium obtinebat, ſitus. Scriptoribus namque Hungaris perhibentibus, auſpiciis ſuis Tranſilvaniam rexit, memoriamque nominis ad noſtrum uſque ſeculum retinuit Tranſilvaniæ caput Alba Julia, Hungaris dicta GYULA-FEJERVAR, id eſt, ALBA GYULÆ: & hinc circumjacens quoque regio, Albenſis comitatûs nomine inſignis, Hungaris GYULA-FEJER-VARMEGYE audit.

A dit ... Ex Tranſilvania igitur proximum Gyulæ duci in urbem Conſtantini iter patebat. Adde, præfecturæ ipſius fines imperium attigiſſe Conſtantinopolitanorum; quod Cedreni & Zonaræ verba, quibus pacem cum Romanis eum ſervaſſe, & ab omnibus incurſionibus in fines Romanorum ſibi * abſtinuiſſe, teſtantur, ſatis ſuperque docent. Unde, vel ipſa vicinitate Gyula permotus videtur, ut primùm Græcis familiariùs uteretur, ſanioraque ab eis doctus, Conſtantinopolim deinde peteret. Calculus denique chronologicus, paulo pòſt accuratiùs ſubducendus, oſtendit Gyulam noſtrum & Stephani patrem Geyſam coætaneos fuiſſe, ut hic filiam iſtius uxorem ducere, Stephanumque ex eo conjugio ſuſcipere potuerit. *Hæc ille, reducens mox chronotaxim ad annum circiter* 950, *& ſubjiciens:* Nullis igitur conjecturis operoſis, nullis portentis, an fabulis, opus eſt, ad explicandum, unde Geyſæ gentique ejus lux illa beata affulſit, ſi Saroltam, quam paulo antè, vel paulo pòſt Gyula ſuſtulit, quàm à paganiſmi erroribus reſipuiſſet, ad hoc præcipuè opus à Deo fuiſſe delectam, adfirmaverimus. *Itaque pro* S. Stephano *ejuſque patre Geyſa, quorum maximè operâ converſos Hungaros, hactenus creditum fuerat; Gyulam & Saroltam nobis obtrudit ſcriptor ille, ut Latinis doctoribus Græcum ſubſtituat Hierotheum.*

* eum

B

60 *Verùm quàm multa peccet Schwartzius in hiſce, quæ ſuæ inventionis eſſe gloriatur num.* 19, *paucis patebit. Primò Gyula, qui Tranſilvaniæ præerat tempore Conſtantini Porphyrogeniti, non erat princeps Hungarus, ſed Patzinacita: ita ut idem eſſe nequeat cum Gyla, qui Conſtantinopoli baptizatus eſt, aut Gylas hic fuerit Patzinacita, non Hungarus. Teſtis mihi eſt* dignitate & litterarum ornamentis eminentiſſimus, *uti ipſe eum vocat Schwartzius num.* 25, *idemque coævus Conſtantinus imperator, qui Tranſilvaniam non obſcurè Patzinacitis attribuit. Audi eum cap.* 37, *ubi ditionem Patzinacitarum deſcribit:* Et Patzinacia quidem univerſa in themata (*id eſt provincias*) octo dividitur, quæ magnos quoque principes totidem habet. Themata autem iſthæc ſunt. Primum eſt Ertem, ſecundum Tzur; tertium Gyla *&c. Illud thema Gyla, Tranſilvaniam eſſe, varia indicant. Nam mox enumerantur quatuor provinciæ inter Boryſthenem & Danubium ſitæ, & quatuor illæ ſic deſcribuntur:* Nimirum thema Giazichopon Bulgariæ finitimum eſt (*quia ſitum ad Danubium in Beſſarabia & Moldaviæ*) inferius thema Gylæ Turciæ proximum eſt; Charoboe thema Ruſſiæ adjacet; Jabdiertim verò thema conterminum eſt tributariis pagis Ruſſiæ regionis, puta Ultiniis, Derblenis, Lenzeninis, reliquiſque Sclavis. *Prima provincia finitima eſt Bulgariæ adeoque ad Danubium, tertia Ruſſiæ, nigræ videlicet; quarta etiam Ruſſis & Slavis, ita ut hæ duæ fuerint in hodierna Podolia: itaque ſecunda provincia,* Gyla *dicta, quæ Turciæ, ſeu Hungariæ proxima erat, nullibi aptiùs inveniri poteſt quàm in Tranſilvania: nam ſic etiam intelligitur, cur, ut mox ſubdit, Patzinacia diſtaret* à Turcia dierum quatuor *itinere, videlicet propter maximos montes, quibus Tranſilvania includitur.*

inanes ſunt, primò quia Tranſilvania eo tempore non erat Hungarorum,

61 *Hinc itaque rectiùs intelligitur, cur Alba Julia ab Hungaris dicatur* Gyula-Fejervar, *ſeu* Alba Gyulæ, *à provincia nimirum, cui nomen id olim fuit inditum, niſi ipſum nomen*

uti probatur variis rationibus,

Latinum Julia *ſic efferant Hungari, ut ex* Julia *formetur* Gyula. *Accipe & alium locum Conſtantini cap.* 40, *ubi ſic habet:* Locus autem, quem primitus Turcæ occupabant, à fluvio interlabente vocatur Etel & Cuzu, in quo nunc Patzinacitæ commorantur; à quibus ſanè pulſi Turcæ & profugientes, ſedes poſuerunt illic, ubi nunc habitant; *nimirum in Hungaria. Quæ, obſecro, provincia* Etel *vel* Atel, *ut ſcribit cap.* 38, *dicta eſt, niſi Tranſilvania, ab Aluta nimirum fluvio, vulgò* Alt *dicto? Turcæ etiamnum Tranſilvaniam vocant* Ertel, *unâ tantùm litterâ adjectâ. Itaque Patzinacitæ tunc obtinebant Tranſilvaniam, quâ Hungaros expulerant: idque congruum eſt ipſi Hungarorum traditioni & hiſtoriæ: nam aiunt majores ſuos aliquot annis conſediſſe in Tranſilvania, ac deinde in Hungariam veniſſe. Idem colligitur ex eo, quod non ſoli Hungari inhabitent Tranſilvaniam, quódque nomine diſtinguatur ab Hungaria propria: nam omnes incolas in adventu ſuo expulerunt, ditionemque ſuam vocarunt* Hungariam; *ſed neutrum contigit in provinciis, quas Hungari deinde regno ſuo adjecerunt, inter quas numeranda eſt ipſa Tranſilvania, per* S. Stephanum *ſubjecta, ut ſuo loco videbimus. Curopalates etiam ſic deſcribit Patzinacitarum terras, ut Tranſilvania iis omnino ſit includenda:* Pazzinacarum, *inquit fol.* 116, natio Scythica eſt: .. incolunt autem loca ultra Iſtrum, à Boriſthene fluvio ad Pannoniam pertinentes campos. *Conſonat Cedrenus his verbis pag.* 775: Incolunt (*Patzinacitæ*) trans Iſtrum planities à Boryſthene fluvio ad Pannoniam uſque porrectas. *Suidas ad vocem* Daci, *ait Dacos ſuo tempore* Patzinacitas *vocatos fuiſſe, nimirum quia Daciam antiquam ferè totam poſſidebant. Ex hiſce patet, quàm inania jactet Schwartzius, qui Gylam Hungarum in Tranſilvania quærit, eumque Hungariæ apoſtolum comminiſcitur cum Sarolta filia atque epiſcopo Hierotheo, de quorum pro fide laboribus nulla uſpiam apud Hungaros fuit mentio.*

C

62 *Quàm id improbabile ſit, docet Gyula iſtius Gylæ filius, qui bellum movit* S. Stephano, *quòd religionem Chriſtianam in regno ſuo propagaret. Bellum illud Tranſilvanos inter & Hungaros certum eſt, victoque principe Tranſilvano, fides Chriſtiana ſuſcepta eſt in Tranſilvania, ut ſuo loco videbimus. Itaque religio Chriſtiana ex Tranſilvania non penetravit in Hungariam, ſed* Stephanus *eam Tranſilvaniæ primus intulit. Audiamus de hiſce Schwartzium ipſum, qui num.* 34 *ſic ſcribit:* Duo his, quæ hactenus dicta ſunt, opponi poſſunt. Primum, quòd Gyula, Saroltæ frater, paganis erroribus addictiſſimus, S. Stephano, cùm univerſam gentem cognitione Chriſti imbuere conaretur, in primis adverſatus ſit, uſque adeo ut ſanctus Rex in avunculum, qui claſſicum prior cecinerat, exercitum ducere cogeretur. Sed, adſpirante meliori cauſæ Deo, Gyula victus, provinciâ exutus, inque Hungariam cum tota familia abductus eſt; ex quo tempore Tranſilvania regno Hungariæ acceſſit. Ita Turoczius, Bonfinius, Ranzanus; *uti & alii antiquiores. Reſpondet quidem Schwartzius, Gylam filium à paterna pietate deſciviſſe; ſed id dicitur prorſus improbabiliter, cùm nullum pietatis patris Gylæ adducat teſtem, nullum apoſtaſiæ filii indicium, nullum fidei Chriſtianæ in Tranſilvania eo tempore veſtigium. Quomodo etiam cum opinione ſua conciliabit hæc ſua verba:* Ex quo tempo-

ſecundò quia Tranſilvania deinde converſa per S. Stephanum.

F

re

AUCTORE J. S.

re Tranſilvania regno Hungariæ acceſſit ? *Vera hæc quidem ; at pugnantia cum dictis Schwartzii. Si enim Tranſilvania non erat Hungarorum, Hungarus princeps non erat, qui eam obtinebat; Gylas igitur Hungarus princeps, qui Conſtantinopoli baptizatus dicitur, non erat princeps Tranſilvaniæ, adeoque tota Schwartzii machina, hoc fundamento nixa, labatur neceſſe eſt.*

Deinde converſio illa Hungarorum ſolo nititur teſtimonio trium Græcorum,

63 *Verùm, inquiet aliquis, ſaltem Gylas Hungarus converſus eſt Conſtantinopoli, & ſecum duxit Hierotheum epiſcopum, per quem multi alii ſunt converſi. Aſſerunt id quidem Zonaras, Curopalates & Cedrenus, pro quorum auctoritate ambitioſè pugnat Schwartzius, quia non ignorabat illam Hungarorum converſionem, ipſumque Hierotheum epiſcopum, Hungaris ſcriptoribus, aliiſque Latinis omnibus, prorſus eſſe incognitum, fateturque num.* 41 *rem totam niti Græcorum tantùm teſtimonio, trium videlicet jam dictorum, quibus non modò non ſuffragantur Latini; ſed planè etiam repugnant, dum converſionem Hungarorum & ſerius collocant, & aliis attribuunt. Audiamus, quid pro* indubitata *illorum* fide, *ut eam vocat num.* 35, *aſſerat num.* 41, *ubi de iis agit miro verborum ambitu :* Teſtes quidem ita comparatos, *inquit,* primò omnium evincendum, ut eorum fides jure ſollicitari nequeat. Ac rei geſtæ tametſi non interfuerunt, juſto tamen longiùs non diſtabant, clari circa finem ſeculi XI, initiumque ſeculi XII. *Accipe, lector, quàm omnem in partem verſatile ſit hujus ſcriptoris ingenium. Ex proprio ipſius calculo hi Græci à facto, quod narrant, aberant annis præterpropter centum & quinquaginta, nec tamen diſtabant juſto longiùs. At num.* 3 *Sigebertus, qui eodem cum prædictis vixit tempore, quique ibidem citatur de facto quinquaginta, ut minimùm, annis poſteriore, inter* ſequiores *numeratur ſcriptores. Nolim hîc defendere rejectam ibi Sigeberti ſententiam. Verùm id lubet inquirere, cur Sigebertus, quinquaginta annis propinquior, nimiùm diſtet à re geſta, ſi Græci tanto tempore remotiores non diſtabant juſto longiùs ? Unica, opinor, ratio eſt, quia narratio Sigeberti diſplicuit Schwartzio, placuit verò relatio Græcorum. At nulli viro cordato placebit, quod Schwartzius non hîc modo, ſed ubique in Opuſculo ſuo, ſcriptores ſibi faventes ſupra meritum attollat, adverſantes verò infra meritum deprimat.*

B

C

quorum auctoritatem ambitioſiùs prædicat Schwartzius ;

64 *Pergit ille hoc modo :* Deinde, quod ſcriptores iſtos inter ſe conferentibus continuò patebit, unum omnes monumentum vetus, rebuſque deſcriptis æquale, in Annales ſuos tranſtulêre ; iiſdem namque ſententiis, imò iiſdem ferè verbis, utuntur. Et mihi quidem Zonaras auctorem primum ſimpliciter ſecutus, Cedrenus & Curopalates nomen Francorum, vel potiùs Germaniæ regis, ſub quo Bulchu dux ſupplicium ſubiit, ex ſua quiſque opinione ſuppleviſſe videntur. Quo factum eſt, ut Cedrenus, privatus & monachus, veterum codicum lectioni ita unicè affixus, ut in recentiorum temporum geſtis hoſpes eſſet, ſuavem illum erraret errorem, JOANNEM dicens, quem OTTONEM vocare debuiſſet. At Scylitzes in luce hominum agens, curopalatis honore in aula imperatoria defunctus, unde & appellatio ei adhæſit, non æquè ignorare poterat, quæ vel ſuo, vel non multo antè decurſo tempore acta fuerunt. Hujuſce monumenti auctorem, quem tres illos triviſſe adfirmavimus, circa Conſtantini tempora vixiſſe, dubitare nos non ſinunt, tam ducum in urbe Conſtantini baptizatorum, quàm adducti ad Hungaros Hierothei epiſcopi nomina ; quæ certè ſine litterarum præſidio ſeculi, & quod excurrit, ætatem non tuliſſent. Si verò tulerunt, rem divulgatam inque publicum omnibus notam, quæ nec ſeculi ſpatio in animis hominum obliterari potuit, fuiſſe neceſſe eſt. *Si hæc juſta eſt apologia, quâ Græcorum illorum fides in tuto collocatur ; facilè narratiuncula quælibet fidem obtinebunt, modò illarum ſcriptores nomina perſonarum expreſſerint : nam iiſdem rationibus contendi poterit, relationem ex antiquis monumentis hauſtam eſſe.*

D

tres illi invicem veriſimiliter deſcripſerunt,

65 *Annotationem adjunxit Schwartzius, hiſce verbis conceptam :* Exiſtimant multi Cedrenum, Scylitzem & Zonaram alterum dicta alterius bona fide deſcripſiſſe. *Id ſanè multo veriſimilius eſt, quàm omnes ex eodem hauſiſſe monumento. Attamen non placet critico noſtro hæc conjectura :* Verùm, *inquit,* an ejuſdem homines ætatis, ſine turpiſſima plagii nota, uno eodemque in loco ac pænè tempore, id facere potuerint, aut famæ ſuæ prorſus ſecuri id facere ſuſtinuerint, non facilè mihi perſuaſerim. Quid enim obſtat, quo minùs omnes ex unis ſua hauſerint fontibus. Unde illa in narrando ſimilitudo, aliqua tamen etiam, inque plurimis exſtantior, diſſimilitudo. *Hæc quidem ille. At dubium non eſt, quin Cedrenus ſua deſcripſerit ex Scylitze, quem ferè verbotenus imitatus eſt ab imperio Michaëlis Curopalatæ uſque ad Iſaacium Comnenum, teſte Oudino de ſcriptoribus tom.* 2 *col.* 1130, *qui varios citat ſcriptores, inter quos Leo Allatius de Georgiis & eorum ſcriptis pag.* 334 *de Cedreno ſic loquitur :* Opus è variis hiſtoriis, non ſententiis ſolùm, ſed verbotenus conſarcinatum abſolvit : quæ ſi ab auctoribus repeterentur, nudus ipſe æquè ac cornicula illa remaneret. Neſcio qua fronte, quæ exſcripſit, pro ſuis divendidit, adeo ut vix unam alteramve periodum in tam vaſto volumine Cedreni propriam ac legitimam reperias. *Zonaram quoque ex Scylitze factum iſtud mutuatum eſſe admodum eſt veriſimile, licèt Zonaras verba illius minùs ſit mutuatus. Itaque nullo modò veriſimile eſt, antiquum aliquod monumentum tribus iſtis ſcriptoribus præluxiſſe. Sola diſſimilitudo in nominibus occurrit, eaque imputanda eſt eorum in deſcribendo negligentiæ.*

E

F

nec ipſis fides in omnibus habenda,

66 *Verùm etſi Curopalates, qui primus videtur hanc ſcripſiſſe hiſtoriam, ſcripturam aliquam habuiſſet antiquiorem, idque nobis conſtaret, an idcirco verbis ejus continuò fides adhibenda, ſilentibus ſcriptoribus omnibus antiquioribus, Græcis æquè ac Latinis ? An ſtatim verum eſt cenſendum, quod in ſchedula qualibet ſcriptum reperitur ? Potuit ſanè Curopalates ſchedulam aliquam invenire, in qua deſcriptus erat baptiſmus ducum Hungarorum, uti & miſſio Hierothei in Hungariam, indeque etiam vel aliunde diſcere apoſtaſiam Boloſudis, & infelicem ipſius interitum. Supponamus ejuſmodi ſchedulam ab ipſo vel à Zonara repertam, an inde concludemus, omnia facta eſſe, prout illa tanto poſt tempore narravit Curopalates ? Minimè verò. Nam auctor ejuſmodi ſcripturæ credere potuit, ſeriò fieri, quæ fiebant ſcenicè, primoſque rumores de converſione quorumdam Hungarorum temere in chartam conjicere ; atque eo modo in errorem pertrahere ſcriptores incautos, qui poſt centum & triginta annos inventuri erant ſchedulam*

A *lam illam, temere exaratam, antequam rei veritas diſcuſſa erat ac ſatis innotuerat. Sive ergo ex antiquiori monumento ſcripſerint prædicti auctores, ſive ex ſola fama populari, remotiores ſunt, quàm ut fides adhibenda ſit eorum dictis in facto, quod aliunde falſitatis maximè eſt ſuſpectum, quódque ipſi ſic narrant, ut pateat non fuiſſe exacte inſtructos de rei veritate, cùm varios admiſceant errores, quos paucis exhibeo.*

quia multos admiſcuerunt errores,

67 *Errant* 10, *cùm Boleſodem vocant ducem Hungarorum aut principem eo modo, acſi omnium Hungarorum princeps fuiſſet: nam Bultzus, quem cum Boleſode eumdem fatetur Schwartzius, tertius tantùm erat in Hungarorum exercitu, nec erat ex poſteris Arpadi, uti oſtendi num.* 56. *Errant* 20 *Curopalates & Cedrenus, dum affirmant* ſæpe omnem exercitum *à Boleſode ductum contra Græcos, & quidem poſt baptiſmum: nam neque ipſi memorant illas Hungarorum irruptiones, neque illæ referuntur ab aliis, neque veriſimiles ſunt, cùm circa medium ſeculi* x *Hungari occupatiores fuerint in Italia, Gallia & Germania, quàm ut totum exercitum contra Græcos ducere potuerint. Hinc colligas,* B *quantâ negligentiâ in ſcribendo uſi ſint Græci illi, qui* ſæpe *iteratas irruptiones Boleſodis ſomniant, & nullam Hungarorum cum Græcis velitationem attingunt, ac ne Boleſodem quidem alibi uſpiam nominant. Zonaras paulò modeſtiùs dixit,* Arma Romanis intulit, *ſuſpicatus forſan, id fieri potuiſſe à Boleſode, etiamſi id ipſe ignoraret. Errant* 30, *cùm alterum Hungarorum ducem vocant* Gylam, *acſi nomen eſſet proprium, cùm dignitatis ſit, teſte Conſtantino Porphyrogenito de Adminiſtrando imperio cap.* 38. *Errat* 40 *Cedrenus, cùm regem Germaniæ vocat* Joannem.

multaque alia non veriſimilia,

68 *Erroribus claris admiſcent alia, quæ veriſimilia non ſunt. Veriſimile non eſt, multos per Hierotheum in Hungaria converſos, cùm illius Hierothei geſtorumque ejus nulla uſpiam ſit memoria, multaque perſuadeant, Hungaros diu poſt in infidelitate permanſiſſe. Nihilo veriſimilius eſt, Gylam perſtitiſſe in fide ob eaſdem rationes. At hæc illi facilè potuerunt ſcribere ea ſolùm ratione, quòd non invenirent contrarium,* C *ſcirentque Hungaros ad fidem converſos, dum ſcribebant. Scribunt Hierotheum Turciæ, id eſt, Hungariæ epiſcopum ordinatum à Theophylacto patriarcha; & ne quidem exprimunt, ubi ſedem fixerit epiſcopalem; neque explicant, an aliquot ſibi adjunctos habuerit presbyteros, alioſque miniſtros ſacros. Quod manifeſtum eſt indicium, eos ſcripſiſſe de re, quam non ſatis noverant. Zonaras certè, dum & nomen Hierothei & Theophylacti & Ottonis cautè prætermittit, inſinuat ſuſpectam ſibi fuiſſe hiſtoriam. Cedrenus verò, qui* anilium fabularum ſcriptor & veri incurioſus *meritò vocatur à Lipſio apud Oudinum citatum, quique Curopalatam deſcripſit, nomina liberiùs expreſſit quàm veriùs. Curopalates autem ipſe quantæ auctoritatis eſſe poſſit, ſi Cedrenus anilium fabularum ſit ſcriptor, collige ex utriuſque conſonantia, quæ maxima eſt in geſtis temporum, de quibus agimus. Tandem Græcos illos tres fidem non mereri de re tamdiu præterita, tamque inconcinnè enarrata, evincent argumenta, quæ ſubjungo.*

quia alii Græci antiquiores de re tota ſilent,

69 *Primum argumentum deſumo ex ſilentio omnium Græcorum, qui ſcripſerunt poſt medium ſeculi* x *uſque ad finem ferè ſeculi* xi, *quo Curopalates ſcripſit. Intra illud tempus non pauci fuerunt Hiſtorici Græci, qui non poterant ignorare converſionem Hungarorum, quique non videntur eam omiſſuri fuiſſe, ſi inchoata fuiſſet Conſtantinopoli, & promota per Hierotheum. Deſcripſerunt imperium Conſtantini Porphyrogeniti varii ſcriptores, qui Theophanem continuarunt, editique ſunt à Combefiſio; at nullus illorum memoravit hanc Hungarorum converſionem, etiamſi eodem ſeculo videantur ſcripſiſſe. Conſtantinus ipſe imperator ſcripſit de Adminiſtrando imperio ad Romanum filium, atque eo quidem tempore, quo res tota paulò antè peragi debuerat, ſi facta eſſet. Verumtamen Conſtantinus non modò converſionem illam ſilet, ſed etiam expreſſis verbis teſtatur, Hungaros necdum eo tempore fuiſſe converſos. Audi verba ejus cap.* 40: Inde magna Moravia, *id eſt, Hungaria,* baptiſmo carens. *Ex hiſce verbis neceſſariò conſequitur, fabuloſa eſſe, quæ de Hungarorum converſione habet Curopalates cum ſequacibus ſuis, modò oſtendi poſſit, Conſtantinum ſcripſiſſe poſt tempus ab iis deſignatum.*

inter hos Conſtantinus, qui ſcripſit anno 949, E

70 *Edidit illum librum Conſtantinus circa annum* 950; *ut facilè oſtendi poteſt: nam ſcripſit ad Romanum filium jam coronatum, ut eumdem ad imperium rectè adminiſtrandum erudiret, & poſt mortem Romani Lacapeni, de quo, ut defuncto, loquitur cap.* 14. *Obiit autem Romanus Lacapenus olim imperator Indictionis ſextæ menſe Julio, id eſt, anno* 948, *quemadmodum ibidem habet Pagius num.* 3. *Romanus verò junior ſequenti anno* 949 *ad imperii ſocietatem aſſumptus eſt à Conſtantino patre. Audiamus de hiſce Cedrenum tom.* 2 *pag.* 635: Menſe Julio ſextæ Indictionis Romanus ... debitum naturæ perſolvit ... Proinde Conſtantinus Porphyrogenitus, omnibus, quæ ſuſpecta erant, ſubmotis, & ſolus jam imperans, feſto Paſchatis die, Romano filio ſuo diadema imponit. *Coronatus ergo eſt Romanus anno* 949, *poſtquam Lacapenus obierat menſe Julio anni* 948. *Non igitur ſcripſit Conſtantinus id Opus ante annum* 949; *ſed vel eodem anno, vel ſequente: nam cap.* 26 *de Lothario Italiæ rege, qui obiit anno* 950, *menſe Novembri, uti rectè probat Pagius ad dictum annum num.* 1, *ait,* Qui nunc Italiæ rex eſt. *Rurſum cap.* 27 *dicit fuiſſe Indictionem ſeptimam, dum ſcribebat. Cùm autem Indictio ſeptima fuerit anno* 949, *illo anno Opus ſuum componere cœperat, eodemque vel ſequenti* 950 *abſolvit.* F

cum cujus dictis conciliari nequit prædictorum Græcorum relatio,

71 *Nunc videamus, an relatio Græcorum conſiſtere poſſit cum dictis Conſtantini, qui circa annum* 950 *aſſeruit, Hungariam baptiſmo carere. Otto Germaniæ rex ac poſtea imperator anno* 955, *die* x *Auguſti, inſignem retulit victoriam de Hungaris, quorum tres duces fuere capti ac laqueo exſtincti. Victoriam hanc multi narrarunt ſcriptores, atque ex iis Pagius ad annum* 955. *Turoczius eamdem Hungarorum cladem videtur deſcribere cap.* 25, *licèt multùm aberret in chronotaxi, cùm rem geſtam referat ad imperium Conradi I imperatoris. Ab hoc ſcriptore inter captivos & occiſos nominantur* Leel & Bulchu illuſtres capitanei, *atque hic* Bulchu *à variis idem eſſe creditur cum Boleſode, quem baptizatum Conſtantinopoli dixerunt laudati ſcriptores Græci. Inter hanc cladem & baptiſmum Hungarorum tam multa Græci noſtri interponunt, ut ex dictis eorum baptiſmus iſte collocandus videatur ante annum* 950. *Agnoſcere id debet Schwartzius, qui num.* 39 *de tempore*

AUCTORE J. S.

istius baptismi sic ratiocinatur : Denique negligendum non est, quod Zonaras tradit, post susceptum à ducibus baptismum, Hungaros ad tempus conquievisse, ac rursus Bulosudem, rupto fœdere, impressionem in Romanos feciſſe. Secundum Cedrenum (*& Curopalatam*) sæpiùs cum universa gente Romanos adgressus est. Hæc Hungarorum quies & repetitæ Bulosudis ductu incursiones, donec tandem res malè ipsis, ac duci cumprimis, verteret, quatuor certè aut quinque annos, si non plures à fatali Bultzkonis anno, qui fuit CMLV, retrogradiendo abstulerint ... Ponamus igitur annum CML. *Sic ille interpositа baptismo & morti Bulosudis rectè exponit ; at illa plures absumere debuissent annos, si facta essent. Sanè quies, post ducum baptismum secuta, duorum saltem aut trium annorum fuit, aut quies non fuit : secuta totius gentis irruptiones sæpiùs repetitæ, etiamsi annuæ fuissent, tres, ut minimùm, annos tenere debuerant. Itaque ducum Hungarorum baptismus figendus esset ante annum* 950, *præsertim cùm Hungari anno* 954 *Gracos non invaserint, sed Germaniam, Galliam & Italiam, uti videre est apud Pagium ad dictum annum.*

B

licèt aliquid veri continere possit.

72 *Quapropter ille baptismus contingere debuerat, antequam scribebat Constantinus, nec ille dixisset Hungariam baptismo carere, si vera narrasset Curopalates cum suis. Si horum relatio aliquid saltem veri continet, & duces Hungari ficto animo baptismum susceperint (quod omittere potuit Constantinus, ne proderet posteris se adeo delusum fuisse) id verisimiliter contigit circa annum* 943, *quo Hungari Græcos invaserunt, initaque pace reversi sunt. Theophanis Continuator in Romano Lacapeno rem narrat hoc modo :* Indictione prima, mense Aprili, rursus Turci (*id est, Hungari*) cum ingentibus copiis Romanæ ditionis fines invaserunt. Egressus verò Theophanes patricius accubitor, pacis cum eis fœdus percussit, acceptis obsidibus ex illustrioribus. Hincque adeo contigit, in annos quinque pacem induciasque servari. *Inter dictos obsides forsan fuerint Bulosudes & Gylas, qui se Christianos, susceptо baptismo, fingere potuerunt, ut Græcis facilius imponerent, ac remitterentur in Hungariam. Si verò inter obsides*

C

non fuerunt, sed sponte venerunt, uti volunt Græci, id agere potuerunt, ut obsides suos melius reciperent. Quidquid sit, nulli tempori aptiùs alligari potest, Hungarorum baptismus, cùm pax ad quinque saltem annos duraverit, & rupta fuerit, imperante Constantino : nam laudatus Theophanis continuator in Constantino num. 47 *ait, Turcos seu Hungaros excurrisse ad urbem usque Constantinopolitanam, sed repulsos esse per duces Constantini, domumque reversos, nulla initæ pacis facta mentione. Ex dictis hæc conjectura mihi apparet verisimilis. Pacem inierunt Hungari cum Græcis anno* 943, *imperante adhuc Romano Lacapeno ; anno autem* 944, *ubi solus Constantinus imperare cœperat, duces Hungari baptismum susceperunt, sed fictè ; simulationem verò illam protraxerunt, donec anno* 948 *vel* 949 *rursum cœperunt in ditiones Græcorum irrumpere, ita ut potuerit scire Constantinus, dum Opusculum suum scribebat, eorum conversionem non fuisse sinceram. Hæc dicta sunt in hypothesi, quod baptismum susceperint Bulosudes & Gylas : nam ne id quidem satis certum puto.*

73 *Conversioni Hungarorum, quæ cœpta esset ante medium seculi* X, *non minus contrarii sunt scriptores Latini. Floruit post medium dicti seculi Luitprandus diaconus & postea episcopus Ticinensis, qui res maximè sui temporis Hungaricas frequenter descripsit. Non multis pòst annis scripsit Witikindus monachus & historiographus. Eodem seculo ad finem decurrente videtur scripsisse Continuator Rheginonis, multique alii eodem seculo historicè scripserunt, & de Hungaris meminerunt : at nullus de hac eorum meminit conversione. Secula* XI *&* XII *plurima conscripta sunt Chronica universalia, in quibus Hungarorum conversio narratur ; at nullibi dicitur initium habuisse Constantinopoli, aut ante medium seculi* X. *Sanè, si vera esset hæc conversio, non poterat ignorari à tot scriptoribus coævis aut supparibus, nec taceri debebat, præsertim à Luitprando, qui toties in Hungaros invehitur, quique legatus Ottonis fuit Constantinopoli. Æquè mirum esset Hungarorum omnium de hac conversione silentium, si conversio locum habuisset. Verùm hæc argumenta à silentio omnium scriptorum, etiamsi vehementer urgeant, nequaquam sunt necessaria, cùm non desint aperta pro hac veritate testimonia.*

D

Conversioni Hungarorum ante medium seculi X *obstat silentium omnium Latinorum,*

74 S. Stephanus *in diplomate dato pro prima Hungariæ abbatia S. Martino sacra, quod totum recitabo num.* 149 *& sequentibus, sic loquitur :* Necdum enim (*aliàs* etiam) episcopatus & abbatiæ præter ipsum locum (*S. Martini abbatiam, à Geysa cœptam & perfectam à* Stephano) in regno Ungarico fuerant (*aliàs* fitæ erant.) *Si anno* 997, *de quo agit* Stephanus, *nullus episcopatus in regno Hungarorum fuerat, ubi esse potuit episcopatus Hierothei, ubi ipse Hierotheus episcopus sedem habuerat ? Si autem nullibi sedem episcopalem in Hungaria fixerit Hierotheus, uti constat ex allegatis S. Stephani verbis, consequitur, aut omnino in Hungaria eumdem non fuisse, aut ibidem non diu mansisse, sive quòd obierit, sive quòd, re infecta ac desperata, redierit in patriam. Piligrinus Laureacensis episcopus circa annum* 974 *de initio conversionis Hungarorum scripsit ad summum Pontificem Benedictum, tamquam de re nuperrimè cœpta. Rescripsit Benedictus ad archiepiscopos Germaniæ & Ottonem II imperatorem. Utramque epistolam edidit Lambecius in Commentariis de bibliotheca cæsarea lib.* 2 *cap.* 5 *pag.* 641 *& sequentibus.*

E

diploma S. Stephani pro abbatia S. Martini,

F

75 *In epistola autem Benedicti dicitur :* Nunc autem, quam ob rem vocibus exultantibus in laudem omnipotentis Dei erumpimus, non modò sæpe dicta Laureacensis ecclesia (*quam dixerat desertam fuisse usque ad victoriam Ottonis anno* 955 *pariam*) hostium cessante terrore, cum accolis suis pace & tranquillitate potitur, verùm etiam ipsi dudum inimici illum, quem persecuti sunt more gentili, jamjam Christum baptizati profitentur, & sacerdotes modò habere desiderant, ac, prout scire rudes poterunt, venerantur, & ecclesias quasdam in sua terra, quas patres incendio delerunt, posteri restaurare videntur. *Hæc Pontificis verba, uti & verba Piligrini, postea suo loco uberiùs danda, apertè declarant, tunc novam fuisse Hungarorum conversionem, eamque cœptam non esse, nisi post pacem cum Ottone initam. Quo autem anno pax illa coaluerit, non omnino certum est ; at constat, eam fuisse conclusam post Hungarorum stragem anno* 955 *factam. Plura Latinorum testimonia proferemus infrà, ubi vera initia religionis*

F

& litteræ Piligrini ac Benedicti Papæ.

A *gionis Christianæ in Hungaria assignabimus. Tutò interim asserere liceat, religionem Christianam in Hungaria non esse cœptam à baptismo Bulosudis & Gylæ, seu quòd ille baptismus prorsus sit fictitius, seu quòd ficto animo sit susceptus, seu denique quòd illi fidem constanter professi non sint.*

§ VII. Cœpta conversio Hungarorum, regnante Geysa patre S. Stephani, occasione pacis inter Ottonem & Geysam initæ: Piligrinus Laureacensis præsul facultatem petit erigendi episcopatus in Hungaria.

B *Occasio cœptæ Hungarorum conversionis sub Geysa patre S. Stephani,*

Primus Hungarorum princeps, qui fidem Christianam amplexus est, fuit Geysa, pater S. Stephani, *uti cum Carthuitio testantur scriptores varii. Hanc rem minimè dubiam existimo, etiamsi aliqui laudem conversæ Hungariæ sic attribuerint* S. Stephano, *ut Geysam videantur excludere. At ideo sic illi videntur locuti, quia rudia & imperfecta fidei initia perfecit Sanctus. Prima occasio conversionis Hungarorum nata videtur ex memorata eorumdem clade anni 955: nam, fractis viribus animisque immensa illa strage, ad pacem cum Germanis stabiliendam respicere cœperunt. Pax verò Christianis prædicatoribus occasionem dedit Hungaros adeundi, eorumque conversionem tentandi. Non obscurè id colligitur ex laudata modò Benedicti Papæ epistola apud Lambecium pag.* 647, *ubi hæc leguntur de ecclesia Laureacensi, sub cujus provincia fuerat Pannonia, dum in ea erant Christiani:* Ex omnibus ecclesiarum diœcesibus Pannoniæ, hæc (*Laureacensis*) antiquitate & archiepiscopii dignitate esse primitiva creditur; quæ jam multis retroactis temporibus ex vicinorum frequenti populatione barbarorum deserta & in solitudinem redacta, nullum Christianæ professionis habitatorem meminit, usque dum invictissimus augustus & pater patriæ (*Otto I*) genitor quippe pii imperatoris nostri (quem adhuc superesse & diu dominari mundus exoptat) bellico trophæo eorum vires retudit. Nunc autem *&c. Subdit verba data num.* 75, *nimirum Laureacensem ecclesiam* confinio Ungarorum *adjacentem, ut paulò antè dixerat,* cum accolis suis (*Hungaris*) pace & tranquillitate *potiri, ipsosque dudum inimicos Hungaros ad Christum converti. Itaque manifestè insinuat, ex victoria Ottonis pacem, ex pace verò conversionem Hungarorum esse enatam.*

C *nata videtur ex pace inter Ottonem imperatorem & ducem Hungarorum;*

77 *Optimè hæc congruunt cum iis, quæ Carthuitius in Vita num.* 2 *narrat hoc modo:* Ea siquidem tempestate, quâ gens præfata (*Hungarorum*) Dei ecclesiam depopulabatur, erat in ea princeps quidam,.. nomine Geysa, *quem etiam tum paganum fuisse subdit.* Tamen, *inquit*, appropinquante spiritualis fulgore charismatis, cum omnibus circumquaque positarum provinciarum vicinis de pace cœpit attentè tractare. *Non liquet, quo anno pax inter Ottonem & Hungaros coaluerit, neque de tempore, quo Geysa Hungarorum principatum adeptus est. Verùm constat, legatum ab Ottone episcopum Brunonem ad Hungaros, atque hujus operâ pacem compositam planè existimo; nec modò pacem stabilitam, sed ostium etiam prædicatoribus Euangelii apertum. Digna sanè hæc Ottone Magno legatio, dignaque res, quæ accuratiùs discutiatur, cùm tenebris & erroribus lateat involuta. Mabillonius in Actis Sanctorum Ordinis S. Benedicti seculo 6 part.* 1 *pag.* 81 *ex codice Tegernsensi edidit epistolam Ottonis imperatoris ad Piligrinum Pataviensem episcopum, quæ hisce concepta est verbis:* Otto Dei gratiâ imperator augustus Piligrino venerabili Pataviensis ecclesiæ episcopo salutem & gratiam. Brunonem episcopum vestræ mittimus & committimus dilectioni, ut quibuscumque apud vos indiguerit utensilibus, abundantissimè adjuvetur; & tam vestris hominibus, quàm & caballis, aliisque in itinere rebus necessariis, quanto propiùs possit, Ungrorum confinio honorificè ac cautissimè perducatur. Nobis enim illuc erit delegandus, quò rex eorumdem nostro quàm properè arbitrio sit colligandus. Vobis ergo magnopere sit studium hanc citissimè fieri legationem: nam si, ut apud nos sedet, prosperabitur, vobis in hoc vestrisque omnibus admodùm consuletur. Valete. E

pax hæc conciliata non est per S. Brunonem martyrem, quem legâsset Otto III,

78 *Cùm tres fuerint Ottones consequenter imperatores, variique Brunones episcopi, inquirendum est, cujus Ottonis sit epistola, quis Bruno ille episcopus. Mabillonius Ottonem tertium explicuit, & S. Brunonem martyrio apud Russos coronatum. Verùm utrumque rectè refutavit Hansizius noster in Germania sacra tom.* 1 *pag.* 208, *ubi sic habet:* Inprimis auctor hujus epistolæ nequit esse Otto tertius, quod vel ipse titulus epistolæ manifestat: vocat enim se imperatorem augustum, quod Otto tertius nondum fuit Piligrino vivente: obiit namque Piligrinus anno CMXCI. Otto tertius creatus est imperator anno CMXCVI. Bruno ille Russorum apostolus à nullo scriptorum, neque à Ditmaro, qui ejus Vitam conscripsit, eique familiaris, &, ut ipse ait, contemporalis & conscholasticus fuit, proditur uspiam ad Hungaros abiisse, aut, ut Mabilio colligit, operam in revocandis ad fidem Hungaris adhibuisse. Præterea Bruno iste non nisi post Ottonis tertii mortem, regnante Henrico secundo imperatore, benedictionem episcopalem suscepit, eodem Ditmaro teste. Atqui Bruno, quem Otto ad Hungaros misit, quemque Piligrino commendat, appellatur Bruno episcopus. *Hæc argumenta manifestè probant Ottonem III intelligi non posse auctorem legationis prædictæ, nec legatum illum fuisse S. Brunonem Russorum apostolum, de quo actum apud nos ad diem* XIV *Februarii, & rursum tom.* VI *Junii pag.* 217, *ubi hic Bruno idem esse ostenditur cum S. Bonifacio martyre. Quæ objici possunt ex Ademaro, qui favere videtur Mabillonio, abunde refutavit Janningus noster ibidem pag.* 221, *ostendens totum Ademari locum fabulis & erroribus scatere, idemque egregiè probat laudatus Hansizius.* F

sed per Brunonem Verdensem episcopum ab Ottone I legatum ad Hungaros,

79 *Hic scriptor Brunonem alium, cui omnia congruunt, assignat his verbis:* Quin toto eo tempore, quo Piligrinus ecclesiæ Patavienſi præfuit, nullus omnino occurrit Bruno episcopus, præter unum Brunonem ex monacho Corbeiensi Verdensem episcopum, Hermanni Saxoniæ ducis consanguineum, quem Otto Magnus ob veneration em suam, ut scribit Ditmarus lib. 2,

AUCTORE J. S.

Amalongo ſucceſſorem ſtatuit epiſcopo. Sedere cœpit anno CMLXII, teſte Annaliſta Saxonico. Deceſſit circa annum CMLXXVI, longè virtutibus quàm genere clarior. *Rectè hæc Hanſizius. Mabillonius tom.* 4 *Annalium Brunonem è monacho Corbeienſi antiſtitem Verdenſem ad Pontificatum vult evectum ſub nomine Gregorii V. At duos confundit Brunones; nec oſtendit, aut oſtendere rectè potuit, epiſcopum illum Verdenſem eumdem eſſe cum Gregorio V: nam Bruno Verdenſis obiit, priuſquam Gregorius V pontificatum adipiſceretur. Fuiſſe Ottonem Magnum, qui Brunonem ad Hungaros legavit, mihi ſatis certum videtur: num Hungarorum legatos viciſſim ad Ottonem veniſſe, infrà videbimus. Lubet hac de re rurſus audire differentem Hanſizium, qui ſic proſequitur:* Hunc igitur (*Brunonem Verdenſem*) exiſtimem ab Ottone Magno delectum, qui conciliatâ cum Hungarorum rege concordiâ viam ſterneret religioni. Is erat Otto, in quo mirificum religionis propagandæ ſtudium paſſim celebrant ſcriptores. Sereniſſimum divinæ religionis ſpeculum appellat Saxo
B Chronographus, poſt quem nemo extiterit, cui ſtudium eſſet paganum convertere, nullus, qui eccleſiam intrare compellat paganum. Ei Bohemorum, ei Polonorum ad Chriſtiana ſacra traductio maximam partem debetur. Id ipſum igitur conatus in Hungaris, memorati Brunonis epiſcopi operâ eos flexit ad conſilia pacis, eóque adduxit, ut ipſi pariter legatos ad ſe mitterent.

qui ſuum viciſſim ad Ottonem mittunt legatum: occaſione pacis fides prædicata Hungaris.

80 *Legatio hæc facta videtur circa annum* 972, *certè non ante annum* 971, *quo Piligrinus factus eſt epiſcopus Patavienſis, neque poſt* 973, *quo defunctus eſt Otto Magnus. Effectum legatione fuit, ut Hungari legatos remitterent ad Ottonem anno* 973 *circa Paſcha. Audiamus Lambertum Schafnaburgenſem in Annalibus ad dictum annum:* Anno CMLXXIII Ottho imperator ſenior cum juniore venit Quidilinburg; ibique celebravit ſanctum Paſcha x Kal. Aprilis: illucque venerunt legati plurimarum gentium, videlicet Romanorum, Græcorum, Beneventanorum, Italorum, Ungarorum, Danorum, Sclavorum, Bulgarorum atque Ruſſorum cum magnis muneribus. *Huic, inquit Hanſizius*, conſentiunt chronographi omnes, quorum nullus
C eſt, qui non in ceteris legatos etiam cenſeat Ungarorum. *Itaque nullum eſt dubium, quin eo tempore pax eſſet inter Ottonem & Hungaros. Hinc etiam legationi Ottonis attribuenda videntur edicta Geyſæ Hungarorum ducis, de quibus Carthuitius num.* 2 *ſic habet:* Statuit inſuper præceptum (*Geyſa*) cunctis Chriſtianis, ducatum ſuum intrare volentibus, hoſpitalitatis & ſecuritatis gratiam exhiberi. Clericis & monachis poteſtatem conceſſit ſuam præſentiam adeundi, quibus voluntarium libenter aditum præbens, orthodoxæ fidei ſemen, pectoris in horto ſatum, delectabatur germen emittere. *Hæc eadem legatio viam ad Hungaros aperuit Piligrino Patavienſi epiſcopo, quem ultrò invitarunt Hungari, ut mox ex ipſius patebit epiſtola, in qua dicitur prædicatio inchoata* fœdere pacto ſub occaſione pacis.

Piligrinus Laurcacenſis epiſcopus converſionem Hungarorum inchoat;

81 *De Piligrino ex catalogo Ms. Archiepiſcoporum Laureacenſium & epiſcoporum Patavienſium ſeu Paſſavienſium hæc recitat Lambecius lib.* 2 *cap.* 8 *pag.* 641: Pilgrinus archiepiſcopus Laureacenſis ſedit Pataviæ annis XXII, electus anno Domini CMLXXI. Iſte fuit vir magnificus, & eccleſiam ſuam ſtrenuè tam in temporalibus quàm in ſpiritualibus gubernavit: ipſam quoque à Boiariis occupatam & deſtructam magno ingenio, & imperatoris auxilio renovavit in melius, & erexit ac liberavit. Huic Papa Benedictus VI pallium miſit ad ſcripta ſua, in quibus ſe à perſonali acceſſu ad ſanctorum Petri & Pauli limina, prout deſideraverat, excuſat propter neophytam Ungarorum gentem & operam prædicationis ad eoſdem, deinde autem infulam ac pallium more ſuorum prædeceſſorum ſibi mitti poſtulat, ſimul & fidei ſuæ ſuccinctam profeſſionem offerens. *Hoc elogium à Schreitweino ſcriptum ſeculo* XV, *ſeu imperante Frederico patre Maximiliani I, ut obſervat Lambecius pag.* 653, *non modò confirmat fidem epiſtolæ Piligrini, ſed ſimul inſinuat cauſam, cur lætiſſima prædicationis initia proſequi apud Hungaros non potuerit, uti infrà probabitur. Nunc ipſam Piligrini epiſtolam exhibeo ex Lambecio, reſecta tamen fidei profeſſione, quæ ad hiſtoriam non pertinet.*

D

ac in litteris ad Benedictum Papam exponit,

82 Ordinis ac nominis cariſmate prærogato ſanctæ Romanæ Sedis univerſalis Pontifici Benedicto Piligrinus ſanctæ Lauriacenſis eccleſiæ humilis ſervitor fidelitatem precum devotumque ſervitium. Notum fieri dignetur vobis, ſumme ſacerdotum Præſul, quòd ſupra omne animi mei deſiderium nunc delectarer, & Apoſtolorum viſitare limina, veſtraque optabili perfrui præſentia, & ea facie ad faciem, quæ literis & internunciorum committo indiciis, ſanctiſſimæ Paternitati veſtræ coram ratiocinari, niſi quòd à neophyta Ungrorum gente huc ire prohibeor, apud quam, fœdere pacto, ſub occaſione pacis fiduciam ſumpſimus operam exercere prædicationis. Cujus enim terror gentis ex longo tempore etiam aliarum provinciarum prædicatoribus meæ diœceſis hactenus aditum clauſit, ad quas nihilominus præſentis opportunitas temporis ire me vocavit. Quibus Deus Omnipotens, qui ſolita ſua pietate ſemper diſperſa congregat, aperire dignatus eſt januam cordis ſui, diu clauſam, ut diſciſſo velamine duritiæ ſuæ, depoſitaque ferina crudelitate, leni jugo Domini colla ſubmittant.

E

quantùm jam per ſuos profecerit, quantaque ſpes affulgeat,

83 A qua ergo præfata Ungrorum gente multis precibus ipſe invitabar venire, aut miſſos meos in opus Euangelii illuc dirigere. Ad hos dum tranſmitterem ſatis idoneos viros ex monachis canoniciſque presbyteros, atque de ſingulis eccleſiaſticis gradibus clericos, & vita & omni converſatione illorum ſic ordinata, quemadmodum in geſtis Anglorum didici, tantum Divina gratia ſuis inſtitutionibus fructum ſtatim miniſtravit, ut ex eiſdem nobilioribus Ungris utriuſque ſexûs Catholica fide imbutos, atque ſacro lavacro ablutos, circiter quinque millia lucrarentur. Chriſtiani autem, quorum major pars populi eſt, qui ex omni parte mundi illuc tracti ſunt captivi, quibus numquam ſoboles ſuas licuit niſi furtivè Domino conſecrare, modò certatim, nullo obſtante timore, offerunt eas baptizare, & gratulantur omnes tamquam de peregrinatione ſua in patriam reducti, quòd Chriſtiano more oratoria audent conſtruere, & licentiâ perceptâ linguam ligatam in laudem Salvatoris præſumunt ſolvere. Ipſi enim barbari, mira Omnipotentis Dei operante clementia, quorum licèt adhuc gentilitate ſint quidam detenti, nullum tamen ex illorum ſubditis vetant baptizari, nec ſacerdotibus invident, quócumque libet proficiſci; ſed ita concordes ſunt pagani cum Chriſtianis,

F

A ſtianis, tantúmque adinvicem habent familiaritatem, ut illic Iſaiæ videatur impleri prophetia: Lupus & agnus paſcentur ſimul, leo & bos comedent paleas. Factum eſt ergo, ut penè cuncta Ungrorum natio ſit prona ad percipiendum fidem ſanctam. Sed & aliæ Sclavorum provinciæ ad credendum promptæ; & eſt ibi meſſis quidem multa, operarii autem pauci.

petens pallium, & ſimul ut ſibi epiſcopatus in Hungaria liceat inſtituere:

84 Unde quoque viſum eſt jam neceſſarium eſſe, quatenus Sanctitas veſtra illic aliquos jubeat ordinari epiſcopos, quia & quondam Romanorum, Gepidarumque tempore proprios ſeptem antiſtites eadem Orientalis Pannonia habuit & Mœſia, meæ ſanctæ Lauriacenſi, cui ego indignus miniſtro, eccleſiæ ſubjectos; quorum etiam quatùor, uſque dum Ungri regnum Bawariorum invaſerunt, ſicut præſenti cognitum eſt ætati, in Moravia manſerunt. Quod nimiùm grave ac valde oneroſum eſt mihi, ut tot Pontificii parochias ſolus prædicando circumeam, quibus neceſſitate & adjutorii inopiâ cogor numquam meam ſubtrahere præſentiam. Ecce, dominorum Amantiſſime, hujuſmodi eccleſiaſticis

B mancipatus officiis detineor, &, ni feciſſem moram ſæpedictæ gentis converſioni, ire & proſterni ad veſtra Sanctiſſima veſtigia non diſtuliſſem. Legatos tamen meos, præſentium ſcilicet portitores, ad veſtram deſtinavi Serenitatem, quos audire dignetur, quæſo clementia veſtra, & eorum meiſque mixtim precibus præbere aſſenſum, quatenus pallium infulamque pontificalem, quod ſpeciale munus honoris ex hac Sede tantùm dirigitur metropolitanis; quod etiam mei prædeceſſores à glorioſis hujus principalis cathedræ Primatibus accipere ſoliti erant; mihi verò hoc ipſum benigno animo per illos dirigere dignetur, pariterque etiam privilegia Apoſtolicæ autoritatis meæ eccleſiæ, per eoſdem miſſos veſtris præſentata ſacris obtutibus, more prædeceſſorum veſtrorum roborari ſupplico & confirmari, ut hac Apoſtolica ſanctione & benedictione munitus, mihi commiſſam populi gubernationem canonicè exequi valeam, & veſtris rationibus in die judicii imputetur, quod in illis finibus ex paganis nova eccleſia Domino lucrata ſit. *Poſt confeſſionem fidei, quam omitto, ſubjungit hæc verba:* Qualiter ergo ex prælibata

C fide idiotas erudire debeam, & ipſe in ſuſcepta novitiorum eccleſia converſari, reſcripto paternitatis veſtræ cautiùs, flagito, ut merear edoceri.

epiſtola Benedicti Papæ,

85 *Reſponſum Benedicti Papæ ad haſce litteras nullum editum eſt, licèt dubium non videatur quin Piligrino reſponderit. Exſtat enim epiſtola ejus ad archiepiſcopos varios Germaniæ ipſumque Ottonem imperatorem & Henricum Bavariæ ducem, occaſione præcedentis data, ex qua intelligi poteſt, ipſum annuiſſe poſtulatis Piligrini. Eam igitur ex Lambecio totam ſubjicio.*

*Roberto Dilectiſſimis nobis in Chriſto filiis, Hrodberto * S. Moguntinæ eccleſiæ, & Dioterico S. Trevirenſis eccleſiæ, atque Adalberto S. Magdaburgenſis eccleſiæ, parique modo Gereoni S. Colonienſis eccleſiæ, atque Friderico S. Juvavenſis eccleſiæ, ſed & Adaldago S. Bremenſis eccleſiæ archiepiſcopis, pariterque domino noſtro Ottoni glorioſiſſimo imperatori auguſto atque nepoti ſuo Heinrico præcellentiſſimo duci Bawariorum, cæteriſque omnibus epiſcopis & abbatibus, ducibus atque comitibus Galliæ atque Germaniæ, Benedictus Divinâ gratiâ præditus Apoſtolicæ Sedis Pontifex, ſervus autem ſervorum Dei, in Domino ſalutem. Oportet juſtis ſupplicantum petitionibus nos ſemper faciles & humiles exhibere, & præcipuè cùm fraternis religioſorum conſacerdotum precibus ſollicitamur; qui paſſim ab omni mundi termino tenorem & regulam, atque proprii officii vigorem ab hac univerſali S. Romana matre Eccleſia ejuſque ſortiuntur Miniſtro, vicario ſcilicet beati Principis apoſtolorum; cujus quamvis indigni, ejuſdem tamen gratiâ & dono poteſtati nos ſucceſſimus & ordini, cui voce Dominica dicitur: Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam. AUCTORE J. S.

qui pallium Piligrino concedit; & eccleſiæ ejus archiepiſcopalem dignitatem reſtituit,

86 Quapropter dignum æſtimavimus, aſſenſum præbere congruis poſtulationibus reverendiſſimi archiepiſcopi Piligrini, quas per probabiles perſonas nobis intimavit, reſponſalium ſuorum, duorum videlicet presbyterorum, quatenus ſibi pallium & metropolitanum honorem cathedræ ſuæ ſanctæ Lauriacenſis eccleſiæ reſtitueremus, confinio Ungarorum adjacenti; quod omnino nos eidem eccleſiæ debere, teſtantur antiquiſſima ſecum adportata privilegiorum teſtimonia, in quibus continebatur, quòd ætate pontificatûs beati Symmachi, hujus almæ Sedis E apoſtolici Præſulis, præfata ſancta Lauriacenſis haberetur eccleſia metropolis: & in quantum tam exinde, quàm etiam de paſſionibus beatorum martyrum, qui illic plures in tempore perſecutionis pro fide Chriſti variis ſunt tormentis mulctati, colligere poſſumus, ex omnibus eccleſiarum diœceſibus Pannoniæ, hæc antiquitate & archiepiſcopii dignitate eſſe primitiva creditur; quæ jam multis retroactis temporibus ex vicinorum frequenti populatione barbarorum deſerta & in ſolitudinem redacta, nullum Chriſtianæ profeſſionis habitatorem meminit, uſque dum invictiſſimus auguſtus & pater patriæ, genitor quippe pii imperatoris noſtri, (quem adhuc ſupereſſe & diu dominari mundus exoptat) bellico trophæo eorum vires retudit.

ac epiſcopatus in Hungaria inſtituendos

87 Nunc autem, quam ob rem vocibus exultantibus in laudem Omnipotentis Dei erumpimus, non ſolùm ſæpedicta ſancta Lauriacenſis eccleſia, hoſtium ceſſante terrore, cum accolis ſuis pace & tranquillitate potitur, verùm etiam ipſi dudum inimici, illum, quem perſecuti ſunt more gentili, jamjam Chriſtum baptizati profitentur, & ſacerdotes modò habere deſiderant, ac prout ſcire rudes poterunt, venerantur; & eccleſias quaſdam in ſua terra, quas patres incendio delerunt, poſteri reſtáurare videntur. Hâc ergò ſuadente ratione, quòd prænominati ſanctæ Lauriacenſis eccleſiæ archiepiſcopi poſtulatio antiqua Apoſtolica autoritate commendatur, & præterea, quòd, cùm juſtum eſſet pariterque utile etiam viſum eſt, ut ad fructificandas Deo gentes ex novitiis cultoribus fidei Ungrorum atque Maravorum, ſive etiam aliis multis Sclavorum ſuæ parochiæ finitimis, illic ordinatis epiſcopis, ſecundum quod antiquitus diſpoſiti erant, eis hunc conſtitueremus archiepiſcopum. F

inter Saliſburgenſem & Laureacenſem metropolis dividit,

88 Quoniam autem Saltzburgenſis eccleſia metropolis abuſa eſt ſubjectione ſanctæ Lauriacenſis eccleſiæ pontificii, obliterata & attenuata ſua dignitate ex devaſtatione barbarorum, quam propterea perceptis Apoſtolicis privilegiis nequaquam patimur privari, cùm & priora ſint Saltzburgenſibus, & ideo auctoritativa, quæ conditio teſtimonii etiam apud ſecularia judicia viget & prævalet; nos verò in hujuſmodi conſtitutione omnem calumniam atque contentionis occa-

AUCTORE J. S. sionem, Domino adjuvante, facilè propulsamus, parochiis ab invicem certis limitibus sequestratis, & tamen Apostolicis sanctionibus ubique stabilitis, quas nostrum est semper defendere, & secundum Euangelicam sententiam nihil ex eis solvere, sed adimplere. Unde ergo autoritate & potestate beati Petri principis apostolorum atque exemplo Pontificum scilicet Prædecessorum nostrorum, eamdem sanctam Lauriacensem ecclesiam, ejusque rectores jam archiepiscopos à modo perpetim ab omni Saltzburgensis ecclesiæ, ejusque præsulum subjectione ac ditione absolvimus, & honore metropolitano sublimamus; & sicut modernis temporibus sanctæ memoriæ Agapitus Papa terminos earumdem parochiarum ab invicem distinxit, sic & ipsi diffinimus, ita quoque ut sancta Saltzburgensis ecclesia superioris Pannoniæ episcopos habeat suffraganeos, quibus usque huc sui Pontifices præesse videbantur cum tanta talique diœcesi, quali hactenus in inferiori usi sunt Pannonia: sancta autem Lauriacensis ecclesia in inferioris Pannoniæ atque Mœsiæ regiones, quarum Provinciæ sunt Avaria atque Maravia, in quibus septem episcoporum parochiæ antiquis temporibus continebantur, suique antistites archiepiscopalem deinceps potestatem cum tanta talique diœcesi, quali hactenus in superiori usi sunt Pannonia. B

utrique limitibus suis assignatis.

89 Quibus utique in præceptis insuper injungimus, ut juxta beati Gregorii Papæ decretum Anglorum archiepiscopis directum, alter illorum, qui prior sit in ordinatione, ipse etiam, quoad vivat, prioratum teneat & in ordine. Penitus enim determinatis utriusque ecclesiæ diœcesibus, omnique excluſa altercandi occasione, canonica sub districtione interdicimus, ut neuter earumdem ecclesiarum archiepiscopus invadere alterius parochiam præsumat, vel quibuscumque jurgiis aut disceptationibus super diffinitis à nobis modò rebus alter alterum sollicitare audeat. His igitur fedatis, venerabilem confratrem nostrum Piligrinum archiepiscopum, canonicis literis munitum, sedi sanctæ Lauriacensis ecclesiæ inthronizavimus, palliumque ei secundum antiquum ejusdem ecclesiæ suæ usum direximus, atque in provinciis Avariæ & Maraviæ regionumque inferioris Pannoniæ sive Mœsiæ, & in contiguis sibi Sclavorum nationibus circumquaque manentium, nostram apostolicam autoritatem & vicem exercere committimus atque delegamus, quatenus illic more antecessorum suorum, sanctæ Lauriacensis ecclesiæ archiepiscoporum, habeat potestatem presbyteros atque episcopos ordinare atque constituere, & ex prædictis gentibus sua sancta prædicatione parare Domino plebem perfectam. *Hactenus Benedictus Papa.* C

Dubitatur an sit Benedicti VI, an Benedicti VII epistola,

90 *Verùm cùm neutri epistolæ annus legatur adjectus, nonnulla hîc mihi oritur dubitatio, utrùm Pontifex ille fuerit Benedictus VI, an Benedictus VII: nam utrique convixit Piligrinus. Fateor eruditos passim in eam conspirasse sententiam, ut crediderint Benedictum esse septimum, cui inscripta est Piligrini epistola, quique ad eamdem rescripsit. Verùm non video hanc opinionem esse certam; cùm Piligrinus anno* 973 *scribere potuerit ad Benedictum VI, qui sedit usque ad mensem aliquem incertum anni* 974, *ab eoque rescribi potuerit sub finem ejusdem anni* 973, *vel initium sequentis. Obstare quidem videtur epistola ejusdem Benedicti VI (apud Labbeum tom. 9 Conciliorum col.* 711) *quâ Friderico Salisburgensi* in tota Norica provincia & in tota Pannonia *vices suas sic concedit, ut excludat Laureacensem à dignitate archiepiscopali: at potuit idem Pontifex mutare sententiam, ubi edoctus erat privilegia ecclesiæ Laureacensis. Potuit Piligrinus ipse dictis Benedicti litteris, ubi eas communicaverat Salisburgensis, acriùs excitari, ut exhibitione privilegiorum suorum apud Pontificem studeret amissam ecclesiæ suæ dignitatem recuperare. Non video igitur, cur pallium impetrare non potuerit à Benedicto VI, cùm nulla alia obstet ratio, & in elogio recitato num.* 81 *pallium à Benedicto VI obtinuisse dicatur. Quin & tempus magis favet Benedicto VI, quàm Benedicto VII: nam prædicatio cœpta videtur apud Hungaros anno* 971 *vel* 972, *& epistola Piligrini non nisi uno alterove anno post cœptam ibidem prædicationem videtur scripta. Demum epistola Benedicti Pontificis, quam mox recitavimus, vix differri potest usque ad Pontificatum Benedicti VII; contra verò nihil in ea legitur, quod non congruat Benedicto VI.* D

& variæ rationes E

91 *Rationes colligo ex laudato sæpiùs Hansizio nostro, qui pag.* 215 *probat evidenter, epistolam Piligrini non potuisse scribi seriùs, quàm sub finem anni* 974; *litteras verò Benedicti non post initium anni* 975. *Evincitur id ex personis, ad quas data est epistola Pontificia: nam inter has numerantur Robertus antistes Moguntinus, Gero vel Gereon Colonienſis, & Henricus Bavariæ dux cum Ottone II imperatore. At Robertus, seu Hrodbertus, Moguntinus mortuus est anno* 975, Uti certissimum est, *inquit Hansizius*, ex Ditmaro, Chronographo Saxone, Necrologio Fuldensi, Annalista Hildeshemensi. Dies obitus ponitur ad Idus Januarii, id est XIII Januarii, uti liquet ex Necrologio Moguntino, Hildesiensi & Fuldensi. *Idem annus & dies emortualis statuitur & probatur in Gallia Christianæ recusa tom.* 5 *col.* 456. *Cùm res certa appareat, subjungam solùm verba Necrologii Fuldensis apud Schannat in Codice probationum Historiæ Fuldensis pag.* 475, *ubi sic habetur:* Anno CMLXXV Id. Jan. Ruotbertus archiepis., *subdunturque octo alii defuncti eodem anno. Corrigenda igitur hîc Pagii sententia, qui ad annum Christi* 979 *num.* 9 *mortem Roberti figit anno* 977, *sola contentus auctoritate Trithemii, cujus sanè auctoritas parvi momenti est in rebus chronologicis. De Gerone Colonienſi Mabillonius tom.* 3 *Annalium pag.* 630 *sic scribit:* Coloniæ Agrippinæ Gero archiepiscopus hoc anno (974) decessisse traditur III Kal. Julii. *Si verum id est, decessit medio circitèr anno ante Robertum. Et revera Ditmarus lib.* 3 *obitum Geronis Colonienſis præmittit obitui Roberti Moguntini, eumque eodem die & anno, quo Mabillonius, mortuum refert. Dicit quidem Dionysius Sammarthanus tom.* 3 *Galliæ Christianæ col.* 649 *de Gerone:* Mortuus dicitur anno CMLXXVI, *sed auctorem non nominat; nec ullum adducit monumentum, quo probetur vixisse post dictam Mabillonii epocham. Incertum igitur est, an Gero superfuerit post mensem Junium anni* 974; *imò & parùm verisimile est ob auctoritatem Ditmari.* F

chronologicæ insinuant,

92 *Eodem anno* 974 *gravissimæ exarserunt turbæ inter Ottonem II imperatorem & Henricum Bavariæ ducem, qui quorumdam principum fœdere nixus, regnum Germaniæ sibi vindicare meditabatur, sed captus fuit ab Ottone, ac deinde ipsâ exutus Bavariâ. Bellum illud cœptam feliciter apud Hungaros prædicationem inter-*

A *interrupit, ut videbimus. Initium ejus hîc neceſſariò inveſtigandum, ut inchoatam diſputationem confirmemus. Ottone Magno defuncto Nonis Maii anni* 973, *Otto II, jam antè coronatus, agnitus eſt imperator à pleriſque imperii principibus :* Non perinde hoc tulit Henricus Bojus, qui . . . fœderum fiduciâ regnum arripuit, *uti hæc narrat Hanſizius pag.* 216, *ſic proſequens :* Ei favebat Henricus Carantaniæ dux : . . . præterea Henricus Auguſtenſis epiſcopus is, qui Udalrico erat eodem anno ſuffectus : acceſſerant in fœdus vicini reges, Boleſlaus Bohemiæ, Miſeco, ſeu Miceſlaus Poloniæ, denique Heraldus Danorum. De Hungaris quamquam nulla mentio, tamen ex dicendis patebit, arma ipſos quoque in Oſtericham ſeu Auſtriam brevi intuliſſe contra marchionem & Piligrinum, qui conſtantes in fide Ottonis permanſerant. Denique eò aſſurrexerat Bojorum dux, ut conſiliis minimè diſſimulatis unctionem quoque regiam, adminiſtro Friſingenſi, Ratisbonæ ſuſciperet : quo vulgato, accelerandum Ottoni erat ad opprimendum in favilla incendium. Collecto prin-

B cipum omnium cœtu, viſum eſt, evocandum Henricum ; qui, ut ad arma nondum erat accinctus, ſic obſequio feſtino præſens exitium redemturus, ſtitit ſeſe, ea tum quidem animadverſione punitus, ut captivi in modum attineretur. Ditmarus ſcribit anno CMLXXV medii (*id eſt, ſecundi*) Ottonis ſecundo, Henricum ab Ottone captum & ad Geilheim deductum. Sed Lambertus & Annaliſta Hildeſienſis, & Saxo Chronographus id referunt factum anno priori, & pro GEILHEIM ſcribunt Engilenheim. Certum eſt ex diplomate infrà * memorando, Henricum non eſſe captum ante menſes anni CMLXXIV poſtremos. Nam diploma illud datum eſt XI die Septembris, in eoque Henricus vocatur dilectus nepos, ejuſque precibus ſe illud dediſſe fatetur Otto, quæ verba in rebellem non conveniunt. Itaque conciliari poſſunt ſcriptores dicendo Henricum circa finem anni CMLXXIV evocatum ab Ottone ad conventum, & initio anni ſequentis in cuſtodiam abductum. *Hæc adducere placuit, quia brevem & exactam rei geſtæ relationem continent, & quia hinc colligi poterit, quid obſtiterit cœptæ Hungarorum converſioni.*

* *vide illud ibidem pag.* 217

C 93 *Nunc ex hiſce examinemus, utrùm laudata Benedicti Papæ epiſtola ſeptimi ſit, an ſexti. Scribi ea non potuit, poſtquam Romæ innotuerat mors Roberti Moguntini antiſtitis, aut captivitas Henrici Bavariæ ducis, atque adeo data non eſt poſt menſem Januarium anni* 975. *Imò non potuit ſcribi epiſtola diu poſt medium anni* 974, *ſi vera ſit ſententia Ditmari & Mabillonii de morte Geronis Colonienſis,* III *Kalendas Julias ejuſdem anni affixa. At hanc quidem ſententiam non omnino, ut planè certam affirmo, quia diſſentiunt alii. Verumtamen longè probabiliorem exiſtimo, quàm ſit oppoſita. Præterea ex dictis neceſſariò ſequitur, Benedictum, cujus hæc eſt epiſtola, ante annum* 975 *fuiſſe Pontificem, uti etiam obſervavit Hanſizius pag.* 215 : *nam epiſtola Piligrini præceſſit epiſtolam Pontificis, nec illam Piligrinus ſcribere potuit priuſquam de pontificatu Benedicti eſſet edoctus. Itaque epiſtola eſt Benedicti VI, niſi Benedictus VII fuerit Pontifex aliquot menſibus ante annum* 975. *Hanſizius revera credidit initium Pontificatûs Benedicti VII collocandum eſſe circa menſes poſteriores anni* 974, *quia non dubitabat quin epiſtola eſſet Benedicti VII. Verùm,*

epiſtolam difficulter attribui poſſe Benedicto VII,

etſi omnes neoterici paſſim Benedicto VII epiſtolam attribuant, hactenus à nemine probatum vidi, cur illi potiùs attribuenda ſit, quàm Benedicto VI : nam huic omnes convixerunt, qui in ea nominantur ; eique attributa fuit per ſcriptorem ſeculi XV, *laudatum num.* 81. *Demum multa ſuadent Benedictum VII non fuiſſe Pontificem ante annum* 975 : *omnes enim paſſim ſcriptores cum antiquis catalogis ipſius pontificatum eo anno inchoant : cùmque obierit anno* 984, *die* X *menſis Julii, ut conſtat ex epitaphio apud Baronium ad annum eumdem num.* 1, *duratio pontificatûs, quam novem annis & quinque aut ſex menſibus catalogi antiqui ferè circumſcribunt, teſte Pagio ad annum* 984 *num.* 1, *inſinuat, Pontificatum ipſius inchoandum anno* 975, *menſe Januario aut Februario ; certè ante diem* XXV *Martii, uti oſtendit Pagius in Critica ad annum* 975.

AUCTORE J. S.

94 *Mabillonius tom.* 3 *Annalium pag.* 627 *oſtendit, Benedictum VI adhuc ſediſſe menſe Aprili anni* 974, *cùm eo menſe dederit privilegium Hildeſindo abbati Rodenſis monaſterii. Videri illud poteſt apud Petrum de Marca in Marca Hiſpanica col.* 906 ; *ubi ſcriptum legitur* menſe Aprilio & Indictione ſecunda. *Veriſimile igitur eſt, eumdem Benedictum VI accepiſſe literas Piligrini, pro eoque reſcripſiſſe eodem anno* 974, *cùm omnes in vivis erant, ad quos datæ ſunt Benedicti literæ, cúmque nota non erat Henrici Bavari ambitio. Sic rectè dicitur Piligrinus pallium accepiſſe à Benedicto VI, nec opus eſt improprio ſenſu explicare elogium ejus num.* 81 *datum. Pagius ad annum* 979 *num.* 9 *literas Benedicti malè refert ad annum* 977 *uno ſolùm argumento, quod ſic exponit :* Imò eæ (*literæ*) anno CMLXXVII ſcriptæ ; cùm ibidem referat Lambecius epitomen diplomatis ab Ottone II emiſſi, quo is metropolitanam eccleſiæ Lauriacenſis dignitatem confirmavit litteris, in quibus dicitur : " Datum III Nonas Octob., „ anno Domini CMLXXVII, Indict. VI, anno re„gni Dñ. Ottonis imperatoris auguſti XVII. A„ctum in civitate Ratisbona „. Quod effectus fuit commendationis Benedicti VII, cui detulit Otto II. *Verùm hæc ratiocinatio efficere nequit, ut credamus Benedictum ſcripſiſſe ad defunctos dudum præſules, & ad Henricum tunc exſulem Bavariâ ſuâ, atque hoſtem Ottonis. At veriſimile eſt Fridericum Salisburgenſem archiepiſcopum, cujus provinciæ auferebatur, quidquid accedebat Laureacenſi, pro viribus obſtitiſſe, ne literæ pontificiæ exſecutioni mandarentur, ideoque ; vel etiam ob alias rationes, potuit Otto II confirmationem metropolis Laureacenſis tamdiu differre, eamque tandem dare poſt pacatam Bavariam, prout datam revera fuiſſe conſtat.*

at commodè Benedicto VI, cùi ſcripta videatur anno 974. E

F

§ VIII.

AUCTORE J. S.

§ VIII. Inter primos prædicatores in Hungariam missus S. Wolfgangus : cur hic revocatus sit, & Piligrinus cum suis cœpta abrumpere debuerit.

Inter primos Hungariæ prædicatores S. Wolfgangus,

INter primos Hungariæ apostolos fuit S. Wolfgangus monachus in Suevia & presbyter, qui deinde creatus est Ratisbonensis episcopus. Testatur id scriptor coævus Vitæ ipsius apud Mabillonium seculo 5 Benedictino pag. 817 *hisce verbis :* Reputans jugiter secum, qualiter in salutem aliorum sibi concessum duplicaret talentum; hujus rei gratiâ abbatis sui licentiâ monasterium, & non monachum, deferens, per Alemanniam devenit exul in Noricum, ad cujus Orientalem
B plagam cum humili comitatu pergens, prædicandi gratiâ Pannoniæ petit confinia. Ubi cùm veterum frutices errorum exstirparet, & steriles squallentium cordium agros euangelico ligone proscinderet, frugemque fidei inseminare frustra laboraret, à Piligrino Patavienſe pontifice ab incepto revocatus est opere : dolebat enim idem pontifex tantum colonum in sulcis sterilibus expendere laborem. *Quod ait scriptor de sulcis sterilibus, cum epistola Piligrini non omnino congruit. At etiam non repugnat, quia uberior ille fructus oriri potuit post discessum Wolfgangi. Forsan mera ex conjectura dixit biographus, rediisse Wolfgangum ob solam agri sterilitatem, ita ut malim suspicari, revocatum esse à Piligrino, ut coram virum perspiceret, atque ad episcopatum Ratisbonensem curaret promovendum : nam, ut mox subditur, revocatum omni humanitatis studio suscepit, aliquot diebus secum detinuit, virtuteque viri penitus perspecta, mox consilium inivit curandi, ut promoveretur ad cathedram Ratisbonensem. Quod etiam feliciter perfecit.*

qui in Hungariam profectus est anno 972,

C 96 *Verùm, quidquid sit de fructu prædicationis, magis ad propositum nostrum spectat tempus, quo fuit inchoata. Hansizius noster pag.* 204 *putat, Wolfgangum ad Hungaros profectum esse, priusquam Ottonis I legatione liber in Hungariam impetratus erat accessus, ideoque nullum fuisse prædicationis fructum. At mihi contrarium apparet probabilius. Edidit Mabillonius tom.* 4 *Analectorum pag* 479, *& seculo 5 Actorum pag.* 845 *breves Annales Einsidlenses, in quibus tempus exprimitur his verbis :* CMLXXII Wolfgangus monachus ad Ungaros missus est, qui secundo anno Radesponensis episcopus ordinatus est. *Adduxit hæc verba, quæ clara videntur pro anno* 972 *missioni affigendo, laudatus Hansizius ; at eadem sic exponit :* Ubi annus CMLXXII referendus est ad ordinationem in episcopum, non ad missionem Wolfgangi : nam certum est ex Hermanno Contracto Canisiano Wolfgangum anno CMLXXII creatum esse Ratisbonensem episcopum. *Pagius eamdem opinionem amplexus erat, eamdemque rationem allegavit ad annum* 972 *num.* 7, *non explicans tamen, sed erroris insimulans Annalistam Einsidlensem. At mihi Annalista hic præponderare videtur Hermanno Contracto, præsertim cùm una tantùm editio locum de episcopatu Wolfgangi habeat ; aliæ istis verbis careant. Porrò Pagius anno* 994, *quo defunctus est Wolfgangus, alteram addit rationem ex prædictione eidem facta, quòd episcopus fieret, &* expletis viginti duobus annis, *moreretur. Habetur illa prædictio in Vita Wolfgangi apud Mabillonium pag.* 817, *eaque ipsi obvenit ante peregrinationem ipsius, quæ æquè ipsi prædicitur ac episcopatus. Incertum igitur est, an viginti duo anni inchoandi sint ab episcopatu, an à peregrinatione, ita ut illa prædictio nihil probet : nam in sententia mea, quam satis certam puto, vixit deinde Wolfgangus annos viginti duos.*

& consecratus episcopus Ratisbonensis anno 973 :

97 *Itaque consecratum esse Wolfgangum sub initium anni* 973, *ex eadem Vita evidenter probo. Pag.* 818 *hæc habentur :* Imperator Otto II ... legatos celeriter misit, ut idem famulus Dei *(Wolfgangus)* in locum cathedræ episcopalis eligeretur ; deinde vellet, an nollet, ad Franconofurt, ubi imperator Natalem Domini celebraturus erat, deduceretur. *Hac accepta imperatoris legatione, profectus est Ratisbonam, ibique electus ; deinde Francofurtum venit circa Natalem Domini, ubi commendatus ei est episcopatus. Demum reversus est Ratisbonam, ut possessionem caperet, atque ibidem* post aliquot dies *consecratus est à Friderico archiepiscopo Salisburgensi. Ex hisce, quæ fusiùs ibi narrantur, constat consecratum esse sub initium anni, dum imperator Natalem præcedentem celebraverat Francofurti. Atqui ex Annalista Saxonico, qui à celebratione Natalis orditur annos singulos, clarum est, Natalem illum esse anni* 972, *prout nos annum inchoamus, aut initium anni* 973, *prout ipse annum exorsus est. Nullum ergo apparet dubium, quin Wolfgangus electus sit sub finem anni* 972, *& consecratus sub initium anni* 973. *Hinc existimo eumdem venisse in Hungariam sub initium anni* 972, *ibique aliquot mensibus mansisse, sed non integro anno.*

cœpta prædicatio apud Hungaros anno 971 *vel* 972; *at citò abrupta*

98 *Hæc exactiùs examinanda duxi, ut ex iis initium prædicationis apud Hungaros affigatur anno* 971, *vel* 972. *At fructus uberior, de quo loquitur epistola Piligrini, collectus videtur anno* 973. *Ceterùm missi à Piligrino in Hungariam monachi & clerici, interque eos Wolfgangus, eò tantùm venisse videntur post legationem Ottonis, quæ verisimiliter annecti potest anno* 971 ; *at illorum nomina non innotuerunt, quia citò abrupta est eorumdem prædicatio. Etenim, uti prædicatio apud Hungaros inchoata est,* fœdere pacto, sub occasione pacis *inter Hungaros & Ottonem I, sic haud dubiè abrupta est occasione belli, quod Henricus Bavarus cum fœderatis suis, inter quos erant Hungari, suscitavit contra Ottonem II, eique fideliter adhærentes, inter quos similiter erat Piligrinus Laureacensis præsul. Nam cùm Hungari tuerentur partes Henrici, Piligrinus verò Ottonis ; quotquot missi erant à Piligrino in Hungariam, procul dubio solum vertere coacti sunt, quòd pro hostibus haberentur ab Hungaris. Hi certè patrimonium ecclesiæ Laureacensis, seu Patavienſis, miserè vastarunt Peregrini temporibus, ut constat ex litteris Ottonis III, quas recitat Hansizius pag.* 225.

ob bellum rursus excitatum.

99 *Idem scriptor pag.* 224 *de irruptionibus Hungarorum hæc scribit :* Pacatâ demum Bavariâ, tempus erat oblatum Piligrino repetendi messem in Hungaris euangelicam ; sed iidem hauſtæ nuper institutionis obliti ad ingenium redierant.

A dierant. Nam Geisa rege seu volente seu obniti non audente, fines Orientales invadunt, raptant, incendunt. Ultráque Erlaffam fluvium progressi, populares & colonos, quos Wolfgangus Ratisbonensis episcopus ad Pechlariam, & loca vicina ecclesiæ Ratisponensi vectigalia, nuper deduxerat, creberrimis populationibus infestant; fuitque ea causa Wolfgango, ut munimentum in loco Zwisila, quo major Erlaffa cum minori congreditur, exstrueret, ut tutiores ibi coloni ab infestatione Ungrorum manere possent, ut loquitur Otto in litteris, quibus eidem episcopo dat veniam castellum illud in loco dicto construendi. Datum anno CMLXXIX. Tenuisse tunc videtur Geisa loca Erlaffæ fluvio vicina, atque in his etiam Mellicum arcem in rupe ardua situm, vetus ejus regionis munimentum: secus enim quid ab Hungarorum infestatione erat colonis Wolfgangi metuendum? *Duraruntmultis post hæc annis Hungarorum infestationes, ita ut Piligrino omnis facultas adeundi Hungaros adempta fuisse videatur. Plura de hisce videri possunt apud Hansizium: nam*
B *præcedentia sufficiunt, ut intelligamus, quid prædicationi apud Hungaros obfuerit.*

§ IX. S. Adalbertus Hungarorum conversioni intentus: conversus & baptizatus Geysa, uti & S. Stephanus.

Prima Hungarorum conversio imperfecta, etiam post adventum S. Adalberti,

C *Etiamsi lætissima & uberrima messis Piligrino se statim obtulerit in Hungaria, non multis tamen salutem videtur attulisse ipsius conatus, nisi quatenus aliarum provinciarum prædicatores ejus exemplo excitati sunt ad fidem Hungariæ inferendam. Id certum est, primam illam multorum Hungarorum conversionem tam fuisse imperfectam, ut multis deinde annis non nisi umbra quadam religionis esset in Hungaria, licèt alii prædicatores in locum primorum successissent. Habemus istud ex scriptoribus, de quorum fide dubitare non licet. Duplex apud nos tom.* III *Aprilis edita est Vita S. Adalberti Pragensis episcopi, qui post Piligrinum ad Hungarorum conversionem incubuit. Utraque habet auctorem coævum: at prima nihil habet de prædicatione sancti Adalberti apud Hungaros; secunda verò satis ostendit, eum non tantum ibi fecisse operæ pretium, quantum voluisset. Hæc enim pag.* 192 *dicti tomi, num.* 16 *sic habet:* Non tacendum, quòd juxta positis Ungaris, nunc nuntios suos misit, nunc seipsum obtulit: quibus etiam ab errore suo parùm mutatis umbram Christianitatis impressit. *Idem auctor num.* 22 *magis insinuat, quàm imperfecta fuerit Hungarorum conversio usque ad obitum ferè Geysæ, dum hæc memorat:* Miserat his diebus (*id est, dum in Polonia versabatur ante discessum in Prussiam, seu anno* 996) ad Ungarorum Seniorem * magnum, imò ad uxorem suam, quæ totum regnum viri manu tenuit, & quæ erant viri ipsa regebat, qua duce erat Christianitas cœpta, sed intermiscebatur cum paganismo polluta religio, & cœpit esse deterior barbarismo languidus ac tepidus Christianismus: ad quam tunc per venientes illinc nuntios in hæc verba epistolam misit: Papatem meum, si necessitas & usus postulat, tene: si non, propter Deum ad me mitte eum. Ipsi verò clam chartam alia mente, aliâ sententiâ misit: Si potes, inquit, cum bona licentia, bene: si non, vel fugâ fugiens tenta venire ad eum, qui te desiderio concupiscit, Adalbertum tuum.

AUCTORE J. S.

** i. e.* dominum

101 *Hæc verba abundè docent, idem Adalberto evenisse apud Hungaros, quod evenit apud Bohemos, quos bis terve reliquit, quòd mores barbaros non satis corrigerent. Porrò* Papas, *vel, ut antè in eadem Vita scribitur,* Pappas, *non est nomen proprium, sed alumnum vel discipulum significat. Radla erat istius discipuli nomen, ut ibidem legitur num.* 15, *mansitque ille in Hungaria, discedente Adalberto, qui anno* 997 *martyr in Prussia occubuit. Ditmarus sub initium libri* 8 *præcedentia confirmat. Verba dabo ex Ditmaro nostro Ms., cùm in editis quædam sint mutata:* Hujus (regis Pannonici, *ut præmiserat,* Stephani *nimirum*) pater erat Dewir * nomine, homo crudelis, multos subito furore occidens. Qui cùm Christianus efficeretur, in corroboratione fidei sevit; & antiquum scelus zelo Dei æstuans abluit. Hic Deo vero variisque deorum vanitatibus inserviens, cùm ab antistite suo (*Adalberto, opinor*) ob hoc argueretur, inquit: Divitiæ mihi habundant, & ad hæc agenda libera facultas, & ampla potestas est. Uxor verò ejus Beleknegena *, id est, pulcra domina, dicta, potibus immoderatis deserviebat, & in equo virili more sedebat: quemdam quoque virum iracundiæ furore gladio occidit. *Si verba Ditmari, quæ in editis eumdem habent sensum, conferamus cum allatis ex Vita S. Adalberti, necessariò dicendum est, & Geysam & ipsius conjugem baptizatos quidem fuisse, sed moribus fuisse parùm Christianis, certè initio conversionis, licèt vitam suam deinde magis corrigere potuerint, & felicem sortiri vitæ exitum. Carthuitius in Vita num.* 2 *&* 3, *baptizatum fuisse Geysam dicit; non tamen explicat, à quo baptismum acceperit.*

quòd conversus eorum dux Geysa simul idola coleret,

* *in editis* Dejux

E

* *ibid.* Beleknegini

102 *Joannes Dlugossus seu Longinus, scriptor Polonus seculi* XV, *de gestis Adalberti in Hungaria lib.* 2 *col.* 116 *hæc memorat:* Cum Gaudentio cæterisque religiosis viris Hungariam ingressus, ad ducem Geisam pervenit, in fide Catholica & cæremoniis ejus, quam ipse ante annos aliquot susceperat eum audierat, suis monitis & prædicationibus instructurus. Cùm autem duci Geisæ & consorti ejus Adleidæ adventus fuisset denunciatus, summâ mox lætitiâ conceptâ, ad laudes divinas organa laxarunt: hunc enim virum ad se venisse, qui sibi in visione dudum fuerat præmonstratus, intelligebant. Cum magna itaque veneratione & devotione susceptus, filio ducis Geisæ Confirmationis characterem impendit, & verbum Dei Slavis & Hunnis tam per se quàm fratres suos, per unum & ampliùs annum mellifluo sermone prædicavit, plurimosque Slavorum & Hunnorum, adhuc cultibus idolorum deditos convertens, omnem Hungarorum perambulavit regionem, eos quidem, qui crediderunt, erudiens, & paterna pietate confirmans, idololatras verò ab erroribus reducens & confirmans. Ad cujus etiam exhortationem dux Geisa cum filio suo Stephano, & consorte sua Adleida, plures ecclesias fundant, erigunt & instituunt; & episcopalia illis bona largiuntur. Sed & ibi quoque facta persecutione,

S. Adalbertus tamen ibidem ad ipsorum conversionem laboravit:

F

AUCTORE J. S.

ob manuum violentarum in personam suam invectionem *, non maledicens, nec repugnans, sed benedicens, Pannoniâ discessit. Geisa Pannoniorum dux post hæc infra dies paucos moritur, filium Stephanum relinquens successorem. *Nec Geysæ nec* Stephani *baptismum hic scriptor Adalberto attribuit; sed omnia Adalberti gesta apud Hungaros reducit ad finem ferè vitæ Geysæ, cùm tamen probabilius sit, Adalbertum variis vicibus in Hungaria fuisse; at numquam ad annum integrum ibidem substitisse.*

* *fortè* injectionem

dicitur & S. Bruno Russorum apostolus in Hungaria prædicasse,

103 *Ademarus Chabannensis monachus apud Labbeum tom. 2 Bibliothecæ pag. 168 baptismum Geysæ attribuit S. Brunoni Russorum apostolo, quem vult in Hungariam venisse, imperante Ottone III. Fateor quidem hunc Scriptorem Geysæ supparem fuisse, &* S. Stephano *coævum; at tot errores immiscet iis, quæ ibidem retulit de S. Adalberto & Brunone, ut ei plenam fidem habere non ausim in illis etiam, de quibus non constat, an sint errori obnoxia. Accipe tamen asserta ejus de Brunonis gestis in Hungaria:* Quod exemplum ejus (*S. Adalberti in Poloniam abeuntis*) secutus Brunus episcopus, petiit imperatorem, ut pro eo juberet consecrari in sede sua episcopum.... Quo facto, & ipse humiliter abiit in provinciam Ungriam... Sanctus autem Brunus convertit ad fidem Ungriam provinciam: ... regem Ungriæ baptizavit, qui vocabatur Geitz, & mutato nomine in baptismo Stephanum vocavit, quem Oto imperator in natali protomartyris Stephani à baptismate excepit, & regnum ei liberrimè habere permisit, dans ei licentiam ferre lanceam sanctam ubique, sicut ipsi imperatori mos est, & reliquias ex clavis Domini, & lancea S. Mauritii, ei concessit in propria lancea. Rex quoque suprà dictus Filium suum baptizare jussit: sanctus Bruno imponens ei nomen, sicut sibi Stephanum. Postea verò ipsi filio ejus Stephano Oto imperator sororem Henrici postea imperatoris in conjugio dedit. *Resecui ab hac narratione errores apertos alibi refutatos. Hîc autem refutabo, quæ dicuntur de baptismo Geysæ &* Stephani.

B

at id aliunde verisimile non est:

C

104 *Audi igitur Vitam Brunonis à Ditmaro, qui eum familiariter noverat, conscriptam; editamque apud nos tom. 2 Februarii pag. 798:* A tertio Ottone igitur desideratus suscipitur (*Bruno.*) Quem non longè pòst deferens, solitariam vitam quæsivit, & de opere manuum suarum vivebat. Regnante verò Dei gratiâ secundo Heinrico post mortem gloriosissimi imperatoris, Merseburg veniens (*Bruno*) benedictionem episcopalem cum licentia domini Papæ ab eo petiit, & ejus jussione ab archiepiscopo Thaginone consecrationem, &, quod ipse huc detulit, pallium ibidem suscepit. *Consecratus est Bruno, imperante Henrico, & defuncto Ottone III: non potuit igitur Geysam baptizare jam episcopus, cùm Geysa ante Ottonem obierit; ac ne* Stephanum *quidem; nam & hunc baptizatum videbimus, vivente Ottone. Nec præstitit ea ante episcopatum Bruno, cùm Vitam tunc egerit solitariam. Itaque miror Pagium, qui ad annum* 1008 *prædicta ex Ditmaro rectè admittit, & tamen decem facilè aut duodecim Ademari errores sic adducit, acsi totidem essent veritates. Suspicio esse posset, alium quemdam Brunonem prædicasse in Hungaria, indeque profectos Ademari errores, quòd confuderit duos Brunones. Verùm non invenio sufficiens fundamentum in historicis antiquis, ad substituendum Brunoni martyri synonymum alterum, nisi illum forsan, quem eò legatum diximus ab Ottone Magno; sed Geysa non tam citò baptizatus videtur. Hinc nulli certò attribui potest Geysæ baptismus.*

D

incertum est, à quo baptizatus sit Geysa.

105 *Hansizius pag. 227 de eo sic ratiocinatur:* Quis ille fuerit, qui Geisæ principi baptismum impertiit, nemo satis detexit: Adalbertus enim Pragensis, Geisa jam baptizato, venit. Bruno ille episcopus Ottonis Magni legatus nusquam à quoquam proditur baptismi illius auctor: ac certè Piligrinus in epistola ad Benedictum VII (*aut VI potiùs,*) cùm de nobilioribus Hungaris ad millia quinque salutari lavacro ablutos glorietur, non erat certò silentio pressurus spolium omnium præstantissimum, baptismum regis. Manet igitur in obscuro, quisnam isthoc præstiterit, nisi quòd suspicari liceat, id factum per aliquem Piligrini Patavienſis discipulum, seriùs tamen quàm litteræ sint ad Benedictum scriptæ. *Verisimilis est hæc conjectura, tum quia Carthusius baptismum Geysæ narrat ante adventum Adalberti in Hungariam, tum quia nullibi asserit Geysam ab Adalberto baptizatum, (licèt Pagius ad annum 997 perperam affirmet Carthusium id habere) ac demum quia scriptores Vitæ S. Adalberti, cui gloriam baptizati Geysæ non invidissent, de eo baptismo nihil memorarunt. Porrò baptizatum esse Geysam diu ante mortem, sed non satis fuisse instructum, colligitur ex Ditmari & Vitæ Adalberti verbis, quibus dicitur idola simul coluisse cum vero Deo; & tamen acriter pro fidei corroboratione pugnasse. Primum contigisse suspicor, quòd primi prædicatores, à quibus baptizari potuit circa annum* 974 *aut* 975, *paulo pòst coacti fuerint Hungariâ excedere, quódque Adalbertus cum suis hominem naturâ iracundum ab inveterata consuetudine tam citò avellere non potuerit quàm voluisset. Credibile tamen est, sub finem vitæ resipuisse, & tunc demum sollicitum fuisse de idololatria destruenda: quod filius ejus* S. Stephanus *efficaciter perfecit.*

E

§ X. Utrùm rejiciendæ sint visiones, quæ parentibus S. Stephani oblatæ dicuntur?

F

Visiones, quæ oblatæ dicuntur parentibus S. Stephani,

Si vera sit visio, quam narrat Carthusius num. 3, *contigerit illa inter baptismum Geysæ & primum S. Adalberti ad ipsum adventum; quibus decennium facilè intercurrere potuit: nam S. Adalbertus creatus est Pragensis episcopus anno* 983, *ita ut non videatur in Hungariam excurrisse ante annum* 984, *aut* 985. *Alterutro anno illuc venire potuit, antequam nasceretur* S. Stephanus, *de cujus anno natali non constat. Accipe visionem ipsam, ut exactiùs examinemus, an hæc tam sit absona, quàm voluit nuperus scriptor heterodoxus:* Cúmque nimiùm, *inquit*, esset sollicitus (*Geysa*) de rebellibus domandis, & ritibus sacrilegis destruendis, & episcopatibus secundum æstimationem suam ad profectum ecclesiæ sanctæ statuendis, mirabili visione nocte consolatus est eum Dominus. Fecit astare sibi juvenem delectabilem aspectu, qui dixit ei: Pax tibi Christi electe, jubeo te de sollici-

A sollicitudine tua fore securum. Non tibi concessum est, quod meditaris, quia manus pollutas humano sanguine gestas. De te Filius nascturus egredietur, cui hæc omnia disponenda divinæ providentiæ consilio commendabit Dominus. Hic erit unus ex regibus electis à Domino, coronâ vitæ sæcularis commutaturus æternam. Verumtamen virum spirituali legatione tibi transmittendum honorificabiliter suscipito, susceptum venerabiliter habeto, exhortationibus ejus non fictum cordis fidelis assensum præbeto. *Alteram quoque visionem matri* S. Stephani *oblatam num. 4 exponit hisce verbis:* Uxorem ejus (*Geysæ*,) jam appropinquantem partui, tali voluit visione divina gratia consolari. Apparuit namque illi beatus levita & protomartyr Stephanus, levitici habitûs ornatus insignibus, qui eam alloqui taliter cœpit: Confide in Domino, mulier, & certa esto, quia Filium paries, cui primò in hac gente corona debetur & regnum, meumque nomen illi reponas. Cui cùm admirans mulier responderet: Quis es, domine, vel quo nomine nuncuparis? Ego sum, inquit, Stephanus protomar-
B tyr, qui primus pro Christi nomine martyrium pertuli. Quo dicto, disparuit.

& quarum prima, non rectè narrata à Bonfinio, exponitur,

107 *Hasce visiones ex Carthuitio passim narrarunt scriptores Catholici sine scrupulo. Bonfinius verò decade 2 lib. 1 priorem utcumque deformavit, dum eam sic narravit, acsi Geysæ prohibitum fuisset orthodoxæ fidei fundamenta jacere, & ecclesias construere; namque id adeo ipsi non prohibetur, ut etiam jubeatur audire venturum Dei legatum, nimirum S. Adalbertum, ejusque jussis parere. At dubium non erat, quin S. Adalbertus hortaretur ad jacienda fidei fundamenta, ecclesiasque in regno construendas. Magis ergo jubebat Dei interpres illa facere, quàm prohibebat; sed simul prædicit perficienda esse per* S. Stephanum, *quæ inchoanda erant per Geysam. Sensus visionis hic est. Dum Geysa, considerabat ingentes difficultates, quas experiretur in domandis gentilibus, qui se fidei Christianæ opponerent; atque in destruendis ritibus idololatricis, piisque stabiliendis, quod ecclesiarum & episcopatuum erectione fieri debebat; dumque hac cura tam erat sollicitus, ut nimio*
C *difficultatum timore ad desperationem quamdam potuisset deduci, atque à fide averti, misericordia divina nimiam illam formidinem depellere voluit, virumque trepidantem docere, non omittenda esse bene cœpta, etiamsi ea non statim possent ad perfectionem perduci. Hinc verba juvenis pulcherrimi, qui verisimiliter angelus erat, sic explicanda sunt. Pax tibi, nolo te nimiùm angi, quia vides omnia à te perfici non posse, quæ pro stabilienda fide Christiana sunt necessaria. Verum quidem est: non tantam tibi gratiam præstabit Dominus, quem sæpe injusta humani sanguinis effusione offendisti, ut omnia illa, quæ ad stabiliendam fidem necessaria credis, quæque perfecta velles, sed aggredi vix audes; tu ipse perfecturus sis. Hanc gratiam Filio de te nascituro reservabit Deus. Verumtamen tu ea agere incipe, quæ tibi præcipiet Dei legatus, brevi venturus; id unum interim à te requirit Dominus. Quid in visione sic exposita, prout naturaliter exponi debet, absoni sit aut absurdi, ego sanè non video. Nihil etiam absoni habet sequens visio, quæ ne quidem ulla eget explicatione.*

108 *At sæpè jam memoratus Schwartzius pag.* XI *& seqq. occasione harum visionum, quas*

fabulis annumerandas contendit, multos lacessit scriptores Catholicos, qui illas ex Carthuitio narrarant. Audiamus virum fabularum inimicum: Illustriora, *inquit*, singula reddituri, fabulas protulerunt, pugnantibus & malè inter se cohærentibus factis exornatas: quæ, cùm ipsæ se refellant, suis eas sæculis lubenter relinqueremus. Sed, cùm magnos nostro etiam ævo patronos invenerint, eas pro instituti ratione expendemus. *Fatetur visiones istas hoc etiam sæculo critico à viris magnis defendi, & rectè quidem: nam illi ipsi etiam, qui crisim justâ severiorem non rarò exercent, hasce visiones narrarunt sine ulla ambiguitate. Videri inter alios possunt Adrianus Baillet ad 2 Septembris in* S. Stephano, *& Claudius Fleury in Historia ecclesiastica lib. 58 num. 7. Deinde Schwartzius adducit locum Bonfinii, à quo relationem Carthuitii corruptam jam dixi: atque ex loco Bonfinii, jam antè refutato per Samuelem Timon, Carthuitium, Baroniumque & Inchoferum, qui Carthuitii verba dederunt, irridet vir acutus: quin & Timonem carpit, quòd non æquè Inchoferum refutaverit, quàm Bonfinium. Omnia hæc immeritò, cùm Baronius* E *& Inchofer Carthuitium rectè scribentem secuti sint; Bonfinius verò nimia libertate rei gestæ relationem corruperit, ideoque solus esset improbandus. Accipe, lector, verba hominis heterodoxi, ut discas quàm ille petulanter insultet Catholicis, etiamsi nullum habeat fundamentum, nisi errore nixum, ut mox videbimus.*

AUCTORE J. S. *pro fabulis habentur à Schwartzio,*

qui prioris occasione scriptores Catholicos maledica dicacitate carpit,

109 Quin imò, *inquit*, liceat hinc nihil admirari quidquam, sed certo judicio statuere, hæc tam insulsè commenta, quæ tam Bonfinius quàm Inchofer, Baronius, aliique plures, ex Legenda S. Stephani deprompserunt, non cœlestis alicujus oraculi descriptionem, quo anxius Geysæ animus revera erectus sit, sed futilis cujusdam fraterculi, in cellula sua superstitiosè negotiosi, abortum esse. Quòd enim divinarum litterarum exemplum imitari voluit, studia illud hominis, quòd tam infelici minerva expressit, ingenii ejus ineptiam id abundè testatur. Quod visum, non à Bonfinio demum novè his verbis elucubratum, sed, ut diximus, ex Legenda S. Stephani esse desumtum, si perspicacissimi Timonis aciem non effugisset, non tam facilè animum induxisset, opinor, ut Chartuitium, Legendæ auctorem, HISTORICUM vocaret LUCULENTUM, dicendum verius LUTULENTUM. At at! hauserat ex Chartuitii turbidis lacunis Cardinalis Cæsar Baronius in Annalium suorum voluminoso opere totam conversionis Hungarorum historiam, fabulis quoque, quas Timon ridiculè atque impiè fictas proscribit, ad verbum insertis, & tamquam pretiosis vulgi cultûs tabulis in sanctuario Romano suspensis. Quid quod non minore auctorem legendarium elogio Baronius ornarit: " Aliunde, inquit, petamus, nem- F
„ pe à Cartuitio episcopo ad Colomannum re-
„ gem, qui cunabula Hungaricæ ecclesiæ stylo
„ fidelissimo prosecutus „ &c. Quare meliora videns ac probans, Timon dubia, quæ sensit, Bonfinio potiùs, cui Matthæus Raderus Societatis Jesu profani & pagani scriptoris notam pridem inussit, quàm germanis fabularum institoribus opponere voluit.

& multa temerè effutit, licèt nullum habeat fundamentum,

110 *Quàm multa in hisce peccet maledicus scriptor, cujus vix ulla pagella erroribus aut ineptis ratiociniis caret, adverte, lector. Primò falsò asserit eadem scribi hac de re à Bonfinio, Carthuitio, Baronio & Inchofero: nam Bonfi-*

AUCTORE J. S.

nius, nimia ſubinde libertate factorum circumſtantias deſcribens, hoc etiam factum ita ſuis verbis narravit multúmque mutavit. Baronius verò & Inchoferus Carthuitii verba dederunt, ſicut ea ediderat Surius. Hinc 2° *malè carpit Timonem, quòd Bonfinium refutet, non Inchoferum aut Baronium.* 3° *mala fide lectoribus ſuis imponit, dum ſola dat verba Bonfinii, & quidem ſic mutilata, ut peiora appareant, quàm revera ſint; ut alii eadem habere credantur.* 4° *dicacitatem ſcriptoris omnia verba indicant, atque acerbitatem contra Romana ſacra & ſcriptores Catholicos.* 5° *demum nimiam ſanè confidentiam oſtendit, dum* certo judicio ſtatuere *prætendit, hæc eſſe commentitia, etiamſi antea dixiſſet,* magnos noſtro etiam ævo patronos *eſſe prædictæ viſionis. Reſtat, ut videamus, qua ratione probet Schwartzius, viſionem prædictam* futilis cujuſdam fraterculi abortum eſſe. *Attulerat verba Timonis, improbantis dicta Bonfinii, quæ Carthuitius non habet. Deinde eumdem ſcriptorem citat, qui negat Geyſam, quem pacis ſtudioſiſſimum fuiſſe affirmat,* patratorem cædium, & quacumque demum ratione ſanguinarium fuiſſe. *Hoc autem argumentum ſic proſequitur:* Præter illud autem, quòd de Geyſa, pacis & quietis ſtudioſiſſimo, obſervavit, id ampliùs notamus, filium potiùs Stephanum, vel iſtis illis fictoribus non diſſimulantibus, bellis gravibus per totam propemodum ætatem fuiſſe implicitum: quæ certè ſine ſanguinis humani effuſione non geſſit. *Habes hic, lector, præclarum iſtud viri humaniſſimi argumentum, quo Inchoferum, Baronium, & vel maximè* lutulentum *Carthuitium* fictoribus *annumerat. Excutiamus igitur fundamentum.*

niſi craſſo errore nixum:

111 *Bella geſſit* S. Stephanus *æquè ac pater ejus Geyſa; id enimverò non negamus. Bella illa non ſunt geſta ſine ſanguinis effuſione; id etiam verè dicitur. Verùm, quid inde concludit Schwartzius? Vel nihil concludere potuit, vel ſic ratiocinari debuit:* Ergo vel Geyſa non geſtavit manus humano ſanguine pollutas, vel etiam geſtavit S. Stephanus. *Juſta ſanè hæc eſſet deductio, ſi omnis effuſio ſanguinis manus æquè polluereт, ſi nihil eſſet diſtinguendum inter juſtam & injuſtam ſanguinis effuſionem. Nihil hîc Schwartzius videtur diſtinxiſſe. Attamen id maximè neceſſarium erat, ut rectè ratiocinaretur. Nam* Stephanus *ſanguinem humanum fudit, ſicuti omnes principes etiam ſanctiſſimi, dum juſto bello ſe defendunt, aut ſceleratos puniunt: at hac effuſione ſanguinis manus principum non polluuntur. Geyſa verò injuſtis cædibus manus ſuas habuit pollutas, idque nullus rectè negaverit, cùm hujuſce rei teſtem habeamus coævum, & omni exceptione majorem. Quid, obſecro, ſignificant verba Ditmari num.* 101 *adducta?* Hujus (*Stephani*) pater erat, Dewir * nomine, homo crudelis, multos ſubito furore occidens. *Negabitne Schwartzius, hominem crudelem, qui multos occidebat ſubito furore, manus aliquando habuiſſe ſanguine pollutas? Negabitne ſanguinem injuſtè effuſum fuiſſe ab eo, de quo mox ſubditur:* Qui cùm Chriſtianus efficeretur, ... antiquum ſcelus zelo Dei eſtuans abluit? *Si* antiquum ſcelus abluit, *ſcelus antea contraxerat injuſta ſuorum cæde. Audiamus nunc etiam, quid de* Stephani *moribus præmittat idem Ditmarus:* Nunquam audivi quemquam victis tantùm parcere, & ideo in civitate prædicta, ſicut in multis ſedulò, Deus ei conceſſit victoriam. *De facto, cujus occaſione hæc dicuntur, cùm obſcurum ſit & certo tempori nequeat alligari, breviter agemus in annotatis ad caput ſecundum Vitæ lit.* m. *Crudelitas Geyſæ etiam agnoſcitur à Carthuitio num.* 2, *cujus in ſcribendo fides ex ingenua illa agnitione oſtenditur. Itaque nihil in Geyſæ viſione, prout relata eſt à Carthuitio, hactenus inventum eſt, quod cenſuram mereatur, aut fidem Carthuitii faciat ſuſpectam; dignuſque eſt Schwartzius elogiis illis, quibus ſcriptores Catholicos petulanter impetit.*

** al.* Dejux

idem ſecundam viſionem inepto ratiocinio impugnat:

112 *Secundam viſionem idem ſcriptor nihilo rectiùs impugnat his verbis:* Ejuſdem notæ eſt aliud portentum, dum Stephanus levita, & primus Jeſu Chriſti martyr, internuncii munere defunctus, habitu levitico Saroltæ, uxori Geyſæ, in ſomniis oblatus dicitur, nativitatem filii Stephani annuntiaturus. Quis ſcriptor probus docuit protomartyrem Stephanum fuiſſe levitam? Demus autem legendarium noſtrum munus, quod geſſit, ſignificare voluiſſe dumtaxat: habitu levitico cur illum apparuiſſe ſcribit, niſi quòd in cucullo ſingulare quoddam ſanctitatis decus ineſſe exiſtimavit? Nam protomartyrem Stephanum, primoſque Euangelii Chriſti præcones quoſcumque certo veſtimentorum genere à reliquo populo fuiſſe diſtinctos, non conſtat. *Ita ille. At verò diaconos vocari* levitas *multis ſeculis ante* S. Stephanum, *nullus ignorat eruditus. Docuerunt igitur ſacræ Litteræ S. Stephanum levitam fuiſſe eo ſenſu, quo levitam vocavit Carthuitius. Neque hic ſcripſit alia de cauſa, eum levitico ſeu diaconi habitu apparuiſſe, quàm quòd revera eum ſic apparuiſſe crediderit: non enim credemus mentitum fuiſſe Carthuitium, quia Schwartzius de ipſius intentione perperam judicat. An verò primi præcones Euangelii ab aliis hominibus veſtitu fuerint diſtincti, hîc non inquiro; neque illud huc ſpectat: quippe non debuit S. Stephanus apparere eo habitu, quo indutus erat, dum vivebat in terris; ſed potuit ſe accommodare tempori, quo apparebat.*

teſtimonia Bonifacii VIII & Andreæ Hungarorum regis de viſionibus

113 *Utriuſque viſionis meminit Andreas Hungariæ rex in litteris ſuis ad Jacobum Cardinalem Præneſtinum Apoſtolicæ Sedis legatum, quas recitat Odoricus Raynaldus ad annum* 1233 *num.* 51 *his verbis:* Sed etiam parentibus ejus (*S. Stephani*) fuerat divinitus revelatum, quòd ei in gente noſtra corona debebatur & regnum. *Conſentit Bonifacius VIII apud eumdem ſcriptorem ad annum* 1301 *num.* 8, *ubi ſic habet:* Fuerat quidem divinitus revelatum, quòd ei (*Stephano*) primùm in gente Ungarica corona debebatur & regnum, ſicut hæc pleniùs documenta, quæ ſervantur in archiviis memoratæ eccleſiæ Romanæ teſtantur, & ad ipſius archiepiſcopi potuerunt notitiam perveniſſe. *Utrumque hoc teſtimonium protulerat Timon, quem Schwartzius, ut ſibi faventem, mirè laudat, eo quòd refutaſſet corruptam relationem Bonfinii. Audi nunc, lector, reſponſum hominis heterodoxi, & mirare impudentiam:* Mitto autem aliud regerere, *inquit,* quàm quòd & recentius teſtimonium illud ſit (*Bonifacii VIII,*) & in cauſa propria editum, parùm valiturum apud eos, qui errare non minùs Pontificium, quàm humanum eſſe, firmiſſimè perſuaſum habent. Scrupulum & hoc mihi movet non levem, provocare Bonifacium ad documenta, quæ in archivis Eccleſiæ Romanæ conſervantur. Nam licèt aliud atque aliud ex Vaticano monumentum, ad jus, quod in Hungariam Pontifices ſibi olim

A olim arrogarunt, ſtabiliendum, erutum hactenus ſit, in nullo tamen divinæ alicujus revelationis teſtimonium invenitur. *Addit ſilentium Baronii, qui Carthuitii teſtimonio contentus, alia non attulit.*

impudenter rejecta à Schwartzio.

114 *Enimvero exiſtimaveram hactenus, fidem non abrogandam viro honeſto, ubi affirmat ſe aliqua monumenta vidiſſe, niſi oſtendi poſſit, facilè eum falli potuiſſe, aut clara ſint impoſturæ indicia. Verùm alia eſt Schwartzii criſis. Ipſe enim Bonifacium VIII aperti mendacii ſuſpectum facere conatur, neque credit ejuſmodi monumenta ſervari in archivo Vaticano, qualia Bonifacius ibidem haberi aſſerit. At ego non modò inauditæ arrogantiæ, ſed & ſtolidæ temeritatis reum facio Schwartzium, ac ſimul convinco. Adducit eodem loco teſtimonium Andreæ regis Hungariæ, quod ex Vaticano protulit Raynaldus, quódque longe antiquius eſt Bonifacio VIII, & tamen perſuadere conatur, nihil ſimile in archivo Vaticano invenire potuiſſe Bonifacium. Quis igitur non perſpiciat, ne curam quidem fuiſſe homini, ut cautè calumniaretur?*

B *Quod ad teſtimonium Andreæ regis reſpondit, nihilo melius eſt: ſed jam ſatis hanc diſputationem protraximus. Veniam dabit æquus lector, ſi juſto prolixior eſſe videor in refutandis viri heterodoxi objectionibus: nam id neceſſarium judico ad ſtabilienda Sancti geſta, vindicandamque biographi auctoritatem.*

§ XI. Baptiſmus Sancto per S. Adalbertum probabiliùs collatus: tempus collati baptiſmi, uti & annus natalis inquiritur.

Licèt baptiſmus S. Stephani non ab omnibus attribuatur S. Adalberto, ſcriptores tamen

C *Carthuitius num.* 3 *refert, natum eſſe* S. Stephanum, *dum in Hungaria degebat S. Adalbertus, à quo infans eſt baptizatus. Habemus hîc conſentientem Schwartzium, qui pag.* 6 *&* 7 *ſic ſcribit:* Eum (S. Stephanum) à S. Adalberto, epiſcopo poſt illa Pragenſi, aqua luſtrali tinctum, præter ſcriptores Hungaricos, Poloni, Bohemi, aliique magno conſenſu perhibent; quorum conſtans ab omni ævo teſtimonium uno halitu difflare, iniquiſſimum foret. *Hic quidem omnium ab omni ævo conſenſus non parùm exaggeratus eſt. Certè ſcriptores illi non aſſeruerunt, baptizatum eſſe Sanctum ante epiſcopatum Adalberti, quod veriſimile non eſt, ut videbimus. Verumtamen ſufficientia adferemus teſtimonia, ut baptiſmum S. Adalberto probabiliùs vindicare, & aliorum opinionem refutare poſſimus: nam neque hic deerit adverſarius. Annaliſta Saxo, qui editus eſt ab Eccardo in Corpore hiſtorico medii ævi, tom.* 1 *col.* 469 *de* S. Stephano *ad annum* 1038 *ſic habet:* Stephanus religioſus Ungariorum rex obiit, qui cum omni gente ſua ad fidem Chriſti converſus fuerat: hunc S. Adalbertus epiſcopus & martyr baptizavit; & uxor ipſius Giſla nomine, Heinrici imperatoris Babenbergenſis ſoror fuit. *Hæc omnia quæ de anno obitûs, de converſione & de uxore refert, exactè & verè ſunt relata: quo fit, ut ſcriptor ille majorem etiam fidem mereatur de baptiſmi collatore. Floruit ille ſcriptor ante medium ſeculi* XII, *putatque Eccardus in præfatione, fuiſſe Eggehardum abbatem Uragienſem in Hercynia ſilva.*

AUCTORE J. S.

varii, etiam antiqui, illum S. Adalberto adſcribunt.

116 *In Chronico Verdenſi apud Leibnitium tom.* 2 *Scriptorum Brunſwicenſia illuſtrantium col.* 215 *ſic legitur:* Hiis temporibus S. Adelbertus Pragenſis epiſcopus Stephanum regem Ungharorum cum multis baptizavit, qui pontifex poſtea martyrio coronatur, cùm verbum Dei in Prucia prædicaret. *Ricobaldus Ferrarienſis apud Muratorium tom.* 9 *Scriptorum Italiæ col.* 241 *aſſentitur his verbis:* Idem rex Stephanus virtutibus fuit inſignis, qui baptizatus fuit à beato Adalberto epiſcopo Poloniæ natione Bohemo. *Hiſce addamus pleroſque ſcriptores Hungaros, Bohemos & Polonos, quorum nomina non recenſeo, quia ætas non magnam ipſis conciliat auctoritatem. Quin lubens faſſeor, factum hoc non tam firmis niti fundamentis, ut ſatis certum crederem, ſi Carthuitius & Annaliſta Saxo illud non affirmarent. Verùm cùm duo hi ſcriptores minùs remoti ſint ab ætate* S. Stephani, *quàm ut fidem ipſis abrogare debeamus ſine juſta ratione, cúmque & poſteriores plurimos ſibi conſentientes habeant, & neminem alicujus ponderis diſſentientem (nam, qui ſolus ex antiquis opponitur, Ademarus Chabannenſis tot errores accumulat, ut vix ullam mereatur fidem in hiſce rebus Hungaricis;) baptiſmus* S. Stephani *probabiliùs attribuendus eſt S. Adalberto, nec ulli alteri æquè probabiliter attribui poteſt.*

E

At aliquis nuper negavit S. Adalbertum unquam fuiſſe in Hungaria,

117 *Prodiit anno* 1738 *Gedani Opuſculum, ſub titulo* Pruſſia Chriſtiana, *in quo Vita S. Adalberti copioſis annotationibus illuſtratur. Auctor Andreas Schottus non modò baptiſmum* S. Stephani, *ſed ſimul prædicationem apud Hungaros, S. Adalberto abjudicat. Audiamus igitur diſſerentem pag.* 45 *& ſeqq., ut expendamus ſingula:* Opus erit, *inquit*, ut explicemus, quid de converſione Hungarica, martyri noſtro (*Adalberto*) adſcripta, ſentiendum ſit. Ne tamen lector miretur, nos textui nihil ea de re intuliſſe, brevibus in anteceſſum monemus, quòd, licèt perſuaſi ſimus, famam ejus ad Hungaros pervenire potuiſſe, ſequentia nihilominus dubia ipſam Adalberti in Hungaria præſentiam in totum tollant. Tantis certè Hungaricum ejus iter falſitatum obfuſcatum eſt tenebris, ut non niſi veræ indagationis lumine ad clariora ducamur. Antiquiſſimus patronorum converſionis Hungaricæ eſt auctor Vitæ Surianæ, qui fol. 832 ſequentia narrat: " Non tacendum, quòd „ juxta poſitis Hungaris nunc nuntios ſuos mi„ ſit, nunc ſe ipſum obtulit, quibus & ab er„ rore parùm mutatis umbram Chriſtianitatis im„ preſſit „. Hunc ſequuntur Chartuitius epiſcopus in Vita S. Stephani .... apud eumdem Surium ... Coſmas Pragenſis ad an. CMXCVI. Langius in Chron. Citiz. fol. 761. Bonfinius Rer. Hungar. fol. 199, 200. Bakſchay in Chronol. de reg. Hung. fol. 903. Dubravius lib. 6 fol. 46. Cureus Annal. Sil. fol. 34. Wernerus Rolefinck in Faſcic. temp. fol. 70. Et, ut pauca addamus, diſſentientes hactenus nullos invenies. Temeritatis equidem opus videbitur, communi contradicere conſenſui. Tentabimus tamen. *Non accuſabimus temeritatis ſcriptorem, qui verum inquirit, modò tam gravia adducat argumenta, ut præponderare poſſint iis, quæ ſibi fatetur oppoſita. Verùm & hæc multis aliis augere potuiſſet, ſi omnia habuiſſet perſpecta.*

F

AUCTORE J. S. *cujus primæ rationes*

118 *Argumenta ſua proponere incipit hoc modo :* Sylveſtrum auctorem Vitæ Caniſianæ (*hæc apud nos edita eſt tom.* III *Aprilis à pag.* 178 *ex codice Ms. ; at veriſimiliter auctorem non habet Silveſtrum , ſed alium incertum , coævum tamen*) altum tenere ſilentium ; cùm ætas ejuſdem , dignitas & ſcopus parem polliceri , imò poſcere poſſet rei explicationem. Quantum verò ſilentium auctoris coævi in refutandis fabulis valeat , hiſtorici norunt. *Valeret hoc argumentum, ſi omnes ſilerent ſcriptores coævi ; at nullius eſt momenti , cùm auctor alterius Vitæ , apud nos ſecundo loco editæ , qui item coævus eſt , duobus locis meminerit de prædicatione Hungarica S. Adalberti. Alia ergo audiamus :* Præter hanc rationem , *inquit* , magnum offert momentum inſignis autorum allegatorum ratione circumſtantiarum occurrens hallucinatio. Quilibet ſuo indulget genio. Varium hinc etiam narrationis conficitur filum , differens ab Ariadnæo , cùm ope hujus reducamur , illius ſeducamur. Verba Suriana aliis ad gloriam tanti martyris inſigniter extendendam non ſufficiebant , atque nimis videbantur generalia : inde chaos ortum eſt fabuloſum de Stephano ab ipſo baptizato , de ſomnio Geyſæ , imò de Stephani per Adalbertum educatione. Dubravius commenti iſtius malè cohærentis debilitatem cognoſcens , Stephanum præfectum , ſeu capitaneum Hungariæ facit , atque de ejus baptiſmo ſumma loquitur ambiguitate. Bonfinius annum baptizati Stephani ponit 909 fol. 198 ; quod ſphalma lubentes typographo tribuimus. Aſt licèt numerum invertentes , annum 990 accipiamus , tamen illa infantia Stephani , cùm Geyſæ patris mors in annum 997 incidat , neque cum inchoato imperio , neque cum Hermanni Contracti verbis conciliari poterit ; qui ad annum 995 Stephani matrimonium notat , dicens : " Giſla Stephano regi Hungarorum , cùm ſe ad fidem Chriſti converterat , quaſi verò juxta nomen ſuum fidei obſes (Griſſet) in conjugium data ". Et licèt ſeriùs hoc conjugium protrahamus ; Urſpergenſis tamen etiam teſtatur : " Imperatoris Henrici ſororem Giſelam regem Ungariorum non priùs promeruiſſe , donec hic , ſe Chriſtianam religionem recepturum promiſit , quod etiam fecit ". Cui adſtipulatur auctor antiquus Vitæ S. Henrici imperatoris in Caniſii tom. VI Lect. ant. pag. 390.

B

C

refutantur ,

119 *Tota hæc diſputatio nihil difficultatis habet , niſi in fine , ubi quidam ſcriptores , quibus plures poſſent adjungi , videntur affirmare* S. Stephanum *non fuiſſe baptizatum , niſi occaſione matrimonii cum Giſela Henrici imperatoris ſorore. Quippe ſi revera luſtrali aqua tinctus non fuit Sanctus ante tempus nuptiarum cum Giſela , baptiſmus erit poſterior morte S. Adalberti , ita ut ab hoc ei non ſit collatus. Hoc argumento ſe niti , oſtendit mox laudatus Schottus , dum ſubdit ſequentia :* Hactenus dicta eò redeunt , quòd ſcriptores medii ævi , quando de Chriſtianæ religionis in Hungaria initiis loquuntur , Adalbertum omnes ſileant , conjugii tantùm , velut cauſæ , mentionem injiciant : quæ eorum narratio majorem fidem poſtulat , quàm confuſa citatorum autorum cumulatio malè connexarum rerum. *Verùm hoc argumentum latiùs ſolvemus infrà , ubi diſcutiemus , an occaſione matrimonii cum Giſela converſus ſit Sanctus. Sufficiat igitur hìc monuiſſe , converſionem Hungariæ per dictas nuptias cœptam non eſſe , ſed promotam , ut ibidem probabitur , baptizatumque eſſe* Stephanum *diu ante obitum S. Adalberti. Quod autem Bonfinius aliique ſcriptores recentiores in chronotaxi aliiſque rerum adjunctis ſæpe à via deflectant , non negamus ; at eo argumento everti non poteſt auctoritas ſcriptorum antiquiorum , quorum teſtimoniis nitimur.*

D

poſteriores verò nihilo ſunt meliores ,

120 *Vidit hoc ipſe Schottus , ideoque ad aliud ratiocinium progreditur hac modo :* Verùm , ut rivos exſiccemus , fontem obturare oportebit. Primus errorem feminavit autor Vitæ Surianæ , ſi huic illa verba tribui poſſunt , de quo tamen non immeritò dubitamus. Quod enim fides Surii propter emendationem adhibitam non ubivis firma ſit , jam ſuprà oſtendimus. *Quod de auctoritate Surii obſervat , planè concidit , cùm eadem Vita apud nos edita ſit ex codice Ms. Pragenſi , ibique duobus locis de prædicatione Hungarica Adalberti auctor meminerit. Deinde interpolationis ſuſpectum facere locum conatur Schottus , ſic pergens :* In hoc autem loco verba connectendi , NON TACENDUM , integrum negotium magis adhuc ſuſpectum reddunt. Hæc enim converſionis hiſtoria , quæ inſigne vitæ Adalbertinæ foret momentum , quaſi per parentheſin explicatur. Quapropter has lineolas ex mala fide poſterorum irrepſiſſe , confidimus. *Nimia quidem hæc eſt confidentia , cùm ſic etiam irrepere debuerit in Annaliſtam Saxonem , in Carthuitium , alioſque deinde ſecutos. Attamen hujus confidentiæ ſubjunctas rationes audiamus :* Præter ſuſpicionem , *inquit* , ex ipſo verborum contextu ortam , circumſtantiæ quoque aliud ſuadent. Totum certè Adalbertum durities Bohemorum , in antecedentibus accuſata , occupabat , ut falcem in alienas meſſes immittere ipſi non liceret. Obſtat etiam , quòd Romæ fecunda vice ſolutionem vinculi epiſcopalis petens , promtitudinem ethnicorum Hungarorum in aſſumtione fidei Chriſtianæ nullatenus indurationi Bohemorum oppoſuerit , ut contraria juxta ſe poſita magis eluceſcerent. Hac ratione etiam optimum argumentum adhibiturus fuiſſet , ad procurandam dimiſſionem , quam anxius appetebat. Addimus , quòd ipſi etiam legati iterata vice epiſcopum Romæ ſibi expetentes , neceſſitatem præſentiæ Adalbertinæ in Bohemia , tali converſionis actu adlegato , optimè ante oculos ponere poterant ; cùm de ejus , qui Hungaros feliciter converterat , futuris exoptatis in Bohemia progreſſibus deſperandum minimè erat. Et quis omnes minutias enodabit ? Perſuaſi enim ſumus , ex hactenus dictis quadantenus pateſcere , non commodè Adalberto iter tribui poſſe Hungaricum. *Hactenus Schottus.*

E

F

tui oſtenditur.

121 *Verùm omnes ha rationes omitti poterant, cùm ne minimum quidem veriſimilitudinis detrahant S. Adalberti prædicationi Hungaricæ. Ita ratiocinatur auctor , acſi tota Hungaria per Adalbertum converſa diceretur. At iſtud non affirmat biographus , quem impetit , ac ne Carthuitius quidem , aut Annaliſta Saxo , quorum etiam teſtimonio nitimur. Umbram Chriſtianitatis impreſſit Hungaris , non omnes convertit. Jam verò , ſi durities Bohemorum non impedivit itinera Romana , ſi non impedivit iter Polonicum & Pruſſicum , cur impedire debuit Hungaricum ? Quin imò , ſi durities Bohemorum occaſionem & cauſam præbuit itineribus prædictis , uti certò conſtat , cur non æquè Hungaros eo facilius inviſere potuit Adalbertus , quo duriùs monita ipſius excipiebant Bohemi ? Quod autem*

non

A *non diu apud Hungaros manſerit ſanctus antiſtes, neque magis apud ipſos vitam tranſigere cuperet, quàm apud Bohemos, non aliunde ortum exiſtimo, quàm quòd populus Hungaricus nihilo magis ſe corrigere vellet quàm Bohemus: nam perfecta Hungarorum converſio, & morum emendatio reſervata erat* S. Stephano, *à quo demum efficaciter cœpta eſt & promota.*

Natus & baptizatus videtur S. Stephanus circa annum 984,

122 *Reſtat ut inquiramus, quo circitèr anno natus ac baptiſmo renatus ſit Sanctus. Carthuitius num.* 4 *inſinuat, natum eſſe, dum S. Adalbertus erat Pragenſis epiſcopus, & non diu pòſt baptizatum. Epiſcopus autem creatus eſt S. Adalbertus anno* 983, *martyrio coronatus anno* 997, *quo etiam obiit Geyſa pater* S. Stephani. *Adoleſcens, hic erat, dum pater obiit, ac pueritiâ vix egreſſus, uti ex eodem colligitur Carthuitio. Inchofer in Annalibus Hungariæ ſcribit, natum* S. Stephanum *anno* 985, *ac duodennem regno admotum anno* 997. *Verùm conjecturâ incertâ nititur annus ille natalis, licèt alioquin non longè à vero aberrare videatur, nec ulli repugnet monumento certo. Præplacet tamen mihi conjectura & ratiocinatio laudati jam frequenter Hanſizii, qui pag.* 227 *ſuccinctè rem explicat his verbis:* Baptizatus eſt ab Adalberto Pragenſi antiſtite ... Certum eſt id non factum ante annum DCCCCLXXXIII : nam eo primùm anno Adalbertus in epiſcopum conſecratus eſt apud urbem Veronam, feſto apoſtolorum Petri & Pauli, imperatore Ottone II præſente. Ex narratione tamen Chartuitii conſtabit, id ultra annum DCCCCLXXXIV differri vix poſſe. Nam Adalbertus ſub ipſum tempus nativitatis Stephani advenit. Porrò Stephanus, vivente adhuc patre, in ſolium impoſitus eſt, poſtquam, ut ille ſcribit, jam pueritiæ exceſſiſſet metas. Obiit inde mortem Geiſa anno CMXCVII, quo Stephanus jam erat adoleſcens, ut ibidem dicitur. Hæc obſervatio nos coëgit baptiſmum Stephani annis aliquot ante Baronium collocare, nempe ad annum circitèr nongenteſimum octogeſimum tertium, quo Adalbertus ſedere cœpit, aut certè ſequentem. Secus enim haud intelligi poteſt, quemadmodum vivente patre pueritiæ metas exceſſerit, aut adoleſcentiam Stephanus attigerit. Ab anno itaque DCCCCLXXXIII, vel ſequenti,

C ducendo calculum uſque ad annum obitûs Geiſæ DCCCCLXXXXVII, modus tandem aliquis appareret conficiendi annos quatuordecim ætatis ſaltem incompletos. *Placet hoc ratiocinium, ideoque circa annum* 984 *nativitatem ac baptiſmum* S. Stephani *collocandum cenſeo; non tamen exiſtimo Carthuitium per* adoleſcentiam *annos quatuordecim ſic deſignare voluiſſe, ut nequeat intelligi ætas paulo minor. Credibile etiam eſt, Hungarorum converſionem commendatam fuiſſe Adalberto, dum conſecratus eſt epiſcopus, quòd Bavari & Auſtriaci, bellis vigentibus, axcerentur ab Hungaria, non verò Bohemi.*

non anno 969, nec ante epiſcopatum Adalberti.

123 *Ranzanus aliique olim dixerunt, natum eſſe* S. Stephanum *anno* 969 : *ſed tota ferè ſcriptorum illorum chronotaxis vitioſa eſt, atque auctoritate caret. Schwartzius tamen epocham illam ut certam adducit pag.* 7 *ſine ulla probatione, atque ex ea ſibi ſumit argumentum. Hac etiam de cauſa dixerat, ſanctum ab Adalberto fuiſſe baptizatum ante epiſcopatum, quod ne quidem probabile eſt ex ſola Vita S. Adalberti, in qua num.* 6 *Adalbertus, moriente epiſcopo deceſſore,* adoleſcens *vocatur*, qui his diebus delicioſus miles erat; *quique eodem tempore ſanctiorem vitam exorſus eſt. Porrò ipſe* S. Stephanus *epocham Ranzani ſatis deſtruit, & noſtram confirmat in diplomate poſtea recitando pro abbatia S. Martini, dato ſub finem anni* 1001 : *nam in eo ſic loquitur:* Singulare namque ſuffragium, quod per merita beati Martini in me à pueritia expertus ſum, memoriæ poſterorum tradere curavi. *Tum refert victoriam relatam de duce Simigienſi, quam conſecutus eſt poſt obitum Geyſæ patris anno* 997, *aut* 998, *ut ſuo loco explicabimus. Jam verò, ſi anno* 997 *aut* 998 *in* pueritia *erat, quæ* adoleſcentia prima *vocatur à Carthuitio, videtur annos habuiſſe tredecim circitèr aut quatuordecim, ideoque annus natalis aptiùs ſtatui non poteſt quàm* 984 *circitèr, ita ut natus etiam eſſe potuerit præcedenti aut ſequenti. Ranzanus non modò ſcribit baptizatum fuiſſe ab Adalberto, ſed exprimit etiam nomen illius, per quem de ſacro fonte levatum aſſerit,* Adeotatum *vocans* ex genere clariſſimorum comitum Sanſeverini *in Campania. At hoc unde hauſerit, ignoro, ejuſque fidei relinquo.* AUCTORE J. S.

E

§ XII. Mors Geyſæ; cui ſuccedit S. Stephanus: mater hujus non ſatis nota: quantùm promota religio ſub Geyſa, & quo in ſtatu inventa à S. Stephano.

Geyſa Sancti pater Catholicè defunctus, uxorem reliquit ſuperſtitem,

M*Ortem Hungarorum ducis Geyſæ Carthuitius affigit anno* 997, *eique paſſim omnes, qui alicujus ſunt nominis, ſcriptores conſentiunt. Ante obitum principibus Hungaris Filium ſuum ſic ad principatum Hungariæ commendaſſe ſcribitur, ut etiam jurejurandi religione ipſos obſtrinxerit. Hinc* Stephanus, *defuncto patre, mox ducatum adeptus eſt, promoventibus eum proceribus & populo, ſicut patri ipſius promiſerant. Catholicum obiiſſe Geyſam & piè defunctum, cum Carthuitio affirmant ſcriptores Hungari. Neque obſtant verba Ditmari num.* 101

F *data, ex quibus ſuſpicio eſſe poſſet, ſincerè converſum non eſſe, quòd idola colere pergeret, & ſic epiſcopo aliquando reſponderit, ut videretur in idololatria permanere velle: nam ipſe Ditmarus innuit, ipſum ea mente non fuiſſe uſque ad obitum, cùm ait,* Antiquum ſcelus abluit. *Hungarici ſcriptores non niſi unicam Geyſæ uxorem paſſim memorant, eamdemque matrem* S. Stephani *fuiſſe, & ſuperſtitem viro vixiſſe aſſerunt. Poloni verò Polonam uxorem Geyſæ attribuunt,* Adleidem *nomine, & ſororem Miecſlai Poloniæ ducis, quam ſecundam fuiſſe Geyſæ conjugem ſcribunt aliqui. Hac de cauſa, cùm Carthuitius nihil lucis afferat, obſcurum eſt, quænam fuerit* S. Stephani *mater: nam ſcriptores Hungari æquè ac Poloni recentiores ſunt, minúſque exacti, quàm ut dictis eorum multùm fidere liceat. Conjecturas itaque dare poſſumus; at nihil certi ſtatuere.*

at illa non videtur fuiſſe mater Stephani,

125 *Imprimis veriſimile eſt, uxorem Geyſæ, quæ eidem ſuperfuit, non fuiſſe uxorem ipſius primam, aut* S. Stephani *matrem. Ratio petitur ex ipſis ſcriptoribus Hungaris, qui unanimi voce affirmant, viduam Geyſæ expetitam ad nuptias*

AUCTORE J. S.

ptias fuiſſe à Cupa duce Simigienſi, qui iis nuptiis conabatur ducatum Stephano *eripere. Quippe Geyſa ſenex obiit, ita ut prima ejus uxor, ſi vixiſſet, veriſimiliter etiam provectioris fuiſſet ætatis, quàm ut ad nuptias honeſtè expeti poſſet: neque enim veriſimile eſt Geyſam fuiſſe provectæ ætatis, dum primam duxit uxorem. Ex prædicta rurſum ratione veriſimile non eſt, viduam Geyſæ matrem fuiſſe* S. Stephani: *nam Cupa non ambiviſſet matris nuptias, ut ejus ope Filium deturbaret, quod ſperare vix poterat. Verùm ſpe veriſimili nitebatur Cupa, ſi vidua Geyſa erat noverca* Stephani: *nam, quandoquidem anno 996 ipſa, teſte Vita S. Adalberti num. 100 adducta*, totum regnum viri manu tenuit, & quæ erant viri ipſa regebat, *tanta erat ejus auctoritas, ut ſperare poſſet Cupa, cum nuptiis hujus viduæ regnum ad ſe devolvendum. Verùm, ut jam vidimus, non videtur conſenſum ejus ſperare potuiſſe, ſi mater erat principis regnaturi, aut nimiæ ætatis: nam utrumque eamdem ſtimulaſſet, ut regnaret potiùs pro Filio, quàm ſub marito.*

B

ſed uxor Geyſæ ſecunda: mater verò Sancti Savolta Tranſilvaniæ ducis filia.

126 *A Ditmaro lib. 8 uxor Geyſæ vocatur* Beleknegena, *in editis* Beleknegini, *id eſt*, pulchra domina, *ubi editores addunt* Slavonicè.. *Si autem uxor hæc nomen habuit Slavonicum, veriſimile eſt* Polonicam *fuiſſe. Itaque poſtremam Geyſæ uxorem Polonicam fuiſſe, credere poſſumus Polonorum teſtimonio: at non ita veriſimile eſt, matrem fuiſſe* S. Stephani.. *Hungaris verò, id unanimiter aſſerentibus, aſſentiri poſſumus, Saroltam, ducis Tranſilvaniæ filiam, fuiſſe matrem* S. Stephani. *Nam Annaliſta Saxo huic ſententiæ fundamentum præbet, dum ad annum 1003 ducem Tranſilvaniæ à* Stephano *victum ſcribens*, avunculum *ejus vocat. Si autem* Julus, *ut ibi vocatur, vel* Giula, *ut malunt Hungari, avunculus fuit Sancti, certè mater ipſius ſoror erat Giulæ; ejuſque patris filia. Porrò ſi duas haſce uxores habuit Geyſa, & prima fuit mater* Stephani, *pagana hæc fuit, uti erat adhuc frater ejus, dum victus eſt à* Stephano; *ſed converſa fuit ante mortem cum marito Geyſa, qui deinde Chriſtianam duxerit Polonam. Verùm hæc incerta fateor, libenter ſecuturus, ſi quis melioribus nixus monumentis, certiora docuerit.*

C

Geyſa conatus eſt promovere religionem Chriſtianam,

127 *Petrus Ranzanus in Epitome rerum Hungaricarum indic. 8 multa memorat de promota religione Chriſtiana ſub Geyſa. Ex hiſce quædam huc transferam, prætermiſſa tamen chronotaxi vitioſa, ut illorum diſcuſſione magis pateſcat, in quo ſtatu religionem Hungarorum invenerit* Stephanus, *dum regnum adeptus eſt. Relato adventu Adalberti, hæc ſubdit:* Conſtitutus eſt dies, quo & ipſi, & multi viri nobiles, multique alii, tum mediocris tum humilis generis homines, ſacro baptiſmate in Chriſto renati ſunt. Voto ſe tunc fecit obnoxium, jureque jurando promiſit Geicha, quàm primùm daturum ſe operam, ut omnes ditioni ſuæ parentes populi exemplo ſuo Chriſti cultores efficerentur. Omni itaque via, modo, arte, diligentiâ curat, ut voti fieret compos. Multi ipſum ſecuti ſunt, ſed penè innumeri imitari ſanctum ejus propoſitum recuſaverunt, idolorum enim cultui ſervire malebant. Cùm igitur illi, nullâ tanti principis habita ratione, non deſinerent verſari in errore illo tenebrarum, animadvertit prudentiſſimus princeps, armis opus eſſe, quorum vi illorum domaretur & ferocitas & perdita audacia. Sed cùm non eſſent ei tantæ vires, quibus fieret à ſe facilè, quod rei exigebat neceſſitas: clàm dat litteras ad pleroſque principes Chriſtianos, per quas aperit laudabile ſuum ſanctumque conſilium, ac propterea petit, ut in tanta rerum mole ſua quiſque idonea mittat auxilia. Mittuntur igitur undique in Hungariam Chriſtianorum principum copiæ .... Intra paucos annos tot millia externorum militum convenerunt, ut Hungaris, à Chriſti cultu abhorrentibus, eſſent illi armis ac numero longè ſuperiores. *Hæc forſan exaggerata ſunt; at non omnino videntur improbabilia, cùm & moribus Geyſæ congrua ſint, & verbis Ditmari antè allatis,* Cùm Chriſtianus efficeretur, in corroboratione fidei ſevit. *Hæc tamen violentiâ plures haud dubiè hyprocritas fecit, quàm verè Chriſtianos: quod convenit antè dictis ex Vita Adalberti.*

D

dicunturque armorum & mortis metu plurimos coëgiſſe:

128 *Quo modo rem deinde exſecutus ſit Geyſa, pergit narrare modo magis exaggerato, atque his verbis:* Itaque ubi animadvertit adveniſſe jam opportunum tempus, quo exequeretur, quod animo conceperat; per præconem ſuum patefacit animum, commonefacitque Hungaros univerſos, eiſque imperat, ut ab errore, in quo verſabantur, reſipiſcentes, ſuſcipiant veri Dei religionem, quam divina afflatus inſpiratione ipſe ſuſceperat: nolle ſe pati ulteriùs, ut ſui populares vagentur per tenebras, ſeque ipſos perdant diabolo ſervientes, cum quo eſſent æternis ſuppliciis cruciandi: qui ea ſalutifera monita viſioneſque deſpexerint, ii nihil expectent aliud, quàm ut ad unum trucidentur, ſe jam ad id habere arma... Ita brevi effectum eſt, ut pars metu, pars ſalubri adducta conſilio, in Chriſtum univerſa Hungaria credens, Chriſtianæ fidei ſacramenta ſuſceperit. *Crediderim hæc facta potiùs ſub initium regni* S. Stephani, *poſtquam deſponſatus erat Giſela, à cujus fratre S. Henrico, uti & ab Ottone III, ſubſidia militaria accipere potuit, & veriſimiliter accepit. Putem etiam omnia peracta eſſe modo quidem efficaci, ſed minùs violento; nec mortis minas intentatas, ſed exſilii aut alterius pœnæ. Verumtamen non improbabile eſt,* Stephanum, *vivente patre jam deſponſatum eſſe Giſelæ, ut adultior deinde, regnoque ad fidem perducto, cum ipſa nuptias contraheret: nam ſic facilè explicari poterunt ſcriptores varii non contemnendi, qui occaſione hujus matrimonii Hungariam converſam ſcribunt, uti & illi, qui S. Henrico eam laudem partim attribuunt. Potuit pactio futurarum nuptiarum confici anno 996, aut ſequenti, eodemque tempore ſubſidia mitti potuerunt in Hungariam: hiſce autem acceptis, Geyſa ſub finem vitæ idololatriam univerſim prohibere potuit. Factum certè eſt, vel ſub finem vitæ ejus, vel brevi poſt ejus mortem; quod decidere non auſim.*

E

F

ſed Ranzanus multa Geyſæ attribuit, quæ facta ſunt per S. Stephanum,

129 *Certius eſt, ea, quæ pergit Geyſæ attribuere Ranzanus, tantùm ab eo ex parte cœpta eſſe, perfectaque à* Stephano. *Verba ejus accipe:* Erecta igitur ubique Dei, & beatæ Mariæ Virginis, & cæterorum Sanctorum templa: conſtituti præcipuarum eccleſiarum antiſtites & presbyteri, cæterorumque ordinum ſacerdotes, qui Dei laudibus inſervirent: Chriſtianæ leges ac ritus, ſacræque cæremoniæ inductæ, ſanctorum Patrum decreta ſervari cœpta: conſtituta præterea ea, quæ ſunt uſui humanæ vitæ neceſſaria, ex quibus clerici honorificè in ſuis eccleſiis viverent. *Omnia hæc facta ſunt, ſed pleraque ſerius*

A *seriùs inchoata per* S. Stephanum. *Aliquæ quidem eccleſiæ per Geyſam exſtructæ ſunt, ſed epiſcopatus nulli conſtituti, atque una ſolùm abbatia inchoata, uti colligitur ex litteris* S. Stephani *pro abbatia S. Martini, datis anno* 1001, *in quibus illa abbatia dicitur inchoata per Geyſam, perfecta verò per* Stephanum, *atque inferiùs:* Necdum etiam epiſcopatus & abbatiæ præter ipſum locum (*id eſt, abbatiam S. Martini*) in regno Hungarico ſitæ erant, *eo nimirum tempore, quo ducem Simigienſem vicit* Stephanus *poſt obitum patris. Leges etiam à* S. Stephano *latæ ſunt; & eccleſiæ, quarum numerus exiguus fuiſſe videtur ſub Geyſa, per totum regnum ſufficientes conſtitutæ & fundatæ.*

multaque Stephano ante principatum,

130 *De educatione* Stephani *hæc ſubjungit Ranzanus:* Inter hæc Stephanus intentiſſimâ parentis ſui curâ, ſub educatore ſibi adhibito, qui ad id eſſet idoneus, primam ætatem innocenter agebat. Erat adeo egregiæ indolis, ut ſpecimen quoddam cunctarum virtutum præ ſe ferre videretur. Ubi autem adolevit, ita cœpit exercere vitam virtutum operibus, ut neminem fefelliſſet ea, quæ de ipſo fuerat, futuræ probitatis expectatio. Tanta ejus humanitas, ut omnium hominum generi charus eſſet, & incredibiliter amœnus atque jucundus. Mira morum, quâ pollebat, elegantia perquam facilè effecit, ut omnium animos in ſui converteret admirationem. Tanta inerat ei vis ac dexteritas ingenii, tantuſque ac talis incipientis cujuſdam prudentiæ vigor, ut prudentiſſimus quiſque natum ipſum ad regnum arbitraretur. Chriſtianæ pietatis ſuprà, quàm dici poteſt, cultor admirabilis. Cujus rei ſatis ſuperque fuerit hoc nunc, & quidem memoratu dignum, exemplum afferre. Adoleſcentulus cùm accepiſſet permultos Hungarorum Chriſtum ſimulatè colere, propterea quòd ſacri baptiſmatis undam metu adducti ſuſceperant; ſuâ ipſe diligentiâ id egit, ut plerique illorum in Chriſtum ipſum, omni ſublata fictione, crederint. Quippe ſumptis Chriſtianis armis, fide videlicet ac ſpe, & ea, quam docuit Euangelium, charitate, nunc hos, nunc illos, ad ſe accerſivit. Aperuit eis ſenſum divinarum Scripturarum, & juxta beati Pauli apoſtoli doctrinam, arguendo, obſecrando, increpando, tandem

B

C conſecutus eſt, ut in omni Hungaria perpauci remanſerint, qui veri Dei cultores effecti non eſſent. Itaque non minùs fuit ipſe, quàm ſuus parens, adeptus; cùm, quod ille armis, hic amore & divinitus ei datâ ſapientiâ fecerit.

quæ fecit in principatu.

131 Mortuo poſtea ejus patre piè ac religiosè, & ea in Deum fide, quâ decuit mori Chriſtianiſſimum principem; ipſe in illius opes ſucceſſit, ducíſque nomine, ut & ille, aliique ante illum, rem Hungaricam adminiſtravit. *In tota hac relatione nihil video exorbitare à veriſimilitudine, niſi quòd multa commemorentur ante tempus. Docuit quidem multos ipſe* Stephanus, *uti aliunde ſatis conſtat; verùm non tanta perfecit ante mortem patris, quanta eidem attribuit Ranzanus, qui ex chronotaxi vitioſa in hunc incidit errorem. Credidit ille natum eſſe anno* 969, *ideoque eidem non difficulter attribuit ante principatum, quæ geſta per ipſum invenit, ſed quæ collocanda erant poſt principatum adeptum. Quippe cùm oſtenderimus natum eſſe Sanctum circa annum* 984, *tredecim circiter annorum Adoleſcens, ob excellentiam ac maturitatem ingenii, poterat quidem inchoare rudium inſtructionem, & abſurditatem idololatriæ oſtendere rudibus. At veriſimile non eſt, ſacras Litteras jam eo tempore expoſitas ab Adoleſcente, tantumque laboris pretium factum, quantum hic deſcribitur, quantumque revera fecit ætate provectior & gradu ſublimior. Ex dicendis etiam colligitur, regni Hungarici converſionem ſeriam & perfectam ſub* Stephani *principatu tantùm collocandam eſſe. Quod demum ait,* Stephanum *ducis titulo Hungariam adminiſtrare cœpiſſe, ſuo loco confirmabitur.* AUCTORE J. S.

§ XIII. Utrùm S. Stephanus, obtento principatu, converſus ſit occaſione nuptiarum cum Giſela? Scriptores, qui id videntur aſſerere, explicandi de converſione totius regni.

E

Hiſtorici non pauci volunt,

Varii ſcriptores etiam ſuppares S. Stephano *de ipſius nuptiis cum Giſela ſorore S. Henrici imperatoris ſic loquuntur, ut iis ſancti Regis converſionem, & baptiſmum ipſum attribuere videantur. Hinc ſcriptores Bavari gloriam hanc genti ſuæ vindicare nituntur. Joannes Adlzreitter in Annalibus Boïcæ gentis part.* 1 *lib.* 15 *num.* 1 *hac de re diſputat in hunc modum:* Hoc ipſo, quem deſcribimus, anno, ſi Hermanno (*Contracto*) fides eſt, Giſela Henrici ſoror, quam idem Sanctus (*Wolfgangus, de quo mox egerat*) divino inſtinctu, reginam ſolitus erat vocitare, à Stephano Ungarorum rege ad nuptialem thalamum ambita eſt & impetrata. Quamquam Cartuitus, Ungarorum epiſcopus, anno demum MII; Sigebertus, qui longo ferè intervallo alios ſolet ſequi, anno MX; Joannes Staindelius anno DCCCCXCIV, eas nuptias volunt coaluiſſe. Nos Hermannum, Henrici ævo propiorem, ſequi maluimus. Porrò Giſelam, Stephano non priùs conveniſſe in manus, quam ſacris Chriſtianis eſſet initiatus, authores ſunt, Martinus Polonus, Otto Friſingenſis & Conradus Urſpergenſis. Ungari quidem edocti mores mitiores, magiſterio Piligrini epiſcopi Batavenſis, nonnihil de genuina feritate remiſerant, & geſtum aliquem ceperant manſuetudinis Chriſtianæ: verùm licèt Geiſa Ungarorum rex, Adalbertum ad gentem excolendam vocarat, & ſuſcepto baptiſmate, Chriſto nomen dederat, tamen diis patriis pergebat habere divinos honores, credebatque, eſſe pari, cum vero Deo, cultu adorandos; & plebes ejus exemplo nuntium gentilitiis ſuperſtitionibus non remiſerant.

F

S. Stephanum converſum eſſe occaſione nuptiarum cum Giſela:

133 Quamobrem auctor, Adalberto coævus & familiaris, in ejus Vita ait, eum Ungaris nunc miſiſſe nuntios, nunc ſeipſum obtuliſſe, iiſque ab errore parùm mutatis, umbram Chriſtianitatis impreſſiſſe. Unde eſt, cur Cartuitum, qui anno circitèr CXXX poſt ortum Stephani ſcripſit, nimiæ in ſuam nationem indulgentiæ arguas, cùm ſcribit, ducem Ungarorum, cum Filio ſuiſque familiaribus, & omnibus ditionis ſuæ hominibus, ſalutaribus undis ab Adalberto fuiſſe expiatos, & Geiſam quidem de ritibus ſacrilegis abolendis, & ſtatuendis epiſcopatibus multùm fuiſſe ſolicitum. Certè Sigebertus diſertè

AUCTORE J. S.

Stephani & Ungarorum converſionem Giſelæ, ſorori Henrici imperatoris, adſcribit. Conſentit Nonnoſius, vel quiſquis edidit vitam S. Henrici, quem Arenpekius & Andreas Ratisbonenſis ſunt ſecuti. Sed &, quod inſtar omnium eſt, in Romano Martyrologio dicitur Henricus ad fidem Chriſti ſuſcipiendam perduxiſſe Stephanum regem cum univerſo ferè ejus regno. Ita Deo viſum, hanc pulcherrimi facti gloriam, Henrico & Giſelæ, Boïcæ principibus, reſervare, ut potiſſimi divinæ legis in Ungaria recipiendæ authores dicerentur & eſſent. Ergo, ut paucis multa complectar, Geiſæ ducis filius, cujus nomen ante baptiſmum Waic à Ditmaro ſcribitur, cum Giſelæ nuptias ardenter expeteret, non eſt priùs voti compos effectus, quàm ejuratis gentilium ritibus, ſacra Chriſtiana ſuſciperet, pollicereturque, ſe totam Ungarorum nationem ad eadem pro viribus adducturum. *Hujus ſcriptoris verba eo libentiùs adduxi, quòd agnoſcat, converſionem Hungarorum cœptam eſſe à Piligrino, promotamque ab Adalberto, quódque etiam fateatur Geiſam ſalutari fonte ablutum eſſe. Andreas Brunnerus in Annalibus Boïcis part. 2 lib. 3 pag. 147 eodem ferè modo diſputat, fateturque* ex Ditmaro manifeſtum *eſſe, Geyſam Chriſto nomen dediſſe. Uterque verò obſervat, Geyſam idololatriam cum cultu veri Dei conjunxiſſe; quod nos ipſi oſtendimus. At iidem non probant, id ab eo continuatum uſque ad finem vitæ; nos verò contrarium probavimus ex Ditmaro, cui Carthuitius jungi poteſt.*

B

134 *Hiſce obſervatis, ipſa antiquiorum ſcriptorum verba recitare placet, ut examinemus, an illi tam clarè aſſerant, baptiſmum* Stephani *occaſione matrimonii ſuſceptum, ut alteri cuipiam explicationi locum non relinquant. Primus ſeu antiquiſſimus auctor, qui hac de re ſcripſit, eſt Hermannus Contractus, qui in Chronico, prout editum eſt à Caniſio, ad annum 995 occaſione mortis Henrici Bavariæ ducis, & ſucceſſionis S. Henrici poſteà imperatoris, de prioris filia, poſterioris ſorore, hæc ſcribit:* Hujus ſoror Giſela Stephano regi Ungariorum, cùm ſe ad fidem Chriſti converteret, quaſi verè juxta nomen ſuum fidei obſes, in conjugium data, eleemoſynis cæteriſque bonis operibus inibi intenta conſenuit. *Ad hunc locum notanda ſunt aliqua. Primò hæc non leguntur in editione Piſtorii aut Urſtitii, ita ut incertum ſit, Hermannine ſint, an alterius, qui ea adjecit Hermanni Chronico. Secundò, ſive Hermanni ſint, ſive alterius, auctor indicare noluit, nuptias eo anno contigiſſe, ſed eas ſolùm memorat occaſione patris Henrici, cujus obitum aſſignat. Nuptias autem ſeriùs contractas, deinde probabimus. Tertiò Schwartzius hunc locum citans pag. 3, eumdem corrupit: nam pro verbis,* cùm ſe ad fidem Chriſti converteret, *ſubſtituit,* qui ſe ad fidem Chriſti converterat: *quæ verba minùs ſignificant quàm præcedentia. Hiſce obſervatis, pergo ad alterum locum Hermanni, qui ad annum* 1038 *ſic rurſum habet apud Caniſium:* Ipſo anno Stephanus Ungariorum rex, cùm ante plurimos annos ſe cum tota gente ſua ad Chriſti fidem convertiſſet, eccleſiaſque plurimas & epiſcopatus conſtruxiſſet, .. obiit. *Aliæ etiam editiones hoc loco converſionem memorant cum obitu, ſed paulò breviùs. Ex quo colligo, priorem locum veriſimiliter non eſſe Hermanni, ſed interpolatoris cujuſdam, cùm veriſimile non ſit, ipſum in brevi Chronico bis idem commemorare voluiſſe, & editionum varietas interpolationis ſuſpicionem præbeat. Itaque nec tempus nuptiarum ex Hermanno ſtatui poteſt, nec aliud quidpiam, quàm quòd aſſerat, ipſum converſum eſſe, adeoque ſupponat non fuiſſe Chriſtianum ab initio.*

C

id tamen non evincit auctoritas Hermanni Contracti,

D

135 *Sententiæ huic accedit Marianus Scotus in Chronico ad annum* 1038, *ubi hæc habet:* Stephanus rex Ungarorum Chriſtianus obiit, qui cum omni gente ſua ad fidem convertitur. *Hi quidem ſcriptores rectè non adducuntur ab Adlzreittero ad probandum* S. Stephanum *baptizatum eſſe ob nuptias cum Giſela: ultrò tamen agnoſco illos utcumque repugnare ſententiæ meæ, quam ut probabiliorem aſſerui, de* Stephano *ab infantia baptizato. Verùm reſpondeo horum auctoritatem tantam in hiſce non eſſe, ut aquari poſſit rationibus pro baptiſmo infantis* Stephani *militantibus. Sola Carthuitii auctoritas hiſce, aliiſque deinde ſecutis, præponderare debet, cùm ille monumenta Hungarica habuerit, dum Sancti Vitam ſcribebat; alii verò de rebus Hungaricis parùm fuerint inſtructi, ob exiguum commercium, quod aliis nationibus intercedebat cum Hungaris ante principatum* Stephani. *Norant illi ſcriptores,* Stephanum *fuiſſe Catholicum, regnumque ejus tempore converſum: norant ipſius progenitores fuiſſe paganos, ideoque facilè credere potuerunt,* Stephanum *ipſum paganum fuiſſe uſque ad publicam univerſi regni converſionem. De converſione Geyſæ nihil videntur inaudiviſſe, nihil de inchoata ſub ipſo Hungarorum converſione, quòd ætas ipſorum remotior ab his eſſet, quàm ut ea per ſe poſſent cognoſcere, neque in ſcriptoribus, quos ſequebantur, quidpiam de illis ſcriptum invenirent. Ditmarus quidem & Ademarus converſionem Geyſæ memoraverant; atque Ademarus utriuſque baptiſmum, patris nimirum & Filii, fixerat ſub initium imperii Ottonis III, quod cum chronotaxi noſtra, cumque infantia* Stephani *optimè congruit; at eo tempore ſcriptores non facilè habebant omnes libros ante ſua tempora ſcriptos, ideoque eis condonandum, ſi quid ignoraverint; ſed non imitandi, ubi occaſione illius ignorantiæ perperam aliqua enarrarunt. Hac interim ad horum auctoritatem reponimus, plura dicturi, poſtquam adduxerimus verba eorum, qui illorum dicta liberiori paraphraſi explicaverunt.*

aut Mariani Scoti, qui aiunt Stephanum cum ſuis converſum eſſe:

E

F

136 *Sigebertus ad annum* 1010 Stephani *nuptiis cum Giſela clarè tam Regis quàm Hungarorum converſionem attribuit, hæc ſcribens:* Gens Hungarorum, hactenus idololatriæ dedita, hoc tempore ad fidem Chriſti convertitur per Giſlam ſororem imperatoris, quæ nupta Hungarorum Regi, ad hoc ſuâ inſtantiâ Regem adduxit, ut ſe & totam Hungarorum gentem baptizari expeteret, qui in baptiſmo Stephanus eſt vocatus. Cujus merita per Hungariam multa miraculorum gloria commendat. *Nuptiæ hîc longè à ſuo tempore avulſæ, ſed de hiſce poſtea. Otto Friſingenſis lib. 6 cap. 27 Chronici ſui de Henrico ſic habet:* Sororeque ſua Giſela Stephano Ungarorum regi in uxorem data, tam ipſum quàm totum ejus regnum ad fidem vocavit. Hunc Stephanum Ungari, hactenus fidem Chriſtianam ſervantes, velut principium fidei ſuæ, inter Sanctos colendum dignum ducunt. *Urſpergenſis in Chronico mentem ſuam explicat in Henrico II hiſce verbis:* Horum ſororem, bonæ memoriæ fœminam, Giſelam rex Ungariorum, qui Stephanus dicebatur, in conjugium expetivit, ſed eam ducere non promeruit, donec ſe Chriſtianæ religionis

varii verò ſcriptores paulò recentiores apertè nuptiis converſionem attribuunt.

A gionis rudimenta, & ſacri baptiſmatis ſacramenta, cum omni gente ſua ſuſcepturum promiſit. Quam pollicitationem ubi rebus perfecit, religioſus Deoque devotus poſtea in executione bonorum operum permanſit: quod divina pietas poſt mortem ejus evidentibus indiciis, ad ſepulturam ejus factis ſignorum miraculis, demonſtravit. *Hæc verba fideliter deſcripta ſunt in Chronico brevi Leodienſi apud Martene tom. 3 Anecdotorum col. 1407. Addantur hiſce Martinus Polonus, aliique plures, qui in eamdem ſententiam abierunt: nolim enim inficiari ſcriptores facilè decem aut duodecim ſeculi* XIII, *aut paulò poſteriores à me lectos eſſe, qui præter adductos eadem ferè commemorant; ſed hi numerum augere poſſent, non auctoritatem, ideoque opus non eſt eorum texere catalogum.*

quæ opinio Germanorum aliquot fuit, at non Hungarorum, qui contrariam aſſeruerunt

B 137 *Annaliſta Saxo ad annum* 1002 *Bavarorum ſententiam commemoravit, ſed ad annum* 1038 *ait*, Stephanum *ab Adalberto baptizatum, quod prioribus eſt contrarium. Albericus monachus in Chronico ſuo ad annum* 1010 *utramque ſententiam expoſuit hoc modo:* Gens Hungarorum hactenus idololatriæ dedita, hoc tempore ad fidem Chriſti convertitur per Giſlam ſororem imperatoris, quæ nupta Hungarorum regi, ad hoc ſuâ inſtantiâ regem adduxit, ut ſe & totam Hungarorum gentem baptiſari expeteret: qui in baptiſmo Stephanus eſt vocatus: cujus merita per Hungariam multa miraculorum genera commendant. Tamen dicunt Hungari, quòd S. Adalbertus Pragenſis epiſcopus regem Stephanum ad fidem convertit & baptiſavit; & ipſe Rex ſua prædicatione Hungaros convertit, & majorem eccleſiam Strigonii in honorem Adalberti inſtituit: ſed illa Giſla regina, ut dicunt, multas malitias in terra illa fecit, & extremùm poſt mortem ſancti Regis, meritis exigentibus, interfecta fuit. *An poſteriora illa de Giſela ſint certiora, quàm priora de converſione* Stephani *per Giſelam, ſuo loco examinabitur. Interim juverit ex dictis Albrici obſervare, ſententiam Germanorum de converſione* Stephani *occaſione nuptiarum, numquam admiſſam fuiſſe ab Hungaris: nam contrariam ſententiam aſſeruit Carthuitius circa initium ſeculi* XII, *eamdemque ab Hungaris aſſeri, teſtatur Albericus, qui ſcripſit ſub initium ſeculi* XIII; *poſteriores verò Hungari ſemper eidem adhæſerunt; ſibique faventes habent ſcriptores Polonos & Bohemos.*

C 138 *Tot inſuper rationes Hungarorum ſententiæ favent, ut dubitare nequeam, quin hæc vera ſit. Certum eſt ex Ditmaro, Ademaro, Vita Adalberti, ipſiſque* Stephani *litteris pro abbatia S. Martini, fidem fuiſſe ſuſceptam à Geyſa, quod & Adlzreitter & Brunnerus agnoſcunt. Quis igitur credat patrem baptizatum eſſe, baptizatum non eſſe filium, præſertim cùm Ademarus Filii æquè ac parentis baptiſmum affirmet, fidem utriuſque Ditmarus aſſerat, &* Stephanus *ipſe agnoſcat ſe beneficio S. Martini* à pueritia *adjutum? Verùm, inquit Adlzreitter, Geyſa, licèt baptizatus, cum gente ſua ſimul idola coluit: atque hinc infert Brunnerus, ſatis conſtare,* Geyſa vivo de impietate non eſſe triumphatum. *Si totum admiſero, nihil habebunt adverſarii, quo probent,* Stephani *baptiſmum ab ipſius infantia amovendum. At verò, ſi Ditmaro credimus Geyſam ſimul & verum Deum & idola ad tempus coluiſſe, & epiſcopo id improbanti duriùs reſpondiſſe, ut pro argumento aſſumit Brunnerus; reliquis etiam Ditmari dictis eamdem habeamus fidem, ac tempora diſtinguendo ejuſdem ſcriptoris verba conciliemus, uti æquitas poſtulat. Paganus fuit Geyſa, idola coluit: Chriſtianus effectus eſt, perrexit idola colere; objurgatus eſt ab antiſtite, duriùs reſpondit, ſi velis; vel, ſi malis, frivolam excuſationem attulit; nam & hunc ſenſum verba admittunt, prout leguntur in codice Ms.; hæc omnia credimus Ditmaro. Verùm, ſi credamus prædicta, æquum eſt, ut ſimiliter credamus ea, quæ honorifica Geyſæ ſcripſit: itaque & hæc admittenda ſunt verba:* Antiquum ſcelus zelo Dei æſtuans abluit. *Non perrexit igitur idola colere uſque ad finem vitæ: ſic enim nec zelo Dei æſtuaſſet, nec antiqua abluiſſet crimina.*

cum Ditmaro, Ademaro, aliiſque: horum ſententiæ plures rationes favent,

AUCTORE J. S.

quæ perſuadent, errorem obrepſiſſe Sigeberto & aliis,

139 *Jam verò triumphatum non eſſe de impietate apud Hungaros, id eſt, univerſam gentem, aut ejus partem majorem, non converſam ante obitum Geyſæ, lubens admitto. At hinc non ſequitur,* Stephanum *non fuiſſe baptizatum ante patris obitum, quia nec principatum tunc obtinebat, nec ſtatim cum principe totum regnum convertitur. Quin potiùs, ſi conjecturis opus eſt, ex ſubita converſione regni poſt mortem Geyſæ, inferre liceret,* Stephanum *jam antea altas pietatis egiſſe radices; indeque factum eſſe, ut totum regnum paucis annis converteret, eccleſiiſque, epiſcopatibus ac Chriſtianis legibus inſtrueret. Hæc ſanè juſtior ac veriſimilior eſſet deductio; ſed id non agimus hoc loco. Illud lubet inveſtigare, quo modo Sigebertum alioſque ſcriptores laudatos, ſi non omni errore, certe fictione abſolvamus. Non erit hoc difficile, ſi oſtenderimus, quâ occaſione hic error obrepere potuerit. Porrò ex converſione totius regni, quæ facta videtur non diu ante nuptias* Stephani, *cum Giſela, quæque nuptiis illis non parùm promota fuit, facilè credere potuerunt ſcriptores laudati, Regem ipſum eodem tempore fuiſſe converſum, cùm ſcirent majores ejus fuiſſe paganos, ut jam dixi num.* 135. *Probabile etiam exiſtimo, contractum ſponſalitium ea conditione initum fuiſſe, ut* Stephanus *ante nuptias totum regnum convertere conaretur, ſubſidiumque ad hoc ipſi ferrent Henricus Giſelæ frater, tunc Bavariæ dux, & Otto III imperator. Fœdus ejuſmodi efficere potuit, ut alii converſionem Hungariæ Ottoni III attribuerent, alii Henrico; atque alii demum numero converſorum* Stephanum *ipſum includerent, quòd de baptiſmo ab infantia ſuſcepto facti non eſſent certiores.*

E

F

cùm ille error oriri potuerit ex converſione regni.

140 *Jam verò non ſine fundamento curam aliquam converſionis Hungarorum Ottoni III æquè attribui poſſe, ac S. Henrico, colligo ex duobus ſcriptoribus ſynchronis. Primus eſt Ademarus monachus, apud Labbeum tom. 2 Bibliothecæ pag. 168, aberrans quidem in multis adjunctis, & perperam Brunoni attribuens, quæ in converſione Hungarorum attribuenda erant Adalberto, rectè tamen baptiſmum* Stephani *multo citiùs collocans, poſt quem relatum ſubdit ſequentia:* Poſtea verò ipſi filio ejus Stephano Oto imperator ſororem Henrici, poſteà imperatoris, in conjugio dedit. *Inſinuant hæc verba, Ottonis conſilio nuptias coaluiſſe. Ditmarus verò lib. 4 teſtatur,* Stephanum *epiſcopales cathedras erexiſſe* gratiâ & hortatu *Ottonis III. Itaque, cùm conſtet Ottoni III religionem Hungarorum & nuptias* Stephani *cum Giſela curæ fuiſſe, veriſimile eſt ipſius & Henrici auxilio uſum fuiſſe* Stephanum *ad converſionem ſuorum fortiùs urgendam,*

AUCTORE J. S.

gendam, nuptiasque tantisper esse dilatas, donec hæc feliciter essent peracta. Lubens igitur scriptoribus Bavaris concesserò, certè ut probabile, noluisse S. Henricum Stephano *sororem suam dare uxorem, nisi regni conversio præcederet, illaque conversione fides ipsius in tuto esset collocata: at nequaquam ut probabile admisero, Regem ea occasione conversum, aut baptizatum esse. Quin potiùs credidero,* Stephanum *non voluisse regni conversionem nuptiarum causâ; sed nuptias illas quæsivisse, ut regnum faciliùs converteret. De tempore contractarum nuptiarum suo loco disputabimus; nam alia quædam videntur contigisse ante nuptias contractas.*

§ XIV. Bellum cum Cupa duce Simigiensi, qui regnum occupare & fidem Christianam exscindere moliebatur: victoria Regis post vota S. Martino facta.

B

Cupa dux Simigiensis, ab aliquibus Stephani consanguineus dictus,

Ducatum paternum adeptus Stephanus *pacem cum vicinis principibus Christianis, quam defunctus pater conciliaverat, studiosè observare ac confirmare statuit, ut Christianorum principum subsidio vexillum fidei altiùs erigeret in Hungaria, satisque haberet virium ad insultus rebellium comprimendos. Verùm proceres Hungari, qui idololatriæ addicti erant, vexillum rebellionis mox erexerunt,* Stephanumque *adolescentem principatu deturbare conati sunt, ut pullulantia fidei semina radicitus exstirparent. Belli hujusce contra* Stephanum *antesignanus fuit comes Simigiensis, qui ducatum Hungariæ sibi vindicare moliebatur, teste ipso sancto Rege in litteris pro monasterio S. Martini. Pro altera causa Carthusius num.* 5 *assignat religionis Christianæ odium, quo ille partes suas vehementer auxit. Comitem aut ducem illum Simigiensem,* Cupam *Hungari vocant, dicitque Ranzanus fuisse* S. Stephani *consanguineum. Ait Bonfinius* Cupam *fuisse* Calvi Zirindi filium. *Turoczius cap.*

C *27 Geysæ attribuit fratrem Michaëlem, hujusque filios recensetque* Calvum Ladislaum & Vazul. *Hic itaque Calvus Ladislaus, erat patruelis* S. Stephani. *Verùm Cupa non videtur hujusce Calvi filius, quia sic junior verosimiliter fuisset* Stephano, *& quia pater Cupæ vocatur* Calvus Zirind *ad distinctionem, ut apparet, alterius. Fieri potest, ut Ranzanus duos Calvos confuderit, indeque crediderit Cupam fuisse* Stephani *propinquum: quod affirmare non ausim. Quin imò ista sanguinis propinquitas parùm mihi apparet verisimilis, cùm* Stephanus *de Cupa, seu comite Simigiensi sic loquatur, ut non videatur ipsius fuisse consanguineus.*

contra adolescentem Stephanum, fidei propagationi intentum,

142 *Si credimus scriptoribus Hungaricis seculi* XV, *Cupa dolo uti voluit, ac per nuptias viduæ Geysæ, quam Saroltam dicunt* Stephani *matrem, regnum adipisci conatus est. Viduam autem Geysæ verisimiliter non fuisse matrem* Stephani, *sed novercam, antè observavi. Quid verò de expetitis hisce nuptiis credendum sit, aliorum judicio permitto. Verùm quidquid sit de nuptiis, certum est Cupam voluisse regnum invadere, magnumque Regis adolescentis fuisse periculum, quod divina protectione & patrocinio S. Martini discussum ipse gratus agnovit. Bonfinius decade* 2 *lib.* 1 *pag.* 172 *satis probabiliter descripsit, quo modo se initio principatûs gesserit* Stephanus, *& quænam rebellionis occasiones fuerint. Quapropter verba ipsius, ut probabilia, subjungo:* Nihil majore studio aggredi cupiebat (*Dux adolescens,*) quàm universos Ungaros in lucem asserere veritatis. Neque illud ignorabat, nullum diu principem esse regnaturum, nisi justitiâ & religione præpolleret. Huc omnes ingenii nervos intendebat. Et ut hæc faciliùs assequeretur, divinis codicibus incumbebat. Adhibebat sibi sacrarum rerum præceptores, quibus familiarissimè & assiduò utebatur. In re quaque gravissima viros sanctos consulebat, ne quo se suosque piaculo insciùs incestaret. Sed cùm publicæ saluti inprimis intendisset animum, quam sine finitimarum otio adsequi non poterat, inprimis cum omnibus vicinis inita & confirmata pace regnum communivit, ut si qua inter suos populos principesve pertinaces seditio pro subeunda fide Christi oriretur, his nulla foris auxilia sperari possent. Verebatur enim, veluti mox accidit, Scythicas mentes haudquaquam facilè E ritus patrios esse deposituras. Quin & ex his, qui baptismate abluti fuerant, multos pudore, nonnullos regis gratiâ, perquam paucos ultrò, Catholicam fidem accepisse sentiebat. Contrà verò populum pernicioſa deorum opinione universum iri perditum, æquo animo perpeti non poterat: quin sibi certum erat, aut ad salutarem fidem eum revocaturum, aut regno simul & vitâ cariturum.

rebellionem suscitat, & cum rebellibus Vesprinium obsidet:

143 Dum aliquanto severiùs in reluctantes agendum esse censet, quando quàm plurimi sine vi ad resipiscentiam cogi non poterant, principes plerique cum ingenti multitùdine in eum conjurant, intestinum bellum moliuntur; & ne Scythicam feritatem exuant, ceteros ab instituta religione deterrent. Primùm in pagos latè desæviunt, prædia vastant; mox adauctis viribus oppida regia adoriuntur: in primisque Vesprinium juxta Balatonium lacum sitam, urbem quidem non ignobilem, obsident, ut majorem Regi stomachum facerent, & eorum, qui ab ejus fide desciverant, animos augerent. Novitatis hujusce auctorem Cupam, Calvi Zirindi filium, qui in Simigiensi agro dominabatur, Ungarorum Annales fuisse tradunt. Quippe qui, defuncto Geysa, Stephani matrem per adulterium in conjugium allicere conabatur, ut eam nactus uxorem, Stephani vitam dolis interciperet, ac rerum denique potiretur. Occasionem explendæ libidinis quum in dies sibi dari expectaret, in hac rerum novitate quiescere non potuit, tumultui non solùm adesse, sed præesse voluit. Nam imperandi cupiditate abreptus, . . . pagos æquè ac oppida hortari, ut à regia fidelitate ac superstitione * deficerent: se conjurationis principem deperditâ quâdam audaciâ profiteri, criminibus Regem ad augendam invidiam onerare; passim prædicans hunc suæ gentis hostem patre perniciosiorem futurum, quando externæ quàm suæ gentis studiosior & amantior esset: Martem, Herculem, patriosque deos, quorum numinibus res Ungarica tantopere adoleverat, aboleri jussisset; eorum sacrosancta simulacra ubique disjecisset, fatuam inducere superstitionem niteretur: quin & ocio & desidiâ bellicosam gentem enervaret, pacem indiceret ærumnosam, quum & vi & bello Ungari victum semper traxerint. Quum inferiorem

F

* *i. e.* religione

A riorem ita Pannoniam totam ferè susciţassĕt, gravi Vesprinium in contemptum Regis obsidione premebat. *Liberiori quidem stylo hæc exposita sunt, sic tamen, ut nihil à moribus Hungarorum illius temporis, nihil à probabilitate discedere videatur, nisi quod pro matre* Stephani *ad nuptias expetita, novercam verisimiliùs substituendam putem; & nuptias expetitas, nescio qua de causa, adulterium vocet.*

Stephanus verò, collecto exercitu,

144 *Vesprinium, quod obsessum ab iis fuisse etiam testatur Carthuitius, caput hodie est comitatûs cognominis, eratque ex præcipuis urbibus Hungariæ, non multis milliaribus distans Alba regali. Qua de causa mirum non est, perculsum fuisse* Stephanum *hac rebellium audaciâ. Ingentem solicitudinem suam, votumque hac occasione nuncupatum, fatetur ipse in litteris postea dandis. Bonfinius verò pergit exponere, quo se modo Rex pius in hac trepidatione gesserit, hæc scribens:* Contrà verò Stephanus, in tanto tumultu nequaquam animo consternatus, quando sub divina se tutela esse intelligebat, ad coërcendam Cupæ audaciam, mox summa celeritate ac prudentiâ omnia moliri: passim per Ungariam de-

B lectum habere, inprimis divinum è cœlis auxilium implorare, exorare impensiùs divi Martini numen, ne suæ Pannoniæ deesse vellet. Item maximam exuviarum ac prædæ hostilis partem, nuncupatis votis, polliceri, ad hæc tumultuarium cogere exercitum, accire principes, quos & suâ & patris beneficentiâ fidos habebat, nihil prætermittere, quod bello usui fore duceret. Coacto demum exercitu, ad Garam amnem castra locat: ibique primùm Juvenis Deo deditissimus, defendendæ publicæ salutis necessitate adactus, sibi ensem accinxit. Duos ibi magistros equitum pronunciavit fide ac militari disciplina præstantes, quorum alter Huntes, Paznan alter dictus est. Hi Teuthones fuisse traduntur, qui quum Christiana fide pollerent, imperante Geysa in Pannoniam venerant, nobili genere nati: & quum bello ac pace de Ungaris essent bene meriti, principatum semper inter proceres apud Geysam tenuerunt: multúmque in propaganda Christi fide patrem ac Filium adjuvêre. Hi reluctantes in fide pro servis habendos esse censuerunt: item ut qui ex Ungaris priùs in religionem confluerent, inter eos hi nobiliores haberentur. Atque in istorum sententiam, à Geysa edictum factum est. Post hos Wencellinum Alamannum, hospitii jure sibi conjunctissimum, dictatorem creat: cui exercitus universi summam tradidit.

C

votoque nuncupato S. Martino,

145 *Nominatos hîc* Stephani *duces, aliaque breviùs memorat Turoczius cap.* 28, *sic scribens:* Stephanus autem sanctus, convocatis proceribus suis, per interventum beatissimi Martini confessoris divinæ misericordiæ imploravit auxilium. Postmodum verò, congregato exercitu, perrexit obviàm hosti suo; & ad amnem Coron primitus accinctus est gladio: ibique ad custodiam corporalis salutis suæ duos principes Hunt & Paznan constituit. Totius autem exercitus sui principem & ductorem Vencellinum hospitem, Alamannum genere præfecit. *Sanctus ipse in litteris suis ait se votum nuncupâsse S. Martino,* adstantibus ducibus, videlicet Poznano, Cincio, Orthio. *Prioris nomen congruit cum uno ex antedictis: posteriorum verò nomina differunt. Verùm non omnes forsan aderant voventi Regi, ita ut Wencellinus exercitum ducere potuerit, prout affirmant Turoczius & Bonfinius, quorum sententia saltem falsitatis non convincitur. Patria etiam, quam prædictis ducibus attribuit Bonfinius, insinuat jam Geysa externa quædam fuisse subsidia, eaque* Stephano *fuisse relicta: quod verisimile admodùm esse, jam antè dixi. Amnem* Garam *aut* Coron, *ad quem castra posita fuisse dicunt, suspicor esse eum, qui ex superiori Hungaria prope Strigonium, Danubio illabitur; collectumque ibidem exercitum, ut inter hunc & hostilem Danubius relinqueretur medius, donec tutiùs ad hostes progredi posset.* AUCTORE J. S.

post grave prælium ac diuturnum,

146 *Prælium subsecutum & Regis victoriam Turoczius breviter sic exponit:* Commisso itaque prælio, inter utrumque diu & fortiter est dimicatum: sed divinæ miserationis auxilio beatus Stephanus dux glorioſam obtinuit victoriam. In eodem autem prælio Vencellinus comes interfecit Cupam ducem, & largissimis beneficijs à beato Stephano tunc duce remuneratus est. *Bonfinius eadem narrat, sed omnia liberiori stylo pro more suo latiùs prosequitur, admiscens quædam incerta, præsertim de gestis & votis Regis in ipsa pugna. Hac monitione prævia, ipsius verba subnecto:* Hæc ubi ritè constituta sunt, instructa acie in Cupam itur. At ubi conjuratorum castris appropinquarunt, infestis utrimque signis extemplò concurritur. Quum prælium consereretur intestinum, eo obstinatiùs & crudeliùs utrimque pugnabatur, dum fortuna nunc his nunc illis adridet, & pari spe utrimque dimicatur. Ex hoc factum est, ut longam cruentissimamque pugnam ederent. Rex divina potiùs oratione, & militari hortatione, quàm armis certare: per legiones modò discurrere, legatorum & centurionum animos confirmare, turmas cohortesque hortari, ut pro Christi charitate fortissimè dimicarent: revocare terga vertentes, & quandoque timidos graviter increpare: subsidia mittere laborantibus, & nullum imperatoris optimi officium prætermittere. Vencellinus, qui in dextro cornu præsidebat, & quadrato agmine Cupæ se objecerat, ratus inclinato ducis agmine, cæteros omnes facilè cessuros, acerrimè pugnabat. Disquirebat ubique, ubi Cupas esset, ut singulari certamine cum eo dimicaret. E

rebellium exercitum cædit, Cupa ipso occiso,

147 Dum dubio ubique marte pugnatur, Rex elatis in cœlum manibus, his fugam verbis deprecatur: Clementissime Deus, qui lucem veritatis tuæ in durissimo ac truci populo, quem mihi commisisti, infundere voluisti, ut tuæ fidei radiis illustratus, perpetuò Christianæ Reipubicæ fines tueatur, te supplex exoro, ut nutantium animos confirmes, vires plebi tuæ è cœlo demittas, ut cœlesti auxilio munita, tuos proterat inimicos. Et tu, Jesu Christe, optime, maxime, cujus ductu & auspiciis bellum gerimus, per salutarem tui (quæso) passionem populo pro te dimicanti propiùs adesto, tuisque fidelibus victoriam pro clementia tua concedito, fœdam fugam sistito. Ego autem omnium rerum decimas, pro referenda gratia glorioſissimo nomini tuo, passimque basilicas dicabo. Vix hæc dixerat, ingens ecce clamor per legiones exoritur, Cupæ cornu à Vencellino inclinatum, utrumque ducem singulari certamine congredi. Quum hæc audivisset, illuc cum validissimo agmine continuò properat. Laborantes & jam inclinatos inimicos proterit. In media acie Vencellinum offendit, & congratulatur, Deo gratias agens: qui Cupæ caput abscíderat, & opima de hoste spolia referebat. Quo per acies circumlato, ita hostium animi consternati, ut palantes F

AUCTORE J. S.

fugerent. Magna cædes ac miserabilis oritur, principes conjurationis maxima ex parte capti, & in castris cæsi, in cæteros regis edicto remissiùs actum. *Uti ex hisce quædam incerta jam dixi, ita incertius & minùs probabile existimo, quod subjungit de Cupæ corpore, cùm lenissimis S. Stephani moribus parùm sit consentaneum:* Parta victoriâ, *inquit*, Cupæ corpus in partes quatuor dissectum: una Strigoniensi portæ affixa est; Vesprimiensi altera, tertia Jauriensi, in Transsylvaniam quarta, ad deterrendos Dacorum animos delata, & Albæ Juliæ præfixa. Quam quidem regionem olim Ungari, ab auri feracitate KENCHIES HERDELL appellavêre. *Turoczius eadem sic refert:* Ipsum verò Cupam beatus Stephanus in quatuor partes fecit mactari: primam partem misit in portam Strigoniensem, Secundam in Wesprimiensem, tertiam in Jauriensem, quartam autem in Erdel. *Strigonium, Vesprinium & Javarinum urbes sunt non admodùm dissitæ ad partem Occidentalem Hungariæ: suspectum igitur magis est, quòd quartam partem in Transilvanium dicant missam, præsertim cum Transilvania non videatur eo tempore paruisse S.*

B Stephano, *qui bello contra ejus principem suscepto eam post paucos annos subjecit, & Hungariæ addidit. Merebatur quidem hanc ignominiam rebellio Cupæ, neque eam prorsus negare velim: de re tamen tota dubitare me cogit eximia Sancti lenitas; quòdque dicitur de parte corporis in Transilvaniam missa minùs credo ob rationes prædictas.*

148 *Verisimilia magis sunt, quæ subjungit Bonfinius hisce verbis:* De cæteris captivis, pro facinorum gravitate pœnæ sunt exactæ. Contrà verò militibus & præfectis, qui se in prælio optimè gesserant, præmia pro dignitate è Regia liberalitate tributa. Dictatori præmia multa, magnique honores redditi: item oppidis villisque à Rege amplissimè donatum ferunt . . . Divo autem Martino Pannonicæ gentis patrono ut debita vota exsolverentur, perpetuo Regis edicto Simigiensis populus, qui Cupæ tyranni audaciam sectatus est, non modò frugum, vini, ac pecorum, verùm etiam liberorum decimas, divi Martini basilicæ quotannis pendere jussus est. Præter hæc tertia prædæ pars templi postibus affixa. *Hæc Turoczius quoque sic exponit:* Beatus

C enim Stephanus dux votum, quod tunc voverat Deo, fideliter reddidit. Nam universum populum, in provincia Cupan ducis degentem, decimas liberorum, frugum ac pecorum suorum cœnobio sancti Martini dare perpetuo jure decrevit. *Consentit Carthuitius num. 7; & Rex ipse in litteris dandis plura enumerat, quorum decimas cœnobio S. Martini attribuerat; sed de decima prole ibidem non meminit, ita ut hæc sola pars minùs videatur certa; at neque certò falsa: nam, cùm hæ litteræ Regiæ aliquot annis seriùs datæ sint, potuerunt ipsi monachi ad declinandam invidiam decimis liberorum renunciare, etiamsi fuissent antea à Rege concessæ. Fieri etiam potuit, ut vox illa exciderit litteris, in quibus plura reperiuntur menda. Certè in ipsis litteris inferiùs mentio fit de* mancipiis *monasterii, cui illa non videntur obtigisse, nisi hac donatione Regis. Tandem verisimiliter dici potest, decimam prolem solùm unica vice dandam fuisse monasterio ab illis, qui tempore rebellionis decem liberos habebant: nam id rectè congruit verbis Carthuitii, qui ait à Rege statutum*, ut, si cui (*in comitatu Semigiensi*) decem liberos habere contingeret, decimam prolem S. Martini D cœnobio daret.

§ XV. Fundatio monasterii S. Martini, & duorum aliorum.

Litteræ S. Stephani pro monasterio S. Martini,

UT rectiùs explicari valeant obscura & implexa, quæ in fundatione monasterii S. Martini occurrunt, præmittendas hîc censui jam sæpe laudatas S. Stephani litteras, quibus dicti monasterii privilegia roboravit Rex sanctus. Datæ hæ sunt sub finem anni 1001: nam sic exigit apposita his litteris epocha: Datum anno MI, regni nostri secundo, Indictione XV. *Hæc Indictio currere incipiebat mense Septembri anni* 1001, *quo & regni* S. Stephani *annus currebat secundus. Litteræ igitur datæ sunt mense Septembri, aut alio ex mensibus sequentibus anni* 1001. *Edidit hasce litteras Joannes Sambucus* E *inter Decreta regum Hungariæ post Bonfinii aliorumque Opera pag.* XI, *eademque deinde variis locis recusæ sunt, sed non sine mendis. Titulum ibi hunc habent præfixum:* Privilegium datum proto-abbatiæ S. Martini Pannoniæ. *Easdem quoque litteras dedit Odoricus Raynaldus ad annum* 1232 *num.* 24, *prout insertæ erant litteris Gregorii Papæ IX, qui privilegium abbatiæ confirmavit. Cùm hîc paulo videantur correctiores, eas ex Raynaldo subjicio, notatis in margine differentiis editionis Sambuci, ubi menda non sunt clara. Sic habent:* In nomine Domini Dei summi. Stephanus superna * providente clementia Ungarorum rex. Credimus & verè scimus, si locis divino cultui mancipatis potestates, atque honores adaugmentaverimus, id non solùm laude humana prædicandum, verùm divina mercede remunerandum. Quocirca omnium sanctæ Ecclesiæ Dei fidelium, nostrorumque, præsentium ac futurorum solers comperiat intentio, quòd nos interventu, consilio, & consensu domini Anastasii abbatis de * monasterio S. Martini, in monte supra Pannoniam sito, à genitore nostro incepto, quod nos per Dei subsidium ob animæ nostræ remedium, pro stabilitate regni nostri ad finem perduximus, talem concessimus libertatem, qualem detinet monasterium S. Benedicti in monte Cassino, quia propter orationes sanctas fratrum ejusdem monasterii, consiliante domino Anastasio præscripto abbate, & jugiter adjuvante, confortati & laureati sumus: singulare namque suffragium, quod per merita B. Martini in puericia mea expertus sum, memoriæ posterorum tradere curavi.

* *al.* divis

* *al.* de *omittitur*

F

& vota sua S. Martino fideliter persolvit.

150 Ingruente namque bellorum tempestate, quia * inter Theutonicos & Ungaros seditio maxima excreverat, præcipuéque cùm civilis belli ruina urgeret, volente comitatu quodam Symigiensi * paterna me sede repellere, quid fluctuanti animo consilii darem, quáque me verterem tantâ tactus verecundiâ, astantibus ducibus videlicet Pagzano *, Contio *, Orzio *, donno quoque Dominico * archiepiscopo, votum vovi S. Martino, quòd, si de hostibus interioribus, & * exterioribus ejus meritis victor existerem, supranominati comitatus decimationem de omnibus negotiis, prædiis, terris, vineis, segetibus, vectigalibus, vinoque hospitum, quod in prædiis

post victoriam dotato
* *al.* quâ

* *al.* nomine Simigensi
* *al.* Poznano
* *al.* Cincio
* *al.* Orthio
* *al.* dominoque meo
* *al.* aut

A diis eorum crescerét, ne parochiano episcopo pertinere videretur, sed magis abbati ejusdem monasterii, sub testimonio præfatorum ducum multorumque comitum, absque ulla mora subjugarem. Dumque post cogitatum, victoriâ potirer, quod animo revolveram, operis efficaciâ complere studui. Necdum enim * episcopatus & abbatiæ præter ipsum locum in regno Ungarico fuerant *. Quod si, vos fideles, licuit mihi, quo volui loco, episcopatus, & abbatias statuere, an non licuit cuipiam loco, quod volui, ut facerem?

* *al.* etiam

* *al.* sitæ erant

variisque privilegiis munito:

151 Et ne adhuc ecclesia S. Michaëlis vacua esse videretur, vel episcopus parrochianus injurias, querimoniasque in collectione decimationis pateretur, ei curtem, quæ vocatur Cortou *, cum omnibus eidem * pertinentibus tradidi. Quod si ipse contra mea statuta quid iniquè agere, vel acquirere voluerit, ante Deum judicem vivorum & mortuorum in die judicii se contendere mecum sciat. Adhuc autem subjungens dico: sit autem id ipsum monasterium ab omni inquietudine semotum, habeantque monachi post transitum sui cujusque abbatis alium abbatem securiter eligendi auctoritatem, à quocumque velint episcopo consecrandi eum, sitque illis licitum ordines recipere in quovis loco, & à quocumque, &c. Signum domini Stephani inclyti regis. Dominicus archiepiscopus vicecancellarius fecit anno Dominicæ incarnationis MI Indictione XV. Anno Stephani primi regis secundo. *Pauca de hisce litteris veniunt observanda. Primò episcopus parochianus, de quo hic fit mentio, est episcopus Vesprimiensis, atque ecclesia cathedralis Vesprimiensis dicata est S. Michaëli. Itaque falluntur scriptores nonnulli, qui crediderunt pro ecclesia S. Michaëlis hîc memorata substituendam esse S. Martini ecclesiam: nam refert* S. Stephanus, *quid concesserit ecclesiæ Vesprimiensi pro damno, quod aliàs pateretur ex privilegio abbatiæ S. Martini concesso. Secundò* Dominicus *archiepiscopus, qui memoratur apud Raynaldum in hisce litteris, in aliis editionibus non exprimitur nominatim. Et sanè non novi ullum archiepiscopum illo tempore fuisse in Hungaria, qui vocabatur* Dominicus: *nisi forsan primus archiepiscopus Strigoniensis eo fuerit nomine, quod magis examinabo § 24. Obscurum igitur est, quis ille fuerit, imò non omnino certum, an illa lectio sit recta.*

* *al.* Corten

* *al.* cum hominibus eodem

B

C

laudatum monasterium in Monte sacro situm,

152 *Hisce breviter observatis, inquirendus est locus monasterii. Situm dicitur* in monte supra Pannoniam. *Carthuitius num.* 7 *constructum ait*, Juxta fundum sancti Præsulis in loco, qui SACER MODUS * dicitur, ubi sanctus Martinus, dum adhuc in Pannonia degeret, orationis sibi locum assignaverat. *Hæc verba satis indicant, locum non longè abfuisse Sabariâ urbe Pannoniæ deinde destructa, ubi natus est S. Martinus. Itaque tanto magis miror hallucinationem Mabillonii, qui tom.* 4 *Annalium Benedictinorum pag.* 115 *hoc S. Martini monasterium cum cœnobio Breunoviensi in Bohemia confundit, erroremque hunc pag.* 143 *repetit, Astricum vocans Breunoviensem S. Martini abbatem: quin & pag.* 470 *ait, Breunoviense monasterium distare* ab urbe Praga viginti stadiis, *ita ut velit S. Martini monasterium, quod* S. Stephanus *perfecit, in media fuisse Bohemia. Hujusmodi errores, in quos subinde labuntur viri eruditi, notandos credimus, ne adoptentur ab aliis, prout sapissimè contingere experimur. Gotardus Arthus in Chronologia Pannoniæ pag.* 9 *solùm ait:* Adhæc S. Martini cœnobium in altissimo monte locabat. *Inchofer etiam ad annum* 999 *constructionem quidem monasterii hujus narrat, sed locum distinctiùs non exponit, uti & alii fecerunt plurimi.*

* *lege* sacer mons

AUCTORE J. S.

excrevit in oppidum munitum inter Javarinum & Albam regalem:

153 *Verùmtamen ad hoc* S. Martini *cœnobium oppidum excrevit egregiè munitum, quod Tartarorum innumeræ multitudini restitit, dum illi totam ferè interceperant Hungariam. Quippe Bonfinius decade* 2 *lib.* 8, *ubi totius Hungariæ vastationem, urbisque Strigoniensis miserrimam cladem narraverat, pag.* 300 *hæc subjungit:* Arx Strigoniensis, cui Symeon præfectus cum valido præsidio tunc præerat, hostem tentata deterruit. Quâ dimissâ, ad Albam Regalem barbarus properavit, . . . sed hæc eum frustrata fuit opinio: nam inter paludes sita, nulla vi & arte capi potuit. Mox ad divi Martini cœnobium festinatum, unde re infecta abiêre. Hæc igitur tria loca tantùm, excidii Tartarici expertia fuisse testantur. *Idem tamen oppidum facili negotio à Turcis interceptum est anno* 1574, *uti narrat Isthuanfus lib.* 28 *Historiarum pag.* 636, *verbis hisce ad propositum nostrum conducentibus:* Redactâ in potestatem Tatâ, arx divo Martino sacra, hostibus obvia erat, opulento monachorum Benedictinorum collegio insignis, quod olim divus Stephanus, primus rex Pannoniæ, in edito & amœno ac in longum exporrecto colle, ante DC (*ferè*) annos è spoliis & manubiis devicti ad eum locum Cuppani perduellis sui . . . condiderat, & SACRUM Pannoniæ MONTEM nominaverat. Ea arx Paulo Baroniano abbati parebat: militari autem præsidio . . . Joannes Zadorius præerat *&c. Subdit arcis deditionem, quæ huc minùs spectat. Eamdem refert Martinus Zeillerus in Topographia Hungariæ Germanicè scripta pag.* 174, *addens arcem à Christianis post triennium receptam, ac deinde retentam. Porrò arx S. Martini sita est in Javariensi comitatu non longè Javarino distans versus Albam Regalem, à qua multo longiùs est dissita. Tatâ abest paucis milliaribus: sic certè passim notatam invenio in tabulis geographicis Hungariæ; dictaque Zeilleri & Isthuanfi hisce rectè congruunt.*

E

F

primus abbas hujus monasterii Astricus, aliàs Anastasius, qui aniè fuerat Breunoviensis.

154 *Abbas hujusce monasterii in litteris Regiis vocatur* Anastasius, *alio nomine* Astricus *dictus, teste Carthuitio. Verisimile est hunc Astricum jam venisse in Hungariam, vivente adhùc Geysa; aut certè Geysæ notus fuit, cùm hic monasterium S. Martini exstruere cœperit. Mabillonius in Actis Sanctorum Ordinis Benedictini seculo* 6 *part.* 1 *pag.* 72 *elogium Anastasii texuit ex variis scriptoribus, in quo de primordiis Anastasii sic habet:* Hic in monasterio S. Alexii, seu S. Bonifacii Romæ, vitam monasticam agebat sub Leonis abbatis regimine, eo tempore, quo S. Adalbertus Pragensium antistes in idem monasterium denuò se recepit. Cùm verò idem Adalbertus, agente Willegiso archiepiscopo Moguntino, iterum in Bohemiam ad suam ecclesiam redire coactus fuisset, sex monachi Alexiani, inter quos noster Austricus erat, sese ipsi itineris comites adjunxere, eumque in Bohemiam secuti sunt, quod condendo celebri Breunoviæ asceterio occasionem præbuit. *Deinde adducit verba Dubravii, qui affirmat monasterium istud ab Adalberto & Boleslao Bohemiæ duce conditum, primumque abbatem eidem Breunoviensi cœnobio præfectum esse Astricum, sub cujus præfectura*

AUCTORE J. S.

fectura monaſterium maximè floruit, dum res erant tranquillæ in Bohemia. Rectè hactenus ac probabiliter hæc expoſuit Mabillonius; atque hinc Aſtricus pater *vocatur à Carthuitio, qui abbas erat, dum in Hungariam venit. Mox ſubdit, Adalbertum rurſus diſceſſiſſe Romam, quia Bohemia tota iniquorum conjuratione erat turbata,* Cujus, *inquit*, exemplum ſecutus paulo pòſt Aſtricus, in Hungariam cum ſuis diſcipulis perrexit, ubi à beato Stephano tunc duce benignè exceptus; ac ædificato monaſterio in honorem ſancti Benedicti, non minùs ibi, quàm in Boëmia, ſanctitate floruit. *Si diſceſſit ex Bohemia Aſtricus paulo poſt Adalbertum, anno 995 Romam diſcedentem, venit in Hungariam vel eodem vel ſequenti anno, dum vivebat Geyſa, qui ei cœpit exſtruere monaſterium S. Martini, quod perfecit* Stephanus. *Hujus monaſterii primus abbas fuit Aſtricus, ſicut fuerat Breunovienſis.*

Aliud à priori diſtinctum ad radices Montis Ferrei conditum monaſterium, B

155 *Alterum quoque monaſterium ejuſdem Aſtrici monachis exſtruxit* S. Stephanus *ad radices Montis Ferrei. Poſterius hoc agnovit Mabillonius in elogio Aſtrici, ſed Martinianum non diſtinxit à Brennovienſi, ut antè dictum. Alii verò inter monaſterium S. Martini in Monte Sacro, & S. Benedicti ad radices Montis Ferrei non videntur diſtinxiſſe. Quin imo nec in Annalibus Mabillonii poſterius hoc ullibi memoratum invenio, ita ut videatur minùs poſtea adhæſiſſe iis, quæ in elogio Anaſtaſii de hoc monaſterio attulerat. Attamen Carthuitius num.* 7 *prioris fundationem refert, ac num.* 9 *fundationem alterius, utrumque loco diſtinguens & nomine: nam primum ſacrum erat S. Martino, cujus nomen ſemper retinuit; alterum dicit fundatum* ſub titulo ſancti patris Benedicti. *Primum erat in monte, alterum ad radices montis.* Mons Sacer *dicebatur, nunc* Mons S. Martini, *cui impoſitum erat primum;* Mons Ferreus, *ad cujus radices ſitum erat alterum. Ha diſtinctionis notæ dubitare vix ſinunt, quin diverſa ſint monaſteria Montis ſacri & Montis ferrei, ſeu S. Martini & S. Benedicti. Verùm nullum prorſus remanebit dubium, ubi infrà locum & litteras fundationis ſecundi aſſignaverimus.*

quia multi presbyteri & monachi litteris Regis invitati C

156 *Ratio condendi hæc, aliaque monaſteria, erat acceſſus monachorum, qui ad* S. Stephanum *undique confluxerunt in Hungariam. Teſtatur id ſcriptor coævus, Maurus nimirum Quinqueeccleſienſis epiſcopus, in Vita SS. Zoërardi & Benedicti, data apud nos tom.* IV *Julii pag.* 336, *quam ſic orditur:* Tempore illo, quo ſub Chriſtianiſſimi Stephani regis nutu nomen & religio Deitatis in Pannonia rudis adhuc pullulabat, auditâ famâ boni Rectoris, multi ex terris aliis canonici & monachi ad ipſum, quaſi ad patrem confluebant, non quidem causâ alicujus neceſſitatis coacti, ſed ut novum ſanctæ converſationis gaudium ex eorum adventu adimpleretur. Inter quos quidem, ſancti Spiritus inſtinctu tactus, ex ruſticitate, quaſi roſa ex ſpinis ortus, nomine Zoërardus, hanc in patriam de terra Polonienſium advenit, & à Philippo abbate, cujus monaſterium, Zobor nominatum, in Nitrienſi territorio ad honorem S. Hippolyti martyris ſitum erat, habitu accepto, & Andreas nominatus, eremiticam vitam agere ſtatuit. *Aliud hîc rurſum indicatur monaſterium, de quo infrà. Cauſam tanti piorum virorum confluxûs indicat Carthuitius num.* 8, *ſic ſcribens:* Ad hoc ergo incipiendum & conſummandum (*de converſione regni loquitur*) quoniam fidelium Chriſti conſultum * habebat neceſſarium, nuntiis & litteris in omnes partes ſuum divulgavit deſiderium. Inde multi presbyteri & clerici, Spiritus paracleti compuncti viſitatione, relictis ſedibus propriis, elegerunt pro Domino peregrinari: abbates & monachi, nil proprium habere cupientes, ſub tam religioſi Principis moderamine regulariter vivere deliberaverunt. D

* *i. e.* conſilium

ejuſque ſanctitate moti veniebant in Hungariam,

157 *Merentur etiam audiri Bonfinii verba, quæ ſubdit poſt relatam modò victoriam:* Tali ſucceſſu, *inquit*, Regis animus non elatus, ſed ardentiſſima Dei charitate ſuccenſus eſt. Quotidie humi proſtratus Deo ſupplicat, ut ſibi ſalutare conſilium divina ope perficeret, totamque Ungariam, antequam rebus humanis exceſſat, ad veram fidem revocare liceat. Quod ut à Deo aſſequeretur, ſæpe in cinere & cilicio ſupplicabat, & in templo aſſiduè exorabat: laudabile propoſitum ſuis diplomatibus longè latèque declaravit. Quare plerique ſacerdotes, publica utilitate commoti, ad prædicandum Dei verbum in Ungariam ultrò confluunt, & pro Catholica fide peregrinari geſtiunt. Alliciebantur quoque ſanctitate Principis, cujus nomine multi è remotiſſimis in Pannoniam partibus evocabantur. Inprimis Aſtricus, vir ſanctitate conſpicuus, cum diſcipulis advenit. *Aſtricum veroſimiliter ſub Geyſa jam adveniſſe diximus; niſi forſan ſub Geyſa ſtabilem habitationem non fixerit in Hungaria, quòd monaſterium S. Martini necdum monachorum habitationi eſſet ſatis adaptatum. Si ita ſe res habuerit, venit paulo poſt mortem Geyſæ: nam in Hungaria erat cum ſuis ante bellum Regis cum Cupa. Monaſterium S. Martini huic Aſtrico ſtructum fuiſſe, videtur ignoraſſe Bonfinius; ſolius enim eccleſiæ S. Martini meminit, non monaſterii, niſi illud confuderit cum ſequenti, à quo diverſum eſt.* E

ut Hungaros inſtruerent; monaſterium illud inchoatum veriſimiliter circa annum 999.

158 *De ſecundo mox ita ſcribit:* Aſtricum & diſcipulos Rex honorificè excepit, & ad radicem Montis ferrei collocavit, ubi divi Benedicti cœnobium magnifico ſumptu exædificare permiſit. Quin & baſilicam illam ingenti donativo, multiſque prædiis pagiſque donavit, quo monachi commodiùs in regulari vita conſiſtere poſſent. Horum conſuetudine, quando viros optimos eſſe intelligebat, mirificè delectabatur: quorum auxilio ac operâ Ungaros, partim ſponte, partim vi ac metu, in lucem veritatis aſſeruit, mandata ſacræ legis & orthodoxæ fidei axiomata omnes ſcire coëgit, prophanis dira ſupplicia indixit. *Inchofer ad annum 999 refert conſtructionem monaſterii S. Benedicti ad Montem Ferreum, illudque rectè diſtinguit à præcedente. Veriſimile eſt, inchoatum revera eſſe dictum monaſterium ab anno 999, cùm ejus fundatio referatur à Carthuitio ante fundationem epiſcopatuum, cùmque Rex ipſe clarè innuat in litteris datis, plures abbatias conſtructas fuiſſe ante tempus, quo dedit prædictas litteras, id eſt, ante finem anni* 1001. *Verba accipe:* Quod ſi licuit mihi, quo volui loco, epiſcopatus & abbatias ſtatuere *&c. Hinc etiam credo, non diu poſt inhabitari cœptum. Attamen ædificatio ad multos annos protracta videtur, templi certè, cujus conſecratio anno* 1015 *peracta eſt, ut colligitur ex litteris* S. Stephani *eodem anno in die conſecrationis templi datis, quas edidit Carolus Peterſy Societatis Jeſu in Conciliis Hungariæ, anno* 1741 *editis, part.* 1 *pag.* 4. F

159 *Illas ex dicto Opere huc transfero:* Stephanus

A phanus ſuperna favente clementia rex Hungarorum &c. Credimus, & verè dicimus, ſi locis Divino cultui mancipatis, poteſtates atque honores adaugmentaverimus, id non ſolùm laude humana prædicandum, verùm etiam Divina mercede remunerandum. Quocirca omnes ſanctæ Dei Eccleſiæ, & fidelium noſtrorum, præſentium atque futurorum, conſpiciat intentio, quòd nos per Dei ſubſidium, ob animæ noſtræ remedium, & pro ſtabilitate regni noſtri, monaſterium ſanctiſſimæ Dei Genitricis Mariæ, & ſancti Benedicti ad radicem Montis Ferrei diligenter conſtruximus &c. Præterea ex conſenſu, & confirmatione authoritatis Apoſtolicæ, non ſolùm præſcripti populi &c. Eadem authoritate Apoſtolica mediante, decrevimus, ut præfati cœnobii abbas, generali tamen & ſolenni ſynodo dumtaxat, Strigonienſi epiſcopo intereſſe teneatur &c. Quod, ut veriùs credatur, hanc paginam manibus propriis roboravimus ſigilli munimine, in ipſo die conſecrationis dicti monaſterii, per miniſterium domini Aſtrici archiepiſcopi Colocenſis, & Pauli abbatis prædicti monaſterii, nobiſcum omnibus regni principibus ibidem aſſiſtentibus confirmavimus. Anno ab incarnatione MXV.

ſed ſeriùs abſolutum, uti inſinuant datæ hic litteræ:

B

160 *Ex his litteris habemus, abbatiam hanc beatæ Mariæ Virgini & S. Benedicto ſimul fuiſſe ſacram. Solum nomen poſterius memorarunt Carthuitius & Bonfinius, quòd illo forſan nomine condi ſit cœpta. Verùm prius nomen deinde magis invaluit, eoque ſolo ferè vocatur. Sita eſt hæc abbatia (cujus nomen Hungaricum* Pechvárad *) in comitatu Tolnenſi, eſtque diœceſis Quinque-eccleſienſis, inter Danubium & Dravum ad radices montis, prope amnem Zarwizam aſſurgentis, uti notatur in tabulis Hungariæ. Petrus Pazmany archiepiſcopus Strigonienſis in Appendice ſecunda apud laudatum Peterfy part. 2 pag. 274, enumerans abbatias Ordinis Benedictini in Hungaria, hanc recenſet his verbis:* PECH-VARAD (alias DE VARAD ad radicem Montis-Ferrei) B. Mariæ Virginis diœceſis Quinque eccleſienſis, fundata à S. Stephano rege anno MVII. *Inchoferus ad annum* 1007 *exiſtimat, monaſterium hoc conditum à* S. Stephano *in gratiarum actionem de nato filio Emerico, ita ſcribens:* Ut autem Stephanus rex pro data ſibi ſobole gratum ſe Deo exhiberet, Deiparæ Virgini patronæ inſignem baſilicam erexit, adjuncto Patribus Ordinis S. Benedicti cœnobio, omnibuſque tam pro ornatu, quàm pro commodo victu, copiis aucto. Viguit ea diu ad radicem Montis-Ferrei in diœceſi Quinque-eccleſienſi, vocabulo abbatiæ de Varad, ſive, ut alii appellant, Pechvarad, donec defluentibus Hungariæ rebus, & ipſa inconſtantiæ ſe ſubmiſit. *Laudatus antè Peterſius pag.* 10 *multa Regis dona enumerat: tum eccleſiæ tum ipſi cœnobio conceſſa.*

patroni & locus hujus monaſterii, vulgò Pechvárad *dicti:*

C

161 *Inter primas quoque Hungariæ abbatias fuiſſe putem abbatiam S. Hippolyti,* Zobor *dictam, cui Philippus abbas præerat, dum illam ingreſſus eſt S. Zoërardus, uti habent verba Mauri epiſcopi num.* 156 *data. Prioribus enim regiminis* S. Stephani *annis conditam eſſe, colligitur ex tempore adventûs S. Zoërardi, qui veniſſe dicitur, quando* ſub Chriſtianiſſimi Stephani regis nutu nomen & religio Deitatis in Pannonia rudis adhuc pullulabat. *Hoc tempus deſignat priores haud dubiè* Stephani *annos, cùm religio rudis adhuc pullularet. Attamen condita jam erat dicta abbatia, dum advenit Zoërardus, qui habitum ibidem accepit ab abbate Philippo. Dubium igitur non videtur, quin hæc abbatia prioribus Hungariæ ſit annumeranda. Territorium, & epiſcopatus Nitrienſis, in quo adificata eſt abbatia, eſt ſuperioris Hungariæ, non longè ab Auſtria & Moravia, à quibus per interjacentem comitatum Poſonienſem dirimitur; atque urbs ipſa Nitria, vulgò* Nytra, *cum comitatu cognomine Hungaris ſatis nota. Laudatus Pazmany in memorato ſuprà abbatiarum catalogo de hac ita loquitur:* ZOBOR, S. Hippolyti martyris, Nitrienſis diœceſis, à S. Stephano rege fundata. Poſtea eſt applicata ad epiſcopatum Nitrienſem. *Verùmtamen anno* 1689 *novum monaſterium, ſeu eremum eodem in loco inſtaurarunt monachi Camaldulenſis Ordinis, uti jam dictum eſt in Commentario Actis SS. Zoërardi & Benedicti prævio tom.* IV *Julii pag.* 331. *Ceterùm annus fundatæ hujus ac præcedentis abbatiæ nequit exactè aſſignari: nam primæ fundationis litteræ hactenus productæ non ſunt; nec ſatis fidimus dictis ſcriptorum, qui longè poſteriores ſunt.*

alia quoque abbatia, Zobor *dicta, ſacraque S. Hippolyto, in comitatu Nitrienſi ſtructa.*

AUCTORE J. S.

D

E

§ XVI. Fundati epiſcopatus per totam Hungariam, eorumque metropolis Strigonii conſtituta: hæc facta intervenientе auctoritate Romani Pontificis.

Conſtat varios epiſcopatus circa annum 1000 *à Stephano erectos,*

VArios *in Hungaria per* S. Stephanum *erectos eſſe epiſcopatus, certum eſt indubitatumque. Mirum igitur videri poſſet, tam paucos ſcriptores illius temporis de iis meminiſſe, verbiſque tam brevibus & confuſis, ut difficulter tantæ rei diſtinctam narrationem dare poſſimus, niſi abunde conſtaret, res geſtas Hungarorum ſeculo* X *&* XI *accuratè ſcriptas non eſſe, quòd Hungari ipſi id non præſtarent; aliæ verò nationes de rebus geſtis Hungarorum enarrandis non eſſent ſollicitæ. Ditmarus lib.* 4 *de erectis epiſcopatibus breviſſimè meminit, ſic habens in codice noſtro Ms.:* Imperatoris autem prædicti gratiâ & hortatu, gener Henrici ducis Bawariorum Waic in regno ſuo * epiſcopales cathedras faciens, coronam & * benedictionem accepit. *Hæc verba ſcriptoris coævi ſufficiunt, ut conſtet de erectis per* Stephanum *epiſcopatibus quibuſdam ante mortem Ottonis III. Idem etiam habemus ex ipſis* Stephani *litteris, in quibus teſtatur, nullos fuiſſe epiſcopatus in regno Hungariæ, quando ſuperavit comitem Simigienſem, ſimul inſinuans aliquot erectos fuiſſe, antequam anno* 1001 *daret prædictas litteras. Ex utroque hoc teſtimonio colligi utcumque poteſt tempus, quo cœpta eſt epiſcopatuum erectio: nam evidenter hinc ſequitur, cœptam non eſſe ante annum* 998, *nec poſt annum* 1001. *Crediderim Sanctum anno* 999 *aut* 1000 *ordinare cœpiſſe reditus & limites, unicuique epiſcopatui aſſignandos; deinde & perſonas deſignaſſe; miſiſſe verò anno* 1000 *Aſtricum abbatem, deſignatum epiſcopum Colocenſem, ad ſummum Pontificem Silveſtrum II, ut omnia illa Pontificis auctoritate rata fierent & confirmarentur. At de miſſo Romam Aſtrico infrà agemus latiùs.*

F

* *al.* ſuimet
* *al.* ac

AUCTORE J. S.

quod propria Regis auctoritate factum,

163 *Schwartzius in Opuſculo ſæpe memorato de inſtitutis epiſcopatibus ratiocinatur more ſuo, id eſt, eo modo, ut vix queam exiſtimare, ipſum vera credidiſſe, quæ tamquam probata lectoribus ſuis obtrudere conatur. Sententiam, quam inculcare nititur, declarat pag. 61, num. 56 his verbis :* Originem proinde poteſtatis eccleſiaſticæ, quam primi Hungariæ reges exercebant, à Græcis quoque, à quibus in religione Chriſtiana inſtituti ſunt, repetimus. Quò refero, quòd Stephanus rex ſuo conſilio ſuaque propria auctoritate archiepiſcopen, epiſcopas, abbatias, aliaſque prælaturas condidit, & quibus viſum ipſi eſt, immunitatibus donavit. *Nimirum quia Græci unamquamque gentem ſuo arbitrio vivere permittebant, ſi credimus Schwartzio, qui de moribus Græcorum hæc præmiſerat verba:* Græcos hæc contra illis conſtat fuiſſe moribus, ut partibus ſuis ſe ritè defunctos exiſtimarent, ſi quos Chriſtiana pietate imbuere potuerunt : imbutos ſuis eos legibus rem ſacram gubernare permiſerunt. *Egregiam enimvero laudem Græcis adſcribit Schwartzius, dum affirmat converſos eorum operâ ſuis legibus rem ſacram adminiſtraſſe. At rem adeo mirabilem probare debuerat, quod ne uno quidem verbo tentavit. Mihi ſanè chimæra non abſimilis videtur aſſertio : quo enim modo ſuis legibus rem ſacram gubernarent gentes recèns converſæ, quæ nullas umquam de ſacris Chriſtianorum habuerunt leges? Juſſit Chriſtus Petrum paſcere agnos & oves Joan. 21 : poſuit Spiritus ſanctus epiſcopos regere eccleſiam Dei Act. 20 ; at nullibi præcepit aut permiſit Dominus, ut gentes recèns converſæ ſuis legibus rem ſacram gubernarent. Rectiùs igitur & laudabiliùs, quàm vellet, de Romana Eccleſia loquitur Schwartzius, dum ſic ſcribit :* Gentes autem tunc primùm converſas accuratè obſervabant Pontifices, nihilque non egerunt, ut recèns plantatæ eccleſiæ ſuo arbitratu ordinarentur, ſuoque à nutu penderent in poſterum. *Ita facere oportuit Petri ſucceſſores, quibus cura paſcendi oves Chriſti erat demandata. Hiſce breviter obſervatis, audiamus, quàm bellè probet memoratus ſcriptor, epiſcopatus Hungariæ propria auctoritate à* S. Stephano *conſtitutos.*

inculcare nititur Schwartzius :

164 Epiſcopas, *inquit*, & metropolitanam Strigonienſem priùs à Stephano fuiſſe inſtitutas, ipſe in Legenda Chartuitius tradit, quàm legationem Rex Romam mitteret. Eæque fundationes eccleſiarum quàm ſine omni Pontificis conſilio à Rege factæ fuerint, illi iterum, qui principibus hæc jura denegant, teſtimonium edant, quando, præeunte Chartuitio, Silveſtrum Pontificem, ſuis in litteris, legatos regios IGNOTÆ GENTIS LEGATOS appellantem fingunt. Ergo in gente, quam ad ovile ſuum pertinere ignorabat Princeps paſtorum, religio Chriſtiana effloruit, incrementa cepit, ſacerdotia & epiſcopatus inſtituti fuerunt. Sed hæc κατ' ἄνθρωπον. Firmiſſimum ſententiæ noſtræ præſidium collocamus in diplomate, quo abbatiam S. Martini rex Stephanus communivit ; ex eo enim & prælaturas ſolius Regis auctoritate inſtitutas, & ipſos prælatos, quibus viſum Regi eſt, immunitatibus donatos, elucet. Nam cùm decimas, ad parochianum epiſcopum pertinentes, abbati monaſterii Rex addiceret ; ne id epiſcopus ægriùs ferret, ipſum & ceteros, cujus auctoritate ſint conſtituti, cogitare admonet. Nec minùs dignæ, quæ ſolicitiùs expendantur, ſunt ceteræ immunitates, abbatibus monaſterii illius conceſſæ. Atque hoc illud eſt, quod recitatis privilegii verbis, febricitare coëgit Inchoferum. *Ita loquitur ſcriptor heterodoxus, quia Inchofer ſubjunxit hæc verba ad annum* 1002 : Multa verò ſunt in hoc privilegio, quæ, ſi ad ſtrictum jus exigantur, admirationem pariant. Verùm enim Stephanum jure legati ſummi Pontificis, ut ſuprà vidimus, circa eccleſias earumque jura diſpoſuiſſe, tradunt ſcriptores rerum Hungaricarum : inter quos Bonfinius narrat, Regis acta cuncta cum inſtitutis epiſcopatibus fuiſſe à ſummo Pontifice approbata ; & præterea ad exaggerandam ejus dignitatem, pontificiæ legationis munus, quâ ſibi, poſteriſque regibus in perpetuum fungi fas eſſet, præferendæ crucis poteſtate honoraſſe.

at contrarium probatur certis argumentis;

165 *Nihil attulit Schwartzius, cur hæc febricitantis eſſe verba dixerit ; nihil, quo evinceret, vera non eſſe. Fallitur enimvero ſcriptor ille, ſi ſibi perſuaſerit, dicta Catholicorum, variis rationibus nixa, joco illiberali ſatis refutari : neque enim id eſt ſcriptoris verum inveſtigantis, ſed petulantis & inhumani. Quàm autem vera ſit Inchoferi obſervatio, paucis accipe, lector ſtudioſe. Primò Carthuitius num.* 12 *teſtatur, ſummum Pontificem permiſiſſe Regi, ut non modò eccleſias erectas ordinaret, ſed etiam crucem in ſignum apoſtolatûs ante ſe ferri juberet. Secundò Rex ipſe in litteris fundationis monaſterii Bcel, quas recitat Peterfius in Conciliis Hungariæ pag.* 5, *ſic loquitur :* Ita nihilominus à Romanæ Sedis ſupremo Pontifice habui auctoritatem, ut, quibus vellem, eccleſiis ſeu monaſteriis libertates ſeu dignitates conferrem. *In litteris quoque fundationis monaſterii Montis Ferrei jam datis num.* 159 *hæc reperiuntur Regis verba :* Ex conſenſu & confirmatione authoritatis Apoſtolicæ ; *& hæc :* Eadem authoritate Apoſtolica mediante decrevimus. *Accedunt litteræ ejuſdem Regis pro cathedra Quinque-eccleſienſi datæ apud Inchoferum ad annum* 1009, *in quibus ſimiliter aſſeritur, erectum eſſe epiſcopatum illum à Rege cum conſenſu Sedis Apoſtolicæ. Ditmarus item, dum ait,* Epiſcopales cathedras faciens, coronam & benedictionem accepit, *apertè inſinuat, gratam fuiſſe ſummo Pontifici hanc epiſcopatuum erectionem. Etenim non exiſtimo tantum impudentiæ eſſe Schwartzio, ut negaturus ſit* benedictionem *ſummi Pontificis intelligi à Ditmaro. Certè quilibet moderati ingenii eruditus ſine dubio admittet de Romani Pontificis, ſeu Apoſtolica benedictione loqui Ditmarum. At non accepiſſet* Stephanus *à Romano Pontifice benedictionem ob erectos epiſcopatus, niſi illos erexiſſet conſentiente Sede Apoſtolica, atque ab ea illorum confirmationem impetraſſet. Quapropter certum eſt, nihil actum à* S. Stephano *in erectione epiſcopatuum & abbatiarum, niſi approbante & confirmante Romano Pontifice ; idque vel ex ſola ſancti Regis pietate atque amicitia cum S. Henrico & Ottone III dicendum eſſet, etiamſi alia deficerent argumenta.*

& oſtenditur, quam inepta ſint argumenta,

166 *Relata Schwartzii argumenta, auctore ſuo digna prorſus ſunt, id eſt, planè inepta. Objicit primò Carthuitium, ac deinde Epiſtolam Silveſtri II, duo nimirum monumenta, quibus aliàs omnem auctoritatem detractam vellet. At clariſſimum eſt, utrumque monumentum maximè eſſe contrarium opinioni, quam aſſerit : nam, teſte Carthuitio infrà num.* 10, *confirmationem erectorum epiſcopatuum, uti & metropolis Strigonienſis, petiit & impetravit per legatum ſuum* Stephanus. *Verba quoque Silveſtri II in Epiſtola apud*

A *apud Inchoferum ad annum* 1000 *tam clara ſunt, ut nihil relinquant dubitationis :* Quare glorioſe Fili, *inquit Pontifex*, cuncta à nobis & Sede Apoſtolica expoſtulata, diadema nomenque regium, Strigonienſem metropolim & reliquos epiſcopatus, de omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli apoſtolorum ejus authoritate, præmonente atque ita jubente eodem omnipotente Deo, cum Apoſtolica & noſtra benedictione, libenter conceſſimus, concedimus & impertimur. *Itaque Carthuitius dixit, inſtitutos à Rege epiſcopatus, at non dixit id factum inſcio aut ſe non interponente Pontifice, ſed eo Regis conſilia approbante, & auctoritatem tribuente. Surrexerunt ſacerdotia & epiſcopatus in gente Romanæ Eccleſiæ eatenus ignota, quòd nullus illius gentis legatus antea Romam fuiſſet deſtinatus.*

quæ protulit Schwartzius :

167 *Verùm, etiamſi facilè credidero, Regem conſilio ſuorum cœpiſſe quorumdam epiſcopatuum reditus & limites deſignare, antequam legatum ſuum Romam mitteret, quòd ſperaret omnia, quæ diſpoſuiſſet, ibi probanda; epiſcopatus illi erecti non erant, antequam acceſſiſſet auctoritas ſummi Pontificis, qui non modò inchoata probavit & rata habuit, at reliqua etiam, quæ reſtabant ordinanda, ſancti Regis diſpoſitioni permiſit. Vidit ipſe Schwartzius non rectè à ſe adduci Carthuitium & Silveſtrum II, ideoque recurrit ad litteras Regis pro abbatia S. Martini datas, in quibus nulla ſit mentio auctoritatis acceptæ à Pontifice. Verùm non omnia ubique dicenda ſunt. Meminit auctoritatis ſibi collatæ per Pontificem in aliis tribus fundationum litteris jam allatis. Cùm verò illas litteras Sanctus dabat, tanto minùs opus erat meminiſſe poteſtatis acceptæ, quòd ea recens obtenta latêre tunc non poſſet eccleſiaſticos Hungariæ. Silentium igitur illud Regis obeſſe minimè poteſt, cùm aliis locis explicet, qua poteſtate immunitates & privilegia eccleſiis dederit, quâque auctoritate inſtituerit epiſcopatus.*

B

ipſi reges Hungariæ agnoverunt auctoritate Romani Pontificis hæc facta eſſe :

168 *Noverunt id ipſum Hungariæ reges* Stephani *ſucceſſores, quorum verba juvabit ſubnectere. Andreas Hungariæ rex in litteris ad Jacobum Præneſtinum Apoſtolicæ Sedis legatum, apud Raynaldum ad annum* 1233 *num.* 51 *de* S. Stephano *ſic loquitur :* Sedens itaque in cathedra cum David ſapientiſſimus Princeps, omne malum infidelitatis ſecundum illa tempora, ut prædiximus, ſuo intuitu diſſipavit, & obſtetricante manu ipſius, à gente Ungarica eductus eſt coluber tortuoſus : ſed & auctoritate ſummi Pontificis, qui ipſum vocavit Regem & Apoſtolum gentis noſtræ, provincias per epiſcopatus diſtinxit, eccleſias mirificè ampliavit *&c. Bela IV, ſucceſſor & filius Andreæ, idem privilegium petiit à Gregorio IX pro gentibus Bulgariæ, quas ſubjicere conaretur. Verba ejus in epiſtola ad Pontificem apud Raynaldum ad annum* 1238 *num.* 14 *hæc ſunt :* Petimus ut officium legationis non alii, ſed nobis in terra Aſſœvi (*Bulgariæ regis, qui aliis* Aſanes *dicitur*) committatur, ut habeamus poteſtatem limitandi diœceſes, diſtinguendi parochias, & in hac prima inſtitutione poteſtatem habeamus ibi ponendi epiſcopos de conſilio prælatorum & virorum religioſorum, quia hæc omnia beatæ memoriæ anteceſſori noſtro S. Stephano ſunt conceſſa *&c. Hæc clariùs manifeſtant, qua poteſtate* S. Stephanus *epiſcopatus novos erexerit in Hungaria, quàm ut amplius elucidari debeat res clara & certa.*

C

169 *Numerus epiſcopatuum à* S. Stephano *inſtitutorum hoc tempore incertus mihi apparet. Ait quidem Carthuitius* decem *epiſcopatus à* S. Stephano *erectos, ſed incertum eſt, an metropolim eo numero comprehendat; nec dicit, omnes ſimul eſſe inſtitutos. Unam initio totius Hungariæ metropolim ſtatutam eſſe Strigonienſem eccleſiam, eique ſubjectos eſſe reliquos epiſcopatus, abundè habemus perſpectum; nec dubitandum eſt, quin hæc omnium prima ſit ordinata. Carolus à S. Paulo in Appendice ad Geographiam ſacram varias dat notitias epiſcopatuum medii ævi, in quarum poſterioribus recenſentur etiam epiſcopatus Hungariæ. In notitia penultima, quam edidit* ex Regia bibliotheca, *pag.* 55 *metropolitanus Strigonienſis cum ſuffraganeis ſuis ſic recenſetur :* Archiepiſcopus Straigonienſis hos habet ſuffraganeos ; Agrienſem, Nutrienſem, Vatienſem, Jaurienſem, Quinqueeccleſienſem, Veſprunienſem. *Iidem enumerantur alio ordine in poſtrema ejus notitia pag.* 68, *ubi & voces paulò correctiùs ſcriptæ hoc modo :* Archiepiſcopus Strigonienſis hos habet ſuffraganeos ; Agrienſem, Jaurienſem, Nutrienſem *, Quinqueeccleſienſem, Watienſem *, Veſprimienſem. *Ponitur deinde utroque loco metropolis Colocenſis, quæ initio fuit cathedra ſuffraganea Strigonienſis metropolis, cum ſuffraganeis quatuor. Sufficiet illas recitare ex Notitia poſtrema, quæ ſic habet :* Archiepiſcopus Colocenſis hos habet ſuffraganeos ; Ultraſilvanum *, Cenadienſem *, Cagabrienſem *, Waradienſem. *Præter duodecim hoſce epiſcopatus, antiquus etiam eſt Bachienſis, qui deinde Colocenſi unitus eſt, ita ut jam tredecim habeamus epiſcopatus antiquos Hungariæ, quos tamen non omnes à* S. Stephano *inſtitutos exiſtimo. Ex hiſce tamen decem certè aut undecim inſtitutioni ſancti Regis debentur. De primis quorumdam epiſcopis agam infrà § 24.*

AUCTORE J. S.

decem aut undecim epiſcopatus à Stephano erecti, ſed non omnes ſimul.

* Nitrienſem
* Vacienſem

* Tranſilvanienſem
* Chanadienſem
* Zagabrienſem

§ XVII. Nuptiæ quo ferè anno contractæ : uxor Sancti Giſela, ſoror S. Henrici imperatoris : de Giſelæ genere errores quorumdam.

D

De tempore nuptiarum S. Stephani opiniones variæ :

DE anno, quo S. Stephanus *nuptias contraxit cum Giſela S. Henrici imperatoris ſorore, minimè convenit inter ſcriptores, qui annos aſſignant multùm diverſos. Antiquorum hac de re diſſenſio effecit, ut neoterici quoque in varias abierint ſententias. Inchoferus in Annalibus nuptias* Stephani *cum Giſela alligat anno* 1005; *at nuptias citiùs contractas videbimus. Schwartzius pag.* 7 *num.* 6 *de tempore nuptiarum hæc ſcribit :* Nuptias ejus ad annum MX Sigebertus ponit; cujus quidem calculus vitio non caret, fateor .... Propiùs ad rem accedit Aventinus, nuptiarum annum ſcribens MV. Id longè eſt certiſſimum, ante annum MII matrimonium principum non coaluiſſe. Idem enim omnes perhibent, fratrem Giſelæ Henricum ea tempeſtate imperii habenas tenuiſſe : eas verò anno MII adeptus eſt. *Ita quidem ille intrepidè definit; at cùm falſum ſit, omnes aſſerere, Henricum tempore matrimonii hujus imperatorem fuiſſe, incerta mihi eſt ea opinio, imò & minùs probabilis ob rationes mox dandas.*

AUCTORE J. S.

171 *Modeſtiùs & rectiùs de tempore nuptiarum* Stephani *diſſerit Hanſizius noſter in Germania ſacra tom.* I *pag.* 235, *ubi hæc ſcribit:* Jam tum, (*quando fundabat epiſcopatus*) credo, Stephanus deſtinatus erat gener Henrici ducis Bavariorum, quæ res ei ſtudium Ottonis adjunxerit; ſic ut gratiâ & hortatu Ottonis obtentam ex Pontifice coronam ac benedictionem teſtetur Ditmarus. Giſela erat Heinrici ſancti ſoror, cum qua nuptiale ſacrum ferunt in caſtro Schyrenſi celebratum, incertum quo anno. Obierat Henricus Giſelæ pater Bavariæ dux anno CMXCV, circa XXVII Auguſti menſis: filios reliquerat Henricum ſanctum, principatûs hæredem; & Brunonem poſtmodùm Auguſtanum epiſcopum: filias, Giſelam iſtam Stephano nuptam; & Brigittam Ratisbonenſis parthenonis antiſtitam. Horum liberorum ex teneris inſtitutor erat S. Wolfgangus, qui crebro vaticinio ſingulis eventuras olim ſortes canebat. Henricum appellitabat regem; Giſelam reginam. Hermannus Contractus conjugii hujus mentionem facit ſub anno CMXCV per occaſionem mortis Henrici Giſelæ patris, non tamen ſic, ut eodem anno contractum aſſerat; & in vivis tunc adhuc erat Geiſa, & Stephanus nondum Hymenæo maturus. Illud veroſimillimum, paulo pòſt legatos ad urbem dimiſſos & coronam regiam inde obtentam, Giſelam Stephano convenisſe in manus, ut quem favor Ottonis, per eas nuptias emptus, ad conſilia maturanda haud dubiè impulerit. Certè Chartuitius ejus connubii mentionem haud antè facit, quàm de accepto Pontificio munere retuliſſet; tunc enim ſubjicit, conſortem regni, ab Stephano adſcitam Giſelam, chriſmate unctam, & coronâ regiâ inſignitam. Illud certum videtur, Giſelam anno MIII jam fuiſſe in domo Stephani, cùm conſtet ex Adelboldo & Annaliſta Hildeſienſi, Brunonem Giſelæ fratrem ſub eum annum in Hungariam profugum ad ſororem veniſſe, ut poſtea pluribus explicabitur.

Hanſizius eas rectè ponit inter annum 1000 *&* 1003,

B

172 *Hæc ratiocinatio figit matrimonium* S. Stephani *inter annum* 1000 *&* 1003; *atque auctor* veroſimillimum *judicat, matrimonium contractum eſſe poſt reverſos Româ* Stephani *legatos, id eſt, circa finem anni* 1000 *aut initium* 1001; *ſic tamen, ut ſimul exiſtimet, nuptias jam antè fuiſſe decretas. Adelboldi verba de Brunone ad Giſelam fugiente hæc ſunt:* Dominus Bruno autem apud Bulizlaum conſolationem non inveniens, ad ſororem ſuam Ungaricam reginam confugit, & etiam ſemetipſum recognoſcens, interceſſionem ejus imploravit. *Sic Adelboldus in Vita S. Henrici apud nos tom.* IV *Julii pag.* 751. *At obſervandum eſt ſcribi hæc inter priora geſta anni* 1004, *licèt revera contingere potuerint ſub finem anni* 1003, *quo Bruno fugit ad Boleſlaum Bohemiæ ducem, apud quem non diu manſit. Brunonem in Hungariam veniſſe ad Giſelam circa finem anni* 1003, *aut certè initium* 1004, *colligo ex tempore reconciliationis ipſius cum Henrico imperatore fratre ſuo. Nam in gratiam receptus eſt ab Henrico circa finem menſis Martii, uti facilè colligitur ex tota relatione Adelboldi, qui de ea ſic habet:* Ibi ei dominus Bruno cum legatis Ungarici Regis, qui ad intercedendum pro eo veniebant, ad ſe reverſus obviàm venit, & veniam pro commiſſis humiliter poſtulans, fratris viſcera movit, & celeriter ad ignoſcendum inflexit. *Facta hæc ſunt circa limites comitatûs Tirolenſis, quem mox pertranſivit cum exercitu Henricus, Dominicam Palmarum, quæ incidebat in* IX *Aprilis, Tridenti celebraturus. Hæc eo libentiùs adduxi, quòd ex relatione Adelboldi ſimul diſcamus non Giſelam modò, ſed etiam* Stephanum, *allaboraſſe, ut Bruno ſe Henrico ſubjiceret, ab eoque reciperetur in gratiam.*

& ſanè nuptias non eſſe poſteriores anno 1003, *certo probatur argumento;*

C

D

173 *Porrò ſive Bruno ad Giſelam venerit currente anno* 1003, *ſive inchoato* 1004, *ex illis certò colligitur, nuptam non eſſe Giſelam poſt annum* 1003, *cùm ante adventum fratris ſui regina eſſet. Ex eodem etiam Adelboldo colligitur, nuptias haſce coaluiſſe veriſimiliter ante imperium Henrici, inchoatum die* VI *Junii anni* 1002: *nam diligentiſſimus Adelboldus nuptias iſtas non ſilniſſet in Vita Henrici, ſi incidiſſent in annos priores regnantis Henrici, quos exactè deſcripſit. Itaque non crediderim, Henricum regni initio, quod perturbatiſſimum fuit, de nuptiis ſororis ſuæ cogitâſſe. Præterea Ditmari verba vix ullum relinquunt dubium, quin nuptiæ factæ fuerint, vivente adhuc Ottone III: nam* Stephanus *à Ditmaro vocatur* gener Henrici ducis Bawariorum; *dum* coronam ac benedictionem accepit. *Patrem S. Henrici deſignat: illius enim gener fuit* Stephanus. *At* gener *non dicitur, niſi matrimonio junctus. Innuit igitur* Stephanum *non modò ante imperium S. Henrici, ſeu annum* 1002; *ſed etiam ante coronam anno* 1000 *acceptam nuptiis illigatum fuiſſe. Quapropter exiſtimo, nuptias haſce nulli anno rectiùs affigi poſſe quàm anno* 1000, *paulo ante obtentam coronam nomenque regium; atque eatenus diſſentio ab Hanſizio, qui magis exiſtimat, nuptias obtenta corona poſtponendas. Demum nuptias non eſſe contractas ante annum* 1000, *aut certè non diu antè, colligitur ex ætate Sancti, qui tunc agebat annum circiter decimum ſeptimum aut decimum octavum.*

probabilius quoque videtur, contractas eſſe anno 1000 *ante coronam obtentam:*

E

Chartuitius quidem nuptias narrat poſt coronationem, & Bonfinius contrarius eſt ſententiæ datæ;

F

174 *Contra hanc ſententiam objici poteſt auctoritas Carthuitii, quia hic num.* 13 *nuptias referens* S. Stephani *cum Giſela, eas videtur poſtponere coronæ obtentæ; quin etiam nuptias videtur referre ad tempus imperantis Henrici, cùm dicat* Stephanum *ſibi matrimonio junxiſſe* ſororem Romanæ dignitatis auguſti, videlicet Henrici. *Bonfinius quoque pag.* 176 *apertiùs ad imperium Henrici nuptias removet; de hiſce enim ſic ſcribit:* Stephanus igitur Henrici ſecundi ſanctitatem, geſtorum gloriam, & religionem conſpicatus, cujus ope & hortatu Ungaros in veram fidem afferuerat, cum pari probitate conjungi cupiebat: accedebat & imperatoris dignitas & potentia, quam ad rem ſuam nimiùm facere intelligebat. Contrà verò Henricus, Stephani præſtantiam & ingenitam ſanctitatem non ignorans, nihil ducebat antiquius, quàm aliqua cum eo affinitate vinciri, quâ infeſtiſſima utraque natio, quæ tot annos cruentiſſima bella geſſerat, reconciliaretur, & divi Regis ſanctitas propagaretur, cujus ſapientiâ ac ſtudio factum erat, ut Ungari, qui finitimos diu Scythica feritate vexarant, in Chriſti fidem afferti, & vicinis & Chriſtianæ reipublicæ ſalutares fore viderentur. Proinde poſtulatam à Pannonico Rege ſororem, cui Gyſle nomen erat, ultrò Henricus conjugavit, ut pari cum Viro ſanctitate certaret, pacemque perpetuam inter Alamannos & Ungaros paciſceretur. *Hanc Bonfinii relationem nullo modo conciliari poſſe cum tempore nuptiis aſſignato, lubens agnoſco; at ipſius auctoritas nullius eſt ponderis pro chronotaxi ſtabilienda.*

175 *Car-*

AUCTORE J. S.

Sed hiſce rationibus aliæ præponderant.

A 175 *Carthuitius verò, licèt Giſelam vocet* ſororem Romanæ dignitatis auguſti, *& nuptias narret poſt coronationem Regis, non affirmat Henricum jam imperatorem fuiſſe tempore dictarum nuptiarum: nam* auguſtum *vocare potuit, quia eam dignitatem deinde conſecutus eſt Henricus, uti ſæpè fit à ſcriptoribus. Potuit & rerum geſtarum ordinem invertere in hiſce, uti eumdem in aliis quibuſdam invertit, ita ut neceſſe non ſit ubique affirmare, priùs facta eſſe, quæ priùs referuntur à Carthuitio: contrarium enim obſervabimus variis locis in annotatis ad Vitam. Hæc præpoſtera factorum narratio familiaris eſt ſcriptoribus, qui exactam non texunt chronologiam; atque hoc loco ratione aliqua non caret. Narraverat conſilium Regis de inſtituendis epiſcopatibus, & diſpoſitiones in hunc finem cœptas. Hanc igitur relationem pertexere voluit uſque ad obtentam Romani Pontificis confirmationem, quæ connexa erat cum corona eodem tempore à Pontifice miſſa. Hunc rerum potiùs, quàm temporis, ordinem ſecutus, mox etiam ſubjecit leges ad regnum rectè conſtituendum latas, & tunc demum nuptias; quamvis leges haud dubiè nuptiis ſint poſteriores. Turoczius & Ranzanus nullum nuptiis aſſignarunt tempus. Chronicorum ſcriptores annis maximè diverſis nuptias referunt, ut vidimus: noſtræ tamen ſententiæ magis favent, quàm oppoſitæ, quia plerique dicunt, nuptiis hiſce converſam eſſe Hungariam, ipſumque etiam* Stephanum. *Errarunt hi quidem, ut oſtendi § 13; at faciliùs in hunc errorem labi potuerunt, ſi nuptiæ præceſſerint coronationem Regis, quâ innotuit Hungariæ converſio, quàm ſi eamdem fuerint ſecutæ. Itaque, omnibus conſideratis, probabilius mihi videtur,* S. Stephani *matrimonium præceſſiſſe coronationem, & vix ullum apparet dubium, quin contractum ſit ante imperium Henrici, cùm id etiam clariſſimis verbis affirmet Ademarus num.* 103 *citatus.*

Giſela fuit filia Henrici Bavariæ ducis, ſoror Henrici imperatoris:

C 176 *Giſelam fuiſſe ſororem S. Henrici imperatoris, filiam verò Henrici Bavariæ ducis, tam multi affirmant ſcriptores contemporanei, ſuppares & paulò remotiores, ut ea de re nullum ſupereſſe poſſit dubium. Duos illa habuit fratres, ſororem unam. Hiſce omnibus S. Wolfgangus Ratisbonenſis epiſcopus futuras dignitates prædixit. Quippe ſcriptor Vitæ S. Wolfgangi apud Mabillonium ſeculo* 5 *Benedictino part.* 1 *pag.* 827 *de iis ſic habet:* Sed neque hoc ſilemus, quia aliquando per prophetiæ ſpiritum ea, quæ ventura erant, quaſi præſentia vidit. Quod maximè in provectibus liberorum præcipui ducis Heinrici pateſcit. Cùm enim ad eum, ſicut ſæpe ſolebat, causâ benedictionis duceretur ſpecioſiſſima illius proles, Heinricum, qui poſtea Dei nutu rex eſt effectus, prænominavit REGEM; fratrem verò ejus Brunonem appellavit ANTISTITEM; ſororem eorum majorem (*Giſelam*) REGINAM; alteram autem, quam baptizavit, & de ſacro fonte ſuſcepit, ABBATISSAM nuncupavit. Hæc itaque, & multa alia, quæ ex ore ejus audivimus, ſicut ipſe prædixit, impleta cernimus.

de genere ipſius varia fabuloſa ſcripſerunt aliqui,

177 *Porrò aliqui ſcriptores Hungari aliam olim commemorarunt Giſelæ ſtirpem; ſed hac in re errarunt haud dubiè, ſicut in aliis multis. Audi tamen eorum opinionem ex Bonfinio, qui eam pag.* 176 *refert his verbis:* Præter cæterorum opinionem, Ungarici aliter ſentiunt Annales; quippe qui divum Stephanum in uxorem Gyſlam, Guilielmi ducis filiam, aſſerunt accepiſſe: Guilielmum S. Sigiſmundi Burgundiorum regis fuiſſe fratrem, & poſt Sigiſmundi martyrium, ne interitum dixerim, ad Henricum imperatorem confugiſſe, ejus juſſu Venetiis fuiſſe collocatum, Gertrudem imperatoris ſororem in uxorem habuiſſe, & ex ea Gyſlam filiam accepiſſe, Ungariæ regi deſponſatam: Gertrude intempeſtiva morte ſubrepta, ſancti Stephani ſororem ſibi copulaſſe, ex eaque genuiſſe Petrum, qui ad regni faſtigium evectus eſt. *Dedit hîc Bonfinius opinionem Turoczii, quam tamen non approbat. Quàm autem omnia illa ſint vitioſa, abunde liquet vel ex ſolo S. Sigiſmundo Burgundionum rege, qui jam ſeculo* VI *erat occiſus. Qua igitur ſpecie veri hic ſtatui poteſt frater Guilielmi, quem dixerunt Giſelæ patrem?* Guilielmi *nomen æquè videtur fictitium ac* Sigiſmundi, *&* imperatoris Henrici, *quod nomen non expreſſit Turoczius, ſed ſolùm vocavit* imperatorem.

veroſimiliter ex confuſione cum matre ejus, item Giſela dicta,

B 178 *Demptis nominibus omnibus, genus Giſelæ Hungari deſumere potuerunt ex confuſione cum aliis duabus Giſelis ejuſdem temporis, quæ ambæ fuerunt Burgundæ. Prima erat ipſa mater Giſelæ reginæ, uxor nimirum Henrici Rixoſi Bavariæ ducis, & filia Conradi Pacifici Burgundiæ regis. Hæc Giſela, mater Giſelæ uxoris* S. Stephani, *præcipuam confuſioni occaſionem præbuiſſe videtur: nam revera Conradus ipſius pater, cùm adoleſcens amiſiſſet patrem ſuum Rodolphum II Burgundiæ regem, venit ad imperatorem Ottonem I, à quo multis annis detentus eſt, donec Otto Adelaïdem ſororem Conradi, quam Berengarius Italiæ rex captivam tenebat, è manibus ipſius liberavit, & uxorem duxit: nam tunc Conradum etiam ad regnum ſuum remiſit. Videntur itaque Hungari tenuiſſe genealogiam matris Giſelæ, eamque cum filia ipſius, regina ſua, confudiſſe. Fateor quidem non omnia, quæ dicunt, convenire Giſelæ matri; attamen vix dubito quin illam confuderint cum filia, reliquoſque errores pari libertate conjecturandi addiderint.*

& cum tertia ejuſdem temporis: duas uxores non habuit Stephanus.

179 *Altera Giſela erat conſobrina reginæ Hungaricæ, nata nimirum ex Gerberga, prædicti Conradi regis item filia. Fuit hæc Giſela nupta primùm Erneſto Sueviæ duci, eoque defuncto, deinde Conrado II imperatori, cognomento* Salico. *Ex hac etiam aliqua commiſcere potuerunt Hungari cum Giſela regina ſua. Quidquid ſit, quod eorum erroribus occaſionem dederit, prorſus mihi non placet eorum conjectura, qui duas uxores, & quidem ejuſdem nominis, attribuerunt* S. Stephano, *ut antiquos Hungarorum errores utcumque conciliarent cum vera ſententia: nam ſecundæ* S. Stephani *uxoris nullum uſpiam apud antiquos ſcriptores exſtat veſtigium. Giſelæ reginæ, uti & Emerici filii, qui ex liberis* S. Stephani *ſolus innotuit, ſubinde mentionem faciemus per decurſum.*

AUCTORE J. S.

§ XVIII. Nomen & dignitas regia obtenta, corona missa à summo Pontifice Silvestro II, qui & alia Regi confert privilegia.

Stephanus initio ducis titulo principatum tenuit,

MOrtuo Geysa S. Stephani *patre, Filius ipsius mox quidem consecutus est regimen Hungarorum, sed ita, ut illud habuerat Geysa, aliique duces, videlicet* ducis, *non* regis, *nomine. Hæc Carthuitii, Turoczii, Ranzani, aliorumque plurimorum est sententia, quæ multis quoque rationibus sic confirmabitur, ut nullum supereſſe possit dubium. Si qui scriptores* Stephanum *ab initio obtenti principatus* regem *nominaverunt, id fecerunt vel quia regiam dignitatem deinde consecutus est, vel quia quoslibet principes potentes aliqui* reges *nominant, aut certè, quia erraruni cum Bonfinio, qui credidit* Stephanum *ab initio à subditis suis* regem *fuisse dictum, etiamsi idem agnoscat missam deinde à Pontifice coronam regiam. Audi mentem prædicti scriptoris. Post longam orationem ad proceres Hungaros, quam Geysæ sub finem vitæ attribuit, electionem* Stephani *sic narrat:* Præsente patre, omnium consensu Stephanus, non tam humano, quàm divino judicio, non dux, ut pater erat, sed Ungarorum rex creatur. Universæ reipublicæ summa traditur; cunctique nobiles & plebeii in manus ejus conjurant, se numquam imperia detrectaturos, gratissima ac fida præstituros obsequia, & cælestis internuncii loco eum habituros. Mox procerum manibus elatus in solium, rex ab omnibus consalutatur. Delatus in castra, à prætorianis legionibus eadem consalutatione comprobatur. *Clarum est, hæc electionis adjuncta ex moribus antiquorum Romanorum conficta esse. Electionem verò ipsam suspicor assertam esse ex Carthuitio malè intellecto. Hæc verba num.* 4 *apud Carthuitium leguntur:* Convocatis pater suus (*Geysa*) Hungariæ primatibus cum ordine sequenti, per communis consilium colloquii filium suum Stephanum post se regnaturum populo præfecit, & ad hoc corroborandum, à singulis sacramentum exegit. *Vox* regnaturum *persuadere potuit Bonfinio, regem creatum esse* Stephanum. *Verùm non ea est mens Carthuitii; nam* in patris solium, *ut mox addit, evectus est, & regnavit ut pater,* ducis *titulo, donec regium consequeretur.*

deinde verò regiam dignitatem & nomen obtinuit,

181 *Ranzanus indice* 8 *de accepta regia dignitate sic habet:* Haud multo interjecto deinde tempore (*à victo Cupa Simigiensi duce,*) cùm Hungariæ optimatibus placuisset, ut, qui titulo ducis tot præesset populis, totque viris generis claritudine auctoritateque magna insignibus, uteretur magis honorata appellatione, regiam elegerunt dignitatem. Cæterùm ad eam evehendum neminem, nisi Stephanum: quippe cùm jure successor fuisset paternarum opum, atque ita duxisset anteactam vitam, ut solus natus ad regnum fuerit prudentium omnium sententiâ judicatus. Omnium igitur miro consensu & applausu eligitur, appellaturque ipse rex, ac regiâ coronâ, regum more, donatur. Quàm diu tenuit regnum, præterquam quòd sapienter & Christianè, hoc est, piè sanctéque vitam instituit; nihil quoque prætermisit, quod optimi regis officio congrueret. *Hæc narratio eatenus vera esse potest, quòd Hungari ipsi regium nomen* Stephano *detulerint, priusquam eam dignitatem Romæ obtineret; aut, ut verisimilius apparet, quòd acceptum Romani Pontificis auctoritate nomen regium suo consensu ratum habuerint, & approbarint: relatio tamen admodùm est imperfecta, quia omittitur præcipua illius dignitatis origo, ideoque tota fit suspecta. Turoczius cap.* 29 *regiam dignitatem acceptam breviter perstringit his verbis:* Porrò beatus Stephanus, postquam regiæ celsitudinis coronam divinitus est adeptus *&c. Clarè quidem significat, initio regem non fuisse, nam paulò ante dixerat,* à beato Stephano tunc duce; *at non refert, à quo coronam acceperit* Stephanus. *Verumtamen voce* divinitus *utcumque insinuat, se non ignorasse, coronam ad* Stephanum *missam fuisse à summo Pontifice divinitus præmonito.*

petitâ coronâ à summo Pontifice per legatum,

182 *Bonfinius verò non siluit, cujus auctoritate coronam regiam impetraverit* Stephanus, *sed Carthuitium secutus, rem fusè narravit. Quin & errorem Carthuitii in nomine ducis Poloni amplexus est,* Miscam *vocans, quem* Boleslaum *dictum oportuit. Totam ipsius relationem in paucis corrigendam, ac deinde confirmandam, subnecto. Pag.* 174 *sic habet:* Hunc (*Astricum, alio nomine Anastasium*) quarto post obitum patris anno, Romam ad summum Pontificem mittendum esse censuit, mandata dat, ut à Christi Vicario in Ungaros, qui ejus fidem nuper iniverint, Apostolicam benedictionem imploret, & inter oves Petri adnumeret. Post hæc, ut Strigonienſem basilicam metropolitanam esse jubeat. Item cæteros episcopatus, in Ungaria nuper erectos, sacrosancta auctoritate confirmet. Demum quandò potestas omnis à Deo est, & maxima cœpta sine divina ope confirmari nequeunt, regalia insignia cum pontificia benedictione piis precibus assequatur. Astricus Romam properans, ut legationis officio diligentissimè fungeretur, die noctuque iter facit. Quid facit Deus, qui piorum consiliis & honoribus semper incumbit? Nimirum dexterrimis eos prosequitur auspiciis. Eodem enim anno Misca, Poloniæ dux, ad fidem cum populo conversus, eadem à Benedicto * Pontifice maximo per legatos postulabat: quare coronam Pontifex ingenti sumptu compararat, ut religionis ac fidei accessione lætatus, Miscam ducem, & novum Christi militem, ob rem bene gestam, regio diademate insigniret.

* *imò* Silvestro

eâque eum aliis privilegiis impetratâ,

183 Pridie ejus diei, quo Polonis destinata corona tribuenda erat, Astricus urbem ingreditur. Ecce in somnis superiore nocte Dei internuncius Pontifici apparet: Salve (inquit) Pontifex, cras Pannonicæ gentis legatum ad te venturum esse scito, qui ut tuo beneficio & auctoritate suum Principem regio diademate dones, exorabit, destinatam Polonis coronam, quando ita merita postulant, huic dato; proinde divina mandata servato. Quum is in auras recessisset, secundâ horâ diei Astricus in senatum Apostolicum admissus est. Ubi quum Regis mandata ex ordine retulisset, ejusque sanctissima gesta subjecisset, & quantum Catholicæ fidei ultra citraque Danubium accessionis fecisset, quam in Getas & Sarmatas usque propagarat, enarrasset, incredibili Apostolicum ordinem gaudio comple-

A complevit. Re ad ſenatum relata, pro voluntate Regis, & legati poſtulatione, nullo refragante, decernitur, ut non modò Chriſtianiſſimus Rex regiâ coronâ donetur, in regno Apoſtolica auctoritate confirmetur, & Regis acta cuncta cum inſtitutis epiſcopatibus approbentur; verùm etiam, quia verus & fidus Dei miles eſt, & Apoſtolus, ad exaggerandam ejus dignitatem, in perpetuum Pontificiæ legationis inſigne, quâ ſibi poſteriſque regibus, ſemper fungi fas ſit, præferendæ crucis poteſtate honeſtetur.

ut ſcribit Bonfinius, in quibuſdam tamen aberrans.

184 Quum legatus omnia non ſolùm è ſententia, ſed præter ſpem & opinionem impetraſſet, magno refertus gaudio, in Pannoniam ſe recepit. Strigonio appropinquanti Rex cum ſingulari ſacerdotum pontificumque pompa obviàm prodiit. Aſtricum Pontificia munera deferentem, & coronam & crucem oſtentantem, honorificentiſſimè Deo gratias agens excepit. Apoſtolica inſignia prævereverenter accepta, quando ad unamquamque Romani pontificis mentionem Stephanus, ſpectante populo, inclinato capite ſeſe ingeniculabat, ut exemplo ſuo ad Romani Pontificis, Apoſtolicique ſenatûs obſequium & obſervantiam omnes hortaretur. *Hactenus Bonfinius, cujus errore Benedictus Pontifex ſubſtitutus eſt Silveſtro II. Delenda item ſunt, quæ ait de propagata religione in Getas & Sarmatas: nam id necdum fecerat* Stephanus.

B

Litteræ Silveſtri II, quibus poſtulata omnia

185 *Cùm relatione Carthuitii & Bonfinii optimè congruunt litteræ Silveſtri II ſummi Pontificis, ad* Stephanum *redeunti legato datæ. Edidit haſce Inchofer in Annalibus ad annum* 1000 *hoc modo:* Silveſter epiſcopus ſervus ſervorum Dei Stephano duci Ungarorum ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Legati nobilitatis tuæ, in primis verò cariſſimus confrater noſter Aſtricus, venerabilis Colocenſis epiſcopus, tanto majori cor noſtrum lætitia affecerunt, ac minori officium ſuum labore confecerunt, quanto divinitus præmoniti, cupidiſſimo animo illorum adventum de ignota nobis gente præſtolabamur. Felix legatio, quæ cæleſti præventa nuncio, atque angelico pertractata miniſterio, priùs Dei concluſa eſt decreto, quàm à nobis audita fuiſſet. Verè non volentis, neque currentis, ſed, ſecundum Apoſtolum, miſerentis eſt Dei: qui

C teſte Daniele, mutat tempora & ætates, tranſfert regna, atque conſtituit: revelat profunda & abſcondita, & novit in tenebris conſtituta, quia lux cum eo eſt: quæ, ſicut docet Joannes, illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Primùm ergo gratias agimus Deo Patri, & Domino noſtro Jeſu Chriſto, qui temporibus noſtris invenit ſibi David filium Geyſæ, hominem ſecundum cor ſuum, & luce irradiatum cæleſti ſuſcitavit illum paſcere Iſraël populum ſuum, electam gentem Ungarorum. Deinde laudamus pietatem ſublimitatis tuæ in Deum, & reverentiam erga Sedem Apoſtolicam, cui divina patiente miſericordia, nullo meritorum noſtrorum ſuffragio, præſidemus. Tum verò largitatem liberalitatis, quâ B. Petro Apoſtolorum principi regnum ac gentem, cujus dux es, cunctaque tua, ac teipſum per eoſdem legatos & litteras perpetuum obtuliſti, digno præconio commendamus. Hoc enim facto egregio apertè teſtatus es, & re vera talem te meritò eſſe demonſtraſti, qualem ut nos te declarare dignaremur, ſtudiosè expetiviſti. Sed parcimus. Neque enim neceſſe eſt, ut quem tot ac talia præclarè pro Chriſto geſta facinora voce publica clamant, quemque Deus ipſe commendat, ampliùs commendemus.

AUCTORE J. S.

Stephano concedit, regnum oblatum reſtituit,

186 Quare, glorioſe fili, cuncta à nobis, & Sede Apoſtolica expoſtulata, diadema, nomenque regium, Strigonienſem metropolim, & reliquos epiſcopatus, de omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli apoſtolorum ejus authoritate, præmonente atque ita jubente eodem omnipotente Deo, cum Apoſtolica & noſtra benedictione libenter conceſſimus, concedimus & impertimur. Regnum quoque à munificentia tua S. Petro oblatum, teque unà, ac gentem & nationem Ungaricam præſentem, & futuram, ſub protectionem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ acceptantes, prudentiæ tuæ, hæredibus ac legitimis ſucceſſoribus tuis habendum, tenendum, regendum, gubernandum, ac poſſidendum reddimus & conferimus. Qui quidem hæredes, ac ſucceſſores tui quicumque, poſteaquam per optimates legitimè electi fuerint, teneantur ſimiliter nobis, & ſucceſſoribus noſtris per ſe, vel per legatos, debitam obedientiam ac reverentiam exhibere, ſeque ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, quæ ſubjectos non habet ut ſervos, ſed ut filios ſuſcipit univerſos, ſubditos eſſe oſtendere, atque E in Catholica fide, Chriſtique Domini ac Salvatoris noſtri religione firmiter perſeverare, eamdemque promovere.

eumque creat legatum Apoſtolicum; aliæ etiam per nuntium miſſæ.

187 Et quia nobilitas tua Apoſtolorum gloriam æmulando, apoſtolicum munus, Chriſtum prædicando, ejuſque Fidem propagando, gerere non eſt dedignata, noſtraſque & ſacerdotii vices ſupplere ſtuduit, atque Apoſtolorum Principem præ cæteris ſingulariter honorare: idcirco & nos ſingulari inſuper privilegio excellentiam tuam, tuorumque meritorum intuitu, heredes ac ſucceſſores tuos legitimos, qui ſicut dictum eſt, electi atque à Sede Apoſtolica approbati fuerint, nunc & perpetuis futuris temporibus condecorare cupientes; ut poſtquam tu, & illi, coronâ, quam mittimus, ritè juxta formulam legatis tuis traditam, coronatus, vel coronati extiteritis, crucem ante ſe, apoſtolatûs inſigne, geſtare facere poſſis & valeas, atque illi poſſint valeantque: & ſecundum quod divina gratia te, & illos docuerit eccleſias regni tui præſentes & futuras noſtrâ ac ſucceſſorum noſtrorum vice diſponere atque ordinare, apoſtolica authoritate F ſimiliter conceſſimus, volumus, & rogamus, ſicuti in aliis litteris, quas in communi ad te, optimateſque regni, & cunctum fidelem populum, per nuncium noſtrum, quem ad te dirigimus, deferendis, pleniùs hæc omnia explicata continentur. Oramus omnipotentem Deum, qui te de utero matris tuæ vocavit nomine tuo ad regnum & coronam, quique diadema, quod duci Polonorum confectum per nos fuerat, tibi dandum mandavit, augeat incrementa frugum juſtitiæ ſuæ, novellas plantas regni tui rore ſuæ benedictionis perfundat largiter; regnum tuum tibi, teque regno ſervet incolumem; ab hoſtibus viſibilibus, & inviſibilibus protegat; ac poſt terreni regni moleſtias, in cæleſti regno coronâ adornet æternâ. Data Romæ VI Kal. April. Indictione decimatertia. *Ad haſce litteras rectè obſervat Inchoferus, alias quoque litteras, quibus omnia latiùs explicabantur, à Silveſtro miſſas fuiſſe per nuntium. Et ſanè dignitas Regis exigebat, ut Pontifex mitteret nuntium, qui conſilio etiam adeſſe poterat Regi, eumdemque in erigendis eccleſiis, condendiſque legibus ad Eccleſiam ſpectantibus juvare. In litteris, quas anno*

1009

AUCTORE J. S.

1009 *pro inſtituto epiſcopatu Quinque-eccleſienſi dedit* Stephanus, *nuntii Pontificii mentionem facit his verbis :* Cum conſenſu ſanctiſſimi Apoſtolici, & in præſentia ejus nuntii. *Porrò epocha litterarum deſignat annum* 1000, *uti liquet ex Indictione* XIII, *quæ eo anno currebat. Litteræ ipſæ optimè congruunt cum relatis Carthuilii & Bonfinii, nihilque prorſus continent, quod non aliunde confirmabitur. Schwartzius tamen haſce litteras ſuppoſitionis ſuſpectas reddere nititur; ſed ratiunculas ipſius diſcutiemus infrà, ubi ad alia quoque ejuſdem argumenta reſpondebitur. Singula priùs capita, quæ heterodoxus ille ſcriptor negare voluit, ſolidis rationibus confirmare aggredior.*

§ XIX. Præcipua capita, quæ in relatione Carthuitii Bonfiniique & in Litteris Pontificiis aſſeruntur, aliis auctoritatibus & rationibus confirmantur.

B

Coronam S. Stephano à Pontifice miſſam, probatur ex Ditmaro,

C

LAudati ſcriptores *cum litteris Silveſtri II aſſerunt primò, coronam regiam per legatum* S. Stephani *petitam fuiſſe à Romano Pontifice atque obtentam, Pontifice præviè per revelationem monito. Nullum hactenus vidi ſcriptorem Catholicum, qui id factum negavit; nullum, qui de eo videtur dubitaſſe. Et ſanè tam firmis nititur rationibus, ut dubitationi non debeat eſſe obnoxium. Ditmarus Merſeburgenſis epiſcopus, qui eodem vivebat tempore, quique res Hungarorum tantùm breviter attigit, quatenus connexæ erant cum geſtis imperatorum, quæ enarrabat, breve quidem, at luculentum huic veritati præbet teſtimonium, quod vel ſolum ſufficit ad omnem dubitationem amovendam. Verba ipſius, jam alia occaſione antè data, lib. 4 hæc ſunt :* Imperatoris autem prædicti (*Ottonis III*) gratiâ & hortatu, gener Henrici ducis Bawariorum Waic, in regno ſuo epiſcopales cathedras faciens, coronam & benedictionem accepit. *Conſtat* Stephanum *fuiſſe generum Henrici Rixoſi Bavariæ ducis; conſtat erectionem epiſcopatuum ab eo cœptam circa annum 999 aut* 1000; *conſtat eodem tempore Ottonem III imperaſſe; nec defunctum eſſe antè annum* 1002; *itaque certum eſt, per nomen vernaculum* Waic *non alium deſignari, qui* coronam & benedictionem accepit, *quàm* S. Stephanum; *neque ullus, opinor, hoc negaverit. Jam verò* Stephanum *non ab alio accepiſſe* coronam, *quam à ſummo Pontifice, clarum rurſus eſt, quia dicitur ſimul* coronam & benedictionem *accepiſſe, quia eam accepiſſe dicitur* gratiâ & hortatu imperatoris, *& quia coronam aſſeritur impetraſſe* epiſcopales cathedras faciens, *quibus verbis innuitur, coronam fuiſſe conceſſam in præmium promotæ rei Chriſtianæ. Itaque Schwartzius impudenter mendacii arguere debet Ditmarum, vel admittere coronam* S. Stephano *conceſſam fuiſſe à Romano Pontifice.*

ex litteris Stephani, ex Turoczio,

189 *Alteram rationem deſumo ex epocha litterarum* S. Stephani *pro abbatia S. Martini, quæ datæ leguntur,* anno Dominicæ Incarnationis MI, Indictione XV, anno Stephani primi regis ſecundo. *Haſce litteras authenticas eſſe admiſit Schwartzius, ratus multùm ſibi profuturas. Primò, cùm hæ litteræ datæ ſint anno* MI, *menſe Septembri, aut alio poſteriori, epocha harum litterarum exactè congruit cum tempore, quod exprimunt litteræ Pontificiæ, quódque aſſignant Carthuitius & Bonfinius. Quippe hi aiunt miſſum à* Stephano *legatum* quarto poſt patris obitum anno, *id eſt, ipſo anno milleſimo, quo datæ leguntur litteræ Pontificiæ* XXV *Martii. Si autem miſſa eſt corona anno* M, *currebat ſecundus accepta corona annus ſub finem anni* MI, *quo ſuas dedit* Stephanus *notatas* anno *regni* ſecundo. *Hic tam exactus epocharum conſenſus dictorum omnium inſtrumentorum fidem mirè commendat. Præterea, cùm* Stephanus *Hungaris præfuerit ab anno* 997, *non vocaret annum* MI *ſecundum ſui regni, niſi ad primam dignitatem acceſſiſſet alia, à qua annos ſuos deinceps numerare voluiſſet. Numeravit igitur Sanctus annos ſuos à tempore acceptæ coronæ, hanc autem cùm* divinitus *obtentam dicat Turoczius, innuit acceptam eſſe eo modo, quo datam narrat cum Carthuitio & Bonfinio ipſe Pontifex, nimirum quia Silveſter divino præmonitus erat oraculo per angelum : atque hæc eſſe videtur cauſa, cur corona illa vocetur* angelica. *Ab exemplo etiam Boleſlai Poloniæ ducis, quem coronam regiam petiiſſe à Romano Pontifice videbimus, veriſimili ratione concludi poteſt,* Stephanum *non ab alio coronam petiiſſe & obtinuiſſe, quàm à Romano Pontifice. At ejuſmodi argumentis non egemus, cùm non deſint teſtimonia alia, eamdem veritatem firmantia.*

D

E

ab auctoritate Andreæ & Ladiſlai Hungariæ regum,

190 *Andreas II Hungariæ rex anno* 1233 *ad Jacobum Præneſtinum Apoſtolicæ Sedis legatum apud Raynaldum ad eumdem annum num.* 51 *ſic loquitur :* Cum conſtantia ſinceræ dilectionis rex, qui ſedet in ſolio judicii, teſte rege Salomone, diſſipat omne malum intuitu ſuo. Hunc regem ſanctæ & recolendæ memoriæ intelligimus beatiſſimum Stephanum, gentis Ungaricæ primum regem, qui ad regni ſolium auctoritate propria noluit ſublimari, ſciens ſcriptum, quòd nemo aſſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur à Deo : & ideo non à quolibet, ſed à Vicario Jeſu Chriſti, & Petri beatiſſimi ſucceſſore, per revelationem divinam ſummo Pontifici factam, aſſumpſit regni diadema... Sed & auctoritate ſummi Pontificis, qui ipſum vocavit Regem & Apoſtolum gentis noſtræ, provincias per epiſcopatus diſtinxit *&c. Hæc verba non modò confirmant, coronam miſſam eſſe à Pontifice; ſed ſimul probant ejuſdem Pontificis revelationem in monumentis ſingulis, quæ defendimus, aſſertam. Ladiſlaus item Hungariæ rex datam per ſummum Pontificem* Stephano *coronam profitetur in litteris ſuis apud Raynaldum anno* 1279 *num.* 31 *hiſce verbis :* Divinæ viſitationis exordium, quo nos Dominus verus Oriens viſitavit ex alto, quo ſanctæ matris Eccleſiæ viſceribus aduniamur, lumine Catholicæ fidei illuſtrati, in progenitore noſtro, ſancto rege Stephano, à ſacroſancta Romana Eccleſia recognoſcimus, ut debemus. In ipſo enim orthodoxæ fidei, divina afflante clementia, ſacrum redolevit unguentum; in ipſo, alluvione cæleſtis gratiæ pullulante, unà cum reliquis ſereniſſimis regibus Ungariæ, claro germine deſcendentibus, ab eadem regni gubernaculum ſuſcipimus, & coronam. Et ut principatum fidei in ſacroſancta Romana Eccleſia conſiſtere, eamdem Chriſti thalamum, & Trinitatis hoſpitium luculentiùs

A lentiùs demonſtraret, non à ſe, vel ab alio, ſed ab eadem Romana Eccleſia, matre omnium & magiſtra, regni diadema revelatione divina meruit obtinere.

Bonifacii Papæ VIII, 191 *Bonifacius Papa VIII anno* 1301 *apud laudatum Raynaldum num.* 8 *prædictis regibus conſonat, in litteris ad Nicolaum Oſtienſem Apoſtolicæ Sedis in Hungaria legatum ſic ſcribens :* Ad hæc nolumus te latêre, aut in dubium revocari, quòd memoratum Ungariæ regnum ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ à beato Stephano, primo rege Ungariæ Chriſtiano, cum omni ejus jure ac poteſtate, devotè oblatum fuit, & traditum reverenter : qui etiam ad ipſius regni ſolium noluit auctoritate propria ſublimari, ſciens quòd nemo ſibi ſumere debet honorem, niſi qui vocatur à Deo : & ideo non à quolibet, ſed à Vicario Jeſu Chriſti & ſucceſſore Petri aſſumpſit regium diadema. Fuerat quidem divinitus revelatum, quòd ei primùm in gente Ungarica corona debebatur & regnum, ſicut hæc pleniùs documenta, quæ ſervantur in archiviis memoratæ Eccleſiæ Romanæ teſtantur, & ad ipſius

B archiepiſcopi potuerunt notitiam perveniſſe. *Idem Pontifex ad Wenceſlaum Bohemiæ regem, cujus filius Wenceſlaus regnum Hungariæ appetebat, ita ſcripſit ibidem num.* 10 : Nec debuit Apoſtolica Sedes, mater omnium & magiſtra, contemni, quin ſaltem in dubiis & majoribus cauſis ad ipſam fuerit recurſus habendus : ſine cujus etiam auctoritate ſanctæ memoriæ Stephanus, rex Ungariæ divina revelatione præmonitus, noluit in ipſius regni ſolium ſublimari : ſed tamquam Aaron vocatus à Deo, ab ipſa Sede accepit humiliter coronam & regnum. Hunc Stephanum Deus de tenebris infidelitatis eripuit, & vocavit in admirabile lumen ſuum ; qui fuit primus rex Ungariæ Chriſtianus. *Hæc Bonifacii teſtimonia ſimul confirmant revelationem, quæ jam tot teſtimoniis & tam præclaris confirmata eſt, ut neque de corona per Pontificem miſſa, neque de revelatione ipſius dubitare poſſit ullus, qui mavult verum agnoſcere, quàm inutili labore contra apertam veritatem pugnare.*

ac Gentilis Cardinalis, Pontificii in Hungaria legati. 192 *Non deſunt tamen & alia teſtimonia, quibus idem rurſum inculcari poteſt etiam contentioſis & pertinacibus. In tabulis conventionis inter Cardinalem Gentilem legatum & proceres Hungaros apud Raynaldum ad annum* 1308 *num.* 25 *hæc dicuntur :* Idem dominus legatus propoſuit verbum Dei, aſſumpto illo Euangelico themate, DOMINE, NONNE BONUM SEMEN SEMINASTI IN AGRO TUO ? &c., ſeriosè retexens

C agri ſemina, id eſt, regni Ungariæ, quæ in illo Dominus ſeminarat, ex quibus reges Catholici, tanta ſanctitatis & vitæ claritate conſpicui prodierunt, quòd Sanctorum adſcribi catalogo meruêre ; quódque coronam regni primus rex Ungariæ ſanctus Stephanus à Romano Pontifice conſecratam acceperit, prout Ungarorum Hiſtoriæ*, quas legatus ipſe prænoverat, aſſeruit proteſtari. *Hæc dicta in publico procerum conventu nullus negaſſe legitur ; ſed murmur exortum eſt dicentium ſe nolle,* quòd Eccleſia Romana, vel ipſe dominus legatus ejus nomine, ſæpedicto regno (*Hungariæ*) de rege ullatenus provideret; ſed placebat eis, quòd illum, quem ipſi ex antiquo & approbato ejuſdem regni more vocaverant, & in regem aſſumpſerant, præfatus dominus legatus ejuſdem Eccleſiæ Romanæ nomine in verum regem Ungariæ confirmaret ; & quòd etiam perpetuis futuris temporibus veri ſummi Pontifices, & ipſa Romana Eccleſia haberet jus confirmandi & coronandi reges Ungariæ, de vera regali progenie propagatos, quos ipſi unanimiter & concorditer de dicta progenie ducerent eligendos. *Hoc modo finita eſt controverſia, recepto ab Hungaris in regem Carolo, cujus causâ diu fuerat diſceptatum. Poſteriora autem hæc verba ſolùm adduxi, ut reſpondeatur Schwartzio, hanc litem objicienti, ut videbimus : neque enim diſputare velim de modo aut jure, quo olim reges Hungariæ ſunt electi. De corona ad* Stephanum *miſſa addi poſſunt multa ſcriptorum recentiorum teſtimonia, quæ tacitus prætereo, cùm allata abunde ſufficiant, eademque veritas in reſponſione ad objectiones Schwartzii rurſum ſit elucidanda.* AUCTORE J. S.

Errarunt Carthuitius aliique in nomine ducis Poloni, à quo petita corona,

193 *Alterum, quod Carthuitius ac Bonfinius cum Silveſtro II aſſerunt, quódque aliqui negandum putarunt, eſt petitio coronæ per ducem Poloniæ, cujus nomen Silveſter non exprimit. Hoc autem Pontificis ſilentio factum videtur, ut Carthuitius in nomine ducis erraverit, atque in eumdem errorem deduxerit Bonfinium, & ſcriptores aliquot Polonos, qui ipſius auctoritatem ſunt ſecuti. Ducem illum Polonorum* Myſcham, (*aliis* Miſeconem, Mieſconem, *aut* Miecislaum *dictum*) *nominavit Carthuitius. Fuit hic revera primus Polonorum dux Chriſtianus ; ſed jam erat defunctus aliquot annis, filioque Boleſlao ducatum reliquerat, antequam* S. Stephanus *coronam fuit adeptus. Itaque dux Slavorum in Polonia erat eo tempore Boleſlaus, iſque coronam petierat, ut dudum obſervavit Baronius in Annalibus ad annum* 1000. *Res hæc certa eſt ex variis ſcriptoribus : nam in Vita S. Adalberti martyris apud nos tom.* III *Aprilis pag.* 194 *&* 195 *variis vicibus mentio fit Boleſlai Polonorum ducis, vivente Adalberto, qui martyrio coronatus eſt anno* 997, *ita ut ante hunc annum Miſeco obierit. Ditmarus in codice noſtro Ms. lib.* 4 *de ipſius morte ſic habet :* Anno autem Dominicæ Incarnationis octingenteſimo * nonageſimo ſecundo, regni autem tertii Ottonis decimo octavo Kalendis Junii præfatus dux (*Miſeco*) jam ſenex febricitans ab hoc exilio ad patriam celeſtem tranſivit, relinquens regnum ſuum plurimis dividendum ; quod poſtea Bolizlaus, novercâ & tribus fratribus expulſis, . . . vulpina calliditate contraxit in unum. *In editis legitur,* regni autem tertii Ottonis octavo *ſine addito die. Pagius ad annum* 991 *num.* 3 *vult legendum eſſe* nono, *cùm regnum inchoaſſet in Natali Domini, anno* 983, *& ſic revera nonus curreret annus. Forſan legendum* anno . . . decimo, octavo Kalendas Junii. *Quidquid hîc lateat mendi in anno imperatoris, etiam Annaliſta Hildenſeimenſis mortem Miſeconis alligat anno* 992. *Quapropter lubens fateor erraſſe Carthuitium in nomine ducis Poloniæ, dum eum* Myſcham *vocavit. At minùs id mirari poſſumus in epiſcopo Hungaro, qui toto ſeculo ſerius ſcripſit, quique nomen ducis non reperit in litteris Pontificiis, quas ſequebatur, præſertim quia Miſeco Boleſlaum præceſſit, & fidem Catholicam primus ſuſcepit. Fieri etiam poteſt, ut Miſeco jam cœperit coronam poſtulare, eamdemque poſtulationem deinde continuaverit : & ſic utcumque excuſari poſſent tam Carthuitius quàm ſcriptores Poloni, qui illam petitionem etiam attribuunt Miſeconi, ſeu Miecislao.* * *in editis rectè* nongenteſimo

194 *Porrò factum ipſum admittunt Hiſtorici Poloni, Joannes Dlugoſſius, Michaël de Micho-*

AUCTORE J. S.

uti agnoſcunt hiſtorici Poloni, & inter illos

via, Martinus Cromerus, aliique, fatentes coronam petitam fuiſſe à duce Polonorum, ſed ei negatam à ſummo Pontifice. Hic conſenſus utriuſque nationis in eamdem hiſtoriam facit, ut de ipſo facto dubitare non debeamus; præſertim cùm Dlugoſſus antiquior ſit Bonfinio, remque narraverit cum iis adjunctis, ut clarè pateat, eum non hauſiſſe ex Carthuitio, aut aliis fontibus Hungaricis, ſed ex monumentis Polonicis. Qua de cauſa relationem ipſius, etſi prolixior appareat, totam placet ſubjicere. Lib. 2 col. 121 ſic habet: Miecſlaus interim Polonorum dux, prælatorum & baronum Poloniæ ſedula admonitione & conſilio perſuaſus, ut ad ſummum Pontificem Benedictum VII nuncios mittat, & coronam ſibi, & Polonorum regionibus dari petat. Ea enim tunc opulentia frequentiaque tam hominum, quàm divitiarum in Poloniæ provinciis, & juſtitia ducis Miecſlai habebatur, ut digna Polonia viſa ſit, quæ ad numerum Catholicorum regnorum accederet. Ad hanc autem tam arduam rem obeundam expediendamque pontifex Cracovienſis Lampertus, vir doctrinâ & eloquentiâ ſpectabilis; electus eſt.

B

exponit Dlugoſſus, aſſerens coronam promiſſam duci Polono,

195 Qui cùm ad ſummum Pontificem Benedictum Papam perveniſſet, & diſertè graviterque ducis Miecſlai, & Polonorum mandatâ exponens, petiiſſet, ut duci Miecſlao & Poloniæ regionibus pro majori fidei S. Catholicæ per eos ſuſceptæ, quam mirum in modum per fundationem novem cathedralium eccleſiarum, aliorumque ſacrorum locorum deducebat germinaſſe, corroborationem, pro infidelium quoque & ſchiſmaticarum nationum Poloniæ vicinarum reductione & exterminio, daret coronam, deducens Miecſlaum ducem Poloniæ verum Catholicum, religioniſque Chriſtianæ ferventiſſimum zelatorem, atteſtantibus id operibus, exiſtere, in armis actibuſque militaribus ſtrenuum & ingenuum, multarum gentium copiâ glorioſum. Cùm autem ſummus Pontifex Benedictus VII communicato Cardinalium conſilio, coronam Miecſlao Polonorum duci pro incremento & dilatatione fidei Catholicæ, & gloriâ gentis Polonorum ſe benignitate paterna daturum, Lamperto Cracovienſi epiſcopo reſpondiſſet, ducis Hungarorum Stephani, germani ex ſorore Aleida ducis Polonorum Miecſlai nepotis, qui eodem anno, genitore Geiſa mortuo, Hungariæ ducatum regendum ſuſceperat, nuncius Auſtriacus * cœnobii S. Benedicti Ordinis ad radicem Montis Ferrei abbas, & poſt in Strigonienſem archiepiſcopum promotus, licèt per anticipationem Strigonienſis archiepiſcopus inſcribatur in Annalibus, Romam advenit, & pro duce ſuo Stephano Hungariæ coronam petere à ſummo Pontifice cœpit.

C

* Auſtricus

ſed deinde à Pontifice, divinitus monita, eidem negatam eſſe, & Stephano traditam;

196 Et licèt Benedictus Papa diſpoſitus fuerit, utrique duci, Hungarorum videlicet & Polonorum, dare coronam, intelligens largitionem coronæ pro utroque nulli eſſe præjudicialem, & magnum rebus fidei religioniſque Chriſtianæ profectum poſſe adferre; interim tamen fertur Benedictus Papa angelica viſione admonitus eſſe, quatenus promiſſum pro duce Polonorum Miecſlao, epiſcopo Cracovienſi Lamperto factum, reſcinderet; & duci tantummodo Hungariæ Stephano, ejuſque nuncio Auſtriaco coronam conferret, ſubinferens, Polonos magis ſanguini, cædi, & venationibus, quàm devotioni & miſericordiæ operibus; magis oppreſſioni ſubditorum & rapinis, magis mendacio & dolis, quàm veritati deditos & intentos eſſe; majorem illos agere belluarum & canum quàm hominum curam, in effuſionemque ſanguinis humani proclives, nondum dignos exiſtere, quibus corona hactenus debeatur * conferri. In proximo autem, ſi erit Deus genti illi placatus, miſerebor, & coronam *, quam nunc ei denego, glorificabo exaltaboque illam: extant enim in ea gente plura hominum millia in lege mea incedentium ſine offenſa, quorum merito & ſupplicatione cæteris miſerebor, ſed neque multorum bonorum operum in plurimarum erectione dotationeque eccleſiarum, cæteroque, quibus ab ea veneror, cultu, potero obliviſci. Hujuſmodi itaque viſione Benedictus Papa permotus, coronam, quam duci Miecſlao præparaverat, duci Stephano Hungariæ tradendam, Auſtriaco ſuo nuncio largitur.

D

* debeat

* coronâ

legatum verò Polonum dimiſſum cum ſpe coronam poſtea impetrandi.

197 Lampertum autem Cracovienſem epiſcopum, licèt triſtem & lugubrem in Poloniam remittens, bene ſperare juſſit, aſſerens non longo tempore decurſo ducem Polonoſque, poſtquam ſordes ſpurcitiaſque ſcelerum, quibus hactenus diſplicuerant Deo, abjecerint, & exercitati virtutibus, colendo juſtitiam & æquitatem ſtuduerint, Dei benignitatem pro votis ſuis ſe largiſſimè conſequuturos. Veritus autem Benedictus Apoſtolicus, ne occaſione coronæ duci Stephano Hungariæ datæ, duci verò Poloniæ Miecſlao negatæ, inter avunculum & nepotem, Hungarorum & Polonorum duces prædictos, exeranda bella, & guerrarum motus conſurgerent, vocato utroque nuncio, hortatur, commonet, & mandat, ut pacem & charitatem, affinitatis vicinitatiſque jure contractam, indiſſolubilem obſervent, cuſtodiant, & nullo reſpectu aut occaſione, labefactari permittant: per utrum ſteterit, quo minùs pax ſervaretur, eum ſe anathematis cenſurâ cenſuraturum.

E

Scriptor illè carpens immeritò Hungaros, oſtendit ſe ſolo veritatis amore illa narraſſe

198 Habet autem nonnullorum aſſertio, quòd ſummus Pontifex non angelica viſione permotus, ſed ex certitudine, quâ doctus erat, Miecſlaum Poloniæ ducem obiiſſe, coronam illi non dederit, quod & ego in Polonorum aliquibus Annalibus memini me legiſſe; ſed apparitionem angelicam ab Hungaris, quo coronæ miſſio eis à Benedicto Papa facta foret celebrior, confictam & ſomniatam eſſe, quam etiam in hanc diem parùm juſta appellatione ſanctam vocant, cùm nullum metallum poteſt in ſe includere ſanctitatem, niſi uſurpatam vel ementitam. *Hactenus Dlugoſſus, cujus poſteriora verba ſatis indicant, ipſum veritate victum hæc ingenuè ſcripſiſſe, ſicuti contigiſſe credidit, cùm aliàs Hungaris minimè faveat, eoſque immeritò carpat, quòd coronam ſuam vocaverint* Sanctam. *Cur enim* ſancta *vocari non poſſit corona, quæ à Rege ſancto obtenta & primùm geſtata? Nec opus ad hoc eſt ut metallum ipſum quidquam ſanctitatis contineat.*

F

quædam ab aliis negatæ coronæ rationes non rectè allegantur.

199 *Præterea illa aliorum relatio, qui dixerunt ideo datam non fuiſſe legato Poloni ducis coronam, quòd hic interim obiiſſet, veriſimilis admodùm eſſet, ſi Miecſlaus revera defunctus eſſet anno 999, quo eum obiiſſe credidit Dlugoſſus: & tamen aliam adfert negatæ coronæ cauſam, eamque genti ſuæ parùm honorificam, quam nec apud Carthuitium invenerat, nec apud alios ſcriptores Hungaricos, ſed vel in monumentis eccleſiæ Cracovienſis, cujus erat canonicus, vel in aliis Polonicis, quæ præferebat Annalibus illis, in quibus mors Miecſlai pro cauſa allegabatur. Hæc obſervo, ut appareat hæc non eſſe ſcripta ſine delectu. Mors autem ducis*

cauſa

A *cauſa eſſe non potuit negatæ anno* 1000 *coronæ, cùm ille jam obiiſſet anno* 992. *Staniſlaus Sarnicius in Annalibus Polonicis lib.* 6 *cap.* 5 *aliam affert negatæ coronæ rationem, ſic ſcribens:* Illud tamen pro certo Hiſtoria Calvi montis aſtruit, Pontificem Romanum Benedictum eodem tempore jam tum in ſuo ſenatu decreviſſe, ut dux Poloniæ *Boleſlaus, cognomento* Chobri, in regem coronaretur, & jam coronam ex puriſſimo auro paratam ad hoc habuiſſe, ut ſi fortè Boleſlaus vellet, eam ei mitteret: ſed ubi audivit Boleſlaum maluiſſe ab imperatore, quàm à Papa coronari, admonitus ab angelo, Stephano divo regi Hungariæ eamdem miſit. Hæc legunrur, ut dixi, in Hiſtoria Calvi montis. *At hæc ratio nihilo magis eſt veriſimilis, cùm verum non videatur, Boleſlaum ab Ottone III coronam accepiſſe, ut videbimus: nec Benedictus Pontifex coronam negavit, ſed Silveſter.*

Oſtenditur relationem Dlugoſſi non abjiciendam, ſed corrigendam:

200 *Porrò erravit quidem Dlugoſſus defectu rectæ chronologiæ, dum Miecſlaum & Benedictum VII nominavit, & connexuit cum tempore acceptæ à* S. Stephano *coronæ: uterque enim multis annis erat defunctus. Sed error ille chronologiæ regnat in aliis etiam ipſius ſcriptis, & nominatim in illis, quæ paulo antè narrat de S.* B *Adalberto, cujus ſecundum diſceſſum ponit ſub Benedicto VI multis annis defuncto, adventum verò in Poloniam & iter in Pruſſiam etiam refert ad tempora Benedicti VI, pluſquam viginti annis mortui, & ad Miecſlaum ait veniſſe in Poloniam, licèt dux ille quadriennio tunc eſſet defunctus. An igitur itinera S. Adalberti Romana, Polonicum & Pruſſicum, geſtaque ejuſdem cum Pontificibus & duce Poloniæ pro fabulis habebimus; quia alios Pontifices & duces aſſignat Dlugoſſus? Minimè verò. At corrigemus errores aberrantis, & nimis liberè perſonas deſignantis ſcriptoris, cùm aliunde conſtet, facta ipſa veriſſimè contigiſſe, ſed nec cum iis perſonis, nec illis temporibus, quæ aſſignavit Dlugoſſus. Idem faciendum eſt in facto, de quo diſputamus. Factum ipſum, quod ille ex antiquis hauſit monumentis, omnino aſſerendum; dicendumque coronam petitam eſſe à Duce Polonorum, eamque eidem præparatam fuiſſe à Pontifice; at deinde negatam, ut* Stephano *mitteretur. Jam verò ducem illum fuiſſe Boleſlaum, Pontificem* C *verò Silveſtrum II, docet chronotaxis rectè ordinata. Lambertus quoque Cracovienſis præſul cum hac chronotaxi optimè cohæret, non item cum alia, ſi ipſius annos rectè enumeraverint Poloni: mortuum enim ſtatuit Dlugoſſus anno* 1014 *poſt epiſcopatum novemdecim annorum, ita ut hic calculus initium epiſcopatûs ipſius reducat ad annum circiter* 995.

Boleſlaus, imperante Henrico, coronam à Pontifice petere voluit.

201 *Præterea aliunde conſtat, duces Polonos iis temporibus allaborâſſe, ut regiam coronam impetrarent à ſummo Pontifice. B. Petrus Damianus in Vita S. Romualdi, apud nos data tom.* 2 *Februarii, pag.* 114 *narrat, à Boleſlao Polonorum duce, quem* Buſclavum Slavorum *regem nominat, petitos fuiſſe aliquot monachos Camaldulenſes ad fidem prædicandum in Polonia, miſſoſque ad eum SS. Joannem & Benedictum, deinde martyres factos, quos poſt aliquot annos Romam mittere ſtuduit, ut coronam regiam obtinerent à Papa. Verba Damiani accipe:* Buſclavus autem, volens coronam ſui regni ex Romana auctoritate ſuſcipere, prædictos venerabiles viros obnixa cœpit ſupplicatione depoſcere, ut ipſi plurima ejus dona Papæ deferrent, & coronam ſibi à Sede Apoſtolica reportarent. Qui regiæ petitioni aſſenſum penitus denegantes, dixerunt: Nos in ſacro ordine poſiti ſumus, tractare nobis ſecularia negotia minimè licet: & ita relinquentes regem, ad cellam reverſi ſunt. *Eodem ſcriptore teſtante, repugnabat conſilio Boleſlai Henricus imperator, de quo num.* 52 *ſic legitur:* Imperator autem Henricus Buſclavi conſilium non ignorans, undique vias cuſtodiri præceperat, ut, ſi Buſclavus Romam nuntios mitteret, in ejus illico manibus devenirent. *Dubitandum non eſt, quin jam antè id molitus eſſet Boleſlaus, cùm res ad Henricum imperatorem eſſet perlata. Itaque Boleſlaus per monachos tentare voluit, quod anteà nequidquam conatus erat efficere per epiſcopum. Baronius ad annum* 1000 *ex hiſce infert, Boleſlaum non impetraſſe coronam ab Ottone III imperatore, cùm illam petierit à Pontifice, imperante eique repugnante Henrico. Id ipſum ad eumdem annum num.* 5 *confirmat Pagius ex Wippone in Vita Conradi Salici. Addi poteſt Annaliſta Saxo ad annum* 1030, *ubi ſimiliter aſſerit ducem Polonorum Miſeconem propria auctoritate uſurpaſſe nomen regium. Verùm nolim hîc examinare, quo tempore dignitas regia ſit data Poloniæ;* E *& pergo ad objectiones Schwartzii, ut reliqua, quæ in litteris Silveſtri aſſeruntur, unà confirmentur.*

§ XX. Excutiuntur rationes quibus Schwartzius probare nititur, coronam Hungarorum regis datam eſſe ab imperatore Græco.

Schwartzius conſtantem Hungarorum traditionem oppugnans,

S*Chwartzius num.* 43 *hanc quaſi legem ſtatuit:* Conſtans Hungarorum traditio qualemcumque ob difficultatem convellenda non eſt. *Si autem ulla eſt conſtans Hungarorum traditio, ea ſanè conſtantiſſima eſt, quæ tradit,* S. Stephanum *coronam regiam accepiſſe à ſummo Pontifice; cùm tradita ſit ab auctoribus coævis & ab omnium ſequentium ſeculorum ſcriptoribus confirmata. Hanc tamen traditionem, non certam minùs quàm conſtantem, convellere conatus eſt idem ille ſcriptor heterodoxus, ut opinionem adſtruat, cùm per ſe nulla veri ſpecie veſtitam, tum nulla auctoritate nixam, & à nemine, quod ſciam, aſſertam. Certè ille pro ſuo illo paradoxo, non modò nullum laudat antiquum monumentum, ſed ne ullum quidem ſcriptorem neotericum. Verumtamen tam intrepidè ratiunculas ſuas proponit, tantâ jactantiâ concluſiones ſuas affirmat, ut lector incautus, & minùs criticus, facilè exiſtimare poſſit, aliquid ſaltem ipſius ratiociniis tribuendum, eaque occaſione nonnihil dubitationis poſſit concipere. Hac de cauſa diligentiùs expendam argumenta Schwartzii, quàm aliàs expendi mereantur rationes tam frivolæ, ipſaque ejus verba adducam, ut lector clariùs intelligat, quibus machinis oppugnetur veritas, quámque illæ inutiles ſint ad vim ipſius infringendam.* F

contendit coronam Hungaricam Græci eſſe artificii,

203 *Memoratus ſcriptor num.* 44 *ſic loquitur:* Diadema illud, aut, ſi mavis, corona, quâ reges Hungariæ, quoad longiſſimè reſpice-

AUCTORE J. S.

re, eorumque memoriam recordari ultimam licet, longo omnes ordine insigniti fuerunt, adeo ut legitimus rex non haberetur, nisi cujus augustum caput sacrum hoc pondus pressit, Græcæ esse consuetudinis, adfirmare nulli dubitamus. Formam namque ejus si spectes, ex clausarum, ut vocant, coronarum numero est, quales ante tria abhinc secula Europæ regibus coronæ in usu non fuerunt. Soli imperatores clausas hujus generis coronas proprias sibi vindicabant: ceteri verò reges diadematibus ex aureo circulo conflatis, ex quo pinnæ quædam ornamentorum, vertice tamen aperto, efflorescebant, usi sunt. Græcorum præcipuè morem referunt catenulæ aureæ octo, in totidem gemmas desinentes, & ad utrumque juxta aures latus, hinc quatuor, illinc quatuor, dependentes, nona insuper in tergum defluente. Maximo autem argumento, ad Græcos coronæ Hungaritæ natales attribuendum, nobis est, quòd illustrissimus comes Petrus de Rewa, sacri illius cimelii conservator quondam duumvir, qui eam intentis oculis adspexit, sollicitéque descripsit, præter Salvatoris mundi, beatissimæ Virginis Mariæ & SS. Apostolorum, Constantini præterea Magni, aliorumque Græcorum imperatorum imagines in ea extare, &, quod caput rei est, litteris Græcis notatas esse, prodidit. Tanta hæc illustrissimo comiti de Rewa visa sunt, ut & ipse sacri diadematis originem ad Græcos referret. *Tum adducit laudati comitis verba, ex quibus sufficient ista:* Videtur autem Græci artificii esse nostra corona, non tantùm ex dictis imaginibus & litteris, sed & appensis catenulis, quæ iisdem locis in iconibus Græcorum imperatorum deprehenduntur.

quod etiam credidit comes de Rewa, aliàs Schwartzio contrarius:

204 *Non negamus, comitem de Rewa existimasse coronam Hungaricam diu compositam fuisse ante Silvestrum II, & Græci esse artificii. Verùm laudatum comitem non ideo favere Schwartzio abunde patebit, idque agnoscit ipse, dum sic prosequitur:* Estque testimonium hoc Rewaianum tanto æstimandum validius, quo minùs ulla in auctorem suspicio cadit, acsi opprobrio cujusdam aliquid comminisci voluisset. Vulgatam enim opinionem historicorum, qui reges Hungariæ diadema à Pontifice Romano accepisse credunt & scribunt, sine ullo scrupulo sequitur, ac plurima operosè commentatur, ostensurus, quî factum sit, ut Græci artificii ingeniique opus illud aureum Hungariæ regibus Româ à Pontifice fuerit transmissum. Censet igitur, diadema nostrum idem illud esse, quod Constantinus Magnus imperator Silvestro I Pontifici Romano donavit, quódque ad hoc usque tempus in thesauris Pontificiis latuit: ejusque sententiæ Platinam sibi auctorem fuisse memorat: *nimirum quia Platina in Silvestro I hæc scribit de Constantino:* Nam & Pontificibus diadema aureum distinctum gemmis concedebat: quod quidem Silvester aspernatus, tamquam religioso capiti minimè conveniens, Phrygiâ mitrâ & candidâ tantummodo contentus fuit. *Hanc comitis de Rewa sententiam oppugnat deinde Schwartzius. At cùm opinionem Rewaianam nec examinare velim, nec tueri, illa Schwartzii verba huc non spectant. Illud solùm observo, verba comitis de Rewa adduci à Schwartzio, ut ex Græco coronæ artificio contra sententiam communem concludat, non Romani Pontificis, sed Græci imperatoris dono coronam illam Hungaris obtigisse.*

205 *Nam mox num.* 47 *ex illa sententia sic ratiocinatur:* Et verò qui Stephanum diadema à Pontifice obtinuisse perhibent, Silvestri opus, quod duci Polonorum priùs destinaverat, quàm ad Stephanum, divino oraculo monitus, illud mitteret, uno omnes ore fuisse fatentur. Id ipsum Charta Silvestri, quæ unà cum corona ad Stephanum, si diis placet, fuit transmissa, nobis insinuat. Sic enim in ea Pontifex: " Ora„ mus omnipotentem Deum (inquit) ... qui „ diadema, quod duci Polonorum confectum „ per nos fuerat, tibi dandum mandavit „ &c. Hîc verò Inchoferum, diplomatis Pontificii auctorem, ejusque socios, diplomatis defensores, concluso teneamus, ut sese, si possunt, expediant, nobisque dicant, cur Silvester, non Constantini Magni tantùm, sed & aliorum imperatorum Græcorum imagines, in sui operis cimelio elucere voluit? Cur Græcis eas litteris insignivit? Cur universam coronæ formam, contra Occidentalium regum morem, Græcorum æmulam finxit? Respondeant illustrissimo comiti de Rewa, sine omni fuco significanter eam in rem differenti, " Quod si Pontifex, inquit, si„ ve fuerit ille Benedictus VII, sive Silvester II, „ dictum diadema fieri curasset, tum habuisset „ causam, propter quam à characteribus linguæ „ Græcæ in opere proprio abhorreret. Gentem „ enim Græcam, imò terram ac linguam ipso„ rum, ob schisma & divortium à Romana reli„ gione factum, graviter oderat eo magis, quòd „ toties per Pontifices tentatâ concordiâ, nullo „ pacto ad conformitatem fidei reduci poterant. „ Quin potiùs Pontifex, velut opus suum, lit„ teris Latinis atque nominibus Romanis imagi„ nibusque exornasset, quo & beneficium do„ numque potestati Romanæ & genti confor„ me, illustrius fuisset. Præsertim cùm Roma„ ni, insita ambitione & gloriâ, templa, co„ lumnas &c. Et quid magis ad probandam rei „ veritatem evidens, quàm communis rerum di„ scretio per notas, vel possessoris vel auctoris „ proprias; siquidem hîc & imago Constantini „ est, & insigne ejusdem crux invenitur.

dantur rationes pro Græco coronæ artificio

ex comite de Rewa allegatæ, quibus exsultat Schwartzius

206 „ Quod si inventionis & operæ Pontifi„ cis corona esset, tum sine dubio Pontificium „ insigne, corpori suo impressum firmiter osten„ taret, ut monumentum tam excellens auctori „ suo sine hæsitatione adscriberetur. Tales ta„ men Pontificiæ dignitatis notæ in corona nu„ squam visuntur: sicut eas in pomo, adjuncto „ coronæ clenodio, ab una parte, ab altera „ verò insigne regni Hungarici, invenire licet. „ Quod si itaque utrumque, corona & pomum, „ uni & eidem auctori imputetur, tum nullum „ est dubium, quin in nobiliori opere, maje„ statem regibus conferente, Pontifex suum in„ signe exprimi curasset „. *Posteriora comitis verba sententiam communem confirmant, ut videbimus. Schwartzius tamen, illis recitatis, Thrasonica vanitate sic exclamat:* Hic murus aheneus esto, quem Baronius, Inchofer, omnesque sui similes, regnum Hungariæ pro auri pondere mercantes, regesque ipsos in curiæ Romanæ fervitutem addicentes, arietare tentent, tentent, inquam. *Verùm mox patebit, glorioſis verbis effici non posse, ut ex paleis murus construatur aheneus: sed priùs audiamus, unde Hungarorum coronam accersat Schwartzius, qui mox sententiam suam, aut potiùs conjecturam, nulla auctoritate fultam, subjungit.*

207 Quærat autem quis, *inquit*: Unde Hungaris Græci operis diadema illud? Si quid conjecturâ

A *atque ex incerta illa ſententia inferre nititur, ab imperatore Græco coronam illam Hungaris donatam,*

jecturâ aſſequi poſſumus, donum imperatorum Conſtantinopolitanorum fuit, quod Hungaris ob fidele quoddam officium, imperio Romano utile in primis, contulerunt. Solebant enim exteræ gentes, ſi quam egregiam imperatoribus Græcorum operam navarunt, coronas quoque inter cetera ab eis munera flagitare. Conſtantinus Porphyrogenitus demum id muneris Barbaris conferre indignum ratus, filio Romano lepidum ſuggeſſit conſilium, quo preces flagitantium eluderet. *Verba deinde Conſtantini recitat lib. de Adminiſtrando imperio cap.* 13; *ſed non omnia, quæ ibidem leguntur ad propoſitum noſtrum; quæque conjecturæ ipſius tam oppoſita ſunt, ut ſola ſufficiant ad eam prorſus deſtruendam. Ea igitur huc transfero:* Si quando ſive Chazari, ſive Turcæ *, ſive Ruſſi, ſive aliæ quæpiam boreales & Scythicæ gentes, ut plerumque accidit, imperiales veſtes, coronas, aut ſtolas, cujuſdam præbiti miniſterii causâ, ſibi tranſmitti poſtulent, ita te excuſatum oportet: Hujuſmodi ſtolæ & coronæ, quæ nos CAMELAUCIA vocamus, neque hominum operâ confecta, neque humanâ induſtriâ excogitata ſunt. Sed ut ab

**i. e. Hungari*

B hiſtoria veteri in libris arcanis ſcriptum reperimus; quando Deus Conſtantinum illum magnum imperatorem effecit, qui primus Chriſtianorum imperium tenuit, illi per angelum tales ſtolas & coronas, quas nos camelaucià vocamus, miſit, juſſitque ea deponere in magna ſancta Dei eccleſia, quæ de nomine ſapientiæ Dei enhypoſtatæ SANCTA SOPHIA appellatur; nec quotidie illa uti præcepit, ſed tantùm in publico & magno Dominico feſto: quare ex juſſu Dei hæc depoſita, & ſupra ſacram menſam in altari ipſius templi ſuſpenſa manent, & in ornatum eccleſiæ deputata ſunt. Reliqua autem indumenta & ſaga imperialia, ſupra hanc ſacram menſam extenſa jacent. Cùm porro Domini & Dei noſtri Jeſu Chriſti feſtum inciderit, ex hujuſmodi ſtolis & coronis ea accipiuntur à patriarcha, quæ tum opportuna & convenientia ſunt, qui ea ad imperatorem mittit, iſque illis tamquam miniſter Dei in proceſſu tantùm induitur; atque rurſum poſtquam illis eſt uſus, ea remittit in eccleſiam, ubi reponuntur de more.

C *allegans ſola verba Conſtantini Porphyrogeniti, directè repugnantis,*

208 Quin etiam ſancti & magni Conſtantini in Dei eccleſiæ ſacra menſa maledictio ſcripta eſt, ut ipſi per angelum Deus mandavit: ut ſi quis imperator pro quacumque neceſſitate aut rerum conditione, ſive ex intempeſtiva cupidine, ex iis quædam auferat, ac ſive ipſe iis utatur, aut aliis præbere audeat, quaſi hoſtis & Dei juſſorum inimicus, anathemate feriatur, & ab Eccleſia expellatur. Si verò ipſe quoque alia illis ſimilia efficere velit, ipſa quoque Eccleſia recipiat, libera voce petentibus epiſcopis omnibus, & ſenatu: neque vel imperatori vel patriarchæ vel cuiquam hominum facultas ſit, rerum hujuſmodi quampiam ex ſancta Dei eccleſia exportare, ſive ſtolæ eæ ſint, ſive coronæ. Sanè iis, qui ex hujuſmodi Dei mandatis quodquam evertere velit, magna impendet formido. Nam quidam imperator, Leo is vocabatur, qui etiam ex Chazaria uxorem duxerat, cùm inconſulto auſu quodpiam ex hiſce ſtemmatibus abſtuliſſet, etſi Dominico non occurrente feſto, atque id præter patriarchæ voluntatem, hunc ſibi ornatum impoſuit: ac ſubito carbone in faciem erumpente, magnis inde cruciatus doloribus miſerè periit, ac ſibi ante tempus mortem maturavit. Atque ex ſubitanea illa hujuſmodi audaciæ ultione, is exinde mos inductus eſt, ut imperator coronam accepturus juret, & profiteatur ſe nihil mandatis & conſuetudinibus antiquis hujuſmodi adverſum aggreſſurum aut cogitaturum eſſe; atque ita à patriarcha coronetur, & ſtatutæ ſolemnitati congruentia peragat & abſolvat. *Hactenus Conſtantinus.*

AUCTORE J. S.

cùm, co teſte, jurârent imperatores Græci iſtius temporis, ſe ſimilia non daturos erga Hungaris,

209 *Cùm neminem adducere potuerit Schwartzius ſuæ conjecturæ adſtipulantem, ſaltem verba aliqua recitare voluit ſcriptoris directè repugnantis. Jurant imperatores Græci, teſte Conſtantino ejuſdem temporis imperatore, ſe nihil ejuſmodi facturos, & tamen adfertur Conſtantini teſtimonium, ut probetur factum eſſe, quod nullus umquam factum dixit, quodque ipſe juramento vetitum affirmat. Nolim quidem omnia ut vera defendere, quæ aſſerit Conſtantinus; at certè conſuetudinem ſui temporis noverat, nec mentiri filio voluit, cùm is ipſe juramentum iſtud præſtare deberet. Schwartzius tamen, recitatis quibuſdam Conſtantini verbis, quaſi rè bene geſta, ſubdit ſequentia:* Nota, quod dicit: Illi PER ANGELUM tales ſtolas & coronas miſit. Vide enim, an non ex ſparſo hoc rumore enata apud Hungaros eſt opinio, ut coronam ſuam, Conſtantinopoli adlatam, ANGELICAM dicerent, ſacramque colerent? *Non ex ſparſo hoc rumore* angelica *dicta eſt; ſed quia angeli juſſu* S. Stephano *miſſa: nam Conſtantinopoli miſſam nullus antea ſomniavit: neque ullam occaſionem veriſimilem, quâ fuiſſet miſſa, oſtendere potuit egregius ſcilicet criticus noſter, qui hæc ſolùm addit:* Quando autem, à quo, & cui, an non Buloſudi, aut Gylæ, in reliquis donis, quibus Conſtantinopoli baptizatos imperator donavit, hac corona data fuit? Conjecturas ex conjecturis exſculpere nolumus. *Ita quidem loquitur; at interim nihil affert, niſi conjecturas ex conjecturis deductas.*

E

F

itaque nihil affert Schwartzius niſi conjecturas ex conjecturis

210 *Conjectura eſt incerta, quòd corona ſit Græci operis: nam neque imperatores Græci in ea cum Conſtantino expreſſi, neque litteræ Græcæ, neque vittæ dependentes, id certò evincunt, cùm neque à litteris Græcis abhorrerent Romani, neque ab imperatoribus Orientalibus, inter quos aliqui reperiuntur pietate præſtantes; cùmque vittæ non modò in diadematibus Græcorum imperatorum reperiantur, ſed etiam in quorumdam Occidentalium. Sanè tanta in numiſmatibus imperatorum invenitur coronarum diverſitas, ut ex ſola coronæ forma validum deſumi nequeat argumentum: nec minor varietas fuit apud Græcos quàm apud Latinos; non enim omnes imperatores Græci exprimuntur cum vittis è corona dependentibus; alii habent diadema clauſum ſine vittis, alii circulum vel coronam apertam. Demum tanta eſt diverſitas, ut vix pauca diademata ejuſdem formæ reperias, ac nullum planè, opinor, quod ejuſdem ſit figuræ cum corona Hungarica. Quis igitur hinc certò inferat, eam eſſe artificii Græci, aut Romæ non eſſe confectam? Hoc tamen tam fragili fundamento tota nititur Schwartzii ſtructura, quæ inſuper conſiſtere non poſſet, licet fundamentum eſſet validum. Nam ex prima hac conjectura de artificio Græco alias ipſe conjecturas exſculpit, quæ nullam habent veriſimilitudinem.*

nulla veriſimilitudine & ſumma temeritate deductas.

211 *Totum ipſius ratiocinium hùc reducitur:* Corona Hungarica Græcæ eſt conſuetudinis: donata igitur eſt Hungaro cuipiam ab imperatore Græco. *Antecedens propoſitio incerta eſt, ut vidimus: at tantiſper ſupponamus veram eſſe,*

AUCTORE J. S.

quamque inde deducit concluſionem excutiamus. Græcæ eſt conſuetudinis corona ; an idcirco eam gratiâ & hortatu *Ottonis III ab imperatore accepit* Stephanus ? *An ab eodem Græco imperatore* benedictionem accepit ? *An potiùs mentitus eſt Dumarus , qui ſic acceptam à* Stephano *coronam & benedictionem aſſeruit ? An ſimiliter mentiti ſunt reges Hungariæ , ſummique Pontifices, qui ſcripſerunt coronam* Stephano *miſſam à Romano Pontifice ? Certè Schwartzius hoſce omnes mendacii , aut turpiſſimi erroris inſimulavit , dum ſuſpicionem injicit de corona non data* Stephano , *ſed Buloſudi aut Gylæ , quos coronâ donatos nullus umquam cogitavit. Videat ille , quàm conſulat honori nationis ſuæ , dum mavult ſuſpicari coronam illam , quam tanto in pretio habent Hungari , ut* ſanctam *vocent &* angelicam , *donatam fuiſſe homini ethnico , qui vitam malè tranſactam in cruce finivit , quàm ſanctiſſimo Regi , regnique Hungarici fundatori : dum conatur frivolis ratiunculis inculcare , coronam potiùs datam eſſe ab imperatore Græco , qui eam ſine perjurio donare non poterat , quàm à Romano Pontifice , à quo Carolus Magnus , ſecutique Occidentis imperàtores coronam acceperunt. Hoc ſanè eſt temeritate maxima conjecturas ex conjecturis exſculpere , & conjecturas quidem non minùs inconſideratè quàm illegitimè deductas. Contrà verò qui receptam ac certam ſententiam de corona Hungarica ſequuntur , non minùs honorificam quàm veram ei attribuunt originem , dum eam ſancto Regi à ſupremo Chriſti in terris Vicario tranſmiſſam ſcribunt.*

Ex allatis adverſarii verbis confirmatur communis ſententia , & oſtenditur Græcum artificium

212 *Vera hæc ſententia ex ipſis comitis de Rewa verbis , quæ adduxit temerarius ſcriptor , lucem accipere poteſt. Ait ille :* Tales tamen Pontificiæ dignitatis notæ in corona nuſquam viſuntur : ſicut eas in pomo , adjuncto coronæ clenodio , ab una parte , ab altera verò inſigne regni Hung. , invenire licet. *Quis , obſecro , inſignia ſummi Pontificis pomo inſculpſit , niſi is , qui ejuſdem juſſu illud compoſuit ?* Et quid magis ad probandam rei veritatem evidens , quàm communis rerum diſcretio per notas , vel poſſeſſoris , vel auctoris proprias ? *inquit rurſum Schwartzius ex Rewa. Cùm itaque hîc habeamus notas proprias Romani Pontificis & regni Hungarici , quid priores deſignant , niſi auctorem , ſicut poſteriores poſſeſſorem inſinuant ? Nec dubitat laudatus comes , quin pomi auctor fuerit Pontifex ; at negat auctorem fuiſſe coronæ , quia in illa non invenit inſignia Pontificia , exiſtimans Pontificem miſiſſe coronam antiquam , in theſauro Romanæ Eccleſiæ inventam , atque eò tendunt omnes ipſius rationes : quas Schwartzius ſuas facere voluit , ut probaret paradoxon à nemine aſſertum. Porrò ſententia illuſtriſſimi comitis ex parte apparet vera , aut certè probabilis : nam facilè crediderim , quaſdam antiqui diadematis partes adhibitas fuiſſe à Pontifice , ut ex iis conficeret coronam Hungaricam eâ formâ , quâ ad* S. Stephanum *fuit miſſa. Sic facilè intelligemus, cur litteræ Græcæ , cur imagines Græcorum imperatorum in corona expreſſæ , cur etiam appenſæ fuerint pretioſæ catenulæ ; ac demum , cur forma ex parte congruat cum coronis Græcorum, ex parte verò ab iis ſit diverſa. Sumpſerit nimirum Pontifex antiquum diadema clauſum , in quo prædicta omnia cernebantur , illique addiderit ea ornamenta nova , quibus coronis Occidentalium regum fieret ſimilior ; atque ita effinxerit coronam Hungaricam , quæ aliquid haberet ex Græcis diadematibus , aliquid ex Latinis, ſicut regnum Hungaricum inter utrumque imperium erat medium.*

non obſtare, quo minùs cenſeri debeat à Pontifice miſſa corona.

213 *Certum quoque eſt , non defuiſſe in theſauris Romanæ Eccleſiæ diademata antiqua , quæ ad uſum ejuſmodi ſervire poterant. Anaſtaſius Bibliothecarius in Hormiſda de corona , quam Clodoveus Francorum rex ab Anaſtaſio imperatore acceperat , quámque beato Petro obtulit , ſic habet :* Eodem tempore venit regnum (*ſic vocat coronam*) cum gemmis pretioſis à rege Francorum Clodoveo Chriſtiano donum beato Petro Apoſtolo. *Sigebertus ad annum* 510 *de hac re ſcribit ſequentia :* Clodovæus rex ab Anaſtaſio imperatore codicillos de conſulatu, & coronam auream cùm gemmis , & tunicam bracteam accepit , & ex ea die conſul & auguſtus eſt appellatus. Ipſe verò rex miſit Romam ſancto Petro coronam auream cum gemmis , quæ REGNUM appellari ſolet. *Cangius differt.* 24 *ad Vitam S. Ludovici regis exhibet coronas aut principum diademata triginta quatuor , putatque pag.* 293 *hanc fuiſſe coronam ſuperiùs clauſam. Idem pag.* 291 *affirmat , Theodebertum Francorum regem uſum fuiſſe coronâ clauſâ , quali utebantur ejuſdem temporis imperatores Græci. Idem rurſus diadema clauſum attribuit regibus Anglo-Saxonibus , & pag.* 294 *Theodato Italiæ regi , qui ſic exprimitur apud Octavium Stradam uti & alii plures. Demum , ut mittam alios , teſtatur Cangius pag.* 299 *regibus Angliæ multis ſeculis uſitatam fuiſſe coronam clauſam. Itaque nec ſoli imperatores olim coronâ clausâ caput exornarunt , ut nimis generaliter aſſerit Schwartzius ; nec Romano Pontifici vetitum erat talem coronam mittere* S. Stephano , *qualem revera accepit ſanctus : nec eidem deerant corona, ex quarum partibus ſimilem concinnare poſſet, aut ad earum figuram fabricare ; ac demum nullo modo ſtare poteſt* murus *ille* aheneus *Schwartzii , omni carens fundamento , niſi ut confundat auctorem ſuum , modò nôrit erubeſcere.*

§ XXI. Excutiuntur ea , quæ objecit Schwartzius contra alia quædam in litteris Silveſtri , aut in Vita aſſerta.

Ratiocinatio miſera Schwartzii , qui crucem Hungaricam

CONceſſit *Silveſter II* S. Stephano *in litteris datis , ut ipſi ejuſque poſteris regibus , qui prædictâ coronâ legitimè redimiti eſſent , liceret crucem ſibi anteferendam curare in ſignum apoſtolatûs. Id ipſum narrant Carthuitius , Bonfinius , aliique , & conſuetudo abunde eorum relationem confirmat. Hanc tamen veritatem ſimilis ſui Schwartzius oppugnare auſus eſt ; at verbis potiùs , quàm ulla ratione. Audi temerarii ſcriptoris verba num.* 49 : Aliud , *inquit* , Græci moris exemplum CRUX HUNGARICA cum duplici tranſverſario ſtipite , quæ regum noſtrorum inſigne eſt , eiſque in coronationum ſolemnibus hodie antefertur , nobis ſuppeditat. Crucem enim imperatoribus Græcis maximè ſemper charam fuiſſe , ac ſceptri loco ab eis geſtari ſolitam, non ignorant Hiſtoriæ Byzantinæ curioſi. De Juſtiniano hinc perilluſtris dominus de Ludewig , " Sequitur , inquit , Juſtiniano M. tantùm

,, non

A „ non propria divæ crucis imago, relata paſſim „ in illius nummis &c „. Pari conſuetudine Hungariæ reges nummos ſuos cruce ſignabant. Vidi nummulos argenteos Stephani, Andreæ, Belæ, Ladiſlai, geminæ crucis imagine notatos, quos Stephani ſancti ſeculum adtingere, variis haud difficulter probari poſſet rationibus. Cúmque recentiore ævo nummi Hungarici crucem parmæ inſertum repræſentent, antiquitus in argenteis totam averſam faciem crux una & ſola occupabat. Quid de nummis Byzantinis Carolus de Freſne promiſcuè? "Jam verò, inquit, impera- „ torum Byzantinorum pietatis, ſi qua fuit ... „ argumentum præcipuum fuit, quòd crucem, „ vel Chriſti monogramma, nummis ſuis cre- „ brò adſcriberent, Chriſti etiam ipſius, inter- „ dum & Deiparæ, atque adeo Sanctorum, „ imagines effingi curarent „. Nec eſt, quòd in Juſtiniani & antiquiorum imperatorum Græcorum nummis crux tantummodo ſimplex compareat; certum enim & exploratum eſt, commutatam eam à recentioribus cum duplici, hancque ſeculo x magis jam fuiſſe frequentatam. Dignus præcipuè ſpectatu, quem Joannis inter Zemiſcæ nummos protulit Carolus de Freſne, in B quo aream averſam crux duplex ſola, perinde ac in argenteis Hungaricis, implet, ſuper ramo tamen excitata florido.

nulla auctoritate, ratione nulla, repetit ab imperatoribus Græcis;

215 *Nolim ſanè negare crucem fuiſſe Græcis familiarem & uſitatam, etiam in nummis. Verùm cùm æquè uſitata fuerit Latinis omnibus, quid ex hac ſermocinatione inferri poteſt? quomodo hinc concludi, Hungaros crucem ſuam à Græcis accepiſſe? crucemque duplicatam regi Hungariæ præferri, quia id Græcorum imperator conceſſit? Nam non modò non legitur, id eum conceſſiſſe* S. Stephano, *ſed nec alteri uſpiam. Schwartzius tamen concludit his verbis:* Quare cùm corona Hungariæ ad morem imperatorum Orientis indubitatò accedat, quo minus crucis quoque inſigne ex eodem fonte derivemus, quid vetat? Nam quòd à Pontifice Romano inſigne illud iterum plerique omnes repetant, cauſam dicere rogati non magis hanc, quàm priorem de corona ſententiam tueri poſſunt. *Rectè verba ſcriptoris inverti poterunt hoc modo: Cùm indubitatò corona Hungarica talis ſit, qualem nullus umquam imperator Conſtantinopolitanus geſtavit, aut certè qualis nulla in ipſorum nummis exprimitur, ideoque non modò nulla auctoritate aut fundamento, ſed nulla etiam ratione veriſimili, imperatoribus Græcis origo hujus coronæ attribui poſſit, cúmque crux ſimul cum corona Hungariæ regibus conceſſa ſit; hæc ſola ratio ſufficere poteſt, quominus ejus originem ex Græcorum conſuetudine non repetamus. Deinde cùm communis ſententia ſit, privilegium illud* S. Stephano *conceſſum eſſe à Romano Pontifice, eaque antiquis nitatur monumentis, quæ defendemus contra Schwartzii criminationes; nullus ſani judicii ſcriptor dubitabit, quin privilegium duplicatæ crucis præferendæ, æquè ac coronam & nomen regium, à Romana Eccleſia acceperit* S. Stephanus.

C

licèt cum auctoritatibus ratio ipſa clamet, eam conceſſam eſſe à ſummo Pontifice,

216 *Unum lubet dumtaxat addere argumentum ex verbis comitis de Rewa, quæ ipſe adduxit Schwartzius: nam illud laudati comitis Opuſculum mihi ad manum non eſt. Ait ille, Pontificiæ dignitatis notas, ſeu inſignia Romani Pontificis inveniri expreſſa* in pomo, adjuncto coronæ clenodio, ab una parte; ab altera verò inſigne regni Hungariæ, *id eſt, crucem Hungaricam cum duplici tranſverſario ſtipite. Hæc conjunctio duorum inſignium, nimirum Pontificis & regni Hungarici, clarè inſinuat, Silveſtrum ſimul cum corona* S. Stephano *pro inſigni dediſſe crucem prædicto modo duplicatam, eamque hactenus fuiſſe retentam. Porrò crux prælata Regi ſignificabat legationem Apoſtolicam, quæ ipſi eodem tempore demandata eſt, ut eccleſias regni ſui ordinaret, & epiſcopatus inſtitueret. Hanc legationem paſſim agnoſcunt ſcriptores Catholici, interque eos Thomaſſinus, qui in Veteri & nova Eccleſiæ diſciplina part. 1 lib. 2 cap. 58 num 6 inquirit originem iſtius conſuetudinis, quâ Papæ, legatis Apoſtolicis, ac metropolitanis crux præfertur; relatiſque aliquot exemplis, ſententiam ſuam breviter explicat his verbis:* Ex his non temerè concluditur 1°, prælatas fuiſſe cruces Pontificibus primùm Romanis, inde legatis Pontificiis, ac denique archiepiſcopis, quòd nemini non perſuaſiſſimum eſſet, nuſquam eos procedere, nuſquam progredi, niſi ad Chriſti crucem imperiumque aut conſtabiliendum aut propagandum: 2°, initium ductum eſſe à Romanis Pontificibus, qui legatos eodem ſuos honore decorarunt, à quibus tandem ſerpſit mos in metropolitanos. *Plura rurſus de his diſputat cap. 59, quæ videri poſſunt.* E

Nomen regis Apoſtolici privata auctoritate datum videtur,

217 *Nullum poteſt eſſe dubium quin ex Apoſtolica legatione,* Stephano *commiſſa, ei deinde adhæſerit honorificum nomen* Regis Apoſtolici. *Non inficior, Sanctum ſuorum converſione nomen illud etiam mereri: nec contendo, Regem ejuſve ſucceſſores eo titulo uſos fuiſſe aut privilegium accepiſſe à Pontificibus, ut eo uterentur: at ſolùm aſſevero, juſtam hanc eſſe prædicti cognominis rationem, nec alteram dari poſſe juſtiorem, quocumque demum modo aut tempore ſimile cognomen Regi datum fuerit. Schwartzius num.* 20 *contra cognomen* Apoſtolici Regis *multùm diſputat, vultque illud fuiſſe* privatæ originis, *atque uſurpari cœptum diu poſt mortem Sancti. Utrumque mihi veriſimile fit, hoc tamen ſenſu, quòd Hungari illud cognomen* Stephano *poſteriſque regibus attribuerint, occaſione ſumpta tum ex legatione Apoſtolica* S. Stephani, *tum ex geſtis ipſius Apoſtolicis, tum ex ſimilibus titulis, per Silveſtrum II alioſque Pontifices* Stephano *datis. Quare partim vera ſunt, partim corrigenda, quæ ſubdit Schwartzius in hunc modum:* Quam ob rem, licèt optimo jure Apoſtolici regis titulus Stephano conveniat, ex his tamen, quæ hactenus diſputavimus, plus ſatis efficitur, illo ipſum non publico, ſed privato inſtituto, neque inſigniri priùs cœpiſſe, quàm cùm gens Hungarica, in religione Chriſtiana confirmata, maxima Regis optimi beneficia in dies magis agnoſceret, & quibus poterat encomiis gratam mentem declarare laboraret. Stephani quoque ſucceſſores, inclytos Hungariæ reges, quis reges APOSTOLICOS dignè vocari neget? cùm in omnia jura, quæ Stephanus ob propagatam ſtabilitamque ſuis unicè auſpiciis religionem in regno Chriſtianam ſibi ſuiſque acquiſivit ritè ſucceſſerint. *Poſteriora ſic corrige:* Cùm privilegium S. Stephani crucem ſibi præferendi in ſignum apoſtolatûs ad ſucceſſores quoque ipſius extenſum fuerit. *Pergit Schwartzius:* A Romanis tamen Pontificibus eo ipſos titulo decorari, haud facilè invenies; luculento indicio Pontifices regibus noſtris titulum iſtum adeo non contuliſſe, ut etiam invideant. *Imò verò indicium id eſt, Pontifices neque illud nomen directè* F

AUCTORE J. S.

directè dediſſe regibus Hungariæ ; at nihilo magis invidiſſe , cùm tale contulerint privilegium, cui Apoſtolici regis *cognomen congruit.*

ſed occaſione conceſſæ à Papa legationis Apoſtolicæ :

218 *Vera ratio , cur Pontifices eo nomine non inſigniverint Hungariæ reges , hæc una videtur, quòd illi ipſi iſtud non ambiverint , aut uſurpare cœperint , uti agnoſcit Schwartzius , ſic pergens :* Sed & reges Hungariæ jura , quæ in ordinandis Eccleſiæ rebus ipſis per Stephanum (*concedentibus Pontificibus*) contigerunt , regia ab omni tempore poteſtate exercere , quàm adſcititio Apoſtolici muneris cognomine velare (*aut potiùs , ſignificare*) maluerunt. Hinc eſt , quòd nuſquam foris , ſed neque domi temere , titulo illo uſi legantur , aut etiamnum uti ſoleant ; quamvis devotas civium acclamationes faciles accipiant. Quid igitur ex Apoſtolici regis cognomine præſidii illis accedit , qui duplicatam crucem Hungariæ regibus à Pontifice conceſſam putant ? *Reſpondeo illo cognomine communem traditionem , quæ ſufficienti auctoritate & ratione aliunde probata eſt , magis elucidari , &, ſi opus eſſet , confirmari , cùm nulla iſtius cognominis ratio dari poſſit tam congrua , quàm quòd*

B *legatio Apoſtolica* Stephano *fuerit commiſſa. Quippe multi alii reperiuntur principes & reges , qui fidem Catholicam egregiè promoverunt & propagarunt auctoritate regia : nec tamen ipſi aut eorum poſteri habuerunt nomen* regis Apoſtolici , *nimirum quia illud non fecerunt auctoritate Apoſtolica , uti fecit* S. Stephanus. *Hinc rectè Werböczius Operis tripartiti part.* I *tit.* XI *de* Stephano *ait :* Unde etiam Rex & Apoſtolus dici meruit , eo quòd vices Apoſtolorum in terris prædicatione , & bonorum operum atque exemplorum exhibitione geſſit. Et propterea duas quoque cruces per collationem ſummi Pontificis in ſignum ſuæ ſanctitatis , quòd ſcilicet Rex & Apoſtolus juſtè diceretur , dignè meruit habere pro armorum inſignibus. Unde ab illius tempore gens Hungarica duplicatam crucem pro armis ac inſignibus habere pariter & geſtare conſuevit. *Ceterum quàm latè ſe extenderit poteſtas Sancto Regi à ſummo Pontifice in res eccleſiaſticas collata , exactè determinari non poteſt , quia Silveſter in litteris ſuis remittit ulteriorem expoſitionem ad alias litteras , quas non habemus. Ait enim*


C *Pontifex , velle ſe & rogare , ut eccleſias regni ſui diſponat & ordinet ,* ſicuti in aliis litteris , per nuntium noſtrum ... deferendis , plenius hæc omnia explicata continentur.

ex qua legatione multa alia profluxerunt huc minùs ſpectantia ,

219 *De legatione Apoſtolica ſancti Regis jam aliqua ſunt dicta* § 16 *occaſione erectorum in Hungaria epiſcopatuum , quos ſcriptor heterodoxus , quem refutamus , propria Regis auctoritate inſtitutos malè aſſerebat. Multa idem auctor num.* 58 *diſſerit de electione & inveſtituris prælatorum in Hungaria : at illa magis ſpectant ad reges poſteriores , quàm ad* S. Stephanum , *ideoque ad inſtitutum meum non pertinent. Nihilo rectiùs diſputat num.* 60 , *ubi ex Græcorum inſtituto repetit , quòd* Stephanus *aliique reges Hungariæ Synodos coegerint , quódque Sanctus leges condiderit ad res eccleſiaſticas ordinandas : namque ex eodem fonte profluxit illa poteſtas condendi leges eccleſiaſticas. Hinc leges illæ ſic conditæ ſunt , ut eccleſiaſtica epiſcoporum judicio relinquantur , uti ex variis probari poteſt. At mihi unum ſufficiet exemplum. Decretorum* S. Stephani *lib.* 2 , *capite* 12 , *cujus titulus eſt* de obſervanda Chriſtianitate , *hæc ſtatuuntur :* Si quis obſervatione Chriſtianitatis neglecta , & negligentiâ , ſtoliditate elatus , quid in eam commiſerit , juxta qualitatem offenſionis ab epiſcopo per diſciplinam canonum judicetur. Si verò rebellitate inſtinctus renuerit ſibi impoſitum æquè ſufferre , item eodem judicio reſtringatur , & etiam uſque ſepties. Tandem , ſi per omnia reſiſtens & abnuens invenietur , regali judicio , ſcilicet defenſori Chriſtianitatis , tradatur. D

quæ Schwartzius contra communem Hungarorum ſenſum ad Græcas conſuetudines refert.

220 *Addi hîc poſſet , quòd* S. Stephanus *in monitis ad filium Emericum agnoſcat , Petrum à Chriſto poſitum eſſe* cuſtodem magiſtrumque Eccleſiæ , *ita ut ex propriis ipſius verbis prorſus improbabile ſit , aliquid ab eo factum eſſe quod ſpectabat ad res eccleſiaſticas , ſine auctoritate illius , quem* magiſtrum Eccleſiæ *ipſe profitetur. Verùm , ne hîc juſto ſim prolixior , Sufficiet uno exemplo oſtendere , unde ſimiles conſuetudines ipſi Hungari jam olim repetierint. Laudatus mox Werböczius , diſputans de jure conferendi beneficia eccleſiaſtica , non recurrit ad conſuetudines Græcorum , ſed alias allegat rationes , quibus regibus Hungariæ jus collationum vendicare ſtudet ; nimirum fundatione eccleſiarum , gentis converſione , legitima præſcriptione , & auctoritate concilii Conſtantienſis. Secundam autem rationem explicat his verbis :* Quia Hungari non per prædicationem apoſtolicam , vel Apoſtolorum , quorum Principis vicem & perſonam in terris Papa gerit , ſed per inſtitutionem proprii regis eorum , ſanctiſſimi videlicet Stephani regis , de quo & ſuperiùs memini , converſi ſunt ad Catholicam fidem , qui primus omnium epiſcopatus , abbatias , & præpoſituras hoc in regno fundavit , & harum omnium eccleſiarum prælaturas , ac beneficia ſolus ipſe ex nutu ſummi Pontificis , quibus maluit (idoneis tamen & virtutibus probitatum inſignitis) contulit , ſicuti Eccleſia de eo ſolenniter canit : Hic (videlicet ſanctus Stephanus) ad inſtar Salomonis ſtruit templa , ditat donis , ornat gemmis , & coronis cruces ad altaria. Et mox ſubinfertur : Ad regendum hæc prælatos , viros ponit literatos , juſtos , fidos , & probatos ad robur fidelium. Sic talentum ſibi datum Deo reddens duplicatum , ab æterno præparatum ſibi ſcandit ſolium. Ecce apertè deſcribitur , quòd ipſe , & non alter quiſpiam , ad regenda templa per eum conſtructa , doniſque ditata , prælatos juſtos & F fidos poſuit , prout ex ejus quoque hiſtoria , & pluribus privilegiis ſuis ſuper eccleſiarum fundationibus & dotationibus confectis liquidè patet. Itidem , & plerique cæſarii ac Pontificii juris interpretes ſuis commentariis conſcriptum prodidêre. *Hiſce ſubnectuntur verba ſuprà num.* 218 *data. Omnia verò hæc inſinuant , quàm longè abſint paradoxa Schwartzii à communi Hungarorum ſententia.* E



§ XXII.

A

§ XXII. Refutantur ea, quæ ratiocinatur Schwartzius contra oblationem regni S. Petro.

Asserit Silvester II regnum à S. Stephano oblatum esse S. Petro:

Silvester II *in litteris antè datis sic* S. Stephanum *alloquitur* : Tum verò largitatem liberalitatis, quâ B. Petro, Apostolorum principi, regnum ac gentem, cujus Dux es, cunctaque tua ac te ipsum per eosdem legatos & litteras perpetuùm obtulisti, digno præconio commendamus. *Et inferiùs* : Regnum quoque à Munificentia tua S. Petro oblatum, teque unà ac gentem & nationem Ungaricam præsentem & futuram sub protectionem sanctæ Romanæ Ecclesiæ acceptantes, Prudentiæ tuæ, hæredibus ac legitimis successoribus tuis habendum, tenendum, regendum, gubernandum, ac possidendum reddimus & conferimus. Qui quidem hæredes ac successores tui quicumque, posteaquam per optimates legitimè electi fuerint, teneantur similiter nobis & successoribus nostris per se vel per legatos debitam obedientiam ac reverentiam exhibere, seque sanctæ Romanæ Ecclesiæ, quæ subjectos non habet ut servos, sed ut filios suscipit universos, subditos esse ostendere, atque in Catholica fide, Christique Domini ac Salvatoris nostri religione, firmiter perseverare, eamdemque promovere. *Nihil sanè in hisce invenio, quod indignum sit eximia* S. Stephani *pietate; nihil, quod gravitati ac prudentiæ summi Pontificis sit contrarium. Præterea* Stephani *oblatio non modò Gregorii VII, qui eodem seculo Ecclesiam rexit, auctoritate confirmatur, sed & aliorum quoque Pontificum, uti per decursum patebit.*

B

222 *Schwartzius tamen hanc oblationem audet vocare* fabulam fabularum omnium leviſſimam, *censuramque iniquissimam multis defendere conatur. Sequar hominem, dicacitate & maledicentiâ insigniorem, quàm doctrinâ aut eruditione:* Objiciat verò quis, *inquit num.* 64, quòd, religione Christiana inter Hungaros efflorescente, S. Stephani regis tanta jam erga Pontificem Romanum fuerit reverentia, ut sese gentemque suam, ac totum regnum, in curiæ Romanæ clientelam traderet. Quam fabulam fabularum omnium leviſſimam nisi confecerimus, instituto nostro haud satisfeciſſe meritò censeri possemus. Primarium quidem Regiæ illius liberalitatis, sanè plus quàm enormis, columen, diplomaticas Silvestri II PP. litteras jam infregimus. *Verùm adeo litteras illas non infregit, ut vanitatem argumentorum ejus infrà simus ostensuri, & non minùs litteras ipsas, quàm singula litterarum asserta simus probaturi. Audiamus igitur alia heterodoxi scriptoris responsa.*

quam oblationem, ut fabulam, traducit Schwartzius,

C

223 Priùs tamen, *inquit*, quàm litteræ illæ ab Inchofero orbi essent obtrusæ, epistolas Gregorii VII, Hildebrandi, ad Salamonem & Geysam Hungariæ reges scriptas, prodigiosæ ejus donationis testes, plerique ostentabant. Has igitur excutiamus. Increpat in eis Pontifex Salomonem, quòd regnum, ex quo pulsus fuerat, à Teutonico rege, non à Pontifice Romano, denuò acceperit. Rationem verò istam inserit, " quòd regnum Hungariæ SS. Romanæ Ecclesiæ „ proprium sit, à rege Stephano olim B. Petro „ cum omni jure ac potestate oblatum, ac de„ votè traditum „. Pontificiumque jus ipsum agnovisse imperatorem Henricum, memorat: is enim cùm victoriam ab Hungaris adeptus fuisset, " ad corpus B. Petri lanceam & coronam „ regis transmisit, & pro gloria triumphi sui il„ luc direxit insignia, quò principatum ejus di„ gnitatis adtingere cognovit „. *Hæc verba Gregorii VII rectè allata, quantam vim habere debeant, infrà ostendam. Verùm, dum prosequitur scriptor heterodoxus, vel malâ fide, vel crassâ ignorantiâ, affingit Gregorio Papæ, quæ Gregorii non sunt, sed alterius:* In altera verò idem Gregorius ad Salomonem epistola, *inquit*, Pontificii in Hungariam juris columen in eo collocat, quòd, cùm regnum istud " à barbaris . . . „ fuisset post Constantini tempora occupatum, „ ereptumque Romano imperio, cui Ecclesia „ hæres successit, à Christianis regibus Eccle„ siæ Romanæ, cui debebatur restitutum fue„ rit. Quod, inquit, de Hispania luce clarius „ est &c „. Hæc Hildebrandus ad Salomonem. *Assignat locum horum fragmentorum his verbis:* Fragmenta hæc litterarum Gregorii, posterioris nempe ad Salomonem, utriusque verò ad Geysam Joh. Bodinus adfert de Republica cap. IX. Ex Bodino allegantur à Schœdelio in Disquisit. hist. polit. de regno Hung. pag. 147 ex edit. Behamp. *Quis non credat verè esse Gregorii verba, quæ allegantur & assignantur tantâ confidentiâ?*

AUCTORE J. S.

E

licèt fateatur eam esse assertam à Gregorio VII, cui falsò attribuit

224 *At commodum accidit, quòd Notitia Hungariæ Joannis Ferdinandi Behamp ad manus meas pervenerit cum Disquisitione Schœdelii: nam ibidem pag.* 147 *leguntur omnia, quæ allegat Schwartzius ex eodem loco: at clarum est, verba non esse Gregorii, sed Augustini Steuchi Eugubini* lib. 2 contra Laurentium Vallam de falsa Donatione Constantini, *cujus hæc ibidem allegantur verba:* Eadem prope aut similis ratio est de regno Hungariæ, de quo idem Gregorius episcopus servus servorum Dei dilecto filio Salomoni regi Hungariæ salutem *&c. Tum adducit verba epistolæ Gregorianæ, quæ apud Harduinum tom.* 6 *Conciliorum col.* 1273 *sic leguntur:* Sicut à majoribus patriæ tuæ cognoscere potes, regnum Hungariæ sanctæ Romanæ Ecclesiæ proprium est, à rege Stephano olim beato Petro cum omni jure & potestate sua oblatum & devotè traditum. Præterea Henricus piæ memoriæ imperator, ad honorem sancti Petri regnum illud expugnans, victo rege, & factâ victoriâ, ad corpus beati Petri lanceam coronamque transmisit, & pro gloria triumphi sui, illuc regni direxit insignia, quò principatum dignitatis ejus attinere cognovit. *Hisce cum levi immutatione recitatis apud Behamp, Eugubinus, hujus similiumque donationum rationem expositurus, subdit sequentia:* Noris de hoc regno, quòd, cùm à barbaris, Scythis ac Pannonibus non Christianis, fuisset post Constantini tempora occupatum, ereptumque Romano imperio, cui Ecclesia hæres successit, fuisse à Christianis regibus Ecclesiæ Romanæ, cui debebatur, restitutum. Quod de Hispania luce clarius est, quæ & ipsa à barbaris occupata cùm esset, Ecclesiæ restituta à regibus est.

F

verba Eugubini, citantis Gregorium, & suas rationes subdentis,

225 *Hisce observatis, Eugubinus subdit:* Idem Gregorius de eodem regno ad Geysam Hungariæ regem eodem libro, sed non eodem capite,

uti ex distinctis utrisque verbis ostenditur?

AUCTORE J. S.

capite, *citans epistolam 63 apud laudatum Harduinum col. 1310, ubi verba citata sic leguntur:* Notum autem tibi esse credimus, regnum Hungariæ, sicut & alia nobilissima regna, in proprio libertatis statu debere esse, & nulli regi alterius regni subjici, nisi sanctæ & universali matri Romanæ Ecclesiæ, quæ subjectos non habet ut servos, sed ut filios suscipit universos. Quod quia consanguineus tuus à rege Teutonico, non à Romano Pontifice, usurpativè obtinuit, dominium ejus, ut credimus, divinum judicium impedivit &c. *Post hæc verba adducta, cum levi tamen immutatione, Eugubinus rursus prosequitur hoc modo:* De eodem item regno ad eumdem regem Hungariæ sic scripsit idem summus ac sanctus Pontifex capite septuagesimo. *Indicat epistolam 70 libri 2 ad Geysam, apud Harduinum col. 1316, ubi locus ab Eugubino adductus ita exprimitur:* Verùm, ubi (*Salomon rex Hungariæ*) contempto nobili dominio beati Petri Apostolorum Principis, cujus regnum esse prudentiam tuam latere non credimus, rex subdidit se Teutonico regi; & reguli nomen obtinuit. Dominus autem injuriam suo illatam principi prævidens, potestatem regni suo ad te judicio transtulit: & ita, si quid in obtinendo regno juris priùs habuit, eo se sacrilega usurpatione privavit. Petrus enim à firma petra dicitur, quæ portas inferi confregit, atque adamantino rigore destruit & dissipat, quidquid obsistit. *Subdit Eugubinus:* Hæc magnus ille Pontifex.

B

226 *Ex hisce omnibus studiosus lector perspiciat insignem Schwartzii temeritatem. Affirmat Gregorius VII, regnum Hungariæ à* S. Stephano *oblatum fuisse S. Petro, atque ea de causa* lanceam coronamque *Hungariæ regis missam fuisse* ad corpus beati Petri *ab Henrico imperatore. Epistola hæc Gregorii notatur* data Romæ, v Kalendas Novembris, Indictione decima tertia, *id est, anno* 1074, *quo Indictio decima tertia currere incipiebat à mense Septembri. Itaque hic testis est tam vicinus tempori, quo regnum oblatum, quòque deinde lancea & corona ab Henrico III imperatore fuit transmissa, ut prorsus temerarium sit, ei fidem velle abrogare; præsertim cùm scribat ad regem, qui facilè in rei veritatem inquirere poterat, cùmque provocet ad majores, seu principes Hungariæ, qui facta illa non poterant ignorare. Cùm Schwartzius videret periculosam esse, si directè se opponeret tantæ auctoritati, quæ aliorum quoque consensu firmabitur; maluit Gregorio affingere verba Eugubini, hujusque opinione, quæ multis non erat placitura, Gregorii auctoritatem infringere. Certè tam clarum est apud Behamp, quem allegavit, tres solùm citari epistolas Gregorii, verbaque Eugubini esse, quæ Schwartzius dedit pro verbis Gregorii, ut crassi stuporis se insimulare debeat, si contendere velit, id se non vidisse, nec secutum esse illud politicorum quorumdam:* Calumniare fortiter, semper adhæret aliquid. *Hisce observatis, expendamus, quibus diverticulis usus sit, ut vim auctoritatis eluderet.*

usus ille videtur hac fraude, ut auctoritatem irrefragabilem Gregorii VII,

C

227 His, *inquit*, præcipuis Gregorius præsidiis utitur: nam cetera litterarum ipsius dictatoriæ tantummodo voces, pìæque fraudis lemures sunt. Habeo verò, quod moneam, priusquam rationes Pontificis probemus. Nullam hîc coronæ Româ in Hungariam missæ, nullam regii fastigii, ad quod Stephanum Pontifex evexerit, nullam APOSTOLICI REGIS cognominis, & crucis, velut apostolatûs symboli, Hungariæ regibus collatæ, mentionem reperias. An verò tam invidenda beneficia tam commodo loco, quo cùm maximè exprobranda erant, Gregorius pro animi elatione tacuisset, si sua jam ætate fabula nata ac credita esset? Beneficia certè ista commemorando fortiùs coarguisset reges, officii sui oblitos, quàm hæreditatem imperii Romani obtendendo. Vana persuasio ac deridenda! Quasi eundem imperii dominum esse oporteat, qui Urbis est: & hæredem imperii, qui ad Urbis dominium mille artibus est grassatus. *Hæc primùm Schwartzius, cujus si tanta fuerit stoliditas, ut inter Eugubini & Gregorii verba non noverit distinguere, hîc saltem calumniatur fortiter, ut adhæreat aliquid. Nec hæredem imperii Ecclesiam dixit Gregorius, nec tanta erat animi elatione, ut exprobranda regibus Romanæ Ecclesiæ beneficia sine necessitate judicaverit: neque ulla talis exprobrationis erat necessitas, cùm unicè studeret Gregorius, ut reges illi jus Romanæ Ecclesiæ agnoscerent, quod acquisitum non erat per beneficia Ecclesiæ, sed per donationem* S. Stephani, *quam allegavit. Frustra igitur hîc alieno loco objicitur Gregorii silentium contra facta jam antè abunde stabilita. At interim sic lectoris attentionem alìo avocavit Schwartzius, qui, si cupiat virtutes Sanctitatemque Gregorii VII discere, probèque perspicere gravitatem calumniarum, quibus impetit virum sanctissimum, adeat Acta nostra ad diem* XXV *Maii, ubi de S. Gregorio VII fusè disputatum est.*

D

E

228 *Ille deinde sic pergit donationem* S. Stephani *oppugnare:* Jus, ex donatione Stephani exsculptum, precarium est. Legendarius ipse Chartuitius, suas ad curiæ Romanæ palatum fabulas componens, donationis istius ne indicio meminit. *Cur, obsecro, ad palatum Ecclesiæ Romanæ scripsisset Carthuitius, qui jussus à rege Colomanno Vitam composuit, eamque eidem dicavit? Nonne justior posset esse suspicio, Carthuitium ad regis palatum scripsisse, ideoque commemorare noluisse aliquid, quod ei displiciturum crederet? Id sanè mox pro sua licentia affirmaret Schwartzius, si donationem defenderet; nisi mallet dicere, locum deinde resectum esse. Verùm, sive hasce ob causas, sive ob alias, donatio illa non legatur in Opusculo Carthuitii, unius silentium non potest magni esse momenti, quando plures, iique antiquiores loquuntur, atque antiquioribus posteriores adstipulantur, uti hac in re adstipulatos vidimus. Verba Bonifacii VIII, donationem* S. Stephani *asserentis, dedi num.* 191. *Nicolaus IV apud Raynaldum ad annum* 1291 *num.* 47 *ad Joannem Æsinum episcopum, legatum suum hæc scribit:* Cùm itaque regnum ipsum (*Hungariæ*) ad apostolicam Sedem multipliciter pertinere noscitur *&c. Idem asserit in litteris ad Rodulphum imperatorem, in aliis ad Albertum Austriæ ducem, ac demum in aliis ad archiepiscopum Strigoniensem, uti ibidem videri potest. Plura hujusmodi Pontificum posteriorum testimonia lubens prætermitto, ut ostendam breviter, Hungaros ipsos favere sententiæ nostræ.*

F

nam silentium Carthuitii obesse non potest auctoritati Gregorii, cui plures alii assentiuntur.

quem graviter calumniatur, indirectè infringeret:

229 *Celebris illa controversia inter Hungaros & legatum Pontificium anno* 1308 *agitata, & terminata in comitiis prope Budam, composita legitur hoc modo:* Post quæ sub specie tuendæ libertatis ejusdem regni, inter ipsos barones & nobiles murmur, quod ipsius domini legati attigit aures, per querelam patulam in publicum productam exoritur: videlicet quòd nolebant,

Jus aliquod Romanæ Ecclesiæ, quod ex donatione S. Stephani petebatur,

nec

A nec erat aliquatenus intentionis eorum, quòd Ecclesia Romana, vel ipse dominus legatus ejus nomine, sæpedicto regno de rege ullatenus provideret; sed placebat eis, quòd illum, quem ipsi ex antiquo & approbato ejusdem regni more vocaverant, & in regem assumpserant, præfatus dominus legatus ejusdem Ecclesiæ Romanæ nomine in verum regem Ungariæ confirmaret; & quòd etiam perpetuis futuris temporibus veri summi Pontifices, & ipsa Romana Ecclesia haberet jus confirmandi & coronandi reges Ungariæ, de vera regali progenie propagatos, quos ipsi unanimiter & concorditer de dicta progenie ducerent eligendos. Ipse verò dominus legatus, ad consummationem cœptorum per eum feliciter, ferventer anhelans, ad eorumdem prælatorum, baronum, & nobilium supplicationem, petitionem, & expressum consensum, præfatum dominum Carolum, de prædictorum regum Ungariæ ex domina sereniſſima, domina Maria Siciliæ ac Ungariæ regina illustri, nata claræ memoriæ Stephani regis Ungariæ, vera progenie propagatum; cujusque in eodem regno successio legitima per eamdem Ecclesiam extitit declarata,
B sibique de jure deberi regnum hujusmodi diffinitum, in ejusdem regni verum regem ipsius Ecclesiæ Romanæ nomine cum solemnitate debita confirmavit, & prædictæ ipsius Ecclesiæ Romanæ nomine acceptavit.

agnoverunt ipsi magnates Hungariæ,

230 Et subsequenter omnes unanimiter & concorditer post confirmationem hujusmodi, tam adhærentes quàm adversantes hactenus eidem domino Carolo, receperunt & recognoverunt singulariter & divisim ipsum dominum Carolum verum regem, ac regni Ungariæ successorem, sibique servire, ac obedire teneri tamquam vassalli legitimi & fideles domino naturali. De quibus etiam per eos firmiter adimplendis, & inviolabiliter observandis, junctas manus, prout solet à profitentibus regulas fieri, infrà sæpedicti domini legati mittentes manus, juramentum & fidem super veræ Crucis Lignum, ipsique, ac dicto domino regi singulariter pacis osculum præstiterunt. *Ex hisce clarum est, proceres Hungariæ jus aliquod Romanæ Ecclesiæ agnovisse, cùm ejusdem Ecclesiæ nomine confirmandum regem decreverint. Jus autem illud*
C *non aliunde repetebant Gregorius VII., Nicolaus IV, & Bonifacius VIII, quàm ex donatione* S. Stephani, *de qua sola disputo: nam quod, aut quale jus illud fuerit, discutere nolim.*

& jam diu ante S. Ladislaum.

231 *Idem diu antè agnovisse videtur S. Ladislaus, Hungariæ rex tempore Gregorii VII creatus. Audi Baronium in Annalibus ad annum* 1077: Hoc eodem anno, *inquit*, diu rebus Hungaricis fluctuantibus, defuncto Geisa rege, eligitur Ladislaus, de quo idem Gregorius Papa ad Nehemiam Strigonienſem episcopum hoc anno scribens, hæc inter alia habet: „ Admonemus fraternitatem tuam, ut regem, „ qui inter vos electus est, cum aliis tuis con„ fratribus & principibus terræ alloquaris, no„ tificantes, & consulentes sibi, ut apertiùs no„ bis suam voluntatem, & erga reverentiam Se„ di apostolicæ debitam per idoneos legatos de„ nuntiet devotionem: & ita demum, quod ad „ nos attinet, ad honorem Dei omnipotentis, „ & beati Petri Apostolorum Principis, benignè „ sibi respondebimus &c „. Præstitit hoc abundanter idem rex, cùm iteratam ad eumdem Gregorium Papam legationem misit, ut ipsius Gregorii redditæ ad eum postea litteræ docent. *Hæc*

Baronius. Porrò dubitari non potest, quin Gre- AUCTORE
gorius idem exegerit à Ladislao, quod antea præ- J. S.
stari voluerat à Salomone & Geysa ipsius decessoribus. Obtinuisse autem Gregorium, quod desiderabat, non modò indicant verba Baronii, sed magis etiam ipsa Gregorii epistola, quam ille ad annum 1079 *num.* 19 *recitat hoc modo:* Gregorius episcopus servus servorum Dei Ladislao Hungarorum regi salutem & Apostolicam benedictionem. Sicut fidelium * tuorum crebra * *i. e.* legarelatione cognovimus, idemque ipsum nostris torum
attestantibus ratum habemus, excellentia tua ad serviendum beato Petro, quemadmodum religiosa potestas debet, & ad obediendum nobis, ut liberalem filium decet, toto affectu & cordis intentione parata est. Unde nimirum devotionem mentis tuæ super hoc studio non indignè laudamus, eique sincerè congratulamur, quòd quidem optimorum regum sequendo vestigia, illustras servando tam in moribus normam justitiæ, quàm etiam lineam nobilitatis in sanguine &c. *Ex dictis videmus, Pontifices asseruisse donationem* S. Stephani; *reges verò eamdem non negasse, quin etiam agnovisse; sed eorum aliquos disceptasse de jure, quod ex illa donatione sibi* E
attribuebant Pontifices. De hoc autem me non disputare, jam antè monui.

Alia objectio ex verbis S. Stephani

232 *Schwartzius à silentio Carthusii ad alia pergit hisce verbis:* Nulla tanta Stephani erga Pontificem Romanum observantia usquam elucet, cujus impulsu seque suaque illi devovisset. *Verùm observantia* Stephani *erga Romanum Pontificem, quem Ecclesiæ caput visibile agnoscebat, colligitur ex missa ad eum legatione, ex petita ejusdem benedictione, ex corona postulata potiùs à Pontifice, quàm ab imperatore; ac demum ex aliis multis, quæ referentur per decursum. Nihilominus Schwartzius dicta probare nititur in hunc modum:* Rex Stephanus autem filium Emericum in Institutione regia ad honorem regni sui pontificibus impertiendum exsertè cohortans, Pontificem Romanum ne verbulo commemorat. Catholicæ fidei observationem eidem injungens, & Christi ad Petrum apostolum dictum illud, Matth. xvi, ad quod, tamquam ad sacram anchoram, Pontificibus confugere solemne est, id quod & Gregorius in altera ad Geysam epistola joculari argumentatione facit, explicans, „ per PETRAM Christum, per Eccle- F
„ siam, in petra ædificatam, gentem electam & „ divinam „, non hierarchiam, sub uno visibili capite cum membris suis visibilibus florentem, potentem, splendidam & dominantem intelligi vult. *Hic paululùm subsistere oportet: nam disputator noster* S. Stephanum *non solùm Romani Pontificis parùm observantem, sed etiam Lutheranismo faventem facere molitur. At adducta Sancti Regis verba facilè evincent, Schwartzium nihilo feliciorem esse in dogmaticis quàm in historicis.*

male expositis:

233 Stephanus *in laudata Institutione filium cap.* 1 *hortatur ad observationem fidei Catholicæ, cap.* 3 *ad honorem impendendum pontificibus, seu episcopis regni sui; neque ibi loquitur de Romano Pontifice, de quo cap.* 2 *egerat, ut videbimus, licèt simul, & præcipuè agat de Ecclesia. Hortatur ibi filium, ut curam habeat, ne Ecclesia, quæ* per totum orbem diffusa, *quæque* in certis locis quasi antiqua habetur, *in Hungaria verò* adhuc quasi juvenis & novella prædicatur, . . . destruatur & annihiletur, *hanc subdens rationem:* Nam qui minuit aut fœdat sanctæ Ecclesiæ dignitatem, ille Christi

AUCTORE J. S. corpus mutare nititur. Ipse enim Dominus dixit Petro, quem custodem magistrumque eidem posuit sanctæ Ecclesiæ : " Tu es Petrus, & super „ hanc petram ædificabo Ecclesiam meam „. Seipsum quidem nominabat PETRAM ; non ligneam vel lapideam super se ædificatam Ecclesiam dixit, sed populum acquisitionis, gentem electam, divinam * gregem, fide doctam, baptismate lotam, chrismate unctam, SANCTAM super se ædificatam ECCLESIAM dixit, & appellat. *Hæc sunt verba, ex quibus sequi vult disputator heterodoxus*, S. Stephanum *per* petram *non intellexisse S. Petrum, sed Christum ipsum : quod, etsi verum esset, nihil evinceret ; cùm Sanctus dicat Petrum à Christo statutum Ecclesiæ* magistrum. *Idem contendit*, Stephanum *per Ecclesiam non intellexisse hierarchiam, sed* gentem electam & divinam. *Examinemus igitur, an hæc justa sit deductio.*

* divinum

234 Stephanus *ait*, Seipsum quidem nominabat petram. *Si velimus hanc phrasim considerare secundum regulas grammaticales, rectè locum intellexit Schwartzius*, *&* Stephanus *per* petram *intellexit Christum ipsum, uti etiam locum aliquando explicavit S. Augustinus, uti dicam num.* 353. *Sin verò attendamus, quomodo* S. Stephanus *cum aliis multis scriptoribus medii ævi utatur prænomine relativo* sui, *facilè perspiciemus, per* petram *ab ipso intelligi S. Petrum Apostolorum principem, quem designat per prænomen* seipsum, *quia de Petro fuerat sermo æquè ac de Christo. Accipe alias similes* S. Stephani *phrases. Decretorum lib.* 1 *cap.* 3 *eodem modo utitur* sibi *pro* ei *in hisce verbis :* Si tunc secretè reuerit audire monita, adhibenda sibi (*id est*, ei) sunt publica *&c. Lib.* 2 *cap.* 7 *sic habet :* Si quis igitur presbyter vel comes, sive aliqua alia persona fidelis, die Dominica invenerit quemlibet laborantem, abigatur ; si verò cum bobus tollatur sibi bos *&c.* Sibi *hîc clarè ponitur, pro* ei *vel* ipsi. *Cap.* 22 *:* Si quis hospitem cum benevolentia accipit, & nutrimentum sibi honestè impendit *&c.* Sibi *rursum pro* ipsi. *Talis ejusdem prænominis abusus recurrit cap.* 24, 25, 28 *&* 33. *Itaque ex adjunctis colligere oportet, utrùm vox* seipsum *hîc sumenda sit in significatione propria, an verò posita sit pro* illum ipsum. *Adjuncta autem verba*, Ipse enim Dominus dixit Petro, quem custodem magistrumque eidem posuit sanctæ Ecclesiæ : Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam ; *satis innuunt*, Stephanum *per* petram *intelligere S. Petrum : nam per verba Christi intendit probare, quod asserit, Petrum* custodem magistrumque *positum esse* Ecclesiæ. *Id verò citata Christi verba non probarent, si alio modo intelligerentur. Deinde expositio illa, quâ per petram designatur S. Petrus, tam naturalis est, tamque recepta erat & communis tempore* S. Stephani, *ut verisimile non sit, ipsum ab ea recessisse.*

assignatur verus

B

C

235 *Hæc solùm observare volui, ut ostenderem, qualis sit genuinus sensus verborum* S. Stephani *: nam alioquin parùm refert, quo modo verba Christi Sanctus intellexerit, cùm admittat Petrum esse statutum* custodem magistrumque Ecclesiæ, *atque illud sufficiat, ut crederet successorem Petri maximo honore colendum. Altera Schwartzii collectio longè absurdior est, nec ullum ex verbis* S. Stephani *habet fundamentum. Dicit Sanctus nec ligneam nec lapideam esse Ecclesiam illam, quæ supra petram ædificata est, sed esse collectionem hominum fide & baptismate ad Ecclesiam pertinentium.* Hierarchiam *non vocat, sed hierarchiam sub uno visibili capite florentem esse innuit, dum dicit supra petram esse ædificatam, dum Petrum* custodem magistrumque eidem *positum* sanctæ Ecclesiæ *affirmat. Vocat Ecclesiam* gentem electam, & divinam gregem : *an inde concludet disputator, solos electos, aut solos perfectos spectare ad Ecclesiam, idque voluisse* S. Stephanum ? *At S.* Stephanus *de similibus hæreticorum assertis ne cogitavit quidem, opinor, dum hæc scriberet. Verùm, cùm illa non spectent ad controversiam, quam tractamus, videri infrà possunt ipsa sancti Regis Decreta, quæ suo loco dabimus, & variis annotationibus illustrabimus.*

illorum verborum sensus.

D

236 *Redeo igitur ad Schwartzium, qui Gregorium VII mendacii convincere solita temeritate nititur, verba ejus directè sic impugnans :* Falsò Salamonem regem defectionis à curia Romana Gregorius accusat, & multo falsiùs, quòd ad imperatoris Romani auxilium confugerit, reprehendit. Ante Salamonem enim idem fecit Petrus rex, à suis ex Hungaria deturbatus, vectigal imperatori pactus, si se in regnum reduceret. In quo pacto adeo nihil reprehendendum invenerunt ejus temporis Pontifices, ut etiam Leo IX Andream regem, à quo Petrus regno iterum exutus fuit, solicitè per nuntios monuerit, ut ne vectigal imperatori pendere recusaret. Ipse quoque Papa, ut id regi persuaderet, primùm in Germaniam ; hinc, comite imperatore, in fines usque Hungariæ profectus est. Sed surdo Andreæ fabulam narravit, reque infecta imperator & Pontifex redierunt. En specimen obedientiæ, à priscis Hungariæ regibus Pontificibus Romanis præstitæ ! Quam ob rem contrariis his factis literæ Gregorii falsitatis & vaniloquentiæ sole meridiano clariùs coarguuntur, ut verissimè à Frederico Spanhemio scriptum est : " Istud verò de accepto regno à Romana Sede „ vulgatum est circa tempora Gregorii VII, „ quando scripsit hic Pontifex, . . . à rege Ste„ phano regnum Hungariæ, ut S. Romanæ Ec„ clesiæ proprium, B. Petro cum omni jure & „ potestate sua oblatum & devotè traditum „.

Aliud ejusdem scriptoris argumentum,

E

237 *Multa rursum hîc peccat temerarius disputator, qui jactitat se litteras Gregorii* falsitatis *convicisse, & quidem* sole meridiano clariùs. *Quodnam, obsecro, Gregorii assertum* falsitatis *convicit ? An falsum est, quod in Salomone reprehendit Gregorius his verbis :* Quæ cùm ita sint, tu tamen, in ceteris quoque à regia virtute & moribus longè discedens, jus & honorem S. Petri, quantùm ad te, imminuisti & alienasti, dum ejus regnum à rege Teutonico in beneficium, sicut audivimus, suscepisti. *Non reprehendit Salomonem Gregorius, quia ad imperatoris auxilium confugerat, ut falsò ait Schwartzius ; non quòd tributum pendat, ut ille videtur supponere ; sed unicè quòd* regnum in beneficium *ab ipso suscepisset, id est, quod clientelam imperatori juraſſet eo modo, acsi ab imperatore penderet regnum Hungariæ. Aliud sanè est alterius auxilium petere, aliud se ipsius clientem seu subditum profiteri. Rursum aliud est tributum alicui pendere, aliud eidem se per clientelam juratam subjicere. Nec de tributo loquitur Gregorius, nec de auxilio petito, sed de subjectione regni per clientelam, quam improbat, quia illud ad Romanam Ecclesiam pertinere ex donatione* S. Stephani *affirmat. Hac in re*

quod statum quæstionis minus tangit,

F

falli

A *falli Gregorium, non oſtendit Petri regis factum, nec Leonis IX conſilium, etiamſi planè vera eſſent, quæ de Petro & Andrea regibus, ac de Leone IX ſine probatione affirmat Schwartzius. Si diſtingueret ſcriptor ille, quæ per ſe diſtincta ſunt, rectiùs ratiocinaretur, & minùs aberraret à vero.*

238 *Falſum quoque eſt, quod ait Andream regem non acquieviſſe conſilio Leonis IX. Nam contrarium planè aſſerit Leonis archidiaconus Wibertus, qui optimè noſſe poterat, cujus culpâ pax non fuiſſet concluſa, quique in Vita Leonis apud nos tom. 2 Aprilis pag. 661 ſcribit ſequentia:* Non modicus quoque ei inerat fervor in augenda republica. Idcirco Hungariæ principes, à Romano nuper imperio diſſidentes, multiplicibus legatis adierat, ne detrectarent ſolita ſubjectione imperatori priſca perſolvere tributa: quod & conſenſerant, ſi præteritorum commiſſorum eis concederetur indulgentia. Quapropter ſancta commonente pietate coactus eſt tertiò antiquam patriam repetere, & pro reorum miſeratione, qui contra imperium moverant bellum, perſuaſoriis precibus imperiales aures expetere. Sed quia factione quorumdam curialium, qui felicibus ſancti viri invidebant actibus, ſunt auguſti aures obturatæ precibus Domni apoſtolici; ideo Romana reſpublica ſubjectionem regni Hungariæ perdidit, & adhuc dolet finitima patriæ prædis & incendiis devaſtari. *Itaque acquievit rex Andreas conſilio Leonis IX; at idem facere nolnit imperator, atque hac de cauſa pax concluſa non eſt. Hoc ſolùm obſervare volui, ut pateat quàm temerè multa aſſerat Schwartzius: nam alioquin parùm ad rem facit, uter conſentire noluerit: neque enim exigebant Pontifices, ut ſuo arbitrio à regibus Hungariæ regni negotia adminiſtrarentur.*

nec omni ex parte verum eſt,

B

239 *Porrò verum eſt, Leonem IX ſuaſiſſe Andreæ regi, ut tributa penderet imperatori, an ideo repugnat Gregorio VII, qui improbavit, quòd Salomon coronam in* beneficium *ab imperatore accepiſſet? Minimè gentium. Tributa penduntur variis de cauſis ex pactione. Alii principes tributa ſolvunt ob beneficium vel auxilium ſibi præſtitum. Sic Petrus rex, tributum imperatori ſolviſſe dicitur, quòd ejus ope in regnum eſſet reſtitutus. Alii tributum pendunt, ut bellum redimant, quo aliàs à principe quopiam potentiore impeterentur. Hanc ob cauſam tributum pependiſſet Andreas, ſuadente Leone IX; ſi voluiſſet imperator à bello deſiſtere, & pacificam regni poſſeſſionem Andreæ relinquere, uti poſtea facere debuit ſine tributo. Verùm qui tributum ſolvunt hiſce modis, non profitentur idcirco ſe vaſſallos principis, cui illud pendunt. Longiùs progredi voluit Salomon, quem reprehendit Gregorius, quòd* regnum *ſuccepiſſet* à rege Teutonico in beneficium, *ſive quòd ſe imperatoris vaſſallum fuiſſet profeſſus. Hæc omnia clarè evincunt, temerè impudentem eſſe Schwartzium, dum ex factis quibuſdam, quæ ſtatum controverſiæ non attingunt, ſanctiſſimum Pontificem mendacii arguere ſuſtinet. Ne quidem hæc concluſio rectè deduci poſſet, licèt idem Andreæ ſuaſiſſet Leo IX, quod in Salomone improbavit Gregorius: nam ſolùm ſequeretur Gregorium Leone attentiorem fuiſſe ad conſervanda Eccleſiæ jura.*

nec quidquam evinceret, licèt totum eſſet verum.

C

240 *Poſtremum deinde conatum adverſarius adhibet his verbis:* Denique, Henricum imperatorem, poſt Petrum vi & armis in regnum reſtitutum, coronam & lanceam ad corpus B. Petri Gregorius tranſmiſiſſe ſcribens, coævis omnibus ignota loquitur. Unde vel Inchofer ipſe, „Nemo tamen, niſi fallimur, inquit, lanceæ „& coronæ, ad corpus B. Petri miſſæ memi„nit; ut idcirco pluribus in loco tam inſigni „auctoritas Pontificis expendenda ſuperſit„. Liberrimè vero Herm. Conringius, „Henricum „III cæſarem, inquit, Ovone devicto, lan„ceam ejus & coronam pio adfectu Romam „miſiſſe, non negaverim. At illum judicaſſe, „Hungariæ regnum Papis deberi, hoc profectò „omni illi repugnat &c. Commenta hæc ſunt „hominis, qui hoc ſolùm negotii ſibi credebat „datum, ut imperium Germanorum everteret, „ſibi autem, ſuiſque poſteris ſucceſſoribus, „dominatum aliquem divinum in omnem mun„dum compararet. Qualia proinde de omnibus „pæne regnis finxit plurima ſine rubore„. *Hactenus Schwartzius, in ſubſidium advocans Inchoferum & Conringium, qui ambo tamen admittunt Gregorii verba, quæ ille hic impugnat ex ſilentio coævorum. Enimverò prætermiſſa quidem à pleriſque, at non ignota coævis omnibus loquitur Gregorius, cùm ipſe coævus fuerit facto, quod narrat illis, qui rei veritatem mox poterant cognoſcere: nam à facto ipſo uſque ad epiſtolam Gregorii ne quidem triginta anni erant intermedii. Conſideravit, opinor, Conringius hanc temporum vicinitatem, ideoque negare auſus non eſt, lanceam & coronam fuiſſe miſſam ab Henrico ad Romanam Eccleſiam.*

AUCTORE J. S. *Poſtremum Schwartzii argumentum*

E

241 *Verùm, cùm idem ſcriptor hæreticorum more honori Romanæ Eccleſiæ favere nollet, atque in Gregorium VII exacerbato eſſet animo, aliam Henrico imperatori intentionem attribuere maluit, dixitque Henricum id feciſſe* pio affectu. *At reſpondeo commentum id eſſe hominis, qui vidit factum negari non poſſe ſine temeritate, quique minùs pio erat affectu erga Romanam Eccleſiam, quàm ut iſtud vellet incorruptum admittere. Schwartzius audacior Conringio factum ipſum tentavit vocare in dubium. ſed cautior eſſe debuerat, quàm ut citaret verba illius, qui quantacumque etiam bile in Gregorium turgeat, factum inficiari non ſuſtinuit. Jam verò res ipſa negari nequit, niſi quis fingat non modò improbum, ſed ſimul etiam maximè temerarium, imprudentem, ac famæ ſuæ prodigum fuiſſe Gregorium, qui voluiſſet falſa ſcribere regi, cui falſitas ipſa ſtatim poterat innoteſcere. Nihilo meliùs confictus eſt ille* pius affectus *à Conringio; non enim miſſa Romam ſunt lancea & corona, ut ibidem ſervarentur pro cimeliis; ſed ut remitterentur legitimo Hungariæ regi. Itaque Romam Henricus direxit inſignia regni Hungarici, ut illa Pontifex reſtitueret illi, quem Henricus ipſe armis in regnum reduxerat.*

nullius eſt momenti.

F

§ XXIII. Litteræ Silveſtri II defenduntur contra objectiones Schwartzii.

Leviſſima & nullius ponderis Schwartzii argumenta contra litteras Silveſtri II.

QUandoquidem *capita præcipua Epiſtolæ Silveſtri II jam ita defenſa ſunt, ut pro veris haberi deberent, & ſatis eſſent probata, etiamſi dicta epiſtola non exſtaret, cùm ſingula aſſerantur ab auctore aliquo coævo, aut ſaltem ſuppa-*

AUCTORE J. S.

re, & confirmentur à pluribus; difficile non erit epistolam ipsam tueri. Prolixè quidem contra hasce litteras disserit Schwartzius num. 51 *& sequentibus, sed verba ferè tantùm sunt, quæ affert. Quapropter, cùm nimium excresceret hæc disputatio, si singula ipsius verba recitarem, præcipua tantùm recensebo argumenta, eaque expendam breviter. Ait primò*, non adferri ipsam . . tabulam, Pontificis manu exaratam confirmatamque; *sed* aliam, superioribus seculis descriptam, ac veluti lampada per varios traditam. *Hoc autem argumentum si valeret, omnibus ferè antiquis litteris abroganda fides esset: paucarum enim ostendi poterunt authenticæ tabulæ. Ait secundò:* Nemo, quod constet, diploma illud Pontificis, priusquam ab Inchofero publici juris & lucis factum esset, sexcentis supra quadraginta annis, legit, nemo vidit, nemo usquam exstare perhibuit. *Verum est, quòd epistola hæc diu in tenebris jacuerit; at idem rursum contigit de aliis innumeris, de quarum fide non dubitatur. Præterea ostendemus inferiùs, dubitari vix posse, quin epistola seculo* XI *visa sit à variis. Hisce solis ratiunculis, quæ nullius sanè momenti* B *sunt, contra epistolæ fidem utitur Schwartzius: nam, etsi plures afferat, eâ solùm serviunt ad respondendum argumentis, quibus fides epistolæ nititur.*

exponitur, unde acceptæ sint hæ litteræ;

243 *Inchofer in Annalibus ecclesiasticis regni Hungariæ ad annum* 1000 *docet, unde Epistolæ illius exemplar acceperit, hæc scribens:* Et jam confecto hujus primi tomi argumento, magnamque partem liberatis è prælo foliis, dum propemodum millesimi hujus anni historia subjicienda foret, inopinè, sed peropportunè, suggessit reverendus frater Raphaël Levacovicz Croata, Ordinis Minorum Observantium, sacræ theologiæ Lector, atque in Urbe, sacrorum Illyricanæ ecclesiæ codicum corrector, haberi apud se literarum Sylvestri Pontificis exemplum, quæ legatis Hungariæ, tum adhuc ducis Stephani, mox inaugurandi regis, unà cum sacra corona traditæ, non singulares dumtaxat prærogativas eidem concessas, sed & summam rerum ad hanc historiam pertinentium exactè continerent. Et ne de fide religio incesseret, tametsi stylus abundè pro se loquatur, authoritatem faciunt, quæ idem suo vir Ordine dignus, C manu addidit. Antonius Verantius Dalmata, superiori seculo, magnæ tum doctrinæ, tum prudentiæ laude clarus, eoque viginti plus legationibus ad maximos principes perfunctus; apud Ferdinandum demum & Maximilianum Romanorum imperatores eâ gratiâ valens, quâ suæ dignitati Strigoniensem archiepiscopatum adderet. Hic enimvero, cùm in archivo Tragurienſis ecclesiæ, cognoscendis colligendisque antiquitatum monumentis intenderet, has quoque literas fortè anno seculi quinquagesimo offendit; & dignum studii sui præmium, in adversaria, quibus titulum memorialis præfixerat, manu sua descripsit. Eo post annos tres & viginti vitâ functo, veluti lampada per varios traditum accepit Athanasius Georgier, proinde genere & legationum provinciis illustris; cujus eximia erga eruditos humanitate Viennæ Austriæ nactus est frater Raphaël, cùm nuper datum à summo Pontifice Urbano octavo Terræ sanctæ negocium apud cæsarem Ferdinandum tertium procuraret. Ab eo demum nos, quâ diximus occasione, habitas, ne amplius desiderio & errore multorum, ne dicam insigni ecclesiæ damno, in privatis scriniis, adeoque in tenebris delitescerent, hisce Annalibus D inferere, & publici juris & lucis esse voluimus; ita etiam optante eo, qui ceu pignus, & depositum argumenti sui, de Vinea Domini in Illyrico, in nostris lucubrationibus extare voluit.

inanis contra hanc expositionem cavillatio Schwartzii,

244 *Non miror Schwartzium hîc laborare, ut fidem Inchoferi suspectam faciat. Quippe, cùm Gregorium VII summum Pontificem, ad reges Hungariæ scribentem de facto ne triginta quidem annis præterito, mendacii accusare non erubescat; mirandum potiùs foret, si privato scriptori parceret. Audiamus igitur hîc ipsa ejus verba:* Primus omnium, *inquit*, in archivo Tragurienſis ecclesiæ repertum in adversaria manu illud sua descripsisse fertur Antonius Verantius, pòst archiepiscopus Strigoniensis. Quasi verò in archivo quomodocumque repertum sufficiat, & non multo plura expedienda fuerint, ut scripturam authenticam esse doceretur. *Subsistat hîc tantisper æquus lector, & mecum expendat, an scriptor noster heterodoxus æquali lance ponderet monumenta, quæ sibi faventia credit, atque illa, quæ odit ut sibi contraria. De Diplomate* S. Stephani *pro abbatia S. Martini ait pag.* 7, Cujus ἀυθεντίαν infrà adstruemus. *Facit hoc pag.* 62 *his verbis:* Ad Stephani Privilegium, abbatiæ S. Martini elargitum, quod adtinet, Petrus Pazmany Cardinalis & archiepiscopus Strigoniensis id ipsum se apud abbatem vidisse testatur. *Deinde allatis laudati Cardinalis verbis, hæc subdit:* Nos stilum diplomatis præcipuè suspicimus, ex eoque de tabulæ fide & antiquitate judicium facimus. *Unius testimonium, & stylus, ibidem Schwartzio sufficiunt. Inchofer similiter observavit, quòd in litteris Silvestri* stylus abunde pro se loquatur, *& viri præclari attulit testimonium. Attamen* multo plura expedienda, *ut authentia probetur, si credimus disputatori nostro, qui rectiùs Academicorum more in utramvis partem verba funderet, quàm tractat gesta historica, in quorum discussione bona fide veritas est investiganda.* E

altera ejusdem objectio contra fidem Inchoferi,

245 *Pergit ille hoc modo:* At neque illud, quod in archivo Tragurienſi inventum adseritur, aliquo numero habendum est. Laqueum ipse sibi Inchofer induit, adfirmans à Verantio descriptum, non ex tabulario ablatum esse. Et certè si ablatum esset, tam pulchrè in tabularium ingeri potuisset, quàm ablatum fuit; quo ad tabularii fidem imminuendam nihil esset opportunius. E tabulario autem quoniam ablatum non est, dicam diplomatis patroni eludere nequeunt, quam doctissimus solertissimusque monumentorum veterum indagator, Johannes Lucius, non sine acerbo aculeo, Inchofero impegit. De patria namque Hieronymi contra Inchoferum disputans Lucius, perperamque ab eo allegatum Hieronymum observans, alterum mox falsum hoc, quamvis ab argumento, quod tractabat, alienum prorsus, subjicit eo haud dubiè animo, ut quæ Inchoferi, vetusta monumenta allegantis, consuetudo sit, palàm faceret. Ita verò Lucius, „ Unde verba Hieronymi, inquit, in Ha- F „ bacuc, sumserit Inchofer, cùm non reperian- „ tur inter ejus Opera, compertum non habeo. „ Compertum mihi tamen & notissimum est, il- „ lam, quam ipse refert, Silvestri PP. Episto- „ lam, anno M Stephano duci Ung. scriptam, „ in archivo Tragurienſis ecclesiæ non reperiri; „ cùm diligentissimè à me recensitum fuerit, ne- „ que in eo ullam antiquiorem scripturam anno „ MCLXXXV repererim „. Sanè nulla planè adest ratio „

A ratio, cur in tabulario potiùs Tragurienſi, quàm in archivis Hungariæ proſtiterit. *Hactenus Schwartzius, cujus hoc unicum argumentum aliqua conſideratione dignum eſt.*

quæ expenditur, & nihil evincit

246 *Tota argumenti vis in eo conſiſtit, quòd epiſtola dicatur deſcripta è tabulario Tragurienſi, quódque contrà teſtetur Lucius, ſe tabularium iſtud diligenter perſcrutatum eſſe, nec illam ibidem inveniſſe. Atqui epiſtola, inquit Schwartzius, è tabulario ablata non eſt. Neceſſe igitur eſt, ut illic non fuerit inventa. Quæro primùm, cur Lucio potiùs credendum putet, quàm Inchofero; ſi revera exiſtimet, utrique credi non poſſe? Idoneam hîc rationem non dabit: nam uterque falli potuit. Nec refert, quòd aſſerat Lucius rem ſibi notiſſimam eſſe, quódque diligentiam ſuam alleget: novi enim, quàm omnem quærentis ſolicitudinem eludat aliquando exile aliquod monumentum inter chartas abſconditum; idque propriâ experientiâ iteratis vicibus didici, etiam ubi certus eram me chartam aliquam, quam fruſtra quærebam, vidiſſe ac manibus contrectaſſe. Si iſtud poſſit contingere, ubi una dumtaxat charta de induſtria quæritur, quanto faciliùs accidere poteſt ei, qui multa ſibi profutura*

B *eâdem operâ inveſtigat, quemadmodum haud dubiè fecit Lucius? Nimiùm igitur ſuæ confidit induſtriæ, qui ſibi perſuadet, nihil ſuæ in quærendo diligentiæ fuiſſe abſconditum. Quapropter, ſi ex duobus eodem tempore alter mihi affirmet, ſe monumentum aliquod vidiſſe in quopiam tabulario; alter verò poſt diligentem inveſtigationem neget, illud ibidem reperiri; credam ego affirmanti, negantem verò mendacii non accuſabo, ſed erroris habebo ſuſpectum.*

contra fidem Inchoferi, nedum contra ipſam epiſtolam,

247 *Hic autem diverſa eſt ratio: utrique hîc credi poteſt, cùm eorum dicta non pugnent. Invenit Antonius Verantius Epiſtolam illam in tabulario Tragurienſi anno* 1550. *Deinde evoluto integro circiter ſeculo, perſcrutatus idem tabularium Johannes Lucius nullum invenit monumentum, quod ſit anno* 1185 *antiquius. Equidem non video, cur utrumque ſimul verum eſſe nequeat, cùm variis modis auferri potuerit tempore illo interjecto; ſi ipſe Verantius inventam epiſtolam ibidem reliquit: quod non negatur, neque etiam affirmatur ab Inchofero. Tanto autem faciliùs monumento illo privari potuit tabu-*

C *larium Tragurienſe, quanto minùs utile erat Tragurienſi eccleſiæ, ad quam nullum epiſtolæ hujus verbum pertinebat. Mitto recenſere modos plurimos, quibus qualecumque iſtud damnum pati potuit tabularium Tragurienſe, ne juſto ſim prolixior ſine neceſſitate: nam Epiſtola ipſa tam manifeſtè pro ſe loquitur, ut haberi deberet pro authentica, etiamſi non conſtaret, ubi aliquando fuerit reperta. Demum, quòd ait Schwartzius, nullam eſſe rationem, cur potiùs in Tragurienſi, quàm in Hungariæ tabulariis, reperta eſſet Epiſtola, nequaquam urget: non enim conſtat, an non lateat in quibuſdam Hungariæ tabulariis; ſi verò de eo conſtaret, non deeſt ratio differentiæ, cùm tota Hungaria multis direptionibus Tartarorum, Turcarumque & aliorum fuerit vaſtata, non ita Tragurium, cujus tabulario communicari potuit epiſtola dum erat ſub Hungarorum dominio. Sic Vita* S. Stephani *Carthuitiana necdum producta eſt in lucem ex Hungariæ ſcriniis; licèt edita fuerit in Polonia & Belgio noſtro, ubi etiamnum ſervatur manuſcripta.*

248 *Nunc, miſſa ulteriori diſceptatione de loco inventæ aut ſervatæ epiſtolæ, illam ipſam inſpiciamus, oſtendamuſque talem eſſe, ut non modò nullum contineat ſuppoſitionis indicium, ſed tot ſimul veritatis notas, ut nec veriſimile ſit nec credibile, ita componi potuiſſe ab impoſtore. Primò tanta eſt ſtyli conformitas inter hanc epiſtolam & reliquas Silveſtri II, aliorumque illius temporis Pontificum, ut major deſiderari nequeat, & de ſtylo epiſtolæ ne quidem mutire auſus ſit Schwartzius. Secundò facta omnia, quæ narrantur in epiſtola, ſic aliunde confirmavimus, ut eorum veritas ſine hac epiſtola ſolidè ſit ſtabilita. Hoc argumentum tanto fortiùs urget, quanto plura ex iiſdem factis perperam relata erant per ſcriptores poſteriores: quorum errores, dum in lucem hæc prodiit epiſtola, nullus ſic correxerat, ut hæc omnia tam aptè fingi potuiſſent ab homine etiam peritiſſimo. Incipiamus ab epocha. Epiſtola* data *legitur* Romæ VI Kal. April. Indictione XIII, *id eſt, ipſo anno milleſimo. Congruit hæc epocha cum Carthuitio, qui num.* 10 *ait, legatum à* S. Stephano *Romam miſſum,* quarto poſt patris obitum anno, *qui erat annus milleſimus: nam Geyſam obiiſſe anno* 997 *jam antè dixerat. Congruit ſimiliter cum Ditmaro,* E *qui coronam & benedictionem à* Stephano *acceptam ait, imperante Ottone III. Congruit tandem cum diplomate* Stephani *pro abbatia S. Martini, quod legitur datum* anno MI, regni noſtri ſecundo, Indict. XV, *id eſt, menſe Septembri aut aliquo poſteriore anni* 1001, *quo ſecundum litteras Silveſtri II currebat annus ſecundus regnantis* Stephani. *Non tam accuratus in chronologia fuit Inchofer, ut quis credere poſſit, hanc epocham omnibus monumentis tam concinnè cohærentem ab ipſo eſſe confictam; præſertim cùm perperam exiſtimaverit, laudatum diploma pro abbatia S. Martini datum fuiſſe anno* 1002, *quòd non intelligeret Indictionem* 15 *inchoari à menſe Septembri anni* 1001. *Minùs etiam cadere poteſt confictæ epochæ ſuſpicio in illos, qui epiſtolam antea habuerunt; cùm prædicta monumenta non ita eo tempore fuerint cognita, magiſque tunc vigerent errores ſcriptorum illorum, qui Benedictum VII ſubſtituerant Silveſtro II.*

& cujus ſimilitudo in variis phraſibus cum Carthuitio F

249 *Samuel Timon, cujus Opuſculum tempeſtivè impetrare non potui, jam oſtendere conatus eſt, Carthuitium habuiſſe Silveſtri II epiſtolam, uti ex Schwartzio diſco, qui ad nonnulla ipſius argumenta reſpondit. Cùm autem Opuſculum illud non habeam, nec omnia illius argumenta colligere poſſim ex Schwartzio, ſimilia quidem adducam, ſed verbis propriis. Teſtatur Carthuitius num.* 13 *Aſtricum* S. Stephani *legatum rediiſſe non modò* cum corona & cruce, *ſed etiam cum* benedictionis Apoſtolicæ litteris. *Haſce autem Silveſtri II litteras eas eſſe, quas attulit Aſtricus, Carthuitius veriſimile facit, quia dictis quibuſdam illarum utitur. Legatos* S. Stephani, *ubi illorum adventus prædicitur, Carthuitius nominat* IGNOTÆ GENTIS nuntios. *Sanè non capio, unde phraſim illam ſatis mirabilem, (cùm Hungari non omnino ignoti eſſent Romæ, ubi illorum converſio haud dubiè innoteſcere cœperat) hauſerit Carthuitius, niſi ex litteris Silveſtrinis, quæ ſic habent:* Legati nobilitatis tuæ ... tanto majori cor noſtrum lætitia affecerunt, ... quanto divinitus præmoniti, cupidiſſimo animo illorum adventum de IGNOTA nobis GENTE præſtolabamur. *Carthuitius num.* 12 *ait, eccleſias Hungariæ* Stephano *ordinandas relinqui* prout divina gratia ipſum inſtruit; *Silveſter verò ait,*

AUCTORE J. S. *quæ à peritiſſimo impoſtore non potuit tam aptè fingi,*

AUCTORE J. S.

ait, se illas ipsi ordinandas relinquere, secundum quod divina gratia te .... docuerit. *Duo alia loca attulit laudatus Timon, nec dictorum similitudinem negat Schwartzius. Verùm hisce omissis, alium adjungo locum, cujus similitudo magis est miranda. Cùm scribit Carthuitius num.* 10, *petitam à* Stephano *esse confirmationem episcopatuum Hungariæ, tantùm exprimit* Strigonienſem eccleſiam in metropolim *confirmandam*, & reliquos epiſcopatus. *Silvester verò in litteris eodem modo confirmat* Strigonienſem metropolim & reliquos epiſcopatus.

oſtendit, hunc hauſiſſe ex illa epiſtola: nam, quod objicit adverſarius,

250 *Hæc dictorum similitudo, quæ in pluribus assignari posset, oſtendit Carthuitium habuisse litteras Silvestri II, atque ex iis hausisse omnia, quæ refert de Romana* S. Stephani *legatione. Nam, uti ait Timon apud Schwartzium*, dicta duorum virorum, temporum locorumque intervallo disjunctorum, caſu & fortuitò concurrere non poterant. *Respondet Schwartzius num.* 54 *his verbis*: Timoni id ultro largimur, duorum virorum dicta, tam præcipuè dubia, quale eſt illud IGNOTÆ GENTIS, ita nimirum Hungaros Pontifex vocat, temporum locorumque intervallo disjunctorum, caſu & fortuitò concurrere
B non potuiſſe. Sed quando concludit, Chartuitium formulas iſtas è litteris Silveſtri hauſiſſe, vitio, ut in ſcholis philoſophorum dicitur, petitionis principii argumentum laborat. Sumit enim literas Silveſtri Chartuitio lectas, atque adeo genuinas atque antiquas eſſe. Verùm hoc illud eſt, quod in quæſtionem vocetur; & à Timone probari priùs debuiſſet, quàm ſumeretur. *Ita ille. Verùm, ſi quod principium ut certum aſſumpſit Timon, quod non invenio ex ipſius adductis verbis, certè non aſſumpſit illud, quod ait Schwartzius, lectas fuiſſe à Carthuitio Silveſtri litteras: nam iſtud probat hoc ratiocinio:* Concurrunt multa Silveſtri II & Carthuitii dicta: hoc fieri non potuit caſu fortuito; legit ergo Carthuitius Silveſtri litteras, ex iiſque hauſit. *Fateor quidem ex duabus prioribus propoſitionibus, tantùm colligi poſſe disjunctivè:* ergo vel Carthuitius legit Silveſtri litteras, vel harum litterarum auctor legit Carthuitium. *Verùm ſuſpicor Timonem ſatis probaſſe, litteras Silveſtrinas fingi non potuiſſe ex Carthuitio, ideoque ratiocinium ipſius legitimum eſſe. Si verò id ipſe forſan ſine probatione certum credidit, uti revera*
C *pro certo haberi poteſt ob exactam litterarum veritatem, iſtud ego jam oſtendere cœpi, pergamque oſtendere tam manifeſtè, ut hoc ratiocinium liquidò formari poſſit:* Duorum dicta hic concurrere temerè non potuerunt: concurrunt Silveſtri II & Carthuitii; ergo auctor alterutrius monumenti ex altero quædam hauſit. Non autem potuit Silveſtri epiſtola componi ex Carthuitio, adjunctis etiam aliis ſubſidiis: Carthuitius igitur hauſit ex litteris Silveſtri, eaſque pro legitimis habuit.

Silveſtri epiſtolam fingi potuiſſe ex Carthuitio,

251 *Schwartzius contrà ratiocinatur hoc modo:* Sin id, quod petitur, non ſumas, non minùs litterarum Silveſtri editores primi, cùm Legendam Chartuitii manibus verſaverint, formulas illas ex Chartuitio, quàm Chartuitius ex litteris Silveſtri, depromere potuerunt. Si Chartuitius ex Silveſtrinis litteris prompſit, an, quæſo, poterat nomen Pontificis, quod in fronte earum legitur, ignorare, ejuſque in Legenda ſua penitus dememineſſe? *Reſpondeo plura à Carthuitio nomina prætermiſſa, quæ non poterat ignorare. Sic num.* 33 *omiſit nomen illius Pontificis, qui juſſit elevari corpora Sanctorum illorum,* D *qui ad Hungarorum converſionem allaboraverant. At illius tamen nomen non poterat ignotum eſſe ſcriptori, qui eodem vivebat tempore. Nomen quoque matris* S. Stephani *nullibi memorat, licèt nec illud videatur ignoraſſe. Demum aliorum multorum nomina, quæ commemorari poterant, involvit ſilentio, uti patebit Opuſculum ipſius attentè pervolventibus. Hinc ex ſilentio nominis non rectè infertur, nomen Pontificis Carthuitio fuiſſe ignotum: nam credibile non eſt, Carthuitii tempore non ampliùs exſtitiſſe litteras Pontificias, quas Româ allatas aſſerit: ſi autem exſtabant, illas haud dubiè quæſivit, ut ex iis intelligeret, quæ & qualia à Romano Pontifice impetraſſet Sanctus.*

cum Gregorii VII epiſtolis collato,

252 Imò, *pergit Schwartzius*, ignorarunt ſcriptores omnes nomen Silveſtri, antequam recentiores, in quibus familiam ducit Baronius, ſubducto temporum calculo, id exſculpſiſſent. Olim enim alii Bonifacium VII, alii Benedictum VII, alii Gregorium V nominabant; à quo Stephanus diademate, auguſtiſque in ordinanda gentis eccleſia privilegiis donatus ſit. Quo fit, ut neque in anno conſtituendo veteres cum recen- E tioribus conſpirent, ſed mirum inter ſe in modum diſcrepent. *Certum eſt, ſcriptores ſeculi* XV, *alioſque ante Baronium, in tempore & Pontificis nomine aſſignando mirum in modum diſcrepare, quia non modò litteræ Silveſtri, ſed etiam Vita Carthuitiana, latebant in tenebris. Verùm tanto minùs potuit fingi laudata epiſtola, tam aptè conſentiens antiquorum monumentis, ut ne verbum quidem falſitatis convinci poſſit. Hac de cauſa rurſum inepta eſt concluſio, quam ex hiſce deducit his verbis:* Igitur, cùm prorſus veriſimile non ſit, Chartuitium dicta illa ex literis accepiſſe Silveſtri, dicta tamen duorum virorum, temporum locorumque intervallo disjunctorum, caſu ex fortuito concurrere non potuerint, ut litterarum Silveſtrinarum editores primi dicta hæc ex Legenda Chartuitii pia fraude ſurripuerint, conſequitur. Atque hæc ipſa res totam litterarum Silveſtri cauſam deſtruit: quas ſi quis non ſolùm cum Legenda Chartuitii, ſed & cum Gregorii VII epiſtolis, ad Salamonem & Geyſam reges Hungariæ ſcriptis, contulerit, ex quibus earum tam argumentum, quàm formulæ F dicendi inuſitatiores hauſtæ ſint, facilè adſequetur. Nobis immorari iſtis non libet; præcipua enim litterarum momenta toto hoc, uti & ſequenti capite, aliunde excutimus, nec pretium operæ fuerit, ſcripturæ, nothæ per ſe & ſuppoſititiæ, argumentum ponderare.

oſtenditur, fieri non potuiſſe.

253 *Quod hìc fatetur Schwartzius de epiſtolis Gregorii VII, ex uno loco mirificè elucet. Nam in Epiſtola ad Geyſam apud Harduinum tom. 6 Conciliorum col.* 1310 *de Romana Eccleſia ſic loquitur Gregorius:* Quæ ſubjectos non habet ut ſervos, ſed ut filios ſuſcipit univerſos. *Hæc ipſa planè verba leguntur in Epiſtola Silveſtri II, ex qua Gregorius ea ipſa verba poſuiſſe videtur, ut oſtenderet ſe habere Silveſtri II epiſtolam. Innuit temerarius Schwartzius etiam ex Gregorii VII epiſtolis confectam eſſe Silveſtrinam. Verùm ne nota quidam Inchofero fuit hæc Gregorii VII epiſtola, quæ ſerìus edita eſt à collectoribus Conciliorum: quo igitur modo laudata verba deſumi ex illa potuiſſent? Epiſtolam Gregorii VII ad Salomonem novit Inchofer, quia eam invenerat apud Baronium; ſcriptas verò ad Geyſam idem Baronius paucis indicavit, ſed earum*

A *rum contextum non recitavit : atque hinc factum est, ut eas ignoraverit Inchofer, cui accessus ad bibliothecam Vaticanam non patebat. Itaque meritò istis non immoratur adversarius : nam difficulter probaret, epistolam componi potuisse ex monumentis ignotis ; nec magis persuaderet, omnia epistolæ capita ab impostore sic ficta esse, ut singula cum antiquis monumentis exactè consentiant, & error Carthuitii de corona per Myscham Polonorum ducem petita in epistola non reperiatur.*

Inchofer fingere non potuit hanc epistolam, cui multa contraria scripserat,

254 *Sanè, si Inchofer, quem maximè impia illius fraudis suspectum facere conatur Schwartzius, si Inchofer, inquam, epistolam ipse composuisset, cur nomen Myschæ, seu Miecslai, Polonorum ducis, cui negatam coronam probare vult contra Baronium, epistola non inseruisset ex Carthuitio ? Contrà, cur epistolam auxisset quibusdam vocibus, in quarum explicatione ipse nonnihil laborat, & nominatim hisce* ignotæ gentis ? *Certè non ipse solùm laborat in explicandis vocibus istis, sed illæ etiam conciliari nequeunt cum tanta Hungarorum sub Geysa conversione, quantam perperam descripsit Inchofer ; neque cum verbis ipsius ad annum 990, ubi ait, multos prædicatores in Hungariam venisse*, præcipuè Romani Pontificis auctoritate, *proposito peccatorum indulto*, multisque spiritualibus gratiis concessis. *Præterea si ante mortem Geysæ, ut scribit anno 996*, perpauci desiderarentur, qui Christo manus non dedissent ; *si tanta conversio facta esset per prædicatores*, Romani Pontificis auctoritate *ab anno 990 affluentes, non erat Romano Pontifici, judice Inchofero, tam* ignota gens *Hungarorum, ut verba illa Carthuitii in epistola expressisset. Rursum, cùm Geysam, ut idem scribit ad annum 997*, divinitus ad id paratum *crediderit*, per quem primùm ipsi *(Hungari)* lumen fidei acceperunt, *quomodo in epistola ore Pontificis omnem laudem attribuit* S. Stephano, *& de gestis Geysæ prorsus silet ? Demum, ut omittam alia, si Hungari, ut perperam vult Inchofer, anno 997* non jam ducem, sed regem Hungarorum *renuntiarunt* Stephanum, *cur fingit* nomen regium *cum corona datum à Pontifice, quod ex Carthuitio non sumpsit ? Hæc aliaque ostendunt, epistolam Silvestri II conformem non esse multis ab Inchofero mendosè relatis, ita ut nulla verisimilis esse possit suspicio, ab ipso confictam esse.*

B

C

nec ea ab alio tam accuratè fingi potuit, ideoque pro vera est habenda ;

255 *Jam verò, ne quis cogitet, alium quempiam fingere potuisse dictam epistolam, eamque Inchofero obtrudere, diligenter consideret sequentia. Primò omnia epistolæ capita exacta veritati consona sunt ; idque ostenditur ex antiquis monumentis, quorum alia necdum edita alia non satis expensa erant, quando primùm apparuit Silvestri II epistola. Secundò, dum edita est hæc epistola, historia Hungarica variis laborabat erroribus, iisque admodum erant vulgares, uti colligi potest ex Inchofero, qui non paucos ex iis adoptavit ; atque aliquos huic epistolæ contrarios, quia eam serius acceperat. Itaque nec verisimile est, nec credibile, epistolam sic fingi potuisse ab impostore, ut simul & plura de legatione* S. Stephani *referret ; quàm ipse Carthuitius, eaque exactè vera ; & errorem tamen ipsius, aut alios Hungaricæ historiæ errores veris non misceret, præsertim cùm monumenta, ex quibus veritas patefcit, seriùs innotuerint. Nulla igitur potest esse justa suspicio de fide epistolæ authentica ; ac*

quilibet non litigiosus illam pro vera & legitima Silvestri II epistola habere debet.

AUCTORE J. S.

nec dedecori, sed honori est, regibus Hungariæ.

256 *Hæc autem adeo non est indigna serenissimorum Hungariæ regum majestate, ut ipsis potius maximè sit honorifica, summamque coronæ Hungaricæ venerationem conciliet. Docet etiam, quàm legitima auctoritate* S. Stephanus *res ecclesiasticas ordinaverit, ecclesiisque varia concesserit privilegia. Sanctus id ipsum brevius indicat in litteris pro monasterio Beel, anno 1037 datis, quas recitat Peterfius in Concilio Hungariæ pag. 5, ubi Rex sic loquitur :* Ita nihilominus à Romanæ Sedis supremo Pontifice habui auctoritatem, ut, quibus vellem, ecclesiis seu monasteriis libertates & dignitates confertem. *Quòd Schwartzius existimet, indignam esse prædictam epistolam augustâ regum Hungariæ gloriâ, ex eodem fonte oritur, ex quo totus ipsius libellus, nimirum ex odio, quo prosequitur Romanam Ecclesiam. Eodem odio impulsus Græcis attribuere contendit conversionem Hungarorum, monstrumque sine capite fingit fuisse ecclesiam Hungaricam. Audi, lector, præclarum viri effatum pag. 72 :* Ex quo, *inquit*, ecclesiam in initio Hungaricam prorsus censemus fuisse ἀκέφαλον, nec Pontifici Romano, nec patriarchæ Constantinopolitano, ulla lege addictam. *Ut monstrosa hujusmodi effata vestiat conjecturis quibusdam improbabilibus, monumenta omnia contraria pro fabulosis aut suppositiis habenda decernit. quæque rationibus evincere nequit, saltem maledictis inculcare conatur. Verùm nos, dimisso hoc scriptore heterodoxo, ad gesta* S. Stephani *regrediamur.*

D E

§ XXIV. Statuti per Hungariam episcopi, ex quibus nonnulli recensentur : quantâ in eorum delectu diligentiâ uteretur Sanctus, quantâque curâ cum regina Gisela Dei ministris necessaria provideret : natus filius Emericus.

F

Primus archiepiscopus Strigoniensis dicitur fuisse Sebastianus ;

DUbitari non potest, *quin* S. Stephanus, *acceptâ amplissimâ potestate à summo Pontifice ad ordinandos episcopatus per Hungariam, episcoposque singulis designandos, manum mox operi admoverit, atque intra paucos annos totam ferè Hungariam doctis plisque pastoribus diviserit. Nomina tamen primorum Hungariæ episcoporum, eorumque gesta, admodùm obscura sunt defectu scriptorum, & paucissima de iis omnibus ad nos pervenerunt. Ad metropolim Strigoniensem primus à Rege evectus dicitur vir pietate præstans, ac monachus monasterii S. Martini, Sebastianus nomine, ut habet Carthuitius num. 15. De hujus electione Bonfinius pag. 177 memorat sequentia :* Illud sibi *(S. Stephano)* præcipuæ curæ fuisse tradunt, ut viros moribus & doctrinâ probatissimos, in rebus sacris ubique præficeret. Quum in divi Martini cœnobio Sebastianus singulari vita & sapientia non mediocri præditus esset, miro amore à Rege complectebatur,

AUCTORE J. S.

batur, ejusque amore & auctoritate eò usque evectus, ut Strigoniensis metropolitæ crearetur, supremam in Ungaria dignitatem assequutus, nescio quo mox fato cæcus effectus est. Cui quum cæcitatis casus sacri muneris exercitationem inhibuisset, ejus officium permissu Apostolico accitus Astricus Colociensis episcopus æquè refarsit, acsi ejus loco suffectus esse videretur. Tertio cæcitatis anno, instauratis luminibus, in pristinam is dignitatem à Romano Pontifice restitutus.

Colocensis primus antistes Anastasius Strigoniensem ecclesiam triennio administrat:

258 *Hæc verba simul assignant primum episcopum ecclesiæ Colocensis, quæ deinde ad dignitatem metropoliticam evecta est. Erat is Astricus, alio nomine* Anastasius *dictus, abbas primùm Brevnoviensis in Bohemia, deinde S. Martini in Hungaria, ac designatus episcopus Colocensis, quando legatus est a Rege ad summum Pontificem. Hic occasione cæcitatis Sebastiani ad triennium administravit metropolim Strigoniensem; ac demùm ad propriam ecclesiam reversus est, retento pallio, quod acceperat a Romano Pontifice, dum ad Strigoniensis ecclesiæ administrationem accedebat. Inchofer ad annum* 1002 *suspicatur, cæcitatem illam Sebastiani circa dictum annum accidisse, quod incertum est. Deinde, relata administratione & reditu Astrici seu Anastasii, observat sequentia:* Hinc factum, ut plerúmque Anastasius vocetur Strigoniensis archiepiscopus; quo etiam vocabulo notatur in Martyrologio Menardi, quamvis Colocensem ecclesiam ad finem usque administrarit. Ex eo porrò, quòd cum pallio redierit, facile est colligere, ipsum archiepiscopi titulum semel adeptum retinuisse, aut certè ea occasione transtulisse, ut hoc tempore & hæc Colocensis ecclesia secunda post Strigoniensem eo titulo & privilegio erecta gauderet. Sed hinc præterea colligimus, non ita arbitrarium fuisse Stephani regis circa ecclesias ordinandas privilegium, ut Romanum Pontificem haud respiceret; quando nec Astricum Colocensem sufficere Sebastiano * oculis capto potuit, nisi Pontifice assentiente; nec iterum is, recepto visu, recipere munus episcopi in Strigoniensi ecclesia valuit, nisi eodem Pontifice approbante. Adhuc verò colligimus, aberrasse eos scriptores, qui in texendo archiepiscoporum Strigoniensium catalogo, non modò Astricum seu Anastasium Sebastiano ordine præponunt *&c.*

* Stephano *erat mendosè impressum*

C

Strigonii forsan ante Sebastianum primus sedit Dominicus.

259 *Hæ observationes non displicent. Ultimam tamen, etiamsi communi opinioni de archiepiscopis Strigoniensibus conformis sit, non omnino certam existimo, quia, omnibus attente consideratis, dubitatio nonnulla mihi oritur, an Sebastianus revera primus fuerit illius metropolis antistes. Prima ac præcipua dubitandi ratio oritur ex privilegio* S. Stephani *pro abbatia S. Martini: nam ibi, prout illud a num.* 149 *dedimus ex Raynaldo, memoratur* Dominicus archiepiscopus, *idemque rursùs in fine dicitur* Dominicus archiepiscopus vice-cancellarius. *Prorsus hic videtur designari archiepiscopus Strigoniensis, & quidem primus, cùm privilegium sit anni* 1001. *Deinde Carthusius non asserit de Sebastiano, primum fuisse archiepiscopum; sed, cum ipsius promotionem diu post erectionem metropolis Strigoniensis referat, multaque alia interponat, potiùs insinuat primum non fuisse, præsertim cùm dicat:* Eodem tempore in monasterio S. Martini erat monachus quidam, Sebastianus nomine ... Hunc Rex venerabilis miro amore cœpit diligere *&c. Hæc enim insinuant, eum ad metropolim promotum esse, postquam* D *Rex virtutes ipsius satis diuturna conversatione perspectas habebat. Accedit & alia ratio; non enim satis perspicio, cur* S. Stephanus *abbatem ejusdem monasterii Astricum, cujus virtutes & prudentiam maximi fecisse videtur, postposuisset Sebastiano monacho, si utrumque promovisset eodem tempore. Itaque vehementer suspicor, Dominicum illum, de quo in laudatis* Stephani *litteris, primum fuisse archiepiscopum Strigoniensem, eique defuncto substitutum esse Sebastianum: nam sic mirum non erit, Sebastianum potiùs Strigoniensi ecclesiæ præfectum esse quàm Astricum, quia hic jam sponsam duxerat Colocensem. Hæc probabilia apparent: certiora lubens sequar, si quis ea adduxerit.*

Primus Vesprimiensis Stephanus; Qui quo-ecclesiensis Bonipertus;

260 *Vesprimiensis ecclesiæ primum episcopum, dictum fuisse Stephanum, colligo ex litteris donationis* S. Stephani, *quæ datæ notantur anno* 1009. *Recitavit eos partim laudatus jam sæpiùs Peterfius pag.* 6, *ubi hæc leguntur:* Si quis igitur hujus nostri præcepti paginam frangere tentaverit, aut prælibatæ S. Michaëlis Vesprimiensis ecclesiæ Stephanum magnificum episcopum, suosque successores ex cunctis prænotatis rebus, B ecclesiis, nec non dotibus, molestare conaverit *&c. De gestis hujus Stephani nihil uspiam invenio. In catalogo Ms. apud nos episcoporum Quinque-ecclesiensium primus ponitur* Bonipertus sacellanus D. Stephani regis. *In litteris fundationis ejusdem ecclesiæ apud Inchoferum ad annum* 1009 *scribitur* Benipertus *forsan mendosè. Initium harum litterarum accipe:* Noverint omnes fideles nostri, præsentes scilicet & futuri, qualiter nos cum consensu sanctissimi Apostolici, & in præsentia ejus nuncii Anonis episcopi, & aliorum omnium nostrorum fidelium episcoporum, marchionum, comitum, nec non minorum quoque personarum, electionem (*alias* erectionem) episcopatûs, qui vocabitur Quinque-ecclesiensis, statuimus in honorem Dei & omnium Sanctorum, Beniperto ibi episcopo facto, privilegiis terminisque ordinavimus & confirmavimus. Dat. decimo Kalend. Septemb., Indictione septima, anno Incarnationis Domini millesimo nono: Pio Stephano regnante anno nono. Actum in civitate Jauryana.

F

litteræ fundationis hujus ecclesiæ ineptè oppugnatæ vindicantur;

261 *Memoratus sæpe Schwartzius has ipse litteras ex ultima voce sic impugnat pag.* 63 Nam cùm ad calcem ejus (*diplomatis*) legitur: Actum in civitate Jauryana; novitium illud est. Gewr enim ab Hungaris veteribus, ubi, quod celeberrimus patriæ historicus, vir summe reverendus Matth. Belius, mavult Geurr & Geveverinum, scribebatur nomen urbis, quæ Belæ demum regis IV ætate Latinè scribi ac dici cœpit Jaurinum. Germanicarum rerum scriptoribus antiquis Raba, Germanis quoque nostris Raab. *Nescio, an non ignorantiam hic simulet Schwartzius, ignorare enim nequit à voce* Gewr *aut* Geurr *deduci* Jaurum *&* Jaurinum, *eaque ineptè dici,* Jaurum *aut* Jaurinum *ante Belæ IV tempora numquam dictam esse civitatem illam, cùm agnoscat* Gewr *aut* Geurr *vocatam fuisse ab antiquis Hungaris. Bonfinius dec.* 1 *lib.* 1 *describens Hungariam, pag.* 25 *de hac civitate ejusque territorio sic loquitur:* Si ad Danubium declinaveris, Jaurienfis conventus occurrit, qui ab Jauro civitate feracissima nuncupatus est, quam Arabon amnis alluit. *Jaurienfem comitatum à Jauro civitate deducit, nec queritur de novitate vocis Bonfinius; itaque nec*

Schwarz-

A *Schwartzius de ea conqueri debet, ſeu* Jaurum *mavult civitatem tunc dictam fuiſſe, ſeu* Jaurinum*: nam utraque vox Hungaricis vocibus* Gewr *&* Geuru *optimè quadrat; nec epiſcopatus Jaurienſis, à* S. Stephano *veriſimiliter cum aliis inſtitutis, alio unquam nomine innotuit, quàm* epiſcopatus Jaurienſis. *Nihil igitur eſt, cur voces* civitas Jauriana *vel* Jauryana *ſuſpectum poſſint reddere diploma; cujus poſteriorem partem nuper recudit Peterſius pag. 6.*

epiſtola Fulberti Carnotenſis ad Bonipertum.

262 *Inter epiſtolas Fulberti Carnotenſis epiſcopi quinta inſcripta eſt:* Sancto ac venerabili arc. (*id eſt*, archiepiſcopo) ſuo Boniberto. *Mabillonius tom.* 4 *Annalium pag.* 144 *exiſtimat ſcriptam fuiſſe Aſtrico ſeu Anaſtaſio Colocenſi, quia inſcribitur* Archiepiſcopo. *Malim ego credere ad Bonipertum Quinque-eccleſienſem datam epiſtolam illam, cùm ſcripta haud dubiè fuerit alicui Hungariæ epiſcopo, & ille ſolus eo nomine ſit notus. Certè virum fuiſſe ſanctitate & doctrinâ conſpicuum, inſinuant verba Fulberti, ſic epiſtolam exordientis:* Primum quidem benedicimus Dominum Patrem ingenitum, Filiumque ſuum unigenitum Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, & Spiritum ſanctum Paraclytum unum verum Dominum, qui cuncta creavit, qui te quoque, dilectiſſime pater, multâ ſapientiâ illuſtravit, ad docendum populum ſuum, & decore ſanctitatis ad præbendum bonæ vitæ exemplum decenter ornavit. *Idem epiſtolam concludit iis verbis, quæ luculenter oſtendunt, quanta eſſet fama* S. Stephani *etiam in Gallia:* Ad ultimum, *inquit*, ſalvere te ſemper optamus, precantes ut illam novam ac glorioſam adoptionis prolem ſummi Regis, regem videlicet Stephanum (*ſalutes*,) intimans excellentiæ ſeu * ex noſtra parte, & univerſarum congregationum, quæ ſunt in epiſcopatu noſtro, canonicorum ſcilicet & monachorum, orationum fidelia. *Tempus ſcriptæ epiſtolæ non additur. Non liquet etiam, qua de cauſa Bonipertus vocetur* archiepiſcopus, *niſi forſan pallium acceperit, uti illud ad epiſcopos aliquos ſubinde miſſum fuit, inter quos Quinque-eccleſienſis recenſetur in Gloſſario Cangii ad vocem* pallium*: aut niſi Strigonienſis fuerit archiepiſcopus poſt Sebaſtianum, aut ad tempus Strigonienſem eccleſiam adminiſtrârit. Quidquid ſit, ſive huic Boniperto ſcripſerit Fulbertus, ſive etiam alteri Strigonienſi poſt Sebaſtianum archiepiſcopo, certum eſt egregium illum antiſtitem promotum fuiſſe à* S. Stephano, *cujus causâ hæc adduxi, ut nimirum pateat quàm inſignes ille viros ad epiſcopatus promoverit.*

B

C

Rex & apoſtolus Hungarorum Stephanus,

263 *Porrò quàm diligens eſſet Rex ſanctus in examinandis iis, quorum ſanctitatem commendari audiebat, ut ipſos ad epiſcopalem dignitatem promovere poſſet, ex variis patet factis, per decurſum enarrandis, ex quibus unum huc transferam ex Vita S. Emerici. Edidit hanc Vitam Surius ad* IV *Novembris, mutato non ſolùm ſtylo, ſed truncatam etiam, uti colligo, ex gemino Ms. apographo, in ſcriniis noſtris ſervato, & editione Cracovienſi anni* 1511. *Præmittit illius auctor aliqua de converſione Hungariæ per* Stephanum *S. Emerici patrem, quæ ut maximè huc ſpectantia primùm accipe:* Poſtquam unigenitus Dei Filius omnipotentis poſt Aſcenſionem ſuam per Apoſtolicæ prædicationis verba cunctis gentibus ſolatium ſuæ viſitationis impendens, eas à tenebris ad fidei lumen convocaverat, noviſſimis, ut ita dicam, temporibus per

* ſuæ, *opinor*

mellifluam beati Stephani, primi regis noſtri, providentiam totius Pannoniæ regnum lumen veritatis agnovit: ipſe enim noſter eſt rex & apoſtolus: ipſe quoque de jure diabolicæ poteſtatis ereptos ad veri Dei cognitionem perduxit. *Eadem ferè repetit inferiùs his verbis:* Pannonia autem noſtris ferè temporibus ad fidem venit, &, quæ eatenus fœdis paganiſmi ritibus fœdatâ erat, exhortatione & eximiis meritis chriſtianiſſimi regis ſui Stephani in virtute fidei & incremento divini cultus profecit. *Hæc confirmant dicta noſtra de converſo per* Stephanum *regno, ſimulque oſtendunt auctorem hujus Vitæ Sancto fuiſſe ſupparem.* AUCTORE J. S.

ſanctam vitam Mauri monachi audiens ex filio Emerico,

264 *Nunc accipe factum mirabile, quod mox ſubditur:* Quodam itaque tempore, cùm beatus rex Stephanus ad eccleſiam B. Martini, quam ipſe in ſancto monte Pannoniæ inchoaverat (*potiùs inchoatam perfecerat*) & egregia monachorum congregatione decoraverat, unà cum filio orationis causâ advenit, Rex ſciens pueri præcellens meritum, honorem, qui eum decuit, impendit filio: nam cùm prædicti Fratres, peracta proceſſione, ſalutaturi Regem acceſſiſſent; propter reverentiam filium ſuum præmiſit ad ſalutandum. Puer autem Emericus, Spiritu ſancto repletus, prout divina ſibi gratia revelante ſingulorum merita noverat, ſingulis inæqualiter oſcula diſtribuit: alii ſiquidem unum, alii tria, alii verò quinque, poſtremò uni ſeptem oſcula continuavit. Quam rem, ceteris quoque intuentibus, beatus rex Stephanus tacitè ammirabatur. Colloquio familiari, Miſſâque finitâ, cur illis inæqualiter oſcula diſtribuiſſet, diligenter ab eo ſciſcitatus eſt. Beatus itaque Emericus ſingulorum merita coram Patre pertractans, videlicet quanto temporis ſpatio ſinguli in virtute continentiæ perſtitiſſent, ſub ea conſideratione ſe plura aliis, & pauciora aliis oſcula dediſſe, edocuit; eumque, cui ſeptena multiplicaverat oſcula, virginalem vitam perduxiſſe aſſeruit . . .

E

illius virtutes explorat,

265 Paucis etiam diebus interpoſitis, ex quo de ſancto Monte abſceſſerat beatus Stephanus, duobus tantùm miniſtris adhibitis, eo die regreſſus, vigilias Fratrum & orationes ſecretò exploraverat. Jamque expleto Matutinarum officio, ceteris in lecto ſe collocantibus, illi ſoli, quibus beatus Emericus oſcula multiplicaverat, in eccleſia perſiſtebant, diviſique in angulis eccleſiæ ſecretioribus in conſpectu Dei in pſalmis decantandis vigilabant. Cumque ad ſingulos ſanctus Rex diviſim accederet, faciem ſuam eis manifeſtavit, & in verbo benedictionis eos ſalutavit. Singulis autem Regiam majeſtatem rupto ſilentio venerantibus, ipſe noviſſimè ad fratrem, Maurum nomine, veniens, quem in ſeptenis oſculis beatus Emericus commendaverat, nec blanditiis ſalutationis, nec verbis regiæ commendationis, reſponſionem ab illo extorquere potuit. Mane autem facto, cùm conventum Fratres celebrarent, ipſe Rex adfuit: & ut animum fratris Mauri de virtute humilitatis temptaret, in communi audientia plurima ei & religioni contraria objecit: cujus aſſertioni Maurus nullam contradictionem fecit; ſed humiliter perſtans, ad Deum, qui humanæ mentis inſpector eſt, ſperando confugit.

F

etumque deinde ad epiſcopatum promovet.

266 Tunc verò beatus Stephanus filii ſui verba rata eſſe cognovit: & rei ordine narrato, Maurum extulit laudibus, & ut locus pontificalis per eum decoraretur, paulo poſt eum in epiſcopatum Quinque-eccleſienſem ſublimavit. *Ha-*

AUCTORE J. S. *Clenus ſcriptor Vitæ S. Emerici ; ex quo haud dubiè hauſit Bonfinius, qui pag. 177 eadem narrat, cum levi tamen quorumdam adjunctorum mutatione. Maurus autem hic ſcriptor eſt Vitæ antè memoratæ SS. Zoërardi & Benedicti, in qua num. 4 indicat, ſe abbatem fuiſſe, priuſquam fieret epiſcopus. Itaque verba illa*, paulò pòſt eum in epiſcopatum Quinque-eccleſienſem ſublimavit, *latiùs ſunt intelligenda, cùm primò abbas aliquo tempore fuerit, ac deinde factus ſit epiſcopus, veriſimiliter poſt laudatum ante Bonipertum. De Mauro plura in Commentario ad Acta SS. Zoërardi & Benedicti § 4, ubi oſtenditur, hæc fieri potuiſſe circa annum 1025, ſic tamen, ut aliquot annis citiùs aut ſeriùs facta eſſe, non negetur.*

267 *Ex dictis colligere poſſumus, vera eſſe, quæ ſcribit Carthuitius num. 14 de cura ac diligentia Regis explorandi vitam etiam monachorum, idque eum haud dubiè feciſſe non modò ut torpentes excitaret, ſed vel maximè ut ſelectiſſimos quoſque abbatiis atque epiſcopatibus præficeret. Summum quoque erat ſancti Regis ſtudium, ut omnes tum eccleſiaſtici tum monachi reditus haberent ſufficientes, ut nec ipſis nec eorum eccleſiis deeſſet quidpiam, cooperante ad eumdem finem Giſela, ut ibidem rurſum teſtatur biographus, qui reginæ liberalitate factum aſſerit, ut domus epiſcopalis Veſprimienſis ædificaretur, omnibuſque neceſſariis abunde ditaretur ; dum Rex interim Strigonienſis metropolis, omniumque ferè aliarum eccleſiarum præcipuam gerebat curam. Dum verò piis hujuſmodi ſtudiis Rex cum regina ſolerter erat intentus, filium ipſis conceſſit divina liberalitas, natum veroſimiliter circa annum 1003 aut 1004, (nam annus ipſius natalis nullibi exprimitur) quem* Emericum *nominavit. Pauca jam de ſancto hoc filio dixi, plura dicturus, ubi de præmatura ipſius morte erit agendum.*

curans ſemper optimos promovere. Natus Emericus filius

B

268 *Hæc omnia Bonfinius pag. 176 narrat in hunc modum :* Ex uxore hac (*Giſela*) plures filios divum Regem tuliſſe ferunt, & inprimis Emericum, ut de cæteris ſileam, quorum nomina non traduntur, tot divinis dotibus imbutum, ut è divinis quoque parentibus promanaſſe videatur. Præter pudicam temperantiſſimamque vitam, tantum in deos * & homines pietatis oſtendit, ut divino potiùs, quàm humano conſenſu, ſe Stephano Gyſla conjugaſſe reputetur. Certatim utrimque ſanctiſſima facta manebant, divina charitate neuter æquo animo ſuperari patiebatur, & in Chriſto conjuncti, conjugalem amorem redintegrabant. Quamquam in omnes pientiſſima, præcipuâ tamen beneficentiâ in miſerabiles ac calamitoſos, in ſacerdotes, ac templa utebatur. Baſilicas omnes profuſa liberalitate proſequebatur, ne quid divinarùm rerum ornamentis deeſſe videretur, ſimulachra deorum * expoſtulata argento obryzoque multa dicavit. Item gemmatas phialas, ſacras veſtes ex auro contextas, inſano ſumptu factas, per collegia ſacerdotum ſæpe diſtribuit. Veſprinienſem baſilicam propriâ impensâ exædificavit, abundéque donavit rebus omnibus, quæ cultui divino uſui eſſe ſolent, uberrimos quoque proventus adjecit, unde antiſtites, cæteraque ſacerdotum collegia pro dignitate viverent.

ex Giſela conjuge, quæ pari ſtudio certat cum Rege,

C

* *i. e.* Deum & Sanctos

* *i. e.* Sanctorum

269 Simili quoque diligentia Vir ejus, ne mulieri cederet, metropolitanæ baſilicæ, cæteriſque epiſcopis tam abundè proſpexit, ut nihil ſibi ſuperfuiſſe videretur, uti Deo, cultui divino,

ut eccleſiis earumque miniſtris nihil deſit.

non modò ſe, verùm etiam ſua omnia addixiſſe videretur. Quin & hæc agris, villis, oppidis, portoriiſque donarat : quotannis eorum acceſſionem fieri jubebat, ne quid Dei cultoribus deeſſe pateretur. Quotannis quoque cœnobia, baſilicas, ædeſque ſacras perluſtrabat, ut ædificiis hominibuſque proſpiceret : inter luſtrandum non modò ſacerdotum, verùm etiam pontificum mores exacta inveſtigatione recognoſcebat : increpabat negligentiæ reos, ſtudioſiſſimum quemque diligebat, obſervabatque. Per quæſtores autem ſingulis ferè menſibus urbanos paganoſque antiſtites *, cuncta ſacerdotum collegia recenſere, recognoſcere vitas, & cujuſque verba factaque diligentiùs penſitare ſtudebat ; ne quid publicè privatimque piaculi committeretur, aut in Chriſti fidem intenderetur.

D

* *i. e.* ſacerdotes

§ XXV. Bellum S. Stephani cum principe Tranſilvaniæ, quam ſubjicit & Chriſtianam facit : bellum Bulgaricum : condita ditataque eccleſia Albæ Regalis, ac pietas Regis in beatam Virginem.

E

S. Stephanus, bello impetitus à principe Tranſilvaniæ,

Priuſquam cetera ſancti Regis geſta pro religione recenſere pergo, interponere hìc lubet bellum Tranſilvanicum, quod item pro religione pius Princeps ſuſtinuit, miraque felicitate confecit. Bellum illud ſcriptores Hungari, quorum verba deinde dabo, innectunt anno 1002. Hungaros ſecutus eſt Baronius tom. XI Annalium ad annum 1002 num. 17, ubi brevi compendio rem totam expreſſit in hunc modum : Qui quidem adeo pietate inſignis (*Stephanus*,) haud inferior militari fortitudine perhibetur. Hoc ſiquidem anno laceſſitus à Giula Tranſilvaniæ principe, avunculo ſuo, ob diſparem cultum religionis, ægro illo animo ferente, Stephanum adeo addictum Chriſtiano cultui ; licèt coactus ab avunculo traheretur ad bellum, invitus tamen & neceſſitate compulſus, cùm armis impeteretur, comparato exercitu, Tranſilvaniam petiit, profligatoque hoſte, eoque unà cum ſuis captivo ducto, eam ſibi provinciam ſubjugavit, atque regno Hungarico junxit : quam & reddidit Chriſtianam. Simulque ipſe Giula princeps cum uxore & filiis exemptus vinculis, Chriſti fidem amplexatus, licèt invitus, ut aſſeritur, omni excuſſa contumelia ſervitutis, ab eodem Rege fuit regio more tractatus. *Ita Baronius. At Pagius ad eumdem annum num. 8 factum iſtud mavult remittere ad annum ſequentem.*

F

quod contigit anno 1002 vel 1003, aut utroque,

271 *Pro ratione hujus correctionis allegat Pagius Chronographum Hildensheimenſem, qui apud Cheſnium tom. 3 pag. 517 ad annum 1003 ſic habet :* Stephanus rex Ungariæ ſuper avunculum ſuum regem Julum cum exercitu venit : quem cùm comprehendiſſet cum uxore & filiis duobus, regnum ejus vi ad Chriſtianitatem compulit. *Eadem planè verba ad eumdem annum habet Annaliſta Saxo apud Eccardum, ita ut unus alterum deſcripſerit. Ademarus Chabannenſis in Chronico apud Labbeum tom. 2 pag. 170, relato obitu Ottonis III, & ſucceſſione S. Henrici*

A *Henrici in imperium, quæ anno* 1002 *contigêre, mox de hoc bello ſubjungit verba ſequentia:* Stephanus etiam rex Ungriæ, bello appetens Ungriam Nigram (*ſic Tranſilvaniam nominat*) tam vi quàm timore & amore ad fidem veritatis totam illam terram convertere meruit. *Hæc omnia de anno hujus belli dubitare nos cogunt: ſed parùm refert, annóne* 1002, *an ſequenti, res contigerit. Forſan anno* 1002 *bellum inchoatum eſt per irruptionem principis Tranſilvani in Hungariam, & confectum anno* 1003 *per expeditionem* S. Stephani *in Tranſilvaniam: nam veriſimile eſt, Tranſilvaniam ſubactam non eſſe eodem anno, quo Giula Hungariam vexare cœpit; idque ex Hungarorum relatione ſatis apparet certum.*

quódque geſtum eſt religionis causâ,

272 *Hiſce obſervatis, accipe verba Thuroczii, bellum illud cap.* 29 *deſcribentis in hunc modum:* Porrò beatus Stephanus, poſtquam regiæ celſitudinis coronam divinitus eſt adeptus, famoſum & lucroſum bellum geſſit contra avunculum ſuum, nomine Gyulam, qui tunc temporis totius ultra ſylvam regni gubernacula poſſidebat. Anno itaque Domini milleſimo ſecundo

B beatus rex Stephanus cepit Gyulam ducem cum uxore & duobus filiis ejus, & in Hungariam tranſmiſit. Hoc autem ideo fecit, quia ſæpiſſimè ammonitus à beato rege Stephano, nec ad fidem Chriſti converſus, nec ab inferenda Hungariæ injuria conquievit. Univerſum verò regnum ejus latiſſimum & opulentiſſimum monarchiæ Hungariæ adjunxit. Dicitur autem regnum illud Hungaricè ERDEELN, quod irrigatur plurimis fluviis, in quorum arenis aurum colligitur: & aurum terræ illius optimum eſt. *Ranzanus indice* 8 *idem bellum memorat his verbis:* Suſcepit geſſitque bellum adverſus Giulam, avunculum ſuum, non eo ſolùm, quòd infeſtabat fines Hungariæ: ſed quòd etiam abhorrebat à Chriſti cultu. Et licèt illum perſæpe monuiſſet, rogâſſetque, ut patienter accommodaret aurem documentis ſalutis, quibus perfacilè poſſet agnoſcere veritatem: ille tamen & deridebat Regem, & pia ejus monita deſpiciebat. Erat ille dux regionis, quam vocitant Tranſſylvaniam, propterea quòd eos, qui illam adeunt ex Hungaria, per ſylvoſa loca, perque arduos montes, facere iter oportet. Cúmque regio ipſa abundet laudatarum rerum maxi-

C mâ copiâ, argenti præſertim & auri; fiebat, ut Giulæ opes non eſſent minimi faciendæ, ac propterea eſſet adeo potens, ut novellum Hungarorum Regem, auderet facilè & ſuperbè contemnere. At verò Stephanus primùm Chriſti, deinde temporalibus armis fretus, loca illa aditu difficilia, magno animo penetrat, ac tandem collatis ſignis, commiſſo prælio, illum ſuperat, capitque: & cum uxore, duobuſque filiis, mittit in Hungariam, ut carcere adſervaretur. Ipſam verò Tranſſylvaniam non modò coëgit, ut ſuo pareret imperio: verùm etiam ſubigi ex eo tempore voluit illis, qui in regnum Hungariæ deinceps ſuccederent.

eum vincit, capit, ac in Hungariam transfert,

273 *Bonfinius pag.* 181 *aliqua addit, ac res hoc bello geſtas paulo prolixiùs explicat, ita ſcribens:* Item alia ſucceſſere bella, quæ divina benignitate proſperè geſſit. Ab anno ſalutis ſecundo ſupra milleſimum, inter Stephanum & Gyulam avunculum inteſtina bella exoriuntur. Is enim nepotem Chriſtiana fide initiatum, & à Scythica religione deſciſcentem iniquiſſimo animo ferebat. Quare non ſolùm verbis ſæpe Regem acerrimè corripuerat; verùm etiam armis laceſſere nitebatur, ut ad patrias hunc cæremonias revocaret. Ubi verbis ſe nihil perficere poſſe intellexit, à Tranſſylvaniæ montibus, cui præerat, Ungariam quotidianis incurſionibus & rapinis infeſtat. Contrà Rex pientiſſimus, ne cum ſuo ſanguine manum conſerere cogeretur, per legatos & feciales admonuit, obſecravitque ſæpiſſimè, ne in Scythica feritate perſiſteret; verùm Deum, & Servatorem ſuum agnoſceret: omnis tamen opera eludebatur. Proinde hunc Ungaris quotidie inſultantem, & varia detrimenta inferentem, armis coërcere cogitur. Comparato ne mediocri quidem exercitu, in Tranſſylvaniam contenditur, paucis menſibus univerſa capitur. Gyula cum uxore duobuſque liberis poſtremò captus, in Pannoniamque ductus.

totamque Tranſilvaniam ſibi ſubjicit, ac Chriſtianam facit.

274 Precioſiſſima regio, & auri, vini, frumenti, pecorum, omniumque rerum feraciſſima, ex eo tempore Ungariæ regno eſt adjecta. Populi omnes, qui eum Daciæ tractum incolebant, partim vi, partim ſponte, in Chriſtianam fidem aſſerti ſunt. In avunculi regia ingens auri & argenti copia deprehenſa, facinoroſiſſimè comparata. Ex qua baſilicam Albæ præſtantiſſimam rex erexit, quæ quum ſæpe incendio fuerit obnoxia; E hinc publica nata eſt opinio, & explorata fides, templum idcirco diro ſæpe incendio laboraſſe, quia ex pecunia ſceleſtiſſimè parta fuerit ædificatum. Gyula cum liberis & uxore inviti orthodoxam fidem ſubiere: baptiſmate expiati, à Rege vinculis liberati ſunt, & pro dignitate tractati. *Aliqua hìc paulo liberiùs dicta videntur, illud præſertim, quod ait de comparato ne mediocri quidem exercitu: nam, licèt hoc bellum ubique breviter tantùm referatur, illud tamen non exiguæ molis fuiſſe putem ob præſtantiam provinciæ, idque ſatis innuunt auctores antè citati. Deinde, quod ait de pecunia Giulæ, forſan caret fundamento, & mox ulteriùs diſcutietur: nam alii volunt baſilicam Albenſem conditam eſſe ex ſpoliis belli Bulgarici.*

Ducem Bulgarorum Hungariæ infeſtum

275 *Certè bello Tranſilvanico aliud bellum contra Bulgaros feliciter geſtum eo modo mox ſubjiciunt laudati ſcriptores Hungarici, ut vehemens mihi ſit ſuſpicio, Bulgaricum hoc ex Tranſilvanico ortum eſſe, ducemque Bulgarorum aut fœderatum fuiſſe cum Tranſilvano, aut certè eidem veniſſe ſuppetias. Thuroczius cap.* 30 *de hoc bello ſic habet:* Poſt hæc autem movit exercitum ſuper Kean ducem Bulgarorum & Sclavorum, quæ gentes loca naturali ſitu munitiſſima inhabitant. Unde etiam multis laboribus & bellicis ſudoribus prædictum ducem vix tandem devicit & occidit, & inæſtimabilem copiam theſaurorum, & præcipuè in auro & gemmis ac pretioſis lapidibus accepit: & locavit ibi unum proavum ſuum, nomine Zoltan. Erat enim ille antiquiſſimus, qui vixerat uſque tempora ſancti Regis: & ideo voluit ipſum eſſe ſuper gentes opulentas. *Ita loquitur hic ſcriptor, acſi vellet totam Bulgariam à* Stephano *ſubactam fuiſſe. At id non eſt veriſimile, cùm ex nullis probari poſſit monumentis, Bulgariam eo tempore Hungaris ſubjectam fuiſſe. Quod de proavo Zoltan adjunxit, etiam errore non caret, uti oſtendam poſt data verba Bonfinii, qui errorem illum adoptavit. Ranzanus idem bellum breviùs memorat hoc modo:* Aliud deinde bellum ei fuit contra Ceanum Bulgarorum & Sclavonum potentiſſimum ducem, qui auſus hoſtiliter ingredi Hungariæ fines, multorum oppidorum agros populatus eſt. Prælio illum vicit & interfecit, ne per-

AUCTORE J. S.

ditæ audaciæ homo aliquid ſimile, ſi vixiſſet, poſtea moliretur. Ex theſauris autem, qui illi fuerant pretioſiſſimi, maximam partem dono dedit eccleſiis, quas ipſe in diverſis regni ſui locis magnificè condiderat ſplendidéque exornaverat.

prælio vincit & occidit;

176 *Bonfinius eadem latiùs proſequitur; at non ſine aliquot erroribus, quos mox conabor emendare:* Paulo pòſt, *inquit*, ingens è Bulgaris, Sclavorum genere natis, bellum exoritur. Quippe qui inferiore Myſia quondam potiti, quæ ultra citraque Iſtrum, ad Euxinum uſque Pontum effunditur, nunc iidem, Cea duce, finitimos adoriuntur, prædas abigunt ingentes, & latrociniis ac incurſionibus latè vagantes, pro viribus cunctos infeſtant, nunc Tranſſylvaniam, nunc Ungariam diripere contendunt. Ad coërcendam horum audaciam, magnum ubique delectum Rex habere cogitur: nam non ſolùm hoſtes numero roboreque potentes, verùm etiam locorum difficultate munitioneque inacceſſibiles aditurus erat. Comparatis igitur magnis copiis, inferiorem Myſiam ingreditur, durum hoſtem invenit: ſæpiùs manu æquo marte conſertum.

B

Bulgari tandem noviſſimo prælio terga vertunt, latéque funduntur, fuganturque. Ceas eorum princeps in pugna cæſus, caſtraque direpta, è quibus tanta præda acta eſt, ut nemo ſpoliis hoſtium inoneratus abierit, tantaque auri, argenti, ac lapillorum inventa copia, ut quidquid multis illis bellis congeſſerint, uno prælio amiſerint: & quum pugna in ulteriori Dacia, quam Tranſſylvanam dicunt, geſta fuerit, ditiſſimæ regioni præfecit proavum, quem Zoltan nominabant. Hoſtilis præda non in uſum humanum, ſed divinum converſa, aurum & argentum cum gemmis in cruces, calices, phialas, & veſtimenta pontificia erogatum: unde tot templorum ornamenta confecta ſunt, ut ne minima quidem Pannoniæ ædícula, expers tam piæ fuerit prodigalitatis.

at hoc bello nihil videtur Hungariæ additum, ſed forſan aſſerta Tranſilvania.

C

177 *In hiſce corrige primò, quod ait de inferiori Myſia ſeu Mœſia, quam uti & Bulgaros eâ potitos malè collocat ab utraque parte Danubii: nam Mœſia etiam inferior, quæ deinde dicta eſt Bulgaria, ad unam tantùm Danubii partem extenditur, dictoque flumine ſeparatur à Dacia, quæ nunc circa Danubium Valachia eſt & pars Hungariæ, ſeu comitatus Temeſwarienſis. Secundò veriſimiliter aberrat, dum ait de Rege:* Inferiorem Myſiam ingreditur. *Certè deinde dicit:* Et quum pugna in ulteriori Dacia, quam Tranſilvanam dicunt, geſta fuerit *&c. Hæc autem verba apertè indicant, in Tranſilvania, aut vicina Valachia pugnatum eſſe, ita ut non videatur* Stephanus *Bulgariam ipſam ingreſſus eſſe cum exercitu. Tertiò Zoltan Arpadi filius, revera fuit proavus* S. Stephani, *ut oſtendi num.* 45: *atque hunc ipſum deſignat cum Turoczio Bonfinius. Verùm, cùm ille natus eſſe debuerit circa ingreſſum Hungarorum in Pannoniam, ſeu ante finem ſeculi* IX, *jam centenario major fuiſſet, dum hæc contigerunt. Malim igitur exiſtimare alium ex poſteris prioris Zoltani, ſive is filius ipſius fuerit, ſive nepos, qui Zoltan etiam nominari potuit, præfecturâ illâ donatum eſſe à Sancto. Porrò hîc quæri poteſt, cui provinciæ Zoltanum illum præfectum velint Bonfinius & Turoczius. Reſpondeo, intelligendam videri ipſam Tranſilvaniam, quam Hungarico regno adjecit* Stephanus, *quamque deinde per præfectum adminiſtravit. Quippe monumenta mihi idonea ad manum non ſunt, quibus oſtendam, bello illo Bulgarico aliud quidpiam adjectum eſſe Hungariæ; imò ne Ceanum quidem inter reges Bulgariæ reperio. Hiſce de cauſis multùm dubito, an hoc bellum à præcedenti ſit aliud: nam veriſimile eſt Bulgaros, duce Ceano, ſolùm veniſſe, ut opem ferrent principi Tranſilvaniæ, atque eorum exercitum cæſum eſſe à* Stephano: *qua eorumdem clade poſſeſſio Tranſilvaniæ* Stephano *fuerit aſſerta.*

D

Opes his bellis acquiſitas Sanctus expendit in opera pia,

278 *Sive autem hæc fuerit prioris belli continuatio, ſive bellum diſtinctum; conſentiunt Hungari, ingentia ſpolia hiſce victoriis* Stephano *obtigiſſe, iiſque Sanctum uſum eſſe ad promovendam pietatem Chriſtianam, & nominatim ad condecorandam Albenſem baſilicam. Turoczius de hiſce ſcribit ſequentia:* Ex hac itaque gaza multiplici fecundus rex Stephanus plurimùm locupletatus, Albenſem baſilicam, quam ipſe fundaverat, aureis altaribus, crucibus quoque, & calicibus, indumentis etiam pontificalibus, contextis auro puriſſimo & lapidibus pretioſiſſimis ditavit: vaſa quoque miniſtratoria & cætera utenſilia, eidem baſilicæ neceſſaria, nec non & aliis eccleſiis Dei, regali donavit largitate. Inter cætera verò dedit eidem Albenſi eccleſiæ quædam donaria ſempiternæ memoriæ digna, duo ſcilicet rationalia, quorum utrumque habebat oram, contextam ſeptuaginta quatuor marcis auri puriſſimi, & lapidibus pretioſis, quæ Benedictus ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Pontifex ad preces ſancti Stephani regis tantæ auctoritatis privilegio inſignivit, ut quicumque in celebrando Miſſam eis uteretur legitimè, poſſet Regem inungere, coronare, & gladio accingere. Et quia pecunia illius Giulæ fuit malè acquiſita, ideo ipſa eccleſia frequenter eſt paſſa incendium. In eadem autem eccleſia ipſum avunculum ſuum cum tota familia ſua abſque velle compulit baptizari; ſed poſtea honorificè tenuit ſicut patrem. Regina verò Keiſla, uxor ſancti Regis, dictam eccleſiam aureis crucibus, fuſoriis, tabulis, calicibus, gemmis, & ornamentis ultra modum ditavit. *Duo in hiſce corrigenda ſunt: primò quod ait de cauſa incendiorum eccleſiæ Albenſis: unde enim noſſe poterat, orta eſſe incendia illa, quòd pecunia Giulæ malè eſſet acquiſita? Secundò, ne veriſimile quidem eſt, quòd* S. Stephano *imponit, acſi planè invitum Giulam coëgiſſet ad baptiſmum: noverat enim Sanctus inutilem fore baptiſmum, niſi ſuſciperetur à volente. Itaque omnibus modis allaboraverit* Stephanus, *ut Giula fidem Catholicam & baptiſmum ſuſcipere vellet, atque ita ex nolente tandem volentem fecerit.*

E

F

ac præſertim in baſilicam Albenſem,

279 *Ranzanus pium obtentæ prædæ uſum enarrat his verbis:* Inter cæteras verò eccleſias, Albenſem longè pluribus, & magis eximiis, potioribuſque dotavit muneribus; propterea quòd ante ejuſce victoriam, in illius conſecrari fecerat honorem, quam conſtat eſſe Sanctorum omnium Beatiſſimam. Multa præterea ex ſpoliis illis diſtribuit Chriſti pauperibus. Egenorum namque & pupillorum, viduarum & virginum fuit, dum vixit, conſolator, patronus, adjutor, præſidium, refugium, levamen ſingulare. Ejuſmodi hominum generis causâ deferre ipſe ſolebat ſaculos nummorum plenos, ut illos haberet in promptu, quotiens ei aliquò procedenti occurreret quiſpiam, cui eleemoſyna erogaretur. *Dictis hiſce conſonat Bonfinius, qui poſt recitata num.* 276 *ſic pergit:* Et baſilicæ præſertim Albenſi donativa duo dicavit, quæ rationalia nunc appel-

A appellant, horum utriuſque oram cernere erat, è ſeptuaginta obryzi pondo ſanè conſtantem, ubi lapilli latè diſcintillabant. Quæ quum Benedictus Pontifex maximus ſpectâſſet, eo donandâ privilegio cenſuit, ut quicumque in ſacris faciundis his uteretur, coronandi regis Ungariæ integram ſibi poteſtatem ineſſe ſentiret. Multa huic ornamenta à Gyſla ſunt adjecta, ut nemo hæc ſine maxima admiratione ſpectare queat. *Pauca hic obſervanda.* Rationale *eſt veſtis epiſcopalis non abſimilis pallio, quo utuntur metropolitani in præcipuis feſtivitatibus. Crediderim rationalia illa a* Stephano *donata eccleſiæ Albenſi, ut iis uteretur archiepiſcopus Strigonienſis in regum coronatione, quæ fiebat Albæ Regalis. Pontifex autem, qui illorum uſum dicitur confirmaſſe rogatus a Rege, fuit haud dubiè Benedictus VIII, qui pontificatum iniit anno* 1012: *an hic ea ſpectaverit dubitari poteſt, ſed res exigui eſt momenti. Pondus auri, ornamentis iſtis impenſum, etiam non parùm auxiſſe videtur Bonfinius, licèt aliàs nullum ſit dubium, quin magnificùm & verè regium fuerit hoc donum.*

B *ſacram beatæ Virgini, cui Rex erat devotiſſimus:*

280 *De ſtructa hac, ornataque & ditata mirum in modum eccleſia, quæ erat præpoſitura ſæcularis & ſacellum regium, agit Carthuitius num.* 16 *&* 17, *eximiam ſancti Regis celebrans pietatem in beatiſſimam Virginem Mariam. Carthuitio ferè conſentit Bonfinius de iiſdem ſic ſcribens pag.* 178: Aſſiduis divam Virginem precibus exoravit, ut ſe ſuumque regnum perpetuo magna Mater patrocinio tueretur, cujus tutelæ ac poteſtati ſe Ungaroſque omnes addixerat, omniaque ſuorum ſtudia fortunaſque dicaverat. Quin etiam illud ſolenne promulgavit edictum, ut omnes diem beatæ Virginis, quo inter Divos relata fuit, inter celebratiſſimos haberent, Dominæque diem appellarent, ac cætera ejus feſta jejuniis & ſingulari ſolemnitate tranſigerent. Hanc demum peculiarem ſibi deam pientiſſimamque patronam in cælo tertiſque ducerent. *Commodo ſenſu intelligenda ſunt verba ſcriptoris hujus, qui ſubinde verba mutuatur à paganis, iiſque utitur in ſignificatione impropria, aut certè inuſitata in Eccleſia Catholica. Ita hìc* Dea *pro* Domina, *& infrà* numen *pro* poteſtate *legitur. Per diem verò*, quo inter Divos, *ſeu Sanctos*, relata fuit, *deſignat diem Aſſumptionis. Porrò hæc Regis pietas erga Dei Genitricem magis declarabitur ex Vita S. Gerardi martyris, de cujus ad Regem adventu agemus § ſequenti.*

illam eccleſiam elegantiſſimè ædificavit Sanctus,

281 *Hìc interim ſubjungo fundationem laudatæ eccleſiæ, ſeu regii ſacelli Albenſis, de quo laudatus Bonfinius ſic habet:* Quin etiam ut eius numen ſemper Ungaris æquiſſimum redderet, celeberrimam in Alba regali baſilicam dicavit, ubi regum corpora reconduntur, ibique ex inſtituto creati reges diadema ſuſcipiunt. Opus eſt mirabili ſumptu, ineruſtationibus marmoreis renitens, ubi pavimenta teſſellata cernere eſt, magnificas columnas, aras, iconibus ac tabulis nonnullas mirum in modum exornatas, ex puriſſimo auro argentove conflatas, item ſacella regia, ac monumenta pleraque in mauſoleorum ſpeciem: præterea ſigna ſunt quædam, & tabellæ lapidibus & gemmis exſculptæ, quin & ſupra menſam Chriſti acuminata teſtudo inſano lapillorum & auri ſumptu elaborata: ne varia quidem vaſorum genera deſunt, multa cryſtallina, pleraque myrrhina, onychina multa, ex porphyrite & alabaſtro complura gemmata; nonnulla, in quibus nil auro & argento vilius in-

tueri licet: de veſtibus, ſupellectilique ſacra nil dicendum, quando cunctarum rerum mira copia, quæ divino cultui ſunt uſui. AUCTORE J. S.

282 Quum peculiarem hanc regum ædem eſſe juberet, tanta eam immunitate privilegioque donavit, ut hujus antiſtes nemini epiſcopo, præterquam Pontifici Romano ſubjiceretur. Quin & regibus jus eſſet expiationis & cujuſvis conſecrationis tempore pro arbitratu ſuo epiſcopum optare, ac illuc ad exhibenda ſacramenta mittere. Omni baſilicam, quâ potuit, liberalitate, poteſtateque donavit, præſente abſenteve regè nulli Pontifici rem ſacram ibi facere jus & fas eſſe, niſi cui rex præſulve baſilicæ demandarit, quem præpoſitum appellant. Quin etiam populus nulli decimas pontifici, præterquam huic, ſuoque collegio, pendere jubetur. Item nemo rex Ungariæ reginave inſtitui, regiiſque inſignibus donari poterat, ſine præſulis hujuſce præſentia. *Pauca hic rurſum obſervanda. Primò etiamſi præfectus hujus eccleſiæ* antiſtes *& præſul nominetur à Bonfinio, qui ſignificationem vocum eccleſiaſticarum non rarò mutat, illum tamen non eſſe epiſcopum, ſed* præpoſitum *vocari, uti ipſe etiam Bonfinius teſtatur, & aliunde certum eſt. Laudatus jam Pazmanus apud Peterſium part.* 2 *pag.* 276 *inter præpoſituras ſæculares hanc primo loco recenſet his verbis:* Præpoſitura ſæcularis, Albæ Regalis S. Mariæ Virginis, in Veſprimienſi diœceſi, fundata à S. Stephano rege. *Secundò, uni Romano Pontifici, non epiſcopo Veſprimienſi, licèt in hujus diœceſi ſit civitas Alba Regalis, ſubjectam fuiſſe præpoſituram, teſte Bonfinio, & Carthuitio num.* 16 *&* 17. *multiſque ornavit privilegiis, at pro jacentè regio clero:*

283 *Porrò Bonfinius & Turoczius ipſam quoque urbem à* S. Stephano *conditam fuiſſe ſcribunt. Prior pag.* 134 *ita habet:* Arpadus inter cæteros principatum obtinuit, profligatis incolis, trajecto Danubio, in monte cui Noë nomen eſt, caſtra poſuit, haud procul ab Alba, quam divus Stephanus, Ungarorum rex herclè ſanctiſſimus, & Arpadi genere natus, haud immemor ſuæ gentis, quæ ex auſpicato in hoc loco conſederat, ædificavit. *Conſonat Turoczius cap.* 4 *hoc modo:* Arpad cum cæteris Hungaris caſtra fixit in monte Noæ prope Albam: & ille locus eſt primus, quem Arpad ſibi elegit in Pannonia: unde & civitas Alba per ſanctum regem Stephanum, qui de ipſo proceſſit, fundata eſt ibi propè. *Ranzanus ind.* 1 *pag.* 205 *Albam Regalem breviter deſcribit, refertque baſilicam nobiliſſimam ibidem à* Stephano *conditam; ſed de urbe ipſa nihil aſſerit. Quapropter, cùm etiam ſileant Carthuitius & antiquiora monumenta, rem nec affirmare auſim, nec omnino negare, cum nihil inveniam de majori urbis antiquitate, & nihil obſtet, quo minus Rex ſanctus eam primus exſtruere potuerit.* *incertum, an urbem quoque Albam Regalem ædificaverit.*

§ XXVI.

AUCTORE J. S.

§ XXVI. Misericordia Sancti & liberalitas in pauperes : ipsius gesta cum SS. Gunthero & Gerardo, fundatumque monasterium Beel.

Insignis pauperum cura, contumeliaque hac occasione piissimè tolerata :

DE *insigni Regis misericordia jam aliquid ex Ranzano dictum est num.* 279. *Plura verò habet Carthuitius num.* 19 *&* 20, *quæ eximiam planè liberalitatem pauperumque curam non vulgarem luculenter declarant. Bonfinius pag.* 180 *eadem exponit his verbis :* Unde qualis in omnes, & potissimùm in pauperes & calamitosos fuerit, facilè conjici potest. Quotidianas egenis ac mendicantibus impensas exhibuit. Multas noctes transigebat insomnes, ut clandestinas miserabilibus eleemosynas erogaret, Christique fideles suâ beneficentiâ, miseriâ liberaret. B Verùm illud referunt admiratione dignissimum : quadam enim nocte, cœlesti percitus instinctu, clàm sine comite è regia prodiit, distentos nummorum loculos ferens, quos miserrimo Christi popello distribueret. Quò quum venisset, stipemque viritim daret, inter petulantes rogatores mox orta seditio, Regi per contumeliam ab avidioribus plerisque barba distracta, & ne parva quidem ex parte convulsa : ac is nequaquam ex hoc succensus, imò solido quodam gaudio agitatus, in Genitricis ædem properavit, ac mox ante aram in terram procidens, ingentes Divæ gratias egit : Regina (inquit) cœli, ac divûm magna Parens, unica Ungaricæ patrona gentis, immortales tibi gratias ago, quòd me, quem regem esse voluisti, milites tui hoc modo tractarunt, coluerunt que : si has ab hostibus injurias accepissem, tuo auxilio ulciscerer. Proinde hinc futuræ felicitatis auspicia capto, neque irrita Filii tui verba scio fore, quum suis Apostolis ne minimum quidem è capite capillum perituram esse recepit. Haudquaquam casus iste pietatis officium interpellavit, imò exuberantiore posthac beneficentia usus est : qui quum ipse satis esse non posset, familiares, monachos, sacerdotes, & occultos quosdam dispensatores adjecit. C

ad Regem venit Guntherus eremita, ac deinde Gerardus :

285 Cujus quidem rei Guntherus, eremita Bohemicus, gravissimus testis est, qui principis liberalitate pellectus, in Ungariam sæpe adiit, ejusque monitu cœnobium in regione, quàm Beel nunc appellant, à rege ædificatum ampléque donatum, ubi Gerardum monachum, virum quidem religiosissimum, contemplativam vitam egisse fama est : quem post Regis obitum ad pontificatum evectum fuisse ferunt, sed fluctuante in Pannonia Christiana fide, lapidibus obrutum, & inter Divos relatum affirmant. *Quæ de Gunthero eremita, & de Gerardo Veneto, hic dicuntur, habet etiam Carthuitius num.* 21, *excepto tamen errore Bonfinii, qui perperam asserit, Gerardum episcopum creatum post mortem* Stephani : *nam mox videbimus ab ipso* Stephano *promotum esse ad episcopatum. Quo ferè tempore Guntherus subinde Regem invisere cœperit, utcumque conjicere possumus ex tempore conversionis ipsius, quam Annalista Saxo memorat ad annum* 1006 *hisce verbis :* Gunterus vir nobilis ac potens de Thuringia consilio Godehardi abbatis renuntians omnibus, quæ possedit, in Alatha monachus est factus. *Idem rursus ad annum* 1008 : Gunterus monachus Atahensis sancta conversatione in monasterio probatus, heremita est effectus. D

prior monachus primùm factus in Altahensi monasterio, deinde eremita

286 *Altahense monasterium, ubi monachus effectus est Guntherus, in Bavaria situm est ad ripam Danubii, quæ Bohemiam respicit, non longè ab oppido Deckendorf, diciturque Altahense inferius, vulgo* Nider Altaich, *ad distinctionem alterius, quod situm est prope Straubingam. Hæc de loco, ubi monachus fuit Guntherus. De loco autem, in quo deinde vixit eremita, Wolferus scriptor coævus in Vita Guntheri apud Mabillonium sæculo* 6 *part.* 1 *pag.* 482 *sic habet :* Sed Dei famulus plus appetens mala mundi perpeti, quàm laudes, ... deserti loci secessum cum aliquantis sibi de Altach cohærentibus in quodam saltu Boëmico de permissione sui abbatis domini Godehardi petiit, ibique cellulam in honore sancti Johannis Baptistæ construxit, & ipsum locum RINCHNACH proprio nomine appellavit, in qua ad XXXVII annos in studio sanctæ religionis, & in summa discretione paupertatis spontaneæ cum sibi remanentibus vixit. E

duobus locis diversis vixit,

287 *Locus* Rinchnach *est in hodierna Bavaria versus confinia Bohemiæ, uti notatur in variis tabulis geographicis. De eo notat Mabillonius pag.* 479 : Monasterium Rinchnac, à Gunthero conditum, Altahensi cœnobio semper subjectum fuit, ab eoque tribus milliaribus distat, ut asserit Stengelius in Monasteriologio Germanico. *Multa huic monasterio dedit Henricus imperator, cujus diploma recitat Mabillonius pag.* 480 : *atque ex eo intelligitur, locum fuisse intra limites Bavariæ, etiam quales erant eo tempore. Non rectè igitur diceret Carthuitius Guntherum venisse* de terra Bohemicorum, *si ibidem usque ad finem vitæ mansisset. Hac de causa existimo, eum deinde longiùs recessisse, atque in ipsam Bohemiam penetrâsse, quemadmodum Arnoldus, monachus Ratisbonensis coævus, cujus fragmentum ibi recitavit Mabillonius pag.* 476 *clarè dicit, penè* per tres annos *in priori illa eremo perstitisse, subditque :* Tunc ille timens, ne frequentia populi, & gloriola sæculi sibi sub specie religionis quid de veris surriperet aut minueret bonis, fugiens inde secessit in eremum, F quæ vocatur AQUILONARIS SILVA. *Ipse etiam Wolferus satis innuit S. Guntherum non mansisse in priori eremo cum aliis usque ad obitum : nam num.* 9 *&* 10 *narrat solum in cellula inventum à Bredislao Bohemiæ duce, dum hic venationi intentus erat in silva circa urbem* quæ Prahen dicitur. *Urbs illa deinde diruta nomen dedit provinciæ* Prachensi, *quæ in Bohemia est ad confinia Bavariæ. Hæc sufficiunt, ut intelligamus Guntherum eremitam fuisse in Bohemia, adeoque hac in re non erravisse Carthuitium. Locus verò ille ulteriùs investigari poterit, ubi gesta Guntheri ipsius erunt examinanda.*

sæpiùsque invitatus à Rege ad eumdem venit ;

288 *Jam verò primum Guntheri cum* Stephano *congressum sic laudatus Wolferus apud Mabillonium pag.* 482 *enarrat :* Cumque in austeritate vitæ perseveraret, & exemplo suo quamplures ad viam veritatis incitaret, veluti lucerna super candelabrum posita, fama ejus bono odore respersa, ad aures beati Stephani regis Ungarorum, ipsius venerabilis viri cognati, emanavit, cujus animum magno dilectionis incitavit amore, ut hunc facie ad faciem videret, quem

A quem ſic de virtute in virtutem proficere frequens fama prædicaret. Unde factum eſt, ut ad ipſum nuncios dirigeret, & ut ad eum venire non recuſaret, omni ſtudio poſtularet. Vir autem Domini converſionis ſuæ non immemor, hæc ſibi minimè licere reſpondebat, quæ Rex pius poſtulabat. His Rex auditis, majoris inflammatur caritatis amore, & velut antea nuncios direxit. Sed ille ſe venire etiam ſecundò denegavit. Tertiò itaque poſt illum veluti primò, ſecundò tranſmittebat, & ut ipſius petitioni aſſenſum præberet, humiliter poſtulabat. Igitur ſanctus Guntherus Regis tandem victus precibus, ejus petitioni licèt invitus annuit, & accepta abbatis & fratrum benedictione, cum tranſmiſſis legatis pariter & ipſe ad Regem pervenit. Rex autem viſo ſancto Gunthero, gaviſus eſt, & quomodo hunc artiùs veluti juſtum & ſanctum diligebat, circa ipſum majorem diligentiam habere ſatagebat.

prodigium, quod ad menſam in illo congreſſu contigiſſe dicitur:

289 Factum eſt autem, dum horâ prandii ſanctus Guntherus menſæ Regis pariter conſedisſet, Rex ſibi pavonem aſſatum appoſuit, & ut carnibus veſceretur, intimè flagitare cœpit. Sancto autem viro ſub regulari converſatione degente, & hujuſmodi cibis abſtinente, penitus contradicebat, & illicitis cibis ſe contaminari

B nolle aſſerebat: cujus voluntati Rex non minùs reſiſtebat, ut appoſita manducaret, non ſolùm rogando, verùm etiam præcipiendo laborabat. Quidnam facere poterat? Præcepto Regis ſe obtemperare promittebat, ſed in divino adjutorio fiduciam retinebat. Quapropter factum eſt, ut inter prandentes hic ſolito more orationi inſiſteret, caput manibus inclinaret, profuſis lacrymis, ne illicitis cibariis pollueretur, divinam clementiam implorabat. Mira res atque ſtupenda! completa Dei famulus oratione, caput de manibus elevabat, avis aſſata, menſæque ſuperpoſita, reddita vitæ priſtinæ devolabat, & ab ejus uſu gratia divina virum liberabat. Quo viſo cuncti miraculo inaudito, Deo gratias referebant, nec ampliùs ſancti viri voluntati reſiſtebant. *Mirum ſanè hoc factum, quod ideo fortaſſe parùm credibile quibuſdam apparebit. At ego miraculum ipſum negare nolim, cùm & alia non minùs mira in monumentis fide dignis leguntur,*

C *& nihilo difficilius ſit Deo, vitam reddere avi aſſatæ, quàm nobis vitam conſervare. Verumtamen dubito, an adjuncta omnia rectè ſint expoſita, cùm vix credere poſſim,* S. Stephanum *ſeriò petiiſſe, nedum præcepiſſe, ut carnes manducaret Guntherus. Malim exiſtimare ſanctum Regem, ſicuti ſubinde aliqua faciebat, ut virtutem virorum ſanctitate inſignium penitus haberet perſpectam, ſimiliter hîc egiſſe, ut exemplum conſtantis abſtinentiæ præſentibus præberet Guntherus. Fieri etiam poteſt, ut alii præſentes vehementiùs urſerint Guntherum ad oblatas à Rege carnes manducandas, idque ipſi Regi perperam attribuerit Wolferus.*

Idem poſtea ſæpiùs Regem acceſſit. Gerardus verò Hieroſolymam iturus, in Hungaria

290 *Porrò hic ſcriptor unum dumtaxat Guntheri cum* Stephano *congreſſum narravit, atque illum collocavit eo tempore, quo Guntherus degebat in monaſterio Altahenſi. Verùm Carthuitius & Bonfinius teſtantur, Guntherum ſæpiùs ad Regem veniſſe, dum in eremo degebat, atque illius hortatu* Stephanum *condidiſſe monaſterium Beel, in quo vixit S. Gerardus poſtea epiſcopus. Vitam hujus ſancti Gerardi ex Surio dedit Mabillonius ſeculo 6 part. 1 à pag. 628, ſed mutato ſtylo per Surium. Eadem Vita anno 1511 impreſſa eſt Cracoviæ, atque hac editione utar, quia in ea ſtylus non eſt mutatus, uti ex Mss. noſtris colligo. Occaſio, quâ S. Gerardus in Hungariam venit, erat iter Hieroſolymitanum, quod aggreſſus erat, poſtquam aliquot annis vitam monaſticam Venetiis ſanctè duxerat. Hiſce compendio dictis, verba biographi ſubnecto:* Pervenit denique ad partes Pannoniæ, quarum habenam tunc Chriſtianiſſimus rex Stephanus gubernabat: quem vir Dei humilis atque ſupplex adiit, cauſamque ſui itineris aperiens, ampliori delectatione eſt ab eo receptus. Quem ubi Rex moribus atque diſciplinarum documentis bonum Chriſti odorem fragrare intellexit, clàm dimiſſis ſuis itineris comitibus, hunc ſolum invitum retinuit, cuſtodiamque adhibuit. Poſtquam ſervus Domini ſe ſolum inhærens * reperit, tumultum populi devitans, in eadem regione heremum, quæ vulgò Boel * vocatur, petiit, ubi per ſeptem annos jejuniis (&) orationum exercitiis deditus, excepto Mauro monacho, ſolus habitavit. AUCTORE J. S.

* *forte* morens

* Beel

detinetur à Stephano, & eremiticam vitam ibidem ducere incipit

E

291 *Hæc S. Gerardi detentio docet, quantâ diligentiâ uteretur* Stephanus, *ut viros ſanctos in Hungaria detineret, aut eò pertraheret. Non crediderim tamen, Gerardum ibi detentum planè invitum; ſed exiſtimo,* Stephanum *arte uſum eſſe, curâſſeque ut ſocii itineris, ipſo inſcio, diſcederent, atque interim ille multis officiis urbanitatis detineretur; donec ipſos aſſequi non poſſet. Poſtea verò abitum illorum indicaſſe, ac perſuaſiſſe, ut maneret in Hungaria. Fecit haud dubiè iſtud Rex ſanctus, ut Gerardus prædicando doceret Hungaros; at iſtud non ſtatim perſuadere potuit viro contemplationi addicto, & ſermonis Hungarici ignaro. Itaque Gerardus, ut alio interim modo prodeſſet Hungaris, eremiticam vitam ibidem exorſus eſt, & Regi occaſionem præbuit monaſterium exſtruendi. Inchofer adventum S. Gerardi collocat anno* 1030, *ac de eo quædam memorat, quæ non omnino conſonant cum ſuprà dictis:* Sub finem hujus anni, *inquit,* accidit etiam regi Stephano illud in mœrore (*de morte Emerici filii*) ſolatii, ut Gerardus monachus, ſanctitate vitæ illuſtris, ex Italia in Hungariam veniret... Venit is in Hungariam, non à Benedicto Papa IX miſſus, ut quidam putant, ... ſed devotionis gratiâ Hieroſolymam petiturus, facta à ſuo abbate poteſtate, cum aliquot ſociis, ac præſertim Mauro monacho, hoc anno per Hungariam iter fecit. Hic in Guntherum, de quo ſuprà diximus, & profeſſione & famâ ſibi notum incidit; & fortaſſe occaſione etiam quæſita ipſum invenit, ab eodemque Regi de optima nota commendatus, ulteriùs ire non eſt permiſſus, ſed exempli & prædicationis cauſâ detentus. Quare in monaſterio Beel agri Budenſis, quod ad nutum Guntheri Stephanus ædificârat, & proventibus dotârat, ſe abdens, ſeptem annorum ſpatio contemplationi rerum divinarum vacavit; non ſolus, ut quidam ſcribunt, & ſoli Mauro cognitus, ſed cum aliis monachis, quibus id monaſterium repletum erat, Gunthero præſertim, cùm adeſſe liceret, eis moderante.

F

in deſerto Beel, ubi deinde monaſterium erigit Stephanus.

292 *Varia hîc dicuntur, quæ nonnulla egent correctione. Primò ex ſeptenni habitatione in eremo, aliiſque Sancti geſtis vivente* Stephano, *clarè colligitur, Gerardum diu ante annum* 1030 *veniſſe in Hungariam. Secundò veriſimile non eſt, Gerardum egiſſe cum Gunthero, dum venit in Hungariam; niſi forſan Guntherus eò tunc veniſſet ad Regem. Tertiò nondum ædificatum*

AUCTORE J. S.

erat monaſterium Beel, cùm venit Gerardus; ſed ejus adventus monaſterio ædificando occaſionem præbuit, quòd locum illum eligeret ad vitam eremiticam ducendam. Quarìò verum non putem, quod ait Guntherum dicto monaſterio præfuiſſe. Incertum quoque, an Maurus cum Gerardo ex Italia venerit, cùm in ipſa Hungaria ſe ei potuerit adjungere. Verùm geſta S. Gerardi exactiùs diſcuti poterunt ad XXIV *Septembris, quo colitur. Hìc ſolùm examino ea, quæ ſpectant ad* Stephanum. *Thuroczius cap.* 40 *de Gerardo ait:* Qui in Pannoniam veniens, primus in Beel vitam ducens eremiticam, tandem in Chanadienſem cathedram in epiſcopum eſt tranſlatus. *An toto ſeptennio ſolus cum Mauro vixerit Gerardus, an verò cum aliis etiam poſt ſtructum monaſterium, hìc non definio. At Regem ſtruxiſſe monaſterium in loco, aut prope locum, in quo ſanctus Gerardus degebat, ſatis certum exiſtimo, cùm etiam in litteris fundationis apud Peterſium pag.* 5 *dicatur:* In quo Gerardus monachus, de Venetia veniens, primus cœpit converſari. *Locum agro Budenſi ſuprà adſcribit Inchofer. Petrus Pazmanus jam antè laudatus de eodem monaſterio ſic habet apud Peterſium part.* 2 *pag.* 273: Bakon-Beel, S. Mauritii, in Veſprimienſi diœceſi, à S. Stephano rege fundata, circa annum Domini MXXX. *Rex ipſe in litteris mox memoratis ſic loquitur:* Igitur inter cætera in illo loco, qui Beel dicitur in ſylva Bocon, quia divino cultu videbatur mancipari valde idoneus, ſub titulo beati Mauritii Chriſti martyris monaſterium incepi conſtruere, quod & per Dei adjutorium conſummavi: regiis quoque munificentiis, ſicut potui, ditavi *&c. Litteræ datæ notantur anno* 1037; *ſed fundatio longè anterior eſt; & forſan rectè locata circa annum* 1030, *ſi non collocanda ſit citiùs: nam, cùm litteræ potiùs ſint ſcriptæ ad privilegium abbatiæ dandum, quàm ad fundationem ipſam ſtabiliendam, ex earum epocha nequit colligi tempus abbatiæ fundatæ. Nunc, neglecto utcumque temporis ordine, qui ſervari exactè non poteſt in geſtis* S. Stephani, *pergam ad alia, quæ Sanctus cum Gerardo geſſit.*

B

§ XXVII. Alia geſta Sancti cum Gerardo, quem ad erectum epiſcopatum Moriſenum, nunc Chanadienſem promovet: fundatum monaſterium in agro Ravennate.

Dubium eſt, an monaſterio Beel præfuerit Gerardus ut abbas:

NEc *in Vita* S. Stephani, *nec in Actis S. Gerardi exprimitur, utrùm hic Sanctus ante epiſcopatum rexerit monaſterium Beel; licèt iſtud aliàs ſatis appareat veriſimile, cùm* Stephanus *frequenter probatos in regimine monachorum ad præfecturam cathedrarum promoveret. Dicitur quidem Gerardus* ab heremo *vocatus, ut mox audiemus, ſed ea expreſſio non obſtat ſuſpicioni de regimine monaſterii, cùm inferiùs in eadem Vita legatur:* Quamvis epiſcopalem dignitatem nimiâ prudentiâ gubernaret, tamen heremum non deſeruit: verùm juxta urbes, ad quas prædicare veniebat, cellulam ſibi ſilvarum ſecretiori loco conſtruxerat, in qua ligatus pernoctaſſe, multaſque paſſiones, quæ ſoli Deo ſunt cognitæ, ſuſtinuiſſe memoratur. *Itaque, ſi Gerardus eremum utcumque incoluit, dum opera exercuit Apoſtolica; eam haud dubiè magis conjungere potuit cum monaſterii regimine. Hoc tamen magis diſcutiendum remitto ad diem* XXIV *Septembris, quo colitur hic ſanctus epiſcopus & martyr. Jam verò ex verbis allegatis, magiſque ex allegandis, colligi videtur, Gerardum initio fuiſſe epiſcopum Apoſtolicum, prædicaſſeque in Orientali parte Hungariæ circa Tranſilvaniæ confinia, donec erectus fuerit epiſcopatus Chanadienſis, quem primus tenuit.* D

at vocatus ex eremo ad epiſcopatum à Rege, cum eo erigit eccleſiam Moriſenam,

294 *Audi laudatam S. Gerardi Vitam:* Interim præfatus rex Stephanus, ut robuſtiſſimus Joſue, impietatem gentium delevit, crudeleſque paganorum mores ſuperavit, ac plurimorum corda ad recipienda ſanctæ fidei ſemina præparavit. Videns autem Rex regnum ſuum pacis tranquillitatem adeptum, ſervum Domini ab heremo revocavit, pontificalique infula decoratum, populo ſuo prædicare deſtinavit. Cui ſuperna pietas tantam gratiam contulit, ut eum omnes loci illius incolæ unicè amarent, & ut patrem colerent, & jam pater multorum, tamquam patriarcha Abraam haberetur. Creſcente verò fidelium numero, eccleſias Deo per ſingulas urbes fabricavit. Principalem autem eccleſiam in honorem S. Georgii, pretioſiſſimi Chriſti martyris, ad litus Moriſii fluminis fundavit; unde & Moriſcenam * ſedem appellavit, quam beatus rex Stephanus dotalibus muneribus nobiliter ditavit. *Habemus hìc erectionem cathedræ Chanadienſis, quæ à flumine Moriſio dicta initio fuit* Moriſenus *epiſcopatus, indeque Gerardus ipſe vocatur* epiſcopus Moriſenus. *Porrò cùm ſcriptor hujus Vitæ teſtetur, nomen cathedræ fluxiſſe à fluvio; non video, cur Mabillonius in annotatis ad eamdem Vitam ea de re dubitaverit:* Sedes epiſcopalis, *inquit*, olim Moriſſena dicebatur, vel à fluvio, qui nomen dat regioni, vel ab urbe Morſenes, quæ inter Canadium & Cybinium ſita eſt. *Verùm urbs* Morſenes *ſita eſt in Tranſilvania, nec adjacet Moriſio flumini, ita ut nullo modo veriſimile ſit cathedram in ea urbe fuiſſe erectam. Porrò flumen* Moriſius, *aliàs* Mariſus *Straboni, &* Marus *Tacito, Hungaris* Maros *&* Meriſch *Germanis dictus, ex Tranſilvania fluit in Hungariam, ubi per comitatum Chanadienſem decurrens, Chanadiumque alluens, Tibiſco miſcetur.* E F

quæ deinde Chanadienſis dicta eſt:

295 *Quamvis porrò non dubitem, quin illa S. Georgii eccleſia Chanadii à S. Gerardo exſtructa ſit, opes ſuggerente* S. Stephano; *dubium tamen aliunde oritur, an hæc ipſa fuerit eccleſia cathedralis, ut Vita ſcriptor videtur dicere. Quippe Petrus Pazmanus, enumerans monaſteria Ordinis S. Benedicti, apud Peterſium part.* 2 *pag.* 273, *inter ea recenſet abbatiam* De Chanád, S. Georgii martyris, *quæ* fundata, *inquit*, ſub S. Stephano rege à S. Gerardo, primo epiſcopo Chanadienſi. *Hæc autem intelligenda videntur de eccleſia, de qua agimus. Itaque ipſis Hungaris inquirendum relinquo, an illa eccleſia fuerit cathedralis, an verò monaſtica, atque interim S. Gerardus eâdem præcipuè uteretur, donec cathedra certo loco eſſet affixa: nam ex ipſo nomine epiſcopatûs, qui Moriſenus, vivente Gerardo, dictus eſt, admodùm fit veriſimile, civitatem Chanadienſem pro certa epiſcopatûs ſede ſeriùs electam. Ceterùm* Chanadium, *aut* Chonadium, *vulgò* Chonad, *quod aliquè*

Latina

A *Latinè malunt appellare* Genadium, *caput eſt comitatûs cognominis, qui ad Orientem habet Tranſilvaniam, a Meridie comitatum Temeſwarienſem, ab Occidente Tibiſcum flumen, à Septemtrione comitatum Orodienſem. Ex diſpoſitione autem epiſcopatuum Hungariæ, ſuſpicor hunc ſe extendiſſe per comitatus Temeſwarienſem, Chanadienſem & forſan Orodienſem, ſeu à Tibiſco fluvio uſque ad limites Tranſilvaniæ & Valachiæ, & à Danubio in Septemtrionem uſque ad vicinum epiſcopatum Varadienſem. At determinatos ipſius limites nullibi invenio; neque aſſignatos alii de cauſa ex conjecturâ memoro, niſi ut perſpiciat lector, religionem Chriſtianam eo tempore propagatam fuiſſe uſque ad poſtrema reni Hungariti loca. De tempore, quo Gerardus ad epiſcopatum promotus eſt, nihil certi poteſt ſtatui; at ex Vita ſatis colligitur, id factum eſſe multis annis ante mortem* Stephani.

296 *Porrò laudatus Gerardus auctor fuiſſe* S. Stephano *traditur, ut promoveret apud Hungaros pietatem erga beatiſſimam Virginem Deique Genitricem Mariam, eamque ipſe per ſe promovit, quantùm potuit. Accipe verba biographi, qui poſt relationem de ſtructa eccleſia, mox ſubdit ſequentia:* In qua eccleſia (*Gerardus*) ad honorem Matris Domini Salvatoris venerabilem aram erexit; ante quam thuribulum argenteum fixit, cujus miniſterio duos provectæ ætatis homines adhibuit, qui jugiter ibi vigilarent, quatinus ne ad unam horam odor thimiamatis abeſſet: ſingulis quoque Sabbatis ibidem cum novem lectionibus, ſicut in die Aſſumptionis Matris Domini, magniſque laudum præconiis, devotionis ſuæ officium complebat: plus etiam miſericordiæ operam dabat. Cæteris autem diebus, Matutinis atque Veſperis peractis, bis cum proceſſione ad eamdem venire conſueverat: quæ conſuetudo adhuc perſeverat. Porrò laudibus ſanctæ Dei Genitricis ſe ſubdere tantæ humilitatis obſequio noverat: nam qualiſcumque reus clàm à familiaribus ſancti viri edoctus indulgentiam per nomen Chriſti Matris deprecabatur, audito nomine Matris miſericordiæ, pater ſanctus mox lacrymis perfundebatur, & velut ipſe eſſet reus, à reo veniam poſtulabat. Filium quoque ſuum illum fore affirmabat, ſi eam rectè Dei Genitricem crederet. Ipſius arbitrio ab Hungarica generatione nomen Matris Chriſti non auditur: tantùm DOMINA reſonat: ſi verò auditur ſtatim flexis genibus & demiſſis in terram capitibus ſe inclinant. Nam & Pannonia à ſuo ſancto Stephano rege FAMILIA SANCTÆ MARIÆ appellata eſt. O laudanda virorum prudentia: qui hanc maris Stellam attendendo curſum vitæ ſuæ dirigebant, quatinus reſpectu exempli illius poſſent inter hujus ſeculi fluctus remigantes, tamquam ſcillæam voraginem, voluptatum deſideria declinare portumque æternæ ſalutis attingere. *Deinde, interjectis non paucis aliis, de* Stephano *rurſum idem auctor ſic loquitur ad propoſitum noſtrum:* Poſtquam beatus rex Stephanus totam Pannoniam ad veram Chriſti lucem convertit, eam ſub patrocinio ſanctæ Dei Genitricis ſemperque Virginis Mariæ intitulavit; ipſeque in die Aſſumptionis Matris Domini microcoſmum * ſolvens, ad æternam requiem aſſumptus eſt. *Hactenus de eximia Sancti in Matrem Dei pietate, quæ etiamnum apud Hungaros laudabiliter perſeverat.*

cum eodem Gerardo Rex pietatem in beatam Virginem promovet apud Hungaros.

B

C

* *i. e.* corpus

297 *Hieronymus Rubeus in Hiſtoria Ravennate lib.* 5 *pag.* 260 *ad annum* 963 *ſic habet:*

In agro Ravennati circa hæc tempora D. Petri ad Vincula templum ac domus à D. Stephano Ungarorum rege extruitur; conſecratur à Gerardo Moriſienſi epiſcopo, ac paulo pòſt martyre. Adjecit Rex ſanctus vectigal, quo non ſolùm monachi ibidem ab ſe conſtituti alerentur, ſed ſuppeditaretur etiam victus Ungaris omnibus, religionis causâ Romam proficiſcentibus. *Recitatoque fundationis diplomate, hæc ſubdit:* Magnus enim erat Ungarorum ... numerus, qui quotannis Romam ad limina Apoſtolorum viſenda oſculandaque veniebant. Atque is ad avorum noſtrorum ætatem, qui eos etiam Ravennâ frequentiſſimos tranſeuntes, Ravennateſque ſanctorum virorum reliquias & ſacras ædes ſumma religione venerantes viderunt, ſervatus eſt religioſo more. *Porrò multùm quidem à rectâ chronotaxi aberrat Rubeus, dum circa annum* 963 *conditum vult hoc monaſterium à* S. Stephano, *qui necdum erat natus; de re tamen ipſa nullum relinquit dubium, cùm ipſum ſubjiciat ſancti Regis diploma, hiſce conceptum verbis:* Stephanus Dei gratiâ Ungariæ rex, venerabilibus viris, abbatibus, & conventui monaſterii ſancti Petri ad Vincula, quod in territorio Ravennæ ſitum eſt, & eorum ſucceſſoribus in perpetuum. Quoniam illo Domino nos illuminante, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, præfatum monaſterium veſtrum, per adjutorium noſtrum, ad conſilium Gerardi, venerabilis epiſcopi eccleſiæ Moriſanæ, fidelis noſtri, unà cum nobili viro Romano duce Ravennæ, conſtrui fecimus, & per prædicti Gerardi manus proprias, ac auctoritate Romanæ Eccleſiæ conſecrari: idcirco nos decet illud regali munificentia honorare, ac vobis, veſtriſque poſteris providere, quòd ideo in ipſo monaſterio ſervire poſſitis, peregrinos Ungaros, ac nuncios noſtros, charitativè valeatis tractare.

AUCTORE J. S. *Conditum in gratiam peregrinantium Romam in agro Ravennate*

E

298 Quapropter proprio motu, & liberalitate regali, vobis, veſtriſque ſucceſſoribus in perpetuum concedimus, & donamus, pro anima noſtra, & parentum noſtrorum, tam antecedentium quàm ſubſequentium; ut Deus, & beatus Petrus Apoſtolus Domini, ab omni vinculo delictorum nos ſolvat; viginti quinque marchas puri argenti de camera noſtra: quas per vos, vel nuncium veſtrum recipere debeatis, propter competentes expenſas, quæ vobis, aut nuncio veſtro de eadem regali camera noſtra, pro hujuſmodi itinere faciendo, cum prædictis viginti quinque, ſemper annuatim dabuntur, pro hoc anno eleemoſyna noſtra, quam vobis facimus, & in perpetuum fieri volumus, eccleſiam reparare parantis, cùm fuerit neceſſe: reſiduum ſit pro indumentis veſtris. Et nos ac ſucceſſores noſtri, veſtris ſemper erunt orationibus commendati: hoc quoque auctoritate regali ſtatuimus, & firmiter præcipimus, atque pronunciamus, quòd nec nos aliquatenus contra prædicta veniamus, nec ſucceſſores noſtri, & nullus aut camerarius, ſive conſiliarius concedere hoc ſit auſus.

monaſterium S. Petri ad Vincula,

F

299 *Annus diplomati non additur; ideoque nec tempus fundationis exactè poteſt determinari. Attamen ex epiſcopatu Gerardi facilè conjicere poſſumus, hanc fundationem collocandam eſſe poſterioribus annis vitæ* S. Stephani, *ac veriſimiliter inter annum* 1030 & 1038. *Hanc fundationem ex Rubeo etiam narravit Joannes Tomcus in Opere, cui titulus* Regiæ ſanctitatis Illyricanæ fœcunditas, *in* S. Stephano *pag.* 225, *ubi*

de quo aliqua obſervantur.

AUCTORE J. S.

teſtatur, ea de re ſe monitum ab Eminentiſſimo Cardinale Franciſco Barberino, cui abbatia tunc erat commendata. Mabillonius in Annalibus tom. 4 pag. 144 ejuſdem monaſterii fundationem refert, ac de eo ſubjungit: Proceſſu temporis datum fuit Camaldulenſibus hoc monaſterium, cujus modò ſola rudera ſuperſunt. *Poſſet hîc quærere nonnemo, quis ſit ille Romanus Ravennæ dux, in litteris* Stephani *memoratus? Fateor id mihi ignotum eſſe; at diploma ipſum hac de cauſa nequit reddi ſuſpectum, cùm plures eo tempore titulo ducum gauderent Ravennæ, uti obſervavit Muratorius tom. 4 Antiquitatum Italiæ ad diploma quoddam donationis, anno 896 Ravennæ datum,* ubi memorantur varii duces ac ducatus, *quos ubi recenſuerat, ſic colligit:* Quæ omnia produnt, in exarchatu, & Ravennæ potiſſimùm, floruiſſe uno tempore duces complures . . , Immò ex monumentorum collatione deduci poſſe videtur, illuſtrem hujuſmodi titulum hereditarium olim fuiſſe in nobiliſſima quapiam familia Ravennate, quæ, uti ex duabus pergamenis archivi Eſtenſis intellexi, tandem defecit circa annum MCLXXX, ſublato è vivis ſine prole Johanne duce *&c. Hæc breviter, ne quis diploma ſuſpectum habeat ob memoratum ibi Romanum ducem.*

B

§ XXVIII. Benevolentia Regis in peregrinantes: ſtructum Hieroſolymis monaſterium: eccleſia item Conſtantinopoli; ac canonicorum collegium Romæ: an ipſe ad loca ſacra etiam ſit peregrinatus?

Eximia Regis humanitas erga peregrinantes Hieroſolymam:

C

Glaber Rodulphus monachus Cluniacenſis Hiſtoriarum lib. 3 cap. 1, memorata breviter converſione Hungarorum, & nuptiis S. Stephani, *de humanitate ac liberalitate ſancti Regis in peregrinantes Hieroſolymam ita ſcribit:* Tunc temporis cœperunt penè univerſi, qui de Italia & Galliis ad ſepulchrum Domini Hieroſolymis ire cupiebant, conſuetum iter, quod erat per fretum maris, omittere, atque per hujus regionis patriam tranſitum habere. Ille verò (Stephanus) tutiſſimam omnibus conſtituit viam: excipiebat ut fratres, quoſcumque videbat, dabatque illis immenſa munera. Cujus rei gratiâ provocata innumerabilis multitudo tam nobilium, quàm vulgi populi, Hieroſolymam abierunt. *Ademarus monachus item ſynchronus, prout editus eſt apud Labbeum tom. 2 Bibliothecæ pag. 182, prædictis conſentit, hæc ſcribens:* Eo tempore (*circa annum* 1027) Willelmus Egoliſmenſis comes per Bajoariam iter egit ad ſepulcrum Domini. Comitati ſunt eum Odo Bituricus princeps Dolenſis, Ricardus abbas Virdunenſis, Ricardus abbas S. Eparchii Egoliſmenſis & princeps ejus & conſiliarius ejus Giraldus Faneſinus & Amalfredus poſtea abbas, & magna caterva nobilium. Stephanus rex Ungriæ cum omni honore eum ſuſcepit, & muneribus ditavit.

301 *Eximia hæc ſancti Regis in peregrinantes Hieroſolymam liberalitas, quæ item elucet in iis, quæ de S. Gerardo dicta ſunt ſuprà, confirmare aut certè elucidare poteſt fundationes tres, quas Carthuitius in commodum peregrinantium factas narrat num.* 18: *& de quibus Bonfinius pag.* 180 *ſcribit ſequentia:* Item ne à divina beneficentia, quam ſibi indulgentiſſimam nactus erat, ingratitudine aliqua. deſtitueretur, Hieroſolymis ſpectabile monachorum cœnobium fundavit, qui ad ſanctiſſimum Salvatoris noſtri monumentum Sacra quotidie pro publica ſalute operarentur: idque prædiis abunde donavit. Romæ quoque Stephano protomartyri ædem dicavit cum duodecim collegio ſacerdotum: item adjecit hoſpitium, ubi Ungari, qui Petri Paulique baſilicam viſerent, commodè & gratuitò excipi poſſent, utrique villas, uberrimoſque proventus addixit, ne quâ rerum inopiâ laborarent. Conſtantinopoli quoque templum haudquaquam ignobile ſtatuit, pari quoque liberalitate donatum. Multa pietatis & clementiæ ſuæ monumenta reliquit: unde qualis in omnes & potiſſimùm in pauperes & calamitoſos fuerit, facilè conjici poteſt.

D

tres fundationes in commodum peregrinantium,

302 *Nulla prorſus eſt ratio, cur hiſce fundationibus fidem abrogemus. Attamen memoratus ſæpe Schwartzius pag.* 58 *facta hæc, uti incredibilia traducere nititur, atque exclamat:* Tam memoranda facinora adeone coævis omnibus ignota, & oblivione ſepulta manere potuerunt? *Nullum eſt hoc argumentum, quo tamen ſolo nititur ſcriptor ille heterodoxus: nam alia* S. Stephani *geſta, & quidem magis memorabilia, qualia ſunt tot abbatiarum & epiſcopatuum erectio in ipſa Hungaria, eodem ferè ſilentio involuta ſunt; nec ab ullo ſcriptore ante Carthuitium memorata, niſi tribus verbis & generatim à Ditmaro. Certum nihilominus eſt & indubitatum, totam Hungariam epiſcopatibus, monaſteriis atque eccleſiis impletam eſſe à* Stephano. *Rationem iſtius ſilentii jàm antè dedi, nimirum quòd Hungari ipſi Regis ſui geſta non conſcriberent, quòdque ſcriptores Germani, Galli, Itali, aliique res geſtas Hungarorum non niſi leviter attingerent. Nulla igitur ratio idoneæ dari poterit, cur pro hiſce factis auctoritas non ſufficiat Carthuitii, qui ne toto quidem ſeculo iis eſt poſterior; cùm nullus ante ipſum cognitus ſit ſcriptor, ad cujus propoſitum ſpectabat referre fundationes prædictas; cúmque res ipſa aliunde admodùm fiant veriſimiles.*

E

quas ſine ullo idoneo fundamento impugnat Schwartzius.

F

303 *Glaber lib. 3 cap. 7 hæc ſcribit:* Eo quoque tempore, id eſt anno nono poſt præfatum milleſimum, eccleſia, quæ apud Hieroſolymam ſepulchrum continebat Domini ac Salvatoris noſtri, everſa eſt funditus juſſu principis Babylonis . . . . Tunc etiam beati martyris Georgii eccleſiam in Ramulo pariter ſubverterunt *&c. Eadem aliaque ſimilia refert laudatus antè Ademarus pag.* 175. *Princeps autem, cujus juſſa hæc fiebam, erat Hakemus calipha, cui Syria æquè ac Ægyptus parebat. Cauſam perſecutionis dolo Judæorum attribuunt Glaber & Ademarus, docentque eccleſiam ſancti ſepulcri deinde reſtitutam eſſe. Verùm totam hanc perſecutionem exactiùs enarrat Euſebius Renaudotius in Hiſtoria patriarcharum Alexandrinorum, ubi pag.* 391 *ſic habet:* Eodem tempore Hakemus præceptum expediri juſſit, ut Hieroſolymis eccleſia Calvariæ deſtrueretur . . . Mandatum præterea, ut omnes eccleſiæ deſtruerentur, bonaque earum fiſco addicerentur; aurum, argentum, ſupellex, Miſram deportarentur. Vetitum ne Chriſtiani ex loco in alium migrare poſſent: non vendere, non emere, quæ ad vitam neceſſaria,

Perſecutio Hakemi, quâ eccleſiæ in Syria & Ægypto deſtructæ,

A faria, ipſis licebat: epiſcopi ubique comprehenſi. *Poſt multa alia de hac perſecutione pag.* 395 *rurſum hæc ſcribit:* Sed illud præ cæteris graviſſimum Chriſtianis accidit, quòd cœtus publicos ad liturgiam & ſupplicationes, quæ fiebant in Dominica Palmarum, in Epiphania & aliis ſolennitatibus, edicto ſuo Hakemus prohibuerit; tum quòd omnes eccleſias non ſolùm in Ægypto, ſed etiam in Syria everti juſſerit. Teſtatur Makrizius numerum earum, quæ ab anno Hegiræ CDIII ad annum CDV, hoc eſt, ab anno I. C. MXII ad MXIV, deſtructæ ſunt, fuiſſe triginta millium & ampliùs. Omnia autem vaſa ſacra, cruces, thuribula, ſtragulas & alias veſtes, ad ſupellectilem eccleſiarum pertinentes, ligna, æs, ferrum, reditus, poſſeſſiones aut fiſco addixit, aut Muſſemanis diripienda reliquit.

& pax ſubſecuta, quâ excitati Occidentales,

304 *Quamdiu duraverit illa perſecutio, explicat idem ſcriptor pag.* 393 *his verbis:* Per annos novem Chriſtiani ſumma in calamitate fuerunt, quæ etiam triennio ultimo major omnino fuit. *Relataque occaſione, quâ ceſſavit perſecutio, rurſum pag.* 394: Dirutæ fuerant eccleſiæ anno Martyrum DCCXXVII, reſtitutæ ſunt anno

B DCCXXXVII, *id eſt, Chriſti* 1021. *Tunc, eodem teſte ibidem, Hakemus* attulit ſigillum ſeu literas imperiales, quibus non modò dirutas eccleſias inſtaurare permittebatur, ſed etiam reſtitui jubebantur ligna, lapides, columnæ, & omnia tandem, quæ ablata inde fuerant: agri quoque & horti eccleſiis adjuncti reſtituebantur per totam Ægyptum & reliquas provincias ſub Hakemi imperio conſtitutas. *Hæc Renaudotius ex monumentis Orientalibus, aſſerens pag.* 399 *edicto Hakemi de reſtituendis eccleſiis poſt mortem ipſius non fuiſſe derogatum, pacemque Chriſtianorum duraſſe ſaltem uſque ad annum* 1051. *Jam verò memorata illa Chriſtianorum Orientalium calamitas, & pax ſubſecuta occaſionem præbuerunt Occidentalibus, quâ charitatem & liberalitatem ſuam oſtenderent.*

munera ferebant Hieroſolymam ad inſtaurandaloca ſacra,

C 305 *Audi Glabrum lib.* 3 *cap.* 7 *in fine, ubi relata deſtructione & reſtitutione eccleſiæ Hieroſolymitanæ, hæc ſubjungit:* Tunc quoque de univerſo terrarum orbe incredibilis hominum multitudo exultanter Hieroſolymam pergentes, domui Dei reſtaurandæ plurima detulerunt munera. *Quis igitur non videat, nihil miri narratum eſſe à Carthuitio, ubi dixit ab apoſtolico & liberaliſſimo Rege monaſterium Hieroſolymis ædificatum eſſe eo tempore, quo* incredibilis hominum multitudo *eò accurrebat, ut ſymbolam conferret ad loca ſacra, quæ barbarus furor deſtruxerat, reparanda? Quin mirum potiùs videretur, ſi* Stephanus, *qui peregrinantibus Hieroſolymam* immenſa, *ut antè vidimus, dabat* munera, *ſuam in reparandis ibidem locis ſacris liberalitatem paſſus eſſet deſiderari. Audi eumdem Glabrum de iis rurſus loquentem lib.* 4 *cap.* 6: Per idem tempus (*circa annum* 1034) ex univerſo orbe tam innumerabilis multitudo cœpit confluere ad ſepulchrum Salvatoris Hieroſolymis, quantam nullus hominum priùs ſperare poterat. Primitus enim ordo inferioris plebis: deinde verò mediocres; poſthæc permaximi quique reges, & comites ac præſules. Ad ultimum verò, quod numquam contigerat, mulieres multæ nobiles cum pauperioribus illuc perrexêre... Tunc etiam inter ceteros Robertus Normannorum dux cum ingenti multitudine ſuæ gentis Hieroſolymam proficiſcens, detulit ſecum plurima auri & argenti donaria, erogandi gratiâ.

306 *Hæc, aliaque de his Glaber tunc vivens; nec dubitandum, quin mira* S. Stephani *liberalitas pietatem illam multùm promoverit, quia ille tranſeuntes per Hungariam* excipiebat ut fratres, dabatque illis immenſa munera. *Si autem Robertus Normanniæ dux, qui rediens Niceæ obiit, theſauros ſuos ipſe Hieroſolymam ferebat, mirúmne videbitur, ſi Rex ſanctus, qui numero piarum fundationum omnes principes ſuperâſſe videtur, unum ibidem fundaſſe legitur monaſterium, quod & in commodum peregrinantium ſervire poterat, & certè in ſolatium Chriſtianorum Palæſtinæ? Eædem rationes etiam faciunt, ut facilè credere poſſimus Carthuitio, aſſerenti erectam à* Stephano *eccleſiam in urbe Conſtantinopolitana. Quippe, uti Ravennæ monaſterium ſtruxit in commodum Romam peregrinantium, ita hæc Conſtantinopolitana eccleſia exſtrui potuit ad uſum peregrinantium Hieroſolymam; licet & aliam rationem fundationis Conſtantinopolitanæ mox ſim allegaturus, ubi de illa agam.* AUCTORE J. S. *occaſionem exſtruendi Hieroſolymis monaſterium præbere potuerunt:*

307 *Inchofer in Annalibus fundationem Hieroſolymitanam refert ad annum* 1010, *ac de ea ſcribit ſequentia:* In his (*qui munera Hieroſolymam deferebant*) non poſtremus Stephanus, non ſolùm munera ſacro templo regia miſit: verùm augendæ fidelium religioni ſtudens, quod ſuperiori anno deliberaverat, effectui mandavit. Itaque ſpectabile monachorum cœnobium, additâ eccleſiâ, magnifico ſumptu illic fundavit.. Eccleſia Georgio magno martyri ſacra eſt, ſive ut everſam à Saracenis ejuſdem martyris in Ramulo memoriam renovaret; ſive ut eandem eccleſiam priſtino ſplendori reſtitueret. Additæ præterea domus, & hoſpitia peregrinis Hungaricæ nationis, quorum cura penes dictos monachos erat; qui Carmelitani, an Baſiliani fuerint, in medio eſt: de alterutris quidam veroſimiliter affirmant. Lego etiam, non ex Hungaria proventus illis ſubmiſſos, ſed in ea ipſa Hieroſolymorum ditione coëmptis prædiis & vineis, unde quotidiani victus copia ſuppeteret, procuratos: quod mihi quidem in illa rerum viciſſitudine difficile creditu eſt. *Citat ad marginem* manuſcripta *pro prædiis & vineis prope ipſum monaſterium coëmptis; ſed mavult credere illa fuiſſe empta in Hungaria. At locorum diſtantia facit, ut id credam difficiliùs; nec quidquam obſtat, quo minùs credamus, illa empta fuiſſe in Palæſtina.* *illud tamen non videtur ſtructum circa annum* 1010, E

ſed poſt 1022, *& viris potiùs quàm monialibus.*

F 308 *Porrò annus aſſignatus ab Inchofero ex ſola, opinor, conjectura, minùs eſt veriſimilis, cùm* Stephanus *eo tempore magis videatur intentus fuiſſe fundandis regni ſui eccleſiis, & præſertim quia circa illud tempus cœpta eſt Hakemi perſecutio: quâ finitâ, monaſterium iſtud à* Stephano *fundatum exiſtimo, id eſt, inter annum* 1022 *&* 1038, *quo Sanctus obiit. In Ms. Mellicenſi, de quo dixi num.* 17, *ſic legitur hac de re:* Jeroſolymis etiam in monaſterio, quod conſtruxerat, monialium converſationem deſtinavit, quibus ſimili diſpoſitione neceſſaria præparavit. *Illud de monialibus non congruit cum Carthuitio, qui* monachorum cœnobium *vocat, niſi fuerit monaſterium duplex, in quo ſeparatis ædificiis monachi degerent & moniales; aut duo diverſa exſtruenda curaverit. Verùm hæc nihilo magis auſim affirmare, quàm quod aſſerit Inchofer, monaſterium illud anno* 1018 *deſtructum fuiſſe, & rurſum inſtauratum poſt* annos triginta ſeptem: *nam, ut jam dixi, non videtur ſtructum fuiſſe ante annum* 1022, *ſive monachorum fuerit, ut vult Carthuitius, atque ideo*

AUCTORE J. S.

magis credo ; ſive monialium , *ut habet anonymus ; ſive etiam duplex fuerit , quorum nihil affirmo ut certum.*

Admodùm etiàm veriſimilis eſt fundatio Conſtantinopolitana ,

309 *Fundationem Conſtantinopolitanam , breviter à Carthuitio & Bonfinio aſſertam , latiùs exponit Inchofer ad annum* 1007 *hoc modo :* Alteram in urbe regia , & altera Roma , Conſtantinopoli , mirifici operis hoc eodem anno condidit eccleſiam Stephanus , rebuſque omnibus neceſſariis ſtabiliyit ; maximè id probante Baſilio Imperatore , qui Stephani amicitiam cupidè ambiebat , ac recentibus in Bulgaros victoriis glorioſus , religionem æmulabatur , ut ſolvendis Deiparæ votis Athenas uſque pergeret , multiſque precioſis muneribus ædem ſacram exornaret. Nec parùm ad eam amicitiam conciliandam faciebat , quòd hoc tempore , quemadmodum tradit Petrus epiſcopus Antiochenus in epiſtola ad Michaëlem Cærularium ſcripta poſt annos quadraginta ſeptem , Conſtantinopolitana eccleſia cum Romana communione conjuncta fuerit ; ut non immeritò , quem Regem Baſilius Romanæ Eccleſiæ devinctiſſimum accepiſſet , ſibi quoque amicum eſſe peroptaret. In ea porrò eccleſia ,

B Principi Apoſtolorum ſacra , natio Hungara ritu Latino miniſtrabat , certo ſacerdotum & clericorum numero definito ; quem ad Regis nutum ſupplebant alii , quoties aliis aut mori aut in patriam reverti contigiſſet. Fuit quidem ea in re præcipuus Stephani ſcopus , divini cultus propagatio ; ſed etiam avebat ſuos Græcis literis eruditos Hungariam illuſtrare , non ſecus ac Latinis eos , qui Romæ operam dabant. Ex quibus, quàm multi illuſtres viri evaſerint , peculiari loco tractandum erit , ut Hungaris ſuos vendicemus cives , qui quorumdam gloriantium arte ad alienos abſtracti ſunt.

ob amicitiam Stephani cum imperatoribus ;

310 *Annum fundationi aſſignatum rurſus probare nequeo , cùm vix dubitare poſſim , quin res non paucis annis ſeriùs contigerit. Quod verò aſſeritur de amicitia Græci imperatoris cum* Stephano , *admodùm veriſimile eſt , cùm* Stephano *numquam cum Græcis ulla legatur interceſſiſſe diſcardia , cúmque amicitiæ illius indicium alibi legamus. Certè Dlugoſſus Hiſtoriæ Polonicæ lib. 2 col.* 149 *narrat , ab Emerico , filio* S. Stephani , *eccleſiæ S. Crucis in Polonia , quam cum monaſterio ad preces ipſius exſtructam aſſerit , donatam eſſe* crucem bifurcatam , portionem notabilem Dominici ligni continentem , modico argento obductam , parenti ſuo Stephano Hungarorum regi à Græcorum cæſare ex Conſtantinopoli pro magno munere tranſmiſſam , quam vir Dei (*Emericus*) in pectore ex Patris largitione geſtare conſueverat. *Refert donationem Inchofer eodem anno* 1007 , *aitque à Baſilio imperatore hanc crucem* Stephano *miſſam. Potuit ſanè Baſilius id præſtare , cùm diu ante* Stephanum *imperaverit , & obierit anno* 1025 ; *ſed idem fieri potuit à Conſtantino , Baſilii fratre & collega , qui eidem uſque ad annum* 1028 *ſupervixit , aut ipſius ſucceſſore Romano Argyro : non enim dubitandum eſt , quin omnes illi coluerint amicitiam* S. Stephani. *Demum concordiam toto tempore regnantis* Stephani *fuiſſe inter Eccleſiam Romanam & Conſtantinopolitanam , veriſſimum eſt, idque ſatis colligitur ex dictis apud nos ante tomum* 1 *Auguſti in Hiſtoria Chronologica patriarcharum Conſtantinopolitanorum à pag.* 122 *uſque ad* 124 ; *& pluribus probari poſſet , ſi eſſet neceſſarium.*

311 *Laudatus Inchofer ad eumdem quoque annum* 1007 *differit de fundatione Romana , ſeriùs item collocanda , quantùm opinor. Ubi dixerat Hungaros peregrinos benevolè exceptos eſſe à Romanis , ſubdit ſequentia :* Quod cùm Rex ſanctus intellexiſſet , pietatem quoque ſuam deſiderari non eſt paſſus ; ac ut peregrini ſuæ gentis in Urbe commodiùs manerent , & religioni ſuæ vacarent , domos & hoſpitia eis prope baſilicam Principis Apoſtolorum exædificavit, addito oratorio , quod deinde S. Stephani HUNGARORUM , & S. Stephani MINORIS eſt appellatum; cujus tamen memoria ob fatiſcentem vetuſtate ſtructuram paulatim abolita erat , niſi circa annum milleſimum quadringenteſimum ſeptimum ſupra nonageſimum , rebus ſub Matthia rege refloreſcentibus , Hungarorum aliquot peregrinorum operâ , refectis omnibus , reſtituta fuiſſet ; quamquam hodie afflicta Hungariæ felicitate , & ob minùs frequentem Hungarorum concurſum , ſitum dumtaxat ſervat , vix formam & ſplendorem. Non his contentus rex Stephanus , ut regnum Hungariæ continuò haberet , quos in Urbe literis , & religione inſtructos , Chriſti cultui

E propagando & ornando adhibere poſſet ; ea de cauſa ſub protomartyris Stephani titulo duodecim canonicorum collegium , apud quos reliqui inſtruerentur & alerentur , condidit , rebuſque neceſſariis , tum ad victum , tum ad templi ornamentum ſtabilivit. Is locus eſt dictus S. Stephani IN PISCINA , qui poſt aliquot ſecula , deficientibus quacumque de cauſa canonicis & alumnis , in Parœciam , quæ hodie ſupereſt , deſiit.

deinde cum Collegio Germanico conjuncta ;

312 Sunt qui putent Stephanum regem id collegii inſtituiſſe eo loco , qui hodie dicitur S. Stephani IN MONTE CELIO , vulgo ROTUNDI, eamdemque eccleſiam vocant S. STEPHANI MINORIS , habita comparatione , non cum priori in Piſcina , quâ longe major , ſed cum rege Stephano , qui protomartyre junior eſt. Cujus tamen nomen imponi non potuit , niſi labentibus annis , poſtquam inter Sanctos relatus , ab Eccleſia univerſim coli cœpit. Verùm obſtat , eam eccleſiam longè ante Stephanum regem , anno videlicet ſupra ſeptingenteſimum circitèr ſeptuageſimo ſecundo , ab Hadriano ſecundo * Papa fuiſſe exſtructam ; quamquam veriſimile ſit , eam poſtea Stephani regis religioni conceſſam ad fundandum iſthic nationi ſuæ collegium ; quod non traditione magis , quàm etiam authoritate continetur. Illud certius , mutata S. Stephani Æde in Piſcina , ad hanc in Monte Cælio migraſſe Hungaros , iiſdemque à Nicolao quinto adjunctos fuiſſe Fratres Ordinis S. Pauli primi eremitæ , rebus in Hungaria turbatis profugos ; ubi ad tempora uſque Gregorii decimitertii , per centum & ſeptemdecim annos unà habitarunt , donec is converſioni infidelium & hæreticorum novis ubique collegiis proſpecturus , dictum Hungarorum collegium Germanico univit , ac ut totidem alumni , quot antea canonici erant , ex iiſdem proventibus unà alerentur , inſtituit ; neque ſolùm , ſed ut inter Hungaros tres dicti Ordinis eremitarum Fratres continuò numerarentur , ſancivit. Floruit porrò & primum illud collegium multis annis , quoad Hungariæ regnum floreret , non paucis viris præſtantibus inde emergentibus , qui in varias ſedes & munera in patria aſſumpti , religionem & patriæ honorem egregiè tutati ſunt. Verùm , ut ſunt humanarum

imò primo E

rerum

A rerum viciſſitudines, regno paulatim defloreſcente, canonicis quoque deſideratis, in eum ſtatum, quem diximus, res recidêre.

nimirum hoſpitia Hungarorum peregrinantium prope ædem S. Petri,

313 *Bartholomæus Piazza in Opere Italico, cui titulus* Opera pia di Roma, *tract. 2 cap. 4 agit de xenodochio Hungarorum prope S. Petrum, illudque credit erectum eſſe per* S. Stephanum. *In porta eccleſiæ hanc legi inſcriptionem teſtatur pag. 98:* Eccleſia hoſpitalis S. Stephani regis Ungarorum. *Hanc verò in muro domus contiguæ haberi aſſerit:* Domus Ungarorum renovata per D. Philippum de Bodrag., ſer. D. Vladiſlai regis proc., ex eleemoſynis peregrinorum, ſedente Alex. P. VI. 1497. *Hanc ipſam Hungarorum eccleſiam memorat Martinellus in Roma ſacra pag. 309 his verbis:* Hungarorum in burgo apud S. Petrum, S. Stephano Hungarorum regi dicatum, ſub cura collegii Germanici. *Hac hoſpitia, quæ* S. Stephanus *in gratiam peregrinantium ad S. Petri ſepulcrum erexit, cum Inchofero & Piazza exiſtimo alia fuiſſe à collegio canonicorum, à quo ea obſcurè diſtinguit Bonfinius poſt Carthuitium. Laudatus verò Piazza ait, eccleſiam illam hoſpitalem unà cum ec-*

B *cleſia S. Stephani in Monte Cœlio, poſtquam regnum Hungariæ priſtinum amiſerat vigorem, adminiſtratam fuiſſe per Hungaros Religioſos Ordinis S. Pauli primi eremitæ; atque utramque cum reditibus deinde junctam Collegio Germanico; hæc adjiciens:* Ne autem pereat memoria cultus debiti glorioſis Sanctis, Stephano protomartyri, & Stephano regi Hungariæ, de ſancta Sede apoſtolica tam bene meritis, eunt iidem alumni (*nationis Hungaricæ*) collegii Germanici, ad Montem Cœlium die III Auguſti, Inventionis S. Stephani, ut Officium ibidem peragant; & die XX ejuſdem menſis, qui prædicto ſancto Regi ſacer eſt, ad ipſius eccleſiam S. Petro vicinam.

& collegium canonicorum, ubi nunc eccleſia patræcialis in Piſcina.

314 *Idem ſcriptor de collegiata per* S. Stephanum *erecta deinde ita pergit:* Idem ſanctiſſimus Princeps aliam Romæ exſtruxit eccleſiam, quam collegiatam fecit, dedicandamque curavit eidem S. Stephano protomartyri, cui erat devotiſſimus. Hanc admodùm probabiliter omnes ſcriptores eccleſiaſtici, qui de rebus Romanis agunt, credunt eſſe eccleſiam nunc parochialem, dictam

C hodie S. Stephani in Piſcina. *Dicta hæc congruunt cum opinione Inchoferi, qui collegium canonicorum ex æde S. Stephani in Piſcina tranſlatum opinatur ad montem Cœlium. Ms. Mellicenſe de hiſce ſic habet:* Et quoſdam familiarium ſuorum Romam adire delegit, commendans facultates multas nimis, ut ibi in honore prothomartyris Stephani eccleſia fundari deberet: quod & ita factum eſt. Poſt hæc diviſit alia, quibus adquirerentur domus, villæ, poſſeſſiones, & cætera talia, quæ ad ſumptus miniſtrorum Eccleſiæ pertinent. *Hactenus de fundationibus* S. Stephani *in commodum ſacra loca viſentium.*

Aliqui volunt, Sanctum ipſum Romam aliquando iviſſe; quod eſt incertum.

315 *Ranzanus ind.* 8 Stephanum *ipſum aliquando Romam peregrinatum eſſe affirmat, hæc ſcribens:* Agens ætatis annum tertium & triceſimum, urbem Romam petivit, ut beatorum apoſtolorum Petri & Pauli, aliorumque martyrum Chriſti, ſacras reliquias viſeret, utque maximo Pontifici exhiberet reverentiam & obedientiam, quâ jure illi erat obnoxius. *Thuroczius quoque cap.* 31 *affirmat* Stephanum *Romæ fuiſſe. Laudatus antè Piazza non ſolùm Romam, ſed etiam Conſtantinopolim & Hieroſolymam peregrinatum eſſe, refert ex traditione Hungarorum, pro qua tamen non pugnat vehementer. Verum antiquorum omnium de peregrinationibus* S. Stephani *ſilentium facit, ut pro certa habendam non exiſtimem peregrinationem Romanam, & minimè credam Conſtantinopolim & Hieroſolymam profectum eſſe* Stephanum, *quem fidei promotio regnique negotia utiliùs occupabant in Hungaria. Romana quidem peregrinatio minùs miranda eſſet, ſi conſtaret, citatos ſcriptores eam didiciſſe ex antiquis monumentis: nam Robertus Francorum rex etiam Romam profectus eſt tempore* S. Stephani: *at nolim quidpiam ut certum referre ſine idonea auctoritate.* AUCTORE J. S.

§ XXIX. Munera variis miſſa: cœnobium cum eccleſia in veteri Buda conditum: varia miſericordiæ opera: fundationes quædam minùs cognitæ.

E

Caſula pretioſa ſummo Pontifici donata à Stephano.

MUnificentiam S. Stephani *luculenter oſtendunt relatæ jam fundationes, aliaque plurima non Hungaris tantùm, ſed etiam extraneis præſtita beneficia. Varia tamen ſuperſunt enarranda ejuſdem generis, quæ hùc lubet congerere, cum nequeant tempori determinato alligari. Mabillonius in Annalibus tom. 4 pag. 206 ad propoſitum noſtrum hæc memorat:* Acceſſit (*anno* 1009) mors Johannis Papæ XIX (*imò* XVIII,) cui cognomen erat Phaſianus... Ad prædictum Johannem miſſam fuiſſe puto à Stephano Hungarorum rege & Giſla ejus conjuge pretioſam caſulam, quæ modò in Mettenſi S. Arnulfi baſilica, ex dono, ut creditur, Leonis Papæ IX aſſervatur: in cujus poſteriori parte hæc verba aureis litteris, textili opere adſcripta ſunt: S. UNGRORUM R. ET GISLA DILECTA SIBI CONJUNX MITTUNT HÆC MUNERA DOMNO APLICO JOHI. Conſimile Giſelæ pallium, ad Ferdinandum cæſarem ætate noſtra de Pannoniæ inſignibus allatum, Browerus (*Annal. Trevir. tom. 1 pag. 501*) memorat, cujus in fim-

F bria Giſelæ nomen inſcriptum erat. *Monumentum hoc munificentiæ* S. Stephani *erga Romanos Pontifices ex ſola notum eſt inſcriptione; at plura hujuſmodi haud dubiè haberemus, ſi ſimilia litteris eſſent mandata. Cùm autem tres Pontifices ejuſdem nominis* Stephano *regnanti convixerint, incertum eſt, cui Joanni Papæ munus fuerit miſſum.*

munera S. Odiloni miſſa, & preces flagitatæ,

317 *Cura ſancti Regis ſe etiam extendebat ad viros ſanctitatis famâ illuſtres, quos & muneribus honorabat, & preces flagitabat. Exemplum ſuggerit Vita S. Odilonis abbatis Cluniacenſis apud nos tom. 1 Januarii pag. 67, ubi relatâ Odilonis gratiâ apud aliquos principes, ſic proſequitur Vitæ ſcriptor:* Quid etiam Stephanus rex Hungrorum, ſive Sanctius rex Heſperidum populorum? Qui quamvis eum præſentialiter non viderint, tamen ad famam ſanctitatis ejus, intercurrentibus legatis & reciprocis litteris, adſtrinxerunt illum ſibi beneficiis & copioſis muneribus, commendantes ſe humiliter orationibus illius & ſuffragiis. *Si locorum diſtantia non impediverit, quo minùs Cluniacum uſque legatos & munera mitteret* S. Stephanus, *facili*

AUCTORE J. S.

facili conjectura aſſequi poſſumus, eum non minùs fuiſſe ſolicitum de aliis viris ſanctis, qui erant in locis propinquioribus, uti jam vidimus de Gunthero.

crux aurea Caſinum miſſa, & petiti monachi:

318 *Aliud regiæ liberalitatis erga longè diſſitos ſpecimen accipe ex Chronico Caſinenſi, in quo lib. 2 cap. 78 ſequentia narrat Leo Oſtienſis:* Circa hoc tempus ſanctæ memoriæ Stephanus Ungariæ rex, qui gente ſua ad fidem Chriſti converſa, multis poſt mortem virtutibus claruit, auream crucem valde pulchram ſancto patri Benedicto direxit, multis abbatem efflagitans precibus, ut de Fratribus loci hujus aliquot ſibi ad monaſterium in illis partibus ordinandum, mittere non differret. Ad quem cùm abbas nequaquam negligens duos de prioribus hujus monaſterii Fratribus tranſmiſiſſet; jam eo defuncto, Salomon filius ejus, qui in regno illi ſucceſſerat, honorificè nimis eos recepit, & quinque pluvialibus optimis cum aliis non paucis donis illos remunerans, ad abbatem remiſit. *Ex ultimis colligimus hæc facta eſſe ſub finem vitæ* Stephani, *atque hunc ante mortem non depoſuiſſe deſiderium nova fundandi monaſteria. At Leo in ſucceſſore* Stephani *erravit: nam ei ſucceſſit Petrus ſororis filius, non Salomon, qui filius non erat* Stephani, *ſed Andreæ, & diu poſt regnavit. Jam verò ſi hic error obrepere potuit Leoni, non eſt, cur miremur ſimilem obrepſiſſe Carthuitio in deſignando duce Poloniæ, qui coronam petiit: nam uterque eodem vixit tempore.*

monaſterium cum eccleſia exſtrui magnificè cœptum

319 *Egregiam* S. Stephani *fundationem, quam morte ſua imperfectam reliquit, narrant ſcriptores Hungari, Ranzanus breviter, fuſiùs verò Thuroczius & Bonfinius. Thuroczius cap. 31 ſic habet:* Deinde ſanctus Rex venit in civitatem, quæ vetus Buda vocatur, unà cum filio ſuo ſancto Emerico & regina. Et cùm ibi non inveniſſet aliquod pium opus in Chriſto, in quo poſſet laudari Creator omnium, ſtatim ſanctiſſimus Rex de theſauro prædicti Kean ducis Bulgarorum & Sclavorum, quem occiderat, cœpit in medio civitatis ædificare grande cœnobium in honorem apoſtolorum Petri & Pauli: ditando illud multis prædiis & ſimili libertate Romanæ Eccleſiæ fulciendo, in memoriam & honorem curiæ Romanæ, quam corporaliter viſitârat. C Dum igitur ædificaretur, magiſtri lapicidæ de Græcia ducti erant: & ſanctiſſimus Rex cum regina ratione devotionis ibidem degebant. Regina autem cruces, tabulas & ornamenta procurabat. Quia verò illud grande opus inceptum multos annos conduxerat, ideo vivente ſancto Stephano rege illud cœnobium non potuit conſummari: ſed volente Deo poſt multum temporis ſanctiſſimus rex Ladiſlaus nepos ejuſdem beati Stephani, illud opus conſummavit: ut ſcilicet poſſet adimplere votum proavi ſui, ſicut inferiùs pleniùs declarabitur.

in civitate, quæ vetus Buda dicitur.

320 *Bonfinius pag. 182 de illo cœnobio erecto hæc ſcribit:* Præterea quum ante beati Emerici mortem, Bulgaricum bellum geſtum eſſe tradatur, ad Budam veterem, Germanicam quondam legionem, & Antonini ac Severi temporibus ad cœrcendos Barbarorum impetus ibi collocatam, quam ante Budæ appellationem, Sycambriam nominabant, Rex & regina cum filio venerunt, ubi quum nullum veri Dei templum conſpicarentur, in quo pia ſacra operarentur, exædificandum ampléque donandum continuò cœnobium cum æde cenſuêre, quam divo Petro Pauloque dicarunt. Artifices omnes è Græcia acciti, ut opus memorabile facerent, D ſtatuarii, ac plaſtici undique magna mercede conducti. Ut magis ferveret opus, Stephanus & Gyſla Budæ conſtiterant. Verùm quum hic operi; ſignis, tabulis, ac ornamentis illa incumberet; neuter voti compos eſſe potuit. Nam quum ante mortem ipſorum perfici nequiverit tanta moles, à Ladiſlao tandem rege ſanctiſſimo pronepote ſuo conſummatur. *Hactenus illi. Porrò vetus Buda alia eſt ab urbe Buda, quæ deinde Hungariæ fuit metropolis: at huic eſt propinqua, ſitaque ad Danubium Strigonium versùs; dicta Germanis* Alt Offen. *Porrò S. Ladiſlai, qui hoc opus perfecit,* Stephanus *non erat proavus, ut antè dixit Thuroczius: ſed erat è poſteris Michaëlis, patrui* Stephani, *atque ille erat proavus Ladiſlai.*

Cura Regis luſtrandi

321 *De cura eccleſiarum omnium hæc præmiſſis adjungit Bonfinius:* Perpetuum divo Stephano inſtitutum hoc fuiſſe ferunt, ter quotannis baſilicas & cœnobia, quæ fundârat, reviſere ſolitum: ad aras primùm omnes, pias preces & ſacra feciſſe, ut magnis Numinibus * ſupplicia debita exſolvere videretur: deinde ſingulatim templa luſtraſſe, ne quâ quicquam negligentiâ collaberetur; ſi quid vitii imminentiſque ruinæ tectis & parietibus intuebatur, extemplo inſtauraſſe: peculiares ſemper loculos à latere circumtuliſſe, ex hiſque propria manu mendicantibus & egenis erogaſſe pecuniam: Emericum quoque regali habitu indutum, quum templa cum Patre luſtraret, ante aras ſe continuò exuiſſe, ut altaria excoleret. Pari quoque ſtudio Gyſla utebatur, cui nihil erat antiquius, quàm cum Viri probitate certare, ſacras veſtes & ornamenta ſacerdotum diligentiſſimè recognoſcere, ut abſumpta reficeret, aut lacera reſarciret.

** i. e. Sanctis*

E

& ornandi eccleſias,

322 *Hiſce conſentientia habet Thuroczius cap. 31:* Conſuetudo autem, *inquit*, ſancti regis Stephani major iſta fuit, quòd omnes eccleſias, quas ipſe fundaverat, in quolibet anno ad minus tribus vicibus viſitaret, & dum ad ipſas eccleſias deveniſſet, primò ad omnia altaria pergebat, & ſingulis ſingulas preces effundebat. Tandem exeundo totam eccleſiam illam circuibat, & fracturas ſive ſciſſuras parietum ac tectorum perſpicacibus oculis & morosè inſpiciebat; & ſtatim remeliorari procurabat: nec à loco illius civitatis aut villæ recedebat, niſi priùs vidiſſet renovari. Quo experto, regina Keiſla, dum ad aliquas eccleſias in Hungaria deveniſſet, omnes apparatus in domo Domini exiſtentes ſibi præſentari faciebat; & renovanda tam in ſindone quàm byſſo omni anno renovabat. Filius autem ipſorum beatus Emericus proprias veſtes purpureas ante altare deponebat, pro altaribus induendis: ſicut patet in eccleſiis regalibus uſque modò. Pater verò ſanctiſſimus burſam auream in lumbis geſtabat, refertam denariis puri argenti, & dum pauperes vidiſſet, mox ibi accedebat: & propriis manibus eis providebat. Illius ideo dextera miſericors eſt in corpore exteriùs coram oculis Hungariæ uſque in hodiernum diem.

F

quibus omnibus ſacras veſtes attribuit: duarum fundatio;

323 *Quod hic de dextera Regis incorrupta dicitur, pluribus ſuo loco firmabitur. Cura verò ſancti Regis de veſtibus ſacris abunde firmatur ex propriis ipſius legibus: nam lib. 2 Decretorum cap. 34 Rex ita ſtatuit:* Decem villæ eccleſiam ædificent, quam duabus manſionibus (*alias* manſis) totidemque mancipiis dotent, equo, & jumento, ſex bobus, & duabus vaccis, triginta quatuor minutis beſtiis. Veſtimenta verò & corporalia, & coopertoria rex provideat; presbyte-

presbyterum & libros episcopi. *Quandoquidem ornamenta sacra Rex suis sumptibus procuranda decrevit, nequaquam mirari possumus, ipsum ea frequenter inspicienda curâsse. Quòd verò id ipsa faceret regina, quódque Rex ecclesias à se structas ipse lustraret, eximiæ illorum pietati, curæque religionem promovendi est attribuendum. Adducta verba etiam ostendunt, Sanctum non quidem omnes ecclesias propriis sumptibus ædificâsse; at curam habuisse, ut ubique per totum regnum exstruerentur, atque omnibus donâsse vestes sacras. Dubitandum quoque non est, quin multo plures Rex ipse fundârit, quàm quarum notitia ad nos pervenit. Certè Pazmanus apud Peterfium plurima enumerat antiqua monasteria, quorum fundator ignotus: nec pauca ex iis à* Stephano *structa crediderim. Inter abbatias Benedictinas unam necdum memoratam* S. Stephano *idem auctor attribuit pag.* 274 *his verbis:* Szala, S. Adriani martyris, Vesprimiensis diœcesis, à S. Stephano rege fundata. *Stephanus Damalevicius Varta in Serie archiepiscoporum Gnesnensium pag.* 64 *in S. Adalberto martyre sic habet ad propositum nostrum:* Audita cæde martyris, Stephanus rex Pannoniæ primus in ejus honorem templum in arce Strigoniensi condidit. *Albericus monachus in Chronico ad annum* 1010 *de eadem fundatione hæc scribit:* Dicunt Hungari, quòd .. Rex ... majorem ecclesiam Strigonii in honorem Adalberti instituit.

misericordia ipsius erga omnes.

324 *Demum eximia Sancti misericordia, suprà breviter asserta, & fusiùs jam antè ex aliis scriptoribus memorata, similiter ex ipsis sancti Regis verbis luculenter probari potest. Quippe in Monitis ad filium Emericum cap.* 6 *varia inculcat, ut filio insignem in hospites quosque benignitatem persuadeat. Dubitari autem non potest, quin talem vellet filium, qualis ipse erat. Audiamus igitur piissimi Regis verba cap.* 10, *ubi de misericordia loquitur in hunc modum:* Oportet regem esse pium, misericordem, & cæteris virtutibus imbutum & ornatum: rex enim impietate & crudelitate fœdatus, incassum sibi vendicat nomen regis, quia tyrannus est dicendus. Ob hoc ergo, fili mi amabilissime, dulcedo cordis mei, spes futuræ sobolis, precor, jubeo, ut per omnia & in omnibus pietate fultus, non solùm parentelæ & cognationi, vel principibus, sive ducibus, sive divitibus, seu vicinis & incolis sis propitius; verùm etiam extraneis, & cunctis ad te venientibus. Nam opus pietatis ad summam te ducit beatitudinem. Sis misericors omnibus vim patientibus, semper illud Domini in tuis præcordiis habens exemplum: Misericordiam volo, & non sacrificium.

§ XXX. Bessorum incursio in Transilvaniam, quam Rex divinitus dicitur edoctus: insigne severitatis exemplum.

Plura Rex bella gessisse videtur, quàm nota sunt, aut

SI *attentè consideremus verba* S. Stephani *in præfatione ad filium Emericum, dubitare non poterimus, quin plura sustinuerit bella, quàm scriptis fuêre consignata. Hisce enim verbis Emericum alloquitur:* Obedi, fili, mihi, puer es, ... educatusque in deliciis cunctis, totius expeditionum laboris atque diversarum gentium incursionis expers, in quibus ego jam ferè totam meam contrivi ætatem. *Graviora ac diuturniora Rex sanctus hîc bella insinuat, quam illa fuisse videntur, quæ conscripta sunt: nam hæc omnia simul vix quinque aut sex annos tenuerunt, si finita fuerunt tam facili negotio, quàm insinuant verba scriptorum, qui illa enarrarunt. Necesse igitur est, ut dicamus, aut alia quædam prætermissa esse, aut ea ipsa, quæ nota sunt, magis fuisse diuturna. De Bessorum incursione breviter scribit Carthuitius num.* 22, *atque ea solùm de causa, opinor, ut referat,* Stephanum *divinitus fuisse monitum de periculo subditorum suorum. Verùm, dum eos vocat* Christianorum hostes, videlicet qui tunc Hungaris inimicabantur, Bessos; *satis insinuat eos sæpiùs incurrisse in Hungarorum ditiones, sive odio Christiani nominis, sive amore prædæ, sive utraque de causa. Rursum, quæ narrat num.* 25 *de sexaginta Bessorum accessu ad Regem, utcumque innuunt, barbaræ illius gentis feritatem depressam fuisse ab Hungaris.*

AUCTORE J. S.

hæc fuêre magis diuturna:

admonetur divinitus de irruptione aliqua Bessorum,

326 *Accipe quæ de hisce tradit Bonfinius pag.* 180: Nunc ad divum Regem, *inquit*, revocetur oratio. Tantùm sua in Deum pietate præpolluit, ut sub tutela auspiciis divinis regnum geri experientiâ declararetur. Quadam nocte in somniis è cælo admonitus, continuò experrectus cubiculo exiliit. Veredarium præfectum legionis è vestigio accitum, in Transylvaniam, ulteriorem Daciæ partem, properare jubet, ut populos vicatim degentes admoneat, imperetque facultates omnes in oppida munitissimaque loca conferant; quum Bessi, qui Istri ora accolunt, ab omni religione alieni, & Ungaricæ gentis hostes acerrimi, regni limitibus immineant. Vix veredarius mandata peregit, ac illi in tutum bona congesserant; ecce barbari immites adventant, agros passim discursant, igni ferroque cuncta vastant, quos inveniunt, licèt perquam paucos, sine aliqua sexûs & ætatis ratione trucidant. Desides tantùm aliquos invenêre, hique socordiæ suæ luêre pœnas, & nisi hoc monitu suis rebus ipse prospexisset, jam de Transylvania fuisset actum. *Hæc desumpta sunt ex Carthuitio, & paulo liberiùs amplificata videntur, ita ut nonnulla egeant correctione, aut saltem non omnia pro certis haberi debeant: qualia sunt de facultatibus ad oppida allatis, quod tam citò fieri non poterat; de promiscua omnium cæde, de aliquibus oppressis, & de periculo totius Transilvaniæ, quæ minùs certa, atque ex conjecturis nonnihil exaggerata sunt.*

ac nuntium mittit ad loci præfectum,

327 *Idem factum narratur latiùs in Ms. Mellicensi, & verisimiliter exactiùs. Quapropter eam relationem huc transfero:* Sanctâ Dei Ecclesiâ in pace collocatâ, & ex Romana auctoritate justè ordinatâ, gens Bissenorum longè à fide aliena, & quasi beluinâ stultitiâ carens intellectu, patriæ ejus confinia demoliri aggressa est. Rex verò illos ante dies in remotis partibus venatui insistebat, ut saltem post multas curas, quibus opprimebantur, aliquantisper membra infirma relaxarentur. Cùm igitur circa mediam horam diei sopori indulgeret, per voluntatem Dei, qui ea, quæ futura sunt, spiritu visionis suæ manifesta & cognita fidelibus suis ostendit, videbatur astantibus, præsentialiter inimicis paternè loqui, & quasi eos terrendo præferre: Cur va-

AUCTORE J. S.

na veſtra cohorte clauſtra ſanctæ Eccleſiæ irrumpere vultis ? Cur gregem Paſtoris magni, & ovilia ejus deſolari veniſtis ? Recedite, recedite, qui * impetravi ab Imperatore meo virum defenſorem & ducem meum, ſcilicet Martinum, qui non patiens * morſibus veſtris paſcua juſtorum lacerari. Evigilanſque alacri vultu, qui ſua proferret nuncia, adeſſe mandavit. Cui aſſiſtenti, Non meæ, inquit, legationis cauſas explere poteris : ſed alius, qui fidelior inveniatur, accedat. Præſentatum verò eiſdem verbis redire præcepit. Ammoto & tertio, Perge, ait, adire *, feſtina properè, & mea tollens mandata, dic tribuno plebis, in ulterioribus moranti, ut provideat, viros ad pugnam eligat, & hoſtium cuneos in me bellum moventes propellat.

* *fortè* quia

* *fortè* patietur

* *fortè* abire feſtina

328 Aſcendit ille velociter, ad locum pervolavit, quod acceperat, indicavit : idemque diligenter factum eſt. Jam hoſtis propiùs aderat, jam mœnia urbis vallaverat : tam inopinata incurſio eſt. Tribunus cum copiis ſuis illum invaderet *. Tunc utrimque decertatum eſt : iſti protectione Dei roborati accinguntur ; illi amentiâ ſuâ obligati disjunguntur ; poſtremò terga fugæ dederunt. Plures autem eorum corruerunt, plures in captivitatem ducti ſunt. Cæde peracta, is, qui venerat, ad Regem regreditur, ut nunciaret ei. Rex audito eventu belli, grates habuit Omnipotenti, qui victoriam fidelibus ſuis dedit ex inimicis. Nimirum credimus ſuperna pietate illum viſitari, qui ne circumdaretur ab inimicis, liberatorem de cælis habere meruit, ut præcederet & cuſtodiret eum : ſicut enim Deus Chriſtum ſuum David quondam à facie Philiſtinorum, angelo ſuo protegente, liberavit, ita & hunc de manu perſequentium eripuit, educens & reducens in ſalvationem. *Ex hac relatione colligi nequit, utrùm hæc Beſſorum aut Byſſenorum, uti aliàs vocabantur, incurſio fuerit in Tranſilvania, an in aliis regni confiniis. Verùm clarè affirmat Bonfinius in Tranſilvaniam incurriſſe Beſſos, conſentiente Carthuitio, idque veriſimile eſſe, colligi utcumque poterit ex locis, quæ Beſſi eo tempore incolebant, de quibus mox, ubi reliqua ad illos ſpectantia huc tranſtulero.*

qui hoſtes in fugam agit.

* *lege* invadit

B

329 *Bonfinius pag.* 184 *ad propoſitum noſtrum refert inſigne ſeveritatis exemplum, quod præbuit* S. Stephanus *occaſione prædictorum Beſſorum, quibus ille Bulgaros adjungit. De his tamen non loquitur Carthuitius, nec auctor Ms. Mellicenſis, ita ut illud de Bulgaris pro conjectura ſolùm haberi debeat. Verba Bonfinii accipe :* E Beſſis Bulgariſque, quos gravi bello domitarat, ſexaginta circitèr viri, ac iidem non ignobiles, ejus famâ ſuccenſi ad adorandum Regem in Pannoniam venerant. Carros multos ducebant, quibus magnam auri & argenti copiam, cæteraſque fortunas impoſuerant, ut non modò eum prærevererentur ; verùm etiam inter regia ſervitia perpetuò ſe inſinuarent. Quum Pannoniæ fines attigiſſent, plerique ſceleratiſſimi tribuni cujuſdam famuli, auri cupiditate tracti, ex inſidiis hos adoriuntur : multos trucidant, exanimes aliquos relinquunt ; cæteris fuſis fugatiſque, onuſta plauſtra diripiunt, nummatique in ſylvas ſe recipiunt. Qui ex hac Beſſorum ſocietate ſuperfuêre, ad Regem tandem perveniunt, illatas ſibi cædes & latrocinia, item peregrinationis cauſam, ex ordine referunt. Rex miſeros conſolatus, confeſtim & clàm tribunum per apparitorem cum univerſa familia ocyſſimè ad ſe venire jubet : quod niſi continuò fecerit, perduellionis pœnam indicit. Tribunus mox edoctus, coactâ familiâ, opinione celeriùs advenit. Ante conſpectum Regis famulorum agmen explicat.

C

Càm Beſſi ad Regem properantes, injuriam paſſi eſſent in via,

D

330 Quum malæ mentis conſcii vultu facinora proderent, quæ nuperrimè patrarant ; Cur (inquit) contemptis Numinibus, & divina lege, præter jus & fas, diri graſſatores, hoſpitum ſanguine manus infeciſtis ? cur in humanum genus, & in eos, qui veræ ſapientiæ cupiditate peregrè iter faciunt, tam impiè ſæviiſtis ? cur viros innocentiſſimos morte mulctaſtis ? Proinde ſicut in alios à vobis actum eſt, ita & vobiſcum nunc in conſpectu meo Deus aget. Mox capitales eos pronunciavit. Ad omnes regni aditus, ſingula horum paria, quando multi fuerunt, crucibus affigi juſſit, ut liberum peregrinis iter in Pannoniam quondam hoſpitabilem omnibus fore ſignificaret. Quare factum eſt, ut quoad vixerit, ne minimum quidem latrocinium in Ungaria poſthac patratum ſenſerit. Hoc enim ſeveritatis exemplo ita facinoroſorum audaciam coërcuit, ut nemo peregrinis manum injecerit. Eos verò qui læſi & ſpoliati fuerant non ſolum indemnes, verùm cumulatiſſimè donatos, & voti compotes præſtitit. *Hîc omnibus ſatis conſonat Carthuitius, uti & Ms. Mellicenſe, quod hîc Carthuitio ità conſentit, ut nulla ferè ſit differentia, niſi in ſolis vocibus. Non igitur neceſſe exiſtimo eam relationem ex Ms. huc transferre, cùm Carthuitius videri poſſit num.* 25, *ibique ſim obſervaturus in annotatis leviora illa, qua aliter habentur in Ms.*

ille ſceleris auctores gravi multat ſupplicio.

E

331 *Porrò de provincia, ex qua Beſſi, aut Byſſeni veniſſe dicuntur, in codice Mellicenſi habetur :* Partibus Bulgarorum egreſſi. *At in Carthuitio nunc legitur,* partibus Hungarorum. *Opinor legendum* Bulgarorum, *itáque in ipſo etiam Carthuitio legiſſe Bonfinium, atque ea de cauſa Beſſis adjunxiſſe Bulgaros, & quidem ſatis probabiliter, ut videbimus. Bulgari autem eo tempore Serviam habebant ſubjectam : nam apud Pagium ad annum* 1027 *num.* XI *Chronographus Virdunenſis* Bellegradam, *aliàs* Albam Græcam *dictam, in Servia & Hungaria limitibus ſitam, ait eſſe* in confinio Bulgarorum & Hungarorum. *Hæc ſimul juncta utcumque innuunt, Beſſos ſeu Byſſenos eo tempore veniſſe ex hodierna Boſnia, quæ à Conſtantino Porphyrogenito cap.* 32 *de Adminiſtrando imperio vocatur* ager Boſonæ, *& pars erat Servia, quam tunc ſub imperio Bulgarorum fuiſſe jam diximus. Adſtipulatur huic opinioni Bonfinius decad.* 2 *lib.* 10 *pag.* 330, *ubi de Beſſis, quos olim in Thracia circa montem Hæmum & Hebrum fluvium habitaſſe conſtat, ita mentem ſuam exponit :* Beſſi veteres, ut à principio diximus, fuere populi, quos Græci Beſſos ſæpe appellarunt. Hi à Bulgaris ex inferiore Myſia ejecti, in ſuperiorem ſubmigrarunt, & proximam Savo regionem incoluerunt, quam interceptâ littera Boſnam à Beſſis vocavêre. *Amicos porrò fuiſſe Beſſos & Bulgaros, aut Beſſos cum principe ſuo fuiſſe ſub imperio Bulgarorum, iis temporibus, colligi poteſt ex eodem ſcriptore decad.* 2 *lib.* 3 *pag.* 209, *ubi narrat bellum Beſſorum & Bulgarorum contra Salomonem Hungarorum regem, captamque à Salomone Albam Græcam, ſeu Belgradum.*

Beſſi illi eo tempore erant Bulgarorum ſubditi vel amici,

332 *Accipe quæ ibi habet de incurſu eorumdem :* Beſſi ac Bulgari, qui inferiorem Myſiam & Danubii oſtia . . . accolunt, (*imò & ſuperiorem*

& hodiernæ Boſniæ habitatores.

A *rem Myſiam, & Beſſi etiam partem Pannoniæ antiquæ*) trajecto Savo ad Taurunium, quam Albam Græcam nunc vocant, in Syrmium inferioremque Pannoniam effuſi, cuncta diripiunt, pecora cum hominibus abducunt: & remenſo amne, rapinis onuſti in Bulgariam ſe recipiunt. *Hæc, quæ circa annum* 1070 *geſta ſunt, aliaque ſimilia apud Bonfinium relata, inſinuant, Beſſos illos fuiſſe Boſniæ incolas, qui prædæ cupiditate in Hungariam ſubinde incurrebant. Cum verò hæc facta dicantur in Tranſilvania, dubitari vix poteſt, quin Beſſi, tranſitâ Serviâ Bulgaris ſubjectâ, trajectoque Danubio, per comitatum Temeſwarienſem in Tranſilvaniam ſe effuderint, ut incautos nihilque tale metuentes opprimerent, tandemque multis ditati ſpoliis in patriam regrederentur. Quo circitèr tempore irruptio illa contigerit, nullus expreſſit. Veriſimile eſt, Beſſos prædæ inhiantes ſimilia ſæpiùs tentâſſe; ſed tandem magis fuiſſe quietos, colligitur ex acceſſu illorum, de quorum injuria ſuprà egimus.*

B

§ XXXI. Bellum cum imperatore Conrado, & pax mirabili modo obtenta: virtutes Sancti, contemplatio & ecſtaſis.

Conradus imperator, rupta pace, Stephano bellum infert,

C *Varii Scriptores Germani narrant breviter bellum, quod anno* 1030 *Conradus imperator* S. Stephano *intulit, quódque finem habuit ſequenti anno* 1031 *per pacem ſubſecutam. Carthuitius num.* 23 *de eodem paucis ſic agit, ut ſatis appareat, eum res bellicas exactè exponendas non ſuſcepiſſe, ſed eas ſolùm attingere, quatenus occaſionem præbent declarandi eximiam Regis ſanctitatem, aut facta quædam mirabilia, quæ ſingulari providentia protegentis Dei contigiſſe videntur. Carthuitium ſecutus eſt Bonfinius in iis, quæ propiùs ſpectant ad* Stephani *ſanctitatem, finemque bello mirabiliter impoſitum, uti verba ejus inferiùs danda oſtendent. Belli cauſam apertè Conrado attribuit idem ſcriptor, qui ſic habet pag.* 182: Vivente Henrico principe ſanctiſſimo, paribus utrimque ſtudiis pax longè latéque ſervabatur, omniaque apud Ungaros è ſententia gerebantur. Pòſt, ubi imperator ille optimus inter Divos relatus eſt, Conradus ... cæſar deſignatus .... inſtitutam pacem utrique genti apprimè ſalutarem intercepit. *Poſt plura de Conrado non ſine aliquot erroribus, quos brevitatis gratiâ omittere malui quàm corrigere, primam belli cauſam ait fuiſſe, quòd Hungari ſubſidia promiſiſſent Italis, quos initio regni ſui ſubegit Conradus: aut certè quòd Conradus id crederet. Alteram verò cauſam exponit his verbis:* Plerique, defuncto Henrico concordiæ ac pacis auctore, ingenita Germanorum Ungarorumque odia diutiùs contineri nequiviſſe prodiderunt.

poſt ſimultates aliquas, culpâ Bavarorum ortas,

334 *Wippo in Vita Conradi Salici de hoc bello ſcribens, docet diſſenſionem diu viguiſſe inter Hungaros & Bavaros, culpamque Bavaris candidè adſcribit. Bavariæ præerat Henricus Conradi filius ac deinde in imperio ſucceſſor; atque inde factum, ut cum utroque res eſſet ſancto Re-*

gi; & Conradus deinde univerſis imperii viribus Stephanum *vellet opprimere. Verùm jam antè* S. Stephanus *legato Conradi tranſitum negaverat per Hungariam. Accipe laudati Wipponis verba apud Piſtorium pag.* 435: Eodem tempore (*anno* 1027) Werinharius Argentinæ civitatis epiſcopus, ab imperatore (*Conrado*) legatus Conſtantinopolim mittitur. Qui dum cauſâ orationis Hieroſolymam pergere ſe fingeret, ... mirabiliter prohibitus eſt. Nam dum magnum comitatum hominum, majorem quoque mutorum animalium, equorum, boum, ovium, porcorum, multaſque delicias ſeculares ultra modum ſecum educeret, perveniens in Ungariam, à rege Stephano contradicta eſt ſibi via, quod eo tempore nulli oratorum accidit. *Hæc ſatis inſinuant, ſimultates inter Conradum &* Stephanum *fuiſſe ab anno* 1027, *legatumque Conradi* Stephano *fuiſſe ſuſpectum. At primam diſſenſionis cauſam hæc non produnt; uti nec illa, quæ pag.* 436 *ſcribit in hunc modum:* Eodem tempore (*anno* 1030) multæ diſſenſiones inter gentem Pannonicam & Baioarios, culpâ tamen Bajoariorum factæ ſunt; ita ut Stephanus rex Ungarorum multas incurſiones & prædas in regno Noricorum, id eſt, Baioariorum faceret. Unde commotus imperator Chuonradus cum grandi exercitu ſuper Ungaros venit. E

& non quòd Stephanus Bavariæ ducatum uxori & filio peteret?

335 *Hermannus Contractus ad annum* 1030 *breviter hæc ſcripſit:* Conradus imperator Stephanum Pannoniæ regem cum exercitu petit. *Eadem brevitate utitur Lambertus Schafnaburgenſis, Marianus Scotus, Albertus Stadenſis, aliique non pauci Chronicorum ſcriptores, quos recenſere non eſt neceſſe: nec ullum reperio ex antiquis, qui veram & certam belli cauſam aſſignet. Quapropter parùm fido Joanni Aventino, qui Annalium Boicorum lib.* 5 *pag.* 314 *ſcribit,* Stephanum *pro uxore Giſela & filio Emerico petiiſſe ducatum Bavariæ, ac repulsâ irritatum Bavaris bellum intuliſſe. Martinus Hoffmannus in Annalibus Bambergenſibus apud Ludewig tom.* 1 *Scriptorum Germanicorum col.* 59 *Aventini mentem ferè exprimit, ita ſcribens:* Poſtero anno (1028) Conradus ſolennem principum conventum Ratisbonæ celebravit. Ad eum Stephanus Ungariæ rex, legatis miſſis, Bavariæ ducatum, Giſelæ conjugi & Emerico filio hæreditarium, ſibi reddi poſtulavit. Quod cùm Conradus fieri poſſe negaret, gravis inter utrumque exorta diſcordia, in apertum bellum erupit. *Hanc rationem belli, antiquis prorſus incognitam, Brunnerus in Annalibus Boicis part.* 2 *lib.* 5 *meritò explodit his verbis:* Aventinus cùm cauſam belli hujus nullam reperiret, inſcitam fabulam commentus, repetitum à Stephano pro Emerico filio Boiariæ regnum, quod avunculus illius, avus, proavuſque tenuiſſent, ſine teſte ſcripſit, ſolita vanitate, quam etſi nihil moramur, exſufflare tamen ſubinde & evertere levi brachio, æquum eſt. *Nos igitur cauſam belli relinquemus incertam.* F

Conradus Hungariam invadit, at non videtur id eodem tempore fecisse dux Bohemiæ?

336 *Progreſſum finemque belli cum Aventino rurſum explicat Hoffmannus, ſic proſecutus:* In id cùm Conradus omni ope ac ſtudio incumberet, ſequenti anno (1029) cum exercitu in Ungariam proceſſit, & obvia omnia gladio ac incendiis vaſtavit, populabundus ad Rabam uſque, nemine reſiſtente, progreſſus. Ea lis demum morte Emerici dirempta fuit, & Conradus imperator Stephano regi, inſtaurationem fœderis, quod cum Henrico imperatore affine

AUCTORE J. S.

suo fuerat, postulanti summa voluntate concessit. *Causam finiti belli mox videbimus. Interim alium etiam* S. Stephani *hostem, videlicet Bohemiæ ducem, parùm probabiliter suggerit Annalista Saxo ad annum* 1030, *scribens sequentia:* Hoc anno Bracilaus dux Boëmiæ Ungaros magna cæde prostravit, & terram eorum usque ad urbem Strigoniam devastavit. *Qui hîc* Bracilaus, *aliàs* Brzetislaus *dicitur*, *&* Prædislaus *: at non ausim asserere, hæc vera esse, cùm illam ipsius contra Hungaros expeditionem alibi non inveniam. Quin potiùs fictitia videntur, nisi forsan aliquot annis seriùs contigerint: nam Prædislaus ducatum Bohemiæ adeptus non est, nisi circa annum* 1034, *ut habet Pagius ad illum annum num.* 16. *Ipse etiam Annalista Saxo, sibi apertè contradicens, ad annum* 1032 *adhuc meminit de decessore Prædislai Udalrico, quem* Odalricum *vocat, satisque ibidem innuit hunc anno* 1030 *fœderatum non fuisse cum Conrado, qui Udalricum* de insidiis etiam, quas ante biennium ipsi imperatori fecerat, confessum in exilium transmisit. *Illam igitur Bohemorum de Hungaris victoriam fictitiam, aut ex errore ortam, prorsus existimo.*

B

& Stephano ad Dei opem confugiente, revertitur Conradus,

337 *Ne Conradum quidem multum efficere potuisse contra* Stephanum, *Dei protectione munitum, Wippo satis declarat, dum post verba num.* 334 *data sic prosequitur:* Rex autem Stephanus, minimè sufficiens adversus imperatorem, orationibus & jejuniis in universo regno suo indictis, præsidium Domini tantummodo flagitabat. Imperator tam munitum regnum fluviis & sylvis intrare non valens, multis tamen prædationibus (*&*) incendiis circa terminos regni injuriam suam satis ulciscens, reversus est, volens tempore opportuniori cœpta sua peragere. Sed filius suus rex Henricus adhuc puerulus, Eigelberto Frisingensi episcopo creditus, legatione Stephani regis pacem rogantis accepta, unico consilio principum regni, patre nesciente, gratiam reconciliationis annuit; justè & sapienter agens, qui Regem injustè injuriatum, ultrò petentem gratiam, recepit in amicitiam.

ac pax instauratur anno, ut videtur, sequenti,

C

338 *Non exprimit Wippo, utrùm pax redintegrata sit eodem anno* 1030, *an sequenti. Hermanni Contracti fusius Chronicon apud Canisium omnia ad eumdem annum* 1030 *refert his verbis:* Conradus imperator, jam dudum inimicitiis cum Stephano Ungariorum rege conflatis, Pannoniam petiit, & quantum fluminibus & paludibus non obstantibus poterat, Rabam devastavit. *Per* Rabam *intelligo fluvium* Arrabonem, *Germanis* Raab *dictum, non verò Jaurinum, urbem trans idem flumen sitam, etiamsi & illa* Raab *dicatur Germanis: nam transitu fluminis verosimiliter prohibitus fuit Conradus. Porrò additur post pauca ibidem:* Pax cum Stephano rege Ungariorum redintegratur. *Verùm cùm hæc Hermanni editio interpolationis sit suspecta, magisque fidere possimus editioni Pistorii, ubi Hermannus instauratam pacem cum plerisque aliis Chronographis affigit anno* 1031, *hunc annum præferendum censeo, nisi forsan quis omnia sic velit conciliare, ut credamus à bello cessatum, pacemque cum Henrico rege initam esse anno* 1030; *at sequenti eamdem concordiam stabilitam per missos à* Stephano *legatos ad Conradum, qui initam à filio pacem ratam habuerit & confirmaverit.*

339 *Quidquid verò sit de exigua hac temporis differentia, Wippo ingenuè fatetur culpam inchoati belli fuisse in Bavaris, satisque simul innuit* S. Stephanum *singulari Numinis protectione gavisum esse contra inimicum potentissimum; atque eatenus relationibus Carthuitii & Bonfinii optimè consonat. Quod autem hi scribunt de nuntio illo, qui in castra Germanorum venit quasi missus à Conrado, quique ducibus mandata recedendi pertulit, nec Wippo habet, nec alii scriptores Germani. Verùm æquè mirabile est, quod Wippo asserit, pacem ab Henrico rege puero cum* Stephano *initam esse, ignorante Conrado: atque hoc Henrici factum, quod nullo modo vocari potest in dubium, suspicionem ingerit, aut Henricum ipsum, aut alium quempiam illorum, qui Henrico fuêre pacis auctores, prædictum nuntium mittendum curâsse, sive id factum fuerit post pacem clanculùm conclusam, sive antea solo belli odio, ut pax facilius instaurari posset.*

D

mirâ Dei Stephanum protegentis providentiâ:

relatio ejusdem rei

340 *Accipe igitur totam rei relationem ex Bonfinio, qui corrigi deinde poterit, ubi videbitur paulò liberiùs conjecturis indulsisse:* Stephanus, *inquit*, ubi Conradum cum universis Germaniæ viribus Pannoniam irruere intellexit, Pontificum, procerumque omnium repentè concilium habendum esse censuit: quantum à Germania periculum instaret, edocuit. Habuit delectum, quàm umquam antea longè majorem: Pontifices, sacerdotes, item sacri & prophani omnes pariter arma capessenda decernunt, quò facilior resistendi copia daretur. Cum potentissimo hoste rem esse intelligunt. Postquam comparato validissimo exercitu, castra habere cœpit; divinum in primis auxilium his breviter imploravit, quamvis in exorandis placandisque Numinibus die noctuque numquam cessare videbatur: Si placet tibi, Regina cœli, & Ungarici patrona soli, hoc regnum hæreditario jure tibi legatum, igni ferroque ab hostibus vastari, & plantatam nuperrimè Scythicis pectoribus fidem Filii tui continuò extirpari, ne meæ (quæso) desidiæ, sed numini tuo hoc tribuatur: si quid Regis culpâ patratum est, cui plebem tuam commisisti, ipsum (te precor) pœnas luere patiare, innocentibus parce, novam hæreditatem tuam pro solita benignitate tuêre. Mox effusus in lachrymas, & divæ Genitricis numine confirmatus, in Germanos signa moveri jubet, quum numquam fidelibus pia Numina desint. Res non tam commemoratione, quàm admiratione dignissima, pridie ejus diei, quo in hostium conspectum futurus erat, accidisse dicitur. Tesserarius namque per omnia militum contubernia & tentoria quidam discurrit, qui imperatoris edicto Germanum quemque solutis castris domum repetere jubet.

E

F

ex Bonfinio, qui nonnihil corrigendus:

341 In sequenti nocte ante lucem Conradus soluta castra comperit, videt domum quemque festinare. Rei novitate percitus causam disquirit: omnes uno ore referunt, tesserarii voce, missione donatos. Accitis tesseratiis, neminem invenit, qui missionis edictum circumtulerit. Mox Conrado Stephani sanctitas explorata succurrit, cujus gratiâ cœlestem internuncium sub tesserarii specie, castra solvisse reputavit, ne sancti Regis populus oppugnaretur, ne qua inter seniores, junioresque Christianos seditio defectione suboriretur. Approbavit divinæ missionis edictum imperator, instauratàque pace in Germaniam se recepit, cum gravissima asseveratione pollicitus, se Pannoniis, quos sub divina tutela esse intelligebat, perpetuò manus abstenturum. Rex autem è vestigio quum divæ Genitricis patrocinium labo-

A laboranti ſibi, ſuæque Ungariæ adfuiſſe conſpexit, humi proſtratus, clementiſſimo Numini gratias egit, & per cunctas aras Pannonicæ Deæ * ſacra fieri paſſim edixit. *Ita narrat diſceſſum Germanorum Bonfinius, acſi diſceſſiſſent, præſente in caſtris Conrado. At veriſimilius eſt, id contigiſſe, eo abſente, non per teſſerarium per caſtra diſcurrentem; ſed per nuntium aliunde in caſtra profectum, acſi miſſus eſſet à Conrado. Nuntiuſne ille humana fraude ſubornatus fuerit, an ſolâ Dei providentiâ eò directus, in medio relinquam. Hac de cauſa etiam incertum eſt, an hîc aliquid humanâ induſtriâ majus agnoverit Conradus, ideoque finem bello impoſuerit, licèt Hungari iſtud crediderint, & non prorſus immerito ob eximiam* Stephani *ſanctitatem, ſingularemque Dei protectionem, quam in aliis quoque caſibus expertus eſt Sanctus. Bailletus ad 2 Septembris in* Stephano *ſcribit, Conradi juſſu Germanos tam celeriter receſſiſſe, ut fugere viderentur. Potuit ſanè contingere, ut Conradi exercitus velitationibus, inopiâque cibariorum non exigua pateretur detrimenta ante flumen Arrabonem, eaque de cauſa creſcentem Hungarorum exercitum*

B *operiri non ſit auſus; at nolim ſine teſte aſſerere, quod nec Hungari tradiderunt nec Germani, neque id tam fidenter affirmaſſet Bailletus, ſed ſolùm dediſſet pro conjectura incerta, ſi preſſè ſequi voluiſſet monumenta antiqua.*

virtutes ac frequens oratio Sancti,

342 *Poſt relatum id bellum Carthuitius num.* 24 *de virtutibus ſancti Regis, ac præſertim de perpetua orandi contemplandique conſuetudine memorat aliqua. Eadem Bonfinius pag.* 183 *expreſſit his verbis:* Deinde eò ardentiùs pro explorata divinæ clementiæ gratia, in Dei charitate permanſit: quem in partiendo tempore, tali uſum inſtituto fuiſſe ferunt, interdiu dicendo juri, ac regalibus officiis & negociis incumbere, noctes ferè inſomnes ducere, in divina contemplatione verſari, cum aſſiduis lacrymis pro publica & privata ſalute ſupplicare, piis precibus æquiora Numina reddere, in divinam quandoque contemplationem uſque adeo rapi, ut humo ſubtractus, in aëre pendêre videretur: nam quum in remotam quandam baſilicam ſeceſſiſſet (*imò cùm longè abeſſet ab omni eccleſia, ut habet Carthuitius num.* 25) Numinis exorandi cauſâ, diſtentis circùm tentoriis noctem tranſegit: quâ quidem intempeſtâ, quum in tabernaculo ad

C contemplandum ſuſcitaretur, uſque adeo in Divinitatis contemplatione correptus eſt, ut corpus evectam in aëra mentem ſubſequeretur.

qui dum contemplationi inſiſtit in tabernaculo, papilio in aëra tollitur.

343 Quin & tabernaculum, ne vehementiſſimam contemplationem interciperet, corpuſve inhiberet, ne cum animo in aëra raperetur, ipſum quoque ſimul tractum, in aëre diu pependiſſe tradunt. Quum patefactum cuidam ſancto viro miraculum intellexiſſet, mox eum admonuit pariter, & interminatus eſt, ne quid de hac re, ſe vivente, proderet. Fama tamen Regiæ ſanctitatis ea latè diffuſa vagabatur, ut è remotiſſimis multi oris ad venerandum Hominem planè confluerent. *Hæc ſimiliaque plura, quæ variis locis de eximiis* Stephani *virtutibus commemoravimus, non videbuntur incredibilia viris prudentibus, qui ſanctiſſima ejuſdem Regis Monita,* § 33 *danda, attentè perlegerint; ſimulque conſideraverint, quanta ſit Dei liberalitas in illos, qui eum puro ſinceroque amore unicè quærunt & diligunt. Verumtamen Bonfinius, cùm ſuprà dicit, corpus Sancti raptum eſſe in aëra, malè intellexit Carthuitium, qui id non aſſeruit, ſed de ſolo papilione in aëre ſuſpenſo locutus eſt; ideoque ejus relatio eatenus neceſſariò eſt corrigenda.*

AUCTORE J. S.

§ XXXII. An Emerico filio uxorem dederit? An regnum eidem abdicare cogitaverit? mors ſancti Emerici: an morbus, quo triennio laboravit Rex, ex morte filii contractus?

Tradunt ſcriptores Stephanum filio ſuo Emerico deciſſe uxorem,

QUamquam *veriſimile non eſt, nec ulla auctoritate probari poteſt, pacem inter* Stephanum *& Conradum coaluiſſe per mortem Emerici, qui* S. Stephano *ſolus è filiis ſupererat, mors tamen illius principis non diu poſt videtur ſubſecuta. Hoc igitur loco expedienda ſunt de Emerico reliqua omnia, quæ ſimul ſpectant ad patrem* Stephanum: *nam alia illius geſta ſuo loco diſcutientur. Antè laudata Emerici Vita ad propoſitum noſtrum habet hæc verba:* Dum ex paterna diſpoſitione virgo nobilis, utpote orta de regali proſapia, beato Emerico deſponſata eſſet *&c. Addit Vita, Emericum cum ſponſa ſua virginitatem ſervâſſe, votumque caſtitatis nuncupâſſe. Vitam hanc, opinor, ſecutus eſt Bonfinius, qui eadem de Emerico narrat, relatoque virginitatis voto, quod nemini revelaverat, de conjugio ipſius ſic ſcribit pag.* 178: Poſt hæc Pater, ut publicæ ſaluti de ſucceſſore conſuleret, Emericum parandis liberis haud intempeſtivum, digno conjugio obligandum eſſe cenſuit, ratus neminem regno commodiorem futurum, ſi viveret: ſin minùs, ſanctiſſimam hinc prolem ſperari poſſe, & regendis Ungaris accommodatiſſimam. Quare excellentiſſimam formâ & virtute virginem, ac regali genere natam, huic deſponſat Pater, operamque liberis quandoque dandam edocet, ne legitimus idemque optimus Pannoniæ regno ſucceſſor deſit. Quamvis hoc haud facilè efficere potuit, quando non ſine multis eò precibus filium redegerat; ipſum tamen obtemperantiſſimum, & decenti conjugio jam obſtrictum, numquam cum uxore rem patrâſſe, ſed majorem (ſi dici poteſt) quàm antea, caſtitatem ſervâſſe comperit. F

idque aliunde ſatis veriſimile, licèt votum ille nuncupaverit virginitatis, quam ſervavit:

345 *Eadem quoque de conjugio & virginitate Emerici aſſerit Dlugoſſus in Hiſtoria Polonica ad annum* 1006, *& rurſus ad annum* 1022. *Quin & Joannes Tomcus in Emerico poſt datam Vitam ex Surio hæc ſubjicit:* Uxorem S. Emerici filiam Creſcimiri regis Dalmatiæ fuiſſe, Dalmatica monumenta teſtantur, eamdemque virginitatem ad extremum uſque vitæ profeſſam. *Porrò virginitas hæc in conjugio ſervata aliunde ſatis eſt credibilis & veriſimilis ob recentiſſimum exemplum S. Henrici imperatoris, qui avunculus erat Emerici: nam Henricus ſervatam cum S. Cunigunde virginitatem ante mortem indicaverat, defunctuſque erat anno* 1024, *quo nuptiis veriſimiliter necdum illigatus erat Emericus. Nonnihil tamen ſcrupuli oritur tum ex ſilentio Carthuitii, tum ex voto virginitatis jam ante nuptias nuncupato, ſi omnia exactè narrantur in Vita. Verùm Carthuitius rem omittere potuit,*

AUCTORE J. S.

quia potiùs ad Emericum ſpectabat quàm ad Stephanum: *& Rex paterna auctoritate irritum facere poterat filii votum, quod veriſimiliter ante pubertatem erat emiſſum. Filius contrà, etiamſi obligatione voti ſolutus eſſet auctoritate Patris, eique paruiſſet ducendo uxorem, poterat nihilominus, modò ſponſam ad conſenſum pertraheret, eidem virginitatis ſervandæ propoſito inſiſtere, atque avunculi ſui S. Henrici exemplum imitari. Nihil igitur obſtat, quo minùs veræ eſſe poſſint nuptiæ Emerici, de quibus in ipſius Vita latiùs agi poterit.*

dicitur etiam voluiſſe regnum filio abdicare, at id minùs certum:

346 *Laudatus Dlugoſſus ad annum* 1022 *ſcribit*, Stephanum *cogitâſſe de regni adminiſtratione in filium transferenda. Ranzanus hac de re habet ſequentia ind.* 8: Fuit enim excellens (*Emericus*) ea vitæ integritate ac ſanctitate, ut in omni virtutum genere eſſet parenti ſimillimus. Eam ob rem beatus Stephanus ea ipſum charitate complectebatur, ut nihil ſuprà facilè dici poſſet. Decreverat religioſiſſimus Rex abdicare ſe regno, ſeque ſeparare ab hominum frequentia, quo divinarum rerum meditationi poſſet inſervire liberiùs. Regni verò curas Emerico demandare inſtituerat: cæterùm dum talia ſecum mente volutat, divino conſilio aliter decernitur. Repentè namque Emericus in adverſam incidit valetudinem, eaque paucis pòſt diebus correptus moritur, piè planè, ut credere par eſt de viro, qui vitam tranſegerat ſanctiſſimè. *Thuroczius cap.* 33 *eadem tradit his verbis:* Poſtquam autem magnificavit dominus miſericordiam ſuam cum beato rege Stephano, vertendo dorſa regum in fugam à facie gladii ejus, & dominio ejus principatus atque poteſtates ſubjiciendo omnium exterarum nationum circumadjacentium; deliberavit ſanctus rex Stephanus, & firmiter ſtatuit, ut omnibus pompis mundanæ gloriæ calcatis: & temporalis regni diademate depoſito, ſolius Dei ſervitio ſemetipſum manciparet: & ab exterioribus curis expeditus, contemplativam vitam & tranquillam pacem perageret. Coronam verò regiæ celſitudinis filio ſuo duci Emerico, ſanctiſſimis moribus divinitus inſtructo, ſe daturum diſpoſuit. Erat enim beatus Emericus in primævo adoleſcentiæ flore ſupra communem naturam hominum divino munere ſublimatus;

B

C juſtitiâ, prudentiâ, fortitudine, temperantiâ, ſapientiâ, ſcientiâ, manſuetudine, miſericordiâ, benignitate, largitate, humilitate & patientiâ armatus: cæteriſque Catholicis atque politicis virtutibus adornatus; ſimiliter ut ſanctus Stephanus pater ejus. Cùm itaque ſanctiſſimus Pater ſanctiſſimo filio curam adminiſtrationis, & gubernandi regni ſolicitudinem intenderet committere; beatus dux Emericus propria morte præventus eſt. *Hactenus illi: verùm cùm nihil de hac Regis cogitatione habeat Carthuitius, ac ne Bonfinius quidem; illud deſiderium abdicandi ſe regno, (licèt incredibile non ſit nec improbabile ob morbos, quibus Rex ſanctiſſimus affligebatur) ut planè certum affirmare nolim.*

quod verò ſcribunt aliqui de morbo ex dolore ob mortem filii contracto,

347 *Minùs etiam certum, minúſque probabile eſt, quod iidem ſcriptores aſſeruerunt de morbo* S. Stephani, *aut potiùs de morbi cauſa, quam divinando ſic expreſſit laudatus Thuroczius:* Flevit autem eum ſanctus rex Stephanus & univerſa Hungaria inconſolabiliter planctu magno valde. Tanta verò doloris acerbitate ſanctus rex Stephanus exacerbatus in graviſſimam incidit infirmitatem. Et poſt multos dies vix qualemcumque vitæ reparationem recepit: ſed priſtinæ ſanitati numquam plenè potuit reſtitui. Nam & pedum doloribus urgebatur, & triſtitiâ ac gemitibus afficiebatur; præſertim propterea, quia nullus videbatur de conſanguineis ejus idoneus ad hoc, ut eo mortuo regnum in fide Chriſti conſervaret. Pronior enim erat gens Hungarica ritui paganico inclinari, quàm fidei Chriſtianæ. *Conſonat ferè Ranzanus, ita ſcribens:* Ejus (*Emerici*) obitum adeo moleſtè Rex tulit, ut morbum & ipſe contraxerit quàm graviſſimum, ex quo perdiu, ac non ſine vitæ maximo periculo, laboravit. Doloris cauſa erat, quòd animadvertebat, è ſuis inveniri poſſe neminem, cui ampliſſimi regni ſui adminiſtratio demandaretur. Maximè autem eo angebatur, quòd non occurrebat ei via, quâ nanciſceretur hominem quempiam, à quo Chriſtianus cultus, nuper ſuſceptus ab Hungaris, pertinaci opera conſervaretur. Sed placuit immortali Deo, ut Regem ipſum ſineret tantiſper vivere, ac regnum tenere, dum novelli Chriſtiani fide, quam acceperant, ſatis confirmarentur: quamdiu tamen fuit in vita, multiplicibus morbis vexatus eſt.

D

E

falſum apparet, cùm triennalis morbus videatur præceſſiſſe,

348 *Bonfinius pag.* 184 *de hiſce conjecturas ſuas ſic expoſuit:* Paucis pòſt annis, quando virtus adverſitate perficitur, & quos Deus diligit, corrigit (ut aiunt) & caſtigat; quum magno Rex dolore torqueretur, quòd Emerico orbatus, nemo ſibi nepos & cognatus erat, cui regnum & Ungaricæ fidei conſervationem tutò committeret, quumque intelligeret Scythicam gentem, intermiſſâ divini cultus fideique cuſtodiâ, in priſtinam inſipientiam continuò recaſuram, varios ex hoc morbos ſubire coactus eſt. Emericum ab anno ſalutis trigeſimo primo ſupra milleſimum, extinctum aliqui ſcripsêre. Ipſe tanto corporis languore correptus eſt, ut ne pedibus quidem ſtare poſſet. *In hiſce relationibus vera falſis mixta videntur, aut ſaltem certa incertis, & non panca idcirco corrigenda. Primò ſatis certum eſt, Sanctum variis ac diuturnis morbis laborâſſe; at falſum videtur, primam morborum cauſam ortam eſſe ex dolore de obitu Emerici: nam jam ante illius obitum triennali laboravit infirmitate, quæ certò ex illa cauſa oriri non poterat. Audiamus de his Carthuitium, qui circa illud tempus vivere cœpit. Hic num.* 26 *ait Regem triennio ægrotâſſe; ac deinde ad obitum filiorum ſic pergit:* Poſtquam inde propitiationis Dei medicamine convaluit, tamen judicio æterni perſecreti conſilii quamdam examinationem in filiorum ſuorum obitu ſibi ſenſit immittere verbera, quos in ipſis infantiæ gradibus, infantes qui dedit, abſtulit. De quorum morte mœſtitiam obortam Genitor propter amorem filii ſuperſtitis, bonæ indolis pueri Emerici compeſcuit *&c. Hæc verba primum illum Regis morbum non modò præponunt Emerici morti, ſed etiam aliorum filiorum, ita ut diu antè videatur contigiſſe; certumque ſit hunc morbum non eſſe ortum ex dolore de morte filii.*

E

cúmque graviter quidem, at non nimis diu, de obitu filii doluerit.

349 *Secundò indubitatum quoque eſt, Regem graviter doluiſſe de obitu filii ſui, & non immeritò; neque ulla etiam eſt ratio, cur obitum illum removeamus ab anno* 1031, *cui eum affigunt Carthuitius & Bonfinius. At falſum appareret, aut certè veriſimile non eſt, ex illo dolore morbum ortum eſſe, quo deinceps uſque ad mortem Sanctus ſic laboraverit, ut numquam integrè convaluerit. Dolorem eumque gravem teſtatur Carthuitius num.* 27; *ſed ſtatim etiam ſubjungit, dolorem hunc non fuiſſe diuturnum, Regemque,*

A *gemque*, depoſito mœrore, *ſe totum dediſſe operibus piis, quibus & religionem promoveret, & cuicumque hominum generi liberaliter ſubveniret. Morbum verò poſtremum poſt alia non pauca commemorat, atque aſſerit quidem gravem fuiſſe ac diuturnum; at nullo modo innuit, eum toto laborâſſe ſeptennio, quod interceſſit inter mortem Emerici &* Stephani. *Non ſolus autem Carthuitius tam diuturno gravique dolori, ex quo morbus fuiſſet contractus, adverſatur; ſed etiam Vita S. Emerici, quæ docet dolorem brevi pulſum fuiſſe, ſubſecutis poſt obitum Emerici miraculis, de quibus ſic habet:* Et quoniam neceſſaria ſunt miracula, ubi humana imbecillitas tarda eſt ad credendum, tot ac tantis virtutum ſignis dies obitus ſui triceſima coruſcavit, ut omnibus in regia urbe, ubi ſanctum ejus corpus humatum eſt, commorantibus non dies mœroris, ſed gaudii eſſet, cùm nec ipſum Patrem mœror ob mortem filii angeret; ſed eum ob coronam vitæ æternæ filio indubitanter collatam lætitia plena perfunderet. *Ceterùm quod aſſerunt, Regem doluiſſe, quia non ſatis videbat, cui ſtabilitam in regno religionem tutò committere poſ-*
B *ſet, admodùm veriſimile eſt: nam diligentem ipſius curam, ut religio poſt obitum ſuum florere pergeret, magis declarabunt dicenda inferiùs.*

§ XXXIII. Monita, quibus Stephanus filium Emericum inſtruxit, ut regnum rectè piéque adminiſtraret.

Monita S. Stephani ad filium Emericum à variis edita: in præfatione

C QUamquam *incertum eſſe dixi, an* S. Stephanus *ſe regno abdicare voluerit in gratiam filii Emerici: id tamen certum eſt, eum filio ſuo regnum deſtinâſſe, ac nihil prætermiſiſſe, quo eum erudiret ad rectam piamque ejuſdem regni adminiſtrationem. Documenta filio data, quæ breviſſimo compendio commemoravit Carthuitius num. 26, luculentum piæ illius curæ præbent teſtimonium; ſimulque oſtendunt, qualis fuerit* Stephanus *ipſe, cùm veriſimile non ſit, illum neglexiſſe ea, quæ filio diligenter inculcavit. Monita illa à variis edita ſunt, atque apud Werboczium quidem in Opere tripartito tom. 2 à pag. 1 ſub hoc titulo:* Sancti Stephani primi regis Ungariæ decretorum liber primus ad ſanctum Emericum ducem. *Accenſentur enim decretis ſeu legibus regni Hungariæ, quamvis propriè leges non ſint, ſed monita regibus data ad regnum præclarè adminiſtrandum. Illa autem huc transferam ex editione memorata, prout diviſa ſunt in præfationem & decem capita; lectioneſque variantes dabo ad marginem ex editione Joannis Sambuci, qui eadem dedit poſt Bonfinii aliorumque Opera. Si quæ verò obſcuriora videbuntur, poſt ſingula capita breviter explicare conabor.* PRÆFATIO, in qua Rex hortatur ducem ad capeſſenda paterna monita & præcepta. *Hic præfationis titulus apud Sambucum omittitur, & certò non eſt* S. Stephani; *omiſſa ibidem ſimiliter invocatio ſanctiſſimæ Trinitatis, quæ veriſimiliter Regis eſt, cujus verba ſequuntur:* In nomine ſanctæ Trinitatis & individuæ unitatis. Cùm cuncta Dei nutu condita, ſuaque eviden-

tiſſima præordinatione diſpoſitâ; tam in amplitu- AUCTORE
dine cœli, quàm in iſtis ampliſſimis * terrarum J. S.
climatibus, ratione intelligentiæ funditus ſentiam * *al.* aptiſſi-
vigere, atque ſubſiſtere: cumque affatim uni- mis
verſa hujus vitæ utilitati dignitatique gratiâ Dei conceſſa, ſcilicet regna, conſulatus, ducatus, comitatus, pontificatus, cæteraſque dignitates, partim divinis præceptis atque inſtitutis, partim legalibus, partim juridicis *, partim civilibus, * *al.* juridi-
ac nobiliorum ætatéque provectorum conſiliis, cialibus ſi-
ſuaſionibus, regi, defendi, dividi, coadunari ve juriſdi-
videam: & cùm omnes ordines ubique terrarum, ctionibus
cujuſcumque ſint dignitatis, non ſolùm ſatellitibus, amicis, ſervis, præcipere, conſulere *, * *al.* conci-
ſuadere, ſed etiam filiis pro certo ſciam: tunc liari-ſive
me non piget *, fili amabiliſſime, hac vita co- conſulere
mite, tibi documenta, præcepta, conſilia & ſua- * *al.* ne pi-
ſiones parare *, quibus tuæ vitæ mores, tibi- geat
que ſubjectorum exornes, quando, ſumma con- * *al.* propo-
cedente Potentia, poſt me regnabis. nere

351 Te autem ſtudiosè, adhibitâ audientiâ, *hortatur*
Patris præcepta, juxta divinæ ſapientiæ ſuaſum, *filium, ut*
condecet obſervare, dicentis per os Salomonis: *ſuis præce-*
Audi, fili mi, patris tui diſciplinam, & ne di- *ptis obediat.*
mittas legem matris tuæ, ut addatur gratia ca- E
piti tuo, & multiplicentur tibi anni vitæ tuæ. Ex hac ergo ſententia animadvertere poteris, ſi ea, quæ paterna pietate tibi præcipio, contemſeris (quod abſit) quòd ampliùs * amicus Dei * *al.* quòd
& hominum non eris. Audi verò inobedien- jam ampliùs
tium * prævaricatorum præcepti caſum & præci- * *al. mendosè* inobe-
pitium. Adam quidem, quem Dominus condi- dientiam
tor totiuſque creaturæ plaſmator, ad ſuam formavit ſimilitudinem, eumque univerſalis fecit hæredem dignitatis, vinculum fregit præceptorum, ſtatimque dignitatum ſublimitatem, ac manſionem paradiſi perdidit. Antiquus quoque populus, à Deo electus & dilectus, quia legamina * mandatorum, digitis Dei condita, diſjecit; * *al.* liga-
idcirco diverſis interiit modis: partem quidem mina
terra deglutivit, partem quoque exterminator mortificavit, & pars invicem ſe interfecit. Filius quoque Salomonis, abjiciens pacifica verba patris, ac ſuperbiâ elatus, minatus eſt populo percuſſiones frameæ pro maſtigiis patris *, idcirco * *al.* patris
multa mala paſſus eſt in regno, & ad ultimum omittitur
dejectus eſt. Hoc tibi ne accidat, obedi, fili, F
mihi. Puer es, delitiarum * vernula, pulvinaris * *al.* divi-
accola, fotus educatuſque in deliciis cunctis, tiarum
expeditionum, laboris *, atque diverſarum gen- * *al.* totius
tium incurſionis expers, in quibus ego jam ferè expeditio-
totam meam contrivi ætatem. Jam tempus ad- num labo-
eſt, in quo tibi non ſemper pulvinarium molli- ris
ties *, quæ te hebetem & delicatum reddant, * *al.* pulvi-
adhibendæ ſunt, quod eſt diſſipatio virtutum & nar molli-
vitiorum fomentum, atque contemptio manda- tiei
torum: ſed interdum aſperitas tribuenda eſt, quæ tuam intelligentiam ad ea, quæ præcipio, reddant attentam. His itaque præfatis, redeamus ad propoſitum. *Poſt hanc præfationem Monita ſequuntur, ab ipſo Sancto in decem diviſa capita, quorum titulos ad marginem notabo.*

352 CAP. 1. Quoniam ad regalis dignitatis *Monita verò hæc dedit.* De ob-
ordinem non oportet niſi fideles, & Catholica ſervanda
fide imbutos accedere; idcirco ſanctæ fidei in Catholica
noſtris mandatis primum damus locum. Imprimis fide.
præcipio, conſulo, ſuadeo, fili chariſſime, ſi * *al.* cu-
regalem cupis honeſtare coronam *, ut fidem riam
Catholicam & apoſtolicam, tali diligentia & cuſtodia conſerves, ut omnibus tibi à Deo ſubjectis exemplum præbeas, cunctique eccleſiaſtici viri * meritò te verum Chriſtianæ profeſſionis * *al.* filii
nomi-

AUCTORE J. S.

nominent virum, ſine qua, pro certo ſcias, Chriſtianus non dicêris, vel Eccleſiæ filius. Qui enim falsè credunt, vel fidem in bonis non implent & ornant operibus (quia fides ſine opere moritur) nec hîc honeſtè regnant, nec in æterno regno vel corona participant *. Si verò ſcutum * retines fidei, habes etiam galeam ſalutis. His quidem armamentis contra inviſibiles & viſibiles legitimè dimicare poteris inimicos. Nam ait Apoſtolus: Non coronabitur, niſi qui legitimè certaverit. Fides ergo, de qua loquor, hæc eſt: ut Patrem Deum omnipotentem, factorem totius creaturæ *, & unigenitum ejus Filium, Dominum noſtrum Jeſum, de Maria Virgine, angelo annunciante, natum, & pro totius mundi ſalute in crucis patibulo paſſum, & Spiritum ſanctum, qui per Prophetas & Apoſtolos & Euangeliſtas locutus eſt, unam Deitatem perfectam, indiſſolubilem, incontaminatam eſſe firmiter credas, & ſine omni ambiguitate teneas. Hæc eſt fides Catholica, quam (ſicut * Athanaſius dicit) niſi quis fideliter firmiterque crediderit, ſalvus eſſe non poterit. Si aliquando infra tuam inveniantur potentiam, (quod abſit) qui hanc collationem ſanctæ Trinitatis dividere, vel minuere, ſive augere conabuntur *, hos ipſos ſcias eſſe hæreſiarchæ ſervos, & non ſanctæ Eccleſiæ filios. Tales verò nec nutrias, nec defendas, ne tu etiam videaris amicus & fautor *. Hujuſmodi enim viri, ſanctæ fidei filios omnino reddunt morboſos, & iſtam novellam ſanctæ Eccleſiæ plebem miſerabiliter deſtruunt, ac etiam diſſipabunt. Hoc ne fiat, principaliter cura. *Diſputant nunc eruditi, an Symbolum, quod ſuprà laudatur nomine S. Athanaſii, ab hoc ſancto Patre ſit compoſitum. At ea diſputatio necdum nata erat* S. Stephani *tempore.*

* *al.* participantur

* *al.* ſtatum

* *al.* facturæ

* *al.* fic

B

* *al.* conantur

* *al.* inimicus & ultor

353 CAP. II. In regali quidem palatio poſt fidem Eccleſia ſecundum tenet locum, à Capite noſtro, ſcilicet Chriſto, priùs ſeminata; deinde per ejus membra, utique Apoſtolos, ſanctoſque Patres tranſplantata, & firmiter ædificata, atque per totum orbem diffuſa. Et quamvis ſemper novam pariat * prolem, in certis tamen locis quaſi antiqua habetur. Hæc autem, fili chariſſime, in noſtra monarchia adhuc quaſi juvenis, & novella prædicatur; atque idcircò cautioribus evidentioribuſque eget cuſtodibus; ne bonum, quod divina clementia per ſuam immenſam clementiam * nobis conceſſit immeritis, per tuam deſidiam & pigritiam atque negligentiam deſtruatur, & annihiletur. Nam qui minuit, aut fœdat ſanctæ Eccleſiæ dignitatem, ille Chriſti corpus mutilare nititur. Ipſe enim Dominus dixit Petro, quem cuſtodem magiſtrumque eidem poſuit ſanctæ Eccleſiæ: Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam. Se ipſum quidem nominabat petram: verùm * non ligneam vel lapideam ſuper ſe ædificatam Eccleſiam dixit, ſed populum acquiſitionis, gentem electam, divinam, gregem fide doctum *, baptiſmate lotum, chriſmate unctum, ſanctam ſuper ſe ædificatam Eccleſiam dixit, & appellat. Si quis infelix hujus ſanctæ Eccleſiæ membra vel parvulos ſcandalizat, juxta Euangelii præceptum, dignus eſt ut mola ſuſpendatur aſinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris, id eſt, dejiciatur de poteſtatis dignitate, & maneat extra Eccleſiam juſtorum, in illa mundiali miſeria, ſicut ethnicus & publicanus. Ac per hoc, fili mi, ferventi ſtudio debes invigilare in ſancta Eccleſia de die in diem, ut potiùs capiat augmentum, quàm detrimentum patiatur. Inde etiam * imprimis reges Auguſti dicebantur, quia augebant Eccleſiam. Hoc & tu facias, ut tua corona laudabilior, & vita beatior & prolixior habeatur.

De Eccleſia, & continendo eccleſiaſtico ſtatu:

* *al.* habeat

C

* *al.* miſericordiam

* *al.* verùm *omittitur.*

* *al.* doctam *&c. quendosè.*

D

* *al.* quidem

354 *Pauca hîc obſervanda. Oſtendi num.* 234, S. Stephani *verba*, ſeipſum quidem nominabat petram, *probabiliter referri poſſe ad S. Petrum, parùm tamen intereſſe, hocne an alio modo locum intellexerit. S. Auguſtinus lib.* 1 *Retract. cap.* 21 *ſcribit, ſe aliquando per* petram *intellexiſſe* Chriſtum, *aliquando* Petrum, *ſubdens:* Harum autem duarum ſententiarum quæ ſit probabilior, eligat lector. *Hæc ſummi Doctoris verba oſtendunt dubitationem, in qua erat, de genuina loci intelligentia. Eadem quoque verba evincunt, S. Auguſtinum agnoviſſe, non Chriſtum modò eſſe petram Eccleſiæ, ſed Petrum quoque ejuſdem Eccleſiæ petram eſſe, Chriſto nimirum ſubordinatam: nam niſi id agnoviſſet, non reliquiſſet liberum unicuique, ut locum vel de Chriſto vel de Petro intelligeret. Patet id etiam ex verſiculo S. Ambroſii, quem ibidem recitat:* Hoc (*gallo*) ipſa Petra Eccleſiæ canente culpam diluit. *Naturalem expoſitionem de Petro, quem* petram *dicebat, primò amplexus erat ſanctus Doctor, uti ait. Deinde tamen ad aliam dilapſus eſt ex ſola, opinor, ignorantia linguæ Hebraïcæ & Syriacæ. Oſtendunt eam ignorantiam ipſa ſancti Doctoris verba: nam pro expoſitione de Chriſto hanc ſolam ibidem allegat rationem:* Non enim dictum eſt illi (*Petro:*) Tu es Petra, ſed Tu es Petrus. *Verùm Chriſtus Syriacè locutus eſt, uſuſque bis eadem voce* Cepha *aut* Kepha, *voxque eadem repetitur in Euangelio Hebraïco Matthæi, quod edidit Munſterus, acſi Latinè diceretur*; Tu es Petra, & ſuper hanc Petram: *uti jam oſtenderunt multi interpretes Catholici, & admiſerunt hæretici varii. Corruit igitur tota ratio S. Auguſtini, qui haud dubiè vulgarem loci expoſitionem ſolùm ſecutus fuiſſet, relictâ prorſus aliâ, ſi ſciviſſet eamdem vocem Syriacè bis fuiſſe repetitam. Hæc paucis obſervanda duxi, quia loco illo abuſus eſt Schwartzius num.* 232 *citatus.*

obſervationes quædam circa Sancti verba de S. Petro,

355 *Magis frivolum, imò planè ridiculum eſt, quòd idem ſcriptor heterodoxus ex verbis* S. Stephani *inferre voluerit, ipſum per eccleſiam in petra ædificatam intelligere* gentem electam & divinam, non hierarchiam ſub uno viſibili capite, cum membris ſuis viſibilibus florentem, potentem, ſplendidam & dominantem. *Quippe* S. Stephanus *unicè hîc docet per eccleſiam hîc non intelligi domum aliquam, aut ædificium aliquod ex lignis & lapidibus conſtructum, quod aliàs etiam* eccleſia *vocatur ſenſu multùm diverſo; ſed per eccleſiam à Chriſto deſignari omnium fidelium cœtum, qui revera eſt populus acquiſitionis, gens electa & divina, grex fide doctus, baptiſmate lotus, Chriſmate unctus. Huic cœtui* cuſtodem magiſtrumque *Chriſtus* poſuit *S. Petrum, teſte* S. Stephano. *Itaque Sanctus Rex non modò verbis ſuis non adverſatur ordini hierarchico Eccleſiæ, ſed illum clarè adſtruit; dum aſſerit Petrum à Chriſto ſtatutum eſſe* cuſtodem magiſtrumque Eccleſiæ, *& quidem Eccleſiæ* eidem, *quæ, ut antè ait,* à capite noſtro, ſcilicet Chriſto, priùs ſeminata, deinde per ejus membra, utique Apoſtolos ſanctoſque Patres, tranſplantata, & firmiter ædificata, atque per totum orbem diffuſa. *Eccleſiæ per totum orbem diffuſæ* cuſtodem magiſtrumque *poſitum eſſe Petrum*

& de eccleſiaſtica hierarchia.

E

A *trum asserit. Hierarchiam igitur Ecclesiæ sub visibili capite clarissimis verbis agnoscit. Hæc breviter de hisce dicta sunt, ut pateat quàm frivolis ratiunculis heterodoxi verba* S. Stephani *ad falsa sua dogmata conentur pertrahere, licèt ex omnibus ipsius gestis abundè discere possint, se à primorum Hungarorum fide longè recessisse. Ceterùm quod de etymologia* Augusti *in fine dicitur, merè accommodatitium est: nam imperatores dicti sunt* Augusti *ab imperatore Augusto, sicuti* Cæsares *dicuntur à Julio Cæsare.*

Episcopi nomenclatura, & de impendendo honore pontificibus

356 Cap. III. Regium solium ornat ordo pontificum; ac per hoc in regali dignitate tertium possident locum pontifices. Charissime fili seniores illos ita custodias, sicut oculorum pupillas. Si illorum benevolentiam habebis *, neminem adversariorum timebis. Illis quidem te observantibus, eris securus in omnibus, illorum precatio commendabit te omnipotenti Deo. Illos enim Deus humani * generis constituit custodes, fecitque speculatores animarum, ac totius ecclesiasticæ dignitatis, ac divini Sacramenti dispensatores * & datores. Sine enim illis non constituuntur reges nec principatus *. Per illorum interventum delicta delentur hominum. Si illos perfectè amas, te ipsum sine dubio sanas, tuumque regnum honorificè gubernas. In manus enim illorum posita est potestas ligandi nos in peccatis, & à peccatis solvendi. Testamentum enim * sempiternum statuit illis Deus, eosque segregavit ab hominibus, & sui nominis atque sanctitatis fecit participes, & ab hominibus * interdixit reprehendendos esse, per David deificum regem: Nolite tangere christos meos, &c. Ille autem * tangit christos Dei, qui contra divinum atque canonum institutum sacri ordinis viros falsis criminibus fœdat atque in publicum protrahit. Quod te omnino, fili mi, agere prohibeo, si vis beatus vivere, & tuum regnum honestare. Quia in his rebus imprimis offenditur Deus. Si accidente casu culpa reprehensione digna super aliquem horum, de quibus sermo est, ceciderit, (quod absit) corripe eum ter, quater, inter te & ipsum solum, juxta præceptum Euangelii. Si tunc secretè renuerit audire monita, adhibenda sibi sunt publica, secundum hæc: Si te non audierit, dic Ecclesiæ. Nam si tu hunc ordinem servabis, gloriosam tuam penitus exaltabis coronam.

* *al.* habes
* *al.* divini

B

* *al.* dispositores
* *al.* principantur

De merito honore principum & baronum.

357 Cap. IV. Quartus decor regiminis est fidelitas, fortitudo, agilitas, comitas, confidentia principum *, baronum, comitum, militum, nobilium. Illi enim sunt regni propugnatores *, defensores imbecillium, expugnatores adversariorum, augmentatores monarchiarum. Illi tibi, fili mi, sint patres & fratres. Ex his verò neminem in servitutem redigas, vel servum nominhowever: illi tibi militent, non serviant: eorum omnibus sine ira & superbia atque invidia pacificè, humiliter, mansuetè dominare, memoriâ retinens semper, quòd omnes homines unius sunt conditionis: & quòd nil elevat, nisi humilitas; & nihil dejicit, nisi superbia & invidia. Si eris pacificus, tunc dicêris rex & regis filius, atque amaberis à cunctis militibus. Si iracundus, superbus, invidus, impacificus, ac * super comites & principes cervicem erexeris, sine dubio fortitudo militum, hebetudo erit regalium dignitatum, & alienis tradent regnum tuum. Hoc timens, cum regula virtutum dirige vitam comitum, ut tua dilectione angulati, semper regali dignitate adhæreant inoffensi, & ut tuum regnum per omnia sit pacificum.

* *al.* principum *abest*, *& mox* nobilium.
* *al.* propugnaculum

* *al.* verò

* *al.* ab humano die

* *al.* enim

C

De servanda virtute patientiæ, & tribuendo judicio.

358 Cap. V. Patientiæ & judicii observatio, quinta regalis coronæ est ornatio. David rex atque propheta dicit: Deus judicium tuum regi da. Et idem alibi: Honor regis judicium diligit. De patientia Paulus apostolus loquitur: Patientes estote ad omnes. Et Dominus in Euangelio: In patientia vestra possidebitis animas vestras. Ad hoc tende, fili mi: si vis regni habere honorem, dilige judicium: si animam tuam possidere vis, esto patiens. Quotiescumque, fili charissime, causa digna judicari ad te venerit, vel aliquis capitalis sententiæ reus; noli impatienter portare, vel cum juramento firmare, illum punire, quod instabile & fragile debet esse, quia stulta vota frangenda sunt; vel per te ipsum dijudicare, ne tua regalis dignitas usurpatione inferiorum negotiorum fœdetur: sed potiùs hujusmodi negotium ad judices mitte, quibus hoc commissum est, quòd ipsi secundum suam hoc discernant legem. Time esse judex, gaude verò rex esse & nominari. Reges patientes regnant, impatientes verò tyrannizant. Quando autem aliquid, quod tuæ convenit ad judicandum dignitati, tibi venerit, cum patientia & misericordia, sive miserantia, hoc judica, ut tua corona laudabilis sit & decora. *Hoc loco editio Sambuci ab illis verbis:* Time esse judex, *varia habet menda, uti studiosus lector facilè advertet. Illa igitur singula notanda non censui.*

E

De acceptione exterorum & nutrimento hospitum.

359 Cap. VI. In hospitibus & adventitiis viris tanta inest utilitas, ut dignè sexto in regalis dignitatis loco possit haberi. Unde imprimis Romanum crevit imperium, Romanique reges sublimati fuerunt, & glorioso, nisi quòd multi nobiles & sapientes ex diversis illuc confluebant partibus? Roma verò usque hodie esset ancilla, nisi Æneades ipsam feciffet liberam. Sicut enim ex diversis partibus provinciarum veniunt hospites, ita diversas linguas & consuetudines, diversaque documenta & arma secum ducunt, quæ omnia regiam ornant & magnificant aulam, & perterritant exterorum arrogantiam. Nam unius linguæ, uniusque moris * regnum, imbecille & fragile est. Propterea jubeo te, fili mi, ut bona voluntate illos nutrias, & honestè teneas, ut tecum libentiùs degant, quàm alicubi * habitent. Si enim tu destruere, quod ego ædificavi, aut dissipare, quod congregavi, studueris, sine dubio maximum detrimentum tuum patietur regnum. Quod ne fiat, tuum quotidie auge regnum, ut tua corona ab omnibus augusta * habeatur. *Quæ de multorum hospitum adventu in urbem Romanam dicuntur, videri possunt apud Livium lib.* I, *ubi narratur, quibus artibus usus sit Romulus, suprà* Æneades *dictus, ut Romam multitudine populi impleret.*

* *al.* mortalis
* *al.* alibi

F

* *al. abest* augusta

De magnitudine consilii.

360 Cap. VII. In tribunalibus regum consilium sibi septimum vendicat locum. Consilio enim constituuntur reges, gubernantur regna, defenditur patria, componuntur prælia, sumitur victoria, propelluntur inimici, appellantur amici, civitates construuntur, & castra adversariorum destruuntur. Quando verò consiliis inest utilitas. Nam * à stultis, & arrogantibus, ac mediocribus (ut mihi videtur) non valent componi viris, sed à majoribus & melioribus, sapientioribusque ac honestissimis senioribus, exprimi debent & poliri. Idcirco, fili mi, cum juvenibus & minùs sapientibus noli consiliari, aut de

* *al.* jam

AUCTORE J. S.

de illis consilium quærere *; sed à senioribus, quibus illud negotium propter ætatem & sapientiam sit aptum. Nam consilia regum in præcordiis sapientum debent claudi, non ventositate stultorum propagari. Si enim gradieris cum sapientibus, sapiens efficieris: si versaris cum stultis, sociaberis illis, fatente Spiritu sancto per Salomonem: Qui cum sapientibus graditur, sapientum erit amicus, nec stultorum erit similis. Et David psallit: Cum sancto sanctus eris, & cum viro innocente innocens eris, & cum electo electus eris, & cum perverso perverteris. Ad hoc quidquid negotii unicuique conveniat ætati, in hoc se exerceat *, scilicet juvenes in armis, senatores in consiliis. Omnino tamen juvenes non sunt expellendi à consiliis. Quoties verò cum illis consilium inibis, etiamsi sit habile, tamen semper ad majores deferas *, ut omnes actus tuos normâ sapientiæ mensures.

* *al.* quære

* *al.* exerceant

* *al.* differas

Quod majores imitari debeant, & filii obedire parentibus.

361 CAP. VIII. Imitatio * majorum in regali dignitate octavum possidet locum. Regale ornamentum scito esse maximum, sequi antecessores reges, & honestos imitari parentes. Qui enim anteceſſorum decreta spernit patrum, nec divinas procurat leges, peribit. Patres enim idcirco sunt patres, ut nutriant filios, ideoque sunt filii, ut obediant patribus. Qui patri suo resistit, inimicus Dei existit *. Omnes enim inobedientes, Deo sunt resistentes. Spiritus enim inobedientiæ dispergit flores coronæ. Inobedientia enim totius regni est pestilentia. Propterea, fili charissime, edicta Patris tui semper tibi sint promptuosa, ut prosperitas tua ubique regalibus dirigatur habenis. Mores quidem meos, quos regali vides convenire dignitati, sine vinculo totius ambiguitatis sequere. Grave enim tibi est hujus climatis tenere regnum, nisi imitator consuetudinis ante regnantium extiteris regum. Quis Græcus regeret Latinos Græcis moribus? aut quis Latinus Græcos Latinis regeret moribus? nullus. Idcirco consuetudines sequere meas, ut inter tuos habearis præcipuus, & inter alienos laudabilis.

* *al.* executio

* *al.* consistit

B

Grandum esse & quomodo.

362 CAP. IX. Observatio orationis maxima acquisitio est regalis salutis, & ideo nonum; & nonaria regiæ dignitatis canit regula. Continua oratio est peccatorum ablutio * & remissio. Tu autem, fili mi, quotiescumque ad templum Dei curris, ut Deum adores, cum Salomone filio regis, & ipse rex semper dicas: Emitte, Domine, sapientiam de sede magnitudinis tuæ, ut mecum sit, & mecum laboret, ut sciam quid acceptum sit coram te omni tempore. Et iterum: Domine Pater & Deus vitæ meæ, ne derelinquas me in cogitatu maligno, extollentiam oculorum meorum ne dederis mihi, & desiderium malignum averte à me, Domine; aufer à me concupiscentiam, & animo irreverenti & infrunito * ne tradas me, Domine. Hac itaque oratione antiqui utebantur reges. Tu quoque hac eadem utere, ut Deus cuncta vitia à te auferre dignetur, ut invictissimus rex à cunctis nomineris. Ora etiam, ut desidiam & hebetudinem à te depellat, & supplementum omnium tibi tribuat virtutum, quibus visibiles & invisibiles vincas inimicos, ut securus & expeditus ab omni incursione adversariorum, cum omnibus tibi subjectis, cursum ætatis tuæ vitæ cum pace possis finire. *Post verba superiùs data*, & ideo nonum, *adde*, *vel subaudi*, obtinet locum. *Phrasis illa planè mendosa est apud Sambucum.*

* *al.* abolitio

C

* *al.* infrenato

363 CAP. X. Modus virtutum ornat coronam regum, & in præceptis ponitur decimus: nam Dominus virtutum ipse est Rex regum. Sicut ergo sui exercitûs cælestis plenitudo in denis consistit choris, sic tuæ vitæ conversatio in decem persistat mandatis. Oportet regem esse pium, misericordem, & cæteris virtutibus imbutum & ornatum. Rex enim impietate & crudelitate fœdatus, incassum sibi vendicat nomen regis, quia tyrannus est dicendus. Ob hoc ergo *, fili mi amabilissime, dulcedo cordis mei, spes futuræ sobolis, precor, jubeo, ut per omnia & in omnibus pietate fultus, non solùm parentelæ & cognationi, vel principibus, sive ducibus, sive divitibus, seu vicinis & incolis sis propitius; verùm etiam extraneis & cunctis ad te venientibus. Nam opus pietatis ad summam te ducit beatitudinem. Sis misericors omnibus vim patientibus, semper illud Domini in tuis præcordiis habens exemplum: Misericordiam volo, & non sacrificium. Patiens esto ad omnes, non tantùm potentes, sed etiam potestate carentes. Sis denique fortis, ne te prosperitas nimis elevet, aut adversitas dejiciat. Sis quoque humilis, ut Deus te altum faciat, hîc & in futuro. Sis verò modestus, & ultra modum neminem punias vel damnes. Sis mitis, ut numquam justitiæ repugnes. Sis honestus, ut numquam alicui spontaneum inferas dedecus. Sis pudicus, ut cunctos libidinis fœtores, sicut stimulum mortis, evites. Hæc omnia superiùs libata regalem componunt coronam, sine quibus valet nullus hîc regnare, nec ad æternum pertingere regnum. *Quod suprà dicitur cælestis exercitûs plenitudo* in denis choris *consistere, mirum apparet, cùm novem tantùm angelorum chori enumerentur: at suspicor Sanctum per chorum decimum intelligere omnes homines cæloſti gloria exaltatos. Habes hîc, lector, Monita sancti Regis, quæ luculenter ostendunt, quantus fuerit, non modò Christianis virtutibus, sed etiam arte regnandi. Digna sanè hæc sunt, quæ principum animis altè insculpta maneant. Nunc similiter dabo leges, quas idem Rex subditis suis præscripsit, ut ex omnibus pateat, qualis quantusque fuerit, quantumque Apostolo ac Legislatori suo Christiana debeat Hungaria.*

D

De pietate & misericordia, cæterisque virtutibus.

* *al.* ego

E

F

§ XXXIV. Leges Hungaris datæ.

Leges Sanctus condidit, quæ omnes deinde simul promulgatæ,

C*Arthuitius num.* 13 *breviter agit de legibus, quas condidit* S. Stephanus cum episcopis & primatibus Hungariæ, *&* in quo, *inquit*, uniuscujusque culpæ contrarium dictavit antidotum. *Sanè leges hæ tales sunt, quales congruebant rudi populo, qui disciplinam Christianam partim amplexus erat, partim aversabatur; & verisimile est, hisce legibus non exiguum robur additum esse prædicationibus episcoporum, aliorumque ecclesiasticorum, qui populum instruebant. Naturale enim est, ut oriatur desiderium cognoscendi illud, quod quis non audet prætermittere. Quo anno hæ leges primùm latæ sint, & an omnes simul sint decretæ, non invenio. Omnes tamen simul promulgatæ sunt in concilio aliquo episcoporum & procerum Hungariæ, & de hac promulgatione sic habet editio in Opere tripartito:* Explicit decretum sancti Stephani regis, promulgatum Strigonii, (al. Tulnæ)

A næ) anno MXXXV. *Laudatis jam ſæpe Peterſius, leges quaſdam ex hiſce editurus, de earum promulgatione ſic loquitur:* Quæ (*præceptiones & monita*) vim tabularum poſtea obtinuerunt, & anno demum MXVI Tolnæ vel Strigonii promulgatæ ſunt.

ſed aliquæ ex iis citiùs decretæ atque uſu receptæ:

365 *Inchofer ad annum* 1016 *de conditis à* Stephano *legibus ita ſcribit:* Stephanus rex pro ordinando regno ſalutares hoc anno procerum ſuorum utriuſque ſtatus interventu leges condit. Hæ quinquaginta quinque capitibus continentur, ita digeſtæ à quibuſdam, ut in ſecundum librum Decretorum, quæ Stephano regi adſcribuntur, conjiciantur. In qua re tamen nec ordo nec temporis ratio ſervata eſt: nam quæ in primo libro habentur, non Decreta propriè, ſed Monita ſunt ad Emericum filium inſtruendum compoſita ſeorſim, & poſteriùs edita; ipſa verò Decreta falsò à quibuſdam notantur anno trigeſimo quinto regni condita, quorum non pauca longè antea uſu viguiſſe conſtat: etſi quædam, ad politicum regimen ſpectantia, ſeriùs deinde ſint addita. Præſtat in hac re manuſcripti codicis fidem

B ſequi, qui leges à Stephano ſancitas in hunc annum refert: neque enim veriſimile eſt, Stephanum tot annis piè feliciterque regnantem, ſub extremum vitæ tempus curis & ægritudinibus implicatum, voluiſſe regnum lege formare, antea verò tanto temporis ſpatio ſine lege curam traducere. *Hæ rationes admodùm veriſimiliter perſuadent, pleraſque leges multo citiùs conditas & promulgatas eſſe, quam aliqui voluerunt, alias autem tractu temporis adjectas. An verò univerſarum promulgatio facta ſit anno* 1035, *an citiùs, certò definiri nequit.*

ex hiſce legibus nonnullæ deinde correctæ aut abrogatæ;

366 *Subjicit Inchofer:* Quod porrò ad hæc Decreta ſpectat, nonnulla ex iis reges poſteri correxerunt, aliqua ſuſtulerunt, pleraque confirmarunt. *Qualia ſint* Stephani *decreta, & cur deinde eorum aliqua correcta fuerint aut abrogata, explicatur in præfatione ad Decreta Colomani regis, ad Seraphinum archiepiſcopum Strigonienſem ſcripta, apud laudatum Werböczium tom.* 2 *pag.* 28 *his verbis:* Nam quis ambigat à ſancto patre noſtro Stephano, viro quippe apoſtolico, legem populo noſtro datam, in quibuſdam auſteriorem, in quibuſdam verò tolerabiliorem, in his quoque intenſiùs vindicantem, atque in aliis remiſſiùs indulgentem; nec quemquam tamen abſque diſciplinæ verbere dimittentem, cùm prædeſtinationis tempus nullum adhuc verum adduxiſſet fidei ſponſorem: nec hoc quidem præter divinæ diſpenſationis reſpectum credi nefas eſt. Nam cùm tempore prædicti Regis univerſum regnum ejus barbaricis inſervierit cultibus, ac rudis coactuſque Chriſtianus contra commonitorem ſanctæ fidei ſtimulum adhuc recalcitraret, adhuc contra pœnitentialia ultricis virgæ verbera remorderet, operæ pretium fuit, ut ſanctæ diſciplinæ coactio infidelibus quidem ad converſionem fidei, ſed converſis fieret ad juſtitiam pœnitentiæ. At Chriſtianiſſimus rex noſter Colomanus, columbinæ gratiæ ſimplicitate, cum omni virtutum diſcretione præditus, poſtquam vidit adultam fidem perfectæ religionis robur accepiſſe, legalis vinculum catenæ cogitavit relaxare prudenter *&c.*

quòd S. Stephanus antiquis Hungarorum moribus

367 *Porrò dubitari nequit, quin Rex prudentiſſimus in condendis legibus tantùm ſe accommodaverit antiquis Hungarorum moribus, quantum fieri poterat ſine læſione religionis Catholicæ & virtutum Chriſtianarum. Satis id ipſe*

inſinuat in præfatione his verbis: Quoniam unaquæque gens propriis regitur legibus. *Et ſuprà ad filium cap.* 8 *num.* 361: Grave enim tibi eſt, hujus climatis tenere regnum, niſi imitator conſuetudinis antè regnantium extiteris regum. Quis Græcus regeret Latinos Græcis moribus? aut quis Latinus Græcos Latinis regeret moribus? nullus. *Prudenti hac cautione opus erat, ut leges faciliùs & ſuaviùs uſu reciperentur: atque ex ea factum exiſtimo, ut pro criminibus quibuſdam gravioribus non tam graves à* Stephano *decretæ ſint pœnæ, quàm poſteriores reges pro iis deinde ſtatuerint; nimirum quòd Hungari aut nullas pro iis pœnas olim dediſſent, aut ſolum leviores, quódque crimina ipſa non tam gravia iiſdem apparerent ante fidem ſuſceptam. Placuit, opinor,* Stephano *conſilium Apoſtoli, qui ſe uniuſcujuſque capacitati attemperabat, ſic ſcribens* 1 *ad Corinth. cap.* 3: Et ego, fratres, non potui vobis loqui quaſi ſpiritualibus, ſed quaſi carnalibus. Tamquam parvulis in Chriſto, lac vobis potum dedi, non eſcam: nondum enim poteratis. *Hiſce prænonitis, leges ipſas ſubjungo ex laudato Opere tripartito, notatis lectionibus variantibus ex Sambuco, ubi videbitur operæ pretium. Titulus hic præfigitur:* Sancti Stephani regis decretorum liber ſecundus. *Capitum ſingulorum titulos dabo pro additionibus marginalibus, aut ſolùm illorum partem, cùm ſunt longiores.* E

AUCTORE J. S. *bus ſe prudenter attemperaſſet.*

Ratio legum datarum exponitur in præfatione.

368 PRÆFATIO. Regnante divina clementiâ, Opus regalis dignitatis alimoniâ Catholicæ fidei effectum ampliùs ſolidiùs *, alterius dignitatis ſolet operibus adeſſe *: & quoniam unaquæque gens propriis regitur * legibus, idcirco nos quoque Dei nutu noſtram gubernandò monarchiam, antiquos & modernos imitantes auguſtos, decretali meditatione noſtra ſtatuimus genti noſtræ *, quemadmodum honeſtam & inoffenſam ducerent vitam, ut ſicut divinis legibus ſunt ditati, ſimiliter etiam ſecularibus ſint addicti, ut quantùm boni in divinis ampliantur, tantùm mali & rei in iſtis vilitentur. Quæ autem decrevimus, in ſequentibus ſubnotavimus. *Senſus hujus præfationis initio obſcurior eſt, quia variè interpungi poteſt. Mihi legendum & interpungendum videtur, ut phraſim dedi, licèt aliter interpunxerint alii. Senſus eſt: Opus regis, quod alendo Catholicam fidem ſolidiùs promovet, ſolet aliis, operantibus ad eumdem finem, adeſſe ſeu ſuccurrere.* F

* *al.* ampliùs ac ſolidius
* *al.* eſſe
* *al.* agitur
* *al.* quæ

De ſtatu eccleſiaſtico & veneratione domûs Dei.

369 CAP. 1. Quiſquis faſtu ſuperbiæ elatus, domum Dei ducit contemptibilem, & poſſeſſiones Deo conſecratas, atque ad honorem Dei ſub regia immunitatis defenſione conſtitutas, inhoneſtè tractârit, vel infringere præſumpſerit, quaſi invaſor & violator domûs Dei excommunicetur. Decet enim, ut indignationem ipſius Domini regis ſentiat, cujus benevolentiæ contemptor & conſtutionis prævaricator extitit. Nihilominus tamen rex ſuæ conceſſionis immunitatem ab hominibus ditioni ſuæ ſubjectis illæſam conſervari præcipiat; aſſenſum verò non præbeat improvidè affirmantibus non debere eſſe res Dominicas, id eſt, Domino dominantium traditas. Itaque ſub defenſione regis ſit, & ſicuti ſuæ propriæ hæreditati, magiſque, advertat. Quia quantò Deus excellentior eſt homine, tanto præſtantior eſt divina cauſa mortalium poſſeſſione. Quocirca decipitur, quiſquis plus in propriis, quàm in Dominicis rebus gloriatur: quarum * defenſor, & cuſtos divinitatis * conſtitutus,

* *al. additur* divinarum rerum
* *lege* divinitus

AUCTORE J. S.

tus, diligenti cura non solùm eas servare, sed etiam multiplicare debet, magisque illa, quæ diximus præstantiora, quàm sua, defendere oportet, & augmentare. Si quis igitur insanus, importunitate improbitateque sua regem à recto proposito pervertere tentaverit, nullisque remediis mitigari posse visus fuerit, licèt obsequiis aliquibus & transitoriis sit necessarius, abscindendus ab eo projicienduſque est, juxta illud Euangelium: Si pes, manus, aut oculus tuus scandalizat te, erue eum, & projice abs te. *Totum hoc caput, uti & sequens, desumptum est ex concilio Moguntino anni* 847 *sub Rabano, ubi hoc est canon sextus, sequens verò septimus, uti videri potest apud Labbeum tom.* 8 *col.* 44. *Ex eo corrigitur mendum illud suprà, ubi* divinitatis *in omnibus legitur pro* divinitus, *ut est apud Labbeum.*

De potestate episcoporum super res ecclesiasticas.

370 CAP. II. Ut episcopi habeant potestatem res ecclesiasticas providere, regere & gubernare, atque dispensare secundum canonum authoritatem; volumus, ut laici eorum ministerio obediant, ad regendas ecclesias, vidùas & orphanos defensandum, & ut obedientes sint eis ad eorum Christianitatem servandam, consentientesque sint comites & judices præsulibus suis ad justicias faciendas, juxta præcepta legis divinæ, & nullatenus per aliquorum mendacia, vel falsum testimonium, neque per perjuriuin, aut per præmium lex justa in aliquo depravetur. *Rectiùs in Moguntino verba superiora, ut* laici *&c., sic leguntur:* Et ut laici in eorum ministerio obediant episcopis.

B

Quales debeant esse accusatores & testes *&c.*

371 CAP. III. Testes autem, & accusatores sine aliqua sint infamia, uxores & filios habentes, & omnino Christum prædicantes. Testimonium laici adversus, clericum nemo recipiat: nemo etiam quemlibet clericum in publico, nisi in ecclesia examinare * præsumat.

* *al.* excommunicare

De assiduo & gravi labore sacerdotum.

372 CAP. IV. Scitote fratres cuncti, quòd supra omnes laborant sacerdotes, unusquisque enim vestrûm suum fert laborem proprium: illi * verò & suum, & singulorum. Ideo sicut illi pro omnibus vobis, ita & vos omnes pro eis summopere laborare debetis, in tantum, ut si necessitas fuerit, animas vestras pro eis ponatis.

* *al.* ille, *uti & infra*

De concessione regali propriarum rerum.

373 CAP. V. Decrevimus regali nostra potentia, ut unusquisque habeat facultatem sua dividendi, tribuendi uxori, filiis, filiabusque atque parentibus, sive Ecclesiæ, nec post ejus obitum quis hoc destruere audeat. *Titulus ad marginem positus clariùs sic exponi potest:* De concessione tribuendi res suas.

C

Regalia & fisci res sint intactæ.

374 CAP. VI. Volumus quidem, ut sicut cæteris facultatem dedimus dominandi suarum rerum, ita etiam res, milites, servi, & quidquid ad nostram regalem dignitatem pertinet, permanere debeat immobile, & à nemine quid inde rapiatur, aut subtrahatur, nec quisquam in his prædictis sibi favorem acquirere audeat.

De observatione Dominicæ diei *&c.*

375 CAP. VII. Si quis igitur presbyter, vel comes, sive aliqua alia persona fidelis, die Dominica invenerit quemlibet laborantem, abigatur. Si verò cum bobus, tollatur sibi bos, & civibus ad manducandum detur. Si autem cum equis, tollatur equus, quem dominus bove redimat, si velit; & idem bos manducetur, ut dictum est. Si qui aliis instrumentis, tollantur instrumenta, & vestimenta: quæ si velit, cum cute redimat.

Ut eodem die Dominico *&c.*

376 CAP. VIII. A sacerdotibus verò & comitibus commendetur omnibus villicis, ita ut ipsorum jussu, omnes concurrant die Dominica ad D ecclesiam, majores & minores, viri & mulieres, exceptis illis, qui ignes custodiunt *. Si quis verò obstinatus remanebit, vapulet & depiletur. *In alia editione pœna sic exprimitur:* Propter illorum negligentiam vapulent & depilentur.

* *al.* custodiant

Diebus quatuor temporum carnes non comedantur.

377 CAP. IX. Si quis quatuor temporum jejunia, cunctis cognita, carnem manducans, violaverit, per spatium unius hebdomadæ inclusus jejunet.

Sextâ feriâ carnes non edantur.

378 CAP. X. Si quis in sexta feria, ab omni Christianitate observata, carnem manducaverit, per unam hebdomadam inclusus jejunet. *Aliàs* lucæ (*aut* tenebris) inclusus jejunet.

De his, qui sine confessione moriuntur.

379 CAP. XI. Si quis tam obstinatus est (quod absit ab omni Christiano) ut nolit confiteri sua facinora, secundum suasum presbyteri, hic sine omni divino officio & eleemosynis jaceat, quemadmodum infideles. Si autem parentes & proximi neglexerint vocare presbyteros, & ita subjaceat absque confessione morti, ditetur orationibus, & consoletur eleemosynis; sed parentes luant negligentiam jejuniis, secundum arbitrium presbyterorum. Qui verò subitanea periclitantur morte, cum omni ecclesiastico sepeliantur honore. Nam occulta & divina judicia nobis sunt incognita.

E

De observanda Christianitate.

380 CAP. XII. Si quis observatione Christianitatis neglecta, & negligentiæ stoliditate elatus, quid in eam commiserit, juxta qualitatem offensionis ab episcopo per disciplinas * canonum judicetur. Si verò rebellitate instinctus, renuerit sibi impositam pœnam * sufferre, iterum * eodem judicio restringatur, etiam usque septies. Tandem, si per omnia resistens & abnuens invenietur, regali judicio, scilicet defensori Christianitatis, tradatur.

* *al.* disciplinam

* *al.* impositum æquè

* *al.* item

De homicidiis, & primò casuali.

381 CAP. XIII. Si quis autem casu occiderit aliquem, duodecim pensas auri persolvat, & sicut canones mandant, jejunet. Si verò liber alicujus occiderit servum, reddat alium servum, vel precio componat: & secundum canones jejunet. *Pensa auri est nummus, de cujus valore nihil satis certò probatum inveni.*

De his, qui suas occidunt uxores.

382 CAP. XIV. Si quis comitum obduratus corde, negligens animam (quod procul sit à cordibus fidelitatem observantium *) uxoris homicidio polluetur, secundum decretum regalis senatûs, cum quinquaginta juvencis, parentibus mulieris reconcilietur, & secundum mandata canonum jejunet. Si autem miles alicujus virtutis * in eamdem culpam inciderit, juxta eumdem senatum, solvat parentibus decem juvencos, jejunetque, ut dictum est. Si verò vulgaris in eodem crimine invenietur, cum quinque juvencis cognatis concilietur, & subdatur prædictis jejuniis. *Levis hæc est pœna pro crimine tam enormi; sed vide dicta num.* 367: *quæ item observata volui pro variis legibus sequentibus.*

* *al.* obfervantibus

F

* *al.* vir ubertatis

De perjuriis.

383 CAP. XV. Si quis valentium *, fide commaculatus, corde pollutus, juramento confractus, perjurio addictus invenietur, perdita manu * perjurium luat, aut quinquaginta juvencis manum redimat. Si verò vulgaris perjurus extiterit, manu amputatus punietur, aut duodecim juvencis redimetur, & jejunet, ut canones mandant.

* *al. meliùs* fallentium

* *al.* perditas manus

De homicidiis voluntariis.

384 CAP. XVI. Si quis accensus irâ, ac superbiâ elatus, spontaneum commiserit homicidium, sciat se secundum senatus nostri decretum, centum & decem daturum auri pensas. Ex quibus quinquaginta ad fiscum regis deferantur, aliæ

A aliæ verò quinquaginta parentibus dentur, decem autem arbitris & mediatoribus condonentur. Ipse quidem homicida secundum institutionem canonum jejunet. *Observat editor hanc legem esse antiquatam.*

De libertate servorum.

385 Cap. xvii. Si quis misericordiâ ductus, proprios servos & ancillas libertate donaverit cum testimonio: decrevimus, ut post obitum ejus, nemo invidiâ tactus in servitutem eos audeat inducere. Si autem libertatem promiserit, & morte impediente testatus non fuerit, habeat mulier ipsius vidua & filii potestatem eandem libertatem testari, & agape facere pro animæ redemptione sui mariti, qualitercunque velit. *Hæc lex mendosè admodùm apud Sambucum edita est.* Agape facere *hìc videtur significare; opus charitatis exercere.*

De conventu ad ecclesiam, & de his, qui murmurant horâ Missæ &c.

386 Cap. xviii. Si qui ad ecclesiam venientes ad audiendum divinum officium, ibidem horâ solennitatis Missarum inter se murmurant, & cæteros inquietant, exponentes fabulas ociosas, & non intendentes ad divinas lectiones cum ecclesiastico nutrimento: si majores sunt, increpati cum dedecore expellantur de ecclesia: si verò minores & vulgares, in atrio ecclesiæ, pro tanta temeritate, coram omnibus ligentur, &

B corripiantur flagellis.

De non recipiendis servis...in testimonium contra dominos &c.

387 Cap. xix. Ut gens monarchiæ hujus ab omni incursu & accusatione servorum & ancillarum remota & quieta maneat, secundum regalis * decretum concilii penitus interdictum est, ut nullius causâ culpæ, aliquam servilem personam, contra dominos vel dominas in accusationem & testimonium recipiant.

* *al.* regale

Liberum nemo in servitutem redigat.

388 Cap. xx. Quoniam igitur Deo dignum est, & hominibus optimum, unumquemque in suæ industriæ libertate vitæ cursum ducere, secundum regale decretum statutum est, ut nemo comitum vel militum posthac aliquam liberam personam servituti subdere audeat. Quod si elationis * audaciâ suæ stimulatus præsumpserit, sciat se totidem ex proprio compositurum: quæ compositio inter regem & comitem * dividatur, & cætera. Sed si quis hactenus in servitute retentus, pro libertate sua tuenda * judicium regale faciens, securus extiterit, tantummodo libertate fruatur, & ille, à quo in servitute tenebatur, nil reddat.

* *al.* elevationis

* *al.* comites

* *al.* emenda

C

De his, qui alterius milites aut servitores avocant.

389 Cap. xxi. Volumus, ut unusquisque senior (seu dominus) suum habeat militem (id est servientem) nec aliquis alter illi suadeat antiquum deserere seniorem, & ad se venire. Inde enim litigium habet initium.

De recipiendis hospitibus.

390 Cap. xxii. Si quis hospitem cum benevolentia accipit, & nutrimentum sibi honestè impendit, quamdiu secundum propositum nutritur, non deserat suum nutritorem; & nec ad aliquem alium suam deferat hospitalitatem.

De his, qui flagellantur sua quærentes.

391 Cap. xxiii. Si cujus miles vel servus ad alium fugerit, & is, cujus miles vel servus fugâ est elapsus, suum miserit legatum ad reducendum eum *, & is legatus ibidem à quocumque percussus ac flagellatus extiterit, decrevimus nostrorum primatum conventu, ut ille percussor decem solvat juvencos.

* *al.* eos

De viduis & orphanis.

592 Cap. xxiv. Volumus quidem, ut viduæ & orphani sint nostræ * legis participes, tali tenore, ut si quæ vidua cum filiis & filiabus remanserit, atque nutrire eos, & manere cum illis, quamdiu vixerit, promiserit; habeat potestatem à nobis sibi concessam id faciendi, & à nemine iterum cogatur in conjugium. Si enim, mutato voto, iterum nubere voluerit, & orphanos deserere, de rebus orphanorum nihil omnino sibi vendicet, nisi tantùm sibi congrua vestimenta accipiat. Si autem vidua sine prole remanserit, & se innuptam in sua viduitate permanere promiserit, volumus ut potestatem habeat omnium bonorum suorum, & quicquid inde facere velit, faciat. Et post obitum ejus, eadem bona ad sui redeant parentes mariti, si parentes * habet: sin autem non, rex sit hæres.

* *al.* nunc

AUCTORE J. S.

* *al.* præsentes

De raptu puellarum.

393 Cap. xxv. Si quis militum impudicitiâ fædatus, puellam aliquam, sine concessione parentum sibi in uxorem rapuerit, decernimus puellam parentibus reddi, etiamsi ab illo aliqua vis sibi illata sit, & raptor decem solvat juvencos pro raptu, licèt postea reconcilietur parentibus puellæ. Si verò pauper quis, aut vulgaris hoc aggrediatur agere, componatur raptum quinque bobus. *Legendum opinor*, componat raptum.

E

De liberis fornicantibus cum ancillis alterius domini.

394 Cap. xxvi. Ut liberi suam custodiant libertatem incontaminatam, volumus illis ponere cautionem, ne cum alienis fornicentur ancillis. Si quis autem improvidus hanc cautionem transgrediens, fornicaretur * cum ancilla alterius, sciat se reum esse criminis, & pro eodem crimine imprimis decalvari & depilari *. Si verò secundò cum eadem fornicatus fuerit, iterum decalvetur * & depiletur. Si autem tertiò, sit servus pariter cum ancilla, aut redimat se. Si autem ancilla conceperit de eo, & parere non poterit, sed in partu morietur, componat eamdem cum alia ancilla. Servus quoque alicujus, si cum ancilla alterius fornicatur, decalvetur * & depiletur: & si ancilla de eo conceperit, & in partu moriatur, servus venundetur, ac dimidia pars pretii seniori ancillæ detur: altera pars verò seniori servi semper remaneat.

* *al.* fornicatur

* *al* pro eodem crimine decoriari

* *al.* decorietur

* *al.* decorietur

De his, qui petunt alienas ancillas in uxores.

395 Cap. xxvii. Ut nemo eorum, qui libero nomine censentur, facere cuiquam injuriam audeat, terrorem & cautionem imposuimus. Quia in hoc regali concilio decretum est, ut si quis liber connubium ancillæ alterius, sciente domino ancillæ, elegerit, perditâ suæ libertatis industriâ, perpetuus efficiatur servus.

Qui extra regnum à suis aufugiunt uxoribus.

396 Cap. xxviii. Ut genus utriusque sexus, certa lege, & absque injuriis maneat & vigeat, in hoc regali decreto statutum est, ut si quis protervitate præditus, propter abominationem uxoris patriam effugerit, uxor cuncta, quæ in potestate mariti habebantur, possideat, dum velit expectare virum; & * nemo in aliud conjugium eam cogere præsumat. Sed * si sponte nubere velit, liceat sibi, sumptis congruis vestimentis, & dimissis cæteris bonis, ad conubium ire. Et si vir, hoc audito, redierit, ne liceat sibi aliam ducere, propter suam culpam *, nisi cum licentia episcopi. *Hac lex cautè intelligenda est de matrimonio gentilium, cujus vinculum solvi potest, si uxor convertatur, & vir ideo discedat secundum Apostolum* 1 *Cor.* 7 ℣. 15: *non verò de matrimonio Christianorum validè contracto & consummato, quod solvi sic nequit, ut ante conjugis mortem ad aliud matrimonium validè procedatur. Hæc paucis observata oportuit: at plura de hisce dabunt Theologi & canonistæ. Fieri etiam potest, ut menda quædam in verba legis irrepserint.*

F

* *al.* ut

* *al.* &

* *al.* præter suam

De furto mulierum maritatarum.

397 Cap. xxix. Cùm igitur cunctis horrendum, & omnibus abominabile sit, virilem sexum repertum fecisse furtum, & magis magisque sexum fœmineum: secundum regalem sena-

AUCTORE J. S.

tum decretum eſt, ut ſi aliqua mulier maritata furtum commiſerit, à marito redimatur: & ſi ſecundò in eandem culpam inciderit, ſimiliter redimatur: ſi verò tertiò, venundetur.

De incendiis manſionum.

398 CAP. XXX. Si quis per inimicitias alterius ædificia cremaverit igne, decrevimus, ut ædificia reſtituat, & quicquid ſupellectilis arſum fuerit, perſolvat, & inſuper ſedecim juvencis, qui valent ſexaginta ſolidos.

De ſtrigibus. * *al.* ducant

399 CAP. XXXI. Si qua ſtriga inventa fuerit, ſecundum judicialem legem ducatur * ad eccleſiam, & commendetur ſacerdoti ad jejunandum, fidemque diſcendum; poſt jejunium verò domum redeat. Si ſecundùm in eodem crimine invenietur, ſimili jejunio ſubjaceat: poſt jejunium verò in modum crucis in pectore & in fronte, atque inter ſcapulas, incenſa clavi eccleſiaſtica, domum redeat. Si verò tertiò, judicibus tradatur. *Vox* ſtriga, *aliàs* ſtrix, *hìc deſignat veneficam aut maleficam. Hiſce majora deinde ſupplicia ſtatuta ſunt, uti & pro aliis criminibus.*

B

De maleficis, & ſortilegis. * *al. additur* & * *al* veneficiis & maleficiis

400 CAP. XXXII. Ut creatura Dei ab omnium læſione malignorum remota, & à nullo detrimentum ſui paſſura maneat, niſi à Deo, à quo * augmentatur: ſecundum decretum ſenatûs ſtatuimus ad magni cautionem terroris, veneficis & maleficis *, ut nulla perſona maleficio aut veneficio quemquam hominum ſubvertere à ſtatu mentis, aut interficere audeat. Aſt ſi quis, vel quæ, poſthac hæc præſumpſerit, tradatur in manus maleficio læſi, aut in manus parentum ejus, ſecundum eorum velle, ad judicandum. Si verò ſortilegio utentes invenirentur *, ut faciunt in cinere, & his ſimilibus, ab epiſcopis flagellis emendentur.

* *al. abeſt* invenirentur

De invaſione domorum, & de pugna ibidem ſecuta.

401 CAP. XXXIII. Volumus, ut firma pax, & unanimitas ſit inter majores & minores, ſecundum Apoſtolum: Omnes unanimes eſtote, nec alium aliquis invadere audeat. Nam ſi quis comitum, poſt diffinitionem hujus communis concilii tam contumax extiterit, ut alium domi quærat ad perdendum eum, atque ſuas diſſipare res; & ſi dominus domi eſt, & ſi ſecum pugnaverit, vel interfecerit, luat ſecundum legem de evaginatione gladii confectam. Si autem idem comes ibidem occubuerit, ſine compoſitione jaceat. Si verò miles quis curiam, vel turrim, vel domum alterius invaſerit militis, decem juvencis componat invaſionem. Si verò ille non ſupervenerit, ſed ſuos milites miſerit, centum juvencis componat invaſionem. Si vulgaris quidem alterius ſui ſimilis manſiunculas invaſerit, quinque juvencis ſolvat invaſionem.

C

De ædificatione & dote eccleſiæ à villis compoſitæ.

402 CAP. XXXIV. Decem villæ eccleſiam ædificent, quam duabus manſionibus, totidemque mancipiis dotent, equo & jumento, ſex bobus, & duabus vaccis, triginta quatuor minutis beſtiis. Veſtimenta verò & corporalia & coopertoria rex provideat, presbyterum & libros epiſcopi. *Pro* manſionibus *apud Peterſium legitur* manſis, *& apud Sambucum mendosè* menſis. *Deſignantur villæ, ſeu prædia ruſtica.*

De donationibus regum, & propriæ rei poſſeſſione

403 CAP. XXXV. Conſenſimus igitur petitioni totius ſenatus, ut unuſquiſque dominetur propriorum, ſimiliter & donorum regis, dum vivit: excepto quod ad epiſcopatum pertinet & comitatum, ac poſt ejus vitam filii ſimili dominio ſuccedant, nec pro nullius cauſa reatus detrimentum bonorum ſuorum patiatur quis, niſi conſiliatus mortem regis, aut traditionem regni fecerit, vel in aliam fugerit provinciam. Tunc verò bona illius in regiam veniant poteſtatem, ipſe verò ſubjaceat ſententiæ, filiis innocentibus remanentibus.

D

De ſervo interfecto ab altero ſervo.

404 CAP. XXXVI. Si alicujus ſervus ſervum alterius occidit, ſenior homicidæ medietatem ſervi componat ſeniori interfecti, ſi poteſt: ſin autem non, peractâ unâ quadrageſimâ, venundetur ſervus, & precium dividatur. *Non ſatis patet, quid velint illa verba* peractâ unâ quadrageſimâ. *Suſpicor tamen deſignari pœnam ſervi per quadraginta dies continuandam, ſive jejunium fuerit, ſeu aliud ſupplicium pro arbitrio domini.*

De redemptione homicidæ ſervi.

405 CAP. XXXVII. Servum liberi homicidam, ſi ſeniori placuerit, cum centum & decem juvencis redimat, aut tradat. *Non additur pœna: opinor, quia illa infligi poterat à domino pro arbitrio.*

De vindicta nitentium acquirere libertatem alienis ſervis.

406 CAP. XXXVIII. Si quis alienis ſervis libertatem acquirere niteretur, quot ſervi erunt, totidem mancipia ſolvat. Ex quibus duæ partes regi, tertia ſeniori ſervorum detur. Rex autem ex ſua parte tertiam tribuat comiti.

De furto ſervi ſemel commiſſo.

407 CAP. XXXIX. Si quis ſervorum ſemel furtum commiſerit, reddat furtum, & redimat naſum quinque juvencis, ſi poteſt: ſin autem non, abſcindatur. *Graviora pro furto ſervorum & liberorum ſupplicia deinde ſtatuit S. Ladiſlaus lib. 2 cap. 12 & ſequentibus: & locis aliis.*

E

De pœna furtum 2. & 3. committentis.

408 CAP. XL. Si furtum abſciſſus naſo commiſerit, redimat aures quinque juvencis, ſi poteſt: ſi autem non, abſcindantur. Si tertiò commiſerit furtum, careat vitâ.

De furto liberorum &c. * *al.* comparere

409 CAP. XLI. Si quis liberorum furtum commiſerit, hanc decrevimus legem componere *, ut ſemel redimat ſe, ſi poteſt: ſin autem non, venundetur. Si idem venundatus furtum commiſerit, legibus ſervorum ſubjaceat. Si ſecundò, ſimili legi ſubjaceat. Si verò tertiò, diſpendio vitæ dijudicetur.

Comites, quod regis eſt, apud ſe non detineant.

410 CAP. XLII. Si quis comitum partem regis defraudaverit, reddat fraudem, & duplo componat. *Lex hæc, cujus ſanè pœna levior eſt, quàm pro ſimili crimine paſſim infligitur, non exactè exponitur in titulo ad marginem dato.*

De contemptu ... juſti judicii comitis.

411 CAP. XLIII. Si quis militum judicium à ſuo comite rectè judicatum ſpernens, ad regem appellaverit, cupiens comitem ſuum reddere injuſtum, ſit debitor decem penſarum auri ſuo comiti.

F

De reſtituenda re militibus &c. Promiſſum cadit in debitum.

412 CAP. XLIV. Si quis comitum, inventa aliqua occaſione, quid injuſtè militi abſtulerit, reddat, & inſuper ex proprio tantumdem ſolvat.

413 CAP. XLV. Si quis autem militum, ſuum ſpontaneum donum dicens ſibi vi ablatum, mendax extiterit, & hoc careat, & inſuper tantumdem ſolvat. *Titulus ad marginem poſitus non ſatis explicat finem hujus legis, quia potiùs eſt pœna mentientium aut calumniantium.*

De his, qui hominem gladio occiderint.

414 CAP. XLVI. Si quis hominem gladio occiderit, eodem juguletur gladio. *Ad hanc & ſequentes leges refertur caput 33: ex quo intelligimus, haſce veriſimiliter prius eſſe compoſitas.*

De debilitatione membrorum gladio facta.

415 CAP. XLVII. Si quis autem gladio evaginato alium quemlibet debilitaverit, vel in oculo, vel in pede, vel in manu, conſimile ſui corporis damnum patiatur.

De eo qui gladio percuſſus vulnus accepit.

416 CAP. XLVIII. Si quis verò gladio vulneravit aliquem, & vulneratus de eodem vulnere ſanus & incolumis evaſerit, homicidii compoſitionem vulneris illator componat.

417 CAP. XLIX. Si quis furore repletus evaginaverit

A ginaverit gladium, & tamen non læſerit, pro ſola evaginatione medium homicidii compoſitum ſolvat. *In editione Sambuci pœna ſic habetur :* Homicidii compoſitum ſolvat, *omiſſa voce* medium.

De gladii evaginatione ſine vulnere.

418 CAP. L. Si quis ſervorum curiæ regali vel comitis præficitur, ejus teſtimonium inter comites recipiatur, ſi ſervus ſeniorem, vel ſerviens ſuum comitem interfecerit. *Ad hæc editor :* Quòd officiales dominorum & nobilium in ferendo teſtimonio nobilibus æquiparentur, hinc manavit.

De teſtimonio ſervorum.. curiæ præpoſitorum.

419 CAP. LI. Si quis in regem aut regnum conſpiraverit, refugium nullum habeat ad eccleſiam. Si quis contra regis ſalutem aut dignitatem quolibet modo aliquid conſpiraverit, aut conſpirare aliquid tentaverit, ſeu tentanti ſcienter conſenſerit, anathematizetur, & omnium fidelium communione privetur. Vel ſi quis hujuſmodi aliquem noverit, & probare valens non indicaverit, prædictæ ſubjaceat damnationi. *In titulo ad marginem pro* & reginam *legeretur rectiùs* & regnum, *uti patet ex ipſa lege, & conſentit editio Sambuci.*

De conſpiratione contra regem & reginam.

B 420 CAP. LII. Si cui Deus decem dederit in anno, decimam Deo det. Et ſi quis decimam ſuam abſcondit, novem ſolvat. Et ſi quis decimationem epiſcopo ſeparatam furatus fuerit, dijudicetur ut fur, ac hujuſmodi compoſitio tota pertineat ad epiſcopum.

De decimatione.

421 CAP. LIII. Si quis verſutus alicui comitum, vel alteri perſonæ fideli dixerit. Audivi regem ad perditionem tui loqui, & hic inventus fuerit, pereat.

De calumniatoribus aulæ.

422 CAP. LIV. Si quis inter duos comites mendacia protulerit, tacereque eos deprecatus fuerit, ut aſtutiâ diaboli ab invicem eos ſepararet; ſolvat duas compoſitiones fallacis linguæ pro reatu mendacii. Si uni ſoli adulatus fuerit, privetur linguâ.

De his, qui mendacia inter duos aulæ familiares aſtruunt.

423 CAP. LV. Si quis illorum, qui vulgò Uduornic vocantur, furtum commiſerit, lege liberorum dijudicetur. Teſtimonium autem ejus inter ipſos non recipiatur *. *Vox* Vduornic *apud Sambucum ſcribitur* Vdwornyck. *Pro interpretatione ad marginem notatur*, libertinus nobilis prædialis. *Hiſce tandem additur :* Explicit Decretum ſancti Stephani regis, promulgatum Strigonii (al. Tulnæ) anno MXXXV. *Verùm de anno promulgationis non certò conſtare, jam antè monui. Itaque ad poſtrema Sancti geſta & beatum ipſius obitum progredior.*

De furto Vduornicorum, *id eſt, libertinorum.* * *al.* recipiant

C

§ XXXV. Ultimus Sancti morbus : conſpiratio in vitam ipſius detecta : poſtrema monita, pius obitus & ſepultura.

Sanctus morbo correptus detegit & punit conſpirationem quorumdam :

CArthuitius *num.* 29 *deſcribit poſtremum ſancti Regis morbum, narratque inſidias ipſius vitæ eo tempore ſtructas. Eadem commemorat Bonfinius pag.* 184 *his verbis :* Ipſe tanto corporis languore correptus eſt, ut ne pedibus quidem ſtare poſſet : quare aliquanto remiſſiùs regnum gerere videbatur. Hinc proceribus quatuor, qui adhuc prophanâ cordis perfidiâ laborabant, ſuſcitatur audacia, conſiliumque adoriendi regis ineunt, rati morte regia ſe non modo Ungaros in priſtinam immanitatem revocaturos, verùm etiam tyrannidem facilè aſſecuturos. Ex compoſito ex his unus, imminente veſpera, antequam lucernæ adhiberentur, tecto gladio in cubiculum regis clàm ingreditur. Dum cauto gradu, ubi ille recumberet, inter tenebras percontaretur, neſcio quò gladius incuria decidit, fragoremque non parvum edidit. Rex inquiſitâ ſtatim caſus hujuſce causâ, quamvis divinitus admonitus non ignoraret : emiſſarium tamen advocat. Quid ſibi velit, interrogat. At ille mox ingenti pœnitentia & ingenua confeſſione correptus, rem univerſam, proſtrato ante pedes corpore, retegit : amplexus genua multis veniam lacrymis precatur. Rex ejus obſecratione victus, conceſſa impunitate dimiſit. Ejus edicto in conjuratos ſubinde quæſitum, de quibus re comperta, pœnæ legitimæ ſunt exactæ.

AUCTORE J. S.

425 *Monita ſub finem vitæ convocatis proceribus data poſt Carthuitium exponit Bonfinius pag.* 184 *in hunc modum :* Ingraveſcente indies ægritudine, inopinata febris inceſſit, quam quum ſibi vitam propediem correpturam intelligeret, pontifices ac proceres omnes acciri jubet. Ad quos imprimis de rege eligendo, deinde de fide conſervanda retulit : quin & pientiſſima omnes admonitione inſtituit, ut initam Salvatoris noſtri fidem pertinaciſſimè retinerent, colerent juſtitiam, concordiam ſimul & pacem amarent, mutua inter ſe charitate certarent, nihilque ducerent antiquius, quàm in Chriſtiana fide verſari, eam ſanctitate armiſque tueri, malle mori, quàm falſa vanaque numina colere, ab humano ſanguine, item furtis, latrociniis, & omni denique vi manus abſtinerent, divina præcepta ſummo ſtudio obſervarent; ita demum viverent, ne quid Deo charius haberent, operamque pro virili quiſque ſua ſemper darent, ne qua Deum hominemque capitali injuria lædereat, cum finitimis quietè viverent, & regum edicta pontificumque decreta præſtarent. Ad poſtremum baſilicas & univerſa collegia ſacerdotum, item regnum animamque ſuam cum univerſa fidelium multitudine, profuſis lachrymis, & elatis in cœlum manibus, in concione divæ Genitrici perpetuæ Virgini, ac unicæ Ungarorum dominæ, deæque inſtantiſſimè commendavit.

poſtrema ſubditis ſuis dat monita, ac regnum beatæ Virgini commendat.

E

426 *Deinde idem ſcriptor piam Sancti mortem commemorat his verbis :* Inſtabat dies auguſtæ Virginis, quo inter Divos relatam dicimus. Hunc noviſſimum vitæ diem Stephanus ex voto optarat, & cum ſumma contentione à Numinibus implorârat, ut pari cum ea die in cælum referri videretur. Compos tandem voti inter cœtum pontificum & ſacerdotum coronamque procerum ſacris ritè peractis, à Salutis anno trigeſimo quarto ſupra milleſimum, regni verò trigeſimo ſeptimo animam efflavit, ab omnibus perpetuo deſiderio deploratus. *Hunc annum emortualem Bonfinius haud dubiè ex Carthuitio deſumpſit, errantemque ſecutus eſt, prout aliàs rectè ſcribentem ſequitur. Rectiùs annum* S. Stephani *emortualem expreſſit Thuroczius, ſic ſcribens cap.* 34 : Beatus autem rex Stephanus, ſanctitate & gratiâ plenus, ſecundum quoſdam, quadrageſimo ſexto, ſecundum autem Hiſtoriæ in ejuſdem laudem ab Eccleſia editæ veritatem, triceſimo ſeptimo ſui regni, Dominicæ autem Incarnationis milleſimo triceſimo octavo anno, in feſto Aſſumptionis beatiſſimæ Mariæ ſemper Virg-

F

pie moritur in ipſa feſtivitate Virginis Aſſumptæ.

AUCTORE J. S.

Virginis, à præsenti sæculo nequam eripitur & sanctorum angelorum consortio adjungitur. *Eumdem mortis annum assignat Ranzanus, qui sic habet :* Tandem omnibus ægritudinum molestiis atque doloribus magno animo mirâque patientiâ superatis, anno humanæ salutis tricesimo octavo supra millesimum piissimè mortuus est, XVIII Calendas Septembris : quo die celebratur ab Ecclesia Christiana solennitas Assumptionis beatæ Mariæ Virginis.

anno 1038, *ubi Hungaris præfuerat*

427 *Porrò* Stephanum *obiisse anno* 1038, *varii auctores coavi aut suppares unanimiter tradiderunt, videlicet Wippo in Vita Conradi, in Chronicis verò Marianus Scotus, Hermannus Contractus, Albertus Stadensis, Annalista Saxo, aliique plures, quorum non lubet catalogum texere Consentit hisce etiam Ms. Mellicense, his verbis mortem referens :* Anno Dominicæ Incarnationis MXXXVIII, Indictione VI, Henrico Romanorum augusto, anno autem imperii sui XXXVIII Calend. Septembris obiit. *Duo in hisce sunt corrigenda, primò Henricus eo tempore non imperabat, sed Conradus, qui inter duos Henricos fuit medius. Secundò dies emortualis non rectè*

B

assignatur, atque id contigit verisimiliter vitio transcribentium, qui omiserint numerum XVIII *ante vocem* Calend. *: nam & alia menda non pauca in eodem apographo reperiuntur. Annus verò obitûs, & Indictio rectè designantur. Quod spectat ad annos regni, quam illi varie & mendosè numerentur, ex dictis satis patet. Factum id est, cùm quia scriptores Hungari, quos citavimus, accurati non sunt in chronologia, tum quia anni ipsius regni variè revera inchoari possunt ; nimirum primò ab obitu Geysæ, qui incidit in annum* 997, *atque ita mortuus est* Stephanus *anno principatus sui quadragesimo secundo, si Geysa obierit ante diem* XV *Augusti anni* 997 ; *si verò post illum diem mortuus sit Geysa, obiit* Stephanus *anno principatûs quadragesimo primo, soque ferè completo.*

ad annos circiter 41, *& regnavenat ad annos ferè* 38.

428 *Secundò anni illi possunt numerari ab accepta corona regia per legatum suum. Astricum, quod contigit anno* 1000, *die* XXVII *Martii ; & sic currebat annus regni trigesimus nonus, dum obiit Sanctus. Tertiò inchoari potest numerus annorum regni à die solemnis coronationis in Hungaria. Coronationem autem hanc Inchofer ad annum* 1000 *affigit diei* XV *Augusti, seu festivitati Assumptæ in cælum Virginis. Si hæc vera est sententia, rectè in Ms. Mellicensi dicitur defunctus anno regni sui trigesimo octavo, qui eodem die complebatur à coronatione. Ignoro quidem, utrùm Inchofer aliquo monumento antiquo, an merâ conjecturâ fretus, coronationi assignaverit prædictum diem. Verùm, cùm Astrico Româ redeundum fuerit in Hungariam, indeque Hungariæ proceres convocandi, ceteraque expedienda ad solemnitatem, credibile est, coronationem non esse peractam ante mensem Augustum ; cúmque Rex sanctus Dei Genitrici esset devotissimus, non est improbabile, præcipuam ejus festivitatem à* Stephano *electam esse, ut in ea coronam regiam solemni ritu acciperet. Verumtamen nec auctoritas Inchoferi, nec allatæ rationes mihi sufficiunt ad statuendum aliquid certi. Id igitur solùm dici pro certo potest, Sanctum Hungaris præfuisse annis circiter quadraginta & uno, regnasse verò annis præterpropter triginta octo ; atque universim vixisse annis quinquaginta & quatuor aut quinque. Chronologi*

C

quidam paulo remotiores, qui cum dictis non congruunt, contemnendi potiùs hîc sunt, quàm prolixius refutandi.

D

Sepultus est magno honore in ecclesia Albæ Regalis,

429 *De sepultura Ms. Mellicense breviter hæc subjungit :* Et in basilica Virginis Mariæ, quam pretioso opere consummavit, honorificè est sepultus. *Bonfinius uberiùs pag.* 185 *de exsequiis scribit sequentia :* Ad celebrandas divi Regis exequias non solùm ex universa Pannonia Daciaque, verùm etiam è finitimis populis multi convenêre, ut singulari pompa funus efferretur. Corpus, succollantibus pontificibus supremisque magistratibus, Albam delatum. Quum nondum divæ Genitricis basilica ritè sacrata foret, metropolita cum pontificibus & collegiis sacerdotum priùs eam ex more dicârunt. Mox in medio templi marmoreo sepulcro condidêre, ritéque inter Divos retulêre. Vix condito corpore, innumera ad ejus aram multitudo confluxit vota nuncupantium, graviter languentium : multi tamen, cunctis mirantibus, voti compotes Deoque gratias concinentes rediere. Complura diu miracula ad ejus aram edita : ibi angelorum concentus nocte sæpiùs auditi. *Cetera rectè expressa ; at duo corrigenda : nam cùm populum ex universa Dacia confluxisse scribit, intelligenda non est tota Dacia, sed Transilvania & pars Hungaria, non Valachia aut Moldavia. Alter gravior est lapsus : nullo enim modo verisimile,* Stephanum *mox inter Sanctos relatum, uti asserit scriptor hic justo liberior in similibus. Neutrum est in Carthusitio, qui num.* 32 *de aliis consentit.*

E

beatæ Virgini dicat quam ipse construxerat.

430 *Ranzanus de sepultura sic habet :* Sepultus est in Albensi illa basilica, quam ipse, ut antè dictum est, in ejusdem beatæ Virginis honorem erexerat, ubi & beatum Emericum ejus filium sepeliri fecerat, structo illi regii operis sepulcro, in quo requiescit. Claruit post mortem innumeris miraculis, quæ commemorare non est mei instituti . . . Ob ipsius obitum omnis Hungaria multis annis incredibili fuit affecta mœstitiâ : qui enim sub tanto Rege aurea sæcula rediisse in Hungariam, antequam extingueretur, gloriabantur : in multa postea rerum discrimina inciderunt. *De sepultura, miraculis & luctu Hungarorum Thuroczius cap.* 34 *ita loquitur :* Sepultus est autem in basilica Albensi, quam ipse in honorem sanctissimæ Genitricis Dei semper Virginis Mariæ construxerat ; ubi multa signa & miracula fiunt, intervenientibus meritis ejusdem sanctissimi Regis Stephani . . . Confestim quoque totius cithara Hungariæ versa est in luctum ; & omnis populus regni, tam nobilis quàm ignobilis, simul in unum dives & pauper, planxerunt super morte sanctissimi Regis, piissimi Patris pupillorum, lacrymis uberrimis & ululatibus plurimis : juvenes & virgines præ tristitia & mœrore squalidis induti per triennium choream non duxerunt ; & omnia genera musicorum dulcisona siluerunt ; planxeruntque eum planctu cordis fidissimi ; eratque planctus magnus & inconsolabilis. *Hactenus ille de planctu, forsan non sine exaggeratione : nam facilè quidem crediderim luctum maximum fuisse ; at eum durâsse cum dictis cæremoniis per triennium persuadere mihi non possim.*

F

* * * *
* * *
* *
*

A

§ XXXVI. Succeſſor Stephani Petrus, ipſius ex ſorore nepos: excutiuntur calumniæ hac occaſione conjectæ in Giſelam reginam, & reliqua de Giſela inveſtigantur.

Stephanus ipſe ſucceſſorem ſibi voluit Petrum:

TEſtatur Carthuitius *num.* 30 Stephanum *in ſupremo morbo ſuo cum proceribus regni tractâſſe* de ſubſtituendo pro ſe rege; *at non indicat, an Sancti voluntas in ſucceſſoris electione prævaluerit. Verùm Mellicenſe apographum, extra ordinem atque ante ipſam præfationem quædam memorans de ſuprema Regis ægritudine, clarè indicat, quem ſibi ſucceſſorem deſideraverit Sanctus: nam, relata epiſcoporum & procerum convocatione, cum eis* Primùm, *ut ibi legitur*, tractavit de ſubſtituendo rege pro ſe, Petro videlicet ſororis ſuæ filio, quem in Venetia genitum, ad ſe vocatum, jam dudum exercitui ſuo præfecerat ducem: deinde monuit illos paternè fidem orthodoxam ſervare. *Ex hiſce verbis manifeſtè patet, cujus maximè conſilio ad regnum evectus ſit Petrus*, Stephani *ex ſorore nepos, de cujus electione alii etiam ſcriptores conſentiunt. Wippo contemporaneus ſcriptor in Vita Conradi Salici ad annum* 1030 *breviter ſic habet:* Eodem anno Stephanus rex Ungarorum obiit, relinquens regnum Petro filio ſororis ſuæ. *In fuſiori Chronico Hermanni Contracti ad eumdem annum hæc legunitur:* Ipſo anno Stephanus Ungariorum rex, .. Petrum ſororis ſuæ filium, de Venetia natum, pro ſe regem conſtituens, obiit. *Hæc omnia inſinuant, ipſum* Stephanum *auctorem fuiſſe, ut Petrus ſibi eligeretur ſucceſſor. Id aliunde etiam veriſimile eſt, tum quia nepos Sancti erat ex ſorore, tum quia patre Chriſtiano natus, ita ut religio, recenter in Hungaria plantata, tutiùs ei committi poſſet, quàm Hungaris ipſis, de quorum conſtantia in fide fortaſſe minùs confidebat Sanctus.*

B

C

Thuroczius malis Giſelæ artibus attribuit promotionem Petri,

432 *Nihilominus Thuroczius cap.* 34 *malis reginæ Giſelæ artibus attribuit promotionem Petri, & cap.* 33 *aſſerit*, S. Stephanum *ad regnum promovere voluiſſe patruelem ſuum Vazul, quem Hungari aiunt fuiſſe filium Michaëlis, qui frater erat Geyſæ. Audi ipſa ejus verba:* Interim verò (*Stephanus*) viribus corporis cœpit deſtitui, & languore graviſſimo ſe gravatum ſentiens, miſit feſtinanter nuncium, ſcilicet Budam filium Egruth, qui Vazul patruelis ſui filium, quem recluſerat rex propter juvenilem laſciviam & ſtultitiam, ut corrigeretur; de carcere Nitriæ educeret & ad ſe duceret, & eum antequam moreretur, regem conſtitueret. Audiens autem hoc Keiſla regina, iniit conſilium cum Budæ * viro nephando. Et feſtinantiſſimè miſit nuncium, nomine Sebum, filium ipſius Buda, ad carcerem, in quo Vazul detinebatur. Sebus itaque præveniens nuncium regis, effodit oculos Vazul, & concavitates aurium ejus plumbo obturavit, & receſſit in Bohemiam. Poſt hunc autem veniens nuncius regis, vidit Vazul oculis orbatum, in eiſdemque oculis vulneratis duxit ad regem: quem ſanctus Stephanus rex videns tam miſerabiliter deſtructum, in nimias erupit lachrymas:

* Buda

ſed impediente ægritudinis moleſtia, debitam pœnam malefactoribus inferre non potuit. Convocatis itaque filiis Calvi Ladiſlai patrui ſui, ſcilicet Andrea, Bela & Leventa, conſuluit eis, ut quanto citiùs poſſent, fugerent, ut ſic ſibi ſalutem & corporum ſuorum ſervarent integritatem. Illi igitur ſalubri conſilio ſancti Regis acquieſcentes, à facie malorum & dolorum in Bohemiam fugerunt. *Auctor inconſtans duos hîc committit errores genealogicos: nam ex propriis ipſius verbis cap.* 27, Michaël (*frater Geyſæ*) genuit Calvum Ladiſlaum & Vazul. *Itaque Vazul erat patruelis* Stephani, *non patruelis filius; &* Calvus Ladiſlaus *ſimiliter erat patruelis, non patruus.* AUCTORE J. S.

433 *Non minùs acerbè in Giſelam reginam, quam* Keiſlam *nominat, idem auctor invehitur cap.* 34, *ubi poſt relatam Regis mortem hæc ſubdit:* At regina Keiſla cum Buda ſatellite ſcelerum Petrum Alamannum, vel potiùs Venetum, fratrem reginæ præficere ſtatuerunt: hoc intendentes, ut regina Keiſla motus ſuæ voluntatis pro libitu ſuo poſſet complere, ut regnum Hungariæ, amiſſa libertate, Theutonicis ſubderetur ſine impedimento. *Non ignoravit Bonfinius talia ſcripta fuiſſe in Hungarorum Annalibus, ſed plenam non adhibuit fidem, nec tamen ut falſa prorſus abjecit. Audi ipſum pag.* 185: Sed priùs quàm ad cætera ſectatur oratio, illud interjiciendum cenſeo, quod de ſubſtituendo novo rege Ungari Annales referunt, à cæteris ſcriptoribus prætermiſſum. *Deinde verò, narratis planè iiſdem de Giſela artibus, quæ ex Thuroczio mox dedi, ita dubitationem ſuam exprimit:* Admiranturque plerique, quòd Ungarorum Annales referunt, Gyſlam tantum facinus fuiſſe auſam; quum omnes planè ſcriptores ſanctiſſimam mulierem, & divo Rege ac fratre imperatore non indignam affirment. Quare ſi utrorumque ſcripta tueri volumus, duas uxores Stephanum duxiſſe cogimur affirmare; & utrique Gyſlæ fuiſſe nomen: unam, eamque ſanctiſſimi Henrici ſororem: alteram verò Guilielmi filiam, qui ſancti Sigiſmundi frater fuit, & è Burgundienſium ducum familia prodiit: atque diverſis utramque moribus fuiſſe aſſeverabimus *&c. Ita Bonfinius dubitanter, ut dicta Thuroczii cum vera hiſtoria conciliet.*

de quo dubitans Bonfinius, duas Giſelas comminiſcitur:

D

E

F

verùm duplex Giſela regina ineptè fingitur, & tota Thuroczii relatio eſt incredibilis,

434 *Verùm hæc conciliatio nec vera eſt, nec ſcitè excogitata, cùm S. Sigiſmundus multis ſeculis eſſet defunctus, & Guilielmus ille Burgundus ſit incognitus, ut dixi num.* 177. *Vera autem eſſe nequit ipſa relatio Thuroczii, cùm ſatis oſtenſum ſit num.* 431, Stephani *ipſius conſilio Petrum electum eſſe, non fraude aut dolo Giſelæ. Imò ne veriſimilia quidem narrat Thuroczius: primò enim veriſimile non eſt, ſanctum Regem voluiſſe, ut Vazul ad regnum promoveretur, ſi hunc* ob juvenilem laſciviam & ſtultitiam *tenebat recluſum. Nihilo magis veriſimile eſt, Giſelam tantæ fuiſſe potentiæ & auctoritatis, ut auderet aut poſſet oculos curare eruendos illi, quem Rex ipſe ſibi ſucceſſorem deſiderabat. Rurſum incredibile eſt, Hungaros fuiſſe conſenſuros in electionem Petri, ſi corona Hungariæ tanto ſcelere ei fuiſſet quæſita: nam, orbato oculis Vazule, ſuperverant alii ex poſteris Michaëlis, nimirum Andreas, Bela & Levanta, quorum duo primi regnum deinde adepti ſunt. Attamen regnum pacificè obtinuit Petrus, nec ullus procerum Hungarorum initio ſe ejuſdem electioni oppoſuiſſe videtur, uti colligo non ſolùm ex allatis teſti-*

AUCTORE J. S.

moniis, ſed etiam ex Vita S. Gerardi jam antè laudata, in qua poſt relatam Stephani *mortem hæc leguntur:* Rex Petrus ſucceſſit, cui cùm omnis Pannoniæ principes fidem ac dilectionem conjuraſſent, unus ex eis (*poſt triennium*) dejecto rege, regalem cathedram injuriosè uſurpavit: quo regnante, ſicut Propheta ait, Sanguis ſanguinem tetigit, peccatum peccato adauctum eſt.

ita ut vel tota ſit fictitia, vel ex erroribus nata.

435 *Itaque prorſus mihi perſuadeo, aut mera eſſe figmenta, quæ narravit Thuroczius de excæcatione Vazulis, aut craſſis erroribus involuta; etiamſi non ignorem eadem ferè legi apud Dlugoſſum ad annum* 1038. *Si Vazul oculis in carcere privatus eſt, vivente* Stephano; *dubitare nequeo, quin eam pœnam incurrerit ob grave aliquod crimen, ac jubente ipſo* Stephano, *ſeu quòd in vitam ipſius conſpiraſſet cum palatinis illis, quorum crimen Carthuitius narrat num.* 29, *ſeu quòd ritus paganorum reſtituere voluerit in Hungaria. Si verò Vazul innocens eam calamitatem ſuſtinuit, crediderim potiùs id contigiſſe ſub uno è poſteris regibus, ſub quibus multum innocui ſanguinis effuſum eſt. De hiſce tamen nihil certò ſtatui poteſt, niſi unum iſtud, nimirum credibilia non eſſe, quæ de Giſela molitionibus tradiderunt Hungari poſteriores, quæque hoc tempore ne ipſis quidem Hungaris veriſimilia videntur, quantùm opinor. Brunnerus in Annalibus Boicis part.* 2 *lib.* 5 *ad annum* 1038, *refutatis ſimiliter dictis Thuroczii de Giſela, ſubjungit:* Pater (*Emerici, Stephanus*) moriens Petrum ſororis ſuæ filium, inter Venetos natum, hæredem ſcripſit. Giſelæ fortuna ex eo tempore obſcurior: comperta teſtataque ſuo loco prodemus.

B

*Brunnerus ſcribit, Giſelam vexatam fuiſſe à Petro rege, * patrui*

436 *Deinde de vexata per Petrum regem Giſela ad annum* 1042 *ſic habet:* Petrus is fuit, quem Stephanus Ungariæ rex vivus etiamnum regno impoſuerat, firmandæque poſſeſſionis causâ, fratris * ſui filium (*Vazulem deſignat*) eidem imminentem oculis, filios ejus patriâ multaverat; haud aliam pro his tam inſignibus benevolentiæ documentis vicem repoſcens, quàm ut Giſelæ conjugis, ſi quid ſibi humanitus contigiſſet, ſuperſtitis rationem, quam par eſſet, haberet... Petrus prolixè omnia pollicitus, vixdum elapſo à Stephani morte anno, cum ſimulato luctu fidem curamque Giſelæ poſuit; & ex tutore prædo factus, cultum ei à Marito relictum, vitæque non ornamenta modò, ſed etiam ſubſidia, miſeræ abſtulit; & liberæ cuſtodiæ anguſtiis circumſcriptam non ſatis habuit arcere publico, ſed etiam familiarium congreſſu & alloquio excluſit. Proceres indignam reginæ ſortem miſerati, regem officii ſui datæque fidei admonuêre.... Surdum ad has voces execrati, quòd obſideri aures illius à Budone nequiſſimo palatinorum ſatis ſcirent, eum ad necem depoſcunt, regeque contrà hiſcere non auſo, fruſtillatim concìdunt: liberis ejus oculos excludunt. Rex ſe proximum eſſe, in quem ira verteretur, metuens, quòd reliqui nihil videret, fugâ ſibi conſulit. *Hæc ſanè multùm differunt à dictis Thuroczii; at fateor, me ignorare, quàm ſint certa; cùm ad marginem citet Chronicum Altahenſe mihi planè ignotum.*

C

Itaque Hungariâ egreſſam: volunt alii, Patavie ab-

437 *Idem ſcriptor ad annum* 1045, *narrata reductione Petri regis in Hungariam per Henricum imperatorem, de Giſela hæc addit:* Abeunti (*Henrico*) Pannoniâ Giſelam Stephani regis viduam adhæſiſſe, Aventinus ſcripſit: ætatis reliquum collocare in tuto, & bis ictam effugere tertium fulmen voluiſſe, credibile fit; & mauſoleum illius, quod Paſſavii oſtenditur, argumento eſt in Boica deceſſiſſe. *Aventinus Annalium Boiorum lib.* 5 *pag.* 324 *de Giſela ſic habet:* Cæſar (*Henricus Conradi filius*) ex Ungaria reverſus, ... ſecum Giſalam reginam, uxorem divi Stephani abducit; Bathaviæ *, ubi in templo ſacratarum fæminarum ejus mauſolæum oſtenditur (*&*) ab Ugris (*id eſt, Hungaris*) venerabundis aditur, collocavit. *Hundius in Metropoli Salisburgenſi tom.* 2 *pag.* 585 *agens de monaſterio Niderburgenſi Pataviæ, de poſtremis Giſelæ geſtis & loco ſepulturæ tradit ſequentia:* Ibidem anno MXCV, Nonis Maii, obiit Gyſala, S. Henrici imperatoris ſoror, uxor Stephani regis Ungariæ, abbatiſſa ſecunda hujus loci, hîc ſepulta adito dextro latere, quæ tam Viro quàm filio orbata Pataviam in hoc monaſterium venit, in quo primùm habitum monaſticum aſſumpſit, paulo pòſt abbatiſſa deſignata, monaſterium præclarè illuſtravit & auxit. *Gewoldus, qui edidit notiſque illuſtravit Opus Hundii, pag.* 588 *dubitat, an Giſela ibidem abbatiſſa fuerit, & addncit verba Aventini mox data. Mabillonius tom.* 4 *Annalium pag.* 422 *de hiſce judicium ſuum declarat his verbis:* Ceterùm Giſla ſeu Giſala, Stephani piiſſima conjux, ſancti Henrici imperatoris ſoror, ... Patavii in Niderburgenſi Baioariæ parthenone monaſticum habitum induiſſe dicitur, ibique abbatiſſæ officium geſſiſſe poſt Heilkam, amitam ſancti Henrici imperatoris, illudque monaſterium præclarè adminiſtrâſſe, illuſtrâſſe & auxiſſe: at quòd anno MXCV obiiſſe dicitur, ultra fidem eſt; aliàs pluſquam centenaria fuiſſet. *Correctio hæc ſatis eſt certa, modò reliqua non vacillent: nam ſcripſerunt aliqui, Giſelam in Hungaria obiiſſe, uti agnoſcit Hanziſius tom.* 1 *Germaniæ ſacræ pag.* 245, *horum tamen opinionem repudians.*

D

batiſſam factam, ibique ſepultam:

* Paſſaw

E

memoria ejus recentioribus Faſtis addita; at cultus minimè probatus.

438 *Ceterùm, quandoquidem Faſtis ſacris inſerta eſt Giſelæ memoria à neotericis quibuſdam, quæri hîc poteſt, an cultu eccleſiaſtico ſit ornata. Majores noſtri in Prætermiſſis ad diem* VII *Maii memorarunt ſequentia:* Giſala, ſoror S. Henrici imperatoris, regina Hungariæ, uxor S. Stephani, mater S. Emerici regum, cum titulo SANCTÆ refertur à Ferrario in Catalogo generali, & ab Arturo du Monſtier in Gynæceo ſacro; at cum titulo BEATÆ à Dorganio & Bucelino, quia poſt obitum mariti fuit abbatiſſa Ordinis Benedictini. Interim à Menardo ſolùm VENERABILIS appellatur, & à Radero proponitur in Bavaria pia. De ea agendum erit in Vita S. Stephani regis & mariti. *Hæc Henſchenius, verba eorum referens, ſed non approbans, ac ſimul ſatis innuens, ſibi non conſtare de legitima veneratione, de qua nihilo magis hodieque nobis compertum eſt. Quin potiùs Mabillonius in Actis Benedictinis ſeculo* 6 *part.* 2 *pag.* 894, *relatis iiſdem martyrologis, quibus addit Wionem in Ligno Vitæ, Giſelæ elogium concludit his verbis:* Illud unum certum eſt, nullum ei ab Eccleſia publicum cultum decretum fuiſſe, quamvis ex Aventini loco ſuprà laudato pateat, ejus ſepulcrum pietatis causâ à fidelibus eſſe frequentatum. *Dubito an illa ipſa ſepulcri frequentatio ſatis ſit certa, licèt tradita ſit ab Aventino: nam aliam eſſe aliorum ſententiam, ſuprà obſervavi.*

F

A

§ XXXVII. Elevatio corporis, regnante S. Ladiſlao facta; multaque miracula circa idem tempus patrata.

Corpus Sancti elevatum juſſu Pontificis, ac præſente S. Ladiſlao,

SI *epocha Carthuitii & Bonfinii exacta ſit, corpus* S. Stephani *ſine cultu eccleſiaſtico ſepultum jacuit annis quadraginta & quinque, ac deinde honorificè elevatum eſt, jubente ſummo Pontifice, ac præſente S. Ladiſlao Hungariæ rege, nec & aliorum quorumdam Sanctorum Hungariæ corpora ſub ejuſdem Ladiſlai regno ſimiliter ſunt elevata. Porrò quod aſſerunt Carthuitius & Bonfinius, corpus* S. Stephani *aliorumque elevatum eſſe juſſu Romani Pontificis, confirmatur ex Vita S. Gerardi martyris, in qua ſub finem leguntur ſequentia :* Ubi (*ad ſepulcrum Gerardi*) multæ gratiæ Catholicis viris emptæ

B ſunt ; tamen non evidenter uſque ad tempora Ladiſlai regis atque pontificis Laurentii, qui ab tanto viro (*Gerardo*) quintus accepit cathedram. Præfati denique regis tempore à ſanctæ Romanæ Eccleſiæ ſynodo inventum eſt, ut corpora eorum, qui Pannoniam fidei prædicatione rigaverunt, deberent ſummo honore venerari, & ea dignis ſedibus collocari. Venienteque Sedis Apoſtolicæ legato, factoque nobilium Pannoniæ conventu, ſanctum corpus elevatum eſt. *Quod hîc dicitur de legato Apoſtolico, omiſſum eſt à Carthuitio & Bonfinio ; attamen dubitandum non videtur, quin idem legatus adfuerit elevationi corporis* S. Stephani, *& filii ipſius S. Emerici, cujus corpus eodem regnante Ladiſlao elevatum eſt, teſte Vita ipſius in fine.*

circa annum 1083 :

440 *Annus elevationis non longè à vero abeſſe poterit, ſi ſtatuamus annum circitèr* 1083, *quo complebatur quadrageſimus quintus poſt mortem Sancti. Quippe elevatio facta eſt, dum Salomon rex olim, ac deinde exutus regno, ea occaſione à S. Ladiſlao exemptus eſt carcere, in quo fuerat detentus. Illud non modò affirmant Carthuitius & Bonfinius duobus locis ; ſed etiam*

C *Thuroczius cap.* 56 *carcerem Salomonis ejuſque liberationem ſic narrat :* Cœpit itaque fremebundus (*Salomon*) æſtuanti animo machinari dolos in perniciem innoxii ſanguinis Ladiſlai : ſed incidit in foveam, quam fecit . . . Rex autem Ladiſlaus, deprehenſo flagitio, cepit Salomonem, & in Wyſſegrad retruſit in carcerem . . Et quamvis Salomon in carcere fuiſſet, Ladiſlaus multo magis ei condolebat. Sed poſtmodum Salomon rex dimiſſus de carcere in elevatione corporis ſancti Stephani regis (*&*) beati Emerici confeſſoris *&c. Hanc autem liberationem contigiſſe circa annum* 1083, *colligitur ex iis, quæ præceſſerunt. Ladiſlaus, excluſo ab Hungaris Salomone, poſt mortem fratris Geyſæ regnum adeptus dicitur anno* 1077, quarto *autem* anno regni ſui pacificatus eſt cum Salomone, donans ei ſtipendia ad regales expenſas ſufficientia. *Erat is annus* 1080 *aut* 1081, *quo Ladiſlaus regnum ipſum Salomoni tradere meditabatur, ſi Hungari id non impediviſſent. Secuta deinde machinatio Salomonis contra Ladiſlaum, illiuſque carcer ; quæ ſimul potuerunt biennium aut triennium abſumere, ita ut facilè credi poſſit, elevationem corporis* S. Stephani *contigiſſe anno* 1083, *id eſt, annis quadraginta & quinque poſt mortem, aut certè circa annum* 1083.

AUCTORE J. S.

brevis miracutorum,

441 *Apographum noſtrum Mellicenſe etiam habet corporis elevationem, ſed ſine alia temporis nota, quàm quòd contigerit ſub S. Ladiſlao. Miracula etiam ibidem ſolùm generatim narrantur, aliaque omittuntur adjuncta. Verumtamen hæc Ms. relatio confirmat prolixiorem aliorum narrationem, cui nullo modo repugnat. Verba igitur manuſcripti accipe :* Multis igitur annorum curſu labentibus, ſeu propter exabundantem populi malitiam, ſeu propter aliquam diviſionem in Eccleſia, theſaurus tantæ pecuniæ * interea latuit, & mortalium cognitioni occultus, ſolius oculis Domini apparebat : ſed volens ejus incomprehenſibilis bonitas, quanti eſſet apud Deum præmii, revelare, dedit illi gloriam in conſpectu hominum, clareſcente miraculorum frequentia : & ſicut laude & cantico ſibi in cœlis aſſiſtebat, ita eum laude & cantico ſuæ Eccleſiæ dignè memoriterque in terris decoravit. Nam ſicut jubar novi luminis ſanctitas ejus in omnem circà regionem reſplenduit ; & tamquam ſuavitas odoriferi unguenti audientium corda replevit. Fluebant * omnes diverſi languoris homines, qui antidoto pietatis ſuæ attacti curabantur : & qui corruptionis plagâ penè defecerant, in ſolidum aſtricti revertebantur.

* tanti pretii

E

* affluebant

& elevationis narratio.

442 Præſidente in regni ſolio Ladiſlao, piæ memoriæ rege, epiſcopi & abbates, & qui præerant in regimine ſanctæ Eccleſiæ, animadvertentes ſanctitatem ejus ſignis teſtantibus, communi decreto triduani jejunii indixerunt afflictionem : epiſcopi orationibus vacantes, viſitationem ſupernæ clementiæ in plebem exſpectabant. Poſtea corda tollentes ad Deum, hymnorum vocibus reſonuerunt in confeſſione ſui nominis ; ſicque venerunt ad locum, ubi ſanctiſſimum corpus claudebatur : quem ſolventes aperuerunt ; tantaque odoris diffuſio aſcendit, quanta numquam aſtantibus apparuit : ac omnium, qui illuc occurrerant, membra languidorum curata ſunt : cæci lumen, claudi plantarum ſoliditatem, leproſi mundam cutem, paralytici ſalutem, omneſque, quacumque doloris tenebantur obſeſſione, curam meruerunt. Aſſumpto inæſtimabilis pretii pondere, omnipotenti Deo gratias egerunt, deferenteſque in theca argentea ſignaverunt. *Hactenus breviter illius ſcripti auctor, omittens facta particularia, quæ Carthuitius proſequitur, & partim ex eo, partim ex aliis Bonfinius.*

F

Relatio altera ex Bonfinio : elevatio facta juſſu Pontificis :

443 *Hic pag.* 186 *omnia enarrat his verbis :* Ejus corpus antequam Pontificia ſanctione, vel divina potiùs declaratione extolleretur, annis quinque ibidem jacuit & quadraginta. Demum poſtquam Ladiſlaus, vir Deo devotiſſimus, regno potitus eſt, id auctoritate Apoſtolica ſancitum, & ita diploma in Pannoniam miſſum eſt, ut quicumque primùm in Ungaria Chriſtianæ fidei fundamenta jecerunt, ne legitimo honore defraudentur, omnia corpora eorum, in gloriæ ſpeciem, ſolenni celebratione oſtentarentur, ut hîc inter Divos relatos eſſe credant. Accepto diplomate, Ladiſlaus ejus pronepos, habito optimatum antiſtitumque conventu, tridui cunctis jejunium indixit : omnes hortatus, ut precibus, inediâ, ſupplicationibus, eleemoſynis, auſpicia divina captarent, quibus divinam voluntatem intelligerent. Exacto jejunii tempore, ad divi Regis tumulum perventum eſt : cujus lapidem quum

AUCTORE J. S.

amovere contenderunt, nulla vi loco movere potuerunt. Hoc eo tempore portentum interceſſit, quo exorta inter Ladiſlaum & Salomonem fratrem ſeditione, alter alterius juſſu gravi carcere coërcebatur. Conatus ingens regem fruſtratus, in admirationem ſummam adegit: ac tali oſtenſo deterrebat omnes, qui iratum Numen auſpicabantur. Tunc virgo quædam, Charitis nomine appellata, quæ haud procul à baſilica in Servatoris æde ſanctiſſimè vivebat, repentè Ladiſlaum admonuit, eum fruſtra conari, neque lapidem è tumulo dimoveri poſſe, quouſque frater carcere educeretur. Rex ſacræ virginis oraculo admonitus, Salomonem è vinculis continuò expediri jubet: tridui jejunium iterum indicit: tertio die, ſacris ritè peractis, ſpectante frequentiſſima populorum multitudine, ingens lapis facillimè ablatus eſt. *Hactenus ſatis Carthuitio congruit auctor. At quod ſubdit de corpore è tumulo educto & circumlato per eccleſiam, additicium videtur, & veriſimile non eſt, cùm elevatio poſtea narretur.*

B *aperto ſepulcro, plurima facta miracula,*

444 Corpus divi Regis tumulo eductum, & acclamantibus omnibus per baſilicam circumlatum, mox pro dignitate reconditum: evidentiſſima ſubinde Numinis benignitate, tot edita miracula, ut nemo corpore mancus, aut ægritudine languens, voti impos abierit. Ibi in tanta multitudine cernere erat, ambulare claudos, cæcos inſtauratis luminibus videre, mutos loqui, leproſos paralyticoſque curari, nutantes in fide animos confirmari: omnes denique corporis & mentis ægritudines abigi. Quin & juvenis, qui annis circiter duodecim paralyſi ſolutus, manuum ac pedum carebat officio, carrucâ huc advectus, implorato Numinis auxilio, repentè deſiliit: ac Deo gratias agens, Stephanique laudes proclamans, ad aram per mediam multitudinem repentè cucurrit. Puer ſeptennii nervorum contractione correptus, ad ſepulchrum allatus, diſtentis mox brachiis ac pedibus, expeditus inceſſit. Ladiſlaus autem rex, tot miraculorum ſucceſſu in ſtuporem converſus, mediæ aræ impoſuit, ſacelloque elaboratiſſimo donavit. Jam dudum tanti numinis ſic fama percrebuit, ut ex omnibus Ungariæ finibus languentium agmina feſtinarent. Ex his, qui graviùs laborabant, &

C cunctantiùs venire cogebantur, divum Regem impensè exorantes, in itinere convaluêre, & in teſtimonii ſpeciem ibi lapides in acervos planè congeſſerant.

Inter quæ puer mortuus vitæ redditus: recluſo loculo, odor ſuaviſſimus perceptus,

445 At illud fidem exſuperat: mulieri unicus erat puer, qui repentina morte correptus, animam efflavit: mater Numinis patrocinio freta, immenſo cordis affectu; extinctum filium, in ſancti Regis ædiculam defert, & ea quidem mente, ſe numquam loco moturam, donec ex voto in puerum animam revocaret. *De propoſito mulieris non abeundi, niſi recepto filio, nihil habet Carthuitius: ideoque vanum eſt, quod ſubdit de audacia mulieris his verbis proſequens:* Ne audacem quidem mulierculam fides & ſpes ipſa fefellit: ſacellum ingreſſa tam vehementi obſecratione Numen exoravit, ut ſpectante frequentiſſima hominum turba, mulieris orbitatem deplorantis puer humi porrectus ſubſiliret, & in matris amplexum ſe effuderit. Quanta hinc divo Regi gloria ſucceſſerit, & quantus omnes propter opinionem ſtupor invaſerit, pro ſe quiſque facilè cogitabit. Item poſt Virginis auguſtæ anatheoſin die quinto omnes Ungariæ principes, præterea pontifices, ſacerdotumque collegia, cum Ladiſlao rege religioſiſſimo Albam convenêre, ut in baſilica ſolennia facerent, & pro mortuis parentarent: celebratis mox inferiis, ad ſancti Regis monumentum perventum eſt. Quod ubi regio juſſu præreverenter, exorato priùs Numine, recluſum eſt, tanta odorum fragrantia hinc effluxit, ut univerſam baſilicam veluti cœleſti quodam rore compleret. Deinde quum oſſa tractarent, balſamo quodam delibuta & humecta comperêre. D

& oſſa balſamo multoque liquore delibuta: annulus cùm fruſtra eſſet quæſitus,

446 Lectis ſubinde oſſibus, & in ſyndone reconditis, annulum aureum, vetus ejus geſtamen, in liquore diſquirere occœperunt: quem quum nulla percunctatione, in arca marmorea indipiſcerentur, de hauriendo liquore cogitatum: is ubi exhauriri cœptus eſt, completis pleriſque phialis ac doliis, numquam penitus exantlari potuit. Nam ad ſingulos hauſtus, vi Numinis iſte liquor reparabatur. Quod ubi compertum eſt, quod fuerat exhauſtum, continuò reconditis oſſibus infudêre, & poſt infuſionem liquor ille neque creviſſe neque decreviſſe viſus eſt. Ex invento ibidem theſauro divæ Virginis ara inſtaurata. Quin & paucis pòſt temporibus, eximii principis uxor, cui Mathildi nomen erat, & inteſtinorum dolor tribus annis inceſſerat, hujus famâ commota in Ungariam peregrinatur, atque adito ſacello, mox penitiſſimo cruciatu liberata eſt. Sed ad dextræ annulum redire cogimur. E

Mercurio monacho is mirabiliter traditur cum integra Sancti dextra;

447 Mercurius Ungarico genere natus, & Cathinani Alberti præpoſiti pater, ac baſilicæ Albenſis ædituus, qui vitæ quondam politicæ renunciarat, ut religioni expeditiùs inſerviret, quum Ladiſlaus rex imperaſſet tumulum aperiri, ne quid è ſancti Regis reliquiis ſubtraheretur, cum pleriſque aliis, qui ſepulchro inhæſerant, regio juſſu procul amotus eſt. Is triſti vultu repulſus abiit, & quum monachus eſſet, in ſacrum chorum ſe recepit, ubi quum pudore ſuffuſus graviter angeretur, quod ſanctiſſimum corpus neque videre, neque oſculis attingere potuiſſet, ecce juvenis quidam intempeſta nocte coràm adſtitit, forma incredibili, liberali facie, candidiſſimoque habitu, neſcio quid, byſſo involutum deferens. Accipe (inquit) Mercuri, quod optaſti, & hoc donum precioſiſſimum, quod tuæ fidei committitur, commendatiſſimum habeto, aſſervato diligentiſſimè, & quum tempus dabitur, ipſe depromito. Nocturnis ſacris ritè peractis, Mercurius, petitâ latebrâ, rem traditam explicat, ſancti Regis dexteram & annulum invenit, juxtáque admiratur, ac Numini gratias agit. F

uti is deinde manifeſtat:

448 Is ad Carphatii montis radices ſeceſſit, qui Tranſſylvaniam ab Ungaria dirimit, olimque Ripenſem, citerioremve Daciam, ab ulteriore & Tranſalpina dividebat, ubi cœnobium quoddam ligneo opere confectum gubernaturus erat. Tanto dexteram ſtudio aſſervabat, ut neque ſibi, neque alii credere auderet. Terræ committere ſatius eſſe ratus, infodit, & quotidianas ex monachis excubias inſtituit, ne quo modo furripi poſſet: indies promendi tempus dari expectabat, quin & hujuſce rei cœnobii auctores admonuit, ut pari ſtudio curarent: demum id ex ordine Ladiſlao regi, quem virum ſanctiſſimum eſſe intelligebat, aperuit. Mox regis edicto Pontificum optimatumque conventus habetur, ubi ſolennis dies Regiæ dextræ extemplo decernitur. Deinde cum univerſo Ladiſlaus collegio ſacerdotum dextram divi Stephani reconditam oſtendit, baſilicæque intulit, quam magno deinde ſumptu

A ac ditiſſimo apparatu inſtauravit, multiſque pagis, oppidis, & proventibus donavit. Id autem ſalutis anno ſupra milleſimum ſeptuageſimo octavo * accidiſſe, illius cœnobii ſcripta & privilegia ſanè teſtantur, abbatiamque Regiæ dextræ nunc appellant. Cui tempeſtate noſtra Antonius Salonenſis, vir magno ingenio, ac ſacris Literis non mediocriter eruditus præfuit, & privilegia, unde hæc accepimus, nobis oſtendit. *Ita Bonfinius, quem cetera quidem ex privilegiis hauſiſſe crediderim; at non illud, quod contra veriſimilitudinem aſſerit de infoſſa terræ dextera. Quin potiùs crediderim, id eum perperam tradidiſſe ex loco Carthuitii malè intellecto, ubi dicitur:* Ibi diu ſolus abſconditi in agro theſauri cuſtodiam & excubias decrevit. *Noluit his verbis indicare Carthuitius dexteram Regis in agro fuiſſe abſconditam, ſed ſimilem eſſe theſauro Euangelico, qui dicitur in agro abſconditus.*

* *annus videtur mendoſus*

449 Sed illud omnes ne ſatis quidem admirari poterant, Stephani corpus in pulverem redactum, nil præter oſſa ſupereſſe, & ea quidem carie jam abſumpta: contra verò dexteram annuli geſtamine præditam, integram permanſiſſe, neque vermibus, neque lividæ fuiſſe obnoxiam vetuſtati. Quânam causâ potiùs dextra, quàm caput, & cor Deo dicatiſſimum, ſe à carie vindicare debuit? Nempe quia dextera pietatis & miſericordiæ fuerat, quæ è peculiaribus loculis calamitoſiſſimo cuique eleemoſynam erogabat, illud omnes miraculum accidiſſe confirmant. Quis enim illud è divino Servatoris noſtri ore promanâſſe inficiabitur, Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur. Meritò igitur manus illa corruptionis expers eſſe debuit, quæ neminem mendicare, eſurire, in captivitateque, aut quavis miſeria jacere perpeſſa eſt. Proinde divum Stephanum, ne injuriâ quidem, primum patriæ patrem, omnes una voce congeminant, & prævenerantur. *Hactenus Bonfinius, in pleriſque Carthuitium fideliter ſecutus.*

cur integra videatur dextra, reliquo corpore conſumpto:

B

450 *Ceterùm de reliquiis ſancti Regis nihil ferè deinde ſcriptum reperio. Dubitare tamen nequeo, quin aliquæ ex illis ad alia loca fuerint tranſmiſſæ. Certè inter reliquias plurimas, quas Pragam transferendas curavit Carolus IV imperator, numeratur etiam* S. Stephani regis Hung. digitus, *uti videre eſt apud nos tom.* 1 *Januarii pag.* 1084, *in catalogo earum reliquiarum ibidem dato. Inter reliquias* S. Stephani *poteſt quoque recenſeri ſacra corona, quæ diligentiſſimè ſemper ab Hungaris ſervata eſt; ſummoque ſtudio repetita, cùm amiſſa erat, uti bis contigit. Agunt de ea variis locis Thuroczius & Bonfinius, pluraque de eadem ſcripſerunt alii: at pauca hîc ſufficient pro inſtituto noſtro. Gretzerus in Syntagmate de inſignibus imperii cap.* 14 *ſic ad propoſitum noſtrum loquitur:* Habuerunt quoque, & etiamnum habent alia quoque regna ſua ornamenta regalia, quibus in regum ſuorum inauguratione ſeu coronatione utebantur, & hoc etiam ævo utuntur. Hungaris certè corona regia, à S. Stephano accepta, adeo ſacroſancta eſt, ut cùm aliquando amiſſa eſſet, ingens luctus omnes regni incolas invaſerit, *&c. Rurſum infrà:* Cùm Vladiſlaus Polonus in regem inaugurandus eſſet, neque tamen ſacra corona in promptu eſſet, utpote jam in Auſtriam aſportata, ne quiſquam abſque aliqua S. Stephani corona rex Hungariæ creari videretur, coronarunt Vladiſlaum illâ coronâ, quæ pro ornamento reliquiarum capitis ſancti Regis olim miro operis artificio præparata fuerat, ut inquit Turoczius *cap.* 31. *Recepta tamen deinde fuit corona, & diligentiâ ſummâ in hunc uſque diem cuſtodita. Ex hiſce ſatis patet, quanto in pretio corona* S. Stephani *ab Hungaris habeatur.*

præter alias Sancti reliquias, corona ipſius quoque diligenter ſervata.

C

AUCTORE J. S.

§ XXXVIII. S. Stephanus in Sanctorum numerum relatus tempore prædictæ corporis elevationis: cultus ab eo tempore celeberrimus per totam Hungariam: feſtivitas Inventionis dextræ.

Dubium de formali canonizatione S. Stephani motum:

E *Minentiſſimus Lambertinus, hodie Eccleſiæ univerſali feliciter præſidens Benedictus XIV, in Opere de Servorum Dei beatificatione & canonizatione lib.* 1 *cap.* 41 § 8 *refert, prædictam corporis elevationem in Vita narrari à Surio, dubitatque, an fuerit ſimplex beatificatio, an verò ſolemnis canonizatio. Verba doctiſſimi Cardinalis accipe:* In eadem porrò (*Vita*) refertur, ſancti Stephani corpus, elapſis ab ejus obitu annis quadraginta quinque, fuiſſe ſub Ladiſlao rege Hungariæ, ſummi Pontificis auctoritate intercedente, elevatum. Verùm, utcumque ſit de elatione iſta, & utrùm ea ſimplicem beatificationem, an formalem canonizationem importaverit, quod adhuc ſanè incertum eſt, cùm neque de ſubſtantia, neque de ejus modo conſtet; de ſancti tamen Stephani ſanctitate, & ejus æquipollenti canonizatione nullus ſupereſt dubitandi locus ex decreto ſummi Pontificis Innocentii XI, edito die XXVIII Novembris. *Decretum Innocentii XI, quo feſtivitas Sancti, quæ eò uſque ritu ſimplici celebrata fuerat per totam Eccleſiam, ad ritum ſemi-duplicem elevatur, dabimus ſuo loco. Interim tamen obſervo, æquipollentem canonizationem jam extra omne dubium fuiſſe, ſimulac feſtivitas Sancti ritu ſimplici Romano Breviario inſerta eſt. Dubitationem verò de formali canonizatione, quam ex ſolo Surio dirimere non poterat Eminentiſſimus Cardinalis, adhibitis aliis monumentis, auferre conabor.*

F

verùm cùm juſſu Pontificis omnia videantur facta,

452 *Primò ea videntur facta, dum elevatum eſt corpus* S. Stephani, *quæ ab Apoſtolica Sede eo ſeculo fieri ſolebant, ut aliquis Dei ſervus formali canonizatione Sanctis annumeraretur. Vita enim num.* 33 *ſic habet:* Romanæ Sedis inſtitutione Apoſtolicis literis ſancitum eſt, ut eorum corpora elevari deberent, qui in Pannonia Chriſtianæ fidei jacientes ſemina, ſua eam prædicatione vel inſtitutione ad Dominum convertiſſent. Adveniente verò tempore declarationis ejus, ... rex Ladiſlaus, .. habito conſilio cum epiſcopis & primatibus, ... triduanum cunctis indixit jejunium, ut quod communi Catholicorum utilitati ... videretur fore proficuum, communi cunctorum deprecatione, jejuniis & eleemoſynis fundata, per manifeſtationem ſignorum deberet eſſe quærendum. *Bonfinius num.* 443 *citatus canonizationem clariùs aſſerit his verbis:* Id auctoritate Apoſtolica ſancitum, & ita diploma in Pannoniam miſſum eſt, ut quicumque primum in Ungaria Chriſtianæ fidei fundamenta jecerunt,

AUCTORE J. S.

cerunt, ne legitimo honore defraudentur, omnia corpora eorum, in gloriæ ſpeciem, ſolenni celebratione oſtentarentur, ut hic inter Divos relatos eſſe credant. *Ex jam laudata S. Gerardi Vita intelligimus, elevationem illam fuiſſe decretam in ſynodo Romanæ Eccleſiæ: nam hæc ibi leguntur:* Præfati denique regis (*Ladiſlai*) tempore à ſanctæ Romanæ Eccleſiæ ſynodo inventum eſt, ut corpora eorum, qui Pannoniam fidei prædicatione rigaverunt, deberent ſummo honore venerari, & ea dignis ſedibus collocari. Venienteque Sedis Apoſtolicæ legato *&c.*

quæ fieri ſolebant ſeculo XI

453 *Ex dictis habemus, congregatam fuiſſe ſynodum Eccleſiæ Romanæ, in qua* S. Stephani, *S. Gerardi, ac veriſimiliter S. Emerici, ut ex dicendis colligemus, cauſa fuit examinata. Conſtat autem canonizationes ſeculo* X, XI *&* XII *frequenter decretas eſſe in conciliis. Varia exempla conglomerat Eminentiſſimus Lambertinus lib.* I *cap.* 20, *videlicet S. Udalrici Auguſtani epiſcopi canonizati à Joanne XV in concilio Lateranenſi; S. Gerardi Tullenſis à Leone IX in concilio Romano; S. Godehardi Hildensheimenſis ab*

B *Innocentio II in concilio Remenſi, & S. Sturmii abbatis Fuldenſis in Lateranenſi* II. *Secundò ex iiſdem intelligimus, non ſolum permiſſam fuiſſe à Pontifice corporis elevationem; ſed* ſancitum *eſſe, ut corpus elevaretur, illiuſque decreti* diploma, *ſeu litteræ Apoſtolicas in Hungariam fuiſſe miſſas. At eo tempore Pontifices non ſolebant præcipere cultum alicujus Servi Dei, niſi per formalem canonizationem: nam, etſi ſimile præceptum Pontificis aliquando in ſola beatificatione reperiatur, uti laudatus Cardinalis oſtendit cap.* 39 *num.* 8, *id tamen rariùs factum eſt, & ſeculis ferè tantùm poſterioribus. Tertio legatum Apoſtolicum hac de cauſa in Hungariam miſſum videmus: ex quo intelligimus, actum fuiſſe de re gravioris momenti, quàm eo tempore cenſebatur elevatio corporis alicujus Beati, cujus cultum dumtaxat permiſiſſet Romanus Pontifex. Bonfinius quoque canonizationem exprimit claris verbis:* Ut hîc inter Divos relatos eſſe credant.

pro formali & ſolemni canonizatione,

C

454 *Hæc omnia perſuadere videntur*, S. Stephanum *cum aliis eo tempore in numerum Sanctorum relatum eſſe definitivâ Romani Pontificis ſententiâ, poſt maturum examen in concilio prolatâ, atque ea ſolemnitate, quæ uſitata erat ſeculo* XI. *Inter ea, quæ in canonizatione tunc ad ſolemnitatem ſpectabant, erat corporis elevatio, de qua Eminentiſſimus ſcriptor cap.* 36 *num.* 16 *ſic habet:* Eorum quoque Beatorum, quos inter Sanctos referebant, corpora ſummi Pontifices occaſione canonizationis elevari mandarunt; aut ipſimet, ſi corpora erant in loco, in quo fiebat canonizatio, debita cum reverentia & honore elevarunt. *Hæc ibidem probantur exemplis ſummorum Pontificum, Leonis IX, Alexandri III, Cæleſtini III & Gregorii IX. Manifeſtum autem eſt, idem eſſe factum de* S. Stephano, *aliiſque, quorum eodem tempore elevata ſunt corpora. Porrò, ſi elevatio hæc contigit juſſu Pontificio annis quadraginta quinque poſt mortem Sancti, fuit S. Gregorius VII, qui prædicta mandata miſit in Hungariam. Ejuſdem Gregorii juſſu elevatum dicitur corpus S. Paſchaſii Ratberti abbatis Corbejenſis, licèt diploma illius elevationis nihilo magis ſervatum ſit quàm elevationis* S. Stephani. *Verùm plura hujuſmodi diplomata ad memoriam noſtram non pervenerunt.*

455 *Demum de canonizatione* SS. Stephani, *Emerici ipſius filii, & Gerardi Canadienſis epiſcopi & martyris, dubitare me non ſinunt illa, quæ anno* 1092 *decreta ſunt in ſynodo Szabolchenſi, cui cum S. Ladiſlao rege & Seraphino archiepiſcopo Strigonienſi interfuerunt omnes epiſcopi, abbates & proceres Hungariæ. Nam in ea, apud Peterſium pag.* 33, *cap.* 37 ſtatutum *legitur*, ut vigiliæ celebrentur beati Stephani regis, & Gerhardi martyris, quo die paſſus eſt *&c. Et cap.* 38 *de feſtivitatibus per annum celebrandis hæc decernuntur:* Iſtæ verò feſtivitates ſervandæ ſunt per annum: Nativitas Domini, S. Stephani proto-martyris, S. Joannis euangeliſtæ, SS. Innocentium, Circumciſio Domini, Epiphania cum vigilia, Purificatio ſanctæ Mariæ, in Paſcha quatuor dies, S. Georgii martyris, Philippi & Jacobi cum vigilia, Inventio S. Crucis, Aſcenſio Domini, in Pentecoſte quatuor dies, S. Joannis Baptiſtæ, Petri & Pauli una die, S. Jacobi, S. Laurentii, Aſſumptio S. Mariæ, ſancti regis Stephani, S. Bartholomæi, Nativitas S. Mariæ, Exaltatio S. Crucis, S. Mathæi apoſtoli, S. Gerhardi epiſcopi, S. Michaëlis archangeli, SS. Simonis & Judæ, Omnium Sanctorum, S. Emerici ducis, S. Martini, S. Andreæ, S. Nicolai, S. Thomæ apoſtoli. Et unaquæque parochia ſuum patronum, & dedicationem celebret. *Non quidem additur expreſſis verbis, haſce feſtivitates celebrandas præſcribi cum vacatione ab operibus; at id ſatis colligitur ex ipſis feſtivitatibus maturè conſideratis; cum aliàs haud dubiè plures Sanctorum memoriæ per annum agendæ fuiſſent.*

D

cúmque feſtivitas ipſius eodem ſeculo

E

456 *Præterea in ſynodo Strigonienſi habita anno* 1493 *ſimilis feſtivitatum catalogus texitur, & quidem multo prolixior, additis multis feſtivitatibus poſtea inſtitutis. Ibi autem pag.* 232 *clarè dicitur:* Statuimus, ut in ſubſcriptis diebus clerici & laïci debeant à ſervilibus operibus abſtinere. *Reperitur in eodem catalogo* Stephanus, *uti & Emericus, non verò Gerardus, qui ſolus ferè pro multis aliis ſubſtitutis eſt omiſſus, quod feſtum ipſius non ampliùs eadem ſolemnitate celebraretur. Itaque jam eodem ſeculo* XI *feſtivitas Sancti per totam Hungariam celebrata eſt cum vacatione ab operibus ſervilibus. Hæc autem ſolemnitas tanta, pro SS. Emerico & Gerardo, quorum corpora eodem Pontificio decreto elevata ſunt, ſimiliter præſcripta, nullum relinquere videtur dubium, quin canonizatio præceſſerit aut comitata ſit elevationem, prout aſſerit Bonfinius. Colomanus S. Ladiſlai ſucceſſor ad augendam* S. Stephani *ſolemnitatem lib.* 2 *Decretorum cap.* 1 *hæc ſtatuit:* Ut annuatim in feſto ſancti Regis, niſi arduo negotio ingruente vel infirmitate fuerimus prohibiti, Albæ teneamur ſolennizare: & ſi nos intereſſe non poterimus, palatinus procul dubio ibi erit pro nobis.

inter præcipuas feſtivitates Hungariæ

F

457 *Inter Statuta Ordinis Ciſtercienſis, quæ edidit Edmundus Martene tom.* 4 *Theſauri Anecdotorum col.* 1641 *hoc recenſet anno* 1486 *decretum:* Abbatibus Hungariæ conceditur, ut feſtum S. Stephani regis Hungariæ in craſtino S. Bernardi (*id eſt*, XXI *Auguſti*) & feſta S. Ladiſlai & S. Elizabeth cum propriis hiſtoriis faciant, ceteris hiſtoriis, cantibus & feſtis in Ordine inſolitis penitus rejectis. *Venerationem* S. Stephani *celebrem fuiſſe per totam Hungariam, noverunt etiam Scriptores exteri, ex quibus unum dumtaxat adduco Godefridum Viterbienſem, qui Chronici part.* 17 *in S. Henrico imperatore de illa ſic habet:* Hunc Stephanum omnes

numerata ſit; dicendum videtur,

A mnes Ungari ut ſanctum venerantur pro eo, quòd per eum initium fidei acceperunt. *Hæc poſtrema verba, quibus ſimilia reperiuntur apud alios ſcriptores, ſimul inſinuant, necdum eo tempore, quo ſcribebat Godefridus, ſeu ſeculo* XII, *feſtivitatem* S. Stephani *celebratam fuiſſe per totam Eccleſiam. Verùm ex eo non rectè quis argumentaretur contra canonizationem ipſius, ſuprà ſufficienter probatam: nam id* S. Stephano *commune eſt cum omnibus ferè Sanctis, iiſque canonizatis vel maximè ſolemniter: atque uſus ille obtinet etiam hoc tempore, quo videmus multos Sanctorum adſcribi catalogo, nec tamen de omnibus ſtatim componi Officium, quod in ipſorum feſtivitate omnibus Horas canonicas recitantibus præſcribatur.*

canonizatum fuiſſe, & quidem primum è regibus.

458 *Ex dictis ergo concludo*, S. Stephanum *decreto ſummi Pontificis, ſeu formali canonizatione, Sanctorum catalogo adſcriptum fuiſſe, quemadmodum adſcriptus eſt eidem catalogo S. Ladiſlaus ipſius ex fratre pronepos, S. Henricus imperator, S. Eduardus Anglorum, S. Ludovicus Gallorum reges, aliique deinde plures. Quare de* S. Stephano *&* S. *Ladiſlao ſic intelli-*

B *go verba Gentilis Cardinalis, Apoſtolicæ Sedis legati in Hungaria, quæ uberiùs dedi num.* 192, *& ex quibus illa huc ſpectant:* Ex quibus *(regni Hungarici ſeminibus)* reges Catholici tanta ſanctitatis & vitæ claritate conſpicui prodierunt, quòd Sanctorum adſcribi catalogo meruêre. *Non alii eo tempore intelligi poterant reges Hungariæ, quàm* Stephanus *&* S. *Ladiſlaus, de quorum canonizatione conſtabat, dum ſub initium ſeculi* XIV *hæc dicebat legatus Pontificius. Illud præterea ad gloriam* S. Stephani *obſervare lubet, primum omnino videri è regibus, cui is honor Pontificis ſummi oraculo delatus ſit. Præcipua Sancti feſtivitas celebrata eſt die* XX *Auguſti, quem univerſa Eccleſia etiam adoptavit, ut videbimus. Verùm præter illam feſtivitatem alia etiam celebrata fuit, certè in locis quibuſdam: nam Peterſius in annotatis ſuis adduxit pag.* 34 *vetuſti cujuſdam Breviarii Kalendarium, in quo hæc leguntur:* XXX Maii, Inventio dextræ S. Stephani. *Hactenus de cultu per Hungariam.*

C

§ XXXIX. Cultus Sancti in Suecia receptus, ac tandem per totam Eccleſiam Romanam primò ritu ſimplici, deinde ſemiduplici cum Officio proprio, ex quo dantur lectiones ſecundi nocturni.

Cultus Sancti in Suecia, ex cujus Miſſali tres dantur orationes:

NOn *ſic in Hungaria coarctatus fuit cultus* S. Stephani, *ut ad alias regiones, eaſque maximè diſſitas, ſe non extenderit. Quippe in Miſſali Votivo regni Sueciæ, excuſo ante annos ducentos & ſexaginta aut plures, de quo jam mentio facta eſt in S. Ladiſlao tom.* V *Junii pag.* 316, *Miſſa habetur de* S. Stephano, *ex qua orationes tres huc transfero. Prima hæc eſt:* Deus, qui beatum Stephanum regem & confeſſorem tuum terreni imperii gloriâ & honore coronaſti, & Sanctorum tuorum ſocietate ſublimaſti; præſta, quæſumus, ut quem Pannonia habuit divinæ religionis doctorem in terris, eum modò Eccleſia tua mereatur habere defenſorem in cælis. Per Dominum *&c. Secunda verò talis:* Sacrificium, Domine, quod tuæ Majeſtati offerimus, benigno vultu reſpice, & interceſſione beati Stephani regis & confeſſoris tui nos ab omnium inimicorum inſidiis defende, & præmia vitæ æternæ concede. Per *&c. Tertia demum:* Tuere, quæſumus Domine, familiam tuam; &, quam per doctrinam beati Stephani regis & confeſſoris tui de tenebris ad veram lucem convertiſti, eam poſt iſtius temporis decurſum oblati Sacrificii munimine clementer perducas ad regna cælorum. Per *&c. Miſſa inchoatur*, Os juſti, *& reliqua omnia ex Sacris Litteris congruè ſancto Regi aptata ſunt.* AUCTORE J. S.

memoria in Faſtis recentioribus XX *Auguſti.*

460 *Memoria* S. Stephani *variis deinde Faſtis recentioribus inſerta eſt, receptaque in Martyrologio ac Breviario Romano. Auctor Belga, qui ſeculo* XV *concinnavit Florarium Sanctorum apud nos Ms., ad* XX *Auguſti de* S. Stephano *ſic habet:* In Hungaria ſancti Stephani regis & confeſſoris, primi illius gentis Chriſtiani: quem ſanctus Adalbertus Pragenſis epiſcopus per ſalubrem ſuam prædicationem ad fidem Chriſti convertit & baptizavit. Et ipſe Rex ſua prædicatione Ungaros convertit, & majorem eccleſiam Strigonii in honore S. Adalberti poſt ejus martyrium inſtituit. Et regnum Ungariæ XXXV annis feliciter gubernavit. Et tandem ad Dominum, quem tota mente in vita dilexerat, migravit anno ſalutis MXL. Cujus mortem in conſpectu Domini fuiſſe pretioſam, miracula crebra teſtantur, quæ Dominus oſtendit ad mirificandum Sanctum ſuum. *Editores Uſuardi, Belinus, Grevenus & Molanus item memoriam ejuſdem Sancti editionibus ſuis addiderunt, ut videre eſt in Uſuardo Sollerii noſtri ad* XX *Auguſti, ubi primus illum ſic memorat:* In Ungaria, civitate regia, Alba regali, ſancti Stephani regis, qui primus Ungaros ad fidem convertit. *Conſonat ferè Maurolycus his verbis:* Apud Albam regalem Ungariæ, ſancti Stephani regis, qui primus Ungaros ad Chriſtum convertit.

uti olim in Martyrologio & Breviario Romano:

F

461 *Galeſinius ad eumdem diem hoc Sanctum ornavit elogio:* Albæ in Pannonia ſancti Stephani regis: qui divinis excultus virtutibus, & vitæ religione clarus, juvante Deo perfecit, ut repudiato dæmonum cultu, Chriſti Jeſu fidem Ungari amplecterentur. *Paulo breviùs Baronius in Martyrologio Romano his verbis uſus:* Albæ in Pannonia ſancti Stephani regis, qui divinis virtutibus exornatus, primus Hungaros ad fidem Chriſti convertit. *Addit hanc annotationem:* Hac die (XX *Auguſti*) tranſlatum eſt corpus ejus: migravit autem ex hac vita XVIII Kal. Septembris. *Dies hic emortualis certus eſt ex Vita: atque ex eadem num.* 38 *rectè collegit Baronius, die* XX *Auguſti corpus eſſe tranſlatum. Antonius de Balingem in Kalendario Sanctiſſimæ Virginis Mariæ ad* XX *Auguſti Baronium ſecutus eſt, ita ſcribens:* Tranſlatio S. Stephani primi Hungarorum regis *&c. Porrò ad eumdem diem Commemoratio* S. Stephani *inſerta eſt Breviario Romano cum nona lectione, in qua de tranſlatione ſic legitur:* Sacrum ejus corpus ſuaviſſimo fragrans odore, liquore cæleſti ſcatens, inter multa & varia miracula hodierno die, Romani Pontificis juſſu, nobiliorem in locum tranſlatum eſt, atque honorificentiùs conditum eſt. *Electus igitur eſt dies tranſlationis ab Hungaris, quia dies emortua-*

AUCTORE J. S.

emortualis erat impeditus ſolemniſſima feſtivitate Virginis Aſſumptæ : atque eumdem diem adoptavit tota Eccleſia Romana , quamdiu Sancti feſtivitas ritu ſimplici celebrata eſt. Verùm alius fuit eligendus dies , quando præſcriptus fuit ritus ſemiduplex , quia ille concurrere non poterat cum feſto S. Bernardi , quod eodem die celebratur.

nunc verò feſtivitas ritu ſemiduplici celebranda die 2 Septembris :

462 *Majorem illam ſolemnitatem pro feſtivitate* S. Stephani *anno* 1686 *ab Innocentio XI impetravit Leopoldus imperator atque Hungariæ rex poſt plurimas de Turcis relatas victorias Budamque expugnatam , uti patet ex Decreto ſacræ Rituum Congregationis , quod datum die* XXVIII *Novembris , atque eodem anno Romæ impreſſum eſt , prout ſequitur :* Piis precibus Auguſtiſſimi Imperatoris Leopoldi per ſuas litteras Sanctiſſ. D. N. Innocentio Papæ XI porrectas , & ad Sac. Rituum Congregationem remiſſas , quibus ſupplicabatur , ut Sanctitas ſua dignaretur aſſenſum præbere , ac demandare , ut Officium divi Stephani Hungariæ Regis , quod hactenus ab Eccleſia univerſali ſub ritu ſimplici recitatum eſt , imposterum ab omnibus , qui ad

B Horas canonicas tenentur utriuſque ſexus , ſub ritu ſemiduplici de præcepto recitaretur : eadem Sac. Congregatio habita die XXIII Novembris MDCLXXXVI re maturè perpenſa , cenſuit , petitam gratiam , ſi Sanctiſſimo D. N. placuerit , eſſe concedendam , ac etiam aſſignari poſſe diem ſecundam Septembris pro celebratione ſupradicti feſti , in perpetuam memoriam inſignis , & glorioſæ victoriæ ab armis cæſareis contra Turcas ope divina obtentæ in ſtrenua expugnatione propugnaculi Budenſis , olim dicti Sancti reſidentiæ. De quibus facta per Eminentiſſ. & Reverendiſſ. D. Cardinalem Cybo Sanctiſſimo relatione , Sanctitas ſua benignè annuit , & hujuſmodi decretum expediri mandavit. Hac die XXVIII ejuſdem menſis Novembris , & anni MDCLXXXVI. N. Card. Ludoviſius. Loco † Sigilli. Bernardinus Caſalius Sac. Rit. Cong. Secr.

Officium approbatum à ſacra Congregatione Rituum, cujus oratio

C

463 *Edito hoc decreto , curatum fuit ut proprium componeretur Officium de* S. Stephano. *Illud verò nitidè atque exactè compoſitum approbavit Sacra Rituum congregatio decreto ſequenti :* Cùm ſacra Rituum Congregatio , habita die XXIII Novembris MDCLXXXVI , annuente quoque Sanctiſſimo , mandaverit , ut Officium S. Stephani Hungariæ regis , quod hactenus ab Eccleſia univerſali ſub ritu ſimplici die XX Auguſti recitatum eſt , in poſterum ab omnibus utriuſque ſexus , tam ſecularibus quàm regularibus , qui ad Horas canonicas tenentur , ſub ritu ſemiduplici de præcepto recitetur quotannis die 2 Septembris ; eadem ſacra Congregatio ſuprafcriptas lectiones , & alia , prout jacent , diligenter reviſas & relatas ab eminentiſſimo & reverendiſſimo D. Cardinali Colloredo approbavit , ac imprimi poſſe conceſſit. Hac die XIX Aprilis MDCLXXXVII. *Subnotatum erat* A. Card. Cybo. *Et inferiùs poſt locum ſigilli :* Bernardinus Caſalius Sac. Rit. Congr. Secr. *Impreſſum fuit eodem anno Officium Romæ , ac deinde Romano Breviario inſertum. Orationem hanc habet :* Concede , quæſumus , Eccleſiæ tuæ , omnipotens Deus , ut beatum Stephanum confeſſorem tuum, quem regnantem in terris propagatorem habuit , propugnatorem habere mereatur glorioſum in cælis. Per Dominum *&c. Tres lectiones ſecundi nocturni continent elegans Vitæ compendium , exceptis tamen geſtis bellicis. Quapropter illas* D *huc transfero.*

uti & lectiones ſecundi nocturni ,

464 LECT. IV. Stephanus in Hungariam Chriſti fidem , & regium nomen invexit , regiâ coronâ à Romano Pontifice impetratâ , ejuſque juſſu in regem inunctus , regnum Sedi Apoſtolicæ obtulit ; varia pietatis domicilia Romæ , Hieroſolymis , Conſtantinopoli : in Hungaria archiepiſcopatum Strigonienſem , epiſcopatus decem , admirabili religione , & munificentia fundavit. Par in pauperes amor , & liberalitas , quos veluti Chriſtum ipſum complectens , neminem à ſe mœrentem , ac vacuum umquam dimiſit ; quin ad eorum inopiam ſublevandam ampliſſimis facultatibus erogatis , domeſticam quoque ſupellectilem eximia benignitate frequenter diſtribuit : ſuis inſuper manibus lavare pauperum pedes , noctu ſolus , & ignotus noſocomia frequentare , decumbentibus inſervire , ac cetera charitatis officia exhibere conſuevit : quarum virtutum merito illius dextera , reſoluto cetero corpore, incorrupta permanſit. Tu autem *&c.*

vitæ compendium continentes ,

E

465 LECT. V. Orandi ſtudio noctes penè totas ducebat inſomnes , atque in cæleſtium rerum contemplatione defixus , interdum extra ſenſus raptus , ſublimis in aëra ferri viſus fuit. Perduellium conſpirationes , ac validorum hoſtium impetus , miro prorſus modo , non ſemel orationis præſidio evitavit. Suſceptum ex Ghiſella Bavarica ſancti Henrici imperatoris ſorore , quam ſibi matrimonio junxerat , Emericum filium tantâ morum diſciplinâ , talique pietate enutrivit , quantùm ejus poſtea ſanctitas declaravit. Regni verò negotia ita diſpoſuit , ut accitis undique prudentiſſimis , ac ſanctiſſimis viris , nihil umquam ſine illorum conſilio moliretur. Humillimis interim precibus in cinere , & cilicio Deum deprecans , ut univerſum Hungariæ regnum , antequam è vita migraret , Catholicum videre mereretur. Verè propter ingens dilatandæ fidei ſtudium , illius gentis Apoſtolus nuncupatus , facta à Romano Pontifice ipſi , poſteriſque regibus præferendæ Crucis poteſtate. Tu autem *&c.*

his recitantur :

466 LECT. VI. Dei Genitricem , quam ardentiſſimè venerabatur , ampliſſimo in ejus honorem conſtructo templo , Hungariæ Patronam inſtituit ; ab eadem viciſſim Virgine receptus in cælum ipſo ſuæ Aſſumptionis die , quem Hungari è ſancti Regis inſtituto Magnæ Dominæ diem appellant. Sacrum ejus corpus ſuaviſſimo fragrans odore , liquore cæleſti ſcatens , inter multa & varia miracula , Romani Pontificis juſſu , nobiliorem in locum tranſlatum eſt , atque honorificentiùs conditum. Ejus autem feſtum Innocentius Undecimus Pontifex Maximus quarto Nonas Septembris , ob inſignem victoriam ab exercitu Leopoldi Primi Romanorum electi imperatoris & Hungariæ regis eadem die in Budæ expugnatione , ope divina , è Turcis reportatam , celebrandum inſtituit. Tu autem *&c.*

E

memoria deinde Martyrologio Romano duobus locis inſerta ,

467 *Supradicti quoque decreti vigore memoria Sancti omiſſa eſt die* XX *Auguſti in Martyrologio Romano : & duobus aliis locis inſerta , videlicet ad* XV *Auguſti breviter hoc modo :* Albæ in Pannonia natalis ſancti Stephani Hungarorum regis , cujus feſtum quarto Nonas Septembris celebratur. *Prolixius verò elogium inſertum eſt ad diem 2 Septembris , quod ſubdo :* Albæ in Pannonia ſancti Stephani Hungarorum regis , qui divinis virtutibus exornatus , primus Hungaros

ad

A ad fidem Chriſti convertit, & à Deipara Virgine ipſo die Aſſumptionis ſuæ in cælum receptus fuit: ejus tamen feſtum ex conſtitutione Innocentii Papæ undecimi hac die potiſſimùm recolitur, quâ Budæ munitiſſima arx ſancti Regis ope ab exercitu Chriſtiano ſtrenuè recuperata fuit.

& rectè Albæ annuntiata, quod perperam corrigere voluit neotericus.

468 *Cæterùm obſervare hic lubet, auctorem Martyrologii Pariſienſis corrigere voluiſſe elogia omnium ferè martyrologorum, qui* Stephanum *annuntiant* Albæ in Pannonia, *quòd conſtet ibidem eſſe ſepultum: nam ipſe ad* XV *Auguſti ſic habet:* Budæ in Pannonia, ſancti Stephani primi Hungarorum regis, qui gentem illam ad Chriſtum convertit: cujus corpus apud Albam Regalem tranſlatum eſt. *Verùm illa correctio nec erat neceſſaria, nec certa eſt: imò & parùm veriſimile eſt, Sanctum obiiſſe Budæ, de qua in Actis ne vel verbum occurrit. Dicitur quidem apud ſcriptores num.* 320 *laudatos in Veteri Buda conſtitiſſe, dum ibidem condebat monaſterium, quod morte ſua imperfectum reliquit: at nec Vetus Buda eadem eſt cum urbe hodierna iſtius nominis, nec rectè ex prædictis colligi poteſt, Sanctum in Veteri Buda manſiſſe uſque ad*
B *mortem. Suſpicor tamen, Martyrologii Pariſienſis auctorem non aliam habuiſſe rationem ſubſtituendi Budam pro Alba Regali, quàm conjecturam modo dictam, quâ utramque Budam confudit, quâque mortem perperam affixit illi loco, in quo aliquando ſubſtitiſſe dicitur, ad tempus nimirum, non verò uſque ad mortem; cùm non aſſeratur ibi manere voluiſſe uſque dum perfectum videret monaſterium, cujus ædificatio paucis annis abſolvi non potuit.*

§ XL. Reliqua de Sancti miraculis.

Sanctus poſt obitum miraculis claruit:

C DE *miraculis* S. Stephani *meminerunt multi ſcriptores, ſed ferè generatim tantùm, excepto Bonfinio & Carthuſio, aliiſque hoſce ſecutis. Aliquorum verba aliis occaſionibus per decurſum jam dedi: hîc verò paucos addam è pluribus. Hugo abbas Flaviniacenſis in Chronico Virdunenſi apud Labbeum tom.* 1 *Bibliothecæ Mss. pag.* 174 *ad propoſitum noſtrum ita habet:* At verò Stephanus Ungrorum rex, imminente vocationis ſuæ tempore ad cæleſtia evocatus, nunc in eccleſia, quâ requieſcit humatus, miraculis claret egregiis. *Ricobaldus Ferrarienſis in Hiſtoria imperatorum apud Muratorium tom.* 9 *Scriptorum Italiæ col.* 119: Qui rex Stephanus tantæ virtutis fuit, ut multorum miraculorum illuſtrem Deus illum reddiderit. *Jacobus Philippus Bergomas lib.* 12 *ad annum* 983 *de miraculis* Stephani *aliiſque ſic habet:* Stephanus item primus Ungariæ rex tempeſtate iſtac Adalberti prædicti Pragenſis epiſcopi prædicatione converſus & baptizatus, etiam multis claruit ſignis *&c. Tandem Cuſpinianus de Cæſaribus in Henrico ſecundo de Emerico &* Stephano *hæc affirmat:* Eſt hic cum Patre in numerum Sanctorum dehinc relatus, ut teſtantur Hungarorum Annales: uterque enim miraculorum gloriâ non caruit.

inter hæc occurrit factum mirabile,

470 *Mirabile eſt factum particulare, quod narratur in Vita S. Emerici, cujus auctor teſtatur id ſuo tempore contigiſſe, id eſt, circa ini-*

tium ſeculi XII, *quo eum ſcripſiſſe ex eodem facto colligitur. Rem accipe compendio. Quidam natione Germanus, nomine Conradus, ob enormia peccata, quorum ipſum pœnitebat, Romam profectus, à Gregorio VII ſummo Pontifice pro pœnitentia juſſus erat loricâ, quinque catenis ferreis corpori firmiter adſtrictâ, ſe cingere, donec alicujus Sancti patrocinio, catenis fractis lorica ſponte decideret. Multa ille loca ſacra peragravit, antequam miſericordiam conſequeretur:* Interea, *inquit auctor,* fama beati Stephani regis Pannoniæ, ad cujus ſepulcrum quotidiana fiebant miracula, inſignis habebatur: conſummatoque itinere vir ſuprà memoratus Albam pervenit, ubi corpus ſancti Stephani reconditum venerabatur. Cumque in aliis virtus Dei & interceſſio Regis eximii celebris miraculis revelaretur; ille tamen vir in vinculis loricæ artiùs angeretur, penes ſe cum juramento confirmavit, quòd de loco eccleſiæ ſe non amoveret, quouſque Dominus in eo oſtenderet, quanti meriti beatus Stephanus apud ipſum eſſet. Factum eſt autem, cùm eſſet hora diei quaſi ſexta, ex nimia fatigatione corporis & cordis contritione ille in eccleſia obdormivit. Affuit autem illi in ſomnis beatus Stephanus, ad hunc modum dicens: Surge nunc, nec in meritis meis præſume apud Deum, quoniam non ſufficio pro te intercedere. Vade ergo ad ſepulcrum filii mei beati Emerici *&c. Subditur mox viri ejuſdem liberatio apud ſepulcrum S. Emerici.* AUCTORE J. S.

de quodam Conrado, graviſſimæ pœnitentiæ addicto,

471 *Idem factum refert Bonfinius pag.* 178, *ſic exponens ea, quæ apud* S. Stephani *ſepulcrum contigerunt:* Sancti demum Stephani Regis famâ ductus (*Conradus ille,*) in Pannoniam ſe recepit: venit ad Regalem Albam, ubi corpus ejus in magnifico ſacello reconditum, & ea quidem mente, ne umquam inde recederet, quouſque ſolutis per ſe vinculis, & deletis ultro pugillaribus, ſe noſceret expiatum: quin & juramento propoſitum confirmârat. Baſilicam mox Albenſem ingreſſus, ante divi Regis aram ſe conſtituit, ingenti rerum à ſe peſſimè geſtarum pœnitentiâ conficit, vehementiſſimis Numen precibus ſollicitat, ut ejus patrocinio ſcelerum omnium veniam conſequatur. Quum à prima hora diei ad nonam uſque obſecrationibus incubuiſſet, corpore animoque defatigatus, ante aram ſublinde gravi ſomno correptus eſt. Ecce
F inter dormiendum huic divus Rex apparet; Surge mox, inquit, amice, ne meis quidem meritis opéve apud tribunal divinæ Majeſtatis tibi confidendum eſſe ſcito, quando pro tanta facinorum mole patrocinium meum ad impetrandam delictorum impunitatem ne tibi quidem ſatis eſſe poteſt. Proinde Emerici mei monumentum, quod juxtà eſt, adito, qui quum præ virginitate ſua præcipuam apud Deum gratiam protuerit, ſi advocatus adhibeatur, omnium (mihi crede) ſcelerum impunitate donaberis *&c.*

donec indulgentiam conſequeretur alicujus Sancti patrocinio:

472 *Mirabilia quædam in hac hiſtoria occurrunt, quæ ne etiam incredibilia videantur, pauca ſunt obſervanda. Primò dubitari nequit, quin Conradus ille tot enormium criminum reus eſſet, ut pœnitentiam, pro iis infligi ſolitam ſecundum canones, perficere non potuiſſet ante mortem. Contingere id poterat non rarò, cùm pro ſingulis peccatis enormibus aliquot annorum pœnitentia imponeretur, atque ideo ſubinde pro multitudine criminum illorum pœnitentiæ tempus ita excreſceret, ut hominis ætatem longè ſuperaret. Conradus autem ille veriſimiliter non poterat vi-*

AUCTORE J. S.

gori canonum in vita satisfacere ; ac fortasse etiam crimina commiserat , pro quibus pœnitentiæ modus & tempus per canones non erat ordinatum , uti Vita Emerici innuit his verbis : Papa verò quantitatem peccatorum ipsius tamquam antea inauditorum obstupescens , deliberatione habita , vulnera per injunctam pœnitentiam non curavit ; *id est , opinor , non præscripsit illi certum aliquod pœnitentiæ tempus , quòd peccata essent adeo insolita , ut de iis nihil decretum esset per canones. Itaque cùm peccator ille meritus esset pœnitentiam , non nisi cum vita terminandam , & Pontifex tamen spem aliquam ei relinquere vellet illam aliquando finiendi , permisit & suasit , ut Sanctorum patrocinio indulgentiam consequi conaretur , eâque obtentâ , se canonicè absolutum nosset. Porrò rigor ille canonum pro publicis & enormibus criminibus vigebat seculo* XI. *At non eadem erat ratio occultorum peccatorum , pro quibus arbitrarias pœnitentias imponebant confessarii , uti observat Thomassinus in Veteri & nova Ecclesiæ disciplina part.* 1 *lib.* 2 *cap.* 16 *num.* 5.

B *quem Stephanus apparens ad filium suum S. Emericum misisse dicitur.*

473 *Alterum , quod hîc observatum velim , attinet ad verba , quæ scriptor Vitæ S. Emerici* S. Stephano *attribuit* , Non sufficio pro te intercedere , *quæque aliquantulùm immutavit Bonfinius. Certum est atque indubitatum , multos favorem aliquem obtinere per cujusdam Sancti patrocinium , postquam illum frustra speraverant alium quempiam Sanctum invocando. Non pauca etiam reperiuntur exempla in Vitis Sanctorum optimæ notæ , quæ similia sunt facto hîc relato , certè quoad substantiam. Verumtamen verba mox data cautè legenda sunt , cùm nesciamus , an illa ipsa sint verba* S. Stephani , *an mutata aut conficta à scriptore , leviscque mutatio aliam mox inducat sententiam. Forsan Sanctus pœnitentem dumtaxat monuit , ut invocaret S. Emericum , indicans desideratam gratiam ipsius patrocinio obtinendam : nam scriptores aliqui justo liberiores sunt in adjunctis factorum enarrandis. Deinde , licèt certò constaret , ipsissima esse* S. Stephani *verba , quæ expressit auctor ; vel sic maximè cavendum esset , ne quis ex illis verbis inferre vellet , S. Emericum majoris apud Deum esse meriti , quàm* S. Stephanum : *neque enim istud legitimè consequitur , cùm aliæ gratiæ facilius obtineri soleant per unum Sanctum , aliæ facilius per alium. Atque hinc fit , ut multi sint Sancti , qui præcipuè invocantur , & tamquam patroni habentur , pro certo aliquo malo avertendo , aut certa quapiam gratia impetranda. Ceterùm plura de Sancti miraculis non reperio , quòd illa vel scripta non fuerint deinceps , vel exciderint scripta illa , si aliquando exstiterint. Quapropter finem huic Commentario impono , & Acta annotatis illustrata subnecto.*

C

D

VITA

Auctore Carthuito aut Carthuitio episcopo

Ex editione Cracoviensi , collata cum Ms. Corsendoncano & editione Surii.

PRÆFATIO.

DOmino suo Calamanno *a* regi præcelsentissimo Carthuitus episcopus , officium spirituale per misericordiam Dei consecutus , post istius vitæ terminum felix illud euge sempiternum. Incepturus opus , Domine mi , rex inclyte , quod mihi vestro regali præcepto , de bona vita regis Stephani potentialiter injunxistis , diu rebellem ingenioli mei perpessus sum inscitiam , ob hoc præsertim quòd Priscianus *b* auctor artis Grammaticæ medullitus mihi notus olim , longè digressus faciem suam , quasi caligine quadam circumfluam , mihi decrepito jam facit obscurissimam. Verumtamen parte ex alia , dum vestræ dignitatis intuitus reverentiam , incerta gravarer meditatione , tandem omnium virtutum lux & gemma dubietatem anxiæ mentis devicit obedientia , cujus forti præsidio deficere in me videns vires , inchoandi operis recipit fiducia *c.* Sed quoniam sæpe fiducialiter acta res invidiæ fomitem generat , precor flexis genibus vestræ triumphalis excellentiæ sublimitatem , ut manibus regalis defensionis hoc suscipiatis Opusculum ne malè sonantium positio dictionum vel confusi ordinis enormitas , vestrum , cùm legeritis , offendat oculum. Quod si aliquod indignum occurrerit offendiculum , malo codicem ut ignis comminuat incendium , quàm ut livor ad plenum perveniat oculum. Igitur , quia boni quicquid est , ex Conditoris misericordia manat , ex ipsius dono sermo ceptus talia personat *d.*

Ait auctor se regis jussu hanc Vitam scribere.

a

E

b

c

F

d

ANNOTATA.

a Calamanno , *apud Surium* Colomanno , *uti nomen ipsius hoc tempore solet exprimi. Hungaricum nomen* Kálman *initio expressum fuisse* Calamannus , *admodùm verisimile est. At postea usurpatum est nomen* Colomannus , *aut* Colomanus , *quod jam olim erat usitatum apud Latinos. Colomannum hunc fuisse Hungariæ regem , & successorem S. Ladislai , dictum est in Commentario* § 1 , *ubi etiam actum de tempore Vitæ conscriptæ. Hoc ipsum , quòd nomen regis* Calamannus *scribitur , signum est vetustatis , cùm posteriores scripserint* Colomannus.

b *Priscianum numerari inter præcipuos Grammaticos , passim norunt eruditi. Significat illâ allegoriâ Carthuitius , leges Grammaticales sibi olim quidem notas fuisse , sed per ætatem paulatim oblivioni datas. Attamen pro tempore , quo florebat hic auctor , mediocriter Latinè scripsit :*

A *ſſit : ſed menda quædam hinc inde irrepſerunt manuſcripto , maximè ſub finem.*

c *Cùm phraſis non ſit omnino perfecta , ſuſpicor auctorem ſcripſiſſe* , recipio *vel* recepi fiduciam.

d *Præfatio aut dedicatio hæc omiſſa eſt in Ms. Corſendoncano. Surius eam expreſſit mutato ſtylo , eademque libertate , qua dictionem totius Vitæ immutavit. Accipe , ſtudioſe lector , præfationem Surianam pro ſpecimine totius Vitæ immutatæ :* Domino ſuo Colomanno , regi excellentiſſimo , Chartuitius epiſcopus , ſpiritale miniſterium Dei benignitate adeptus , poſt hujus vitæ terminum , illud Euge precatur ſempiternum. Aggredior nunc opus , ſereniſſime rex , juſſu tuo mihi demandatum , à quo hactenus ingenioli mei imperitia abhorruit , ob id præſertim , quod Priſcianus Grammaticus , mihi olim ſat bene perſpectus & cognitus , procul à me digreſſus , jam decrepito mihi , tanquam caligine quadam ſeptus , faciem exhibet obſcuriſſimam. Sed cùm alia ex parte dignitatis tuæ attenderem authoritatem , vicit tandem anxiæ mentis dubitationem omnem , virtutum omnium lux & gemma , obe-

B dientia : cujus forti præſidio fretus , tametſi mihi vires cernerem haudquaquam ſuppetere , operis inchoandi fiduciam concepi. Cùm ſint autem plerumque invidiæ obnoxia , quæ bonâ animi fiduciâ geruntur ; ſupplex oro regiam ſublimitatem tuam , uti Opuſculi hujus ſuſcipere ne gravetur patrocinium ; nec offendatur parùm commoda dictione , aut ordinis & rerum geſtarum confuſione. Quod ſi occurrat quippiam , quod fœdam habeat offenſionem , malim codicem ignibus abſumi , quàm livoris materiam cuipiam offerri. Et quia bona omnia ad nos ex divina miſèricordia proficiſcuntur , ipſius munere ſic libet Opuſculum præſens auſpicari. *Vides hîc, lector , ſic immutatam dictionem , ut idem ubique ſit ſenſus. Idem paſſim in Vita factum ; nec opus eſt illas mutationes verborum notare deinceps , niſi ſimul mutata ſit ſententia. Solas igitur mutationes ſententiarum inferiùs aſſignabo ; ex Ms. verò ipſas vocum mutationes diligenter obſervabo , niſi ſint menda clariſſima , uti varia occurrunt circa finem Vitæ.*

C

CAPUT I.

Sancti pater , natales viſionibus præviis illuſtrati , baptiſmus , regni initia & cura religionis propagandæ : victoria de rebellibus & hinc monaſterium S. Martini ex voto fundatum.

Pater Sancti benignus in Chriſtianos ,

OMne datum optimum & omne donum perfectum de ſurſum eſt , deſcendens à Patre luminum. Hujus Patris datum optimum , & donum perfectum in omnes largè proveniens , quia nullum ſpernit , ſed omnes homines vult ſalvos fieri , & ad agnitionem veritatis pervenire , ad

a Hungaros uſque , quos Chriſtianorum flagellum *a* quondam fuiſſe conſtat , diffuſum eſt. Quod qua-

liter & quando factum ſit , ſtyli officio memoriæ commendare , congruum duximus. Ea ſiquidem tempeſtate , quâ gens præfata Dei Eccleſiam depopulabatur , erat in ea princeps quidam , quartus ab illo , qui ingreſſionis Hungarorum in Pannonia dux primitus fuit , (nomen *b* Geyſa) ſeverus quidem & crudelis , veluti potentialiter agens , in ſuos , miſericors autem & liberalis in alios , & præcipuè in Chriſtianos , ritu paganiſmo licèt adhuc quidem obvolutus : tamen appropinquante ſpiritualis fulgore chariſmatis , cum omnibus circumquaque poſitarum provinciarum vicinis de pace cœpit attentè tractare , ut jam in illo poſſet agnoſci , cujus filius deſideraret fieri , ſecundum dictum Salvatoris noſtri , dicentis in Euangelio : Beati pacifici , quoniam filii Dei vocabuntur. Statuit inſuper præceptum cunctis Chriſtianis , ducatum ſuum intrare volentibus , hoſpitalitatis & ſecuritatis gratiam exhiberi *c*. Clericis & monachis poteſtatem conceſſit ſuam præſentiam adeundi , quibus voluntarium libenter aditum præbens orthodoxæ fidei ſemen , pectoris in horto ſatum , delectabatur germen emittere.

A. CARTHUITIO EPISC.

b

c

E

3 Quid plura ? Adeſt tempus cælitus diſpoſitum : credidit ipſe cum familiaribus ſuis , & baptiſatus eſt ; & omnes ditioni ſuæ ſubditos , ſe polliciens Chriſtiano nomine mancipaturum. Cúmque nimiùm eſſet ſollicitus de rebellibus domandis , & ritibus ſacrilegis deſtruendis , & epiſcopatibus ſecundum æſtimationem ſuam , ad profectum Eccleſiæ ſanctæ ſtatuendis ; mirabili viſione *d* nocte conſolatus eſt eum Dominus. Fecit aſtare ſibi juvenem delectabilem aſpectu , qui dixit ei : Pax tibi , Chriſti elecle , jubeo te de ſollicitudine tua fore ſecurum. Non tibi conceſſum eſt , quod meditaris , quia manus pollutas humano ſanguine geſtas. De te Filius naſciturus egredietur , cui hæc omnia diſponenda divinæ providentiæ conſilio commendabit Dominus. Hic erit unus ex regibus electis à Domino , coronâ vitæ ſæcularis commutaturus æternam. Verumtamen virum ſpirituali legatione tibi tranſmittendum , honorificabiliter ſuſcipito , ſuſceptum venerabiliter habeto , exhortationibus ejus non fictum cordis fidelis aſſenſum præbeto. Expergefactus princeps viſione ſtupidus , prius ſecum , pòſt cum Chriſti fidelibus & ſuis pertractans , Deo gratias pavimento manibus expanſis adhærens , humiliter egit , ſe principatumque ſuum cum Filio naſcituro cuſtodiæ illius , qui non dormit neque dormitat , lacrymis fuſis commendavit.

ac tandem ipſe Chriſtianus , viſione mirabili inſtruitur de naſcituro Filio :

d

F

4 Dum miratur ergo de viro divinitus prædicto , nuntiatur ei beatum Adalbertum , Bohemienſis eccleſiæ pontificem , ad ſe venturum eſſe propter converſionem ipſius , & fidei non fictæ profectum , Domino Deo laudis hoſtiam oblaturum. Oritur lætitia novis Chriſti militibus inenarrabilis : dux obviam tyroni *e* Chriſti cum fidelibus quibuſque procedit , honorabiliter eum ſuſcipit , & ut per viſum monitus eſt , modis omnibus obedientiæ filium ſe fore monſtravit. Igitur , jubente principe , fit ubique congregatio indomitæ [gentis *f*] & per ſanctum epiſcopum fuit *g* , & per ſuas exhortationes continuè convertuntur & baptiſantur alumni patriæ , ſtatuuntur in multis locis eccleſiæ : lux quippe , quæ illuminat omnem hominem , tenebris expulſis , in Hungaria cœpit enitere , & impleta ſunt in ea verba prophetiæ dicentis : Gentium populus , qui ambulat *h* in tenebris , vidit lucem magnam.

adveniit S. Adalbertus Hungaris prædicaturus , & Stephanum , præeunte matris viſione ,

e

f

g

h

A. CARTHUITIO EPISC.

Lux lucis invisibilis Christus est, quem tunc gentes videre meruerunt, quando revocati de tenebris, ipsum verum Deum & hominem esse verum perfectè crediderunt *i*. Nec hoc silentio prætereundum est, quòd, ut omnis ambiguitas tolleretur de medio, ne fortè prædictæ visionis solius viri parùm videretur inesse fidei, uxorem ejus, jam appropinquantem partui, tali voluit visione divina gratia consolari. Apparuit namque illi beatus levita & protomartyr Stephanus, levitici habitus ornatus insignibus, qui eam alloqui taliter cœpit: Confide in Domino, mulier, & certa esto, quia Filium paries, cui primò in hac gente corona debetur & regnum, meumque nomen illi reponas *k*. Cui cùm admirans mulier respondere: Quis es, Domine, vel quo nomine nuncuparis? Ego sum, inquit, Stephanus protomartyr, qui primus pro Christi nomine martyrium pertuli. Quo dicto, disparuit.

natum baptizat, Stephanus, solicitè educatus, designatur patris successor;

5 Nascitur interea prædictus à Domino Filius principi, quem secundum prophetam, antequam in utero conciperetur, Dominus novit; & cui, antequam nasceretur, per prothomartyrem suum nomen indidit. Hunc Deo dilectus Adalbertus episcopus chrismali baptismate secundum credulitatis suæ veritatem intinxit *l*. Nomen sibi impositum est Stephanus, quod alienum à consilio Dei fuisse non credimus. Stephanus quippe Græcè, Corona sonat Latinè. Ipsum quidem & in hoc sæculo coronare Deus voluit ad regni potentiam, & in futuro coronâ beatitudinis semper manentis redimire decrevit, ad percipiendam vitæ jugis indeficientem gloriam. Strigonienſi *m* verò oppido nativitatis exordium habuit; & puer *n* adhuc scientiâ grammaticæ artis ad plenè imbutus est. Crevit Infans diligenti nutritus educatu, qui transactâ pueritiâ, postquam gradum adolescentiæ primum ascendit, & convocatis pater suus Hungariæ primatibus, cum Ordine *o* sequenti, per communis consilium colloquii filium suum Stephanum post se regnaturum populo præfecit, & ad hoc corroborandum, à singulis sacramentum exegit.

mortuoque patre, principatum obtinet: mox de propaganda religione solicitus,

6 Post hæc plenis dierum anno Dominicæ Incarnationis nongentesimo nonagesimo septimo *p* seculi nequam ærumnas cælesti mutavit gaudio. Et eodem anno beatus episcopus Adalbertus causâ prædicandi verbum Dei Prussiam ingressus, ibi palmâ martyrii coronatus est. Post obitum verò patris Stephanus adhuc adolescens, favore principum & plebis in patris solium laudabiliter profectus *, & ardentiori animo cœpit veritatis propagator existere, quia quamvis adolescentiæ annis floreret, non tamen cor in ore, sed os in corde habebat. Scripturarum divinarum, quibus apprimè flagrabat, non immemor, judicium & justitiam in oculis proponebat, & juxta illud Salomonis: Audiens sapientiam sapientior erit, & intelligens gubernacula possidebit. In omnibus itaque mandatis Dei fidelis dispensator existens, apud se cœpit meditari, qualiter subjectum sibi populum unius Dei cultui manciparet. Sed quia perpendebat, id absque vicinarum gentium confœderatione *q* minimè fieri posse, pacem cum exterarum provinciarum populis habens *r*, & fideliter institutam roboravit fidem, ut eò securiùs, quod in mente tractabat, & in novella plantatione Christianitatis explere sufficeret. Sed adversarius totius bonitatis, invidiæ plenus & malitiæ, diabolus, ut sancti Christi Tyronis propositum disturbaret, intestina bella contra eum commovit, quoniam ejus instinctu plebs gentilis, Christianæ fidei jugo colla submittere renuens, cum principibus suis à dominio *ſ* ipsius se subtrahere moliebantur.

ſ rebelles vincit & monasterium S. Martini ditat.

7 Cœperunt enim urbes ejus desolare, prædia vastare, possessiones deprædari, servos cædere, &, ut cætera fileam, ipsi insultare. Cùmque declinare de viâ suâ perversâ nollent, nec furor eorum satiaretur; Dux ipse confidens de æterna virtute ad superandam hostium rabiem cum multitudine exercitus sui sub vexillo Deo dilecti pontificis Martini sanctique martyris Georgii processit. Illis fortè diebus urbem, quæ vulgò Vesprini *t* nuncupatur, obsederunt, & hæc ad convitia ejus commoventes, scilicet, ut ibi * ducalis accessûs conversatio habebatur, & ibi considerent, quò facilior ingressus ad alia præsidia occupanda inveniretur. Ipse verò, divina præeunte clementia, adversus eos consurrexit, & hic in fide, illi verò tantùm in armis confidentes, utrimque decertaverunt. Tandem hostibus victis, & ex parte cæsis & ex parte captis & alligatis, Dux victor cum suis victoriæ dona reportavit. Quapropter de possessionibus eorum, tam in agris quàm in villis, sapienter dijudicavit, non sicut quondam Saül, qui devicto Amalech de spoliis ejus, domino prohibente, meliora elegerat; sed, quoniam Pannonia beati pontificis Martini nativitate gloriatur, cujus etiam patrocinantibus meritis Vir Christo fidelis, ut jam dictum est, de hostibus victoriam deportaverat, nihil de rebus eorum ad opus sui reservans, merito *u* cum theophilis consilio, juxta fundum sancti præsulis in loco, qui sacer modus *x* dicitur, ubi sanctus Martinus, dum adhuc in Pannonia degeret, orationis sibi locum assignaverat, in titulo ipsius monasterium construere cœpit, possessionibus & redditibus cunctos sufficienter ditavit, & ipsius suffragio simile fecit episcopis, constituens, ex omnibus eorum facultatibus tam strictas decimas dari, ut si cui decem liberos habere contingeret, decimam prolem sancti Martini cœnobio daret.

*t * forte ubi*

ANNOTATA.

a *Uti Attila vocari voluit* flagellum Dei, *ita Hungari revera fuerunt flagellum Christianorum, quemadmodum satis colligi potest ex dictis in Commentario num.* 52.

b *In Ms.* nomine Geysa. *Porrò de ingressione Hungarorum in Pannoniam, seu in hodiernam Hungariam, primisque eorum ducibus, egi in Commentario* § 5. *De Geysa verò plura* § 7 *& sequentibus.*

c *Vox* exhiberi *non est in Ms., nec est omnino necessaria. Præceptum hoc Geysæ verosimiliter datum esse tempore Ottonis I, post pacem cum eo initam, & circa annum* 972, *dixi ibidem num.* 80.

d *Non esse, cur hanc visionem commodè intellectam pro fictitia necessariò habeamus, ostendi in Comm.* § 10.

e *Surius rectiùs habet*, Servo Christi, *pro* tyroni Christi: *nam Adalbertus minùs propriè vocatur* tiro Christi, *cùm esset episcopus.*

f *Vox* gentis *deerat in editione, atque idea uncis inclusam addidi ex Ms.*

g *Phrasis est mendosa in editione æquè ac in Ms. Surius habet:* Per sanctum episcopum fiunt conciones; *atque ita legendum putem.*

h *Surius* ambulabat, *uti revera habetur Isaiæ* 9.

i *Cœptam*

A. CARTHUITIO EPISC.

CAPUT II.

Cura promovendæ religionis, & multorum acceſſus in Hungariam : conſtructum monaſterium, erecti epiſcopatus : miſſus Romam legatus, qui coronam regiam multaque privilegia à Pontifice obtinet : nuptiæ cum Giſela ac pia utriuſque opera.

E *Eximia Regis pietas : ſanctorum virorum adventus in Hungariam :* * *in Ms.* ſpeciali

DEvictis ergo hoſtibus, Chriſti Miles gaudio ſpirituali * repletus, totius ingenii conſilium euangelici decrevit feminis fore receptaculum, eleemoſinis & orationibus vacans, frequenter pavimento ſanctæ domûs adhærens, lacrymis effuſis perfectionem propoſiti ſui Deo commiſit, volenti, ut, qui ſine ipſo nihil agere valeret, opitulante diſpoſitionis ipſius expletione bonum, quod cogitaverat, cum inceptione virtutum ad finem perducere poſſet. Ad hoc ergo incipiendum & conſummandum, quoniam fidelium Chriſti conſultum habebat neceſſarium, nuntiis & literis in omnes partes ſuum divulgavit deſiderium. Inde multi presbyteri & clerici, Spiritus Paracleti compuncti viſitatione, relictis ſedibus propriis, elegerunt pro Domino peregrinari. Abbates & monachi, nil proprium habere cupientes, ſub tam religioſi Principis moderamine regulariter vivere deliberaverunt. Inter quos vitæ regularis pater Aſtricus cum ſuis diſcipulis advenit, quorum unus, nomine Bonifacius *a*, in loco patris abbas deinde conſtitutus, dum à beato Rege causâ prædicationis in inferiores Hungariæ partes eſſet miſſus, in verticem percuſſus gladio, licèt poſtea ſupervixeret, non eſt privatus martyrio. Venerunt & alii duo de terra Polonienſi *b*, eremiticam vitam causâ contemplationis eligentes, quorum unus, F Andreas nomine, per confeſſionis meritum angelicis choris eſt aſſociatus, teſtibus miraculorum ſignis per ipſum à Domino factis : alter Benedictus pro Chriſto ſanguine fuſo miſericorditer laureatus.

a

b

conditum monaſterium ad radices Montis Ferrei, c

9 Aſtricus abbas cum ſuis honorificè ſuſceptus, ad radicem Montis Ferrei cœnobium ſub titulo ſancti patris Benedicti *c* conſtruxit, & ibi uſque hodie congregatio monaſterialis diſciplinâ regulari pollens, temporalium ſuſtentatione copiarum ex donativis ſancti Ducis ſuperabundans, non eſt alicujus egens, niſi ut ſuos & aliorum pedes ſecundum Euangelium quotidianis precibus & lacrymis lavet. Cum his Dei ſervus Princeps Chriſtianiſſimus, aliquando comiter cum omnibus, aliquando ſingillatim cum unoquoque eorum, colloquium habens, in tam divinis conſpectibus ſe probabilem reddidit, ut omnes militiæ ſuæ comites ad veri Dei culturam converteret. Quos verò alienæ ſectatores viæ reperit, minis terroribuſque ſubjugavit ; ipſoſque ſecundum eccleſiaſticam doctrinam inſtituens, jugum & legem diſciplinæ ſuppoſitis *d* cervi-

d

A i *Cœptam eſſe Hungarorum converſionem ante adventum Adalberti, jam inſinuavit auctor num.* 3, *& nos oſtendimus in Commentario* § 7. *Attamen imperfecta fuit prima illa converſio, & ne per Adalbertum quidem ſatis perfectè converſi ſunt Hungari, ut dictum* § 10.

k *Ne hanc quidem viſionem incredibilem eſſe, ſed aliundè potiùs firmari, oſtendi contra criminationes Schwartzii in Commentario* § 10.

l *Baptizatum probabiliùs à S. Adalberto infantem* Stephanum, *uti hic aſſerit Carthuitius, probavi in Comm.* § XI.

m *Strigonium, vulgò* Gran, *urbs eſt archiepiſcopali dignitate à* S. Stephano *deinde ornata, eâque etiamnum gaudet. Sita eſt ad Danubium & ſatis nota.*

n *Mirandum quidem videtur, tantam linguæ Latinæ curam eo tempore fuiſſe principi Hungarorum ; nec tamen dubitandum, quin* Stephanus *Latino ſermone puer ſit imbutus, cùm multa filio ſuo præcepta, multaque diplomata Latinè dederit.*

o *Surius :* Pater ejus convocavit Hungariæ proceres, & reliquos Ordines. *Unum cum primatibus* B *Ordinem convocatum ait biographus, plures perperam proceribus adjunxit Surius.*

p *De hoc anno emortuali Geyſæ, uti & S. Adalberti, conſentiunt ſcriptores. De morte ultimiſque geſtis Geyſæ plura ſunt dicta* § 12. Stephanum *tunc fuiſſe tredecim circiter aut quatuordecim annorum, dictum eſt num.* 122.

q *Surius habet,* confœderatione, *quo ſenſu auctor intelligendus.*

r *Surius,* pacem fecit, *aberrans à mente Carthuitii, opinor : nam exiſtimo hunc tantùm voluiſſe,* Stephanum *roborâſſe pacem à patre cum vicinis initam.*

ſ *In editione, quam aliàs ſequor, legitur* divino. *At cùm clarum ſit mendum, ex Ms. vocem* dominio *ſubſtitui.*

t *De toto hoc bello actum eſt in Comm.* § 14, *& ibidem de Veſprinio num.* 144.

u *Surius,* ex Dei amantium conſilio. *Auctor fortaſſe ſcripſit,* inito cum theophilis, *id eſt, Deum amantibus,* conſilio.

x Sacer modus *etiam eſt in Ms., at rectiùs apud Surium* Sacer mons : *nam ita vocatur monaſterium S. Martini ibi fundatum, de quo fusè* C *egi in Comm.* § 15, *ubi videbit lector monaſterium iſtud jam cœptum conſtrui ante hanc victoriam.*

A. CARTHUITIO EPISC. *Hungaria in decem episcopatus divisa; missus Romam legatus, qui coronam,*

cervicibus adhibuit, omnesque immunditias malorum prorsus destruxit.

10 Post hæc provincias in decem partitus episcopatus, Strigonienſem ecclesiam metropolim & magistram *e* cæterarum fore constituit. Cognoscens verò prudens Dux prædicti Astrici religionem, pontificalis ipsum dignitatis infulâ decoravit, electione canonica sublimavit, & ei Colocensis episcopatûs dignitatem *f* contulit. Quarto post patris obitum anno *g*, divina commonente clementia, eumdem Astricum præsulem, qui alio nomine Anastasius dictus est, ad limina sanctorum Apostolorum misit, ut à successore sancti Petri Principis Apostolorum postularet, quòd * novellæ Christianitati exortæ in partibus Pannoniæ largam benedictionem porrigeret, Strigonienſem ecclesiam in metropolim suæ subscriptionis auctoritate sanciret, & reliquos episcopatus sua benedictione muniret, regio etiam dignaretur ipsum diademate roborare, ut eo fultus honore, cœpta per Dei gratiam posset solidiùs stabilire.

e
f
g

* *in Ms.* qui

B *annea Polonorum duci promissam, monito divinitus Pontifice,*

11 Eodem fortè tempore Myscha *h* Polonorum dux Christianam amplexus fidem cum suis, missis ad Romanæ Sedis Antistitem nuntiis, Apostolica fulciri benedictione, ac regio postulaverat diademate redimiri: cujus petitionem annuens Papa, coronam egregii operis parari jam fecerat, quam illi cum benedictione & regni gloria mittere decreverat. Sed quia novit Dominus, qui sunt ejus, qui duobus per Apostolos in Apostolatûs ordinem sorte electum Matthiam prætulit, & Apostolicum fecit supplere numerum, illâ coronâ ipsum decoravit, postmodum eumdem feliciùs decoraturus æternâ. Præfixa itaque die, quâ parata jam corona prædicto Polonorum duci jam mittenda fuerat, nocte, quæ præcedebat, Papæ per visum Domini nuntius astitit, cui & dixit: Crastina die, primâ diei horâ, ignotæ gentis *i* nuntios ad te venturos esse cognoveris, qui suo Duci coronam *à* te regiam cum benedictionis Apostolicæ munere flagitabunt. Coronam ergo, quam præparari fecisti, eorum Duci, prout petierint, cures sine contradictione *k* largiri: sibi enim eam cum regni gloria pro vitæ suæ meritis scito deberi.

h

i

k

C *pro Stephano cum aliis privilegiis impetrat:*

12 Juxtà ergo hujus visionis modum præscriptâ sequentis diei horâ præsul Astricus ad Papam pervenit, qui officium injunctum sibi prudenter exequens; & sancti Ducis gesta referens ordine, ab Apostolica Sedeque *l* promptissimus insignia postulavit, indicans eum dignum tali honore & dignitate * qui plures gentes *m* per Dei adjutorium sibi subjugâsset, & multos infideles per suam potentiam ad Dominum convertisset. Quibus auditis valde gavisus Romanus Pontifex, cuncta, prout fuerant postulata, benignè concessit. Crucem insuper anteferendam Regi, velut in signum apostolatûs *n* misit; Ego, inquiens, sum Apostolicus, ille verò meritò Christi Apostolus, per quem sibi tantum populum Christus convertit. Quapropter dispositionem ejusdem, prout divina gratia ipsum instruit, Ecclesias Dei simul cum populis vitaque *o* jure ordinandas relinquimus. Impetratis ergo omnibus, prout petiit, præsul Astricus lætus ad propria remeavit, secum ferens propter quod inceptum iter prosperè peregerat.

l

* *al.* dignitati *mendosè*

m

n

o

Rex allatâ coronâ redimitus: leges Latæ;

13 Benedictionis ergo Apostolicæ literis cum corona & cruce simul allatis, præsulibus cum clero, comitibus cum populo, laudes congruas acclamantibus, dilectus Deo Stephanus rex unctione chrysmali perunctus, diademate regalis dignitatis feliciter coronatur. Post acceptum regalis excellentiæ signum, qualis vitæ vir *p* & discretionis fuerit, cum episcopis & primatibus Hungariæ statutum à se Decretum *q* manifestum fecit. In quo scilicet uniuscujusque culpæ contrarium dictavit antidotum, & ut pacis, per quam Christus orbem coadunavit, se fore *r* probaret filium, quòd nullus alium hostiliter invaderet, nemo vicinum sine judicii examinatione læderet, viduas & orphanos nullus opprimeret, subscriptione fœderis non pereuntis posteris suis reliquit stabilitum. Ad confortium verò, præcipuè causâ sobolis propagandæ, sororem *f* Romanæ dignitatis augusti, videlicet * Henrici, qui ob mansuetudinem morum Pius est appellatus, Gyslam *t* nomine, sibi in matrimonio * sociavit, quam unctione chrysmali perunctam, gestantem coronam regni sociam esse constituit. Quæ qualis erga Dei cultum orandum *u* extiterit, quàm *x* frequens & benedicta circa Dei servientium congregationes apparuerit, multarum ecclesiarum cruces, vel vasa vel paramenta, opere mirifico facta vel contexta, usque hodie testantur. Præ cunctis tamen domus episcopatûs Vesprimensis, quam ipsa à fundamento cœptam, omnibus sufficientiis ad servitium Dei in auro & argento vestimentisque multiplicibus nobiliter adornavit *y*.

D *uxor ducta; hujus pietas:*

p
q
r
f

* *Ms.* scilicet

t

* *Ms.* matrimonio *sine* in

u
x

E

y

14 Ipse verò Rex episcopia nuper incepta, tam videlicet archiepiscopalem quàm omnes episcopales ecclesias, amplissimam singulis assignans diœcesim, & unicuique semper præficiens idoneum præsulem *z*, simul & abbatias prædiis, curiis, & familiis, & reditibus, regaliter disposuit, crucibus & vasis aliisque supellectilibus, ad ministerium Dei pertinentibus, secundum quod unicuique opus fuit, sufficienter decoravit; & singulis annis, quoad vixit *aa*, munera & oblationes semper augebat, ne aliquid extrinsecus quærerent, qui officio sanctuarii præerant. Monachorum vitam & conversationem, nunc per alios, nunc per seipsum, explorando diligenter examinabat, torpentes arguens, vigiles sub dilectione constituens: canonicorum ministerium episcoporum providentiæ sub testimonio Christi & Ecclesiæ commendabat, secundum Apostolum omnibus omnia factus, ut omnes lucrifaceret.

cura Regis de fundationibus Juris, & vita ecclesiasticorum:

z

aa

F

Sebastianus statutus antistes Strigoniensis, eique cæco ad triennium suffectus Anastasius.

15 Eodem tempore in monasterio sancti Martini erat monachus quidam, Sebastianus nomine, cujus probabilis vita, & devota in Dei servitio religio habebatur: hunc Rex venerabilis miro amore cœpit diligere, quia quanto quis religiosior, tanto ei erat acceptior. Illum ergo ob vitæ merita pontificali honore dignum judicans, regendo Strigonienſi archiepiscopatui eum præfecit. Et quoniam flagellat Deus omnem filium, quem recipit, prædictum Sebastianum, ad probandam ipsius patientiam, corporalium oculorum lumine *bb* ad tempus privavit. Sed ne novellus in fide grex absque pastoris regimine à recti tramitis proposito deviaret, per consensum Romani Pontificis sæpe dictum Astricum Colocensem episcopum in illius locum substituit. Evolutis deinde trium annorum circulis, Sebastianus, ex Dei misericordia recepto lumine, rursum per Apostolici consilium suæ sedi restitutus est: & Astricus ad suam ecclesiam, videlicet *cc* Colocensem, cum pallio rediit.

bb

cc

ANNO.

A

ANNOTATA.

a *De geſtis hujus Bonifacii martyris plura apud alios ſcriptores non invenio, quam hîc leguntur: nam breviter de ea Bonfinius pag.* 174. *Inchofer mortem ipſius refert ad annum* 1007, *ac triennio antè miſſum ait à Rege in inferiorem Hungariam; utrumque tempus ex ſola, opinor, conjectura determinans. Addit:* De hoc Bonifacio nihil ſe offert in Martyrologiis, & aliis hiſtoriis eccleſiaſticis, unde ipſum ſibi vendicare ſola queat Hungaria. *Deinde inquirit, an fortaſſe idem non ſit cum S. Bonifacio martyre, S. Romualdi diſcipulo, qui in Martyrologio Romano habetur die* 19 *Junii, aitque ſine dubio diverſum eſſe; quod ſatis videtur certum, cùm alter epiſcopus eſſet, & coronatus ſit in Ruſſia; hic verò abbas & in Hungaria occiſus. Hîc tamen cum illo confunditur in libello, anno* 1692 *Tyrnaviæ edito, cui titulus:* Ungaricæ ſanctitatis indicia: *ibi enim pag.* 127 *texitur breve elogium Bonifacii abbatis S. Martini, qui in adjecta icone dicitur* à Pruſſis occiſus circa annum MVII, *ſed ſine veriſimilitudine.*

B b *In Ms.* Poloniæ. *Bonfinius pag.* 174 *de hiſce ſcribit ſequentia:* Item ex ea Dalmatiæ parte, quam Polianam dicunt, (*advenerunt*) eremitæ duo: quorum alter Andreas, Benedictus alter dictus eſt. Andreas vitæ ſanctitate miracula edidit. Benedictus, quum pro Chriſto ſanguinem effuderit, inter divos martyres annumeratus. *Ita Bonfinii Hiſtoria, ſi mendum non irrepſerit. At cùm conſtet, Sanctos illos Polonos fuiſſe, non Dalmatas; ſuſpicor Bonfinium ſcripſiſſe,* ex ea Sarmatiæ parte, quam Poloniam dicunt. *Plura de SS. Andrea* (*alias* Zoërardo, *qui &* Andreas Suirardus *in Officio Polonico dictus legitur*) *& Benedicto videri poſſunt apud nos tom.* 4 *Julii à pag.* 326, *ubi eorum geſta diligenter examinata ſunt, Vitaque edita.*

c *De ſtructo hac monaſterio, quòd diſtinguitur à cœnobio S. Martini, varia obſervavi in Comm. num.* 155 *& ſequentibus.*

d *In Ms. mendosè* ſuprapoſitis. *Regem fortiſſimò egiſſe contra adverſantes legi Chriſtianæ, intelligitur ex geſtis in bello Tranſilvanico, quod*
C *narravi* § 25, *& ex legibus ſuprà datis.*

e *Ita habet Ms. In editione mendosè* in gratiam. *De erectione epiſcopatuum conſule Comm.* § 16.

f *In Ms. hîc legitur, veroſimiliter mendosè, licèt phraſis utcumque poſſit intelligi:* Et ei Colocem ſecundum epiſcopatûs dignitatem contulit. *Colocia civitas, deinde archiepiſcopali dignitate ornata, nunc vulgò* Colocza, *ſita eſt ad Danubium in comitatu Bachienſi.*

g *Id eſt, ipſo anno milleſimo. Quæ de hac legatione narrantur, ſolidè confirmata vide* § 18 *&* 19.

h *Boleſlaum fuiſſe Myſchæ, ſeu Miſeconis filium, qui coronam tunc petiit à Pontifice, dixi in Comm. num.* 193, *& factum ipſum ibidem aliorum auctoritate confirmavi. Præterea obſervavi, errorem oriri potuiſſe ex eo, quòd Miſeco fuerit primus dux Chriſtianus, qui fortaſſe jam cœperat coronam petere.*

i *Silveſter II in litteris ſuis num.* 185 *ſimiliter dicit* de ignota nobis gente. *Attamen non poterant Hungari eo tempore Romæ prorſus eſſe ignoti. Itaque tanto magis miranda hæc phraſis, tantoque magis credendum, hanc à Carthuitio deſumptam eſſe ex litteris Silveſtri, qui eo dumtaxat ſenſu Hungaros* ignotam gentem *dixiſſe videtur, quòd nullos eatenus, legatos ab iis acceſſet.*

k Contractione *legitur in editione, quam alias ſequor. At in Ms.* contradictione, *quam vocem, ut certè meliorem, hîc ex Ms. deſumpſi.*

l *Illud* que *hîc redundat. In Ms. legitur* qui, *quod referri poteſt ad voces* ſancti Ducis, *ita ut ſenſus eſſe videatur,* Sancti Ducis geſta referens, .. qui .. poſtulavit. *Senſus etiam clarus erit, ſi omittatur* que *aut* qui, *prout locum intellexit Surius.*

m *Hic locus conſideratione dignus eſt, cùm nullibi legamus* Stephanum *ante annum* 1000 *aliud bellum geſſiſſe, quàm contra Cupam ducem Simigienſem, alioſque rebelles ſubditos Cupæ adhærentes. Verumtamen in litteris ipſius Regis pro abbatia S. Martini, datis in Comment. num.* 150, *Rex ipſe inſinuat, aliud quoque bellum ſibi gerendum fuiſſe; nam hæc ejus verba:* Ingruente namque bellorum tempeſtate, quia * inter Theutonicos & Ungaros ſeditio magna excreverat, præcipueque cùm civilis belli ruina urgeret *&c. Mox iterum ait ibidem:* Si de hoſtibus interioribus & exterioribus ejus (*S. Martini*) meritis victor exiſterem *&c. Uterque locus inſinuat bella externa initio regni geſta. Ditmarus etiam, prout editus eſt à Leibnitio, & in codice noſtro Ms., ſub initium lib.* 8 *inſinuat, aliquid belli* S. Stephano *fuiſſe cum Boleſlao II Bohemiæ duce. Nam facta priùs mentione Boleſlai, ſubjicit ſequentia verba:* De præfati ducis infortunio res quædam narranda reſtat. Habuit hîc quamdam urbem, in confinio regni ſui & Ungariorum ſitam: cujus erat cuſtos Prochnii * ſenior, avunculus Regis Pannonici, à ſuis ſedibus ab ipſo, ut antea, nunc expulſus. Qui cùm uxorem ſuam à captivitate non poſſet abſolvere, gratuito munere Nepotis ſui, quamvis inimici, eam recepit. Numquam audivi quemquam victis tantùm parcere, & ideo in civitate prædicta, ſicut & in multis, ſedulo * Deus ei victoriam conceſſit. *Clarum eſt, hæc dici de* Stephano: *nam mox pergit de Geiſa:* Hujus pater *&c. Verùm res ipſa cùm aliorum ſcriptorum ſilentio, tum ipſorum verborum obſcuritate, & quia relata eſt extra ordinem temporis, minùs eſt clara. Suſpicari tamen poſſumus, initio principatûs* S. Stephani *bellum illud fuiſſe, & illud ipſum ab eodem inſinuari verbis mox datis. Quidquid ſit, victoriam* Stephano *tum in hoc, tum in multis aliis abtigiſſe, teſtatur Dumarus.*

n *In Ms. legitur,* veluti ſignum apoſtolatûs, *Surius* ceu apoſtolatûs inſigne. *In editione, quam recudo, habetur,* apoſtolitatûs, *quod correxi ex Ms.*

o *Mendoſa hîc eſt editio, & Ms. Editio habet, prout locum reddidi; Ms.* vitiaque *nihilo meliùs. Surius verò locum rectè expreſſit hoc modo:* Eccleſias Dei unà cum populis noſtra vice ei ordinandas relinquimus.

p *In editione legitur* vix *mendosè. Idcirco vocem mutuatus ſum ex Ms., ubi* vir *rectè habetur.*

q *Loquitur de legibus per* Stephanum *latis, quas dedi in Comm.* § 34.

r *In Ms.* fortè *minùs rectè, & mox* qui *pro* quòd.

ſ Sororem *habet hæc editio æquè ac Ms. Surius* filiam *perperam edidit. At error ille Surii eſt, non Carthuitii, cui eum attribuerunt aliqui, quòd ſolam vidiſſent Surii editionem.*

t Gyſlam

A CARTHUITIO EPISC.

E

F

* *apud Leibn.* Prochui

* *ibid. mendosè* ſequelum

* *al.* quæ

A. CARTHUITIO EPISC.

t Gyſlam *rurſus habet editio cum Ms.* Giſelam *edidit Surius, prout eam paſſim vocant neoterici. De tempore nuptiarum, de Giſela ejuſque genere, conſule Comm.* § 17. *De Giſelæ pietate & geſtis ſæpiùs etiam quædam in Commentario dicta.*

u *Surius hîc rectiùs* ornandum, *uti auctorem ſcripſiſſe opinor.*

x *In Ms.* quaſi *pro* quàm; *mox* benedica *pro* benedicta & Deo *pro* Dei, *hoc modo:* Qualî frequens & benedica circa Deo ſervientium congregationes *&c. Rurſum paulo pòſt minùs rectè in Ms.* uſque die *pro* uſque hodie.

y *Idem habet Comm. num.* 268.

z *Quantâ curâ optimos præſules eligeret* Stephanus, *dictum eſt* § 24.

aa *Hæ duæ voces ex Ms. ſunt deſumptæ: nam in edito mendosè habetur* quo aduitrix.

bb *Poſt hanc vocem additur* eum *in edito, quod redundat, nec eſt in Ms.*

cc *In Ms.* ſcilicet. *De Sebaſtiano aliiſque hîc relatis agitur in Comm.* § 24.

B

CAPUT III.

Pietas in beatam Virginem: ſtructa ornataque donis & privilegiis eccleſia Albæ Regalis: fundationes piæ Hieroſolymis, Romæ, Conſtantinopoli: miſericordia & liberalitas Regis, ejuſdemque mirabilia.

Eximia pietas in beatam Virginem, cui exſtruit eccleſiam Albenſem,

C

a

ERat interea Rex idem fidelis in omnibus actibus ſuis, Deo perfectè deditus per votum & oblationem, ſemetipſum cum regno ſuo ſub tutela perpetuæ Virginis Dei Genitricis Mariæ precibus aſſiduis conferens, cujus gloria & honor tam celebris inter Hungaros habetur, quòd etiam feſtivitas Aſſumptionis ejuſdem Virginis, ſine additamento proprii nominis, ipſorum linguâ DIES DOMINÆ vocitetur *a*. Et ut majorem defenſionis miſericordiam conſequi valeret, in ipſa regalis ſedis civitate, quæ dicitur Alba, ſub laude & titulo ejuſdem Virginis perpetuæ famoſam & grandem baſilicam opere mirifico, celaturis in chori pariete diſtinctis, pavimento tabulis marmoreis ſtrato, conſtruere cœpit: quam qui vidit, veritati teſtimonium perhibet verborum noſtrorum, innumerabilia palliorum [&] paramentorum ibi eſſe genera, tabulas circa altaria plures auro puriſſimo fabricatas, lapidum * ſeries pretioſiſſimorum in ſe continentes, ciborium arte mirabili ſupra menſam Chriſti erectum, cameram omni genere vaſorum Criſtallinorum *, onychinorum, aureorum, argenteorum pleniter refertam.

* *al. mendosè* lapidis

* *al.* cryſtallorum

quam ſibi pro ſacello retinet ac privilegiis ornat:

17 Tantâ vetuſtate ſupraſcriptam eccleſiam in propriam capellam Rex ſibi retinens, tali eam libertate dotâvit, ut nullus epiſcoporum in ea juris quicquam haberet. In die etiam abſolutionis, & conſecrationis Chriſmatis, cuicumque epiſcopo vel injungeret Rex ibi præſens, vel illuc mitteret abſens, pœnitentes in ea abſolveret, & chriſma conſecraret: divina quoque Miſſarum ſolemnia, ſi Regem ibi eſſe præſentem contingeret, ille tantùm * celebraret epiſcopus, cui Rex, conſentiente cum fratribus præpoſito, celebrare juberet. In Regis autem abſentia, abſque præpoſiti & fratrum licentia, epiſcopus vel Miſſas celebrandi, vel cujuſlibet epiſcopalis officii exercendi, ſibi licentiam non uſurparet. Præterea eumdem eccleſiæ populum inſtituit eſſe tam liberum, ut nihil decimarum cuidam epiſcopo dare deberet; ſed præpoſito ſoli & fratribus, prout ab eo inſtitutum eſt, ſervitium exhiberet *b*.

D

* *al.* tamen

b

fundationes Hieroſolymæ, Romæ & Conſtantinopoli:

* *Surius* ut

18 Deinde ſervus Dei, quæ tunc acquirere poterat, omnia Chriſto, quæ ex ipſius dono fluxerant, conferre ſtuduit, & * qui eum gloriâ & honore mundi præſentis dignum fecerat, cæleſtis patriæ civibus clementer aſſociare dignaretur. Legimus in prophetiis de Apoſtolis ſcriptum, quòd in omnem terram exivit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Hoc non ſolùm de duodecim, ſed de omnibus à Deo miſſis, ad euangelizandum dictum eſſe probatur, quorum fide, verbis & moribus incrementum parit Eccleſia. De quibus iſte Chriſtianiſſimus Rex non minimus fuiſſe comprobatur, qui bonæ voluntatis & operis famam, quam in ædificandis eccleſiis in amplitudine proprii juris *c* exercuerat, in longè poſitas terras & urbes famoſiſſimas diſperſerat. Conſtruxit enim in ipſa converſationis Chriſti ſecundum humanitatem civitate Hieruſalem *d* monachorum cœnobium, quod prædiis ditavit & vineis, ad victum quotidianum copiam miniſtrantibus. In capite quoque mundi Romæ ſub titulo protomartyris Stephani duodecim * canonicorum congregationem, cunctis pertinentiis habundante * ſtatuit, & materiam in circuitu lapide muratam, cum domibus *e*, & hoſpitiis Hungarorum, orationis cauſâ beati Principis Apoſtolorum Petri limina quærentium, condidit. Ipſam quoque regiam urbem Conſtantinopolim beneficiorum munere non privavit, quam eccleſiâ mirifici operis, cum neceſſariis omnibus ſuis donavit. Meritò ergo infra terminos ſuæ dominationis nomen adeptus eſt Apoſtoli, & quamvis ſuper ſe euangelizandum non aſſumpſit officium prædicatorum, tamen dux & magiſter ejus, tutaminis & ſuſtentationis inſtituit ſolatium.

E

c

d

* *in Ms.* duodecimam

* *al.* abundantem

e

* *al. mendosè* mirificè

F

eximia Sancti miſericordia,

19 Inter omnia ſupernæ miſerationis beneficia, beatò Regi divinitus conceſſa, præ omnibus ſunt illa miranda, ſcriptis commendanda, quæ locum primum obtinent ad æternæ vitæ gaudia promerenda, miſericordia ſcilicet & veritas. In omnibus enim factis ſuis felicibus illud intendebat eſſe præcipuum, quod ex Euangelio fideli pectoris contemplatus eſt vi ſuper Veritatis ipſius teſtimonii *f* dicentis: Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur, & in alio loco: Date, & dabitur vobis. Tantis igitur miſerationibus, & pietatis brachiis Chriſti pauperes, imò Chriſtum ipſum, amplexatus eſt, quòd nullus unquam hoſpes & peregrinus *g* ab eo ſine benignitatis alicujus ſolamine triſtis abſceſſit. Ad relevationem egenorum quotidianas expenſas indeficienter fieri conſtituit, nocturnas vigilias in lavandis Chriſti fidelium pedibus, & in abſcondendis in ſinu pauperum eleemoſynis, agiliter & hilariter tranſigere ſolebat, egenum Chriſtum in membris ſuis conſolari deliberans temporaliter, ut ipſe vitæ cæleſtis cameram cunctis delectamentis refertam inveniens, jucundari mereretur æternaliter.

f

g

20 Qua-

A *contumelia illius occasione hilariter tolerata.*

20 Quadam verò nocte ſpirituali monitu tactus, nemine ſciente, ſolus plenum Homo Dei gerens ſæculum, Chriſti puſillum gregem ſolito more perrexit viſitare; ſtatimque pauperes diſtribuendæ celeſtis theſauri pecuniæ diſturbantes initium, Viri Dei meritis evulſione barbæ præbuerunt teſtimonium. Ob hoc gaudio perfuſus maximo Miles Chriſti, ſe contulit ad beatiſſimam Creatoris * omnium Genitricem, proſtratus terræ gratias agens, ſic exclamavit: Regina cæleſtis & mea, quem tu Regem ſtatuiſti, milites tui ſic honoraverunt. Si ab aliquo adverſario mihi fuiſſet hoc illatum, meam injuriam per tuum ulciſcerer amminiculum. Sciens ergo, Domina, hac æternam mihi tribui felicitatem, nimis exulto, gratias agens Salvatoris verbis conſolatoriis, quibus diſcipulos ſuos conſolatus eſt, dicens: Capillus de capite veſtro non peribit. His dictis, ſe Vir Dei cæleſti gratia percipiens viſitatum, & ſpirituali chriſmate perfuſum, cordis januas opem credentibus * numquam claudere decrevit, ſed per ſe deinceps, & per alios, præcipuè tamen per Chriſti ſervos & familiares, clericos ſcilicet & monachos, cælitus

B ſibi datas facultates in æternis theſauris per manus pauperum fecit collocari.

** in Ms. mendosè* Creatorem

** fortè* petentibus

21 Hujus rei teſtimonium quamplures exhibent, ſed ex his unus in æternum cum ipſo cæ-

Recepti in Hungaria Guntherus & Gerardus, & cœnobium Beel conditum:

leſtis vitæ particeps, monachus ex ſæculari nobilitate converſus, & heremita, beatus Guntherus *h*, qui hac liberalitate charitativi Principis illectus, ſæpiùs eum de terra Bohemicorum viſitare *. Quotiens enim * curiam ipſius adventus ſui fulgore perluſtravit, curâ regni ſub manu ſua poſitâ, peregrinis & indigenis, viduis & orphanis, cœnobiis & eccleſiis re diſtributa, quam continebat *, in brevi fuit exatninata *i*. Ad nutum etiam ejuſdem ſervi Dei Rex Deo devotus monaſterium, quod Beel *k* nuncupatur, incipiens, hominibus ditavit: ubi monachus Gerardus de Venetia veniens, vitam contemplativam agere cœpit, qui conſtitutione divina pontifex electus, poſt obitum ſancti Regis, inſtante diſturbatione *l* Chriſtianitatis, lapidatus, per donum gratiæ ſpiritualis dignus effectus eſt conſortio Martyrum.

h

** addi cum Surio* ſolebat

** in Ms.* etiam

** in Ms.* conſentiebat

i.

k

l

C *egris collata ſanitas; Beſſorum irruptio præcognita.*

22 Nec hoc prætereundum æſtimo, quòd in Viro Dei quanti meriti poſt obitum foret, divina virtus in vita ſua demonſtrare voluit. Quippe quotiens alicujus hominis infirmitas auribus ſuis diffamata fuit, ſibi pro medicina, quam tunc in præſenti poterat habere, particulam panis, pomi *m*, vel herbæ redolentis, mandans, ut ſanus ſurgeret, tranſmiſit, & Dei propitiatione verbum ipſius comitante, ſtatim ſoſpitatem recepit. Poſt glorioſam ad cælos Aſcenſionem, & mirabilem in Patris dextera confeſſionem * Salvator noſter paucis corporaliter apparuiſſe perhibetur, per viſionem verò multos conſolatus, futurorum eos præſcios eſſe docuit: quod & huic ſancto Regi contigit. Quadam namque nocte repentè per revelationem quandam * expergefactus, veredarium quemdam infra diem & noctem ad Albam tranſſilvanam *n* præcepit feſtinare, & omnes in rure manentes ad munitiones civitatum, quàm citiſſimè poſſet, congregare. Prædixit enim ſuperventuros Chriſtianorum hoſtes, videlicet, qui tunc Hungaris inimicabantur, Beſſos *o*, & poſſeſſiones eorum deprædaturos. Vix nuntius mandata Regis complevit, & ecce Beſſorum inopinata calamitas incendiis & rapinis cuncta devaſtavit, per reve-

** lege* confeſſionem

** In Ms. mendosè* quidam

m

n

o

lationem Dei, meritis beati Viri conceſſam, animabus omnium ſalvatis per receptacula munitionum. A. CARTHUITIO EPISC.

ANNOTATA.

a *Sancti in beatam Virginem pietas confirmata eſt in Commentario num.* 280, *& rurſum num.* 296.

b *Hæc omnia de eccleſia Albenſi eodem ferè modo narravit Bonfinius, cujus verba dedi in Comm. num.* 281 *&* 282.

c *Id eſt, in propria ditione, eaque ampliſſima. Surius*, in propriæ ditionis amplitudine.

d *Quàm veriſimilis ſit hæc fundatio, vide probatum in Comm.* § 28 *contra Schwartzium, qui Carthuitium hic carpit, ut incredibilia narrantem. Conſule etiam ibidem dicta de duabus ſequentibus fundationibus.*

e *In Ms. minùs rectè:* Et maceriam circuitu lapide muratam domibus *&c. Mox etiam ibidem pro* quærentium *mendosè legitur* quærendum.

f *Hic locus mendosè editus eſt, & diverſus quidem in Ms., nec tamen correctior. Surius ſenſum reddidit integrum, ſed verba mutavit. Levi correctione emendabitur, ſi pro* teſtimonii *legamus* teſtimonio. *In Ms. eadem vox corrigenda, legendumque* teſtimonium: *nam ibi habetur*, fideli pectoris contemplatus eſt viſu, *ac deinde* per Veritatis ipſius teſtimonii, *lege* teſtimonium. E

g *Charitatem eximiam Sancti in peregrinos vide in Comm. num.* 300, *& locis aliis.*

h *De Gunthero, geſtiſque Regis cum eo, actum in Comm.* § 26, *ubi & de Regis miſericordia.*

i *Surius legit* exinanita: *nam ita hîc ſenſum expreſſit:* Tum ille rebus, quas in aula inveniſſet, in peregrinos, egenos, viduas, pupillos, cœnobia & eccleſias erogatis, brevi illam exinaniebat. *Quod verò dicitur de cura regni Gunthero tradita, intelligendum puto de cura eleemoſynarum per regnum diſtribuendarum; id enim innuunt ſequentia verba ex Surio jam data.*

k *Adi dicta in Comm. num.* 291 *& ſequentibus; ubi etiam de Gerardo, de quo alia* § 27. *Colitur ſanctus ille epiſcopus & martyr* 24 *Septembris.* F

l *Vox* diſturbatione *ſubſtituta eſt ex Ms.; nam in edito mendosè legitur* diſtributione.

m Pomi *omittitur in Ms., ſed etiam eſt apud Surium. Mirabilia id genus non ſunt fide indigna: nam hiſce ſanctitatis famam in Vita adeptus eſt* Stephanus, *licèt eam non minùs mereretur operibus ſanctis.*

n *Alias* Alba Julia *dicitur; Hungaris verò* Giula Feywar, *Germanis* Weiſſenburg. *Erat eo tempore metropolis civilis totius Tranſilvaniæ, & etiamnum eſt inter præcipuas urbes illius principatûs.*

o *De hac Beſſorum irruptione tractatum eſt in Comm.* § 30.

A. CARTHUITIO EPISC.

CAPUT IV.

Bellum à Conrado imperatore illatum mirâ Dei providentiâ citò finitum : crebra Sancti oratio & raptus : insigne severitatis exemplum : morbus Regis & obitus filiorum : virtutes variæ.

Bello impetitus à Conrado imperatore, miram Dei protectionem experitur :

Accidit post hoc, defuncto beati Regis amico, Romanæ dignitatis augusto Henrico pio *a*, Conradum imperatoriæ dignitatis coronam per Germanorum electionem assumere : qui destructa pacis tranquillitate totius Theotoniæ *b* manu coadunata, Pannoniæ terminos hostiliter conatus est invadere. Contra quem Rex consultum * habens episcoporum & principum, ad tuendam patriam armatos totius Hungariæ extraxit. Priùs tamen recolens, se nihil posse sine Christi suffragio, manus & cor levans ad æthera, Dominæ suæ, perpetuæ Virgini, Dei Genitrici, Matri suas injurias commendans, talem erupit in vocem : Si placet tibi, Domina mundi, tuæ partem hæreditatis ab inimicis *c* devastari, & novellam plantationem Christianitatis aboleri, non meæ, precor, imputetur desidiæ, sed potiùs dispositioni voluntatis tuæ. Si Pastoris culpa quid meretur, ipse luat, insontibus parce, precor, omnibus. His dictis, quasi consolatus ab ipsa, fiducialiter adversus hostes iter arripuit. Alterâ mox die nuntius ad unumquemque ducem Germanorum, & in castra Theotonicorum * ab imperatore *d* venit, qui eis redeundi mandatum detulit. Regredientibus *e* adversariis, Vir sanctus respectu miserationis Dei se visitatum intelligit, Christo suique *f* Genitrici terræ prostratus gratias egit : cujus se cum regni provisione tutamini precibus assiduis commendavit. Imperator verò suorum tam repentinâ perterritus defectione, scìscitans qualiter res facta fuerit, cùm nuntium reversionis eorum non suum fuisse veraciter sciret ; per consilium Divinitatis, ad corroborandam Regis fidelissimi spem, factam non dubitavit, seque dehinc ab invasione regni ejus timore Judicis æterni retentus, abstinuit.

a
b
* *in Ms.* consilium
B
c
* *Ms.* Teutonicorum
d
e
f
C

cùm contemplationi insistit in tentorio, illud sublime pendet in aëre ;

24 Idem quoque Rex beatâ solicitudine regalium dispositione occupatus, tempus diurnum colloquiis & consiliis transignans, per noctis silentium vigiliis & orationibus instare, contemplationi vacare, lacrymas fundere, Deum alloqui precibus, operam dedit, justique Judicis moderationem super quotidianas judiciorum discussiones misericorditer descendere flagitabat. Quod cùm sedulò spiritualis desiderii frequentaret officio, nocte quadam, templo Dei longè remoto, (descenderat quippe cum illo suo magno & nobili comitatu, fixis tentoriis in campestris amplitudinis loco) cæteris sopore depressis, surgens à lecto cubiculum cordis ingressus, genibus flexis, solo labiorum motu æternæ miserationis januam gemitibus, & lacrymis pulsabat. Cúmque diutiùs deprecationibus insisteret, Domini sui Regis æterni ministris ad suscipiendas preces ejus convenientibus, papilio super eum extensus à terra levatus tam diu pendêre cœpit in aëre, donec Vir Dei ad se reversus à contemplatione, spiritum relaxavit ab oratione. Quod licèt invisibiliter illi soli, qui res novit, antequam fiant, suique secreti conscìis angelis fuisset cognitum, cuidam tamen magnæ simplicitatis & innocentiæ * viro, qui tunc simili forsitan instabat operi, est manifestatum : quem Rex sanctus arcani simul sui conscium esse per Spiritum sanctum edoctus, ad se vocatum blandis priùs sermonibus, quid vidisset, scìscitabatur. Postea ne cui patefaceret, quoadusque ipse viveret, interminatus est.

D
* *in Ms.* innocenti

gravi supplicio punit injuriam illatam intranitibus regnum :

25 Famâ nominis sui in auribus multarum gentium sæcularium diffusâ, & judiciis oris *g* sui celebri laude ubique innotescentibus, sexaginta viri Bessorum, quorum superiùs mentionem habuimus, cum universo apparatu suo, videlicet auri & argenti copiositate, multaque varietate ornamentorum, curribus onustis de partibus Hungariæ *h* egressi, ad Regem venire volentes, terminis Pannoniorum appropinquaverunt. At multi servorum, quorum cereus est animus flecti in vitium, malignitatis suæ face succensi *, obviàm illis exierunt : quosdam gladio percusserunt, omniaque, quæ eorum fuerant, auferentes, vacuos & semiviventes relìquerunt. Illi verò Regi, quid actum, quidve perpessi sint, reservantes ; iter, quod cœperant, peregerunt ; & ad eum properantes, genibus ejus se advolverunt. Quibus visis, Quæ causa, inquit, malorum ? Mi Domine, referunt, nos servi tui nihil mali machinantes, ad audiendam judiciorum tuorum * veniebamus disciplinam, & quorumdam manibus, quam nobiscum ferebamus, pecunia absque delicto omnium nostrùm ablata est. Insuper apprehensos aliquos cecìderunt, & vitâ vix comite venimus, ut nuntiaremus tibi. Rex, ut erat prudentioris animi, non vultu, non verbis minatus est eis * ; sed sustinens, ut scribitur ; Prudens Spiritum *i* reservat in posterum, misit ociùs ad illum, sub quo militabant, tribunum, & die constituto omnes perditionis viros jussit conspectibus suis præsentari. Factum est, ut imperaverat ; & ad discutiendum in præsentia sui constituti sunt. Quos alloquens, Cur, inquit, legem præceptorum Dei transgredientes, non intellexistis misericordiam, & viros innocentiæ condemnastis ? Sicut fecistis, ita faciet Dominus vobis coram me hodie : transgressores enim legis feriendi sunt. Acceptâ sententiâ, educti sunt, & per omnem regni ingressum duo & duo suspendio perierunt *k* ; quod ob terrorem incutiendum reliquis, zelo eum justitiæ fecisse credendum est ; ut quia regnum omnibus hospitibus potens asylum esse volebat, sic liber omnibus introitus esset, ut nullus ingredientem quemlibet in aliquo læderet, vel molestare præsumeret, quod & factum est. Nam quoad vixit, nullus cuilibet hospiti quicquam molestiæ inferre præsumpsit.*

g
h
E
* *al.* succensæ *mendosè*
* tuorum *non est in Ms.*
* eis *abest à Ms.*
i
F
k

affligitur diuturno morbo & filiorum obitu ; atque ipsius etiam, quem præclare instituerat, l

26 In beato quoque Rege constat Apostolicum illud impletum, quod legitur : Quoniam per multas tribulationes oportet intrare in regnum cœlorum ; & in libro Sapientiæ : Quos diligit Deus, castigat ; & pater flagellat omnem filium, quem recipit. Multis enim modis correctioni divinæ succubuit, tribus annis infirmitate continet laborem *l*. Postquam inde propitiationis Dei medicamine convaluit, tamen judicio æterni persecreti consilii quandam examinationem

A nationem in filiorum ſuorum obitu ſibi ſenſit immittere * verba, quos in ipſis infantiæ gradibus infantes, qui dedit, abſtulit *m*. De quorum morte mœſtitiam obortam Genitor propter amorem filii ſuperſtitis, bonæ indoſis pueri Emerici compeſcuit: ſolatium quem quaſi jam unicum caro diligens affectu, precibus Chriſto quotidianis, & ejus Genitrici Virgini perpetuæ commendavit. Hunc ſibi fore ſuperſtitem, hunc regni hæredem, votis omnibus deſideravit; & ut efficax fieret ad tenenda tanti regiminis gubernacula virorum documentis orthodoxorum, uſu lectionis quotidianæ, fecit auditum utrumque *n* præbere. Ipſe quoque paternæ dilectionis ardore compunctus, libellum *o* ſibi de inſtitutione morum compoſuit, in quo fideliter, & diligenter verbis eum admonitionis ſpiritualis * alloquitur, inſtruens, qualiter ante omnia debeat obſervare fidem Catholicam, confirmare ſtatum eccleſiaſticum, honorem impendere dignitati pontificum, principes & milites diligere, judicium obſervare, patientiam in omnibus actibus habere; hoſpites benignè recipere, benigniùs * nutrire, ſine conſilio nihil agere, majores ſuos ſemper ante oculos ad exemplum ſtatuere, orationis officium frequentare, pietatem & miſericordiam cum cæteris virtutibus poſſidere.

* *in Ms.* mittere

m

n

o

* *Ms.* ſpecialis

* *al.* benignus

B

27 Talibus & his ſimilibus diſciplinis inſtitutus juvenis præclarus, ad nutum diſpoſitionis æternæ, cui cuncta ſubjacent, obediendo MXXXI *p* Dominicæ Incarnationis anno vitam hanc exitialem commutavit, ſempiterno * ſuperorum civium adjunctus contubernio, cujus animam ipsâ tranſitus ſui horâ cuidam epiſcopo Græcorum *q*, ſanctæ converſationis viro, revelatum eſt deferri per angelos ad cœli palatia. Verùm quia pro ſanctitatis ſuæ meritis, ſummo ab omnibus diligebatur affectu, ortus eſt ingens luctus omnium; ſed maximè principum, inter quos Pater deſolatus grave traxit * ſuſpirium: videns enim ſe ſolum ſine ſpe poſteritatis derelictum, pietatis affectum * doluit: ſciens verò ſcriptum: Non eſt ſapientia, non eſt prudentia, non eſt conſilium contra Dominum; & illud in canonibus, Neminem propter obitum charorum nimiùm debere contriſtari; depoſito majore *r*, ſe contulit totum, ad quærendam largitatem miſericordiæ divinæ, cœnobiorum & Eccleſiæ miniſtris, monachis & clericis, diverſis eleemoſynarum donis conſolatus *, expenſam totius ſumptus, quam tunc habere poterat, peregrinis, viduis, & orphanis erogat. Exterarum *ſ* etiam monaſteria provinciarum munificentiæ regiæ donis innumeris per nuntios ſuos ſæpe viſitavit.

Emerici: dolorem verò hinc natum lenit operibus miſericordiæ:

p

* *al. mendosè* ſempiternam

q

* *Ms.* contraxit

* *fortè* affectu

r

C

* *fortè* conſolatis

ſ

28 Gravedinem *t* morum, quam in juventute receperat, uſque ad finem vitæ tenuit. Vix unquam ad riſum labia movit, recolens ſcriptum, Riſus dolore miſcetur, & extrema gaudii luctus occupat; ſemper ſic apparens, acſi ante Chriſti tribunal ſtaret, interioris *u* oculis ejus præſentiam vultu ſereno conſpiciens, Chriſtum in ore, Chriſtum in corde, Chriſtum in cunctis actibus ſe * geſtare demonſtravit. Diem ultimum ſemper ante oculos cordis ſtatuens, toto mentis deſiderio inter patriæ cæleſtis cives, quaſi quodam * angelicæ converſationis habitu cupiebat habitare. Cunctis Deo placitarum virtutum generibus adornatus in ſanctitate & juſtitiâ, coram ipſo omnibus diebus vitæ ſuæ converſari decrevit, ut in eo jam ceu quædam futuræ glorificationis ſpecies clareſcere videretur.

eximia Regis ſanctitas.

t

u

* ſe *abeſt à Ms.*

* *al.* quondam

ANNOTATA.

a *Obiit S. Henricus imperator, & electus eſt Conradus, cognomento* Salicus, *anno* 1024; *at non ſtatim ortum eſt bellum inter Conradum &* Stephanum, *ſed primùm fuêre quædam ſimultates, culpâ Bavarorum enatæ, ac deinde anno* 1030 *Conradus aperto bello agreſſus eſt* Stephanum, *paxque inſtaurata anno ſequenti. Adi Commentarium* § 31.

b *In Ms.* Teutoniæ. *Intelligit auctor Germaniam, aut totum imperium*

c *In Ms. additur*, regis, *legiturque* regis ab inimicis.

d *Id eſt, quaſi miſſus ab imperatore; niſi revera illum miſerit Conradus, idque poſtea fateri noluerit.*

e *Ms.* Egredientibus, *nimirum regno Hungarico*, adverſariis.

f *In Ms. rectiùs* ſuæque Genitrici, *pro*, ejuſque Genitrici.

g *Vox* oris *ſubſtituta eſt ex Ms.: nam in editione mendosè legitur* ori. *Ita mox alia duo menda corrigam ex Ms. Meldenſi ſubſtituendo* ſexaginta *pro* ſexaginti, *&* habuimus, *pro* hujus; *uti etiam legit Surius.*

h *In Comm. num.* 330 *jam dixi, in Ms. Meldenſi rectiùs legi Bulgarorum. Vide ibidem obſervationes noſtras de Beſſis; atque hoc factum magis expoſitum.*

i *In Ms.* Spiritu *minùs rectè. Dat auctor, opinor, ſenſum verborum illorum, quæ habentur Prov.* 29 ℣. 11: Totum ſpiritum ſuum profert ſtultus: ſapiens differt, & reſervat in poſterum.

k *Idem habet Ms. Mellicenſe, in quo hæc ſolùm de hoc facto ſubduntur:* Per hoc denique volens intelligi, ut quicumque non acquieſceret judicio juſtitiæ, quod à Domino propoſuerat, ſic fieret illi. Audierunt habitatores terræ judicium, quod judicâſſet Rex, & timuerunt.

l *Locus videtur mendoſus, legendumque* continua laborans, *uti in apographo ad marginem erat ſcriptum, & hunc ſenſum dedit Surius.*

m *Phraſim hanc obſcuriorem & forſan mendoſam clariùs ſic expreſſit Surius:* Quâ (*infirmitate*) cùm tandem divinæ miſericordiæ medicinâ eſſet liberatus, in obitu filiorum ſuorum, quos adhuc infantes mors rapuit, æterni Judicis flagella perſenſit.

n *Id eſt, auditum corporis & animi.*

o *Libellum iſtum, ſeu Monita* S. Stephani *dedi in Comm.* § 33. *Ex eorum collatione cum brevi compendio, quod ſequitur, colligere poterit ſtudioſus lector, quàm exactè Carthuitius ſecutus ſit monumenta, quibus uſus eſt ad Vitam hanc conſcribendam.*

p *Non eſſe ullam rationem, cur obitum ab hoc anno amoveamus, jam dixi in Comm. num.* 249, *ubi & pauca de ejus miraculis.*

q *Idem latiùs refertur in Vita S. Emerici, ubi epiſcopus ille dicitur* Euſebius Cæſareæ Palæſtinæ metropolitanus. *Additur ibidem, factum Hungaris innotuiſſe ex relatione cujuſdam canonici Cæſarienſis, qui iſtud Conſtantinopoli, ubi legatus erat, narravit. Erant eo tempore epiſcopi Cæſareæ & aliis Palæſtinæ locis, iique communicabant cum Eccleſia Romana, ſed minùs noti ſunt. Cùm autem res magis ſpectet ad Emericum quàm ad* Stephanum, *magis diſcuti poterit ad* 4 *Novembris, quo Emerici memoria*

A. CARTHUITIO EPISC.

Martyrologio Romano est adscripta.

r *Luctum non fuisse nimis diuturnum, nedum morbum ex eo contractum, ut volebant alii, probavi in Comm. num.* 349.

s *Quædam hujus munificentiæ specimina allegavi* § 29.

t *Gravitatem morum intelligit.*

u Interioris, *id est*, mentis *oculis.*

CAPUT V.

Morbus, & in eo detecta conspiratio quorumdam: beatus obitus, sepultura, decreta corporis elevatio, ac mirabilia in apertione sepulcri facta.

Rex ægrotans, impetitur conspiratione, quam detegit:

B

POst non multum temporis ægrotationem incurrit, quâ postmodum corpore excessit, longaque languoris molestia ingravescente, in pedibus stare nequibat. Videntes autem quattuor nobilissimi palatinorum diu graviterque laborantem (nam ipsi in perfidia cordis adhuc errantes consilium iniquitatis duxerunt, occasumque ejus in mortem conati sunt tractare) jam die adveſperascente, antequam in domo luceerna accenderetur, unus eorum audacter sub obscuro ingressus est, & ad jugulandum Regem ensem nudatum sub chlamyde tegebat. Dum pedem inhiberet, ubi Rex quiescebat revera cælesti impulsu gladius corruit, percussusque terram *a* tinnitum reddidit. Statim * Rex audiens causam requisivit, cùm, quid fuerat, præsciebat. Ille verò anxius corruit, consilium furoris sui recognovit, doluit, accessit, procubuit, vestigia amplexatus est, se deliquisse confessus, sibi indulgeri precatus est. Veniam quærenti, non avertit faciem, facilè dimisit. Denique jussu Regis homicidæ illi inventi sunt, & adversus eos judicio * locutus, dignâ eos mulctavit sententiâ.

a

* *Ms.* statimque

C

* *fortè* judicia

præclara Juis dat monita, regnumque beatæ Virgini commendat,

30 Tandem per misericordiam Dei dignus centuplicari retributionis bravio, tactus febri, cùm sibi diem transitûs imminere non ambigeret, accersitis episcopis & primis palatii de Christi nomine gloriantibus, primùm cum eis tractavit de substituendo pro se rege. Deinde paternè monuit illos, Catholicam fidem observare, quam acceperat, amare justitiam, vincula supernæ charitatis diligere, & charitati operam dare, humilitatis studio invigilare, præ * omnibus verò novellæ Christianitatis plantationi * custodiam adhibere. His dictis manus & oculos levans ad sydera, sic exclamavit: Regina cœli, reparatrix inclyta mundi, tuo patrocinio sanctam Ecclesiam, cum episcopis & clero, regnum cum primatibus & populo sub tuis precibus committo: quibus ultimùm valedicens, manibus tuis animam meam commendo.

* *Ms.* pro

* *al.* plantationem

ac, susceptis postremis Sacramentis, piè moritur.

31 Instabat tunc solennitas præcipua, celebris angelis & hominibus, dies Assumptionis Mariæ, in cujus gaudio dissolutio sui corporis fieret, misericordiæ spem majoris * se sperans habiturum precibus *b*: hæc spiritualibus postulavit suspiriis, & lacrymis obtinuit. Aderat ergo felix illa dies, per ejus obitum felicior mox futura: circumstabat eum clero paternitas episcoporum, cum manu ministrorum principalis chorus comitum: ubi Rex dilectus in medio jacens, D accepta unctione spiritalis Sacramenti, sanctam animam, Corporis & Sanguinis Domini nostri Jesu Christi viatico recreatam, anno Dominicæ Incarnationis millesimo tricesimo quarto *c*, in *c* manus perpetuæ Virginis, & sanctorum angelorum, æternæ quietis beatitudini inferendam tradidit. Factus est planctus maximus suorum, gaudium angelorum: sed hic planctus postea versus est in lætitiam *d* sempiternam, tam nascentium, quàm & viventium populorum. *d*

* *Ms.* majorem

b

Corpus honorificè sepultum in ecclesia Albensi:

32 Ad exequias funeris ejus ex omnibus Pannoniæ plagis concurritur, corpus ad sedem regalem, Albam videlicet civitatem, deducitur. Et quoniam ecclesia beatissimæ Virginis, ab ipso constructa, nondum erat dedicata, merito consilio statutum *e* pontifices, prius basilicam sanctificare, deinde corpus terræ commendare. Perfectâ dedicationis solennitate, corpus sanctum in medio domûs sarcophago candidi marmoris imponitur, ubi per annos plures, Dominus per ipsius merita multis incommoda patientibus, febricitantibus, afflictionem & miseriam suam proclamantibus, judiciumque portantibus, beneficia præstitit innumera *f*. Sæpe per noctem melodia, *e* *f*
cantantibus angelis, à multis audiebatur: frequenter odoris suavissimi dulcedo per latera templi dispergebatur. Qui *g* cùm ita corpus beatum E *g*
in loco eodem quadraginta quinque annis miræ dispositionis secreto, qui in sanctis suis prædicatur mirabilis, gravedine pressum, & in pulverem redactum. Et hoc tempore prædestinato declarari dignus, & in resurrectionis die glorioſus renovari meretur, hoc cor suum respuit, quid designet oculis spiritualibus * delectat intendere quod * sine præordinationis die affectu divino factum non æstimamus. Forsitan quædam * in ipso, terreni pulveris asperſione, igne divinæ examinationis * purificandam remanserat, sine quâ * regnantes, quasi quodam jure potentiale vitam præsentem vix aut nullatenus ducere queant.

* *Ms.* sua pernaturalibus

* *Ms.* qui

* *Ms.* quemdam

* *M.* excommunicationis

33 Interjectis *h* itaque quadraginta quinque annis, cùm *i* ad præstanda per eum mortalibus misericordiæ suæ beneficia, Sancti sui jam vellet Deus merita declarare, Romanæ Sedis institutione, apostolicis literis sancitum est, ut eorum corpora elevari deberent, qui in Pannonia Christianæ fidei jacientes * semina, sua eam prædicatione, vel institutione ad Dominum convertissent: adveniente verò tempore declarationis ejus, & laudibus gratiæ ejus, quam per ipsum gens Hungarica promeruit, in mundo divulgandæ, Rex Ladislaus *k*, qui tunc rempublicam administrabat, universâ morum honestate præclarus habitus, & virtutum fulgore conspicuus, laudibus & servitio Dei perfectè deditus, Spiritus Paracleti perlustratione tactus, habito consilio cum episcopis & primatibus, & totius Pannoniæ sapientibus, triduanum cunctis indixit jejunium, ut quod communi Catholicorum utilitati, Spiritus sancti donis animarum & corporum salutem operantibus, videtur fore profecuum, commune cunctorum deprecatione, jejuniis & eleemosynis fundata, per manifestationem signorum deberet esse quærendum.

* *Ms.* quo

cùm à summo Pontifice decreta esset elevatio, indicitur jejunium,

h

i

* *al.* mendosè jacentes

F

k

tentaturque elevatio, sed frustra, donec Salomon olim rex emissus sit carcere.

34 Sed ut ostenderet Dominus quantæ misericordiæ Rex Sanctus fuerit, adhuc mortali vivens in corpore, quam jam cum Christo regnasse * demonstrabat, ad hoc præ cæteris operibus approbare *l*, cùm triduo ejus corpus totis viribus elevare satagerent, nulla de loco suo potuit

* *fortè* regnans

l

A potuit arte moveri. Quo namque tempore, exigentibus culpis, inter prædictum regem Ladiſlaum & fratrem *m* ejus Salomonem gravis orta ſeditio fuerat, ob quam Salomon captus in carcere tenebatur. Cùm ergo pro elevando corpore fruſtra conarentur, quædam incluſa juxta eccleſiam ſancti Salvatoris ſumlui *n*, nomine Charitas, cujus vitæ celebris tunc temporis opinio ferebatur, revelatione ſibi cælitus facta Regi mandavit, eos incaſſum niti, & non poſſe transferre ſancti Regis pignora, donec Salomoni à carcerali abſoluto cuſtodiâ, libera indulgentia præberetur. Illo itaque è carcere producto, & triduano iterato jejunio, cùm ad transferendas reliquias ſacras tertia die ventum fuiſſet, lapis ingens ſuperpoſitus tumbæ, tanta facilitate ſublatus eſt, acſi nihil antè ponderis habuiſſet.

ANNOTATA.

a *Rectiùs diceretur*, percuſsâque terrâ : *ſed & alia minùs Latina habet auctor, nec omnia tamen illa notanda duxi, modò ſenſus intelligatur.*

B b *Vox* precibus *omiſſa eſt in Ms., nec eſt neceſſaria. Ibidem mox pro* ſpiritualibus *legitur* ſpecialibus.

c *Obiiſſe Sanctum anno* 1038, *oſtenſum eſt in Commentario num.* 426. *Qua in urbe obierit, apud antiquos nullibi dicitur. Attamen, cùm mox dicat, corpus Albam Regalem eſſe tranſlatum, videtur inſinuare, ibi non eſſe defunctum.*

d *Ob miracula ſecuta, opinor, & gloriam Sancti.*

e *Fortè* ſtatuêre. *De Alba Regali variis locis actum, de hujus quoque eccleſiæ conſtructione non pauca videri poſſunt* § 25.

f *In Ms. aliqua hîc omiſſa : nam hæc ſolùm ibi leguntur :* Ubi per annos plures Dominus per ipſius merita multis incommoda patientibus beneficia præſtitit innumera. *De miraculis, quibus Sanctus mox claruit, in Comm. num.* 428 *&* 429, *& plura* § 37 *&* 38 *dicta ſunt.*

g *Phraſis hîc maximè mendoſa eſt tam in editione quàm in Ms., licèt in vocibus ſubinde diſſentiant. Scriptum haud dubiè fuit uſque ad finem hujus numeri hoc ferè modo ; quo locum expreſſit Surius :* Jacuit in eo loco ſacrum corpus annis quadraginta quinque occulta quadam omnipotentis Dei diſpoſitione, qui eſt mirabilis in Sanctis ſuis, marmoris pondere preſſum & in pulverem redactum, ut tempore præfinito digniùs declararetur, & in reſurrectionis die glorioſiùs renovetur. Id verò quid ſignificet, quando ſine divina ordinatione & divino affectu factum minimè putamus, libet oculis interioribus ſpeculari. Fortaſſis nonnihil terreni pulveris, divinæ examinationis igne purgandum, in illo remanſerat, ſine quo reges, magnâ potentiâ fulti, vitam præſentem vix, aut ne vix quidem tranſigere poſſunt. *Senſum à Surio rectè datum exiſtimo ; at auctori philoſophanti minimè aſſentior : nam quòd corpus, exceptâ dexterâ, ut videbimus, in pulverem ſit redactum, quódque per annos quadraginta quinque publico cultu caruerit, non præbet idoneam rationem judicandi, poſt mortem Sancti aliquid in ejus anima fuiſſe ignibus piacularibus expiandum ; cùm plerorumque Sanctorum corpora in pulverem redigantur ſecundum ordinarias naturæ leges, multique ex illis longiori tempore ſine publica veneratione fuerint, neque tamen inde inferri poſſit, aliquid in ipſis ſuperfuiſſe terreni pulveris poſt felicem obitum. Tanto autem magis ab hac ſuſpicione abſtinere debuerat auctor, quanto clariora ſunt ſanctitatis indicia, quæ præmiſerat de miraculis, melodia cæleſti, atque odore ſuaviſſimo.* A. CARTHUITIO EPISC.

h *Legebatur* interjectiones, *quod ut clare mendoſum correxi. Plura ſequuntur menda in Ms., & nonnulla etiam in editione. Priora negligam ; alia verò, ubi clara ſunt, corrigam, ſed monito lectore.*

i *Illud* cùm *ſupplevi ex Surio.*

k *De S. Ladiſlao rege apud nos actum eſt tom.* 5 *Junii pag.* 315 *& ſequentibus. De eo in Vita antiqua ibidem pag.* 319 : Nam anno Domini milleſimo centeſimo nonageſimo ſecundo ſanctum corpus ejus canonizatum eſt. *Ad quem locum ſic Papebrochius :* Phraſis hæc eſt illius temporis, inde ſumpta, quòd canonizationis decretum ſequi ſoleret corporis de terra elevatio. *Eadem de cauſa elevatum fuiſſe corpus* S. Stephani, *atque adeo formali canonizatione Sanctis adſcriptum eſſe, pluribus probavi in Comment.* § 38. E

l *In Ms.* approbatur ; *at ne ſic quidem ſenſus eſt perfectus. Surius videtur ſententiam rectè expreſſiſſe, ſic habens :* Sed ut oſtenderet Dominus, quantâ miſericordiâ Rex adhuc manens in corpore præditus fuerit, quam etiam jam cum Chriſto regnans præ ceteris operibus ſe approbare declararet *&c.*

m *Salomon non erat frater Ladiſlai, ſed patruelis. Forſan latiori ſenſu vocatur* frater, *niſi error irrepſerit vitio tranſcribentium, aut ipſe Carthuitius in eo erraverit. De carcere Salomonis cauſâque carceris actum eſt in Comm. num.* 439, *ubi etiam hæc ipſius liberatio confirmatur.*

n *Quid velit vox illa* ſumlui, *plane ignoro, niſi forſan ſit nomen loci. Bonfinius idem narrans, vocem iſtam omiſit, uti & Surius.*

CAPUT VI.

Elevatio corporis & miracula : mira dexteræ inventio, & integritas.

F

Aperto ſepulcro, multa continuò facta miracula.

C Ompleto ergo tertiæ diei veſpertinali Officio, cunctis divinæ miſerationis beneficia per beati Viri meritum præſtolantibus, ſubitò * plebem ſuam Chriſto viſitante, miraculorum inſignia per amplitudinem domus ſanctæ funduntur cælitus : quorum pluralitas, quoniam ipſa nocte numerum exceſſerat *a*, illud Euangelicum hîc libet introducere ; quòd Salvator Joanni per nuntios ſciſcitanti, an ipſe ſit, qui venturus eſt, reſponſum mandaverat, Cæci vident *b* & claudi ambulant, ſurdi audiunt ; leproſi mundantur, mali corriguntur, paralytici curantur : quorum tamen aliqua, quòd cuncta non poſſumus, innoteſcere ſatagemus. Juvenis quidam omnibus membris diſſolutus, annis XII paralyſim paſſus, manuum & pedum carebat officio, qui parentum adjumento vectus illuc, receptâ totius corporis ſoſpitate, ſignorum fecit initium, atque ad altare haud ſegniter currens, omnium Chriſto laudes clamantium augmentavit gaudium.

* *al.* ſubdito *n.* vendois

a

b

A. CARTHUITIO EPISC. *ex quibus ſigillatim aliqua referuntur,*

36 Alius quoque puer ſeptennis, à nativitate contractis nervis, genibus & manibus, reportabatur *c*: quem fide pleni parentes, beati Viri ſuffragio conferentes, proſtrati juxta ſepulcrum ſecum poſuerunt, gratiam petituri, quam mox conſecuti, contractionem nervorum in filio diſtendi mirabantur, & conſolidatis genibus & plantis, omnes eum incedentem *d* videntes, Chriſti nomen in beati Viri meritis, laudabili clamore glorificaverunt. Quem rex Deo devotus, præ nimio gaudio lacrymatus, manibus à terrâ levatum, ad altare portavit, ubi nimio *e* laudis prolato, gratias Deo pro beneficiis præſtitis in ſanitate pueri, cum omnibus, qui aderant, favorabiliter egit. Sic totam noctem Deus pro Famuli ſui veneratione *f* multorum fulgore ſignorum mirabiliter perluſtravit; populus verò vigiliis & orationibus intentus miraculum unumquodque laudum clamoribus manifeſtum facere non ceſſabat.

c

d

e

f

inter quæ puer mortuus vitæ reſtitutus. B

37 His inferendum videtur & illud, quòd non ſolùm ibi præſentes, ſed longè quoque poſiti, ſuffragantibus ejus meritis, celebrem conſecuti ſunt ſalutis effectum. Nam cùm elevationis ipſius undique cœpiſſet fama celebreſcere; variis obſeſſi languoribus ex omnibus Hungariæ finibus ad ſanctum tumulum, quo quique poterant modo, feſtinare cœperunt. Sed cùm, aliis præcedentibus, alii graviori debilitate prohibiti, ſimul pervenire nequirent, ſimili tamen miſericordia in via innumeri ſanati ſunt. Unde in permanſuram *g* beneficiis ſancti Regis memoriam, quamplures per eum ſanati, redditi in eodem, ubi ſanati ſunt, itineris loco, grandes aggregaverunt acervos lapidum, qui longo ibi tempore poſt multum * fuerunt. Sed & mulier quædam, cùm inter hæc filius ejus exhalâſſet ſpiritum, qui ſibi fuerat unicus, exanimati corpus juxta Regis tumulum depoſuit, Dei & Sancti ejus ſuper eo imploratura ſolamen. Mira quidem res, & noſtris ſtupenda temporibus: non priùs orare mulier deſtitit, quàm filium, quem defunctum collocaverat, viventem accepit.

g

* *fortè* poſtmodùm

Recluſo autem ſarcophago, odor ſuaviſſimus perceptus, & aqua inſtar balſami reperta: C

38 Mane facto, die poſt Aſſumptionem ſanctiſſimæ Virginis Mariæ quinto, convenientibus in eccleſiam cum rege principibus, cum clero pontificibus, primùm Miſſa pro defunctis celebrata eſt; deinde ſublatâ tabulâ marmoreâ, quæ pavimento præminebat, poſtquam perventum eſt ad tumbam, tanta fragrantia ſuave redolentis odoris in apparitione ipſius omnes, qui aderant, circumdedit, quòd in medium paradiſi deliciarum donum ſe raptos opinarentur. Ipſa quoque tumba plena fuit aquâ parùm rubenti, quaſi oleo permixtâ, in quâ, velut in balſamo liquefacto, quieverunt oſſa pretioſa. Quibus in mundiſſimo linteamine collectis, in ipſo liquore diutiſſimè eſt quæſitus annulus, qui beati Viri dexteræ *h* fuerat impoſitus. Quo non invento, cæperunt quidam juſſu Regis aquam in caldaria argentea & dolia effundere, [ut *i*] evacuato ſarcophago certior fieret anuli inventio. Sed mirum in modum, quantò magis liquor effundebatur, tanto plùs, eo creſcente, tumba replebatur. Quo viſo miraculo, hauſtam aquam loco ſuo reſtituerunt: nec tamen, eâ refuſâ, magis ob hoc tumba repleta fuit.

h

i

alia rurſus miracula diu contibuata:

39 Tunc, cooperto ſepulchro, laudes & gratias divinæ pietati proclamantes, cùm de inventо theſauro beatiſſimæ Matris Dei Genitricis, & perpetuæ Virginis altare reparaverunt, interim Deus, qui eſt mirabilis in Sanctis ſuis, effuſis ſuis largitatis beneficiis, petentibus miraculorum ſuorum ſignis ſe præſentem eſſe notificavit *k* in tantum, ut tempus illud Dominicæ converſationis inter homines videretur revolutum, de quo legitur: Omnes *l*, qui habebant infirmos variis languoribus, ducebant illos ad Jeſum, & curabantur. Hæc omnia virtus divina non ſolùm ipsâ die, ſed pòſt tempore *m* multo, per merita Famuli ſui dignata eſt operari, quòd etiam de aliis regionibus, auditâ beneficiorum Dei famâ, pro recuperanda ſanitate, diverſarum valetudinum *n* morbis laborantes, ad ſuffragia beati Viri cum magno deſiderio convolarent. Comitiſſa verò quædam nobilitatis eximiæ, matrona nomine Mathide *o*, tribus continuis annis viſcerum dolore gravata, jam morti proxima fuit: quæ à ſuis in feretro delata, mox ipsâ die, quâ ſancti Viri tumulum attigit, paulatim ſe meliorari ſenſit, ac in brevi vitæ prioris ſoſpitate receptâ, magnalia Dei per Famuli ſui merita in ſe remunerata divulgavit.

D

k

l

m

n

o

E

Sancti dextera integra cum annulo divinitus alicui tradita ac deinde oſtenſa:

40 Cætera verò miraculorum Dei prodigia, pro dilectione Famuli ſui cælitus oſtenſa, non ideo quòd faſtidiam, non ſcripta dereliqui; ſed quiâ non ſolùm mihi pluit Dominus, qui ſuper bonos & malos ſolem ſuum clareſcere facit, beneficiorum ipſius multiplicitate * cunctorum proficio *p* conſulentem, innumeris ſapientibus, quos Hungaria fovet & amplectitur, ſtilo declarandam commendavi. Illud verò in fine codicis tantùm adhærere decrevi, quoniam miro pietatis Dei munere diu quæſitus & non inventus anulus, cum ipſa beati Viri dextera, poſt tranſlationis ejus terminum eſt manifeſtatus. Monachus quidam, nomine Mercurius, qui in ordine clericatus theſauri perpetuæ Virginis cuſtos fuerat, & jam *q* per amorem cæleſtis patriæ ſæculo renuntiaverat, ipsâ horâ, quâ tumulus apertus fuerat, ne quid ſanctarum reliquiarum raperet, redargutione regali procul inde eſt remotus. Cui triſti vultu in choro reſidenti, juvenis quidam albis veſtitus, panntum involutum tradidit, dicens: Hunc tibi commendo ſervandum, cùm tempus fuerit, manifeſtandum. Poſt completionem Officii ſacri monachus in angulis domûs pannum expandit, integramque Dei Viri manum cum anulo mirifici operis cernens, expavit: atque ſecum, nemine ſciente, ad monaſterium, quod ſuo regimini commendatum fuerat, tempus à juvene ſibi prædictum, à Chriſto præſtolaturus, deportavit, ibi diu ſolus abſconditi in agro theſauri *r* cuſtodiam & excubias decrevit. Pòſt fundatores ipſius cœnobii confcios *ſ* fecit, ad ultimum appropinquante tempore rei declarandæ, Regis ad notitiam perduxit. Qui mox, adunatis epiſcopis & Hungariæ primis, multis à Chriſto miraculorum in beneficiorum *t* erogatis, elevare Viri Dei dexteræ diem ſtatuit celebritatis.

p

q

F

r

ſ

t

inquirens auctor cur incorrupta manſerit Regis dextera, ejus miſericordiam commendat.

41 Quid eſt, fratres, quòd cæteris membris diſſolutis & in pulvere carne redacta, penitus defunctis, ſolaque dextera manus oſſibus, cute cum nervis adhærente, ſuæ ſervavit Deus integritatis *u*? Non * aliud arbitror, niſi divini conſilii profunditate in hujus excellentia Sancti voluiſſe declarari diſſolutionis *x* opus, & eleemoſinæ cunctos virtutum gradus aſcendere. Unde * veritas ait in Euangelio: Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur. Et item; Date, & dabitur vobis. Item in alio loco: Sicut aqua extinguit ignem, ita eleemoſyna extinguit peccatum. Meritò ergo * beati Viri dextera

u

* *Ms.* nil

x

* *Ms.* verum

* *Ms.* verò

A tera fuit aliena putredinis, quæ ſemper pietatis flore reviviſcens, in alendis pauperibus numquam vacua fuit donis erogationis. Subvenit in neceſſitatè poſitis, liberavit oppreſſos à jugo captivitatis, veſtes & hoſpitalitates præbuit peregrinis, viduarum & orphanorum miſerias & indigentias ſuas eſſe computavit: cœnam *y*, & mandatum Dominicum in lavandis egenorum pedibus quotidie renovavit. Eleemoſynam non de rapinâ, vel aliorum damno, ſed de propriis facultatibus, confluere fecit. Ut domos Dei divites efficeret, ſibi voluntatem * habendi ſubtraxit: ſicque cunctis ad nutum dignitatis proficiens, carnem ſuam cum vitiis & concupiſcentiis crucifixit. Inde eſt corporis & dexteræ, delectabilis & miranda veneratio: inde dulcis & fœlix æternæ vitæ retributio: inde deſiderabilis ſupernorum civium cohabitatio, ubi irradiat * ſemper lucens & indeficiens ſplendor unius ſummæque Deitatis, Patris & Filii & Spiritus ſancti, per infinita ſæcula ſæculorum. Amen.

y

* *Ms* facultatem

* *Ms.* radiat

ANNOTATA.

B a *Editum erat mendosè* meſſerat, *quod correxi ex Surio.*

b *Indicat auctor verba Chriſti Matth.* XI ℣. 5: Cæci vident, claudi ambulant; leproſi mundantur, ſurdi audiunt, mortui reſurgunt, pauperes euangelizantur. *At ipſa verba exactè non dedit, quia non omnia congruebant, quantum exiſtimo.*

c Reportabatur, *id eſt*, ferebatur. *Surius ſenſum mutavit, dum edidit*, genibus & manibus reptabat.

d *Aliàs mendosè* incedentes, *quod correxi ex Surio.*

e *Legendum opinor*, hymno laudis prolato.

f *In Ms. legitur*, per Famuli ſui veneration em.

g *Editum erat* per menſuram; *ſed mendum correxi ex Surio, qui ſenſum rectè expreſſit.*

h *Editum erat* dextera, *at in Surio* dexteræ. *Annulus autem dextera fuit impoſitus tempore ſepulturæ. Quæſitus ille eſt ſine dextera, quòd hæc crederetur corrupta cum reliquo corpore.*

i Ut *appoſitum eſt ex Surio ad ſenſum explendum.*

C k *Aliàs mendosè*, notificabit.

l *Indicat locum Luc.* 4 ℣ 40, *in fine paululùm mutatum.*

m *Editum erat* temporis; *at mendum ex Surio ſublatum.*

n *In Ms.* invaletudinum: *ſed idem eſt ſenſus.*

o *Apud Surium* Mathildis, *uti etiam habet Bonfinius in Commentario laudatus num.* 446. A. CARTHUITIO EPISC.

p *Fortè legendum* proficuo, *id eſt, utilitati, commodo. Tota periodus hæc utcumque luxata eſt. Illam Surius expreſſit hoc modo:* Alia miracula cælitus perpetrata non idcirco prætermiſi, quod ea faſtidiam: ſed cùm non mihi uni pluat Dominus, qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos: tantam beneficiorum ejus copiam, omnium utilitati conſulere cupiens, innumeris ſapientibus viris, quos Hungaria fovet & complectitur, ſtylo proſequendam relinquo.

q *In Ms. legitur* eccleſiæ, *ſed mendosè: in editione verò* etiam *unica voce, quam in duas diviſi, ut habet Surius, cùm ſic ſenſus ſit perfectior.*

r *De hoc loco, perperàm intellecto à Bonfinio; vide Comment. num.* 448; *uti & de facto ipſo.*

ſ *In Ms.* conſocios. *Utraque hæc vox requirit, ut antè legatur* fundatores, *ubi editum erat* fundatoribus: *ſimile mendum mox correctum ex Surio, & pro* temporis, *uti malè erat editum, poſitum* tempore.

t *Hic rursùm æquè omnia ſunt mendoſa. Pro* in beneficiorum, *legendum ſuſpicor* interim beneficiis, *& mox pro* elevare; elevandæ. *Audi Surium:* Is verò, mox accitis epiſcopis & Hungariæ primariis viris, cùm multa interim Chriſtus miraculorum beneficia exhiberet; celebrem præfixit diem beati Regis dexteræ elevandæ. E

u *Phraſis hæc luxata eſt in editione æquè ac in Ms:, uti pluribus locis jam obſervavi circa finem hujus Vitæ. Surius eam exhibet integram, ſive quòd talem in ſuo Ms. invenerit, ſive quòd menda correxerit. Verba ipſius accipe:* Sed quid ſibi vult, fratres mei, quòd cæteris membris reſolutis; & carne in pulverem redacta; ſolam dextram manum cum ejus cute, oſſibus & nervis, Deus integram conſervavit?

x *Vox hæc iterum luxata videtur; niſi diſſolutio captivorum intelligatur aut diſſolutio ſumuntur pro remiſſione. Alias legendum eſt*, diſtributionis; pietatis, miſericordiæ, *aut quid ſimile, uti conſequentia inſinuant.*

F *y Vox* cœnam *in Ms. jungitur cum ſequentibus, uti poſui. Per mandatum Dominicum mox intelligit verbà Chriſti Joan.* 13 ℣. 14: Si ergo ego lavi pedes veſtros Dominus & Magiſter: & vos debetis alter alterius lavare pedes *&c. Hæc cùm in ultima cœna diſcipulis ſuis mundaverit Dominus, Sanctuſque factitaverit, cœnam & mandatum Domini renovatum dicit auctor.*

DE

DE B. BROCARDO SECUNDO PRIORE GENERALI

ORDINIS S. MARIÆ DE MONTE CARMELO

IN PALÆSTINA

J. V. COMMENTARIUS PRÆVIUS.

De Beati cultu & geſtis.

ANNO CIRCITER MCCXXI. *Cultus Beati publicus,* B

Tſi Caſtellanus in Martyrologio univerſali hac die Venerabilibus dumtaxat Brocardum *annumeret :* In monte Carmelo in Galilæa venerabilis Brocardus, Prior *&c. ; dubium tamen non eſt quin publico cultu honoretur. Videri poteſt Lezana tomo 4 Annalium ad annum 1221 à num. 3, & novum Speculum Carmelitanum parte 4 pag. 660 num. 2267. Præterea nomen ejus ſuo Catalogo Sanctorum pag. 40 inſcribit Simon de Peyranet :* Brocardus presb. Carmelitarum Prior generalis, 11 Septemb. apud Molan. in Auctario Uſuardi *ſecundæ editionis* 1573, *ubi Molanus tamquam Beatum refert his verbis :* Eodem die beati Brocardi presbyteri & Carmeli Prioris generalis, magnæ ſanctitatis viri. *Ferrarius hoc item die, non* XXIX Martii, *ut perperam ſcripſit Lezana num. 4, in Catalogo generali Sanctorum habet ſequentia :* In M. Carmelo B. Brocardi ſecundi Prioris Carmelitarum generalis. *Additque in Notis pag. 349 :* Eum colendi in eccleſiis ſuis nuper Carmelitæ licentiam impetrarunt, *ut docent Officia propria Ordinis Carmelitarum à ſacra Rituum Congregatione approbata, & typis Plantinianis excuſa Antverpiæ 1617. In iterata eorumdem editione ibidem ſimiliter facta 1631, ritui duplici ſuperadditur Oratio propria :* Sanctifica, Domine, famulos tuos in veneratione beati Brocardi montis Carmeli incolæ, confeſſoris tui, humiliter ſupplicantes ; ut ejus ſalutaribus patrociniis vita noſtra inter adverſa ubique regatur. Per Dominum noſtrum. *Denique ad calcem Breviarii Carmelitarum anni 1672 inter* Officia noviter à S. D. N. Clemente X conceſſa *habentur de eo pag.* CCLXIII *tres Lectiones propriæ 2 Nocturni.*

C

2 *Lectionis primæ initium eſt* Brocardus Hieroſolymis ortus ; *unde Beati patriam diſcimus : non tamen ideo credimus* natione Judæum *fuiſſe, ut ſcribit Petrus Saracenus Menologii Carmelitarum pag. 239 ; ſiquidem de Judaïca ſtirpe altùm ſilent Didacus de Coria, Joannes Palæonydorus, Lezana & alii* Hieroſolymitanum *duntaxat vocantes. Multò minùs verum eſt, quod Palæonydorus habet in editione Veneta anni 1570 lib. 3 cap. 2 pag. 52, electionem Beati in Generalem Priorem contigiſſe* tempore Eugenii III anno Domini MCLXVI : *cùm dictus Pontifex obierit anno 1153. Quare citata verba cautè omiſit novum Speculum Carmelitanum anno 1680 Antverpiæ editum, tom. 1 parte 2 pag. 251 num. 1034. Lezana ad annum 1166, poſtquam probavit errare eos, qui illo anno B. Bertholdum in Domino obdormiſſe contendunt, ſubdit num. 3 :* Quia tamen, ut diximus, uſque ad annum MCLXXXVII B. Bertholdi mors non contigit, ideo etiam conſequenter nec B. Brocardum in Generalem electum putamus uſque ad annum MCLXXXVIII vel MCLXXXIX. *Inhærendo huic opinioni,* B. Brocardi *præfecturæ initium ſtatui poteſt anno circiter 1188 contra Zegerum Pauli, qui illud collocat anno 1173. Beatus noſter unanimi omnium conſenſu electus præfecturam tenuit non* quinquaginta duobus annis, *ut vult Philippus à SS. Trinitate in Hiſteria Carmelitani Ordinis pag. 341, ſed 33, egregiis prælucens virtutibus, quas ex Palaonydoro citato memorat Lezana ad dictum annum 1188 num. 7 :* Iſte eſt Brocardus, qui toto prioratûs ſui ævo ſtuduit amari ut facilis, timeri ut fortis, & ut prudens obſervari. Donatumque à Deo illi extitit, ut etiam vivens miraculis cornſcus eſſet ; nam inſtar Eliæ mortuum ſuſcitans, juvenem ad Ordinis ſuſceptionem velut alterum Jonam induxit. *Quæ autem anno 1221 num. 5 profert ex Wernero Rolewink in Faſciculo temporum circa annum 1204, apud Rolewinkium tom. 2 Germanicorum Scriptorum Francofurti 1581 editum, loco à Lezana citato non invenio ; ſed verba prorſus alia.*

patria, tempus præfecturæ, virtutes.

F

3 *Beatus Generalis, inquit Lectio prima,* ut regularem obſervantiam augeret, à B. Alberto patriarcha Hieroſolymitano poſtulavit Regulam brevi compendio omne Ordinis inſtitutum complectentem. *Hanc multi datam eſſe crediderunt anno 1171, teſte Lezana num. 2 ; ubi etiam miratur* quòd vanum commentum adeo inter probos & doctos increbuerit, *illudque operosè deinceps refutat : alii, inter quos Guilielmus de Sanvico, annum aſſignant 1199 ; ſed & hos ibidem refellit Lezana num. 5 & ſeqq. Eadem contra omnes militat ratio, quòd nempe B. Albertus ante annum 1206 in Palæſtinam non appulerit. Memoratus Lezana, ad annum 1205 ex profeſſo agens* de Regula primitiva à B. Alberto patriarcha Carmelitis data, *num. 8 fatetur nihil certi de tempore affirmari poſſe ; verba ejus accipe :* Quoad tempus datæ Regulæ, cùm neque in ea, quæ in Speculo Ordinis lib. 8 cap. 3 vel in Bulla Vaticana ſub Innocentio IV, quam vidimus, talis data ſubjiciatur ; nihil certi affirmari poteſt. Quod enim plures dixerunt ſub anno MCLXXI ſcriptam fuiſſe, tamquam vanum & com-

Regulam ab Alberto patriarcha poſtulat ;

A commentitium assertum sub eo anno rejecimus. Similiter quod alii (majori sanè cum fundamento) eam sub anno MCXCIX designaverint, etiam ibidem reprobavimus. Id ergo dumtaxat compertum, Regulæ datam ab hoc anno MCCV * usque ad MCCXIV mendicandam; hoc enim solo tempore superstes fuit in patriarchatu Albertus. Nihilominus satis credibile est, hoc eodem anno adventûs Alberti in Acconem, vel paulò pòst Regulam nostris ab ipso datam fuisse. *Saltem constat id factum ante* 1214, *anno forsitan* 1209, *ut dictum est in B. Alberto tom.* 1 *Aprilis pag.* 786. *Atque hæc de Regula sufficiant, quæ ibidem integra legi potest pag.* 778 *& sequente, quamque Lezana ad dictum annum* 1205 *num.* 14 *à* brevitate, claritate & perfectione *meritò commendat.*

* *melius* MCCVI

4 *Tradunt historiæ Ordinis apud eumdem anno* 1213 *num.* 2, B. Brocardum ab Alberto in Damascum missum fuisse; *quod, inquit,* sub hoc tempore accidisse credimus. Præsertim quia, ut iste Bradlæus affirmat, Albertus ad B. Brocardum scripsit, " qualiter in Damascum pergeret „ ad regem Syriæ, & postea pergeret cum eo „ Romam ad Lateranense concilium „. Hallucinantur quidem Bostius & Palæonydorus, dum credunt hunc Soldanum SALADINUM fuisse, cùm tamen non fuerit nisi SAPHIDINUS; cùm jam ab aliquot annis Saladinus è vita migrasset ... Hallucinati quoque videntur tam Bradlæus, quàm ipsi, cùm pro treguis * componendis missum fuisse B. Brocardum ab Alberto asserunt; cùm Pontificis litteræ (*apud Odoricum Raynaldum anno* 1213 *num.* 3 Nobili viro Salphadino Soldano Babyloniæ & Damasci *inscriptæ*) non de treguis essent, sed de restitutione Terræ sanctæ facienda; etsi possibile sit Albertum, qui ad concilium Lateranense Romam venire desideraverat, ne cum dispendio Terræ sanctæ ejus absentia esset, treguas interim componi, Brocardo & aliis ad hoc missis, procurasse. *Sanè Raynaldo teste ad annum* 1214 *num.* 3, Sarracenos bellici Christianorum apparatûs metu perfusos Terram sanctam Christianis reddituros præ se tulisse, atque ut à Christianorum armis tuti essent, se patriarchæ Hierosolymitani clientelæ commissuros, certamque auri vim censûs nomine pensitaturos, asserunt litteræ ad Pontificem Venetorum operâ transmissæ, *quas ibidem ex Chronico Richardi de S. Germano synchroni auctoris integras recitat à num.* 4.

ab eodem, ut aiunt, Damascum legatur,

* *i. e.* induciis

B

C

5 Quem tamen effectum sortita fuerit præcedens legatio adhuc incompertum, *ait num.* 4 *Lezana*, tum ob mortem Alberti, quæ sequenti anno contigit, tum quia in historiis nihil de eo reperimus. *Unde ergo sciri potuit, Beatum Damasci omnia ad nutum impetrasse, ut dicitur Lectione secunda? Sixtus Senensis lib.* 4 *Bibliothecæ sanctæ tradit Albertum jussu Innocentii III scripsisse de situ & statu Terræ sanctæ non contemnendos commentarios: utinam* (*quod optavit Papebrochius in B. Alberto num.* 27) *utinam, inquam, illi Commentarii alicubi inventi & in lucem publicam editi essent, ex quibus forsitan aliqua ad Beatum nostrum spectantia discere possemus. Interim vereor ut hæc* Brocardi *legatio cum suis adjunctis erudito lectori satis appareat credibilis: cùm illius nec Richardus citatus, nec Marinus Sanutus, nec ipse Sanvicus in Chronico meminerit. Quibusdam interjectis, Lezana sic prosequitur:* Quæ tamen Bostius & Palæonydorus, ut suprà, eo tempore accidisse commemorant, cùm maximè beati Brocardi sanctitatem commendent, omittenda non sunt; videlicet: " Postulatus à Mamaluco Soldani, id „ est, vice-principe (proregem *vocat Lectio secunda*) leprosо, & manibus contractione cor„ rosis, pro remedio opportuno, perductum ad „ fluenta Jordanis & baptizatum, fidelemque „ Christi nominis defensorem factum, duxit se„ cum in Carmelum; ubi in habitu & obser„ vantia Ordinis perseverans migravit ad Chri„ stum „. Idem habet ex B. Brocardi Vitæ scriptoribus Petrus Sarracenus in Menolog. Carmelitarum *pag.* 242. *Quàm hæc mira & illustria sunt ad Beati commendationem, tam vellem antiquioris cujusdam scriptoris testimonio fulciri.*

& Soldani proregem convertit:

AUCTORE J. V.

6 Cùm jam octogesimum (*inquit Lectio tertia, Saracenus verò* nonagesimum) ætatis annum ageret, in mortis agone constitutus *gravi oratione fratres adhortatus est, ut constantes in bono permanerent, divitias exsecrarentur, mundum contemnerent, vitamque ad omnium virtutum normam componerent;* quibus absolutis, animam exhalavit *die* 2 *Septembris.* Audiens patriarcha Albertus eum defunctum, ait: Jam flos Carmeli decedit. Quo dicto, flevit dicens: Jam securus est, tutus est, inter principes Ecclesiæ sublimatus, cathalogo Sanctorum inscribendus. *Ita Palæonydorus pag.* 53, *postquam Beati mortem affixerat* anno Domini MCXCVII: *quæ quàm malè sibi cohæreant, liquet ex dictis num.* 3. *Saracenus & alii eum obiisse scribunt anno* 1207, *quos ibidem confutat Lezana num.* 9. *Castellano placuit annus* 1231. *Nos Lezanæ computum sequentes, prout in S. Bertholdo ad* XXIX *Martii fecit Henschenius, felicem* B. Brocardi *transitum circa annum* 1221 *collocavimus. Breviter eum laudat Grossi Viridarium in Speculo Carmelitano tomo* 1 *parte* 2 *pag.* 133 *num.* 561: Iste autem Fr. Brocardus triginta tribus annis rexit Ordinem, & demum in pace quievit, & in monte Carmeli est sepultus: ubi tam in vita quàm in morte per eum Deus multa fecit miracula. *Et apud Lezanam hîc num.* 3, Ordinis Sanctos recensens sic dicit: Septimus fuit B. Brocardus, secundus Generalis Ordinis, cui Albertus patriarcha Regulam Ordinis signanter direxit & scripsit; cujus siquidem glorioſum corpus multis clarens miraculis in monte Carmeli quiescit.

moritur octogenarius circa annum 1221.

E

F

7 *Beati Acta ab aliquo coævo litteris consignata esse, Molanus ad* 2 *Septembris annotat his verbis:* Brocardi Vita eo anno cœpta est scribi, quo obiit, ut habet initium historiæ ejus. Eam verò, *ait citatus Lezana*, licèt non viderimus, facile tamen creditu, quòd apostata Balæus, qui ejus Vitam etiam, ut infrà (*num.* 6) videbimus, scripsit, hanc antiquiorem apud se habuerit, & omnia cum ipso perierint. *Novum quoque Speculum Carmelitanum parte* 4 *pag.* 659: Dolendum sanè, *inquit*, *Vitam* eam latere, aut interiisse; inde enim Carmelitana historia non parùm illustraretur quoad ea, quæ ipsius tempore contigerunt. *Vitam quamdam manuscriptam huc transmisit anno* 1670 *Ludovicus à S. Teresia definitor provincialis Carmelitarum discalceatorum provinciæ Parisiensis, datis ad Henschenium & Papebrochium perhumanis litteris* XVII *Martii; in quibus hæc notavit Papebrochius:* Vita hæc nullo modo est antiqua: petii ut auctor significaretur, aut saltem ejus ætas; tum ut mitteretur nota ceterarum ab eodem (ut suspicor) collectarum Vitarum. Scripsi XV Apr. MDCLXX. *An & quid responsum fuerit,*

Beati gesta antiquitus scripta: observationes

AUCTORE J. V.

rit, hactenus ignoro. Rectè autem advertit antiquam non esse; siquidem ex Oratione paranetica Thomæ Bradleyi episcopi Dromorensis, novo Speculo Carmelitano inserta parte 4 à pag. 662, compilata & concinnata est, ut patebit volenti utramque conferre. Enimvero si ante Bradleyum aut Bostium scripta fuisset, non latuisset opinor Speculi auctorem, qui eam utique velut antiquiorem Bradleyo & Bostio prætulisset, vel saltem cum iis contulisset.

in Vitam hic edendam.

8 *Cetèrùm stylus oratorius est magìs quàm historicus, nec satis limatus, subinde etiam hiulcus; quædam addita sunt, alia perperam transposita, ut num. 7 verba patriarchæ, quæ Bradleyus post Beati mortem retulit. In fine præfixi exordii auctor anonymus magnificè præfatur, se lentè admodum & morosè singula considerasse, nec aliquid falsum aut leve aut ineptum scribere voluisse. Utrùm promissis steterit, judicandum relinquimus erudito lectori. Titulus est hujusmodi:* De sancto Brocardo PRIMO Generali Priore & legislatore Ordinis Bmæ. Dei Genitricis Mariæ de monte Carmelo. *Hìc anonymus contradicit Lezanæ & Speculo Carmelitano, imò sibi ipsi; nam in Vita num. 4 hæc habet:* Congregationem fratrum montis Carmeli ... mortuo S. Bertholdo prædecessore suo, per annos XXXIII ... gubernavit. *Præterea in ipso Vitæ initio (nisi mendum sit describentis) turpem committit parachronismum, emortualem Beati annum statuens* 1117, *qui in Saraceni sententia natalis ipsi fuit; imò cùm probabiliùs necdum natus esset. Vide suprà num. 6. Unde hæc Vita desumpta sit, indicatur ad calcem his verbis:* Excerptum ex manuscripto Biblioth. Carmel. Discalc. an. MDCLXX die IX Martii notato. 5. GGGGG in Conventu nostro S. Petri Claromontano *nempe* in Alvernia, *ut patet ex citata epistola Ludovici à S. Teresia. Quamquam autem parva sit hujus anonymi scriptoris auctoritas, Vitam tamen illam, additis quibusdam annotationibus, edendam censuimus: tum quòd Mss. alia de Beato non suppeterent, tum ne ingrati videremur iis, qui eamdem Majoribus nostris humaniter transmiserunt.*

c

VITA

auctore anonymo

Ex Ms. Conventûs Claromontani PP. Carmelitarum discalceatorum.

*Reddita scriptionis ratione, * fortè* MCCXVII

CUm sancti patris Brocardi vitam scribere conatus sim, qui an. mil. CXVII * secunda die Septembris terris vale faciens animam suo Creatori reddidit, nescio unde initium dictandi faciam; si à virtutibus exordirer ejus, non video locum, quo illas notificando in uno capitulo valeam excerpere: nam illarum ea magnitudo est, ut non capituli brevitatem, sed voluminis prolixitatem efflagitent. Quis enim paucis verbis tanti Viri sapientiam, gravitatem, celsitudinem animi, mansuetudinem, temperantiam, justitiam & in omnibus discretionem virtutum moderatricem narrare queat? Si à dicendi nitore & ab hoc eruditissimo scribendi genere laudando exornandoque incipiam; vereor, ne quis *, spectante Roscio *a*, gestum in scæna facerem & sterilis ipse jejunusque viderer. Si de miraculis per eum, Spiritu sancto cooperante perpetratis, quibus in terris sanctitatis haud ambiguum Christicolis redditur testimonium, & in cælis de pietate miraculorum paratur Sanctis coronà præmiorum: non enim omnia describenti vitam S. Brocardi, quæ egregiè gessit, occurrunt, nec hoc in loco sunt congerenda; sed illa dumtaxat, quæ vera & notione sunt digna. Hìc igitur præmisisse velim, quo intelligar me * lentè admodum & morosè singula considerasse, quæ in S. Brocardi vitam congessi; nec quidquam ponere voluisse, quod aut falsum aut leve aut ineptum esse censuerim.

D

* *expunge* quis

a

* *dele* me

2 Fuit nempe Prior generalis primus *b* & summus in Ordine fratrum beatissimæ Dei Genitricis Mariæ de monte Carmeli unanimi omnium fratrum electioni *, quibus se socialem & amabilem semper exhibuit, sublimatus: quam siquidem electionem credimus ei fuisse molestissimam, & contra quod optârat sibi contigisse. Neminem puto tantum adhibuisse conatum pro adipiscendo honore, quantum ille adhibuit ne eligeretur à fratribus, ab Alberto sedis Apostolicæ legato & patriarcha Hierosolimit. confirmaretur, sibique ab eodem mandaretur. Et quoniam voluntas Dei & charitativus omnium fratrum affectus suam diligentiam & repugnantiam superaverat, porrexit dexteram extendens eam deditque fratribus osculandam; præbuit autem suæ electioni humiliter assensum; ne aut superbus nimium, aut inanis & tanta promotione judicaretur ingratus. Assumpto autem officio, non solùm in suo monasterio montis Carmeli fratres sui Ordinis in Terra sancta, tunc à Christianis possessa, humiles & obedientes in mansuetudine & studiosa admonitione pertractavit, sed & magnarum virtutum exemplo velut alter Helias viam Dei demonstravit. Et quia gloria regni cælestis, quam summo desiderio concupivit, non nisi magnum aliquid agendo vel pro fide contra Mauros periclitando acquiritur, nec spectantibus sed concertantibus corona præsentatur *; S. Brocardus manum suam misit ad fortia tam ferventer procedendo, ut eum sequi à nonnullis impossibile videretur. Nam quis eo in sanctis operibus facilior & ab omni obstinatione duritiæ remotior? Quis amicorum sententiis acquiescens moderatior, & Sedi Apostolicæ obsequentior unquam fuit? Et quid suis meritis dignum est assecutus, qui Achon *c* in pede montis Carmeli sitam, industriâ Salahadini Ægypti & Syriæ iniqui principis captam, sua oratione & exhortatione Christianis restituit? Nam ante adventum Philippi & Richardi *d* regum Francorum & Anglorum, in nullo super terram secuti * in S. Brocardo, consilii & auxilii fideles populi ponentes fiduciam habuere solatium.*

auctor enarrat Beati electionem ad præfecturam,

b

* *l.* electione

E

* *Bradleyus* præstatur

F

c

d

* *l.* sicuti

3 Sanctus denique Brocardus, quem sua virtus evexit ut primus archiepiscopi Cæsarienſis *e* fieret consiliarius, nec non magistri Templariorum *f* non infimus, propositum tamen suum susceptì priùs Ordinis observantiæ non prætermisit: sed ferventer vigilando laboravit & per singulos * addidit aliquid, quo melior fieret. Consideravit quoque in iis Sanctorum veterum studiis, qui montem Carmeli ante eum inhabitaverant vitam ducentes heremiticam, maxima nunc præmia

regularem observantiam, quam

e

f

* *Bradleyus & Bostius* singula

præmia pro ſuis laboribus à Deo repoſita : erat namque corpore validus, aſpectu gratus, ſcientiâ clarus, eloquentiâ ſingularis, litteris tam Græcis quàm Latinis excellenter inſtructus. Quodque ſuper omnia pretioſum eſt, integra fide ſecundum ritum Romanæ Eccleſiæ, & præcipua ſanctitate conſpicuus : & eſto regulam compendioſam ex Regula S. Baſilii excerptam conſcripſerit, fratribus tradens obſervandam ; erat tamen ipſe ſimul regula morum, integritas honeſtatis, vita diſciplinæ & norma pietatis. O frater Carmelita, habes præceptorem eximium, cujus imitare caſtitatem, paupertatem & abſtinentiam, quibus XL annis in eremo montis Carmeli Deo & Matri ejus benedictæ fideliter ſerviendo votum ſuum nunquam relaxavit. Videbis in regula, frater, ſancti Patris diligentiam & mirari non deſines ejus prudentiam, orationis aſſiduitatem & ſilentii obſervantiam : nunquam guſtavit carnem in tam longo ſervitutis ſuæ ſpatio, & quo longior fuit miſeria propter Chriſtum, poſt mortem dulcior felicitas adventat. Pauci ſunt, qui vitam omnem feliciter agunt : nam B alios prima, alios poſtrema tempora fortunata recipiunt ; rectè cum his agitur, quibus pars vitæ poſterior læta eſt ; rectiſſimè autem, cum corpori homines terram apponentes ſubſerviant mortuo, animæ regni claviger cælum aperiat.

4 Porrò S. Brocardus toto ſui prioratûs ævo ſtuduit ex ſapientia rerum gerendarum divinitus conceſſa & amari ut facilis, & timeri ut fortis, & obſervari ut prudens à fratribus invenitur * ; & ideo Dominus etiam talem illi meritorum gratiam addixit, ut vivens miraculis coruſcaret. Nam dum quadam die in ſolemnitate Annunciationis glorioſiſſimæ Virginis devotè Miſſam celebraret, audivit multos in eccleſia rumores ; & Miſsâ finitâ, orans more ſolito pro pace Eccleſiæ, dixit : O piiſſime Deus, etſi omnino miſeratione tua ſimus indigni, tamen parce nomini tuo magno, parce obſecro locis ſacris : eccè jam multæ eccleſiæ ſunt, te permittente, deſtructæ ; & ubi paulò antè Chriſtiana religio viguit, nunc ſacrilega Mahometi *g* figmenta coluntur. Nec tamen * orationem finierat, & eccè unus de amicis vocavit eum, cujus filius die illa jacebat extinctus ; cujus S. Brocardus dolori compatiens, oratione priùs fusâ, adinſtar patris ſui Heliæ prophetæ mortuum ſuſcitavit : quem ad Ordinis ſui profeſſionem invitavit præbens ei ſacrum habitum, quem devotè juvenis ſuſcipiens induit, & in eo poſtmodum moriens ſepelitur. Quot autem ſunt miracula, quæ Dominus per Sanctum ſuum dignatus eſt oſtendere, tot ſunt illius ſanctitatis indicia. Nec valeo omnia ejus bona, quæ ab annis diſcretionis uſque in ſenium admiratione digna geſſit, annotare : nam bona animæ maximè in eo conſpicua fuere ; admirabilis probitas, inſignis humanitas & liberalitas egregia. Quid dicam de humilitate ejus mirifica & charitate in ſuos fratres, & dilectione in omnes & bonitate ſingulari, in qua multos Sanctos * conabatur præcellere ? Prudentiæ verò quantæ fuerit ex hoc apparet, quòd congregationem fratrum montis Carmeli maximam, tam varia multipliciaque negotia, mortuo S. Bertholdo prædeceſſore ſuo, per annos XXXIII ; ut teſtatur S. Cyrillus *h*, ſic gubernavit * ; ut nemo fratrum conſilium, ſolatium, victum & veſtitum ſibi deeſſe omni tempore ſui generalatûs unquam ſentiret.

5 O Religio Carmelitarum ſancta gens, in veteri Teſtamento ab Helia plantata *i*, à B. V. Maria toties viſitata, quæ noviſſimis diebus talem virum meruit primum Generalem ! Nam cùm aperta eſſet omnibus ſalutis via per Chriſtum Dei Filium, diabolus nimiùm dolens Jeſum Chriſtum ubique reghare, pſeudoprophetam excitavit in Arabia Machometum nomine, ſceleratum hominem, qui ſe Dei miniſtrum * eſſe mentitus eſt, & contrariam Euangelio * condidit. Quo mortuo, Ebubehar *k* principatus eſt annis tribus : poſt quem Homar *l* annis XII ; quem Perſa quidam, ſe velle adorare ſimulans ; fixo in ejus ventre gladio peremit. Iſte Homar omnes Chriſtianos, quos non occidit ; ſua pravitate * expulit ; exceptis eremitis montis Carmeli Virginis Mariæ ſervitoribus : mantellum tamen album in mantellum barratum mutare coëgit. Tunc fratres in magna tribulatione fuerunt uſque ad tempora Godifredi *m* & fratris ejus regis Balduini ; & tunc miſſus eſt S. Bertholdus & S. Brocardus in conſolationem eremitarum, & omnium Chriſtianorum ſubſidium. Viderunt autem principes Terræ ſanctæ * in S. Brocardo conſtantem animum, ſingularem prudentiam, ſummam liberalitatem, ingenium perſpicax, adminiſtrandæ juſtitiæ ſecundum rigorem Ordinis grandem curam ; recepit ergo eorum litteras, & in arduis negotiis eis utiliter conſuluit.

6 Quadem autem vice non diu antequam Dominus eum vocaret de hoc mundo, ſcripſit ad eum Albertus patriarcha Hieroſolymitanus, qualiter in Damaſcum *n* pergeret ad regem Syriæ, ut faceret ad tempus treugas & poſtea pergeret cum eo Romam ad Lateranenſe *o* concilium. Cùm verò à Soldano omnia ad nutum impetraſſet, acceſſit ad eum Mammalucus *p* terræ illius, nomine Sarraia *q* ; leprâ percuſſus, qui uſum manuum ſuarum omnino amiſerat, petens ab eo mundari. Cui reſpondit S Brochardus : Accede ad ſpiritualem Jordanis aquam, ut lavetur corpus tuum, & ſanitatem recuperabis. Qui ait : Scio quid dicis ; baptizari volo & fieri Chriſtianus. Tunc S. Brochardus, patris ſui Eliſæi prophetæ morem ſervans, leproſum * aquæ fontis Eliæ ſumens paucillum in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti ſuper caput ejus effudit, & continuò ſanatus cum fratribus montis Carmeli annis multis permanſit ſerviens Deo & B. F Virgini uſque ad vitæ exitum, quo Deo charus migravit ad cælum.

7 Cùm autem tempus inſtaret, quo Dominus fideli Servo in gloria remunerari voluiſſet ; quia legiſlator fratrum Carmelitarum & doctor Terræ ſanctæ dum juvenis fuit ; dum ferre labores potuit ; ſudare, algere, fortiter contra mundum & diabolum decertavit, nunquam victus ſed victor Dei gratiâ ſemper evaſit ; ſed poſtea ſenectute gravatus vires perdidit : anima tamen velut athleta fortiſſimus fortiſſimè * impetum ſuperavit. Audivit quoque patriarcha eum infirmum & ait : Jam flos Carmeli decidit. Quo dicto, flevit & mox ſubjunxit : Jam ſecurus eſt, tutus eſt, inter principes Eccleſiæ elevatus catalogo Sanctorum ſcribatur. Eos fortuna hoſtes habet, quos ex felicitate in ærumnas præcipitat, quibus miſerrimum eſt fuiſſe felices. Sed S. Brochardus conſideravit, quòd homo naſcitur in mundum non ad opes congregandas vel poſſidendas delicias, ſed ad labores : ideoque vivere in terris voluit non tamquam incola, ſed ut advena & peregrinus, futuram & cæleſtem patriam per opera ſancta, perſiſtens acriter, inquirendo :

mirificè promovit, aliaſque virtutes ; * invenitur *redundat*

g * *Bradleytus & Boſtius* nondum C

h * *Bradl.* gubernaverit

Legationem Damaſcenam ; *n*

o

p

q

* *idem* ſed proſo

labores ; amorem paupertatis ;

* *idem* fortunæ

* *Bradl.* Sanctus

A ANONYMO.

quirendo. In magna siquidem fortuna non facilè virtus reperitur. Quod advertens Thebanus ille philosophus *r*, ingens auri pondus in mare conjecit, ut expeditiorem se traderet philosophiæ. Sic etiam S. Brochardus ut Christo propinquiùs adhæreret contemplationique in eremo vacaret, nihil proprium habere volens omnia temporalia contemplit : unde & in morte testamentum nullum fecit.

r

8 Cujus * discipuli multi sancti fuerunt paupertatis amatores ; ut S. Cyrillus doctor Græcus *s*, qui est & canonizatus *t*, & B. Angelus in Sicilia martyrisatus, frater ejus uterinus Joannes patriarcha Hierosolymitanus, Joseph de Emana *, Petrus de Bethleem *u* & plures alii. Multi fræna dimittunt filiorum cùm adolescere cœperint : sed S. Brochardus, ex quo Prior electus curam fratrum susceperat, ita juvenes & senes omnes sub disciplinæ rigore coërcere studuit, quòd nunquam ab Heliæ curru igneo cecidisse quis legitur ; sed movendo, castigando & ad virtutes incendendo diligenter omnes semper instruxit. O quanta urbanitate sententiarum & copiâ optimorum verborum animos fratrum demulcentium mirificè peroravit ! O quanta devotione orationes, compunctiones, lachrymas ad Christum, ad B. Virginem & ad Sanctos direxit ! Unde & crebrò hortatus est fratres, collectiones & Vitas Patrum relegere. Et quia ejus admonitiones ex charitatis zelo & simplici corde procedebant, miro modo fratres eas audiendo ædificabantur. Itaque valde angebatur animo, quia negotiis omnibus Ecclesiæ vel monasterii præpeditus facultatem sibi orandi vidit ademptam. Sicut enim mercator quæstûs causâ proficiscens libros & calculos secum defert, sic S. Brochardus, quocumque pergebat, orarium, Breviarium & Pater-noster *x* secum portavit.

discipulos, orandi studium, * *idem* Ejus

s t

* *Bradl. & Bost.* Emaus

u

B

x

9 Cum his ergo laudum præconiis ad LXXXII ætatis suæ pervenit annum, prospera valetudine & continuata authoritate prioratûs : exitum quoque vitæ facilem tranquillumque sortitus est, qualiter superiori ejus conversatione * maximè congruebat. Cui tandem post multam abstinentiæ & laborum tolerantiam astitit Mater Dei Maria dicens : Veni jam benedicte Domini & ingredere ea, quæ tibi debentur æterna tabernacula. Ecce enim mecum sunt patres vestri Elias *y* & Elisæus & prophetæ, qui te nunc in suum susçipient chorum. Quibus auditis, Brochardus sequenti die ad hujus vitæ terminum disponitur ; unde in agone constitutus, vocatis fratribus, humiliter veniam petens ait : Filioli mei, vocavit nos Deus in Ordinem eremitarum & sacerdotum, & vocamur Fratres B. Mariæ ; sed tamen videatis, ne post discessum meum hoc nomen Fratrum B. Mariæ sit falsum in vobis. O dilectissimi, perseverate, contemnite mundum, delicias odite, quarum blanditiæ maximum præstant impedimentum ad æternæ vitæ consecutionem. Aliisque multis verbis eis persuasit futura mala præcavere * & futura bona appetere.

felicem ex hoc mundo

* *Bostius* moderationi

y

C

10 Tandem, appropinquante sui transitûs hora, anima illa perennitatis * amatrix, corporis vinculis liberata, ascensu facili ad summum cœli viam arripuit, astantibus fratribus & videntibus, ab angelis in cœlum sublata : ubi nunc consistens à tenebris erutæ, puro intuitu divina illa spectacula contemplans, imbecillitatem nostram intuetur. Cujus sanctum corpus fratres cum honore decenti, psalmis & orationibus sepulturæ juxta S. P. Bertholdum tradiderunt. Tunc affecit fratres incredibili mœrore inter paganos habitantes suus obitus : illud tamen consolationi eis fuit, quòd ad sepulchrum ejus, operante Deo, multa facta sunt miracula ; cæci illuminati, claudi erecti, dæmoniaci liberati * aliique multi à diversis morbis sanati ad laudem & gloriam omnipotentis Dei. Amen.

D

* *al.* relevati

* *Idem* fugere *transitum, & miracula.*

* *Bradl. & Bost.* puritatis

ANNOTATA.

a *Quintus Roscius comœdus seu* histrio insignis fuit Ciceronis ætate in arte sua usque adeo absolutus, ut si quem significare velimus cæteri sui generis hominibus præcellere, Roscium κατ' ἐξοχὴν, *id est, per excellentiam* appellemus, *teste Calepino. Huc videtur anonymus respicere suam tenuitatem excusans.*

b *Sic etiam posuit in titulo, & infrà repetit num.* 5 ; *sed perperam. Vide Commentarium num.* 8. *Quo tempore Beatus successerit Bertholdo, dictum est ibidem num.* 2.

c *Acon seu Ptolemaïs* maritima & celebris Phœnices urbs est, *teste Adrichomio in Theatro Terræ sanctæ pag.* 6, versus Septemtrionem a monte Carmelo quatuor miliaribus distans, *ex Baudrandi dimensione* XII ; *adeoque non in pede montis Carmeli sita. Eam obsedit Saladinus &* post biduum in deditionem recepit *anno* 1187, *ut ibidem ex Nangio refert Pagius num.* 6. Rursum, *inquit Adrichomius*, anno salutis MCXCI (13 *Julii*) à Philippo Adeodato Francorum, & Richardo Anglorum regibus tertio obsidionis anno est recuperata, & à Christianis centum annis possessa fuit.

E

d *Philippus II, Franciæ rex cognomento* Augustus & Adeodatus, *Ptolemaïdem appulit anno* 1191 Sabbato in hebdomada Paschæ, *id est*, 20 *Aprilis : quem secutus Richardus I Angliæ rex*, 8 *Junii seu* die Sabbati in hebdomada Pentecostes venit ad obsidionem Accon. *Ita Rogerius Hovedenus inter Scriptores rerum Anglicarum Francofurti editos* 1601 *pag.* 692.

e *Ex Michaële le Quien, tom.* 3 *Orientis Christiani col.* 1288, *Cæsareæ Palæstinæ archiepiscopus erat anno* 1179 *Eracleus sive Eraclius ; quo ad patriarchalem Hierosolymorum sedem anno sequente translato, archiepiscopus factus est Monachus : huic etiam ad patriarchatum Hierosolymitanum evecto* 1194 *successit archiepiscopus, ad quem Innocentius III epistolam dedit* 20 *Februarii anno* 1214 ; *sed nomen ejus latet.*

F

f *Ordo Templariorum anno* 1119 *secundum Pagium inchoatus est Hierosolymis ; sed ob enormia crimina exstinctus à Clemente V in concilio Viennensi anno* 1312.

g *De Mahomete & initio sectæ Mahometicæ Pagius in Critica Baronii ad annum* 622 *num.* 7 *notat sequentia :* Hoc anno Mahometes pseudo-propheta, cùm in urbe Mecca in Arabia felice sita apparuisset, ob innovatam religionem in discrimen vocatus, ex ea fugere coactus est. Ab ea fuga Eram suam, quam HEGIRAM, id est, persecutionem vocant, Mahumetani novi cultûs annos ac durationem emetiuntur. Est ea apud Mahumetanos omnes ac Orientalium regionum incolas celeberrima, initiumque ducit à die XVI mensis Julii, quæ hoc anno in feriam VI incidebat. Natus erat Mahometes, ut habet Georgius Elmacinus in Historia Saracenica, in urbe Mecca die XII mensis Rabiei prioris, qui diei quinto Maii nostri respondet, ideoque anno Christi DLXX *&c. Verùm Elmacinus in gemina editione*

A *editione Batavo-Lugdunensi anni* 1625 *altera Latina, altera Arabico Latina lib.* 1 *cap.* 1 *illa die Hegiram seu fugam Mahometis collocat*: Ingressus autem est Medinam *Talnabi, id est, civitatem Prophetæ*, ipso meridie diei Lunæ (secundum alios, Jovis) qui duodecimus erat mensis Rabii prioris. *Diem verò & annum natalem sub initium capitis hoc modo exprimit*: Natus autem est Muhammed... in valle lapidosa urbis Meccæ circa auroram diei Lunæ, qui octavus erat mensis Rabii prioris: cui respondet è mensibus Romanorum † XXII dies mensis Nisani, *seu 26 Aprilis nostri*, anni DCCCLXXXII Alexandri Magni, *qui fuit annus Christi* 558 *non* 570: *subductis enim* 324 *ex* 882, *relinquuntur dumtaxat* 558. *Sic porrò annos Christi ex æra Philippi Aridæi seu mortis Alexandri debere erui docet laudatus Pagius in Dissertatione tomo* 1 *præfixa num.* 92 *his verbis*: Cùm Era Christiana incipiat in anno ab obitu Alexandri CCCXXIV, ad eruendos annos Christi, ex hujusmodi Erâ abjiciendi semper anni illi CCCXXIV. *Quòd si æra Christiana* 558 *addas annos lunares* 54, *quot nempe Mahometes natus erat, teste Elmacino*, B *dum Medinam aufugit; habebis solummodo annum Christi* 611: *adeoque Hegira plusquam decennio anticipanda erit contra chronologos omnes initium ejus affigentes* 15 *vel* 16 *Julii* 622. *Quare suspicor in utraque nostra Elmacini editione annum Alexandri seu Philippi Aridæi* 882 *positum fuisse pro anno Seleucidarum* 882, *qui fuit annus Philippi* 894, *Christi verò* 570. *Certum id videtur ex eo, quòd ibidem paulò inferiùs annus Mahometis* 40 *malè conjungatur cum* anno CMXXII Alexandri Magni, qui erat vigesimus regni Cosroæ, f. Hormisdæ: *nam, ut ex Theophylacto probat Pagius ad an.* 592 *num.* 4, *Chosroes junior in locum patris Hormisdæ suffectus fuit anno Christi* 590, *quando currebat annus Philippi sive Alexandri* 914, *Seleucidarum* 902, *quorum æra annis* 12 *posterior est morte Alexandri. Consequenter annus* 20 *Chosroæ II, Christi* 610, *incidere non potuit in annum Alexandri* 922, *Christi* 598; *sed poni debuit annus* 922 *Seleucidarum, vel Philippi* 934, *quo Mahometes quadragenarius prophetiæ munus sibi arrogavit. Vide Concordiam chronologicam Labbei ad annos citatos. Utrùm hic nodus de anno natali Mahometis aliter solvi possit, peritioribus dispiciendum relinquo. Obiit autem nefarius impostor* 17 *Junii anno Christi* 632, *Hegiræ* XI: cùm natus esset annos *Lunares sive Arabicos* LXIII, aut secundum alios, LXV. *Ita Elmacinus. Eutychii patriarchæ Alexandrini Annales, quos ex Arabico Latinè interpretatus est Edwardus Pocockius, tom.* 2 *pag.* 227 *initium Hejræ seu Hegiræ collocant anno primo imperii Heraclii, Christi* 614; *& pag.* 251 *mortem Mahometis affigunt anno Heraclii* XI. *Sed manifestus error est in annis Heraclii, cùm hic ab anno* 610 *imperator fuerit: quod spectat ad annum Christi* 614, *is planè idem est qui nobis habetur* 622. Nimirum, *inquit Johannes Seldenus initio præfationis tomo* 1 *præfixæ paginâ versâ*, Eutychius passim in Chronologia sua Christi natales octennio facit recentiores, quàm in æra vulgari... Adeoque ex ea ratione Hegiram ab anno Christi DCXIV auspicatur, quam unanimes tribuunt chronologi nostri anno vulgari Christi DCXXII. *Porrò qua ratione apud Elmacinum lib.* 2 *capp.* 16 *&* 19 *sub finem, restituenda sit Hegira in morte Basilii imperatoris annis* 14 *deficiens*, XI *verò superans in Leone Basilii filio, ut ibidem annotavit Sollerius noster; hæc, inquam, & cetera hujusmodi videant Arabicè periti aliive, quibus vacat & lubet.* A. ANONYMO.

h *S. Cyrillus, III Prior generalis Ordinis B. Mariæ de monte Carmelo, colitur* 6 *Martii. Vide tomum* 1 *dicti mensis pag.* 498.

i *Id nos neque asserimus, neque etiam negamus; volentes inviolatè servare præceptum Innocentii PP. XII, quo super quæstione de primæva institutione ac successione Ordinis Carmelitarum à prophetis Elia & Eliseo perpetuum silentium omnibus imposuit, data constitutione* 20 *Novembris* 1698.

k *Vox ambiguè scripta; Bradleyus habet* Eububezer, *sed mendosè: ab Elmacino enim aliisque* Abubecrus *vocatur. Creatus fuit Chalifa seu princeps supremus Saracenorum eo die, quo Mahometes exstinctus est, imperavitque annos* 2 *& paucos menses, mortuus secundum Pagium* 23 *Augusti anno Domini* 634. *Meminit de ipso Cangii Glossarium ad vocem* CHALIFA, *his verbis*: Primus autem Chaliphæ nomen & dignitatem usurpavit Abubacarus, Mahometi successor, ut auctor est Georgius El-Macinus. E

l *Humar sive Omar I, filius Alchittabi*, designatus est Chalifa eo die, quo obiit Abubecrus, & quidem jussu ejus, *inquit Elmacinus lib.* 1 *cap.* 3. *Regnavit annis dumtaxat* 10 *& mensibus aliquot, occisus ab Abululua servo Mugiræ natione Persa anno Hegiræ* 23 (*Christi* 644) *ut tradunt Annales Eutychii patriarchæ Alexandrini tom.* 2 *pag.* 320, *& Elmacinus citatus. Pagius tamen ex Theophane Omarum necatum esse scribit anno Christi* 645. *Omarus iste secundum Theophanem*, obsidione per annos duos ad Sanctam Civitatem continuata, tandem fide data eam in potestatem accepit *non anno Christi* 636; *sed* 637, *Hegiræ* 16, *uti contra Baronium & Labbeum probat laudatus Pagius Theophanem explicans. Ceterùm quàm moderatè & clementer idem Omarus se gesserit erga Christianos captos, scripto illis libello securitatis, testes sunt præter Elmacinum Annales Eutychii tomo citato pag.* 284. *Et licèt illum Rodericus Ximenes archiepiscopus Toletanus in Historia Arabum cap.* 7 rigidum *appellet*: Mortuo Abubacar, Omar in solio regni collocatur Arabum, & decem annis regnavit. Hic fuit rigidus & in præliis valde constans; *nemo tamen ex voce* RIGIDUS *extundet tam diram in Christianos ab eo motam fuisse persecutionem, qualis hic narratur, cujus ne verbo quidem Ximenius meminit, imò cujus oppositum Elmacinus & Annales citati docent. Vide Parergon* 8 *Historiæ chronologicæ patriarcharum Hierosolymitanorum tomo* III *Maii pag.* XXXII, *vel Papebrochii Responsionem ad Articulum* 15 § 18. *Utrobique autem correctum volumus quod dicitur, Elmacinum non fuisse Christianum; contrarium enim ostendit Pagius ad annum* 622 *num.* 8, *idemque in titulo Latinæ Elmacini editionis annotavit Sollerius noster his verbis*: Ex ultimo totius Historiæ § pag. 370 patet Georgium Elmacinum fuisse Christianum. F

m *Godefridus Bullonius dux inferioris Lotharingiæ* (*olim* Brabantiæ *dictæ*) *Hierosolymorum deinde rex primus, non minùs virtutibus principe Christiano dignis, quàm bellica fortitudine inclytus, anno* 1096 *cum Balduino fratre suo uterino in Orientem profectus est; Hierosolymam*

A. ANONYMO. *vi cepit Idibus Julii* 1099, *octavo pòst die unanimi consensu fuit rex electus, & anno* 1100 xv Kal. Aug. plenam fide bonisque operibus præsentem in Christo vitam finivit, *ut habet Abbas Urspergensis apud Pagium num.* 13. *Eodem anno* 25 *Decembris rex Hierosolymorum coronatus est frater ejus Balduinus I, qui post varias victorias de Saracenis reportatas anno* 1118 *in Quadragesima mortuus est. Godefridi memoriam vide tomo* IV *Julii in Prætermissis ad diem* 15 *&* 18.

n Damascus, urbs Syriæ primaria & ex antiquioribus Asiæ ... nunc SCHAM dicta ab incolis & Turcis, *teste Baudrando. Ejus tunc soldanus erat Saphadinus. Vide Comm. num.* 4.

o *Concilium Lateranense IV, ad quod B. Albertum invitaverat Innocentius III, celebratum est Romæ anno* 1215 *mensibus Novembri & Decembri.*

p *Audi Marcum Antoniam Alegre de Casanate in Paradiso Carmelitici decoris pag.* 253: Mamelucus natione Arabs, ex Damasci civitate prorege, suasionibus S. Brocardi ad Christi fidem allectus &, fastidito sæculo, Heliadum consortio ab ipso Brocardo in Carmelo annumeratus est. Exemplo vitæ insignis effulgens, strenuus Christianæ militiæ brevi factus athleta, volavit ad astra, ut acta Brocardi referunt, anno Christi Jesu MCLXXIII, *scilicet annis* 40 *priùs quàm ab Alberto patriarcha Damascum mitti potuerit* Brocardus, *a quo tamen hìc conversus dicitur occasione istius legationis. Cangius in Glossario ad vocem* MAMELUCHI *notat sequentia:* Sic appellabant Ægyptii mancipia Christiana, aut ex Christianis parentibus orta, in pueritia capta & pretio distracta, ex quibus eligebatur, qui cæteris imperabat, Sultani appellatione. *Edwardus Pocockius in Supplemento ad Gregorium Abul-Faragium pag.* 8 *ait Mamlucos Turcicos imperare cœpisse anno Hegiræ* 648, *Christi* 1250, *quibus pag.* 19 *succesêre Mamluci Circassi anno Hegiræ* 784, *Christi* 1382. *Pag.* 31 *dicit* in errore esse eos, qui Mamlucos Christianorum tantummodo filios fuisse autumant. *De Mamelucis meminit Willelmus Tyrius lib.* 21 D *cap.* 23 *narrans profligatum à Christianis Salahadinum anno* 1177.

q *Apud Bradleyum*, Sacäin; *nusquam alterutrum nomen inveni.*

r *Crates nempe, qui*, projecto in mare non parvo auri pondere, Abite, inquit; pessum malæ cupiditates. Ego vos mergam, ne ipse mergar à vobis. Nec putavit se simul posse & virtutes, & divitias possidere. *Hæc & similia de Cratete habet S. Hieronymus tom.* 4 *novæ editionis Martianayi col.* 89 *in Notis. Ejusdem facti meminit ante sanctum Doctorem Philostratus Lemnius lib.* I *de Vitâ Apollonii Tyanensis cap.* 13.

s *Apud Bostium non legitur* Græcus; *sed egregius; additurque*, & Eusebius ejus comes individuus. *Habetur hic inter Prætermissos ad* 10 *Junii tom.* 2 *pag.* 263.

t *Anonymi additio est, Bradleyo & Bostio silentibus de canonizatione, cujus decretum frustra quæsivi. Balæus citatus à Lezana ad annum* 1224 *num.* 6, *tantùm fatetur, quòd Eugenius IV* Cyrillum doctorem illum, qui visiones habuerat, in Sanctos referri permisit. *Vide etiam tom.* I *Martii pag.* 499 *num.* 6. E

u *De S. Angelo martyre fusè actum est tom.* 2 *Maii pag.* 56 *&* 798. *Joannis fratris ejus mentio fit tom.* III *Julii pag.* 473 *in Prætermissis ad diem* 13: *Josephi ad* 13 *Junii tom.* 2 *pag.* 665: *Petri denique ad* 4 *Junii tom.* I *pag.* 374.

x *Id est, corollam precatoriam ex globulis compositam, teste Cangio ad vocem* PATER-NOSTER, *quâ vulgus Rosarium designare solet.* Orarium *verò, quod apud Cangium aliosque stolam sacerdotalem passim significat, videtur ab anonymo hic sumi pro libello precum.*

y *Apud Bradleyum* Elias *omittitur*: quia non est in cœlo, sed in Paradiso terrestri, *ut ibidem annotavit P. Daniel à Virgine Maria. Verùm nonne in Transfiguratione Domini Matt.* 17 ℣ 3 apparuerunt .. Moyses & ELIAS? *Quid ergo hìc apparitioni ejus obstare poterat paradisus terrestris?*

c DE B. MARGARETA VIRG. ET MART. f

LOVANII IN BRABANTIA

J. S.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§ I. Beatæ cultus à sæculo XIII inchoatus, auctusque ac continuatus ad nostra usque tempora.

SUB INITIUM SEC. XIII. *Supra corpus B. Margaretæ à sæculo* XIII *ædificata domuncula,*

Lovanium, primaria atque ampla Brabantiæ civitas ad Diliam amnem, qui eam secat, à sæculo XIII *venerari cœpit* B. Margaretam, *ut virginem & martyrem suam. Hujusce cultûs antiquitatem habemus ex Cæsario Heisterbacensi, scriptore contemporaneo Ordinis Cisterciensis, qui in Dialogis, seu lib.* 6 *Illustrium miraculorum & historiarum cap.* 34 *elogium* B. Margaretæ *infrà edendum conscripsit, atque in eo sic habet:* Circa cujus sepulcrum (*ad ripam Diliæ, ubi fuerat occisa*) alii tempore nocturno luminaria videntes, effossam tulerunt Lovanium, capellulam super eam fabricantes, & fiunt usque hodie, meritis ejus exigentibus, miracula, tam in loco occisionis illius, quàm in loco translationis. *Translatio illa & constructio capellulæ initium cultûs insinuant, præsertim quia hæc facta sunt, visis mirabilibus, quæ post obitum Beatæ contigisse dicuntur. Neque dubitari potest de constructione istius capellulæ aut ædiculæ,*

A *ædicula, cùm illa eodem loco ſemper permanſerit, & etiamnum ſit, mutata tamen, ut videbimus.*

quæ lignea primùm, deinde lapidea facta: corpus tunc tranſlatum & relatum:

2 *Erat autem ædicula illa, primùm lignea, deinde lapidea, in muro excavato eccleſiæ collegiatæ S. Petri, quæ præcipua eſt urbis Lovanienſis. Molanus in Natalibus Sanctorum Belgii ad 2 Septembris in elogio* B. Margaretæ *de iis ſcribit ſequentia:* Ab hac autem narratione Cæſarii, ... diſcrepant nonnihil picturæ & ſcripturæ ædiculæ, in qua corpuſculum aſſervatur .. Ibidem refertur nunquam ſepulta fuiſſe, ſed corpus in aquas dejectum, à piſcibus ſuper aquas detentum eſſe, & contra fluxum Lovanium rediiſſe: angelos quoque in nocte lucida in cælis cantâſſe. Quæ Brabantiæ dux cum conjuge conſiderantes, in pinnaculo arcis conſtituti, particulatim inquiri curarunt, & re omni cognita, clerus & ſenatores corpus proceſſionaliter tulerunt ad murum eccleſiæ ſancti Petri, ubi adhuc conſpicitur in domuncula, quæ ſolet * eſſe lignea, nunc verò eſt lapidea. Cùm autem lapidea conſtrueretur, corpus intra eccleſiam erat. Sed eâ conſtructâ, pridie dedicationis Lovanien-

* ſolebat

B ſis, à Ruardo decano, & omni clero eccleſiæ referebatur ad veterem locum. *Hactenus Molanus.*

ex hiſce cultus antiquus abundè probatus,

3 *Porrò, ſive ſepultum fuerit corpus in ripa Diliæ, ut vult Cæſarius, ſive non fuerit ibidem ſepultum; conſtat ex utroque ſcriptore, delatum fuiſſe ad murum eccleſiæ S. Petri, ibique collocatum in exteriori parte muri excavati poſt chorum intra ædiculam ligneam. Corpus autem ibidem non fuiſſe ſine cultu, varia inſinuant; primò ædicula ipſa, quam* capellulam *nominat Cæſarius, & locus è terra elevatus. Secundò miracula, quæ idem facta teſtatur, innuunt, invocatam fuiſſe* Margaretam. *Tertiò mutatio ædiculæ ligneæ in lapideam, quæ compoſita eſt circa annum 1535, oſtendit, cultum illum fuiſſe continuatum. Cujus liberalitate conſtructum fuerit lapideum iſtud ſacellum; docet inſcriptio vernacula, quæ in ſacello à parte exteriori etiamnum legitur, quámque Latinè ſic exprimo:* In

* *Vernaculè* Fiere Margrietken

honorem Margaretæ Lovanienſis * hoc opus conſtrui curavit Martinus de Boek, piſcarius Antverpienſis & natus civis Lovanienſis. Obiit anno MDXXXV, VIII Octob. *Quartò tranſlatio corporis ad eccleſiam S. Petri, relatioque ad ſacellum contiguum evincit, omnia prædicta facta eſſe, non privata alicujus pietate, ſed publico & communi conſilio totius cleri, præſertim cùm Ruardus Tapperus vir fuerit pietate ac doctrinâ præſtantiſſimus, rebuſque geſtis & ſcriptis libris inclytus, qui fovere noluiſſet cultum* B. Margaretæ, *niſi legitimè cœptus fuiſſet & continuatus.*

C

qui elucidatur ex reliquiis ſeorſum venerationi expoſitis,

4 *Quintò non ſolùm corpus Beatæ in prædicta ædicula honorificè aſſervatur, ſed etiam reliquiæ aliquæ olim à reliquo corpore ſeparatæ & publicæ fidelium venerationi fuerunt expoſitæ, uti de capite & palato videbimus etiamnum fieri. Quin & alia quædam ex veneratione erga* B. Margaretam *fuere diligenter conſervata, & populo cum aliis reliquiis oſtenſa. Audi Molanum in elogio jam aſſignato:* Alterum vaſculum, quod ligneum eſt, in quo vinum ferebat, ab Abſolonibus (*id eſt, apud aliquem ex nobili ſtirpe* d' Abſalons) qui eam dicunt majorum ſuorum ancillam fuiſſe, religiosè argento exornatum conſervatur. Qui etiam illud ex Bruxella mittunt ad ſeptennalem reliquiarum exhibitionem. Lovanii cum corpuſculo conſervatur etiam pila, quæ ei contra clamores fuit in os injecta. Domus, quam inhabitabat, dicebatur HOSPITIUM SANCTI GEORGII, in qua cubiculum parvum ab ea nomen retinet. *Non conſtat quidem, à quo tempore ſeorſum ſervari cœperint aliqua* B. Margaretæ *oſſa, quia, teſte Molano,* in monumentis eccleſiæ *S. Petri,* quæ ſæpiùs combuſta eſt, nihil de ea ſupereſt: *attamen, cùm jam, ſcribente Molano, ſeu ſeculo* XVI, *cum aliis Sanctorum reliquiis oſtenderetur ſingulis ſeptenniis prædictum Beatæ vaſculum, cúmque & caput & palatum illius eodem modo nunc populi exponantur veneration, cúmque iſtius conſuetudinis nullum ſciatur initium, admodùm veriſimile eſt, uſum illum eſſe antiquiſſimum.*

AUCTORE J. S.

atque ex hodierno cultu,

5 *Sextò ignoratur etiam principium cuius, qui hoc tempore conſtanter exhibetur* B. Margaretæ, *teſte ampliſſimo domino F. Scheppers, Capituli collegiati S. Petri decano, qui monumenta omnia diligentiſſimè perquiſivit, ſummaque humanitate nobiſcum communicavit quæcumque ad veneration Beatæ ex conſuetudine, cujus initium ignoratur, fieri ſolent in eccleſia S. Petri. Ipſa ampliſſimi viri verba ſubjungo:* In primis, ſingulis annis feriâ ſecundâ poſt

E dedicationem Lovanienſem, quæ eſt primâ Dominicâ Septembris, ad horam decimam cantatur ſolemne Sacrum in muſica ad altare venerabilis Margaritæ de ſanctiſſima Trinitate per dominum theſaurarium capituli, & illud Sacrum eſt illo die Sacrum chori. Eâdem feriâ ſecundâ ſingulis annis exponitur cranium ſupra ſcutellam argenteam in dicto altari venerabilis Margaritæ: item palatum oris ejus capſulæ argenteæ incluſum: & iſtud palatum deoſculandum ſic exhibetur toto illo die fidelibus: & prædictum cranium manet toto illo die etiam in iſto altari expoſitum. Quandonam iſtud Sacrum ſic celebrari inceperit, vel reliquus cultus venerabilis Margaritæ, penitus ignoramus: & ſeniores chori noſtri aſſerunt, ſe id ſemper vidiſſe ſic practicari.

cujus initium ignoratur:

6 Singulis ſeptenniis, vel quando omnes aliæ Sanctorum reliquiæ, quæ ſunt in noſtra eccleſia, publicè in ſummo altari exponuntur; & in die octavo iſtius expoſitionis, quando poſt Laudes veſpertinas fit proceſſio per civitatem, in qua omnes aliæ reliquiæ Sanctorum circumferuntur; pariter tunc circumfertur cranium in

F ſcutella argentea, item palatum capſulæ argenteæ incluſum venerabilis Margaritæ. Item iſtud cranium & palatum per octiduum manet cum reliquiis in dicto ſummo altari expoſitum, & ſicut ceteræ reliquiæ, deoſculandum fidelibus exhibetur. Quandonam id inceptum, penitus quoque nos latet. Quapropter ex conſuetudine immemoriali continuatur & practicatur hic cultus. Iiſdem ſingulis ſeptenniis exponitur in ſummo altari hydria, quæ dicitur venerabilis Margaritæ. Quapropter dum iſta hydria erat adhuc penes familiam de Machet, ſingulis ſeptenniis tradebatur cuſtodi theſauri, ut cum reliquis reliquiis in ſummo altari exponeretur. Verùm jam à ſex vel ſeptem annis familia de Machet hanc hydriam Capitulo dono dedit. *Hæc hydria illa eſt, quam ſuprà Molanus vocat* vaſculum, *quod ipſius tempore erat apud familiam* d' Abſalons. *In Vita Flandrica anno 1726 impreſſa, vaſculum iſtud dicitur ſervatum diu fuiſſe apud Illuſtrem dominum Dilbeeck, ex nobili ſtirpe* d' Abſalons; *at illo tempore fuiſſe apud dominam viduam* Machet. *Deinde capitulo datum eſt, ut mox dictum.*

7 *Sub*

AUCTORE J. S. *imago anno 1699 ex antiquioribus adumbrata:*

7 *Sub finem ſeculi prateriti Lovanienſes conati ſunt inſtaurare vel augere piam populi devotionem erga* B. Margaretam. *Hac de cauſa anno 1699 Vita vernaculè ſcripta atque impreſſa eſt : atque imago æri inciſa, quam chalcographo noſtro imitandam dedi, atque hîc exprimendam curavi.*



B. MARGARETA VIR. MAR.
ORA PRÒ NOBIS

Hæc imago, quæ ex antiquis ſacelli imaginibus adumbrata eſt, exhibet mirabilia illa mortem ſecuta, quæ partim ex ſcripturis & picturis ſacelli, partim ex traditione referuntur à Molano. At non omnia æquè ſunt certa, uti ipſe etiam indicavit. Corpus aquis ſupernatans, ac contra fluxum aſcendens exprimitur, angeli repræſentantur, quia angelorum concentus dicitur fuiſſe auditus ; dux Brabantiæ cum conjuge ſua hæc cernentes exhibentur : poſita etiam ad latus, tamquam in mœnibus urbis, olla mulieris incredulæ, quam miraculo efferbuiſſe tradunt. Demum cuſtos aliquis corpori ad decorum appoſitus. De hiſce omnibus agetur ſuo loco. Interim conatum Lovanienſium Deus approbâſſe videtur : varia enim circa idem tempus impetrata fuere beneficia, quæ ex Vita Belgica, anno 1703 recuſa & aucta, referam inferiùs.

C

Sacellum Beatæ nunc eccleſiæ collegiatæ unitum, mutato introitu:

8 *Anno 1722 notabilis facta eſt mutatio in ſacello Beatæ, ita ut jam pars ſit eccleſiæ collegiatæ, cui antea ſolùm adhærebat. De hiſce ad propoſitum noſtrum ſcribit Cornelius van Geſtel in Hiſtoria archiepiſcopatûs Mechlinienſis, anno 1725 impreſſa, pag. 151, ubi primùm de ſacello, prout antea erat, ſic breviter loquitur :* Baſilicæ D. Petri contigua & adhærens eſt ædicula ſeu ſacellum, in quo quieſcit Margareta Lovanienſis. *Et poſt pauca :* Cùm exeunte ſeculo XVII indies creſceret Lovanienſium & vicinorum erga hanc Margaretam Lovanienſem devotio & viſitatio, viſum fuit, ut plurium pio deſiderio fieret ſatis, ejus feretrum deaurare, & decentiùs exornare, ac publico fidelium ritu in eccleſia exponere. Itaque anno MDCCXXII, patefacto muro eccleſiæ, redegerunt illud in formam inſignis ſacelli in D. Petri, in quo jam quotidie populi Lovanienſis & aliorum pia viſitatio, & ejus patrocinii apud Deum publica invocatio. Impetrata per eam apud Altiſſimum beneficia teſtantur donaria, quæ indies in hoc ſacello offeruntur. *Laudatus modò dominus Schepers S. Petri decanus hiſce aſſentitur, affirmans januam ſacelli* B. Margaretæ, *per quam introitus erat ex platea, anno 1722 occluſam fuiſſe, novumque datum introitum per ipſam eccleſiam. Erat autem in illa parte eccleſiæ poſt chorum ſacellum S. Margaretæ virginis & martyris, quod ſolo pariete ſeparabatur à ſacello* B. Margaretæ *Lovanienſis. Rupto jam illo pariete, ex ſacello S. Margaretæ patet introitus in ſacellum* B. Margaretæ *Lovanienſis. Deinde, inquit laudatus decanus,* ſacellum iſtud decentiùs ornatum fuit, & publicè anathemata expoſita, & picturæ diverſorum, qui confiſi patrocinio venerabilis Margaretæ à Deo ſunt adjuti. *Varia quoque anathemata argentea & cerea in ſacello fuiſſe ante mutationem, idem teſtatur.*

D

E

annus quingenteſimus ſolemniter celebratus & Vita recuſa.

9 *Anno 1725, die IX Septembris, clerus populuſque Lovanienſis magnifico apparatu celebravit annum quingenteſimum glorioſæ mortis* B. Margaretæ. *Sacrum ſolemne in hac ſolemnitate decantavit eximius dominus Hermannus Daemen S. Petri decanus & ſacræ theologiæ doctor : inſtitutum per urbem ex omnibus ordinibus prolixum ſupplicantium agmen, ſequente deinde alio agmine in curribus equiſque ad pompam inſtructis. Multum videre erat ornatum in locis præcipuis urbis, multaſque inſcriptiones chronographicas ad honorem Beatæ eleganter compoſitas, ex quibus pro ſpecimine primam ſubjungo :* Margaretæ civi ſuæ, illæſa virginitate conſpicuæ, abhinc annis quingentis fuſo ſanguine glorioſæ, ſenatus populuſque Lovanienſis. *Cetera ad hanc feſtivitatem pertinentia dabit libellus, eodem anno Belgico idiomate impreſſus Lovanii. Demum anno 1726 recuſa eſt Vita Belgica* B. Margaretæ, *eaque editio aucta eſt aliquibus, quæ poſt præcedentes tres editiones contigerant. Hactenus breviter de iis, quæ Lovanii facta ſunt ad venerationem* B. Margaretæ.

F

Beatæ titulus jam olim Margaretæ datus, atque eidem conveniens

10 *Verò hæc venerationis cùm antiquæ tum hodiernæ indicia talia ſunt, ut judicaverim* Beatæ *titulum non denegandum* Margaretæ *noſtræ, quamvis non ignorem, nonnullos ab hoc titulo abſtinuiſſe. Non cenſui, inquam, abſtinendum ab hoc titulo, partim quia idem titulus* Margaretæ *jam dudum datus eſt à variis, partim quia ea veneratione fidelium colitur hæc Virgo, quæ ſolis congruit Beatis, ac demum quia cultus* Margaretæ *tam videtur antiquus, ut decretum Urbani VIII, anno 1634 datum, non modò centum annis excedat, ſed fortaſſe & quatuor ſeculis. Verum quidem eſt, non coli* Margaretam *Officio eccleſiaſtico, aut Miſſâ propriâ, nec umquam de ipſius beatificatione aut canonizatione cogitatum videri. At plures Dei ſervi aut ſervæ* Beati *aut* Beatæ *titulo decorantur, etiamſi nec Beatis annumerati ſint per formalem beatificationem, nec Officio aut Miſſâ colantur propriâ, modò ab immemorabili tempore, ſeu centum annis ante decretum Urbani VIII in poſſeſſione cultûs fuerint, uti certò fuiſſe videtur* B. Margareta.

ob cultum antiquum & ſemper continuatum.

11 *Quippe cultûs antiquiſſimi hæc ſunt indicia. Tranſlatio corporis & conſtructio capellulæ ſupra*

A *ſupra corpus. Facta hæc teſtatur Cæſarius ſcriptor ſeculi* XIII, *qui &* martyrem *vocat. Verba accipe :* Cernis nunc, quantùm operetur ad martyrium ſimplicitas & innocentia vitæ. Omnes quidem occiſi ſunt, ſed non omnes miraculis clareſcunt. Unde patet, quòd non pœna faciat martyrem, ſed cauſa. *In Ms. infrà edendo, cujus ætas ignoratur & auctor :* Dei martyr *etiam vocatur, &* beata Virgo *tribus locis, aliàs* beatiſſima virgo *&* ſacra virgo, *corpus quoque defuncta appellatur* ſacrum Virginis corpus, *&* ſanctus theſaurus. *De ſacello verò num.* 14 *ſic idem ſcriptor loquitur :* Et ſuper eam capellam gratioſam fabricaverunt, & fiunt uſque in hodiernum diem, meritis ejus exigentibus, diverſa miracula in eodem loco. *Hæc auctor Vitæ Ms., tempore quidem incerto, at haud dubiè pluſquam centum annis ante bullam Urbani. Dubitari igitur nequit de ſufficiente cultûs antiquitate. Neque etiam dubium apparet, quin cultus ille ſemper fuerit continuatus : vigebat enim tempore Cæſarii, ſeu ſeculo* XIII; *vigebat tempore auctoris Vitæ Ms., qui veriſimiliter floruit ſeculo* XIV *aut* XV; *vige-*
E *bat tempore Ruardi Tapperi circa annum* 1535, *uti ex tranſlatione corporis & mutatione ſacelli lignei in lapideum, abunde conſtat. Demum idem cultus viguit poſterioribus temporibus & etiamnum viget, ut clarum eſt ex antè relatis. Hæc in gratiam illorum, qui de cultu Beatæ dubitâſſe videntur, magis etiam explicabuntur poſt relata martyrologorum verba.*

§ II. Memoria Beatæ in Faſtis recentioribus : cur ab aliis Beata vocetur, ab aliis ſolùm Venerabilis ? Corpus aliæque reliquiæ.

Memoria ab aliis annuntiata cum titulo Venerabilis,

QUæ *de cultu* B. Margaretæ *expoſita ſunt, martyrologis recentioribus occaſionem præbuerunt inſerendi eamdem Martyrologiis aut Menologiis ſuis, titulo tamen diverſo. Molanus in Natalibus Sanctorum Belgii ad diem* 2 *Septembris longo eam celebrat elogio, cujus hoc eſt principium :* Claret etiam Lovanii memoria venerabilis Margaretulæ, quæ annò Domini milleſimo ducenteſimo vigeſimo quinto paſſa memoratur.
C *Non vocat* beatam, *ſed voce* paſſa *martyrem eſſe inſinuat, at infrà clariùs, dicens :* Dies martyrii ignoratur. *Eodem* venerabilis *titulo* Margaretam *Lovanienſem memorant Miræus in Faſtis Belgicis & Burgundicis, Willotus in Martyrologio Belgico, Rayſſius in Hierogazophylacio Belgico. Sauſſayus in Martyrologio Gallicano ad* 2 *Septembris* Margaretam *noſtram minori charactere annuntiat in hunc modum :* Apud Lovanium in Brabantia tam felici quàm improviſo agone migravit ad Chriſtum Margaretula virgo, Ciſtercienſis Ordinis candidata : quæ cùm itineri præcincta eſſet, ut ſacrum Religionis habitum aſſumeret apud Villarienſe cœnobium, ab impiis graſſatoribus (qui noctu in domum irruentes, ipſius parentes ejuſdem voti conſortes necaverant) trucidata, martyrii coronam percepit. Quieſcit Lovanii in ædicula lapidea, quæ templo adhæret ſancti Petri apoſtoli. *Corrigenda ſunt nonnulla in hoc elogio, quæ inferiùs diſcutiemus. Kalendarium Ordinis Ciſtercienſis Divione excu-*

ſum anno 1617 *breviter eodem die ſic habet :* AUCTORE Margaretula virgo mart. ad Villarium. J. S.

13 *Alii verò* Beatæ *titulo exornarunt* Margaretam *Lovanienſem. Chryſoſtomus Henriquez in Menologio Ciſtercienſi ad* 2 *Septembris hoc ei texuit elogium :* Lovanii paſſio beatæ Margaritæ, quæ cùm habitum Ciſtercienſem aſſumere decreviſſet, ſeque inter noſtri inſtituti virgines Deo offerre jam dudum cogitaſſet, immaniter trucidata martyrii palmam promeruit. Cujus ſanctitatem angelorum concentus, divinus ſplendor, & crebra ad ejus tumulum patrata miracula, comprobarunt. *Claudius Chalemot in Serie Sanctorum &c. Ordinis Ciſtercienſis ad eumdem diem* Margaretam *ſic annuntiat :* Lovanii in Belgio paſſio beatæ Margaritæ virginis & Ciſtercienſis Ordinis neophytæ inſignis. Cùm enim habitum Ordinis ſuſcipiendi propoſitum haberet, & in procinctu eſſet itineris, & * ad Villarium uſque Brabantiæ cœnobium hac de re pergeret, & à prædonibus hominibus per viam reperta, & ad peccatum ſollicita * eſſet, cùm ipſa totis viribus nefandæ eorum libidini reſiſteret, poſt vim perpeſſam immaniter eſt occiſa. Ejus autem corpus inE ſepultum poſt tam truculentam necem, & in aquas projectum, à piſcibus eſt præſervatum : Lovaniumque contra undarum naturalem fluxum deductum, miniſterio angelorum modulamine reſonantium, in ſacello ad hoc conſtructo decenti cum honore tumulatum eſt, continuis fulgens miraculis. *Multa rurſum hîc corrigenda aut magis diſcutienda, uti fiet infrà. Arturus à Monaſterio in Gynæceo eadem tradit de Beata cum Henriquezio mox laudato, licèt alios plures ſcriptores laudet in ſuis annotatis. Franciſcus Labier in Menologio SS. Virginum Gallicè ſcripto ad* 2 *Septembris* Margaritam *longiori elogio celebrat tamquam* beatam virginem & martyrem. *In fine autem aſſerit, eamdem coli eodem die* 2 *Septembris in eccleſia S. Petri, ibique facta fuiſſe & fieri plura miracula. Impreſſum eſt hujus ſcriptoris Opus anno* 1645.

ab aliis cum titulo Beatæ :

ut

* ſollicitata

14 *Porrò jam quæri poteſt, cur Molanus doctor Lovanienſis, qui ceteris omnibus recentioribus magis inſtructus fuiſſe videtur de cultu Beatæ, cur Miræus, aliique ſuprà memorati, cur demum ampliſſimus dominus decanus S. Petri num.* 5 *laudatus, aliique infrà laudandi non* beatam, *ſed* venerabilem *nominarint, ſi* beata *rectè vocari poteſt. Reſpondeo ita cautè locutos videri, quia* Margaretæ *Lovanienſi ſolùm congruit titulus Beatæ, quòd ab immemorabili tempore ante decretum Urbani VIII cultus ipſius in poſſeſſione fuerit, ac deinde permanſerit. Tales autem ſervi Dei vulgò quidem* beati *nominantur, quia tamquam Beati coluntur : attamen minus propriè hic illis datur titulus, quàm aliis, qui Romani Pontificis auctoritate expreſſa Beatis adſcripti ſunt, uti obſervavit Eminentiſſimus Lambertinus, (hodie Benedictus Papa XIV) in Opere de Servorum Dei beatificatione tom.* 2 *lib.* 2 *cap.* 14 *num.* 7, *ubi de quibuſdam Beatis propter cultum immemorabilem locutus, hæc ſubdit :* Quoniam pleraque ex allatis exemplis Beatos reſpiciunt tantummodo ſic vulgo nuncupatos, qui potiùs Servi Dei cum ſanctitatis fama defuncti, quàm jure Beati appellandi ſunt *&c. Itaque Molanus, cùm agnoſcat cultum, aliique cùm eumdem cultum habeant perſpectiſſimum, per vocem* venerabilis *idem videntur intelligere, quod alii intelligunt per vocem* beata *minùs ſtrictè ſumptam.*

quia ſolùm Beata *vocari poteſt ob cultum immemorabilem,*

F

15 *Neque hunc loquendi modum, licèt agno-*

AUCTORE J. S.

ſcat minùs proprium, improbavit Eminentiſſimus Lambertinus, ſed ipſe potiùs eodem ſemper uſus eſt. Et ſanè ſic meliùs diſtingui poſſunt Servi Dei, qui legitimè coluntur, ab aliis, qui venerabiles *quidem nominantur, nec tamen licitè eodem cultu honorari poſſunt, donec Beatis adſcripti ſint ab Eccleſia. Porrò ut titulus* Beati *cum cultu licitè continuetur, non opus eſt declaratione Sedis Apoſtolicæ, aut Ordinarii diœceſeos, uti rurſum probat Eminentiſſimus ſcriptor cap. 17 num. 7, de cultu immemorabili, dicens* ſuperiores & cuſtodes eccleſiarum non teneri inſtare coram ordinario, vel Sede Apoſtolica, pro declaratione cultûs immemorabilis, quando agitur tantùm de eodem minimè removendo, niſi fortè quid cultui opponatur, & ejus amotio prætendatur. *Mox verò cap. 18 ait:* Innumera porrò præſto eſſent exempla, quibus, quæ hucuſque dicta ſunt, confirmari poſſent: verùm nonnullâ tantùm indicaſſe ſat erit. *Deinde varios recenſet Servos Dei, qui permanent in poſſeſſione cultûs immemorabilis ſine beatificatione, aut declaratione Sedis Apoſtolicæ, aut etiam Ordinarii: omneſque ſine ſcrupulo* beatos *vocat.*

ſtuti innumeri alii Beati *vocantur, quorum cultus licitè continuatur,*

B

16 *Unum de prædictis exemplis huc lubet transferre.* In eccleſia Canonicorum Lateranenſium hujus ejuſdem civitatis Bononiæ . . . ſacellum extat dominorum de Bentivolis, extructum in honorem ſanctæ Cæciliæ, ubi ſepultum eſt corpus beatæ Helenæ ab Oleo virginis Bononienſis . . . Mortua autem eſt beata hæc Helena anno MDXX, die XXIII Septembris: à quo ſanè tempore uſque in præſens, ſcientibus & neutiquam repugnantibus Ordinariis, publicus eidem cultus exhibitus eſt: non ſolùm enim Beata paſſim eſt appellata, ejuſque imago cum radiis ac ſplendoribus depicta: verùm etiam die ejuſdem feſto capſa, in qua reconditum eſt ipſius corpus, aperitur, atque ad populi venerationem exponitur. Appenſa quoque ſemper fuerunt ad ejus ſepulcrum ſigna pro gratiis, ejus interceſſione à Deo collatis . . . Non recitatur quidem in ejus honorem Officium, nec Miſſa celebratur; ſed ab obitûs tempore uſque adhuc peractum eſt ac peragitur die ejuſdem anniverſaria feſtum cum peculiari apparatu, & prævia in ſignum celebritatis habendæ æris Campani pulſatione.

tuti oſtenditur exemplo ſimili,

C

17 Cauſa tamen beatificationis & canonizationis hujus Beatæ numquam introducta eſt; nec ullus umquam confectus fuit proceſſus ab Ordinariis ſuper ejus cultu immemorabili, ſeu annorum centum ante edita Urbani VIII decreta: tametſi, cùm de hujus antiquitate nulla unquam excitata fuerit controverſia, nec non epiſcopi pro tempore, ſicuti dictum eſt, ſciverint & approbaverint prædicti publici cultus exhibitionem, perſtat Beata hæcce in ejus poſſeſſione. *Unuſquiſque facilè videbit, ſimilem admodùm eſſe cultum* B. Margaretæ: *atque id anno 1699 agnoviſſe videtur illuſtriſſimus Mechlinienſium archiepiſcopus Humbertus Guilielmus: nam occaſione inſtauratæ devotionis erga Beatam conſuluit quidem Majores noſtros, an cultum illum poſſet permittere; ſed nec imaginem nec Vitam cum titulo Beatæ eodem anno impreſſam umquam prohibuit. Ceterùm hæc de legitima* B. Margaretæ *veneratione latiùs explicanda cenſui, quia vidi nonnullos de ea aliquando dubitaſſe. Nunc aliqua de beatæ Virginis reliquiis ſubjungemus, tamquam cum cultu maximè connexa.*

etſi nec beatificatio nec declaratio cultûs immemorabilis ſit facta.

18 *Corpus ſeu oſſa Beatæ etiamnum quieſcunt in ſacello antè memorato, atque in theca ab anteriori parte inaurata. In Vita Flandrica anno 1726 impreſſa de ejus oſſibus hæc leguntur pag. 14:* Caput aliaque oſſa etiam hoc tempore dura ſunt atque integra: imò dentes adhuc mandibulæ infixi candidiores ſunt dentibus pueri. Quin etiam hodie reliquiæ iſtæ bonum ſpirant odorem; accendunt recreantque corda omnium, qui piâ fiduciâ ipſius ſacra pignora inviſunt. *Cranium ac palatum ſeorſum exponi ad veneratiouem fidelium, jam dictum eſt num. 5. Anno 1721 pars quædam dictarum reliquiarum miſſa eſt Trajectum ad Moſam, donataque ampliſſimo domino Baroni de Rhoe, canonico & Cantori eccleſiæ collegiatæ S. Servatii, qui teſtatur ſe diuturno pectoris malo liberatum eſſe, poſtquam particulam illam pectori impoſuerat. Inſtrumenta horum omnium authentica* ex actis capitularibus eccleſiæ collegiatæ S. Petri Lovanienſis fol. 413 *nobiſcum perhumaniter communicavit laudata eccleſiæ decanus, ampliſſimus dominus Scheppers. Quapropter ea huc transfero, ut pateat cultum Beatæ noſtræ non coarctari intra urbem Lovanienſem. At notandum, primas litteras, nomine Eminentiſſimi Cardinalis, archiepiſcopi Mechlinienſis, datas eſſe à Vicariis generalibus, dum Eminentiſſimus Dominus Romam erat profectus ad electionem novi Pontificis.*

D

Corpus etiamnum in eodem ſacello ſervatum; cranium & palatum ſeorſum: pars Trajectum miſſa,

E

19 Thomas Philippus S. R. E. Presbyter Cardinalis de Alſatia de Bouſſu, Dei & Apoſtolicæ Sedis Gratia Archiepiſcopus Mechlinenſis, primas Belgii &c. &c. Tenore præſentium committimus admodùm reverendum & ampliſſimum dominum Hermannum Damen S. Th.D. & Profeſſ., inſignis eccleſiæ collegiatæ S. Petri Lovanii canonicum & decanum, ut cum duobus canonicis per ſe ad hoc aſſumendis ex oſſibus venerabilis Margaritæ Lovanienſis aliquam partem ſeparare & deſumere poſſit, eamque alicui capſulæ incluſam, & ſigillo ſuo obſignatam, tradere poſſit domino Cantori capituli S. Servatii Trajecti ad Moſam, conficiendo & concedendo deſuper litteras teſtimoniales ad id neceſſarias & requiſitas. Datum Mechliniæ die XII Novembris MDCCXXI erat ſignatum: P. F. Baert Præpoſ. Vicar. Generalis, L. J. A. de Viſcher Vicar. Generalis, C. P. Hoynck van Papendrecht Vicar. Generalis. Deinde eminentiſſimi ac reverendiſſimi domini Cardinalis archiepiſcopi ſigillum in cerâ rubrâ impreſſum, & inferiùs ſic: De mandato eminentiſſimi ac reverendiſſimi domini domini Cardinalis archiepiſcopi. Signatum, B. de Ruddere Secret. (L. S.)

ut patet ex litteris Ordinarii, facultatem ad earum ſegregationem concedentis,

F

20 Vigore ſupra ſcriptæ commiſſionis infraſcriptus decanus S. Petri Lovanii hac XXIII Novemb. MDCCXXI, in præſentia dominorum Franciſci Martinez & Franciſci T'ſantels, canonicorum S. Petri Lovanii, aperui monumentum, in quo recluduntur & ſervantur ſacra oſſa beatæ Margaretæ Lovanienſis, & ex illis deſumpſi partem aliquam huic capſulæ incluſam & ſigillo meo obſignatam, ac tradendam domino B. de Rhoe canonico & cantori S. Servatii Trajecti ad Moſam. In quorum fidem ac robur haſce propriâ manu ſignavi, proprioque ſigillo communivi, die, menſe, anno, quibus ſuprà; eratque ſignatum Hermannus Damen S. Theolog. Doctor & profeſſor, inſignis eccleſiæ collegiatæ S. Petri Lovanii decanus. Deinde ejus ſigillum in cera rubra impreſſum. (L. S.)

decani S. Petri Lovanienſis, eas ſegregantis,

21 Infraſcriptus declaro me examinandam & aperiendam legaliter recepiſſe ex manibus præ-nobilis ac reverendi admodum domini baronis de Rhoe majoris eccleſiæ Trajecti ad Moſam canoni-

decani S. Servatii Trajectenſis, eaſdem examinantis,

ci

A ci & cantoris &c. rotundam è pinu pixidulam, eamque reperiſſe intactam & circùm obſignatam quadruplici impreſſione ſigilli reverendi ac ampliſſimi domini decani Lovanienſis; cúmque illam præſente præfato domino cantore aperuiſſem, declaro inſuper me in ipsâ reperiſſe inſignem partem ſpinæ dorſi, ſive vertebram integram ſimul cum hoc autentico inſtrumento. In quorum fidem declarationem hanc ſubſcribens manu propriâ, & ſigillo meo muniens, dabam Trajecti ad Moſam, quarto Idus Januarii anni MDCCXXII. Erat ſignatum, H. F. Bonhomme majoris eccleſiæ ad ſanctum Servatium canonicus & decanus, & ſanctæ Sedis protonotarius. Deinde ejus ſigillum in cera rubra impreſſum. (L. S.)

ac Cantoris ejuſdem eccleſiæ, qui ſe uſu illarum adjutum teſtatur.

22 Infraſcriptus atteſtor ſuprafatum ſacrum os venerabilis Margaritæ Lovanienſis eſſe incluſum capſulæ argenteæ, confectæ per modum remonſtrantiæ, illudque ſingulis diebus Dominicis & feſtivis exponi ſummo cum honore: inſuper declaro me convaluiſſe de longo & magno pectoris dolore per ſolam iſtius ſacri oſſis ſupra pectus poſitionem: quod medicina magnâ in copiâ & longo temporis intervallo adhibita non in minimum efficere potuit. Quapropter in gratiarum actionem hujus & aliorum beneficiorum propoſui erigere in honorem venerabilis Margaritæ Lovanienſis fundationem piam in loco congruo. In quorum fidem haſce propriâ manu ſignavi, ſigilloque meo munivi. Datum hac XXI Julii MDCCXXV. Erat ſignatum J. F. Baro de Rhoe canonicus & cantor liberæ ac imperialis eccleſiæ S. Servatii Trajectenſis ad Moſam: &c. Concordantiam atteſtor H. Barrè ſecret. Capli. præfati & notarius Apoſtolicus MDCCXLV.

B

§ III Beneficia recentiora ex Vita Belgica Latinè reddita.

Beneficia generatim perſtricta,

C *Vita Belgica anno 1699 Lovanii edita ſolùm generatim loquitur de beneficiis, quæ patrocinio* B. Margaretæ *attribuuntur. Verùm in eadem Vita, anno 1703 recuſa & aucta, ſingillatim narrantur non pauca, quæ Pinius noſter Latina reddidit, dum cogitabat hæc Acta illuſtrare, quod morbo ſuperveniente exſequi non potuit. Accipe igitur, lector, quæ primò generatim narrantur in laudata Vita pag.* 18 *& ſequentibus:* Dolendum eſt valde, mirabilia multa, miracula, ſanitates, animæque & corporis dona, meritis beatæ noſtræ Virginis & martyris obtenta, in tenebris manſiſſe ex negligentia, incendio, malevolentia & aliis modis. Ex variis quippe tractibus ac regionibus, etiam ex Italia, intelligitur, multas perſonas, ipſa patrocinante, magna dona obtinuiſſe, immò verò quidquid rogant accipere, ſicut nuper etiamnum declaratum eſt à teſtibus fide dignis, qui poſt reliquias parùm mundatas ad id incitati ſunt. Et patet, nonnullos, fruſtulo dumtaxat chartæ, in qua requieverant reliquiæ, malis ſuis magicis applicato, ſtatim ſe habuiſſe meliùs, & ſubitò incedere potuiſſe: quin immò imponentes quidquam ex eadem charta capiti ſuo, repentè liberati ſunt ſpiritu vexante, qui impedimento illis erat, ne poſſent orare. Alii ſtatim ſanati ſunt à morbis caducis, multique à variis malis affectionibus: ita ut expediat requiri illuſtriſſimum archiepiſcopum Mechlinienſem, ut committat ſuo decano Chriſtianitatis vel aliis legitimum examen mirabilium & gratiarum,

meritis beatæ Margaretæ Lovanienſis obtentarum. *Hæc ibi generatim de collatis ab ipſa cæleſtibus favoribus.* AUCTORE J. S.

dolor lateris cum malo digitorum pedum,

24 *Ibidem à pag.* 22 *ſingillatim de his narrantur iſta:* Clemens Baelmans baccalaureus in jure, ætatis annorum ſexaginta ſeptem, poſtquam annis circitèr quinque laboraſſet notabili & penè continuâ punctione in latere dextro, quæ (præter alia corporis mala, quibus conflictabatur, ut inter alia, quòd ambo majores digiti pedum ejus eſſent luxati à pluribus etiam annis: neque malo, quibuſdam ad hoc adhibitis remediis, liberari potuit) illum tandem adegit ad uſum baculi à Septembri proximè elapſo, ut aliquantulùm faciliùs incederet. Jam verò dum multa narrari audiret de mirabilibus, quæ Deus per interceſſionem beatæ Margaretæ patrabat, ad illam confugere ſtatuit. Poſtquam itaque eo animo ſurrexiſſet manè die 1 Julii anno MDCXCIX, adeo præter morem afflictum ſe ſenſit prædicto lateris malo ac dolore pedum, ut difficultate longè maxima ſe contulerit ad ejus ſacellum, etiamſi baculo ſuo uteretur.

E patrocinio B. Margaretæ abactus,

25 Quo tandem dum veniſſet, mulieri, cui commiſſa erat ejuſdem ſacelli cura, porrigit duo folia chartæ, ut iis beatæ Margaretæ reliquias tangere curaret. Recipit ille, & ùni è ſaccis ſuæ veſtis imponit, intendens ea applicare lateri ſuo dextro. Deinde orationem Dominicam & Salutationem angelicam ter recitabat in honorem prædictæ beatæ Margaretæ. Ecce autem rem mirabilem! Vix preces haſce finierat, cùm adeo liberatum ſe comperit tam cruciatu lateris, quàm dolore pedum, ut ſine uſu baculi ſui, & ſine minima difficultate domum redierit, &, quod maximè eſt mirandum, ut poſtridie manè ſurgens compererit, ambos ſuos digitos majores pedum, qui multos annos loco moti fuerant, rigidique ac immobiles, movere ſe cœpiſſe, juncturaſque ante novemdialis pietatis, quam aſſumpſerat, finem, ultro rediiſſe in locum ſuum abſque minimo dolore vel cruciatu, & ſic permanſiſſe, ſicut Deponens hodie XIII Auguſti MDCCI etiam faſſus eſt. Præterea, uti doloribus colicis valde ſubjectus eſt, ſæpenumero manu, quâ hanc teſtificationem ſcripſit, applicatâ loco, ubi cruciabatur, aliquoties ſtatim, ac ſæpè paulò pòſt liberatum ſe fuiſſe.

gratiæque de beneficio publicè actæ: F.

26 In quorum beneficiorum agnitionem, quæ habet pro miraculis, baculum ſuum reliquit in ſacello præfato ad memoriam: nec non 2 Septembris MDCXCIX, die commemorationis martyrii prædictæ beatæ Margaretæ, cantari juſſit Miſſam ſolennem cum muſica per reverendum admodum dominum Oſwaldum F. Crabeels, collegii Sabaudici præſidem, & tunc Rectorem Magnificum academiæ Lovanienſis, eximiis dominis Petro Marcelis & Hermanno Damen, ſacræ theologiæ doctoribus ipſi aſſiſtentibus, & R. A. D. Nicolao Pauwels, ſacræ theologiæ licentiato, & plebano S. Petri &c. *Non minùs mira & ſingularis eſt ſanatio mulieris claudæ ac imbecillis, quæ ad hanc Beatam confugiens priſtinam ſanitatem impetravit.*

mulier ex partu claudа & imbecillis,

27 *Res in memorata Vita Lovanienſi narratur in hunc modum.* Die XXII Februarii MDCXCIX uxor Michaëlis Donckers, nomine Margareta Tillemans, Lovanii nata, uterum ferens peperit. Huic cùm eſſet res curta domi, ſeptem à partu diebus ad xenodochium delata fuit, ut meliùs ſibi de refocillatione ac ſanatione ibidem proſpectum eſſet. Ex puerperio retinuit imbecillitatem vel languorem in ambabus tibiis; ſperanſque

AUCTORE J. S.

futurum, ut medicis & chirurgicis remediis ac medicaminibus paulatim convaleſceret, nihilominus clauda & imbecillis omnino remanſit; ita ut, dum nulla ſanitatis ſpes affulgeret, Margareta prædicta, dum in xenodochio fuiſſet tres menſes integros, exceptis diebus tribus, domum ſit deducta, ubi tres inſuper menſes ac dies quatuordecim eadem imbecillitate laboravit. Interea temporis, ſicut fatetur, & patet ex eo, quod ſæpe dixit, quando etiamnum degebat in xenodochio, ſingulari pietatis affectu ſe ferri erga beatam virginem Margaretam Lovanienſem, in ejuſque ope magnam ſe habere fiduciam; prædicta Margareta firmiter propoſuit ac promiſit, ſe diebus novem continuis quotidie recitaturam trigeſies ter orationem Dominicam, & totidem Salutationes angelicas in honorem vitæ annorum triginta trium, quibus Chriſtus vixit, ut beatæ Virginis auxilio ac patrocinio adjuvari poſſet, ſiquidem ſibi hoc conduceret ad ſalutem, ſemper ſibi perſuadens, & divino quaſi inſtinctu impulſa, ſe ab imbecillitate ſua per Dei gratiam certò ſanatum iri,

B

dummodò poſſet ad ſacellulum adrepere, in quo venerabiles prædictæ beatæ Virginis reliquiæ quieſcunt, eaſdemque ibidem honorare poſſet.

invocatâ ante ſacellum Beatâ, ſubitò ſanatur:

28 Et, ecce, ſpes eam ſua non fruſtravit: vix enim votum ſuum ediderat, quin zelus ejus ac pietas magis ſemper ac magis accreſceret, nihil aliud conantis, quàm ut ea ſibi felicitas obtingeret, quâ venerabiles reliquias poſſet inviſere, precibuſque ſuis honorare. Jam diebus ſex promiſſas à ſe preces quotidie perſolverat, quando prædicta Margareta die IX Februarii MDCC cum ſuo nepote, qui debebat illam ducere, veſperi firmo cum propoſito ad ſacellulum ſe contulit, ut ibidem, ſicut deſiderabat, preces ſuas funderet: & quanto ad locum appropinquabat magis, tanto ſe habebat deteriùs, immò penitus deficiens magna cum difficultate ad ſacellum pervenit, prout teſtatur ejus ductor, qui rei geſtæ teſtimonium perhibet. Memorata Margareta, dum jam ante ſacellulum eſſet, extra illud in ſcamno, precantibus ibi poſito, magis ad ſe rediit, & dum inſtitueret preces ſuas, magnam ſentit perturbationem in corpore ſuo. Paullo pòſt meliùs habens, ſurrexit, baculum ſuum dans ductori. Quin facilè ſe erexit ſine auxilio, & ſine baculo vel ductore, cum gaudio & lætitia Deum laudans, domum rediit; &, quemadmodum omnibus eſt perſpicuum, vires ſuas naturales ſubitò recuperavit, ita ut Deum omnipotentem laudare debeat & orare, qui adeo eſt mirabilis in Sanctis ſuis, ut gratia ac miſericordia, quas obtinuit, non abutatur, ſed ita fruatur iiſdem in hoc mundo, ut ipſi conducere poſſint ad honorem & gloriam in cælis &c.

C

uti confirmatur teſtimonio illius, qui in rei adjuncta inquiſivit:

29 *His ſubditur ſequens teſtimonium:* Ego infraſcriptus, qui hæc exaravi, omnia accuratè inquiſivi tam ex femina, quæ clauda & imbecillis fuit, quàm ex juvene, qui eam uſque ad ſacellulum perduxit, & comperio vera fuiſſe cum omnibus ſuis adjunctis, ſicut ſuperiùs narrata ſunt: & ego ex mea etiam parte teſtor, mulierem apprimè admodùm mihi notam eſſe, meque ei eſſe à ſacris confeſſionibus; nec non vicibus variis mihi dixiſſe, quòd ſingularem haberet fiduciam in auxilio & interceſſione beatæ virginis Margaretæ: cujus precibus & auxilio, uti confidimus, ſanitatem ſuam ſubitò impetravit: quod accidit inter horam quintam & ſextam veſpertinam die nona Februarii MDCC. Lamb. Schepers vice-paſtor in xenodochio Lovanii. Hoc eſt ✠ ſignum Margaretæ Tillemans. Joannes van Doornen juvenis. *Hiſce alia mox ſubduntur in hunc modum.*

D

ſurdus aſſiſtens Miſſæ in honorem Beatæ, auditum paulatim recipit:

30 Hodie XXII Junii MDCXCIX comparuit Joannes vander Veren, natus Lovanii, ætatis annorum circitèr quadraginta quinque, uxorem habens Catharinam Perſoons, qui declarat & teſtatur, verum eſſe, quòd videlicet ab hebdomadibus ſex, dum è pædagogio Caſtri, ubi operis aliquid fecerat, veniſſet uſque ad popinam, vulgò den Gulden kop, ſubitò eum invaſit gravedo capitis, magna eam comitante intemperie, quâ ſurdus omnino factus eſt inſtar lapidis. Malo adhibuit remedia à medicis præſcripta; at nihil ex iis adjumenti expertus, remedia illa reliquit, & ſic in eadem ſurditate permanſit tribus circitèr hebdomadibus; donec filia domicellæ viduæ Leunckens ſuaſit uxori ejus, ut confugeret ad beatam Margaretam Lovanienſem. Ille verò dum nihil quidquam audire poſſet, uxor ejus ſignis ipſi indicavit, ut ad beatam Margaretam Lovanienſem confugeret; idque factum eſt die Jovis: & quoniam, etiamſi ſurdus eſſet, loqui poterat, uxori ſuæ dixit, ſe poſtridie, qui erat dies Veneris, inchoaturum novenam ſuam in honorem prædictæ beatæ Margaretæ, totoque die Veneris jejunavit, ſolo pane & aqua contentus, ac novenam incepit. Die autem Dominico, novenæ ſuæ tertio, ſe contulit ad eccleſiam S. Petri, ut ſacro Miſſæ ſacrificio aſſiſteret in honorem beatæ Margaretæ. Tempore autem Sacri cœpit audire cantum chori, & ſic paulatim clariùs audivit, dieque ſeptimo ſanatus fuit, ac auditum prorſus integrum recuperavit, & talem huc uſque, qualem antea habuerat, paratum ſe offerens ad hanc teſtificationem jurejurando confirmandam, eamque chirographo ſuo ſubnotavit. Hoc eſt ✠ chirographum Joannis vander Veren. Coram nobis. P. Marcelis S. T. D., Cornelius Cleynaerts.

E

voto nuncupato & perſoluto, gena mulieris ſanatum:

31 Maria Pedringo, Lovanii nata, aliquot abhinc annis ingenu ſuum lapſa eſt: hoc dum negligeret, malum illud ingraveſcebat adeo, ut genu intumeſceret inſtar capitis pueri. Quamobrem cogebatur uti medicis, ac chirurgorum manibus ſe committere, ſed ſine fructu. Menſe itaque Auguſto anni MDCXCIX ad beatam noſtram Margaretam perfugium habet, edito voto viſitandi ſacellum ejus per novem dies. Votum perſolvit, & nono die ſanatam omnino ſe comperit.

F

puellula novemdialibus precibus ſanata:

32 Antonius Franciſcus de Pratel, linguæ Burgundicæ profeſſor in academia Lovanienſi, puellulam habet annorum duorum cum dimidio, nomine Mariam Henricam. Puella iſta pedibus conſiſtere vix poterat propter debilitatem, quam periti admodùm medici judicârant immedicabilem. Parentes ſpe pleni meritorum beatæ Margaretæ, eamdem puellam per dies novem ad ſacellum portari juſſerunt per mulierem, cui nomen Franciſca Gautier, ut novendialem ibidem pietatem perageret nomine puellæ, quam apud ſe habebat. Vix hoc pium exercitium erat inchoatum, quin obſervaretur, rectiùs puellam habere eo uſque, ut novem dierum iſtorum tempore ad perfectam valetudinem pervenerit, in qua perſeverat ad præſentem diem robuſta & valida.

virgo in ſacello præſente febri liberata,

33 Adriana vander Motten, virgo Deo devota, annorum viginti novem, teſtatur, preſſam ſe fuiſſe quinies aut ſexies febri quotidiana, cujus quotidie duplicem patiebatur paroxyſmum. Hæc confugiens ad patrocinium beatæ Margaretæ, die ultimâ Aprilis MDCXCIX, uti teſtari pergit, ingrediebatur ſacellum, præſenti febre laboro-

A borans; peractisque ibidem precibus suis, subitò sanata fuit à febri, deinde non redeunte, subitam hanc sanationem beatæ hujus Virginis intercessioni adscribens.

alia mulier malo oculi,

34 Humores quidam tam vehementer inciderunt in oculum alterutrum Mariæ Staes, ut in animum induceret se illo privatum iri. In hoc periculo ad nostram beatam Margaretam confugit plena spe: cujus patrocinio à Deo obtinebat sanitatem integram, non adhibitis ullis remediis.

puer febri continua & periculosa,

35 Eduardus Essinck notarius declarat, filium suum Gregorium Josephum Eduardum in hebdomada sancta anni MDCXCIX correptum fuisse febri vehemente continua, quæ medicorum judicio erat valde periculosa, quia magis magisque in dies ingravescebat. Uxor ejus & ipse, qui ex periculoso filii sui morbo non mediocrem capiebant dolorem, ad beatam Margaretam recurrerunt: Sacrum vovebant dicendum in ejus honorem, & sine mora ancillam suam miserunt ad sacellum ejus, ad donarium aliquod ibidem offerendum, & ad accendendam candelam: ancilla hæc lacrymis ubertim perfusa, exsequebatur mandata sua, & domum revertebatur, timens ne infans moreretur: sed longè aliter res accidit: nam vix accensa erat candela, quin puer integra esset valetudine, petens bacillum, quo ludebat in lecto suo, nullo febris apparente vestigio: à qua convaluit omnino ex isto temporis articulo.

B

mulier gravi capitis dolore:

36 Maria de Clerck Lovaniensis affligi solebat gravi admodùm capitis dolore. Ignara autem, quo remedio depellere hoc malum posset, decernit, ut admoveatur charta aliqua reliquiis beatæ Margaretæ, quâ tegeret caput suum. Vix illud peregerat, quin à malo suo consecuta fuerit sanitatem integram, piæ suæ fiduciæ meritam.

Beggina à maligno spiritu ab oratione impedita,

37 Quædam bonæ vitæ Beggina Lovaniensis, ætatis circitèr annorum quinquaginta, in patrocinio beatæ Margaretæ Lovaniensis mense Novembri MDCXCVIII spem suam figebat, confidens fore ut à malis suis sospitaretur per merita hujus beatæ Virginis ac martyris. Jam ab annis viginti quinque ita fuerat gravata tam secundùm corpus quàm secundum animam, ut toto illo tempore ne vel unicam quidem Salutationem angelicam recitare posset, nec litanias, nec ullas alias preces, etiamsi quamlibet sibi inferret vim ad orandum, atque ad superandas tentationes maligni spiritus, sicut apprimè norunt confessarii ejus, multæque aliæ personæ piæ.

C

Beatæ patrocinio gratiam orationis impetrat:

38 Verùm à primo die, quo invocabat Beatæ nostræ intercessionem, obtinebat gratiam orationis, quam malignus spiritus non potuit hactenus impedire. Semper illa fert secum partem aliquam chartæ, quæ beatæ Margaretæ corpus attigit. Laborabat insuper malo quodam tibiæ, sibi adeo noxio, ut non posset incedere. Simul atque aliquid ex dicta charta applicabat tibiæ, incedebat absque difficultate; dum verò illud imponebat vulneri, è quo multi effluebant humores, siccabatur vulnus. In pervigilio Natalis Domini anno MDCXCIX invisebat sacellum ejus, Deoque agebat gratias de multis favoribus, beata Virgine ac martyre intercedente impetratis, eam orans, ut suam protectionem continuaret: die festo Natalis Domini obtinuit favorem tam intimè meditandi magnum Nativitatis Domini mysterium, ut piis lacrymis tota liquesceret. Hanc orationis gratiam adscribit, sicut aliorum etiam malorum suorum sanationem, potenti intercessioni nostræ beatæ Margaretæ: cujus protectionem sensit eodem instanti, quo apud se gestavit partem chartæ, quæ attigerat ejus reliquias.

AUCTORE J. S.

mulier calculo periculoso subitò liberata,

39 Maria Hullet ex Waver, ætatis annorum sexaginta unius, anno MDCC, dum esset in periculo mortis ex magnis & continuis calculi cruciatibus, medicique ac chirurgi essent moniti ad calculum exsecandum, id quod in personis ætate provectis non fit sine magno periculo; nostræ beatæ Margaretæ subsidium imploravit: nôrat etenim, multos Waverenses convaluisse, etiam subitò, quando in clientelam beatæ Margaretæ Lovaniensis se contulerant. Magna cum fiducia ejusdem subsidium adoptavit, ac feminam misit Lovanium, ut ipsius sacellum inviseret, jussitque ut in honorem beatæ Margaretæ femina ista communicaret Corpori Domini: eodemque tempore, quo illa femina sumebat sanctissimam Eucharistiam Lovanii, Maria Hullet liberata fuit Waveræ doloribus calculi, magnumque sinè dolore calculum emisit instar parvi ovi gallinacei, qui in præsentia spectandus remanet in sacello: ita ut chirurgi ac medici mirentur, quomodo tam magnus ac durus lapis, manens integer, emitti potuerit absque dolore: quod supra naturam hoc modo repentè factum est.

E

alia expedito gressu donata:

40 Hac die XII Junii coram infrascriptis testibus declaravit Joanna Mattyn, nata in Hamme, annos habens circiter triginta quatuor, deponens & testificans, se annis viginti duobus à puerili ætate fulcris duobus subalaribus nixam incessisse, sicut cuilibet notum est; seque post multiplices peregrinationes pias aliis in locis liberatam non fuisse: donec tandem religiosum affectum suum direxit ad Margaretam Lovaniensem in sacello ejus, in quo novem diebus continuis pietatem suam exercuit, recitans ibidem in honorem ipsius novies orationem Dominicam & Salutationem angelicam: quo novendialis suæ pietatis vel novenæ tempore in dies meliùs ac magis commodè incedere se potuisse declarat: atque hisce diebus novem pietatis peractis, omnino sanata est, & perfecto gressu donata sine fulcris, prout graditur hactenus. Hæc omnia declaravit & testificata est vera esse. Ita actum & testatum (paratam se offert ad hæc confirmanda juramento) die XII Junii MDCCIV, & hæc subnotavit. Signum ✠ Joannæ Mattyn. Ita est. Petrus Marcelis S. T. D. coram nobis. Cornelius Gleynaerts. Franc. Helewys.

F

multi alii, uti & puella agonizans sanata.

41 Multæ aliæ personæ, gravibus multis incommodis laborantes, doloribus lateris & capitis, beatæ nostræ Margaretæ Lovaniensi jusserunt offerri cor vivum, & statim meliùs habuerunt. Immò, quotquot beatæ Margaretæ nostræ opem implorarunt tam ecclesiastici quàm seculares, etiam personæ non vulgaris notæ, in quibuslibet malis non tantùm corporis, sed etiam animæ, ac decreverunt sacellum ejus invisere, & præsertim novendiale pietatis exercitium per se vel per alium exercere, invenerunt solatium & sanitatem, vel ipsi quoque agonizantes, qui sacrum cereum in manu habebant: sicuti puella Lovaniensis, quæ ita decumbebat cum cereo, dicebat: Domine, video, non vis me sanare; ad beatam Margaretam Lovaniensem confugio: & promittebat offerendum puerulum argenteum, ut Beatæ meritis sanaretur à Jesu Christo: quod statim etiam factum est, & nunc bene valet.

alia quoque impetrata beneficia, & relapsi incredulis.

42 Illæ etiam, quæ non habebant unde vivèrent, fusis precibus nostræ B. Margaretæ, ut maritus officio aliquo donaretur, quo victum lucrari posset, intra dies paucos adjutæ sunt. Cen-

AUCTORE J. S.

tenas novimus perſonas, quæ hîc valetudinem recuperarunt. Sed obſervandum eſt, nonnullas ſic adjutas, ut poſtea malorum inſtigatione opem non attribuentes beatæ Margaretæ noſtræ, relapſæ ſint. Quin immò febris, à qua meliùs habebant, mox redibat, & ſtatim moriebantur: ſicut dolores alii & incommoda ad ingratos hujuſmodi homines. *Hactenus Vita Belgica, in qua etiam referuntur antiqua mirabilia; ſed cùm ea ex Cæſario, Molano, aliiſque deſumpta ſint, fontes adibimus, & in annotatis ad Acta examinabimus ſingula.*

§ IV. Quæ & qualia ſint Acta inferiùs danda: inquiritur tempus, quo Beata vixit, aliaque ad geſta ipſius ſpectantia diſcutiuntur.

B *Acta ſcripta à Cæſario contemporaneo.*

ACta B. Margaretæ *breviter conſcripta fuit à Cæſario, Heiſterbacenſi prope Bonnam monacho Ordinis Ciſtercienſis, in Dialogis, quorum libros duodecim exaravit, editos ſub titulo* Illuſtrium miraculorum & hiſtoriarum memorabilium. *Hubuit ille ſcriptor adjumenta omnia, quæ neceſſaria erant ad hiſtoriam hanc exactè enarrandam. Quippe vixit eo tempore, quo res contigit, & quidem, ſi credimus Angelo Manrique mox laudando, prior tunc erat Villarienſis monaſterii, quod Lovanio non diſtat, niſi ſex circitèr milliaribus Belgicis. Dubitari quoque non poteſt, quin Villarienſes monachi diligenter in factum iſtud inquiſiverint, cùm hoſpes* B. Margaretæ, *monaſticam vitam Villarii amplecti ſtatuiſſet. Non tamen Villarii Dialogos ſuos exaravit Cæſarius, ſed in monaſterio Heiſterbacenſi, ad quod, relicto priorato Villarienſi, regreſſus eſt anno* 1210, *uti opinatur Manricus in Annalibus Ciſtercienſibus ad eumdem annum cap.* 8 *num.* 1. *Idem ſcriptor ad annum* 1221 *cap.* 5 *num.* 1 *probat, Dialogos à Cæſario ſcriptos eſſe anno* 1221, *quo vult inchoatos; & anno* 1222, *quo abſolutos affirmat. Utroque illo anno Cæſarium ſcripſiſſe, ex propriis ipſius verbis tam clarè evincitur, ut non videatur ullum ſupereſſe dubium. Itaque alterutro anno exarata ſunt Acta* B. Margaretæ, *cùm legantur in medio Opere, nimirum lib.* 6 *cap.* 34.

C

44 *Porrò quod ſpectat ad fidem hiſce Actis adhibendam, non eadem forſan omnium erit ſententia, niſi diligens fiat diſtinctio inter varia ab eodem auctore narrata. Quippe fuit Cæſarius vir pius & doctus quidem; ſed pro tempore, quo vivebat, ſimplex & credulus: atque ex eo fit, ut Dialogi ipſius non careant narratiunculis quibuſdam, quæ pro fabulis leguntur hoc tempore. Verùm non rectè judicabimus, ſi idem planè de omnibus feramus judicium, quia multa narravit, quæ à veriſimilitudine non ſunt aliena, quæque exactè noſſe potuit, quòd iis & loco & tempore eſſet vicinus. Itaque, cum ſuſpicio mendacii non cadat in Cæſarium, virum utique pium & ſincerum; cúmque in rebus tam vicinis, quàm eidem erant pertinentia ad* Margaretam, *nullum ferè ſit errandi periculum, fidem in hiſce negare non poſſumus Cæſario, ejuſque auctoritas omnibus aliis, qui ſeriùs ſcripſerunt, hîc videtur præferenda. Qua de cauſa elogium Beatæ noſtræ, quod ipſe concinnavit, primo loco edam; uti poſteriorum ſcriptorum narrationibus præferendum.* *viro pio & ſincero, cui in hiſce fidem habere oportet:*

D

45 *Sequetur deinde Vita paulo prolixior, nobis olim communicata ex ſecunda parte Hagiologii Brabantinorum, manuſcripti in Rubea Valle. Hujus Vitæ auctor ignotus mihi eſt; at clarum eſt, eum hauſiſſe ex Cæſario potiorem Vitæ partem, uti ipſe ait in præfatione, addens ſe* pauca *inſerere*, quæ ſive per ſcripta ſive per verba publicavit opinio vulgata. *De tempore, quo ſcripſit, nullibi ſatis clarè loquitur. Attamen num.* 13 *inſinuat, ſe ſaltem centum annis poſt necem Beatæ ſcripſiſſe, ita ut veriſimile ſit Vitam hanc concinnatam eſſe ſeculo* XIV *aut* XV: *initio enim ait, ſe ſcripturum paſſionem* Margaretæ in civitate Lovanienſi... nuper degentis. *Nam, etſi nuper hîc pro longiori tempore ſumatur, uti aliquando ſit, veriſimile tamen non eſt, protrahi ad tria ſecula, præſertim cùm nihil reperiatur in Vita, quo probari poſſit, ſcriptorem ſeculo* XIV *poſteriorem eſſe. Suſpicor hanc vitam præluxiſſe Molano, qui eidem paſſim conſonat, niſi uterque ex eodem fonte hauſerit, videlicet ex ſcripturis & picturis ſacelli: nam haſce citat Molanus. Picturæ illæ, quæ etiamnum ſervantur Lovanii, revera admodùm antiquæ creduntur, atque exhibent omnia ferè, quæ cùm hic anonymus, tum Molanus narraverunt. Reliquos ſcriptores, qui breviter de* B. Margareta *egerunt, nominabo per decurſum, ubi id expedire videbitur ad elucidanda dubia, ad quorum diſcuſſionem nunc progredior.* *Vita alia Ms. ſeriùs exarata.*

E

46 *Dubium primum eſt de tempore, quo occiſa eſt Beata noſtra. De eo Molanus ſic habet:* Quæ anno Domini milleſimo ducenteſimo vigeſimo quinto paſſa memoratur. *Hæc opinio ita placuit Lovanienſibus, ut recentiores Vitæ Belgicæ ſcriptores eam aſſeruerint tamquam certam, atque idcirco Lovanienſis civitas quingenteſimum mortis annum celebraverit anno* 1725. *Attamen non modò certus, non eſt hic annus emeritalis, ſed etiam longè à vero abeſſe videtur. Longè ſaltem ab eo recedit Manricus in Annalibus Ciſtercienſibus ad annum* 1203 *cap.* 6 *num.* 1, *ubi ſic habet:* Hoc idem tempus concernere videtur virginis Margaritæ martyrium paſſione: nam martyrium nec nego, nec affirmabo. *Ex Cæſario, opinor, illum circitèr annum collegit Manricus. Vita ſecundo loco edenda num.* 4 *habet, rem accidiſſe* circa annos Domini mille ducentos. *Demum Cæſarius cap.* 33, *aliud factum referens, dixerat* ante annos paucos: *& cap.* 34 *ait,* circa eadem tempora. *Paſſa eſt Beata non anno* 1225,

F

47 *Aſſerit igitur Cæſarius, mortem* B. Margaretæ *illatam eſſe paucis annis, antequam Dialogorum partem illam ſcriberet: illam autem ſcriptam eſſe anno* 1221 *vel* 1222, *jam obſervavi. Ex hiſce neceſſariò conſequitur, mortem Beatæ differri non poſſe uſque ad annum* 1225: *at non aquè intelligitur, in quem præcisè annum mors inciderit. Nam per* annos paucos, *quot annos deſignet Cæſarius, non poteſt determinari. Hac de cauſa mortem Beatæ fixi ſub initium ſeculi* XIII, *quod ſaltem extendi poteſt uſque ad annum* 1210 *aut etiam* 1212. *Diem emortualem nullibi apud antiquos aſſignatum reperio. Nihilo magis eum invenire potuit Molanus, qui de hac re ita ſcripſit:* Dies martyrii ignoratur, ad quem tamen inveniendum nomen Amandi hoſpitis ſui quæſivi, ſed non inveni, inter obitus eccleſiæ Lovanienſis & monaſterii Villarienſis, quod ab eo ſe bona habere agnoſcit. *In Vitis tamen Belgicis* *ſed ſub initium ſeculi* XIII; *dies quoque non omnino certus.*

A *gicis nuper impreſſis dicitur paſſa die 2 Septembris : at ignoro , & multùm dubito , an ſatis firmum habeant fundamentum.*

Ejus nomen, cognomen, patria, conditio :

48 *Nomen hujus Virginis* Margareta *aut* Margarita. *Lovanienſes vernaculè paſſim utuntur voce diminutiva , adjectoque cognomine nominant* Fiere Margaritkè *: quod nomen in Vita ſecunda num.* 3 *exponitur Latinè* Inclyta Margaretula. *Cognomen iſtud* Fiere *haud dubiè ortum eſt ob caſtitatem libere defenſam , adjectumque ad laudem* Margaretæ *: nam laudatus biographus ibidem id teſtatur his verbis :* Peculiari nomine meruit INCLYTA MARGARETULA *nuncupari. Vox quidem Gallica* fier , *Belgis in eadem quoque ſignificatione uſitata , hodie plerumque faſtum , ſuperbiam aut arrogantiam deſignat. Verùm aliquando etiam ſumitur in bonam partem pro indole nobili & propenſa ad virtutem : atque ita maximè ſumi poteſt & debet , quando dicitur de puella , quæ nihil prorſus pati ſuſtinet caſtitati contrarium. Patria Beatæ creditur Lovanium : quod , etſi antiquo non firmetur teſtimonio , admodum tamen veriſimile eſt , cùm ibidem habitaret apud conſanguineum ſuum Amandum.* Domus *Amandi* , quam *etiam* inhabitabat *Beata* , dicebatur HOSPITIUM SANCTI GEORGII , in qua cubiculum parvum ab ea nomen retinet , *inquit Molanus. Sita eſt hæc domus in platea , vulgo dicta* de Holſtraet. *Parentes* Margaretæ *nuſquam nominantur , & forſan defuncti erant , quando apud Amandum conſanguineum habitare cœpit Puella. Hinc non conſequitur ex habitatione illa* Margaretam *infimæ fuiſſe conditionis : nam ancilla fuiſſe non dicitur , ſed* loco ancillæ *miniſtraſſe conſanguineo ſuo , quemadmodum feciſſet propria Amandi filia , ſi filiam illius ætatis habuiſſet.*

volunt aliqui eam fuiſſe candidatam Ordinis Ciſtercienſis.

49 *Ciſtercienſes ſcriptores* Margaretam *attribuunt Ordini ſuo , quia credunt eamdem cum Amando ejuſque conjuge proficiſci voluiſſe Villarium , ut Ordinem Ciſtercienſem ingrederetur. Verumtamen nec Cæſarius nec ſecundæ Vitæ ſcriptor illud aſſerunt de* Margareta *; ſed ſolùm de Amando & ipſius uxore ; ita ut illud* Margaretæ *religionem ingrediendi propoſitum minùs certum appareat. Si tamen etiam* Margareta *Ordinem Ciſtercienſem profiteri decreverat , res exponenda eſt , ſicuti expoſuit Henriquez in Menologio Ciſtercienſi , ita habens in annotatis :* Amandus enim vir pius , Lovanienſis civis , cum uxore ſua & prædicta virgine Margarita habitum Ciſtercienſem aſſumere diſpoſuerant , ſeque beati Guillelmi undecimi Villarienſis abbatis magiſterio tradere , ut ipſe uxori & Virgini cœnobium ſanctimonialium , in quo ſub inſtituto Ciſtercienſi Deo ſervirent , aſſignaret ; Amandum verò inter Converſos Villarienſes reciperet.

B

C

Aliqui ſcripſerunt , eam vi fuiſſe violatam : quod virginitati ejus

50 *Molanus , data per compendium relatione Cæſarii , hæc ſubjungit :* Ab hac autem narratione Cæſarii , qui fortaſſis in Heiſterbach conſtitutus , non tam exactè omnia cognovit , diſcrepant nonnihil picturæ & ſcripturæ ædiculæ , in qua corpuſculum aſſervatur. In illis enim legitur , poſtquam virginitatem Deo voverat , vim perpeſſa. *Vim Virgini illatam fuiſſe , aſſerunt etiam Miræus , Chalemotus & Henriquez. Poſtremus autem , allatis verbis SS. Auguſtini , Ambroſii & Iſidori , cum hiſce S. Luciæ attributis ,* Si invitam jufferis violari , caſtitas mihi duplicabitur ad coronam , *oſtendit rectè Virginem vocari , etiamſi violentiam illam certò eſſet paſſa. Cùm iſtud certiſſimum ſit & indubitatum, ſufficient mihi verba Auguſtini in Epiſtola ad Honoratum epiſcopum , quæ olim erat* 180 , *at in ultima editione eſt* 228 *:* Quia violentiâ non violatur pudicitia , ſi mente ſervatur : quoniam nec in carne violatur , quando voluntas patientis ſua turpiter carne non utitur ; ſed ſine conſenſione tolerat , quod alius operatur

AUCTORE J. S.

non obſtaret , etiamſi eſſet certum : at antiqui vim illam non memorant.

51 *Conſentit S. Thomas* 2. 2 *q.* 152 *a.* 1 , *ubi probat , integritatem corporalem* per accidens *ſe habere* ad virginitatem : *propoſitum verò perpetuò ſe abſtinendi ſe habere* formaliter & completivè in virginitate. Unde , *inquit ad* 3 , ſi contingat , quòd per alium modum (*quàm per propoſitum voluntatis*) aliquo caſu membri integritas corrumpatur , non magis præjudicat virginitati , quàm ſi corrumpatur manus aut pes. *Hæc dicta ſint in ſuppoſito : nam de violentia illa* Margaretæ *illata nec Cæſarius meminit nec alter biographus , qui potiùs videtur contrarius num.* 2 , *ut obſervabo ibidem in annotatis. Quin & recentiores Vitæ Belgicæ ſcriptores contendunt , illam non eſſe veriſimilem , quia , inquiunt , Deus paſſim virgines contra ejuſmodi vim defendiſſe legitur. Sanè nec Molanus verba ſcripturarum , quas laudat , adduxit ; nec alii deinde ſecuti quidquam habuerunt prater dubiam illam Molani aſſertionem , ita ut rem hanc debeamus relinquere incertam.*

E

Martyrium Beatæ agnoſcit Cæſarius ; at non rectè probat :

52 *Quæri etiam poteſt , an* B. Margareta *rectè vocetur* martyr : *nam Manritius ea de re dubitabat ſuprà num.* 46 *; & rationes hujuſce tituli minùs ſunt manifeſtæ. Cæſarius , qui* martyrem *dixerat , deinde nomine interloquentis Apollonii ſic interrogat :* Quænam extitit cauſa martyrii in Puella iſta ? *Reſponſum verò ſubdit his verbis :* Ut jam fatus ſum , ſimplicitas & vita innocua. Diverſæ ſunt ſpecies martyrii , innocentia videlicet , ut in Abel ; juſtitia , ut in Prophetis & Joanne Baptiſta ; amor Legis , ut in Machabæis ; confeſſio fidei , ut in Apoſtolis. *Hæc vera ſunt , ſi mors inferatur causâ prædictarum virtutum , atque ob eam acceptetur. Attamen non crediderim , mortem* B. Margaretæ *illatam eſſe , quia innocenter vixerat : atque ideo non video , martyrium ipſius ſatis probatum eſſe à Cæſario.*

vix tamen de martyrio dubitari poteſt , ut probatur.

F

53 *Rectiùs martyrium probaretur , ſi conſtaret ſollicitatam fuiſſe ad peccatum , (uti ſollicitatam fuiſſe admodùm eſt veriſimile) & occiſam eſſe , quia nolebat in peccatum conſentire. Hoc enim caſu occiſa fuit pro virginitate defenſa ; & martyr meritò nominatur , ſive ante mortem violenter oppreſſa fuerit , ſive violentiam illam illata morte evaſerit. Potuit etiam martyr occumbere , quia manere nolebat cum latronibus iſtis, aut aliquid pro ipſis agere , quod ſine peccato facere non poterat. Audi S. Thomam* 2. 2. *q.* 124 *art.* 5 *:* Omnium virtutum opera , ſecundum quod referuntur in Deum , ſunt quædam proteſtationes fidei , per quam nobis innotefcit , quòd Deus hujuſmodi opera à nobis requirit , & nos pro eis remunerat , & ſecundum hoc poſſunt eſſe martyrii cauſa. *Si omnia bona opera poſſunt eſſe martyrii cauſa , uti rectè ait ſanctus Doctor , martyrii cauſa non ſolùm potuit eſſe virginitas ſervata , ſed aliud quodcumque opus bonum ; aut etiam recuſatio cujuſcumque peccati , uti addit S. Thomas in reſponſione ad primum. Itaque dubitari vix poteſt , quin martyrium adepta ſit* Margareta *: nam , cùm latrones eam initio non occiderint , videntur ipſam voluiſſe ſervare , modò eorumdem nefandis poſtulatis fuiſſet*

AUCTORE J. S.

ſet obſecuta. Si quid dubii pratereà occurrat in Actis, id in Annotatis expendetur.

ACTA

Auctore Cæſario Heiſterbacenſi

Ex lib. 6 Dialogorum ipſius cap. 34.

Margareta habitans Lovanii apud conſanguineos, hiſce occiſis, abducitur,

C Irca eadem tempora *a*, civis quidam Lovanienſis cum uxore ſua, rebus ordinatis, ad Vilarium *b* domum Ordinis noſtri, ſe transferre diſpoſuerat. Erant autem ambo religioſi, & religioſorum ſuſceptores devoti. Habebant ſecum Puellam adultam, cognatam ſuam, quæ loco ancillæ, tam ipſi quàm hoſpitibus, ſicut teſtes ſunt Converſi noſtri, ſatis ſimpliciter ac diligenter miniſtrabat, & nomen virginis Margareta. Scientes homines quidam maligni, pecuniam illos habere collectam, eadem nocte, quâ de manè erant profecturi, circitèr octo domum illorum ſerò ingreſſi, quaſi cum eis hoſpitaturi, dictam Puellam pro vino miſerunt. Interim dominum & dominam, totamque familiam ibidem repertam, occidentes, & ſublatis omnibus, Puellam cum vino reverſam ſecum educentes, domum quamdam, ſatis à civitate remotam, ſimul ingreſſi ſunt.

a

b

B

ac deinde extra urbem occiditur: corpus flumini injectum,

2 Quæ cùm triſtis ſederet, & hi, qui in domo erant, æſtimarent, quòd vi rapta eſſet, duxerunt illam ad fluvium. Cui cùm quidam ex latronibus compateretur, & diceret unus: Sinite eam vivere, & ego ducam illam uxorem, non conſenſerunt, timentes per eam prodi, addentes portioni unius decem marcas, ut eam occideret. Ille Agnam ſimplicem ſuſcipiens, tamquam crudelis carnifex, priùs defecto ejus gutture, cultrum lateri moribundæ infixit, ſicque Deo hoſtiam viventem in flumen projecit. Hoſpita verò domûs, quam intraverant, latenter egreſſos ſecuta, quæ facta ſunt vidit.

C

deîn in ripa ſepultum: ac demum in urbem tranſlatum ſacelloque honoratum:

3 Manè tam execrabili facinore cognito turbata eſt civitas, quæſiti ſunt latrones, ſed non inventi: conſideratis occiſorum corporibus, quæſtio habita eſt de Puella, cujus corpus cùm piſcatores poſt dies aliquot inveniſſent, nec tamen prodere præſumpſiſſent, timentes ſibi crimen impingi, in littore ſepelierunt *c*. Circa cujus ſepulchrum alii tempore nocturno luminaria videntes, effoſſam tulerunt Lovanium, capellulam *d* ſuper eam fabricantes; & fiunt uſque hodie, meritis ejus exigentibus, miracula, tam in loco occiſionis illius, quàm in loco tranſlationis.

c

d

magna Virginis gloria cuidam revelata dicitur.

4 Supradictus dominus ejus, Amandus nomine, cum uxore, monacho cuidam Vilarienſi apparens, cùm de ſtatu eum interrogaret, reſpondit: Nondum plenam habemus gloriam. Noviſſimè requiſitus de Virgine, ſubjunxit: Quidquid nobis impenſum eſt gratiæ, meritis habemus Margaretæ: nec audemus reſpicere ad gloriam, in qua illa eſt. Cernis nunc, quantùm operetur ad martyrium ſimplicitas & innocentia vitæ? Omnes quidem occiſi ſunt, ſed non omnes miraculis clareſcunt. Unde patet quòd non pœna faciat martyrem, ſed cauſa.

D

ANNOTATA.

a *De tempore conſule Commentarium num.* 46 *&* 47, *ubi etiam num.* 48 *aliqua de Amando.*

b Villarium, *vulgo* Villers, *abbatia eſt Ordinis Ciſtercienſis etiamnum florens in Brabantia, circa confinia comitatûs Namurcenſis, inter Bruxellam & Namurcum ſita.*

c *Alii hanc ſepulturam in ripa fluminis Dilia negarunt, & mirabilia ſubſtituerunt: ſed magis credendum Cæſario.*

d *Ex hac capellula, quæ etiamnum exſtat, cultum antiquum probatum invenies in Commentario* § 1.

ACTA ALTERA

auctore anonymo,

Ex Ms. Rubeæ Vallis, collato cum alio.

E

PRÆFATIO.

Docet auctor, unde didicerit, quæ narrat:

DIgniſſimæ *a* cujuſdam virginis à Deo prædilectæ ac præventæ in benedictionibus cæleſtis dulcedinis, nomine Margaretæ, in civitate Lovanienſi, tempore Henrici *b* ducis Brabantinorum, hujus nominis primi, nuper *c* degentis, lamentabilem ſimul & ſuccinctam hic inſerere comœdiam *d* paſſionis intendens, eam, quam proſecuturus ſum, narrationem maximè juxta relationem venerabilis viri, nomine Cæſarii, Ciſtercienſis monachi, qui in Dialogo ſuo ejuſdem beatæ Virginis mentionem facit, ejuſque contemporaneus fuit, explicabo, pauca interſerens, quæ ſive per ſcripta, ſive per verba publicavit opinio vulgata *e*: quod enim communis fama famat non omnino deperditur.

a

b

c

d

e

F

deinde generatim excurrit

2 Hæc autem Juvencula, ut ex ſequentibus elici poteſt, protecta fuit umbrâ pietatis deificæ ab inſidiis inimicorum ſuorum, theſaurum pretioſum caſtitatis *f* ſibi auferre molientium, ut Deo per virginitatis puritatem, & paſſionis acerbitatem, tam in vita quàm in morte dignum offerret omni acceptione holocauſtum. Quapropter, chariſſimi, liceat in ipſius laudem exclamare illud Canticorum VII: Statura tua aſſimilata eſt palmæ: ipſa enim à puerili ætate animum virilem induens, ſemper in melius proficere ſtuduit, & per bonam vitam alios in virtute roboravit, ſicut palma ſemper, dum creſcendo elevatur, ſuperiùs dilatatur & roboratur.

f

in laudem Beatæ.

3 Quamvis enim hæc Virgo devota more palmæ exteriùs habuit aſperitatem in cortice corporis, ipſum atrociſſimè * morti tradendo, ſuavem tamen fecit fructum, dum gaudens intus in mente patientiæ ſemper in ſe retinuit ſtabilimentum. Unde & ſuavem redolentiam ſui nominis etiam poſteris dereliquit juxta illud Eccleſ. XLIX: In omni ore quaſi mel indulcabitur ejus memoria, & ut muſica in convivio vini. Ideo enim dulcis recordationis uſque hodie manet apud omnes ejus notitiam habentes, ut peculiari

* *forte* atrociſſimæ

culiari nomine meruit inclyta Margaretula nuncupari. Ejus igitur vitam & paſſionem breviter explicemus, & quàm congruenter ſibi hoc nomen conveniat, intimemus.

ANNOTATA.

a *Titulus hic præfationi eſt præfixus* : Prologus in Paſſionem inclitæ Margaretulæ virginis, in civitate Lovanienſi corporaliter quieſcentis.

b *Henricus I Brabantiæ dux provinciam hanc diu adminiſtravit ſub finem ſeculi* 12 *& initium* 13. *De eo ſcriptor anonymus in Chronico Brabantiæ, producto uſque ad annum* 1485, *editoque per Antonium Matthæum, pag.* 40 *ſic habet* : Poſt hæc Henricus dux Brabantiæ ſenior apud Coloniam diem ſuum obiit, & naturæ debitum exſolvit, ac honorificè relatus eſt Lovanium, & in eccleſia beati Petri in medio chori ſepultus. Quadraginta & novem annos dux fuit, in quibus rarò quievit à præliis. Obiit autem anno Domini MCCXXXV, Nonis Novembris. *Hæc nullum relinquunt dubium, quin ſub Henrico I occiſa ſit* B. Margareta, *ſed nihil afferunt ſubſidii ad annum emortualem determinandum.*

c *Illud* nuper *extendi ad centum, ut minimùm, annos, jam obſervavi in Comm. num.* 45.

d *Tragica potiùs quàm comica narrat auctor; ſed voce* comœdia *abuſus eſt, ſicuti in lingua Belgica vox eadem uſurpatur.*

e *Satis hîc innuit ſcriptor, eſſe ferè tantùm ex traditionibus popularibus deprompta illa omnia, quæ in Cæſario non leguntur. Quapropter minus fidei illis attribuendum.*

f *Hîc obſcurè inſinuat, occiſam eſſe Virginem pro defenſione caſtitatis : quin & negare videtur, vim fuiſſe illatam. Hæc de cauſa magis miror, unde id hauſerit Molanus, cujus aſſertionem dubiam pro certa ſecuti ſunt aliqui. Certè ex picturis ſacelli id non habet Molanus, cùm in illis nihil ſimile habeatur, aut decenter exprimi potuerit. Quid verò in ſcripturis invenerit, mihi non conſtat. Conſule dicta in Comment. num.* 50 *&* 51.

CAPUT I.

C

Virginis habitatio, conditio & pietas : cædes conſanguineorum ipſius, poſt quam ipſa abducta occiditur : mirabilia ſecuta, & corpus tranſlatum.

Dum Virgo conſanguineis ſuis piè ſervit, ac domo dimittitur, a

Circa annos Domini mille ducentos a, civis quidam Lovanienſis, vir bonus & honeſtus, Amandus nomine, cum uxore ſua rebus ordinatis ad monaſterium Villarienſe, quod eſt Ordinis Ciſtercienſis in Brabantia, tunc temporis religione famoſum, ſe transferre diſpoſuerat, & ibidem Deo ſtudioſiùs deſervire. Erant quippe & ipſi ambo religioſi, & religioſorum ſuſceptores devoti. Habebant autem ſecum Puellam quandam adultam, cognatam & conſanguineam ſuam, quæ loco ancillæ tam ipſis quàm etiam hoſpitibus, quos frequenter ſuſcipere conſueverant, ſatis ſimpliciter ac diligenter miniſtrabat. Cúmque omnia, quæ habere poterant, ſimul contuliſſent, ſcientes quidam maligni pecuniam illos habere collectam, eâdem nocte, quâ de mane profecturi erant, circitèr octo domum illorum ferò ingreſſi ſunt, quaſi cum eis hoſpitaturi, dictamque Puellam pro vino miſerunt. A. ANONYMO.

Latrones totam familiam trucidant; i pſamque reverſam abducunt extra urbem,

5 Interim autem hoſpitem atque hoſpitam, totamque familiam ibidem repertam, crudeliter trucidaverunt, & ſublatis omnibus, quæ auferre poterant, Puellam cum vino reverſam ſecum educentes, domum quandam à civitate ſatis remotam ſimul ingreſſi ſunt. At Puella, dum triſtis admodùm ſederet, nimirum cùm ſe vidiſſet prædilectos conſanguineos amiſiſſe, ac inter manus prædonum deveniſſe, hii, qui in domo illa habitabant, æſtimabant eam vi raptam fuiſſe. Tandem ribaldi b ac latrones præfati extra domum ipſam pertrahentes duxerunt ad fluvium nomine Diliam c : cui cùm quidam ex eis ex corde miſericordiæ compateretur, & promitteret ſociis ac diceret : Sinite illam vivere, & ego illam uxorem ducam, non ſibi conſenſerunt, timentes per illam prodi, quia potiùs uni de conſortibus ſuis promiſerunt decem marchas argenti addere ultra ſortem ſuam, ut illam occideret. b E

ubi eamdem occidunt prope Diliam, cui corpus injiciunt.

6 Qui Agnam ſimplicem ſuſcipiens & immaculatam columbam atrociter apprehendens tamquam crudelis lictor, pòſt, defecto gutture, cultrum lateri moribundæ protinus infixit, ſicque hoſtiam Deo viventem in Diliæ præcipitavit aquas. Hoſpita verò domûs, quam intraverant, latenter ſecuta, ea, quæ circa Virginem facta ſunt, vidit ac poſtmodùm publicavit. Mane verò tam execrabili facinore cognito, turbata eſt univerſa civitas Lovanienſis, quæſitique ſunt latrones, ſed minimè inventi. Conſideratis autem occiſorum concivium corporibus, quæſtio habita eſt de Puella : cúmque ad relationem hoſpitæ præfatæ ipſam in flumen præcipitatam comperiſſent, exactâ diligentiâ eam inquiri fecerunt.

Corpus illi ventum, cœlitantibus mirabilibus,

7 Deus autem, qui ipſam in ſponſam ſuam præelegerat, eam perditum iri non eſt paſſus, nec in hoc ſæculo nec in futuro : quin potiùs multis ac diverſis miraculis illam poſt mortem clarificavit. Ipſa denique nocte, quâ tam execrabile facinus in Virginem Deo dilectam præfati latrones exercuerant, ut fertur (periculum enim veri ad me non ſuſcipio) piſces, qui erant in flumine, de profundo emergentes ſacrum Virginis corpus in ſublime extulerunt, acti manibus humanis fuiſſet decenter elevatum d. F

d portatur Lovanium, e

8 Interea dux Brabantiæ, qui cum conjuge ſua tunc temporis Lovanii reſidebat, proſpiciens per feneſtram altiſſimi caſtri e ſui, vidit ſuper Diliam lumen ingens rutilare per plures noctes foris civitatem, in eo videlicet loco, quo projecta jacebat. Hanc autem claritatem teſtabatur præſentia angelorum, qui ibidem viſi fuerant & auditi, ut ſua viſitatione Dei Martyrem honorarent. Viſo quippe dux lumine ſplendido, & auditò concentu angelico, miſit mox piſcatores extra civitatem ad ipſum locum, & ; ecce ; corpus Virginis apparuit ſuper aquas contra ictum fluminis, & vergens ad civitatem : quo compertò, dux confeſtim ſtipatus multitudine curialium civium & clericorum proceſſionaliter eidem obviàm ivit, ſanctumque theſaurum ſibi divinitus præſtitum reverenter ſuſcepit.

A. ANONYMO.

ANNOTATA.

a *Tempus diſcuſſum eſt in Commentario num.* 46 *&* 47. *Alia verò pleraque examinata ſunt ibidem* § 4., *aut in annotatis ad Acta præcedentia.*

b *Vox* ribaldi *variè quidem ſumitur, uti videri poteſt apud Cangium in Gloſſario : paſſim tamen ſignificat homines perditiſſimos, nec alio ſenſu hìc intelligenda.*

c Dilia, *vel* Dyla, *vulgò* de Dyle *aut* de Deele *amnis eſt, qui Lovanium ſecat, Demeraque aquis auctus, Mechliniam dividit : deinde verò Netha jungitur ac cum illo in Scaldim labitur.*

d *Hìc auctor receſſit à Cæſario uſque ad finem hujus capitis, ſecutus populares traditiones, opinor. Eadem quidem narrat Molanus ex picturis & ſcripturis ſacelli : at mihi longè veriſimilior apparet ſimplex relatio Cæſarii, qui mirabilia illa non tacuiſſet, ſi audiviſſet. Narrat ille corpus poſt aliquot dies à piſcatoribus inventum, & clanculùm in ripa Diliæ ſepultum.*

B e *Caſtrum hoc in loco altiſſimo ſitum eſt prope portam, quæ ducit Mechliniam. Vulgò dicitur* Caſtrum Cæſaris : *nam Julii Cæſaris opus eſſe vulgus exiſtimat. Porrò quæ hìc de duce Brabantiæ ejuſque uxore dicuntur, in antiquis etiam picturis exhibentur, uti & concentus ille angelorum, & corporis contra fluxum progreſſio. At mirum eſt, omnia illa ignoraſſe Cæſarium, ſi facta ſint : nam quod ait Molanus, ſorſan fuiſſe conſtitutum in Heiſterbach, ideoque aliqua ignorare potuiſſe, mihi nequaquam ſatisfacit. Quippe aut Villarii erat Cæſarius, dum res evenit ; aut ex Villarienſibus, quorum Prior fuerat, hiſtoriam cognovit : at propinquiores Lovanio erant Villarienſes, quàm ut res tam ſingulares ignorare potuiſſent. Magis igitur placet Cæſarii nuda relatio, quam hæc ex fama populari nimiùm decorata.*

CAPUT II.

C *Mirabilia, quæ facta dicuntur in tranſlatione corporis : ſepultura, & ſacellum ſupra corpus fabricatum : revelatio de gloria Beatæ, de cujus martyrio diſſeritur.*

Corpus omnium conſpectui expoſitum, mirabilibus inclareſcit :

REfertur vulgata editione miraculum, qualiter ſacræ Virginis corpus, præfato modo in civitate receptum, omnium conſpectui ſit præſentatum, & propter hoc ſuper murum eccleſiæ ſancti Petri in memoriam tanti piaculi reclinatum. Quo comperto, juvenes & virgines, ſenes cum junioribus ad eundem locum confluxerunt, & cum ingenti ammiratione magnalia Dei conſpexerunt. Accidit autem, mulierculam quandam cum reliquis illic iter habere, quæ coxerat pulmentum ſive pottagium *a*, ut ferret operariis ſuis in campum.

a

10 Hæc cùm tantam congregationem populi intueretur circa eccleſiam, ſatis ammirari cœpit : & auditis mirabilibus ac miraculis, quæ contigerant, ad oſtentanda merita beatæ Virginis, credere renuit. Ait ergo ad referentes hoc modo : Sicuti verum eſt, quòd pottus *b* meus, quem ſuper murum ſine fomento ignis conſtitui, efferveat atque ebulliat ; ſic verum eſt, hæc miracula contigiſſe, quæ recitatis. Mox majus prioribus miraculum ibidem coram omnibus enituit, ut vaſculum, quod mulier ſecum tulerat frigidum, adeo redderetur ſine igne calidum ac fervidum, quaſi haberet circum ſe igneum rogum. D *mulieris hæc non credentis olla ſine igne efferveſcit,* *b*

11 Inſuper & pulmentum in eo contentum ſine ſui diminutione, ob Virginis merita declaranda, omnibus præſentibus communicabile redditum *c* eſt : quod præfata mulier ob reverentiam tanti miraculi tunc ibidem dereliquit. De quo poſtmodùm longo tempore, quicumque giſtare voluit, ad libitum accepit, exceptis dumtaxat hiis, qui de nefanda ſtirpe illorum deſcenderant, qui beatiſſimam Virginem tam crudeliſſimæ necì deſtinaverant. *ac diu cibum præbuiſſe fertur ſine ſui diminutione :* *c*

12 Quo comperto, unus illorum invidiâ ſtimulatus cùm ſibi non licere vidit, quod aliis præſto fuit, pottum iſtum arripuit, & ventrem purgans immunditias ſuas turpiter eidem ingeſſit. Unde factum eſt, ut tam præclarum beneficium deinceps ceſſaret, nec aliquis, ut priùs, de tam miraculoſo edulio communicaret. Porrò actores necis tam execrandæ ſtatim poſt facinus apprehenſi ſunt, & *d*, prout erant digni, ſecundum leges morti adjudicati *d*. Inſuper & hii, qui de illorum ſtirpe prodierant, à Deo plagati ſunt, ut per centum annos de pòſt talionem hujus facti reſtituere cogerentur ac veſtigium ſive ſignum oſtentare. *Virginis percuſſores puniti.* E *d*

13 Corpus itaque Virginis religioſi cives unà cùm clero reverenter ſepulturæ dederunt juxta eccleſiam ſancti Petri, & ſuper eam capellam gratioſam fabricaverunt, & fiunt uſque in hodiernum diem, meritis ejus exigentibus, diverſa miracula in eodem loco ad laudem & gloriam nominis Chriſti. Porrò ſupradictus dominus & conſanguineus hujus Virginis, nomine Amandus, cum uxore ſua monacho cuidam Villarienſi ſatis religioſo poſt mortem apparens, cùm de ſtatu ſuo ab eodem interrogaretur, evidenter reſpondit : Nondum plenam habemus gloriam. *Capella ſupra corpus fabricata : revelatio* F

14 Cùmque interrogaretur de ſtatu Virginis, ilico reſpondit ſubjungens in hunc modum : Quidquid nobis impenſum eſt gratiæ, ex meritis habemus Margaretæ : nec audemus reſpicere ad gloriam, in qua illa exultat. Ex quo dicto conſiderari poteſt, quantùm operetur ad martyrium ſimplicitas & vitæ innocentia. Omnes quidem occiſi ſunt, ſed non omnes miraculis clareſcunt. Unde patet evidenter, quòd non pœna faciat martyrem, ſed præſertim cauſa. *de gloria B. Margaretæ, quam martyrem*

15 Quod ſi quæratur, quænam exſtiterit cauſa martyrii in Virguncula iſta ; reſpondetur, ut præfatum eſt, quòd ſimplicitas & vita innocua *e* : diverſæ ſunt enim ſpecies martyrii, innocentia videlicet, ut in Abel ; juſtitia, ut in prophetis & Joanne Baptiſta ; amor divinæ legis, ut in Machabæis ; & confeſſio fidei, ut in Apoſtolis. Ob hujuſmodi cauſas Agnus, id eſt, Chriſtus occiſus dicitur in Apocalypſi ab origine mundi. Laudemus igitur ipſum in hac Virgine, & cum ea ipſum glorificemus, quæ veraciter victoriam ſuam & omnem gloriam ad ipſum retulit, à quo eſt omne datum optimum & omne donum perfectum, non ſibi attribuens, quod acceperat, ſicut *credit auctor.* *e*

A sicut iterum in Apocalypsi dicitur, quòd Sancti coronas suas miserunt ante thronum Dei.

gloriaque cælesti donatam.

16 Hiis enim, qui purè propter Deum sua bona opera offerunt, velut hæc beata Virgo fecisse cognoscitur, retribuet Dominus mensuram bonam, id est, gaudium sine dolore, & confertam, id est, plenitudinem sine vacuitate, & coagitatam, id est firmitatem sine dissolutione, & supereffluentem, id est, dilectionem sine simulatione, limitatione aut terminatione, quam mensuram, ut firmiter credimus, inclyta Margaretula nunc à Sponso suo copiosè consequitur in cælis, pro qua fideliter laboravit in terris, ad laudem Domini nostri Jesu Christi. Amen.

ANNOTATA.

a Pottagium, *ex voce Belgica* potagie, *idem est, quod* pulmentum.

b *Ollam significat à voce Belgica* pot.

B c *Cùm Cæsarius id factum non habeat, non crediderim contigisse statim post corpus in urbem delatum. Potuit sanè biographus tempora confundere, & ad tempus translati corporis referre, quod postea contigerat. Molanus ait, hoc factum* vulgo persuasissimum esse, *reque relata, addit:* Dolendum est autem rem tam memorabilem illustri carere testimonio. *Verumtamen in picturis sacelli mulier illa cum olla exprimitur. Facilè crediderim aliquid veri subesse: at mihi vix persuaserim, omnia facta esse, prout hîc narrantur.* A. ANONYMO.

d *Occasione hujus supplicii Molanus scribit sequentia:* Pertinet autem ad populares fabulas, ideo canonizatam non esse, quia de occisoribus ejus sumtum est supplicium. Quamquam hæc vulgaris opinio non careat suo fundamento, cùm Augustinus scribat Marcellino tribuno: " De „ clementia imperatoris impetrare curabimus, „ ne passiones Servorum Dei, quæ debent esse „ in Ecclesia gloriosæ, inimicorum sanguine de„ honestentur „. *Ita sanè Augustinus in epistola ad Marcellinum, quæ olim erat* 158, *nunc verò in nova editione est* 139. *Verùm mansuetudo illa episcopo quidem digna erat: at non crediderim, Martyris canonizationi obfuturum supplicium percussoris, modò causa urgeatur, & aliud nihil obesse possit. Dicendum igitur de canonizatione* Margaretæ *numquam actum esse, sed de legitimo cultu constare.* E

e *Hanc causam examinavi in Comm. num.* 52, *& aliam dedi num.* 53.

DE BB. JACOBO ET PHILIPPO MM.
EX ORDINE FF. MINORUM,
MEVANIÆ IN UMBRIA.

J. P.

ANNO MCCCLXXVII. *Beatorum mors*

MEvania, *vulgò* Bevagna, *civitas Umbriæ ad fluvium Topinum, pluribus à nobis descripta est tomo* IV *Augusti, die* XXIII *ejusdem mensis, pag.* 719, *occasione B. Jacobi Mevanatis ex Ordine FF. Prædicatorum, qui ibidem loci diem clausit extremum. Nunc verò occurrunt duo Beati alii, qui morte sua eamdem civitatem nobilitârunt. Eos ita annuntiat Arturus hac die:* Bevaniæ, in Territorio Fulginensi, passio beatorum Jacobi & Philippi, martyrum. *Laudantur etiam apud Hueberum in Menologio Franciscano. Waddingus ad annum* 1377, *num.* 1 *& 2 eorum martyrium sic narrat:* Turbulento hoc tempore, quo passim urbes Italiæ, & maximè Umbriæ, Marchiæ & Lombardiæ inconstanter agebant, & dominorum suorum imperium detrectabant; Fulgineum occupabat Trincius Trincii severus & immitis dominator. Dubitaverat is de fide populi Bevanii, sibi subjecti, & ad suggestionem calumniatorum misit sibi similes, Guillelmum Fulginatem, & Petrum Coccoranum, sævissimos militum (quorum pars magna erat ex advenis hæreticis) præfectos, qui in defectionis excogitatæ auctores & conspiratores severè animadverterent. Omnia illi repleverunt cæde, sanguine, rapinis, incendio, nullo habito delectu status aut sexûs.

propter justitiam: eorum corpora in fluvium projecta

2 Erant tunc eo in oppido prædicti Martyres, qui sævitiam detestati, in publico foro modò populum ad tolerandam à Deo fortassis immissam pro peccatis vindictam, piè hortabantur; modò tyrannis crudelitatem, & innocentum injustam oppressionem audacter objiciebant. Indignati sceleris auctores jusserunt satellites in Fratres rebellis populi fautores irruere. Illi verberibus opprobriisque affectos demum occiderunt sub vesperam diei secundi Septembris, & corpora ignominiosè ad aliorum terrorem projecta, decreverunt die sequenti projici in prolabentem fluvium Topini. Pii aliquot oppidani sublata clàm noctu, & arcæ incluśa cadavera deferebant sepelienda; sed à militibus circumventi, piam prædam impiis prædonibus, injurias & vulnera perpessi, reliquerunt. Sine mora crudeles carnifices sacrum depositum flumini crediderunt. Ille verò, in cujus conspectu pretiosa est mors servorum suorum, noluit sine honore in aquis sepeliri, verùm mirabiliter naturæ immutato ordine, contra impetuosum cursum fluminis ascendere fecit arcam, usque ad pontem à sancto Magno nuncupatum. F

inveniuntur,

3 Qui transibant videntes sine velis, sine remis, sine ductore occulta quadam vi ligneam trahi molem, mysteriosum quidpiam suspicati, partim pavidi, partim avidi, vel divinum aliquod veneraturi, vel lucrum reportaturi, arcam ad littus traxerunt eo in loco, quo nunc conspicitur ecclesia beatæ Mariæ ad sanctum Magnum. Detracto operculo, viderunt sacra corpora religiosè composita, recenti vulnere hiantia, & suavissimum odorem spirantia, quibus signis judicarunt, pios Viros propter justitiam occubuisse.

& honorificè sepeliuntur.

4 Re delata ad Fulginates, clerus obviàm processit, & funebri pompa funus in urbem mox ad ecclesiam cathedralem sancti Feliciani

AUCTORE J. P.

deduxit. Sed præ foribus oportuit hærere, nulla enim vi, arte, vel induſtria templo huic potuerunt inferri. Interim inſolito tinnitu, nullo trahente, reſonant campanæ ædis Franciſcanæ; quibus miraculis non immeritò crediderunt omnes, ſatis perſuaſum iri, his Martyribus deberi ſepulcrum apud ſui inſtituti conſodales. Illuc proinde directa totius populi, & cleri ſupplicatione, magno honore in ſacello ad dexteram altaris præcipui, nobili ſepulcro condita ſunt; ubi in hunc diem fidelium patent venerationi. Paulò pòſt ultus eſt Dominus ſanguinem Servorum ſuorum; periit enim miſerabiliter Trincius è feneſtra præcipitatus . . , & carnificinæ auctores, qui gladio percuſſerunt, gladio perierunt.

Tyrannus, ſub quo Beati occiſi

5 *Tragicum Trincii exitum pluribus deſcribit laudatus Waddingus ad eumdem annum* 1377 *num.* 22 *inter mirabilia B. Thomæ ſive Thomaſucci poſt prænuntiatum ab eo epiſcopatum puerulo:* Ea in urbe *Fulginienſi* dominabatur vicaria poteſtate à Sede Apoſtolica conceſſa Trincius hujus nominis tertius, Ugolini Trincii filius, vir elati animi, vitæ intemperatæ, & tyrannici imperii. Hunc Thomas non ſemel fraternè correxit, & aliquando acriter objurgavit. Ille indignè ferens, ſe à contemptibili viro toties reprehendi, decrevit eum in ignem projicere; nihil tamen ſervis dixit, ſed ficta ſub honoris ſpecie hominem vocavit. Thomas cælitus præſciens paratum ſibi periculum, abiit ad vicinum furnum, & chlamyde involvit prunarum acervum. Ut pervenit in Trincii conſpectum ardentes prunas illæſa chlamyde expandit, & per pavimentum ſparſit, dicens: Ecce paratum ignem: ecce etiam ſacrificium: decreviſti me in rogum projicere, libenter pro Domino ſacrificabor. Duplici obſtupefactus miraculo, & illæſæ veſtis, & ſecretæ agnitæ cogitationis, in veneratione habuit virum Dei, & prophetico effulſiſſe ſpiritu cognovit.

B

miro modo puniur.

6 Voluit proinde ab eo ſcire (uti eſt hominum curioſitas, & longitudinis vitæ deſiderium) ſi annis multis ſibi vita protraheretur. Cui Thomas: Eo uſque vives, donec æramentum, ſive Campanum æs, quod communibus urbis miniſteriis infervit, confractum decideret, & vituli ſuper turrim evolaverint. Utrumque difficile reputans Trincius longiorem ſibi vitam promiſit; ſed claritate facti referatum eſt obſcurum myſterium; nam Florentini, pontificiique hoſtes hoc anno MCCCLXXVII, devictis Camertibus, duce Lucio Tedeſco, Fulginates ad defectionem excitarunt. Conſpirante populo, cùm æramenti ſonitu ad arma cierent, confracta campana cecidit, & hoſtes turri impoſuerunt ſua vexilla, in quibus vituli duo erant depicti. Mox irruerunt in Trincii palatium, ejectumque per feneſtram miſerè occiderunt die XXVIII Septembris.

C

D

Cultus publicus

7 *Reliquum eſt, ut ad Beatos noſtros redeamus, ac publicum & antiquum eorum cultum probemus. Waddingus ſuprà num.* 4, In hunc diem, *inquiebat*, fidelium patent venerationi. *Ex eodem auctore ad annum* 1390 *num.* 9, *ambos ſeculo* 14 *magna in veneratione fuiſſe, tamquam Dei amicos atque cum odore ſanctitatis mortuos, colligi poſſe videtur ex eo, quod refertur de Fratre Paulutio ad mortem ſe præparante:* Sepulcrum inviſebat ſingulis diebus beatæ Angelæ concivis, & ſacrorum martyrum Jacobi & Philippi, . . orabatque ut pro ſe Dominum interpellarent, quatenus, uti in eodem convixerunt ſodalitio, ſic conregnarent in cælis, & qui ſub eodem duce merebantur, in eodem loco reportarent trophæum. *Magna illa eorum ſanctimoniæ exiſtimatio ſequentibus deinde ſeculis perſeveravit. Nam Marcus Ulyſſiponenſis, qui anno circitèr* 1568 *obiiſſe ſcribitur apud Waddingum in Catalogo ſcriptorum Ordinis Minorum, affirmat in Chronici ejuſdem Ordinis parte* 2, *lib.* 9, *cap.* 33, § 3 *magna cum veneratione corpora* Jacobi & Philippi, *cognomento* Innocentium, *oſtendi in eccleſia Fulginienſi S. Franciſci, ac deinde ſignificat, eſſe ibidem in capſa ſuper altare magni ſacelli ad cornu Evangelii.*

E

confirmatur.

8 *Perſeveravit eorumdem Beatorum veneratio ſeculo ſeptimo decimo: Jacobillus enim tom.* 2 *de Sanctis ac Beatis Umbriæ, anno* 1656 *typis vulgato, prater alia, quæ ad diem* 2 *Septembris de hodiernis duobus Fratribus Minoritis collegit, illorum corpora fuiſſe poſita memorat in eccleſia S. Franciſci, atque in ejuſdem eccleſiæ ſacello integra requieſcere, ad publicam venerationem, in capſa inſigni cum inſcriptione ſequente:* Corpora BB. Jacobi & Philippi martyrum. *Daniel Papebrochius noſter in Diario Ms. itineris ſui Romani, anno* 1660 *ſuſcepti, inter Fulginienſia eidem à ſe inſerta, ad diem* XVIII *Decembris habet iſta:* Ivimus ad templum Franciſcanorum, ubi ſub ſacello ad dexteram chori ſuper altari requieſcit corpus B. Angelæ de Fulgineo per vitrea capſæ inauratæ latera, quam alia vilior lignea tegit . . Simili in capſa ad ſiniſtram chori corpora ſunt BB. martyrum Jacobi & Philippi ex Ordine Franciſcano, jacentque cum palma in manibus. *De* B. Angela *iſta egimus die* IV *Januarii à pag.* 186. *Seculo* 18 *Benignus Fremaut in Legenda generali Franciſcana, anno* 1708 *Flandricè excuſa, ſuperiora confirmat, corpora illa adhuc ibidem requieſcere indicans in pulcra capſa in altari ſacelli ad dexterum latus altaris majoris, ambo tunc etiam integra,* ſicut, *inquit*, ego eadem vidi ac veneratus ſum anno MDCLXXXII. *Ex his ita deductis licitum nobis eſſe cenſuimus, ſalvo Urbani PP. VIII, uti videtur, decreto, duos hoſce Beatos unà cum aliis cæleſtis aulæ incolis hujus diei, Operi noſtro intexere.*

F

DIES

A D

DIES TERTIA SEPTEMBRIS.

SANCTI, QUI III NONAS SEPTEMB. COLUNTUR.

Sancta Phœbe Diaconiſſa Cenchris apud Corinthum.
S. Euphemia, S. Dorothea, S. Thecla, S. Eraſma } martyres Aquileienſes.
S. Baſiliſſa V. & M. Nicomediæ in Bithynia.
S. Sandalius M. Cordubæ in Hiſpania.
S. Ariſtion vel Ariſteus ep. M. Alexandriæ ad Iſſum.
S. Zenon M.
Item
S. Chariton M.
S. Manſuetus ep. Tulli Leucorum in Gallia.
S. Theoctiſtus monachus hegumenus in territorio Hieroſolymitano.
S. Ambroſius ep. conf. Senonis in Gallia.
S. Manius ep. Veronenſis.
S. Macniſcius ep. Connerenſis in Ultonia Hiberniæ provincia.
S. Auxanus ep. Mediolani in Inſubria.
S. Martinianus epiſc. Comi in Italia.
S. Remaclus conf. ep. Trajectenſis, ac dein abbas Stabulenſis, Stabuleti in Germania.
S. Aigulphus abbas, S. Trucharius, S. Frongentius, SS. Socii alii } martyres in inſula Capraſia inter Corſicam & Etruriam.
S. Godegrandus vel Chrodegandus ep. Sagienſis apud Nonantum in Normannia.
B. Gualla ep. Brixienſis, ex Ordine FF. Prædicatorum, Bergomi in Italia.
B. Taraſia, Ourenii in Luſitania.
B. Albertus Beſutius eremita apud Lacum Verbanum in Ducatu Mediolanenſi.

B E

C F

PRÆTERMISSI ET IN ALIOS DIES DILATI.

Elevatio corporum ſanctorum Antonii & Conſtantiniani, qui de Caſinenſi cœnobio ad Gallias cum beato Mauro perrexerant, *legitur apud Menardum. Vide Mabillonium tomo* 1 *Actorum Benedictinorum ſec.* 1 *pag.* 297. *Memorantur quoque inter ea, quæ dedimus de S. Mauro* xv Januarii.

In pago Andegavenſi dedicatio eccleſiæ ſancti Mauri de Glannofolio à Calixto Papa ſecundo *refertur à Menardo. Vide quæ de iſto Sancto ſcripta ſunt apud nos* xv Januarii.

In monte Blandinio Gandavi territorii, adventus ſanctorum corporum Wandregiſili abbatis, Ansberti & Vulfranni archipræſulum *ſignatur in Additionibus ad Uſuardum à Molano editum, & apud Wionem ac Menardum. Rem geſtam diffusè narrat Mabillonius in Actis Sanctorum Ordinis S. Benedicti ſeculo* 5 *pag.* 299 *& ſeqq. In Florario autem noſtro Ms. nominatur ſolus* Wandregiſilus; *de eo actum apud nos die* xxii *Julii*; *de* S. Ansberto *die* ix *Februarii*; *de* S. Vulfranno xx *Martii. Adeat itaque lector, majores de illis notitias deſiderans, dies modò indicatos* ix Febr., xx Martii, & xxii Julii.

Romæ ordinatio incomparabilis Viri ſancti Gregorii Magni in ſummum Pontificem; qui onus illud ſubire coactus, è ſublimiori throno clarioribus ſanctitatis radiis in Orbe refulſit. *Ita hac die Martyrologium Romanum, quâ ordinatio eadem notatur in multis Faſtis ſacris inter Auctaria ad Uſuardum noſtrum. Apud nos Acta illius illuſtrata ſunt* xii Mart.

S. P. N. & confeſſoris Stephani hegumeni Trigliæ, & ſancti imperatoris Conſtantini junioris in eccleſia Apoſtolorum *mentio fit in Supplemento noſtro Græco Ms. ad Menæa excuſa Sirmondo-Chiffletiano, & alibi. Sed in Me-*

A nais Græcis Mss. monaſterii S. Marci PP. Prædicatorum Florentiæ ſignatur Conſtantinus junior CP. ſine nomine imperatoris. *In apographo verò, quod habemus è codice Ambroſiano notato* f. N. n. 178 : Μνήμη Στεφάνου ὁμολογητοῦ τῆς ἡγουμένου Τριγλίας, τῆ νέᾳ ἐν τοῖς Ἀποστόλοις, *id eſt*, Memoria Stephani confeſſoris & hegumeni Trigliæ, & junioris in æde ſacra Apoſtolorum, *omiſſo nomine* Conſtantini imperatoris, *mendosè ut credo : niſi deſignatus ibi fortaſſe ſit* Stephanus *ſynonymus*, *cognomento* Xylinites. *Actum eſt de utroque Stephano* xxvi Martii.

Nicomediæ, ſancti Anthimi epiſcopi & martyris, & ſociorum, de quibus ad quintum Calendas Maii. *Ita Galeſinius. Idem Nicomediensis præſul & martyr refertur etiam hodie apud Græcos videlicet in Typico S. Sabæ, ut vocant, ac Menæis impreſſis, nec non in noſtro ad Menæa Græcorum excuſa Supplemento ex ſynaxario membranaceo antiquo Ms. Sirmondi.* Anthimus ep. Nicom. *notatur etiam in Menæis Græcis monaſterii S. Marci PP. Prædicatorum Florentiæ. In Menologio autem Slavo-Ruſſico Sparwenfeldiano ſingulare aliquid habet annuntiatio, quando ſic ſcribit in apographo noſtro :* S. Sacerdotis & mart. Anthimæ ep. Nicomed. *Videri etiam poſſunt Ephemerides Græco-Moſcæ ante tomum* I *Maii. De* S. Anthimo *ac ſociis Martyribus egimus* xxvii Aprilis.

Tranſlatio S. Renoberti ep. & conf. *ſignatur à Greveno. Videri etiam poteſt Martyrologium, quod ſub Caniſii nomine citari ſolet. Egimus de hoc Sancto* xvi Maii.

S. Simeonis Stylitæ junioris *meminit hac die Martyrologium Romanum. De illo actum* xxiv *Maii, uti pariter* I *Septembris in* Martha *vel* Mathana, *Simeonis Stylitæ ſenioris matre, à pag.* 204. *Adi ergo dies modò indicatos* xxiv Maii & I Septemb.

S. Symeonis ſolitarii *memoria ponitur* in Lotharingia *apud Ferrarium in Catalogo generali*, ex Kal. Tullen., *ſicut ait in notis*, ſive Lotharingiæ. *Eumdem hac etiam die ſignat Sauſſayus cum titulo* Beati. *Non facilè dixero, quiſnam ſit* ſolitarius *iſte ; niſi forte ſit idem* C *cum Trevirenſi, de quo actum* I Junii.

S. Antidii epiſcopi Turonenſis *meminerunt Witfordus, Caniſius, Maurolycus, Ghinius, Ferrarius in Catalogo generali. Dedimus hunc præſulem Veſontionenſem, quem & perperam Turonenſem vocari diximus, ad diem* xxv Junii.

S. Erentrudis (*al.* Erendrudis) abbatiſſæ Benedictinæ tranſlatio Salisburgi in Bavaria *ſignatur ab Arturo à Monaſterio in Gynaceo. Ejuſdem* S. Erentrudis abbatiſſæ *tranſlatio occurrit apud Dorganium, Wionem, Menardum, ac Ferrarium in Catalogo generali. Legi poſſunt de hac Sancta quæ ſcripta ſunt jam pridem apud nos ad diem* xxx Junii.

Vitalianum *hac die memorat Rabanus, dicens :* In Caudis Vitaliani. *Apud Florentinium in annotatis varii videntur adjungi ſocii : nam Apographum Hieronymianum, quod* vetuſtiſſimum *nominat, ſic habet :* Et in Caudis Vitaliani, Serici, Lucæ, Nepotis, Joannis, Euphemiæ, Sexiei & Aritoni. *Verumtamen vix credo ullum horum ſpectare ad* Vitalianum, *aut unam eſſe Martyrum claſſem, ut mox veriſimili ratione oſtendam.* Vitalianum *verò in aliis Martyrologiis hac die non reperio ; at ſuſpicor alio die memoratum eſſe à recentioribus. Certè in Auctariis Uſuardi apud Solterium noſtrum ad* xvi *Julii codex Vaticanus hac habet :* Beneventi, natalis ſancti Vitaliani epiſcopi & confeſſoris. *Hunc verò eodem die annuntiat Romanum Baronii* Capuæ, *ut illius civitatis epiſcopum. Jam vero ſi locum* in Caudis *rectè expoſuit Florentinius in annotatis ad* III *Septembris de* Caudio *oppido, à quo* Furcæ Caudinæ, *Romanorum clade nobiles, olim nomen traxerunt ; cùm locus hic fuerit inter Beneventum & Capuam, ſuſpicor eumdem eſſe* Vitalianum, *quem Rabanus hac die poſuit, quemque dedimus cum Martyrologio Romano. Corporis aliqua tranſlatio diverſos hoſce dies inducere potuit. Conſule ergo apud nos de* Vitaliano, *de quo nihil novimus, ſi hodiernus forſan alius eſſet, diem* xvi Julii.

Seraphia V. & M. *refertur à Ferrario in Catalogo Sanctorum Italiæ, & ab Arturo in Gynæceo.* Serapia *vocatur in Martyrologio Romano : de qua egimus cum S. Sabina* xxix Auguſti.

Eleazarus ſac. & Phinees *notantur in apographo noſtro è Ms. S. Marci PP. Prædicatorum Florentiæ. Vide Prætermiſſos heſternos* II Septemb. B

MMMDCXXVIII Mart. Nicomed. *notantur in apographo noſtro ex Menæis Græcis PP. Prædicatorum Florentiæ. Conſule dicta in Sanctis ſex mille ſexcentis viginti octo Martyribus Nicomedienſibus ad diem* II Septembris.

S. Octavianus ſacerdos & ſolitarius apud Volaterras in Etruria *memoratur à Caſtellano. Vide heſternum diem* II Septembris.

Octavianus C. ope S. Angeli reſuſcitatus, *ac titulo* ſancti *inſignitus refertur in Acie &c., apud Philippum à Viſitatione : in Annotationibus verò Mss. ad eamdem Aciem pluribus annuntiatur in hæc verba :* S. Octavianus Paleſtinus C., ope S. Angeli reſuſcitatus, poſt mortem in Carmelo, continuis lacrymis & pœnitentiis ignes infernales extinguebat ; quos viderat ſibi præparatos. Tandem ſanctiſſimè obiit ad annum MCCXXIX. De illo apud Antoninum, Guilielmum Brugenſem & Waſtelium. *Quàm vera hæc ſint, quæ vago modo ex auctoribus hiſce aſſeruntur, non diſputo, edoceri primò cupidus ab eruditis PP. Carmelitis publicum hujus Octaviani cultum. De* S. Angelo *M. ex Ordine Carmelitarum egimus die* 5 *Maii.* E

Hildialdi epiſcopi confeſſ. *memoria hoc die ſignatur in Additionibus Mss. Cartuſiæ Bruxellenſis ad Uſuardum Greveni. Nomen* Hildialdi *vitiosè ſcriptum eſt pro* Hildebaldo *vel* Hildeboldo *archiepiſcopo Colonienſi, quem ad hunc quoque diem refert Caſtellanus in Martyrologio univerſali* ; Coloniæ S. Hildebaldi epiſcopi : *& Ægidius Gelenius de Coloniæ Agrippinenſis Magnitudine lib.* 4 *in ſacris & piis Faſtis* ; Coloniæ in baſilica S. Gereonis S. Hildeboldi archiepiſcopi. *Huic ſuæ annuntiationi præfixit Gelenius ſignum, quod roſam vocat, quo lectori perſuaſum vult, illum Sanctis annumerandum eſſe, & à venerabilibus ſecernendum, quibus tale ſignum non apponitur. In Florario noſtro Ms. Sanctorum commemoratur ad* 2 *Octobris :* Apud Coloniam Agrippinam depoſitio Hildeboldi ejuſdem urbis archiepiſcopi *&c. Floruit ſub Carolo Magno & Ludovico Pio imperatoribus. Ejus Acta ex variis documentis collecta dedit Gelenius in Pretioſa hierotheca à pag.* 42. *Actis*

A *hæc ſubjungit pag.* 48 : Coloniæ Agrippinæ in baſilica Flavia Heleniana, quam ad aureos Martyres nunc S. Gereonis nuncupamus, ſacellum divi Mauritii duos è marmore complectitur elaboratos ſarcophagos, qui ad altitudinem viri ex terra paulatim aſſurgentes ſibi mutuò incumbunt. Eorum ſuperiori inſculptum eſt, ſeptem & plura SS. Thebæorum martyrum corpora illo complecti : ſub quo tam precioſo reliquiarum operculo alter theſaurus clathris circumdatus ferreis, aſſervatur, ut ſequens uncialibus literis oſtendit inſcriptio: HOC TUMULO JACET CORPUS SANCTI HILDEBALDI COLONIENSIS ARCHIEPISCOPI RECONDITUM. Neque ulla alia Viri in Eccleſiam alioqui valdè prolixi invenio monumenta, præterquam quòd ſæpiſſimè illius meminerint archivorum diplomata ... Videtur autem Vir ſanctus ex profunda animi ſui ſubmiſſione poſt mortem etiam ſuam amaviſſe neſciri, ut omnem à Deo expectaret remunerationem. *His verbis aperte indicat Gelenius, nullam* Hildeboldo *venerationem publicam exhibitam fuiſſe uſque ad annum* 1634, *quo Pretioſam hierothecam typis vulgavit. Libro* 3 *Operis de Coloniæ Agrippinenſis magnitudine, anno* 1645 *editi, ſyntagm.* 2 *pag.* 269 *hæc habet :* Apud S. Mauritii aram, à latere eccleſiæ Meridionali, proximum oſtio eſt monumentum B. Hildeboldi Colonienſis archiepiſcopi, à me in Hierotheca precioſa deſcriptum : ſed in reſtauratione MDCXXXVIII facies ejus mutata eſt, & nunc hanc habet chronologicam inſcriptionem : VENERARE, QUI TRANSIS, OSSA HILDEBOLDI COLONIENSIS EPISCOPI, QUÆ ISTIC REQUIESCUNT IN GLORIA. *Aliquibus interjectis, ita pergit :* Juxta B. Hildeboldi aram & ſepulchrum *&c. Ecce, qui in Opere anno* 1634 *affirmârat ſe in S. Gereonis baſilica nullum de* Hildeboldo *reperiſſe monumentum, præter ejus ſepulcrum, in altero anni* 1645 *ibidem illius quoque aram exſtare aſſerit. Hinc ſuborta nobis fuit ſuſpicio, num fortè poſt prioris Operis editionem altare ipſi erectum fuerit. Rogavimus per literas R. P. Ferdinandum Limpens Rectorem collegii Societatis Jeſu Coloniæ, alicui è ſuis rei inveſtigationem committere dignaretur. Reſponſum fuit epiſtolâ, 27 Februarii anno* 1745 *datâ, cui incluſæ erant accuratæ annotationes eximii P. Joſephi Hartzheim S. T. D., quæ certos nos faciunt, non modò nullam aram, ſed nec ullum aliud cultûs publici* Hildeboldo *delati veſtigium in eccleſia S. Gereonis ſupereſſe. Illas, ad pleniorem lectoris inſtructionem, atque etiam ad virorum de nobis bene meritorum memoriam commendandam integras huc tranſcribemus.* I. B. Hildeboldi nullus cultus, nullum Officium, nulla commemoratio eſt in eccleſia S. Gereonis, teſtibus canonicis & vicariis ejuſdem eccleſiæ, quos interrogavimus hoc de argumento. Ex iis unus jam quinquaginta annis vicarius & canonicus, in antiquis ejuſdem eccleſiæ chartis, memoriis, Kalendariis, ritualibus, directoriis apprimè verſatus, negans ullum indicium cultûs erga B. Hildeboldum deprehenſum à ſe fuiſſe. II. Utraque inſcriptio tumuli Hildeboldini, & vetuſtior, quam refert Gelenius Hierothecæ p. XLVIII, & [recentior] de Col. Agr. magnit. p. CCLXIX, evanuit : vix unius alteriuſve literæ rudimentum ſupereſt. III. Ara & ſacellum S. Mauritio martyri dicata ſunt, & a canonico Pilgrum MDCXXXVIII reſtaurata in honorem S. Mauritii ; id quod & aræ inſcriptum eſt, citra ullam mentionem S. Hildeboldi. IV. Icon mediam aram ornans exhibet S. Mauritium martyrem, coram quo flectit canonicus, cujus dorſo manum imponit epiſcopus pluviali, mitrâ & pedo inſtructus ; ſed nullis radiis caput cingitur. Hunc epiſcopum tamen credo eſſe B. Hildeboldum. V. Feneſtra altari obverſa denuo exhibet pictam Iconem S. Mauritii martyris cataphracti, radiato capite ; intra cujus aurum legis, S. MAURITII M. Coram eo pictus iterum cernitur canonicus genu flectens : hujus humero imponit manum S. Hildeboldus pluviali, pedo, mitrâ conſpicuus & capite, circulo aureo cincto : ſupra quem auratum circum clarè extant hæ voces vitro impreſſæ, S. HILDEBOLDUS. Hoc unicum veſtigium ſanctitatis reliquum deprehendi, ſed cultûs nullum. Addo in bibliotheca Mss. collegii noſtri extare VIII Chronica Latina archiepiſcoporum Colonienſium ſat diſſimilia, quorum nullum hactenus editum eſt : at in nullo Hildeboldus compellatur vel BEATUS vel SANCTUS, licet cæterùm Chronicorum compilatores liberales ſint in ſanctis patriæ ſuæ epiſcopis ampliandis. Unde concludo, verba Gelenii de Col. Agr. magnit. JUXTA B. HILDEBOLDI ARAM, nil amplius nec plus ſignificare, quàm JUXTA ARAM, IN QUA B. HILDEBOLDI IMAGO EXTAT, vel JUXTA QUAM EJUS SEPULCRUM EST : nam certum eſt nec in hac Gereonitica, nec in ullâ alia eccleſia Colonienſi aram titulo B. Hildeboldi conſecratam extare. *Nihil eſt, quod hiſce addamus, quàm* Hildeboldo *inter Sanctos, quos ſcimus cultu publico legitimè honorari, locum non eſſe concedendum ; licèt in recentiora aliquot Martyrologia relatus ſit, &* Sancti *vel* Beati *titulo à variis ornetur, atque etiam à fide dignis ſcriptoribus ab humilitate, ſimplicitate, candore animi, aliiſque virtutibus plurimùm laudetur.*

B

C

D

E

F

Mercionofori conf. *tamquàm* beati *meminerunt additiones Mss. Cartuſiæ Bruxellenſis ad Uſuardum Greveni. Quiſnam verò ille ſit ; non novimus.*

S. Arnulphus *abbas Lerinenſis annuntiatur ex Molano apud Ferrarium in Catalogo generali, uti &* Aigulphus *martyr* apud Curiam in monaſterio Primineo, *& hujus ſocius* Frongentius *martyr. At duo primi non videntur diſtincti à* S. Aigulpho *abbate Lerinenſi, cujus ſocius* Frongentius, *uti hodie dicetur in Commentario prævio ad Acta* S. Aigulphi *num.* 57.

Orontes, Raurawa, Saulas, & Sawa martyres *ſunt apud Jobum Ludolfum in Faſtis ſacris eccleſiæ Æthiopicæ hac die, quâ & conſuli poteſt Caſtellanus in Martyrologio univerſali. Plura deſideramus.*

Dedicatio cathedralis eccleſiæ *Gerundenſis notatur hac die apud Tamayum.*

Deuſdedit epiſcopi Calaritani, *præfixa* Sancti *dignitate, memoria in Catalogo generali apud Ferrarium* Calari in Sardinia *annuntiatur*, ex Tab. eccl. Calaritanæ, *ſicut habet in notis* ; cui præfuit circa an. ſal. DCL : qui Romæ concil. Lateranen. ſub Martino I interfuit. *Apud Labbeum tomo* 6 *Conciliorum columnâ* 97 *ſunt iſta :* Deuſdedit venerabilis epiſcopus inſulæ

A sulæ Sardiniæ (*in Græco eſt* Καλαρέως, *id eſt*, Calaris) dixit. *Dionyſius Bonfant in Triumphis Sanctorum regni Sardiniæ lib.* 13 *cap.* 34 *eum laudat, ſed* venerabilem *dumtaxat appellat in titulo narrationis, quam de illo habet.*

Sericus, Lucas, Nepos, Joannes *memorantur ex apographo vetuſtiſſimo Florentinii cum Vitaliano, à quo eos ſeparavimus; additurque ibi* Euphemiæ, Sexiei & Aritoni. *At vix dubitare poſſim, quin* Euphemia *ſit ſancta Aquileienſis, de qua hodie agemus cum Martyrologio Romano.* Ariton *verò, qui in aliis apographis* Ariſton *vocatur, poteſt eſſe* S. Ariſtion, *de quo etiam hoc die tractabitur. An corrupta voce* Sexiei, *pro qua in Corbeienſi legitur* Syria, *Sanctus aut Sancta aliqua deſignetur, an locus, videtur incertum. Nihilo certius eſt, an alii quatuor unam claſſem conſtituant, imò etiam, an Sancti hi rectè hoc die memorentur, atque aliquo loco colantur, cùm maxima in apographis Hieronymianis ſit diverſitas.* Nepos *in nullo alio recurrit exemplari.* Joannes *&* Lucas *leguntur etiam in variis eodem ferè modo, videlicet apud nos poſt tom.* VII *Junii in Richenovienſi, Auguſtano, & Labbeano; apud Acherium tom.* 2 *Spicilegii recuſi in Gellonenſi, atque apud Martenium tom.* 3 *Anecdotorum col.* 1559 *in Hieronymiano primo. Verùm alia quædam apographa tranſlationem S. Joannis apoſtoli & Lucæ euangeliſtæ eodem die memorant. Audi Hieronymianum apud laudatum Acherium:* In Aquileia, ingreſſio reliquiarum ſanctorum Andreæ apoſtoli, Lucæ, Joannis euangeliſtarum. *Eadem reliquiarum ingreſſio legitur apud Florentinium in textu, & in Corbeienſi: neque alius* Lucas *aut* Joannes *recurrit in iſtis Martyrologiis hoc die. Demum* Sericus *in aliis* Syricus, *in Auguſtano* Silicus, *in multis omiſſus, & in Corbeienſi* Syria, *incertior item eſt, quàm ut audeamus quidquam certi ſtatuere. Quapropter de hiſce omnibus plura non dicemus, nec plura dici poterunt, niſi ex melioribus monumentis magis innoteſcant.*

S. Juſtus, epiſcopus Toletanus, indicatur à Wione, aſſerente ſe ex conjecturâ hac die (IX *Maii*) repoſuiſſe. Secuti Dorganius, Menardus, Bucelinus: item Ghinius & Ferrarius. At Tamaius Salazar cum aliis III Septembris. *Ita notarunt Majores noſtri in Prætermiſſis ad diem* IX *Maii, huc remittentes examen de publica veneratione. Mabillonius in Actis ſeculo* 2 *pag.* 147 *&* 148 *dedit elogium hiſtoricum de* Juſto *Toletano, & de cultu ſic loquitur num.* 3: S. Juſti nomen in Faſtis Romanis non habetur, neque in antiquis Martyrologiis, ſi fortè Toletanum excipias Kalendarium, in quo locum habuiſſe ab antiquo dicitur III Non. Septemb., ut ex Thomæ Tamaii notis ad Liutprandum Johannes Tamaius in Martyrolog. Hiſp. ad ipſum diem obſervat. *Verùm fides Tamaii ſuſpectiſſima eſt, ut ipſe non ignoravit Mabillonius, qui ideo dubitanter ait* fortè. *Certè conſului Toletana Kalendaria, Miſſalia, Officia propria, alioſque Faſtos Hiſpanicos, quos habemus non paucos; ſed nomen* Juſti *Toletani in illis non reperi: nullum quoque veſtigium Officii de eo celebrati, aut reliquiarum tranſlationis inveni. Verumtamen aliud pro veneratione* Juſti *argumentum affert Mabillonius num.* 2 *his verbis:* In ſucceſſoris Eugenii elogio SANCTUS diſertè à B. Ildefonſo prædicatur. *At ne verba quidem S. Ildefonſi mihi perſuadere poſſunt, cultu eccleſiaſtico ornatum umquam fuiſſe* Juſtum. *Quippe Ildefonſus apud Miræum de Scriptoribus eccleſiaſticis pag.* 98 *in Eugenio I ſic habet:* Et bonum meritum ſenis (*S. Helladii Toletani epiſcopi,*) qui duobus diſcipulis ſanctiſque filiis (*Juſto & Eugenio*) eccleſiæ Dei hæreditatem meruit relinquere gubernandam. *Nihil hîc aſſerit S. Ildefonſus, niſi utrumque fuiſſe ſanctis moribus: quod mihi non videtur ſufficere, ut* Juſtum *Toletanum inter Sanctos, quos colit Eccleſia, recenſeam. Accipe tamen* Juſti *elogium ex laudato Ildefonſo, qui pag.* 96 *ita eumdem celebrat:* Juſtus poſt Helladium, diſcipulus ejus, illique ſucceſſor innexus eſt: vir habitudine corporis ingeniique meritis decorus atque ſubtilis, ab infantia monachus, ab Helladio ad virtutem monaſticæ inſtitutionis affatim educatus pariter & inſtructus, in Agalienſi monaſterio tertius poſt illum rector eſt factus. In pontificatu autem mox illi ſucceſſor inductus, vir ingenio acer & eloquio ſufficiens; magna ſpe profuturus, niſi hunc ante longævam vitam dies abſtuliſſet extrema. Scripſit ad Richilanem, Agalienſis monaſterii patrem, epiſtolam debita & ſufficienti proſecutione conſtructam, in qua patenter adſtruit, ſuſceptum gregem relinquere penitus non debere. Exſtitit rector annis tribus; & tempore Siſenandi obiit: qui rex poſt hunc die nono decimo defunctus abſceſſit. *Miræus hanc addit annotationem:* Juſtus concilio quarto Toletano ſubſcripſit anno Siſenandi regis tertio, Chriſti ſexcenteſimo trigeſimo nono. *Videri id poteſt in Conciliis Hiſpaniæ apud Cardinalem de Aguirre tom.* 2 *pag.* 492. *Credidit laudatus Cardinalis in notis pag.* 505 *hunc* Juſtum *eumdem eſſe cum* Juſto *epiſcopo, qui ante epiſcopatum fuerat S. Helladii diaconus, quique deinde à ſuis fuit miniſtris in lecto ſtrangulatus. At Mabillonius exiſtimat ab eo eſſe diverſum.*

Tranſlatio vener. ottium P. N. Zozimi & Sabatii monachorum *habetur in Synaxario Ruthenorum peculiari diœceſis Kiovienſis, Latinè reddito & huc miſſo à P. Georgio David, miſſionario S. J. Moſcuæ reſidente anno* 1688. *Quinam illi ſint, non comperi hactenus.*

Balo confeſſor *à Caſtellano annuntiatur* in Connacia Hiberniæ provincia *cum titulo* ſancti. *Sed de ſanctitate ejus, cultu publico, rebuſque ab ipſo geſtis nihil reperi hactenus ſub iſto nomine in noſtris documentis de Sanctis Hibernis.*

Luciæ viduæ, tertii Ordinis, patrum Capuccinorum, tranſitus *annuntiatur* Syracuſis *in Martyrologio Siculo, quod habetur in Idea Operis Octavii Caietani.*

Magni, *neſcio cujus, cum titulo* ſancti *memoria occurrit in Martyrologio ſeu Viola Sanctorum, quæ typis edita eſt anno* 1508.

S. Sophiæ virginis corpus *in eccleſia Mindenſi* (*in Weſtphalia*) *requieſcere memorat ejuſdem eccleſiæ Breviarium, cujus pars æſtivæ anno* 1516 *excuſa eſt. Ibidem etiam habita tamquam martyr fuit: cùm Acta martyrii ejus in ſex lectiones diviſa in dicto Breviario habeantur. Hæc verò dum confero cum Paſſione S. Serapiæ virginis & martyris, quæ da-*

ta

A *ta eſt die* XXIX *Auguſti à pag.* 500, *obſervo non pauca in hac inveniri, quæ ſimilia ſunt lectionibus jam deſignatis. An verò dictum corpus è cryptis Romanis Mindam fuerit delatum ſub nomine* S. Sophiæ, *Actaque S. Serapiæ applicata ipſi ſint à Mindenſibus, nihil fortaſſe habentibus, quod de ipſa ſcriberent; ne per probabilem quidem conjecturam determinare poſſum, quia ſancta illa* Sophia *aliunde mihi prorſus ignota eſt: de qua ſi ſufficienter inſtrui nos contigerit, poterit illi poſtea alius dari locus in Opere noſtro.*

Euphemia virgo *in monaſterio Ciſtercienſi* Ouenes *refertur ab Henriquezio cum titulo* beatæ, *citaturque in notis Cæſarius Heiſterbacenſis Illuſtrium miraculorum ſeu Dialogorum lib.* 5 *cap.* 44, *& alii. In Kalendario Ordinis Ciſtercienſis anno* 1617 *Divione edito ſignatur hac etiam die, ſed abſque dicto titulo: quem ei tribuit Chalemotus; cui adde Arturum in Gynæceo, qui dictum monaſterium diſtinctiùs deſignans, annuntiationem ita inchoat:* In Germania, prope Tolbiacum, apud Houenenſe Ordinis Ciſtercienſis mona-
B ſterium *&c. Cultum autem Virgini prædictæ deberi, aliunde certiores fieri deſideramus.*

Buchardus Ordinis Ciſtertienſis monachus ſanctiſſimus . . . , *qui deinde* Bituricenſi eccleſiæ archiepiſcopus *præfectus, annuntiatur* in Gallia, *ac* beati *titulo inſignitur à Chryſoſtomo Henriquez in Menologio Ciſtercienſi, ubi citat in notis vetus Miſſale ejuſdem Ordinis* in catalogo Sanctorum, *ut vocat,* noſtri inſtituti: *cui addit Aubertum Miræum in Chronicis Ciſtercienſibus. Prædictus Henriquezius non invenit Buchardum inter præſules Bituricenſes apud Joannem Chenu: unde apparet ipſi vel hunc ab eo eſſe omiſſum, vel* Guicardum *pro* Buchardo *ſignatum, vel potiùs pro* Guicardo *poſitum* Buchardum *in dicto Miſſali; atque adeo opinatur,* Buchardum, *qui dicto catalogo Ciſtercienſium inſeritur, eumdem eſſe* Gerardum *archiep. Bituricenſem, qui S. Guilielmo ejuſdem eccleſiæ antiſtiti anno* 1209 *ſucceſſit. De S. Guilielmo egimus die* x *Januarii: cui ſucceſſiſſe* Girardus de Cros *ſcribitur apud Sammarthanos tomo* 1 *pag.* 174; *ubi non lego, eum fuiſſe Ordinis*
C *Ciſtercienſis, nec* Beati *titulo inſignitum. Neutrum quoque fit in Gallia Chriſtiana recuſa tomo* 2 *à columnâ* 63: *laudatur tamen à* doctrina, ſanctitate, & miraculis, *& obiiſſe ſcribitur anno* 1218 *Nonis Julii. Additur tamen, quòd non vereatur Patriarchii Bituricenſis auctor* eum titulo Beati ornare: *qui an legitimè ipſi conveniat, doceri cupimus.*

Feſtum reliquiarum Sanctorum, *qui in eccleſia monaſterii abbatiæ S. Benedictæ Auriniacenſis in Veromanduis honorantur, ritu duplici ibidem colitur, ſicut præſcribit Ordo propriorum feſtorum ejuſdem loci, anno* 1619 *in lucem editus.*

Julianus Maigneſius, Joannes Bunius, Guilielmus Montanus } *Viriæ in Neuſtria ab hæreticis interfecti* } *notantur ut BB. martyres ab Arturo in Martyrol. Franciſcano.*

Joannes Merenſis } } D

De his apud Waddingum ad annum 1491 *num.* 77, *occaſione Conventûs Virienſis, de quo ſcriptum ibidem num.* 76, *& collocatur in diœceſi Bajocenſi in Normannia inferiore. Eoſdem etiam Menologio Franciſcano intexit Hueberus, ubi inſuper laudat plurimos Lutheromaſtiges in Germania ex Ordine S. Franciſci.*

His addi poſſunt ex eodem Huebero Petrus à Belcaſtro laïcus, *Maſuracæ in Calabria*; Gonſalvus Clericus, *prope oppidum Pontis Limani diœceſis Braccarenſis*; Antonius Laurerius, *in India Orientali*; Iſaïas de Milano, *Mediolani in Inſubria*; Joannes de Jeſu, *in Monte Arenarum Abulenſis diœceſis*; Jacobus Montanarius, *Balneo-Caballi*; Joannes Godoya, Tertii Ordinis S. Franciſci, *in Hiſpania.*

Apud Waddingum ad annum 1429 *num.* 10 *memoratur* corpus .. Petri Bellicaſtrenſis poſt multos annos exhumatum, & integrum pulchriori donatum eſſe ſepulcro, *addente Huebero,* ad publicum cultum fuiſſe honorificentiùs reconditum. *An verò cultus ille* publicus, *prout vocatur ab Huebero, ſufficiens ſit* E *ad faciendum caſum exceptum à Decreto Urbani PP. VIII, cupimus doceri.*

Alphonſus Toſtatus, epiſcopus Abulenſis *multis laudatur ab Ægidio Gonſalvo Davila in Theatro eccleſiaſtico Abulenſi, ubi pag.* 96 *dicitur,* Abulæ & in ſua eccleſia haberi pro beato.

S. Marini *memoriam* Papiæ *aſſignat Belinus; de quo etiam Molanus, Galeſinius, Maurolycus, Ferrarius in Catalogo utroque, & alii. De illo agemus die proximè ſequenti cum Martyrologio Romano* IV Septembris.

Foſſis, tranſlatio corporis beati Foillani martyris *annuntiatur à Molano in Additionibus ad Uſuardum anno* 1573 *editum. Adde Dorganium, Wionem, Menardum, Ferrarium in Catalogo generali, & Wilſonum in Martyrologio Anglicano prioris editionis. Hujus ſancti epiſcopi natalis refertur à Molano in utraque editione, nec non ab aliis jam memoratis hagiologis, & à Wilſono in Martyrologio Anglicano utriuſque editionis ad diem, quo agi apud nos de illo poterit,* XXXI Octobris.

In Hungaria, ſancti Emerici ducis & confeſſoF ris, filii ſancti Stephani regis Hungariæ *memoria ſignatur à Greveno, Florario noſtro Ms., & Caniſio: de quo etiam agit editio Uſuardina Lubeco-Colonienſis, titulo* beati *illum memorans inter Auctaria ad Uſuardum à nobis editum. Eſt in Martyrologio Romano ad diem, quo & apud nos dabitur,* IV Nov.

S. Nympha virgo & martyr Panormitana *exſtat apud Ferrarium in Catalogo Sanctorum Italiæ: videri etiam poteſt Catalogus ipſius generalis. Eſt autem in Martyrologio Romano ſynonyma virgo & martyr cum Tryphone & Reſpicio, materiem datura inquiſitionis ulterioris ad diem* X Novembris.

S. Reolus *Remenſis antiſtes hodie memoratur à Sauſſayo & Menardo; ſed ab aliis obiiſſe dicitur* XXV *Novembris, quo eum annuntiavit Caſtellanus. Majores quoque noſtri de eo agendum judicarunt* XXV Novembris.

A D

DE SANCTA PHOEBE DIACONISSA

CENCHRIS APUD CORINTHUM,

J. P. COMMENTARIUS HISTORICUS.

§ I. Locus, cultus, elogium; Sancta non fuit uxor S. Pauli apoſtoli.

Post medium seculi 1. Cenchræ portus & opp. apud Corinthum: Sanctæ cultus:

B Enchreæ, *al.* Cenchræ *portus & oppidum apud Corinthum, notiſſimam urbem in Peloponneſo, memorantur à Strabone lib.* 8 *pag.* 380 *editionis Pariſienſis anni* 1620, *his verbis:* Oræ maritimæ à Corintho utriuſque initia ſunt, alterius Lechæum, alterius Cenchreæ vicus & portus ab urbe diſtans ad LXX ſtadia: quo portu utuntur ad negotiationes Aſianas; Lechæo ad Italicas. *Cellarius in Notitia Orbis antiqui lib.* 2, *cap.* 13 *pag.* 755 *celebriorem eſſe portum Cenchrenſem, ejuſque nomen Græcum variè ſcribi obſervat. Apud Pomponium Melam de Situ Orbis lib.* 2, *cap.* 3 *refertur* opidum Cenchreæ, fanum Neptuni: ludis, quos Iſthmios vocant, celebre. *Apud Theodoretum tom.* 3 *in Epiſtolæ ad Romanos caput* 16 *vocatur* Cenchreæ maximus quidam pagus ... Corinthi. *Ibidem loci* S. Phœbe *ſuncta fuit miniſterio in eccleſia & convenientes ſuo muneri virtutes exercuit, & ideo illic eam modò annuntiavi, etiamſi neſcio, an Cenchris, an Corinthi, an alibi ad beatam immortalitatem migraverit. De publica autem ipſius veneratione certò conſtat. Nonnulla dumtaxat è pluribus Martyrologiis commemorabo, quæ hanc Sanctam referunt. Ado primus, quantùm novi, eam ſic intexit Feſtivitatibus Apoſtolorum hac die:* Natalis ſanctæ Phœbes, de qua beatus Apoſtolus Romanis ſcribit: " Com-„ mendo autem vobis Phœben ſororem no-„ ſtram „ *&c.; de quibus mox dicam. Adonem ſecutus Uſuardus, omiſſis verbis ſacris, ſcribit iſta:* Natalis ſanctæ Phœben, de qua beatus Apoſtolus Romanis ſcribit. *Adde Florarium noſtrum Ms. Martyrologium verò Romanum illam quoque annuntiat addito* Corinthi *loco:* Natalis ſanctæ Phœbes, cujus meminit beatus Apoſtolus Paulus ad Romanos ſcribens. *Hæc de cultu.*

Laudatur à S. Paulo apoſtolo:

2 *Laudatur autem ab Apoſtolo in epiſtola jam dicta cap.* 16, ℣ 1 *&* 2, *his verbis:* Commendo autem vobis Phœben ſororem noſtram, quæ eſt in miniſterio eccleſiæ, quæ eſt in Cenchris: ut eam ſuſcipiatis in Domino dignè Sanctis, & aſſiſtatis ei in quocumque negotio veſtri indiguerit: etenim ipſa quoque aſtitit multis, & mihi ipſi. *Toletus nonnulla exponit hujus loci adjuncta, indicans* Phœben *cujuſdam negotii causâ proficiſcentem ad Romanam urbem, à Paulo commendari Romanis, atque ab illo vocari* ſororem noſtram, *id eſt, ſororem communem, quia communi videlicet fidei & Religionis vinculo ligata erat: ſorores enim & fratres in Chriſto ſunt Chriſtiani. Menochius hîc,* ſororem, *inquit,* religione, id eſt Chriſtianam. *Hoc verò* nomen, *ſicut pergit Toletus,* quædam tacita eſt ad acceptandam commendationem exhortatio: *cui aliquod fortaſſe pondus acceſſit ex parte ſanctæ hujus Feminæ, ſi, ut fertur, Apoſtoli litteras ipſa detulerit Romam:* Hujus epiſtolæ, *ait Toletus,* Phœben tabellariam fuiſſe dicit Anſelmus (*ſeu Herveus*) quamvis ſub dubio, quia res certa non eſt. *Porrò è paucis Doctoris gentium verbis, quibus magnas Mulieris hujus laudes perſtringit, conficitur, ſolida eam fide, pietate erga Deum, ac multorum operum bonorum exercitatione ſpectabilem fuiſſe.* E

cujus eam uxorem

3 *Fuerunt nonnulli, qui eam S. Pauli uxorem fecerunt; ſed hic uxorem numquam habuit:* Quidam, *inquit Toletus hîc,* recentiores, hanc Phœben uxorem fuiſſe Pauli affirmant, quam ſororem eò dictam cenſent, quia re conjugii non utebatur, ſed cælebs vivebat. Horum ſententia improbabilis eſt, tum quia fundamentum infirmum eſt; non enim eò dicta ſoror, quòd uxor ſit cælebs: ſed quia in Domino viri omnes, fratres, & feminæ, ſorores appellantur. Jaco. 2: " Si frater & ſoror nudi ſint „. Et Matth. 12: " Ille meus frater & ſoror eſt „. Tum etiam, quia nemo antiquorum expoſitorum id interpretatus eſt. Tum demum, quia vix poteſt ſuſtineri, Paulum uxoratum fuiſſe: ſunt enim graviſſimi Patres huic opinioni adverſantes. *Eorum agmen ducat S. Hieronymus in Epiſtola ad Euſtochium* 18 *al.* 22 *de Cuſtodia virginitatis, tomo* 4 *Operum à Martianæo editorum, parte* 2, *columnâ* 36, *ubi hæc ſcribit:* " De virgini-„ bus, inquit Apoſtolus, præceptum Domini „ non habeo „. Cur? Quia & ipſe ut eſſet virgo, non fuit imperii, ſed propriæ voluntatis. Neque enim audiendi ſunt, qui eum uxorem habuiſſe confingunt, quum de continentia differens & ſuadens perpetuam caſtitatem, intulerit: " Volo autem omnes eſſe ſicut meipſum „. Et infrà: " Dico autem innuptis & viduis: Bo-„ num eſt illis, ſi ſic permaneant, ſicut & ego „. C F

non fuiſſe, probatur à Patribus

4 *S. Ambroſius in Commentariis ſuper Epiſtola ad Corinthios prima, Apoſtoli verba capite* 7 ℣ 8 *explicans tomo* 2 *columnâ* 133 *editionis Benedictinæ Pariſienſis, longiſſimè etiam ab eo removet matrimonium his verbis:* Non diceret, bonum eſt innuptis, ut ſint, ſicut & ego, niſi eſſet integer corpore. Nec diceret: " O-„ mnes homines volebam eſſe, ſicut me ipſum „ ſi enim habuerit uxorem, & hoc dixit, virgines eſſe noluit. Sed abſit: ſic enim à pueritia ſervivit, ut hujus rei ſtudium non haberet; quippe cùm juvenculus anticipatus ſit à gratia Dei. *Idem aſſeruit S. Epiphanius contra Valeſios hæreſi* 38 *ſive* 58, *ubi dum de tribus eunuchorum generibus tractat, tertio loco illi ponuntur,* qui ſe ipſos caſtraverunt propter regnum cælorum. *Inter*

quos

A *quos collocat monaſticum ordinem, virginitatis palmam adeptum :* Qualem, *inquit*, in vetere Teſtamento Eliam fuiſſe legimus, ac deinceps Paulum, qui dixit : " Dico autem non nuptis, „ quoniam bonum eſt ipſis, ſi maneant, ſicut „ ego „ *&c. Atque ex his patet, tam concordem juxta ac perſpicuam in hac controverſia eſſe laudatorum Patrum ſententiam, ut in alium ſenſum detorqueri poſſe non videatur. Sed quandoquidem contraria ſuos quoque patronos habuit, rationes expendamus, quæ pro eadem afferri poſſint.*

contra alios, 5 *Objectus imprimis fuit antiquiſſimus & ſanctiſſimus ſcriptor S. Ignatius epiſcopus Antiochenus & martyr, cujus Acta & ſcripta illuſtravimus tomo* 1 *Februarii, die* 1 *ejuſdem menſis, pag.* 13 *& ſequentibus, quem oppoſitam nobis aiebant opinionem tradidiſſe in epiſtola ad Philadelphienſes, unâ ex ſeptem,* quæ certiſſimè, *ut ibidem diximus pag.* 21, ab S. Ignatio conſcriptæ noſcuntur *(Eaſdem quoque adverſus quoſdam hypercriticos vindicat Remigius Ceillier in Hiſtoria generali auctorum ſacrorum & eccleſiaſticorum tomo* 1, *cap.* 11, *art.* 2.) *Nam, pro-*

B *ut extat ſpuria & corrupta epiſtola ad Philadelphienſes, S. Ignatio imputantur iſta :* Non detraho ... cæteris Beatis, qui nuptiis copulati fuerunt. Opto enim Deo dignus ad veſtigia eorum in regno ipſius inveniri, ſicut Abraham, & Iſaac & Jacob .. & ceteri prophetæ ; ſicut Petrus & Paulus & reliqui Apoſtoli, qui nuptiis fuerunt ſociati, qui non libidinis causâ, ſed poſteritatis ſubrogandæ gratiâ, conjuges habuerunt. *Verùm in Actis deſignatis, § 6, num.* 50 *facta mentione de interpolationibus in Epiſtolas Ignatianas perperam aliunde intruſis, à codice Florentino eaſdem abeſſe diximus, totque alibi conferri nævos in epiſtolam ſolam ad Philadelphienſes jure expungendos, ut alterâ ſui parte auctior reddita ſit.*

qui ex epiſtola S. Ignatii ep. & M., 6 *Deinde commentitium illud fragmentum de conjugio Pauli & Apoſtolorum ita ibidem caſtigatur :* Quæ omnia inferta fuerunt fraude nupturientium clericorum Græcorum, qui dum uxores cum ſacerdotio cœperunt retinere, Paulum ceteroſque Apoſtolos in defenſionem ſuæ ipſorum incontinentiæ aſſumpſerunt conſortes, ut ſuprà citati monuerunt Baronius, Maſſutius,

C aliique. *Poſt hæc aliæ in eadem epiſtola deſignantur & corriguntur interpolationes. Hinc concludo, nullius roboris eſſe argumentum, quod petitur ex epiſtola corrupta S. Ignatii epiſcopi & martyris ad probandas S. Pauli nuptias, ac proinde* S. Phœben *non fuiſſe ipſius uxorem. Uſſerius in Diſſertationibus, quas S. Polycarpi & S. Ignatii epiſtolis à ſe editis præmittit, cap.* 17 *diſcutiens locum de Pauli & Apoſtolorum conjugio in* aſſumentis, *ut vocat, epiſtolæ ad Philadelphienſes, à Catholicis tantopere exagitatum, multa collegit contra Catholicos ſcriptores, quibus probare contendit,* Pauli & reliquorum Apoſtolorum *mentionem inter conjugatos haberi in vetuſtis epiſtolarum S. Ignatii exemplaribus. Sed quid tum ? Enimverò eſto ita in illis legi ; an ex eo ſequitur, ſic legi debere, & ſic lectum fuiſſe in primigeniis exemplaribus ? Quomodo itaque illa non viderint ſancti Patres, qui contraria tradiderunt ? Quomodo Uſſerius ipſe locum hunc non vidit eſſe ſubleſtæ fidei, qui Diſſertationem ſuam concludit his verbis :* Cœlibem vixiſſe Paulum, ex ipſius profeſſione illa ſatis perſuaſus ſum

* *Vulgata* omnes vos 1 Cor. 7, 7, 8 : " Volo omnes homines * eſſe,

„ ſicut me ipſum „. Et : " Dico innuptis & vi- AUCTORE
„ duis, bonum eſſe illis, ſi ſic permanſerint, J. P.
„ ſicut & ego „.

7 *Alterum, quod pro laudati Apoſtoli matri-* *& Clemente Alexandrino hoc volunt ;*
monio prolatum fuit argumentum, nititur teſtimonio Clementis Alexandrini lib. 3 *Stromatum pag.* 210 *editionis anni* 1592 *:* Petrus, *ait*, & Philippus filios procrearunt. Philippus autem filias quoque ſuas viris tradidit. Et Paulus quidem certè non veretur in quadam epiſtola ſuam appellare conjugem, quam non circumferebat, quòd non magno ei opus eſſet miniſterio. Dicit itaque in quadam epiſtola : " Non habemus poteſtatem „ ſororem mulierem circumducendi, ſicut & re„ liqui Apoſtoli „ ? Sed hi quidem, ut erat conſentaneum miniſterio, quod divelli non poterat, prædicationi ſcilicet attendentes, non ut uxores, ſed ut ſorores circumducebant mulieres, quæ unà miniſtraturæ eſſent apud mulieres, quæ domos cuſtodiebant ; per quas etiam in gynæceum abſque ulla reprehenſione malave ſuſpicione ingredi poſſet doctrina Domini. *Hac Clemens Alexandrinus.*

E

8 *At reſpondeo, non ſatis mihi compertum* *ſed perperam : cùm repugnent S. Ambroſius & ſanctus*
eſſe, quidnam è prolato Pauli teſtimonio ad Corinthios 1, *cap.* 9, ℣ 5 *confici poſſit pro uxoribus, de quibus ſuprà, cùm Apoſtolus ibi neutiquam loquatur de uxoribus, ſed de mulieribus, quæ ex pio religionis affectu, ac fidei amore ſequebantur Apoſtolos, eiſque ſumptus & officia præſtabant. Quæ quidem interpretatio eſt ſanctorum Patrum. Audiatur S. Ambroſius in locum Apoſtoli jam citatum :* Mulieres, *inquit*, deſiderio doctrinæ dominicæ, & cupidæ virtutum ſequebantur Apoſtolos, miniſtrantes eis & ſumtus & ſervitia, ſicut & Salvatorem ſunt ſequutæ, miniſtrantes ei de facultatibus ſuis. *Huic Eccleſiæ Doctori adde S. Hieronymum in Commentariis ad caput* 27 *Matthæi* ℣ 55 *ſuper his verbis*, Erant autem ibi mulieres multæ *&c. ita ſcribentem :* Conſuetudinis Judaïcæ fuit, nec ducebatur in culpam more gentis antiquo, ut mulieres de ſubſtantia ſua victum atque veſtitum præceptoribus miniſtrarent. Hoc quia ſcandalum facere poterat in nationibus, Paulus abjeciſſe memorat. Dicit enim ipſe : " Numquid non ha„ bemus poteſtatem ſorores mulieres circumdu„ cendi, ſicut ceteri Apoſtoli faciunt „ ?

9 *Idem ſanctus Pater libro* 1 *contra Jovinia-* F
num tomo 4 *Operum ſuorum à Martianæo edi-* *Hieronymus*
torum, columnâ 167 ; Si autem, *ait*, illud nobis oppoſuerit ad probandum, quòd omnes Apoſtoli uxores habuerint, " Numquid non ha„ bemus poteſtatem mulieres vel uxores circum„ ducendi „ ? (quia γυνὴ apud Græcos utrumque ſignificat) ſicut cæteri Apoſtoli & Cephas, & fratres Domini ; jungat & illud, quod in Græcis codicibus eſt : " Numquid non habemus po„ teſtatem ſorores mulieres vel uxores circum„ ducendi „ ? Ex quo apparet, eum de aliis ſanctis dixiſſe mulieribus, quæ juxta morem Judaïcum magiſtris de ſua ſubſtantia miniſtrabant, ſicut legimus ipſi quoque Domino factitatum. Nam & ordo verborum hoc ſignificat : " Num„ quid non habemus poteſtatem manducandi & „ bibendi, aut ſorores mulieres circumducen„ di „ ? Ubi de comedendo & bibendo, ac de adminiſtratione ſumtuum præmittitur, & de mulieribus ororibus infertur, perſpicuum eſt non uxores debere intelligi, ſed eas, ut diximus, quæ de ſua ſubſtantia miniſtrabant.

10 Quod & in veteri lege de Sunamitide illa *iſti opinioni.*

AUCTORE J. P. scribitur, quæ solita sit Elisæum recipere, & ponere ei mensam, & panem & candelabrum, & cætera. Aut certè si γυναῖκας, UXORES accipimus, non MULIERES; id quod additur, SORORES, tollit UXORES, & ostendit eas germanas in spiritu fuisse, non conjuges. Quamquam, excepto Apostolo Petro, non sit manifestè relatum de aliis Apostolis, quòd uxores habuerint: & quum de uno scriptum sit, ac de cæteris tacitum; intelligere debemus sine uxoribus eos fuisse, de quibus nihil tale Scriptura significet. *Recte igitur Theodoretus Sanctam nostram vocat* ministram *S. Pauli*, eamque inclytam & celebrem; *neutiquam verò* conjugem.

§ II. Sanctæ virtutes, officium diaconissæ, laudes ex S. Joanne Chrysostomo; an fuerit vidua, an virgo, tempus vitæ.

B

Sanctæ ministerium apud Cenchrenses

S*Anctus Paulus in epistola ad Romanos superiùs citata de Sancta nostra dicit*; quæ est in ministerio ecclesiæ, quæ est in Cenchris: *ubi vides hujus officium ab illo non dissimulari, ut vel ex hoc etiam commendationem suam Romanis faciat magis gratiosam. At quale fuit piæ hujus Mulieris ministerium* ecclesiæ; *id est, apud congregationem fidelium Christianorum*; quæ erat in Cenchris? *Illud videlicet fuisse censeo, de quo meminit idem Doctor gentium prima ad Timotheum epistolæ cap.* 5 ℣ 10, *ubi de viduis scribens sic loquitur:* Si hospitio recepit, si Sanctorum pedes lavit, si tribulationem patientibus subministravit, si omne opus bonum subsecuta est. *Theodoretus Cyri episcopus in illud ex dicto Apostoli loco jam allatum*, Si Sanctorum pedes lavit, *annotat ista:* Hoc enim olim faciebant. Ita etiam Lydia (*Actorum* 16) ipsum Apostolum, & eos, qui cum eo erant, suscepit. Ita etiam dixit de Phœbe: "Adfuit multis, & mi„hi ipsi„. *Illud verò pluribus declarat, & insigni elogio hujus sanctæ Feminæ confirmat idem*

C *Theodoretus, in Epistolam ad Romanos cap.* 16 *scribens, & pleno ore bona ipsius opera ad posteros transmittens:* Cenchræ, *inquit*, erat maximus pagus Corinthi. Æquum est ergo admirari vim prædicationis (*S. Pauli.*) Brevi enim tempore non solùm urbes, sed & pagos pietate replevit, & tanta erat Cenchris congregatio, ut etiam haberet mulierem ministram, eamque inclytam & celebrem.

variis virtutibus illustre:

12 Tantas enim habebat rectè factorum opes, ut ex lingua Apostolica laudes ejusmodi colligeret. Etenim ipsa quoque adstitit multis, & mihi ipsi. Adstitisse autem, ut puto, dixit, quòd in eum hospitalis fuerit, ejusque curam gesserit. Multiplicibus autem eam laudibus remuneratur. Ipsa enim, ut est verisimile, eum in unam domum susceperat, & ad exiguum tempus, id scilicet, quo Corinthi versatus est. Ipse autem ei universarum terrarum orbem aperuit, Mulierque in universa terra ac mari celebris facta est, nec eam soli Romani & Græci cognoverunt, sed etiam omnes barbari. *Hæc de ministerio* S. Phœbes, *ac laudibus ob illud ab Apostolo ipsi tributis Theodoretus. Dispiciamus nunc an ex S. Pauli expressione*, in ministerio ecclesiæ *eam versari indicantis, alia in eodem officio considerari non possint ex textu Græco.* D

cui probabilius

13 *Textus ille habet* ἔσαν διάκονον τῆς ἐκκλησίας; *super voce autem* διάκονον *non pauca annotavit Toletus antea citatus. Pag.* 660 *& proximè sequenti hæc refert:* Origenes & Chrysostomus ad dignitatem quamdam pertinere affirmant, quâ ex Apostolorum auctoritate (*Sancta nostra*) fungebatur. Cujus rei declarandæ causâ adnotandum est, olim ordinem quemdam diaconissarum fuisse, ut constat ex Clemente Romano, *uti vocatur*, & aliis antiquis Doctoribus, quarum jam nullus usus in Ecclesia extare videtur. Harum ministerium Clemens variis in locis explicat: nam lib. 8 Constitut. Apostolic. (*quæ sub isto nomine circumferuntur*) cap. 28 sic habet: "Diaconissa non benedicit, neque facit „aliquid eorum, quæ presbyteri aut diaconi fa„ciunt, nisi quod januas custodit, & presbyte„ris ministrat, cùm mulieres baptizantur, id„que propter decorem & honestatem „. Hæc Clemens. Et lib. 2 cap. 26 "Nulla, inquit, „mulier ad episcopum aut diaconum sine dia„coníssa accedat „. Lib. 3 cap. 15. Hæ diaconissæ mittebantur ab episcopo vel diacono ad mulierum domos propter gentium scandalum vitandum, & adhibebantur in baptismo feminarum ad nudanda earum corpora, & ad illas liniendas. *At S. Epiphanius in Expositione fidei Catholicæ tomo* 1 *Operum à Petavio editorum pag.* 1104 *diaconissarum officium ad unum restringit usum; sed unum fortasse hunc nominat, volens intelligi præcipuum. En tibi ejus textum:* Diaconissæ ad hunc unum usum adhibentur, ut mulierum decoris, & honestatis causâ sint administræ, si id forte necesse fuerit, sive dum baptismo initiandæ sunt; sive dum earum corpora perscrutanda. E

officium

14 *Redeamus ad Toletum, qui ex auctore Constitutionum Apostolicarum addit ista:* Lib. 3 cap. 19 inserviebant, *inquit pag.* 661, fœminis infirmis. Hujusmodi erant ministeria harum diaconissarum; de quibus Ignatius epistola 12, quæ est ad Antiochenses; *perperam, ut affirmant alii, Ignatio adscripta:* "Saluto, in„quit, custodes sacrorum vestibulorum in Chri„sto diaconissas „. Erant enim fœminæ tempore Sacrificii recluse quibusdam locis, à viris se- F paratæ, quorum locorum vestibula & januas diaconissæ observabant. Hoc ministerium Phœben sortitam esse probabile est, idque Origines & Chrysostomus significant: eligebantur enim ab Apostolis seu episcopis hujusmodi mulieres, quarum qualitates etiam Clemens describit. Theodoretus 1 Timoth. 5 hoc ministerium explicat, sicut nos in commentario diximus; *vide dicta sub initium hujus paragraphi.* Et forsan hoc erat conjunctum ministerio illi: utrâque enim de causâ ministra dicta est. *Hactenus Toletus: cujus sententia de duplici ministerio in* S. Phœbe *conjuncto, uno videlicet, quo exercebat virtutes suprà descriptas ex S. Paulo* 1 *Timoth.* 5 ℣ 10; *altero, quo diaconissæ officio fungebatur, tam probabilis admodùm est, quàm Sanctæ honorifica.*

diaconissæ adjunctum fuit.

15 *Juvat huc adducere Patres. Origenes in epistolam ad Romanos cap.* 16, ℣ 1: Hic locus apostolica auctoritate docet etiam fœminas in ministerio ecclesiæ constitui. In quo officio positam Phœben apud ecclesiam, quæ est Cenchris, Paulus cum laude magna & commendatione prosequitur, enumerans etiam gesta ipsius præclara, &

A & dicens: Quia in tantum omnibus aſtitit, hoc eſt in neceſſitatibus præſto fuit, ut etiam mihi ipſi in neceſſitatibus meis Apoſtoliciſque laboribus tota devotione mentis aſtiterit. Simile autem opus ejus dixit hoſpitalitati Lot, qui dum ſemper hoſpites ſuſcipit, meruit aliquando angelos hoſpitio ſuſcipere. Similiter & Abraham dum ſemper occurrit hoſpitibus, meruit ut & Dominus cum angelis diverteret ad tabernaculum ejus. Ita & hæc religioſa Phœbe, dum aſtat omnibus & obſequitur, aſſiſtere & obſequi etiam Apoſtolo meruit. Et ideo locus hic duo pariter docet, & haberi (ut diximus) fœminas miniſtras in eccleſia, & tales debere aſſumi in miniſterium, quæ aſtiterint multis, & per bona officia uſque ad Apoſtolicam laudem meruerint pervenire. *S. Joannes Chryſoſtomus in Homilia in epiſtolam ad Romanos hic videtur ſanctæ Mulieri attribuere dignitatis ſive diaconiſſæ officium.* Vide, *inquit*, quantùm illam honoret *Doctor gentium*: nam illam ante alios omnes memorat, & ſororem vocavit. Dignitatem quoque adjicit, miniſtram vocans.

B *S. Joannes Chryſoſtomus egregias ejus dotes*

16 *Reliqua, quæ Apoſtolus ſuperaddit de* S. Phœbe *ad majorem pro ea commendationem Romanis inculcandam, S. Joannes Chryſoſtomus ita ibidem exponit:* " Ut illam ſuſcipiatis in Domi„no, ut decet Sanctos „. Hoc eſt propter Dominum, ut honore fruatur apud vos. Nam qui propter Dominum ſuſcipit, etiamſi non magnum quempiam ſuſcipiat, cum ſolicitudine ſuſcipit. Cùm autem illa ſancta eſſet, cogita quo cultu ea digna fuerit. Ideo adjicit, " ut decet San„ctos „: ut tales ſuſcipere oportet. Duplici autem de cauſa digna eſt, quæ curetur à vobis, & quòd propter Dominum ſuſcipiatur, & quòd ſancta ſit. " Et aſſiſtatis ei in quocumque nego„tio vobis indiguerit „. Viden' quàm ſtudeat, ut ne oneroſus ſit? Non enim dixit, ut liberetis eam; ſed ut, quæ penes vos erunt, afferatis, & manum porrigatis, & in quibus ope veſtra eguerit, non quocumque in ſtatu illa ſit, ſed in quibus operâ veſtrâ eguerit; ſi in iis egeat, in quibus vos auxiliari poſſitis. Deinde ineffabilis laus ſequitur: " Etenim ipſa multis adfuit, & „ mihi ipſi „. Viden' prudentiam? Primò laudes, deinde in medio adhortationem, poſtea rurſum laudes poſuit, utrinque præſtanda officia laudibus beatæ Mulieris concludens. AUCTORE J. P.

17 Quomodo enim non beata, quæ tanto Pauli teſtimonio celebratur, quæ potuit illum juvare, qui totum orbem emendavit? Hoc enim illius virtutum colophon erat: ideoque hoc poſtremum poſuit dicens, " & mihi ipſi „. Quid eſt illud, " & mihi ipſi „? Prædicatori Orbis, ei, qui tot tantaque paſſus eſt, qui innumeris hominibus ſufficit. Imitemur ergo & viri & mulieres Sanctam illam. *Menochius ex his* adſtitit multis, *Græcè* προστάτις ἐγένετο, PATRONA ſeu SUFFRAGATRIX fuit, *colligit*, Phœben non contemnendæ auctoritatis fuiſſe in patria ſua: cujus rei etiam ex eo capi poteſt conjectura, quòd negotiorum causâ Romam proficiſceretur: hoc enim majus videtur quàm ut humili fœminæ conveniat. Aliqui docent προστάτας olim dictos fuiſſe eos, qui deligebantur, ut hoſpitio domi ſuæ, & in fidem ſuam reciperent, eoſdemque etiam προξένους appellatos, quales olim apud Chriſtianos fuiſſe eſt valde probabile. Ex horum numero fuerit Phœbe, in quam conveniat illud Apoſtoli: " Si „ hoſpitio receperit, ſi pedes ſanctorum lavit „. *præclaro elogio exornat, uti & Menochius.* E

18 *Veriſimilius autem mihi eſt, hanc ſanctam Mulierem fuiſſe viduam, quàm virginem. Tametſi enim virginibus etiam ad officium diaconiſſæ aditus pateret; credo tamen id rariùs accidiſſe ſub prima illa Eccleſiæ naſcentis exordia, quibus adeo recens erat illud S. Pauli apoſtoli* 1 *Timoth.* 5, ℣ 9: Vidua eligatur non minùs ſexaginta annorum, quæ fuerit unius viri uxor. *Quo anno obierit* S. Phœbe, *me latet. Lego quidem, epiſtolam ad Romanos ſcriptam fuiſſe anno* 57 *vel* 58: *unde ſequitur, Sanctam tunc quidem vixiſſe; ſed an & quamdiu poſtea ſupervixerit, compertum non habeo; eaque de cauſa obitum ejus poſui poſt medium ſeculi primi. Occaſione autem hujus ſanctæ Diaconiſſæ præmittitur huic Tomo Diſſertatio hiſtorica de Eccleſia diaconiſſis, in qua conatus ſum colligere & elucidare in gratiam curioſi lectoris, quæ in hoc argumento deſiderari poſſunt.* *An vidua fuerit, an virgo: tempus mortis.*

C

DE SANCTIS MARTYRIBUS AQUILEIENSIBUS F

EUPHEMIA, DOROTHEA, THECLA, ERASMA,

COMMENTARIUS HISTORICUS. J. P.

§ I. Cultus; inventio S. Euphemiæ, quæ Ravennæ accidit, hujuſne an alterius ſynonymæ?

SUB NERONE. *Cultus è Faſtis ſacris:*

AQuileia, *antiqua Carnorum urbs, ac celeberrima quondam eorum metropolis, ſed varias fortunas experta, humanarum rerum viciſſitudinis triſte exemplum dedit, quæ nunc pene in ſolitudinem redacta vicum conſtituit, hodierno agro Foro-Julienſi inſertum. Ex antiquis autem urbis ornamentis illud non minimum eſt, quòd, ſicut plurium aliorum Athletarum martyrii palæſtra fuit, ita etiam hodiernarum ſanctarum Virginum ac Martyrum certamine ac morte nobilitata fuiſſe memoretur. Præter Grevenum, Molanum, Galeſinium, Maurolycum, & alios, qui*

AUCTORE J. P.

qui de illis agunt, Martyrologium Romanum ita illas memorat: Aquileiæ ſanctarum virginum & martyrum Euphemiæ, Dorotheæ, Theclæ, & Eraſmæ, quæ ſub Nerone poſt multa ſupplicia gladio cæſæ ſunt, & à S. Hermagora ſepultæ. *Annuntiantur autem cùm ibi, tum ſuprà à Martyrologis nominatis, hac die*; licèt in tabulis eccleſiæ Aquileienſis, *ait Baronius in notis ad Martyrologium Romanum*, quas manuſcript. accepimus, agi de his reperimus ad XIII Kalend. Octob. *Idem obſervat Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ ad* III *Septembris, dicens*, ab eccleſ. Aquileien. die XIX hujus celebràtur *earumdem natalis:* De eis tamen Venetiis, *ſicut ſubdit*, & de Euphemia Ravennæ, ubi corpus eſt, hac die agitur.

Officium proprium:

2 *Anno 1677 Venetiis excuſum eſt Officium proprium harum Sanctarum quatuor, hâc poſt illud ſubjectâ clauſulâ:* Sanctiſſimus D. N. Papa Clemens X. ad preces Eminentiſſimi Domini Card. Chiſii benignè annuit atque indulſit, ut impoſterum idem Officium recognitum & approbatum à ſacra Rituum congregatione, habita die XXIII Novembris MDCLXXV, pro Capitulo & B Clero parochialis & collegiatæ eccleſiæ ſanctæ Euphemiæ civitatis Venetiarum, recitandum die III Septembris in feſto ſanctarum titularium virg. & mart. Euphemiæ, Dorotheæ, Theclæ, & Eraſmæ, recitari etiam poſſit in aliis eccleſiis parochialibus & regularibus utriuſque ſexus ejuſdem civitatis. Hac die VI Maii MDCLXXVI. V. Card. Carpineus. Loco ✠ ſigilli. Bernardinus Caſalius ſac. Rit. congreg. ſecr.

Euphemiæ hodiernæ, ut fertur, corpus

3 *De antiquiſſimo autem* S. Euphemiæ *cultu apud Ravennates teſtatur iſta Hieronymus Rubeus lib.* I *Hiſtoriæ Ravennatum à pag.* 30: Aliquot dies Ravennæ Apollinaris commoratus, & tum docendo, tum agendo Chriſti Euangelium in dies magis ac magis invulgans, tribuni domum ad Arietem amnem, jam diu à ſe templum conſecratam, D. Euphemiæ dicavit. Rediens enim ab exilio, & Aquileiâ tranſiens, cum Hermachoram ejus urbis epiſcopum inviſiſſet, D. Marci Euangeliſtæ diſcipulum, illumque reperiſſet diem feſtum Euphemiæ, paulò antè ibidem cum forore, & fratribus, martyrio ad cæleſtis vitæ præmia vocatæ, celeberrimum agentem, paternamque Euphemiæ domum conſecratam illius nomini dedicaſſe; Apollinaris eo ſancto cadavere ab Hermachora impetrato, Ravennam regreſſus, templum à ſe jam, uti memoravimus, excitatum, Euphemiæ nomini conſecravit, ibidemque corpus ſanctum locavit. C

Ravennam delatum, ubi & ejus templum;

4 Is autem locus extra urbem dicebatur, quòd urbs ab ea parte nequaquam mœnibus erat circumdata. Itaque ab hac Euphemia; cujus dies feſtus tert. Non. Sept. agitatur, nuncupatum eſt templum, non ab ea, quæ Diocletiani tempore, multos poſt annos, ob Chriſtum Chalcedone interfecta eſt; licèt errore ducti huic templo præfecti perinde ac magis notam, Chalcedonenſem hanc XVI Kal. Octobr. celebrent, quia poſt Chalcedonenſe concilium, inſtantibus Leoni primo Pontifici Max. ejus ſynodi patribus, Romano Kalendario eſt adſcripta. Hujus vetuſtiſſimi templi dedicatio Kal. Maii ſolennis agitur. Quidam autem arbitrabantur, cùm D. Apollinaris baptiſmatis locum conſtituere decerneret, ne ampliùs incerta ſede baptizare cogeretur, Deum cum ſuis rogaviſſe, uti aptum & opportunum locum monſtraret, repentéque viſum arietem, qui & locum deſignaverit, & loco, atque etiam vicino flumini nomen præbuerit. D

ſed non ſatis conſtat, quòd ſit hodierna.

5 Altera etiam fuit D. Euphemiæ ad mare ædicula, ac potiùs porticus, ab hoc templo longè diverſa. *Res hîc narrat Rubeus ſpectantes ad primum Chriſti ſeculum; quæ minùs facilè creduntur ſine accommodato tantæ antiquitati teſtimonio. Porrò de S. Apollinare epiſcopo Ravennate ac martyre tractavi die* XXIII *Julii; de Aquileienſium autem præſule S. Hermagora ad diem* XII *ejuſdem menſis. Dum verò Rubeus ſcribit, à S. Hermagora* diem feſtum Euphemiæ *martyris* cum ſorore & fratribus *celebratum fuiſſe, ſuſpicionem mihi injicit, an hæc Euphemia, de qua agit, ſit hodierna, an alia potiùs ſynonyma: hodierna enim adjunguntur alia tres Martyres; frater nullus.*

Etſi ſufficienter nobis etiam non ſuadetur,

6 *Ad hæc, parùm quoque firmâ ſunt ad probandam Rubei ſententiam, quæ narrantur in inventione reliquiarum SS. Euphemiæ & Agathæ virginum ac martyrum, quæ accidit apud Ravennates in eccleſia S. Euphemiæ. Iſtarum Sanctarum inventor Alexander Roctardinus, ejuſdem eccleſiæ rector, rem geſtam deſcripſit, & cujus exemplari Italico ſuffecerit libare ſequentia.* E *Scribit itaque in eo, corpus S. Euphemiæ virginis & martyris Aquileienſis, cujus feſta dies celebratur* III *Septembris in eccleſia parœciali Ravennate, ſub nomine ipſius dedicata, & conſecrata, prout additur, à S. Apollinare, ſub altari majore requieſcere, ibique paucis abhinc menſibus inventum à ſe fuiſſe, die videlicet* XXX *Januarii 1686, S. Martinæ V. & M. ſacro, oblata occaſione ibidem fabricandi tribunam, ut vocant, quæ per vetuſtatem ſuam fiebat poſthac nimis obſcura, & minùs aptæ ad eccleſiaſticas functiones. Erat figurâ rotundâ, humili fornice, qui muro inſervienti pro tabulâ altaris, duobus circiter pedibus remoti à muro circulari, innixus, lapſu temporis videbatur ipſum altare opprimere poſſe. Rector itaque neſcio quo inſtinctu motus, ſive præcavendi illud damnum, ſive divinâ inſpiratione, quam habebat, occaſione iſta quærendi corpus Sanctæ, ulterioris morâ impatiens, opus, quod meditabatur, ineunte hieme inchoavit, nihil curans, quòd in hieme lentiùs eſſet proceſſurum. Et, ecce, die prima Dominus Deus conſolari eum voluit: nam dum ante omnia frangeretur altare, apparuit arca è marmore Græco, longa palmis quinque circiter, quæ, quia extrinſecùs non erat ſignata inſcriptione timorem alacritati ejus immiſcuit, ut ſacrum eſſet pignus tantopere deſideratum.*

ſynonymam, quæ anno 1686 inventa eſt

7 *Monitus verò illuſtriſſimus D. archiepiſcopus Fabius Guiniſi veſpere ſe contulit ad templum, ut ſtatueret, quidnam in hac re eſſet agendum: & poſtquam vidiſſet tam egregium antiquitatis ſuperſtes monumentum, ab annis utpote circiter mille ſexcentis viginti ſeptem per S. Apollinarem delatum Ravennam, prout ex Roſcio & Fabrio videri poſſe dicitur, ſigillo muniri illud juſſit, ponique in loco remoto, qui fuit ſacrarium cujuſdam oratorii laicorum in eadem eccleſia, ſub invocatione Beatæ Virginis*, libera nos à pœnis inferni: *ubi à parocho cuſtodita uſque ad diem* XII *Februarii proximi, quæ erat dies Martis, qua recitabatur Officium S. Ignatii martyris tranſlatum, horâ circiter decimâ octavâ, ipſo jubente & aſſiſtente aperta fuit ſancta arca, in qua duæ capſæ ſunt repertæ: una parva ab uno latere lignea, ſed quaſi tota in pulverem redacta: altera verò ſatis magna, non ex ligno, ſed ex quâdam*

A *quâdam conſtans mixturâ, ſupernè figurata. In hac erat inſuper capſa, quæ redacta in fruſta continebat interiùs velum quoddam cum oſſibus aliquot ac cineribus, nec non inſcriptionem in pergameno, antiquo charactere Romano expreſſam, & fruſto panni ſerici quaſi coloris albi involutam, cujus litteræ indicabant, has eſſe reliquias S. Euphemiæ V. & M., & S. Agathæ: cujus Sanctæ, quia minoris erant quantitatis, habitæ ſunt. Reliquiæ verò parvæ capſulæ dignoſci non potuêre, quia in pulverem redactæ.*

& ſolenni ritu tranſlata

8 *Nonnullis deinde interjectis, ſubditur, reliquias à perſonis ibidem præſentibus honoratas fuiſſe, ac pòſt tectas & ſigillo munitas, veneration expoſitas ſuper altari in eodem oratorio, ubi fiebant multæ gratiæ piè ergà eaſdem affectis toto menſe Maio, ut, dum abſolutum eſſet ſacellum novum, ac res aliæ ordine diſpoſitæ, ſolennis earumdem tranſlatio fieret. Et quia portari non poterat arca marmorea, debuit fabricari alia capſa ex cypreſſo exteriùs cooperta plumbo, cui incluſa fuere ſacra lipſana die prima Junii, incidente in ſabbatum, horâ vigeſimâ tertiâ; & Dominicâ proximâ, quæ erat Pentecoſtes, mediâ noctis horâ fuere delata ad eccleſiam cathedralem ſolenni admodùm ritu & comitatu, & toto die lunæ, tertiâ dicti menſis, manſerunt ibidem expoſita: horâ autem vigeſimâ tertiâ tranſlatio eorumdem honorifica & ſolennis accidit præſente clero regulari & ſeculari, magiſtratibus ac nobilibus, qui alternis vicibus baldachinum portabant, ſub quo arca ferebatur à DD. parochis & ſacerdotibus civitatis &c. Dum verò arca delata eſſet ad eccleſiam parœcialem, collocata fuit ſupra altare, ibidemque per dies octo continuos ſolenni pietate honorata. Coronis autem impoſita huic feſtivitati Dominicâ Sanctiſſimæ Trinitatis per communionem generalem, panegyrim &c. Hac itaque ſolennitate ad finem perducta duodecimo die, qui pariter Mercurii fuit, horâ vigeſimâ ſecundâ, arca à parocho repoſita fuit in altari, ubi commodè ſpectatur per aperturas in quadam umbella marmorea ad hunc finem elaboratas; ſupra quam arcam leguntur hæc verba, à parocho eidem impoſita juſſu D. archiepiſcopi, quæ etiam exſtant intra arcam laminæ cupreæ inciſa:* Reliquias SS. Euphemiæ & Agathæ VV. & MM. ſub ara majori inventas

C illuſtriſſimus Fabius Guiniſi archiep. & princeps eodem in loco repoſuit anno MDCLXXXVI, ſedente Innoc. XI Pont. Max., Alex. Roccardino R.

Ravennæ, 9 *Hic porrò gratias ab iſta Sancta factas affirmat eſſe continuas, ac plures exiſtere quas neſcit, quàm quæ ad ejus notitiam pervenerint. Hoc, ait, ſcio, quòd bona mulier quædam ſub principium (& prima fortaſſe fuit, quæ gratias accepit, ſicut ipſa fatetur) ſurda fuerit in aure una tribus abhinc annis: quæ dum ſe tetigiſſet numiſmate ſuæ coronæ, quæ arcam attigerat, ſubitò recuperavit auditum. Scio, inquit idem rector, duas infirmas ex maligna febri, poſtquam datus illis erat modicus pulvis ex materia, quæ conjungebat arcæ operculum, ſanitati reſtitutas eſſe cum aliis multis, quibus datur: item ſe ſcire affirmat, quòd nemo ex eis hactenus, Deo favente, obierit. Hiſce ſubjungit relatio Roccardini mulierem aliam, quæ malo apoplectico affecta, & in nervis opticis, referente medico, læſa viſum perdiderat, eò uſque eumdem recuperaſſe, ut poſſet ſurgere & videre quantùm ſufficeret ad incedendum. Alia autem, quæ omnem quaſi viſum amiſerat ex quodam fluxu, eumdem recepit, prout ipſa dixit, quando anathema ſuum ad Sanctam detulit. Plurimas denique alias infirmitates, quæ curatæ ſunt, tam numeroſas eſſe refert laudatus eccleſiæ rector, ut impoſterum ratio earumdem haberi à parocho non poſſit: nec anathematum, quæ portantur ad Sanctam: fieri autem poſſe authenticum documentum circa omnia illa, quæ hìc ſcripta ſunt.* AUCTORE J. P.

10 *Atque hæc quidem ſunt, quæ ex relatione iſta excerpere & conficere conatus ſum, adeo intricatis & lectu difficilibus characteribus ſcriptâ, ut non rarò in iis palpandum mihi quodammodo fuerit. Interim, licèt nec è narratione jam præmiſſa, in qua non determinatur in modo prolata inſcriptione, cujus Euphemiæ ſacrum illud pignus fuerit, nec è ſuperiore hiſtoria apud Rubeum, videatur certò conſtare, Euphemiam iſtam eſſe Aquileienſem; prævaleat tamen Ravennatum pro ſancta Aquileienſi Martyre poſſeſſio: etiamſi in Actis S. Hermagoræ apud nos ad diem* XII *Julii nihil invenio, quo ſuperiora probari poſſint, non magis, quàm ea quæ dicebantur antea de corpore S. Euphemiæ ab Hermagora per S. Apollinarem impetrato, ac æde ſacra ſub ejuſdem Sanctæ nomine Ravennæ conſecrata. Die tamen* XXIII *Julii, quo de S. Apollinare tractavi, in Vita ejus breviore, ab auctore ſeculi noni conſcripta, pag.* 350 *mentio fit de* baſilica S. Euphemiæ, *tempore Sancti ejuſdem, prout ibi fertur, exiſtentis: de qua pluribus ſcribit Hieronymus Fabri in Sacris memoriis Ravennæ antiquæ parte* I *pag.* 165. *eamdem eſſe cum Aquileienſi; relinquimus tamen Ravennates in ſua poſſeſſione.*

E

§ II. Lectiones propriæ; Acta.

Oratio ANte *Officium proprium* S. Euphemiæ *ac trium ſociarum ejus, quod ſuprà deſignabam, ponitur hæc* ORATIO: Da nobis, miſericors Deus, ſanctis virginibus & martyribus tuis Euphemiâ, Dorotheâ, Theclâ, & Eraſmâ intercedentibus, cæleſtis gratiæ abundantiam, ut earum paſſio celebrata, præſentis vitæ ſubſidium conferat, & æternæ. Per Dominum noſtrum. *Deinde ſequuntur tres lectiones propriæ.*

F

& lectiones

12 LECT. IV. Euphemia, Dorothea, Thecla, & Eraſma virgines Aquileienſes nobiliter progenitæ, quarum priores Valentii filiæ hominis idolatriæ * addicti; ſequentes verò Valentiniani ejuſdem fratris, Chriſti nomen profitentis, cujus ſtudio omnes in Chriſtiana fide erudiebantur. Quadam verò die cùm ſuppliciter efflagitarent, ut Natiſi fluminis luſtralibus undis, Baptiſmatis deſiderio, abluerentur, ac * tamdiu conſtitit, donec eâdem horâ adveniente Valentiniano, ac beato Hermacora epiſcopo, continuò baptizantur, & virgines Deo conſecrantur. Cùm interim Valentius Euphemiam, & Dorotheam nubendas deſtinaſſet: reſpuunt illæ terrenas nuptias, cæleſti Sponſo dicatæ. His genitor auditis, inſaniens, arrepto gladio utramque aggreditur; at illæ furentis patris è manibus elapſæ, ad Valentinianum patruum confugiunt, quas ipſe cum filiabus in ſuæ domus latebris abdidit. Verùm fraude ſervi detectæ, qui ſtatim à dæmone arreptus, in Natiſum fluvium ſe præcipitem dedit: ab ipſo Valentio inſequente, orantes deprehenſæ, Servaſto * præſidi pro Chriſtiano nomine puniendæ traduntur.

* *l.* idololatriæ

* *f.* aquas

* *al.* Sebaſto

13 LECT. V. Delatas ſibi Virgines præſes, ut

propriæ

eas

AUCTORE J. P.

eas vidit blanditiis ad apoſtaſiam attrahere non potuiſſe, imperat primùm nudas flagellis cædi, inverſo mox corpore ſuſpendi, & malleis capita eo uſque contundi, quò ſanguis è naribus copiosè diffluereret, ſed omnibus cruciatibus fortiores, carceri mancipandas deſeruit. Sequenti manè, quia à vulneribus incolumes cernebantur, hortatur Servaſtus pro accepto beneficio diis litare, quorum pietate ſalutem debere ſuadebat: at illæ ſolum Jeſum Dei filium cæleſtem medicum confitentur, & prædicant. Jubet interea præſes eaſdem equuleo ſuſpendi, latera lampadibus aduri, ac tandem mamillas crudeliter amputari, quæ canibus devorandæ projectæ, ſingulari ab ipſis cuſtodia venerantur. Iterum igitur carceribus occluduntur, & altera die nudæ circumducuntur per urbem; ſed, orante ſancta Euphemia, angelus Domini ſingulas candidâ ſtolâ ſuperinduit, ac priſtinæ incolumitati reſtituit, quin & novum contulit decorem, cùm in earum corporibus nec plagarum veſtigia apparerent, & vultus earum ſolis inſtar eniteſcerent.

prò civitate Veneta.

B

14 LECT. VI. Tantis prodigiis, Virginumque conſtantiâ nil commotus præſes, ut audivit irridentes inania deorum ſimulacra, capite plectendas mandavit, quam impiam ſententiam in filias & neptes Valentius ipſe ſeſe obtulit exequuturum. Adiit ergo altiſſimam turrim, ubi filias eximiæ pulchritudinis anteacto tempore aliquandiu cuſtodierat, ibique propriis manibus omnium capita obtruncavit, & inter præterfluentem Natiſum dejecit: divinam tamen ultionem immanis adeo facinoris vindicem ſenſit, ingenti illico terræmotu turri concuſſa, igneque cælitus obruente, qui Valentium, ejuſque comites, & turrim ipſam à fundamentis incendit. Cùm autem noctu Valentinianus cum Sancto Hermacora beatarum Virginum corpora, & capita inquiſiturus deſcenderet propè flumen, ecce navicula apparuit ſacris pignoribus onuſta, quæ à duobus juvenibus ingentis ſpeciei & luminis navem ducentibus, ſancto antiſtiti oblata, ab eo honorifico ſepulchro, religioſo cleri comitatu, domi ejuſdem Valentiniani in eccleſiam conſecratæ condita ſunt.

Acta

C

15 *Quamquam lectiones iſtæ, à ſacra Rituum congregatione recognitæ & approbatæ, ſint tolerabiliores, quàm Acta quædam prolixiora; nonnulla tamen memorant ad plenum lectoris aſſenſum minùs accommodata, quia eorumdem Actorum narratio non ubique nobis apparet ſincera. En tibi pauca ſpecimina. Apographum noſtrum, quod deſcriptum prænotatur* ex Petri Calo p. 3 f. 182, *de quo auctore plura dixi ad diem* XII *Julii pag.* 251, *refert iſta:* Cúmque ex more à civibus in conjugium peterentur à patre ſuo Euphemia & Dorothea, pater nolebat eas maritis dare, quia parvulæ erant, & multùm diligebat eas; ſed juſſit turrim excelſam fieri juxta fluvium Natiſſam à domûs ſuæ latere, in qua præcepit non plures quàm duas feneſtras haberi: ubi filias propter nimiam pulcritudinem earum in eminentiore loco conſiſtere volebat. Quadam verò die dum pater iviſſet ad Tergeſtinam civitatem, filiæ ejus Euphemia & Dorothea venerunt ad magiſtros, qui turrim ædificabant, & dixerunt eis: Rogamus vos, optimi magiſtri, ut indicetis nobis, quid hoc eſſe velit ædificium, quod pater noſter conſtrui facit. Qui dixerunt eis: Veſtra habitatio debet eſſe. Quæ dixerunt: Si noſtrum debet eſſe habitaculum in iſto loco, tertiam feneſtram facite ampliorem aliis. Et fecerunt ſicut illæ mandaverant.

D

16 Fluebat autem Natiſſa fluvius per turrim mediam per arcus volutos: ibique conſueverant Virgines ſe lavare. Quò cùm quadam die veniſſent ad ſe lavandas, proſtraverunt ſe pariter in terra, Dominum deprecaturæ. Tunc B. Euphemia elevatis ſurſum manibus oravit dicens *&c. Exemplar aliud, quod Ms. habemus* ex Tabulis eccleſiæ Aquileienſis, ex tomo H fol. 315, *hac breviùs perſtringit, quod & fecit illuſtriſſimus Petrus de Natalibus lib.* 8 *cap.* 29, *nec non Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ hac die: Fabrius autem horum omnium breviſſimè pag.* 166. *Ornata quoque videntur, quæ eodem in ecgrapho, quod ex Petro Calo aſſignabam, ita narrantur:* Tunc præſes iratus juſſit earum mamillas amputari: quæ dum abſciderentur, illæ pſallebant dicentes: Ne projicias nos à facie tua, & ſpiritum ſanctum tuum ne auferas à nobis. Cùm autem abſciſſæ eſſent earum mamillæ, juſſit eas foris projici ante canes. Tunc nocte veniens B. Valencianus * in loco, ubi jactatæ fuerant earum mamillæ, invenit eas jacentes in terra, & ſplendentes ſicut roſas: qui accepit eas, & dedit S. Hermacoræ epiſcopo.

correctionis

E

* Valentinianus

17 *Similia indicantur in Ms. noſtro ex Tabulis eccleſiæ Aquileienſis, & apud Petrum de Natalibus. Credibilior eſt illa narratio ſuprà in lectionibus propriis, & apud Ferrarium, qui ſic habet:* Jubente præſide mammillæ illis immaniter abſciſſæ canibus projiciuntur: quas tamen attingere non ſunt auſi. *Fabrius etiam nullum huic facto epiſodium adjecit. Alia fidei non ſatis probatæ in hodiernarum Sanctarum hiſtoria martyrii occurrunt, quæ, quandoquidem exiguæ vel nullius potiùs eſt auctoritatis, quia ab ignoto nobis atque incerti temporis auctore conſcriptæ, non eadem facilitate creduntur, quâ narrantur, præſertim in tanta antiquitate ſeculi primi æræ vulgaris, quo martyrium narratur contigiſſe. Nec bona videtur Paſſio, cujus apographum apud nos eſt, ex monaſterio Mellicenſi Ordinis S. Benedicti in Auſtria, hoc exordio:* Regnante Nerone in urbe Roma, & Sebaſto præſide reſidente in civitate Aquileia, fuit vir quidam in civitate eadem Valencius nomine, dives nimis, ſed in errore perſeverans, habens duas pulcherrimas filias *&c. Quæ verò per ejuſdem Paſſionis referuntur decurſum, ſingillatim non caſtigo. Hodiernas autem Martyres poſui ſuperiùs ſub Nerone cum Martyrologio Romano.*

indiga.

F

A D

DE S. BASILISSA VIRG. ET MART.

NICOMEDIÆ IN BITHYNIA.

Cultus, elogia, Acta.

J. P.

Sub Diocletiano. Colitur

Enella hæc Virgo & martyr, viriles ſupra ſexum & ætatem animos gerens, nominis ſui celebritatem apud Græcos & Latinos propagavit. Menologium Græcorum, quod Cardinalis Sirletus Latinè reddidit, ſic illam memorat: Eodem die (*III Septembris*) natalis ſanctæ Baſiliſſæ, quæ, Alexandro in urbe Nicomedia præſidente, feris objecta, & alia tormenta perpeſſa, martyrio coronata eſt. *Menæa magna impreſſa:* Eádem die ſancta Baſiliſſa feris objecta, & illæſa conſummatur. *Quibus adduntur duo verſiculi, qui ex Græco ſic ſonant Latinè:*

Ὀφθεῖσα Βασίλισσα φρυκτὴ θηρίοις;
Φρυκτὴ πάρεση Παμβασιλέως θρόνῳ. *Id eſt:*
Baſiliſſa ſævis viſa terribilis feris;
Solio tremendo Regis omnium adſtitit.

B

Parùm aut nihil leporis habet alluſio poëtæ, qui reſpicit ad nomen Virginis noſtræ proprium, & ad appellativum βασίλισσα, *quod* reginam *ſignificat, nec non ad nomen* παμβασιλεύς, *quo ſignificatur* omnium rex, *ſive Deus. Nec melioris notæ eſt adjectivum* φρικτὸς, *id eſt,* horribilis *&c. bis repetitum Græcè.*

2 *Menologium Baſilii imperatoris* certamen ſanctæ virginis & martyris Baſiliſſæ *etiam annuntiat, ſuperadditò martyrii ejus compendio, quod ex Græco ſic verſum legitur in ſacrorum iſtorum Faſtorum editione, quæ Urbini prodiit anno 1727 ſtudio & operâ Eminentiſſimi Cardinalis Annibalis Albani:* Baſiliſſa martyr fuit temporibus Diocletiani. Cùm autem prope urbem Nicomediam domicilium haberet, nonumque ætatis ſuæ annum ageret, tamquam Chriſtiana delata, Alexandro præſidi ſiſtitur, & Chriſtum confidenti animo profeſſa, primùm quidem colaphis cæditur; deinde nudata, virgis percutitur, taliſque * perforatur. Mox inverſo capite in ligno ſuſpenſa, catenis conſtricta, picis, ſulphuris ac plumbi fumo torquetur. Poſt hæc in ignem conjecta, duobuſque leonibus objecta, cùm nullam noxam paſſa fuiſſet, præſidi perſuaſit, ut in Chriſtum crederet. Et ille quidem vitam rectè traducens, in pace deceſſit. At hæc egreſſa ex urbe, cùm ſitiret, oravit, & manantibus è terra aquis ſitim depulit. Deinde ſtans ſupra petram & orans, vivendi finem fecit: ibique ſepulta, omnibus fidelibus per aquas è terra erumpentes ſingulis diebus curationes admirabiliter præſtat. *Similia memorantur in Synaxario Ms. Sirmondi, cui apponitur hæc clauſula:* Γίνεται δὲ ἡ δι' ἔτους αὐτῆς πανήγυρις ἐν τῇ μονῇ τῆς Μαρίας πλησίον τοῦ τείχους τῶν Βλαχερνῶν. *Id eſt:* Fit autem ejus ſolennitas quotannis in monaſterio Mariæ prope murum Blachernarum *Conſtantinopoli.*

C

* taloſque

3 *Annua etiam hujus Sanctæ memoria ſignatur apud Latinos. Habet illam Galeſinius; cui adde Martyrologium Romanum Baronii his verbis:* Nicomediæ, paſſio ſanctæ Baſiliſſæ virginis & martyris, quæ annos novem nata, cùm in perſecutione Diocletiani ſub Alexandro præſide verbera, ignes ac beſtias divina virtute ſuperaſſet, in oratione ſpiritum Deo reddidit. *Meminit quoque de illa laudatus Baronius in Annalibus eccleſiaſticis ad annum Chriſti 309 num. 36, agens de martyribus in Diocletiani perſecutione paſſis. Non novi ullam hujus ſanctæ Baſiliſſæ memoriam haberi in Martyrologiis Latinis ante Galeſinium, qui, ſicut indicat in notis, martyrium ipſius è Græco reddidit. Poſt illum à Græcis eamdem Sanctam tranſtulit in Martyrologium Romanum Baronius, in notis citans pro illa ac ejuſdem paſſione Menologium, quo uti conſuevit, intellige Sirletianum. Ex his itaquè colligimus, cultum S. Baſiliſſæ hujus à Græcis ad Latinos invectum fuiſſe.*

Apud Græcos

& Latinos.

4 *Annum martyrii non ſcimus; ſub Diocletiano illud accidiſſe affirmant Galeſinius, Baronius, & Menologium Baſilianum, non autem Menæa magna, quæ nullum imperatorem ponunt. Palæſtra martyrii memoratur fuiſſe Nicomedia. Quæ de Actis ad poſteros tranſmiſſa ſunt, in ſolis ferè cruciatibus conſiſtunt, ut jam vidimus; quibus dicta Menæa paullò fuſiùs narratis adjungunt miracula. Duo autem iſta facilius ereduntur, quando accommodata fulciuntur auctoritate; cùm in Actis apocryphis non raro ſimilia occurrant. Subjungo jam Sancta Acta ex Menæis magnis excuſis, quæ Latinè reddita ſic ſonant:* Alexandro præſidi Nicomediæ ſæviente perſecutione, accuſata Baſiliſſa ſiſtitur: quam cùm conſtantem in Chriſtiana profeſſione videret, faciem ejus contundi imperat.

Acta ejus qualiacumque.

5 Gratias interim Deo agentem Martyrem præcepit toto corpore nudatam virgis cædi: inter quod ſupplicium cùm adhuc ampliores Deo gratias perſolveret, præſes fortitudinem & conſtantiam ejus videns, in furias actus, eam atrociùs diverberari imperat; & ita toto illam corpore ceciderunt, ut totum eſſet unum vulnus. Deinde abraſit etiam plantas pedum ejus: dumque illa rurſum exclamaret: O Deus meus, gratias tibi ago; talos ejus perforari juſſit præſes: & hoc facto, uncos ei injecerunt, atque catenis, inverſo capite, ſuſpenderunt, infráque rogum accenderunt, & picem, ſulphur, bitumen & plumbum ingeſſerunt, ut vi tormentorum & fumi fœtore quàm primùm expiraret.

damnat

E

6 Cùm autem Sancta inter hæc tormenta Deo gratias ageret, non ſecus acſi in paradiſi deliciis verſaretur; videretque præſes ſupplicia pro ludo ab illa haberi, curat incendi fornacem, ac Martyrem in eam immitti. Cumque flamma jam exundaret, ſignavit ſe Martyr cruce, & in medium incendium ingreſſa, multis in illo horis illæſa, omnibus ad hoc ſpectaculum obſtupeſcentibus, perſtitit. Deinde verò præſes in illam è fornace eductam duos immanes leones immiſit: qui San-

ex Menæis

AUCTORE J. P.

ctam precantem etiam non læserunt. Quibus omnibus ſpectatis præſes attonitus & compunctus ſuper judiciis Dei, abjecit ſe ad pedes Sanctæ, dicens: Miſerere mei Famula cæleſtis Regis Dei & ignoſce mihi omnia, quæ tibi intuli mala, & fac me ſtipendiarium Regis tui; ſi, uti dicis, peccatores recipit.

excuſis.

7 Tunc Sancta, gratiis omnipotenti Deo actis, præſidem in Chriſtiana fide inſtituit, illumque in eccleſiam ad Antonium epiſcopum baptizandum adduxit. Poſt hæc rurſus ad Sanctæ pedes abjectus, Ancilla Dei, inquit, ora pro me, ut mihi Deus ignoſcat quæ peccavi in te, & in vera fidei confeſſione præſentem vitam abſolvam. Precante ergo Sancta pro illo, Alexander glorificans ac benedicens Dominum, ſpiritum Deo reddidit. Tunc Sancta, curato ejus funere, cum epiſcopo ad tertium quaſi ab urbe milliarium receſſit; dumque inveniſſet petram, ſtetit ſuper illam, &, fuſis precibus, fons profiliit: è quo ubi bibiſſet, & gratias Deo egiſſet, paululùm inde progreſſa, Domine, inquit, accipe ſpiritum meum in pace. Sic fata, poſitis humi genibus, gaudio exultabunda, Deumque benedicens ad Dominum profecta eſt. Quod ubi Antonius præſul intellexit, juſta ei ſolvit, juxta petram monumentum condens, è qua aqua Sanctæ precibus egrediens confert ſanitates uſque in hodiernum diem. D

Conjectura de Antonio ep. ſuprà nominato.

8 *Inter epiſcopos eccleſiæ metropolitanæ Nicomedienſis nullus comparet* Antonius, *qui huc ſpectare poſſit, apud Michaëlem le Quien in Opere poſthumo, quod inſcribitur Oriens Chriſtianus, tomo* 1: *Antonii enim, qui ibidem habetur columnâ* 594, *electio innectitur anno Chriſti* 1035. *Quid ſi* Antonius *ſuperior ille in Menæa intruſus fuerit pro* Anthimo, *qui locum habet inter dictos præſules col.* 583, *&* jam antè ſedebat, *ſicut ibidem legitur*, quàm Diocletiani in Chriſtianos omnes edictum promulgaretur: quippe quem Euſebius in ipſiſmet Diocletianeæ infectationis initiis, ſeu anno Chriſti CCCIV martyrio functum & capite minutum refert lib. 8, cap. 6. Quamobrem Anthimi martyrium rectè aſſignatur in Chronico Paſchali, anno XIX Diocletiani. *Habetur apud nos præſul iſte ad diem* XXVII *Aprilis, quo exſtat in Martyrologio Romano; ſed ibi innexuimus martyrium ejus anno* CCCII. E

B

DE S. SANDALIO MARTYRE CORDUBÆ IN HISPANIA.

J. P.

Cultus ex Martyrologio Romano, & documentis Cordubenſibus.

SUB DIOCLETIANO, UT FERTUR.

CAs Orduba, *clariſſima Hiſpaniæ Baticæ urbs, & fœcunda multorum Martyrum parens, hodierna die colit* S. Sandalium M., *publica ipſius veneratione, quam ibidem habebat, extenſa ad Eccleſiam univerſam per Martyrologium Romanum, in quo ſic annuntiatur:* Cordubæ ſancti Sandali martyris. *In notis dicitur* de *illo* mentio haberi in Flore Sanct. Hiſp. ex monumentis eccleſiæ Cordubenſis. *Martyr hic nondum relatus erat in Martyrologio Romano anno* 1586. *Alfonſus de Villegas in Flore Sanctorum, quem Hiſpanicè vulgavit, publicum Sancti cultum confirmat fol.* 410, *dicens de ipſo legere eccleſiam Cordubenſem* III *Septembris. Eodem die feſtum illius ibidem celebrari teſtatur Martinus de Roa in Hiſtoria Sanctorum Cordubenſium Hiſpanicè editâ fol.* 139; *ubi etiam affirmat, res à Sancto geſtas in tanta deliteſcere ignoratione, ut vix quidquam de eo dici poſſit. En textum ejus ex Hiſpanico redditum:* Inter ſanctos iſtos viros, qui Cordubæ ſunt martyrio coronati tempore illo, quo gentiles majore furore & crudelitate Eccleſiam Dei perſequebantur, locum ſuum habet beatus Sandalius: qui magnam Deo ſervavit fidelitatem in confitenda fide ejus, & dum bene admodùm dimicâſſet, curſum ſuum feliciter conſummavit. C

Nihil de eo ſcitur ſingulare.

2 Tametſi autem ratio ac modus martyrii ejus commendata litteris poſterorum memoriæ non ſint; libro tamen vitæ in cælis inſcripta ſunt, ubi debita ipſi ſervabatur corona, quam Dominus illi dedit tempore (uti fert opinio) crudeliſſimæ perſecutionis Diocletiani. Invenitur hujus ſancti Martyris memoria .. in Breviariis Cordubenſibus III Septembris. *Laudatus ſcriptor in libro Latino de antiquitate & auctoritate Martyrum Cordubenſium cap.* 1 *indicat denſiſſimis oblivionis tenebris involuta eſſe ea, quæ ad hunc Martyrem ſpectant:* Beatus, *ait*, Secundinus atque Sandalius, quorum fere præter nudum nomen, de quo in Romanis aliiſque Martyrologiis & Cordubenſis eccleſiæ monumentis, aut parum aut nihil habetur. *Apage igitur merces fabulatoris Tamayi. Suſpectum quippe mihi eſt epigramma, quod recitat ſub nomine Cypriani archipresbyteri Cordubenſis, &* quod inter Ms. carmina Juliani, & aliorum in meo, *inquit*, codice reperitur. *Nec majoris apud me ſunt auctoritatis parva Acta, quæ ex carmine Cypriani Cordubenſis coagulari potuiſſe aſſerit ac profert idem Tamayus. Nicolaus Antonius tomi* 1 *Bibliothecæ Hiſpanæ veteris lib.* 6 *cap.* 7 *obſervat, Cypriano Cordubenſi tribui perperam plura carmina. Ad propoſitum verò noſtrum delibo quæ ſcribit ibidem num.* 158 *his verbis:* Sunt & alia pſeudo-Cypriani carmina, veſtiendis nudis Sanctorum verè Hiſpanorum hiſtoriis excogitata. Hujus rei exemplum eſto primum S. SANDALIUS, quem Cordubæ celebrari martyrem, ejuſque Acta excidiſſe, vulgò refertur. Præſto igitur fuit pſeudo-Cyprianus huic defectui Actorum ſupplendo in carmine illo, *quod de dicto jam Sancto circumfertur. Quænam verò carmina laudatus Bibliothecæ Hiſpanæ auctor verum Cypriani Cordubenſis fœtum eſſe cenſeat, vide loco citato à num.* 146. *Conſuli etiam poſſunt ea, quæ ſcribit tomo* 2, *lib.* 7 *cap.* 7 *contra Aulum Halum, ſive Halonem.* F

DE

A D

DE S. ARISTIONE VEL ARISTEO EP. M.

ALEXANDRIÆ AD ISSUM.

SYLLOGE CRITICA.

J. S.

§ I. S. Ariſtion ſub nomine Ariſtæi vel Ariſtei annuntiatus apud Latinos cum S. Antonino, quocum paſſus non videtur.

SUB IMP. GENTILIBUS. *Ariſtæus cum Antonino Capuæ attributi apud Latinos;*

BAronius *ad* III *Septembris Romano Martyrologio inſeruit hanc annuntiationem:* Capuæ ſanctorum martyrum Ariſtæi epiſcopi, & Antonini pueri. *Deinde in annotatis ſic loquitur:* Beda (*imo potiùs Ado*) & Uſuardus, qui de his agunt hac die, horum Acta exſtare teſtantur, ſed excidiſſe putamus; quandoquidem nec in ſua ipſorum eccleſia reperiuntur; ubi, omiſſo Ariſtæo, tantùm de Antonino (*& quidem die præcedenti, ut de martyre non Capuano, ſed Apamienſi*) agi reperimus in ejus Breviario. Hinc ducimur conjecturâ, ob innumeras bellorum clades, illius nobiliſſimæ eccleſiæ monumenta eſſe deperdita. *Nonnullam hic trepidationem inſinuat Baronius, an rectè conjungantur* Ariſtæus *& Antoninus, rectéque Capuanæ eccleſiæ attribuantur. Verùm movit haud dubiè virum eruditum auctoritas Adonis & Uſuardi: nam uterque eodem ferè modo duos iſtos conjunxit; Ado hiſce verbis:* Apud Capuam, natalis ſanctorum martyrum, Antonini pueri annorum viginti; & Ariſtæi epiſcopi, quorum geſta habentur. *Uſuardus verò:* In Capua ſanctorum martyrum Antonini pueri annorum viginti, & Ariſtei epiſcopi, quorum geſta habentur. *Tanta eſt horum martyrologorum auctoritas, ut hiſce videretur acquieſcendum, niſi occurrerent graves rationes, quæ vehementem erroris ſuſpicionem ingererent.*

B C

at graves ſunt rationes.

2 *Prima ratio eſt, quòd nullus ante Adonem Capuæ adſcripſerit hoſce Martyres, etiamſi à multis memorentur, uti videbimus. Altera ratio eſt, quòd Capuani eos numquam coluerint, ut videre eſt in eorum Kalendariis & antiquo Breviario. Edidit quinque diverſa Kalendaria Michaël Monachus in Sanctuario Capuano: in nullo reperitur* Ariſtæus. *Antoninus quidem in variis Kalendariis Capuanorum, uti & in antiquo eorumdem Breviario occurrit, ſed ut martyr Apamienſis, de quo egi ad diem præcedentem. Hinc laudatus Monachus pag.* 71 *citatis Martyrologii Romani verbis hæc ſubjungit:* Breviarium (*antiquum Capuanum*) de Ariſtæo verbum nullum; de Antonino agit IV Nonas Septembris, de quo Martyrologium (*Romanum*) quoque IV Nonas agit. Alter eſt ab Antonino puero martyre Capuano. *Accedit ad haſce rationes, quòd Monachus, etiamſi* Ariſtæum *& Antoninum pueros Capuanæ eccleſiæ aſſerere contendat, nihil omni ſua inveſtigatione reperire potuerit, quod ad auctoritatem modò datam aliquid ponderis addat.*

Adducit ille quidem verba Petri de Natalibus, qui lib. 8 *cap.* 33 *ſic habet:* Antoninus puer & Ariſteus martyres apud urbem Campaniæ Capuam paſſi ſunt. Qui Antoninus cùm eſſet annorum decem, Ariſteum ad fidem convertit: cum quo poſtmodum tentus & variis ſuppliciis cruciatus, tandem ambo cædente gladio martyrii palmam conſecuti ſunt III Non. Septembris. *Verùm dubitari vix poteſt, quin hæc ſcriptor ille parùm criticus ex Adone vel Uſuardo deſumpſerit, & conjecturis ſuis etiam deformaverit. Nihil igitur Petrus de Natalibus, nihil tria alia Martyrologia, Uſuardo longè poſteriora, quæ Monachus citat pag.* 72, *momenti addunt Adoni & Uſuardo. Fatetur etiam Monachus pag.* 214, *ignotum eſſe, quo tempore* Ariſtæus *eccleſiæ Capuanæ præfuiſſet; nec de ejus corpore cui reliquiis ulla uſpiam mentio apud Capuanos; ac demum nullum uſpiam apud ipſos antiquæ venerationis indicium.*

E

cur id factum ex errore credamus,

3 *Cùm ergo omnis ratio, quæ favet Capuanis, reduci poſſit ad auctoritatem Adonis, quem Uſuardus more ſuo ſecutus eſt ducem; hoſce verò alii poſteriores; cùmque graviſſimæ in contrarium militent rationes, reſtat, ut examinemus, an non ſit veriſimile, errorem aliquem Adoni obrepſiſſe, aut potiùs in Martyrologium ejus irrepſiſſe tranſcribentium negligentiâ. Illud jam oſtendere cœpit Sollerius in S. Antonino Placentino tom* 2 *Julii pag.* 8, *ubi candidè ſic effatur:* Ne diutiùs in meridiana luce hæreamus, liceat tutò aſſerere, manifeſtum errorem in Adonis Martyrologio deprehendi, ſive id Adonis ipſius, ſive, quod potiùs ſenſerim, amanuenſium culpâ, qui APAMEAM non rectè efformatam, in CAPUAM verterint. *Sanè nullum videtur dubium, quin Ado annuntiationem ſuam hauſerit ex codice aliquo Hieronymiano, cùm non potuerit illam deſumere ex Romano veteri per Roſweydum edito, quod ei aliàs præluxit: nam in eo nulla Antonini pueri aut* Ariſtæi *memoria. Ipſa poſteriora Adonis verba,* quorum geſta habentur, *id clarè inſinuant. Geſta illa numquam viſa eſſe ab Adone,* ex eo, *inquit rectè Sollerius,* ſatis conſtare poteſt, quòd, qui nulla Sanctorum elogia negligit, hîc nec verbum ex iis retulerit. *Quippe eruditi omnes, qui Adonis Martyrologium utcumque examinare voluerint, facilè perſpicient, ipſum texuiſſe elogia illis Sanctis, quorum habebat Acta; alios verò breviter memoraſſe ex Martyrologiis antiquioribus.*

F

4 *Cur igitur dixit Ado,* quorum geſta habentur

AUCTORE J. S.

& utrumque Sanctum Capuæ abjudicamus.

bentur? *Non alia utique de causa, quàm quòd in iisdem codicibus Hieronymianis, in quibus legebat Antoninum* xx *annorum puerum, &* Aristæum *episcopum, etiam in fine additum reperiret,* cujus gesta habentur: *Cùm autem existimaret duos hosce conjungi, pro* cujus *posuit* quorum, *acsi Acta illa de utroque agerent. Accipe textus Hieronymianorum codicum, qui Adoni prælucere potuerunt, uti & similes alii. Hieronymiana apud Florentinium ad* III *Septembris:* Et in regione Appamiæ vico Aprocavito sub Constantio imperatore, provintia Syriæ, natalis sanctorum Antonini pueri ann. xx & Aresti episcopi, cujus gesta habentur. *Codex Reginæ Succiæ eodem die:* In provincia Syria sub Constantio imperatore S. Antonii adolescentis annorum xx, & Aresti episcopi, cujus gesta habentur. *Si aliunde rationes non haberemus disjungendi Antoninum &* Aristæum, *hi textus facilè persuaderent conjungendos esse, idque hi aut similes persuasisse videntur Adoni, qui ea de causa* cujus *mutavit in* quorum; *uti factum ab Adone, etiam observavit Florentinius in annotatis. Vicum Aprocavitum & Constantium imperatorem omisit Ado, vel quod ea non inveniret in suis codicibus, prout revera in solis citatis tantùm habetur Constantius, in uno solo vicus memoratus; vel, si forsan invenerit, quòd ea suspecta haberet, quia pluribus deerant. Demum pro* Apud Apameam *irrepserit* apud Capuam: *nam undecumque hic error ortus fuerit, erratum fuisse dubitare vix possumus, ideoque nec Antoninum nec* Aristæum *Capuæ adscribere audemus.*

B

Dubitatur, an Antoninus conjungi debeat cum Aristæo;

5 *Porrò alia nunc occurrit dubitatio, videlicet an Antoninus &* Aristæus *conjungi debeant, ut socii in martyrio; an verò disjungi, tamquam passi diverso tempore & loco. Hanc deinde alia sequetur, nimirum an unum solùm agnoscere debeamus* Aristæum *vel* Aristionem, *vel vicini nominis episcopum, an verò plures, prout plures in quibusdam apographis annuntiantur eodem die. Ut hasce difficultates expediamus, imprimis diligenter considerandæ sunt apographa Hieronymiana, ex quorum mendis & interpolationibus difficultates ipsæ oriuntur. Duo autem, etiamsi frequenter in hoc Opere repetita sint, hìc rursum monenda censeo. Primum est, quòd ex aliqua nominis diversitate, repetitove ad eumdem diem, vel etiam ad duos sequentes eodem nomine, inferri nequeat, nomen illud idem vel aliquantulùm mutatum, referri ad duos diversos Sanctos. Ratio est, quòd apographa illa à multis sint aucta. Hinc ex uno exemplari adscripti sunt Sancti in aliud, in quo jam legebantur cum nomine paululùm immutato, aut alio vicino die. Subinde etiam adjici potuerunt eodem die atque eodem prorsus nomine, quia in loco martyrii, aut alio quopiam adjuncto nonnulla reperiebatur differentia, ex qua facilè creditum fuit, duos esse diversos Sanctos. Alterum est, quòd in istis apographis Sancti frequenter conjungantur tamquam ad unam classem spectantes, licèt nulla inter eos sit connexio. Id accidisse videtur ob nimiam brevitatem, quia multi memorabantur sine loco aut tempore, ullisve aliis adjunctis, solo expresso nomine. Hisce prævìè observatis, quid antiqua illa, sed simul mendosa & interpolata, Martyrologia habeant de* Aristæo, *& conjuncto in variis Antonino, subjungo.*

C

cùm in variis Apographis videantur conjungi,

6 *Apud Florentinium ad* III *Septembris:* In Alexandria natalis Aristoippi episcopi, & in regione Appamiæ, *ut supra num.* 4... Antonini pueri & Aresti episcopi. *Vides hic eodem die* Aristoippum *&* Arestum *ambos episcopos*: Antoninum *verò cum* Aresto sic *conjunctum, sicuti conjungitur in Codice Reginæ Suecia item citato num.* 4, *in quo nullus alius illo die memoratur Aristonippus episcopus. Ms., quod* vetustissimum *vocat Florentinius in annotatis, sic habet:* In Alexandria Arippi, & in Syria Antonii pueri, & Aristoni episcopi, *ac demum, interpositis aliis, &* Aritoni. *Habemus hìc in eodem textu* Arippum, Aristonem *&* Aritonem. *Corbeiense ibidem:* In Alexandria natalis S. Aristonippi episcopi. Et in regione Apamiæ provincia Syriæ natalis S. Antonii pueri, Aresti episcopi. *Et post alios,* Aristoni. *In editis apud nos post tomum* VII *Junii non minor est varietas: Rhinoviense:* In Syria, Antonini, & Aristenis episcopi. Et in Alexandria Arestenippi episcopi. *Richenoviense:* In Syria Antonini & Aristonis episcopi. Et in Alexandria, Arestempi episcopi.... Arestis. *Augustanum sine ullo loco:* Aristonippi, Antonini, ... Aresti. *Observo hìc* Aristium *aut* Aristæum *non statim postponi Antonino, sicuti fit in præcedentibus. Labbeanum item omnes sine loco disjungit hoc modo:* Aristonippi... Antoni... Aresti. *Corbeiense contractum:* In Alexandria, natalis S. Aristonippi episcopi. Provincia Syriæ, natalis sanctorum Antonini pueri, Aresti episcopi. *Hactenus nostra.*

D

E

in aliis verò separentur:

7 *Alia edidit Edmundus Martene tom.* 3 *Anecdotorum col.* 1547 *& sequentibus, quorum verba similiter tradam. Primum, quod mille circitèr annorum existimat, sic habet eodem die:* Aristonippi, Antonini *&c. Hic unus tantùm* Antoninus, *unus* Aristonippus. *Morbacense, quod nongentorum ferè annorum pronuntiat, magis etiam Sanctos separat: nam ad diem* 2 *habet:* Antonii, *ad* III: Aristonippi. *Hoc consonat præcedenti in eo, quòd ex singulis unum dumtaxat memoret, sed in diebus dissonat. In reliquis ibi editis* Aristæus *non legitur, excepto Corbeiensi, quod jam dedi. Laudatus Martenius varia quoque Martyrologia seu Kalendaria antiqua edidit tom.* 6 *Collectionis ampliss. à col.* 633. *Primum ibidem Bedæ nomine insignitum ad* III *Septembris sine addito loco inter alios habet,* Aristi, *sine ullo Antonino ad illum aut præcedentem diem. Post alia quædam, in quibus neuter legitur, Kalendarium Stabulense eodem die solum habet Antoninum his verbis:* S. Antonini martyris. *Quod sequitur Verdinense ferè præcedenti consentit, mutato leviter Sancti nomine in hunc modum:* S. Antonii martyris. *Demum Autissiodorense, quod ibi ultimum est & minùs antiquum, Usuardo planè consonat. Hieronymianum Acherii tom.* 2 *Spicilegii recusi ad diem* 2 *memorat* in partibus Apamiæ *Antonium & Antoninum, ad* III *verò sic habet:* In Alexandria natalis sancti Aristonippi episcopi. Et in regione Apamiæ, provinciâ Syriæ, natalis S. Antonii pueri, Aresti episcopi.. *&* cum aliis Aritoni cum sociis *sine loco. Gellonense ibidem die* 2, Antonii, *sequenti,* Aristonippi, Antonini, ... Aresti, *omnes sine loco. Addo Rabanum, qui die* III *hos annuntiat:* In Alexandria Aristippi episcopi, & in Syria Antonini pueri annorum xx, & Aristonis episcopi. *Hactenus Martyrologia.*

F

non conjungendos omnino credimus.

8 *Mirabitur forsan lector, tam multos Martyrologiorum textus hìc fuisse à me accumulatos, quæretque, quid tandem ex omnibus hisce colligere oporteat. Opinionem meam paucis indicabo, priusquam longiori disputatione illam firmare aggrediar. Prorsus mihi persuadeo Antoninum &* Ari-

A Aristæum *socios non esse martyrii, nec eodem loco passos, quod primum erat dubium. Deinde etiam existimo nominibus istis* Aristonippi, Aresti, Arippi, Aristoni *vel* Aristonis, Aristippi, *aliisque vicinis, quæ recensita sunt, non nisi unicum designari Sanctum, videlicet* S. Aristionem, *Alexandrinum ad Issum episcopum, sicuti non nisi unicum Antoninum Apamicnsem die* II *&* III *significari credo, etiamsi in quibusdam apographis tres recenseantur sub Antonii vel Antonini nomine. Hæc ut verisimili disputatione faciliùs intelligere posset studiosus lector, tantum Martyrologiorum cumulum huc congerendum censui. Ejusdem sententiæ fuit, opinor, Wandelbertus diaconus, qui in Martyrologio suo ad* III *Septembris unum memorat Antoninum, unum similiter* Aristeum, *nec ut martyrii socios, sed ut coronatos eodem die, quantùm colligi potest ex ejus verbis, quæ subjungo:*

Ternis Antonine puer martyrque triumphas:
Tunc & Aristeus antistes de morte beatur.

B *cùm quia in nullis apographis clarè junguntur ut socii in martyrio,*

9 *Prima ratio, cur S. Antoninum &* S. Aristionem (*hoc nomine utendum videtur præ aliis*) *non existimem martyrii socios esse, hæc est, quòd in nullis apographis Hieronymianis clarè conjungantur tamquam socii. Certè nullibi major apparet conjunctio, quàm in editis apud Florentinium ex codice Lucensi & Blumiano, ac in codice reginæ Sueciæ, quorum verba dedi num.* 4: *nam post Antoninum recensitum mox subditur,* & Aresti episcopi, *quemadmodum etiam fit in aliis quibusdam; in aliis verò conjunctio & omittitur. Verumtamen ex ipsis laudatis codicibus satis clarè colligitur, non annuntiari ut socios: quippe post voces,* & Aresti episcopi, *subjungitur,* cujus Gesta habentur. *Sanè nullus ignorat de sociis Martyribus Acta conscribi omnibus communia; si ergo essent in martyrio socii, scriptum fuisset,* quorum Gesta habentur. *Deinde apparens illa conjunctio, quæ in quibusdam Martyrologiis reperitur, ex eo etiam minùs fit verisimilis, quòd in omnibus istis, in quibus jungi videntur, Antoninus primo loco recenseatur,* Aristion *verò, qui episcopus fuit, tantùm secundo. At verisimile non est, Episcopum Puero, uti in istis vocatur Antoninus, postponendum fuisse ab omnibus, si credidissent martyrii socios. Hæc sufficiunt contra apparentem illam conjunctionem,*

C *quæ in Apographis Hieronymianis magni ponderis non est. Ex hisce tamen solis, quantùm colligi potest, Ado Martyres istos conjunxit, uti & feciſſe videtur Rabanus, sed minùs clarè, & servatis ferè Hieronymianorum verbis.*

tum quia in aliis clarè separantur, & diversis locis sunt passi.

10 *Altera ratio disjungendi laudatos Martyres petitur ex aliis apographis Hieronymianis, in quibus clarè dissociantur. In variis citatis sic disjunguntur, ut alii interponantur medii, qui certò non sunt illorum socii. In Morbacensi diversis ponuntur diebus, nimirum Antoninus die* 2, Aristonippus *sequenti. In alio solus* Aristion *sub nomine* Aresti *recensetur, in aliis Antoninus solus. Addi possent omnia S. Antonini Acta, de quibus disputavimus ad diem præcedentem: in illis enim nulla mentio* Aristæi *vel* Aristionis *episcopi. Tertia demum ratio, cur separemus* Aristionem *ab Antonino, est, quòd diversis illis nominibus unus tantùm indicetur* Aristion, *ut mox probabimus. Hic autem* Aristion *passus est Alexandriæ ad sinum Issicum, Antoninus verò Apameæ, aut in ejus vicinia. Hæ rationes præponderare debent auctoritati Adonis & aliorum, quorum opinio nullo nititur monumento idoneo, atque orta videtur ex apographis Hieronymianis minùs accuratè consideratis. Nunc probandum superest, unicum* Aristionem *Alexandrinum episcopum annuntiari nominibus diversis, idque faciam § sequenti.*

§ II. Unus est Aristion, qui vicinis nominibus multiplicatur in variis Martyrologiis; episcopus is fuit Alexandrinus ad Issum in confinio Ciliciæ & Syriæ: varia ejus elogia ex Menologiis.

Unus tantùm hoc die admittendus Aristion,

JAm *dixi num.* 8 *unum dumtaxat die* III *Septembris indicari* Aristionem, *etiamsi sub tribus diversis nominibus referatur in quibusdam apographis, seu interpolatis, seu consarcinatis ex variis Martyrologiis per homines imperitos, qui credebant diversos indicari Sanctos, quoties in diversis Martyrologiis reperiebant leviusculam nominis aut adjunctorum differentiam. Sententiam meam jam olim secuti videntur Wandelbertus, Ado, Usuardus, cùm unum tantùm annuntient; licèt duo posteriores locum martyrii non rectè designaverint. Auctor Romani veteris, & Notkerus* Aristionem *prorsus omiserunt. Rabanus verò* Aristionem, *qui nobis unus videtur, in duos divisit, uti pronum erat propter Hieronymianorum interpolationem. Baronius in Romano hodierno Adonem & Usuardum secutus est, ut jam vidimus. Rationes, ob quas unum tantùm agnoscam* Aristionem *hac die, lector studiose, breviter accipe.*

quia ille, qui variis nominibus annuntiatur ut episcopus Alexandrinus, idem est cum Aristione,

12 *Primò in variis Hieronymianis unus tantùm annuntiatur, & quidem in diversis nomine non parùm luxato. In duobus primis Martyrologiis apud Martenium editis, ut dixi num.* 7, *unus tantùm memoratur nomine* Aristonippi. *In altero ibidem unus item nomine* Aristi. *Sic in codice Reginæ Sueciæ unius* Aresti, cujus gesta habentur, *fit mentio. Varii codices nullum omnino memorant* Aristeum *aut* Aristionem; *alii verò plures. Jam verò, cùm Sanctus hic sit antiquus, non video, cur in antiquioribus Martyrologiis omissi essent alii ejusdem ferè nominis, qui etiam admodùm deberent esse vetusti. Certè facilius percipio, quo modo fieri potuerit, ut unus sub tribus diversis nominibus eodem die repeteretur. Nam collectores illorum Martyrologiorum, qui ex variis aliquid sumere studebant, majoriquc utebantur diligentia quàm crisi, ex alio sumere potuerunt* Aristonippum, *ex alio* Arestium, *ex alio* Aristonem, *eaque nomina suis Martyrologiis inserere tamquam totidem Sanctorum. Causam suspicandi, id revera factum esse, præbet non modò nominum similitudo, sed etiam quòd Sanctus, qui sub nomine* Aristoippi, Arippi, Arestempi, *frequentiùs verò* Aristonippi, *& apud Rabanum* Aristippi *Alexandriæ attribuitur, necessariò debeat esse* S. Aristion *episcopus Alexandrinus, qui in Græcis Menologiis notus est eodem die. Sic enim mecum ipse disputo: Cùm dies & locus martyrii, uti & dignitas episcopalis* Aristonippi & Aristionis *congruant, ob levem nominis mutationem, quæ in Hieronymianis frequentissima est, non fit credibile, duos esse diversos Sanctos.*

AUCTORE J. S.

idem etiam cum eodem Episcopus ille, qui passim Antonino postponitur;

13 *Porrò sicuti minimè verisimile est, hosce distinctos esse; ita id nihilo credibilius apparet de* S. Aristione *atque illo Episcopo sancto, qui in plerisque apographis sequitur post Antoninum nomine* Aresti, Aristoni, Aristenis, Aristonis, *uti etiam vocatur apud Rabanum. Etenim eadem etiam hîc dignitas episcopalis, idem venerationis dies, tantaque nominis similitudo, ut distinctos credere nequeamus sine ratione gravi, quæ non occurrit; cùm sola repetitio nominum pro distinctione afferri possit. At illa nominum repetitio frequentissima est in apographis Hieronymianis ob rationes jam dictas. Præterea in duobus apographis de* Arestio *dicitur*, cujus gesta habentur. *Hæc autem de solo* Aristione *intelligenda videntur, cujus Actorum compendium etiamnum supereſt in Menologio Græcorum. Sanè de alio quopiam episcopo nequeunt intelligi probabiliter, cùm alterius Arestii nulla apud Græcos exstet hoc die memoria, nullum apud Latinos Actorum vestigium. Quapropter si nec* Aristonippus *nec* Ariston *distinguatur ab* Aristione *Alexandrino, invicem quoque non distinguuntur.*

B *& quia unus tantùm in Hieronymianis assignatur locus:*

14 *Altera ratio Sanctum hîc geminum non agnoscendi, est locus, qui unicus sic assignatur, ut uni addatur, deinde verò omittatur. Alexandriæ passus dicitur* Aristonippus, *ejusque civitatis fuit episcopus. Intelligendam autem esse Alexandriam ad Issum, quæ ab aliis Syriæ, ab aliis Ciliciæ attribuitur, ostendam infrà.* Aristoni *verò, vel* Aristeo *nullibi locus additur, nam sicuti separandus est ab Antonino, post quem in plerisque annuntiatur, sic etiam ad eumdem cum ipso locum referri non debet. Si autem quis vellet contendere,* Aristeum *vel* Aristonem *referri ad eumdem locum, in quo annuntiatur* Antoninus, *respondere deberet ad rationes, quibus probavi duos istos martyres non simul esse passos. Porrò hæc loci omissio, quæ reperitur in omnibus Hieronymianis, pro* Aristone *vel* Arestio, *evincit aliunde etiam, nomen istud non spectare ad primigenium Martyrologii Hieronymiani textum. Colligitur id ex verbis S. Gregorii in Epistola ad Eulogium Alexandrinum, quæ passim intelliguntur de Martyrologio Hieronymi nomen præferente:* Nos autem, *inquit Gregorius lib.* 8 *epist.* 29, pene omnium Martyrum distinctis per dies singulos passionibus collecta in uno codice nomina habemus, atque quotidianis diebus in eorum veneratione Missarum solemnia agimus. Non tamen in eodem volumine quis qualitèr sit passus indicatur, sed tantummodo nomen, locus, & dies passionis ponitur. Unde fit ut multi ex diversis terris atque provinciis per dies, ut prædixi, singulos cognoscantur martyrio coronati. *Testatur Gregorius locum singulis fuisse appositum. Nonne igitur censendæ sunt interpolationes, ubi nuda occurrunt nomina Sanctorum sine loco addito? maximè cùm & aliæ rationes insinuant, eadem nomina jam ante fuisse memorata.*

unus item apud Græcos notus Aristion, cujus datur elogium:

15 *Ex dictis concludo, diversis nominibus unum designari* S. Aristionem *episcopum Alexandrinum, etiamsi tertiò etiam repetitur in quibusdam sub nomine* Aresti, Arestis *vel* Aristoni. *Nomen diversis modis luxatum est, at idem ubique Sanctus. Confirmatur id ex Græcorum Menologiis, in quibus unus tantùm hoc die annuntiatur* S. Aristion, *non plures. Accipe breve ejus elogium ex Menologio Sirleti:* Eodem die natalis beati Aristionis episcopi Alexandriæ, qui in igne probatus migravit in cælum. *Ad eumdem diem in Menologio Basilii imperatoris jussu compositio* S. Aristion *sub hoc titulo*, Certamen sacrosancti martyris Aristionis, *tali ornatur elogio:* Sanctus martyr Aristion fuit Alexandriæ episcopus. Docebat autem summa cum libertate, & prædicabat Domini nostri Jesu Christi in carne adventum, æternumque ejus regnum: ad hæc felicitatem & gaudium regni cælorum; & quòd hæc hominum gloria, & dignitates & divitiæ, corruptioni obnoxiæ sunt, & evanescunt; illa verò bona incorruptibilia sunt, eaque vita immortalis. Hæc docens, cùm multis Græcorum * persuaderet, eosque ad Deum converteret atque baptizaret, captus sistitur Alexandriæ præfecto: confessusque Christum, igni traditur: atque ita in camino, velut tres illi sancti pueri, laudans & magnificans Deum, beatum optatumque finem accepit, incorruptibilis vitæ coronam adeptus. Et pretiosæ quidem ejus reliquiæ * terræ commendatæ sunt; sancta verò ipsius anima ad cælos ascendens, unà cum Sanctis lætatur. *Hæc Latinè reddita ex Græco sic leguntur in editione Urbinate anni* 1727. *Eadem paullo brevius leguntur in Synaxario Claromontano, nobis olim per Sirmondum communicato.* D

* *i. e.* gentilium

* *i. e.* corpus

E

fuit episcopus Alexandriæ ad Issum in confinio Syriæ & Ciliciæ;

16 *Sanctum* Aristionem *non fuisse Alexandriæ in Ægypto episcopum, jam observavit Michaël le Quien in Oriente Christiano tom.* 2 *col.* 903, *ubi recenset episcopos Alexandriæ ad Issum, eamque civitatem describit his verbis:* Alexandria Ciliciæ penes Issum, vel ad Issum, ἐν Ισσοῖ dicta Ptolemæo, qui illam Syriæ assignavit; Ciliciæ verò, oppidum Issos, deinde Alexandria, Plinio. Stephanus quoque Byzantinus hanc in Cilicia positam ait, & in Notitiis Hieroclis, & Græcâ alterâ, Ciliciæ secundæ censetur. Prope Issicum verò sinum jacet, & hodieque ALEXANDRETTA, velut Alexandria minor ALESSANDRONA & SCANDARETA nominatur. *Secundum hujus civitatis episcopum recensei* Aristionem, *de quo sic ratiocinatur:* Græci in Menologio die III Septembris memoriam agunt sancti Aristionis Alexandriæ episcopi ... Atqui Aristio magnæ Alexandriæ Ægypti antistes prorsus non fuit, non alterius proinde ab Alexandria Ciliciæ. *Eodem argumento Helenum primum, & Theodorum huic Alexandriæ tertium attribuit episcopum. At non inquiro, utrùm illa consecutio in omnibus sit satis certa. Verum certò constat, Hesychium, quem statuit quartum episcopum Alexandriæ ad Issum, illi cathedræ præsedisse tempore concilii Nicæni & Antiocheni, cùm utrique subscripserit inter episcopos Ciliciæ* Hesychius Alexandriæ minoris. *Porro ex ipso Menologio satis colligitur,* S. Aristionem *non annuntiari ut episcopum Alexandriæ Majoris, cùm non vocetur* Patriarcha, *uti in illo Menologio vocantur alii, qui sedi patriarchali præfuerunt.*

C

F

atque alius est ab Aristione Christi discipulo, aliisque ejusdem nominis.

17 *Non exprimitur, quo tempore passus sit Sanctus; at ex eo, quod captus sit à civitatis præfecto, seu gubernatore, satis colligitur, coronatum esse in aliqua persecutione imperatorum gentilium. Fuit aliquis Aristion inter antiquos Christi discipulos, de quo actum est tom.* III *Februarii pag.* 283. *Alius Aristion episcopus martyr cum Lucinio episcopo martyre ponitur ad* IV *Martii, seu tom.* I *istius mensis pag.* 308. *Item in Constitutionibus Apostolicis lib.* 7 *cap.* 46 *primus episcopus Smyrnæ vocatur Aristo, & rursum tertius, ita ut geminus Aristo attribuatur Smyr-*

A *Smyrnenſi eccleſiæ. Verùm nulla occurrit ratio, cur credam unum ex illis eumdem eſſe cum* S. Ariſtione *Alexandrino ad Iſſum. Tillemontius tom.* 2 *in S. Papia de hiſce etiam diſputavit; inſinuavitque Alexandrinum noſtrum, quem non rectè in Troade aut in Caria dubitanter quærit, forſan eumdem eſſe cum Ariſtione Chriſti diſcipulo; ſed rationes non affert, quæ me morari debent.* AUCTORE J. S.

DE SS. ZENONE ET CHARITONE MARTYRIBUS.

Cultus è Faſtis Græcis ac Martyrologio Romano. J. P.

III SEPTEMBRIS. *De iis agit Menologium Sirleti; adde Menæa,*

B Duos *hoſce Chriſti Pugiles Menologium Sirletianum refert hoc quidem die, ſed duplici annuntiatione. Præmittit enim* S. Zenonem *his verbis:* Eodem die (III *Septembris*) commemoratio ſancti Zenonis, qui in lebetem plumbo ferventi plenum injectus, Dei amore fervens, ad Chriſtum Dominum, pro cujus confeſſione paſſus fuerat, tranſlatus eſt. *Duobus Martyribus aliis deinde interjectis, ſic pergit:* Item ſancti Charitonis, qui in foveam ardentis ignis plenam injectus, martyrio donatus eſt. *Hoc etiam die memorantur duabus annuntiationibus in Menais magnis impreſſis. Primus ita ſignatur:* Sanctus Zenon in lebetem liquato plumbo ferveſcentem injectus conſummatur. *Secundus autem poſt alios ibidem interjectos ſubditur:* Sanctus Chariton in foſſam ſemper ardentem conjectus interiit.

In quibus ſunt de illis verſiculi,

2 *Primo accinuntur ibidem hi duo verſiculi:*

Ζλιών ὁ ϑεῖος τῷ Θεῷ πόϑῳ ζέων,
Χαίρων ὑπῆλϑε τὸ μολίβδου τὸ ζέον. *Id eſt:*
Divine Zenon, igne dum ferves Dei,
Vas bulliente fervidum plumbo ſubis.

Alludit poeta ad nomen proprium Zenon, *& ad participium* ζέων *&* ζέον, *à verbo* ζέω, *quod Latinis eſt* efferveſcere. *De* S. Charitone *hæc dicuntur:*

Εἰσδὺς Χαρίτων εἰς τ' ἄσβεστα βόθρον,
Ἄσβεστον ἄρε φῶς ἀπηράτου τόπου. *Id eſt:*
Chariton ſubintrans ignem inexſtinctum rogi;
Sine fine lucem fulgidam in cælo obtinet.

In nomine ἄσβεστον *alluditur ad foſſam ſeu voraginem inexſtinctam, in quam immiſſus fuit Martyr, & ad lucem æternam ſeu inexſtinctam in cælo, quam conſecutus eſt.* E

Martyrologium Romanum alio modo eos annuntiat.

3 *Martyrologium Romanum duos hodiernos Athletas ponit ſub hac unica annuntiatione:* Sanctorum martyrum Zenonis & Charitonis, quorum alter in lebetem liquati plumbi conjectus eſt; alter in fornacem ignis immiſſus. *In Faſtos verò Romanos tranſcripti fuerunt, ut indicat Baronius in notis,* ex Menologio, *videlicet Sirletiano, è quo plurimos alios Sanctos in eoſdem Faſtos induxit. Cur autem apud Græcos ſeorſum referuntur? Baronius ibidem hoc illos inſinuat feciſſe,* quaſi indicantes, non unà ſimul, ſed diverſis in locis eâdem die paſſos eſſe. *Die autem* 2 *Septembris datus à nobis eſt* Zenon *ſynonymus martyr, qui an ab hodierno diverſus ſit, dubium eſſe diximus. Vide quæ habentur die* 2 *Septembris pag.* 361, *num.* 4. *Sed quia non poſſumus affirmare tamquam certum, quòd alter ab altero non diſtinguatur, ideo cum Martyrologio Romano, præeuntibus Faſtis Græcis,* S. Zenonem *hodiernum etiam dandum cenſuimus.*

C

DE S. MANSUETO EPISC. ET CONF. F

TULLI LEUCORUM IN GALLIA,

COMMENTARIUS PRÆVIUS. J. L.

§ I. Tulli, quò à Petro Apoſtolo miſſus creditur, ſitus, antiquitas, decora; Vita & miracula, auctore Adſone; duo antiqui codices Mss., varia de Sancto continentes; Acta breviora; aliquorum figmenta.

VERISIMILITER CIRCA AN. CCCLXXV. *Leucorum ſedes; quorum caput*

Leuci *eas olim in* Belgica prima, *antiquæ Gallia provincia, terras incolebant, ubi nunc eſt ampliſſima diœceſis Tullenſis: hujus autem ſacræ juriſdictioni ſubjiciuntur ducatuum Lotharingiæ & Barri partes Auſtrales unà cum tractu, qui inter eas atque inter Moſam & Moſellam medius jacet. Ad hunc fluvium, ubi Moſæ proximus fluit,* Tullum *conditum eſt, urbs epiſcopalis ſub metropoli Trevirenſi. Sunt, qui illud Taciti lib.* 1 *Hiſtoriarum cap.* 64, Nuntium de *Tullum, licèt Petri Apoſtoli ætate fortè extiterit,*

AUCTORE J. L.

de cæde Galbæ & imperio Othonis Fabius Valens in civitate Leucorum accepit, *ita interpretentur, ut Galbæ imperatoris cædes Fabio* Tulli *annuntiata fuerit: at Hadrianus Valesius in Notitia Galliarum pag.* 564 *&* Christophorus Cellarius *lib.* 2 *Geographiæ antiquæ cap.* 3 *pag.* 186 *melius judicant, Tacitum per* civitatem Leucorum *non* Tullum, Leucorum *caput, sed agrum à populo isto inhabitatum designasse. Quia tamen Ptolomæus, qui ante vel circa medium seculi* 2 *scripsit, Geographiæ lib.* 2 *cap.* 9, Tulli *expressè meminit, ultro ego concedam, quod tamen, ut opinor, evinci nequit, urbem hanc extitisse Galba imperante, atque etiam vivente S. Petro Apostolo, qui sub Nerone Galbæ decessore passus est. Verùm quòd idem Apostolus* S. Mansuetum *Romæ discipulum habuerit, episcopum consecrarit, in Galliam legarit ad Euangelium prædicandum, perque eum ecclesiam Tullensem fundarit; traditio est, quæ prudentem fidem, meo judicio, non meretur.*

B *aliis tamen titulis verius gloriari potest, quàm quòd fidem acceperit à Petri discipulo S. Mansueto.*

2 *Glorientur Tullenses, in urbe sua sedisse multos præsules, vitæ sanctimonia insignes; è quibus vel hoc solo mense Septembri quinque colunter, hac die* Mansuetus, VII *Gauzlinus*, XI *Bodo*, XV *Aper*, XXVIII *Alchas. Ex reliquis, quorum infrà mentio facienda est, unum hìc commemoro S. Brunonem, qui Tulli adolevit atque iis virtutibus institutus fuit, ob quas ad urbis episcopatum & dein ad Romanam S. Petri Cathedram meruit assumi, in qua sedit sub nomine Leonis IX. De hoc sancto Pontifice actum fuit ad diem* XIX *Aprilis. Tulli etiam natus fuit totâ Galliâ celeberrimus ille ac S. Apollinari Sidonio laudatissimus Trecensium antistes & nunc apud Deum patronus S. Lupus, cujus illustria gesta, virtutes ac miracula recensita atque illustrata sunt ad diem* XXIX *Julii. Hæc & alia decora Leuci de suo Tullo & de ecclesiæ suæ cathedra ibidem constituta verè prædicare possunt. Sed dum hujus primordia ad ipsius Apostolorum Principis ætatem referunt, & ab eo* S. Mansuetum *ad se missum esse aiunt, meritò videri possunt plus suo erga hunc Sanctum affectui & antiquitatis studio indulgere, quàm veritatis amori. Illa ipsa documenta, quibus eorum opinio unicè suffulcitur, utcumque tenebris obvoluta sint, lucis tamen aliquem radium emittunt, quo adjutus satis distinctè perspicere mihi videor, Sanctum non prius quàm seculo* IV *floruisse. Sedulò indagavi vetustatem traditionis, quæ ipsum S. Petro Apostolo contemporaneum statuit. Nullum litterarum monumentum, in quo illud asseritur, invenire potui, quod certò scitur esse vetustius Sancti Vitâ, ab Adsone post medium seculum* X *conscriptâ. Dixi, quod certò scitur esse vetustius: nam licèt brevior Sancti Vita, de qua num.* 12 *agam, biographo isto fortassis antiquior sit, hoc tamen valde incertum est. Quoniam in Adsonis mentionem incidi, veniam dabit lector, si motam quæstionem tantisper dimittam, eam resumpturus, postquam de biographo isto, & ejus lucubratione, deque duobus vetustis codicibus originalibus, in quibus præter illam brevior* S. Mansueti *Vita, aliaque monumenta ad ipsum spectantia exstant, lectorem aliqua præmonuero. De Sancti cultu & gloria posthuma agetur §* 3 *& seqq.*

Quæstioni præmittuntur notitiæ de Adsone

3 *Mabillonius in Actis Sanctorum Ordinis S. Benedicti tom.* 2 *à pag.* 844 *edidit historiam* de diversis casibus Dervensis cœnobii & miraculis S. Bercharii, *quam anonymus ejusdem cœnobii monachus post medium seculum* XI, *uti ex ipsius verbis apud laudatum Mabillonium num.* 12 *patet, litteris mandavit. Historiæ isti Adsonis elogium inseritur, ex quo aliqua decerpere visum est.* Primus, *à religiosa scilicet disciplina in monasterio Dervensi restituta, . . .* domnus claruit Albericus . . . indigena Remensis, monachusque S. Apri Tullensis, qui . . . cum regimine pastorali sulcepit nomen abbatis, adoptato sibi ad supplementum omnis auxilii domno Adsone . . . Hic . . . Luxovio * diversis studiis litteratoriæ ar- * Luxovii
tis plenissimè [fuit] imbutus: quem in primævo flore juventutis affluentem verbo sanctæ eruditionis cum puritate vitæ innocentis perspicuè agnoscens pontifex, cleruque Tullensis, multis supplicationibus eductum à Vosago *monte, ad cujus radices Luxovienſe in Burgundiæ comitatu cœnobium jacet*, substituerunt urbi Tullensi ad magisterium sacri Ordinis, *id est, clericorum secundum Mabillonium tom.* 3 *Annalium lib.* 47 *num.* 72 . . . Ibi per aliquanta temporum voldmina variis insudans divinæ præceptionis exercitiis post maximam multorum institutionem, iterum claritas divini splendoris, videlicet Adso, opponitur effugandis Dervensibus nebulis . . . Ibi E
postmodùm excedente vitâ domno Alberico abbas effectus, . . . maximi, quod nunc frequentamus, templi fundamenta jecit amplissima . . . .

abbate Dervensi;

4 Hic etiam precibus ac jussione S. Gerardi Tullensis urbis episcopi Vitam B. Mansueti primi, dirigente Petro Apostolo, ipsius urbis pontificis difertissimè composuit . . . Opuscula præterea plura versificè composuit . . . Anno Verbi incarnati CMXCII . . . ingreditur iter viæ Jerusalem . . . Sed festinantem ad majora certamina dignatio Omnipotentis evocat ad bravium cælestis remunerationis. Nam in ipso mari correptus languore ultimi exitus . . . beatam animam à puppi exsultationis transmisit ad gaudia patriæ cælestis. *In Historia litteraria Franciæ tom.* 6 *pag.* 473 *dicitur, Adso S. Gauzlini episcopi & cleri rogatu è Luxovienſi ad Tullenſe S. Apri monasterium transmigrasse circa medium seculum* X, *Albericus verò, monachus S. Apri, cœnobii Dervensis abbas electus fuisse & Adsonem secum duxisse, ut ejus auxilio uteretur, cùm forte adhuc viveret Gauzlinus, qui anno* 962 *obiit. Hujus successor S. Gerardus, de quo ad* XXIII *Aprilis egimus, episcopatum Tullensem rexit ab anno* 963 *usque ad* 994. *Adso sub hoc sancto præsule in locum Alberici, quem in cœnobii Dervensis regimine adjuverat, subrogatus fuit non seriùs quàm anno* 969: *nam Mabillonius tom.* 3 *Annalium lib.* 47 *num.* 28 *adfert litteras donationis, à S. Gerardo tunc datas, quibus apponuntur signa* Adsonis abbatis *& aliorum. Licèt non exprimatur, cujus loci abbas fuerit ille Adso, ob varias tamen rationes, quibus hìc referendis immorari non lubet, mihi penè certum videtur, eum non fuisse alium, quam Dervensem. Abbatia hæc sita est in Pertensi Campaniæ Gallicæ tractu, quæ diœcesi Tullensi vicinus est. Atque hæc sunt, quæ circa Adsonis personam lectorem prænovisse juvabit.*

de Sancti Vita

5 *Historiæ, quam de* S. Mansueto *litteris commendavit, varia præ manibus mihi sunt exemplaria. Tria manu exarata sunt; quorum unum in fronte notatur transcriptum esse* ex Ms. sancti Maximini Treviris; *alterum* ex Mss. Dilinganis; *tertium* ex Ms. Ochsenhusii monasterii Benedictinorum in Suevia Germaniæ, & Benedictinorum Mediani monasterii (Moyen-moustier)

A stier) in Lotharingia. *Hoc deinceps* Ochsenhusanum *vocabo. Tria etiam typis edita sunt: primum anno* 1636 *à Francisco Bosqueto tom.* 1 *Historiarum ecclesiæ Gallicanæ parte* 2 *pag.* 23; *secundum anno* 1717 *ab Edmundo Martene & Ursino Durand tom.* 3 *Thesauri novi anecdotorum à col.* 1013; *tertium anno* 1728 *ab Augustino Calmet tom.* 1 *Historiæ Lotharingicæ in Monumentis à col.* 86. *In solo apographo Ochsenhusano Adsonis Opusculum integrum repræsentatur. Quid in ceteris exemplaribus desideretur, ex occasione partim assignabitur num.* 7 *& seq. Pleniùs id fiet in notis, quibus Adsonis lucubratio excipietur. Eam dabo integram in capita & numeros more nostro distribuiam. In præfatione seu epistola nuncupatoria ad S. Gerardum testatur abbas Dervensis, se illius jussu Acta* S. Mansueti *scripsisse, quod etiam apud anonymum monachum Dervensem legitur. Epistolæ inscriptio est:* Domino sancto * ac verè beatissimo antistiti Gerardo Adso indignus servorum Dei servus, abbatum ultimus *&c. Ex eo, quòd biographus se abbatem vocet, innotescit, illum, cùm scriptionem suam inchoaret; jam cœnobio Dervensi præpositum fuisse: hoc autem non contigit post annum* 969, *ut numero præcedente dictum est.*

* *Ms. Diling.* suo

B

& miraculis, ab eo conscriptis,

6 *Præfationi subjicit biographus viginti duo districha, quibus* S. Mansueti *vitam summatim perstringit, ejusque & S. Apri patrocinium implorat. Sanctus noster solus invocatur in adjecta octo versuum hexametrorum acrostichide, qui incipiunt à litteris* MANSUETE. *Sequitur tandem ipsum Adsonis opusculum in duos libros divisum. Tria priora apud nos libri primi capita de Sancti vita agunt, in quibus multum quidem palearum seu ineptiarum, quæ biographus affectatâ & ad nauseam verbosâ loquentiâ venditat, at frumenti, id est, veræ ac solidæ substantiæ vix quidquam invenitur. Capite quarto seu ultimo libri primi præter aliquas de antiquo Sancti cultu notitias, duo ex traditione populari adferuntur miracula, quæ meritò quis suspecta habebit. Primum examinabitur § 3. Alterius veritatem ipse Adso in dubium vocat. Liber secundus, à nobis in quatuor quoque capita divisus,* S. Mansueti *miracula refert, quibus sub SS. Gauzlino & Gerardo episcopis Tullensibus claruit. Firmam illa fidem merentur: nam licèt Adso scripserit, dum abbas Dervensis & proinde Tullo procul dubio absens erat; cùm tamen illud fecerit rogatus à Gerardo ejusdem urbis antistite, cúmque sub Gauzlini decessoris episcopatu & forte etiam post hujus mortem aliquanto tempore in Tullensi S. Apri abbatia habitarit: existimandum est, eum plenè fuisse instructum de miraculis, quibus Deus sub utroque illo præsule Sancti gloriam illustravit.*

C

deque duobus antiquis codicibus Mss.

7 *In abbatia* S. Mansueti *prope Tullum, de qua inferiùs plura dicentur, duo servantur vetusti codices Mss., in quibus reperiuntur omnia, quæ post hunc Commentarium editurus sum. Exemplaria Vitæ & miraculorum* S. Mansueti, *quæ num.* 5 *recensita sunt, ex iisdem primùm accepta fuisse credo. In uno codice habetur Catalogus episcoporum Tullensium, cui post Sancti nostri elogium seu breviorem Vitam, de qua num.* 12 *seorsum agetur, Adsonis lucubratio intexitur, excepta præfatione ad S. Gerardum & acrostichide. Secundo Adsonis libro adjicitur miraculum* S. Mansueti *ab anonymo conscriptum, de quo vide num.* 59. *In Vitis & miraculis SS. Apri & Gerardi, quæ eidem quoque Catalogo suis locis inseruntur, sancti Præsulis nostri gloria posthuma illustratur earum rerum relatione, quæ* § 4 *num.* 53 *& seqq., necnon* § 5 *num.* 61 *commemorabuntur. Postremum in Catalogo isto locum occupant Acta S. Brunonis episcopi Tullensis, ac dein summi Pontificis sub nomine Leonis IX, qui anno* 1054 *obiit. Scripsit illa Wibertus Tullensis archidiaconus, sancto æqualis. Quoniam Catalogus in recensendis episcopis ulterius non pergit, ego eum absolutum fuisse opinor ante mortem Udonis, qui S. Brunoni proximè successit, quique adhuc vivebat anno* 1069; *quemadmodum constat ex ejus charta apud Calmetum tom.* 1 *Hist. Lotharingicæ in Monumentis col.* 468. *Edidit hic totum istum Catalogum ibidem à col.* 83, *prætermissis dumtaxat Actis S. Leonis IX, quòd ea typis satis pervulgata essent. Martenius tom.* 3 *Thesauri novi anecdotorum à col.* 1014 *ex illo edidit librum secundum Adsonis, quodque huic proximè adjungitur miraculum* S. Mansueti. *Librum primum totum omisit. Ex versibus huic præviis sola districha dedit; quibus prologum ad S. Gerardum præfixit ex codice Ms. bibliothecæ Colbertinæ. Legi possunt observationes, quas Calmetus laudatus col.* 191 *&* Martenius *col.* 989 *de Catalogo memorato adferunt. Miror, cur Martenius ibi affirmet, eum in fine mutilum esse. Quem integrum dicit, seque editurum spondet ex codice Ms. Camberonensis cœnobii in Hannonia, duos quidem post S. Brunonem seu Leonem IX episcopos Tullenses refert, Udonem scilicet & Pibonem, qui anno* 1107 *defunctus est: sed hi recentiore manu verisimiliùs additi fuerunt, uti colligitur ex verbis, quibus à S. Leone IX ad Udonem transitur:* Quoniam Gesta prisorum pontificum hujus sedis, prout contigit, scripta cognovimus; videtur nobis incongruum, ut Acta venerabilis Udonis ... sub silentii fera occultemus.

D E

AUCTORE J. L.

abbatiæ S. Mansueti, qui varia

8 *In altero codice Ms. abbatiæ* S. Mansueti *Adsonis Opusculum integrum repræsentatur cum præfatione ad S. Gerardum, quæ in priore omittitur. Cùm hæc non desit in exemplaribus nostris Ochsenhusano & Dilingano, ea ex posteriore codice originem suam traxisse credo. An ex eodem profluxerint exemplaria Bosqueti editum, & San-Maximinianum manu scriptum dignoscere non possum. In hoc nude dumtaxat primus exhibetur Adsonis liber, in illo idem cum initio secundi. Multa alia in posteriore codice monumenta exstant, quæ ad Sanctum nostrum spectant. Eorum aliqua ad manum sunt, quæ Bollandus se accepisse notavit à* R. P. Hugone Vardæo, *quem aliunde didici fuisse ex Ordine Fratrum Minorum Hibernorum conventûs Lovaniensis. Qui monumenta à Vardæo nobis communicata exscripsit, summa rerum omnium in codicem istum congestarum capita ita proponit:* Suprà dicta ferè omnia de S. Mansueto extraxi ex antiquo codice Ms. monasterii S. Mansueti in suburbiis Tullensis civitatis: qui codex in quarto ferè de sancti Viri gestis per totum tractat, ut ex digestis suo ordine tractatibus, in eo contentis, subnotandis videre est. Primo itaque loco est sermo quidam de S. Mansueto, foliis prioribus è codice revulsis obtruncatus, totus exhortatorius, nihil ferè ex Sancti vita proferens, & ex quodam Patre, vel Beda vel Gregorio translatus & applicatus pro Mansueto. Secundo sequuntur antiphonæ, responsoria & hymni pro-

F

AUCTORE J. L. prii de Officio ſancti Manſueti abſque tamen inſertis lectionibus.

monumenta 9 Tertio epiſtola Adſonis ad Gerardum epiſcopum, quam immediatè conſequitur carmen ejuſdem de S. Manſueto ... Denique ſequuntur duo libri ejuſdem Adſonis de Vita S. Manſueti, quorum ſecundi ultimum caput agit de quodam energumeno, & finit LÆTITIÆ AFFORE CESSENTEM. *Vox ultima mendosè ſcripta eſt, quæ quomodo corrigenda ſit, me latet: quia liber ſecundus Adſonis in editionibus Martenii & Calmeti, atque etiam in apographis Othſenhuſano & Dilingano iiſdem vel ſimilibus vocibus non terminatur. Neque in capite ultimo agitur de quodam energumeno, ſed de S. Gerardo epiſcopo, in priſtinam ſanitatem ex gravi morbo per* S. Manſuetum *reſtituto. Poſt cujus beneficii enarrationem liber ita concluditur*: Et quia aliqua de Sancti hujus virtutibus, præſentis in carne pontificis (*Gerardi*) tempore geſta, brevi calamo, ut ita dicam, ſodalem ſibi libellum ejus imperio abſolvimus, nunc in his quoque finem faciamus, adjuti ejus orationibus, aſpirante gratia Domini Redemptoris. *Adſonem his verbis ſcriptioni ſuæ finem impoſuiſſe, eorum ſenſus clariſſimè inſinuat. Vix dubito, quin in codice abbatiæ* S. Manſueti *eadem clauſula habeatur: ſed cùm hac fugerit ejus oculos, qui rerum in illo contentarum elenchum contexuit; hinc factum eſſe mihi planè perſuadeo, ut quæ Adſonis concluſionem proximè ſequuntur, ejuſdem auctoris eſſe putarit. Ex eo, quòd aſſerat, ultimam narrationem eſſe* de quodam energumeno, *conjecturare pronum eſt, quæ libro ſecundo Adſonis ſubjunguntur, eſſe miracula* S. Manſueti, *eaque diverſa ab edendis poſt Commentarium: nam hæc inter nullum occurrit de energumeno per Sanctum liberato.*

ad Sanctum ſpectantia 10 *In elenchо, quem tranſcribere cœpi, poſt energumeni mentionem fit recenſio monumentorum, quæ integra exſcribere elenchi confector operæ pretium eſſe duxit, quaque Vardæus Operi noſtro inſerenda Bollando donavit. Quænam illa ſint, invenies infra* § 5, *qui ferè totus à num.* 61 *de iiſdem tractabit. Dein* habetur Vita S. Manſueti metricè dicta, cujus author non noſcitur. *Complectitur illa verſus hexametros rhythmicos circiter* 320, *qui inter extracta à Vardæo accepta primo loco adferuntur. Poëma iſtud libri primi Adſonis manifeſtum compendium eſt. Idem, re maturè perpenſa, judicium fero de alteris Sancti Actis in proſa* ex Ms. Ultrajectino S. Salvatoris, *quæ ad hunc quoque diem ſepoſita inveni.* Subſequitur Catalogus epiſcoporum Tullenſium numero triginta octo, reliquis omiſſis, qui ad tempora fortè tabellarii ſeu regeſtoris non pervenerant. *Ex iis, quæ elenchi ſcriptor de Catalogo iſto exceрſit, eruitur, ipſum eſſe eumdem, quem ex codice Ms. Camberonenſi laudatus Martenius edidit à col.* 991. *Ambo deſinunt in Pibone, eumque inter antiſtites Tullenſes trigeſimum octavum ponunt. Vide ſuprà num.* 7 *in fine.* Sequitur ſermo in feſtivitate S. Manſueti, incipiens; SANCTORUM PATRUM MEMORIAS ... finitque poſt LIV ferè folia, QUATENUS ... CUM EO FELICES REGNAMUS * IN PATRIA. Eſt autem ſermo ille S. Maximi de Euſebio Vercellenſi, qui habetur de communi confeſſione pontificis in Breviario Romano; uti collatis his, quæ ex illo ſermone in lectionibus Breviarii habentur, cum dicto de S. Manſueto ſermone deprehendi; licèt nonnulla ſint addita ad applicandum ſermonem S. Manſueto. Hoc modo vidi in cœnobio San-Gallenſi ſermonem V. Bedæ de S. Gallo, quem videlicet ſermonem, ab ipſo in natali S. Benedicti compoſitum, aliquis S. Gallo adaptaverat; ſicque titulum illum præferebat. Hic erat ſtylus antiquorum, ut in pleriſque Sermonariis de Sanctis eſt videre.

* REGNEMUS

comprehenduntur. 11 Sequitur in codice Paſſio SS. Bertarii & Athaleni martyrum, undecim foliis comprehenſa, *quæ edita eſt tom.* 2 *Julii à pag.* 317. Poſtremò Hiſtoria S. Amonis, primi ſucceſſoris S. Manſueti Tulli, ex Breviariis ejuſdem urbis collecta, & per lectiones eccleſiaſticas diſtributa. Adjecta in fine brevis relatio de tranſlatione SS. Manſueti & Amonis, quæ, quantum quidem ad Manſuetum, parum habet, nec ſignat tempora; certiùs conſtant omnia ex ſuſa ſuperiùs hujus tranſlationis deſcripta hiſtoria. *Hanc habemus inter extracta, agitque de* S. Manſueti *tranſlatione à Pibone epiſcopo an.* 1104 *facta, de qua vide num.* 70 *& ſeq. S. Amon colitur* XXIII *Octobris. In Catalogo antiſtitum Tullenſium legitur Herimannus, qui uſque ad annum* 1026 *epiſcopatum geſſit, corpus S. Amonis ex templo abbatiæ* S. Manſueti *ad eccleſiam cathedralem tranſtuliſſe. De vetuſtate codicis, qui quæ contineat, lectori jam exhibita ſunt, id ſolum affirmare poſſum, me in omnibus monumentis, quæ ex illo tranſcripta habeo, nihil detexiſſe, unde inferri queat, eum medio ſeculo* XII *juniorem eſſe. Sed nec multo antiquior eſſe poteſt; nam miracula, quæ ex eodem poſt hunc Commentarium ultimò edentur, ſub Theobaldo abbate* S. Manſueti *contigerunt, qui inter annos* 1125 *vel* 1126 *&* 1136 *præfuit, uti infrà num.* 62 *oſtendetur. Calmetus tom.* 1 *Hiſtoriæ Lotharingicæ in Diſſertatione prævia de epiſcopis Tullenſibus col.* XXVIII *alterum codicem, de quo num.* 7 *actum fuit, ſeculo* XI *ſcriptum eſſe ait: verùm nihil in illo refertur, ob quod eum recentiorem judices. Quoniam utrumque codex ſæpe mihi citandus erit, ego hunc appoſitione ſeculi* XI *diſtinguam ab altero, quem ſeculo* XII *exaratum fuiſſe arbitror.*

Circa breviorem ejus Vitam, primo loco poſt Commentarium cum S. Amonis elogio edendam, F

12 *Reliquum eſt, ut lectorem aliqua moneam circa breviorem* S. Manſueti *Vitam, cujus mentio facta eſt in fine numeri* 2. *Per illam intelligo elogium, quo Sanctus ornatur in Catalogo epiſcoporum Tullenſium, qui in codice ſeculi* XI *in S. Leone IX, in altero verò ſeculi* XII *& in Camberonenſi in Pibone deſinit. Poſt hunc Commentarium primo loco illud recuditur ex editionibus Martenii tom.* 3 *Theſauri novi anecdotorum à col.* 991, *& Calmeti tom.* 1 *Hiſt. Lotharingicæ in Monumentis à col.* 83. *Ex iiſdem addam S. Amonis ſecundi Tullenſium antiſtitis elogium, in quo de antiquo* S. Manſueti *cultu agitur. Sequetur Hiſtoria Adſonis, nondum hactenus integrè edita, in qua numerus* 20 *apud nos ita inchoatur:* Sicut autem in Geſtis ejus (Manſueti,) quæ multo ante nos conſcripta ſunt, facilè eſt inveniri; emundata *&c. Initio numeri* 25 *hæc habentur:* Poſt glorioſum beati Manſueti ... tranſitum, ſicut in Geſtis præcedentium Leucorum urbis antiſtitum invenitur, ſanctus ac beatiſſimus Amon ... beati Viri ſucceſſor effectus *&c. Attendat lector ad ea, quæ verbis jamjam adductis ſubjiciuntur; tum pervolvat, quæ num.* 4 *&* 6 *in* SS. Manſueti *& Amonis elogiis narrantur. Facta collatione, deprehendet, quæ ex hiſce & Adſone perlegenda aſſignavi, eam inter ſe habere ſimilitudinem, ut dicere*

A *diceres Adſonem elogia illa vidiſſe, niſi ea exſtarent in Catalogo epiſcoporum Tullenſium, diu poſt biographum iſtum confecto.*

aliqua obſervantur: prolixior Adſonis hiſtoria etiam integra dabitur, cujus ratio adfertur.

13 *Contra hoc tamen ita ratiocinari quis poſſet: Adſo in Hiſtoriæ ſuæ confirmationem laudat Geſta* S. Manſueti *& ſucceſſorum ejus: ſed illa in elogiis continet memoratus Catalogus: cur igitur qui hunc ſeculo* XI *ad S. Leonem IX perduxit, dicendus eſt* SS. Manſueti *& Amonis Geſta primùm compoſuiſſe? Si hæc Adſo nactus eſt, quidni & ille nanciſci potuit & tranſcribere? Verùm quomodo evinces, eum in tranſcribendo fidelem fuiſſe? In elogiis* SS. Manſueti *& Amonis & eorum, qui ſeculo* X *&* XI *eccleſiam Tullenſem rexerunt, nulla apparet ſtyli diverſitas. Unde eruitur duorum primorum Præſulum elogia à Catalogi auctore ſaltem interpolata fuiſſe. Jam verò quis mihi ſecuritatem præſtabit, interpolatorem de ſuo non adjeciſſe verba illa, quibus Petrus Apoſtolus Sanctum noſtrum convertiſſe, ſacrarum Litterarum ſcientiâ inſtruxiſſe & epiſcopum conſecraſſe inſinuatur? Interim fateor, reliqua non enarrari modo tam parùm credibili, ut omnem eis fidem abrogare auſim. Principio edere conſtitueram breviorem dumtaxat* S. Manſueti *Vitam & ſucceſſoris ejus elogium, de quibus jamjam egi; ex Adſonis verò hiſtoria nil niſi Sancti miracula producere. At cùm deinde clarè adverterim, quæ in variarum eccleſiarum Breviariis, in recentioribus aliquot Martyrologiis, & in pleriſque aliorum nominum litterarum monumentis leguntur, ex biographo iſto deprompta eſſe, atque ejuſdem auctoritate niti fidem rerum penè omnium, quæ de* S. Manſueto *circumferuntur; conſilium mutavi, & Sancti Geſta, ab Adſone apertis contradictionibus & craſſis, quæ palpari queant, figmentis deformata, etiam exhibere decrevi; ut lector lutulentum fontem inſpicere poſſit, atque ita cognoſcere, quid ſtatuendum ſit de rivis inde deductis.*

Scriptor Actorum BB. Mariani & Murcherati,

14 *Sunt tamen, qui* S. Manſueto *fictas laudes attribuerunt ab iis, quas abbas Dervenſis obtruſit, planè diverſas. In Actis BB. Mariani & Murcherati, quæ auctor medio ſeculo* XII *junior ſcripſit & Bollandus tom.* 2 *Februarii à pag.* 365 *edidit, fabuloſum hoc Sancti elogium num.* 4 *invenitur:* Eodem tempore clementiſſimi Dei

C viventis prævidentiâ accidit, ut quidam eximiæ nobilitatis ac præſtantis formæ juvenis, ex re nomen habens, nomine Manſuetus, de finibus Hyberniæ, beato Apoſtolo Petro Romæ erat familiaris & exceptus. Cujus Patris beatiſſimâ doctrinâ idem juvenis ſic erat imbutus, ut accepta poteſtate atque licentia prædicandi, juſſu atque imperio ejuſdem Apoſtoli, diros atque indomitos Lotholingiæ* populos in brevi jugo Chriſti ſubjugaret. Lotharius Caroli Magni filius quartus exiſtens Lotholingiam (quæ & Germania dicitur) paterna hæreditate obtinuit, eamque nomine ſuo nominavit. Beatus interea Manſuetus, cui optata omnia ſucceſſerunt, Cilefines regiones ſecus Rhodanum & uſque ad Africum mare, & uſque ad Illyricos ſinus, prædicando Salvatoris nomen, pertingens, regreſſus ad præclaram urbem atque populoſam Tullenſem, poſt multas victorias, poſt glorioſa certamina, poſt miraculorum præclara opera, ibidem in pace quievit. Qui antequam univerſæ carnis viam ingrederetur, quoſdam ſuos diſcipulos, viros ſapientiâ & prudentiâ imbutos, per multa tempora ante adventum beatiſſimi patris Patricii in Hyberniam direxit: quatenus iidem legati adventum Salvatoris deſcendentis de cælo in uterum Virginis, atque fidem rectam, veramque ſummi Creatoris Adonai cognitionem, per dicta atque facta miracula BB. Petri & Pauli Apoſtolorum in urbe Roma apud dominatores totius orbis populumque potentem Romanum eſſe receptam, prædicando per omnes fines Hyberniæ, ſequentibus ſignis, viva voce enunciarent. *Vide cenſuras & notas, quibus hæc figmenta excepit laudatus Bollandus.*

AUCTORE J. L.

** Lotharingiæ*

& alii recentiores de S. Manſueto

15 *Auctor libelli de Fundatione eccleſiæ S. Petri extra muros civitatis Ratisbonenſis ita fabulatur apud Uſſerium in Britannicarum eccleſiarum antiquitatibus pag.* 1038: Beatiſſimo Petro Apoſtolo urbis Romæ principatum tenente ac Tiberio cæſare regnante, tempore eodem venit de Hibernia quidam vir ſanctus, nomine Manſuetus, cum ſocietate plurima ſanctorum Hibernenſium inviſere Romæ cæli Clavigerum ad conſequendam ab eo indulgentiam. Videns B. Petrus ſanctorum Virorum prudentiam, illorum quoſdam miſit in Apuliam, alios in Calabriam, alios aliò ut verbi Dei ſemen ſeminarent. Ipſum reverendum epiſcopum Manſuetum ad Lotharingiam direxerat, ut filios Dei multiplicaret *&c. Aventinus lib.* 6 *Annalium Boiorum pag.* 387: Hybernia inſula eſt, quæ ultra Britanniam in Oceano Septentrionali cubat... Manſuetus eò à divo Petro miſſus religionem Chriſti illis tradidit. Is quoque Illyricos, Ciſalpinam Galliam, Belgas Chriſto ſubegit. Tulli Leucorum urbe ſepultus eſt. *Dempſterus in Hiſtoria eccleſiaſtica gentis Scotorum lib.* 12 *num.* 838: S. Manſuetus epiſc. Tulli... Claudiam Scotam, S. Pudentis conjugem è Scotia, ut videtur, ſecutus divum Petrum Romam venientem audivit, & ab eo humanæ ſalutis myſterium edoctus in Galliam miſſus, mira ſanctitate Tullenſem eccleſiam rexit.... Hiberni impudenter civem ſuum faciunt. *Mox auctores aliquot neotericos, Adſonem ſecutos, citat Dempſterus, à quibus Sanctus natione* Scotus *dicitur. Hi, inquit,* pro nobis contra mendicorum impotentiam ſtant graviter; & Adſo abbas, qui Vitam ejus ſcripſit, ... Scotorum clara propagine genitum vocat. *Quæ convitia in Hibernos jactat ſcriptor immodeſtus, in ipſum majori jure illi retorquere poſſent: nam per* Scotiam *Dervenſis abbas* Britanniam Septemtrionalem *ſeu* Scotiam hodiernam *non intellexit, cùm in poëmate Vitæ prævio ita canat:*

E

Inſula Chriſticolas geſtabat Hibernia gentes:
Unde genus traxit, & ſatus inde fuit.

Hiberni multis aliis exemplis facilè evincent, patriam ſuam ſeculo X *adhuc* Scotiam *appellatam fuiſſe.*

F

fabulas commenti ſunt, ab iis diverſas, quas Adſo obtruſit.

16 *Dein de Sancto hæc comminiſcitur idem Dempſterus:* Scripſit de Apoſtolicis traditionibus lib. 1, quæ (*quas*) Tullenſes religioſè aſſervant. *Lib.* 5 *num.* 476, *ubi agit de S. Eugenio epiſcopo Toletano & martyre, quem Martyrologium Romanum ad diem* XV *Novembris annuntiat, alia confingit, quæ Uſſerius laudatus refert atque ita refutat:* Vitam quoque S. Manſueti diſertè Eugenium quemdam ab eo in Hiſpanias profectum narrare, ortâ inter illos de rebus ſacris levi controverſia, aſſerit. Neque hoc contentus (quod in nullo tamen edito Vitæ illius ſcriptore proditum invenio) pro ſolita audacia adjicit inſuper de ſuo; S. Eugenium Scotum, ſocium S. Manſueti Scoti & cum eo-

AUCTORE J. L.

dem Romæ S. Petri Apoſtolorum Principis diſcipulum, primum in Hiſpanias verum Dei cultum Apoſtolicâ ſanctimoniâ intuliſſe, primumque Toleti epiſcopum ſanguine ſuo veritatem ſignaviſſe; hunc deinde, ſed fiſtulâ ſtramineâ, ſibi canens triumphum: " Nos primi patriam e-„ ruimus. Quare Scotiæ Hiſpania fuerit obſtri-„ cta, Scotia mihi „: nam præter ipſum Dempſterum nemo omnium patriam Eugenio Scotiam attribuit: ut, tantillâ occaſione data, de Eugenii Toletani tempore, variis nominibus & rebus geſtis controverſias diſceptare, hoc quidem in loco, operæ pretium eſſet planè ſupervacaneæ. *Quas à num.* 14 *ex ſcriptore Actorum BB. Mariani & Murcherati, aliiſque fabulas retuli, apud Adſonem non leguntur, qui tamen multa commentitia de Sancto ſcriptitavit. Nunc ad quæſtionem redeo, à qua digreſſus ſum, an ſcilicet prædicatione* S. Manſueti, *ab Apoſtolorum Principe miſſi, Leucis veræ fidei lumen illuxerit.*

B § II. Variis rationibus perſuadetur, Sanctum ad Leucorum converſionem non priùs miſſum fuiſſe, quàm Conſtantini Magni vel filiorum ejus temporibus.

In breviore Vita, quam Adſone multo antiquiorem eſſe gratis concedo,

Quæſtionem tractaturus, an S. Manſuetus *à Petro Apoſtolo in Galliam fuerit miſſus, generalibus argumentis, quæ contra antiquitatem aliis in Gallia eccleſiis attributam etiam intorqueri poſſint, quantùm potero, abſtinebo; cùm Tullenſium traditio ſingularibus ſatis infirmari queat. Pleraque ex ipſis petam inſtrumentis, quibus potiſſimùm fulcitur. Imprimis pro illa produci poteſt brevior Sancti noſtri Vita, à qua ſeculi* XI *auctor ſæpiùs memoratum epiſcoporum Tullenſium Catalogum orditur. Ex dictis numero* 12 *& ſeq. ſuſpicio oriri poteſt, illam ſaltem quoad ſubſtantiam & præcipua adjuncta non differre à Geſtis* S. Manſueti, *quorum Adſo ibidem meminit. Hinc Tullenſes, qui traditionem ſuam veram eſſe cupiunt, facilè credent, eamdem Adſone multo antiquiorem eſſe; utpote aſſertam in Sancti noſtri Geſtis, à Catalogi auctore tranſcriptis, quæ idem biographus Adſo* multò ante *ſua tempora compoſita eſſe ait. Neceſſe non eſt opinioni iſti, licèt nulla ſolida ratione nixæ, quidquam opponam; quia Sanctus in breviori Vita, quæ ſupponitur à vetuſtis ejuſdem Geſtis non differre, aſſeritur quidem Apoſtolorum Principis diſcipulus fuiſſe; ſed verbis non ita manifeſtis, quin aliter exponi poſſint. At cùm in eadem iſta Vita aliqua legantur, è quibus conſequitur,* S. Manſuetum *Apoſtolis coævum non fuiſſe; relinquitur, ut illa Tullenſium traditionem magis infirmet, quàm confirmet.*

aliqua habentur, quæ traditioni favent; ſed uti non inepte poſſunt, ita aliter

18 *Locum accipe, qui traditioni favet.* Tempore namque, quo B. Petri Apoſtolorum Principis prædicatione & apoſtolatu Romana fulgebat Eccleſia, duce Chriſto, illuc perductus eſt; ſeque doctrinæ Apoſtolicæ ſubdidit, à quo documentis fidei Catholicæ imbutus . . . ad præfatam urbem *Tullenſem* Pontificali benedictione conſecratus, velut lampas fulgida ad repellendas erroris tenebras directus eſt. *Quidni verba priora ita intelligi poſſint, ut Sanctus Romam venerit tempore, quo, ceſſantibus perſecutionibus,* Romana fulgebat eccleſia, *ibidem fundata* B. Petri . . . prædicatione & apoſtolatu? *At voculæ* à quo *ad Apoſtolorum Principem referuntur: hic itaque diſcipulum ſuum* Manſuetum *miſit. Audi Joannem Cordeſium in Diſſertatione de tempore miſſi in Aquitaniam S. Martialis, edita tom.* V *Junii à pag.* 538 *num.* 18: Cùm Romana Eccleſia Petri Sedes fuerit ſemper appellata, illi, qui ab ea Sede legati ſunt, à Petro miſſi fuiſſe dicti ſunt; licèt à Petri Succeſſoribus longa poſt tempora venerint: quod pluribus ſcriptorum locis manifeſtum, confirmatur dignitate Bonifacii, à Gregorio II in Germaniam Euangelii gratiâ legati, qui MISSUS SANCTI PETRI dicitur in Caroli Martelli epiſtola, & cap. 2 lib. V Capitularium. *Alia exempla, quæ mihi in promptu ſunt, non adfero, ſecurus, ex eruditis neminem judicaturum, quòd data à me expoſitio nova ſit.* D

exponi debent, niſi breviori Vitæ omnis fides abrogetur: nam in ea de Sancto narrantur,

19 *Nolim quis exiſtimet, me Tullenſibus perſuadere velle, quòd mentem ejus, qui brevioris Vitæ auctor eſt, fuerim aſſecutus: hoc tantùm contendo, eos non poſſe datam interpretationem improbare, ſi breviorem Vitam aliqua fide dignam eſſe credant; quia particularia Sancti facta, quæ à memoratæ Vitæ ſcriptore narrantur, cum Apoſtolorum temporibus majori ex parte conciliari non poſſunt. Narrantur autem hac pauca:* Tantâ virtutum meruit illuſtrari gratiâ, ut filium principis, *viri ſcilicet primarii,* civitatis ejuſdem *Tullenſis* ſuis precibus ſuſcitatum à morte, reſtitueret incolumem vitæ. Quo miraculo territus pater . . . cum filio & omni paganorum multitudine à ſancto Manſueto baptiſmatis meruit purificari lavacro. Emundatâ igitur omni idolorum ſuperſtitioſâ ac vanâ ſpurcitiâ, ædificavit ibi (*Tulli*) templum in honore perpetuæ Virginis Dei Genitricis, ſanctique protomartyris Stephani, aliaſque circumquaque eccleſias, ordinatis presbyteris & diaconibus, ubi glorificaretur admirabilis Deus in Sanctis ſuis uſque in præſentem diem. *Paulo infrà ſit mentio alterius eccleſiæ prope Tullum Petro Apoſtolo per Sanctum erectæ, in qua hic dein ſepultus fuit. Hæc omnia ſi vera ſint,* S. Manſueti *miſſio ad tempora Apoſtolis poſteriora differri debet, ut jamjam probabitur.* E

quæ cum temporibus naſcentis in Gallia Eccleſiæ componi

20 *Sulpitius Severus lib. 2 Sacræ hiſtoriæ, agens de quinta perſecutione ſub Marco Aurelio imperatore excitata,* feriùs trans Alpes Dei religionem ſuſceptam *eſſe teſtatur. Qui Gallicanæ initium ad univerſæ Eccleſiæ primordia referunt, locum Sulpitii ita explicare coguntur, ut religio Chriſtiana Gallis tunc quidem prædicata, ſed à tam paucis ſuſcepta fuerit, ut non ſuſcepta cenſeri poſſit, facta ſcilicet comparatione cum Italia; ubi primi Euangelii præcones uberiorem progreſſum fecerunt quàm in Gallia, gentilium ſuperſtitionum retinentiore. Explanatio hæc conformis eſt teſtimonio ſeptem epiſcoporum in Decreto ad Radegundem circa annum* 567 *conſcripto, quod refert Gregorius Turonenſis lib.* 9 *Hiſt. Francorum cap.* 39: Cùm ipſo Catholicæ religionis exordio cœpiſſent Gallicanis in finibus veneranda fidei primordia reſpirare, & adhuc ad paucorum notitiam tunc ineffabilia perveniſſent Trinitatis Dominicæ ſacramenta *&c. Conſentanea etiam eſt iis, quæ leguntur in Paſſione S. Saturnini epiſcopi Toloſani, quam Ruinartius* F

Acti-

A *Actis Martyrum ſinceris & ſelectis inſeruit :* Poſtquam ſenſim & gradatim in omnem terram Euangeliorum ſonus exivit, parique (*id eſt*, lento) progreſſu in regionibus noſtris Apoſtolorum prædicatio coruſcavit ; cùm raræ in aliquibus civitatibus eccleſiæ paucorum Chriſtianorum devotione conſurgerent, ſed nihilominus crebra miſerabili errore gentilium nidoribus fœtidis in omnibus locis templa fumarent ; ante annos 1, ſicut Actis publicis, id eſt, Decio & Grato conſulibus, ſicut fideli recordatione retinetur, primum & ſummum Chriſti Toloſa civitas ſanctum Saturninum habere cœperat ſacerdotem. *Paſſionem S. Saturnini edidit Ruinartius ex codice Foſſatenſi, quem annis circitèr* 900 *ſe antiquiorem, & in quo has voces* ante annos 1 *nitidè exarata eſſe aſſeverat. Si lectio iſta, quam nonnulli mendoſam ſuſpicantur, genuina ſit, Paſſio circa annum* 300 *conſcripta fuit ; nam Decius & Gratus circa annum* 250 *conſulatum geſſerunt. Utut ſit, Gregorio Turonenſi vetuſtior eſt, qui lib.* 1 *Hiſt. Francorum cap.* 28 *poſtrema loci adducti verba ex illa deſumpſit.*

B *non poſſunt, atque ad imperium Conſtantini Magni vel filiorum aptiùs referuntur.*

21 *Quemadmodum allata teſtimonia contra aliquot neotericos fidem faciunt, Apoſtolos de Gallorum ſalute magis ſolicitos fuiſſe, quàm ut neminem è ſuis diſcipulis ad Chriſtum illis annuntiandum legârint, ita falſitatis convincunt auctorem Vitæ brevioris, in qua* S. Manſuetus *narratur, tempore naſcentis Eccleſiæ omnem paganorum multitudinem baptizaſſe, vineam ſibi commiſſam omni idololatria expurgaſſe, templum Virgini Deiparæ & protomartyri Stephano Tulli exſtruxiſſe, aliaſque circumquaque in Leucorum terra eccleſias ædificaſſe. Hæc Tullenſes non component cum iis, quæ auctor Paſſionis S. Saturnini, Sulpitius Severus & ſeptem epiſcopi in Decreto ad Radegundem tradiderunt ; neque horum auctoritatem graviori poterunt elevare. Proinde ſi nolint, breviori Vitæ omnis fides abrogetur, locum priorem ex ea productum eo ſenſu intelligant, quo illum oſtendi non ineptè intelligi poſſe : initium verò epiſcopatûs* S. Manſueti *removeant ad tempora Conſtantini Magni vel filiorum ejus. Illis imperantibus ſecurè & liberè Euangelium promulgare, templa publicè ædificare, & idololatriæ exſtirpandæ operam dare potuit : etſi interim non levis mihi ſit dubitandi ratio, an tanto cum fructu id fecerit, ut omnes Leuci, patriis ſuperſtitionibus relictis, veram religionem amplexi, & eccleſiæ vero Deo* circumquaque *tunc erectæ fuerint, ſicut in breviori Vita aſſeritur. Suaſi Tullenſibus, ut primi Epiſcopi ſui miſſionem ad imperium Conſtantini Magni vel filiorum ejus differant. Ut hoc meum conſilium ſequantur, eos inducere debent, quæ num.* 23 *& ſeqq. adferentur.*

C *Nec S. Aper ſeptimus Tullenſis antiſtes ſec.* 2, *nec ejus ſucceſſor Albinus ſec.* 3 *ſedit:*

22 *Elogium S. Amonis, quod in Catalogo epiſcoporum Tullenſium breviorem* S. Manſueti *Vitam proximè ſequitur, convenit cum eo, quod Adſo his verbis ſubjicit ;* Sicut in Geſtis præcedentium Leucorum urbis Antiſtitum invenitur. *Opinare, per me licet, Amonis, imò, ſi velis, ſucceſſorum ejus Alchæ, Celſini, Auſpicii & Urſi elogia ex Geſtis illis à Catalogi auctore extracta fuiſſe. Hic de S. Apro ſeptimo Tullenſium antiſtite inter alia ſcribit :* Qui, ut in libris auctoralibus reperitur, temporibus Adriani crudeliſſimi imperatoris fuiſſe cognoſcitur : . . . cujus quarto anno beatus Aper epiſcopus ordinatus, undecimo hominem exuit. *Annum undecimum Hadriani imperatoris Pagii Critica in Annales Baronii innectit anno Chriſti* 127. *Poſt S. Aprum Catalogus Albinum, vel ut eſt in editione Calmeti, Albauldum ponit, quem vixiſſe ait* ſub ſummis Pontificibus atque martyribus Stephano & Fabiano, ut in antiquiſſimis tomocartis. (*Hæc vox componitur ex* tomus *&* charta, *&* litterarum monumenta *ſignificat*) reperitur. *S. Fabianus ſecundum eumdem Pagium an.* 250, *S. Stephanus an.* 257 *martyrio coronatus eſt. Poſt Albinum refert Triſoricum, Dulcitium, Præmonem, Autmundum, Eutulanum & Teufridum ; quem poſtremum ſub Dagoberto I, qui anno* 638 *obiit, & filio ejus Sigeberto Auſtraſiæ rege floruiſſe aſſerit. Si inſtrumenta, in quibus Catalogi compilator ſe inveniſſe dicit, Aprum ſeculo* 2, *Albinum verò ſeculo* III *epiſcopatum Tullenſem adminiſtraſſe, eadem eſſe credas cum* Geſtis præcedentium Leucorum urbis antiſtitum, *ab Adſone viſis, nihil iterum opponam : quia licèt illa Dervenſi abbate vetuſtiora ſint, Tullenſium traditionem ſtabilire non poſſunt ; nam Aprum & Albinum memoratis ſeculis Tulli ſediſſe, certò falſum eſt : imò argumentum nobis ſuppeditant, quod contra illam militat ; ſi ſeptem primos epiſcopos eo ordine nominent, quo in Catalogo ſeculi* XI, *& in aliis ſeptem, quos inſpexi, recentioribus collocantur.*

AUCTORE J. L.

E

23 *Ad diem* XXVIII *Julii Sollerius egit de S. Auſpicio, quinto Tullenſium antiſtite, & contra Baronium evidentiſſimè demonſtravit ſancti iſtius litteras ad Arbogaſtem comitem Trevirorum, quæ apud Cheſnium tom.* 1 *Scriptorum Franciæ pag.* 864 *legi poſſunt, conſcriptas fuiſſe ad Arbogaſtem juniorem, ad quem S. Apollinaris Sidonius miſit epiſtolam* 17 *libri* 4. *Ex hac in rem noſtram pauca delibo :* Juſtiùs hæc poſtulâbuntur à ſacerdotibus loco propinquis, ætate grandævis . . . Namque ut antiſtitem civitatis veſtræ *Trevirenſis* relinquam, . . . multo opportuniùs de quibuſcumque quæſtionibus tibi interrogantur inclyti Galliarum patres & protomyſtæ, nec ſatis in longinquo Lupus, nec parum in proximo Auſpicius. *S. Apollinaris, cùm hæc ſcriberet, epiſcopus Arvernorum erat, ad quorum ſacrum regimen aſſumptus fuit ſub finem anni* 471 *vel initium anni* 472. *Itaque S. Auſpicius, quem ille in epiſtola ad Arbogaſtem nominat, & ætate grandævum dicit, non obiit ante finem anni* 471. *Lupus, de quo Apollinaris ibidem meminit, celeberrimus ille Trecenſium antiſtes fuit, qui in extrema ſenectute anno* 478 *vel* 479 *vitâ defunctus eſt. Ex his luce meridiana clarius eſt, S. Aprum ſeculo* 2 *ſub Hadriano imperatore, Albinum verò ſeculo* III *ſub Pontificibus Fabiano & Stephano Tulli ſedere non potuiſſe ; cùm in omnibus, quos conſului, ejuſdem eccleſiæ Catalogis S. Auſpicio, qui ſeculo* V *claruit, ejuſque ſucceſſori Urſo ambo poſtponantur. Jam verò quoniam in iiſdem quatuor dumtaxat antiſtites* Manſuetus, *Amon, Alchas & Celſinus ante Auſpicium referuntur ; neceſſe eſt, ut Tullenſes, qui primum ex illis Petro Apoſtolo coævum faciunt, valde diuturnam ſedis vacationem adſtruant, atque inſuper fateantur ex Sancti geſtis pauca admodùm veriſimilia eſſe : quia quæ de eo in breviore anonymi & in prolixiore Adſonis Vita leguntur, majori ex parte non congruunt primo ſeculo, imò nec duobus ſequentibus. Unde, ſi me audiant, poſt imperatorum gentilium tempora eccleſiæ ſuæ primordia dilaturi ſunt, eademque in* S. Manſueto *conſtituturi ſub Conſtantino vel filiis ejus, qui omnes*

F

nam quintus epiſc. Auſpicius vixit circa an. 472 ; *cùm grandævus erat ex qua epocha*

AUCTORE J. L.

ordinatur verosimillima successio chronologica primorum præsulum Tullensium,

& S. Mansueti missio differtur ad Constantinum vel filios, mors verò ad annum circiter 375

seculo IV *imperarunt. Sic pleraque, saltem quæ in breviori Vita narrantur, credibiliora apparebunt, atque etiam commodè intelligetur, quinque primorum episcoporum successionem nullo longioris temporis hiatu interruptam fuisse.*

24 *Hoc itaque modo Tullenses episcoporum suorum seriem rectiùs ordinarent.* S. Mansuetus *cathedram à se primùm Tulli erectam tenuerit usque ad annum* 375; *Amon sederit ad* 400, *Alchas ad* 423, *Celsinus ad* 445. *Auspicii obitum Sollerius laudatus notavit circa annum* 478. *Dentur igitur ipsi anni* 33. *S. Apollinaris Sidonius in epistola citata ad Arbogastem, illum ætate grandævum vocat, puta* 80 *annorum; facilè itaque fieri potuit ut ecclesiam Tullensem* 33, *imò pluribus annis rexerit, adeo ut ejus decessoribus aliqui subtrahi possint, vel emortualis* S. Mansueti *ad annos trecentesimo septuagesimo quinto priores retrahi. Ursus seculum quintum complêrit; sextum inchoarit Aper, qui septem tantùm annis præfuisse traditur. Anno* 507 *vel* 508 *subrogatus ei fuerit Albinus, huic anno* 525 *Trisoricus; quem secutus fuerit Alodius* B *vel Alogius, in antiquis Catalogis omissus, qui anno* 549 *Concilio Aurelianensi V subscripsit. Tempus medium inter hujus mortem & Teufridum, qui sub Dagoberto I an.* 638 *vitâ functo & filio ejus Sigeberto sedit, facilè implere potuerunt illius decessores Dulcitius, Præmon, Autmundus & Eutulanus; inter quem & Teufridum R. D. Franciscus Riguet magnus Præpositus S. Deodati in Ms. Systemate chronologico episcoporum Tullensium, an.* 1700 *ad nos transmisso, Austrasium ponit: at Calmetus tom.* I *Historiæ Lotharingicæ lib.* 9 *num.* 57 *Austrasium à Teufrido non distinguendum esse arbitratur. Uter rectiùs sentiat, examinare non est hujus loci.*

25 *Si datam chronotaxim admittas & simul credas id, quod in Officiis propriis ecclesiæ S. Petri Romarici-montis in Lotharingia, anno* 1657 *editis, & Breviario Tullensi, an.* 1684 *impresso, legitur, videlicet primum Leucorum Episcopum & apostolum vineam sibi commissam* 40 *annis excoluisse; ejusdem missio ad annum* 335 *revocanda est, quo Constantinus Magnus adhuc imperabat. Verùm cùm tam longa episcopatûs duratio aliunde non confirmetur, Sancti adventus in terram Leucorum, cathedræque Tullensis initium ad tempora filiorum Constantini differri potest, quorum qui diutissimè vixit Constantius, anno* 361 *obiit. Ad Commentarii numerum* I *in margine notavi Sanctum ad laborum Apostolicorum mercedem evocatum fuisse* circa annum CCCLXXV, *secutus chronologicam, quam proposui, primorum antistitum Tullensium successionem, quæ verosimillima mihi apparet. Quatemcumque excogitent qui* S. Mansueti *missionem seculo* I *illigant, gravibus incommodis obnoxia sit oportet: neque iis quis se subduceret, qui Sanctum sub imperatoribus gentilibus ante seculum* IV *sedisse affirmaret. Porrò ex dictis fluit hæc sequela, ut quæ ex Catalogo seculi* XI *hactenus produxi, traditionem de vetustate cathedræ Tullensis magis evertant, quàm stabiliant. Idem dicendum est de Gestis* S. Mansueti *& successorum ejus, quæ Adso citat, si ex his illa accepta fuerint. Si Catalogi auctor in transcribendo infidelis supponatur, documentaque ab Adsone visa depravâsse; arguant ipsum Tullenses: sed ne ejus auctoritatem tunc mihi objiciant, quæ in hypothesi nulla est.*

26 *Præcipuus traditionis propagator fuit Adso abbas Derventis, auctor prolixioris Vitæ* S. Mansueti. *Ex ea profluxisse, quæ plerique scriptores biographo isto juniores de Sancto commemorant, exploratum habeo. Satis etiam adverti, multos ex illis perspexisse, Adsonis historiam integra fide indignam esse; unde pro suo quisque arbitrio illam contraxerunt, falsa aut non verisimilia resecantes, subinde etiam in eorum locum alia substituentes, quæ majorem veri speciem narrationi conciliarent. Cum abbate tamen Derventi in eo affirmando passim concordes sunt, quòd ecclesia Tullensis à* S. Mansueto *Petri Apostoli discipulo fundata fuerit. Id tanto magis miror, quanto plura memoratus abbas adferat, quæ à Petri temporibus alienissima sunt. Apud nos num.* 2 *Sanctum in Scotia, quo nomine seculo* X *etiam Hibernia vocabatur, natum esse ait, iisque ab ipsa pueritia virtutibus effulsisse, è quibus rectè quis deduceret, eum in religione Christiana à parentibus educatum fuisse. Apertiùs mentem suam exprimit in poëmate Vitæ prævio.*

Adso multa de Sancto fabulatur & à veritate

D

Insula Christicolas gestabat Hibernia gentes;
Unde genus traxit, & fatus inde fuit.
Indolis egregiæ, qui mox comitatus honore
Virtutum, placidis emicuit studiis ...
Petrus Apostolicæ pollebat culmine Romæ:
Huncque secutus amans, expetit ipse libens *&c.*

E

27 *In Vita num.* 4 S. Mansuetum *ab Apostolorum Principe scientiis sacris edoctum, episcopum consecratum, atque in Galliam missum fuisse scribit, itineris socium ei inter alios adjungens S. Sinicium Remorum episcopum; cujus tamen missionem ad annum circiter* 288 *differendam esse, in hoc tomo à pag.* 121 *ostensum est. Eo tempore, quo S. Petri Discipulus ad Leucos convertendos venit, Tullensis civitas* murorum, *inquit num.* 5, ambitu, feris & turribus secus undique præmunita *erat. Addit num.* 6, populorum stipata catervis, rerum ditissima copiis, ac diversæ supellectilis referta commerciis. Rex quoque gentilis & barbaricus, Leo nomine *&c. Numero sequente narrat, ad reginæ aures pervenisse, Virum peregrinum adesse,* Christianæ fidei cultorem, ab Italiæ partibus venientem ab eo, quem Romanorum pars maxima veræ fidei signiferum & Papam sequitur, se à Petro esse missum veraciter asserentem, Deum ... apertis atque assiduis vocibus prædicantem. *Has ineptias ex primo Vitæ capite hausi: sequentia similibus nugis plena sunt. Tædet me illas hîc referre. Interim quas attuli, ruminare possunt, quicumque Sanctum primo Christianæ religionis seculo Leucis Euangelium prædicasse credunt. Hoc unum addo fabulosam Adsonis historiam multo difficiliùs componi posse cum seculo* I *& duobus sequentibus, quàm cum quarto, ut totam attentiùs consideranti patebit.*

& à temporibus S. Petri aliena;

F

28 *Inter cetera monumenta, in quibus Sanctus affirmatur Apostoli Petri discipulus vel ab eo in Galliam missus fuisse, post diligentem inquisitionem nullum aliud antiquius invenire potui, Vitâ S. Deicoli abbatis, editâ tom.* 2 *Januarii à pag.* 200; *quæ in Historia litteraria Franciæ tom.* 6 *pag.* 411 *scripta esse censetur circa annum* 980, *seu* 12 *circiter annis ante obitum Adsonis.* Nunc verò, *inquit dictæ Vitæ auctor num.* 4, Leucorum urbem censeo oblivioso pede nequaquam prætergredi, cui tantorum Patrum contigit eminentiâ nobilitari, videlicet Mansueti primi

ejus discipulum fuisse S. Mansuetum, prudentiores sec. X *non videntur credidisse.*

A primi ſui epiſcopi atque B. Petri Apoſtoli dilecti diſcipuli, necnon & ſacratiſſimi Apri epiſcopi, quorum uterque digna ibidem veneratione frequentatur. *Quid inde tandem inferent popularis traditionis patroni? Non nego eam ætate Adſonis & ſcriptoris Vitæ S. Deicoli creditam fuiſſe: verùm an illa tunc ita invaluit, ut eruditiores & prudentiores de ejuſdem veritate non dubitarint? Commentarii hujus § 4 memorabuntur varia inſtrumenta, utroque biographo vivente confecta, nimirum diploma Ottonis I imperatoris datum anno 965, & tres chartæ S. Gerardi epiſcopi Tullenſis an. 969, 971 & 982 exaratæ. In omnibus Sanctus honorifice compellatur, & eccleſiæ Tullenſis nunc* primus epiſcopus, *nunc* primus doctor, *nunc* primus paſtor *votatur. Si Gerardus Sanctum, erga quem, uti infrà videbitur, ſingulari pietate afficiebatur, Petri Apoſtoli diſcipulum agnovit; cur ex titulis, quibus eum ornat, præcipuum reticuit? Cur in antiquis etiam Martyrologiis, quorum annuntiationes in fine § 3 adferentur, nulla* S. Manſueti *ab Apoſtolorum principe miſſi fit mentio? Suſpicionem hæc mihi ingerunt, traditionem ſeculo*

B x *fluctuaſſe, nec niſi à rudioribus vel nimiùm credulis receptam fuiſſe. Seculo* XI *à temporibus Gregorii VII Pontificis Tullenſes de Sancto crediderunt, quæ eorum traditioni plurimùm adverſantur. Illa producam, poſtquam aliqua præmiſero, quæ cum iiſdem connexa ſunt.*

29 *Inter eccleſias, quas ab Adſone & auctore brevioris Vitæ* S. Manſuetus *ædificaſſe narratur, nulla veriſimiliùs ab eo exſtructa fuit, quàm quæ S. Petro Apoſtolo conſecrata olim viſebatur in Septemtrionali Tulli ſuburbio. Nulla eſt ratio, cur quis de conſtantiſſima traditione dubitet, quæ ſanctum in illa primum ſepultum fuiſſe aſſerit. S. Martinum Turonenſem in eadem apud* S. Manſueti *tumulum anno 384 vel 386 orâſſe licèt incertum ſit, credibile tamen eſt, quemadmodum num.* 37 *videbitur. Epiſcoporum Tullenſium, qui Sancto proximè ſucceſſerunt, ſepulcra ibidem extitiſſe, indubitatum eſt. Vetuſti iſtius templi meminerunt Ottonis I diploma anno 965 & S. Gerardi chartâ anno 982 exarata, quæ § 4 à num.* 47 *partim tranſcribentur: in hac* antiquum, *in illo* ab antiquo fundatum *dicitur*, ſed

C ... ædificiis corruentibus malè eſſe collapſum. *Reparatum fuit à SS. Gauzlino & Gerardo: dein à fundamentis reædificatum ſub epiſcopo Pibone, & ſolenniter dedicatum* anno ab Incarnatione Domini milleſimo centeſimo ſeptimo; *quemadmodum conſtat ex hiſtoria ab anonymo ſeculo* XII *conſcripta, de qua § 5 à num.* 62 *pluribus agendum erit. Cum ante templi, dedicationem antiquum altare majus dirueretur*, in dextra parte ſub anteriori cornu *detecta eſt arca lapidea cum hac inſcriptione:* In hoc conditorio ſitæ ſunt reliquiæ ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli; inſuper etiam de ligno Domini. *Conditorio aperto*, illico cum oſſibus apparuit in colore roſeo pulvis concretus cum ſanguine. *Facta reliquiarum diſcretione*, inventa ſunt ibi, opitulante miſericordia Dei, præter undecim de oſſibus capitis *& dictum pulverem*, dentes ſeptem, ſexdecim etiam fruſta in modum teſſeræ quadratæ de ligno triumphali vivificæ Crucis. *Hæc ex memorata anonymi hiſtoria accepi; ſub cujus initium narrantur, quæ nunc ſubjicio, quæque ante ſacri iſtius theſauri inventionem contigerunt.*

30 *Gregorio VII Pontifice, qui anno* 1073 *ſedere cœpit, viri in Tullenſi civitate primarii*

Eccleſia ſuburbana à Sancto ædificata: reliquiæ SS. Petri & Pauli in ea inventæ:

AUCTORE J. L.

Romam proficiſcuntur, SS. Petri & Pauli reliquias veneraturi. In congreſſum Pontificis admittuntur, qui ita eos alloquitur: Fœlix urbs Leucha, glorioſi confeſſoris Chriſti & Apoſtolici præſulis Manſueti corpore decorata, ſed vigilantiâ ipſius ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli reliquiis gloriоſius inſignita! Sicut enim veridicis hiſtoriographorum probatur ſententiis, & prout Romanæ bibliothecæ monſtratur tomochartis, poſt Romam ... ita Tullenſis civitas Apoſtolici frequentatur viſitatione præſidii, ut nuſquam aliàs in toto orbe tanta portio earumdem reliquiarum valeat reperiri. *Cum Tullenſes, in patriam reduces, ex ore Pontificis audita retuliſſent, dies Apoſtolorum Principibus ſacra quotannis majori cum ſolennitate agi cœpit in templo, in quo poſtmodùm ſuprà dicta eorum reliquiæ inventæ ſunt.* Pontifici etiàm ſancto, videlicet beato Manſueto, tantæ veneratiоnis aucta eſt religio, ut per finitimas regiones & provinciàs feſti ejus celebritas famoſior indiceretur *&c.*

Tullenſes ſibi perſuaſum habebant eas a Sancto procuratas fuiſſe;

31 *Ex locis allegatis patet, Tullenſibus olim omnino perſuaſum fuiſſe, templum eorum ſuburbanum inſignibus SS. Petri & Pauli reliquiis per* S. Manſuetum *ditatum fuiſſe. Si illorum poſteri idem credant, quando illas à Sancto procuratas fuiſſe dicent, ſi hic ab ipſo Apoſtolorum principe in Galliam miſſus fuerit? Nihil reponere poſſunt, quod vel umbram veriſimilitudinis habeat. Quàm parum credibile ſit à Petri & Pauli corporibus aliquas particulas ſeculo* I *aut* 2 *ſeparatas fuiſſe, jam pridem oſtendit Papebrochius tom.* V *Junii in Analectis de utroque ſancto Apoſtolo pag.* 435 *& ſeqq. In noſtro ſyſtemate, quod primum Leucorum Epiſcopum an.* 335 *à S. Silveſtro Pontifice vel poſtea ab ejus ſucceſſoribus miſſum fuiſſe ſtatuit, creditu facilius eſt, ſanctorum Apoſtolorum reliquias ab illo Tullum allatas vel Româ eidem tranſmiſſas fuiſſe. Nominatus Pontifex eorum oſſa ſolenni ritu elevavit, eaque per tres baſilicas Chriſto Salvatori in Lateranenſi palatio, Petro Apoſtolorum principi in Vaticano, & Paulo gentium doctori via Oſtienſi ab imperatore Conſtantino ædificatas diſtribuit.* Potuit, *inquit laudatus Papebrochius pag.* 439 *num.* 45, *tunc* factum eſſe, ut partes aliquæ etiam notabiles à reliquis abjunctæ oſſibus ad alias eccleſias intra extraque urbem deferrentur, eæque nunc verè de talium poſſeſſione glorientur. Potuerunt quoque eædem ita ſemel ſeparatæ *ſub Silveſtri ſucceſſoribus* ad varias Tranſalpinas eccleſias migraſſe: quamvis in genere maneat juſta formido, ne multæ earum per fraudem ſint ſuppoſitæ. *Porrò argumenta, quæ in hunc paragraphum contra Tullenſium traditionem congeſſi, ſi non ſingulatim, ſaltem collectim accepta, abunde probant, nullum tempus, quo Sanctus floruerit, veriſimilius determinari poſſe, quàm quod jam ſæpius indicavi.*

quod illorum traditioni adverſatur.

AUCTORE J. L.

§ III. Antiquus cultus ex Adsone & vetustis Martyrologiis : an S. Martinus Turonensis oravit apud sepulcrum S. Mansueti ?

SS. Mansueti & Amonis miracula post mortem, & concursus ad eorum sepulcra.

Post enarratum S. Mansueti *obitum & honorificam sepulturam nonnullas Adso proferi notitias de veneratione publica, Sancto priscis temporibus exhibita. Imprimis Deum illius merita & in cælo gloriam* signis & virtutibus *manifestasse refert, statim atque ejus corpus depositum esset in ecclesia, quam ab ipso sancto Præsule, cùm viveret, in suburbio Tullensi constructam & S. Petro Apostolo dedicatam fuisse paulò ante asseruerat. Dein S. Amonem, secundum Leucorum antistitem, apud decessorem suum* Mansuetum *in dicta ecclesia sepultum fuisse scribit.* Unde quoque, *inquit*, amborum meritis & intercessionibus ad laudem divini nominis idem locus ex eo tempore magnificis visus est miraculis effulsisse ; cùm scilicet cæcorum oculi diuturna caligine pressi, optatam expulsis tenebris lucem, variarum peste cladium languentes exuti, attractis quoque nervis plures repentes humi, necnon & quammulti diversis & innumerabilibus languoribus infecti salutis gaudia horum interventu se gaudeant ad propria retulisse : ad quorum videlicet patrocinium regum ac principum legimus (*haud dubiè* in Gestis præcedentium Leucorum urbis antistitum ; *cùm hæc Adso paulò antè citarit*) frequentiam confluxisse, ac juris sui * xenia plurima ad sublevandam servorum Dei & pauperum indigentiam devotè contulisse : ubi etiam diversis temporibus, mirifica sunt ostensa virtutum amborum meritis insignia ; sed vel propter irruptiones barbararum gentium, vel certè propter scriptorum inopiam sine dubio sunt prætermissa vel perdita. *Duo tamen biographus subdit beneficia, quorum memoriam traditio usque ad ipsius tempora transmiserit. Ex utriusque relatione hoc loco ea decerpam & examinabo, quæ ad Sancti cultum spectant.*

* *al.* Viris sanctis

Traditur S. Martinus Turonensis orâsse apud Sancti nostri tumulum :

33 *Primum beneficium ita referre incipit :* Martinus Turonorum sanctus episcopus toto orbe, ut notum est, famosissimus, beato Maximino Trevirorum antistiti admodùm fuerat familiarissimus, ita ut sæpe collatis fruerentur alloquiis, & beatum Petrum Romam pariter adituri, mutuis viatim inniterentur colloquiis. Beatus igitur Martinus communi dispositò quodam tempore id acturus, oratorium beati Mansueti, ad quod declinaverat divinam exoraturus clementiam, devotus ut erat, ingreditur. *Cetera summatim hîc perstringam, infrà pleniùs enarranda. Martinus itaque cùm ecclesiam, in qua* S. Mansuetus *quiescebat, orandi causâ ingressus esset ; mulierem, non diu antè humatam, nomen suum iteratis vocibus ex sepulcro ingeminantem audit, ac petentem, ut anima in piacularibus flammis detenta misereatur, proque ejus liberatione apud Deum intercedat, &* S. Mansuetum *obsecret, ut idem in cælis faciat. Præstat Martinus, quod rogatus erat, cœptumque iter prosequitur. In reditu ab urbe Romana ad Sancti nostri tumulum iterum precaturus divertit, & ex certo indicio, quod mulier ista constituerat, agnoscit, eam ex igne purgatorio liberatam esse.*

lapis, in quem genua flexit, olim peregrinis ostendebatur in abbatia S. Mansueti :

34 *Calmetus tom. 1 Historiæ Lotharingicæ lib. 5 num. 21, & in Dissertatione de primis episcopis Tullensibus illi præfixa col. xxix, aliqua adfert, quæ videri possunt transitum S. Martini per urbem Tullensem, ejusque preces ad Sancti nostri sepulcrum fusas utcumque confirmare. Non ipsa Calmeti verba, sed eorum substantiam huc transcriptam accipe. In templo abbatiæ* S. Mansueti *prope Tullum din conservatus fuit lapis, supra quem S. Martinus genua inflexerat. Solebat ille peregrinis olim ostendi, tanquam monumentum, ex quo Martini pietatem erga sanctum nostrum Præsulem, atque hujus antiquissimum cultum discerent. Verùm cùm anno 1552 Carolus V, Metas, Tullum & Virodunum imperio recuperaturus cum valido exercitu adventaret ; Galli antiquam in Tulli suburbio* S. Mansueti *ecclesiam destruxerunt. Dictus lapis in urbem tunc delatus fuit, depositusque in claustro ecclesiæ collegiatæ S. Gengulphi : ubi postmodùm per multos annos conspectus fuit cum inscriptione, quâ adventus S. Martini Tullum, ejusque preces apud Sancti nostri tumulum affirmabantur. Sed jam non amplius ibidem invenitur. Ita ferè Calmetus locis citatis. Tomo 5 laudatæ suæ Historiæ, anno 1728 editæ, lib. 33 num. 66 scribit, ecclesiam dirutam suis temporibus nondum fuisse readificatam, & religiosos, qui S. Benedicti regulam profitentur, vetus refectorium ad divina Officia peragenda in ecclesiam convertisse. In hac corpus* S. Mansueti *asservari, docent me duo monachi Benedictini è Congregatione S. Mauri in libro, quem sub titulo Itinerarii litterarii Parisiis anno 1717 in lucem dederunt, parte 2 pag. 130. Porrò abbatia, Sancti nostri corpore dives & nomine insignis, in illis visitur Tulli suburbiis, quæ ejus mœnibus Septemtrioni obversis adjacent. Illius templum, anno 1552 eversum, in eodem vel certè in vicino exstructum fuerat loco, ubi olim vetustissima illa ecclesia stetit, Apostolorum Principi sacra, in qua* S. Mansuetus *sepultura traditus fuit, ac primùm coli cœpit. De ejusdem abbatiæ fundatione per S. Gerardum episcopum Tullensem, & maxima celebritate, quam frequenti hominum concursu ad Sancti nostri tumulum & crebris hujus miraculis olim consecrata fuit, agetur* §. 4 *& seq.*

at traditionem suspectam facit, quòd rem contigisse ferat in itinere Romano Martini

35 *Traditioni ab Adsone litteris consignatæ, quâ asseritur S. Martinus orâsse apud sepulcrum* S. Mansueti, *aliquid fidei addit monumentum istud lapideum, de quo numero precedente sermo fuit : eam tamen plurimùm etiam suspectam facit, quòd idem Adso rem accidisse scribat in via Romana, cui se Martinus* Turonorum episcopus *commiserat unà cum S. Maximino antistite Trevirensi. Hoc verum esse non potest : nam Maximinus* 21. *& fortè pluribus annis vitâ & episcopatu defunctus erat, antequam Martinus ad cathedram Turonensem assumeretur. Sunt, qui hujus promotionem affigant anno* 370. *Multi certant pro anno* 371. *Tillemontio tom.* 10 *Monumentorum ecclesiasticorum pag.* 315 *præplacet annus* 372. *Chiffletius in Dissertatione de ratione temporum S. Martini num.* 16 *hujus consecrationem removet ad annum* 375, *ad quem etiam Pagius eamdem differt. Quæ sententia verior sit, dispicietur ad* xi *diem Novembris, quâ per universam Ecclesiam S. Martinus colitur.*

A tur. De S. Maximino egit Henſchenius ad diem XXIX Maii, ejuſque obitum innexuit anno 349, quo S. Paulinum ei ſucceſſiſſe probatum eſt tom. VI Auguſti pag. 669 & ſeq. Hunc tamen parachroniſmum, qui utriuſque ſancti epiſcopatum, tot annis invicem diſjunctum, contemporaneum facit, excuſare conabuntur ii, quibus diſplicet, quòd ad annum circiter 375 emortualem S. Manſueti diſtulerimus. Adſo, inquient, prolepſi uſus fuit, nec aliud voluit, quam Martinum, qui poſtea Turonenſi eccleſiæ præfuit, iter inſtituiſſe Romam, cùm adhuc militaret ſub ſignis Conſtantini junioris vel Conſtantii; quibus in Gallia imperantibus, floruit Maximinus Trevirorum antiſtes, & Martinus baptiſmum jam ſuſcepe-rat, uti cenſet Chiffletius citatus. Verùm an Maximino epiſcopo Martinus miles tunc admodùm fuerat familiariſſimus, ita ut ſæpe collatis fruerentur alloquiis? An licentiam impetravit, ut à caſtris vel ſtatione ſua tantum temporis ſpatium abeſſet, quantum requirit peregrinatio ad limina Apoſtolorum? Apud Sulpitium Severum alioſque veteres, qui de S. Martino ſcripſerunt, nihil legi, quod iſtiuſmodi conjecturis aliquam ve-riſimilitudinem adferat.

B 36 Romana quidem utriuſque præſulis peregrinatio affirmatur in Actis S. Maximini, ſeculo VII ab anonymo ſcriptis & ab Henſchenio editis tom. VII Maii pag. 21: ſed adeo à vero abhorrent, quæ ibi narrantur in itinere contigiſſe, ut vix ampliùs dubitem, quin ipſum iter ſit commentitium. Quænam illa ſint, paucis accipe. SS. Maximinus & Martinus Romam abeuntes ad caſtellum quoddam perveniunt: ingreditur illud Martinus, cibos empturus, Maximino ad aſinum ſarcinarium cuſtodiendum relicto. Sed dum hunc ex itinere fatigatum ſomnus corripit, ur-ſus aſinum devorat. Maximinus à reduce Martino excitatus &, ubi bellua eſſet, edoctus, eam graviter increpatam jubet aſini devorati vice fungi. Obedit urſus &, feritate omni depoſita, pergit cum ſanctis viris Romam, ſarcinas eorum geſtans. Inde redeuntibus idem præſtat obſequium. Tandem monitus, ne deinceps ulli noceat, à Maximino urſus liber dimittitur in loco, qui ab eo Urſeriæ appellationem accepit. Hæc retuliſſe ſatis eſt, ut popularem fabellam agnoſcas, ſimilem illi, quæ habetur in Vita S. Humberti Maricollenſis tom. III Martii pag. 561 & ſeq. Henſchenii laudati conjectura eſt, per Urſeriam vel, ut ipſe ſcribit, Urſariam deſignari vicum Urſel ad dexteram Rheni ripam, inter Wormatiam & Moguntiam; nec veram hiſtoriam nomini, ſed nomen commento inveniendo occaſionem dediſſe.

C 37 Sed an ergo Martinus per urbem Tullenſem tranſiens apud S. Manſueti ſepulcrum non oravit? Ut traditioni iſti aliqua veri ſpecies concilietur, nihil melius adferri poteſt, quàm quæ nunc ſubjicio. Ex Sulpitio Severo in Vita S. Martini cap. 23 & Dialogo 2 cap. 6 & 7 certum eſt, hunc ſanctum, cùm jam epiſcopatum Turonenſem multis annis adminiſtraſſet, non ſemel peregrè profectum fuiſſe Treviros ad palatium Maximi tyranni. Chiffletius in laudata ſua Diſſertatione num. 8 probat, illum bis anno 384 Treviros adveniſſe: verùm cùm ſimul oſtendat primum adventum modico temporis intervallo à ſecundo fuiſſe disjunctum; Martinum prima vice peregrè, at ſecunda ex propinquo ad aulam Maximi ſe contuliſſe credo. Ad eamdem rediit anno 386, quando cum Enodio conſule menſe

etiam S. Maximino ep. Trevirenſi; nam iter iſtud commentitium videtur:

potuit tamen Martinus an. 384 vel 386, quando Treviros ivit, Tullo tranſire, & Sancti noſtri corpus venerari.

tyranni accubuit. Quanta ſancto præſuli cum Maximo interceſſerit familiaritas, Sulpitius Severus in illius Vita cap. 23 paucis hiſce verbis ſatis manifeſtat: Etſi pro aliquibus ſupplicàndum regi fuit, imperavit potiùs quàm rogavit; & Dialogo 2 cap. 7: Hic Martinum ſæpiùs evocatum receptumque intra palatium venerabiliter honorabat. Hinc patet, verba Adſonis, Martinus Turonorum epiſcopus .. Maximino .: admodùm erat familiariſſimus, ita ut ſæpe collatis fruerentur alloquiis, veriſſima eſſe; ſi pro Maximino Maximus ſubſtituatur. Facilè fieri potuit, ut primus auctor erroris iſtius, quem hiſtoricarum & chronologicarum rerum imperita poſteritas ſermonibus & dein Adſo ſcriptis vulgavit, nominum affinitate deceptus fuerit, ac de notiore ſibi S. Maximino epiſcopo intellexerit vel intelligendum putarit id, quod de Maximo tyranno ſibi forte inaudito acceperat. Ipſum in errore confirmare potuit apologus, quem fortè legerat vel audierat, de urſo SS. Maximini & Martini ſarcinas ob devoratum aſinum portare coacto. Quod cùm fabula ferat in itinere Romano contigiſſe; hinc alius error fortaſſe natus eſt, nimirum Martinum Turonenſem in eodem Romano itinere S. Manſueti ſepulcrum veneratum fuiſſe. Quidquid ſit de hiſce meis conjecturis; negari non poteſt Martinum minimèm bis ad aulam Maximi iter feciſſe, idque ex urbe vel diœceſi Turonenſi: unde enim potiùs veniſſe dicendus eſt? At recta via, quæ inde Treviros ducebat, Tullo haud ita procul aberat; ut propterea de illius per hanc urbem tranſitu quæſtionem movere liceat: à vero igitur non alienum eſt, Martinum anno 384 vel 386, ad quos itinera ejus ad Maximum cum pleriſque refero, orâſſe apud tumulum S. Manſueti; qui ſecundum noſtrum ſyſtema chronologicum, num. 25 exhibitum, circa annum 375 ad vitam feliciorem tranſiit. Ex omnibus, quæ tum contra memoratam traditionem, tum pro ea attuli, aliis dijudicandum relinquo, majoremne illa falſi quàm veri ſimilitudinem habeat. Non deerunt, opinor, quibus videbitur omni fide non indigna.

AUCTORE J. L.

E 38 Alterum beneficium, quod Adſo ex ore populi acceptum litteris tradidit, S. Manſuetus præſtitit pauperi Scoto, cui porcellum, à fure ablatum & mactatum, vivum reſtituit. Ejus relationem ita exordiitur: Ex tranſmarinis Scotorum finibus has partes moris erat expetiſſe multorum; inter quos eo tempore vir quidam pauper cum conjuge dicitur acceſſiſſe: antiqui enim temporis multos fama excierat [ad] ſuæ gentis Virum ſanctiſſimum (Manſuetum,) Scottigenis peregrè ſolito abeuntibus potiſſimùm expetendum. Unde hic conſcius, ut rumor erat, amoris & gratiæ, non longè ab æde beati Viri potitus hoſpitio, voluerat manſitare. Ex his cognoſcitur celebritas cultûs, quo Sanctus in loco depoſitionis ſuæ priſcis temporibus honoratus fuit; utpote ad cujus tumulum vel ipſi Scoti, tanto terræ mariſque intervallo à Tullenſi urbe diviſi, pias peregrinationes inſtituere ſoliti fuerint.

Piæ Scotorum ad illud peregrinationes:

F 39 Quid per amorem & gratiam, ob quæ pauper ille Scotus non longè ab æde beati Viri habitare decrevit, biographus ſignificare voluerit, colligi poteſt ex ejuſdem verbis, datis num. 32. Eorum ſubſtantiam hîc repetam ex Catalogo epiſcoporum Tullenſium ſeculi XI, in elogio S. Amonis: Quorum meritis, id eſt, ſancti Manſueti atque prælibati beati Amonis, plurimi excitatis, lepræ ac febris, ceterorumque languo-

pauperum matricula, qui alebantur donis, ex pietate erga SS. Manſuetum & Amonem ſanctis.

AUCTORE J. L.

rum ægritudine detenti, redduntur ſanitati. Ad quorum patrocinia multi reges & principes venire conſueverant, atque eorum locum ex proprio ditabant: erat enim illic confluens turba advenientium, & innumera multitudo pauperum, quibus, unde viverent, erat à fidelibus conſtitutum; unde uſque hodie dicitur Ad matriculam domni Manſueti & domni Antonis. *Calmetus tom. 1 Hiſt. Lotharingicæ in Diſſertatione prævia de primis epiſcopis Tullenſibus pag.* xxix per matriculam *hic intelligit* catalogum pauperum, *qui eleemoſynis, ad Sanctorum ſepulcra factis, nutriebantur. Sed vox iſta, uti variis exemplis probat Cangius in Gloſſario auctо, olim etiam ſæpe uſurpabatur* pro domo, in qua pauperes alebantur, ad uſtia ecclеſiarum ut plurimùm extructa. *Si eccleſiæ S. Petri, in qua Sanctorum corpora quieſcebant, adjuncta non fuerit iſtiuſmodi domus; ſaltem ibi fuiſſe credo pauperum* matriculam, *id eſt*, catalogum, *in quem qui relati erant, ad vitam ſuſtentandam certa ſtipendia accipiebant; reditus autem, è quibus illa diſtribuebantur, proveniſſe vel ex muneribus in dicta eccleſia oblatis, vel ex aliis piorum fidelium donationibus. Porrò peregrinos, natione Scotos, pauperum matriculæ ſeu catalogo inſcriptos fuiſſe, non obſcurè indicat biographus verbis numero præcedente relatis. Quam verò gentem per Scotos*, S. Manſueti *populares, intelligat, dictum eſt num.* 15 *in fine.*

B

40 *In Tulli ſuburbio, Auſtrum verſus, veſtigia jacet Ordinis S. Benedicti cœnobium, S. Apri patroni ſui nomen gerens; cujus abbatis Archembaldo inter annos* 936 *&* 948, *uti initio* § 4 *videbitur, S. Gauzlinus epiſcopus Tullenſis donavit eccleſiam S. Petri, ſub conditione ut aliquos è ſuis religioſis eò mitteret ad canendas Dei laudes apud ſepulcrum* S. Manſueti. *Adſo Sancti miracula narraturus, quæ ſuo tempore facta ſunt, poſtquam monachi S. Apri memoratæ eccleſiæ poſſeſſionem adiiſſent; de miſero ſtatu, in quo illi eam invenerunt, hæc præmittit:* Sive .. barbararum irrumpente feritate gentium, ſive etiam creberrimis inter ſe conſectationibus populorum per ſuccedentia tempora iſdem locus, rebus privatus, munitionibus diſſipatus, penè ad nihilum fuerat redactus, frequenter etiam virorum ſecularium dominationi ſubjectus. *Eumdem locum* ab antiquo quidem fuiſſe fundatum, ſed præcedentium incuriâ temporum rebus deſtitutum, religione depravatum, ædificiis corruentibus malè eſſe collapſum, *etiam ego in diplomate Ottonis I imperatoris, dato an.* 965. *Illius reſtaurationem à S. Gauzlino inchoatam, & alia, de quibus Otto deinde agit, invenies* § *ſequente num.* 49. *Ex productis teſtimoniis eruitur, eccleſiam S. Petri, fidelium concurſu ad ſepulcrum* S. Manſueti *olim celeberrimam, priuſquam ſeculo* x *monachis S. Apri traderetur, à nullo vel raro peregrino frequentatam fuiſſe; nullam ibi ampliùs tunc extitiſſe pauperum matriculam; proventuſque eccleſiæ quondam annexos ita interiiſſe, ut non modò defuerit, unde egeni alerentur, ſed etiam unde ruinoſum ejus ædificium repararetur.*

Eccleſia, in qua Sancti noſtri corpus quieſcebat, ruinoſa erat & fidelium concurſu minùs celebris

41 *Alicui fortè videri poſſunt biographi & Ottonis verba innuere, templum S. Petri illo tempore ruinam edidiſſe, vel ſi hanc tantùm minabatur, omnem Sancti cultum ibi deſtiſſe. At neutrum veriſimile eſt: nam Adſo infrà apud nos num.* 38 *miraculum referens, quod ante mortem S. Gauzlini, anno* 962 *vitâ defuncti, con-*

C

circa an. 936: Leuci tamen feſtiva ſolemnitate diem ejus natalem tunc agebant.

tigit, diſertè affirmat, S. Manſueti feſtivitatem per totam diœceſim Tullenſem nunc celebratam fuiſſe ea ſolemnitate, quæ fideles ad ceſſationem ab operibus ſervilibus obligabat. At Sancto cultus tam feſtivus non priùs decretus fuit, quam cum locus, ubi ejus corpus ſervabatur, ab eodem Gauzlino abbatiæ S. Apri jam donatus eſſet? Credo ego ſolemnitatem primi Tullenſis eccleſiæ Fundatoris & Leucorum apoſtoli inſtitutam fuiſſe ante epiſcopatum S. Gauzlini, eamque ad ipſius & ſucceſſorum tempora fuiſſe continuatam. Atque hæc ratio eſt, cur ex Adſonis & Ottonis I verbis ſuprà relatis plus deducendum non ſit, quàm ego ex illis deduxi; nimirùm templum S. Petri, cùm monachorum S. Apri curæ committeretur, ruinæ quidem propinquum fuiſſe; ſed non penitus collapſum; Sanctique noſtri cultum tum temporis ibi quidem minus celebrem fuiſſe, ſed non omnino defeciſſe. Etenim anne credibile eſt, Tullenſes, qui feſtum ejus diem tantâ celebritate agebant, tam pretioſum ſacri ejus corporis theſaurum templi ruinis obrutum reliquiſſe, ſi illud corruerat; vel ſi non corruerat, nulla veneratione ſanctum Patronum ibi quieſcentem fuiſſe proſecutos?

D

E

Cultus ex antiquis

42 *Antequam religioſi Benedictini abbatiæ S. Apri inter annos* 936 *&* 948 *à S. Gauzlino locum obtinerent*, S. Manſueti *corpore venerabilem; hujus nomen in varia Martyrologia jam relatum erat. Unde plurimum firmamenti accipiunt, quæ hactenus de antiquo illius cultu allegavi. Martenius tomo* 3 *Theſauri novi anecdotorum, an.* 1717 *Pariſiis edito, col.* 1587 *duo fragmentum pervetuſti Martyrologii eccleſiæ Turonenſis, in quo ad* III *Septembris ſolius Sancti noſtri memoria occurrit:* Tullo civitate, Manſueti epiſcopi. *In Admonitione prævia col.* 1547 *notat, ſe fragmentum iſtud deſcripſiſſe ex veteri codice Turonenſi* annorum minimum octingentorum. *Tomo* 6 *Collectionis veterum ſcriptorum, ab eodem an.* 1729 *Pariſiis vulgato, col.* 637 *aliud exſtat Martyrologium monaſterii S. Maximini apud Treviros, Bedæ nomen præ ſe ferens. Sanctumque ad dictum diem ita commemorans:* Natale ... S. Manſueti confeſſoris. *In Obſervatione prævia col.* 635 *illud* ante annos octingentos *conſcriptum fuiſſe affirmat. In Martyrologio S. Hieronymi Labbeano, quod publici juris fecit Sollertius noſter tom.* VI *Junii parte* 2 *pag.* 22; *ad eumdem diem hæc legitur annuntiatio:* Tullo Manſueti epiſcopi & confeſſoris. *In præfatione num.* 16 *ſcribit:* In toto codice *Labbeano* nihil reperitur, ex quo prohibeamur aſſerere Gellonenſi ætate ſupparem eſſe. *Hunc autem anno circiter* 804 *exaratum fuiſſe, teſtatur ejus exſtor Lucas Acherius tom.* 13 *Spicilegii in præfatione ad lectorem num.* 5. *Illius verba adfert Sollerius jamjam laudatus num.* 6, *nec aſſertam ab eo vetuſtatem improbat. Acherius tom.* 13 *memorati Operis à pag.* 388 *vetuſtiſſimum iſtud Gellonenſe Martyrologium edidit una cum variis Lectionibus ex duobus perantiquis Martyrologiis Mss., in quorum altero, quod à Stephano Baluzio ſe accepiſſe ait, ad* III *Nonas Septembris additur:* Tullo Manſueti & confeſſoris. *Conjunctio & omittitur in ejuſdem Acherii Spicilegio, Pariſiis an.* 1723 *recuſo, tom.* 2 *col.* 34.

F

Martyrologiis.

43 *In muſeo noſtro ſervantur alia ſex Martyrologia apographa, quæ S. Hieronymo vel Bedæ attribuuntur, &* S. Manſuetum *breviter annuntiant. Quoniam me latet, quo ſeculo primùm conſcripta fuerint, eorum nomina & verba*

A *ba ad vetuſtum Sancti cultum ſtabiliendum non refero. Unus hoc loco producendus ſupereſt Ado, qui ante annum* 860, *quo cathedram Viennenſem conſcendit, ſuum Martyrologium compoſuit. Ad* III *hujus menſis in utraque tum Moſandri tum Roſweydi editione hæc habet:* Eodem die depoſitio ſancti Remacli . . . & beatiſſimi Manſueti confeſſoris atque pontificis Tullenſis. *Sollerius in Obſervatione ad hodiernum Uſuardi textum ſubdubitat, an SS. Remaclus &* Manſuetus *verè Adoniani ſint ob codicum Uſuardinorum ſaltem puriorum & Notkeri ſilentium.* Ut tamen demus, *inquit*, ab Adone notatos, nihilominus certum puto ab Uſuardo fuiſſe prætermiſſos, cujus textum purum & integrum à me productum ambigi haudquaquam poſſe videtur, excluſis iis omnibus, quæ in Variantibus ſuprà rejecimus. *In Auctariis ad Uſuardum, quæ mox ſubjicit Sollerius, frequentiſſima* S. Manſueti *fit memoria. Codices, è quibus illa collegit, aliique Faſti ſacri, quibus Sanctum inſcriptum reperi, proferentur § ultimo. Illos antiquitate ſuperant documenta, è quibus nunc illuſtrare aggredior Sancti cultum & gloriam, quæ in terris adeptus eſt ab eo tempore, quo monachi Benedictini conſtituti fuerunt in loco, ubi illius corpus aſſervabatur.*

B

§ IV. Gloria poſthuma ſub Tullenſibus ſeculi x epiſcopis SS. Gauzlino & Gerardo, abbatiæ S. Manſueti fundatore, ex variis documentis collecta.

Gauzlinus epiſc. Tullenſis templum, S. Manſueti ſepulcro venerabile, donat

C *Um biographus verbis, ſuprà num.* 40 *adductis, expoſuiſſet deteriorem ſtatum, in quem locus*, S. Manſueti *cultu olim celeberrimus, ſuo & S. Gauzlini ævo redactus conſpiciebatur; de ejus inſtauratione iſta ſubjungit:* Hic itaque (*Gauzlinus*) præfatum locum diverſis, ut diximus, caſibus lapſantem conſiderans, aſcito ſibi ex loco ſancti Apri, confeſſoris Chriſti egregii, domno Herchemboldo patri venerabili, quem ipſe quoque illic abbatem antè conſtituerat, locum hunc in religionis ordinem committit reparandum. Qui videlicet vir venerabilis, ut erat religioſiſſimus, ſub præpoſitorum manu monachorum aliquos delegavit; & quia illic ſtipendia eo tempore deerant, proprii monaſterii ſui ſumptibus alendos inſtituerat. *S. Gauzlinus cœnobium S. Apri, quod à priſtino inſtituto receſſerat, reformaturus, ei virum religioſum Herchemboldum, vel ut alibi lego, Archembaldum jam ab anno* 936 *abbatem præfecerat; ſicuti fidem facit charta, nomine & juſſu S. Gauzlini* v *Idus Octobris ejuſdem anni exarata, quæ habetur apud Calmetum tom.* I *Hiſtoriæ Lotharingicæ, in Appendice varia inſtrumenta complectente col.* 342. *Ibidem col.* 352 *profertur diploma regis Ottonis, poſtea imperatoris eo nomine* I, *datum* III *Nonas Auguſti anno* 948, *quo rata habentur & regio præcepto roborantur, quæcumque charta anni* 936 *continet. In hac S. Gauzlinus ſingulatim enumerat univerſas poſſeſſiones abbatiæ S. Apri, nuperrimè à ſe reformatæ. Singulatim etiam eaſdem enumerat Otto, & præter eas nonnulla alia bona, quæ, uti ex certis documentis mihi conſtat; poſt annum* 936 *monaſterio S. Apri donata fuerant. Cùm in S. Gauzlini charta nulla fiat mentio eccleſiæ* S. Manſueti; *fiat autem in diplomate Ottonis: hinc illam iis rebus accenſendam judico, quæ abbati Archembaldo poſt* v *Idus Octobris anni* 936 *conceſſæ fuerunt.* AUCTORE J. L.

45 *Verba, quibus Otto eccleſiæ iſtius donationem à S. Gauzlino factam confirmat, hîc ſubjicio:* Nec minùs huic * noſtræ authoritatis præcepto confirmandum decrevimus, ut eccleſia S. Manſueti, quæ eſt ſita in ſuburbio ejuſdem civitatis, à præfato venerabili epiſcopo, ea ratione eidem loco (*abbatiæ videlicet S. Apri*) collata, ut ex eiſdem * monachis aliqui Deo & ſancto Manſueto deſerviant, cum omnibus, quæ ibi contulit, perpetuo jure *dictæ abbatiæ* cedat; & decreto confirmamus, ut nullus deinceps de ipſis * rebus auferendi poteſtatem habeat. *Poſtquam Archembaldus ad conceſſum ſibi locum aliquot ex ſuo monaſterio religioſos miſiſſet, ut ſub Præpoſiti regimine ibidem degerent; piâ eorum curâ ſtatim effectum eſt, ut Sancti cultus, qui plurimùm defecerat, reflorverit, ejuſque tumulus magno populi concurſu rurſum fuerit frequentatus. Inſignia etiam Deus ibidem per Sanctum operatus eſt miracula, è quibus ea omnia, quæ Adſo apud nos lib.* 2 *cap.* 1 *&* 2 *narrat, ante obitum S. Gauzlini facta ſunt, qui anno* 962 *ad vitam feliciorem tranſiit. Eo adhuc vivente, templum* S. Manſueti *reſtaurari cœptum fuit. Opus imperfectum abſolvit S. Gerardus, qui anno* 963 *Gauzlino ſucceſſit. Eccleſiam S. Petro Apoſtolo dedicatam ſtatim vocavi & poſtea aliquoties Sancti noſtri nomine vocabo, cujus uſurpationem invaluiſſe comperio ab iis maximè temporibus, quibus monachis S. Apri donata fuit. Scilicet ædes ſacræ ab iis Sanctis, quorum cultu & miraculis potiſſimùm illuſtrantur, ſuam ſæpe appellationem trahunt, licèt illis primitus conſecratæ non fuerint.* *monachis Benedictinis, ſub quibus ejus cultus reflorcſcit:* * hoc * ejuſdem * ipſius

46 *Inchoatam eccleſiæ* S. Manſueti *reparationem non modò perfecit S. Gerardus, Gauzlini ſucceſſor; ſed etiam monachis, qui in ea Dei laudes canebant, liberaliter benefecit, eiſdemque, qui antea Præpoſito ſuberant, abbatem conſtituit. Varia præ oculis ſunt inſtrumenta, quæ de abbatia à ſancto præſule erecta & dotata, atque ejus eccleſia ab eodem reſtaurata agunt. Illa hîc producam, quia quæ continent, Sancti noſtri memoriam exornant. Ac primo quidem loco ipſius S. Gerardi verba tranſcribam ex inſtrumento, confecto Idibus Octobris anni* 982, *quo optimus antiſtes templum apud Medium-vicum (locus eſt prope Tullum, vulgò* Moyen-vic *dictus) concedit abbatiæ* S. Manſueti *nuper à ſe fundatæ:* Sapiat, *inquit*, omnis conventus fidelium tam futuri temporis quàm præſentis, qualiter ego Dei diſpoſitione ad pontificium urbis Leuchorum confirmatus antiſtes, diverterim orandi gratiâ ad B. Manſueti oratorium; ibique me totum & plebis ſuſceptæ paſtoralitatem lacrimoſæ devotionis ſpiritu ejus meritis contradidi, ac devovi, ubicumque ſe occaſio apta præberet, ſibi ſervientium neceſſitudines pietatis oculo reſpicere, manuque conſolatoria ſuſtentare. Cumque ad hujus promiſſi memoriam me charitatis ardor ſæpè commonefaceret, & interventu beati Manſueti noſtræ diœceſis ſtatus intrà extràque proſperari cœpiſſet; ſtatui ut poſſibile ſe ingereret, congruentiaque loci eniteret, promiſſionis me voto abſolvere, fratrumque neceſſitati pro nobis amo- *ſe ſuamque diœceſim Sancti tutelæ committit Gauzlini ſucceſſor Gerardus; templum hujus votum:*

AUCTORE J. L.

re conjunctorum sollicitudine paterna subvenire. *Charta, è qua ista accepi, exstat apud Calmetum laudatum à col.* 387. *Ex illa imprimis discit lector, S. Gerardum, cùm episcopus electus & confirmatus Tullum in sua sede instituendus anno* 963 *duceretur, digressum fuisse ad suburbanum* S. Mansueti *templum, eumque se suamque diœcesim illius tutelæ commisisse, atque insuper votum Deo nuncupasse, nullam se neglecturum occasionem providendi rebus necessariis religiosorum, quorum curæ ecclesiam* S. Mansueti *Gauzlinus decessor commendârat.*

47 *Idem Calmetus à col.* 389 *alterum dat instrumentum, quo S. Gerardus ratum habet quidquid bonorum aut privilegiorum monachis* S. Mansueti *à se vel ab aliis antea concessum fuerat. Expeditum illud fuit Idibus Octobris anni* 982, *scilicet eodem die ac anno, quibus altera charta exarata fuit, de qua jamjam egimus. Quantum de voto, an.* 963 *facto, religiosus præsul ante dictum diem anni* 982 *persolvisset, ex instrumenti illius verbis abundè cognosces, quæ ex eo desumpta hîc propono.* Ad omnium tam præsentium quàm subsequentium Ecclesiæ Dei fidelium volumus pervenire notitiam, quòd, postquàm divina dignatione, domni quoque Ottonis victoriosissimi imperatoris & semper augusti, necnon & domni Brunonis gloriosi archiepiscopi (*Coloniensis*) & regia germanitate (*erat enim Ottonis I imperatoris frater germanus*) præcellentis jussione dictante, custodiam animarum & regimen suscepimus ecclesiæ Tullensium; studii nobis quàm plurimum fuit, commisso gregi diligentiam adhibere, diruta pro viribus restaurare, quæ secus justo disponi videbantur, meliùs ordinare. Inter cætera igitur, quæ ad cultum Dei necnon & servorum ejus pertinentia manu sublevantis agere * perspeximus, quemdam nostræ sedis locum fundatum ex antiquo reperimus, in honore quidem beati Petri Apostolorum principis consecratum, sancti autem Mansueti primi pastoris nostri corporali præsentia insignitum, ab antecessore nostro gratiâ religionis cœptum, sed imperfectum relictum. Cujus videlicet nos restaurationis ardore succensi, pro studio æternæ recompensationis perquirere cœpimus, qualiter eundem locum convenientiùs reformare valeremus.

48 Unde cum totius nostræ sedis clero, abbatibus quoque, monachis ac fidelibus laïcis habito consilio, invenimus hoc nullo modo jure permanenti fieri posse, nisi præfato loco præficere pastorem, & concessis rebus, quibus fratres sub abbatis imperio militantes regulariter alerentur, eidem cœnobio deberemus clementer providere: cujus piæ scilicet investigationis tandem discussione peracta, quemdam nostri desiderii negotio congruentem invenimus, proprio nomine Adam vocatum, nostræ ecclesiæ filium, disciplinis regularibus educatum; quem communi consensu tam spiritualium quàm & cunctorum fidelium nostrorum pari electione designavimus, constituimus atque in eo loco præfecimus. Pro qua re statuimus atque decrevimus; ut & monachi, in eodem loco sub regulari sancti Benedicti disciplina viventes, absque ulla nostrorum succedentium antistitum inquietudine & perturbatione Deo serviant, aliarumque personarum pervasione securi & liberi vivant. *Pro rerum omnium, quas hîc transcripsi, majori firmitate S. Gerardus* IV *Nonas Junii anno* 965 *ab Ottone I imperatore diploma obtinuerat: unde consequens est, ut pius præsul votum suum, an.* 963 *Deo nuncupatum, implere non distulerit; cùm quæ in charta anni* 982 *commemorat, anno* 965 *jam inde præstitisset.*

49 *Imperatoris verba accipe ex editione Calmeti col.* 373: Ad universorum fidelium nostrorum tam præsentium scilicet quàm futurorum notitiam pervenire volumus, quòd Gerardus venerabilis Tullensis ecclesiæ præsul, nostræ imperialis clementiæ præsentiam adiens, humiliter suggessit, quemdam locum in suburbio ejusdem suæ civitatis ab antiquo quidem fuisse fundatum; sed præcedentium incuriâ temporum rebus destitutum, religione depravatum, ædificiis corruentibus malè esse collapsum. Qui videlicet locus in honore beati Petri Apostolorum principis consecratus, & corporali sancti confessoris Christi Mansueti, primi ejusdem civitatis episcopi, præsentiâ insignitus, simulque beati Amonis præfatæ urbis antistitis corpore decoratus, à bonæ memoriæ Gauzlino prædecessore suo reparari fuerat cœptus; sed opere imperfecto relictus. Hunc igitur prædictus antistes divino instinctu pleniùs reparare desiderans, & sacræ religioni competentibus officinis instruere decernens, rebusque subsistentibus ampliare cupiens, abbatem nomine Adam, regularibus disciplinis eruditum, cum consilio Brunonis archiepiscopi ac principum regni, fratribus ibidem consistentibus præfecit; & tam ex his, quæ quondam eidem loco subjecta fuisse probari poterant, quàm etiam ex his, quæ ex rebus episcopii, cum consensu ecclesiæ suæ fidelium, addenda visa sunt, petiit authoritatis nostræ decreto firmari, ut ea, quæ ibidem ad Dei peragendum obsequium tradita sunt, possint in perpetuum illæsa conservari. Quocirca nos pro Dei amore & stabilitate regni nostri, necnon & pro speranda successione generis nostri, præsentes authoritate tam nostra quàm etiam filii nostri regis Ottonis, nobis æquivoci, statuimus atque decernimus, ut monachi sub regulari sancti Benedicti disciplina viventes in eo loco absque ulla succedentium Leuchorum urbis pontificum inquietudine & perturbatione Deo serviant, aliarumque personarum pervasione securi & liberi vivant, & res, quas eis per nostræ imperatoriæ dignitatis præceptum concedimus, quieto semper jure possideant. *Sequitur enumeratio bonorum, quæ cœnobio* S. Mansueti *donata fuerant, antequam ab Ottone confirmarentur: cujus diploma notatur datum* IV Nonas Junii anno Dominicæ Incarnationis CMLXV, Indictione VIII, anno regni Ottonis XXX, imperii scilicet IV.

50 *Ottonis diploma satis quidem apertè insinuat, S. Gerardum, cùm illud peteret, nondum absolvisse inchoatam à Gauzlino ecclesiæ* S. Mansueti *instaurationem: hanc tamen, ut credo, jam tum inceperat perficere vel saltem necessarios operi promovendo sumptus comparare; quia priusquam inauguraretur etiam voto se obstrinxerat, ut cœptum templi ædificium ad perfectionem deduceret. Andi Richerium lib.* 2 *Chronici abbatiæ Senonienſis cap.* 13: Defuncto . . . Gozelino episcopo, B. Gerardus in episcopatu successit. Qui cùm ad episcopatum electus fuisset, & ad civitatem Tullensem ad instituendum duceretur, cùm ad ecclesiam S. Mansueti, quam priùs idem S. Mansuetus in adventu suo ad civitatem Tullensem pro oratorio sibi exstruxerat, pervenisset; quia ejusdem urbis primus episcopus exstiterat Mansuetus, oratorium ipsum causa orationis fertur

* *l.* egêre

fundat

abbatiam

templum à Gauzlino reparari cœptum perficit, quòd se facturum Deo voverat;

S. Mansueti;

A tur introîſſe, & tamdiu ibidem oraſſe, uſquequo eccleſiam ipſam conſenſu totius cleri ſe voviſſet in melius ædificaturum : quod & fecit. *Chronicon Senonienſe edidit Acherius tom.* 3 *Spicilegii à pag.* 271. *In præfatione pag.* 15 *& ſeq. illius auctorem Richerium ſeculo* XIII *vixiſſe oſtendit. Licèt hic ab ætate S. Gerardi ſit remotior, non dubito tamen, quin de eo vera tradiderit : cùm ex ipſiuſmet laudati præſulis teſtimonio num.* 46 *allato, conſtet, ipſum loco & tempore à Senonienſi chronographo determinatis voviſſe*, ubicumque ſe occaſio apta præberet, ſibi (S. Manſueto) ſervientium neceſſitudines pietatis oculo reſpicere, manuque conſolatoria ſuſtentare. *Hæc attentiùs conſideranti in ſuſpicionem falſi venire non poteſt votum, de quo agit Chronicon memoratum. Eò ſpectant, quæ in S. Gerardi Actis, ab auctore ſuppare Widrico abbate S. Apri conſcriptis, leguntur.* Inſtinctu piæ devotionis locum ſancti Manſueti vir Domini ſummo amore excolebat : cujus etiam cœnobium labili veterno deciduum renovare ſatagebat ; & tum ſuo inceſſante monitu, tum piiſſimi Patroni

B admodùm exorabili obtentu, frequens populorum turba cœpto operi eleemoſynarum largitatem non modicùm ſuppeditabat. *S. Gerardi Vitam à Widrico ſcriptam Henſchenius dedit ad* XXIII *Aprilis ; ſed magna ex parte decurtatam, omiſſa etiam præfatione ac toto ejuſdem auctoris libro de ſancti miraculis, canonizatione ac tranſlatione. Martenius tom.* 3 *Theſauri novi anecdotorum à col.* 1048 *& Calmetus laudatus à col.* 132 *integrum Widrici opus ediderunt : quod & nobis in Supplemento ad Acta Sanctorum faciendum erit.*

Sancti corpus in decentem arcam tranſponit ;

51 *Statim, ut credo, à finita templi renovatione Gerardus Sancti noſtri corpus, è vetuſto conditorio levatum, decentiori impoſuit. Altera ſacri corporis elevatio facta eſt anno* 1104 *à Pibone epiſcopo Tullenſi. Qui hujus hiſtoriam infrà edendam nobis reliquit, de priore, quæ à Gerardo peracta fuit, hæc memorat :* Ab antiquis ſiquidem patribus accepimus traditum, & uſque ad noſtra tempora indubitanter eſt creditum, quòd ſanctus Gerardus poſt multa tempora in epiſcopatu Leuchorum ipſius (S. Manſueti) ſucceſſor digniſſimus, ſacrum corpus illius tranſtulerit, atque

C intra eccleſiam, quam ſub ipſius nomine conſecratam invenerat, in archa lignea loco congruo collocaverit ; in quo præſidens voces pſallentium monachorum in eadem eccleſia ſibi perpetuò famulantium ſuſciperet & plebi Leuchorum conſueti regiminis beneficium impenderet. *Hæc & alia, quæ ex variis monumentis hactenus oſtendi, à Gerardo in honorem* S. Manſueti *præſtita fuiſſe, ad primos, id eſt, ad* 963 *& proximè ſequentes epiſcopatûs ejus annos referenda eſſe cenſeo.*

villas abbatiæ à ſe fundatæ ſubtrahit, quas donarat ; at eas per S. Manſuetum redonare cogitur ;

52 *Præter duas Gerardi chartas anni* 982, *quibus num.* 46 *& ſeqq. uſus fui, quatuor alias inveni in favorem abbatiæ* S. Manſueti *ab eodem præſule conceſſas. Primæ anno* 969 *exaratæ ſubſtantiam dat Mabillonius tom.* 3 *Annalium Ordinis S. Benedicti lib.* 47 *num.* 28. *Secundam, quæ eſt anni* 971, *edidit Calmetus col.* 383. *Tertia ſcripta eſt anno* 974, *ex qua laudatus Mabillonius lib.* 48 *num.* 14 *hæc narrat :* Gerardus villas Angeriacum & Moliſiacum, quas ab Odelrico Remorum archiepiſcopo acquiſierat, eidem loco (*cœnobio* S. Manſueti) donavit. Poſtea verò, quaſi facti pœnitens, idem Gerardus prædictas villas in ſuam ditionem redegit : dum ſanctus Manſuetus, quaſi condolens penuriæ ſibi famulantium monachorum, eas vi quadam ab ipſo denuo extorſit. Nam, ut Gerardus ipſe in authentico ſuo loquitur, quodam febris nimiæ languore pervaſus, ad extrema etiam deductus, tamdiu morbi attritus eſt violentiâ, dum reddere compulſus eſt, quod abſtulerat. Unde conſilio ſuorum fidelium, monachorum, canonicorum & laïcorum primam donationem novo inſtrumento renovavit ... Hujus porrò donationis violatoribus diras minatur à beato Petro Apoſtolorum principe & à beato Manſueto patrono ſuo, cujus meritis & interceſſione quotidie corporum animarumque languores ſanari aſſerit. *Quarta denique Gerardi charta, quâ monachis* S. Manſueti *anno* 986 *benefecit, exſtat apud ſæpe memoratum Calmetum col.* 392.

AUCTORE J. L.

in publicis neceſſitatibus ſolemnes indicit

53 *Miracula* S. Manſueti, *quæ ſub Gerardi epiſcopatu contigêre & ab Adſone litteris mandata ſunt, multa immiſcentur, è quibus cognoſcas Gerardum in Sancti noſtri patrocinio ingentem fiduciam collocaſſe, pietate erga eum ſingulari affectum fuiſſe, ſummoque ſtudio ejus cultum promoviſſe. Inter alia Adſo infrà apud nos num.* 44 *narrat, Gerardum ſolemnem* S. Manſueto *ſupplicationem decreviſſe ad pluviam poſt diuturnum æſtum ejus interceſſione impetrandam. Sancti corpus per agros ſuburbanos magno hominum concurſu tunc delatum fuit ad cœnobium S. Apri : quò cùm perventum eſſet, copioſus imber areſcentes agros recreavit. Inde ſacrum corpus in urbem portatum fuit ; quo præſente, Gerardus Virgini Deiparæ & S. Manſueto conſecravit eccleſiam, intra urbis mœnia à ſe conſtructam* ; quæ ex tunc, *inquit Adſo*, & modò ſancti Manſueti magnificè illuſtratur meritis, ubique ſolvuntur vincula peccati aggravantis. *Dedicatione peracta, Sancti oſſa in locum relata ſunt, ex quo fuerant aſſumpta. Numero* 50 *narratur Gerardus tempore peſtis magnâ ſævitiâ graſſantis aliam indixiſſe ſupplicationem, in qua cum* S. Manſueti *corpore proceſſum fuit* ad eccleſiam ſitam Scropulis *, quæ beatæ Dei Genitricis ſæpiùs ſolet illuſtrari miraculis. *Quo facto, peſtis* viſa eſt ſuo aliquantulùm furore miteſcere. *His ſtatim ſubjicit Adſo :* Sed nec ſic paventium populorum terror abſcinditur : nam iterum beati Viri glebam * humeris imponentes principale ejuſdem Dei Genitricis Buxeriarum * expetunt cœnobium ; *quod olim erat monialium Ordinis S. Benedicti à S. Gauzlino fundatum. Nunc ſub canonicarum titulo atque abbatiſſæ regimine locum incolunt nobiles virgines nullo religionis voto obſtricta. Quinque circitèr horas itineris Tullo abeſt, jacetque ad fluvium Murtam, ubi ferè in Moſellam ſe exonerat. Poſt pium iſtud iter, quod ingens ſupplicantium agmen confecerat, peſtis* ſic ſuis deſuevit proceſſibus, ut Sancti beneficium palàm cognoſceret univerſus populus.

E

* Ecrouves *prope Tullum.*

F

* *id eſt,* corpus
* Bouxieres-aux-dames

ſupplicationes, in quibus

54 *Malum tamen tunc omnino non ceſſavit. Certè illud poſtmodùm non minùs atrociter quàm antea ſæviit. Iterum Gerardus ad* S. Manſueti *ſimulque ad S. Apri patrocinium confugit, ſacramque per urbis Tullenſis plateas proceſſionem populo indixit, in qua Sancti utriuſque corpora circumferrentur. Quo peracto, tandem Deus funeſtæ iſti calamitati finem ſtatuit. Poſtremam hanc ſupplicationem deſcribit Widricus in Vita S. Gerardi. Antequam illius narrationem adferam, lector duo obſervet velim. Primum eſt, Vitam & miracula* S. Manſueti *conſcripta fuiſſe aliquot annis ante Gerardi mortem, quæ accidit anno*

AUCTORE J. L.

994, *cùm illorum auctor Adſo jam biennio vitâ defunctus erat, uti dictum fuit num.* 4. *Alterum eſt, Widricum in Actis S. Gerardi ſtudio prætermiſiſſe, quæ de ſancto iſto præſule Adſo miraculis* S. Manſueti *inſeruerat. Satis apertè id Widricus inſinuat verbis, quæ itineri Romano Gerardi proximè præmittit:* Cujus etiam devotiſſimam erga glorioſum præſulem Manſuetum intentionem hîc compendio panderemus, niſi inter veneranda ejus miracula, *ab Adſone ſcilicet litteris mandata*, prænotata noſceremus. *Utraque hæc obſervatio lectorem, opinor, facilè inducet ut credat, Adſonem & Widricum agere de diverſis ſupplicationibus tempore peſtilentiæ inſtitutis, quarum ſolam ultimam poſteritati tradiderit Widricus, quòd apud Adſonem deeſſet, qui forte ſcribendi finem jam fecerat, quando illa contigit. Nunc Widrici narrationem accipe ex editione Calmeti col.* 144.

Sancti corpus

55 Culpis populi urgentibus, dolenda clades ſparſim increbuerat. Miſera ſtrages Tullenſis urbis plateas humanis cadaveribus jam penè repleverat; nullaque domo vacua vel languido vel mortuo, jam cunctos occupaverat mœſtuoſa hujus labilis vitæ deſperatio. Tunc beatus præſul (*Gerardus*) pro plebe ſibi commiſſa non minimùm ſollicitus, diverſis curarum artabatur angoribus, cogitans, quo poſſet remedio gregi periclitanti ſubvenire quantociùs. Divino ergo animatus conſilio, triduanum indicit jejunium; dehinc convocat in unum parochiarum vicinarum populum, & cum ſupplici devotione elevat glorioſorum pontificum Manſueti & Apri veneranda corpora, fiſus eorum ſublevari patrocinio ab imminenti anguſtia. Quibus præviis cunctas circuit plateas urbis, prolata in excelſum voce plebis lachrimabiliter ſupplicantis. Sed occulto Dei judicio, tanta increvit ipſo die peſtilentia morientium ut, antequam beati Manſueti baſilicam Sanctorum accederent reliquiæ, multitudini jungerentur præcedenti ſedecim defunctorum libitinæ.

circumfertur.

56 Venerandus autem pontifex populum, ne à prece deſiſteret cohortatus, repetito itinere cœnobium Sancti Apri adiit cum populis frequentibus; ibique lugubre ſeptiformem letaniarum curſum explet, ante Sanctorum corpora cum clero humi ſtratus. Hinc ſurgens, terra inundante ejus lacrymis, cùm antiphonam inchoaſſet, IN VOCE DEPRECATIONIS; eâdem horâ tres ex populo corruentes defecerunt in medio multitudinis. Sed omnipotens Miſerator flebiles ſui famuli preces non diu ſurda præterivit aure: atque ibi ſtatuit finem ſævientis plagæ, nec quiſquam ampliùs eodem anno eſt conqueſtus ſe artari ſolitæ peſtis gravedine. *Hæc omnia deſiderantur in lacunoſis S. Gerardi Actis, ab Henſchenio editis. Per* lugubre ſeptiformem letaniarum curſum, *quem Widricus à Gerardo, ante* SS. Manſueti *& Apri corpora humi proſtrato, expletum fuiſſe ait, intelligenda eſt litania, quæ cantu lugubri à ſeptem choris percurrebatur, unde &* Septiformis *agnominari ſolebat. Ad ulteriorem lectoris inſtructionem ſubjicio verba Pauli diaconi lib.* 3 *de Geſtis Longobardorum cap.* 24: Dum *Gregorius Magnus adverſus peſtem inguinariam, quæ Romam vaſtabat*, ſeptiformem litaniam ordinaſſet, intra unius horæ ſpatium, dum populi Deum precarentur, octoginta ex eis ſubitò ad terram corruentes ſpiritum exhalaverunt. Septiformis autem litania ideo dicta eſt, quia totius urbis populus à beato Gregorio in ſeptem partes, Deum deprecaturus, diviſus eſt. In primo namque choro fuit omnis clerus; in ſecundo omnes abbates cum monachis ſuis; in tertio omnes abbatiſſæ cum congregationibus ſuis; in quarto omnes infantes; in quinto omnes viri laïci; in ſexto omnes viduæ, & in ſeptimo omnes mulieres conjugatæ. *Pauli verba dedi, prout leguntur in noviſſima editione Pariſienſi Operum S. Gregorii Magni tom.* 4 *col.* 16. *Ad calcem tomi* 1 *exſtat ſancti Doctoris ſermo de Mortalitate, quo plebem hortatur, ut pro peſtilentiæ ceſſatione impetranda* ad litaniam ſeptiformem *conveniat. Diverſa hæc fuit ab illa, de qua ſcribit Paulus diaconus citatus & Gregorius Turonenſis lib.* 10 *Hiſtoriæ Francorum cap.* 1: *nam ambo hi ſcriptores diviſionem populi in ſeptem choros planè aliam referunt, quàm Gregorius laudatus. Conſule Annales Baronii ad annum* 590.

periculosè decumbens à SS. Manſueto & Apro

57 *Apud Adſonem etiam non legitur mirabilis* SS. Manſueti *& Apri apparitio, Gerardo ad mortem uſque agrotanti facta, qui per illas ſanitatem priſtinam ſubitò recepit. Inſigne miraculum memoriæ proditum eſt à Widrico in illius Vita apud Calmetum col.* 146. Temptatus eſt quoque aliquando deſperabili corporis ægritudine, per quam Deus omnipotens glorificanter declaratus eſt in ſuæ virtutis majeſtate. Quodam ſiquidem tempore nimio languore prægravatus, ipſo jam frigeſcente corpore, ad extrema eſt deductus; nec quiſquam ei ſpem redituræ ſoſpitatis ſpondere præſumebat: nemo niſi de ſolo ejus funebri obſequio ſatagebat. Tunc eum ſubiit cœlitus inſpirata cogitatio, ut ſanctiſſimorum Pontificum Manſueti & Apri ſe clementi commendaret præſidio; atque eorum venerandas reliquias juſſit deferri in ſancti Johannis Baptiſtæ oratorium, quatenus ipſorum præſidiante ſuffragio in * deſperati caperet languoris præſens remedium, aut in ſupremo exitu ante ſeverum Judicem propitiabile ſolatium. Sacratis igitur pignoribus infra * urbem delatis, cum honore condignè à fidelibus noctu celebrantur vigiliæ; nec deſunt pontifici in conclavi contiguo recubanti funereæ excubiæ. Intempeſta autem nocte *, ſtrepitu vulgi frequentis ſubſidente, ecce illi, qui languerat, cœpit præter ſpem ſalutifer ſopor obrepere: moxque à ſanctis Pontificibus viſitatur per ſomni quietem exoptabili viſione.

* *in editione Martenii tom.* 3 *Theſ. anecd. col.* 1065 aut * *fortè* intra * *Marten.* nocte

ſibi apparentibus ſubitò ſanatur.

58 Videbatur namque ſibi languenti ante lectulum adſtitiſſe eoſdem Viros magnificos, præſulari habitu decenter infulatos; qui quaſi requirebant ab ipſo miſericordi compaſſione, quomodo ſe haberet, & cujuſmodi languore tam graviter ægrotaret. Cumque modus ac genus ægritudinis à languido panderentur; viſum eſt ſibi, quaſi juberent ei, ut ſe ſequeretur, & reflexum iter verterent verſus oratorium, quo ſacra eorum pignora ſervarentur *. At ille, qui dies non paucos languerat, ſoſpes ſurrexit, concitus, ac glorioſæ viſionis ſtupore attonitus. Credebat beatos Præſules corporeâ ſibi aſtitiſſe præſentiâ: iterque arripuit, quaſi eorum ſecuturus veſtigia. Ad valvas autem perveniens eccleſiæ, propria potitus mente, Sanctorum recognovit virtutem, quam ſibi dignati ſunt oſtendere: moxque antiphonam, EXILIIT CLAUDUS, ET AMBULABAT, præcinuit in jubilationis laude. Hinc ante venerabiles ſternitur reliquias, pro beneficio grates Sanctis rependit magnificas, Deumque in ſuis Famulis prædicabilem intacibili ore glorificat.

* *Marten.* ſervabantur

§ V.

A

§ V. Sancti gloria ſeculis XI & XII illuſtrata miraculis, venerationis incremento, & ſolemni corporis elevatione.

Miraculum edendum:

PUblica S. Manſueti *veneratio, uti ſub SS. Gauzlino & Gerardo, ita & ſub epiſcopis eorum ſucceſſoribus viguit; imò accrevit à temporibus Gregorii VII Pontificis, quemadmodum ex num.* 63 *& ſeqq. patebit. Calmetus laudatus col.* 104 *& Martenius tom.* 3 *Theſauri novi anecdotorum col.* 1024 *mirabilem ediderunt hiſtoriam, quam Sancti miraculis ab Adſone ſcriptis adjectam repererant in codice Manſuetino ſeculi* XI, *de quo num.* 7 *varia lectorem præmonuimus. Hunc illa titulum præfert:* De puella circulis ferreis adſtricta, quemadmodum ad ſepulcrum ſancti Pontificis fuerit abſoluta. *Auctor anonymus in narrationis fine rem eveniſſe notat* anno ab Incarnatione Domini nono & milleſimo, pontificante Tullenſem eccleſiam domno Bertoldo epiſcopo, Indictione VII. *Miraculum dabimus ex Calmeto, collatum cum editione Martenii.*

B

abbatiæ S. Manſueti benefacit, qui in morbis Sancti opem ſæpe expertus fuerat;

60 *Anno* 1027 *Tullenſis epiſcopus conſecratus fuit S. Bruno, qui poſtea Eccleſiam univerſam rexit ſub nomine Leonis IX. Ejus merita erga cœnobium* S. Manſueti *vide apud Mabillonium tom.* 4 *Annalium lib.* 56 *num.* 7, *lib.* 57 *num.* 37, *& lib.* 59 *num.* 87 *&* 88. *Ex locis citatis partim tranſcribi meretur numerus* 37 *libri* 57. Tunc, *anno ſcilicet* 1034, ſancti Manſueti Tullenſi monaſterio præerat Hunaldus abbas, qui hoc anno litteras edidit de donatione Odelrici de Novo-villari. Hic frequentibus morbis idemtidem vexatus, domum ſancti Manſueti frequentare conſueverat, eique crebrò ſubvenit ejuſdem Sancti miſeratio. Hinc tantùm in eumdem locum accrevit ejus benevolentia, ut ſe & conjugem ſuam ibidem ſepeliri decreverit, non deſperans animæ ſuæ remedium illius conſequi obtentu, cujus promeruit, dum vixit,

C

ſuſtentari & defendi interventu. Ob id ſancto Manſueto duos manſos (*vox* manſus *pro* certa agri portione cum æde coloni *olim uſurpari ſolebat*) & quædam alia prædia contulit ... Bruno epiſcopus *donationem iſtam anno* 1034 auctoritate ſua firmavit & ſigillo munivit.

alterum miraculum edendum.

61 *Inter extracta è codice Manſuetino ſeculi* XII, *de quo num.* 8 *& ſeqq. varia annotata ſunt, invenio miraculum* de quodam Ruſtico à S. Apro percuſſo & à B. Manſueto ſanato; *quod menſe Septembri anno* 1049 *accidit, cùm S. Leo IX Tulli ſubſiſteret. In altero codice Manſuetino ſeculo* XI, *ex quo Martenius citatus à col.* 1041 *& Calmetus à col.* 118 *illud miraculis S. Apri inſertum typis mandarunt, hunc habet titulum:* De quodam miraculo à Petro, ſanctæ Romanæ eccleſiæ diacono, compoſito. *Exemplar noſtrum Ms., ex priore codice deſumptum, mendis plenum eſt. Emendatius quidem exſtat apud Calmetum, ſed poſteriore ſui parte mutilum. Integrum vulgavit Martenius, cujus editione nos utemur, collata cum noſtro manuſcripto & impreſſo Calmeti exemplari. Miraculum iſtud contigiſſe menſe Septembri anno* 1049, *quo tempore S. Leo IX cum Petro Eccleſiæ Romanæ diacono atque urbis ejuſdem præfecto Tulli morabatur, atque hunc illius hiſtoriam à nobis edendam conſcripſiſſe, animadverſiones, quibus eam excipiemus, extra omne dubium ponent.*

AUCTORE J. L.

62 *Inter extracta Mſs. e memorato ſeculi* XII *codice etiam habemus hiſtoriam ſacram rerum memorabilium, quæ ſub abbatibus* S. Manſueti *Grimbaldo, Albrico, Theomaro & Theobaldo acciderunt. Quando & quamdiu circiter eorum quiſque præfuerit, lectorem edocebimus: nam ſcire juvat, ad quæ tempora referri debeant, quæ ex hiſtoria illa producturi ſumus. Apud Calmetum tom.* 1 *Hiſt. Lotharingicæ in Documentis col.* 457 *legitur Grimbaldus inter teſtes, qui ſignarunt chartam Udonis epiſcopi Tullenſis, datam anno* 1065. *Primâ Albrici memoria occurrit apud citatum Calmetum col.* 476 *inter ſubſcriptos privilegio cuidam, quod Pibo Udonis ſucceſſor anno* 1076 *conceſſerat. Non diu antè obierat Grimbaldus; nam quæ à numero ſequente ex apographo noſtro tranſcribentur, facta ſunt ipſo vivente, poſtquam Gregorius VII anno* 1073 *ſummus Pontifex creatus eſſet. Albrici ſucceſſor Theomarus in eodem noſtro apographo notatur ſepultus fuiſſe* II Kal. Febr. XXXIII ordinationis ſuæ anno. *Vivebat adhuc* 2 *Calendas Februarii anno* 1124, *quando ſubſcripſit chartæ Riquini epiſcopi Tullenſis, quam dat Calmetus tom.* 2 *in Hiſtoriæ ſuæ Monumentis col.* CCXXIII. *Ibidem col.* CCLXXXI *inſtrumento cuidam anni* 1126 *ſubſcriptus legitur Theobaldus. Ex quibus manifeſtum eſt, Theomarum obiiſſe ſub finem Januarii anno* 1125 *vel* 1126, *eumque Albrico ſubrogatum fuiſſe anno circiter* 1092 *vel* 1093. *Porrò Theobaldus, Theomaro ſuffectus, jam vitâ defunctus erat* X *Calendas Julii anno* 1136; *cùm Rainaldus ejus ſucceſſor ſubſcriptione firmarit inſtrumentum, dicto die & anno confectum, quod exhibet idem Calmetus col.* CCCXII. *Anonymum, qui res à quatuor iſtis abbatibus vel eorum temporibus geſtas litteris mandavit, monachum fuiſſe ſuſpicor abbatiæ* S. Manſueti. *Scripſit ſub Theobaldo vel certè non diu poſt ejus mortem, uti in fine num.* 68 *probabitur. Quæ ex ejus hiſtoria nunc tranſcribere aggredior, apud Calmetum quoque exſtant col.* CCLXXVII. *Apographum noſtrum, quo utemur, ab illius editione in multis diſcrepat. Lectionis varietas alicujus momenti in margine aſſignabitur.*

Definiuntur tempora quatuor abbatum, ſub quibus ſequentia contigerunt:

E

F

63 *Poſt prologum, in quo nihil notatu dignum occurrit, anonymus mox referre incipit, quomodo Gregorius VII Pontifex occaſionem præbuerit, ut* S. Manſueti *cultus ſub abbate Grimbaldo plurimum incrementi ceperit.* Authore, *inquit*, Deo, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ præſidente Gregorio ſeptimo, in Tullenſi verò urbe pontificante Pibone, primates quidam regni & utriuſque * ordinis clariſſimi & illuſtres viri, ſancto Spiritu inſpirante, adeundi ſanctos Apoſtolos deſiderium conceperunt; multiſque itineris & præcipuè citra Alpes laboris & algoris detriti anguſtiis, operoſæ tandem Romuleæ arcis mœnia, & optata ſanctorum Apoſtolorum votis ſupplicibus limina ſubierunt. A Pontifice itaque Romanæ Sedis, utpote venerabiles viri, debita veneratione ſuſcepti, poſtquam ab eo Apoſtolicam benedictionem & abſolutionis veniam perceperunt; qui & unde eſſent ab eo ſciſcitati, Tullenſis urbis incolas ſe eſſe profeſſi ſunt.

viri in Tullenſi civitate primarii Romæ

** in editione Calmeti totius*

64 Quibus Papa perceptis, ſuſpirans inſtantiùs & vigore quodam mentis excitus interiùs,

Felix,

AUCTORE J. L.

ex Gregorio VII audiunt, insignes se possidere Petri & Pauli reliquias à S. Mansueto procuratas:

* *Calm.* valeat

* *Calm.* sepulchrum peregrinando

Fœlix, inquit, urbs Leucha, glorioſi confeſſoris Chriſti & Apoſtolici præſulis Manſueti corpore decorata; ſed vigilantiâ ipſius ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli reliquiis glorioſiùs inſignita! Sicut enim veridicis hiſtoriographorum probatur ſententiis, & prout Romanæ bibliothecæ monſtratur tomochartis; poſt Romam, quæ triumphali ſanctorum Apoſtolorum paſſim refulget cruore martyrii, ita Tullenſis civitas Apoſtolici frequentatur viſitatione præſidii, ut nuſquam aliàs in toto orbe tanta portio earumdem reliquiarum habeat * reperiri: nec ſummopere laborandum eſt, ut eorum ſepulcra peregrinanda * longiùs requiratis, quos propriis frequentiùs reliquiis adeſſe confidatis. His & hujuſmodi noſtrates peregrini ab univerſali Paſtore documentis inſtructi, auſpice Chriſto voti compotes, ad propria redierunt; quæque fideli auditu didiceraat, fideliori relatione paſſim denuntiaverunt. *Verba, quibus Pontifex pronuntiat, Tullenſes per* S. Manſuetum *Apoſtolorum Petri & Pauli reliquias accepiſſe, nobis, qui illum à S. Petro in Galliam miſſum fuiſſe negamus, plurimùm favent. Vide num.* 30 *& ſeq.*

unde ſolemnior cultus & nundinarum celebratio feſto Sancti die inſtituuntur;

* *ſequentia apud Calm. deſunt uſque ad* Pontifici

B 65 Ex eo igitur tempore, *quo ſcilicet Gregorii VII oraculum Tulli renuntiatum fuit*, propitiante Deo, tanta fidelium efferbuit devotio *erga SS. Petrum & Paulum*, ut ad eccleſiam *ſuburbanam, de qua lege num.* 29 *& infrà num.* 67 *in fine*, in honore ſanctorum Apoſtolorum dicatam, pontifex, clerus & univerſa plebs in die martyrii eorum confluant catervatim *, nocturnas excubias & vigilias cum cereis & luminaribus, diurnas laudes votis & precibus inſtanti exultatione percurrant. Pontifici etiam ſancto, beato videlicet Manſueto, tantæ venerationis aucta eſt religio, ut per finitimas regiones & provincias feſti ejus celebritas famoſior indiceretur; ita ut ad forenſes nundinas à populis exterarum nationum & inſularum ibi conveniatur, & jam per Dei gratiam nullum per tripartitam ferme Galliam ſolemnium memorabilius habeatur. *Scriptor anonymus per* tripartitam Galliam *fortè intellexit Belgicam, Aquitanicam, & Celticam ſeu Lugdunenſem. Certè Julius Cæſar lib.* 1 *de Bello Gallico illam revera ita partitus fuit:* Gallia, *inquit*, eſt omnis diviſa in partes tres; quarum unam incolunt Belgæ, aliam Aquitani, tertiam, qui ipſorum linguâ Celtæ ... appellantur. *In quatuor provincias Galliam diviſit imperator Auguſtus, Narbonenſi tribus prioribus annumerata. De nundinis iſtis, feſto* S. Manſueti *inſtitutis, quas anonymus fortaſſe celebriores facit, quàm revera fuerunt, meminit Hadrianus IV Pontifex apud Calmetum col.* CCCXLVIII *in bulla anni* 1154, *quâ abbatiæ* S. Manſueti *poſſeſſiones omnes confirmat:* Authoritate etiam Apoſtolica prohibemus, ut forum nundinarum, quod in prato adjacenti monaſterio veſtro in feſto ſancti Manſueti ſingulis annis agitur, nulli omnino eccleſiaſticæ ſæcularive perſonæ à loco, in quo modò celebratur, liceat futuris temporibus removere.

C

eccleſia amplior, quæ fidelium ad Sancti tumulum confluentium multitudinem caperet,

66 Ea tempeſtate (*verba ſunt anonymi narrationem ſuam proſequentis*) præfatæ præerat eccleſiæ Grimaldus * abbas, vir admodum ſimplex & in loci reparatione ſtrenuus; qui ejuſdem celebritatis actor * & inſtitutor extitit, eandemque eccleſiam extrà ædificiis, intrà ornamentis extulit, & altare ſanctorum Apoſtolorum tabulâ argenteâ gemmis & auro irradians * adornavit. Præterea turris fabricam, quam prædeceſſor ejus Dodo à fundamentis ad tectum uſque eccleſiæ pertraxerat, operoſa pulchritudine conſummavit, cujus tecti acumen cruce deaurata cum triumphali aquila ſpectabiliter decoravit. Quo facto de medio, ſucceſſit Albricus, homo nulli ſecundus, ſcientiâ & ſermone diſertus, qui frequentiam multitudinis convenientis ad ſancti ſolemnia Confeſſoris *, infra monaſterii ſepta recipi non poſſe condoluit; unde & inſpiratione divina eandem eccleſiam * à ſanctuario & ſuprà ampliare devovit. Cœpto ergo operi operator indefeſſus inſiſtens, muri ambitum uſque ad curvaturam arcuum per circuitum extulit; & humana præreptus ſorte in crypta eadem ad memoriam fundationis ſepulchrum obtinuit. *Poſtrema verba ſuſpicionem aliquam injiciunt, ſcriptorem anonymum antea crypta ab Albrico ædificata mentionem feciſſe, quæ omiſſa fuerit in noſtro exemplari Ms. atque eo, quo uſus fuit Calmetus. Utut ſit, ſi Albricus* in crypta eadem ad memoriam fundationis *ſepultus fuit, aliquam certè ædificavit. Calmetus tom.* 1 *Hiſt. Lotharingica lib.* 20 *num.* 106 *in Notis ſcribit, in crypta antiquæ eccleſiæ nuper hoc Albrici epitaphium repertum fuiſſe:*

Abbas Albricus ſapiens, pius atque pudicus
Hanc fabricam ſtatuit, cauſa caputque fuit.

Hanc Calmeti annotationem proximè precedit alia, in qua aſſerit, cryptam ſubterraneam, quam Albricus conſtruxerat, v Septembris anno 1090 *à Pibone epiſcopo conſecratam fuiſſe: non addit cui Sancto. Conjectare licet, Pibonem eam dedicaſſe* S. Manſueto, *atque hujus corpus in eadem depoſitum fuiſſe.*

ædificatur; qua occaſione SS. Petri & Pauli reliquiæ inveniuntur;

67 *Albrico* ſucceſſit abbas ... Theomarus, ... qui ... miranda eccleſiæ ſtructura, *quam deceſſor per circuitum ad eam altitudinem perduxerat, ubi muri in fornicem arcuantur*, binis ſubnixam turribus inopinabili celeritate complevit. Inſtante ... die, ut novum opus veteri continuaretur, neceſſitas dictabat & ratio, ut condendis novis altaribus antiqua diruerentur: deſiderio ſiquidem ſummæ devotionis, triduano peracto jejunio, pro reliquiis ſanctorum Apoſtolorum abbas æſtuare cœpit & omnis congregatio; quas infra majus altare contineri tam antiquorum quàm modernorum concipiebat opinio. *Sequitur relatio inventionis reliquiarum SS. Petri & Pauli unà cum fruſtis è ligno Crucis Domini. Verba, quibus anonymus ſacrum theſaurum diſtinctè explicat, dedi num.* 29. *Quoniam repertus fuit ſubter altare majus, verum eſſe credo, quod anonymus num.* 65 *ſcripſit; nimirum* eccleſiam in honore ſanctorum Apoſtolorum dicatam *fuiſſe. Ego hactenus illam vel S. Petri vel* S. Manſueti *nomine vocavi, quia nuſquam aliter appellatam inveni in monumentis, quæ ſecutus ſum, anonymi hiſtoriâ antiquioribus. Vide num.* 45 *in fine.*

F

templi dedicatio; nova S. Manſueti miracula poſt Comment. danda.

68 *E reliquis, quæ deinde referuntur, id ſolum produco, quod Theomarus abbas ampliorem eccleſiam, quæ hominum ad* S. Manſueti *ſepulcrum confluentium multitudinem caperet, ad faſtigium perduxerit. Eam autem* cum frequentia celebri ſolemniter dedicavit anno ab Incarnatione Domini milleſimo centeſimo ſeptimo, in urbe Tullenſi pontificante Pibone, imperante Henrico quarto. Nonnullis poſtmodùm actis feliciter annis, dictus abbas ... plenus dierum felici exitu migravit ad Dominum, in eccleſia eadem 11 Kal. Febr. XXXIII ordinationis ſuæ anno cum digno honore ſepultus. Cui ſucceſſit vir

vitæ

D

* *apud Calm. & alibi* Grimbaldus

* *Calm.* auctor

* *Calm.* irradiante

* *Calm. addit* Manſueti

* *idem addit* ſancti Manſueti

A vitæ venerabilis Theobaldus ; cujus temporibus ſe protectorem eſſe Tullenſis urbis & eccleſiæ crebris beatus Manſuetus miraculis dignatus eſt propalare. *Miracula iſta à nemine, quod ſciam, hactenus typis vulgata ſeorſum edentur. Apud nos num.* 9 *narratur* S. Manſuetus *puerum mortuum ad vitam revocaſſe* ; quod, *inquit ſcriptor anonymus*, ad nos patris & matris conſona relatione pervenit. *Hinc elicitur, illum ſcripſiſſe, Theobaldo abbate, ſub quo miraculum contigit, vel vivente, vel non diu poſt ejus mortem, quam jam obierat* x *Calendas Julii anno* 1136 : *nam illius ſucceſſor Rainaldus tunc ſubſcripſit chartæ Henrici epiſcopi Tullenſis, quâ confirmat donationem, à duce Lotharingiæ Simone I & ejus conjuge Adeleide cœnobio* S. Manſueti *factam. Ex charta iſta huc nonnulla transferam, quòd memoratu non indigna mihi videantur.*

69 Ad excitandam . . . in bonis operibus poſterorum induſtriam, notificamus tam poſteris quàm præſentibus, quòd inſtinctu divino Simon clariſſimus dux Lotharingorum & marchio, venerabiliſque duciſſa nomine Adeleidis uxor ſua, piam ſollicitudinem gerentes de ſalute animarum ſuarum, in vita ſua Deo dare diſpoſuerunt, quæ ſibi quiſque poſt mortem profutura crediderunt. Siquidem aſtantibus & conſentientibus filiis ſuis Mathæo atque Balduino, eccleſiæ beati Manſueti primi paſtoris & pii protectoris noſtri . . . allodium ſuum de Monces . . . perpetualiter poſſidendum tradiderunt, in terris videlicet cultis & incultis, pratis, agris, ſylvis, molendinis *&c.* Cùm ergo hoc donum per illuſtres viros & idoneos, vice ipſorum, ducis ſcilicet & duciſſæ, ſuper ſancti Manſueti altare fuiſſet poſitum (neque enim tunc temporis duciſſa venire valebat, quia vicina partui extabat ;) poſtmodùm in præſentia noſtri, & coram multitudine magna cleri & populi, plurimorumque nobilium & teſtium, quorum nomina ſubſcripta ſunt, ſupra altare ſancti Manſueti per manum noſtram, ſeu * propria manu poſuerunt ; ſeque de cætero defenſores promptiſſimos exiſtere, ſi unquam neceſſitas exigeret, vel temerario auſu ſuper eo quicumque calumniam concitare intentaret, Deo & Sanctis ejus, omnique congregationi quoad viverent, devoverunt ; filiiſque ſuis prænominatis adhuc adoleſcentulis, poſt obitum eorum id ipſum ſervare, promittere fecerunt.

Simonis I & conjugis Lothar. ducum pia liberalitas & promiſſio Deo facta.

* ceu

B

C

70 *Anno* 1104, *cùm Theomarus præeſſet abbatiæ* S. Manſueti, *hujus corpus ex arca, in qua illud à S. Gerardo num.* 51 *collocatum fuiſſe diximus, à Pibone epiſcopo Tullenſi magna ſolemnitate in novum ac honorificentius conditorium tranſpoſitum fuit. Totius rei geſtæ hiſtoriam habemus inter extracta Mss. è codice Manſuetino ſeculi* XII. *Eam quoque* ex manuſcripto S. Manſueti *typis vulgavit Martenius tom.* 3 *Theſ. anecdotorum col.* 1088 : *ex quo eamdem nos recudemus cum apographo noſtro collatam. Utrobique hiſtoriæ titulus hic præponitur :* Tractatus de tranſlatione ſecunda S. Manſueti, à domno Pibone dicta & compoſita. *Pro* dicta *fortè legi debet* indicta, *ita ut ſenſus ſit, tranſlationem ſacri corporis à Pibone epiſcopo indictam ac compoſitam, id eſt, ordinatam ac peractam fuiſſe. Quidquid ſit de mea hac conjecturali expoſitione, certum mihi videtur, ipſam tranſlationis hiſtoriam à Pibone dictam & compoſitam, id eſt, recitatam & elucubratam non fuiſſe : etenim credibile non eſt, eum in dictione & ſcriptione hanc ſui, tamquam jam vitâ functi, mentionem facturum fuiſſe*, Continuò piæ ac ſanctæ memoriæ Pebo * epiſcopus *&c. Præterea an idem præſul, quem ex antiquiore Catalogo epiſcoporum Tullenſium atque aliunde conſtat obiiſſe ſub finem anni* 1107 ; *an, inquam, Theomarum* piiſſimæ memoriæ *abbatem vocaſſet, qui non niſi anno* 1125 *vel* 1126 *vivere deſiit, ſicuti num.* 62 *oſtenſum fuit ? Hæc nullum mihi dubium relinquunt, quin* tractatus de tranſlatione ſecunda S. Manſueti *à Pibone conſcriptus non fuerit, ſed ab auctore anonymo poſt mortem abbatis Theomari. Obſervet lector, ipſum per tranſlationem corporis intellexiſſe ejus elevationem ac poſitionem in novo ac decentiore conditorio.*

Secunda corporis elevatio ab epiſc. Pibone peracta, qui illius hiſtoriam non ſcripſit :

AUCTORE J. L.

* *in Mſs.* Pibo

71 *In anonymi relatione nova arca, quæ Sancti corpus excepit, dicitur lignea fuiſſe, ſed auro & argento obducta ac pretioſis lapidibus ornata. Hanc de illa memoriam invenio apud Calmetum tom.* 2 *Hiſt. Lotharingicæ in Documentis col.* CCLXXIX. De capſa S. Manſueti. Inſpirante Deo & ſancto Manſueto, D. Theomarus fœlicis memoriæ abbas iſtius eccleſiæ, hoc feretrum fieri juſſit : Gobertus Metenſis aurifex fecit : Gilbertus fidelis laïcus procuravit : Arnulphus miles Jeroſolymitanus, ibidem monachus defunctus, majorem partem pretii contulit ; meritis & precibus hujus Sancti optantes habere partem in regno Dei. Collocatum eſt autem in hoc feretro corpus ſacratiſſimum cum capite & omni integritate, coram primatibus patriæ & copioſa plebis multitudine ab alio feretro levatum, ubi à ſancto Gerardo in prima tranſlatione fuerat collocatum. Anno ab Incarnatione Domini MCIV XVII * Kal. Julii, Pibone epiſcopo, rege Henrico IV, regnante Domino Jeſu Chriſto. *Hæc Commentario inſerui, quia non ſunt pars hiſtoriæ, infrà edendæ proximè ante miracula ſub Theobaldo facta ; quæ ultimum locum occupabunt, quia tempore poſteriora ſunt.*

memoria de conditorio, in quod Pibo ſacra oſſa tranſpoſuit.

* *l.* XVIII. *Vide infrà num.* 73

E

§ VI. Memoria in Faſtis minùs antiquis ; feſtivitas præcipua ; dies ſecundæ corporis elevationi ſacra ; Trevirenſium Manſuetus idem cum noſtro ; altaria ac templa ei dicata ; cultus ad alias eccleſias extenſus.

F

Recenſentur Martyrologia minùs antiqua, quæ Sanctum ad 3 *Sept. annuntiant :*

Documentis de S. Manſueti *cultu & gloria poſthuma, quæ* § 4 *&* 5 *adduxi, præmiſi annuntiationes ex Martyrologiis, quæ illis vetuſtiora exiſtimantur. Nunc ceteros Faſtos ſacros, qui Sanctum celebrant, recenſendi locus eſt. In puro Uſuardi textu, quem Sollerius produxit ad* III *Septembris*, S. Manſuetus *non legitur : ſed in Auctariis frequens ejus memoria occurrit. Codices Uſuardini Mss. Antverpienſis, Ultrajectinus, Leydenſis, Lovanienſis, Antverpienſis Maximus, Albergenſis, Danicus, Bruxellenſis, Ughellianus, Florentinus, Pariſienſis S. Victoris, ſereniſſimæ reginæ Sueciæ ſignatus numero* 130 ; *impreſſus Lubecanus Maximus, item editi à Belino & Molano Sanctum breviter referunt. In Martyrologiis Maurolyci, Felicii, Galeſinii & Caſtellani pari brevitate commemoratur. Annun-*

AUCTORE J. L.

tiatio Romani, Tulli in Gallia, ſancti Manſueti epiſcopi & confeſſoris, *complectitur, quidquid in auctis Uſuardi aliiſque memoratis Martyrologiis de Sancto prædicatur. Pariſienſe anni 1727 hæc habet:* Tulli Leucorum, ſancti Manſueti primi ejuſdem urbis epiſcopi. *In margine notatur, eum floruiſſe ſeculo* IV, *quo veriſimilius nullum determinari poteſt, quemadmodum* § 2 *oſtenſum fuit. Petri Apoſtoli diſcipulus vel ab eo in Galliam miſſus fuiſſe aſſeritur in codicibus Uſuardinis Greveni ac Lubeco-Colonienſi editis, & in Mss. Haganoyenſi atque altero è matricula Cartuſiæ Ultrajectinæ extracto: idem affirmatur in Florario noſtro Ms. Sanctorum, in Martyrologio Germanico Caniſii, Anglicano Wilſoni, aliiſque, quæ ſigillatim non enumero. Nulla ex iis elogia tranſcribo. Omnium inſtar ſit illud, quo Sanctum ornat Andreas Sauſſayus in Martyrologio Gallicano, quod edidit antequam ad infulas Tullenſes promoveretur.*

elogium ex Gallicano Sauſſayi: B

73 Tulli Leucorum ſancti Manſueti epiſcopi, qui vir nobilis, origine Scotus, atque inter primos Petri Apoſtolorum Principis auditor; à quo & ſalutaribus undis tinctus, cum veteri homine exuto gentilitatis vocabulo, Manſueti ab agni, quam præferebat, manſuetudine nomen conſecutus, ad hanc civitatem facibus Euangelicæ veritatis illuminandam miſſus eſt. Quam ingreſſus primùm, ita nefariis idolorum ritibus deditam reperit, ut parùm prædicatione ſua profeciſſet, ni divina virtus verbum pietatis promoviſſet admirabili opere; quo Præco ſalutis filium præſidis, qui civitatem regebat, è ſpecula, dum ludos equeſtres ſpectaret, delapſum diſcerptumque revocavit ad vitam. Hinc enim factum, ut tota præſidis familia, ipſeque cum copioſa civium turma, Chriſti ovibus ſalutari charactere ſignata, adjungeretur, velociterque verbum Dei curreret, atque non modò cives ſed accolas pleroſque tractûs hujus ſcientia ſalutis informaret. Alta igitur pace Manſuetus potitus, templum Deo uni & trino ſub ſancti Stephani protomartyris clientela erexit & ſacravit; clerum ordinavit, compoſitoque ad omnem pietatem populo, ut Chriſto tandem, quem unicè ſitiebat, frueretur, quadrageſimo poſtquam Apoſtolicum munus inierat anno, placido mortis ſomno conſopitus, ad ſuperna præmia evolavit.

C

feſtivitas diei natalis apud Tullenſes,

74 *Martyrologia tum antiquiora, quæ* § 3 *in fine adduxi, tum recentiora: quorum nomina num.* 72 *percurri, Sanctum annuntiant ad* III *Nonas Septembris. Ex miraculo, quod Adſo à num.* 38 *narrat, certum eſt, temporibus S. Gauzlini per totam diœceſim Tullenſem Sacri auditionem & vacationem ab opere ſervili iſto die præceptam fuiſſe: qui feſto cultu etiam tranſigebatur ſeculo* XI *&* XII *ſub abbate* S. Manſueti *Grimbaldo & ſucceſſoribus ejus. Lege num.* 65. *Servatur in muſeo noſtro pars æſtiva Breviarii eccleſiæ Tullenſis, in pergameno manu ſcripti; de cujus vetuſtate vel inde judices, quòd in ejus Calendario neque S. Ludovicus Galliarum rex, neque patriarchæ Franciſcus ac Dominicus, neque etiam ullus alius Sanctus illis junior inveniatur. Alterum præ manibus eſt ejuſdem eccleſiæ Breviarium, impreſſum Pariſiis anno* 1530. *Tam in hujus quàm in prioris Calendario* S. Manſuetus *ad* III *Septembris ab aliis Sanctis rubricâ diſtinguitur. In utroque Breviario ſanctus Præſul Officium habet, in quo novem lectiones atque alia ipſi propria ſunt, ſed tranſumpta ex nullius fidei Actis ab Adſone ſcriptis. Oratio in Veſperis & Laudibus hæc recitanda præſcribitur:* D Majeſtatis tuæ, Domine, potentiam humiliter imploramus, ut ſicut per beatum Manſuetum confeſſorem tuum atque pontificem nos dediſti veræ fidei eſſe cultores, ita ejus meritis facias vitæ cæleſtis eſſe conſortes. Per Dominum.

qui corporis ſecundò elevati memoriam recolunt 14 *Junii: aliis quoque diebus refertur.*

75 *De gemina egimus elevatione corporis* S. Manſueti, *quam alii generalioris ſignificationis vocabulo tranſlationem nominarunt. Poſterior, de qua vide num.* 70 *& ſeq., facta eſt ab epiſcopo Pibone anno* 1104, XVIII *Calendas Julii. Inſtrumentum, quod dedimus num.* 71, *habet* XVII Kal. Julii; *ſed mendosè: nam in ipſa tranſlationis hiſtoria, poſt Commentarium edenda, ponitur ad longum* octavo decimo Calendas Julii; *ad quem diem hæc habet Grevenus:* Tulli, tranſlatio S. Manſueti epiſcopi & confeſſoris. *Ad eumdem diem* tranſlatio S. Manſueti *notatur in Calendariis, quæ præfiguntur Breviario vetuſto Ms. eccleſiæ Tullenſis, atque alteri an.* 1530 *impreſſo. Hoc ultimum ſuo loco iſta notat:* In tranſlatione S. Manſueti. De eo fit ſicut de uno confeſſore, ferialiter tamen. *Dein aſſignantur, quæ deſumenda ſint ex Sancti Officio, quod die ejus natali recitatur. In extractis è Martyrologio Luxovienſi, quæ R. P. Petrus Franciſcus Chiffletius nobis tranſmiſit, ponitur ad* XXV *Aprilis*, Tranſlatio ſancti Manſueti epiſcopi & confeſſoris. *Vel hic erratum eſt circa diem, vel annuntiatio intelligenda eſt de prima tranſlatione, ſeu corporis elevatione, de qua num.* 51 *ſermo fuit: verum illam factam fuiſſe* XXV *Aprilis, aut ejus memoriam Tullenſes iſto die umquam recoluiſſe, alibi unde confirmari non poteſt. Aquicinctinus Ms. Uſuardi codex diem* 2 *Septembris etiam* S. Manſueto *ſacram facit. Sine dubio per errorem iſtius diei Sanctis adſcriptus eſt, cujus natalis poſtridie agitur.* E

Quem Manſuetum Trevirenſes epiſcopis ſuis accenſent, & Sancti titulo donant,

76 *In Uſuardo Greveni, Additionibus Mss. Cartuſiæ Bruxellenſis auctо, ad* XVIII *Februarii ponitur* Manſuetus *epiſcopus Trevirenſis. Qui celeberrimæ hujus eccleſiæ præſules in ordinem chronologicum non ita pridem reduxit vir è Societate noſtra eruditus, in Operis à ſe inchoati apographo, quod piæ memoriæ Sollerio noſtro humaniter tranſmiſit, de* Manſueto, *qui Treviris ordine ſeptimus ſedиſſe creditur, ita ſcribit:* Quem Trevirenſes ſibi vendicant, eundem cum Manſueto Tullenſi, an diſtinctum, non mea tantùm dubitatio eſt. Sanè Henſchenius *in Exegeſi de epiſcopatu Tungrenſi & Trajectenſi: præfixa tomo* VII *Maii, num.* 7, citra noxam tabularum Trevirenſium permitti poſſe Tullenſibus Manſuetum putat; ſufficientem nihilominus affore epiſcoporum numerum. Accedit, quòd, cùm inter Divos cenſeatur Manſuetus Trevirenſis, nulla tamen uſpiam in Martyrum tabulis ejus mentio, ne nomen quidem; Tullenſis contrà quatuor in locis expreſſa memoria [occurrat;] nempe 2 & III Sept., item XXV Aprilis & XIV Junii; vix videatur credibile tam immemores futuros eccleſiæ Belgicarum principis Martyrologos, ſi peculiarem ejus Manſuetum à Tullenſi agnoviſſent. Non novum, aſcito ſancti alicujus in diœceſim quampiam cultu, eum in tabulis epiſcoporum inſerere. Sic cùm eccleſia Trevirenſis, utpote mater & metropolis, Sanctos illuſtriores ſuæ provinciæ ſibi colendos unde unde aſſumeret, fortè factum, ut Manſuetum Tullenſium, Clementem Metenſium ceu domeſticos ſucceſſu temporis agnoſceret. F

77 *Paulò infrà agens de Clemente octavo, ut fertur*

A *à Tullenſi non diſtinguimus ; uti nec Clementem Trevirenſem à Metenſi.*

fertur, *Trevirenſium præſule*. Quod, ſuprà, *inquit*, de Manſueto, idem de Clemente quidam ſuſpicantur, eum videlicet aliunde Treviros advocatum; Clementem, inquam, quem Trevericum volunt antiſtitem, re ipſa non eſſe alium à Clemente Metenſi, quem ferunt unà cum Manſueto & Euchario in Gallias expeditum: cujus feſtivitas celebratur potiſſimùm XXIV * Novembris. At verò Clementis Trevirenſis nulla in Tabulis Sanctorum memoria, nec de ejus veneratione eccleſiaſtica quidquam ſuggeritur, ut ait Henſchenius, qui ejus mentionem facit die XVI Maii *in Prætermiſſis. Primos eccleſiæ Tullenſis & Metenſis antiſtites* S. Manſuetum *ac Clementem perperam inſertos fuiſſe epiſcoporum Trevirenſium catalogis opinio eſt, quæ multum veriſimilitudinis accipit, tum à rationibus, quas adfert ignoti mihi nominis è Societate noſtra ſcriptor, tum ab ingenti præſulum numero, qui SS. Maternum inter & Agrœcium ſediſſe traduntur. Browerus viginti tres intermedios collocat. Agrœcius ſubſcripſit Concilio Arelatenſi I anno 314. Mors Materni, qui SS. Euchario & Valerio ſucceſſit, à Browero & aliis innectitur anno æræ vulgaris* 128; *à quo uſque ad* 314, *quo Agrœcius præfuit, fluxerunt anni* 185. *Quibus complendis cùm epiſcopi tredecim atque etiam pauciores ſufficiant; ex viginti tribus, præter octo epiſcopos Tungrenſes, quos Henſchenius in laudata ſua Exegeſi è Trevirenſium numero expungendos judicat, etiam ſubtrahi poſſunt primi Tullenſium atque Metenſium præſules* Manſuetus & *Clemens; idque ſalva traditione Trevirenſium, qui Eucharium, Valerium eorumque ſucceſſorem Maternum à S. Petro in Galliam miſſos fuiſſe credunt. Opportuna illam diſcutiendi occaſio dabitur ad* XIV *Septembris, quo S. Maternus colitur.*

Templa & altaria variis in locis

78 *Sanctum noſtrum in eccleſia Tulli ſuburbana, ubi ejus corpus quieſcit, aram ſuo nomini conſecratam olim habuiſſe, certum eſt ex ejus miraculis, ſeculo* X *ſub S. Gauzlino epiſcopo & ſec.* XII *ſub abbate Theobaldo factis. Sed & aliis in locis altaria atque etiam templa ac ſacella ipſi dicata fuere. Imprimis Adſo apud nos num.* 46 *teſtatur, Gerardum intra urbis mœnia,* præſenti Viri corpore *dedicaſſe* baſilicam, quam ipſe

C præſul (*Gerardus*) à fundamentis antè conſtruxerat ſanctæ Dei Genitricis, ſanctique Manſueti honore venerabilem; quæ ex tunc & modò ſancti Manſueti magnificè illuſtratur meritis, ubique ſolvuntur vincula peccati aggravantis. *Udo epiſcopus Tullenſis in charta fundationis eccleſiæ collegiatæ S. Gengulphi, exarata an.* 1065, *meminit* matris eccleſiæ Furentelæ, ... quæ eſt conſecrata in honore ſanctorum martyrum Laurentii atque Vincentii, & ſanctorum confeſſorum Manſueti & Apri, per manus ſancti & venerabilis Leonis IX Apoſtolici. *Charta illa exſtat apud Calmetum tom.* I *inter Hiſtoriæ Lotharingicæ Inſtrumenta col.* 455. Furentela *alibi quærenda non eſt, quàm in comitatu Falcoburgenſi, inter ducatum Juliacenſem & fluvium Moſam ſito; nam verbis allatis mox ſubjicitur mentio* duarum capellarum ad prædictum matris eccleſiæ locum pertinentium, quarum una eſt ſita in Herle, ... altera in Walthine. *Quæ loca mihi probè cognita, in eodem jacent comitatu non procul* Furentelâ; *quam parœciam accolæ dialecto patria* Vourentel *hodieque nominant, etſi paulò aliter ſcribant. Ejus eccleſiam S. Leo IX dedicavit anno* 1049; *tunc enim, teſte Hermanno Con-*

tracto illi contemporaneo, Aquiſgrani fuit, à qua urbe Furentela *haud ita longè abeſt. Epiſcopus Udo in altera charta, quam laudatus illius editor Calmetus col.* 463 *anno* 1069 *datam fuiſſe notat, abbatiæ S. Salvatoris inter alia donat* capellam de Siſſeio in honore S. Manſueti. *Per* Siſſeium *haud dubiè deſignatur vel* Sexey aux bois *vel* Sexey aux Forges. *Uterque locus Tullo, in cujus agro ſuburbano Udo abbatiam S. Salvatoris fundavit, non procul diſtat.* AUCTORE J. L.

Sancto noſtro dicata;

79 *Humbertus Belhomme in Hiſtoria Mediani in monte Voſago monaſterii ex lib.* 2 *cap.* 84 *Chronici, à Joanne de Bayon an.* 1326 *conſcripti, hæc excerpſit pag.* 276: Anno ab incarnato Verbo MXC. ... frater Thietbertus & Gizebors monialis, diviſis parietum cellis, ſub Balma juxta ſancti Manſueti cancellum (*id eſt, ni fallor*, ſacellum cancellis clauſum) recluduntur. *Quem locum Bayonus per nomen* Balma *deſignet, ipſe indicat apud Belhommium cap.* 67 *pag.* 256, *& cap.* 74 *pag.* 263; *ubi* Balmam *Mediano monaſterio ſubjectam, nunc* Altam petram *vocari ait. In variis chartis geographicis prope dictum monaſterium, quod in Lotharingiæ & Alſatiæ confiniis jacet;* Altam petram *inveni ſub gallici idiomatis vocabulo* Haute pierre. *Bayonus. cap.* 86 *apud eumdem Belhommium pag.* 277 *ſcribit:* Anno ab Incarnatione verbi MXCI eccleſiæ ſanctorum Bonifacii, Hydulphi ... [&] Manſueti ... varios per locos à Pibone epiſcopo Leuchorum ... conſecrantur: has enim Medianenſes pro diœceſi habent. *In Catalogo antiquiore epiſcoporum Tullenſium S. Jacobus, de quo egit Henſchenius ad* XXIII *Junii, dicitur quieſcere* in cripta S. Benigni martyris eccleſiæ Divionenſis, habens ad caput altare in honore ſancti Manſueti confeſſoris. *In altero Catalogo, qui Epitaphia epiſcoporum Tullenſium inſcribitur, de antiſtite Rogero, an.* 1252 *vitâ functo, hæc lego:* Apud Liverduno-caſtrum (*vulgo* Liverdun, *quod infrà Tullum ad Moſellam jacet*) hominem exuens, in eccleſia hac honorificè ſepultus tenetur in dextro latere chori ante (aram, *opinor*,) beatorum Manſueti & Gerardi confeſſorum.

cultus ad alias eccleſias propagatus; reliquiæ.

80 *In Miſſali Moguntino impreſſo an.* 1493 *ad* III *Septembris habentur* Collecta, Secreta & Complenda, *id eſt, oratio poſt Communionem, de* SS. Manſueto *& Remaclo. In Breviario Veſontionenſi anni* 1590 *præſcribitur* commemor. S. Manſueti epiſc. & conf. *In Breviario, an.* 1600 *edito ad uſum trium monaſteriorum SS. Maximini & Willibrordi in Trevirenſi, & S. Naboris in diœceſi Metenſi, hæc ponuntur:* Remacli & Manſueti. Omnia in communi de pluribus confeſſoribus. *In Lingonenſi an.* 1604 *excuſo:* De ſancto Manſueto ferial. *In Officiis propriis eccleſiæ Herbipolenſis, an.* 1625 *in lucem datis:* S. Remacli & Manſueti confeſſ. pontificum. Omnia de communi conf. pontif. *Lectio tamen* 2 *&* 3 *S. Remaclo propriæ ſunt. Eccleſia Virodunenſis* S. Manſuetum *cum Remaclo ſolemniore ritu colit, quàm feriali ſeu ſimplice: nam in illius Breviario anni* 1625 *notatur:* Fiunt de ipſis NOVEM LECTIONES, & omnia ſumuntur de communi plurimorum confeſſorum pontificum. *In Officiis propriis anni* 1657 *eccleſiæ S. Petri Romarici-montis (Remiremont in Lotharingia) iſta leguntur:* In feſto S. Manſueti epiſcopi & confeſſoris. DUPLEX. Omnia de communi confeſſoris pontificis præter lectiones II Nocturni. *Denique Officia propria anni* 1619 *inſignis eccleſia*

E

F

AUCTORE J. L. *collegiatæ S. Maximi Caïnonenſis (oppidum eſt Galliæ in provincia Turonenſi ad fluvium Vigennam*, Chinon *vulgo dictum*) *hæc habent :* Sancti Manſueti epiſcopi & confeſſ. DUPLEX SOLENNE propter ſacras ejus reliquias, quæ ſunt in baſilica ſancti Maximi. *In Officio feriali ſeu ſimplice Lingonenſi lectio tertia, in duplice Romaricimontis lectiones 2 Nocturni, in duplice ſolemni Caïnonenſi præter lectiones 2 Nocturni varia alia de* S. Manſueto *legi jubentur ; è quibus huc nihil transfero, quia ex Adſone fabuloſæ Vitæ auctore accepta ſunt. Quas Sancti reliquias Caïnonenſes venerentur, me latet. Eccleſiæ metropolitanæ Pragenſis ſacellum, S. Wenceſlao ſacrum, ingenti dives eſt theſauro ſacrarum reliquiarum, à pio imperatore Carolo IV conquiſitarum, quæ ad altare majus in elegantiſſimi operis arca religiosè cuſtodiuntur. In arcæ iſtius loculo 52 ſervatur* Manſueti ep. Tullenſ. pars de brachio, *quemadmodum notat dictarum reliqniarum catalogus anno* 1679 *editus. Abbatia, quæ Sancti nomen gerit, ejus corpus ſeu potiorem partem adhuc poſſidet. Vide num.* 34.

B

VITA BREVIOR

auctore anonymo,

Ex editionibus Martenii tom. 3 *Theſ. anecdotorum à col.* 991, *& Calmeti tom.* 1 *Hiſt. Lotharingicæ in Monumentis à col.* 83 a.

A

Exordium Catalogi epiſc. Tullenſium, quorum primus S. Manſuetus,

C

Licèt Sanctorum omnium virtutes & exempla meritò ſemper ſint recolenda & memoriæ commendanda, juxta Scripturæ vocem : " Sapientiam Sanctorum narrant omnes populi, & " laudem eorum nuntiat Eccleſia ; " illorum tamen crebriùs nobis ſunt geſta revolvenda, quorum patrociniis Domino donante regimur, & quorum reliquias poſſidemus. Igitur quia de Actis pontificum Leuchorum, prout Dominus dederit, ſcribere ad memoriam poſterorum decernimus, ab ipſo primo ejuſdem civitatis Patre ac præſule, videlicet ſancto Manſueto, dignum eſt, ut exordium ſumamus.

à patria exſul,

2 Fuit enim idem venerandus Pater, ſicut relatu majorum didicimus, nobili Scottorum ſanguine oriundus ; ſed divina prævidente clementia, quæ cuncta mirabiliter præordinat atque diſponit, à ſuis finibus exul factus eſt, quatenus in regione ſuperna colonus fieret, & illos, qui à patria regni cæleſtis erant exules, ſupernorum civium efficeret coheredes. Nec mirum ergo, ſi Dominus & Salvator omnium, qui omnes vult ſalvos fieri & in agnitionem veritatis venire, tantum Auctorem * de remotis terræ partibus vocatum ad ſeminanda verbi divini ſemina, & illuſtranda cæca populorum corda deſtinavit ; qui etiam per ſemetipſum de cœleſtibus deſcendens ſedibus, genus humanum originali & actuali delicto aſtrictum viſitare dignatus eſt.

** in edit. Martenii* Doctorem

3 Tempore namque, quo Beati Petri Apoſtolorum principis prædicatione & apoſtolatu Romana fulgebat Eccleſia, duce Chriſto, illuc perductus eſt, ſeque doctrinæ Apoſtolicæ ſubdidit : à quo documentis fidei Catholicæ imbutus, atque ſcientiâ divinorum Eloquiorum pleniter inſtitutus, ad præfatam urbem Pontificali benedictione conſecratus, velut lampas fulgida ad repellendas erroris tenebras directus eſt *b*. Ubi quantùm vitæ ſanctitate & prædicationis refulſerit inſtantiâ, non ſufficit ſterilis enarrare lingua. Non ſolùm enim ad ſuperandam gentilium ferocitatem copioſâ Euangelicæ fidei claruit doctrinâ ; ſed etiam tantâ virtutum meruit illuſtrari gratiâ, ut filium principis civitatis ejuſdem ſuis precibus ſuſcitatum à morte reſtitueret incolumem vitæ. Quo miraculo territus pater, devotæ fidei Chriſti collum ſummiſit, omnique errore diabolico excluſo, cum filio & omni paganorum multitudine à ſancto Manſueto baptiſmatis meruit purificari lavacro.

D

Romæ convertitur, epiſcopus ordinatus Tullum mittitur, mortuum reſuſcitat, paganos baptizat,

b

idololatriâ exſtirpatâ, templa ædificat ; fide apud Leucos

4 Emundatâ igitur omni idolorum ſuperſtitioſâ ac vanâ ſpurcitiâ, ædificavit ibi templum in honore perpetuæ Virginis & Dei Genitricis, ſanctique protomartyris Stephani, aliaſque circum quaſque * eccleſias, ordinatis presbyteris & diaconibus, ubi glorificetur * admirabilis Deus in Sanctis ſuis uſque in præſentem diem. Impoſſibile verò eſt cuncta ſcribendo perſtringere, quæ tantus ac talis Vir in corpore poſitus geſſit, & quanta docuit, quantamque credentium multitudinem per Euangelium in Chriſto genuit, necnon qualiter in cuſtodiendo grege ſibi credito, dignè docendo ac ſanctè vivendo, vigilavit. Sed hoc tantùm brevitatis compendio ponimus, ne talis lucerna per indebitum ſilentium noſtrum velut ſub modio poſita lateret ; ſed luceret omnibus, qui in domo Dei ſunt.

** ibid.* circumquaque *rectiùs*

** ibid.* glorificaretur

E

confirmatâ, moritur & in eccleſia à ſe condita deponitur ; Sancti cultus :

5 Peracto etenim admirando vitæ curſu, & eccleſiâ in Chriſto confirmatâ, reliquit ipſe gloriоſus Domini Sacerdos præſentis ſæculi naufragium, petens perpetuæ quietis portum, coronatus à Chriſto in perpetuum. Sanctiſſimum namque corpus illius ſepultum non longè à prædicta civitate, tenetur in eccleſia, quæ ab ipſo fundata dicitur, & nomine beati Apoſtoli Petri dedicata *c* : quamque & præſentiâ ſuarum reliquiarum Deus omnipotens innumerabilibus virtutibus illuſtrat. Ubi cùm aliquis petiturus accedit, per ejuſdem merita ſe impetraſſe gratulatur. Cujus humili [ſupplicatione flagitemus auxilium,] *d* ut ſuo patrocinio ac paſtorali defenſione nos in præſenti tueatur ab adverſitatibus univerſis, & peracto iſtius vitæ certamine, ad remunerationis bravium faciat feliciter pervenire, miſerante gratia Redemptoris noſtri, qui talem ſuis ovibus propoſuit * Paſtorem, quique cum coæterno Patre & Spiritu ſancto æqualis Deitatis obtinet Trinitatem per infinita ſæcula ſæculorum. Amen *e*.

F

d

** ibid.* præpoſuit

e

miracula & concurſus ad ipſius & S. Amonis ſepulcra.

f

6 Poſt exceſſum igitur prædicti ſanctiſſimi Pontificis & egregii doctoris, quis ei in ſede epiſcopali ſucceſſerit, memoremus. Primus poſt eum domnus Amon *f* cathedræ pontificalis adeptus eſt dignitatem ; qui cum eodem, videlicet ſuo prædeceſſore beato Manſueto, requieſcit in eccleſia præfata ſanctiſſimi principis Apoſtolorum Petri : quorum meritis, id eſt, ſancti Manſueti atque prælibati beati Amonis, plurimi cæcitatis, lepræ ac febris, cæterorumque languorum ægritudine detenti, redduntur ſanitati. Ad quorum patrocinia multi reges & principes venire conſueverant, atque eorum locum ex proprio ditabant : erat enim illic confluens turba advenientium, & innumera multitudo pauperum, quibus

bus, unde viverent, erat à fidelibus constitutum; unde usque hodie dicitur: Ad matriculam g domni Mansueti & domni Amonis.

ANNOTATA.

a *Martenius & Calmetus hîc citati Operibus suis inseruerunt Catalogum episcoporum Tullensium, cujus initio brevior Sancti Vita habetur. Calmetus illum edidit ex codice Mansuetino seculi* XI, *Martenius ex Camberonensi; in quem idem Catalogus transcriptus fuit ex altero codice Mansuetino seculi* 12, *uti colligi potest ex dictis in Commentario prævio num.* 7 *&* 10. *Cùm Mansuetinus seculi* XI *duobus aliis sit antiquior; ego Calmeti, qui eo usus est, editionem sequar, ex Martenio ea solùm notaturus, in quibus illa emendatione eget. De memoratis codicibus amplas notitias dedi num.* 7 *& seqq. De brevioris Vitæ antiquitate & fide judicium meum tuli num.* 12 *&* 13. *Ex iis, quæ à num.* 17 *usque ad* 22 *disputavi, plenius lector cognoscere potest, quanti eadem Vita facienda sit. Porrò in editione Calmeti Catalogo hic titulus præponitur:* Incipit Catalogus pontificum Tullensium à B. Mansueto & deinceps.

b *Hæc favent traditioni, quæ* S. Mansuetum *Apostolorum principis discipulum facit; sed sicuti non ineptè possunt, ita à Tullensibus aliter exponi debent, si breviori Vitæ, quâ credibiliorem tamen non producent, omnem fidem abrogari nolint: nam cetera, quæ de Sancto hoc & sequente numero narrantur, cum Apostoli Petri temporibus majori ex parte componi non possunt, & ad seculum* 4 *multò aptiùs quàm ad ullum aliud præcedens referuntur. Omnia, quæ hîc asserui, in Comment.* § 2 *probata invenies.*

c *De ecclesia ista vide Comment. num.* 29.

d *Lacuna hîc erat apud Calmetum, quam ex Martenio complevi.*

e *Aliqua in Comment. num.* 12 *&* 13 *suggessi, ex quibus suspicio oriri potest breviorem Vitam Catalogi auctore, atque ipso etiam Adsone, qui post medium seculum* X *Sancti Acta conscripsit, antiquiorem esse; aut saltem quoad substantiam non differre à vetustiore Sancti Vita, cujus Adso infrà apud nos num.* 20 *meminit. Suspicionem augere potest hæc clausula* per infinita sæcula sæculorum. Amen. *Nullius alterius episcopi elogium simili modo Catalogi auctor concludit. Breviori Vitæ adjeci elogium S. Amonis, quod in codice Mansuetino seculi* 12 *& in Camberonensi illam proximè sequitur; at in Mansuetino seculi* XI *media interponitur tota ferè Adsonis lucubratio cum Sancti miraculo, de quo num.* 59 *memini.*

f *Colunt eum Tullenses* 23 *Octobris.*

g *Adi Comment. num.* 39.



VITA PROLIXIOR FABULOSA, ET MIRACULA,

Auctore Adsone abbate Dervensi a,

Ex variis exemplaribus b *tum manuscriptis tum editis, inter se collatis.*

PRÆFATIO

ad S. Gerardum episcopum Tullensem c.

DOmino suo d ac verè beatissimo antistiti Gerardo, Adso e indignus servorum Dei servus, abbatum ultimus, peccatorum primus, æternæ redemptionis munus. Sacro est subnixum eloquio, quia sicut præfulget in sanctis prælatis imperandi potestas, ita quoque resplendere debet in bonis subjectis exequendi devota voluntas: nam ut illos ex justis imperiis in conspectu divinæ majestatis oportet absolvi, ita & istos sequente obedientiæ fructu æterna expedit remuneratione salvari. Hujus sententiæ ego non expers, vestra jussione permotus opus assumpsi, legenti, ut credo, non omnimodis ingratum, auctori verò omnimodis formidandum: quia sicut decursis spatiis temporum obscura est notitia præteritorum, ita quoque est libera certitudo præsentium rerum. Quod ergo jussistis humiliter suscepi, quod prænontiistis quamvis ineptè explevi. Sumite ergo libellum, vestro jussu impositum *, meo labore confectum. Sui quidem in specie columbæ super Dominum descendentis, à colendis f etiam beatissimi Mansueti meritis, quem colitis, quem diligitis, columbinum g vocandum institùo; ut columbinus vocetur, qui tanti Patris gestis insignitur.

* *apud Marten.* compositum

ANNOTATA.

a *De biographo isto ejusque lucubratione lectorem satis instruxi in Commentario prævio à num.* 3 *usque ad* 7.

b *Sex recensui num.* 5, *tria manu exarata Ochsenhusanum, Dilinganum & San-Maximinianum; totidem typis vulgata, apud Bosquetum scilicet tom.* 1 *Hist. ecclesiæ Gallicanæ parte* 2 *à pag.* 23, *apud Martenium tom.* 3 *Thesauri novi anecdotorum à col.* 1013, *& apud Calmetum tom.* 1 *Hist. Lotharingicæ in Monumentis à col.* 86. *Omnia ista exemplaria originem traxerunt è duobus codicibus abbatiæ* S. Mansueti, *quorum alter seculo* XI, *alter* 12 *conscriptus fuit. Relegi possunt dicta num.* 7 *& seqq. Ceterùm duo*

A. ADSONE ABB. *hîc lectorem præmonitum esse velim : primum est, me Adsonis lucubrationem editurum ex diversis exemplaribus, quia ex memoratis nullum est, quod illam integram contineat, excepto Ochsenhusano ; hoc autem non utar, quia omnium longè vitiosissimum est : alterum, me nullam lectionis varietatem annotaturum præter eam, quæ exemplari edendo correctionem vel lucem adfert, vel alicujus momenti videri potest.*

c *In antiquiore codice Mansuetino præfatio deest ; at habetur in altero : unde transiit in apographa nostra Ochsenhusanum & Dilinganum, & in codicem Ms. bibliothecæ Colbertinæ ; ex quo laudatus Martenius illam edidit. Ego eamdem dabo ex Ms. nostro Dilingano, quòd in eo pauciora menda occurrant.*

d *Editio Martenii pro* suo *habet* sancto *: vox utraque legitur in Ms. Ochsenhusano.*

e *Consuli possunt, quæ de S. Gerardo & præfationis auctore num. 4 & in fine numeri 5 adduxi.*

f *Apud Martenium & in Ms. Ochsenhusano ponitur* ac colentis, *quod sensum magis intricat. Videtur tamen Martenius rectè edidisse* quem
B *pro* sui. *Si ex illo prima vocula & ex Ms. Dilingano* à colendis *retineatur, & pro* in specie *legatur* à specie, *sensus perfectus erit.*

g *Inanes agnominationis hujus rationes biographus allegat.*

POEMATA

Vita prævia, quibus Sanctus laudatur & invocatur a.

INclyta Mansueti, claris natalibus orti,
Progenies titulis fulsit * in orbe suis
* *Ochsenhus.* fulget
Insula Christicolas *b* gestabat Hibernia gentes ;
Unde genus traxit, & fatus inde fuit.
Indolis egregiæ, qui mox comitatus honore
Virtutum, placidis emicuit studiis.
Cumque subit teneros maturis sensibus annos,
Justitiæ speculum sparsit ubique Virum.
C Ardor inest animis, exul natalibus arvis
* *al.* citus Ut situs * Ausonias tenderet ire vias.
Petrus Apostolicæ pollebat culmine Romæ ;
Huncque sequutus amans, expetit ipse libens.
Suscipit ardentem Petrus pietatis Alumnum,
Et facit expertem * sancta secreta Virum :
* *al.* expertum
Cujus * ab ore piis attrectans dogmata verbis,
* *Ochsenhus.* Ejus
Ebiberat stabilem fonte salutis opem.
Sedulus Ausonii per tempora longa magistri
Obsequio Petri hæsit amore sui.
Quem Petrus ad summam provexit culminis arcem,
Et dat gavisus pontificale decus.
Hinc placet ad tumidos præcones mittere Gallos,
Qui doceant animos ore fideque feros.
Electi veniunt Romanis arcibus, adsunt
Prælia gesturi pro pietate Viri.
In quibus, Antistes, Mansueto nomine polles,
Emicat atque tuus vocis honore gradus.
Hique adeunt alias Gallorum partibus urbes,
Quos ut consultet pervius orbis habet.
Tu, Pater, agrestem Leuchorum solus in urbem
Ingrederis, fisus ad pietatis opus.
Pervigil in populo, Petro præeunte beato,
c Urbs ut in æternas Leucha *c* notetur oves.
Per te prima fuit nobis via nota salutis : D
Per te sit noster finis ubique, Pater.
Si tamen & meriti res est augenda juvandi,
Par sit Aper *d* socius nostra juvando tuus. *d*
Vos etenim binæ cæli super axe * columnæ * *apud Calm.* astra
Ducitis hinc faciles nos relevare * greges *e*. * *ibid.* relevate
Jam nostris igitur profit fiducia votis, *e*
Quam nostra in nobis * pectora fixa tenent. * *ibid.* vobis
O Mansuete ! tuos, petimus *, defende fideles, * *ibid.* primus
Et fac cum Sanctis gaudia longa dari.
Adsis & precibus, Pastor mitissime, nostris,
Ut teneant populi regna beata tui.

MANSUETI agni consilii per te quos imbuit olim
Angelus, in fidei sublimans arce decenti,
Dominis atque sui ditans charismate summi,
Sit tua fed pietas, qui nosterApostolus extas,
Granicæ * nobis habitatio detur ut urbis, * *id est*, cælestis
Electis cunctis quò nos per sæcula juncti,
Decum laudare [&] benedicere, magnificare E
Et spectare Deum læti mereamur in ævum.

ANNOTATA.

a *Poëma primum constat 22 distichis. Habetur in utroque codice Mansuetino. Ex recentiore profluxit, quod in apographo nostro Ochsenhusano reperitur. Ex vetustiore illud ediderunt Martenius & Calmetus suprà citati. Apud hunc frequentes in poëmate sunt lacunæ, quæ tamen postea col. 192 aliunde explentur. Dabitur ex Martenio, apud quem hic titulus illi præponitur :* Metrum Adzonis in laude S. Mansueti pontificis ubilibet concinendum. *Poema alterum est acrostichis octo versuum hexametrorum, qui in antiquiore codice Mansuetino desunt. Exhibet illos exemplar nostrum Ms. Ochsenhusanum & Calmeti editio col. 192, ex qua iidem recudentur.*

b *Enormiter sanè hîc Adso hallucinatur, dum* S. Manfuetum, *quem Apostolorum principis discipulum & ab eo in Galliam missum fuisse in hoc poëmate asseverat, & in Vita mox danda identidem inculcat, natum esse ait in Hibernia à Christianis inhabitata. Quoniam historia, quam de rebus à Sancto vivente gestis composuit, nihil aliud est, quàm longa figmentorum vix melius cohærentium series ; ne eruditis tempus & verba inutiliter perdere velle videar, ego deinceps in Notis non modò ab illorum confutatione, sed etiam à commemoratione abstinebo. Rationem, quæ me ad fabulas Adsonis edendas movit, in* Comment. num. 13 *attuli.*

c *Non modò hîc, sed & in aliis monumentis, quæ de Sancto nostro agunt,* Tullum Leucha *vel* Leuca *vocatur : quod nomen à* Leucis *traxit, quorum caput est.*

d *Septimus hic Tullensium episcopus fuit, de quo ad 15 hujus mensis agetur.*

e *Ex hoc districho, nisi fortè ejus lectio corrupta sit, & ex sequente acrostichide apparet, poëtam nostrum obscurum esse : quod haud dubiè jam inde lector observavit in versibus præcedentibus.*

A

LIBER I.

Acta fide indigna; cultus & miracula biographi ætate priora *a*.

a

CAPUT I.

Natales; adoleſcentia; iter Romanum ad S. Petrum, cujus ſit diſcipulus: mittitur in Galliam; Tullenſibus Chriſtum annuntiat; rex fidei Præconem ſpernit, at credit regina.

B

*S. Petrus cathedram antiochiâ Romam transfert: * al.* penetraverat

POſt glorioſum cæleſtis victoriæ triumphum, cum quo ſæculorum Conditor, hoſte devicto, cælorum penetravit * regnum, Apoſtolicæ dignitati ipſius Salvatoris præſentiâ, Petrus Apoſtolus electus & auctor præſignatus, claves cœli ſuſcipere, atque univerſalis Eccleſiæ gubernacula meruit obtinere. Cúmque primùm, ut in Eccleſiaſticis hiſtoriis legimus, Jeroſolymorum, pòſt Antiochiæ partibus divinæ illuſtrationis radios infudiſſet, & diabolicæ ſuperſtitionis tenebras manifeſta veritate depuliſſet; Romani imperii dignitatem Chriſtianitatis titulo ac ſanctæ Crucis vexillo dilatare & ſublimare decernens, mundi dominam & caput orbis Romam aggreditur, ac Deo diſponente, cœleſtis magiſterio diſciplinæ, ſanctæ Eccleſiæ Catholicæ principalis Paſtor & magiſter efficitur; ut videlicet, ubi diverſarum nationum confluxerat multitudo, inde quoque liberiùs atque valentiùs creſceret in Deum Chriſtianitatis ſanæ religio. Cúmque ſanctæ prædicationis velut clariſſimos ſolis radios per diverſas terrarum partes ſollicitus evibraſſet, credentium populorum multitudines aggregans, in ſpem ſalutis æternæ corroborabat: cujus ſancti fama nominis non ſolùm ad finitimas, ſed etiam ad exteras perlata fuerat nationes.

C

S. Manſuetus ex Scotia, ubi in virtute & litteris plurimùm profecerat,

b

** Diling. & San-Max.* propagine

2 Ea tempeſtate, ut ſcripturæ documento percepimus, quidam ſanctæ indolis fuerat adoleſcens, nomine Manſuetus, tranſmarinis partibus nobilium quidem Scotorum *b* clara progenie * genitus; ſed mentis egregiæ nobilitate multo pretioſiùs inſignitus. Quo videlicet teneræ adhuc ætatis progreſſu conſiſtente, cum præſagio nominis provehebatur culmine ſanctitatis, moribuſque vocabulo conſonantibus, ſe ſemper ſublimior ſtudebat fieri augmento pietatis. Qui cum cæteris bonorum operum ſtudiis veræ extiterat amator innocentiæ, ita quoque ut ſui commoda præteriens, exterorum cauſas libentiùs ageret, aliorumque *c* infortuniis ut propriis influebat, manſuetorum cordibus copulari, rigidioribus verò inſtantiùs abrumpi, in ſanctificationis puritatem aſſumi, in declivioris ludibrii præludium abſolvi, imbecillibus atque inopiâ profligatis tota mentis intentione conferri, ac miſero-

c

rum gemitus ut ſuas adhiberi. Tanta quoque in eo fuerat virtutis & pietatis infuſio, ut non ſolùm ſibi, ſed etiam parentibus fieret in ſalutem. Naturalis quoque ingenii efficaciâ, cæleſti inſpiratione præcedente, litteralis magiſterii diſciplinam ſic dilexit, ſic eſt proſecutus, ut neminem conſortis collegii perſpicaciorem, neminem in his ſtudiis habuerit præcedentem. A. Adsca- ne abb:

ad Apoſtolorum Principem proficiſcitur, & ſe ejus diſciplinæ ſubdit:

** al.* aſpiraret

** al.* expetiit

3 Cúmque felicibus auſpiciis divini fervoris inſtantia animos inſpiraret * Adoleſcentis, à Romanis arcibus Chriſtianæ fidei beati Petri Apoſtoli ſolertiâ titulo radiante, Romam profectus, ejus, quem totis viſceribus ambiebat, præſentiam expetit *; atque Apoſtolicæ inſtitutionis magiſterio ſe abjectis omnibus ſubdens, in eum injecit oculos, cujus ardebat deſiderio ſanctitatis. Inſigni itaque divinorum operum præconio præeunte, Catholicæ informationis præelegit Principem, de cujus fonte ſumeret, quod veriſſimis teſtimoniis, ut patuit, poſtmodùm approbaret. Videns autem beatus Petrus futuri proventûs ac bonarum virtutum in eo ſigna radiare, & claritatem ſupernæ illuſtrationis manifeſtis indiciis emicare; tanto arctiùs beatum Virum ad cæleſte magiſterium edocendum ſibi virtute confeſſionis aſciverat, quantò in ſalutem credentium, præſentium ſcilicet ac futurorum, multiplicibus veritatis cooperatoribus indigebat.

E

epiſcopus conſecratur, & cum aliis in Galliam mittitur;

d

e

f

4 Qui videlicet beatiſſimus Paſtor univerſalis Eccleſiæ totum mundum, quem à Domino Jeſu Chriſto ſibi creditum acceperat, dæmonum erroribus involvi ac ſubditum eſſe illacrimans, perfectiſſimos quoſque divini verbi præcones ordinavit; qui à ſe in Galliam dirigendi, virtute conſtantiæ & fidei teſtimonio comprobati, Galliarum populos, qui jugo tenebantur diaboli, eruerent, & ad divini cultûs ſacramenta provocarent. Ex hujus itaque numero collegii beatum Maternum *d* Trevericæ civitatis pontificem, Rhemorumque ſanctum Sinicium *e*, Mediomatricorum verò Clementem, Felicem atque Cæleſtem *f*, Memmium *g* autem Catalaunenſium fuiſſe non dubitamus. Cum quibus etiam hunc beatum Virum conſortis miniſterii collegam deputaverat, utpote longo Apoſtolicæ ſublimitatis exercitio edoctum ac cæleſtis magiſterii experientiâ in cunctis adſummè comprobatum. Quem videlicet majoris dignitatis & gratiæ eſſe decernens, pontificalis authoritatis privilegio prætunivit, ut prædicationis divinæ emolumentum ſacerdotalis officii præcederet ſacramentum.

F

Tullum advenit, ubi verum Deum annuntiat;

** al.* indicti

5 Imperium itaque magiſtri eminentis executus perfectè Diſcipulus, armatus edicto, inſtructus eloquio, obediens in præceptis, fidus in promiſſionibus, Româ egreſſus, per longiſſimos jam dicti * itineris anfractus, à beato Petro corporali non mentis intuitu ſeparatus, longinquæ peregrinationi pro Chriſti regno ſe ultrò ſubjiciens, Leuchorum urbis ſe civibus intulit, in omnia ſuppliciorum genera perferendâ præparatus. Quæ videlicet civitas aquis irrigua, paſcuis uberrima, murorum ambitu jocunda, ſeris & turribus ſecùs undique præmunita, idolorum tamen ſordibus uſquequaque polluta fuerat & confuſa. Metas itaque præfatæ civitatis Chriſto duce ac beati Petri prævia authoritate ingreſſus, barbaricam multitudinem nihil veritus, veræ fidei ſacramentum & Chriſtianæ religionis cultum gentibus prædicare cœpit; idola vana eſſe, ſurda & muta, manu potiùs facta hominum & commento, quàm veræ rationis exiſtentia primordio, nihil divini habentia, nec ad beatam fœlicitatem,

A. ADSONE ABB.

citatem, quæ poſt hanc mortalem vitam ſecutura eſt, aliquid attinentia: unum Deum potiùs colerent, qui terras & maria condidiſſet, qui cæli ſublimitatem ſua ditione teneret, qui corporibus vitam * poſt mortem fœliciùs præſtaret vivendi facultatem: tantorum falſorum deorum culturam horrendæ vanitatis eſſe ludibria, animarum diſpendia, perennium tormentorum nihil aliud quàm futura irritamenta.

* *vox hæc abundat, vel alia deeſt.*

6 Erat tunc temporis memorata civitas populorum ſtipata catervis, rerum ditiſſima copiis, ac diverſæ ſupellectilis referta commerciis. Rex quoque gentilis & barbaricus cum ſua conjuge, Leo nomine, Deum ignorans, cum omni populo ſuo idololatriæ cultibus ſubjugatus. Ad quem cùm perlatus eſſet ſancti Viri adventus, & quam per populos ferebat, divini prædicatio verbi, ſprevit & abnuit, & verum æternæ Deitatis Præconem ſurda aure præteribat. Vir autem Domini inſtanti conſtantia reluctatus, prope mœnia civitatis exiguæ habitationis ſibi receptorium præparavit; cunctoſque ad ſe venientes ad cognitionem veri Dei à ſuperſtitionibus dæmonum revocabat, eligens potiùs diverſis cruciatibus ac ſuppliciis corpus eſſe tradendum, quàm id quod beati Apoſtoli magiſtri ſui edicto ſuſceperat, æternæ ſalutis miniſterium declinaret.

rex fidei Præconem ſpernit, qui ad humile in ſuburbio tugurium ſecedit, ubi verbum Dei

B

7 Inſtabat igitur negotio perſeveranter, quod cœperat. Cúmque ſupradicto negotio indefeſſæ ſolertiæ dierum ſubigerent * curricula plurimorum, rumoris hujus ſolemnis frequentia ad notitiam reginæ profertur *: cui familiares ac domeſtici adjungunt, talia referentes; adeſſe videlicet quemdam, patriâ quidem peregrinum, genere ignotum, affatu diſſimilem, vultu & habitu ſibi penitus non eſſe conſortem; conditione tamen Chriſtianæ fidei eſſe cultorem, ab Italiæ partibus venientem, ab eo, quem Romanorum pars maxima veræ fidei ſigniferum & Papam ſequitur; ſe à Petro eſſe miſſum veraciter aſſerentem, Deum cæli hominumque factorem apertis atque aſſiduis vocibus prædicantem. Cúmque hæc & ſimilia rei nova admiratione referentibus reginæ gentilis animus aliquo modo flecteretur ad audiendum, abſentis regis ſui libera poſita * facultate, ſecreto uſa cubiculi, Virum Dei ſibi præcepit intromitti: Quæ eſt, inquiens, hæc nova & hactenus nobis inaudita religio, quam noſtrorum culturæ deorum ſuperducere geſtiens, alia nobis colenda denuntias, quæ uſque in præſens generi noſtro & incognita permanent & inculta?

prædicare pergit: quo intellecto regina Manſuetum, quem audire optabat, ad ſe accerſit,

* *Dilling.* ſubirent

* *al.* perfertur

* *al.* potita

C

8 Intelligens autem Vir beatus intentionem reginæ ſciſcitantis, & ſpem habens in ea vitæ regenerantis; Deum, inquit, unum & verum in diſtinctione trium Perſonarum, Patris ſcilicet, Filii ac Spiritus ſancti omnium rerum incommutabile principium, qui eſt fons & origo bonorum, à quo omne genus mortalium exiſtendi ſumpſit initium, cujus poteſtas nec cœpit eſſe nec deſinit in æternum; per quem pereunti mundo æternæ redemptionis venit remedium, poſtquam Deus & Dominus noſter Jeſus Chriſtus Filius omnipotentis Patris de cælis miſſus ad terras, per uterum intactæ Virginis carne veſtitus humana mortalibus viſibilis oſtenſus, plurimis & mirandis virtutum ſignis declaratus, ad ultimum ut diaboli excluderet dominationem, in cruce, Judæorum infidelitate, ſpontanea diſpenſatione ſui conſilii appenſus, pretio fuſi ſanguinis ab errore dæmonum eos abſolvit, quos vitæ perennis heredes futuros præfinivit *h*. Quid plura? Regina credidit, & niſi pagani regis poteſtas obſtitiſſet, legitimo adnexa matrimonio purgari non deſiſteret fonte ſalutari. Tamen rege aliarum rerum eventibus & curis applicato, quotiens reginæ ſeria opportuna conſiderant * Virum Dei frequentiùs aſcitum, viam ſalutis intendebat ſtrenuè demonſtrantem.

& Sancto fidei myſteria proponenti credit; ſed metu mariti baptiſmum differt.

h

D

* *Boſquet. & San-Max.* conciderant. *Ochſenh. & Diling.* concederent

ANNOTATA.

a *Liber primus Adſonis in editione Martenii prætermiſſus eſt: integer exſtat in aliis quinque exemplaribus, quæ in prima ad breviorem Vitam annotatione recenſui. Hîc recudetur ex Calmeto, qui eum paucioribus mendis vitiatum è codice Manſuetino antiquiore typis mandavit. Eidem biographus hunc titulum præpoſuit:* Vitæ & Actuum B. Manſueti, primi Leuchorum urbis pontificis, libellus primus incipit.

b *Quam gentem per* Scotos *intelligat biographus, indicavit in verſu tertio poëmatis, quod præfationem proximè ſequitur. Vide Comment. num.* 15.

c *Longa hæc periodus defectu aptæ partium compoſitionis obſcura eſt. Ceteris ſolœciſmis, qui in libro primo occurrunt, annotandis non immorabor.*

E

d *Bollandus ad diem* 29 *Januarii, ubi de S. Valerio ſecundo Trevirenſium antiſtite egit, admiſit, eum cum deceſſore ſuo S. Euchario & ſucceſſore S. Materno ab Apoſtolorum principe miſſum fuiſſe; at quæſtionem non examinavit. Procul dubio id facturus eſt, qui ad* 14 *Septembris de Materno, vel ad* 8 *Decembris de Euchario ſcribet.*

e *SS. Sixtum & Sinicium, primos eccleſiæ Remenſis epiſcopos, S. Petro coævos non fuiſſe, ſolidis argumentis probavit, qui in hoc tomo pag.* 121 *& ſeqq. tempus miſſionis eorum inquiſivit. Placet ejus ſententia, quâ ſtatuit utrumque veriſimiliùs ſub imperatoribus Diocletiano & Maximiano in Galliam veniſſe.*

f *Primus Mediomatricorum ſeu Metenſium epiſcopus S. Clemens colitur* 23 *Novembris, ejus ſucceſſor Cæleſtis* 14 *Octobris. S. Felicem, qui tertius Metis ſedit, ad* 21 *Februarii Bollandus dedit. Tres memorati præſules etiam creduntur ab Apoſtolo Petro miſſi fuiſſe. Traditionis veritas indagabitur, quando de S. Cæleſte, vel potiùs quando de S. Clemente agetur. Non exiſtimem, ſententiam illi faventem ferendam eſſe. In Ms. Ochſenhuſano S. Felix, in Dilingano S. Cæleſtis omittitur: at in utroque Exuperius eorum in locum ſubſtituitur. Bajocenſes primum iſtius nominis eccleſiæ ſuæ epiſcopum, ſi non ab ipſo S. Petro, ſaltem à S. Clemente Papa ad ſe legatum fuiſſe opinantur; ſed vehementer falluntur, uti demonſtrat Papebrochius tomo* 3 *Maii pag.* 619.

F

g *Sollerius tom.* 2 *Auguſti pag.* 5 *epiſcopatûs ejus initium poſt medium circiter ſeculi tertii differendum cenſet.*

h *Innocentius X* 13 *Maii anno* 1653, *Alexander VII* 16 *Octobris anno* 1656, *& Clemens XI* 16 *Julii anno* 1705 *famoſam propoſitionem 5 Janſenianam*, intellectam eo ſenſu, ut Chriſtus pro ſalute dumtaxat prædeſtinatorum mortuus ſit, impiam, blaſphemam, contumelioſam, divinæ pietati derogantem & hæreticam *declararunt*, & uti talem *damnarunt*.

CA-

A

CAPUT II.

Sancti virtutes: regis filium ſubmerſum vitæ reſtituit: fidem & baptiſma ſuſcipit familia regia cum omni populo.

Locum incolens, quem in ſuburbana ſilva delegerat, virtutibus inclareſcit: * *al.* pueritiæ

ERat igitur his parvulus filius, qui inſtituebatur ad ritum parentum profanorum. Cujus videlicet exigua pueritia * tempora licèt teneris ageret natura ſub annis, parentibus tamen, ut pòſt patuit res, fuit initium & proventus tamdiu dilatæ credulitatis & ſalutis. Beatus autem Pontifex in proſpectu urbis, ut diximus, umbroſis ſilvarum frondibus contectum locum delegerat & remotum; in quo ſoli Domino vacans attentiùs opus, quod cœperat, votis aſſiduis deferebat. Qui non tantùm ſuis, quantùm

B etiam magiſtri ſui Apoſtolorum Principis ſubſidiis innixus, ſignis & virtutibus coruſcabat; clarus aſpectu, moribus dulcis, alloquio mitis, conſtantiâ fortis, patientiâ longanimis, caſtitate præcipuus, in beneficiis largus, egenorum miſeriis pronus, conſiliis cautus, miſericordiâ plenus, hoſpitalitatis gratiam conſectatus * *Diling.* conſecutus, in orationibus aſſiduus, in lectione devotus, in lacrymis profuſus, in cordis compunctione attritus, in cæteris bonis actibus probatus atque perfectus.

feræ eò fugientes à venatoribus tutæ: rex Sanctum fruſtra occidere meditatur.

10 Cujus virtutem cùm in rebus maximis, tum etiam in minimis & in vilibus cauſarum eventibus plures ſunt experti. Nam cùm in agendis ferarum exequutionibus quælibet animalia canum violentiâ illud hominum genus inſequeretur, qui talibus exercitiis impliciti tenebantur; uſque ad eum, quo Vir Dei manebat, locum pervenientes, ſtupefactos cerneres riguiſſe, nec ultrà exemptæ necem intemptare capturæ. Quare ſæpe regia indignata poteſtas ſanctum Domini Pontificem decreverat trucidandum; quem tamen divina virtus inter arma barbarica & mores

C ferociſſimos ad erudiendam plebem fidelium & expiandam urbem fœcibus idolorum conſervabat illæſum, nolens vitam ejus brevi conſummare articulo martyrii; ſed prolixis temporum ſudoribus immorantem, fructum afferre copioſiorem, & navem eccleſiæ, quam recturus erat, multimoda commercia referentem, ad regnum tranſire cælorum.

Regis filius, in Moſellam lapſus, ſubmergitur: luctus publicus:

11 Interea cauſa extitit, quâ rex & populoſa gentilium multitudo ludis ſuis ſolemnem frequentiam agerent, & conſuetis otii ſui exercitiis vacarent. Cúmque talibus intenti tenerentur, accidit prædicti regis unicum parvulum filium ex muro, cui tum fortè ſuperſtare videbatur, ea videlicet parte, quâ reducto paululùm ſinu, quem fors ædificantibus dederat, muri ambitus quemdam deflexerat angulum, è ſublimi loco prolapſum, caſu in fluvium Moſellæ decidiſſe. Qui ſcilicet fluvius alvei ſui curſu loca viciniora poſſidens, tunc temporis prope mœnia civitatis influebat: tantaque illic erat aquarum profunditas, ut abſorptum hac voragine puerum arte & ſpe deſciſceret * quærentium ſo- * *Ochſenh.* deficeret, *San-Max.* deſiſteret lers induſtria virorum. Civitas tota ruit in funera, clamor attollitur ruſticorum, pater & mater

penè exanimes referuntur, tragœdiæ perſonant mulierum, falſorum fruſtra provocantur ſub ſpecie * deorum, dies vertitur in luctum, ludi in miſeriam, ſolemnitas in mœrorem. Ita ſorde * duplici mœrore & labore conſumptis omnibus, nocte irruente, dies clauditur. A. ADSONE ABB. * *al.* ſuppetiæ * *Boſquet.* fortè, *al.* ſorte

12 Cúmque feſſa membra poſt tantum laborem lecto reclinarent, gravi uteſque parens ſomno deprimitur: cùm ecce repentè dormienti regis conjugi, ut ambo decumbebant, beatus Manſuetus per viſum apparuit, dicens: Meritò, regina, turbaris; meritò confunderis; meritò triſte filii tui funus exſolvis: nam ſi Conditorem tuum cognoſceres, & verbis olim meis tu & rex tuus fidem adhiberet *, ab hoc forſan infortunio libera fuiſſes, vel multò ſalubriùs hæc contingerent, dum animam ſimul cum corpore pereuntis beata quies exciperet vitæ renaſcentis. Sed quid jam nunc facies, ſi vel corpus extincti recipere mereris? At verò illa ſe devovens acturam, quod imperaret, cùm prolixiora ſancti Viri ambiret colloquia, ejus viſio inter affamina rumpitur. At illa protinùs ſomno excitata, marito, quod viderat, ex ordine intimavit. Tunc E ille: O ſi poſſim, inquit, ejus, quem Sanctum Dei edoces, promereri præſentiam! Polliceor enim, me ejus dictis aſſenſum præbiturum; tantùm per eum obtineam, ut * cadaver exanime * *Boſquet.* vel, *Diling.* & lanianda membra gurguſtio non carere ſepulchro. *regina ſibi apparenti Manſueto ſpondet, ſe imperata facturam, ſi vel cadaver filii recipiat:* * *al.* adhiberes

13 Inter hæc, nocte decedente, dies adducitur craſtinus. Quæritur Vir ſanctus à regiis officialibus; ſed eo die minimè reperiri potuit. Labor fruſtra quærentium uſque in diem tertium protelatus *: jamque ſpes inveniendi penè ſubtrahitur. Illuceſcente autem die tertio, tandem pro libitu Vir Domini inventus regiis obtutibus præſentatur. Cui ille, priſtinæ feritatis rigore depoſito, O Sancte, inquit, Dei, quem ſaluti noſtræ ab exteris partibus gaudemus adveniſſe, miſerere orbati parentis, miſerere extincti nati; adhuc ſub aquis lethiferè decumbentis. Jam pronus aſto & credulus, aras deſtruo, templa & ſimulacra ſubverto, dæmonum figmenta cuncta contemno, immolatitios cruores devito, fidem quam prædicas ſuſcipio, Deum cæli, quem orbis Romanus jam Petro docente profenſit *, adorandum ſpondeo; & me & populum meum divinis legibus ſubjugabo, dum per te merear tantùm vel extinctum ſuſcipere; quem conſtat tam crudeliter perdidiſſe. *rex quoque promittit, ſe, eo recepto, fidem amplexurum:* * *al.* protelatur * *al.* perſenſit F

Sanctus parentibus cadaver filii reddit, & redivivum pollicetur, ſi ſtent procul miſſis: * *al.* præceps

14 Vir itaque ſanctus, qui jam profectò noverat, quod facturus eſſet, his vocibus motus, his lacrymis compunctus, ſimul ſentiens tanta fruge populorum divinam ſibi adeſſe virtutem, ad muri locum ſe perduci præcepit, de cujus culmine princeps * devolutus puer in gurgitem decidiſſet. In quo videlicet loco orationem fundens ac præcipuè fidens in Domino, devotis precibus incubuit, invocatoque Chriſti nomine, cunctis, qui littora cinxerant, aſpicientibus, corpus jacentis pueri apparuit; & à profundis eductum ferri ſuper æquora cœpit. Quod celeriter ab undis ereptum, ante pedes beati Viri protinùs eſt illatum. Ecce habes, inquit ad patrem, corpus exanime, quod petiſti. Si tamen implere decreveris, quod ſpopondiſti, aderit quoque divina clementia, quæ tibi adhùc valeat multo præſtare majora. Nam ego ad hoc veni, ad hoc peregrinationem tantùm * aſſumpſi, ut per * *al.* tantam me vobis pateat cæleſtis janua regni. A Principe Apoſtolorum miſſus ſalutis veſtræ negotia proſequor,

A. ADSONE ABB.

sequor, vestrarum gaudens lucra animarum quæro.

*iterato fidei suscipiendæ voto, puer vitæ restituitur; * al.* Hîc

15 Tunc pater & cuncti, qui aderant, unanimiter profitentur, abdicatis idolis, veri Dei futuros se esse cultores; si is, qui jacebat exanimis, spiritu redeunte, monstraretur post mortem ad superos posse respirare. Hinc * sanctus Pontifex plenus semper visceribus pietatis, id quod petebatur, per spiritum intelligit operandum. Iterum genu flexo in orationem, divinæ Majestati supplicaturus, humi prosternitur, & Christianos, qui tum fortè pauci admodùm numero aderant, idem facere votis cælestibus præmunivit *: cùm oratione expleta mortuus repentè vitali flatu membris concutitur, atque ad sancti Viri imperium in pedes erigitur, & cunctis admirantibus patri incolumis redditur. Tunc universi, qui ad hoc spectaculum convenerant, manifesta Dei virtute fiere præ gaudio, nomen Christi in commune fateri, & illum præ omnibus esse colendum, qui cunctis mortalibus spiraculum vitæ dedit, & post lethalia funera mortuorum spiritus imperio coërcet, atque iterum, cùm voluerit, redivivis corporibus ad superos revocari jubet.

* *al.* præmonuit

B

qui pœnis, quas apud inferos sibi, parentibus ac populo paratas viderat, enarratis,

16 Tunc fidelis Domini Sacerdos ad resuscitatum puerum conversus, Accede, inquit, propiùs, & per temet enarra parentibus, quid videris, vel ubi fueris, cunctis simul patenter ostende. Tunc ille, ut recèns ab inferis prodiens emerserat umbris, ad nutum Antistitis ora resolvens atque à tenero pectore alta suspiria trahens, liberè cœpit edicere, quid in inferno positus vel senserat vel vidisset; multa videlicet & innumerabilia tormentorum genera, inter tartareos ignes flammivomos vigere serpentes, immensas reorum multitudines diversis suppliciis mancipatas, ac miserorum spiritus inter flammas & frigora coarctatos stridore deficere, atque ex suo defectu ad rediviva iterum incendia renovari; ubi ad vitam nulla recuperatio, sed omnium bonorum oblivio, sola præsentium pœnarum inenarrabilis cruciatio; ad quam ipse quoque rex & regina, omnesque, qui præsentes aderant, procul dubio essent perventuri, nisi beati Antistitis dictis & factis crederent, & Christianæ fidei colla subjugarent: seque ipsum ad eadem pœnarum loca deductum, perpetuæ damnationis tenebris fuisse deputatum, nisi beati Confessoris Christi citiùs intercessio subvenisset, quæ eum à malignis spiritibus atque ab infernalibus claustris eriperet, & ad superos revocaret.

C

*baptismum petit; idem ejus hortatu, eversis idolis, faciunt rex, regina & populus: * al.* sanctum

17 Hæc ita & plura similia prosequutus, ad pedes Sancti gemebundus puer substernitur, & fonte salutis ablui humiliter ac devotè profitetur. Patrem ac matrem, cæterosque, quorum sollicitior fuerat, ut idem facerent, votis & monitis, quibus poterat, suadebat, dicens, suum * Pontificem à Deo fuisse destinatum urbi, in salutem venisse civibus, pastorem sanctum animarum, rectorem atque custodem divina dispositione & Apostolica institutione electum; cujus ipse & tota communiter civitas salvaretur adventu. Tunc igitur inter verba pueri & evidentissimam resuscitationis ejus virtutem tantæ novitatis insolito miraculo stupefacti omnes, videntes manifestam Dei virtutem, cui resistere & in aliquo contradicere nemo eorum poterat; idola respuunt, aras subvertunt, cunctas diaboli officinas prosternunt, & manus protendentes Christi nomen communiter inclamare & laudes in cælo personare cœperunt. Deinde claris vocibus erumpentes, baptismatis sacramentum, quod D
priùs pertinaciter recusabant, humiliter omnes expostulant.

Sanctus instructos baptizat, qui eum communi suffragio episcopum sibi præficiunt.

18 Tunc verò secundum Catholicam disciplinam à beato Antistite sanctæ fidei regulam priùs edocti, ac deinde gratiam baptismatis sunt consecuti; rex scilicet & regina, omnisque eorum familia, omnis militaris ordo, universa rusticorum multitudo: & factum est gaudium magnum in illa civitate. Tunc omnis candidatorum turba, & cælestes in laude Christi cohortes, novum redemptionis genus adepti, & vetusto anguini tegminis squalore exspoliati, divinam potentiam admirantes, & glorioſa beati Mansueti merita magnificè prædicantes, pari voto parique consensu sanctum Virum totius ecclesiæ summum rectorem eligunt ac pastorem; justum esse *, qui ad totius populi salutem venerat, totius electione populi pastoris jura teneret: ac sic universi acclamantes, hunc esse dignum, hunc esse glorioſum, hunc per omnia civibus profuturum, non jam quasi peregrinum, sed tamquam pastorem proprium, Apostolicæ præfultum privilegio dignitatis, in sedem statuunt pontificalis honoris.

* *in San-Max. additur* autumant, ut; *in al. tantùm* ut.

E

CAPUT III.

Edictum regium; pia Sancti opera; idololatriâ exstirpatâ, multas ædificat ecclesias: ejus mors; solemnes exsequiæ.

Rex edicto sancit, ut omnes subditi baptizentur: virtutes à Sancto exercitæ:

TUnc rex & principes ejus, jam Catholica fide fundati, per omnes dominationis suæ terminos, longè latéque verbum salutis cunctis inferre præcipiunt; ita volentes nolentesque aut verè convertantur, aut patriâ propellantur, nec ullus infrà relinquatur, qui aut non baptizetur, aut non baptizandus ad fidem imbuatur. Sic igitur Vir Dei electus priùs quidem Romæ episcopus consecratus; pòst verò, ut verbis præcedentibus patet, generali populorum acclamatione, signis atque prodigiis ad pontificii culmen Leuchorum urbis assumptus, sermone non potest comprehendi, quanta & qualia divinitus meruit liberari *. Misericordia namque & pietas semper in ejus ore & mente versabatur, nec episcopalis authoritas pristini rigoris & abstinentiæ fræna resolvit: noctes diesque continuata oratio sæpe consummavit. Motus animi tanta mansuetudine coarctavit, ut cùm sciret misereri, nescire irasci, omnibusque clemens, omnibusque misericors. Advenientium verò miserias ita perferebat, ut quicumque mœrens venisset, adprimè consolatus lætior rediret. Languores autem ægrè se habentium non solùm sua intercessione, sed etiam beati Petri Apostoli accepta authoritate liberè curabat. Ita Pastor in populis, verè medicus agnoscebatur esse salutis.

F

* *al.* meruerit operari

idololatriâ penitus exstinctâ, multa per diœcesim templa ædificat;

20 Sicut autem in Gestis ejus, quæ multò ante nos conscripta sunt, studioso lectori perfacilè est inveniri, emundata, ut suprà diximus, eadem Leuchorum urbe omni idolorum superstitiosâ spurcitiâ, ædificavit intra mœnia civitatis templum Domino, in honore videlicet Genitricis

A tricis Dei & Domini noſtri Jeſu Chriſti ac perpetuæ Virginis Mariæ, necnon & Sancti protomartyris Stephani. Aliud verò templum conſtruxit ex latere in parte Auſtrali, quod ſolemni populorum frequentiâ dedicavit in honore & veneratione ſancti Johannis Baptiſtæ, ubi dicitur Ad fontes. Deinde autem per omnem diœceſis ſuæ provinciam plurimas conſtruxit eccleſias, ordinatis presbyteris & diaconibus; ubi divinæ Majeſtati debita laus redditur, & glorificatur Deus admirabilis in Sanctis ſuis uſque in præſentem diem.

noctes in oratione traducit, dies animarum ſaluti impendit Leucorum Apoſtolus : * *al.* cominus

21 In eo verò loco, ubi primùm adveniens eo minùs * in ſuburbio civitatis ſibi, ut diximus, hoſpitium præparaverat; diurnis quidem in civitate divini pabulum verbi gregi ſibi commiſſo ſollicitè miniſtrabat, nocturnis autem temporibus, ut liberiùs orationi inſtaret, ad idem tamquam conſcium ſibi habitaculum revertebatur: ubi ſcilicet lachrimarum affluentiâ diluebat, ſiquid circa aliorum ſalutem occupatus, ſibi ipſi diurnis ſpatiis minùs perfectè procurâſſet. Tantis igitur ac talibus, ut prædiximus,

B longo temporis exercitio divinus Operator inceſſanter inſiſtens, fatigari non poterat, quem ſancti Spiritûs fervor accendebat. Qui ſecundum Apoſtoli dictum, etſi aliis non erat apoſtolus, huic tamen plebi verè apoſtolus extitit, quam ipſe tot ſignis atque virtutibus, tot laboris & inſtantiæ ſuæ ſudoribus Deo acquiſivit. Et quamvis moribus noſtris & converſioni multa deeſſe

* *al.* exordio ſenſerimus, quæ ille Vir beatus & docuit & excoluit; ſigna tamen apoſtolatûs ejus nos omnes in Domino ſumus: quia quod ille ab ipſo primordiali ſanctæ & univerſalis Eccleſiæ ſumpſit exordium *, hoc poſtmodùm generi noſtro libera auctoritate perfudit *, fide potiùs armatus quàm ferro.

* *al.* profudit

S. Petri martyrio

22 Præterea beatus Petrus Apoſtolus, qui in numero Apoſtolorum eligitur primus, confeſſor Filii Dei factus, humani generis Paſtor electus, Eccleſiæ fundamentum, clavicularius regni cælorum, Chriſti Domini confeſſione probatus, paſſione poſtmodùm coronatus, Galatiam, Pontum, Cappadociam, Bithyniam, Aſiam atque Italiam, Euangelicis plenè repleverat documentis. Qui cùm ſub priori Claudio cæſare

C Antiochenam fide Catholica primùm perfectè fundaſſet Eccleſiam, eamque per ſeptem continuos regeret annos, Simonis magi verſutias, qui veritatem Apoſtolicæ inſtitutionis ubique locorum fugitans, ſanæ doctrinæ radios ſuis tenebris maculare conabatur, Spiritu ſancto edoctus

* *Boſquet.* præveniens perveniens *, eundem Simonem magum Romam perſecuturus ingreditur, ibique electione fidelium Paſtor Eccleſiæ factus, Euangelium prædicans, viginti & quinque annis ejus urbis tenuit Principatum. Contra cujus clariſſimam prædicationem, ut hiſtoriæ referunt, idem Simon Antichriſti membrum utique factus, rabido ore conſurgens, Neronis & Agrippæ præfecti fiſus audaciâ, Apoſtolicam aſſertionem ſui pravitate mendacii impugnare non deſtitit. Unde magicis artibus cælum conſcendere molitus, virtute & oratione B. Petri Apoſtoli, dum fertur per aëra, ad terras amens corruit in partes elidendus. Quibus actis, Nerone jubente, proſcriptus, ſexto & triceſimo anno poſt paſſionem Domini in urbe Roma, ut ipſe voluit, deorſum crucifixus,

* *al.* ſupernа poſt Apoſtolicum meritum, ſupernorum * cælorum regna ingreditur glorioſo martyrii ſanguine laureatus.

A. ADSONE ABB. *intellecto, ei eccleſiam dedicat : ſanctè moritur :*

23 Cujus in toto terrarum orbe meritò recolendam beatus Manſuetus tamquam fidiſſimus diſcipulus magiſtri audiens paſſionem, loco, quo prædiximus, beatum Virum non longè ab urbe pro tempore fuiſſe hoſpitatum, quem etiam ſacri oratorii jam pridem titulo illuſtraverat, nobiliorem eccleſiam condidit: quam videlicet in honore & memoria beati Petri Apoſtoli, ſui utique præceptoris ſtatuens, ſacri pignoris ejus, quam ſecum attuliſſe fertur, benedictione conſecravit *a*. Ubi ſcilicet diebus ac noctibus peracto prædicandi officio conveniens, ac ſoli Deo vacare deſiderans, plures poſtea agens annos, multitudines fidelium in fide Chriſti colligens, ad conſortium præmiſit Angelorum. Cúmque jam Dei Athleta electus plenus eſſet dierum & provectæ ætatis, multis & diurnis bonorum operum ſudoribus & laborum exercitiis, ut prædiximus, fatigatus, virtutibus quoque & miraculorum ſignis admodùm declaratus, tamquam fidelis ſervus & prudens, qui Dominicæ familiæ menſuram tritici in tempore ſuo erogaverat, ad accipiendam æternæ recompenſationis mercedem, Domino jubente, vocatus, carnis onere depoſito, III Nonarum * Septembris ſpiritum cælo reddidit, & ſtolam beatæ immortalitatis cum Domino ſuo perenniter regnaturus accepit: ubi modò gaudet Angelorum cœtibus admixtus, atque ovium ſuarum adhuc in terris degentium * multo magis præſtantiùs & potentiùs interceſſor effectus.

a

E * *Diling.* Nonas

* *al.* agentium

ſepultura honorifica : gloria in cælo ſignis & virtutibus manifeſtata.

24 Ad cujus exequiarum ſolemne commercium jam dici non poteſt, quanta multitudo fidelium convenerat, quos videlicet ipſe laboris ſui inſtantiâ in filios adoptionis per Spiritûs ſancti gratiam transfuderat. Cerneres maximas populorum catervas non jam peregrini & ignoti, ſed proprii Patris & paſtoris ſui triſte funus ſtipaſſe, & lamentabiles exequias undique quodam quaſi procinctu flentium, atque dolentium confuſo ordine miſcuiſſe. Ita præeuntium atque ſequentium agmine uſque ad locum ſepulchri corpus defertur exanime, & in eo loco, quo eum prædiximus beati Petri Apoſtolorum principis honore & merito eccleſiam dedicâſſe, digniſſimæ traditur ſepulturæ. Ubi enim certaminum & laborum conſummaverat curſum, ibi, Domino diſponente, debitam corpori voluit habere ſepul-

F turam. Quem videlicet locum, meritis ejus obtinentibus ex tunc & modò divina poteſtas ad laudem & gloriam ſui nominis ſignis & virtutibus illuſtrat, ut oſtendatur, quantùm in conſpectu æternæ claritatis in cælis fulgeat, qui tantarum cotidie virtutum in conſpectu mortalium admiratione coruſcat. Cujus merita glorioſa nos, qui oves & grex ejus ſumus, cum humili devotione debito honore veneremur, ut ipſius intercedentibus meritis ſine fine cum eo gaudere mereamur.

ANNOTATIO.

a *Inter Sancti geſta, quæ narrat biographus, nihil minùs incertum eſt, quàm quòd in ſuburbio Tullenſi Apoſtolorum Principi eccleſiam ædificarit. Vide de illa Comment. prævium num. 29. Sed quodnam fuit iſtud* ſacrum pignus, *quod* S. Manſuetus *ejus conſecrationi adhibuit? Si verum eſt, quod Tullenſes olim crediderunt, nimirum à Sancto comparatas fuiſſe reliquias SS. Petri & Pauli, quæ in dicta eccleſia infra altare majus ſub epiſcopo Pibone inventæ ſunt; judicare pronum*

A. ADSONE ABB.

est, hasce illius dedicationi adhibitas fuisse. Sed an hoc factum fuit non diu post martyrium S. Petri, uti Adso scribit? Quàm parùm verisimile id sit, dictum est in Comment. num. 31. *Per* sacrum pignus *fortè quis etiam intelligere posset baculum S. Petri, de quo antiquior Catalogus antistitum Tullensium in elogio Gauzlini hæc habet:* Quia mons, *ubi Buxeriense cœnobium Gauzlinus fundavit*, ad Metensem pertinebat episcopum, petiit à Theodorico præsule ... illum sibi dari per concambium, conferens illi Apostoli Petri baculum venerabilem, quem beatus Mansuetus secum detulerat à Romana urbe. *Elogii auctor mihi suspectus est, non solùm quia Gauzlinum episcopum Tullensem, an.* 962 *mortuum, contemporaneum facit cum Theodorico Metensi, cujus nominis nullus ante annum* 964 *huic ecclesiæ præfuit; sed etiam ob aliam rationem, quam vide apud Calmetum tom.* 1 *Hist. Lotharingicæ col.* 893.

CAPUT IV.

Cultus antiquus & miracula a.

a B

Mansueto succedit Amon, qui apud illum in templo S. Petri sepelitur,

NUnc quoque quia vitæ & conversionis * ejus in carne degentis ex parte finem agnovimus, quis ejus fuerit successor compendiosa brevitate huic narrationi inserere dignum judicavimus. Post glorioſum Mansueti hujus urbis primi pontificis ex hoc mundo ad cælos transitum, sicut in Gestis præcedentium Leucorum urbis antistitum invenitur, sanctus ac beatissimus Amon, Dei providente clementia, in hac sede communi universorum voto atque consensu ordinatus episcopus, beati Viri successor effectus: qui Prædecessoris sui mores & instituta ad unguem exequutus, non valet explicari, quantæ bonitatis & sanctitatis fuerit operibus comprobatus. Hic namque pontificalem dignitatem in cuncta morum honestate exsuperans, non solùm verbis & exemplis subjectam plebem circumquaque competenter excoluit; sed etiam miris ac magnificis virtutibus illustravit. Qui sic quoque cùm daret in celebrationibus decus, & ornaret tempora, ut scriptum est, usque ad consummationem vitæ, recedens ab hoc sæculo, in oratorio, quod superiùs diximus [in] * beati Petri Apostolorum Principis honore à sancto Viro studiosè constructum, cum eodem Prædecessore suo sanctissimo condignæ traditus est sepulturæ.

C

** hanc voculam addidi ex Bosqueto*

concursus ad utriusque tumulum; dona ibi oblata; miracula, quæ exciderunt.

26 Unde quoque amborum meritis & intercessionibus ad laudem divini nominis idem locus ex eo tempore magnificis visus est miraculis effulsisse; cùm scilicet cæcorum oculi diuturna caligine pressi, optatam expulsis tenebris lucem, variarum peste cladium languentes exuti, attractis quoque nervis plures repentes humi, necnon & quammulti diversis & innumerabilibus languoribus infecti, salutis gaudia horum interventu se gaudeant ad propria retulisse. Ad quorum videlicet patrocinium regum ac principum legimus *b* frequentiam confluxisse, ac juris sui * xenia plurima ad sublevandam servorum Dei & pauperum indigentiam devotè contulisse: ubi etiam diversis temporibus mirifica sunt ostensa virtutum amborum meritis insignia: sed vel propter irruptiones barbararum gentium, vel certè propter scriptorum inopiam sine dubio sunt prætermissa vel perdita; cùm etiam hanc noverimus

b

** Bosquet.* Viris sanctis

urbem ob inhabitantium enormitatem scelerum, simul cum rebus Vandalorum *c* vastatam persecutione crudelium, ac postmodùm antiqui hostis insidiis atrocibus flammarum incendiis *d* concrematam.

D

c

d

S. Martinus orat apud sepulcrum S. Mansueti: anima è purgatorio per utrumque liberata:

27 Hoc tamen non est silentio supprimendum, quod ore quorumdam nobis fideliter est relatum. Martinus Turonorum sanctus episcopus, toto orbe, ut notum est, famosissimus, beato Maximino *e* Trevirorum antistiti admodùm fuerat familiarissimus, ita ut sæpe collatis fruerentur alloquiis, & beatum Petrum Romam pariter adituri mutuis viatim inniterentur colloquiis. Beatus igitur Martinus communi dispositio quodam tempore id acturus, oratorium beati Mansueti, ad quod declinaverat divinam exoraturus clementiam, devotus ut erat, ingreditur. Cùm ecce repentè cujusdam sanctimonialis *f* spiritus puellæ, cujus corpus non longè antè sepultum eò loci fuerat, repetitis vocibus sancti viri nomen ex sepulcro in geminat. Cujus precibus cùm vir beatus intenderet, protinùs illa subsequitur: Sanctissime, inquit, pontifex, cælo terrisque præpotens, animæ miserere sepulti. Corpus quidem hîc adhuc tegitur terris, sed spiritus versatur in pœnis. Adhibé in auxilium sanctissimi Mansueti & tuum patrocinium, hancque * salvatam credideris, cùm reversus vocem non audieris supplicantis. Hinc ille abiens, iter, quod cœperat, aggreditur, petenti præcipuè subvenire sollicitus. Interea toto confecto illo itinere, cùm rediens glebam * beatissimi Mansueti, ut erat solitus, non præteriret, & signa petentis defunctæ jam nulla percepisset; gratias Creatori persolvit, quia utriusque interventu salvatam agnovit. Hæc enim perire quomodo poterat, cui tales Interceſſores immensa Dei misericordia contulerat? His ita gestis, quia ad alia tendimus, in his quoque pro voto finem faciamus.

E

f

** editio Bosqueti & Ms. Ochsenh.* hanc quoque

** id est,* corpus

Scotorum peregrinationes ad Sancti corpus, qui porculam, à fure ablatam

28 Hoc etiam non indignè placuit inferendum, quod frequenti testimonio vulgatum adhuc inter ora versatur plurimorum. Ex transmarinis Scotorum finibus has partes moris erat expetîsse multorum; inter quos eo tempore vir quidam pauper cum conjuge dicitur accessisse: antiqui enim temporis multos fama excierat [ad] suæ gentis Virum sanctissimum, Scottigenis peregrè solitò abeuntibus potissimùm expetendum. Unde hic conscius, ut rumor erat, amoris & gratiæ; non longè ab æde beati Viri potitus hospitio voluerat mansitare *g*. Huic in rebus domesticis exigua fuerat admodùm supellectilis ***. Tantùm inter rei familiaris commoda non magnæ quantitatis solitus alere porculam, futuris sibi escarum usibus inferendam. Ut autem assolet in tanta multitudine hominum, amicam bestiolam cùm absentem diutiùs conspicit, furto sibi sublatam pauper intelligit.

F

g

** Ochsenh. & Diling.* supellex

& mactatam, pauperi vivam restituit.

29 Furantis autem personam cùm nusquam deprehenderet; dampni sui non ferens dispendium, ad sacram ædem tendit, & efferis, ut Scottorum natura est, animis tumulo Sancti se mœstum injecit & plenum querimoniis, &, ut rustici verbis eloquar, O Sancte Dei, Scottum, inquam, te Scottum & me, genti Scottigenæ propitius miserere *h*. Me eminùs positum fortè juvare debueras: ecce peregrè constitutum * quid aporiari *i* pateris, quid rebus destitui permittis? Redde, obsecro, quod perdidi: redde, quod fur impius fortè jam absumit. Hæc & his similia multa prosequens pauper ille, tristis recipitur hospitio. Interim latro avidus miserum illud

h

** al.* contiguum

i

A lud animal jam ferro præfocaverat, ſpe gaudens ſaturandi gutturis ex his, quas furto ſublegerat, rapinis. Nec diu diſtulit Sanctus ſui querimonias pauperis: nam ut extincta beſtia tegebatur latibulis, virtute Sancti, flatu redeunte, in pedes erigitur, furiſque domo violenter eripitur, ac contubernale ſtabulum ingreſſa, non ſine multorum admiratione proprio domino viva & incolumis reſtituitur. Sic deluſa eſt iniqui furis præſumptio; ſic pauper recreatus eſt ſuo, quod fuerat paſſus, gravi infortunio. Sic etiam admirabilis facta eſt non tantùm in maximis, quàm * etiam in rebus vilibus ſancti Manſueti, ſi fide petitur, evidentiſſima virtus. Siquis verò huic rei incredulus eſſe voluerit, nihil noſtrâ interêſit *k*; cùm hoc ſi ſciſcitari placuerit, multorum adhuc relationibus comprobabit *l*.

* *Ochſenh. & Diling.* quantùm

k

l

ANNOTATA.

a *Quæ tribus prioribus capitibus Adſo narravit, penè omnia fictitia ſunt. Pauca hoc capite adfert, quæ ut talia improbare auſim.*

b In Geſtis, *ut credo*, præcedentium Leucorum urbis antiſtitum, *quæ biographus numero præcedente citarat.* B

c *Gens Wandalica, inquit Salvianus lib. 7 de Gubernatione Dei*, primùm à ſolo patrio effuſa eſt in Germaniam primam; ... poſt cujus exitium primùm arſit regio Belgarum, deinde opes Aquitanorum *&c. Apud Ruinartium in Hiſtoria perſecutionis Wandalicæ parte 2 cap. 1 num. 3, 6 & 7 variæ urbes nominantur à Wandalis in Gallia Belgica depopulatæ. Credibile eſt, Tullum eamdem calamitatem expertum fuiſſe. Veteres ſcriptores, quos laudatus Ruinartius num. 2 profert, alii anno 406, alii 408 barbarorum iſtorum in Gallias incurſionem contigiſſe tradunt.*

d *In antiquiore antiſtitum Tullenſium Catalogo bis eam flammis vaſtatam fuiſſe lego. De primo incendio, quod ſub epiſcopo Godone contigit, ita ſcribit Catalogi auctor apud Calmetum tom. 1 Hiſt. Lotharingicæ in Monumentis col. 127:* Cujus (*Godonis*) temporibus, populorum urgente ſcelere, urbs Leucha eſt igne concremata: ſedit præſul & emunitatem * & recuperationem cartarum, quas ignis conſumpſerat, ſuæ eccleſiæ apud Pippinum regem acquiſivit, *qui anno 752 regnare cœpit. De altero incendio meminit ad epiſcopatum Bornonis*, quo præſulante, *inquit*, ſedi Leuchæ, eadem urbs igne conflagravit, peccatis exigentibus; ſed ipſe impetravit à Karolo rege reſtaurationem cartarum igne crematarum. *Carolus rex unctus fuit anno 768, quo pater Pipinus obierat.*

* *l.* ſed is præſul & immunitatem

C

e *Quid de itinere Romano S. Martini Turonenſis cum S. Maximino Trevirenſi, deque illius precibus apud ſepulcrum* S. Manſueti *ſtatuendum ſit, indagavi in Comment. prævio num. 33 & ſeqq.*

f *Quemadmodum virginitatis profeſſio* ſanctimonium, *ita feminæ virginitatem profitentes olim* ſanctimoniales *dicebantur; licèt monaſticis votis adſtrictæ non eſſent. Vide Gloſſarium Cangii ad voces* ſanctimoniales *&* ſanctimonium.

g *Adi Comment. num. 39.*

h *Hanc ad Sanctum locutionem pauperi Scoto veriſimiliùs affinxit popularis traditio; ex qua Adſo miraculum litteris conſignavit.*

i *Vox hæc deducitur à Græca* ἀποριία, conſilii inopia, *vel* paupertas, *quâ quis in tantas anguſtias conjicitur, ut, quò ſe vertat, neſciat.*

k *Indicat hic auctor ſe timere, ut lector miraculum ex ore populi acceptum facilè credat. Idem & ego timeo.* A. ADSO-NE ABB.

l *In editione Calmeti, quam ſecutus ſum, ſubjicitur:* Vitæ & actuum beati Manſueti pontificis liber primus explicit.

LIBER II.

Miracula ſeculo x facta ſub SS. Gauzlino & Gerardo epiſcopis Tullenſibus *a*.

CAPUT I.

Sanctus, poſtquam ruinoſa eccleſia, in qua ejus corpus jacebat, abbatiæ S. Apri donata eſſet, cæcam, à dæmonibus vexatam, & leproſum ſanat. E

QUoniam in anteriorîs exequutione Operis, prout divina ſublimitas ad memoriam præſentium temporum renovandam exiguitati noſtræ contulerat, pauca ex pluribus breviter explicuimus, ea ſcilicet, quæ dum maneret in corpore, Dei eſt virtute operatus, omiſſis his, quæ vel incuriâ vel prolixæ vetuſtatis deſidiâ tacita ſunt vel neglecta; ad ea quoque, quæ noſtra ætate *b* geſta ſunt, ſuſcepti negotii ſtudium convertamus ***: quæ videlicet tanto ſecuriùs proferimus, quanto hæc quoque viciniùs fuiſſe facta ſine dubio *c* tenemus. In primis [ſiquidem annotantes,] *d* quòd ſive, ut diximus, barbarica * irrumpente feritate gentium, ſeu etiam celeberrimis * inter ſe conſectationibus populorum, per ſuccedentia tempora iſdem locus, rebus privatus, munitionibus diſſipatus, penè ad nihilum fuerat redactus; frequenter etiam virorum ſecularium dominationi ſubjectus *e*.

Locum, S. Manſueti corpore venerabilem, ſed penè collapſum

b

* *Martens* convertatur

c

d

* *al.* barbarum

* *Ochſenh. & Diling.* creberrimis

e

F

Gauxlinus donat monachis S. Apri; quibus ibi degentibus,

31 Interea longa *f* evoluta quoque temporum ſerie, poſt Drogonem inclytum Leuchorum urbis Epiſcopum domnus Goſſinus *g*, nobiliſſimis Francorum natalibus ortus, pietate & religione conſpicuus, litterarum ſtudiis adprimè eruditus, per Dei providentiam electus, in hac ſede eſt pontifex ordinatus. Qui diligenter clerum inſtituens, viros prudentes undecumque colligens, urbem rebus auxit, ſapientiâ decoravit, providenti diſpenſatione munivit. Hic itaque præfatum locum diverſis, ut diximus, caſibus lapſantem conſiderans, aſcito ſibi ex loco ſancti Apri, confeſſoris Chriſti egregii, domno Herchemboldo *h* patri venerabili, quem ipſe quoque illic abbatem antè conſtituerat; locum hunc in religionis ordinem committit reparandum. Qui videlicet vir venerabilis, ut erat religioſiſſimus, ſub præpoſitorum manu monachorum aliquos delegavit; & quia illic ſtipendia eo tempore deerant, propriis monaſterii ſui ſumptibus alendos inſtituerat. Præfati igitur feliciſſimi antiſtitis domini Gauzlini tempore, dum iſdem locus ſub præ-

f

g

h

A. ADSONE ABB.

positorum, ut diximus, custodiâ ageret; quæ antè è vicino, vel pòst visu vel auditu contigerint, satis sit vel pauca de multis expedire.

Sanctus cæcæ visum restituit, i

32 Widonem *i* istius urbis multi noverunt comitem. Hic viculum quemdam habuerat, ab urbe non longè positum, quem quia ipse construxerat, usque in præsens tempus nomen Widonis habet. In hoc quædam ancilla * ejus fuerat, quæ jam per annos cæca septem permanebat. Hæc & conjugem & filios potiùs ad calumniam, quàm ad adjutorium possidebat. Quid ageret, omnino nesciebat; omnium & maximè suorum infelix patens contemptui, præsenti subjecta inopiæ. Interea instabat dies, quâ exspectabantur in crastinum annuæ beati Mansueti solemnitatis gaudia. Tum illa inimicam cæcitatem perferens, turmis se miscuit confluentium, alieno duci innititur, beati Pontificis domum gemebunda ingreditur, fletibus profusa * faciem *, divinæ Majestatis Amicum invocat, mitis Pastoris affuturam sibi clementiam exorat. Cúmque in oratorio pernoctare cupiens, ab ecclesiæ præposito cum cæteris excluditur; ante januam vallatam

B

populis excubat, habens in eo fiduciam, in quem totam mentem direxerat. Cùm ecce nocte media, elata voce, Deo gratias agit, interventu Sancti lucernas ardentes sibi patêre asserit. Heia, inquiens, Sancte Dei, cæcam illuminasti, infirmam solidasti, tristem refovisti. Amodò me tuis obsequiis habeto famulantem, super quam tuam potentiam ostendisti. Ita, quæ alieno duce venerat, collatæ lucis Auctorem libera rediens omnibus prædicabat.

obsessam à dæmonibus liberat,

33 Stephanus quidam miles inter suos non infimus, non longè ab urbe, rure proprio commanebat. Hic ex conjuge filiam acceperat, quam tenero amore diligebat; & ut solet hostis cariora persequi, electa confundere, incauta perrumpere, peccatis exigentibus, vas puellæ diabolus ingreditur, confundit mentem, tollit vigorem, penitùs evacuat sensum. Illa consepta nexibus, stipata custodibus, Sanctorum à parentibus illata patrociniis, tandem in oratorium sancti Mansueti perducitur. Intrà basilicam verò permissa pernoctare, uno superstite, pressis sopore cæteris, ea parte, quâ illa solo decubuerat, evagantes supra tectum ecclesiæ dæmones, mirum dictu, voces ululantium ac varios imitantes sonitus bestiarum, mixtis aëra complent clamoribus, conquesti publicè nihil sibi & Sancto convenire, nec donum salutis, quam ipsi meritò abstulissent, ullo modo posse reportare. Ille tremefactus cæteros excitat, ut & ipsi voces perciperent, quas ille audiebat. At verò illi, cùm per aliquot horas palàm insultarent, egressi terroribus dæmones fugiunt *k*, puellam deserunt, virtute Sancti protinùs evanescunt. Puella surgit libera, & reparato sensu secum ipsa miratur, quibus tradita fuerat inimicis.

C

k

& leprosum sanat. l

34 Alio quoque tempore elefantiæ *l* quidam morbo percussus, cujus cutis instar nivis speciem protenderat prænitentem, toto tabidus *m* corpore, beati Mansueti suffragium censuit * expetendum. Quò cùm perveniisset, præpositus ecclesiæ visus est pro foribus astitisse; cujus ille cupiens pedibus procumbere, visus * est quid vellet, aut quid quæreret, indicare. At ille: Heu me, inquit, miserum, vivus * quodammodo artubus omni ex parte præmortuum; cui vita in pœnis ducitur caro lethiferis angoribus coarctatur. Ad hoc enim veni, ut Sancti hujus, etsi non merear, vel parum * remedii beneficio Deitatis attingam. Ad quem senior specie intemptantis *, Quid habes, inquit, offerre in donariis? Cui ille, ostensa protinùs summitate, qua tegebatur, vestis; En, inquam *, salis exiguum sublevandæ inopiæ miserantis gratiâ condonatum. Vade, inquit, sumens illud sacris inferendum. His dictis, ratus ille accuratè ista sibi juberi, quæ sub ludentis habitu prolata audierat; festinus templum ingreditur, donum salis ante aram perfundit *, ipse in preces prosternitur. Qui solo decubans, subitò * quasi pedem transeuntis sensit dorso vestigium impressisse. Hinc concitus assurgens, cùm neminem circumquaque conspiceret, ad seniorem revertitur, & jam sanus factus colore in pristinum converso, deposuisse cutem gavisus est malè albicantem.

D

* *Ochsenh. & Diling.* perparum
* *Ochsenh.* sub specie tentantis.
* *Marten.* inquit

* *al.* profundit
* *in Ochsenh. & Diling. additur* suo

* *al.* perfusa
* *Bosquet. & Marten.* facie

l
m
* *Ochsenh. & Diling.* delegit, *Marten.* duxit
* *al.* jussus
* *al.* vivis

ANNOTATA.

a *Liber secundus Adsonis in Ms. San-Maximiniano totus deest. Bosquetus ejus dumtaxat initium usque ad numerum* 33 *typis mandavit. Integrum exhibent apographa nostra Ochsenhusanum ac Dilinganum, necnon editiones Martenii & Calmeti: apud quos hunc titulum lego, ab auctore eidem præmissum*; Opusculum libelli sequentis de his, quæ per eum post obitum gesta sunt. *Impressum exemplar Calmeti, qui, uti & Martenius, codice Mansuetino seculi* XI *usus fuit, iterum secuturus sum; quia emendatius est ceteris: ex quibus tamen non parùm lucis & correctionis illi allaturus sum.*

E

b *Non modò ex auctoris ætate, sed etiam ex aliis adjunctis, in Commentario prævio num.* 3, 4 *& 6 à me productis, cognoscitur, miracula* S. Mansueti, *libro secundo contenta, indubiam fidem mereri.*

c *In exemplaribus Mss. Ochsenhusano & Dilingano, quæ ex codice Mansuetino seculi* 12 *originem traxerunt, legitur* in dubio non; *in impresso Martenii*, non dubitandum.

d *Duas hasce voces desumpsi ex aliis exemplaribus, quia deerant in editione Calmeti. Alia in ea lacuna infrà occurrunt, de quibus lectorem in Annotatis deinceps non monebo: quia voces, quibus illa complebuntur, uncis includentur; quos pro indicio factæ expletionis semper accipiat velim.*

F

e *Vide Comment. num.* 40 *&* 41.

f *Itaque longo tempore ante episcopum Drogonem, qui initio seculi* 10 *Tulli sedere cœpit, locus, ubi S. Mansueti corpus quiescebat, in statum, ab Adsone in fine præcedentis numeri descriptum, deciderat. Hinc consequitur, ut ad tempora seculo* 10 *multò antiquiora revocari debeant, quæ de vetusto Sancti cultu & miraculis lib.* 1 *cap.* 4 *referuntur.*

g *Calmetus tom.* 1 *Hist. Lotharingicæ in Monumentis à col.* 340 *multas producit chartas, Adsonis ætate exaratas; in quibus Drogonis successor vix aliter scribitur, quàm* Gauzlinus. *Hujus sancti præsulis Acta ex illis illustrabuntur ad* 7 *Septembris, quo colitur.*

h *Ea, quæ jam sequuntur explanata sunt in Comment. num.* 40, 44 *&* 45: *ubi abbatem, quem Adso* Herchemboldum *nominat*, Archembaldum *vocavi, quia ita legitur in duabus chartis anno* 941 *&* 942 *conscriptis, quas profert Calmetus laudatus col.* 348 *&* 350.

i *Apud eumdem Calmetum col.* 344 *invenio* signum Widonis comitis *appositum instrumento, quod* 5 *Idus Octobris anni* 936 *confectum fuit.*

Mira-

A *Miraculum, quod Adſo jam referre incipit, poſt illud tempus contigit: nam ruinoſa eccleſia, in qua* S. Manſueti *ſepulcrum erat, tunc à Gauzlino abbatiæ S. Apri nondum donata erat; quemadmodum in Comment. num.* 44 *probatum eſt.*

k *In Ms. Ochſenh.* terroribus diris dæmones aufugiunt: *in Diling.* diris egreſſi terroribus dæmones aufugiunt.

l *Species eſt lepræ, ita dicta, quòd pellem humanam elephantorum cuti ſimilem reddat.*

m *In editione Calmeti erat*, prætenderet pœnitentem, toto trepidus *&c. Lectionem corruptam ex Mss. Ochſenhuſano & Dilingano correxi.*

CAPUT II.

Febricitantes valetudini reſtituit; feſtum ſuum colere contemnentes punit; vaccam à fure abductam domino reddit.

B

Clericus,

EST [quoque certiſſimum,] hunc beatum [Virum febricitantibus] etiam quæſitæ ſanitatis ſæpiſſimè remedium contuliſſe. Et ut nota replicem, vidimus ex clero non mediocris ſecundum ſeculum perſonam dignitatis, quem quoque cùm tanta vis febrium toto tremebundo corpore ardentiùs inflammaret, ut dies noctesque quamplures ſine cibo duceret; vitæ jam penè deſperatus, ad ſacram defertur ædem manibus famulantium: compoſitis ſtramentis, ſecus Beati aram ſedulus excubator exponitur. Ita eo loco biduo commoratus, pulſo ardore torrido ſic præ-

* *Ochſenh. & Diling.* perſenſit

ſenſit * opem medicinæ ſalvantis, ut libera facultate domum rediret incolumis, à qua priùs elatus fuerat paſſus igniferæ tormenta paſſionis. Nec in hoc ſolo virtus oſtenſa eſt hujuſmodi morbos excludendi, ſed certè frequentiſſimè hoc angore preſſos aſpeximus ſancti Pontificis auxilium imploraſſe, quos alacriter contigit optatæ incolumitatis gaudia reportaſſe. Sicui verò tam cita ſalus non occurrerit; ſciat vel non mereri, vel potiùs in provectum * differri.

C

* *ibid.* profectum.

miles, a

36 Eodem ferè tempore [Drogo] quoque miles notiſſimus, [qui pago Dulmenſi *a*] fuerat oriundus, hujus gratiam ſancti Pontificis eſt pleniter expertus. Qui videlicet cùm eſſet in rebus militaribus ſtrenuus & promptus, non minùs tamen erat fide & bonitate conſpicuus. Hic irruente febrium peſte, penè ad extrema perducitur, atque amiſſis totius viribus corporis, nihil ſibi ſupereſſe, niſi mortem vicinam conſpicatur. Quid potiſſimùm faciendum eſſet mente confuſa verſabatur *. Vitalia exoſus alimenta & quietis impatiens, de ſola morte cogitabat. Cùm ecce inter lethiferos febrium anhelitus, & ignis ardentis ſtridentia acumina, menti incidit Sancti hujus expetere perfugium, & votis præeuntibus implorare ſuffragium. Adducitur igitur vectus ſubſidio ſervulorum, ingreſſuſque templum venerabile, impoſito cervici vinculo, Sancto ſe ex libero in ſervum dedicat, & votum cenſuale die certo devovet. Sicque nocte illa ante aram pro-

* *ibid.* verſabat

volutus excubat; atque in craſtinum inter ſacra Miſſarum ſolemnia, livido jam furore erutus, domum, quà vectus fuerat, liber revertitur & ſanus: non oblitus poſt hæc Ereptoris ſui beneficii, quo tam evidenter ab illis ſtridoribus meruerat abſolvi. A. ADSONE ABB.

37 Præterea innumerabiles nos vidiſſe meminimus hujuſmodi vexationibus detritos; qui flammis ſtridentibus, totis effuſi corporum viribus, ſolum exitum meditantes, hujus meritis & potentiâ Sancti redierint ad propria ſani & incolumes facti. Quæ omnia ſi velimus plenè proſequi *, ante deficient nobis tempora, quàm univerſa magnalia ejus valeant litteris comprehendi. Tamen ſi cupimus hujus noſtri Protectoris meritis provehi, beneficiis adjuvari; nos ab ejus laudibus & obſequiis non convenit exortes deputari: quod in uno ſolo facilè eſt deprehendi, quod congruum duximus adjungi.

& alii malati febribus correpti per S. Manſuetum ſanantur:

* *al.* peſſequi

38 Quodam tempore, ut moris eſt ruſticorum, quidam Barrenſium partium non parvo numero ruſtici, grege facto, ſumptis vehiculis & rerum * copiis, Vicos expetierant ſalinarum *b*; datiſque in coëmptionem rerum venalium convectationibus, ad ſua redire cupientes, ſalis commercia referebant: & jam ex maximâ parte expleto itinere, Gundulfi villam *c* tranſgreſſi, ad alveum Moſellæ cum illa ſua rheda ſqualentes labore ruſtici pervenerunt. Ubi objectu tranſ-

ejus feſtivitate vecturam facientium jumenta

* *Ochſenh. & Diling.* redarum

b

c

E

meandi fluminis aliquantulùm intricati, à loci illius incolis duriter ſunt invecti, cur eo die rotalibus actibus inſudantes, in tanti Patris, quæ ea die annua colebatur, ſolemnitate, tamquam agreſtibus animis, communis lætitiæ ſe paterentur non eſſe conſortes. Ruſtici hæc è contra ludibriis proſequuntur, dicentes, hæc ſacra ad illos non pertinere, nec quidquam cum hac celebritate habere commune, quam ſolis Leuchorum *d* populis noſſent debitam & votis civilibus excolendam.

d

39 His ita contumaciter perſiſtentibus *, ultio divina proſequitur. Mira dicturus ſum. Tanta ſubitò rabies miſeris illis animalibus incubuit, ut ſe invicem confertis cornibus appeterent, & cunctis videntibus maximum terrorem incuterent. Infelices verò ruſtici penè ab humanis ſenſibus excedentes, circumquaque vagabundi feruntur *, bovesque verſi in amentiam, pœnas ſuorum luerunt * dominorum. At illi, in quibus vigoris animi aliquid reſederat, eccleſiam beati Pontificis celeriùs irrumpentes, reatum ſuum publicè profitentur; votis ſe & ſupplicationibus aſtringunt, de cætero fore cautiores, ſi pœnis præſentibus erepti, liberi redire potuiſſent. Nec diſtulit Sanctus voces audire gementium, quibus & miſera armenta reſtituit, & abeundi facultatem donavit.

in furorem aguntur, quæ facti pœnitentes ſana recipiunt:

* *Ochſenh.* hos ... perſiſtentes

* *al.* ferentur

* *al.* luerent.

F

40 Præfati domni Gozlini pontificis obtentu, Grimauldus * quidam, vir vitæ * venerabilis, quodam tempore ex monachorum ſancti Apri religioſo collegio aſſumptus, ejuſdem loci, ſui abbatis imperio, rector & præpoſitus fuerat conſtitutus. Qui videlicet pro merito charus omnibus, principalis obedientiæ titulis fuerat inſignitus, diſciplinis regularibus pretioſus. Hic itaque in uſibus neceſſariis unius vaccæ ſubſidio fruebatur: quod videlicet animal condiendis potiſſimùm oleribus familiare præſtabat obſequium. Sed quadam die, dum hora competenti exſpectatur, quòd non aderat, diverſitate quæritur locorum, ſtudio famulantium. Res eſt incerta, cujus idem animal fraudulenta fuerit factione traductum. Tunc præpoſitus inquit ad miniſtrum,

vacca, quam fur abduxerat, per Sanctum recuperatur.

* *Ochſenh. & Diling.* Grimaldus

* *Diling.* virtute

qui

A. Adsone abb. qui tunc fortè dampni familiaris nuntiator mœstus advenerat: Vade igitur, dic Sancto illi, qui noſtris utitur miniſteriis; ſi noſtræ velit amodò commune ſervitutis obſequium, reſtituat citiùs animal neceſſarium, iniqua fraude ſublatum. Nec ſermo in vanum cecidit: nam in craſtinum *e* idem animal exactum vinculo *, fertur ſtabulo proprio, virtute beati Pontificis celerrimè revocatum.

e * *Ochſenh. & Diling.* vinculis

Elogium Gauzlini.

41 Glorioſæ verò & felicis in æternum memoriæ domnus Gozlinus ſæpe dictus epiſcopus, piis ac ſanctiſſimis operibus approbatus, plenus dierum & bonarum virtutum inſignibus, ſuæ complens tempora vitæ, magno mœrore & luctu omnium, quadrageſimo quarto *f* ordinationis ſuæ anno, delatus à clero & populo in Buxerienſi *g* cœnobio, quod ipſe à fundamentis longè antè conſtruxerat; digniſſimam, ſicut vivens juſſerat, accipit * ſepulturam inter choros virginum, quas illic plures numero vitæ diſtrictioris aggregaverat, longis ſæculis in Dei laudibus excolendam. Cujus dies depoſitionis VII Idus Septembris agitur, ſub obtentu Dei Genitricis & perpetuæ Virginis Mariæ in ſæculum permanentis.

f

g

* *al.* accepit

B

ANNOTATA.

a *Chartæ geographicæ in circulo Weſtphalico ad dexteram Luppiæ fluminis ripam pagum ſeu tractum* Dulmenſem *notant cum ejuſdem nominis oppido, quod ſex circiter horas itineris ab urbe Monaſterienſi abeſt.*

b *Prope fluvium Salam (la Seille) in Lotharingia oppidulum jacet, vulgò* Vic *dictum: cùm in Lexicis geographicis legam ibi ſalinas eſſe, illud per* Vicos ſalinarum *hîc deſignari puto.*

c *Jacet prope Tullum ad alteram Moſellæ ripam & vulgò* Gondreville *vocatur.*

d *Ex his patet, ruſticos illos non fuiſſe ex Barrenſi ducatu Auſtrali, cujus incolæ Leuci erant & diœceſi Tullenſi ſuberant, atque etiam nunc hodie ſubſunt; ſed ex Septemtrionalibus ejuſdem ducatûs partibus, epiſcopo Viroduhenſi ſubjectis.*

e *In editione Martenii & in Ms. Ochſenhuſano additur* raptoris.

f *Certum eſt, Gauzlinum non vixiſſe ultra annum* 962: *at* IV *Nonas Martii anno* 922, *mortuo Drogone Gauzlini deceſſore, ſedes Tullenſis vacabat, uti conſtat ex charta Caroli Simplicis Francorum regis, dicto die & anno exarata, quam dat Calmetus tom.* I *Hiſt. Lotharingicæ in Monumentis col.* 335: *aberrat igitur Adſo, dum Gauzlinum obiiſſe ſcribit* quadrageſimo quarto ordinationis ſuæ anno.

g *Vide de eo Comment. num.* 53 *in fine.*

C

D

CAPUT III.

Sub epiſcopo Gerardo, abbatiæ S. Manſueti fundatore, pluviâ agros recreat; manum uſui aptam reddit, puerum contractum curat; Gerardum excitat, ut Officio nocturno interſit.

Gauzlini ſucceſſor Gerardus

UT verò adhuc competens hiſtoriæ noſtræ rei veritas & ordo conſequatur, hujus ſanctiſſimæ & intemeratæ Virginis Mariæ præeunte gratia & virtute, necnon & beati protomartyris Stephani ſanguine coruſcante, cui urbs tota innititur, univerſus populus meritis ſanctificatur & regitur: hæc eadem Leuchorum civitas ſuo, ut dictum eſt, rectore deſtituta, nequaquam diutiùs eſt, Deo diſponente, peſſumdari permiſſa. Nam votis utriuſque fidelium ordinis, aſpirante gratia * divinæ Majeſtatis, triumphatoris invicti domni videlicet Ottonis * auguſti decreto ſtatuente, agente quoque germano ejus domno Brunone pontifice, Gerardus Coloniæ civitatis * oriundus, in clero genere & religione præclarus, deſtitutæ Leuchorum urbi futurus deſignatur epiſcopus. Qui ſiquidem cùm eſſet eccleſiaſticis inſtitutis adprimè eruditus, regnante in perpetuum Domino Salvatore, dum nongenteſimus ſexageſimus tertius ejuſdem ſanctæ Incarnationis ageretur temporum curſus, omnium unanimitate acclamante * fidelium, in hac eadem [eſt] ſede inthronizatus pariter & aſſumptus.

E

* *Ochſenh. & Diling.* clementia

* *ibid.* Othonis vicelicet

* *Diling.* civibus

* *ibid.* acclamantium *monachis, apud ſepulcrum S. Manſueti Dei laudes canentibus, abbatem præponit, iiſque benefacit:*

43 Hic itaque in primis dum ſibi commiſſam urbem expeteret, in præfatum beati Manſueti oratorium, quod fortè obvium habuerat, primo ingreſſu divinitus, ut creditur, menti incidit, quòd illic requiem in ſæculum ſæculi & habitationem electam ſecundum prophetiæ vaticinium, eodem currente * verſiculo, ſibi præſignavit *a*. Et hæc, ut patet liquidò, circa eumdem locum potioris devotionis cauſa fuit pariter & ſalutis augmentum. Nam rerum competentium diſpenſatione compoſita, non longo temporis interjectu, laudabilis memoriæ abbatis Huneberti *b* conſilio, qui tunc temporis beati Apri gloriosè regebat monaſterium, cujus nomen, ut ſperamus & cupimus, libro beatæ vitæ tenetur fixum *, ſuorum etiam conſenſu fidelium, quemdam boni teſtimonii virum, Adam nomine *c* moribuſque fulgentem *, verbis & actibus inſtitutum, eidem loco abbatem præfecit & rectorem. Ex his verò, quæ ad ſe videbantur pertinere, rebus locum decenter ampliavit, & numerum Deo famulantium ſecundum regularis vitæ diſciplinam fideliter inſtruxit. His tandem ita geſtis, quia hæ res in propatulo conſtant & [ſolitò diſponuntur,] cœptæ hiſtoriæ ſeriem proſequentes, ea omnia opera, quæ * præſentis domni Gerardi pontificis tempore beati virtute Manſueti geſta ſunt, breviter explicemus.

ibid. affixum

a

b

c

* *Ochſenh. & Diling.* moribus præfulgentem

F

44 Suſpenſis cælo imbribus inimica frugibus magna & illius temporis inuſitata ſterilitas arvis ſqualentibus incubuerat. Deinde, tellure fatiſcente,

* *ibid.* ea, quæ hujus *tempore ſiccitatis Sancti corpus in ſolemni ſup-*

A cente, laboribus hominum æſtu nimium irruente penè concrematis, exuſtæ terræ, dictu horrendum! cultura deperibat: & ut in ultionem infidelis populi invectione Domini longè antè probatum * fuerat, cælum deſuper ſpeciem minabatur æream, deorſum verò terra crudelis prætendebat ferream. Hoc autem indies iræ cæleſtis effulgurante judicio *, juſſu pontificis plebi æſtuanti agendum triduo jejunium indicitur: & quia facilè non valet contrairi divinæ ultioni, præſulem expetunt, beati Viri corpus arentium agrorum finibus deferendum, utpote areſcentibus * his æſtibus miſericorditer opponendum. Quid plura? Aſtante domno Pontifice & plebe univerſa, exponitur de loco, in quo pridem jacuerat. Dant voces in excelſis, cæleſtibus perſonant hymnis Deum laudantes; & flebilibus B. Manſueti [patrocinium vocibus implorantes. Quibus cum corpore ſancti Manſueti] medio procedentibus, ut oſtenderetur divinitus, cujus in terra ferebatur corpus; tantus de cœleſtibus fragor repentè bis inhorruit, ut voces rumperet pſallentium, & corda ſtupentia redderet ſingulorum. Ita attonita multitudine, quæ ad duo millia hominum, vel eo ampliùs undecumque eo die confluxerat, ad locum ſancti Apri, quò ire decreverant, perducuntur. Illa verò æſtuoſa cæli

B ſerenitas, quæ ardente Syrio terras videbatur exurere, in nubes mox cœpit denſeſcere, & datis largis imbribus, impetrati roris gratiam pleniter miniſtrare. Quid verò interim contigerit, non eſt ſilentio præterire.

45 In hac copioſa multitudine, quæ tantum ſpectaculum impleverat, hujus tunc urbis comes Sindebauldus *e* eorum unus erat. Is cum Immone quodam, domni præſulis non ignobili milite, ſancti Viri glebæ * ſe petiit ſupponi deferendæ: quem ſcilicet præ doloribus omni humano officio deſtituta manus valde fatigabat. Hanc jamjam * ſalvandam aliter deſperaverat, quàm ſi, ut aſſolet, uſtione depelleret, quod graviter dolebat. Depoſito verò beati Manſueti, quod ferebat, corpore, expletiſque Miſſarum ſolemnibus *, ita manum morbo liberam, cunctis videntibus, extulit, acſi unquam priùs doloris nihil ſenſerit. Cujus rei adhuc eſt ipſe teſtis certus, ſi à quolibet fuerit requiſitus.

C 46 Hinc verò abeuntes cum illo ſuo cæleſti theſauro urbem ingrediuntur, magno reſultantes divinæ modulationis tripudio. Sacris deinde illius noctis vigiliis inſiſtentes, præſenti beati Viri corpore, dedicant baſilicam, quam ipſe præſul à fundamentis antè conſtruxerat, Sanctæ Dei Genitricis, ſanctique Manſueti honore venerabilem; quæ ex tunc & modò ſancti Manſueti magnificè illuſtratur meritis, ubique * ſolvuntur vincula peccati aggravantis.

47 His autem ita compoſitis, beati Viri corpus ſedi propriæ referre * cupientes, obvium quemdam habent ruſticum magnificis * vocibus ejulantem. Hic ulnis impoſitum ſui mœroris miſerum decem annorum filium attulerat, cui nervorum implexio ſpinæ dorſuali veſtigia fixa retinebat. Qui cùm ſancti Viri glebam ad templum lamentis proſequitur; Judæus quidam, qui tum fortè ſe turbis miſcuerat, centum blaſphemias ludibriis rabidi oris evomens, preces rogantis invehitur; Heus tu, inquiens, quid mortuum inſequeris? Quid clamoribus aëra confundis? Quid ab immoto beneficii petiturus accedis, cùm ego equidem ipſe vivens multò defuncto præſtantiùs proſim, ſi vota contuleris? His auditis, valde indignatus, qui præſens aderat, pontifex aſtantibus fratribus, Heu me, inquit, quid veneramur, quid colimus? Aut enim nulla Sancti virtus, quâ lætificetur Eccleſia, quâ Judæi confundatur veſania: aut certè pro eo alter colitur, qui dum putatur, hic nullo modo retinetur. Interea, populis alia procurantibus, expoſiti pavimento pueri nervorum ſubitò rupta connexio ſanguine cœpit defluente * diſſolvi; & dum nititur manu Sancti glebam inrepere, in pedes conſtitit, & iter, quod numquam noverat, propriis nitens greſſibus, turbis mirantibus, recognovit. Sic ſanctus Vir, ut voluit, gratiam virtutis exhibuit, & ora flentium in gaudia commutavit. Puer autem in teſtimonium facti uſque in præſens tempus ſtipendiis eccleſiæ confovetur.

48 Inter cætera autem hujus beatiſſimi Viri huic pontifici virtutum experta beneficia, illud etiam addimus, quod ejus relatione nos certos fuiſſe non dubitamus. Cùm adhuc in eodem cœnobio Sancti præſens contubernio eſſet, abeunte die Sabbati, nox funditur, quia * videlicet Dominica ſolemnitas in craſtinum ſperabatur. In qua cùm maturiùs Fratres ad divinæ ſervitutis præconium ſurgerent; epiſcopus præteritorum labore defeſſus, lecto decumbebat, gravi ſopore depreſſus. Interim illis conſueto more laudes agentibus, ſoporato pontifici, cùm jam dãret albentes pallens aurora recurſus, aſtitit Vir quidam aſpectu venerandus, ſtolâ candidiſſimâ coopertus, habitu præcipuus, ſtaturæ quantitate profuſus, ut nil aliud videretur, quàm ſanctus Manſuetus. Qui cùm divinus Viſitator cubiculum quieſcentis intraret, quadam impellente virtute, oſtia contiguæ ſubitò batuêre feneſtræ, ac radio vibrante domus reſplenduit omnis. Tum ille Vir clarus ad ſtratum præſulis ſoporati acceſſit, manuque corpori ſuperpoſita, levi * agitante motu *, nam cæteri jacentes circumfuſi tanto ſopore tenebantur innexi, ut vix facto ſtrepitu inruente quiete laxari potuiſſent; eum excitat, dicens: Quid dormis? Quid aliis ſacras vigilias agentibus, tu tanto ſopore deprimeris? Atque ut ejus verba ipſa retexam, mox ſubjunxit: Non enim dormientibus pervenit regnum Dei, ſed vigilantibus. His auditis, pontifex ſomno excitus, eccleſiam tremebundus irrumpit, magnoque terrore concuſſus, pudore profunditur *, quòd his officiis exſors ita tardiùs interêſſe * videretur. Cujus rei teſtis non ſine ſui pudore refert, quid in illo ſit paſſus ſecreto cubiculi virtute præſtanti beati Manſueti.

E

ANNOTATA.

a *Gerardus in eodem* S. Manſueti *oratorio, ad quod precandi gratiâ digreſſus fuerat, cùm Tullum in ſua ſede inſtituendus anno 963 duceretur, ſe ſuamque diœceſim illius tutelæ commiſit, atque inſuper Deo vovit, ſe edis ſacræ reparationem ſub deceſſore Gauzlino inchoatam ad perfectionem deducturum, nullamque ſe neglecturum occaſionem providendi rebus neceſſariis religioſorum, qui ibi degebant. Vide Comment. num.* 46 & 50.

b *Apud Martenium eſt* Huneberti, *in Ms. Dilinguno* Gumberti, *in Ochſenhuſano rectiùs* Humberti: *nam ita nomen ejus ſubſcribitur inſtrumento donationis, an.* 957 *cœnobio S. Apri factæ, quam dat Calmetus tom.* 1 *Hiſt. Lotharingica in Monumentis col.* 364.

c *Martenius, qui eodem, quo Calmetus Man-*

A. ADSQUNE ABB.

tempore Vigiliarum nocturnarum Gerardo apparet, quem excitat, ut iis interſit.

qui in ſacra proceſſione illud tulerat, gravi malo alterius manus liberatur:

templum conſecratur Virgini Deiparæ & S. Manſueto,

qui puerum contractum ſubitò ſanat:

* *al.* lenî

* *Ochſenh.* tactu

* *ibid.* diffluente

* *al.* perfunditur

* *Ochſenh. & Diling.* ineſſe

* *Ochſenh. & Diling.* graſſantibus,

* *al.* ibique

* *ibid.* magnis

* *Ochſenh. & Diling.* referri

* *ibid.* indicio

* *ibid.* quâ

* *Ochſenh. & Diling.* ſolemniis

* *id eſt,* corpori

* *al.* jam

* *ibid.* indicio

A. ADSONE ABB. *ſuetino ſeculi* XI *codice uſus fuit, voces* Adam nomine *parentheſi includit; notatque eas recenti manu additas fuiſſe. Non leguntur in exemplaribus Mſs. Ochſenhuſano & Dilingano, quæ ex codice Manſuetino ſeculi* 12 *primùm accepta fuere.*

d *De abbatia* S. Manſueti, *quam epiſcopus Gerardus fundavit, de beneficiis, quæ ex voto vel pia liberalitate eidem contulit, de ſingulari erga Sanctum devotione & ingenti fiducia, quam in ejus patrocinio collocarat; ex variis monumentis certa fide dignis multa in Comment. à num.* 46 *uſque ad* 59 *produxi, quæ Adſo vel ignoravit vel ſilentio præteriit.*

e *Signo* Sindebaldi comitis Tull. *firmatur inſtrumentum anni* 971, *quod exſtat apud Calmetum laudatum à col.* 383.

CAPUT IV.

Peſtem ſævientem ſedat; Gerardum epiſcopum gravi morbo liberat.

B

Poſt geminam tempore peſtilentiæ * *Ochſenh. & Diling.* ſub ea

SEd quia gloria regis eſt celare verbum, Domini autem inveſtigare ſermonem; veniam ad illud quoque, quod ea ſub * tempeſtate hujus beati Viri meritis fuiſſe probatur oſtenſum. Non multo pòſt tempore ulciſcendis obnoxia facinoribus omnium divinæ animadverſionis ſeveritas peccata perſtrinxerat populorum. Morboſæ calamitatis clades acta Dei judicio per populos incanduerat. Nam inſtar inguinariæ peſtis, quæ quondam populos Italiæ corripuerat *a*, quidam litteralis * dolor ubique redivivo germine ſpargitur ac lethiferis invaleſcens ſucceſſibus, regionum finibus latè pervagatur! ſicque quodam malo * auſpicio, ſerie cumulata morborum, plebes pereunt, populi concidunt, ſine differentia utriuſque ſexus & ordinis volvuntur agmina mortuorum. Nec is, qui tali dolore corripitur, ultra triduum vix ſupereſſe ullo modo permittitur: & quid in aliis fieret terrarum partibus, incertum. Hanc urbem clades ita ſuperveniens irruperat, ut ad unum quemlibet, exceptis aliis diverſarum eccleſiarum, locum, ſicut idem pontifex non ſine gemitu memorabat, denos vel ſeptenos mortuorum loculos ſub oculis aſpiceret inferri tumulandos.

a

* *ibid.* lateralis

* *al.* malorum

C

ſupplicationem, in qua S. Manſueti

50 Arctatur pontifex plurimorum periculo morientium, tandem id conſilii menti infunditur, ut videlicet idem protector beatus Manſuetus, ex quo fuerat poſitus loco iterum aſſumptus, tamquam inter viventes & mortuos medius opponatur. Itaque triduano præmiſſo jejunio, conſultu habito, videtur epiſcopo congruum, ut collectis denuo populorum undique catervis, beati Viri corpus ad eccleſiam ſitam Scropulis *, quæ beatæ Dei Genitricis Mariæ ſæpiùs ſolet illuſtrari miraculis, debeat deſtinari, tamquam apud cæleſtis Imperatoris ſummam Imperatricem, matrem omnium ſanè ſuarum ovium, commiſſa legatione perfungi. Sicque hoc facto viſa eſt clades illa à ſuo aliquantulùm fervore miteſcere.

* Ecrouves *prope Tullum.*

corpus circumferebatur, inſtitutum

51 Sed nec ſic paventium populorum terror abſcinditur. Nam iterum beati Viri glebam humeris imponentes, principale ejuſdem Dei Genitricis Buxeriarum *b* cum choris permiſcui * ordinis pſallentium, erectis in Dominum * cordibus expetunt cœnobium; ibique præſente domno Gerardo pontifice exacta nocte illa, dum reditum geſtiunt, dici jam ullo modo non poteſt, quàm incredibili multitudine ſtipatæ populorum cohortes, confuſo ordine turbas miſcuerunt * ex vicis, ex agris, ex diverſis partibus in unum repentè coëuntium. Hinc ſacræ virgines, illinc innumerabiles Chriſtianæ fidei greges, ad littus Murtenſis *c* fluminis uſque properantes; ubi ab incolis loci illius votivè petentibus acceptum eſt beati Viri venerabile corpus. Et cùm jam ſatis viſa illis * fuerit excreviſſe aquarum immenſitas, liberis inter undas veſtibus ad renes uſque aquis convoluti, dicti ſunt alveum pedibus tranſmeaſſe, non ſine admiratione multorum. Hinc omnis illa popularis turba progrediens, lætis cum jubilo greſſibus vallatam undique catervis Sancti Viri glebam ad propriam ſedem non ſine voti ſui munere referunt. Nam coactis inter aëra nubibus, tantus priùs imploratus imber cœlo profluxerat, quantus arenti terræ ſufficere planè potuiſſet.

D

b

* *al.* promiſcui

* *al.* Deum

* *al.* miſcuerint

c

* *Ochſenh. & Diling.* illa; *Marten.* his.

E

populus ejus opem expectat:

52 Tandem igitur templi januam cum laudibus propinquantibus, mox tantæ claritatis jubar illud venerabile corpus viſum eſt præceſſiſſe, ut tota eccleſiæ domo effulgurans, manifeſtè daret intelligi, quàm divinum eſſet, quod templo ſancto videbatur inferri. Tunc ſonitu confuſæ multitudinis rumpitur concentus cœptæ modulationis; verſiſque in contraria votis, cœperunt plures flere præ gaudio, dum neſcirent cur flere debuiſſent, niſi quòd Sancti pietas ſupernæ infuſionis affectum ſuorum concitaverat in mentibus filiorum. Nec verò præſens antiſtes à lacrymis temperat, qui illius dulcedinis communem cum populo ubertatem mirè ſentiebat. Et ecce clades illa, quam [in perniciem] hominum effuſam eſſe diximus, favente iſtius noſtri *d* Protectoris meritis gratia Domini Redemptoris, ſic ſuis deſuevit proceſſibus, ut palàm cognoſceret univerſus populus, quòd pro domo Iſraël in die Domini ſtaret ex adverſo in prælio ſanctus Manſuetus, ſuarum omnium ovium adjutor præſtantiſſimus factus *e*.

d

F

e

ad quem in gravi morbo confugiens epiſcopus Gerardus

53 Libet quoque illud huic noſtræ narrationi inferere, quod penè noſtris omnibus præcedenti tempore ad laudem quoque iſtius beati Viri notum eſt contigiſſe. Et quia prædictus epiſcopus * eſt in cauſa *f*, non derogat perſonæ præcellenti Divinitati debita clementia porrecta peccatori. Severitate igitur flagelli percuſſis plebibus, Sanctorum meritis exempti, cæleſti diſciplinæ præfatus quoque pontifex ſubditur, ut tactus ex verbere celeriùs agnoſcat, quia unus eſt Dominus præpotens, qui percutit & ſanat. Ergo ut plura reticeam, qui multis aliis orationum fomenta porrexerat, gravi preſſus incommodo, valdéque ſe habens ægrè, infirmus decumbebat. Nulla huic virtus, nullus vigor remanſerat *; toto corpore contabeſcens, nec ſomnum nec cibum capere valdè debilitatus poterat: vitam exoſam ducens inter anguſtias, de imminenti funere ſolummodo cogitabat. Quid faceret, quò ſe verteret anxius, neſciebat: plebes abſolvens, ipſe à plebibus abſolutus, ſolum exitum mœſtus exſpectabat. Cujus quidem infirmitatis ita exprimimus incommoda, ut videlicet oſtendamus, quanta per beatum Manſuetum hanc ſit gratiam * ſubſecuta.

* *ibid.* pontifex

f

* *Diling.* exemptis

* *Ochſenh. & Diling.* permanſerat

* *Marten.* gratia

54 Nam hac invaleſcente moleſtia, cùm penè

A *sanitati restituitur.* nè jam jamque in extremis ageret, ternasque continuè hebdomadas insomnes lethaliter duceret; ad notum sancti Mansueti refugium, urgente morbo, recurrere ægrotus deliberat. Obstat è contra militum *g* familiare obsequium, ne videlicet, sicut rumor fuerat, si contingeret dominum in ordinem monasticum converti, eos quoque pariter rebus domesticis cum domino privari. Quæ scilicet res eorum mentes animosque confuderat. At ille, qui vim laboris torquentis insenserat, rumpit obstacula prohibentium; beati Viri suffragium festinus impetit; totum se ejus apud Deum interventioni committit; tam suis quàm Fratrum orationibus studiosiùs incumbit; votaque sua Deo ac sancto Mansueto imo pectore deferens non priùs abstitit, quàm redeuntis salutis, Domino * miserante, sanctique Mansueti virtute conferente, sperata beneficia persensit. Quod usque hodie idem pontifex non sine suspiriis solitus est referre, quanto eo tempore fuerit incommodo depressus, quàm potenti interventu Sancti extiterit cælesti medicina salvatus. Et quia aliqua de Sancti hujus virtutibus, præsentis in carne pontificis tempore gesta, brevi calamo, ut ita dicam, sodalem sibi libellum ejus imperio exsoluturus *; nunc in his quoque finem faciamus, adjuti ejus orationibus, aspirante gratia Domini Redemptoris *h*.

* *al.* Deo

B * *Ochsenh. & Dilingan.* exsolvimus, *Marten.* absolvimus

h

ANNOTATA.

a *Scilicet tempore S. Gregorii Magni. Lege Comment. num.* 56.

b *Quando Tullenses ad* Buxerienſe *monialium Ordinis S. Benedicti cœnobium (quod nunc virginum nobilium, nullis religionis votis obstrictarum, gynaceum est) sacram, quam hîc Adso describere incipit, processionem instituerunt, quinque circitèr horarum iter emensi & remensi fuerunt: nam* Buxeriæ *Tullo tam procul distant. Vide num.* 53.

c Murta (*la Meurte*) *fluvius est Lotharingiæ, qui Nanceium praterlapsus paulò infrà Buxerias, dextera ejus ripæ adjacentes, in Mosellam influit.*

d *In Ms. Ochsenhusano*, sancti Mansueti nostri; *in Dilingano*, sancti istius Viri.

C e *Malum tamen tunc omnino non cessavit. Certè postmodùm non minùs atrociter quàm antè sævire cœpit. Tertiam proinde processionem Gerardus populo indixit, in qua* SS. Mansueti *& Apri corpora per urbis Tullensis plateas circumlata fuerunt. In Comment. à num.* 55 *lector illius historiam ex Vita S. Gerardi, ab auctore suppare Widrico litteris mandata, transcriptam inveniet. Si eam conferat cum Adsonis narratione, manifestè apparebit, hunc scriptorem & Widricum agere de diversis supplicationibus, tempore pestilentiæ institutis. Eam autem, quam Widricus posteritati tradidit, tertiam seu postremam fuisse, deducitur ex observationibus, quas dedi num.* 53. *Porrò ultima supplicatione peracta, Deus, inquit Widricus*, statuit finem sævientis plagæ: nec quisquam ampliùs eodem anno est conquestus se artari solitæ pestis gravedine.

f *Mabillonius lib.* 48 *Annalium num.* 14 *scribit, Gerardum, postquam villas Angeriacum & Molesiacum abbatiæ* S. Mansueti *subtraxisset, quas ei antea donarat, in gravem febrim incidisse, eâque tam diu afflictum fuisse, donec villas restituisset. Mabillonii narrationem, quam ex ipsius Gerardi charta, anno* 974 *conscripta, extraxit, adduxi in Comment. num.* 52. *Cùm ab Adsone hîc asseratur* prædictus episcopus . . . in cauta *fuisse, quòd scilicet morbum contraxerit, à quo dein eum per* S. Mansuetum *liberatum fuisse narrat; haud dubiè lector mecum judicabit, Adsonem agere de isto morbo, quo modestissimus præsul in charta anni* 974 *apud Mabillonium agnoscit, se correptum fuisse, quia villarum donationem retractarat.* A. ADSONE ABB.

g *Eorum intentio non fuit impedire, ne Gerardus ad Patroni sui auxilium confugeret; sed ne deferretur ad cœnobium* S. Mansueti. *Timebant scilicet, ne, uti è sequentibus patet, episcopatu abdicato, ibi monachus fieret. De ipso id rumor vulgarat: qui unde ortus fuerit, facilè colligi potest ex Adsonis verbis suprà num.* 48; Cùm adhuc in eodem cœnobio Sancti præsens contubernio esset *&c.*; *& ex testimonio Widrici in Gerardi Vita*; Instinctu piæ devotionis locum sancti Mansueti vir Domini summo amore excolebat. *Amoris in monachos ibi degentes & devotionis erga* S. Mansuetum *tot argumenta Comment.* § 4 *protuli, quot beneficia ibi recensui à pio & liberali præsule illis collata.*

h *In editione Martenii adjicitur:* Explicit liber II de Vita & virtutibus S. Mansueti. E

MIRACULUM

QUOD CONTIGIT ANNO MIX,

auctore anonymo,

Editum à Martenio tom. 3 *Thes. anecdotorum à colum.* 1024, *& Calmeto tom.* 1 *Hist. Lotharingicæ in Monumentis à col.* 104 a. 4

F *Puella Anglia,*

A Transmarinis quoque partibus venit Godelindis nomine quædam muliercula, utroque parente ex Anglorum prosapia, gestans in læva ferri ligamina, non pro obsessione dæmonis, sed ob materni effusionem sanguinis: quod qualiter contigerit accidisse, volumus summatim evolvendo meminisse. Hæc habebat patrem nobilem, matrem verò natalibus non imparem, caducarum dignitatum ditissimos, filiorum etiam propagine circumdatos. Mors itaque genitorem occupat, qui natorum non immemor genitricem vocat, & extrema voce mente supplex obsecrat, ut affectu materno gregem prolis custodiat. Quæ mox ut maritus obdormit *, cuncta ejus monita surda aure præterit. Nam à filiis sublato castello, jure paterno tradito, rursus copulavit se infausto conjugio. Hinc perditum ire optans orphanos, conatur novus sponsus exterminare pueros expulsos à propriis veluti extraneos, exceptâ illâ, quam prædiximus; quia sexus defendebat femineus puellulam ejectum iri ab ædibus genialibus.

* *apud Martenii* obdormivit

2 Tandem unus eorum clericus, non ferens injuriam, armavit in vitricum parricidalem dexteram; cui memorata soror præbuit se sociam, molestè *parricidii rea, cui pœnitentiæ brachium*

A. ANONYMO. *ſiniſtrum duobus vinculis ferreis conſtrictum fuerat,*

moleſtè ducens fraternam miſeriam. Denique præparatur nocturnum prælium, nulli quidem præter germanam cognitum : & dum frater irrumpere accelerat, ſimul iſta caſtelli portas reſerat. Ecce autem cum complicibus ſuis obſidet domum privignus, in qua jacebat vitricus ; vique diſruptis foribus, ſtatim replentur aditus, trucidantur quique ab introëuntibus. Intereà reliquit ſomnus vitricum, & ille citus lectum mortiferum. Procedunt ambo ad oſtium cubiculi, horrore tacti præſentis exitii. Cúmque ad venientem inimicum perrexiſſet clericus, robur virtutis collegit, mixtâ irâ intrinſecùs ; connixuſque toto corpore, dirigit telum cum infando vulnere. At ille celer motu plagam vitans refugit ; ſed conjux poſt tergum ſtans ſubter pectus excipit, atque à filio mox ſuſcepto vulnere exhalat vitam inundante ſanguine. Hoc crimine ſæpe dictus clericus ligatus interiùs, à ſuo pontifice pœnitentiali ferro vincitur exteriùs, ac toto trunco corporis artatur ſtrictis circulis. Porro ſoror conſentanea huic malo peſſimo, accepit duos in ſiniſtro brachio, ut pœnitudine lamentabali ſatisfacerent inaudito ſceleri *b*.

b

B *apud tumulum S. Manſueti uno liberatur :*

3 Tunc ſimul pergunt Jeroſolymam, & in remeando frater depoſuit vitam corpoream. Hæc autem, de qua fit ſententia, ſqualore longo languida, tulit pedem ad noſtra penetralia. Quid verbis immoramur loquacibus ? Patri noſtro Manſueto ſe commiſit. Protinùs illius ſuffragia totis orans niſibus, continuat paucos dies in indefeſſis precibus ; ſed oppugnat Manſuetus crimen armis inviſibilibus. Tandem rigor ferri diſſolvitur, morſu ſciſſo ligaminis ; brachium ex parte eripitur, quod erat duplicis ſub poteſtate vinculi, cùm adhuc anima cippo prorſus teneretur piaculi : alter quippe circulus non eſt viſus decidiſſe, ut liquidò pateſceret, Sanctum jam partim crimen deleviſſe, partim verò delendum diſtuliſſe *c*.

c

hinc ad S. Udalrici ſepulcrum pergens, à Sancto noſtro, ut ad ſuum redeat, iteratò monetur :

4 Illa autem, prorſus * ſuſcepto peregrinationis baculo, cum laïco fratre, nomine Rodulfo, qui ſecum venerat charitatis beneficio, ſed nequaquam hujus delicti illaqueatus contagio, profectum ire diſponit ad ſancti Odelrici merita, quæſitum ire ipſius devota mente juvamina, cujus corpore reſplendet Suava Ausburgia *d*. Cùm igitur perveniſſet Voſagina nemora, ad beati Deodati limina *e* ; offert ſe ei medicina unica, ſcilicet almus Manſuetus in quiete ſomnifera, datque ut revertatur mandata ſalubria. Quæ tamen cœptum iter perficit, viſionemque vilipendens, ludibundam aſſerit, ac urbem Argentinam *f* greſſum movens arripit. Itaque Beatus horis ſub ſopilibus *g* regredi eam commonens attentiùs, prædocet laboraturam fore periculis frequentibus, ſi viam prohibitam temptaret ulteriùs. Cujus dictis recitata Godelindis inobediens, ſuperfluo calle molitur ut * geſtiens.

d

e

C

f

g

* *ibid.* iter

tandem revertitur,

5 Fit igitur juxta verbum Sancti anxietas non modica ; ingruit latronum fraudulentia, frigorum tremebunda moleſtia, egeſtatis auſteriſſima miſeria, inediæ calamitoſa penuria, & ut compendio concludam anguſtiarum ſummulam, comedendo caſeum & quæque reliqua violavit Quadrageſimam *h* : ſicque pœnituit tetigiſſe plantis cum * audacibus viam, quam vetuerat Manſuetus inclytus. Ecce autem regreditur propemodùm exanimis, atque compulſa doloribus acerrimis perſeverat votivis cum excubiis, implorans Sanctum nomine ac ſuſpiriis. Solventibus autem Fratribus Domino nocturnas Vigilias, hæc ſemper offerebat uno corde lacrymas ; donec ad ſupremum congemuit, atque voce plorabili ejulando infremuit ; Heu, inquiens, ſancte Manſuete, miſeram cur projicis ? Peregrinam ſemivinctam abire cur pateris ? Numquid dabis videre hominibus, ut ita dicam, imperfectionis tuæ dedecus ? En cras à te decedens longa morte moriar, væ mihi ! & ab expectata ſalute extranea efficiar.

h

* *ibid.* eam

D

6 Talia dolendo duplicato genu dixerat, ſeſeque plangens ab altari ſeparat, necnon lectulum inſuetò ire deſiderat : cum repentè ferrum ſtridens reſilit, ita ut aures cuſtodis eccleſiæ ſonitu perculerit. Siquidem ipſa ſtatim in pavimento corruit, fugatoque anhelitu, prorſus muta ſiluit, jacens quaſi omnino ſine ſanguine, cervice flexa, ſupinato capite : quam proſecutus janitor eccleſiæ invenit abſque vitali effigie ; idque curioſo digito *i* patri monaſterii properat innuere. At ille occurrit ſollicitè, recurviſque digitis temptat ferrum evellere *, quod viribus adhibitis vix valuit ejicere. Poſt aliquantum verò integræ horæ ſpatium ſenſit reductum intra pectus ſpiritum, ſenſit penitus extinctum piaculum, ſenſit à vinculo abſolutum brachium ; & petitâ Liberatoris licentiâ, cum gaudio remeavit ad propria. Prædicti tamen circuli pendent ad pedes crucifixi Domini, quorum prior Kalendis Januarii proruit, necnon alter XIII Kalendas Junii cecidit anno ab Incarnatione Domini nono & milleſimo, pontificante Tullenſe * eccleſiam domno Bertoldo epiſcopo, Indictione VII.

atque altero vinculo brachium ejus eximitur.

i

* *ſequentia ibid. omittuntur uſque ad* Poſt *&c.*

E

* *ibid.* Tullenſem

ANNOTATA.

a *In codice Manſuetino ſeculi* XI *libro* 2 *Adſonis proximè ſubjicitur miraculum, cui ſcriptor anonymus hunc titulum præpoſuit :* De puella circulis ferreis aſtricta, quemadmodum ad ſepulchrum ſancti Pontificis fuerit abſoluta. *Martenius & Calmetus citati illud ex memorato codice ediderunt. Datur hîc ex Calmeto recuſum. In lectionis varietate aſſignanda conſtitui eum nunc & deinceps modum ſervare, quem poſt Adſonis præfationem in fine annotationis ad literam* b *indicavi.*

b *Parricidis ſeu proximorum conſanguineorum interfectoribus olim id pœnitentiæ imponi ſolebat, ut eis nudum corpus vel brachia uno aut pluribus vinculis ferreis arctè ligarentur, ſicque Hieroſolymam, Romam, vel ad alia loca ſacra mitterentur. Aliis ad certum tempus, aliis totâ vitâ iſto in habitu peregrinandum erat. Si contingebat, ut Sanctorum, quorum ſepulcra frequentabant, meritis vincula diſrumperentur, crimen expiatum cenſebatur. Exempla ſi lector deſideret, adeat Gregorium Turonenſem lib. de Gloria Confeſſorum cap.* 87, *& Mabillonium tom.* 1 *Annalium pag.* 87 *& ſeq.* ; *tom.* 3 *pag.* 7, 56, 104, 296 *&* 647 ; *tom.* 4 *pag.* 243 *&* 323. *Carolus Magnus ejuſmodi pœnas haud probavit : unde in Capitulari Aquiſgranenſi apud Sirmondum tom.* 2 *Conciliorum pag.* 154 *ſtatuit*, ut.. non ſinantur vagari & deceptiones hominibus agere.. iſti nudi cum ferro, qui dicunt ſe datâ ſibi pœnitentiâ ire vagantes. Meliùs videtur, ut, ſi aliquid inconſuetum & capitale crimen commiſerint, uno in loco permaneant laborantes & ſervientes & pœnitentiam agentes, ſecundum quod ſibi canonicè impoſitum ſit. *Hæc Caroli Magni ſanctio obſervata non fuit : nam ſeculo* IX *& duobus ſequentibus dictum pœniten-*

F

tia

A *tiæ genus adhuc in uſu erat : quemadmodum Mabillonius tom.* 1 *Annalium pag.* 88 *variis exemplis oſtendit. Illud autem in Anglia quoque uſitatum fuiſſe probat ex teſtimonio Wolſtani in verſibus de miraculis S. Swithuni epiſcopi Wintonienſis.*

c *Nullum aliud hîc ſancti beneficium agnoſco, quàm quod Godelindem à pœnitentia, quam acceperat, partim liberarit. Siquis inſuper credere velit, unius vinculi ſolutionem ſignum fuiſſe, ex pœnis temporalibus tantum illi fuiſſe remiſſum, quantum adhuc remittendum ſupererat, ei me non opponam. Quod ad criminis culpam & ſupplicium æternum ſpectat, illa partim non condonantur : neque iiſdem obnoxia fuit Godelindis, quouſque unum vel utrumque vinculum à brachio diſſiliret, ſi antea actum contritionis perfecta elicuerit. Hæc certiora & notiora ſunt, quàm ut demonſtrari ſit neceſſe.*

d *Id eſt*, Auguſta Vindelicorum (Augsburg) in Suevia *Germaniæ provincia. De celeberrimo urbis iſtius antiſtite S. Udalrico actum eſt ad diem* 4 *Julii.*

B e *De S. Deodato, primùm epiſcopo Nivernenſi, dein abbate Vallis-Galilææ in Voſago, egit Henſchenius tom.* 3 *Junii a pag.* 869; *ubi Commentarium prævium ita orditur :* Voſagus mons, ſaltus, ſilva, eremus per confinia Alſatiæ, Burgundiæ & potiſſimum Lotharingiæ extenditur; præbuitque olim variis ſanctis tam eremitis quàm cœnobitis domicilia ſeu monaſteria. *Aliquibus eorum recenſitis, ita proſequitur :* Monaſterium demum Vallis-Galilææ . . . à S. Deodato *ad fluvium Murtam prope confinia Alſatiæ ſuperioris* conditum & excultum fuit; obituque ejuſdem, ſepulturâ ac miraculis clarum : unde ab illo jam pridem nomen accepit oppidum, quod eidem paulatim accrevit . . . vulgo Saint Dié en Lorraine nuncupatum (eſt enim aliud ad Ligerim S. Dié ſur Loire :) ubi pro monachis introducti ſeculo x canonici eumdem S. Deodatum patronum venerantur.

f *Al.* Argentoratum, *vulgò* Strasburg. *Urbs notiſſima eſt in Alſatia inferiore.*

g *Id eſt, tempore ſoporis vel ſomni, ut opinor : nam vox* ſopilibus *à verbo* ſopire *deducta videtur.*

C h *Godelindis, urgente* egeſtatis auſteriſſima miſeria *&* inediæ calamitoſa penuria, *caſeum vel alium quemcumque cibum tempore Quadrageſimæ comedens culpam contraxiſſe dicenda non eſt.*

i Digito, non verbo patratum miraculum innuit cuſtos abbati propter ſilentii religionem, quod nocturno præſertim tempore commendat S. Benedicti regula cap. 42. *Annotatio eſt Martenii.*



D

MIRACULUM

ALTERUM ANNI MXLIX,

auctore Petro S. Romanæ Eccleſiæ diacono,

Ex editione Martenii laudati à col. 1041, *collata cum impreſſo Calmeti exemplari, atque altero Ms.* a.

a

Gloriâ Dei, per Sanctos miracula operantis & crimina ulciſcentis.

BEnedictus Dominus Deus Iſraël, qui facit mirabilia magna ſolus. Benedicatur ubique omnium mirabilis Conditor locorum, mirabilis in locis omnibus Operator. Benedicatur in throno regni ſui, in templo ſancto gloriæ ſuæ, quod eſt in cælo ſurſum; & in terra deorſum; ubi nomen ſuum ſanctum & glorioſum ipſe die quotidie ampliùs atque ampliùs glorificat, mirificat *, exalteat. Siquidem clamat Apoſtolus, " Regnum „ Dei intra vos eſt „, &, " Templum Sancti * ſan„ ctum eſt, quod eſtis vos „. Quòd verò thronus Dei ſint Sancti, ſcriptum eſt alibi : " Ani„ ma, inquit *, juſti ſedes eſt ſapientiæ „. In eis enim Dei virtus & Dei ſapientia, quaſi in quodam ſolio ſuæ potentiæ ſublimi auctoritate ſedet; dum per eos & prodigia facit, & rerum judicia decernit. In tali throno regni ſui, in tali templo gloriæ ſuæ, huc Leucha * nobis pridie demotis *, cùm fortè præclarus beati Apri *b* natalis annuo recurſu patriam repetens illuſtraret, ipſe cælorum Rex omnipotens, cujus honor judicium diligit, & quia ſit juſtus monſtravit, & quia ſit metuendus patenter dilucidavit. Hic eſt rerum judex cordiumque ſcrutator; ante cujus oculos nuda & aperta ſunt omnia, cui nox ſicut dies illuminabitur *, cui nulla tenebroſitas obſcuratur. Quod licèt omnium ſanctarum Scripturarum teſtimoniis adſtipulatione * cognoſcatur, ipſeque * rei veritate ſatis ſuperque credatur; ex evidenti tamen & terribili ſigno, quod ipſe in dilecti ſui * veneranda feſtivitate ante corpus ejus agere voluit, luce limpidiùs advertere licebit.

E

* *Manſuet.* magnificat &

* *ibid.* Dei

* *hæc vox ibid. omittitur*

* *al.* Leucham

* *fortè* devectis

b

F

* *Manſuet.* illuminatur

* *al.* adſtipulantibus

* *al.* ipſaque

* *in Manſuet. additur* Apri *Servus abbatiæ S. Manſueti, cujus pellex ancilla erat abbatiæ S. Apri, ab hoc ſancto ſervitutis tranſlationem*

* *ibid. & apud Calm. additur* mente.

* *al.* ſervilis conditionis

* *al.* prodidit

2 Ruſticus quidam S. Manſueti primi Leuchorum præſulis, vernulæ vernula fruens contubernio ancillæ cujuſdam S. Apri, ſeptimi ab illo paſtoris eorumdem, carnis victus illecebris, vel de ea ſuſceptorum dulcedine filiorum, S. Manſueto corpore ſerviebat, ſed * S. Apro inhærebat. Cupiebat enim quavis quondam tranſferri occaſione ab illius jure ad jus iſtius, ut tam ſoboiem quam parentes ſimplum complecteretur non duplum ſervitutis * jugum. Hoc verò cùm diu multumque inefficaciter intra ſe revolveret, ſicut poſt ipſe prodiit *, accidit eadem ſancti Apri celebri cunctis ſolemnitate, ut inter numeroſam confluentis populi multitudinem, ad honeſtam, ubi venerabile corpus ejus merito honore jacet, eccleſiam ipſe quoque oratum veniret : cúmque jam ſacris liminibus appropiaret, ſubrepere cœpit menti ejus ſervitutis memorata

A. Petro S. R. E. Diacono.

translatio, atque ex intimo cordis sancta deosculans limina stultus orator, & * meminit peccatorum suorum, sed pellicis & filiorum. Sollicitat improbis precibus Aprum per amœna paradisi nemora discurrentem, & hujusmodi petitioni aures avertentem; sicque sursum * ad altare præcipuum conscendens, aliis mediocrem cereum tali plenus voto illic absque ceterorum posuit exemplo,

* *al.* non

* *al.* rursum

malo ex fine petit, eique cereos pecuniâ furtivâ emptos offerent, in dextera graviter punitur.

3 At cùm per quemdam monachorum diceretur ei, cur ad corpus S. Apri * non posuisset, ut alii; facti pœnitens crumenam scrutatur, si quemlibet fortè nummulum reperiret, unde alteram candelam redimeret. Obolum reperit, gaudet, currit, emit duos uno cereolos obolo. Hunc autem perceperat obolum de decimatione sibi credita S. Mansueti, cujus subjacebat conditioni. Cujus verò dextram diligenter cùm aptaret *c*, ut ipsos super sacrum corpus cereolos more circumreverentium poneret; nihil remoratus Aper acerrimus, non sævo dente, sed velut ultrice sententia, hujusmodi oblationem repudiante, in ipsa eum, quâ ferebat, dextera percussit. Nam mirum in modum tam fortiter cœperunt collecti digiti palmæ infigi, omnesque articuli artari, ut præ intolerabili dolore nimis erugiret *, & quod pateretur inclamaret. Confestim maximus in populo rumor exoritur. Stupent, tremunt, quodque * portendat, alter altero * interrogat.

* *alia exempl. addunt* cereum

c

B

* *Mansuet.* ejularet

* *Calm.* quidque

* *al.* ab altero

4 Instrepuit factum domini mei noni Papæ Leonis auribus, qui jam pridem Bruno dictus, ejusdem fuerat loci episcopus; & illuc non tam ad visendam, quàm ad benedicendam & in Domino confirmandam tunc patriam venerat. Hic intra claustra monasterii erat Missarum solemnia celebraturus, cùm res ei jam * perlata est. Venit igitur, vidit, qualiter contigerit audivit. Interea scisciatur hominem, ne * quid criminis egisset, unde hoc meruisset. Rimatur ille conscientiam; nihil recordatur, quod esse adversus beatum Aprum confiteatur, nisi fortè id solum, quod meditabatur, cùm templi limina ingrediebatur. Ita stantem ipse quoque reperi, cùm tunc primùm negotiis dominicis implicitus adveni: complicatos omnes ut in pugnum digitos sic acriter stringentes cereolos aspexi, ut nimiæ strictura pro teste cruor esset, qui candelarum extrema defluens inficeret. Ab omnibus interea multis Aper sanctus questibus interpellatur, sed nullatenus ad misericordiam provocatur. Unum & alterum misei ille ibi diem sub spe recuperationis exegit; nihilque quamvis se S. Apri velle esse diceret, perfecit *.

* *Calm.* proditum

* *adde* magis

C

* *al.* profecit

5 Vesperæ Sabbati adsunt S. Mansueti monachi, suum requirentes, secumque reducentes. Mansuetum suum confidenter aggrediuntur, orantes pervigilem noctem ducunt, piamque facilis Mansueti mansuetudinem præstolantur. Clara poli partem sublimem luna tenebat; cùm quidam fratrum divino motus instinctu, dextrâ perditum * inquisivit, ne quid de officio colligendæ decimationis sibi injuncto surripuisset, unde ei hæc calamitas supervenisset. Qui mox, ad se reversus, qua ratione Aprum *, quàm Mansuetum dilexerit, prodidit; & etiam de obolo patefecit, unde candelas illas, quas adhuc in manu habebat, accepit: & protinùs cum fine verborum facta est extensio digitorum, qui jam, perforatis incredibili impressione carnibus, ad ossa nervosque volæ pervenerant *d*. Ad hæc Deus omnium mirabilis artifex virtutum laudatur, magnique Mansueti meritum longè latéque prædicandum magnificatur. Quod ipsi ubi domino Papæ, clero, populoque in notitiam, facta Dominica luce, pervenit; inter multa gaudia fabula nascitur jocosa: quia quem torvus Aper vulneravit, alacer Mansuetus curavit.

ad opem S. Mansueti confugitur; qui servum malo libe-rat, quo in dextera punitus fuerat.

* *Mansuet.* ad opem S. Mansueti confugiunt

* *al.* ipsa

Miraculi testes Leo IX Pontifex, qui-que illud scripsit, Petrus diaconus: S. Apro frustra invocato,

* *apud Cal. deest hac vocula*

d

6 Allegoris tamen intelligentiæ mentes & in Apro justitiam, & in Mansueto senserunt extitisse clementiam; quamquam non sit veritus * interioris officia membris sic negare, quàm negata reparare. Unde in his duobus sibi contrariis miraculis non est credenda inter sanctos contrarietas voluntatis, qui felicitate potientes inenarrabili, pace collætantur interminabili. Verùm quòd percussit Aper, divinæ animadversionis inevitabile judicium perpendamus; & quòd Mansuetus sanavit, gratuitæ pietatis munus circa nos non nostris exhiberi meritis adtendamus. Damnatur ille sententiâ æquitatis ab eo, ad quem fugere volebat jure servitutis. Cur autem hoc? " Nisi „ quia justus Dominus justitiam dilexit, æquita„ tem vidit vultus ejus „. Et ut hoc innotescat, quia de alienis bonis sacrificium Deus non acceptat, per obolum parvum docet, qui in ponderibus penultimum locum tenet; ac si votum per hoc latronis vel furis * alicujus rejiciat & dicat: " Non accipiam & * domo tua vitulos, „ neque de gregibus tuis hircos „. Quòd verò Mansuetus mansuefecit *, quasi per hoc Dominus dicit: " Nolo mortem peccatoris; sed ut „ convertatur & vivat. Convertimini ad me & „ ego convertar ad vos. Ego percutiam & ego „ sanabo „, dixi per Moysem * meum; & hoc semper facio per meæ potestatis effectum, qui sum velut asper aper in vulnerando, sum quoque velut agnus mansuetus in medicando. In Apro & Mansueto sedeo, & per hos judicia mea exerceo. Throni mei sunt, regnant enim mecum: Possunt de potestate mea, gloriantur de gloria mea. Dicit hoc Dominus in cælis; sentimus nos homines in terris. Nemo igitur quotlibet peccatis plenus, quotlibet divinæ ultionis flagellis verberatus, ad offensum Dominum Creatoremque suum converti formidet: vel si nondum flagellarit, dissimulet; quoniam ille est qui mortificat *, qui deducit ad inferos & reducit. Cui sit honor & gloria, virtus & imperium per infinita sæcula sæculorum. Amen.

Auctor ad utriusque Sancti nomen alludens, Dei justitiam & clementiam prædicat.

* *Mansuet.* virtutis

D

E

* *duæ hæ voces ibid. omittuntur*

* *ibid.* de

* *ibid.* mansuetè fecit

* *ibid.* Moysen servum

* *ibid. additur* & vivificat

F

ANNOTATA.

a *In exemplari Ms., quod è codice Mansuetino seculi* 12 *extractum est, miraculo hic titulus præmittitur;* De quodam rustico, à S. Apro percusso, & B. Mansueto sanato: *in editionibus Martenii & Calmeti, qui codice Mansuetino seculi* XI *usi fuerunt;* De quodam miraculo à Petro, sanctæ Romanæ Ecclesiæ diacono, composito. *Illud die* 15 *Septembris anno* 1049 *contigisse, à memorato Petro litteris traditum fuisse, atque huic scriptori auctoritatem omni exceptione majorem tribuendam esse, ex annotatione sequente apparebit. Apographum nostrum multis mendis vitiatum est. Exemplar impressum Calmeti correctius est, sed posteriore sui parte mutilum. Apud Martenium integrum extat, quod hîc recudetur cum aliis collatum.*

b *Auctor infrà num.* 4 *scribit, hominem, quem Deus per S. Aprum punierat, à S. Leone IX Pontifice non modò visum, sed etiam interrogatum fuisse, quid criminis egisset. Testatur ibidem, se quoque conspexisse pœnam, quâ ille*

A *ille divinitus affectus fuerat. Jam verò cùm hoc loco dicat, miraculum patratum fuisse*, nobis hue Leuchâ * pridie demotis *, *quando festivitas S. Apri agebatur, quæ in diem* 15 *Septembris incidit; credendum est, ejus historiam conscriptam fuisse ab eo, qui nominatur in titulo, quem suprà è codice Mansuetino vetustiore transcripsi, videlicet à Petro, Romanæ Ecclesiæ diacono: modò tamen verum sit, ipsum cum Leone IX* 14 *Septembris Tullum adventasse. Hoc autem dum mox probabo, simul aliud evincam, nimirum in dubium vocandum non esse, quin idem Pontifex oculatus fuerit miraculi testis; imò totam ejus narrationem quoad cetera adjuncta fide firmissima dignam esse. A Baronio tom.* XI. *Annalium à pag.* 164 *è vetusto codice Remensi edita, & ab Harduino tom.* 6 *Conciliorum parte* 1 *à col.* 993 *recusa sunt Acta concilii Remensis*, ab auctore; *inquit laudatus Baronius*, ejus temporis, qui vidit, fidelissimè scripta. *Ex itinerario Leonis IX ab urbe Romana usque ad Remensem, quod auctor præmittit Actis ejusdem concilii, mense Octobris anno* 1049 *celebrati,*

B *in rem nostram hæc excerpo.* Ceterùm Papa Coloniâ digressus, Tullum in Exaltatione Dominicæ Crucis, *cujus memoria* 14 *Septembris recolitur*, venit: indéque circumjacentium regionum episcopis & abbatibus litteris suæ auctoritatis mandari præcepit, ut in præfixa die sibi occurrerent ad synodum *Remis* celebrandam . . . Denique domnus Papa Leucorum urbe digressus, iter ad Remensem ducens urbem arripuit: & . . in vigilia festivitatis S. Michaëlis ad Curmolensem villam venit . . Die verò sequenti ad sanctum pervenit Remigium, archiepiscopis tribus comitatus, Trevirensi videlicet, Lugdunensi, Vesontionensi, aliisque viris honorabilibus: inter quos erat Joannes episcopus Portuensis, & Petrus Ecclesiæ Romanæ diaconus & ipsius urbis præfectus. *Luculento hoc scriptoris synchroni testimonio extra dubium ponitur, quod probandum susceperam.*

In Ms. Mansuetino legitur, Cùm verò diligenter aptaret, *omissa voce* dexteram. *Hanc retine ex editione Martenii, ut sensum perficias.*

d *Sequentia desunt in editione Calmeti.*

c

ELEVATIO

CORPORIS FACTA AN. MCIV,

auctore anonymo,

Ex editione sæpe laudati Martenii à col. 1088, *collata cum Ms. è codice Mansuetino seculi* 12 a.

a

Prologus auctoris. * *in Ms. Mansuet.* differit

HUmanæ mentis infirmitas, cùm de Sanctis Sanctorumque actibus dixerit *, plerúmque ad se rediens expavescit: quia certè indignam se deputat, cui tantum tam magnumque negotium committi debeat. Verumtamen quia tale propositum non de superbo spiritu concipitur, immo verò simplici atque humili devotione à quibusque fidelibus suscipitur; speramus, ipsos Sanctos non indignè hoc accipere: confidimus illos nobis affore, & quæ de illis dici oporteat, misericorditer inspirare. Quia igitur de vita & actibus beatissimi patris * & patroni nostri Mansueti pauca disseruimus, inter cætera de secunda ipsius translatione, quare vel quomodo facta fuerit, explicare proposuimus; ut, dum nos ad memoriam sui viderit amplius exerceri, ipse nobis benignior, & per eum clementia summi judicis fiat paratior. A. ANONYMO. * *ibid.* pastoris

2 Ab antiquis siquidem patribus accepimus traditum, & usque ad nostra tempora indubitanter est creditum, quòd S. Gerardus, post multa tempora in episcopatu Leuchorum ipsius successor dignissimus, sacrum corpus illius transtulerit, atque infra * Ecclesiam, quam sub ipsius nomine consecratam invenerat *b*, in archa ligneâ loco congruo collocaverit; in quo præsidens voces psallentium monachorum, in eadem ecclesia sibi perpetuo famulantium, susciperet, & plebi Leuchorum consueti regiminis beneficium impenderet. Subsequenti autem tempore, multorum annorum interveniente numerositate, error cœpit nasci non modicus, & de integritate sanctissimi corporis ambiguitas est exorta: dicebaturque à pluribus, quòd beatum caput à corpore erat revulsum, & alio in loco haberetur reconditum. Qua opinione ejusdem ecclesiæ egregius ac piissimæ memoriæ domnus abbas Thiemarus, atque insuper tota monachorum turba graviter tristari ac supra modum cœpit affligi; & jacturam sacrarum reliquiarum non tamquam opinabilem pensabant, sed velut certam ac manifestè cognitam deplorabant. *Ut dubium de integritate corporis, à S. Gerardo olim elevati,* * *ibid.* intra *b*

E

3 Quid tamen * ageretur? Sed omnipotens Dominus, qui errantibus viam, & his, qui in tenebris sunt, lumen justitiæ solet ostendere; Leuchorum * suorum gemitus respexit, & dum super hoc frequenter consultarent, consilium bonum magna pietate sua inspiravit; ut scilicet archam, quâ sanctæ claudebantur reliquiæ, utpote veterem & omni ornamento vacuam, deberent mutare, & de novis lignis novam fabricare; quam siquidem auro & argento tegerent, quam artificioso opere & lapidibus pretiosis insignirent: sic etenim & honorem adderent Pontifici, & satisfacerent diutinæ ambiguitati. Præfatus igitur abbas Thiemarus *c*, homo scilicet sanctæ conversationis, vir sapientiâ illustris, Deo & hominibus acceptabilis, à quo acceperat consilium, ab eo sumit & auxilium; & archam, quam faciendam cognovit, maturo tempore perfectam reddidit *d*. Quo peracto, sanctum nolens differre propositum, domnum Pebonem * tunc temporis Leuchorum antistitem, atque suos coabbates, necnon etiam quosque urbis optimates statim adiit, quærens utique consilium, quando suum adimpleret desiderium, quove * tempore deberet sanctas reliquias transmutare. *tolleretur, secunda ejus elevatio decernitur: pretiosâ arcâ constructâ,* * *ibid.* tunc * *ibid.* servorum

c

F

d

* *ibid.* Pibonem

* *ibid.* quo scilicet

4 Continuò piæ ac sanctæ memoriæ Pebo episcopus ex consilio suorum principum per totam provinciam suam edictum pertulit, ut in ea hebdomada, quâ post Pentecosten generalis synodus solet celebrari, ad urbem ipsius caput provinciæ convenirent, atque ibi unanimiter translationem sui Pontificis celebrarent; nec immeritò: dignum siamque erat, ut ad motum Pastoris grex totus moveretur, & venirent oves revisere eum, à quo pascua vitæ meruerant invenire. Hujus edicti fama pervolitans corda audientium sic perculit, sic incendit, ut tempore constituto principes & populi tanto ad urbem certarent *Pibo episcopus* 14 *Junii anni* 1104 *magna*

A. ANONYMO.

certarent desiderio properare, ac si sanctus Pontifex redivivus in carne nuntiaretur eos expectare. Anno igitur ab Incarnatione Domini millesimo centesimo quarto, Indictione duodecima, ordinationis autem Domini Thiemari prædicti abbatis duodecimo, octavo decimo Calendas Julii *e*, domnus Pebo prædictus pontifex, secumque dux ejusdem regionis Theodericus & ceteri principes adjacentium regionum cum infinita turba populorum, cum cereis & crucibus, & aliorum Sanctorum corporibus in ecclesiam proprii Pastoris convenerunt, in jejuniis siquidem & lachrymarum compunctione opus sanctum parati incipere.

e

solemnitate corpus integrum repertum in illam transponit: f g

5 Nec mora illa vetus archa, quâ beata ossa tegebantur, ad conspectum populi producitur, & ab ipso episcopo ejusdem ecclesiæ & prælibato abbate Thiemaro, præsentibus aliis religiosissimis abbatibus domino Widrico S. Apri, domino Stephano Besuensi, & domino Odelrico sancti Urbani *f*, & aliis astantibus *g*, multisque religiosis fidelibus, in loco eminenti statuitur, unde ab omnibus facilè conspici posset & videri. Quæ aperta commissum sibi thesaurum fideliter reddidit, membris per ordinem in longum pallio involutis, ita ut caput & reliqua membra omnibus monstrarentur, & de omnium cordibus illa olim falsa opinio pelleretur. Nova ergo archa miro opere fabricata subiit, & præsentem thesaurum, corpus scilicet sanctissimum ferro undique obserata servandum suscepit.

B

ecclesia populum non capiente, in vicinum pratum fertur: communis lætitia & pietas:

6 Quæ, quoniam * omnis turba, quæ convenerat intra parietes ecclesiæ recipi non potuit, ne aliquis tantæ videretur expers remanere lætitiæ, extrà in vicinum pratum deducitur, ubi liberiùs quique possent accedere, & optato Pastori laudes & munera præsentare. O quanta exultatio in monachis canentibus! O quanta devotio in clericis psallentibus! O quàm magna pium onus subeuntium contentio! O quàm miranda subsequentium populorum acclamatio! Cœtus omnis laudes personat, linguæ omnium in nova præconia relaxantur, & quia Sanctum tenent * in manibus, ardentiùs ipsum sanctis prosequitur laudibus. Dies illa multis aliis fuit clarior, solis ipsius claritas solitò illuxit purior, ut manifestè pateret, cujus meriti apud Dominum Vir sanctus existeret.

* *ibid.* quando

* tenet

C

cùm fideles illud venerati essent, in ecclesiam refertur.

7 Quid plura? Turbæ Pastorem circuerunt *, salutant, & reverenter contingunt, quod possunt & quantùm possunt, vota & oblationes devotissimè offerunt. Post hæc benedictio vitæ populo persolvitur, & beatus Pontifex exultantibus humeris in ecclesiam suam reportatur: in qua loco eminenti, sicut adhuc fas est tenere *, constitutus, plebi suæ quasi de specula quadam invigilat, & potenti manu occurrentes inimicos abigit & propulsat: & corpus quidem nobis ad subsidium in terris relinquitur; sed beata ipsius anima perennibus gaudiis in cœlis perfruitur; ad quæ ipsius intercessionibus nos dignetur perducere, qui nos suo sanguine non pepercit redimere Jesus Christus Dominus noster, cui cum Patre & Spiritu sancto honor & imperium permanens * in sæcula sæculorum. Amen.

* *ibid.* circumeunt

* *ibid.* cernere

* *ibid.* permanet

ANNOTATA.

a *Quod nunc damus instrumentum, Martenius se edidisse notat* ex manuscripto S. Mansueti; *quod, nisi vehementer fallor, vel idem est cum sæpe memorato codice Mansuetino seculi* 12, *vel ex eo extractum. Tam in editione Martenii, quàm in nostro exemplari, quod ex eodem codice transcriptum est, hic titulus instrumento præfigitur:* Tractatus de translatione secunda S. Mansueti à domno Pibone dicta & composita. *Cùm vox* translatio *generalioris sit significationis, ego sacri corporis positionem ex vetere in novum ac honorificentius conditorium, quæ in Tractatu isto describitur,* elevationem *vocare malui. Peracta hæc fuit ab episcopo Pibone, sed non conscripta; quemadmodum in Comment. prævio num.* 70 *demonstratum fuit.* D

b *Ipse Gerardus omnium optimè novit, cui Sancto consecratam invenerit ecclesiam, in qua olim* S. Mansueti *corpus elevavit. Ejus verba accipe ex instrumento anni* 982, *quod partim transcripsi in Comment. à num.* 47: Quemdam nostræ sedis locum fundatum ex antiquo reperimus, in honore quidem beati Petri Apostolorum principis consecratum, sancti autem Mansueti primi pastoris nostri præsentiâ insignitum. *Consule Comment. num.* 45 *in fine, & num.* 51.

c *Videri possunt, quæ de Thiemaro vel, ut alibi sæpiùs legitur, Theomaro cœnobii* S. Mansueti *abbate dicta sunt Comment. num.* 62. E

d *Lege, quæ de arca ista ex Calmeto edidi in Comment. num.* 71.

e *Adi Comment. num.* 75.

f *Abbatia S. Urbani jacet in Pertensi Campaniæ Gallicæ tractu, Besuensis in Burgundiæ ducatu decem ferè passuum millibus ab urbe Divionensi. De cœnobio S. Apri vide Comment. num.* 40. *Calmetus tom.* 3 *Hist. Lotharingicæ in Prolegomenis col.* CIII *dat catalogum chronologicum abbatum S. Apri, secundum quem Widricus, qui hic memoratur, quartus istius nominis abbas fuit.*

g *In Ms. Mansuetino,* astantibus & aliis abbatibus.

MIRACULA

AB ANNO CIRCITER MCXXV USQUE AD MCXXXVI *a*,

a

auctore anonymo,

Ex codice Mansuetino seculi 12.

Mulierem ex nervorum contractione incurvam Sanctus liberat b

ORta seditione per dæmoniacam infestationem, cùm Sanctensis comes *b* in præbenda canonicorum tyrannicam exerceret devastationem; turbatus pontifex, clerus & populus universus solùm divinam propitiationem & Sanctorum exoravit intercessionem. Elata igitur sanctorum confessorum Mansueti, Apri, Gerardi gloriosa corpora ad majorem ecclesiam glorioso protomartyris cum generali frequentia detulerunt, & circa arcam sancti martyris compositis reverenter Sanctorum reliquiis, feretrum sanctissimi pontificis Mansueti, tamquam primi pastoris sublimiùs extulerunt. Ibi unanimiter cum gemitu & laudibus exultationis vota Deo obtulerunt precis supplicis & devotionis. Inter hæc mulierercula, concreta nervorum compagine, à renibus per spinam dorsualem ad caput usque curvata & ferè solo tenus per multos annos contracta, duobus

A bus bipedalibus in utraque manu vix ſuſtentata baculis ſ. ad feretrum pervehitur glorioſi Confeſſoris ; quod , in quantum licuit & potuit , cœpit ſuſpenſis ſupra dorſum manibus contrectare, reſupinis capitis oſculis prolambere , & ut ſui miſereretur , prolatis cum gemitu vocibus inclamare. Vidêre , qui aderant , quodam anxietatis angore de corpore miſerandæ ſudorem defluere , guttatim erumpere : cùm nervi , priſtina nodoſitate diſtorti , vigore recepto , ediderunt crepitum ; & corpus incolume conſtitit , & erectum. Extulêre circumſtantes Sanctorum præconium , grates Deo referentes protectori omnium , & virtutes collaudantes ſuorum magnalium.

alteri miſerè contractæ greſſum reſtituit :

2 Poſtera die , cùm prædictum Sancti corpus ad propriam referrent baſilicam , clerus & plebs univerſa denſantes frequentiam , Sancti paſſim revolvebant mirandam clementiam. Quædam denuo mulier , infelicis contractionis multis jam annis perpeſſa diſpendium , reptans humi , quaſi ſedens articulis tantùm ſubvehebatur manuum ; quæ gyrando per plateas agens miſerabilem greſſum , dura ſorte ſtipem quærens errabat per bivium , crebrò ſordens per lacunas , perque viam luteam præbebat mirantibus videre miſeriam.

B Hæc , concepta ſpe ſalutis & auditæ novitatis excita miraculis , horrendo prodigio per pavimentum Sancti , reſupinis manibus ſaltando , perlabitur ; turbaſque violenter irrumpens , feretro ejulans Sancti ſubſternitur ; protenſis extemplò brachiis , feretro Sancti audenter appenditur ; orat , plorat , mordet , lambit , & procax ingeritur. Cúmque jam in theca excelſiori recollocandum Sancti corpus inveheretur , manibus procaciter appenſa , avelli non potuit ; ſed quaſi medicum amiſſura , deſperatione fortiùs roborata , in vocem clamoris erupit , omneſque , qui aderant , ad fletum compaſſionis inflexit. Quid longiùs morer ? Integra ſoſpitate recepta , miraculum non tam emeruit , quàm extorſit. Ipſaque deinceps index eſt * præco Opitulatoris ſui ſpem & auſum miſeris exhibet confidendi *c*. . . .

* *fortè &* *c*

feminam gravi crurum genuumque infirmitate ,

3 Tertia itidem nocte quædam mulier crurum genuumque marcenti compagine , manibus & cubitis reptabat miſerrimè. In hac ægritudine diutiſſimam perpeſſa calamitatem , ad ſepulchrum ſancti Præſulis recepit ſoſpitatem , glorificans & ipſa pronam erga infirmos ejuſdem Sancti magnificam pietatem. . . .

C

puellam pedum manuumque contractione , *d*

4 Celebrantibus ejuſdem loci Fratribus nocturnas exequias *d* in ſancti Jacobi ſolemnio , binos ægros ſanctus Præſul bino levavit incommodo. Infœlix denique juvencula ad eccleſiam Sancti vix aſello vectante perducta , ante aram Sancti adſtans voto ſupplici , contractiſque manibus & pedibus tenta morbo duplici , oblatam ſibi pro eleemoſyna candelam præſentare non ſufficiebat altari : cùm repentè virtute deifica ſenſim cœpit erigi ; redit vigor , rigor abit , explicantur digiti. Reparata mox erupit in voce præconii , teſtis verax in ſe tanti peracti prodigii.

puerum paralyſi ,

* *l.* depoſitus

* *l.* anxiari

5 Sub ejuſdem formæ noctis tenebroſo tempore , ante altare S. Andreæ jacebat puerulus , paralyſi diſſolutus & ſalutis avidus , deportatus & depaſtus * amicorum manibus. Qui ſubitò excitus clamore præconii , tremens cœpit auxiliari * & ſudore corripi. Sanus tandem & erectus aſſilit in medio , manu palpat , pede vadit , gratulatur animo , omniumque mox membrorum fungitur officio. Repetito ſtatim chorus excitus miraculo & ſacerdos dealbatus * , lecto Euangelio ,

* veſte alba indutus

laude celſa perſultarunt in canoris jubilo. . . .

A. ANONYMO. *& mulierem quinquennali alterius oculi cæcitate liberat.*

6 Wius quædam bonæ ſpei ferè per quinquennium lumínis unius orba gemebat diſpendium. Hæc à Sancto extorquere ſitiens miraculum , dum altari ſancto ſupplex impreſſiſſet oſculum , rediviva luce ſoſpes mox recepit oculum : hæc jam ſolis radiantis perſenſit obſtacula , quod mox cunctis propalavit ad virtutis cumulum.

Convitiis matrem conſectanti lingua & facies fœdè intumeſcunt ;

7 Accenſis præcordiorum deſideriis , ſubtiliùs examinanda eſt concordia charitatis ; quoniam inſtinctu divinæ diſpenſationis ex lege ſpirituali pendet dilectio naturalis : in lege quippe poſt dilectionem Dei pater & mater præcipiuntur honorari. In Salomone legimus : " Oculum , qui „ ſubſannat patrem & matrem , effodient corvi „ de torrentibus „. Et hæc quidem ad cautelam legentium prælibamus , ut in examine divinæ cenſuram juſtitiæ , reſpectumque miſericordiæ perpendamus. Puer quidam indocilis , dum corripienti matri procaciter obſiſteret , ad hoc inſuper pervectus eſt , ut eam convitiis laceſſeret. Quem gravis extemplò percuſſum verbere diro , divino plectit ultio judicio.

Lingua tumens oris , ſtimulis agitata doloris , E
Prodidit illatum rabido rancore reatum.
Vix homo ſuſpirans , vix turbida lumina gyrans ,
Tabidus obſcuro mordebat verba ſuſurro :
Horribilis vultus , facie turgente ſepultus ,
Cor ſpectatoris hebetabat mole ſtuporis.

at in priſtinum ſtatum Sancti beneficio reducuntur :

8 Verumtamen hoc tam terribile ſupplicium ad correptionem Deus irrogavit cernentium ; quatenus deteſtandæ præſumptionis vitium , oſtenſum deinceps cohiberet prodigium. Hic itaque perceptis magnalibus , quæ gloriosè fiebant per interventum glorioſi confeſſoris Manſueti , idemque puer , capite cenſualis *e* ejuſdem Patroni & protectoris noſtri , expetit ſe ad patrocinium Sancti ſumma devotione deferri , confidenter ſperans , ipſius obtentu ab imminenti periculo liberari. Nec diſtulit Sancti pietas miſericorditer adeſſe gementi. Quàm citò igitur pallio ſancti altaris caput faciemque protexit , lingua detumeſcente , ſanici diſſoluta * virus omne defluxit ; facies recepit habitum : hilaris puer recepta incolumitate diſceſſit. . . .

e

* *l.* diſſolutæ

F

pedis claudi , manûs aridæ & linguæ mutæ incommodis affecto ſuccurrit .

9 Bruno quidam fortè gravi detentus incommodo , triplo Sancti interventu levatur miraculo. Siniſtræ denique partis claudicabat tibiâ , dextra verò ſibi manus exiſtebat arida , linguæ mutæ palpitabat vexatus auguſtiâ ; ſed pietas Sancti , tribuens optata roganti , firmat greſſum debilem , manum reddit mobilem , linguamque flexibilem. Sano denique pede quater citea Sancti altare proceſſit , ſignum Crucis imprimendo , manum ſurſum extulit ; voce clara Deo laudes exultando protulit. . . .

filium mortuum matri

10 Aliud miraculum à ſeculis inauditum iiſdem temporibus contigit , quod ad nos patris & matris conſona relatione pervenit *f*. Tullenſibus incolis III Nonas Septembris ſolemniter occupatis in ſancto Manſueti natalitio , genitrix infœlix apud Rogeri-villam *g* obeuntis filii anxiabatur obſequio * : quæ motâ intrinſecus pietate materna ,

f

g

* *id eſt* , exſequiis , *teſte Cangio* ,

Triſtis & exanimis hæc cœpit ponere verba :
Eja Dei Mater miſerere miſeræ * gementis ,
Quam ma.e dilaniant laceræ præcordia mentis.
Quàm malè parturiens naſcentis gaudia vidi ;
Quem modò mœſta gemo , mortis ſub fauce revidi.
Proh dolor ! ablati complectens pignora nati ,

* miſeræ miſerere

A. ANONYMO.

Promptiùs opto mori, quàm flens superesse dolori.
At tibi, Sancte Dei, meriti cumulabo favorem,
Si tantùm removes una vel nocte dolorem.
Ad cumulum laudis puerum mihi consociabo,
Subjiciendo tibi dum solvere vota parabo.

redivivum reddit;

11 O quàm mira tua, Deus, circa nos clementia! Quem mors pavet, styx abhorret, tremit cœli curia; tu in Sanctis operaris semper mirabilia: nam quæcumque bene fiunt tuâ gratiâ. Quis absorptum extinctum fauce mortis reparari cerneret, jam absorptum extinctum respirare, & non expaveſceret? Asseverant, qui affuerunt, vidisse se jam corpus exanime, cuncta membra jam effecta *, soluta compagine, jam vigore frigescente, nigrescente sanguine. Glorioſi Confessoris complacatus precibus, adest præsens de sublimi exauditor Dominus, leo fortis, victor mortis, vitæ dator strenuus. His denique genitricis exanimatus puer excitus vagitibus, laxatisque in usum videndi palpitans luminibus, & resumpto jam vigore replicatis genibus, matrem supplex ejulantem his compellat vocibus: Pia mater, Sanctum Dei, quem spondes expetere, posce * citò, me consortem habens in itinere; cujus ego reparatus redivivo * munere, vincla mortis vix evasi sospes juncto funere. Talia redivivum peroraſſe filium, seriatim tandem nobis mater ipsa retulit; cùm eundem puerum altari sancto mancipatum obtulit, & ad fletum circumstantes ipsa gemens impulit. Testabatur jam id ipsum denigrata facies, cute partim depilata jam rara cæsaries, squalens vultus, pallens color & rugosa macies; à vivente ferè dispar, ut ab igne glacies. . . .

* *fortè* effœta

B

* adì

* reviviſco

militem ab hostibus captum & fune ligatum eorum manibus eripit;

12 In congressione, quæ facta est ante Tullum à Sanctensi & Barrensi comitibus, in combusta Buculiaci *h* ecclesia multis captis civibus, miles quidam ducebatur, sub equo violenter religatus pedibus. Hic suspirans implorabat sanctum Dei Præsulem, ut clementer tueretur se captum, continens in se debacchari furibundum consulem: sensit funem mox laxari dissolutis pedibus, silvam petit evadendo concitatis saltibus, & ducentis ferè passim vallatus militibus, dum spinarum fortè fascem levâsset, in vepribus arte tali est ademptus cunctis hæsitantibus. Qui pòst paulùm inde grates Sancto supplex reddidit, ipsum tunem repræsentans, quo ligatus extitit, censualis ei factus, qui hanc opem præstitit. . . .

h

C

alteri vinculà solvit, in quæ à prædone conjectus fuerat.

13 A partibus Metensium ad sancti Confessoris solemnium strenui duo juvenes alacriter properantes eventu inopinabili à sævissimo prædone capti in itinere duplicibusque connexi compedibus, & ferreis illaqueati vinculis, diræ immisericorditer mancipantur custodiæ. Quorum alter anxio spiritu & contrito corde pro erectione * sui sanctum Dei Pontificem supplex cœpit expetere; cùm repentè tenebroso medio noctis tempore cœlitus emissa lux domum totam irradiavit, compedumque retinacula & seras vinculorum clavi invisibili virtus divina disjecit. Ereptus igitur ad Sancti solemnia tremens & anhelus occurrit, & cunctis tantæ celebritati assistentibus, quæ contigerant, feriatim recitavit. . . .

* *l.* ereptione.

ANNOTATA.

a *Ex codice Mansuetino seculi* 12, *de quo in Comment. num.* 8 *& seqq. varia annotata sunt, transcriptam habemus historiam rerum memorabilium, quæ sub abbatibus* S. Mansueti *Grimbaldo, Albrico, Theomaro & Theobaldo contigerunt. Ea, quæ trium priorum abbatum temporibus facta sunt & ad Sanctum nostrum spectant, Commentario inserta & observationibus illustrata lector inveniet à num.* 62 *usque ad* 69. *Anonymus historiæ istius auctor, obitu & sepultura Theomari enarratis, ita pergit:* Cui successit vir vitæ venerabilis Theobaldus, cujus temporibus se protectorem esse Tullensis urbis & ecclesiæ crebris beatus Mansuetus miraculis dignatus est propalare. *Miracula ista à nemine, quòd sciam, hactenus typis vulgata, hìc seorsum exhibentur. Theobaldus, sub quo patrata fuere, abbatiam* S. Mansueti *regere cœpit anno* 1125 *vel* 1126: *regimine & vitâ defunctus fuit ante* x *Calendas Julii anno* 1136. *Utrumque demonstratum est in Comment. num.* 62.

D

b *Charta geographica episcopatûs Tullensis, quam Calmetus libro* I *Historiæ Lotharingicæ præfixit, inter Mosam & Mosellam, paulò supra Tullum, notat tractum* le Saintois. *Ditio haud dubiè fuit* Sanctensis comitis, *qui hìc & infrà num.* 12 *memoratur. Illo ipso ferè in loco, ubi Calmetus territorium* Sanctense *statuit, alii geographi in suis tabulis ponunt comitatum Vadani-comitis, vulgò* Vaudemont.

E

c *Huic miraculo & sequentibus ferè omnibus subjiciuntur aliquot versus hexametri Leonini; in quibus auctor varia adfert, ut lectorem excitet ad firmam in Deo &* S. Mansueti *patrocinio fiduciam collocandam. Cùm nihil aliud singulare continent, eos ubique omittendos censui.*

d *Suspicor legendum esse* excubias, *quo nomine, teste Cangio, olim etiam* vigiliæ nocturnæ *vocari solebant. Lectu digna sunt, quæ de illis disserit Martenius in Tractatu de antiquæ Ecclesiæ disciplinæ cap.* 7.

e *Qui hìc* capite censualis *dicitur, paulò infrà narratur sanitatem recuperasse,* quàm citò . . . . pallio sancti altaris, *id est linteo, supra quod Corporale extenditur,* caput faciemque protexit. *Positio capitis supra altare olim ritus erat, quo quis caput seu personam suam ad certum censum alicui ecclesiæ persolvendum obligabat. Accipe verba Cangii in Glossario auctu.* Fuerunt olim, qui ecclesiarum seu monasteriorum HOMINES CENSUALES se sponte constituebant, quocirca capitibus super altare positis, sancto ecclesiæ seu monast. patrono tutelari sese offerebant, ut Arnulfus monachus in S. Emmerammi monast. fieri solitum fuisse tradit. Vide Annal. Benedict. to. 4 pag. 286. *Porrò* pallium altaris *eam olim significationem habuisse, quam mox indicabam, idem me docet Cangii Glossarium in vocibus* pallium *&* palla.

F

f *Hinc intelligitur, miracula, quæ hìc dantur conscripta fuisse, Theobaldo abbate, sub quo contigerunt, vel vivente, vel non diu post ejus mortem.*

g Rogeville *quinque circiter leucis Gallicis communibus infrà Tullum, duabus verò & media supra Mussipontum jacet; si tamen rectè notetur in charta geographica, quæ præ manibus est.*

h *In Calmeti tabula superiùs memorata locatur* Buqueley *duarum circiter horarum itinere ab urbe Tullensi, meridiem versus, non procul à territorii Sanctensis limitibus.*

DE

A D

DE S. THEOCTISTO MONACHO HEGUMENO

IN TERRITORIO HIEROSOLYMITANO.

Publica ejus veneratio; annus mortis; locus habitationis; Theoctistus alter ab hodierno diversus. J. P.

ANNO CD-LXVII. *Colitur apud Græcos hac die:*

TOmo 1 *Februarii, die* IV *ejusdem mensis, varios designavimus pag.* 466 *synonymos Theoctistos occasione martyris, de quo ibidem agitur. Inter illos ibidem memoratus est* Theoctistus *hodiernus, multaque de illo præclara referri ad diem* XX *Januarii in S. Euthymii Magni Vita, indicavimus. Eò nunc mittimus lectorem, cùm non sciamus Acta ipsius alia exstare, quæ seorsum scripta fuerint. Colitur autem apud Græcos hac die, & habetur in Typico S. Sabæ, ut vocant, & in Menæis editis; utrobique* synaxetæ, *id est, socii ascetica vitæ* Magni Euthymii *titulo donatus: quod alibi quoque fit. In nostro enim ad Menæa Græcorum excusa Supplemento ex synaxario membranaceo antiquo Ms. Sirmondi, sive Collegii Claromontani societatis Jesu Parisiis, ita annuntiatur:* Τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ μνήμη τοῦ ὁσ. πατρὸς ἡμῶν Θεοκτίστου συναξιωτοῦ τοῦ μεγ. Εὐθυμίου. *Id est,* Eadem die (III *Septembris*) memoria sancti patris nostri Theoctisti, synaxetæ Magni Euthymii. *In Ephemeridibus Græco-Moscis apud nos ante tomum* 1 *Maii solo* monachi *idiotismo nuncupatur. In Menæis Græcis monasterii S. Marci PP. Prædicatorum Florentiæ:* Theoctistus socius S. Euthymii *dicitur. Menologium Slavo-Russicum Sparwenfeldianum habet ista:* S. P. N. Theoctisti con. jejunator * magni Euthymii, qui obiit anno CDXXI.

B

* con-jejunatoris

C

2 *Parachronismus hîc est, à vero mortis anno* S. Theoctisti *multùm aberrans, prout conficitur è chronotaxi S. Euthymii & aliorum dicto die* XX *Januarii, ubi pag.* 301 *sunt ista in rem nostram:* S. Sabas anno ætatis XVIII, Christi CDLVII venit Hierosolymam: degit in monasterio S. Passarionis: adit S. Euthymium, anno ætatis hujus LXXXII, Christi CDLVIII mittitur ad monasterium S. Theoctisti. Hic moritur ætatis S. Euthymii XC, Christi CDLXVII, cùm decimum jam annum illi Sabas cohabitaret. Theoctisto succedit Maris; huic post biennium anno Christi CDLXIX Longinus. *Nonnullis deinde interjectis, S. Euthymii obitus affigitur anno Christi* 473. *Laudatur in Menæis Græcorum impressis hac die inter ea, quæ recitantur in eorum Officio. Nunc subjungo notitiam loci, in quo vixit* S. Theoctistus *ac monachis præfuit.*

annus mortis 467

3 *Die* XX *Januarii pag.* 298 *occasione* S. Euthymii *laudati sermo est de prima institutione monastica in Palæstina, lociisque in territorio Hierosolymitano. Inter alia verò monasteria ibidem constructa agitur de Laura nova, cui aliud subditur ab eodem Sancto erectum:* Haud ab ea longè, *sicut narratur loco citato,* ad speluncam Saülis, in eremo olim Engaddi, tum Ziphon dictâ, monasterium S. Euthymius construxit. At non diu istic moratus est. Ad viam Hierichuntinam potissimam vitæ partem exegit; primò in cella extra Lauram Pharan; pòst in cœnobio inferiore, cui S. Theoctistum præfecerat, decem millibus passuum à Sancta civitate; denique in Laura, quæ S. Euthymii dicta est, atque ab inferiore S. Theoctisti cœnobio tribus millibus passuum versus Meridiem distabat ad dexteram viæ Hierichuntinæ. *Ex his patet, quo loco floruerit* S. Theoctistus. *Obiit anno* 467, *sicut jam dictum est, die* III *Septembris: ex Vita S. Euthymii pag.* 318. *Si quis plura de illo singillatim noviſse desiderat, consulat eamdem Vitam, ut suprà monui; quam Græco-Latinè etiam edidit Cotelerius tom.* 2 *Monumentorum ecclesiæ Græcæ pag.* 200 *& seqq. Cetertùm de* S. Theoctisti *cultu publico haud satis instructus fuit Castellanus, qui in Martyrologio suo universali illum quidem annuntiat; sed* venerabilis *dumtaxat titulum ei tribuit. Sanctus hic refertur etiam in auctariis ad Usuardum Molani secundæ editionis.*

præst monasterio in territorio Hierosolymitano.

E

4 *Cavendum porrò est, ne* Theoctistus *hic confundatur cum alio synonymo: de qua re Matthæus Raderus noster in notis Mss. ad Menæa observat sequentia:* Duo fuerunt Theoctisti, & duo Euthymii. Prior Theoctistus fuit S. Macario familiaris, à quo fuit etiam ab insidiis diaboli, & impuris cogitationibus [curatus: de quo multa passim in Vitis Patrum est mentio, quem etiam Theopemptum nominant: & huic nihil cum S. Euthymio. Alter Theoctistus intimus S. Euthymii socius & contubernalis, qui sæpe laudatur in Vita S. Euthymii apud Metaphrastem, Lipoman. & Surium XX Januarii. Alter Euthymius fuit Origenista, cum quo nihil negotii fuit S. Theoctisto. Vide Annotat. Baronii ad XX Januarii.

F

Theoctistus hodiernus cum synonymo non confundendus.

A D

DE S. AMBROSIO EPISCOPO CONF.

SENONIS IN GALLIA

J. S.

SYLLOGE

De cultu, ætate & geſtis.

ANTE AN. CDLXX. *Memoria Sancti in Faſtis recentioribus,*

QUamquam *memoria* S. Ambroſii *Senonenſis antiſtitis apud antiquos martyrologos non legatur, nec in hodierno Romano, cultus tamen hujus ſancti Antiſtitis certus eſt & indubitatus; ſed geſta ejuſdem prorſus obſcura. In additis ad Uſuardi Martyrologium ſic annuntiatur à Greveno die* III *Septembris:* Ambroſii, epiſcopi Senonum & confeſſoris. *Eodem die Galeſinius:* Apud Senonenſes, ſancti Ambroſii epiſcopi & confeſſoris, divinarum virtutum gloriâ clari. *Ghinius paulo prolixiùs hoc modo:* Apud Senonas S. Ambroſii epiſcopi XIII, qui annis triginta quinque virtutum opifex & paſtor bonus ad virtutes & vera capienda bona commiſſum ſibi populum verbo & exemplo optimè erudivit: & clarus virtutibus obiit in Domino anno Redemptionis CDLV. *Sauſſayus ad hunc diem tali ſanctum Antiſtitem celebrat elogio:* Apud Senonas ſancti Ambroſii, epiſcopi metropolitanæ hujus eccleſiæ & confeſſoris: qui poſt Sindinum * ſedens, egregiis virtutum fulgoribus ornatus eluxit. Tandemque poſt ingentia animarum lucra, quas Chriſto ſedula prædicatione, ac vitæ cum Euangelicis præceptis conformatione, peperit, ad Beatorum conſcendit optatiſſimam manſionem. Conditus in templo ſanctorum Gervaſii & Protaſii cum anteceſſoribus Theodoro & Sindino, eo ampliorem iis cultum percepit, quo ſanctitatis evidentiorem per ſigna, quæ ſubſecuta ſunt, beatitatis prodit teſtificationem.

B

* *aliis* Siclinum

C *& cultus legitimus:* * metropoliticæ

2 *Idem martyrologus in Supplemento ad* III *Decembris cultum* S. Ambroſii *magis declarat hiſce verbis:* Apud Senonas tranſitus ſancti Ambroſii, illius metropolitæ * ſedis epiſcopi: cujus apud Melodunum ad Sequanam, in eadem diœceſi, clara eſt memoria, parœciali titulo ſeu eccleſia, ſub nomine ipſius glorioſi Antiſtitis dicata, illuſtris. *Ex hiſce cultum Sancti abunde habemus aſſertum. Mitto igitur alios neotericos hiſce conſentientes: & ſolùm addo Breviarium Senonenſe, anno* 1625 *impreſſum, in quo feſtivitas* S. Ambroſii *celebranda præſcribitur die* III *Septembris, recitandumque Officium trium lectionum; quod totum eſt de communi. Theodoricus Paulli canonicus Gorcomienſis, qui floruit ſeculo* XV, *in Chronico univerſali apud nos Ms. fol.* 253, *texens catalogum antiſtitum Senonenſium, tali* S. Ambroſium *ornat elogio:* Ambroſius ſanctus Siclino venerabili patri ſuccedens, ſubrogatur XI archiepiſcopus Senonenſis. Qui mox ſuas & vicinas civitates & villas pertranſiens prædicando, & ad fidem populos convertendo, fideleſque in verbo confirmando, atque oppreſſos variis languoribus curando; tandem poſt miracula ſanitatum & prædicationis inſtantiam ac populorum converſionem feliciter quievit in Domino. Ejus feſtum colitur tertia die Septembris.

floruit circa medium ſeculi quinti.

3 *Sammarthani duodecimum inter Senonenſes antiſtites numerant* Ambroſium, *Claudius Robertus decimum tertium, dicens eum obiiſſe anno* 455, *die* III *Decembris. Hugo Mathoud in Catalogo archiepiſcoporum Senonenſium pag.* 15 *decimum quartum recenſet* Ambroſium. *At omnes conſentiunt eum ſucceſſiſſe* Siclino, *quem aliqui* Sindinum *nominant. Laudatus Mathoud de ætate* Ambroſii *ſic diſſerit:* Tabulam ſuam octavam ejus nomine ſic inſcribit Gaufridus à Collone, & ante eum Clarius ſymmyſta item Vivianus *: " S. Ambroſius Senonenſis archi- „ epiſcopus S. Germani Autiſſiodorenſis, & S. „ Lupi Trecenſis epiſcoporum contemporaneus „ fuit „. Par in altero codice Ms. chronologia. Medio ferè ſeculo quinto mira vitæ ſanctitate & doctrinæ famâ jam dudum illuſtres floruêre duo illi præſules. *Defunctus eſt S. Germanus Autiſſiodorenſis anno* 448, *uti probatum eſt tom.* VII *Julii pag.* 195. *At S. Lupus Trecenſis, licèt S. Germano convixerit, ſuperfuit uſque ad annum* 479, *in ætate decrepita defunctus. Itaque prædicta verba non ſufficiunt ad determinandam ætatem S. Ambroſii Senonenſis, niſi modo quodam vago, præſertim cùm ipſe Mathoudus hæc mox ſubjiciat verba laudati Gaufridi à Collone:* VII tabula loquitur de S. Ambroſio. Præſens tabula, & præcedens & ſequens, non loquitur de Romanis Pontificibus, nec de imperatoribus, neque etiam de annis Incarnationis Dominicæ: nam Chronicæ non bene concordant ſuper his; & ſcripta non concordantia ignorantiam generant: unde mihi videtur ſic tranſire melius quàm mentiri.

* *i. e.* S. Petri Vivi

E

F

& defunctus videtur diu ante annum. 470.

4 *Ex hiſce patet, non poſſe mortem* S. Ambroſii *Senonenſis certò affigi anno* 455, *uti aliqui voluerunt ſine ulla probatione idonea. Potuit quidem illo anno mortem obire; at incertum eſt, an non obierit ſerius aut citiùs. Hæc de cauſa auctor Martyrologii Pariſienſis cautiùs ad marginem notavit* ante annum CDLXX: *nam id utcumque colligitur ex ſucceſſore S. Agritio, ad quem circa annum* 472 *ſcripſit Apollinaris Sidonius epiſtolam ſuam quintam libri ſeptimi: quæ cùm non videatur ſcripta ad antiſtitem nuper electum, veriſimile facit, S. Agritium ſediſſe ante annum* 470, *& fortaſſe multo citiùs. Ceterùm de* S. Ambroſio *ex Gaufrido de Collone ſequentia adjungit Mathoudus:* Ipſius Ambroſii vita virtutibus effulgebat. In Nonis Septembris migravit à ſæculo, vivens in Chriſto. Sepultus fuit in eccleſia B. Leonis, aliàs Gervaſii & Prothaſii, ubi per Dominum miraculis coruſcavit: ac deinde per venerabilem Anſegiſum Senonenſem archiepiſcopum in monaſterium S. Petri Vi-

vi

A vi cum aliis tribus (SS. Urcisino , Agritio & Leone) corpus ipsius translatum fuit , & ibidem honorificè conservatur. *Hæc translatio item asseritur apud Sammarthanos tom. 2 Galliæ Christianæ pag. 623 in elogio Ansegisi , quem Senonensi ecclesiæ præfuisse ab anno 871 usque ad 883 , ibidem traditur. Plura de sancto hoc Antistite lectori communicanda non habemus.* AUCTORE J. S.

DE S. MANIO EP. VERONENSI

SYLLOGE. J. P.

Veneratio publica, corpus ubi conditum, tempus vitæ.

FORTE SECULO V. *Cultus*,

GAlesinius *sanctum hunc Præsulem ita annuntiat :* Veronæ, sancti Manii episcopi & confessoris , qui in prædicationis officio diligenter versatus , ecclesiâ sibi commissâ sanctè administratâ , miraculorum laude florens , obdormivit in Domino. *Ferrarius in utroque Catalogo eumdem etiam tamquam* sanctum *memorat ; Castellanus autem in Martyrologio universali* venerabilem *dumtaxat ; quod non probo : tametsi enim pauca de illo ad meam pervenerint notitiam ; videntur tamen sufficere , ut reliquorum, qui hoc die à nobis dantur , Sanctorum catalogo accenseatur. Augustinus Valerius episcopus Veronensis in Antiquis sanctorum ejusdem urbis monumentis ante folium primum habet catalogum expansum episcoporum Veronensium , inter quos* S. Manius *ponitur ordine trigesimus tertius; apud Ughellum verò tom. 5 Italiæ sacræ recusæ columnâ 695 est trigesimus. Apud eumdem illustrissimum Valerium fol. 1 & sequentibus agentem de* XXXVI *sanctis episcopis Veronensibus generatim , varia producuntur argumenta , quibus publicus eorum cultus probatur. Inter illa autem , quæ hisce subdit de singulis* XXXVI *sanctis episcopis Veronensibus fol. 4 , ubi scribit de corporibus Sanctorum , quæ in ecclesia S. Stephani de Verona requiescunt , asserit ista in rem nostram :* Item in altari & arca SS. septem fratrum corpora Salvini & Manii episcoporum Veron.

B

C

corpus , elogium

2 *Ibidem fol. 87 tractatur de sanctis reliquiis ecclesiarum Veronensium , & inter illas numeratur corpus* S. Manii *his verbis :* In ecclesia S. Stephani condita sunt corpora SS. Alexandri , Andronici , Blasii , Dimidriani , Felicis , Gaudentii , Innocentii , Joannis , Lucidii , Lupi , Manii *&c.* episcoporum Vero. & confessorum. *Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ* , Extat , *inquit* , antiqua tabella ex membranis in prædicta S. Stephani ecclesia , in qua S. Manii mentio fit. *Apud Valerium laudatur fol. 40 his verbis :* Manius , Veronæ episcopus , perpetuo studio incubuit , ut Veronensis populi saluti verbo & exemplo consuleret. Fuit in eo doctrina singularis : fuit etiam præclara quædam eloquentia, ut animas Christo in suo episcopatu quàm plurimas lucratus sit. Obiit quarto Nonas Septembris : ejus corpus honorificè est elatum , multisque cum Veronensium civium lacrymis in basilica S. Stephani sepultum. E

3 *Obiisse illum seculo* V , *colligitur ex eo , quòd S. Simplicius , qui tertius post eum sequitur in catalogo præsulum Veronensium apud Ughellum , floruisse dicatur anno circitèr* 490. *In dictis verò præsulibus ponitur S. Luperius proximè ante* S. Manium , *sine notatione chronologica vitæ ac mortis. Ferrario in Catalogo Sanctorum Italiæ die* XV *Novembris videtur vixisse Luperius anno circiter* 800. *Idem tempus indicat Castellanus ad istum diem. Hieronymus dalla Corte Historiæ Veronensis parte* 1 , *lib.* 4 *pag.* 195 *Luperii mortem differt usque ad annum* 830 *: deinde verò pag.* 196 *scribens de murorum Veronensium restauratione ad annum* 837 , *subjungit obitum* Manii *episcopi. Differentiæ temporis modò designatæ in seculo* V *& seculo* IX *nimis multùm discordant , quàm ut decidi queant sine idonea auctoritate , quæ cùm mihi jam in promptu non sit ; visum mihi est ordini episcoporum Veronensium apud Ughellum contexto potiùs adhærere quàm aliis scriptoribus , & signare* S. Manium *seculo quinto , donec saltem affulgeat lux clarior , per adverbium dubitationis restricto. Catalogi enimvero hujusmodi , nisi sint valdè imperfecti , multùm possunt juvare ad chronologiam , dum priora ac posteriora tempora juxta se posita & connexa combinant , aliaque ex aliis ordinant.* F *ac tempus vitæ.*

A D

DE SANCTO MACNISCIO

EPISCOPO CONNERENSI IN ULTONIA

HIBERNIÆ PROVINCIA,

J. V. COMMENTARIUS PRÆVIUS.

Sancti cultus, distinctio ab homonymis, locus & tempus episcopatûs, annus emortualis & Acta.

CIRCA ANNUM DXIV. *Ecclesiasticus Sancti cultus ex Missa*

B *Missæ propriæ Sanctorum patronorum ac titularium Franciæ & Hyberniæ, jussu Clementis XII editæ & à Nicolao Antonio ô Kenny protonotario apostolico anno* 1734 *Parisiis vulgatæ*, die III Sept. in festo sancti Macniscii episcopi & confessoris, ecclesiæ & diœcesis Connerensis patroni generalis, *Missam exhibent sequentem*: INTROITUS. Cogitavi dies antiquos, & annos æternos in mente habui: & meditatus sum nocte cum corde meo; & exercitabar, & scopebam spiritum meum. PSALMUS. Voce mea ad Dominum clamavi, voce mea ad Deum, & intendit mihi. Gloria Patri &c. Cogitavi &c. ORATIO. Sancti Macniscii, Domine, confessoris tui atque pontificis, meritis adjuvemur; ut sicut te in illo mirabilem prædicamus, ita in nos misericordem fuisse gloriemur. Per Dominum &c. LECTIO EPISTOLÆ beati Pauli Apostoli ad Hebræos: Fratres. Plures facti sunt sacerdotes *&c. usque ad finem capitis.* GRADUALE. Beatus vir, qui timet Dominum, in mandatis ejus cupit nimis. ℣. Potens in terra erit semen ejus, generatio rectorum benedicetur. Alleluia, alleluia. ℣. Gloria & divitiæ in domo ejus, & justitia ejus manet in sæculum sæculi. ✠ Sequentia sancti Euangelii secundum Matthæum: Homo quidam peregrè proficiscens *&c.* Credo.

C 2 OFFERTORIUM. Meditabor in mandatis tuis, quæ dilexi valde: & servavi manus meas ad mandata tua, quæ dilexi. SECRETA. Sacrificium nostrum, Domine, beatus Macniscius sacerdos magnus majestatis tuæ oculis reddat acceptum, qui se tibi dum vixit, sanctam & placentem hostiam immolavit. Per Dominum &c. COMMUNIO. Lætabitur justus in Domino, & sperabit in eo: & laudabuntur omnes recti corde. POSTCOMMUNIO. Vitali cibo recreati gratias tibi, Domine, agimus & rogamus, ut quod ad gloriam sumpsimus sancti tui præsulis Macniscii, ejus precibus sit nobis contra hostiles impetus auxilium. Per Dominum &c. *Hæc publicam & solennem hujus sancti Episcopi venerationem satis superque probant. Annuntiat illum Castellanus in Martyrologio universali* III *Septembris*: In Ultonia, provincia Hiberniæ, S. Magnissius episcopus Connerensis. *In Supplemento pag.* 705 *rectius habet*: Macniseus, id est filius Nisæ, quod erat nomen matris ejus. *Colganus in Triade thaumaturga pag.* 182 *num.* 194 *ait*: De hoc sancto verè mirabili (Macnessio) agunt Martyrol. Tamlactense, Marian. Gorman., Maguir, Ængussius & Martyrol. Dungallense ad XX Januarii & III Octob.: *in Actis verò Sanctorum Hiberniæ pag.* 741 *ex Sanctilogio Genealogico & recensitis Martyrologiis aliisque sic eum memorat*: S. Macnessius, qui & Coemanus, filius Fabricii, filii Fiegi, filii Maili &c.... Colitur Conneriæ, ubi fuit episcopus, III Septemb.

propria, annuntiatio in Martyrologiis

E

& catalogis Sanctorum.

3 *Ad eumdem diem adscribitur catalogis quibusdam Mss. Sanctorum Hiberniæ, quos habemus sub involucro* ✠ *Ms.* 167. *Miror autem illum à nostro Henrico Fitz-Simon Hiberno, alios minùs celebres recensente, prætéritum fuisse, uti etiam à P. Hugone Vardeo Ordinis Minorum in suo Sanctorum Hiberniæ catalogo, quem anno* 1627 *ad Rosweydum misit. Attamen in charta Ms., quæ videtur à laudato Vardeo ad Rosweydum aut Bollandum transmissa, reperi sequentia*: De S. Mac-kneſſio. Ex eadem compilatione (*de qua videri potest tomus* VI *Junii pag.* 118) ad tertium Septemb. S. Macchessius episcopus Conderensis, qui primò nuncupatus est Ænæas & postmodum Kæmhanus (sonat Caëvanus) cognomento Breac, quod est maculosus. Ejus spiritus in cælum conscendit anno Domini DCXIV. Extat basilica parœcialis ejus nomini dicata in superiori Ossoria apud Lagenienses ad pedem montis Bladhma diœceſis Ossorienſis, vulgo Anachtrym Chœvain Bhricc. S. Colmannus, quem is miraculo liberavit à morte, fuit episcopus Kill-ruadhensis, quæ nunc obsoleta sedes est in Aradeorum regione sita, ad oram stagni juvenci vulgo Loch-Laodh in Ultonia, ubi ejus festum tamquam patroni colitur XVI Octobris. *Hæc ibi, quæ infrà examinabimus.*

F

Cum abbate Macniseo aliisve

4 *Alius occurrit* S. Macniseus, abbas Cluaini-Mic-Noïs in Hibernia, *apud Castellanum in Additionibus & Correctionibus ad* XIII *Julii pag.* 968, *qui illo die inter Prætermissos saltem referri potuerat tomo* III *Julii. Colganus in Triade pag.* 373 *num.* 28 *eum obiisse tradit* XIII *Junii anno Christi* 589, regiminis decimo septimo; *imò vigesimo, si verum est quod præmiserat in Actis Sanctorum Hiberniæ pag.* 72, *fuisse immediatum successorem S. Æneæ abbatis 2 Cluanenſis*, XX *Januarii* 569 *defuncti. Hic porrò* aliis Oena, aliis Ængus (*Latinè* Æneas) seu Ænguſſius *appellatur, teste Colgano ibidem*; *additusque à Bollando est Prætermissis ad* XX *Januarii tomo* II *pag.* 1138. *Quamvis autem Connerenſis Episcopus* Macniseus & Macnissius, & Ængus *sive* Æneas, & Ænguſſius *nominetur*, *sufficien-*

AUCTORE J. V.

A *ſufficienter tamen & loco & tempore ab iſtis ſynonymis diſtinctus videtur : hi etenim abbates fuerunt de Cluain-muc-nois , quod* eſt oppidum occidentalis Mediæ ad ripam Sinanni fluminis : in quo olim monaſterium celeberrimum Cluanenſe à S. Kierano fundatum , & uſque in hunc diem ſedes epiſcopalis , *inquit Colganus num.* 18. *Contrà epiſcopatum Clonmacnoiſenſem ab anno* 1568 *Midenſi unitum & adjectum fuiſſe , teſtatur Waræus in Commentario de Præſulibus Hiberniæ pag.* 95. Macniſcius *verò , qui hodie colitur , ſecundum Colganum pag.* 190 *obiit* III *Novembris* 513 , *id eſt annis* 3 *antè quàm S. Kieranus naſceretur ; primuſque fuit epiſcopus Coneriæ ſeu Conerti , urbeculâ Ultoniæ in comitatu Dunenſi ad lacum Cone Septemtrionem verſus , quæ nunc in vicum redacta eſt , teſte Baudrando & novo Lexico geographico , quod prodiit Venetiis anno* 1738. *Diſtat autem pluſquam* 80 *milliaribus Hibernicis Clonmacnoisâ , quam Baudrandus & ex eo Dictionarium Morerii auctum ad vocem* CLUAN *malè collocant* in Ultonia provincia prope Shenanum fluvium ; *cùm ſit pars Comitatûs Regis in Lagenia , ſita* in ipſo quaſi Hiberniæ

B umbilico ſive meditullio , *ait Waræus citatus , & patet ex tabulis geographicis. Adde , quòd Senus ſeu Shenanus in Connacia oriatur , & Ultoniam ne alluat quidem.*

homonymis confundi non poteſt :

5 *Sanctus noſter , ut num.* 2 *vidimus , etiam* Coemanus *nuncupatur à Colgano ; qui alibi , nempe in Triade pag.* 177 *num.* 88 , *occaſione Coemani diaconi plurium id nominis ſanctorum meminit :* Sed confuſionis evitandæ gratiâ *obſervandum ait* , nomina Hibernica Coemhan, Coemhoc & Mochoemoc eſſe ſynonima ; eumque , qui nunc Coemhan , aliquando Mochoemoc appellari. *Deinde varios enumerat , quorum quartus eſt* Coemanus , qui & Macneſſius , epiſcopus Connerenſis III Sept. ; *quintus* Coemanus cognomento Breac , ut habetur in Hibernico. Abbas de Roſ-each in Media , qui juxta Annales Cluanenſes obiit an. DCXIV die XIV Septembris , quo ejus celebratur natalis juxta S. Ænguſſium *&c. prout habet Notâ* 15 *in Vitam S. Fechini pag.* 140. *Sextus* Coemanus de Enach-truim , frater S. Coemgini III Novembris : *quo item die , fortè perperam* ,

C S. Macniſcium *obiiſſe dixit numero præcedenti. Tomo ſuo priore pag.* 192 *ex Uſſero refert , S. Coëmanum monaſterii Enach-trumenſis , quod in ſuperiori Oſſoria ad radices montis Bladhma ſitum eſt , abbatem claruiſſe anno* 550; *cùm Sancti noſtri ſucceſſor Lugadius ab anno* 537 *jam deceſſiſſet. Ex his patet quàm imperitè ſuperiùs num.* 3 *iſti tres confundantur , & quantùm proinde fidendum ſit illi compilationi , ex qua ſimilia proferuntur. Quod additur de cultu S. Colmani epiſcopi Kill-ruadhenſis , examinari poterit ad* XVI *Octobris , quando fortè plus lucis affulgebit. Interim aſſerere non audemus idemne fuerit an diverſus Colmanus hic* S. Macniſcii *diſcipulus , teſte Vita num.* 6 , *&* Colmanus epiſcopus de Kill-ruaid , diſcipulus primò Ailbei & poſtea S. Patricii *apud Colganum in Triade pag.* 269 : *tot enim habent Colmanos Hiberni , ut ipſi vix norint eos ſatis diſtinguere. Audi Colganum ad* XVIII *Februarii in Notis de S. Colmano epiſcopo :* Colmani , feſtis & natalibus diverſi , in domeſticis noſtris martyrologiis aliiſque hyſtoriis numerantur plures quàm centum triginta. *Quæ hoc & præcedente numero dicta ſunt , manifeſtam Sancti noſtri à ſynonymis diſtinctionem videntur oſtendere. Nunc de epiſcopatu ejus agendum.*

Coneriæ in comitatu Dunenſi epiſcopatum

6 *Locus num.* 4 *aſſignatus eſt , Coneria nempe ſeu Conertum* in comitatu Dunenſi ad lacum Cone ; *quod addidi , ne quem fallat Dictionarium Morerii auctum confundens perperam urbem* Conor *ſeu* Connor *in comitatu Antrimenſi cum Coneria : hæc enim ab illa diſtat milliaribus Hibernicis facilè* 16 , *&* Connor *in hodiernis etiam tabulis geographicis* a bish ſea , *id eſt , epiſcopalis ſedes nominatur ; Coneria verò epiſcopatui Dunenſi unita fuit ab anno* 1442 , *teſte Waræo pag.* 62 , *& nunc ferè deleta eſt : unde & in quibuſdam tabulis omittitur. Quamvis autem Waræus epiſcopatum hunc* Connorenſem *appellet , non tamen de Connoria in comitatu Antrimenſi ſed de Coneria ſeu Connereth in Dunenſi ipſum agere , vel ex eo patet , quòd inter ejus antiſtites numeret S. Malachiam , qui ex abbate monaſterii Benchorenſis factus eſt epiſcopus vicinæ civitatis Conneretenſis (* Connereth) *teſte S. Bernardo de Vita S. Malachiæ capp.* 6 , 7 *&* 8. *Franciſcus Porterus Ordinis Minorum in Compendio annalium eccleſiaſticorum Hiberniæ pag.* 49 *celeberrimum illud monaſterium* Banchor *appellat , ſitumque ait* ad ſinum de Knoc-fergus *ſive Ferguſſianum :* interiùs ad lacum *(* Cone *)* eſt epiſcopalis ſedes Connerenſis dicta , cui præfuit olim S. Malachias epiſcopus , *triceſimo fermè ætatis ſuæ anno , Chriſti* 1124 *ſecundum Waræum , ad eam eccleſiam diu paſtore viduatam conſecratus à Celſo archiepiſcopo Armachano. Verùm de illo ſancto poſtea pluribus ad* III *Novembris.*

E

fundat ; quamdiu eccleſiam illam rexerit & vixerit , neſciur.

7 *Epiſcopatûs Connerenſis ſeu Connerthenſis initia* S. Macniſcio *deberi , docet laudatus Waræus & ex ipſo Porterus pag.* 173 *his verbis :* Ængus Macniſius primus fuit hujus eccleſiæ epiſcopus & fundator. Is cognomentum à matre more inſolito trahens , vulgò S. Mac-Niſæ vel Mac-niſius ſine aliqua additione dictus eſt. Patris autem nomen Fobrec * fuit , ut tam è Tigernaci Annalibus , quàm ex antiquo Ænguſiani martyrologii ſcholiaſte ad diem III Septembris intelligimus. E vivis hic ceſſit ſenex venerabilis III Septembris anno Domini DVII , vel ſecundum alios DXIV. *Secundum Caſtellanum autem diu poſt nempe ſeculo* VII , *aut ſaltem* circa DLXXXIX, *quò mortem Sancti retrahit in Supplemento pag.* 705. *Sed hac dilatione videtur eum confundere cum Macniſeo abbate ; (quem tamen pag.* 968 *aſſerit* diverſum veriſimiliter à S. Macniſeo epiſcopo Connerenſi) *abbas enim ille obiit anno* 589 , *non* circa DC , *ut Caſtellanus vult. Quo præciſè anno Sanctus noſter ordinatus fuerit , neſcimus : at ſeculo* V *ſediſſe patet ex Waræo pag.* 52 , *ubi* perhibetur S. Cailanus , S. Macniſii epiſcopi Connorenſis æqualis , ſed in epiſcopatu poſterior , ex Nendrumenſi abbate factus Dunenſis eccleſiæ epiſcopus ſub exitum ſeculi poſt Chriſtum natum quinti. *Ceterùm in vivis adhuc erat anno* 510 : *nam S. Comgallus* , de quo pridie quàm naſceretur , . . , propheta-

F vit , *probabiliùs illo anno in lucem editus eſt , cùm , ut habent ejus Acta tom.* II *Maii pag.* 583 , *diaconus ordinatus ſit à* Macniſcii *ſucceſſore Lugido ſeu Lugadio epiſcopo , qui deceſſit anno* 537. *Quamdiu Sanctus poſt Comgalli nativitatem ſuperfuerit , non liquet. Colganus , qui in Triade annos vitæ* 90 *Comgallo tribuit natumque ait* 511 , *ſuprà num.* 4 Macniſcii *obitum*

* *Latinè* Fabricius

AUCTORE J. V.

tum affigit anno 513 ; alii apud Waræum 514, circa quem videtur mors ejus ſtatui poſſe, donec certiora proferantur. Ad ætatem quod ſpectat, è vivis ceſſit, *teſte Waræo ſuprà*, ſenex venerabilis ; *ſed quoto vitæ anno non determinat laudatus ſcriptor, neque nos poſſumus determinare. Si verum ſit quod innuitur in Vitâ num.* 1, *recèns natum baptiſmate initiatum fuiſſe à S. Patricio Hibernorum apoſtolo, cujus appulſum in Lageniam anno* 432 *conſignavit Papebrochius tomo* 11 *Martii pag.* 523 ; *id unum licebit inde colligere, quòd Sanctus ante illum annum natus non fuerit. Ceterùm & de ſucceſſoribus ejus in ſede Connerenſi ſubdit Waræus pag.* 62, *perexiguam ſupereſſe memoriam uſque ad Anglorum adventum in Hiberniam, quem idem auctor cap.* 24 *de Antiquitatibus Hibernicis pag.* 123 *contigiſſe ſcribit anno* 1169.

8 *Apud Colganum in Vita ſeptima S. Patricii pag.* 146 *cap.* 129 *inſulſa de Sancto fabula narratur in hunc modum :* Patricio in iiſdem partibus (*Dal-riediæ*) agenti contigit & alius non minùs miſerandus, ſed & magis pudendus caſus. Mac-neſſius enim, poſtea antiſtes Condorenſis ſive Connerenſis, dum in pietate & bonis diſciplinis apud Patricium educaretur, magiſtro inſcio, implicavit ſe primò incautis ac paulatim ſuſpectis alterius ſexus conſortiis ; donec vitam primò egregiè inſtitutam illicitis contactibus ac miſerando tandem lapſu cum ipſius ſancti antiſtitis ſorore vel nepte inſimulatus fuerit ſe * fœdè maculaſſe. Lapſus ille ad aures Patricii perlatus ita ſanctiſſimum exacerbavit magiſtrum, ejuſque animum iramque vindicem contra diſcipulum exacuit, ut illico precatus & ſeverè imprecatus ſit, manum illam, quæ membrum illud vivum & ſummæ ſpei à reliquo ſancto ſui ſodalitii corpore ſuis actibus fœdiſque contactibus ſegregavit, in tanti ſcandali publicam vindictam à cætero corpore abſciſſam iri. Et ecce res mira ! manus Mac-neſſii extemplò abſciſſa in terram cadit & in perpetuam rei mirabilis juſtæque vindictæ memoriam in loco, qui exinde Carn-lamha, id eſt, tumulus manûs appellatur, tumulata reconditur. Mac-neſſius verò lapſu ſanctior vitam, quam turpi illa nota ſic fœdè maculavit, egregiâ mox pœnitentiâ reſtauravit, multiſque poſtea ſignis & virtutibus teſtatiſſimæ ſanctitatis mirabilem reddidit & ſanctiſſimè finivit. *De ſanctitate nulli dubium eſſe poteſt ; verùm quis credat hominem altera manu mutilum ſacerdotem confecratum fuiſſe ac poſtea epiſcopum ?*

Fabula de eo conficta ;

* *omitte* le

9 *Anonymus ſcriptor Vitæ* S. Macniſcii *nihil de ejus lapſu memorat, licèt alioqui fabulis non pepercerit ; quales occurrunt apud multos ſcriptores Hibernicos, prodigia narrantes ſtupenda magis quàm vera, vel quæ ab uno Sancto ſemel ſunt facta, pluribus tribuentes aliter atque aliter compoſita : potiùs ex imperita ſimplicitate, ut opinor, quàm fallendi voluntate. Accipe earum ſpecimen unum alterumque. Numero* 3 *inter miras reliquias è Paleſtina à Sancto aſportatas recenſet* unum de ſcyphis magni altaris Jeruſalem. *Deinde* Macniſcio *attribuit prædictionem de S. Colmanello, quam S. Patricii eſſe teſtatur Jocelinus in hujus Vitâ tomo* 11 *Martii pag.* 560. *Aliâ inferiùs annotabuntur. Vitam Sancti habemus Ms. & capitulis* 13 *comprehenſam : deſumpta eſt ex antiquo Codice item Ms., olim Collegii Salmanticenſis Hibernici Societatis Jeſu, nunc Muſei noſtri, notato* P Ms. XI. *Acta illa qualiacumque, cùm certiora non inveniantur, ex memorato Codice edere viſum eſt, ne quid curioſus lector deſideret. Titulum hujuſmodi præferunt :* 111 Nonas Septembris. Incipit Vita ſancti Macniſſi epiſcopi : *coronidem verò hanc :* Explicit Vita S. Engula, qui & Macneſſi dicitur, *ſed de morte ejus nihil exprimunt præterquam diem. Ceterùm variis modis ſcriptum reperitur nomen tum Sancti, tum eccleſiæ, cui præfuit : nos hanc* Connerenſem, *illum autem* Macniſcium *vocavimus, ut habet Miſſa propria.*

Acta dubiæ fidei unde edenda.

D

VITA

auctore incerto

Ex Codice noſtro Salmanticenſi Ms.

E

HOdie, fratres dilectiſſimi, beatus Engus *a* qui vulgò dicitur filius Macniſſe, quia mater ejus Meſſ *b* vocabatur ; carne depoſita, cœlorum ſcandere regna promeruit. Quem venerabilis ſanctus Patricius Hibernorum apoſtolus plenum gratiâ *c* longè antequam naſceretur, naſciturum eſſe prævidit, & in vivo fonte ex venis terræ jam emerſo baptizavit : Bolcano verò epiſcopo *d* alendum atque docendum dedit. Crevit puer, creverunt & miracula ejus : de quibus unum refero, ceteris ſuperſedendo.

Baptizatur à S. Patricio, & inſtruendus traditur Bolcano epiſcopo ;

a
b
c
d

2 Quodam die ipſe miſſus eſt cuſtos ad vitulos ; ſompnus preſſit eum : ſurrexerunt ad ubera matrum vituli. Quod quia diſplicebat ejus nutrici, matri ſcilicet epiſcopi, percuſſit eum ; ſed non impunè : manus namque, quæ percuſſit innocentem, ſtatim amiſit virtutem. Epiſcopus autem juſſit alumpno orare pro ea fecit, & ſanata eſt. Hoc & hujus * ſignis fama novi Militis Chriſti divulgatur. Eo verò in addiſcendis litteralis ſcientiæ elementis quis docilior erat ? Dum aliquando Patricius in terra Aradenſium *e* iter ageret, eidem Bolcano cum præfato puero *f* ſibi obvianti prophetico ſpiritu ait : Tu, tuique ſucceſſores ſub hujus tui comitis ejuſque ſucceſſorum dominio ſemper eritis. Hoc autem de epiſcopatu, ad quem poſtea eſt provectus, vir apoſtolicus prædixit.

arefactam nutricis manum ſuis precibus reſtituit : epiſcopatum ei prædicit S. Patricius, * *fortè* hujuſmodi

e
f

F

3 Peracto verò deinceps pueritiæ tempore, ſubintravit animum ejus quatinus ad hortos, religionem & ſapientiam per Hyberniam florentes, velut apes argumentoſa volaret : quod & in effectum duxit. Perfectus autem vir factus, atque à beato Patricio in epiſcopum ſuæ gentis ordinatus, limina Apoſtolorum adiit ; Jeruſalem quoque aliaque ſancta terræ repromiſſionis loca viſitavit : ac devotis in hiis omnibus ad Deum profuſis precibus, de ſepulcri lapide, de capillis ſanctæ Mariæ, de oſſibus ſancti Thomæ apoſtoli, de veſtimentis Apoſtolorum & unum de ſcyphis magni altaris Jeruſalem aſportans, Romam rediit : curiam apoſtolicam intravit, ubi in magno honore aliquot diebus permanſit.

à quo ordinatus Romam adit & Hieroſolymam ; inde variis cum reliquiis

4 Multos etiam, ut ferunt, epiſcopos, preſbyteros, diaconos, clero aſſiſtente Romano, die uno ordinavit : in quo Hyberniæ paupertas per majorum Romani populi alleviata eſt pretioſa donaria ; vaſa etenim aurea & argentea atque ærea

Romam revertitur : ubi donis cumulatur, & leproſum ſanat

A ærea non pauca eâ die ipſi ſunt donata. Qui ipſis diebus quemdam leproſum per orationis virtutem mundavit. Viſitatis itaque Sanctorum memoriis, ſummique Pontificis oratione ac benedictione ſuſcepta, cum magnis muneribus repatriavit. Quod non ſolùm ſuæ, ſed & ceteris circumquaque gentibus incredibilem lætitiam attulit.

Redux in patriam fundat monaſterium, prædicat, miraculis claret;

5 De eccleſiis, opidis, villis, ſilvis ac montibus occurrunt ei, & cum omni exultatione ſuſcipitur. Non eſt qui ſe abſcondat ab eo niſi malus: terror enim ejus ſuper facientes mala. Semen verbi divini ubique ſeritur: de celo tuba intonat; eccleſiæ fundantur. Connerenſe monaſterium *g* conſtruitur, in quo uſque hodie *h* ſedes epiſcopalis habetur: beatus Pontifex fulget miraculis, prophetiâ inebriatur, revelationibus illuminatur divinis. De miraculis priùs pauca ſubjiciamus.

g h

Nota, quomodo cæcum & leproſum ſanavit. Aliquando duo viri, quorum unus cæcus, & alter leproſus, ut ſanitatem reciperent, ad eum venerunt: quibus in fonte vivo priùs lotis, huic viſum, illi mundam cutem per orationis virtutem dedit.

B *S. Colmanum puerum precibus miraculosè liberat à morte: Sanctum non recipientes puniti.*

6 Nota, qualiter puerum à morte liberavit. Cujuſdam hominis nequam, qui patrem ejus interfecit, parvulum filium ab amicis illius comprehenſum & morti deſtinatum liberare volens & non valens, inducias petiit, ut non antequam ipſe ad acervum lapidum, qui eminus extitit, pervèniret, ille interficeretur; quod impetravit. Ipſo autem illuc perveniente, ibique orante, præfatus puer in aëra ſurſum, ut in acuminibus haſtarum exciperetur, projectus, ab angelis confeſtim ereptus eſt, & in ſinum ſancti Pontificis immunis ab omni læſione depoſitus: quem denique nutrivit, & in divinis Scripturis atque religionis inſtitutis diligenter edocuit. Ipſe eſt Colmanus epiſcopus, qui eccleſiam nomine Kellruaid *i* fundavit.

i

Oppidum quoddam, ubi caritas à Viro Dei exquiſita, ipſi non eſt data, ultione divina ilico concrematum eſt.

Vetulæ filium imperat, fluvium novo alveo fluere jubet,

7 Nota, qualiter ſenilem anum fecit parere, & flumen locum ſuum relinquere.

Mulierem quamdam quindecim antea annis partu præ vetuſtitate privatam, virtute orationis parere filium fecit. Fluvio nomine Curi *k*, monaſterium ejus quod Latinè deſertum *l* dicitur, præterfluenti, ne ſonitus ejus tam propè tranſeuntis infirmos loci moleſtaret, per ulteriorem viam currere præcepit: quod continuò, ut ei imperatum eſt, fecit. Hæc pauca de miraculis diximus: de prophetia & revelationibus modò loquamur.

k l

C *S. Comgalli nativitatem & hoſpitum adventum prædicit,*

8 Dum aliquando magni abbatis Comgalli genitor nomine Setna cum uxore ſua vocabulo Brig, in curru ſedens iter ageret, videns Antiſtitem ſæpe memoratum, pede pergentem, feminæ ait: O mulier deſcende, ut epiſcopus currum aſcendat. Hoc ille audito, ait: Noli, inquit, moleſtare eam; pariet namque regem, qui ſuper multos regnabit *m*. Hoc autem de ſancto Comgello dixit.

m

Quadam itidem die monachis ſecum laborantibus nimiâ exhilaratus lætitiâ ex improviſo ait: Fratres, ab hoc opere ceſſemus, & ad monaſterium revertamur, oportet enim ut ſanctis hoſpitibus nunc iter aggredientibus & hac hebdomoda huc venturis, quæ neceſſaria ſunt, interim parentur. Hoc de ſancta Brigita *n* dixit, quæ pro utilibus cauſis eum viſitavit.

n

9 Dum aliquando beati Patricii atque ſanctæ Brigitæ tunc comes itineris verſus Momoniam *o* euntibus foret, & locum, in quo monaſterium nomine Lann-ela *p* poſtea fundatum eſt, tranſiret; aliis præeuntibus, ſolus remanſit. Quo percepto ſanctus Patricius pro eo miſit, eumque venientem immorandi cauſam interrogavit. Cui Vir Dei ait: Super locum in quo ſteti, celos apertos atque angelos Dei deſcendentes & aſcendentes vidi *q*. Sanctus Patricius dixit: Oportet ergo ut religioſos viros Deo ibi ſervituros relinquamus. At ille ait: Pater ſancte, ſi placet, non ita erit. Filius namque, qui ſexaginta annis ab hodie tranſactis de mea naſcetur parentela, cui nomen Colman ela, illic præclarum fundabit monaſterium. Quod totum ut Viro Dei revelatum eſt, exitus rei probavit.

A. INCERTO. *videt angelos aſcendentes & deſcendentes: prophetia de S. Colmano, & reverentia erga libros ſacros.*

o p q

Nec prætereundum eſſe arbitror, quòd Vir beatus Euangelii textum nullis retentum ligaminibus dum iter ageret, in humeris ob reverentiam ejus curvis portabat.

Hiis & hujus * venerabilis noſter Patronus in terris fulſit meritis præclaris ad laudem ejus, qui cum Patre & Spiritu ſancto vivit & regnat in ſecula ſeculorum, Amen. E

* hujuſmodi

ANNOTATA.

a *Poſt Vitam ſcribitur* Engula, *quod fortè diminutivum eſt ab* Engus. *De variis Sancti nominibus conſule Commentarium num.* 4 *&* 5.

b *Alibi rectiùs* Niſa: *unde Sanctus* mac (*Latinè* filius) Niſæ *ſive* Macniſius *dictus eſt.*

c *Fabuloſum id prorſus eſt: idem ſuſpicor de vivo fonte, fortaſſis huc derivato è Vita S. Comgalli citanda ad lit.* m. *S. Patricius ſatis notus eſt coliturque* 17 *Martii.*

d *De S. Olcano vel Bolcano actum eſt tomo* III *Februarii pag.* 179. *Verùm ſi & hic à S. Patricio baptizatus ſit, non potuit tunc temporis fuiſſe epiſcopus aut Sancti noſtri nutritius. Audi Papebrochium in Notis Mss. ad Vitam tripartitam S. Patricii, ubi mirus Bolcani ortus narratur:* Convincit nos temporum ratio, ut hunc epiſcopum (*Olcanum*) . . . dicamus vel à S. Patricio non eſſe ordinatum, vel ab eo non eſſe baptizatum: & hoc potiùs; ſic enim hanc ejus mirabilem nativitatem licebit ad fabulas Hibernicas amandare: nam citra ſectionem vel miraculum è mortua muliere fœtus non habetur. F

e Dal-aradia, *quam hic deſignari puto*, eſt maritima & Orientalis Ultoniæ regio, ab oppido Ivorio uſque montem Mis verſus Aquilonem protenſa. Nomen deſumpſit à ſtirpe Fiachi, cognomento Aradii, regis Ultoniæ, in ea olim principatum tenente. *Ita Colganus in Triade pag.* 8 *num.* 18.

f *Id fortè deſumptum eſt ex interpolatione Vitæ tripartitæ S. Patricii num.* 134, *ubi puer aliquis Maccniſſius & Sanctus noſter perperam confunduntur; cùm hic ſecundum Waræum, qui diligenter antiquitates patrias ſcrutatus eſt, primus fuerit eccleſiæ Connerenſis epiſcopus & fundator:* nec veteris Eccleſiæ ſimplicitas tulerit, ut ab uno epiſcopatu quis tranſiret ad alterum; quod tamen factum oportuiſſet, ſi, qui priùs Connerenſis erat, factus Arth-mugienſis fuiſſet, *uti obſervat Papebrochius citatus. Præterea Olcanus diſcipulos non habuit ante annum* 450, *imò ex Gallia non rediit ante* 460 *vel fortè* 470, *ut putat Colganus: ſi ergo Sanctus noſter poſt medium ſeculi* 5 *puer erat, quandonam à S. Patricio ordinatus eſt?*

A. INCERTO.

g *Cœnobium id nominis non reperio ; ſed prope Coneriam eſt monaſterium* Camber , *quod Waræus in Antiquitatibus Hibernicis pag.* 180 *vocat* Comerer , al. Comber , *fundatumque ait anno* 1199.

h *Inde liquet Vitam hanc ſcriptam fuiſſe ante annum* 1442 , *quo ſedes illa ab Eugenio IV unita eſt epiſcopatui Dunenſi.*

i *Colgano in Notis ad Vitam S. Corbmaci pag.* 756 *eſt* Kill-ruaidh , in finibus Dal-aradiæ juxta lacum Lochlaodh *vel , ut habet in Triade pag.* 386 *num.* 16 , Loch-loedh , *id eſt , lacus ſeu ſtagnum vituli. De S. Colmano vide Comment. num.* 5.

k Curi *nuſquam invenio ; ſuſpicari quis poſſet fluviolum eſſe , qui in tabulis quibuſdam notatur prope Coneriam Septemtrionem verſus.*

l *Hibernicè* Diſert.

m *Prædictio hæc clariùs , ſed cum aliis adjunctis enarratur in utraque S. Comgalli Vita ad* 10 *Maii ſeu tomo* 11 *pag.* 580 , *unde ſequentia tranſcribo :* Beatus . . . abbas Comgallus . . . patre Sedneo , matre Brigâ editus eſt. De quo pridie quàm naſceretur , S. Macniſcus Connerenſis epiſcopus , Spiritu ſancto ei revelante , prophetavit. Audiens namque equorum & currus tranſeuntis ſonitum , aſſiſtentibus ait : Currus iſte regem portat. Hoc illi audito , gradu concito videre regem exeunt ; ſed cùm neminem ibi præter Sedneum ejuſque uxorem Brigam . . . invenirent , ad Virum Dei redeunt ſtupefacti , dicentes : Pater ſancte , Sedneus & ejus uxor in curru ſoli ſedent. Tunc Epiſcopus : Filii , inquit , ne me in hoc , quod dixi , mendacem exiſtimetis. Illa enim in ventre regem portat , quem craſtina die orto jam ſole pariet : . . . cui non ſolùm multa millia monachorum , ſed & reges innumeraque plebium multitudo , quaſi regi deſervient. *Vide & pag.* 582 *ibidem , num.* 4.

n Brigida *vocatur tomo* 1 *Februarii , ubi à pag.* 99 *de hac S. virgine thaumaturga prolixè actum eſt.*

o *Hiberniæ provincia eſt , incolis* Moun , *Anglis* Mounſter *dicta.*

p *Situm eſt monaſterium iſtud in Media , ubi S. Colmanus ſeu Colmanellus* 26 *Septembris colitur , uti teſtatur Colganus tomo priore pag.* 741. *In Triade pag.* 183 *ait* Lan *vel* Lann *Britannis idem denotare , quod locus ſacer.*

q *Jocelinus in Vita S. Patricii cap.* 96 , *apud nos tomo* 11 *Martii pag.* 560 , *ſimilem ferè viſionem oblatam narrat S. Benigno , quam ipſe Patricius de S. Colmanello expoſuit abſque ullâ temporis determinatione. Vehementer ſuſpicor viſionem illam ad* S. Macniſcium *fabulosè tranſlatam eſſe , addita prædictione poſt annos* 60 *ſcilicet complenda. Audi Colganum in Triade pag.* 113 *ad Jocelinum citatum :* Dubium eſt an per Colmanellum hîc intelligatur S. Colmanus cognomento Ela , qui paſſim Colmanellus vocatur , an verò S. Colmanus antiſtes Druim-morenſis : cùm uterque floruerit eodem tempore in ea regione Ultoniæ , quæ hîc Dalnardia & rectiùs Dal-aradia vocatur. Fuit enim uterque diſcipulus S. Macniſſi antiſtitis Connerenſis eccleſiæ. *Imò verò neuter vidit Sanctum noſtrum , epiſcopus enim Dromorenſis , Uſſero teſte , natus eſt anno* 516 ; *Colmanellus autem anno* 550 *aut* 554 , *cùm obierit* 26 *Septembris* 610 , *ætatis ſuæ* 56 *vel* 60 , *ut Colganus tradit pag.* 374 *hîc , & tomo priore pag.* 832.

DE SANCTO AUXANO EPISCOPO

MEDIOLANI IN INSUBRIA.

J. P.

SYLLOGE.

C Cultus ; illuſtre genus ; elogium ; tempus ; tranſlatio corporis. F

ANNO DLXVIII. *Habetur in Martyrologio Romano, & aliunde probatur*

Romanum Martyrologium Præſulem hunc ita annuntiat hodierna die : Mediolani , depoſitio ſancti Auxani epiſcopi. *Eumdem quoque Sanctum laudat Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ , ſequenti elogio illum ornans ex* Brev. & Tab. Actiſque eccleſ. Mediolanen. , *prout aſſirmat , deſumpto :* Auxanus Mediolanenſis ex nobili Cribellorum familia genitus , ob ejus inſignem pietatem & vitæ innocentiam à Joanne III Pont. Max. Vitali epiſcopo Mediolanenſi , qui S. Datio ſucceſſerat , ſubrogatur. Qui omni ſtudio partes officii ſibi commiſſi ſic egit , ut euangelicam diſciplinam maximè auxerit. Multa paſſus incommoda (quòd eo tempore Alboïnus Longobardorum rex Mediolanum obſeſſum cepit & diripuit) cùm eccleſiam Mediolanenſem biennio , quo vixit , ſanctiſſimè rexiſſet , ſanctitatemque ſuam miraculis comprobaſſet , in cælos , hîc corpore relicto , evolavit III Non. Septembris an. ſal. DLXIX , Joanne III adhuc Pont. in æde S. Stephani ad Rotam tumulatus.

2 *Elogium hoc occaſionem mihi ſuggerit varia inquirendi , ubi alia nonnulla illis præmiſero de publica ſancti hujus Epiſcopi veneratione. In catalogo Sanctorum ante librum Miſſalem , anno* 1522 *impreſſum Mediolani* ſecundum inſtitutionem ſanctiſſimi . . Ambroſii *&c. ſcribitur hac die memoria* ſancti Auxani archiepiſcopi Mediolani. *Inter Officia propria ſeu lectiones proprias & communes , anno* 1642 *excuſas pro Sanctis eccleſiæ Mediolanenſis , ponitur Officium* S. Auxani epiſc. & confeſſ. dupl. (in S. Stephani :) & lectio IV *propria ſubjungitur. Apud Joannem Franciſcum Beſozzo in Hiſtoria pontificali Mediolanenſi ad annum* 566 *ſcribitur* ſepultus in collegiata S. Stephani , ubi magna cum devotione reliquiæ ejus à fidelibus honorantur. *Ex his ſatis conſtat de publico cultu hujus ſancti Epiſcopi. De illuſtri ejus genere ſubdo iſta.* *ejus cultus.*

3 *Paulus Morigia in libro Italico , quem edidit*

A *scribitur natus ex illustri genere Crivelliana:*

didit de Nobilitate Mediolanensi, lib. 1 cap. 9 familiam Crivelliorum, è qua S. Auxanus *originem traxisse fertur*, illustrissimam & antiquam *vocat. Præter hunc Præsulem, ex hac illustri arbore plures alios vitæ sanctimoniâ insignes prodiisse commemorat, videlicet B. Alexandrum eremitam, S. Ambrosio Mediolanensium protectori familiarem: cui subdit Cribellios plures, variorum Ordinum Religiosos, quos* beati *titulo condecorat. Deinde, paucis multa hujus familiæ ornamenta complectens*, semper, *inquit*, nobilissimè floruit numero, divitiis, gradibus, dignitatibus, & omnigena virtutum professione, nec non habuit episcopos, cardinales, & summos Pontifices, præter viros bello celebres. *Claruit seculo decimo sexto Alexander Cribellius cardinalis, cujus elogium legi potest apud Ciaconium in Vitis Pontificum Romanorum & S. R. E. cardinalium tomo 3 columnâ 967 & seq. Hunc præcessit Lambertus sive Humbertus, vel Hubertus aut Obertus Crivellius, qui Mediolanensis antea episcopus, ac presbyter cardinalis sancti Laurentii in Damaso, ad Sedis Apostolicæ regimen evectus anno* 1185, *Urbanus III appellatus est, sicut narratur apud Franciscum Pagium in Breviario Pontificum Romanorum tomo 3 pag. 127 & seqq., ubi res ab eo gestæ referuntur; de quibus & apud Ciaconium tomo 1 à columna* 1123.

Sancti elogium,

4 *In elogio Sancti nostri, quod suprà è Ferrario dabam, nec non in lectione propria modò indicata, dicitur idem sanctus Antistes ecclesiæ suæ præfuisse annos duos: de qua re ita Ferrarius in Annotatione:* Onuphrius Panvinius in Fastis Auxano tres episcopatûs annos tribuit; sed tempora hujus cum Honorati successoris confundit. Baronius in Annal. ad an. D. DLXX Alboïnum Mediolanum & cæteras Insub., Liguriæ, ac Venetiarum urbes cepisse adnotat, Honorato episcopo Mediolanen. Genuam ex fuga profecto. Ex quo apparet Mediolanum sub Auxano obsessum; captum verò sub Honorato fuisse. *Dissentit à Ferrario Ughellus, tomo 4 Italiæ sacræ recusæ columnâ 57 & 58 his verbis, tres annos episcopatui ejus assignans:* Mediolanensium præsul creatus est anno DLXV, atque ad tres annos hoc onus subivit eo tempore, quo Albuinus Longobardorum rex in Italiam venit, Galliamque Cisalpinam occupavit, qui fuit DLXVII *.

C

* DLXVIII

tempus sedis

5 *Verùm in Tabula chronologica episcoporum Mediolanensium, quæ habetur ante tomum* VII *Maii apud nos, ponitur præsul ordine* XXX S. Auxanius *anno* DLXVI, *spatium episcopatûs anni* 2, *annus martis* DLXVIII, *dies verò* Septembris III. *Consuli etiam ibidem potest Exegesis de iisdem episcopis pag.* LXV, *ubi de S. Honorato, qui proximus ibi ponitur Sancti nostri successor, etiam agitur. Singularis omnino est, ac non sequendus Gualvaneus de la Flamma in Chronica Mediolanensi sive Manipulo Florum, dum inter Rerum Italicarum scriptores Mediolani editos tomo* XI *scribit ista cap.* 60, *columnâ* 577: Ausanus sanctus Mediolanensis archiepiscopus XXII ordinatur anno Domini DXCIV. Sedit verò annis VIII.

AUCTORE J. P.

ac mortis:

6 *Ad annum porrò ipsius emortualem ponendum* 568 *non parùm conducit Paulus Warnefridus Diaconus, qui floruit seculo* 8, *de Gestis Langobardorum lib. 2 cap.* 25, *ubi de Honorato hæc narrantur:* Alboin igitur Liguriam introiens, Indictione ingrediente tertia, tertio Nonas Septembris, sub temporibus Honorati archiepiscopi, Mediolanum ingressus est. Dehinc universæ Liguriæ civitates præter has, quæ in littore maris sunt positæ, cepit. Honoratus verò archiepiscopus Mediolanum deserens, ad Genuensem urbem confugit. *Conveniunt hæc anno* 569, *quo currebat quidem Indictio* 2; *sed tertia à mense Septembri, more Orientalium, tunc erat inchoata, & sic explico Paulum Diaconum. Ex dictis itaque sequitur* 1°, *ut* S. Auxanus *non obierit anno* 569; *sed anno* 568. *Sequitur* 2°, *ut* Mediolanum sub Auxano obsessum *non fuerit, contra Ferrarium suprà citatum: sed, si obsessio intervenerit, cùm non diu videatur durasse, referenda sit ad tempus Honorati. Si obsessio, inquam, intervenerit: variant enim auctores in narrando ingressu Longobardorum in urbem Mediolanensem, ac fugæ Honorati adjunctis, sicut pluribus relatum invenies die* VIII *Februarii in S. Honorato, tomo 2 ejusdem mensis pag.* 164, *à num.* 3. *Sequitur* 3°, *ut* S. Auxanio *non conveniant* multa *illa* incommoda, *quæ sub Alboino tribuebat ipsi Ferrarius in elogio ejus, quod suprà datum est.*

E

translatio corporis.

7 *Ad corporis sepulturam quod attinet; illud è priore loco amotum, ac solenni ritu translatum, necnon decentiùs collocatum scribit Puricellus in Ambrosianæ Mediolani basilicæ &c. monumentis, volumine primo, sub numero* 475, *à pag.* 862; *ubi affert è basilica S. Stephani inscriptionem in laterali pariete odei, & sinistro ingredientibus, tabulæ marmoreæ his verbis insculptam:* Corpora sanctorum Martiniani, Auxani & Mansueti, Mediolani archiepiscoporum: Protasii martyris, Martianique eremitæ: sub veteri hujus ecclesiæ choro quondam sepulta, & propter novam templi structuram inde amota, diligenterque ex antiquis monumentis, picturis traditionibusque recognita, Federicus Cardinalis & Mediol. archiepiscop., post eorumdem celeberrimam translationem, in septima provinciali frequentissima synodo à se celebratam, unà cum corporibus sanctorum, Arsatii Mediol. archiepiscopi, Marini martyris, ac Leonis eremitæ, qua in arca jam olim à B. Carolo Card. & Mediol. archiepiscopo condita fuerant, inclusis, sub hoc altari decentiùs collocavit pridie Kal. Junii, millesimo sexcentesimo nono. *Observare tamen juvat, à nobis propositas esse difficultates adversus episcopatum Mediolanensem* S. Arsatii, *prout videre licet in prædicta Exegesi à pag.* LXI, *ubi de Vita ejus fabulosissima disseritur. Agi de illo poterit ad diem* XII *Novembris, quo Monachii in Bavaria eum coli ibidem dictum est.*

F

A D

DE S. MARTINIANO EPISCOPO

COMI IN ITALIA.

J. P. Locus, cultus, & pauca alia de Sancto collecta.

ANNO DCXXVIII. *Episcopus hic*

COmum *antiqua Italiæ urbs est quæ habitatoribus aucta* Novocomum *cœpit appellari. Apud Strabonem enim lib.* 5, *pag.* 203 *editionis Parisiensis, quæ anno* 1620 *excusa notatur, hæc scribuntur:* Fuit initio oppidum mediocre Comum: sed Pompeius Strabo Magni pater afflictam à suprà accolentibus Rhætis instauravit. Deinde C. Scipio ad tria colonorum millia adjecit: quibus iterum divus Cæsar 100 addidit, de quibus 10 fuerunt Græcorum nobilissimi. His & jus civitatis dedit, & inter colonos eorum nomina retulit, qui tamen Græci ibi sedes non posuerunt; sed coloniæ isti nomen reliquerunt, ut Novocomenses oppidani omnes appellarentur. *Porrò urbs illa ad lacum, Larium olim dictum, nunc verò Comensem, vulgo* Lago de Como, *sita est, &* à Mediolano XXV m. p. in Boream distans Curiam versus, *ex dimensione Francisci Orlendii parte* 2, *lib.* 2, *cap.* 9, *pag.* 248 *Orbis sacri & profani, ubi deinde varia alia de hac urbe collegit. Inter alios ejusdem episcopos honorificum meretur locum* S. Martinianus, *qui cathedram sibi commissam virtutibus ac meritis illustravit; de quibus vellem ut plura antiquitatis documenta ad posteros invenirentur transmissa. Primus Aloysius de Tattis in Martyrologio Novocomensi hac die scribit ista:* Novocomi in ecclesia S. Abundii, natalis S. Martiniani episcopi Comen. & confessoris, qui tempore Longobardorum ad hujus ecclesiæ gubernationem assumptus, ipsam admirabili vitæ integritate illustravit, & meritis cumulatus ad præmia æterna evolavit in cœlum. *Castellanus eum quoque intexuit Martyrologio suo universali tamquam Sanctum post Ughellum tomo* 5 *Italiæ sacræ in episcopis Comensibus, inter quos ordine decimum sextum locum ipsi assignat.*

B

C

2 De eo, *inquit Tattus in notis ad dictum Martyrologium*, agunt hac die Officia peculiaria ecclesiæ Novocomensis unà cum B. Jovio Hist. patriæ lib. 2, Feliciano Ninguarda in Descriptione ecclesiarum urbis, ubi de basilica S. Abundii; Philippo Archinto in suorum prædecessorum Catalogo; Lazaro Carafino in Dypticha episcoporum Comen., & in Catalogo SS. & BB., quorum corpora in civitate & diœcesi requiescunt; Franc. Ballarino Chron. p. 2 & 3; Quintilio Lucino Passalaqua in pr. epist. histor., Roberto Ruscha lib. 1 Hist. suæ prosapiæ; Lælio Fravezzio in Diario perpetuo Novocomen.; Ferdinando Ughello to. 5 Italiæ sacræ in serie episcoporum Comen. num. 16, & Philippo Ferrario in Nova topographia ad Martyr. Rom. Nos quoque de Martiniano nonnihil inseruimus Annal. Comen. lib. 9 à num. 3 usque ad 14.

de quo multi auctores meminerunt,

3 *Deinde Tattus hujus sancti Præsulis cultum sic confirmat:* Sepultus est in præfata S. Abundii basilica sub odeo exteriori, ubi communem tumulum cum aliis SS. episcoporum corporibus ab obitu suo recepit. Singularia S. Martiniani Acta deperierunt: fama tamen sanctimoniæ consuetos supernorum civium honores eidem in ecclesia nostra ab immemorabili comparavit. *Ferrarius modò citatus, agens de* Como *duos ponit ejusdem urbis præsulum catalogos; unum quidem illos complectentem, de quibus dicit Officium recitari in ecclesia Comensi; alterum verò eorum, de quibus*, licèt inter Sanctos, *uti addit*, habiti sint, nullum recitat Officium. *In hoc autem secundo catalogo ponitur* Martinianus: *cujus cùm Acta interciderint, teste Tatto, conabor aliunde nonnulla venari, quæ de ipso referuntur.*

dicitur coli tamquam Sanctus in ecclesia Comensi.

E

4 *En tibi breve hoc de illo compendium ex Ughello*: S. Martinianus Adelberto concivis, ejusdemque discipulus, magistro subrogatus est anno DCXV. Sibi creditam administravit ecclesiam XIII annos: decessitque anno DCXXVIII, III die mens. Septemb., sepultusque est prope præceptorem. *Hunc Sanctum dedimus die* III *Junii pag.* 309, *ubi nihil invenio, quo hodiernus possit pro meritis illustrari. Acta Adelberti fabulosa ibidem rejiciuntur. Si Ughello credimus, fuit hic* S. Rubiano antecessori concivis; *Rubianus autem, ut refert idem Ughellus, erat* è civitate Licia seu Scisia in superiori Pannonia ad Calopium fluvium, nunc Crovatia dicta, Dalmatiæ attingens confinia. *Ballarinus suprà memoratus parte* 2, *pag.* 102 *& parte* 3 *pag.* 179 *eamdem* Scisiam *ipsi fuisse patriam refert; quæ proinde ex dictis natales etiam dederit* S. Martiniano, *ut fertur. S. Rubianum suo Martyrologio inscribit Tattus* XVI *Decembris.*

Alia,

5 *Verùm auctor idem lib.* 9 *Annalium Comensium decade* 1, *num.* 3 *his refragatur, tam locum natalem* S. Martiniani, *quàm annum inchoati episcopatûs, pariter sibi esse incertos indicans, nec sibi compertum, quo fundamento nitantur nonnulli, qui* Scisciâ *oriundum referunt. Deinde falli etiam sine dubio illos censet in designando primo episcopatûs anno: nam cùm annus* 615, *in quem differunt obitum Adelberti, non possit eidem assignari, nisi tunc vixisset Bonifacius IV, qui anno* 614 *obierat; non asserendum etiam esse affirmat*, S. Martinianum *anno* 615 *in episcopatu successisse Adelberto, nisi hunc inter & illum diu sedes vacaverit; idque affirmare, divinare esse. Addit, probabilius se credere, quòd Adelbertus è vita excesserit primis annis, quibus Bonifacius S. Petri gregem cœpit pascere, & inde eadem cum congruentia reputare se posse scribit, quòd eodem anno, quo Adelbertus obiit, vel anno proximo* Martinianus *ipsi suffectus sit. Habes Tatti ratiocinium, quod tantisper examinabo.*

Quæ de ipso

F

6 *S. Bonifacius PP. IV ad Petri cathedram evectus est anno* 607, *secundum Baronium; mortuus eodem auctore*, 614. *Pagius autem in Critica Baroniana ad annum* 614 *num.* 2 *initium*

referuntur;

A *tium Pontificatûs ejus adscribit anno* 608 ; *obitum verò anno* 615 , *qui & apud nos signatur ad diem* XXV *Maii pag.* 75 , *ubi de isto sancto Pontifice tractavimus. Hac occasione in memoriam revoco ea , quæ jam pridem in S. Bonifacio diximus loco suprà citato : ibi enim præter alia fabulosa illi afficta & à nobis rejecta , narratur* , Bonifacium IV Româ profectum esse Novocomum , ut defuncto Adelberto justa persolveret. *Hoc autem figmentum rejici diximus* , eo quòd dictus Pontifex integro anno ante hunc episcopum vitâ functus esset. Sed hoc in calculo Baroniano : nam in nostro obiisset uterque eodem anno , & vix uno mense citiùs Papa , *sicut ibidem scribitur.*

sunt incerta. 7 *His ita positis , non video cur alius annus iniit à* S. Martiniano *episcopatûs quæri debeat , quàm* 615 , *quo & ipsius decessor S. Adelbertus obiisse dicitur tomo antea indicato. Etiamsi autem non satis constet , an* S. Martinianus *tunc factus sit episcopus , quia pauca admodùm de illo novimus ; visum tamen nobis est eum relinquere dicto anno innexum , quo Ughellus illum*

B *signavit , ac obitum ejus cum illo adscribere anno* 628 , *vel potiùs adscriptum tunc ab eo non mutare. Eumdem ponit Ballarinus & in Annalibus decade* I *ad istum annum Tattus , addito* intorno , *id est* , circitèr. *Hic ibidem dicit Sanctum fuisse sepultum in basilica Apostolorum , nunc S. Abundii , ubi anno* 1587 *repertum affirmat unà cum aliis sanctis episcopis decessoribus suis ac successoribus : ibique cum illis honorari eum indicat suo tempore sub fornice chori ; quamquam , prout observat , nec de ipso nec de aliis haberi potuerit singularis notitia , propterea quòd nulla arca sacra exprimeret nomen Sancti , qui erat inclusus. Hisce attexo sequens elogium.* AUCTORE J. P.

8 *Ballarinus pag.* 104 S. Martinianum *summatim laudat à virtutibus episcopalibus , Jesu Christo eum amicissimum fuisse scribens , de dilecti sibi gregis salute valde solicitum , quem in summi Pontificis obedientia , in veri cultus divini & Catholicæ religionis perseverantia conservabat , nec non in reprehendendis vitiis , virtutumque sanctarum cultoribus præmiandis singularem. Tattus in notis hæc de illo singillatim prædicat :* Eo tempore , quo nostræ præfuit ecclesiæ Martinianus , magni exorti sunt motus in regia Longobardorum , aliis Adalvaldum , Agilulphi & Theodolindæ filium , legitimum sceptri heredem propugnantibus ; aliis faventibus Arioaldo Adalvaldi sororio , qui regnum à nonnullis optimatibus sibi oblatum extensis ulnis arripuerat. Unà cum regni proceribus ecclesiarum principes & episcopi his sese immiscuerunt turbis : ad quas sedandas Honorii Romani Pontificis auctoritas nihil profuit. Nam exaltatum unanimi voto Arioaldum , licèt hæresi Ariana fœdatum , Insubriæ sacri antistites pro viribus tuebantur. Sed illicitæ E huic electioni noster numquam assensit Martinianus , qui Honorio semper & Adalvaldo adhæsit unà cum Catharisino episcopo Placentino , & nonnullis aliis Catholicæ fidei , æquitatis & veri regis assertoribus. *Hæc in compendium contraxit Tattus , quæ in suis Annalibus Comensibus Italicè scriptis ac suprà designatis prolixiùs retulerat. Consuli potest Baronius ad annum* 616 *de morte Agilulphi ; de hisce autem turbis ad annum* 626. Elogium.

DE S. REMACLO CONF. ET EPISC. TRAJECTENSI

AC DEIN ABBATE STABULENSI,

STABULETI IN GERMANIA.

C

COMMENTARIUS PRÆVIUS. F J. V.

§ I. Publicus Sancti cultus ex variis Martyrologiis, Breviariis & Missalibus.

INTER AN. DCLXVII ET DCLXXI. *Sancti annuntiatio & elogia*

Sancti Remacli memoria , quæ in antiquis Martyrologiis Usuardi, Wandalberti, Adonis, Hrabani & Notkeri desideratur , celeberrima est tum in diœcesi Leodiensi monasteriisque Malmundariensi & Sabulensi , ... tum in monasterio Sollemniaco , cujus primus abbas fuisse dicitur. *Hæc Mabillonius Sæculo* 2 *Benedictino pag.* 488. *Constat tamen* Remaclum *legi apud Adonem , in utraque tum Mosandri tum Rosweydi editione ; quamquam Sollerius in Observatione ad Martyrologium Usuardi hac die subdubitet , an verè Adoniana sit annuntiatio. Utut est , Auctaria Usuardi ferè omnia illius meminerunt. Audi Grevenum :* In territorio Leodiensi monasterio Stabuleto , depositio sancti Remacli episcopi Trajecti superioris & confessoris. *Eisdem penè verbis eum annuntiat Molanus , addens plura tum in Indiculo Sanctorum Belgii à se edito , tum in eorumdem Natalibus , quos ex demortui schedis collegit atque digessit Petrus Louvius. Videri etiam potest Miræus in Fastis Belgicis & Burgundicis pag.* 510. *In Sacro Thesauro Servatiano expositio per litanias , elucidato per Andream Bouwens , hoc modo invocatur pag.* 40 : S. REMACLE episcope Trajectensis , qui loca à dæmonum incursu mundasti , & fontes oratione multiplicasti.

2 *Florarium nostrum Ms. sequens elogium ei ex pluribus texit :*

AUCTORE J. V.

texit : III Nonas Septembr. In territorio Leodienſi, monaſterio Stabuleto, natale ſancti Remacli glorioſi epiſcopi & confeſſoris. Hic Aquitanicus genere, in dioceſi Byturicenſi natus eſt honeſtis parentibus, & ſub B. Sulpicio Bituricenſi epiſcopo educatus : in cujus honore Remaclus poſtmodum in dioceſi Tungrenſi plures ædificavit eccleſias. Cúmque pontificalis ſedes vacaret Trajecti, eam derelinquente S. Amando, rex Auſtraſiorum Sigibertus precibus cleri & populi eis, ut petierant, licèt Sanctus reniteretur, annuit præeſſe Remaclum. Qui fuit præcipuus recreator pauperum & orphanorum pater, ac viduarum tutor, infirmorum conſolator omniumque neceſſitatum largifluus procurator extitit. Refulſitque in eo tanta virtus humilitatis, quòd ſeſe cunctis inferiorem haberi optavit. Multorum etiam cœnobiorum fuit inſtitutor & multorum pater diſcipulorum ; de quorum numero fuerunt beatus Theodardus, ſanctus Lambertus & ſanctus Hardelinus confeſſor Aquitanicus genere. Tandem depoſito paſtorali onere, in Stabulenſi monaſterio Deo ſervivit quoad vixit, illicque ſepultus eſt anno ſalutis DCXII. *Breviùs illum laudat Petrus de Natalibus in Catalogo Sanctorum lib.* XI *cap.* 62 *:* Rhemachlus epiſcopus Trajectenſis claruit tempore imperatoris Conſtantini junioris, ut dicit Sigibertus. Qui poſtquam commiſſam ſibi eccleſiam aliquo tempore verbis atque exemplis feliciter gubernaſſet ; tandem pertæſus ſecularium tumultuum, epiſcopatui reſignavit : & monachalis vitæ habitum aſſumens, Chriſto deinceps jugiter militavit & ſub monachali obedientia de magiſtro effectus diſcipulus in pace quievit. *Hæc aliaque inferiùs examinabuntur.*

B

Martyrologiis ;

3 *Prædictis addi poteſt Galeſinii Martyrologium S. Romanæ Eccleſiæ uſui accommodatum, ubi hac item die ſic annuntiatur :* Trajecti, ſancti Remachi (aliàs Remacli) epiſcopi & confeſſoris : qui à popularibus tumultibus abhorrens, quo religioſiùs in cæleſtium rerum meditationibus conquieſceret, epiſcopali munere depoſito, in monaſterium Stabulenſe ſe abdidit : ubi in omni vita ſuæ ſanctitatis præclara teſtimonia dedit. *Similia habent Martyrologi alii, Virum* admirandæ ſanctitatis *nominantes. Ut omittam Martyrologium Germanicum, Anglicum Witfordi, Ferrarium in Catalogo generali, Wionem parte* 2 *Ligni Vitæ, Dorganium, Ghinium, Menardum & ceteros, qui eum honorificè celebrarunt ; ſubjungo annuntiationem Martyrologii Pariſienſis anno* 1727 *editi, his verbis conceptam :* Stabuleti in ſylva Arduenna, ſancti Remacli ex abbate Solemniacenſi apud Lemovices, Trajectenſis, poſt ſanctum Amandum, epiſcopi, qui, annitentibus rege Sigiberto & Grimoaldo duce, monaſteria Congidunum, Malmundarium & Stabuletum fundavit. *Poſtquam hæc ſcripſeram, incidi in Calendarium antiquum monaſterii Stabulenſis editum ab Edmundo Martene tom.* 6 *Veterum ſcriptorum & monumentorum, ubi col.* 675 *ad* III *Nonas Septembris charactere Italico apponitur :* Depoſitio S. Remagli epiſcopi & confeſſoris.

C

publica veneratio in diverſis

4 *Colitur Sanctus non modò in dioceſi Leodienſi, verùm etiam in pluribus aliis, ritu vario. Dioceſes & monaſteria, in quibus unà cum S. Manſueto invocatur hac die, aſſignata ſunt ſuperiùs pag.* 635 ; *ſed Moguntiæ videtur cultus intermiſſus : nam Breviarium Moguntinum anni* 1570 *& Diurnale anni* 1612 *nihil de illo habent ; qua de cauſa ignoro. Illud certum eſt ex Miſſali citato & Breviariis antiquioribus, in veneratione ibidem fuiſſe anno* 1493 *&* 1507. *Agunt de* S. Remaclo *Breviarium Colonienſe anni* 1498, *Tornacenſe anni* 1508 *& Atrebatenſe Ms. ; item Miſſalia Tornacenſe anni* 1509, *& Cameracenſe anni* 1527 *: ſed nullo ſpeciali ritu. Breviarium Bruxellenſe S. Gudilæ anni* 1516 *& Bambergenſe anni* 1575 *recitant* 3 *Lectiones de vita ejus cum oratione propria, quæ in Bambergenſi eſt hæc :* Deus, qui beatum Remaclum confeſſorem atque pontificem tuum hodierna die ſuſcepiſti atque remuneraſti ; concede propitius, ut, qui ejus gaudemus meritis, provocemur exemplis : ut ejus interceſſione veniam & vitam mereamur æternam. Per. *Bruxellenſe verò habet aliam mox dandam. Per diœceſim Leodienſem fit de Sancto Officium proprium* IX *lectionum ritu ſemiduplici ; oratio :* Deus mundi auctor & conditor *, qui hodiernam feſtivitatem beati Remacli confeſſoris tui atque pontificis migratione conſecraſti ; præſta quæſumus nobis, ut cujus annua celebritate * devotis exultamus obſequiis, ejus ſuffragiis tuæ pietatis conſequamur auxilium. Per Dominum. *Docent hoc Breviaria antiquum Tungrenſe, Trajectenſe S. Servatii ; Leodienſia duo, alterum anno* 1520, *alterum* 1558 *editum, aliaque recentiora. Miſſale item Leodienſe anni* 1509 *propriam de Sancto Miſſam continet, cujus* INTROITUS. Statuit ei Dominus *&c.* PSALMUS. Miſericordias Domini in æternum cantabo. COLLECTA *eadem quæ in Breviariis :* Deus mundi auctor & conditor *&c.* EPISTOLA. Juſtus cor ſuum tradidit *&c.* EUANGELIUM. Deſignavit Jeſus & alios ſeptuaginta. OFFERTORIUM. Inveni David *&c.* SECRETA. Interventu precum & obtentu orationum beati Remacli confeſſoris tui atque pontificis, Domine, quæſumus his muneribus oblatis benedictionem effunde cæleſtem, quibus ejuſdem annuam celebramus commemorationem : & præſta ut per hæc omnibus careamus culpis, & cæleſtibus inferamur gaudiis. Per. COMMUNIO. Beatus ſervus, quem *&c.* COMPLENDA *ſeu Poſtcommunio.* Exiſtat, quæſumus Domine, beatus Remaclus confeſſor tuus & pontifex pro nobis perpetuus interventor : ut myſteria, quæ indignis manibus tractamus, non ſint nobis reatus ad pœnam, ſed ſint fortitudo noſtræ infirmitatis, & ad vitam capeſcendam æternam præparatio ſalutaris. Per Dominum.

D

* *al.* creator

* *al.* devotione

E

diœceſibus hymnus ex Officio ſolemni in abbatia S. Galli,

5 *Colebatur etiam olim Sanctus in diœceſi Ultrajectina, ut patet ex duobus Breviariis anno* 1508 *excuſis, ubi habetur ſequens Collecta :* Omnipotens ſempiterne Deus, qui hunc diem beati Remacli confeſſoris tui atque pontificis meritis conſecraſti, quique ejus ſanctitate & miraculorum ſplendore illuſtraſti : præſta miſericors Pater, ejus nos oratione muniri, quem cæleſti militiæ tribuis gratanter adjungi. Per. *Eamdem legit Miſſale Trajectenſe anni* 1514, *additis ſequentibus :* SECRETA. Reſpice, Domine, populum tuum ad tua ſacramenta concurrentem, & præſentem feſtivitatem ſancti confeſſoris tui atque pontificis Remacli recolentem : ut quod ſinguli in honorem nominis tui detulerunt, cunctis proficiant * ad veniam. Per. COMPLENDA. Gratias tibi agimus, Domine Deus noſter, qui nos cæleſti medela reparare dignatus es : da quæſumus de peccatis noſtris veniam, ſicut beato confeſſori tuo Remaclo atque pontifici dedisti ſedem pontificatûs. Per. *In abbatia S. Galli apud*

* proficiat

A *pud Helvetios, cujus Officia propria, auctoritate Pauli V PP. approbata, Venetiis impreſſa ſunt anno 1612, feſtum Sancti noſtri celebratur officio 12 lectionum ritu duplici 2 claſſis. Oratio eſt de communi* Da, quæſumus omnipotens Deus *&c.*; *ſed* ℟. prolix. *ad Veſperas proprium* Laudemus Dominum in beati antiſtitis Remacli meritis glorioſis: ad ſepulchrum ejus ægri veniunt, & ſanantur. ℣. Gaudeamus omnes in Domino, diem feſtum celebrantes beatiſſimi Remacli *&c. Accipe etiam hymnum ad utraſque Veſperas:*

Sancte Remacle, plebi tuæ ſubveni,
Et nos ab hoſte defendendo protege,
Sicque devotè famulantes reſpice,
Ut tibi noſtrum placeat obſequium.
Juva nutantem Ordinem monaſticum,
Succurre Clero, & gementi populo,
Principes doce ſectari juſtitiam,
Et ſimul totam ſuſtenta Eccleſiam.
Sit Trinitati ſempiterna gloria,
Honor, poteſtas, atque jubilatio,
In unitate, cui manet imperium,
Ex tunc, & modò per æterna ſæcula, Amen.

B *item duo alii* 6 *His ſubjungo duos alios hymnos, quos unà cum Sancti Vita & miraculis nec non Homilia in ejus natali ex vetuſto codice deſcripſit Bambergæ anno 1654 P. Joannes Gamans Societatis noſtræ. Primus habet hunc titulum:* In feſtivitate S. Remagli epiſcopi Hymnus. *Compoſitus eſt carmine Sapphico, at vitiis non caret.*

Clara præcelſo redeunt honore
Feſta, quæ comptis celebramus odis,
Teque laudamus, Dominator alme,
Pectore toto.
Tu fave noſtris precibus libenter,
Quem dies terris referens amanter
Hæc ſacra cœli pariterque donat
Sancte Remagle.
Te ſibi claro ſocians amore
Præſulem caro voluit haberi
Dives & tandem populo coruſcans
Culmine cœli.
Ortus occaſum referet, ſed orbis
Qui vides lumen ſpeciale ſolis
Quod fide rectè ſequeris honeſte
Semper ubique.
C Aulà te regis veneratur ampla,
Sed places Regi Dominorum ſummo
Inter feſtivas renitens coronas
Miles honeſtus.
in ejus feſtivitate 7 Poſce jejunans precibus anhelis,
Poſce Patroni regimen beati:
Namque votorum capiens opimi
Munera verbi.
Tuque Tungrenſis dioceſis almum
Præſulem primo venerare curſu
Parta ne ſumat prior, aut reportet
Gaudia mentis.
Præſul effulget ſolioque præſtans
Paſcit indoctos, refovet miſellos
Mentis effundens pietate largâ
Viſcera plena.
Spiritu Sancto referans futura
Plenus in ſignis pariter coruſcus,
Corde ſubjectus, humilis, pudicus
Vir fuit iſte.
Hinc ovans miles, eremi relicta
Suſcipit, ſolus Domino tonanti
Ut queat votis adolere caſtis
Intima mentis.
Lumen ex amplo radians opimum
Fulſit, & Paſtor monachorum vernat
Edocens ſacris monitis & ornans
Agmina clara.
Mortis hîc metam capiens refuſam
Spiritus clarum penetravit æthra *;
Nos ubi ſemper precibus juvato,
Sancte Remagle.
Gloriam Chriſto patulo canamus
Ore, præſtanti ſive ſervienti *
Tanta, qui pollet Deitate ſimplex
Trinus & unus.

AUCTORE J. V.

* *pro* æthera

* *i. e.* largienti

8 *Hymno rhythmico ſequenti præponitur:* Item unde ſuprà, *quo ſignificari arbitror ex eodem codice deſumptum eſſe.* *hymni Bambergæ.*

Lumen æternum moderator temporum,
Alme bonorum propagator omnium,
Palmam invictis largiens militibus,
Qui te ſequuntur laureati gloriâ.
Feſtum colentes tui ſacri Præſulis,
Laudes devoti tibi Deo canimus;
Cujus obtentu mereamur ſcandere
Aulam præcelſam cum triumpho muneris.
Te nunc oramus, ſancte Dei Pontifex,
Poſce ut nobis tribuatur venia,
Cunctis ſubactis vitiorum ſentibus, E
Atque perennis augeatur gratia.
Nulla nos mortis ſaucient facinora,
Procul peccata pellantur & vulnera,
Hoſtis cædatur cum conatu improbo,
Speque ſalutis foveantur languidi.
Sancte Remagle, noſtris fave precibus
Vota cunctorum Maieſtati offerens:
Sintque conjuncti angelorum millibus,
Quique devoti tuum feſtum celebrant.
Laus, honor, virtus atque modulatio
Patri, Natoque ſimul & Paraclyto,
Qui dominatur trinus & unus Deus,
Et regnum ejus in æterna ſæcula.
Amen.

§ II. Annus natalis, patria, genus, educatio ſub S. Sulpitio.

F *Sanctus inter annum 612 & 624*

Quoto Chriſti anno Sanctus in lucem fuerit editus, uti etiam quando ex hac mortali vita deceſſerit, certò determinari non poteſt. Notgerus ab anno 972 uſque ad 1008 epiſcopus Leodienſis in ejus Vita, cujus apographum ex inſigni & veteri Ms. S. Petri Coloniæ, ibidem in Carthuſia reperto, Gamanſius anno 1638 Majoribus noſtris tranſmiſit, & Harigerus abbas Lobienſis apud Chapeavillum tomo 1 de Geſtis pontificum Tungrenſium, Trajectenſium & Leodienſium cap. 48 ſcribunt natum eſſe, quo tempore civitas metropolitana Biturigum habebat archiepiſcopum S. Auſtrigiſilum, archidiaconum verò B. Sulpitium, in brevi poſt eum honore pontificali donatum. *Evectus eſt ad cathedram Bituricenſem S. Auſtregiſilus anno 612, & poſtquam ſederat annos 12,* ſicut ipſe angelo revelante cognoverat, *ut dicitur in ejus Vita ab Henſchenio edita tom. V Maii, XX illius menſis ad Superos abiit anno 624, ſuccedente ipſi S. Sulpitio cognomento Pio. Hinc patet nativitatem Sancti noſtri ſecundum Notgerum & Harigerum collocandam eſſe vel ipſo anno 612, vel aliquanto poſt; certè inter annum jam dictum & 624, ultra*

AUCTORE J. V.

ultra quem differri non patiuntur verba ſequentia Notgeri : In quorum parochia beatus eiſdem diebus Remaclus feliciſſimè ſumpſit nativitatis exordia.

in Aquitaniæ primæ provincia Bituricenſi

10 *Oriundum fuiſſe ex Aquitaniæ partibus tradit anonymus Stabulenſis in Vita num.* 1. *Illam hoc modo deſcribunt Notgerus & Harigerus citati :* Eſt autem Aquitania, quam quidam partem ferè tertiam autumant Galliarum, ab obliquis aquis Ligeris fluminis nuncupata, qui ex plurima parte eam limitat penéque in orbem circumdat. Hæc à Circio habet Oceanum, qui Aquitanicus ſinus dicitur, ab Occaſu (*verſus Meridiem*) Hiſpanias, à Septemtrione & Oriente Lugdunenſem provinciam, ab Euro & Meridie Narbonenſem *&c. Ubi per Circium Occidens deſignatur :* Circius *enim, aliis* Cercius, *eſt* ventus, qui flat ab Occidente & Galliam Narbonenſem infeſtat, *ut habet Cangius in Gloſſario. Etymon Aquitaniæ ab aquis Ligeris non probatur Valeſio in Notitia Galliarum pag.* 32 : Cùm nota fuerit Julio Cæſari & Hirtio Aquitania, & nonniſi principatu Auguſti ad Ligerim promota ſit ;

B *ſed potiùs exiſtimat Aquitaniam dictam eſſe ab Aquis Tarbellicis (vulgò* Aqs *vel* Dax) *aliiſque aquis ſalubribus calidis & frigidis, quibus ſcatet.* Et primò quidem, *inquit pag.* 33, una & ſimplex fuit Aquitania inter Pyrenæum & Garumnam ac Oceanum..... Demum, remanentibus Novem-populis, Aquitania bifariam diviſa eſt in Aquitanicam primam & Aquitanicam ſecundam : provinciæ Aquitanicæ primæ metropolis facta Biturigæ, ſecundæ Burdigala.

& nobilibus parentibus natus

11 *Natus eſt itaque Sanctus in Aquitania prima in pago ſeu comitatu Biturico, nunc* le Berri, *parentibus nobilibus & opulentis. Audi Notgerum :* Pater ejus Albutius, mater eſt vocata Matrinia, ambo ſecundum ſæculi dignitatem divitiis pollentes, utpote generis nobilitate cluentes ; veluti traditio magnarum poſſeſſionum ejus tam noſtræ eccleſiæ quàm veſtro monaſterio facta vel ab ipſo vel à prohæredibus ejus vel etiam à regia ſublimitate teſtatur : multa etenim ſcripta ex eiſdem rebus, per multa annorum curricula à nobis poſſeſſis, in utrarumque eccleſiarum adhuc retinentur archivis. *Breviùs locum Sancti natalem & genus explicat Dionyſius Sammarthanus tom.* 3 *Galliæ Chriſtianæ col.* 823 :

C S. Remaclus ſeu Remaclius & Riſmaclus in Aquitania, & Bituricenſi pago, patre Albutio, matre Matrinia generis nobilitate & poſſeſſionum copiâ præclaris natus eſt. *Codex noſter* ✠ Ms. 79, *quem Trajectenſem ad Moſam vocamus, ſic habet :* Remaclus ordinatus eccleſiæ Trajectenſis epiſcopus decimus octavus, & de Aquitania dyoce. Bituricenſis ex nobili patre Albutio de Wezenchen & matre Matrinia dicta, filia comitis Savoyenſis, *id eſt Sabaudiæ. In apographo Chronici Ms. monaſterii S. Trudonis, notato* ✠ Ms. 139 G, Matrina filia ducis Saubaudiæ *nominatur : verùm nullos Sabaudiæ comites lego ante Beraldum ſeculo* XI, *nec duces ante Amadeum VIII ſeculo* XV ; *& de avo materno Sancti filet anonymus in Vita aliique.*

educatur ſub S. Sulpitio,

12 Educatus eſt autem, *inquiunt Notgerus & Harigerus cap.* 49, ſublimiter bonæ indolis Remaclus prout plurima facultatum copia ſuppetebat parentibus, ſub beato ſcilicet Sulpitio, in cujus veneratione conſtat ab eodem ſancto Viro plurimas in noſtra diœceſi poſtea dicatas eccleſias. *Dubitare non poſſumus, quin ſanctus Puer à tanto magiſtro moribus optimis imbutus, & ad omnem honeſtatem atque virtutem inſtitutus fuerit, ut patet ex ſequentibus :* Deinde eum adultum & totius bonitatis, prout tali competebat ætati, jam fructum ferentem tradunt B. Eligio, viro omnibus ejus temporis hominibus meritorum gratiâ præferendo, qui eum Sollemniaco monaſterio, quod ipſe pio opere in ſua conſtruebat hæreditate, locavit & ſacris monaſticæ diſciplinæ inſtitutionibus ad unguem inſtruxit. In tantum autem bonus Adoleſcens adhæſit monitis ſancti viri, ut non modò haud ſegnis fieret verbi executor divini, verùm ita exuberaret gratia ſuperna *&c. Idem tradit Vita antiquior, præterquam quòd S. Sulpitii non meminerit. At Mabillonius in Obſervationibus præviis num.* 3 *bene advertit, rectionem monaſterii &* S. Remacli *in rebus monaſticis inſtitutionem homini laïco & aulico, qualis tum Eligius erat, non convenire neque cum Audoëni narratione conſentire. Vide dicenda inferiùs num.* 14.

D

in cujus cœnobio verſifice militer

13 *Ludovicus Bulteau in Compendio hiſtoriæ Ordinis S. Benedicti tomo* 1 *pag.* 631 *& alter neotericus nihil habent de pueritia ſub S. Sulpitio tradicta, eatenus Vita antiquiori inhærentes : ſed cùm Notgerus vetera monumenta diligenter ſcrutatus, uti ipſe teſtatur in prologo Vitæ à ſe auctæ & expolitæ, ſuprà diſertè aſſerat educatum fuiſſe Sanctum* ſub beato ſcilicet Sulpitio ; *dubitandum non eſt quin illud alicubi invenerit aliaque plura, quæ anonymum latuerunt. Addunt tamen iſti recentiores,* Remaclum *poſtea, relicto palatio aliquamdiu cum S. Sulpitio habitaſſe ab eoque monitis & exemplis in pietate confirmatum fuiſſe. Atque hoc ſatis verisimile eſt ; ad quem enim potiùs ſe contuliſſet Sanctus aulæ pertæſus & terrena faſtidiens, quàm ad priorem magiſtrum ſuum, ut ab ipſo diſciplinâ monaſticâ imbueretur, quem antea pueritiæ moderatorem habuerat. Nec negaverim id factum hortatu Eligii qui cùm adverteret* Remaclum *à ſeculi pompa & vanitate alienum, jam tum fortaſſe eumdem deſtinabat abbatem præficere monaſterio Solemniacenſi, quod conſtruere meditabatur ; ideoque illi ſuaſerit ut ad Sulpitium rediret religioſæ vitæ exercitiis ab eo excolendus. Hac per conjecturam, ſi nempe Sanctus Clotarii II ephebus honorarius fuerit : ſin minùs, non his, ſed ſemel dumtaxat S Sulpitii diſcipulus fuit. Quod aſſerit Sammarthanus, alii verò dubitanter ajunt, in aula regia procuratorem ſacri ſcrinii egiſſe, unumque ex referendariis fuiſſe, vivente Clotario nempe II, qui obiit anno* 628 ; *non videtur cohærere cum juniori ætate Sancti noſtri ; nec conciliari poteſt cum Actis S. Bercharii, quæ ad* XVI *Octobris examinabuntur. Accipe interim Notam Mabillonii pag.* 834 : An Remaclus id munus in palatio geſſerit, an etiam Bercharius in aula alibive cum eo vixerit, non ſatis conſtat. *Nihil ſanè de illo officio aut de Bercharo exprimunt* Remacli *Acta.*

E

& monachus fuit,

14 *Subdit Sammarthanus, mortuo Clotario, patriam repetiiſſe Sanctum ac ſe totum Deo voviſſe : exinde Solemniacum ſe recepiſſe, ubi primus, ut videtur, abbas renuntiatus eſt ab Eligio, quod probabitur § ſequente. Falli ergo ejus Vitæ auctores Herigerum, Notgerum alioſque, qui eum ſub Eligii illius cœnobii abbatis regimine in rebus monaſticis inſtitutum affirmant ; illos enim erroris convinci auctoritate S. Audoëni ſynchroni, qui lib.* 2 *de Vita S. Eligii cap.* 2 *refert Eligium adhuc laïcum fuiſſe, cùm de-*

F

ſignatus

A *ſignàtus eſt epiſcopus Noviomenſis, imò illum quidem cogitaſſe aliquando, ut habet lib. 1 cap. 15*, demum eodem ſe mancipare monaſterio (*Solemniacenſi*) niſi eum alio in loco Dei obligaſſet diſpenſatio. *Ex his manifeſtè patet, Eligium monaſterii Solemniacenſis abbatem non fuiſſe, ac proin corrigendam eſſe hac in parte* S. Remacli *Vitam. Nihil tamen hinc ipſius virtutibus detractum volumus, quibus ita enituit ſive in monaſterio Bituricenſi ſub S. Sulpitio, ſive in regimine Solemniacenſis*, ut omnibus ſub eadem militantibus diſciplina religioſæ converſationis fieret exemplum & norma: in vigiliis namque continuis pernoctabat, orationes verò pernox continuabat, in abſtinentia præcipuus, in univerſa morum probitate præclarus. *Hæc poſt anonymum Notgerus & Harigerus, in eo damtaxat corrigendi, quòd perperam putaverint illa contigiſſe, S. Eligio abbate. Pergam porrò ex ipſis & aliunde ſupplere, quæ anonymus in Vita Sancti omiſit; vel explicare, quæ ab eodem non ſatis clarè expoſita ſunt.*

B

§ III. Fit primus abbas Solemniacenſis, dein Caſæ-congidunenſis, ac tandem epiſcopus.

Solemniacenſis cœnobii primus

NArrat *Audoënus lib. 1 de Vita S. Eligii cap. 15 conceſſam ei fuiſſe à Dagoberto rege villam quamdam in rure Lemovicino, Solemniacum* (*vulgò* Solignac) *cognominatam*; quo in loco (*Eligius*) primum ac potiſſimum virorum Dei conſtruxit monaſterium: ubi etiam abbate conſtituto, multos ex ſuis vernaculis mancipavit *&c. Nullibi quidem iſtius primi abbatis nomen ab Audoëno expreſſum invenitur; attamen haud alium deſignari puto quàm* S. Remaclum. *Nam* 10 *ex Charta S. Eligii pro Solemniaco, quam edidit Mabillonius pag.* 1091; *& Dionyſius Sammarthanus recudit tomo 2 Galliæ Chriſtianæ inter inſtrumenta eccleſiæ Lemovicenſis col.* 185, *conſtat eum in hoc monaſterio aliis prælatum fuiſſe:* Ubi & auſpice Chriſto, *inquit Eligius*, præeſſe dignoſcitur vir venerabilis Remaclus abbas. *Et infrà:* Simili modo te, beatiſſime pater Remacle abba, tuoſque ſucceſſores vel ſubjectos poſt te, per individuæ Trinitatis majeſtatem obteſtor *&c. Obſervandum autem, quòd iſta Eligii donatio facta ſit non diu poſt conſtructionem monaſterii; adeoque dubium non eſt, quin de abbate primo agatur. Præterea lib. 2 cap. 14 narrat Audoënus ſecundum abbatem Solemniacenſibus conſtitutum fuiſſe ab Eligio*; prior enim ad epiſcopatum captus habebatur. *Quæ verba non niſi de* Remaclo *intelligi poſſunt, quem & abbatem fuiſſe, ſuprà diſertè tradidit Eligius; & aſſumptum ad epiſcopatum fuiſſe, infrà dicetur.*

C

abbas conſtituitur anno,

16 *Mabillonius parte 2 Sæculi 3 Benedictini pag. 628 ex Audoëno mox citato fatetur intelligi,* Remaclum *Solemniaci primum abbatem fuiſſe; at poſtea ſubjungit:* Niſi ſi alius, qui loci abbas primus fuerit, etiam ad epiſcopatum promotus eſt. *Quæ conjectura mihi videtur prorſus improbabilis propter Audoëni ſynchroni teſtimonium, qui ſuffectum abbatem non tertium numerat, ſed ſecundum; adeoque ante* Remaclum, *qui hunc præceſſit, alius abbas fingi nequit. Laudatus Mabillonius, re maturiùs perpenſa, tomo 1 Annalium pag. 352 & 353 aſſerit conſtare tum ex præmiſſis Eligii litteris tum ex ipſo Audoëno,* Remaclum *Solemniaci primum abbatem fuiſſe; at quando præcisè, quove ex monaſterio ad regimen aſſumptus ſit, non liquet. Secundum dicta num.* 13 *ſatis probabile eſt, ab Eligio evocatum eſſe ex Bituricenſi cœnobio S. Sulpitii. De tempore id ſolummodo certi habemus, præſediſſe Sanctum monaſterio Solemniacenſi anno Dagoberti regis* 10, *quo facta ſignatur ceſſio Eligii* x *Kalendas Decembris. Mabillonius aliique annum iſtum decimum revocant ad annum Chriſti* 631, *computantes à menſe Martio* 622, *quo Dagobertus I Auſtraſiæ rex inauguratus eſt: Bollandus verò tomo 1 Februarii pag.* 371 *fundationem differt ad annum* 637, *qui itidem fuit decimus Dagoberti numerando à morte Clotarii parentis ejus. Utroque autem modo annos Dagoberti I ſupputatos videre licet apud Mabillonium lib. 6 de Re Diplomatica pag.* 464 *& ſeq.*

AUCTORE J. V.

17 *Probabiliorem exiſtimo Bollandi calculum: Eligius enim ante monaſterii conſtructionem, Audoëno teſte lib. 1 cap. 13, legatione functus eſt ad Britannorum principem Judicaëlem, redienſque illum perduxit ſecum ad regem Francorum. Acceſſus autem regis Judicaëlis ad Dagobertum contigit anno Chriſti* 635, *ut diſcimus ex Fredegarii cap.* 78 *apud Ruinartium. Addè quòd Solemniaci Sigebertus in Chronico non meminerit, niſi ad annum* 637. Remaclus *itaque illo anno, ut videtur, novo cœnobio datus abbas ſubjectos ſibi* 150 *monachos exemplò magis quàm verbo ad obeunda religioſæ vitæ exercitia ſecundum regulam beatiſſimorum patrum Benedicti & Columbani ſtrenuè animabat. Quanta hinc monaſticæ religionis perfectio ibidem viguerit, declarat cap.* 16 *Audoënus teſtis oculatus his verbis:* Quo in loco ipſe quoque acceſſi, & tantam ſacræ regulæ obſervantiam vidi, ut penè ſingularis ſit vita eiſdem monachis præ cæteris Galliæ monaſteriis, *uno excepto Luxovienſi, de quo agit inferiùs cap.* 21. *Nec prætereunda eſt egregia S. Tillonis inſtitutio, quam ita memorat hujus Vita apud Mabillonium Sæculo 2 pag.* 995: Suſceptum ſiquidem B. Tillonem Elegius S. Remaclo Sollemniacenſis monaſterii ſui abbati tradidit nutriendum atque litteris imbuendum. Quem Vir ſanctus, ſicut in mandatis acceperat, cum omni diligentia ſub pietatis ſtudio enutrivit, ſacris literis erudivit, evangelicis atque apoſtolicis documentis roboravit.

ut videtur, 637.

E

F

Inde deductus in Auſtraſiam, Caſæ-congidunenſi

18 *Ubi ſanctus Abbas monaſterium illud magna morum integritate ac paterna ſolicitudine aliquamdiu puta ſexennio circiter rexerat; longè latéque ſparſa ſanctitatis ejus fama ad ipſos etiam palatii Auſtraſiani proceres pervenit.* Igitur, *inquit Notgerus*, promulgatum eſt in aula regali tantum Virum non debere abeſſe præſentiæ regis, ut illius prudentiâ diſponerentur regni negotia, cujus tanta jam tunc audirentur meritorum inſignia. Evocatus itaque honorificè, ut decebat, ad palatii perducitur limina. *Eadem ferè habet Vita antiquior, & Harigerus cap.* 49: *Hinc conjici poſſet, ipſum in aula S. Sigeberti III aliquo tempore procuratorem ſacri ſcrinii palatii egiſſe; quò tunc hortatu S. Nivardi Bercharius acceſſerit informandus à* Remaclo, *cujus* prudentiæ & ſanctitatis titulis commendata ubique excreverat opinio veneranda, *uti tradunt Bercharii Acta. Vide ſuprà num.* 13 *in fine.*

AUCTORE J. V.

fine. Quando Sanctus in Auſtraſiam accerſitus ſit, non conſtat : debuit tamen id contigiſſe ante annum 644, *ſi verum eſt quod ait neotericus Vitæ compilator, ſacerdotio initiatum ibi fuiſſe à Metenſi epiſcopo S. Goërico cognomento Abbone ; cùm hic obierit anno* 643, *die* XIX *Septembris, uti diximus tom.* IV *Julii pag.* 430. *Dein Caſa-congidunenſi cœnobio in ducatu Luxemburgenſi vel ædificando, vel certè ordinando regendoque præfectus eſt, teſte S. Sigeberto in diplomate fundationis tomo* I *Februarii pag.* 234 : Sub devotione animæ noſtræ ... monaſterium regulare in honore patroni noſtri Petri, Pauli, Joannis, vel ceterorum Martyrum, in terra noſtra, ſylvâ Arduennenſe, in loco qui dicitur Caſegonguidinus, quem Seſomiris fluvius cingere videtur, .. volumus conſtruere, & ibidem Chriſto auſpice Remaclum abbatem conſtituimus *&c. Quod diploma* circa DCXLVIII *datum eſſe notat Martenius tom.* 2 *Collectionis ampliſſima pag.* 6. *Ad eumdem an.* 648 *meminit hujus monaſterii Mabillonius tom.* I *Annalium pag.* 403, *ubi ſic habet :* Hoc etiam tempore Sigibertus, piiſſimus rex Auſtraſiorum, munificentiam regiam in condendis
B cœnobiis exhibuit ... Primum origine eſt illud, quòd Caſæ-congiduni * ... ædificavit, accito è Sollemniacenſi monaſterio Remaclo abbate, qui ſervis Dei illic congregatis præeſſet ... Supereſt etiam nunc cella ſeu prioratus in prædicto vico Caſæ-congiduno, inter Chinium & Bullonium opida poſito ad Seſinarum * fluvium, qui dextram Moſæ ripam ſubit prope Caſtrum-Reginaldi.

* *vulgò* Cougnon

* *vel* Seſomirim, *vulgò* le Semoy

19 *Fundationem triennio citiùs nempe anno* 645 *collocat Cointius, & poſt eum Dionyſius Sammarthanus tom.* 3 *Galliæ Chriſtianæ col.* 931 : Caſæ-congidunum Ord. S. Bened. ſuper Seſmarum fluvium conditur an. DCXLV. *Verùm annus conditi monaſterii exactè aſſignari nequit ; nam Sigeberti diploma notis chronicis deſtituitur, nec ullum inſtrumentum citat Sammarthanus. Quod ait Cointius num.* 9, *Godonem, qui in diplomate nominatur Apoſtolicus, id eſt epiſcopus, ante hunc annum eccleſiæ Metenſi non præſediſſe, æquè falſum videtur ac illud quod præmiſerat de Tillone Solemniaci in locum Sancti noſtri ſucceſſo : ſucceſſor enim* Remacli *in abbatia Solemniacenſi à Sammarthano vocatur Childomarus, quo abbate Solemniacum rediit Tillo. Vide tom.* I *Januarii pag.* 379 *& Sæcul.* 2 *Benedictin. pag.* 994. *Godo autem in Metenſi cathedra ſedere cœpit anno* 644, *ut oſtenſum eſt tomo* IV *Julii ſuprà citato : unde liquidò deducitur, diploma ante annum* 644 *datum non fuiſſe ; ſed certum fundationis tempus erui non poteſt. De iſto monaſterio Notgerus & Harigerus cap.* 54 *ſcribunt ſequentia :* In loco, qui vocatur Caſæ-congedunus, ſuper Seſmarum fluvium ſito, cœnobium idem rex (*Sigebertus*) optimatum ſuorum conſilio in honore Apoſtolorum Petri, Pauli & Johannis ædificaverat, quia congrua ſervorum Dei habitationi domicilia protendebat, munere largitatis ſuæ ditaverat, probatas Deo ſervientium perſonas aggregaverat, quibus beatum Remaclum proviſorem inſtituit, & ut inhabitan-

monaſterio præficitur inter annum 644 *&* 648 :

tes juxta traditionem patrum vivere aſſuefaceret, demandavit. Extat uſque in præſens locus orationis ejus opere in rupe exciſus, unde infirmantibus uſque nunc proveniunt beneficia : ubi & ipſe ſe aliquamdiu victimam in ara ſummi Dei jejuniis & vigiliis maceratam litabat, & familiariùs Deo conjunctus contemplationi ſe ſanctæ ſuſpenderat, & fluenta ſuæ doctrinæ in ſubjectorum cordibus diffundebat. D

20 *Inter hos videtur fuiſſe S. Hadelinus, nobilis adoleſcens Aquitanus, qui,* relictâ Chriſti amore patriâ, in Auſtraſiam venit cum ſancto Remaclo, quem ſibi ad imitandum propoſuerat, *inquit Menardus. Notgerus quoque in illius Vita tomo* I *Februarii pag.* 373 *teſtatur,* per omnia *actuum piorum & arumnarum Sancti noſtri participem fuiſſe ac ſocium peregrinationis. Demum Bollandus in Commentario prævio num.* 38 *ait, partim Metis, partim Caſæ congiduni, ſacris litteris & pietati vacaſſe. Interim dum ſanctus Abbas informandis novi cœnobii monachis ſecundum ordinem & monita antiquorum patrum ſedulò incumbebat, Trajectenſem epiſcopatum depoſuit S. Amandus anno* 650. *Conſuli poteſt ejus Vita ad* VI *Februarii, vel Pagius in Critica Baronii ad annum* 649 *&* 650. Remaclus, *qui jam antè* infulas ſacerdotales adeptus (*teſte Vita inferiùs num.* 2) *ſeu regionarius epiſcopus ordinatus fuerat, mox illi omnium votis in cathedra Trajectenſi ſufficitur : ipſo Amando, ut veriſimile eſt, inquit Henſchenius pag.* 834, *regi perſuadente ut eam dignitatem illi imponeret, & Sanctum hortante ut ſuſcipere dignaretur, ac ſpondente, effecturum ſe Romæ, ut Martinus Papa rata eſſe omnia velit. Annorum* 9 *interpontificium, quo S. Landoaldus ab Ægidio exiſtimatur vicarius fuiſſe ſedis Trajectenſis vacantis per abdicationem Amandi, fictitium eſt : Amandus enim adhuc ſedebat anno* 649, *ut conſtat ex reſponſoriis S. Martini PP. ad eum datis poſt concilium Lateranenſe habitum illo anno menſe Octobri ;* Remaclus *autem Amando ſuffectus jam erat anno* 651, *quod infrà clariùs patebit.* E

fatiſque epiſcopus regionarius, ſucceſſor

21 *Juverit nunc verbis Notgeri referre, quo ſtudio & qua contentione ſanctus Præſul ad illam cathedram poſtulatus evectuſque fuerit. Sigeberto, inquit,* plebs Trajectenſium cum electione communi ſacerdotum, cum frequentia & audientia magnatum, cum vociferatione etiam & acclamatione omnium ordinum obtulit tale precum ſuarum votum : neminem ſibi debere niſi beatum præeſſe Remaclum ; hunc angelicis ſpiritibus gratum, hunc terram incolentibus reverendum, ejus ſe multimodâ expertos commo-
C da beneficiorum, interventionum illius tam apud regem, quàm apud proceres ſæpe ſenſiſſe ſuffragium ; prudentiæ illius advertiſſe ſollertiam, cùm regalibus crebrò conſiliis impenderet operam, non deeſſe ei ſcientiam Scripturarum, unde proferat nova & vetera ... Talibus votis rex favorabiliter aſſentiens, tantis ſtudiis officiosè concordans decrevit eorum, quia æquum expoſtularent, annuere petitioni, ſimulque ſuper hoc inire colloquia beati Viri. Sed quis memoratu poſſit ſufficere, quanta illum benigniſſimus rex ad aſſentiendum demulſit verborum dulcedine ? Quis denique valeat enarrare, quantùm Vir beatus reluctari & reniti viſus eſt pro poſſe ? At rex, ſacerdotum & optimatum fretus conſilio, à propoſita non deſtitit intentione : ſanctus vero Sacerdos metuens ſanctioni contraire divinæ, licèt nolens ſeptimus & viceſimus Tungrenſi vel Trajectenſi ſubſtituitur eccleſiæ, ut verbi ſemina deinceps in plures diffunderet, quæ in ſe hactenus diu latentia occuluiſſet. *His ſimilia ſcribit Harigerus cap.* 50. F

S. Amandi omnium votis eligitur.

22 *Sancti ordinationem* III *Nonas Februarii conſignant Gelenius, Wion & Sauſſayus, ut dictum*

A *Ejus ordinatio probabiliùs affigenda eſt anno 648.*

ctum eſt tomo 1 *illius menſis pag.* 319 *in Prætermiſſis. Hinc Cointius & Sammarthanus initium epiſcopatûs ejus affigunt anno* 653 *, qui præditus fuit litterâ Dominicali* F *afficiente diem* III *Februarii. At Pagius ad annum* 649 *num.* 6 *ait perperam Cointium illa de cauſa* Remacli *ordinationem uſque ad illum annum diſtuliſſe ; cùm natalitia Sanctorum , conſecrationes epiſcoporum , & dedicationes eccleſiarum ſæpius in Martyrologiis aliis diebus notentur , quàm quibus contigerint , & pro epiſcoporum libitu ac eccleſiarum commodo hujuſmodi dies ſæpe mutati fuerint , aut denique longo tempore poſtquam eæ ſolemnitates peractæ fuerant , aut ſancti mortui vel tranſlati , de illis mentio facta ſit in Kalendariis. Iſto Pagii reſponſo hìc nobis opus non eſt : ſupponamus enim conſecrationem factam eſſe ipſa die , quâ recolitur ,* III *Februarii ; non ideo tamen ad annum* 653 *differri debet , ſiquidem dies* III *Februarii æquè Dominica erat anno biſſextili* 648 *, litteris Dominicalibus* EF *inſignito. Atque hoc anno probabiliùs epiſcopus creatus eſt non quidem certæ ſedis , ſed incertæ , forſan ut*

B *eo titulo dignitas & honor ejus augeretur , inquit Mabillonius tom.* 1 *Annalium pag.* 404. *Favet Breve chronicon Lobienſe apud Edmundum Martene tom.* 3 *Theſauri novi anecdotorum col.* 1411 *, ubi* S. Remaclus *ordinatus legitur* DCXLVII *, qui veteri computu Kalendis Martii ſeu* XX *Aprilis , id eſt , Paſchâ anni* 648 *terminabatur. Quod autem in Chronico citato & alibi Sanctus tunc dicatur ordinatus epiſcopus* Trajectenſis *, per prolepſim ſive anticipationem intelligendum eſt ; cùm Amandus Trajecti adhuc ſederet anno* 649 *, ut ſuprà num.* 20 *probavi.*

§ IV. Utrùm Tungris an verò Trajecti ad Moſam ſedem epiſcopalem habuerit.

Confutatur opinio

C *Supervacanea videri poſſit eruditis hæc quæſtio , poſt Henſchenii Diatribam atque Exegeſim de epiſcopatu Trajectenſi , & Commentarium prævium ad Vitam S. Amandi tomo* 1 *Februarii pag.* 824 *& ſeqq. Sanè , uti poſt Mabillonium fatetur Dionyſius Sammarthanus tomo* 3 *Galliæ Chriſtianæ col.* 817 *, ſedem à S. Servatio Tungris Trajectum tranſlatam fuiſſe ibique ad S. Hubertum uſque permanſiſſe ,* tot tamque invictis argumentis *oſtendit Henſchenius tum in Diatriba tum in Exegeſi ,* ut ulteriori confirmatione non indigeat. *Nec minùs evidenter in Commentario citato epiſcopatum Trajectenſem vindicavit S. Amando , proindeque & Sancto noſtro : cùm apud omnes in confeſſo ſit ,* Remaclum *eamdem tenuiſſe cathedram , quam Amandus abdicavit. Sed quia nuper litem Henſchenio movit & epiſcopatum Trajectenſem ad Moſam iteratò negavit perilluſtris dominus G. L. Baro de Craſſier , celſiſſimi principis epiſcopi Leodienſis conſiliarius , edita Leodii anno* 1738 *Brevi elucidatione & quadriennio pòſt Additamento ad eamdem ; juverit hac de re paulò fuſiùs diſſerere , ut veritas magis eluceſcat. Ea tamen ſolummodo hîc attingam , quæ propriè ad Sanctum noſtrum pertinent vel cum eo quadantenus connexa ſunt : nam neceſſe non arbitror vindicias*

pro Henſchenio ſcribere , aut ſedis tranſlationem ſtabilire. Utrumque cumulatè præſtitit R. P. Petrus Dolmans Societatis noſtræ , editis Antverpiæ anno 1740 *Obſervationibus apologeticis pro epiſcopatu Trajectenſi ad Moſam , quibus Brevem elucidationem egregiè confutavit. Deinde Additamento ad brevem elucidationem oppoſuit Alteras obſervationes apologeticas Lovanii impreſſas anno* 1742 *: illis autem nihil , quod ſciam , hactenus reſponſum eſt , nec video quid ſolidè reſponderi poſſit. Conſule Memorias Trivultianas menſe Septembri* 1740 *à pag.* 1794.

AUCTORE J. V.

24 *Verùm ut ad rem veniamus , perilluſtris dominus Baro in Brevi ſua elucidatione pag.* 19 *ſic pronuntiat :* De S. Remaclo certum eſt , ipſum non ſolùm fuiſſe epiſcopum Tungrenſem , ſed & Tungris habitaſſe , ut apertè patet ex Vita B. Trudonis à Donato ſub finem VIII ſæculi ſcripta : *ibi enim Trudo miſſus dicitur* ad beatum Remaglium Tungrenſis urbis pontificem , *admonitus item* à ſancto viro Remaglio Tungrenſis urbis antiſtite ; *denique fol.* 36 *Metis profectus* ad Tungrenſem urbem uſque pervenit , in qua ſuum ſpiritalem patrem Remaglium epiſcopum repperit. *Hæc ita legi in Codice membraneo* 900 *annorum , quem Cl. Elucidator poſſidet , facilè credimus ; non tamen inde confici putamus , Sanctum noſtrum Tungris ſedem habuiſſe. Audi Obſervationem primam Dolmanni pag.* 48 *:* Harigerus apud Chapeavillum pag. 86 in Vita S. Remacli ſcribit ſequentia : " Plebs „ TRAJECTENSIUM cum electione communi to„ tius cleri ac ſacerdotum . . regem conveniens, „ prece multa beatum ſibi popoſcit præeſſe Re„ maclum . . . Quorum votis rex incunctanter „ aſſentiens , decrevit eorum annuere petitioni „ . . . Solus tandem multorum victus inſtantiâ „ viceſimus ſeptimus TRAJECTENSIUM ſubſtitui„ tur epiſcopus „. Ex quibus concludo , certum non eſſe , S. Remaclum Tungrenſem fuiſſe epiſcopum : nam S. Remaclus cùm ad infulas *(certæ ſedis)* promotus eſt , cujus populi voto , cujus cleri electione prælatus eſt cæteris ? Plebs Trajectenſium , inquit Harigerus , cum electione totius cleri & ſacerdotum . . . ſibi popoſcit præeſſe Remaclum. Igitur populus Trajectenſis S. Remaclum popoſcit epiſcopum. Cui autem eccleſiæ ? Suæne an alteri ? Suæ profectò : non enim ſolet populus alienæ eccleſiæ , ſed ſuæ epiſcopum poſtulare. Præterea clerus Trajectenſis S. Remaclum elegit epiſcopum. Ergo S. Remaclus epiſcopus Trajectenſis fuit. Clerus enim , quando ad ipſum electio ſpectat , ſuæ eccleſiæ , non alteri epiſcopum eligit. " Jus præ„ latum eligendi ad viduatæ eccleſiæ collegium „ pertinet „ , inquit Lancellotus in Inſtitutionibus juris canonici.

de cathedra Tungrenſi ,

E

F

25 *Deinde præoccupat Dolmannus objectionem fieri natam :* At , inquies , Harigerus vixit ſæculo decimo ; Donatus octavo : proinde major eſt Donati in præſenti materia auctoritas. Reſpondeo , defectum ætatis in Harigero ita ſupleri , ut ſuo ipſe teſtimonio Donatum facilè vincat : nam Harigerus ex profeſſo Vitam S. Remacli ſcripſit ; Donatus tantùm ex incidenti ipſius meminit : proinde Harigerus accuratiùs , quàm alter , Vitam & geſta S. Remacli inſpexit, utens eam in rem monumentorum antiquorum copiâ. Audiamus ipſum Harigerum in ſuo ad Werinfridum abbatem procœmio loquentem : " Obtuliſti , *inquit tomo* 1 *Chapeavilli pag.* 1 *& ſeq.* , " libellum de Vita tam noſtri , quàm veſtri

& ſolidis argumentis

AUCTORE J. V.

„ ſpecialis patroni, ſancti ſcilicet Remacli, con-
„ queſtus .. breviùs, quàm ut res expoſtularet,
„ pro magnitudine geſtorum ejus eſſe editam,
„ ſimulque viſus es . . . exhortari, ut eam non
„ modò exemplari, verùm aliquantò lepidiùs
„ mandarem poliri : tum quòd geſtorum illius
„ aliunde ſumptorum ſuppetat COPIA, tum quòd
„ temporum, quorum diverſitas nunc maximè
„ ſcito opus eſt, ex cartulario veſtro non deſit
„ notitia . . . Igitur adorſus ſum . . . Et ne labor
„ hic, qui te adhortante ſuſceptus eſt, infera-
„ citer fiat, non ejus modò, cujus memini-
„ mus, ſancti ſcilicet Remacli, ſed & cætero-
„ rum noſtræ ſedis pontificum tempora & geſta,
„ quæ UNDECUMQUE POTUERE CORRADI, ad
„ noſtra uſque tempora collegi, & cujus potiſſi-
„ mùm anhelabas deſiderio, Vitam INDE EXCE-
„ PTAM votis tuis porrexi „.

oſtenditur, quòd Sanctus,

26 Ex his apparet, Harigerum non tantùm meditatò Vitam S. Remacli exarandam ſuſcepiſſe, ſed & uſum ipſum geſtorum ipſius copiâ, aliiſque pontificum geſtis undecumque corraſis, ac inde Vitam S. Remacli excepiſſe. Quòd ſi ergo in monumentis hiſce antiquis Harigerus reperiſſet, S. Remaclum Tungrenſem fuiſſe epiſcopum, an ipſum Trajectenſem ſcripſiſſet ? Suſpicari id forſitan non omnino foret nefas, ſi nudè S. Remaclum TRAJECTENSEM ſcripſiſſet, non additis circumſtantiis variis, quæ epiſcopatûs initium comitatæ ſunt. Jam autem, cùm referat modum, quo à populo Trajectenſi poſtulatus, à clero electus, à rege impulſus, viceſimus ſeptimus Trajectenſium ſubſtitutus eſt epiſcopus ; neceſſe eſt, ut aut S. Remaclum Trajectenſem ſtatuamus antiſtitem, aut credamus Harigerum tot illa electionis adjuncta è ſuo procudiſſe cerebro. Quis autem Harigerum tam parùm opinetur veritatis fuiſſe amantem ? Ipſe ſanè, quàm ſinceritatis fuerit ſtudioſus, ſatis oſtendit, cùm apud Chapeavillum tom. 1 pag. 28 ita loquitur : " S. Servatius Tungrenſi eccle-
„ ſiæ decimus præſidebat . . . Cujus quidem or-
„ tum & proſapiam, licèt quidam putent ex Do-
„ mini Salvatoris cognatorum deſcendiſſe fami-
„ lia ; quia tamen locum nativitatis ejus nequa-
„ quam accepimus, nec adventûs ejus cauſas
„ aliunde uſpiam audivimus ; idcircò nec faciles
„ ad credendum eſſe poſſumus, nec tantæ opi-
„ nioni, quæ fortaſſe ex pietate ingeritur, ju-
„ dicamus omnimodis derogandum : cùm juxta
„ Tullium non debeat pudere nos fateri neſci-
„ re, quæ neſcimus ; & hujus opinionis aſſer-
„ toribus conveniat, ignorantiam potiùs vere-
„ cundè fateri, quàm irreverenter pro pietate
„ mentiri „. En quàm circumſpectè, quàm ſincerè Harigerus de proſapia S. Servatii ſuam dixerit ſententiam. Et virum talem credemus idoneum, qui plures ſtudiosè confinxerit circumſtantias, quibus Trajectenſem S. Remacli cathedram adornaret ?

licèt nonnumquam Tungrenſis abuſivè dictus,

27 Denique abuſus vocis TUNGRENSIS in Donato non minùs, quàm in aliis ſcriptoribus (de quibus jam egimus, & infrà iteratò acturi ſumus) facilè locum habuit, appellavitque ipſe Tungrenſem epiſcopum, cujus prædeceſſores Tungris ſedem fixerant. Unde Mabillonius in Notis ad Vitam S. Remacli, quam inter Acta Sanctorum Ordinis Benedictini ſeculo 2. pag. 490 vulgavit, & ubi S. Remaclus Tungrenſium ſedis epiſcopus vocatur, illum loquendi modum ſolerter ibidem explicat his verbis : " Id eſt,
„ TRAJECTENSIUM. Nam licèt epiſcopalis ſedes
„ ex urbe Tungris Trajectum à B. Servatio epi-
„ ſcopo tranſlata fuiſſet, ut latè & eruditè do-
„ cet Henſchenius in Diatriba de epiſcopatu
„ Trajectenſi ; nonnumquam tamen prioris ſe-
„ dis nomen epiſcopis Trajectenſibus attributum
„ legitur. Ex civitate Trajecto, vulgò Maſ-
„ ſtrich, ad Moſam poſtea ſedes Leodium, au-
„ ctore S. Hucberto, migravit „. Similis abuſus vocis Trajectenſis in Harigero fingi non poteſt, qui apud Chapeavillum tom. 1 pag. 54 diſertè aſſerit, S. Monulphum Trajecti ſedem pontificalem in eccleſia S. Servatii deinceps futuram conſtituiſſe : ac proinde ſucceſſores S. Monulphi ideo Trajectenſes appellat, quia collocata Trajecti erat cathedra.

verè & propriè epiſcopus Trajectenſis fuerit.

28 *Poſt hæc ſubdit Obſervationem alteram :* Si valet hoc Cl. Elucidatoris argumentum : Donatus S. Remaclum ſcripſit Tungrenſem epiſcopum : ergo S. Remaclus Tungrenſis epiſcopus fuit ; valeat quoque neceſſe eſt hoc argumentum meum : Baudemundus S. Amandum ſcripſit Trajectenſem epiſcopum : ergo S. Amandus Trajectenſis epiſcopus fuit. Imò, ſi vis ineſt ratiocinio Cl. Elucidatoris, multò major meo inſit neceſſe eſt : non enim Donatus S. Remacli vel diſcipulus fuiſſe legitur vel familiaris ; fuit S. Amandi & diſcipulus & familiaris Baudemundus : proinde longè notior Baudemundo fuit S. Amandus, quàm Donato S. Remaclus. Præterea Donatus Vitam S. Remacli ex incidenti attigit, Baudemundus in Vitam S. Amandi totus incubuit. Proinde exploratior fuit Baudemundo epiſcopatus S. Amandi, quàm Donato ſedes S. Remacli. Denique Baudemundus & multos & antiquiſſimos habet, qui ipſi adhærent, hiſtoriographos ; non item Donatus. *Adde, quòd S. Martinus Papa epiſtolam dederit* ad ſanctum Amandum epiſcopum Trajectenſem, *uti habet Baronius ad annum 649 num. 38. Potior itaque Baudemundi auctoritas eſt : unde deducimus & Sanctum noſtrum Trajectenſem epiſcopum fuiſſe, utpote qui ſuffectus fuerit Amando eumdem epiſcopatum abdicanti. Quòd ſi quis Tungrenſibus ob auctoritatem Donati* Remaclum *velit tribuere, is conſequenter ob majorem auctoritatem Baudemundi dicere debebit, poſt Amandi abdicationem vel* Remaclum *vel alium cathedram Trajecto reduxiſſe Tungros : hoc autem cùm nemo ſomniaverit hactenus, manet* Remaclo *ſedes, quam Amandus dimiſit, nempe Trajectenſis.*

Contrarium non evincit prætenſa habitatio Tungrenſis, uti probatur

29 *Paginâ 52 Tungrenſem habitationem ita confutat Dolmannus :* Quod addit Cl. Vir, S. Remaclum Tungris habitaſſe, putat id probatum iri ex eo, quòd S. Trudo (teſte Donato) angeli juſſu ad Tungrenſem urbem pervenerit, in qua ſuum ſpiritualem patrem Remaglium epiſcopum repperit. Verùm Tungris repertum S. Remaclum, non quia ibidem habitabat, ſed quia diœceſim luſtraturus obibat, tradit Notgerus epiſcopus Leodienſis apud Surium ad diem 3 Septembris : " Paſtorali, inquit, ſolicitudine pa-
„ rochiam ſuam pro more viſitabat . . . Interea
„ S. Trudo . . . nocturnâ viſione afficitur .. Fra-
„ ter, inquit angelus . . . B. Remaclum adito,
„ qui non procul hinc abeſt „. Proinde legitima non eſt Cl. Viri illatio, quâ ex tranſeuntis hoſpitio fixum in urbe Tungrenſi domicilium concludit. Trajecti potiſſimùm epiſcopatûs curam geſſiſſe S. Remaclum, colligitur ex Harigero, qui apud Chapeavillum tomo 1 pag. 94 ſcribit eumdem Antiſtitem, jactis fundamentis cœnobiorum Stabulenſis & Malmundarienſis, rediiſſe Tra-

A Trajectum & officio paſtorali invigilandum ſe denuo implicaſſe. Cùm dicat S. Remaclum rediiſſe Trajectum, inſinuat eumdem antea quoque illic fuiſſe verſatum, atque adeo curam ibi paſtoralem ita repetitam, ut ibidem aliquanto fuerat intermiſſa.

ex Notgero & Harigero

30 Scio equidem Notgerum mox citatum ſcribere S. Remaclum Tungros vel Trajectum ſe recipientem, ad paſtoralis officii curas animum intendiſſe; ſed hæc oratio ambigua Harigerum non arguit erroris: non enim ex hac diſjunctiva enuntiatione, recepit ſe Tungros vel Trajectum, concludi determinatè poteſt, S. Remaclum Tungros ſe recepiſſe. Imò ſi orationi ancipiti accerſendâ ſit expoſitio, non aliunde ea commodiùs petetur, quàm ex ipſo Harigero. Hujus autem teſtimonio ſi ſtemus, evidens eſt, S. Remaclum Trajecti officium epiſcopalis oneris reſumpſiſſe obeundum. Par dubii ſermonis explicatio alibi locum habet. Ait exempli causâ Notgerus apud Surium: B. Joannes Tungrenſium vel Trajectenſium eccleſiam feliciter gubernans, hominem exuit. *Et poſt multa:* Tandem

B Vir Dei (Remaclus).. Tungrenſi vel Trajectenſi eccleſiæ antiſtes datur. Non fuerunt, ſi rigidè loquamur, BB. Joannes & Remaclus utriuſque urbis antiſtites: cùm alterutra tantùm civitas fuerit princeps diœceſeos; utra autem, rurſus explicat Harigerus, qui utrumquè Sanctum diſertè ſcribit urbis Trajectenſis epiſcopum.

ſtabilientibus cathedram Trajectenſem,

31 Imò ipſe ſe Notgerus explicat, cùm ait: " Rex Dagobertus ... B. Amandum ... nitebatur ... in TRAJECTENSI CATHEDRA collocare. Et ille quidem vir ſanctus per triennium .. verbum vitæ diſſeminavit: ſed nihil ſe profi- cere cernens ... ad alia loca, ut priùs fecerat, ſeſe prædicandi gratiâ contulit. Incompertum verò eſt, quanto tempore plebs Trajectenſis tum ſine paſtore permanſerit, donec Sigebertum pater regem Auſtraſianis dedit ... Ei verò Trajectenſes ex communi ſacerdotum electione ... preces offerunt, neminem ipſis, niſi B. Remaclum, epiſcopum præfici debere ". Quæ omnia ſatis oſtendunt hæc Notgeri verba: Tungrenſis vel Trajectenſis eccleſiæ antiſtes, in favorem cathedræ Trajectenſis eſſe interpretanda. Si enim Tungris remanebat ſedes,

C cur, teſte Notgero, S. Amandus in cathedra Trajectenſi fuit collocatus? Cur plebs Trajectenſium ſine paſtore permanſit? Cur Trajectenſes S. Remaclum epiſcopum ſibi præficiendum poſtularunt? Atque ita ipſe Notgerus confirmat, quæ ſuprà ex Harigero retuli, manetque Trajectenſis S. Remacli epiſcopatus non tantùm abbatis Harigeri, ſed & epiſcopi Notgeri teſtimonio ſtabilitus.

eqtuam evertere nequeunt bulla Leonis IX, aliaque objecta diplomata

32 *Fruſtrà igitur D. Baro pag.* 20 *Elucidationis ait, luce clarius apparere,* S. Remaclium non tantùm dici epiſcopum Tungrenſem, ſed & habitaſſe ipſam urbem Tungrenſem: *prætenſa enim illa habitatio ſuperiùs confutata eſt. Subdit deinde ad firmandam opinionem ſuam:* Probant primùm bulla S. Leonis Papæ, hujus nominis IX, quâ confirmans privilegia Stabulenſis & Malmundarienſis monaſteriorum exprimuntur * ſequentia: " Ut quia beatus Remaglus utriuſque monaſterii conſtructor, & Tungrenſium antea epiſcopus & paſtor ". Quam bullam retulit Aub. Miræus in Notitia eccleſiarum Belgii cap. CXXVII, pag. 291; prout & diplomata Ottonis II imp., Gregorii V & Silveſtri II Sum. Pont. ab Ed. Martene relata vet. Script. & Monumentorum tom. 2 pag. 50 & ſeq. *Verùm, ut gratis concedamus ita ſcriptum fuiſſe in autographis, quâ ratione Cl. Elucidator probabit vocem* Tungrenſium *propriè accipiendam eſſe? Hoc autem quamdiu non oſtenderit, nihil juvat allata auctoritas ad concludendum contra teſtimonia antiquiora, Sanctum noſtrum ſedem epiſcopalem habuiſſe Tungris. Alioquì ex eo quod Stephanus, epiſcopus Leodienſis à S. Huberto decimus, apud Chapeavillum tomo 1 pag.* 351 *ſe* Tungrorum *epiſcopum ſenſu nempe improprio appellet, inferre pari ratione quis poterit: ergo tunc temporis erat ſedes epiſcopalis in urbe Tungrenſi, adeoque vel Stephanus antiſtes Leodienſis non fuit, vel binas ſimul epiſcopales cathedras habuit, alteram Tungris, alteram Leodii; quod Leodienſes, opinor, neutiquam admiſerint. Simile argumentum facilè formari poſſet de pluribus aliis epiſcopis Leodienſibus; nam Zacharias Papa, teſte Henſchenio in Exegeſi tomo* VII *Maii pag.* XXXVI *num.* 53, *Epiſtolâ* VI *circa annum* 751 *ſcripſit* Fulcario epiſcopo Tungrenſi: *Walcandus tomo Chapeavilli citato pag.* 154 *nominatur* Tungrenſis epiſcopus *à Ludovico Pio imp. in diplomate anni* 831. *Eodem nomine apud Henſchenium laudatum ſe appellant Franco, prædicti Stephani deceſſor, & Farabertus ſubſcribentes conciliis ille Tullenſi anno* 860; *hic Engelenheimenſi anno* 948. *Durandus quoque, epiſcopus Leodienſis vigeſimus, cui anno* 1024 *Conradus Salicus diploma conceſſit à Chapeavillo editum pag.* 263, *in epitaphio ſuo ibidem pag.* 260 Tungrenſem cathedram *rexiſſe dicitur.*

tametſi conſtaret ea interpolata non eſſe,

33 *Sicuti ergo Leodienſes conſequentiam negabunt, eo quod epiſcopi illi amore antiquitatis à ſe vel ab aliis impropriè tantùm appellati fuerint* Tungrenſes, *cùm ſedes Leodii tunc eſſet, non Tungris; ita nos pariter dicimus ſecundum diſputata ſuperiùs, nomen epiſcopi* Tungrenſium *non niſi abuſivè loco* Trajectenſium *Sancto noſtro tributum fuiſſe. Fortaſſis etiam Stabulenſes tum temporis perperam putabant* S. Remaclum *Leodii ſediſſe, ac propterea vocem* Tungrenſium, *quemadmodum plures epiſcopi Leodienſes nominari maluerant, inſeruerunt libello ſupplici, cui reſcripta Pontificia & imperiale aptari decuit. Quare objecta illa diplomata aliaque, licèt certum foret interpolata non eſſe, Trajectenſem Sancti epiſcopatum evertere nequeunt: cùm ex nudo epiſcopi* Tungrenſium *titulo (quem tamen apud laudatum Martenium omittunt præceptum Ottonis III datum anno* 986 *& monumenta omnia Stabulenſia anno* 980 *antiquiora) ſedis locus colligi haud poſſit; dicente ipſo Cl. Viro paginâ ultimâ Elucidationis, titulum iſtum* abuſivè *continuatum fuiſſe apud Leodienſes: quidni etiam apud Trajectenſes, à quibus cathedra Leodium tranſivit, prout ſatis ſuperque ab Henſchenio probatum eſt & noviſſimè à Dolmanno tum in priori Opuſculo pag.* 67 *& ſeqq.; tum in poſteriori à pag.* 21. *Sufficient hîc verba paucula Caroli à S. Paulo pag.* 148 *Geographiæ ſacræ anno* 1704 *Amſtelodami editæ:* Tandem ſanctus Hubertus è Trajecto Leodium epiſcopatum tranſtulit anno DCCIX. *Tranſlationem ſedis Leodium S. Huberto itidem tribuunt Lobbetius ac Fullonius, & quidem dicto anno* 709 *diſertè eam alligant Bucherius & Fiſenus: non igitur factâ eſt* ſæculo ſolùm X, *uti ſcribit Cl. Elucidator pag.* 40. *Hæc per tranſennam.*

34 *At, inquies, nullum quoque ex monumentis Stabulenſibus citatis habet titulum epiſco-*

AUCTORE J. V.

pi Trajectenſis. *Fateor ; ſed neque nos iis uſi ſumus ad locum ſedis definiendum. Porrò cùm ſolidiſſima Dolmanni argumenta , quibus in priori opuſculo locis variis oſtendit cathedram epiſcopalem tunc temporis Trajecti fuiſſe , ne quidem oppugnare tentaverit in Additamento ſuo perilluſtris D. Baro ; incaſſum pag.* 37 *ibidem ſupponit opinionem ſuam de Sancto noſtro* ſufficienter *probatam eſſe : rectè enim obſervavit Dolmannus in Prologo poſterioris opuſculi ,* SUFFICIENTER nihil probare eum , qui partis oppoſitæ rationes non diſſolvit. *Ad ultimum , quod Vir nobiliſſimus paginâ Additamenti citatâ objicit ex Indiculo Molani ,* Remaclum *fuiſſe ſubrogatum* in epiſcopum ſedis Tungrenſis ; *reſpondeo ex Natalibus Sanctorum Belgii pag.* 187 , *ubi hæc leguntur :* Tantùm verò ſancti Remacli ſanctitas ſeſe diſperſit , ut poſt beatum Amandum à clero & aulæ proceribus ad epiſcopatum Trajectenſem ſit coactus. *Et verò Sanctum non Tungris , ſed Trajecti cathedram epiſcopalem habuiſſe præter ſuperiùs dicta probat* 10 *Chronicon Ms. Trudonenſe , notatum apud nos* N Ms. 3 , *his verbis cap.* 3 *:* S. Remaclus . . Trajectenſis epiſcopus ordinatur. *Idem aliis verbis repetitur cap.* 5 *: cap.* 12 S. Remalclus abdicat ſe epiſcopatu Trajectenſi. *Probat* 20 *Vitâ ex Ms. Rubeæ vallis tum ipſo titulo :* De ſancto Remaclo XVII Trajectenſi epiſcopo , *tum his verbis fol.* 1 *verſo :* Interea Vir Dei Spiritu ſancto plenus ſubrogatur Trajectenſium ſedis epiſcopus. *Probant* 30 *Geſta pontificum* TRAJECTENSIUM *& Leodienſium ex Ms. codice antiquo ipſius clariſſimi domini baronis de Craſſier edita per Martenium tomo* 4 *Veterum ſcriptorum col.* 845. *Nec dubium moveri poteſt ex eo , quod Theodardus ibi dicatur ſucceſſiſſe Magiſtro ſuo* in cathedra Tungrenſi , ſive Trajectenſi : *nam ipſe auctor ſatis oſtendit in Proœmio col.* 843 , *quo ſenſu vocem* Tungrenſis *intelligat , nimirum improprio. Anſelmus canonicus Leodienſis tomo* 1 *Chapeavilli pag.* 101 *tantùm habet :* ei in ſede Trajectenſi ſucceſſit. *Godeſchalcus item , qui anno* 770 *floruit , ibidem pag.* 326*:* Theodardus oppidi Trajectenſis cathedræ pontificali præſidebat.

nec Indiculus Molani. Pluribus aliis

B

35 *Probat* 40 *Renerus ad S. Laurentium prope Leodium monachus , cap.* 2 *Vitæ S. Lamberti ita pronuntians :* Remaclus cathedram Trajectenſis eccleſiæ ſuſcepit. *Probat* 50 *Magnum Chronicon Belgicum apud Piſtorium tom.* 3 *Scriptorum rerum Germanicarum pag.* 24 , *ubi ſic legitur :* Beatus Remaclus XXVII epiſcopus Tungrenſis (*ab antiquiori ſedis loco , cui aliquot ex majoribus ejus inſederant*) & XVII Trajectenſis *à cathedra epiſcopali , quam poſt S. Servatium Trajecti tenuit. Eodem modo intellige Extractum ex regiſtro Malmundarienſi , ſcriptum ab aliquo practico circa annum* 1299 , *quod perhumaniter anno* 1654 *huc miſit Benedictus delle Rive monaſterii Stabulenſis ſacerdos , bibliothecæ & archivi præfectus :* Anno DCXLVI ſecundum hiſtorias autenticas S. Remaclus juſſu Sigiberti regis Francorum Auſtraſiorum ordinatur Tongrenſium epiſcopus , vir magnæ ſanctitatis &c. Anno DCLI Sigibertus rex de poſteritate prolis deſperans (*falſum id eſt , habebat enim filium Dagobertum II , uti oſtendit Henſchenius*) XII monaſteria hinc inde Deo conſtruxit , in quibus Stabulaus & Malmundarium eminebant , cooperante ſibi in his Majore domûs Grimoaldo , & Trajectenſium epiſcopo S. Remaclo ; qui quidem Remaclus non multo pòſt prætefus * ſæcularium tumultuum , in monaſterio Stabulenſi monaſticæ vitæ aſſumpſit habitum. *Sed annis ibi ſignatis noli fidere ; nam practicus ille , ut Riveus monet in ſuis litteris ,* numerum certum pro incerto notavit : *unde aliqui in errorem inducti ſunt. Probat denique Theodoricus abbas Trudonopolitanus in Vitâ S. Landradæ tomo* 2 *Julii pag. 626 his verbis :* Martinus eo tempore Romæ , Remaclus TRAJECTI , verbo & opere pervigilabant in cura ſacerdotali *Mitto alia , ne tadium lectori pariam.*

C

teſtimoniis eadem cathedra Sancto aſſeritur.

D

** l.* pertæſus

§ V. Sancti Epiſcopi virtutes & geſta cum S. Trudone ex Vita à Notgero ſcripta.

Dignitas epiſcopalis virtutibus

E

EXimias *ſancti Epiſcopi virtutes compendio tradit anonymus Stabulenſis in Vita num.* 3 *& 9 ; eaſdem fuſiùs ex Vita Notgeriana proſequitur Surius ad* III *Septembris pag.* 24 , *ſed mutato ſtylo. Juverit ipſum Notgerum audire , qui illas in apographo citato veteris Ms. Colonienſis hiſce verbis deſcribit :* Porrò cujus meriti religioniſque quàm integræ in eodem exſtiterit regimine , noſtræ non eſt facultatis evolvere ; cùm mox in ipſo initio ejus ordinationis tantam ei gratiam Dominus contulit prædicationis , ut omnes aurem quàm citiſſimè accommodarent obeditionis ; nullus eſſet , qui non eum ex affectu diligeret , unuſquiſque ejus inhærere doctrinæ pro ſe ſedulò ageret : nihil enim arrogantia de ejus moribus uſurpabat , totum hunc humilitas tota poſſederat. Superbi hunc reverebantur ut ſibi ſuperiorem , humiles amplectebantur ut fratrem , in commune bonus omnibus certè benevolus , in terra poſitus cœleſtem ſe habitu oſtendebat & moribus ; angelicis * in aſpectu , nitidus in inceſſu , ſanctus in actu , integerrimus corpore , ſollertiſſimus mente , circumſpectus in opere , optimus ingenio , magnus in conſilio , catholicus fide , patientiſſimus ſpe , diffuſus extitit charitate , & cujuſque meriti erat , operibus declarabat.

** l.* angeli cus

F

variis à Sancto ex ornata , multi inſtructi

37 Quippe piiſſimus , & omni ſuavitate facilliimus inter divites & pauperes ſemper medius, ut pauperes illum quaſi pauperem , divites computarent ut divitem , non enim perſonas potentùm , ſed penſi ducebat elegantiam morum , tantùm quemque honorans propenſiùs , quantùm agnoviſſet vivere ſanctiùs ; quod aſtruebat ore , numquam deſtruens actione ; præmonſtrans opere , quod eſſet docendum voce , & quod ei gratia divina conceſſit , in poſteros derivavit : non ſolùm enim per ſeipſum nobis hodieque proficiunt geſta , ſed etiam diſcipulorum illius , & qui ab eo educati fideliter ſunt , exemplo & imitationi nobis ſunt opera. Cœnobiorùm extitit plurimorum fundator & rector , ubi ejus exemplo in uſque præſentem diem Chriſto famulantium accreſcunt agmina. Diſcipulorum multorum pater fuit & inſtitutor , quorum & Chriſto lucratus eſt animas , & quorum ab eis & ab eorum ſucceſſoribus adhuc lucrantur animæ. Ipſius quotidie uſuratum fœneratur talenti recompenſatione , ejuſque adſcribitur meritis , quod eorum cumulatur augmentis. Ex quorum numero beatus extitit Theodardus ab eo proculdubio diſciplinis eccleſiaſticis informatus , utpote ab ipſo

ſibi

A sibi ſucceſſor deſignatus, & ultimam martyrii coronam indeptus; ſanctus etiam Lambertus unus ex ejus diſcipulatu extitit, qui & ipſe martyrem probatum ſuo tempore exhibuit. *Annumeratur hic item Sancti diſcipulis ab Harigero cap.* 51; *ſed perperam, ait Mabillonius in Notis pag.* 492. *Certè Godeſchalcus num.* 34 *citatus, non alium nominat Lamberti præceptorem, quàm Theodardum oppidi Trajectenſis antiſtitem.*

diſcipuli: ſpiritu prophetico præditus

38 Sic quoque beatus Hadelinus, qui & ipſe Aquitaniâ ortus & convena dicitur fuiſſe peregrinationis illius, dum aliquando digna, ubi ſeceſſerat, Deo opera gereret, vidit in viſione eumdem Patrem ſibi apparuiſſe vultu venuſtum, crine reverendum, ſtaturâ reliquâ præſtantiſſimum, quique illi locum futuræ converſationis & perpetuæ requietionis oſtendit, & fontem uſibus hominum habilem deſignat, quod cunctis adhuc liquidò demonſtratur, dum & in eodem loco, corpore tenus requieſcit, & ſpiritu præſens innumera credentibus ibidem quotidie beneficia præſtare non deſiſtit. *Poſtmodum anno* 1338 *Cellis Viſetum S. Hadelini corpus tranſlatum fuiſſe, invenies tomo* 1 *Februarii pag.* 367. In

B ſancti quoque Viri Trudonis opere & electionis ſorte perpendendum eſt, qua intentione ſanctus Sacerdos circa caulas & cuſtodiam dominici gregis invigilaverit, & quod ſpiritu prophetico plenus futurorum interdum præſcius fuerit, & divinitatis amore flagrans cupiditatum omnium incentivo refrixerit.

Trudonem informat de agendis,

39 Paſtorali ſollertia parochiam beatus Remaclus circuibat ex more; quos poterat à luporum voracitate eripiebat, & ſummo Paſtori lucrari ſatagebat. Bonis, ut in melius proficerent, amminiculabatur; deſidioſis & torpentibus, ut reſipiſcerent, hortabatur. Interea ſanctus Trudo puerili adhuc ætate floridus, primos emittebat boni ſaporis fructus: hic cùm ſuperbi admodum ſanguinis generoſitate polleret, magis tamen vi divini amoris & virtutum ſtudiis anhelabat, & adeo ſancti Spiritus tactus eſt ardore, ut voto ſe aliquando obligaret, ut, ſi quandoque Chriſto auſpice ſacros apices addiſceret, eccleſiam in ſuæ proprietatis fundo ædificare deberet, ſeque ibidem perenniter famulaturum, cooperatores & Domino conſervituros, quos poſſet aggregaturum. Tali æſtuans deſiderio, viſione no-

C cturna corripitur *&c.*, *quæ ſatis fusè narrat anonymus Stabulenſis infrà num.* 5 *& ſeqq. Explicat poſtea Notgerus, qua ratione ſanctus Epiſcopus Trudonem Metas miſerit, indèque poſt annos aliquot ad ſe remiſſum exceperit.*

Metas deſtinat, indèque redeuntem

40 Dans itaque (Remaclus) litterarum ſuarum illi indiculum, benedictione ſua munitum ad Metenſis urbis miſit epiſcopum, ab eo ſecundum quod ſibi Spiritus ſanctus indicaverat inſtruendum. Mediomatricum urbi tunc ſanctus præerat Chlodulfus beati Arnulfi ſicut carnaliter filius, ita & virtutum meritis & pontificatûs inſulis hæres & ſucceſſor digniſſimus. *De Arnulpho videri poteſt tomus* IV *Julii à pag.* 423, *de Chlodulpho tomus* 2 *Junii à pag.* 126. *Cùm autem Chlodulphus epiſcopus conſecratus ſit* XIX *Aprilis* 655, *vel ut Pagio placet,* XIII *Aprilis* 654; *certè ad illum epiſcopum Trudo miſſus non eſt ante annum* 654. Hic benigniſſimè & humanitus ſuſcepit beatum Trudonem, non modo ejus qui ſuſcipiebatur gratulatus electione, verùm mittentis eum ſancti ſcilicet Remacli reverendiſſima commendatione: cauſas ejus adventûs addidicit, imbuendum ſacris litteris & divina lege mandavit, traditionem poſſeſſionum ejus vice ſancti Stephani ſuſcepit, & per plura annorum curricula illic morantem bene habuit; pro quibus venerat inſtructum & ad presbyterii uſque culmen promotum ſancto patri & coëpiſcopo Remaclo remiſit, *anno epiſcopatûs ipſius* Remacli 10, *ut habet Chronicon Trudonenſe cap.* 8.

benignè excipit, planè alienus a cupiditate.

41 Qui percunctatus quæ erga eum Dominus egerit & an proſperatum ejus iter & reverſio fuerit, & approbans ut lege divinâ eruditus ſit, immenſas Deo gratias retulit: Laus, inquit, tibi ſit, Domine, pater cœli & terræ, quòd adimplere dignatus es verbum, quod mihi exiguo ſuper famulo tuo revelaſti, & quia eum præceptis tuis decenter ornatum mihi incolumem revocaſti. Et conceſſit illi in diœceſi ſua verbum annuntiare divinum *&c.*, *de quibus in Vita S. Trudonis ad* XXIII *Novembris. Laudat dein Notgerus* Remaclum, *quòd adeo alienus fuerit ab omni avaritia & cupiditate, ut nihil ſibi aut ſuorum uſibus à Trudone poſtulaverit. Scribit quidem auctor Vitæ S. Chlodulphi tom.* 2 *Junii pag.* 129 Remaclum *optaſſe, ut Trudo bona ſua traderet eccleſiæ Trajectenſi, Deumque continuis precibus oraſſe ut hanc Trudoni mentem indeE ret; verùm liquet, id ſine avaritia imò ſanctè optari potuiſſe, priuſquam Dei voluntas de bonis illis innotuerat: hanc autem ubi Sanctus cognovit, perfectè adimplevit, juſſo Trudone non Trajectenſi, ſed Metenſi eccleſiæ poſſeſſiones ſuas elargiri. Nihil igitur de laude ejus decedit ex illa narratione. Sed Notgerum audiamus:* Libet ad hæc nunc paucis intendere, omnium, ut prædiximus, in beato Remaclo cupiditatum ignes deferbuiſſe, omnium noſtræ ætatis merita ſacerdotum exceſſiſſe, omnes noſtri temporis epiſcopos ſua comparatione damnare; quibus ſi fortè eadem ut huic Viro ſancto daretur optio, aliud procùl dubio facerent ne id facerent. Scilicet nedum alteri eccleſiæ & non ſuæ offerenda à devotis teſtanda mandarent, ipſi potiùs ultroneis id facere diſſuaderent; immò ſibi teſtari facerent, &, ut pace eorum dicatur, aliis ſupplantarent. Quod quantò in nobis hoc ampliùs eſt inculcandum *, tantò meritum beati Remacli proterentis magnificis laudibus efferendum.

* *al.* culpandum

Cura domeſticorum, ſolicitudo pro grege.

42 Totum ideo beati Trudonis textum inſerendum putavimus, ut etiam prophetiæ donum & futurorum notitiam beato ſacerdoti Remaclo non deeſſe demonſtraremus. Qui primò eidem F Chriſti famulo à ſe diſcedenti cùm ſuper habitu ejus, domeſtici illius inſultarent, eo quòd talem perſonam tam abjectis veſtimentis indutum juxta ſe collegiſſet, hæc Spiritu ſancto revelante cognovit, & ſuper ea re duriſſimè increpavit, pœnitentes recepit, & de cætero emendandos ammonuit; verùm hæc aliàs. Quis denique ſufficiat enarrare, quàm ſanctè & religiosè de reliquo beatus Remaclus converſatus ſit quantave illi ſollicitudo erga ſibi commiſſum gregem fuerit? Monebat omnes ut à lenociniis blandientis mundi obſervarent, à ſecularibus curis intentionum greſſus retraherent, fraternæ pacis tenerent concordiam, mandatorum Dei ſine offenſa currerent ſemitam, mundum & ejus concupiſcentias non diligerent, ſed velut florem fœni in brevi prætereuntis animo non repugnante calcarent, cæleſtia verò mente & opere concupiſcerent *&c.* *Refert poſtea Notgerus fundationem cœnobii Caſæ-congidunenſis: ſed illa Sancti epiſcopatum præceſſit. Vide ſuprà* § 3. *De duobus aliis agetur* § *ſequenti.*

§ VI.

AUCTORE J. V.

§ VI. Malmundarienſe & Stabulenſe monaſteria hortante & curante Sancto exſtructa.

S. Sigeberto auctor eſt ut conſtruat aliqua monaſteria in ſaltu Arduennenſi:

UTrumque illud cœnobium, *quod hodieque percelebre eſt, diſtat Leodio, quà Orientem verſus & Treviros abitur, ſex ferè leucis Brabanticis; alterum ab altero vix ſeſqui-leucâ, ſecundum Nolini tabulam apud Dionyſium Sammarthanum tom. 3 Gallia Chriſtiana. Quo tempore condita ſint, infrà examinabitur, poſtquam lector ſitum aliaque edificationis adjuncta plenius ex Notgero edoctus fuerit. Sic itaque ille habet:* Tandem ejus loci (*Caſa-congiduni*) faſtidiens, licèt incertum quibus de cauſis, tamen ut ſeſe habet fama relationis, quia ſcilicet undique premeretur idem locus à circumhabitantium & potentiorum infectationibus, nec haberet rex in vicino unde ulla eidem loco fieri poſſet dilatatio, induxit ſanctus Vir animum, regem ſuper
B hoc adeundum. Veſtram, inquit, celſitudinem, inclyte princeps, ſtat ſententia pertemptare; quia cùm plura ubiubi ſint veſtrâ munificentiâ Dei & Sanctorum cultibus dicata cœnobia, ſola Arduenna, in arduis montibus collocata, extra limitem ſecluſa, rara immò nulla habere dignoſcitur monaſteria; igitur jubeat veſtra ſerenitas illic aliqua extruere, aderit in ædificando, Deo favente, facultas, & noſtræ ſedis illud ſupplebit vicinitas: nec illa examplare & neceſſariis ſufficere erit impoſſibile, cùm circumcirca quæ adjacent, veſtræ ditioni conſtet ſubeſſe.

operi à rege præficitur,

44 Tuum, inquit rex, Pater beatiſſime, tuum eſt nobis in hoc conſulere, noſtrum autem erit tuo quàm citiùs conſulto aures noſtræ ſerenitatis ad aſſenſum præbere & maturè opus facto eſſe; tuâ inquam interſit illud diſponere & ei operi inſiſtere, noſtrâ intererit, loca quæ his accommoda elegeris, delegare, cujuſque ſolatii indigueris ſumptibus ſuppeditare. Convocatis itaque rex fidelibus viris ſcilicet ſancto Chuniberto archiepiſcopo, Atellano, Theodefrido, Giſlochardo æquè epiſcopis, optimatibus quoque
C ſuis Grimoaldo majore domus, Folcoaldo, Bobone, & domeſticis ſuis Chlodulfo, Anſigiſilo & Bezelino, ex voluntate, inquit, Dei & veſtro cæterorumque noſtrorum fidelium conſenſu deliberamus, duo fieri monaſteria infra foreſtem * noſtram in ſaltu Arduennæ ſitam, in quibus aggregentur viri religioſi Ordini monaſtico inſerviturі, qui pro noſtra & ſucceſſorum noſtrorum incolumitate, & pro totius regni ſtabilitate & quiete, & pro curis regni invigilantium conſervatione omnipotentem Deum debeant profuſiùs obſecrare, cujus rei monitorem & incitatorem habentes præ manibus beatum Remaclum, eumdem præficimus ei operi proviſorem atque miniſtrum.

** i. e. ſylvam*

& Malmundarium condit,

45 Accepta igitur ſanctus Sacerdos regia auctoritate & comitum neceſſariorum ſublevatione, Arduennæ vaſtum paludibus & confragoſis montibus ſaltum aggreditur; Fanias tranſit, Warchinnæ rivulum peraccedit: reperit ibi indicia loca illa idolatriæ quondam mancipata, lapides Dianæ & aliis portentuoſis nominibus effigiatos, fontes hominum quidem uſibus aptos, ſed gentilium errore pollutos, ac per hoc dæmonum adhuc infeſtatione obnoxios. Facta itaque Chriſti nominis adjuratione & ſigni ſanctæ crucis D
proteſtione, locum illum à dæmonum incurſatione piavit; & ſtatim aqua ab ipſo ſuo meatu guttatim dilapſa diſparuit. Videns ergo locum illum tum aquis piſcoſis, tum paſcuis uberrimis habitandi commodis habilem, copioſam ſuper fontem orationis auxit benedictionem, lapidi ſignum crucis inſculpſit, plumbumque cum foraminibus ſuperinfudit. (*Non aliam ob rationem id factum, quàm ut crucis ſignum ſpectabilius eſſet, & quia cava lapidum à fabris plumbari ſolent, rectè arbitratur noſter Foullon tom. 1 Hiſtoriæ Leodienſis anno 1735 edita pag. 90, contra quoſdam de cauſa affuſi à Sancto plumbi multis philoſophantes.*) Protinus refluxerunt aquæ largiſſimæ, quæ dictis fidem faciunt cernentibus hodie; & quia eumdem à malorum ſpirituum mundaverat infeſtatione, MALMUNDARIUM * quaſi à malo mundatum placuit vocitare. Oratorium illic ædificavit, habitacula ad uſus ſervorum Dei conſtruxit, & quæque ad cultum Dei augmentavit.

** vulgò* Malmedy

deinde Stabuletum:

46 Quia autem illud in Agrippinenſi parochia R
ſitum erat, ſtuduit & aliud inceptare, quod tamen ſuæ diœceſeos clauderetur limite. Procedens inde quaſi duobus millibus ad Occidentem, Calla rivulum, qui parochiarum conterminus eſt, tranſit, & ad Amblava fluvium in confinio montis cujuſdam ſubſtitit: illic etiam aliquantiſper commoratus multo ſtudio ſanctæ converſationis idonea eſt operatus, ſicut quilibet ab incolis audire valebit referentibus. Sed quia idem locus licèt affluеret fontibus, anguſtiis tamen locorum erat conſtrictus, & ideò officinarum neceſſariarum minùs ſufficiens uſibus, denuo reverſus ad Orientem paululum proceſſit, locum ſpacioſiorem & operi futuro aptiorem proſpexit: propoſito labori inſtare cœpit attentiùs, & ut aſſolet in talibus divina cooperabatur virtus, proſperoque ſucceſſu voluntatem ſubſecutus eſt effectus. Et quia ob confluentiam ferarum, undique illuc vel ad potum vel ad paſtum velut ad ſtabulum concurrentium, inditum eidem loco STABULAUS * antiquitus erat vocabulum; non dignum duxit illud immutare, ſed ſtabulum fidelium animarum, illuc velut ad paſcua vitæ perennis deinceps properaturarum, ſemper dici & eſſe. Nam fratribus quos ibidem ſanctus Vir ad præſens aggregaverat, non parvum ſæpe diverſarum caterva ferarum illic per ſtrepitus incuſſit terrorem, ita ut ad beatum Remaclum ei operi inſiſtentem cum horrore recurrerent, & quid muniminis, quidve defenſionis caperent contra has diaboli inſidias efflagitarent.

** vulgò* Stavelo

dat ſuis monita ſalutaria contra inſidias diaboli;

47 Quos benignè conſolatus & in commune F
confortans, credite, inquit, in Domino, filioli, fideliter, ejus mandata amplectimini inviolabiliter, mentem à cogitationibus, quæ ſunt ſine intellectu, ſervate innoxiam, animas veſtras caſtificantes ſervitutem Domino impendite puram, ſine intermiſſione orate, veſperè, mane & meridie pſallite, lectioni, quàm ſæpiſſimè vacate, frontes veſtras munite crucis ſignaculo, ejus virtutem recondite in imo cordium antro; & confeſtim inſidiæ hoſtis inviſibilis & molimina redigentur in nihilum, iſtarumque ferarum, per quas vos impugnandi ſperat ſe inveniſſe aditum, horror erit incaſſum: taliter enim impugnabat ante nos vaſtam Ægyptiorum, Thebaïdæ & Nitriæ heremum incolentes, quorum nos donet Deus vel tenuiter fieri imitatores. Sunt illi mille nocendi artes, ſunt innumeræ inſidiarum fraudes,

A des, sed non ignoramus versutias ejus, qui etiam per muscas suos aliquando init congressus, & nos famuli Christi, quo plus incursando premimur, eo magis assurgimus, cùm reluctamur. Expertus satanas pertimescit principia rectè vivere initiantium, vigilias, orationes, jejunia, mansuetudinem, patientiam, voluntariam paupertatem, vanæ gloriæ contemptum, humilitatem, misericordiam, & præcipuè purum erga Christum amorem; & ideo sicut leo in spelunca insidiatur ex occulto ut vos deterreat à proposito. Hæc & his similia eos exhortatus, eorum animos in Dei obsequio promptiores effecit & contra cuncta tentamina animæquiores reddidit: post hæc præpositis operum dispositis quæque essent agenda delegavit, & Tungros vel Trajectum rediens officio pastorali invigilandum se reimplicavit.

dedicat cœnobia, iisdemque abbas præest.

48 Non multum deinde tempus erat elapsum, & rex in foreste sua monasteria constructa audivit: immensas omnipotenti Domino gratias retulit, & quia ecclesiæ novâ materiâ ornatæ episcopali indigebant benedictione, misit, beatum B Remaclum accersivit, & tam eam, quæ Colonienſi subjacebat parochiæ, cum consensu venerabilis Chuniberti ejusdem urbis metropolitæ, quàm eam, quæ nostræ adjacet diœcesi, à beato Remaclo mandavit sollemniter consecrari; ut cujus dispositione & maximo studio fuerant ædificatæ, ejus etiam diligentiâ pontificali donarentur benedictione: quod Vir sanctus ilicò adimplevit, utpote qui regi & proceribus adeo erat charus, ut nihil præcipuum fieret absque consultu ipsius. Unde contigit ut, quia tanti honoris & dignitatis apud eos habitus erat, Missarum peractis sollemniis, traderet utraque cœnobia Grimoaldus major domûs eidem beato Viro suâ deinceps sollertiâ gubernanda, & quæque monastico Ordini necessaria ejus suggestione & sollicitudine à regia sublimitate amministranda. *Hæc Notgerus; ex cujus narratione perspicuum fit, monasteria illa constructa non fuisse, priusquam Sanctus ad cathedram Trajectensem eveheretur. Idem liquet ex Harigero cap. 56, anonymo Stabulensi, & Chronico Trudonensi cap. 7. Quibus addi possunt sequentia ex cap. 37 Historiæ Ms. Sanctorum Namurcensium, quam servamus sub involucro* B 93 a: Quum in fundando Stabulensi cœnobio impensiùs instaret (*Sigebertus,*) C cooperante sibi Majore domûs Grimoaldo, & similiter in ædificando monasterio, in loco qui dicitur Malmundarium; communicato consilio cum Remaclo Tungrensium episcopo *&c., quæ etiam leguntur in Ms. Passione S. Theodardi ad* x *Septembris.*

Disseritur de tempore susceptæ

49 *Contrarium tamen opinatur Mabillonius tomo* 1 *Annalium pag.* 403 *scribens sequentia:* Id factum, antequam Remaclus ad Tungrensis ecclesiæ regimen assumeretur, patet ex superiori Sigiberti diplomate, in quo Remaclus tantùm abbas appellatur: tametsi id post ejus promotionem referunt ejus vitæ scriptores, certè non admodum in designandis temporibus accurati. *Verùm minùs accurata est ista Mabillonii ratio; cùm superius illud diploma de solo monasterio Casacongidunensi agat, ut patebit inspicienti tomum* 1 *Februarii pag.* 234 *num.* 17. *Dionysius Sammarthanus col.* 823 *hoc modo argumentatur:* Remaclus *tunc temporis degebat Casacongiduni, ergo non erat Trajectensis episcopus. Respondeo Notgerum & Harigerum tantùm dicere, quòd Sanctus locum illum fastidierit, hoc autem fieri poterat ab absente. Præterea Casacongiduni aliquantisper degere, & ecclesiæ Trajectensi præesse, invicem non pugnant. Cointius ad annum* 648 *num.* 22 *contendit, eorum cœnobiorum initia rejicienda non esse post* Remacli *Trajectensis pontificis ordinationem,* quia Malmundarium pertinet ad diœcesim Colonienſem, nec facilè quis sibi persuadebit, monasterium à Trajectensi pontifice in aliena parochia constructum fuisse. *Eamdem rationem etiam adoptat Martenius tomo* 2 *Collectionis amplissimæ pag.* 2. *Sed levissima hæc conjectura est, inquit Pagius ad annum* 651 *num.* 9, *ubi Cointium refellit. Sanè poterat ignorare sanctus Episcopus locum, in extrema Ubiorum provincia situm, extra diœcesim Trajectensem esse; si verò illud sciverit, locum tamen istum elegit præ alio ad exstirpandam idololatriam, non quærens quæ sua sunt, sed quæ Jesu Christi. Quod paginâ* 1 *præmittit Martenius,* Remaclum *in primario utriusque monasterii fundationis diplomate col.* 7 *abbatis dumtaxat nomine donari, nihil urget: nam* episcopus *appellatur in eodem diplomate, prout illud ex Stabulensi archivo edidit Henschenius ad* 1 *Februarii pag.* 234 *num.* 19; *&* E *in secundo diplomate utrobique dicitur* episcopus *&* abba. *Adde quòd diplomata illa non, ut Martenius putat,* circa DCLI *aut ipso* anno DCLI, *regni S. Sigeberti decimo quarto, sed aliquot annis post concessa fuerint. Sigebertus enim diplomate ultimo decernens instrumenta cessionum ab anno dumtaxat regni sui* 14 *valitura, non dicit præceptum, quo id continetur, eodem anno* 14 *emanasse fuisse; imò ab anno regni* 14 *usque ad tempus dati præcepti multos annos effluxisse palàm ostendit, inquiens:* Si ante superiores annos, dum adhuc sub tenera videbamur ætate subsistere, aliquis quodlibet ex hujus cessionis instrumentis accepit, nullus mancipetur effectus; sed vacuum & inane permaneat: *dicturus utique* ante hunc annum, *si diploma illud confecisset ipso anno* 14 *sui principatûs. Cùm autem sub initium dicti diplomatis meminerit primæ donationis, eamque ratam habeat; satis innuit, etiam hujus instrumentum post annum* 14 *regni sui editum fuisse.*

AUCTORE J. V.

fundationis, & imperialis abbatiæ Stabulensis privilegia

50 *Porrò monasteria ista, teste Chronico Trudonensi citato, exstrui cœpta sunt anno episcopatûs* S. Remacli *sexto, ac proinde anno Christi* 655 *vel paulo pòst. Etenim secundum idem Chronicon cap.* 8 *Sanctus Trajectensem ecclesiam gubernavit annis decem, quos à medio circiter seculi* VII *computandos esse, patet ex dictis num.* 20. *Quo autem anno eadem perfecta & dedicata fuerint, non constat: anonymus enim in Vita num.* 10 *tantùm dicit,* prospero successu velociter *adimpleta esse; Notgerus suprà num.* 48, non multum tempus *præteriisse, quando rex monasteria constructa audivit. Lapsu temporis Stabuletum excrevit in oppidulum, quod ab aliquibus* Stablo *vel* Stabla *dicitur, subestque unà cum tractu adjacente dominio abbatis, qui jam ante annum* 1376 *titulo principis & comitis Longiæ honoratur, inquit Dionysius Sammarthanus col.* 939. *De utriusque cœnobii exordio & privilegiis hæc memorat Spicilegium ecclesiasticum Germaniæ editum Lipsiæ anno* 1716, *tomo* 4, *seu parte* 3, *pag.* 781: Imperialis, libera & exempta abbatia Stabulensis ex duobus monasteriis, nempe Stabulensi & Malmundariensi, à sua origine perpetuò canonicè unitis, coalescit. Hæc fundata fuit à Sigiberto II * rege Francorum circa annum DCL *; & constituit cum suo terri-

F

* *alii* III

* *imò* 655

AUCTORE J. V.

territorio ſtatum & feudum immediatum S. R. Imperii. Abbas pro tempore hujus abbatiæ conſiſtorialis, eſt princeps Imperii, habens votum & ſeſſionem tam in dietis generalibus regni, quàm circularibus circuli Rhenano-Weſtphalici. Hic princeps à ſummo Pontifice in abbatem confirmatus, ſua regalia & inveſtituram ſui principatus Stabulenſis & comitatus Longienſis & aliorum feudorum immediatè à Cæſare auguſto in ſolio ſedente, & cum ſolemnitatibus conſuetis accipit. Religioſi utriuſque dicti monaſterii non niſi unum Capitulum conſtituunt & quidem in Stabulenſi congregandum ad convocationem prioris Stabulenſis, quoties agitur de eligendo novo abbate, vel de ejuſdem abbatiæ adipiſcenda poſſeſſione.

compendio aſſignantur.

51 Utriuſque hujus monaſterii conſtructor & primus abbas fuit S. Remaclus, Tungrorum epiſcopus, cujus ſacræ reliquiæ in eccleſia Stabulenſi requieſcunt in pretioſiſſima capſula venerationi populorum expoſitæ. Plura de prærogativis monaſterii Stabulenſis videri poſſunt in privilegiis ſummorum Pontificum, regum & imperatorum, nec non archiepiſcoporum Colonienſium: ubi notandum, quòd privilegium Lotharii tertii * imperatoris de anno MCXXXVII, dicatur bulla aurea; quia ex toto conſcriptum eſt litteris aureis, & ex illo dependet ſigillum aureum, in cujus prima facie habetur effigies imperatoris cum hac inſcriptione: Lotharius III Romanorum imperator ſemper auguſtus; ab alia facie eſt urbs Roma cum hac inſcriptione:

B

** fuit tantùm II hujus nominis imperator, licèt ipſe III ſe nominet.*

Roma caput mundi regit orbis frena rotundi.

Et hoc originale privilegium adhuc integerrimum extat in archivo publico monaſterii Stabulenſis, ſicut & originalia privilegia ſummorum Pontificum Cœleſtini (II), Eugenii (III), Alexandri, & Adriani (IV), nec non Frederici & Arnoldi archiepiſcoporum Colonienſium, & varia alia. Privilegia antiquorum regum & imperatorum abbati & monaſterio Stabulenſi conceſſa habentur per extenſum confirmata à Carolo IV Romanorum imperatore de anno MCCCLVII, de cujus exemplari dependet ſigillum aureum; à Carolo V de anno MDLIII; à Maximiliano II de anno MDLXVI; à Mathia de anno MDCXIII. *Videri poteſt dictum Spicilegium, &*

C

Martenius ſuprà laudatus: ſed utrobique deſiderantur diplomata Alexandri, Caroli V, Maximiliani II & Mathiæ. Diploma autem Leopoldi imperatoris datum Viennæ XX *Julii* 1671, *quo privilegia omnia confirmantur, edidit anno* 1730 *Martenius in Juribus imperialis Stabulenſis monaſterii propugnatis contra Ignatium Roderique pag.* 50.

D

§ VII. Epiſcopatum abdicat & Stabuletum ſecedit, ſubſtituto ſibi S. Theodardo; quo tempore id contigerit: donationes pro monaſteriis factæ Sancto: utrùm Romam adierit.

Amore vitæ monaſticæ deponit epiſcopatum, deſignato ſucceſſore Theodardo,

MOnaſteriis Stabulenſi & Malmundarienſi, *ut dictum eſt, conſtructis primus abbas præfuit* Remaclus epiſcopus, *teſte utroque Sigeberti diplomate. Cùm verò ob munia epiſcopalia ſæpius inde deberet abeſſe, vicarium ſibi in cœnobiorum regimine conſtituit S. Theodardum, haud alio titulo inter abbates Stabulenſes numerandum. Deinde poſt non multum temporis, inquit Vita, pertæſus ſecularium tumultuum* Remaclus *impetravit à rege Childerico, non Sigeberto, qui jam obierat, ut relinquens ſucceſſorem poſt ſe in ſede pontificali, Stabuletum ad dilecta ſolitudinis quietem regrederetur. Quis iſte ſucceſſor fuerit ita explicat Notgerus:* S. Theodardi vitam ſatis probabilem regi & optimatibus oſtentavit, eumque vicem ſuam ſupplere & poſt ſe cathedræ ſuæ ſubrogandum ex nomine deſignavit. *Pergit dein prolixè enarrare, quantus omnium luctus exortus ſit, intellecto ſancti Præſulis propoſito; quos modis eum ab incœpto dimovere tentaverint, quàm ægrè demum in abdicationem ejus conſenſerint. Rem geſtam compendio accipe ex Harigero cap.* 57 *&* 58: Igitur beatus Sacerdos, quod ſemper habuit in voto, remotioris vitæ ſolitudinem deſideranter aggreſſus, ex permiſſu regis & principum, & cleri ſibi commiſſi totiuſque plebis aſſenſu S. Theodardum probabilis vitæ virum ſibi ſuccedere inſtituit, & in Stabulaus monaſterium, ubi remotus à curis ſæcularibus Deo liberiùs vacaret, ſeceſſit. O quantus de ejus abſceſſu exortus eſt luctus! O quàm mœſtos reliquit, quibus ſemina contulerat vitæ, cùm viderent ſe tali Patre orbari! Omnis ætas, uterque ſexus dolorem cordis lachrimis teſtabatur effuſis, atque proſequendo eum clamoribus inſonabat infinitis. Quorum ejulatibus ſanctus Vir permotus mœſtos eorum animos, quibus poterat, mulcebat conſolationibus.

E

F

quod ægrè ob ſtudium populi Paſtorem retinere cupientis

53 Sed illi, nullo recepto ſolamine, quin potiùs objectis ei canonum inſtitutis ſeceſſionem ejus acſi minùs juſtam impedire conabantur; quia gregem, quem ſemel regendum ſuſcepiſſet, non niſi infirmitate cogente aut capitali culpa interveniente, ultroneè relinquere liceret. Ad hæc Vir beatus non ſe canonicis obviare reſpondit inſtitutis, cùm in hac parte Sanctorum & meliorum ſe edoceatur exemplis: nec extra regulam canonicam probatur evagari, qui eorum veſtigia nititur imitari, quorum vitâ & doctrinis totius Eccleſiæ ſtatus in fide roboratus virtutis incrementa ſuſcepit. Ad hanc, inquit, ſpem beatus me Baptiſta Joannes animavit, qui in ipſa annorum teneritudine magis elegit heremiticis ſquallere incommodis, quàm inter cives levi ſaltem ſermone vitam contaminare. Et Moyſes vitam hanc approbavit, qui dum divitiis Ægyptio-

A Ægyptiorum contempſit enervari, in vaſtæ ſolitudinis deſerto Dei colloquio meruit inſigniri. Abraham omnium credentium pater ad hos me incitavit affectus, cujus & exemplum imitatus, natali ſolo egreſſus omnium pomparum renunciavi cupiditatibus. Sic Elias, ſic Elyſeus, ſic cæteri prophetæ hujus ſanctæ converſationis initia dedicaverunt, qui theoriæ hujus contemplatione inſignes, ipſos reges ſubjugaverunt. Ipſius Domini Salvatoris ad hoc me impulit exemplum, qui diabolum debellaturus, heremiticæ ſolitudinis ſilentia delegit: cujus miſericordia concedat, pietas annuat, ut & ego verſutias illic ſævientis inimici proculcare, & animarum veſtrarum profectibus pro voto valeam invigilare. Poſt hæc reſponſionis & conſolationis verba Pater venerabilis cùm illos pacatiores tandem reddidiſſet, datâ benedictione dimiſit; ipſe verò iter quod cœperat peragens, ad monaſterium Stabulaus devenit.

tandem impetravit à rege.

54 *Nemini porrò mirum videri debet, quòd nuſquam legatur ſanctus Præſul ſuper ea re conſuluiſſe Romanum Pontificem; quandoquidem Thomaſſinus parte 2 Veteris & novæ Eccleſiæ diſciplinæ lib. 2 cap. 52 de reſignatione & ceſſione epiſcopatuum ab anno Chriſti 500 ad 800, num. 4 ſcribit, tunc in more poſitum non fuiſſe, ut à Pontifice exoraretur licentia dimittendæ epiſcopalis curæ; ſed ſæpiuſculè reſignatos à præſulibus epiſcopatus tum ſimpliciter, tum in favorem, inconſultis Romanis Pontificibus: cujus rei varia profert exempla. Inter alia num. 6 de Sulpitio pio & Sancto noſtro hæc memorat:* Beatus Sulpitius Bituricenſis archiepiſcopus anno DCXLI eccleſiæ ſuæ nuntium remiſit, permittente rege, & quem expetierat ſucceſſorem dante. Trajectenſis epiſcopus Remaclus ſarcinam & ipſe, annuente rege, abjecit. *Bona etenim fide viri ſancti putabant aſſenſum regium ad id ſufficere; necdum vel uſu, vel canonicis inſtitutis vendicata uni ſummo Pontifici poteſtate epiſcopos abſolvendi à ſacro eccleſiarum ſuarum nexu ac conjugio: quod tandem ſub Alexandro III, qui anno* 1159 *ſedere cœpit, conſtitutum confirmatumque fuiſſe exiſtimat laudatus Thomaſſinus cap.* 54 *num.* 6. *Si tamen* Remaclus (*uti fertur*) *ad limina Apoſtolorum peregrinatus ſit, non dubito quin Pontificis conſenſum hac ſuper re expetierit. Vide infrà num.* 61.

C

Abdicatio illa & ſeceſſio non contigit ante annum 660, nec differri debet poſt 661.

55 *Quod ſpectat ad tempus abdicationis, eam rectè à Bollando tom.* 1 *Februarii paginâ* 372 *anno Chriſti* 660 *illigatam eſſe aſſerit & probat Pagius ad dictum annum num.* 8 *&* 9. *Certè ante illum annum non videtur ea fieri potuiſſe, cùm ſub finem anni* 649 *Amandus adhuc ſederet, poſt quem* Remaclus *eccleſiam Trajectenſem rexit annis* 10: *neque differendus eſt Sancti ſeceſſus poſt finem anni* 661, *quod ſic oſtendo. Succeſſor ejus Theodardus triennio jam erat epiſcopus, quando Sarchinienſe S. Trudonis cœnobium dedicavit* III *Idus Octobris, teſte Chronico Trudonenſi cap.* 13: *iſta autem dieï nota deſignat annum* 664, *ſiquidem toto tempore, quo Theodardus eccleſiæ Trajectenſi præfuit, dies* XIII *Octobris in Dominicam non incidit niſi dicto anno biſſextili, qui litteris Dominicalibus* G F *præditus fuit. Inde per triennium retrocedendo devenitur ad annum* 661, *ſub cujus finem aut initium ſequentis Theodardus epiſcopatum auſpicatus ſit. Atque hæc ratio me movet ut anno potiùs* 661, *quàm* 660 Remacli *abdicationem aſſigendam putem; utpote quæ perexiguo tempore ordi-*

Multi ad Sanctum confluunt diſcipuli, inter quos rectè Papolenus,

nationem Theodardi præceſſit, quemadmodum eruitur ex hujus Vita & Paſſione ſcripta ab anonymo ſuppare, ut videtur, quam ad x *Septembris edendam ſervamus.*

56 *Liber epiſcopali onere* Remaclus *illico Stabuletum ad deſideratæ quietis portum ſe recepit.* Audientes hoc, *inquit Notgerus*, vel è vicinia vel ex ſemotis partibus viri devoti, quorum Deus dignatus eſt corda tangere, cœperunt undique ad eum velut apes ad alvearia confluere, nonnulli ſe Omnipotentis ſervituti addere & leni jugo Chriſti colla ſubnectere; aliqui verò liberos ſuos liberalibus immò monaſticis inſtruendos diſciplinis & illic perpetuò inſervituros contradere, multi etiam de facultatibus ſuis & reditibus ſanctorum communicare neceſſitatibus: inter quos Domnus & pater Papolenus viſendi eum gratiâ venit; ſed ejus magiſterio adhærere, quàm redire contendit *. Suſceptus eſt itaque à beato Remaclo officiòſiſſimè & converſatus illic abſque offenſione, & qui inſtruendus venerat, plures ad imitationem ſui ædificabat. Sanctus Vir apud ſe retractans, ne fortè pro hoc ipſo eum Dominus direxerit, non modò ne ab eo diſcederet rogavit; verùm propter diſciplinam fratribus Malmundarii poſitis juxta inſtitutionem S. Benedicti, ſua ſalva in omnibus auctoritate, præfecit: ipſe Stabulaus reverſus ad majora ſe deindè virtutum opera accinxit, ſuique exemplo plures ad confectatum ſuorum operum animavit.

* *al.* maluit

ſed perperam Lambertus recenſetur.

57 Quis apud illum triſtitiam non mutavit in gaudium, quis iram non convertit in pacem, quis orbitatis luctum non ad ejus temperavit aſpectum, quis non mœrore paupertatis oblito & divitum deſpexit opulentiam & in ſua lætatus eſt paupertate, quis laborum onere preſſus ejus non eſt hortamentis relevatus, quis adoleſcens, incentivis vitiorum ſuccenſus & carnis titillatione, ejus ſaluberrima ammonitione non ſtatim cultor extitit pudicitiæ? A diabolo vexatos curabat, nihilominus illicitis cogitationibus diſtractos ad petram Chriſtum alliſos ab operibus cohibebat; ſciebat quo quis laboraret incommodo & ex vitæ meritis faciens diſcretionem, pro morborum qualitate adhibebat correptionem. Creſcebat interea ibidem divini fervoris ardor & monaſticæ diſciplinæ inflexibilis rigor, & qualiter quoque in reliquis officinis ſeptorum inhibita ſit facultas peccandi, teſtis eſt cella dormitoria ejuſdem loci, teſtis ſanctus martyr Lambertus, qui pulſus ab epiſcopo hunc ſpecialiter expetendum decrevit, quia ibidem ſanctæ religionis tramitem rigidiùs obſervari agnovit; teſtis & crux lapidea, apud quam, cùm ad orationem medio noctis tempore ſurrexit, quia lapſu calcei quieti fratrum ſonitum incuſſit, adjudicatus uſque crepuſculum ſtetit, pſalmodiæ & orationi vacavit, frigus repulit, nivem reſtrinxit, ſanctus eſſe omnibus innotuit. Verùm hæc aliàs. *Rectè id additur: neque enim hæc geſta ſunt vivente Sancto noſtro, ſed ſub abbate Sigolino, ut auctor eſt Mabillonius libro* 16 *Annalium num.* 40 *&* 75; *ac perperam hîc rurſus inter diſcipulos* Remacli *numeratur Lambertus, quem Godeſchalco teſte conſtat eruditum fuiſſe à Theodardo in aula regia, indéque aſſumptum ad cathedram Trajectenſem. Agetur de eo ad* XVII *Septembris cum Romano Martyrologio.*

Errores chronologici circa donationes pro monaſteriis

58 *Quæ dein ſequuntur apud Notgerum & inferiùs habentur in Vita num.* 14 *de donationibus Sigeberti, non cohærent cum chronologia:* conſen-

AUCTORE J. V.

consentiunt enim jam eruditi, S. Sigebertum in vivis non fuisse post annum 658 ; *imò Pagius mortem ejus consignat anno* 656, *alii adhuc citiùs, ut ibidem videri potest num.* XI. *Adeoque donationes Sigeberti aliquot annis præcedere debuerunt* Remacli *abdicationem : factæ sunt autem non ipso anno quartodecimo regni, neque etiam antè, ut scribit Notgerus, sed utraque dicto anno* 14 *posterior est. Vide suprà num.* 49 *sub finem. Porrò quid quantumque monasteriis donatum fuerit, ex Notgero audiamus.* Inclytus rex Sigibertus ... cum consensu fidelium suorum tam episcoporum quàm & procerum supradictorum ad honorem & cultum SS. Apostolorum Petri & Pauli & S. Martini, quibus ipsa loca erant dicata, concessit beato Remaclo ut ad usus servorum Dei, quatenus quietiùs deinceps viverent & absque impressione vicinorum liberiùs soli Deo vacarent, mensurarentur in gyrum utriusque monasterii duodecim leuguæ, intra quarum limites quicquid contineretur, ab solis utriusque cœnobii colonis excoleretur. Dicitur autem leugua Gallorum tantummodo linguâ habens mille quingentos passus, id est duodecim stadia : quod testamento confirmatum & anuli regii impressione signatum sanctus Vir suscepit libenter, tenuit reverenter.

B

Sancto factas à Sigeberto rege,

59 *In altero diplomate* addidit idem rex & testamento confirmavit beato Remaclo quasdam res in Aquitania Theloneum videlicet, quod est ad portum Vetraria super fluvios Taunaco & Itta, portum quoque qui dicitur Sellis, immóque & Vogatio super fluvium Ligeris cum omnibus illic appendentibus ; quod & in præcepto manu ipsius firmato ita habetur insertum. Sancta, inquit, ac venerabilia monasteria Stabulaus sive Malmundarium cognominata, ubi vir venerabilis Remaclus episcopus & abba Christo auspice præesse videtur, quæ vir illustris Grimoaldus major-domus in honore sancti Petri ac sancti Pauli vel sancti Martini seu cæterorum Sanctorum suo opere in vasta heremi Arduennensis construxit, quemadmodum nos loca ipsa ad ipsa monasteria ædificanda pro nostra præceptione ex foreste nostra concessimus, quæ licèt gratiâ Christi sint ditata, mundanam tamen substantiam cernuntur parumper habere. Ideo divina inspiratione commoniti decrevimus aliquantulum de fisco nostro ad ipsa monasteria respicere & consolari : & cætera quæ in eodem præcepto sequuntur. Ex fiscis etiam circa monasteria adjacentibus decimas illi dedit, quas & adhuc eorumdem cœnobiorum incolæ possidere cernuntur. *Villam quoque Germiniacum* (Germigny) *in pago Remensi sitam piâ ejusdem regis munificentiâ* Remaclo *concessam fuisse, fidem facit diploma Childerici II confirmantis donationem villæ superiùs nominatæ* cum integritate & soliditate sua, cum terminis ab ea *pertinentibus, vel ipsa farinaria seu vinea cum vineatore &c. ; idem asserit diploma Dagoberti II : ut videre licet apud Martenium tomo 2 Collectionis amplissimæ col.* 9 & 13.

C

* ad eam

quas prudenti consilio imminui postulat à Childerico.

60 *Cùm autem Vir sanctus fundum in saltu Arduennensi à Sigeberto concessum nimis amplum existimaret, quàm ut adversus ambitionis aut cupiditatis humanæ vim à monastica simplicitate defendi posset, media imminui parte impetravit ; ut qui* 12 *per omnem ambitum leucas possederant, senas tantummodo in posterum retinerent. Qua de re ita Notgerus :* Hildricus imperabat regno Austrasiæ, quem sanctus Vir adiit; quod patruus contulerat, confirmari rogavit. Rex libens annuit & juxta petitionem Viri Dei à successore illius sancto Theodardo & Odone domestico ejusdem mensuræ procinctum regyrari mandavit : cujus medietatem suo dominio reservavit, aliud medium usibus servorum Dei testamento reconfirmavit. Quod Virum Dei sagaciter providéque constat fecisse ; ut, si successores suos minùs contingeret aliquando posse, cum minori difficultate quod minus esset sine invidia & inquietudine vicinorum valerent liberiùs retinere. *Testamentum illud seu præceptum Childerici edidit Henschenius tomo* 1 *Februarii pag.* 235, *sed absque notis chronicis. Eas hîc apponere visum est ex Litteris fundationis & privilegiorum monasterii Stabulensis & Malmundariensis, quas servamus sub involucro* ✠ Ms. 34 a : Data quando fecit mensis September diés VI, anno VIII regni domni Childerici regis. Trajecto feliciter. *Annus porrò Childerici octavus concurrit cum anno Christi* 667, *non* 665 *aut* 666 : *neque enim ille, ut vult Martenius col.* XI, *in Austrasia regnare cœpit anno* 658 ; *sed* 660, *quemadmodum probat Pagius ad dictum annum num.* 6. *Childerici præceptum confirmarunt Ludovicus Pius & Otto I imperatores, in quorum diplomatis apud laudatum Martenium col.* 23 & 43 *de Sancto nostro hæc leguntur :* Prædictus Pater magis diligens quietè Domino servire, quàm tumultuosam sæculi fluctuationem perpeti, deprecatus est eumdem Childericum regem, ut VI leugas ei subtraheret propter quietudinem monachorum ibi consistentium, & VI ei per suum præceptum confirmaret, atque undique designari juberet ; sicut & idem rex libenter facere procuravit. *Quod ait Notgerus de Pippino Heristallo Austrasiam administrante,* qui etiam in præfatis cœnobiis cultum audiens religionis augmentari, duas ex fiscis suis villas ad usus mensæ servorum Dei, unam in Hasbanio, alteram in Ardenna ob Dei & ejusdem Sancti amorem tradidit ; *huc non pertinet : cùm id tribuatur Sancto viventi, qui tamen diu ante principatum Pippini obierat.*

D

Si Romam iverit, factum id videtur statim post abdicationem,

61 *Æquè perperam differtur* Remacli *peregrinatio Romam versus ad tempora Theodorici III regis, & Pippini ducis.* Sub horum tempore, *inquit Notgerus,* ferunt eum Romam sancti Petri cæterorumque Sanctorum suffragia adiisse ; ibidemque jejuniis & orationibus tam diu vacasse, donec divino munere, angelicaque fretus consolatione quandam partem de reliquiis apostoli promeruit obtinere, quæ etiam apud nos auro gemmisque decoratæ in maximo servantur honore. Quod licèt quibusdam fortè videatur incredibile ; nos, qui ipsum incomparabilem veneramur thesaurum, multa earum præsentiâ divinitus præstari vidimus beneficia ; quod & in libro virtutum ejus quisque * legerit, inveniet. *De itinere Romano Sancti silet anonymus Stabulensis, silet etiam Harigerus, neque id asseveranter narrat ipse Notgerus, ut patet ex verbo* ferunt. *Quidquid sit, illud iter tunc temporis à* Remaclo *suscipi non potuit, utpote prius defuncto, quàm Theodoricus anno* 673 *fratri suo Childerico in regnum successisset. Bartholomæus Fisen in Floribus ecclesiæ Leodiensis ad* III *Septembris cap.* 6 *scribit, Sanctum ad limina Apostolorum peregrinatum fuisse sub annum* 668, *adscito viæ comite S. Hadelino ; sed neutrum probat. Videri potest hujus sancti Vita tomo* 1 *Februarii pag.* 373. *Rectiùs ad dictum annum* 668 *num.* 15 *putat Cointius* Remaclum, *si profectionem*

E

F

* *fortè* quiscumque

A *fectionem in Italiam è Gallia Belgica aliquando ſuſcepit, dimiſſo epiſcopatu ſtatim itineri ſe commiſiſſe; quod fieri potuit, ut abdicatio ſua à S. Vitaliano Pontifice rata haberetur. Verùm haud videtur ejuſmodi peregrinationis idoneum ſuperesſe fundamentum; cùm reliquiæ, quarum ſuprà mentio fit à Notgero, non videantur eſſe aliæ ab iis, quas Amandus Sancti in epiſcopatu Trajectenſi deceſſor à Martino Papa tranſmiſſas accepit, ut in ipſiuſmet Martini litteris ad Amandum tomo 1 Februarii pag. 867 teſtantur hæc verba:* Reliquias verò Sanctorum, de quibus præſentium lator nos admonuit, dari præcepimus.

§ VIII. Felix obitus ejuſque tempus, ætas Sancti & ſucceſſores: Vita & miracula à quibus & quando ſcripta.

B

Sentiens vitæ finem imminere, ſuos

NOtgerus obitum Sancti narrans, multa velut ab eo dicta interſerit: Eo tempore & B. Remaclus jam ſenior, ſed moribus quàm annis maturior diem ſibi vocationis intelligens imminere, quo recompenſaret honor in cœlis quod triverat labor in terris; morem gerere decrevit ſubjectis, quos accerſitos & de abſceſſu Patris ſuaque deſolatione mœſtos, his ultimis ſolatus eſt verbis: Ecce Patres ſanctiſſimi, ecce fratres kariſſimi, præcordiorum meorum conviſcerati compage, pars animæ dimidia meæ, viam univerſæ terræ ſum ingreſſurus & ad vos non deinceps reverſurus; veſtra me, veſtra, quos defero, ſolitudo ſollicitat, non mea abitio, qui Deo ſolatore confortor, contriſtat: non me terret proventus conditionis omni mortali communis, cùm tota etiam ſapientium vita commentatio debeat eſſe mortis. Non turpis mors poteſt accidere viro forti, ... non miſera proſpicienti. Veſtrarum me magis, veſtrarum mentium, quas aſperioribus adhuc eſſet neceſſe ſtudiis informare, teneritudo retentat; vobis inquam timeo, ut ſi luporum rabies adegerit, ne

C nemo ſit qui abigat. Hæc monaſteria Dei & Sanctorum dicavi, veſtris quoque ancillari uſibus delegavi, veſtra adhuc uſus ſum opera forti & fideli ... Quo loco noſtræ ſitæ ſint res, videtis, & quia hic mundus in maligno poſitus ſit, juxtà mecum omnes attenditis: ſi igitur quicquam penſi eſt, videte, ne ab integritate, quam in vos locavi, ullo unquam errore ſeducamini; ſed uniamini glutine pacis in Chriſto, juxta quod & patrum habet traditio, & Scripturarum ſanctarum lectione, ſed & meæ vigilantiæ didiciſtis ammonitione: & auribus itaque & manibus ſacra nunquam recedat lectio, & in ea vobis jugis ſit meditatio.

ad ſtudium orationis aliaſque virtutes,

63 Ut enim ager quamvis fertilis, ſine cultura non poteſt eſſe fructuoſus, ſic ſine doctrina animus; doctoque homini & erudito vivere eſt cogitare. Orationi frequenter incumbendum, pro exceſſibus humana fragilitate contractis exorandum, & de cætero * contrahendis non modò ſupplicandum, verùm cautâ ſolertiâ invigilandum: ubi namque ſocordiæ ſe quis ignaviæque tradiderit, nequicquam Deum imploret; vobiſque virtus ſit vitium fugere & ſapientia prima, ſtultitiâ caruiſſe. Pudor, juſtitiæque ſoror incorrupta fides, nudaque veritas in veſtris cordibus obtineant locum, ut veſtra opera ſpectantes provocentur ad exemplum. Confeſſionem veram delictorum Deo & prælatis offerte, tentationum pulſationes in ipſo aditu detegite, quia ſtultorum incurata pudor malus ulcera celat, & tegendo vires miniſtrat. Obedientiæ bonum majoribus exhibete, eorum documentis animos imbuite, quia quiſque tunc rectè vivit, ſi curat id eſſe quod audit. Ab omnibus quæ ira fieri amat, temperate; quia verum eſt, ſolum eſſe triumphum innocentiæ non peccare, ubi liceat poſſe. In optimis quoque & adjudicatis temperantes eſtote, quia eſt modus in rebus, ſunt certi denique fines, quos ultra citraque nequit conſiſtere verum & metiri ſe quemque ſuo modulo ac pede verum eſt. Nemo injurius ſit alteri, quia accipere, quàm facere præſtat injuriam: patientiam, quæ miſeriarum portus eſt, amplectimini; quoniam nemo adeo ferus eſt, ut non miteſcere poſſit, ſi modò culturæ patientem commodet aurem.

AUCTORE J. V.

E

præſertim ad pacem & concordiam

64 A nullo labore à prælatis propoſito deterreamini, quia omnes clari, & nobilitati labores contentu * etiam fiunt tolerabiles, & conſuetudo laborum perpeſſionem facit faciliorem dolorum. Segnitiem devitate, quia tardis mentibus non facilè comitatur virtus. Superbiam ſupra omnia calcate, ut verâ donemini libertate; liber enim non eſt, quem ſuperbus inflammat animus. Caſtitatem diligite, quia omnis ſacra Scriptura: Nil ait eſſe prius, melius nil cælibe vita. Proſpera, quæ ſapientium animos fatigant, non vos delectent; quia quem res plus nimio delectavêre ſecundæ, mutatæ quatient. Pacem præ omnibus & unanimitatis concordiam moneo tenendam, ut ſicut in duobus monaſteriis eſtis aggregati, ita gemina ferveatis dilectione Dei & proximi: & quia ab uno paſtore regimini, numquam aliquo ſcandalo aut ſchiſmate poſſitis diſjungi. Non vos, quæ oſſa conſumit, rumpat invidia; quia invidus alterius macreſcit rebus opimis, & invidiâ Siculi non invenêre tyranni majus tormentum: & de minori forte ſubſtantia non queramini; pauper enim non eſt, cui rerum ſuppetit uſus, ipſaque nos quotidie natura admonet, quàm paucis, quàm vilibus, quàm parvis egeat rebus, eſto, non opibus mentes hominum, curæque levantur.

* *i. e.* contentione

F

peramanter & fortiter exhortatur; * communicare

65 Hæc igitur ſunt meæ exhortationis monita, quæ jam jamque receſſurum & ultimum vale me facturum vobis communicatum * oportuit, ut veſtris tantò artiùs imprimantur cordibus, quantò conſtiterit meo vos diſceſſu gravari moleſtiùs; quæ ſi aliquem attulerint fructum, id mihi erit palmarium, id ſeriò triumphabo, inde animus gaudebit impendio. Vos quoque, kariſſimi, morituros ſcitote; ideo pœnitentiæ tempus indultum non patiamini, quæſo, tranſire incaſſum. Veniet, veniet dies certiſſimè, cùm fruſtra deſideretis unius uſuram horæ: dum tempus eſt, operamini bonum ad omnes, quia labuntur anni fugaces dieque truditur dies. Jam mortalia non ſperanda monet annus & album quæ rapit hora diem. Mors ultima linea eſt, perpetuus nulli datur uſus, & hæres hæredem alterius velut unda ſupervenit undam. Pulvis & umbra ſumus, omnes una manet mors & calcanda ſemel via lethi; in bono autem opere finientes beati erimus, cùm relictis corporibus cupiditatum omnium & æmulationum expertes fuerimus.

AUCTORE J. V.

66 Poſt has dulces paternæ pietatis admoniones & extrema charitatis verba, eorum ſuper ſuo diſceſſu mœrorem ſedavit & à concionando quievit. Deinde modica febre pulſatus & ſacroſancti Corporis & Sanguinis Domini viatico confirmatus inter chariſſimorum filiorum manus inde animam ſuo reddidit Creatori, ubi Dei plurimùm inſudaverat ſervituti, verus Iſraëlita egreſſus de Ægypto ſpoliavit vicinum, creditori ſuo fœneratum reportans talentum. Corpus ejus honorificè curatum, cum multa melodia pſalmorum & hymnorum in oratorio beati Martini, quod ipſe condiderat, eſt ſepultum: ubi & aliquamdiu jacuit, & ſe cum Domino vivere miraculis atteſtantibus indicavit. Succeſſit illi dominus Papolenus vir apoſtolicus, cujus ſuperiùs mentionem fecimus; deinde Sigolinus beati Patris æquè judicio approbatus; ſubinde Goduinus annis & morum maturitate grandævus, qui etiam ſancti Viri corpus tranſtulit & in eccleſia ſancti Petri locavit, lectumque illius auro & argento decoravit: ubi per ejus merita multa Dominus uſque in præſens operatur miraculorum beneficia, quorum ibidem congeſta & deſcripta conſervatur copia ad laudem & gloriam nominis ſui, quod eſt benedictum in ſæcula. Amen.

Jamptoque Viatico, ſanctè moritur

B

67 *Annum Sancti emortualem aliqui vel nimiùm differunt, vel nimiùm anticipant; quorum opiniones hîc ſingulatim recenſere, neceſſarium haud judico. In vivis adhuc erat anno Chriſti* 667, *ut patet ex præcepto Childerici II, quod* Remaclo *datum inſcribitur anno* 8 *regni* VI *Septembris. Vide num.* 60. *Quòd ſi obierit eodem die (ut vult Cointius & Sammarthanus) quo ſolemniùs colitur, nempe* III *Nonas Septembris; procul dubio ſuperſtes etiam fuit anno* 668: *nec ei longiorem vitam tribui patiuntur, quæ de ſucceſſoribus, Papoleno, Sigolino & Goduino commemorantur, inquit Cointius ad dictum annum num.* 14. *Rectè quidem, modò vera ſint, quæ de Papoleno refert pag.* 629; *videlicet eum non integro biennio Stabuletum rexiſſe, defunctumque eſſe anno* 670, *ſeptimo Kalendas Julii. Sed cùm Mabillonius tom.* I *Annalium pag.* 465 *fateatur, de Baboleno abbate Stabulenſi nihil ferè ſciri præter nomen, & Cointius opinionem ſuam de illius obitu aliunde non probet; annus* Remacli *emortualis hinc certò determinari nequit. Imò felix ejus tranſitus contingere potuit anno inſequenti* 669, *aut etiam ſeriùs: certum tamen eſt ante finem anni* 671 *contigiſſe, ſi Vitalianus Papa, qui obiit* XXVII *Januarii* 672, Remacli *ſucceſſori diploma conceſſerit, uti poſt Mabillonium tradit Sammarthanus tom.* 3 *col.* 940. *Verùm diploma prout modò exſtat, ſuppoſititium Martenio viſum fuiſſe arbitror, cùm inter monumenta Stabulenſia id non ediderit neque poſtea ut genuinum defenderit contra Ignatium Roderique, qui Diſceptatione* 1 *cap* 1 *ſpurium dixerat nec immeritò ſanè. Quis enim credat, Vitalianum abbatibus conceſſiſſe facultatem eamque illimitatam diſpenſandi in gradibus conſanguinitatis, ut poſſint nubere, qui ſe cognatione vel aliter contingunt, ſicut ibi dicitur. Mendax etiam eſt appoſita Indictio* IV, *nam tunc Papolenus nondum erat abbas Stabulenſis.*

non ante annum 667,

68 *Mabillonius autem ad annum* 661 *paginâ citatâ bullam illam videtur minimè ſuſpectam habuiſſe.* Accepimus, *inquit*, ex archivo Stabulenſi diploma Vitaliani Papæ, inſcriptum Baboleno abbati monaſteriorum in Stabulaus & Malmundario conſtructorum in honorem ſanctorum Petri & Pauli. Quo diplomate Pontifex omnia confirmat, quæ Sigibertus rex contulit Stabulenſi monaſterio, ubi ſanctus Remaclus Babboleni deceſſor quieſcere dicitur; conceditque facultatem eligendi abbatis ſecundum regulam ſancti Benedicti: inſuper monaſterium cum incolis rebuſque ſuis omnino liberum eſſe jubet." Scriptum in menſe Decembri *, indictione quarta, quæ huic anno reſpondet. *Nec plura addit, adeoque Sanctus noſter anno* 661 *jam obierat in ſententia Mabillonii. Ex qua igitur conjectura vir eruditus eodem tomo pag.* 478 *morti ejus aſſignat annum* 664? *Id quidem captu difficile eſt, cùm iſta duo non cohæreant. Indictionis errorem advertit Sammarthanus, & pro* quarta *legendum monet* XI *vel* XII; *haud dubiè ut annum Papoleni emortualem* 670 *ex Cointio retineat. Ego verò, ſi Papolenus diploma quodpiam à Vitaliano Papa obtinuit (quod abſolutè negare non auſim) datum fuiſſe puto* Indictione XIV *vel* XV, *eumque qui id exſcripſit, cùm fortè notam numeri denarii* X *præ vetuſtate exeſam vel obliteratam legere nequiret, cyfras* IV *pro integro numero diplomati appoſuiſſe: idque multò veriſimilius apparet, quàm* IV *ſcriptum fuiſſe pro* XI *vel* XII; *nam hi numeri nihil ferè cum illo commune habent. Indictio autem* XV *cœpta eſt menſe Septembri anno* 671, *intra quem & annum* 667 *ſancti Præſulis mortem collocavi.*

neque poſt 671.

** Sammarthanus legit* Septembri

D

E

69 *Ad ætatem ipſius quod attinet, obiit ſecundum anonymum Stabulenſem* ultimo jam ſenio feſſus; *quæ verba decrepitam ſenectutem videntur ſignificare: Notgerus autem initio hujus paragraphi ait ſeniorem quidem fuiſſe, ſed moribus quàm annis maturiorem. Sanè ſi ante annum* 612 *natus non fuerit, uti ex eodem Notgero & Harigero vidimus num.* 9, *annum ætatis ſexageſimum non explevit. Ei demortuo proximè ſucceſſit S. Papolenus ſeu Babolenus, de quo ſuprà; ſed quamdiu præfuerit neſcitur. Hunc ſecutus S. Sigolinus S. Lambertum ab Ebroino epiſcopatu Trajectenſi pulſum anno* 674. *Stabuleti excipere potuit. Defuncto Sigolino, abbas factus eſt S. Goduinus, qui anno* 677 *pro monaſteriis ſuis obtinuit diploma à Dagoberto II, itemque aliud à Theodorico III ſub annum* 681, *ut cenſet Cointius ad illum annum num.* 66. *Poſt Goduini mortem, quam Sammarthanus cum Cointio circa annum* 685 *collocat, utrumque cœnobium rexit Papolenus II, aliis dictus Abolinus, Pabulinus, Papolinus & Bobolinus. In hujus gratiam (non S. Papoleni diu ante mortui) exſtat præceptum à Clodoveo III promulgatum anno* 2 *regni,* XXV *Junii, id eſt circa annum Chriſti* 693. *Sextus abbas nomine Rabangarius innoteſcit ex Placito coram Carolo Martello majore domûs habito circa* 720, *ut notat editor Martenius col.* 15. *Ceterùm ſucceſſionem iſtorum præſulum Stabulenſium obiter hîc ſtabilire viſum fuit, ad variorum errores corrigendos. Nam* 1° *Benedictus delle Rive ſuprà laudatus, quia falsò exiſtimavit memoratum diploma Clodovei III conceſſum fuiſſe S. Papoleno abbati ſecundo, perperam quoque* Remacli *obitum diſtulit ad tempora Clodovei III, & abbatem ſecundum cum quinto confudit; quem ultimum errorem ſecutus eſt etiam Henſchenius tom.* V *Junii pag.* 195 *in S. Papoleno, ubi & titulus epiſcopi expungendus, cùm ille nuſquam adſcriptus legatur iſti ſancto, ſed alteri Papoleno,*

Ejus ætas & chronologia ſucceſſorum aliquot;

F

A *leno, qui abbas quintus fuit, non tamen ſanctus.* 2° *Fiſenus ad* III *Septembris pag.* 400 *recenſens abbates Stabulenſes, confundit Rabangarium abbatem ſextum cum Goduino, niſi hic binomius fuerit; ac dein pro Rabangario ſucceſſorem Bobolini ſtatuit Abolenum, qui Abolenus Cointio unus idemque eſt cum ipſo Bobolino ſeu Papoleno II. Prætereo alios circa Sigolinum & Goduinum parachroniſmos, ex data ſerie pariter emendandos.*

Acta & miraculorum libri duo à variis deſcripta, quæ inferiùs edentur.

70 *Vitam Sancti noſtri primus litteris mandavit monachus Stabulenſis, ut ipſe ſatis indicat num.* 1 *&* 14, *ſed nomen ſuum ſilet, & tempus quo ſcripſit, nuſquam ex ea deprehendi poteſt: ſupparem tamen Sancto non fuiſſe, verùm ab ejus ætate remotiorem, innuunt hæc verba num.* 14: Quod ad noſtrum uſque tempus inconvulſum durare videtur. *Mabillonius, qui hanc Vitam primus typis vulgavit Sæculo* 2 *Benedictino, pag.* 488 *ait eumdem illum anonymum etiam videri auctorem libri primi miraculorum* S. Remacli; *quod deinde aſſeruit lib.* 15 *Annalium num.* 43: *neque hac de re dubitant auctores Hiſtoriæ litterariæ Franciæ tom.* 5 *pag.* 94. *Cùm itaque ſcriptor libri* 1 *miraculorum num.* 31 *inferiùs dicat, miracula illa ſe in ſcripta redegiſſe hortatu Airici abbatis Indenſis, qui principatu Lotharii imperatoris Indæ præfuit; rectè aiunt Vitam iſtam ab eo primùm compoſitam fuiſſe circa medium ſeculi* IX, *id eſt, elapſis à Sancti morte annis* 180 *circitèr. Res à Sancto geſtas ſcripſit, uti videtur, ex ſola ferè traditione, quæ in monaſterio ſuo ſupererat; ſatiſque apparet omnia plenè edoctum non fuiſſe. De miraculis autem proteſtatur ſe non alia narrare, quàm quæ ipſemet vidit, vel à teſtibus fide dignis accepit. Liber ſecundus miraculorum non eumdem habet auctorem, ſed tres diverſos monachos item Stabulenſes, qui omnibus ferè, quæ narrant, interfuêre: primus refert geſta anno* 883 *& ſequentibus, alter ſcripſit ſub abbate Odilone circa annum* 950, *uti habent auctores Hiſtoriæ litterariæ citati: certè coævus fuit S. Odiloni, quem Fiſenus ad Dominum migraſſe tradit anno* 954. *Tertius ad ſacros ordines ſuſcipiendos miſſum ſe teſtatur à Ravengero abbate, de quo poſtea in annotatis ad cap.* 3 *lib.* 2 *miraculorum.*

C 71 *Opuſculum primi anonymi ſeu* libellum de Vita S. Remacli, *auxit extenditque Notgerus epiſcopus Leodienſis, hortante ipſum ad hoc Werinfrido abbate Stabulenſi, cui etiam librum ſuum nuncupavit, ut patet ex præfixa epiſtola. Atque hanc Notgeri lucubrationem magna ex parte Commentario ſparſim inſerui, ne inedita maneret: integra mutato ſtylo legi poteſt apud Surium. Fusè item res à Sancto vivente geſtas proſecutus eſt Harigerus abbas Lobienſis Notgeri æqualis & amicus, à cap.* 47 *uſque ad finem: Notgero tamen ſuccinctior eſt. Harigeri editor Chapeavillus tom.* 1 *pag.* 83 *annotat, Vitam* S. Remacli *etiam exaratam fuiſſe à Thietmaro, & exſtare in monaſterio Stabulenſi manuſcriptam in pergameno litterâ Romanâ perantiquâ. Verùm ea videtur dumtaxat eſſe apographum prioris anonymi: nam idem eſt initium & finis in veteri Ms. Colonienſi, ex quo illa cum aliis deſcripta huc miſit Gamanſius noſter anno* 1638. *Porrò Thietmarus ſeu Thiatmarus, cujus epiſtolam Vitæ iſti præfixam infrà dabimus, monaſterio Helmwardeshuſenſi in Saxonia ſextus abbas præfuit ab anno* 1080 *vel* 1081, *uti colligitur ex Tranſlatione S. Modoaldi tomo* III *Maii pag.* 78. *Præter* 8 *diverſa apographa Vitæ ab anonymo ſcriptæ, quorum uni media parte mutilo titulus* martiris *perperam apponitur, duas alias habemus Sancti Vitas, alteram in codice Trajectenſi, ſed interpolatam, cujus initium dedi ſuprà num.* XI; *alteram ex Ms. Ultrajectino S. Salvatoris, quæ potiùs Vitæ & miraculorum compendium quoddam eſt. Præplacet Vita antiquior auctore religioſo quodam Stabulenſi, quam poſt hunc Commentarium edam ex Ms. vetuſtiſſimo abbatiæ S. Pauli Ultrajecti, collato cum ſex aliis Mss. & editione Mabillonii. Vitæ ſubjiciam miracula duobus libris diſtincta, prout ea huc miſit laudatus Gamanſius ex inſigni & veteri Ms. in* 4 *S. Petri Coloniæ, reperto in Carthuſia Colonienſi, conferamque cum* 5 *aliis Mss. & Mabillonio. Miracula autem ſcripta non fuiſſe à Notgero, patet ex numero præcedenti, & probat Pagius ad annum* 882 *num.* 18 *contra Baronium. Idem fatetur Voſſius lib.* 2 *de Hiſtoricis Latinis cap.* 41 *pag.* 353 *ſecundæ editionis, aliique.*

AUCTORE J. V.

B

E

§ IX. Templa Sancto dicata, ſepulcri inventio, cultus ad Fanum S. Galli propagatus: oſſa Leodium portata miraculis inclareſcunt.

Bina templa Sancto exſtructa Leodii;

PRiuſquam *Acta edantur, reliqua ad poſthumam Sancti gloriam ſpectantia ſervato temporum ordine exhibebo. Narrat Fiſenus in Hiſtoria eccleſiæ Leodienſis pag.* 239, *deſæviiſſe per Haſbaniam* III *Nonas Junias anni* 976 *fœdam tempeſtatem, quæ meſſis futuræ ſpem omnem perdidiſſe videbatur: cúmque id grave accideret Stabulenſibus monachis, in quorum agros non leviter incubuerat malum;* Godefrido ejuſce cœnobii decano, comitis Vianæ * filio, in orationem procumbenti nuntiatum eſt è cælo, inflictam à Deo vindice plagam iſtam propter agros diebus feſtis profanè cultos. Jacturam porrò reſarciri poſſe, ſi ambarvali ſupplicatione ſacrum B. Remacli corpus per eam regionem deferretur. Factum eſt. Ex itinere per urbem Leodienſem Publicum montem conſcendebant, & fortè propter baſilicam S. Martini conquieverant bajuli S. corporis, quando ſigno itineri dato, nulla vi ſacrum corpus movere loco priùs potuerunt, quàm S. Patri ſuo voviſſet ædem Godefridus eodem loco ponendam. Exſtructa fuit deinde (*à Notgero epiſcopo, uti habet in Floribus Leodienſibus pag.* 207:) hodieque curialis eſt. Ceterùm quocumque per Hasbaniam illatum eſt ſacrum ferculum, mira fœcunditas conſecuta eſt. *Joannes Placentius in Catalogo antiſtitum Leodienſium de Notgero agens, ſcribit illius ætate prædictum Godefridum reliquias* S. Remacli *Stabuleto Leodium tranſvexiſſe*, cujus occaſione, *inquit*, duæ parochiæ ejuſdem nominis extructæ ſunt. *Fullonius item tomo* 1 *Hiſtoriæ Leodienſis pag.* 203 *ex Placentio citato aſſerit, bina templa curialia Leodii deſignata fuiſſe Sancto, cùm novis miraculis inclaruiſſet; ſed quòd eorum ædificationem collocet* ſub annum CMLXXV, *conjectu-*

* *al.* Viennæ

F

AUCTORE J. V.

conjectura eſt, opinor, annum enim non ſignat Placentius, nec Bucherius in Chronico.

73 *Anno* 1040 *S. Poppo abbas templum Stabulenſe à ſe reſtauratum variiſque donatum ornamentis ſolenni ritu conſecrari curavit, teſte Everhelmo in ipſius Vita ad* XXV *Januarii pag.* 647. *Hujuſce dedicationis inventique antea ſepulcri* S. Remacli *Brevem narrationem, ab oculato teſte optima fide conſcriptam, ex vetere Ms. Stabulenſi edidit Martenius col.* 60, *unde ſequentia excerpo:* Anno ab incarnatione Domini MXL Non. Junii *, dedicatum eſt hoc monaſterium in honorem beati Petri principis apoſtolorum, Pauli atque Remacli à venerandis epiſcopis Erimanno archipræſule ſanctæ Colonienſis eccleſiæ, Nithardo Leodicenſis, Herimanno Mimigarvordenſis, Richardo Virdunenſis, Gerardo Cameracenſis, Henrico tertio rege præſente, domno autem Popone abbate viceſimo anno ordinationis ſuæ abbatiam regente, quod ipſe à fundamento reſtauravit, atque ut nunc patet ad effectum perduxit. Muralis autem ambitus, ad tuitionem ejus in modum mediocris oppidi compoſitus, ipſa die in ſepulturam defunctorum orthodoxorum taliter eſt conſecratus. Nam corpora beati patroni noſtri Remacli, nec non Juſti martyris & plurimæ reliquiæ pretioſæ cum aqua exorciſata exteriùs in circuitu ejus luſtrando vehuntur, gyroque peracto, cum maximo cleri plebiſque tripudio, laudes celebres in ſublime exaltando, ad eumdem aditum reconſignantur; atque cum eadem inſigni proceſſione porta præſcripti cœnobii repetitur, in qua, peracta ſacerdotali benedictione, rex cum memoratis epiſcopis atque proceribus ſurſum ſe obvium Sanctis exhibuit, ad excitandam gloriam Dei in plebem ſermonem epiſcopo facere præcepit.

Stabulenſe etiam ei dicatum anno 1040,

* *al.* Julii

B

74 Subinde quatenus regali munificentia donarentur benigna largitate providit. *Dein ſubditur quid Romanorum rex donaverit.* His ita geſtis, miniſtris loculum Patroni noſtri ferentibus, auxilio ſeſe gerendo mancipavit, ſicque cum clero debita proceſſione vacando ac plebe immenſa ad locum, ubi nunc reconditum eſt, cum magna devotione idem præfatus rex tranſtulit Poſt Euangelium verò ſolemnis Miſſæ, domno abbate poſcente, privilegium Gregorii (V) Papæ, patrui ſcilicet patris ſui, loco protuitione & quærela inſidiantium conceſſum, publicè recitare fecit, idque à circumſtantibus approbatum regali etiam auctoritate corroboravit. Huic etiam beneficio aliud addidit: nam præcepta regum antiquorum . . . nec non imperatorum . . . ſuo quoque teſtamento confirmavit, *ut videre licet col.* 59. *Tum narratur, biennio antè detectum fuiſſe* S. Remacli *ſepulcrum, in eoque ſanguinem ejuſdem fluidum repertum, ex ampulla vitrea, quæ caſu collapſa & confracta eſt, defluxiſſe in terram. Quæ aliaque ſcriptor in hunc modum exponit.* Præterea eodem adhuc abbate vitâ comite, infra biennium dedicationis præſcriptæ, repertum eſt Patroni noſtri ſepulchrum plurima intercapedine temporum impediente nobis celatum. Inventum quippe eſt IV Nonas Martii diebus ſacræ quadrageſimæ, deſideriis noſtris ſuperna gratia favente, vero indicio omnique ſummota ambiguitate.

C

ubi biennio antè detectum fuerat ipſius ſepulcrum

75 Nam ſicut à patribus noſtris veredica relatione eſt relatum ſcriptoque proditum, Goduinus, qui quartus in regimine loci beato Confeſſori abba ſucceſſit, ab oratorio S. Martini, ubi priùs humatum continebatur, in monaſterium principale SS. apoſtolorum Petri & Pauli ab ipſo ſagaci induſtria conſtructum ac conſecratum, officioſa devotione VII Calend. Julii tranſtulit (*vide tom.* V *Junii pag.* 4) quæque etiam in tam magnifico negotio expediebant, congruo honore efficaciter adimplevit. Siquidem lecticam auro argentoque ſuis expenſis digna decoris prærogativa fabricatam præparavit, in quam jam arida oſſa à corrupta ejus carne ſequeſtrata locavit, retroque altare præſcriptorum apoſtolorum in ſublime, ut eſſet omnibus evidens, condigno apparatu ſtatuit, ſinceritate etiam ejuſdem benignæ devotionis in tumulo ejus impendit, quia ſubtus eam in inferiori parte terræ commendavit, pavimentoque firmo ad tutelam fidelibus poſteris non ignava fide munivit, Sed invaleſcente perſecutione paganorum atque Lotharingiam provinciam ceteraſque frequenter hoſtili immanitate atque incurſione vaſtante, poſtque prædictum monaſterium ab inviſa gente Danorum eſt combuſtum, & ideo caſum minante ab abbate Odilone propenſiori opere atque eminentiori in ipſis fundamentis eſt reſtauratum. Nullum ſepulturis irrogatum eſt impedimentum, quia latitudo eadem totius detrimenti tulit occaſionem.

D

E

ſed antiquit monaſterii ruinis obvolutum; in quo & ampulla vitrea reperta,

76 Noviter autem & ipſum dirutum excellentiorique gratia, longitudine, latitudine, craſſitudine, ſumtuoſoque decore præſens reſtitutum, ſed à fundamentis duorum ſecluſum, multorum abolita eſt memoria monimentorum inibi poſitorum, inſuper Patroni noſtri generali atque inevitabili jure mortalitatis veritate patrum ſublata priſcorum. Diverſarum etiam rerum impediunt nunc ſpecies maceriarum dilapſarum ruderumque congeſta congeries, pavimentorum novorum ſuper inducta planities, ſubinde telluris herbidæ ſub nudo aëre inſolitarum fœcunditatum ubertates, plurimæque varietatum objectæ imagines. Nam patrum noſtrorum relatione ex eo fidem opinio noſtra conceperat, ſed ad confirmandum veritatis argumentum facultas non ſuppetebat, quia deſignatus locus ævo ceſſerat, ruinaque murorum altariſque omnia veſtigia quærendi abſtulerat; ſed poſtquam ea impedimenta fuerunt extruſa, deſiderii noſtri repenſatur gratia, atque apparuit quod diu quærebamus multa indagine adhibita. Ergo poſtquam invenimus, ut æquum dignumque erat, divinæ diſpenſationi gratias immenſas retulimus, & dum urgente neceſſitate à terra machinamentis inibi congruentibus elevamus, excepto demolitæ carnis ejus pulvere, ſanguinem ejus, quaſi in futuræ reſurrectionis gloria reſervatum, in vitrea ampulla ſubtus illud ſtabilitum invenimus.

F

quæ caſu colliditur, effluente Sancti ſanguine;

77 Ad quam recipiendam dum inconſulta aviditate properatur, rationique prudenti renititur, peccatis noſtris machinantibus, ſacrum vas conlapſum colliditur, ipſumque pretioſum theſaurum negligentia maxima agente ſparſim ſuper terram effunditur; ſed ſuperna gratia interveniente ac vires noſtras reparante, ſpem noſtram nimio mœrore diſſolutam bonâ fiduciâ refovemus, ipſumque cruorem diligenti cautela & examinatione cum ipſa terra recolligimus, & quia privatis publiciſque noſtris cunctorumque orthodoxorum commodis neceſſarium ſpiritualiter providebamus, in theca modica fideliter ſervandum recondimus. Locus autem ſanctificationis atque inventi ſarcofagi, quia digna ibi veneratione non fas erat excoli, nam pervius aditus atque exitus arcebat clauſtri, inſuper moroſa deliberatione intercedente, omnes reliquias, diſperſione facta,

à Goduino abbate conſtructum,

non

A non fuit poſſibile ad plenum recipi ; decretum eſt præſentibus, abſentibus atque futuris, quod reſiduum ex eis inibi reſtabat, hac ratione memoriæ commendari.

quem cum ipſa terra aliiſque poſt altare collocat S. Poppo abbas.
** fortè aliquid deeſt*

78 Nam infra muralem parietem in medio occultus arcus cementaria arte compilatus, pavimentumque * à loco illo ſublatum atque propter tenacem ſoliditatem non adeo adhuc reperimus partitione diſſolutum, deſuper reponitur, ut pia fide quærentibus veritatis indicium certa aſtipulatione pandatur. Hujus rei tot adhuc teſtes ſunt incolumes, quotquot ipſa die extitere præſentes. Teſtimonium quidem perhibet Gonterus, cui creditum eſt tanti myſterii ſacramentum attrectare, qui præcepto Petri decani, nunc autem abbatis, in virtute ſacræ obedientiæ cruentatis manibus lipſanas diſperſas præſumſit recipere, atque ad cuſtodiendum fideliter in conclavi memorato retrudere. At ubi prædictus domnus abba, cujus hæc abſentiâ geſta ſunt, rediens agnovit, omnipotentis Dei gratiam dignis laudibus extulit, atque ipſum loculum cum pulvere, ſanguine, cineré, retro altare prædictorum Apoſto-
B lorum ſumma curioſitate atque honore tumulandum tradidit, nec non ad recolendam tam præcipuam ſanctificationem in poſterum vario lapide marmoreo deſuper ſtrato eleganter decorare juſſit.

Feſtum in S. Galli monaſterio inſtitutum ; oſſa Leodium portata

79 *Circa idem tempus, ut videtur, propagata eſt Sancti veneratio ad Fanum S. Galli in Helvetia : ubi feſtivitatem* S. Remacli, *teſte Burkhardo S. Galli monacho apud Goldaſtum pag. 67 ſecundæ editionis, ſolemniter agendam inſtituit Notpertus ſive Nortpertus de Stafile, diſcipulus antea S. Popponis Stabulenſis, & abbas S. Galli factus anno* 1034. *De quo Mabillonius tom. 4 Annalium pag. 398 hæc memorat :* Fuit ſingularis ejus amor & cultus in ſanctum Remaclum epiſcopum & conditorem monaſterii Stabulenſis, ex quo reliquias ejus impetravit, ejuſque feſtum diem apud ſanctum Gallum ſollemnem eſſe juſſit. *Idem alibi quoque factum ſeculo* XII, *infrà videbimus. Anno* 1071 S. Remaclus à ſuis Legiam deportatus de Malmundario jus ſuum à rege virtutibus extorſit. *Verba ſunt Brevis chronici Lobienſis apud Martenium tom. 3 Theſauri novi anecdotorum col.* 1418. *Rem geſtam ita narrat Lambertus Schafnaburgenſis tom. 1 Piſtorii pag.* 184 : Cùm Heinricus imperator tertius *
C ** vulgò* IV Leodium veniſſet, fratres de monaſterio Stabulaus proturbati, quotidie aures regias obtundebant pro repetitione monaſterii Malmendrenſis *, quod abbati ereptum rex conſilio Bremenſis epiſcopi (ut prædictum eſt) dono dederat Colonienſi archiepiſcopo. Cumque nihil ille precibus, nihil lacrymis, nihil ipſa perurgentium importunitate moveretur ; inito conſilio & (ut fertur) divina revelatione ad hoc faciendum incitati, oſſa beati Remacli levant, Leodium deferunt, &, rege celebri quodam loco convivium agente, ſuper menſam ipſam apponunt, obſecrantes per Deum, ut ſi minùs filiorum, ſaltem Patris tanti miſereretur jam cum Chriſto regnantis, & de injuriis ſuis quotidie ad tribunal æterni Judicis proclamationem facientis ; cui niſi ſua reſtitueret, ultrà ei propter penuriam rerum neceſſariarum militaturi non eſſent.

** Malmundarienſis*

multis coruſcant miraculis :

80 Hoc ſupplicationis genere, quod ad captandam benevolentiam comparatum fuerat, rex verſa vice nimiùm efferatus, concitus ſe relictis epulis in palatium proripuit, & quo exemplo in abbatem tam audacis facti incentorem animad-

vertere deberet, plenus irarum cogitabat. Sed ecce menſa, cui ſuperpoſitæ erant ſacræ reliquiæ, divina virtute confracta corruit : miniſtroque regis, haud obſcuri nominis viro, crura pedeſque contrivit : qui paulo pòſt, exorata per interceſſionem beati Remacli pietate divina, ita priſtinæ reſtitutus eſt ſoſpicati, ut ne cicatrix quidem in argumentum læſionis abolitæ relinqueretur. Atque ita deinceps per totam noctem ſequentemque diem tanta circum ſanctum corpus coruſcabat miraculorum multitudo, ut corporali quodammodo proclamatione videretur beatus Remaclus jus ſuum expoſtulare. Attonitis omnibus tantæ rei novitate, rex timore vehementiſſimo correptus, ne fortè, ſi cunctaretur, cœleſtis in eum protinus ultio procederet, non ſolùm ablata reſtituit, ſed recentibus etiam donis pro munificentia regia magnificè cumulavit.

AUCTORE J. V.

unde orta Sancti commemoratio 9 Maii,

81 *Hinc originem duxit indicata tomo 2 Maii pag.* 359 commemoratio S. Remacli, *quæ annuo feſto apud Stabulenſes ritu duplici celebratur* VII *Idus Maii. Ampliorem totiùs rei hiſtoriam qui cupit, adeat Triumphum* S. Remacli, E *duobus libris à monacho Stabulenſi oculato plurium geſtorum teſte conſcriptum, quem Chapeavillus ex vetuſto Ms. codice monaſterii Stabulenſis edidit tomo 2 de geſtis pontificum Leodienſium à pag.* 517 *ad* 574 ; *ubi prædicta omnia ſingulatim & multa alia fusè recenſentur. Capite* XI *libri 2 non miniſtro regio, ut ſuprà habet Schafnaburgenſis, ſed famulo monaſterii Stabulenſis, nomine* Gonterulo, *tibia confracta & pòſt in integrum reſtituta dicitur. Qua in re major fides anonymo videtur habenda, utpote qui tunc Leodii aderat, quàm Schafnaburgenſi coævo quidem, ſed abſenti & ex auditu dumtaxat ſcribenti. Anonymum porrò Triumphi auctorem eruditè ab impoſtura vindicavit Martenius in fine numeri* 51 *citatus, toto capite 9 à pag.* 119 ; *ubi, expoſitâ operis ſummâ, profert teſtimonium Friderici archiepiſcopi Colonienſis, antiqua geſta abbatum Stabulenſium, Franciſcum Laurentii priorem Malmundarienſem, & oculatum teſtem Deoduinum epiſcopum Leodienſem. Ejuſdem operis antiquitas dein probatur è codicis Stabulenſis charactere*, qui ætatem ipſius Henrici ſpirare videtur, ex autographo eodem tempore F & ab eodem amanuenſi ſcriptus, à quo & Vita S. Popponis, *teſte Martenio. Scriptura duplex ſpecimen æri inciſum exhibetur ante paginam* 125, *videlicet pars citati capitis* XI *ex Triumpho* S. Remacli, *& pars capitis* 22 *ex Vita S. Popponis. Primum uſui erit inferiùs ad paucula reſtituenda in editione Chapeavilli, ex qua dabo excerpta miracula omnia libro 2 Triumphi contenta.*



AUCTORE J. V.

§ X. Ejus ſolemnitas aliis locis inſtituta, brachium Solemniacenſibus conceſſum; vindicata clades Stabulenſium, dicata altaria, lis de corpore, forma habitûs.

Fundatio feſti in abbatia Helmwardeshuſana,

EXeunte ſeculo XI, *vel initio ſequentis inſtitutum eſt Sancti feſtum in abbatia Helmwardeshuſenſi diœceſis Paderbornenſis per Thietmarum, de quo ſuprà meminimus num.* 71. *Ex ipſas fundationis litteras ex laudato Ms. Colonienſi.* Thietmarus nominis hujus ſecundus, ſucceſſione autem ſextus Dei gratiâ Helmwardenſium abbas, omnia ſua tam ſpiritualia quàm carnalia committens divinæ miſericordiæ diſpoſitioni, Sanctorumque patrociniis in vita præſenti atque futura credens adjuvari, notitiam Beati Remacli primus intulit huic congregationi. Deinde Rodulfo * bonæ memoriæ Stabulenſium abbate ob perpetuum alternæ fraternitatis pignus largiente, ſuſceptis ipſius Sancti reliquiis & optimi pallii caſulâ ob indicium mutuæ charitatis, conſtituit ex communi fratrum ſuorum conſenſu diem depoſitionis ejus feſtivè agi, ſicut ſancti Martini, librumque Vitæ ipſius & cantûs hiſtoriam plenitèr recitari: & ut id celebriùs ac devotiùs voluntariè fieret, & apud poſteros inconvulſum perduraret, contulit eidem Sancto manſum * unum in villa Mitthin, qui annuatim perſolvit ſolidos quinque, conſtituens ex his per manus cellerarii charitatem dari fratribus in prænominata ſolemnitate. Igitur ex ſtabili conſtitutione poſt primam veſperam infra cœnam ſuper ſtatutum potum, medo * pleniter propinetur omnibus. In ſancta die præbendarius panis ſit ſimila, ſumen * ſolito melius ſicut in ſummis feſtivitatibus, unicuique fratri aſſatûra anguillæ in veru, item miniſtratio piſcis, ſi eſt in promptu, ſive cujuſcumque generis ſit bonum ferculum, deinde piſces præbendarii, & quartum artocreæ * in ſagimâ ſive oleo frixæ, ſeu ſi ſexta feria occurrerit, ſuper cratem aſſatæ, & plena propinatio medonis. Cœna verò ſit placentæ ex ovis & præbendario caſeo, & menſura præbendæ ſit propinaria cerviſia. Cera quoque amphoræ mellis detur cuſtodi ad augenda luminaria, & ponendum thus, ſive de eodem cenſu ſex nummi. Quòd ſi quis in melius auxerit, augeatur ei meritis beati Remacli merces divinæ retributionis: ſi quis verò minoraverit ſive in deterius mutaverit, offenſam ejus procul dubio ſuſtinebit.

B

* *obiit is anno* 1097 *vel* 1098

* *i. e.* prædiolum *vel* agellum

* *i. e.* hydromeli

* *videtur hîc accipi pro quovis ferculo*

* *i. e.* placentæ cujuſdam

C

83 *Videntur hæc latuiſſe Mabillonium: nam tomo* 5 *Annalium pag.* 516, *ubi Thietmarum præcipuè laudat à ſtudio ſacrarum reliquiarum, ne verbo quidem* S. Remacli *meminit. Porrò celebris quondam abbatia Helmwardeshuſana, ſeculo* XVI *ab Haſſis disjecta eſt, ex quo primùm Lutherana, mox Calviniana hæreſis omnia turbare cœpit. At ſacer reliquiarum theſaurus induſtriâ Erici epiſcopi Paderbornenſis feliciter ſubtractus ſervatuſque ceſſit Paderbornenſi eccleſiæ, teſte Mabillonio ibidem. Sancti opem in magnis moleſtiis ſeculo* XII *experti ſunt monachi Solemniacenſes: pro quo beneficio abbas ipſorum Geraldus de Terazzo, datis ad Wibaldum litteris anno* 1149, *Stabulenſes rogavit ut communi Parenti gratias agerent. Hujus epiſtolæ partem accipe ex Martenio tom.* 2 *Collectionis ampliſſimæ col.* 353: Ante omnia cariſſimi petimus, quatenus communi patri noſtro S. Remaclo gratias agere & preces pariter fundere ut filii domeſtici pro nobis fratribus veſtris dignemini. Gratias, inquam, quia nos opitulante Deo de magnis tribulationibus piis Pater erutos in magna pace ad præſens conſtituit; preces etiam nihilominus fundere, quatenus ſicut hactenus bene conſuevit, patrocinari nobis in æternum non deſinat. *Sub Geraldi hujus deceſſore Mauricio, & Guibaldo ſeu Wibaldo abbate Stabulenſi renovata & confirmata fuerat ſocietas inter utrumque monaſterium anno* 1134, *pro quo malè habetur Sæculo* 2 *Benedictino pag.* 1093, milleſimo ducenteſimo trigeſimo quarto *uti patet ex* Indictione XIII, *quæ nullo modo congruit anno* 1234, *cùm tunc curreret Indictio* VII. *Adde, quòd Wibaldus obierit anno* 1158; *nec aliùs inter Stabulenſes abbates illius nominis reperiatur. Loco citato in fine litterarum apponitur:* Datum anno Domini milleſimo ducenteſimo trigeſimo octavo, Dominicâ ante Pentecoſtem: *quod certè de alia ſocietatis renovatione vel confirmatione intelligi debet, ſi annus* 1238 *rectè ſignatus ſit. Hæc per tranſennam circa litteras ſocietatis obſervaſſe ſufficiat: de Sancti reliquiis, quas ſeculo* XIII *Solemniacenſes impetrârunt, agetur inferiùs.*

D

nunc extincta. Sancti opem experiuntur Solemniacenſes;

84 *Anno* 1151, *Wibaldi à ſuſcepto regimine Corbeienſi ſexto, facta eſt in capitulo Corbeiæ conſtitutio, quâ prædictus abbas montem S. Michaëlis deſignavit ad feſtum* S. Remacli, *& anniverſarium ſuum celebrandum, uti ipſe teſtatur apud Martenium tomo citatâ col.* 610 *his verbis:* Notum eſſe volumus univerſis eccleſiæ noſtræ fidelibus tam præſentibus quàm futuris, qualiter montem, qui vocatur ſancti Michaëlis, ſcilicet eccleſiam cum omnibus ad eam pertinentibus, ad feſtum ſancti Remacli ad * anniverſarium noſtrum ordinavimus. *Et infrà:* Pro memoria & veneratione beati Remacli domini ac patroni noſtri, necnon pro remedio animæ noſtræ, eumdem montem cum omnibus pertinentiis ſuis, item eccleſia * eum dotali manſo & villicatione cum manſis & agris ad eam pertinentibus & novalibus .. ad refectionem fratrum Corbeienſium in feſto prænominati Patroni noſtri & in anniverſario ordinationis noſtræ, id eſt, in vigilia undecim millium virginum deſignavimus *&c. Tum de ſolemnitate ita loquitur:* Fratres autem feſtum B. Remacli ſpontanea voluntate & communi in cappis & quinque candelis ſolemniter celebrandum inſtituerunt, in cujus die feſto priorem Miſſam in majori eccleſia de S. Remaclo, majorem verò Miſſam in capella, quæ domui noſtræ adjuncta eſt & ſub ejus titulo conſecrata, de dedicatione celebrabunt. *Poſteriora hæc ſatis indicant, cultum jam antè in Corbeianova fuiſſe Sanctum, conſecrato in ejus honorem ſacello, in quo Miſſam ſolemnem de dedicatione celebrandam dicit Wibaldus.*

feſtum aliud inſtituit Corbeiæ-novæ Wibaldus abbas;

* *forte* ad

* *f.* eccleſiam

E

F

85 *Quædam è Sancti lipſanis Solemniacum miſſa ſunt anno* 1263, *addita promiſſione reliquiarum inſigniorum brevi mittendarum, quas enixè deſiderabant monachi. Docet hoc epiſtola perquam officiosè ſcripta à Joanne decano ſen priore Stabulenſi ad Solemniacenſem abbatem Archambaldum II, quam Mabillonius proximè citatus edidit pag* 1092. Venerabilibus patribus, confra-

lipſana quædam Solemniacum miſſa,

A confratribus & amicis in Filio Dei præelectis, Archambaudo abbati Sollemniacenſi, totique collegio ejuſdem loci, Johannes decanus humilis totuſque conventus eccleſiæ Stabulenſis ſalutem, & in abſcondito vultûs Dei conſolationis fonti frequentiùs confoveri. Innotuit nobis, quòd veſtra devotio ſummo adſpirat deſiderio ad aliquas habendum reliquias de patrono noſtro glorioſo videlicet B. Remaclo, aliquando in terris decorato gloria paſtorali. Verùm quia de corpore ejus ad præſens aliquid conſolatorium veſtræ paternitati ſincerè, ſicut deſiderii noſtri affectus expoſtulat, tranſmittere non valemus; ne veſtra tamen precatio apud nos fruſtrari videatur, cùm illam ſummo proponamus ſtudio adimplere; de baculo paſtorali, de caſula, in qua jacuit tumulatus, & de ſandaliis ejus veſtræ devotioni tranſmittimus iſta vice: ſcientes indubitanter, quòd de corpore memorati Patroni noſtri veſtræ pietati condecentem tranſmittemus portionem, cùm de capſa in capſam, quam glorioſam fieri fecimus, transferri contigerit corpus: quod erit in brevi, Domino diſponente. Datum Stabulaus, anno Domini milleſimo ducenteſimo ſexageſimo

B tertio, Idibus Junii.

86 *Steterunt promiſſis Stabulenſes: nuntiis enim Solemniacenſibus Clementi & Viviano brachium* S. Remacli *necnon aliorum ſanctorum reliquias donârunt* XIII *Maii anno* 1268, *prout conſtat ex litteris ad eumdem Archambaldum ſummâ benevolentiâ datis, quas item tranſcribere viſum eſt ex Mabillonio pag.* 1093. Reverendis in Chriſto patribus ac dominis ſuis amantiſſimis, venerabili patri domno Archambaudo abbati, totique conventui Sollemniacenſi, decanus humilis, totumque collegium monaſterii Stabulenſis S. Remacli in Ardenia ſalutem, & ſe totos ad amorem intimum fœdere ſempiterno. Quamquam locorum intervallum perſonalem nobis diviſionem indixerit, individuæ tamen dilectionis inter nos ſinceritas illuceſcens, ope Dei indiviſos per ſæcula conſervabit. Hinc eſt, patres ac domini reverendi, quòd toto cordis ac mentis affectu veneramur atque adoramus collaudantes Altiſſimum, qui nos & vos mediante noſtro patrono B. Remaclo cum ſuavi ac firmo vinculo, immò inviolabili mutua caritate firmato, adeo dulciter combinavit, quòd nec tribu-

C latio, nec perſecutio, ſeu gladii pavor à caritate, divina bonitate compacta, poterit ſeparari *, Dei miſericordia ſuffragante.

87 Propterea nos, veſtris receptis nuntiis, revera confratribus, videlicet domnis Clemente veſtro cellerario atque Viviano ſacriſtâ veſtro ſimulque veſtris litteris, perfuſi ſumus gaudio indicibili, & proſperitate veſtri conventûs in illis cognita, jucunditatem & tranſlationem noſtris cordibus ſuper aurum & topazium, ſuper odorem lilii & balſami infudiſtis. Aſſurgimus itaque veſtræ reverentiæ pro litteris tam affectuoſis, plenis caritate melliflua, per fratres noſtros ac veſtros prænotatos nobis tranſmiſſis, vobis humiliter inclinantes, quorum etiam videlicet fratrum dictorum converſatione ac morum honeſtate potuimus & debuimus emendari; per quos etiam veſtræ dilectioni tranſmittimus brachium venerabilis patris noſtri B. Remacli, & de reliquiis undecim millium Virginum; necnon & de reliquiis Thebæorum martyrum. Rogantes ſuppliciter, ut memoratas reliquias honore debito cum ſollemnitate congrua dignemini honorare. Datum anno Domini milleſimo ducenteſimo ſexageſimo octavo, Dominicâ ante Adſcenſionem Domini, *id eſt*, III *Idus Maii*.

AUCTORE J. V.

88 *Seculo ſequente illatam ſuis clientibus injuriam ſeverè ultus eſt Sanctus, percuſſo horrenda morte anno* 1388 *quodam nobili, qui cum trecentorum prædatorum caterva Stabulenſes agros invadere & populari auſus fuerat. Memorabilem vindictam, quâ ceteri prædones exteriti ad pœnitentiam converſi ſunt, ſcriptor ſeculi* XV *Cornelius Zantfliet Leodii ad S. Jacobum monachus ita exponit in ſuo Chronico apud Martenium tom.* 5 *Collectionis ampliſſimæ col.* 332: Sed & eo tempore (*anno* 1387) quidam nobilis Alemannus cum trecentis complicibus terram Stabulenſem intravit, violenter tollens prædam magnam circa villam dictam Lierneus *. Cui cùm incolæ loci circitèr ducenti prædam vellent abigere & reditum obturare; illic trucidati ſunt XLVIII, capti XXXVI: de parte adverſa tres tantùm occiſi ſunt, & præda abducta. Verùm S. Remaclus patronus terræ gravem in hoſtes exercuit ultionem: nam anno ſequenti princeps prædonum rabidus factus eſt, manus * & aures equi ſui commaſticans, & morte terribili percuſſus. Cujus complices ad monaſterium Stabulenſe venerunt humiliter veniam poſtulantes de commiſſis, & emendam * condignam offerentes; metuentes ne ſimile quippiam ipſis eveniret.

Agrorum Stabulenſium populator terribili morte punitus:

* *al.* Lierneux, *Latinè* Ladernacum & Letternacum

* *fortè* manas *i. e.* maxillas

* *i. e.* ſatisfactionem

89 *Ceterùm memoratus Benedictus delle Rive, qui anno* 1647 *humaniſſimè Bollando miſit titulos altarium imperialis eccleſiæ Stabulenſis, præter altare majus, quod in honorem* SS. Apoſtolorum Petri & Pauli ac SS. pontificum REMACLI & Martini *dedicatum eſt, aliud item anno* 1547 *conſecratum fuiſſe teſtatur ex ipſis originalibus litteris, quas ita recitat:* Ultimâ Decembris anno MDXLVII ſtylo Leodienſi, conſecratum fuit altare in Caſtro Stabulenſi per R. D. D. Gedeonem vander Gracht epiſcopum Caſtorienſem, ſuffraganeum Rmi. D. Georgii ab Auſtria epiſcopi Leodienſis, in honorem S. REMACLI epiſcopi, S. Gowaris * & Silveſtri (ſignatum) Theodoricus Beex &c. (Et impreſſum ſigillum ejuſdem epiſcopi Caſtorienſis in cera rubei coloris.) *Supereſt quædam difficultas de loco, ubi Sancti corpus aſſervatur: notat enim Gamanſius noſter num.* 6 *citatus, in Ms. montis S. Michaelis addi ad calcem Vitæ* S. Remacli *verba ſequentia:* Ejus corpus modò in cathedrali eccleſia Babenbergenſi honorificè conſervatur. *Litem illam edoctus ſuprà laudatus Riveus, pro Stabulenſium poſſeſſione in hanc ſententiam ad Henſchenium ſcripſit* VIII *Aprilis* 1654: Integrum (*excepto nempe brachio, quod Solemniacenſibus conceſſum eſſe vidimus*) S. Remacli corpus hîc adſervari, neminem vidi hucuſque, qui dubitaret; & tanta eſt rei iſtius certitudo, ut ſuperfluum mihi videretur, eam argumentis, quæ interim innumera ſunt, firmare.

* Goaris

F

90 Neque moror propter objectiones, quæ ex receptis Bambergâ documentis oriri poſſent: ſi quæ enim Bambergenſes documenta, ſi quas reliquiarum particulas, vel fortè etiam S. Remacli Vitam poſſideant; illa omnia hinc eò miſſa fuiſſe neceſſe eſt. Judicet R. V. an ob hoc perfectiora dici poſſint. Theodoricum agentem de Colonienſi, Laudunenſi &c. epiſcopis non vidi. Ejus exemplar cuperem habere. Quamquam appoſita ejuſmodi verba, ſeu alia quævis, mihi potiùs gloſſemata, quàm genuini textus probentur. Et certè contra poſſeſſionem noſtram objicientibus ſolum id reponerem: Venite & vide-

duo altaria Sancto dedicata, cujus corpus non Bambergæ,

ſed Stabuleti quieſcere oſtenditur?

* ſeparare

ipſum Sancti brachium.

& quinquennio poſt

AUCTORE J. V.

te, palpate, quia hæc ſunt S. Remacli oſſa, hic habitus, hæc ſtola, ſandalia hæc, feretrum hoc affabrè ædificatum, hæc recepta omnium ſæculorum traditio, hæc ſcripta indubitata &c. *Cùm Sanctus Bambergæ colatur, ut dictum eſt num.* 4, *nolim abſolutè negare in eccleſia illa cathedrali quaſdam ipſius reliquias conſervari: has autem auctor manuſcripti montis S. Michaëlis vocaverit* corpus, *partem quamvis exiguam pro toto accipiens, uti ſæpe fit in ſimilibus. Et verò ſi ipſum Sancti corpus Bambergam fuiſſet tranſlatum, an id Stabulenſes ignoraſſent, an eorum bibliothecæ & archivi præfectus ac diligentiſſimus ſcrutator Riveus ſuperiora ſcribere auſus fuiſſet, an denique Bambergenſis eccleſiæ Annales tranſlationem illam ſilentio penitus involviſſent? Ait quidem auctor Triumphi* S. Remacli *apud Chapeavillum tom.* 2 *pag.* 562: Dicebatur rex id habere conſilii, ut conceſſum ejus dono corpus Patroni noſtri ſibi auferret epiſcopus Bavebergenſis; *verùm ex capitibus ſequentibus conſtat, ablatum à Bambergenſi non fuiſſe.*

B



deſcriptio & eſſigies veſtis ejus monaſticæ.

91 *Quoniam Riveus in ſuis litteris meminit de habitu ſeu veſte Sancti, viſum fuit coronidis loco ſubjicere ſequentem illius deſcriptionem & effigiem dare ex Martenio Annalium Benedictinorum tomo* 6 *pag.* 571: In Stabulenſi monaſterio ... vitæ ſanctiſſimæ finem fecit beatus Remaclus, ibidemque ſepultus in oratorio S. Martini. Viſitur hactenus inter ſacras ejuſdem monaſterii reliquias cuculla ejus monaſtica ex rudi panno, quali ferè veſtes ſibi hodie conficiunt patres Capucini, & ejuſdem coloris; in qua Remacli paupertatis amorem prædicant varii ejuſdem materiæ panniculi, quibus paſſim lacera veſtis reſarcitur. Forma autem hujus cucullæ eſt inſtar veterum caſularum, quæ totum corpus circumdabant ſine manicis; ſed cum acuminato ſuperiùs aſſuto caputio, qualem nobis repræſentat S. Iſidorus in libro Etymologiarum, " Caſula eſt veſtis cucullata, per diminutionem à caſa, quòd „ totum hominem tegat „. Et Theodemarus abbas Caſinenſis in epiſtola ad Carolum Magnum: " Cucullam eſſe dicimus, quam alio nomine ca„ ſulam vocamus „. Tantæ antiquitatis hoc in genere monumentum nullum umquam vidi pretioſius aut mirabilius, ſed neque Mabillonius: quapropter ad futurorum inſtructionem & ædificationem hîc illud repræſentare juvat: *quod etiam chalcographum noſtrum, ſervata proportione, imitari juſſimus.*

D

VITA

Auctore monacho Stabulenſi anonymo

Ex Ms. vetuſtiſſimo abbatiæ S. Pauli Ultrajecti atque aliis ſex Mss. inter ſe & cum editione Mabillonii collatis.

E

PROLOGUS *a*.

a

Sanctorum geſta evulganda ad laudem Dei.

CUm ſit ſtudium gentilium ſua figmenta & vanos ritus eorum * luculenter aptare obſcenis carminibus, eaque commendent perpetuâ memoriâ ſibi ſubſequentibus; cur ego ſileam, ne * proloquar manifeſta opera Chriſti, quæ innumerabiliter per Sanctos ſuos agere non deſinit virtute divina: cùm poſſim vera effari in laude magnifici Dei, & conferre plurimum fructum audientibus *b* quantam honorificentiam præſtet famulantibus ſibi, tam magnifica operando.

* *al.* errorum
* *Mabillon.* nec

b

ANNOTATA.

F

a *Ex codice Valcellenſi & Ms. S. Foillani: deeſt enim in codice Ultrajectino & quatuor aliis Mss.*

b *Mabillonius*, in laude magnifici Dei, qui tantam honorificentiam præſtat famulantibus ſibi tam mirifica operando; *intermediis omiſſis, quæ etiam abſunt à Ms. Foillanenſi. Minutiora prætereo.*

CAPUT I.

Sancti patria, parentes, educatio: in aulam evocatur, fit epiſcopus, excipit S. Trudonem & agenda edocet.

Ortus Sancti & pia educatio;

a

IGitur ex Aquitaniæ partibus oriundus fuit vir per omnia venerabilis & vitâ & moribus, nomine Remaclus *a* parentibus nobilis, ſed fide nobilior. Pater ejus dictus eſt Albutius, mater verò

A rò Matrinia * eſt vocitata, ſecundum ſæculi dignitatem in facultatibus rerum admodum pollentes; ſicut traditio poſſeſſionum ejus ad nos facta teſtatur. Qui cùm enutritus eſſet à parentibus ſublimiter, prout illis ſuppetebat plurima copia ſæcularium facultatum; jam bonæ indolis totius ſuavitatis fructus ferentem *b* tradunt eum beato Eligio viro in omnibus meritis præferendo, ſacris inſtitutionibus monaſticæ diſciplinæ imbuendum [in] Solemniaco monaſterio, quod ipſe pater pio opere in ſuo proprio rure conſtruxit *c*. In tantum enim adhæſit ſancti viri monitis, ut non ſolùm non fieret ſegnis executor verbi divini; verùm etiam in tantum crevit in eo virtus divina, ut maxima ibi religioſæ converſationis exempla monſtrando, in vigiliis pernox, in orationibus continuus, in abſtinentiâ præcipuus, in univerſâ morum probitate præclarus eniteret: adeo ut prædictus vir omnem curam gregis ſibi commiſſi illi traderet, & ſeipſum ſervitio palatii, ſicuti compellebatur, ſollicitus exhiberet.

B 2 Poſt aliquantum verò temporis, famâ vulgante, per totam Galliæ provinciam auditum eſt de vita & actibus beati viri ſæpe memorandi Remacli, & ad aures procerum, qui tunc temporis palatio præerant, perventum * eſt, quòd tanta ac talis arbor germina protuliſſet. Nec potuit, volente Domino, lumen irradiatum gratiâ ejus ſub modio occultari, ſed ut ſplenderet omnibus in propoſito fidei commanentibus, lichnus ſuperpoſitus eſt candelabro: ac denudatum eſt in regalibus aulis tam magnificum Virum non debere abeſſe præſentiæ regis *d*, ut illius prudentiâ diſponerentur regni negotia. Unde factum eſt, ut evocatus honorificè, ut decebat, ad limina perduceretur palatii, magnum omnibus futurus ſolamen; ſicuti poſtea eventus rerum perdocuit. In tanta enim habitus eſt dignitate, ut infulas ſacerdotales adeptus ſit acclamante populo dignum fieri talem doctorem *e*, præſulatûs gerere officium, qui tantam gratiam à Deo perceperat, ut etiam omnibus in neceſſitate ſua ſubveniret.

C 3 Interea Vir Dei ſancto Spiritu plenus, ordinante Dei providentiâ ſubrogatur Tongrenſium *f* ſedis epiſcopus, ut verbi ſemina in plures diffunderet, quæ in ſemet diu manentia occultabat. Quis verò enarrare ſufficiat, quanta illi cura fuerit pauperum victûs, cùm ſit factus orphanorum pater, viduarum pius adjutor, infirmorum benigniſſimus conſolator, omniumque neceſſitatum largiſſimus procurator? Virtus itaque humilitatis tanta in eo refulſit, ut cunctis ſe inferiorem cuperet æſtimari, quò fieret juxta Apoſtolum forma omnibus, ne incideret in illius ſententiæ opprobrium, ne forte aliis prædicans, ipſe reprobus efficeretur.

4 Nec prætereundum præterea puto, immò magis eſt explicandum, quòd Vir Deo plenus etiam præſcius futurorum fuit; quod ſibi collatum munus divina fuiſſe revelatione manifeſtiſſimè comprobatur. Qui dum feliciſſimo curſu pro Eccleſiæ gubernaculis curâ pervigili, prout erat devotus, cottidie attentiùs decertaret, quatenus Largitori omnium, quos poterat à luporum faucibus eripere, commendaret; ut reportans * veniente Chriſto manipulos, mercedem operis commiſſi, gloriæ immarceſſibilem coronam percipere mereretur. Quam militiam exercens *g*, contigit ex Hasbaniæ finibus * beatum Trudonem puerili adhuc ætate florentem primos emittere boni ſaporis uberrimos fructus. Et quia erat ex magnâ proſapiâ natalium ortus, ſicut ſcedula geſtorum illius commendat, enutriri paulatim in eo, igne divini amoris accenſo virtutum copia cœpit. Ad hoc enim uſque ardore * ſancti Spiritus tactus * eſt, ut voto ſe obſtrinxerit, ſi aliquando ſacros apices plenè addiſceret, in ſuo proprio eccleſiam debere conſtrui *h*, & ibi Domino jugiter famulari; quod poſtea Chriſto auſpice [ſolemniter] adimplevit.

5 Nam * dum tali flagraret deſiderio, viſione nocturnâ corripitur, & angelica ammonitione perdocetur in hæc verba: Frater Trudo, ſcito vota tua, quibus te obligaſti à pueritia, & preces, quas humiliter fudiſti, in conſpectu Dei cæli eſſe acceptas: & quidquid in animo tuo boni verſatur deſiderii, ipſe [de hoc] tibi præbebit aſſenſum. Nam ſapientia implebit cor tuum, & erudiet te [in] mandatis ſuis, ac monita ſua exarabit in ſecreto pectoris tui, & ut concupieras, ad Eccleſiaſticæ dignitatis pervenies gradus: quia petitio tua juſta eſt, placitaque Deo. Adjecit quoque idem vir vultu fulgenti affari eum: Surgens igitur, perge ad beatum Remaclum pontificem Tongrenſis * eccleſiæ, qui eſt haud procul à loco [in] quo nunc es; illi [enim] revelavit Deus omnia, quæ tibi convenit * agere, ipſeque diriget greſſus tuos ad omnia quæ deſiderat anima tua.

6 Hoc audito vir Dei confiſus de viſione * Angelica, ſurrexit properè, gaudenſque cœpit veloci greſſu tendere ad locum, ubi ſanctus Vir eo tempore in cura regiminis deſudabat. Cúmque non multùm abeſſet à villa *i* ubi domnus Antiſtes reſidebat cum ſuis famulis, ilico cognito per ſpiritum, ſicut antea illi fuerat cælitus nuntiatum, ait pueris ſuis: Surgite in occurſum viri Dei, qui ad viſitandum nos venit, & cum omni reverentia eum excipite, & ad me introducite. Ite velociter, jam enim appropinquat. Illis ergo juſſa complentibus *k* perduxerunt [eum] ad Epiſcopum. Intuitus autem eum pius Pater continuò ſurrexit, & ruit in oſcula flens largiter præ nimio gaudio ſuper collum ejus. Et cùm ſe vellet electus puer ſacris veſtigiis ejus provolvere, elevavit eum cum humectatione genarum talia proſequendo; Sit tibi Domine Jeſu bone, viſitator animarum, gloria, laus & jubilatio per immortalia ſæcula ſæculorum; qui voluiſti nos in hac die confortare de viſitatione famuli tui.

7 His dictis, adjecit & hæc beatus Sacerdos dicens: Sed & tu, fili mi, ſis benedictus à Deo altiſſimo, qui te dignatus eſt ad nos dirigere, ipſeque poſt hæc adimpleat omnia, quæ deſiderat anima tua, perficiens voluntatem cordis tui. Scito ergo, quia ab hac horâ filius mihi vinculo charitatis conjunctus eris; & ego ſpiritualis tibi patris jura perenniter retinebo. Mihi enim ſervo ſuo revelare dignatus eſt Deus cuncta quæ ſunt in animo tuo, & quidquid ſuper hoc gerere te oporteat, à me perdoceberis: [quia uti jam præfatus ſum, ſermo Dei ad me factus eſt.] Ego namque per ſpiritum didici, quod in pueritiâ tuâ jure-jurando firmaſti, eccleſiam in tua hæreditate, auxiliatore Deo, conſtruere, & ibi omni aſſiduitate * Chriſto militare. Unde ſcias, te beato Stephano protomartyri poſſeſſiones tuas tradere [debere] ibique ab inhabitantibus [civitatem Methenſem] perfectè Scripturas ſanctas percipere. Poſt hæc remeabis doctrinâ repletus cum honore ad locum tuum, ac ſicuti pollici-

*in aulam accerſitur, & fit epiſcopus regionarius, * Mabillon.* perlatum

b

c

poſtmodum Trajectenſis.

f

S. Trudo flagrans deſiderio ſacras Litteras diſcendi

* *Valcell.* reportans obviàm venienti

g

* *al.* partibus

A. ANONYMO.

E

* *ibid.* Trajectenſis

* *Mabill.* conveniunt

à quo excipitur perbenignè

* *in duobus Mss.* viſitatione

i

k

F

& agenda edoctus Metas

* *in uno Ms.* ſeduli-tate

A. ANONYMO.

tus es, ædificabis ecclesiam, in quo volueris loco.

mittitur : ministros suos obiectantes corripit Sanctus.

8 His & aliis exhortationis verbis à præfato venerabili Remaclo commonitus est sacratissimus puer, quem deosculans diutissimè Pontifex dimisit in pace *l*, inquiens pueris suis : Deducite eum cum magna reverentia, quia Dominus respicit iter * ejus. Illi ergo * velut negligentes propter habitum indumenti derogare ei cœperunt, dicentes : Ecce quàm vilis factus est hodie Dominus noster, qui istum pauperculum, tam deformia vestimenta habentem juxta se collegit, ac ei tantum honorem exhibuit. Cúmque derogarent ei taciris hujuscemodi verbis, iterum per secretum nuncium, qui illi divinitus missus semper aderat, ammonitus Vir Dei, increpuit eos durè talia fando : O infelices, quare ad vultus hominum respicitis, & ad vilia indumentorum tegmina, cùm magis mentes hominum actusque judicet Inspector animarum nostrarum. Agite itaque pœnitudinem erratuum vestrorum, quia insipienter locuti estis. At illi provoluti pedibus * ejus, veniam precabantur fatentes * : Ignosce nobis, pie Pater, quia ignoranter peccavimus ; parce delinquentibus, quod insipienter egimus. Et ille : Data sit, inquit, vobis à Deo indulgentia, videte ne ulteriùs tale crimen incurratis.

l * *Mabillon.* cor * *al.* verò

* *al.* genibus * *in uno Ms.* dicentes

B

ANNOTATA.

a *Sic legit Ms. codex Cornelii Duyn : alia Mss. quæ prologo carent, omittunt* igitur. *In Bambergensi scribitur* Remaglus. *De anno & loco natali, educatione sub S. Sulpitio &c. vide Commentarium prævium* § 2, *unde quædam in sequentibus corrigenda sunt.*

b *Ms. Rubea Vallis* in bonæ indolis totius suavitatis fructu ferventem tunc tradunt *&c. S. Eligius Noviomensis episcopus habetur in Romano Martyrologio* 1 *Decembris. Quædam posthac omissa in Ms. Ultrajectino ex aliis supplebo & uncis* [ ] *includam ; idem facturus Ms. Coloniensi, ex quo miracula inferiùs edentur.*

c *Adi Comment. num.* 15 *& seqq.*

d *Erat is S. Sigebertus Dagoberti I filius, de quo actum tomo* 1 *Februarii à pag.* 206. *Quandonam Sanctus noster in Austrasiam venerit, item quando conditum sit monasterium Casecongidunense, cujus primus abbas fuit, consule Comment. num.* 18 *&* 19.

C

e *Ms. Rubea Vallis* ut infulas sacerdotales adeptus acclamante populo judicaretur dignus fieri talis doctor *&c. Factum id anno* 648, *prout ostendi num.* 22.

f *Ms. Rubea Vallis* Trajectensium, *& sic vocem* Tungrensium *rectè explicat Mabillonius in Notis, (vide Comment. num.* 27) *addens id contigisse post abdicationem S. Amandi, non verò post Landoaldum, quem Notgerus & alii nonnulli episcopum perperam fingunt, mediumque collocant Amandum inter & Sanctum nostrum : hic enim Amando abdicanti successit eodem anno* 650, *ut Bucherius habet in Chronico. De erroribus circa S. Landoaldum videri possunt plura tomo* 1 *Februarii pag.* 833 *& ad diem* 19 *Martii, quo colitur.*

g *Id est*, cùm exerceret. *Apud Mabillonium connectuntur sequentia cum præcedentibus hoc modo :* Qui dum .. decertaret ... ut ... coronam percipere mereretur ; contigit ex Hasbaniæ finibus beatum Trudonem ... primos boni operis uberrimos emittere fructus. *Ms. San-Maximinense pro* Hasbaniæ *perperam habet* Hispaniæ. *Verba autem* puerili adhuc ætate florentem *non sunt strictè accipienda ; Trudo enim priusquam ab angelo moneretur de adeundo Sancto nostro, adolescens imò vir erat, teste Donato in ipsius Vita, quæ dabitur* 23 *Novembris.*

D

h *Ita quinque Mss. : Mabillonius*, deberet construere, *sicuti etiam legit Ms. Rubea Vallis, sed præmisso* quòd.

i *Donatus cap.* 4 *villam istam* Septimburias *appellat.*

k *Mabillonius & quatuor alia Mss.* perficientibus. *Codex Valcellensis rectiùs :* Illi ergo jussa perficientes.

l *Ad S. Chlodulphum Metensem episcopum, qui Trudonem post sexennium circitèr Sancto nostro remisit. Adi Comment. num.* 40.

CAPUT II.

Virtutes Sancti & cura pastoralis : condita ipso auctore duo monasteria, in quorum alterum, abdicato episcopatu, se recipit ; pius obitus & sepultura.

E

Magna solicitudine suos instruit :

AD comprobandum itaque quanti meriti Vir iste fuerit, cui in tantum famulabantur angeli [Dei,] ut abdita secretarum rerum, quæ in conspectu Conditoris retinebantur, huic fierent manifesta, ac ejus præjudicio disponerentur ; suprà memorata annotare curavi, ne aliquis perversæ mentis, aut diaboli arte deceptus detrahere [atque incusare] audeat (quod fieri non credo) tam magnificum & electum Christi Militem, talenti crediti fervatorem, & cum lucro ad Dominum gemina dona ferentem. Quis enim enarrare sufficiat quàm sanctè & justè de reliquo conversatus sit, quantave illi sollicitudo custodiæ debitæ fuerit, monendo scilicet omnes, ut à lenociniis blandientis mundi se observarent, à curis sæcularibus gressum retraherent, in lege mandatorum Dei perenniter durarent. His & hujuscemodi adhortationibus creditam sibi plebem in timore Dei vel amore confirmans, majore cœpit animi alacritate flagrare, quo liberiùs sive devotiùs cor erigere ad contemplanda cælestis vitæ pascua valuisset.

F

auctor est S. Sigeberto regi, ut bina condantur

10 Interim dum in hoc tenore propositi accinctus fide, spe munitus, caritate fundatus perseverat * , contigit Deo favente lubere *a* piis principibus regni Francorum Sigiperto regi & Grimoaldo *b* duci ex voluntate Dei & consilio optimatum suorum ut construerentur infra * forestem monasteria sita in pago, qui Ardöenna *c* dicitur, cognominata Stabulaus, sive Malmundarium *d*, in quibus commanerent religiosi monachi, qui spiritualiter inibi Christo famularentur, & pro statu totius regni & regis salute vel *e* filiorum, sive curam regni exercentium, omnipotentem Dominum exorarent. Tunc cœperunt ædificare * attentiùs &, ut assolet in tali opere, virtus divina subsecuta est, prosperoque successu velociter adimpleta sunt.

* *al.* perseveraret

a

* *al.*

d

e

* *al.* ædificari

11 Cúm-

A *monaſteria, quæ dedicat.*

11 Cumque adeſſet tempus, ut eccleſiæ novâ materiâ ornatæ dedicarentur, mittens præfatus rex ad beatum Remaclum epiſcopum, quia alterum eorum, id eſt Stabulaus ad ejus pertinebat dioceſim, alterum verò, id eſt Malmundarium, quia ad metropolim reſpiciebat, cum conſenſu Chuniperti *f*, qui erat metropolitanus Agrippinæ, evocavit eum, ut ſicut conveniebat ejus miniſterio eas dedicaret. Quod ſanctiſſimus [Vir] illico obaudiens, cum magna diligentia explevit opus ſibi injunctum *, quod ejus dudum diſpoſitione fuerat actum; quia cùm eſſet Regi & primis palatii propter maximam ſanctitatem vicinus ac amatus, nihil præcipuum abſque ejus conſultu fiebat. Unde factum eſt, quia tam carus eis habebatur, ut, Miſſarum peractis ſolemniis, traderet ei prædicta loca jam dictus major domûs Grimoaldus ſuâ ditione cuncta ordinari, & monaſtica vitæ inſtituta illic ſervari.

f

* *Mabillon.* commiſſum

Stabuletum, abdicato epiſcopatu, ſe recipit,

12 Poſt non multùm verò temporis impetravit tandem à rege *g*, quatinus relinquens ſucceſſorem *h* poſt ſe in ſede pontificali, ut diu deſiderabat, hunc eremi locum adiret, & ibi ab hominibus remotus, ſoli Deo vacaret. Quantus autem luctus de abſceſſu Paſtoris fuit, quamque mœſtos reddidit, quibus ſemina vitæ conſuluerat *, cùm viderent orbatos ſe eſſe diſceſſu Doctoris & Patris *i*. Aiebant ergo: Quid facturi ſumus nos miſeri, qui talem amittimus Paſtorem? Unde recipiemus conſolationem, cùm ipſe eſſet conſolator & munimen? Quis medebitur nobis ultrà, cùm ipſe fuerit curator corporum & animarum *k*. Unde nobis ſpes, cùm deſtituimur tanto Paſtore? Hæc & his ſimilia cum ejulatu proclamantibus, commendans eos opifici Deo ſæculum omne pro nihilo ducens *, uni Domino placere deſiderans, monaſterium petiit, ſolitariam concupiſcens ducere vitam.

g
h

B * *l.* contulerat, *ut in aliis habetur*

i

k

* *Mabillon.* reputans

quò multi confluunt ab eo inſtruendi:

13 Audientes autem hoc religioſi viri vel è vicino, ſeu ex ſemoris undique partibus, cœperunt confluere ad doctrinam ejus, videntes ſapientiam Dei eſſe in eo, ad perficienda, quæcumque juſta & digna Deo, atque accepta habentur. Nam ita erat aſſuetus in operibus divinis, ut nullum pertranſiret omnino tempus, quo non eſſet pſalmis vel orationibus ſive lectioni intentus. Manens itaque pervigili cura abſque [ulla] reprehenſione in monaſticis documentis, multos nobilium virorum animos convertit, ut imitatores fierent illius vitæ, cujus erat doctrina perfecta; quia quod ore docebat, priùs opere adimplere curabat.

C

donationes monaſteriis factas minui poſtulat,

14 Unde factum eſt, ut, creſcente religione creſceret etiam cenſus ejuſdem eccleſiæ, in uſus ibidem ſervorum Dei famulantium. Nam audientes cultum hujuſmodi religionis jam dicti piiſſimi principes evocantes beatum Virum, tradiderunt [eidem] ex ipſa foreſte duodecim leucas in longitudine, ſimiliter & in latitudine; in quo ſpatio nullus contradictor exiſteret ſuæ ditioni vel ſuccedentium ei, ut quietè Deo militarent. Nec non etiam affirmarunt teſtamento cum ſignaculis * imperialibus, ut ſtabile illud [in] omni tempore duraret, quod Pater ſanctiſſimus ſuſcepit libenter ac tenuit reverenter *. Verùm non multò pòſt ipſum ſpatium adbreviare ſtuduit, ut ſine impedimento fieret ſequacibus, & ſine ullo obſtaculo rectores loci poſſent ſervare *l*: quod ad noſtrum uſque tempus inconvulſum durare videtur [omnino.]

* *Mabillon.* ſigillis

* *idem* conſtanter

l

15 Patris igitur monitis devoti obſequentes diſcipuli inſtitutiones regulares haud ſegnes exequuntur, prout Doctorem ſuum prorſus omni hora videbant laudibus divinis attentiùs inhærentem, ac diu propoſiti vota ſervantem. Hiſce palæſtricis diſciplinis diutius immorantes, tandem repromiſſam gratiam, Domino ut credimus tribuente, indepti ſunt. Is autem pius Sacerdos in agonis triumpho poſitus, armatus fide contra nequitias immundorum ſpirituum, ſi quà * conati ſunt adverſum religionis divinæ cultum obſiſtere, votumque animi ejus, prout erat in Chriſto ſtabiliter fundatus, dejicere; ſtudebat magnopere hoc irrumpere * continuis Scripturarum documentis, orationi inſtando, jejuniis carnem macerando [in] vigiliis pernoctando, eleemoſynam largiendo, exemplis potiùs quàm verbis illud Apoſtoli inclamans: Mihi vivere Chriſtus eſt, & mori lucrum.

A. ANONYMO. *exemplis potiùs quam verbis diſcipulos ad virtutem cohortatur,*

* *al.* qui

* hoc irrumpere *abeſt à tribus Mſs.*

piè moritur ac honorificè ſepelitur.

16 In hac ergo conſtantia animi immobiliter perdurans, tandem accumulatum, ut ita dixerim, boni operis olim ſibi traditum talentum exquiſitori ſuo reddere cupiens, maximè cum voce Domini audita vocantis ſe * ac dicentis: Euge ſerve bone & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituam, intra in gaudium Domini tui: hujus optati gaudii compos fore * deſiderans & has preces cotidie perſolvens, ultimo jam ſenio feſſus, valedicens omnibus eoſque opifici Deo commendans metam mortis attigit, beatamque cælo animam reddidit *m*. Cujus corpus honorificè, ut decuit, cum hymnorum dulcibus melodiis ſepulturæ traditum *n*, in magno ſervatur honore: præſertim cùm floreant ibi plurimarum virtutum inſignia ad laudem & gloriam nominis Chriſti, qui ſibi fideliter ſervientibus innumera dona conferre dignatur. Celebratur autem, depoſitio ejus tertio Nonas Septembris, regnante Domino noſtro Jeſu Chriſto; cui eſt gloria, laus & jubilatio per immortalia ſæcula ſæculorum. Amen *o*.

* *Mabillon.* clamantis ad ſe

E * *in uno Mſ.* particeps fieri

m

n

o

ANNOTATA.

a *Sic edendum cenſui ex Mſ. Bambergenſi. Apud Mabillonium & alibi legitur* jubere *cum Ablativo vel Dativo; in Mſ. Rubeæ Vallis* juberi à: *in San-Maximinenſi verò* jubente. *Variè etiam nomen regis ſcribitur in quibuſdam* Sigiberto, *in aliis* Sigeberto.

F

b *B. Pippini ducis, vulgò* Landenſis *cognominati, filio.*

c *Mſ. Rubeæ Vallis* Ardenna, *in aliis quatuor* Ardoinna; *Codex Valcellenſis & Mabillonius* Arduenna, *atque hoc nomen communius videtur.* Sylva eſt Galliæ & Belgii maxima, *inquit Baudrandus*, c mill. paſſ. & amplius in longitudinem patens, extenditurque per ducatum Luxemburgenſem, uti & per ditionem Leodienſem auſtralem verſus confinia Campaniæ provinciæ, & partem etiam per Hannoniam meridionalem, diverſa habens nomina pro varietate locorum, eratque aliàs multo amplior. *Eam pluribus deſcribit Hadrianus Valeſius in Notitia Galliarum, addens pag.* 38 *monaſteria* Malmedi & Stavelo, *de quibus hîc agitur, nunc eſſe extra fines ſilvæ Arduennæ*, cultorum ac præ ceteris monachorum operâ paſſim exciſæ.

d Stabulaus *præponitur ab anonymo, non quia priùs exſtrui cœptum, ſed quia præcipuum & abbatum ſedes. Vide Commentarium* § 6. *Mabillonius in Notis obſervat ex Henſchenio tom.* 1 *Februarii pag.* 221 *monaſterium utrumque inceptum eſſe anno ſexto epiſcopatûs* S. Remacli,

hoc

A. ANONYMO. *hoc est, inquit, anno Christi* DCLXVIII ; *sed malè : nam Henschenius diserte habet* DCLV. *Dedicatio autem ad triennium dilata non videtur.*

e *In Ms. Rubeæ Vallis* ac filiorum ejus, regnique curam exercentium *&c. Porrò* filios *S. Sigeberto fuisse ostendit coætaneus scriptor Vitæ S. Beniti episcopi ad* 15 *Januarii editæ pag.* 1070 *num.* 4 : *solius tamen Dagoberti nomen apud auctores exprimitur.*

f *Al.* Chuneberti *vel* Cuniberti, *Mabillon.* Chuniberti. *S. Cunibertus episcopus Colonienſis habetur in Martyrologio Romano* 12 *Novembris.*

g *Non Sigeberto, sed Childerico II., nepote Sigeberti ex fratre. Regnare is cœpit in Austrasia anno* 660, *& patrui sui donationem, petente Sancto media parte imminutam, confirmavit anno* 667.

h *Fuit is S. Theodardus M. inscriptus Romano Martyrologio ad* 10 *hujus. Quo anno Sanctus noster episcopatum abdicaverit, dixi in Comment. num.* 55.

i *In Ms. Rubeæ Vallis hæc periodus, quibusdam additis, ita legitur :* Quantus autem
B luctus de absentia Pastoris fuit, quámque mœstos eos reddiderit, quibus semina vitæ contulerat . . . , quis valeat absque fletu illis flentibus compatiens prosequi.

k *Præcedentia, incipiendo à* Quis, *desunt apud Mabillonium. Codex Valcell. omisso* corporum, *legit*, cùm ipse fuerit cura & medicus animarum.

l *De donationibus & errore chronologico circa illas actum est suprà num.* 58 *& seqq.*

m *Anno circiter* 664, *inquit Mabillonius in Notis, sed perperam : Sanctus enim adhuc vivebat anno* 667. *Vide dicta ad lit.* g. *Martyrologium Parisiense obitum collocat circa* 668. *Adi Comment. num.* 67 *&* 68.

n *In ecclesia seu Oratorio beati Martini, quod ipse condiderat, sicuti Notgerus Harigerusque testantur. Inde postea translatum est à Goduino, abbate quarto. Vide num.* 75.

o *Hic desinit Codex Ultrajectinus & apographum Trevirense S. Maximini.*

c # MIRACULA

Ex Ms. Colonienſi collato cum aliis quinque Mss. & editione Mabillonii.

LIBER I.

auctore eodem anonymo Stabulensi

PROLOGUS.

Auctor non scribit nisi visa, vel à fide dignis audita.

POst glorioſissimum *a* agonis omnibus sæculis laudabilem triumphum, quo, depoſito carnali indumento, immarceſſibilem gloriæ idem nactus est coronam, ad comprobandum quanti meriti, quantæque ſanctitatis beatus Vir iſte
C fuerit ; noluit pius Dominus occultum manere, D
quod apud illum non latebat, ſed fieret * ho- * *al.* fieri
minibus quoque clarum, quantâ gloriâ ille polleat in cœlis, cui tanta miracula quæ noſtris aſpectibus conceſſa ſunt videre, præſtat agere in terris. Non enim audemus ſilere quæ novimus, ne quaſi deſides & tardi ad opera Chriſti enarranda vel miranda dijudicemur. Nec * alia, * *in aliis* Verùm ne
niſi ea quæ relatu veracium hominum didicimus, vel ipſi oculis perſpeximus, dicere volumus, ne culpa mendacii arguamur *b*. *b*

ANNOTATA.

a *In aliis omnibus legitur*, Poſt expletum namque (*vel* itaque) glorioſiſſimi agonis *&c.*

b *Item additur*, Unum ergo miraculorum illius in exemplum ponimus (*Mabill.* referamus,) ut pòſt faciliùs reliqua credibilia eſſe comprobemus. *Et mox :* Eo namque tempore *&c.*

ANTIQUÆ DIVISIONIS CAPITA, QUALIA SUNT IN MS.

E

I. De Joſeph, ita contracto, ut ſuper genua incumbens caput erigere non poſſet.

II. De ferro vincto, qui dum cancellos attigit, vincula diſrumpuntur.

III. De cæca muliere, quæ, dum de fonte ſancti Remacli bibit, ſanata eſt.

IV. De quodam Amulgero nomine, qui ſanitatem oculi recepit.

V. Quòd hoc factum ad aures Lothovici * * Ludovici
imperatoris pervenit, & lumina deoſculans Deo gratias reddidit.

VI. De quodam contracto in monaſterio Dervo, qui, ſicut in ſe confeſſus eſt, meritis fratrum noſtrorum ad feſtivitatem venientem * convaluit. * *f.* venien-

VII. [De femina muta in feſtivitate jam fati tium
Viri Dei ſanata.]

VIII. Quòd quidam terram ſancti Remacli invaſit, & ſibimet imprecando glaber remanſit.

IX. Quòd quidam arietem ſancto Remaclo delegavit, & pro mendacio vultu & ore retorto deformis remanſit.

X. De muliere per tres menſes cæca & illuminata. F

XI. De quodam, qui uxoris ſuæ fibulas ſancto Remaclo fraude ſubducens, per ſex menſes cæcus efficitur.

XII. Quendam à dæmonibus vulneratum & ſurdum effectum, quomodo ſanavit.

XIII. De alio, cui alapam in faciem dedit & ſurditate maximâ percuſſit, ac poſtea ſanavit.

XIV. De palla, quam ſanctimonialis de altari in villa vocabulo Marcha, tulit, ex qua poſt ablutionem ſui capitis, ipſum caput exterſit & crines perdidit.

XV. De ſepulchri ejus redolentia, quando prima ab artificibus dimota eſt terræ glebula.

XVI. De piſce in villa Calco, quem unda in navim injecit.

XVII. De vinea in villa Maranco, fraude ſublata & reſtituta.

XVIII. De ab exortu ſurdo pariter & muto, quomodo curatus eſt.

XIX. De cuppa beati patris noſtri Remacli qualiter inventa eſt.

A

CAPUT I.

Contracti ſanati, diſrupta ferrea vincula, cæcis lumen redditum & muta loquela; pejerans punitus.

CAP. I. *Miſerè contractus ſubitò erigitur,* * *Ms. Rubeæ Vallis ſubſtituit* Stabulenſis

EO namque tempore, quo fabrica altaris eccleſiæ noſtræ * agebatur, contigit adeſſe ibi quemdam Joſeph nomine, qui ita curvus erat, ut ſupra genua incumbens caput ſurſum erigere non poſſet: ſed nec penitus immobile id uno in loco tenêre diutiùs valebat. Qualiter autem illi acciderit, referebat: quia dum eſſet ſolus poſitus cum ſuo equo in campo vicini ſui, ejuſque herbam injuſtè depaſceret, à fulgure ignis * divinitus percuſſus ita exuſtus eſt, ut mox capite depoſito curvus redderetur. Quadam verò nocte, quæ Dominica dicitur, dum fratres ad divinum Officium perſolvendum devoti inſiſterent, ecce idem debilis in pavimento tempi proruens, magnis clamoribus vocum * eccleſiam replevit, in tantum ut præ nimio pavore hi, qui ad vigilias obſervandas aderant, veloci curſu fugientes loca altaris irreverenter irrumperent, neſcii quid illis agere conveniret. Interea religioſi monachi hymnos matutinos ſublimiter in laudibus Dei, prout erant aſſueti, percelebrantes, venerunt videre, quid clamoſis vocibus languidus pateretur: eumque intuentes, perſpiciunt omnem nodoſitatem membrorum illius diſſolutam, & in priſtinum robur artus corporis redivivo greſſu firmiter erectos.

* *Mabill.* fulguris igne

B

* *al.* totam

2 Sciſcitantibuſque quomodo id actum ſit, aſtruebat vidiſſe ſe quaſi faculam ardentem à lecto beatifici * Pontificis proceſſiſſe ac ſe ſubitò irradiaſſe, & omnem illam debilitatem ab eo abſtuliſſe, proprioque ſtatui reſtituiſſe; mirumque in modum cerneres * omnem plagam illius ignis, qui à fulgure proceſſit, abſterſam, non ſolùm ſimilem reliquæ carni, ſed etiam candidiorem, immò & ſaniorem; & qui aliorum manibus [vel] vehiculis in eccleſiam deportatus fuerat, ipſe jam corpore ſanus cœpit iter gaudens veloci greſſu carpere & adminiculo alterius non egere. Tunc devoti monachi ſollemnes laudes Deo & ſancto Patrono exultantibus animis referunt, quòd talia per eum dignatus [ſit] oſtendere ad laudem nominis ſui. Servantur etiam baculi vel ſcabelli *a* ipſius ſanati vel plurimorum ibi ſanitatem recipientium, pendentes ad januas eccleſiæ in monimentum virtutum Chriſti, ut videntes enarrent magnalia ejus.

viſo lumine è loculo Sancti prodeunte: * *al.* beatiſſimi * *al.* cernens

C

a

II. *ſolvitur ferro vinctus,* * *Mabill.* jacebat

3 Alio itidem tempore quidam ferro vinctus veniens, ilico dum cancellos attigit, ſtatim ferrea vincula ita ſunt diſrupta, ut à loco, in quo æger ſtabat * uſque ad locum lecticuli, in quo ſacratiſſimus cinis antè jacuerat, in pavimento corruerent, & homo incolumis permaneret. Perſtrepentibus omnibus ac mirantibus, qui aderant, vident abſolutum à vinculo, quem paulò antè ferreis manicis viderant aſtrictum. Talique gaudens munere cum gratiarum laudibus reverſus [eſt] in domum ſuam cum pace.

III. *& cæca illuminatur.*

4 Per idem ferè tempus fuit quædam fœmina ex Hasbanio *b*, orbata luminibus, quæ longa ægritudine his tenebris circumdata detinebatur. Hæc correpta viſione nocturnâ admonetur, ut mittat, qui perferat ad eam ex fonte Viri ſancti & ex hoc bibat & oculos abluat, quod ut fecit, ſtatim viſum recepit. A. ANONYMO. *b*

IV. *Alter ob violatam diei Dominicæ religionem cæcitate punitus,*

5 Nec illud ſilendum æſtimo, quòd quidam homo, nomine Amulgerus, dum tempore meſſis ad ſpicas recondendas die Dominica, quæ eſt abſoluta liberiùs à ſervili opere, inſudaret attentiùs operi ſibi competenti, nec daret honorem Deo ceſſando à laboribus, cum conjuge ſuâ plauſtra onerans, ac domum recondenda deducens; contigit unam ex feſtucis oculum ejus dextrum illidere ſubitóque luſcum reddere. Hoc dolore amiſſi oculi, altero quoque orbatus remanſit: cúmque eſſet circumdatus tenebris, dira in hac cæcitate mœſtus triſtiſque æger perdurat. Tamen non diffidens de miſericordia Dei, ſuffultus ducatu alterius plurima loca Sanctorum circumiens, precabatur eorum ſuffragiis ſibi dari ſoſpitatem. Huic itaque labori inſiſtens quadam nocte ſopori deditus, meruit audire reſponſum, quòd non alicubi eſſet illi ſalus præſtanda, quouſque ad memoriam veniret ſanctiſſimi Confeſſoris Chriſti.

E

meritis Sancti recipit uſum oculorum, * *Ms. Rubeæ Vallis* Stabulo * *Mabill.* ſubitò

6 Quo comperto gaudens de admonitione divina, nocturnis ſilentiis remotis, alacer à ſomno exſiliens, veloci curſu paſſim peragrans loca, tandem pervenit in Sabbato * ad optatum diutius locum. Nocte verò ſequenti, quæ Dominica dicitur, dum fratres ex more veſpertinos hymnos ſollemniter cantant, ecce iterum * totam replet debilis eccleſiam vocibus, ita ut omnes agnoſcerent adeſſe Dei virtutem. Quo cognito, ſervi Dei extollunt ſublimiter ora in laudibus Chriſti, qui conceſſit illis [videre] magnalia ejus: expletoque curſu *, venerunt videre opera divinæ gratiæ in membris infirmi, luminibus jam clarè videntis omnes circumquaque [ſe] intuentes. Conſiderantibus ergo referebat, quia viderit à loco mauſolei inſtar radiorum ſolis fulgurantem lucernam, illique tam aures quàm caput omne concuſſiſſe, & tenebras abſterſiſſe, lumenque dediſſe. Surgenſque à loco, quo proſtratus jacuerat, ab eccleſia lætus egreditur, viam carpens & viæ ducem ulteriùs non requirens *c*.

* *idem* cantu

F

c

V. *quos imperator deoſculatur:*

7 Nec multo pòſt, perluſtrante circumquaque fama, pervenit hoc factum mirabile ad aures invictiſſimi principis Lodowici *d* ac procerum ejus. Sed & is, qui cæcus fuerat, ab his, quibus jam cognitus habebatur, ei oſtenditur, narrans, quomodo * viſum recepit per merita ſanctiſſimi Viri: atque multimodas gratias retulit imperator omnipotenti Deo, deoſculans lumina divinitus illi reſtituta, immenſoque replebatur gaudio, quòd in diebus ſuis tanta miraculorum inſignia [per Militem ſuum] dignaretur oſtendere Dominus.

d

* *al.* qualiter

VI. *alius membris omnibus contractus*

8 Illud etiam non arbitror reticendum, quid actum ſit in loco, qui ab incolis commanentium Dervum *e* nominatur. Hujus rei talis fuit occaſio, quam narro. Erat enim abbatis noſtri *f*, qui tunc temporis ambobus præerat locis, permaximum omnino ſtudium, ut in ſuperiùs denominato loco regularis creſceret cultus; quia ad ejus uſque tempora canonicis deſudabant *g* actibus, feceratque ſeniores fratres ex nobis [illic] commorari, qui ſuaderent eis omnem ordinem regularem firmiter tenendum jugiterque ſervandum. His diſciplinis intentis, contigit adeſſe feſtivum piiſſimi Doctoris noſtri diem: cúmque

e

f

g

A. ANONYMO. adhortationibus rectorum eos docentium de actibus beatiſſimi [Antiſtitis] cognoviſſent, unà concordi animo vigilias devoti ſpondent ex more, celebrem ducere noctem. Interea dùm hæc aguntur, evenit Deo favente adeſſe ibi quemdam contractum membris omnibus, ut viderentur plantæ pedum ipſius conjunctæ femoris loco. Iſque magnis cœpit conatibus precum inſiſtere, quo poſſet ſupplex in eccleſia pernox Dei pietatem exſpectare: quia dicebat ſibi dudum cælitus nuntiatum, inibi affore monachos à partibus ipſius Sancti, qui deſudarent in excubiis vigiliarum illius noctis, illicque debere ſe ſciret ſanitatem recipere.

ſanatur in monaſterio Dervenſi, prævia apparitione:

9 Hac viſione in fide confortatus ſecurè in templo pernoctans erat; & ecce, ſtatim ut ſilentium quietæ noctis omnes capiunt, æger jacens inquietat repentinis clamoribus ſomnum capere deſiderantes, ſurgenteſque, ut ita dicam, inviti ad percelebrandum [divinum] Officium intrant, jam læti de conſolatione Domini. Perfectis ergo diutinis precibus, adeunt perſpicere mirabile factum, ægroti membra in priſtinum gradum reſtituta. Iterum aguntur laudes, iterum excitantur attonitis cordibus ſublimia * vota, quia etiam in longinquo poſitis illis non defuit Sancti memoria. Interrogatus autem qualiter illi viſum fuerit, retulit ſe vidiſſe quemdam ieroprepem *h*, vultum angelicum ac fulgidam ſpeciem gerentem à foris eccleſiam ingredientem, eique manum porrigentem & ſalutem præſtantem: talique curatus modo gratulabundus cœpit iter carpere, & qui antè aliorum deportatus fuerat manibus, proprio jam greſſu reſtituto, ivit domum ſuam cum pace.

B

* *al.* ſupplicia

h

VII. *muta loquelam recipit.* * *Mabill.* Rothlindis, *al.* Richlindis

10 Interea non tacebo, quòd quædam fœmina Hrodlindis * nomine ita muta diu permanſerat, ut nec ſignum locutionis in ea cognoſci potuiſſet ullum. Hæc itaque ad ſacratiſſimi diei vigiliarum feſta pii Patris adveniens, pervigilans erat, præſtolabaturque pietatem omnipotentis Dei, ac motibus animi, prout poterat, precabatur ſui miſereri. Quam intentam huic anxiæ perturbationi virtus divina circumtexit, & inter populærem turbam, quæ eſſet, quæ plus cæteris ſolamine eguiſſet, clementia eximii Patris recognovit. Convenientibus ſiquidem omnibus [qui] aderant ad ſacras vigilias obſervandas in eccleſiam, devotiſſimis ſervis Dei & cum omni diligentia & laudum ſublimitate Officium nocturnum perſolventibus, adeſt viſitatio ſuperna, quæ laborem illorum non patitur eſſe vacuum: ſed ut confirmaret fidem & pios actus illorum, debilem, quam ſpiritus immundus ita mutam reddiderat, ut à nativitate [ſic] permanens nullum penitus verbum mutire videretur, ecce ſubitò miram rem vidimus, ſic [videlicet] loquacem effectam, ut nullus noſtrùm rectiùs loqui nec formare verba poſſet. Et ita gaudens de munere divino effecta, gratulans & laudans Deum ac ſancto Patrono grates dignas perſolvens rediit ſoſpes domum ſuam cum pace.

C

VIII. *Ultio in perjurum prædii invaſorem.*

11 Præterea in memoriam venit, quòd quidam homo prava animi voluntate deceptus terram ejus injuſtè abſtulit, atque in ſuum dominium uſurpare tentavit. Comperto verò noſtri, quòd talia ille iniquus præſumeret, corripiunt cum blandis hujuſcemodi verbis: quia ei non competeret contra Sanctum Dei tam injuſtam rem agere, ut ei res ſuas violenter vellet auferre. Ille autem nihil cunctatus, imò ad terminos loci cum defenſoribus ſuæ partis adveniens, proteſtatus eſt ſub teſtificatione jurisjurandi falſorum * teſtium, quòd magis conveniret ſuæ ditioni pars illius terræ, quàm partibus eccleſiæ noſtræ. Verùm & imprecatus eſt ſibi ita exprobrando: Sic ſubveniat mihi in neceſſitatibus meis meritum * illius Sancti, & ſic maneant capilli in capite meo vel * pili in barba mea, quomodo ego rectè dico, & mea eſſe judico. Sicque ab ipſa hora, ſicuti ipſe poſtulavit, ſine capillis & barba glaber remanſit. Nam * [&] ſubſecuta nocte ægritudine oppreſſus adeoque eſt languore confectus, ut ungues ejus vel * pili corporis ab eo divellerentur; talique labore aſtrictus non ſolùm terram, quam vi tollere voluerat, reddidit, ſed etiam duplicatam ex ſuo reſtituit; attamen capillis & barbâ, quanto ſupervixit tempore, caruit.

D

* *Mabill.* falſator

* *al.* auxilium

* *Mabill.* &

* *idem* Etiam

* *al.* &

ANNOTATA.

a *Ms. Rubeæ Vallis* ſcamelli, *quæ vox ſecundum Cangii Gloſſarium* propriè uſurpatur pro iis ſcabellulis, quibus repentes manibus innituntur: Germ. SCHIMMEL. *Eadem notione dicitur* ſcabellum, *&* ſcabellus *ut patet ex hoc loco.*

E

b *Idem Ms.* Hasbania, *uti communiter appellatur:* Haſpengou *indigenis*, la Hasbaye *Gallis. Tractus eſt Germaniæ in ditione Leodienſis epiſcopi, inter Brabantiam, Moſam, & Leodium urbem extenſus, cujus caput Fanum S. Trudonis, ex Baudrando. Videri etiam poteſt Valeſius in Notitia Galliarum pag.* 242.

c *Codex Valcellenſis addit* amen, *nec plura de miraculis habet.*

d *Al.* Hludowici. *Erat is Ludovicus cognomento* Pius, *Caroli Magni filius, imperii conſors factus à patre anno* 813, *à Stephano IV PP. imperator coronatus* 816, *& defunctus* 840. *Diplomata, quæ Wirundo abbati conceſſit anno* 814, *videri poſſunt apud Martenium tom.* 2 *Collectionis ampliſſimæ col.* 21 *& ſeqq.*

e *Apud Mabillonium* Dervus, *vulgò* Der: *qua in ſilva exciſa & culta S. Bercharius condidit monaſterium Dervenſe* Monſtier-en-Der, *in pleriſque tabulis Campaniæ Gallicæ corruptè nuncupatum* Montirandel, *teſte Valeſio in Notitia Galliarum pag.* 170. *Situm eſt in diœceſi Catalaunenſi* (Châlons ſur Marne) *& pago Pertenſi* (le Pertois) *non longè ab amne Vigera*, la Voire. *Plura de hoc monaſterio dicentur in Vita S. Bercharii ad* 16 *Octobris.*

F

f *Fuit is Odo ſive Haudo, aliis Hauto & Ando, abbas Stabulenſis ſimul ac Dervenſis, qui, favente Ludovico Pio imperatore, Dervenſes clericos ad priſca monachorum inſtituta revocavit anno* 827. *Mortuus eſt inclinante anno* 836, *poſtquam præfuiſſet annis* 19 *ex Dionyſio Sammarthano in Abbatibus Stabulenſibus, col.* 941 *&* 942. *Hinc deprehenditur ætas ſcriptoris.*

g *Mabillon.* Canonici inſudabant, *omiſſo actibus. Hac phraſi anonymus ſignificat, è monachis clericos fuiſſe factos: uti poſt eum apertè ſcripſit monachus Dervenſis in miraculis S. Bercharii apud Mabillonium pag.* 844 *num.* 2, *ſubdens num.* 4 *idem beneficium, quod hìc ſequitur.*

h *Sic etiam habet Ms. Rubeæ Vallis; aliud cum Mabillonio hîc* geroprepem, *duo alia Mss.* geroprebem, *à Græco* ιεροπρεπὴς *corruptè litteris Latinis exarato. Mabillonius parte* 2 *Sæculi* 3 *pag.* 628 *rectè tegendam monet* hieroprepem, *id eſt*

A *eſt, inquit*, ſanctum, *quo ſenſu Paulus ad Titum cap. 2. ℣. 3 πιστεύσδας ... ἱεροπρεπεῖς appellat. Lucianus presbyter à Cangio citatus tom. 3 Gloſſarii col. 877*, Jeruprepem *interpretatur* dignum Sacerdotem.

CAPUT II.

Pœna alteri inflicta, qui votum fregerat; reſtitutus cæcis viſus & ſurdis auditus: ſurripiens linteum altaris punitur, at dein pœnitens ſanatur: ſuavis odor è Sancti tumulo.

IX. *Votum frangens luit pœnas,*

A Lius etiam voto ſe obligans, unum delegavit arietem ad eccleſiam ſanctiſſimi Viri ſe daturum vita comite: quem diligenter cuſtodiens, jamque adultum, feſtivum diei tempus exſpectans, cum eodem ariete cœpit tendere ad locum nuper mente deſtinatum. Cúmque jam vicinus eſſet monaſterio, illudque eminus aſpiceret, voluntas animi ejus diu ſervata antiqui hoſtis inſidiis immutata eſt; ſicque pulſatus à diabolo paululùm ſubſtitit, & in partem alteram divertens, pignus, quod ſponte dederat, abſtulit & in ſuos uſus convertere præſumpſit. Nam adveniente nocte epulas ſibi de eodem bidente parans, non diſcedit, donec cum ſuis omnem ejuſdem animalis conſumeret carnem: conſumptoque epulo, memor Dominus ſtultiſſimi voti *a* fuit, quo aſtrictus tenebatur miſer; nam [ita] illi os & vultus penè ad aurem uſque manſit retortus, ut cerneres eum deformitate fœdatum; omnibus intuentibus criminoſum ſe præmonſtrans * votique reum proclamans *. Ita deformis abſcedens, tali ſigno quamdiu vixit, cunctis ſe notabilem præbuit.

a

* *Mabill.* præmonſtrantem *&* proclamantem

X. *cæca viſum recuperat,*

13 Fuit præterea quædam fœmina nomine Ermenrada, per tres menſes amiſſo lumine cæca, quæ ammonita eſt in ſomnis, ut aliquod votum Sancto committeret, ac ille viſum illi redonaret. Et licèt rebus pauper, fide integra tamen manſit; nam penè nihil aliud reperire potuit, quàm caput ſuum præcingentem *b* candelam, quam per gerulum ſuum dirigens poſtulavit totis niſibus, quo * accenſam ante ſacrum ſepulchrum poneret; ut ibi, quouſque duraret, inextinguibilis arderet. Quod ut * lucerna hominum aptata manibus officium ſplendendi amiſit, lux diu negata extemplo cæcæ debili eſt reddita, & [ipſa] ſanitati priſtinæ [eſt] reſtituta.

C

b

* *al.* quòd

* *al.* Quando autem

XI. *item alter, qui uſum oculorum amiſerat ob defraudatum pium legatum:*

14 Inſeram quoque huic narrationi aliud miraculum, quod pluribus habetur notum, quia non plus ex hoc quàm biennio conſtat impletum. Quidam etenim [homo] nomine Lungulfus *c* à conjuge ſua, quam ægritudo diuturna uſque ad mortem perduxerat, poſtulatus eſt, ut fibulas argenteas pro abſolutione ſua ad locum beatiſſimi Antiſtitis deportaret, ibique pro ereptione ſuæ animæ depoſceret. Qui audiens blandiſſimam vocem conjugis, ſpondet ſe impieturum quæcumque illa ſuggeſſerat. Poſt mortem verò ejus, oblitus ſponſionis ſuæ, immemor etiam privilegii * conjugalis, parvi pendenſ-

c

* *i. e.* juſſi

que timorem Dei vel * amorem, apud ſe retinuit argentum, illudque in proprios uſus convertit, & mulieri defraudavit. Quod facinus occultorum Cognitor inultum abire non patiens ita egit, ut ille perfidus profundæ cæcitatis tenebras incurreret, & per ſex menſes [luminibus] maneret orbatus. Cúmque à vicinis vel cognatis requireretur, quid illi contigiſſet, cùm antè videns, nunc cæcus ſit ſubitò effectus; non valens ultrà peccatum ſuum abſcondere, confeſſus eſt, ob reatum furti erga uxorem ſuam habitum * videndi officium luminibus eſſe ſubtractum. Adhortantibus autem, qui cauſam hujus facti ab eo cognoverant, ſumens munus quodlibet in manibus, properè venit ad monaſterium; ibique facinus, quod habebat latens, fecit apertum, & nocte ſuperveniente illic continuatim ad ſepulchri locum in precibus perſeverans, aurorâ illuceſcentis diei clarè omnia vidit, ſanuſque inde rediit.

A. ANONYMO. * *Mabill. &*

* *idem habiti*

XII. *ſurdus auditu donatus,* * *al.* etiam *d*

15 Nuper igitur * accidit, ut quidam ex familia noſtra nomine Gotherus, per ſomnium à ſpiritibus nequam vulneratus, ſurdus eſſet effectus. Hic itaque nocturno ſilentio pulſatus juſſus *d* eſt venire & viſitare limina ſacra beatiſſimi Remacli, ubi ſciret ſe recuperaturum prioris valetudinis amiſſionem. Dum ergo hac hæſitatione anceps multúmque mœſtus incederet, fratribus ſtipendia farris reliquis manſoribus in vehiculis ferentibus, ipſe quoque juxta menſuram ſibi indictam cum cæteris ferre non diſtulit. Et cùm veniret haud procul à monaſterio, bos illius nimiam laſſitudinem vel cujuſlibet rei injuriam paſſus, in eodem ſubſtitit loco. Tunc anxius & trepidus homo factus, nihil aliud agere valens, manſit ibi nocte illa, ſervans injunctum ſibi ab exactoribus opus. Medio verò tranſacto ſpacio noctis, quidam ſenex ad eum veniens & in ſopore poſitum cernens, interrogat unde eſſet, vel quò tenderet, cujuſque foret obſequium, quod ſervaret. At illi reſpondiſſe [ſe] viſum eſt * omnem ordinem rei, juxta quod ille fuerat ſciſcitatus; aſpicienſque ad eum cognoſcit virgam manu geſtantem, quam elevans idem vir ſplendidus, caput & aures ejus percuſſit & abſceſſit. Evigilans itaque infirmus ſanitati eſt reſtitutus. Mane verò facto, commodavit cuidam commeanti * illic fœnus *e*, & bovem illius precio ſumpto accepit, atque annonam, quam ſervaverat integro numero reduxit & gratias Deo pro ſanitate data retulit; ſicque gaudens abſceſſit, & ad diverſorium rediens bovem, quem penè moribundum reliquerat, incolumem invenit, & cum gaudio ad domum rediit.

* *Mabill.* At ille reſpondit in viſu

* *in aliis* commanenti

e

XIII. *alius etiam alapâ, ut fertur, & ſurditate à Sancto percuſſus,*

16 Huic etiam miraculo aliud ſimile pandam. Erat quidam ex eadem familia Theodradus *f* nomine, qui horâ diei ſextâ exarabat terram ſeminario uſui aptam: & ecce oculos attollens conſpicit [eminus] venientem eumdem [virum] ſenem, canitiem capite geſtantem, clerici formam monſtrantem, & exſpectans eum ad ſe uſque properantem, ſalutavit humiliter. Interrogatus unde eſſet, vel ſi ſciret, quomodo ad monaſterium ire potuiſſet; [ille ſe] optimè ſcire proteſtatus eſt. Et ille: Perduc me, inquit, ad locum, quia oppidò illuc deſidero celeriùs venire. Is equidem negligens effectus reſpondit [ſe] non poſſe opus ſibi conveniens * derelinquere ejuſque famulatui obſecundare; multúmque ab eo precibus poſtulatus, nullum omnino præbuit aſſenſum. Cúmque ſol occaſum daret, & noctis initium ſequeretur; ſopori dedi-

f

* *al.* commiſſum

A. ANONYMO.

dedito adest idem vir æquali formâ similia deprecans. Illo ergo nullo modo præbente assensum, alapam ei in faciem dedit, eumque surditate maxima percussit.

ab eodem sanatur:

17 Non paucis verò diebus evolutis, necessitate compulsus ad sacratissimum ejus tumulum humilis veniens, precabatur ejus auxilio sibi faveri. Nec diu distulit quod petebatur; quin conferre salutem noxio ocius voluit; nam Dominica item nocte in ecclesia se poni ægrotus jubet, dicens sibi confidere salutem [adesse] quantocyus, Sancto Dei præstante. Unde secundum fidem ejus mox sanitas secuta est, quod * postea narrare nobis consuevit; quia dum sederet exspectans sibi auxilium affuturum, aspicit lumen ab altari procedere, & eumdem, quem antea viderat, virum lucernam manu tenentem, signo crucis se assignantem *, omnemque infirmitatem membrorum debilium curantem; sicque postea roboratis viribus, in excubiis ejusdem templi incolumis perseverans perenniter manet.

* *al.* nam

* *al.* consignantem

B

XIV. *linteum in dedicatione ecclesiæ oblatum*

18 Villam in pago Falminensi *g* sitam vocabulo Maream *h* ferunt incolæ in dotem ecclesiæ monasterii nostri cessisse. In eâ igitur nuper, agente opportunitate, oratorium ab indigenis extrui parabatur; sequente verò votum effectu, opus initur, collatoque divinitus auxilio tota in brevi fabrica lignea quamvis materiæ *i* consumatur. Quo facto, sacerdotem populi de more ad benedicendum invitant, priùs tamen à monasterio sancti Remacli pignora, quo ejus saceraretur de nomine, dari sibi petentes. Annuitur itaque à [tribus] fratribus fideli petitioni, conditoque benedicendi die, per sacerdotem nomine Goderannum expetitæ beati Viri reliquiæ obviàm pontifici diriguntur: à quo veneranter exceptæ in * loco competenti sunt decenter aptatæ. Expletisque de more vigiliis ac cæteris huic ritui congruentibus, ubi ventum est ad altare tegendum, matrona quædam venerabilis nomine Grimvara, cujus ea maximè gerebantur instinctu, linteum, quo sanctum operiretur altare deferens, antistiti illud sub testificatione porrexit, ne aliquando inde, nisi lavandi gratiâ removeretur. Quod ut sibi quoque relinqueretur gerendum, pietatis affectu expetiit, credens sibi futurum subsidio, si quid servitutis Confessori impenderet sancto.

g h i

* *al.* ac

C

19 Omnibus itaque ritè peractis, discessum est. Post non multum verò temporis sanctimonialis *k*, quæ ibidem sese ad serviendum devoverat, aliquorsum ire parans, diabolica, ut pòst claruit, instigatione oblita propositi, pallam, qua prædicta mater-familias altare texerat, sustulit, ac capiti superpositâ, quò disposuerat, tetendit. Sed mox temerarium actum divina prosequitur ultio. Namque domum reversa, exagitante semet * dæmonio, aquam calidam præparat, & aquâ caput abluens eodem prædicto festinat extergere linteo; quod ilicò cuncti secuti crines, ita omnes penitus à vertice defluxerunt, ut in eo nullum capillaturæ indicium remaneret; factumque est ut naturale perderet tegimen, quæ alienum injustè usurpaverat velamen. Quin etiam ad augmentum suæ infaustitudinis, caput totum prurigo pervadit eotenus, ut, quod dictu turpe est, ipsis quoque vermibus scateret.

quædam furripiens eoque abutens punita, k

* *Mabill.* se mox

sed deinde pœnitens morbo liberata.

20 Qua punitione graviter coarctata rem gestam sacerdoti pariter omnique populo ex ordine pandit, atque pro sui absolutione Dominum rogare deposcit: qui suarum id non esse virium considerantes, nuntios ad monasterium dirigunt, qui eadem fratribus perferant, ac pro salutis ejus recuperatione ab eisdem exorari præmoneant. Nec mora, placatus suorum flagitatu Patronus, remissâ noxâ, mulierculam priscæ restituit sanitati. Denique restricta protinus sanie, revivíscente quodammodo cute, renasci crines cœperunt, sicuti ab origine: paulatimque invalescendo redivivam, ut ita dicam, ex anu puerperam ostentabant. Satisque fuit hoc exemplo addiscere, ne res sacras quisquam audeat temerare. Hujus rei testis est adhuc vivens matrona memorata cum conjuge, quibus tot extant stipulatores, quot prædii constat eo tempore fuisse habitatores.

D

XV. *Sancti sepulcrum odorem suavissimum spirat.*

21 Visum est aliquando fratribus & custodi circa venerabile beati Viri sepulchrum nonnulla emendatione digna haberi; pro quo artificibus evocatis, quid super eo agendum sit consulunt. Qui, circumspectis diligenter omnibus, cernunt supereminere quiddam à loco opertorii, quod nisi amoveatur, nequeat desuper fabrica competenter aptari. Itaque die statuto artifices cum rastris, malleis ac forcipibus adsunt, obseratisque undecumque foribus, viritim effodere terram, quâ sepulchrum tegebatur, incipiunt; quam tamen ita tenacem reperiunt, ut vix magna difficultate posset * resolvi. Porrò res clanculò gerebatur, nemine absque fratribus, solisque eorum * operum magistris scientibus. Ut primùm igitur supereminens illa parumper dimota est glebula, tanta ex sepulchro emanavit redolentia, ac si ibi thymiama cunctaque simul odorifera cremarentur pigmenta *. Quo hausto, opifices hærent continuo stupore perculsi, ac relicto opere nituntur procul aufugere. Custos verò altioris ingenii divinam agnoscens virtutem, monet nil esse pavendum, sed potius cœpto vigilanter operi insistendum: ex eo magis debere intelligi adesse præsentiam beati Viri, qui tali auspicio se demonstret eorum piæ fauturum in omnibus voluntati. Igitur his operatores [verbis] reaccensi simulque paradysiaco nidore respersi cœpta perficiunt lætabundi: prædictus verò odor foràs erumpens ita se per omnem totius loci diffudit spaciositatem, ut universis prodiderit factum, quod manere fratres voluerant incompertum *l*.

E

* *al.* possit facultate

* *al.* eam

* *i. e.* aromata. *Vide Cangium.*

F

ANNOTATA.

a *Anonymus votum illud* stultissimum *appellat, quia non impletum; magis propriè dixisset* infidele. *Videri potest monitum Ecclesiastæ cap. 5 ℣. 3 & 4. Sensus apud Mabillonium, omisso* fait, *ita expletur*, memor dominus stultissimi voti, in quo adstrictus tenebatur, miser digno ultus est judicio. *Ubi* ultus est *passivè intelligendum.*

b *Ms. Rubeæ Vallis* pertingentem, *Mabill.* nihil aliud reperire potuit caput suum nisi præcingentem candelam. *Scriptor significare voluit, opinor, parvam candelam longitudine æquantem caput mulieris. Surius edidit* cereolum.

c *Mabill.* Lungul, *alibi* Jungulfus *&* Mungulphus *scribitur.*

d *Ms. Rubeæ Vallis* nisus, *Mabill.* visus; *utrumque mendosè.*

e *Phrasis obscura: in Ms. Rubeæ Vallis legitur* commendavit fenus, *apud Mabillonium* commendavit sanus, *sed nihilo clarius. Existimo anony-*

A *anonymum narrare voluisse, quòd rusticus ille sub pignore alium bovem emerit vel conduxerit, metuens verisimiliter, ne bos suus in diversorio moriens esset.*

f *Theodradum hunc seu Theodardum, ut alibi vocatur, surditate quadam liberatum fuisse meritis Sancti, facilè crediderim: sed previæ apparitiones cum suis adjunctis mihi suspecta sunt.*

g *Mabill.* Falmiensi. *Translatio S. Eloquii apud eumdem pag. 655* Falemanienſem *vocat. De* Falemannia *videri potest Valesius in Notitia Galliarum pag. 191, ubi ait pagum hunc vulgò dici* Famenne *aut* Faminne, *proximumque esse pago vel provinciæ Arduennensi, ad Urtam* (Ourt) *& Letiam* (Leſche) *flumina posìtum. Hoc miraculum & aliquot sequentia desunt in apographo Rubeæ Vallis & Ms. codice Duynii.*

h *Vulgò* Marche en Famine. *Castrum est in Falemannia ad amniculum, quo Urta augetur, teste Valesio citato. Clariùs describitur à Baudrando in hunc modum:* Marca Famina, seu Martia . . . oppidum Belgii in Ducatu Luxemburgico, intra Arduennam sylvam, in limite di-
B tionis Leodiensis, VI milliaribus Germanicis distans à Leodio in Meridiem.

i *In apographo Bambergensi* materie. *Apud Mabillonium* lignèâ quavis materiâ.

k *Id est*, devota, *ut notat Mabillonius, cujusmodi plures feminæ tunc temporis, assumpto velo, alicui ecclesiæ se devovebant, etsi manerent in privatis ædibus. Addit, Hieronymum in epistola quadam* de vitando suspecto contubernio *agere de ejusmodi devotis feminis, iisque* furvas *seu* pullas *vestes tribuere.*

l Hactenus liber Mirac. S. Remacli in cod. Cisterciano, *inquit Mabillonius, apud quem plura aliter leguntur præsertim in duobus ultimis miraculis sed non omnia & singula notanda duxi.*

CAPUT III.

Piscis prodigiosè captus: curata hydropisis invadit denuo voti violatorem, qui postea, redintegrato voto, sanatur; item surdus & mutus à nativitate fur nequit discedere donec Sancti cupam reddat, quæ dein honorificè conservata.

c

XVI. *Monachus conatu irrito aliquamdiu piscatus,* a

VIlla est super fluvium Mosam *a* sita nostræ ditioni subjecta, Calcus vocitata: in ea igitur, eo quòd sit piscaturæ habilis, antè moris erat monachum à monasterio statuere, de cujus non dubitaretur fide, vitâ pariter & conversatione; qui circa piscationem sollicitus, quæ Domino largiente caperet, certo fratribus tempore dirigeret vel deferret. Quadam ergo vice cuidam grandævo fratri, nomine Leutfrido, hoc officium deputatur; qui cùm per annotinam revolutionem in opere [sibi] desudaret injuncto, secundus valde, ut assolet, pia studia sequebatur proventus, in tantum ut copiosam plerumque monasterio piscium destinaret capturam. Contigit autem aliquando beati Remacli de more diem festum adesse; quamobrem prædictus senex magnopere studet agere, ut sufficientes collegis pisces valeat ad reficiendum exhibere. Fit itaque frequens ad lacum *b* (Mosam dico) recursus, retia trahuntur, sagenæ mittuntur, cunctaque piscandi genera instruuntur; sed nullus omnino piscis capitur, negatâ sibi, ut reor, comprehendendi facultate divinitus. A. ANONYMO. *b*

23 Unde admodum senior contristatus quid ei sit agendum ignorat: instigatur enim Patroni amore ad ejus sollemnitatem quantocitus properare, nec minùs urgetur pudore, quòd secum nequeat solita piscium donativa deferre. Pendet itaque in ambiguo, utrùm inglorius monasterium petat, an domi tristis resideat. Evincitur tandem amore verecundia, atque ita mox facta deliberatione iter agendi *, jubet sibi navim ad transmeandum aptari. Quâ consensâ, cœpit tacitus inter navigandum revolvere ista secum: Placetne tibi, inquit, Confessor almifice, ut expenso tam diutino labore, nullum prorsus operis mei referam fructum? Quid admisi facinoris, pro quo mihi omnis est abnegata facultas piscationis? Atque utinam antè hîc, si mererer, sæva hujus fluminis experirer naufragia, quàm pro * me fratres aliqua suorum perferrent sumptuum dispendia. *tandem invocato Sancto,* * *al.* iterandi B * *al.* per

24 Dum hæc igitur atque alia dolore actus maximo, silenti, ut dixeram, secum loqueretur animo, exaudivit fidele murmur pia sancti Confessoris dignatio; elevataque subitò à flumine unda navim concitè tamquam acta flamine petiit, ac magnum in ea piscem cum latice simul injecit, quem apprehensum unus è nautis ad littus evexit, ac monacho sociis deferendum porrexit. Tum alacris senex effectus est *, quòd etsi serotinam, mirabilem tamen obtinuerit virtute Sancti capturam: superpositum saginario *c* fluvii captivum asportans, iter sub celeritate arripuit ac, quò tendebat, Domino favente, cum omni salubritate pervenit. Exposito autem in omnium conspectu squamigero *, novo piscandi genere capto, rem per ordinem prout gesta fuerat intimavit: gratulantur itaque universi, dignos se deifica muneratione haberi, grateſque pio referunt debitas Confessori, qui dum unius favet voto, plurimorum consuluit commodo, & ob contegendam singularis monachi verecundiam, cunctis sibi obsequentibus opportunam tribuit escam. Actum est verò prudenti constitutione, ut, diviso in partes pisce, unicuique fratrum ex eo in die sanctæ sollemnitatis competens ministraretur pro benedictione portio; quatenus meminerint se numquam destituendos beati Remacli suffragio, si ejus studuerint invigilare servitio. *piscem ingentem prodigiosè capit:* * *al. omittitur* est *c* * *i. e.* piſce F.

25 In pago Mosaliacensi *d* prædium [quoddam] Marancum nuncupatur, ubi aliquandiu * quidam commanentium graviter hydropicum incurrerat morbum, cumque diutino ejusmodi detineretur incommodo, nec à quoquam curari posset medico, nocte quadam per soporem monetur, quo beati Remacli pontificis tumulum adeat, ibique orationem faciens, vota pro salute persolvat, moxque ab eo se pristinæ salubritati redintegrandum esse cognoscat. Qui protinus facto mane cognatos amicosque accersiens, visionem pandit ac, quò jubebatur, deduci se XVII. *Hydropicus, facto quodam voto, curatur apud sepulcrum Sancti;* *d* * *al.* aliquando

A. ANONYMO.

anhelanter expoſcit, ſpondens ſe quandam partem vineæ Sancto traditurum, ſi pollicitum ei non differat impertiri ſolatium. Nec mora, dictis fidem adhibentes luminaria ſecum deferenda componunt, itineris etiam neceſſaria præparant, ac cum viro pariter ad deſtinatum locum ire quantocius feſtinant. Quò dum perventum eſſet, accerſitis loci cuſtodibus, qua de cauſſa venerint, indicant, atque ſibi eccleſiæ aditum reſerari expoſcunt: quam ingreſſi continuò mauſolei locum reverenter petunt, corámque accenſis, quos ſecum detulerant cereis, ſeſe in orationem proſternunt; cúmque diutiſſimè eſſet oratum, virtutem Sancti languidus ſenſit, ac repromiſſum continuò ſanitatis munus recepit. At ille non immemor voti, vineam, quam ſpoponderat, tradidit, atque ita incolumis cum gratiarum actione ad propria repedavit.

poſtea votum frangens hydrope rurſus corripitur: at reſipiſcens

26 Cùm non poſt multum tempus idem * vir ſecurus jam ab ægritudine redditus, cœpit infœlix, ut mos ruſticorum habetur, cenſùs ſui diminutionem dolere, ac diabolico actus inſtinctu datam ſancto Confeſſori vineam præſumpſit in uſus proprios revocare: collectoque ex ea fructu, liquamen * de more exprimit, ac in promptuario futurum ſalutis ſuæ diſpendium recondit. Qui mox divino perculſus judicio, ab eodem rurſus languore corripitur: atque invaleſcente morbo, lecto decubans tam graviter agere cœpit, ut vitæ ſpem prorſus amitteret. Tandem inter dolores nimios ac dira ſuſpiria reminiſcens temerarii auſûs, ſacerdotem ſimul & cognatos denuo convocat, quibus delicti ſimul & doloris cauſam exponens ab his ſibimet conſultum iri lacrymoſa proſecutione efflagitat. Qui accepto conſilio plauſtrum accommodant, cui vinum, quod miſer fraudaverat, ægrumque pariter imponentes junctis bobus ad beati Confeſſoris tumulum iter denuo dirigunt, dicentes ita miſero: Si tanta eſt tuæ iniquitas fraudis, ut veniam prorſus non merearis, ſaltem [ibi] ſolus pœnale recipe debitum, ubi te conſtat Deo eſſe mentitum *e*: nec inficiat aliena nequitia, quos propria non maculaverit culpa.

votumque redintegrans ſanitatem recuperat.

27 Igitur voti compotes effecti ad monaſterium veniunt; ægrumque pro foribus eccleſiæ ſtatuunt, ac evocatis fratribus rem, quæ antè quidem parùm comperta habebatur, per ordinem referunt; conſignatoque eis vini vaſculo, præſumptionem viri magnopere accuſant: pro eo tamen effundi preces humiliter efflagitant. Quo facto, non defuit de ſe præſumentibus ſolita beati Patroni clementia: ſiquidem nocte eadem ante fores baſilicæ infirmus decumbere, ac dominici Confeſſoris ibidem jubetur virtutem exſpectare. Fratres verò eccleſiam ingreſſi vigilias celebrant, ac pro ſalute viri attentiùs exorant; & ubi dato die, foràs prodeunt, virum ab omni ægritudinis nexu abſolutum ac, quàs noverat, pro recuperata ſanitate Deo gratias referentem inveniunt. Pro quo admodum gaudentes hymnidica * exultatione Domino laudes concinunt, qui juxta Pſalmiſtæ vocem propè eſt in veritate ſe invocantibus, ac poſtulata ſuis ſine improperatione novit ſemper impertiri fidelibus. Ita facto voto de vinea, quòd non ultrà præſumere debeat talia, vir, qui veſtigiis deductus venerat alienis, lætus ad ſua regreditur propriis. Hujus rei teſtis eſt ipſa vinea, quæ in prædicta villa à nobis ex omnibus poſſidetur ſola; teſtes etiam, qui eamdem excolunt, prædicti viri parentes, atque in tantum res habetur cognita, ut pœnè tota teſtis ſit patria.

* *i. e.* vinum

* *al.* hymnice

18 Quidam ab exortu ſurdus pariter factus & mutus, aliis quidem ridiculum, ſuis verò dolorem inferebat continuum: quem altum * parentes mœrore pariter & pudore compulſi mendico cuidam tradunt, ut cum eo loca ſacra circumeundo quotidianum ſibi victum per illum à devotis adquireret *, donec ſuperná viſitatus gratiâ cujuſlibet Sancti meritis negatam diu mereatur conſequi ſanitatem. Evoluto itaque non parvo temporum curriculo, perluſtratis compluribus Sanctorum habitaculis, ad noſtræ tandem mediocritatis locellum utrique deveniunt: quibus de more in xenodochio exceptis, per dies fermè octo victui neceſſaria pietatis ſubrogamus. Mos verò bajuli habebatur, ut, ſoporato languido, ſeſe ab eo clanculò ſubducens, interim quò neceſſe habebat, exiret; aliàs ab eo numquam patiebatur ſequeſtrari, ſolo agnitionis ſenſu eidem divinitus reſervato. Dies autem Adventûs Dominici agebantur; contigit ergo unâ dominicarum noctium *f*, quæ à nativitate erat octava, ægroto pro foribus eccleſiæ decubante ac procuratore abſente, ſigna ex conſuetudine ad celebrandas veſpertinas laudes pulſari. Confluentibuſque populis ad eccleſiam, excitatur morbidus, ut licèt quid gereretur neſcius, divino tamen numine actus, cum cæteris domum ingreſſus, in uno ſolus angulo ſubſiſtit attonitus. Cúmque agentibus divinam nobis reverenter melodiam, ventum fuiſſet ad Euangelicum canticum *g*, ubi voce emiſſa cantor antiphonam de Sapientia dictam inchoat, illicò æger ad terram lapſus quaſi ſuccisis cruribus proruit, ac ſanguine ex auribus pariter defluente ac gutture, voces furenti ſimiles in ſublime attollit; quibus non ſolùm plebem laicam, ſed etiam nos necdum rei conſcios uſquequaque perturbat.

XVIII. *Alter à nativitate ſurdus & mutus*

* *f.* adultum

* *al.* acquirat

f

g

audita & loquelá donatur:

29 At nos, conſummatis laudibus, quo æger decubabat, accedentes, totum pavimentum cruore infectum, miſerumque velut ſeminecem jacentem reperimus. Agnitaque protinus Patroni virtute, elevatum à terra lotumque diligenter aquâ, ante ſanctum tumulum non ſine magno ſtupore ſimul & gaudio deportari fecimus; atque ita, pulſatis denuo ſignis omnibus, ad laudem nos Domini convertentes, hymnum TE DEUM LAUDAMUS clara voce concinimus. Poſt hoc autem cibo potuque ſumpto ad * tam perfectum valetudinis robur evaſit, ut ad agendum quodlibet opus nemo poſſet eo promptior inveniri. Verùm ſermonem adinſtar pueri, aliis proloquentibus, ita addiſcebat, ut nihil aliud diceret, quam quod ante pronunciatum ab alio eſſet: unde manifeſto parebat indicio, nec audiſſe eum priùs, nec locutum fuiſſe. Tantâ autem amoris flagrantiâ beato Confeſſori uterque, ductor ſcilicet ductuſque inhæſit, ut per triennium penè apud nos demorati, acceptis ſtipendiis, cum reliquis loci executoribus deſervirent. Quæ res in tantum claruit, ut venientem ibidem regem *h* non latuerit; qui protinus accerſiri hominem faciens, ſibimet prandenti aſſiſtere juſſit, atque eotenus in eo Viri ſancti eſt veneratus virtutem, ut ei aures & os, ipſoſque etiam deoſculatus fuerit oculos.

* *al.* in

f

h

XIX. *plauſtrum furis nequitiæ loco moveri*

30 Igitur narrabo mirabile factum, quid de cuppa ipſius Sancti acciderit, quæ uſque tunc apud nos negligenter tractabatur, nec digno, ut

A ut decebat, honore ſervabatur. Quodam namque * tempore, dum fratribus annona à famulantibus vehiculis perferretur, ſicuti mos, præbendâ * conſtitutâ illis datâ, ſingulis cum ipſo vaſculo bibentibus, ad ultimum eorum, qui Dominicus vocabatur, cùm veniſſet; miniſter defuit, qui pocula porrigebat. At ille huc atque illuc circumſpiciens nullumque eſſe denotans, abſcondit vas in ſuam ſarcinam, ut ferret ad locum deſtinatum; talique crimine aſtrictus voluit liber diſcedere, qui jam divina virtute tenebatur ligatus. Nam cùm vellet cum ſuis conſodalibus redire cum vehiculo ad domum ſuam, junctis quatuor paribus boum, ita plauſtrum immobile manſit, ut videres illud magnopere cujuſcumque rei mole prægravatum. Correptis itaque ſemel biſque bobus, ita rigidi permanſerunt, ut putarentur inſenſibiles, nec omnino motum ullum penitus habentes. Percunctantibus namque ſociis, quid illi contigiſſet, confeſſus culpam, vas, quod injuſtè auferre voluerat, cum maximo mœrore reddidit: ſtatimque boves libero greſſu, abſolutione ſibi data, currere viam, quâ venerant, alacres cœperunt.

donec is ablatam Sancti cupam reſtituat, * *al.* nempe * *i. e.* portione

B 31 Poſt hoc, repoſitum vas in magna cuſtoditur diligentia, quouſque fama vulgante cauſſam hujus facti audiens venerandus Airicus Indæ *i* monaſterii abbas, magno conamine precum poſtulatam à nobis accepit cuppam; quam in tantam diligentiam ſervat, ut eam ex auro fabricari * juſſerit cum catenis argenteis in memoriam beati Viri; & ante ſepulturam ſanctiſſimi Hermetis *k* martyris dependêre fecit, quem ipſe pater benignus pio labore juſſu Hlotharii *l* imperatoris auguſti à partibus Romanæ Eccleſiæ honorificè ſumptum cum maximo veneratur honore theſaurum ſibi commendatum. Hac ergo relatione comperta, requirit diligenter, ſi haberentur penes nos ſcripta hæc aliaque oſtenta, quæ per meritum Servi ſui operatus ſit Deus. Cognito verò quòd noſtrâ incuriâ vel negligentiâ pœnè in oblivione manerent, nullatenus ſtilo commendata; reprehendere ſive arguere nos prudenter ſtuduit, quòd non rectè ageremus, ut quod apud nos erat revelatum, aliis quoque ignorantibus fieret lucidum, precibus quoque omnibus ſeu ſuo imperio parvitatem noſtram commonuit, ut ei tranſcribere curaremus.

illam dein ſplendidè ornavit Airicus abbas Indenſis, *i*

* *al.* quam tantâ diligentiâ ſervat, ut eam auro includi

k

l

C 32 Hujus itaque parentes juſſionibus, confiſi nobis de obedientia injuncta, aggreſſi ſumus hoc opus prout potuimus, non ut voluimus, & ſicuti dignum erat perficere. Unde ſi minùs * ſermo habetur incultus, imperitiæ magis quàm voluntati eſt deputandum. Hoc maximè ſtudentes, ne vel alia poneremus, quàm quæ ab his, qui viderant, didicimus, vel quæ ipſi per noſmet ipſos probavimus. Nunc itaque, optime paſtor, ſuſcipe à nobis injunctum tuæ charitatis officium ac, ſicuti pollicitus es, neſcientibus tribue relegendum *m*. Sufficient hæc tibi pauca de pluribus, ne fidem rerum, dictorum copia plurimorum valeat impedire: ſi enim omnia, quæ per eum Dominus dignatus eſt oſtendere, poneremus, magnam prolixitatem lectoribus tribuere videremur *n*. [Sed hæc pro memoria in brevi comprehendimus, ut de his & cætera faciliùs immò liberiùs comprobemus.]

quo hortante, auctor hæc miracula conſcripſit.

* *foriè* nimis

m

n

ANNOTATA.

A. ANONYMO.

a *Fluvius eſt Galliæ Belgicæ maximus Cæſari, Tacito, Plinio & aliis; nunc* la Meuſe *Gallis,* de Maes *Belgis: oritur in Campania provincia juxta vicum Moſam, vulgò* Meuſe en Baſſigni, *qui fluvio nomen dedit, ut vult Baudrandus, vel ab eo traxit ſecundum Valeſium in Notitia Galliarum pag.* 361. *Ceterùm de villa* Calco *meminit diploma Lotharii II regis Germaniæ apud Martenium col.* 26, *& infrà redibit ſermo cap.* 1 *libri* 2.

b *Id eſt*, piſcinam. *In Mss. Bambergenſi & Foillanenſi* ad lapſum, *omiſſa parentheſi.* Lapſus *autem eſt* aquæ divortium, quò ſe piſces recipiunt. *Vide Cangium in Gloſſario.*

c *Ms. Bamberg.* ſagmario. *Utraque vox* ſaginarius & ſagmarius *ſignificat equum clitellarium vel ſarcinarium jumentum, teſte laudato Cangio. Per* fluvii captivum *captus piſcis deſignatur. Duo alia Mss. vitiosè omittunt* aſportans.

d *Alibi* Maſaliacenſi & Moſellacenſi. *Deſignari arbitror pagum Moſellanum vel Moſellenſem, id eſt, Lotharingiam ſuperiorem.*

E

e *Reliqua deſunt in codice Duynii, ubi hoc miraculum ultimo loco narratur.*

f *Non, ut Surius edidit, ipſa die Dominica, quæ aliàs fuiſſet dies* nona *ante Natale Domini; ſed Sabbato. Certè* 17 *Decembris id factum eſſe, demonſtrat inferiùs antiphona* O Sapientia: *annus autem ex ſola littera dominicali* B *determinari nequit.*

g *Intelligit* MAGNIFICAT, *nam de Veſperis ſermo eſt. Alia duo cantica Euangelica ſunt* BENEDICTUS *ad Laudes &* NUNC DIMITTIS *in Completorio, ſic dicta quia ex Euangelii textu deſumpta. Vide Macros in Hierolexico ad vocem* CANTICUM.

h *Cùm infrà de Lothario imperatore fiat mentio, ſuſpicor hîc deſignari alterum ex ejus fratribus videlicet Ludovicum Germaniæ regem, vel Carolum Calvum Francorum regem.*

i *Monaſterium eſt Ordinis S. Benedicti, ab Inda proximo rivulo ſic dictum, duabus circiter leucis Aquiſgrano diſtans. Conditorem habuit ſub annum* 814 *Ludovicum Pium imperatorem, teſte Sammarthano tom.* 3 *Galliæ Chriſtianæ col.* 731 · *vulgò appellatur* Cornelis-munſter, *id eſt, monaſterium S. Cornelii, utpote dedicatum S. Cornelio Papæ & martyri, qui* 14 *Septembris colitur. Perperam porrò Sammarthanus col.* 733 *Airicum inter abbates Indenſes decimo loco ponit poſt Adagrinum ſub medium ſeculi* 10; *cùm anonymus noſter, qui infrà teſtatur Airici juſſu hæc miracula ſe conſcripſiſſe, diu ante medium ſeculi* 9 *monachus fuerit tempore Odonis abbatis anno* 836 *defuncti. Vide dicta ad cap.* 1 *lit.* f.

F

k *Geſta hujus illuſtriſſimi martyris vindicata ſunt tom.* VI *Auguſti à pag.* 142. *Ejus reliquias anno* 851 *Indam primò allatas fuiſſe, probatum eſt ibidem pag.* 149 *&* 150.

l *Lotharius, Ludovici Pii ex Hermengarde filius & primus hujus nominis imperator, coronatus eſt Romæ à Paſchale I PP. anno* 823. *Poſt mortem patris imperavit annos* 15; *deinde imperio & ſeculo renuntians inſigni modeſtiæ & pœnitentiæ exemplo deferri ſe juſſit ad abbatiam Prumienſem, ubi monachus obiit anno* 855 *ex Chronicis Mariani Scoti & Sigeberti ad dictum annum. Videri poteſt Chapeavillus tomo* 1 *pag.* 156.

A. ANONYMO.

156. *Lotharium aliqui Faſtis Benedictinis inſerere non dubitarunt, inquit Mabillonius tom.* 3 *Annalium pag.* 42, *mox ſubdens:* Satis fuerit, ſi PIÆ MEMORIÆ dicatur, ut in martyrologio Gallicano *Andreæ Sauſſayi ad* 1 *Octobris pag.* 675.

m *Hæc periodus & quædam aliæ ſuperiùs, deſiderantur in ſolo apographo Rubeæ Vallis.*

n *Idem apographum* lectoribus ingereremus; brevitati itaque ſtudentes pauca ſupradicta annotavimus ad laudem nominis Chriſti. *Nec plura habet. Abſunt etiam à codice Duynii miracula ſequentia, quæ in Mss. Bambergenſi & Foillanenſi continuatè leguntur, prologo omiſſo.*

LIBER II.

auctoribus tribus aliis monachis Stabulenſibus anonymis.

B

Ex eodem Ms. Colonienſi collato cum Mss. Bambergenſi & Foillanenſi.

PROLOGUS.

Scriptor prologi teſtatur, non alia enarrari hoc libro niſi vera.

QUia otium & ſilentium hactenus in diſcendo conſumpſi, abbatum ſereniſſime, nanciſcor nunc occaſionem in honeſtum negotium vertere acceptumque à te poſt Deum doctrinæ beneficium, quàm perſpicaci ingenio floreat, tuo puriſſimo judicio commendare. Juſſus namque ſum recenti tempore geſta ſancti Remacli deſcribere, quod adorſus ſum præſumptione tuæ fiduciæ; ſic moliens devotionem veritatis fide librare, ut non alia inferam, niſi quæ viſu & vera fidelium didici relatione. Et quoniam tibi imprimis malo repræſentare, quæſo ut ita me abſolvat petitio veniæ, ut non confodiar ſtimulis derogationis & ignominiæ: non enim examen Opuſculi in publicas aures audet prodire, niſi ut dignum & juſtum eſt, priùs nitatur tua deliberatione & ſynceræ charitatis integritate. Noſti quidem, Domine, quia multitudo diſciplinæ inſolens ipſa ſibi eſt impedimento, nec per ſe ſtabili conſtat monimento, niſi alieno fulciatur arbitrio. Quod diligenter attendens, tuæ auctoritati potiſſimùm devoveo, quam in præſentem & futuram utilitatem celeberrimè ſumma invexit ingenii claritudo. Priſtinam adhuc tuam benevolentiam à te mihi præcordialiter ſæpe impenſam recolo, diuturnum affectum ſpecto, quem remuneratione gratiæ dum me foviſti, nec amputaſti zelando, nec horruiſti faſtidiendo: & ideo, quia adhuc me arbitror eodem beneficio tecum vigere, ſi quid in hoc opuſculo exceſſi, tibi habeo imputare, qui tantùm de te ſuaſiſti fidere, ut ſecundum Apoſtolum timorem foràs mitteres perfecta charitate. Ad hoc etiam non ambigo pretium fidei tuæ in hoc me fœnerari; quia, ſi tibi nimius pudor fuerit monachi diſcipuli, habes adhuc arenam tui ſtudii, ubi ſui exerceas palæſtram ingenii: debita quidem tuis meritis reſpice, domine, & paululum à ſcripturis celſioribus vacans huic lucubratiunculæ te libenter impertire; res namque mundialis varias vices quærit habere & continuam & infractam virtutem quietis mutatione facilioribus quandoque geſtit laxare. Nihil viciſſitudine ſtudiorum officiorumque eſt jucundius, nihil devotione, quæ inter pericula cuſtoditur, gratius. In hoc quidem eſt mihi formidoloſior ſuſpectio, quia rudis adhuc ſum ingenio, ætatis reverentiâ careo, indeque me majoris temeritatis arbitror notandum elogio, niſi tuæ tuitionis confirmet commendatio. Ideo ad adminiculum meum te concede, tuo conſecra examine, ſupervacua reſeca, hiantia ſupple, errata reprehende, commodè dicta mirâ alacritate ſuſcipe. Si in hoc mihi fidem accommodaveris, & angorem meum benignitati commendaveris, ad majora molienda tuo negotio profutura excitabis: ait quoque præſcriptus Apoſtolus, Unuſquiſque quam accepit gratiam in alterutrum debet adminiſtrare, & cætera. Hinc etiam oratorum maximus; Fructus enim ingenii & virtutis, omniſque præſtantiæ tunc permaximùm capitur, cùm in proximum quemque confertur. Itaque fructus doctrinæ tuæ tunc illuſtriùs decoratur, ſi ſollertia diſcipulorum tuorum, ad evidentiam multorum domeſtico lepore attollitur. Quod miſericordia Chriſti concedat, pietas annuat, ut eorum ſuperſtes fama ſic tibi conſulat, ut terreſtri ac cœleſti gratiæ meritis inclytis conciliet. Amen *a*.

C D E F

ANNOTATIO.

a *Prologus, ut jam monui, omittitur in duobus aliis Mss.; nec puto eum eſſe compoſitum à primo hujus libri auctore, qui monachus erat anno* 883. *Etenim ſcriptor prologi abbatem alloquitur, ſub quo florebant ſtudia litterarum: has autem non niſi circa medium ſeculi* x *ad priſtinum honorem reduxit S. Odilo. Deinde juniorem ætatem excuſat*, rudis adhuc ſum ingenio, ætatis reverentiâ careo: *quæ in primum libri auctorem non cadunt, utpote grandævum ſenem, ſi tempora Odilonis attigit.*

ANTIQUÆ DIVISIONIS CAPITA, QUALIA SUNT IN MS.

I. Dum Danorum gentem fugimus, in nocturnis horis in monte Alnos nuncupatum, lumen in modum igneæ columnæ deſcendit ſuper ſancti loculum ad viam monſtrandam.

II. De Boviniaco villa priùs revertentes ad Calcum villam devenimus, in qua lues hominum, quæ emerſerat, ſanatur, & puella paralytica curatur.

III. Quòd eandem gentilitatem fugientes dum Lonniam caſtellum venimus, inſana mulier ibi curatur.

IV. Item fugientes Capremontis caſtellum intravimus; ſed dum revertimur, lucernæ, quæ ante loculum Sancti portabantur, frequenter divinitus reaccenduntur.

V. De quadam muliere paupercula contracta & ſanata.

VI. De Lonnia caſtello revertentes ad Ledernau fiſcum devenimus, loculumque Sancti in eccleſia poſuimus, in qua cælitus lumen nocte deſcendit, & campanæ ultro ſonuerunt.

VII. De quadam contracta puella, à Langobardia delata, ſanata.

VIII. De

A VIII. De quodam cuſtode eccleſiæ, qui immundum ſe circa pignora Sanctorum exhibebat.

IX. Quidam ſervus de fiſco Brattis contractus in monaſterio, ſed mox ſanatus.

X. De quodam ſervo, qui ſuper aram ſanctæ Dei genitricis Mariæ bratteas argenti, tabulæ affigendas, furatus eſt; ſed inſanus cum dæmonio interiit.

XI. De alio, qui ſimiliter fibulam auream ſuper idem altare furatus eſt, ſed ſimiliter à dæmonio invaditur, ſed poſtea ſanatur.

XII. De Lamberto fabro, cui brachium reſtitutum eſt.

XIII. De puero manibus contracto ac ſanato.

XIV. De alio cæco illuminato.

XV. De quodam, cui baculus manibus adhæſerat feriâ III Rogationum, ſed in proxima Dominica curatur.

XVI. De quadam matrona à Falminenſi pago, omnibus membris arida, & ſanata.

XVII. De quadam de Glengou ſimiliter arida & ſanata.

XVIII. De quodam ægroto miſero languore
B contracto, ſed ſanato.

XIX. Quòd turris cecidit, ſed in ea dormientes non oppreſſit.

XX De quadam puella novem annis dira peſte macerata atque contracta, ſed in dedicatione eccleſiæ ſanata.

CAPUT I.

Metu Normannorum aliò delatum Sancti corpus miro fulgore colluſtratur: exſtincta peſtis; paralytica, mente capta, contracta ſanatæ: cerei divinitus accenſi.

C

CAP. I. *Arduennæ ſaltum invadentibus Normannis,*

IGitur Carolo tertio *a* Cæſare ſummam rerum agente, anno Dominicæ Incarnationis octingenteſimo octogeſimo tertio, noſtris ut credo malis divina uſquequaque exaſperata clementia, graviſſimo atque inexperto, quamvis merito, nos vel juſſit vel permiſit addici flagello. Siquidem peſtiferâ ac ſæculo omni inviſa Danorum *b* gens è vagina patrii ſoli emergens claſſem præparat copioſam, quâ oceanum permeans Francorum ex improviſo terminos occupat, univerſamque perluſtrans provinciam nonnulla cæde afficit, quædam igne ſuccendit; cuncta verò ſimul peſſumdat & diripit, juxta illud propheticum: Ab Aquilone pandetur malum ſuper habitantes terram, & alibi; Ecce populus venit de terra Aquilonis & gens magna conſurgit à finibus terræ: ſagittam & ſcutum arripiet, crudelis eſt & non miſerebitur, ait Dominus & cætera. Tranſmoſanâ itaque regione omni ferè ad internecionem uſque populatâ, ad amnem venitur; eo quoque, nemine obnitente, tranſmiſſo, Arduennæ ſaltus irrumpitur, totuſque barbarorum præda efficitur. Subvertuntur denique villæ, cremantur oppida, regalium quoque domatum * culmina, ipſaque prorſus monachorum deſtruuntur cœnobia; nec abſiſtitur à cœpto, donec noſtrum quoque ſibi vindicet locum repentina vaſtatio.

a
b
* domorum

A. ANONYMO.

2 Quadam verò lunari accenſione (noctu enim maximè feralis ille impetus ſæviebat juxta Dominicam vocem, quia odit lucem prava gerens, &, hæc, inquit, veſtra eſt hora & poteſtas tenebrarum) exploratâ, ut pòſt effectus docuit, loci qualitate, eo * quòd undecumque ſaltu cingeretur inſpecto, ne quiſquam poſſet evadere, occultè nos moliuntur appetere: quod [&] omnino fieret, niſi nutu divino ac Patroni merito id nobis paulò antè innotuiſſet. Unâ namque dierum, ſole jam occaſum petente, nuntius venit, qui lapſus fugâ ab hoſtibus ſeſe urgeri proxima inſecutione fatetur. Tum metu perculſi, protinus acceptâ Dominici confeſſoris glebâ * noſtrique pii protectoris Remacli, fugam tametſi ſerotinam inivimus: cumque metu ſimul & mœrore anxii cæcum ſub tempeſta nocte iter carperemus, conſcenſo proximi montis vertice, in locum monaſterii contiguum Alnos nuncupatum devenimus. Ubi cùm paululùm reſpirandi gratiâ ſubſtitiſſemus, mirum dictu immenſum cælitus lumen in modum columnæ igneæ deſcendiſſe ſuper loculum, quo ſanctiſſima membra ferebantur, conſpeximus, quod quidem maximè lunarem claritatem proprio anteibat fulgore: quid verò indicii portenderit, ſapientium relinquitur examini. Unum hoc à nobis non ambigitur, quod ibidem conſtat experimento fore * probatum. Cùm enim, ut plerumque hyemali aſſolet tempore *, pernimius tunc algor ingrueret, tam delinifico interim ſumus calore vaporati, ut videremur eſſe ſub luce vernali.

aufugiunt monachi cum Sancti corpore, ſupra quod deſcendit
* *al.* &
* *i. e.* corpore
E
* eſſe
* *al.* temperie

3 Ita alternis nos vultibus contuentes, voce in faucibus hærente, ſtabamus attoniti, nihil loquentes, finem rei præſtolantes. Cùm poſt unius fermè horæ ſpatium, unde proceſſerat, ſuperum lux eadem viſa eſt repetere cœlum, noſque à loco dimoti continuò, quò tendebamus, celeri greſſu perreximus. Quod ne cui confictitiè dictum eſſe videatur, meminerit quomodo ignis hic myſticus beato Martino Miſſarum ſollemnia celebranti, Brachioni *c* quoque abbati ac monacho oranti apparuiſſe legatur, & quid prorſus myſterii gerat, ſi valet, diſcutiat. Mihi hoc dixiſſe confidenter ſufficiat, quia non niſi fidelibus unquam magnique meriti viris prodatur, nec niſi certis pro indiciis appareat. Hujus autem narrationis tot exſtant utriuſque ordinis ſtipulatores, quot tunc ibidem conſtat fuiſſe præſentes. Quia verò nonnulla me promiſeram Viri ſancti texturum miracula, hinc prima cenſui ſumenda eſſe exordia: illud primum memoratu dignum haberi exiſtimans, quòd ſuos, qui eum ſecuti fuerint *, ita illæſos inter tot perſecutionum ſervaverit diſcrimina, ut neminem pœnè horum hoſtilis mucro peremerit; quatenus liberè Dominica valeat voce clamare: Quos dediſti mihi, non perdidi quemquam eorum.

lux cæleſtis horâ ferè integrâ perdurans:
6
F
* *al.* fuerant

4 In ſequenti verò * hujuſmodi exagitationis procella, patria compulſi ſumus relinquere arva, & petere aliena. Siquidem Porcinenſem *d* ingreſſi comitatum, ubi tunc nonnulla videbatur haberi quies hoſtium, in villa quadam jam dicti patroni noſtri Remacli, nomine Boviniaco *e*, ſedem cum beato ejus corpore fecimus, donec proturbatis ab auguſto hoſtibus, pacem patriæ noſtræ redditam cognovimus. Nec tamen virtutem Sancti penitus ibidem fuimus inexperti: nam comitante nos ſanctarum ejus precum ſuffragio,

11.
eodem Calcum illato
* *al.* inſequente verò nos
d
e

A. ANONYMO.

cunctorum jugiter sufficientiam bonorum consequebamur à Domino. Ut primùm igitur supernæ intuitu pietatis optata diu tranquillitas finibus est tandem reddita nostris, nil morati ilico alacres ad propria nitebamur reverti: cùm interim dolendum accepimus nuntium, universum scilicet locum nostrum voraci flamma esse consumptum. Innovatur itaque dolor, suspiria longa trahuntur, lacrymæque in communi funduntur; ac quid nobis sit agendum, quò scilicet eundum vel ubi residendum, penitus manet incertum. Inito tandem consilio, quoddam statuimus adire prædiolum supra Mosam amnem situm, vocabulo Calcum *f*, quod penè solum ab ea vastatione intactum & divinâ nobis manserat providentiâ reservatum.

f

sedatur horrenda lues;

5 Sed magna in eo hominum lues emerserat, ita ut, deficientibus nonnumquam humatoribus, atque humandis morte urgente imminentibus, duo vel tres, quod etiam dictu turpe est, in uno plerumque ponerentur sepulchro. Quæ res nos non parùm exterritos denuo statuit in anci-

B

piti, dicentibus quibusdam satius esse exulatûs ærumnas alicubi perferre vivendo, quàm illò pergere, ubi constat omnes simul occumbere morbo; aliis autem contrà respondentibus nullum cuiquam prorsus fore evadendæ mortis perfugium, quem ea constiterit peste finiendum; quin magis de virtute Confessoris fisos ad locum destinatum accedere oportere intrepidos. Inter ista verò ambiguitatum discrimina iter carpitur, ac, quò tenditur, opitulante Domino celeriter pervenitur. Mira dicturus sum; sed fidem adhibeat, qui Deo nihil esse impossibile credit. Cæterùm qui hoc diffidit, infidelem se esse omnimodo ostendit, cùm hoc non concedat Domino, quod fideli repromissum legitur servo: Si credis, inquit Dominus, cuncta possibilia credenti; itemque: Qui credit in me, opera quæ ego facio, ipse quoque faciet, & majora horum faciet, quia ego ad Patrem vado. Ab ingressu igitur nostro ita omnis illa pestis sancti Viri succubuit meritis, ut, qui necdum experti morbum fuerant, ulteriùs non incurrerent; qui verò inciderant plurimi convalescerent; cùm id antè certum haberetur, ut, quem languor invaderet, de vitæ tantùm exitu cogitaret. Aliquanto itaque tempore in eodem morati sumus loco, eo quòd ad monasterium nullus posset esse accessus, propulsis inde hostili infestatione incolis, cunctaque solis possidentibus favillis.

C

puella ab ineunte ætate paralytica

6 Erat autem quædam puella ejusdem loci indigena, quam ab ineunte ætate ita paralyticus morbus obsesserat *, ut inferiore corporis parte, [penè] ut ita dicam præmortua, omni prorsus eundi sibi officio denegato, nil præter jugem in lectulo faceret decubationem. Quandocumque verò necessitas exposcebat, ventris purgandi gratiâ à matre vehebatur. Porrò ipsa piorum sustentaculo alebatur, quæ tamen inexperto cibi sumptu vivebat: nam panem numquam vel ori admovebat, carnem penitus ignorabat, nulla verò legumina sive holera contingebat, parvulorum tantùm more solâ lactis alimoniâ fruebatur, paucorum sibi usu fructuum

* *al.* rectè obsederat

g

sociato. Potum autem nullum præter aquam & siceræ dulcoramen, quod braciſam *g* rustici nuncupant, sumebat; sed & vindemiæ tempore paululum musti, antequam invalesceret, capiebat. Hæc verò gerens, viginti duos fermè expleverat annos. Porrò nativitatis Dominicæ tempus advenerat, quam in locum agere proprium animus disponebat: nam quædam jam inibi tecta à nostris fuerant præpositis reparata, quæ nos utcumque excipere poterant revertentes. Itaque horum nos necessariam coarctationem super aliorum nocivam eligentes spaciositatem, sublato nobiscum Patroni corpore, discessimus. Cùm non longè post beati Viri, nostrumque simul discessum, puella in eadem infirmitate perseverante, nocte quadam cuidam viro in villa contigua vocabulo Givelio *h* manenti persona venerabilis canitie, effigiem gerens clerici, per visum apparuit, itáque adorsus est; Vade, inquit, ad Calcum, & dic illius puellæ genitrici, quæ in atrio ecclesiæ excubat, erat enim matricularia *i* & æditua, ut lotam diligenter puellam in ecclesiam deferat, ac coram altari deponat, donec ibi sancti Remacli confessoris opem * experiatur. Quo dicto, abscessit. Ille verò expergefactus phantastico se credens illusum somnio, jussa implere neglexit; iteratò autem ac tertiò ammonitus tandem homo perrexit, ac fœminæ, quæ compererat, indicavit. At illa hæc ab eo ficta esse suspicans, nequaquam dictis fidem adhibuit, ac monita nullo modo perfecit.

D

h

i

* *al.* virtutem

E

subitò sanatur, prævia apparitione:

7 Dominicæ verò circumcisionis nocte juxta eamdem speciem, quâ se viro ostenderat, eadem persona puellæ apparuit *, & ut celeriter surgens oratorium petat, admonet. Quæ evigilans matrem insolito clamore perturbat, & ut se è lecto surgere adjuvet invitat, dicens se ad ecclesiam oportere procedere. Adjuta itaque à matre continuò incolumis surgit à strato, atque propriis nitens vestigiis ecclesiam Domino pro indepta sanitate gratias relatura ingreditur. Casu verò presbyter aderat *: porrò genitrix, accensis cereis, signa pulsat ac populum ad mirabilia videnda invitat. Fit concursus plebis, omnesque hoc cernentes gaudio pariter ac stupore replentur, atque in commune Deo gratias agentes benedicunt, dicentes: Benedictus es, Domine, & benedicta opera tua, qui erigis elisos & sanas contritos, qui mirabiliter Sanctos glorificans tuos mirabiliùs ipse eorum virtute glorificaris, qui vivis, & regnas trinus & unus in sæculorum sæcula. Puella verò ipsa tam plenam consecuta est Sancti virtute sanitatis medelam, ut nulli sit dubium, quin omnipotentem habuerit medicum: nam ea die panem & carnem, vinumque ac siceram, & cuncta sibi oblata, quæ videlicet humano expediunt usui, absque ulla fastiditione * comedit, pariter & bibit, & liberè, quò voluit, nutante paululum licèt gressu pervenit *. Hæc narratio in tantum nota habetur, ut nulla prorsus egeat stipulatione; personâ, quæ de se testimonium reddat, incolumi adhuc perdurante.

* *al.* aderat

F

* *al.* absque fastidio

* *al.* perrexit

III.

mulier insana & furiosa fit mentis compos.

8 Alio itidem tempore compulsi eadem gentili insecutione à monasterii tristes egredimur habitatione: sumptoque nobiscum omnium laborum solatio beati scilicet Remacli corpusculo, quoddam castrum supra Urtæ alveum locatum, Lonniam *k* nomine, aliquamdiu in eodem moraturi intramus. Degentibus verò [nobis] ibidem, unâ dierum mulier quædam mente capta, toto corpore vinculata adducitur, quæ in eam usque proruperat insaniam, ut continuis sæviens declamationibus plurimos convitiis urgeret, nonnullos verò ictibus vel morsibus attrectaret. Quam qui adduxerant, pro foribus ædis, in qua beati Pontificis erant positi artus, statuunt; ibique eam custodientes, virtutem sancti Patroni humiliter præstolantur. Et ecce, peractâ trium fermè dierum, totidemque noctium excubatione,

k

A ne, mulier ſenſu redintegratur, atque incolumis reddita alacris repedavit ad propria.

IV. *Candelæ ante Sancti corpus l*

9 Per idem tempus cùm [à] Capræmontis *l* caſtello, quod Normannica nos intrare compulerat infeſtatio, pacem Domino favente indepti, unà cum beati Remacli corpore reverſi fuiſſemus, ad villam quamdam vocabulo Solomanniam * aliquantulum guſtaturi divertimus: locatiſque in baſilica de more ſancti Viri reliquiis, præmiſſa competenter oratione, feſtini ad reficiendum acceſſimus, ſiquidem dies feſtus Patroni imminebat, qui nos reditum quantocius accelerare cogebat. Soluto itaque ex his, quæ in promptu habebantur, jejunio, reſumptis beati Viri pignoribus, reſiduum itineris explicare contendimus. At ubi paululum ab oppido digredimur, proſequente nos non parvâ virorum pariter mulierumque catervâ, divina nobis cælitus apparuere miracula: nam cerei candelabris ſuperpoſiti, qui ante loculum ferebantur Pontificis almi, paulo quidem antè vi flaminis extincti, repente deifico ſunt lumine reaccenſi. Quo viſo, alterutris nos monitis cœpimus ad referendas Deo gratias excitare: ſed minùs facti credula, B ut ſemper aſſolet, cruda ruſticitas nequaquam redivivam, ſed quâ ſemel accenſi fuerant, ſeſe teſtatur cernere flammam. Ad hæc non parùm commoti, fecimus eos coram nobis extingui, invocato fideliter Patroni auxilio, ut quorum vera haberetur aſſertio, iteratæ veritatis * proderetur oraculo.

* *al.* Soli-manniam

* *al.* virtutis

his accendumtur divinitus:

10 Nec mora, præſto fuit Cunctipotentis dextera, ac appulſus æthere tenus divino numine candelis redditur ſplendor. Mirum dictu, ita ab eo totum cerneres locum illuſtrari, ut nemo [ultrà] poſſet ambigere, lumen deificum ibidem coruſcare. Tunc voces in ſublimi clerus pariter populuſque attollimus, atque hymnidica exultatione Chriſto gratias pro oſtenſis mirabilibus referimus, directis retrò cum feſtinatione nuntiis, qui eccleſiam ingreſſi ſigna, nobis ibidem ſubſiſtentibus ſimul & canentibus, pulſarent. Nec defuit virtus oratorio, quam experiebamur in agro: nam ubi in illud qui fuerant deſtinati introëunt, totum ſubitò habitaculum divinis emicare luminibus conſpicantur, quæ tamen omnia, nobis inde progredientibus, igne C fuerant reſtincto ſopita. Tunc ad nos, qui eadem intimarent, mittentes, ipſi ſignorum pulſationi, prout fuerant juſſi, invigilant. Expletis itaque reverenter divinis laudibus, viam lætabundi carpimus, ac Domino iter regente, optatis illæſi ſub omni celeritate reſtituimur ſedibus *m*.

m

V. *quædam fœdè contracta*

11 Inferam huic narratiunculæ aliud etiam factum mirabile, quod nobis recenti tempore pro augenda beatiſſimi Confeſſoris veneratione, divina conſtat oſtenſum miſeratione. Quædam mulier paupercula membris inferioribus eotenus debilitata, ut, ſuris natibus junctis, greſſum [omnimodo] figere nequiret, admonita per viſum [eſt] ut ſe deferri faceret ad ſacratiſſimi Pontificis tumulum, ibidem expertura deificâ operatione ſolatium. Piorum igitur adminiculo monaſterium eſt delata vehiculo; depoſita eſt forinſecus ante cœnobii aditum, quia uſus loci noſtri non facilè, niſi certa de cauſa frequentiam admittit fœminarum. Rem, pro qua venerat, ædituis per internuntios mandat, ac ut ſeſe adipiſcendæ ſalutis repromiſſæ gratiâ ingredi patiantur baſilicam, humillimè efflagitat.

12 Tandemque ſupra hoc monaſterii præla-

tis aſſenſum præbentibus, eccleſiam cum ſcabellulis officio manuum reptabunda ingreditur ac coram Sancti tumulo divinam imploratura clementiam gemebunda proſternitur. Cùm poſt trium fermè dierum excubationem, agentibus nobis publicè Miſſarum de more celebrationem, pulſata ſedulis ægrotæ petitionibus piiſſimi Confeſſoris adfuit virtus. Mirum dictu, recaleſcentibus ſenſim fibris meatu divini experti *n* ſanguinis, exporrectis cum magna vociferatione cruribus, ſurgenſque properè à loco in quo jacuerat diutiùs, proprio bacillo ſuſtentante cœpit niti deambulatione, quæ illic aliena advenerat devectatione. Nec multo pòſt in [tam] perfectæ valetudinis robur evaſit, ut nulli dubium, quin per ſuffragium ſancti Viri cœleſte medicamen obtinere meruerit; etenim quócumque animi ſe verterit delectatio, greſſu proficiſcitur libero, nullius egens ſuſtentationis auxilio.

A. ANONYMO. *mirabiliter erigitur.*

n

ANNOTATA.

a *Carolus III, cognomento Craſſus, Ludovici Germaniæ regis filius, à Joanne VIII PP. imperator coronatus eſt anno* 880.

b *Non fuit hæc prima, ut videtur anonymus innuere, Danorum ſeu Normannorum in Gallias irruptio; plures enim ab anno* 841 *factæ erant, teſte Pagio, qui vaſtationem Stabuleti refert ad annum* 881 *num.* 4. *Eo tempore abbas erat Leutbertus archiepiſcopus Moguntinus, qui obiit anno* 889.

c *Foillanenſe apographum* Bachioni. *Unum dumtaxat Brachionem invenio (vulgò* S. Braque, *) qui Menatenſis abbas fuit apud Arvernos, obiitque anno* 576. *Colitur ibidem* 9 *Februarii, ut Caſtellanus notat in Martyrologio univerſali. Hæc pro ſupplemento Operis noſtri ad dictum diem: interim videri poteſt S. Gregorius Turonenſis cap.* 12 *de Vitis Patrum, in editione Ruinartii col.* 1213.

d *Pagum* Porcinſem *deſignari arbitror, de quo meminit Chronicon Frodoardi anno* 933.

e *Boviniacum ſeu Bovinium, vulgò* Bovines, *oppidulum Belgii eſt ad Moſam fluvium in comitatu Namurcenſi, teſte Baudrando.*

f *Fiſenus in Hiſtoria eccleſiæ Leodienſis pag.* 191 *collocat hanc villam ſupra Dionantum tertio milliari.* F

g Braciſa *ſpecies eſt cereviſiæ ſic dictæ à bracio vel braſio, quod ultimum Spelmannus in Gloſſario interpretatur* hordeum medicatum, ex quo cerviſiam conficiunt. *Vide etiam Cangium ad vocem* BRACE.

h *In Ms. Foillanenſi* Gavelio, *in Bambergenſi* Gevelio. *Veriſimiliter* Givetum *denotat.*

i *Id eſt, adſcripta* matriculæ *ſeu catalogo illorum ſcilicet, qui ſtipendiis eccleſiæ alebantur in vicina domo,* matricula *item ſæpe appellata. De his fusè Cangius.*

k *Alia Ms. habent* Longiam. *In tabula chorographica epiſcopatûs Leodienſis, quam edidit Nicolaus Viſſcher, ponitur* Longne *aliquantùm ab Urta fluvio. Caſtelli Longiæ variis locis mentio fit apud laudatum Martenium, item tomo* 2 *Hiſtoriæ Leodienſis anno* 1736 *edito pag.* 227.

l *Locus eſt prærltus & undique fermè præruptus in regione Tranſmoſana Leodio vix ſeſquimilliari diſſitus ad meridiem. Hæc & plura Fiſenus in Floribus eccleſiæ Leodienſis pag.* 614. *Videri etiam poteſt Valeſius pag.* 124, *ubi ait olim villam regiam fuiſſe vulgò* Chievremont,

A. ANONYMO.

aliàs Kevermont *dictam. Fiſenus in Hiſtoria eccleſiæ Leodienſis pag.* 194 *prodigium ſequens illigat anno* 892, *quando Stabuletum regebat Lintfridus Leutberti ſucceſſor, defunctus anno* 898.

m *Plura miracula non recenſet apographum Bambergenſe, & in duobus ultimis ordo præpoſterus eſt; dein ſubdit:* His & aliis compluribus virtutum declaratur inſignibus, quantâ à Deo gloriâ muneratus Confeſſor beatiſſimus feliciter eniteat in ſuperioribus, qui tam præſtabiliter miſerorum caſibus ſubvenire prævalet in inferioribus humiliter cum fide poſtulatus, auxiliante Deo & Salvatore mundi Jeſu Chriſto, cui eſt honor, virtus & fortitudo, laus, poteſtas & jubilatio in omnia ſæculorum ſæcula. Amen.

n *Phraſis mendoſa & perobſcura. Legendum puto* diutini expertibus, *ut ſenſus ſit*, recalescentibus ſenſim fibris, quæ dudum caruerant meatu ſanguinis.

B

CAPUT II.

Lux cælitus emiſſa ſuper feretrum Sancti: ſanata infans contracta; punitus lepra & morte impurus, Stabulenſium vexator contractione membrorum; ſed hic poſtea erigitur.

VI. *Lux ſupra corpus Sancti cælitus demitti*

EST nobis fiſcus Ledernaus *a* nomine, inconvulſa adhuc ſodalitate noſtræ mancipatus præbendæ, in quo conſtat eccleſia ſancti Simetrii *b* & cæterorum virtutibus celebris, famâ illuſtris. Igitur dum caſtello Longiâ æquè nobis ſubjecto receſſimus, quia nobis erat commodum adeundum * fiſcum hoſpitii gratiâ divertimus. Bajulabatur quidem nobiſcum divina miſeratione collatum pretioſum corpus patroni noſtri Remacli, quod in ſupraſcripta eccleſia ea

C nocte decernimus, cuſtodibus adhibitis, conſervari. Et ecce, cuidam è fratribus, qui vigilias in eo ducendo exercebat negotium animæ, divino beneficio conceſſum eſt videre tale munus cœleſte. Nam ante gallorum cantus contemplatus eſt lucem de cœlo prodire & confeſtim per inſertas feneſtras domum Domini penetrare, ac ſuper feretrum, quo Sancti Dei membra vehebantur, reſidere. Cum hoc igitur miro fulgore tenebræ irradiatæ penitus diſceſſere; clarificatum eſt lumen eccleſiæ atque ipſum feretrum cœpit ſe excutere, campanæque cælitus actæ ultro ſonitum dedêre. Tunc fratres & affines * expergiſcuntur, per incerta diſtracti ſtupore nutantur, & licèt inſuetis excubiis gravarentur, ad celebrandas tamen matutinales laudes in commune relaxantur. Dum verò ad eccleſiam properando perveniunt, atque ut res ſeſe habebat addiſcunt, non tenuem opinionem inde capiunt, ſed divinis obſequiis atque myſteriis glebam corporis Sancti Dei proſequi attendunt: ad hoc etiam pondera rerum attollunt, ac mirabilia Chriſti in Sanctis ſuis impenſa glorificando mirificant.

* *i. e.* vicini

14 Interea prædictus frater, quia tam mirabilis claritatis viſione extra modum humanæ fragilitatis ducebatur, tanta formidine attonitus interiùs in eccleſia angebatur, ut etiam ab ipſa ſua ignorantia quaſi privari videretur. Nam ut credo ideo eo lumine ſupernæ patriæ non commodè illuſtrabatur, quoniam objectis actionum illicitarum ſuarum imaginibus reverberabatur; ſcriptum quippe eſt, quia caro, quæ ſunt ſpiritûs, non valet capere; & idcircò nonnumquam cùm mens humana ultrà ad videndum ducitur, neceſſe eſt ut hoc carneum vaſculum, quod ferre talenti pondus non valet, infirmetur. Igitur nos, quos tanti reverentia facti exagitat, ex hoc ſalutifero myſterio poſſumus conjicere, quia cùm pretioſæ ſancti Simetrii inibi continentur reliquiæ, & quoniam ea nocte convenerant corpore, ſpiritu etiam ſe revelarent hac cœleſti ſpecie. Cœleſtis quippe Sanctorum cœtus, juſtitiæ meritis congregatis, ſplendidiùs in cœlo micat ſyderibus, ſole fulget clariùs, & cùm ſuos cives in terris viſitat, ea figura, quâ Creatori ſuo inibi famulatur, ſe informando decorat. Ait enim ſanctus Gregorius; Debent ea, quæ miniſtrant, ad ejus ſimilitudinem tendere, cui miniſtrant; & quæ inviſibili ſerviunt, eſſe inviſibilia non dubitentur: hæc autem quæ eſſe credimus, E niſi ſanctos angelos & ſpiritus juſtorum? Verùm ideò hoc pluribus quidem ambiguum conſideratione approbavi tam congrua, ut fluctuanti in hoc animo quod ratio non valeret, plena tanti patris ſuaderent teſtimonia.

VII. *infanti contractæ*

15 Eſt & aliud nobis recenſendum, quod trâdi memoriæ ſit præcipuum. Quidam Langobardorum extitit, à quo ſecundum maritale imperium, dictante jure naturæ, quædam ſoboles proceſſit. Hæc quidem ei judicio quodam divino talem miſeriam ſua peſte intulit, ut paternum ac maternum ſuffragium denegaret & ſubſtantiæ ſuæ propagandæ ſubitam interceptionem objiceret. Nam plantæ ejus unà cum ſuris natibus ejus adhærebant, ideoque gratiam gradiendi abnuebant: ſed paternæ caritatis inſuperabilis affectus multiplicibus angoribus ſuper hoc diſcruciatur, atque per diverſa Sanctorum merita & oratoria eam ſecum ferendo & remedium quærendo impellitur. Compulſus eſt patria arva relinquere, diverſas provincias cum ea pererrare, ſolo ſecum orationis viatico comite; ſed triſtibus occupationibus fatigabatur, quia quaſi ſurda aure F medicina Dei differebatur: ſed neque ex hoc in ultimam deſperationem decidit, ſed fide ſuggerente, & quia indiſcretè hic remedia largiri auditu comperit, de ſancti Dei Patroni noſtri benignitate præſumens huc ſe perſeveranter admovit. Poſtquam igitur advenit, natam ſuam in cunabulis deferens in eccleſiam collocavit: & ecce, quadam die Dominica dum Euangelica lectio eſſet recitata, & forent omnia tranquilla & ſacrificio Dei conſecrando accommoda, virtute urgetur cœliciâ, & voce extollitur quaſi vagiendo præclara; ſed quia recentis atque teneri infantis vox ferebatur, miraculum ſupernum cum ea certare ſpe incertâ adimitur, atque ut inquietudo ſedaretur, cuidam, qui expeditior inibi tunc plebi thuribulum incenſi ferebat, ſignificatur, ut foràs extruderetur; quod ſtatim efficitur.

ſanitas reſtituta.

16 Pari modo etiam patris fidem ac devotionem vox ejus ſicut & noſtram fefellit, & non merita Chriſti & Sanctorum ejus in eam vivere *c* penſavit, non rem examinando diſcuſſit; ſed eam in humeris ſuis ferendo ad diverſorium ſuum properavit; qui dum ibi recipitur, & quia tunc adhuc vociferationis ac nimietatis ejus tædio offende-

c

A fendebatur, quo pondere mentis premeretur, oculatus arbiter experiri molitur. Tunc accedens tegmina pannorum ab ea dejecit, quos ſtatim infectos cruore conſpexit, & dum membra præſcripta per indicia venarum manu palpat, propenſiori cura perluſtrat; ſub jugo virtutis Dei eam luctari conſiderat, & reformari in ea ſinceritatem membrorum, redivivo tepore jam penitus directis tibiis. Deum & Patronum noſtrum glorificando exultat, & ſtatim debita ſuper hæc negotia ſolvens, nulla diſſimulatione miraculum notitiæ noſtræ, & cæterorum ſubduxit; ſed deſiderium animi provehens ad monaſterium eam referendo cum feſtinatione reexhibuit, & Sancto Dei Patrono noſtro, cujus commercio optatum effectum receperat, gratiarum actiones velut alter leproſus Samaritanus reddidit. Nos quoque ut convenimus, ab arce rectitudinis non declinavimus, ſed pia devotione Deum in ſuis Sanctis magnalia prodentem laudibus in commune extulimus.

VIII. *Irreligioſus monachus*

17 Præterea licet ad memoriam reducere, quia hic ſacer locus in eo etiam cœleſtibus particeps eſſe probatur, quia Chriſti Sanctorumque meritis eum incolentium impudicitias atque omnes immunditias deteſtatur, & in eis, qui perpetraverint, non facili animadverſione conſulitur. Ergo ſeriem hujus rei prænotandam non viſu didici, ſed atteſtantibus pluribus reverendis fratribus monaſterii noſtri fideliter agnovi. Erat hic quidam monachus cuſtos ſacræ eccleſiæ, qui commiſſam ſibi obedientiam * temerariâ procurabat præſumptione: ſcilicet aggravatus carnis voluptate, vitiis abominabilibus atque immunditiæ inſuper ad patrocinium erroris periculoſiùs accreverat, quia nullo ex hoc perculſus pavore ab inceptis ſe reprimebat, impudentiam atque obſtinationem Deo Sanctiſque inviſam non damnabat, ſed circa pignora Sanctorum Deoque conſecratas aras quotiens expediebat, liberè ſe exhibebat. Nimiâ quoque dementiâ provectus judicium filiorum Heli non conſiderabat, nam quia in Deum peccaverunt, id eſt in his, quæ ad cultum ejus pertinebant, ideo cum patre ſuperno examine debita morte perierunt. Ultionem etiam in filios Aaron exhibitam non memoriæ recollegit, qui dum in batillis * ſuis ignem alienum adhibuerunt, procedente igne à Domino, incendio interierunt. Et quia illæ inrationabiles ceremoniæ atque, ut eo modo expertum eſt, veritatis inimicæ temporaliter punitæ ſunt tam ſevera animadverſione, ſi mens non læva fuiſſet, ſumendum eſſet ex hoc documentum ſalubri terrore, ſobriéque & juſtè circa ſacramenta Chriſti congrueret operam impendere.

* *i. e.* officium

* *i. e.* thuribulis

B C

18 Hujus rei gratiâ nec defuit patroni noſtri, ſcilicet beati Remacli pia compaſſio, atque, ut à deteſtandis inceptis reſipiſceret, ſpiritualis correctio: Sanctorum quippe animæ, quæ claritatem omnipotentis Dei aſpiciunt, quæ foris aguntur, cœleſti beneficio agnoſcunt. Et ideo cuidam ruſtico trans flumen Amblaviæ *d* degenti apparuit, reatum ejus monachi mœrendo depromit, & ut vices ejus in legatione ſuppleret, ejuſque invectione eum terreret, præcepit: addidit etiam ut conſcientiæ ejus perſcrutarentur, quatenus tali beneficio adjutus forſan à præſcriptis nequitiis ſic ſuſpenderetur, ne à ſupernis adytis atque decretis juſtæ damnationis ſententiâ meritò feriretur; indicaret quoque ut magnalia Chriſti in loco ſuo perpenderet, quia potentiam virtutis ſuæ meritis fidelium ſuorum ſæpenumerò in eo declararet, ac prava agentes inſanabili plaga percuteret ac perderet. At ruſticus quod ſibi fuerat imperatum perficit: nam quia mortalis mortalem timet, feceſſum cum eo in abditis petens, priùs ſolo proſternitur, pedibuſque ejus advolvitur, atque ut ſacramentum ſibi revelatum veridica aſſertione perpendere [velit,] humiliter deprecatur. Ille verò ut audivit, non ſe contra ſe erexit, ſed quaſi amens tempeſtate verborum adverſus eum ſæviens, phantaſmaticis illuſionibus defraudatum aſſerit, ſuperbè injurioſéque eum lacerando confundit; Téne, inquiens, Patronus noſter oraculis divinis privatâ gratiâ adiit, ac confratres meos diurnis nocturniſque cultibus Deo adhærentes deſpexit? Nimiæ ac ineptæ te occupaverunt ærumnæ, & ideò appetierunt te inſaniæ falſæ.

juſſu Sancti correptus, & monita contemnens

d

A. ANONYMO.

19 Hac indiſciplinatâ animoſitate prædictus ruſticus averſatus receſſit; ipſe autem imminens ſibi periculum curare non ſtatuit, ſed quaſi effrenatâ licentiâ pervagatus, in quo conſueverat, perſeveravit. Juſtus quippe Deus, ut conjicio, peccatis ejus præcedentibus iraſcebatur, & idcircò debitæ vindictæ timore non premebatur; ſed more Pharaonis quondam regis in contradictionem peſſimi virtute erroris impellebatur. Siquidem ſanum ſaperet, caſibuſque ſuis proſpiciendo obviaret, diligenter attenderet, quia ex parte terrena, quæ ſunt cæleſtia docent: nam frequenter ſervus pannoſus, deſpectus auctoritate, privatus potenti perſonæ dirigitur; ſed ſic reverentiâ mittentis Domini cum modeſtia tractatur, ut non quaſi probro indignationis inſimuletur, non ad injuriam referatur; ſed cauſſa negotii, pro qua venerit, ab ore ejus tranquilla devotione præcipitur. Filius namque Dei cum Balaam peſſimo atque ariolo loquelam fecit, ejus indignitatem non abhorruit, ejus inſuper veſaniam per aſinam loquentem cohibuit atque maledictione exercitum ſuum ferire non ſivit: certè per Saülem reprobatum multa etiam ipſe Dominus beneficia populo ſuo contulit, qui per Spiritum ſanctum prophetavit, non cùm juſtitiam exercuit, ſed cùm adverſus inſontem Deoque carum David fævit. Caïphas quoque pontifex temerarius atque acerrimus hoſtis Domini inſignem atque ſibi inopinatam prophetiam protulit, &, quia oporteret pati Chriſtum pro populo vaticinavit. Hac quidem ratione comprobatur, quia ſpiritus Domini animæque juſtorum, non tantùm per bonos ſed etiam per malos faciunt, quæ conſilio rationis ad profectum plurimorum expediunt.

nec pravam vitam emendans

E F

fœtidâ lepra percutitur,

20 His quidem & paribus plurimis, quia præſcriptus erroneus fidem non adhibuit nec perfidiam Deo exoſam pœnitentiâ propulſavit, incrementa malis addidit, divinique judicii ſententiam debito jure in ſe declinavit. Nam pœnâ lepræ ac pruriginis totum ejus corpus perfunditur, eorumque ſanie ſic ſæviente vexatur, ut, fætore carnis prævalente, intolerabilis inſuper & inacceſſibilis etiam amicis intimo corde ſubvenire cupientibus redderetur. Viſum eſt utilitatibus fratrum fore conſultum, quatenus extra clauſtrum cœnobii diverſorium ei pro eo incommodo delegaretur, & ſicut res expoſtulabant, copiæ neceſſariæ ſibi acceptabiles in eo ponerentur, quod & ita factum eſt; ſed ſic etiam ipſum morbus prægravaverat ſua infeſtatione, ut fraternus affectus ei denegaretur neceſſaria ſervitute. Cibum ac potum non erat facultas adminiſtrare, ſed eſcas ſupra ſcamnum,

A. ANONIMO. infra oſtium locatum procurator deferens recedebat ſumma velocitate, quia inacceſſibilis erat præ nimia fœditate.

quâ miſerè interit: 21 Hac quidem inremediabili ægritudine more Antiochi ac Herodis tyrannorum diu maceratus, tandem ab ipſa in diram mortem eſt reſolutus; &, ſi illa afflictio pœna peccati fuerit, nondum alicui revelatum cognovimus. Scimus quoque ſacrarum Scripturarum atteſtatione, quia duplici contritione conteruntur peccatores, atque obeſſe & prodeſſe poſſunt hominibus temporales afflictiones ſive mortes: nam ſecretiore juſtitia Dominus judicat & in occulto providentiæ ſuæ noſcit, quemadmodum juſtè quibuſque diſpenſet. Hoc miraculo indice plurimorum ſimilium, fratres, innuitur, quo judicio prægravetur, qui perfectorum morum vel actuum caſtimoniâ poſtpoſitâ cum digna reverentia in oratorio Deo dicato non converſatur: neque enim, quid vindictæ deberetur de talibus commiſſis atque ſimilibus, noſceretur, aut quid venia relaxaret probaretur, niſi tali indicio juſtitia Dei aperiretur. Salubre pariter exemplar hac deſcriptione annectitur, ut eo quoque modo charitas
B in nobis augeatur, quatenus invicem membra ſimus, & tamquam unius corporis vel unius hominis alia pro aliis membris ſollicitudinem habeamus, quæ in eis corrigenda ſunt præcordiali amore provideamus. Quam gratiam beatus Remaclus effectu probavit, dum damnato fratri conſilia ſalvationis mandavit & lethale virus, quod languenti inimicus inflixit, tamquam in membro ejus compaſſionaliter ferens curare tentavit.

IX. *famulus quidam Stabulenſes vexans* * *i. e.* domini *e* 22 Congruum videtur & illud inſerere, quod fidelium plurimorum didici relatione. In fiſco Brattis nomine cujuſdam ſenioris * ſervus *e* manebat, tam inconſulta pervagatus temeritate, ut familiam eccleſiæ noſtræ multimoda vexaret incommoditate; & quantò majori affectu in domini ſui gratia, inhærebat, tantò efficaciùs ad incrementa contumeliarum proficiebat. In hac igitur pertinaciæ ſtultitia diu perſeveravit, ocia & negotia contrivit, nihil ſancti nec penſi habuit, nec alicujus ex hoc correctio in cordis ejus aure convaluit. Accidit autem ut feſtivitas Patroni noſtri Dei confeſſoris inſtaret, atque ad
C celebritatem ejus frequentia utriuſque ſexus ac diverſi ordinis, ut moris ſemper erat, pia devotione comitante, ſe conglobaret: adfuit etiam præſcriptus familiæ adverſarius improbis adhuc fluctuans moribus, atque aliquâ pœnitentiâ nondum reſipiſcens à perverſis conatibus; & quia, ut ait Salomon, Beatus homo, qui ſemper eſt pavidus, & qui mentis eſt duræ incurrit in malum, ille ex malarum conſcientiarum ſuarum ſtimulis, quos interiùs alebat, nullo horrore concutitur in Sanctum, quem in fidelibus ſuis læſerat, nullo humilitatis movetur reſpectu; ſed comitante ſibi perverſæ mentis inſania, quaſi beneficia orando impetraturus cum cæteris fidelibus monaſterium ingreditur.

caſtigatur membrorum contractio; 23 Sed poſt modicum horæ ſpacium, in eum oſtenditur, quia ſpecioſa laus in ore peccatoris non dirigitur, & quoniam grave periculum ex incauta ſecuritate, initur. Itaque dum ſecurus ſtaret, zelum divinæ ſeveritatis ſubiit, ac nefanda pervicaciæ ſupplicia expendit; nam repentè in pavimentum cecidit, ſenſum amiſit, & membra ſua, quæ tamquam ad æmulationem virtutis in familia prædicti Patroni noſtri exhibuerat arma iniquitatis peccato, ſubitò miſerabiliter contracta ſunt coram omni populo, ut manifeſto pateret indicio, quia digna tali culpæ pœna reſponderet, in ciſdem ſcilicet membris ſubtiliſſimo Dei judicio. Igitur plebis fremitu ſedato à prudentioribus, nos cum Odilone *f* abbate noſtro accerſiti convenimus, & poſtquam ſeriem vitæ ſuæ & factionis à vicinis ſuis & à noſtris vero relatu cognovimus, non quaquaverſum ſententiam trutinavimus, quia mercedem ſceleris ſui ſolvere divinitus penſamus, quod evidentiùs ex compluribus pro cæterorum hujuſmodi cladibus nobis & ſcripto teſte perpendimus, quæ pari modo ſeſe intulerunt pernicioſis talibus præſumptoribus. D f

ſed portatus ad Sancti caput, hauſtoque vino ex ejus calice, plenè convaleſcit 24 Tunc verò ad caput ſancti confeſſoris Patroni deportari fecimus, ut ſi inſanabilis dolor eſſet, experiremur quantocius; & quia more Heliodori viri eminentiſſimi, ut nobis videbatur, motus divinæ ſententiæ & ſancti Patroni noſtri incurrerat, eodem etiam modo ut ex meritis ejus, vice Oniæ ſummi ſacerdotis, ſanitatem inibi recepturus eſſet, fiducia manebat. Igitur ad hoc incommodum, quod nobis erat debitum, caritatis compaſſione facimus, ſi quod nobis ſceleſtè intulit, laxamus; & ſic oratione E facta, diſcedimus. Poſt hæc non multùm horarum proceſſerat, cùm cuſtos eccleſiæ alacer ad nos properat denuntians, quòd medentis non perimentis affectu judicialis ſententia contractum premeret, quia ad priſtinum ſtatum membra reſumeret. Nos verò ſuo ſummo gaudio repleti, illuc conamur curſu veloci: at dominus abbas ut manifeſta Dei virtute adhuc reſpexit attonitum, confeſtim in pedes erexit eum, & quia pro contritione ſpiritus & corporis adhuc perſenſit langueſcere, interrogat ſi potùm ſibi deſiderio eſſet ſumere; ille autem libenti animo annuit & depoſcit. Tunc calyx Confeſſoris Dei, qui ſupra altare pependerat, deponitur, & repletum * mero ei ad potandum conceditur. Quo * repletus hauſto, & vires recepit, &, quod ſibi magis erat proficuum, mores mutavit, ad reverentiam Sanctorum animum appulit atque ab acerbitate calamitatum modeſtè ulteriùs deſuevit.

& ab hero ſuo addicitur monaſterii ſervitio. 25 Denique plebs, quæ ad ſpectaculum & ad Veſperas confluxerat, hoc viſo, celebri extollitur præconio, & grates reddidit Deo, qui Sanctum ſuum in ſollemnitate tam illuſtri mirificavit miraculo, beneficium ſuum rationabili mentis appendens examine, eo quòd ſic juſtitiam ſuam in eum temperaret æquo moderamine, ut gratiâ juvaret & verbere: nam quia foràs flagella intulit, mentis perverſitatem terrore tabefecit, & ne ulteriùs tam temerariè ſupra ſe raperetur, tali cenſura cohibuit. Poſt hæc quoniam Salomone atteſtante: Multato peſtilente, parvulus erit ſapientior; multi, quibus inibi vigebat mens ſanior & ad futura proſpicienda præſtantior, dum ultionem hujuſmodi conſiderant, exuberantem in ſe improbitatem retundunt, & in domeſticos Sancti ſimili infectatione deinceps contumelias irrogare pavitant; prudenter quidem animadvertebant, ne fortè pœnam, quam ille ad tempus pertulerat in corpore, eorum Defenſoris ac Tutoris accuſatione perpetua paterentur animarum damnatione. Tunc dominus ejus, nolens eum ampliùs mancipari ſuo obſequio, ad altare ejus tradidit retinendum jure legitimo, juſtè perpendens, inibi ei meritò perſolvendum ſervitium, ubi noverat, eum juſtæ ſeveritatis diſciplinâ à peſtifero errore revocatum. F

ANNO-

A

ANNOTATA.

a *Apud Martenium col.* 19 Lethernau *vocatur, alibi aliter : Latinè* Ladernacum. *Pagus eſt ditionis Stabulenſis via Leodienſi, vulgò* Lerneux, *teſte Fiſeno in Floribus Leodienſ. pag.* 616.

b *S. Symmetrius presb. & M. colitur* 26 *Maii. Vide tomum ſextum dicti menſis pag.* 360.

c *Id eſt*, agere *ſeu* vim habere. *Vide Gloſſarium Cangii. Miraculum hoc & præcedens de emiſſa cælitus luce, alio ordine ac ſtylo narrantur in apographo Foillanenſi.*

d Amblavia & Amblava, *vulgò* l' Ambleve, *parvus Belgii fluvius, oritur in ducatu Luxemburgenſi; deinde per Leodienſem ditionem fluens Malmundarium rigat & Stabuletum, hinc auctus Albâ & rivis aliquot in Urtum fluvium ſe exonerat. Ita Baudrandus. Eſt & vicus* Amblava *in Tungrorum finibus, non procul à monaſterio Stabulenſi, à flumine nomen habens, Valeſio teſte pag.* 16. *Novum Lexicon geographicum anno* 1738 *Venetiis editum ſequentia obſervat :* Amblavia fluv. ubi ſit non conſtat; ſed fluvius Rechte alluit Stabulum monaſterium intra limites Ducatus Lucemburgenſis.

B

e Guntmarius *dictus in Foillanenſi, ubi miraculum hoc multò ſuccinctiùs refertur, omiſſo præcedenti & reliquis omnibus, quæ oratoriè magis quàm hiſtoricè & mira ſubinde phraſi conſcripta ſunt.*

f *Adi Commentarium ſub finem numeri* 70.

CAPUT III.

Sacrilegi furis horrenda pœna; item alterius, qui poſtea precibus monachorum liberatur.

C

x. *Clericus, qui laminam argenteam ex altari*

SUbſequitur aliud memorabile, quod proditum ratione in multorum cordibus præcipuo valebit vigore diſciplinæ. Coaggerata eſt argenti copia, abbatis & miniſtrorum ſuorum induſtriâ, cum qua communi convenientia ad decorem domûs Dei ante quandam aram tabula ingens erat veſtienda. Igitur opus initur, fabris ad excudendum conceditur, ſummâ ope ad perficiendum agitatur, nec ea moles operis inani ſtudio defluebat; ſed ex voto atque ſententia prudenti artificio procedebat. Interea contigit ut laminæ deauratæ, quæ tabulato infigendæ erant, turgeſcentibus in eis imaginibus, & vario cultu ſcalpturis eſſent perfectæ, atque cuſtodi eccleſiæ ad ſervandum traditæ : quas ubi ille recepit, ita, ut plerumque fit, impediente quadam re, tutari ſerâ neglexit; ſed ſuper reverendum altare ſanctæ Dei genitricis Mariæ pallâ ejus obtectas ad horam reliquit. Et erat in monaſterio quidam clericus multiplici ſua clientela nobis promptulus *, & ideò privatâ gratiâ nobis intimus, nec falſis hujuſmodi criminationibus adhuc nobis infeſtus; metus de eccleſiaſticis rebus nobis ex eo cavendis nullam providentiam docebat, ita familiaritas noſtra ei aſpirabat.

* *i. e.* valde officioſus

27 Hic itaque dum bratteas ibi locari conſpexit, ſæva cupiditas oculos ejus illexit, nihilominus & cor ejus jaculo ſuo ſauciavit : nam dum monaſterii ſolitudinem providet, libertatem pravitatis indeptus unam ex eis furto rapere non pavet, quæ ubi amiſſa dignoſcitur, moderatè non diſſimulatur, ſed argutâ indagine tum publicè tum privatim quæſtione ventilatur : ſed fruſtra opera luditur, quia ad nullum indicium veritatis dirigitur. Ad poſtremum diro anathemate maledictionis percutitur, acriter in commune annititur, ſed mens prava non flectitur, nec aliquo probo conſilio periculo ſuo reluctatur. Diu perſeveravit in hac obſtinatione detrimentum ſuum non ſeipſum reſpiciendo, & peccato maculas configendo auget quotidie : nam qui affectum malitiæ in illum contraxerat, famam & pudorem in eum attriverat, & perfidum cor ejus, ne furtum prodiret, obduraverat. Igitur dum ſuper hoc nulla mentis ratione regitur, ab interno judice ſui meriti precio præjudicatus cumulatur, verùm à dæmonio corripitur & errore ejus paſſim lymphante raptatur, atque mox ex ipſius debacchatione evidens intelligentia captatur, cujus obligatione ſceleris tam crudelis ſententia in illum aſſumpta jaculatur.

A. Anonymo *abſtulerat, corripitur à dæmone*

E

28 Nam argentum, quod abſtulerat, clamore prodendo in admirationem omnium ſemper in ore habebat, nec faſtidiendo ipſum clamorem amputabat. Igitur poſtquam diuturnâ pugnâ à ſpiritu immundo maceratur, viribus corporis deficientibus, in ſtratu ſuo ægrotus recipitur; ſed ex ipſo languore diſpenſatione divinitatis agitur; & præſertim ad inſtructionem multorum ut poſteritati memoria commendaretur, ipſe ut priùs, ad horam intellectui & rationi redditur, & eo confitente, furti iniquitas comprobatur. Nam dum cognati & amici ejus lectum circumſtarent, animumque ejus dolore ac miſeriâ tabeſcentem gratiâ confortationis relevare tentarent; ex prava conſcientia cor recollegit, & eorum molimina tali ſermone prævenit, damnationiſque ſuæ pœnas, quas luebat, jugi priùs ſuſpirio concepto in hunc modum exprimit. Meritò tam ſeverum ultorem ſanctum Remaclum adverſum me irritavi, quiâ zelum domus ſuæ poſtpoſui, argentumque ex ea ſuo ædificio decenter ad unguem politum miſer jam diu anathemate maledictionis perditus abſtuli, mihique iniquo ordine retinui. Arridebant quidem mihi in monaſterio ſuo plurima oportuna largitate munifica, ex quorum beneficiis facilè poſſem ſuperare errata, & quia ea in talem perniciem commutavi, ac non æqua meritis præmia penſavi, verbera verberibus ſociavi, atque animæ & corporis nunc ſubigor diſcrimini, captivuſque cùm diro judicio abducor in legem peccati.

& furit actus

F

29 Hæc poſtquam retulit, iterum induſtriam animi perdidit, & furiam ejus poſthæc diu non graſſantem abſque fructu pœnitentiæ mors ſæva diremit. Igitur quiſque hæc legendo didicerit, meritum ſuum diſcernat, atque ne parem peſtem eodem jure participet, in ſe proſpiciat, in quanto cœno iniquitas volutetur, attendat, & qua luce probitas reſplendeat, & averſa ei fronte repugnet, conſideret, & quia probis ipſa probitas eſt præmium, improbis verò nequitia ſupplicium. Nam verbi gratiâ hic clericus injuſtus à dæmonio correptus vitæ ſuæ ſolvit malum, atque ad miſeriarum ſuarum ergaſtulum cum eo perductus eſt ad interitum nec deflendi ei & pœnitendi indultum eſt ſpacium. Quid enim aliud nobis

moritur impœnitens.

A. ANONYMO. nobis innuit talis pœnæ prodigium, niſi Sanctorum hunc locum incolentium, ne eis adverſemur, formidare judicium? Hi enim ante Deum aſſiſtentes ſicut pro noſtris exceſſibus benigni ſunt interceſſores, ſic quandoque noſtro delicto exacerbati accuſatores; nimirum ad correptionem noſtram conſtat hoc eſſe monſtratum, ut ſpretis contagiis furti atque aliorum vitiorum, ad æternam patriam ad eos pervenire ſatagamus per viam virtutum.

XI. *Alterum fibulam auream ſacrilegè ſuffuratum*

30 Alio quoque tempore evenit huic ſimile, quod pluribus adhuc hanc lucem carpentibus viſu & experimento conſtat probaſſe. Manebat nobiſcum quidam clericus à pueritia educatus, atque cùm rei expoſcebat utilitas, per plura ſatis monaſterio accommodus. Hunc itaque ſub prætextu religionis in contubernio noſtro fovebamus mutua familiaritate, & fraterna charitate ſedulò colebamus. Interea contigit quandam comitiſſam venerabilem pro ſalutis ſuæ munere ad cœnobium noſtrum vota ſua perſolvere atque
B fibulam auream non parvi precii dirigere; ſed humanæ fragilitatis adverſarius dum qualitates hominum, cui vitio ſint propinquæ, explorat, ut ad ſua perverſa diverticula dirigat ſemper anhelat; & dum aditum atque ſemitam ad tentandum eas invenit, protinus decipulam inſidiarum ſuarum ad ipſam ſemitam occultè prætendit, & niſi fides fortiter reſiſtat, ejus involumentis ad peſſimam actionem & ad diverſorium perditionis trahit, ut hac deſcriptione liquebit. Ergo ille frater ubi aurum eccleſiæ datum reperit, ſuggeſtionem inimici non gravitatis conſilio tranſiit, nec virtutis regimine tranſcendit; ſed ubi obſervabatur adiens clàm involavit, atque in proprios uſus redegit. At ubi cuſtos, qui attulerat, perditum comperit, moderatè diſſimulando contegit, ac moras prodendo innectit: nam quia, ubi poſuerit, oblivio ſubripuerat, non in palàm conferebat, nec quidem temerè indiſcuſſa ſine probatione adoriri audebat; mœſtitudinis acerbitate angebatur perſcrutando, & clàm exigendo per diverſa impellebatur.

& poſt ſacros Ordines indignè ſuſcipientem diabolus itidem a

31 Interim verò neceſſitas ordinationis loco noſtro incubuit: domnus abba Ravengerus *a* ad eccleſiaſticum ſacramentum quoſdam noſtrûm pro jure religionis ſublimare æquum adjudicavit, atque ab epiſcopo ut fieret impetrans, ad dirigendum nos ad eum operam inivit. Miſit etiam nobiſcum præſcriptum clericum, nondum tali
C piaculo infamatum, neque pro privata ſedulitate, quam inter nos gerebat, aliqua ratione ſuſpectum. Erat enim Quadrageſima. Frater quidem ille ſacrilegium, quod furto perpetraverat, in exiguo penſans, nulla confeſſione denudavit, non aliquâ pœnitentiâ levigavit, ſed ſuis ſecundis exceſſibus præſumens ad ſacramenta Chriſti audacter acceſſit, atque eccleſiaſtica officia uſque ad diaconii gradum tradente epiſcopo uſurpavit: & quia Catholica mater Eccleſia illos ſuos primitivos gradus ad contrectanda vaſa Corporis & Sanguinis Domini inſtituit, filios ſuos, quos in Chriſto in Baptiſmo regeneravit, & horum officio conſecravit, probatos & mundos ſibi exhiberi & circa ſe manere decernit, juxta quod illis propheta dicente jubetur: Mundamini, qui fertis vaſa Domini. Igitur poſt Miſſam & Veſperas, ubi moras explicuimus, ut jejunia ſera reſolveremus ad hoſpicium properamus; ſed inter edendum ille confrater noſter ſolo cadit, dentibus frendit, nimia vexatione ſe collidit, atque ingenti pavore nos exterritos in auxilium ſuum cogit. Denique menſæ penitus abrenun- D
tiamus, plurima remedia præcordiali amore adhibemus, ſed ſpe caſſa fallimur, ignorantes quia judicio Dei juri diaboli manciparetur.

invadit, ac dirè iteratis vicibus divexat;

32 His infeſtis caſibus tota nocte colluctamur, ſuper eum, donec nox in lucem prorumperet, excubiis immoramur; ſed hæc ærumna non fuit nobis pertinax Dei miſeratione, nec in extraneo loco hujuſmodi tam fœdâ plagâ derogationem hominum noluit nos ſubire: ſed fugata inimici virtute incolumem & ſobrium nobiſcum conceſſit remeare. Tunc integrâ hebdomadâ ſpiritus immundus ab eo ſecluditur, requies ei conceditur, nullis ſuis moleſtiis infeſtatur; ſed tantæ quietis dilationes illi indultæ & quodammodo ad ſe in bono præmeditandum inducîæ in eum tranſierunt fluxa & ſtolida levitate. Nam verbi gratiâ quia juſtitiæ ſententia ſuſpendebatur, nec delicti puduit, nec aliqua ſeveritate cenſor ejus extitit, nec ultro confeſſione alicui, ut ſibi expediret, patefecit; ut etiam in eo adimpleretur, quod Salomon ait: Impius cùm venerit in profundum malorum con- E
temnit. Et quia in tam reprobum ſenſum incurrit & adverſus perfidiam non contendit; inimicum valentiorem negligentiâ fecit, ſuique erroris mercedem talem recepit; nam dum Completorium Dominicâ nocte pſallendo recitamus, ejus iterum cruciatu nimio horrore proſternimur, quia acriori quàm priùs vehementia inimicus repetit, & debacchatione nimia quatit; verùm quod remedium illi inferendum eſſet, in ambiguo pendebat, admiratio nos ex eo fatigabat, ſi ſpiritus erroris eſſet nullus noſtrum adhuc didicerat. Interim fraterna & viſcerali compaſſione inflexi opem ferimus, nocturnis vigiliis circa eum redivivâ operâ alternatim ſubſiſtimus. Poſt hæc, ut nobis videbatur, plus quàm Saülem regem frequentiùs repetens diſſipabat; ſed in Dominicâ nocte fæviùs in eum ſpiritus nequam furebat.

arefit quoque brachium ejus dexterum;

33 Poſtremò ad comprobandum divinæ ultionis judicium, cum quo ſcelus admiſerat, dexterum perdidit brachium; ut penitus arefactum, nullum priſtini vigoris præſtaret officium. Hoc itaque cernentes plurimi noſtrûm ancipiti meditatione variamur, videlicet an caſus hoc illi inferret, an Dei voluntas pro aliquo crimine ſignaret: quod ubi domnus abba comperit, à
F fundo arcano altam conſiderationem contraxit, & prudenti ratione non eventui applicuit. Nam ex pluribus præcedentibus huic ſimilibus præcognitis, eum irretitum diaboli cognoſcit inſidiis; & convocans privatim ſempectas *b*, multiplicibus argumentis ſtatuit cauſſam diſcutere, priùs tamen hac habita oratione: Præteritarum rerum & accidentium, fratres, exhibitio multiplicibus teſtimoniis aperit, qualiter ſuper hujus fratris peſte opinio noſtra metiri poſſit. Siquidem dum ad ordinandum direximus, mentis ſuæ compotem penſavimus: non vitiorum criminalium effectum in eum exagitavimus, ſed ſtatim ut Eccleſiaſtici ſacramenti recepit commercium, in ſatanæ incidit jugum, ut in præſentiarum dilucidat facilis fides rerum. Nam unde ſibi eſſet animæ ſumendum remedium, inde recepit judicium; ſcriptum quippe eſt, quia graviùs condemnabitur, qui indignus ſuſcepit, quod non meretur; & Deus quoque ſuſcepta ſanctificatione, ſic homini miſcetur, quando ſuorum actuum caſtimoniâ delectatur. Nam ei aut bonis meritis conjungitur, aut malis disjungitur. Porrò ſi diverſa nunc ſibi accidentia mente colligamus integra,

b

mul-

A multa congruunt & concurrunt nobis verisimilia, ex quo noſtra poteſt augeri conjectura. Nam prudenti animadverſione poſſumus conjicere, quod non ſine magno agitur diſcrimine, quòd Sabbati die, horâ ad nonam atque ad veſperam vergente, majori ejus cruciatur infeſtatione: nam ſi ad liquidum res à nobis proſequitur, ea die &, ut reor, horâ benedictionis munere ab epiſcopo donatur. Videor videre, ſi aliquæ occultæ inſidiæ ex furto aut ex aliqua prava ejus inſimulatione latent adhuc noſtræ eccleſiæ, ſignificatione hac & judicio tam manifeſto impellente, promulgabuntur infami comprobatione.

ſed tandem miſſis ab abbate monachis

34 Quod meliùs examinare valemus, ſi Judæ proditoris exemplum in medium proferamus, & per rei ſimilis argumentum æſtimationem noſtram extendamus. Denique dum ipſum intinctum panem, tradente manu Domini, ore conſumpſit, quia malè percepit, ſatanas in illum intravit; & illa temeraria ſacramenti perceptio, fuit illi æternæ infelicitatis damnatio. Atque ex quibus præcedentibus iniquitatibus hoc præjudicium commeruit, Euangeliſta manifeſtando depromit. Quia fur erat, & loculos habens ea, quæ mittebantur, aſportabat. Ex furto quippe pecuniæ

B Domini, quia imprudenter & indiſſolutè exercuit, peccati ſarcinam coacervans ad traditionem Domini pervenit, & poſt hæc miſerabiliter abſque fructu pœnitentiæ laqueo vitam exæſtuavit. Ad hanc igitur, fratres, oculos cordis erigite conſiderationem, nec quaſi ſocordiâ atque inepta proluſione patiamini incaſſum tranſire, ſed quid facto opus ſit ſuper hoc incommodum ſapienter tractate: nec enim mediocriter cogit neceſſitas providere, ideoque quantocius moras diſſolvite; clandeſtino conſilio, quando ad intellectum redit & tranquillitate quieſcit, eum adite, atque actionum ſuarum confeſſionem puram vobis reſerare depoſcite. Forſan Chriſti gratia dignabitur nobis aperire, quo remedii antidoto huic malo valebimus obviare; nec * ſi immunditia gravioris lepræ fuerit, vices ſummi Sacerdotis in curatione ejus ſupplere oportebit. Denique properate, quia citiùs recens vulnus refovetur ſanitate, quod putreſcere non ſinitur diuturnâ abuſione: nam ipſum in deteriorem ſaniem vertetur, ſi medicina competens ei differtur.

* & C

culpam ſincerè faſſus,

35 Fratres itaque inſtructi hujuſmodi rationis inductione, juſſa perficiunt ſtrenuè, ſecretò eum adeuntes interpellare: quod ubi auribus ejus eorum ſermo infunditur, nimia anhelatione ſuſpenditur, vario conflictu mentis ſecretò certatur; hinc rubore, ſubinde pallore ita ſuffunditur, ut ex ipsâ paſſione, facie indice, facilè prava conſcientia ejus intelligi daretur. Tandem ſentiens facinus non poſſe latêre, pœna eum urgente, latebras commiſſi aperit hac ſupplici voce: Quoniam ad me fratres & domini mei conveniſtis tam privata receſſione, extrema neceſſitas pigram moram cogit conſilio ſolvere veſtræque voluntati dolendo, erubeſcendo ad præſens negotium integra & vera confeſſione parêre; ſed admodum vereor ſi confeſſus fuero, ne lacerer opprobrio, atque ad ignominiam meorum contumeliosè extrudar à monaſterio: quapropter ſubvenite inopi, & gratiæ veſtræ & fidei pignora mihi ad interceſſionem impertiri dignemini. Propoſitum namque religionis meæ violavi, ac ſub ſpecie benignitatis infauſtum nævum velans, me infra peſſima detruſi, quia ſanctum Remaclum, atque cæteros hunc locum incolentes ſacrilegio fœdavi: nam fibulam auream furto ſubripui & inde, ut cernitis, ſupplicium diaboli commerui, & ex hoc apud Deum & homines æternas dedecoris maculas mihi inuſſi; inde animam meam reatus obnubilat, & recordationis meæ jaculis ipſa ſe mea conſcientia impugnat: unde iterum veſtræ me commendo benignitati, ut quia inprimis confeſſione vera feneſtras nequitiæ vobis patefeci, veſtræ fiduciæ ope merear relevari, quatenus veſtra interveniente ſagacitate, ſic abbas cum fratribus iniquitatem meam toleret, ut in uſum pietatis & boni conſilii conformet. A. ANONYMO.

eâque abbati per illos indicatâ,

36 Hæc eo dicente, hi, qui miſſi fuerant, abbati accelerant renuntiare; quod ubi ille reſcivit, non ponderando, culpam æquanimiter tulit, cenſuram auctoritatis manſuetudine temperavit, & mox ad fratrum conſilium conferendum decernit, atque congregatis ita differuit: Ecce fratres, opinionem noſtram ſuper clerici noſtri paſſione & factione comprobavimus: poſt Dei judicium noſtrum non adhibeamus; ſed ſi valemus, bono conſilio ejus diſpoſitionem in hac re ſic temperemus, ut ſub noſtris nutibus eam refrenemus. Verba ſancti Pauli in hoc ſollicita cordis aure penſemus, clementiam, quam ex naturæ noſtræ dote poſſidemus, cum eo perficiamus. Omnibus, inquit, omnia factus ſum, ut omnes facerem ſalvos. Si ergo ad imitationem tam egregii prædicatoris ex condeſcenſione compaſſionis pro viribus noſtris accingimur, procul dubio noſtræ devotionis ampliorem venerationem experiemur; vitari etiam oportet, ne in publicas aures inferatur, ne, dum reatus hujus plebeio more arguitur, noſtræ religionis & ordinis æſtimatio eâdem infamiâ gravetur; ſic inter nos præſidens judex ratio diſponat, ut aditum infamiæ obſtruat. E

ſuccurrentibus ipſorum precibus, jejuniis & ſacrificiis,

37 Legimus namque quia ſic Dominus mortalium facta deliberat, ut aliàs propitius concedat, alia iratus permittat; ſed quæ permittit, plerumque ſic ſuſtinet, ut ad perfectum * multorum & juſtificationem congerat; pro utilitate quidem noſtra pœnas & correctiones infert, non ut ſe vindicet, ſed ut nos emendet. Dicit quoque Pſalmiſta, quia immittit angelos * Domini in circuitu timentium eum; eſſet itaque, qui prohiberet & cuſtodiret, ne iſtum clericum inimicus invaderet, niſi voluntas Dei contraïret; & quia conſilium ejus non repugnavit, ad articulum tentationis permiſſus ab eo convaluit. Quod evidentiori exemplo vobis patebit, ſi Saülem regem, qui gratiâ Dei caruit, experientia veſtra ad memoriam revocaverit. Legimus quippe, quia ſpiritus Domini malus exagitabat eum. Non ideò quidem à Domino malus erat, quòd malum ſubſtantia atque natura ſit, ſed * vitium naturæ; ſed Domini per licentiam poteſtatis juſtæ, malus autem per deſiderium voluntatis injuſtæ. Si etiam hanc peſtem attendamus, ſi vices varias ejus mente provida captamus, eaſdem Saülis paſſiones plurimas huic fratri inhærere videbimus: quia ad horam eum in pace relaxant, ad horam vexando occupant, & ſic ſe in eum alternant, ut viciſſim plagâ peſſimâ ſuccedere non deſinant: denique quod noſtrum eſt, & præſertim quia ratio æquitatis dictat, mutuæ charitatis affectum pro eo induamus; fragilitati ejus condeſcendamus, iram vindicem Chriſti & Sanctorum ejus parſimoniæ victimis flectere ten-

* *l.* angelus F

* *fortè* ſeu

A. ANONYMO. temus, &, ſi verba cæleſtis juſtitiæ ad damnationem vel ad emendationem illi allata ſunt, fortaſſe recomprobabimus.

Liberatur ac brachii uſum recuperat.

38 Verùm ex ipſo charitatis affectu majori deſiderio flagrare poſſumus, ſi beati Gregorii Papæ dicta attendimus: ait enim; Quiſquis pro alio intercedere nititur, ſibi potiùs ex ipſa charitate ſuffragatur. Siquidem ejus infauſtitudinis non miſeret, ſaltem hujus egregii ſancti Doctoris dictum ſpe remunerationis & fœnoris vos ædificet; obſtructos aditus talis defenſionis reſeret, & præſertim dilectio Dei & proximi, quæ ſpecialis virtus eſt piorum atque ſanctorum, ad clementiam vos ſublevet. Poſtquam hujuſcemodi imbutamentis eorum labantes conſilio mentes inſtruit, devotiores & promptiores ad ea, quæ ſibi erant cordi, reddit; & quoniam onus ſolus aggredi exhorruit, inter eos diſpertiendo ſibi levigare ratum duxit: pondera talis operis charitatis lance penſavit, & pariter cum eis jejuniis & furtivis orationibus & pſalterio & Miſſarum ſolemniis inſiſtendo ſeſe implicavit. Quid igitur moror? Commeatus ſanitatis & ſobrietatis ita in
B eum refunditur, ut brachium priſtina ſoliditate & incolumitate reciperet, atque inimicus eum ulteriùs repetere non auderet. Unde factum eſt, ut qui multa mæroris ex eo pertulimus vulnera, talis conſolationis, ſupernâ concedente gratiâ, reciperemus fomenta.

ANNOTATA.

a *Ravengerus vel Ravingerus Werinfrido coadjutor datus eſt anno* 980 *obiitque* 1008 *ſecundum Fiſenum. Certè abbas nominatur in diplomate Ottonis II apud Martenium col.* 50, *ubi per errorem apponitur* 974, *qui eſt annus diplomatis prioris. Atque illud opinor, Sammarthanum decepit, qui col.* 944 *contra Fiſenum perperam contendit, Ravengerum anno* 974 *abbatem fuiſſe; Ravengerus enim non occurrit in præcepto illius anni, utpote conceſſo*, intervenientе *ſolo* Werenfrido venerabili abbate, *ſicut edidit Martenius col.* 49. *Anno* 996 *diploma impetravit à Gregorio V, itemque aliud circa annum* 1000 *à Silveſtro II. Prius inſcribitur quidem* Werenfrido *apud Martenium col.* 52, *qui idcirco in Præfatione pag.* VI *atque alibi,*
C *Mabillonium ſecutus tom.* 3 *Annalium pag.* 664, *duos Werinfridos duoſque Ravingeros ſtatuit; verùm non cenſeo abbates hac de cauſa multiplicandos eſſe: cùm in apographo correctiori bullæ Gregorianæ, quod ſervamus ſub involucro* ✠ Ms. 34 a O, *clarè habeatur* Ravengero. *Titulum accipe:* Exemplar Privilegii Papæ Brunonis, cognomento Gregorii, per Notkerum Leodicenſem epiſcopum abbati Ravengero miſſi. *Tum ita incipit:* Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei Ravengero religioſo abbati ſalutem *&c. Vixit Ravengerus ad annum circiter* 1005 *ex Martenio pag.* VII *& col.* 54, *ſecundum alios triennio diutiùs.*

b SEMPECTÆ *vocantur* ſeniores ſapientes fratres, *maximè qui* 50 *annos in ordine exegerant, inquit Cangius in Gloſſario.*



D

CAPUT IV.

Læſum brachium, contracta manus, & cæcitas curata: punitus ruſticus, qui laboraverat die Rogationum; at poſtea liberatus: ſanatæ duæ mulieres contractæ.

XII. *Cujuſdam brachium graviter læſum*

PRæterea manet adhuc nobis quidam ferrarius monaſterii commodis ſuæ artis peritiâ ſatis proficuus. Hic quemdam commeatum cum vicinis ſuis ad mercatum proficiſcendi habuit, in quo quoddam jurgium ebrietas ſeditioſa deſignavit; ſiquidem duo ex ſibi comitantibus quâdam levi noxâ contumacibus verbis in mordacem rixam proſilierant, atque plectibili errore E & temerario debacchabant *. Tandem eò proceſſit, ut alter alterum hoſtiliter ſuperando ſubriperet, & judicium ſanguine atque armis decerneret. Quod præſcriptus faber cernens, & ſalutem ſuam neceſſitudini incautè præponderans *, pacis gratiâ periculo ſe mediator interſerit, & domeſticis affectibus eum ſedare geſtit; ſed vini paſſio, quæ eo modo liberas mentes facit, ut commotionis tempore feritati inſiſteretur, juſtum putat, quod egerit tali ſuo violenti nævo *, eum impetit. Nam protinus in pacis ipſo medio conamine ille præſcriptus temulentus, iræ vehementiam ejuſque motus fervidos ab illo, ſuper quem furebat, deflectit & ſuper hunc evomens multis vulneribus ſauciatum ſeminecem dereliquit. Quod ubi reſcivimus, ægerrimè tulimus, gravibus querimoniis inæſtuamus, pro ſua nobis illata commoditate pro re & tempore juvamus; ſed quia necdum in ultima inciderat, medicorum argutia in curam ejus inhiat. Adeò in cunctis vulneribus membrorum remedium viguit, ſecundum quod voluntas ejus cenſuit; ſed in ſolo cubito brachii ſui hac ratione ſe ſuſpendit.

* debacchabantur

* *imò* poſtponens

* *i. e.* crimine

40 Nam ictus ferientis vincturam & compa- *& malè curatum*
gem ejus divaricatam pœnè disjunxerat, ideo- F
que ſolitum meatum vigoris à venis obſtruxerat; *a*
quod dum archyatri *a* ſollertia non proſpexit, errore deſipuit, & in irritum effectum taliter excidit. Verùm dum utroſque artus cubiti ad priſtinum ſtatum reducere tentat, & dolori non concordat, fallaci induſtria unum ſuper alterum impellendo arctis loris applicat. Poſt hæc diligentiam in curando adhibet, & ſatagebat ut priorem virtutem ei refunderet; ſed dum fervorem vulneris exteriùs ſanat, interiùs præſcriptum morbum ad diſpendium ſalutis occultat. Igitur tamdiu in hanc fallacem curam ſubſtitit, donec cicatrix ex vulnere obcalluit, & ſic conventionem ab eo eliciens, quaſi certiſſimus collator ſalutis receſſit. At faber redivivo gravatur dolore; non brachio ſe poterat judicare *, nec aliquid operis ex eo profligare, neque etiam manum ex ſpiculis talis doloris ad os mittere. In hac anguſtia tempus plurimum expendit; ſed poſtquam nullum humani ſupplementi argumentum in ſua curatione percipit, atque ex eo multiplicibus ſtudiis laſſatus ſuccumbit, ad Sanctorum hunc locum incolentium experimentum ſeſe contu-

* *l.* juvare

A contulit. Et factum eſt, ut nos pro quadam tribulatione cum crucibus & Sanctorum pignoribus, Malmundario Sanctorum merita habere *b* viſitare; ut moris eſt cum copioſa plebis multitudine, ubi etiam devotionem & ipſe ſumpſit commeare. Denique ſtudium accelerandi itineris prorſpuit & viam, quâ tranſeundum erat, præveniendo occupavit: & ecce, dum appropinquare à longè conventum cognovit, oculos ad cœlum atque verſus monaſterium, à quo exibant, elata contemplatione attollit, & genu flexo per ſupernam majeſtatem eorum meritis ſuffragari ſibi ſinceriter expoſcit.

b

miro modo reſtituitur:

41 Nec Dominus gloriam virtutis eorum diſtulit, & diuturnum affectum, quem circa eos habebat, taliter patefecit: nam dum orat, quaſi ſubitâ violentiâ & ſtupore mentis concutitur; atque mox, ut exurgere conatur, nutante veſtigio ſuper cubitum iterum relabitur, talique modo os brachii ab eo loco, quo peſtiferè inhæſerat reſiliens, in locum priorem ſalutiferè redigitur. Sic quoque ſanitati reſtitutus, noſtris atque eccleſiæ adhuc tantò commodiùs in pluribus deſervit nutibus, quantò præ aliis gratiam

B Sanctorum iſtorum promeruit differentiùs. Libet

* *fortè* vitato faſtidio adhuc vitator faſtidii * hac ipſa re pauliſper excitare induſtriam, ne lector deficiat adverſus uniformis rationis moleſtiam. Porrò ut ſcriptum eſt, attentior quiſquis ſit, ſi alterna ratio præſentem eludit: diligentiam caſtigatoris propoſiti hæc res inſinuat, ut circumſpectâ vigilantiâ ſobriè ſe quiſque caſibus objiciat, ne incautus impetu ſuo fuſus, ut hic præſcriptus egit, procumbat: ſcandala, ebrietatis germina, rationis cenſurâ declinet, gravitate mortalitatis præcipitatam velocitatem inter ejus pernicioſa diſcrimina refrenet. Nam miſeratio Chriſti quamvis in commune cunctis ſibi credentibus ſit prodiga, tamen viciſſitudinum ejus penſanda ſunt tempora, quæ alternantibus modis variantur per ineffabilia ejus judicia; ſiquidem aliis per gratiam juſtificationis ejus medelam benignè accelerat, atque aliis in perſeverantiam pœnarum retardat; & licèt precibus Sanctorum recipiamus plurima, tamen ſua non valent mutare diſpoſita; ſed ita, ut proveniunt, ab eo noſcunt eſſe præſcita.

XIII. *manus pueri à nativitate*

C 42 Pandam adhuc mirabile, nobis videntibus proximo peractum tempore, ut agnoſcatur quàm dives & glorioſus iſte Sanctus ſit cum Domino diverſarum gratiarum munere in cœleſti perenni hæreditate. In villa nobis contigua cuidam patri-familias erat parvulus, cui manus à nativitate ad nullos proprios ſibi fungebatur uſus: nam verbi gratiâ omnes ejus digiti in volam incurvati erant, &, diſſolutis venarum commerciis, obrigeſcebant, nec aliqua extenſione unquam laxati extiterant. Parentes autem ejus, quantò eum profuſiùs diligebant, tantò frequentiora ſeminaria dolorum in ſe congerebant, quia membrorum ejus auxilio privatum conſiderabant. Itaque ex hac eorum triſtitia vicinorum viſcera charitatis compaſſione molleſcunt, munia conſolationis, quæ ſola ſuper hæc incommoda illis reſtabant, impendunt, atque ut monaſterium Patroni noſtri cum parvulo ſumma devotione adeant, conſulunt: crebris enim ſuggeſtionibus pollicebantur eis, ſicut ex ſuo ingenio conjectabant, non eorum incaſſùm profutura tentamina; quia illuſtriùs quàm aliàs divina in eo floreret gratia, & ob id ad propagandum Sancti Dei meritum plurima oſtentarentur ſæpè miraculorum inſignia. Talium dictorum fide eos corroborant, ad * ſpem bonam velut præſtitâ fiduciâ inſpirant. Igitur pater, ne talem perſuaſionem omitteret inexpertam, declinat ignaviam atque citato calle cum parvulo huc carpit viam.

A. ANONYMO. * ac

contracti ſanata,

43 Præcurſoris Domini enim nativitas celebrabatur, quando advenit ad Veſperas; nobis intuentibus, legem implevit, quia in conſpectu Dei non vacuus apparuit: ſiquidem eulogias * * *i. e.* munera ſuas ad altare ſancti patroni noſtri Remacli repræſentavit. At nos Veſperas ſollemniter pſallendo compleveramus, & quia copioſa turba in anguſtum totum monaſterium vallaverat, pro inquietudine ac tumultuatione ejus & intoleranda impreſſione in choro remanſimus. Interea vocem parvuli in ſublime maximè reſonantem aure percepimus; fremitum vulgi miramur, & quia tam inſolito more perſtrepebat, rei veritatem confeſtim percunctamur, & ſubitò ad inſpectandæ virtutis Dei indicium ad nos in choro defertur, & quo à parente naturâ omni tempore vitæ ſuæ defraudabatur, ad enitescendam gloriam confeſſoris Dei Patroni noſtri, clero ac cuncto populo contemplante, illi divinitus reparatur. Tunc verò in laudem Chriſti, certiſſimi collatoris ſalutis, benignè nos in commune relaxamus, Confeſſorem ſuum mirificamus, cujus auxilio & gratiâ innitimur, ab ærumnoſis calamitatibus & infeſtis languoribus, quibus vexamur, eripimur, & tam magnificis hujuſmodi virtutibus ad ſepulchrum ejus de die in diem pia conſolatione recreamur.

E

XIV. *alterius diuturna cæcitas*

44 Dum glorificator Sanctorum ſuorum Dominus ad detegenda Confeſſoris ſui merita plurima virtutum præſtaret magnalia, plures languidi huc conveniebant velut felicium apum examina ad nota alvearia. Et erat quidam, quem diuturna cæcitas obfuſcaverat, ſed fidei acies cor ejus illuſtrans animabat, & ad ſpem recuperandæ ſanitatis invehebat; denique elaborat ſtudio, quo poterat, & enititur & per plurima Sanctorum oratoria, ductore ſuo regente, fruſtra vexatur. Ut autem credo, divina diſpenſante induſtria, remedium ei differebatur, ut meritum Sancti Dei in hoc loco etiam ex ejus incolumitate clarificaretur. Igitur dum hac molitione nihil proficeret & miſerando caſum ſuum defleret, atque ex copia rerum ſuæ ſaluti profutura plurima agitaret, quaſi ſuperna ſignificatione animo concipit, ut huc quantocius properaret. Denique moras negotii diſſolvit, &, ſicut fideliter annuente Domino animo concepit, votis ardentibus attentare ſtuduit. Verùm dum Miſſarum ſollemnia ex communi ad altare Patroni noſtri celebrabantur, hic eccleſiam introducitur, atque ante gradus abſidæ *c*, quæ altare ambit, nobis cernentibus, orationi proſternitur.

F

c

meritis Sancti pulſa.

45 Sed cæleſtis pietatis eximia miſeratio, quæ ad propagandam Sancti ſui gloriam ad ſepulchrum ejus ſemper eſt præſtò, ſolito profuit ſolatio. Nam dum ſolo erigitur, nox cæcitatis ab eo expellitur, oculique ejus in clarum lumen laxantur; & de tenebris eorum in lumen mentis ita fatendo recipitur: Ecce, Deo gratias & ſancto Remaclo refero, quòd ſuper me ſua efloruit miſeratio: nam oculis meis perſpicuè nunc video, quod numquam ſperabam mihi profuturum vita comite, figmento deluſus lubrico. En, quidem intueor cum certa veritatis approbatione amictum ſeniorem ac infulatum altari aſtare & ſingulare Redemptionis noſtræ myſterium immolare. Precium fidei meæ recepi, & quia bo-

A. ANONYMO. na intentione veni, ejus intentionis actionem hoc benigno auſpicio lucrari merui; & benedictus ſit Dominus, qui Servum ſuum tantâ dignitatis gratiâ magnificat, ut meritum ſuum recompenſans totiens miraculis coruſcare faciat. Hæc eo dicente & præclaro obtutu fidem præbente, in Domino nos compulit exultare, & gratias agere, qui per Patroni noſtri ſanctimonium conſuetudinaria ope, viſitatione atque conſolatione nos dignatur relevare.

XV. *Ruſticus die Rogationum lignatus*

46 Inferam adhæc memorabile, quod actum moderno tempore liquet probabili ratione. Villa quædam, Wademias nomine, noſtræ ditioni manet ſubjecta, atque à noſtro monaſterio non pluſquam duabus leucis extat diſparata, in qua quidam vir ruricola adhuc ſuperſtes inhabitat, qui die Rogationum feriâ ſecundâ, dum eſſet divinæ ſervituti mancipandus, contra jus & fas & ſibi vetitum ſolivagus ſilvam pétiit, ac ligna ad uſus domus ſuæ competentia cum ferramentis ſuis præparavit, Chriſtiana quidem religio
d Gallicana ex ſtatuto ſancti Mammerti *d*, Viennenſis tunc epiſcopi, ipſos dies triduanis litaniis
B concelebrat, ſpontaneis parſimoniis ſe macerat, religioſo affectu mundialibus illecebris renuntiat, animarum potiùs quàm corporum curâ vel alimoniâ vacat, & meritò beneficiis Chriſti vicem rependit; quia multifariis peccatis machinantibus à crudeli plagâ patriam ſolita miſeratione eripuit. Nam verbi gratiâ lupi atque urſi acerbi per portas Viennæ urbis violenter irrumpentes, plurimos devoraverunt per annum integrum; in Sabbato ſacroſanctæ Paſchæ, epiſcopo Miſſam celebrante, divino igne regale concrematum eſt palatium, atque ad cumulum malorum terræmotus ſubverſionem fecit multarum eccleſiarum atque ædium, & quia ille timor pœnalis in timorem Dei eſt redactus, dignaque ſatisfactione ipſe extitit placatus, adhuc conſuetudo apud fideles Chriſti devotiſſimè recolitur pro diverſis mundi cladibus; nec prævaricandum aliquibus ineptis occaſionibus.

uſum dexteræ amittit, quæ baculo * *t. e.* credimus

47 Hoc igitur quia ille non animadvertit, & diei ſanctificationis reverentiam non exhibuit, nec ſe diſſolutum vigore juſtitiæ reſtrinxit, ultionem divinam, ut ſperamus *, ex ea negligentia promeruit. Pondus enim lignorum in die paC ratum ſuper humerum ſuum poſuit, atque ut fit, ad ipſum levigandum, fuſtem ad hoc habilem dextera manu coaptans domum properavit. Dum verò ibi onus depoſuit, dextera aduncis digitis circa fuſtem diriguit, nec relaxari ab uxore, neque à domeſticis ſuis nequaquam poſſibile fuit. Artatur ruſticus, vexatur dolore, atque ad mirabile ſpectaculum vicini ſui convocantur; percunctatus igitur qualiter id ſibi contigerit, vera ratione prodit; neque enim diſſimulare poterat, quia argumentum veritatis connexa & vexata manus proferebat. Tunc obnixè ſibi deplorat apponi auxilio & gratiæ, ut, quia peccatis ſuis machinantibus fuſtem à dextera non valerent diſcerpere, ſaltem ex utraque parte eum amputantes aliquid leni tentarent inferre *e*: erat quo*e* que gravis & quantitatis prolixæ, & ideo ejus pondus non prævalebat [ferre] brachium debile.

adhæreſcit; at poſt, invocato Sancto,

48 Interea mutua perſuaſione admonetur, nihilominus ab uxore & filiis & cognatis urgetur, ut nullas moras impediendo vel protelando corrumperet, ſed Sanctorum baſilicas frequentare ſatageret, & eorum patrocinia ſuper ſuum incommodum ſuppliciter imploraret. His itaque ſalutiferis conſiliis confirmatus, nec de ſuperna D clementiâ diffiſus, domus ſuæ dereliquit negotia, Sanctorum plurima peragrat tabernacula, die nocteque depoſcit eorum adipiſci ſuffragia. Sub hac fidei conſtantia ad noſtrum cœnobium die quadam Dominica circa primam advenit & novitate tam inſolitæ rei non mediocri ſtupore nos perculit; & quia dexteræ ejus illud pœnale præjudicium incubuerat, arbitrati ſumus, quòd aliquod ſacrilegium aut falſitatis juramentum cum ea perpetrarit, & ideò ad diſciplinam ſibi & multorum, eo quòd judicium veri adulterarit, tali vindictæ Dominus addiceret. Denique cum eo ſeorſum ſingulariter ſeceſſum petivimus, ut ſincera exactione opinionem noſtram comprobaremus. Ille verò ſedulò negavit, ut nobis viſum eſt vera confeſſione, quòd nondum ſe reſciret Deo teſte tali fœdatum crimine.

reſtituitur, ſuſpenſo ad fores baculo miraculi teſte.

49 Quid plura? Secus altare Patroni noſtri confeſſoris, nobis jubentibus, in oratione proſternitur, & nos ſecundum morem Dominicæ diei in melodia proceſſionem circa officinas clauſtri conſuetudinaliter proſequimur. Dum hæc itaque peregimus, ad celebrandam ſollemniter Miſſam prout dies expoſcebat, operam damus. At E ubi Euangelium legitur & clerus ac populus conſueto more verba ejus intenta cordis aure rimatur, æger vociferando & quaſi pererrato propriæ mentis ſtatu à pavimento ſurſum erigitur, & cum ipſa vociferatione, nobis & populis perſpicuè cernentibus, fuſtis à manu ejus dilabitur; & quod nobis erat præcipuè admirabile, in eum exceſſum mentis vis divinæ virtutis impulit, ut ſtare non prævalens, iterum tam clamoſa voce ad ſolum in cubitum corrueret, ut lectionem Euangelii nobis ad audiendum impediret. In eo igitur agone tam diu terræ incumbendo perſeveravit, donec priſtinam incolumitatem recepit: nos verò mira alacritate lætificati de ſuperna viſitatione, poſt expletam Miſſam laudes Deo cum plebe reddimus, ut par erat, pura devotione. At noſtrates, ut hoc factum extollerent ad ſplendorem domeſticum, ipſum fuſtem ante januam monaſterii ſuſpendunt in admirationem & ſpectaculum publicum.

XVI. *Mulier per quinquennium membris omnibus capta*

50 Eodem tempore quædam mulier de Falminenſi pago progenita, ita membrorum ſolatio erat deſtituta, ut eorum obſequiis magis detrimenta, quàm aliqua provenirent commoda. Brachia ejus & tibiæ cum toto corpore compaF ginatis hærebant oſſibus; ſed caruerat privilegio ac vigore naturalis motûs. Ad hæc etiam mortis continuata ſupplicia ita erat macie tabida & exhauſta, ut miſerabilis viſu ſuis eſſet & oneroſa. Sub hac igitur diſſipati corporis injuria magnifica, abſque ulla ſalutis requie, quinque ſibi fluxerunt annorum curricula. Tandem ſuperna miſeratione inſpirante & velut ejuſdem gratiæ inſtinctu præſumente, affines & cognatos atque amicos ſuos crebra ſupplicatione cœpit exagitare & permulcere, ut pietatis & humanitatis officia in eam protenderent, benignitatis charitatem impertirent, & ut ad extrema ſalutis ſuæ experimenta ad cœnobium Patroni noſtri quolibet ingenio vehendo conducerent. His precibus benevolentiam eorum allicit, & vicariâ gratiâ ſibi ad ſupplementum inflectit. Mos namque regionis illius, ubi hæc ægra degebat, continetur & præcipuè ritu antiquo ſervatur, ut in Nativitate ſancti Johannis Baptiſtæ incolæ ejus Patronum noſtrum in multiplicibus commoditatibus ſæpè approbatum cum eulogiis ſuis oratio-

nis

A nis cauſsâ viſitent, plus ſolito frequentent, atque etiam ſollemnitatem inſignis diei nobiſcum concelebrent.

in templum Sancti deferitur,

51 Igitur ſecundum hanc inſitam conſuetudinem hoc anno iſtuc iter dirigunt, ægræ miſerantes & vehiculo imponentes in commeatum recipiunt & cum paribus bobus huc ad eccleſiæ januas deducunt. Hæc itaque bonâ induſtriâ patrata, licentia ut intro ſanctuarium * deferretur eſt conceſſa, & quia in ſuperno ſpiritu conſtituta videbatur, lectus ei ſupra pavimentum marmoreum infra abſidam ſternitur. Ibi quidem à nobis imbecillitas evidenter circumſpecta conſcendit in nos nimia teneritudine ac compaſſione intima. Denique à domeſticis ſuis dimittitur, & inibi tamquam ad procurandum Sancto committitur. Interea dum Matutinarum tempus adveniret, & ædituus ad decorem domus Dei luminaria accenderet, nec non ad ea, quæ expediebant illuſtræ * nocti, ſagaci ſollertiâ inſiſteret, amiſſam incolumitatem ægra pedetentim in ſe refoveri perſentit: nam protinus diutina tribulatio doloris & æſtus anheli corporis, unde torquebatur à vertice uſque ad femora expellitur, B & ad gratiam ſanitatis integerrimæ reſtituitur; quod ſumma diſſimulatione nobis & ſibi adhærentibus celatum ad inferiorum membrorum ſalubritatem devotiùs tendit affectum. Interim Matutinæ pulſantur, & à ſomno exciti actuum & labiorum noſtrorum primitias Deo conſecrare in jubilatione earum invitamur, &, ut dignitas noctis expoſcebat, pro ſe quiſque ad ſervitium nititur; & necdum rei novitas examinatur: divina quippe diſpenſatione præcautum fuerat, & in noſtri beneficii gratiam, ut nobis videtur, quod factum, occultabatur; quia ſi in plebe, quæ totum monaſterium * interiùs & exteriùs per multa ſpacia occupaverat, vulgaretur, feſtiva ſollemnitas chori ex mole fragoris & inquietudine ſtrepitûs ejus impediendo interciperetur. Nam dum generalem lætitiam, angelico oraculo dedicatam, tale miraculum excitaret, populus acclamando votis vota accumularet, & permixta & incondita voce eccleſia reſultaret, ſicque clero diſſonantia & error facilè proveniret.

** i. e.* templum

** i. e.* illuſtri

** i. e.* eccleſiam monaſterii

& plenam ibi

52 Igitur dies illuxit, & adhuc ipſa vim divinæ virtutis ſub priori ſpecie & qualitate tacendo tegit. Dum verò circa primam pervenitur, C iterum ægra à priori cæleſti virtute repetitur, atque ab immanitate cruciatûs ac inferiorum artuum languore eripitur, pariterque ad priſtinum robur, Deo favente ac ſancto Remaclo impetrante, reſtauratur. Suſtinuit ſe quoque donec Miſſa glorioſæ diei, ſicut competebat, ſolemniter celebratur, & pace & otio in eccleſia cuncta ſedantur. At expletâ, & Sextâ ad pſallendum inchoatâ, ipſa efficaciter ſui corporis libertate potita à loco, in quo jacebat, ſurrexit, greſſus ſuos verſus nos in chorum & extra domum Dei dirigit, atque plurimorum noſtrorum animos, quibus notum erat, in admirationem maximam attollit. Itaque vicini ſui ac cognati nec non noſtrates opem cœleſtis gratiæ in eam declaratam cernentes, & eam uſurpare * nefas ducentes, inſuper diſcrimen calumniæ ſe apud Deum & homines lucraturos, ſi celarent, perpendentes, ſeriem veritatis cuncto populo, qui intererat, patefaciunt & cum ea Dominum cum Sancto ſuo magnificantes intra ſanctuarium redeunt. Tunc nos etiam cum abbate noſtro in unum confluximus, & veritatis indaginem reſerari nobis ab ea obnixè depoſcimus. Ego, inquit, per totum quinquennium ſub tanto vexationum faſce aſſiduè deſudavi, ut, omnium membrorum meorum adminiculo defraudata, ſola mihi reſtarent exoſa vitalia *f*; itaque amicorum & cognatorum meorum præſidio freta, hìc ſerò curru ſum evecta ac cum geſtatorio huc delata.

** i. e.* inſpicere

A. ANONYMO.

f

recuperat ſanitatem

53 Adveniente autem Matutinarum tempore viſa eſt mihi, quaſi ſpecioſa avicula advolando ſuper lectum ſancti Remacli domini mei reſidere, & poſt puſillum ſuper eum miræ lucis claritatem excreſcere; dumque ſuper hoc læta animum inducerem, uſque ad femora ſolidum recepi vigorem. Viſum eſt etiam mihi in tantam erupiſſe valetudinem, ut contracto cuidam, qui mecum excubias agebat, quia nimiùm vociferabatur, mente devia dormiendo auxilium præſtarem. His ſucceſſibus elata ſpes me paſcebat præſagio animi, quòd mihi prædeſtinata in reliquis membris eſſent profutura remedia: & dum exſpectatione nimia anhelatione ſuſpendor, ecce circa primam horam diei eamdem gloriam miri fulgoris, quam prædixi, redire intueor, cujus ſpectaculo primùm timore diſſolvor, ſed poſt puſillum, quaſi per laxiſſimas gaudii habenas liquido ſereno claraque facie perfuſa riſu excutior & E cum eo pariter priſtinæ ſaluti, ut nunc patet, reſtituor. His ſuis aſſertionibus duo laïci noſtri præſentes fidem dabant, quia dum altare, ut dies exigebat, feſtivis palliis & ornamento congruo in mane cum cuſtode decorarent, diu etiam læto vultu ridere & tremere conſpicerent. Etiam illorum aſtipulatio meo arbitratu in hoc veritate niti perhibetur, quia conſuetudo divini luminis atque angelici habetur, ut in adventu ſuo mortalium corda primùm timore diſſolvat, ſubſequenti verò conſolatione præcedentem pavorem demulceat atque ad gratiam charitatis invehat. Nos ergo hac viſitatione Domini ex precibus Servi ſui Patroni noſtri lætificati, quod ſolum nobis jure religionis tunc ad præſens potiſſimùm ſuccedebat, ad vicem beneficii TE DEUM LAUDAMUS, abbate incipiente, cantavimus more celebri.

XVII. *alia quoque contracta,*

54 Succeſſit eodem anno huic ſimile, quod etiam ad promulgandam Confeſſoris ſui gratiam benignus Dominus voluit perpetrare. In vicino nobis fiſco Glengou nomine quædam mulier manebat, quam in tantum per quatuor & eo ampliùs annos languor attriverat, ut ab renibus F inferiùs officiis membrorum inopem redderet. Nam nervi priſtini roboris ejus aruerant, gradiendi beneficium penitus amiſerat, ſed bajulando aut vehiculo aut geſtatorio judicia pœnitentiæ ſubibat. Hac igitur ægritudine impellente dum tædio & angore, ita ut fit, in ſuis actibus torpeſceret, & ſibi ad ſubveniendum ac laborandum infirmitas obſiſteret; pœnè familiares opes præ penuria amiſerat, & ad confuſionem ſuam ignominiosè vivebat. Nam dominus ſuus reſpectu miſerationis ei compatiendo ex menſa ſua eam alebat, neceſſitatibus ejus pro tempore & re diligentiam exhibebat, & quia numquam eſt immortale malum mortalibus ad ſupernæ diſpenſationis jura verâ viâ nitentibus, tandem meruit conſolationis gratiam, ab his ſe eripiendam cruciatibus. Illa itaque dum nocturnas curas in ſomno reſolveret, vidit quaſi vicinam ſuam prægnitam ſibi aſſiſtere, miſerias ſuas & caſum ſolando alleviare, & lychnum in manu ferens ſibi offerre, ac ab ejus ſpecie alium compoſitum, & ad groſſitudinem genu ejus contracti circumductum hortatur producere, atque ſic

A. ANONYMO. ex eo cum candela facta ad cœnobium Patroni noſtri properare. Nec diſparem fidei ſuggeſtionem à quadam ſanctimoniali *g* matricularia in cœnobio *h* ſancti Lamberti Leodii *i* famulante per viſum nocturnum percepit, quæ etiam verbis ſuis eam ſecurè fidere ſuaſit, & indultam propitiationem ſibi accommodandam iri hîc ſpopondit.

g *h* *i*

opitulante Sancto.

55 Igitur his revelationibus expergefacta & ſpe & gaudio agitata, emolumentum talis rei fidei ſtimulis maturat & pro rei copia neceſſaria ad profectoria præparans huc feſtinat; & quamvis ſomnia quaſi ventoſa deluſione diverſis qualitatibus ſe alternent, ut vera pro falſis miſceant, & falſa pro veris obtexant; tamen ex præcedentibus multiplicibus miraculis ſuo tempore certâ experientiâ prægnitis ac celebri fama divulgatis, non irritis ſe fruſtrandam penſabat negotiis. Vigilia itaque Pentecoſtes advenit, eccleſiam intrans perreptando & à ſuis ſublevando pro gratiæ & ſanitatis pignore vix altare ſancti Confeſſoris petiit. Poſthæc quid res ſuæ in tanta neceſſitate poſtulabant, non ſocordiâ ac ignaviâ
B excedendo obliviſcitur; veſperas quidem ac vigilias matutinales proſequitur, horam ad ſerenandam & reconciliandam ſibi majeſtatem Domini, ut menti inhæſerat, præſtolabatur. Nos verò in ſacræ ſollemnitatis devotionibus inſiſtimus ut dignum & æquum erat, ſtudia inibi noſtra applicamus, & ab ea etiam ægrota pietatis myſteria ſcilicet ex remedio ejus quaſi pro conſuetudine exigimus: & quia paraclytum Spiritum feſtivis præconiis honorabamus, ejuſdem donis illuſtrari ſua infuſione aliquâ fiducià aſpirabamus, ut munere gratiæ ſuæ lætificaret nos propitius, qui quondam ipſo die in Apoſtolis requieverat
k glorioſus. Igitur diei Tertiam *k* pſallendo complemus, & ſecundum dominicam celebritatem cantando quoque & cum benedictionibus ac aquâ exorcizatâ clauſtrûm perluſtramus; ſed dum in chorum repedamus ſupernam medelam cum tormentis ejuſdem contractæ luctari, varietate vultûs ejus & geſtu corporis plurimi conſpicimus.

ibidem erecta.

56 Et quia meritis Sanctorum non erat nobis novum nec inſolitum, inceptis ſollemnibus nullum irrogamus impedimentum, & præcipuè reverentiâ religionis, quæ tunc ſacræ Miſ-
C ſæ & diei impendebatur, ſilentio ſupprimitur, & quia necdum in palàm conferebatur. Interim donec perſeverantia ſancti Officii peragitur, cœleſtis prærogativa magis ac magis intuendo depromitur, quia modò in pedes ſtando nititur, modò in cubitum incurvando extenditur, & ita diverſis nutibus & conflictu corporis ab illo peſtifero jugo certando divellitur, ut etiam ad Euangelicam lectionem ſtans erecta & ſoſpes ab omnium circumſtipatorum oculis diligenti circumſpectione probaretur. Poſtquam enim Miſſam dignè celebrando explevimus, ruſticana le-
** adde illos* vitate ** adhuc abuti mendacio in ea re hæſitavimus; & ideo, ne ſpecies rerum falleret, ad certum experiendo diſtulimus; nam villicum & affines ejus ad teſtimonium exhiberi cenſuimus, ut Deo gloriam darent in diſſolutione veritatis proteſtamur. Illi autem advenientes ambiguitatem à nobis auferunt certa aſtipulatione miraculum approbant & nobiſcum ad laudes Dei & Patro-
** l. ſtupentia* ni noſtri ſtupenda * corda convertunt. Ad hujus rei atteſtationem carrucam ſuam ante fores monaſterii reliquit, & ipſa libero greſſu ſanitate potita læta remeavit.

D

ANNOTATA.

a *Dicitur* archiater & archiatrus, *id eſt, primarius inter medicos ab* ἀρχὸς, princeps & ἰατρὸς, medicus: *ſed hîc chirurgum denotat, ut patet ex contextu.*

b *Fortè* haberemus. *Senſum ita expreſſit Surius:* Accidit verò, ut ... Malmundarium peteremus, Sanctorum ejus loci merita imploraturi.

c Abſida *hîc ſignificat partem ædis ſacræ interiorem, in qua altare collocari ſolet; ſic appellatam, inquit Cangius, quòd ſit quodammodo ſeparata à templo, & proprio fornice tecta & convoluta.*

d *De S. Mamerto epiſcopo Viennenſi in Gallia & Rogationum inſtitutore actum eſt ad* XI *Maii, ſeu tomo* 2 *illius menſis à pag.* 629.

e *Phraſis obſcura, uti aliæ multæ. Surius hoc modo ſenſum reddidit:* Orat, ut baculum oblongum ex utraque parte amputent, ne ejus onere prægravetur.

f *Id eſt*, ut .. vitæ tædio laborarem. *Ceterùm huic miraculo, quod contigit in Nativitate S.* E *Joannis Baptiſtæ, id eſt,* 24 *Junii, ſequens præponi debuerat utpote factum* eodem anno *in Pentecoſte, quæ ſemper occurrit ante diem* 24 *Junii.*

g *Id eſt, virgine aut femina ſanctimoniæ dedita, quales olim* ſanctimoniales *dicebantur, teſte Cangio; interdum certis, ſæpe nullis illigatæ monaſticis votis.* Matricularia *quid ſit, explicui ad caput* 1 *hujus libri lit.* i.

h Quæ cathedralis eccleſia erat, *inquit Mabillonius tom.* 2 *Annalium pag.* 441. *Videri etiam poteſt Hiſtoria Leodienſis, anno* 1735 *ibidem edita, tom.* 1 *pag.* 126. *Porrò S. Lambertus colitur* 17 *Septembris.*

i Leodium *vel, ut Juſtus Lipſius vult*, Leodicum, *quibuſdam* Legia, *Gallicè* Liege, *urbs eſt Germaniæ ſatis nota.*

k *Pars eſt Officii Eccleſiaſtici diurni.*

CAPUT V.

Sanationes aliæ & beneficia per Sanctum impetrata. F

XVIII. *Quidam languidus & contractus ante altare*

NEc illud oportet à nobis excludere nec ſilentio tegere, quod recenti memoriâ conſtat contigiſſe. In ſollemnitate namque præcipuorum Apoſtolorum Petri & Pauli advectus eſt aſino quidam ægrotus membris miſero languore contractus, & recuperandæ ſanitatis gratiâ coram altario * Patroni noſtri à bajulo ſcilicet ger- ** i. e. altari*
mano ſuo eſt collocatus. Nam vera retractationis diſcuſſione ſacramenti Chriſti gratiam ejus benignitate ac interceſſione pluribus collatam recolebat, qualiter in ſe confidentes divino ſucceſſu accumularet, in anguſtiis non deſereret, præcipuè autem fidem augebant plures adhuc in carne viventes, quos ejus par pœna vexaverat, ſed virtus ſuperna debitæ ſoſpitati in loco hoc reſtauraverat. Hac quidem ſpe roboratus, inſuper extrema ac inevitabili neceſſitate coartatus, ſupernam clementiam præſtolando in incepto perſtitit devotus; ſed vis divinæ pietatis ſolita compaſſione affuit, deſideriumque noſtrum

in

A in eo adimplevit. Nam in die celebritatis præſcriptorum Apoſtolorum poſt gratiam requieſcendi in mane, dum trina *a* oratio ex debito perſolvebatur, nobis inſpirantibus virtus diu deſiderata ſic in ejus curatione panditur, ut etiam orationis inceptæ devotio ejus inquietudine impediretur. Arida quidem atque contracta membra noxio humore tabefacta dum ſolvuntur, miraculum cœleſte diu certare cum eo conſpicitur.

a

Sancti mirabiliter ſanatus;

58 Ergo modò trementibus membris incerto vultu decoloratur, multiplici angore exceſſu mentis urgetur, modò parumper ſe erigendo ſuper cubitum relabitur, nutantibus veſtigiis ſuper pavimentum recipitur, ſicque per varios motus ſuperno numine cooperante ad veram ſanitatem impellitur. Ad hoc quoque ſtupendum ſpectaculum clerus ac plebs accurrit, quam incondita ac confuſa vox in ejus erectione aſcivit, inſperati gaudii alacritate extulit, ac vera atteſtatione uſque hodie fidem facit. Nos verò ne argueremur fidei ignaviâ, in commune laudes Deo extulimus glorificatione debita. Ergo aliquo tempore nobiſcum manſit, copia ſupernæ gratiæ tam evidenter in eo declarata nos recreavit; at poſt

B quam dominus ſuus comes quidam Hezelo nomine, ad Meruvoith tunc caſtellum degens, quod ſuper eum contigerat, auditu comperit (nam ſtipe ejus pro eleemoſynâ in menſa alebatur,) ut certiùs experiretur, ad ſe per internuntios revocavit, atque uberi gaudio exhilaratus, Deo in Sanctis ſuis mirifico cum ſuis pia devotione gratias reddidit. Bene quidem glorioſæ diei tam inſignia ſpiritualium gaudiorum congruebant beneficia cœlo terrâque teſtibus adimpleta: nam beatus Remaclus in honore ipſorum Apoſtolo-

b rum præſcriptorum *b* hæc dedicando mœnia conſecraverat, eorumque tuitioni delegaverat, ut eorum ſacris traditionibus quotidie informarentur, ſpiritualibus feriis jucundarentur, &, quod majus eſt, divina virtute exaltarentur. Optimè ergo competebat, ut in die martyrii eorum tam præclara repræſentarentur patrocinia; ut hi, qui ad ſollemnia eorum convenerant, incrementa lætitiæ ac ſacræ fidei reportarent emolumenta, ac repedantes affectum eorum circa ſacrum locum

C proderent non ſpe irrita, ſed re audita ac viſa.

XIX. *plures monachi ſub ruina*

59 Contigit & aliud ſtupendum mirabile plurimorum adhuc in carne degentium vera traditum aſſertione. Erat hic quædam turris recenti opere monaſterio compaginata non vili quidem ſchemate atque materiâ, debitâ ſuperexcellens eminentiâ, nec alicujus diſſolutionis colliſione vel repentini casûs diſcrimine nobis adhuc ſuſpecta. Quæcumque ad decorem & commodum in ea competebant, provida circumſpectione atque induſtriâ erant addita, ejuſque vaſtitate ac copioſo apparatu, ut cætera mœnia ſibi cohærentia tutarentur, non modica manebat fiducia; in ejus quidem dextero latere ad meridianam plagam inferiùs in pavimento ſcilicet gratiâ ſoporandi æditui lectos ſuos aptaverant, ac excubiàs domûs Domini, ut moris eſt & neceſſitas exigebat, obſervabant, quia ſitus loci ad ea oportunitatem ferebat. Ecce IV Nonas Novembris ipſa à ſummo culmine diſſolvitur, ac, ſuo præcipitio cuncta obſtantia diruens ac ſecum trahens cum trabibus ac cum cæteris machinamentis condenſo atque nimio impetu dilabitur. Nos ergo immenſo ejus fragore à ſomno excutimur, & corporeæ quietis impatientes rei veritatem perçunctari contendimus.

60 Quod ubi reſcivimus, nimia amaritudine tabeſcimus, quia contritionem atque interitum fratrum noſtrorum in ea quieſcentium nimiùm pavebamus. Interfuit etiam tunc temporis abbas Ravengerus *c* nomine, eâdemque admodum lugens vexabatur infeſtatione: quis enim tantâ mole oppreſſos atque extinctos non crederet? Tandem viâ apertâ cum difficultate, mœrentes venimus quaſi exanimes artus tollere, animaſque eorum ſecundum officium funeris Deo commendare; ſed ipſius gratia providente, Sanctorumque hunc locum incolentium oratione auxiliante, conſolationis gratiam tali modo meruimus recipere, atque in immenſum ſtuporem plangentium verſæ ſunt lacrymæ. Nam invenimus ſuper eos penitus mentibus alienatos quoddam argumentum trabium ex ſuperiori cœnaculo cum tegumento collapſum, maceriei inferiori nondum ruinam paſſæ innixum, quod lubrica inſtabilitate lapidum cadentium omniſque adhærentis ſupellectilis arcebat nimium turbulentum impetum, ac ſua protectione & defenſione ipſis prætendebat munimentum; atque ut evidens ſupernæ virtutis notitia comprobaretur, fideſque titubantium ex hoc ſolidaretur, ac quaſi ex accidente re factum, omnes figmenti nexus abſolverentur, E inter coxas atque patentia ac extenta genua unius ipſorum trabes collapſa cernitur, ipſe illæſus ab ejus oppreſſione reperitur.

A. ANONYMO. *collapſæ turris ab omni*

c

Læſione immunes:

61 Nec aliquid incommodi illi atque aliis contigerat, præter quod nebula pulveris eos operuerat, ora fœdaverat inſuper & obturaverat, quæ ex diſſipatione ſuperſcripta contigerat. Ipſi quoque frequenter facta nobis collatione ſoliti erant referre, quia dum prædicta ruina ſe miſcuerat, ex denſa caligine ac præcipiti nimio fragore lapidumque contuſione ſic membra eorum obriguerant concreto timore, ut privarentur omni ratione ſuorumque agnitione. Ergo quique fidelium omnipotentis Dei imperio valent conjicere hoc accidiſſe angelico officio, Sanctorum interventione apud eum & ſuffragio, ut affectus fidelium ſibi devotè famulantium corroboraretur tam illuſtri miraculo & animadverteretur, quòd nondum circa eos & locum eſſet deſpectio, ſed in pia reconciliatione conſolatio. Nam multorum orthodoxorum ac theologorum ſcripto plurima præcedentia atque huic rei ſimilia recitantur teſtimonia, quatenus memoriæ recondamus, F [nos] non noſtris, ſed meritis Sanctorum & ope ſalvari ac gratiâ, ut ſacris eorum meritis nomen Domini glorificetur in ſæculorum ſæcula. Sed non ea ratione ſalutem nobis impetrant, ut noſtrum illis profit *d* obſequium, qui aſſiſtunt ante majeſtatis Dei thronum poſſidentes inibi gaudium, quod neſcit detrimentum; ſed hoc modo ac ſimili noſtræ devotionis ac veræ ſalutis exoptant à nobis allicere incrementum, quia numerus eorum ſemper crevit de numero impiorum *.

d

* *imò* piorum

XX. *puella, quæ 9 annis graviſſimo*

62 Oportet & aliud dignâ memoriâ pandere, quod gratiâ Sanctorum ſuorum Dominus dignatus eſt demonſtrare in anniverſario ſcilicet dedicationis hujus ſanctæ eccleſiæ. Manet in vicino quædam puella dirâ peſte novem annis macerata, nec ab aliquo medicorum aliqua remedii recepit ex hoc ſuffragia. Nam interaneorum tormenta ſic eam vexabant, ut victualia indigeſto ſtomacho vix retineret; ſed diverſo morbo perurgente cum cruenta ac venenifera ſanie obſceno vomitu rejiciebat. Hoc internum virus etiam cætera membra quatiebat, ac utraque ejus genua nervorum contractibus miſeræ ariditatis languo-

A. ANONYMO.

languore incurvabat : insuper supereminentes valde vesicæ pestiferæ totum corpus occupaverant, quarum lethalis cruciatus carnem macie attenuabat omnique salutis virtute defraudabat. His extremis malis dominus ac domina ejus, quorum hæreditario jure servitio mancipabatur, compulsi libertate donaverunt, ac quasi ad salutis recipienda commercia huc eam transferendo dirigunt. Nam fides eorum non congruentiùs præstare potuit consilia, quàm ut orando insistens hîc quæreret curandi beneficia. Ab eadem languoris molestia jam pridem fuerat hîc sanata; sed superno nobis quodam occulto judicio iterum ipsa die privata : sed cur ejusdem judicii pœnâ tam subitò plecteretur ignoro, nisi, sicut conjicio, aliqua in ea ac sibi adhærentibus infidelitatis latebat occasio.

morbo conflictata fuerat,

63 Nam plerumque Sanctorum, quibus curationum munera concessa sunt, virtus tepescit, contritorum ac languidorum affectum spernit, quia debitæ fidei infirmitas obstitit. Altitudinem quoque hujus considerationis beatus Marcus Euangelista evidenter nobis aperit, & non poterat, inquiens, Jesus inter eos facere virtutes propter incredulitatem eorum ; item & aliàs sine fide impossibile est placere Deo ; sed ipsa hac occasione non in ultimam desperationem incidit. Huc iterum ad nota præsidia cum matre se appulit ; non mente quidem exciderant aromata sanctificationis de armario suaveolentium virtutum super eam effusa, blandiebatur in cogitationibus amissa gratia, cœlestium scilicet munerum experimenta, idcircò quasi mulieris Chananeæ rogantis pro filia dæmoniaca cum matre constantiam tenuit, ac salutem sibi eadem recompensanda vicissitudine à Domino posse fieri Sanctorum suorum precibus non ambiguum fuit : & sicut illa animum in perseverantia exercuit, ac discipulorum animos ad miserationem concitavit dicentium : Dimitte illam, quia clamat post nos ; eadem importunitate, ut opinor, eosdem discipulos atque confratres, quorum spiritualiter hîc patrocinia præstolamur, precibus superans atque sibi reconcilians, affectuosos circa se reddidit : nam aliquorum Apostolorum hic conservantur reliquiæ, cœnobiumque consecratum est sub Apostolorum Petri & Pauli honore.

B

C

tandem in dedicatione ecclesiæ

64 Denique cum aliis ægrotis, ut moris est in Nativitate sancti Johannis Baptistæ, juxta altare beati Remacli patroni nostri est posita, sanitasque ejus usque in alteram noctem sacræ scilicet dedicationis est dilata. Et ecce in Matutinis horis dum ad celebritatem tam præcipuæ sollemnitatis nos relaxamus, devotamque melodiam Domino offerimus, manifesta Dei virtute eam attonitam fide ac auditu concipimus. Nam sicut nos laudibus debitis insistimus, sic ipsa agone supernæ virtutis agitatur, seu elisione ac dissolutione membrorum voces excelsas emittendo coartatur, omnibusque astantibus, potentia supernæ majestatis super eam declaratur. Nunc quidem æstuans potu à vicinis præsentibus stans reficitur, diverso modo perurgetur, potestate quadam spiritûs, non imperio rationis, crepidinem Dominici altaris temere amplexando, velut adjutorio fulcitur. Ergo donec sacer conventus debitas laudes divino conspectui consecravit, hac palæstra certaminis dubia atque trepida exspectatione perpendit * ; nec priùs sanitatem recepit donec sacer conventus primitiarum suarum hymnos Domino Sanctisque suis persolvit : sicque inusitata consideratione mirabilium ejus meritis Sanctorum Dominus nos refovit, tamquam dormientes excitavit, atque, ut ad sollemnia officia, quæ restabant celebranda, promptiores ac devotiores efficeremur, tali modo reparavit.

D

** l.* pependit

perfanatur, præviâ apparitione.

65 Nimirum etiam hoc teste miraculo cognosci poterat, quia sic se in hac sollemnitate exhibuit spiritualiter, sicut olim Hierosolymis dum encænia celebrabantur, in templo verbum ad populum faciendo corporaliter. Hujus assertionis testimonium adhibeo, quia non tantùm ab ipsa, quàm à matre atque à vicinis ac cognatis seriem veritatis perscrutatus sum sollerti studio. Post finem quidem principalis ac celebris Missæ diei glorioſæ, ejus primum de monasterio exitum exploravi, in qua non languidæ fidei vestigia reperi, & quod fideliter credidi, evidentibus indiciis approbavi. Nam adhuc cruor recens in tibiis atque in genibus sparsim adhærebat, qui in absolutionem nervorum violenter eruperat ; ex quo secundum priorem statum sanitatis vires recuperaverat. Insuper ad veritatis augmentum mihi retulit, quia antequam sanitas ei restauraretur, non per præsagum spiritum, sed etiam per revelationem sentire meruit : fatebatur ergo, quia dum angore suo fatigata paululùm coram altari incerto somno corriperetur, prætextus togâ candidâ facieque venustus quidam dominus repræsentaretur, atque, ut se erigendo aram Dominicam corriperet, adhortaretur ; quod protinus ignoranter ut est impletum, nodositas genuum, quæ emarcuerat, dissoluta in robur redigitur pristinum, sicque incolumitas cæterorum sensim reparatur membrorum. *Hactenus Ms. Colonienſe. Sequentia in ſolo apographo Foillanenſi habentur poſt miraculum* v, *ſeu caput* 1 *hujus libri.*

E

Vindicta in usurpatorem vineæ, qui damnum reparans liberatur :

e f

66 Multum etiam valet apud Deum simplicitas recta, sicut ait Salomon : Simplicitas justorum diriget eos. Quidam etenim homo simplicis naturæ servus noster, nomine Engilo, de villa publica sita super Renum *e* Rigomagi *f*, frequenter ad nos venire consueverat : qui valde compuncto animo solebat narrare de miraculis beati Viri sæpe memorati. Aiebat enim : Ego, inquit, eram custodiens quamdam vineam parvulam domini mei Remacli, quæ posita erat juxta alteram vineam quamdam hominis ferocis animi. Quæ cùm ad maturitatem perveniſſent, collegit suam & præsumpsit nostram. Qui cùm manum vineæ radici appositiſſet ; Quid, inquam ô amice, de botrionibus sancti Remacli vis facere ? At ille : Nempe nec tu, inquit, nec ille tuus Remaclus ex hac gustaturi estis. Quod audiens ego dejeci mœrens vultum ; interea tacitus corde cœpi comminari Sancto meo, ut non umquam acciperet denarium meum, nisi de tali re ultionem daret. Cùm ergo hæc intra me volverem, respexi ad hominem præsumptorem, & ecce perseverans erat inclinatus ad vineam [tenens] manum ad radicem firmiter adhæsam. Cui inquam jam exhilaratus corde : Quare non recipis, quod tuum est ? Cur tam diutina inclinatione fatigaris ? At ille, quem dolor pudorem confusionis aperire cogebat, cœpit me rogare, quòd pro illo Remaclum meum orassem, quatinus vitem, quam tenebat invitus, valuiſſet amittere. Expecta me, inquam, donec vadam ad ecclesiam, & ibi rogabo pro te, si fortè audiat me. Sicque ad ecclesiam pergens, atque adscito mecum presbytero, candelas accendimus, signa pulsavimus, orationem fundimus, & ita sancti Confessoris meritum sensit ligatus ; vi-

F

neam,

A neam, quam injustè usurpaverat, amisit & suam partem cum ea Sancto delegavit, lætusque abscessit. Satis etenim postea cæteris documentum præstitit, ne quisquam ulteriùs talia præsumpsisset.

reperti & recepti boves, qui furto abducti fuerant.

67 Is denique etiam referebat venisse se quodam anno ad festivitatem ipsius Sancti, sicut mos illi erat; qui ex his, quæ in promptu habere potuit, duos boves comparavit, vinctosque ad propria redire * deliberat. Interea cùm aliquid plusquam necesse fuit poculo indulsisset, furati sunt ipsius boves, atque itinere, quo ipse ire disponebat, perducti sunt. Cùmque ille huc illucque respiciens, nil de dampno investigari potuisset, ad nota præsidia recurrens, denarium super altare posuit, & aliquantulùm oratus * ait: Placetne tibi, sanctissime Confessor, quia furati sunt michi boves, quos de labore meo ad servitium tuum acquisivi? Scito, quia ab hodierna die non capies denarium meum, nisi restitueris quod perditum est. Ab hac ergo comminatione egressus de ecclesia, viam carpit: & in domo, ubi boves sui perducti fuerant, hospitium petiit. Cúmque mane pater domus illius jussisset unum ex famulis ad necessarium suum

B prædicta animalia jungere, ille hospes aspiciens recognovit eos. En, inquit, ô amice, isti sunt boves sancti Remacli, sine illos, quia mecum ituri sunt. Quibus sine ullius contradictione receptis, lætus cum ammiratione de tam celeri eorum restitutione, cum gaudio ad propria abivit.

* *l.* precatus

ANNOTATA.

a *Per* trinam orationem *hîc intelligo partes quasdam Officii Ecclesiastici diurni.*

b *Adi suprà Commentarium prævium num.* 58.

c *Idem hic est Ravengerus, qui suprà cap.* 3 *hujus libri memoratur; ubi ad lit.* a *ostendi non esse necesse, ut duo statuantur id nominis abbates Stabulenses.*

d *Nempe, prout auctor subdit, ad augmentum beatitatis seu gloriæ intrinsecæ, ut vocant: nam alioqui certum est gloriam, quæ extrinsecus advenit Sanctis imò ipsi Deo, qui in Sanctorum suorum honoribus honoratur, cultu & veneratione fidelium augeri posse, & consequenter*

C *obsequium nostrum hac ratione illis prodesse.*

e Rhenus *fluvius est notissimus, ex Europæ præcipuis, & maximus Germaniæ post Danubium, illam à Gallia disterminans. Vide Geographos.*

f Rigomagus *seu* Rigomagum, *vulgò* Rynmagen & Remagén *ut notant tabulæ, vicus est Germaniæ ad Rhenum inter Bonnam & Antunnacum* (Andernach) *distatque* 12 *circitèr milliaribus Germanicis Stabuleto.*

D

ALIA MIRACULA *a*

auctore item anonymo Stabulensi monacho.

Ex editione Chapeavilli tomo 2 *de gestis pontificum Leodiensium à pag.* 547.

CAP. I. *Sancti corpus portantes nequeunt subsistere: * i. e.* conventus

REgalis curia * condicta erat Legiæ celebrari, Dominicæ videlicet Resurrectionis adveniente tempore solemni... Prædictus quoque pater noster *Theodoricus abbas Stabulensis* seniorum nostrorum acquievit consiliis, quibus placuit ad eandem curiam corpus deferri ejusdem S. Remacli nostri protectoris, in qua villa quondam ipse præfuit *b* magister pontificalis honoris. Quo consensu voti compotes facti, quod inceperant, ad effectum providentiâ Dei suffulti producere maturabant. Sed aliquantulum nostra profectione tardante, dominus abbas pridie processerat nosque, dignè tractato sacro corpore, sequi mandaverat. Quapropter in exitu nostro cùm progrederentur celeriùs anteriores bajuli sacri corporis, quàm sequentes possent ferre labores itineris; conquerebantur posteriores se trahi à præcedentibus, itemque præcedentes se impelli à posterioribus. Ductis namque divino impulsu sacris reliquiis, prohibiti sunt portantes immorari vestigiis...

b

E

II. *mirus splendor apparet in aëre:* *c*

2 Cùm autem venissemus in villam nostri juris Lovincias *c* nomine, S. martyris Symetrii à Ladernaco nobis obviàm delatas reliquias suscepimus honorificè, quæ non frustra in nostrum adjutorium simul delatæ sunt Leodium cum sacro Patroni corpore; sine dubio adaucta omnium spe ex utrorumque digna præsentia profuturæ nobis Dei misericordiæ. Nobis igitur illa nocte in villa eadem cum sacris reliquiis quiescentibus, horâ Matutinorum ostensum est Leodii quibusdam signum mirabile, S. Remaclum eò deferendum nescientibus. Videbatur ab oratorio Stabulensi usque ad domum S. Lamberti quasi quædam via lucida splendifero tractu in aëre protendi. Cujus rei species quid portenderet dum videntes mirarentur, ilico tanti Hospitis adventu solvebantur, cui rem visam procul dubio servire fatebantur. Nos quoque primo gallorum cantu surgentes de loco, in quo quievimus, difficultates viæ sine labore & impedimento faciles gaudentesque peregimus. Nec deerant inter eundum laudes Domini per posse & nosse comitantis populi..

F

VII. *scrinium cum reliquiis ultro fertur in sublime* *d*

3 Post expletam namque supplicationem... ambientes regis *d* præsentiam, ut coràm fandi saltem consequeremur licentiam, manifestè Regis omnipotentis experti sumus providentiam per virtutum suarum insignem & admirabilem potentiam. Etenim scrinium Sancti, quod impositum erat S. Trinitatis altari, cum repentino sonitu visum est in aëra sublevari. Quod nimirum in

A. ANONYMO. admirationem promoverat eos, qui aſtiterant, quique unà cum cuſtode ſanctarum reliquiarum excubias celebrabant, &, quod viſum eſt, digna fide nobis dubitantibus exponebant. Unde plurimùm conſolati toto niſu Deo commendavimus finem facti.

X. *ſub eodem menſa regia ſubſidit*

4 *Narrat deinde quomodo regem prandentem adierint, & corpus Sancti ſuper menſam expoſuerint. Cùm verò rex iratus à menſa ſurrexiſſet, eumque in palatium abeuntem ſequi prohiberentur à cubiculariis;* relatum eſt corpus Sancti ad eundem locum ſuper menſam regiam ſub aſpectu omnium miſerabili. Quod æſtimandum videtur non præter voluntatem ipſius Confeſſoris Domini. Nam ſtatim ut materies illa inſenſibilis quodam modo ſenſit Sancti lipſanum, quaſi non ferre prævalens pondus illud divinum, facillimè inſtar cereorum diſſoluta eſt in fruſta, videlicet firmiſſimum robur illud tripodarum; demiſſumque ad terram humillimè jacuit ipſum pignus ſacratiſſimum. Implebatur ilico de vicinia & tota urbe utroque ſexu amplitudo totius illius pomarii, multiplicabatur in cœlum clamor dolentis populi. . . .

B

XI. *& crus alicui obtorſit, quod mox reſtituitur:*

5 In ejus itaque, quam diximus, humiliatione, quidam ex noſtris ſervientibus ipſius familiæ, dum menſæ innixus pedem ſuppoſuiſſet incautè, ex ruina molis irruentis tractum crus ad ſe non potuit retrahere: juvantibus verò ſociis ſeorſum extractus, ſubtritam pelliculam, per quam pes pendebat, præcidere volebat dolore conſtrictus. Gonterulus *e* erat nomen ſervuli, qui premente anguſtiâ temerè aiebat, quaſi derogando ſancto Confeſſori: Hæccine eſt virtus tua, mi Domine, ut quod inimicis tuis promerentibus fortè differebas facere, mihi tuo fideli, tibi obſequenti maluiſti contingere? Necdum verba finierat, cùm ſubitò, facta oſſium colliſione, ex divinæ virtutis cooperatione reſolidatur fracta tibia, ſurgenſque ſanus ſtetit utriſque pedibus, velut in ſomnis exactâ anguſtiâ. Cucurrerunt undique plurimi ad hoc miraculum, multi etiam ex palatio convenerunt ad hoc ſpectaculum. Ad comprobandam igitur rem divinæ operationis diſcalciari juvenem fecerunt, & in loco læſionis pro cicatrice quoddam ſignum inſtar rubri fili tibiæ circumducti non ſine admiratione conſpexerunt. Rei ergo veritatem ad dominum ſuum regem continuò retulerunt, ipſumque uſque ad regias fores pro teſte deduxerunt. Sed propter impreſſionem concurrentium, non eſt admiſſus in medium.

e

C

XII. *cæca ibidem curata.*

6 Interea clareſcentibus meritis glorificandi Confeſſoris factum eſt quoddam aliud mirabile in præſentia videlicet omnium, qui aderant in ipſo loco, quo corpus jacebat venerabile. Cæca mulier de proximo Leodii territorio deducta ſtabat ad venerationem cum pia ſupplicatione, quæ noctem continuam cæcitatis ſe incurriſſe deplorans jam longo tempore, dicitur excluſis lucem meruiſſe tenebris. Hæc accipiens crucem, quæ ibi erat, nemine ſibi dante cœpit venerabiliter deoſculari, ac ſic omnibus prædicare factam in ſe virtutem Confeſſoris Domini.

XIII. *Scrinium nequit loco moveri à cubiculariis:*

7 Cùm hoc utrumque factum celebre divulgaretur in palatio, & rex, in re aliquid divini operis ineſſe intelligens, non fruſtra timeret ne ſibi repentè divina ſuperveniret ultio; *perturbari animo cœpit, acceptoque conſilio juſſit Sancti corpus ad ſanctuarium referri, monachis id facere recuſantibus.* Poſt hæc quidam de cubiculariis irruperunt in turbas, accenſis animis, & ad ſacrum corpus irruerunt quaſi fortiter pro voto facturi. Cùm igitur arriperent undique ad ſublevandum illud Sancti ſcrinium, tanto pondere ſentiebatur divinitus affixum, ut ex eodem loco levari non poſſet, velut immobile ſaxum. Quod illi admirantes tamquam deificum, voto fruſtrati redierunt, ac dominis principibus non ſine admiratione retulerunt. . .

D

XVI. *beneficia monachis præſtita,*

8 Igitur in tanta tamque continua impreſſione, quæ inevitabiliter fiebat piiſſimi Confeſſoris Dei amore, in qua alii alios ſupergreſſi ab aliis impellebantur aſſiduè, nemo læſus, nemo perturbatus dicitur doluiſſe, niſi pauxilla ſitis anxietate; quæ tamen nimii æſtûs incremento collecta, ſtatim aurâ ſolvebatur aſpirante gratiſſimâ . . . . Poſt hæc claudente diem veſpera, nocturnas excubias peregimus non ſine divinitatis ope mirifica.

XVII. *& cæcus illuminatus;*

9 Ipsâ horâ procubuerant duo cæci remedii gratiâ coram S. corpore, juxta quos aſſedimus acturi congrua pro re & tempore. Contigit ergo ex oblatione illic offerentium de ſcrinio cadere nummum ante vultus eorum, qui videbantur expertes luminum. Hunc unus ex illis accipiens nobis videntibus, quaſi cujus monetæ eſſet cœpit inſpicere diligentiùs, qui tamen eundem ſtatim porrexit uni ex aſtantibus. Interrogatus ſi quidquam antea videre fuiſſet illi poſſibile, reſpondit ſe cæcitatem pertuliſſe jam longo tempore, ſed tunc primùm aliquid cernere, divinitus refuſo lumine.

E

XVIII. *columba à ſcrinio prodire viſa, quæ locum circumvolat.*

10 Eadem nocte, quæ nobis erat in vigiliis celeberrima, oſtenſa fuit illic quibuſdam glorificandi Confeſſoris magnificentia. Videbatur prodire columba candida de ſcrinio, quæ locum illum excubiarum circumvolans perluſtrando, inſtar illius * de arca Noë in diluvio prodierat, mentes mœrentium quiddam divinum portendendo lenibat; & ut illa per olivam, pacem terris redditam, ſic iſta ſignificabat iram Dei converſam in miſericordiam: quæ cùm gyraſſet per totum illud ſpacium, viſa eſt revolare ad eundem unde prodierat loculum. Ipſi, qui hoc meruerant intueri, non ſine divinæ majeſtatis fideique communis obteſtatione, facta die quibuſdam ex noſtris indicavêre rem tanti prodigii.

* *adde*, quæ

XIX. *Sanctus apparet cantori joculario:*

11 Cantor quidam jocularis ipſa nocte cum ſodali ſuo apud hoſpitium dormitum ierat: qui ſtatim ſomno excitus: Sodes, ait, ſurge, nos illò præſtat abire, non eſt hoc vanum, non eſt hîc crede morandum. Excubias illas celebrare juvat venerandas. Cúmque ille renuens eum erroneæ viſionis argueret, non fallor, ait, ſomno ludificante; ſed teſtor Deum, quemdam venerandi habitûs quaſi manu apprehenſa me illuc trahentem vidiſſe. Quibus dictis præpeti curſu ſe contulit inter vigiles, ac ignarus quid caneret, fortuitu cœpit de Sancto percurrere plura canendo. Ac noſtros digeſtim referendo caſus, triſtes ſuâ quodammodo ſolabatur cantilenâ, choreis * concinentibus. Rex autem deſuper auſcultans per feneſtram de ſe metuenda memorantem intendebat ſollicitus, qui pro eo quod acciderat, indutus laneis & factus nudis pedibus, jugiter pernoctabat cum timore & obſecrationibus. *Poſtero mane, uti narrat cap.* XX *&* XXI, *Sancti corpus communi conſilio honorificè relatum eſt in templum Virgini Matri & S. Lamberto ſacrum, Miſſâque ibidem celebratâ, abbas cum ſuis palatium petiit.*

F

* choris

12 Annus erat ab Incarnatione Domini MLXXI, ſextus autem diſciſſionis eccleſiæ Malmundarienſis XXII,

A *ſcrinium rurſus mirabiliter elevatur cum ſonitu, qualis eodem tempore auditur in crypta S. Lamberti,*

ſis & Stabulenſis ; cùm ſeptimo Idus Maii gratiæ divinæ placuit eam reſtitui, & horâ, quâ vergit ſol ad meridiem, cæli nobis miſericordiam diſtillaverunt deſiderabilem. Morantibus nobis Leodii in domo S. Lamberti, factus eſt denuo ſonus tamquam advenientis vehementis ſpiritus, qui humanos replens auditus templum pariter replevit, quò multi convenerant ex diverſis partibus. Facta igitur concuſſione non modica, ubi Sancti oſſa quieſcebant ſacratiſſima, viſum eſt palàm moveri ſcrinium, ac ſublevari quaſi uno cubito in aëra. Non minor quàm ſuperiùs factus eſt ſubtus in cripta eodem momento ſonitus, ubi pretioſi martyris Lamberti quieſcit ſacratiſſimum corpus.

ubi hic cum Sancto noſtro apparet : f

13 Illic eâ horâ intentus erat pſalmodiæ cum ſuis clericis Lietbertus *f* epiſcopus Cameracenſis, qui ex eo, quod acciderat, aliquantulùm pavore perterritus, fugientibus aliis, ut vir Deo plenus & altioris ingenii, intelligens quiddam divinum, reſtitit, noſſe deſiderans, quis eſſet rei exitus, quæ tam prodigialiter inſonuit. Nam ut ipſe teſtatus eſt, denſa nebula primitus locum illum offuſcatum reddidit, quâ ſtatim diſparente, ſubſecuta lux ſole clarior reſplenduit. In medio illius ſplendoris velut in exceſſu mentis effectus antiſtes conſpicatur duos apparuiſſe mirâ claritate fulgentes, Remaclum videlicet & Lambertum ſanctiſſimos æquè pontifices, quos audivit arcano quodam murmure de his, quæ acciderant, inter ſe colloquentes. . .

B

xxiv. *mulier paralytica & contracta*

g

14 Interea coram glorificato Patroni noſtri corpore deportatum eſt quiddam monſtri ſimile, creaturæ quidem, ſed non hominis, habens effigiem in miſerando corpore. Erat enim mulier ex parochia *g* Pariſienſi ad Sanctorum merita non ſine nutu Dei delata in hanc noſtram provinciam, quam morbus paralyſis in modum globi conſtrinxerat, cum vexatione corporis horrifica. Erat hujuſmodi videre, quod ad prædicandam omnipotentiam Salvatoris monſtri ſimile diximus, utroſque videlicet talos retrorſum adhærentes renibus, utrarumque manuum in volam reflexis unguibus, contractiſque nervis, cute tantùm ſupraducta, ſiccis obriguiſſe oſſibus.

ſanatur, ſpectante frequenti populo ; C

15 Talis ut coram ſanctuario eſt depoſita, reviviſcere divina virtute membra cœperunt arida, paulatimque videbatur reformari vultus & habitudo corporis in virtutem priſtinam. Ac primùm extenſis manibus trementia membra contrectabat diligentiùs : ac ſenſim nitebatur ſe extendere unâ tantùm tibiâ remanente debili, cæterorum diſſolutis artuum contractionibus. Fluunt totis ex partibus, adſunt

Notus & ignotus, civis ſimul & peregrinus :

Aſt illud templum venientes non capit amplum. Implentur patentes porticus & clauſtrorum ædificia unâ voce proclamantium in cælos Chriſti magnalia. Ut ſeſe habet fides tunc illic aſſiſtentium, quid ad laudem Creatoris potuit adjici potiſſimum ? Omnis creatura viſa eſt in Confeſſore ſuo collaudare Chriſtum Dominum, ſicut animadverti poteſt ex adjectione ſequentium.

xxv. *campana maxima ſponte ſonat :*

16 Factâ igitur tanti Confeſſoris glorificatione, campana maxima repentinum ſonitum cœpit dare, nullo impellente. Poſt hæc cùm aliæ ſimul ob hoc miraculum pulſatæ laxarentur, illa ut cœperat perſeverans ob ſolemne Dei miraculorum ſemper audiebatur ; quia ut putatur ex Dei providentia innoteſcere volens univerſis cooperari Deum in Sancto ſuo virtutum incrementis, quibus valebat proteſtabatur indiciis. Suſpicantibus verò quibuſdam ne fortè, ut eſt mos humani ingenii, hoc opere cujuſquam latenter fieret ; aſcensâ turri editus * nil reperit, quod hujuſmodi fictitium reprehenderet. A. Anonymo. * *l.* ædituus

17 Vulgatâ ergo famâ unius ſalutem recuperantis, cæcorum, clàudorum, aridorum confluxit mox multitudo miſerabilis, ex quibus multos palàm fuit videre ex diverſis regnis præſentibus dicto citiùs reſtitui priſtinæ ſanitati, glorioſiſſimi Patroni meritis intervenientibus. Quis hominum ſigillatim potuit dignoſcere genera ſanitatum in diverſis ægrotantibus, quæ illic cœlitus exhibita ſunt divinis medicaminibus ? Nam ſicut valens medicus gnarus cujuſlibet ægritudinis, ut cuique novit prodeſſe, potionem aut antidotum porrigit invalidis, ſic divina gratia quibus placuit cœleſte medicamentum infudit advenientibus ſingulis. Qui alienis advecti fuerant manibus, ad ſua propriis remeabant greſſibus. Quis illic tenêre ſe potuit à Dei laudibus ? Eccleſia, ut diximus, uſquequaque plenâ erat Deo gratias clamantium congratulantiumque vocibus. *cæci, claudi, aridi ſubitò curantur,*

xxvi. *rigitur contractus,* E

18 Sicut ergo hunc Dei Confeſſorem maghificè ſuperiùs, ſic & martyrem Chriſti operari manifeſtum fuit inferiùs. Nam eâdem horâ, quâ illic aderat memoratus epiſcopus, aderat & quidam eleemoſynam ab eo poſtulans accipere totis contractis artubus. Audita verò hujuſmodi forinſecus operatione, poſtulabat ſe juvari ne impediretur, illic ſe turbis comprimentibus, pervenire. At epiſcopus : Noli, inquit, ne non pervenias diffidere, potens eſt Dominus eandem tibi miſericordiam per eadem merita Sanctorum hic impendere : quæ verba ſtatim ſecuta eſt virtutis efficacia, nam reſtitutus ille peregrinus greſſibus antiqua firmavit veſtigia. Feſtinaverunt inde quidam ex cubicullariis ad regis palatium, irruerunt alter quiſque poſt alterum. Quivis ergo poſterior quaſi novum id nunciabat, quod alius prior identidem edixerat. Domine rex, inquiunt, audi & intellige, quid poſſit Sanctus ille, quid nunc operatur magnificè : verè teſtamur hodie vidiſſe nos mirabilia, quæ ipſe Deus operatus eſt per ſui Confeſſoris merita.

item alter ceteris debilior, h F

19 Cúmque necdum fidem dictis adhiberet archiepiſcopus *h*, fecit experiri factis hoc modo rem omnem diligentiùs. Cucurrerunt ſtatim duo ex cubicullariis, & arripuerunt quem invenerunt jacentem in porticu debiliorem cæteris, non diſſimilem illius, quem deſcripſimus in virtutum exordiis. Hunc deportatum coram Sancti præſentia in pavimentum projecerunt velut ſarcinam, non ſe penitus movere valentem in parte altera. Videres illico divina virtute diſſipati membra compingi, nervos ſtringi, jungi oſſa, compleri viſcera, valetudine firmari ſingula membra. Qui paulatim ſe ſuberigens apprehenſo cornu altaris in pedes conſtitit, ſicque formoſus facie, & habitudine alter quodammodo quàm videbatur apparuit. Hæc non niſi viſa ſcribimus, quæ pariter viderunt milia populi ex diverſis nationibus.

xxvii. *& paralyticus :*

20 Nunciata ſunt hæc ita ſe habere regi & archiepiſcopo, propter quæ pendebat eorum animus in dubio. Aſtitit interea in medio quidam, cujus nomen excidit, de curialibus *, oſtendenſque pro teſte baculum, En, inquit, hoc indicium virtutis accepi ab uno, qui erat paralyticus, quem coràm divinitus ſanari, & exilire vidi utriſque pedibus. Quis verò poteſt eſſe tam averſus à vero, tam mente captus, qui neget hæc omnia, quæ vidimus, imò * ſine Dei nutu ac poteſtate adminiſtrari credimus ? Non eſt meum, * *i. e.* aulicis * *l.* nec

A. ANONYMO. ô rex, te fallere, si quid in hoc mentior, caput ex me accipe. *Hisce prodigiis ac B. Lietberti denuntiatione rex tandem exterritus monet S. Annonem, ut cedat Malmundarienſi cœnobio: annuente illo & cedente, proceditur in eccleſiam, ubi rex ſatisfactione publica ſuum Sancto reſtituit.*

XXIX. *contractus alius greſſum,* 21 Eâdem, ut comperimus, horâ, quâ facta eſt Sancto ab rege juſtitia, quidam contractus greſſu ſtat ſoſpite ſanus. Protinus ergo dantur Deo altiſſimo ab univerſis laudes & gratiæ, concinitque pariter clerus civitatis TE DEUM LAUDAMUS officioſiſſimè. Quæ vel quanta miracula poſt hæc facta ſint, impoſſibile eſt cuiquam ſcribendo perſtringere, ex quibus nonnulla propter concurſum ſtrepitumque tumultuantis populi, ad noſtri notitiam non potuerunt pervenire; ea tamen, quæ vidimus, vel ab aliis viſa fideli relatione didicimus, ſilentio præterire nefas putavimus. . . .

XXXI. *viſum duæ* 22 Matrona quædam de ipſa civitate per multum tempus privata fuerat oculorum lumine, quæ ut ex voto pro ſe rogatura pervenit ad corpus
B venerabile, ſtatim ex divinæ clarificationis præſentia, deterſa tenebrarum caligine, lux orbibus refulſit gratiſſima, ipſa pro hujuſmodi munere divinitus adepto, duos è familia ſua tradidit Sancto.

XXXII. *cæcæ impetrant:* 23 Quædam item mulier ad hoc ſolemne miraculum deducta fuerat, cui lumen oculorum ex matris utero, ut ipſa fatebatur, natura negaverat. Hæc orando fideliter cum cæteris, non caſſo promebat talia ab intimis cordis: Sancte Dei pie & exaudibilis, qui tanta tamque mira deificè hîc operaris,

Qui præſtas aliis citiùs quæcumque rogaris,
Quem non noſco, diem da cernere, pelleque noctem,
Quæ me tetra diu miſeram poſſedit ab ortu.

Statim ut caput erexit cum oratione, aperti ſunt pariter ocelli cum ſanguinis profuſione;

Nam virtus tetris ſplendens jubar intulit umbris,
Mox & amica dies vacuos illuminat orbes.

Illa verò videns lumen inſolitum, ut jure, laudavit lætiſſima Medicum, ac pro teſte hujus miraculi ſtillantem ob oculis cruorem protulit in
C aſpectum populi.

XXXIII. *ſtrumoſus* 24 Cuidam miſero ſtruma *i* creverat in capite, quæ intumeſcens aurem occupaverat cum facie, quæ peſtis non minùs miſero videbatur incommoda, quàm erat omnibus viſu turpiſſima. Hic ubi cum cæteris aſtitit coram ſanctuario, repentè diſparuit omnis vitioſa illa inflatio. Nam his, qui eum antea viderant, intuentibus non ſine admiratione viſa eſt remiſſa cutis ſuo loco æqualiter reſediſſe, nec quidquam ex eo morbo remanſiſſe, præter cicatricem in capite.

XXXIV. *& puella paralytica ſanati:* 25 Mulier filiam ſuam ſeptennem, ſcilicet paralyticam, illic depoſuit, cujus fides filiæ ſalutem ſtatim impetravit. Hi ergo, qui Dei virtute ſanatam puellam videbant, erectam ſuper populum manibus offerebant, ac meritum Confeſſoris Chriſti teſte miraculo magnificabant. Cùm autem ignoraremus, quæ eſſet virtutis hujus efficacia; mater propè aſſiſtens cum lachrymis exclamavit lætiſſima: Hæc, ait, quam video, proceſſit ex meo utero, de cujus paulo antè ſolo funere mihi erat expectatio, quia ex omni parte præmortua, ſpiritu tantùm palpitabat tenuiſſimo. Tunc verò tantus ab utroque ſexu factus eſt clamor admirationis, ut non videretur poſſe finiri vox continuata cum lachrymis: exultabant enim
D omnes in laude Dei voce ſine verbis, tanto ſonitu, quantum vix ferre poſſet auditus quilibet capabilis *k*.

k *terra poſt trimeſtrem aridit atem largis irrigatur imbribus.*

26 Videbatur præterea cuique foris advenienti repletam fuiſſe totam illam eccleſiam gloriâ & majeſtate Domini, ubi delectabantur inhabitantes tanquam ex Dei præſentia ſuavitate inenarrabili, ut revera illic poſſet dici, ſicut & dicebatur non immeritò: Dominus eſt in loco iſto. Ipſo ergo die celebritatem hanc divinorum operum gaviſa eſt & terra quodammodo ſe ſentire non minùs quàm cœlum. Quæ enim tribus exactis menſibus non maduerat aquis, herbis cum germine penè areſcentibus, eâdem nihilominus die divina operatione omnem virorem recepit, largiter infuſis imbribus.

XXXV. *Diſtorti pedes reſtituti.* 27 Cùm jam ſol veſpertinus ad occaſum declinaret, & adhuc populus frequens in laudes Chriſti confeſſoris acclamaret, factum eſt aliud quoddam divinæ operationis mirificum, ad prædicandum ejuſdem pii Protectoris meritum. Ad illam venerationem ſalutiferam quidam clericus à patre eſt devectus, qui tranſverſis veſtigiis diſtortos pedes ab utero matris fuerat paſſus. Nec
E mora, viſitatus eſt ab eodem Medico in medio circumſtantium, qui ſingulis, prout noverat competere, porrigebat ejuſmodi medicamentum. Ille ſtatim ſalutem ſe ſenſiſſe indicabat, ſed ejuſmodi res intuentibus, non ad liquidum fidem præſtabat; quia cum priori ſimilitudine adhuc calcei pedibus hærebant. De curia * verò cubicularii ac plerique nobiles aderant: ipſi, diſcalceatis pueri pedibus, virtutem Dei admirantes Chriſtique Confeſſoris in ipſo meritum efferentes magnificabant.

* *i. e.* ex aula

XXXVI *Leodio diſcedunt cum Sancti corpore; hymnus in ejus honorem:* 28 Clauditur illa dies retinens per ſæcula laudes,

Acta quies nocte, redeunt ſpectacula mane.

Requiſivit ergò dominus abbas de revehendo ad locum ſuum glorificato Sancti corpore conſilium à ſuis, & datum eſt ſanum conſilium, minimè reditum differri; ne poſtea id, quod ex voto ceſſerat, quidquam nobis fieret impedimenti. Igitur cum honeſtiſſima clericorum S. Lamberti cooperatoris, ut verè fatemur, earum virtutum, tam proceſſione, quàm pari devotione deceſſimus exultantes ab illa civitate: erat autem vox
F una omnium in laudes Chriſti Confeſſoris acclamantium.

Aveto Præſul agie *, Patrone noſter inclyte,
Spes ô tuis fidiſſima, nos tua juva gratiâ,
Tu lux decuſque Galliæ, cum plebe clerum protege,
Cui poſſe ſcimus plurimùm, cura languores criminum:
Huc te delatum plurimis effulſiſſe miraculis,
Hinc redire cum gloria, tota congaudet patria:
Ab hujus cœtu curiæ redduntur tibi gratiæ,
Quæ tota tuo ex nomine celebratur magnificè.

* *i. e.* ſancte

XXXVII. *pueri quoque laudes ei concinunt,* 29 Nec minùs his dignum videtur illud commemorandum, quod ad illorum ſimilitudinem puerorum, Dominicum Oſanna Redemptori proclamantium, in laudem quoque hujus Sancti factum eſſe creditur, non tamen præter divinæ gratiæ placitum. In redeundo itaque, tranſmiſſo amne, cùm eis Moſam perventum eſſet in locis campeſtribus, ſtationem illic fieri ad audiendam Miſſam impetravit à domino abbate omnis ille civium extraneorumque populus. Interea factâ morâ, dum parabatur celebrari divinum Officium,
de

A de tota civitate puerorum ſcholæ convenerunt tamquam ad ejus venerandi Patris obſequium. Qui ſcandentes proximi montis cacumina, extulerunt voces velut angelicas per nubila. Nam diſpertiti à ſe quaſi tribus per choros ordinibus laudem Deo cecinerunt pro Confeſſoris ſui triumpho & Chriſti mirabilibus....

nemine ſuadente; & novi templi fundamenta jaciuntur:

30 Non abs re ergo creditur æſtimandum id actum eſſe quod nullius magiſterii profeſſio, vel humana ſuaſerit ſuggeſtio; ſed hæc ſicut & alia fieri deſtinaverit fideliter invocata ſanctæ Trinitatis opitulatio. Nam ſicut quod antè cecinerat Pſalmiſta futurum, ita etiam credimus in Chriſto impletum, ſic ſanè & in hoc Sancto propter inimicos à Domino manifeſtata perfectaque eſt laus ex ore infantium. Finitis itaque prædictis modulationibus, deſcenderunt acturi nobiſcum divinorum myſteriorum celebritatem, quæ omnia completa ſunt cum fidelium votivis oblationibus. Eodem verò die Sancto tradiderunt locum, in quo facta ſtatione quieverat, hæredes ejuſdem ceſpitis, ejuſque in honore piè perſeverante ſolemni devotione plebis, fundamenta

l ecclesiæ *l* ſtatim jactata ſunt ab accolis, quæ

B poſtmodum ad perfectum deducta crevit in opus divinæ ſervitutis.

XXXVIII. Lætus Stabuletum reditus, Malmundario recuperato.

31 Inde digreſſi ad propria feſtinabamus læti; ipſo veſpere Malmundarium Protectorem noſtrum atque Triumphatorem detulimus, quem locum cum triumpho nobili reacquiſitum ipſe per ſe revendicavit Pater legitimus. Hunc, inquam, locum nunc æternaliter revendicavit, quem in initio, vepribus omnique ſpurcitiâ eliminatâ, primus incoluit electumque ſibi habitaculum divinis cultibus mancipavit; traditumque ſibi à rege Sigiberto decentiſſimè regendo tenuit, regendumque ſua vice ſuis ſucceſſoribus eatenus reliquit. Revocatis ergo legitimè tam monachis quàm laïcis ſub ditione abbatis ex ejus nomine, Stabulaus reverſi ſumus potiti optata ſecuritate. Taliter ergo poſt innumerabilia divinæ virtutis miracula, victricia divini Patroni noſtri oſſa ſuo loco ſunt repoſita. Unde gaudeamus tanti Confeſſoris adepti patrocinium, qui nobis, cùm deeſſet humanum, meritis ſuis divinum obtinuit auxilium... Et nos in his finem facere cupientes, paulò ceſſandum ab hoc opere decernimus, ut, ſi ad alia ſcribenda, quæ poſt

C hæc apud nos per eum magnificè claruerunt *m*, intendimus, interim vires ſcribendi per otium reparemus.

m

ANNOTATA.

a *Quæ omnia contigerunt anno* 1071: *excerpta ſunt autem ex libro* 2 *Triumphi* S. Remacli, *de quo vide Commentarium num.* 81.

b *Ità putavit anonymus, quia nempe ſuo tempore cathedra epiſcopalis erat Leodii. Idem perperam repetit cap.* 30.

c *Significari arbitror vicum* Louenge, *Stabuleto ac Leodio æqualiter ferè diſtantem inter fluvios Urtam & Weſam ſeu Viſurgim ſecundum Viſſcheri tabulam.*

d *Quis ille rex fuerit, docet Triumphi prologus apud Chapeavillum pag.* 517: Regnante Henrico IV, poſtea Romanorum auguſto; *ipſe tamen Henricus* tertium *ſe nominat in diplomate apud Martenium, ubi col.* 77 *inter alia ſic habet:* Apud curiam noſtram Leggiæ celebratam in Paſcha anno videlicet MLXXI incarnationis Dominicæ, ipſi ſancto Remaclo nobis præſentialiter oblato *&c.*, *ex quibus narratio anonymi confirmatur. Hujus porrò aliorumque diplomatum ſinceritas & veritas defenſa eſt in Juribus Stabulenſis monaſterii propugnatis vindice eodem Martenio, à pag.* 110. A. ANONYMO.

e *Alteri id contigiſſe ſcribit Lambertus Schafnaburgenſis. Vide Commentarium num.* 81.

f *B. Lietbertus eccleſiæ Cameracenſi & Atrebatenſi præfuit ab anno* 1051 *uſque ad* 1076. *Colitur* 23 *Junii, ad quem diem de ipſo egit Henſchenius tomo* IV *dicti menſis à pag.* 585.

g Parochia *barbarè pro* parœcia. *Auctor illa voce ſignificat diœceſim, uti ſuprà Notgerus in Commentario prævio num.* 46 *&* 48. *De parochia & diœceſi conſuli poteſt Cangius in Gloſſario.*

h *S. Annonem deſignat, tunc temporis archiepiſcopum Colonienſem. Agetur de eo ad* 4 *Decembris cum Romano Martyrologio.*

i *Gorræus in Definitionibus medicis ad vocem* Χοιράς, *de ſtruma hæc habet:* Eſt tumor durus glandularum, quæ in cervice, alis & inguinibus ſunt; *ſubditque ſtrumas in cervice loco differre,* quòd aliæ anteriori, aliæ ab altera, quædam ab utraque parte colli oriantur *&c.* E

k *Id eſt, opinor,* expeditus: *nam ſenſus innuit, clamorem fuiſſe tantum, ut cujuſlibet non ſurdi aures obtunderet. Cangius in Gloſſario* capabilis *paſſivè explicat ex Beda lib. de Ortogr.* Capax, qui facilè capit. CAPABILIS, qui facilè capitur.

l Extat adhuc hodie, *inquit Chapeavillus in Annotatione*, eccleſia parochialis prope portam & pontem Amari cordis, quæ ex miraculo illo eccleſia S. Remacli nominatur, non longè à montibus, è quibus ſcholares laudes S. Remacli hîc cecinisse ſcribuntur.

m *Quænam illa ſint, & an auctor plura ſcripſerit, penitus me latet. Porrò ne quid eorum, quæ de Sancto habemus, lector deſideret, ſequentem orationem panegyricam partim ac paræneticam & hactenus, ut puto, ineditam ſubjicere placuit.*

HOMILIA *a*

F

incerti auctoris,

Quam éx vetuſto codice Bambergæ deſcripſit Gamanſius noſter anno 1654.

Auctor, commendato Sancti cultu,

VEnerabilem omnique cultu percolendum Beati Remagli Confeſſoris Domini noſtri natalem diem, cum omni honoris devotione ſuſcipere debemus omnes Chriſtiani, maximè tamen qui in Francorum regno commorantur; quoniam quidquid venerationis pro ejus natali obtulerimus, Deo offerimus: quia ipſe dixit: Qui vos recipit, me recipit, & quod uni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis. Is denique Sanctus Dei, vicem Chriſti in Eccleſia ipſius geſſit, quia Chriſtus paſtor Eccleſiæ voluit eſſe dicens: Ego ſum Paſtor bonus. Quiſquis in Eccleſia præpoſitus, verbo & opere [&] exemplo præfuit, Domini diſcipulus condignus fuit; de quo ipſe dixit:

A. INCERTO. Qui autem fecerit mandatum Dei, & docuerit, hic magnus in regno cœlorum vocabitur.

extollit varias 2 Iste denique per omnia Christi imitator factus & fecit & docuit, quæ Deus omnipotens custodienda mandavit. Qui primò ab ineunte ætate, in Aquitania nobilis natus, bonæ indolis spem prætulit; quoniam ab ipsis cunabulis Deo dicatus innocenter vivere studuit: atque ad perfectionis culmen Domino ducente pervenit. Nam post abrenuntiationem, quam in Baptismo more Christianorum peregit, etiam beata mater ejus, ut Anna Samuhelem, & hæc Deo obtulit dilectum Filium imbuendum sub sancti Eligii epi-
b scopi *b* disciplinis. Qui cùm per omnia Euangelicæ normæ præcepta inoffensè incederet, ad apicem Christianæ religionis conscendit, ut fieret dux Christicolarum & prævius signifer: quoniam omnibus, se videntibus & colloquentibus, exemplum perennis viæ & vitæ præbebat: enitebat enim in eo firma fides, & certa spes, ac largiflua charitas.

ac multiplices ejusdem 3 Talia denique, aliaque virtutum germina operando atque docendo conscendit summos perfectionis gradus, ut fieret pater atque archi-
B mandrita monachorum: quique exemplo Domini nostri universa monita salutis priùs studuit opere efficere, postmodum aliis verbo propalare: quia ille boni pastoris nomine censetur, qui verbo & opere sequentibus prævium iter ostendit. Nam qualis, quantusque inibi Dei cultor extiterit, & in ipso, & in ejus discipulis postmodum patuit, cùm Deus omnipotens tam per ipsum, quàm per ejus alumnos cotidie multa insignia facere non desistit. Si qui ergo sunt in Ecclesia adolescentes, qui velint ad æterna gaudia festinare, studeant hujus sancti Viri tempora juventutis æquiparare. Videlicet imitentur ejus obedientiam, quâ ante electionem viguit, & inter Fratres sine querela conversatus est: humilitate redimitus, affabilitate mellifluus, patientiæ moribus adornatus, obedientiâ strenuus, vigilantiâ studiosus, orationum studio accensus, charitate fervidus, frugalitate laudabilis, hospitalitate præcipuus, & in omnibus virtutibus adornatus, ut Christi meritò diceretur discipulus.

virtutes tum in regimine monachorum, 4 Pro his atquè hujusmodi virtutibus egregius factus est pater monachorum. In quo satis abundéque abbatibus in propatulo sunt exempla virtutum imitanda: quoniam exemplo Domini nostri Jesu Christi, qui non venit ministrari, sed ministrare, servivit omnibus, etiam minoribus, ut fieret in alia vita omnibus Sanctis consors justissimus; humilians se in hoc sæculo, ut exaltaretur in æthereo throno. Alebat esurientes, nudos vestiebat, infirmos visitabat, mortuos sepeliebat, hospitibus necessaria tribuebat, & omnibus indigentibus, prout poterat adjutoria ministrabat. Universis quoque sibi adpropinquantibus monita salutis impertiebat. Hæc sunt admiranda digna Dei opera, & omnibus præpositis ecclesiarum imitanda; pro quibus isdem Vir mercatus est præmia sempiterna. Cùm hæc & his similia beatus Abba ageret opera, longè latéque nomen ejus percrebuit; ita ut non solùm in Aquitania, sed etiam apud aures glorioli regis Sigiberti personaret in Francia. Pro quibus & ab eo accersitus ac familiariter multo tempore habitus, licèt nolens & repugnans, episcopatûs infulâ est sublimatus.
C

5 Quia enim erat lucerna ardens & lucens, ponebatur supra candelabrum Ecclesiæ, ut luceret omnibus in domo Domini. Quantùm verò reniti poterat, gestiebat huic mundo latêre; D
soli Deo cognitus esse. Porrò quàm præclari *tum in epi-*
meriti & religionis extiterit in eodem episcopio, *scopatu,*
luce clariùs omnibus in propatulo patet; qui *quem abdi-*
non solùm per seipsum, sed etiam per discipu- *cat*
lorum suorum suffragia, qui ab eo instituti esse noscuntur, multa & innumera suscipiunt Christiani miracula. Nec [tantùm] ab his, quos de solo paterno ad regendam ecclesiam secum adduxit, sed & ab his quos in hac tellure ab ineunte ætate ut filios spirituales lacte verbi Dei & solido cibo aluit. Scilicet Christi martyr Lantbertus *c* aliique per hanc diœcesin quiescentes *c*
& miraculis coruscantes. Ideo denique Deus omnipotens Sanctum & admirabilem istum de natali solo adduxit in similitudinem Abrahæ, ut sicut ille Deo amabiles filios genuit, ita iste nihilominus charissimos & Deo acceptabiles filios verbo Euangelii generaret, qui dicere poterat cum Apostolo: Per Euangelium ego vos genui, &, Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis. Et ut cunctis in promptu fieret, [quòd] non ex desiderio, neque pro aliquo luxu sæculi, nisi ex electione divina E
priorem locum mutasset; post innumeros vitæ labores, quibus decertavit in diœcesi sibi credita, ut optimus agonotheta *, quoadusque plu- * *pro* agorimos operarios in messe Domini ad desecandam nista *seu* & metendam eandem messem inesse prospexit: athleta tunc demum dignum commilitonem in sede sua ascivit Theodoardum, qui occisus est pacem annuntiando, sedando tumultum.

amore vitæ solitariæ. 6 Et ipse exemplo beati Johannis Præcurso- ris Christi ad solitariam & remotam vitam conversus est; certus factus ibi Deo attentiùs [se] posse inhærere, ubi tumultus populares non debuisset tolerare. Ut sicut mitissimus Moyses, qui præposuit alloquiis Domini frui in solitudine magis, quàm resolvi & enervari divitiis Ægyptiorum; ita & hic maluit austeritatem solitudinis cum Dei alloquio uti, quàm inter innumera possessionum prædia, ac cuneos obsequentium, à proposito sui rigoris emolliri. Idcirco omnia relinquens ad dilectæ solitudinis locum rediit. Jam enim ibi duo monasteria egregia, Christi ovibus habitacula, construxerat, experimento compererat feliciùs inibi proposito sancto intendere, & theoriæ spirituali ardentiùs posse inhærere. Non F
desertor pugnæ spiritualis vel ducatûs ovium suarum, sed ut bonus præliator, ubi minùs præliantes milites inesse perspexit, illuc se cum fortissimis, licèt paucis, tamen electis pugnatoribus præliaturus ingessit; capiens exemplum à beato David, qui cùm videret, quòd multitudo populi Goliath superare non posset, dedit se certamini pro fratribus & omni gente sua: & cùm fuisset tectus armis Saulis, cognovit oneratum quempiam non posse vincere, atque rejectâ oneratoriâ *d* telâ expeditus processit & vi- *d*
cit. Ita & hic præclarus Christi Confessor processit ad sterilem locum, ubi Dominus & Sancti jam eundem vicerant: & ibi tam diu pro ovibus oravit & decertavit, donec cum multis victor extitit, accepto bravio supernæ vocationis.

Parat ad Galliæ ut natalem 7 Nunc ergo omnes Galliarum populi, ad quos Beatissimus iste venire dignatus est, atque vestram provinciam de sua sanctitate illustrare atque beatificare, devota mente percolite ejus natalem; quatenus illi vos, vestrosque in hoc sæculo & in futuro per orationum suffragia placeat defensare. Vos quoque episcopi, qui ejus loco præsidetis & in cathedra successistis, diligenter

A genter viâ, quâ abiit, ſequimini eum, ut cum illo ſocietatem habere mereamini: amate, quod * invocate amavit, exercete quod docuit, & invocamini * eum quotidie in adminiculum veſtrum. Ipſe enim cum ſociis ſuis & pro vobis & pro plebe vobis commiſſa attentiùs intercedit, quàm alii. Frequentate quoque locum ſepulturæ ejus diſcipulosque ejus paterna protectione fovete, quatenus per temporale veſtrum obſequium mutuetis ejus in alia vita adjumentum: juxta Domini conſultum: Facite vobis amicos de mamona iniquitatis, qui vos recipiant in æterna [tabernacula.] Illas quoque oves in ejus diœceſi habitantes recolite pro Patrono & Protectore veſtro piâ devotione in omnibus obſequiis & nolite obliviſci; quia pro ſalute noſtra huc à Domino adductus eſt, & vivens pro veſtris laboravit. At nunc carne ſolutus, ſpiritu glorificatus, Deo proximus pro vobis veſtriſque orare non ceſſat. Quid neceſſe eſt aliàs divertere, aut viam, quæ ducit ad vitam, aliorſum quærere? Ecce ipſe cum Apoſtolo nobis intonat cotidie: Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti. Ipſe non
B declinavit neque ad dextram neque ad ſiniſtram; ſed viam Domini Apoſtolorumque ſecutus eſt. Unde & ſanctus Lantbertus, ejus monitis inſtitutus ſalutaribus, Chriſti dignus martyr eſſe promeruit. Beatus quoque Trudo, nihilominus ſuis imbutus doctrinis, glorioſus Chriſti eſt effectus contemnendo tranſitoria confeſſor hæreditarius.

Sancti celebrent, 8 De iſto namque veraciter poteſt accipi dictum: Juſtum deduxit Dominus per vias rectas & oſtendit illi regnum Dei. Etenim & via illa anguſta illi oſtenſa eſt, per quam pauci ambulant. Etiam & pro ſalute veſtra huc à Deo directus eſt, ut verbo & exemplo vobis viam vitæ patefaceret, quia ſcientiâ fuit repletus, id eſt, Spiritu ſancto. Honeſtatus eſt in laboribus ſuis, quia cum Deo & angelis in cœleſtibus beatitudine remuneratus eſt. In terrenis quoque laboribus, quæ * ob Dei memoriam peregit, honeſtatus eſt: quia ſancti ejus diſcipuli, verbo vitæ ſuſcepto & fructificato, miraculis coruſcant. Etiam in habitaculis, quæ ovili Chriſti conſtruxit, laudes Deo die & nocte decantantur, atque inhabitantes in eis ſequi eum omni conatu gratulantur *. Completi ſunt labores illius, quia nunc mercedem condignam recipit propriis operibus, quæ geſſit. In fraude circumvenientium illi adfuit, quoniam à tentationibus illum eripuit, & honeſtum in conſpectu ſuo eum exhibuit: certamen quoque forte dedit illi, ut vinceret diabolum, & ſciret, quoniam omnipotentior eſt Dei ſapientia, Dominus noſter Jeſus Chriſtus, Dei virtus & Dei Sapientia.

* quos

* *f.* glorian-tur

C

Illum invocent, æmulentur 9 Ipſe ſacerdos Dei magnus factus eſt, quia acceptus Deo fuit, & impetum iræ ejus frequenter avertit à populo Dei. Quod nunc quoque excellentiùs faciet, ſi quando pro peccatis noſtris nobis Deus iratus, famem, aut gladium, ſive peſtilentiam immiſerit in nobis, per quæ animadverſio iræ ejus agnoſcitur. Si ergo ex corde pœnituerimus, & ad vomitum peccati nequaquam reverſi fuerimus, ipſo pro nobis Deo ſupplicante, veniam impetrabimus, & offenſam Dei evademus. Non enim inventus eſt ſuo tempore major illo, qui conſervaret legem excelſi Dei: cognovit eum in benedictionibus, quia quidquid benedixit, benedictum fuit; & ſanctificatum extitit, quodcumque ſanctificare voluit. Conſervavit illi miſericordiam ſuam; quia ille in omnem hominem miſericordiam habuit, & dilexit ut ſeipſum. Hæc eſt virtus miſericordiæ, quæ juſtos & Dei cultores pandit: ipſa eſt, quæ Deum placat & avertit iram ejus; quoniam qui miſeretur proximo ſuo, miſerebitur illius Deus. A. INCERTO.

ejus miſericordiam 10 Ille verò non habet miſericordiam, qui ubique proximum inferiorem opprimere conatur; in confinio juxta ſe inferiorem manere non patitur, dum terminos jungit, fines producit, & ubicumque prævalet, calumniatur eum: depaſcit meſſem, occidit pecus, percutit familiam, uſquequo habeat eum exinanitum, ut aut fugiat à loco, aut ſibi cedat prædium. Talibus Dominus prophetiam terribiliter intonat: Væ qui conjungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis uſque ad terminum loci. Numquid vos ſoli habitabitis in terra, dicit Dominus? Væ qui ædificat domum ſuam in juſtitia *, amicum ſuum opprimit fruſtra, & mercedem non reddit mercenario. Cæterùm ille eſt in Deum dives, qui facultates ſuas cum pauperibus dividit; qui divitias ſuas cælo magis, quàm mundo commendat; qui ad hoc operatur, ut in æternum vivere mereatur. De quibus Apoſtolus dicit: Divitibus hujus ſæculi præcipe, non ſublimè ſapere, neque ſperare in incerto divitiarum, ſed in Deo.

* *l.* in injuſtitia

E

aliaque inſignia 11 Audiant hoc divites & feſtinent in Deo eſſe divites & theſaurizare in cælo, ut cùm defecerint ab hac vitâ, inveniant divitias, quæ finem & faſtidium neſciant. Qui verò pauperes ſunt, audiant Dominum dicentem: Venite ad me, qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Tollite jugum meum ſuper vos, & diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde. Si ex animo convertamini ad Dominum Deum veſtrum, & cum paupertate veſtra ſtudueritis vivere juſtè & patienter, ut non murmuretis pro inopia veſtra, ſive pro preſſuris, quæ in hoc ſæculo ſuſtinetis; accipietiſque * pro parvis magna, pro brevibus æterna, ut Dominus dixit: Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum. Spiritu pauperes dixit; ut vos, qui egetis rebus temporalibus, pauperes ſpiritu eſſe decertetis, videlicet humiles ſpiritu.

* que *redundat*

virtutum exempla. 12 Si qui ſunt juvenes in hoc ſæculo, non confidant in juventute ſuâ, quia adoleſcentia & voluptas vana ſunt: qui etiam ſenibus ait: Si annis multis vixerit homo, & in his omnibus
F lætus * fuerit, meminiſſe debet tenebroſi temporis & dierum multorum; qui cùm venerint, vanitatis arguentur præterita: hoc eſt, cùm venerit finis, tunc incipiet bene vivere aut in æternâ *, aut peſſimè cum diabolo in inferno. Quod præcavens iſte electus Dei, ad cujus tumbam conſiſtimus, non ſolùm à terrenis voluptatibus ſe ſtuduit alienum reddere; ſed etiam oblatos honores pro religione divina duabus vicibus *e* à ſe rejecit, ut fieret abſolutè pauper Chriſti: ne inter ipſos honores ſubreperent ſæculi pompæ, quæ eum improviſè demergerent. Ecce, quia reſpuit terrenos honores, modò lætatur cum Deo & angelis in cæleſti illa beatitudine, & etiam in præſenti ſæculo miraculis coruſcat; quod multi teſtantur uſque in hodiernum diem *f*.

* *l.* lætatus

* *adde* gloriâ

e

f

ANNOTATA.

a Titulus in Ms. codice eſt, teſte Gamanſio: OMELIA IN NATALE SCI REMAGLI CONFe. TUNGRENSIS EPISCOPI, *minio ac viridi ſcriptus & capitalibus litteris, quæ ſeculum* IX *referunt. Homiliæ auctor diverſus videtur à primo biographo;*

A. INCERTO. *pho ; Eligium enim , quem hic in Vita num.* 1 *abbatem facit , ille num.* 2 episcopum *appellat : præterea num.* 5 *nominat successorem Sancti* Theodoardum , *alter nomen non exprimit. Ibidem & num.* 7 *discipulis Sancti annumeratur Lambertus , de quo nusquam facit mentionem primus biographus.*

b *Eligius consecratus est episcopus Noviomensis probabiliùs anno* 640. *Vide tom.* IV *Augusti in S. Audoëno* § 2. *Sanctus autem noster saltem triennio antè fuerat abbas Solemniacensis , uti patet ex Commentario prævio supra num.* 17.

c *Idem repetitur num.* 7 : *& forsan ex hac Homilia Lambertum inter Sancti discipulos retulit Notgerus , errantem ducem secutus. Adi Comment. num.* 37 *&* 57. D

d *Id est* , onerosâ *seu prægravante. Vox barbara est , quam alibi nusquam inveni.* Tela *autem pro* telum *habetur in Glossario Cangii aucto.*

e *Solius episcopatûs abdicati meminit biographus : quid auctor Homiliæ præterea velit , non satis assequor.*

f *Ad marginem apographi notatur :* An nihil deest ? *quod divinare nequeo.*

DE S. AIGULPHO ABBATE ET SOCIIS MART., INTER QUOS NOMINANTUR TRUCHARIUS ET FRONGENTIUS, B E

IN INSULA CAPRASIA INTER CORSICAM ET ETRURIAM.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

J. S. **§ I. Acta S. Aigulphi & sociorum diversa , partim edita , partim hactenus inedita : Vitæ editæ auctor Adrevaldus monachus Floriacensis ; ineditæ auctor anonymus : horum aliorumque auctoritas examinatur.**

INTER AN. DCLXXV ET DCLXXXI. *Vitæ S. Aigulphi à variis editæ,* C

Illustre S. Aigulphi *seu* Aygulphi , *abbatis Lerinensis , sociorumque Monachorum martyrium à multis scriptoribus relatum invenio ; sed non eodem prorsus modo. Acta satis prolixa publicavit Surius in prima Operis sui editione ad* III *Septembris , stylo tamen mutato atque expolito. Eadem Acta deinde primi auctoris stylo edidit Mabillonius inter Acta Sanctorum Ordinis S. Benedicti sec.* 2 *à pag.* 656 , *hoc præfixo titulo :* Vita sancti Aigulphi abbatis Lerinensis & martyris , auctore Adrevaldo monacho Floriacensi , qui Caroli Calvi principatu floruit. *In Observatione prævia de illa sic loquitur :* In Ms. codice Floriacensi S. Aigulphi Vita , à nobis hîc germano ac nativo stylo repræsentata , istam præfert inscriptionem : " Procœmium patris „ Adrevaldi de vita & passione venerabilis mo„ nachi Aigulfi Floriacensis loci „. *Hujus ipsius Vitæ apographum habemus ex codice Ms. Rubeæ Vallis ; sed nomen auctoris ibidem est prætermissum , atque hic præfixus titulus :* Vita S. Aigulphi abbatis Lirinensis. *Alia vero nulla est differentia inter hoc apographum & editionem Mabillonii , nisi in solis vocibus , quæ frequenter sic dissonant , ut eamdem tamen sententiam ubique referant.*

2 *Eruditi Religiosi Benedictini Congregationis S. Mauri , qui Historiam litterariam Franciæ Gallicè edunt , tom.* 5 *dicti Operis à pag.* 515 *agunt de Adrevaldo monacho Floriacensi , eique hæc* S. Aigulphi *Acta indubitanter attribuunt. Et sanè non video ea de re dubitandum esse , postquam Mabillonius invenit nomen Adrevaldi Ms. Floriacensi præpositum , præsertim cùm constet , varia ab Adrevaldo scripta esse , & nulla occurrat ratio , cur hanc ipsi Vitam abjudicemus. Tempus quoque scriptæ Vitæ Adrevaldo favet : nam num.* 2 *innuit biographus , se ducentis circitèr annis post martyrium* S. Aigulphi *scripsisse , atque eo ipso tempore floruit atque alia etiam scripsit Adrevaldus , uti probant laudati Benedictini. Demum stylus Vitæ* S. Aigulphi *optimè quadrat cum stylo libri primi Miraculorum S. Benedicti , cujus auctor est Adrevaldus , uti videri potest apud nos tom.* III *Martii pag.* 305 *& sequentibus , ubi Miraculorum ille liber est datus. Itaque de auctore hujusce Vitæ non est dubitandum : at characteres ipsius propiùs sunt inspiciendi , ut ex hisce colligamus , quanta Opusculo tribuenda sit auctoritas.* *quæ scripta ab Adrevaldo Floriacensi ,* F

3 *Ætas Adrevaldi magnam ei in hac Vita auctoritatem conciliare nequit , cùm lucubratio illa ducentis ferè annis posterior sit* Aigulphi *martyrio , quemadmodum jam insinuavi. Agnoscunt eruditi* *ducentis ferè annis post martyrium Sanctorum ex alia antiquiore :*

A *eruditi Benedictini, Adrevaldum tanto intervallo posteriorem esse* Aigulpho *: at observant, aliam ipsi praluxisse Vitam, atque ex illa suam composuisse Adrevaldum. Facilè id probari potest, etiamsi Adrevaldus ipse antiquiorem illam Vitam expressis verbis non memoraverit. Nam Adalbertus monachus item Floriacensis, quem aliqui eumdem credunt cum Adrevaldo, in Historia translationis SS. Benedicti & Scholasticæ in Galliam, quæ apud nos edita est tom.* III *Martii pag.* 302, *num.* 3 *de* Aigulpho *ita habet:* Cujus etiam Passio penes nos habetur. *Atqui illa translationis Historia scripta est ante Vitam* S. Aigulphi, *cùm Adrevaldus in Vita* Aigulphi *num.* 5 *ad illam remittat lectores. Dubium igitur non est, quin Adrevaldus viderit Vitam seu Passionem aliquam antiquiorem, uti rectè ostenderunt laudati Benedictini: qui item antea observaverant, Adrevaldum à Trithemio & Aimoino celebrari, ut virum doctissimum & disertissimum. Ex hisce demum iidem scriptores concludunt, non defuisse Adrevaldo necessaria subsidia ad Vitam* Aigulphi *conscribendam: eamque satis rectè ab eo scriptam affirmant, improbantes tamen stylum justo diffusiorem & subinde implicatum.*

B

multa reperiuntur in hac Vita, quæ verisimilia non sunt.

4 *Quo minùs huic judicio acquiescam, facit altera* S. Aigulphi *Vita hactenus inedita, in qua nonnulla illius Sancti gesta aliter narrantur, quàm relata sunt ab Adrevaldo, ita ut in alterutra Vita necessariò nonnulli reperiantur errores. Præterea suprà memoratus liber Miraculorum S. Benedicti ita scriptus est ab Adrevaldo, ut Henschenius partem illius bene magnam duxerit indignam, quam recuderet, allatisque quibusdam ipsius verbis, non dubitaverit pronunciare pag.* 305 *:* Quàm hæc sint stolida & putida figmenta, quis non videt? *Quin imò ipsi laudati Benedictini pag.* 521 *istud Henschenii judicium* justam censuram *jam vocarunt. Si autem Adrevaldus fabulas tam putidas personis vicinioribus, videlicet de ultimis Merovingicæ stirpis regibus & de Carolo Martello, immiscuerit Operi prædicto, quis nos securos reddet, eumdem de* S. Aigulpho *ejusque rebus cautiùs fuisse locutum? Imò quis non timebit, ne tanto liberiùs de eo scripserit, quanto diutiùs erat*

C *defunctus, & quanto ipsius gesta vulgo minùs erant cognita? Insignem ipsius lapsum jam notavit Mabillonius pag.* 664 *: nam Oratorium virginum cœnobium, quod in Gallia Belgica fuit, comminiscitur prope monasterium Lerinense. Demum varia mihi se offerunt in Vita Adrevaldi, quæ in altera non leguntur. Hæc autem quanto magis considero, tanto minùs apparent verisimilia, uti de singulis infrà in Commentario ostendam, aut in Annotatis ad hæc Acta, quæ dabo secundo loco.*

Alia Vita, quæ forsan ea ipsa est,

5 *Porrò alia* S. Aigulphi *Acta, prædictis multo breviora, quæ inedita jam dixi, Majoribus nostris sunt communicata ex bibliotheca Constantini Cajetani. Vehemens autem mihi suspicio est, hæc illa ipsa esse Acta, de quibus citatus num.* 3 *Adalbertus Floriacensis dixit:* Cujus etiam Passio penes nos habetur: *varia enim sunt, quæ id suadeant. Primò titulus congruit; Acta enim hæc inscribuntur:* Passio beati Aygulphi martyris & abbatis cum tribus monachis sociis. *Secundò multa in hac Passione eodem modo expressa sunt, quo leguntur in Adrevaldo: nec modò aliqua gesta Sancti uterque biographus eodem modo narravit, quod minus esset mirandum; sed uterque in præfatione exemplum S. Joannis Baptistæ adducit, quo probet* Aigulphum *rectè dici martyrem: uterque etiam ait, se aliorum scriptorum exemplo Sancti patriam & genus narrare. Tertiò satis perspicuum est, auctorem anonymum hujus Passionis non vidisse Opusculum Adrevaldi, cùm in præfatione num.* 2 *dicat, se Vitam* Aigulphi *scripturum,* prout in quibusdam gestis monasterii Lyrinensis, in quo præfuit, *reperit. Deinde multa ab Adrevaldo narrata prætermittit hic auctor; non pauca etiam narrat modo diverso: quod non videtur facturus fuisse, si vidisset Vitam ab Adrevaldo scriptam: hanc autem haud dubiè habuisset, si ipso fuisset posterior.*

AUCTORE J. S.

quam habuit Adrevaldus, qui multa eidem addidit parùm verisimilia.

6 *Video tamen hic objici posse diversitatem illam utriusque Vitæ, atque ex illa inferri, Adrevaldum non vidisse Passionem illam, cùm ab ea in variis recesserit. Fateor, ea ratione me reddi ambiguum; nec ut certum affirmare velle Passionem hanc Ms. præluxisse Adrevaldo. Verumtamen suspicio illa non tollitur, cùm certum appareat, Adrevaldum conjecturis nimiùm indulsisse, atque ideo minùs sit mirandum, si ab antiquiori Vita subinde recesserit, sive quòd* E *alia quoque habuerit monumenta, sive quod multùm tribuerit popularibus traditionibus. Certè studuit Adrevaldus stylum exornare atque eruditionem suam ostentare: multòque plura narravit quàm auctor anonymus. At si omnia illa, quæ solus narrat, attentè consideremus; vix quidpiam ex illis reperiemus, quod satis sit verisimile. Hac de causa existimo, longè certiora esse gesta illa* Aigulphi, *quæ leguntur in Vita Ms., quam primo loco edam, quàm sint alia, quæ hisce superaddidit Adrevaldus: ac deinde, ubi dissentiunt, anonymum præferendum censeo. At illa certò omnium sunt certissima, in quibus uterque consonat. Hæc solo veri amore sic dicta sint, ut nolim vehementer pugnare, si quis idoneis rationibus ostenderit Adrevaldo plus fidei tribuendum, quàm scriptori anonymo.*

Aliud Ms. compendium Adrevaldi: Vita à Vincentio Barrali concinnata:

F

7 *Præter hæc Acta, ad manum nobis est alia Passio Ms., communicata olim ex codice* Ultrajectino S. Salvatoris. *Breviora hæc Acta necesse non est lectorum oculis objicere, cùm nihil contineant, quod non sit in Adrevaldo, cujus sunt compendium, ut clarissimè patet ex utriusque collatione: nam non modò eadem facta ubrobique referuntur, sed ipsa etiam Adrevaldi verba passim retenta sunt in compendio, rescissis solùm superfluis, seu iis, quæ ad historiam non spectant. Quapropter, si quid in illo Ms. invenero diversum, id communicabo lectori in Annotatis ad Adrevaldum. Vincentius Barralis nova composuit* S. Aigulphi *& Sociorum Acta, quæ inseruit Chronologiæ suæ Lerinensi pag.* 327 *& sequentibus. Asserit autem hæc sua Acta* ex variis manuscriptis perantiquisque codicibus *Lerinensis* cœnobii compilata *esse. Proœmium quidem Barralis totum desumptum est ex Passione Ms. primo loco edenda, quam deinde perrexit sequi initio Vitæ; sed postea magis progressus, & maximè in martyrio referendo, Adrevaldum sequi maluit. Itaque duos hosce auctores ita secutus est Barralis, ut neutrum in omnibus adoptaverit, atque alterum ubique ex altero interpolaverit. An & aliam quamdam Vitam, aut certè monumenta quæpiam alia habuerit Barralis, mihi non constat. Narrat quidem aliqua, quæ in prædictis Vitis non leguntur; at ea pauca sunt, & ex conjecturis potius quàm ex antiquis monu-*

AUCTORE J. S.

mentis videntur addita, ut per decursum probabitur. Nos ex dictis monumentis gesta S. Aigulphi *& Sociorum infrà suo ordine discutiemus.*

Translatio seu Inventio, uti & Miracula S. Aigulphi infrà dicenda.

8 *Mabillonius post Vitam* S. Aigulphi *edidit etiam brevem relationem* de translatione reliquiarum sancti Aigulphi in castrum Pruvinense. *Observat praviè, litem esse inter Pruvinenses & Lerinenses de hodierna corporis possessione, de qua agemus inferiùs. Deinde, quid hæc relatio exponat, & unde accepta sit, explicat his verbis:* Translationis historiam primò quidem è monasterio Lerinensi in Floriacense, ac postea è Floriacensi in castrum Pruvinum, sic auctor anonymus in codice bibliothecæ Remigianæ apud Remos perstringit. *Habemus eamdem Translationis, seu potiùs* Inventionis *historiam,* ex antiquis membranis domini Antonii Wion, domini d'Herouvalle, *sub hoc titulo:* De inventione S. Aygulfi. *Dabo hanc Ms. Relationem, collatam cum editione Mabillonii, qui aliqua hinc inde resecuit tamquam superflua. Sub finem verò adjectus est Sermo Sewini archiepiscopi Senonensis, habitus ad plebem post depositionem corporis. Verùm cùm hic Sermo nihil contineat, quod spectet ad Sanctum, & totus sit moralis, illum huc transferre non est necesse. Demum subjecit Mabillonius* Miracula S. Aigulfi ex cod. Ms. V. C. D. Herovallii. *Hæc item Miracula ex ejusdem clarissimi Domini codice manuscripta habeo, manu propria Papebrochii nostri descripta. Ex hoc apographo, cum editione Mabillonii collato, Miracula illa recudam, & supplebo rursum aliqua apud Mabillonium prætermissa.*

§ II. S. Aigulphi patria, parentes, ætas, vita monastica. translatio corporis S. Benedicti eidem attributa.

S. Aigulphus natus Blesis parentibus tenuioris conditionis,

* Blois

C

De patria S. Aigulphi *consentiunt scriptores, unanimi voce affirmantes, natum fuisse Blesis*, seu in castro Blesensi ad Ligerim sito, inter Aurelias & Turones. Civitas Blesensis, aliàs satis antiqua, episcopali dignitate solùm exornata est sub finem seculi* XVII *ab Innocentio Papa XII sub metropoli Parisiensi. Parentes habuit tenuioris conditionis, si credimus Vitæ scriptoribus. Aimoinus tamen in Historia Francorum cap. ultimo ait,* Blesensi castro haud ignobili genere ortum. *Non quidem nobile genus puguat cum exiguo bonorum censu: attamen mirum apparet, nobilitatem illam, à Vitæ scriptoribus prætermissam, deinde cognitam fuisse ab Aimoino, qui illis toto seculo est posterior. Observandum quoque est cum Martino Bouquet, qui postremam Aimoini editionem curavit tom.* 3 *Scriptorum rerum Gallicarum, hoc caput in prioribus editionibus non fuisse:* Hoc caput, *inquit pag.* 139 *laudatus editor,* primus adjecit Chesnius ex Mss. codicibus. Deest in codice Sangermanensi. *Itaque minùs certum est, id caput esse Aimoini: & incertius, quod de nobili genere* S. Aigulphi *ibidem legitur: nam Adrevaldus nobilitatem illam negat num.* 3.

regnante Dagoberto I.

10 *De tempore nati* Aigulphi *nihil memorat Adrevaldus: at Vita prima num.* 3 *insinuat, natum esse sub regno Dagoberti I. Existimare igitur possumus, natum esse circa annum* 630, *cum extensione aliquot annorum, quibus seriùs nasci potuit, aut biennio etiam citiùs. Piè institutus, litterisque imbutus est Adolescens, uti ex gestis ipsius abundè colligitur, licèt de studio litterarum utraque Vita sileat. Barralis illud Actorum silentium liberaliter, & forsan nimium compensavit, dum de studiis* Aigulphi *hæc scripsit:* A parentibus itaque in teneris annis imbuendus litteris traditus, brevi tempore in Grammatica, Rhetorica, Dialectica, omniumque scientiarum genere ita viguit, quòd ingenii sui perspicacitate parentes simul & patriam decoraret. *Litteris imbutus Vitam monasticam elegit in abbatia Floriacensi, cui tum præerat S. Mummolus abbas, uti ait Adrevaldus num.* 4 *&* 5. *Tempus inchoatæ vitæ monasticæ non aliter exprimunt scriptores, quàm quòd dicant juvenem fuisse tunc* Aigulphum (*annorum forsan octodecim aut viginti*) *& abbatia præfuisse Mummolum, cujus diuturna dicitur fuisse præfectura.*

D

Mabillonius vult fundatum monasterium Floriacense circa annum 641,

E

11 *Ex tempore tamen, quo constructum est monasterium Floriacense, uncumque colligi posset, quo ferè anno vitam monasticam exorsus sit* Aigulphus, *modò tempus illud certò satis posset assignari. Constructum esse illud cœnobium tempore Clodovei II Francorum regis, testatur Vita prima num.* 5, *idemque asserunt multi alii scriptores, ita ut res minimè sit dubia. Verùm, cùm Clodoveus ad annos octodecim regnum tenuerit, nota illa temporis nimis est vaga. Testamentum Leodebodi abbatis, qui Floriacense monasterium construxit, notatur anno* 2 *Clodovei regis: atque ex eo sequeretur, fundationem esse cœptam prioribus annis regni Clodovei, uti cœptam vult Mabillonius in Annalibus tom.* 1 *pag.* 380, *narrans fundationem ad annum* 641. *At dubitandum non est, quin epocha testamenti sit corrupta, nisi ipsum testamentum totum sit commentitium: nam sub initium Leodebodus non solùm se dicit egisse cum Clodoveo rege, sed etiam cum* gloriosâ domina uxore ejus Baltilde regina. *Certum autem est, Batildem multò seriùs nuptam fuisse Clodoveo, cùm hic puer ad regnum pervenerit. Agnoscit Mabillonius hoc aliaque consistere non posse cum anno secundo Clodovei; vult tamen testamentum* bonæ notæ *esse, exceptis iis, quæ de S. Batilde, de S. Audoëno, ac de S. Leodegario in illo leguntur. Quin & mox ait:* Ut rem totam in pauca contraham; ab ineunte, ut jam dixi, Chlodovei junioris principatu condi cœptum est monasterium Floriacense. *Ac demum ex tempore translati corporis S. Benedicti; atque ex annis quatuordecim primorum abbatum, calculum conditi cœnobii ad annum* 641 *reduci posse affirmat.*

F

sed nihil certi potest dici, nisi fundatum esse sub Clodoveo II,

12 *Verùm aut testamentum consistere nequit; aut abbatia seriùs est condita: nam Leodebodus in testamento dicit,* Monasterium in honore sancti Petri ædificare delibero. *Necdum igitur erat constructum monasterium, quando jam dicit se egisse cum Batilde regina. Batildis autem regina non fuit ante annum ferè* 650. *Itaque fundatio collocanda circa annum* 650, *agnoscendaque est corruptio epochæ testamenti: aut testamentum omnino est deserendum, prout jam illud deseruit & pro supposititio agnovit Longuevallius in Historia ecclesiæ Gallicanæ tom.* 3 *pag.* 565. *Cointius verò in Annalibus Francorum ad annum* 667 *idem testamentum excutiens, num.* 18 *tam multa in characteribus chronologicis corrigenda judicat, ut tandem concludat, illud factum esse* anno Clotarii III regis duodecimo, Christi

A Christi sexcentesimo sexagesimo septimo. *Verùm Cointius nimiùm recedit ab omnibus scriptoribus, qui tradunt sub Clodoveo II fundatum Floriacense cœnobium. Pagius ad annum 664 num. 19 pro* anno secundo *Clodovei in testamento substituendum ait*, anno duodecimo, *constructionemque monasterii anno 649 affigendam. Mihi sanè hæc omnia incertiora videntur, quàm ut subsidio esse possint ad stabiliendam chronotaxim. Quapropter id unum ut certum assumo, conditum esse monasterium sub Clodoveo II, atque adeo abbatem verisimiliter nullum præfuisse ante annum 640; cùm multa ante electionem abbatis præmittenda fuerint: contra verò, si valeat in ceteris Leodebodi testamentum, solêque notæ chronologicæ sint corruptæ, non potuisse illi monasterio abbatem præfici, nisi circa annum 650 aut seriùs.*

atque ex eo probari Aigulphum receptum circa annum 650, aut aliquot annis seriùs.

13 *Aimoinus Floriacensis jam antè laudatus cap. ultimo constructionem monasterii Floriacensis, aliaque ad propositum nostrum conducentia refert hoc modo:* Glorioso rege Clodoveo, Dagoberti filio, regni Francorum moderamina disponente, quidam vir genere nobilis, nec minùs probitate clarus mentis, Leodebodus nomine, in monasterio S. Aniani, suburbio Aurelianensi, abbatis fungebatur officio. Hic ad sæpe dictum accedens principem, commutationem exposcebat fieri Floriaci fisci. Cui petitioni rex, ut erat mente benignus, libens annuit: acceptoque à memorato abbate prædio, quod ei ex paterna obvenerat hæreditate, præfatum fiscum Floriacum in ejus transfudit dominium. Qui optatis potitus, nequaquam eumdem locum diu vacare passus est: sed ædificatis duabus basilicis, unâ in honore Apostolorum Principis Petri, aliâque in veneratione Genitricis Dei Mariæ, mox etiam construxit habitacula monachorum usibus congrua: adunatisque quibusque nobilibus, vel etiam Deo servire cupientibus, abbatem instituit nomine Rigomarum. Qui, quinquennio expleto, ex hoc transiens seculo, successorem accepit nomine Mummolum. Hic bonus pastor, dum creditum sibi à summo veroque pastore Deo augmentare gregem studeret, quemdam innocentis vitæ virum, vocabulo Aigulphum, Blesensi castro haud ignobili genere ortum, suscepit ad serviendum Christo conversum. *Ex his habemus* Aigulphum *in monasterium ingressum esse, postquam eidem quinquennio præfuerat Rigomarus, eique substitutus erat Mummolus, ita ut ipsius ingressum figere liceat præter propter ad annum 650, licèt fateamur ingredi potuisse uno alterove anno citiùs, & seriùs etiam pluribus.*

Translatio corporum SS. Benedicti & Scholasticæ Aigulpho adscripta:

14 *De eximio fervore, egregiisque virtutibus Sancti abunde agunt Vitæ scriptores. Hisce relatis, Adrevaldus in Vita secunda num. 7 refert corpus S. Benedicti ab* Aigulpho *translatum esse ad monasterium Floriacense. Adrevaldo adstipulatur Aimoinus, præmissis hæc subjungens:* Quem (*Aigulphum*) etiam processu temporis in monastica probatum conversatione, ad Beneventanam direxit provinciam (*Mummolus*) ut sancti patris Benedicti exinde ad Gallias transferret glebam, cunctis mortalibus reverendam. Cujus ille præcepto haud segniter paruit, & sanctissima membra jam dicti patris cum ossibus sororis ejus Scholasticæ Galliis intulit. Quod qui pleniùs scire voluerit, in libro, qui de Translatione patris Benedicti prætitulatur, invenire poterit. *Liber, quem hìc assignat Aimoinus, quemque similiter designat Adrevaldus, editus*

est apud nos tom. III Martii pag. 302 & sequentibus. De missione Aigulphi *ibidem num. 3 sic habetur:* Misit (*Mummolus*) ad prædictam provinciam unum ex commilitonibus suis, nomine Aygulphum, monachum. Hic namque sibi fuisse revelatum divinitus dicebat, ut prædictus Vir illuc pergens, corpus jam dicti transferret Benedicti. Fuit namque idem Aygulphus venerabilis vir, & Deo omnino placere gestiens: qui quantæ sanctitatis fuerit, cujusve virtutis, finis probavit, in quo omnis laus securè canitur. *Porrò qualis visio oblata diciur Mummolo abbati, ut mitteret* Aigulphum *pro corpore S. Benedicti; talem etiam eodem tempore oblatam volunt S. Berario episcopo Cenomanensi, ut aliquos è suis Casinum destinaret ad quærendum ac transferendum corpus S. Scholasticæ.* AUCTORE J. S.

15 *Hi igitur Cenomanenses, si credimus laudatæ Historiæ, perlati Floriacum, inveniunt* Aigulphum *accinctum itineri, ac* communi decreto cœptum opus simul statuunt peragere. *Romam verò ubi pervenerant, divisi sunt,* negotium, quod cœperant, perfecturi. Memoratus Aygulphus, intermissis interim his, quæ palàm ostentaverat velle, locorum scilicet sanctorum circuitionibus, expeditioni operam dedit, certans ocyùs perficere, quod sibi injunctum fuerat, sanctum mandatum. Tandem itaque pervenit ad locum castri, quod vocatur Casinum: ibidemque paulisper itineri finem imponens, exspectabat eventum rei, orans illum, qui visionem superiùs prolatam revelare dignatus est, quique se ad hoc opus destinaverat, ut non in vacuum tantum iter consumi vellet; sed, sicut promiserat, thecam thesauri sui ei revelare dignaretur. *Mox cap. 2 dicitur* Aigulphus *consilium suum seni cuidam aperuisse, ut is quærenti ferret auxilium. Eadem quoque narrantur in Vita S. Berarii Cenomanensis episcopi, cum hac tamen differentia, quòd auctor Floriacensis* Aigulphum *ante socios Cenomanenses deducat Casinum, corporumque inventionem soli illi sic attribuat, ut velit Cenomanenses venisse, quando corpora jam erant inventa. At Vita S. Berarii, edita à Mabillonio tom. 3 Analectorum, pag. 170 affirmat, divisos quidem Romæ fuisse Floriacenses à Cenomanensibus, quia utrique volebant consilium suum celare, sed eodem die Casinum venisse,* ubi tandem sibimet mutuò sui itineris causam, & ob quod desiderium tam longum sumsissent laborem, qui diu occultaverant, manifestarunt. *Hanc mutui consilii manifestationem Floriacenses, qui totam inventionem* Aigulpho *attribuunt, inventioni postponunt. At Cenomanenses inventionem utrisque adscribunt. Alterutra pars hîc certò aberrat, si non utraque.* *translationis relatio*

16 *Senex autem ille, cui aut solus* Aigulphus *aut omnes simul, causam itineris sui indicaverant, promisso laboris præmio, operam suam addixisse, & tale consilium dedisse dicitur in Historia translationis num. 5:* Cùm, inquit, lucifugæ noctis tempora, conticiniique metas propinquare prospexeris, tu ne ad modicum quidem indulge quieti; sed tecti abdita linquens, nudo sub aëris axe indefessus speculator adesto. Cúmque solitudinis hujus locum aliquem lumine clarissimo radiare conspexeris nivei montis instar, notato certa mente locum: namque ibi inveniendum est, unde tuæ curæ finis imponatur. *Dum verò sic vigilat* Aigulphus *aut solus, aut cum aliis,* conspicit eminus locum lumine claro micantem, ceu cum luminaribus facibusque *prout eam narrarunt*

AUCTORE J. S.

que denſis locus aliquis perfuſus illuſtratur. *Circa tempus matutinum* ad locum intrepidus properat ; cujus notator extiterat : ibique , ſicut longè antè optaverat , cuncta inveniens , Proſperatori itineris ſui grates innumeras rependit. Namque locum adiens , loculum ibidem invenit , exteriùs quidem vilem , interiùs autem retinentem magni pretii margaritas. Pro foribus autem petræ ſcilicet ſuperpoſitæ præfixa erant notamina , quorum interiùs buſta jacebant. His, ſicut diu optaverat , inventis , patefacto à latere evacuatoque locello , theſaurum inventum unius ſportellæ concluſit ſinu , quæ ſporta hactenus penes nos quaſi nova habetur. Quibus patratis omnibus , improviſò adſunt ſocii , . . . quærentes & ipſi non diu quæſita benedictione fruſtrati . . . Moxque cum feſtinatione retrogradum iter arripientes , feſtinatò ſimul regredi curabant , portantes , quas invenerant dono divino pretioſiſſimas margaritas.

17 *Hactenus de inventione ipſa hiſtoricus Floriacenſis Adalbertus. Nunc etiam compendio accipe , quæ idem in itinere Floriacum verſus , ac deinde contigiſſe affirmat.* Vox allata divinitus , *inquit num.* 7 ; prohibuit eos moras nectere in eundo. *Pontifex verò Romanus alia viſione monitus , ipſos abeuntes perſequitur : ſed illi* tenebrarum denſitate *divinitus tecti non potuerunt inveniri. Deinde miracula quædam referuntur , quæ facta dicuntur in itinere. Demum cap.* 3 *contentio aliqua fuiſſe aſſeritur , quia* Aigulphus *utrumque corpus Floriaci retinere cupiebat : difficultas quoque occurrebat in diſcernendis oſſibus S. Benedicti & S. Scholaſticæ* , quæ , *inquit* , confusè unius ſportellæ ſinus retinebat. *Verùm, ſopita contentione , & facta diſcretione , ut ibidem legi poteſt , corpus S. Benedicti apud Floriacenſes manſiſſe , & corpus S. Scholaſticæ Cenomanenſibus traditum aſſeritur. Eadem narrantur in Vita S. Berarii , cujus auctor videtur omnia hauſiſſe ex Adalberto Floriacenſi , ſic tamen ut noluerit honorem inventorum corporum ſoli* Aigulpho *attribuere. Porrò diſſimulare nequeo , multa reperiri in dicta tranſlationis Hiſtoria , quæ parùm mihi apparent veriſimilia , quæque non conſonant cum antiquioribus ſcriptoribus.*

Floriacenſes & Cenomanenſes ſcriptores :

B

18 *Mabillonius tom.* 4 *Analectorum pag.* 451 *edidit ex* Ratiſponenſi codice S. Emmerammi , ante annos nongentos ſcripto (*id eſt , ſub finem ſeculi* VIII , *ſi codicis antiquitatem rectè aſſignavit , anno* 1685 *ſcribens Mabillonius*) *quamdam prædictæ tranſlationis relationem , quæ , inquit* , auctorem æqualem ejus temporis , quo tranſlatio facta eſt , habere videtur. *At ego in tota iſta relatione ne unum quidem reperio verbum , ex quo inferre poſſim , ſcriptorem iſtum tranſlationi eſſe contemporaneum , licèt alioqui dubitandum non ſit , quin antiquior ſit Adalberto Floriacenſi. Subdit Mabillonius :* Germanum hunc eſſe exiſtimo , non modò quòd in Germania repertus eſt codex , ſed etiam quòd nomina Mummoli abbatis , & Aigulfi monachi tranſlationis auctoris , utpote alienigena , ignoravit , & quòd S. Scholaſticæ corpus Floriaci remanſiſſe opinatus eſt. *Huic conjecturæ lubens ſubſcribo. Addo etiam , hunc ſcriptorem videri primum , qui illam tranſlationem narravit ; aut certè primum ex illis , quorum ſcripta ad nos pervenerunt. Hunc igitur conferre oportet cum Hiſtoria Floriacenſi , ducentis ferè annis poſt tranſlationem compoſita.*

C

Germanus quidam anonymus eamdem narravit tranſlationem ,

19 *Verba illius accipe , omiſſis tamen ſuperfluis , quæ nihil ad factum ipſum attinent.* Fuit in Francia , *inquit* , per pii Patris prudentiam presbyter doctus. Hic erat iter facturus ad Italiam , volens inveſtigare , ubi ſepulta jacerent oſſa inculta ab hominibus ſancti Benedicti patris. Tandem pervenit in deſertum , quod diſtat à Roma LXX aut LXXX milibus (*id eſt , milliaribus Italicis, & ſatis rectè*) ubi olim conſtructa cella, concordia caritatis inhabitantium firma fuit beati Benedicti. Et tamen adhuc presbyter cum ſociis ſuis ſollicitus erat de incertitudine locorum. Qui dum nec veſtigium invenire poterat , aut cimiterium corporum ; tandem à ſubulco mercede conducto intellexit , & perfectè invenit locum monaſterii : ſepulcrum tamen omnino agnoſcere non potuit , donec cum ſuis ſociis conſecravit jejunium per biduum ac triduum. Et poſtea coquo eorum per ſomnium revelatum eſt , & res ipſa illis innotuit . . . Et tunc diligentiùs perſcrutantes loca , invenerunt lapidem marmoreum perforandum. Deſtructo lapide , invenerunt oſſa ſancti Benedicti abbatis , & in eodem monumento oſſa beatæ Scholaſticæ ſororis ejus ſubter jacere , marmore tamen interpoſito . .

D

illiuſque relatio recitatur ,

20 Congregatis verò oſſibus & lavatis , poſuerunt ſuper ſindonem mundiſſimum * , ſeorſum tamen utriuſque , ut ſecum portarent ad regionem , Romanis ignorantibus . . . Poſtmodum ſindones , obtegentes oſſa eorum , inventi ſunt de ſanguine eorum erubere , velut de vivis corporibus emanâſſet cruor . . . Et tunc erant caballo ſuperpoſita , & per longa itineris ſpatia ſic leviter portavit , quaſi nihil oneris ſentiret. Quando verò in via ſilvatica & anguſtica itinera ambularet ; nec arborum offendicula , nec difficultas viarum , obſtaculum eis vel impedimentum eſſet * itineris , ut perfectè portitores agnoſcerent ob merita hoc eſſe ſancti Benedicti , atque beatæ Scholaſticæ ſororis ejus , ut proſperitas itineris eorum tam ſecura eſſet , donec perducti eſſent in Franciam ad monaſterium , cui Floriacus nomen eſt ; ubi nunc ſepulti ſunt in pace *&c. Hæc ſanè relatio multùm differt à relatione Floriacenſium. Nam primò nomina* Aigulphi *& Mummoli non exprimit ; & ne quidem dicit , monachum fuiſſe , qui corpus tranſtulit , cùm ſolum ab ipſo vocetur* presbyter doctus. 2° *Viſiones nullas memorat , excepto ſomnio coqui.* 3° *Sepulcri inventionem memorat modo alio , quàm Adalbertus.* 4° *ait , inventas reliquias non ſporta aut ſportula , ſed ſindoni impoſitas.* 5° *Non mixta utriuſque corporis oſſa affirmat , ſed ſeorſum poſita.*

E

ac conferetur cum præcedente ;

* *erat*

F

* mundiſſimam

21 *Paulus Diaconus lib.* 6 *de Geſtis Langobardorum cap.* 2 *ad propoſitum noſtrum habet ſequentia :* Circa hæc tempora , cùm in caſtro Caſſino , ubi beatiſſimi Benedicti ſacrum corpus requieſcebat , aliquantis jam elapſis annis , vaſta ſolitudo exiſteret , venientes de Cenomannicorum vel Aurelianenſium regione Franci , dum apud venerabile corpus pernoctare ſe ſimulâſſent, ejuſdem venerabilis patris , pariterque ejus germanæ venerandæ Scholaſticæ oſſa auferentes , in ſuam patriam aſportaverunt : ubi ſingillatim duo monaſteria in utriuſque honorem , beati Benedicti & ſanctæ Scholaſticæ , conſtructa ſunt. Sed certum eſt nobis os illud venerabile , & omni nectare ſuavius , & oculos ſemper cæleſtia contuentes , cetera quoque membra , quamvis in cinerem defluxa , remanſiſſe. *Si hæc verba ſumamus , prout à Gallis intelliguntur , diverſam rurſus*

tranſlationem modo magis diverſo narrat Paulus Diaconus.

A *ſus relationem ſuggerunt prædictæ tranſlationis : hîc enim non ignotus fuiſſe ſupponitur locus , ubi jacebant ſacra corpora , ſed notiſſimus ; cùm Galli dicantur ſimulâſſe , ſe velle nocturnis precibus inſiſtere apud ſepulcrum. Cur , quæſo , ſimulâſſent , imò quomodo ſimulare potuiſſent , ſe velle ad ſepulcrum vigilare , ſi ſepulcri locus planè fuiſſet ignotus , ſi nullus Caſinenſium monachorum ad cuſtodiam corporum in parietinis monaſterii fuiſſet relictus ? Itaque ſi inhærere velimus relationi hujus auctoris , dicendum eſt reliquias non fuiſſe relictas ſine cuſtode uno aut pluribus , nec ope ſenis aut ſubulci alicujus quærendum fuiſſe ſepulcrum , uti aſſerunt alii. Hinc voces ille* , cùm in caſtro Caſſino . . . vaſta ſolitudo exiſteret , *non ita ſumendæ ſunt , acſi locus nullos omnino habuiſſet habitatores : ſed* vaſta ſolitudo *ibi fuiſſe dicitur , quòd monaſterium , eccleſia , omniaque ferè ædificia eſſent deſtructa , quódque exiguus eremitarum numerus locum incoleret. Certè quando Petronax Caſinum venit , ut monaſterium reſtitueret* , ibi cum aliquibus ſimplicibus viris , jam ante reſidentibus , habitare cœpit , *teſte Paulo lib. 6 cap. 40. Tales*
B *quoque ibidem fuiſſe , quando ad corpora quærenda venerunt Galli , evincit ſuprà dicta ſimulatio pernoctandi apud ſepulcrum.*

§ III. Dubitationes circa tranſlationem SS. Benedicti & Scholaſticæ : probabiliùs ſolùm pars corporum tranſlata. An id factum per S. Aigulphum ?

Circa tranſlationem prædictam triplex dubitatio :

C *TRanſlatio S. Benedicti Floriacum annotata quoque eſt à variis martyrologis primæ notæ , quales ſunt Wandelbertus , Ado , Uſuardus , aliique plures , ſed ſine nomine* S. Aigulphi , *quem ne quidem memorarunt laudati martyrologi. Præterea Vita primo loco edenda de hac tranſlatione , quam nec ignorare nec prætermittere debuiſſet biographus , nihil uſpiam continet , ita ut primus ſcriptor , qui* Aigulphum *hujuſce tranſlationis auctorem aſſeruit , ducentis ferè annis ſit poſterior. Hæc dum attentè perpendo , dumque conſidero rationes , quas tranſlationi corporum S. Benedicti & S. Scholaſticæ oppoſuerunt Caſinates , qui illam conſtanter negarunt & negare hactenus pergunt , multiplex mihi oritur dubitatio. Primò enim tranſlatio ipſa mihi nequaquam videtur certa. Secundò magis apparet dubium , an omnia oſſa fuerint tranſlata. Tertiò , etiamſi tranſlationem ſeu aliquot oſſium , ſeu omnium etiam , tamquam certam tantiſper ſupponere vellem , ne vel ſic quidem invenirem firma ſatis fundamenta , quibus eam certò attribuerem* S. Aigulpho : *nam auctoritas Adalberti Floriacenſis , quem deinde ſecuti ſunt alii, tanta mihi non videtur , ſive ætatem ipſius conſiderem , ſive ſcribendi methodum , ut , antiquis ſilentibus* , Aigulphum *tranſlationis auctorem certò ſtatuam , præſertim cùm ætas* Aigulphi *minùs faveat prædictæ opinioni , ut videbimus.*

Scriptores , qui pro tranſlatione diſputarunt ;

23 *De prima dubitatione , nimirum an corpora SS. Benedicti & Scholaſticæ in Galliam fuerint tranſlata , jam multis ſeculis diſputatum eſt , & maximè poſterioribus. Poſtremus Floria-*

cenſium patronus fuit Mabillonius , qui in Actis Ordinis ſui ſeculo 2 pag. 337 alios tranſlationis propugnatores recenſet his verbis : Poſt iteratam Chronici Caſſinenſis editionem nonnullarumque litterarum , quæ ſummorum Pontificum quorumdam nomen in gratiam Caſſinatium præferunt , Floriacenſium noſtrorum partes primus è recentioribus ſuſcepit ac ſtrenuè propugnavit Johannes à Boſco monachus Cæleſtinus , vir doctus , qui legitimæ Gallorum poſſeſſionis monimenta oculis ſuis vidit , manibus contrectavit , eaque in ſua Bibliotheca Floriacenſi anno MDCV evulgavit. Huic è veſtigio decem pòſt annis ſucceſſit Carolus Sauſſeyus eccleſiæ Aurelianenſis decanus , doctor theologus , qui in ejuſdem eccleſiæ Annalium libro IV capite I inconvulſam ac perpetuam ſacri depoſiti poſſeſſionem Floriacenſibus noſtris tam diſertè ac validè vindicavit , ut ceteris palmam præripuiſſe videatur. Quo in genere etiam eruditè verſati ſunt noſtrates , Symon Milletus tractatu ſingulari Gallicè edito , & Hugo Menardus , qui in lib. I Obſervat. in Martyrol. Benedict. hoc argumentum , quantùm propoſitæ brevitatis ratio ſinebat , egregiè tractavit. Iſtis adjungendus eſt Carolus le Cointe , Annalium eccleſiaſticorum Francorum conditor , qui in tomo III ad annum DCLXXIII num. 42 nuperrimè Floriacenſium cauſam , à multis jam vindicatam , iterum aſſeruit. *Hos demum ſecutus eſt ipſe Mabillonius tam hoc loco , quàm iterum in Annalibus Benedictinis lib. 14 num. 29.*

alii , qui eamdem negarunt , aut de ea dubitarunt :

24 *Contrariæ ſententiæ advocatos idem ſic enumerat :* Pro Caſſinatibus pugnant Matthæus Lauretus , Hiſpanus , abbas monaſterii S. Salvatoris de Caſtellis , peculiari adverſus Johannem Boſchium libello , impulſu Gregorii Caſtionæi Aretini abbatis Caſſinenſis anno MDCVII Neapoli vulgato ; V. C. Angelus de Nuce , abbas itidem Caſſinenſis (*& deinde archiepiſcopus Roſſanenſis*) in Appendice Romanis typis excuſa ad Chronicon Caſſinenſe , Pariſiis anno ſuperiori ipſius curâ editum & illuſtratum : qui totus eſt in propugnandis Leone Marſicano & Petro Diacono adverſus Menardi noſtri Obſervationes. *Idem auctor ad hanc ipſam Mabillonii Diſſertationem deinde reſpondit in Appendice ſua tertia ad Chronicon Caſinenſe. Impreſſa eſt hæc Appendix poſt Chronicon Caſinenſe nuper recuſum inter*
F *Scriptores Italiæ tom. 4 pag. 623. Horum omnium Diſſertationes videri poſſunt , uti & obſervationes quædam Horatii Blanci ad Paulum Diaconum lib. 6 cap. 2 , quæ habentur apud Muratorium tom. I Scriptorum Italiæ pag.* 490 *&* 491. *Porrò Baronius ad annum* 664 *pauca de hac tranſlatione commemoravit , nec ulli parti ſe addixit. Baronium dubitantem ſecuti ſunt Bollandus & Henſchenius , aliique è Majoribus noſtris , ubi aliquid cum hac lite connexum ſe offerebat. Demum diſputantium argumenta nuper recenſuit , atque in utramque partem ambiguus diſputavit Gerardus Caſteel , Prior canonici Ordinis S. Crucis , in Opuſculo edito Coloniæ anno* 1734 , *cui titulus* , Controverſiæ eccleſiaſtico-hiſtoricæ , *controv.* 34.

probabiliùs apparet , aliqua oſſa tranſlata , alia verò Caſini relicta :

25 *Dubitantibus de totius corporis , ſeu omnium oſſium tranſlatione , ſic accedo , ut tamen dubitare vix poſſim , quin oſſa aliquot Floriacum fuerint tranſlata. Huic opinioni non repugnat ipſe Angelus de Nuce in prima ſua Diſſertatione , in qua ſic loquitur :* Ut autem admittam pretioſi hujus noſtri theſauri particulam ali-

AUCTORE J. S.

quam in Gallias aliquando delatam, non ero difficilis exorari: indeque invaluiſſe opinionem de tranſlatione ſancti Benedicti. Quantumvis enim parva exiliſque reliquiarum pars nomine totius figuratè venit, *& magis etiam oſſa aliquot notabilia. Hoc confirmat exemplo S. Mauri, qui in Chronico Caſinenſi lib. 2 cap.* 53 reverſus *dicitur Caſinum, quia* os integrum brachii *eò erat ex Gallia tranſlatum. Aliis quoque allatis exemplis, ſic ratiocinatur:* Non diſpari ergo ratione, pro aliqua ſancti patris noſtri reliquia in Gallias delata S. Benedictum eò delatum ſynecdochicè dictum priùs fuerit, tum paulatim vulgo creditum, totum allatum. *Hæc conjectura admodùm veriſimilis eſt, præſertim ſi admittatur, non ſolùm exiguam particulam, ſed oſſa aliquot tranſlata eſſe: nam frequentiſſimè accidit, ut hujuſmodi theſauri, cùm rariſſimè inſpiciantur, longè majores credantur quàm revera ſint. Sanè non aliunde tot orta ſunt diſputationes de corporibus quorumdam Sanctorum, quàm quòd multi ſuum theſaurum crediderint majorem, quàm inveniretur, ſi oſſa ſingula luſtrarentur; ideoque malint totum ſibi attribuere, quàm contraria partis rationes ſine præjudicio expendere.*

B

26 *Porrò ſi verba Pauli Diaconi, quæ omnium aliorum dictis præferenda videntur, maturè & ſine præjudiciis velimus expendere, facilè videbimus, eum utrique litigantium parti oſſa aliqua S. Benedicti attribuere, neutri omnia. Verba illius lib. 6 cap. 2 hæc ſunt in editis:* Circa hæc tempora, cùm in caſtro Caſſino, ubi beatiſſimi Benedicti ſacrum corpus requieſcebat (*in codice Ambroſiano & in Modoëtienſi legitur* requieſcit, *teſte Horatio Blanco in annotatis*) aliquantis jam elapſis annis, vaſta ſolitudo exiſteret, venientes de Cenomannicorum, vel Aurelianenſium regione Franci, dum apud venerabile corpus pernoctare ſe ſimulaſſent, ejuſdem venerabilis patris, pariterque ejus germanæ venerandæ Scholaſticæ oſſa auferentes, in ſuam patriam aſportaverunt: ubi ſingillatim duo monaſteria in utriuſque honorem, beati Benedicti & ſanctæ Scholaſticæ, conſtructa ſunt. *Hactenus auctor. Jam verò non video, quo fundamento dici poſſit, Paulum hîc ſolum narrare, quid habeat fama popularis: nam ita rem exponit cum ſuis adjunctis, ut minimè dubitandum videatur, quin propriam edicat ſententiam, non alienam. Tam clarè quoque ablationem oſſium affirmat, ut aliter explicari nequeat.*

C

27 *Verumtamen, cùm corpus S. Benedicti duobus locis clarè Caſſino attribuat, diligenter inveſtigandum eſt, quid ablatum aſſerat. Quippe non dicit ablatum* corpus, *ſed* oſſa; *nec dicit* omnia oſſa, *ſed* oſſa *tantùm. At multa perſuadent, eum per vocem indefinitam* oſſa, *intelligere oſſa aliqua, non omnia. Primò id ſuadent ſequentia mox verba, quibus non pauca attribuit Caſinenſibus:* Sed certum eſt nobis os illud venerabile, & omni nectare ſuavius, & oculos ſemper cæleſtia contuentes, cetera quoque membra quamvis in cinerem defluxa, remanſiſſe. *Hæc de ſolis cineribus intelligenda eſſe, aut ſic commodè intelligi poſſe, nihilo magis perſpicio, quàm ſuperiora explicari poſſe de ſola fama populari. Quin potiùs exiſtimo, per* os & oculos *nihil intelligi debere, niſi calvariam, cujus nobiliores partes nominavit auctor. Per* cetera membra *intellexiſſe videtur ex ceteris aliqua, ſcu cetera membra, quæ ablata non erant. Porrò quod editum eſt* quamvis in cinerem defluxa, *in Ambroſiano & Modoëtienſi codice ſolùm legitur*, quamvis defluxa, *ut rurſum advertit laudatus editor. Verùm, ſive legamus* defluxa, *ſive* in cinerem defluxa, *nihil innuere his vocibus videtur auctor, niſi compagem corporis fuiſſe ſolutam, atque hac ſolutione oſſa, quæ Caſini ſupererant, à compage ſua defluxiſſe, ac cineribus mixta in loculo jacuiſſe ſine figura corporis humani. Scio quidem ſcriptores aliquos eo ſenſu interpretatos eſſe has voces* in cinerem defluxa, *acſi ſcriptum eſſet* redacta in cinerem: *at, me judice, multum ſudabunt; ſi oſtendere voluerint, hanc eſſe mentem auctoris, cùm & obvia & propria vocum ſignificatio alia ſit, & ſequentia verba etiam contrarium innuant.*

D

28 *Sanè* defluere in terram, *non eſt*, mutari in terram; *neque invenire uſpiam potui, voces*, defluere in cinerem, *umquam uſurpatas fuiſſe*, *pro* mutari *aut* redigi in cinerem. *Rectè tamen dicitur*, defluere in terram, in arenam, *imò &* in cinerem, *ſed ea ſignificatione, ut res, quæ defluit, ea defluxione nec terra fiat, nec arena, nec cinis, ſed terræ intelligatur impoſita aut arenæ aut cineri. Sic oſſa, quando carnes in cinerem redactæ ſunt, in cinerem illum neceſſariò defluunt, ſimulac corporis compago ſolvitur. Hoc ipſum voluiſſe Paulum Diaconum, oſtendunt ſequentia verba:* Solum etenim ſingulariter Dominicum corpus non vidit corruptionem. Ceterùm omnium Sanctorum corpora, in æternam poſtea gloriam reparanda, corruptioni ſubjecta ſunt; his exceptis, quæ ob divina miracula ſine labe ſervantur. *Primò his verbis comparat corruptionem corporis S. Benedicti cum corruptione corporum aliorum Sanctorum; at corpora aliorum Sanctorum non ſolent ita corrumpi, ut omnia prorſus etiam oſſa in cinerem abeant. Secundò conſolatur Caſſinates de corruptione, quòd ea communis ſit omnibus Sanctis, paucis exceptis; at illa conſolatio frivola eſt, ſi agnoſtat oſſa omnia, quæ minùs obnoxia ſunt corruptioni, aliò delata fuiſſe: nam ei facilè regeri poſſet, corrumpi quidem paſſim corpora Sanctorum; ſed oſſa ſervari, & maximo in pretio haberi. Itaque nec hîc ſignificare voluit ſolos cineres Caſini relictos; & ſuprà, ubi dixit* oſſa *ablata eſſe, non* omnia, *ſed* aliqua *ablata voluit, alia verò cum cineribus in ſepulcro relicta.*

E

29 *Hæc expoſitio confirmari poteſt primò, quia ſcriptor attribuit Caſſinatibus* os illud venerabile *S. Benedicti. Atqui os hominis non ſolùm conſtat partibus carneis, ſed etiam oſſeis. Certè dentes ſunt pars oris, uti & oſſa palati: non igitur ſolas partes carneas attribuit Caſſinatibus. Per* os *verò &* oculos *totam calvariam, cavis oculorum & oris conſtantem, rectiùs intelligi, jam monui: dicit enim* certum eſt, *illa remanſiſſe. At, ſi cranium erat ablatum, non poterat certò dicere, omnem pulverem, ex oris & oculorum reſolutione ortum, fuiſſe relictum in ſepulcro, cùm facilè pars aliqua ſimul auferri potuiſſet. Non itaque de pulvere loquitur auctor, ſed de cranio. Secundò modus, quo oſſa ablata narrat Paulus, facit, ut veriſimile non ſit, omnia duorum corporum oſſa ablata eſſe: nam ea abſtulerunt,* dum apud venerabile corpus pernoctare ſe ſimulaſſent. *Furtim ergo illa nocte aperiendum erat ſepulcrum, & res citò ac cautiſſimè peragenda. Cavendum quàm maximè erat, ne plura auferrent, quàm occultare poterant, ut mane ſine ſuſpicione cuſtodum diſcederent, ſpoliaque ſua ſecum auferrent. Ipſe Adalbertus*

F

certè Paulus Diaconus oſſa ablata affirmat;

at non videtur affirmare omnia ablata eſſe,

& ſolum Caſini relictum cinerem;

ſed aliqua ablata; alia verò Caſini remanſiſſe;

A *bertus in Hiſtoria tranſlationis apud nos num. 6 ait :* Theſaurum inventum unius ſportellæ concluſit ſinu. *Veriſimile autem non eſt, omnia oſſa duorum corporum uni ſportellæ incluſa fuiſſe.*

cùm duobus locis corpus Caſino attribuat :

30 *Tertiò Paulus Diaconus* corpus *S. Benedicti attribuit Caſino lib. 1 cap. 26 his verbis :* Denique cùm divina admonitione à Sublacu in hunc, ubi requieſcit, locum ... adventaret *&c. Rurſum lib. 6 cap. 40 :* Circa hæc tempora Petronax ... Caſſinum caſtrum petiit, atque ad ſacrum corpus beati patris Benedicti perveniens *&c. Quod autem reſpondent aliqui, eum de ſolis cineribus, aut etiam de vacuo loculo, ſic fuiſſe locutum, mihi non ſatisfacit ; præſertim quia melioribus fundamentis nititur Caſinenſium cauſa, quàm ut explicatione tam aliena uti hîc oporteat. Ex his omnibus igitur concludere liceat, Pauli Diaconi auctoritatem, quam utraque pars litigantium ſibi favere contendit, ad nihil magis valere, quàm ut amica compoſitione pars utraque agnoſcat, oſſa diviſa eſſe, & partim in Italia ſervari, partim in Gallia.*

B *nec ullus eſt auctor antiquus, qui ſic commodè explicari nequeat.*

31 *Hæc conjectura de oſſibus SS. Benedicti & Scholaſticæ partim in Galliam delatis, partim Caſini relictis, tanto mihi veriſimilior apparet, quanto commodiùs ſic explicari poſſunt antiqui ſcriptores, qui pro alterutra parte allegantur. Adducunt Galli Adalbertum, Adrevaldum, Adelerium, Aimoinum & S. Odonem, ſcriptores Floriacenſes : addunt anonymum Ratisbonenſem, Wandelbertum, Adonem, Uſuardum, Rabanum, Notkerum, Reginonem, pluresque alios, qui aiunt corpus S. Benedicti tranſlatum. Durum eſſet, hoſce omnes erroris velle convincere, præſertim cùm feſtivitas tranſlationis ſolemniter ſit celebrata. Itali contrà opponunt ſcriptores minimè contemnendos, Leonem Oſtienſem, Petrum Diaconum, Oderiſium Cardinalem, S. Bertharium abbatem, alioſque plures ; nec non iteratas oſſium inſpectiones. Si quis modò contendere vellet alterius eſſe corpus, quod Caſini ſervatur pro corpore S. Benedicti ; is oſtendere deberet, Gallos illos, qui oſſa tranſtulerunt, tali errori minùs fuiſſe obnoxios, quàm ſint Caſinenſes ipſi. Malim ego credere, neutros hac in re errâſſe, ſed utroſque ſibi præ aliis corpus attribuiſſe, quòd magnam illius partem poſſiderent ; quódque loquerentur more in hiſce uſitatiſſimo, nimirum* corpus *nominando, notabilem illam corporis partem, quam habebant. Sanè nullus ex relatis ſcriptoribus Gallis oſſa tranſlata enumerat ; nullus aſſerit ab anatomicis inſpecta eſſe, totumque corpus inventum. Itali verò jam ultrò fatentur, non ſervari apud ſe totum corpus. Nihil igitur ex hiſce concludere poſſum, quòd æquius ſit & veriſimilius, quàm utroque loco ſervari partem ; & vera eſſe miracula, quæ utroque loco facta leguntur patrocinio S. Benedicti.*

C *Cùm tranſlationem Galli plerique referant ad regnum Clodovei II,*

32 *Supereſt examinandum tertium dubium, videlicet an prædicta tranſlatio attribuenda ſit* S. Aigulpho, *cui eam adſcribunt Adalbertus, Adrevaldus, Aimoinus, aliique ſcriptores Floriacenſes, & paſſim omnes neoterici, qui tranſlationem affirmant. Ætas* S. Aigulphi, *ut jam monui, & ſilentium antiquiorum dubitationem illam ingerunt. Mabillonius in Actis ſeculo 2 pag. 349 de tempore tranſlationis diſſerit, obſervatiſque quorumdam opinionibus, ſuam probare ſic aggreditur :* In primis occurrit Vitæ Caroli Magni veterrimus ſcriptor apud Pithæum : „ Poſt Dagobertum regnavit Chlodoveus filius „ ejus :.. à quo tempore S. Benedicti corpus „ tranſlatum eſt de Benevento in Franciam in vil- „ la Floriaco „. Conſentit deſcriptor miraculorum S. Genulphi ... iiſdem ferè verbis : „ Poſt „ Dagobertum filius ejus Chlodoveus regnavit, „ cujus tempore corpus S. Benedicti de Benevento in Gallias tranſlatum eſt „. Et Martyrologium Floriacenſe à Sauſſeyo laudatum : „ Anno „ Domini DCLX ſub Chlodovæo filio Dagoberti „ tranſlatum eſt corpus S. Benedicti abbatis à „ monte Caſſino ad monaſterium Floriacenſe „ per Aigulfum monachum „. Denique Chronicon S. Maxentii ſeu Malleacenſe, à Philippo Labbeo tom. 2 Biblioth. novæ editum, tranſlationem ſæpiùs dictam Chlodovei ſecundi tempore collocat. Quibus omnibus Adrevaldus in libro Mirac. cap. x & xi, & Aimoinus in Carmine de Tranſlatione, aliique adſtipulantur. Nec multùm recedit Clarius in Chronico ſancti Petri Vivi, id ſub Papa Vitaliano, qui anno DCLVI ſedere cœpit, factum referens. Certum itaque videtur, tranſlationem illam Chlodoveo Dagoberti filio regnante contigiſſe, non quidem prioribus regni ejus annis, quibus Floriacenſis monaſterii jacta ſunt fundamenta, ... ſed poſterioribus. *Hactenus Mabillonius, ſubdens illigandam tranſlationem anno 653 ex ſententia Hadriani Valeſii, qui mortem Chlodovei affigit anno 654. Pagius in Critica ad annum 664 num. 18 & 19 non multum recedit ab hac opinione Mabillonii ; ſed cùm mortem Chlodovei II referat ad annum 656, mavult annum 654 aut alterum è duobus ſequentibus tranſlationi aſſignare.* E

ſub quo non ea erat ætate Aigulphus,

33 *Jam verò ſi huic epochæ inhærere velimus, non erit admodùm veriſimile,* S. Aigulphum *fuiſſe electum ad oſſa prædicta transferenda. Quippe Sanctus eo tempore videtur fuiſſe natus annos tantùm viginti & quatuor circitèr, aut certè necdum fuiſſe annorum triginta, cùm annum ipſius natalem fixerimus circa 630. Deinde non poterat* Aigulphus *eo tempore multùm eſſe probatus in diſciplina monaſtica : nam ingreſſum illius ſuprà fiximus circa annum 650, quod cum anno natali ſatis congruit. An igitur credemus Juvenem viginti trium aut quatuor annorum, qui non niſi tres aut quatuor annos in monaſterio exegerat, miſſum fuiſſe in Italiam tantæ expeditionis ducem ? Laudatus Pagius num. 19 facilè quidem id crediturus fuiſſe videtur : nam conſtructionem monaſterii Floriacenſis collocat anno 649, primi abbatis Rigomari mortem anno 655,* poſt quinquennalem ſcilicet adminiſtrationem. *Addit* dein Mummolum abbatem renuntiatum eſſe, & Aigulphum monachum ad aſportanda corpora SS. Benedicti & Scholaſticæ in Italiam miſiſſe. Quæ omnia, *inquit*, mirè inter ſe, & cum hujus tranſlationis hiſtoria congruunt. *Itaque, ſi Pagio credimus, Mummolus eodem anno abbas factus eſt, eodem* Aigulphum *in Ordinem admiſit, atque hunc Tironem eodem anno in Italiam ablegavit. Verùm adeo numeris ſuis hîc intentus fuiſſe videtur Pagius, ut nihil rectæ rationi tribuerit. Quid enim rectæ rationi ſanoque judicio minùs conſonum, quàm Tirunculum ablegare in Italiam ad opus tam arduum ?* F

ut tranſlatio ei certò poſſit attribui, ſilentibus antiquioribus,

34 *Sanè Adrevaldus in Vita ſecundo loco edenda præmittit multa de exercitatione monaſtica* Aigulphi, *priuſquam aſſerat, eum fuiſſe ablegatum Caſinum. Quapropter non modò Pagii calculus prorſus mihi videtur improbabilis : ſed ne*

AUCTORE J. S.

ne satis quidem verisimilis mihi apparet missio Aigulphi, *etiamsi credere velimus, ad quadriennium aut quinquennium monastică vitâ priùs exercitatum fuisse: & ab ætate triginta annorum non longè abfuisse. Hæc ratio ab ætate* S. Aigulphi *petita tanto magis me reddit ambiguum, quanto minùs comprehendere possum, cur plurimi scriptores, qui translationem asseruerunt, non nominaverint* Aigulphum, *virum utique & dignitate abbatiali & martyrio præstantissimum. Asseruerunt in Martyrologiis suis translationem S. Benedicti Wandelbertus, Ado, Usuardus, Rabanus, Notkerus: at nullus eorum* Aigulphum *affirmavit auctorem: nec dici potest, id contigisse brevitatis gratiâ, quia ne memoriam quidem* S. Aigulphi *ullus eorum annuntiavit. Quin imò, teste Mabillonio in Annotatis ad Vitam,* S. Aigulfi memoria in duobus veterrimis Martyrologiis cœnobii Floriacensis non consignatur primaria manu, sed recentiori.

35 *Præterea, uti omnia illa antiqua Martyrologia* S. Aigulphum *præterierunt, etsi translationem S. Benedicti contineant, sic Vita prima ne verbum quidem habet de translatione, quæ, ut factum notabile, nec ignorari debebat nec omitti à biographo. Accedit silentium scriptorum omnium* primúmque id post ducentos annos affirmante Adalberto: B *seculi* VII *post medium, & totius seculi* VIII, *imò & medii seculi* IX, *cùm nullus ante Adalbertum translationem attribuerit* S. Aigulpho. *Demum tota illa translationis Historia, prout ab Adalberto aliisque Floriacensibus relata est, tam parùm congruit cum scriptis eâ de re à Paulo diacono, licèt Adrevaldus apud Mabillonium pag.* 371 *Pauli auctoritatem citet, ut vel Adalbertus vel Paulus in variis erraverit. Ut autem existimem, errasse potiùs Adalbertum quàm Paulum, faciunt multa, quæ in ipsius Historia modo parùm verisimili relata sunt. De ipso* Aigulpho *non rectè sic habet:* Namque cùm bonis polleret operibus, & in monasterio Lirinensi ob bonorum studium operum peteretur aliquantisper exempli gratiâ remorari, à contrariis religioni divinæ insidias perpessus, ad palmam martyrii usque pervenit. *At* Aigulphus *non erat rogatus* aliquantisper exempli gratiâ remorari *Lerini sed abbas cœnobio erat præfectus. Hæc omnia dubitare me cogunt, an sufficienti fundamento nixus fuerit Adalbertus, quando translationis auctorem fecit* S. Aigulphum.

C *Ut Paulus Diaconus referat translationem ad id tempus,*

36 *Porrò si quis malit translationem illam seriùs collocare cum Paulo Diacono, qui eam memorat circa tempora Gisulphi ducis Beneventani; jam defunctus fuerit* Aigulphus, *antequam translata sunt S. Benedicti ossa. Gisulphus enim circa annum* 690 *principatum adeptus est, uti observatur in annotatis ad Paulum, eumque septemdecim annis tenuit, quemadmodum Paulus ipse scribit lib.* 6 *cap.* 2. *Collocanda igitur est translatio ex mente Pauli Diaconi inter annum* 690 *&* 707; *quo tempore jam defunctus erat* Aigulphus. *Cointius nec Floriacensium opinionem secutus est, nec Paulum Diaconum, sed translationem refert ad annum* 673. *Hæc epocha cum ætate* Aigulphi *rectè cohæret; sed auctoritate antiquorum prorsus est destituta. Nititur quidem Cointius num.* 51 *Paulum Diaconum, quem meritò ceteris præfert, suo calculo conciliare, primò quia dixit* circa hæc tempora, *quod vagum est atque indeterminatum: secundò quia, ubi cap.* 2 *narraverat translationem, cap.* 4 *refert synodum adversus Monothelitas Constantinopoli habitam circa annum* 680.

37 *Verùm, etsi vagum tempus assignet Paulus, non tamen videtur retrahi posse usque ad annum* 673, *si laudato auctori velimus inhærere. Secunda observatio minùs ad rem facit: nam cap.* 4 *Paulus redit ad anteriora tempora, incipitque narrare quædam extra Italiam gesta, uti prima istius capitis verba statim innuunt:* Dum hæc in Italia geruntur, hæresis apud Constantinopolim orta est *&c. Itaque cùm neque epocha Pauli Diaconi, quæ forsan est verior, satis congruat cum ætate* Aigulphi, *fateor me non parùm dubitare, an translatio eidem vere sit attributa. Omnem tamen dubitationem lubens deponam, si quis monumenta solidiora attulerit & antiquiora, quam hactenus fuerunt prolata, ad translationem* S. Aigulpho *vindicandam.* D *quo jàm mortuus erat Aigulphus: res videtur dubia.*

§ IV. An Sanctus fuerit abbas S. Aniani? de tempore, quo factus est abbas Lerinensis: an Arlucense virginum cœnobium instaurârit, eique abbatissam præfecerit Angarismam-

E

Vincentius Barralis in Vita S. Aigulphi, *prætermissa translatione S. Benedicti, de qua egimus, de* S. Aigulpho *in disciplina monastica jam exercitato hæc scribit:* Volens autem Dominus lucernam non sub modo, sed super candelabrum poni, dedit fidelem Servum super familiam suam, ut tribueret ei in tempore tritici mensuram. Nam monachi sancti Aniani civitatis Aureliæ odore vitæ ejus affecti ad eum venerunt, postulantes ut super eos pastoris officio per aliquot dies fungi dignaretur: quorum petitioni haud acquiescens, victus tandem obedientiâ & charitate assensum præbuit. Qui suscepti agens curam regiminis, fratres suos ad promerenda æternæ vitæ gaudia monitis & disciplinis animabat regularibus. Tanta etiam in pauperes affluebat largitate, quòd cùm tantam * ferme illam provinciam valida fames aggressa esset, plurimique hac calamitate deperirent, omnibus ecclesiæ thesauris, rebus quoque monasterii in opere tam pio jam expensis, à quotidiana fratrum alimonia (licèt permodica) vix abstinebat. Cujus munificentia cùm ad regis Clodovei aures perveniisset, ne ipse tantæ auxilium præstaret calamitati, aurum & argentum, quibus rex Dagobertus pater ejus ecclesiam sancti Dionysii martyris prope parisios honorificè decoraverat, ablatum unà cum muneribus regiis Viro Dei largitus est, dicens: Accipe, quæ tibi offero, Pater sancte, ne * indigentibus, sicut meliùs noveris, valeas subministrare. Multi quoque viri curiales hoc pietatis exemplo permoti plurima impertiti sunt. *Hactenus Barralis, qui ait se Vitam composuisse* ex variis manuscriptis perantiquisque codicibus. *Barralis asserit Aigulphum fuisse abbatem S. Aniani,* * totam * ut F

39 *Verumtamen existimo hanc* S. Aigulphi *præfecturam ab eo inventam non esse in codicibus antiquis; sed ex fallaci conjectura deductam, omniaque mox recitata ad* S. Aigulphum *non pertinere. Certè Barralis pro facto Clodovei regis ad marginem citat Aimoinum lib.* 4 *cap.* 41, *ubi revera Aimoinus simile factum narrat de Clodoveo. Verùm rex ille non dicitur argentum illud dedisse* Aigulpho *abbati S. Aniani, sed Aigulpho* S. Dio- *sed id ex fallaci conjectura & confusione duorum videtur dixisse.*

A *S. Dionyſii abbati, qui eodem vivebat tempore. Itaque cùm* S. Aigulphum *in hoc facto clarè confundat cum Aigulpho S. Dionyſii abbate, vehementer ſuſpicor totam illam præfecturam S. Aniani non alio niti fundamento, quàm quòd memoratum argentum Aigulpho abbati à Clodoveo datum legeret, cúmque non alium noſſet iſtius temporis Aigulphum, quàm Lerinenſem, facilè crediderit hunc fuiſſe abbatem in Francia, & quidem S. Aniani, in cujus abbatum catalogo ingens poſt Leudebodum eſt hiatus. At ætas* S. Aigulphi *non favet huic præfecturæ, maximè ſub Clodoveo II, & utraque Vita edenda altùm de illa dignitate abbatiali ſiluit. Omnino igitur exiſtimo* S. Aigulphum *ex monaſterio Floriacenſi ad præfecturam Lerinenſem fuiſſe promotum; non verò ex abbate S. Aniani factum abbatem Lerinenſem.*

Annus promoti Aigulphi ad abbatiam Lerinenſem incertus,

40 *Porrò uti certum eſt, abbatiæ Lerinenſi præfuiſſe* Aigulphum, *ita rurſus obſcurum eſt, quo circitèr anno ad dignitatem illam ſit evectus, quantoque tempore eamdem abbatiam adminiſtraverit, ac demum quo anno fuerit martyrio coronatus. Si audire lubet Adrevaldum, omnia*

B *hæc contigerunt ſub Clodoveo II, cujus obitus nunc communiùs notatur anno 656. Sed id prorſus improbabile apparet, quia ſic vix egiſſet viginti & quinque annos, quando electus eſt ad reformandos mores in celeberrima abbatia. Mabillonius in Annalibus tom.* 1 *pag.* 463 *initium præfecturæ* S. Aigulphi *refert ad annum* 661. *At quantùm ex ætate* Aigulphi *conjici poteſt (nam certam non invenio temporis notam) præfectura illa ſeriùs collocanda. Cointius dignitati abbatiali admotum vult anno* 675, *quod ſatis congruit cum ſtatuta à nobis ætatis epocha: ſic enim agebat annos quadraginta circitèr & quinque. Attamen nihil obſtat, quominus potuerit aliquot annis citiùs, aut ſeriùs Lerinenſis abbatiæ adminiſtrationem ordiri; nec ullam hactenus rationem allatam vidi, cur minùs potuerit anno* 670 *Lerinum proficiſci, quàm anno* 675. *Quare Pagius ad annum* 664 *rectè dicit,* S. Aigulphum *in abbatem Lerinenſem poſtulatum eſſe* incerto anno, *ſic tamen ut conjicere poſſimus ex antecedentibus de ipſius ætate, id factum non eſſe diu ante annum* 670, *& ex dicendis de morte ipſius etiam fiat veriſimile, non differendum ſaltem uſque ad annum* 680.

C *æquè incertum, quamdiu præfuerit. Quod ſcripſit Barralis de inſtaurato*

41 *Quamdiu Sanctus abbatiam adminiſtrârit, nullibi exprimitur. At ſuſpicor eum ad annos aliquot abbatiæ præfuiſſe, cùm non modò mores monachorum reformâſſe legatur, ſed diſperſos etiam collegiſſe & multos reſtoreſcenti monaſticæ diſciplinæ aggregâſſe. Nihil autem occurrit, quod cogat nos dicere, hæc intra annum unum alterumve fuiſſe peracta. Ipſa quoque machinatio rebellium monachorum ſatis diuturni fuiſſe videtur moliminis, nec tam citò, quàm aliqui videntur ſibi perſuadere, ad ſupremum malitiæ culmen perducta. Porrò inter geſta Lerini Vincentius Barralis de* S. Aigulpho *refert ſequentia:* Etiam virgines æmulari cupientes, (*vitam nimirum monachorum Lerinenſium*) ſanctum Virum toto cordis affectu deprecaturæ convenerunt, ut eis monaſterium, in quo illabatam ſervare, quam cæleſti Sponſo devoverant, virginitatem poſſent, deputare (*vellet.*) Quorum devotioni annuens beatus Aygulphus, cœnobium in loco, qui Arlucus dicitur, conſtruxit ſeu reparavit. Propoſuitque eis ſanctimonialem virginem, nomine Angariſmam, Bleſenſem, quam cum aliis virginibus à Galliis venire juſſerat. *Unde hujuſce monaſterii inſtaurationem acceperit Barralis, non ſatis liquet, cùm neutra Vita quidquam de illa memoret. Adrevaldus quidem in Vita ſecunda num.* 30 *hæc habet:* Præterea hujus nuntii (*de* Aigulphi *morte*) participem faciunt quamdam abbatiſſam, Angariſmam nomine, quæ in vicino monaſterio ſororibus præerat ſanctimonialibus, à ſancto Viro à primæva ætate tam in Scripturis ſanctis quàm monaſterialibus imbuta doctrinis. *At illa ibidem mox dicitur præfuiſſe monaſterio,* cujus eſt vocabulum ORATORIUM: *hoc autem monaſterium Bellovacenſe eſt, non Lerinenſe, uti obſervat Mabillonius in Annotatis ad Acta. Præterea non dicit Adrevaldus, monaſterium iſtud inſtauratum eſſe ab* Aigulpho; *nec aſſerit, Angariſmam abbatiſſam patriâ fuiſſe Bleſenſem. Quapropter tota rurſum illa relatio Barralis mihi admodùm fit ſuſpecta; nec ipſis Adrevaldi dictis ſatis confido.* AUCTORE J. S.

monaſterio Arlucenſi, eique præfecta Angariſma abbatiſſa,

42 *Audi Mabillonium ipſum loco aſſignato de hiſce dubitantem ob lapſum Adrevaldi:* Oratorium monaſterium, *inquit,* in Provincia nullum umquam fuit, ſed in Gallia Belgica prope civitatem Bellovacorum, Oroër vulgò appellatum, cui præfuit S. Andragiſma virgo nobilis, quæ Provinciam inſulamve Lerinum neutiquam incoluiſſe dicitur in propriis Actis, ſub finem ſeculi iſtius Benedictini referendis. (*Conſule paginam* 1063, *ubi pro Actis brevem collectionem de S. Andragiſma dedit.*) Si qua fides eſt Actis S. Aigulphi à Vincentio Barrali interpolatis, Aigulfus cœnobium in loco, qui Arlucus dicitur, conſtruxit ſeu reparavit . . . præpoſuitque Angariſmam Bleſenſem. . . Angariſma proinde diſtinguenda eſſet ab Angadriſma, quæ origine Tarvennenſis fuit. *At dubitationem deinde depoſuiſſe videtur: nam tom.* 1 *Annalium pag.* 15 *de Arlucenſi cœnobio, ſub initium ſeculi* VI *condito, ſic habet:* Hoc cœnobium ſanctus Aigulfus abbas ſeculo ſexto (*lege* ſeptimo) inſtauravit, eidemque Angadriſmam abbatiſſam præpoſuit. *Rurſum pag.* 530 *iiſdem veſtigiis inſiſtit, & Adrevaldum à Vincentio Barrali correctum ait. Verumtamen vehementer dubito, an prædicta Barralis aſſertio plus fidei mereatur, quàm modò refutata ipſius opinio de præfectura cœnobii S. Aniani ab* Aigulpho *adminiſtrata.*

E

F *ex errore Adrevaldi, & conjecturis malè fundatis, videtur aſſertum.*

43 *Certè, ſi dicta Vincentii Barralis diligenter conferamus cum aſſertis Adrevaldi, haud difficulter videbimus, non alia eum habuiſſe fundamenta ad corrigendum errorem Adrevaldi, quàm conjecturas incertas; ideoque manebit dubium, an mutatus non ſit Adrevaldi error per alium errorem Vincentii Barralis. Vidit hic ſcriptor cœnobium nullum fuiſſe in inſula Lerinenſi, quod* Oratorium *diceretur: hac de cauſa* Arlucum *ſubſtituit. At non videtur noviſſe, eodem tempore monaſterio Bellovacenſi, quod* Oratorium *vocabatur, præfuiſſe abbatiſſam* Andragiſmam, *atque hanc ipſam non minùs per errorem deſignari potuiſſe ab Adrevaldo, quàm mendosè aſſignaverat monaſterium* Oratorium. *Sanè, cùm conſtet Andragiſmam fuiſſe illo tempore Oratorii abbatiſſam, vehemens eſt ſuſpicio, æquè erratum eſſe in abbatiſſa, quàm in monaſterio; omniaque, quæ de Angariſma narravit hallucinans Adrevaldus, eumque ex conjecturis corrigere tentans Barralis, vehementer mihi ſunt ſuſpecta, præſertim cùm Vita prima de iis ne vel minimum verbum habeat; cúmque Angariſma illa Arlucenſis abbatiſſa nullo alio monumento ha-*

AUCTORE J. S. *haclenus innotuerit. Patriâ* Bleſenſem *facit Barralis non alia, opinor, de cauſa, quàm quòd ab Adrevaldo dicatur per* S. Aigulphum à primæva ætate tam in Scripturis ſanctis quàm monaſterialibus imbuta doctrinis. *Hinc enim facilè concluſiſſe videtur Barralis, eadem cum* Aigulpho *civitate natam fuiſſe. Quapropter nec Angariſmam inter abbatiſſas Arlucenſes recenſere auſim; nec aſſerere cœnobium Arlucenſe inſtauratum eſſe à* S. Aigulpho, *donec certioribus monumentis facta illa probentur.*

§ V. Conſpiratio pſeudo-monachorum contra ſanctum Abbatem elucidatur: tempus & locus martyrii, uti & numerus Sociorum inveſtigatur.

B *Conſpiratio contra Sanctum orta per duos monachos,*

POſtquàm S. Aigulphus *monaſticam diſciplinam in cœnobio Lerinenſi reſtituerat, graviſſima rebellium quorumdam erupit conſpiratio, quâ ſanctus Abbas ad coronam martyrii tandem fuit deductus. Capita hujuſce conſpirationis fuerunt duo monachi, Arcadius & Columbus, quibus meritò applices illud S. Auguſtini ſcribentis ad Hipponenſes:* Quomodo difficile ſum expertus meliores, quàm qui in monaſteriis profecerunt; ita non ſum expertus pejores, quàm qui in monaſteriis ceciderunt. *Si credimus Adrevaldo, Arcadius monaſterium apoſtata deſeruit, cúmque deinde redire vellet pœnitentiam ſimulans, ab* Aigulpho *non fuit admiſſus: at Vita prima id non habet. Utraque verò congruit in eo, quòd ſuavibus* S. Aigulphi *monitis conſpiratio per annum integrum ſopita manſerit, donec tandem vehementiùs erumperet, poſtquam rebelles in partes ſuas traxerant Mummolum quemdam, à quo militum manipulum obtinuerunt, ad ſanctum Abbatem ipſique adhærentes violenter opprimendos.*

C *qui Mummolum quemdam, veriſimiliter epiſcopum Ucetienſem,*

45 *Non eſt omnino clarum, quis ſit ille Mummolus, qui rebellibus monachis ſubſidium ferre voluit. In Vita prima num.* 14 *militum manus data dicitur* à peſſimo Mummolo Uſeziæ civitatis principe. *Adrevaldus in Ms. noſtro num.* 16 *de Arcadio ſic loquitur:* Ad quemdam ſe contulit Niceriæ civitatis principem, nomine Mummolum: *narratque deinde Mummolum ipſum, ſpe pecuniarum allectum, cum militibus ſuis Lerinum veniſſe. In Ms. hujus Vitæ compendio, num.* 7 *memorato, legitur:* Ad quemdam ſe contulit Uzeiæ civitatis principem, nomine Mummolum. *Mabillonius edidit,* Vicetiæ civitatis principem, nomine Mummolum: *& in Annotatis ait:* Lege " Ucetiæ civitatis princi- „ pem „ *monens tamen in Ms. Herovallii non legi* Vicetiæ, *ſed* Nicetiæ *aut* Niceæ. *Jam verò Mummolum hunc non fuiſſe principem aliquem ſecularem, ſed epiſcopum Ucetienſem ſuſpicatur Mabillonius, hæc notans:* Lege, Ucetiæ civitatis principem, id eſt epiſcopum; ſic enim non rarò epiſcopos appellant. In Vita S. Amandi cap. XXIII ad annum DCLXXIX dicitur Mummulus Ozidinſis, id eſt, Uticenſis epiſcopus, S. Amando necem molitus eſſe. Quæ hominis ſævitia, ſicut & ætas, ſatis præſenti facto reſpondet: tametſi Lerinus inſula non parùm diſtat ab Ucetia civitate Galliæ Narbonenſis. Sanè in apographo V. C. D. Herovallii pro Vicetiæ legitur NICETIÆ, ſeu Niceæ, quæ urbs Lerino vicinior eſt. *Subdubitat quidem Mabillonius. attamen priorem opinionem de Mummolo epiſcopo Ucetienſi prætulit, cùm illam, æquè tamen dubitanter, inſeruerit Annalibus ſuis tom.* 1 *pag.* 463. D

in partes ſuas traxerunt.

46 *Favet huic ſententiæ prima Vita, in qua, ut dixi, legitur,* Uſeziæ civitatis, *quod difficulter de ulla alia urbe exponi poteſt, quàm de* Ucetia *vel* Ucecia, *Gallis* Uzes *vel* Uſez *dicta. Item aliò vix trahi poteſt, quod in compendio eſt,* Uzeiæ civitatis. *Nec diſtantia hujus civitatis tanta eſt ab inſula Lerino, ut rei tollat veriſimilitudinem, præſertim cùm illius territorium Rhodano adjaceat, ita ut ex pago Ucetienſi facilè Lerinum navigari poſſet. Itaque lubens ſubſcribo ſententiæ Mabillonii, cùm ætas Mummoli Ucetienſis, & mores efficiant, ut aliam urbem quærere non debeamus, quàm* Uſeziam *aut* Uzeiam, *id eſt, Ucetiam. Nicæa quidem propinquior eſt; at illa non dicitur* Nicetia; *& in uno ſolùm apographo* Nicetia *legitur: nullus quoque ibi notus eſt Mummolus.* E

Comprehenſio Sanctorum non rectè narrata in Vita ſecunda:

47 *Adrevaldus martyrium* S. Aigulphi *& Sociorum multis oneravit magis quàm ornavit adjunctis, quæ parùm ſunt veriſimilia, uti in annotatis oſtendam. Hic verò ſolùm præcipua diſcutiam. Comprehenſionem Sanctorum ita narrat primus biographus num.* 14, *ut dubitare nequeamus, quin ſtatim in navim ad id paratam injecti ſint, avectique mutatis veſtibus ad inſulam Capraſiam, ubi aliquo tempore in ergaſtulo ſunt detenti. Quapropter fictitia eſſe ſuſpicor, quæcumque narravit Adrevaldus de carcere ipſorum in inſula Lerino, geſtiſque ibidem poſt comprehenſionem: neque enim veriſimile eſt, apoſtatas monachos, ſicarioſque aliquot eis ſubmiſſos, tantæ fuiſſe audaciæ, ut ſanctum Abbatem, qui haud dubiè multos ſibi faventes habebat tam in monaſterio quàm extra monaſterium in inſula, ſuſtinuiſſent ibidem diu in carcere detinere. Malim igitur credere Sanctum cum ſociis aliquot, qui ipſum comitati fuerant ad furorem rebellium leniendum, captata mox ab ipſis occaſione comprehenſum, abductumque ad navim; ſicuti modo planè veriſimili in Vita prima legitur. De tempeſtate quoque, quam fusè deſcribit Adrevaldus, nihil in Vita prima narratur; ita ut hæc veriſimiliter etiam deleri poſſit & debeat.* F

Capraſia inſula, ad quam Sancti ſunt avecti,

48 *Quænam porrò ſit inſula* Capraſia, *in quam* S. Aigulphus *abductus fuit, nullibi ſatis expoſitum inveni. Nihil de ea inſula dicit Mabillonius, neque in Actis neque in Annalibus, niſi ex Adrevaldo, quem tranſcribit tom.* 1 *Annalium pag.* 463 *&* 464. *Longuevallius in Hiſtoria eccleſiæ Gallicanæ tom.* 4 *pag.* 88 *in annotatis hanc dat conjecturam:* Creditur inſula, quæ ab antiquis nominabatur CAPRARIA, eſſe una ex inſulis Canariis, dicta PALMA, ubi revera mons eſt, qui vocatur MONS CAPRARIUS. *Non modò mons, ſed ipſa etiam inſula Palma, creditur* Capraria *fuiſſe nominata ab antiquis. Verùm non tam longè in mari Atlantico quærenda eſt* Capraſia, *aut* Capraria *inſula, ad quam Lerino avectus eſt* S. Aigulphus *cum ſociis; cùm aliæ magis vicinæ reperiantur ejuſdem nominis in mari Mediterraneo. Bailletus ad* III *Septembris in* Aigulpho *aſſignat Caprariam viciniorem, vulgo* Cabrera *dictam, quæ eſt prope Majoricam,*

in

A *in Auſtrum. At nec hanc rectè aſſignatam exiſtimo ob rationes infrà dandas.*

ſita eſt inter Corſicam & Etruriam,

49 *Philippus Cluverius Italiæ antiquæ lib. 2 pag. 505 de Capraſia aut Capraria, quam quærimus, ſic habet:* Ultra Ilvam, Oglasâ & Planaſiâ (*inſulis, de quibus egerat*) amplior, ut inquit Plinius; CAPRARIA inſula, vulgò hodieque dicitur CAPRAIA. Græcorum lingua vocabatur Αἰγίλια, Ægila; ſive Αἴγιλον, Ægilum, teſtibus Plinio ac Solino; ſcilicet ἀπὸ τῶν αἰγῶν, id eſt, à magno numero caprarum ſilveſtrium, quæ in ea gignebantur; ut ab eodem argumento ad Lilybæum Siciliæ promontorium tres celeberrimæ inſulæ dictæ fuerunt Αἰγάδες; & una earum, in quibus erant capræ ſilveſtres, teſte Homero Odyſſ. lib. VIII, Αἰγῦσα, Æguſa; ut Siciliæ lib. II cap. XV à nobis docetur. M. Varro Ruſticar. rer. lib. II cap. III: " Capræ, quas „ alimus, à capris feris ſunt ortæ; à queis pro„ pter Italiam CAPRASIA inſula eſt nominata „. Noſtra hæc inter Corſicam Italiamque Capraſia ſive Capraria, præter ſuprà dictos ſcriptores, Melam, Plinium, Solinum, ac Martianum Ca-

B pellam, Rutilio quoque memoratur in Itinerario. *Notatur paſſim in tabulis geographicis hæc inſula, vulgari nomine* Capraia, *inter Corſicam & Etruriam. Hanc autem eſſe, ad quam ductus eſt* S. Aigulphus *cum Sociis, perſuadet primò non magna hujus diſtantia à Lerino, certè longè minus diſtat quàm aliæ omnes ejuſdem nominis, etiam quàm Hiſpanica Capraria, vulgo* Cabrera *dicta. Corſicæ quoque propinqua eſt noſtra Capraſia, cui vicinam fuiſſe innuit Adrevaldus. Secundò aliæ ſolùm nominantur* Capratiæ; *hæc verò etiam* Capraſia *fuit dicta, prout ſemper nominatur in Vita* S. Aigulphi, *conſentientibus omnibus Mſs.*

multoſque habebat monachos, aut potiùs eremitas:

50 *Tertiò Adrevaldus ait, multos fuiſſe monachos in inſula Capraſia, quando eò vectus eſt* S. Aigulphus: *quod verum eſt de aſſignata modò Capraſiæ, & forſan nulli aliarum congruit. De monachis Capraſiæ dubitare non ſinit Rutilius Claudius Numantianus, homo paganus ſeculi* VI, *qui in Itinerario ſuo metricè ſcripto de ea ſic canit:*

Proceſſu pelagi jam ſe Capraria tollit.
Squalet lucifugis inſula plena viris.
C Ipſi ſe monachos Graio cognomine dicunt,
Quod ſoli nullo vivere teſte volunt.
Munera fortunæ metuunt, dum damna verentur.
Quiſquam ſponte miſer, ne miſer eſſe queat?

Subdit plura homo paganus, ut carpat monachorum inſtitutum, quod ipſi ſanè placere non poterat, cùm ignoraret verum Deum, cujus amore monachi & anachoretæ præſentibus ſe privant ſolatiis, ut fruantur æternis. Dubitari tamen utcumque poteſt, cœnobitaſne deſignet an anachoretas: nam utrique eo tempore dicebantur monachi. *Quin imò verba illa,* Quòd ſoli nullo vivere teſte volunt, *magis congruunt anachoretis ſeu eremitis, quàm cœnobitis ſimul habitantibus. Verſiculus quoque ille, qui mox ſequitur,* Sive ſuas repetunt ex fato ergaſtula pœnas, *magis deſignat eremitas: nam vox* ergaſtula *potiùs congruit cellulis aut tuguriis eremitarum, quàm cœnobio ſimul habitantium monachorum.*

differentia ſcriptorum in narrando, quæ geſta ſunt in illa inſula,

51 *Priùſquam ad hanc inſulam pervenirent Sancti, multa perpeſſi ſunt in navi: lingua enim ipſis præciſa, erutique oculi, uti utraque habet Vita, addens deinde ſine lingua perfectè locutos. Verùm de geſtis in inſula Capraſia bio-*

graphi invicem non conſentiunt. Primus ait, ibidem carceri ſeu ergaſtulo incluſos ad dies aliquot, ibique recreatos apparitione S. Michaelis archangeli; ac tandem in eadem inſula martyrio coronatos. Ex hiſce nihil eſt, quod à veriſimilitudine exorbitat. Adrevaldus verò multa hîc refert, quæ minimè veriſimilia mihi apparent, adeo ut mirer, relationem ipſius à Mabillonio aliiſque ſcriptoribus eruditis fuiſſe adoptatam. Ait num. 25 *appuliſſe ad inſulam Capraſiam, cujus* ſinus retinebat maximum examen monachorum; *ad hos divertiſſe in* Cœna Domini, *ab iiſdem* benigniſſimè atque humaniſſimè *exceptos: deinde in ſolemnitate Paſchali Columbum, diaconi officio fungentem in cœtu illo monachorum, oſculum æquè præbuiſſe* S. Aigulpho *ac aliis monachis: eumdem verò, peracta Paſchali feſtivitate, Epheſum fuiſſe profectum, relictis interim* Aigulpho *ejuſque Sociis in monaſterio inſulæ, donec reverteretur: reverſum Epheſo Columbum abſtraxiſſe monaſterio Sanctos, quos navi ex Africa venienti impoſitos, in inſula alia inter Corſicam & Sardiniam per ſatellites ſuos occidi juſſit. Ita paulo prolixiùs Adrevaldus.*

E

ubi multa Adrevaldus refert proſſus improbabiliter:

52 *In hac autem relatione multa, ut dixi, veriſimilia non ſunt. Primò veriſimile non eſt, Columbum cum* S. Aigulpho *aliiſque Captivis, quibus linguas præcidi curaverat & oculos erui, divertiſſe ad monachos. Secundò incredibile eſt, Sanctos tam crudeliter habitos, eorumque perſecutores cum ipſis,* benigniſſimè atque humaniſſimè *in eodem monaſterio exceptos. Tertiò illud ipſum Capraſiæ monaſterium incertum eſt, cùm monachi illi forſan fuerint eremitæ, ut jam oſtendi. Quartò, quod de ſolemnitatis celebratione, & oſculo Columbi dicitur, planè ridiculum eſt. Quintò nihilo veriſimiliùs confictum eſt iter Columbi Epheſinum. Quis enim credat, Sanctos, qui non poterant ignorare perſecutorem ſuum, cum hoc impio in ſacris myſteriis communicare voluiſſe; aut omnino aſſiſtere potuiſſe Officiis privatos oculis? Rurſum quis ſibi perſuadeat, monachorum tantum numerum, quantus erat in inſula, non cogitaſſe de ſubſidio Sanctis ferendo, ſi innocentes credebant; aut tam humaniter ipſos excepiſſe, ſi quis velit deceptos fuiſſe mendaciis perſecutorum. Hæc ſanè ſibi non ſatis conſonant, & Vita prima de omnibus iſtis nihil memorat, ita ut dubitare vix poſſim, quin prorſus ſint commentitia, fictaque unicè ad hiſtoriam martyrii magis exornandam, & perſecutorum malitiam graphicè magis deſcribendam.*

F

veriſimile quoque non eſt, ab inſula Capraſia ad aliam fuiſſe vectos:

53 *Demum ex hac licentia conjecturandi, ornandique variis adjunctis Sanctorum martyrium, quâ ſatis apertè uſus eſt Adrevaldus, oritur dubitatio de loco, ubi ſupremum agonem conſummarunt Sancti. Prima Vita aſſignat inſulam Capraſiam, ibique & Sanctos peremptos aſſerit, & reliquias inde Lerinum deinde perlatas. Adrevaldus verò narrat, Sanctos rurſum navi impoſitos per Columbum, avectoſque ab inſula Capraſia: deinde in aliam navem ex Africa venientem tranſlatos, miſſoſque ad inſulam neſcio quam, inter Corſicam Sardiniamque ſitam, ut ibidem à ſatellitibus occiderentur: quod & factum affirmat. Inſula hæc in Mſ. noſtro* Amatune, *apud Mabillonium* Amatim; *aliàs quoque* Amaritima, *ac* Amaritina & Amatuna *ſcribitur, ut in Annotatis ad Vitam obſervabo. At illa mihi prorſus incognita eſt; nec advertere potui, cognitam fuiſſe ulli ex ſcriptoribus, qui de hiſce egerunt. Quin vehementer dubito, an ipſe Adrevaldus*

AUCTORE J. S.

AUCTORE J. S.

drevaldus illam cognoverit, etiamsi dicat inter Corsicam & Sardiniam esse sitam; cùm quòd nullam similis nominis insulam apud geographos antiquos aut hodiernos inveniam, tum quòd deductio Sanctorum ad illam insulam modo minimè verisimili sit narrata: ac demum quia dissentit Vita prima, cui plus tribuendum censeo. Itaque probabilius existimo, Sanctos esse passos in insula Caprasia, uti habet prima Vita, nec alò avectos. Quis enim prudenter credat, sicarios istos, quantumvis impios, tam perditæ fuisse audaciæ, ut Sanctos tam crudeliter tractatos quasi in triumphum ad varia loca traducerent, de nave sua in aliam navim transponerent, sic crimina sua pluribus manifestarent? An tantæ erant potentiæ impii apostatæ, ut alterius navis rectorem pro arbitrio suo cogere possent, ad Homines quosdam linguis oculisque orbatos in navi suâ accipiendos, transvehendosque ad insulam quamdam, ut ibi jugularentur? Credere similia poterunt, qui nugas Adrevaldi non habent perspectas, at mihi apparent incredibilia.

B *epocha martyrii statui debet inter annum 675 & 681.*

54 *De tempore martyrii & numero horum Martyrum Vincentius Barralis in fine Vitæ sic loquitur:* Passus est autem beatus Aygulphus abbas & martyr cum triginta & eo amplius Monachis sociis circa annum Domini sexcentesimum sexagesimum, tertio Nonas Septembris, sedente in Sede Petri Pontifice Vitaliano. *Deinde agens de reliquiis pag. 361 triginta tres Socios* S. Aigulpho *attribuit. Alii annum 677 eorumdem martyrio assignant, eumque annum probare nituntur ratione deducta ex iis, quæ de Audoeno episcopo dicit Adrevaldus in Vita secunda num. 16, ubi ostendam in annotatis, frivolam, aut potiùs nullam, eam esse rationem. Itaque, cùm nulla se offerat idonea temporis nota ad annum quempiam certum assignandum, Sanctorum martyrium latè fixi inter annum 675 & 681, quod verisimile sit ex ætate aliisque antè dictis, at non omnino certum. Addi ad confirmationem potest Chronicon Malleacense, editum à Labbeo tom. 2 Bibliothecæ, in quo pag. 193 sub Theodorico rege & Ebroino Majore-domûs* S. Aigulphus martyrio coronatus *dicitur, uti jam advertit Mabillonius in annotatis ad Vitam. Quippe cùm Theodoricus III successerit fratri suo*

C *Childerico in regnum anno 673, & Ebroinus regnum sub ipso administrare cœperit duobus aut tribus annis serius; secundum hanc epocham non potest martyrium* S. Aigulphi *& Sociorum collocari ante annum 675, cui illud affigit Mabillonius. Rursum cum Ebroinus occisus sit anno 681, ut ad eumdem annum probat Pagius num. 27; non potest exactius determinari tempus martyrii, quam si dicamus illud contigisse inter annum 675 & 681. Hoc autem tempore quinquaginta ferè annorum ætatem habere poterat* S. Aigulphus.

non est verisimile Socios 33 cum S. Aigulpho occisos,

55 *Socios triginta tres* S. Aigulpho *non relatos, opinor, attribuit Barralis, quàm designavit tempus martyrii. Certè ex neutra Vita colligi potest, tantum fuisse Martyrum numerum. Prima Vita de illorum comprehensione agit num. 13 & 14: sed incertum ibi relinquitur, quot fuerint comprehensi. Nam primò narratur, fugisse* in ecclesiam beati Joannis Baptistæ *illos*, qui sancto Pastori adhærebant. *Hi autem non videntur comprehensi, tum quia id nullibi dicitur, tum quia sic omnes boni fuissent capti, & soli superfuissent perversi, qui contra Sanctum conspiraverant, aut horum impietatem nusi non fuerant improbare. At id factum non esse, liquet ex gestis post eadem Sanctorum Lirinensibus relictis nuntiatam: nam teste Vita num. 18,* ex templo omnium consurgit planctus amarissimus, *& statim mittuntur aliqui,* ut illorum sacratissima corpora Lerinam deferrent. *Itaque remanserant in monasterio Lerinensi non pauci, qui addicti fuerant* Aigulpho *abbati; atque omnes illi, quantùm existimo, qui fugâ se subduxerant, aut latebras quæsierant, dum sæviebant persecutores.* D

sed probabiliùs tres tantùm habuit martyrii Consortes;

56 *Secundò* supervenientibus atrocissimis pseudo-monachis beatus Aigulphus processit obviàm, illos dulciter alloquens, *uti rursum habet Vita, quæ num. 14 de persecutoribus sic loquitur:* At illi . . . impetum fecerunt in beatum Aigulphum Sociosque suos, *quos statim per milites comprehenderunt, naviquæ imposuerunt. Quinam fuerint illi Socii* B. Aigulphi, *& quot numero, non additur. Verùm ex tota relatione, facilisque posterioribus satis colligitur, fuisse aliquot Monachos, qui, neglecto periculo, cum* S. Aigulpho *obviàm processerant persecutoribus. Hosce autem fuisse quatuor, ex quibus tres cum sancto Abbate fuerunt occisi, quartus verò evasit, non immeritò mihi persuadere possum ex titulo Vitæ primæ, qui talis est in apographo nostro:* Passio beati Aygulphi martyris & abbatis cum tribus Monachis sociis. *Sanè non video, cur hunc titulum improbare debeam, cùm numerus in eo assignatus longè verisimilior sit, quam sit numerus, quem designat Vincentius Barralis, sive ullo antiquorum testimonio, & minùs probabiliter.* E

ex quibus duo à quibusdam nominantur.

57 *Ex hisce autem* S. Aigulphi *Sociis duos tantùm nominatos invenio, & sic quidem, ut res non omnino videatur certa de utroque. Ab Adrevaldo infrà num. 19 unus Martyrum nominatur* Trucharius. *Alterum* S. Aigulphi *Socium assignat Saussayus in Martyrologio Gallicano ad III Septembris, dato brevi Sanctorum horum elogio, sic prosequens:* Nominandus venit inter hos S. Frogentius, cujus corpus ad Floriacense cœnobium delatum, ibidem summo honore asservatur. *Hunc Sanctum annuntiat Ferrarius in Catalogo generali, tamquam socium alterius* Aigulphi *martyris; sed* Aigulphum *unum perperam in duos dividit, aut in tres potiùs: nam semel* Arnulphum *nominat abbatem Lerinensem,* F *qui ab* Aigulpho *nostro non videtur distinctus, & non aliunde ortus, quàm ex nomine* Aigulphi *mendosè scripto, cùm inter abbates Lerinenses nullus reperiatur sanctus Arnulphus.* Aigulphum *verò nostrum agnoscit cum Romano; atque alium superaddit, quia hic à quibusdam Pruvini ob reliquias annuntiatur, ut videbimus, ex diversitate loci diversum inferens Sanctum, uti ipse ait in suis annotatis. At ratio illa prorsus inanis est, nam Pruvini annuntiatur, quia corpus eò translatum; Lerini verò, quia ibidem fuit abbas. Itaque* S. Frogentius, *si socius est* S. Aigulphi, *non est alterius quàm nostri. Carolus Saussayus in Annalibus ecclesiæ Aurelianensis lib. 4 cap. 7 num. 101, recensens reliquias Floriaci servatas, sic habet:* Corpus integrum B. Frogentii martyris, cujus Acta vitæ apud eos habentur. Celebratur unà cum S. Aigulpho & Sociis martyribus die tertia Septembris. *In Fragmento Historiæ Francicæ apud Chesnium tom. 3 pag. 343 in Lothario Ludovici Pii filio de translatione hæc leguntur:* Sed & alter nihilominus ad idem veniens cœnobium (*Floriacense,*) Otto * nomine, & corpus cujusdam san-

* *al.* Atto

A cti martyris Frotgencii ſancto ſecum obtulit Benedicto. *Non quidem hîc aſſeritur*, Frotgencium *fuiſſe ſocium* S. Aigulphi ; *at id ex Floriacenſibus diſcere potuit Sauſſeyus, cujus fidei hæc permitto.*

§ VI. Corporum tranſlationes diſcuſſæ : cultus antiquus, & memoria in Faſtis ſacris.

Corpora Lerinum tranſlata : ſucceſſor S. Aigulphi

C *Orpora* SS. Aigulphi *& Sociorum martyrum ex inſula, in qua occubuerunt, revecta eſſe ad inſulam Lerinenſem, Vita utraque aliique ſcriptores conſentiunt. Ex iiſdem quoque conſtat, eam tranſlationem eſſe factam non diu poſt Sanctorum martyrium, ſimulatque eorum mors per reditum Briconii Lerinenſibus innotuit. Verumtamen alia quædam hîc occurrunt dubia ob diverſitatem relationum. Anonymus in Vita prima num.* 18 *aſſerit, corpora honorificè condita ſua* tumulata *eſſe* à beato Prigonio, ejuſdem Abbatis (*S. Aigulphi*) ſucceſſore ; *ſine ulla mentione conteſtationis cujuſdam aut diviſionis reliquiarum. Adrevaldus verò num.* 30 *inducit Angariſmam abbatiſſam acriter urgentem, ut ſibi tradatur corpus* S. Aigulphi, *monachos autem Lerinenſes illius petitioni refragantes ; ac demum litem ſic compoſitam, ut abbatiſſæ* attributum *ſit* caput *ſancti Abbatis* cum brachio dextero ; *&* reliquum corporis cum reliquiis Sanctorum cæterorum ad monaſterium Lirinenſe ... tranſfertetur humandum. *Aſſerit præterea num.* 29 *in locum* S. Aigulphi *jam alium ſubſtitutum fuiſſe abbatem*, Rigomirum *nomine, quando Lerinum rediit Briconius, ex quo martyrium* Aigulphi *& Sociorum didicerunt Lerinenſes. Itaque, ſi credimus Adrevaldo, Lerinenſes jam alium elegerant abbatem, antequam ſanctum Abbatem ſuum ſcirent defunctum.*

Verisimiliter electus poſt mortem ipſius cognitam :

59 *Si autem utrumque dubium æqua lance expendere velimus, aſſertiones Adrevaldi non modò priori biographo contrariæ, ſed etiam minùs probabiles apparebunt. Primò veriſimile non eſt, Lerinenſes alium elegiſſe abbatem, priuſquam cognoviſſent, quid accidiſſet* S. Aigulpho. *Noverant quidem violenter abductum eſſe : at ignorabant, an non eſſet rediturus. Secundò non videtur tam diu Lerino abfuiſſe Briconius, ut ipſa diuturnitate abſentiæ* S. Aigulphi *ſpem abjicere potuerint ipſum aliquando recipiendi : neque enim tanta eſt inſulæ Capraſiæ à Lerino diſtantia, nec tamdiu detenti ibidem videntur Sancti, ut intra paucas hebdomadas non potuerit Lerinum redire Briconius. Tertiò vehemens poteſt eſſe ſuſpicio, Adrevaldum ex ſolis conjecturis Rigomirum abbatem ſtatuiſſe ſucceſſorem* Aigulphi, *quòd inveniret illum eodem ſeculo Lerinenſibus præfuiſſe. Certè Sammarthani tom.* 4 *Galliæ Chriſtianæ pag.* 562 *Ricomirum, qui idem haud dubiè eſt,* Aigulpho *præponunt his verbis :* Ricomirus adminiſtrabat Lerinenſe aſceterium circiter an. DCL. *Hæ rationes me dubitare cogunt, an verè ſcripſerit Adrevaldus, Rigomirum fuiſſe electum* Aigulphi *ſucceſſorem. Certè exiſtimo magis eſſe probabile,* Aigulphi *ſucceſſorem electum eſſe poſt reditum Briconii. An autem tunc electus ſit Rigomirus, an Prigonius, ut ſucceſſor* Aigulphi *vocatur in prima Vita, deſinire non poſſum. Præplaceret ſanè Prigonius, ſi ille magis eſſet cognitus, quia primæ Vitæ plus tribuendum puto quàm Adrevaldo.* AUCTORE J. S.

non eſt veriſimile corpus S. Aigulphi

60 *Quod ſpectat ad ea, quæ de Angariſma abbatiſſa, datiſque eidem reliquiis aſſeruit Adrevaldus, jam dixi num.* 43 *Angariſmam abbatiſſam Arlucenſem valde mihi eſſe ſuſpectam ; atque ex eo ſequitur, ſuſpecta ſimiliter eſſe, quæ de reliquiis Arlucenſi monaſterio datis narravit Adrevaldus. Vincentius Barralis relationem Adrevaldi omittere noluit ; ſed eamdem pro arbitrio ſuo mutavit & auxit. Ait primò corpora inventa fuiſſe* intacta penitus, ac ſi tunc præſentis vitæ curſum expleviſſent. *Ait ſecundò :* Aderat inter eos monachus, qui, cùm Aygulphius ab impiis in monaſterio torqueretur, brachii ſanitate fuerat deſtitutus. Is ſanctorum Martyrum devotè membra contingens, illico ſanitatem recepit. *Neutra Vita de his quidquam habet. Ait tertiò Barralis, corpora advenisſe Lerinum* ſexta decima Maii luce. *Hoc item in Vitis non legitur : attamen id ex feſto tranſlationis, aut aliunde forſan collegit. Quartò occaſionem petendi reliquias Angariſmæ abbatiſſæ oblatam ex miraculo ſcribit, rem ita enarrans :* Aderat interea ibidem monialis, quæ glaucomâ dulce lumen amiſerat oculorum : quod deoſculando ſæpiùs brachium dextrum beati Aigulphi recepit. E

ſtatim diviſum eſſe Lerini.

61 Cujus miraculi gratiâ pium certamen ſanctaque æmulatio excitata eſt : nam ſanctimonialis fœmina (*ſic abbatiſſam nominat*) beati Viri corpus ſibi dari obnixè poſtulabat. Cui abbas, A filiis, inquit, Patrem ſeparare non decet. Et illa : Bene, mihi enim Pater priùs extitit. Non me à cunabulis ſanctis monitis & diſciplinâ plenâ informavit ? neque ſibi in Chriſto filiam ſemper habuit ? Cujus etiam ſanctæ obedientiæ obſequens, Galliam domeſticoſque penates reliqui, ne ab ejus patrocinio longiùs abeſſem. Et abbas : A Galliis precibus noſtris proficiſcens, ad nos devenit, ne * ipſe nos in filios, nos verò ipſum in Patrem haberemus. Cernens itaque abbatiſſa ſuum non poſſe aſſequi deſiderium, Date nobis, inquit, ſaltem vel brachium, quo ſoror hæc ſanata eſt. Concedit Rigomirus, quod illa tanto devotionis affectu poſtulabat : quod poſtea, graſſante vaſtatione illarum partium, ad Lerinenſe cœnobium relatum eſt. *Primò, miraculum habet quidem Adrevaldus, ſed factum ſerius narrat. Deinde videt hîc lector, ſolum brachium Arlucenſibus monialibus, non verò caput, attribui ; & brachium quidem ita attribui, ut poſtea dicatur relatum. Ego verò nec caput nec brachium tam citò à reliquo corpore ſeparatum fuiſſe exiſtimo ; ſed omnia ſimul membra in cœnobio Lerinenſi tumulata fuiſſe credo, prout habet prima Vita : nam illa diviſio tam citò poſt mortem non eſt admodùm veriſimilis, relataque eſt modo minùs etiam probabili.* F

Miracula quædam Lerini facta narrantur.

62 *Miracula quædam ſubjicit deinde Barralis, ſic proſequens :* Interea languidorum & infirmantium miſta multitudo littus inſulæ occupat : quorum ſanitates præſtitas ſuffragio ſanctorum Martyrum ſi ſigillatim enarrare volumus, non erit modus in pagina : è multis ergo pauca in medium afferre, non erit inconveniens, ut non credentibus aut fortè neſcientibus ſint manifeſta. Vir quidam à materno partu tibiam lævam dextera breviorem haberet *, ita ut adjunctis ad latera baculis vix incederet : ductus autem ad Sanctorum corpora, orationeque facta, plantis æqualibus proſiluit. Quædam etiam mu- * habebat

AUCTORE J. S.

lier elephantino morbo faciem habebat oppreſſam ; jamque oculos amiſſura favebat * : quæ ad monaſterium veniens , precibus fuſis , deoſculatiſque Sanctorum artubus , ſanitate priſtina ejus facies decorata eſt. Quædam etiam matrona filium mutum peperit , qui per decennium ita permanſit , donec ad monaſterium ductus , meritis Sanctorum loquelam recipit : cujus mater vehementi gaudio ſuffuſa , ad extrema vitæ deducta eſt : ſuper quam B. Aigulphi melotem imponentes , quaſi è ſomno evigilans , coram omnibus ſurrexit. Oppreſſique à dæmonibus curabantur ſimiliter à quacumque infirmitate detinerentur , implorato Sanctorum ſuffragio , incolumes ad propria repedabant , ut verè probaretur , quia mirabilis Deus in Sanctis ſuis. *Hæc miracula ex aliis monumentis Lerinenſibus hauſta exiſtimo ; nec ſtatim in depoſitione corporum , ſed deinde paulatim facta.*

* videbatur

Corpora omnia Lerini relicta contendit Barralis ;

B

63 *De depoſitione eorumdum corporum hæc in fine Vitæ ſcribit Barralis :* Celebrata tamen dierum ſeptem feſtivitate , hymnis & canticis ſpiritualibus condiderunt monachi venerabilium Martyrum corpora cum odore nimio & honore in baſilica almi patris Honorati , ubi præſtantur beneficia poſcentibus animarum & corporum. *Idem auctor pag. 361 prætendit , ſacrum* S. Aigulphi *corpus ad ſua uſque tempora manſiſſe Lerini , hæc enim ibidem habet :* Porrò Pythagorico ſilentio non obvolvendum duco , hac noſtra adhuc ætate venerabilia lipſana ſancti & invicti patris Aigulphi , triginta quæ trium Monachorum Lerinenſium , martyrum ſociorum ejus, in ſacro alveario inſulæ Lerinenſis , & infra ſolidam turrim in facello ſanctæ Crucis , venerabiliter cum reliquis Sanctorum reliquiis aſſervari , in quadam capſa ſeu archa lignea , deforis picta rubeo colore cum hac inſcriptione : HÆC SUNT CORPORA SANCTORUM AYGULPHI ET SOCIORUM EJUS : cranium verò & oſſa ſacra capitis reverendi præfati athletæ Aygulphi abbatis in ſtatua elevata è pectore ſurſum argentea , magnificè elaborata & inciſa in habitu pontificali cum mitra, variis lapillis exornata , reconditum inibi cuſtodiri , hac nota circùm ſignatum : " Hoc ca-
„ put beati Aygulphi Raymondina Tombarella,
„ & Jacobus filius ejus de Nicia , monachus Le-
„ rinenſis , fecerunt fieri , & ego Joannes Calio
C „ feci anno MCDLII , die XXII Maii „. *Hactenus Barralis.*

at monachi Pruvinenſes in Bria corpus S. Aigulphi ſibi vindicant ;

64 *Mabillonius in Obſervatione prævia ad Tranſlationem* S. Aigulphi , *quam inſeruit Actis Sanctorum Ordinis ſui ſeculo 2 pag. 666 ; obſervat prædicta aſſeri à Barrali , & mox ſubjungit ſequentia :* Contrà monachi prioratûs Pruvinenſis , in caſtro ſeu opido Pruvino diœceſis Senonenſis , non paucis argumentis ſacras B. Martyris exuvias ſibi vindicant , & tam caput ipſius quàm magnam partem reliquiarum oſtendunt : aliquam etiam ſacri corporis portionem ante Calviniſtarum cladem oſtendebant Floriacenſes noſtri. Id generis lites dirimere , res eſt difficultatis & invidiæ plena. Verùm cùm ante annos ſexcentos Pruvinenſe monaſterium in honorem S. Aigulfi conditum fuerit ad continendas ejus reliquias , quas Sebuinus ſeu Seguinus Senonum archiepiſcopus cum aliis probavit , & argenteæ thecæ incluſit ; cauſa Pruvinenſium præponderare forſan videbitur cauſæ Lerinenſium ; qui , ſi S. Aigulfi reliquias conſervâſſent , eas ſine dubio non promiſcuè cum aliis Sociorum ejus corporibus , ſed ſeparatim , uti & cranium , retinuiſſent. *Hactenus de hiſce Mabillonius , qui repetens ſimilia tom. 1 Annalium pag. 530 , ait deſpoſitas fuiſſe* in baſilica Pruvinenſis monaſterii ſancti Aigulfi , qui prioratus eſt abbatiæ Cellenſis apud Trecas. D

& abunde probant , ſe aut corpus aut corporis partem habere.

65 *De eccleſia , prioratu , & reliquiis* S. Aigulphi *meminit in epiſtolis ſuis Petrus abbas Cellenſis , qui circa medium ſeculi XII iſtiùs abbatiæ præfecturam geſſit , deindeque ad abbatiam Remenſem S. Remigii , ac demum ad epiſcopatum Carnotenſem fuit tranſlatus. Hujus abbatis auctoritas facit , ut cauſa Pruvinenſium haud dubiè præponderet , quia auctoritas ei oppoſita non magni eſt momenti. De eccleſia ſuo tempore combuſta ſic loquitur lib. 1 epiſt. 18 :* Hæc idcirco diximus , quia nobilis beati Aigulfi eccleſia cum omnibus appendiciis ſuis prorſus ita combuſta eſt , ut nihil præter libros & Sanctorum reliquias ab incendio ſervaretur. *De combuſtione ejuſdem eccleſiæ rurſum ſcribit lib. 4 epiſt. 5 : & in utraque dicit , ſe reliquias* S. Aigulphi *ad varias mittere provincias , ut illarum præſentiâ magis excitaretur charitas fidelium , atque ita ex eorum eleemoſynis eccleſia inſtauraretur. De Priore* S. Aigulphi *loquitur lib. 3 epiſt. 11. Demum lib. 4 epiſt. 7 ſic habet :* Hoc juxta capellam ſcripſi S. Aigulphi ... Cras in decentiſſimo tumulo , videlicet capſa nova , repoſituri ſumus ſacratiſſimum corpus domini tui beati Aiguſi , cujus caput & corpus habemus. *Hac dubitare me non ſinunt , quin corpus aut magnam corporis partem habeant Pruvinenſes. Nihil tamen obſtat , quo minùs aliqua oſſa manere potuerint Lerini. Marlotus in Hiſtoria metropolis Remenſis , ſeu in ſubjuncto poſt tomum 1 Chronico S. Nicaſii Remenſis cap. 9 , de ſacrario S. Nicaſii ſic habet :* Oſtendunt præterea partem ſuperiorem cranii S. Aigulfi martyris , Ordinis S. Benedicti &c. *Hiſtoriam tranſlationis , & alteram de Miraculis Pruvini factis , edam poſt Vitam , ut jam monui.* E

Cultus S. Aigulphi locis variis , & Sociorum ipſius Lerini :

66 *Memorata ſacri corporis tranſlationes nullum relinquunt dubium de antiquo* S. Aigulphi *cultu , licèt alioquin memoria ipſius non reperiatur apud antiquiores Martyrologos. Mabillonius in annotatis ad Acta de cultu ipſius obſervavit ſequentia :* Quamvis S. Aigulfi memoria in duobus veterrimis Martyrologiis cœnobii Floriacenſis non conſignetur primaria manu , ſed recentiori ; conſtat tamen ejus feſtum diem à Floriacenſibus ante annos ſexcentos ſollemniter celebratum fuiſſe. Id teſtatur ſcriptor libri de ejus Miraculis , qui principatu Ludovici VI vivebat , uti inferiùs in libro Miraculorum num. VIII (*apud nos num.* 14) videbimus. *De cultu apud Pruvinenſes jam ſatis diximus , ubi de eccleſia & reliquiis Sancti egimus ex Petro Cellenſi. Nullum quoque poteſt eſſe dubium , quin Lerinenſes ipſi ſanctum Abbatem ſuum cum Sociis martyribus omnium primi cœperint venerari : non tamen invenio ullum inſtrumentum idoneum, quo determinari poteſt tempus , à quo cum Sociis ſuis coli cœpit* S. Aigulphus. *At cultum fuiſſe ſimul cum Sociis : probatur ex antiquis hymnis , quos Vincentius Barralis pag. 340 edidit ſub hoc titulo :* Alii hymni in feſtivitate ſancti Aygulphi abbatis & Sociorum martyrum , ex antiquato membrano * Breviario eccleſiæ Lerinenſis Ms. deſumpti. F

* membraneo

67 *Ipſos hymnos lectori lubens communicabo, ut ex iis ſimul videat Lerinenſibus olim incognita fuiſſe multa , quæ in Hiſtoria Adrevaldi improbavimus.* In primis Veſperis *hic hymnus proponitur :*

hymnus continens geſta Aigulphi ,

A Pange, Lerinensis chori lætitia,
Laudibus immensis Martyrum præmia:
Qui fulti lætantur cælicâ gloriâ,
Fideles quâ præmiantur.
Aygulphum stirps pia dudum progenuit,
Castrum in Gallia Blesense meruit:
Ipso progenito, infernus horruit,
Ejus more præcognito.
Fit omnibus lenis jam plenus gratiâ,
Succurrit egenis largiens propria:
Virtutes eligit, atque per omnia
Terrena cuncta negligit.
Prece præ nimia virtutibus ratis,
Pro salutis via moribus probatis,
Aggregatur gregi Mumoli abbatis,
Atque verè Christi legi.
Christi Zelatorem, Ordinis Lilium,
Elegit Pastorem Leri cœnobium:
Mundana gaudia ferens in odium,
Salvandi dat remedia.
Te summa Deitas &c.

68 AD NOCTURNUM HYMNUS

alter de ipsius & Sociorum martyrio,

Sideri celso olympi supremi
Incliti gesta Martyrum triumphi
B Modula voce menteque suavi,
Concio. prome.
Dogmate dudum sacro præpollentem
In Dei Sanctum, diros reformantem,
Altera ruens pars gregis perperam
Extemplo sævit.
Splendida cælo, terebrato visu,
Non minùs visu divino tuitur:
Semotâ linguâ, inclita virtutum
Merita pandit.
Ut cruciatu pari crucientur
* *lege* Sanctum Consortes Sancti, Sanctos * comitantu
Sanctos Consortes Vir sanctus hortatu
Ovanter pati.
Perfide gregis Columbe Lerini
Tu complex atrox, infelix Archadi,
Quid ab improbis meruêre probi
Tam dirè cædi?
Sit Deo Patri &c.

69 AD LAUDES HYMNUS.

de quo etiam agit tertius:

Martyrum Gemma præfulgens,
Pullis * Sathanæ fraudibus
Da pius, reis indulgens,
Aygulphi frui laudibus.
* pulsis C Vera cùm nititur lege
Reformari cœnobium,
Ejus irruente grege,
Iram incurrit vilium.
Vincti, cæsi, Deo grati
Hic faventesque torquentur:
Linguis ac visu privati
A suis morti traduntur.
Martyres, Christi milites,
Supplices cuncti precemur,
Ut veræ Vitis palmites
Effecti sursum levemur.
Uni Trinoque &c.

70 *Demum* in secundis Vesperis hymnus *hic præscribitur.*

quartus de vita & martyrio.

Aygulphi pangat sacrati nitorem ecclesia,
Decore ritè vallati res gestaque nimia:
Ejus vitæ regulati adsint justi lilia.
Sumpsit legis orthodoxæ decus laudis varium:
Ejus ætas gloriosè prompsit ratum bravium:
* aufert Lætè, mirè, curiosè aufer * vanum gaudium.
Chorus martyrem Lerinus elegit Deo gratum,
Necat error Columbinus conscius mira passum,
Ignis obumbrans divinus assumit neci datum.
Ejus cohors triumphantis gemens haurit certamen; AUCTORE J. S.
Regis alti præpotentis egreditur velamen,
Gregis vincit jubilantis in æthere solamen.
Unda lavat corpuscula sanguinis orbatorum:
Amputarunt novaculâ bis linguas afflictorum:
Benignè sumunt oscula à capite tortorum.
SurSum corda suspendentes, in cœlum conspiciunt;
Vitam dextram præstolantes, siniStram despiciunt:
Spiritum tandem vomentes, iter vitæ rapiunt.
Trinitati sit gloria, firma jubilatio:
Illi decus, victoria, excelsa laudatio,
Regnanti cuncta per secula in supernO solio.

Videbit studiosus lector in hisce hymnis omnia fèrè, quæ leguntur in Vita prima, perstringi breviter: nihil verò eorum, quæ addita sunt ab Adrevaldo.

Memoria Sanctorum in Fastis.

71 *Fasti recentiores memoriam* S. Aigulphi *& Sociorum passim celebrant, aliquando etiam sine Sociis* Aigulphum *memorant. Paucas è multis annuntiationes accipe: In Usuardo nostro ad* III *Septembris in margine additum sic habet codex antiquus Herinensis:* Item apud Pruvinum sancti Aigulfi, glorioSi martyris. *Codex Bruxellensis:* Prumiaco (*lege* Pruvino) sancti Aygulphi, abbatis Lixivensis (*lege* Lerinensis) & martyris. *Pruvini annuntiatur etiam apud Molanum, & in Florario nostro Ms., & hìc quidem* cum Sociis, *licèt Pruvino tantùm attribuatur ob reliquias & cultum. Varii etiam codices Usuardini eumdem Sanctum annuntiant in cœnobio Lerinensi sine Sociis, etiamsi ibidem cum Sociis fuerit cultus. Wion Sanctos nostros sic celebrat sine loco ad* III *Septembris:* Eodem die, natalis sanctorum martyrum Aigulphi abbatis Lerinensis, & sociorum Monachorum, qui præcisis linguis, oculisque effossis; gladio obtruncati sunt. *Hæc sunt ipsa verba Martyrologii Romani. Martyrologium Parisiense plura explicat hoc modo:* In Amatuna insula prope Sardiniam, S. Algulphi abbatis Lirinensis, qui ob zelum disciplinæ regularis è monasterio ereptus, præcisâ linguâ & effossis oculis trucidatus est: cujus reliquiæ Pruvini in Bria in S. Medardi ecclesia, cui & nomen dedit, asservantur. *Cetera rectè hìc exposita; at locus martyrii minùs probabiliter ex Adrevaldo.* F

E

VITA

auctore incerto

ex Ms. bibliothecæ Constantini Cajetani.

PRÆFATIO

Martyres etiam rectè vocari, qui pro veritate aut justitia occumbunt, ostenditur.

CUm fidelium gesta in ecclesiis recitantur, perspicuum est, martyres dici non solùm, qui pro fide Christi certaverunt, sed etiam, qui pro *Martyres esse, qui occiduntur pro justitia,*

A. ANONYMO.

pro conſtantia juſtitiæ & veritatis, quæ Deus eſt, ſanguinem ſuum conſtanter fuderunt *a*, ſicut prophetas in veteri Teſtamento didicimus: qui, ut Apoſtolus inquit, ludibria & verbera experti ſunt, inſuper & vincula & carceres, lapidati ſunt, ſecti ſunt, tentati ſunt, in occiſione gladii mortui ſunt. In Novo etiam legimus, quàm plurimos variis ſuppliciis affectos non tantùm ob fidei confeſſionem, ſed amore juſtitiæ & veritatis: ſicut de Joanne Baptiſta, quo inter natos mulierum non ſurrexit major, eſt manifeſtum, quem propter juſtitiam & veritatem ab Herode crudeliſſimo capite truncatum, ſacra Euangelii narrat hiſtoria. Herodes enim metuebat Joannem, ſciens eum virum ſanctum & juſtum: cuſtodiebat, &, audito eo, multa faciebat. Sed quia arguebat eum Joannes propter fratris uxorem, quam duxerat, decollatus eſt.

a

taleſque coli in Eccleſia, oſtendit auctor.

2 Unde fideles ſuos Dominus alloquitur, dicens; Beati qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam. Sed ne Eccleſiæ ſuæ futuri paſtores, inſtante adverſario, timerent; eos ſui exemplo admonet, dicens: Ego ſum paſtor bonus, bonus paſtor animam ſuam dat pro ovibus ſuis. Veneramur ergo paſtores, qui igne charitatis accenſi, nec timuerunt verba carnificum; ſed hoſtiam vivam & Deo placentem ſemetipſos offerentes, ſunt effecti Domino ſacrificium in odorem ſuavitatis. Inter quos numerandus eſt, & venerationis debita pietate colendus cœnobii Lyrinenſis abbas & martyr Aigulphus, qui ſuccenſus veritatis ardore, & charitatis flagrantiâ, maluit ſubire mortem, quàm vitia perpeti: pro Chriſti enim eccleſia, animarum videlicet ſalute, occubuit, volens eas de faucibus tartari liberare. Cujus memoriam, plenam virtutibus & laude dignam, prout in quibuſdam geſtis monaſterii Lyrinenſis *b*, in quo præfuit, reperimus, præſtante Domino narrare incipiemus. Præmittentes ergo, quod ſcriptorum eſt antiquiorum, prædicare genus & natale ſolum, quomodo illuc advenerit, ac pro Chriſto fuſo cruore proprio invictus permanſerit, proſequemur.

B

b

ANNOTATA.

a *Quodlibet opus virtutis in Deum relatum poſſe eſſe occaſionem martyrii, oſtendi ad diem præcedentem, ſeu pag. 591 hujus tomi.*

C b *Nullibi res exactiùs ſciri potuit, quàm in monaſterio Lerinenſi, cùm eò redierit unus ex illis, qui capti erant cum* S. Aigulpho, *omniaque narraverit.*

CAPUT I.

S. Aigulphi patria, parentes, inſtitutio, vita monaſtica, dignitas abbatialis, & felices in ea labores.

Sanctus Bleſis natus parentibus piis;

a

TEmpore, quo Gallorum populis Dei gratiâ regnaret Dagobertus *a*, Bleſenſe oppidum erat in Gallia, cujus loci parentes B. Aigulphi extiterunt: qui licèt amplo bonorum cenſu, quod in mundo ſummum familiæ decus habetur, non abundarent, moribus tamen & vitæ ſanctitate excellebant. Carentes autem per aliqua tempora ſui conjugii fructu, Domini exorabant clementiam, quatenus eorum votis ſatis dignaretur facere, non ad eorum ſubſidium tantùm, quàm ut divinæ ſervituti manciparent. Quorum Deus vota dignoſcens, Filium hunc elegantis formæ largitus *b* eſt: quem inſtruere eo ſatagebant, ut bonis apud Deum & homines polleret moribus.

D

b

deliberant de ſtatu vitæ, ubi conſtructum erat

4 Qui adoleſcentiæ annos dum attigiſſet, & membra ejus luxuria titillaret, hanc mortiferam animæ peſtem jejuniorum medicamento fugabat: eccleſiam Dei aſſiduè frequentabat divinis intentus officiis, ut ſi quando perciperet, quo inſtituto vitæ ſuæ curſum dirigeret. Tandem propheticum illud ejus auribus inſonuit: Sacrificium laudis honorificabit me, & illic iter quo oſtendam illi ſalutare Dei. Eo namque tempore erat beatæ memoriæ Leodebundus *c* abbas monaſterii S. Aniani, quod in civitate Aureliana vario eſt opere conſtructum. Idem pater venerabilis non immemor ſanctitatis illius patris ſanctiſſimi Mauri *d*, & bonorum vitæ morum, quos ſuis in Gallia ſucceſſoribus dereliquerat, divino afflatus ardore, ſtudebat propagare, quantùm poterat, ordinem monaſticum.

c

d

E

cœnobium Floriacenſe, illud deinde ingreditur:

e

5 Qui dum pro colligendis animabus idonea loca ſollicitè perquireret, vallem admodùm placidam, & lata planitie amœnam reperiens, ad regem Clodovæum *e* regis Dagoberti filium ſe contulit, rogaturus, ut agrum, quem vicini Floriacum nuncupabant, largiri dignaretur ad conſtruendum monaſterium. Cujus petitioni rex ſatisfaciens, multa etiam dona ad monaſterium conſtruendum, quod Floriacenſe *f* modò dicitur, impertitus eſt. Completo itaque monaſterio, undique ad virum Dei confluebant homines, ut illic Domino militarent: quorum vitæ ſanctitas adeo vigebat, ut Floriacenſis monaſterii nomen, flores fructuſque boni odoris per totam Galliam ſpargeret. Quod audiens B. Aigulphus, orbatus parentibus, quo liberiùs evaderet (optabat enim ſæculi nexibus abſolutus Chriſto militare) omnia, quæ poſſidebat, in pauperum ſuſtentationem largitus eſt, & ſic nudus viam crucis ingreditur *g*.

f

g

ibique virtutibus florens, petitur abbas à Lerinenſibus,

F

6 Cui inerat tanta jejuniorum auſteritas, orationum vigiliarumque aſſiduitas, ut illius converſatio cunctis miraculo foret. Tranſactis poſtmodùm aliquot annis, cùm beati Viri nomen & ſanctitatis ejus præconium paſſim diffunderetur, ille popularis auræ impatiens hominum conſortia evitabat: timebat enim ne Chriſtus merita ipſius in hoc mundo illi adſcriberet. Volens autem Dominus lucernam non ſub modio, ſed ſuper candelabrum poni, dedit fidelem Servum ſuper familiam ſuam, ut tribueret ei in tempore tritici menſuram. Cùm vero ejus ſanctitatis odor ad ulteriora progrederetur, monachi Lerinenſes vitæ illius flagrantiâ, & religionis obſervantiâ, quæ tunc Galliis agebatur, permoti, communi totius monaſterii aſſenſu ad beatum Virum pervenerunt, humillimis precibus rogantes, ut patris officio eis fungi dignaretur, ut errantes monachos ſine paſtore doctrinâ ſuâ congregaret.

quorum precibus tandem aſſenſus,

h

i

7 Nam monaſterium Lerinenſe, poſtquam ille acceptiſſimus Deo & charus mundo Honoratus *h* ad cæleſte regnum tranſlatus eſt, à barbarorum nationibus indigna ſatis & inhumana uſque ad ruinam *i* pertulerat, unde monachi ſanctam inſulam abſque habitatore deſerentes, propriis deſideriis ſine paſtore ſerviebant. Quos beatus Aigulphus placidè ſuſcipiens, cognitis priùs bellicis vaſtationibus, & eorum vivendi moribus,

Fra-

A Fratres, inquit, melius eſt, quòd unum ex vobis ſeniorem, cujus imperio & authoritati ſubjiciamini, eligatis: nam meis veſtros mores non convenire perpendo. Erat in Gallia tunc, ſicut diximus, omnis regularis diſciplinæ cuſtodia, quam Maurus fortiſſimus Chriſti famulus cœnobiis dereliquerat. Videntes igitur Lerinenſes fratres beati Viri animum ad ſua vota non poſſe inclinare, iterum iterumque repetentes, inſtabant obnixiùs petitioni, ne abſque eo ad ſua repedarent.

conſentiente rege Lerinum proficiſcitur, monachoſque diſperſos colligit: k

8 Permotus tandem ille precibus & charitate, quæ Deus eſt, vale ſuis faciens, & curialibus viris, qui eum ob virtutum ſuarum merita diligebant, ſimulque à rege, à quo affectu charo devinctus erat, abeundi voluntate permiſſa ſenatûs, cujus extitit ſententia in hoc *k*, ad fratres Lerinenſis cœnobii inſtituendos iter aggreditur. Quos perhumanè in Chriſti ſuſcipiens amore, priùs cœpit dirupta renovare habitacula, & fratres, qui aberant, ad monaſterium revocare: qui omnes ab eo benedici gaudebant. Plurimi tunc illuſtres genere, mundi hujus illecebroſâ converſatione contempta, ad eum confluebant, caſtella, vicos, ſimul & prædia ſua largientes, ut, abruptis ſæculi nexibus, Chriſto ſecuriùs deſervirent.

B

diſciplinam reſtituit monaſterio Lerinenſi,

9 Quibus ille, tamquam ſapiens medicus, animarum refrigeria miniſtrabat ac corporum, ſtudens non tantùm præſentibus mederi languoribus, quantùm etiam futuris obviare incommodis. Priùs evulſis radicitus priſtinorum malorum ſentibus, divini amoris ſemina, & proximi poſt Deum, in eorum cordibus omni ſtudio curabat inſerere. Docebat eos præterea mundi hujus odire falſam & temporariam dulcedinem, juxta quod beatus Joannes apoſtolus ait: Nolite, chariſſimi, diligere mundum, neque ea, quæ in mundo ſunt: ſi quis diligit mundum, non eſt charitas Patris in eo. Unde, paucis diebus peractis, congregatio illa angelicam vitam ducens in terris, ita in cæleſtibus diſciplinis viguit, ſicut monaſterium antè floruerat.

quod ſanctè regit.

10 Cernens beatus Aigulphus gregem ſuum, quæ retro ſunt, obliviſci, & ad æterna anhelare, immenſas Deo laudes perſolvebat. Odore namque vitæ eorum circumquaque diffuſo, plurimi illuſtres viri colla jugo Chriſti ſubmittebant. O quam fœlix erat proinde Lerinenſis inſula inclyto milite Chriſti Aigulpho inſignita, in quo eximia enitebat charitas, & innocentiæ puritas: ſubdita regebat membra tranquillitate permaxima, cui poteſtas invincibilis erat in dæmones effugando. Puritas dulcedine mixta, grataque ſeveritas omnibus bonis ac religioſis filiis, Deum in veritate quærentibus, amabilem & decorum reddebant.

C

ANNOTATA.

a *Dagobertus I regnare cœpit in Auſtraſia, vivente patre Clotario II anno 622: mortuo deinde Clotario anno 628, monarchiam Gallicam adeptus eſt. Poſteriorem hanc epocham innuit auctor: ſed veriſimiliter non multis annis regnaverat in tota Gallia Dagobertus, quando natus eſt* Aigulphus. *Hac de cauſa annum ipſius natalem fixi circa annum 630 cum nonnulla extenſione. Conſule Commentarium num. 10, ubi etiam num. 9 de Bleſis aut Bleſenſi oppido aliquid dictum, uti & de genere Sancti.*

b *De impetrato parentum precibus* Aigulpho *non loquitur Vita ſecunda.* A. ANONYMO.

c *Scriptores Benedictini, qui continuant hoc tempore editionem Galliæ Chriſtianæ, tom. 8 col. 1520 dant breve elogium Leodebodi abbatis, qui hîc ſcribitur* Leodebundus. *Memoratur apud nos inter prætermiſſos ad diem 14 Junii, ibique vocatur* Leodebaldus. *Adalbertus Floriacenſis in Hiſtoria tranſlationis SS. Benedicti & Scholaſticæ tom. 3 Martii pag. 302 deſcribit fundationem Floriacenſem à Leodebodo factam. Quod de loco hîc dicitur,* in civitate Aureliana, *intellige in ſuburbio, aut* prope mœnia urbis Aurelianæ, *ut loquitur Adalbertus mox laudatus.*

d *Maurus hic eſt propagator monaſticæ diſciplinæ in Gallia. An autem hic idem ſit cum diſcipulo S. Benedicti, ex hoc loco colligi nequit, cum nulla fiat mentio de S. Benedicto.*

e *Clodoveus II patri Dagoberto ſucceſſit anno 638, ut communior nunc habet ſententia.*

f *Floriacenſe monaſterium deſcribunt mox laudati editores Galliæ Chriſtianæ tom. 8 col. 1538, illudque locant* octodecim paſſuum millibus ſeu ſeptem leucis ſupra Aurelianos. *Volunt etiam,* Floriacum conditum anno ſecundo Chlodovæi regis, ut legitur in teſtamento Leodebodi auctoris. *At teſtamentum, prout exſtat, ſibi manifeſtè contradicit. Conſule dicta in Commentario num. 11 & 12.* E

g *Ingreſſum* S. Aigulphi *non diu ante annum 650 figi poſſe, dixi in Comment. num. 13. Convenit illud tempus cum anno natali, quem circa 630 fixi. Neutrum multo citiùs collocari rectè poteſt, ſed utrumque aliquot annis ſeriùs potuit contingere.*

h *De S. Honorato epiſcopo deinde Arelatenſi, qui non modò abbas, ſed etiam fundator fuit monachorum Lerinenſium, apud nos actum eſt ad 16 Januarii. Multa quoque de eodem Mabillonius tom. 1 Annalium, ubi pag. 13 aſſerit, monaſterium Lerinenſe conditum* ineunte ſeculo quinto.

i *Non quidem ſcriptis mandatam reperio vaſtationem illam inſulæ Lerinenſis ante præfecturam* S. Aigulphi, *nec illam in Vita ſecunda memorat Adrevaldus; res tamen ſatis eſt credibilis, ſive id factum fuerit à Burgundionibus, ſive à Gothis, ſive à Longobardis. Priores Arianæ hæreſi addicti ſatis diu in Provincia fuere, ut Lerinum vaſtare ſæpius potuerint ſeculo V & VI. Longobardi verò pagani ſeculo VI frequentia bella geſſerunt cum Francis, & non rarò in Provinciam irruperunt, ita ut facilè potuerint Lerinum vaſtare, atque efficere ut monachi cogerentur inſulam deſerere. Hujuſmodi vaſtationes bellicas, quas etiam ſeculo VII à Longobardis pati potuit Lerinus, tamquam cauſam relaxatæ diſciplinæ allegat hujus Vitæ auctor.* F

k *Phraſis mendoſa eſt, aut certè parùm Latina. Poteſt ſic exponi:* Simulque à rege, à quo affectu charo devinctus erat, abeundi licentia impetrata conſilio ſenatûs, qui regi ſuadebat. *Adrevaldus num. 8 ait,* Aigulphum *juſſu regis, & ſentientibus ita proceribus, præfecturam ſuſcepiſſe. Eodem ſenſu etiam anonymus noſter facilè explicari poteſt. Porrò non ait auctor, quis fuerit rex ille, cujus conſenſu Lerinum abiit Sanctus. At ſub nullo rege abitus probabiliùs locari poteſt, quàm circa finem regni Clotarii III. Sed etiam eo defuncto, regnanteque Childerico II, aut hujus ſucceſſore Theodorico III, abire potuit.*

A. Anonymo.

CAPUT II.

Conſpiratio quorumdam rebellium, qui Mummoli ſubſidio S. Aigulphum cum aliquot Sociis captum ad inſulam Capraſiam abducunt, variiſque affectos cruciatibus Martyres tandem occidunt.

Conſpiratio Arcadii & Columbi,

SEd antiquus hoſtis humani generis diabolus gloriam Domini videns augeri in hac beatiſſima inſula, quippe cujus atrociſſimi inimici invidia mors in orbem terrarum ingreſſa fuerat, ægrè ferebat: dolebat enim ſibi illos ab eo ſubripi, quos dudum ſibi ſubjectos habuerat. Itaque quoſdam velut ſua membra excitavit, Arcadium ſcilicet & Columbum, fellis amaritudine obſitos, quibus odio ſemper erat arcta via, quæ ducit ad vitam. Suadebat eis meminiſſe præſentis ſolatia, quæ ſub beati Viri magiſterio conſtitutis reſumere non licebat. In horum ergo corda, ſicut in Judam, immiſit diabolus, ut Magiſtrum proderent, quatenus paſtore effugato, errantes oves paſtore carentes faciliùs diſtraherent.

B

qui & alios attrahunt, & diſcordiam ſeminant, quam Sanctus ad tempus ſedat:

12 Malorum autem rabies, à duobus his excitata ſigniferis, cæteris Viro Dei adhærentibus numero prævaluit: ſemper enim ſtultorum numeroſior eſt numerus quàm bonorum. Iniqui itaque perverſæ voluntatis ſuæ finem aſſequi non valentes, rixarum fomenta in congregatione ſuſcitabant, ut à ſancto propoſito revocarent, quos ſanctus Pater in Dei ſervitio inſtituerat. Animadvertens autem beatus Aigulphus, quò malorum vota tenderent, ne violaretur diſciplina regularis, velut columna immobilis acceſſit, & hilari vultu, menteque tranquilla eorum pectoris ſtuduit lenire furorem, dicens: O mei filii dulciſſimi, ac nimium amantiſſimi, quid violatis fœdus, quod in hac inſula ex diverſis mundi partibus * adunavit. Diſcite ſimultatibus veſtris renunciare, & Chriſti verbis obedire, dicentis: Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde; & invenietis requiem animabus veſtris. Humilitatem virtutum omnium habete amicam, & curate tamquam unicam poſſidere. Beati viri oratione completa, ſceleratorum furor ad tempus mitigatur, ſuamque culpam fatentur.

C

* *Adde* vos

ſed poſt annum conjuratio erumpit, & fugientibus pleriſque probis, Aigulphus

13 At expleto anno, eorum potior exſurgit, ac per Arcadium & Columbum omnis ille malignantium cœtus conjuratorum commovetur: & irruentes iniqui * in innocentes, qui ſancto Paſtori adhærebant, ipſi in eccleſiam beati Joannis Baptiſtæ ſeſe contulerunt, animas & corpora ſua Domino commendantes. Sed ſupervenientibus atrociſſimis pſeudo-monachis beatus Aigulphus proceſſit obviàm, illos dulciter alloquens: Deponite, fratres mei, hoc infœliciſſimum ſimultatum odium, & charitatem inter vos mutuam conſervate: ego enim veſtris deſideriis ſatisfacturus in hanc inſulam veni: ſi diſcordiæ, quæ intra vos eſt, me cenſetis authorem, in me, ſicut Jonæ factum eſt, ſortes emittite, mihi enim utilius eſt à vobis abeſſe, quàm præſens veſtris moribus cruciari.

* irruentibus iniquis

D

cum aliquot Sociis capitur per milites à rebellibus inſtigatos:

14 Sed præſcius futuræ ſuæ perſecutionis Vir ſanctus, à ſanctis monitionibus, & precibus etiam pro ipſis iniquis ad Deum fuſis, non deſiſtebat. At illi malignantes in Pharaonicam converſi ſunt rabiem, factique ſunt obſtinatiores dulci Senioris prædicatione, continueruntque aures ſuas & impetum fecerunt in beatum Aigulphum Socioſque ſuos, & contumeliis affectos, etiam ad illorum ludibrium ſordidis veſtibus indutos, ab inſula expulerunt: atque armata militum manu, quos à peſſimo Mummolo *a*, Uſeziæ civitatis principe, in eorum conjuratione conſpirante, habuerant, & * ipſis conjuratoribus Viri ſancti in navi poſiti ſunt, deducendi ad inſulam Capraſiam *b*.

a

* *Forte*, ab

b

navi impoſiti Sancti, in qua diriſſima patiuntur, vectique ad inſulam Capraſiam,

E

15 Verùm in itinere multis cruciatibus, verberibus, & injuriis Dei Sanctos peſſimi conſpiratores afficiebant; ſed & linguas eis abſcindi juſſerunt oculoſque terebrari, perque ſingula membra torqueri. Sed ô mira res! ſciſſis linguis Domino decantabant: Domine labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam. Qui enim gratiam dederat, ut elingues loquerentur, dedit etiam ut gratiùs acceptiúſque ſermocinarentur: Socioſque ſuos in duriſſimo ergaſtulo poſitos beatus Chriſti martyr Aigulphus ſolabatur, dicens: Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cælorum.

ibique in ergaſtulo poſiti, confortantur à Michaële archangelo.

16 Variis itaque tormentis afflictus in carcere beatus Aigulphus cum Sociis, ſufferebat omnia libentiſſimè. Dominicæ memores paſſionis, inter flagella perſiſtebant immobiles: ſinguli quique eorum Domino decantabant: Quid retribuemus tibi, Domine Jeſu Chriſte, qui pro nobis his longè amariora pertuliſti, calicem ſalutaris accipiemus, & nomen tuum invocabimus. Propter te, Domine, mortificamur tota die, ne repellas ſervos tuos, quoniam voluntariè nomini tuo ſicut oves occiſionis immolamur. In te, Domine, ſperavimus, ne confundas nos. Completa oratione, inter noctis tenebras Michaël archangelus apparuit *c* in ergaſtulo, dicens: Confortamini, puſillus grex, & nolite timere; complacuit enim Patri veſtro dare per beatum martyrium regnum Dei. At Viri ſancti gratias Deo referebant.

c

F

invitati ad fugam renuunt: ac tandem martyrio coronantur:

17 Interdum alteri è cuſtodibus, qui pietate motus Chriſti Martyres ad fugam invitabat *d*, reſpondit vir beatus Aigulphus: Si vivimus, Domino vivimus, & ſi morimur, Domino morimur: fiat in nobis voluntas Domini. Dominoque rurſus decantabant, dicentes: Ad te, Domine, levamus oculos noſtros. Tandem in dicta inſula Capraſia *e*, amputatis priùs viro Dei ſancto Aigulpho utriſque brachiis *f*, deinde capitibus cunctis Sociis, Martyres Domino conſecraverunt. Sed priuſquam ad locum deſtinatum martyrii deveniſſent, à fatellitibus obtinuêre ſe Domino commendandi inducias, cumque illorum facies velamine, ut mos erat, obtegere *g*, ipſi dicebant: Sinite nos cælum videre, ut ſpiritus ad Dominum dirigantur, qui eos fecit: ſicque animas ſuas Domino commendantes, Sancti Dei cum omni fiducia & alacritate inter verba orationis Dominicæque laudis ſpiritus Domino reddiderunt.

d

e

f

g

martyrium ab elapſo Briconio nuntiatum: corpora Lerinum tranſlata.

18 At Dei nutu redeunte uno, Briconio *h* nomine, ex Viri Dei Sociis, qui evaſerat, omnem illorum martyrii ſeriem ſociis Lerinenſibus retulit. Et extemplo omnium conſurgit planctus amariſ-

h

A amarissimus : qui statim ad præfatam insulam Capraſiam quosdam transmiserunt, ut illorum sacratissima corpora Lerinam deferrent. Colligentes itaque, qui delati fuerant, corpora sanctorum Martyrum in sportellis honorificè condiderunt : unde tanta odoramentorum fragrantia sequuta est, quòd navis aromatibus onusta, vel rosis crederetur & floribus : sicque Lerinam
i delata, honorificè à beato Prigonio *i*, ejusdem Abbatis successore, tumulata sunt.

ANNOTATA.

a *Mummolum verisimiliter fuisse Ucetiensem episcopum, qui etiam S. Amando mortem machinari voluit, dictum est in Commentario num.* 45 *&* 46.

b *De Capraſia insula, Corsicam inter & Etruriam sita, consule Commentarium num.* 48 *& sequentibus.*

c *Hanc Michaëlis archangeli apparitionem non habet secunda Vitæ auctor Adrevaldus, nescio qua de causa : nam Briconius, qui fugâ evasit, omniaque Lerinensibus narravit, hujusce*
B *etiam apparitionis testis esse potuit.*

d *Hanc invitationem ad fugam etiam memorat Adrevaldus ; sed in ipsa insula Lerino, ubi in carcere detentos dixit ; at minùs verisimiliter.*


e *Adrevaldus ad aliam priùs insulam perductos asserit ; sed minùs probabiliter. Consule Comment. num.* 53.

f *De amputatis brachiis nihil habet Adrevaldus ; sed ait solùm, Sanctos gladio peremptos. Verùm, ut sæpè monui, anonymi relatio est præferenda, utpote longè simplicior & verisimilior.*

g *Legendum, opinor,* obtegerentur, *aut* obtegere vellent. *Ex hoc autem loco videtur sequi, Sanctos non fuisse visu orbatos, cùm referantur dixisse :* Sinite nos cælum videre. *Verùm fortasse auctor solùm voluit insinuare, ipsos noluisse, ut sibi facies velaretur : nec satis advertit ad præcedentem oculorum effossionem, dum hæc scribebat. Quidquid sit, sive scriptor inconsideratè sibi contradixerit, sive impropriè locutus fuerit, probabilius est cæcos fuisse Sanctos, cùm uterque biographus id asserat ; & neuter dicat, visum ipsis fuisse miraculo conservatum.*

h *Qui hîc* Briconius, *apud Adrevaldum in*
C *Ms. nostro,* Britonius, *uti & in compendio Ms., in editione Mabillonii* Ricoinus *nominatur. Vincentius Barralis item vocavit* Briconium ; *atque illud nomen præferendum puto.*

i *Apud Adrevaldum successor* S. Aigulphi *dicitur Rigomirus : atque eum jam adoptarunt plures neoterici, sed res minimè videtur certa. Vide dicta in Comment. num.* 58.



VITA ALTERA

auctore Adrevaldo monacho Floriacensi

ex Ms. Rubeæ Vallis & editione Mabillonii.

PRÆFATIO

Utilitas in scribendo Vitas Sanctorum : martyrium S. Aigulphi assertum.

D

SAnctorum fortissimorumque Christi athletarum pia arduaque certamina, quibus diabolum mundumque truculentum triumpharunt, litteris committere, succidiisque mittere *, non esse cujuscumque officii *, nemo est pene, qui non novit. Etenim talibus rudimenta credentium, fideique auspicia dedicantur, spei fiduciâ adulti animantur, charitatis piæ dulcedine perfecti delectantur ; cautelâ agonothetæ *a*, ne succumbant, quasi quodam oleo perfunduntur ; & si lassaverint, hoc medicamine fortitudini pristinæ redduntur. Huc accedit, quòd Sanctorum societati, quos jam retinet beatitudinis sinus, nobis adhuc intercluſus, his allecti frequenter interſumus. Neque enim eos propter lineamenta diligimus forinseca, sed quod pulchros novimus meritorum prærogativâ. Quæ dum nostris cordibus per historiam eorum recitata inseruntur, quasi per quoddam speculum, ad nostros mentis oculos præsentanda reducuntur. E quorum collegio nos unius Vitam, passionem videlicet, Aigulphi nomine *b*, ipsius amore, pro quo sic vixit & passus est, scripto tradendam susceptimus, non freti ingenii acrimoniâ, sed illius juvamine, qui linguas infantium facit disertas, & cujus promissum tamquam firmissimam tenemus anchoram, dicentis : Aperi os tuum, & implebo illud.

E *Utiles sunt Vitæ Sanctorum :*

* *Ms.* committere

* *Mab.* officium

a

b

F

2 Sed non me fugit quorumdam usus semper quæritantium, quid dentium morsu lacerare queant *c*, quorum forsan sententia hæc erit : Quid nobis rudem adducitis vel potiùs confingitis Martyrem ? Non * eum aliquis pro fide Christi jugulavit persecutorum. Antiquorum est celebre * martyrum trophæum, non novicii alicujus, minùs cautè caventis insidias inimicorum, à quibus ira brevissima si emerserit, sufficiat ei *d*. Quid enim præjudicat, utrùm ante quadringentos annos aut ante ducentos martyrum aliquis agonis sui cursum consummaverit ? Numquid non * inspector certaminis idem semper est ? Sed hæc non sunt velut vina pensanda, quæ quo vetustiora, eo solent esse gratiora. Sed esto : non eum quisquam persecutorum interfecit pro Christi nomine *. Num Joannem illum inter natos mulierum maximum Herodes propter Christum capite plexit ? & non potiùs, quòd * adversarius ei in via iniquitatis extitit, propter veritatem, quæ Deus est, eum rebus humanis exe-

martyrium S. Aigulphi probatum.

c

* *Mab.* Num . . ?

* *Mab.* talis

d

* *Mab.* numquidnam

* *Mab.* confessionis

* *al.* quia

A. ADREVALDO FLORIAC.

mit? Ideoque si aliunde quidquam * proruperit, quod pro beato Joanne susceperit, hoc & pro isto Viro venerabili se suscipere debere meminerit. His ergo quàm brevissimè prælibatis, ad narrationem, Christo præeunte & nostra conamina juvante, veniamus.

* *Ms.* quisquam

ANNOTATA.

a Agonotheta *propriè est, qui præest ludis vel agoni; sed auctor voce impropriè utitur pro ipsis certantibus in agone, seu pro luctantibus.*

b *Apud Mabillonium:* unius Vitam Passionemve, id est, Aigulfi nomine.

c *Mabillonius:* quò dentem lacerum figere queant.

d *Mabillonius alio sensu:* cui laus quàm brevissima si emerserit, sufficiat ei.

CAPUT I.

S. Aigulphi patria & parentes: institutio, studia, vita monastica, virtutes: corpus S. Benedicti translatum: suscepta præfectura abbatiæ Lerinensis.

B

Aigulphus Blesis natus parentibus tenuioris conditionis,

MOrem fuisse antiquorum, seu modernorum scriptorum, ut cujus erant gesta relaturi, ejus priùs & genus & nativum exprimerent solum, etiam simplicibus quibusque patet. Quorum nos quoque non aspernantes usum, beati Aigulphi patriam genusque nescientibus significare curamus. Castrum Blesense in latere cujusdam situm est montis, cui contiguum est littus Ligerici amnis: idemque Liger *a* perinde præterlabens præter piscium copiam, quam illi loco solenniùs cæteris exhibet, aliarum quoque frugum, vini scilicet & rei frumentariæ, cæterarumque humanæ necessariarum naturæ magnam præstat * gratiam. Hujus pagi & castri incolas fuisse parentes beati Aigulphi, certissima relatione didicimus, non quidem multùm sanguinis alti ventositate *b* sublimes, nec opum mundialium affluentiâ tumidos, tanta tamen prole felices. Erat enim unus eorum, de quibus Apostolus: Infirma mundi hujus, inquit, & contemptibilia elegit Deus; & ea, quæ non sunt.

a

* *Mab.* repræsentat

C

b

pieque educatus,

4 Hic ergo indolis quidem ætatem qualiter transegerit narratu difficile est, qualiter scilicet ecclesiæ dulce habuerit assiduè terere limina, sacerdotum obsequiis inservire, vigiliarum excubiis operam dare, pauperum necessitatibus pro viribus concurrere, totumque se dies singulos hostiam sanctam Deo placentem in anima sui cordis spiritualiter Domino spirituum mactare *c*. At verò, ubi annos appulit juventutis, cœpit ei *d* esse oneri non modò vita, sed & habitus secularis. Versabat animo, quonam pacto ejus retinaculis abruptis, mutata sorte, Christi compedibus salubriter pedem innecteret. Sed dum his distenderetur, morasque innecteret moris, mox consilium utile quærendo (non enim tanta res præcipiti se debet credere voluntati, sed multam retractationem talia postulant,) rumor beati viri Mummoli *e* abbatis Floriacensis ejus aures occupat: fama namque vitæ ejus longè lateque ferebatur.

c

d

e

D

ingreditur monasterium Floriacense, ubi virtutibus auctus,

5 Hac audita opinione, impiger sanctum virum adiens, audire quæsivit: quo audito *, desiderium suum, quo diu flagrabat, aperuit, & ut se numero eorum, quos in schola Christi instituebat, insereret, humillima petitione postulavit. Quod beatus vir audiens, more disciplinæ semper amico & regulari vitæ solito, diebus probationis transcensis, & probationibus competentibus transcursis, corpori sanctæ congregationis suæ veluti idoneum membrum univit. Idem autem caulæ indeptus monasticæ, mox operante sancti Spiritus virtute, cœpit monstrare animal se esse mundum, & gregi aptum cælesti. Enitebat in eo velut in ove * innocentiæ puritas, in imperio propriorum membrorum vera arietina potestas; & in bello dæmonibus indicto quodam modo taurina inflexibilis auctoritas, in animi puritate columbina dulcedo, in castitate mentis & corporis turturis munditia præeminens. Non oblivisebatur in lege id animal mundum discerni, quòd ungulam findit & ruminat; ideoque ungulæ fissionem discretionem intelligebat *f*, non solùm boni & mali, sed etiam interni hominis causam. Porrò in ruminatione verbi Dei tenebat assiduam meditationem, secundum quod Dominus dicit: Oportet semper orare & non deficere: Et Psalmista: Benedicam, inquit, Dominum in omni tempore; semper laus ejus in ore meo.

* *Mab.* adito

* *in Ms.* velut nova

f

F

clarumque nomen adeptus,

6 Tot ergo coactis sub uno virtutibus, véluti pennis spiritalibus *g*, omnium vernabat gratiâ virtutum. Et ne aliquam tanta bona possent incurrere jacturam, agebat, quod de viro scribitur justo, quia meditabitur * in lege Domini die ac nocte. In cujus exercitatione ad id culminis evasit, ut non modò comprovincialibus, sed etiam procul positis ejus doctrina miraculo foret. Divinitati verò, quòd magni penderet eum, cui talia contulerat munia, signis jam evidentibus ostendere placuit. Namque Deo amabilis & toto orbe celebrandus * atque canendus, regularis vitæ institutor *h*, Benedictus in Beneventana provincia multis præcedentibus annis vitæ hujus ultimum clauserat diem, & in castro Cassino acceperat sepulturam. Sed post multum temporis secundum prophetiam ejusdem sanctissimi viri idem locus à Longobardis captus, atque in eremum est redactus *i*.

g

* *in Ms.* meditabatur

* *Mab.* celebratus

h

i

dicitur transtulisse ossa S. Benedicti in Galliam:

7 Volens autem Divina dispositio, & prædicti sanctissimi viri reliquias, ut dignum erat, honore congruo venerari, & Galliarum partes per earum adventum consolari, apparuit jam dicto abbati benigno Mummulo, præcipiens, ut prædictum Aigulphum ad Cassinum usque montem sive castrum mitteret, quatenus piissimi Benedicti ossa deveheret *: quod & factum esse constat. Deo namque semet præcedente, & viam ejus mirabiliter prosperante, tantum emensus iter, facili indicio, quòd quærebat, reperit: & repertum maximo cum tripudio ad patrem, qui se miserat, revexit. Cujus facti dignoscentiam si quis sine scrupulo * nosse cupit, libelli de hac re compositi lectione addiscere quibit *k*. Hæc res, licèt illo nil talia curante, immensam tam apud regem, quàm apud aulicos viros sancto Viro peperit sanctitatis opinionem.

* *Mab.* transveheret

* *Mab.* scrupulosiùs

k

electus abbas Lerinensis ad disciplinam restituendam.

l

8 Igitur cum fama virtutis ejus & fragrantia sanctitatis ubique respergeretur, & lychnus igne divinitatis *l* accensus jam super candelabrum divino

A vino judicio poni deberet : ecce monachi Lirinenſis monaſterii præſto adſunt, petentes ſpiritalem ſibi attribui patrem. Idem namque monaſterium cùm antiquâ floruit * prærogativâ, ita ut ejus magiſterio plurima * longè latéque fundata ſint loca ſervitio apta divino ; eo tamen tempore, auctore diabolo, emergente diſcordia, ſecus quàm debebant * , res vacillabant. Cùm ergo ad regem procereſque ejus delata eſſet prædictorum poſtulatio monachorum ; & , ut aſſolet, rex conſiliarios, quorum tractatu * rempublicam conſtabat adminiſtrari, conſuleret, quid tali in facto opus eſſet ; vox una, diſſenſio nulla, talem tantumque Virum tali oportere loco præfici : per quem certum foret, & collapſa erigi, & neglecta in antiquum ſtatum reformari.

* *Mab.* floruerit
* *ibid.* plura
* *ibid.* decebat
* *ibid.* auctoritate

9 Quid multa ? Tum beatus Aigulphus, quamlibet renitens atque reluctans, coram adducitur, curaque ei prælibati monaſterii imponitur, gaudente Rege, exultanteque curia ejus : eo quòd talem gregi ſuo præponendum eis monſtraverit Dominus Paſtorem. Licèt namque ſanctum Virum ſua plus mulcerent ſilentia, attamen Apoſtolici non immemor erat præcepti, quo præcipitur, ut omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. Animal namque oculatum, & undique circumſpectum erat, & ut immaculatum * maneret, hinc inde circumſpectabat. Jam verò oneri ſuperpoſito cervicem ſupponens, fratres ſuſceptos adit. Et quia opinio ejus jam eorum auribus intonuerat * , lætis eum devotionis amplectuntur ulnis ; eoſque & ipſe reciproco geniali * confovebat amore.

onus reluctans ſuſcipit.

B

* *Ms.* immutilatum
* *Mab.* aures allexerat
* *ibid.* gremiali

ANNOTATA.

a Liger, *vulgò* la Loire, *notiſſimus eſt Galliæ fluvius. De Bleſenſi oppido quædam ſunt dicta in Commentario num.* 9.

b *Hic videtur auctor apertè negare generis nobilitatem, quam alius deinde aſſeruit, ut dictum in Comment. num.* 9.

c *Mabillonius ſic edidit*, totumque ſe in dies ſingulos hoſtiam vivam, ſanctam, Deo placentem, in ara ſui cordis ſpiritualiter Domino ſpiritum mactare. *Hæc & ſimilia multa piè meditatus eſt Adrevaldus, quia ita decebat Puerum,*
C *quem ſancti mores deinde exornarent.*

d Ei *omiſſum eſt apud Mabillonium ; ſimileſque diverſitates occurrunt multæ, quas brevitatis causâ non notabo, aut ſolùm in margine.*

e *De S. Mummolo abbate Floriacenſi apud nos actum eſt ad diem* 8 *Auguſti, ſeu tom.* 2 *iſtius menſis pag.* 351. *Nomen Mummoli abbatis prima Vita non expreſſit ; at ex relatis ibidem num.* 4 *&* 5 *ſatis colligi poteſt ſub Mummolo ad Ordinem fuiſſe admiſſum. De tempore, quo ferè id factum videtur, agit Commentarius num.* 13.

f *Mabillonius edidit :* ideoque ungulæ diviſionem in diſcretione intelligebat.

g *Apud Mabillonium legitur*, veluti pinax ſpiritualis, *at minùs rectè, opinor ; cùm* pinax, *vox Græca, tabulam aut aſſerem ſignificet, nullaque iſtius vocis ſignificationes loco congruant.*

h *Ibidem*, regulariſque vitæ ſingularis inſtitutor.

i *Mabillonius in Annalibus tom.* 1 *pag.* 176 *deſtructionem monaſterii Caſinenſis per Longobardos refert ad annum* 580.

k *Indicat Hiſtoriam tranſlationis apud nos datam tom.* 3 *Martii pag.* 302 *& ſequentibus. Verùm illa Hiſtoria habet auctorem tranſlatione poſteriorem duobus ſeculis. Quapropter cùm alii antiquiores, & præcipuè Paulus Diaconus, tranſlationem aliter narraverint, difficulter crèdere poſſum ſacra corpora eo modo inventa eſſe, quo inventa ibi narrantur : nam ſic ultra ſexaginta annos planè deſerta jacuiſſent, quod mihi eſt incredibile. Adi itaque Comment.* § 2 *&* 3, *ubi etiam oſtendi, dubium videri, an tranſlatio peracta ſit per* S. Aigulphum. A. ADREVALDO FLORIAC.

l *In Ms. legitur*, Lichnus Divinitatis, *omiſſa voce*, igne.

CAPUT II.

Reſtituta diſciplina cœnobii Lerinenſis : quorumdam perverſorum in ſanctum Abbatem conſpiratio.

E

COEpit interea in eorum interioribus arvis ſemina divini ſerere verbi ; quo doceret eos, vitiis abdicatis, virtutum prendere culmen, oculorum aciem purgandam interiorum ; quia mundus Deus videri non niſi claris obtutibus poſſit, iræ feſtucam, trabemque odii penitus propellendam ; libidinis hoſtem non modò à corpore, verùm & ab animo ſummopere arcendum ; aſſerens non eſſe domum dignam habitatione Spiritus ſancti, immò refugere cor colluvionibus immundis aſſuetum : mundum, & quæ ejus ſunt, à corde * ſecludendum, penitus affirmans : nihil præter quod Deus juſſit in ſede amoris, id eſt, in principali cordis locandum, id eſt, dilectionem Dei ſuper omnia, & proximi poſt Deum : & quiſquis præter hæc, & quæ ad hæc pertinent, pedem dilectionis tetendit, fornicationis non effugere crimen, & ideo feriendum ſententiâ Davidis, qui dicit : Perdidiſti omnes, qui fornicantur abs te.

Lerinenſes egregiè inſtituit,

* *Mab.* cordis amore

11 His & talibus, veluti medicus ſpiritualis, antidotis myſticis non modò mederi languoribus ſtudebat præſentibus, ſed & futuris obviare nitebatur incommodis. Aderat autem Dominus ejus conatibus, ſine cujus juvamine fruſtra laborant, qui ædificant domum. Tantam denique gratiam Dominus ejus impertiri dignatus eſt doctrinæ, ut non tantùm præſentes eum cum maxima audirent aviditate, ſed & hi, qui olim à monaſterio defecerant, ſummo cum ardore repedarent, & congregationi ſemet uniri gauderent. Cernere erat monaſterium velut alvearium quoddam omnes recipere advenientes, qui ſe apes Dominicas aut eſſe, aut vellè fore ferebant * ; nec non ſecularium multos ſua conferre, & prædia ſancto Viro referre *a* : qui ſecundum Apoſtolum ſeminanti ſpiritualia, ſua metenda exponebant carnalia.

diſciplinamque & monaſterium inſtaurat.

F

* *Ms.* faciebant

a

12 Talia cernens invidus diabolus, cujus invidiâ mors intravit in orbem terrarum, ægrè ferebat. Dolebat ſe ab eis expelli, quos dudum gaudebat ſibi ſubjici : ideoque callidus explorator ad artes nequitiæ ſolitas convertitur, exploraturus, utrùm inveniret ſuorum aliquem inter oves Dominicas ſub ovina pelle fucatum * , ſciens quoniam imitantur eum, qui ſunt ex parte ejus. Tandem ergo reperit duos, quibus tam-

Conſpirant contra Sanctum Arcadius & Columbus,

* *Mab.* fucatum

A. ADREVALDO FLORIAC.

quam fistulâ usus serpentinâ in paradiso aliorum corda sollicitabat, & ad discordiam urgebat. Horum unus Arcadius, alter dicebatur Columbus, contrario sibi utens nomine. Cor namque ejus non à malicia fellis alienum, sed sicut Apostolus Petrus Simoni ait: In felle amaritudinis & obligatione iniquitatis erat conversum. In horum ergo corda, sicut & Judæ, immisit se diabolus, ut Magistrum traderent, quatenus eo profugato oves sine pastore confligatas distraherent.

multisque in partes suas pertractis, erumpunt ad discordiam,

13 Itaque diu sua occuluêre conamina, clanculò addicentes * suæ perfidiæ, quos potuerunt. Sed quadam die cùm jam ex * numero confiderent, & rabiem ultrà celare nequirent, veluti flamma diu pressa repentè in publicum prorumpunt. Factio enim malorum à duobus excitata signiferis adeò convaluit, ut vix à Magistri cæde & bonorum virorum, qui sibi adhærebant, manibus temperarent. Videntes porrò, quibus periculum imminebat, quò vota tenderent iniquorum, fugæ subsidio se eorum manibus eripuerunt, & in ecclesiam S. Joannis *b* se contulerunt, Domini potestati & misericordiæ corpora * animasque suas commendantes.

* *Mab.* adscisentes
* *ibid.* &

b

B

* *Mab.* cor

quam lenibus verbis ad tempus sedat Sanctus:

14 Sanctus autem & per omnia mitissimus Aigulphus non immemor patientiæ suæ & mansuetudinis solitæ, ad eos accessit, & lenissimis verbis eorum tumentia corda mollire studuit. His enim verbis eos convenit: O mihi dulcissimi & nimiùm amantissimi filii, quo impulsu fœdus paternum fraternumque violatis? Quid illud est, quod vos proprios fratres fecit nescire? An ignoratis, quòd diabolus causâ superbiæ & discordiæ cæli * proturbatus sit culmine? Num mente excessit, superbis solis sublatam * esse pro summa vindicta unionem linguæ; & numquam repertum *, nisi adventu Spiritus sancti coagulum charitatis significantis in ignis specie. Discite ergo simultatibus renuntiare, & Domini verbis obedire, dicentis: Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde. Quod si propter me hoc agitur, dico vobis Jonæ verbis: Tollite me & mittite in mare. Satius enim mihi à vobis secerni corpore, quàm præsens vestra crucior * dissensione. Hac oratione visus est quidem ad tempus compressisse motum, & mitigâsse furorem, in tantum ut ipsi faterentur culpam, obtenderent satisfactionem, sed arte prætexebant culpam. Anno enim integro diabolus in speluncis cordium illorum sub tali simplicitate delituit, nec Viri Dei valuit, quamquam crebris, immò continuis monitis, à latibulo mentis illorum expelli, tamquam aspis obturata aure: quin semper machinaretur *c*, quatenus cœptum suum optato fine concluderent.

* *Mab.* à cæli
* *ibid.* ablatam
* *Mab.* reperatum

* *Mab.* cruciari

C

c

Arcadius ex monasterio narratur egressus.

15 Sed cùm talia per multorum ora volitarent, & ad regem usque perveherentur; verentes conspirationis auctores, ne severitas regis in eos animadverteret, decreverunt ut alter eorum, id est, Arcadius monasterio discederet, commoturus clericos civitatis, & quoscunque secularium valeret: Columbus verò infra monasterium residens eos, qui à sancto Viro desciverant, in perfidia cœpta confirmaret; &, si quos posset, sibi sociaret. At verò sanctus vir Aigulphus semper doctrinæ instabat, dicens: Fratres, Spiritus sancti verba sunt, dicentis: Dominus unanimes habitare facit in domo. Qui ergo unanimitatem non tenent, habitationem domus Dei perdiderunt, & diabolo cesserunt *d*: ideoque nos oportet charitatis vinculo necti, & non scissionibus dividi. Taliter illo agente & dicente, quadam die Arcadius reversus, fucata humilitate fictisque verbis promissa præteritorum correctione, habitationem pristinam precabatur. Vir autem Domini pestem prævidens latentem, fratribus annitentibus, non modò non annuit, sed etiam eum extra monasterium *e* eliminavit.

d

D

e

ANNOTATA.

a *Si quis hoc capite hactenus relata diligenter conferat cum relatis in præcedenti Vita num.* 8 *&* 9, *facilè videbit, Adrevaldum uti non rarò iisdem planè vocibus: & utrumque agnoscere, monachos non paucos fuisse dispersos; at priorem à dispersione repetere relaxationem disciplinæ; Adrevaldum verò secessionem quorumdam relaxationi attribuere.*

b *Ecclesia illa est S. Joannis Baptistæ sacra, ut habet alia Vita, in qua hæc proborum monachorum fuga locatur eodem die, quo captus est* S. Aigulphus *cum aliquot Sociis. Et sanè fuga illa non admodùm verisimilis est eo tempore, quo accidisse hîc narratur, toto nimirum anno, antequam captus est* S. Aigulphus *cum Sociis, quando nulli erant rebellibus milites, qui tantum incutere poterant terrorem. Itaque existimo, Adrevaldum aberrâsse, & fugam illam contigisse, sicuti refertur in priori Vita, eodem videlicet die, quo captus est* Aigulphus; *& probos monachos non alia de causa fugisse, quàm quòd viderent milites inductos in monasterium, aut certe ad illud appropinquare. Priorem verò discordiam, quam* S. Aigulphus *sedavit, non eo usque progressam suspicor, ut ullus vitæ suæ timeret.*

c *In Ms.* Machinaretur, *nimirum diabolus. At apud Mabillonium, præter voces transpositas, legitur* machinarentur, *videlicet monachi rebelles.*

d *Apud Mabillonium:* in diaboli sortem concesserunt.

e *Quæcumque de egressu Arcadii ejusque reditu hic dicuntur, cum de iis fileat prior Vita, mihi admodùm sunt suspecta: nam ex multis liquet, Adrevaldum justo liberiorem esse in narrandis factorum adjunctis. Quod de fama ad regem perlata dicitur, aquè videtur ex conjecturis confictum.*

E

F

CAPUT III.

Seditiosi, pertracto in partes suas Mummolo, per milites ab eo acceptos capiunt S. Aigulphum cum aliquot sociis, & carceri includunt.

Arcadius, Mummolo in partes suas trahit, per eum milites sanctum capit,

SEd ille injuria impatiens, ad quemdam se contulit Niceriæ *a* civitatis principem, nomine Mummolum, suasitque ei, ut ad monasterium iret, quasi multas pecunias ibidem reperturus. In cujus pectus cùm notam sibi facem cupiditatis injecisset, incunctanter iter arripuit, & monasterium, sanctumque Virum adiit. Et quia crebrò cum eodem Mummolo de utilitate animæ conferre *b* erat solitus, nihil veritus eum suscepit, & magnifico convivio eum curari fecit. Jam porrò insidiarum concinnationes per Audoënum *c* cognoverat episcopum. Mummolo ergo prandente *a*

a

b

c

A te, & cæteris * conſpiratoribus, ſubitò Arcadius ad ſimilitudinem Judæ turbâ ſtipatus malignâ conſtitit, & Magiſtrum apprehendit, vinciri fuſtibuſque tundi præcepit *d*. Quod & factum eſt.

* *Mab. addit* ſceleris

d

17 Interea Vir totius patientiæ reminiſcens Dei & Domini noſtri paſſionis, æquanimiter talia perferebat, dicens *e* Dominum Jeſum Chriſtum non pro ſe, ſed pro nobis majora * pertuliſſe, & ideo totâ fiduciâ decantabat, dicens: Quid retribuam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem Salutaris accipiam, & nomen Domini invocabo. Laceratus ergo & vinctus & ludibrio habitus, ante ora perſecutorum ſuorum exponebatur, quouſque nox luci ſuperduceretur: quæ cùm ſuo tempore terram operire cœpiſſet, miniſtri ſatanæ eos, quos ſancto Viro familiariùs adhæſiſſe ſcibant, à clauſtris *f* monaſterii eductos, ad Patrem adducunt, tanquàm pariter audiendos, re autem vera ut ſimul paſſuros. Non enim volebat Divinitas ſolum pati Paſtorem, ſed habere participem gregem. At verò ſancti Viri, virtute utpote Spiritûs ſancti confortati *g*, quaſi jamjamque jugulos enſibus præbituri, ultimum vale ſibi dicebant: & alterutrum in oſcula ruentes, commendabant ſeipſos Domino, dicentes ei cum maxima fiducia: Propter te, Domine, morte afficimur tota die, æſtimati ſumus ſicut oves occiſionis: ne ergo nos repellas in finem. Itemque dicebant: collocaſti nos in obſcuro, ſicut mortuos ſeculi. His & ſimilibus vocibus, & noctis tenebras, & proprias ſolabantur ærumnas.

monachoſque eidem familiares:

e

* *Mab.* amariora

f

g

B

18 Inter hæc autem & mutuis armabantur alloquiis, ne quis infirmorum in talibus deficeret, cùm dicat veridicus Apoſtolus: Non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. Sanè ut ſe habet corporis humani natura, præ triſtitia ſopor ſolito gravior eos pariter corripit, & vinctos ſcilicet & cuſtodes. Sed unus cuſtodum miſericordiâ tactus tectum cuſtodiæ ſubiit, culmen nudavit, & ad fugam capiendam Sanctos invitavit. Sed S. Aigulphus gratias illius devotioni agebat, ſed hortatui minimè acquievit, dicens: Sive vivimus, Domino vivimus; ſive morimur Domino morimur: ſive ergo vivimus, ſive morimur, Domini ſumus: & quia ſimul * diſpoſitioni illius manus dedimus, ejus animo minimè refragabimur: opus ipſius enim ſumus; & ipſe figulus noſter; non ergo teſteum vas contra Plaſten ſuum conqueri fas eſt, ideoque Domini fiat voluntas.

ad fugam ab uno cuſtodum invitati, renuunt:

* *Mab.* ſemel

C

19 His ita dictis, reliquum noctis laus ſibi vindicavit Divina, poſt cujus abſceſſum *h* luciſque ſucceſſum importator calamitatis Arcadius, imitans diaboli & perfidorum quorumcunque uſum, cùm ipſe (ut ſuprà narratum eſt) caput fuerit totius criminis *, advenit verbis quodammodo dulcoratis Sanctorum * volens lenire dolorem. At verò unus illorum, Trucharius *i* nomine, juſto commotus dolore, quod mens dictavit, dolorve ſuaſit, in faciem ei objecit; dicens, quod erat verum, & dolens, eum imitatione verè filium eſſe diaboli, qui cùm ad interitum quemque impellat, conſultor inſuper videri appetit: ſed & fratrem Judæ Domini traditoris, qui ad ſimilitudinem ipſius pro oſculo ficto verba ferret melle quidem blandimentorum, ſed ſuccis venenatis referta. At verò facies impudorata crudelitati conjuncta non ſentit increpationis monita, inſuper monita * præſtat inceptam ſententiam. Namque idem miſer Arcadius ut fidem videretur

fictitiis blandimentis tentantur ab Arcadio,

* *Ms.* diſcriminis

* *Ms* Sociorum

h

i

* *Mab.* importunè

facere non ſe egiſſe *k*, quod geſſerat, ad horam tertiam Sanctis cibos & pocula obtulit: & ad reficiendum, tamquam eorum compatiens dolori, invitabat.

A. ADREVALDO FLORIAC.

k

20 Sancti tamen, licèt extrinſecus angerentur, non ideo propoſiti regulariſque obliti conſuetudinis, reſponderunt, non ſe perdere poſſe inſtituta regularia, quæ illo tempore ad nonam uſque horam extendi jejunia jubent: ſicque remotis eduliis, conſueto more ad horam uſque ſolitam ſolennia dilata ſunt jejunia. Cùm verò tempus ſolvendæ jam afforet abſtinentiæ, unanimiter pro ipſo Arcadio preces fuderunt, & ſic ab ipſo oblatum cibum ſumpſerunt. Mummolus autem, qui talibus offenſum ſe videri volens, à monaſterio receſſerat; tertio die rediit atque cum intentatione * maxima ſingulorum pecunias cœpit inquirere. Sed monachis reſpondentibus, non licuiſſe unquam ſub manu ſancti Viri conſtitutos aliquid proprium habere, neque voluntate * quidem: ſed eſſe omnia coram * omnibus; ille cernens ſe abs ſpe decidiſſe, aliorſum ſe vertit. Quia enim non reperit privata, irruit in publica; & quidquid rerum monaſterii fuit, & auferre cupiditas ſuaſit, nihil penitus reliquit.

pro quo tamen ante cibum ſumendum orant: Mummolus ſpoliat monaſterium.

* *Mab.* intentione

* *Mab.* voluntatem

* *Mab.* communia

E

ANNOTATA.

a *Legendum veriſimiliter* Uſeziæ, *uti eſt in prima Vita; intelligendumque Mummolum Ucetienſem epiſcopum, probavi in Comment. num.* 45 *&* 46.

b *Non dubito, quin illud ſit figmentum Adrevaldi, qui ne Mummolum quidem cognoviſſe videtur, niſi ex altera Vita. Veriſimile quoque non eſt, Mummolum ipſum veniſſe Lerinum, cùm id dignitati ipſius eſſet contrarium, eidemque periculoſum. Prima Vita rectiùs habet, milites aliquot, quos potiùs ſicarios nominat, ab illo ſubmiſſos; idque longè veriſimilius. Quin imò omnia, quæ hoc capite narrantur, ſuſpecta ſunt, & pro ornamentis fictitiis haberi poſſunt, uti de detentione Sanctorum, ex qua fluunt reliqua, monui in Comment. num.* 47.

c *S. Audoënum Rotomagenſem intelligit Mabillonius. Cointius chronotaxim ex hac prædictione aut præmonitione Audoeni ſtabilire nititur, ſic ſcribens ad annum* 677 *num.* 6: Eodem anno, quo reverſus eſt Audoënus ex Italia, martyrium conſummavit Aygulphus abbas Lerinenſis, priùs enim per ipſum Audoënum, qui tunc ex Italia redibat, certior factus eſt de inſidiis, quæ ſibi parabantur, ut teſtantur Acta manuſcripta, quorum epitomen exhibemus. *Pagius ad annum* 664 *num.* 20 *hæc dicta Cointii, ejuſque calculum ſecutus eſt; uti & alii plures. Itaque neceſſe eſt lectores monere, Cointium nihil inveniſſe in Ms. ſuo, niſi ab Audoëno cognoviſſe* Aigulphum *inſidiarum concinnationes; non verò eas ab Audoëno cognoviſſe, dum hic rediret ex Italia. Conjectura igitur ea eſt Cointii, nequaquam in Vita Ms., (nam eamdem nobiſcum habuit, ejuſque non epitomen, ſed partem recitat) ullo loco aſſerta. Quin conjectura eſt planè incerta: neque enim ulla eſt ratio, cur credamus Audoënum ea potiùs* Aigulpho *nuntiaſſe, dum Româ redibat, quàm dum Romam ibat. Imò æquè poterat Audoënus alio tempore ſimilia* Aigulpho *nuntiare, quàm in itinere Romano, cùm iter illud non eſſet inſtituendum tam prope Lerinum, ut occaſio ex eo oriretur. Demum, cùm Vita prima num.* 14 *ſolùm dicat*, ſed

F

A. ADREVALDO FLORIAC. Sed præſcius futuræ ſuæ perſecutionis Vir ſanctus *&c. nihilque de Audoëno epiſcopo memoret, prout in Vita S. Audoëni nihil quoque de* Aigulpho *legitur; illud ipſum, quod de Audoëno dicit Adrevaldus, mihi ſuſpectum eſt. Barralis pro Audoëno ſubſtituit* Eudonem monachum, *per quem Arcadii inſidias* Aigulpho *detectas eodem die ait: at neſcio, unde id hauſerit.*

d *Apud Mabillonium*, comprehendi, vinciri, fuſtibuſque tundi juſſit.

e *Hîc voces aliquæ apud Mabillonium omiſſæ.*

f *In alia Vita num.* 14 *dicuntur eodem tempore cum* S. Aigulpho *capti.*

g *Apud Mabillonium:* At verò Sancti veræ virtutis, utpote Spiritu ſancto confortati.

h *Hîc voces aliquot in Ms. omiſſas ex Mabillonio ſupplevi.*

i *Hic nullo alio loco nominatur.*

k *Notat Mabillonius ad vocem* egiſſe, *ſupplendum* fictè. *At dubito an auctor non velit inſinuare, Arcadium perſuadere voluiſſe, non ſuo conſilio captos eſſe Sanctos. Verùm, quiſcumque ſit ſenſus verborum, ſuſpicor commentitia eſſe omnia illa, uti & reliqua hujus capitis, cùm prior Vita habeat, Sanctos mox navi impoſitos, idque longè ſit veriſimilius, ut obſervavi in Comment. num.* 47.

B

CAPUT IV.

Abducuntur Sancti in inſulam Capraſiam, multiſque priùs cruciatibus affecti occiduntur.

Sancti imponuntur navi,

EO porrò recedente, beatus Aigulphus cum cæteris ſecundum libitum Arcadii & Columbi cuſtodiebantur, & per dies decem in ergaſtulo conficiebantur corpore, ſed ſemet ſolabantur hortamentis Domini, dicentis: Nolite timere puſillus grex; quia complacuit * patri veſtro dare vobis regnum. Item, quòd per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei. Poſt hæc autem miniſtri diaboli, Columbus ſcilicet & Arcadius, moventes tam S. Aigulphum, quàm reliquas ſancti Spiritus victimas, navi impoſuerunt, & mari ſeſe crediderunt. Sancti porrò certiſſimè jam noſcentes, quòd filii noctis eos perdere decreviſſent, mutuo ſemet hortabantur monitu ſecundum Apoſtolum tanto magis, quanto videbant appropinquantem diem, ne quis illorum amore vitæ præſentis, aut terrore mortis incertæ, inimicis cederet: quia & mors præſens, ſi differtur, non evaditur; futura verò numquam terminatur, dicente Domino impiis: Ite in ignem æternum. Sed & fœlicitas Sanctorum fine carebit, Domino itidem dicente fidelibus ſuis, in ejus fidelitate uſque in finem perſeverantibus: Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum eſt ab origine mundi.

* *Ms.* placuit

C

quæ diuturna jactatur tempeſtate;

22 His & ſimilibus Athletæ Chriſti in palæſtra ſpiritali adverſus verſutias diaboli, & miniſtros ejus furiis exagitatos dæmoniacis armabantur. Sanè poſtquam navis, quæ utroſque pariter ferebat, perſecutores videlicet & perſecutionem patientes, altum petiit *, venti contrarii ſe tollunt, & aliorſum perſecutores ducuntur voluntate, & alibi autem ventorum flamine. Sicque per quadraginta dies, quod dictu quoque mirabile eſt, rotabantur, toto illo oberrantes freto ut nec ipſi littus prendere, nec undæ navem mergere poſſent, credo, monſtrante Deo, quid mererentur impii: ſed ut non paterentur, quod merebantur fontes, obices quidem erant inſontes, ut quodammodo elementa ipſa, etſi non voce, opere clamarent: Fas fuerat furciferos hos aut ſyrtibus illidi, aut charybdi vorari; ſi non eſſent his mixti, qui non merentur talia experiri. Et quidem in diluvio in promptu fuit noxios undis involvi, qui erant à bonorum ſocietate ſegregati. Ægyptios liberè voravimus, quòd nullum juſtorum mixtum eis vidimus: Jonam ad ulciſcendam inobedientiam ſuſcepimus, ſed à Deo præparatum alumnum noſtrum ſcimus, qui & illum ſalvandum carcerali cuſtodia ſuſciperet, non quaſi cibum corrumpendo in ſua membra trajiceret; ſed quaſi depoſitum, cùm repoſceretur, repræſentaret.

* *Mab.* eſſe

D

linguæ abſcinduntur Sanctis, qui pergunt loqui ſine linguis:

23 Quid talibus Creator velit, anceps apud nos ſententia fluctuat. Sed hîc unum recordamur *a*, Pauli ſcilicet naufragium: qui ſimiliter ab iniquis vinctus cum eis periculum expertus eſt marinum. Sed ne & ipſe & cæteri perirent, ejus orationi donatum eſt. Forſitan ergo & modò huic ſancto Viro in pari diſcrimine par tribuitur * munus: ideoque dum expectatur ejus ſententia, hac illacque jactantur; ſed evadendi eis aditus negatur: & ſecundum Scripturam; quia in circuitu impii ambulant. Inter hæc Columbus videns ſibi clauſum mare, & reputans, ſi terras prenderent, Sanctorum innocentia & ſua pateret crudelitas; linguas Sanctorum fecit abſcindi. Quo facto, quaſi integris linguis pſallebant *b*: Domine labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam. Sed tanto nequaquam motus miraculo, in ſimilitudinem Pharaonis corde obduratus, radicitus eas juſſit abradi. Videre erat patens barathrum, & nihil ineſſe plectri, & tamen verba perfectiſſimè abſolvi.

* *Ms.* diſtribuitur

E

a

b

oculi quoque effodiuntur, ipſique ſordidis induuntur veſtibus.

24 At cùm audiret eos Columbus inaudito more loquentes, impietatem ſuam augmentans, lumina eorum juſſit terebrari: qui tamen à laude divina non ceſſabant. Et licèt extrinſecus privati luminibus, ea tamen, quibus Deus videtur, lumina ſalva ſe habere ſcientes, fidenter coram eo, immò ipſi *c*, pſallebant dicentes: Ad te, Domine, levavimus oculos noſtros, qui habitas in cælis. Immanitas porrò Columbi & ſocii *d* ejus erga Sanctos ne ſic quidem quievit. Enimvero veſtimentis eos exui, quibus induti erant, præcipiunt, & ſordida pro eis viliſſimaque mutari *e*, non reſpicientes miſeri, quia qui Chriſto indutus eſt ſecundum Apoſtolum dicentem: Induite Dominum Jeſum Chriſtum: & iterum: Induite vos viſcera miſericordiæ &c. nihil veteris, nihil ſordidi eum dedecorare poſſit.

F

c

d

e

Appulſi in Capraſiam inſulam, benignè excipiuntur à monachis,

25 Taliter ſanè eis jactatis per multos dies, appulerunt inſulam, quæ vocatur Capraſia. Hujus ſinus retinebat maximum examen monachorum *f*, ad quos divertentes quintâ feriâ ante Paſcha, quæ Cœna Domini dicitur; benigniſſimè atque humaniſſimè ſunt excepti; ut ſic dicam, ſic decet monachos à monachis *g*. Cognita enim prolixa eorum tribulatione, quâ longiſſimè & infœliciſſimè vexati fuerant, feſtinabant eos recreare, quibus poterant modis. Illis ibidem morantibus, ſanctiſſimus advenit Paſchæ ſolemnitatis dies: in qua cùm Miſſarum officium celebraretur,

f

g

A tur, infeliciſſimus & flagitioſiſſimus omnium hominum Columbus inſulis diaconi aptis officio adopertus, tamquam diaconus miniſtravit, conſpicuus humanis, ſed peroſus obtutibus divinis. Inſuper cùm ad id loci ventum eſſet, quo Corporis & Sanguinis Chriſti ſacramenta percepturi oſcula ſibi invicem libant, ille infelix non dubitavit à ſe ſic crudeliter mulctatis oſcula porrigere non columbina, ſed prorſus corvina *h*, aut certè canina.

h

*ibique relinquuntur à Columbo Epheſum profecto: * Mab.* quantùm

26 Beatus verò vir Aigulphus cum Sociis ſuis cum ſumma exultatione Deo gratias, quas poterant, exolvebant, non modò pro ſui recreatione, quàm * pro immenſa fratrum, ad quos Chriſtus eos adduxerat, charitate. Expleta Paſchali ſolennitate, Columbus Epheſum petivit, utpote homo ſeculi ſecularibus negotiis inſerviturus. Interim S. Aigulphum cum reliquis Sanctis in eodem monaſterio dimiſit, præcipiens, ut ſemet reverſurum operirentur. Tantam ergo Dominus Sancto ſuo Aigulpho, quouſque iniquus ille reverteretur, gratiam attribuit in loquendo, ut ſemper ſatietatem auditorum aviditas comitaretur. Ipſe enim, qui dederat gratiam, ut elinguis loqueretur, ipſe addebat gratiam, ut gratiùs audiretur.

B

at ille reverſus ad aliam vectos inſulam occidi jubet.

27 Reverſus autem Columbus ab Epheſo, Sanctos à monaſterio abſtrahit, & navi iterum imponit: & cùm fuſtuliſſent à portu, & aliquid ſpacii proceſſiſſent, occurrit eis quædam navis ex Africa veniens, cui ſanctos Martyres impoſuerunt, ſatellitibus ſuis præcipientes, ut ad inſulam venientes vocabulo Amatune *i*, inter Corſicam & Sardiniam ſitam, ibi Sanctos gladio necarent *. Quod & factum eſt. Pervenientes enim carnifices ſacrarum victimarum ad locum ſibi deſtinatum, præceptis iniquiſſimis * officinam nequitiæ ſuæ impendere parant. Sed rogantibus inducias oraturis indulgent. Sancti autem propenſiùs ac diutiùs animas ſuas Domino commendantes, tandem ab oratione ſurgunt, & cum omni fiducia & alacritate inter verba orationis & Dominicæ laudis ſpiritum emiſêre de vaſculo carnis ſub die III Non. Septembr. *k*.

i

** Mab.* conficerent

** Mab.* impiiſſimis

k

ANNOTATA.

C a *In Ms. legitur*, ſed hìc unum recordamur ſilere. *At vox* ſilere *videtur redundare, nec eſt apud Mabillonium. Forſan etiam ſcripſerit auctor* non ſilere.

b *De linguarum abſciſſione, loquelaque Sanctorum ſine linguis, & de erutis oculis conſentit alia Vita num.* 15 *: non item de tempeſtate, quæ ſanè magis ad ornatum adjecta videtur, quàm hauſta ex monumentis antiquis.*

c Immò ipſi *habet Mabillonius: nam in Ms. legitur*, hymno; *ita ut fortè pro* immò ipſi, *ſcriptum fuerit* hymnos.

d *Hic ſocius videtur eſſe Arcadius, de quo aliàs nullibi dicit, ipſum quoque fuiſſe in navi. At Adrevaldus ſic videtur partes eorum dividere, ut præcipuas Arcadio attribuat in inſula Lerino, in navi & deinceps Columbo. Verùm non crediderim, ipſum pro artificioſa ſua diſtributione inveniſſe monumenta antiqua.*

e *Mutatio veſtium, ſive in inſula Lerino facta ſit, ut habet prima Vita, ſive in navi, admodùm veriſimilis eſt: nam videntur curaſſe perſecutores, ne pro monachis agnoſci poſſent. Hac quoque de cauſa ipſis linguam præciſàm exiſtimo, oculoſque erutos, ne ipſi poſſent aliis ſignificare, quinam eſſent. Verùm hæc perſecutorum cautela, quam ipſe Adrevaldus num.* 23 *aſſeruit, nequaquam cohæret cum iis, quæ mox narrabit de receptione eorumdem geſtiſque apud monachos inſula Capraſiæ, ubi* Aigulphus *cum ſuis humaniſſimè exceptus fingitur contra omnem veriſimilitudinem.* A. ADREVALDO FLORIAC.

f *De inſula Capraſia, monachiſque ſeu eremitis in ea, dictum eſt in Comment. num.* 48, 49, *&* 50.

g *Apud Mabillonium tantùm eſt*, ſicut decet monachos.

h *Scenica hæc potiùs dixerim quàm hiſtorica. Conatur auctor utcumque Judam proditorem deſcribere. Quod de itinere Columbi mox ſubditur, nihilo veriſimiliùs confictum eſt. Hinc vehementer miror Mabillonium hiſce nugis tantum tribuiſſe, ut chronotaxim etiam ex iis ordinet, ſic ſcribens in Annalibus tom.* 1 *pag.* 530*:* Poſtquam biennium in Capratiæ inſulæ monaſterio cum Sociis ſuis degiſſet Aigulfus abbas Lirinenſis; reverſus Epheſo ſævus Columbus Sanctos à monaſterio abſtrahit *&c. At de biennio illo ne Adrevaldus quidem meminit. Conſule Comment. num.* 51, *&* 52.

E

i Amatune *in Ms.*, *apud Mabillonium* Amatim, *in compendio Ms.*, Amaritimam; *apud Vincentium Barralem, qui Adrevaldum in pleriſque ſequitur, aut potiùs deſcribit*, Amaritinam *ſeu* Amatunam. *Inſula ignota eſt & forſan omnino fictitia: nam in Comment. num.* 53 *probavi, Sanctos probabiliùs coronatos eſſe in Capraſia inſula.*

k *Diem emortualem ſilet prima Vitæ auctor. Dubitari igitur poteſt, an ille ſatis fuerit cognitus.*

CAPUT V.

Martyrium Sanctorum cognitum Lerini, ac corpora eo tranſlata.

F

Evadens è cæde Sanctorum Britonius,

ET quidem, quantùm conjici datur, ſalutis humanæ perpetuus æmulus diabolus (ut ſibi videbatur) nimis callidè agebat, ut ſcilicet ſic Sanctos perimeret, quatenus eorum paſſio mortales lateret, nec haberent viventes è proximo exemplum, quo roborarentur ad patientiæ bravium capeſſendum. Maximum namque incitamentum eſt ad virtutem ſodalis & proximi cernere inexhauſtum vigorem, & pudori eſt apparere degenerem, quum cernant æqualem ad præmia glorioſa per laborum evaſiſſe certamen. Invidebat etiam mortalibus nequiſſimus beneficia profutura, quæ per Sanctorum reliquias eis conferenda divinitus anxius prævidebat. Sed quàm veriſſimè de eo cantetur: Draco iſte, quem formaſti ad illudendum ei, hinc conjici valet. Etenim dum truces quæſtionarii * circa Sanctorum occupantur lanienam, unus eorum, Britonius *a* nomine, ſpiritu adactus Divino, ſcapham nactus ſubiit, & internecioni fraternæ ſeſe ſubduxit.

** i. e.* carnifices

a

29 Quem ad hoc divinitus credimus reſervatum, ne Sanctorum paſſio occuleretur. Ipſius enim relatu & modus paſſionis Sanctorum ad notitiam

ipſorum martyrium Lerinenſibus manifeſtat;

A. ADREVALDO FLORIAC.

titiam fidelium est perductus, & corpora ad consolationem nostram per Dei gratiam manifestata sunt, & ad nostros *b* fines relata. Fas est autem credere, eum non esse expertem gloriæ fraternæ, quem non terror à martyrio inhibuit, sed Deus ad tantam utilitatem delegavit. Redeunte Britonio * ad monasterium post necem sancti viri Aigulfi, in locum ipsius jam substitutus erat vir venerandæ vitæ Rigomirus *c*. Cujus rei nuncio tam ipsi quàm fratribus magnus inductus est luctus. At verò cùm carni compatierentur; spiritui congratulabantur, scientes successisse eis post habitaculum luteum penetrale æternæ civitatis, cujus rex & conditor Deus.

b

* *Mab.* eo

c

missi ad corpora quærenda, inventa deferunt Lerinum,

30 Præterea hujus nuncii participem faciunt quandam abbatissam Angarismam *d* nomine, quæ in vicino monasterio sororibus præerat sanctimonialibus, à sancto Viro à primæva ætate tam in scripturis sanctis, quàm monasterialibus imbuta doctrinis. Igitur communi consilio & ope naves præparant, comites delegant, & hos e, qui locum noverant, adjungunt. Qui, Deo prosperante, secundis flatibus, blandaque aurarum temperie usi, devecti sunt ad locum, in quo Martyrum glorioſæ jacebant exuviæ, hominum quidem destitutæ custodiâ, sed manu divinæ protectionis *f* defensæ. Quibus, ut optaverunt, repertis, cum maxima alacritate & summâ reverentiâ, utpote martyribus dignâ, navi imponunt, & concito itinere redeunt, eisque Deo duce & reduce secundis potientibus effectibus, & corpora Sanctorum monasterio Lirinensi inferre parantibus, obviàm se tulit jam dicta abbatissa Angarisma, cum multa prece obsecrans, ut sibi facultas tribueretur Magistri corpus humandi in monasterio suo, cujus est vocabulum Oratorium *g*.

d

e

B

f

g

ubi honorificè sepeliuntur.

31 Cujus devota petitio, & filiorum erga Patrem incomparabilis affectio, hujus solum (ut ita dicam) amicabile fuit jurgii seminarium. Nam femina venerabilis desiderio flagrans corpus petebat: discipuli autem nec in modico à corpore illius * secerni volebant. Sed inter hæc medium se obiciensque posuit charitas, quæ talia dirimere consuevit. Namque & feminæ repressit avidiorem voluntatem, & istorum devotiorem ampliavit tenacitatem, adeò ut illi attributum caput sancti corporis cum brachio dextero *h* sufficeret; reliquum autem corporis cum reliquiis Sanctorum cæterorum ad monasterium Lirinense à beato Rigomiro & fratribus transferretur humandum.

* *Mab.* ab illius præsentia

h

C

ANNOTATA.

a Ricoinus *vocatur apud solum Mabillonium, quod videtur mendosum. In alia Vita* Briconius, *uti ibi videri potest cap.* 2, *& in annotatis lit.* h.

b *Quamvis auctor Floriaci scripserit, eóque deinde delatum dicatur corpus* S. Aigulphi, *id tamen hîc non insinuat, sed Lerinum intelligit & fines Galliæ; quantùm existimo.*

c *Apud Mabillonium* Rigomirus nominc. *Fuit revera aliquis Rigomirus abbas Lerinensis: sed incertum esse, an hic fuerit successor* Aigulphi, *minúsque probabile, electum esse ante auditam* Aigulphi *mortem, observavi in Comment. num.* 58.

d *De Angarisma abbatissa, quam eo tempore non fuisse putamus in monasterio Lerinensi, dictum in Comment. num.* 42 *&* 43.

e *Mabillonius*, ei, *nempe Briconio*, qui locum noverat. D

f *Ibidem*, manus divinæ protectione.

g Oratorium *monasterium fuisse Bellovacense, non Lerinense, ostendi in Comment. num.* 42: *ibique ulteriùs probavi, quàm videantur suspecta, quæ hic de illa abbatissa referuntur.*

h *In Relatione translationis mox danda num.* 2 *dicitur*, Sepulturam verò condignam sibi ibidem (*in insula Lerinensi*) sortitus est à quadam abbatissa venerabili. *Hæc verba partim favent Adrevaldo, partim eidem adversantur. Favent, quia saltem abbatissa aliqua de sepultura sollicita fuisse asseritur; adversantur, quia nihil de corporis divisione dicitur. Verùm, cùm scriptor ille posterior sit Adrevaldo, suspicio esse potest, ex ipso abbatissam illam desumptam esse ab hoc scriptore, qui forsan eumdem corrigere voluit ex conjecturis. Quidquid sit, mihi verisimilius apparet, totum corpus sepultum fuisse in monasterio Lerinensi, uti habet primus biographus.*

CAPUT VI.

E

Miracula nonnulla, & pœna sacrilegi Columbi.

Monialis glaucomate cæca visum recipit:

a

POrrò sanctæ abbatissæ devotio nequaquam indonata relicta est. Fuit autem in monasterio illius quædam Sororum, cujus visum glaucoma *a* arreptum inofficiosas reddiderat videndi fenestras: palpebrarum namque tegmina oculorum globulos retegebant. Plena igitur fide cum reliquis, quæ sacris funeribus solemnes exhibebant excubias, noctem totam orationibus laudibusque honoravit * divinis. Mane autem facto, lux fugata diu rediit, & sera licèt divina luce donata mundum sole lustratum lætabunda conspexit. Quo miraculo adeò omnium allecta sunt corda cernentium, ut non jam tæderet eos amisisse Patrem corpore, quem commanere gauderent * miraculorum tam efficaci repræsentatione.

* *Mab.* oneravit

F

* *Ms.* gaudent

S. Aigulphus apparens Columbo, ei pœnam prædicit: quâ sublatus est:

33 Non modò autem devotis, & à Deo per se beneficia poscentibus, idem beatus Pater aderat, sed & persecutori suo munus opitulationis impendit. Nam Columbus, ejus mortis concinnator, cùm nocte, quæ diem martyrii ejus sequebatur, se lectulo commisisset, utpote membra relaxaturus in quietem, repentè Vir Domini astitit, cur immeritum se tantis malis addixerit, increpavit; quare crudelitatis immanitas usque ad homicidium innocentium exarserit, vehementer invexit. Quibus dictis, sanguinis effusi guttam digito sumpsit, & ejus pectori ac dorso signum in modum circuli impressit. Quo viso miser tremebundus ad pedes ejus concidit, & obsecrare solitam ejus invictamque pietatem cœpit, ne se tanto obnoxium judicio examini reservaret divino. Tunc Sanctus ejus precibus motus, unum nævum deterſit: aliud autem abolere non posse indicavit, donec ante Clodovæum *b* regem Ebroïnumque majorem domûs, & publicum Francorum judicium exhiberetur ei remedium. Quod & factum constat. Jussu enim regali perquisitus, inventus est, & in vincula conjectus atque judicio Francorum pœnarum ferocitate usque ad mortem vexatus.

b

34 Licèt

A *cujus occasione auctor ratiocinando*

34 Licet autem in his non conjectari aliquid, ſed planè intelligere, quid hæc portenderint. Sanguis enim ille Martyris fuſus, innocentia intelligitur vim perpeſſa, juſtam poſtulans vindictam. Unde Deus de primo talium dixit, id eſt, de Abel, ad primum perſecutorem, id eſt, Cain : Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra. Impreſſio porrò ſanguinis in dorſo vel in corpore perſecutoris, animadverſio vindictæ, quæ ei debebatur pro admiſſione ſceleris. Unde & Ezechiëli Dominus dicit, quòd requirat ſanguinem peccatoris de manu non annunciantis paſtoris. Et Dominus Judæis : Ut veniat ſuper vos omnis ſanguis juſtus, qui effuſus eſt ſuper terram, id eſt ; vindicta omnis ſanguinis juſti innocenter fuſi. Porrò circuli effigies inevitabilem præſagiebatur * ſententiæ ultionem. Circulus enim in ſemet recurrit, non habens angulum exitûs *. De hoc circulo Dominus contra Syriam ſub typo diaboli : Ponam, inquit, circulum in naribus tuis, & frænum in maxillis tuis. Quod autem bis idem circulus eſt, geminam portendebat in ipſo * fieri ultionem, ut ſcriptum eſt : Duplici contritione contere eos.

* præſagiebat

* *Mab.* angularem exitum

* *Mab.* impio

B *probare conatur, in hac vita punitum eſſe,*

35 Antepoſita & poſtpoſita circuli figura, & præſenti ſignabat, & pòſt futurâ plectendum malignum ſententiâ divinâ. At verò unus deterſus circulus innuebat eundem ſanctum Virum precibus ſuis obtinuiſſe, ne perſecutor ſuus æternis ſervaretur cruciatibus, ſecundùm præceptum Salvatoris & exemplum, quo præcipimur, orandum pro perſecutoribus noſtris. Altera * autem permanens & hominum judicio delenda * indicat ; quòd etſi Sancti impetrant à Deo futuram vindictam tam propriam quàm inimicorum relaxari, ne ſcilicet æternis incendiis depaſcantur * ; non tamen eis impune cedere volunt, quæ vel in Deum vel in proximos commiſêre flagitia, ſed oportet ab eis impleri, quod ait Apoſtolus : Si noſmetipſos judicaremus, non utique judicaremur ; dum judicamur autem à Domino, corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur.

* *Mab.* alter

* *ibid.* delendus

* *ibid.* depoſcantur

& præſervatum à pœna æterna.

36 Hinc eſt quod David peccans, & coram ſe arguente propheta, confitens dicit : Peccavi Domino ; audire meruit : Dominus tranſtulit peccatum tuum ; non morieris. Et tamen quot afflictionibus propter peccatum dimiſſum affectus ſit, lector hiſtoriæ ejus agnoſcere quibit. Paulus vas electionis plus omnibus laboravit, & quia fuit blaſphemus, ut ipſe fatetur, & perſecutor, ſtigmata ſe Chriſti dicit *c* in corpore ſuo circumferre, notans videlicet inflicta pro ſatisfactione præteritæ vitæ. Horum ergo & nos reminiſcamur ; & ſi nobis, ut ſcimus, per judicium ſacerdotum donantur peccamina actuum noſtrorum ; nequaquam tamen nobis parci putemus, donec Deo, ut dignum eſt, & hominibus, quos læſimus, ſatisfaciamus, ſcientes, quanti Deus habeat ſervos ſuos, de quibus dicit : Qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei. Immò hortantes eos, in quibus habitare Deum per fidem, cæteraque bonorum operum exercitia noverimus, audiamus ab eo : Venite benedicti patris mei ; ut cum eo, ac Patre ejus, & Spiritu ſancto regnare mereamur ; cujus regnum & imperium ſine fine permanet in ſecula ſeculorum. Amen.

C

c

ANNOTATA.

A. ADREVALDO FLORIAC.

a *Glaucoma, periculoſum eſt oculi malum, quo humor cryſtallinus in viridem aut glaucum mutatur. Phraſis nonnihil mendoſa eſt ; at ſatis intelligitur, quid velit ſcriptor.*

b *Mabillonius in annotatis hìc monet, legendum eſſe* Theodorici. *Tempore Theodorici III, & Ebroini majoris-domus, revera paſſum eſſe Sanctum, dictum eſt in Comment. num.* 54. *Attamen non dubito, quin Adrevaldus ſcripſerit* Clodovei, *cùm ita legatur ubique, etiam in compendio Ms., & apud Vincentium Barralem, qui Adrevaldum ſequitur. Apertus igitur hic eſt error Adrevaldi.*

c *Paulus quidem ad Galatas cap.* 6 ℣. 17 *ſcribit :* De cetero nemo mihi moleſtus ſit : ego enim ſtigmata Domini Jeſu in corpore meo porto. *At nullibi dicit, ſe ea pati in pœnam peccatorum ſuorum.*

INVENTIO

E

RELIQUIARUM S. AIGULPHI

auctore anonymo,

Ex antiquis membranis Herovallii, collatis cum editione Mabillonii.

Conqueritur auctor tranſlationem S. Aigulphi non fuiſſe ſcriptam.

MUlta eſſe præterita clarorum virorum geſta negligentiâ & pigritiâ ſcriptorum, perlucidum conſtat eſſe & manifeſtum, dum ſtudioſi lectores ſcripturarum divinarum ea, quæ ſerventi ſtudio addiſcere cupido animo deſiderant, nullatenus reperire queunt. Quod de beati Aygulfi abbatis eximii tranſmutatione corporis accidiſſe perſpicuum eſt : quoniam nullius ſcolaſtici ſtudio & opere amodo ſcriptum reperitur, quomodo vel qualiter ad Pruvinienſe *a* caſtellum perlatum fuerit, uſque modò ſilentio obtegitur, quia de tam digni Patris adventu ad nos ſiletur. De cujus digniſſimis & rectis operibus, quia perplura ſunt, quæ & fari digniſſimè poſſunt, brevitati ſtudentes, ea per tranſitum potiùs tangimus ; quàm ut pleniter huic perparvo Opuſculo inſerendo enarremus.

a

F

Narrat delatum eſſe Floriacum, deinde verò Pruvinum.

2 Hic enim cùm honeſtis vitam tranſigeret moribus, corpus patris communis noſtri Benedicti à Caſſini montis loco multo cum labore in Franciæ partes ad monaſterium *b* ſuper fluvium Ligerim poſitum detulit. Poſtea Lirinenſis monaſterii pater conſtitutus, ut Paſſio *c* ipſius pleniter exequitur, à duobus ſceleratiſſimis, ſolo nomine monachis, Archadio & Columbo, qui erant immaniores ſcelere ante alios cum aliis pluribus Fratribus obtruncatione capitis martyrii coronam promeruit. Sepulturam verò condignam ſibi ibidem ſortitus eſt à quadam abbatiſſa *d* venerabili, & longo pòſt tempore apud monaſterium ſancti Benedicti *e* delatum eſt corpus ipſius & honorificè tumulatum in pacis quiete dormivit. Cùm verò Aſtingus *f* Normannus à finibus ſuis egreſſus, Franciam depopulando ſæ-

b

c

d

e

A. ANONYMO.

pius attereret; quatuor monachi ſancti Benedicti corpus ſancti Aygulfi abbatis & martyris uſque Pruvinienſe caſtrum fugiendo detulerunt, igne cremato *g* jam monaſterio ſancti Benedicti ab eodem Aſtingo. Repoſuerunt autem corpus in eccleſiolam ligneam, in honore ſancti Medardi *h* dicatam, in ſuburbio ejuſdem caſtri poſitam.

g

h

ubi monachi tres illud ſub terra latenter deponunt, i

3 Rodulfus denique rex Francorum, vir armis bellicoſus, eumdem nequiſſimum Aſtingum bello aggreſſus, ſuppetias ferente illi beato Benedicto, ut in miraculis etiam legitur, gladio peremit *i*, & Francorum fines ab ejus direptione eripuit. Cùm ergo perſecutionis dira rabies Normannica ante mortem Aſtingi non quieſceret, prænominati quatuor monachi dum beati viri corpus inibi cuſtodiendo obſervarent, unus illorum corporis infirmitate tactus, præſentem vitam deſeruit, pallida morte pulſatus, quæ æquo pede pulſat turres regum & caſas pauperum. Tunc verò reliqui tres fratres, qui ſupererant, ſimilem ſe mortis caſum ſubituros intelligentes, ſilentio ineunt conſilium ſibi colloquentes: Nos pauci ſumus, & quotidie numero imminuimur; & nobis valde formidandum eſt, ne hujus Sancti corporis gleba aut furtivè auferatur aut violentiâ. Sumamus ergo clanculum intempeſtæ noctis horâ ſarcophagum lapideum, & in profundo terræ reponamus abſconditè, & ibi ſanctas reliquias cum capſa collocemus in abdito loco terræ: quod dictum, factum eſt ſumma cum acceleratione. Effoſſa iterum humo in tenebris furtivæ noctis in fundo telluris repoſito mauſoleo ibidem oſſa precioſi Martyris reponunt latenter: poſito ad caput ejus libello Paſſionis ipſius.

i

B

ac moriuntur, re nulli indicata. Sanctus ignotus beneficia præſtat:

4 Accidit autem non poſt multum temporis, inevitabili caſu mortis, ut unus poſt unum finem facerent vitæ; nulli ſuperſtitum intimantes de ſacri theſauri occultatione. Verùm Veritas, ſemper vera pronuncians, dicit: Nichil eſt opertum quod non reveletur, & occultum quod non ſciatur. Licèt ſacratiſſimi corporis beati Aygulfi martyris oſſa laterent in abdito mortalibus ignoto; tamen Lucerna, quæ erat ſub modio cœpit quaſi poſita ſuper candelabrum lucere & crebris miraculorum ſignis clarefcere. Nam febricitantes & quartano typo laborantes, & frigoretici *k*, & variorum dolorum laboribus attriti, dum eccleſiæ B. Medardi confeſſoris Chriſti limina tererent, in qua Piiſſimi membra pauſabant; dum pernoctarent aſſiduitate vigiliarum, qui infirmitatibus gravati advenerant, incolumes ad propria læti repedabant. Quamvis enim ſuppreſſo nomine Martyris, cujus omnino erant ignari, ipſe tamen benignus exauditor, & ſanitatum piiſſimus reſtaurator, inter cetera Sanctorum nomina, quorum merita infirmi adeſſe ſibi implorabant, aſſiduitate precum ſe ſentiebat non eſſe alienum, quin ferret potiùs opem miſeris & tribulantibus præſtaret levamen laboris.

k

C

energumenus eum nominat, & locum depoſiti corporis indicat:

5 Factum eſt autem in una dierum, dum populus concurrens ad Miſſarum ſollempnia audienda devotus *l*, quidam, qui vexari inſtinctu dæmonis conſueverat, horribiles intonat voces, & horrendum reſonans, torva voce inclamat: Aygulfe martyr & abbas *, incendor tuis orationibus, & uror divinitus igne cæleſti, tua id faciente virtute mirabili. Tunc populus ſtupidus ad clamores vociferantis incompoſitè factus; interrogant phreneſim patientem, quid ſit, cur tantùm intonaret in repetendo clamorem. At ille: Vos populus inſipiens neſciendo vanum putatis, quod invitus profero: ſed ne garrire me arbitremini omnino, certiſſimè denotabo vobis fatuis locum, quo reperietis, quod miſerabiliter torquet, corpus ſanctiſſimum. Quo dicto antetulit greſſum, & digito denotat dicendo locum: Hic hìc fodite humum, & apparebit veſtris malignis oculis loculus lapideus, ubi infrà jacet poſitum Aygulfi abbatis & martyris corpus.

l

* *Mab.* abba

D

quod in aſſignato loco invenitur cum Hiſtoria martyrii:

6 His verbis dæmonis factus illico populus credulus, arreptis raſtris effoſſa quàm celeriter humo, inveniebat ſarcophagum, cooperculo deſuper optimè tectum: quo per manus presbyterorum remoto, vident intus poſitam capſam ligneam, & libellum Paſſionis martyris. Dæmoniacus autem per virtutem beati Martyris confeſtim à dæmonio liberatur. Detecto ergo mauſoleo, dirigunt ſumma cum feſtinatione ad domnum archiepiſcopum Sewinum *m* legatos, qui ei hæc omnia narrant, ut fuerant geſta, ex integro. Quod ille audiens, ut erat vir honeſtis moribus decoratus, & eccleſiaſticis dogmatibus ad plenum eruditus, exhilaratus gaudiis indicibilibus, grates multiplices Deo perſolvens reddidit, qui in diebus ejus ſacerdotii tam præclarum & lucidum ſidus Martyris, occultatum diu in abditis terræ, ad promerendam mortalibus ſalubrem opem, revelando ſe manifeſtare conceſſit.

m

E

archiepiſcopus oſſa viſitat, n

7 Convocatis igitur abbatibus, id eſt, Rainardo *n* abbate nepote ſuo, viro probis moribus decorato, cujus nomen ſuave redolet, ut balſami odor; & Abbate ſancti Remigii domno Winemanno *o*, viro religioſo, & inter reliquos archidiaconorum nobiliſſimo; domno Leotherico *p*, qui ei in regimine epiſcopatûs digniſſimus ſucceſſor extitit: qui fuit vir humilis & manſuetiſſimus animi, & in loquendo ſuavis: plurimis etiam clericorum & multitudine plebeia populorum. Cum his ergo omnibus dux ſacer egregius ire perrexit citiſſimus, ut quod auri ejus inſtillaverat ſuadibilis fama, oculis perſpiceret fidei amore perlucidis: & ut genti tantæ rei ignaræ infunderet verba. Tandem ergo pertingit ad eccleſiam, in qua ſanctorum oſſium digna congeries erat repoſita. Dum revolvit cum diligentia cooperculum, intuetur capſam ligneam ſanctis oſſibus confertam, atque thura Indica redolentia & fragrantia myrrham primam.

o

p

F

ac deinde in crypta lapidea deponit.

8 Mox ergo conſtruendo ædificari jubet cryptulam lapideam, quam cæmentariorum artificialis manus ſumma acceleratione conſtruens ſancto Martyri pauſationis habitationem condignam [reddidit.] Denique cum magna decantatione pſalmorum & antiphonarum modulatione celſa, & cereorum luminaribus quàm plurimis & thus redolentis ſuavitate odoris cum ipſo ſarcophago infra ambitum cryptulæ depoſitum eſt cum ſummo honore per manus memorati archiepiſcopi, & abbatum & archidiaconorum & clericorum frequentiâ, qui convenerant, exultantibus utriuſque ſexus turbis, & præ lætitia cordis Deo laudes referentium in ſublimi. Tunc Archiepiſcopus memorabilis, & ſuis in temporibus valde acceptabilis, pauculis verbis & ſapidis ſermonem facere ita exorſus eſt plebi.

ANNOTATA.

a *Pruvinienſe caſtellum, aut Pruvinenſe, aliàs* Pruvinum & Provinum, *Gallis* Provins, *urbs eſt Galliæ in Bria provincia. At verò advertere oportet ad hæc verba auctoris:* Quomodo vel qualiter ad Pruvinienſe caſtellum perlatum

A latum fuerit, usque modò silentio obtegitur : *nam conquerendo non fuisse scriptam translationem* S. Aigulphi *satis indicat, se monumenta non habuisse idonea, ex quibus translationes describeret, ita ut verisimile sit, eas ex meris conjecturis esse scriptas. Porrò Mabillonius non pauca in editione sua prætermisit ; quod semel hìc moneo, ne sæpiùs deinde sit repetendum.*

b *Floriacense monasterium indicat. De hoc monasterio, uti & de translatione S. Benedicti* Aigulpho *attributa. Consule Commentarium prævium* § 2 & 3.

c *Adrevaldi Opusculum mox datum insinuat, opinor : nam ipsius vestigiis passim insistit.*

d *De sepultura Sancti, & hac abbatissa, dixi aliqua in Comment. num.* 59 & 60 : *& in Annotatis ad Adrevaldum cap.* 5 *lit.* h.

e *Floriacum haud dubiè designat : nam illud cœnobium vocatur* S. Benedicti ad Ligerim, *vulgò* S. Benoit sur Loire. *Verùm miror me ea de re nihil invenire apud ipsos scriptores Floriacenses.*

f *De Astingo vel Hastingo Normannorum duce varia disserit Pagius ad annum* 845 *num.*
B 9 & *sequentibus, ubi ostendit ex diversitate relationum de Hastingo, & de expeditionibus ipsius, non posse certò determinari annum, quo cum Normannis suis in Galliam primò venit, ac civitatem Turonensem obsedit. Attamen probabilius putat, primam obsidionem Turonensem per Hastingum affigi debere anno* 838. *Per annos verò triginta Gallias afflixisse Hastingus dicitur, antequam eò veniret Rollo alter dux Normannorum, qui Gallias quoque diu vastavit, ac demum conversus ducatum Normanniæ obtinuit.*

g *Combustio Floriacensis cœnobii à Pagio alligatur anno* 865, *ubi eam ex aliis narrat num.* 13. *Consentit de tempore Mabillonius tom.* 3 *Annalium pag.* 119. *Verisimile est, id factum esse jussu Hastingi, etiamsi ipsius nomen non exprimatur, sed alterius Hastingo, opinor, subordinati. Adrevaldus, qui eo tempore vivebat, in Miraculis S. Benedicti apud nos tom.* 3 *Martii pag.* 313 *rem narrat hoc modo :* Interea Nortmanni, ut suprà paucis prælibavimus, secunda irruptione Aurelianos aggressi, urbem ambustione concremant : parsque illorum duce Bareto,
C cum quadraginta navibus monasterium sancti patris Benedicti expetunt, quod ab urbe Aureliana decem & octo distat millibus. Illud denique vacuum habitatoribus reperientes, cunctis verò mortalium temporaneis refertum commodis, more sibi familiari prædantur, dissipant, ad postremum verò igne immisso adurunt. *Subjungit mox auctor, corpus S. Benedicti aliò delatum fuisse. Dubitari quoque non potest, quin idem factum fuisset de corpore* S. Aigulphi ; *modò satis constaret, illud tum Floriaci fuisse. Verùm mirum apparet, Adrevaldum, qui Vitam* S. Aigulphi *scripsit, non meminisse de translatione, quam Lerino Floriacum factam hic anonymus asserit : alios quoque scriptores Floriacenses de ea prorsus silere. Hisce de causis assertam translationem Floriacum vehementer suspectam habeo, præsertim cùm ipse anonymus noster suprà videatur agnoscere, se nihil de illa scriptum inveniisse.*

h *De hac ecclesia, quæ deinde* S. Aigulpho *sacra fuit, & de prioratu eidem adjuncto, dicta aliqua in Comment. num.* 64.

i *Rodulphus creatus est rex Francorum anno* 923, *quando Hastingus diu erat defunctus, uti facilè colligitur ex dictis de primo Hastingi in Galliam ingressu. Cùm verò scriptor laudet Miracula S. Benedicti, in quibus simile quid refertur ab Aimoino Floriacensi apud nos tom.* 3 *Martii pag.* 318 ; *suspicor Hastingum substitui pro alio anonymo invasore rerum Floriacensium, qui ibidem dicitur,* Quidam perversæ mentis miles. *De eo in silva invento ait Aimoinus :* Quem rex ipse Rodulfus lanceâ transfixum, humi dejecit mortuum. *Et auctor mox subdit sequentia :* Certumque habemus, venerandæ memoriæ ingeniique singularis patrem nostrum Benedictum deinceps ei (*Rodulfo*) suum contra adversarios contribuisse auxilium, præcipuè Northmannorum debellanti exercitum. *Si autem anonymus noster pro milite non nominato temere Hastingum nominaverit, ut vix dubitandum videtur ; potuit eadem temeritate monasterium Floriacense nominare, quod istud celeberrimum esset, atque ex conjectura aliqua nullius ponderis scribere, eò translatas reliquias, priusquam Pruvinum portarentur.* A. ANONYMO.

k Frigoretici *sunt laborantes febri, quæ accedit cum frigore : sicut &* typus quartanus *significat quartanam febrim.* E

l *Mabillonius vocem* devotus *junxit cum sequente. At legendum putem,* dum populus concurrens (*forte* concurreret) devotus.

m *Ad hoc nomen Mabillonius ista observat :* Sewinus seu Seguinus archiepiscopus præfuit ecclesiæ Senonicæ ab anno CMLXXVIII ad millesimum : quo tempore Winemannus cœnobii S. Remigii in suburbio Senonico, nunc destructi, abbas erat, ut in fine libri Mirac. S. Romani abbatis ad annum DXLV sæculo I Benedictino vidimus. *Verùm loco hoc, quem assignat, de tempore Winemanni sic habet :* Winemanus monasterio S. Remigii Senonensis præfuit tempore Mainardi archiepiscopi circa annum MLV. *Cùm hæc non cohæreant ; relinquendum cum Sewino Winemannum mox probabo.*

n Rainardo *rectè legitur in Ms. nostro. At Mabillonius mendosè edidit* Idramando. *Clarius in Chronico S. Petri Vivi, cujus abbas erat Rainardus, de Sewino archiepiscopo & Rainardo abbate sic habet ad annum* 976 : Eodem anno, mense Julio, quarto Idus prædicti mensis Ordinatus est in eadem sede (*Remensi*) Sewinus archiepiscopus . . . Eo tempore domnus abbas Rainardus cœpit restaurare claustrum S. Petri . . . . Erat autem ipse abbas nepos ejusdem archiepiscopi. *Mortem Rainardi deinde collocat anno* 1015. F

o *De Winemanno apud Mabillonium sæculo I Benedict. pag.* 97 *hæc leguntur :*

Abbas erat Winemanus
Ipsius monasterii
Pater, vir venerabilis,
Qui officinas plurimas
Construxit sat egregias
Ad habitandum monachis,
Qui serviunt Remigio
Antistiti præcipuo.

Dicuntur hæc occasione miraculi, cui interfuit Rainardus . . . urbis comes Senonicæ, *ut mox subditur. Rainardi hujus comitis mors innectitur anno* 999 *à Clario. Itaque dubium nullum est, quin Winemannus abbas fuerit ante annum* 999, *dum Sewinus erat archiepiscopus ; & non circa annum* 1055. *Verùm occasionem errandi Mabillonio dedit alter Rainardus Senonum comes, cujus mors à laudato Clario memoratur*

A. ANONYMO.

anno 1055. *Errantem Mabillonii epocham ſecutus eſt Henſchenius noſter tom.* 4 *Maii in S. Romano pag.* 153 *num.* 3, *quam hîc correctam cupio. Verumtamen ex iis, quæ tradit Mabillonius tom.* 4 *Annalium pag.* 552 *probari poteſt, Winemannum adhuc vixiſſe ſub Frotmundo comite inter utrumque Rainardum medio, cujus obitum Clarius memorat anno* 1015. *At, quod ibi ait, inſtrumentum aliquod ſubſcriptum fuiſſe à Frotmundo comite & Mainardo archiepiſcopo Senonenſi, verum eſſe non poteſt, niſi Mainardus pòſt ſubſcripſerit ad confirmationem, aut ſubſcripſerit diu ante epiſcopatum, cùm Frotmundus pluſquam triginta annis ante Mainardi epiſcopatum obierit. Forſan dicto inſtrumento ſubſcripſit Mainardus vicecomes Mainardi antiſtitis pater.*

p *De initio epiſcopatus Leotherici Clarius ad annum* 1000 *ſic habet :* Anno milleſimo, adclamante clero & populo electus eſt in epiſcopatu donnus Leothericus ipſius eccleſiæ archidiaconus. *Hæc tam accurata notitia perſonarum confirmat ea, quæ de inventione & depoſitione corporis auctor memorat.*

B

MIRACULA

auctore anonymo,

Ex codice Ms. D. Herovallii a, *collato cum editione Mabillonii.*

a

CAPUT I.

Corpus tranſlatum in thecam argenteam : contractus ſanatus & cæcus ; grandinis & ignis periculum ſublatum, invocato Sancto.

C

Corpus inventum : deinde tranſlatum in thecam argenteam :

PRæteritis temporibus ſæpe contigiſſe cognovimus, nec non & in noſtris frequenter evenire probavimus, multa, quæ digna eſſent memoriâ & relatione, per incuriam ſeu quorumdam deſidiam ad nihilum redacta fuiſſe. Sed quidquid de quibuſdam aliis evenire ſoleat, vita tamen Sanctorum inſignis & miracula glorioſa nequaquam oblivionis taciturnitate debent operiri : ſed ad notitiam & corroborationem fidelium litteris conſignata * in publicum decernimus proferenda. Quapropter ego, licèt infimus omnium litterarum ſcientiâ & exercitio, non altus ingenio, quoddam inſigne miraculum Beatiſſimi Aigulphi martyris ad laudem Dei & augmentum fidei Catholicæ veſtris auribus præſumo intimare *b*. Poſtquam enim ſanctiſſimum corpus Aigulfi martyris divinitus revelatum & inventum fuit, per manus archiepiſcopi Senonenſis, Seubini *c* nomine, in quodam loco tranſpoſitum eſt, de cæmento & lapidibus compoſito, quouſque argenteum vas præparatum eſſet, in quo beati Viri corpus tranſlatum quieſceret. Præparato autem illo vaſe argenteo, enunciatus ac demonſtratus eſt dies, in quo tanti Viri tranſlatio fieret, ad quam totius populus regionis conveniret. Adveniente verò illo die, & congregato hujus regionis populo, nec non & Stephano *d* comite & Ala comitiſſa conjuge ſua cum multa principum multitudine, in quoddam pratum monachi hujus eccleſiæ glorioſum Martyris corpus detulêre.

* *Mab.* aſſignata

b

c

D

d

2 Finito autem ſermone ad populum, præparaverant ſe viri religioſi ad deponendum in vaſe argenteo corpus ſanctiſſimum. Dum autem membra tanti Martyris in capſa præparata digna veneratione reponuntur cum hymnis & laudibus : ecce allatus fuit quidam debilis inpræſentiarum & originaliter contractus, tota membrorum compage deſtitutus, naturalis indigena hujus villæ, Stephanus Roundellus * cognomine. Non enim poterat iſte contractus oculos ad cælum erigere, ſolis manibus & genibus, ut poterat, incedens, talaribus * fixis in natibus ; nec niſi per alicujus auxilium ſe movere poterat. Iſte debilis vocibus immenſis auxilium Martyris reclamare cœpit, dicens : S. Aigulphe martyr Chriſti glorioſe, adeſto meis precibus pius ac propitius : & da mihi ſanitatem in corpore. Exaudivit Deus omnipotens vocem ejus, Martyris ſui merita declarare volens. Cœperunt membra ægroti crepitare & ſonitum magnum dare : nec mora, prævenientе Dei gratia, & Martyris ſubſequentibus meritis, omnis compago membrorum, quæ priùs diſſoluta fuerat, videntibus cunctis, ſanitatem recepit : & quaſi nullam antea corporis debilitatem ſenſiſſet, ſanus & incolumis ſurrexit. Ille verò ſanus factus, junctis manibus S. Aigulphi ſervus efficitur.

contractus ſanatur,

* *Mab.* Roudellus

* *i. e.* talis

E

3 Reſtituta itaque ſanitate integra illi, gratulatur valde plebs fidelium, quæ ad diem feſtum ejus tranſlationis advenerat : & omnipotentis Dei magnalia vocibus excelſis collaudat. Comes autem Stephanus, ſumpto conſilio cum comitiſſa, & cum quibuſdam viris boni teſtimonii, qui & familiares erant & conſiliarii, ſciens quia medietatem feriæ *e* domnus Eugenulphus pridie * dederat eccleſiæ, ipſe medietatem medietatis ſuæ, quam tenebat, laudante comitiſſa, conceſſit & confirmavit, jure perpetuo poſſidendam eccleſiæ B. Aigulphi & ſervitoribus ejus. Sic quidem * tres partes feriæ habet eccleſia & comes quartam partem ſibi retinuit, & conductum *f*, ut per hoc fortiores eſſent partes eccleſiæ. Compoſitis & honorificè collocatis reliquiis glorioſi Martyris, monachi revertuntur laudantes & glorificantes Deum, qui mirabilis eſt in Sanctis ſuis & glorioſus per infinita ſæcula ſæculorum. Amen.

atque ea occaſione jus nundinarum partim datur eccleſiæ S. Aigulphi :

e

* *Mab.* pridem

F

* *Mab.* ſiquidem

f

4 Erat enim quidam famulus in infirmaria, qui debilibus & infirmis ad deſerviendum deputatus erat : cui cùm ſecretarius eccleſiæ præcepiſſet, ut aquam deferret ad abluendas manus ſacerdotum, continuò aquam de puteo detulit ; & in loco, ubi poni ſolebat, repoſuit : qui cùm ad domum regredi vellet, ſtupor immenſus circumdedit eum : & quaſi aculeis pungeretur in oculis, lumen oculorum protinus amiſit. Nihil omnino videns, nec antè nec retro movere ſe potuit. Ille itaque, tam ſubitò lumine amiſſo, præ dolore cœpit manus detorquere & clamare : S. Aygulphe, dulcedo pauperum, tu pius conſolator miſerorum, ora pro me miſerrimo peccatore Dominum. Ad cujus voces cucurrerunt monachi eccleſiæ, & alii viri & fœminæ, hoc quod ei acciderat, cupientes cernere : qui omnes

cæcus viſum recip

vocibus

A vocibus excelsis clamores ad sidera tollunt. Denique hortantur illum, ut sub corpore B. Martyris se prosternat, & invocans misericordiam Dei, & clementiam Martyris, expectet quousque Deus illum respiciat. Tota die ille nihil videns ibi jacuit, quousque die jam ad occasum declinante, ille paulisper obdormivit. Vespere facto quasi de gravi somno evigilans surrexit: & restituto sibi lumine gratiâ Dei & ejus beatissimi Martyris, apertis oculis clariùs vidit, quàm antea vidisset, & meliùs: & omnes, qui adesant, cœperunt Deum & sanctum Martyrem laudare & glorificare, quantùm potuerunt. Tunc ipse, qui sanatus fuerat, obtulit se, ut deinceps ecclesiæ & monachis, quibus se dedit, diligentiùs serviret. Quod comitissa *g* & domnus Henricus filius ejus, quibus ille homo *h* erat, concesserunt & laudaverunt ad laudem Dei, cui est honor in sæcula sæculorum. Amen.

g *h*

periculum ab inusitata grandine cessat, invocato Sancto;

5 Alio quoque tempore in introitu Septembris infra Pruvinum grando non modica cecidit inconsueta, quia * nemo viderat aut audierat tam formidolosam tempestatem cecidisse super terram. Cujus grandinis quantitas major erat, quàm mali punici, & duricies ejus, sicut lapidis. Grando hæc tegulas & domos S. Aigulfi findebat. Quapropter Monachi valde perterriti, & populus totius oppidi ad ecclesiam concurrunt: corpus B. Martyris ad terram deponunt, clamantes omnes vocibus & lacrymis: S. Aigulfe, quare dormis? quare nos perire pateris? Si verè Dei Martyr es, succurre nobis in articulo tantæ necessitatis. Ecce continuò divina misericordia venit & glorioso Martyris suffragium apparuit: nam tempestas illa, quæ valida fuerat, sine læsione monachorum & totius populi, citò remansit, intervenientibus B. Aigulphi meritis & precibus, agente id voluntate & misericordia nostri Redemptoris, qui cum Patre & Spiritu sancto vivit & regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

** Mab.* quam

B

uri & incendium, corpore ipsius allato.

6 Hyemis verò tempore & noctis principio, dum gravis somnus aliquando incubuisset hominibus, ignis accensus est in oppido S. Aigulphi vehementissimus, in ea parte, quâ ditiores domus & meliores esse videbantur: & cœpit ille ignis mirabiliter crescere, ut omnia consumeret, eo quòd tunc siccitas non modica erat, & gelu omnia constrinxerat: ventus etiam convalescens, quasi furore permotus, admodùm ventilabat. Tunc cives & monachi expergefacti clamore insolito, excitati unanimiter impetum fecerunt contra ignem, cupientes extinguere. Sed frustra fuit, quia tanti incendii ardorem etiam à longè non poterant sustinere. Videntes autem flammas tendere ad ecclesiam S. Aigulphi, cum dolore & gemitu clamabant: S. Aigulphe martyr pretiose, faveto nostris vocibus, libera domum tuam ab istis incendiis, & erue nos à periculis. Tunc ampliatis gressibus ad ecclesiam currunt: & auferentes inde corpus, ante tantum ignem deferunt, ut ignem illum extingueret aut corpus ejus ibi concremandum *i* remaneret. His ita propositis, & populis clamantibus, continuò præsens affuit misericordia Dei, & glorioso Martyris clementia: nam ignis ille horridus statim sedatus est, & sui ardoris viribus consumptis, ex toto compescuit, & sævitia venti omnino conticuit. Liberati ergò à tantæ persequutionis peste, magno gaudio repleti sunt, & glorioſum corpus S. Aigulfi cum hymnis & canticis ad ecclesiam suam referentes, cum magna veneratione in sede sua restituunt.

C

i

ANNOTATA. A. ANONYMO.

a *Papebrochius noster, qui hæc miracula propria manu exscripsit, de codice notavit sequentia:* Codicem hunc fuisse olim monasterii Pruvinensis, ex eo colligitur, quòd ultimum caput Vitæ S. Aigulfi de translatione reliquiarum ejus notatum sit legendum ad mensam in die S. Aigulfi, & compendiariæ notæ difficiliores, ne lectori molestiam facerent, desuper alia manu ad longum explicatæ conspiciantur. *Alia quoque notata erant legenda per Octavam* S. Aigulphi, *uti subjungit Papebrochius.*

b *Mabillonius*, intimare dilucidaréque præsumo. *Ejusmodi inter Mss. & editionem differentiæ subinde recurrunt. At necesse non est omnes observare, nisi majoris sint momenti.*

c *De inventione & Seubino sive Sewino videri potest relatio inventionis mox data.*

d *Mabillonius ad hunc locum rectè sic habet:* Is fuit Stephanus, cognomento Henricus, comes Campaniæ & Blesarum, filius Theobaldi III. *Cum autem hic Stephanus diu post Sewinum floruerit, nimirum seculo* XI *usque ad initium seculi* XII, *clarè patet, hanc translationem factam non esse brevi tempore post corporis inventionem, nec per Sewinum archiepiscopum, qui jam obierat anno* 1000. *Quare distinguenda est hæc translatio, seu transpositio in aliam thecam, ab illa, quæ facta est tempore Sewini archiepiscopi post corpus inventum; & corrigendus Mabillonius in Annalibus tom.* I *pag.* 530, *ubi ait:* Quas (S. Aigulphi *reliquias*) Sewinus Senonum antistes sub finem decimi seculi, præsente Stephano comite & Adela comitissa cum aliis multis, argenteâ thecâ inclusit, easque reposuit in basilica Pruvinensis monasterii sancti Aigulphi. *Confunduntur hic duæ translationes, quarum prima per Sewinum facta est sub finem seculi* X; *altera præsente Stephano comite circa aut post medium seculi* XI.

E

e Id est nundinarum, Gallicè la foire, *ut in margine notat Mabillonius. Vide mox dicenda.*

f Conductus *est jus exigendi aliquid pro rebus, quæ ad nundinas portantur. Itaque inter conductum, quem comes sibi retinuit; & feriam seu jus percipiendi aliquid in nundinis, ita videtur distinguendum, ut pro conductu solvatur aliquid de omnibus rebus, quæ ad nundinas portantur; pro feria verò seu nundinis solum de iis, quæ ibidem venduntur.*

F

g *Comitissa jam antè dicta, nimirum Ala seu Adela, quæ marito suo Stephano comiti diu supervixit & forsan tunc vidua erat. Filia hæc erat Guilielmi nothi Angliæ regis, & facta demum est Religiosa Marciniaci in ducatu Burgundiæ, ubi obiit anno* 1137, *inquit Labbeus in Tabulis genealogicis pag.* 570 & 571, *ubi inter filios Stephani & Adelæ tertium ponit Henricum, monachum deinde factum Cluniacensem, postea etiam abbatem in Anglia atque episcopum, prout ibidem videri potest.*

h *Id est, quorum dominio erat subjectus, sive ut servus, sive ut cliens inferioris conditionis.*

i *Dubito, an scriptor verè exposuerit mentem illorum, qui Sancti corpus eò detulerunt. Certè non invenio, quo modo talem intentionem discernerem à tentatione Dei; aut excusarem, nisi fortasse per solam simplicitatem. Malim igitur credere, corpus quidem allatum esse; sed non fuisse expositum periculo combustionis.*

CA-

A. ANONYMO.

CAPUT II.

Furtum in ecclesia S. Aigulphi commissum, quo monachorum fama periclitabatur, mirabiliter detectum: beneficia duabus mulieribus collata.

Cùm quidam tres calices & patenas furatus esset in ecclesia S. Aigulphi, a

QUodam tempore circa finem Augusti, clericus *a* quidam Pruvinum deveniens, & dicens se canonicum Lugdunensis ecclesiæ, & de schola * venire, miserat, sicut dicebat, in patriam suam pro pecunia: ideo nuntium suum Pruvini expectabat: & cùm ecclesiam frequentaret, & familiaritatem cum monachis haberet, dicit se quadam die cum illis velle prandere, quia pisces ad comedendum non poterat invenire: quem existimantes propter exteriorem apparentiam honorabilem & justùm, libenter ad prandium susceperunt, & caritativè de bonis suis refecerunt. Post refectionem autem, non attendentes in eo secundum faciem nihil malæ suspicionis, euntes quiescere in dormitorio, reliquerunt eum in ecclesia, credentes quòd ob calorem diei vellet inibi quiescere aut orare. Sed dum ille nequam nihil sibi obesse sensit, clavem, ubi sæpe reponi viderat, accepit: armarium diffirmavit *b*, & tres calices cum patenis inde rapiens, refirmato armario, & clave in loco suo reposita, ipsos calices cum patenis (quod horribile est dictu) in famularibus *c* suis occultavit. O quanta patientia Dei! Calyces illos, in quibus quotidie sacrificatur * verum Corpus & verus Sanguis Jesu Christi, per quos significatur sepulcrum Domini, in quo post passionem ejus sacratissimum corpus suum sepultum fuit; patenas, per quas significatur lapis positus ad ostium monumenti; & corporalia, per quæ significatur sudarium salvatoris, mirandum est quòd permisit * Deus ita inhonestè tractari.

* *Mab.* scholis

B

b

c

* *Mab.* confecratur

* *Mab.* passus est

8 Postea relevatio pulsatur: post nonam *d*, cum monachis idem latro, habens in famularibus calyces bibit, & post hæc acceptâ licentiâ, lætus & alacer, sicut ille, de quo nulla dubitatio erat, progressus est foràs. Mane autem facto, dispersa corporalia viderunt: sed pro Missis celebrandis calyces minimè repererunt. Quid inde monachi possint facere, nesciunt: rumor velocior aurâ exiit in populum: hoc scelus monachi feciſſe feruntur. Dicebant omnes quasi una voce: Amodo, quæ sit vita monachorum, ostendetur: mandemus comiti, ut isti nequam & luxiosi foràs ejiciantur: & alii religiosi loco eorum introducantur. Ipse etiam latro cum aliis vociferabat, vituperando vitam eorum: cùm enim aliquem de monachis videbant foràs, quasi latronem digito alter alteri demonstrabat. Unde his valde monachi perterriti & verecundi, de ecclesia foràs egredi verebantur. Sumpto itaque concilio super hoc, placuit omnibus, ut corpus B. Aigulphi cum capsula ad terram deponeretur, & tamdiu ibi jaceret, quousque sacrilegum Dominus revelaret. Decreverunt etiam, ut post orationem Dominicam in Missa tres psalmi cum tribus orationibus canta rentur, ut Dominus petitionem eorum per merita S. Martyris exaudire dignaretur. Hoc per octo dies factum, quousque petitio eorum exaudita est.

& monachi ipsi de furto haberentur suspecti, invocato S. Aigulpho,

d

C

D

9 Quædam enim vidua, quæ post messores spicas ad campos colligebat, vidit prædictum clericum in campis super acervum lapidum calices confringentem: ad quem cùm veniret, interrogans, quid ageret, respondit ille, quod infirmus esset. Quæ eum præteriit, & eo recedente, citò rediit, & vestigia, ubi calices fregerat, invenit; monachisque S. Aigulfi, quod viderat, indicavit. Custos etiam vinearum desuper quadam arbore, quâ per vineas respiciebat, videns super dictum acervum lapidum præfatum clericum, ad locum protinus venit: ibique duos lapides, quibus calices confregerat, & in eis auri & argenti vestigia reperiens, cum parvo frusto argenti ad ecclesiam S. Aigulphi eum detulit, & Priori reddidit. Quo comperto, quæritur clericus & invenitur: &, si hæc ita se haberent, interrogatur. Qui omnia ita esse recognovit, & argentum reddidit, ac omnia, sicut gesta fuerant, narravit: & addidit, quòd, ex quo calices rapuit, nec abire nec fugere de villa potuit, nec etiam comedere vel dormire. Quod cùm audisset universitas populi, qui foris expectabant, ad ecclesiam currunt, tundunt pectora, terram osculantur, magnificant Deum: & sanctum Martyris corpus de terra levatur, & in loco proprio cum hymnis & laudibus, adstante populo, collocatur. Latro ille indicatur, & dignus supplicio, vel ut igne comburatur, sive suspendatur, vel aliquo horribili modo crucietur, ab omnibus acclamatur: qui ligatus ad archiepiscopum mittitur: sed de eo quid postea factum sit, nos nescimus.

furti auctor mirabiliter detegitur.

E

10 Eo tempore, quo Guillelmus provincialis prioratum ecclesiæ S. Aigulphi regebat, manebat in domo Clementis sacerdotis quædam pedissequa bonæ vitæ & boni testimonii. Hæc fœmina cùm die quadam ad opus suum faciendum se præpararet, continuò digiti manus ejus dexteræ, quasi nervi rupti essent, ita retrò flexi sunt in superficie manûs, ut nullo modo reduci, nullo modo inde valerent divelli. Quod cùm illa vidisset, flens & ejulans currit ad ecclesiam B. Aigulphi: & sub capsa, in qua continentur ossa ejus, se prostravit, deprecans eum vocibus & fletibus, ut sui ipsius misereatur. Jacuit ibi ab ortu solis usque quò hora diei tertia *e* pulsavit. Tunc orantibus monachis, & mulieribus pro ea, videntibus cunctis, ita manus ejus est restituta sanitati, & digiti solidati, ut nulla in eis ægritudinis vestigia videri possent per meritum S. Aigulphi martyris.

Manus mulieris restituta.

e

F

11 Eo tempore quædam mulier juvenis manebat in oppido S. Aigulphi, quæ antea moribus & vitâ honestè vixisse laudabatur. Hæc cùm nocte quadam in stratu suo conquiesceret subitò afflata spiritu maligno sensum perdidit. Die verò crastina in operibus ejus apparuit, quia vestimenta ejus dentibus mordebat & dilaniabat; puerorum & mulierum frequentiam lapidibus à se repellendo insequebatur. Ducta ad ecclesiam S. Aigulphi, primo & secundo die, qualis venerat, talis recessit: tertia verò die glorioſus Martyr & à dæmonio liberavit & quem perdiderat sensum reddidit: quæ incolumis ad domum reversa, longo tempore pòst inter vicinos honorificè est conversata.

energumena aut phrenetica menti reddita.

AN-

A

ANNOTATA.

a *Per clericum hîc intelligitur* ſcholæ auditor, *ut vox illa aliàs non rarò ſumitur.*

b Diffirmare, *à voce Gallica* defermer, *eſt aperire, recludere. Ita ſtatim ſequitur vox* refirmare, *id eſt*, rurſum claudere.

c *Legendum opinor*, femoralibus.

d *Non horam nonam, ſed preces Nonæ intelligit. Manſit nimirum fur ille in eccleſia uſque ad dictas in choro preces illas; ac cum monachis exivit, iiſque deinde valedixit, ne quid mali ſuſpicarentur.*

e *Tertiæ horæ preces, opinor, niſi int elligatur hora tertia ab ortu ſolis.*

CAPUT III.

Vita & tranſlationes S. Aigulphi compendio enarratæ: mulier in feſtivitate Sancti laborans & blaſphemans gravi infirmitate punita, & poſt triennium ſanata.

B

Compendium de geſtis

PRobabile & relatione dignum ſatis eſſe decrevimus, ut & vita & miracula Sanctorum, quæ per Dei gratiam & eorum merita ſæpiſſimè fieri cognovimus, non ſilentio tranſeant, non incuriâ tegantur; ſed ad poſteritatis memoriam ad fidei catholicæ roborationem litterarum teſtimoniis breviter aſſignentur: ex hoc enim eorum memoria & veneratio glorioſa extollitur & fidelium mentes ad confitendum Dominum ad promerenda eorum ſuffragia curioſiùs animantur. Quapropter ſedulitatis veſtræ ſolertiam fratres cariſſimi, ſolerter ſollicitare volumus, ut unum de B. Aigulfi martyris glorioſis operibus, unum ſcilicet de ejuſdem audiatis miraculis inſignibus. In pago Aurelianenſi ſuper fluvium Ligeris ſitum eſt cœnobium quoddam magnæ auctoritatis & nominis. Locus ille in priori tempore Floriacus vocabatur: ſed poſtea, mutato nomine gratiâ & veneratione

C S. Benedicti, modò S. Benedictus nuncupatur.

& tranſlationibus S. Aigulphi.

13 Eſt autem cauſa, quare dicitur hoc nomen accepiſſe. B. enim Aigulphus, ejuſdem cœnobii monachus, vir monaſtici Ordinis egregius, per revelationem Dei & Domini noſtri, & per injunctam obedientiam Mummoli ſui abbatis prænonitus, montem Caſſinum ſollicitus adiit, de quo B. Benedicti corpus uſque ad locum prænominatum viriliter & audacter, duce S. Spiritu, totum detulit. Poſtea verò factus abbas eccleſiæ Lirinenſis, ab infidelibus monachis ejuſdem monaſterii multas perſequutiones & injurias ſuſtinuit, quouſque paſſionis & martyrii palmâ coronatus feliciter ad Dominum emigravit: cujus corpus ſanctiſſimum longo pòſt tempore *a* per revelationem Dei ad monaſterium S. Benedicti delatum fuit: deinde verò ingruente perſequutione Aſtingi principis Normanniæ, timore illius ex voluntate & diſpoſitione Dei S. Aigulphus uſque Pruvinum deportatus fuit, ubi quieſcit, ubi ſigna & miracula multa facit: cujus ſolennitas apud Pruvinum, & apud S. Benedictum, annuo redeunte curriculo, quotannis ſolemniter celebratur & feſtivè feriatur.

a

14 Accidit autem præterito in tempore apud S. Benedictum, ut mulier quædam, Eremburgis nomine, in die ſolennitatis B. Aigulphi martyris, feriantibus omnibus aliis, illa colum & fuſum acciperet, & filare inciperet: quam cùm clericus quidam filantem conſpiceret, timens Dominum & martyrem Aigulphum, valde illam redarguit, quòd quidquam operis faceret in die tantæ ſolennitatis. Quæ reſpondens, ait: Neſcio, quis S. Aigulphus eſt, nec habetur in hac villa; & ubicumque ſit, nec bona nec mala mihi facere poteſt. Vos præcipite parochianis veſtris feriare, quia ego minimè feriabo hodie: nam iſte Aigulphus nihil mihi miniſtrabit, unde poſſimus vivere. Hoc loquuta eſt veluti una de ſtultis mulieribus, & cùm adhuc ab opere nollet quieſcere, opprimente eam inedia, ecce manus ejus dextera uſque ad brachium detorta eſt, pollice fixo in palma, nervis digitorum retractis, quod nec movere poterat, faciente id virtute divina, & glorioſi martyris Aigulphi juſtitiâ: crura quoque ipſius & pedes ſub ea recurvati, prout ſedere conſueverat, penitus contracti ſunt; ita ut nec ſurgere, nec de loco illo movere ſe potuiſſet.

A. ANONYMO.

Mulier in feſto Sancti laborans & blaſphemans ſubitò punitur,

15 Quæ mulier cùm tantam debilitatem corporis ſui percepiſſet, quaſi amens & ejulans, & B. Benedicti beneficia reclamans, ab amicis & vicinis uſque ad ejus eccleſiam deportata eſt, ut ipſius ſuffragantibus meritis per Dei gratiam ſanitatem impetrare valeret. Mirantibus domno Guillelmo *b* ejuſdem loci abbate & monachis, & orantibus pro ea, novem diebus in eccleſia jacuit, nec tamen ullum ſanitatis ſignum recuperavit. Quæ ad domum ſuam reportata, per triennium tantæ infirmitatis dolorem ſuſtinuit, multis miſeriis oppreſſa, multis doloribus afflicta, nullum incolumitatis remedium adipiſci potuit; quia bene promeruerat. Hæc itaque Eremburgis deſolata, & ex membris deſtituta, nocte & die orabat ad Dominum, ut poterat & ſciebat. Ecce in vigilia natalis Domini, ut ipſa retractabat, in viſione apparuit ei quædam perſona candida, facie decora, prolixâ barbâ, veſtibus albis induta, confortans illam, & dicens: Mulier quid ploras? quid contriſtaris? quid tam continuè ſuſpiras? quid turbaris? Audacia tuæ importunitatis, avaritia tuæ neceſſitatis, contemptus ſolemnitatis S. Aigulphi martyris, reſponſio tuæ præſumptionis, hanc miſeriam, hoc infortunium, hoc flagellum meritò tibi concivit. Attamen noli flere, deſiſte torqueri, noli ingemiſcere, omitte ſuſpiria, deſine quotidianos dolores tuæ anxietatis, depone ſuperbiam, omitte ſtultitiam, deprecare veniam, quære miſericordiam; fac, quod tibi conſulo, quod tibi præcipio, ſi ſoſpitatem tui corporis vis habere & promereri, para conductum, vade Pruvinum, quære Aigulphum, qui ibi eſt: ibi eum invenies: ipſe tibi ſanitatem tribuet, qui verè imitatus eſt Magiſtrum veritatis, qui omnia reliquit, & ſequutus eſt Dominum: & ipſe miſerebitur tui.

E

ac triennio jam laborans, divinitus jubetur Pruvinum ire,

b

F

16 His ita mandatis, ab ea perſona receſſit. Quid faceret mulier? Quæ audierat, tacuit; in ſilentio tenuit: & tamen ſoli Guillelmo abbati viſionem illam ſecretò revelavit. Ipſe verò, quidquid perſona dixerat, mulieri faciendum eſſe laudavit *c*. Neſcit illa, quid faciat, quia hyems gravis inhorruerat; & pluviæ, nives & gelu iter ejus impediebant: & ideo conductum invenire non potuit: quamvis illam dolor infirmitatis affligeret; tamen uſque ad Pentecoſten iter ſuum

ubi priſtinam ſanitatem recuperat.

A. ANONYMO. atterminavit *d*. Itaque adveniente S. Spiritus solemnitate, mulier cum filio ejus Joſcelino deportata vehiculis iter ſuum arripuit, & uſque Braicenſe *e* pervenit caſtrum. Non habens ultrà, quid ampliùs vehiculariis poſſet dare: inde à filio uſque Pruvinum deportata eſt, & hoſpitati ſunt in porticu eccleſiæ B. Aigulphi. Non auſa tamen fuit in eccleſiam intrare, donec haberet, quod B. Aigulfo offerret. In craſtino verò, ex labore filii duas candelas emens, eccleſiam intravit, unam offerens ante * altare, ipſum cum devotione oſculans; & alteram ante Crucifixum poſuit *. Et cùm veſpere diei Sabbati intrâſſet eccleſiam, tota nocte vigiliis & orationibus intenta, deprecans Deum & ſanctum Martyrem, ibidem permanſit. Poſt Matutinas monachorum, antequam aurora diei clareſceret, perſona, quæ ei apud S. Benedictum apparuerat, iterum in viſione apparuit ei, dicens: Mulier, noli timere, delectare in Domino, & in S. martyre Aigulfo: & ipſe dabit tibi petitionem cordis tui. Adveniente die Dominica, dum ſacerdos & populus proceſſionem circa eccleſiam ſequerentur, affuit miſericordia Salvatoris, & pietas Aigulfi: nam membra prædictæ mulieris diſſoluta prioribus officiis, oſſibus & nervis crepitantibus, in momento reſtituta ſunt priſtinæ ſanitati: crura ejus ſoluta ſunt & pedes ſolidati, manus retorta & digiti recurvati & indirecti, ſunt extenſi, videntibus multis. Mulier ſentiens ſe ſanatam eſſe, ſurrexit in pedibus ſurſum, & ſequuta eſt proceſſionem cum aliis uſque ante Crucifixum. Symon prior eccleſiæ, & monachi audientes miraculum, & ſacerdos cum populo videntes, currunt ad ſigna, trahunt chordas, vocibus altis TE DEUM LAUDAMUS canunt in excelſis.

* *Mab.* ad

* *Mab.* ponens

B

ANNOTATA.

a *Mabillonius edidit* longo tempore, *omiſſa voce* pòſt, *acſi longo tempore corpus Floriaci manſiſſet. At exiſtimo legendum eſſe, prout habetur in Ms. Jam verò omnia, quæ hìc repetuntur de cœnobio Floriacenſi, tranſlatione S. Benedicti, de martyrio & tranſlationibus* S. Aigulphi, *ordine illuſtrata ſunt in Commentario. Suſpicor, Miracula hæc à variis ſcripta eſſe, atque ideo eadem de* S. Aigulpho *ſubinde repeti. Sequens miraculum apud S. Benedictum, ſeu Floriaci partim factum eſt.*

C

b *Guilielmus I Floriacenſi cœnobio præfuit ab anno* 1067 *uſque ad* 1080, *ut colligitur ex Gallia Chriſtiana novæ editionis tom.* 8 *col.* 1553 *&* 1554.

c Laudavit, *id eſt, ſuaſit, aut exiſtimavit.*

d *Id eſt, diſtulit.*

e *Mabillonius edidit* Braienſe, *notans in margine*, Bray ſur Seine. *Oppidum eſt ad Sequanam, paucis milliaribus diſtans Pruvino, diciturque* Braium, *& aliquando etiam* Braicus *diſtum fuit medio ævo.*

D

CAPUT IV.

Beneficia quædam diverſis perſonis conceſſa.

Quidam ab apparente Aigulpho ereptus graviſſimo morbo:

LUdovici *a* regis tempore fuit quidam homo, tertio milliario ab urbe Carnotenſi *b* habens manſionem: hic morbo ex improviſo correptus, lectulo quaſi requiem habiturus famulorum miniſterio reponitur. Necdum in illo morbo trium dierum perfluxerat ſpatium, cùm vocis ei ſolitum adimitur officium, & ſolus vitalis calor frigido palpitabat in pectuſculo. Eo igitur in tali agonia fatigante, adeſt ei S. Aigulfus in viſione, veneranda ſpecie & ſchemate monachico conſpicuus, tanti incommodi gravamen fugaturus, & tertiò nomine ejus iterato, revocato amiſſæ vocis officio, quomodo ſe haberet, benigniſſimè ſciſcitatur. Ille autem divinæ ſeveritatis ſententiam in ſe conteſtans vehementer jaculatam, ſedulò ab eo depoſcit liberationis ſolatium. Cui taliter infit Martyr egregius: A Domino miſſus ſum, ut tibi ſalutis impendam beneficium. Surge igitur, & amodo incolumis permaneto, & Domino gratias age pro collata ſoſpitate. Scias autem me à Domino impetrâſſe, ut ab hac convaleſcas ægritudine. Surgit vir de lectulo gratias agens martyri Aigulfo, & adveniens caſtrum Pruvinenſe, uxore comitante, in laude martyris Aigulfi plurima perſonans præconia, cum gaudio remeavit ad propria.

a

b

E

puer precibus impetratus:

c

18 Nec prætereundum ſilentio æquum arbitror, quod relatis multorum vulgatum eſt. Homo quidam ex Normandia *c* cum uxore ſua diu ſpe ſobolis procreandæ fruſtratus omnimodè, nullo umquam potuit refoveri ſolamine: qui quinquennio ita ferme tranſacto, dum venalis mercimonii causâ ubique terrarum inſtabilis decurſaret, Sanctorum quorumque ſuffragia implorabat. Caſtrum igitur Pruvinenſe adveniens, more ſolito eccleſiam B. Aigulfi Domino ſupplicaturus ingreditur, & proſtratus ante memoriam Virginis Mariæ, ejus & Martyris precibus votorum ſuorum ſe compotem effici inſtantiſſima prece depoſcebat cœpitque devotare *d*, dati filii imaginem delaturum ſe, ac ſuorum interceſſorum præſentiæ incunctanter ſubſtituturum. Peractis itaque votis, repatriandi iter aggreditur. Quid multa? Mulier concepit, & poſt novem menſes puerum peperit: qui devotionis ſuæ non immemor, biennio tranſacto, infantis effigiem, cerâ mirâ compoſitam, ad gloriam interceſſorum Pruvinum lætabundus advexit.

F

d

contractus ab apparente Aigulpho monitus,

e

19 Quod ex parte vidi, & ex parte ab eis, qui geſtum viderunt, audivi, B. martyris Aigulfi juſſus ſum referre miraculum. Igitur à caſtello quodam Italiæ, quod Mortarius *e* dicitur, contractus nomine Richardus, fui nimis impotens, uſque Pruvinum devectus, ad eccleſiam * B. Martyris, ſubter menſas, quas cambios *f* vocant, hoſpitatus eſt. Ubi cùm à Kalendis Novembris uſque ad Kalendas Auguſti tam hyeme quàm æſtate æquanimiter continuâſſet, ad eccleſiam B. Mariæ de Valle Pruvini, ubi plura miracula fieri didicit, ſe tranſvehi petiit. Cui S. Aigulfus, indutus alba veſte & amictus cappâ purpureâ, per viſum apparuit, & dixit: Ego ſum

* *Mab.* ante fores eccleſiæ

f

A ſum Aigulfus hujus loci defenſor & cuſtos, eo quòd ſub alas meas confugiſti, utpote meus hoſpes, mei juris es, & ad me diverte: & in proximo eſt, ut à Deo cureris. Quam admonitionem ſimul & conſolationem cùm ſemel & ſecundò ſancto Martyre ſibi apparente, tardiùs quàm debuit retuliſſet; à Deo percuſſus obmutuit. Iterumque viſitatus ex alto, ſecretum aperuit, & ad S. Martyris corpus ſe protrahi, ut ejus miſertus, in eum reſpiceret, cum multis lacrymis exoravit.

in ipſius eccleſia ſanatur.

20 Eorum autem, qui præſentes aderant, manibus deportatus, horâ Miſſæ ante gradus altaris parochialis allatus eſt, ibique depoſitus. Miſsâ denique celebratâ, cui ipſe devotus interfuerat exorator, manibus ac pedibus retro curvatis, prout potuit, conabatur exurgere. Quod cùm nondum valeret, cœpit tamen repere, ſi Deo volente deſideratam ſibi præſentiam benigni Martyris poſſet attingere, cujus interventu plenitudinem ſanitatis obtinere ſperabat. Dei tandem & adſtantium fultus auxilio conſcenſis grădibus, & ad ſancti Martyris locum uſque perductus, ſtridentibus nervis & oſſibus, & tantum faciens

B tibus crepitum, ut qui aderant mirantes audirent, erectus ſtetit, ſanctum feretrum deoſculans, pro tanto beneficio gratias egit. Qui ab infirmitate, quam triennio ſuſtinuerat, perfectè curatum ſe ſentiens, ſponte ſancto Martyri hominium fecit, & à domno Joſcelino portarius conſtitutus, in tantum robur corpus ejus convaluit, ut onus animalis fortiſſimi ferret. A. ANONYMO.

ANNOTATA.

a *Ludovicum VI veriſimiliter deſignat, qui poſt patrem ſolus regnavit ab anno* 1118 *uſque ad* 1137, *uti habet Pagius ad utrumque annum.*

b *Carnotenſis urbs, ſive* Carnutum *aut* Carnotum *vulgò* Chartres, *urbs eſt Galliæ ſatis nota, & epiſcopalis ſub archiepiſcopo Pariſienſi.*

c *Normannia, ampla Galliæ provincia, Gallis* Normandie *dicitur; atque inde deducta vox* Normandia.

d *Id eſt,* vovere.

e *Apud Mabillonium* Mortarius *rectiùs, opinor, quàm in Ms., ubi legitur* Martarius. *Quippe exiſtimo deſignari oppidum ducatûs Mediolanenſis,* Mortariam *aut* Mortarium *Latinis, Italis verò* Mortara *dictum.*

f *In Gloſſario Cangii vox* cambii *explicatur* E *de menſis numulariorum, atque hoc ipſum exemplum adducitur.*

DE S. GODEGRANDO SEU CHRODOGANGO

EPISCOPO SAGIENSI MARTYRE

APUD NONANTUM IN NORMANNIA

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

J. S.

§ I. Antiquiſſimus Sancti cultus, & reliquiæ: memoria in Faſtis recentioribus: Vita ſcripta ab Herardo antiſte

c Turonenſi; multa quoque de Sancto in Vita S. Opportunæ ſororis. F

CIRCA AN. DCCLXX, UT FERTUR. *Cultus Sancti antiquiſſimus, reliquiæ variis locis ſervatæ:*

Quamquam memoria S. Godegrandi, *aut* Chrodogangi, *ut eum Vitæ ſcriptor nominat, in antiquioribus Martyrologiis non reperitur, uti nec in Romano hodierno, de antiqua ejus veneratione nullum tamen eſt dubium, cùm ea innoteſcat tam ex Vita, quàm ex Breviario Sagienſi, & aliunde. Ex Vita habemus corpus ſolemni ritu tranſlatum fuiſſe ab Hildebrando Sagienſi epiſcopo, qui ſeculo* IX *floruit. Eodem etiam ſeculo floruerunt ſcriptores Vitæ* S. Godegrandi *& Vitæ S. Opportunæ, qui ambo* Godegrandum *ubique* Sancti *aut* Beati *titulo exornant. In Breviario autem Sagienſi, quod excuſum videtur anno* 1582, *Officium novem lectionum de* S. Godegrando *recitandum præſcribitur die* III *Septembris. Cetera ſunt de communi; at Oratio propria hæc eſt:* Omnipotens ſempiterne Deus, da populo tuo præſentis diei feſtivitatem ſincero venerari obſequio, ut qui eam ſancti Godegrandi martyris tui atque pontificis annua celebritate devotis frequentant obſequiis, ejuſdem ſuffragiis cæleſtis regni gaudia conſequantur. Per Dominum *&c. Præterea apud Mabillonium in Actis Benedictinis ſec.* 3 *part.* 2 *pag.* 239 *ex Officio S. Opportunæ, ſororis* S. Godegrandi, *in quo de reliquiis S. Opportunæ agitur, hæc habemus:* Altera maxilla (*S. Opportunæ*) colitur apud Inſulam-Adami in prioratu S. Godegrandi fratris ſui. *Inſula Adami, vulgo* l'Iſle-Adam, *oppidulum eſt in inſula Oëſiæ* * *fluminis inter Bellomontium & Pontiſaram ſitum: habetque prioratum Ordinis Cluniacenſis, ſubjectum prioratui Pariſienſi S. Martini de Campis. Prioratus ille quidem paſſim nominatur* B. Mariæ * l'Oyſe

AUCTORE J. S. de Insula-Adæ ; *at ex allatis verbis colligitur, prioratum, aut certè aliquod ejus sacellum, sacrum quoque fuisse* S. Godegrando. *Corpus Sancti in laudato prioratu servari, caput verò in prioratu S. Martini de Campis, jam observavit Henschenius noster tom.* III *Aprilis pag. 66. Idem asseruit Bailletus in Vita S. Opportunæ ad* XXII *Aprilis, addens, aliquid etiam reliquiarum* S. Godegrandi *servari Parisiis in parthenone Vallis Gratiæ Ordinis Benedictini. Hæc sufficiunt, ut legitimum Sancti cultum agnoscamus ; quadam tamen adjungam ex Fastis recentioribus.*

memoria in Fastis recentioribus: aliqui duos annuntiant;

2 *In additionibus Usuardi apud Sollerium nostrum ad* III *Septembris ter recurrit memoria* S. Godegrandi *martyris, in editione videlicet Munerati primùm hoc modo:* Civitate Sais, sancti Godegrandi episcopi & martyris. *Grevenus verò & Molanus ibidem laudati non unum modò, sed duos memorant* Godegrandos *ejusdem civitatis episcopos, alterum martyrem, alterum confessorem. Audi Grevenum :* Civitate Sagiensi, sanctorum Godegrandi episcopi & martyris, & sancti Godegrandi ejusdem urbis episcopi & confessoris. *Molanus sic habet :* Civitate Sais, B sancti Godegrandi episcopi & martyris : cujus Passio continetur in Vita sanctæ Oportunæ virginis sororis ejus. Item sancti Godegrandi, ejusdem urbis episcopi & confessoris. *Duo similiter annuntiantur in Martyrologio Germanico, quod editum est nomine Canisii. Accedit Ferrarius in Catalogo universali, ubi eodem die sic habet :* In Normannia S. Godegrandi episcopi Sagiensis, & martyris, ac alterius Godegrandi episcopi confessoris. *In Annotatis pro utroque laudat Molanum : & de secundo, ut putat, hæc addit :* Apud Democharem Godegrannus nominatur duodecimus ejus sedis episcopus, S. Adelini successor.

sed sine fundamento :

3 *Verùm erravit Democharis, cùm* Godegrandum *postposuit Adelino, seu Adelhelmo, qui auctor est Vitæ S. Opportunæ, in qua de ipso* Godegrando *scribit. Præterea nec duos istius nominis episcopos Sagienses ponit Democharis, nec ullus alius eorumdem episcoporum catalogus, quem quidem ego viderim. Non nisi unum quoque* S. Godegrandum *assignat Breviarium Sagiense. Ignoro igitur, unde Grevenus, quem alii* C *secuti sunt, duos sibi* Godegrandos *Sagienses episcopos imaginatus fuerit ; an ex leviuscula nominis mutatione, an quia* S. Godegrannus *sine titulo* martyris *memoratur apud Democharem, & forsan alibi. Quidquid sit, quod isti duplicationi occasionem præbuerit, dubitare nequeo, quin idoneo careat fundamento : nam nominis mutatio nihil planè evincit, cùm profluxerit ex Vita S. Opportunæ. in cujus diversis exemplaribus nomen nonnihil mutatur. Nihilo magis valet omissio tituli* martyris, *cùm hic titulus* S. Godegrando *tam clarè non congruat, ut non potuerit facilè omitti. Plus evinceret ordo episcoporum Sagiensium, si* Godegrandus *rectè positus esset post Adelinum vel Adelhelmum, sed eum Democharis errorem jam alii dudum correxerunt.*

elogium ex Saussayo;

4 *Rectiùs martyrologi Galli unum dumtaxat* Godegrandum *Sagiensem episcopum memorarunt. Saussayus ad* III *Septembris hoc ei texuit elogium :* Ipso die natalis sancti Godegrandi episcopi Saiensis sub secunda Lugdunensi, & martyris, qui sanctæ virginis Oportunæ germanus, quam velo virginitatis amictam Christo virginum sponso dedicavit : cùm omni virtutum & religionis ornatu in episcopali cathedra, in qua beato Lothario ex meritorum suffragiis successerat, præsideret ; incensus pio affectu limina beatorum Apostolorum visitandi, Grodoberto cuidam, pietatis speciem præferenti, episcopatus sui curam demandavit. Sicque Romam profectus, dum piis votis potitur, audita nefaria Grodoberti, qui in omne scelus proruperat, conversatione ; salutis gregis, quem mercenarius ille diripiebat, bonus Pastor sollicitus, mox ad sedem reversus est : ubi dum, quæ infirmata erant, consolidare, sanare ægrota, confracta alligare, quæ abjecta erant, reducere satagit, atque in Grodoberti scelera bono zelo invehitur ; à sicario, quem perditus ille proditor conduxerat, non procul à Saiensi civitate impetitus, ferali mucrone occisus est. At fidelis Servi mortem suo in conspectu pretiosam Dominus demonstravit magno miraculorum fulgore, quæ funus ejus subsecuta sunt. *Elogium hoc Actis satis consonat : plusculà tamen refert de Sancto post reditum ad urbem Sagiensem, quàm habent Acta, ex quibus liquet, occisum fuisse, prinsquam regimen ecclesiæ sua resumpsisset. Nihil quoque in Vita alterutra legitur de velo sorori Opportunæ* E *per ipsum* Godegrandum *imposito.*

quidam neoterici titulum martyris *omiserunt sine justa causa.*

5 *Martyrologium Parisiense, anno* 1727 *impressum, de eodem Sancto ita habet :* Apud Nonantum in Neustria (*id est, Normannia*) sancti Chrodegangi Sagiensis episcopi, beatæ Opportunæ fratris. *Hæc annuntiatio, in cæteris exacta, omittit titulum martyris, licèt auctor non potuerit ignorare Sanctum passim annuntiari ut martyrem. Castellanus in Martyrologio universali eumdem* martyris *titulum suppressit, quamvis violentam Sancti mortem per subornatum à Chrodoberto sicarium memoret. Attamen facilè ostendi potest,* S. Godegrandum *rectè ut martyrem annunciatum & cultum fuisse, cùm violenta morte occubuerit, eaque ipsi illata fuerit, quòd regimen ecclesiæ suæ resumere vellet, ut disciplinam collapsam restitueret, & oppressos miserè subditos sublevaret. Hoc Sanctum facere voluisse, mortemque ea de causa ipsi illatam fuisse, ex Vita S. Opportunæ clarè colligitur. Nullum quoque potest esse dubium, quin talis intentio, talcque opus sit bonum & laude dignum. Qui autem pro bono quolibet opere ad Deum* F *relato mortem oppetit violentam, jure merito martyribus annumeratur, uti ostendi in hoc tomo pag.* 591. *Sic S. Thomas Cantuariensis ab omnibus* martyr *dicitur, quia occasione defensæ ecclesiasticæ disciplinæ mortem à sicariis illatam sustinuit. Itaque nulla est ratio, cur titulum martyrii, jam à seculo* IX S. Godegrando *tributum, eidem negare velimus.*

Vita S. Godegrandi unde, & quomodo accepta ;

6 *De Vita* S. Godegrandi, *seu* Chrodogangi, *primus mentionem fecit Mabillonius in Actis Sanctorum Ordinis sui Benedictini sec.* 3 *part.* 2 *pag.* 221, *ubi & auctorem ejus designat Herardum Turonensem antistitem. Mabillonium secuti sunt eruditi scriptores Benedictini Historiæ literariæ Franciæ in elogio Herardi tom.* 5 *pag.* 395. *Hisce igitur scriptoribus notitiam de Vita debeo : nam simul assignarunt locum, nimirum abbatiam S. Ebrulfi, seu Uticensem, in Normannia, ubi servatur in antiquo Ms. Acceptâ autem hac notitiâ, statim per quemdam è Patribus nostris Parisiensibus recurri ad abbatiam S. Ebrulfi, ut* S. Godegrandi *Vitam nobis communicare dignarentur laudatæ abbatiæ religiosi Benedictini. Hi verò summa humanitate parique celeri-*

A *celeritate Vitam desideratam exscribendam curârunt, ex codice bibliothecæ suæ, notato N.o 84, eam dictante & cum eodem Ms. conferente R. Domino Filliaut, ejusdem cœnobii religioso, prout subscripto nomine testatus est die x Julii hujus anni* 1745.

scriptor Vitæ Herardus Turonensis antistes:

7 *Vitæ scriptor, ut jam insinuavi, est Herardus præsul Turonensis, qui episcopatum tenuit ab anno* 855, *usque ad annum* 870, *ut scribunt in ejus elogio auctores Historiæ litterariæ mox laudati. Hinc colligi utcumque potest tempus Vitæ scriptæ: nam ea exarata est, dum jam erat episcopus, ut colligitur ex versiculis, qui post vitam in eodem codice leguntur hoc modo:*

Hæc carus caro dona transmittit amicus.
Suscipe gratanter, cùm sint felicia votis,
Hildebrande sodes præsul; Turonensis Herardus
Perpetuò vigeas valeasque poscit in ævum.

Hildebrandus hic, cui Vita missa, est episcopus Sagiensis, hujus nominis secundus apud Sammarthanos, & jam ante Herardum cathedræ admotus, eique deinde superstes, ita ut ex eo

B *tempus Vitæ scriptæ propinquiùs discere nequeamus. Hildebrandus hic transtulit corpus* S. Godegrandi, *atque ea translatio occasionem præbere potuit vitæ scribendæ. Porrò hæc scripta est eo modo, ut satis pateat, noluisse auctorem fabulas aut incomperta narrare: nam facta admodùm pauca refert. Quapropter tanto majorem ipsius assertæ fidem merentur, præsertim cùm fuerit magni nominis antistes, & verisimiliter scripserit evoluto necdum seculo à morte Sancti, ac demum cùm nihil affirmet, quod falsitatis convinci possit.*

multa quoque de Sancto in Vita S. Opportunæ.

8 *Eodem seculo* IX *ad finem vergente, scripta est Vita S. Opportunæ, sororis* S. Godegrandi *per Adelhelmum episcopum Sagiensem, & successorem Hildebrandi. Huic Vitæ pleraque gesta* S. Godegrandi *inserta sunt, exceptis tamen translationibus & miraculis. Itaque cùm hujus Vitæ scriptor etiam fidem mereatur, ac plura de gestis* S. Godegrandi *narraverit, aut saltem prolixiùs explicaverit, quàm ipse Herardus, ita ut Vita altera alteram subinde illustrare possit, gesta Sancti ex Vita S. Opportunæ inseram huic Commentario per partes ordine temporis; propriam verò* Godegrandi *Vitam edam inferiùs, de more annotationibus illustratam.*

C

§ II. De tempore, quo floruit Sanctus: gesta ordine relata & examinata.

Sanctus probabiliter creditur floruisse seculo 8;

NEc *Vita* S. Godegrandi, *nec sororis ejus Opportunæ, ullum suggerit fundamentum satis firmum, quo niti possimus ad chronotaxim stabiliendam, aut determinandum tempus, imò & seculum ipsum, quo* S. Godegrandus *floruit. Ex utraque verò satis colligere possumus, Sanctum floruisse ante seculum* IX, *cùm illo seculo floruerint ipsi utriusque Vitæ scriptores, qui satis insinuant variis locis, se non fuisse contemporaneos Sanctis, de quibus agunt. Verisimile tamen est,* S. Godegrandum *vixisse & mortuum esse seculo* VIII, *uti & sororem ipsius* S. Opportunam: *atque hoc unum asserere ausus est Henschenius noster in Commentario prævio ad Acta S. Opportunæ tom.* III *Aprilis pag.* 61, *tempus propinquiùs non assignans. Verùm Joannes Chenu, Claudius Robertus, & Sammarthani in suis catalogis episcoporum Sagiensium* Godegrandum *episcopum substituunt Lothario. Primus quidem episcopatum* Godegrandi *collocat* circa annum DCCLXV, *atque eatenus alii consentiunt. Sed Robertus addit de Lothario:* Obiisse notatur XV Junii, DCCLVI. *Sammarthani de eodem:* Obiisse legitur die XV Junii an. DCCLVI.

AUCTORE J. S.

variique mortuum dicunt circa annum 770:

10 *Quàm certa sit hæc epocha, prorsus me latet, cùm nulla afferatur probatio, & laudati scriptores non raris erroribus sint obnoxii. Cointius tamen in Annalibus suis ad annum* 756 *num.* 22 *sine scrupulo sequitur, atque hoc semel fundamento posito mortem* S. Godegrandi *anno* 770 *num.* 25 *commemorat, notans tamen de anno emortuali non convenire inter scriptores. Mabillonius quoque ad Acta S. Opportunæ notavit* circa annum DCCLXX, *& in fine notat sequentia:* De anno certa non potest ferri sententia. Chrodegangus ejus frater sedisse dicitur circiter annum DCCLXV, cui uno dumtaxat anno supervixit Opportuna, cujus obitum reponimus anno DCCLXX. *Auctor Martyrologii Parisiensis pro anno emortuali ad marginem notavit* circiter DCCLXV aut DCCLXX. *Incertiora hæc omnia sunt, quàm ut lubeat aliquid affirmare, cùm nulla mihi se offerat ratio, quâ prædictam epocham confirmem, aut etiam refutem. Longuevallius in Historia ecclesiæ Gallicanæ pag.* 346 *& seq. gesta S. Opportunæ &* S. Godegrandi *narravit ad annum* 751, *atque ita indicavit se quoque nihil certi de tempore reperisse. Æquè incerta est duratio episcopatûs, quia de ea nihil legitur, nisi Sanctum septennio peregrinatum fuisse; nec ullo verbo insinuatur, quamdiu cathedram administraverit ante peregrinationem. Demum de numero annorum, quibus vixit, nihil etiam habemus compertum.*

E

patria Sancti & natales illustres:

11 *De patria verò Sancti loqui videtur Vita num.* 4, *ubi dicitur* Sagiensis indigena. *Est autem Sagium civitas episcopalis in inferiori Normannia sub archiepiscopo Rotomagensi, Gallis* Seez *nominata. Nobile genus Vitæ eidem adscribit; at non regium. Verùm Vita S. Opportunæ num.* 2 *de parentibus ipsius sic habet:* Nam parentes ejus nobilitatis genere pollentes, & regalis prosapiæ apice florentes, inclyti Oxymensis pagi super omnes, qui ibidem morabantur, homines, duo luminaria mundo genuerunt, beatum videlicet Godegrandum *, Sagiensis ecclesiæ, cui ego, Domino disponente, deservio, episcopum, & dominam nostram Opportunam. *Utrùm regali prosapia, an solùm nobili, natus sit Sanctus, non constat ob hanc diversitatem utriusque Vitæ. Præterea non urbi Sagio, sed Oximensi pago, qui vicinus est, natales Sancti attribuit: nam* Oximus, *vulgo* Hiesmes, *pago Oximensi dedit nomen, isque vulgo dicitur* l' Hiesmois; *aliquandò etiam nominatus reperitur* comitatus Oximensis. *Hinc Sammarthani de natalibus Sancti nostri sic habent:* Quem catalogi comite Oximensis pagi prognatum ferunt. *Jam verò etiamsi non satis appareat, utrius Vitæ auctoritas præferenda sit, malim tamen existimare Sanctum illustribus, & forsan regiis, natalibus ortum esse in pago Oximensi, quam Sagii; tum quia Adelhelmus biographus sanctæ Opportunæ alia Acta haud dubiè præ oculis habuit, nec ab iis fuisset recessurus sine causa, tum quia voces*

F

* *Mab.* Chrodegandus.

AUCTORE J. S.

illæ, Sagienſis indigena, *non neceſſariò intelligi debent de loco natali; ſed intelligi quoque poſſunt de habitatione. Hæc de patria & parentibus Sancti; de educatione autem ipſius, de electione ad epiſcopatum, hujuſque adminiſtratione Vita S. Opportunæ nihil ſuggerit.*

cùm Epiſcopus vellet piam & diuturnam inſtituere peregrinationem, eccleſiam ſuam Chrodoberto committit,

12 *De* S. Godegrandi *peregrinatione laudata Vita num.* 8 *habet ſequentia:* Factum eſt ut venerabilis frater ejus Godegrandus, Sagienſis eccleſiæ epiſcopus, ob amorem cæleſtis patriæ, Romam ad limina beatorum apoſtolorum Petri & Pauli, & diverſa loca Sanctorum, causâ orationis vellet peragrando circumire. Cúmque ſecum iſthuc deliberaret, velletque tali in opere ſeptem annorum curricula tranſigere, ut laborando, peregrinando, & orando, poſſet delictorum veniam & gaudia æterna obtinere; diſpoſita eccleſiæ ſuæ adminiſtratione, cœpit miſericordiam Dei invocare, ut cuſtos ejus eſſe dignaretur in concepto itinere. Accerſito itaque quodam viro, diaboli amico, pleno totius nequitiæ dolo (qui priſtinus amicus eſſe putabatur, & erat ei affinitate conjunctus, præſeſque erat Oximenſis pagi, & vocabatur Grodobertus *) videntibus cunctis, qui aderant, commendavit ei defendendum omnem locum & epiſcopium ſuum, ita cum eo loquens: O dulcis amice Grodoberte, committo fidei & amicitiæ tuæ omne officium eccleſiæ meæ, & omnem facultatem & ſupellectilem ſubſtantiæ meæ, donec Domino volente redire potero; ut Domini miſeratione, & mea oratione, ſimulque tua defenſione, grex mihi commiſſus ab inimicorum hominum fervetur incurſione. Benedicens deinde dominus Godegrandus omni plebi, & exhortans, ut in mandatis divinis perſiſteret, valedicens etiam ſimulatori Grodoberto, perfuſus lacrymis, cœpit iter agere longæ peregrinationis. *Probum haud dubiè putavit Chrodobertum, ſed deceptus eſt, ut mox ſubditur.*

B

* *al.* Chrodobertus

hic verò, abſente Sancto, eccleſiam vexat, & ſe epiſcopum ordinandum curat:

C

13 Poſt receſſum domini Godegrandi, noluit prædictus Grodobertus eſſe defenſor loci, ſed magis invaſor & deprædator populi. More namque luporum cœpit commendatas ſibi oves non defendere, ſed dilaniare: cœpit ſubſtantiam earum auferre, & neminem ſinebat quietè vivere. Poſtponens itaque omnem amicitiam, & pro nihilo ducens affinitatem; poſtquam res eccleſiæ cunctas crudeliter diripuit, contra decreta antiquorum patrum & inſtituta omnium canonum, dum adhuc dominus noſter Godegrandus viveret & Domino in peregrinatione deſerviret, eidem eccleſiæ Sagienſi fecit ſe epiſcopum ordinari. Tum verò, non accepta juſta benedictione, ſed repletus divina maledictione, non ſicut paſtor agebat, ſed ut mercenarius iniquus, ſola lucra terrena quærens, animarum ſalutem parvipendens: ardentiùs enim mammonæ, quàm Domino, ſerviebat. *Hæc infrà in Vita num. 6 breviùs perſtringuntur. Veriſimile eſt, Chrodobertum initio moderatiùs egiſſe; ſed deinde ſperare cœpiſſe* Godegrandum *numquam rediturum; atque etiam populo & clero perſuaſiſſe, defunctum eſſe, ut ſic epiſcopalem dignitatem ſuſcipere poſſet: nam rumores de morte* Godegrandi *ſparſos fuiſſe, ex verbis Chrodoberti mox dandis colligitur.*

redux Godegrandus regimen reſumere eccleſiæ conatur;

14 *Reditum Sancti*, veniente anno ſeptimo peregrinationis, *multúmque pro eo orante S. Opportuna, contigiſſe deinde affirmat idem biographus. Vita verò* S. Godegrandi *reditum collocat*, ſeptimo anno devoluto, *atque id ſpatium rectiùs congruit cum propoſito Sancti antè relato ab ipſo etiam Adelhelmo, qui noluit veroſimiliter aliud hîc dicere per voces* veniente anno ſeptimo *quàm veniente fine ſeptennii, ſeu termino peregrinationis. Quo autem ſe modo geſſerit poſt reditum exponit num.* 11 *his verbis:* Nempe cùm rediret B. Godegrandus multorum relatione didicit tyrannidem ſcelerati Grodoberti. Cognita igitur illius nimia cupiditate & crudelitate, memor Dominici præcepti, dicentis: Diligite inimicos veſtros, & orate pro perſequentibus & calumniantibus vos; obnixè Dominum precatus eſt, ut peccatis Grodoberti parcendo veniam daret: poſtea verò eumdem per nùntios blandè admonuit, ut à nequiſſima invaſione & inaudito ſcelere animum revocaret. Noluit enim primum ad Sagienſem eccleſiam pergere: ſed, ne locum daret diabolo, divertit ad jam dictum Monaſteriolum, ubi ſoror ejus ſolerter Domino ſerviebat. *Cùm* S. Godegrandus *monuerit Chrodobertum*, ut à nequiſſima invaſione animum revocaret; *clarum eſt, voluiſſe Sanctum reſumere regimen ſuæ eccleſiæ; atque ea de cauſa mortem ei machinatum eſſe Chrodobertum.*

D

E

at Chrodobertus, ſimulans ſe velle cedere,

15 Cùm veniſſet autem nuntius digni Deo Præſulis ad jam dictum tyrannum, ille ſimulans ſe gaudere de reverſione amici, fraudulenter talia remiſit ei mandata. Noveris, dulciſſime Pater, quoniam viri de longinquis patriis adventes, te ab hac luce migrâſſe dixerunt: ſed quia ſoſpes reverſus es, omni tuæ ſedis pontificatûs poteſtate recepta, utere eâ longo tempore feliciter: non enim in uno epiſcopio decet duos epiſcopos reſidere. Precamur itaque, ut ſimul loquentes priſtinis utamur amicitiis, ſicut expetit ordo caritatis & mutuæ dilectionis. Feſtinabat nuntius dicta impii Grodoberti nuntiare auribus domini Godegrandi: ſed ubi epiſcopus cum ſorore ſua verba audivit fraudulenta, talem B. Opportuna, ſpiritu prophetiæ repleta, reſponſionem dedit: Scias frater, quia molliti ſunt ſermones ejus ſuper oleum, & ipſi ſunt jacula. *De hac monitione S. Opportunæ in Vita Godegrandi nihil legitur.*

ad eum occidendum ſubornat ſicarium,

F

16 *De cæde* S. Godegrandi *biographus S. Opportunæ latiùs quoque agit; quàm Herardus fecerat. Primò enim affirmat, futuram mortem Sancto ejuſque ſorori fuiſſe cognitam. Secundò interfectorem Sancti facit quæſtorem Chrodoberti. Herardus verò de eo ait, fuiſſe juvenem moribus incultum. Dona eidem ſcelerato promiſſa mirè auget Adelhelmus, cujus verba ſubjungo:* Cognoſcentibus autem illis (Godegrando *nimirum & Opportuna*) quia appropinquabat tempus vocationis B. Godegrandi, & quia Deus vellet eum numero ſanctorum martyrum & epiſcoporum per effuſionem ſanguinis conjungi; cœpit tamquam pius Paſtor iter arripere, ut animam ſuam pro ovibus ſibi à Domino commendatis poſſet ponere. Sed lupus rapax Grodobertus, ſecum pertractans, quia ſi Paſtorem interficeret, ſecurè poſtea oviculas dilaniaret: cœpit more Phariſæorum & Judæorum, qui Dominum crucifixerunt, intra ſe quærere, quomodo ſanctum Epiſcopum poſſet ſic interficere, ut immunis populo videretur ab ejus ſanguine. Nec defuit ei conſilium traditoris Judæ: quia, ut Judas, plenus erat diabolicæ perſuaſionis ſuggeſtione. Habebat ſiquidem ſecum virum malignum, qui fuerat B. Godegrandi filius ſpiritualis, quem de unda baptiſmatis ſacri levaverat: loculos ipſius, ſicut Judas Domini, deferebat: & eumdem ſceleſtum

A Ieſtum virum divitiis & honoribus alliciebat, ut ſi B. Godegrandum interficeret, majorem gratiam præ ceteris ſibi adſtantibus obtineret. Acceptis itaque auri & argenti, terrarum, equorumque muneribus, jurando promiſit, ſe B. Godegrandum interfecturum. Hoc ergo Grodoberto magnum peperit gaudium.

*qui Sanctum prope Nouantum inveniens, * al.* Novantium

17 Quadam igitur die, cùm B. Godegrandus vellet Alemannicas cœnobium pergere, ut cum venerabili Lanthilde, ſibi affinitate conjuncta, de divinis ſermonibus colloqueretur; dum tranſiret per Nonantum * prædium, vidit eum filius diaboli Grodobertus per feneſtram cœnaculi. Tunc advocato S. Godegrandi filiolo, præcepit, ut ad necem ſancti Pontificis properaret, ſi dicta munera obtinere vellet. Qui ſponte properans, ad S. Godegrandum acceſſit, & repletus diri draconis aſtutiâ, torvis & crudelibus oculis ſanctum Virum aſpiciens, mortiferum venenum ſub lingua aſpidea & antro cordis retinebat. Quod videns B. Godegrandus, & calliditatem animadvertens, ſereno vultu dixit: Quid eſt hoc, fili? Ut quid peſtiferæ cogitationes virulentum animum tuum conturbant? An ignoras, quia ego ſum ſpiritualis pater tuus Godegrandus? Quid moraris? Fiat, quod permittit Domini voluntas. Ipſe autem truculentus & audax, oſculari ſe ab Epiſcopo petiit. Tunc glorioſus Godegrandus elevans oculos in cælum, & ſciens jam imminere horam mortis, oravit ad Dominum, & dixit: Domine Jeſu piiſſime Redemptor, ſuſcipe ſpiritum meum, quem dediſti; & cuſtodi gregem, quem commendaſti mihi peccatori. Utinam merear cum eis regnare in cælis, pro quibus non dubito ſuſtinere paſſionem in terris. Cúmque de cælis exauditam eſſe deprecationem ſuam audiret, mox percuſſori ſuo in ſimplicitate cordis oſculum dabat libentiſſimè.

eum gladio occidit: auctores necis divinitus punitr.

18 Ille autem, evaginato gladio, ſanctum Dei Pontificem bis in ſincipite percuſſit: cujus venerandi capitis percuſſionum cicatrices, quaſi à medicis ſanatæ, modò nobiſcum, Domino donante, manent & apparent. Sic dilectus Deo pontifex & paſtor bonus noſter Godegrandus, vitam in terris finivit, & angelicis cœtibus ſpiritus ejus in cælis conjunctus eſt tertio Nonas Septembris: qui quia in modico fidelis fuit, nunc in gaudium Domini ingreſſus, ſupra multa eſt conſtitutus. Qui autem eum interfecit, in eodem loco à dæmone arreptus, nec data munera obtinuit, & ad infernà, heu proh dolor! celeriter deſcendit. Grodobertus quoque, auctor miſeræ calamitatis, divinæ percuſſionis ultione turpiter, & quidem brevi, vitam finivit: quia non poteſt bene mori, qui malè vixerit. *Hactenus Adelhelmus, ad cujus relationem nonnulla ſunt obſervanda. Primò cœnobium, quo Sanctus pergebat, vulgò* Almeneſches *dicitur: noſtraque editio habet* Alemannicas, *Mabillonii verò* Alamanniſcas, *uti etiam vocatur in ipſa* S. Godegrandi *Vita. De eo Mabillonius in annotatis hæc habet:* Alamanniſcæ, parthenon agri Sagienſis, hactenus exſiſtit ſub regula S. P. Benedicti, ad rivulum in Ornam influentem ſitus, à quo non longè diſtat Nonantum (*apud nos* Novantium) oppidulum, vernaculè Nonant. *Cùm* prædium *vocetur, & Chrodobertus ibi eſſet, veriſimile eſt, Nonantum fuiſſe prædium epiſcopi Sagienſis. Secundò quod dicitur de pœna percuſſoris, & Chrodoberti morte, prorſus omiſit Herardus, atque idcirco apparere poteſt minùs certum. Verumtamen ſatis veriſimile eſt, Adelhelmum, cùm Sagienſis eſſet epiſcopus, aliqua reſciviſſe, quæ latuerant Herardum Turonenſem. Idem judicium ferri poteſt de corporis immobilitate mox referenda, quam Herardus ſimiliter prætermiſit.*

AUCTORE J. S.

Corpus Sancti moveri nequit, donec S. Opportuna

19 *Audiamus hac de re Adelhelmum num.* 13: Quidam autem hæc videntes religioſi viri & vicini, cum pſalmis & cereis conati ſunt corpus S. Godegrandi proprii epiſcopi de terra erigere, ut juxta conſuetudinem eccleſiaſticam illud mandarent ſepulturæ. Sed tanto pondere hæſit in terra, ut à nemine illorum poſſet moveri. Quo comperto, S. Lanthildis, cum ſanctimonialium agmine acriter lugendo & flendo, cœpit illuc pergere. Cui ſimiliter contigit: nam nulla ratione corpus ſanctum potuerunt de terra levare. Relatio igitur tanti doloris ad B. Opportunam pervenit, quòd ſcilicet Frater ejus injuſta factione Grodoberti jugulatus jaceret in terra, & à nullo poſſet inde levari. Quæ in eccleſia exiſtens, cum omnibus ſanctimonialibus ſibi ſubditis, Domino commendabat animam Fratris: & à ſacerdotibus Miſſarum officiis celebratis, Deo obtulit ſacrificia ſinceriſſimæ orationis. Didicerat enim Spiritu ſancto ſibi revelante, jam Fratrem ſuum ad cælum migrâſſe cum palma martyrii. In ipſa quoque divina revelatione Dominum deprecata fuerat; ut corpus Fratris ſui tam diu immobile in terra jaceret, donec pro ejus anima congruas Domino preces funderet, & dehinc propriis ulnis in eccleſiam ad locum ſepulcri deportaret.

accedit, atque illud levat: ſepelitur in eccleſia Monaſterioli.

20 Orabat amita S. Lanthildis, ut corpus S. Godegrandi epiſcopi & martyris à terra elevaretur: precabatur neptis B. Opportuna, ne corpus fratris moveretur. In ambabus erat ſanctitas, ſed in domina noſtra Opportuna fervebat caritas fraterna. Vicit itaque S. Opportunæ orationis aſſiduitas, ut ſciamus, quoniam omnia præcellit caritas. Dignum namque erat, ut B. Opportuna, quæ fraternæ mortis dolore torquebatur, gratiâ exauditæ deprecationis à Domino conſolaretur. *Deinde narrat idem auctor* S. Opportunam *veniſſe ad corpus occiſi Fratris, doloremque ſanctæ Virginis immenſum deſcribit majori cùm exaggeratione quàm decore. Demum de ſepultura num.* 15 *ſic loquitur:* Hæc B. Opportuna audiens, corpus Fratris inter ulnas ſuſcepit; &, quem multi & fortiſſimi viri nequiverunt à terra levare, ipſa cœpit ſola ſine labore portare: *fortaſſe ad paſſus aliquot, aut exiguum ſpatium; ut ex ſequentibus apparet: nam aliàs res parùm eſt credibilis.* Igitur, *ut pergit auctor*, B. Godegrandi corpus cum multitudine populi, diverſi ordinis clericis, & lamentantibus virginibus, cum cereis & reſonantibus pſalmis, perducitur ad jam dictum Monaſteriolum; ibique debito honore, agente B. Opportuna, conditum ſepelitur. Ubi etiam per multa annorum curricula, per ejus merita, multa virtutum inſignia operata eſt divina clementia. *Varias corporis tranſlationes, quas Herardus memorat, in annotatis ad Vitam illuſtrabimus, quantùm poterimus.*

* * * * * *
* * * * *
* * * *
* * *
* *
*

VITA

A

VITA

auctore Herardo archiepiſcopo Turonenſi

Ex Ms. abbatiæ S. Ebrulfi in Normannia.

PROLOGUS.

Explicat auctor diverſa hominum ſtudia, a

CUm a mundi tempora, totius orbis curſu labentia, non uni tantùm ætati, non populo, non genti, ſed univerſo orbi conſtent eſſe communia: diverſi pro qualitate ingenii virtutis & gratiæ fugitiva & mortalia fæcula diverſorum actuum inſigniis extulerunt. Quidam

B continui frequentatione triumphi, quidam celebri victoria poëmatum vel quarumlibet artium aſſueti: alii exſequiis nobilis pompæ næniiſque ſollemnibus fæcula decorarunt, alii priſcorum iſtorias figmentis tragædicis, poëticis quoque vaticiniis inluſtrarunt. Unde ſi tantus labor tantumque ſtudium mortalibus adjungitur, perituriſque applicatur; quantus immortalibus & ſine fine manentibus putas adhibendus eſt rebus? Hinc eſt, quòd Maro ſuo poëmati inſerit Æneam poſt multa pericula ac ſua ſuorumque naufragia ſocios ita adhortatum eſſe: Forſan, inquit, & hæc olim meminiſſe juvabit. Hæc autem ſententia, quamlibet ſemel poëticè ficta; veram vim ſui intellectus diverſis adfert effectibus; nam præterita tanto in verbis habentur gratiora, quanto feruntur in geſtis graviora; & futura dum præſentium faſtidio fiunt deſiderabilia; creduntur utique meliora.

2 Unde & nos certæ ſpei anchoram cælo locantes, & cum apoſtolo Paulo dicentes: Noſtra converſatio in cælis eſt: non jam terrenis inhiantes, caducis operam dare rebus intendimus: ſed ſpiritalibus ſpiritalia loquimur, & fidelium auribus videlicet * eloquio Sanctorum geſta, ad noſtram uſque intelligentiam perducta, memorare curamus. Indeque tuam reverentiam, præſul beatiſſime, depoſcimus, ut, ſi quid in his aut ignavia torpentis ingenii, aut error depravati introducit eloquii, cenſurâ autoritatis propriæ corrigendum ſtatuas; nec * aliquod præjudicium veritati fraterni *b* affectus ignorantia inferat, quod ſinceritatis ac puritatis innocentia multipliciter excuſat.

aitque ſe geſta Sanctorum ſcribere velle.

* *fortè* vili licèt

C

* *fortè* ne

b

ANNOTATA.

a *Præfationi hic titulus in Ms. præfigitur:* Incipit prologus in Vitam ſancti Chrodogangi, Sagiorum urbis epiſcopi, & martiris.

b *Hæc verba ſatis inſinuant, epiſcopum fuiſſe Herardum, dum ſcripſit. Prologo autem hæc ſubnectuntur:* Explicit prologus. Incipit Vita ſancti Chrodogangi martyris.

D

CAPUT I.

Geſta & martyrium Sancti.

Deus, cujus cognitio etiam gentilibus communis,

OMnes homines, cujuſcumque ſint ſectæ, regionis, aut vitæ, ita moderante ſuperna providentia, bono naturali informantur, ut oblectamentis corporeis ac voluptatibus propriis anteferendum cognoſcant rationale mentis: &, ſi non actu, æquitate tamen judicii, illud quod potius eſt, quo totum corpus gubernatur & regitur, proponendum noverunt. Quæ mens duce ipſa ratione inluminata, inter virtutum agmina, licèt plerumque vitiis opprimatur, divinam tamen ſcientiam, quaſi ſummam aciem, proſpiciens, nil ejus oculos latêre, ſed omnia ad purum contemplari, conſiderat. Poteſt enim quilibet hominum ſuperbè Deum contemnere: nequit tamen penitus ignorare *a*. Hinc eſt, quòd priſcorum cæcitas, dum in multis Deum colendum putavit, multos indiſcreto ordine ſibi habendos præfixit. Hinc enim philoſophi, dum vigilantiore & adtentiore ſtudio de Deo quærunt, Deum unum verum, & ſolum auctorem omnium inveniunt, ad quem cuncta reducunt. Unde & nunc pagani, quos non de ignorantia, ſed de obcæcata ſuperbia, elucidata per orbem redarguit veritas, dum diſquiruntur ob multorum deorum culturam, non plures fatentur deos, ſed ſub uno magno & præcipuo alios quaſi miniſtros *b*, & ſequentes ſe vereri teſtantur. Igitur in quibus ratio deficit, fides certa ſuccurrit: niſi enim crediderimus, non intelligimus.

a

E

b

Sanctorum exemplis Eccleſiam illuſtrat: ex his Chrodogangus, nobili ortus genere.

4 Hic igitur verus & unus Deus, à quo omnia, & ex quo omnia, & per quem omnia, in quem, ut præmiſimus, ex diverſis opinionibus omnis ſecta, conditio, & ſexus concurrit, ignobilia & contemptibilia mundi elegit, ac fortia confundit, ut infirma reſtituat: qui in plenitudine temporum inmaculatam ſponſam ſuam Eccleſiam, non tantùm auro & gemmis muniri preticſiſque monilibus decorari, quantùm ſanctis virtutibus voluit inluſtrari. Qui ſicut eam inmaculati ſui ſanguinis effuſione redimendo dotavit, pariterque ditavit, ita hanc uſque ad mundi terminum exemplis Sanctorum præclariſque patrociniis prævia ope ſuæ divinitatis inradiare non deſinit. Ex quorum beatiſſimo numero fuit vir quidam Chrodogangus nomine, nobilibus natalibus *c* ortus quidem genere; ſed nobilior in Chriſto vitæ floruit ſanctitate. Qui Sagienſis quidem extitit indigena; ſed cælo perpetuus perſtitit accola. Unde & paradiſum, quem quæſivit opere, poſtmodum percepit in munere. Hic ab ipſis naturæ cunis fideique ſanctæ exordiis, virtutum cæleſtium effulſit ſtudium *: at poſt ſanctarum dogmata litterarum, jejuniis, vigiliis, frequentibuſque virtutum exercitiis Regi regum ſoli Domino militare contentus, multos præire virtutibus nitebatur.

F

c

* ſtudio

qui epiſcopus creatus multis fulget virtutibus.

5 Sed cùm pro ſanctitatis gratia à cunctis diligeretur, & velut præcipuus athleta inſigniùs veneraretur, Saiorum urbi ad pontificium à cunctis expoſcitur. Nec mora: quippe quem ſuperna gratia dignum decreverat, pontificatûs culmen ſecundo ordine adipiſcitur. Indeque cotidianis augmentis, & ſolitæ bonitatis incrementis, ad altiora virtutum conſcendere non cunctatur,

A ctatur. Igitur populos sollicitudine susceptι officii salutaribus cotidie informabat eloquiis, & omnibus ubique verbo pariter & exemplo dux aderat regni cælestis: factus cum Job beatissimo oculus cæco, & pes claudo, pater etiam pauperum, consolator viduarum, pupillorum solatium, egentium quoque levamen: ita ut omnibus absque exceptione personæ presentia pariter & futura subsidia ministrare, indefectivo opere procuraret.

peregrinationem suscipiens, cuidam ecclesiam committit; at ille se episcopum ordinandum curat: *d*

6 Per idem tempus, dum potiora ac Deo semper gratiora desiderat, limina beatissimorum Apostolorum Petri & Pauli ob eorum exoranda suffragia ac promerenda beneficia Romam se visitare deliberat. Hac de re ecclesiam sibi traditam tuendam gregemque commissum alendum cuidam suæ affinitatis nobili & præpotentissimo committendam statuit viro, nomine Chrodoberto. Sicque Sanctorum loca plurima per septem annorum, ut fertur, peragravit curricula *d*. Interea idem Chrodobertus cæcitatis cupidine captus, dum sanctus Antistes longinqui exulatus peregrina decurreret; primò quidem res ecclesiæ, sibi fidei puritate commissas, crudeliter diripit, suisque usibus mancipat: seque deinceps factione quorumdam, Pastore superstite, eidem sedi contra fas pontificem ordinare non titubat.

redux Sanctus ad cœnobium vicinum divertit, *g* *h*

7 Septimo igitur anno devoluto, Vir Dei, sui laboris cursu explicito, ad sedem regredi, opitulante divina pietate, deliberat. Interim gesta tam immanis & sævæ cupiditatis agnoscens, ad sedem ire distulit, sed ad quoddam cœnobium eidem urbi vicinum, Monasteriolum dictum, quo reverenda cohors, ejusdem sancti Viri salutaribus instituta doctrinis, degebat sanctimonialium, declinando secessit: inimicitiæ quidem cedendo; non tamen martirii aciem devitando. Quo etiam loco soror sancti Antistitis Opportuna cæteris sororibus præerat, ipsaque vitæ merito & sanctitatis gratiâ anteibat. Illic Vir beatissimus pernox in orationibus, jejuniis etiam & orationibus assiduus, soli Deo vacare, cælestique militiæ insistere decreverat *e*.

dum verò ad vicinum aliud cœnobium proficiscitur, *f*

8 Verùm cùm jam tempus remunerandorum immineret certaminum, Vir sanctæ confessionis titulo admodùm clarus *f*, invasor facibus diabolicæ cupiditatis cæcatus de nece sancti Viri dolosè cœpit tractare, & quemadmodum lucernam tanti fulgoris, non in modio, sed super ecclesiæ sanctæ candelabro positam, posset extinguere, multiplicibus argumentis exquirere. Interea clerus pariter & populus tanti Pastoris absentiam inter lupi sævientis insidias gravi mœstitia tolerabat: nec consolationis qpem recipere quibat, quem iniquâ cupidine pulsum adhuc superstitem, ceu penitus ablatum dolebat. Verùm ne tanti Militis diutiùs emeriti cessarentur agones; accensa adversus Christi Famulum rabies extemplo compos voti efficitur. Cùm enim è proximo beatus Chrodogangus gratiâ spiritalis alloquii Alamannicas *g* cœnobium visitare disponeret, quo egregiæ vitæ Lanhidis *h* ejusdem sancti Viri affinitatis morabatur, ipsiusque loci sanctimonialibus sororibus præerat, conspicitur ab invasore Chrodoberto per fenestam triclinii, dum iter deduceret juxta Nonnantum prædium. Solicitudine namque pervigili diebus ac noctibus moliebatur proditor, sicut & Judas Dominici sanguinis traditor cum laternis & facibus & armis, ne Vir sanctus machinamenta doli & insidiarum illius argumento quolibet posset effugere.

9 Porrò tunc quidam ex discipulis beati Viri ab invasore seducti, illi adhæserant: inter quos etiam quidam ætate junior, beati Viri spiritalis filius, quem à sacri Baptismatis undis exceperat, incultus moribus habebatur. Quem ad eum jugulandum vir ille diabolicus, primò divitiis & honoribus se eumdem remuneraturum pollicitus, destinare maturat, eo, ut creditur, calliditatis ingenio, ne tanto Viro de peculiaris filii præsentiâ ulla oriretur pravæ actionis suspicio; & incautum perimeret, quem appetere publicè populi formidine, qui Patrem speciali fovebat amore, nullatenus auderet. Qui à conspectu tyranni egrediens, accessit ad Pontificem: &, ut priscorum antiquitas meminit, Judæ scelus in tam præcipuo membro Salvatoris ore infecto repetit, pacis ei osculum porrigens, sed ad modicum flammivomatu *i* mentis veneni antra recondens. Econtra Vir sanctus divinæ passionis non immemor, sed ut verus Dei cultor, mandatorum cælestium idoneus exsecutor, intelligens eferatum juvenis animum, cui interiora molimina hilaritatem exterioris habitus jam fœdaverant, furiosumque reddiderant; inter cetera tale fertur paritori *k* dedisse responsum; Fac, inquit, fili, quod vis: & ad quod missus es, perfice. Nec cunctatur sceleratus juvenis: duplicato sanctum Virum extemplò gladio percutit vulnere.

cicatrices vulnerum diu post incorruptæ: sepultura Sancti. *l*

10 Quo loco ita hactenus cicatricum vulnera apparent incorrupta, fidelium aspectibus non ignota, velut è vicino à probatissimis medicis forent remediata *l*. Hujusmodi igitur professionis ordine Vir beatissimus terrena contempnens, cælestia semper amplectens, trophæo insignis martyrii à Domino meruit coronari. Sed cùm tanti Viri exitus fama lugubri vulgaretur in populos, esset que tanta de absente Pastore mœstitia, quanta fuerat de præsente lætitia, beata Opportuna sorore antefata studente, ad antè dictum Monasteriolum *m* defertur, ibique corpus Beatissimi tumulo novo competenti honore reconditur, & juxta sanctum altare ejusdem ecclesiæ tumulatur: ubi per multa temporum spatia à fidelibus populis congruo ordine frequentatur: & satis digna veneratione percolitur, præstante Jesu Christo Domino nostro, cui est cum Deo Patre, & spiritu sancto honor, gloria in sæcula sæculorum. Amen *n*.

A. HERARDO ARCHIEP. *occiditur per subornatum à Chrodoberto sicarium:*

i

k

m

n

ANNOTATA.

a *Atheos notat hæc sententia: nam illi potiùs cupiunt & dicunt, Deum non exsistere, quàm id sibi persuadere possunt aut credere. Cicero lib. 2 de Natura deorum:* Omnibus enim innatum est, & in animo quasi insculptum, esse deos; *aut potiùs Deum, ut Cicero ipse cum præstantissimis philosophis gentilibus satis agnovit.*

b *Platonis hæc fuit sententia, quam prævaluisse apud gentiles seculi* IX, *hinc colligi potest.*

c *De natalibus & patria Sancti consule Commentarium num.* 11.

d *Bailletus in Vita S. Opportunæ ad* 22 *Aprilis peregrinationem hanc temerè improbat, dicens Deum verisimiliter voluisse, ut peccatum ista occasione commissum sanguine suo eluceret. Verùm uterque biographus, uterque magni nominis episcopus, uterque loco & tempore vicinior, factum laudavit. Itaque parùm curanda est censura privati hominis & neoterici, qui tolerandus esset, si factum collocâsset inter exempla Sanctorum, quæ miranda magis sunt quàm imitanda. At major reverentia debetur Sanctis,*

A. HERARDO ARCHIEP.

quos Deus miraculis illuſtravit & cultu fidelium, quàm ut liceat in piis eorum factis tantam nobis culpam imaginari, ut eam ſanguine expiare debuerint.

c *Videlicet donec cathedram ſine tumultu reciperet: nam voluiſſe Sanctum epiſcopatûs adminiſtrationem reſumere, ſatis colligitur ex Vita S. Opportunæ, citata in Commentario num.* 14. *Et verò non alia de cauſa mors ei illata eſt dolo Chrodoberti, quàm ut hic cathedram tutò retineret.*

f *Niſi aliquid omiſſum ſit, legendum eſt*, Viro ... admodum claro.

g *De hoc cœnobio conſule Commentarium num.* 18, *ubi etiam cædes Sancti eſt relata.*

h Lanthildis *vocatur in Vita S. Opportunæ, &* amita *dicitur ex eadem num.* 20 *in Commentario. At plura de pia hac muliere non invenio, nec quidquam de cultu, etiamſi in eadem Vita nominetur* Sancta.

i Flammivomatu *legitur in apographo meo. Vox eſt durior, aut corrupta. Indicat autem biographus, juvenem efferato vultu non diu tegere potuiſſe ſcelus mente conceptum.*

B

k *Vox rurſum inuſitata. At ſenſus videtur*, ſcelus paranti, *niſi ſcriptum ſit*, apparitori.

l *Potuerat id biographus intelligere ex prima corporis elevatione paulo poſt referenda, cui fortaſſe adfuerat.*

m Monaſteriolum *nomen proprium eſt cœnobii, cui præerat S. Opportuna, ut num.* 7 *clarè dicitur. Diſtinctum id erat ab Alamaniſcenſi, cui præerat Lanthildis: nam ab uno ad aliud pergebat Sanctus, quando occiſus eſt. Utriuſque diſtinctionem etiam obſervavit Mabillonius in obſervationibus præviis ad Acta S. Opportunæ num.* 4, *ubi tamen oſtendit alterum alteri fuiſſe vicinum, ſicut utrumque non longè abeſſe poterat ab urbe Sagienſi: nam Monaſteriolum in utriſque Actis dicitur eidem urbi vicinum.* Exciſum eſt, *inquit Mabillonius*, Monaſteriolum à tempore Normannorum, adeo. ut vix ulla ejus veſtigia, immò nec ferè ſitus deprehendi poſſit.

n *Hactenus de geſtis aut de Vita Sancti, cui ſubditur in Ms.:* Explicit Vita incipiunt miracula.

C

CAPUT II.

Elevatio corporis incorrupti: tranſlationes & miracula.

Pauca è multis miracula ad aliorum exemplum narrantur: a

VErùm quum beati Chrodogangi exitum ad cæleſtis vitæ trophæum, ſermo progrediens extulit, congruum nobis videtur aliqua de ejus geſtis inſignibus *a* memorare: & quæ noſtræ intelligentiæ prodita ſunt, licèt minus debito ſermone, ſequentium indagini reſerare. De quo ab incolis quidem loci perplurima traduntur memoriæ: nos verò ex multis pauca memorabimus, ex quibus cætera, quæ per eum divina virtus operatur continuè, noſtrique ingenii tantillitas aut nequit aut tardat adtingere, fidem credentium pietas incunctanter valeat adhibere. Poſtquam tranſeuntia pereuntis ſæculi cœperunt decreſcere gaudia, & ruinam ſui cotidianis defectibus ſenſim innoteſcere, cœpit & locus ille, quo beati Viri membra locata ſupererant, incuriâ negligentium detrimentis continuis delitescere, & humanis frequentationibus inſolitè rareſcere. D

Hildebrandus antiſtes corpus elevat incorruptum:

12 Cùm interim vir egregiæ bonitatis & gratiæ Hildebrandus memoratæ Sagenſis eccleſiæ præſul, famam beatiſſimi Præceſſoris à complurimis didiciſſet, & tanti Patris tumulum temerè deſtitutum, locumque ſibi divinitus traditum, minùs juſto comperiſſet excultum; zelo rectitudinis inflammatus, primores matris Eccleſiæ ſacerdotes cum clero, omne quoque pſallentium officium, ad ſancti Viri corpus relevandum deputat; ac plebem ſubditam ſubmiſſæ devotioni obſequio Paſtori tanto occurrendam *b* invitat; pertractans ſuperno, ut claret, conſilio pariterque auxilio, ut aptiori ac celebriori loco ſanctus deponeretur Antiſtes. Sacerdotes interea cum clero & plebe innumera pontificalibus juſſis parentes, beati Viri corpus abſque ulla enodatione membrorum incorruptum reperiunt, & velut recenti depoſitione, quod tanta jam annorum ſpatia in ſepulchro tranſegerat, mirum dictu! adhuc inſolutum manebat *c*. *b* E

ac irruentibus de improviſo Normannis, divinâ providentiâ d

13 Cùm autem hæc agerentur, paganorum crudeliſſima rabies, Nortmannorum *d* ſcilicet diriſſima cædes, regionem illam incendio, & ſtrage innumerabili omnis conditionis & ſexûs, dictu lacrimabili perurgebat. Et jam à loco illo, clero ignorante & populo, equeſtri curſu vix ſpatio unius milliarii aberat. Interim dum ſacerdotes beati Viri obſequiis Miſſas celebrare diſponerent, ſacrificia quoque ſolemnia agere voto unanimi deliberarent; panis & vinum, quod tanto miſterio congrueret, indicatur deeſſe. Quod quidem non ſine divinæ pietatis providentia actum cognoſcitur: ſed ut clerus & populus ſancti Viri precibus à barbarorum gladiis eriperetur *e*. Nam dum adhuc in antè dictæ baſilicæ liminibus morarentur, barbarorum ſæva vicinitas nunciatur: egreſſiſque fidelibus populis, ilico locus ille cuneo barbarico occupatur, diripitur, atque perimitur, nilque eorum voracitati largientes ſuperna clementia utile ut deſiderabile reperiuntur *f*; ſed ut fide vacui: ita receſſerunt etiam prædâ jejuni: *e* *f*

F

cum omnibus cripitur, corpus ad urbem transferens, candelis quoque per ventum non exſtinctis: g

14 Cùm interea clerus divinis exultans laudibus, non furori cedens *g* barbarico, non terrore pavens ſæviſſimo, divino vallante præſidio, conſtanter ad civitatem progreditur: Nortmannorum ſævities, velut oblita & immemor, non furendo proſequitur, ſed per iter, quod venerat, curſu retrogrado progreditur: & quos inceſſu & ſono facile & noſſe erat & ſubſequi, ſancti Viri meritis, velut ſurdi & inſcii, neminem eorum valuerunt lædere. Quid autem in devectione beati Viri acciderit, referre oportunè placuit. Ante feretrum ejuſdem Martiris duo luminaria accenſa per accolitos ferebantur: ſed vis ventorum tantus * tunc & tam validus aderat, ut etiam robuſtiora virorum corpora nutatarentur *, & (ut ſeſe procelloſus hieme habet turbo) greſſu ſolido turbarentur. Sed miro & plurimis inaudito virtutis genere, dum unus ventorum huc illucque, velut Sina rubum *h* ignis, congirando relambens flammas deflecteret luminum non ſolùm extingueret, ſed nec ad modicum paſſus eſt virtutis ſuſtinere diſpendium. Feruntur etiam quidam tactu ejuſdem feretri amiſſæ virtutis reſumpſiſſe ſuffragia. * tanta... valida * nutarent *h*

ſecunda & tertia tranſlatio:

15 Per idem tempus cum barbarorum ſævitiem clerus huc illucque diffugeret, ac locus tanti Viri

A ri meritis inparatus exſiſteret: ad quemdam reverenter locum devehitur, illicque *i* (ſed non per plures dies) ſignis evidentibus, cũjus eſſet meriti, populis innoteſcitur. Evolutis ergo paucis diebus, beatiſſimus Pontifex à cella ſancti Senerici *k* Paniciarias *l* uſque defertur, tertio ſcilicet Nonarum Aprilium.

i

k l

16 Accidit autem quiddam mirabile in die ſollemni vigiliarum Paſchæ. Namque intempeſtæ noctis ſilentio, dum cuncti corpora quieti dediſſent; ſonus cæleſtis militiæ inæſtimabilis dulcedinis & gratiæ, elatis in excelſum melodiis, auditus eſt à plurimis: cumque multitudo ſupervenientum fidelium ante fores excubias ageret, ipſius etiam loci ſacerdotes inæſtimabilis cantilenæ ſuavitate attoniti perſiſterent, & hæc ſecum mirantes devolverent: viſum eſt, & à quibuſdam ita prolatum: Sanctus, inquiunt, confeſſor Launomarus *m*, nuper à loco ſepulchri barbarico terrore effoſſus, ad has partes à fratribus eſt delatus. Nunc autem, ne tam ſollempni die proprio careat tumulo, & ne ſancta fideliſque congregatio ipſius pretioſi viri optata ſibi deeſſe ſentiat ſuffragia, hujuſmodi laudibus idem Beatus in remeando *n* proſequitur. Qui verò loco illo, novo ſcilicet manſo *o*, obſequiis beati Confeſſoris tenebantur, non diſſimili ſtupore mirabantur; putantes concentum hujuſmodi eorum laudibus fieri, qui beati martiris Chrodogangi ſupervenerant occurſui. Tantus igitur & tãm magnus noſtris ſæculis inauditus, ſuavis & tinnulus, licèt incapabilis audientium ſenſibus, extitit ſonus, ut ſilvas, agros pariter & villas, circà poſitis ſex milibus occuparet, totamque ipſius ſanctæ noctis caliginem uſque ad ſanctæ Reſurrectionis diluculum gratiſſima vocum exultatione perfunderet. Hæc autem non fruſtra commemoramus, ſed ut cunctis pateat, quanta per ſanctum Martirem ad omnipotentis Dei gloriam geſta ſunt.

ſuavis & ingens ſonus auditus:

m

B

n

o

17 Nec illud præterimus, quod ibidem geſtum ante plures dies fidelium relatu comperimus. Antequam fama beati Martiris, adventus quoque ejuſdem ad memoratum locum, vulgaretur per populos; raptores illuc ſupervenêre, qui ſua miſeranda cadavera aliorum ſtipendiis aſſueſcunt reficere; & cùm ipſi epulentur rapinis, prædæ effecti diaboli æternis depaſcentur incendiis, & vorabuntur ultricibus flammis. Qui ilico res, quas invenerant, cœperunt ſolita rapacitatis voragine diripere. Unus autem ex illis, qui facto hujus ſceleris erat avidior ceteris, ſupernæ ultionis judicio continuò vexatus à diabolo, præſentis perpetuæque mortis excepit ſententiam.

raptor morte divinitus illata punitus:

C

18 Operæ pretium eſt etiam inſerere, quòd plures famâ beati Martyris permoti, antequam ad cellam locumque ſepulcri accederent, quidam domi, quidam in itinere viarumque exitibus, optatæ incolumitatis gaudia recipere meruêre: grabatis quoque vehiculiſque depoſitis, & caleſibus *p* abdicatis, greſſu libero ac liberiore animo laudes & grates loco ſepulcri retulêre. Nam plures ex ipſis cæcatos naturali lumine novimus, ſurdos, & mutos non paucos didicimus, claudos etiam & paralyticos, nec non & vexatos à dæmonibus, quos, ut præmiſimus, cæleſtis pietatis gratia meritis Chrodogangi martyris carceralibus vinculis ſolvit; languorum ægritudines curavit & optatæ ſalutis gaudiis omni ſublata mœſtitia miſericorditer reformavit. Ex quibus unum memorabile placet referre, ne ſermo prolixior mentes audientium valeat onerare.

multis in itinere ad Sancti ſepulcrum ſanitas reſtituta:

p

19 Puella quædam duodecennis, fidelium ulnis devecta, opem tanti Martyris expoſcit: quæ pedum veſtigiis natiumque marginibus habebatur adnexa, & ad ſuperiora corporis artubus pectori & cartilagini advincta, quin etiam loris membrorum omnium diſſoluta. Quæ cùm aliquandiu beati Martyris præſtolaretur ſubſidia, paulatim & per incrementa temporum, reſolutis nodis diriſſimæ paraliſis, virtute divinâ totius corporis vires uſumque recepit. Et quæ morbo diutino incurvata fuerat nec ſurſum reſpicere poterat, virium integritate reſumpta, uſque ad vitæ terminum Deo gratias agens, ſancti Viri obſequiis eſt devotiſſima.

A. HERARDO ARCHIEP. *paralytica ſanata,*

20 Nec multo pòſt quidam Ebroicenſis *q* provinciæ ſenex oculorum lumen amiſerat: qui ante fores ipſius loci decubans, multis, ut moris eſt, convenientibus, & Deo laudes pro voto canentibus [qui] clariſſima ſiderum ſe videre lumina fatebantur, cùm diutinò, ut diximus, illi totius viſus negaretur officium, cùm ſe deduci infra beati Martyris eccleſiam popoſciſſet; continuò, omni cæcitate depoſita, albugine ob teſtimonium cæleſtis Numinis illic aliquantulùm dependente, velut medicinali cauterio curaretur, totius viſus recepit ſolatia: ibique artis ſcenophegiæ *r* dans operam, accepta ſtipe laborum, dies ſuos expendere ſatis egit.*

cæco viſus redditus, q

E

r

**fatetur*

21 Interea quædam haud longè poſita regio morbo incredibili vexabatur: adeò enim vis ignium medullarum interiora decoxerat, ut à ſummis pedum digitis uſque ad genua, quoſdam uſque pudenda, obtegeret, & omnem cutis ſuperficiem nigriorem fuligine redderet. Hujus peſtilentiæ morbus plures utriuſque ſexus extinxiſſe percrebuit. Hac tempeſtate, dum populis Viri beatiſſimi actus innoteſcerent, plures ad eum venientes hujus miſeræ calamitatis peſte corrupti, cæleſtis gratiæ medicinam percipere meruerunt; ita ut à loco infecti vulneris ad ſuperiora nil deinceps procederet, ſed paulatim, reviviſcentibus membris, ſanitas optata rediret: ſicque plures eorum ad propria, quidam ad loca incolumes redeunt percognita.

multi morbo regio liberati,

22 Cùm hæc & ſimilia agerentur, Rampo quidam dictus, eidem regioni non incognitus, renum atque lumborum, & quæ infrà habentur, omnium membrorum viribus deſtitutus, ac velut diræ paraliſis dolore reſolutus, fideliter implorans auxilium Martyris, in brevi perſenſit reſtitui ſibi ſuffragia amiſſæ proſperitatis. Igitur ad teſtimonium juſtorum operum oportunum viſum eſt quorumdam hîc nomina inſeri fidelium, ut certior in omnibus, & in nullo dubia mens eſſet piorum.

paralyticus vigori ſuo redditus,

F

23 Cellomanenſis *ſ* quidam, vir bonæ famæ, vitæque non ignobilis, Iſambardus, totius capitis vexabatur incommodo, ita ut inſomnis noctibus atque diebus haberetur biennio. Qui cùm beati Martyris [meritis] intervenientibus ſibi remediari frequenter oraret, capitis dolore ſubmoto, omnique ſibi officio reſtituto, Deo laudes & gratias redditurus ad beatorum apoſtolorum Petri & Pauli limina Romam exultando feſtinat.

gravis capitis dolor ſublatus, ſ

24 Denique quod dinumerare non ſolùm prolixum, verùm etiam habetur difficile, brevi viſum eſt memoria commendare: dum innumerabiles populi diverſarum febrium, variarum quoque ægritudinum languoribus tunderentur, cruciatibus etiam diriſſimis torquerentur: beati Viri beneficiis imploratis, à propriis ſunt languoribus

plurimi alii ſanati: res perditæ, invocato Sancto, receptæ,

A. HERARDO ARCHIEP.

ribus absoluti; ita ut scirpis, & herbis, totiusque pavimenti cineribus *t*, omnium febrium dolorumque vacuarentur nexibus; & quam amiserant, membrorum medelam reciperent. Nec minùs & illud mirabile referam; quòd quidam amissionem rerum deflentes furto, fraude, vel qualibet incuriâ perditarum quantitatem lugentes; dum antefati Martyris merita expetunt, & perdita resumunt, & gratulabundè tecta sua repetunt.

t

ut uno exemplo declaratur:

25 Ex quibus unum memorabile in primo, quod fidem ceteris non dissimilibus præstet. A superioribus quidam nobis ignotæ provinciæ pauper advenerat, qui tres boves, & unam, quæ domi vitulum adhuc lactentem reliquerat, sibi furto sublatos anxiè suspirabat. Hic cum lacrymis oratione, quâ poterat, sibi auxiliari poscebat: votumque hujusmodi dedit, ut si perdita reciperet, vitulum domi retentum servitio Martyris applicaret. Sed non est apud Deum vilis oblatio, cui inest fidelis & simplex intentio. Nec quærit, quid, vel quantum, sed ex quanto, ei quod datur, tribuitur. Unde & hujus Viri oblatio, præcedensque oratio, quòd non ingrata fuerit, subsequens declarat effectus. Haud longè enim ab ecclesia beati Martyris vir ille remeans, quemdam sibi incognitum habuit obvium: Cujus es, inquit, ô bone vir, religionis *, vel unde nunc venis? Et pauper ingemiscens, putansque sibi inludi, tristi vultu respondit: Nequaquam, inquit, me & te par habet mœstitia. Et alter: Forsitan, inquit, aliquid perdidisti: nam si de bubus agitur, ecce sunt, inquit, nescio cujus opaca depascentes silvarum: quos quia absque pastore repperi, furatos credidi. Tum ille virtutem Martyris reducens ad memoriam, designatum sibi locum expetit, vaccam primò lascivientem reperit. Quam cùm minaretur, cursu prepeti dominum ad loca depascentium animaliun perducit: idemque, recognitis & receptis, quæ sui juris erant, omnibus, nemine resultante*, gratulabundo remeat itinere.

B

* *forsè* regionis

* resistente

cæca à natalibus visus donatus.

26 Cæterùm ne audientium mentibus fermo incultior valeat inferre fastidium, finem innumeris tanti Viri virtutibus, unâ semper additâ, jam nunc facere pertractamus. Puellam quandam à nativitate cæcam tricecimus annus obduxerat: quæ denegata sibi præsentis Vitæ lumina gravi merore deflebat. Hæc ducis sui manu solito cæcitatis *u* vestigia inprimens, ad locum beatissimi Martyris accedit. Sed non post multa orationum verba diutissimè sibi subtracta luminum recipiens officia, suarum precum est compos effecta. Hæc autem, quæ divina virtus Pontificis sancti precibus ad honorem & gloriam nominis sui operari dignatur, miranda quidem sunt & stupenda fidelibus, quin etiam prædicanda & extollenda per æterna sæcula, ut quorum meritis nequimus esse participes, eorum patrociniis tuti & interventione muniti, vel ultimi gradus collegio mereamur esse consortes, præstante Domino nostro Jesu Christo, cui est honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen. *x*

C

u

x

ANNOTATA.

a *Per* gesta insignia *intelligit miracula.*

b Occursuram, *aut* ad occurrendum, *vult auctor.*

c *Res verisimiliter peracta sub priores annos episcopatûs Hildebrandi, seu non diu post medium seculi* IX. *De Hildebrando quædam dixi in Commentario num.* 7. *Suspicor monasterium fuisse desertum metu Normannorum; eamque fuisse causam elevationis & translationis.*

D

d *Cùm frequentissimæ fuerint Normannorum incursiones in Galliam seculo* IX, *præsertim post medium, dici nequit de qua incursione hic agatur.*

e *Nimirum quia omisso Sacrificio, citiùs abierunt, ut jam in via essent adventantibus barbaris.*

f *Phrasis est mendosa. At insinuat auctor, Normannos nulla reperisse spolia, idque clarè patet ex verbis sequentibus.*

g *Cedens quidem eundo ad urbem, sed non omittendo sacrum corpus, quod ferebat ad urbem.*

h *Intelligit rubum, quem ardentem ad montem Horeb seu Sinai, nec tamen combustum vidit Moyses, indicans candelas eodem modo, non obstante ventorum vehementia, semper arsisse, & quidem sine diminutione flammæ. Verùm phrasis mendosa est, omissis forsan aut corruptis aliquot vocibus sequentibus. Sic autem restitui potest.* Dum unus ventorum . . flammas deflecteret luminum, non solùm non extinxit, sed *&c.*

E

i *Hîc aliquid deesse in Ms. credidit, & ad marginem apographi notavit R. D. Filliaut, qui hoc contulit cum Ms. Verumtamen phrasis utcumque cohæret, licèt nihil deesset, modò voces,* sed non per plures dies, *separentur debitis interpunctionibus. Perstringitur hîc paucis verbis secunda translatio, quâ corpus delatum est ad cellam sancti Serenici, ut colligitur ex verbis mox sequentibus. Miracula quædam in eo loco facta scriptor insinuat,* sed non per plures dies, *quia paucis solùm diebus corpus ibi permansit.*

k *De S. Serenico aut Cerenico diacono, & multorum monachorum patre actum tom.* 2 *Maii à pag.* 160, *ibique in Commentario num.* 3, *& in Vita num.* 12 *narratur exstructio monasterii, quod hic* Cella sancti Cenerici *vocatur. Eodem deinde loco castrum exstructum est, dictumque* castrum S. Serenici, *& mutato nonnihil vulgari nomine* S. Celerin. *Situm est in excelsa rupe ad Sartam flumen, ubi augetur Sartulâ, seu aliquot milliaribus infra Alenzonium & in extremo limite Normanniæ ad confinia provinciæ Cenomanensis.*

l *Clarum est, hîc narrari tertiam translationem, eorumdem haud dubiè Normannorum metu factam, quâ Sancti corpus è Cella sancti Serenici delatum est Paniciarias. Verùm mihi non constat, quis locus designetur voce* Paniciarias, *nec id exposuit Mabillonius, licèt textum laudaverit in Observationibus prævius ad Acta S. Opportunæ num.* 3, *ubi etiam videtur hanc translationem cum præcedente confundere.*

F

m *De S. Launomaro presbytero & abbate, cujus corpus sepultum fuisse dicitur in Valle S. Martini, abbatia suburbii Carnotensis non ampliùs exstante, actum est apud nos die* 19 *Januarii.*

n *Ex hisce suspicio haberi potest, locum* Paniciarias *fuisse circa agrum Carnotensem, cùm incolæ putarent S. Launomari corpus ad sepulcrum suum referri.*

o Mansus *aut* mansum *hîc pro mansione sumi videtur, licèt medio ævo alias habuerit significationes.*

p *Vox hæc tam ambiguè scripta est, ut legi nequeat. At videtur genus quoddam vehiculi, aut instrumentum, quo gressus firmatur, indicari.*

q Ebroicæ, *vel* Ebroicum (*Evreux*) *urbs est*

A *est episcopalis in Normannia sub archiepiscopo Rotomagensi. Nomine provinciæ Ebroicensis agrum aut diœcesim Ebroicensem designari existimo.*

r *Ita quidem vox habetur in apographo, sed mendosè, opinor. Datur ars scenofactoria, seu texendi aulæa tabernaculorum, quam exercuit S. Paulus. Hanc forsan auctor indicare voluit. Res est exigui momenti.*

f *Fortè legendum erit* Cenomanensis *ab urbe Cenomanensi, vulgò* le Mans *dicta, quæ caput est provinciæ vicinæ.*

t *Phrasis rursum est obscura. At existimo sensum esse, tam facilè malis suis liberatos esse infirmos, quàm domus aut pavimentum scirpis, herbis, cineribus, aliisque sordibus expurgari potest.*

u *Id est, more solito cæcorum.*

x *Subditur in Ms.:* Expliciunt miracula sancti Chrodogangi martyris.

A. HERARDO ARCHIEP.

DE B. GUALA EPISC. BRIXIENSI ET CONFESSORE

EX ORDINE FF. PRÆDICATORUM,

IN ASTINENSI S. SEPULCRI ABBATIA PROPE BERGOMUM IN ITALIA,

B E

COMMENTARIUS HISTORICUS. J. L.

§ I. Notitia loci; confusæ recentiorum annuntiationes; veneratio publica examinata.

ANNO MCCXLIV. *Beatum, qui in Astinensi S. Sepulcri monasterio sanctè obiit,*

Martyrologi monastici & Ferrarius cum synonymo mirè confundunt:

NOn procul ab urbe Bergomensi ad Occasum æstivum visitur amœna vallis, quam Antonius Michaël in Lucubratiuncula, cui titulus, Agri & urbis Bergomensis descriptio ann. MDXVI, ab accolis Astinam dictam esse opinatur à celebri cœnobio, quod Vallis Umbrosæ monachi, ex Asta oppido primùm illuc profecti, inhabitarunt. *Marchesius infrà citandus illud* duobus milliaribus *Bergomo abesse scribit. Martinus Antonius Guerrinus in Synopsi ecclesiæ Bergomensis, anno* 1734 *recusa, pag.* 62 *de eodem ista memorat:* Hoc summæ agitationis tempore, *id est, ante annum circitèr* 1110, *uti ex antecedentibus patet*, Pater totius consolationis bonorum spem erexit adventu Bertarii Brixiensis, ex discipulis sancti Joannis Gualbèrti, Simoniacorum profligatoris & fundatoris Congregationis monachorum Vallis Umbrosæ; qui in suburbanis Bergomi monasterii fundamenta jecit Ordinis sui, magno animorum & ecclesiæ Bergomensis proventu. Ex eo plurimi monachi ad episcopale regimen vocati fuere. Nomen monasterii ab ecclesiæ ejusdem dedicatione dictum SANCTI SEPULCHRI; situs verò VALLIS ASTINI ex primis monachis, qui sub Bertario primo abbate ex Astensi urbe profecti creduntur. *Beatus* Guala *ex Ordine Prædicatorum ad episcopatum Brixiensem assumptus, hujus regimine abdicato, in Astinensem, de qua egimus, S. Sepulcri abbatiam secessit, ut in ea liberiùs rerum cælestium studiis vacaret; quibus ibidem tanta cum sanctitatis opinione anno* 1244 *immortuus est, ut non modò Sancti & Beati titulo, verùm etiam, ut mox videbitur, publico cultu donatus fuerit.*

C F

2 *Post medium seculum* XII, *sub imperatore Frederico I claruit alter Guala episcopus Bergomensis, qui egregiam Alexandro III Pontifici atque Ecclesiæ universæ operam navavit. Inter scriptores, qui ejus virtutes & res gestas litteris mandarunt; varii affirmant, eum ex Astinensi Congregationis Vallis Umbrosæ cœnobio ad cathedram Bergomensem translatum fuisse. Annuntiationes, quibus Wion, Dorganius, Menardus & Ferrarius in Catalogo generali Sanctorum* Gualam *hoc die referunt, adeo confusæ sunt, ut dubites, illæne de nostro Brixiensi, an verò de Bergomensi præsule intelligendæ sint. Wion his verbis utitur:* In agro Bergomensi, monasterio sancti Sepulchri de Astino, Ordinis Vallis Umbrosæ, sancti Gualæ, quondam Bergomensis episcopi, & pòst ejus cœnobii humilis monachi & confessoris. *Brevior est Dorganius:* S. Gualæ antea episcopi & postea humilis monachi. *Menardus ferè consonat Wioni:* In agro Bergomensi, monasterio sancti Sepulchri de Astino, sancti Gualæ Bergomensis episcopi, Ordinis Vallis Umbrosæ. *Ferrarius ita habet:* Apud Bergomum B. Gualæ episcopi, & postea monachi Astinensis Ord. Vallis Umbrosæ. *Quem* Gualam *Martyrologi isti celebrant? An episcopum Bergomensem? At hic nullibi legitur sacram præfecturam deposuisse, ad Astinense cœnobium rediisse, ibique mortuus aut sepultus fuisse. An nostrum Beatum? Sed is antistes Brixiensis, non Bergomensis fuit: nec facilè admittendum videtur, eum, de cujus ingressu in Ordinem S. Dominici certò constat, post abdicationem episcopatûs Brixiensis monachorum Vallumbrosanorum habitum in abbatia Astinensi suscepisse, deserto religiosæ vitæ instituto, quod primùm amplexus fuerat. Vide quæ inferiùs dicentur in fine paragraphi ultimi.*

3 *Quamquam, si nuda verba attendantur, quæ ex memoratis Martyrologis retuli, dignosci*

AUCTORE J. L. *dubitandum tamen non eſt, quin Gualam noſtrum annuntiare voluerint.*

nequeat, quem ipſi Gualam *commemorent; aliunde tamen ſatis innoteſcit, eos de noſtro Præſule Brixienſi agere. Imprimis hunc Ferrarius annuntiat: nam in Notis lectorem remittit ad Annales Brixienſes Eliæ Capreoli*, qui, *inquit*, lib. VI de B. Gualla epiſc. Brixien. Ord. Prædicator. agit. *His præmiſerat, ſe annuntiationem ſuam accepiſſe* ex Martyrolog. monaſtic., *id eſt, ex Wione, qui Martyrologium, quod edidit*, Monaſticum Benedictinum *agnominavit. Quemadmodum Ferrarius in Catalogum generalem SS., ita & Dorganius in Calendarium ac Menardus in Martyrologium ſuum Sanctorum Ordinis S. Benedicti ex eodem Wione* Gualam *tranſtulêre. Crediderunt ſcilicet, eum in monaſterio Aſtinenſi S. Benedicti regulam ſub inſtituto Congregationis Vallis Umbroſæ profeſſum fuiſſe. Jam verò non alium quàm noſtrum Beatum à Wione referri, ejus adjecta annotatio ſatis manifeſtat, licèt error & confuſio illam valde obſcuram faciant.* Tabulæ, *inquit*, Vallis Umbroſæ de eodem agunt hac die. Binæ autem ad me tranſmiſſæ ſunt; primæ anno MDXCI, ſecundæ anno MDXCIII. In
B his dicitur fuiſſe natione Bergomenſis ex familia Romi, diſcipulus S. Dominici epiſcopi Brixienſis; & pòſt epiſcopus Bergomenſis: quo reſignato, monaſterium petiit. In illis verò notatur fuiſſe diſcipulus S. Dominici Brixienſis epiſcopi, & pòſt eum ob inſignem ſanctitatem Brixienſem aſcendiſſe cathedram; quam cùm annis XIV tenuiſſet, reſignavit, & monaſterium S. Salvatoris (*imò* S. Sepulcri) ingreſſus, ſanctitate plenus obiit MCCXLIV, ibidem juxta altare S. Martini ſepultus. *Locus ſepulturæ, annus emortualis, epiſcopatûs duratio & alia, quæ in annotatione proferuntur, Beato noſtro ita congruunt, ut alteri ſynonymo attribui non poſſint. Errorem, quo* epiſcopus Bergomenſis *vocatur, nihil moror; uti nec alterum, qui eum* diſcipulum S. Dominici epiſcopi Brixienſis *facit. Sanctum quidem iſtius nominis Beatus noſter magiſtrum habuit; ſed is fuit Ordinis Prædicatorum fundator. Imperiti confectores tabularum, quas Wion ad ſe tranſmiſſas cæcè ſecutus eſt, pro illo S. Dominicum antiſtitem Brixienſem ſubſtituerunt, qui initio ſeculi* VII *ſedit, & Martyrologio Romano ad diem* XX *Decembris inſcribitur. Alium ab illo*
C *S. Dominicum in Catalogis epiſcoporum Brixienſium non invenio.*

Ab aliquibus Sancti, à multis Beati titulo inſignitur:

4 *Lector jam ſatis, ut opinor, videt à* Guala *noſtro non diſtinguendum eſſe, quem Wion, Dorganius & Menardus* Sancti *titulo ornant. Eumdem ipſi tribuit Venantius Simius in Catalogo virorum illuſtrium Congregationis Vallis Umbroſæ pag.* 123. *Ferrarius laudatus eum dumtaxat* Beatum *appellat, uti & Capreolus, quem in Notis citat. His adde Bartholomæum de Peregrinis (quem deinceps Peregrinum vocabo), parte 2 Vineæ Bergomenſis cap.* 33; *Eudoxium Loccatellum in Vitis Sanctorum & Beatorum &c. Ordinis Vallumbroſani lib. 2 cap.* 30; *Joannem Franciſcum Florentinium in Indice chronologico antiſtitum Brixianorum; Joannem Michaelem Pio lib. 1 de Progenie S. Dominici in Italia cap.* 25 *& alibi; Marium Mutium in Hiſtoria ſacra Bergomenſi ſecundæ editionis pag.* 223; *Cæleſtinum ex Ordine FF. Minorum Capucinorum in Hiſtoria Quadripartita Bergomenſi parte 2 lib.* 21 *pag.* 378; *Marcheſium in Diario, & Carolum à S. Vincentio in Anno Dominicano ad diem* III *Septembris; Ughellum in Italia ſacra nova editionis tom.* 4 *col.* 547, *&* Guerrinum *ſuprà num.* 1 *laudatum pag.* 69. D

venerationis publicæ indicia in templo cœnobii Aſtinenſis

5 *Ex ſcriptoribus jam recenſitis de publica Beati veneratione agunt Loccatellus, Florentinius, Pius, Mutius, Marcheſius, Carolus à S. Vincentio & Ughellus. Horum teſtimonia circa cultum, quem in eccleſia abbatiæ Aſtinenſis nactus eſt, primo loco adferam. Ceteris antiquior Loccatellus in memorato opere, quod Florentiæ anno* 1585 *lucem aſpexit, in rem noſtram habet ſequentia, quæ ex Italico ſermone in Latinum converti:* Fuit ſepultus in eccleſia ejuſdem monaſterii *Aſtinenſis* ante altare S. Martini, præſentibus clero populoque Bergomenſi. Poſtmodùm circa annum Domini MDXLV, cùm eccleſia reſtauraretur, collocatum fuit Beati corpus intra idem altare S. Martini, ubi cum veneratione aſſervatur uſque in hodiernum diem. *Corporis è primo depoſitionis loco intra aram tranſlati etiam meminit Florentinius, qui id* an. MDXLV *factum fuiſſe aſſerit; addit Ughellus*, magna piorum celebritate. *Mutius & Pius hanc inſcriptionem referunt oſſibus elevatis appoſitam:* BEATUS GUALLA EPISCOPUS, CUJUS OSSA HAC IN ARA QUIESCUNT. E *Marcheſius & Carolus à S. Vincentio teſtantur inſcriptionem iſtam marmoreo conditorio, quod ſacra lipſana continet, inciſam eſſe. Idem Marcheſius ſcribit, in ara S. Martini conſpici pictam* Gualæ *imaginem, quæ ipſum cum radiis caput ambientibus & cum titulo Beati repræſentat. Hoc etiam apud Pium legitur, cujus verba mox recitabo.*

& alibi;

6 *Non modò in eccleſia Aſtinenſi, ſed & in aliis locis Beatus noſter cultu publico honoratus fuiſſe videtur, cujus indicia proferunt Pius & Marcheſius. Utriuſque verba tranſcribam ex Italico Latinè reddita. Prioris hæc ſunt:* Quo anno, ut dictum eſt, *ſcilicet* 1244, ſanctè obiit, communiter relatus inter Beatos Ordinis Prædicatorum. Unde adhuc IN MULTIS LOCIS depictus cernitur cum radiis caput ambientibus ac titulo Beati; & nominatim in imagine altaris S. Martini, intra quod nunc quieſcit. *Brixiæ apud PP. Dominicanos* B. Guala *radiorum etiam honorem obtinuit, quos ibidem in antiqua pictura circum caput ejus efformatos Conradus Janningus noſter anno* 1686 *ipſe conſpexit. Quæ de*
F *pictura iſta in ſuo Itinerario Romano-Belgico annotavit, infrà num.* 9 *opportunè adducentur. Nunc Marcheſium audi:* Indumenta ejus pontificalia cum aliquot candelabris operis encauſtici, quæ noſtro conventui *Bergomenſi S. Stephani, an.* 1561 *cum cathedrali S. Alexandri deſtructo*, reliquit, ad hunc uſque diem conſervantur in conventu novo S. Bartholomæi unà cum aliis reliquiis: Dominoque placuit per has patrare multa mirabilia, ſicut Monopolitanus affirmat, præſertim in liberandis dæmoniacis. *Auctor per Monopolitanum, quem citat non indicato loco, intelligit, ni fallor, Joannem Lopez, qui anno* 1598 *à Clemente VIII epiſcopus Monopolitanus in Apulia creatus fuit. Laudatur apud Echardum inter ſcriptores Ordinis Prædicatorum tom.* 2 *pag.* 474.

ex quibus tamen evincere nequeo, illam

7 *Quæ duobus numeris proximè præcedentibus allegata ſunt, publicam* Gualæ *venerationem abundè probant. Reliquum eſt, ut diſpiciatur, an illis non ſit accenſendus, quorum ulterior cultus fuit prohibitus per decretum Urbani VIII Pontificis, anno* 1634 *editum. In Præſule noſtro non poteſt conſtitui caſus à decreto iſto exceptus,*

A *ceptus, niſi oſtendatur, eum publicè cultum fuiſſe ab immemorabili tempore, id eſt, centum annis completis ante idem decretum. Ratio autem dubitandi de cultu ejus publico ab immemorabili tempore, eſt primò, quia auctores ſuprà num.* 4 *enumerati, à quibus* Sancti *vel* Beati *titulo inſignitur, omnes anno* 1534 *juniores ſunt, excepto ſolo Capreolo. Ceteri dicto anno antiquiores ab omni titulo ſacro abſtinent, uti & quammulti, qui poſt eumdem ſcripſerunt. Ex his duos nominare viſum eſt ex Ordine S. Dominici, Antonium Senenſem & Seraphinum Razzium. Hic an.* 1605 *Vitas Sanctorum & Beatorum, ille an.* 1585 *Chronicon ſui Ordinis edidit. Uterque Operi ſuo præmiſit SS. ac BB. Catalogum. Antonius circiter ducentos utriuſque ſexus, Seraphinus ferè trecentos numerat. At* Guala *noſter nuſquam comparet. Videntur igitur apud antiquiores non legiſſe* Beati *appellationem ipſi attributam.*

100 *annis antiquiorem eſſe decreto Urbani VIII, an.* 1634 *edito:*

8 *Secundò, corpus ejus, quod in eccleſia Aſtinenſi ante aram S. Martini depoſitum fuerat, in ipſam aram non priùs tranſlatum fuit quàm anno* 1545. *Inſcriptio verò iſta,* Beatus Gualla episcopus, cujus ossa hac in ara quiescunt, *dicto anno vetuſtior eſſe non poteſt, quia ante illum ſacra oſſa non erant in ara S. Martini. Itaque ex corporis elevatione & memorata inſcriptione deduci nequit, cultum* Gualæ *inchoatum fuiſſe centum annis completis ante decretum Urbani VIII, qui tamen requiruntur ad formandum caſum à Pontifice iſto exceptum. Tertiò, incertum mihi eſt, an imago in altari S. Martini* Gualam *cum radiis & titulo* Beati *exhibens, cujus Pius & Marcheſius meminerunt, requiſitam antiquitatem habeat. Unde dubium mihi adimere non poteſt. Quartò illud etiam tollere nequeunt* multa mirabilia . . . præſertim in liberandis energumenis, *quæ Deum per Beatum apud PP. Dominicanos Bergomenſes operatum fuiſſe Marcheſius tradit: illa enim venerationem publicam neceſſariò non ſupponunt. Præterea, quantum ex Marcheſii narratione colligitur, patrata fuerunt in conventu Bergomenſi S. Bartholomæi, quem certò novi anno* 1571 *antiquiorem non eſſe.*

C *eo vetuſtior eſt pictura à Janningo viſa, Beatum cum radiis exhibens,*

9 *Propoſitæ difficultates mihi ſanè ita graves videntur, ut ego non auſus fuiſſem* Gualam *excipere ab eorum numero, quorum cultus ab Urbano VIII interdicitur, niſi in Itinerario Romano-Belgico Conradi Janningi inter alia, quæ ipſe Brixiæ anno* 1686 *apud PP. Dominicanos vidit, hæc annotata inveniſſem:* Ibidem in ipſo campanili, ubi olim fuit ſacellum eccleſiæ antiquæ, dedicatum S. Paulo Apoſtolo, qui adhuc ibi depictus videtur; fuit etiam depicta in altero latere infra fornicem viſio P. Fr. Gualæ, ut hæc inſcriptio ſignificat: Scala cælo prominens Fratri revelatur, per quam pater * transiens sursum ferebatur. Linguæ, manus studio scalam hanc erexit, quam Virgo cum Filio Mater sursum vexit. Prædicta inſcriptio ex una parte legitur; ex altera conſpicitur B. Guala genibus flexis, manibus junctis, habitu Dominicano indutus, &, quod præcipuum eſt, radiis circum caput ſplendidus. In medio autem ſedet ipſe Dominicus facie verſa ad populum: poſt tergum verò ſcalæ exſurgentes in ſublime protenduntur, tenentibus illarum ſupremas partes hinc Deo Patre, inde Filio ſeu Chriſto. Pictura cc aut ccc annorum erit.

* *S. Dominicus patriarcha*

10 *Cùm radii circum* B. Gualæ *caput fulgentes accipiendi ſint pro ſigno venerationis publicæ, cúmque illi à Janningo an.* 1686 *viſi fuerint in pictura, pluribus quàm centum annis ante decretum Urbani VIII confecta; relinquitur ut iidem radii ſignum ſint venerationis publicæ, ab immemorabili tempore ante idem decretum Beato exhibitæ. Hanc autem continuatam fuiſſe, ſatis evincitur ex poſitione ſacri corporis intra altare S. Martini aliiſque cultûs indiciis, quæ ſuprà protuli. Iſta porrò viſio, quam imago à Janningo conſpecta exhibet, infrà à num.* 18 *ex Conſtantino Urbevetano narrabitur. Hic & alii ſcriptores fide digniſſimi, qui ibidem laudabuntur, teſtantur, in viſione* B. Gualæ *divinitus oblata ſcalarum ad cælum uſque pertingentium ſummitates tenuiſſe hinc Dei Filium, illinc ejus Matrem, non verò Deum Patrem, ut eſt in Janningi relatione: quæſi picturæ ſit conformis, pictor Beati viſionem non rectè repræſentavit. Inſcriptionis litteris majuſculis expreſſæ mentio redibit num.* 19.

AUCTORE J. L.

quæ ſufficit, ut cultus ejus ab immemorabili tempore inchoatus credatur.

§ II. Natales; ingreſſus in religionem; præfectura conventûs Brixienſis; viſio de beata S. Dominici morte; & alia, quæ ad vitam ante epiſcopatum actam ſpectant.

E

Beati patria; ejus nomen à variis variè ſcribitur, uti & familiæ, è qua natus creditur.

Orum, qui abhinc duobus ſeculis ſcripſerunt, communis conſenſio eſt, Bergomum Beato noſtro patriam obtigiſſe. Ab aliquibus tamen, inquit Marcheſius, Brixienſis creditus eſt fortè ob affectum, quo hanc civitatem proſecutus fuit, ac diuturnum tempus, quo eamdem incoluit. Ex his fuit Leander Albertus lib. 3 *de Viris illuſtribus Ord. Prædicatorum fol.* 114 *verſo ita ſcribens:* Gualla Brixienſis ejuſdem civitatis epiſcopus *&c. Nomen ejus à variis variè effertur.* Wala *nominatur à Theodorico de Appoldia ſcriptore coævo in Vita S. Dominici, edita tom.* 1 *Auguſti pag.* 602; Walla *à Rolandino ſynchrono apud Muratorium tom.* 8 *Scriptorum Italiæ col.* 198; Gualo *in Chronico Richardi de S. Germano etiam ſynchroni apud eumdem Muratorium tom.* 7 *col.* 1019; Gualla *in aliquot inſtrumentis, vivente Beato confectis, quæ poſtea adferentur. Ego ut hactenus feci, ita & deinceps eum* Gualam *vocabo; quia multi ex contemporaneis ſic ſcripſerunt, videlicet B. Jordanus, Bartholomæus Tridentinus, Conſtantinus Urbevetanus infrà num.* 18 *citandi, & Vincentius Bellovacenſis lib.* 30 *Speculi cap.* 114. *His Adde inſtrumentum anni* 1235, *quod producit Muratorius tom.* 4 *Antiquitatum Italiæ col.* 331. *Apud Joannem Antonium Guarnerium in Commentariis Sanctorum Bergomatum pag.* 128 *verſa Beatus cognominatur* Rumonius; *apud Guerrinum citatum* de Romnonibus. *Peregrinus & Florentinius eum progenitum dicunt ex nobili* Romorum *familia, quæ à Simio* Romi *vel* Roma, *ab Ughello verò* Romara *vocatur. Scriptores Itali Pius, Mutius & Cæleſtinus eum natum fuiſſe ajunt ex nobili ſtirpe* dei Romononi, *pro quo apud Marcheſium eſt* Romanoni. *Auctores* 200 *annis antiquiores de Beati nobilitate ſilent:*

F

AUCTORE J. L.

silent : eum tamen ex familia Romi *ortum fuisse testantur Tabulæ Vallumbrosanæ seculo* XV, *ut suspicor, conscriptæ, quas Wion supra num.* 32 *producit.*

Bergomi an. 1219 è manibus S. Dominici religiosum habitum verisimiliter suscepit.

12 De B. Gualæ *vita, antequam religiosæ familiæ à S. Dominico fundatæ nomen daret, nihil certi adferri potest. Ipsum in patria seu Bergomi ex S. patriarchæ manibus religiosam vestem induisse, neoterici passim asseverant. Non video cur quis id meritò neget, si S. Dominicus revera Bergomi fuerit, priusquam anno* 1219 *ex itinere Hispanico & Gallico Bononiam adveniret; nam post suum in hanc urbem adventum Bergomum non ivit, nisi fortè anno* 1220 *post primum generale Ordinis Capitulum, festo Pentecostes celebratum :* Guala *autem religiosum habitum jam susceperat ante eumdem annum* 1220, *quemadmodum ex numero sequente patebit. Echardus tom.* 1 *Bibliothecæ Ordinis Prædicatorum inter paginas* 86 *&* 87 *accuratam dat tabulam chronologicam Actorum S. Dominici, secundum quam Cuperus piæ memoriæ ad* IV *Augusti suum de eodem Sancto Commentarium à §* 7 *ordinavit. In tabula ista ad annum* 1219 *notatur S. patriarcha, ex Hispania in Italiam rediturus, per Franciam & Burgundiam iter instituisse, ac superatis Alpibus Bergomum accessisse, antequam Bononiam adventaret. In Notis ad Vitam S. Dominici, à B. Jordano scriptam, pag.* 19 *col.* 2, Bergomum, *inquit, post reditum in Italiam,* primùm accessit; tumque ab ejus urbis civibus oblatum ei fuisse locum erigendo cœnobio commodum, facilè credas. *Cùm præter Echardum non paucos alios invenerim, qui illum Bergomi saltem ad breve tempus anno* 1219 *commoratum fuisse scribunt, cúmque huic sententiæ nihil efficaciter opponi posse perspiciam, fateri cogor eos verisimiliter non aberrare, qui* B. Gualam *ipsius S. Dominici manibus sacro habitu Bergomi vestitum fuisse tradunt. Oportet hoc factum fuerit non serius, quàm mense Augusto ejusdem anni* 1219 *: nam certum est, sanctum fundatorem Calendis proximi mensis Septembris. Bononiæ fuisse. Vide Cuperi Comment. num.* 672.

B

C

B. Diana Bononiæ virginitatis voto Deo se consecravit, Beato nostro assistente,

13 *Postquam S. Dominicus, confecto itinere Hispanico, Bononiam anno* 1219 *advenisset, votum virginitatis,* Guala *inter alios præsente, suscepit, quo B. Diana Deo & religioni in eadem urbe se obstrinxit.* Interfuere, *inquit Thomas Malvenda in Annalibus Ord. Prædicatorum ad annum* 1223 *pag.* 425 *& seq.*, præsentes sacræ illi cæremoniæ, quâ virgo Diana in manibus S. Dominici virginitatem suam, voto nuncupato, Deo consecraverat, simulque religioni se devoverat, B. Reginaldus, Fr. Guala Brixianus, Fr. Radulphus Faventinus, nonnullæque matronæ Bononienses. Erant tres illi Patres insignes primævi Ordinis columnæ : sicque oportuit factum votum illud anno Domini MCCXIX, nam non antè S. Dominicus Bononiæ fuit, nec B. Reginaldus ultra eum annum vixit. *Malvenda Reginaldum, Parisiis mortuum, ultra annum* 1219 *vixisse negat,* eò quòd, *inquit Echardus tomo* 1 *Bibl. pag.* 90 *col.* 2, Theodoricus de Appoldia lib. III Vitæ S. Dominici cap. X sub finem ejus anni *Reginaldum* obiisse asserat. Sed cùm Theodoricus id à Parisiensibus acceperit, apud quos finis anni erat finis Quadragesimæ sequentis, constat, quod suprà notatum est, paulò ante Quadragesimam anni stylo veteri MCCXIX, novo MCCXX defunctum. *At licèt Reginaldus vitam protraxerit ultra annum* 1219 *à Calendis Januarii inchoatum, apud omnes tamen certum est, illum Bononiâ Parisios discessisse eodem anno nondum evoluto : unde relinquitur, ut Malvenda eidem votum Dianæ rectè innexuerit. De beata hac virgine in nostro Opere ad* X *Junii actum fuit.*

D

qui in eadem urbe religiosæ vitæ tyrocinium posuisse videtur.

14 *Pius lib.* 1 *de Viris illustribus Ord. Prædicatorum cap.* 20 *de Beato hæc habet Italicè :* Habitum à S. Dominico in patria recepit, ubi aliquamdiu mansit ad perficiendam fabricam conventûs. Dein à sancto missus fuit Brixiam, ubi factus Prior *&c. Si Pius velit, Beatum à recepto habitu usque ad præfecturam Brixiensem, anno* 1220 *vel* 1221, *ut num.* 17 *videbitur, ipsi collatam Bergomi habitasse, quomodo B. Dianæ virginitatem Bononiæ anno* 1219 *voventi adstitit ? An à S. Patriarcha Bononiam evocatus fuit, ut isti cæremoniæ interesset, eâque finitâ, in patriam reverteretur ? Ast ego suspicari malo, eum, postquam in Ordinem admissus fuit, jussu sancti fundatoris Bononiam statim profectum fuisse, ut ibidem religiosæ vitæ, quam amplexus fuerat, institutum plenius addisceret. Potuit quidem fieri, ut Beatus post votum à memorata virgine Deo nuncupatum Bergomum missus fuerit, ibidemque ad perficiendum conventûs ædificium substiterit, donec Brixiensi cœnobio præficeretur : at nullum mihi argumentum in promptu est, quo lectori persuadeam, ut ita revera factum esse credat. Itaque ad alia pergo.*

E

S. patriarcha an. 1220 novo conventui Brixiensi Gualam præfecisse traditur :

15 *Sanctus Dominicus anno* 1220, *qui vitæ ejus penultimus fuit, post prima Ordinis sui comitia generalia festo Pentecostes habita, prædicandi & religionis propagandæ causâ ad varias Italiæ civitates excurrit. Cuperus in Comment. de S. patriarcha § 38 num.* 717 *illis Brixiam accenset, testem producens Jacobum Malvecium à Muratorio inter scriptores rerum Italicarum tom.* 14 *editum, & in suo ibi Chronico Brixiensi, quod anno* 1412 *conscribere cœpit, distinct.* 7 *cap.* 94 *ista memorantem :* Illis in diebus beatissimus Dominicus, Ordinis Fratrum Prædicatorum pater & conditor, Lombardiæ loca perambulans, hanc urbem ingressus est. Hic apud basilicam Sanguinis sanctorum Faustini & Jovitæ hospitium habens, illic quosdam religiosos viros sub jugo suæ sanctissimæ regulæ Christo Domino servire constituit. *Quòd illis* B. Gualam *præfecerit, non addit quidem Malvecius; at eo juniores, qui de Brixiano S. patriarchæ itinere meminerunt, illud passim affirmant. Capreolus, qui initio seculi* XVI *scripsit, in Historia Brixiana ad annum* 1220 *narrat sequentia apud Pium lib.* 2 *de Progenie S. Dominici in Italia :* Verùm enimvero Dominus & Deus noster Jesus Christus ... beatissimum Dominicum Ordinis Prædicatorum primum ... Brixiam ea tempestate venire, ibi aliquamdiu in sanctorum Faustini & Jovitæ basilica, ubi etiam nunc ejus mensa extat, manere, ac in ea B. Guallam Brixianum Priorem & alios religiosos nonnullos sub ejus regula constituere sua clementia & pietate dispositi. *Florentinius in Indice chronologico antistitum Brixianorum Alberti elogio, cujus* Guala *in episcopatu successor fuit, ista subjungit :* His diebus S. Dominicus Brixiam appulit, & per dies aliquot moratus in cœnobio SS. Faustini & Jovitæ ad Sanguinem, nunc S. Afræ, à civitate sibi concesso, eidem inde proficiscens B. Gualam præfecit. *Similia lego apud Ughellum in Italia sacra editionis Venetæ tom.* 4 *col.* 546 *& alios.*

F

Re

A *Re maturè discussa, comperi non dubitandum esse, quin conventûs Brixienſis primordia referenda sint ad annum* 1220, *quo S. Dominicus apud basilicam SS. Faustini & Jovitæ MM. locum illi erigendo à civitate obtinuit: verùm quòd S. Patriarcha* Gualam *nostrum eidem tunc præfecerit, tamquam rem indubitabilem credere non licet, quia Beatus non improbabiliter anno* 1221 *adhuc conventûs Bononiensis alumnus fuit, uti ex numeris proximè sequentibus apparebit.*

sed cùm an. sequente ante 30 Maii curam cœnobii Bononiæ ædificandi Beato mandarit,

16 *Postquam Malvenda de B. Diana narrasset, quæ ex ipso num.* 13 *transcripsi, paucis interjectis ita pergit:* Cæterùm Diana, in cujus pectore immensum ardebat desiderium palàm & publicè profitendi, quod privatim & coram paucis præstiterat, egit cum S. Dominico de constituendo monasterio quodam sanctimonialium, quod ipsi pro paternis opibus factu facile videbatur. *Pium consilium probat S. Patriarcha, &* quatuor è præstantioribus conventûs Bononiensis novi monasterii fabricam demandat. Ii erant Fr. Paulus Hungarus, Fr. Gualla, qui postea fuit episcopus Brixianus, Fr. Ventura Veronensis Prior conventûs Bononiensis, & Fr. Radulphus de Faventia ejusdem cœnobii procurator. Atque videtur id contigisse anno Domini MCCXXI; nam eo anno F. Paulum Hungarum nomen in religionem dedisse & in Hungariam missum suo loco abundè monstravimus, *ad annum scilicet* 1221 *pag.* 335: *ubi Theodorici de Appoldia idem de Paulo Hungaro asserentis testimonium adducitur. Monasterii à B. Diana ædificandi fabrica* B. Gualæ *& aliis commendata fuisse videtur ante secundum Ordinis capitulum generale,* XXX *Maii ejusdem anni celebrari cœptum: nam illo finito, Paulus Hungarus statim in Hungariam discessit, uti colligere est ex iis, quæ habet Echardus pag.* 21. *Verùm, inquies, F. Ventura vocatur à Malvenda* Prior conventûs Bononiensis: *sed non antè Prior constitutus fuit, quàm in secundis comitiis generalibus, quemadmodum observat Echardus pag.* 45 *col.* 2 *in Notis ad relationem testimoniorum de vita, obitu & miraculis S. Dominici: itaque ante secunda Ordinis comitia monasterii exstruendi cura Paulo,* Gualæ, *Venturæ & Radulpho mandata non fuit. Placet Echardi observatio: at nego*

B

C *Venturam tunc Priorem Bononiensem fuisse. Malvenda omnem suam de B. Diana narrationem ex Hispanica Ferdinandi de Castillo lib.* 2 *cap.* 25, *& Italica Seraphini Razzii pag.* 411 *accepit: de quo & ipse lectorem prænonet: apud utrumque verò scriptorem non leguntur hæ voces:* Prior conventûs Bononiensis, *quas Malvenda de suo adjecit.*

ipsum quoque ibidem tunc habitasse, opinari licet:

17 *Apud Castillum & Razzium etiam non invenitur, quòd quatuor illi nominati patres fuerint* è præstantioribus conventûs Bononiensis. *Sua istud narrationi adjecit Malvenda ex conjectura, quam improbabunt, qui cum Capreolo & aliis* B. Gualam *ab anno* 1220 *cœnobio Brixiensi præfuisse censent. Hi contendent, Beato monasterii fabricam commendatam fuisse, quòd ad hanc promovendam non parùm conferre posset ejus licèt Bononiâ absentis auctoritas, prudentia in consiliis dandis & in negotiis conficiendis dexteritas: quibus etiam perspectis summus Pontifex paucis post annis eum episcopum Brixiensem & Apostolicæ Sedis legatum creavit. Ita ratiocinari coguntur, qui volunt, S. Dominicum anno* 1220 *conventûs Brixiensis regimen, anno verò sequente monasterii monialibus Bononiæ eri-*

gendi provinciam B. Gualæ *imposuisse: nam certum est hunc mense Augusto anni* 1223 *Brixiæ conventui sui Ordinis adhuc præfuisse. Sicui ista sententia placeat, per me licet, eam sequatur. Sed neque etiam iis refragabor, qui credere malunt, Beatum constitutum esse Priorem Brixiensem eodem tempore, quo secundum Echardum laudatum Venturæ prioratus Bononiensis collatus fuit; scilicet in secundo Ordinis capitulo generali,* XXX *Maii & sex sequentibus diebus anni* 1221 *celebrato, in quo inter alia decretum fuit, ut conventuum præfecti deinceps* Priores *appellarentur, uti videre est apud Cuperum in Comment. num.* 788. *Postrema hæc opinio pluribus fortè arridebit, quàm prior; nec immeritò: nam ex eo quod S. Dominicus an.* 1221 *ante secundi capituli celebrationem* B. Gualæ *monasterii Bononiæ ædificandi curam commiserit, judicare magis pronum est, Beatum in eadem civitate revera tunc habitâsse.*

AUCTORE J. L.

cùm 6 Augusti an. 1221 *Brixiæ Prior esset, de beata S. Dominici morte mira ei visio*

18 *Die* VI *Augusti anno* 1221, *duobus mensibus à secundo Ordinis capitulo elapsis, obiit sanctissimus patriarcha Dominicus. Ejus à mortali vita ad immortalem transitus* B. Gualæ, *conventûs Brixiensis tunc priori, revelatus fuit in mira quadam visione, quam B. Jordanus, Bartholomæus Tridentinus & Theodoricus de Appoldia in Actis S. Dominici, aliique quammulti scriptis suis celeberrimam reddidere. B. Jordani relatio legi potest tom.* 1 *Augusti pag.* 555 *num.* 70, *Bartholomæi pag.* 561 *num.* 14, *Theodorici pag.* 602 *num.* 240 *& seq. Constantinus Medices, ab episcopatu Urbevetanus dictus, in Vita sancti fundatoris apud Echardum pag.* 36 *col.* 1 *visionem beati Prioris, cui contemporaneus fuit, ita describit:* Eadem verò die eâdemque horâ, quâ beatus pater migravit à corpore, F. Guala ejusdem Ordinis tunc Prior Brixiæ, postmodùm autem civitatis ejusdem episcopus, cùm in loco campanilis Fratrum in Brixia paululum reclinasset, levi quadam somni dulcedine dormitavit; viditque revelatione divina velut aperturam quamdam in cælo, per quam duæ scalæ candidæ submittebantur ad terram. Summitatem quoque unius scalæ manu tenebat Christus Dominus, summitatem verò alterius scalæ Virgo Mater, per utrasque autem descendentes & ascendentes angeli discurrebant. Et ecce in medio scalarum in imo sedes est posita, & supra sedem sedens, & qui sedebat similis erat Fratri habenti faciem velatam caputio, quemadmodum mos est in Ordine Fratres mortuos sepelire. Scalas autem sursum paulatim trahebant ex una parte Christus Dominus, & ex altera Mater ejus, donec psallentibus angelis ad summum usque pervenit is, qui in sede fuerat collocatus. Receptisque in cœlo scalis, & sede pariter cum sedente, illa cœli apertura clausa est, visioque disparuit.

E

F

oblata est, quæ dein S. Patriarchæ Officio inserta fuit.

19 Excitatus igitur idem Frater à somno, quamvis ex infirmitate præcedenti debilis adhuc esset, confestim Bononiam, quo beatum patrem ægrotâsse sciebat, iter arripuit; comperitque veniens eamdem diem eamdemque fuisse horam, quâ & illa sibi visio cœlestis apparuit, & vir Dei Dominicus de mundo transiens cœli gloriam introivit: ad cujus rei certitudinem ampliorem mox coram omnibus visionem hujusmodi publicavit. *Addit Bartholomæus Tridentinus:* Hoc ipsum episcopum *Brixiensem, opinor, seu* Gualam *nostrum,* in festo Dominici Bononiæ coram omnibus in nova Lectione devotè legentem audivi;

AUCTORE J. L.

hoc, cùm mihi Dei & sui gratiâ esset familiarissimus, coram multis sæpe protestantem intellexi. *Per* novam Lectionem, *cujus meminit Bartholomæus, intelligendum puto novum Officium, quod de S. Dominico recitari cœptum est, simulatque in Sanctorum numerum anno* 1234 *à Gregorio IX relatus fuit. Composuit illud Constantinus Urbevetanus, teste Bernardo Guidonis apud Echardum pag.* 154 *col.* 1. *In Laudibus Officii istius tertia & quarta antiphona sunt verba Inscriptionis supra num.* 9 *ex Janningo relatæ, quæ visionem* B. Gualæ *summatim complectitur. Legi hîc possunt Pius, Marchesius, & Carolus à S. Vincentio citati num.* 4. *Porrò Bartholomæus beatum Episcopum Brixiensem antiphonas istas festo S. Dominici legentem Bononiæ audire potuit anno* 1235 *vel sequentibus, quando ipsi, legationem pro summo Pontifice fortè obeunti, illac transeundum fuit. Quàm feliciter, quantaque cum prudentiæ laude in variis & gravibus negotiis isto munere functus fuerit,* § 3 *& seq. dicendum erit.*

B

An. 1223 *Brixiæ interfuit translationi SS. Faustini & Jovitæ.*

20 *Priorem Brixiæ adhuc agebat mense Augusto anni* 1223 : *nam SS. martyrum Faustini & Jovitæ translationi ibidem tunc interfuit, uti constat ex vetusto instrumento, quod Bernardinus Faynus in Martyrologio Brixiano ad diem* VII *Aprilis edidit.* Anno ab Incarnatione Domini millesimo ducentesimo vigesimo tertio, Indictione undecima, octavo die intrante Augusto, aperta est arca sanctorum martyrum Faustini & Jovitæ, & reposita est in loco isto cum corporibus eorumdem martyrum & beati Faustini confessoris, præsente archidiacono & archipresbytero unà cum clero suo Brixiensi, & Fratre Jordano Magistro Ordinis Prædicatorum, & Fratre Gualla Priore ejusdem loci cum Fratribus suis; & hoc factum est cum solemni processione. *Cetera apud Faynum legi possunt.*

Ejus charitas erga urbis paupercs, viduas & pupillos.

21 *De eximia Beati charitate, quam in pauperum, viduarum atque pupillorum necessitatibus magna sui atque Ordinis commendatione exercuit, hæc tradit Guarnerius in Commentariis Sanctorum Bergomatum, anno* 1584 *editis, pag.* 128 *versa :* Gualla postea in eodem Ordine præclarus fuit, dignusque habitus est, qui cœnobio, quod Dominicus Brixiæ constituerat, præficeretur, Prioriſque munere, quod præsidem sonat, condecoraretur. In eo munere non modò ab iis, quibus præerat, dilectus & cultus est; sed etiam civibus Brixianis gratus acceptusque fuit, propterea quòd egentium patrocinium summa in difficultate rei frumentariæ susceperat, viduarumque & orborum puerorum impendentibus periculis vel cum dimicatione capitis subvenerat, nihilque aliud nisi publicum commodum spectare videbatur. *Annus, quo pauperibus in summa rei frumentariæ angustia succurrit, fuit Christi* 1223; *ad quem de illa meminit Malvecius in Chronico Brixiano distinct.* 7 *capitulo* 98 : Hac etiam tempestate Brixienses frumenti aliorumque bladorum penuriam grandem perpessi sunt. *Malvecius per vocem generalem* frumentum *videtur intellexisse triticum; alias autem frumenti species per nomen barbarum* blada *exponere voluisse.*

C

Romam à B. Jordano missus, ut inde aliquot moniales Bononiam deducerentur, impetravit.

22 *Eodem anno* 1223 *Bononiæ absolutum fuit ædificium monasterii, quod B. Diana, ut suprà num.* 16 *ex Malvenda narratum est, exstruere constituerat monialibus Ordinis S. Dominici. In novum istud Monasterium, cui S. Agnetis nomen inditum, beata fundatrix* cum reliquis, *inquit idem Malvenda pag.* 472, sororibus, quæ tum quatuor tantùm erant, translata est hoc anno MCCXXIII per Octavas Ascensionis Domini. Hoc eodem anno in die SS. Apostolorum Petri & Pauli sacrum religionis S. Dominici habitum de manu B. Jordani Magistri Ordinis susceperunt. At paulò pòst duæ aliæ illustres matronæ Ferrarienses in eamdem societatem admissæ sunt. Cæterùm ut novum monasterium accuratiùs omni regulari disciplina imbueretur, misit B. Jordanus Romam Fratrem Guallam & F. Radulphum, ut ex religiosissimo illo & totius sanctitatis seminario S. Xysti Sororum monasterio, à S. P. Dominico fundato, quatuor moniales ex præstantioribus permissu Honorii Pontificis Bononiam ad recens S. Agnetis monasterium deducerentur, quæ novitias illas Sorores omnem ritum Ordinis plenius edocerent. Agente igitur Ugolino Cardinali episcopo Ostiensi, ... impetratum est ab Pontifice, ut quatuor insignis sanctitatis Sorores è monasterio S. Xysti mitterentur Bononiam ad monasterium S. Agnetis. *An* B. Guala *usque ad episcopatum Brixiensem, ad quem eum ante finem anni* 1218 *evectum fuisse paragrapho sequente dicetur, in eadem urbe religiosa sui Ordinis familiæ præfuerit, incompertum mihi est. Aliqui hoc negant, quibus contradicit R. P. Antoninus Bremond S. T. M. tom.* 1 *Bullarii Ord. Prædicatorum in Appendice episcoporum sub Gregorio IX Pontifice pag.* 113 : F. Gualla Bergomas, ex Priori Brixiensis cœnobii episcopus Brixiensis, sub archiepiscopo Mediolanensi. *Bremonda favet Florentinius :* B. Guala Bergomeasis ... S. Dominici discipulus à cœnobii, cui fuerat à magistro præfectus, ad Brixianæ ecclesiæ rectionem transiit, civitate ob singularem ejus sanctitatem id constantissimè flagitante.

D

E

§ III. Inquiritur tempus, quo episcopus esse cœpit : legatur à Pontifice ad Longobardos & imperatorem ; Patavinos inter & Tarvisinos pacem componit.

F

Episcopus Brixiensis creatus est

B *Rixienses pastore viduati bene de civitate meritum & singularibus, quibus illorum oculos in se converterat, gratiæ ac naturæ dotibus ornatum* Gualam *sibi episcopum elegerunt. Factum sic refert Guarnerius :* Mortuo alberto episcopo, Brixiani concilio convocato & Gallæ dignitati & civitatis utilitati prospiciendum censuerunt. Eam ob caussam à Gregorio IX sum. Pont. omnibus precibus efflagitarunt, ut Guallæ cui magnæ curæ salus civitatis fuisset, episcopatus mandaretur. Id non modò impetratum est, sed exiguo temporis spatio interjecto, cùm recentiorum meritorum gloria eum commendaret, legatus Apostolicus lectus est, eique Gallia Cisalpina provincia decreta. *Fallitur Guarnerius, dum Beatum ad infulas Brixienses promotum ait,* mortuo Alberto episcopo : *huic enim viventi successit, sed ad patriarchatum Antiochenum translato, uti numero sequente ostendetur. Quo anno* B. Guala *cathedram Brixiensem conscenderit, quam Albertus vacuam reliquerat, non determinat Guarnerius : alii autem*

A *tem in illo definiendo discrepant. Capreolus Beatum anno* 1230 *antistitem designatum dicit. Ughellus & Echardus in Notis ad Vitam S. Dominici à B. Jordano scriptam pag.* 23 *col.* 1 *episcopatûs ejus initium affigunt anno* 1229, *quem etiam Bremondus num. præcedente citatus in margine notat. Bernardinus Faynus in Catalogo* 1 *Cæli Brixiani pag.* 35 *eum anno* 1225 *episcopum creatum affirmat. Consentiunt Peregrinus, Loccatellus & Florentinius: nam ipsum anno* 1239 *ecclesiæ suæ regimen deposuisse aiunt, postquam* 14 *annis illud tenuisset. Cur ab his scriptoribus dissentiam, ex sequentibus intellige.*

non an. 1225, *ut aliqui asserunt, nec an.* 1229 *vel seq., ut alii volunt;*

24 *Temporibus, quibus Beatus floruit, Antiochia sub Christianorum potestate erat. Ejus cathedra, Raynerio patriarcha Latino vitâ defuncto, vacabat anno* 1226: *ad quem Odoricus Raynaldus in Annalibus ecclesiasticis num.* 59 *ex Honorii III Pontificis epistola* 356 *libri* 10 *hæc refert:* Cùm Antiochenam ecclesiam patriarcha *Raynerio* orbatam accepisset *Honorius*, canonicis Antiochenis præcepit, ut evolventis se ab acceptis litteris mensis spatio patriarcham designarent. *Inde consequitur, ut non priùs quàm anno* 1226 *Raynerius in patriarchatu Antiocheno successorem habuerit: hunc autem fuisse Albertum episcopum Brixiensem, proximum* B. Gualæ *decessorem, contra Onuphrium Panvinium ostendit Petrus Boschius noster in Historia chronologica Patriarcharum Antiochenorum num.* 672. *Argumentis, quibus utitur, addo testimonium Alberici auctoris synchroni, in Chronico ad annum* 1233 *ita scribentis:* Post patriarcham Antiochiæ Petrum fuit patriarcha quidam Renerus (*Raynerius*) de Tuscia; & post eum diebus istis sedem obtinebat Albertus episcopus quondam Brixianus. *Jam verò si Albertus ex episcopo Brixiensi patriarcha Antiochenus creatus sit non citiùs quàm anno* 1226, *quomodo* B. Guala *anno præcedente Brixiæ sedere potuit? Errat igitur, qui hoc affirmat, Faynus; nec verum esse potest quod Peregrinus, Loccatellus & Florentinius scribunt, scilicet beatum Præsulem nostrum anno* 1239 *sacro magistratu se abdicasse, postquam illum* 14 *annis gessisset. Caprèolo, Ughello, Echardo & Bremondo, qui exordium episcopatûs ejus differunt ultra annum* 1228, *etiam assentiri non possum: nam Rolandinus ejusdem temporis ac proinde idoneæ auctoritatis scriptor in narratione, quæ num.* 31 *ex ipso transcribetur, manifestè indicat, eum ante finem anni* 1228 *jam episcopum Brixiensem fuisse.*

B

C

sed an. 1228 *vel* 1227, *quo legati Apostolici munus obivit.*

25 *Cùm Honorius III canonicis Antiochenis per litteras anno* 1226 *datas præceperit, ut, iis acceptis, intra mensem novum patriarcham in locum Raynerii nominarent, credibile est, Albertum antistitem Brixiensem, qui Raynerio successit, ecclesiam suam viduam reliquisse eodem anno* 1226 *vel initio sequentis. Licèt itaque potuerit* B. Guala *illi administrandæ præfici ante* XXII *Julii anni* 1227; *id tamen priùs factum non fuisse, apparebit infrà ex num.* 29: *ubi Gregorius IX in litteris, ad Fredericum II memorato die & anno datis, Beatum vocat* Fratrem Gualonem de Ordine Prædicatorum, *nulla episcopatûs ejus adjecta mentione. Relinquitur ex dictis, ut illius initium statuendum sit intra tempus, quod die* XXII *Julii anni* 1227 *posterius fuit, & finem anni* 1228 *præcessit. Atque hæc mea sententia est: præcipuum, quod ei objici potest, num.* 32 *infirmare conabor. Aliqui dicunt, Beatum à Gregorio, qui Honorio* XVIII *Martii an.* 1227 *mortuo postridie successit, Sedis Apostolicæ per Longobardiam legatum & antistitem Brixiensem simul creatum fuisse: verùm ex numeris seqq. patebit, eum ante episcopatum legati Apostolici munus obiisse. Si Marchesio & Carolo à S. Vincentio fides habeatur,* B. Guala *oblatas insulas accceptare, quantùm potuit, detrectavit, nec nisi jubente summo Pontifice Gregorio illis caput submittere voluit. Sed vehementer ego timeo, ne scriptores isti meram conjecturam referant, ex eo solo ductam, quòd Beatus postmodum episcopatui renuntiarit. Rerum penè omnium, quas ut episcopus egit, memoria intercidit: verùm multa ex iis, quæ ut Sedis Apostolicæ legatus fecit, oblivioni adhuc supersunt. Anno* 1227 *gemina pro Gregorio IX functus est legatione, alterâ ad Longobardos, alterâ ad Fredericum II imperatorem. De negotio, quod illi in prima legatione tractandum fuit, agunt litteræ Pontificiæ infrà num.* 27 *producendæ. Ut lector eas intelligat, prænovisse juvabit, quæ subjicio.*

Urbes Longobardiæ &c. quæ contra Fredericum II conspiraverant, ad concordiæ leges

26 *Carolus Sigonius lib.* 17 *de Regno Italiæ ad annum* 1226 *scribit, variarum Longobardiæ, Romandiolæ ac Marchiæ civitatum legatos* IV Nonas Martii in æde S. Zenonis ad Mosium, Mantuani agri oppidum, *convenisse, & contra Fredericum II, à cujus armis libertati suæ metuebant, antiquam pro ea defendenda societatem renovasse. Honorius III Pontifex, qui in eam curam totus incumbebat, ut contra infideles in Terra sancta Christianorum arma verterentur, imperatorem & fœdere junctas civitates ad concordiam adduxit. Raynaldus in continuatione Annalium Baronii ad annum* 1226 *à num.* 26 *dat epistolam Honorii, rectoribus dictæ societatis Nonis Januarii an.* 1227 *missam, in qua leges, quas idem Pontifex concordiæ istius auctor simul & arbiter utrique parti statuerat, referuntur. Societati seu urbibus fœderatis inter alias ea lex posita fuit, ut* 400 *milites instructos Frederico in Terram sanctam profecturo, propriis stipendiis per biennium alendos, submitterent. In fine epistolæ societatis rectoribus præcipit Honorius, ut ad se transmitterent factæ reconciliationis leges ad imperatorem dirigendas, quibus ipsorum, marchionis Montis-Ferrati & singularum civitatum sigilla apposita essent. Quod cùm illi præstare distulissent, Pontifex acriter objurgatos officii admonuit per aliam epistolam, cujus fragmentum profert Raynaldus ad annum* 1227 *num.* 6. *Ibidem num.* 19 *de Gregorio IX, qui* XIX *Martii ejusdem anni Honorio successit, in rem nostram hæc narrat:* Uti omnia sacræ expeditionis adornandæ impedimenta amoveret, operam industriamque in stabilienda ac firmanda pace defixit, ad quam Fridericus imp. Longobardique Honorii prædecessoris sui studio diligentiâque adducti fuerant. . . Quamvis porrò . . ab Honorio, in quem ut summum controversiæ arbitrum compromissum fuerat, concordiæ leges dictæ essent; non levis tamen metus aberat*, ne malum recrudesceret. Quare illi confirmandæ summo studio Gregorius incumbebat: atque ita, cùm Longobardi fœderati de admissis concordiæ legibus mancas literas transmisissent, in quibus nimirum marchio Montisferrati & aliquæ civitates sigilla sua non apposuissent, illas penes se retinuit Pontifex; monuitque Longobardos alias, in quibus cunctarum urbium sigilla essent affixa, mitterent, ne subesse aliquid fraudis putaret Fridericus, atque ab susceptæ expeditionis consilio retardaretur: se verò ab

D

E

F

* *l.* aderat

AUCTORE J. L.

imperatore literas omnibus numeris absolutas accepisse, quarum seriem diplomati inseruisset, quasque ad eos sit transmissurus, cùm novas ab ipsis exceperit. Hortatur etiam, ut quamprimùm copias instructas dignasque imperatore apparent ... Apostolicis acceptis literis, Longobardi maturato consilio pacis leges, omnium sigillis appositis, munitas corroboratasque misêre, ut eorum epistola declarat. *In margine hìc citatur* Reg. Greg. ep. 125.

sigillis firmandas à B. Guala inducuntur, uti fidem facit Gregorii IX epistola,

27 *De legato, quem Gregorius ad Longobardos misit ad concordiam inter ipsos ac imperatorem stabiliendam; nihil meminit Raynaldus; eum autem fuisse* B. Gualam *nostrum, atque hujus operâ effectum fuisse, ut illi concordiæ leges omnium sigillis consignatas transmiserint, ex Pontificiis litteris deducitur, à Bremondo tom.* 1 *Bullarii pag.* 26 ex arch. Ord. lib. A fol. CCLXXIV *editis. Eas accipe.* Gregorius Episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Fratri Guallæ Ordinis Prædicatorum salutem & Apostolicam benedictionem. Recepimus literas, quas ad Sedem Apostolicam direxisti, &, notatâ earum continentiâ, diligenter scripsimus rectoribus societatis
B Lombardorum, secundum quòd expedire cognovimus; ut literarum nostrarum inspectio te poterit edocere. Monemus igitur probatam solicitudinem tuam, & per Apostolica tibi scripta mandamus, quatenus rectores ipsos solicites incessanter, ut literas imperiali celsitudini dirigendas per manum publicam scribi faciant iteratò, &, sicut nunc mandamus, & à principio fuit mandatum, sui & nobilis viri marchionis Montis-Ferrati ac singularum civitatum de ipsa societate sigillorum appensione muniri, ac ad faciendum inter se divisionem militum in Terræ sanctæ subsidium mittendorum, cessante dilatione, procedant. Quæ cùm perfecerint, ad nostram præsentiam revertaris, ut totus processus negotii per te nobis plenius innotescat. Ad cautelam autem formam literarum ipsarum eisdem sub bulla nostra destinamus inclusam. Datum Laterani XVI Kal. Aprilis, Pontificatûs nostri anno primo. *Dies, quo litteræ Gregorii datæ hìc notantur, ad annum* 1228 *spectat: nam Honorio non citiùs quàm* XIV *Calendas Aprilis anni* 1227 *subrogatus fuit. Verùm an ergo* XVI
C Kal. Aprilis *anni* 1228 *Gregorius litteras modò relatas ad Beatum nostrum scripsit? Id à veritate alienissimum esse jamjam ostendetur.*

quæ ad eum anno 1227 *scripta fuisse ostenditur:*

28 *Æstate anni* 1227 *ingens ex Germania, Anglia, aliisque regionibus in Apuliam confluxerat cruce signatorum multitudo, cum Friderico, ut sperabatur, in subsidium Terræ sanctæ mare trajectura. At hoc tunc factum non fuit imperatoris culpâ, qui Christianum exercitum trajectioni paratum in loco, æstivis caloribus ingruentibus valde insalubri, subsistere coëgit, ubi pars illius magna pestifera lue sublata fuit. Quibus Gregorius intellectis die* XXIX *Septembris ejusdem anni pronuntiavit, tanti mali auctorem Fredericum incidisse in excommunicationis sententiam, quam Honorius decessor antea tulerat, quamque ipse imperator in se receperat, si promissam expeditionem sacram non susciperet tempore constituto, quod jam elapsum erat. Anno* 1228 *in Cœna Domini, quæ cum* X *Calendas Aprilis tunc concurrebat, Gregorius anathematis sententiam adversus pertinacem rei Christianæ proditorem, aliorumque scelerum reum Fredericum solemniter promulgavit. Videri possunt, quæ Raynaldus ad annum* 1227 *à num.* 29, *&*
D *ad sequentem à num.* 1 *narrat. Liquet ex dictis, quàm parùm credibile sit, Pontificem per litteras,* XVI Kal. Aprilis *anni* 1228 *datas,* B. Gualæ *mandasse, ut Longobardos induceret ad milites cruce signatos quamprimùm Friderico submittendos, qui jam ab anno præcedente Christianorum exercitum nefariis artibus dissolverat, & ob id à fidelium communione fuerat segregatus. Mihi sane ista nullum dubium relinquunt, quin istas ad Legatum suum litteras Gregorius miserit, quando ejus & Christiani orbis exspectationem Fredericus nondum eluserat. Quoniam verò ex Raynaldi narratione suprà num.* 26 *perspicuum est, inter primas Gregorii ad Pontificatum evecti curas eam fuisse, ut concordia Longobardos inter ac imperatorem firmaretur, ne hic ullam belli sacri differendi aut abrumpendi excusationem prætexere posset; hinc ulteriùs deduco, Pontificem easdem litteras, per quas Beato injunxit, ut Longobardos ad concordiæ leges omnium sigillis munitas transmittendas solicitaret, scripsisse, antequam mense Junio anni* 1227 *ex Lateranensi palatio Anagniam migraret, & consequenter non locum in quo, sed diem solum, quo apud Bremondum datæ leguntur, mendosum esse.*
E

à Pontifice cum litteris ad imperatorem legatur.

29 *Raynaldus verbis num.* 26 *relatis hæc proximè subjicit:* His urgebat Longobardos Pontifex, nequa sacræ expeditioni impedimenta objicerent; ac vicissim Fridericum, qui non apparando in hostes Christiani nominis bello incumbebat, sed in delicias se effundebat, excitare conabatur. Ad quem Gualonem Prædicatorum familiæ religiosum virum misit, ut Pontificia consilia exponeret: elegantibusque ac gravissimis literis à voluptatum corporearum vinculis se expedire, & amorem ad mentis delicias traducere; tum ad Christiani imperatoris partes egregiè obeundas hortabatur; ac monebat imperii dignitatem, majestatem sceptri, aliorumque insignium augusta mysteria altissimo pectore imprimeret, quo se eorum cogitatione ad tuendos populos, exercitandam justitiam, virtutesque sectandas accenderet, ut, cùm terrenam coronam esset depositurus, æterna atque immortali redimiri mereretur. *Sequuntur litteræ Apostolica ad Fredericum, quæ ita finiuntur:* Latorem præ-
F sentium Fratrem Gualonem de Ordine Prædicatorum duximus destinandum, cui tamquam nobis fidem indubitatam super iis, quæ ex parte nostra duxerit proponenda, velis habere. *Apud Bremondum, qui à pag.* 21 ex arch. Ord. lib. A fol. CCLXXXIII *litteras easdem edidit, pro* Gualonem *legitur* Guallam; *additurque in fine:* Datum Anagniæ XI Kal. Augusti, Pontificatûs nostri anno primo, *Christi* 1227. *Eo tempore Fredericus in Apulia morabatur, uti ex Chronico Richardi de S. Germano eruitur. De Beato cum litteris Pontificiis ad imperatorem misso meminerunt quoque Bzovius & Spondanus in Annalibus ecclesiasticis, uterque ad annum* 1227 *num.* 3: *sed illum vitiosè* Guillelmum *nominant.*

Bellum, quod inter Patavinos & Tarvisinos exarserat,

30 *Anno* 1228 *inimicitiæ Patavinos inter & Tarvisinos exortæ, quæ ad utriusque partis perniciem eruptura videbantur,* B. Guala *reconciliatore & disceptatore, exstinctæ fuerunt. Juvat de his audire Sigonium lib.* 17 *de Regno Italiæ ad annum* 1229. Per eosdem dies Icelinus Tarvisium tentare volens, civem se à Tarvisinis ascribi curavit; ac mox populum illum ad diripiendos agros Feltrini & Bellunensis episcopi duxit. Quod ubi Patavini cognoverunt,

ad

A ad quos illorum agrorum defenſio pertinebat ; tantam jacturam ſibi non eſſe ferendam putantes , Kal. Maii ad Tarviſinos ulciſcendos cum carrocio *(id eſt , præcipuo exercitûs vexillo , quod currui impoſitum à bobus trahebatur)* prodierunt : ac mox agro eorum fœdè uſque ad urbis mœnia populato , neque hoſte ullo invento, domum ſe receperunt. Demum Fratre Gualla epiſcopo Brixiano , Pontificio legato , ac rectoribus Lombardiæ ſe interponentibus , ſartis utrimque damnis , ab armis diſceſſum. *Rolandinus , à Muratorio inter ſcriptores rerum Italic. tom.* 8 *editus , lib.* 2 *de Factis in Marchia Tarviſina à cap.* 17 *belli iſtius hiſtoriam accuratè deſcribit. Quæ ex Sigonio uſque ad* Demum Fratre Guala *&c. huc tranſtuli , earum rerum compendium eſt , quas Rolandinus cap* 17 *refert : in cujus fine non modò dies & menſis , ſed etiam annus aſſignatur , quo Patavini copias ſuas contra Tarviſinos eduxerunt.* Movit , *inquit antiquus ille ſcriptor* , exercitus hic , quando primò exivit

* Paduâ Paduam * in anno Domini MCCXXVIII die primo menſis Madii. *Cap.* 18 *narrat Tarviſinos , ut*

B *damna ſibi ab hoſtibus illata ulciſcerentur* , nocte quadam *veniſſe* ad offendendas villas quaſdam circa confinia Paduani diſtrictûs ; *ſed à Patavinis fugatos fuiſſe. Dein ita pergit :* Regreſſis denuo Paduanis , firmatum eſt & ſtatutum in Padua , inimicorum terras invadere bis in anno, & vaſtare totaliter eorum poſſeſſiones & bona.

anno 1228 *exſtinguit : fructus ex pace ſecutus :*

31 Sed tantùm inſtitit Frater Walla , qui de Ordine Fratrum Prædicatorum fuerat , & nunc erat epiſcopus Brixienſis , & legatus Apoſtolicæ Sedis , ut dicebatur , & rectores [qui] miſſi ſunt Paduam de civitatibus Lombardiæ , quòd terræ Feltrenſis & Belunenſis cum his omnibus , quæ oſtenſa ſunt ad epiſcopum pertinere , ipſi ſunt epiſcopo & Paduanis integraliter reſtituta , quamvis Tarviſini dicerent ſe gravatos. *Cap.* 19 *uberes fructus , ex pace per* B. Gualam *facta ſecutos, ita commemorat :* Nunc circa unius anni ſpatium civitates de Marchia Tarviſina adeo quieverunt in pace , quòd quaſi circa finem anni Domini MCCXXIX & circa principium ſubſequentis nulla fuit terrarum prædatio , nulla hoſtium incurſio vel inſultus præter ſuprà dictum exercitum ; ſed bonorum omnium copia , tantum gaudium & lætitia inter gentes , ut à pluribus crederetur , quo-

C dammodo * nullæ ſeditiones eſſe debeant in Marchia , nullæ guerræ *. *Peregrinus , Loccatellus & Sigonius pacem Patavinos inter & Tarviſinos per Beatum conciliatam anno* 1229 *affigunt : ſed Rolandinus , quem à menſe Januario annos inchoaſſe exploratum mihi eſt , illis adverſatur ; nam ex ejus verbis , quibus caput* 19 *exorditur* Nunc circa unius *&c. ſequitur* , B. Gualam *ſub finem anni* 1228 *pacificatorem egiſſe. Erat tum temporis , ut idem auctor teſtatur , antiſtes Brixienſis. Itaque initium epiſcopatûs ejus uſque ad annum* 1229 *vel* 1230 *differendum non eſt.*

* quòd amodò , *ut opinor.* * *id eſt,* bella

illo tempore Beatum epiſcopum fuiſſe putamus.

32 *Licèt Gregorii epiſtola , IX Octobris anno* 1229 *data , quam § ſequente adferam , inſcribatur* dilecto filio Fratri Guallæ Ordinis Prædicatorum , *atque hæc verba indicent , Beatum tunc nondum epiſcopum fuiſſe , temeritatis tamen arguendus non ſum , quod Rolandino potiùs aſſentior. Suprà demonſtravi litteras Pontificias , quas ex Bremondo edidi , dari non potuiſſe eo tempore, quo datæ eſſe notantur. Hinc ego exiſtimavi alteris litteris , prout apud Bremondum Beato inſcriptæ exſtant , firmorem fidem dandam non eſſe quàm Rolandini teſtimonio.* Fuit , *inquit Muratorius in Præfatione* , patria Patavinus , natus , ut ipſe teſtis eſt in Prologo , anno Domini MCC . . Notariam . . artem in patria exercuit . . . Ejus pater & ipſe notarium agens Patavii multa adnotarat de rebus in Marchia Tarviſina ſuo ævo geſtis. Hæc autem hiſtoriæ fragmenta Rolandino filio tradens , jam annos XXIII nato , hoc eſt anno MCCXXII , ipſum juſſit , quæ ſubinde contingerent, adnotare. *Ex his ſufficienter intelligitur , quanti facienda ſit auctoritas Rolandini , qui diſertè teſtatur* B. Gualam *epiſcopum fuiſſe , cùm ſub finem anni* 1228 *Patavinos Tarviſinis conciliaret. Idem ego credere malui , primò quia ſedem Brixienſem an.* 1227 *vel fortè etiam an.* 1226 *Albertus vacuam reliquerat , ut num.* 24 *oſtenſum eſt : veriſimiliùs itaque ante finem anni* 1228 *, quàm poſt* IX *Octob. an.* 1229 *Beatus illi ſucceſſit. Secundò quia ſic intelligi poteſt , quomodo* 14 *annis epiſcopatum geſſerit , illo abdicato , in abbatia Aſtinenſi ante autumnum anni* 1242 *vixerit , & an.* 1244 *obierit. Primum & tertium conſtans aſſerit traditio , ſecundum ex vetuſtis monumentis probari poſſe arbitror. Vide num.* 47. *Illa inter ſe componi nequeunt , ſi* B. Guala *poſt* IX *Octob. an.* 1229 *ſedere cœperit.* E

AUCTORE J. L.

§ IV. Altera legatio ad Longobardos : Bononienſes cum Mutinenſibus ejus operâ inducias paciſcuntur ; imperatorem inducit, ut Eccleſiæ ſatisfaciat : alia beati Præſulis geſta.

Pontifex inſtat apud Longobardos , ut promiſſam contra Fredericum opem ferant :

F *Redericus imperator anathemate ſolemni percuſſus & nondum Eccleſiæ reconciliatus æſtate anni* 1228 *paucis cum copiis in Syriam navigarat , atque abſens per duces ſuos , cum majori parte exercitûs in Sicilia relictos , Chriſti Vicario bellum intulerat. Hic cenſuris eccleſiaſticis in ditionis ſuæ invaſores latis nihil proficiens , arma corripuit , ut vim vi propulſaret. Proſperè à Pontificio exercitu contra Eccleſiæ hoſtes bellatum fuit , donec Fredericus menſe Maio an.* 1229 *è Terra ſancta , Chriſtianorum rebus ibi perturbatis potiùs quàm ordinatis, in Apuliam advenit. Cùm iis viribus Pontifex non polleret , ut Frederico reſiſtere poſſet ; urbes & caſtra , quæ occuparat , brevi amiſit , & à nefariis imperatoris conſiliis armiſque gravia ſibi & Eccleſiæ mala timuit.* Quare *(Raynaldi ad annum* 1229 *num.* 32 *verbis utor)* ut fluctuantem Petri naviculam , variiſque intumeſcentibus procellis concuſſam , ab imminenti periculo liberaret; ſcriptis ad plures diligentiſſimè litteris , mixtis precibus imperiis , ad ferendam opem , communeque diſcutiendum diſcrimen eſt adhortatus inprimis fœderatas Longobardiæ urbes , . . . ut milites omnibus rebus inſtructos ad ſe tranſmitterent , quo Friderici conatus poſſet infringere , ne obtrita Eccleſiæ majeſtate , periculum in eos redundaret. Languebant in ſubmittendis auxiliis Longobardi : quare repetitis Gregorius ad archiepiſcopum Mediolanenſem & Gualonem familiarem ſuum literis graviſſimè queſtus eſt , Mediolanenſes adeo ſuppetias afferre diſtuliſſe , ut interea Fridericus auctis viribus contra Eccleſiam inſolentiùs graſſatus eſſet *&c. Paulò inſrà*

AUCTORE J. L.

dat Raynaldus litteras Apoſtolicas ad Beatum exaratas, omiſſa earum inſcriptione & aliis nonnullis circa medium. Integras hic dabo, prout illas ex arch. Ord. lib. A fol. CCCII *edidit laudatus Bremondus pag.* 30.

litteræ hæc ſuper re ad B. Gualam miſſæ,

34 Gregorius epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, dilecto filio Fratri Guallæ Ordinis Fratrum Prædicatorum ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Utinam numquam Lombardi ſe noſtris obſequiis obtuliſſent, utinam numquam ab ipſis aliquod auxilium ſperaſſemus; quoniam ſatis aliàs honori Eccleſiæ conſulere poteramus, niſi quia nolentes eis ſubtrahere dexteram adjutricem, ſupplicationibus & proviſionibus * acquievimus eorumdem. Sed dum cauſam eorum in alienis finibus utiliter ageremus, dum refrænaremus impetum inimici aſpirantis ad ipſorum exterminium inhianter; ecce Lombardi promiſſum auxilium adeo diſtulerunt, ut taceamus qualiter ſervierint illi, quos in Eccleſiæ ſervitium deſtinaverant, quòd inimicus collectis viribus invaleſcit, niſi in manu valida & potenti ejus conatibus celeriter obvietur, quòmodo * ignis, cui non obſiſtitur, facilè in incendium inexpugnabile * dilatatur. Ne igitur dicti Lombardi manus ſuas, quas debuerant ad fortia mittere, videantur ponere ſub axillas in ſuæ confuſionis opprobrium ſempiternum, nec eas explicare valeant cùm voluerint, ſi nunc, cùm valent, velle deſierunt *; diſcretionem veſtram rogamus & monemus attentè, per Apoſtolica ſcripta mandantes, quatenus eos, quos expedire videritis, modis omnibus, quibus poteritis, excitetis, & inſtantiſſimè inducere ſatagatis, ipſis remiſſionem peccaminum injungentes, ut proſequentes viriliter proprium intereſſe, nobis ſine qualibet mora ſuccurrant cum quantocumque poſſunt exercitu bellatorum. Quod ſi adhuc illud habuerimus tempore opportuno, ſperamus in Domino, quòd non prævalebit, ſed deficiet inimicus: alioquin illis ſecurè proteſtare poteſtis, quòd ſibi, non nobis poterunt imputare, ſi, deſertis deſertoribus, honori Eccleſiæ aliter, auxiliante Domino, curaverimus providere. Datum Peruſii VII Idus Octobris, Pontificatûs noſtri anno tertio.

B
* *ibid.* quia

* *ibid.* in-extinguibile

* *ibid.* deſierint

* *in editione Raynaldi* promiſſionibus

C
quo cooperante, illi fœdus contra imperatorem renovant.

35 *Quò ſucceſſu pro cauſa Pontificis apud Longobardos* B. Guala *collaborarit non memorat Raynaldus: ſed ex Sigonii num.* 30 *citati narratione intelligo, illos die* 2 *proximi menſis Decembris fœdus, quod anno* 1226 *contra Fredericum imperatorem inierant, inſtauraſſe. Triſtanus Calchus lib.* 13 *Hiſtoriæ patriæ ſeu Mediolanenſis ad annum* 1229 *etiam teſtatur, dictum fœdus menſe Decembri renovatum fuiſſe; additque Mediolanenſes Pontifici auxiliarem militum manum miſiſſe: quorum exemplum alias de ſocietate Longobardiæ civitates ſecutas fuiſſe arbitror. Scriptoris utriuſque verba huc transfero.* IV Nonas Decembris, *inquit Sigonius*, moderatores, prætores ac legati civitatum fœderatarum Mediolani convenere; atque in præſentia Henrici archiepiſcopi, Gaufredi Cardinalis legati Apoſtolici, & Fratris Guallæ de fœdere retulere, *de quo ſupra num.* 26 *egimus.* Dictis ab omnibus ſententiis, univerſi conſenſu maximo cenſuêre, ut fœdus renovaretur iiſdem conditionibus, quibus ad S. Zenonem ictum annis ſuperioribus fuerat; atque in id ſingularum civitatum moderatores, legati prætoreſque jurarunt. Patavini tamen & Veronenſes, licèt adeſſent, juraſſe non referuntur. *Triſtanus hæc habet:* Poſtea per Decembrem eædem civitates *ſocietatis Longobardiæ*..., prætores ſuos cum nonnullis civibus Mediolanum misêre, ubi annuente Henrico archiepiſcopo & legato, Varalla Hiſpano, epiſcopo Brixienſe & legato Apoſtolico ex fraternitate Prædicatorum, confirmavêre ſocietatem olim initam in vico S. Zenonis Morii *. Eodem anno è Mediolano in Apuliam adverſus Fredericum cæſarem profecti ſunt Ubertus Buxerius & Panmilius Alberius cum centum claris militiâ viris. *Corruptum Beati nomen* Varalla *Triſtano Hiſpanicum viſum eſt, unde & illum Hiſpanum eſſe putavit, qui in Italia natus eſt.*

D

* *l.* Moſii

Scriptores Dominicani falſis adjunctis veſtiunt hiſtoriam inducia-rum Bononienſes inter & Mutinenſes ſa-ctarum:

36 *Bremondus tom.* 1 *Bullarii in Appendice Honorii III Pontificis bullis ſubjecta pag.* 17, F. Gualla, *inquit*, Bergomas... legatus fuit Honorii anno MCCXXVI; ipſiuſque operâ Bononienſes decem annorum inducias cum Mutinenſibus pacti ſunt. Auctor eſt Cavalerius tom. 1 pag. VIII Præfat., & pag. XIV. Penes ipſum fides optimo jure eò vel maximè ſit, quòd vir miræ ſagacitatis & eruditionis, hiſtoriarum tum domeſticarum Ordinis Fratrum Prædicatorum & civium ſuorum Bergomatum, tum exterarum perſcrutator indefeſſus fuit, & conquirendis antiquis in illis regionibus monumentis ſtudium ſucceſſu proſpero collocavit P. Cavalerius virtute cognita & ſpectata fide ampliſſimus. *Bononienſes inter ac Mutinenſes* decem annorum *inducias per Beatum* anno MCCXXVI *factas fuiſſe, etiam Pius, Marcheſius & Carolus à S. Vincentio aſſerunt, citantes Prelormitanum ſeculi* XVI *adulti auctorem, de quo agit Echardus tom.* 1 *Bibliotheca Ord. Prædicatorum pag.* 76. *Bremondum abſtinere debuiſſe ab immodicis laudibus, quibus Cavalerium ſuum extollit, atque hunc cum ceteris ſcriptoribus Dominicanis jamjam nominatis in errores lapſum fuiſſe, palàm fiet ex ſequentibus.*

E

37 *Sigonius ſæpe laudatus ad annum* 1229, *cruento Bononienſium cum Mutinenſibus bello enarrato, Pontificem Gregorium Nicolao epiſcopo Regienſi mandaſſe ſcribit, ut diſſidentes civitates ad concordiam, quoad poſſet, adduceret. In cujus rei fidem Gregorii ad Nicolaum litteras producit, datas* Peruſiâ III Idus Octobris, Pontificatûs *ejus* anno III, *Chriſti* 1229. *Paulò infrà verba adfert, quibus epiſcopus Regienſis* XI Kal. Januarias *ejuſdem anni belli ferias edixit, in quas utraque civitas conſenſerat.* Ego Nicolaus epiſcopus Regienſis ex mandato D. Gregorii Pontificis ad pacem aut longas inducias inter Bononienſes & Mutinenſes componendas delegatus, receptis à prætoribus & conſiliis utriuſque civitatis ſolemnibus ſacramentis de induciis inter ſe ſervandis & captivis reſtituendis, ex formula compromiſſi dico, præcipio, arbitror & judico ab hodierno die uſque ad Kalendas Januarias primas, & à Calendis Januariis primis uſque ad octo annos expletos, quòd ipſi inducias inter ſe ſervent. *Sequuntur leges, quas Nicolaus auctoritate Pontificia utrique parti ſub pœna excommunicationis induciarum tempore ſervandas indixit. Illis ſubjicitur:* Actum ſupra limen ædis S. Ægidii ad Mutinam, præſentibus Fratre Guallа, legato Pontificis in Lombardia, Raymundo abbate Nonantulano &c.

F

verum tamen eſſe credo, illos Beati operâ ad inducias paciſcendas adductos fuiſſe.

38 *Liquet ex jam allegatis, Nicolaum epiſcopum Regienſem à Pontifice ad Bononienſes & Mutinenſes legatum fuiſſe, atque hos non* decem, *ut ſuprà memorati ſcriptores affirmant, ſed octo dumtaxat annorum & aliquot dierum inducias inter ſe pepigiſſe; non* anno MCCXXVI, *ut*

A *ut iidem ſcribunt, ſed ſub finem anni* 1229. *Interim ego illis concedendum cenſeo*, B. Gualæ *interveniente auctoritate, induſtria ac conſiliis potiſſimùm effectum fuiſſe, ut diſcordes civitates Nicolao epiſcopo obtemperarint, atque hic legatione ſua feliciter fuerit perfunctus: id enim ex aliis etiam ſcriptoribus confirmari poteſt, qui de Bononienſium ac Mutinenſium bello meminerunt. Hieronymus Rubeus lib.* 6 *Hiſtoriarum Ravennatum ad annum* 1230, Commiſſum, *inquit*, ab illis atrox eſt prælium, multis utrimque cæſis: operâ tandem epiſcopi Regienſis & Gualæ Ordinis Dominicani ſacerdotis, viri eloquentiâ & pietate præſtantiſſimi, novem annorum pactæ induciæ ... fuere. *Muratorius tom.* 18 *Scriptorum Italiæ poſt col.* 234 *edidit Hiſtoriam miſcellam Bononienſem, auctore præſertim Fratre Bartholomæo della Pugliola, quem ille in Præfatione anno* 1394 *floruiſſe ait. In Hiſtoria iſta ad annum* 1229 *Italicè hæc habentur:* Die x Decembris epiſcopus Regienſis & Frater quidam, cui nomen Guala, inducias fecerunt inter Bononienſes & Mutinenſes & ſocios utriuſque par-

B tis, per novem annos: & omnes captivi dimiſſi ſunt, & iverunt ad civitates ſuas. *Auctores, quorum verba hic dedi, in aliquibus adjunctis erant, quæ lector ex num.* 36 *facilè corriget.*

39 *Anno* 1230 *Fredericus II Pontifici & Eccleſiæ reconciliatus fuit. Totius rei geſtæ ſeriem Raynaldus ad iſtum annum fusè deſcribit: ſed ne verbo quidem de* B. Guala *meminit, qui tamen in pacificatione imperatoris cum Pontifice maximam laudem tulit. Teſtis eſt Richardus in Chronico, qui non ſolùm in Campaniæ Felicis oppido, S. Germani dicto, id eſt, eodem in loco, ubi de pace actum fuit, verùm etiam eodem tempore floruit. Ejus verba accipe ex editione Muratorii tom.* 7 *Scriptorum de Rebus Italicis col.* 1019. Penultimo Madii ad eos, *Joannem ſcilicet epiſcopum Sabinenſem, & Thomam tit. S. Sabinæ presbyterum Card. Apoſtolicæ Sedis legatos, Capuam* veniens imperator, cùm formam non acceptaret concordiæ, quia S. Agatham & Cajetam retinere volebat Eccleſia, recedentes à Capua, Sueſſam ſe conferunt Cardinales; ubi cum Cajetanis loquentes, .. cùm ipſos ad imperatoris vota flectere nequiviſſent, ad ſanctum Germanum reverſi ſunt: ubi cùm diu eſſet de concordiæ forma tractatum, nec poſſet, auctore faciente diſcordiæ, conſummari; oportuit iterum Magiſtrum domûs Theutonicorum ad dominum Papam ſimul cum Regino de Lombardia epiſcopo laborare, qui ſeriò ad imperatorem venerat pro pace inter ipſum & Eccleſiam reformanda. Qui cùm ſine effectu redirent, conſequenter ad Papam redeunt; & tunc cum eis quidam Frater Gualo mittitur de Ordine Prædicatorum formâ concordiæ acceptatâ: & ipſe Papa urbem * exiens venit apud Cryptam-Ferratam.

An. 1230 *Fredericus II, à B. Guala*

C

* urbe

40 Imperator verò de Capua jam venerat ad ſanctum Germanum; ubi dictus Fr. Gualo in hora ſerotina allocutus eſt ipſum, & AD VERBUM ILLIUS SATISFACERE ECCLESIÆ ANNUIT IMPERATOR: propter quod in ſignum lætitiæ in ſancto Germano ſunt per omnes eccleſias ſigna pulſata; & idem Fr. Gualo ad Papam, quem apud Anagniam reperit, ſub feſtinantia remeavit. Igitur die Martis nono ſtante Julio (*id eſt*, XXIII *Julii. Vide Gloſſarium Cangii in voce* menſis) in feſto S. Apollinaris prædicti Sabinenſis epiſcopus & S. Sabinæ Cardinalis in majori eccleſia ſancti Germani, præſentibus patriarcha Aquileienſi, Salsburgenſi archiepiſcopo, Ratiſponen. & Regino epiſcopis, Carinthiæ ac Moraviæ ducibus *&c.* de ſatisfaciendo ſanctæ Romanæ Eccleſiæ pro his, quibus excommunicatus fuerat, recipiunt ab imperatore publicè juramentum. *Quæ ante pacificatoriam* B. Gualæ *ad Fredericum legationem, & poſt hujus juramentum ſolemne, quo ſe Eccleſiæ ſatisfacturum promiſit, peracta fuerunt, ſi lector noſſe deſiderat, laudati Raynaldi Annales conſulat & Chronicon Richardi; qui col.* 1021 *in editione Muratorii iteratam de Beato mentionem facit.* Die Mercurii, *inquit*, octavo ſtante Julio, *ſeu altero die poſt dictum juramentum à Frederico præſtitum*, in Vigilia ſancti Jacobi ſediens à domino Papa ad ſanctum Germanum Frater Gualo de auctoritate Apoſtolica reſtitui juſſit à Cardinalibus in ſancto Germano ac tota terra monaſterii divina Officia, quæ per Albanenſem epiſcopum fuerant interdicta *anno præcedente ſeu* 1229. *Lege, quæ ad hunc annum chronologus noſter ſcribit apud eumdem Muratorium col.* 1014.

Inductus, ſe Eccleſiæ ſatisfacturum ſolemniter jurat.

E

41 *Poſtquam Gregorius pacem cum Frederico fecerat, eumque Eccleſiæ communioni reſtituerat, eò ſtudium ſuum convertit, ut ſimultates deponerentur, quæ fœderatis Longobardiæ civitatibus cum imperatore intercedebant. Quam ob cauſam illarum præfectos certiores fecit Pontifex, Fredericum, contra quem anno ſuperiore fœdus renovarant, ut num.* 34 *dictum eſt, omnem ipſis offenſam remiſiſſe; quibus etiam litteris ſuis inſertam tranſmiſit juramenti formam, quo imperator ad injuriarum condonationem ſe obſtrinxerat. Conſule Raynaldum ad annum* 1230 *num.* 14. *Ad annum ſequentem num.* 2 *in fine ſcribit, quod Pontifex imperatorem hortatus fuerit*, ne moleſtiam Longobardis exhiberet. Quemadmodum verò, *inquit num.* 3, Inſubres commendavit Friderico, ut ab eorum injuria ſibi temperaret, ita ipſos graviſſimè monuit, uti ſua Friderico præſtarent officia, atque à Vercellenſi & Brixienſi epiſc. ex concepta initæ cum imperatore pacis formula ſacramento adigi juſſit. Iiſdem etiam Epiſcopis atque electo Mantuano provinciam dedit, ut cùm Fridericus conventum habere cum filio ac Germaniæ principibus flagitaret, Longobardis ſuaderent, ne Germanos arcerent aditu in Italiam... Pontifex denique ad Inſubriæ præfectos Apoſtolicas litteras miſit, ut habito conſilio propoſita ab Epiſcopis audirent, iiſque pro ſua ſapientia reſponderent. *Contracta hæc ſunt ex epiſtolis Gregorii* 2, 76 *&* 138 *libri* 5, *quas Raynaldus in margine citat. Brixienſis noſtri & aliorum epiſcoporum conatus in urbium fœderatarum præfectis ad voluntatem Pontificis traducendis irriti fuerunt: nam in vetuſtis documentis lego, illos eodem anno* 1231 *Bononiæ ſocietatem adverſus Fredericum novo jurejurando confirmaſſe.*

Ipſi & alii epiſcopi an. 1231 *mandat Pontifex, ut Longobardos ad concordiam cum imperatore reducat.*

F

42 *Menſe Maio anni* 1233 *facta eſt honorifica elevatio corporis S. Dominici, de qua actum tom.* 1 *Auguſti à pag.* 524. *Illi interfuit beatus Præſul noſter cum archiepiſcopo Ravennate & tribus aliis epiſcopis, teſte Conſtantino Urbevetano in S. patriarchæ Vita apud Echardum tom.* 1 *Bibliothecæ pag.* 37 *col.* 2. *Muratorius tom.* 4 *Antiquitatum Italicarum col.* 1171 *edidit* inſtrumentum pacis inter Guelphos & Gibellinos *à F. Joanne Vicentino Ord. Prad. menſe Auguſto*

Memoria in vetuſtis inſtrumentis: Brixiæ Guelphos Gibellinis conciliaſſe dicitur.

AUCTORE J. L

ſto anni 1233 *in agro Veronenſi compoſita*, præſentibus teſtibus dominis Jacobo Veronenſi, Fratre Gualla Brixienſi, Guidotto Mantuano.. epiſcopis *&c. Menſe Novembri anno* 1235 *renovata fuit ſocietas Ferrarienſium cum ſocietate Longobardiæ* in camera ſalæ domini Gualæ epiſcopi Brixiæ; *ut habetur in charta, quæ exſtat apud Muratorium eodem tomo* 4 *Antiquitatum col.* 331. *Ibidem col.* 389 *aliud profertur inſtrumentum, ex quo conſtat Mutinenſes* XI *Februarii anno* 1236 *coram novem Cardinalibus & Fratre Gualla epiſcopo Brixienſe à Gregorio IX Viterbii tunc commorante petiiſſe, ut Bononienſes anathemate percuſſos denuntiaret, quod inducias fregiſſent, de quibus vide num.* 35 *& ſeqq. Ughellus de beato noſtro Præſule*, Brixiæ, *inquit*, Guelphis *ſeu Pontifici addictis* & Ghibellinis, *qui imperatori favebant*, ea pacis fœdera ſcripſit, quibus deliniti viſi ſunt in poſterum ab excidio patriæ; quod hactenus rediviva pertinacia partium ei fuerat minitata, abſtinuiſſe. *Florentinius breviter ita habet*: In urbe Guelphos Gibellinis conciliavit. *Apud antiquiores de*

B *pacificatione iſta nihil invenio. De factionum, quæ olim* Guelphorum *&* Gibellinorum *nomine deſignabantur, origine & progreſſu in Italia erudite & eleganter, ut ſolet, diſſerit Muratorius jamjam laudatus à col.* 605.

§ V. Epiſcopatûs abdicatio; vita & mors in cœnobio Aſtinenſi: an ibi habitum monachorum Ord. Vallis Umbroſæ ſuſcepit?

Epiſcopatum deponit an. 1241 *vel* 1242: *refutatur Panvinius, quique hunc ſecuti ſunt.*

C

Non hæc die in notis ad B. Gualæ *annuntiationem ex Tabulis Vallumbroſanis, anno* 1591 *ad ſe tranſmiſſis, ſcribit, illum eccleſiæ Brixienſi* XIV annis *præfuiſſe. Idem affirmant ſeculi* XVI *ſcriptores Peregrinus, Guarnerius, Loccatellus, atque his juniores penè omnes. Suprà num.* 25 *diximus, beatum Præſulem ſedere cœpiſſe ante finem anni* 1228 *& poſt* XXII *Julii anni* 1227. *Adde* 14 *regiminis annos, pervenies ad annum* 1241 *vel* 1242, *quorum alterutro epiſcopatum depoſuit. Nemo hic objiciat Chronicon Onuphrii Panvinii, in quo aſſeritur, Heliam Robertum anno* 1239 *ex epiſcopo Brixienſi patriarcham Antiochenum creatum fuiſſe. Manifeſti erroris auctorem iſtum ita convinco. Ad ſedem Antiochenam, quæ mortuo Raynerio patriarcha anno* 1226 *vacabat, tranſlatus eſt Albertus epiſcopus Brixienſis, proximus* B. Gualæ *deceſſor. Vide num.* 24. *Sed in libro de Geſtis Dei per Francos pag.* 1195 *Bulla ab Innocentio PP. IV in concilio Lugdunenſi an.* 1245 *editæ expreſſis verbis ſubſcriptus legitur* Albertus patriarcha Antiochenus: *itaque Helias Robertus à Brixienſi ad Antiochenam cathedram anno* 1239 *evectus non fuit, cùm hanc an.* 1245 *adhuc Albertus teneret. Supremam diem obiit hic patriarcha paulò poſt celebrationem concilii Lugdunenſis eodem anno* 1245 *vel ſequente, uti Petrus Boſchius noſter oſtendit in Hiſtoria chronologica patriarcharum Antiochenorum num.* 673. *Panvinii errorem neoterici non pauci adoptarunt, quorum aliquos Bremondus citat tom.* 1 *Bullarii pag.* 112 *&* 114; *ubi Ordinis ſui viris dignitate eccleſiaſtica ſub Gregorio IX illuſtribus Heliam Robertum accenſet, eumque antiſtitem Brixienſem an.* 1239, *patriarcham verò Antiochenum an.* 1240 *fuiſſe ſtatuit. Si ad hanc dignitatem promotus fuit, non priùs id contigit quàm circa annum* 1246, *quemadmodum ex dictis liquet. Imò dubitare licet, an umquam fuerit patriarcha Antiochenus, cùm id* non veterum, *inquit laudatus Boſchius*, ſed ſua tantùm auctoritate recentiores *affirment, Panvinium ſecuti. Incertum etiam eſt, an inter præſules Brixienſes numerandus ſit. Ipſum quidem Florentinius illorum Catalogo poſt* B. Gualam *inſeruit, ſed in fide Panvinii, addens monumenta Brixienſia nullam illius mentionem facere. Unde & Ughellus tom.* 4 *Italiæ ſacræ veteris editionis nullum eidem locum conceſſit in ſerie antiſtitum Brixienſium, pro qua ordinanda pag.* 726 *ſe Florentinii Catalogo uſum fuiſſe ait.* D

44 *De epiſcopatûs abdicatione, ſeceſſu in cœnobium Aſtinenſe S. Sepulcri, vitâque ibi actâ Guarnerius tradit ſequentia*: Expleto legationis munere, ſive negociorum tædium, ſive contemplationum & patriæ deſiderium Guallam cepiſſet, depoſito epiſcopatu, quem annos XIV ſanctiſſimè rexerat, Bergomum reverſus eſt. A Bergomatibus tanto honore eſt exceptus, quantum ejus virtuti ac meritis deberi exiſtimabant. Ille conſalutatis amiciſſimè ſuis popularibus, receſsûs ac perfugii alicujus cupidus, ubi, quod ſupererat vitæ, in rerum divinarum contemplatione conſumeret, in cœnobium Vallis Aſtinæ ſeceſſit. Ibi procul cœtu hominum cum monachis in perennibus rerum cæleſtium ſtudiis ſenectutem egit; amplificandique domicilii, ubi monachi habitabant, auctor fuit. In gravioribus etiam rebus eum ex cœnobio Bergomates accerſebant. Quare ut SS. Fauſtini & Jovitæ tranſlationi Brixiæ (*vide ſuperiùs num.* 20) interfuiſſe cognoverant: ſic cùm templum S. Stephani *conventûs Ord. Prædicatorum* laxare & magnificentiſſimum facere decreviſſent, Guallam ad ponendum primum fundamentorum lapidem adhibuerunt. Cùm ſenex deceſſiſſet, in æde ejus cœnobii (*Aſtinenſis*) ante altare S. Martini ſitus eſt. E

In cœnobium Aſtinenſe ſeceſſit. ubi quæ egit, ex Guarnerio referuntur

45 *Alia, quæ recentiores* B. Gualam *poſt muneris paſtoralis abdicationem egiſſe memorant, ex Peregrino ceteris antiquiore accepta eſſe credo; cujus proinde narrationem tranſcribere malo, licèt multis erroribus chronologicis vitiatam.* Poſtquam, *inquit parte* 2 *Vineæ Bergomenſis cap.* 33, ſibi creditam Brixianam vineam per annos XIV verbo & exemplo gubernavit, anno Domini MCCXXXIX ipſam renuntiavit, & in patriam ſuam rediit: ubi in abbatia S. Sepulchri de Aſtino data fuit ei habitatio à reverendo D. Alexandro abbate hujus loci: in qua abbatia ipſe reverendus Epiſcopus multa bona operatus eſt; nam ſacellum ad honorem S. Nicolai epiſcopi & confeſſoris, *quod, uti addit Loccatellus, in loco ab eccleſia abbatiæ ſeparato exſtruxerat*, dedicavit, & in eo unum altare conſecravit: ipſe enim fuit pater pauperum, viduarum, infirmorum & peregrinorum... Hic etiam digniſſimus dominus Sacerdos, dum eſſet ſuffraganeus reverendi domini Alberti de Tertio epiſcopi Bergomenſis, anno Domini MCCXXXVI conſecravit altare S. Mariæ Virginis in æde kathedrali S. Alexandri; & MCCXLIV die XXIV Maii interfuit tranſlationi F

& Peregrino,

A lation i corporis S. Dominici, celebratæ apud Bononiam : eodemque anno die XI Auguſti auctoritate præfati reverendiſſimi epiſcopi electi, & ad inſtantiam reverendi Fratris Pinamontis Peregrini de Brembate, primi Prioris monaſterii S. Stephani & S. Dominici diſcipuli, præſente clero populoque Bergo. ſepultus fuit. Hæc ex Annalibus & Kalendariis ipſius abbatiæ, & ex ejus hiſtoria, aſcripta in libro IV capite VII de Antiquitatibus & Geſtis divorum Bergomenſium.

cujus errores chronologici corriguntur.

46 *Capite ſequente Peregrinus in elogio Alexandri abbatis Aſtinenſis hæc habet :* Multa bona opera fecit in abbatia & in eccleſia ſua, & primò unam crucem argenteam ; quam fecit conſecrari à præfato beato Gualla, ibi reſidente, Non. Calend. Februarii anni MCCXXXVIII. Fecit etiam fieri palatium, in quo reſidebat ipſe beatus Gualla, & alia multa memoranda fecit. *Turpiter hallucinatur Peregrinus in temporibus, quibus res quæque contigerit, deſignandis.* B. Gualam, *depoſito epiſcopatu Brixienſi, in patriam ſuam ſeu Bergomum non priùs rediiſſe ait, quàm anno* 1239, *& ſimul aſſerit eum anno* 1238 *in abbatia Aſtinenſi prope Bergomum reſediſſe, imò jam ab anno* 1236 *Alberti de Tertio antiſtitis Bergomenſis ſuffraganeum fuiſſe, atque in cathedrali ejuſdem urbis eccleſia Virgini Deiparæ altare tunc conſecraſſe. Manifeſtè ſibi contradicit Peregrinus, totque errores committit, quot annos determinat. Etenim munus paſtorale non abdicavit anno* 1239, *ſed, ut ſuperiùs dictum eſt,* 1241 *vel* 1242. *Ad alterutrum annum vel proximè ſequentes differenda ſunt, quæcumque ex Peregrino tranſcripſi : ſi tamen excipias tranſlationem S. Dominici, cui Beatus non anno* 1244, *ut ſcriptor ille iterum falsò aſſerit, ſed* 1233 *interfuit. Adi tomum* 1 *Auguſti pag.* 524 *& ſeqq.*

B

Merita in eccleſiam Bergomenſem ſub Alberto & Henrico epiſc.

47 *De Alberto epiſcopo Bergomenſi, cujus meminit idem Peregrinus, apud Ughellum tom.* 4 *Italiæ ſacræ editionis Venetæ à col.* 474 *hæc lego :* Albertus è Tertia familia, nobilis Bergomas, ſublectus epiſcopus eſt anno MCCXLII. Octo ferme annos electus hanc ſedem adminiſtravit, quam anno MCCL libens volenſque, necdum conſecratus, liberè in manus Innocentii IV dimiſit. Id habetur in Reg. Vatic. ep. CCCLXX tranſlationis Aloyſii ſucceſſoris. *Si conſecratus non fuerit Albertus, functiones, quæ ſunt Ordinis epiſcopalis, non exercuit. Hinc non parùm veriſimilitudinis accipit quod Peregrinus ſcribit, nimirum* B. Gualam *Alberti* ſuffraganeum *fuiſſe, non quidem hoc ſenſu, quòd iſtud officium geſſerit ; ſed quòd ſanctiſſimæ Virgini Mariæ altare in cathedrali dedicarit, aliaque peregerit, quæ à ſuffraganeis ſolent, ab epiſcopis verò non conſecratis peragi non poſſunt. Alberti deceſſor fuit Henricus Seſſa, de quo in laudato Ughelli Opere hæc Guerrini verba producuntur :* Ejus varia remanent in Actis capitularibus monumenta : cujus tempore B. Gualla de Romnonibus civis Bergomen. & epiſcopus Brixienſis multum contulit

C ſpirituali regimini, cùm eſſet ex primis diſcipulis S. Dominici, & dimiſſâ Brixienſi eccleſiâ in bona ſenectute monaſterium Vallumbroſanum Aſtini, quo ſe recepit, illuſtravit. *Ughellus de Attone II ejuſque ſucceſſore Henrico Seſſa agens, eas apponit notas chronologicas, ex quibus conſequitur, Henricum eccleſiæ Bergomenſi præfuiſſe à medio circitèr menſis Aprilis anni* 1241 *uſque ad initium Septembris anni ſequentis. Contra ſententiam noſtram, quæ ſtatuit* B. Gualam *anno* 1241 *vel* 1242 *epiſcopatum Brixienſem dimiſiſſe, ex Guerrini verbis nihil inferri poſſe, conſideranti patet.* AUCTORE J. L.

48 *Omnes inter ſe conveniunt, Beatum anno* 1244 *ad vitam feliciorem tranſtiſſe. Mortis diem plerique ponunt* III *Septembris, pro quo menſe Florentinius, Ughellus & Simius Decembrem notant. Leander Albertus lib.* 3 *de Viris illuſtribus Ord. Præd. pag.* 114 *versâ*, B. Gualam *mundo & cælo Brixiæ natum ſcribit. Alterutrum aſſerit Bernardus Guidonis, ſeculo* XIV *adulto vitâ defunctus, apud Malvendam in Annalibus ſui Ordinis pag.* 373. Fr. Guala Brixienſis epiſcopus Brixiæ moritur : de quo Fr. Guala habetur in Geſtis B. Dominici mentio ſpecialis. Hic jacet in quodam monaſterio Vallis Umbroſæ, quod dicitur Aſti, prope Bergamum. *Si voci* epiſcopus *interpunctio præponatur*, B. Guala *Brixiæ natus ; ſi poſtponatur, in eadem urbe mortuus intelligetur. Eum oriundum eſſe Bergomo recentiores penè omnes aſſeverant : quibus ego ſuprà num.* XI *nihil oppoſui,* 1 *quia ipſimet Brixienſes id fatentur ;* 2 *quia Bernardus Guidonis dubiè loquitur ;* 3 *quia licèt ſignificare voluerit, Beatum Brixiæ natum fuiſſe, non propterea tamen id indubitabile foret : nam Bernardus ſe antiquiores, qui illum ab epiſcopatu* Brixienſem *dixêre, aliter intelligere potuit, & exiſtimare agnominatione iſta ejuſdem patriam indicari. Quoniam apud omnes certum eſt*, B. Gualam, *Brixienſi urbe & epiſcopatu relictis, in Aſtinenſi Ordinis Vallumbroſani abbatia ſupremos vitæ annos egiſſe, atque in illius eccleſia ante altare S. Martini ſepultum fuiſſe ; multo credibilius eſt, dictam abbatiam locum ejus mortualem fuiſſe.* *Annus, dies & locus emortualis.*

Sunt, qui cum habitum Ordinis Vallis Umbroſæ ſuſcepiſſe dicunt ;

49 *Magis ambiguum eſt, quodnam religioſæ vitæ genus in cœnobio Aſtinenſi duxerit. Martyrologi, quorum verba num.* 2 *retuli, eum ex epiſcopo humilem monachum Vallumbroſanum ibi factum eſſe tradunt.* Vixit, *inquit Ordinis iſtius ſcriptor Loccatellus*, ſicut alii monachi, qui ibidem degebant, agens ſimul cum illis vitam monaſticam & obſervans eamdem diſciplinam ; utque ſe iis in omni re conformaret, ſuſcepit habitum Ordinis noſtri. *Simius profeſſione itidem monachus Vallumbroſanus eum à rigida monaſticæ diſciplinæ cuſtodia ita laudat :* Cùm eccleſiam Brixienſem quatuordecim annos ſanctiſſimè gubernâſſet, abdicavit ſe paſtorali officio, factus humilis monachus ſancti Sepulchri de Aſtino ; ibique duxit eamdem prorſus vitam ac cæteri cœnobitæ illius ſacri cœnobii, nullum paſſus umquam habere privilegium vel à choro, vel à menſa communi, vel à jejuniis, vigiliis & orationibus præſcriptis in regula, quam ipſe ſecundum omnem apicem perfectiſſimè adimplevit : vitæ genus in Viro illuſtri provectæ ætatis, & in dignitate epiſcopali jam conſtituto, rari profectò exempli & tanti meriti, ut ſupra meritum eſſet omnium aliorum patrum, qui ibi ſanctitate florebant. E F

quibus aſſentiendum non eſt, donec ex fide dignis documentis id probent.

50 *Quoniam* B. Guala *ante epiſcopatum religioſam vitam in Ordine S. Dominici profeſſus fuerat, credi non debet, illum poſtea Ordinis Vallumbroſani habitum aſſumpſiſſe, niſi idonea auctoritate probetur. Hoc autem non faciunt, qui illud affirmant. Simius quidem in margine notat* archivium S. Sepulchri de Aſtino : *ſed an ibi fide digna de Beato documenta aſſervantur ? Wion ſuprà num.* 3 *binas inde tabulas, unas an.* 1591, *alteras an.* 1593 *ad ſe tranſmiſſas ſcribit.*

AUCTORE J. L.

scribit. In prioribus, inquit, notatur fuisse discipulus S. Dominici episcopi Brixiensis, *qui circa annum* 600 *floruit : alius enim Dominicus ante* B. Gualam *Brixiæ non sedit. Alteræ tabulæ eumdem parachronismum habent, atque insuper Beatum* episcopum Bergomensem *faciunt. Hoc errore Wion annuntiationem suam corrupit : alterum adoptavit Simius ; nam elogium, quo Beatum ornat, ita orditur :* S. Guala item civis Bergomensis ex familia Romi, seu Roma, discipulus primùm sancti Dominici Brixiensis episcopi *&c. Si ex aliis Astinensis cœnobii instrumentis ostendi nequeat, à Beato susceptum fuisse habitum monachorum Ordinis Vallis Umbrosæ ; horum traditioni Patres Dominicani fidem non habebunt. Si meliora illic monumenta exstent, producantur. Mihi interea temporis Ordini Prædicatorum favere licet, & credere,* B. Gualam *in illo usque ad finem vitæ perseverâsse ; etiamsi curis episcopalibus expeditus in abbatia Congregationis Vallis Umbrosæ habitationem elegerit, ut ibi liberiùs rerum cœlestium studiis vacaret.*

D

DE BEATA TARASIA

OURENII IN LUSITANIA.

J. P.

Locus, tempus mortis, mira patrata, cultus publicus.

B

AN. MCCLXVI. *Locus*

OUrenium *vel* Ouremium, *aliàs* Ouren & Ourem, *oppidum est Lusitaniæ in tractu Scalabitano, alio nomine* Santaren, *quod* B. Tarasiæ *virtutibus ac morte Deus condecoravit. Tamayus in notis hac die,* Oppidum est, *inquit*, olim minùs nobile ; *sed* hodie magnificum ob collegiatam ecclesiam, quâ illud Duces Brabantini * illius dynastæ condecorarunt, splendidam. *Ludovicus ab Angelis (al.* dos Anjos) *in Viridario Lusitaniæ cap. 76, pag.* 200 *&* 201, *in vico non multùm distante à dicto oppido Ourenensi, cui nomen Zambujal, in lucem prodiisse indicat Beatam istam, quæ linguâ Lusitanâ, eâ enim Viridarium suum conscripsit, ab eo appellatur* Sancta Tareja de Ourem ; Tarasia *ab Arturo in Gynæceo, à Tamayo autem* Teresia : *qui eam sic annuntiat :* Scalabi in Lusitania B. Teresiæ illustrissimæ feminæ, quæ cùm ob paupertatis necessitudinem ad famulatûs obsequium raperetur, sic vitam texuit, ut virtutibus dives, & miraculis clara, ad Dominum, cujus amore languebat, omnium admiratione volavit *.

* *l.* Brigantini *i. e.* de Braganza

C

* *l.* volârit *vel* volaverit

2 *Tempus mortis, mirabilia, & publicam ejus venerationem memorat Antonius Vasconcellius in Descriptione regni Lusitaniæ, quæ habetur post Anacæphaleosim, quam edidit de ejusdem regni regibus, à pag.* 526, *ubi sequens de Beata elogium concinnavit :* Anno millesimo ducentesimo sexagesimo sexto Ourenii in conventu Scalabitano diem obiit infima conditione femina Tarasia, meritis ac virtutibus sublimis, quam licèt paupertas ad herilem famulatum dejecerit, tamen sanctitas ad excelsum solium evexit. Ejus fama cùm minùs pervulgata sit, operæ pretium est, tria nobiliora exempla subtexere. Cùm aliquando pauper stipem emendicans antistitis * ecclesiæ Ourenensis, cui ipsa ancillabatur, fores pulsaret, nudum intuita, pallium, quo jam propter decussum florem minùs herus utebatur, illi suppeditavit.

* *i. e.* rectoris *seu* parochi

3 Conscius largitatis sacerdos, & indignatione commotus illam adigit ad muneris repetitionem. Rogat illa, ut ratum habeat, quando vestes aliæ blattarum ac tinearum epulæ in arca putrescerent : sed avaritia consiliis minimè acquiescit ; illam herus ita durè increpitat, ut compulsa fuerit à Deo, utpote liberaliori, auxilium reposcere. Affuit subitò angelus indiscretum omnino pallium aliud deferens, quod illa hero commisit ; sed cùm postridie ad templum sacra facturus accessisset, videt pauperem eodem, quo antea, pallio graphicè exornatum, & rem, qualis erat, intelligens, cœpit Ancillam, ut promerebatur, revereri.

E

misericordia ejus erga pauperes

4 Iterum accidit, quod B. Elisabethæ Dionysii regis uxori in ipsius anacæphalæosi diximus obtigisse. Canistrum panibus fartum manibus deferebat, ut pauperibus erogaret, in herumque incurrens, & ab eo, quid ferret, interrogata, rosis illud plenum esse respondit. Ille linteum removens, rosas reperit, illis vernantiores & odore suaviores, quæ in hortis conseruntur.

miro modo peracta

5 Omnium etiam sermone circumfertur, ipsam aliquando in templo ita fuisse in Deum ab externis sensibus abalienatam, ut, nihil præsentiente sacrorum & clavium custode, ibidem pernoctaverit : & expansis ad auroram valvis, à dulci illo somno evigilans, dolere cœpit, quòd farinam excernere, & pinsere, ut erat opus, non potuerit. Festinatò in domum reversa reperit massam non tantùm subactam, sed & panes angelorum ministerio in clibano concoctos, & in panario recentem adhuc calorem exhalantes.

angelorum ministerio juvatur :

F

6 Ob hæc & alia prodigia antistes, & populus ipsi exstinctæ quotannis die tertio Septembris, in quem incidit illius obitus, non statas pro defunctis preces, sed Sacrum, quod in celebritate Sanctorum omnium decantatur, statuit recitari. Et in templo misericordiæ, in quod confusa sunt antiqua quatuor oppidi sacerdotia, sacellum habet, cui pro ara est sanctissimæ fœminæ sepulchrum, quod à multis, illius caput argento repositum osculantibus, invisitur, ob aurium medicinam, quibus potissimùm opitulatur.

publicus ejus cultus.

DE

A D

DE B. ALBERTO BESUTIO EREMITA

APUD LACUM VERBANUM IN DUCATU MEDIOLANENSI,

COMMENTARIUS PRÆVIUS. J. P.

Locus, veneratio publica, corpus, Vita, chronologia.

ANNO MCCCLIX. *Situs loci:*

LAcus Verbanus, *unus eſt inter alios in Longobardia Tranſpadana magni nominis & ingentis magnitudinis lacus, Larium videlicet, Benacum, & Sebinum, vulgò* Lago Maggiore *nuncupatus. Hæc & plura alia inveniet lector apud Orlendium in Orbis ſacri & profani parte* 2, *volumine* 1, *lib.* 1, *cap.* 3. *Secundum dimenſionem Baudrandi,* XIV mill. paſſ. diſtat à Novaria in Septentrionem, & XXXVI à Mediolano in Occaſum æſtivum. *Ad hunc lacum in mappa geographica ſtatûs Mediolanenſis, partem Alpinam ſive Septemtrionalem exhibente apud Blavium, ponitur* S. Catharinæ *locus, cujus inferiùs meminiſſe juvabit, & non procul inde* Beſozzo *inter montes, quod eſt ipſum* Beſutii *noſtri nomen Italicum. Hunc verò locum Beato fuiſſe natalem memorat Franciſcus Maria Guazzo in Vita Italica cap.* 3, *pag.* 23, *indéque eum diſceſſiſſe affirmat Lacum Majorem verſus, ut montem* Ballazzo * *exploraret, locumque inveniret propoſito ſuo convenientem. Superiora ſubſerviunt lectori ad formandam ideam loci, in quo Eremita noſter peccata in ſeculo commiſſa eluit, piéque vixit & obiit.*

B

* *al.* Ballaro

cultus; inventio ac tranſlatio

2 *Galeſinius ſic eum annuntiat hac die:* In diœceſi item Mediolanenſi, ſancti Alberti confeſſoris, *Sanctum utique eum vocans, uti & Auxanum, de quo ſuperiùs egimus,* ex codice pervetuſto eccleſiæ Mediolanenſis: in quo Sanctorum, quorum in ea diœceſi eccleſiæ altariave extant, Vitas exaratas, *ait,* vidimus. *Ferrarius in Catalogo generali beati titulo eum refert:* In territorio Mediolanenſi B. Alberti eremitæ. *In notis autem obſervat iſta:* Corpus ejus in eccleſ. ſanctæ Catharinæ de Saxo ad Lacum Verbanum conditum eſt. *Eodem quoque titulo inſignitur ab eodem Ferrario in Catalogo Sanctorum Italiæ; & in indice alphabetico, qui eidem præmittitur, nominum Sanctorum, qui coluntur in Italia, ſignatur* Albertus conf. in terr. Mediol. III Septemb. Corp. in eccl. S. Catharinæ de Saxo. *In eodem autem Catalogo in Vita ejus narratur, illud,* cùm aliquamdiu latuiſſet, à domnina nob. fœmina Beſutienſi . . . repertum eſſe, miro ſuavique odore inde exhalante: quod poſtea in S. Catharinæ ſacellum tranſlatum fuit: multiſque ad ejus opem confugientibus beneficia divina præſtantur; *prout dicetur inferiùs.*

C

corporis:

3 *Verùm, quæ ad corporis inventionem ac tranſlationem ſpectant, alio modo ac paullo fuſiùs narrantur apud Guazzum cap.* 7, *pag.* 91, *quæ ex Italico reddo in hunc ſenſum:* Anno, *inquit,* reparatæ ſalutis MDXXXV, die XIII Julii, dum conſtruerentur aliqua fundamenta circa ſacellum S. Catharinæ, quà montem reſpicit, inventum fuit ejus ſepulcrum cum corpore toto integro, acſi paucis dumtaxat antea menſibus fuiſſet mortuum. Invenerunt illud magiſter Zacharias, & magiſter Petrus Maria fratres, fabri murarii ex Berſago. Quando aperiebatur iſta ſancta tumba, prodiit tam ſuavis ex ea odor, ut balſamorum aliorumque odorum Sabæorum fragrantiam ſuperaret; unde illi qui aderant, permanſerunt ſtupidi ac immobiles inſtar ſtatuarum præ admiratione, dum reſcire non poſſent, quale hoc eſſet fragrantiæ genus, quæ multis diebus duravit.

E

reſtruuntur:

4 Adfuerunt ibidem M. presbyter Joannes Petrus Sabbadinus ex Caravate, & M. Gaſpar ex Leggiuno, præter alios multos, quos prætermitto brevitatis causâ: qui omnes, animo optimè affecto pleni, magnam lacrymarum copiam effundebant præ conſolatione interna, quam habebant, propter inventum theſaurum. Hodie depoſitus exſtat in ſacello S. Catharinæ unà cum aliis reliquiis ſanctis. Inventus fuit ab annis jam novem ſuprà ſeptuaginta. *Hæc Guazzus: quibus præmiſerat, reliquiarum ejus revelationem accidiſſe* octoginta quinque annis *poſt mortem ipſius.*

ratio chronologica:

5 *Sed neutra notatio hæc chronologica ſubſiſtit. Non prima: nam ab anno* 1535 *quo corpus dicebatur inventum, ad annum* 1625, *quo biographus iſte librum ſuum edidit ac dedicavit,* F *ſunt anni nonaginta. Non etiam ſecunda: etenim mors Beati accidit, ut mox dicam, anno* 1358, *à quo ſi numeres uſque ad annum* 1535, *quo revelatio ſeu inventio dicti corporis contigit, neceſſe eſt, ut invenias annos centum ſeptuaginta ſex; ſicut calculos numeranti planum fiet. Et hæc quidem in chronologica notatione Ferrarii & Caſtellani, qui Beati obitum affigunt anno* 1359, *quos & ego ſuprà ſecutus ſum; neutiquam verò Guazzum, quia tempora non ſatis rectè combinat. Nam cap.* 6, *pag.* 77 *innectit Beati obitum anno* 1450, ſub Pontificatu Nicolai V, *poſt* annos quadraginta *in eremo exactos; & tamen cap.* 1 *converſionem ejus ad meliorem vitam refert ad annum* 1316, ſub Pontificatu Joannis XXI, dicti XXII.

Vita datur ex Ferrario

6 *Vita ipſius apud Ferrarium edita eſt in Catalogo Sanctorum Italiæ hoc die,* ex monum., *prout additur ad calcem ejuſdem Vitæ,* eccleſ. S. Catharinæ, quam Fratres S. Ambroſii ad Nemus apud Mediolanum appellati poſſident, à populis Lacum Verbanum incolentibus frequentatam: ex quibus B. Alberti hiſtoria extracta typis excuſa fuit Papiæ an. D. MDCI. *Hoc exem-*

AUCTORE J. P.

plar nondum vidi. Vitam quoque Beati Italicè anno 1625 typis Mediolanenſibus edidit Frater Franciſcus Maria Guazzo, Ordinis S. Ambroſii ad Nemus de Mediolano, ſed tot interpolatam digreſſionibus, ut oratio panegyrica ſit potiùs, immò verò ſilva variarum rerum quàm narratio hiſtorica. Hæc ratio me movit, ut oculos conjicerem in relationem Ferrarii, quam ſubdo.

VITA

Ex Ferrarii Catalogo Sanctorum Italiæ.

Beati converſio ad meliorem vitam. a b c d B

ALbertus *a* ex Beſutia familia *b*, Joanne XXII Pont. *c* Max., augendis opibus per fas & nefas operam dabat. Qui aliquando intra Verbanum Lacum *d* in ſummo vitæ diſcrimine ob repentinam, ac ſæviſſimam exortam tempeſtatem deprehenſus, ſe vitam in melius commutaturum vovit, ſi vivus evaſiſſet. Sedata itaque poſt votum tempeſtate, Albertus domum reverſus uſuras reſtituit, bona ſua pauperibus erogavit, & ab uxore, quæ & ipſa continentiam vovens in monaſterium ſe abdidit, licentiam agendæ vitæ ſolitariæ obtinuit, ac in montem excelſum, in Lacum prædictum prominentem, non ſine labore manibus pedibuſque reptans aſcendit, nil aliud ſecum præter ciſtam, lagenam, & funem deferens: ubi ſpeluncam, in qua diu vitam eremiticam exercuit, invenit, panem à præternavigantibus ciſtâ, aquamque lagenâ fune demiſſis accipiens. Ibi graviſſimas dæmonum inſidias, & tentationes angelica viſione roboratus ſuperavit.

conſilio ejus condita S. Catharinæ V. & M. ædes ſacra C

2 Cùm autem ab angelis paſtus, ciſtam lagenamque demittere per multum temporis ceſſaſſet, à navigantibus & incolis finitimis mortuus crederetur, ſplendor quidam inuſitatus circa illius tugurium apparens, quo tempore ingens vigebat peſtilentia, ſacerdotem quemdam induxit, ut Albertum adhuc vivere, populiſque finitimis ſuaderet ad illum accurrere, ut opem eis in tanto flagello ferret. Nec mora, multis adhibitis machinis monte tandem conſcenſo, Albertum haud longè à ſpecu digreſſum reperiunt, orantque, ut ſuis apud Deum precibus populo ſubveniat. Qui arctioribus uſus jejuniis, cùm aſſiduis Deum precibus, ac D. Catharinam virginem & martyrem oraſſet, angelo ſibi apparente, audivit fore, ut lues ceſſaret, ſi templum prædictæ virgini & martyri in eo loco excitaſſet, viditque poſt angeli diſceſſum ſaxum quadratæ formæ ſanguine conſperſum, formam ædificandæ eccleſiæ præ ſe ferens.

3 Poſt VIII dies juxta condictum revertentibus populis Albertus angelicum exponit reſponſum. Qui mox inchoato ſacro ædificio, quod brevi conſummatum eſt, à peſte liberantur: Albertus autem jam ſenio & vigiliis confectus, brevi febre correptus animam Deo reddidit III Non. Septemb. ann. reparatæ ſal. MCCCLIX *e*. Cujus corpus cùm aliquamdiu latuiſſet, à Domnina nob. fœmina Beſutienſi in marmoreo ſarcophago, effoſsâ terrâ, repertum eſt miro, ſuavique odore inde exhalante: quod poſtea in S. Catharinæ ſacellum tranſlatum fuit; multiſque ad ejus opem confugientibus beneficia divina præſtantur *f*. D

ceſſat peſtis. Beati obitus: corporis inventio & tranſlatio. e f

ANNOTATA.

a *Guazzus poſt Prologum, nihil etiam ſcribit de anno natali hujus Beati, nec de educatione ac vita ſeculari ante conjugium: ſed ita narrationem ſuam auſpicatur:* Anno itaque Domini MCCCXVI ... fuit .. nobilis .. Albertus nomine, junctus matrimonio *&c. At Conſule Commentarium prævium num.* 5.

b *Guazzus* antiquiſſimam & nobiliſſimam *vocat.*

c *Sedit ab anno* 1316, *uſque ad* 1334.

d *De quo ſuprà actum eſt num.* 1.

e *Apud Guazzum cap.* 6, *pag.* 77 *mendosè* E *ſignatur annus* 1450, *ut ſuprà dixi.*

f *Narrat Guazzus à pag.* 83, *aliquot poſt mortem* Alberti *annis tantam in iſto terrarum tractu graſſatam fuiſſe voracium luporum multitudinem, ut turmatim ſylvis egreſſi non beſtias dumtaxat, verùm etiam viros, mulieres, juvenes ac pueros devorarent, fruſtra adhibitis ad impediendum eorum furorem remediis humanis. Inſtituta quoque fuêre jejunia, ſolennes ſupplicationes, invocatumque auxilium Deiparæ Virginis Mariæ, nec non S. Catharinæ virginis & martyris &* Alberti *confeſſoris. Et requiſitis eorum precibus apud divinam Majeſtatem, ceſſavit illa luporum rabies, & populi evasêre incolumes. Ut verò favor iſte cæleſtis, Deiparæ præſertim Matris patrocinio obtentus, manaret ad poſteros, in ejus honorem fabricarunt ſacellum, prope ſacellum S. Catharinæ in monte Ballaro: ubi lapſu temporis è duobus iſtis ſacellis conſtructa fuit una ſola magna eccleſia, prout hodie conſpicitur, ſepulcro S. Catharinæ permanente in ſua prima forma, ſed incluſo in eccleſiæ ædificio, ſicut ſacra Lauretana Domus in ambitu magnæ eccleſiæ continetur. Superiora extraxi è longiore Guazzi relatione: qui pag.* 88 *refert ſuo tempore Montem hunc incoli à Fratribus quatuordecim. Vide ſuprà num.* 6. *Addit pag.* 88, *illum nominis celebritatem conſecutum ſub patrocinio S. Catharinæ V. & M. &* Alberti *conf., cui eumdem debere indicat, quòd incolas habeat ac domos. Denique memorat annuas ſupplicationes, ac pag.* 89 *catalogum texit multorum territoriorum bene longum, quorum populi eò confluunt quotannis. Atque hæc quidem, quæ de* B. Alberto *retuli hactenus, plus aliquid mihi videntur promereri, quàm ſolum titulum* venerabilis, *quo illum nuncupat Caſtellanus in ſuo Martyrologio univerſali hac die.* F

INDEX

INDEX HISTORICUS

AD TOMUM I SEPTEMBRIS.

A

Aaron *primus legis Moysaïcæ sacerdos* 10 b f, 11 a, 12 c, 15 e, 18 c d f, 20 d, 21 a

Abimelech *filius degener S. Gedeonis* 72 c, 78 a, 95 b c d e

Abubecrus *princeps Saracenorum* 579 d, 581 d

Abulensis. *Vide* Tostatus.

Abusso (*Alexius de*) *presbyter notarius Capuanus* 105 d & seq.

Acasius *puer* 3 e f

Achan *Israëlita fur sacrilegus* 37 b, 38 d; *supplicio afficitur* 39 c d e f, 74 f

† Acharius *Noviomensis episcopus idem cum* Hautcario 184 f, 185 a b

† Acheus & Acheolus *martyres* 182 b c, 183 f, 187 b, 188 d

Adaarmanes *dux Saracenus* 350 d e

† Adalbertus *episc. Comensis* 668 e f, 669 a

† Adalbertus *Pragensis episcopus* 481 c d e f, 482 a d f; *prædicavit in Hungaria, ac probabiliùs baptizavit S. Stephanum* 485 c & seq., 491 a b, 495 f, 496 a, 507 b, 559 e, 563 f, 564 a, 565 a

Adalbertus *aut* Albertus *Frisingensis episcopus* 415 a b, 421 e

Adalbertus *Magdeburgensis episcopus* 477 c

Adalbertus *monachus & scriptor Floriacensis* 732 b

Adalbertus *marchio* 226 d

Adaldagus *Bremensis episcopus* 477 c

Adam *primus abbas S. Mansueti prope Tullum* 628 c e, 648 f

† Adamnanus *abbas Huensis* 339 b

Adelaïs *imperatrix uxor Ottonis I* 501 e

Adelaïs *mater S. Bernardi* 3 b, 207 f, 208 a

Adelinus *vel* Adelhelmus *episcopus Sagiensis* 764 b c, 765 b

Adleida *uxor, ut fertur, Geysæ Hungarorum ducis* 481 f, 487 f, 489 f

Adler (*Mauritius*) *decanus Zurzachensis scripsit Vitam S. Verenæ* 159 c d

Adolenus *episcopus Albiensis* 345 e

Adonisedec *rex Jerusalem* 50 f, 51 a, 52 e, 54 f, 55 e f, 56 a f

Adrevaldus *monachus Floriacensis scripsit Vitam S. Aigulphi abbatis M. & alia* 728 c & seq.

Adrianus *Papa I* 534 e

Adrianus *IV* 4 b

Adrianus *imperator* 108 c, 110 b, 111 b & seq., 112 a & seq., 114 a b

Adso *abbas Dervensis scriptor Vitæ S. Bercharii abbatis* 271 f; *etiam scripsit fabulosam S. Mansueti Vitam & miracula ejus* 616 c d e f, 617 a b c, 618 a b f, 619 a b, 620 c, 622 d e, 637 d

† Ægidius *abbas S. Martini de Castañeda* 307 e f

Ægidius *abbas à S. Cæsario Romam missus ad Symmachum Papam* 290 b, 291 e, 293 a b; *alius est à S. Ægidio* 294 d e

Ægidius à S. Audomaro *Ord. Prædicatorum* 5 a

Æneas *abbas in Hibernia* 662 f, 663 a

† Ænesius *anachoreta* 379 a, *aliàs* Ennesius 383 f, 384 d, 386 b, 388 a

Agatho *episc. Liparensis* 116 e

† Agilus *abbas* 3 c

Agiodulus *abbas* 31 c d

Agnes *abbatissa Ordinis S. Benedicti* 4 c

Agnes *abbatissa altera* 4 c d

Agnes Austriaca *Alberti I imperatoris filia* 162 f, 163 c

Agnes *filia Ottocari Bohemiæ regis, nupta Rudolpho Rudolphi I imperatoris filio* 174 e f

† Agritius *Senonensis episcopus* 660 f

Aigulphus *abbas S. Dionysii in Francia* 736 e f, 737 a

Airicus *abbas Indensis* 687 b, 703 f

† Aithalas *M.* 3 a

Ala *vel* Adela *comitissa Campaniæ, facta deinde monialis* 758 d, 759 f

Alani 462 d e

Alanus *Cardinalis episcopus Avenionensis* 454 d, 456 a

Albericus *abbas S. Apri prope Tullum* 616 d e f

† Albertanus *confess. Ord. Carmelitarum quis?* 336 f

† Albertus *patriarcha Hierosolymitanus* 576 f, 577 a & seq., 578 e, 579 e f

† Albertus *abbas Pontidensis* 5 b

Albertus *ex episcopo Brixiensi patriarcha Antiochenus* 778 f, 779 b c, 781 d, 784 c

Albertus de Tertio *episc. Bergomensis* 784 f, 785 b c

Albertus Sigismundus *episcopus & princeps Frisingensis* 415 f, 416 a & seq., 420 d

Albertus *abbas in Anglia* 337 f, 338 a

Albertus I *imperator* 174 f

Albinus *vel* Albauldus *episc. Tullensis* 621 d f, 622 a

Albinus *avus S. Agricoli Avenionensis* 450 c, 452 a b

Alboinus *Longobardorum rex* 463 c d, 667 a b

Albricus *Marsiæ episc.* 210 f

Albricus *abbas S. Mansueti* 631 d e, 632 d e

† Albus *M. nobis ignotus* 337 c

Albutius *pater S. Remacli* 672 b, 692 f

† Alchas *episc. Tullensis* 616 b, 621 c f, 622 a

Alchis *vel* Alcus *vir pius* 403 c f

Aldrobrandinus (*Petrus*) *archiepiscopus Ravennas & Cardinalis* 411 d

Alexander *Papa II* 226 e, 240 c

Alexander III 683 b

Alexander *abbas cœnobii Astinensis* 784 f, 785 a

† Alexandri *corpus Frisingæ* 413 c & seq.

Alfanus *episc. Salernitanus* 131 f, 132 d e

Alferius *archipresbyter Aquæ-putridæ* 216 c & seq.

Almannus *monachus Altivillarensis, scriptor Vitæ S. Nivardi Remensis* 268 a b c d e, 174 f, 175 a

Almanzor *Cordubæ rex Saracenus* 347 a

Almohazen Mahomet *rex Algeriæ, quem B. Petrus Armengol ad fidem convertit* 320 d

Almus *princeps Hungarus* 467 d, 468 b

Alodius *vel* Alogius *episc. Tullensis* 622 b

†† Alphius, Philadelphus & Cyrinus *MM.* 116 c, 117 b e, 336 c e
Alphonsus V *Lusitaniæ rex* 289 b
Alpinus. *Vide* Turpinus.
Alsatia de Bousiu (*Thomas Philippus de*) *archiepiscopus Mechlinienſis, & S. R. E. Cardinalis* 586 e
Amalafrida *uxor Trasamundi Wandalorum regis* 399 a c
Amalaricus *Wisigothorum rex Arianus* 290 a f, 291 d, 293 d & seq.
Amalecitæ *à S. Josue, orante Moyse, cæsi* 10 b e
Amalfredus *abbas* 532 c
Amalongus *Verdenſis episc.* 476 a
† Amandus *episc. Argentoratenſis* 377 c d e f
† Amandus *episc. Trajectenſis* 377 c d e, 670 c, 674 d, 675 c & seq., 683 c, 738 c d, 747 a
Amandus *consanguineus B. Margaretæ Lovanienſis* 590 f, 591 c, 592 a b c, 593 c d
† Amantius *Remenſis episc.* 118 c, 119 b, 122 f, 123 b d
† Ambrosius *Ecclesiæ Doctor* xv b c, 371 d e f, 372 a b, 453 a b c
Ammiud *proavus S. Josue* 7 d
† Ammon *monachus* 157 d
† Amon *episc. Tullenſis* 618 d e f, 621 c f, 622 a, 624 b, 625 f, 626 a, 636 f, 637 c, 644 b c
† Amphilochius *episc. Iconienſis ſine fundamento ab angelis ordinatus creditur* 117 c d
Amprucla *diaconissa* xxiii f
Anastasius *imperator* 510 d
Anastasius *abbas & deinde episcopus, alio nomine* Astricus, *ubi plura.*
Anastasius *abbas Sappentoniæ* 410 a b e f
† Anatolius *episcopus* 2 c
Andragisma *abbatissa Oratorienſis prope Bellovacum* 339 d, 737 e & seq. *Vide* Angarisma.
† Andreas *Apostolus* 116 c e; *S. Neophytum episcopum non ordinavit* 117 c d e f
† Andreas *eremita. Vide* S. Zoërardus.
Andreas I *Hungariæ rex* 516 e, 517 a b c, 553 d f
Andreas II *Hungariæ rex* 457 a, 458 a
Andreas *episc. Aquinas* 245 c d
Andreas *episc. Volaterranus* 390 c, 395 a, 401 f, 402 a b c d f, 403 f, 404 a & seq.
Andreas à S. Bonaventura *monachus Cistertienſis Ordinis* 515 d
† Aneas *puer M.* 4 a b
Angarisma *abbatissa Oratorienſis, ut fertur,* 737 c d & seq., 741 b d, 754 a b c d e. *Vide* Andragisma.
† Angela de Fulginio 596 d e f
Angelus *episc Aquinas* 246 d
† Anianus *episc. Aurelianenſis* 257 d f, 266 e f
Anna *Samuelis mater* 2 f
Annibal *dux Carthaginenſis* 144 f, 146 f, 149 c
† Anno *archiep. Colonienſis* 723 e, 725 d
† Ansanus *M.* 357 c f, 358 a
† Anscharius *Bremenſis episc.* 119 c d e f
Ansegisus *Senonenſis episc.* 660 f
† Anthimus *M. episc. Nicomedienſis* 598 a b, 610 d
† Antiochus *Lugdunenſis episc.* 373 e f, 374 c, 375 e f, 389 a d
† Antiochus *M.* 108 b d
† Antoninus *Placentinus* 340 b, 611 f
Antoninus Pius *imperator* 177 b, 178 d e, 180 b c, 355 a b c
Antoninus *unus aut alter, ut fertur, S. Dionysii Parisienſis ſocius* 453 a b c
† Antonius Lezatensis 343 a b
Antonius *regni Lusitaniæ possessor à Philippo II Hispaniæ rege pulsus* 289 c
Antonius I *abbas S. Ægidii* 288 f
Antonius *cognomento* abbas *Ord. Minorum* 4 e
Aod *Israëlitarum judex* 3 c d, 72 c e
† Aper *episc. Tullenſis* 616 b, 617 d, 621 c d f, 622 a, 623 a, 629 f, 630 b c e f, 638 d, 653 f, 654 a b c d e, 656 f
† Apollinaris *episc. Ravennas M.* 100 e f, 606 b c d, 607 d e f, 608 b
† Apollinaris Sidonius *episc. Arvernorum* 365 b c, 621 e, 622 a
Arbel *alterum S. Gedeonis nomen* 78 e f
Arbertus *episc. Claromontanus* 439 e f
Arbogastes *junior comes Trevirorum* 621 e
† Arbogastus *episc. Argentoratenſis* 378 d
Arcadius *monachus apostata conspirat cum aliis in S. Aigulphum abbatem* 738 b & seq., 745 b & seq., 750 a & seq., 755 f
Archembaldus *archiep. Senonenſis* 253 f
Archembaldus II *abbas Solemniacenſis* 690 f
Archembaldus *abbas S. Apri prope Tullum* 626 b, 627 c d, 645 f, 646 f
Arculfus 32 b c d
Arechis *princeps Beneventanus* 132 c, 136 d e f & seq., 142 e & seq., 144 a b, 154 f & seq.
† Arialdus *diaconus M.* 247 c d
Ariani *Catholicos in Africa persequuntur* 229 d e f, 233 c, 235 b, 391 f, 392 e; *multi conversi in collatione Lugdunenſi* 365 f
† Aristion *Christi discipulus* 614 f
† Aristion *episc. M. cum S. Lucinio ep. M.* 416 f
Aristo *Smyrnenſis episc.* 614 f
Armeni 462 e
Arnaldus Amerius *sextus Generalis Ord. B. M. V. de Mercede* 319 d, 333 e f, 334 d e
Arnaldus *pater B. Petri Armengol* 318 b e f
Arnaldus *comes Carcassonenſis* 345 a
Arno *Salisburgenſis archiep.* 463 f
† Arnulphus *episc. Metenſis* 251 d
Arnulphus *episc. Ambianenſis* 184 a b
Arnulphus *abbas Lerinenſis* 599 f
Arnulphus *Germaniæ rex* 464 c d
Arpad *dux Hungarorum gentilium* 467 d e f, 468 b c, 527 e f
† Arthemius *episc. Senonenſis* 250 c, 256 c, 257 b
Asanes *Bulgariæ rex* 499 c
Aser *tribus* 83 e, 84 f, 88 d, 96 c f
Astingus *vel* Hastingus, *dux Normannus vastat Gallias* 755 f, 756 a, 757 a b c d, 761 c
Astricus *abbas S. Martini, deinde Colocenſis episcopus, & legatus S. Stephani apud ſummum Pontificem, alio nomine* Anastasius *dictus* 494 e, 495 f, 496 a c e, 497 a b f, 502 e & seq. 506 c d e, 522 a b, 552 c, 665 e f, 666 a b c d f, 667 c
Athalaricus *rex Gothorum in Italia* 399 c
Atticus *abbas S. Ægidii* 292 a
Attila *Hunnorum rex* 175 c, 462 b f, 463 a, 464 f, 465 a, 564 e
Attila *Laudunenſis episc.* 270 e f, 280 b d
Atto *episc. Vercellenſis* xxvi b c
Avari *vel* Avares 463 b c. *Vide* Hunni.
† Audoënus *Rotomagenſis episc* 750 f, 751 e f
† Augustinus *Hipponenſis episc.* 450 e, 452 d
Augustinus Florentinus, *al.* Fortunius, *Ord. Camaldulenſis ex nullius fidei instrumentis de SS. Justo, Clemente & Octaviano plurima figmenta compilavit* 393 f, 394 & seq.
† Avitus *episc. Arvernorum* 439 f, 440 d

† Avi-

† Avitus *Viennenſis epiſc.* 365 f
† Aunarius *epiſc. Autiſſiodorenſis* 250 a, 256 b, 257 a, 266 b
Avolus *epiſc. Arvernorum* 439 f
† Auſpicius *epiſc. Tullenſis* 621 c e f, 622 a
Auſpicius *epiſc. Auguſtodunenſis* 252 b e
Auſtadiala, *aliàs* Gandaltruda, *mater S. Agricoli* 450 c
Auſtraſius *epiſc. Tullenſis* 622 b
† Auſtregiſilus *Bituricenſis epiſc.* 671 f
Auſtrenus *epiſc. Aurelianenſis* 250 a b, 256 b f, 266 b
Auſtria (*Georgius ab*) *epiſc. Leodienſis* 691 e
Autharius *Longobardorum rex* 293 d
Autmundus *epiſc. Tullenſis* 621 d, 622 b
Autulphus *abbas S. Ægidii* 288 a
† Auxibius *epiſc. in Cypro* xxii a b
Azo II *marchio Eſtenſis* 312 f, 314 b c d
Azzia (*Robertus de*) *theſaurarius eccleſiæ Capuanæ* 104 e, 105 c f

B

Baal *idolum, quod S. Gedeon deſtruxit* 77 c, 78 d e f, 79 b, 83 b c d, 84 b, 93 b; *illud poſt Sancti mortem adorarunt Iſraelitæ* 92 f, 94 f, 95 a
Baert (*P. F.*) *præpoſitus S. Rumoldi Mechlinienſis, & olim vicarius generalis abſente præſule* 586 e
Balaam *filius Beor* 22 d
† Baldericus *presbyter Remenſis* 271 c d
Baldinus *nobilis Gallus* 273 f, 282 a c
Balduinus I *rex Hieroſolymorum* 579 d, 581 f, 582 a
Balo *conf. in Hibernia* 600 f
Balſamon (*Theodorus*) *patriarcha Antiochenus* xxi d e, xxv c
Barac *Iſraëlitarum judex* 3 c d, 72 c, 77 f, 78 a, 79 d, 80 b
Barberinus (*Antonius*) *S. R. E. Cardinalis* 416 a b f
Bartholomæus Tridentinus *Ord. FF. Prædicatorum* 777 f, 778 a
Baſilina *diaconiſſa* xxiv a b c
† Baſilius *Cæſarienſis epiſc.* 387 b
Baſilius *imperator Græcus S. Stephani Hungariæ regis amicus* 534 a b
† Baſolus *anachoreta* 271 b c
† Bathildis *regina* 185 e, 186 e, 279 a, 730 e f
Baucio (*Nicolaus de*) *canonicus Capuanus* 107 b
Baudonivia *monialis ſcripſit Vitam S. Radegundis* 350 a b
Bavo *nobilis Gallus, at non frater S. Nivardi Remenſis* 269 d e, 272 f, 273 a f, 174 e, 281 f
† Beatrix *Atteſtina* 311 d, 312 f, 314 b c d
Beatus *epiſc. Ambianenſis* 177 e, 185 c d
Bela I *Hungariæ rex* 553 d f
Bela IV *Hungariæ rex* 457 a, 499 c
Belfortius (*Nicolaus*) *canonicus Regularis* 133 a
Beliſarius *dux Juſtiniani imperatoris* 232 f, 299 d
Bellarminus (*Robertus*) *S. R. E. Cardinalis* 328 f
† Benedictus *abbas* 230 f, 231 a, 236 d f, 237 a, 243 f, 244 a; Benedicti & Scholaſticæ *corpora in Galliam tranſlata dicuntur* 730 c & ſeq., 748 e f, 749 c d, 755 f, 757 a b c, 761 c; *excutitur hæc tranſlatio* 733 b & ſeq.
† Benedictus *martyr in Hungaria* 565 f, 567 b
† Benedictus *martyr Ord. Camaldulenſis* 507 c d
† Benedictus *Papa I* 293 f
† Benedictus II 292 d, 293 f, 294 a b c, 296 a d
Benedictus III 295 c
Benedictus VI, *aliis* VII 475 b c, 476 d & ſeq.
Benedictus VII 479 c d e f, 506 & ſeq.
Benedictus VIII 525 e, 526 a
Benedictus IX 529 c
Benedictus XIII 224 b, 246 a
Benedictus XIV 162 f
Benedictus *abbas Schyrenſis* 422 c
Beneventani 476 b
† Berardus *epiſc. Interamnas* 5 f
Berardus *epiſc. Brixienſis* 247 e f
† Berarius *Cenomanenſis epiſc.* 731 e f
† Bercharius *abbas* 267 b, 268 a, 271 e f & ſeq., 273 a & ſeq., 275 f, 277 c, 281 & ſeq.
Bercundus *Ambianenſis epiſc.* 185 c d
Berengarius *Italiæ rex* 501 e
Bernardus *epiſc. Apamienſis* 343 d e
Bernardus *rex Italiæ* 224 c
Bertefridus *Ambianenſis epiſc.* 185 e, 275 f
† Bertholdus *primus Ord. S. Mariæ de monte Carmelo Prior generalis* 576 e, 578 b, 579 d
Beſſi *repulſi à S. Stephano Hungariæ rege* 537 d e f, 538 a b c & ſeq., 569 c, 570 d e
Betauſius *Remenſis epiſc.* 122 e f, 123 a b d
Beto *vel* Betto *pater S. Lupi epiſc. Senonenſis* 249 f, 256 a d, 258 d, 266 b
Betto *præpoſitus monaſterii S. Columbæ* 254 a
Bilihildis *regina, uxor Childerici Francorum regis* 268 a b
Blaſæus (*Jacobus*) *epiſc. Audomaropolitanus* 289 c
Blaſius *monachus, ineptus ſcriptor vitæ S. Octaviani* 392 f, 393 a b c d e, 395 e, 400 e
Bliderannus *ſcripſit fabuloſa Acta SS. Juſti & Clementis* 396 e f, 397 a b, 398 a b, 400 b e
Blonda *tertiaria Ord. Servitarum* 338 b
† Bodo *epiſc. Tullenſis* 616 b
Boek (*Martinus de*) *curat conſtrui ſacellum lapideum in honorem B. Margaretæ Lovanienſis* 583 b
Bolcanus. *Vide* Olcanus.
Boleſlaus III *Poloniæ rex* 287 f
Boleſlaus *Bohemiæ dux* 479 a, 495 f, 500 c, 502 e, 504 e, 505 e f & ſeq., 507 c d, 566 b, 567 e
Boleſodes, *aliàs* Boloſudes & Bultzus *princeps Hungarus dicitur Conſtantinopoli baptizatus, ſed ficto animo* 469 e f, 470 a & ſeq.; *captus ſuſpendio vitam finivit* 469 f, 470 a b c, 473 f; *de veritate ipſius baptiſmi diſſeritur* 470 c & ſeq.
Bonaventura *abbas Reichenbacenſis* 422 e
Bonfinius (*Antonius*) *ſcriptor Hiſtoriæ Hungaricæ* 461 a b c
Bonhomme (*H. F.*) *decanus S. Servatii Trajectenſis* 587 a
Bonibertus *aut* Bonipertus & Benipertus *primus epiſc. Quinque-eccleſienſis* 522 e, 525 a b
† Bonifacius *pater duodecim Fratrum MM.* 134 f, 138 f, 139 a, 144 f
Bonifacius *Papa* IV 668 f, 669 a
Bonifacius VIII 342 d e
Bonifacius *epiſc. Carthaginenſis* 235 e
Bonifacius *abbas & martyr in Hungaria* 565 e, 567 a
Bonviſius (*Hieronymus*) *S. R. E. Cardinalis* 227 b c
Borno *epiſc. Tullenſis* 645 c
† Bova *aut* Boba *abbatiſſa* 271 c d e
Brantes (*D. de*) *theſaurarius & pœnitentiarius Avenionenſis, hujus operis adjutor* 444 f, 446 a

Bre-

Brediſlaus *Bohemiæ dux* 528 f, *aliàs* Bracilaus, Brzetiſlaus & Prædiſlaus 540 a
† Briccius *Turonenſis epiſc.* 221 b
Briconiùs *monachus captus cum S. Aigulpho, ſed elapſus* 741 a b, 746 f, 747 a; *etiam* Britonius & Ricoinus *dictus* ibid. c, 753 f, 754 a c
Bridou (*Jacobus*) *doctor Sorbonicus* 118 c, 124 b
Brigitta *abbatiſſa ſoror S. Henrici imperatoris* 500 a
Brivius (*Joannes Baptiſta*) *epiſc. Cremonenſis* 246 f
Brou (*Henricus Feydeau de*) *epiſc. Ambianenſis* 183 c, 191 e
† Bruno *epiſc. Tullenſis, dein ſummus Pontifex ſub nomine Leonis IX, quod vide.*
† Bruno *Ruſſorum apoſtolus* 475 e; *idem cum* S. Bonifacio *martyre* 475 f, 482 a b c
Bruno *Auguſtanus epiſcopus, frater S. Henrici imperatoris* 500 a b c d, 501 c
Bruno *Verdenſis epiſc. legatus ad ducem Hungarorum* 475 d e f, 476 a b, 482 d
Bruno *Trevirenſis epiſc.* 287 b
Buchardus *Ord. Ciſtertienſis* 601 b c
Buda *nobilis Hungarus* 553 c d; *aut* Budo 554 c
Budini 462 d
Bulgari 464 b, 465 e, 468 e f, 469 b, 476 b, 538 c d e f
Burchardus I *Sueviæ ſeu Alemanniæ dux* 169 e
Burchardus II *Sueviæ dux* 168 c d e, 169 e f
Burchardus III 169 f
Burgundiones 462 f
Butkens (*Chriſtophorus*) *abbas S. Salvatoris Antverpiæ* 289 c

C

CAccia (*Joannes Philippus Maria*) *nobilis Italus* 418 a
† Cæſarius *Arelatenſis epiſc.* 290 a b c f, 291 a e, 294 d e, 295 c d e, 300 b f, 450 d, 452 b
Cæſarius *epiſc. Claromontanus* 439 f
Cæſarius *monachus Heiſterbacenſis, ſcriptor Dialogorum* 582 c, 590 b c
Cailanus *epiſc. Dunenſis* 663 f
† Caius *Papa* 128 a
Cale *princeps Hungarus* 470 b
Caleb *filius Jephone* 16 c d e, 17 a & ſeq., 18 a & ſeq., 57 b c d, 61 f, 62 a d e, 65 b c, 69 c
† Calixti *reliquiæ* 119 f
Calixtus *Papa* II 405 d
Calixtus III 456 a
†† Calliſtes, Euodius & Hermogenes *MM.* 3 a, 336 c
† Calminius *dux Aquitaniæ* 3 b
Calvus Ladiſlaus *patruelis S. Stephani Hungariæ regis* 492 c, 553 d
Calvus Zirindus *pater Cupæ ducis Simigienſis* 492 b c
Caracciolus (*Nicolaus*) *archiep. Capuanus* 104 d & ſeq.
Carillus *filius S. Arealdi M.* 247 a b
Carolomannus *princeps Francorum* 410 c, 411 c d
Carolus *Magnus imperator* 342 c e, 452 c, 463 d e f, 464 a, 510 a b
Carolus Craſſus *imperator* 345 d, 707 e
Carolus IV *imperator* 441 d, 636 a, 682 b
Carolus V 682 c
Carolus *Hungariæ rex* 459 f, 505 d, 514 a b
Carolus Simplex *Francorum rex* 345 d
Carolus IX 496 d
Carolus Martellus *Francorum princeps, aliquando etiam* rex *dictus* 290 a b c e, 291 c d, 293 a b, 296 d e, 302 e f, 303 a d e f
Carolus *Salerni princeps* 190 b, 195 a
Caron (*Ludovicus le*) *pœnitentiarius Ambianenſis* 196 d
† Carponius *M.* 104 f & ſeq.
Carthuitus *vel* Carthuitius, *aliàs* Chartuitius, *epiſcopus Hungarus, & ſcriptor Vitæ S. Stephani* 456 c; *quo tempore ſcripſerit* 458 b; *& quàm accuratè* 460 b c d, 505 d e f, 562 d e
Cartuſiani Ordinis monialium *conſecratio* xi c d e f, xii a
Caſimirus *Poloniæ rex* 289 b
Caſtilionius (*Agathinus*) *edidit Acta & Officia Sanctorum Leontinorum* 116 b, 117 b e f, 118 a d
Cataphrygæ *hæretici* v e f
† Catharina *V. & M.* 788 c e f
Cean, *vel* Kean, *Bulgarorum dux victus à S. Stephano Hungariæ rege* 525 e f & ſeq. *; niſi* Cean *aut* Ceas *ſolùm fuerit agminis dux* 526 d
Cedrenus *ſcriptor Græcus cujus ſit fidei* 472 b c & ſeq.
Celſinus *epiſc. Tullenſis* 621 c f, 622 a
Celſus *auguſtalis ſub Adriano* 113 c
† Cerbonius *epiſc. Populonienſis* 223 c, 224 f, 228 c f, 230 c d, 231 b c d f, 232 a c d e, 233 d e f, 234 b c, 235 c d, 236 b, 241 b c e f, 242 b c d e, 389 f, 391 b d f, 392 d, 393 a b, 394 b, 395 c
Chanaan *nepos Noë* 49 a, 50 c
Chapuis (*Joannes Baptiſta*) *canonicus Dertonenſis* 110 b
Chardon (*Mauritius*) *Societatis Jeſu Rector Conſtantienſis diligentiſſimus Operis noſtri adjutor* 162 d, 412 f, 425 e, 434 d
Charitis *virgo Hungara* 556 a
† Chariton *abbas* 385 e f
Chariton *presbyter apud Leontinos* 5 d
Chæremon *epiſc. Nilipolitanus* 160 d e, 164 d
Chæremon *epiſc.* 158 e, 160 d e
Chazari *populus antiquis Hungaris vicinus* 467 f, 468 a b f
Childebertus *Grimoaldi filius, uſurpator regni Auſtraſiæ* 270 a c f, 271 a, 279 a
Childericus I *Francorum rex* 269 a & ſeq., 271 e, 272 a, 275 e f, 278 c, 279 a b, 282 f, 284 b d
Childericus II 684 c d e, 686 b, 740 c
Childomarus *abbas Solemniacenſis* 674 c
Chilpericus I *Francorum rex* 279 b, 284 d
Chilpericus *rex Neuſtriæ victus à Carolo Martello* 296 d
Chingen (*Marcus*) *S. J. confeſſarius principis Friſingenſis* 413 a, 415 f
Chriſtianus *Nemauſenſis epiſc.* 295 c
Chrodobertus. *Vide* Grodobertus.
Cincius *dux Hungarus* 493 c, *aliàs* Contius, 494 f
† Claudius *Viennenſis epiſc.* 370 e & ſeq., 374 a
† Clemens *Papa* I 1 e
Clemens IV 288 f
Clemens V 174 f
Clemens X 418 e, 419 f, 420 b, 606 a b
† Clemens. *Vide* Juſtus & Clemens.
† Clemens *primus Metenſium epiſc. veriſimiliter idem cum Clemente octavo Trevirenſium præſule* 635 a b

Clodo-

Clodoveus I *Francorum rex* 510 d
Clodoveus II 270 b, 271 a, 279 a, 452 c, 730 e f, 731 a b, 736 e f, 737 a, 744 e, 745 d
Clodoveus III 686 f
Clotarius II *rex Francorum* 184 f, 250 d e, 251 a f, 253 b, 258 f, 259 a d, 260 f, 261 a d, 262 e, 279 c, 284 d, 450 c f, 452 a c, 672 e f, 745 c
Clotarius III 279 b, 284 d
Coëmanus *abbas Enach-trumenſis* 663 b c
Coëmanus Breac *abbas in Hibernia* 663 b
Colalto *nobiliſſimæ familiæ, è qua nata fuit B. Juliana, arbor genealogica* 309 c e f
Colmanus *epiſc. Dromorenſis* 666 e
Colmanus *epiſc. Kill-ruadhenſis* 662 f, 663 c, 665 b
Colmanus Ela *ſeu* Colmanellus *abbas in Hibernia* 666 d e
Colomannus, *olim* Calamannus, *Hungariæ rex* 456 c f, 457 f, 458 b, 547 b c, 558 f, 562 d e f
Colomannus *Haliciæ rex aut dux* 457 a f, 458 a
† Columba *virgo* 4 b
† Columba *virgo martyr* 253 c e f, 254 a
Columba *ſolitaria in Aprutio* 5 f
† Columbanus *abbas* 5 e
Columbus *monachus perverſus cum aliis conſpirat contra S. Aigulphum abbatem* 738 b & ſeq., 746 b & ſeq., 750 a & ſeq., 754 f, 755 f
† Comgallus *abbas Benchorenſis in Hibernia* 663 f, 665 c
† Connon *monachus in Sicilia* 2 f
Conradus I *imperator* 169 f
Conradus II *cognomento* Salicus, 501 e, 539 b & ſeq., 552 a, 570 a b, 571 d
Conradus III 287 c
Conradus *filius Frederici II imp.* 245 f, 246 a
Conradus Pacificus *Burgundiæ rex* 169 f, 170 a, 501 e
Conſtantinus I *imperator* 508 c, 509 b
Conſtantinus *junior imperator* 597 f, 598 a
Conſtantinus Porphyrogenitus *imperator* 467 e, 469 e f, *& ſcriptor Græcus* 473 d e f, 474 b c, 509 a & ſeq.
Conſtantinus *imperator Græcus Baſilii frater & collega* 534 c
Conſtantinus *epiſc. Urbevetanus* 778 a
Conſtantius I *imperator* 123 d, 134 d
Conſtantius *imperator Arianus* 180 d
Conſtantius *presbyter Lugdunenſis, ſcriptor Vitæ S. Germani Autiſſiodorenſis* 368 e f & ſeq.
Conſtantius *miniſter Juliani apoſtatæ* 362 c d e f, 363 a
Contamiſſa (*Carolus*) *epiſc. Carnotenſis & vicelegatus Apoſtolicus* 449 c
Conti (*Odo*) *S. J.* 416 f, 417 a
Cornaro *ſeu* Cornelius (*Flaminius*) *patritius Venetus varia de B. Juliana virg. documenta miſit* 309 c, 310 a b e, 311 e f, 312 a b
† Cornelius *Papa* 134 a b, 703 f
† Cornelii *reliquiæ* 119 f
† Coſmas Solimus *conf. nobis incognitus* 337 d e
Creſcimirus *rex Dalmatiæ* 541 f & ſeq.
Cribellius (*Alexander*) *S. R. E. Cardinalis* 667 a
†† Criſpinus & Criſpinianus *MM.* 122 c d, 125 a f, 128 a
Croati, *olim* Chrobati, 467 b c, 469 a b
† Cunibertus *archiep. Colonienſis* 695 f, 696 a
Cupa *dux Simigienſis in Hungaria* 488 a; *rebellis S. Stephano bellum infert, at victus in prælio occiditur* 492 b & ſeq., 564 d e
† Cyprianus *Carthaginenſis epiſc.* 131 f, 133 d e f, 134 a b, 139 c & ſeq., 141 e f, 145 f & ſeq., 166 b c
Cyriacus *patriarcha Conſtantinopolitanus* xvii a b
† Cyrillus *tertius Prior generalis Ord. S. Mariæ de monte Carmelo* 579 c, 581 d

D

DAbir *rex Eglon* 51 a, 54 f, 55 e f, 56 a d
Daciana *diaconiſſa* xxiv e f
Dado *Ambianenſis epiſc.* 184 f
Daemen (*Hermannus*) *doctor Lovanienſis & decanus ibidem S. Petri* 584 e, 586 e
Dagobertus I *Francorum rex* 279 c, 284 d, 450 f, 252 c, 673 b d, 744 c, 745 c
Dagobertus II 270 f, 284 d
Dagobertus *filius Childerici regis infans cum patre occiſus* 284 d
† Damaſus *Papa* 180 f, 451 c, 453 a
Dani 119 e, 476 b, 705 c d, 707 e
† Daniel *M. in Hiſpania* 3 a
† David *rex & propheta* 3 d, 50 a, 72 c, 77 f, 78 a
Debonnaire (*Ludovicus*) *presbyter Ambianenſis* 193 c e
Decius *imperator* 117 e f
† Decoroſus *epiſc. Capuanus* 104 f & ſeq.
Deianira *uxor Herculis* 147 c
Deodatus *epiſc. Ambianenſis* 177 e, 185 d
Deoduinus *Leodienſis epiſc.* 689 e
† Deſideratus *epiſc. Arvernorum* 439 f, 440 d
Deuſdedit *epiſc. Calaritanus* 599 f, 600 a
Diaconiſſarum *antiquitas, requiſita, veſtitus, officia* I & ſeq.; *Ordinatio* IV & ſeq.; *ſanctiones de illis ex jure civili imperatorum* XIV & ſeq.; *earumdem ſtatus apud hæreticos Orientales* XVIII & ſeq.; *Diaconiſſæ memorabiles in Oriente & Occidente* XXII & ſeq.; *tempus ac modus, quibus exoleverunt* XXV & ſeq.
† Diana *virgo Ord. S. Dominici* 776 c d, 777 a b
Dido *epiſc. Laudunenſis* 304 c
Diericx (*Franciſcus*) *abbas S. Salvatoris Antverpiæ* 289 c
Dietpoldus *vel* Diopoldus *nobilis Germanus* 168 f, 169 f
Diocletianus *imperator* 122 d, 125 e, 133 c, 134 d, 160 c, 176 a
Dionyſia *diaconiſſa* XXIII f, XXIV a
† Dionyſius *Alexandrinus epiſc.* 160 d e
Ditmarus *Merſeburgenſis epiſc. & ſcriptor* 475 e f, 482 b c, 504 b
Ditperga *filia Burchardi Sueviæ ducis* 169 e
Divitianus *Sueſſionenſis epiſc.* 123 b d, 128 e f, 129 a
Dolmans (*Petrus*) *Societatis Jeſu Provincialis in provincia Flandro-Belgica aſſeruit epiſcopatum Trajectenſem* 675 d
† Dominicus *fundator Ord. Prædicatorum* 775 c d, 776 & ſeq.
† Dominicus *epiſc. Brixienſis* 674 b
Dominicus *archiepiſcopus* 494 f, 495 b; *fortè primus Strigonienſis* 522 c d
† Donatus *Aretinus epiſc. M.* 411 e
† Donatus *an epiſc. Avenionenſis* 454 c, 455 e f
† Donatus *Euræenſis in Epiro epiſcopus* 411 e
† Donatus *presbyter eremita* 455 e f
† Donatus *conf. apud Leontinos* 5 d e
Draufcio *vel* Drauſius *Sueſſionenſis epiſc.* 275 f
Drogo *epiſc. Tullenſis* 645 f, 646 f

Druma *uxor secundaria S. Gedeonis* 95 c e
Dulci (*Stephanus*) *archiepisc. Avenionensis* 449 d
Dulcitius *episc. Tullensis* 621 d, 622 b

E

EBbo *Remensis episc.* 119 c d e f
Eberhardus *Salisburgensis episcopus* 415 a, 421 e
Eberschwang (*Benedictus*) *Ordinis S. Benedicti* 424 b
Ebroïnus *major-domus sub Theodorico III* 740 b c, 754 f, 755 d
Eccardus (*Joannes Georgius*) *scriptor Germanus* 464 f, 465 a b c d
Eduardus *Angliæ rex* 190 b
Effectis (*Antonius de*) *scriptor Italus* 412 c, 420 a
Eigelbertus *Frisingensis episc.* 540 b
Eldad *unus è senioribus Israël* 13 c e f, 14 a & seq.
Eleazar *sacerdos, Aaronis successor* 17 b, 19 d e, 20 b d e, 21 b c, 22 d, 23 e, 25 f, 26 a, 28 e, 29 a, 50 e, 62 c e, 63 e, 64 a d, 65 d, 66 f, 67 c, 69 c, 74 a e, 336 f
† Eleutherius *Ænanensis episc.* 142 c
Elias Robertus. *Vide* Helias.
† Eligius *Noviomensis episc.* 185 a b c, 672 d e f, 673 a b c d e f, 693 a, 728 a
Eligius *episc. Albiensis* 345 e
† Elisabeth *Hungarica* 558 f
Elisama *avus S. Josue* 7 d e, 10 c, 15 c
† Elphegus *episc. Wintoniensis* 2 c
Elpidius *episc. Volaterranus* 232 e, 398 e
Elpidius *Laodicenus episc* 389 d e
Elpidius *legatus Julii Papæ in Oriente* 383 a
Elpidius *S. Basilii diaconus* 385 f
† Emericus *filius S. Stephani Hungariæ regis* 339 e, 515 e f, 516 a, 523 e f, 524 a b, 534 b c, 536 b c d e f, 537 b, 539 e f, 541 e & seq., 543 b & seq., 560 e, 571 a b; *mors ipsius* 542 b & seq., 571 b f; *corpus elevatum* 555 a & seq., 558 a & seq.; *miraculum* 561 d e f & seqq.
Emma *mater S. Nivardi episc. Remensis* 260 d e f
Emma, *aliis* Henna, *Rothensis abbatiæ fundatrix* 163 b c
Emnedzur *Attilæ Hunnorum regis consanguineus* 463 a
Enacim *Chananæa populi de stirpe gigantea* 57 a b, 62 d
Ennesius. *Vide* Æsius.
Ephraïm *patriarcha* 7 d
Ephraïm *tribus* 7 e, 62 e f, 63 a d, 68 c d e f, 88 c, 89 f, 90 a, 91 e f
† Epiphania *uxor S. Neophyti* 116 c
Eracleus *seu* Eraclius *archiep. Cæsareæ Palæstinæ* 578 f, 580 e
†† Erasmus, Cleonicus & Stratonicus *MM.* 116 f
Erckenbaldus *episc. Argentoratensis* 377 f
Erembertus *abbas Corbeiensis* 186 b c
Eremita (*Joannes*) *auctor Vitæ S. Bernardi* 202 f
† Erentrudis *abbatissa* 598 c
Eresvitha *mater Aldulphi Westsaxonum regis* 3 e
Ericus *episc. Paderbornensis* 690 c
Ermengaudus VI *comes Urgellensis* 318 a b
Ernestus *Suevia dux* 501 e
Ervigius *Gothorum in Hispania rex* 294 b c, 296 a
Esbaal, *al.* Isbosoth, *filius Saülis* 78 f
Estmor (*Michaël*) *S. J. pœnitentiarius Romæ* 415 f, 416 a
Etoile (*Petrus de l'*) *abbas S. Acheoli prope Ambianum* 197 b c d
† Euantia 3 e
Evarix *vel* Evaricus *Wisigothorum rex persecutor Christianorum* 201 b c d
† Eucherius *Lugdunensis episc.* 159 f, 372 f, 450 d, 452 b c
† Eucherius *episc Aurelianensis* 336 c
Eudo *Aquitaniæ dux* 296 e
Everardus *episc. Ambianensis* 184 b
† Eugenius *episc. Carthaginensis* 235 a
† Eugenius *episc. Toletanus M.* 619 f, 620 a
Evi *rex Madianitarum* 22 d
Eulogius *Ambianensis episc.* 177 a, 178 b, 183 a
Eulosia, *al.* Verosia, Volasia & Volosia *filia S. Arthemii episc. Senonensis* 258 e, 259 c
† Euodius *M. Vide* Callistes.
† Euphemia *M. sub Diocletiano imp.* 606 c
Euphemia *virgo Ord. Cistertiensis* 601 a
† Eupraxia *virgo* xx c d
Eupraxia *mater S. Eupraxiæ virginis* xx c d
Eusebius *Cæsareæ Palæstinæ seculo* XI *episc.* 571 f
† Eustatius *anachoreta* 379 a, 383 f, 384 d, 386 b, 388 a
Eustochius *Turonensis episc.* 222 c d e
† Euthymius Magnus *abbas* 659 b c d e
Eutulanus *episc. Tullensis* 621 d, 622 b
Eutyches *hæresiarcha* xix d
Exuperantius *presbyter sepelit corpus S. Terentiani Ep. M.* 115 e f
Ezri, Jezer *vel* Abiezer *pater familiæ, è qua natus S. Gedeon* 78 f, 79 a b, 80 a e f, 81 a, 83 b c, 89 f

F

FAbritius *Suecia regis ad Persas legatus* 465 e
Falconius (*Jacobus*) *vicarius generalis Capuanus* 107 d
Fantozzi (*Hyacinthus*) *vicarius generalis Cardinalis Barberini* 415 f, 416 b
Farulfus *seneschallus* 250 d, 258 f, 259 a e
Faustinianus *pater S. Firmini confessoris* 175 b e, 176 b c e f, 177 d, 178 c e, 179 d, 182 a d, 183 b
†† Faustinus & Jovita *MM.* 778 b
† Felicis *reliquiæ* 119 f
† Felicissima *virgo M.* 337 a
† Felix *episc. Africanus martyr* 134 d e, 135 f
† Felix *episc. socius S. Reguli* 223 c, 224 f, 227 a, 228 c f, 230 c d, 231 c d f, 232 a d e, 234 b c, 235 c d, 289 f, 389 f, 391 b d f, 392 d, 393 a b, 394 b, 395 c
Ferdinandus III *imperator* 518 c
Ferruccius (*Franciscus*) *dux Florentinorum* 405 f, 406 a d, 408 d e, 409 d
Filliaut (*G. F.*) *Religiosus Benedictinus S. Ebrulfi in Normannia, & hujus Operis adjutor* 765 a
† Firminus *episc. Ambianensis martyr* 175 b e, 176 b c e f, 177 d, 178 a b, 179 d, 181 f & seq.; *acta ipsius qualia* 175 f & seq.; *reliquiæ* 188 d
Flavius *Gothorum rex in Vita S. Ægidii* 290 a, 291 c, 292 d, 293 a b & seq., 301 b c d, 302 a; *quis sit ille* Flavius 293 b & seq.
Flodoardus *aut* Frodoardus *scriptor Historiæ Remensis* 121 b e
† Florentina *soror S. Leandri & S. Isidori Hispalensis*

ſpalenſis 3 b
† Florentius *epiſc. Argentoratenſis* 378 d
† Florentius *epiſc. Populonienſis* 241 f
Florentius *miniſter Herculis* 139 b c, 145 c d e f
Fogelius (*Martinus*) *medicus Hamburgenſis* 465 b
Forgillo (*Dominicus*) *canonicus Capuanus* 104 e, 105 f
Fortunius, *al.* Fortunerius Vaſellus *patriarcha Gradenſis* 313 b c, 314 f
Fournier (*Joſephus*) *canonicus Ambianenſis* 196 d
Fredericus II *imperator* 779 d e f, 780 a & ſeq., 781 e f, 782 a b c d, 783 b c d e f
Fredericus *Florentinorum dux* 405 d e
Fredericus *epiſc. Colonienſis* 689 e
Fredericus *Salisburgenſis epiſc.* 479 f, 480 e
Freibergerus (*Joannes*) *canonicus Friſingenſis* 424 e f
† Frigdianus *epiſc. Lucenſis* 238 f, 239 f, 240 a e
Froterius *Nemauſenſis epiſc.* 292 c d
Frotmundus *comes Senonenſis* 758 a
Fulbertus *Carnotenſis epiſc.* 285 b, 290 d
Fulcarius *comes Aurelianenſis* 258 d
Fulco *Remenſis epiſc.* 121 f, 122 b
Fulcrannus *Lutevenſis epiſc.* 345 e
† Fulgentius *Ruſpenſis epiſc.* 137 f, 233 c
† Fuſciani *reliquiæ* 188 d, 190 e; *ejus & Sociorum feſtivitas* 190 d

G

GAbaonitæ 44 e f, 49 c d, 50 a & ſeq.
† Gabriel *archangelus* 34 e
Gachet (*Joannes Baptiſta*) *Societatis Jeſu* 161 a b
Gad *tribus* 23 d e, 29 b c d e. 31 f, 32 a, 33 f, 62 c, 66 c d e f, 67 a b c
Gallanus *abbas in Scotia* 338 f, 339 a b
Galtero *abbas Altivillarenſis* 276 f, 277 a
Gandaltruda *mater S. Agricoli* 450 c
Gaudentius *ſocius S. Adalberti epiſc. Pragenſis in Hungaria* 481 e
† Gauzlinus *epiſc. Tullenſis* 616 b d e, 626 b c d, 627 b c d e, 628 d, 629 f, 634 c, 645 f, 646 f, 648 a b c
Gebhardus *Franconiæ comes* 170 a
Gedeon *monachus S. Reoli filius* 269 b, 274 c, 282 f, 283 e
Gelaſius *Papa I* 11 f, 111 a
Gelimer *rex Wandalorum* 232 f, 233 a, 391 b c, 392 e, 394 b, 395 c f, 399 c d
Genſericus *Wandalorum rex* 211 c f, 212 f, 213 a, 232 f, 233 a, 391 b c, 392 e, 394 b, 395 c f, 399 c d
† Gentiani *reliquiæ* 188 d, 190 e
Gentilis *Cardinalis, & Sedis Apoſtolicæ legatus in Hungaria* 459 f, 505 b c, 514 f, 515 a b
Georgier (*Athanaſius*) *legationibus illuſtris* 518 c
† Georgius *martyr* 564 d
Gepidæ 462 b d e f, 463 a b
† Gerardus *epiſc. Tullenſis* 558 a, 616 e f, 617 a d, 618 a b, 623 a; *fundat abbatiam S. Manſueti, erga quem ſingulari pietate afficitur* 627 e f, 628 & ſeq., 633 e, 635 c, 637 e; 648 e f, 649 a c d e f, 650 & ſeq., 655 a, 656 d f
† Gerardus *epiſc. Moriſenus ſeu Chanadienſis* 528 c, 529 c & ſeq., 555 a b & ſeq., 557 f & ſeq., 569 b e
Gerardus *archiep. Bituricenſis* 601 b c
Gerardus *epiſc. Cameracenſis* 688 a
Gerardus de Madiis *vel* Maggius 246 c e; *an epiſc. Cremonenſis* 247 d e
Gerberga *Conradi Burgundiæ regis filia* 501 e
Gerberga *ſeu* Guepa *filia Conradi Burgundiæ regis, & uxor Hermanni II Sueviæ ducis* 173 f
† Germanus *Autiſſiodorenſis* 201 f, 660 e
Germanus *Rotomagenſis epiſc.* 222 d
Gero *vel* Gereon *Colonienſis epiſc.* 477 e, 478 e f
Geroldus *conf. in Bavaria* 4 f
Geroldus *Sueviæ dux* 337 b
Gertrudis *comitiſſa Northeimenſis* 286 b
Geyſa *Hungariæ rex* 513 e & ſeq.
Geyſa *vel* Geicha *dux Hungarorum, & pater S. Stephani* 467 d e f, 475 c d, 476 c, 481 a c d e, 482 f & ſeq., 484 a b c, 488 c & ſeq., 489 f, 490 a b, 491 b c d, 493 d, 495 f, 500 b, 563 d e f, 564 a b; *converſus ad fidem* 475 b, 481 e f, 482 a b c d e, 488 c d; *uxor ipſius* 481 c d e, 483 a b, 488 a & ſeq., 492 c, 493 a; *mors* Geyſæ 487 b e f & ſeq., 552 b, 564 b, 565 b
Gilbertus *epiſc. Nemauſenſis* 292 b d
Gimenez (*Clemens*) *Ord. Ciſtertienſis* 338 a
Giovardi (*Victorius*) *editor Actorum SS. duodecim Fratrum MM.* 131 e & ſeq.
Giraldus *Faneſinus* 532 e
Giſela *regina Hungariæ uxor S. Stephani* 458 d; *ſoror S. Henrici imperatoris* 485 c, 488 e f, 489 e & ſeq., 499 f & ſeq., 524 b c, 527 a, 535 e, 536 b c d e f, 539 e f, 554 b & ſeq., 560 e, 566 d e, 567 f, 568 a; *accuſata à quibuſdam ſcriptoribus, ſed perperam* 553 c & ſeq.; *poſtrema geſta, obitus & memoria* 554 b c d e f
Giſela *imperatrix* 501 e
Giſela *uxor Henrici Bavariæ ducis* 501 d e
Giſlerannus *ſeu* Willerannus *Carcaſſonenſis epiſc.* 345 e
Giſulphus *dux Beneventanus* 136 d, 137 a
Glaſcianus *epiſcopus in Scotia* 2 b
† Godefridus *Ambianenſis epiſc.* 285 b, 286 f
Godefridus II *epiſc. Ambianenſis* 184 a b
Godefridus Bullonius *rex Hieroſolymorum* 579 d, 581 f, 582 a
Godefridus Viterbienſis *ſcriptor* 558 f, 559 a
Godefridus *Stabulenſis* 687 f
† Godehardus *Hildensheimenſis canonizatus* 558 a
Godehardus *abbas Altahenſis* 528 d
Goderanus *ex circumforaneo eremita pius* 285 d e f
† Godinus *conf. in territorio Lemovicenſi* 4 f, 5 a
Godo *Metenſis epiſc.* 674 c
Godo *epiſc. Tullenſis* 645 b
Godo *epiſc. Virodunenſis* 252 d e
Goduinus *abbas Stabulenſis* 686 e f, 687 a
† Goëricus *Metenſis epiſc.* 674 a
Gonteri (*Franciſcus Mauritius de*) *epiſc. Avenionenſis* 445 b
† Gorgonia *ſoror S. Gregorii Theologi* x a
Gothi 230 f, 236 b c d e f, 399 f, 400 b c d e f, 462 b e f, 463 a b, 465 a f, 466 a
Gratianus *imperator* 177 b d, 178 c e, 180 c d
Gratianus *epiſc. Aquenſis in Novempopulania* 201 a b
Greffius (*Thomas*) *canonicus Ambianenſis* 191 b
† Gregorius *Papa* I 242 d, 243 c, 244 a c d, 245 b, 336 c, 410 a & ſeq., 597 f, 614 b c, 630 c d
Gregorius IV 414 a
Gregorius V 476 a, 714 b c
† Gre-

† Gregorius VII 292 c d, 513 b & seq., 516 d & seq., 558 c, 561 d, 623 c d, 631 d f, 632 a
Gregorius IX 459 e, 499 c, 779 c d e f, 780 a & seq., 781 e f, 782 a b c, 783 b c d e f
Gregorius XIII 328 f, 329 a, 379 d, 534 f
† Gregorius Thaumaturgus 411 a d
† Gregorius *Turonensis* 76 a b
Gregorius II *episc. Aquinas* 243 f
Grimbaldus *abbas S. Mansueti* 631 d f, 632 c d, 634 c
Grimoaldus *major-domus in Austrasia* 270 a c f, 678 c, 680 b, 681 c, 684 b, 694 f, 695 f
Grodobertus *administrator episcopatûs Sagiensis pro S. Godegrando, cui mortem machinatur* 764 d, 766 b & seq., 769 a & seq.
Guala *episc. Bergomensis* 773 c e f
Gualterius (*Janotus*) *archiep. Firmanus* 379 b, 380 a
Guazzo (*Franciscus Maria*) *scripsit Vitam B. Alberti Besutii* 787 b c e f, 788 a d e f
Guido *episc. Lingonensis* 190 b, 194 f
† Guilielmus *abbas, fundator Eremitarum Montis-Virginis* 4 c
Guilielmus *archiep. Rotomagensis* 190 b, 194 f
Guilielmus *episc. Ambianensis* 190 b, 194 f
Guilielmus *Remensis praesul* 276 f
Guilielmus de Bussis *episc. Aurelianensis* 250 a
Guilielmus I *abbas Floriacensis* 761 e, 762 c
Guilielmus Bas *secundus Generalis Ord. B. M. V. de Mercede* 319 b
Guilielmus Florentinus *Ord. B. M. V. de Mercede, socius B. Petri Armengol* 319 d e f, 333 f, 334 b
Guilielmus *comes Engolismensis* 532 c
Guinisius (*Fabius*) *archiep. Ravennas* 606 f, 607 c
Guirardus *abbas S. Mariæ* 288 d
Gundebaldus *rex Burgundionum* 365 e
Gundebertus, *alias* Guntbertus & Gumbertus *S. Nivardi frater* 269 d e f, 275 d, 279 c
† Guntherus *eremita S. Stephano Hungariæ regi familiaris* 528 c d e f, 529 a b c f, 569 b e
Gylas *princeps Hungarus dicitur Constantinopoli baptizatus* 469 f, 470 a & seq.; *de veritate hujus baptismi disseritur* 470 c & seq.; *non fuit hic princeps Transilvaniæ* 470 e f & seq.
Gyula *princeps Transilvaniæ, natione Patzinacita* 471 b c d; *avunculus S. Stephani regis, cui bellum infert, sed victus captusque ad fidem convertitur* 525 e f, 526 a & seq.

H

† HAdelinus *discipulus S. Remacli* 670 a, 674 d, 679 a
Hakemus *calipha Saracenorum persequitur Christianos in Syria & Ægypto* 532 f, 533 a b
Harduinus (*Joannes*) *S. J. refellitur* 8 a b c
Hartzheim (*Josephus*) *Societatis Jesu S. T. D. Colonienſis nos edocuit, quid ſtatuendum de cultu Hildebaldi archiepiſcopi* 599 c d e
Haſtingus *dux Normannus. Vide* Aſtingus.
Heilka *abbatiſſa Niderburgenſis in Bavaria* 554 e
Helduinus *episc. Lingonensis* 208 e
† Helena *patrona Altivillarensis* 277 e
† Helena ab Oleo *virgo Bononiensis* 586 b c
Helias Robertus *an episc. Brixiensis & dein patriarcha Antiochenus* 784 c d
Henricus I *Germaniæ rex* 469 c
† Henricus *imperator canonizatus* 404 a b, 458 a, 559 b; *de eodem* 482 c, 488 e f, 490 a, 491 e f, 492 a, 499 f, 500 a c d e f, 501 a & seq., 507 d, 539 c, 541 f, 566 d, 570 a, 571 d
Henricus III *imperator* 513 d & seq., 517 c d e f, 539 c, 540 b & seq., 552 a, 554 c d e
Henricus VII 174 f
Henricus III *Francorum rex* 456 d e
Henricus *Bavariæ dux, pater S. Henrici imperatoris* 477 c, 478 f, 479 a b, 480 f, 490 c, 500 a b, 501 c d, 504 b c
Henricus I *Brabantiæ dux* 592 e, 593 a f
Henricus *Carantaniæ dux* 479 a
Henricus *filius Stephani comitis Campaniæ, dein monachus Cluniacensis* 759 f
Henricus *archiepiſc. Mediolanensis* 782 c d
Henricus *Augustanus episc.* 479 a
Henricus *episc. Tullensis* 633 a b
Henricus Seſſa *episc. Bergomensis* 785 a
Heraclius *imperator* xvi f, xvii a b
Heraldus *Danorum rex* 479 a
Herardus *Turonensis episc. scripsit Vitam S. Godegrandi Sagiensis episc.* 764 f, 765 a, 768 a b c
Herbertus *abbas S. Stephani Divionensis* 207 c
Herculis *divinitas refutata* 145 c e f, 147 b e
Herimannus *episc. Colonienſis* 688 a
Herimannus *episc. Tullensis* 618 d e
Herimannus *episc. Mimigarvordensis* 688 a
Heriveus *Remensis episc.* 120 e
† Hermagoras *episc. Aquileiensis* 606 b c d
Hermannus *Saxoniæ dux* 475 f
Hermannus I *Suevia dux* 169 c, 170 a b
Hermannus II *Suevia dux* 173 b c f
† Hermes *martyr* 703 b f
† Hermogenes *M. Vide* Calliſtes.
Hernacus *Attilæ Hunnorum regis filius* 463 a
Hiel *ob reædificatam Jericho punitus* 38 c
Hierotheus *monachus, qui dicitur consecratus episcopus, & laborâſſe ad conversionem Hungarorum* 469 f; *forsan fictitius* 470 c d, 472 f, 473 a & seq.
† Hjlarius *Pictaviensis episc.* 180 d
Hildebaldus *vel* Hildeboldus *archiep. Colonienſis nullo nunc cultu publico honoratur* 598 f, 599 a b c d e
Hildebrandus *Sagiensis episc.* 763 c, 765 a b, 770 d
Hildericus *rex Wandalorum* 232 f, 233 a c, 234 e, 235 c, 392 e, 399 c
Hildeſindus *abbas Rodensis* 479 d
Hincmarus *Remensis episc.* 121 c, 122 b
Hirtacus *perſecutor Christianorum sub Maximiano Herculio* 166 c
Hitto *episc. Frisingensis* 412 f & seq.
† Honoratus *episc. Ambianensis* 177 e f, 181 b, 184 e f, 185 c & seq.
† Honoratus *episc. Mediolanensis* 667 c d e
† Honoratus *fundator Lerinensis cœnobii, dein episc. Arelatensis* 371 c, 450 c d, 452 b, 744 f, 745 e
† Honorius *episc. Brixiensis* 247 a b
Honorius *Papa* I 450 c. 452 a
Honorius III 779 a c e f
Horam *rex Gazer* 56 d
Hoynk van Papendrecht (*Cornelius Paulus*) *archipresbyter S. Rumoldi Mechlinienſis olim vicarius generalis, abſente archiepiſcopo* 586 e
† Hugo *abbas Cluniacensis* 344 f

Hugo *abbas S. Ægidii* 286 b, 288 b
Hugo de Touciaco *archiep. Senonenſis* 254 a b c d e f, 255 a b
Humar. *Vide* Omar.
Humbertus Guilielmus *archiep. Mechlinienſis* 586 c
Humbertus, *al.* Huncbertus, *abbas S. Manſueti* 648 f, 649 f
Hungari 466 c d e f, 467 a b, 469 b c d; *à Patzinacitis ſedibus ſuis expulſi* 464 b, 467 f, 468 a b c; *variis nominibus deſignati* 467 a b; *etiam* Turci *frequenter olim dicti* 467 b c e; *invadunt & occupant Hungariam* 464 b c d, 468 c d & ſeq.; *varias clades provinciis Europæ inferunt* 464 c, 469 b c d e, 474 b c, 480 f; *converſi non ſunt per Græcos* 470 d & ſeq., *cæſi ab Ottone I imperatore* 473; *deinde converſi* 475, 476 & ſeq., 480, 481, 488 d & ſeq., 563 c, 564 e & ſeq.
Hunni *antiqui* 462 c d e f, 463 a, 464 d f, 465 a b f, 466 a b c e f; *Pannoniam vicinaſque provincias occupant* 462 b d; *eam ſecundò occupant* Hunni, *aliàs* Avari *dicti* 463 b c d; *victi à Carolo Magno* 463 d e f; *varia eorum nomina* 465 e f, 467 a b & alibi; *an iidem cum hodiernis* Hungaris 462 c, 464 d & ſeq.
Huntes *dux militaris in exercitu S. Stephani* 493 b
Hur *rex Madianitarum* 22 d
Hur *unus è præcipuis filiorum Iſraël* 10 b, 11 a
Hyvanus (*Antonius*) *ſcriptor* 408 b c d

I

JAbin *rex Aſor* 58 d & ſeq.
Jacob *patriarcha* 63 b c
Jacobitæ *hæretici in Oriente* XIX d e f
† Jacobus *epiſc. Tullenſis* 635 e
Jacobus *epiſc. Conſtantienſis* 162 d
Jacobus *epiſc Lucenſis* 239 c
Jacobus II *Aragoniæ rex* 335 b
Jaïr *Iſraëlitarum judex* 3 c d, 72 c
Janningus (*Conradus*) *S. J.* 317 e, 775 c d
Janus *Italiæ rex, dein pro deo habitus* 159 d
Japhia *rex Lachis* 51 a, 54 f, 55 e f, 56 a d
Jelech *filius Arpadi Hungarorum ducis* 467 e
Jephte *Iſraëlitarum judex* 3 c d, 72 c, 77 f, 78 a
Jerobaal, Arbel, Jerubeſſcheth *vel* Jeruboſeth *nomina S. Gedeonis in ſacris Litteris* 78 d e f, 83 d, 86 b
Jether *filius S. Gedeonis* 79 d, 90 f, 91 a, 95 d
Jethro *ſocer Moyſis legiſlatoris* 9 a c, 79 f
Jezer. *Vide* Ezri.
Ignatius Aſpirenſis *Ordinis S. Franciſci* 4 f
Ildefonſus *abbas Weihenſtephanenſis adjutor hujus Operis* 412 f, 413 b, 422 c, 425 e, 436 c
† Illidius *epiſc. Arvernorum* 439 c e f, 440 a d
Illidius *Aquenſis in Novempopulania epiſcopus* 201 f
† Innocentius *Cenomanenſis epiſc.* 223 a d
Innocentius *Papa* II 216 b, 218 f, 219 b c d, 558 b
Innocentius III 243 f, 254 f, 255 a b
Innocentius XI *cultum B. Petri Armengol ab immemorabili tempore confirmat & auget* 326 f, 327 a b c d e f, 328 a, 331 f, 557 e, 560 a & ſeq.
Innocentius XII 581 d, 730 c
Joanna à S. Angelo *mater B. Julianæ virg.* 309 f, 312 e, 314 a
† Joannes Baptiſta 31 c d, 85 a
† Joannes *Apoſtolus* 100 b, 112 e, 163 e f
† Joannes Chryſoſtomus XXIII d e f
† Joannes *Papa* I 244 b c d
Joannes II 244 c
† Joannes III 243 e f, 244 c d e, 245 b d
Joannes VIII 292 b c d e, 707 e
Joannes XV 558 a
Joannes XVIII *cognomento* Phaſianus 535 c
Joannes XIX XXVI c d
Joannes XXII 208 d, 448 f, 449 a & ſeq., 451 c, 453 d e f, 454 b
† Joannes *Alexandrinus epiſcopus cognomento* Eleemoſynarius 280 a d
† Joannes *epiſc. Eugubinus* 5 b
† † Joannes & Almachius *MM.* 338 c, 351 b e f, 352 a b
† Joannes *martyr Ordinis Camaldulenſis* 507 c d
† Joannes *opilio* 285 d
† Joannes Marcus *diſcipulus S. Barnabæ* 100 b
Joannes Jejunator *patr. Conſtantinopolitanus* 337 c d
Joannes *epiſc. Aquinas* 243 e f
Joannes Franciſcus *epiſcopus & princeps Friſingenſis* 413 c, 415 a, 421 b & ſeq., 426 b
Joannes *epiſc. Frequentinus* 215 e, 216 b, 217 e & ſeq., 218 f
Joannes I *epiſc. Lucenſis* 225 a b c d, 226 b c e, 237 c d e f, 238 a b e f, 239 a & ſeq.
Joannes *epiſc. Lucerinus* 142 d
Joannes *epiſc. Lugdunenſis* 176 c d, 177 b, 179 a, 180 e f
Joannes Sigiſmundus Zeller de Leiberſtorff *epiſcopus Bellinenſis & proepiſcopus Friſingenſis* 421 c, 423 d
Joannes *Prior Stabulenſis* 690 f & ſeq.
Joas *pater S. Gedeonis* 78 a d e f, 79 a b c d f, 80 a e f, 83 b c d, 85 f, 95 b f
Joatham *filius S. Gedeonis* 95 d
Jobab *rex Madon* 58 d
Joccia (*Matthias*) *canonicus Capuanus* 104 e, 105 f, 107 b
Jonardus *epiſc. Nemauſenſis* 292 b
† Jordanus *ſecundus Magiſter generalis Ord. Prædicatorum* 778 b d
Jordanus *epiſc. Patavinus* 312 f, 314 c
Joſeph *patriarchæ oſſa ſepeliuntur* 63 b c
Joſephus *Indorum Metropolitanus* XXV f
Joſephus (*Flavius*) *hiſtoricus Judæus* 6 f, 7 a; *multa de SS. Joſue & Gedeone contra vel præter ſacram Scripturam tradit* 10 d, 25 b c, 29 e, 32 f, 33 a b c, 35 e f, 36 b c, 39 f, 40 a, 42 c d, 50 d, 52 f, 59 f, 60 a, 64 a & ſeq., 66 a b, 85 f, 86 a, 88 f, 89 a b c d e, 91 d e f
Jovinus *epiſc. Aquinas* 245 c d f
† Irene *virgo diaconiſſa* XX d, XXIV d
Iſboſeth. *Vide* Esbaal.
† Iſidorus *Hiſpalenſis epiſc.* 202 d
Judas Machabæus 23 b
Juditha *regina Poloniæ, uxor Uladiſlai* 287 e f
Julianus *apoſtata imperator* 361 d e, 362 a b c, 363 a b, 364 c d e
† Julius *Papa* I 383 a
Julius II 107 c
Julius *Cæſar inter deos gentilium relatus* 150 a
Juſtina *imperatrix Ariana S. Ambroſium perſequitur* 452 a b
† Juſtini *corpus Friſingæ* 413 c & ſeq.
Juſtinianus I *imperator varias diaconiſſis leges tu-*

lit xv d e f, xvi a & seq.; *de eodem* 245 f, 391 b c, 463 c
Justinianus II *imperator* 245 f
† Justinus *episcopus* 3 b
Justinus *episcopus à S. Antonino martyre sanatus* 342 c
Justinus I *imperator* 391 c
Justinus II *imperator* 245 f, 463 c
†† Justus & Clemens *conf. Afri* 223 c, 230 e, 232 a c d e, 235 e f, 390 a, 391 b c d f, 392 a b c d, 393 a b f; *Acta fabulosa* 394 b c d e f, 395 & seq.; *verisimilius sec.* v *cum S. Octaviano ex Africa in Tusciam exsules advenerunt, & Volaterras Wandalorum obsidione liberarunt* 398 & seq.; *an Justus episcopus Volaterranus, Clemens verò & Octavianus presbyteri?* 401 a b c d
† Justus *episc. Urgellensis* 368 a, 377 f
† Justus *archidiaconus S. Illidii* 439 c e f, 440 a d
† Justus *M. Vide* Orontius.
Justus *episc. Toletanus* 600 c d e
Jutotzas *filius Arpadi Hungarorum ducis* 467 e

L

LAadan *abavus S. Josue* 7 d
† Ladislaus *Hungariæ rex* 286 b, 456 c f, 458 a, 515 c d, 536 c d, 550 e, 555 a & seq., 557 f & seq., 558 d, 572 f, 573 d, 574 c; *canonizatus & cultus* 458 a, 558 f, 559 a
Lætianus *proconsul sub Adriano* 108 c, 110 b, 112 f & seq.
Lambertinis (*Prosper de*) *S. R. E. Cardinalis* 226 f, 243 c. *Vide* Benedictus XIV.
† Lambertus *Trajectensis episc. M.* 670 a, 683 f, 728 a d
Lambertus *Cracovienſis episc.* 506 a b & seq., 507 c
Lando *Remensis episc.* 270 a, 279 d, 280 c
† Landoaldus *secundum aliquos Trajectensis episcopus* 674 e, 694 c
Lantbertus *abbas Fontanellensis* 275 f
Lanthildis *abbatissa, consanguinea seu amita S. Godegrandi Sagiensis episc.* 767 a d e, 769 c, 770 a b
† Launomarus *presbyter & abbas* 771 a, 772 f
Laurentia *sepelivit corpus S. Terentiani ep. M.* 115 e f
Laurio *monachus Italus* 410 b e
†† Lazarus & Priscus *MM.* 5 e
Lebedia *princeps Hungarus* 468 a b
† Leo *Papa* IX 516 e f, 517 a b c d, 535 e, 616 b, 617 d e, 631 b c, 635 c, 654 b, 655 b d f, 656 a b, 677 c
Leo X 305 f, 390 d
Leo I *imperator* 232 c, 395 f, 398 f
Leo III 232 c, 395 e f
Leo *Bituricensis episc.* 222 c d
Leo *abbas monasterii S. Alexii Romæ* 495 f
Leo *abbas S. Ægidii* 292 b
Leodebodus *abbas S. Aniani fundator monasterii Floriacensis* 730 e f & seq., 744 d, 745 d
† Leonardus *conf. in agro Lemovicino miraculis clarus* 342 f, 339 f
Leontius *augustalis sub Adriano* 113 c
Leopoldus *imperator* 560 a f, 682 c
Leothericus *episc. Senonensis* 756 e, 758 a
Lestocq (*Nicolaus de*) *doctor Sorbonicus & canonicus Ambianensis varia scripsit de corpore S. Firmini conf.* 183 d e, 196 d
Levacovicz (*Raphaël*) *Ordinis Minorum* 518 b c d
Leventa *cognatus S. Stephani Hungariæ regis* 553 d f
Levi *tribus* 65 d e f, 66 b
Leutbertus *archiep. Moguntinus* 707 e
Liberius *Papa* 180 f
Licinius *imperator* 156 e f
† Lietbertus *Cameracensis episc.* 723 a, 725 d
Lombardi (*Hieronymus*) *S. J. varias de B. Juliana notitias transmitti curavit* 309 b
† Longinus *miles M.* 2 e
Longobardi 232 d e, 244 e, 245 e f, 247 a, 462 b, 463 b c d
Lotharius *Sagiensis episc.* 764 d, 765 d
Lotharius I *imperator* 404 a f, 703 b f
Lotharius *Italiæ rex* 473 e
Lucia *vidua, tertii Ordinis FF. Capucinorum* 600 f
† Ludovicus *Tolosanus episc.* 343 d e
Ludovicus Pius *imperator* 295 c, 342 a c, 684 e, 698 e, 703 e f
Ludovicus II *imperator* 404 a b c d e f
Ludovicus VI *rex Franciæ* 251 b c, 763 d
Ludovicus VII 170 a, 251 c d
Luitprandus *diaconus & postea episc. Ticinensis, scriptor circa medium* x *seculi* 474 d
† Luperius *episc. Veronensis* 661 e
† Lupus *episc. Senonensis* 266 a b c
† Lupus *episc. Trecensis* 255 d, 616 b, 621 e f, 660 e

M

MAbillonius (*Joannes*) *hallucinatur circa tempus, quo colloquium S. Benedicti cum Totila accidit* 236 f, 237 a b; *monasterium S. Martini in Hungaria situm cum alio confundit* 495 c
† Macarius *abbas* 366 d, 373 e
†† Macarii *duo coævi* 374 b
Mazzoccolo (*Alexius*) *canonicus Capuanus* 107 b
† Macnifeus *abbas in Hibernia* 662 f, 663 a f
Madegisilus, *al.* Medegisilus, *abbas S. Remigii* 250 d f, 259 a f, 260 d
Madianitæ *cæsi duce probabilius S. Josue*, 22 c d e f, 23 a b c d; *Israëlitarum terras vastant* 80 c d, 83 d e; *mirabili strategemate Madianitas in mutuam cædem & fugam adigit S. Gedeon* 86 & seq.
† Magnus *Avenionensis episc.* 444 c, 449 a c d e, 450 c e f
Magnus *abbas Benedictoburanus* 422 c
Mahometis *pseudo-prophetæ annus natalis & emortualis* 580 f, 581 a b c d
Mainardus *archiep. Senonensis* 758 a
† Malachias *episc. Connerensis in Hibernia* 663 d e
† Mamas *M.* 337 a
† Mamertinus *abbas S. Germani* 2 f
† Mamertus *Viennensis episc.* 716 a, 718 d
Manaris *diaconissa* xxiv c d
Manasse *tribûs media pars, quæ terræ promissæ portionem trans Jordanem accepit*, 23 e, 29 b c d e, 31 f, 32 a, 33 f, 62 c, 66 c d e f, 67 a b c; *altera pars ejusdem tribus cis Jordanem habitans* 68 c d e f, 78 f, 79 a b e f, 80 a f, 81 a, 83 e, 84 e f
Maneus *episc. in Hibernia* 338 a b
Manfredi (*Antonius Maria*) *S. J. pœnitentiarius Laureti* 379 d

Manlius (*Marcus*) *capitolium defendit contra invaſionem Gallorum* 150 b
† Manſuetus *ſeptimus Trevirenſium antiſtes à primo Tullenſium non diſtinguendus* 634 e f, 635 a b
Manuë *pater Samſonis* 82 b
Marcomanni 462 e
Marcus *Ægeanenſis epiſc.* 141 d, 142 b c, 143 a, 153 d, 210 b
Marcus Aurelius *imperator* 180 b c
† Maria *Dei Mater patrona Hungariæ* 527 b c, 531 a b c, 568 b c, 569 d, 570 b
† Maria de Cervellon, *al.* de Socòs 319 b
Maria *ſoror Moyſis* 2 f
Maria *Siciliæ & Hungariæ regina* 515 a
Maria à Jeſu *Ord. S. Dominici* 337 e
Marianus *præfectus ſub Adriano* 112 e f, 113 a
† Marinæ *virginis tranſlatio* 3 b
† Martha *mater S. Symeonis Stylitæ junioris* 203 f, 204 f, 205 a
† Martina *V. & M. diaconiſſa* XXII b
† Martinus *Papa* 685 a
† Martinus *Turonenſis epiſc.* 220 b & ſeq., 226 c d, 337 d; *Hungaricæ gentis patronus & beneficus S. Stephano regi* 493 c, 494 b c d e f, 495 c, 538 a, 564 d e; *apud ſepulcrum S. Manſueti oraſſe traditur* 623 b, 624 c d e f, 625 a & ſeq., 644 d e
Martinus à Roccha *Ord. FF. Minorum* 4 f
Maſſar *Saracenorum dux* 245 f
Mathias *imperator* 682 b c
Mathildis *filia Ludovici Tranſmarini Francorum regis, uxor Conradi Pacifici Burgundiæ regis* 170 a
Mathoud (*Hugo*) *perperam negat Richerium fuiſſe ſucceſſorem S. Lupi epiſc. Senonenſis* 251 f, 252 a b c d e f, 253 a
Matrinia *vel* Matrina *mater S. Remacli* 672 c, 693 a
† Matrona *Capuæ culta* 100 d, 103 a & ſeq.
† Mauritius *legionis Thebææ tribunus* 158 b c d e f, 159 a e f, 160 a & ſeq., 164 e, 165 c, 166 a, 173 b e; *monaſterium illi dicatum in Hungaria* 530 b
Maurocenus (*Joannes Franciſcus*) *patriarcha Venetus* 440 c
Maurocenus (*Joannes*) *abbas S. Georgii Majoris Venetiis* 440 e
† Maurus *inſtauravit diſciplinam monaſticam in Gallia* 744 d, 745 a d
Maurus *epiſcopus Quinque-eccleſienſis* 496 c, 523 e f, 524 a
Maurus *epiſc. Senenſis* 403 e f
Maurus *monachus* 529 f, 530 a
Maxima *virgo Aquenſis* 201 f
† Maximianus *Syracuſanus epiſc.* 410 a b d e
Maximianus Herculius 122 d, 125 e, 129 c e f, 133 c d, 134 d, 138 b, 139 b c & ſeq., 159 e, 160 b
† Maximilianus *diaconus Petenenſis* 3 a
Maximilianus II *imperator* 682 b c
† Maximini *epiſc. Trevirenſis iter Romanum cum S. Martino Turonenſi fictitium* 624 c f, 625 a b d, 644 d, 645 c
Maximinus *epiſc. Argentoratenſis* 377 c e f
Maximinus I *imperator* 132 b, 134 c
† Maximus *epiſc. Avenionenſis* 454 c, 455 f
Maximus *tyrannus* 625 c d e
Medad *unus è ſenioribus Iſraël* 13 c e f, 14 a & ſeq.
Medaglia (*Natalis*) *ſcripſit de S. Elpidio abbate* 378 f
† Medardus *epiſc. Noviomenſis* IV f, V a, XXIV a, 128 f
Medegiſilus. *Vide* Madegiſilus.
† Medericus *abbas* 337 b
† Memmius *Catalaunenſis epiſc.* 120 b d, 121 b c, 122 a
† Mennas *Conſtantinopolitanus epiſc.* 241 c
Mercier (*Carolus le*) *canonicus Ambianenſis* 196 d
† Mercurius *martyr* 131 e
Mercurius *ædituus & deinde præpoſitus cujuſdam cœnobii in Hungaria* 556 e f
Meribbaal *al.* Miphiboſeth 78 f
Meſſianus *notarius à S. Cæſario Romam miſſus* 290 c, 291 e
† Methodius *patriarcha Conſtantinopolitanus* XX d, XXIV d
† Michaël *archangelus* 26 c, 34 d e f, 35 a, 80 d e
Michaël *patriarcha Jacobitarum* XX e, XXV d e f
Michaël *patruus S. Stephani Hungariæ regis* 553 c d f
Minos *judex inferni fabuloſus* 147 b
Minutius Fundanus *Aſiæ proconſul* 111 b
Miphiboſeth. *Vide* Meribbaal.
Miſceo *ſeu* Miceſlaus *Poloniæ dux* 479 a, 505 e f & ſeq., 566 b, 567 c
Moligni (*Georgius*) *rector Societatis Jeſu Monachii* 416 a
Monophyſitæ *hæretici* XIX c d e f
Moravi *aut* Maravi 462 b, 464 b
† Moyſes *legiſlator, de quo varia in Commentario de S. Joſue* 9 & ſeq.
† Mummolenus *Noviomenſis epiſc.* 185 b, 186 d
Mummolus *princeps ſeu epiſcopus, ut videtur, Ucetienſis* 738 c & ſeq., 746 d & ſeq., 750 f & ſeq.
Mummolus *abbas Floriacenſis* 731 b c d, 748 c f, 749 c, 761 c
† Muredachus *epiſc. Aladenſis* 5 c d

N

NAdab & Abiu *cæleſti igne percuſſi* 93 e
Naude (*Petrus*) *Ordinis S. Pauli eremitæ* 415 d e f, 416 c d
Nave, *an nomen patri S. Joſue proprium?* 8 a b c
Narſes *dux Juſtiniani imperatoris* 231 a
† Nectarius *Viennenſis epiſc.* 371 a
Nehemias *Strigonienſis epiſc.* 515 c
† Neophyta *M.* 116 c
Nephthali *tribus* 83 e, 88 d
Nepotianus *epiſc. Claromontanus* 439 f, 440 d
Neſtoriani *hæretici* XVIII c f, XIX a b c
† Nicaſii *reliquiæ* 119 f
† Nicetius *Lugdunenſis epiſc.* 372 f
Nicolaus I *Papa* 292 b d
Nicolaus V 534 f
Nicolaus *epiſc. Cardinalis Oſtienſis, & Sedis Apoſtolicæ legatus in Hungaria* 505 a
Nicolaus *epiſc. Nemauſenſis* 288 f
Nicolaus *epiſc. Regienſis* 782 e f, 783 a
Nicolaus Vitelleus *Cabenus epiſc.* 102 e
Nitgerus *epiſc. Friſingenſis* 412 f & ſeq.
Nithardus *epiſc. Leodienſis* 688 a
Noë *patriarcha* 49 a
Normanni *Galliam vaſtant ſeculo* IX, 755 f & ſeq., 770 e, 772 d
Notgerus *ſeu* Notkerus *Leodienſis epiſc.* 285 a, 714 c
Notpertus, *vel* Nortpertus de Stafile *abbas S. Galli*

Galli 689 b
Novaria (*Joannes de*) *Ord. S. Franciſci* 4 f
Numa Pompilius *rex Romanus* xvi d, 153 c, 154 d e
Nun *pater S. Joſue* 7 d e f
† Nympha *virgo M.* 601 f

O

† Octavianus *eremita Afer* 223 c, 231 f, 232 a c d, 235 f
† Octavianus *Palæſtinus* 598 c
Odericus *filius S. Arealdi M.* 247 a b
† Odilia *vel* Othilia *virgo in Alſatia* 169 d, 170 c
† Odilo *abbas Cluniacenſis* 286 b, 535 f, 704 e
Odo, *aliàs* Ando & Haudo, *abbas Stabulenſis & Dervenſis* 698 f
Odo *Bituricus princeps Dolenſis* 532 c
† Odulfus *conf.* 336 e
Og *rex Amorrhæorum* 20 b, 23 d
Oham *rex Hebron* 51 a, 54 f, 55 e f, 56 a e f
† Olcanus *ſeu* Bolcanus *epiſcopus in Hibernia* 664 e, 665 e f
Olphinus. *Vide* Turpinus.
† Olympias *diaconiſſa* xvii b c, xxiii b c
Omar I *princeps Saracenorum* 579 d, 581 e f
† Opportuna *abbatiſſa, ſoror S. Godegrandi Sagienſis epiſcopi* 763 c f, 764 b & ſeq., 769 b e f, 770 b
Oreb *dux Madianitarum* 83 d, 88 e, 89 d f
Orlemans (*Petrus*) *Ord. Cartuſiani* xi e
Oronius Modeſtus *epiſc.* 337 e
Orontes, Raurawa, Saulas & Sawa *martyres apud Æthiopes* 599 f
† † Orontius & Juſtus *MM.* 3 c
Orthius *dux Hungarus* 493 c, *aliàs* Orzius 494 f
Oſee *nomen S. Joſue, antequam mitteretur ad explorandam terram Chanaan* 7 a b, 15 b c d f, 16 a b
† Oſwaldus *epiſc. Eboracenſis* 337 f
Otgarius *vel* Otgerus, *Ambianenſis epiſc.* 188 d
Othoniel *Iſraelitarum judex* 3 c d, 57 c d, 72 c e
Otreius *epiſc. Melitenſis* xxiv a
Otrokocſi (*Franciſcus Foris*) *ſcriptor Hungarus* 462 c d
† Otto *epiſc. Bambergenſis* 287 a b
Otto I *imperator* 210 f, 392 b, 396 e, 473 f, 474 f, 475 c d e f, 476 a b c, 479 a, 501 e, 627 c d, 628 b d e, 684 e
Otto II 474 f, 475 c, 476 b, 477 c, 478 f, 479 a b e f, 480 d e f, 487 b
Otto III 173 f, 475 e f, 491 e f, 499 f, 500 a b, 504 b c
Ottocarus *Bohemiæ rex* 174 e f
Ovo *Hungariæ rex* 517 d
Oza *ſubita morte exſtinctus* 93 e

P

Palladius *epiſc. Arianus in Synodo Aquileienſi damnatus* 371 d e
† Palmatius *conſul* xxiv e f
Papebrochius (*Joachimus*) *S. J. pœnitentiarius Laureti* 378 c
† Paphnutius 366 d, 373 e
Paphnutii *varii* 374 b c
† Papolenus *abbas Stabulenſis* 683 d, 686 b c d e
Papolenus II *abbas Stabulenſis* 686 f
† Paris *primus epiſc. Teanenſis* 112 a
Paſcentius *archidiaconus* 239 b, 240 e
Paſchalis *Papa* I xviii d, 703 f
Paſchalis II 286 b, 292 f
Paſchalis (*Petrus*) *Societatis Jeſu* 103 a
† Paſchaſius *Viennenſis epiſc.* 370 e f & ſeq.
† Paſchaſius Ratbertus *abbas Corbeienſis* 558 c
† Patricius *Hibernorum apoſtolus* 664 a b e f, 665 d e f
Patzinacitæ *gens barbara, aliàs* Pecinaci & *vicinis nominibus vocati* 464 b, 467 b f, 468 a b c f, 469 a, 471 c d e
† Paula *mater S. Euſtochii* 32 b, 65 d, 74 e
† Paulus *Apoſtolus* 3 e; *nec S. Phœben nec aliam umquam uxorem duxit* 602 e f, 603 a & ſeq.
† Paulus *M. epiſc. Conſtantinopolitanus* 441 f, 442 a b
Paulus Baronianus *abbas S. Martini in Hungaria* 495 e
Paulus *Hungarus Ord. PP. Prædicatorum* 777 a b
Paulus *rebellis à Wamba Gothorum rege victus* 294 c
Paulutius *Ord. FF. Minorum* 596 d
Pazmany (*Petrus*) *è Societate Jeſu archiepiſcopus Strigonienſis, & S. R. E. Cardinalis* 497 b, 518 e
Paznan *aut* Poznanus *dux in exercitu S. Stephani regis* 493 b c, 494 f
Pelagia *mater S. Ægidii abbatis* 299 c
Pentadia *diaconiſſa* xxiii d e f
Peredeus *epiſc. Lucenſis* 225 c, 239 c
† Petrus *apoſtolus* 97 a, 100 b d e f, 101 f, 102 d e; *ipſius diſcipulus non fuit S. Manſuetus* 620 b & ſeq.; *ejus & S. Pauli Apoſtoli reliquiæ Tulli* 623 c d e f, 632 a b e f, 643 f, 644 a
† Petrus *epiſc. Alexandrinus M.* 5 e
Petrus *epiſc. Volaterranus* 404 a e
Petrus *diaconus amicus S. Gregorii Magni* 411 e
Petrus *diaconus ſub Leone IX ſcripſit inſigne miraculum SS. Manſueti & Apri* 631 c d, 653 d, 654 f, 655 a b
Petrus *Hungariæ rex* 516 d e, 517 b c, 536 b; *nepos S. Stephani ex ſorore, ejuſque ſucceſſor* 553 a & ſeq.
Petrus Amerius *quartus Generalis Ord. B. M. V. de Mercede* 319 a
Petrus *abbas Cellenſis ac dein Carnotenſis epiſc.* 742 d
Petrus Leonis *antipapa* Anacletus *dictus* 216 e, 219 b c
Petrus Bellicaſtrenſis *Ord. FF. Minorum* 601 d
Phaleris *Agrigentinorum tyrannus* 152 e, 154 b
Phalitzis *princeps Hungarus* 470 b
Phanuël *pater S. Annæ prophetiſſæ* 96 c f, 97 a
Phanuëlitæ *à S. Gedeone puniti* 90 c f
Phara *puer, quo comitante S. Gedeon Madianitarum caſtra exploravit,* 86 e, 87 a c d
Pharam *rex Jerimoth* 51 a, 54 f, 55 e f, 56 a
Philippus *Ebroïcenſis epiſc.* 190 b, 194 f
Philippus *Friſingenſis epiſc.* 424 e f
Philippus *abbas S. Hippolyti in Hungaria* 496 c, 497 c d
Philippus II *Hiſpaniæ rex* 289 c
Philippus II *rex Franciæ* 578 f, 580 e
Philippus III 190 b, 195 a
Philippus IV 343 d
Philo *hiſtoricus Judæus* 6 f, 7 a, 9 a b, 10 d, 20 c d
Philo Byblius, Pſeudo-Philo *dictus* 82 e f
Phinees *ſacerdos filius Eleazari Pontificis* 22 d e f, 23 a b c d, 66 f, 67 a c, 336 f

Pibo *epiſc. Tullenſis* 617 e, 618 d, 632 e, 633 c d, 634 d, 655 f, 656 a b c d
Pierantonius (*Dominicus*) *S. J.* 378 f
Pierre (*Dionyſius la*) 194 e, 196 d
Piligrinus *Laureacenſis epiſc.* 474 e f, 475 d e, 476 b & ſeq., 480 b f
Pimentel (*Joannes*) *Benaventi comes* 227 b
Pingré (*Joannes Baptiſta*) *canonicus Ambianenſis* 196 d
Pipinus *rex Francorum* 342 b d e, 451 c, 453 b c
Pipinus Heriſtallus *dux Francorum* 684 e f
Pippinus *filius Caroli Magni* 463 e
Piſanus (*Lucas*) *rector parochiæ S. Priſci* 103 f
Pius *Papa* II 456 a
† Placidus *presbyter* 207 d
Placidus *abbas Frauencellenſis* 422 c
Placidus *abbas Ettalenſis* 422 c
Plato *philoſophus* 769 b
Pluto *deus inferni* 147 b
Polycarpus *epiſc. Adrumetinus* 133 f, 134 a b
† † Pontianus & Benignus *MM.* 336 b
Pontius *Vaſionenſis epiſc.* 449 c, 454 d, 456 d
† Poppo *abbas Stabulenſis* 688 a
† Porphyrius *epiſc. Gazenſis* XXIV c d
† † Potentianus & Altinus *epp. MM.* 254 a
Præmon *epiſc. Tullenſis* 621 d, 622 b
Prigonius *nominatur abbas, qui S. Aigulpho ſucceſſit Lerini* 741 b c, 747 a
Priſcianus *Grammaticus* 562 e f
† Privatus *epiſc. Gabalitanus Martyr* 301 f, 302 c
Prochnii *vel* Prochui *victus à S. Stephano Hungariæ rege* 567 d e f
Publia *diaconiſſa* XXII f, XXIII a b

Q

Quadi 462 e
† Quartus *epiſc. Capuanus* 104 f & ſeq.
† Quintus *epiſc. Capuanus* 104 f & ſeq.
Quirinus *abbas Tegernſeenſis* 422 c, 423 e
Quotvultdeus *Carthaginenſis epiſc.* 212 f, 213 a

R

Rabanus *Moguntinus epiſc.* 119 f, 120 a, 548 a
Rabula *epiſc. Edeſſenus* VI a
† Radegundis *Francorum regina* IV f, V a b, XXIV a; *reliquias accipit ex Oriente* 350 a & ſeq.
Radla *diſcipulus S. Adalberti Pragenſis epiſcopi* 481 d
† Ragenfredis *virgo* 339 c
Rahab, *quæ occultavit exploratores Jericho* 3 d, 28 e f, 36 a b, 37 c d, 98 c
Rainaldus *abbas S. Manſueti* 631 e, 633 a
Rainardus *abbas S. Petri Vivi* 756 e, 757 e f
Rainardus *comes Senonenſis* 757 f, 758 a
Rainardus *alter comes Senonenſis* 757 f, 758 a
Ranzanus (*Petrus*) *ex Ord. Prædicatorum Lucerinus epiſcopus ſcripſit Epitomen rerum Hungaricarum* 461 b c
Raphaël *Volaterranus ſcriptor* 232 c, 390 d e
Ratta (*Carolus della*) *canonicus Capuanus* 104 e, 105 f
Ravengerus *abbas Stabulenſis* 712 b c, 714 b c, 719 d
† Raymundus *epiſt. Balbaſtrenſis* 344 e f
Raymundus *epiſc. Toloſanus* 344 c
Raymundus *comes Toloſanus* 287 d
Raynerius *patriarcha Antiochenus* 779 a b c
Rebe *rex Madianitarum* 22 d
Reccaredus *Wiſigothorum ſeu Hiſpaniæ rex* 293 c d
Recem *rex Madianitarum* 22 d
Reginaldus *Bellovacenſis epiſc.* 190 b, 194 f
Reginaldus (*Rupertus*) *monachus Altivillarenſis* 276 f
Reginaldus *Ord. FF. Prædicatorum* 776 c d
† Regulus *epiſc. & mart.* 241 b c e f, 242 a b d, 389 f, 391 b d f, 393 a b, 394 b, 395 c e
† Remaclus *epiſc. Trajectenſis* 338 c, 627 a, 635 e f
† Remedius *al.* Romadius *abbas* 5 c
† Remigius *Remenſis epiſc.* 119 b, 122 a, 272 e, 279 f, 280 c
Remus *an urbis Remenſis conditor?* 126 c, 128 b c
† Reolus *Remenſis epiſc.* 267 c, 268 f, 269 b d f, 274 a c d, 275 c & ſeq., 276 b, 278 c, 279 b, 282 a c f, 283 e f, 601 f
Reovalis *presbyter reliquias portat ex Oriente* 350 a b
Reſtituta *relicta cujuſdam ſenatoris* 135 a, 139 d e f, 140 a b, 146 b & ſeq.
Rhadamanthus *judex inferni* 147 b
Rhoë (*J. F. baro de*) *cantor S. Servatii Trajectenſis* 586 d e f, 587 a b
Ribera (*Joannes*) *archiepiſc. Valentinus* 227 b c
Richardus I *rex Angliæ* 578 f, 580 e
Richardus *epiſc. Virodunenſis* 688 a
Richardus *abbas S. Eparchii Engoliſmenſis* 532 c
Richardus *abbas Virodunenſis* 532 c
Richardus *monachus* 286 e f
Richerius *ſucceſſor S. Lupi epiſc. Senonenſis* 251 f, 252 a b c d e f, 253 a
Richter (*Hieronymus*) *Ordinis Præmonſtratenſis ſcripſit Vitam Germanicam S. Verenæ* 159 d
Ricoinus *monachus. Vide* Briconius.
Rictius Varus *perſecutor Chriſtianorum* 122 c, 128 a
Riencourt (*Alexander le Scellier de*) *decanus Ambianenſis* 193 e, 195 d, 196 c d
Rigomarus *abbas Floriacenſis* 731 b
Rigomirus *abbas Lerinenſis, à multis creditus ſucceſſor S. Aigulphi* 741 b c, 746 c, 754 a c
Robertus *archiep. Aquenſis* 292 c
Robertus *Bathonienſis epiſc.* 190 b, 194 f
Robertus *Moguntinus epiſc.* 477 c, 478 e
Robertus *rex Franciæ* 266 e f
Robertus *Normannorum dux* 533 c d
Roccardinus (*Alexander*) *Ravennâ tranſmiſit notitias de S. Euphemia V. M.* 606 d e
† Rodeſindus *vel* Roſendus *epiſc. in Hiſpania* 2 c
Rodulphus *rex Francorum* 756 a, 757 c d
Rofridus *monachus Caſinenſis* 132 d e, 144 c e
Rogerius Caietanus *abbas S. Stephani* 418 b
Rogerius *Siciliæ rex* 219 c
Rogerius Bernardi *comes Fuxenſis* 344 c
Rogerius II *comes Fuxenſis* 344 c d e
Rogerus *epiſc. Tullenſis* 635 e
Rolandinus *ſcriptor antiquus* 781 c d
Rollo *dux Normannorum deinde converſus* 757 b
Romanus Argyrus *imperator Græcus* 534 c
Romanus *Conſtantini filius imperator Græcus* 473 e f, 509 a
Romanus Lacapenus *imperator Græcus* 473 e f
† Romulus *abbas S. Baudelii* 296 e
Rorico *Ambianenſis epiſc.* 182 b, 189 a
Roſa (*Joſephus de*) *Canonicus Capuanus* 104 e, 105 f, 107 b
Roſanus (*Nicolaus*) *Societatis Jeſu* 106 b c

† Rosendus. *Vide* Rodesindus.
Rossi (*Philippus*) *canonicus Capuanus* 104 e, 105 f, 106 b c, 107 b
Rostagnus *archiep. Arelatensis* 292 c
Ruben *tribus* 23 d e, 29 b c d e, 31 f, 32 a, 33 f, 62 c, 66 c d e f, 67 a b c
Rubianus *episc. Comensis* 668 e f
Rubruckius *legatus S. Ludovici Gallorum regis ad Tartaros* 465 e
Rudolphus I *imperator* 174 a e
Rudolphus II *Burgundiæ rex* 170 a, 501 e
Rudolphus III *Burgundiæ rex* 170 a
Rudolphus *Rudolphi I imperatoris filius* 174 e
† Rufinæ *corpus in abbatia Marquette prope Insulas* 4 d
† Rufus *episc. Capuanus* 100 d e f, 104 d e f 476 b
Russi 3 d, 98 c
Ruth *uxor Booz* 739 b
Rutilius Claudius Numantianus *poëta paganus VI seculi*

S

SAbatier (*Petrus*) *episc. Ambianensis* 194 a & seq., 197 d & seq.
Salernus (*Andreas*) *canonicus Capuanus* 104 e
Salianus (*Jacobus*) *S. J. Annalium ecclesiast. veteris Testamenti scriptor refutatur* 21 c d e f, 22 a, 27 a b, 40 f, 68 c d e f, 69 a b c, 73 e f
Salmana *rex Madianitarum* 83 d, 88 e f, 90 b c d e f, 91 a d e
Salmeron (*Marcus*) 44 *Generalis Ord. B. M. V. de Mercede edidit Acta B. Petri Armengol* 333 a b d, 335 b d
Salmon *filius Nahasson* 37 d
Salomon *rex, filius Davidis* 20 f, 72 b c d
Salomon *Hungariæ rex* 513 c & seq., 516 d e & seq., 536 b; *regno exutus* 555 b c, 573 a e
Salphaad *filiarum portio* 62 e
† Salvius *Albigensis episc.* 187 a c, 188 a & seq.
† Salvius *episc. Ambianensis* 177 e f, 183 f & seq.; *vita ejus discutitur* 187 a & seq.
Samson *Israëlitarum judex* 3 c d, 72 c, 77 f, 78 a
† Samuel *propheta* 3 d, 72 c, 77 f, 78 a
Sanctius Major *Navarræ rex* 346 a & seq.
Saphadinus, *al.* Saphidinus & Salphadinus, *Soldanus Damasci* 577 b c, 579 e, 582 a
Sara *uxor Abrahami* 2 f
Saraceni 293 a b, 295 c, 296 d e, 346 b & seq., 350 c d e
Sarmatæ 462 e
Sarolta *ducis Transilvaniæ filia probabilius mater S. Stephani regis Hungariæ* 488 b
† Saturninus *episc. Tolosanus* 176 b, 621 a
Saül *rex Israëlitarum* 10 d, 50 a
† Scellanus *leprosus* 3 e
Scheppers (*F.*) *S. Petri Lovanienſis decanus* 583 d, 584 d
Schinosi (*Josephus*) *episc. Casertanus* 105 e & seq.
† Scholastica *soror S. Benedicti abbatis* 244 a. *Vide* † Benedictus.
Schottus (*Andreas*) *scripsit Prussiam Christianam* 485 e: *refutatur* ibid. & seq.
Schwartz (*Godofredus*) *scriptor heterodoxus* 456 c f, 461 d e f; *refutatur* 457, 458; *item* 473 & seq., 483 & seq., 498 & seq., 507 f & seq., 544 d & seq.
Scylitzes (*Joannes*) Curopalates *scriptor Græcus* 472 b & seq.
Sebastianus *archiepiscopus Strigonienſis* 521 f, 522 a b c d, 566 f
Secundianus *episc. Arianus in Synodo Aquileiensi damnatus* 371 d e
† Secundinus *Ægcanensis episc.* 142 c
Sehon *rex Amorrhæorum* 20 b, 23 d, 29 b
Sem *filius Noë* 49 a
Senecius *vel* Sevecius *non fuit episc. Senonensis* 250 f, 252 a, 253 a
Seraphinus *archiep. Strigonienſis* 547 b, 558 d
† Serenicus *aut* Cerenicus *diaconus & monachorum pater* 772 c
† † Sericus, Lucas, Nepos, Joannes *quinam sint, disquiritur* 600 a b
† Servatius *Tungrensis episcopus cathedram suam Trajectum transtulit* 676 b c d
Sewallus *episc. Eboracensis* 4 e
Sewinus *vel* Seguinus *archiep. Senonensis* 756 d e f, 757 e f, 759 d e
Siclinus, *aliàs* Sindinus, *episc. Senonensis* 660 b c d
† Siffridus *Carpentoractensis episc.* 452 b c
† Sigebertus *Francorum rex in Austrasia* 270 b f, 673 f, 674 a b, 678 c, 680 a & seq., 684 a, 693 b, 694 b, 695 f
Sigibodus *archiep. Narbonensis* 292 c
† Sigismundus *Burgundionum rex* 501 d, 553 e f
† Sigolinus *abbas Stabulensis* 686 e
† Silvester *Papa* I 410 c, 508 c, 623 e f
Silvester *Papa* II *coronam regiam, aliaque privilegia S. Stephano Hungariæ regi concedit* 503 b & seq., 507 a & seq., 510 f & seq., 566 b c, 567 c; *epistola ipsius ad S. Stephanum ostenditur authentica* 517 f & seq.
† Simeon *propheta* 98 f, 99 a b
† Simetrius *presbyter M.* 708 b, 711 a, 721 e
Simon I *dux Lotharingiæ* 633 a b
Simon *comes Montfortius dux crucesignatorum contra Albigenses* 343 f, 344 b
Simon Leprosus 100 b
† Simplicius *episc. Veronensis* 661 e
Sindebaldus *comes Tullensis* 649 b, 650 a
† Sindulphi *eremita Vita ab Almanno scripta* 268 a; *reliquiæ* 275 b c
Sisinnius *discipulus S. Elpidii abbatis* 383 b, 386 c, 388 b
† Sixtus *Papa* I 122 b
† Sixtus II 122 b
Sixtus IV 454 f, 456 a
Slavi *aut* Slavini 462 b d, 464 a f, 465 a b, 476 b
Soccothæi *ob negatum commeatum à S. Gedeone puniti* 90 b c e
Sonnatius *Remensis episc.* 118 f
† Sophia *virgo M. in diœcesi Mindensi Officio ecclesiastico honorata, sed aliunde ignota* 600 f, 601 a
† Soter *Papa* x a
Stellatus (*Balthasar*) *canonicus & decanus Capuanus* 104 e, 105 f, 107 c
† Stephanus *protomartyr dicitur apparuisse matri S. Stephani Hungariæ regis* 483 a, 484 d & seq., 564 a
† Stephanus *Hegumenus* 597 f, 598 a
Stephanus *Papa* IV 698 e
Stephanus *primus episc. Vesprimiensis* 522 d e
Stephanus *Lugdunensis episc.* 365 e
Stephanus *cognomento* Henricus, *comes Campaniæ & Blesarum* 758 d e, 759 d e
† Sturmius *abbas Fuldensis canonizatus* 558 b

Suevi 462 f
† Sulpitius *Bituricenſis epiſc.* 670 a, 671 f, 672 c d e, 683 b
Sur *rex Madianitarum* 22 d
Surius *(Laurentius) edidit Vitam S. Stephani non ſatis accuratè* 458 d, 460 d
Swantoplucus, *al.* Sphendoplocus *Moraviæ rex. Vide* Zwendebaldus.
† Syagrius *epiſc. Auguſtodunenſis* 337 a
† Symeon Stylita *ſenior* 2 b, 203 c f, 204 a & ſeq., 205 a d
† Symeon Stylita *junior* 203 c f, 598 b
† Symeon *presbyter & archimandrita* 203 f
† Symeon *ſolitarius in Lotharingia* 598 b
Symeon *præfectus arcis Strigonienſis* 495 d

T

TApperus *(Ruardus) doctor Lovanienſis & S. Petri ibidem decanus* 583 a b
Tarcatzus *filius Arpadi Hungarorum ducis* 467 e
Tartari 495 d
† Terentianus *Dertonenſis non alius à* S. Terentiano *Tudertino epiſc.* 109 f & ſeq.
Teufridus *epiſc. Tullenſis* 621 d, 622 b
Thale *tritavus S. Joſuæ* 7 d e
Thaan *atavus S. Joſue* 7 d e
Thare *pater Abrahami patriarchæ* 69 a
† Thecla *mater duodecim Fratrum MM.* 134 f, 138 f, 139 a, 144 f
Theobaldus *abbas S. Manſueti prope Tullum* 618 e, 631 d e, 633 a, 658 d
Theobaldus *abbas S. Columbæ* 254 e
† Theodardus *Trajectenſis epiſc.* 670 a, 678 f, 682 d & ſeq., 695 b, 696 a
Theodardus *archiep. Narbonenſis* 345 c d e
Theodardus *monachus in Dania* 4 b
Theodatus *Italiæ rex* 510 e
Theodebertus *Francorum rex* 510 d e
† Theodefridus *Ambianenſis epiſc.* 185 d e f & ſeq.
Theoderamnus *nobilis Gallus, non verò frater S. Nivardi epiſcopi Remenſis* 269 d e, 172 f, 173 a f, 174 a e; *monachus factus* 174 c, 282 a c
† Theodoricus *abbas Andaginenſis* 285 f, 286 a
Theodoricus I *Metenſis epiſc.* 210 f, 644 a
Theodoricus *Trevirenſis epiſc.* 477 c
Theodoricus III *Francorum rex* 184 e f, 452 f, 684 e f, 740 b c, 755 d
Theodoricus *Gothorum ſeu Italiæ rex* 291 e, 293 d & ſeq., 391 c, 399 a b c
Theodoricus *Childeberti filius Burgundiæ rex* 184 e f, 185 b, 250 c e, 258 d e, 259 b c
Theodorus *epiſc. Senonenſis* 660 b
Theodorus *princeps Hunno-Avarorum* 463 f, 464 a
Theodorus *pater S. Ægidii abbatis* 299 c
Theodoſius I *imperator legem fert contra diaconiſſas, quam dein partim abrogat* XIV b c e f, XV a b c
Theomarus *abbas S. Manſueti* 631 d e, 632 e f, 633 c d e, 655 e f, 656 a
Theophylactus *patriarcha Conſtantinopolitanus* 469 f
Theoſebia *S. Gregorii Nyſſeni ante epiſcopatum conjux* XII d
Theotimus *vel* Timotheus *anachoreta* 241 e
Thiers *(Joannes Baptiſta) ſcripſit Diſſertationem de corpore S. Firmini conf.* 182 c, 197 f, 198 a
Thietmarus *abbas Helmwardeshuſenſis* 687 c, 690 a & ſeq.
Thola *Iſraëlitarum judex* 3 c d, 72 c
† Thomas *Doctor angelicus S. Gedeonem peccati reum faciens refellitur* 84 a & ſeq.
Thomas *ſeu* Thomaſuccus *Ord. FF. Minorum* 596 a b c
Thwrocz *(Joannes de) ſcriptor Hungarus* 458 c, 461 a b c
† Tillo *diſcipulus S. Remacli* 673 e f, 674 b c
Tillemontius *refutatus* 175 f & ſeq., 212 b & ſeq., 234 e f, 235 a b, 370 f & ſeq.
Tilpinus. *Vide* Turpinus.
Timo *diaconiſſa* XXII a b
Timotheus *S. Baſilii chorepiſcopus* 385 b c, 386 a, 387 b
Tolbertus Colaltus *pater B. Julianæ virg.* 309 f, 312 e
Toſtati *(Alphonſi) epiſcopi Abulenſis ſententiæ improbantur* 16 f, 17 a & ſeq., 26 e, 38 f, 39 a b, 68 c d e f, 69 a b c, 80 e, 84 a & ſeq., 86 e f, 87 a b c d
Totila *Gothorum rex* 224 f, 228 a b f, 230 b c e f, 231 a c, 232 a c, 236 a b c d e f, 237 a b, 242 b c d e, 391 b c, 392 a c d, 399 f, 400 b c d
Toxus *vel* Taxun & Taxis *dux Hungarorum, & avus S. Stephani* 467 d e
Traſamundus *rex Wandalorum* 212 f, 223 c, 232 f, 233 b c d e f, 235 d, 391 c, 392 e 399 a b, 400 c
Trincius Trincii *Fulginii tyrannus* 595 c c; *miro modo punitus* 596 a b c
Triſoricus *epiſc. Tullenſis* 621 d, 622 a
† Trudo 676 f, 679 b & ſeq, 693 c, 694 d
Turci 467 a, 495 d
Turpinus, *al.* Albanus, Alpinus, Olphinus & Tilpinus *epiſc. Remenſis, ut fertur,* 338 d e f
Tyrrhenus *dux Lydorum* 390 e

V

VAlens *imperator* 466 a
Valentinianus I *imperator* 180 d
Valentinianus III 398 b, 400 a f
Valentinus *epiſc. Argentoratenſis* 377 e f
Valentinus *presbyter* 364 b
Valerianus *imperator* 132 a, 133 d, 138 b & ſeq.
Valerianus *judex ſub Maximiano Herculio* 129 c e, 134 b c & ſeq., 142 f, 147 d & ſeq.
Valerius *Hipponenſis epiſc.* 452 c
Vardæus *(Hugo) Hibernus ex Ord. FF. Minorum multa de S. Manſueto documenta Bollando communicavit* 617 f, 618 a b c d
Vazul *patruelis S. Stephani regis Hungariæ* 492 c, 553 c & ſeq., 554 a b
† Udalricus *Auguſtanus epiſc.* 169 e; *canonizatus* 558 a
Udo *epiſc. Tullenſis* 617 d e, 635 c f
Venantius *Ord. FF. Minorum* 4 f
† Venerandus *epiſc. Arvernorum* 439 f, 440 d
Ventura *Ord. FF. Prædicatorum* 777 b c d
Verantius *(Antonius) archiepiſcopus Strigonienſis* 518 c d, 519 b
† Veredemus *aut* Veredemius *eremita* 290 a c, 296 b; *idem forſan cum* Veredemo *ep. Avenionenſi* 297 e & ſeq.; *de eodem* 300 c & ſeq., 301 a, 451 c f
Veremundus *rex Legionis* 346 a
Veriſſimus *Lugdunenſis epiſc.* 180 e

Veroſia,

Veroſia, Volaſia & Voloſia. *Vide* Euloſia.
Veſtales *virgines apud gentiles Romanos* xvi d e
Ughellus (*Ferdinandus*) *miſit elogium S. Conſtantii* 244 f
† Ugo *epiſc. Volaterranus* 397 e, 401 c, 406 b
† Viator *ſocius S. Juſti Lugdunenſis* 366 c d e f, 368 b c d e, 372 c d, 373 c, 375 c
† Victor *epiſc. Cenomanenſis* 220 a & ſeq.
† Victor *M. ex Legione Thebæa* 159 e f, 160 a e, 164 e
† Victor *alter ejuſdem legionis* 159 f, 160 e f
† Victor *Maurus M.* 405 c, 408 e
Victor *tribunus in Africa ſub Maximiano* 140 b c, 147 d & ſeq.
† Victorici *reliquiæ* 188 d, 190 e
Vigilius *Papa* 175 c, 179 b c, 180 f
Vilman (*Antonius Adrianus*) *canonicus Ambianenſis* 196 d
Viſcher (*L. I. A. de*) *vicarius generalis Mechlinienſis in abſentia archiepiſcopi* 586 e
† Vitalianus *epiſc. Capuanus quis?* 598 c d
Vitalianus *Papa* 175 b, 686 c
Vitalis Michaël *epiſc. Caſtellanus* 313 b c, 314 e f
Vitalis *abbas Fredelacenſis* 344 a b
Uladiſlaus *Hungariæ rex* 557 c
Ulmus (*Fortunatus*) *monachus Caſinenſis auctor Vitæ S. Coſmæ eremitæ* 440 c f, 441 a & ſeq.
Ultzindur *conſanguineus Attilæ Hunnorum regis* 463 a
Urbanus *Papa* II 292 f, 342 b
Urbanus III 667 a b
Urbanus IV 285 b
Urbanus VIII 163 e, 326 c d e, 379 c
† Urſus *martyr legionis Thebææ* 159 f, 160 f
Urſus *epiſc. Tullenſis* 621 c f, 622 a
Vulcanus *fabuloſus ignis deus* 147 b

W

† Walaricus *abbas* 185 c e, 188 d f
Walprandus *epiſc. Lucenſis* 237 e f, 238 a
Wamba *ſeu* Wambanus *Gothorum ſeu Hiſpaniæ rex* 294 b c, 296 a b c. *Vide* Flavius.
Wandali 231 b, 391 b, 392 a c d e, 393 a b c, 394 b c d e f, 395 c e, 396 a b, 397 f, 398 a b c, 399 c & ſeq., 462 e f
Wencellinus *dux exercitûs S. Stephani regis* 493 c d e f
Wenceſlaus *Bohemiæ rex* 505 b
Wenceſlaus *Wenceſlai regis filius* 505 b
Wenilo *archiep. Senonenſis* 253 e
Werinfridus *abbas Stabulenſis* 714 b c
Werinharius *Argentoratenſis epiſc.* 539 d
Wibaldus *abbas Stabulenſis* 690 d e f
Wichodo *canonicus Bambergenſis* 287 b
Wider (*Matthæus*) *Societatis Jeſu rector Solodorenſis* 161 a b
Wido *comes Tullenſis* 646 a f
Widricus *abbas S. Apri, auctor Vitæ S. Gerardi epiſcopi Tullenſis* 629 a b f, 630 a, 651 c d
† Wilfridus *epiſc. Eboracenſis* 337 f
Willegiſus *Moguntinus epiſc.* 495 f
Willelmus. *Vide* Guilielmus.
† Willibaldus 32 d
† Winebaudus *abbas* 250 e f, 251 a, 252 d, 253 b, 260 e f, 261 a b d e, 264 b
Winemannus *abbas S. Remigii* 756 e, 757 f, 758 a
Wiſigothi *Ariani* 222 a, 295 c
Witikindus *monachus & hiſtoriographus* 474 d
† Wolfgangus *prædicat apud Hungaros* 480 a b c; *fit Ratisbonenſis epiſcopus* ibidem c d e; *de eodem* 481 a, 489 e, 500 a, 501 b c
Wolfgangus *abbas Michaëlfeldenſis* 422 a b c

X

XImenius (*Franciſcus*) *epiſcopus Toletanus* 202 e

Z

ZAbulon *tribus* 83 e, 84 e
Zadorius (*Joannes*) *præfectus arcis S. Martini in Hungaria* 495 e
Zama *Saracenorum in Hiſpania gubernator* 296 e
Zaraïas *Pontifex tempore S. Gedeonis* 94 c e
Zeb *rex Madianitarum* 83 d, 88 e, 89 d f
Zebee *Madianitarum rex* 83 d, 88 e f, 90 b c d e f, 91 a d e
Zode (*Georgius*) *Ordinis S. Benedicti* 424 b
† Zoërardus, *aliàs* Andreas, *eremita in Hungaria* 496 c, 497 e d, 565 f, 567 b
Zoltan *princeps Hungarus* 467 d e
Zoltan *item Hungarus, ſed veriſimiliter alius* 525 f, 526 a b c
Zonaras (*Joannes*) *ſcriptor Græcus* 472 b & ſeq., 473 b c
Zwendebaldus *aut* Zwentibaldus *Moraviæ rex* 464 c d, 468 c d e
† † Zozimus & Sabatius *monachi* 600 e f

INDEX TOPOGRAPHICUS

A

Barim, series montium in Arabia Petræa 19 c, 25 d e f
Abelmehula, locus in Palæstina cis Jordanem 88 b
Abelsatim, locus in planitie Moab 19 c
Abladana *seu* Bladana, locus prope Ambianum, *ubi ecclesiam B. Mariæ Virgini exstruxit S. Firminus ep. in eadem sepultus* 179 d, 181 a e f, 182 a
Acaunum *vel* Agaunum, locus Vallesiæ ad Rhodanum 160 f
Accadia, vicus Italiæ 136 c
Accaron, urbs & satrapia Philistinorum 316 a
Acheruntia, urbs Italiæ in Lucania 135 f
Achor, vallis in agro Hierichuntino 39 e
Achsaph, Chananææ urbs 58 d
Acon. *Vide* Ptolemaïs.
Adom, urbs in ripa Jordanis 30 f
Adrianopolis, urbs Thraciæ. *SS. Aithala & Ammun MM.* 358 b
Adrumetum, Metropolis provinciæ Byzacenæ in Africa 133 f, 134 f
Æcæ *al.* Æcana & Ecana (*nunc* Troia) urbs Apuliæ in Italia 136 a c, 142 b c d, 152 e
Æculanum. *Vide* Friquentum & Quintodecimum.
Ægyptus, regio Africæ. *In ea natus S. Josue Israëlitarum dux* 8 e. *Ad ejus eremum secedit S. Justus ep. Lugdunensis ibique moritur* 373 c e f
Ælia Capitolina, Hierosolyma *ab Adriano imp. instaurata* 111 b
Africa, *in quam Chananæi migrarunt* 61 d e f. *B. Petrus Armengol remanet in pignus pro lytro captivorum* 319 c. *Eam obtinent Wandali* 393 b c
Agedincum *vel* Agendicum. *Vide* Senones.
Agrigentum (*Gergenti*) urbs Siciliæ 134 d
Agromento, castrum Lucaniæ. *Vide* Grumentum.
Aialon, vallis in Chananæa. *Lunæ cursum sistit S. Josue* 51 e, 52 b
Alamannicæ *vel* Alemannicæ (*Almenesches*) parthenon agri Sagiensis in Normannia 767 a c
Alba Græca *seu* Belgradum, urbs in limitibus Serviæ & Hungariæ 538 e f, 539 a
Alba Julia (*Weissenburg*) urbs Transilvaniæ 470 f, 569 f
Alba Regalis, urbs Hungariæ *à quo condita?* 527 e f. *Ibi sepultus S. Stephanus rex in ecclesia, quam Deiparæ Virgini construxerat* 552 d e f
Albia & Albis, fluvius Germaniæ 119 e f
Alcarazium, opp. Hispaniæ 4 f
Alentum, villa regalis in Gallia 261 d
Alexandria ad Issum (*Alexandretta*) urbs in confinio Syriæ & Ciliciæ. *S. Aristion vel Aristeus ep. M. An plures?* 613 d e & seq.
Algovia, pars Sueviæ in Germania 163 c
Alsatia *ab Hungaris invasa* 469 c
Alta petra (*Haute pierre*) locus prope Mediolanum monasterium 635 d e
Altahense monasterium in Bavaria 528 d e
Altissiodorum (*Auxerre*) urbs in ducatu Burgundiæ 257 a
Altivillarense cœnobium Galliæ in Campania. *S. Nivardus archiepisc. Remensis* 267 b c e, 276 f
Aluta (*Alt*) fluvius Transilvaniæ 471 d
Amatune, Amatim *&c. insula incognita & fortasse fictitia* 739 f, 743 e, 753 e
Ambianum (*Amiens*) urbs Galliæ in Picardia. *S. Firminus episc.* 175 b, 180 b c
Amblava, vicus in Tungrorum finibus 711 a
Anab, utbs in montibus Juda 57 a
Ancon *seu* Ancona, urbs Italiæ 307 b
Andesagina, vicus in Gallia, *ubi exsulavit S. Lupus archiep.* 260 b, 262 a
Anisus *vel* Anasus (*Ens*) fluvius Norici 462 b
Antiochia. *S. Timotheus M.* 358 b e
Antiochia, urbs Syriæ 114 a
Antonia. *Vide* Volaterræ.
† Antonini monasterium in Valle nobili provinciæ Rutenensis 342 a b, 348 b
Antricum. *Vide* Altissiodorum.
Antunnacum (*Andernach*) opp. Germaniæ 721 c
Apamea, urbs Syriæ. *S. Antoninus M.* 340 a f, 341 c d e f, 349 a, 350 d e f
Apamia *seu* Apamiæ (*Pamiers*) urbs Galliæ Narbonensis 341 b. *S. Antoninus M. patronus* 343 b c & seq., 344 e, 349 a b d
Apenninus, mons Italiæ 135 d
Aphec, urbs Chananææ duplex 57 f
Apulia (*la Puglia*) regio Italiæ 130 c, 135 d, 136 a b, 142 e f
Aqua Putrida, *olim* civitas Italiæ. *Reliquiæ S. Prisci* 218 c
Aquæ duræ. *Vide* Zurzachum.
Aquæ Helvetiæ (*Bada*) urbs ad Limagum fluv. 157 c. *Statua S. Verenæ V.* 163 a
Aquæ Maserephoth, in finibus Sidoniorum 59 a
Aquæ Merom, lacus Palæstinæ 44 c. *Ingentem exercitum profligat S. Josue* 58 f, 59 a
Aquæ Tarbellicæ (*Dax*) urbs Aquitaniæ in Novempopulania. *SS. Vincentius episc. & Lætus presb. MM.* 200 c e f
Aquileia, urbs Carnorum in Italia 132 a, 134 b, 141 a. *Celebratum ibi concilium, cui adfuit S. Justus ep. Lugdunensis* 371 d e. *SS. Euphemia, Dorothea, Thecla, Erasma VV. MM.* 605 e f, 606 a
Aquinum, urbs Italiæ in regno Neapolitano. *S. Constantius ep.* 243 a b, 245 f
Aquitania *generatim sumpta plures complectitur provincias* 352 c. *Unde dicta?* 672 a b
Araris. *Vide* Arola.
Arcadia, regio & urbs Peloponnesi, *item* urbs Cretæ insulæ, & provincia Ægypti 306 e f
Arduenna, saltus Galliæ Belgicæ 695 f
Areia (*Ariege*) fluvius Galliæ 355 d e
Arelate, urbs Galliæ in Provincia 374 b
Argentoratum, Argentoratus & Argentina (*Strasbourg*)

sbourg) civitas Germaniæ in Alsatia. *S. Justus vel Justinus ep.* 377 a b
Ariminum , *nunc* Rimini , urbs Italiæ in Romandiola. *SS. Facundinus &c. MM.* 360 a
Arlucense virginum cœnobium in insula Lerino. *An instauratum à S. Aigulpho abb. M.?* 737 c d e f , 738 a
Armentio (*l' Armanson*) fluvius Galliæ 265 a
Arola & Arula (*Aar*) fluvius Helvetiorum 159 f , 160 a , 161 b , 166 b d , 169 f
Arpaja *olim* Caudium , vicus inter Capuam & Beneventum 103 a
Arrabo (*Raab*) fluvius in Hungaria 540 c
Artemita urbs 208 b d
Asedoth , loca devia & convalles Chananææ *à S. Josue subacta* 57 e
Asor , civitas Chananææ munitissima. *Hanc aliasque capit S. Josue* 58 c d , 59 b c , 60 a
Astaroth , urbs regni Basan 44 f
Astinensis S. Sepulcri abbatia prope Bergomum in Italia. *B. Guala episc. Brixiensis* 773 b c , 785 e
Astygis , urbs Hispaniæ 3 a
Atel. *Vide* Transilvania.
Atestе (*Este*) opp. ditionis Venetæ 314 b
Athenæ , urbs in Græcia 534 a
Atina , opp. duplex in Italia 361 f
Aturus (*Adour*) fluvius Aquitaniæ 200 f
Avaria. *Vide* Pannonia.
Aucia *vel* Auda *&c.* , flumen Galliæ 260 a b
Avenio , civitas Galliæ. *S. Agricolus ep. & patronus* 444 b c f , 445 *&c.*
Aufidus (*l'Offanto*) fluvius Apuliæ 135 e , 136 c , 146 f
Augusta Vindelicorum (*Augsburg*) urbs Germaniæ in Suevia 653 a
Augustodunum , urbs Æduorum in Gallia 207 d
Aureliani *vel* Aurelia (*Orleans*) urbs Galliæ 256 f , 303 d. *S. Austregildis vel Agia* 266 b c d
Auser , fluvius Etruriæ 225 f
Austria *ab Hungaris devastata* 469 c
Azeca , urbs Chananææ 51 b c d f , 52 a c d , 54 e
Azotus , Philistinorum urbs 57 a

B

BAalgad , mons Chananæam ab Aquilone terminans 60 b
Balma. *Vide* Alta petra.
Bamberga , civitas Germaniæ in Franconia. *Cultus & reliquiæ S. Ægidii abb.* 287 a b. *S. Nonnosi* 425 c d. *An ibi corpus S. Remacli ep. ?* 691 f , 692 a
Barbaria , regio Africæ 335 a
Barbellus (*Barbeau*) abbatia Galliæ in diœcesi Senonensi 251 b c d
Basan , regio Amorrhæorum 44 f , 66 e
Basilicata , provincia regni Neapolitani 135 e
Baskiria. *Vide* Pascatir.
Bathavia. *Vide* Patavia.
Bavaria. *Magnam ejus partem populantur Hungari* 469 c
Beel , monasterium Hungariæ in agro Budensi *à S. Stephano rege ædificatum* 529 f , 530 a b
Belgradum. *Vide* Alba Græca.
Benchorense (*Banchor*) monasterium in Hibernia 663 d e
Beneventum , urbs Italiæ. *SS. duodecim fratres MM.* 129 b c e f , 130 d , 131 d , 132 b , 136 d f , 141 d
Bergomum , urbs Italiæ. *Patria B. Gualæ ep. Brixiensis* 775 e , 785 d
Beroth , civitas Gabaonitarum 49 d
Berotha , urbs Galilææ 59 e
Besozzo , locus in ducatu Mediolanensi *natalis B. Alberti Besutii eremitæ* 787 b
Besuensis abbatia Galliæ in ducatu Burgundiæ 656 e
Bethabara , Judææ pagus ad Jordanem 31 c
Bethaven , solitudo juxta Hai & Bethel 38 d
Bethbera , vicus in tribu Manasse cis Jordanem 88 e
Bethel , oppidum Palæstinæ 38 c d , 40 d e , 41 a b c ; *à S. Josue occupatum* 42 e
Beth-horon *seu* Bethora , civitas Chananææ 51 b c d , 52 c d f
Bethsan , Chananæorum urbs cis Jordanem 63 a
Bethsemoth , locus in planitie Moab 19 c
Bethsetta , locus cis Jordanem , *quò Madianitæ fugerunt* 88 b
Biblia , locus in Corsica insula 4 f
Bisuldunum (*Besalu*) opp. Hispaniæ in Catalonia. *S. Vincentius presb. M.* 206 b c f
Biturgia , opp. Etruriæ 305 c e
Bituricensis provincia *seu* comitatus Bituricus (*le Berri*) in Gallia. *S. Placidius acolythus* 207 a. *Patria S. Remacli ep. Trajectensis* 672 b c
Blesa (*la Blaise*) fluvius Galliæ in Campania 280 e f
Blesæ (*Blois*) civitas Galliæ. *Patria S. Aigulphi M.* 730 b
Bodecense monasterium in diœcesi Paderbornensi 133 b , 159 c
Boni fontis monasterium in diœcesi Remensi 120 f
Bononia , urbs Italiæ. *Reliquiæ S. Ægidii abb.* 289 e
Borysthenes (*Nieper*) fluvius Sarmatiæ Europææ 468 b
Bosnia , pars Serviæ *olim à Bessis habitata* 538 f , 539 a
Boviniacum *seu* Bovinium (*Bovines*) opp. comitatûs Namurcensis 707 e
Bovinum , urbs regni Neapolitani in provincia Capitanata 136 c , 142 c
Braium *al.* Braïcus (*Bray sur Seine*) opp. Galliæ ad Sequanam 762 a c
Brienno (*Brignon*) opp. Galliæ in Campania. *Obit S. Lupus archiep. Senonensis* 265 a
Brixia , urbs Italiæ. *S. Arealdus M.* 246 b c. *B. Guala ejusdem urbis episc.* 778 f
Buculiacum (*Buqueley*) vicus in Lotharingia 658 b f
Buda , urbs Hungariæ *à Christianis expugnata* 560 a f , 561 a
Buda vetus (*Alt Offen*) civitas Hungariæ. *Cœnobium cum ecclesia condi cœptum à S. Stephano rege* 536 b c d
Bugia , provincia & urbs Africæ 335 a
Bulgaria *ubi sita ?* 468 f , 526 b
Burgum *seu* Burgus S. Sepulcri , urbs Umbriæ. *SS. Arcanus & Ægidius eremitæ , ejusdem fundatores* 305 b e f. *Veneratio S. Nonnosi* 420 d
Buxeriæ (*Rouxieres-aux-dames*) parthenon in diœcesi Tullensi 629 f , 651 b

C

CAbellio (*Cavaillon*) urbs Galliæ in Provincia 304 d
Cadesbarne , locus deserti Pharan 15 b , 17 f , 18 a b , 39 a , 56 f , 57 e

Cædesa *vel* Cedesis, Galilææ civitas 59 e, 65 f
Caino (*Chinon*) opp. Galliæ in provincia Turonensi. *Reliquiæ S. Mansueti ep.* 636 a
Calabria, regio Italiæ, *cujus olim pars* ager Bruttiorum 142 b, 153 f
Caletensis pagus (*le Pays de Caux*) in Normannia 181 c
Calmiciacum, locus Galliæ in agro Remensi 280 e
Campania Felix *nunc vulgò* Terra Laboris, regio Italiæ 111 f
Campodunum & Campidona (*Kempten*) urbs Sueviæ ad Ilarum fluv. 439 d
Canea, urbs Cretæ insulæ 4 f
Cannæ, vicus in Apulia 146 f
Caphira, urbs Gabaonitarum 49 d
Cappadocia, Asiæ Minoris provincia. *Patria S. Elpidii abb.* 385 a
Capræmons (*Chievremont*) locus prope Leodium 707 a f
Capraria (*Cabrera*) insula prope Majoricam 738 f
Caprasia, insula inter Corsicam & Etruriam. *SS. Aigulphus abbas & Socii MM.* 728 a b, 739 a b
Capua, urbs Italiæ in Campania. *S. Priscus ep. M.* 99 c f, 100 f, 102 b. *Reliquiæ S. Terentiani ep. M.* 110 f. *S. Priscus ep. cum sociis undecim* 209 b
Carasilva, monasterium in Dania 4 b
Carcar, locus trans Jordanem 90 d
Cariathiarim, civitas Gabaonitarum 49 d
Carmelus, mons Palæstinæ. *B. Brocardus secundus prior generalis Carmelitarum* 576 a b, 577 e
Carnotum *aut* Carnutum (*Chartres*) urbs Galliæ 763 d
Carnuntum, opp. Pannoniæ 464 a
Carrodunum (*Craiburg*) opp. in Bavaria 436 c
Carthago, urbs Africæ 133 f, 134 b d f
Casæ-congidunum (*Cougnon*) in ducatu Luxemburgensi. *Monasterio ibi præfuit S. Remaclus* 674 a b c
Casaium *vel* Cassarum, opp. Hispaniæ, *ut videtur. Cultus B. Ægidii abb.* 308 b d e
Castelletum, oppidulum Galliæ in Picardia 5 a
Castellum S. Eliæ. *Vide* Suppentonia.
Catalaunum (*Chalons*) urbs Campaniæ Gallicæ 121 e
Catana, urbs Siciliæ maritima 134 d, 135 c, 142 a
† Catharina de Saxo, locus in ducatu Mediolanensi. *B. Albertus Besutius eremita* 787 b c
Cava, urbs regni Neapolitani 210 a
Cenchræ *vel* Cenchreæ, portus & opp. apud Corinthum in Peloponneso. *S. Phœbe diaconissa* 602 a b c
Ceneroth, urbs Chananææ 58 d
Cenomanum (*le Mans*) urbs Galliæ 773 a
Cephalenia. *Vide* Samus.
Cerqueto, castrum agri Perusini in Italia 305 c
Chanaan *seu* Chananæa, Asiæ regio. *Eam explorat S. Josue* 15 a b, 16 a b c, 18 b c. *Totam propemodum subegit* 60 b c, 61 a b c, 73 a
Chanadium *aut* Chonadium (*Chonad*) civitas Hungariæ 530 e f, 531 a
Chananitis. *Vide* Chanaan.
Cirrha, urbs Phocidis in Græcia 150 b
Citerna, castrum Etruriæ 305 c e
Clarus-mons, urbs Galliæ in Arvernia. *S. Justus ep.* 439 b
Clingenovium (*Klingenau*) opp. Helvetiæ 157 f, 175 a
Cluain-muc-nois, opp. Mediæ in Hibernia 663 a
Cluellum 383 d f. *Vide* Oppidum S. Elpidii.
Colocia (*Colocza*) civitas Hungariæ 567 c
Colonia. *Vide* Petrosus.
Colonia Agrippina. *Reliquiæ variæ S. Ægidii abb.* 289 d e
Comum, urbs Italiæ in Insubria 4 a b. *S. Martinianus ep.* 668 a b
Cone, lacus in Hibernia 663 d e
Coneria *seu* Conertum (*Connereth*) urbecula comitatûs Dunensis in Hibernia. *S. Macniscius ep.* 663 a d
Confluentia *vel* Confluentes, vicus in Helvetia 161 d e, 166 e
Connoria (*Conor*) urbs Hiberniæ in comitatu Antrimensi 663 d
Consentia (*Cosenza*) Calabriæ urbs 135 c d, 142 b, 153 f
Constantia, urbs Galliæ in Normannia 157 e
Constantinopolis. *Templum conditum à S. Stephano rege* 532 d, 534 a, 568 e
Corbeiense monasterium in Picardia 185 e f, 186 b
Corduba, urbs Hispaniæ Bæticæ. *S. Sandalius M.* 610 b
Cordyla, portus in Ponto 385 a
† Cornelii monasterium. *Vide* Inda.
Corsendonc, cœnobium Canonicorum Regularium in Brabantia 460 d
Cremona, urbs Italiæ. *Corpus S. Arealdi M. eò translatum* 246 c e f
Creta (*Candia*) insula Europæ in mari Mediterraneo 149 f. *Obit S. Cosmas eremita* 442 d f, 443 b
Crisus, Hungariæ fluvius 468 e
Cucusum, oppidum minoris Armeniæ xxiii f
Cyprus, insula Mediterranei in sinu Issico 148 c, 149 f

D

DAbir, civitas Chananææ 55 d, 56 f, 57 a b c d
Dacia *ab Hunnis occupata* 462 d
Dal-aradia, Ultoniæ regio in Hibernia 665 f
Damascus (*Scham*) urbs Syriæ 582 a
Daphne, suburbium Antiochiæ in Syria xxii d e
Delphi, civitas Græciæ in Phocide provincia 149 f
Dertona, urbs Liguriæ in Italia 108 f. *Pars corporis S. Terentiani ep. M.* 109 f, 110 b c d e
Dervensis abbatia (*Monstier-en-Der*) Campaniæ Gallicæ in tractu Pertensi 616 f, 698 e
Dilia *vel* Dyla, amnis in Brabantia 594 a
Dor, urbs & regio Chananææ 58 d
Drumentum. *Vide* Adrumetum.
Duacum, urbs Belgii in Flandria 255 c d
Dulmensis pagus in circulo Westphalico 648 b
Durocortorum & Durocordorum, urbs Remensis 280 c d

E

EBoracum (*Yorck*) urbs Angliæ 48
Ebroicæ *vel* Ebroicum (*Evreux*) urbs Galliæ in Normannia 772 f
Ecana. *Vide* Æcæ.
Eggenfelden, opp. Bavariæ 436 b
Eglon, urbs Chananææ 51 a, 55 d e, 56 d e, 57 d

Elba. *Vide* Ilva.
Elom vallis 53 c. *Vide* Aialon.
Emath, urbs Syriæ 16 c, 60 d
Epheſus, urbs Aſiæ minoris 112 e
Ephra, urbs Palæſtinæ in tribu Manaſſe cis Jordanem, *ubi natus & ſepultus S. Gedeon Iſraëlitarum judex* 79 a b
Ephraïm, mons in Chananæa 62 f, 88 e
Equus Tuticus, opp. Italiæ in Hirpinis 136 c
Erdely, Ertel, Etel. *Vide* Tranſilvania.
Etruria (*la Toſcana*) Italiæ regio 236 b
Euphrates, fluvius Meſopotamiæ 27 f, 147 a

F

FAnum S. Ægidii (*Saint Gilles*) opp. in Occitania 291 f
Fanum S. Galli in Helvetia. *Cultus S. Remacli ep.* 671 a, 689 b
Feltri, opp. in confinio Venetorum 309 f
Feſcennia, urbs Etruriæ 146 f
Floriacenſe cœnobium prope Aurelianos in Gallia, *cujus monachus fuit S. Aigulphus M.* 730 d, 744 e, 748 d, 761 b c. *An eò tranſtulerit oſſa S. Benedicti?* 735 c d e & ſeq. *Utrùm ipſius Aigulphi corpus ibi fuerit?* 757 a c d
Fontanenſis parœcia prope Divionem in Burgundia. *S. Ambroſinianus* 207 c
Forum Tiberii (*Keyſerſtul*) opp. Helvetiæ 157 f
Fredelacenſis abbatia. *Vide* Apamiæ.
Friquentum *ſeu* Frequentum (*Frigento*) urbs regni Neapolitani 218 f
Friſinga, urbs Bavariæ ad Iſaram fluv. *Eò delatum corpus S. Nonnoſi, unde & quando?* 412 b c d f, 413, 414 a b c d e. *Pars illius major, quæ diu latuerat, hoc ſeculo inventa & ſolemniter tranſlata* 421 b c d e f, 422, 423 & ſeq. *Miracula plurima* 427, 428, 429 & ſeq.
Fulda, urbs Germaniæ. *Reliquiæ SS. Sixti & Sinicii epp.* 119 f
Furentela (*Vourentel*) parœcia comitatûs Falcoburgenſis in Belgio 635 c

G

GAas, mons in tribu Ephraïm 75 d e f
Gabaa Phinees, urbs in monte Ephraïm 75 e
Gabaon, urbs Chananææ in Syria 50 f. *Fœdus cum Gabaonitis init S. Joſue* 44 d e f, 45 & ſeq.; *ſolem imperio ſuo ſiſtit* 51 e, 53 c
Gader, civitas Chananææ 57 d
Galaad, mons & regio ad Orientem Jordanis 66 e, 86 b
Galgala, locus in Palæſtina, *ubi tranſito Jordane, caſtra metatus eſt S. Joſue* 31 b f; *circumcidit populum & Paſcha celebrat* 33 d e f. *Templum ibidem conditum* 32 b c d e
Galilæa, Palæſtinæ provincia 30 f
Gallia tripartita 632 b c. *Tota ferè ab Hungaris populata* 469 c
Gardo, Guardo, Vardo *aut* Wardo, (*le Gardon*) fluvius Occitaniæ 300 c f
Garizim, mons Palæſtinæ 42 d f, 43 a c d f, 64 a
Gaza, civitas Philiſtinorum 56 f, 57 a e
Gazer, urbs Chananææ 55 d, 56 d, 57 d
Gemmula, *olim* monaſterium agri Patavini 314 c
Genabum. *Vide* Aureliani.
Genadium. *Vide* Chanadium.
Germania *ab Hungaris vaſtata* 464 c, 469 c
Germiniacum (*Germigny*) villa prope Remos 684 c
Gerunda, urbs Hiſpaniæ in Catalonia 3 a
Geth, urbs Philiſtinorum 57 a
Gewr & Geuru. *Vide* Jaurinum.
Gibal 64 a. *Vide* Hebal.
Gothia *nunc* Provincia, regio Galliæ 294 f
Gozen, urbs & regio Chananææ *à S. Joſue capta & vaſtata* 57 e, 60 a
Grumentum, opp. Lucaniæ *nunc exciſum* 135 d
Guardia Pratorum, opp. diœceſis Tarraconenſis in Catalonia. *B. Petrus Armengol M.* 317 c
Gundulfi villa (*Gondreville*) vicus prope Tullum 648 b

H

HÆmus, mons Thraciæ 538 f
Haï, urbs Chananææ 38 a d. *Capta & diruta ductu S. Joſue* 40, 41, 42 a b c d e, 50 f
Hamametha. *Vide* Adrumetum.
Hamburgum, civitas Holſatiæ. *Reliquiæ SS. Sixti & Sinicii epp.* 119 e f
Hasbania (*Haſpengou*) Germaniæ tractus in ditione Leodienſi 698 e
Hebal, mons in Palæſtina 42 d f. *Altare ædificat S. Joſue* 43 a b d f, 44 b
Hebron, metropolis Philiſtinorum 51 a. *Eam cum oppidis aliis capit S. Joſue* 55 d e, 56 e f, 57 a b c d
Heiſterbacenſe monaſterium prope Bonnam in Germania 590 b
Helia. *Vide* Velia.
Heligenſtad, locus in Holſatia 119 e
Helmwardeshuſenſe monaſterium in Saxonia 687 c. *Feſtivitas S. Remacli ep.* 690 a b c
Heraclea, urbs Thraciæ. *SS. Ammon diaconus & XL Virgines MM.* 156 a, 157 a d
Hered, urbs regia in Chananæa 57 d
Herma, civitas Chananææ 57 d
Hermon, mons Libano contiguus 58 d, 60 b d
Heſebon, civitas regia Amorrhæorum 44 f
Heſperia *pro* Sicilia 152 a
Hibernia inſula *dicta olim* Scotia 619 e f, 622 d
Hiericho, urbs Chananææ 28 e f, 31 a f, 34 a f. *Eam miraculo captam delet S. Joſue* 35, 36, 37 b c, 38 b c, 50 f
Hieroſolyma. *S. Anna prophetiſſa* 96 a c. *Monaſterium exſtruit S. Stephanus rex* 532 d, 533 d e f, 568 e
Hirpini, regio Italiæ in regno Neapolitano 136 b c
Hiſpania. *Cultus SS. Vincentii ep. & Læti presb. MM.* 200 a b c, 202 c f, 203 a. *A Saracenis bis vaſtata* 346 b, 347 a
Humagum, opp. in Iſtria. 3 a
Hungaria, regnum Europæ 462 a b c. *Antiqui ejus limites* 468 d e f, 469 a b
Hunnia. *Vide* Pannonia.

I

JAurinum *vel* Jaurum (*Raab*) urbs Hungariæ 522 f, 523 a
Idzehoe, opp. Holſatiæ 119 d
Jegbaa, urbs in tribu Gad 90 d
Jericho. *Vide* Hiericho.
Jerimoth, civitas Chananææ 51 a, 55 e, 57 d
Jezraël, urbs & vallis Chananææ cis Jordanem 63 a, 83 d, 90 d

Ignia-

Igniacenſe monaſterium Ord. Ciſterc. in diœceſi Remenſi 268 c
Ilerda (*Lerida*) urbs Cataloniæ 334 f
Ilva, inſula maris Tyrrheni 224 c, 232 d, 233 e
Imbritia *an alicubi exſtiterit* 153 e
Inda (*Cornelis-munſter*) monaſterium Ordinis S. Benedicti prope Aquiſgranum 703 e f
Inſula-Adami (*l' Iſle-Adam*) oppidum Galliæ in inſula Oëſiæ fluminis. *Corpus S. Godegrandi ep. M.* 763 f, 764 a
Jordanis, fluvius Palæſtinæ 27 f. *Eum cum Iſraëlitis prodigioſè tranſit S. Joſue* 30 a b c d e f, 31, 32, 33 a b c
Jotrenſis abbatia monialium in Bria Galliæ provincia 249 a
Italia *à Gothis invaſa* 230 f, *à Longobardis* 232 e, 245 e; *ab Hungaris* 464 c, 469 c
Judæa, Aſiæ regio 54 b

K

KEyſerſtul. *Vide* Forum Tiberii.
Kunigsfelden, monaſterium in Helvetia 174 f

L

LAbellum (*Laviello*) urbs Apuliæ 136 c
Lachis, urbs Chananææ 51 a, 55 d e, 56 c d e, 57 d
Ladernacum & Lethernacum (*Lierneux*) villa monaſterii Stabulenſis 691 d, 711 a
Lætienſis abbatia in Hannonia. *Dens S. Ægidii abb.* 289 c
Landshutum, urbs Bavariæ 434 d
Landſperga, Bavariæ opp. 431 a
Latium, regio Italiæ 148 b, 149 e f
Laudunum (*Laon*) urbs Galliæ in provincia Inſulæ Franciæ 304 a
Laureacum, urbs Norici Ripenſis ad Danubium *exciſa* 462 b
Lauretum, urbs Italiæ in Piceno. *Beneficia S. Nonnoſi* 417 c
Lebna *ſeu* Lobna, urbs Chananææ 55 d, 56 b c d f, 57 d
Leodium *ſeu* Leodicum, *al.* Legiâ, urbs Germaniæ 718 e. *Antiqua veneratio S. Ægidii abb.* 285 d e f. *Miracula S. Remacli ep.* 689 b c d, 722 & ſeq.
Leonia, urbs magnæ Græciæ *exciſa* xxvi d
Leontini (*Lentini*) Siciliæ urbs. *S. Neophytus epiſc.* 116 a b
Lerinus *nunc* Inſula S. Honorati, in mari Mediterraneo 452 b. *Ibi abbas fuit S. Aigulphus M.* 737 a b, 744 f, 745 a b, 749 a
Lero *nunc* Inſula S. Margaritæ, in mari Mediterraneo 452 b
Leucha. *Vide* Tullum Leucorum.
Levida, urbs in tribu Ruben 76 a b
Lezatenſe monaſterium in Occitania 343 a b
Libanus, mons Aſiæ, Syriam & Palæſtinam diſterminans 27 f, 30 f, 31 d, 44 c, 59 e, 60 d
Libias *vel* Livias. *Vide* Levida.
Libiſoſa (*Lezuza*) opp. Hiſpaniæ in Caſtella nova. *An martyrii palæſtra SS. Vincentii ep. & Læti presb.?* 202 a c
Licia *ſeu* Sciſia, civitas ſuperioris Pannoniæ ad Calopium fluv. 668 e
Liger *al.* Ligeris (*la Loire*) fluvius Galliæ 256 d
Limagus, flumen Helvetiorum 166 d
Lindus, urbs in inſula Rhodo 150 a
Liverduno-caſtrum (*Liverdun*) locus in Lotharingia 635 e
Lochlaodh *ſeu* Loch-Loedh, lacus in Hibernia 662 f, 666 a
Locri, *olim* urbs Brutiorum in Italia 135 c, 142 b
Longia, caſtellum & comitatus in diœceſi Leodienſi 681 f, 682 a, 707 f
Lotharingia *ab Hungaris invaſa* 469 c
Lovanium, urbs Brabantiæ. *Recollectio ſolennis feſtorum beatiſſimæ Virginis, Dei Genitricis Mariæ* 4 a. *B. Margareta V. M.* 582 c f
Luca, urbs Tuſciæ. *S. Regulus epiſc. Africanus M.* 223 c f, 224 b; *multis ibi fulget miraculis* 239 b
Lucania, regio Italiæ in regno Neapolitano 130 a, 135 d e, 142 b, 153 f
Luceria Saracenorum, urbs Italiæ in Apulia 142 c d
Lugdunenſis tertia, provincia Turonica 222 c
Lugdunum (*Lyon*) urbs Galliæ Celticæ. *S. Juſtus epiſc.* 366 a b d & ſeq. *S. Elpidius ſeu Helpidius ep.* 388 b c
Lugdunum Clavatum. *Vide* Laudunum.
Lugdunum Convenarum, urbs Aquitaniæ 176 d
† Lupi oppidum. *Vide* Andeſagina.
Luxovienſe monaſterium in comitatu Burgundiæ 616 d
Lydia, Aſiæ provincia 390 e

M

MAcchida 52 f. *Vide* Maceda.
Maceda, urbs Chananææ 51 b c, 52 a d, 54 e f; *expugnata per S. Joſue* 55 d, 56 a b c, 57 d
Madian *ſeu* Madianitis, Arabiæ Petrææ regio 9 a b c
Madon, civitas in Chananæa 58 d
Mahometta, urbs in regno Tunetano 134 f. *Vide* Adrumetum.
Maleventum 144 a. *Vide* Beneventum.
Malliacum (*Mailly*) locus in Campania Galliæ 280 d
Malmundarium (*Malmedy*) monaſterium Germaniæ *à S. Remaclo Trajectenſi ep. conſtructum* 680 a d, 682 a d, 694 f
Marca Famina (*Marche en Famine*) opp. Belgii in ducatu Luxemburgico 701 a
Marchia Anconitana. *Vide* Picenum.
Marcilianum. *Vide* Marſicum vetus.
Mare Magnum *ſeu* Mediterraneum, ad Occidentem Palæſtinæ 69 e
Mare Solitudinis *ſeu* Mortuum, lacus in Judæa 30 f
Marinum, opp. Italiæ 419 f
Mariſus & Marus. *Vide* Moriſius.
Marquette, abbatia monialium prope Inſulas in Flandria 4 d
Marſicum vetus, urbs Lucaniæ 135 d
† Martini monaſterium de Caſtañeda diœceſis Aſturicenſis in Hiſpania. *B. Ægidius abbas* 308 a f
† Martini cœnobium & opp. in Hungaria 495 c d e
† Martini de Campis prioratus Pariſiis. *Caput S. Godegrandi ep. M.* 764 a
Maſpha, Chananææ regio 58 d
Maſphe, campus in Chananæa 59 a
Maſſilia, urbs Provinciæ 300 e, 374 b
Matrona *olim* Materna (*la Marne*) fluvius Galliæ 282 b

Mecca, urbs Arabiæ Felicis 580 f
Medianum monaſterium (*Moyen-mouſtier*) in Lotharingia 616 f, 617 a, 635 d
Mediolanum, urbs Italiæ in Inſubria. *S. Auxanus ep.* 666 c
Medius-vicus (*Moyen-vic*) locus prope Tullum in Gallia 627 f
Melodunum (*Melun*) urbs Galliæ in Bria 262 b
Melphis, urbs Lucaniæ 135 f
Merom. *Vide* Aquæ Merom.
Merulis, locus prope Romam 242 d e
Meſopotamia, Syriæ regio inter Euphratem & Tigrim 69 a
Meſſana, urbs Siciliæ 134 d, 135 c, 142 a
Mevania (*Bevagna*) civitas Umbriæ. *BB. Jacobus & Philippus MM.* 595 b
Moab, regio Arabiæ 19 c, 26 a
Momonia (*Moun*) Hiberniæ provincia 665 d, 666 d
Monaſteriolum, cœnobium Galliæ in Normannia *exciſum. Sepultus ibi fuit S. Godegrandus vel Chrodogangus ep. M.* 769 e, 770 b
Monaſterium (*Munſter*) urbs Germaniæ in Weſtphalia 287 c
Mons Albus (*Monblancq*) oppidulum Hiſpaniæ in Catalonia 334 f
Mons Angelorum (*Engelberg*) abbatia Helvetiæ 163 c
Mons Ferreus in Hungaria. *Ad ejus radices monaſterium exſtruit S. Stephanus rex* 496 a b
Montis-Guiſcardi, opp. in Occitania 4 e
Moravia, Scotiæ provincia 2 b
Moravia magna, Hungaria 468 c, 473 d
Moricum, caſtellum diœceſis Firmanæ in Piceno. *Reliquiæ S. Elpidii abb.* 379 b
Moriſius (*Maros & Meriſch*) flumen Hungariæ 530 e f
Mormacus, monaſterium Galliæ in pago Cadurcino *miraculis S. Antonini M. celebre* 342 d f
Mortaria *vel* Mortarium (*Mortara*) opp. ducatûs Mediolanenſis 763 d
Moſa (*Meuſe en Baſſigni*) vicus Campaniæ Gallicæ 703 d
Moſium, opp. agri Mantuani 779 d
Murta (*la Meurte*) fluvius Lotharingiæ 651 b
Myſia *ſeu* Mœſia inferior *ubi ſita?* 526 b

N

NAmnetenſe concilium in Gallia, *cui interfuit S. Nivardus* 270 b c
Nar, fluvius Italiæ 236 e
Narnia, urbs Umbriæ 108 c, 417 c
Nebo, mons in regione Moab 19 c, 25 d, 27 c
Nemauſus (*Niſmes*) urbs Galliæ in Septimania 302 b
Nepet & Nepete (*Nepi*) civitas Etruriæ Pontificiæ 411 c. *Beneficia S. Nonnoſi* 417 c
Neſus, oppidum in Sicilia 2 e
Neuſtria *vel* Neuſtraſia, pars regni Francorum 259 f, 260 a
Nicomedia, urbs Bithyniæ. *S. Baſiliſſa V. & M.* 607 a b
Nobe, civitas trans Jordanem in tribu Manaſſe 90 d
Nonantum *al.* Novantium (*Nonant*) oppidulum Galliæ in Normannia, *prope quod occiſus eſt S. Godegrandus vel Chrodogangus ep. M.* 767 a b c
Noricum Ripenſe, hodierna Auſtria 462 b
Normannia (*Normandie*) provincia Galliæ 763 d
Noviomum, urbs Galliæ in Picardia 184 f
Novocomum. *Vide* Comum.

O

OCcitania (*Languedoc*) Galliæ provincia 291 f
Ochſenhuſium, monaſterium Germaniæ in Suevia 616 f
Odullam, urbs Chananææ 57 d
Oenus (*Inn*) fluvius Germaniæ 436 c
Olumbria, Umbria cis Apenninum 305 b
Opher, urbs gemina Chananææ 57 f
Oppidum S. Elpidii, in Piceno, *cujus patronus S. Elpidius abb.* 378 b c, *multis ibidem coruſcans miraculis* 380 b c d e f, 381, 382 a b c d e. *An idem cum Elpidio Cappadoce?* f, 383, 384 a b c d
Oratorium (*Oroër*) cœnobium virginum in Gallia Belgica 729 c, 737 d f
Oreb. *Vide* Petra Oreb.
Orontes, fluvius Syriæ 349 a, 356 d
Othonia. *Vide* Volaterræ.
Ourenium *vel* Ouremium, *aliàs* Ouren & Ourem, opp. Luſitaniæ. *B. Taraſia* 786 b c
Oximenſis pagus (*l' Hieſmois*) in Normannia. *Patria S. Godegrandi ſeu Chrodogangi ep. Sagienſis & M.* 765 f

P

PAlæſtina *ſeu* Terra Sancta, Aſiæ regio. *S. Joſue Iſraëlitarum dux* 6 a, 55 b, 61 c. *S. Gedeon Iſraëlitarum Judex* 77 b. *S. Elpidius abb. Cappadox* 384 d, 385 a b
Palentia, urbs Hiſpaniæ. *Cultus & reliquiæ S. Antonini M.* 346, 347 a b c
Palinurum, promontorium Lucaniæ 136 a
Palma, caſtrum Sardiniæ 107 c
Palma, *olim* Capraria, una ex inſulis Canariis in mari Atlantico 738 f
Pamia. *Vide* Apamia.
Pannonia, regio Europæ *variis nominibus appellata, & ab Hunnis occupata* 462 b d e. *Per S. Stephanum regem converſa* 523 d, 531 c, 559 d e
Parma, urbs Italiæ. *Reliquiæ S. Terentiani ep. M.* 108 f, 110 a
Paſcatir, vetus Hungarorum ſedes 465 e, 466 b
Patavia (*Paſſaw*) urbs Bavariæ 554 d
Patavium *aliæque urbes Italiæ olim erant maritimæ* 314 d
Pech-várad, abbatia Hungariæ *à S. Stephano rege condita* 497 b c
Pertenſis pagus (*le Pertois*) in Campania Gallica 698 f
Peruſia, urbs in Umbria 108 c. *Veneratio S. Nonnoſi* 420 c
Petra Oreb, locus in tribu Ephraïm 88 e
Petroſus, locus Umbriæ. *SS. Terentianus ep. & Flaccus MM. ibidem ſepulti* 115 f
Petzora, pars Moſcoviæ Aſiaticæ 467 f
Phanuël, civitas in tribu Gad 90 c f
Pharan, deſertum Arabiæ Petrææ 13 b, 15 b
Phaſga, cacumen montis Nebo 19 c e, 26 a
Phœnice *olim valde ampla* 61 e
Phogor, mons in regione Moab 26 b
Picenum, provincia Italiæ, *nunc* Marchia Anconitana 378 b
Piſæ, urbs Tuſciæ. *An eò delatum corpus S. Reguli ep. & M.?* 227 a. *S. Felix epiſc. &,*

ut fertur, martyr 242 a b c
Policaſtrum, urbs maritima Lucaniæ 136 b
Pons Curvus, opp. in Latio 246 a d
Pons Syriacus *vulgò* Pontes Icaunæ (*Pons ſur Yonne*) locus in Gallia 263 b
Pontium & Pontiu (*le Pontieu*) comitatus in Picardia 181 c
Populonium *vel* Populonia, civitas Etruriæ *exciſa. In ejus territorio martyrium paſſus S. Regulus ep.* 224 a b c, 237 b
Potentia (*Potenza*) urbs Lucaniæ *SS. Arontius, Honoratus, Fortunatus, Sabinianus martyrio affecti* 130 a, 135 d e, 138 d, 141 a, 143 f, 154 a
Prachenſis provincia in Bohemia 528 f
Praga, urbs Bohemiæ. *Pars brachii &c. S. Ægidii abb.* 289 e. *Digitus S. Stephani regis* 557 b. *Pars brachii S. Manſueti ep.* 636 a
† Priſco, pagus inter Maceratam & hodiernam Capuam 103 a
Pruvinum & Provinum (*Provins*) urbs Galliæ in Bria provincia. *Reliquiæ S. Aigulphi abb. M.* 742 c d e, 743 e, 756 f. *Miracula* 758 d e f, 759 a b c, 760 & ſeq.
Ptolemaïs, urbs Phœniciæ in Syria 107 e, 580 d e

Q

QUidilinburg *al.* Quedelinburgum, opp. Germaniæ in Saxonia 476 b
Quintanica (*Vils*) fluvius Bavariæ 428 d
† Quintini de Monte abbatia prope Peronam in Picardia. *Cultus antiquus S. Ægidii abbatis* 286 e
Quintodecimum, civitas Italiæ. *Inventio corporis S. Priſci forſan Africani* 215 e, 216 b c, 218 c, 219 a b

R

RAba. *Vide* Arrabo.
Ramſola, cœnobium in diœceſi Bremenſi, *quò tranſlatæ reliquiæ SS. Sixti & Sinicii* 119 e f
Raphaïm, vallis Chananææ 62 f
Raphidim, locus Arabiæ Petrææ. *S. Joſue cædit Amalecitas* 10 b
Ravenna, urbs Romandiolæ. *In ejus agro monaſterium exſtruit S. Stephanus rex* 531 d e
Remi, urbs Campaniæ in Gallia. *SS. Sixtus & Sinicius epiſcopi* 118 a b c e, 124 a d, 126 c, 128 b c. *Concilium ibi celebratum* 251 f, 252, 253 a
† Remigii monaſterium prope Senones in Gallia 259 a
Reneville, pagus diœceſis Laudunenſis in Gallia. *S. Boſſianus* 304 b e f
Rhegium, urbs Brutiorum in Italia 135 c, 136 c, 142 a, 153 e
Rigomagus (*Rynmagen*) vicus Germaniæ 721 c
Rinchnach, monaſterium in Bavaria 528 d e
Ripa Tranſonis, oppidum in Marchia Anconitana 381 c
Ripponenſe *ſeu* Rippenſe cœnobium diœceſis Eboracenſis in Anglia 337 f
Rogeri-villa (*Rogeville*) locus in Lotharingia 657 f, 658 f
Rohob, urbs *ſive* regio in Syria 16 c
Roma. *Reliquiæ & eccleſia S. Ægidii abb.* 287 c, 289 e. *S. Maxima M.* 357 c. *Cultus & beneficia S. Nonnoſi* 417 c, 418 d e f. *Canonicorum collegium ibi exſtruit S. Stephanus rex* 534 e f, 568 e
Romaricus-mons (*Remiremont*) opp. Lotharingiæ. *Cultus S. Manſueti ep.* 635 f
Rota (*Rott*) amnis Bavariæ 436 c
Rothenſis abbatia in Suevia. *S. Verena V. patrona* 162 e, 163 b c
Rulo, urbs Lucaniæ 134 e
Rupes Maura (*Roque Maure*) oppidulum Occitaniæ in diœceſi Avenionenſi 448 f

S

SAbæa, regio Arabiæ Felicis 147 a
Sabaria, opp. Pannoniæ 464 a, 495 c
Sabarim, locus in vicinia urbis Haï 38 d
Sacer mons, locus in Hungaria 595 b
Sagium (*Seez*) civitas Galliæ in Normannia. *Illius epiſcopus S. Godegrandus ſeu Chrodogangus M.* 765 e
Sala (*la Seille*) fluvius in Lotharingia 648 b
Salarola, parthenon Ordinis S. Benedicti in agro Patavino 314 a
Salernum, urbs regni Neapolitani 130 b, 132 d
Salinæ, urbs Galliæ in comitatu Burgundiæ 2 c
Salomonis villa, Salem, Salemium (*Salmannſweyl*) abbatia in Suevia 163 c
† Salvatoris abbatia Antverpiæ. *Reliquiæ S. Ægidii abb.* 289 b c
† Salvatoris caſtrum in ditione Veneta. *Locus natalis B. Julianæ V. & abbatiſſæ* 309 f, 314 a
Samarobriva, Somanobria & Somonobria. *Vide* Ambianum.
Samnia *nunc* Beneventum 219 a
Samnium, provincia Italiæ 144 a, 155 e, 237 a
Samus *al.* Same & Cephalenia, inſula Græciæ in mari Ionio 150 a
Samus (*Samo*) inſula Aſiæ Minoris objecta Epheſo 150 a
Sanctenſe territorium (*le Saintois*) in Lotharingia 658 d e
Sarcel, opp. Chazarorum 468 f
Sardinia *aliæque inſulæ Romano imperio reſtitutæ* 399 d
Sarthan, locus Palæſtinæ apud Jordanem fluvium 30 f
Scalabitanus conventus *ſeu* tractus (*Santaren*) in Luſitania 786 b c
Scropuli (*Ecrouves*) locus prope Tullum 629 e
Scylaceum *al.* Scylacium & Scyllacium (*Squillace*) *aliàs* urbs Brutiorum, *nunc* Calabriæ 135 c d, 142 b, 153 f
Scythia Europæa ad Pontum Euxinum *à barbaris vaſtata* 462 e
Sebaſte, urbs Armeniæ 156 f
Seir, mons Idumææ 60 b
Semeron, urbs Chananææ 58 d
Semeſchon, lacus in tribu Nephthali 59 c
Semichenſis abbatia in Hungaria *ad honorem S. Ægidii abb. conſtructa* 286 b c
Senones, urbs Galliæ. *S. Lupus archiepiſc.* 248 a b c. *Item S. Ambroſius ep.* 660 a
Sentianum, Italiæ opp. *ubi fuerit. SS. Donatus & Felix martyrium paſſi* 136 a b c, 138 e, 141 b
Senus *vel* Shenanus, Hiberniæ fluvius 663 a b
Septimania, Galliæ provincia 302 a
† Serenici caſtrum (*S. Celerin*) in limite Normanniæ 772 e
Sermoneta, opp. agri Romani 418 b
Servia *olim Bulgaris ſubjecta* 538 e f
Seſan *vel* Siſan, vicus ſeu caſtellum Ciliciæ 205 a d
Setim,

INDEX TOPOGRAPHICUS

Setim, ultima Iſraëlitarum manſio 28 e, 29 f
Sichem, urbs Chananææ 42 f. *Oſſa patriarchæ Joſeph ſepelit S. Joſue* 63 b c. *Populum inducit ad renovandum fœdus cum Deo* 70 b c d e f, 71 a b
Sicima, 65 f. *Vide* Sichem.
Sidon, Phœniciæ metropolis 59 a
Silo, Chananææ civitas, *in quam tabernaculum transfert S. Joſue* 63 d, 64 a
Sin *vel* Sinaï, deſertum in Arabia Petræa 16 c, 18 f
Sinaï, mons Aſiæ in Arabia Petræa. *S. Joſue eum aſcendit cum Moyſe* 10 e f, 11 a b & ſeq., 72 f
Sirmium, urbs Pannoniæ inferioris *nunc* Slavoniæ *exciſa* 462 a
Siſſcium, locus geminus non procul Tullo diſſitus 635 d
Soccoth, opp. in tribu Gad 90 b e
Solemniacum (*Solignac*) monaſterium Galliæ apud Lemovices. *S. Remaclus abbas primus* 673 b c d e. *Ejuſdem brachium eò miſſum* 691 b c
Solicinium (*Sultz*) opp. Sueviæ ad Nicrum flumen 174 f
Solodorum *olim* Salodorum (*Solothurn*) opp. Helvetiæ, *prope quod ſpelunca celebris habitatione & miraculis S. Verenæ V.* 158 f, 161 a b c, 164 e f
Somona *olim* Samara (*la Somme*) fluv. Galliæ Belgicæ 175 b, 180 b c
Sontia & Sontianum. *Vide* Sentianum.
Soractes & Soracte, mons Italiæ in Etruria Eccleſiæ. *S. Nonnoſus* 410 c, 420 c
Sparnacus *vel* Sparnacum (*Eſpernay*) opp. Campaniæ Gallicæ 272 e f, 282 b
Stabuletum *vel* Stabulaus (*Stavelo*) abbatia & opp. in Germania. *S. Remaclus Trajectenſis ep. illius conditor* 669 f, 680 a e, 682 a b d, 694 f; *ibidem clarus miraculis* 697 *&c.*
Steinbach, vicus in Suevia 163 c
Strigonium (*Gran*) urbs Hungariæ 565 a. *Templum condit S. Stephanus rex* 537 b
Suava Ausburgia. *Vide* Auguſta Vindelicorum.
Sudernum *vel* Sudertum, opp. Tuſciæ 109 a b
Sueſſio (*Soiſſons*) urbs in Inſula Franciæ 120 c, 121 a, 126 c, 128 a
Sulci, locus Sardiniæ inſulæ. *SS. Roſa & Platanus* 107 c f
Suppentonia, monaſterium & caſtrum Etruriæ Pontificiæ 411 c
Sycambria. *Vide* Buda vetus.
Syracuſa, urbs Siciliæ maritima 135 c, 142 a
Szala, abbatia Hungariæ *à S. Stephano rege fundata* 537 a

T

TAnarus, fluvius Italiæ in Liguria 136 b
Taphua, civitas duplex in Chananæa 57 f
Taruanna, urbs Arteſiæ *nunc exciſa* 181 c
Taufkirchen, opp. Bavariæ 427 f
Tauromenium, opp. Siciliæ 4 e, 134 d
Taurunium. *Vide* Alba Græca.
Teanum Apulum, opp. regni Neapolitani 111 f
Teanum Sedicinum, civitas Campaniæ Felicis. *Brachium S. Terentiani ep. M.* 108 f, 109 f, 111 f, 112 a b
Tebbath, locus Palæſtinæ cis Jordanem 88 b
Temeſwarienſis comitatus 463 a, 526 b
Terdona, Tortona. *Vide* Dertona.
Thabor, mons Galilææ 90 f, 91 a
Thamna, Judææ toparchia 67 e
Thamnath-Saraa, urbs in monte Ephraïm, *S. Joſue conceſſa* 18 a, 65 a c d. *Ab eo inſtaurata* 67 d e. *Ejus ſepulcrum* 75 d e f
Thebæ, urbs Ægypti ſuperioris ad Nilum 159 e
Tiberis, fluvius Italiæ 108 c, 149 e, 236 e
Tibiſcus, Hungariæ fluvius 531 a
Tibur (*Tivoli*) urbs Campaniæ Romanæ. *Beneficia S. Nonnoſi* 417 c
Tifata, mons in Campania Felice 102 b
Tigiſis, Africæ urbs 61 f
Tigurum (*Zurich*) urbs Helvetiæ 174 f
Timeſes & Titza, fluvii Hungariæ 468 e
Toloſa, urbs Galliæ Narbonenſis. *Eò tranſlatum corpus S. Ægidii abb.* 288 e f, 289 a
Toniza, civitas in Africa. *SS. Taſcius, Dubitatus, Valentus, Donatus MM.* 205 e f
Topinus, *olim* Tinia & Teneas, Umbriæ fluvius, *in quem projecta corpora BB. Jacobi & Philippi MM.* 595 b e f
Torcular Zeb, locus in tribu Ephraïm, *ut videtur* 88 e
Trajectum ad Moſam, urbs in Brabantia. *Reliquiæ B. Margareta V. M.* 586 d. *S. Remaclus ejuſdem urbis epiſc.* 675 b c d e f & ſeq.
Tranſilvania *variè appellata* 457 a d e, 471 d. *A S. Stephano rege ſubacta & ad Chriſtum converſa* 524 e f, 526 a b c d
Trecæ *vel* Tricaſſes (*Troyes*) urbs Galliæ in Campania 261 b
Tripolis, Phœniciæ urbs in Syria 76 d
Troia *al.* Ilium, urbs Phrygiæ minoris in Aſia 150 a
Troia. *Vide* Æcæ.
Tuder *ſeu* Tudertum (*Todi*) civitas Umbriæ. *SS. Terentianus ep. & Flaccus MM.* 108 c, 109 a b c
Tullum Leucorum (*Toul*) urbs Galliæ. *S. Manſuetus epiſc.* 615 d f. *Bis combuſta* 645 b c
Turnhoutum, Brabantiæ municipium 460 d
Turno (*Tournon*) opp. Galliæ in Occitania 376 d e
Tuſci, villa Plinii junioris in Etruria 305 c
Tuſcia, Italiæ provincia 109 c
Tutes, Hungariæ flumen 468 e

V

VAlachia, *olim* pars Daciæ 526 b
Valcellenſis abbatia in diœceſi Cameracenſi 249 b
Valdum. *Vide* Waldum.
Valentia, urbs Hiſpaniæ. *An eò miſſum corpus S. Reguli ep. & M.?* 227 b c
Vallis Flaviana, locus Occitaniæ, *ubi monaſterium S. Ægidii abbatis* 284 c, 286 b c, 288 e, 294 b
Vallis-Galilææ, monaſterium in Voſago 653 b
Vallis Gratiæ, parthenon Ordinis S. Benedicti Pariſiis. *Reliquiæ S. Godegrandi ep. M.* 764 a
Vallis S. Martini, abbatia Galliæ in ſuburbio Carnotenſi *non amplius exſtans* 772 f
Vaſſiacus (*Vaſſy*) op. Campaniæ Gallicæ 280 f
Uberlinga, urbs Germaniæ in Suevia 163 c
Ucetia (*Uzes*) civitas Galliæ Narbonenſis 738 d
Velia, urbs Lucaniæ ad mare Tyrrhenum *cum Veliniano confuſa* 136 a
Velinianum *ſeu* Velleianum, locus in Italia. *SS. Vitalis, Sator, Repoſitus martyrio coronati* 136 a b c, 138 d, 141 b
Venetiæ, urbs in Italia. *B. Juliana virgo & abbatiſſa*

batiſſa 309 b, 310 d. *S. Coſmas eremita* 440 a b
Venuſia *al.* Venuſium (*Venoſa*) urbs Italiæ in Apulia. *SS. Septiminus, Januarius, Felix occiſi* 130 b, 135 e f, 138 d, 141 b
Verbanus Lacus (*Lago Maggiore*) in ducatu Mediolanenſi 787 a
Verona, urbs Italiæ. *S. Manius epiſc.* 661 a d
Veſontio (*Beſançon*) urbs Galliæ 5 e
Veſprinium, urbs Hungariæ 493 a
Via Albana, prope Capuam antiquam 102 b c
Via Aquaria, *in qua paſſus S. Priſcus epiſc.* 102 b c d
Victuriacum, locus Galliæ in diœceſi Catalaunenſi 280 e
Vidula (*la Vêle*) flumen Campaniæ Gallicæ 280 b d e
Vigera (*la Voire*) fluvius Galliæ in Campania 698 f
Villa Eccleſiæ, urbs Sardiniæ inſulæ 107 c f
Villarium (*Villers*) abbatia Ordinis Ciſtercienſis in Brabantia 592 d
Vilsheim, Bavariæ opp. 427 f
Vindaſcinus comitatus (*le Venaiſſin*) prope Avenionem 456 d e
Vinemacus *ſeu* Vinemagus (*le Vimeu*) tractus Galliæ in Picardia 181 c, 260 a b
Viziacenſe (*Verzy*) monaſterium S. Baſoli in Gallia 271 a b c, 280 c e f
Viſchpachau, opp. in Bavaria 428 c d
Ultraſilvania. *Vide* Tranſilvania.
Volaterræ, Volterræ & Vulterræ, urbs in Tuſcia. *S. Octavianus eremita conf. patronus* 389 c, 392 b
Volturnus, fluvius Campaniæ Felicis 102 d
Voſagus, mons Lotharingiæ 653 b
† Urbani abbatia Campaniæ Gallicæ in tractu Pertenſi 656 e
Urſa, fluvius Helvetiæ 166 d
Urſaria *vel* Urſeria (*Urſel*) vicus Germaniæ 625 c
Uticenſis *vel* S. Ebrulfi abbatia Galliæ in Normannia 764 f

W

Waldum, locus territorii Lucenſis, *ubi quievit corpus S. Reguli ep. & M.* 225 d e f, 226 a b, 237 c d e f, 238 b c, 239 d e
Waſciacus (*Vée*) locus diœceſis Remenſis *diſtinctus à Vaſſiaco* 280 e f
Weihenſtephanenſis abbatia Bavariæ prope Friſingam 435 c, 436 c
Welna, locus prope Hamburgum 119 d
Wurtzach, opp. in Suevia 163 c
Wyſſegrad, opp. Hungariæ 555 c

Z

Zambujal, vicus Luſitaniæ. *Patria B. Taraſiæ* 786 b
Zeb. *Vide* Torcular Zeb.
Ziphon, *olim* Engaddi, eremus in Palæſtina 659 e
Zobor, abbatia Hungariæ *à S. Stephano rege fundata* 497 c d
Zurzachum, oppidum diœceſis Conſtantienſis in Helvetia. *S. Verena virgo* 157 b c f, 161 e f; *an etiam martyr?* 163 d e f, 164 a

INDEX ONOMASTICUS

A

Abbas, *præpoſitus eccleſiæ* 171 f
Abſida, *pars templi interior, in qua eſt altare* 718 d
Agape facere, *opus charitatis exercere* 549 a
Agius, *ſanctus* 724 f
Agonotheta, *pro athleta* 126 e
Alba, *veſtis ſacerdotalis linea talaris* 137 f
Allodium & alode, *prædium immune & liberum* 163 c, 345 a
Altarium, *altare* 143 a, 718 f
Anaſtaſis *vel* anaſtaſia, *reſurrectio* 265 e
Angarizator, *tortor* 214 b
Ἀνθραξ, *carbunculus* 408 f, 428 d
Antiphonæ, *cantus alternus* 453 c
Antiſtes, *rector ſeu parochus* 786 c
Apparere, *oſtendere* 313 b
Aporiari, *quid ſit* 645 c
Apoſtolicus, *Papa* 635 c
Aquæductus, *fluvius* 355 b
Archiater, *abuſivè pro chirurgo* 714 f, 718 d
Armatam & monſtram facere, *quid ſit* 380 a
Atterminare, *differre* 762 a c
Auguſtalis, *præſes* 365 d
Auguſti, *accommodatitiè dicti reges* 544 d, 545 a

B

Bandum, *vexillum* XIII c
Bannum, *edictum* XI b
Batillum, *thuribulum* 709 b
Baullum, *arca quædam ſeu capſa lignea* 105 b, 106 e
Bema, *ſacrarium* XVIII a
Bladum, *qualibet frumenti ſpecies* 778 c
Boëbodus, *dux* 468 a b

Braciſa, *cereviſiæ ſpecies* 707 f
Brandea, *faſcia* 254 a
Brattea, *lamina* 705 a

C

CAdax dolor, *epilepſia* 265 d
Cambii, *menſæ numulariorum* 762 f, 763 e
Camelaucia, *ſtolæ & coronæ imperatoriæ* 509 a b
Cancellum *vel* cancellus, *ſacellum cancellis clauſum* 635 d
Capabilis, *aptus vel expeditus* 725 e
Capitaneus, *præfectus minor* 379 f
Capite cenſualis, *quid ſit* 658 e
Caraxatus, *ſcriptus* 378 d
Carchas, *tertiùs à ſupremo duce* 470 b
Caritativè, *benignè* 760 b
Carrocium, *præcipuum exercitûs vexillum, quod currui impoſitum à bobus trahebatur* 781 a
Caſula, *veſtis ſacerdotalis* 137 e
Cataſta, *inſtrumentum quo martyres torquebantur* 364 f, 365 a
Caudicarii, *qui caudices vel ſtirpes arborum cædunt* 402 b
Celebrare Miſſam, *olim dictum de laïcis, qui illam audiebant* 226 e
Centenarius, *judex minor* 284 a
Cepha *aut* Kepha, *petra* 544 e
Chalifa *vel* Chalipha, *ſupremus princeps Saracenorum* 581 d
Charitativus, *ex charitate procedens* 578 e
Clenodium, *cimelium* 508 f
Clericus, *ſcholæ auditor* 761 a
Comitatus, *territorium* 230 f
Complenda, *oratio poſt Communionem in Miſſa* 635 e, 670 e f
Concambium, *commutatio* 644 a
Conductus, *jus exigendi aliquid pro rebus, quæ ad nundinas portantur* 759 e
Confeſſio, *crypta ſubterranea* 240 b
Conhibentia, *conniventia* XIV c
Contrata, *vicus* 379 f
Curiales, *aulici* 723 f
Curtis, *prædium* 226 a
Cuſtodia, *theca* 405 e

D

DEalbatus, *veſte alba indutus* 657 c
Devotare, *vovere* 762 f, 763 d
Diffirmare, *aperire* 761 a
Dignitas, *comitatus* 263 d

E

ECcleſia, *cœnobium eccleſiæ adjunctum* 284 e
Emenda, *ſatisfactio* 691 e
Equitatura, *equus ſeu animal, quo quis vehitur* 218 e
Euergeta, *benefactor* 421 c
Eulogia, *panis à populo oblatus & à ſacerdote benedictus* 111 e
Eulogiæ, *munera* 715 d, 716 f
Examplare, *augere* 680 b
Exemplare, *exſcribere* 676 a
Exercitus, *turba aulicorum* 260 c
Expectare, *ſpectare* 261 a, 262 b

F

FAmare, *vulgare* 592 f
Fanatici, *gentiles* 260 c
Farinaria, *molendinum* 684 c
Farius *equus, Arabicus ſeu generoſus* 155 e
Feria, *jus percipiendi aliquid in nundinis ſive ipſæ nundinæ* 759 e f
Fideles, *legati* 515 d
Fore, *eſſe* 705 e
Foreſte, *ſylva* 680 c
Formiter, *ritè* 329 c
Forteſa, *caſtellum munitum* 344 b
Foſſorium, *ligo* 216 c, 401 f
Frigoretici, *laborantes febri frigida* 757 d

G

GEntes, *famuli* 190 e
Glaucoma, *quid ſit* 755 d
Gleba, *corpus mortuum* 629 f, 705 d, 731 c
Græci, *gentiles* 614 d
Guerra, *bellum* 401 f, 781 c
Gynæconitides, *porticus templi Conſtantinopolitani mulieribus deſtinatæ* XVII f

H

HEgira, *fuga ſeu perſecutio* 580 f
Hieroprepes *quid ſignificet* 698 f, 699 a
Homo, *ſervus vel cliens* 759 a f

I

IMpudoratus, *impudens* 751 c
Innoteſcere, *notum facere* 303 c, 356 a
Inſanitus, *mente captus* 311 b
Interita, *mortua* 312 e
Juncta, *carpus* 191 b

L

LApſus, *aqua divortium, quò ſe piſces recipiunt* 703 d
Laudare, *exiſtimare vel ſuadere* 216 d, 762 c
Laurus & Laura, *habitatio anachoretarum multis cellulis diſtincta* 385 e, 659 d e
Leugua, leuga, & *communiùs* leuca, *ſpatium* 1500 *paſſuum* 684 a e, 695 c
Liquamen, *vinum* 702 a
Litania Septiformis, *unde dicta?* 630 c d
Luca, *fortè carcer* 548 d

M

MAdius, *menſis Maius* 781 a
Mallum *vel* mallus, *conventus publicus ad cauſas majores* 283 f
Mameluchi *ſeu* Mamluci, *mancipia Chriſtiana &c.* 582 b d
Manſus, *certa agri portio cum æde coloni* 631 c, 690 b
Manſus *aut* manſum, *pro manſione* 772 f
Mantellum barratum, *pallium filis diverſi coloris contextum* 579 d
Maphors & maphorium, *flammeum ſive velum longum mulieris Deo conſecratæ* VIII d e
Matricula, *catalogus pauperum vel domus, in qua hi alebantur* 626 a, 707 f
Matroneum, *fortaſſe locus diaconiſſarum in templis* XVIII b d e
Medo,

Medo, *hydromeli* 690 b
Menſa, *altare* 568 c
Mercatum & mercatus, *nundinæ publicæ* 284 a., 404 a
Microcoſmus, *corpus* 531 c
Miſſus, *legatus, nuntius* 257 e
Monaſterium, *eccleſia* 172 a
Monaſterium, *cella ſeu habitatio unius monachi* 282 d

N

NArthex, *porticus ante veſtibulum eccleſiæ* xviii e
Natalis calicis, *Cœna Domini* 367 d
Natalis reliquiarum, *tranſlatio* 367 d
Natalis templi, *dedicatio* 367 d
Neocorus, *ædituus* xxii d

O

OBedientia, *officium* 709 b
Obſequium, *exſequiæ* 657 f
Odire, *odio habere* 745 b
Officium, *milites* 364 c
Oneratorius, *oneroſus vel prægravans* 726 f, 728 d
Orarium, *veſtis propria diaconorum, ſtola* xi d
Orarium, *fortè libellus precum* 580 b
Originaliter, *à nativitate* 758 d
Ὀρεοβιῶται, *montium incolæ* 224 c

P

PApa, *epiſcopus* xxvii e, 257 b
Papas *ſeu* Pappas, *alumnus vel diſcipulus* 481 d
Paramonarius, *cuſtos eccleſiæ* 219 d
Parare, *ornare* 189 f
Parochia, *parœcia, diœceſis* 725 d
Pater-noſter, *globuli precatorii* 582 e
Pauſatio, *quies* 756 f
Pedules, *tibialia* 444 d
Penſa auri, *nummus quidam* 548 e
Pigmentum, *aroma* 700 e
Pinax, *tabula vel aſſer* 749 c
Placita cuſtodire, *conventus publicos habere* 284 a
Planeta 217 b. *Vide* Caſula.
Plumacium, *pulvinar plumis fartum* 263 e
Polyandrum, *ſepulcrum* 265 d
Pontificare, *epiſcopatum tenere* 652 e
Poſtcommunio. *Vide* Complenda.
Poteſtas, *prætor vel ſupremus loci magiſtratus* 379 e f
Pottagium, *pulmentum* 595 a
Pottus, *olla* 594 d
Præbenda, *portio* 703 a
Præſtim, *velociter* 216 c
Presbyterium, *locus circa altare diverſus à choro eccleſiæ* 240 d e
Priores, *ſummus magiſtratus octo virorum apud Volaterranos* 407 e f
Privilegia, *inſtrumenta donationum* 143 d, 144 a
Privilegium, *juſſum* 699 c
Profuturus, *futurus* 715 f
Proprius, *cliens, ſervus, mancipium* 172 b
Protomyſtæ, *epiſcopi* 621 e

Q

QUadrageſima, *pœna per quadraginta dies continuanda* 550 d
Quæſtionarii, *carnifices* 753 f

R

RAdius, *os cubiti* 380 b
Raſta, *milliare Germanicum* 119 e
Rationale, *veſtis epiſcopalis non abſimilis pallio, quo utuntur metropolitani in præcipuis feſtivitatibus* 527 a
Refirmare, *rurſum claudere* 761 a
Regnum, *corona* 510 d
Relevantia, *efficacitas* 321 b
Relicta, *vidua* 139 d, 141 f
Relidere, *repulſare* 272 c
Reliquiæ, *corpus* 614 d
Remonſtrantia, *hierotheca* 587 a
Repagulatus, *obſeratus* 405 c
Requies, *ſepulcrum* 172 c
Ribaldi, *homines perditiſſimi* 594 a

S

SAcriſtarium, *ſacrarium* 217 b
Sagacinus, *ſagax* 217 f
Saginarius & ſagmarius, *jumentum ſarcinarium* 703 d
Sala, *palatium* 784 a
Salariatus, *cui datur ſtipendium* 379 e
Sancta ſanctorum, *locus eccleſiæ juxta altare princeps* 240 d e
Sanctimonialis, *devota* 700 c, 701 b, 718 e
Sanctimonium, *profeſſio virginitatis* 645 c
Sanctitas, *reliquiæ ſeu theca reliquiaria* 172 a
Sanctuaria, *reliquiæ* 218 c
Saphena, *vena pedis, quam chirurgi aperire ſolent ad eliciendum ſanguinem è pede* 449 f
Scabelli *vel* ſcamelli *quid ſint* 697 c, 698 d
Senior, *dominus* 172 b, 481 c, 549 c e, 710 b
Servire, *largiri* 671 d
Servitor, *miniſter* 476 d
Signum & ſignus, *campana* 259 d, 263 b c
Sperare, *credere* 716 b
Strada, *via* 226 a
Strawa, *incertæ ſignificationis* 465 a b
Striga, *venefica aut malefica* 550 a
Synergi, *cooperatores* 272 a

T

TAlares, *tali* 758 d
Tela, *telum* 728 d
Thema, *provincia* 471 b c
Theophili, *Deum amantes* 565 b
Titulus, *eccleſia &c.* 257 d, 258 a
Tomochartæ, *litterarum monumenta* 621 d, 623 d
Treguæ, *induciæ* 577 b
Tribunal, *locus in quo erectum eſt altare* 144 b
Tritus, *tertius* 377 f
Typus quartanus, *febris quartana* 757 d

V

UDuornic, *libertinus* 551 b
Velarium, *velamen* 405 c
Veternus, *veternoſus* 263 e
Villanus, *ruſticus ſeu ruricola* 173 d
Vocales, *qui jus habent ferendi ſuffragii in Capitulo* 333 e

INDEX MORALIS

A

ABbatiâ *abdicatâ, in ſolitudine vitam tranſigit S. Ægidius* 309 a d

Abſtinentia *ſtupenda S. Elpidii* 383 a, 386 a. *Pavo aſſus revixiſſe fertur, ne S. Guntherus* Abſtinentiam *à carnibus violare cogeretur* 529 a b

Adoleſcentia *pia & erudita S. Nivardi* 278 d e f. *Perdita B. Petri Armengol* 318 c d e f, 333 f

Ægros *ſanant S. Victorinus* 221 e, *S. Lupus* 264 b, *S. Ægidius* 300 d, *S. Stephanus rex abſens* 569 c. Ægris *variis incolumitas reſtituta ope B. Petri Armengol* 320 e, 334 d, *S. Nonnoſi* 419 d e, 427 d, 433 c f, 434 a, 435 e, 436 a c d, 437 b c, 438 e f, 439 a, *SS. Manſueti & Amonis* 636 f, *ad reliquias S. Remacli* 723 d. Ægri *plurimi peregrinantes ad corpus S. Stephani regis, per viam ſanati, acervos lapidum in beneficiorum monumenta erigunt* 574 b. Ægri *varii ſanitate donati in ipſo itinere ad S. Godegrandi ſepulcrum ſuſcepto* 771 c. *Languores per eumdem ſanctum ſublati* 771 f, 772 a. *Vide* Morbus *&c.*

Æmulatio *S. Joſue pro Moyſe ab invidia vindicata* 13 c & ſeq. *Et laude digna* 14 a b & ſeq.

Æquitas *S. Joſue* 62 f, 63 a

Altaria *pretioſis veſtibus ſuis ornat S. Emericus S. Stephani filius* 550 f

Altare *erectum in monumentum diviſionis Rubenitarum &c.* 66 f, 67 a b c

Amicorum *Dei mira poteſtas* 53 c a

Anathemati *devota Jericho, & quare* 36 f, 37 a b c

Angeli *diu paſcunt B. Albertum Beſutium* 788 b

Angores *animi ope S. Octaviani diſcutiuntur* 402 d, 406 c. Angoribus *animi diu vexata, nuncupato S. Nonnoſo voto, quietem impetrat* 430 e f

Animi *magnitudine excelſa repudiat S. Gedeon oblatum ſibi ſuiſque poſteris regnum Iſraëlis* 91 b c d

Apoplexiâ *variiſque morbis conflictata S. Elpidii auxilio ſanitati reſtituta* 381 f. *Ex eodem malo cæca recipit viſum patrocinante S. Euphemia* 607 c

Apoſtolicæ *ſedis prærogativas SS. Criſpinus & Criſpinianus in apparitione teſtantur* 125 f, 126 a. *Singularem erga eamdem ſedem teſtabatur obſervantiam S. Stephanus rex* 503 a, 535 e. *Qui* Apoſtolicus *legatus creatur à Silveſtro II* 503 e. *Ejuſdem S. Regis* Apoſtolici *fructus* 523 c d. Apoſtolorum *limina Hungari magno numero viſere ſoliti* 531 d. *In quorum gratiam hoſpitium conſtruit Romæ S. Stephanus rex* 532 d

Apparitio *Principis exercitûs Domini expugnationem Jerichuntis S. Joſue edocentis* 34 a b c d e, *Angeli Iſraëlitas objurgantis* 68 a b. *Angeli S. Gedeonem vindicem judicemque Iſraëlis conſtituentis* 80 d e f, *SS. Criſpini & Criſpiniani Pontificem monentium, ut SS. Sixtum ac Sinicium in Gallias deleget* 122 d, 125 a f, 126 a b. Apparent *SS. duodecim fratres principi Arechi apud eorum corpora oranti, eique ſuam opem ſpondent* 137 c d e, 155 d e, *S. Mauritius S. Verenæ virgini in carcerem conjectæ* 158 c d. *B. Virgo Maria virginum choris comitata S. Verenam ad cælum invitat, & inducit* 159 a b. *S. Othilia* Apparens *matronæ nobili jubet eam pro impetranda prole maſcula S. Verenam invocare* 169 c d. *S. Verena recuperandi viſûs modum mulierem edocet* 173 a b. *S. Firminus ſacrificans videt manum Chriſti in cælis* 176 e, 182 d. *S. Vincentius Maximæ virgini genus & locum martyrii ſui revelat* 201 f. *Angelus SS. Caſtrenſem & ſocios in carcere conſolatur* 313 f. *S. Priſcus operario cuidam prædicit, corpus ſuum poſt certum tempus reperiendum* 216 e, *illudque quæri mandat tribus ſacerdotibus* 216 f, 217 a. *Angelus monet Joannem antiſtitem, ut corpus S. Reguli Lucam transferat* 226 b, 238 f. *In nocte nativitatis Domini* Apparet *B. Julianæ & monialibus angelus puerum Jeſum deferens, quem illa in ulnas ſuſcipit* 315 e f. *Sidera & fulgura ſupra ſepulcrum B. Julianæ conſpiciuntur* 316 e. *SS. Juſtus & Eucherius presbyterum quemdam de blaſphemis verbis graviter corripiunt* 372 f. Apparens *ſub ſpecie equitis S. Elpidius Longobardorum ac Saracenorum invaſionem arcet* 379 c. *SS. Juſtus, Clemens & Octavianus multis angelis comitati Volaterranam urbem ab inſtanti expugnatione incolumem ſervant* 406 d e. *S. Coſmas eremita mandat in ſomnis Veneto cuidam, ut corpus ſuum è Creta Venetias transferri curet* 443 d. Apparens *juvenis aſpectu pulcherrimus Geyſam de naſcituro S. Stephano, propagandaque per eum fide edocet* 482 f, 483 a, 563 e. *S. Stephanus protomartyr matri S. Stephani regis, naſciturum ſibi filium regem prædicit* 483 a, 564 a. Apparens *S. Stephanus rex pœnitentem quemdam ad S. Emerici ſepulcrum pro impetranda indulgentia mittit* 561 d e f, 562 a b c. *Amandus quidam B. Margaretæ Lovanienſis gloriam revelat* 592 c. *SS. Manſuetus & Aper graviter ægrotanti S. Gerardo integram ſanitatem reſtituunt* 630 e f. *S. Manſuetus per* Apparitionem *in ſomno admonet S. Gerardum de agendis in templo ſacris vigiliis* 649 d e. *Angelus pollicetur S. Trudoni ſapientiam, quam emiſſo voto à Deo petierat* 693 d e. Apparens *S. Remaclus contractum ſanat* 698 a b, *ſurdo auditum donat* 699 d e, *puellam paralyſi liberat* 706 c d e, *cantorem joculatorem ſacras jubet celebrare vigilias* 722 f. *Idem cum S. Lamberto* Apparet *B. Lietberto* 723 a b. *S. Michaël confortat in carcere SS. Aigulphum & ſocios* 746 c. Apparens *S. Aigulphus perſecutori ſuo pœnam, quâ ſublatus eſt, prædicit* 754 f, *periculosè decumbentem ſubitò ſanitate donat* 762 d e, *contractum ad eccleſiam ſuam curandum mittit* 762 f, 763 a b

Aqua *ad ſepulcrum S. Baſiliſſæ virginis martyris erumpit è terra multis ſalutaris* 609 c

Aram *Baalis deſtruit, ejuſque lucum incendit*

S. Ge-

S. Gedeon 83 a b
Arca *fœderis in expeditione Madianitica delata* 22 f, 23 a. *Eadem Jordanis aquas dividit, siſtitque* 30 f, 31 e f
Ariditas, *quæ ob ablatum S. Coſmæ ex ſpelunca, in qua vixerat, corpus exorta erat, eo reſtituto, illico ceſſat* 442 f, 443 a. Ariditas *agrorum depulſa per S. Remacli reliquias* 724 d
Articulari *morbo miſerè afflictus per emiſſum S. Nonnoſo votum valetudinem impetrat* 433 b
Auſteritas *vitæ S. Neophyti* 116 e, *S. Verenæ virginis* 158 c e f, *B. Julianæ* 315 c, *S. Elpidii abbatis* 386 b c, *S. Octaviani eremitæ* 402 b, *S. Coſmæ eremitæ* 442 e, *B. Alberti Beſutii* 788 b
Aurium *dolor mulieri ſublatus ope S. Nonnoſi* 438 c
Auribus *malè affectis potens B. Taraſia auxiliatrix* 786 f

B

BAptiſmum *flagitantibus SS. Euphemiâ, Dorotheâ, Theclâ & Eraſmâ, Natiſus fluvius aquas ſiſtit, donec baptizentur* 607 f
Beatitudinis *cæleſtis deſiderio miro flagrat S. Nivardus* 283 b c d
Bellum *Patavinos inter & Tarviſinos exortum exſtinguit B. Guala* 780 f, 781 a b
Blaſphemia *in S. Verenam fulmine & ſterilitate punita* 171 b. *Blaſphema in S. Aigulphum caſtigata* 761 d e
Brachium *ſanctimonialis confractum prodigiosè ſanat B. Juliana* 316 a. *Afflictum curatur oleo ex lampade S. Nonnoſi* 430 d. *Malè curatum reſtituitur patrocinio S. Remacli* 714 d e f, 715 a b

C

CÆcitate *percutitur ad S. Terentiani preces S. Flaccus tum temporis idolorum ſacerdos* 115 a. Cæci *illuminati ope S. Priſci* 102 a, *S. Verenæ tacto ſpecu* 164 f, *ejuſdem virginis patrocinio* 165 f, 166 a, *lavando oculos aquâ ex illius vaſculo* 173 a b, *facto eidem Sanctæ voto* 174 b. *Excæcatus, implorata illius ope, effoſſos oculos recipit* 169 a b. *S. Victorius adhuc puer* cæco *lumen reddit* 220 c d e. Cæcum *illuminans S. Lupus paganos plurimos convertit* 258 b. Cæcitas *depulſa per eumdem ſanctum* 264 b c. *Per SS. Anſanum & Maximam* 357 f. *Per S. Nonnoſum* 438 b. *Per B. Julianam* 310 f. *Per S. Manſuetum* 646 a b, 657 a. Cæcis *viſus reſtitutus per aquam ex fonte S. Remacli* 697 c d. *Eodem Sancto patrocinante* 697 d e f, 699 c d, 715 e f, 722 b d e. Cæca *à nativitate ad ejuſdem Sancti reliquias viſu donatur* 724 b. *Opitulantibus SS. Aigulpho & Sociis, oculorum lumen impetratum* 754 e, 758 f, 759 a. Cæcæ *à natalibus viſus conceſſus apud reliquias S. Godegrandi* 772 b c
Calculo *periculoſo mulier liberata auxiliante B. Margareta Lovanienſi* 589 d
Campanæ *Senonenſis prodigium* 262 e. Campanæ *ædis Franciſcanæ ſponte ſua ſonantes corporibus BB. Jacobi & Philippi martyrum ſepulturam aſſignant* 595 f, 596 a. Campana *maxima diuturno ſpontaneo ſonitu manifeſtat miraculum ad S. Remacli reliquias impetratum* 723 c d
Candelæ *in templo S. Verenæ ſæpe vento exſtinctæ ſponte accenduntur* 172 d. *Idem bis accidit ante corpus S. Remacli* 707 a b. Candelas, *quæ S. Godegrandi corpori præferebantur, valida ventorum vis nequit exſtinguere* 770 f
Canonizatione *ſolemni primus è regibus S. Stephanus à ſummo Pontifice illuſtratus* 559 a b
Capitis *doloribus afflictis peculiaris patrona B. Juliana* 310 e f, 317 a. Caput *lethaliter ex lapſu confractum ejuſdem Beatæ ope curatur* 311 a. *Acerbiſſimi* capitis *cruciatus, poſt nuncupata S. Nonnoſo vota, ſublati* 427 d e, 433 d, 437 f. *Similes dolores per chartam, quæ B. Margaretæ Lovanienſis ſacrum corpus attigerat, depelluntur* 589 b. *Iiſdem biennio vexatus per S. Godegrandi merita liberatur* 771 f
Captivi *in adventu S. Victorii prodigiosè liberati* 221 e f. Captivus *miles poſt invocatam S. Manſueti opem, fune ſponte ſoluto, liber evadit* 658 b. *Idem Sanctus capto à prædone adoleſcenti vincula ſolvit* ibid. c
Carcer, *in quo detinebantur SS. duodecim Fratres, cæleſti lumine illuſtratur* 135 b. Carceri *includitur S. Verena* 165 c
Carnis *ſtimuli expers redditur S. Firminus per viſionem cæleſtem* 176 f. Carnis *libidinem in duobus clericis oratione ſua ſedat S. Lupus* 262 f, 263 a
Caſtitas *S. Annæ prophetiſſæ in viduitate florida & diuturna* 97 c
Cereus *ardens in ſacra altaris lintea delapſus innocuus reperitur* 286 e f
Cerva *lacte ſuo paſcit S. Ægidium in eremo* 301 b
Charitas *S. Joſue eximia in Deum* 74 f. *Et in proximum* 75 a. *B. Petrus Armengol ſe in pignus pro captivis apud infideles tradit* 319 c, 320 d, 334 a. Charitas *B. Gualæ erga pauperes, viduas & pupillos* 778 c
Cicatrices *vulnerum diu poſt mortem incorruptæ apparent in corpore S. Godegrandi* 769 d
Ciconiarum *infeſtatione urbs Avenionenſis fertur liberata per patrocinium S. Agricoli* 454 f, 455 a
Circumciſio *inſtaurata ſub S. Joſue* 33 e f
Civitates *profugis aſſignatæ* 65 d
Claudi *greſſu donati à S. Verena* 165 f, 166 a, *à S. Nonnoſo* 439 a d. Clauda *præ imbecillitate ex puerperio, invocata B. Margaretæ Lovanienſi, ſubitò incedendi facultatem obtinet* 587 f, 588 a b c. Claudo *muto & dexteræ manus uſu deſtituto greſſum, loquelam & dexteræ uſum invocatus S. Manſuetus concedit* 657 f. Claudus *ab utero curatur ad ſepulcrum SS. Aigulphi & Sociorum* 741 f
Clavi *capiti & pedibus S. Zenonis transfigendis admoti partim confringuntur, partim liqueſcunt* 363 e f
Clypeum *S. Joſue elevatum in altum tenet, donec interficerentur Haïenſes* 41 b, 42 a
Cœlibatum *ſemper coluit S. Joſue* 37 f, 38 a. *Vide* Virginitas.
Cœnobii *S. Ægidii mira initia Leodii* 285 d e f. *Vide* Fundationes.
Colica *pertinaci tortus, hauſto pulvere è ſepulcro S. Elpidii ſubitò convaleſcit* 382 d e. *Ejuſdem mali torminibus ad extrema redactus valetudinem, opitulante S. Nonnoſo, recuperat*

433 a. *Qui alium etiam eodem morbo levat* 438 c
Columba *nivei candoris S. Nivardo ac B. Berchario locum condendo cœnobio Altivillarensi volatu suo designat* 273 b c d e f, 277 c, 281 c d e. Columba *è lipsanotheca S. Remacli evolare, eóque redire conspicitur* 722 e
Concordiæ *leges inter se & imperatorem Fredericum signant Longobardiæ urbes fœderatæ conciliante B. Guala* 779 e f, 780 a b. *Idem Beatus Guelphos Gibellinis conciliat* 783 f, 784 a. *Et imperatorem Fredericum Ecclesiæ* 783 b c d
Conspirationem *in se factam S. Stephanus rex per divinam detegit providentiam* 572 a b. Conspirant *pseudo-monachi quidam in necem SS. Aigulphi & Sociorum ejus* 746 a b & seq., 749 f, 750 a b
Constantia *invicta adolescentis in perferendis cruciatibus, quibus à patre idololatra sacerdote ob Christi fidem afficiebatur* XXII e. *Publia diaconissa in exprobranda Juliano apostatæ idolorum imbecillitate* XXII f, XXIII a b. *Pentadia diaconissa in causa S. Chrysostomi defendenda* ibid. d e f
Constantia *S. Josue & Calebi adversus seditiosos contra Deum & S. Moysem* 16 c, 17 c d e f, 18 b c d. *Illius præmium* 18 e, 62 c d, 65 a b. Constantia *S. Nivardi in virtutum progressu* 283 b. *S. Zenonis filiorum suorum martyrium spectantis* 362 d e f. *Et horrenda tormenta perpetientis* 363 a b e. *Invicta SS. Euphemiæ, Dorotheæ, Theclæ & Erasmæ* constantia *in tolerandis pro Christo cruciatibus* 608 a. *S. Aigulphi in monastica disciplina retinenda* 746 b c. *Ejusdem Sancti & sociorum ejus in perferendis carceris incommodis magnanima virtus* 752 a b
Contemplationi *divinarum rerum vacans S. Stephanus rex cum papilione in aëra tollitur* 541 c, 570 c d. Contemplativæ *vitæ desiderio idem S. Rex regnum abdicare voluisse fertur* 542 a b c. *Dum* contemplationis *æstu in extasim rapta B. Tarasia in templo pernoctat, angeli ejus vices subeuntes panes pinsunt* 786 f. *Vide* Oratio.
Continentiam *mutuo consensu voventes B. Albertus Besutius & conjux ejus sanctiorem vitam ille solitariam, hæc monasticam aggrediuntur* 788 b
Contractis *membrorum usus restitutus ad sepulcrum S. Lupi* 264 c. *Ad sacrum corpus S. Mansueti* 649 c d. *Ubi & mulier penitus incurvata subitò erigitur* 656 f, 657 a. *Et altera miserum in modum* contracta *gradiendi facultatem impetrat* 657 a b. *Puella manibus pedibusque capta, oblatâ S. Mansueto candelâ, eorum usum recipit* 657 c. Contracti *erecti, curatique per S. Remacli patrocinium* 697 a b c, 698 a b, 707 c d, 708 e f, 709 a, 710 b c d e, 715 c d, 716 f, 717 a b c d f, 718 a b c f, 719 a, 723 e f, 724 a. Contractus *à nativitate puer ad corpus S. Stephani perlatus erigitur* 556 b, 574 a. *Item alius in translatione S. Aigulphi* 758 d e. *Mulieri sub reliquiis suis prostratæ idem Sanctus manûs usum restituit* 760 e
Conversio *memorabilis cujusdam idololatræ adolescentis per aliquam diaconissam* XXII c d e f. *Qui postea suum etiam patrem ad fidem Christi perducit* ibid. Conversio *mirabilis S. Flaciti* 115 c d e. *B. Petri Armengol* 318 f. *Regis Algariæ ad fidem Christi* 320 d. Conversionem *Suessionensium multis prodigiis promovent SS. Sixtus & Sinicius* 126 d. *Hæreticos magno numero* convertit *S. Victorius* 221 f, 222 a. *Paternus tribunus, perspectâ S. Zenonis in tormentis constantiâ, cum* 680 *militibus baptismum suscipit* 363 e f, 364 a b. *Silvinus & Serapion cum pluribus aliis lætiam mulieris ad martyrium properantis, ejusque felicem mortem admirati, ad Christum* convertuntur *martyrium expetentes* 364 c d e. *Ad fidem Christi* convertitur *præses ethnicus S. Basilissam ab igne variisque tormentis illæsam conspicatus* 609 c f, 610 a. *Eamdem fidem amplectitur præses Tullensis cum tota familia, resuscitato filio ejus per S. Mansuetum* 634 b, 636 d. *In summum vitæ discrimen deductus B. Albertus Besutius vovet, si evadat, vitam in melius commutare; voti reus promissa strenuè exsequitur* 788 b
Convulsionibus *miserè vexatus, à matre sua S. Nonnoso devotus illico convalescit* 431 c. *Eadem malo correpti, invocata ejusdem sancti ope, incolumitati restituuntur* 432 a, 438 c d f
Cordis *doloribus, promisso in S. Nonnosi honorem Missa Sacrificio, extemplò liberatur* 427 e
Coronam *regiam Polonis destinatam Silvester II divinitus admonitus transmittit S. Stephano tum temporis Hungariæ duci* 502 f, 503 a f, 504 e f, 505 a b c, 506 a b c d e f, 507 a b c, 566 a b c d. *Hæc* corona *inaugurandis postmodum Hungariæ regibus adhibita, summoque habita in honore* 557 c d
Corporis *S. Prisci miraculosa inventio* 103 b c d e, 217 f. Corpora *Sanctorum incorrupta & suaviter fragrantia reperta. S. Reguli* 226 c, 239 a. *S. Ægidii* 285 b. *B. Julianæ abbatissæ* 309 b, 310 b, 311 d e, 316 f. *S. Octaviani eremitæ* 401 f. *S. Cosmæ eremitæ* 441 d, 443 e. Corpus *S. Lupi suavem mox à morte odorem spirat* 264 c. *S. Stephani regis optimè fragrans & velut liquefacto circumfusum balsamo deprehensum multis medetur* 555 d e, 556 b, 574 c. Corpus *S. Antonini frustatim dissectum mirabiliter coaluisse fertur* 354 e f. *Eidem fluvius, suspenso cursu, siccam humum straviisse narratur* 354 f, 356 b. *S. Octaviani non nisi facto voto Volaterras transferri potuit* 402 b c. Corpora *BB. Jacobi & Philippi adverso flumine Topino mirabiliter feruntur* 595 f. *SS. Euphemiæ, Dorotheæ, Theclæ & Erasmæ in fluvium projecta à duobus ingentis speciei juvenibus navi vecta S. Hermagoræ traduntur* 608 b. *S. Godegrandi non nisi à S. Opportuna ejus sorore loco moveri potuit* 767 d e f. *Idem diu post mortem perseverat incorruptum* 770 d. Corpus *S. Remacli cœlesti lumine coruscat* 705 d e. Corporis *S. Stephani regis elevatio innumeris mox miraculis illustrata* 573 f. Corpus *B. Alberti Besutii multis diebus suavi fragrat odore* 787 c d e, 788 d
Crucis *signo ingens incendium extinguit S. Victorius* 222 b
Crucem *S. Stephano, ejusque successoribus in apostolatûs insigne præferendam mittit Silvester II* 503 c
Crura, *genuaque debilia ope S. Mansueti roborantur* 657 b. Crus *confractum, implorato S. Remaclo, mirabiliter sanantur* 689 d e, 722 b

Debili-

D

DEbilitas *immedicabilis puellulæ ſublata per B. Margaretam Lovanienſem* 588 f

Decimas *annuas omnium rerum rebellium Semigienſium S. Stephanus rex voti reus monaſterio S. Martini attribuit* 494 b c f, 495 a, 564 d e

Deipara *Virgo* Maria *virginum choris comitata S. Verenam ad cælum invitat, & perducit* 159 a b. *B. Petrum Armengol per aliquot dies ab infidelibus ſuſpenſum B. Virgo* Maria *incolumem ſervat* 319 e f, 332 e, 334 a b. *S. Stephanus rex eximius* Dei Genitricis *cultor illi ſe ſuumque regnum conſecrat, eamque ut Hungariæ* Dominam *colendam ſancit* 527 b, 560 e, 568 b c. *Eccleſiam Albenſem eidem ſanctiſſimæ* Virgini *pluſquam regiâ munificentiâ exſtruit, ditatque* 527 c d, 568 c. *Illatas ſibi à pauperibus injurias ad* Deiparæ *aram cum gratiarum actione condonat* 528 b. *Unà cum S. Gerardo auguſtiſſimæ hujus* Virginis *cultum per Hungariam mirificè promovet* 531 b c. *Implorato ejuſdem magnæ* Matris *auxilio pacem cum Conrado imperatore mirabili modo obtinet* 540 b c d e f, 541 a, 571 a b. *Moriturus ſe & regnum ſuum potentiſſimæ ſuæ Dominæ* Virgini Mariæ *cum piis lacrymis enixè commendat* 551 e, 572 c. *Et in ejuſdem Aſſumptionis ſolemnitate, ut ardentiſſimè optârat, pius* Mariæ *filius ad amabilem ſuam* Matrem *ex hac vita commigrat* 551 f, 552 a, 560 f, 572 c d

Delectum *militum admirabilem Dei juſſu inſtituit S. Gedeon* 86 c

Dentium *dolore liberatur mulier, adhibito pulvere ex ſepulcro S. Lupi* 264 c. *Eodem cruciatu ad extrema deductam puellam S. Nonnoſi patrocinium priſtinæ valetudini ſubitò reddit* 428 e f. *Aliiſque hoc malo laborantibus idem Sanctus invocatus ſubvenit* 434 e f, 438 a c

Dextera *S. Stephani regis incorrupta cum ſolito annulo divinitus monacho traditur* 574 e. *Et à S. Ladiſlao in baſilicam transfertur* 556 f, 557 a

Diaboli *infeſtationes coërcentur precibus S. Verenæ* 164 f. *Eas pellit S. Firminus* 176 c. *Conſpectu S. Lupi ſepulcro iiſdem liberatur mulier* 264 d. Diabolus *interfectores S. Reguli ſuffocat* 224 f, 230 d. *Conſtantius exconſul dum S. Zenonem torquet,* à dæmone *corripitur* 363 a. *Eâdem pœnâ multatur ſacrilegus S. Godegrandi parricida* 767 c. Diaboli *invalidæ ſunt fraudes adverſus Dei famulos* 680 f, 681 a. *Vide* Energumeni.

Diaconiſſarum *miniſteria* 111 f, 604 d e f. *S. Radegundis Francorùm regina à S. Medardo* diaconiſſa *ordinatur* IV f, V a. Diaconiſſis *ad nuptias tranſeuntibus pœnam mortis ſtatuit Juſtinianus imperator* XVI c. *Mira* diaconiſſarum *privilegia apud Jacobitas* XX a b. Diaconiſſæ *illuſtres, S. Phœbe, Timo, S. Martina virgo martyr, alia anonyma* XXII a b c d e f, *Publia* XXII f, XXIII a b, *S. Olympias* XXIII b c, *Pentadia* ibid. d e f, *Amprucla, Dionyſia, S. Radegundis, Baſilina, Manaris, S. Irene* XXIII f, XXIV a b c d

Dilectio *inimicorum illuſtris in S. Lupo* 257 e. *Pro perſecutore ſuo infeſtiſſimo orant SS. Aigulphus & Socii ejus* 751 d. *Vide* Injuria.

Diſciplinæ *monaſticæ rigor in monaſterio Stabulenſi* 683 f. *Ejuſdem eximia obſervantia in SS. Aigulpho & Sociis* 751 d

E

ECcleſiæ *S. Verenæ libertas prodigiis vindicatur* 168 c d e f, 169 a. Eccleſiæ *immunitatem viriliter tuetur S. Victorius* 222 b. Eccleſiaſtica *bona magis, quàm propria defendenda à regibus ſtatuit S. Stephanus rex* 547 f, 548 a. Eccleſiam *à barbaris dirutam, ædificare bis irrito conatu tentat S. Nivardus* 281 b. *Templa & monaſteria quotannis ter luſtrat, reficit & ornat S. Stephanus rex* 536 d e f. *Iiſdem de ſacra ſupellectile per decreta ſua providet in perpetuum* 550 c. Eccleſiarum *ſacræ ſupellectilis reficiendæ curam recipit regina S. Stephani conjux* 550 f. *Vide* Fundatio.

Educatio *pia S. Victorii ſub S. Martino* 221 a b

Eleemoſynæ *largæ & continuæ S. Nivardi* 280 a. *S. Ægidius totum patrimonium ſuum pauperibus diſtribuit* 299 d e. *Eximia S. Stephani regis in pauperes liberalitas* 526 f, 560 d, 568 f. *Idem Sanctus rex theſauros regios in* eleemoſynas *exhaurit* 569 b. *Et inſomnes noctes ducit, ut egenis ſubveniat* 528 a. *Nec ob illatas ſibi à pauperibus injurias à tam pio opere deterretur* 528 b. *Dextera, quâ rex ſanctus* eleemoſynarum *diſtribuit, incorrupta perſeveravit* 557 a b, 560 d, 574 e f, 575 a. *Pallio detrito, quod à B. Taraſia nudo pauperi datum avarus herus repetebat, angelus omnino ſimile ſubſtituit* 786 c d e. *Panes, quos egenis eadem Beata ferebat, ſuperveniente hero, in roſas vertuntur* 786 e f

Elephantino *morbo curatur mulier venerata SS. Aigulphi & Sociorum reliquias* 742 a

Energumeni *liberati per S. Priſcum* 102 a. *Per SS. duodecim Fratres* 139 d e f, 140 a, 146 b c d e f. *Per S. Firminum* 179 e. *Per S. Benedictum* 244 a. *Per S. Ægidium* 299 e, 302 e f. *Dæmones ex* energumenis *expulſi ad ſepulcrum S. Reguli* 230 d, 239 b. *Ad reliquias S. Antonini martyris* 355 a. *Ope S. Agricoli* 454 a. *Opitulante S. Manſueto* 646 b c. Energumenus *nomen & locum depoſiti corporis S. Aigulphi indicat* 756 c d. *Ad ejuſdem Sancti corpus dæmonium è muliere ejicitur* 760 f

Epiſcopalem *dignitatem intrepidè tuetur S. Lupus* 258 f, 259 a. Epiſcopatu *abdicato S. Juſtus inter Ægypti eremicolas diu ignotus vivit* 366 c d, 368 d, 373 b c. Epiſcopatum *deponens B. Guala in Cœnobium Aſtinenſe ſe recipit* 784 c f, 785 a. *Sacras per Hungariam inſulas S. Stephanus rex ſtudioſo delectu viris præſtantibus attribuit* 521 f, 522 a, 523 d e f, 566 f. *Vide* Fundationes.

Equi *in ſacello S. Nivardi ſtabulantes in rabiem aguntur* 277 f

Euchariſtiam *ſuſcipere deſideranti B. Julianæ Chriſtus ſe ſub pueruli forma ſiſtit* 315 e f. S. Euchariſtiam *cum ſacra pyxide auferens miles cæcitate percutitur* 405 e f

Expugnatio *prodigioſa Hierichuntis ſub duce S. Joſue* 35 d e f, 36 a & ſeqq.

Exſilium *voluntarium pro Chriſti fide hilariter ſubit cum ſociis S. Regulus* 223 c, 229 e f. *Lætus in* Exſilium *properat S. Lupus* 250 d, 259 a b. *Depoſito epiſcopatu, diu ignotus inter Ægypti eremicolas exſulat S. Juſtus* 366 c d,

c d, 368 d, 373 b c. Exsilii *spontanei comitem S. Viator se S. Justo adjungit* 366 c, 368 d, 373 c, 375 c
Extases *varias patitur S. Stephanus rex* 541 b c. *Et B. Petrus Armengol* 334 b
Extuberatio *ossis subitò evanescit S. Nonnosi patrocinio* 433 e f

F

FAmâ *ex alieno furto periclitantibus monachis subvenit invocatus S. Aigulphus* 760 a b c d
Familiaritas *cum S. Moyse multùm profuit S. Josue* 9 e f. Familiaritatem *cum viris religiosis magnoperè amabat S. Stephanus rex* 565 f
Faucibus *mulieris inhærens os mirabiliter evanescit implorata S. Nonnosi ope* 432 c
Fax *mœnia Avenionensia circumiens conspirationem hæreticorum divinitus detegit* 455 b
Febribus *laborantem sanat S. Josue* 76 b c. Febrium *æstu de vita periclitantem tyrannum suum è carcere accersita incolumitati restituit S. Verena* 158 d, 159 a, 165 c. Febricitantem *sanat S. Firminus fusis ad Deum precibus* 179 e. *Alium idem Sanctus eodem morbo liberat* 176 c. *Linteum, quo S. Elpidii ossa involuta fuerant, quasi perpetuo miraculo* febres *tollit* 380 d e f, 381 a b, 382 d. *Et ipse Sanctus imploratam medelam pluribus eodem malo afflictis confert* 381 e f, 382 a. *Fons sacelli à SS. Arcano & Ægidio erecti* febricitantibus *salutaris* 306 a, 307 d. Febres *à variis depulsæ per merita S. Nonnosi* 429 e, 437 c f. Febri *maligna ortoque ex ea sanguinis horrendo fluxu sanatur aurifaber, nuncupato in honorem S. Agricoli voto* 449 f, 450 a. Febricitans *convalescit subitò in sacello B. Margaretæ Lovanienses* 588 f, 589 a. *Oblato eidem beatæ Virgini donario, puerum* febris *deserit* 590 a b. *Beneficio S. Euphemiæ* febricitantes *duæ sanitatem recuperant* 607 c
Feræ *famulantur S. Regulo* 230 b
Festum *S. Verenæ violantes divinitus castigantur, & ab eadem S. Virgine medelam postmodum impetrant* 171 a b d, 172 e f. Festum *S. Ægidii profananti manus exarescit, quæ deinde præfati Sancti ope suo vigori restituitur* 288 d. *Solemnitatem translationis S. Octaviani violans faber subito lapsu exspirat* 403 b c. *Diei Dominicæ profanatoribus pœnas statuit S. Stephanus rex* 548 c. Festo *S. Mansueti vecturam facientium jumenta in furorem aguntur* 647 d e f. *In agros sacris diebus cultos fœda tempestas sævit* 687 e f. *Violator diei Rogationum usu dexteræ destituitur, quem facti pœnitens per S. Remaclum recipit* 716 a b c d e. *Mulier in* Festo *S. Aigulphi laborans cælitus punita, ejusdem Sancti patrocinio post triennium sanatur* 761 d e f, 762 a b
Fides *thaumaturgica S. Josue* 51 e f, 52 a b c, 53 b c, 74 c d e. Fides *S. Gedeonis à sacris Litteris commendata* 77 f, 78 a. Fidei *propagandæ studio ardet S. Firminus* 179 e
Fiduciâ *in Deum nixa S. Verena farinam suis virginibus in multos annos prodigiosè suppeditat* 159 a, 165 d. *Eadem virtute excellit S. Regulus* 230 a, 231 c. *S. Lupus suæ in Deum* Fiduciæ *miro eventu præmium accipit* 257 e. *Eâdem fretus hostes in fugam conjicit* 258 f
Fœdus *Deum inter & Israëlitas à S. Josue solemniter instauratum* 42 f, 43 a & seq., 44 a b. *Ab eodem morituro renovatum* 70 b c d e f, 71 a b. Fœdus *jurejurando initum cum Gabaonitis religiosè à S. Josue & populo servatum* 49 e f. *Sub Saüle violatum, violatique pœna* 50 a. Fœdera *cum idololatris prohibita Israëlitis* 69 f. Fœdus *pro tuenda contra imperatorem Fredericum Ecclesia renovant Longobardi operâ B. Gualæ* 781 f, 782 a b c d
Fons *è petra elicitus à S. Basilissa sitibunda multis medetur* 609 c, 610 a. Fons *sub sacello S. Nivardi ægris saluberrimus scaturit* 277. *Sacellum à SS. Arcano & Ægidio exstructum* fonte *gaudet febricitantibus salutari* 306 a, 307 d
Fraus *Gabaonitarum eis feliciter cedit* 44 d e f
Fundationes *piæ. S. Nivardus Fundat cœnobium Altivillarense* 282 b. *Ditatque suis opibus & privilegiis* ibid. e f, 283 a. *S. Otto xenodochium & sacellum S. Ægidii constituit Bambergæ* 287 a. *In ejusdem Sancti honorem conduntur cœnobia prope Brunswigam, prope Monasterium Westphalorum, in diœcesi Halberstadensi, Norimbergæ* 287 b c. *Monasterium in loco, qui nunc Fanum S. Ægidii dicitur, ædificat S. Ægidius ex munificentia Flavii regis* 292 d e f, 301 f. *S. Stephanus rex* fundat *monasterium S. Martini* 494 e f, 495 a b. *Abbatiam B. Mariæ virgini ac S. Benedicto sacram ad radices montis ferrei* 496 b c, 497 a b, 565 f. *Abbatiam S. Hippolyti* 497 c d. *Varios per Hungariam episcopatus* 497 e f, 498 e, 499 d e, 522 a b & seq., 566 a. *Ejusdem S. Regis immensâ propè munificentiâ ecclesia* Albensis *Deiparæ Virgini exædificatur* 527 c d. *Monasterium Beel* fundatur 528 c, 530 a b. *Ecclesia Morisena, nunc Chanadiensis erigitur* 530 e f. *Idem S. Rex monasterium S. Petri ad vincula in gratiam Romam peregrinantium exstruit* fundatque *in agro Ravennate* 531 d e f. *Hierosolymis monasterium, Romæ canonicorum collegium cum hospitio peregrinantium Hungarorum, Constantinopoli templum per eumdem S. Stephanum erecta* 532 d, 568 e. *Idem Sanctus unà cum conjuge sua monasterium SS. Petro & Paulo dedicandum magnis sumptibus in vetteri Buda inchoat, quod dein S. Ladislaus consummavit* 536 c d. *S. Gerardus abbatiam S. Mansueti* fundat 628 b c d e. *Illius templum ex voto restaurat* ibid. f, 629 a. *Subtractas abbatiæ villas violenta correptus febri restituit* 629 c d, 650 f. *Monasterium Solemniacense ædificat S. Eligius* 673 b. *Casæ-congidunum Sigibertus Austrasiorum rex* 679 a b c. *Uti & Malmundariense ac Stabulense, hortante S. Remaclo* 680 a b c d e, 684 a b c. *Templum Stabulense à S. Poppone à fundamentis restauratum, ornatumque* 688 a. *Floriacense monasterium à Leodebodo exstructum* 731 a b
Funus *S. Moysis angelorum ministerio curatum* 26 c
Furtum *sacrilegum Achan* 38 d. *Ejus pœna* 38 e, 39 e. Furto *intenti in festo S. Verenæ, impediti, punitique, resipiscentes sanantur* 171 c. *Reliquiarum B. Petri Armengol* furtum *prodit infans unius circiter anni* 324 b c. *Partem lintei, quo S. Elpidii ossa involuta fuerant,* furatus *presbyter mortifero malo corripitur: eâ redditâ sanatur* 380 f, 381 a. Furtivè *abductla vacca, invocato S. Mansueto, ad*

ad dominum ſuum redit 647 f, 648 a. *Altaris velamine, quod abſtulerat, abuſa ſanctimonialis divinitus caſtigata* 700 b c d. *Cuſpam S. Remacli quatuor boum paribus fur fruſtra avehere conatur* 702 f, 703 a. Furtum *ſacrilegum clericus horrendâ pœnâ luit* 711 c d e f. Fur *ſacrilegus à dæmone correptus dexteri brachii uſu deſtituitur, donec ſcelus confeſſo monachi ſoſpitatem impetrent* 712 a b & ſeq., 713 a & ſeq., 714 a

G

Genu *mulieris, perſoluto B. Margaretæ Lovanienſi voto, ſanatur* 588 e
Glaucomatis *curationem à S. Verena vir impetrat conjugi ſuæ* 174 b c
Grando *lapidea S. Joſue precibus impetrata* 51 c d e. *Periculum ab inuſitata* grandine *ceſſat, invocato S. Aigulpho* 759 a b
Greſſum *expeditum mulier novemdiali devotione ad B. Margaretam Lovanienſem obtinet* 589 e

H

Hæreſeos *à lue & ſævitiâ immunis manſiſſe Avenio S. Agricoli patrocinio creditur* 444 f, 455 a. Hæreticos *multos ad fidem perducit S. Victorius* 221 f, 222 a
Hemiplexiâ *percuſſus priſtino vigori redditur ope S. Nonnoſi* 438 a
Hernia *curata per S. Nonnoſum* 435 f, 436 a, 437 f, 438 a
Honoris *humani fugitans S. Verena* 165 d. *Ejuſdem egregius contemptor S. Ægidius eremum petit* 301 a b
Hoſpitalitatem *benigniſſimè exercent S. Firminus* 179 b. *S. Stephanus rex* 568 f, 569 b. *S. Phœbe diaconiſſa* 604 f, 605 a b d. Hoſpitalitatis *præmia* 605 a
Humilitas *S. Gedeonis* 80 f. Humilitatem *eximiè colit S. Juſtus epiſcopus* 373 c d, 375 d. Humilitatis *ſtudio S. Stephanus rex ſuam cum papilione in aëra elevationem ſub gravi interminatione jubet celari* 541 c, 570 c d. *Idem rex* humilis *lavat pedes pauperum, iiſque miniſtrat ægrotantibus* 560 d, 568 f, 575 a

I

Idola *patris ſui conterit adoleſcens gentilis ſacerdotis filius* xxii e
Idolorum *ſilentium ſacrificulos in S. Priſcum concitat* 101 c d. Idolorum *oracula ceſſant, prædicante S. Terentiano* 113 b c. Idola *ſuis precibus idem Sanctus comminuit* 115 a. *Fana eorum deſtruuntur SS. Sixti & Sinicii operâ* 125 b, 126 f. *Illorum ſtatuas ſubvertit S. Firminus* 179 e. *Et S. Antoninus martyr* 341 d e. Idololatriam *apud Tullenſes exſtirpat S. Manſuetus* 636 d
Jejunium *quadraginta dierum in monte Sinaï cum S. Moyſe probabiliùs ſuſtinuit S. Joſue* 11 f, 12 a. Jejunia *continua S. Annæ prophetiſſæ* 96 d e. *S. Juſti epiſcopi* 373 e, 375 e. *In ſoluti* jejunii *pœnam monialis gravi capitis dolore percutitur* 310 f. *Ejuſdem violatoribus pœnas ſancit S. Stephanus rex* 548 d. *Carnis in adoleſcentia ſtimulos* jejuniis *reprimit S. Aigulphus* 744 d
Ignis *cruciando S. Zenoni ſuppoſitus flammam à S. martyre detorquet* 363 f. Ignem *variaque tormenta illæſa perfert S. Baſiliſſa* 609 f, 610 a
Imaginem *S. Nonnoſi venerans ſanitatem recuperat abbas S. Stephani* 418 b
Imprecatio *prophetica S. Joſue adverſus Hierichuntis reſtauratorem* 38 b. *Completa in Hiel* 38 c
Incendium, *precante S. Lupo, fulmine exſtinctum* 261 a. *Immane* incendium, *allato S. Aigulphi corpore, ceſſat extemplò* 759 b c
Induciæ *inter Bononienſes & Mutinenſes pactæ collaborante B. Guala* 782 d e f, 783 a
Injurias *libens condonat S. Caſtrenſis* 214 a b. *S. Stephanus rex à pauperibus ſibi illatas* injurias *ad Deiparæ aram lætabundus remittit* 528 b. *Et ſicario, qui vitæ ſuæ imminuerat, facilè ignoſcit* 572 a b. *Vide* Dilectio inimicorum.
Inſana *ac furioſa mulier ad S. Remacli corpus ſanæ menti reddita* 706 f
Integritas *vitæ S. Joſue* 73 c, 74 b
Inundatio *ingens aquarum per S. Verenæ reliquias mirabiliter repreſſa* 170 f
Irreverentiam *in ſtolam S. Caſtrenſis commiſſam exareſcente utroque brachio luit ſacrilegus* 214 a. Irreverens *in S. Octavianum ulcere & morte divinitus punitur* 403 a, 406 a
Juramenti *religio ſervata cum Rahab* 37 c. *Cum Gabaonitis* 49 e f. *Vide* Fœdus.

L

Lacrymantem *jugiter B. Julianam dæmon fruſtra ad gaudia excitat* 315 c d. Lacrymarum *dono præditus S. Stephanus rex pro publica & privata ſalute aſſiduè ſupplicat* 541 b
Lampades *lateribus S. Zenonis admotæ ſponte exſtinguuntur* 363 e
Lapidationis *periculo divinitus eripitur S. Joſue* 18 d
Lapides *ingentes facilè ex fluvii alveo ſublati ad reſtaurandam S. Verenæ eccleſiam* 170 d e
Lateris *cruciatu per quinquennium afflictus ſubitam à B. Margareta medelam obtinet* 587 d e
Legationem *ſuam à Deo eſſe, probat angelus S. Gedeoni, igne ex petra elicito* 82 c
Legati *pii defraudator cæcitate percutitur* 699 c d
Leges *Hungaris à S. Stephano datæ* 546 f, 547, 548, 549, 550, 551
Leonibus *objecta S. Baſiliſſa, illæſa evadit* 609 c f
Leproſi *loti aquis, in quibus prope urbem Levidam S. Joſue ſe lavare ſolebat, à lepra curantur* 76 a. Leproſis *inſervit S. Verena* 173 a. Lepra, *patrocinante S. Manſueto, mundata* 646 c d
Linguâ *truncatus loquitur S. Terentianus* 115 c. *SS. Aigulphus & Socii elingues divinas laudes canunt* 746 d e f, 752 e
Lipſanotheca *S. Remacli ſponte ſua in aëra tollitur* 721 f, 723 a. *Eamdemloco movere fruſtra conantur regii adminiſtri* 722 c d
Lis *mirabiliter per S. Agricolum finita* 454 f
Litterarum *ſacrarum deſiderio flagrat S. Trudo adoleſcens* 693 c d
Luctus *Trajectenſium, abdicante epiſcopatum S. Remaclo* 682 f
Lues *exitialis ſedata per allatum S. Remacli corpus* 706 a b
Lumborum *acuti dolores ſublati perreptanti ſpe-*

luncam ſepulcri S. Nonnoſi 427 c
Lumen *prodigioſum eccleſiam S. Verenæ illuminat* 173 b. *Lux cælitus emiſſa ſuper feretrum S. Remacli* 708 b c d
Lunam *ſiſtit S. Joſue* 51 e f
Luxati *corporis integritatem mulieri reſtituit S. Nonnoſus* 430 f
Luxuriosam *vitam monachus, juſſu S. Remacli nequicquam correptus, fœdâ leprâ & morte luit* 709 b & ſeq., 710 a

M

Maleficio *diſtorti pedes duarum puellarum in S. Nivardi ſacello uſui reſtituuntur* 277 e
Manſuetudo *S. Aigulphi erga monachos rebelles* 750 b
Manus *militis, qui S. Nonnoſi corpus in ſupplicatione circumtulerat, à gravi malo ſanatur* 649 b. Manum *ſervi à S. Apro graviter afflictam ſanat S. Manſuetus* 653 f, 654 a b c d
Maria *mater Dei. Vide* Deïpara.
Matrem *convitiis inſectanti puero lingua & facies fœdè intumeſcunt: dein S. Manſueti beneficio in priſtinum ſtatum reducuntur* 657 d e
Martyrii *deſiderio ardet S. Priſcus* 102 a. Martyrium *verè ſubit, qui pro veritate aut juſtitia interficitur* 743 f, 744 a b
Membra *SS. Euphemiæ, Dorotheæ, Theclæ & Eraſmæ abſciſſa venerantur canes* 608 a
Miſericordiam *enixiſſimè filio ſuo commendat S. Stephanus rex* 537 b c. *Viduarum & pupillorum patrem idem Sanctus ſe exhibet* 526 f, 571 c. *Vide* Eleemoſyna.
Miſſam *celebranti S. Lupo gemma in ſacrum calicem è cælo delabitur* 248 c, 262 d. *Sacroſanctæ* Miſſæ *tempore fabulantibus pœnas decernit S. Stephanus rex* 549 a
Mola *congregationi S. Verenæ prodigio vindicata* 171 d
Monaſticæ *vitæ deſiderio S. Remaclus epiſcopatum deponit* 682 e, 695 a b, 726 d e
Monita *ſalutaria Rubenitis, eorumque ſociis tradit S. Joſue* 66 d e. *Pia* monita *à S. Stephano rege data filio ſuo S. Emerico; de præſtandâ paternis præceptis obedientia* 543 d e. *De vitanda molli vita* ibid. f. *De ſervanda fide Catholica* 544 a. *De eccleſiaſtico gradu retinendo ac amplificando* ibid. b c d. *De honorandis pontificibus* 545 a b. *De merito honore principum* ibid. c. *De ſervanda virtute patientiæ & exercendo judicio* ibid. d. *De exceptione exterorum, & hoſpitalitate* ibid. e. *De exquirendo ſapientum conſilio, ejuſque utilitate* ibid. f, 546 a. *De imitandis majorum virtutibus, & obedientia parentibus debita* ibid. a b. *De ſtudio orationis, ejuſque fructu ac methodo* ibid. c. *De pietate, miſericordia, cæteriſque virtutibus regiis* ibid. d e. *Extrema ab eodem S. rege* monita *epiſcopis ac primoribus Hungariæ tradita* 572 c
Montem *excelſum & præruptum inhabitat B. Albertus Beſutius* 788 b
Morbi *varii depulſi patrocinio S. Verenæ* 172 c. *Reliquiis S. Elpidii abbatis* 382 c. *Oleo ex lampade S. Nonnoſi* 418 e f. *Invocata ope S. Stephani* 556 e, 574 d. *B. Margaretæ Lovanienſis* 589 f, 590 a. *S. Remacli* 719 f, 720 a b c d e. *S. Aigulphi* 756 b c
Morbo regio *laborantibus multis ſubvenit implorata S. Godegrandi virtus* 771 e
Moribunda *mulier tecta melote S. Aigulphi illico convaleſcit* 742 a
Mortuos *ad vitam revocant S. Priſcus* 102 a. *S. Ægidius* 303 a. *S. Manſuetus* 634 b, 636 d. *Puer reſuſcitatus per patrocinium S. Elpidii abbatis* 380 c. *Cadaver pueri ad corpus S. Stephani regis perlatum vitam recipit* 556 c, 574 b. Mortuus *puer, invocato S. Manſueto, matri ſuæ redivivus redditur* 657 f, 658 a b. *Manifeſto periculo vitæ ereptus, invocato S. Nonnoſo* 434 f, 435 a. Morte *ſubitanea corripitur Lecianus proconſul* 115 c. *Ob ſibi negatam filii ſui conſpiciendi facultatem ſubitò* moritur *S. Martha* 204 b c. *S. Sixtus prædicit S. Sinicio, eum poſt anni ſpatium* moriturum 125 c, 127 b. Mortem *Totilæ vaticinatur S. Benedictus* 231 a. Mortem *propriam præſciunt S. Sixtus* 126 f. *Mater S. Bernardi* 207 f. *S. Ægidius* 303 c. *Colliſis membris exſpirat idolorum ſacrificulus, dum SS. martyres tentat pervertere* 156 c. Mortem *acerbam & ignominioſam pro Chriſto ſuas delicias reputat B. Petrus Armengol* 334 c. *Damnato ad* mortem *B. Juliana ſuis precibus libertatem mirabiliter impetrat* 315 f, 316 a
Munificentia *S. Auſtregildis in pauperes* 266 c. *S. Nivardi erga monaſteria* 271 a b c d e, 274 a b c d, 282 e. Munificentiâ *piâ erga res ſacras certant S. Stephanus rex, ejuſque conjux Giſela* 524 c d. *Idem S. Rex peregrinantibus Hieroſolymam largiter ſubvenit* 532 c d. *Et regia munera Hieroſolymitano templo tranſmittit* 533 d e. *Et ſummo Pontifici pretioſam caſulam* 535 e. *Vide* Fundationes.
Muſicâ *cæleſti recreatur itinerans S. Lupus* 264 a b
Mutis *loquendi facultas reddita per patrocinium S. Nonnoſi* 436 e f. *S. Manſueti* 657 f. *S. Remacli* 698 b c. *SS. Aigulphi & Sociorum* 742 a. *Lecianus proconſul divinitus obmuteſcit* 115 c

N

Nativitas *& futura dignitas S. Lupi, Auſtregildi matri ejus revelatur* 256 a
Naufragio *navim ſubſtrahit S. Ægidius* 299 f. Naufragii *periculo ereptus, opitulante S. Nonnoſo* 425 f
Navis *cariosa impoſitos ſibi ab impiis SS. Caſtrenſem & Socios, divino nutu ad littus provehit* 214 f, 215 a

O

Obduratio *Chananæorum punita* 60 e f
Oblatio *ex furto facta gravi pœnâ à S. Apro mulctatur* 653 f, 654 a b c
Obſervantia *ſingularis S. Stephani regis erga ſedem Apoſtolicam* 503 a. *In cujus pignus mittit ſuo, ſuæque conjugis nomine ſummo Pontifici pretioſam caſulam* 535 e
Obtrectationes *piè contemnit S. Lupus* 258 d e
Oculorum *dolore vexatis pluribus ſalutarem opem impertit invocatus S. Nonnoſus* 433 d e, 434 a e, 437 d e, 438 d. Oculi *malum tollitur per merita B. Margaretæ Lovanienſis* 589 a
Oleum *ex lampade ad altare S. Nonnoſi ardente multis mirabiliter ſalutiferum* 418 e f, 426 d e, 427 e f, 428 f, 429 a e f, 430 a b c d, 431

431 b c e, 434 c e, 435 f, 436 a d e, 437 a b f, 438 a b c d e f, 439 a d
Oraculum *non consulendo de Gabaonitarum legatione probabilius non peccavit S. Josue* 46 b c, 47 f, 48 a & seq., 49 a b c
Oranti *adolescenti, fores cubiculi, in quo à patre idololatra Christi causa detinebatur, sponte aperiuntur* xxii f. Orante *S. Moyse, Israëlitæ Amalecitas cædunt* 10 a b. Orationis *continuum studium fovet S. Anna prophetissa* 96 d e, 97 d e f. *S. Justus episcopus* 373 e, 375 e. *S. Stephanus rex* 565 e. *Qui in ea integras noctes transigit* 541 b, 560 e, 570 c. Oranti *S. Lupo fores ecclesiæ sponte patescunt* 257 d. Oratione *sua B. Juliana famelicis virginibus suis panem miro modo suppeditat* 315 d. *S. Elpidius abbas à scorpio punctus in* oratione *eodem loco perseverat* 383 b, 386 b. *Rupem magnam S. Nonnosus vi* orationis *loco movet* 410 f. *Lampadem fractam reparat* 411 a. *Oleum multiplicat* 411 b. *S. Basilissa sitibunda precibus suis sibi aquam è terra elicit* 609 c. *Gratiam* orationis, *quam dæmon diu impedierat, per B. Margaretæ Lovanienſis patrocinium Beggina quædam impetrat* 589 b c

P

PAcem *inter Reolum comitem & Theoderamnum conciliat S. Nivardus* 281 f, 282 a. *Inter Ecclesiam & imperatorem Fredericum B. Guala* 783 b c d
Pallium *B. Thomæ vivos carbones illæsum sustinet* 596 b
Panes, *quorum plenum canistrum pauperibus ferebat B. Tarasia, in rosas vertuntur* 786 e f. Panes *angelorum ministerio coctos reperit B. Tarasia ab oratione reversa* 786 e f
Paralyticos *sanat S. Firminus* 176 c, 179 e. Paralytici *curantur ad sepulcrum S. Lupi* 264 d. *Per reliquias S. Elpidii abbatis* 380 b c. *Et ejusdem patrocinium* 381 c. Paralytica *novem annis omni membrorum usu destituta S. Nonnosi ope convalescit* 418 f, 419 a b. *Diuturna duodecim annorum* paralysis *ablata ad sepulcrum S. Stephani regis* 556 b, 573 f. *Varii* paralytici *incolumitatem obtinent per S. Mansuetum* 657 c. *Per S. Remaclum* 706 c d e, 723 b c f, 724 c. Paralysi *miserè afflicta à S. Godegrandi tumulo sospes abscedit* 771 d. *Alius per eumdem Sanctum suo vigori restituitur* ibid. e
Patiendi *desiderium ardens B. Julianæ* 316 c
Pauper *Christum secuturus S. Aigulphus hæreditatem suam in pauperum sustentationem elargitur* 744 e
Pectoris *periculosis cruciatibus liberati auxilio S. Nonnosi* 430 d, 431 d. Pectoris *diuturnum malum depulsum applicatis B. Margaretæ Lovanienſis reliquiis* 587 a b
Pedis *tumor ad sepulcrum S. Verenæ sublatus* 174 c d. Pedibus *dolentes salutarem S. Nonnosi opem experiuntur* 431 e, 434 a, 435 b c. Pedum *digitos dudum luxatos implorata B. Margaretæ Lovanienſis virtus suo usui restituit* 587 d e. *Distorti* pedes *ad S. Remacli reliquias curantur* 724 d e
Perditæ *res, invocato S. Godegrando, repertæ* 772 a b
Peregrinationem *ad SS. Apostolorum limina suscipiunt SS. Ægidius & Arcanus* 303 b, 306 a, 307 a. *Iidem Sancti Hierosolymam* peregrinantur 307 a. *Diuturnam ad limina Apostolorum aliaque sacra loca* peregrinationem *instituit S. Godegrandus* 766 a, 769 a
Periculo *à Normannis imminenti feliciter subducuntur transferentes corpus S. Godegrandi* 770 d e f
Perjuris *pœnæ à S. Stephano rege statutæ* 548 f. Perjurus *prædii invasor divinitus castigatus* 698 c d
Persecutio *atrox sub Evarico* 201 b c d. *Et in Italia sub Totila* 230 f
Pestis *Volaterris exstincta auxilio S. Octaviani eremitæ* 406 f, 407 a. Pestis *sævissima precibus S. Gerardi, invocatisque SS. Mansueto & Apro, subitò cessat* 630 b c, 650 b c d e. *Similis lues sublata per exstructam B. Alberti Besutii suasu ecclesiam S. Catharinæ virgini martyri* 788 c d
Phagedæna *curata meritis S. Nonnosi* 427 f, 428 a b
Phrenetici *duo ad mentem reducuntur usi oleo ex lampade S. Nonnosi* 419 c
Pietas *Arechis principis in colligendis SS. duodecim Fratrum reliquiis* 142 e f, 143 a b c. *Et in ditanda unà cum Beneventanis eorumdem ecclesia* 143 d e, 155 b c. Pietas *munifica Christianorum universi orbis ad restaurandа loca sacra Hierosolymis* 533 b c
Piscis, *invocato S. Remaclo, prodigiosè captus* 701 d e f
Pituitosis *humoribus purgati per merita S. Elpidii* 381 c d, 382 c d
Pleuritide *laborantes per S. Nonnosi merita sanitatem recuperant* 431 f, 434 f, 438 a b
Pluviæ *sæpè subitò impetratæ per invocatum B. Petrum Armengol* 333 c. *Per circumlatas S. Octaviani eremitæ reliquias* 402 d, 406 c. *Per triduanum jejunium & delatum in supplicatione S. Mansueti corpus* 648 f, 649 a. Pluviæ *impetrandæ, & arcendæ potens S. Agricoli patrocinium* 445 f, 446 a b c d e, 454 e. *Sanguinem* pluit *in comitatu Vindascino* 455 b
Podagræ *doloribus afflictum sanat S. Josue* 76 b c
Pœnitentia *Israëlitarum, objurgante eos angelo* 68 a b. Pœnitentia *B. Petri Armengol in religione acta* 333 f, 334 b
Prædator *agrorum Stabulensium terribili morte divinitus mulctatur* 691 d
Prædicationis *S. Prisci efficacia* 101 f
Principatus *Israëlis S. Josue à Deo collatus* 73 c. *Prodigio palàm confirmatur* 24 c
Prolem *per S. Verenæ merita impetrant Conradus Burgundiæ rex, Hermannus Suevia dux, matrona nobilis* 169 b c d e. *Hermannus II Alamannorum dux* 173 c. Prolem *masculam impetrat Juditha Poloniæ regina, implorata S. Ægidio* 287 e f. *S. Aigulphi meritis soboles impetrata* 762 e f
Prophetiæ *spiritu S. Anna in præmium sanctæ viduitatis donata* 98 b c. *Infantem Jesum agnoscit Messiam, aliisque annuntiat* 98 f, 99 a b. Prophetiæ *spiritu illustris S. Constantius* 243 d e. *Duos suos successores* prædicit 245 c. *Revelatione divina S. Lupus invenit S. Winebaudum, quem convivio excipit* 264 b. *Eversionem sui monasterii* prophetat *S. Ægidius* 303 a. *Mortem suam B. Petrus Armengol* 334 c. *Martyrium suum S. Antoninus*

ninus 354 e, 356 a. *Mortem S. Viatoris S. Juſtus* 366 e f, 373 f, 375 f. *S. Henrico, ejuſque fratri ac ſororibus futuræ dignitates* prædicuntur *à S. Wolfgango* 500 a, 501 c. *S. Comgalli nativitas, & honores à S. Macniſcio* 665 c. *Varia variorum monachorum merita divinitus cognoſcit S. Emericus, eaque oſculorum numero diſtinguit* 523 d e f. *Imminentem Beſſorum irruptionem divinitus edocetur S. Stephanus rex* 537 e f, 538 a b, 569 c. *Occultum Caroli regis peccatum divinitus revelatur S. Ægidio* 302 f, 303 a. *Latentem ſuorum culpam cognoſcit S. Remaclus* 679 f

Puerpera *morti proxima, implorata S. Nonnoſi ope, feliciter enititur* 417 b c. Puerperæ *laborantes ejuſdem ſancti beneficio proſperè pariunt* 418 e, 431 f, 432 a

Purgatorio *igne detenta mulier preces S. Martini, ac S. Manſueti ſuffragium precata liberatur* 624 c

R

RAptum *candelarum ex altari S. Verenæ gravi lapſu ac infirmitate ſacrilegus luit, dein reſipiſcens ſanatur* 171 e. Raptorem *dæmon correptum interficit* 771 b c

Regnandi *contemptu nobilis S. Gedeon* 91 c d. Regnum *Hungaricum S. Petro oblatum Silveſter II S. Stephano cum regia poteſtate reſtituit* 503 d, 505 a b

Religionis *eximio zelo arſit S. Joſue* 74 f. *Chriſtianæ* religioni *propagandæ totus incumbit S. Stephanus rex* 496 d f, 564 b c. *Illius causâ bellum contra Tranſilvanos ſuſcipit, ac feliciter conficit* 524 e f, 525 a b c d e. *Subactos Chriſtianis ſacris imbui curat* 525 d

Reliquiæ *S. Priſci ignem, in quem probandi ergò fuerant injectæ, iteratò exſtinguunt* 218 b. *Pars lintei, quo Chriſtus diſcipulorum pedes lavit, ignem perfert illæſa* 219 f. Reliquiæ *S. Remacli, multitudine prodigiorum territum Henricum imperatorem adigunt ad reſtituenda ablata Stabulenſi monaſterio* 689 b c d. *Vide* Corpus.

Revelatio. *Vide* Prophetia.

S

SAcellum *in ſomnis admoniti SS. Arcanus & Ægidius exſtruunt in loco, qui nunc Burgum S. Sepulcri appellatur* 306 b, 307 a b

Sacrificium *poteſtate extraordinaria Deo offert S. Gedeon* 83 b

Sacrilegus *in ſanctiſſimam Euchariſtiam miles miris prodigiis caſtigatur* 405 e f

Sapientiæ *ſpiritu repletur S. Joſue ad impoſitionem manuum S. Moyſis* 20 e f

Scabie *deformi puella mundatur ad ſepulcrum S. Verenæ* 174 b

Sepulcrum *S. Priſci globis igneis manifeſtatur* 216 b c d e. *B. Margaretæ Lovanienſis prodigioſis luminaribus illuſtratur* 592 c. *S. Remacli ſuaviſſimum ſpirat odorem* 700 d e. *Violator* ſepulcri *S. Lupi epilepſiâ percutitur, à qua pœnitens ſanatur* 264 d. Sepulcrum *S. Stephani regis mox miraculis inclaruit* 552 d e f. 572 d. *Angelorum melodiâ honoratur* ibid. e. *Ejuſdem lapidem ſepulcralem S. Ladiſlaus non antè tollere potuit, quàm Salomonem, ut eum ſacra virgo monuerat, in libertatem reſtituiſſet* 572 f, 573 a

Serpentes *juſſu S. Verenæ mirabiliter fugiſſe narrantur* 165 e f. Serpentis *morſum ſanat S. Ægidius* 299 e

Servitute *Madianitica in idololatriæ pœnam premuntur Iſraëlitæ* 80 c d

Severitatis *inſigne exemplum ſtatuit S. Stephanus rex* 538 c d, 570 d e f

Sinceritas *S. Joſue* 45 b

Solem *ſiſtit S. Joſue* 5 e

Solicitudo *S. Juſti epiſcopi de grege ſuo* 373 e, 375 e. *S. Stephani regis de moribus eccleſiaſticorum, eorumque proventibus* 566 e

Solitudinem *amantium exempla* 682 f, 683 a

Somnium *Madianitæ, ejuſque interpretatio S. Gedeonem de referenda victoria certum facit* 87 d e. Somnio *admonetur archipresbyter, ut S. Priſci corpus quærat* 217 b c

Spaſmo *liberatus per attactum reliquiarum S. Elpidii abbatis* 381 e

Spiritu *Domini afflatus S. Gedeon adverſus Amalecitas & conſœderatos eorum exercitum congregat* 87 a b

Splendor *inuſitatus apparet circa tugurium B. Alberti Beſutii* 788 b

Statum *vitæ electurus S. Aigulphus divinis officiis totus incumbit* 744 d

Sterilitas *agrorum, circumlato à ſupplicantibus S. Remacli corpore, pellitur* 687 e f

Stratagemate *inuſitato Madianitas in mutuam cædem adigit S. Gedeon* 87 e f, 88 a b c

Strumâ *ſanatus per reliquias S. Remacli* 724 c

Studium *ſingulare S. Stephani regis viros ſanctos in Hungariam pertrahendi* 529 d e, 536 a, 560 e, 565 e, 569 b

Submerſionem *prodigiosè evadit mulier, auxiliante S Verenâ* 172 f, 173 a

Surdis *auditus redditus per S. Priſcum* 102 a. *Per S. Verenam* 174 b c. *S. Lupum* 264 b d. *Per S. Ægidium* 308 b. *B. Julianam* 311 a. *S. Nonnoſum* 437 c d. *B. Margaretam Lovanienſem* 588 d e. *S. Euphemiam* 607 c. *S. Remaclum* 699 d e f, 700 a. *Cujus patrocinio* ſurdus *& mutus à nativitate auditum & loquelam impetrat* 702 d e f

Suſpendium *Teutonicus quidam ter innocuè patitur, invocato S. Ægidio* 288 e. *B. Petrus Armengol ab infidelibus ſuſpenſus B. Virginis Deiparæ ope poſt aliquot dies vivus evadit* 319 e f, 332 e, 334 a b

T

TEmplum *aſſiduè frequentabat S. Anna Prophetiſſa* 96 d e, 97 e f. *Dianæ Tifatinæ* templum *miraculosè corruiſſe traditur* 102 e. templa *hoſtium ſpoliis ditat S. Stephanus rex* 526 b d e f. *Vide* Eccleſia, Fundationes.

Tempeſtas *horrida SS. duodecim Fratrum precibus fertur ſedata* 140 e f, 151 b c d e. Tempeſtatem *ſerenat S. Regulus* 230 a b, 231 c. *Exorta in tranſlatione S. Octaviani eremitæ ſæva* tempeſtas, *facto eidem Sancto voto, illico ceſſat* 401 f, 402 a

Teſtimonium *laïci adverſus clericum recipi vetat S. Stephanus rex* 548 b

Timorem *Dei judicis ſemper præ oculis habet S. Stephanus* 571 c

Tormento *bellico rupto lethaliter ſauciatus, invocato S. Nonnoſo, illico ſanatur* 417 b

Tranſitus *Iſraëlitarum ſub S. Joſue prodigioſus per ſiccum Jordanis alveum* 30 c d e f, 31 a b & ſeq.

Tribu-

Tribulationibus *probatur à Deo S. Stephani regis virtus* 570 f, 571 a b
Tributum *debitum S. Verenæ ſolvere renuens cum familia ſua graviter caſtigatur* 172 f
Tuber *ingens ſiniſtræ manus ſubitò evaneſcit patrocinio S. Nonnoſi* 436 a b
Typum *Chriſti geſſit S. Joſue* 27 e. *Eumdem adumbravit S. Gedeon* 78 c

V

Vellus *duplici prodigio victoriam S. Gedeoni pollicetur* 83 f
Victoriæ *inſignes duce S. Joſue relatæ de Amalecitis* 10 a b. *De Madianitis* 22 c & ſeq., 23 a b c. *De incolis urbis Hai* 41 e f, 42 a b. *De quinque regibus Amorrhæorum* 50 f, 51 a b c d e f. Victoria *de Madianitis duce S. Gedeone* 88 b c d e. Victoriam *illuſtrem de rebellibus reportat S. Stephanus rex poſt emiſſum S. Martino votum* 493 c d e f, 494 a b c f, 495 a
Victus *auſterus S. Ægidii* 301 b
Viduitatis *ſanctiſſimæ exemplar exhibet S. Anna Prophetiſſa* 96 c d e, 97 c. *In cujus præmium ſpiritu prophetico donatur* 98 b c
Vincula *SS. duodecim Fratrum diſrumpuntur ad vocem angeli* 135 b, 138 c, 140 e. Vincula *ferrea, quibus ob delictum conſtricta erat pœnitens puella, ad ſepulcrum S. Manſueti ſponte ſolvuntur* 651 f, 652 a b c d e. *Idem alteri contingit ad tumulum S. Remacli* 697 c
Vindictam *ob negatum defeſſo exercitui commeatum ſumit S. Gedeon de Soccothais & Phanuëlitis* 90 e f. *Idem S. Dux fratrum ſuorum cædem ulciſcens interficit Zebee & Salmana* 90 f, 91 a. Vindicta *de Madianitis ſumpta* 22 c d. Vindicta *divina in Trincium tyrannum* 596 b c. *Impius Valentius filiarum & neptium ſuarum carnifex cum ſceleris ſociis terræ motu & igne cælitus miſſo punitus* 608 b. *Servus ob proditas SS. virginum Euphemiæ, Dorotheæ, Theclæ & Eraſmæ latebras ultionem divinam experitur* 607 f
Virginum *Veſtalium inſtitutio, dignitas, munus, fornicantium pœna* XVI d e. *Eas abolevit Theodoſius imp.* ibid. Virginitatem *ſemper coluit S. Joſue* 74 c. *Eamdem illibatam cum conjuge ſua S. Emericus ex voto ſervaſſe traditur* 541 e f. Virginitatis *conſervandæ gratiâ furibundum patrem fugiunt SS. Euphemia & Dorothea* 607 f. *Earumdem* Virgineo *pudori, ſtolis eas candidis tegens, conſulit angelus* 608 a
Virtutes *epiſcopales S. Remacli* 679 e f, 693 c d, 726 a b & ſeq. *S. Godegrandi* 768 f, 769 a
Viſio *mirabilis B. Gualæ oblata de S. Dominici morte* 777 e f
Viſum *precibus S. Terentiani recipiens S. Flaccus Chriſti fidem profitetur* 115 c d. *Vide* Cæcitas.
Vitis *ſarmentum aridum à S. Elpidio plantatum infra annum in ingentem vitem excreſcit* 383 b, 386 b
Ulcus, *quod poſt nuncupatum S. Nonnoſo votum fuerat ſublatum, ob ingratitudinem ſanati recrudeſcens, iterato voto penitus evaneſcit* 432 f, 433 a. Ulcerati *ejuſdem Sancti ope curati* 435 c, 438 d e f
Ulmum *cavam inhabitat S. Octavianus eremita* 402 b
Vomitu *continuo ſanatur mulier poſt factum S. Nonnoſo votum* 428 b c
Votum *S. Gerardi de promovendo S. Manſueti cultu* 627 f. Voti *violatio cælitus punita* 699 b. *Ingratus* voti *contemptor in priſtinam hydropiſim reincidit, eoque redintegrato incolumitatem denuo conſequitur* 701 f, 702 a b c
Vox *pſallentium angelorum audita in eccleſia S. Verenæ* 173 b. *Circa corpus S. Godegrandi cæleſtis muſica longè latèque per integram ferè noctem auditur* 771 a b
Urinæ *retentione laborans, tacto linteo, quo S. Elpidii corpus involutum fuerat, ſanitati reſtituitur* 381 a. *Idem beneficium alteri ejuſdem Sancti reliquias exoſculanti conceſſum* 382 b
Urſus, *cui objectus erat S. Cerbonius, feritate depoſita, illius pedes oſculatur* 232 c
Uſurpator *vineæ divinitus caſtigatus, facti pœnitens, auxiliante S. Remaclo, liberatur* 720 e f, 721 a
Vulnus *ſibi ſagittâ inflictum curari non patitur S. Ægidius* 301 e. Vulnera *SS. martyrum Euphemiæ, Dorotheæ, Theclæ ac Eraſmæ bis cælitus ſanantur* 608 a

Z

Zelus *Iſraëlitarum pro cultu divino* 66 f, 67 b. *S. Stephani regis adverſus impios* 565 f

ERRATA SIC CORRIGENDA.

Pag. ix *in Tractatu præliminari*, *num.* 39, *lin.* 17 χάεις - *lege* - χάεις.
Pag. 2, *lin.* 15 Cremonæ - *l* - Brixiæ.
Pag. 3, *lin.* 67 hac die, quo - *l* - hoc *vel* quâ.
Pag. 39, *lin. penult.* defoſſas - *l* - refoſſas.
Pag. 49, *col.* 2, *lin. ultimâ* lib. 8 Regum - *l* - lib. 2.
Pag. 52, *col.* 2, *lin.* 13 anno - *l* - anne.
Pag. 60, *num.* 223, *lin.* 20 rex - *l* - regem.
Pag. 69, *num.* 261, *lin.* 9 centeſimumu - *l* - centeſimum.
Pag. 93, *num.* 68, *lin.* 33 caput 6 - *l* - cap. 6.
Pag. 96, *num.* 2, *lin.* 20 gentili - *l* - gentilis.
Pag. 107, *num.* 1, *lin.* 7 Sulſitana - *l* - Sulcitana.
Pag. 162, *num.* 24, *lin.* 12 indulgentis - *l* - indulgentiis.
Pag. 178, *num.* 2, *lin.* 9 & 10 percecerat - *l* - perceperat.
Pag. 182, *num.* 5, *lin.* 4 die - *l* - dies.
Pag. 183, *lin.* 6 videantur - *l* - videatur.
Ibidem num. 9, *lin.* 8 tranſlatæ - *l* - tranſlata.
Pag. 185, *num.* 14, *lin.* 22 fulcivit - *l* - fulſit.
Pag. 237, *num.* 49, *lin.* 18 finis - *l* - finem : *deinde* ratio - *l* - rationem.
Pag. 238, *col.* 2, *lin.* 4 aliæ - *l* - alia.
Pag. 256, *num.* 3, *lin.* 7 ſoſpitalitatem - *l* - hoſpitalitatem.
Pag. 260, *num.* 14, *lin.* 9 *poſt* Winebaudus *adde* [abbas]
Pag. 264, *num.* 24, *lin.* 2 Briennom - *l* - Briennone.
Pag. 276, *num.* 33, *lin.* 24 connexa - *l* - connexus.
Pag. 284, *num.* 1, *in margine lin.* 2, DCCXI. - *l* - DCCXX.
Pag. 304, *num.* 2, *in margine* Lugdunenſis - *l* - Laudunenſis.
Pag. 305, *col.* 2, *lin.* 8 num. 3 - *l* - num. 2.
Pag. 318, *num.* 3 *corrige*, *quod ex Morerio dicitur de* Ermengaudo VI *comite Urgellenſi*, ſine herede *defunctum eſſe* : *nam Morerius ipſe in* corrigendis *tom.* 8 *pag.* 25 *corrigitur*, *ubi* Ermengaudus VII *præcedentis filius memoratur* ; *deinde verò* Ermengaudus VIII, *qui ſine poſteris obiiſſe dicitur.*
Pag. 326, *num.* 43, *lin.* 9 miſericortiia - *l* - miſericordia.
Pag. 344, *num.* 20, *in margine* ſeculo x - *l* - xi.
Pag. 350, *num.* 46, *lin.* 22 Aquitaniæ - *l* - Occitaniæ.
Pag. 372, *num.* 30, *lin.* xi ſoùlm - *l* - ſolùm.
Pag. 413, *lin.* 7 Notgeri - *l* - Nitgeri.
Pag. 447, *col.* 1, *lin. penult.* Agricolas Arelatenſis - *l* - Agricolus Avenionenſis.
Pag. 461, *num.* 21, *lin.* 18 aliquod - *l* - aliquot.
Fag. 473, *num.* 67, *lin. penult.* 38 - *l* - 40.
Pag. 480, *num.* 98, *lin. antepenult.* Peregrini - *l* - Piligrini.
Pag. 509, *num.* 209, *lin.* 29 hac - *l* - hæc.
Pag. 511, *col.* 1, *lin.* 9 infertum - *l* - infertam.
Pag. 522, *num.* 260, *lin* 4 eos - *l* - eas.
Pag. 531, *lin.* 15 reni - *l* - regni.
Pag. 533, *num.* 305, *lin.* 10 incredibils - *l* - incredibilis.
Pag. 597, *col.* 2, *lin.* 14 Chrodegandus - *l* - Chrodogangus.
Pag. 601, *col.* 2, *lin.* 17 Joannes - *l* - Joanna.
Pag. 604, *lin.* 3 γανάικας - *l* - γυναίκας.
Pag. 606, *num.* 7, *lin.* 7 Roſcio - *l* - Rubeo.
Pag. 639, *col.* 2, *lin.* 1 ſuas - *l* - ſuos.
Pag. 690, *num.* 84, *lin.* 6 citata - *l* - citato.
Pag. 719, *lin.* 4 inſpirantibus - *l* - inſperantibus.
Pag. 737, *num.* 41, *lin.* 19 Quorum - *l* - Quarum.
Pag. 757, *lit.* n, *lin.* 7 Remenſi - *l* - Senonenſi.
Pag. 769, *num.* 8, *lin.* 22 feneſtam - *l* - feneſtram.

FINIS